1ª
2955

GONZA

In Libru

Decretali

p. 1. et 2

1.

BIBLIOTECA
Sala 1ª DE LA
Universidad de Salamanca.
Est. 50 Caj. 2 Núm. 1

1ª
2955

~~Num. 50. Cas. 3. num 1.~~

contra

b 14447563

Cas. 1A or. 3.

D. D. EMANVELIS

GONZALEZ TELLEZ,

COMMENTARIA PERPETVA IN DECRETALES GREGORII IX.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA



D. D. EMANVELIS

GONZALEZ

TELLEZ

IN INC EMIA

Collegij sacrorum
Canonu quisitionis
Tribuna Consiliarij;

CON VA

In m

D M

C O M M V M,

N V IT.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXIII.
CVM APPROBATIONE, ET PERMISSV.

BIBLIOTECA SALAMANCA MARIA

D. D. EMANVELIS

GONZALEZ

TELLEZ,

IN INCLYTA SALMANTICENSI ACADEMIA

Collegij Maioris Conchenſis Alumni, & antiquioris veſpertinæ ſacrorum Canonum Cathedræ proprietarij Interpretis; in Pinciano Sanctæ Inquiſitionis Tribunali Inquiſitoris Apoſtolici, & in ſupremo S. Inquiſitionis Senatu Conſiliarij;

COMMENTARIA PERPETVA

In ſingulos Textus quinque Librorum

DECRETALIVM

GREGORII IX.

TOMVS PRIMVS.

COMPLECTENS LIBRVM PRIMVM,
Additis Notis vberioribus ab Hiſtoria, & Chorographia.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXIII.
CVM APPROBATIONE, ET PERMISSV.

BIBLIOTECA SALAMANCA MANIA



D. D. EMANVELIS

GONZALEZ

TELLEZ,

IN INCLYTA SALMANTICENSI ACADEMIA

Collegij Maioris Conchensis Alumni, & antiquioris vespertinæ sacrorum Canonum Cathedræ proprietarij Interpretis; in Pinciano Sanctæ Inquisitionis Tribunali Inquisitoris Apostolici, & in supremo S. Inquisitionis Senatu Consiliarij;

COMMENTARIA PERPETVA

In singulos Textus quinque Librorum

DECRETALIVM

GREGORII IX.

TOMVS PRIMVS,

COMPLECTENS LIBRVM PRIMVM,

Additis Notis, ubi ibidem ab Historia, & Chorographia.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXIV.

CVM APPROBATIONE, ET PERMISSV.





DEIPARÆ VIRGINIS IMAGINI,

Cui à multijugis REMEDIORVM beneficiis in Vrbe Salmantina numen, & NOMEN, quod Inclyta Schola adorans per Orbem diffundit;

TVTELARI, PATRONÆ, OPTIMÆ, PIENTISSIMÆ.

Ab ineunte ætate, auſpicalique Studiorum die gratus animi, voti compos, zeli flagrans, amoris ardens, clientum minimus EMANVEL GONZALEZ, *in Ius Canonicum Commentaria dico, voueo, conſec. D. N. M. Q. tantæ.*

APPENDO Aris tuis (Sacratiſſimæ Virginis Matris Dei ô viuiſſimum EXEMPLAR! *Numen in loco præſentiſsimum*) Vigilias meas, quas in quinque Decretalium Gregorij IX. libros paraui, conſarcinaui, congeſſi, digeſſi, & publicas facio. Meritò, ſi fides ſit meis dictis; inchoatæ quippè ſunt, CHARTA DIVINISSIMA, STVDIOSORVM LVMEN, ſub numine, & munimine tuo; & ſub eodem abſolutæ; dicerem perfectæ, ſi quidquam perfectum homuncio poſſet exhibere. A teneris quippè annis, quando Parens meus eiuſdem Scholæ Alumnus, Profeſſor, Doctor, inſinuauit cum præcepto diſcendi deſiderium, MARIANÆ Militiæ nomen dedi in frequentiſſimo Sodalitio, quòd impensè colit Iuuentus Salmantina, procurantibus Religioſiſſimis Societatis IESV Patribus, & in auctoramentum admirandæ Ducis meæ tranſiui animo, & corpore; quaſi conceptâ formulâ, VRI VIRGIS, FERROQVE NECARI. Te agnoſcens

Sic Dei-param appellat S. Ephr. in oratione de laudibus Mariæ.

Abbas Rupertus lib. 8 in Cantic.

agnoscens *Sanctæ Religionis Magistram Magistrorum*, Parthenica deuotio sciendi concitauit amorem : lustróque studiorum permenso, haud segniter in abdita paternæ domus me refero, recludo, agoni, & præliis literariis vires facturus & refecturus. Norunt, qui Salmanticæ literis operati sunt, quanto certamina illa constent experimentorum, & assidui laboris. Tu verò piissima virgo, *Liber es incomprehensus, qui Verbum Patris Mundo legendum exhibuit.* Toto ergo pectore incumbentes addiscendo Canonico Iuri, simúlque Ciuili,

S. Epiphanius sermone de laudib. Virginis.

Te Duce vela damus portus habitura secundos.

Ioan. Bapt. Mantuan. 1. Parthenic.

Propè Genitoris mei domum ædes tuæ rutilant, immaculata, intemerata, Glorioſissima Virgo; natus quippe fui felici sydere horâ ferè ipsâ, quâ Lvx ab intacto ventre tuo mundo affulsit, intra Cannas (agnosce venerandæ professionis meæ Verbum) Sancti Iuliani Parochiæ, in qua per Baptismum regeneratus Athleta Christi perunctus fui; illâ, inquam, in Ecclesia, cuius præcipuum, maiúsque Altare tenet religio huius Sanctissimæ Imaginis. Quò & Missarum opportuna frequentia, mira deuotio populi concurrentis, & iuuenilis animus à domestico exemplo non malè educatus, singulis me aduocabant diebus, vt Sacris, quæ in Sacratissimo Altari tuo offerebantur, adessem, à quibus mente pastus & refectus studium meum repeterem. Serò à sodalibus domum rediens, & per sacrarium hoc iter faciens, aduolutos sacris pedibus tuis orantes, precésque ad te fundentes cernebam Præceptores meos. O quales, quantos! Virtutibus sublimes, Scientia præclaros, Vrbis Salmanticæ delicium, inclytæ Vniuersitatis ocellos : quos imitandos mihi in omnibus proponebam, quorum vita viuendi norma fuit, quorum nutus præcepta fuerunt ad progrediendum, & quorum scripta in hisce Commentariis frequenter laudata, operæpretium faciunt, & si quid in eo dignum lectu est, suppeditant. Sistebam gradum, & admixtus orabam: sensimque sentiebam, affectum deuotionis Sanctissimæ Imaginis corporali præsentia menti instillari meæ. O! quam miserè errant blaterones isti Iconoclastæ, qui in his religionis nostræ fulcris impugnandis malè operas suas locant, malè perdunt. Videte, & gustate, quàm suauis, quàm mirabilis est Deus non tantùm in Sanctis suis, sed & in Imaginibus eorum. Exemplum consuetudinem fecit, & frequentati actus in habitum abierunt. Te ergo seriò, ex animo Patronam adscisco, & tesseram tui Numinis, & nominis inuocandi deinceps hanc colendissimam Imaginem sumo. Hæc vna REMEDIATRIX mea, consolatrix mea, fotrix mea; sub hoc clypeo prælia ineo, decerto, dimico : & ad literarium puluerem prodeo, & prouoco.

Ecce primum, acerrimúmque illud, quod mihi obtigit ephebo in prima adhuc iuuenta, ex vmbra ad iubar solis aduolanti, & anhelanti; cùm supellectilis literariæ censum professus fui in illustri, tremendóque sacello Diuæ Barbaræ : in quo Patres Academici, Præceptores nuper, & semper mei appenso examine excutiunt, rimantur, ponderant Genium, Ingeniúmque cum tota re literaria, & de spe mei specimen capiunt seriò intenti, perspicaciter sagaces à vigilia prima vsque ad intempestam, cum iam nox humida cœlo præcipitat, suadéntque cadentia sydera somnos. Sed quæ nulli tuorum dees, mihi adstitisti, Virgo potentissima, nec passa

fuisti

fuiſti inglorium exire, qui glorioſæ Virginis auxilio fretus periculum aggreſſus fuit. Perfunctus ergo examine, concordi Patrum ſuffragio RENVNTIOR IDONEVS, donorque LICENTIA nobiliſſimum Doctoratus Salmantini Gradum in ſacro iure Pontificio ſuſcipiendi. Quem propè diem ſuſcepi; eiuſdémque iuris Cathedras è veſtigio petere cœpi, quas ampliſſimè dotatas, præ cæteris aliarum facultatum, Academia habet Canonicæ prudentiæ altrix.

In competitionibus Cathedrarum nemo eſt, qui neſciat, ſi expertus tantillum ſit, ambientium zelotypiam, inuidorum rabiem, fauentium affectus. Iuuentus ipſa, quæ ſolet de Magiſtris ſinceriùs cenſere, ſcinditur: iam huic, iam illi competenti ſeſe præſtat: interim aſſiduus labor, quotidianæ prælectiones, & reliqua ad docendum, & diſcendum experimenta, vel fauore attolluntur plus iuſto; vel arte, inuidiâ, odio conculcantur & peſſundantur. *Ei, qui pendet à rebus leuiſſimis, qui rumore, & vt ipſi loquuntur, fauore Populi tenetur, & ducitur, plauſum immortalitatem, ſibilum mortem videri neceſſe eſt.* O! quot, & quantos optimæ ſpei adoleſcentes pericula, & mala hæc tranſverſos egerunt, & à præclaro deterruerunt, deterréntque inſtituto. Robore opus eſt, & obfirmato pectore; ad templum quippe Honoris pergitur, ad quod nemini via patet, niſi per atrium Virtutis. *Cicero in Sextiana.*

At durum Virtutis iter ſudoris anheli
Impleuere Dij: via longa eſt, ardua eunti,
Ingreſſúque riget primo; ſed vertice in ipſo
Fit facilis, nullumque ſinit ſupereſſe laborem.

Heſiodi pulcherrima Carmina; quem Latinis verbis, & rithmo expreſſit Putcanus in limine ſui BIVII.

Tangebant, & angebant me iuuenem, & iuueniliter ſapientem bilances iſtæ trutinationes: ſed quid remedij, aut cautionis? Amicos quæſitare, fautores ambire? Non hoc mihi negabam: verùm altius conſilium mentem inuadere meam ſentiebam, & quaſi ab alto edici.

Inde petes arcem, & delubra fauentia votis. *Ouid. lib. 4. triſtium, eleg. 1.*

Tu Arx mea, tu votis meis fauens delubrum, *O! totius Trinitatis viuum Tabernaculum*, vt inquit D. Auguſtinus, vel vt Laurentius Iuſtinianus, *Sapientiæ Thronum.*

Obtinui tandem, at non tardè, inclytæ Academiæ Salmantinæ Cathedram, quam minorem Decretalium vocant, anno 1655. cui incumbens, & profeſſoris munus pro viribus explens aliâ, atque aliâ donatus fui ſupremi Senatus non communi, ſed ſpeciali cenſurâ (de quo tacebo, ne mea amplificare videar) Et poſt minora illa Magiſteria, quæ Academia habet approbandis Profeſſoribus, & dignatione augendis ad maiora, Proprietarius Sexti Anteceſſor renuntior: mox collocor in ampliſſima Præfectura Veſpertinæ Cathedræ Iuris Canonici; quam cum per tres annos rexerim ſtipatiſſimâ ſtudentium frequentiâ, evocor ad Vallis-Oletani Senatus Sanctæ Inquiſitionis FISCALE MVNVS.

Quod prius quàm ſubeam, è re viſum fuit mea, prenſare nobiliſſimam & ampliſſimam Togam Maioris Conchenſis Collegij, munitiſſimæ Virtutis, & literarum Arcis; Theologiæ, & vtriuſque iuris Emporij; Virorum, qui habenas moderentur Eccleſiæ, & Regni, Armamentarij. Cuius elogia charta hæc non capit, nec poteſt repræſentare vulgaris facundia,

cundia, qualis mea. Probatus literis, & integritate puritatéque natalium approbatus (quibus approbantur idemtidem qui sanctum Inquisitionis Officium profitentur, siue Inquisitorum potestate, siue Ministrorum munere) decentissimam Togam induo, tantóque Sodalitio ovans, Collegarúmque exemplo incitatus, impulsus, vix transacto semestri venerandum Tribunal Vallis-Oletanum adeo. Fiscalis munus est, vt leuidensia alia prætermittam, arma Iudicibus subministrare contra hostes Fidei Filij tui D. N. Iesv Christi, Maxima Dei Mater. Quid in eius exercitio præstiterim, non meum est profiteri. Vtinam Dei gloriam auctam, mactámque voluerim. Tibíque refundam laudes, si benè quid cesserit, quæ das virtutem contra hostes tuos piè, & humiliter efflagitantibus. Biennio vix transacto ad sanctum iudicandi munus in eodem Tribunali evehor, quod per octo annos gessi. In quibus multi errones, apostatæ, refugi à fide, & alij nequissimi, vel reconciliati sunt gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, signa doloris, & pœnitentiæ præstantes; vel condignis sunt affecti suppliciis. Ille enim mos, illud fas tremendi simul, & benignissimi Tribunalis, vt eorum qui resipiscunt resculas, famámque minuat, breui carcere, nec graui exilio mulctet: Tertulliani verbo vtar, non sine duce quopiam ad rem hanc: *Mauult suffundere sanguinem, quàm effundere.* Illos verò, qui refractarij, peruicacésque obdurant, Curiæ sæculari consignat, ignibus statim tradendos. *Melius quidem esse, quis dubitauerit? ad Deum colendum homines doctrinâ duci, quàm timore pœnæ, vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideò illi qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit, prius dolore, vel timore cogi.*

In apologetico, cap. 4.

Verba sunt D. Augustini epist. 1. ad Bonifacium.

Quæ omnia palam, & in conspectu omnium, Dei gratiâ & Sanctissimæ Dei Matris suffragio, & Principum nostrorum inuicto tutamine, quorum seriem in hoc, quo fruimur bellissimo, benignissimóque Carolo, Diuina Maiestas, & Patrocinatrix Virgo ad ætatum finem perennare velint, & faciant. Nec arcánum illud audimus, quod bonâ mente, sed non Nobis, prætexuit Politicus, alioquin sapientissimus, & in aliis forsitan regionibus obseruandus. *Reliqua scelera, cum castigantur, ostendi expedit; hoc flagitium occuli, & tegi. Caussa in promptu. Vt miserationem detrahas, & minuas sermones. Caterùm illud imbibe:* Exquisitior quæque crudelitas illecebra est magis sectæ. *Simul, & hoc scito, &c.* Scimus enim veræ orthodoxæ Christianæ Religionis tyrannorum acerbitatem Sanctis Martyribus illecebram fuisse, foréque quod his miserè seductis euenturum, nec metuimus, nec vnquam fuimus experti. Sermones apud Nos nulli; quin omnes pietate feruent, & in fide fundantur magis Dei præeunte gratiâ, visis suppliciis peruersorum. Anno 1667. centum rei acti sunt; ex quibus duo præfocati & cadauera igni tradita, vidente & præ gaudio lachrymas vix sustinente refertissimo Christiano Populo, qui à Castella vetere, & longinquis magis prouinciis nedum pulcherrimum, & spatiosissimum forum Vallis-Oletanum complebat, spectaculi locum; sed Vrbem ipsam. Non memoro exhibitiones alias, quæ frequenter in publicis Ecclesiis peraguntur, traductis per calles & compita reis. Sic palea à grano ope diuina separatur;

Lipsium intelligo, cuius in Libello expuncto de vna religione, verba hæc.

Verba Tertull. in apolog. cap. vlt.

tur; ſic ſarcta tecta conſeruatur Religio; ſic cultus procuratur diuinus; ſic ſalus, honorque Regni quæritur; ſic triumphat de inimicis Crux; in quibus non paucas horas manè, veſperéque Inquiſitores collocamus. Quod felix, fauſtúmque ſit, & Chriſtiano Populo ſalutare, per eum, in quo viuimus, mouemur, & ſumus.

Horis ergo ſucciſiuis, tam Salmanticæ, quàm Vallis-Oleti cœpi viginti ab hinc annis tradere me iuri Canonico addiſcendo, docendo, commentando ſub tuis maximè auſpiciis, *ô Domina mea, Dominatrix mea, Dominans mihi*: parcens ſomno, & quieti; non parcens labori, & vigiliis. Libros ab extrariis regionibus, chartáſque Præceptorum Salmanticenſium comparo, operi me accingo; nec deterreor mole, aut copiâ, quia tuo innixus gradior patrocinio. Toti ſunt Præceptores Salmantini dies totos in hoc excolendo agro: alij tractatus, alij quas vocant repetitiones: ſed vix vnus, aut alter quidquam magis publicum cogitat, quàm erudire iuuentutem ex ſuggeſtu; quare tantorum Virorum ſcholia, relectiones, commentaria plerumque in priuatis ſchedulis, & forulis deliteſcunt: & aqua, quæ ab illo fonte fluens, per totam poſſet Europam & Americam decurrere, reſtagnat, & fertile tantùm reddit ſolum Salmantinum. Non diffiteor labores iſtos magno mihi adiumento fuiſſe; quod in ſingulis locis palàm teſtor, & profiteor: ſed aliud ſibi poſtulat priuata docendi, aliud publica commentandi ratio: lac pueris, viris paranda eſca eſt: quod reſpuit priuata, appetit publica; Magiſtri breuitati ſtudent, non ita Scriptores: perpolita, & exquiſita materies fruſtra diſcentibus adfertur, quæ doctis in pretio eſt. Epiſtolæ integræ Decretales, loci Sanctorum Patrum autographi labor cenſeretur ineptus in Magiſtro; qui Scriptori neceſſarius eſt rerum geſtarum hiſtoriæ. Loca chorographica, propria nomina Monaſteriorum, Epiſcopatuum, & lite contendentium, quæ nihili cenſentur à diſcentibus, quapropter nec ipſis panduntur; commentantes quærere, & perquirere debent: nam ab his lux vera ſacris Canonibus inſinuatur. Hæc omnia, ſi aſſequutus non fui, certè procuraui. Ecce Piiſſima Mater poſt exacta quinque luſtra prodit Opus Decretalium abſolutum, ſi non perfectum. Tuere, & gratanter accipe, quod tuum eſt, vt ſignum in fronte libri præfert. Non minus miraculum eſt Diuinæ Maieſtatis, & Potentiæ tuæ hominem tardi ingenij, nullius ſapientiæ, negotioſum, totum Tribunalibus tentum, detentúmque tam alta aggredi, & conſummare; quàm cætera, quibus Sanctiſſima hæc IMAGO ſibi venerationem, & nomini tuo honorem, & gloriam conciliauit. Hoc ergo clientelæ tuæ primum miraculum prædico.

Ex D. Ildephonſi præfatione.

Perge, calme, perge laudes Virginis diffundere
Illius, quæ peperit Orbi Seruatorem gentium;
Illius, quæ pergit Orbi dare, donare munera.
Sanat ægros animi, ſanat ægros etiam corporis.
Quàm benigna in his, volénſque; quàm potens, & efficax.

Ex Lipſio, cap. 1. Virginis Sichimienſis.

Et quamuis aliis abſtineam quæ docent plurimæ tabellæ pictæ, & appenſæ Templo tuo, non tacebo quod in eius reædificatione accidit, & ſimul, quod in ſolenni pompâ tranſlationis tuæ à prudentibus hominibus fuit obſeruatum.

Arbitris

Idem eod. cap.

——— Arbitris ipſis ſenſibus,
Nos videmus, nos audimus: quis profeſtus abnuet,
Niſi profeſſus Scepticam ipſam, & hæreſim Pyrrhoniam?

Templum erat terrenum, carioſum, vetuſtate collapſum, anguſtum, & ſubobſcurum, & auguſtiore in Vrbis parte poſitum. Ciuium publica vota ſplendidius templum efflagitare; parochianos ſymbola conferre, ſtipem populum: ſed, vt ſunt humana conamina, omnes nihil agere. Sacerdos, qui & Capellanus tuus, ſibi iniungit opus aggredi: & cum fortunis prorſus deſtitueretur, Indos cogitat, Peruviam properat: & rebus operatus ſacris, genio ſuo ſubtrahens, eleemoſynarumque auidus, quibus minimè fraudatus eſt, à Gente pia non paruam vim argenti infecti, & ſignati proſpero vento Salmanticam reportat poſt duodecim annos, paulò plus, minuſve temporis. Iacit fundamenta Templi; diducit lapideos parietes; proſequitur inchoatum opus: & cum cerneret, tantæ rei, quam ſecum attulerat pecuniam, non eſſe ſatis; iterùm ſe nauigationi accingit: quam non minùs felicem expertus repetit Peruviam; ſacris ſuis artibus vtitur, parat Diuæ Virgini argentum, fit diues, & poſt ſex, ſeptemve annos repedat Salmanticam: & quidquid apud Indos quæſiuit, perficiendo, perpoliendo, & ornando Templo tuo impendit in tantùm largus, vt ſibi retineret nihil, reſiduumque vitæ tranſegerit (egit verò non paucos annos) ex parochianorum ſumptibus. Cuius Sancti Sacerdotis pietatem commendatam, teſtatamque voluerunt loco Sepulturæ dato Deputatorum decreto ad pedes Sanctiſſimæ Aræ tuæ cum epitaphio rem loquente. Et ipſe miſericordiam tuam fuit proteſtatus appenſa tolo Templi nauiculâ velis, & omni inſtrumento conſtante, in memoriam nauis, quæ eum bis vexit, reuexitque ſoſpitem & diuitem ab Indis, quam poſt ſexaginta annos vident quotquot templum ingrediuntur. Elegans hodiè, & lapideum templum donariis, lampadibus, ſupellectili inſtructum eſt piis fidelium collationibus. Sanctuarium ipſum fulget depictum, deauratum, & pulcherrimè fabrefactum. Ipſum Tabernaculum auro, argentoque coruſcat, vt nullum magis.

Cum ergo Sanctiſſima hæc IMAGO ſedem teneret in dextro collaterali, octo ab hinc annis viſum fuit eam ſiſtere in præcipuo decentiſſimo loco. De tranſlatione agunt: an ſolenniter, & circunductâ per compita Imagine ipsâ: an in eius locum traductioni alia ſubſtituenda ſit? Stas quippe de marmore alabaſtrino humanæ ferè magnitudinis, vlnis Filium tuum D. N. geſtans, & à multis annis medio fiſſa, ſciſſaque; fractionem metuebant cum maximo detrimento populi deuotionis. Conſuluntur periti, trepidant, abnuunt, diſcordant: ſed multitudini placet, ipſiſſimam Imaginem tenſis imponi, & per Vrbem comportari pietatis, lætitiæ, & publicæ ſalutis ergò. Dictum factum. Et ſudo die ab octaua ad occaſum ſolis (octauam dico ſecundam poſt meridiem) Clericorum, Religioſorum, Sæcularium omnis ſtatus ingenti procedente multitudine, circunfertur, & illæſa IMAGO in hoc maiori Altari reponitur, fixâ iam ſede, nec de facili aliò tranſmutandâ. Nec mihi ſuggerat Cenſor propriiſſimè hæc miracula non appellari: hîc enim *miraculum voco,*

Cum D. Aug. de vtilit. cred. cap. 16.

quid

quidquid arduum, aut inſolitum ſupra ſpem, aut facultatem miranti apparet.

Ex throno eminenti Gentem Salmantinam aſpicis numini tuo amiciſſimam, & reſpicis, ne ingruant mala, vel ingruentibus præſentia exhibeas REMEDIA. Multi ſunt anni, quibus fidelis gleba non fallit agricolarum ſpem. Iamdudum peſtes, & epidemiæ exulant. Et nuper imminentia bellorum pericula auertiſti. Omnes tuum patrocinium ſentiunt, quia ſinguli impensè te colunt in hac Sanctiſſima Imagine. O inclyta, & nobiliſſima Ciuitas, quæ me terrâ cadentem ſuſcepiſti, ſinúque tuo fouiſti: perge de MARIA benemereri, ipſam in hac Sanctiſſima IMAGINE venerari, frequenter eius ædes inuiſere, hinc REMEDIA cunctorum malorum præſtolari.

Et tu Sanctiſſima Virgo, perfunctum me Inquiſitoris Vallis-Oletani Officio, & ad Regiam aduocatum, vt Supremo Sanctæ Inquiſitionis Conſilio aſſideam iterum Fiſcalis munere, eo tamen ampliore, & dignatiore, rege, dirige, guberna linguam, mentem, calamum; vt digna cogitem, digna loquar, digna ſcribam Maieſtatis tuæ honore, gloria Filij tui D. N. IESV CHRISTI, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hæc vita redeat, mihi ſit hæc voto, ô Dea!
Vt numen, atque te colam,
Expers ab alia cura: & in LIBRIS SACRIS
Aut COGITATIONIBVS,
Quod temporis erit reliqui, fallam, & teram:
Dum Parca me fallens mea
Obrepat, atque abducat ad cœleſtium,
Præeunte DIVA TE, *choros.*

Lipſius *in eadem Virgine Sichimienſi, c.3.* loquens de beata vita.

LECTORI

LECTORI.

PRÆFARI pauca in ingreſſu operis, vt Authores alij æquum ſibi eſſe, ſic mihi ego propè neceſſarium duxi. Nam ipſa Operis inſcriptio magnificum quiddam, & ſublime præſefert, & propter quod vadimonium deſeri poſſit; ac ſcribenti fortaſſe inuidiam mouet. Hanc vt mittam, & tuam gratiam comparem(Lector beneuole) profiteor nolle me hac quaſi venditatione ingenij gloriam aucupari; ſed communi vtilitati, commodoque inſeruire: neque tam ſpecioſa ſectari ſtudio iactantiæ, quàm honeſta, & vtilia officij, & obſequij voluntate. Hac igitur ductus cum in commune bonum quicquid ex priuatis ſtudiis collegeram conferre vellem, nihilo me magis profuturum putaui, quàm hoc Opere ſuſcepto ac emiſſo in vulgus. Hi fuerunt ad aggrediendum Opus aculei: vnus in eo mihi ſcopus, & ſtudium præcipuum, non rem literariam iuuandi; nec enim credo tanti erit; ſed noſtros iuris Profeſſores ad eiuſmodi ſcriptionis genus, ſi placeret, excitandi, quorum permultos noueram me ipſo longè peritiores, magiſque induſtrios.

In hoc Opere nouum genus ſcribendi reperies: nec enim in Decretalium expoſitione tantùm, ſed etiam hiſtorica narratione operam inſumpſi, quia & vtrumque maximè prodeſſe viſum fuit. Quippe antiquas lectiones, epiſtolas Pontificum, è quibus hæc compilatio emanauit, illorum temporum res, vrbium, Eccleſiarum quoque, & Monaſteriorum origines diligenter conquiſiui, & vſque ad ſuperſtitionem retinui. Ita factum, vt in hac elucidatione ad euoluendos variæ hiſtoriæ libros, non parum laboris impendere neceſſe fuerit. Arduum opus aggredior, in quo plura forſan, quàm optauerim, digna erunt tuâ cenſurâ, & caſtigatione, quæ libenter, & æquo animo examini tuo emendanda, & expungenda relinquo; præter ea, quæ inter Typographi manus iniuriam paſſa ſint.

Piaculum verò ingens mihi foret ſilere, quantum mihi profuerunt Opera tam typis data, quàm manuſcripta Præceptorum meorum, immò totius Hiſpaniæ, illuſtriſſimi videlicet, & eruditiſſimi D. D. D. Franciſci Ramos de el Manzano, ſcientiarum omnium, & artium conuentu mirè conſpicui, Primarij Iuris Ciuilis noſtræ Academiæ, Mediolani Præſidis, in ſupremo Conſilio iuſtitiâ, & gratiâ Conſiliarij, noſtri Catholici Regis Caroli Secundi doctrinæ & morum Magiſtri: & D.D.D. Ioſephi Fernandez de Retes, eiuſdem Salmantini Lycei Iuris Cæſarei Primarij, in Pinciana Cancellaria Senatoris integerrimi, in ſupremo Gazæ Senatu vigilantiſſimi Fiſci Patroni, cuius egregias laudes verecundo magis obſeruaſſe ſilentio, quàm vt decerpamus carptim, ſatius eſt; qui, vt ſunt ſtudiorum amatores, & ſtudioſorum amantiſſimi, ea mihi communicarunt, ex qua diuite penu tenuitatem meam auxi, & vberiùs ad exitum perduxi.

Hæc tibi, mi Lector, offero prono, libentique animo, quo Reipublicæ literariæ inſeruire volui; abſit precor malignitas, & alieno libro ingenioſus vt ſis. *Nulli ſine venia placuit ingenium*; ex Pliniano ſcito. Parce, fauéque noſtro, & vale feliciter.

TABELLA

TABELLA
TITVLOS OMNES
Quinque Librorum Decretalium Gregorij IX. ordine Alphabetico indicans.

Prior numerus Librum, posterior Titulum, postremus verò paginam cuiusque Libri indicat.

A

APparatus. t.1.p.1
Accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. 5.1.1
Adulteriis & stupro. 5.16.299
Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum. 1.14.476
Alienatione iudicij mutandi causâ facta. 1.42.998.
Apostatis & reiterantibus baptisma. 5.9.226.
Appellationibus, & recusationibus. 2.28.796.
Arbitris. 1.43.1006
Authoritate, & pallij. 1.8.3.84

B.

BAptismo, & eius effectu. 3.42.902.
Bigamis non ordinandis. 1.21.577

C.

CAlumniatoribus. 5.2.61
Causa possessionis, & proprietatis. 2.12.222.
Capellis monachorum, & aliorum religiosorum. 3.37.754
Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & diuinis officiis. 3.41.855.
Censibus, ex[illegible]tionibus, & procura[illegible]nibus. [illegible].39.7[illegible]
Clandestina [illegible]espon[illegible]tion[illegible] [illegible].95
Clericis pe[illegible]rinis. 4.[illegible]
Clericis pe[illegible]grinantibus. 1.2[illegible]
Clericis [illegible]zal. in Decretal. Tom.I. 2.29.90[illegible]
Clericis coniugatis. 3.3.81
Clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda. 3.4.96
Clerico ægrotante, vel debilitato. 3.6.184.
Clerico per saltum promoto. 5.29.446
Clericis pugnantibus in duello. 5.14.292.
Clerico venatore. 5.24.404
Clerico percussore. 5.25.409
Clericis maledicis. 5.26.411
Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. 5.27.415
Clerico non ordinato ministrante. 5.28.438.
Cognatione spirituali. 4.11.157
Cognatione legali. 4.12.169
Cohabitatione clericorum, & mulierum. 3.2.62.
Collusione detegenda. 5.22.392
Commodato. 3.15.290
Concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis. 3.8.198
Conditionibus appositis in desponsatione, vel aliis contractibus. 4.5.109
Confessis. 2.18.318
Confirmatione vtili, vel inutili. 2.30.903.
Coniugio leprosorum. 4.8.143
Coniugio seruorum, vel disparis conditionis. 4.9[illegible]
Consanguinitate, & affinitate. 4.1[illegible]184.
Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris. 3[illegible]40.832.
Constitutionibus. 1.2.3[illegible]
Consuetudine. 1.4.1[illegible]
[illegible]gatorum.

Conuersione [illegible]

Index Titulorum

Corpore vitiatis ordinandis, vel non. 1. 20.566.
Crimine falsi. 5.20.369
Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum. 3.44.926

D.

Decimis, primitiis, & oblationibus. 3.30.582.
Delictis puerorum. 5.23.397
Depositi. 3.16.295
Desponsatione impuberum. 4.2.68
Dilationibus. 2.8.162
Diuortiis. 4.19.256
Dolo, & contumacia. 2.14.283
Donationibus. 3.24.426
Donationibus inter virum, & vxorem, & de dote post diuortium restituenda. 4. 20.278.

E.

Ecclesiis ædificandis, & reparandis. 3. 48.959.
Electione, & electi potestate. 1.6.221
Emptione, & venditione. 3.17.301
Eo qui cognouit consanguineam suæ vxoris, & sponsam sui consanguinei. 4.13. 174.
Eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. 4.7.135
Eo qui furtiuè ordinem suscepit. 5. 30. 449.
Eo qui mittitur in possessionem causâ rei seruandæ. 2.15.293
Exceptionibus. 2.25.616
Excessibus Prælatorum in subditos, vel contrà. 5.31.451

F.

Feriis. 2.9.166
Feudis. 3.20.347
Fide instrumentorum. 2.22.475
Fideiussoribus. 3.22.395
Filiis Presbyterorum. 1.17.524
Foro competenti. 2.2.64
[illegible]dis & maleficiatis, & impotentia coëundi. 4.15.209
Furtis. 5.18.333

H.

Hæreticis. 5.7.16[illegible]
His quæ vi, metusve causâ fi[illegible] 43.
[illegible] Capituli. 3.10.225
His quæ fiunt à maiori parte Capituli. 3. 11.239.
His qui filios occiderunt. 5.10.239
Homicidio voluntario, vel casuali. 5.12. 248.

I.

Immunitate Ecclesiarum, cæmeterij, & rerum ad eas pertinentium. 3. 49. 968.
Infantibus & languidis expositis. 5.11. 243.
In integrum restitutione. 1.41.968
Iniuriis, & damno dato. 5.36.540
Institutionibus. 3.7.189
Iudæis & Saracenis, & eorum seruis. 5. 6.136.
Iudiciis. 2.1.1
Iuramento calumniæ. 2.7.151
Iureiurando. 2.24.543
Iurepatronatus, & Ecclesiis à laïcis concessis. 3.38.760

L.

Libelli oblatione. 2.3.109
Litis contestatione. 2.5.124
Locato, & conducto. 3.18.325

M.

Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 5.5.123
Maioritate, & obedientia. 1. 33. 815.
Matrimonio contra interdictum Ecclesiæ celebrato. 4.16.220
Mutuis petitionibus. 2.4.117

N.

Natis ex libero ventre. 4.10.155
Ne clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant. 3. 50. 1000.
Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias aliis sub annuo pretio concedant. 5. 4. 127.
Ne Sede vacante aliquid innouetur. 3.9. 221.
Noui [illegible]nunciatione. 5.32.470

O.

[illegible]ligatis ad ratiocinia ord[illegible] non. [illegible]nandis, vel 1.19.562
Obseruan

Obseruantia ieiuniorum. lib. 3. tit.46. pag.945.
Officio Archidiaconi. 1.23.602
Officio Archipresbyteri. 1.24.626
Officio Primicerij. 1.25.631
Officio Sacristæ. 1.26.632
Officio Custodis. 1.27.634
Officio Vicarij. 1.28.637
Officio, & potestate iudicis delegati. 1. 29.643.
Officio Legati. 1.30.728
Officio iudicis ordinarij. 1.31.747
Officio iudicis. 1.32.807
Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit. 1.13.471
Ordine cognitionum. 2.10.191

P.

PActis. 1.35.860
Parochiis, & alienis parochianis. 3. 29.572.
Peculio clericorum. 3.25 441
Pignoribus. 3.21.353
Plus petitionibus. 2.11.214
Pœnis. 5.37.545
Pœnitentiis & remissionibus. 5. 38. 555.
Postulando. 1.37.906
Postulatione Prælatorum. 1.5.207
Præbendis, & dignitatibus. 3.5.121
Præscriptionibus. 2.26.662
Præsumptionibus. 2.23.510
Precariis. 3.14.277
Presbytero nondum baptizato. 3. 43. 922.
Priuilegiis, & excessibus priuilegiatorum. 5.33.480.
Probationibus. 2.19.328
Procuratoribus. 1.38.913
Purgatione canonica. 5.34.521
Purgatione vulgari. 5.35.534
Purificatione post pactum. 3.47.956

Q.

QVi clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possint. 4. 6. 126.
Qui filij sint legitimi. 4.17.223
Qui matrimonium accusare possunt, vel in eo testificari. 4.18.251

R.

RAptoribus, prædonibus, incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum. 5.17.315.
Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis. lib.3.tit.13.pag.250
Regularibus transeuntibus ad religionem. 3.31.629.
Regulis iuris. 5.41.643
Religiosis domibus, vt Episcopis sint subiectæ. 3.36.742
Reliquiis, & veneratione Sanctorum. 3. 45.936.
Renunciatione. 1.9.397
Rerum permutatione. 3.19.337
Rescriptis. 1.3.76
Restitutione spoliatorum. 2.13.248

S.

SAcramentis non iterandis. 1. 16. 519.
Sacra vnctione. 1.15.507
Sagittariis. 5.15.297
Schismaticis, & ordinatis ab eis, & alienationibus factis. 5.8.220
Scrutinio in ordine faciendo. 1. 12. 469.
Secundis nuptiis. 4.21.324
Sententia excommunicationis. 5. 39. 573.
Sententia, & re iudicata. 2.27.724
Sepulturis. 3.28.534
Sequestratione possessionum, & fructuum. 2.17.311.
Seruis non ordinandis, & eorum manumissione. 1.18.540
Simonia, & ne aliquid pro spirituali exigatur, vel promittatur. 5. 3. 69.
Solutionibus. 3.23.408
Sortilegis. 5.21.382
Sponsa duorum, & sponso duarum. 4. 4.102.
Sponsalibus & matrimoniis. 4.1.1
Statu monachorum, & Canonicorum regularium. 3.35.723
Successionibus ab intestato. 3. 27. 523
Summa Trinitate, & fide catholica. 1. 1.27.
Supplenda negligentia Prælatorum. 1.10. 422.
Syndico. 1.39.39

T.

TEmporibus ordinationum. 1. 11. 433.
Testamentis. 3.26.449
Testibus, & attestationibus. 2. 20. 384.

Testibus cogendis, vel non. lib. 2. tit. 21. pag. 463.
Torneamentis. 5.13.288
Transactionibus. 1.36.886
Translatione Episcopi. 1.7.368.
Treuga, & pace. 1.34.849

V.

VErborum significatione. 5.40.617
Vita & honestate Clericorum. 3.1.1
Vsuris. lib. 5. tit. 19. pag. 345
Voto, & voti redemptione. 3. 34. 703.
Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. 3.12.247
Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitiuam. 2.6.129
Vt lite pendente nihil innouetur. 2. 16. 296.

INDEX
CAPITVLORVM OMNIVM,
Quæ in primo Libro Decretalium Gregorij IX. continentur.

Prior numerus titulo adiunctus ordinem capituli, ſecundus titulum, tertius tandem paginam deſignat.

A

ABbas, *de his, quæ vi, met.* 2. 40. 953.
Abbatem, *de reſcript.* 40. 3. 161.
Ab excommunicato, *de reſcript.* 41. 3. 162.
Accedens, *de procur.* 10. 38.932
Accepimus, *de ætat. & qualitat.* 13. 14. 498.
Accepimus, *de pact.* 5. 35.872
Ad abolendam, *de fil. presbyter.* 16. 17. 534.
Ad audientiam, *de reſcript.* 11. 3.111
Ad audientiam, *de reſcript.* 31. 3.150
Ad audientiam, *de offic. vicar.* 1. 28. 637.
Ad audientiam, *de his, quæ vi, met.* 4. 40.954.
Ad aures, *de reſcript.* 8. 3.104
Ad aures, *de temporib. ordinat.* 5. 11. 442.
Ad aures, *de ætat. & qualitat.* 7. 14. 481.
Ad aures, *de hiis, quæ vi, met.* 3. 40. 954.
Ad exſtirpandas, *de fil. presbyter.* 11. 17. 533.
Ad hæc, *de poſtul. Prælat.* 1. 5.207
Ad hæc, *de authoritat. & vſu pal.* 2. 8. 389.
Ad hæc, *de fil. presbyt.* 12. 17.533
Ad hæc, *de offic. vicar.* 3. 28.640
Ad hoc, *de reſcript.* 10. 3.110
Ad hoc nos, *de offic. Archid.* 7. 23.612
Ad honorem, *de author. & vſu pal.* 4. 8. 393.
Admonet, *de renunc.* 4. 9.405
Ad noſtram, *de conſuet.* 3. 4.175
Ad reprimendam, *de offic. iud. ordin.* 8. 31. 767.
Ad ſupplicationem, *de renunciat.* 9. 9. 410.
Alia quidem, *de procur.* 1. 38.913
A multis, *de ætat. & qualitat.* 9. 14. 487.
A nobis, *de ſacrament. non iterand.* 2. 16. 519.
A nobis, *de bigam. non ordinand.* 7. 21. 591.
Antigonius, *de pact.* 1. 35.860
Archidiaconis, *de offic. Archid.* 5. 23. 609.
Auditis, *de elect. & elect. poteſt.* 29. 6. 314.
Auditis, *de procur.* 8. 38.930
Auditis, *de in integ. reſt.* 3. 41.978

B.

BEneficio, *de in integrum reſtit.* 10. 41. 997.
Bonæ, *de poſtul. Prælat.* 3. 5.214
Bonæ, *de poſtul. Prælat.* 4. 5.216
Bonæ, *de elect. & elect. poteſtat.* 23. 6. 301.
Bonæ, *de elect. & elect. poteſt.* 36. 6.332

C.

CÆterùm, *de reſcrit.* 3. 3.86
Capituli, *de reſcript.* 30. 3.47
Cauſa, *de offic. iud. deleg.* 16. 29.677
Cauſa reſtitutionis, *de in integ. reſt.* 9. 41. 996.
Cauſam, *de elect. & elect. poteſt.* 8. 6. 258.
Cauſam quæ, *de reſcript.* 18. 3.120
Cauſam, *de offic. iud. deleg.* 17. 29.680
Cleri, *de poſtul.* 1. 37.906

Index Capitulorum

Clericos, *de offic. vicar.* 4. 28.641
Cognoſcentes, *de conſtit.* 2. 2.37
Compromiſſum, *de arbitr.* 14. 43.1041
Congregato, *de elect. & elect. poteſt.* 53. 6.359.
Conquerente, *de offic. iud. ordin.* 16. 31. 796.
Conquerente, *de fil. presbyt.* 4. 17.529
Conſtitutis, *de reſcript.* 19. 3.122
Conſiderauimus, *de elect. & elect. poteſt.* 10. 6.263
Conſtitutis, *de procur.* 12. 38.932
Conſtitutis, *de elect. & elect. poteſt.* 47. 6. 351.
Conſtitutus, *de fil. presbyt.* 8. 17.531
Conſtitutus, *de tranſact.* 4. 36.895
Conſtitutus, *de in integ. reſt.* 8. 41.991
Conſuetudines, *de conſuet.* 1. 41.63
Conſultationibus, *de offic. iud. deleg.* 10. 29.671.
Conſultationi, *de tempor. ordin.* 16. 11. 468.
Conſulti, *de procurat.* 15. 38.938
Conſuluit, *de ſeru. non ordinand.* 5. 18. 554.
Conſuluit, *de offic. iudic. delegat.* 24. 29. 694.
Contingit, *de tranſact.* 3. 36.894
Contingit, *de arbitr.* 8. 43.1034
Coram, *de elect. & elect. poteſtat.* 35. 6. 331.
Coram, *de offic. iudic. delegat.* 34. 29. 717.
Coram fel. *de in integrum reſtitut.* 7. 41. 987.
Cumana, *de elect. & elect. poteſt.* 50. 6. 354.
Cùm ab, *de offic. iud. ord.* 3. 31.756
Cùm acceſſiſſent, *de conſtit.* 8. 2.63
Cùm adeò, *de reſcript.* 17. 3.120
Cùm ad noſtram, *de elect. & elect. poteſt.* 37. 6.333
Cùm à nobis, *de arbitr.* 13. 43.1040
Cùm bonæ, *de atat. & qualitat.* 8. 14. 485.
Cùm cauſa, *de offic. iud. deleg.* 22. 29. 689.
Cùm cauſam, *de elect. & elect. poteſt.* 27. 6.311.
Cùm certum, *de maior. & obed.* 1. 33. 815.
Cùm clericis, *de ordin. ab Epiſcop.* 2. 13. 474.
Cùm clerici, *de pact.* 6. 35.874
Cùm conſuetudinis, *de conſuetud.* 9. 4. 198.
Cùm contingat, *de reſcript.* 24. 3.133
Cùm contingat, *de atat. & qualit.* 11. 14. 492.
Cùm contingat, *de offic. iud. deleg.* 36. 29. 719.
Cùm decorem, *de fil. presbyt.* 15. 17. 534.
Cùm de tua, *de corpor. vitiat.* 2. 20. 567.
Cùm dilecta, *de reſcript.* 22. 3.129
Cùm dilectus, *de conſuet.* 8. 4.194
Cùm dilectus, *de elect. & elect. poteſt.* 32. 6.319.
Cùm dilectus, *de his, quæ vi, met.* 6. 40. 960.
Cùm dilectus, *de arbitr.* 6. 43.1031
Cùm Eccleſia, *de elect. & elect. poteſt.* 31. 6.317.
Cùm ex illo, *de tranſlat. Epiſcop.* 1. 7. 368.
Cùm in cunctis, *de elect. & elect. poteſt.* 7. 6.247.
Cùm in diſtribuendis, *de tempor. ordin.* 12. 11.458.
Cùm in Eccleſiis, *de maior. & obed.* 10. 33.832.
Cùm inferior, *de maior. & obed.* 10. 33. 832.
Cùm de iure, *de offic. iud. deleg.* 31. 29. 711.
Cùm de iure, *de elect. & elect. poteſt.* 33. 6.321.
Cùm in magiſtrum, *de elect. & elect. poteſt.* 49. 6.353
Cùm inter, *de conſuet.* 5. 4.186
Cùm inter, *de elect. & elect. poteſt.* 18. 6.284.
Cùm inter, *de elect. & elect. poteſt.* 16. 6. 277.
Cùm inter, *de elect. & elect. poteſt.* 21. 6. 296.
Cùm inter, *de renunc.* 2. 9.401
Cùm in veteri, *de elect. & elect. poteſt.* 52. 6.357.
Cùm M. Ferrarienſis, *de conſtitut.* 9. 2. 65.
Cùm monaſterium, *de elect. & elect. poteſt.* 13. 6.268
Cùm non ignoretis, *de offic. Leg.* 1. 30. 728.
Cùm olim, *de conſuet.* 6. 4.190
Cùm olim, *de elect. & elect. poteſt.* 19. 6. 287.
Cùm olim, *de arbitr.* 7. 43.1033
Cùm olim, *de offic. iud. delegat.* 32. 29. 714.
Cùm olim, *de offic. iudic. delegat.* 33. 29. 716.
Cùm olim, *de maiorit. & obed.* 14. 33. 838.
Cùm omnes, *de conſtit.* 6. 2.53
Cùm ordinem, *de reſcript.* 6. 3.99

Cùm

Cùm ordinem, *de elect. & elect. poteſt.* 46. 6. 351.
Cùm pridem, *de pact.* 4. 35. 871
Cùm pro cauſa, *de procuratorib.* 6. 38. 926.
Cùm quidam, *de temporib. ordinat.* 8. 11. 448.
Cùm R. *de offic. iud. deleg.* 35. 29. 719
Cùm ſacerdotis, *de poſtul.* 3. 37. 907
Cùm ſatis, *de offic. Archid.* 4. 23. 607
Cùm ſecundum, *de temporib. ordin.* 9. 11. 452.
Cùm ſis, *de authoritat. & vſu pall.* 6. 8. 396.
Cùm ſit ars, *de ætat. & qualitat.* 14 14. 499.
Cùm ſuper, *de author. & vſu pal.* 1. 8. 384.
Cùm ſuper, *de offic. iudic. deleg.* 23. 29. 691.
Cùm tantò, *de conſuet.* 11. 4. 203
Cùm te, *de offic. iudic. delegat.* 18. 29. 681.
Cùm terra, *de elect. & elect. poteſt.* 14. 6. 272.
Cùm tempore, *de arbitr.* 5. 43. 1026
Cùm v. f. n. *de conſuet.* 7. 4. 192
Cùm veniſſet, *de ſacra vnct.* 1. 15. 507
Cùm veniſſent, *de in integr. reſt.* 2. 41. 975.
Cùm vigeſimum, *de offic. iud. deleg.* 41. 29. 725.
Cùm vos, *de offic. iudic. ordinar.* 4. 31. 758.
Cùm Vvintonienſis, *de elect. & elect. poteſt.* 25. 6. 308
Cuſtos Eccleſiæ, *de offic. cuſtod.* 1. 27. 634.
Cuſtos verò, *de offic. cuſtod.* 2. 27. 636

D.

DAmnamus, *de ſumm. Trinitat.* 2. 1. 30.
Debitum, *de bigam. non ordinand.* 5. 21. 584.
De cætero, *de tranſact.* 5. 36. 895
De cauſis, *de offic. iudic. delegat.* 4. 29. 660.
De eo, *de tempor. ordin.* 3. 11. 434
De familiis, *de ſeru. non ordinand.* 3. 18. 549
De preſbytero, *de corpor. vitiat.* 1. 20. 566.
De ſeruorum, *de ſeru. non ordin.* 2. 18. 543.
Dilecta, *de maiorit. & obedient.* 12. 33. 835.
Dilecti, *de renunt.* 15. 9. 421
Dilecti, *de maiorit. & obedient.* 13. 33. 838.
Dilecti, *de arbitr.* 4. 43. 1022
Dilecto, *de offic. Archid.* 10. 23. 619
Dilecto, *de ſupplend. negl. Prælat.* 5. 10. 427.
Dilectus, *de reſcript.* 26. 3. 136
Dilectus, *de reſcript.* 29. 3. 145
Dilectus filius, *de temporib. ordin.* 14. 11. 461.
Dilectus, *de fil. presbyt.* 17. 17. 535
Dilectus, *de ſeru. non ordin.* 8. 18. 556
Dilectus, *de offic. Leg.* 6. 30. 739
Dilectus, *de offic. iud. ord.* 18. 31. 800
Dilectus, *de procur.* 11. 38. 932
Dudum, *de elect. & elect. poteſt.* 22. 6. 300.
Dudum, *de elect. & elect. poteſt.* 54. 6. 360.
Duo ſimul, *de offic. iudic. ordinar.* 9. 31. 771.

E

EAm te, *de reſcript.* 7. 3. 100
Eam te, *de ætat. & qualitat.* 4. 14. 478.
Ea quæ, *de offic. Archid.* 3. 23. 606
Eccleſia S. Mariæ, *de conſtitutionib.* 10. 2. 66.
Eccleſia veſtra, *de elect. & elect. poteſt.* 48. 6. 352.
Eccleſia veſtra, *de elect. & elect. poteſt.* 57. 6. 363.
Edoceri, *de reſcript.* 21. 3. 128
Eo libentiùs, *de ſeru. non ordinand.* 6. 18. 555.
Etſi vnanimiter, *de poſtulat. Prælat.* 6. 5. 219.
Excommunicatis, *de offic. Legat.* 9. 30. 744.
Ex inſinuatione, *de reſcript.* 37. 3. 159
Ex inſinuatione, *de procur.* 3. 38. 920
Ex inſtitutione, *de fil. presbyter.* 2. 17. 528.
Ex literis, *de conſtit.* 11. 2. 69
Ex literis, *de conſuet.* 2. 4. 168
Ex literis, *de offic. iudic. delegat.* 29. 29. 709.
Ex literis, *de offic. iud. ord.* 1. 32. 807
Ex literis, *de tranſact.* 6. 36. 896
Ex literis, *de in integrum reſtitut.* 4. 41. 978.
Ex noſtra, *de procur.* 4. 38. 921
Ex parte, *de conſtit.* 12. 2. 73
Ex parte, *de reſcript.* 2. 3. 82
Ex parte, *de reſcript.* 33. 3. 152
Ex parte, *de reſcript.* 12. 3. 113
Ex parte, *de conſuet.* 10. 4. 200

Index Capitulorum

Ex parte, *de temp. ordin.* 10. 11.453
Ex parte, *de scrutin.* 1. 12.469
Ex parte, *de corp. vitiat.* 3. 20.570
Ex parte, *de corp. vitiat.* 5. 20.572
Ex parte, *de offic. vicar.* 28.643
Ex parte, *de offic. iudic. delegat.* 12. 29. 674.
Ex parte, *de offic. iudic. delegat.* 13. 29. 674.
Ex parte, *de offic. iudic. ordinar.* 5. 31. 761.
Ex parte *de transact.* 11. 36.902
Ex parte, *de postul.* 2. 37.906
Ex parte, *de alienat. iudic. mut.* 2. 42. 999.
Ex parte, *de arbitr.* 10. 43.1038
Exposita, *de arbitr.* 11. 43.1038
Ex quorumdam, *de alien. iudic. mut.* 1. 42. 998.
Ex ratione, *de etat. & qualitat.* 2. 14. 477.
Ex tenore, *de rescript.* 16. 3.119
Ex transmissa, *de renunc.* 3. 9.402
Ex transmissa, *de fil. presbyt.* 7. 17.531
Ex tua, *de fil. presbyt.* 9. 17.532
Ex tuarum, *de authorit. & vsu pall.* 5. 8. 395.
Ex tuarum, *de tempor. ordin* 4. 11.438

F

FIrmiter, *de summa Trinitat.* 1. 1. 27.

G.

GRatum, *de postul. Prælat.* 2. 5.213
Gratum, *de offic. iud. delegat.* 20. 29. 682.
Graue, *de offic. iud. ord.* 19. 31.802

H.

HIs quibus, *de elect. & elect. potest.* 60. 6.367.
His quibus, *de offic. iudic. ordin.* 20. 31. 806.
His quæ, *de maior. & obed.* 11. 33.833
Humilis, *de maior. & obed.* 17. 33.844

I.

ILla quotidiana, *de elect. & elect. potest.* 39. 6.334
Illud Dominus, *de maior. & obed.* 5. 33. 821.
In causis, *de elect. & elect. potest.* 30. 6. 315.
Indecorum, *de etat. & qualit.* 3. 14.478
In Genesi, *de elect. & elect. potest.* 55. 6. 362.
In literis, *de offic. iud. deleg.* 9. 29.670
In nostra, *de rescript.* 32. 3.151
Innotuit, *de elect. & elect. potest.* 20. 6. 292.
Innotuit, *de arbitr.* 12. 43.1040
Innouamus, *de treug. & pac.* 2. 34.856
In præsentia, *de renunc.* 6. 9.408
Insinuante, *de offic. iudic. delegat.* 25. 29. 696.
Instruendi, *de seru. non ordinand.* 1. 18. 540.
Intelleximus, *de etat. & qualitat.* 12. 14. 496.
Inter cætera, *de rescript.* 4. 3.89
Inter cæteras, *de offic. iudic. ordin.* 15. 31. 791.
Inter corporalia, *de translat. Episc.* 2. 7. 374.
Inter quatuor, *de cler. peregrin.* 2. 22. 591.
Inter quatuor, *de maiorit. & obed.* 8. 33. 829.
Irrefragabili, *de offic. iudic. ordin.* 13. 31. 781.
Item placuit, *de arbitr.* 1. 43.1006
Iudicis, *de offic. iud.* 2. 32.812

L.

LEctæ, *de renunc.* 14. 9.421
LLegebatur, *de maior. & obed.* 3. 33. 820.
Licèt, *de elect. & elect. potest.* 6. 6.[illegible]
Licèt in tantùm, *de translat. Episcop.* 4. 7. 382.
Licèt dilecti, *de suppl. negl. Prælat.* 3. 10. 426.
Licèt, *de offic. iud. deleg.* 30. 29.711
Licèt, *de offic. Leg.* 5. 30.736
Licèt, *de offic. iud. ord.* 12. 31.778
Literas tuas, *de renunc.* 1. 9.397
Literas vestras, *de tempor. ordinand.* 13. 11. 459.
Literas, *de fil. presbyt.* 14. 17.534
Literis, *de rescript.* 39. 3.161

M.

MAgnus, *de oblig. ad ratioc.* 1. 19.562
Mandamus, *de offic. Archid.* 6. 23. 611.
Mandato, *de procur.* 13. 38.934
Mandatum, *de rescript.* 38. 3.161
Massana, *de elect. & elect. potest.* 56. 6. 363.
Michaël, *de fil. presbyt.* 13. 17.533
Ministerium, *de offic. Archip.* 2. 24.627

Miramur,

Miramur, *de ſeru. non ordinand.* 7. 18. 555.

N.

NAm concupiſcentiam, *de conſtit.* 4. 2.52.
Nec Epiſcopus, *de tempor. ordin.* 7. 11. 447.
Ne innitaris, *de conſtit.* 5. 2.53
Nemini, *de offic. Leg.* 10. 30.746
Ne pro defectu, *de elect. & elect. poteſt.* 41. 6.342.
Nihil eſt, *de elect. & elect. poteſt.* 44. 6. 350.
Nimis in tua, *de fil. presbyter.* 18. 17. 539.
Niſi cum pridem, *de renunciat.* 10. 9. 411.
Niſi ſpecialis, *de author. & vſu pal.* 3. 8. 391.
Niſi ſpecialis, *de offic. Leg.* 3. 30.734
Non iniuſtè, *de procur.* 14. 38.937
Nonnulli, *de reſcript.* 28. 3.140
Non ſine, *de arbitr.* 2. 43.1013
Noſti, *de elect. & elect. poteſt.* 9. 6.260
Nouit ille, *de offic. Leg.* 7. 30.742
Nullus, *de elect. & elect. poteſtat.* 1. 6. 221.
Nullus clericus, *de ſeru. non ordin.* 4. 18. 553.
Nuper à nobis, *de bigam. non ordin.* 4. 12.583.

O.

OFficij, *de elect. & elect. poteſt.* 38. 6. 334.
Officium, *de offic. Archid.* 2. 23.605
Officium, *de offic. Archipr.* 3. 24.629
Omnes Principes, *de maior. & obed.* 4. 33. 821.
Olim, *de reſcript.* 25. 3.134
Oſius, *de elect. & elect. poteſt.* 2. 6.223

P.

PActiones, *de pact.* 8. 35.877
Paſtoralis, *de reſcript.* 14. 3.118
Paſtoralis, *de ſacram. non iter.* 1. 16.519
Paſtoralis, *de offic. iudic. delegat.* 28. 29. 703.
Paſtoralis, *de offic. iud. ord.* 11. 31.777
Per inquiſitionem, *de elect. & elect. poteſt.* 26. 6.308
Per literas, *de ſuppl. negl. Prælat.* 4. 10. 427.
Pernicioſa, *de offic. iud. ord.* 1. 31.747
Per tuas, *de maior. & obed.* 7. 33.829
Per tuas, *de arbitr.* 9. 43.1037
Peruenit, *de arbitr.* 3. 43.1020
P. & G. *de offic. iud. deleg.* 40. 29.724
Petitio, *de procur.* 9. 38.931
Plerique, *de pact.* 7. 35.875
Plerumque, *de reſcript.* 23. 3.130
Poſtquam, *de elect. & elect. poteſt.* 3. 6. 229.
Poſt tranſlationem, *de renunciat.* 11. 9. 416.
Poſtulaſti, *de reſcript.* 27. 3.139
Poſtulationem, *de poſtul. Prælat.* 5. 5. 219.
Præſentium, *de fil. presbyt.* 3. 17.528
Præterea, *de ætat. & qualit.* 5. 14.479
Præterea, *de offic. iud. deleg.* 5. 29.665
Præterea, *de tranſact.* 9. 36.899
Præterea, *de tranſact.* 10. 36.899
Preſbyter, *de ſacrament. non iter.* 3. 16. 520.
Propoſuit, *de fil. presbyt.* 6. 17.530
Prudentiam, *de offic. iudic. deleg.* 21. 29. 688.
Publicato ſcrutinio, *de elect. & elect. poteſt.* 58. 6.367

Q.

QVerelam, *de elect. & elect. poteſt.* 24. 6.304.
Querelam, *de procur.* 2. 38.917
Quæ in Eccleſiarum, *de conſtit.* 7. 12. 58.
Quærenti, *de offic. iudic. delegat.* 26. 29. 697.
Quæris à nobis, *de ætat. & qualitat.* 6. 14. 481.
Quæſitum eſt, *de tempor. ordin.* 17. 11. 468.
Qualiter, *de elect. & elect. poteſt.* 17. 6. 283.
Qualiter, *de pact.* 3. 35.870
Quamuis multa, *de ætat. & qualitat.* 15. 14. 499.
Quamuis, *de offic. iudic. delegat.* 6. 29. 666.
Quantò, *de conſuet.* 4. 4.178
Quantò perſonam, *de tranſlat. Epiſc.* 3. 7. 378.
Quantò, *de offic. iud. ord.* 7. 31.762
Quia, *de elect. & elect. poteſt.* 5. 6.241
Quiſquis, *de elect. & elect. poteſtat.* 43. 6.346.
Quia circa, *de bigam. non ordinand.* 6. 21. 589.
Quia nonnulli, *de reſcript.* 43. 3.162
Quia propter, *de elect. & elect. poteſt.* 42. 6.345.
Quia quæſitum, *de offic. iud. deleg.* 1. 29.643

Quia in cauſis, *de procur.* 7. 38.929
Quidam, *de renunc.* 12. 9.418
Quoad tranſlationem, *de tempor. ordin.* 11. 11.454.
Quod de his, *de bigam. non ordin.* 3. 21. 582.
Quod in dubiis, *de renunc.* 8. 9.409
Quod Sedem, *de offic. iudic. ordin.* 10. 31. 776.
Quod ſicut, *de elect. & elect. poteſt.* 28. 6.312.
Quod ſuper, *de maiorit. & obed.* 9. 33. 830.
Quod tranſlationem, *de offic. Leg.* 4. 30. 734.
Quoniam, *de conſtit.* 13. 2.75
Quoniam, *de fil. presbyt.* 10. 17.532
Quoniam, *de offic. iudic. delegat.* 14. 29. 675.
Quoniam, *de offic. iudic. delegat.* 45. 29. 727.
Quoniam, *de offic. iud. ord.* 14. 31.787
Quotiens, *de pact.* 2. 35.867

R.

RElatum, *de offic. iudic. deleg.* 19. 29. 682.
Relatum, *de his, quæ vi, met.* 1. 40.943
Requiſiuit, *de ordin. ab Epiſc.* 1. 13.471
Requiſiuit, *de in integ. reſt.* 1. 41.968
Rodulphus, *de reſcript.* 35. 3.155
Rogatus, *de offic. iud. deleg.* 37. 29.720

S.

SAcris, *de his, quæ vi, met. cauſ.* 5. 40. 955.
Sacroſanctum, *de elect. & elect. poteſt.* 51. 6.355.
Sanè, *de renunc.* 7. 9.409
Sanè ſuper, *de tempor. ordin.* 2. 11.434
Sanè, *de offic. iud. deleg.* 2. 29.651
Sanè quia, *de offic. iudic. delegat.* 11. 29. 671.
Sciſcitatus, *de reſcript.* 13. 3.113
Scriptum eſt, *de elect. & elect. poteſt.* 40. 6.336.
Sedes Apoſtolica, *de reſcript.* 15. 3.119
Si alicuius, *de elect. & elect. poteſt.* 59. 6.367.
Si Archiepiſcopus, *de tempor. ordin.* 6. 11. 446.
Si autem, *de reſcript* 9. 3.109
Sicut graue, *de tranſact.* 1. 36.886
Sicut nobis, *de ſuppl. negl. Prælat.* 2. 10. 425.
Sicut Romana, *de reſcript.* 1. 3.76
Sicut ſtudij, *de ſyndic.* 1. 39.939
Significante, *de reſcript.* 34. 3.155
Significantibus, *de offic. iudic. deleg.* 38. 29.722.
Significaſti, *de elect. & elect. poteſt.* 4. 6. 231.
Significaſti, *de offic. Archid.* 8. 23.613
Significaſti, *de offic. iudic. delegat.* 7. 29. 666.
Significauit, *de reſcript.* 36. 3.156
Significauit, *de corp. vitiat.* 4. 20.571
Significauit, *de offic. iudic. ordin.* 6. 31. 762.
Si pro debilitate, *de offic. iud. deleg.* 3. 29. 654.
Si proponente, *de reſcript.* 42. 3.162
Si quando, *de reſcript.* 5. 3.95
Si quando, *de offic. iud. deleg.* 8. 29.670
Si quis, *de maior. & obed.* 2. 33.819
Si ſacerdos, *de offic. iudic. ordin.* 2. 31. 753.
Solitæ, *de maior. & obed.* 6. 33.822
Statuimus, *de ſuppl. negl. Prælat.* 1. 10. 422.
Statuimus, *de maior. & obed.* 15. 33.839
Statuimus, *de tranſact.* 2. 36.891
Studuiſti, *de offic. Leg.* 2. 30.731
Sua nobis, *de offic. vicar.* 5. 28.641
Subdiaconos, *de tempor. ordin.* 1. 11.433
Suffraganeis, *de elect. & elect. poteſt.* 11. 6.265.
Super eo, *de elect. & elect. poteſt.* 12. 6. 266.
Super eo, *de bigam. non ordinand.* 2. 21. 582.
Super eo, *de offic. iud. deleg.* 15. 29.676
Super eo, *de tranſact.* 7. 36.897
Super eo, *de his, quæ vi, met. cauſ.* 7. 40. 965.
Super hoc, *de renunc.* 5. 9.408
Super literis, *de reſcript.* 20. 3.123
Super quæſtionum, *de offic. iud. deleg.* 27. 29.698.
Suſcitata, *de in integ. reſt.* 6. 41.981
Suſpicionis, *de offic. iud. deleg.* 39. 29.723

T.

TE nobis, *de cler. peregr.* 4. 22.599
Tranſlato, *de conſtit.* 3. 2.43
Tranſmiſſam, *de elect. & elect. poteſt.* 15. 6.275.
Treugas, *de treug. & pac.* 1. 34.849
Tuæ fraternitatis, *de cler. peregr.* 3. 22. 594.
Tuæ fraternitati, *de procur.* 5. 38.921
Tuam in Domino, *de ætat. & qualit.* 10. 14.491.
Tua nos, *de authorit. & vſu pall.* 7. 8. 396.

Tua nos, *de cler. peregr.* 1. 22.591
Tum ex literis, *de in integ. reſt.* 5. 41. 980.

V.

VEl non eſt, *de tempor. ordin.* 15. 11. 465.
Venerabilis ſ. n. *de elect. & elect. poteſt.* 34. 6.322.
Veniens, *de renunc.* 13. 9.419
Veniens, *de fil. presbyt.* 5. 17.529
Veniens, *de offic. vicar.* 2. 28.638
Veniens, *de tranſact.* 8. 36.898
Vno delegatorum, *de offic. iud. deleg.* 42. 29.727.
Volentes, *de offic. Leg.* 8. 30.744
Vt Abbates, *de etat. & qualitat.* 1. 14. 476.
Vt Archidiaconus, *de offic. Archid.* 1. 23. 602.
Vt Archipreſbyter, *de offic. Archipr.* 1. 24.626.
Vt bigami, *de bigam. non ord.* 1. 21.577
Vt canonum, *de conſtit.* 1. 2.32
Vt filij, *de fil. presbyt.* 1. 17.524
Vt iuxta, *de offic. iud. ord.* 17. 31.798
Vt noſtrum, *de offic. Archid.* 9. 23.615
Vt præteritæ, *de elect. & elect. poteſt.* 45. 6.350.
Vt Primicerius, *de offic. Primic.* 1. 25. 631.
Vt ſciat, *de offic. ſacriſt.* 1. 26.632
Vt ſingulæ, *de offic. Archipr.* 4. 24.630

APPROBATIO

APPROBATIO DOCTORVM.

NIHIL vidimus in Commentariis in Librum primum Decretalium Gregorij Noni, à D. D. EMANVELE GONZALEZ TELLEZ ſcriptis ac elaboratis, quod ipſorum editionem impedire valeat; cum vbique ſanam doctrinam redoleant. Ita teſtamur nos infrà ſcripti Doctores Theologi Facultatis Pariſienſis. Lugduni die Maij decima, anni reparatæ ſalutis 1673.

F. PAVLVS LOMBARD,
Prior Carmel. Lugdun.

F. E. VIAL.

LICENTIA ORDINARII.

VIſis Doctorum Approbationibus, editionem dicti Commentarij D. D. GONZALEZ in Librum primum Decretalium Gregorij noni vtilem admodum iudicamus. Lugduni die Maij octodecima 1673.

MORANGE Provicarius Generalis.

CONSENSVS PROCVRATORIS REGII.

VIſa Approbatione DD. Facultatis Pariſienſis, Ego pro Rege aſſentior, vt liber inſcriptus *Commentarij in Decretales*, à D. D. GONZALEZ, prælo mandetur à LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE ſociis Bibliopolis Lugdunenſibus, cum inhibitionibus conſuetis. Datum Lugduni die 18. Maij 1673.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat iuxtà Concluſiones Procuratoris Regij. Lugduni, die & anno vt ſuprà.

DESEVE.

D.D. EMA



D. D. EMANVELIS GONZALEZ TELLEZ COMMENTARIA IN LIBRVM PRIMVM DECRETALIVM GREGORII IX.

APPARATVS,

In quo de origine & progressu Iuris Canonici agitur.

I. IVRIS ETYMON.

VONIAM de iure Pontificio in hoc opere agere statui, ideo necessarium censui ipsius originem, & progressum repetere. Si enim in foro causas dicentibus nefas esse videtur, nullâ præfatione habitâ Iudici rem exponere; quantò magis Ius interpretantibus inconueniens erit, omissis initiis, & origine non repetitâ, protinùs materiam interpretationis aggredi? namque, ni fallor, apparatus iste, & libentiùs ad lectionem præpositi operis perducet, & cum eò venerimus, euidentiorem præstabit intellectum, vt simili exordio aiebat Gaius *in l. 1. ff. de orig. iuris*; & vt inde exordiamur, vnde initium fecit Domitius Vlpianus, & ab eo compositores Pandectarum *in leg. 1. de iustitia & iure*, ibi: *Iuri operam daturum prius nosce oportet, vnde iuris nomen descendat*, & quid sit ius; quem morem Iureconsulti retinuerunt in pleriſque tractatibus. Ius ergo, vt significat iustum, quod à recto non deuiat, vel obiectum est iustitiæ, vel ipsius iustitiæ est quasi idea: in hoc sensu non definitur à Consultis, nec per allusionem deriuatur, vt agnouit sapientissimus Pater Ludouicus Molina *de iustit. & iure tract. 1. disp. 2.* & licèt aliis terminis, eodem planè sensu, cultissimus Salmanticensis noster Orosius *in dict. l. 1. n. 4.* aliique. Itaque de iure in hoc sensu accepto noster sermo non est. Ergo ius accipitur pro arte, seu pro quadam completissima collectione præceptorum, ex naturalibus præceptis gentium, aut ciuilibus, vt Iustinianus dixit *in fine tituli Instit. de iustitia & iur.* vt cùm dicimus Ius Romanorum, significamus omnia præcepta rectæ, & prouidæ gubernationis, & administrationis iustitiæ, quæ in corpus, siue in libros Iuris Romani redacta fuerunt: similiter Ius Pontificium omnes Canones Ecclesiastici reginiminis, qui à Summis Ecclesiæ Præsulibus statuti fuerunt: vel cùm dicimus Ius in communi, significamus quidquid in communi pro iure obseruatur; cui arti adipiscendæ totis viribus incumbimus, & incubamus. In hoc ergo sensu ius à iustitia deriuatur, vt docent I. Dartis *in dissert. de iure natur. ad finem.* Fortunius Garcia, Petrus Velleius de Gueuara, & Marius Salomonius *in dict. l. 1. in principio*, melius quàm Antonius Faber *in eius textus rationali*, & *in principio Papin.* Ius itaque in hac acceptione est medium, per quod intendimus consequi iustitiam: discimus enim suum cuique tribuere per artem iuris, vt passim profitentur Plato & Cicero *in lib. de legibus.* Sed in intentione prior est finis quàm media, quia finis appetitur propter seipsum, media autem propter finem, iuxta Philosophi doctrinam, quam tradit D Thomas *1. p. q. 5. art. 6.* & sæpe Collegium Salmant. Carmelit. *in 1. 2. q. 1. à principio.* Tapia *1. tomo catenæ moral. lib. 1. quæst. 4. art. 2.* Ergo intentione prior est iustitia quàm ius. Deinde

iustitia est voluntas, quæ est potentia animæ; ex potentia animæ nascitur sapientia, quæ docet iuris artem, quia prius est posse, quàm sapere: ergo etiam ex hac parte prior est iustitia, quàm ius, provt sumitur pro arte. Item ius est iustitiæ executio, & sic prius est illud quod exequendum est, quàm id quod exequitur illud. Cuiacius *in dicta l.* 1. & Orosius *num.* 4. Cùm igitur Stoici inspexerint ad deductiones nominum & prioritates rerum, non ad nominum syllabas, quod faciunt Grammatici, vt post alios docet Gregorius Lopez Madera *lib. singular. animaduersionum cap.*1. Bronchorst. *cent.* 1. *assert.* 1. consequens est vt ius prout est ars boni & æqui, à iustitia deriuetur, non è contra, vt & deduxit Diuus Isidorus *in cap. forus, de v. s.* Cùm enim ius, seu iuris nomen significet artem iustitiæ, & ars sit posterior suo obiecto, sequitur artem, vtpote posteriorem iustitiâ, ab ea descendere. Quod confirmatur ex Cicer. *5. de finibus*, qui artem dicit descendere à re, cuius est ars. *Carneades*, ait, *negabat vllam esse artem, quæ ipsa à se proficisceretur; est enim perspicuum, nullam artem in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud quod propositum sit arti.* Et Quintil. *lib.* 2. *cap.* 17. *Illud admonere satis est, omnia quæ ars consummauerit, à natura initium sumpsisse.* Et *cap.* 19. *Nil ars sine materia: materia sine arte pretium est.* Nam quod aiunt dici, ius ex iustitiæ fontibus emanare, ex Scipione apud Tullium 3. *de Rep.* ex Diuo Augustino *lib.* 5. *de ciuit. Dei*, puto ibi ius non sumi pro arte boni & æqui, sed modo supradicto. Neque etiam facit ad rem, quod afferunt pactum à pactione dici; donum à donatione, *in l. Senatus, ff. de mortis causâ donat.* Quia donum non est ars donandi, nec pactum ars paciscendi. Et hæc de allusione dixisse sufficiat, de qua videndi sunt laudati ab Osualdo *ad Donellum lib.* 1. *comment. cap.* 4. & communiter Repetentes *ad principium Instit. de iustitia & iur.* nouissimè Gibalinus *tom.* 1. *scient. can. lib.* 3. *cap.* 1.

2. De lege æterna.

De iuris origine acturo, vt pollicemur, primò, vt par est, occurrit ius æternum, quod lex æterna frequentiùs appellatur, quæ est radix, & origo omnium aliarum legum; & ipsa talis est per essentiam, cæteræ omnes tales sunt per participationem illius, de qua IC. vix, aut parum curarunt; sed de ea ex professo egit Angelicus Præceptor 1. 2. *quæst.* 93. *per totam*, vbi omnes Interpretes. Sotus *de iust. it. lib.* 1. *quæst.* 3. *per totam.* Suarez *lib.* 2. *de legibus*, *cap.* 1. Tapia, aliis relatis, *tomo* 1. *caten. mor. lib.* 4. *quæst.* 2. *art.* 1. & de ea loquens Diuus Augustinus *lib.* 1. *de liber. arbitrio*, *cap.* 6. *circa medium*, docet esse summam rationem in Deo existentem, cui semper obtemperandum est: quod testimonium exponens Diuus Thomas *art.* 1. considerat Deum per suam sapientiam conditorem esse vniuersarum rerum, ad easque comparari, sicut comparatur artifex ad artificiata. Considerat etiam esse omnium gubernatorem, id est omnium actuum, & motionum, quæ inueniuntur in creaturis. Vnde concludit rationem diuinam in ordine ad creationem habere rationem artis exemplaris, vel ideæ; sed in ordine ad gubernationem habere rationem legis, per quam omnia mouet ad debitum finem: nam in quocumque gubernatore requiritur regula practica gubernationis, quæ est lex. Deus est supremus, & æternus gubernator, iuxta illud Boëtij *3. de consider. O qui perpetuâ mundum ratione gubernas.* Ergo in Deo est lex æterna, tanquam regula practica, quæ est directiua omnium actuum, & motionum creaturarum. Est verò vna sola, & simpliciſſima, vt docet ibi Diuus Thomas *ad* 1. quamuis diuersas motiones, & diuersos actus dirigat: quia quæ sunt diuersa inter se, considerantur vt vnum, secundum quod ordinantur ad aliquid cunctis commune: sed cuncta creata aguntur, vel mouentur ad vltimum finem, quod intendit lex æterna, videlicet quod omnia sint ordinatissima, vt ij SS. PP. deducunt ex illo *Prouerb. cap.* 8. *Ab æterno ordinata sum*: ideo breui volumine simplicissimum, & diuinissimum hoc ius omnibus se insinuat creaturis. Est hæc lex immutabilis, & inuariabilis, nullique derogationi subiecta: quo etiam sensu æterna dicitur, quia in futurum sæculum non desinet, vt dicitur *eodem cap.* 8. *Prouerb.* Sicut in naturalibus primus motor immobilis est, & est causa motuum sub se longè differentium: ita lex æterna est immutabilis, quamuis omnes leges humanæ positiuæ, quæ per rationis participationem ab ea deriuantur, mutationi, & variationi obnoxiæ sint. Ita comparat Sotus *dicta quæst.* 3. *art.* 3. Fit etiam inde, vt notio æternæ legis omnibus impressa sit, ex Diuo Augustino *eodem capite, non procul à fine.* Cùm enim sit veritas ipsa incommutabilis, in mente diuina existens; veritatem autem cognoscant aliqualiter, ad minùs quantùm ad communia præcepta iuris naturalis: consequens est, vt omnibus aliqualiter sit nota, aliis plus, aliis verò minùs, ex creaturis rationalibus, quæ sunt huius cognitionis capaces, provt maiori pollent acumine intellectus, aut scientiis sunt expolitæ: vel forsan apud nonnullos igniculi isti prorsus extincti sunt, propter obscuritatem intellectus, causaram ex assidua consuetudine peccandi, & deuiandi à recto, quod à vitiis hominum prouenit potiùs quàm à vitio humanæ naturæ. Nemo tamen nec in se, nec in effectibus comprehendere potest legem æternam, cùm sit ratio in mente diuina existens, æquè ac ipse Deus, incomprehensibilis: & ideò vt omnibus nota dicatur, non requiritur, vt quicunque cognoscit legem æternam, cognoscat pariter totum ordinem rerum, iuxta quem omnia sunt ordinatissima; sed sufficit adipisci aliqualem cognitionem veritatis eo modo, quo nuper dixi. Ita ex Diuo Thoma *art.* 2. *dict. quæstion.* 93.

3. Expenditvr quædam difficvltas.

Sed huic doctrinæ obiici potest, quod lex esse non potest nisi sit aliquis, cui imponatur. Est enim lex actus imperij: at repugnat esse imperium, nisi sit aliquis, cui imperetur; ab æterno autem non fuit aliquis capax legis, cùm fuerit solus Deus: ergo ab æterno non potuit esse lex, sicut neque imperium. Respondetur autem duplicem esse legis statum; alius est, quem habet in æterna dispositione legislatoris, quatenus in mente eius absoluto eius decreto stabilita est; alius verò est legis status, quem habet exteriùs constituta & subditis proposita. Priori modo certum est dici in eo statu legem æternam; posteriori verò modo certum est hanc legem hunc statum non habuisse ab æterno; vnde rectè dicitur, legem, & imperium esse ab æterno in Deo, iuxta priorem sensum; non verò iuxta posteriorem. Et si adhuc instes, de ratione legis esse eius promulgationem, vt dicemus *in capite* 1. *de postul. Prælat.* & ab æterno non potuisse dari promulgationem, cùm non esset cui promulgaretur. Respondeo, omissis variis solutionibus, quas congerit

Suarez

Suarez *de legibus lib. 2. cap. 1.* promulgationem actu factam subditis non esse de ratione legis æternæ; nam censetur consummata, & perfecta eo ipso, quòd in mente legislatoris stabilita est. Aliæ verò leges non consummantur donec promulgentur. Ratio est; nam decretum Dei æternum immutabile est, secus autem decretum hominis. Vnde quandiu non promulgatur, solùm habetur per modum legis ferendæ.

4. LEX ÆTERNA COMPREHENDIT OMNES CREATVRAS.

Lex æterna comprehendit, & extenditur ad omnes creaturas, tam rationales, quàm irrationales, & ad eas, quæ sensûs expertes sunt, vt docet idem Angelicus Magister *art. 5. sub eadem quæstion.* & probat *ex eodem cap. 8. Prouerb.* hanc sententiam illis verbis: *Quando circumdabat mari terminum suum, & LEGEM ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et *ex Psalmo* 148. *Præceptum posuit, & non præteribit.* Non tamen eodem modo comprehendit cæteras creaturas ac homines. Disponit enim actus hominum, & Angelorum per regulas, quibus ipsimet se moueant ad finem, quem intendunt, & debent intendere. Reliquæ verò creaturæ mouentur per virtutes, & instinctus impressos ipsis ex æterna prouidentia legis, vt ad finem debitum agantur; quia creaturæ rationales à semetipsis mouentur, & ipsæ agunt per cognitionem finis: expertes verò sensûs, & rationis non habent hanc cognitionem, sed ab alio impulsæ mouentur. Itaque Deus non tantùm imprimit hominibus regulam directiuam rationis, quâ ad finem mouentur, sed etiam omnibus creaturis suos indit instinctus, & stimulos, quibus, & per quos in suos agantur fines. Sotus *art. 4.* Et hæc est potissima differentia inter hanc legem Dei, & inter legem hominis, quòd lex hominis dirigit per viam præcepti actus humanos subditorum: quare aliis ferri, aut imponi non potest, quàm illis, qui præcepti & obedientiæ capaces sunt; insipidè enim brutis, aut cæteris rebus directè imponeretur. Lex verò æterna & regulam dat, & imprimit; sub hac tamen distinctione, quod homines ligat per modum præcepti, cuius capaces sunt; cæteras verò creaturas per modum simplicis obedientiæ, & naturalis propensionis, inclinationisque ad finem. Ex quo Dominus Tapia *dict. q. 2. art. 1. num. 8.* docuit legem hanc æternam propriè ita appellari respectu rationalium, respectu verò cæterarum creaturarum impropriè: in illis formaliter; in istis materialiter, quod ad inferiùs dicenda vtilissimum erit.

5. CÆTERÆ LEGES AB HAC DERIVANTVR.

Ab hac lege æterna in mente diuina ab æterno existenti, cæteræ leges, cætera iura, naturalia, positiua, diuina, humanaque deriuantur, cùm non sit lata, sed ferens; non tam impressa, quàm imprimens; & in summa, fons, & origo legum cæterarum. Sotus *dict. quæst. 3. art. 1.* Hoc expressè docuit etiam D. Augustinus *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. & 6. In temporali*, inquit, *lege nihil est iustum, quod non ex lege æterna homines sibi deriuauerint.* Quæ verba exponens idem Angelicus Præceptor *art. 3.* docet in omnibus mouentibus bene ordinatis oportere, quod virtus secundi mouentis deriuetur à virtute primi: sicut in omnibus gubernantibus ratio gubernationis omnium à primo sumitur, veluti in Regno potestas, & ratio gubernandi, quæ apud Ministros residet, deriuatur à Rege, vel ab eo, quod summum est in Republica. Sed lex æterna est regula, & ratio gubernandi in summo Deo, qui est omnium gubernatorum summus, primus, supremus. Ergo omnes leges, in quantùm participant de ratione, & iustæ sunt, ab hac prima regula debent deriuari. Quod probat Diuus Thomas *ex eodem cap. 8. Prouerb.* ibi: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Dixi esse legem æternam primam regulam practicam omnium actuum, & motionum: proxima verò est dictamen nostræ rationis practicæ, secundum quod, qui participes sunt rationis, participant vt regulam præceptumque legem æternam; nam in hominibus per rationis dictamen intimatur, vt docent doctissimi, & religiosissimi PP. Excalceati de Monte Carmelo, Collegij Salmanticensis, *tomo 3. sui Cursûs Theologici, tract. 11. disput. 1. dubio 5. & §. 1. pag. mihi* 443. Prado *tom. 1. Theolog. Mor. cap. 3. quæst. 3. §. 2.* Non est opus Iurisperitis, & fortè excedit terminos nostræ artis inuestigare de promulgatione legis æternæ, aut quomodo promulgetur; sufficit enim scire, scribi in cordibus nostris, & in omnibus creaturis vim eius imprimi, iuxta illud Ieremiæ Prophetæ *cap. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Quam promulgationem ita animosè extulit Septimius Florens Tertullianus *in lib. de Corona Militis*, ibi: *Lex communis in publico mundi, & in naturalibus tabulis scripta.* Quæ concisè dixisse de lege æterna ex SS. PP. Theologis, & veritate catholica satis sit. Videamus modò quatenus gentes eius vim agnouerint per rationem naturalem, sine vllo fidei lumine. Cicero non minùs eloquentiâ, quàm sæculi sapientiâ clarus, *lib. 2. de legibus*, ita, ni fallor, de lege æterna agens, nobis scriptum reliquit: *Hanc video sapientissimorum hominum esse sententiam*, LEGEM, *nec hominum ingeniis excogitatam, nec scitum esse aliquod populorum; sed* ÆTERNVM QVIDDAM, *quod vniuersum mundum regeret*, IMPERANDI, PROHIBENDIQVE SAPIENTIA. *Ita principem legem illam, & vltimam mentem esse dicebant, omnia ratione, aut cogentis, aut vetantis Dei. Ex qua illa lex, quam Dij humano generi dederunt, rectè est laudata.* Ecce ab illo æterno, quod vniuersum mundum regit sapientiâ imperandi, prohibendique, deriuauit legem, quæ data est soli generi humano per viam præcepti, quæ est ius, siue lex naturalis: sed non potest idem esse deriuatum, & id à quo deriuatur. Ergo præter legem naturalem, agnouit simpliciorem, & vniuersaliorem aliam Cicero, quæ est æterna.

6. DE LEGE ÆTERNA QVID GENTES.

Sed cùm sapientissimorum virorum testimonia aduocet Orator & Philosophus, aperiamus expressiùs qui fuerint illi, qui pridem ita senserunt. Diogenes Laërtius *lib. 7. de vitis Philosophorum, in principio*, siue *in Zenone Citico*, in eandem sententiam laudat hos omnes, quorum hodie scriptis non fruimur. Zenonem primò, siue Eleatem, *in lib. de natura hominis*: Possidenium & Hecatonem, *in lib. 6. de finibus*: Crysippum etiam *lib. 1. de finib.* his verbis: *Idcirco finis dicitur consentaneè secundùm naturam viuere: secundùm suam ac vniuersam naturam: nihil eorum faciendo, quæ à communi lege prohibentur, quæ est* RECTA RATIO IN OMNES *perueniens. Eademque* IN IOVE HOC PRINCIPE GVBERNATIONIS OMNIVM QVÆ SVNT. Nota existimasse ex ratione gubernationis existente in Deo, fieri vt consentaneè viuamus ad naturam, & ad finem moueamur. Quod etiam aliis verbis, sed non alio sensu expressit Sapientissimus Stoicorum Seneca epist. 66. *Vna inducitur*, inquit, *humanis virtutibus regula. Vna enim est ratio recta, simplexque. Nihil est diuino*

diuinius, cælesti cælestius: mortalia eminent, cadunt, deteruntur, crescunt, exhauriuntur, implentur. Itaque in illis in tam diuersa sorte inæqualitas est. Diuinorum vna est natura. Ratio autem nihil aliud est, quàm in corpus humanum pars diuini spiritus mersa. Si ratio diuina est, nullum autem bonum sine ratione est, bonum omne diuinum est. Ecce rationem diuinam assignat tanquam regulam practicam virtutibus; quod propriè de lege æterna dicitur, per quam tendimus ad consequutionem boni, siue vltimi finis: hanc non variabilem, non defectibilem appellat, quamuis mutentur humana, quæ dirigit. Dicitque hanc rationem vnam, simplicemque esse; quæ omnes sunt notæ legis æternæ. Nec minùs disertè allusit Manilius *lib.1. Astronom.*

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diuersa condita, formæ
Aëris, atque ignis, terræ, pelagique iacentis;
VIS ANIMÆ DIVINA REGIT, *sacroque meatu*
CONSPIRAT DEVS, ET TACITA RATIONE GVBERNAT.

Possem hîc alia similia testimonia adnectere, quæ adducit egregius Virgilij explicator & illustrator Ludouicus de la Zerda *ad lib.6. Æneïdos, vers.7. 2.7.* ad illum: *Totamque infusa per artus mens agitat molem, & magno se corpore miscet.* Sed abstineo, locum indicasse contentus, quem morem semper tenebo.

7. LEVITER EXPONITVR LEX 2. DE LEGIBVS.

Etiam in nostro Iure Ciuili aliqua, etsi leuis, & ferè extincta scintilla de lege æterna lucet; refert enim Marcianus *in lib. 2. de legib.* verba Demosthenis; in oratione contra Aristogitonem sic inquit: *Lex est, cui omnes obtemperare conuenit.* Quod de æterna enuntiauit D. August. in definitione suprà, *numer. 2.* relata. Reddunt rationem Orator, & Consultus, tum ob alia multa, tum etiam, *quòd omnis lex inuentum ac munus Dei est.* Non possunt autem cæteræ leges humanæ appellari nec inuentum, nec munus Dei, cùm sint inuentionis Principum, & scita populorum; nisi quatenus rationem, iustitiam, bonamque gubernandi artem à lege æterna participant, ex qua omnes deriuantur, vt dixi. Ergo, licèt confusè, agnouit post Demosthenem Marcianus noster in Deo æternam hanc rationem, cui omnes debent obtemperare. Quod hinc Authores nostri notant cum Historicis, Legislatores non paucos leges suas Diis acceptas tulisse, vt ad obseruantiam earum populos arctiùs deuincirent, eruditè dicitur; sed non ex mente Consulti, vt existimo. Vide post Tiraquellum, quem laudat Gothofredus *in dict. l.2.* Osuald. *lib.1. ad Donel. cap.6.* Lypsius *lib.1. dissert.11.*

8. DE IVRE NATVRALI.

Prima & proxima deriuatio à lege æterna, est ius naturale, quod est ratio insita secundùm naturam, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Sic illud videtur Cicero definiisse *lib.1. de legib.* ex quo Aristoteles *lib.5. Moralium ad Nicomachum, cap.7.* rectè docuit, apud omnes gentes peræquè eandem vim habere; quia imperat quæ hominum naturæ sunt conformia, secundùm rationem, quæ nulli genti deficit. Alij etiam Philosophi idem sentiunt apud Laërtium *lib.7. de vitis Philosophorum, in Zenone Citico*, qui suprà manet relatus. Nihil enim est secundùm naturam, nisi quod honestum est, & à virtute proficiscitur. Ergo bonum facere, à vitioque abstinere, tam secundùm naturam est, quàm secundùm rationem naturalem. Pulchrè Seneca *ad suum Lucilium epist. 66. Est ergo à Deo tanquam naturæ Authore impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundùm dictamen rationis practicæ actus humanos liberos ad bonum iustumque dirigimus.* Quod innuit Regius Psaltes *Psalmo* 4. vbi se ad Deum per interrogationem conuertens, ita inquirit: *Quis ostendit nobis bona?* diuinoque afflatus spiritu, & Deo plenus, sic respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Hoc signaculum est interna vis rationi insita ad discernendum, & operandum bonum, & ad prauum vitandum. Vnde Diuus Paulus *in epist. ad Romanos, cap. vlt.* ita intulit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Serenus Abbas apud Cassianum *collatione 8. cap. 23. paulò post initium: Nam quia sit homini omnis scientia legis ab initio creationis infusa, hinc manifestè probatur, quod mandata legis absque literæ lectione, ante legem, imò ante diluuium, omnes Sanctos obseruasse cognoscimus.* Quod multis exemplis à sacra Scriptura petitis confirmat, & illustrat. Addendi etiam D. Thomas, & Glossa *ad dict. cap.2. epist. ad Romanos*, & cum aliis P. Alardus Gazæus *in notis ad locum Cassiani.*

9. SYNDERESIS SVBSERVIT OPERATIONI SECVNDVM RATIONEM NATVRALEM.

Huic signaculo luminique naturalis rationis subseruit synderesis, quæ est virtus, vel mentis nostræ habitus, quo inducimur ad consequenda imperata per ius naturale, & ad fugienda quæ ipsa prohibet. Vno verbo synderesis est velut incentiuum igniculi, qui in nobis est, rationis naturalis, adquisitum ex frequentatione actuum, quibus assuescimus operari secundùm rationem. Damascenus *lib.4. de fide, cap.23.* Hieronymus *epist. 151. ad Algasiam*: docent Expositores D. Thomæ *1.p. quæst.79.* Et de hac doctrina adeundi sunt eximius Pater Franciscus Suarez *lib.2. de legib. cap.5. & 6.* Illustrissimus Primarius noster, & Segobiensis Præsul D. Araujo *in 1.2. tom. 1. quæstion.94. disput.2. sect.1. difficult.1. ex num. 43.* Sapientissimi Salmanticenses *3. tomo sui Cursûs Theologici, tractat.11. disput.1. dub.5. §.2.* Quare malè nonnulli putarunt, ius naturale nihil aliud esse, quàm ipsam rationem naturalem, vt fecerunt Albert. Bolom. *de iure & æquitate cap.3. num.29.* Vazquez *1.2. disput.150. cap.3.* qui meritò reiiciuntur ab omnibus, vt testatur Salas, pluribus relatis, *de legibus tract.14. disput.5. sect.1. num.2.* Omissis enim variis opinionibus duo distinguenda sunt in natura rationali: vnum est ipsa natura, quatenus est fundamentum conuenientiæ, vel disconuenientiæ actionum humanarum ad ipsam naturam rationalem: aliud est virtus quædam ipsius naturæ, ad discernendum inter operationes conuenientes, aut disconuenientes naturæ. Priori modo natura rationalis fundamentum est legis naturalis; posteriori verò modo est ipsa lex naturalis, quæ humanæ voluntati præcipit, vel prohibet quod agendum est, vt docent D. Thomas *1.2. quæst.94. art.1. & 2. & in 4. dist.33. quæst.1. art.1.* Abulensis *in cap.19. Matthæi, quæst.30.* Sotus *lib.1. de iust. quæst. 4. art.1.* Firmatur hæc sententia ex verbis Apostoli *ad Rom. cap.2.* vbi cùm dixisset, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi leges non habentes, ipsi sibi sunt lex*; statim ait: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddentes illis conscientia ipsorum.* Conscientia enim nihil aliud est, quàm dictamen rationis naturalis in cordibus scriptum, vim legis naturalis habens, vt ex D. Basilio docuit D. Thomas *1.2. quæst.4. art.1. ad 2.* vbi legem naturalem

turalem vocat ſyndereſin, id eſt dictamen rationis: & D. Hieronymus *vbi ſuprà*, appellat legem intelligentiæ: Auguſtinus *lib.2. de ſerm. Dom. in monte*, Ambroſius *lib.5. epiſt.41.* tandem Lactantius *lib.6.de vero fructu, cap.8.* ſic ait: *Eſt quidem vera lex recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna.*

10 De Deo avthore natvræ.

Deus etiam naturæ Author ſtatim à principio ſingulis rebus ſuos dedit ſtimulos & inſtinctus, quibus in ſuos agerentur fines ex naturali inclinatione, vt ſuprà admonui: quare cùm dicitur, ius iſtud naturam omnia animalia docuiſſe, per naturam intelligunt aliqui Deum, more Stoicorum, apud quos natura dicitur Deus, teſte Seneca *lib.4. de benef.cap.7.* his verbis: *Quid aliud eſt natura, quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo & partibus eius inſerta.* Et *2. quæſt. natural.cap.45.* ait: *Vis Deum naturam vocare? non peccabis; eſt enim ex quo nata ſunt omnia.* Et declarauit Lactantius *lib.7. cap.3. Stoici naturæ nomine res diuerſiſſimas comprehenderunt; Deum, & mundum; artificem, & opus: dicuntque, alterum ſine altero nihil poſſe, tanquam natura ſit Deus mundo permixtus.* Quod quidem hoc ſenſu accipiendum eſt, quatenus Deus eſt immediatum principium huius iuris, illudque omnibus animalibus inſtillauit, vt rectè Oppianus *de venatione lib.3.* ait:

Nimirum tantum liberorum, & recèns editæ ſobolis
Amorem in corde inſtillauit Deus, neque ſanè ſolis
Hominibus, qui cuncta ratione inuenerunt,
Verùm etiam reptilibus, & piſcibus, atque etiam ipſis
Feris.

Nam vt rectè Lactantius *lib.3. cap.28.* ait: *Quam vim potuit habere rerum materia, nullo dante; quam naturam, nullo generante; ſi habuit vim, ab aliquo eam aſſumpſit; à quo autem aſſumere, niſi à Deo potuit?* Vnde ipſi Stoici, qui non prorſus malè de natura cenſuerunt, docebant apud Laërtium *in Zenone Citico*, in animalibus etiam brutis naturali quadam ratione, nempe à natura inditâ, diſponi appetitionem boni, & fugam mali. Et Seneca *lib.2.de ira, cap.16.* in eandem rem intentus dicebat ad idem faciendum, quod ſecundùm naturam eſt brutis eſſe impetum pro ratione; hominibus verò pro impetu rationem eſſe. Diſtinctiùs verò Polybius *lib.6. hiſtor. in princip.* communionem hanc iuris inter omnia animalia expreſſit. Egit priùs de exemplo quod à brutis ſumunt homines in forma gubernationis ſibi deligenda, & poſteà ſic ſubdit: *Etenim quoniam mutuas conuentiones cuncti ſecundùm naturam appetunt, indeque prolis procreatio perficitur, vbi quiſquam eorum, qui iam ſunt educati, & adultam ætatem conſequuti, nullam gratiam rependit, nec vices reddit illis, à quibus eſt enutritus; ſed per contrarium malè illis vel dicere, vel facere præſumit; manifeſtum eſt ægrè ferre hoc illos, atque offendi.* Vt & inferiùs: *Quoniam enim genus humanum hactenus reliquis præſtantius eſt animantibus, quatenus ipſi ſoli conceſſum eſt, vt mentis ac rationis particeps exiſtat; par non eſſe liquet, vt dictam hanc corruptionem perinde atque in cæteris animantibus, ſuſque deque faciant.* Vnde totus excurſus exſcribendus eſſet, ſed nimis latè excurrit. Ex eo conſtat nonnulla, quæ ſecundùm naturam ſunt, hominibus cum brutis eſſe communia, & ab iſtis ad homines argumentum ſumi, vel exemplum: exempla præbent Plut. *in Camillo. Lex*, ait, *eſt natura, cuius & beſtiæ ſunt participes, vt imbecilior cedat ac pareat potentiori.* Quo pacto & Gregor. Nazianz. *Apologet.* 1. ait: *legem eſſe naturæ, vt corpus animæ pareat, tanquam præſtantiori.* Ita & Xiphil. *in Auguſto. Blanditiis*, ait, *placari, & dolore perturbari, eſſe naturale, quòd & in bruta animalia cadat.* Ita & Demoſth. *in Ariſt.1. Parentes*, ait, *colere, eſt lex naturæ, & hominibus, & beſtiis poſita.* Ita denique Caſſiodorus: Et *hominibus*, ait, *& brutis ingeneratum eſt deſiderium adulteria vindicandi.* Quare, vt rectè Seneca *lib.9. controuerſ. 5. Habet ſua iura natura.* De quo iure Libanius *declam.44. Reuerentur & feræ naturam.* Sed comparationem expreſſiùs facit Angelicus Præceptor 1.2. *quæſt.94. art.2. in corpore*, de hac ipſa re agens. *Secundùm igitur ordinem inclinationum naturalium eſt ordo præceptorum legis naturæ. Ineſt enim primò inclinatio homini ad bonum ſecundùm naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantiis; prout ſcilicet quælibet ſubſtantia appetit conſeruationem ſui eſſe, ſecundùm naturam; & ſecundùm hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conſeruatur, & contrarium impeditur. Secundò ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia, in qua communicat cum cæteris animantibus; & ſecundùm hoc dicuntur ea eſſe de lege naturali*, QVÆ NATVRA OMNIA ANIMALIA DOCVIT, *vt eſt commixtio maris & fœminæ, & educatio liberorum, & ſimilia. Tertio modo ineſt inclinatio homini ad bonum ſecundùm naturam rationis, quæ eſt ſibi propria*, &c. De commixtione maris & fœminæ Ariſtot. *lib.1. de Rep. cap.2. Oportet*, ait, *coniungi marem & fœminam procreationis cauſâ; atque hoc non ex conſilio proficiſcitur, ſed vt & in aliis animantibus, & ſtirpibus naturale eſt, tale alterum, quale ipſum ſit, cupere relinquere.* Qui ideo *lib. de generat. animal. c.20.* vocat generationis principia marem & fœminam; & hoc eſt quod voluit dicere Virg. *in Georg.*

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias, ignemque ruunt; amor omnibus idem.

Hinc animalium pugnæ propter fœminas. Oppian.1. *Laient.* Apollon.2. *Argon.* Ouid.9. *Metamorph.* De educatione verò ita Libanius *declam.26.* quæ eſt Calaſchri actio. *Sunt*, ait, *parentibus de liberis lata leges, multò his quæ ſcriptæ ſunt, venerabiliores, ab ipſa natura infixæ, ac ſtabilitæ, quæ volunt procreatores ſuis liberis maximè fauere, & omnes pro ipſis labores iucundè ſubire.* Et Tullius *lib.4.de finibus. Naturâ*, ait, *tributum eſſe docuerunt, vt hi qui procreati eſſent, à procreatoribus amarentur.* Et 2. *de nat. Deor. Quid dicam, quantus amor beſtiarum in educandis, cuſtodiendiſque iis, quæ procrearunt vſque ad eum finem, dum poſſint ſeipſa defendere.* Addidi ad hæc iura, ſui, & fœtus tuitionem; nam vt ait Tul. *lib. 4. de finibus bon. & mal. Omnis natura vult eſſe conſeruatrix ſui, vt & ſalua ſit, & in genere conſeruetur ſuo.* Et *in Topic. Natura paries habet duas, tuitionem ſui, & vlciſcendi ius.* Quare Origenes *in Pſalmos*, dixit animas brutorum habere propriam, & peculiarem conſeruandi ſui rationem; & conſequenter partus ſui, in quo vnumquodque per generationem conſeruatur: idcircò Tull.1. *Tuſcul. Quid beſtiæ non pro ſuo partu ita propugnant, vt vulnera excipiant, nullos impetus, nullos ictus reformident.*

Igitur negari non potest, nisi omnibus Scriptoribus fidem subtrahamus, ius naturale commune esse hominibus & brutis. Quod ex nostro iure probant disserti textus *in l.1.§.ius naturale, de iustitia & iure, princip. Instit. de iure naturali:* & pro Theologis probat D. Thomas nuper relatus, & *quæst.95.seq. art.4. ad primum*, vbi ita inquit: *Ad primum ergo dicendum, quod ius gentium est aliquo modo naturale homini, secundùm quod est rationale, in quantùm diriuatur à lege naturali per modum conclusionis, quæ non est multùm remota à principiis; vnde de facili in huiusmodi homines consenserunt. Distinguitur tamen à lege naturali, maximè ab eo iure, quod est omnibus animalibus commune.* Ergo qui inuehunt in nostros Iureconsultos, eo quòd commune ius naturale fecerint omnibus animalibus, necesse est vt pariter ab Angelico Præceptore recedant, qui idem non obscurè docuit: quod ego non faciam.

I I
EXPONITVR COMMVNIS DIFFICVLTAS.

Illud verò solet opponi; ius naturale à ratione naturali dictari; applicari nobis secundùm dictamen nostræ rationis naturalis practicæ, per quod actus humanos regimus, & ad bonum honestumque dirigimus: quæ omnia vt certa sunt, ita constat ad animalia irrationalia non pertinere. Ergo iuris naturalis non participant. Hoc tamen argumentum valde debile videbitur illis, qui legerunt numeros præcedentes; si enim probaret, propter defectum rationis non conuenire ius naturale brutis, probaret etiam ex eadem causa legem æternam comprehendere omnes creaturas, vt comprehendit etiam expertes sensûs. Itaque, vt ibi Philosophabamur cùm Diuo Augustino, & D. Thoma, hîc philosophandum est. Ratio in mente diuina existens, quæ est lex æterna per viam præcepti, dirigit genus humanum ad finem debitum; & cæteras creaturas expertes rationis agit ad proprium finem, imprimendo illis instinctus, seu inclinationes necessarias ad consequutionem illius. Ergo pariformiter ratio naturalis immediatè participata à lege æterna mouet genus humanum ad bonum secundùm naturam, per viam præcepti, secundùm dictamen practicum rationis naturalis, quod docet honestum eligere. Cætera verò animantia agit, & adigit ad particulare bonum sui, & commune bonum totius speciei per viam simplicis obedientiæ, & naturalis inclinationis inditæ à Deo Authore naturæ. Ergo bruta non participant iuris naturalis per rationem, vt homines; sed per instinctum, vel impetum, vt dicebat Seneca suprà laudatus; siue vt dixerunt eximius noster Præses Couarr. *in regul. Peccatum, 2.p. relection.* §.11. *num.* 4. Antonius Faber *in rationali ad l.4. de iust. & iur.* & *in Papinianea, tit.2. principio* 1. Osualdus *ad Donellum lib.1.cap.6.lit.G.* ius naturale conuenit hominibus formaliter; brutis verò materialiter. Quem modum dicendi præfero, quamuis Gregorius Lopez Madera *animaduers. iuris cap.2.* quem laudant, sequunturque Marcus Lyclama *lib.7. membran. eclog.30.* Osuald. *vbi proximè*, & nullo laudato pro more Marcus Aurelius Galbanus, vir in disputando acer, & in eloquendo alacer, *de vsufructu cap.5.ex num.8.* existimauerint rationem iuris naturalis non esse inspiciendam in obedientibus, sed in Legislatore, qui est Deus. Homo enim secundùm ius naturale etiam per rationem operatur. Et quamuis Antonius Clarus Siluius *in præfatione ad lib. de legib. cap.1.* posuerit tantùm in sensu, non in ratione ius naturale; & illud, cui per rationem obedimus, ius gentium primarium appellauerit; excludit enim à iure naturali homines, vt homines sunt: & licèt Petrus Faber *lib.2. semest. cap.1. in princ.* existimauerit figuratè, & per quandam auxesin loquutum fuisse Vulpianum, cum dixit naturam docuisse etiam bruta ius naturale; hic enim docendi modus tollit iuris naturalis peritiam brutis, quâ censentur: alij etiam aliter. Tamen eorum discordantes sententiæ secundùm hæc ad concordiam reduci possunt. Videndi sunt ex Theologis Sotus *de iust. & iur. lib.1. quæst.3. art.4. & 5.* Suarez *de legib. lib.2. cap.1. & sequenti.* Alphonsus de Castro *de potest. legis pœn. lib.1. cap.4.* Azor *tomo 1. Instit. moral. lib.6. cap.1. & 2.* Tapia *tomo 1. caten. mor. lib.4. quæst.2.* Ex Iurisperitis Morla *in empor. iuris, titulo 1. in præludiis, ex num.27.* Barbosa & I. Dartis *in cap. ius naturale, 1. dist.* Hugo Grotius *de iure belli lib.1. cap.1. & 2.* I. Seldenus *in Mari clauso lib.1.c.3.* Antonius Goueanus *lib.1. var. cap.19.* Lyclama *dict. lib.6. eclog. vlt.* Spondanus *de cameter. sacris lib.1. part.4. cap.4. num.2. & cap. sequenti.* Turturetus *in suis paralellis differt.34.* & alij quos tædij euitandi causâ omitto.

I 2.
IVS NATVRALE QVALITER SIT IN BRVTIS ET HOMINIBVS.

Alio ergo modo se habet ius naturale in brutis, alio in hominibus. Bruta inclinantur per illud ad conseruationem sui, sese ab oppressoribus, etiam per impetum defendendo, *leg.1. §.cùm arietes, ff. si quadrupes:* quia naturalis iuris est vim vi repellere; nam, vt est *in l. sciendum, §. qui cum, ff. ad leg. Aquil. Vim vi defendere omnes leges, omniaque iura permittunt.* Est insitum animantibus, quocumque modo id fiat, non autem hominibus, nisi intra modum. Quâ ratione intelligendum est quod dicitur *in l.4. ff. ad leg. Aquil. Aduersùs periculum naturalis ratio permittit se defendere:* & illud Ouidij *5. de arte amandi.*

Armaque in armatos sumere iura sinunt.

Quia hi non simpliciter iniuriam, & vim propellere debent, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, *leg.1. C. vnde vi:* quod moderamen à ratione, quâ carent animalia, deducitur; & ideo ius naturale hoc casu in homine facilè transit in ius gentium: quo pacto vim vi propellere, dicitur esse iuris gentium *in l.2. ff. de iust. & iur.* Ratio enim dictauit, vt cum moderamine iam dicto propelleretur; natura verò tantùm dictabat, vt propelleretur, teste Cicer. *1. offic.* cum ait: *Omni generi animantium à natura tributum esse, vt se, vitam, corpusque tueatur.* Item ad conseruationem speciei per coniunctionem maris & fœminæ, & per liberorum procreationem, in quibus tamen si errant, vel deficiunt, non tamen puniuntur, vt dixit Polybius *dict. lib.6. historia.* Quia non sunt capacia præcepti, sed tantùm simplicis obedientiæ, & inclinationis: homines verò peccant, cùm à recto deuient, transgrediantur que præceptum, & operentur contra dictamen rationis naturalis; in quo positiuo præcepto non est opus, vt latè, & eleganter edisserit Serenus Abbas apud Cassianum *dict. collat.8. cap.23. per totum.* Ex quo concludimus, per hoc dictamen practicum nostræ rationis naturalis humanos actus nostros, qui sunt liberi, regi, & dirigi ad bonum, honestumque, qui est finis iuris naturalis.

I 3.
DIFFERENTIA LEGIS ÆTERNÆ ET IVRIS NATVRALIS.

Sed nunc meritò quæres: Si lex æterna dirigit cuncta creata in suos fines, & homines dirigit per viam præcepti, cæteras creaturas per modum simplicis obedientiæ, quod tantùm facit ius naturale; ad quid post legem æternam ius naturale constituitur, tanquam ab illa deriuatum? superfluum

fluum quippe videtur. Sed vt respondeam, primò obseruo, legem æternam latiùs se extendere, quàm ius naturale; illa enim extenditur ad cuncta creata, etiam expertia sensûs: hoc tantùm animalibus constitutum est. Deinde obseruo, per legem æternam simplicissimam creaturas ad suos fines moueri, & agi eo præcepto, quod omnia sunt ordinatissima: per ius verò naturale imperari bonum honestum conueniens, quod scilicet est medium ad consequutionem finis. Ergo lex æterna est principium iuris, per quod petimus finem; ius naturale est prima deriuatio, per quam curamus de mediis congruentibus ad illius consequutionem. Bruta sese defendunt, miscentur inter se, liberos, aut si velis, filios procreant; & sic suum finem consequuntur: hæc tamen media non legi æternæ accepta feruntur, sed iuri naturali. Homines assequuntur finem naturalem eadem faciendo, sed finem supernaturalem, cui sunt creati, non aliter assequi possunt, quàm bene, & conformiter iuri naturali, legibus fidei, & gratiæ operando. Idcircò ius naturale plura præcepta iniungit hominibus, quàm ingerit brutis. Referamus nunc verba D. Thomæ *dict. quæst. 94. art. 2. in corpore*, quæ suprà non retulimus. *Tertio modo ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundùm naturam rationis, quæ eſt ſibi propria: ſicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoſcat de Deo; & ad hoc, quod in ſocietate viuat; & ſecundùm hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad huiuſmodi inclinationem ſpectant: vipote, quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conuerſari, & cætera huiuſmodi, quæ ad hoc ſpectant.* Itaque in homine propriè est iuris naturalis viuere, tam secundùm suam naturam, quàm secundùm communem generis humani, vt suprà dixi.

14. De præceptis ivris naturalis.

Primum, & communissimum præceptum est secundùm eundem Angelicum Præceptorem *dicta quæst. 95. art. 4.* quem etiam sequitur doctissimus noster Vasquez Menchaca *de succeſſ. creat. §. 1. ex num. 2.* hoc, Bonvm Faciendvm; & per contrarium, Malvm Vitandvm. Diuus Basilius *in principio Prouerb.* ibi: *Monet ipſos habere iudicium quoddam naturale, per quod ab iniquis bonos diſcernimus, & facimus agendorum optionem, rectaque rerum diſcrimina; & fauemus virtuti, damnamus vitium.* Quo sensu Tertullianus *in Apologet.* dixit, animam esse naturaliter Christianam; quod non conuenit brutis, quia nihil appetunt sub ratione bonitatis formalis, sed suæ vtilitatis. Tantùm ergo conuenit hominibus, qui per dictamen rationis naturalis sciunt discernere bonum à malo; & quidquid appetunt, est sub ratione boni, vel veri in se, vel apparentis, vt tradit Aristoteles *in principio lib. 1. politicor.* Hoc communissimum præceptum pertinet ad hominem, quatenus seipsum respicit. Sequitur aliud, quod tendit in hoc, vt in societate viuat, quia homo est animal naturâ sociabile, vt dixit Aristoteles *d. lib. 1. cap. 1. Quod tibi fieri non vis, alteri non facias.* Matthæi 7. & Lucæ 6. quod acceptum à Christianis in ore habuit frequentissimè Imperator Al. Seuerus, ex Æl. Lamprid. & multa sunt ad quæ ius istud porrigi potest, vt constat ex D. Aug. qui explicans locum hunc Psalmi 57. *Si verè vtique iuſtitiam loquimini, recta iudicate, filij hominum*; ait: *Quòd nullus eſt, qui ſolâ naturâ ducè non aſſerat, nolle accedi ab altero ad vxorem ſuam, ſibi furtum fieri; & qui velit iniuriam pati, cui non diſpliceat, panem ſibi negari eſurienti, peregrinum non ſuſcipi; dictareque rationem naturalem, vt eadem aliis vel non faciamus mala, vel bona præſtemus.* Additque sic naturâ comparatum esse, vt ex abundantia quisque cordis loquatur; bonus bona, malus mala; nec sibi aliud dici velit, aliud sentiri. Et ad hoc iuris istius præceptum etiam referri debet illud Ciceronis 3. *offic.* cùm ait: *Vt ſibi quiſque malit quod ad vſum vitæ pertineat, quàm alteri acquiri, conceſſum eſt non repugnante naturâ: illud natura non patitur, vt aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias augeamus; neque verò hoc ſolùm naturâ, id eſt iure gentium; ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus Reſpub. continentur, eodem modo conſtitutum eſt, vt non liceat ſuis commodi causâ nocere alteri.* Cùm enim inter nos cognitionem quandam natura constituerit, consequens est, nefas esse hominem homini insidiari, vt deduxit Florentin. *in l. vt vim 3. de iuſt. & iure.* Plus ausus fuit ingeniosissimus Papinianus *in l. ſeruus 7. de ſeruis export.* nempe hominis interesse hominem beneficio afficere: quod potuit sumere à Cicerone *lib. 3. offic.* illis verbis: *Hoc natura præſcribit, vt homo homini, quicumque ſit, ob eam ipſam cauſam tantùm, quod is homo ſit, conſultum velit.* Animosè Seneca ad suum Lucillium *epist. 28. Non poteſt*, ait, *quiſquam beatè degere, qui ſe tantùm intuetur; qui omnia ad ſuas vtilitates conuertit. Alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere.* Quod ad dogma christianæ fidei reduxit D. Leo *epist. 8. ad Athanaſium Theſſalonicenſ. Epiſcopum. Nemo*, inquit, *quod ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius:* sicut Apostolus ait *ad Philippenſes 3. Vnuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bono ad ædificationem; nec enim poterit vnitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum charitatis adſtrinxerit.* Addendus erit pro eiusdem sententiæ illustratione Merilius *lib. 1. prior. obſeruat. cap. 12.* De iisdemque mutuis officiis, præsertim erga mortuos, multa adducit Petrus Faber *lib. 2. ſemeſt. cap. 1.*

15. De eisdem præceptis a Consvltis relatis.

Præcepta huius iuris à Consultis indicata, non alia in effectu sunt, quàm quæ recensentur *in l. iuſtitiam 10. §. 1. ff. de iuſtitia & iure, §. Iuris præcepta, Inſtit. eodem titulo*, de quibus varia sentit Meril. *lib. 1. prior. obſeruat. cap. 11.* Honestè viuere, continet decentiam naturalem erga se, tam famæ, quàm corporis intuitu; quia per incontinentes mores, & dissolutam vitam vtrumque læditur, contra proprij dictaminis rationem, *l. probrum 42. ff. de v. ſ. Adulterium naturâ turpe eſt.* Alterum, non lædere proximum, est iustitiæ, quæ est ad alios; ergo contra naturalem rationem est alterum damno afficere; vel in rebus, per furtum; vel in vita, aut persona, per vulnus illatum, *dict. l. probrum 42.* vbi naturâ furtum probrum censetur, *l. 1. ff. de furtis: l. vt vim 3. ff. de iuſtit. & iur.* vbi docemur inter nos cognationem quandam naturam constituisse: vnde deducit Florentinus, nefas esse hominem homini insidiari: per contrarium Papinianus *in l. ſeruus 7. ff. de ſeruis exportandis*, eadem cognationis ratione nixus docuit interesse hominis hominem beneficio affici. Vide pro hac eleganti sententia Merilium *lib. 1. prior. obſeruat. cap. 12.* Postremum est, ius suum cuique tribuere, quod ad pactiones, restitutiones, & solutiones rerum debitarum propriè spectat, quarum implementum meritò rationi, & æquitati naturali assignatur, siue attribuitur *in l. 1. ff. de pactis, l. 1. ff. de conſtituta pecunia, l. Stichum 95. §. naturalis, ff. de ſolutionibus.* Hæc omnia præcepta respectu omnium hominum hoc vno clausit diuina

ſapientia Chriſti Domini apud Matthæum *cap. 7. Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.* Hæc etiam præcepta ita diſtinxit Galbanus *de vſufructu cap. 5. num. 5.* Honeſtè viuere refertur ad ſe viuere, ſecundùm virtutem; ſolùm enim eſt bonum, quod eſt honeſtum. Senec. *epiſt. 71.* Alterum non lædere, refertur ad alios in bonis corporis, veluti non occidere, vulnus non infligere. Suum cuique tribuere, ad alios etiam, ſed reſpectu fortunarum. Alij aliter exponunt hæc præcepta, quos non moramur. Videndus eſt Velleius *ad legem 1. de iuſt. & iure, lib. 2. ex n. 20.*

16. De materia ivris naturalis.

Materia iuris naturalis alia fuit pro diuerſitate temporum, atque alia in initio. In initio non verſabatur circa commercia, cùm nondum eſſent inuenta, *l. ex hoc iure 5. ff. de iuſt. & iur.* nec circa reſtitutionem rerum malè partarum, cùm nondum eſſet dominium priuatarum rerum in ſpeciali: quæ meritò attribuuntur iuri gentium; ſed poſitâ materiâ, & factâ dominiorum diſtinctione, ad ius naturale reducitur prohibitio furti, & probrum naturâ eſt furtum committere, *dicta l. 1. ff. de furtis, l. probrum 42. ff. de v. ſ.* vt explicat D. Ioſephus de Retes *lib. 7. opuſcul. cap. 2.* præceptor meus, à quo plurima in vtroque iure ſingularia me didiciſſe, niſi lubens & bona fide agnoſcerem, ingratiſſimus forem, immò furti reus; quia, vt ait Theodoretus *in præfat. ad Cantica: Ne furti nos inſimulent, ſi quid quod à Patribus dictum ſit, in iis commentariis offenderint; fatemur & nos ab illis explanationis occaſionem accepiſſe: hoc autem non furtum appellari debet, ſed paterna hæreditas.* Sic etiam implere fidem datam, ad ius naturale reducitur, licèt commercia à iure gentium ſint; quia hæc eſt materia, circa quam; non ius, quia hoc prouenit ab illa naturali ratione, *Omnia quæcumque vultis, vt vobis faciant homines, & vos facite illis*: quod humanæ fidei eſt fundamentum. Deinde rerum ſtatus non erat ius naturale, ſed materia circa quam tunc verſabatur ius illud, veluti in libertate, in qua homines naturaliter naſcebantur, iniuria eſt naturalis, ſi quis alium vi opprimat, *l. 2. ff. de liber. hom. exhib.* Communio omnium rerum à ſingulis non occupatarum, non erat ius naturale, ſed in tempore, quo vigebat ius naturale, erat materia circa quam in illa prima ætate ius naturale verſabatur: quapropter tunc ſimiliter iniuſtitia naturalis fuit hominem arcere, interdicere à communi rerum fruitione, *l. iniuriarum, 13. §. vlt. cum leg. ſeq. ff. de iniuriis.* Sed poſtquam vſus hominum exegit vt res communes diuiderentur inter ſingulos, quia propagata gente communio afferebat multas incommoditates, vel propter euitandam ſegnitiem eorum, qui victitare volebant ex alienis laboribus, vel propter tollendas diſcordias, quæ ex communione arcebantur, vt vidit Ariſtoteles *lib. 2. polit. cap. 3.* poſt quem Papinian. *in l. cùm pater 77. §. dulciſſimis, de legatis 2. l. 2. C. quando & quibus 4. pars, lib. 10.* Lactantius *lib. 3. diuin. inſtit. cap. 21.* non fuit mutatum ius naturale, ſed ſtatus, qui primis illis temporibus vigebat; & incepit alia materia noua eſſe circa quam iuris naturalis præcepta exercerentur. Antonius Clarus Siluius *in præfatione ad lib. de legib.* materiam mutatam fuiſſe dicit, non formam, quia etiam ſeruitus poſitis bellis conſentanea eſt rationi naturali. Videndi ſunt D. Thomas *1. 2. quæſt. 94. art. 5. ad 3.* Azor *p. 1. inſtit. lib. 6. cap. 1.* Grotius *de iure belli lib. 1. cap. 1. §. 10.*

17. Iuriſconſulti conſequenter his, quæ de iure naturali, communi etiam brutis cenſuerunt, appellarunt hoc, quod prouenit ex dictamine rationis naturalis, ius gentium, ſiue ius omnium hominum: cùm tamen negare non poſſent, omnia, quæ iuri gentium attribuuntur, illis imputari non poſſe, diſtinxerunt inter ipſum ius gentium: primum appellarunt, quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit, id eſt Deus, vt ex Stoicorum diſciplina probatum eſt: ſecundum dixerunt, quod vſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ ſibi conſtituerunt. Ita colligitur *ex l. 1. §. vlt. l. ex hoc iure 5. leg. omnes 9. in fine, de iuſt. & iur.* & *ex §. 1. & 2. Inſtit. de iure naturali, l. 1. ff. de acquir. rerum dominio, l. penultima, ff. de legibus*: quod ius humanum dixerunt Seneca *lib. 3. de benef. cap. 18.* & Lybius *lib. 5.* qui violatores iuris gentium vocat violatores iuris humani. Vnde DD. facilioris explicationis causâ primum appellant primarium ius gentium; ſecundum appellant ſecundarium: quæ voces placuerunt duobus caſtigatiſſimis Authoribus, noſtro D. Petro Velez de Gueuara *ad l. 1. de iuſtit. & iur. lib. 2. n. 21.* Marco Aurelio Galbano *de vſufructu cap. 5. n. 2.* Diſplicuerunt pridem doctiſſimo noſtro Fortunio Garciæ *in l. 1. §. ius naturale, eodem tit.* & ibi Antonio Vaccæ Connano *lib. 1. comment. c. 5. n. 3.* & 8. Pinello *in rubrica C. de reſcindenda vendit. 1. part. c. 1. num. 11.* & aliis apud Barboſam *in cap. ius gentium, 1. diſt. num. 2.* Cognoſco ego quoque voces inſolitas Iureconſultis; ſed audeo dicere propriiſſimas eſſe rei explicandæ, ſi retinendum eſt ius naturale etiam brutis eſſe commune cum hominibus, vt affectauit ſumma vi Gregorius Lopez Madera *animaduerſ. lib. ſingulari, cap. 2.* Ius enim illud quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit, ſi non eſt ius naturale, ſed gentium, quibus ſolis attributum eſt, debet diſtingui ab eo quod ex poſtfacto à gentibus fuit conſtitutum: atqui ſpecificè non diſtinguitur, cùm vtrumque ſit ius gentium ſecundùm Romanos Iureconſultos: ergo debet diſtingui per prius & poſterius. Lyclama *lib. 7. membran. ecloga 31.* Non tamen ſic omnes Iureconſulti: ecce Paulus *in l. ius pluribus 11. de iuſtit. & iur.* quod ſemper bonum & æquum eſt, ius naturale appellauit. Immò Vlpianus ipſe ius naturale à iure gentium diſtinxit *in l. manumiſſiones 4. ff. de iuſtit. & iur.* & Tryphoninus *in l. ſi quod dominus 64. de condict. indebiti*, libertatis ſtatum iure naturali contineri dixit; ſeruitutem ex iure gentium introductam; iuſtitiamque naturalis, & gentium iuris, à ciuili ſeparauit *in l. bona fides 31. ff. depoſiti*, agnoſcens naturale ius gentium, & ciuile, vt compoſitores Inſtitutionum *lib. 1. titulo 2.* Melius ergo ſic dicemus adhuc ex ipſis Conſultis: Naturale ius eſt, quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit. Ius gentium eſt, quod ſibi conſtituerunt poſteà gentes humanæ, exigentibus neceſſitatibus communibus; quod meritò poſitiuum dicitur, & variabile, cùm à neceſſitatibus hominum pendeat, & ab eorum conſenſu, quæ variabilia ſunt. Illud, quia continet præcepta abſolutæ bonitatis dicitur inuariabile, quod agnoſcit Conſultus *in l. 1. circa finem, ff. de iuſtit. & iur.* & Iuſtinian. *in §. penult. Inſtit. de iure naturali*: Ius verò gentium cœpit ab hominibus in tempore, & quotidie introducitur, & expolitur, non quidem aliquo edicto, vel præcepto imperantis; quia nulla humana poteſtas eſt, quæ gentibus diuerſorum Regnorum leges politicas præſcribere poſſit; ſed moribus, & approbatione vtentium.

De ivre gentivm.

Idcirco

Idcirco Iuriſperiti Romani multoties appellant mores ius ipſum gentium, *l. poſtliminium* 19. *de captiuis*, *l. libertinus* 8. *l. vlt. ff. de ritu nuptiarum*, notarunt D. Ioſephus de Retes *lib.6. opuſc. cap.2. num.*19. D. Ioannes Duran. *in diſſertatione ad legem Non dubito, de captiuis*, 2. *part. cap.*1. *num.*1. & ita etiam ius gentium quotidie multiplicari in dies nouis inuentis, ex pluribus probat Solorzanus *lib.*3. *de iure Indiarum*, *tomo* 1. *cap.*5. *ex num.* 12. Proſequuntur prædictam diſtinctionem iuris naturalis, & gentium cum Diuo Thoma 1.2. *quæſt.*93. & 94. communiter Theologi, Suarez *de legibus lib.*2. *cap.*1. *& ſeqq.* Sotus *de iuſtit. lib.*1. *quæſt.*3. *art.*4. & 5. Alphonſus de Caſtro *de poteſtate legis pœnalis lib.*4. *cap.*4. Tapia *tomo* 2. *catenæ moralis*, *lib.*4. *quæſt.*2. Azor *tomo* 1. *inſtitut. moral. lib.*6. *cap.*1. & 2. & multi alij, quos nolo recenſere. Ex Iuriſperitis Couarr. *in regula peccatum*, 2. *p.* §.11. *num.*4. Morla *in emporio titulo* 1. *in præludiis*, *ex num.* 27. Auguſtinus Barboſa *in cap. ius naturale*, *prima diſt.* doctiſſimè & latè Petrus Faber *lib.*2. *ſemeſtr. cap.* 1. & *in l.* 1. *de iuſtit. & iur.* Grotius *lib.*1. *de iure belli*, *cap.*1. & 2. *per totum*, breuiter, nec ſatis expreſsè Iacobus Vvander Græphius *ad legem non dubito*, *cap.*1. *de captiuis.* I. Dartis *in diſſert. de iur. natur. cap.*2.

18. DIFFERT A IVRE CIVILI.

Itaque tenendum eſt ius gentium non vno inſtanti, non ab initio orbis naſcentis, aut poſt diluuium reſtaurati, totum totaliter fuiſſe conſtitutum, ſed ſucceſſu temporis creuiſſe, & in dies creſcere, vt humani vſus, & hominum neceſſitates expoſtulant. Eſt enim cauſa iuris gentium vtilitas hominum, vt cauſa iuris ciuilis eſt vtilitas vnius Regni, aut Reipublicæ: itaque non differt alterum ab altero per prius & poſterius. Forſan enim prius ius ciuile ortum habuit, quàm ius gentium, ſi velimus ortum iuris ciuilis traducere à Caino, qui enochiam primus fundauit, terminiſque agros diuiſit: & ſaltem dubitari non poteſt, quin multa ſint inſtituta ciuilia, quæ poſtea approbatione facta fuerunt iuris gentium. Non etiam diſtat circa materiam, nam tam ius gentium, quàm ciuile in id tendunt, vt prouideant hominum neceſſitatibus circa res quarum auxilio vita humana indiget in commutationibus, commerciis, punitionibuſque; eo enim fine bella introducta ſunt ad propulſandam iniuriam, puniendoſque iniuſtè tumultuantes. Differt ergo in extenſione, quia ius gentium tanquam vtile omnibus, & ab omnibus vſu receptum, omnes obligat. Ius verò ciuile tanquam à ſupremo Principe in ſubditos latum, tantùm obligat Regnum illud, cui Rex Princepſque legem dicere poteſt.

19. IVS GENTIVM EST IMMVTABILE.

Itaque tenendum eſt, ius gentium poſitiuum eſſe, in eoque cum iure ciuili conuenire; ſanctius tamen eſt, & minùs variationi ſubiectum: tum quia magis immediatam deriuationem habet à iure naturali: tum quia vtilius eſſe à poſteriori probatur; ſiquidem pluribus placuit, Petrus Faber *lib.*2. *ſemeſt. cap.*1. vnde difficiliùs abrogatur, vel ei derogatur, quia opus eſt, vt in derogatione, vel abrogatione conueniant etiam gentes, quod non faciunt, niſi mutata vtilitate, aut diminuta. De eo ſic explicans D. Iſidorum D. Thomas 1.2. *quæſt.*95. *art.*4. *in principio. Videtur, quod inconuenienter Iſidorus lib.*5. *cap.*4. *diuiſionem legum humanarum ponat, ſiue iuris humani; hoc enim iure comprehendit ius gentium, quod ideò ſic nominatur, vt ipſe dicit eodem lib. cap.*6. *quia eo omnes ferè gentes vtuntur; ſed ſic ipſe dicit eodem lib. cap.*4. *in princip. Ius naturale, commune omnium nationum. Ergò ius gentium non continetur ſub iure poſitiuo humano, ſed magis ſub iure naturali.* Ad cuius difficultatis explicationem ita ſupponit Angelicus Magiſter *in corpore articuli.* Sunt multa de ratione legis humanæ, ſecundùm quorum quodlibet humana lex propriè, & per ſe diuidi poteſt; eſt enim primò de ratione legis humanæ, quod ſit deriuata à lege naturæ, & ſecundùm hoc diuiditur ius poſitiuum in ius gentium, & ciuile; nam ad ius gentium pertinent ea, quæ deriuantur ex lege naturæ, ſicut concluſiones ex principiis, vt iuſtæ emptiones, venditiones, & alia huiuſmodi, ſine quibus homines ad inuicem conuiuere non poſſunt; quod eſt de lege naturæ, quia homo eſt animal ſociabile, vt *primo politicæ*, *cap.*2. ait Ariſt. Quæ verò deriuantur à lege naturæ per modum particularis determinationis, pertinent ad ius ciuile, ſecundùm quod quælibet ciuitas aliquid ſibi accommodè determinet; & poſteà ita concludit: *Ad primum ergo dicendum eſt, quod ius gentium eſt quidem aliquo modo naturale homini, ſecundùm quod eſt rationale, in quantum deriuatur à lege naturali per modum concluſionis, quæ non eſt multùm remota à principiis; vnde de facili in huiuſmodi homines conſenſerunt; diſtinguitur tamen à iure naturali, maximè ab eo, quod eſt omnibus animalibus commune.* Sequuntur hanc ſententiam, & conuenientiam, quam facimus inter vtrumque ius, ciuile & gentium, Vazquez Menchaca *lib.*2. *controuerſ. cap.*54. *num.*4. quam adducit, & ſequitur Grotius *lib.*1. *de iure belli*, *cap.*1. §.14. Pater Molina *de iuſtitia & iure tract.* 1. *diſput.*5. Sotus *lib.*1. *de iuſtit. quæſt.* 5. *art.* 4. Gibalin. *ſcient. can. lib.*4. *cap.*7.

20. DE IVRE NATVRALI DIVINO.

Ius naturale, vt ab eodem dictamine eiuſdem rationis naturalis proueniens, ſemper idem eſt, ſed ratione materiæ circa quam verſatur, bifariam dici poteſt, aliud ius naturale diuinum, humanum aliud: religionem erga Deum Conſulti noſtri iuri gentium attribuerunt, *l.*2. *de iuſtit. & iur.* & cicero *lib.*4. *de finib.* ait: *Porrò firmiſſimum hoc adferri videtur, cur Deos eſſe credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio: multi de Diis prauа ſentiunt, id enim vitioſo more effici ſolet; & omnes tamen, etſi vim, & naturam diuinam arbitrantur, nec verò id colloquutio hominum, aut conſenſus efficit; non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus; omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt.* Et 2. *de inuentione. Ac naturæ*, ait, *quidem ius eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam innata vis afferat, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem.* Et ſimiliter D. Aug. *lib.*83. *quæſtionum*, *quæſt.*31. Idque ius gentium, quod ratio ſolo lumine naturali ita dictat, & vniuerſaliter, omnique caſu, dicitur potiori ratione ius naturale, quàm aliud ius gentium, quod ratio tantùm in quibuſdam caſibus, & ob rerum neceſſitatem dictaret: & hoc ſenſu Tertullianus *in Apolog.* probat naturalem eſſe Dei cognitionem, & D. Auguſtinus *loco citato*, ait: *Natura ius eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis inſeruit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, per quam ſcilicet vis, aut iniuria, aut omnino omne quod offuturum eſt, defendendo, aut vltiſcendo propulſatur.* Illud nempe, quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit, quod ratione temporis primarium poſſe appellari ſuprà dixi. Ex aliorum etiam Conſultorum placito

placito hoc ipsum D. Isidorus, & post eum Gratianus noster, appellant ius diuinum; sed in nostro sensu, quia est debitum proueniens ex dictamine rationis circa materiam diuinam. Adeò quidem, vt eadem ratio debiti, si circa rem humanam versetur, faciat ius naturale, quod possis appellare humanum: si verò versetur circa materiam diuinam, faciat ius naturale diuinum. V.g. si quæramus, quo iure stipendia militibus, salaria Magistris, aut Magistratibus, demensa familiaribus debeantur; respondendum est, deberi ex iure naturali, cuius obligatio etiam ex sacris litteris colligitur, vt notauit Gratianus *in princip. dist.* 1. Extat Leuitici cap. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui vsque ad manè.* Deuteron. cap. 24. *Non negabis mercedem:* & Ecclesiastici 34. *Qui mercedem subtrahit mercenario, effundit sanguinem.* Tobiæ cap. 4. *Merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.* Christus Dominus apud Lucam, *cap.* 10. *Dignus est Mercenarius mercede sua:* apud Matthæum *cap.* 20. *Voca operarios, & redde singulis mercedem suam.* Quæ omnia testimonia mirificè comprobant conuenientiam, quam hoc debitum habet cum ratione naturali: nemo enim debet alienis operis vti, & mercedem non soluere, siue meritam ex labore, siue nominatim pactam; nam hoc esset locupletari cum alterius iniuria, & iactura, quod contra naturam, eiusque rationem esse probat textus *in l. nam hoc* 14. *de condict. indeb.* non tamen est diuinum, quia non est à Deo in tempore imperatum, vt attingens finem supernaturalem. Quare non consentio Menochio *consilio* 228. *num.* 11. & *consil.* 570. aliisque apud Gabrielem Aluarez de Velasco *de priuileg. paup.* 1. *part. quæst.* 6. *ex num.* 45. & Siluam *in suo tractatu de salariis famil. à principio*, qui censebant, prouenire à iure etiam diuino hanc obligationem, quasi omnia, quæ sacris in litteris fundamentum habent, iuris diuini dicenda sint; quod non est per se verum ita simpliciter prolatum. E conuerso, si quæratur, quo iure decimæ debeantur in nouo testamento Ministris Ecclesiæ qui metunt carnalia, quia seminant spiritualia; & debent de altari viuere, qui altari seruiunt, quia boui trituranti non est alligandum os? Dicendum est, deberi iure naturali, propter compensationem laboris, quem impendunt; sed hoc ius diuinum appellatur, quia materia circa quam versatur, diuina est. Vnde ex multis testimoniis probat Gratianus 15. *quæst.* 6. & 16. *quæst.* 1. *cap. Parochianos, de decimis*, vbi dicemus, *cap.* 1. *eodem tit. in* 6. *Clement. vltim. de pœnis*, vt cum iudicio censuit Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. ad cuius mentem reducendi sunt, qui postea scripserunt, quorum magnum agmen conducunt Augustinus Barbosa *de iure Eccleſiast. lib.* 3. *cap.* 26. *in princip. ex num.* 5. Academiæ nostræ decus D. Ioannes Solorzanus 4. *tomo de iure Indiarum, lib.* 1. *cap.* 21. *ex num.* 44.

21. EXPONITVR CAP. QVO IVRE 8. DIST.

Ferè per eandem analogiam D. Augustinus *tract.* 6. *in Ioann.* relatus à Gratiano *in cap. quo iure*, 1. 8. *dist.* in quæstione contra Donatistas, qui querebantur de ademptis sibi villis per Imperatoris rescriptum; causabanturque sibi ius quæsitum tolli contra ius gentium: vt eorum audaciam compescat sanctus Doctor, primò docet, à iure humano dominia ortum habuisse, quod à Consultis habuit, *l. ex hoc iure* 5. *de iustit. & iur. cap. ius gentium* 9. *prima dist.* ibi: *Sedium occupatio.* Deinde ostendit hoc ius gentium immutari aliquando posse per ius ciuile, *l. ius ciuile* 6. *ff. eodem tit.* Vnde multoties in pœnam malemeritis dominium rerum per leges ciuiles adimitur, quos expedit inopiâ laborare, vt dixit Triphoninus *in l. bona fides* 31. *ff. depositi.* Vnde deducit, si dominium vestratum possessionum à iure humano introductum est, iure humano tolli potest, stante in vobis iustâ causâ, quæ est impietas. Quæ Cæsareum rescriptum iustificat, eosque inobedientes per hoc meritò appellat, qui prætextu iuris gentium rescripto Imperiali obsistebant. Quod facillimè probare posset Sanctus, à iure humano dominia priuata prouenire, si vellet iuris ciuilis testimoniis vti, aut illis fideret; probat à sacris litteris magis operosè, sed magis solidè per hoc argumentum. A iure diuino non est vestrum dominium: ergo est à iure humano. Quod non sit à iure diuino probat ex illo Psalmi 23. *Domini est terra & plenitudo eius.* Ita infert, si Domini est terra ex illo iure: ergo ex eodem vestra non est. Rectè procedit consequentia; sed antecedens non adeò rectè; omnes enim rationes, quæ Deo adstruunt hoc dominium, naturales sunt. Prima est ratio creationis de nihilo, *Geneſis cap.* 1. Secunda gubernationis, iuxta illud Sapientiæ *cap.* 14. *Tu Pater gubernas omnia prouidentiâ.* Tertia superioritatis, ex notatis vulgò *in leg. deprecatio* 9. *ad legem Rhodiam de iactu.* Ergo ex ratione naturali, iureque naturæ, dominium vniuersale, & singularium rerum Dei est, vt ex eiusdem Psalmi testimonio colligit Sotus *lib.* 1. *de iust. it. quæst.* 3. *art.* 4. prout est lex naturalis immediatè participata à lege æterna, per quam omnia creata subordinantur Creatori. Planè ita est, sed Sanctus Doctor ratione Dei ad quem refertur hæc subordinatio, appellauit hoc ius diuinum, quasi ius Dei, quod proprium est naturale cum æterno coniunctum. Denique asseruit ius diuinum ex sacris litteris petendum esse, quod per se patet; sed inde non est colligendum, quidquid ex sacris litteris possit deduci, iuri diuino esse attribuendum; inde enim etiam ius naturale colligitur, vt docuit Gratianus *dict. dist.* 1. *in principio*, quod etiam notauit ibi Barbosa *num.* 4.

22. DE IVRE SACRO PVBLICO.

Analogicè etiam ius sacrum positiuum Ecclesiasticum, quia de rebus diuinis tractat, diuinum solet appellari, quod etiam publicum appellatur, quia sacra non priuati, sed publici iuris sunt, *l.* 1. *§. huius studij, ff. de iustit. & iur. c. ius publicum*, 11. *dist.* 1. ab vtroque tamen distinxerunt Cicero *lib.* 1. *de legibus*, & Ausonius vulgò laudatus in Grypho ternarij numeri, his versibus.

Ius triplex, tabulæ quod ter fanxere quaternæ:
Sacrum, priuatum, & populi commune, quod
vsquam est.

Dicitur, inquam, hoc ius diuinum, non prout opponitur humano positiuo, sed prout opponitur iuri de rebus profanis disponenti: quo in sensu Iustinianus *in l. vt inter* 23. *Cod. de sacros. Eccles.* quæ in vulgari Codice est vltima, distinxit ius diuinum à publico, & priuato, sanciens, vt ea, quæ piis locis relinquuntur, nulla temporum præscriptione coarctarentur, vt aliàs *in §. nullius, Inst. it. de rerum diuisione*, post Gaium *lib.* 7. *Inst it. titulo* 1. *§.* 2. & *in l.* 1. *ff. de rerum diuisione*, notauit Glossa verbo *diuinum, in dict. l.* 23. ibi: *Duobus modis dicitur ius diuinum; à Deo constitutum, vt Euangelia; & ipsi Deo constitutum, vt super rebus Ecclesiasticis factum, & hoc secundo modo accipitur hic.* Couarr. licèt huius textus, glossæque immemor, *in practicis cap.* 31. *num.* 2. *versic. tertia verò.* Petrus Gudelinus *de iure nouissimo lib.* 5. *cap.* 1. Marcus Lyclama

clama *lib.7.membran.ecloga* 40.§.1.Cuiacius etiam *lib.15.obseruat.c.*53. eundem sensum agnouit, licèt non ita expresserit. Ex eadem etiam ratione, & per eandem analogiam Ius Canonicum, quod humanum est, & positiuum, *cap.non debet*, 8.*de consang.& affin.* & à diuino seu Euangelico distinguitur, *in cap.* 1.10. *dist.* solet diuinum appellari, vt infrà dicemus.

23. De IVRE DIVINO. Omne igitur ius quod propriè diuinum appellamus, positiuum est, datum à Deo in tempore hominibus: quod cum Illustrissimo Tapia *tomo* 1. *Caten. Moral.lib.4.quæst.26.art.vnico*, in communi ita potest diffiniri: *Lex à Deo legislatore per se, & immediatè lata ad finem supernaturalem.* Requirit ergo quod à Deo sit immediatè latum, vt dicatur diuinum in hoc sensu proprio, quod omnes cum D.Thoma agnoscunt. Hoc ius diuinum diuiditur in vetus, & nouum. Ius vetus est, quod fuit datum à Deo per Angelos,& Moysem soli populo Iudaïco, vt disponeret ad finem æternæ beatitudinis consequendæ per IESVM CHRISTVM venturum. Dicitur datum à Deo; præfero enim sententiam existimantium, omne ius Iudaïcum, siue ad præcepta moralia pertinuerit,siue ad iudicialia,aut cæremonialia, datum fuisse à Deo immediatè, promulgatumque tantùm fuisse à Moyse, tanquam proximo promulgatore, non verò legislatore; quia non fuit legislator nisi impropriè, & propter promulgationis ministerium; quo in sensu accipiendi sunt, qui illum legislatorem appellant. Sic docuerunt Primarius noster F.Bartholomeus à Medina 1.2. *quæst.*98. *art.*2. scitè Prosper *lib.*1.*de promissis, cap.*40. Gabriel Vazquez *art.*2. Gregorius de Valentia *disputat.* 7. *quæst.* 7. *puncto* 1. *probat.*1. Ioannes Arboreus *lib.*10. *Theosoph. cap.*9. Gregorius Martinez *in* 1.2.*quæst.*98. *art.*2.*dubio singulari.* Maldonatus *in Matthæum cap.* 19. Bellarminus *lib.*1.*de verbo Dei scripto, cap.*5. Raphaël Auersa *ad quæst.*98.*art.*1. Iacobus Gordonus *tomo* 1. *Theolog.moral. lib.*2. *quæst.*7. *cap.*2.*ex num.*4. & in hanc propendens,quamuis euasionem, aut concordiam contrariæ quærens, Pater Salas *de legibus disput.*22. *num.*11. maximè *num.* 14. & eximius Franciscus Suarez *de legibus lib.*9 *cap.*2. quia si à Moyse aliqua præcepta fuissent data, essent Ecclesiastica, & humana; & maxima confusio fuisset in distinguendis præceptis iudicialibus, & cæremonialibus datis à Deo, à datis per Moysem; quidquid piissimus, & perdoctus Alphonsus Salmeron *in Acta tract.*61.& 62.& 1. *ad Corinth. cap.*7. *quæst.* 12. existimauerit, nonnulla, vel pleraque præcepta ex iudicialibus, & cæremonialibus immediatè fuisse data per Moysem diuino instinctu, & afflatu, quod præcitati non sustinent, vt nec illud, quod post aliquos PP. docuit Canus *lib.*2. *de locis, cap.*16. permissionem liberi repudij factam fuisse à Moyse, non à Deo: contra quem disputant Suarez, Maldonatus, & Salas suprà laudati. Dixi soli populo Iudaïco, quia Philo Iudæus *in lib. de Ioseph*, siue *de Viro ciuili*, hoc ius diuinum vetus, appellauit ius ciuile Iudaïci populi; non enim obligabat alios præter illum populum, iuxta illud *Deuteron. cap.*4. *Quæ est alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem.*

24. De VARIIS LEGISLATORIBVS. Hactenus egimus de lege æterna, & de iure naturali; & vt ad ius diuinum & positiuum Ecclesiasticum perueniamus, sciendum est, aureo illo sæculo, quo penes sapientes Regnum erat; isque habebatur summus, qui optimus mortalium fuerat, testante Seneca *epist.* 90. aliis legibus opus non fuisse; namque ex illis geniti incorrupti naturam sequebantur, eamdem habebant & ducem, & legem, commissi melioris arbitrio; neque erat cuiquam, aut animus in iniuriam, aut causa, cùm bene imperanti bene pareretur. Frustra ergo esset tunc lex, vbi nulla adhuc mala libidine; sine probro, & scelere; eoque sine coërcitionibus agebatur, vt eleganter expressit Ouidius 1. *Metamorph.*

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem, rectumque colebat.
Pœna metusque aberant; neque vincla minantia, fixo
Ære ligabatur: nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.

Nec multò aliter Tibullus *lib.*1.*elegia* 3. Iuuenalis *Satyra* 6. Horatius *lib.*1. *satyra* 3. Lucretius Carus *lib.*5. *de natura rerum.* Sed postquam irrepentibus vitiis cogitationes hominum ad malum naturâ pronas libido inuasit, postquam (vt loquitur Tacitus *lib.*3.*annal.*) *exui cœpit æqualitas, & pro modestia, ac pudore ambitio, & vis incedebat*; opus esse cœpit legibus, iuxta D. Isidorum *in cap.* 1. *dist.*4. quas illis temporibus sanxere, dederuntque Sapientes; Solon Athenien sibus; Lycurgus Lacedæmoniis, Phoroneus Græcis; Hercules Celtis; Zoroaster Persis; Minos Cretensibus;Mercurius Ægyptiis; Numa & successores Romanis, & aliis alij, quos referunt Thomas Garzonius *in theat. vit. hum. titul. de Iurisconsultis*, Georgius Schonbor. *lib.*3. *polit. cap.*1. Hunnius *in encyclop. lib.*1.*cap.*3. Samuel Petitus *in præfat.ad Ius Atticum*, D. Ioannes de Solorzano, magnus noster Prolyta & Professor, Cathedræ & Togæ decus, *emblem.66.* Sed de his legibus & iure ciuili aliquid præfari institutum non patitur.

Vt ad ius diuinum vetus, & nouum regrediamur, scire oportet, Deum Optimum Maximum ad populi Iudaici regimen legem Moysi dedisse, vt eam promulgaret cum præceptis iudicialibus, moralibus, & cæremonialibus, anno mundi 2544. quartæ ætatis primo,die 6. mensis tertij, in monte Sinaï, vt accuratè traditur *Exodi cap.*24. *vers.*12. referturque apud Iosue *cap.* 1. *vers.* 4. Malachiam *c.*4.*vers.*4.& ex Iacobo Saliano & Tornelio epitomauit Spondanus *in annal. sacris*, *dicto anno* 2544. *num.*44. Iudicialia & cæremonialia præcepta huius legis neminem obligarunt præter illum populum Iudaïcum: moralia verò, quatenus præcisè naturalia sunt, & hodie obligant, & olim omnes obligarunt. D.Basilius *in epist. ad Diodorum*, apud Balsamonem *pag.* 1019. Probant Grotius *lib.*1. *de iure belli, cap.*1. §.16. & in notis Tapia *lib.*4. *Caten. Moral. quæst.*27. *art.*7. *& sequenti*, non ex eo quod populo Iudaico per Dominum data fuerunt; imò quidquid maioris obligationis, aut pœnæ inde contraxerunt, cessauit cessante lege,vt docent Gordonus *vbi proximè*, Granados *in* 1. 2. *controu.*7.*de legibus, tract.*4. *disput.*5. *sect.*2.*ex numer.*12. sed ex sua natura, & quia continent præcepta, & iussiones conformes dictamini rationis naturalis, cuius moralia præcepta inter homines obscura erant, per consuetudinem peccandi; cùm ferè vniuersa caro corrupisset viam suam, extinxissetque rationis naturalis igniculos,qui excitant ad bene, & conformiter operandum. Quam etiam causam condendarum legum in Heroïbus cognouerunt Lucretius *lib.*5. *de natura rerum.* Horatius

*lib.*1.

lib.1. sermonum, satyra 3. Tacitus *lib.* 3. *annal.* Gratianus *in princip.* 4. *dist.* nullus tamen meliùs expressit quàm Cassianus *collat.*8. *cap.*23. vbi copiosè Alardus Gazeus. Quæ omnia præcepta moralia, vel expressè, vel tacitè reducuntur ad decem præcepta Decalogi, vt cum cura reduxit Angelicus Præceptor *dict. quæst.*100. *art.*3. 5. 6. & 7. Cætera verò iudicialia, œconomica, cæremonialia ad classes operosè reducit, & explicat vsque ad quæstionem 105. inclusiuè, vbi commentatores, & alij suprà laudati. Durauit hæc lex vetus vsque ad legis nouæ, seu gratiæ tempora; nam translato Sacerdotio, necesse fuit, vt legis translatio fieret, vt docuit Apostolus *in epist. ad Roman. cap.*6. 7. & 8. *ad Ephesios cap.*2. *ad Hebræos cap.*7. *versu* 12. ibi: *Translato Sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat.* Quæ verba referuntur *in cap. translatio, de constit.* vbi ea exponemus: docent Pater Suarez *lib.*9. *de legibus, cap.*10. & 11. Couar. *lib.*1. *variar. cap.*17. Moneta *de commutatione vltim. volunt.* 1. *part. cap.*3. Georgius Ambianas *ad Tertullianum de pudicitia, cap.*6. *observ.* 1. Pater Serlogus *tomo* 2. *in Cantica, in fine cap.*2. *vers.*3. Volduc. *de Ecclesia post legem, cap.*5. 8. & 9.

26. De lege gratiæ. Cessante igitur lege veteri, cœpit obligare lex noua, siue gratiæ, quæ variis nominibus appellatur à sanctis PP. Lex libertatis, ab Apostolo *ad Corinth. epist.*2. *cap.*3. Lex fidei, ab ipso *ad Romanos cap.*3. Spiritus vitæ, ibidem *cap.*8. Lex noua, à D. August. *tract.*65. *in Ioannem.* Notauit P. Suarez *lib.* 10. *de legibus, in principio*, ius diuinum nouum, siue legem Euangelicam propriè in rigoroso sensu esse, quod datum fuit per Christum D. immediatè ad finem supernaturalem hominum; conuenit enim in fine cum lege veteri, & magis communi, ex veriori sententia Theologorum, vt homines subdantur Deo, & illo fruantur. Differt verò ab ea secundùm rationem perfecti, & imperfecti, quia vetus, tanquam puerorum pædagogus erat. D. Paulus *in epist. ad Galatas, cap.*3. lex verò noua dicitur lex perfectionis, *ad Colossenses cap.*3. Rursus, quæ veteribus in vmbra accidebant, per aduentum, mortem, & resurrectionem Domini impleta fuerunt. Hæc & alia D. Thomas 1. 2. *quæstion.* 107. *art.*1. & 2. Itaque necesse est fateri in Christo potestatem legislatiuam, & præceptiuam, & de facto illâ vsum fuisse, esseque verum & diuinum legislatorem legis gratiæ, vt de fide definitum fuit *in Trident. sessione* 6. *canon.*2. contra Lutherum, & Bezam.

27. De potestate legislativa ecclesiæ. Quid hæc lex gratiæ determinasset, disco ab Angelico Præceptore *quæst.*108. *art.*1. & 2. in cuius corpore hæc verba scribit: *Sic igitur lex noua nulla alia exteriora opera determinare debuit, præcipiendo, vel prohibendo, nisi Sacramenta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis.* Ecce ad compendium sapienter, breuiterque redactam totam diuinam legem nouam. Dominus enim tantùm ordinauit tanquam legislator ea, per quæ in gratiam introducimur, & quæ sunt de necessitate medij, aut præcepti ad consequendam vitam æternam, vt præceptum de professenda fide, *Matthæi cap.* 10. Sacramenta, per quæ gratiam consequimur: in quantum verò obliget susceptio Sacramentorum, vide P. Salas *de legibus disput.* 24. *sectione* 1. ordinem ministrorum, instituendo duodecim Apostolos, septuaginta & duos discipulos; intimauitque, & ad perfectiorem statum reduxit præcepta moralia Decalogi, quæ omni statui & tempori communia, & necessaria sunt ad salutem: non tamen omnia iussit, vetauit, aut permisit, nec per illam legem à se latam ita in particulari Christus Dominus de omnibus, quæ ad spirituale Ecclesiæ regimen necessaria erant, prouidit; sed solùm quædam substantialia fundamenta huius spiritualis Reipublicæ instituit; reliqua verò disponenda commisit suis Apostolis, & eorum successoribus Ecclesiæ Pastoribus, quorum consilio & legibus institutam à se Ecclesiam regendam tradidit: tum vt suauiter, & modo hominibus congruo omnia ordinarentur: tum quia non poterant omnia in particulari ita statui, vt essent immutabilia. Hæc igitur determinatio fit per leges Ecclesiasticas, quæ ita necessariæ fuerunt in spirituali Republica, sicut ciuiles in temporali, vt probat Carolus Bouius *in præfat. ad constitut. Clement.* Alphonsus à Castro *aduersus hæreses verbo Ecclesia, hæresi* 3. Boëtius Epon. *tomo* 3. *quæst. heroicar. lib.*1. *de iure sacro, cap.*2. Rouselius *lib.*1. *hist. Pontif. iurisdict. cap.*3. Accedit, nam cùm Dominus ita se misisse Apostolos testetur apud Ioannem *cap.*20. *versu* 21. quemadmodum à Patre ipse missus fuerat; constet autem à Patre fuisse missum cum legislatoris officio, vt suprà probaui, & latè firmat Theophilus Raynaud. *tomo* 2. *tract. Christus legislator, cap.*7. *per totum*, necesse est Apostolos, & eorum successores eandem potestatem legislatiuam à Domino obtinuisse; hæc autem potestas legislatiua in vniuersali Ecclesia residet penes Pontificem, tanquam Christi Vicarium, & Diui Petri successorem, vt probat Michael Rouselius *lib.*1. *hist. Pontif. iurisdict. cap.*3. *per totum.*

28. Qvid ivs diuinvm. Vnde nemo ignorare potest quid sit ius diuinum, quo hodie vtimur ex lege gratiæ, nempe quod habemus à Christo Domino constitutum, extatque in nouo Testamento, vel per traditionem acceptum est, vt à Domino præceptum, & ordinatum. Marius Cutelius, multis relatis, quibus parcimus, *lib.*2. *de prisca & recenti Ecclesiæ libert. quæst.*1. *num.*6. Quod verò Apostoli statuerunt, & successores, Ecclesiasticum est, iuxta distinctionem D. Pauli *epist.*1. *ad Corinth. cap.*7. *Præcipio ego, non Dominus*: hoc est ecclesiasticum. *Præcipit Dominus, non ego*: hoc est diuinum. Molina *de iustit. & iur. tract.*1. *disput.*5. addendi sunt latè Sotus *eodem tract. lib.*2. *quæst.*7. & 8. *per totas*, & *quæst.*9. *art.*1. *vers.*4. *concluf.* Tapia *tomo* 1. *caten. moral. lib.*4. *quæst.* 28. *per totam*, Suarez *de legibus lib.* 10. *cap.*1. & 2. *per totum*, Salas *eodem tract. disput.*24. *sectione* 1. & 2. Azor 1. *tomo instit. moral. lib.*6. *cap.*2. & 59. Lessius *de iustitia lib.*2. *cap.*2. *dubio* 2. Auersa *in primam* 2. *quæst.*98. *sectione* 6. breuiter, & more historico Petrus Gregorius *lib.*1. *partit. Iuris Canonici, tit.*1. Marius Cutelius *dict. lib.*2. *quæst.*1. *num.*6. & alij, quos non moror. In lege autem Euangelica nullum continetur præceptum, quod non sit naturale, exceptis his, quæ pertinent ad fidem, & Sacramenta. D. Thomas 1. 2. *quæst.*108. *art.*1. Couarr. *de matrim.* 2. *part. cap.*6. §. 10. *num.*2. Barbosa *in cap. cùm esses, num.*3. *de testam.* Christus enim tantùm determinauit ea per quæ in gratiam introducimur, vt Sacramenta, & opera charitatis. D. Thomas vbi proximè, qui articulo sequenti docet cæremonialia præcepta, quæ pertinent ad exteriorem cultum Dei, & iudicialia, quæ referuntur ad proximum, non cadere sub præcepto nouæ legis, quia istæ determinationes non sunt secundùm se de necessitate interioris gratiæ, in qua lex consistit; idcircò humano arbitrio relicta fuisse, vnde *ad* 4. hæc verba adiecit: *Ad* 4. *dicendum,*

dum, quod iudicialia etiam secundùm se considerata non sunt de necessitate virtutis, quantum ad talem determinationem; sed solùm quantum ad communem rationem iustitiæ; & ideò iudicialia præcepta reliquit Dominus disponenda his qui curam aliorum erant habituri, vel spiritualem, vel temporalem. Ex veteri etiam testamento non potest deduci aliquam rem esse de iure diuino propriè, ex eo solùm quod ibi præcepta reperiatur, vel inde probetur per suppositionem aut relationem; quia translato Sacerdotio, necesse fuit, vt legis translatio fieret, ex D.Paulo *ad Hebræos cap.* 7. relato *in cap. translato*, 3. *de constit.* Ergo quod secundùm vetus tempus, legemque veterem fuit iuris diuini, cessauit per implementum legis ea cessante, vt post D. Thomam notant Soto latissimè *lib.*2. *de iustit. & iur. quæst.* 5. *vsque ad* 7. Tiraquellus *in præfat. de retract.* Cutellius *dict. lib.*2. *quæst.*1. *ex num.*1. Barbosa *in principio* 4. *dict.*

29. IVS CANONICVM DICITVR DIVINVM. Ius leges istas Ecclesiasticas complectens, aliquando appellatur Diuinum, frequentiùs Canonicum. Diuinum dicitur *in cap. de quibus*, 3.32. *dist. cap. suscipitis* 6. *dist.* 10. *cap. nimis* 30. *de iureiur. cap.*1. *de iuram. calum. cap. qualiter*, *el secundo*, *de accusat. cap. de diuersis* 2. *de priuileg. lib.*6. & aliis congestis à Tiber. Deciano *lib.*2. *tract. crimin. cap.* 18. *num.*1. & ita docuerunt Couarr. *in practicis cap.*31. *num.*2. *vers. tertia verò.* Petrus Gudelinus *de iure nouissimo*, *lib.*5. *cap.* 1. & *lib.*6. *cap.*1. Thomas Campegius *in tract. de resident. n.*7. qui inuenitur *tomo* 15. *tract. Doctorum*, *fol.*538. Marius Cutellius *de prisca immunit. Eccles. lib.*2. *quæst.*1. *num.*7. Canus *lib.*5. *de locis*, *cap.*5. *vers.*3. P.Salmeron *in Acta*, *tract.*61. & *in epist. ad Corinth. cap.*7. Suarez *lib.*1. *de legibus*, *cap.*3. *num.*20. Gregorius Martinez *in* 1.2. *quæst.*98. *art.*2. *vers. inter Catholicos*; P.Salas *lib.*2. *de legibus*, *disput.*22. *num.*2. Ratio huius nominis est, tum quia ex ipsis sacris litteris, tanquam ex veritatis diuinæ fontibus sacri Canones dimanarunt; tum quia authoritate & potestate à Christo Domino concessa, à Vicario eius, Ecclesiaque proferuntur, & in eius nomine statuuntur, *cap.* 15. *Actuum Apost. Visum est Spiritui sancto & nobis.* D.Paulus *epist.*1. *ad Corinth. cap.*14. *Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Illustrat Melchior Canus *lib.*2. *de locis*, *cap.* 16. Accedit quia de rebus ad Deum, eiusque cultum pertinentibus, statuitur in hoc iure; vt etiam diuinum accipitur *in* §. *nullius*, *Instit. de rer. diuis. leg. vt inter*, 13. aliàs finali, *Cod. de sacros. Eccles.* vbi Glossa verbo *diuinum*, quam sequuntur Marcus Lyclama *lib.*7. *membran. ecloga* 40. §. 1. Gudelinus *supra*, Cuiacius *lib.*15. *obseru. cap.*33. Georgius Obiratus *de princip. iur. cap.*7. *num.*7. hoc tamen nomen per analogiam datur; non quia propriè ius hoc sit diuinum; nec vllum lego apud Authores citatos testimonium, quod hanc sententiam ex terminis confirmet, nisi fortè illud Petri Cluniacensis Abbatis, D. Bernardo coætanei, *lib.*4. *epist.*28. quem laudat Salas. Ego verò non adij, verba sunt: *Diuina mandata diximus, non solùm ea, quæ per se ipsa diuinitus apparens in carne hominibus tradidit, aut ea, quæ per Apostolicos teneri constituit, siue illa, quæ ante susceptam carnem per Patriarchas, aut Prophetas mandauit: sed illa etiam, quæ per Apostolos Apostolici viri Apostolica vestigia secuti, vnanimiter in multorum Catholicorum consensu seruari præceperunt.*

30. IVRIS CANONICI ETYMON. Frequentiùs ius hoc appellatur Canonicum, vt *in cap. Nicæna*, 12. *dist.*31. *leg. omnis* 6. *l. priuilegia* 12. *Cod. de sacros. Eccles.* & aliis collectis à P.Franc. Valente *in concord. Iuris Pontif. cum Theolog. rat. in cap.*1. *dist.*3. diciturque à canone. Canon autem apud Græcos idem significat ac apud Latinos regula; sic dictus, quia ducit homines ad regulatè, rectèque viuendum. D. Isidorus *in cap. canon*, *dist.*3. vbi probarunt Turriscremat. Acuña, Barbosa & Ioannes Dartis. Turrianus *pro canonibus Apost. lib.*1. *cap.*16. & 27. Salas *de legibus disput.*1. *sect.*5. *num.*15. Azor *part.*3. *instit. lib.*1. *cap.*6. Gibalin. *tom.*1. *scient. can. lib.*1. *cap.*2. *per totum.* ideò artium præcepta, ad quæ veluti ad certæ normæ artis rationes referuntur, canones appellantur. Sic Plinius *lib.*34. *cap.*8. tabellam Polieleti, quam pictores sibi imitandam proponebant, Canonem Polieleti appellauit. Inde etiam tributum, siue anniuersaria pensitatio, quæ à Prouincialibus quotannis Populo Romano pendebatur, canon appellabatur, vt constat ex titulis tam Codicis Iustinianei, quàm Theodosiani, *de canone frumentario vrbis Romanæ: de canone frumentario Constantinop.* & *ex l.*1. *Cod. de prædiis tamiacis, lib.*11. *l.*1. *C. Theodos. de indictionibus*, *leg.*3. *eodem*, *C. sine censu vel reliquiis*, *l.*11. *tit.*1. *lib.*10. *legum Vvisigoth.* Asconio 4. *in Verrem: Omne genus pensitationis in hoc capite positum, canonis, oblationis & indictionis.* Sidonio *lib.*6. *cap.* 10. *Debitum glebæ canonem non petatis.* Cælio Rodigin. *lib.*5. *antiq. lection. cap.*11. notarunt Brissonius & alij Lexicographi verbo *Canon.* Pancirola *lib.*2. *variar. cap.*247. Petrus Greg. *lib.*3. *syntag. cap.*5. & *lib.*1. *partit. tit.*2. *cap.*1. Cæsar Bulengerus *de Imperatore lib.*6. *cap.*11. vel quia regula maximè in tributis seruari debet, vt doctè, & eruditè probat Solorzanus *Regio-polit. emblem.*82. vel quia eorum exactio iuxta regulam & consuetudinem facienda est, vt explicat eruditus collega noster D.Franciscus de Amaya *ad titulum Cod. de canone largit. lib.*10. *num.*1. Etiam pro aliis pensitationibus canon accipitur *in l. finali*, §. *sin autem*, *Cod. de iure emphyt. cap. potuit*, *de locato*; vnde occasionem sumit Canonicos arguendi Vvolkuinus Abbas *homilia de Ziazania*, docendo eos non à canone vitæ dici canonicos, sed à canone pecuniæ, & pensionis, quam percipiunt. *Rara*, ait, *auis in terra hodie, Canonicus à canone vitæ; vnde ergo? audi vnde: est namque canon vitæ, vt dictum est; & est canon pecuniæ, videlicet alicuius pensionis certæ: vnde solet dici, solue mihi canonem meum, id est pensionem meam, hoc est statutam pecuniam meam. Eia ergo, ô Canonice! inueniamus canonem tuum, à quo deriuaris; id est à canone pecuniæ, non à canone vitæ; à canone regionis, non à canone religionis.* In eodem sensu canonem pro regula apposuerunt Cicero *ad Tyronem lib.*16. *epist.*19. *Heus tu, qui canon esse meorum soles scriptorum.* Et *in Pancratio*, saltandi mensura, siue regula, canon dicebatur. Cælius Rodigin. *lib.*13. *antiq. lection. cap.*30. ex Iulio Polluce notauit Petrus Faber *lib.*2. *Agon. cap.*1. Canon etiam accipitur pro charta illa, quâ omnium clericorum nomina descripta legebantur, vt in canone 2. Concilij Antiocheni; *Ex Episcopis*, *Presbyteris*, *vel Diaconis*, *vel quemvis ex canone:* canone 16. & 17. Synod. Nicænæ, obseruauit Albaspinus *in notis ad d. can.* 2. Cùm ergo canon apud nos sumatur pro regula, à Græcis denominatione acceptâ, rectè à fidelibus illæ regulæ, quas ipsis pro legibus Apostoli, & eius successores tradiderunt ad veram iusti, & iniusti scientiam, Canones appellantur, & ius ex eis conflatum Canonicum dicitur; quâ significa-

tione aptiſſimè vtitur D. Paulus *ad Philip. 3. ad Galatas 6. & 2. ad Corinth. cap. 10.* vbi enim in Vulgata Latina habetur, *vt in eadem permaneamus regula*; Græca verba ad litteram vertes, *vt eodem dirigamur canone*. Sed & D. Petrus, vt eſt apud Clement. *epiſt. 1. ad Iacobum*: *Canones*, inquit, *Eccleſiæ deligendo, & ſoluendo rectè nouit*. Quod ideò libentiùs refero, quòd hæretici noſtri temporis impudenter aſſeuerant, in hac ſignificatione canones noſtros aſſumi, recentiorum eſſe commentum, cùm ex proximè traditis conſtet, ab ipſo Apoſtolorum tempore receptam eſſe hanc vocem in hac ſignificatione. Et hæc de iure naturali, gentium, ciuili & canonico præiacienda neceſſarium duxi. Vnde conſtat, quod cùm homo quadrupliciter conſiderari poſſit, videlicet in genere, vt animal; aut in ſua ſpecie, id eſt, vt homo, vel vt ſubditus Romano Imperio, vel denique vt ſubiectus Eccleſiæ Romanæ; ſi primo modo conſideretur, vtitur iure naturali; ſi ſecundo, vtitur iure gentium; ſi tertio, vtitur iure ciuili; ſi quarto modo ſpectetur homo, vtitur iure Canonico, reguliſque Eccleſiaſticis. Itaque ius hoc alia omnia iura, eorumque fines, ac qualitates conſiderat, complectitur, ac dirigit, atque perficit; & in ſumma eatenus modificat, vt æternæ ſalutis diſpendium afferri minimè patiatur; indeque patet differentia, quæ verſatur inter finem iuris ciuilis, & canonici; quia licèt vtrumque ius intendat inducere homines ad bonum commune, differunt tamen in modo inducendi: nam ius ciuile intendit hominem inducere in bonum commune, ſecundùm quod congruit humanæ ſocietati ciuiliter, ac temporaliter viuenti, eaque ratione ad finem ſuum promoueri poteſt per legalem iuſtitiam, & amicitiam ciuilem. Ius verò canonicum intendit dirigere hominem ad bonum commune, ſecundum quod congruit humanæ ſocietati, non ſolùm ciuiliter, ſed etiam chriſtianè viuenti, & vitam aliam æternam expectanti; quem finem non poſſunt homines aſſequi per ſolam legalem iuſtitiam, & amicitiam ciuilem.

31. PRIMVM CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM.

Sacri Canones initium habuerunt poſt Chriſti ad cœlos aſcenſionem, ipſis temporibus Apoſtolorum, dum illi varia Concilia congregarunt ad Eccleſiæ regimen, veramque & catholicam doctrinam adſtruendam, vt diuinum cultum ſtatuerent & Euangelicas leges ſtabilirent. Primum referunt Gloſſa ordinaria *in cap. 1. Actorum Apoſtolorum*, Baronius *anno 34. n. 236.* Hincmarus Rhemenſis *in opuſc. 55. capitulorum, cap. 44.* Aloix *ad vitas SS. Eccleſiæ Orient. in principio, fol. 21.* celebratum eſſe cùm Apoſtoli conuenerunt in domo Mariæ Matris Ioannis, vt eligerent duodecimum Apoſtolum loco Iudæ proditoris. Cùm enim ibi oraſſent, ſtatuerunt duos; Ioſephum, qui vocabatur Barnabas; & Mathiam: dederuntque ſortes, & cecidit ſors ſuper Mathiam, enumeratuſque eſt cum Apoſtolis vndecim. Narrant huius Concilij hiſtoriam D. Lucas *in Actibus à ſe euulgatis, cap. 1. verſ. 26.* & ibi Chryſoſtomus Alexandrinus, & Oecumenius; Dionyſius *de Eccleſiaſt. hierar. cap. 5. lib. 3.* D. Clemens *lib. 8. conſtit. cap. 5.* relatus *in cap. 2. 26. quæſt. 2.* & ex eis Baronius *vbi ſuprà*, Binius & Corjolanus *in notis ad ipſum Concil.* Caballutius *in notitia Concil. in princip.* Quid tamen per ſortes in eo intelligatur, & an electio eccleſiaſtica ſorte fieri poſſit, latiùs exponemus *in cap. finali, de ſortilegiis.*

32. Secundum Hieroſolymitanum Concilium eodem anno & loco habitum eſt ante martyrium Sancti Stephani: & refertur *Actuum Apoſt. cap. 6.* Creſcente enim numero fidelium, ortum eſt murmur Græcorum, hoc eſt diſcipulorum, qui ex Iudæis conuerſi, in Græcia commorabantur, aduersùs Hebræos Palæſtinam habitantes, eo quod deſpicerentur viduæ eorum in miniſterio quotidiano, videlicet in ſeruitio menſarum communium, vbi propoſitæ erant. Placuit ergo, cùm æquum non eſſet Apoſtolos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare menſis, vt eligerentur ſeptem Diaconi, quibus manus impoſuerunt, id eſt eos ordinarunt, vt exponunt Patres Concilij Neocæſareenſis, relati *in cap. Diaconi, 12. diſt. 93.* Aquiſgranenſis *can. 7.* Dionyſius *de Eccleſiaſt. hierar. cap. 3.* Cyprianus *lib. 2. epiſt. 65. ad Rogatianum. Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos Apoſtolos ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros.* D. Iſidorus *lib. 2. de eccleſiaſticis officiis, cap. 8.* ex his & aliis Eccleſiæ Patribus notarunt Salmeron & Cornelius à Lapide *in dicto cap. 6. Actorum*, Seuerinus Binius & Corjolanus *in dicto Concilio Hieroſolymitano.* Baronius *anno 39. n. 243. & anno 35. n. 1. & anno 224. n. 7. & anno 57. n. 31. & anno 112. n final.* Aloix *vbi ſuprà*, Rabanus Maurus *lib. 1. inſtit. cap. 7.* Per manus enim impoſitionem Diaconi ordinantur. Concilium Carthag. 4. *cap. 1. de ſacram. non iterand.* vbi latiùs probabimus. Franciſcus Hallerius *de ſacris electi on. 2. p. ſection. 2. cap. 1.* Bellarm. *de Sacram. Ordinis lib. 1. cap. 6.* Iodocus Coccius *lib. 8. theſauri fidei Cathol. art. 3.* Ioſephus Vicecomes *de Miſſæ ritibus vol. 3. lib. 1. cap. 16.* Faceſſat ergo ſententia exiſtimantium Diaconos ab Apoſtolis tantùm menſis communibus, non etiam miniſterio altaris fuiſſe præfectos, vt docuerunt Sebaſt. Cæſar *de Eccleſiaſt. hierar. diſput. 9. §. 1.* ex Theologis Lindanus *lib. 4. Panopliæ, cap. 9.* Medina *lib. 2. de continent. cap. 26.* Gab. Vaſquez *3. p. in 3. partem, diſput. 236. cap. 4.* Nam hæc ſententia refellitur primò ex forma præſcripta electioni Diaconorum; quid enim ad cibaria curanda, eſculenta ad menſas deferenda, opus fuit miniſtris tam accuratâ ſolicitudine electis, tam ſacris ritibus initiatis, vt notauit Caballutius *in notis ad hoc Concilium.* Secundò ex effectibus ipſius electionis; ſtatim enim poſt hanc ordinationem ex eis Stephanus cœpit prædicare, *dicto cap. 6. Actuum*: quod munus Diaconorum eſt, *cap. perlectis, §. ad Diaconum, 25. diſt.* probant Ferrarius *de ritu concionandi lib. 2. cap. 2.* Claudius Eſpenceus *ad epiſt. D. Pauli, lib. 1. digreſſionum, cap. 5.* & nos *in cap. inter cætera, de officio Ordin.*

SECVNDVM CONCILIVM APOSTOLORVM.

33. VARIA DIACONORVM MVNIA.

Initiati autem fuerunt in dicto Concilio Hieroſolymitano ſecundo Diaconi ab Apoſtolis, vt miniſtrarent menſis, tam communibus, quàm ſacris: communibus non vt cæteris fidelibus laicis accumbentibus ipſi quæ ad cibum, potumque pertinent, deferrent; ſed vt eleemoſynas inter egenos pro ſingulorum neceſſitatibus diuiderent, & hoc munus etiam ſequentibus ſæculis Diaconos obiiſſe in Eccleſia teſtantur D. Hieronymus *in Ezechielem cap. 48.* D. Ambroſius *de officiis Eccleſiaſticis cap. vlt.* S. Leo *ſerm. de S. Laurentio*; patetque ex actis Sanctorum Cyriaci, & Smaragdi. Quamplura in hac parte congeſſerunt Baronius *dicto anno 34.* Vaſquez *diſput. 236. cap. 6. n. 69.* Eſpenceus *dicto lib. 1. digreſſionum, cap. 4.* Menſis ſacris, id eſt altaribus, vt Apoſtolis ſacrificantibus miniſtrarent. Vnde in Eccleſia vſus inoleuit, vt Sacerdotibus ſacrificantibus omnia diſponerent,

ponerent, id eſt locum, in quo offerendum eſt ſacrificium, necnon Hoſtiam, & Calicem præpararent, atque illis miniſtrantibus adeſſent, *cap. perlectis, §. ad Diaconum, 25. diſt.* Concilium Aquiſgran. *can.7.* D. Ambroſius *lib.1. de officiis, cap.41.* vbi ita introducit B.Laurentium Diaconum alloquentem ſanctum Sixtum Pontificem: *Quò pergis ſine filio Pater? quo Sacerdos ſancte ſine Diacono?* D.Clemens *lib.8. conſtit. cap.34.* Amalarius Fortunatus *de Eccleſiaſt. officiis lib.1. cap.12.* imò conſtituti etiam fuerunt Diaconi, vt Euchariſtiam, ſi Preſbyter abfuiſſet, diſpenſarent, *c. Diaconis 13. cap. præſente 18. diſt.93. cap. Preſbyteros 32. diſt.50.* vbi loco illorum verborum, *Calicem offerant*, legendum eſt, *calicem deferant*, vt notauit Morinus *lib.2. exercit. cap.12. cap. nullus 10. quæſt.1.* Concilium Nicænum *can.14.* Vaſenſe 2. *can.2.* plura Ant. Aug. *in epitome Iuris Can. lib.7. tit.2.* Lantdmeter. *lib.2. de veteri clerico, cap.75.* Bulengerus *diatribe 3. in c.51. Caſauboni, fol.227.* Azor *tomo 1. inſtit. lib.10. c.13.* & Calicem ſanguinis Domini, vigente conſuetudine communicandi ſub vtraque ſpecie, miniſtrarent, Concilium Aquiſgranenſe *can.7.* Carthag.4. *can.38.* D. Clemens *epiſt.2.* ad Iacobum. D. Cyprianus *ſerm.5. de lapſis.* Arator *lib.1.* Hiſtoria Apoſtolica *ibi:*

Vera miniſterij ſacris Altaribus apti
In ſeptis ſequere viros, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet, quàm ſplendida cœpit
Eccleſia fulgere, munus, quà pocula vitæ
Miſceat, & corpus cum ſanguine porrigat Agni.

Latiùs illuſtrat Cerda *in aduerſariis cap.94.* Pamelius *ad epiſt.65. D. Cypriani*, Cæſar *dict. diſput.9. §.2.* Eſpenceus *vbi ſuprà*, Ioſephus Vicecomes *de antiquis Miſſæ ritibus volum.3. lib.1. cap.16.* Etiam initiati fuerunt vt legerent publicè in Eccleſia Euangelium. Concilium Rhemenſe *can.5.* Vaſenſe ſub Leone I. *can.4.* Probant Fortunatus *lib.2. de Eccleſiaſt. officiis, cap.12. & 18.* Guillelmus Durandus *in rat. diuin. officij, lib.5. cap.5. num.10.* & finito Euangelio eiicerent energumenos, catechumenos, & hæreticos ab Eccleſia. D. Auguſt. *ſermone 237. ad menſam*, Concilium Laodicenſe *can.19.* D.Clemens *lib.8. conſtit. cap.8. & 9.* Rabanus Maurus *lib.1. inſtit. cap.32.* Plura obſeruant Ferrara de antiquo concionandi ritu *lib.2. cap.3. & 43.* Vicecomes *vbi proximè lib.1. cap.5. & lib.2. de Baptiſmi ritibus, cap.10.* Durantius *lib.2. de ritibus, cap.1.* Corjolanus *in Breuiario, anno 423. fol.135.* Briſſonius *in l. die dominico, fol.129. Cod. de ſpectaculis*, Loayſa *in notis ad can.1. Concilij Valentini*, Lantdmeter. *dicto lib.2. cap.81.* etiam vt ex delegatione Epiſcoporum baptizarent ſolenniter, *cap. Diaconos, 93. diſt.* & habetur in Pontificali Romano, Titulo *de ordinatione Diaconorum.* Tertullianus de Baptiſmo. *Ius dandi Baptiſmum Summus Sacerdos habet; dehinc etiam Preſbyter, Diaconus:* dicemus *in cap.1. de clerico non ordin.* vt publicè pœnitentes reconciliarent. Cyprianus *epiſt.13.* Concilium Illiber. *can.32.* vbi notaui, *& in cap.2. de furtis*, Albaſpinus *lib.2. obſeru. cap.33.* aliaque munia obirent, quæ enumerant Doctores ſuprà laudati, & Quintanaduenas *lib.4. Eccleſiaſticon*, Zerda *in aduerſariis, c.34.* Pamelius *ad D. Cyprianum, epiſt.65.* Ambianas *ad Tertullianum, de fuga cap.11. obſ.2.* aliique de Hierarchia Eccleſiaſtica agentes.

34. TERTIVM CONCILIVM

Tertium Concilium (vbi plena Synodorum forma tradita fuit) celebrarunt Apoſtoli Hieroſolymis, anno Chriſti 51. Claudij Imperij 9. &

refertur *Actuum Apoſt. cap.15.* meminerunt eius Synodi Apoſt. *ad Galatas cap.2.* Patres Concilij Generalis 5. in definitione contra alia capitula. HIEROSOLYMITANVM.

Ad memoriam Vigilij Papæ perduximus magna illa Apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones: licet enim Spiritus ſancti gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, vt non indigerent alieno conſilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod mouebatur, ſi oporteret Gentes circuncidi, definire priuſquam communiter congregati diuinarum Scripturarum teſtimoniis vnuſquiſque ſua dicta confirmarent, vnde de eo communiter ſententiam protulerunt, ad Gentes ſcribentes: Viſum eſt, &c. SS. PP. & Theologi poſitiui *in dict. cap.15. Actuum.* Binius & Corjolanus *in notis ad idem Concilium*, Baronius *anno 51.* Ioannes Dartis *in cap.1. diſt.15.* Cabaſſutius *vbi ſuprà.* Anſam huic Concilio dederunt Iudæi fideles, prædicantes, Gentiles ad Chriſtum accedentes non poſſe ſaluari niſi per circumciſionem ſecundùm legem Moyſis; quorum anteſignanum fuiſſe Cerinthum hæreſiarcham, tradit Epiphanius *hæreſi 28.* Huius controuerſiæ definiendæ causâ cum Preſbyteris & plebe Chriſtiana Apoſtoli per orbem terrarum latè diffuſſi Hieroſolymis conuenerunt, vbi interfuerunt Apoſtoli tanquam legiſlatores, & Iudices; plebs autem, vt leges ab eis latas ſuſciperet. Poſt huius cauſæ diſceptationem, ſuffragio Apoſtolorum ſtatutum fuit, neminem Chriſtianorum lege circumciſionis, vel alia cæremoniali Iudaïca teneri, in hæc verba: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Sed in eorum paraphraſtica expoſitione parumper ſubſiſtamus.

35. EXPOSITIO REGLATI CONCILII PARAPHRASTICA.

Aiunt Apoſtoli, *viſum eſt*; & in eodem capite, *placuit vobis:* verba ad ſolennem pronunciandi formulam, tam in comitiis eccleſiaſticis, quàm in iudiciis, & Senatuſconſultis valde vſitata. Synodus Epheſina *can.3. & 4.* Concilium Salegutad. *can.3. Ita viſum eſt.* Capitulum *fures 2. de furtis: Viſum eſt pro eis non eſſe orandum.* Concilium Carthag. *1. can.1. & 10.* Africanum *can.58. & 59.* paſſim in Conciliis Hiſpaniæ, præcipuè Illiberitano, Toletano 1. & Barchinonenſi. Mendoza *lib 2. pro confirmando Concilio, cap.2.* In iudiciis etiam obſeruatam fuiſſe, probatur ex Mar. Tullio *Verrina 2. Cùm iſte pronunciat Sithenicum, litteras publicas eò rupiſſe videri.* Aſconius *in argumento Corneliane. Senatus decreuit ſatisfactum videri.* Ex his & aliis probant Fornerius, Gentilis, & Cuiacius *in l.2. ff. de verbor. ſignific.* idem Cui. *lib.3. obſeru. c.26.* Sabarus *ad Sidonium lib.3. epiſt.12.* verbo *videri.* Marranus *de æquitate cap.1. fol.51. Spiritui ſancto & nobis*, rectè; nam cùm Eccleſiæ gubernatio per Spiritum ſanctum peragatur, vt docet S. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap.16.* in Conciliiſque, præcipuè Eccleſiaſticis, inueniatur, vbi coniuncti maiorem gratiæ plenitudinem obtinent, quàm ſinguli, iuxta promiſſionem à Chriſto factam apud Matthæum *cap.18. Vbi ſunt enim duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum:* qua authoritate ad adſtruendam Conciliorum authoritatem, & probandam eorum infallibilitatem vtuntur Patres Concilij Chalcedonenſis ſub Leone Papa *poſt medium, actione 3.* Synodus 6. contra Monoth. *actione 17.* Vnde quæ in Conciliis ſtatuuntur, dicuntur à Deo ſtatuta, *cap. igiur 5.25. quæſt. 2.* Spiritu ſancto cum Angelis præeunte, Concilium Arelat. *in epiſtola ſynodica ad Sylueſtrum:*

alia cumulant Boëtius Epon. *lib. 1. de iure ſacro, tomo 3. quæſtionum c. 3. num. 223.* Dartis *in c. 1. 15. diſt.* Corjolan. *de origin. Concil. Nihil vltra imponere vobis*, proſequuntur Apoſtoli. Conſtat ergo huius Concilij Apoſtolici veram fuiſſe definitionem. Quare B. Lucas præceptum illud appellat ibi, & *cap. ſequenti* Apoſtoli ipſi, *in canone 62.* D. Ioannes Chryſoſtomus *homil. 33. in Matthæum*, ibi: *Vides breuem epiſtolam, nec epichiremata, atque ſyllogiſmos habentem; ſed in pretium, erit enim legiſlatio ſpiritus.* Tria tamen à Gentibus non obſeruata, in lege autem Moſaïca præſcripta, adhuc à fidelibus eſſe cuſtodienda, docent Apoſtoli. *Quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum*; id eſt idolothytis, ſiue rebus idolis immolatis, tanquam à contaminationibus; idolothytum enim eſt idolo datum, vel immolatum. Origenes *in epiſt. 1. ad Romanos.* Suidas *verbo Aliis geminatos.* Quod præceptum ſequentibus ſæculis Eccleſiæ variis Conciliorum canonibus, & Sanctorum Patrum decretis confirmatum fuit; ſemper enim valdè execranda fuerunt idolothyta. D. Chryſoſtomus *ad D. Paulum 1. ad Corinthios, cap. 8. & 9.* Iuſtinus *in dialogo cum Tryphone*, vbi ait; *Eos qui comedunt idolothyta, eſſe ſeductores, non verò Chriſtianos.* Et in Concilio Ancyrano *can. 4. & 5.* puniuntur variis pœnis: in Concilioque Aurelian. *2. can. 20.* à communione fidelium ſuſpenduntur, & pœnitentiæ tempus exſoluere coguntur: in Concilio Rhemenſi *in can. 14.* idem docetur *in epiſt. D. Baſilij ad Amphiloch. cap. 8.* & in Concilio Illiber. *can. 4.* ſtatuitur ne quod idolis datum eſt, Dominus ab œconomis acceptum ferat, vbi notaui: & *in cap. ſicut 32. q. 4.* D. Auguſt. docet, *ſatius eſſe mori fame, quàm idolothytis veſci.* Idolothytorum nomine intelligitur quidquid comeſtione, aut potabile idolo ſacrificatum, aut oblatum fuit in honorem idoli, quod poſteà manducare non licet, ne ita participantes videantur ipſius ſacrificij. Plura de idolothytis omninò arcendis cumularunt Thomas Hurtado *de vero Martyrio, reſol. 29. §. 4.* Dorleans *ad Tacitum lib. 1. fol. 291.* Mancinus *de triplici iure, cap. 95.* Dartis *in decreto, dicto cap. 1. 15. diſt.*

36. EXPLICATVR PRÆDICTVM CONCILIVM.

Secundum præceptum ab Apoſtolis in eodem Concilio impoſitum, continet abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato, quod repetitum inuenitur *in can. 67. Apoſtolorum*, apud D. Clementem *lib. 6. conſtitut. cap. 12.* Concilio Gangrenſi relato *in cap. ſi quis carnem, 30. diſt.* Arelat. *2. can. 2.* Synodo *6. cap. 67.* Vormatienſi *can. 65.* Nouella Leonis *58.* apud Burchard. *lib. 19 decreti, titulo de illicitis cibis, can. 61.* Codicis Eccleſiæ Africanæ; apud Gregorium III. *in pœnitentiali, cap. 29.* & aliis canonibus congeſtis ab Ant. Aug. *in epitome lib. 21. tit. 29.* & eius præcepti meminerunt Tertullianus *in Apolog.* Cyrillus *catecheſi 4.* Iuſtinus Martyr *in q. 45.* Greg. Nazian. *7. in ſermone in ſanctum Paſcha.* Sed hoc præceptum Moſaïcum eſſe nemo ambigit, *Deuteron.* enim *cap. 21. verſ. 16.* cauetur: *Tantummodo ſanguinem non comedetis, ſuper terram effundetis illum, inſtar aquæ.* Et *verſ. 23. Attende valde, vt non comedas ſanguinem, quia ſanguis eſt anima, & non manducabitur anima cum carnibus.* Et *Leuit. cap. 7. verſ. 27. Omnis anima, quæ edet ſanguinem, peribit.* Et *cap. 17. Omnis anima ex vobis non edet ſanguinem.* Et *Geneſis cap. 9. Verumtamen carnem in ſanguine animæ non comedetis.* Et *1. Regum cap. 14. verſ. 33.* Quomodo ergo in lege gratiæ obſeruari iubetur ab Apoſtolis, & Eccleſiæ Patribus hoc præceptum cæremoniale, præcipuè cùm ciborum delectus Chriſtianis vetitus ſit, vt probant Baronius *anno 179. n. 32.* & *anno 196. n. final.* & *anno 263. n. 25.* Turrianus *lib. 3. pro can. cap. 16.* & *lib. 8. cap. 6. & 7.* & de ſancto Quadrato refert Beda *in Martyr. 7. calend. Iun. Apud Athenas B. Quadrati Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum. Hic firmauit, vt nulla eſca à chriſtianis repudiaretur.*

Oppreſſus hac difficultate Irenæus *lib. 3. cap. 12.* eundem locum referens, prætermittit hoc præceptum de ſuffocato: eius loco addit illud præceptum: *Quod tibi fieri non vis, alteri non facias.* Tertullianus *de pudicitia cap. 12.* D. Cyprianus *lib. 3. ad Quiritium, in fine*, Pacianus *de pœnitentiis*, eundem locum abſque mentione ſuffocati expendunt, quaſi ab Apoſtolis tale præceptum non ſit appoſitum. Gaudentius *de Machabæis*, D. Aug. *lib. 32. contra Fauſtum, cap. 13.* exiſtimant ea verba adiecta eſſe per interpretationem præcepti de ſanguine. D. Ambroſius *in epiſt. ad Galatas, cap. 2.* aſſerit mandatum illud à Sophiſtis Græcorum fuiſſe additum. Sed cùm certum ſit, illa verba reperiri *Actuum Apoſt. cap. 15. verſ. 29.* & *cap. 21. verſ. 25.* & *in dict. can. 62. Apoſtol.* apud Græcos, ſicut apud Latinos; & ex ſequenti vſu Eccleſiæ ſatis conſtat, præceptum illud, tam in Græca, quàm in Latina Eccleſia receptum eſſe; hæc interpretatio ſuſtineri nequit. Alio modo huic difficultati ſatisfacere intendunt Corjolanus *in Breuiario, anno 50.* & *in ſumma, in dicto Concilio Hieroſolymitano*, vbi etiam Binius, & Baronius *anno 51.* Aloix *ad vitam S. Quadrati, cap. 5.* & *S. Irenæi cap. 5.* Balſamon *in can. 67. Synodi ſextæ*, Turrianus *pro Canonibus lib. 1. cap. 5.* aſſerunt enim præceptum illud abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato, ab Apoſtolis impoſitum fuiſſe, vt aliquo, licèt in ſe leuiſſimo, remanente vſu legalium, Iudæi, ac Gentiles in vnum Chriſtum lapidem angularem necterentur, vt ait D. Aug. contra Fauſtum *dict. cap. 13.* vt ſic faciliùs Chriſtianorum, Iudæorum, & Gentilium ſimul habitantium animi conglutinati, in vnum populum coaleſcerent: plerumque enim Eccleſia mitiùs longè ſe habet cum recenter conuerſis, quàm cum adultis in fide. Exempla extant *in cap. quædam 20. 35. q. 2.* & *in cap. fin. de diuortiis.* Poſtea verò ceſſante cauſa infirmitatis Iudæorum, præceptum illud exoleuiſſe, ſed non apud omnes nationes eodem tempore; apud Orientales vim eius remanſiſſe vſque ad explorationem Latinorum.

37. PROSEQVITVR EXPLICATIO.

Sed licèt hæc interpretatio vera ſit dicti Concilij Hieroſolymitani, tamen non adaptatur ſequentibus Eccleſiæ decretis, 6. Synodi. Concil. Arelat. & aliorum, quorum temporibus ratio à dictis Interpretibus allata ceſſauerat. Quare vt rectam interpretationem afferamus, ſciendum eſt, illis primis Eccleſiæ temporibus Gentiles frequenter incuſare, criminareque Chriſtianos, quia infantes occiderent, eorumque ſanguinem hauirent, eo quòd audiſſent in ſacrificio Miſſæ ſub ſpeciebus panis, & vini carnem edi, & ſanguinem ſumi; quod materialiter accipiebant de carne & ſanguine, veritate myſterij neglectâ. Sanctus Iuſtinus *in apolog. ad Antonium Pium*: *An & vos de nobis credidiſtis nos vorare homines.* Athenagoras *in legatione pro Chriſtianis*: *Tria nobis obiiciunt crimina, impietatem*, &c. Saluianus *de prouid. cap. 4. Siquidem initia ipſa noſtræ religionis non niſi à duobus maximè facinoribus oriri arbitrantur: primum ſcilicet homicidio; deinde, quod eſt homicidio grauius, inceſtu;*

ceſtu; ſed quod eſt ſceleratius inceſtu & homicidio, inceſtu matrum ſacroſanctarum, & homicidio innocentium pæruulorum, quos non occidi tantùm à chriſtianis, ſed & quod magis eſt abominandum, etiam vorari. Eorum, & aliorum hæreticorum impoſturas, & calumnias in hoc ineffabili Sacrificio referunt Baronius *anno* 120. *ibi*, Spondanus *num.*15. & *anno* 179. *num.*1. Theophilus Raynaud. *in oplotheca ſect.*2. *ſerie* 2. *cap.*1. Vicecomes *de Miſſæ ritibus lib.*1. *cap.* 18. Balduinus *de edictis pro Chriſtianis.* Vnde vt religionis chriſtianæ Patres ab omni crudelitatis ſuſpicione fideles alienos eſſe oſtenderent, cibum ſanguinis & ſuffocati prohibuerunt. Quæ interpretatio depromitur ex Tertulliano *in Apolog. cap.* 9. *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis, & morticiniis abſtinemus, ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto.* Minutio *in Octauio*: *Nobis homicidium nec videre fas eſt, neque audire; tantùm ab humano ſanguine cauemus, vt neque edulium pecorum in cibis ſanguinem nouerimus.* Eandem interpretationem ſuadet reſponſum Bibliæ martyris, relatum ab Euſebio *lib.*5. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.*1. Nicephoro Calixto *lib.*4. *cap.*17. Illa quippe cùm ob Chriſti confeſſionem in tormentis vrgeretur, vt aliquod aduersùs Chriſtianos vi coacta proderet, quaſi humanis carnibus veſcerentur, dixit: *Quomodo infantes ederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum ſanguine veſci licet.* Docent, & obſeruant Rodulphus Fornerius *lib.*2. *rerum quotid. cap. vlt.* Sauarus ad Sidonium *lib.*8. *epiſt.*11. *fol.*535. Barthius *lib.*13. *aduerſ. cap.*17. Iuſtel. *in notis ad canones Eccleſiæ vniuerſalis, fol.*175. Ceſſante autem cauſa huius prohibitionis, & præceptum ipſum ceſſauit, non quidem aliqua Eccleſiæ conſtitutione, ſed vſu tantùm, ceſſante ratione prohibitionis; idque ſerò admodum & difficulter, ſaltem vniuerſè: nam apud Græcos quidem generatim necdum ſublatam fuiſſe illam à ſanguine & ſuffocato abſtinendi legem, anno 1191. Theodoſij, Balſamonis verba, qui tum viuebat, *ad can.*63. *ſextæ Synodi*, innuunt, vbi ait: *Nota igitur canonem propter Latinos, qui ſuffocata indiſcriminatim comedunt.* Alia pro ipſius Concilij expoſitione adducunt Radulphus Fornerius *lib.*2 *rer. quotid. cap.*30. Victoria *in relect. de temper.* Theophilus Raynaud. *tomo* 17. *de religioſo loricato, fol.*203. & nos dabimus *in cap. tranſlato, de conſtit.*

38. QVARTVM CONCILIVM, ET ALII CONVENTVS APOSTOLORVM.

Ad propoſitum inſtitutum redeamus. Quartum Concilium ſanctorum etiam Apoſtolorum refertur in ipſorum actis *cap.*21. *verſ.*18. celebratumque fuit anno 58. circa feſtum Pentecoſtes, vt referunt Binius *in eo*, Baronius *anno* 58. *num.*118. adfuit D. Paulus cum Nazaræis votum exſoluentibus. In eo ſtatutum fuit, ne Iudæi credentes legalibus vti prohiberentur, dum duraret templum, figuraque veteris Synagogæ, vt illa paulatim cum honore ſepeliretur, non ſtatim vt impia & mortifera damnaretur; de quo latiùs agam *in cap. tranſlato, de conſtit.* etſi hoc Concilium propriè non fuiſſe, credat Cornelius *in dict. cap.*18. Præter hæc quatuor Concilia, alij etiam duo conuentus Apoſtolorum recenſentur in eorum actis. Primus habitus anno 44. vbi Symbolum, quod vocatur Apoſtolorum, compoſitum fuit, vt teſtantur D. Cyprianus *in expoſitione Symboli.* Rufinus *in eius præfatione.* D. Ambroſius *Sermone de ieiunio Eliæ*, & *epiſt.*1. *ad Syricium.* D. Clemens *epiſt.*1. Epiphanius *hæreſi* 71. D. Auguſt. *ſermone* 21. *de paſſione*, & *epiſt.*13. *ad Pulcheriam Auguſtam.* Symbolum appellatum fuit à *Sym*, & *Bolos*, quæ verba idem ſignificant ac *ſimul*, & *particula*: quaſi Apoſtoli ſimul vnuſquiſque particulam appoſuerint, vnde conuiuia ex ſymbolis dicuntur *in cap. non oportet* 4. 42. *diſt.* iuncta lectione Gentiani Herberi, & Harmenopuli, vbi quilibet partem confert. D. Hieronymus *in cap.* 23. *Prouerb.* in expoſitione illorum verborum, *Et dantes ſymbola*, ita ait: *Symbolum, græcum nomen eſt, & interpretatur collatio, cùm vnuſquiſque ſolet pro ſua parte cibos conferre ad veſcendum*: *cap. non oportet*, 44. *diſt.* Rufinus Preſbyter Aquileienſis *in expoſitione Symboli*, ad Laurentium Papam: *In vno loco poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue iſtud futuræ ſibi prædicationis indicium in vnum conferendo, quod ſentiebat vnuſquiſque, componunt; atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis, & iuſtiſſimis ex cauſis appellari voluerunt; ſymbolum enim Græcè, & indicium dici poteſt, & collatio; hoc eſt, quòd plures in vnum conferant. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in vnum conferendo, quod vnuſquiſque ſenſit.* Plura Salmaſius *ad ius Atticum cap.*3. Dorleans *ad Tacitum lib.*12. *fol.*42. Ramirez *in Pentecontarcho, cap.*11. Cochier *in face hiſtoriar. cap.*9. Adſtipulatur huic ſententiæ ſapiens Rex Alphonſus *in l.*1. *tit.*3. *partita* 1. *El Credo in Deum, que en latin llaman Symbolum, quiere tanto dezir como vocados, è eſto es porque cada vno de los Apoſtoles por ſi dijo ſu palabra cierta.* Quam autem partem quiſque appoſuiſſet, dixiſſetque, proſequitur idem Rex *in dict. l.*1. & referunt D. Auguſt. *ſerm.*115. Herrera *de origine Miſſæ lib.*2. *cap.*18. Vicecomes *de Miſſæ ritibus lib.*3. *cap.*13. Durantius *de ritibus lib.*2. *cap.*24. Menardus *ad D. Gregorium fol.*115. Hoc autem Symbolum Eccleſia adeò profeſſa eſt, & amplexa, vt in omnibus Conciliis conuenerit in initio illud recitare, vt patet ex Concilio Epheſino, Chalcedonenſi, Toletano 12. & aliis complurimis. Alius conuentus Apoſtolorum contigit cùm Deipara Virgo Maria vltimum diem clauſit, & in cælos aſſumpta eſt; tunc enim è longinquis orbis partibus diuinitùs vocati Apoſtoli, illuc conuenerunt, vt teſtes eſſent illius glorioſæ aſſumptionis. Ex Euſebio, Nicephoro, & Antonino referunt Baronius *anno* 48. Binius *tom.* 1. *Conciliorum. fol.*4. & hi, aliique Apoſtolorum conuentus non videntur ita Conciliorum mereri nomen, quemadmodum illa quatuor, quæ in ſacris litteris expreſſa ſunt.

39. SYNODVS ANTIOCHENA APOSTOLORVM.

Etiam pro comperto eſt apud omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, aliud Concilium Apoſtolos celebraſſe Antiochiæ ad ſedandas controuerſias illic exortas anno Chriſti 53. cuius Concilij meminerunt Innocentius I. *epiſt.* 18. *ad Alexandrum*, vbi de Eccleſia Antiochena agens, inquit: *Vbi & nomen accepit religio Chriſtiana*; & *quæ conuentum Apoſtolorum apud ſe celeberrimum meruit.* Concilium Nicænum 4. *act.*1. *In Antiochena Synodo Sanctorum Apoſtolorum dictum eſt.* Et eius canones inuentos à Pamphilo in bibliotheca Origenis referunt Turrianus *lib.*1. *aduerſus Magdeburgenſes, cap.*21. Binius *tom.* 1. *Conciliorum*, Corjolanus *pag.* 147. *in ſumma*, & *in breuiario fol.*16. Illud tamen ab omnibus iuſtè animaduertitur, quod *in can.* 8. ipſius Concilij ſtatutum fuit, videlicet imagines eſſe depingendas, & adorandas; vnde ſacrarum imaginum vſus commendatur, & antiquitas earum probatur contra Iconomachos, videlicet Leonem, Conſtantinum Copronymum,

Mahometum, Vviclephum, & Caluinum, qui non ſolùm imaginum vſum reprehendebant, verùm eas repertas abradebant, & comburebant, vt refert Caſtro aduersùs hæreſes, verbo *imago*. Bellarm. *tom.* 1. *controu. lib.* 2. *de imaginibus*, *cap.* 6. Prædictum canonem confirmarunt Synodus 5. generalis ſub Iuſt. Imperat. *collect.* 7. & 6. Synodus *can.* 82. Synodus Romana ſub Gregorio III. *anno* 733. Synodus Romana pro imaginum cultu celebrata ſub Stephano III. *anno* 788. 7. Synodus *actione* 4. 8. Synodus *paſſim*. Varia Conciliorum decreta, & Pontificum reſponſa in huius canonis confirmationem adducunt Iodocus Coccius *lib.* 7. *theſauri*, *per totum*. Bellarm. *ſuprà*, Sanderus & Mayolus *in tractatibus de imaginum veneratione*, Antonius Auguſt. *in epitome lib.* 16. *titulo* 16. Creſpetius *in ſumma*, *verbo Imaginum*, Vaſquez 3. *parte in* 3. *quæſt.* 75. *art.* 3. Turrianus *lib.* 4. *de dogmatibus*, Suarez *aduersùs Regem Angliæ*, *lib.* 2. *cap.* 10. & 11. Torreblanca *lib.* 1. *de iure ſpirituali*, Ambianas *ad Tertullianum de idololatria*, *cap.* 3. & 4. *obſ.* 1. Bulengerus *aduersùs Caſaubonem diatrib.* 1. Loayſa *in can.* 6. *Concilij Bracharenſis* 3. Baronius *anno* 57. & *anno* 110. *n.* 10. & *anno* 224. *n. vlt.* Nec huic Apoſtolico canoni aduerſatur textus *in can.* 36. *Concilij Illiberitani*, cuius interpretationem in eius notis adduxi, & videndi ſunt vltra Loayſam, proximè laudati, Binius, Mendoza, Corjolanus, Zerda *in aduerſariis cap.* 143. Hurtado *de Martyrio per peſtem*, *reſolut.* 34. *ſect.* 5.

40. De traditionibus Ecclesiasticis.

Iſtæ autem leges, & aliæ Apoſtolorum ſanctiones non ſtatim ſcriptæ fuerunt, imò tantùm in cordibus fidelium ſeruabantur vt traditiones Apoſtolicæ, ſicut aliæ traditiones Domini noſtri Iesv-Christi. Chryſoſt. *homilia* 4. *in epiſt.* 2. *ad Theſſalonicenſes*: *Vnde*, inquit, *perſpicuum eſt non omnia Apoſtolos tradidiſſe per epiſtolam*, *ſed multa etiam ſine ſcriptis*, & *ea quoque eſſe fide digna*: *quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam*. Expreſſiùs Epiphanius *hæreſi* 61. *Oportet traditione vti*, *quia non omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt*; *quandoquidem aliqua in ſcripturis*, *aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt*. Baſilius *ad Amphilochium cap.* 27. apud Balſamonem *pag.* 1035. *cap. cùm Marthæ*, *de celebratione Miſſarum*. Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *ſtromatum*: plura Baronius *anno* 52. Aiala *de eccleſiaſticis traditionibus*, *aſſertione* 2. Primis enim illis temporibus, cùm Eccleſia hæreticos non nouiſſet, traditionibus regebatur; nam vt ait Tertullianus *de anima cap.* 5. *Prior fuit anima*, *quàm littera*; & *ſermo prior*, *quàm liber*; & *prior ſenſus*, *quàm ſtylus*. Traditionibus obſeruabantur, ieiunium quadrageſimale, Sanctus Leo *ſerm.* 2. *de ieiunio*: ſuffragia pro Defunctis, D. Chryſoſt. *homil.* 60. *ad populum*: ritus aquæ benedictæ, Clemens *lib.* 7. *cap.* 29. Paſcha quotannis celebrandum, Euſeb. *lib.* 5. *hiſtor. cap.* 22. & 23. & alia quæ hîc enumerare ſuſcepti operis ratio non ſinit. Poſtea aliqua præcepta ſcribi cæperunt, & ſic Chriſtiana reſpublica, vt alia quælibet benè fundata, partim iure ſcripto, partim non ſcripto regebatur; quid enim eſt aliud traditio, niſi ius non ſcriptum? Cironius *ad titulum de Conſuetudine*. Vnde colligitur, quanti ponderis & authoritatis ſint Eccleſiæ traditiones, quas omni ariete moto Hæretici impugnant. Videndi ſunt pro earum defenſione Aiala *ſuprà*, Baronius *in apparatu*, *numero* 38. & *anno* 35. *numero* 13. *anno* 53. *n.* 3. & *anno* 57. *n.* 153. *anno* 109. *numero* 21. *anno* 118. *n.* 3. *anno* 145. *n.* 10. *anno* 165. *n.* 8. & *anno* 167. *n.* 13. Turrianus *lib.* 2. *pro canonibus Apoſtolorum*, *cap.* 16. Suarez *aduersùs Regem Angliæ lib.* 1. *cap.* 9. Viuar. *in apologia pro Flauio Dextro*, §. 2. Sauſay *in Panoplia Clericali*, *parte* 1. *lib.* 2. §. 2. Carrier *tomo* 2. *Digeſti fidei*, *titulo de traditionibus Eccleſiæ*: & nos agemus infrà *in titulo de conſuetudine*.

41. De canonibus Apostolorum.

Ex his traditionibus adhuc non ſcriptis, ab Apoſtolis tamen conditis, & ſtatutis, D. Clemens eorum coætaneus, ſancti Petri ſucceſſor, & diſcipulus, regulas, vulgò canones Apoſtolorum appellatas, græcè ſcripſit, & poſtea temporibus Iuſtini Imperatoris, Dionyſius, cognomento Exiguus, eaſdem latinè accuratè, & feliciter tranſtulit; & ſic ex traditionibus Apoſtolicis canones manaſſe ſancti Patres & Concilia exploratum haberi teſtantur. Baronius *anno* 102. Turrianus *integro libro pro canonibus Apoſtolorum*, Corjolanus, Binius, & Balſamon *in notis ad eoſdem canones*. Vnde audiendus non eſt Sophronius *in agone Petri & Pauli*, qui aſſerit in dicto Concilio 3. Hieroſolymitano conditos fuiſſe; nondum enim illis primis Eccleſiæ cunabulis tot cauſas emerſiſſe credi poteſt, vt tot legibus Eccleſia egeret. Nec rectiùs exiſtimauit Albaſpinus *lib.* 1. *obſ. cap.* 13. prædictos canones fuiſſe collectos ex variis Conciliis Eccleſiæ Orientalis, & dictos fuiſſe primò canones Apoſtolicos; etſi huius collectionis vſum maximè viguiſſe in Orientali Eccleſia poſt Concilium Nicænum probet Petrus Marcha *lib.* 3. *concord. cap.* 2.

42. De authoritate eorum.

Sed circa authoritatem iſtorum canonum non leuis hæſitatio eſt inter Theologos, ac Iuriſperitos. Omni authoritate carere, Magdeburgenſes impiè aſſeruerunt, pro quorum ſententia faciunt Gelaſius Pontifex *in cap. ſancta*, 15. *diſt.* vbi inter apocryphos libros enumerat canones Apoſtolorum. Zephirinus Pontifex relatus à Gratiano *in cap. ſexaginta*, 16. *diſt.* tantùm agnouit ſexaginta canones authenticos: & Leo Pontifex *in cap. Clementis* 3. *diſt.* 16. omnes apocryphos declarat, exceptis quinquaginta; & ita vt authenticos agnouerunt tantùm quinquaginta duos Michaël Rouſſelius *lib.* 1. *hiſtoriæ iuriſdict. Pontif. cap.* 46. Baronius *anno* 102. quinquaginta Antonius Auguſt. *de emendat. Gratiani dialogo* 6. & D. Iſidorus relatus *in cap.* 1. 16. *diſt.* ait: *Canones qui dicuntur Apoſtolorum*, *ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit*, *nec ſancti Patres illis aſſenſum præbuerunt*, *pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur*, *quamvis in eis vtilia inueniantur*, *tamen ab authoritate canonica*, *ac Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota*, *atque inter apocrypha deputata*. Verùm prædictos canones authenticos eſſe, tanquam ex Apoſtolicis traditionibus à Diuo Clemente collectos, docuerunt & probarunt vltra ſuprà relatos Acuña, Dartis, & Barboſa *in cap.* 1. *diſt.* 16. Couarr. *lib.* 4. *var. cap.* 17. *n.* 6. Poſſeuinus *in apparatu*, *tomo* 1. *verbo Apoſtolorum acta*. Bellarm. *tomo* 1. *controu. lib. de verbo Dei*, *cap.* 20. Grethſerus *in defenſ. Bellarm. tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 20. idem Bellarm. *de Script. Eccleſiaſt.* Canus *de locis lib.* 5. *cap.* 5. Pro ipſorum enim canonum authoritate faciunt textus *in cap. placuit* 4. *cap. quoniam* 16. *diſt.* vbi ab Eccleſia recipiuntur canones illi, & approbantur tanquam authentici. Faciunt etiam quamplura Conciliorum & Pontificum decreta, in quibus generaliter & ſpecialiter approbantur, & recenſentur. Generaliter approbarunt Teleſphorus *epiſt.* 1. *in princip.* Victor *epiſt.* 1. *poſt. princip.*

cip. Zephirinus *epist.* 1. *circa medium* , Fabianus *epist.* 1. *ante finem* , Nicolaus *ad consulta Bulgar. cap.* 72. Specialiter meminerunt Canonum primi & secundi Innocentius I. *epist. vnica ad Vitricum, cap.* 1. PP. Concil. Afric. *can.* 16. Canonis tertij Eutychianus Pontifex *epist.* 1. Canonis quarti textus *in cap.* 1. *de consec. dist.* 2. Canonis quinti Synodus Carthag. 2. *in canone* 2. *&* 3. Canonis sexti Concilium Nicænum primum *can.* 56. & Nicænum 2. *can.* 10. Canonis septimi Cyrillus *homilia* 10. Canonis octaui Anacletus Papa *epist.* 1. Canonum noni & decimi Concilium Antioch. *can.* 2. Brachar. 2. *can.* 83. Canonis vndecimi Concilium Nicænum 1. *can.* 5. capitulum *sicut Apostoli* 11. *quæst.* 3. duodecimi Canonis Innocentius I. *dict. epist. vnica, cap.* 8. Concilium Nicænum *can.* 15. & eius mentio fit *in epist. Constantini* , apud Eusebium *lib.* 3. *de vita Constant. cap.* 9. Canonum decimiquinti & decimisexti Synodus Antioch. *can.* 3. Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 4. Nicæna Synodus *can.* 15. Decimiseptimi Innocentius *dict. epist. ad Vitricum, can.* 6. caput *debitum, de bigamis.* Theodosius *in leg.* 3. *C. de summa Trinit.* Canonis decimioctaui Leo I. *epist.* 87. Constitutio 6. Iustini Imperatoris : Canonis vigesimi Clemens *epist.* 1. *in principio* , relatus *in cap.* 1. *de fideiussoribus* , Canonis vigesimiprimi Concilium Nicænum *can.* 1. Canonis vigesimisecundi Synodus 8. Constantinop. *can* 8. Canonis vigesimitertij & vigesimiquarti Synodus Africana *can.* 53. Canonum vigesimiquinti & vigesimisexti Synodus Romana sub Gregorio VII. *can.* 2. Leo Pontifex *epist.* 92. *ad Rusticum :* Canonis vigesimiseptimi *cap. quoniam* , 32. *dist.* D. Basilius *ad Amphiloch. cap.* 3. Canonis vigesimioctaui Synodus Africana *can.* 32. Canonis vigesiminoni Synodus Nicæna 2. *can.* 5. Canonis trigesimi Concilium Chalcedon. *can.* 12. Canonis trigesimiprimi Synodus Carthag. 2. *can.* 8. Athanasius *epist. ad Orthodoxos.* Canonis trigesimisecundi Concilium Nicænum *can.* 5. Canonis 33. Synodus Antioch. *can.* 6. Canonis trigesimiquarti Concilium Illiber. *can.* 24. Synodus Antioch. *can.* 9. Innocentius I. *dict. epist. vnica, cap.* 1. Canonum trigesimiquinti, & trigesimisexti Concilium Nicænum *can.* 6. *&* 23. Canonis trigesimiseptimi Concilium Antioch. *can.* 18. Innocentius *dicta epist. vnic.* Canonis trigesimioctaui Concilium Antioch. *canon.* 20. Innocentius I. *vbi suprà* , & Anacletus *epist.* 1. Canonis trigesiminoni Concilium Nicæn. 2. *can.* 12. Paris. 3. *lib.* 1. *cap.* 25. Canonis quadragesimi Concilium Chalcedon. *can.* 22. Canonis quadragesimiprimi caput *præcipimus,* 12. *q.* 1. quem canonem & antecedentem transcripsit Synodus Antioch. *in can.* 24. *&* 25. Canonis quadragesimisecundi & quadragesimitertij Synodus Constantinop. 6. *can.* 50. Canonis quadragesimiquarti Concilium Nicænum *can.* 18. caput *Episcopi , dist.* 41. 6. Synodus *can.* 10. Arelat. 2. *can.* 14. Aquisgran. 1. *can.* 40. Canonis quadragesimiquinti Concilium Nicænum *can.* 56. Canonum quadragesimisexti & quadragesimiseptimi Concilium Nicænum *can.* 19. Innocentius I. *dict. epist. ad Vitricum* : Canonis quadragesimioctaui caput *placuit* 32. *quæst.* 7. Canonis quadragesiminoni caput *multi , de consec. dist.* 4. Canonis quinquagesimi caput *si quis Episcopus, de consec. dist.* 4. Canonis quinquagesimiprimi Concilium Gangrens. *can.* 1. *&* 2. Canonis quinquagesimisecundi Dionysius *in epist. ad Demof.* Origenes *lib.* 3. *contra Celsum* : Canonis quinquagesimiquarti caput *nulli* , 44. *dist.* Canonum quinquagesimiquinti & quinquagesimisexti Cyprianus *epist.* 9. *ad Rogatianum,* caput *si quis* 15. *quæst.* 7. Canonis quinquagesimiseptimi Iustinianus *constitutione* 7. *ad Epiphanium* : Canonis quinquagesimioctaui caput *inferiorum , dist.* 86. Canonis quinquagesiminoni Basilius *ad Amphilochium can.* 27. Canonis sexagesimi Clemens *lib* 1. *constitutionum, cap.* 6. *&* 7. Canonis sexagesimiprimi Origenes *lib.* 8. dum Celso respondit. Canonis sexagesimisecundi Concilium Nicænum *can.* 10. Canonis sexagesimitertij tertia Synodus Hierosolymitana suprà adducta : Canonis sexagesimiquarti Aug. *in epist. ad Casidimum.* Canonem sexagesimumquintum esse appositicium docet Baronius *anno* 102. *num.* 15 ; sed posteà pro viribus eum vindicabimus. Canonis sexagesimioctaui meminit Concilium Nicænum 1. *can.* 19. Canonis sexagesiminoni Alexandrinus Martyr *ferm.* 15. Canonis septuagesimi Concilium Nicænum *can* 5. Canonis septuagesimiprimi & septuagesimisecundi Anacletus *epist.* 1. Canonis septuagesimitertij Alexander *epist.* 2. Canonis septuagesimiquarti Victor *epist.* 1. Synodus CP. sub Nectario. Canonis septuagesimiquinti Anacletus *epist.* 1. Damasus *epist.* 3. Canonis septuagesimisexti Concilium Antiochen. *canon.* 23. Canonis septuagesimiseptimi, & septuagesimioctaui Clemens *lib.* 2. *constitut. c.* 5. 6. *&* 9. Nicænum 2. *can.* 2. Canonis septuagesiminoni caput *clerici,* caput *communiter,* 33. *dist.* Canonis octogesimi Nicænum *can.* 2. Origenes *libro* 8. *contra Celsum;* Canonis octogesimiprimi Concilium Sardicense *canon.* 8. Ergo Canones prædicti Apostolorum, etsi non sint canonici , cùm non referantur in Concilio Trident. *sessione* 4. in decreto de libris canonicis ; authentici tamen sunt, vt docent, & defendunt Turrianus , & Barbosa *vbi suprà* , Ioannes Dartis *in cap.* 1 15. *dist.*

43. RESPONDETVR FVNDAMENTIS CONTRARIÆ SENTENTIÆ.

Nec obstant fundamenta contrariæ sententiæ. Non authoritas Gelasij, cui vt Glossa *in cap. Clemens, verb. Apocrypha,* 16. *dist.* satisfaciat, Gelasium appellare Canones Apostolorum apocryphos existimat , non quia de veritate eorum dubitetur, sed quia author eorum ignoratur : eam sequuntur Couarr. *lib.* 4. *variarum, cap.* 17. Albertinus *de agnoscendis libris, quæst.* 22. *num.* 51. sed licèt eam verbi apocryphi acceptionem inficiari non possim, tamen secundùm communem vsum loquendi, illa decreta in Ecclesia dicuntur apocrypha , quæ nullam authoritatem obtinent, vt ex D. August. *lib.* 5. *de ciuitate Dei , cap.* 23. notant ibi Viues , & Coqueus. Vnde prædictam refellunt solutionem Bellarm. *lib.* 1. *de verbo Dei, cap.* 20. Grethserus *vbi suprà , cap.* 20. Quare eâ omissâ , & aliâ P. Marchæ *lib.* 3. *concord. cap.* 2. veriùs dicendum est, Gelasium in eo textu agere non de his canonibus, sed de quodam libro canonum Apostolorum, qui confictus fuit, & suppositus à Priscillianistis, qui etiam multa alia sub Apostolorum nomine falsa ediderunt, vt probat Turrianus *dicto lib.* 1. *pro Canonibus , cap.* 15. Neque obstant textus *in dicto cap. sexaginta* : cui vt satisfaciamus, sciendum est, quod cùm dicti canones nó fuissent ab Apostolis scripti, sed tantùm traditi, diuersimodè fuerunt relati, & congesti ; quandoque enim vnus duas, aut tres sententias continebat ; vnde aliquando sub numero 50. approbantur in dicta epistola Clementis ; aliquando sub numero 60. cùm ad tot capita reducerentur : & octoginta quinque recensent Græci in collectionibus suis , iuxta definitionem Synodi Trull. *can.* 2. Theodoretus *in synop. Canonum,*

num, eundem numerum retinet: probat latè Turrianus *dict. lib.*1. *cap.* 23. vbi expendit canonem, qui in vulgata editione ponitur ordine 9. à Nicolao primum in ordine citari, & ſic de aliis; quare lectorem libenter moneo, vt ſi in authoritatibus proximo numero relatis, aliqua non conueniat ſuo canoni, legat antecedentem, aut ſequentem. Omnis enim hæc variatio prouenit ex diuerſitate editionum dictorum canonum. In Biblioth. Regis Chriſtianiſſimi extare veterem collectionem iſtorum canonum refert Fabrot. *ad tit: de vita & honeſt. Clericor.* vbi ſub nomine Facundi Hermianenſis referuntur hæc verba: *Sancti Domini Diſcipuli, & Apoſtoli* LXXXV. *Can. per Clementem ediderunt.* Probat P. Marcha *lib.*3. *concord. cap.*2. Apparet ergo prædictos Apoſtolorum canones authenticos eſſe, iuxta textum *in dicto cap. placuit*, rectéque circumferri in fine Decreti.

44. De legibvs Ecclesiasticis.

Sublatis ab hac luce Apoſtolis, & ad capeſſenda meritorum præmia in cœlum euectis, non ideò patrocinio firmo deſtituta eſt Eccleſia; nam pro patribus nati ſunt filij, vt ait Pſalmiſta *Pſalmo* 44. *verſ.*17. & B. Auguſt. explicauit: *Id eſt pro Apoſtolis Epiſcopi conſtituti fuerunt, qui ideò Apoſtolorum ſucceſſores dicuntur*, vt *cap. quanto, de conſuetudine*, notat Sauarus *ad Synodum lib.* 4. *epiſt.* 11. *verbo Antiſtites*; & aliquando Apoſtoli, Paulinus *epiſt. ad Alethum*, *cap. Dominus*, 93. *diſt.* & vice mutuâ Apoſtoli dicti ſunt Epiſcopi. Pſalmus 108. *Epiſcopatum eius accipiet alter*, id eſt Apoſtolatum, Caſſiodoro interprete: D. Ambroſius *ſermon.* 50. ibi: *Prodit Pſeudoepiſcopus Saluatorem*, id eſt Iudas. Plura Bignonius *in nobis ad Marculfum lib.* 1. *c.*11. Hallier *de inſtit. Epiſc. in principio*, ipſe *cap. quantò, de conſuetudine.* Illi ergo eorum veſtigiis inhærendo, doctrinam veram, quam ab eiſdem acceperunt, populo Chriſtiano tradiderunt, facem præferente ipſo Romano Pontifice, tam in Conciliis generalibus, prouincialibus, nationalibus, quàm in epiſtolis decretalibus ad diuerſas perſonas Eccleſiaſticas pro cauſarum diuerſitate miſſis. Certum enim eſt, Romanum Pontificem poſſe vniuerſali Eccleſiæ Catholicæ leges eccleſiaſticas indicere, vt eius caput, atque ſupremus Præſul; licèt in contrarium hæreticorum impia conſpiret caterua, dum ex omni hominum memoria ſacros canones delere conantur, quia apud omnes gentes ius conſtituendarum legum penes eos ſemper fuit, penes quos ſuprema Reipublicæ poteſtas eſt. Bodinus *lib.* 1. *de repub. cap.* 10. Sixtinus *de regalibus lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 8. Accedit, nam R. P. ab ipſo Chriſto poteſtatem habet, *cap. nouit, de iudiciis*, vbi Nauarrus, *cap. quamvis*, *diſt.*21. *cap.*1. *de tranſlatione Epiſcopi*: docent Turriſcremata *lib.*3. *de Eccleſia*, *cap.* 53. Salas *de legibus cap.* 7. *ſect.* 4. Suarez *eodem tract. lib.*3. *cap.*7. Bellarm. *lib.*4. *de Romano Pontifice*, *cap.*16. Diana 1. *parte tract.* 10. *reſol.*8. & *parte* 11. *tractatu vltimo, per totum*; Pontius de Leon. *ad Vvaramundum cap.*2. P. Marcha *p.*1. *concord. lib.*1. *c.*9. *per totum*. Quod iam à multis dilucidè explicatum inuenio, quare in re tritiſſima non licet lectorem diutiùs remorari. Similiter verum eſt, Archiepiſcopos, & Epiſcopos poſſe in ſuis Archiepiſcopatibus, & Diœceſibus leges promulgare, *cap.* 2. *de maioritate*, *& ob. cap.* 2. *de locato*, *cap. cùm omnes*, *cap. cùm acceſſiſſent*, *de conſtitutionibus*, *cap. Catholica* 11. *diſt. cap. nullus* 6. 3. *q.*4. *cap.*1 *de conſecratione*, *diſt.*3. Bertachinus *de Epiſcopo* 2. *parte*, *lib.* 4. Barb. *eodem tract.* 2. *parte*, *in compendio*, *numero* 49. ipſe *in cap.* 1. *de conſtit.* Eam tamen poteſtatem, an immediatè à Chriſto, vt R. Pontifex; an ab ipſo Pontifice habeant, latè pertractant Salas *vbi ſuprà*, *diſp.*8. *ſect.*4. Suarez vbi proximè *lib.* 4. *cap.*5. *&* 6. Layman *in ſumma, titulo de legibus*, *cap.*3. *per plures* §§. Illuſtriſſimus Tapia *tomo* 1. *catenæ*, *lib.*4. *de legibus, quæſt.*8. *art.*3. *&* 4.

45. De variis Conciliis.

Igitur adhuc primo ſæculo Eccleſiæ, & ſequentibus variæ fuerunt pro temporum opportunitate promulgatæ conſtitutiones, & epiſtolæ decretales; primò enim Clemens Pontifex ordine tertius, plures edidit conſtitutiones, quas referunt Carolus Bouius, & Seuerinus Binius *tomo* 1. *Conciliorum*: eas vt canonicas agnouerunt Athanaſius *in ſynopſi*, Ignatius Epiſcopus Antiochenus *in ſuis duodecim epiſtolis*, Epiphanius *hæreſi* 45. *&* 70. plura pro earum defenſione contra Magdeburgenſes, & alios Eccleſiæ hoſtes, qui omnem mouerunt arietem, vt primas Pontificum conſtitutiones euerterent, adduxerunt Baronius *anno* 101. Turrianus *integro libro pro epiſtolis Clementis.* Succeſſerunt aliæ decretales epiſtolæ Anacleti, Euariſti, Alexandri, & ſucceſſorum, variaque Concilia, vt Nicænum celebratum anno Chriſti 327. vbi Ariana perfidia condemnata fuit, & varij canones ſtatuti fuerunt, de quorum numero agit Cabaſſutius *in notitia Concil. diatriba de numero canonum*: deinde Conſtantinopolitanum anno 381. aduersùs Macedonium negantem Spiritus ſancti diuinitatem. Deinde Concilium Epheſinum anno 431. contra Neſtorium, duas perſonas in Chriſto aſſerentem. Chalcedonenſe anno 451. contra Eutycheten, qui tantùm in Chriſto vnam naturam agnoſcebat: de cuius Concilij authoritate agunt Bellarm. *lib.*2 *de Pontif. cap.*22. Petrus Marcha *lib.*3. *concord Sacerd. & Imper. cap.*3. Quinta Synodus generalis, ſeu Conſtantinop. 2. habita anno 553. contra eos, qui vnam tantùm voluntatem in Chriſto eſſe volebant. Sexta Synodus Conſtantinop. anno 660. aduersùs Monothelitas, cui Synodo vulgò tribuuntur canones Trullani, editi tempore Sergij Papæ, & Iuſtiniani Imperatoris, anno 692. vt *in cap. Iacobus* 46. *de conſec. diſt.*1. *cap. placuit* 4. *cap. habeo* 6. *cum ſequent.* 16. *diſt. cap. quoniam* 13. *diſt.* 31. *cap. ſi quis eorum*, 32. *diſt. cap. præcipimus*, 26. *diſt.* 93. *cap. ſi quis Epiſcopus*, 37. *q.*1. *cap. didicimus*, *de conſec. diſt.* 1. de quorum authoritate latè agunt Canus *lib.* 5. *de locis*, *cap. finali*, Baronius *anno* 892. Bellarm. *lib.*2. *de Rom. Pontif. cap.* 18. Turrianus *in opuſculo pro ipſa Synodo ſexta*, Poſſeuinus *in apparatu ſacro*, *verbo Trullanum*, & nos *in cap. à multis*, *de ætate & qualit.* Deinde ſeptima Synodus Conſtantinop. ſiue Nicæna 2. celebrata anno 787. ſub Adriano Papa, contra Iconomachos, qui ſacras Chriſti & Sanctorum imagines reſpuebant. Octaua Synodus, ſiue Contantinop. quarta, habita anno 869. ſub Adriano 2. aduersùs Photium intruſum, qui depoſitus fuit, & Ignatius reſtitutus. Plurima etiam nationalia, & prouincialia Concilia celebrata fuerunt, quæ nec per indicem referre breuitas huius Apparatus ſinit; ea congeſſerunt, & notis illuſtrarunt Seuerinus Binius, & Corjolanus. Hiſpaniæ noſtræ Concilia collegit doctus vir D. Garcias à Loayſa: Galliæ verò Pater Iacobus Sirmundus, & omnia viginti tomis collecta habemus ex editione Pariſienſi, iuſſu Chriſtianiſſimi Regis facta. Et licèt de quatuor tantùm prioribus Conciliis generalibus dicatur *in cap. ſicut*, 16. *diſt.*

diſt. & aliis authoritatibus congeſtis ab Antonio Auguſtino *in epit. iuris Pontif. lib. 5. tit.* 11. eandem fidem eſſe illis tribuendam, ac quatuor Euangeliis; non inde deducitur minoris authoritatis eſſe reliqua generalia Concilia ab Eccleſia approbata.

45. DE VARIIS CANONVM COLLECTIONIBVS.

Cùm iam plures fuiſſent Pontificum ſanctiones, & varia Concilia, tam generalia, quàm prouincialia reperirentur celebrata, fieri cœperunt variæ collectiones à doctiſſimis viris, tam latinè, quàm græcè, ad Eccleſiæ regimen, & Fidelium vtilitatem; quarum meminerunt Turriſcremata *ad princ. Decreti, n.* 25. Baronius *tom.* 7. *fol.* 137. Petrus Gregorius *lib.* 15. *ſyntag. cap.* 2. Antonius Auguſt. *lib.* 1. *de emendatione Gratiani, dialogo* 10. & *in princip. tomi* 2. *epitomes iuris Pontif.* Gibalin. *tom.* 2. *de ſcient. can. lib.* 5. *cap.* 10. *q. vnica*, Franc. Florens *diſſert.* 2. *cap.* 2. *in præfat. ad hunc librum*, & alij infrà referendi. Primus ergo (ita exiſtimo) collectionem veterum canonum fecit Dionyſius, patriâ Scytha, cognomento Exiguus, vir in diuinis Scripturis valde peritus, in ſæcularibus admodum eruditus; de quo Caſſiodorus *de diuinis Scripturis cap.* 22. ait: *Fuit noſtris temporibus Dionyſius Monachus, Scytha natione, ſed moribus omnino Romanus, in vtraque lingua valdè doctiſſimus, qui petitus à Stephano Epiſcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus canones Eccleſiaſticos compoſuit, quos hodie vſu celeberrimos Eccleſia Romana complectitur.* Trithemius *de viris illuſtribus lib.* 2. *cap.* 4. *verbo Dionyſius*: Otho Friſingenſis *lib.* 5. *chronici*, *cap.* 4. Bellarm. *de ſcriptoribus Eccleſiaſt. anno* 500. ille enim floruit temporibus Theodorici circa annum 527. Collectionem Canonum fecit Græcis in Latinum ſermonem tranſlatis, incipiens à Siricio vſque ad Hormiſdam; & ducentis & quinque articulis conſtat, quibus deinde addita fuerunt Gregorij ſecundi decreta, decem & ſeptem capitibus comprehenſa, vt notauit Petrus Marcha *lib.* 3. *concord. cap.* 3. Quam collectionem credo fuiſſe illam, quæ Codex Canonum appellatur à Nicolao *in cap. ſi Romanorum*, 19. *diſt.* & ex quo citatur textus *in cap.* 2. *de præbendis*, & approbatur in Concilio Bracharenſi 1. *can.* 18. Tolet. 4. *can.* 3. *cap. de libellis*, 20. *diſt.* à Iuſtiniano *in nouella* 131. Hunc codicem Canonum Adrianus primus Carolo Magno dono dedit circa annum 787. vt probat P. Sirmundus *tom.* 2. *Concil. Galliæ, ad annum* 787. Atque ſtatim Carolus Epiſcopos Galliæ admonuit, vt Canonum executioni inuigilarent, atque ipſa decretorum capita in capitulari Aquiſgranenſi dato anno 789. retulit. De hac collectione plura adduxerunt Iuſtelus *in præfatione ad ipſum Codicem Eccleſiæ vniuerſalis*, Cironius *ad tit. de conſtit.* Indicem huius Codicis refert Antonius Auguſt. *in epitome Iuris Pontif.* 2. *parte*, *in principio cap.* 21. Eodem ferè tempore Fulgentius Ferrandus, Diaconus Carthaginenſis, cuius mentio fit *in cap. ſacrorum*, 63. *diſt.* & meminit Cuiacius *in cap.* 1. *de cohabit. clericorum*, aliam collectionem elaborauit, diuerſo tamen ordine, dum citando, non recitando, ſub vnoquoque capite collegit omnes Canones diuerſorum Conciliorum; quod opus Creſconius in ſua collectione Breuiarium appellat: de ea Baronius *anno* 527. *num.* 87. Perronius *contra Reg. Mag. Brit. lib.* 1. *cap.* 48. Succeſſit Martinus Monachus Benedictinus, Bracharenſis Epiſcopus, cuius vitam & geſta referunt Yepes *tomo* 1. *chron. D. Benedicti*, *anno* 563. *fol.* 251. Ille anno 751. collectionem edidit Synodorum Græcarum, & in Latinum ſermonem tranſtulit, ad vtilitatem Eccleſiæ Hiſpanæ. Alios etiam canones ex Latinis Conciliis compilauit, præcipuè ex Toletanis; quæ collectio reperitur in tomis Conciliorum poſt ſecundam Synodum Bracharenſem, & approbata fuit in Concilio Lucenſi celebrato anno 571. De ea collectione agit Antonius Auguſt. *dicta* 2. *parte*, *cap.* 15. & *in Gratianum dial.* 10. 11. & 12. Illud circa eandem collectionem prænotandum eſt, apud Gratianum plerumque citari ſub nomine Martini Papæ canones omnes, qui tranſcripti ſunt in dicta collectione Martini Bracharenſis, vt textus *in cap. Epiſcopum*, 64. *cap. non debet*, 65. *diſt. cap.* 19. *quæſt.* 3. *c. Epiſcopo*, 4. 8. *quæſt.* 1. *cap. ſi quis Preſbyter*, *cap. non licet* 92. *diſt. cap. ſi quis Epiſcopus*, 6. *quæſt.* 4. & alij congeſti ab Antonio Auguſt. *in dictis dialogis*, qui referendi ſunt ad dictam Collectionem Epiſcopi Bracharenſis, vt iam notarunt Germonius *lib.* 2. *animadu. cap.* 1. Iuſtelus *ad canones Eccleſiæ vniuerſæ*, *fol.* 187. Couarr. *in cap.* 1. *de teſtamentis*, *num.* 1. Quartam collectionem fecit Iſidorus. Sed an Hiſpalenſis, an Mercator, ſub lite eſt. Hiſpalenſem fuiſſe, docent Iuo Carnot. *lib.* 2. *decreti*, *tit.* 11. *cap.* 22. Gratianus *in c.* 1. *diſt.* 15. Innocentius *in hiſtoria de Iuone Carnotenſi*, Ioannes Gerſon, & Genebrardus *ad annum* 618. videturque ipſum Iſidorum innuere *lib.* 6. *etymol. cap.* 16. & expreſsè refert Hincmarus Rhemenſis *epiſt.* 7. *cap.* 12. *Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus collegit cum epiſtolis Romanæ Sedis Pontificum à ſancto Clemente vſque ad B. Gregorium.* Verùm Iſidoro Hiſpalenſi non eſſe tribuendam collectionem conſtat, quia & Concilij Toletani vndecimi, celebrati anno 675. & Concilij generalis ſexti, habiti anno 681. meminit, quadraginta & ampliùs annis poſt obitum Iſidori, qui deceſſit anno 636. imò verò & Gregorij ſecundi & tertij, & Zachariæ Summorum Pontificum, qui poſt annos 700. vixerunt, epiſtolas author ille collectioni ſuæ inſeruit. Accedit, nam cùm Sancti Braulius & Ildephonſus, necnon Sigibertus Gemblacenſis recenſeant omnia opera Iſidori Hiſpalenſis, nihil de illa collectione adducunt, & cùm eius opera ex vetuſtis exemplaribus emendata per Grialium & Loayſam habeamus, nunquam legimus collectionem iſtam canonum; neque eam recenſet Viuar. *in notis ad Chron. Marci Maximi*, *anno* 617. dum eius vitam & opera deſcribit. Quare alij cenſuerunt huius collectionis authorem fuiſſe Iſidorum Mercatorem, ſeu Peccatorem (vtroque enim nomine illum appellant Poſſeuinus *in apparatu ſacro*, *littera B. fol.* 244. Acuña *in proœmio decreti*, *fol.* 40.) ita docuerunt Baronius *anno* 865. *num.* 5. & *anno* 102. *num.* 11. Boëtius Epon. *tomo* 3. *lib.* 4. *de iure ſacro*, *cap.* 2. Mariana *lib.* 6. *de rebus Hiſp. cap.* 5. Tamaio de Vargas *in notis ad Luitprandum fol.* 83. Ambroſius *Moral. lib.* 12. Coron. Hiſp. *cap.* 21. Padilla *hiſt. Hiſp. centuria* 7. *cap.* 22. Pro quibus facit authoritas Iuliani *in chron.* vbi refert quod Iſidorus Mercator Epiſcopus Setubenſis, ope monachi cuiuſdam huic compilationi operam dedit. Sed facile ſententiæ hæ & authoritates pro his adductæ conciliari poſſunt, ſi obſeruemus Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum dictam collectionem, quam corpus canonum diximus, edidiſſe titulis diſtinctè additis, & indice compoſito, qui præfixus eſt ipſi collectioni eâ arte, vt vnicuique titulo certam aliquam materiam complectenti adiunxerit numeros canonum eò pertinentium. Eum indicem veteri cuidam collectioni manuſcriptæ præfixum teſtatur

teſtatur Antonius Auguſtinus, licèt dubitet, an tribuendus ſit Iſidoro ob quorumdam verſuum, qui illis ſubiiciuntur ineptiam. Sed expunctis verſiculis illis, quos ſcriptor de ſuo addidit, titulorum ordo & verba eruditionem & ſæculum Iſidori ſapiunt. Inde factum eſt, vt à poſteris integra collectio diligentiæ Iſidori facilè tributa ſit, non tamen inter eius opera recenſeatur. Hæc eadem collectio poſtea aucta eſt acceſſione canonum Apoſtolorum, quos Iſidorus Hiſpalenſis in libris originum inter apocryphos recenſet, iuxta Gelaſij definitionem. Creuit quoque collectio adiectis Conciliis Toletanis, à quinto vſque ad duodecimum, aliiſque Hiſpanicis poſt obitum Iſidori celebratis: necnon epiſtolis Gregorij ſecundi, & tertij, atque Zachariæ vberior iſta collectio facta fuit ab Iſidoro Mercatore, ſed publicata fuit ſub antiquo Iſidori Hiſpalenſis nomine, ad conciliandam authoritatem nouis illis epiſtolis, quæ tunc præfixis veterum Pontificum titulis interpolatæ ſunt; quia non ita authoritate pollerent, ſi ſub nomine noui collectoris prodiiſſent: quare attentâ primâ huius collectionis compoſitione, Iſidorus Hiſpalenſis eius author eſt; inſpectâ verò ſecundâ editione author eſt Iſidorus Mercator; & ideò rectè illi attribuitur à Iuliano *vbi ſuprà*, & Luitprando *in chronico*, *anno Chriſti* 719. his verbis: *Iſidorus Setauitanus, qui interfuit Concilio XVI. Toletano compoſuit ordinem Concilij, & collectionem Conciliorum, quæ dicitur Iſidori Peccatoris, vel Mercatoris; quo cognomento vocatus eſt ſuper Iſidori nomen.* Et codex MS. huius collectionis eximiæ vetuſtatis in bibliotheca Regia S. Laurentij apud Seboriacum reperitur: & minùs piè Matthæus Raderus *in præfat. analect. ad Martialem Scriptorem*, hunc inſulſiſſimum fabrum decretalium epiſtol. RR. PP. dixit, cùm illum eruditæ pietatis inſignem iudicet Baronius *in notis ad Martyrol. die* 4. *Aprilis*, dum de eo iudicium profert his verbis: *In antiquis*, inquiens, *manuſcript. cod. hunc Iſidorum collectorem Conciliorum, Mercatorem cognomento dictum inuenimus, vt in his, quæ in noſtra bibliotheca habentur; at in nuper impreſſis non Mercator, ſed Peccator inſcriptus reperitur, ſecundùm morem nonnullorum antiquorum Patrum, qui humilitatis ergò ſe ſic inſcribere, & ſubſcribere conſueuerunt. Irrepſit, puto error, vt Mercator, pro Peccator ſit ſcriptus. Cùm autem eiuſdem collectionis author recenſendo in ſua præfatione Synodos vniuerſales, ſextam vltimo loco ponat, manifeſtum eſt, poſt dictam ſextam Synodum vixiſſe, nec ad ſeptimæ tempora perueniſſe, quam ob cauſam cùm collectores ſacrorum canonum recenſemus, quintum hunc ordine numeramus, primoque loco ponimus Dionyſium Exiguum, inde Ferrandum Diaconum, tertiò Martinum Bracharenſem Epiſcopum, quartò Creſconium, ac demùm poſt hos omnes Iſidorum.*

47. De aliis collectionibus.

Aliam collectionem vberiorem, & locupletiorem fecit Creſconius, cuius meminerunt Baronius *anno* 527. Bellarminus *anno* 500. *fol.* 130. Succeſſit alia collectio canonum, quam edidit Burchardus Monachus S. Benedicti, Epiſcopus Vormatienſis; compilauit enim, ac compoſuit decretum ſub Henrico Imperatore, anno 1020. ex variis Conciliorum Canonibus, Pontificum epiſtolis, Sanctorum Patrum ſententiis, & Imperatorum ſanctionibus, & in viginti libros diuiſit, & in eo ſuperior fuit aliis compilatoribus, quòd ante iuris ciuilis promulgationem, quæ poſt obitum Lotharij ſecundi, ſtudio Mathildis Comitiſſæ procurata eſt, quamplurima ex Digeſtis, Codice, & Nouellis tranſcripta, in collectionem ſuam retulerit; ita vt exemplo Ioannis Scholaſtici, & Photij Patriarchatum Conſtantinop. ius ciuile cum canonico coniunxerit. De eo Antonius Auguſtinus *vbi ſuprà*, *cap.* 27. Bellarminus *de Scriptoribus, anno* 900. Poſſeuinus *in apparatu ſacro, fol.* 254. plerumque hoc decretum citatur, tam in decreto Gratiani, quàm in decretalibus, vt *in cap.* 1. 73. *diſt. cap.* 2. *de ſortilegiis.* Poſt iſtas collectiones aliam fecit Deuſdedit Cardinalis, temporibus Victoris Papæ, quam Polycarpus ſcripſit, non tamen in eadem methodo ac Burchardus, videlicet colligendo tantùm dicta Patrum, vel Conciliorum; ſed pluribus vtitur argumentis, alia confutat & acriùs in cauſa verſatur: eius meminerunt Baronius *tomo* 11. *anno* 1086. Antonius Auguſtinus *vbi ſuprà*, *cap.* 28. & *in collectione ad Decretales, in præfatione.* Ferè eodem tempore Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui floruit temporibus Gregorij VII. per annum 1088. aliam collectionem edidit. Bellarminus *de ſcriptoribus anno* 1000. Cathalogum eius refert Boëtius Epon. *ſuprà num.* 217. Octauus decretorum compilator fuit Iuo Epiſcopus Carnotenſis; floruit temporibus Vrbani II. vſque ad annum 1114. cuius compilationem in compendio retulit Hugo Catalaunienſis, & Pannoniam, ſiue Panormiam appellauit: illam ſub nomine Decreti in 17. partes diuiſam obtinemus operâ, & beneficio Ioannis Molinei, & notis Iureti illuſtratam, Pariſiis editam anno 1647. Iuonis meminerunt plures congeſti in principio ipſius decreti, Baronius *tomo* 12. *anno* 1100. Bellarminus *de ſcriptoribus Eccleſiaſt. eodem anno*, Ant. Auguſt. ſuprà *cap.* 30. Poſſeuinus *fol.* 387. Petrus Marca *lib.* 3. *concord. cap.* 6.

48. De Decreto Gratiani.

Omnibus iſtis collectionibus, & omiſſis aliis Photij, Harmenopuli, Siagrij, & aliorum, accuratior compilatio Gratiani ſecuta fuit; Gratianus enim patriâ Hetruſcus, S. Proculi apud Bononienſes Ordinis Diui Benedicti Monachus, vir quidem verè religioſus, decreti volumen ſub nomine *Concordiæ diſcordantium Canonum*, ex Scripturis ſacris, Conciliorum canonibus, Pontificum reſponſis, legum ſanctionibus, & aliis Interpretum fragmentis collegit; & decretorum corpus noua quidem methodo adornauit, vt poſt Archidiaconum, Turrecrematam, Acuñam, & Barboſam docent Carolus Sigonius *lib.* 1. *de Epiſcopis Bononienſ.* Forſterus *in hiſtoria iuris lib.* 3. *cap.* 7. Sarmiento *de redditibus* 3. *parte, cap.* 1. *num.* 2. Andreas Valenſis, & Henricus Zoeſius *in paratitl. ad Decretales*, Vincentius *lib.* 23. *ſpeculi hiſtor. cap.* 31. & *lib.* 25. *cap.* 84. quod volumen librum Decretorum appellauit Cæpola *de libris iuris can. num.* 1. Collectanea decretorum Antonius de Mocaro, relatus ab Antonio Auguſt. *de emendatione Gratiani lib.* 1. Edidit illud anno 1059. vt refert Genebrardus *lib.* 4. *Chronograph.* licèt Baptiſta à ſancto Blaſio, & alij congeſti à Thoma Connano exiſtimauerint compoſitum eſſe anno 1105. Illud elaborauit in æde S. Felicis, vt conſtat ex ſaxo peruetuſto, quod in ſacrario ipſius Eccleſiæ reconditur, vbi ita legitur.

Hanc habe partem lector, reuerentur adito;
Namque loci Monachus decretum hîc condidit huius;
Diuinum Gratianus opus, quantumlibet arcto
Contentus ſepto, quod reparando caducum,
Et vetus hoc clauſtrum, tolli fuit inde neceſſe.

Sed

49. Sed an hoc decreti volumen approbatum ſit, omniaque in eo compilata maiorem authoritatem habeant, quàm in ſuis autographis, magnæ hæſitationis eſt? Eſſe à Pontifice approbatum, docuerunt Abbas *in cap. 2. de reſcriptis, num. 9. verſiculo ſed dico*, Felinus ibi, *num. 44.* Cæpolla *de libris iuris canonici*, Tuſchus *littera D. concluſ. 110.n.2.* Morla *de iuriſdict. 1.parte, quæſt. 10. num.9.* Maranta *in praxi 3.parte,q. vnica, num. 36.* Medicis *de legibus parte 1.q.3.n.9.* Medina *de continentia lib.2. cap. 33.* nouiter Franciſcus Valens *in concordia Iuris cum Theologica ratione, in proœmio cap.7. num.25.* Martha *de iuriſdictione 1.parte,cap.30.n.37.* Pro quorum ſententia faciunt ſequentia fundamenta. Primum, nam fuiſſe confirmatum ab Eunio III. & Sixto III. referunt Tuſchus, & Morla *vbi ſuprà*. Secundum, quia ſi in eo reperirentur contradictiones, aut perplexitates, ob errores, qui in illud volumen irrepſerunt, iam ſublati fuerunt per Gregorium XIII. qui illud tradidit purgandum viris doctis ab omnibus mendis, vt conſtat ex epiſtola eius in principio decreti appoſita, & refert Antonius Auguſtinus *dialogo 1.* Ergo hæſitari non poteſt volumen eſſe ab ipſo Pontifice approbatum, cùm omnia noſtra faciamus, quibus noſtram impartimur authoritatem, *l. 1. C. de veteri iure.* Tertiò, nam volumen hoc cum ſcientia, & tolerantia Pontificis quotidie allegatur, & in Scholis publicè exponitur; imò & ipſi Romani Præſules illud ſæpiùs citarunt, vt *in cap. continebatur, de deſponſatione impuberum, cap. nobis, de iurepatronatus, cap. relatum 4. de teſtamentis, Clementina 1. de iureiurando.* Ergo nullatenus ambigi debet eius decreta eſſe approbata. Ita tenuerunt vltra ſuprà relatos plures congeſti à Diana *parte 3. tract.6.reſol. 26.* & *parte 5. tract. 14. reſol. 68.*

50. CONTRARIA SENTENTIA. Sed contrariam ſententiam, imò authoritates Conciliorum, Romanorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Imperatorum, & Iureconſultorum reſponſa in eo cõpilata eandem vim obtinereac per ſe obtinent, nec leges ciuiles per collectionem in hoc volumine eſſe canonizatas, vt loquuntur Doctores, defendunt Vfelius *in notis ad Couarr. lib.4. variar.c.11.* Sanchez *lib. 9. de matrim.diſp.12.n.5.* Salas *de legib. tractat.14.diſp.18.ſect.13.* Diana *5.parte, tract.14. reſolutione 68.* Suarez *de legibus lib.4.cap.5. num.6.* Layman *in ſumma, eodem tract.tomo 1.lib.1. tract.4. cap.6.§.3.n.12.* Pater Mendo *de iure Academico lib.1.q.28.* Rota apud Peñam deciſione 480. *n.18.* plures quos refert, & ſequitur Barboſa *in proœmio decreti, num. 6.* Martinez à Prado *tom.1. Theolog. Mor. cap.3. de legibus, q.8. §. 3.* Alciatus *lib.4. parerg. cap. 23.* Petrus Gregorius *lib.1. partit. tit.1.cap.1. num.12.* Granados *in 1. 2. controu.3. diſput.3.ſect.7. num. 17.* Machado *tom.1. ſummæ, parte 4. tract. 2. documento 3.* Anguianus *de legibus lib.2.controu.29.num.4.* Grethſerus *tomo 2. in defenſ. Bellarmini, lib.2.de Roman. Pontif.c. finali,pag.816.* P. Magdalenus *de numero teſtium, parte 2. cap.6. n.27.* nouiſſimè Frat. Antonius à Matre Dei *in præludiis ſacræ Script.prælud.1.digreſ.6. ſect.9.* Gibalinus *ſuprà*, Franc. Florens *in præfat. ad hunc librum, fol.7.* In hoc Interpretum diſſidio, vt certa ab incertis ſeparemus, affirmo volumen hoc continere aut Conciliorum decreta, aut Romanorum Pontificum conſtitutiones, ex quibus quæ inueniuntur in ſuis autographis, vim legis eccleſiaſticæ habebunt; ſecus verò ſi non reperiantur. Vnde cognoſcitur magnum diſcrimen inter hanc collectionem decreti, & compilationem Raymundi; nam licèt aliquæ decretales epiſtolæ in collectione ſexta Decretalium compilatæ non reperiantur inter epiſtolas Innocentij III. aut Alexandri III. quia tamen corpus hoc Decretalium eſt approbatum à Gregorio IX. in dubium reuocari non debet earum authoritas. Etiam in hoc Gratiani volumine reperiuntur quamplures leges ex Pandectis Iuris Ciuilis tranſcriptæ, quæ eandem authoritatem habent, ac ſi in libris Pandectarum eſſent. Etiam aliquæ inueniuntur tranſcriptæ authoritates, cum hac inſcriptione, *Palea.* Circa quarum authoritatem non conueniunt Interpretes. *Paleam* ſignificare Canones antiquos, docet Cujacius *in cap. 1. de ſponſa duorum:* putarunt alij congeſti à Darte *in can.2.diſt.5.* & Barboſa *vbi ſupra, num. 9. Paleam, Protopaleam, ſeu Quotopaleam*, fuiſſe Cardinalem Eccleſiæ Romanæ, qui alia decreta collectioni Gratiani adiecit; quare ſuam eſſe collectionem intendebat Cæpolla de libris Iuris Canonici. Sed mihi communis opinio placet, quæ affirmat, *Paleam*, eſſe proprium nomen cuiuſdam diſcipuli Gratiani, qui operi ſui magiſtri aliqua etiam adiecit, quæ eandem authoritatem habent, ac aliæ authoritates compilatæ in eodem volumine. Ita docent Layman *vbi ſuprà, num. 11.* Cenedus *ad decretum, collectana 16. num.7. in fine*, Acuña *in proœmio decreti, n. 33.* Cæſar. Coſta *lib.1.ambiguit. cap.7.* Beſoldus *tom.2. in delibata iuris diſſert. de libris iuris, capite 8.* Nec obſtant fundamenta exiſtimantium decreti volumen approbatum eſſe, quibus ſatisfaciunt ſacræ Rotæ Auditores in dicta deciſione 480. in hæc verba: *Nec refert, illos canones recenſeri in decreto à Gratiano compilato, quia cùm Gratianus non publica authoritate infinita quæque illa canonum Eccleſiaſticorum, & legum etiam ſæcularium capitula in ſuum librum contulerit, nec legis condendæ authoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille, tanquam authenticus, & legalis approbatus fuerit, inde fit, vt quilibet Canon inibi relatus, ex eo tantùm, quod ibi referatur, non habeat maiorem authoritatem, quàm in proprio loco conſiſtens de ſui natura eſſet habiturus: nec Gregorius XIII. Gratiani librum, tanquam legalem authenticauit, cùm ſolùm emendari iuſſerit, & emendationes ſine additionibus, aut detractionibus mandauerit obſeruari.* Ergo cùm ab vllo Eccleſiæ Romanæ Præſule non ſit confirmatum, aut approbatũ, etſi publicè in Scholis exponatur, & illuſtretur, decreta in eo compilata non maiorem authoritatem habebunt, quàm in ſuis autographis obtinent, vt latiùs proſequentes docent Alber. Gentilis *de libris iuris can. cap.2. per totum*, Alciatus *lib. 3. parerg. cap. 23.* Menochius *de adipiſcenda,remedio 4.n.842.* Maranta *in ſpeculo, 3. parte, n. 36.* Federicus de Senis *conſilio 76.* Tot tamen ſcatet liber is mendis iniuriâ temporum, vt ſit de re publica, ac re litteraria benemeritiſſimus cenſendus, qui huic libro emendando, ac corrigendo, totque maculis expurgandis operam dederit; Gratianus enim fuit nimis credulus, vt refert Baronius *anno 664.n. 4.* & *anno 774.n.4.*

51. DE VARIIS DECRETALIVM COLLECTIONIBVS. Poſt hanc decreti Gratiani collectionem quamplures conſtitutiones & decretales epiſtolæ emanarunt, præſertim poſt Concilium generale Lateranenſe, celebratum ſub Alexandro III. anno 1179. cúmque Gratianus multa omiſiſſet, tum ex Conciliorum veterum Canonibus, tum ex epiſtolis Pontificum, & aſſidua Sedis Apoſtolicæ iuriſdictio, & audientia nouas quotidie parere conſtitut

conſtitutiones, aliæ collectiones decretalium fieri cœperunt. Primus enim S. Bernardus Balbus, Papienſis Eccleſiæ Præpoſitus, poſteà Epiſcopus Fauentinus, demùm ad Papienſem Eccleſiam tranſlatus, in canonica peritia valde doctus, collectionem fecit epiſtolarum decretalium Alexandri III. Cœleſtini III. & aliorum Pontificum prædeceſſorum, necnon diuerſorum canonum Conciliorum, tam generalium quàm prouincialium, vt referunt Philippus Steinhauſſent. *in ſumma Iuris Can.* Vvolfang. Sigiſmund. à Vorbux *in Triſmegiſto canonicali, fol.* 18. Beſoldus *in diſſert. de libris Iuris Can. cap.* 8. Antonius Auguſt. *in proœmio collectionum*, Gentilis *ſuprà*, *cap.* 1. Valens *in concordia cap.* 1. Poſſeuinus in apparatu ſacro, verbo *Bernardus.* Gibalinus, & Florens *vbi ſuprà.* Hanc collectionem, *Breuiarium Extrauagantium*, appellant Hoſtienſis, Henricus, Ioannes Andreas, Bellamera *in proœmio Decretalium*, id eſt breuiarium deciſionum, quæ extra corpus decreti vagabantur; aliquæ tamen deciſiones à Gratiano compilatæ, in ſuo decreto reperiuntur ſub eiſdem verbis in ipſa collectione Bernardi, vt textus *in cap.* 1. *de cenſibus*, qui eſt apud Gratianum textus *in cap. ſancitum* 25. 2 3. *q.* 8. caput 8. *de purgatione canonica*, qui reperitur *in cap. nobilis* 15. 2. *q.* 5. forſan per obliuionem, quod frequenter contingit, vt in iure Cæſareo, vbi conſtitutiones eiſdem verbis reperiuntur, vt *in l.* 1. *C. de authoritate præſtanda, in l. neque tutoris*, 7. *C. de contrahenda ſtipulatione, ex l. ex conuentione* 11. *C. de pactis, l.* 1. *C. ſine cenſu vel reliquis, ex l. ſi dices* 37. *ff. de iudiciis, l. qui cœtus* 5. §. 1. *ff. ad legem Iuliam de vi*, notauit Fornerius *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 17. Eam collectionem approbauit Alexander III. vt referunt Ioannes Andreas, & Gentilis vbi ſuprà, poſt Bernardum Papienſem Gilbertus Abbas, atque etiam Alantus Epiſcopus Altiſſiodorenſis, alias duas collectiones fecerunt, ſed vſu non receptas: quare Ioannes Valenſis, ſiue Galenſis, poſt duodecim annos elapſos à prima collectione, aliam fecit, quam Alexander approbauit, & fuit ſecunda compilatio approbata. Platina *in vita Alexandri III.* Ioannes Andreas *in proœmio Speculatoris*, Gentilis, & Boëtius Epon. *vbi ſuprà*, Hunnius *in encyclopædia lib.* 1. *cap.* 3. Poſt eam temporibus Innocentij III. Bernardus Archidiaconus Compoſtellanus, Romæ degens, ex eiuſdem Innocentij III. prioribus regiſtris compilauit aliud volumen decretalium, quintam collectionem, ſi collectiones omnes attendas; & dicta fuit compilatio Romana, quia ipſe Bernardus Romæ eam edidit. Sed cùm in ea collectione nonnulla reperirentur inſerta, quæ in Romana Curia probarentur parum, ipſius Pontificis iuſſu Petrus Beneuentanus compilationem tertiam edidit, publicè approbatam, vt referunt Cujacius *in cap.* 2. *de ſponſalibus*, Valens, Boëtius Epon. & Gentilis *vbi ſuprà.* Succeſſit quarta compilatio approbata ab ipſo Innocentio III. in qua varij Concilij Lateranenſis ſub eo celebrati canones, necnon plures epiſtolæ ipſius compilatæ fuerunt. Eam notis illuſtrauit Ioannes. Theutonicus, & quartam compilationem Innocentius III. appellauit, vt ſuprà citati referunt. His collectionibus operâ, & ſtudio Ant. Auguſt. viri clariſſimi fruimur, cum notis ipſius ad primam collectionem; & notis Ioannis ad quartam. Hoc totum breuiter expreſſit Tancredus *in præfatione ad* 3. *compilationem*, quam ex fide manuſcripti ita tranſcripſit Boſquetus in notis ad Innocentium III. *lib.* 1. *epiſt.* 71. à quo & nos libenter accepimus, cum mirè probet hucuſque tradita. *Poſt compilationem decretorum factam à Gratiano multæ à Romana Curia decretales epiſtolæ emanauerunt. Quas magiſter Bernardus tunc Præpoſitus, poſtmodum Epiſcopus Papienſis, ad ſtudentium vtilitatem ſub competentibus titulis compilauit; quædam antiqua iura interſerendo, & vocatur compilatio prima. Poſt illarum compilationem quædam aliæ Decretales à diuerſis Apoſtolicis emanauerunt, quas Magiſter Gilbertus ad inſtar primæ compilationis ſub titulis collocauit. Poſt illum Magiſter Alanus ſuam ſimiliter compilationem effecit. Tandem Magiſter Bernardus, Compoſtellanus Archidiaconus, in Romana Curia moram faciens, aliquantam de regiſtris Domini Papæ Innocentij III. vnam fecit decretalium compilationem, quam Bononiæ ſtudentes Romanam compilationem aliquando vocauerunt. Verùm quia in ipſa compilatione quædam reperiebantur Decretales, quas Romana Curia refutarat; ſicut hodie quædam ſunt, quas Curia ipſa non recipit: idcircò felicis recordationis Dominus Innocentius Papa III. ſuas decretales vſque ad annum duodecimum editas, per Magiſtrum Petrum Beneuentanum, Notarium ſuum, in præſenti opere compilatas, Bononiæ ſtudentibus deſtinauit. Poſt illarum receptionem Magiſter Galenſis decretales omnium Apoſtolicorum, qui præceſſerunt Innocentium, de ruinis compilationis Gilberti, & Alani extrahens, quandam compilationem ordinauit, quæ hodie mediæ, ſiue ſecundæ Decretales dicuntur, ſuper quarum expoſitionibus plures Doctores Bononiæ Gloſſas ſcripſerunt. Et quia de dictis apparatibus opiniones ſtudentium erant diuerſæ, ſententiæque confuſæ; idcircò ego Tancredus Bononienſis Canonicus ſancti Petri, qualiſcumque decretorum Magiſter; ad multam inſtantiam ſociorum meorum meliora, & vtiliora de dictis apparatibus colligens, ex ingenio meo quædam interſerendo, ſicut ex ſignis gloſſularum ſingularum demonſtratur, primas, & ſecundas Decretales, prout melius potui, gloſſulaui, ſed ſuper præſenti tertia compilatione non apparatum feci; ſed audiendo, atque legendo, quædam in libro notaui, quæ ſcholares quidem abſque conſcientia mea de libro meo extraxerunt, & pro apparatu tertiarum illum mihi intitulauerunt. Nunc autem docendi officio ad multorum inſtantiam reaſſumpto, præſentem tertiam compilationem cum diligentia, Domino fauente, gloſſabo, & conſtitutiones Concilij proximè celebrati, & iura à Domino Innocentio Papa III. poſt duodecimum annum edita, tam in apparatibus à me factis, quàm in hoc, quem indicare diſpono, diligentiſſimè collocabo.*

§ 2. De aliis collectionibus decretalium.

Poſt has quatuor collectiones fuit & alia quinta epiſtolarum Honorij III. cùm enim ipſe decem libros epiſtolarum ſcripſiſſet, iuxta ſeriem, & methodum aliarum collectionum, ſuorum prædeceſſorum, quintam compilationem fecit, non operâ Tancredi Bononienſis, vt voluit Antonius Auguſtinus, quem refellit Cironius *in cap.* 1. *de conſtitutionibus, in ipſa quinta collectione:* ſed eam ab Antonio Auguſtino, Cencio, & Cujacio deſideratam hodie habemus ſtudio Innocentij Cironij in vtraque iuris peritia viri diſertiſſimi; licèt enim plures decretales ipſius collectionis tranſcriptæ reperiantur à Raymundo in decretalium volumine; plurimas tamen, non cum paruo Profeſſorum compendio edidit Innocentius Cironius. Poſt omnes iſtas compilationes ſequitur noſtra ſexta compilatio iuſſu Gregorij IX. facta; ipſe enim tot parum conſtantium voluminum decretalium

lium pertæsus, multis relictis, & reiectis, aliis nouiter additis constitutionibus eam approbauit. Matthæus Pariſ. *in Henrico III. His quoque temporibus Gregorius IX. videns tædioſam Decretalium prolixitatem, ſub quodam compendio eas eleganter abbreuiatas, & collectas ſolemniter per totius mundi latitudinem legi præcepit, & publicari.* Et adiectis ſuis conſtitutionibus Gregorius IX. publicè edi iuſſit ſextam hanc collectionem, anno 1230. elaboratam à S.Raymundo de Peñaforte, Capellano, & Pœnitentiario ipſius Ordinis Prædicatorum, viro ſanctitate, & doctrinâ celebri, de cuius vita, actis, & canonizatione poſt plures plura Eymericus *in directorio Inquiſitorum, 2. part. comment.25.* Tamayo de Salazar *die ſexta Ianuarij, tomo 2. martyrologij, fol.80. à num.6.* Collectionem hanc vulgò decretales Gregorij appellamus, quia noſtra facimus, quibus noſtram impartimur authoritatem, *cap. ſi Apoſtolicæ, de præbendis in 6.* ideò Decretales Gregorij nuncupantur; & hæc ſexta compilatio breuiter omnia quæ intra octoginta pluſminuſve annos ab aliis Pontificibus Romanis decreta ſunt, complectitur, vt notauit Elricus Elfricus Hunnius *in encyclopædia lib.1. cap.3.* Collectio hæc Decretalium ſolet etiam appellari corpus Iuris Canonici, nec barbarè; nam corpus pletumque accipitur pro opere ſcripto. Cicero *lib.2.ad Atticum*, ibi: *Hoc totum corpus curabo, vt habeas.* Hinc corpus Homeri dicitur *in l.librorum 52.§.2. ff.de legatis 3.* notauit Ioan. Bertrandus *de Iuriſperitis, in vita Labeonis, fol.44.* Miſit autem hanc compilationem Doctoribus, & Scholaribus Bononiæ commorantibus, vt fecit Honorius III. *in cap.1. de conſtitutionibus*; erat enim illis temporibus florentiſſima Academia Bononienſis à Theodoſio creata, cuius laudes referunt Hieronymus Oſorio *lib.1. de Gloria*, Papirius Maſonius, & alij, quos congerit perdoctus P.Andreas Mendo *lib.1.de Iure Academico, quæſt.2.num.16.* Exorſus eſt Gregorius ſuam compilationem à profeſſione fidei, iuxta Concilium Nicænum, & mores Conciliorum; quare non erat neceſſaria inuocatio diuini Numinis, vt alij Principes ſæculares ab ea exordiuntur ſuas conſtitutiones, *l.2. Cod. de officio Præfect. Africæ:* principium Codicis Iuſtinianei, *l.1.& 2. de veteri iure.* Nouella 85. Iuſtiniani: obſeruarunt ex ſacris, & prophanis litteris Lælius Mancinus *lib.3. de triplici iure, cap.225.* Fornerius *lib.6. rerum quotidianarum, cap.1.* iuxta morem ergo Eccleſiaſticarum ſanctionum à profeſſione fidei inchoauit ſuam compilationem Gregorius IX. non ob alias rationes hæreſis veneno plenas, quas ſtultè Vveſembec. *theſi 1. in principio*, ſomniauit.

53. De collectionibus antiquis.

Sed antequam progrediamur ad noſtræ Hiſtoriæ Pontificiæ ſeriem, aliqua de illis collectionibus antiquis non antiquatis prænotanda ſunt. Et primò ſciendum eſt, earum vſum Iuriſprudentiæ Canonicæ Profeſſoribus valdè vtilem, imò neceſſarium eſſe, cùm ex fontibus ipſarum deciſionum rectiùs veritatis cognitio hauriatur, aſſequaturque. Certè dum cœpi huius Iuris profeſſioni operam dare, ſtatim ad fontes digitum intendi, regeſtra Gregorij Magni, Alexandri III. Innocentij III. perquiſiui, & his aſſiduè vſus fui; nec adhuc eius conſilij, & ſtudij pœnitet, imò in ea ſententia adhuc perſiſto, veram perfectamque cognitionem inſalutatis antiquis integris Pontificum, Conciliorumque monumentis, aſſequi non poſſe. Alij exiſtimant pueriles, inanes, ac otioſas eſſe has elucubrationes; ſed non ſine magno eruditorum hominum riſu. Perquirendi igitur ſunt, & conſulendi antiquarum collectionum libri, cùm ex eis non rarò mens vera, & genuina deciſionis proueniat, vt paſſim in hoc noſtro opere notauimus, & iam docuerunt Antonius Auguſtinus *in anteloquio ad collectiones Decretalium*, Cuiacius *in cap.1.qui clerici, vel vouentes.* Cùm enim vt breuitati conſuleret Raymund. in hac collectione truncaret antiquas epiſtolas decretales, & aliquando tantùm concluſiones tranſcriberet, ſubiungendo ea verba, *& cætera, & infrà, in præmiſſis: cap.vnico, vt eccleſiaſtica beneficia, prædicto cap.cum in Eccleſia 9. de ſimonia*; quæ denotant ſupplendam eſſe deciſionem ex ipſa integra, quæ extat aut in antiquis compilationibus, aut in regeſtris Pontificum; in ipſo etiam initio ſunt diminutæ epiſtolæ decretales, cùm alia pars ipſius textus omittitur, & tunc aliunde repetenda eſt, vt in illis, quæ incipiunt *ad hæc; præterea; nunc autem; de illis; tertiò*, & ſimilibus; apparet enim eſſe partem alterius deciſionis. Semper ergo dum diſcipulis è ſuggeſtu ius hoc exponebam, magnopere commendabam, vt integras deciſiones perquirerent, legerent, & perlegerent, vt rectiùs, & faciliùs verum ſenſum perciperent, quod & fecerunt doctiſſimi viri Antonius Auguſtinus *in cap.1. de probationibus*, vbi ait: *Si quis legerit ipſam epiſtolam in regiſtro, rectiùs hæc interpretabitur, quam alij fecerunt:* Albericus Gentilis *de libris Iuris Canonici, cap.3.per totum*, Petrus Gregorius *in c.2. num.3. de conſtitutionibus.*

54. Amplius de prædictis compilationibus.

Deinde pro vſu ipſarum collectionum ſciendum eſt, aliquas deciſiones in eis compilatas non reperiri in libris, ex quibus citantur, vt textus *in cap.tranſlato, cap. ne innitaris, de conſtitutionibus*, & aliæ; non tamen inde authoritate carere, cùm approbatæ reperiantur per Gregorium IX. in præſenti: aliæ etiam deciſiones in nullis Pontificum, aut Conciliorum libris reperiuntur, vt textus *in cap.nullus, cap. miramur, de ſeruis non ordinandis: cap. de prudentia, de donationibus inter*, & ſimiles, quæ etiam authoritate non deſtituuntur propter eandem rationem; quia cùm in hoc volumine Decretalium authoritate Gregorij IX. compilatæ reperiantur, approbatæ ab ipſo exiſtunt. Circa deciſiones verò in quinque collectionibus tranſcriptas, in ſexta autem omiſſas, maior hæſitatio eſt; & Gentilis *dicto cap.4. per totum*, & *lib.6. de nuptiis, cap.23.* contendit nullam authoritatem habere. Sed ego contrarium exiſtimo; non enim per ſecundam compilationem derogatum fuit iuri primæ, nec per tertiam ſecundæ. Ergo nec per ſextam derogatum præſumitur iuri præcedentium. Deinde, nam authoritates compilatæ in eis, aut ſunt Conciliorum canones, aut Pontificum epiſtolæ decretales, quæ per ſe, vt iacent in regiſtris Pontificum, & tomis Conciliorum, ius faciunt: Ergo etſi reperiantur compilatæ in illis collectionibus, non ideo authoritate deſtituuntur. Tandem, nam quis dicat hodie Codicem Theodoſianum, Vlpiani fragmenta, Pauli ſententias in Scholis interpretari non poſſe, etiamſi in Digeſtis, aut codice Iuſtinianeo non reperiantur. Similiter ergo authoritates compilatæ in dictis quinque collectionibus admitti, interpretarique debent, quidquid Albericus Gentilis ſentiat.

55. Proseqvitvr

Sed iam ad interruptam hiſtoriam librorum Iuris noſtri redeo. Poſt ſextam ergo collectionem ſecuta eſt compilatio libri ſexti. Bonifacius enim VIII.

IVRIS NOSTRI HISTORIA.

anno 1294. ſeu vt alij volunt, anno 1300. nouam collectionem facere curauit, partim epiſtolarum prædeceſſorum Pontificum, qui inter ipſum & Gregorium IX. floruerunt, videlicet Gregorij X. Innocentij IV. Clementis IV. & aliorum; & partim, & præcipuè duorum Conciliorum generalium Lugdunenſium, primi ſub Innoc. IV. anno Domini 1245. Secundi ſub Greg. X. anno 1273. celebrati. Et quia quinque libris Decretalium addebatur hæc collectio, ſub nomine Sexti, Bonifacius edi iuſſit per Guillermum Archiepiſcopum Ebrudunenſem, Berengarium Epiſcopum Biterrenſem, & Richardum de Senis, ſiue vt alij, Malambrum S. R. E. Vicecancellarium, vt conſtat ex procemio ipſius libri, & referunt Maximus Polonus *anno* 1279. Gibalinus, & Florens *vbi ſuprà*, Boëtius Epon. *tomo* 1. *de iure ſacro*, *cap.* 1. Albericus Gentilis *de libris Iuris Canonici*, *cap.* 1. Franciſcus Valens *vbi ſuprà*, *cap.* 8. Defuncto Bonifacio VIII. ſucceſſit in Sede Pontificali Clemens V. qui Eccleſiam rexit ab anno 1305. vſque ad annum 1314. Celebrauit Concilium Viennenſe generale anno 1311. & cùm eius conſtitutiones compilare curaſſet ſub nomine Clementinarum, morte præuentus publicare nequiuit, quare Ioannes XXII. eius ſucceſſor anno 1317. eam compilationem promulgauit, vt refert Spondanus eo anno, in continuatione Baronij, *tom.* 1. *num.* 2. *eo anno*. Poſtea acceſſerunt ipſius Ioannis XXII. conſtitutiones, & aliorum Pontificum, quæ communes extrauagantes appellantur, & aliæ ipſius tantùm Ioannis, quæ ſub nomine extrauagantium circumferuntur; dicunturque extrauagantes, quaſi extra corpus Iuris exiſtentes. Gentilis, Boëtius, & Valenſis *vbi ſuprà*: de earum authoritate latè Franciſcus Valens *vbi ſuprà*, *cap.* 6.

56. DE CONCILIIS GENERALIBVS POSTERIORIBVS.

Poſt iſtas Sacrorum Canonum & Pontificum decretalium epiſtolarum collectiones non eſt alia, licèt varia Concilia generalia, tam approbata, quàm reprobata; & partim approbata, & partim reprobata ab illis temporibus ad noſtra vſque in Eccleſia celebrata ſint. Ex approbatis, Florentinum celebratum temporibus Eugenij IV. anno 1438. contra errores Græcorum: Lateranenſe, quod indictum fuit à Iulio II. anno 1511. contra Concilium Piſanum; & abſolutum fuit à Leone X. anno 1517. & Concilium Tridentinum inchoatum ſub Paulo III. anno ſalutis 1545. contra Lutheranos, & alios hæreticos; continuatum ſub Iulio III. & abſolutum ſub Pio IV. anno 1572. temporibus Caroli V. ac Ferdinandi Imperatorum: quod percelebre Concilium à fabulis & falſis impoſturis Petri Suauis Polani doctè & feliciter vindicauit Cardinalis Sfortia *in hiſtoria ipſius Concily*. Ex reprobatis, Concilium Piſanum congregatum anno 1511. ab Imperatore, & Rege Galliæ, aliquotque Cardinalibus contra Iulium II. reprobatum poſteà in Concilio Lateranenſi ſub Iulio III. *ſeſſ.* 2. & 3. Ex reprobatis partim, & approbatis Concilium Piſanum indictum ab aliquibus Cardinalibus anno 1409. Concilium Conſtantienſe indictum à Ioanne XXIII. anno 1414. quod quantùm ad primas ſeſſiones, vbi definitur Concilium eſſe ſupra Papam, reprobatur in Concilio Florentino & Lateranenſi vltimo: quantum verò ad vltimas ſeſſiones, & ea omnia, quæ probauit Martinus V. ab omnibus catholicis recipitur. Tandem Concilium Baſileenſe anno 1439. in quo nihil eſt ratum, & approbatum, niſi quædam conſtitutiones circa beneficia, quas pacis, & vnitatis gratiâ Nicolaus Papa approbauit; Concilium verò ipſum reprobauit in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 2. vt referunt Spondanus, & Corjolanus in prædictis annis.

57. DE ALIIS CONSTITVTIONIBVS.

Pro coronide huius apparatus agendum eſt de conſtitutionibus extrauagantibus, de regulis Cancellariæ, declarationibus Cardinalium ad Concilium factis, & deciſionibus Rotæ. Et quoad conſtitutiones Pontificias extrauagentes, ſi dubitetur in iudicio circa aliquam extrauagantem, attendi debet vtrum ſit antiqua ante compilationem, & editionem libri 6. ſi antiquior fuerit, admittenda non eſt, vt docent Ioannes Andreas, & Anania *in procemio libri* 6. & repetentes communiter *in c. finali, de hæreticis, lib.* 6. Si tamen aliqua conſtitutio extrauagans emanauit poſt libri 6. editionem, & nihilominus dubitetur an ſit Pontificis, vel ſuper verbis, & eius ſubſtantiali diſputatione quæſtio emerſerit, conſulendus eſt Pontifex, iuxta doctrinam textus *in cap. paſtoralis*, *de fide inſtrum.* vbi ſi reperiatur talis conſtitutio in archiuo publico in forma certa, & authentica, ſeruari iubetur, aliàs non obſeruabitur: extrauagantes autem cum à parte allegantur, debent ſub authentica forma plumbatæ exhiberi, ſi extra Romanam Curiam; ſi verò in eadem Curia, ſufficit quod ſub ſigno Vicecancellarij edantur, vt docent latè Peña *in fine directory Inquiſit. tract. de authoritate Extrauagantium*, Franciſcus Valens 2. *tomo concordiæ*, *ſect.* 3. *fol.* 128. Secundum dubium vertitur circa regulas Cancellariæ, vtrum videlicet ius contineant generale, & abſolutum? Negant continere ius vniuerſale Decius *in cap.* 1. *de conſtitutionibus*, *numero* 4. plures congeſti à Gomezio *in regulis Cancellariæ*, *q.* 2. Salas *de legibus tract.* 14. *diſput.* 22. *ſect.* 1. eorum fundamenta refert Franciſcus Valens *dicto tomo* 1. *cap.* 3. *num.* 5. *fol.* 150. Affirmant ius generale obtinere Nicolaus Miliſ. *in repertorio*, *verbo Lex*. Felinus *in cap.* 2. *de reſcriptis*, Ioannes Andreas *in regula Nemo poteſt*, *de regulis iuris lib.* 6. Caſſaneus *conſilio* 10. Alij ita diſtingunt: pro foro exteriori obligant, pro foro verò conſcientiæ neutiquam. Ita Valens *de differentiis vtriuſque fori*, *verbo Donatio*, *differentia* 6. *numero* 2. quem ſequuntur Diana *parte* 1. *tractatu* 10. *reſolutione* 43. Illuſtriſſimus Tapia *in catena morali* 1. *parte*, *lib.* 4. *de legibus*, *quæſtione* 8. *art.* 9. Gomezius etiam *vbi ſupra*, diſtinguit inter regulas Cancellariæ, quæ præſcribuntur tantùm ipſi Cancellariæ; & inter regulas generales. Primas non continere vniuerſale ius affirmat; ſecundas verò pro ſanctionibus generalibus obſeruandas eſſe. In hac tamen opinionum contrarietate dicendum eſt, dictas regulas Cancellariæ obſeruari debere, & allegari in forenſibus diſceptationibus, vt ſæpè allegari video; quia licèt non ſint prolatæ in formam legis vniuerſalis, cùm nulla earum promulgatio præceſſiſſet; tamen ex intentione Romani Pontificis omnes ligant, vt latè probat, & exponit Franciſcus Valens *vbi ſuprà*, *folio* 130. Quoad declarationes Cardinalium ſciendum eſt, Romæ eſſe plures Congregationes pro diuerſitate cauſarum, quas refert Cohelius *in notitia Cardinalat. cap.* 15. inter quas eſt Congregatio ad executionem, & interpretationem Concilij Tridentini, & eius declarationes vim legis obtinere docuerunt F. Emanuel Rodriguez *quæſt. regul. tomo* 1. *quæſt.* 11. *art.* 2. Cherubinus *in Bullario*, *in Sixtum V. conſtitutione* 74. *ſcholio* 1. Cohelius *vbi ſuprà*,

prà, *cap.* 15. *congregat.* 6. Salas *de legib. tract.* 14. *disput.* 21. *sect.* 12. Cochier *de permutat. benef. tomo* 1. *in præfat.* Diana *parte* 1. *tract.* 10. *resol.* 20. Sed tantùm doctrinales esse, non verò in vim legis obligare defendunt plures congesti à Valente *dicto* 2. *tomo concord. sect.* 4. Bruno Chassaing *de priuilegiis Regularium*, 2. *parte*, *cap.* 1. *propositione* 3. Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *disput.* 2. *n.* 10. Villalobos *tom.* 1. *summæ*, *tract.* 2. *dub.* 7. *num.* 5. I. Sanchez *in select. disp.* 48. Bonacina *de legibus disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. Sed cum iudicio rem hanc temperauit Illustrissimus Tapia *dicto lib.* 4. *de legibus*, *quæst.* 8. *art.* 8. affirmans generaliter, & indistinctè vim legum has declarationes non obtinere, venerandas tamen esse tanquam grauissimi Senatus placita; & tunc vim legis obtinere, cùm certæ conditiones concurrunt, videlicet vt comprehendatur in ipsa declaratione, fuisse factam summo Pontifice consulto: ita cauetur in Bulla 74. Sixti V. quæ extat *tomo* 2. *Bullarij magni*; & vt constet verè eas declarationes fuisse editas, & sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, & Secretarij Congregationis munitas. Ita præscripsit Vrbanus VIII. referente Barbosa *in summa verbo Congregatio*, *n.* 8. deinde vt in ea declaratione non excedatur declarandi facultas, nec per eam amplietur, seu restringatur Concilij decretum, sed tantùm interpretetur. Tandem vt similes declarationes publicè promulgentur, cùm sit de essentia legis promulgatio. Latiùs has conditiones prosequuntur Torreblanca *in praxi lib.* 14. *cap.* 3. alij congesti ab Illustrissimo Tapia *vbi suprà*, nunquam satis laudato, P. Mendo *in Bullam disp.* 5. *cap.* 6. *n.* 160. Diana *parte* 11. *tract.* 2. *resolut.* 42. Hurtado *de residentia tomo* 1. *resolut.* 3. *pagina* 206. Prado *tom.* 1. *Theolog. Moral. cap.* 3. *q.* 7. Ferro Manriq. *de different. q.* 104. Restat vt quid de decisionibus Rotæ Doctores sentiant, exprimamus, & communiter docetur, in Curia Romana ad instar styli ius facere. Moneta *de commutatione cap.* 5. *n.* 146. extra Curiam verò tanquam responsa prudentum habere, facereque communem opinionem, à qua nisi in contrarium validissimæ rationes faciant, non esse recedendum. Ita latè probant Ceuallos *tomo* 1. *communium*, *in præfatione*, *n.* 25. Tuschus *littera R. conclusione* 368. *numero* 4. Sarauia *de iurisdictione adiunctorum c.* 35. §. 9. Garcia *in summa tract.* 1. *dub.* 4. *difficultate* 5. *fol.* 179. Prado *tom.* 1. *Theolog. Moral. cap.* 3. *de legibus*, *quæst.* 7. §. 7. Hæc prælibanda duxi de origine & progressu Iuris Canonici; longa quidem, si apparatus aut præfationis modum attendas; breuia tamen, si quàm multa, quæ pro Conciliorum notitia afferri poterant, de queis docti censeant: alij probent, aut improbent, nos ad commentaria singulorum capitum iam accingamur.

TITVLVS PRIMVS.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

CAPVT PRIMVM.

[a] Innocentius III. *in Concilio* [b] *Generali.*

FIRMITER credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus [c] Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem personæ, sed vna [d] essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab vtroque: absque initio semper ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens: consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: vnum vniuersorum principium: creator omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium: qui sua omnipotenti virtute ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam. Diabolus enim, & alij dæmones à Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo verò diaboli suggestione peccauit. Hæc sancta Trinitas secundùm communem essentiam indiuidua, & secundùm personales proprietates discreta: primò per Mosen, & sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem vnigenitus Dei Filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne [e] compositus, vna in duabus naturis

persona, viam vitæ manifestiùs demonstrauit. Qui cùm secundum diuinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse secundùm humanitatem factus est mortalis, & passibilis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus, & mortuus, descendit ad inferos, surrexit à mortuis, & ascendit in cœlum: sed descendit in anima, & resurrexit in carne: ascenditque pariter in vtroque: venturus in fine sæculi iudicaturus viuos & mortuos, & redditurus singulis secundùm opera sua, tam reprobis, quàm electis: qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc f gestant, vt recipiant secundùm opera sua, siue bona fuerint, siue mala: illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam. g Vna verò est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus: cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter h continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina: vt ad perficiendum mysterium vnitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundùm claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus. Sacramentum verò i baptismi (quod ad Dei inuocationem & indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris & Filij & Spiritus sancti consecratur in aqua) tam paruulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam k reparari. Non solùm autem virgines, & continentes, verùm etiam l coniugati per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

NOTÆ.

1. INNOCENTII III. ELECTIO.

a *Innocentius.*] Defuncto Cœlestino III. anno Christi Domini 1198. Innocentius, antea Lotharius dictus, patriâ Anagninus, Comes Siguinus, Diaconus Cardinalis tituli SS. Sergij, & Bacchi, creatus fuit Pontifex prædicto anno, & Ecclesiam rexit vsque ad annum 1216. vt post Platinam, Blondum, Papirium, Masonium, & alios referunt Spondanus, Odoricus Raynaldus *in continuat. Baronij, dicto anno* 1198. Fuit in vtroque iure apprimè doctus, vt eius epistolæ testantur: varia opera edidit, quorum catalogum refert Ludouicus à Sancto Carolo *in bibliotheca Pontif. lib.* 1. *littera I.* Eius gesta edidit Bosquetus cum regestro epistolarum ipsius, ex anno 15. sui Pontificatus: aliæ etiam epistolæ editæ fuerunt Coloniæ, & correctæ à Cardinale Guillermo Sirleto; ex quibus & aliis sequentium annorum, factæ sunt collectiones tertia, & quarta, vt suprà in apparatu retuli: & epistolas in hoc volumine compilatas nouissimè illustrauit Altesserra.

2. CONCILII LATERANENSIS HISTORIA.

b *Generali.*] Celebrato sub ipso Innocentio III. Anno enim 1215. Concilium œcumenicum celebratum fuit Romæ, omnium vtique, quæ in Europa habita fuerant celeberrimum. Præfuit in eo Innocentius III. interfuerunt duo Patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus videlicet, & Hierosolymitanus, 400. Episcopi, & alij Ecclesiæ Prælati vsque ad numerum 2212. cùm enim Innocentius magnoperè optaret, tum Hierosolymitanæ vrbis recuperationem, tum vniuersæ Ecclesiæ reformationem, generale indixit Concilium, in quo & deprauati mores corrigerentur, & hæretici damnarentur, Principésque ac Populi ad sacram hanc expeditionem adducerentur, vt referunt Abbas Vspergensis, qui eo tempore floruit, per hæc verba: *Anno ab incarnatione Verbi* 1215. *celebrata est sancta vniuersalis Synodus Romæ in Ecclesia Saluatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Nouembri, præsidente Domino Innocentio Papa III. Pontificatus eius anno* 18. *in qua fuerunt Episcopi* 412. *inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, Constantinop. & Hierosolym. Antiochenus verò graui languore detentus venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Anteradensem Episcopum. Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum suum Germanum. Primates autem & Metropolitani* 71. *& Priores vltra octingentos.* Mattheus Paris. *in eodem anno*, Spondanus & Odoricus Raynaldus *anno* 1215. Corjolanus & Seuerinus Binius *in notis ad ipsum Concilium.* Dictum fuit Lateranense, quia celebratum fuit in Ecclesia Lateranensi constructa anno 315. in edibus egregiis Lateranensibus, de qua plura refert Gabriel Pennotus *lib.* 3. *hist. Canonic. regul. cap.* 1. *&* 2. In hoc Concilio approbata fuit vox *Transsubstantiationis*, vt ex hoc textu constat, & refert Corjolanus *in Breuiario, anno* 1215. etsi iam cognita esset, & à Patribus vsitata, vt probabimus *in cap. cum Marthæ, de celeb. Miss.* In hoc Concilio reperitur præsens fidei professio, & in quarta collectione, vbi Innocentius III. apposuit titulum hunc *de Summa Trinitate*, qui in aliis collectionibus desiderabatur; & huius textus meminit Paul. Æmilius *in Philip. Hug.*

3. EXPONITVR PRÆSENS INSCRIPTIO.

Pro huius & similium inscriptionum explicatione sciendum est, constitutiones à Raymundo ex Conciliis in hoc Decretalium corpore transcriptas aliquando proponi sub nomine Romani Pontificis, vt nostra, quæ deducta est ex Concilio Lateranensi 3. & tamen Innocentius III. vt eius author proponitur, & *in cap. licet, 6. cap. ne pro defectu*, 41. *de electione, cap. nonnulli*, 27. *de rescriptis, cap. Episcopus* 4. *cap. de multa* 28. *de præbendis, cap. cùm ex eo, de pœnitentiis*, & passim: quandoque transcribuntur sub ipso Concilio, ex quo deductæ sunt, vt *in cap.* 2. *de electione, cap.* 1. *de pactis, cap.* 1. *de Bigamis non ordinandis, cap.* 1. *de sponsalibus*; & in aliis nulla Pontificis, cuius authoritate congregatum fuit Concilium

Concilium, mentione factâ. Circa cuius diuersitatis rationem reddendam varij varia dixerunt. Abbas Panormitanus, & Felinus *in cap. 1. de pactis*, asserunt discriminis rationem in eo consistere, vt si proponatur decisio, quæ à Concilio habet originem & progressum, edatur sub nomine Concilij, tanquam ex eo dimanans: si verò res de qua agebatur habuit originem à Pontifice, cum assensu tamen, & suffragiis Concilij decisa fuit, nomine ipsius Pontificis circumferatur. Ita componunt & exponunt prædicta iura, & alia similia. Sed eâ reiectâ ratione diuersimodè exponere intendit Germonius *lib. 2. animadu. cap. 1.* asserens, tunc constitutionem conciliarem edi sub nomine Pontificis, licèt ex Concilio dimanauerit, cùm Concilium œcumenicum generale congregatum fuerit, vt in nostro textu, & *in dicto cap. licèt*, cum aliis. Tunc verò constitutionem Concilij nomine transcribi, cùm Concilium est prouinciale, vt *in dicto cap. 1. de pactis*, & aliis. Sed hæc sententia refellitur ex eo, nam Concilium Sardicense generale fuit, vt aliqui tenent relati *in cap. 2. de electione:* sed decisiones ex eo deductæ, vt sunt textus *in dicto cap. 2.* & *in cap. 1. de clericis non residentibus*, eduntur sub nomine Concilij: ergo prima pars distinctionis sustineri nequit. Deinde, nam Concilium Turonense temporibus Alexandri III. celebratum, anno 1624. prouinciale fuit, & tamen textus *in cap. maioribus 8. de præbendis*, Alexandro III. tribuitur. Igitur ex vtroque latere prædicta distinctio claudicat. His & aliis omissis reor aliunde petendam esse discriminis rationem; videlicet, aut edi constitutionem ex Concilio, in quo interfuit Romanus Pontifex; & tunc edi sub nomine ipsius Pontificis, non verò Concilij: aut decisionem transcribi ex Concilio, in quo Pontifex non adfuit; & tunc nomine ipsius Concilij constitutiones in hoc Decretalium corpore proponi. Vnde cùm in Concilio Lateranensi, de quo in nostro textu, & Concilio generali, cuius mentio fit *in dicto cap. licèt*, *cap. ne pro defectu*, adfuisset R. Pontifex, ideo eius nomine eduntur illius Concilij decreta: at cùm in Conciliis Sardicensi, Africano, Aurelianensi, de quibus *in dicto cap. 1. de pactis*, *cap. 2. de electione*, *cap. 1. de bigamis*, non interfuisset R. Pontifex, Concilij nomine transcribuntur. Quæ discriminis ratio accuratè obseruanda est; magna enim huius animaduersionis vtilitas sequitur ad resolutiones, tum scholasticas, tum forenses, quas prosequitur noster Primarius Balboa *in cap. 1. de iudiciis, n. 2.* Barbosa *in cap. dilectus, 19. num. 4. de præbendis*, & *dignit.*

4. c *Deus.*] Quod & plures Gentiles adhuc suâ tenebrosâ caligine opacati censuerunt, & approbarunt, vt latè illustrat Elias Æschedius *de Diis Germanorum, cap. 12.*

5. d *Essentia.*] Quod Sabelliani, Patri-Passiani, & Priscillianistæ negabant, docendo personas diuinas non essentiâ distinctas esse, quos Hispaniæ nostræ sacri Proceres damnarunt in Concilio Toletano I. in assertione fidei: *Si quis dixerit, atque crediderit, Deum Patrem eundem esse Filium, vel Paracletum, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit, Filium eumdem esse Patrem, vel Paracletum, anathema sit. Si quis dixerit, vel crediderit, Paracletum esse vel Patrem, vel Filium, anathema sit.* Bracharensi I. *cap. 1. Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non confitetur tres personas vnius substantiæ, & virtutis, ac potestatis, sicut Catholica, & Apostolica Ecclesia docet; sed vnam tantùm, ac solitariam dicit esse personam, ita vt ipse sit Pater, qui Filius, ipse etiam sit Paracletus Spiritus, sicut Sabellius & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Toletanum 3. ante canones: Toletanum 11. in confessione fidei: refert Anton. Augustinus *in epitome iuris, lib. 11. titulo 27.*

e *Compositus.*] Hoc negabant Photiniani, Apollinaristæ, & alij, quorum errores damnarunt Patres in V. Synodo CP. *collectione 8. cap. 11.* VII. Synod. *in epistola ad Constantinum, & Irenem*, Leo, Damasus, Caius, & alij relati ab Antonio Augustino *in epitome lib. 11. titulo 35.* 6.

f *Gestant.*] Hoc totum negabant Manichæi, & Priscillianistæ, quorum hæreses damnarunt Leo Papa *epist. 91. cap. 8.* his verbis: *Plasmationem humanorum corporum, figmentum esse diaboli, error Manichæorum & Priscillianistarum: qui item hæretici, carnis resurrectionem negabant.* PP. Concilij Carthag. relati *in cap. Episcopus, 2. 23. dist. Quærendum si credat huius, quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem.* Concilij Tolet. 11. *in prolog. Hoc exemplo Capitis nostri confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum; neque in aëre, vel alia qualibet carne, vt quidam delirant, resurrecturos nos credimus; sed in ista, quâ viuimus, consistimus, & mouemur.* Alij SS. quorum sacra testimonia collegit Antonius Augustinus *in epitome Iuris lib. 11. titulo 38.* 7.

g *Vna verò.*] Vnitatem Ecclesiæ non tantùm vnitate ordinis, verùm & vnitate formæ, ex variis SS. PP. testimoniis probant Petrus Gregorius, & Prosper Fagnanus in præsenti; P. Suarez *aduersus Regem Angliæ, in principio.* Becanus *lib. 3. opusc. vlt.* Corjolanus *in summa Concil. prælud. 9.* Frat. Antonius Perez *in Pentatheuco fidei, cap. 1. dubio 19.* 8.

h *Continentur.*] Corpus Christi verè & realiter esse in sacramento Eucharistiæ, negarunt Berengarius, & reliqui Sacramentarij, *cap. ego 42. de consec. dist. 2.* quos variis authoritatibus SS. PP. & Conciliorum refellit Gratianus *integra dist. 2. de consecr.* 9.

i *Baptismi.*] Pelagius, & Cœlestius impugnarunt baptismum paruulorum: sed necessarium esse ad salutem iam docuerunt, & statuerunt R. Pontifices, Clemens *epist. 4. post medium*, Gelasius *epist. 1. cap. 12.* Leo Magnus *epist. 84. & 91. cap. 9.* Gregorius Magnus *lib. 5. epist. 14.* & *lib. 7. epist. 47. & 53.* quorum, & aliorum verba refert Antonius August. *in epitome iuris lib. 11. titulo 12.* 10.

k *Reparari.*] Ideo dicitur secunda tabula post naufragium, *cap. 72. de pœnitentia dist. 1.* Tridentinum *sessione 6. canone 14.* & *sessione 14. de pœnitentia, can. 2.* Moguntinum sub Paulo III. *can. 10.* D. Hieronymus *tomo 1. epist. 8.* qui de pœnitentia loquens ait: *Illa quasi secunda post naufragium miseris tabula sit.* Notarunt Viualdus *in candelabro, titulo de pœnitentia, numero 4.* Medina *eodem tractatu, in principio*, Valentia *tomo 4. eodem tract. disput. 7. quæst. 1. puncto 4.* Suarez *de pœnitentia disput. 1. numero 4.* Becanus *de sacramentis, cap. 29. de pœnitent. q. 2.* Martinon *eodem tract. in principio.* 11.

l *Coniugati.*] Iam à vernantis Ecclesiæ temporibus fuerunt hæretici, qui nuptias & procreationem damnarunt, de quibus in vniuersum Tertullianus *in principio libri de monog. Hæretici*, inquit, *nuptias auferunt, Psychici ingerunt.* Eos diuino Spiritu præmonente damnauit 12. NVPTIAS QVI DAMNARVNT.

Apoſtolus 1. *ad Timoth. cap.* 4. vbi poſt Chryſoſtomum & Ambroſium nouiores. Tales autem poſt Tacianum, Ebionem, Saturninum, & alios, Marcion, Apelleſque, & eius ſectatores, de quibus Tertullianus *lib.* 1. *ad vxorem, c.* 3. & *de præſcrip. aduerſus hæreſes, cap.* 33. *Paulus*, inquit, *Timotheum inſtruens, nuptiarum quoque interdictorem ſugillat: ita inſtituunt Marcion, & Seuitor Appelles.* In eoſdem inuehitur *lib.* 4. *aduerſus Marcionem, cap.* 11. & 34. & *lib.* 5. *cap.* 15. & pleniſſimè *lib.* 1. *cap.* 29. vbi inter alia ait: *Iam verò ſementem generis humani compeſcere totum, neſcio an hoc quoque optimo Deo congruat.* De eiſdem ex Diuo Irenæo 1. *contra hæreſes, cap.* 22. & 30. latè Euſebius *lib.* 4. *hiſt. Eccleſ. cap.* 27. Nicephorus *lib.* 4. *hiſtoriæ, cap.* 3. & 11. Clemens Alex. *lib.* 3. *ſtromat.* quem non nominatim contra Marcionem ſcribere inconſpectè negat vir aliàs doctus Pamelius. Verba latinè reddita à Gentiano Herboto: *Iam verò, ſi & ipſe Plato, & Pythagoras, ſicut etiam poſteà Marcioniſtæ, malam exiſtimarunt eſſe generationem, longè abfuit vt communes ipſe poneres vxores: ſed Marcioniſtæ quidem dicunt, malam eſſe naturam, ex mala materia, & à iuſto factam opifice, & creatore; qua quidem ratione nolentes implere mundum, qui factus eſt à creatore, volunt abſtinere nuptiis.* D. Ambroſius *lib. de Virginibus*, ibi: *Dicet aliquis; Ergo diſſuades nuptias? Ego verè ſuadeo, & eos damno qui diſſuadere conſueuerunt.* Et paulò poſt: *Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & debitam per ſucceſſionem ſeriem, generis ſocietatem damnat humani.* Atque inibi tandem: *Vnum ſanè, licèt ſacrilegi homines habent, quod in iis etiam à ſapientiſſimis probetur, qui coniugia damnando, profitentur quod ipſi non debuiſſent naſci.* Tales etiam Manichæus & Priſcillianus, quorum error damnatur à S. Leone *epiſt.* 91. *cap.* 9. *Priſcillianiſtæ nuptias damnant, & procreationem naſcentium perhorreſcunt; in quo, ſicut penè in omnibus, cum Manichæorum profanitate concordant: quia non eſt illic libertas turpitudinis, vbi pudor matrimonij ſeruatur, & ſpes ſobolis.* PP. Concilij Bracharenſis 1. *can.* 11. *Si quis coniugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Tolet. 12. *can.* 8. Damnarunt etiam in vniuerſum Apoſtoli *can.* 61. PP. Concilij Gangrenſis *can.* 1. 9. & 10. quos Gratianus tranſcripſit *in cap. ſi quis* 4. *cap. ſi quis nuptias* 12. 30. *diſt. cap. quicunque* 9. 31. *diſt.* Sed hæc aliis relinquamus alias etiam hæreſes referentibus & refellentibus: videndi ſunt Photius *in nomocanone, tit.* 13. *cap.* 11. Baronius *tom.* 1. *anno* 57. *num.* 191. Bellarm. *lib. vnico de matrim. cap.* 1. Seuerinus Binius *in notis ad can.* 50. *Apoſt.* Creſpetius *in ſumma, verbo Nuptiæ licitæ.* Anton. Auguſt. *in epitome lib.* 11. *tit.* 30. & *lib.* 28. *tit.* 1. Franciſcus Valens *in concordia, fol.* 270.

CAPVT SECVNDVM.

Idem *in* [a] *eodem.*

DAmnamus ergo, & reprobamus [b] libellum, ſeu tractatum, quem Abbas [c] Ioachim edidit contra Magiſtrum Petrum [d] Lombardum de vnitate, ſeu eſſentia Trinitatis, appellans ipſum hæreticum, & inſanum; pro eo quod in ſuis dixit ſententiis, quoniam quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; & illa non eſt generans, nec genita, nec procedens: vnde aſſerit, quod ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem adſtruebat in Deo, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam, quaſi quartam: manifeſtè proteſtans, quod nulla res eſt, quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, nec eſt eſſentia, nec ſubſtantia, nec natura; quamuis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vna eſſentia, vna ſubſtantia, vnaque natura. Verùm vnitatem huiuſmodi, non veram & propriam, ſed quaſi collectiuam, & ſimilitudinariam eſſe fatetur; quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Eccleſia; iuxta illud, Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: &, Qui Deo adhæret, vnus ſpiritus eſt cum illo. Item, Ille qui plantat, & qui rigat, vnum ſunt: &, Omnes vnum corpus ſumus in Chriſto. Rurſus in lib. Regum, Populus meus, & populus tuus, vnum ſunt. Ad hanc autem ſuam ſententiam adſtruendam, illud potiſſimùm verbum inducit, quod Chriſtus de fidelibus inquit in Euangelio: Volo pater, vt ſint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus: vt ſint conſummati in vnum. Non enim (vt ait) fideles Chriſti ſunt vnum, id eſt quædam vna res, quæ communis ſit omnibus; ſed hoc modo ſunt vnum, id eſt vna Eccleſia, propter Catholicæ fidei vnitatem; & tandem vnum regnum, propter vnionem indiſſolubilis charitatis, quemadmodum in canonica Ioannis Apoſtoli epiſtola legitur: Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Statimque ſubiungitur: Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt, ſicut in quibuſdam codicibus inuenitur. Nos autem, ſacro approbante Concilio, credimus & confitemur cum Petro Lombardo, quòd vna quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; tres ſimul perſonæ, ac

ſigillatim

ſigillatim quælibet earumdem: & ideo in Deo ſolummodo Trinitas eſt, non quaternitas; quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura diuina: quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quod aliud inueniri non poteſt: & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens: ſed eſt Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus ſanctus, qui procedit: vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura. Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud: ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus ſanctus idem omnino: vt ſecundùm orthodoxam, & catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, iuxta quod ipſe teſtatur: Pater quod dedit mihi, maius omnibus eſt. Ac dici non poteſt, quod partem ſubſtantiæ ſuæ illi dederit, & partem ipſe ſibi retinuerit: cùm ſubſtantia Patris indiuiſibilis ſit, vt pote ſimplex omnino. Sed nec dici poteſt, quod Pater in Filium tranſtulerit ſuam ſubſtantiam generando, quaſi ſic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipſam ſibi: alioquin deſiiſſet eſſe ſubſtantia. Patet ergo, quòd ſine vlla diminutione Filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit; & ita Pater & Filius habent eandem ſubſtantiam; & ſic eadem res eſt Pater & Filius, necnon & Spiritus ſanctus ab vtroque procedens. Cùm ergo veritas pro fidelibus ſuis orat ad Patrem: Volo (inquiens) vt ipſi ſint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus: hoc nomen vnum, pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia: pro perſonis verò diuinis, vt attendatur identitatis vnitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt: ac ſi diceret manifeſtiùs, Eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt perfectione naturæ, vtraque videlicet ſuo modo: quia inter creaturam & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos maior ſit diſſimilitudo notanda. Si quis igitur ſententiam, vel doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus euitetur. In nullo tamen propter hoc [e] Florenſi monaſterio (cuius ipſe Ioachim extitit inſtitutor) volumus derogari: quoniam ibi & regularis eſt inſtitutio, & obſeruantia ſalutaris: maximè cùm ipſe Ioachim omnia ſcripta ſua nobis adſignari mandauerit, Apoſtolicæ Sedis iudicio adprobanda, ſeu etiam corrigenda, dictans epiſtolam, quam propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ (diſponente Domino) cunctorum fidelium mater eſt & magiſtra. Reprobamus etiam, & condemnamus peruerſiſſimum dogma impij [f] Almarici, cuius mentem ſic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica, quàm inſana ſit cenſenda.

NOTÆ.

1. a *Eodem.*] Ita etiam legitur in quarta collectione ſub hoc titulo, *cap.* 2. id eſt, Innocentius tertius in eodem Concilio Lateranenſi, *cap.* 2.

2. b *Libellum.*] non fuit damnatus author, Abbas videlicet Ioachim, ſed eius libellus principaliter: damnato enim authore, & eius ſcripta damnata videntur, *cap. fraternitatis* 4. *de hæreticis*, vbi dicemus.

3. c *Ioachim.*] Monachus Benedictinus, qui conſtruxit monaſterium Florenſe, vir in Sacris Scripturis perdoctus, ſcripſit commentaria in Iſaiam, Hieremiam, & Apocalypſin; circumferuntur etiam eius nomine vaticinia de futuris Religionibus, aliiſque rebus, vt eximiis laudibus illum extollentes tradunt Iacobus Græcus *in eius vita*, Viuar. *in apologia pro Flauio Dextro*, *num.* 12. Gabriel Pennotus *lib.* 1. *hiſt. Canonic. Regul. cap.* 51. Bellarm. *de Scriptoribus Eccleſ. ſæculo* 12. *pag. mihi* 241. Peña *in addit. ad direct. Inquiſit.* 1. *parte*, *pag.* 4.

4. d *Petrum Lombardum.*] Patriâ Nouarienſem, Epiſcopum Pariſienſem, vulgò Magiſtrum ſententiarum appellatum, qui librum I. Sentent. de Trinitate & Vnitate Dei ſcripſit, quam partem, præcipuè diſtinctionem quintam, impugnauit prædictus Abbas Ioachim, adſtruens in Trinitate vnitatem, non illam quidem propriam & eſſentialem, quam Catholici profitemur, ſed collectiuam, & ſimilitudinariam, ſicut multi homines dicuntur vnus populus; idque probabat loco peruersè intellecto Ioannis *cap.* 17. vt referunt Baronius *anno* 1164. Cabaſſutius *in notitia huius Concily*, Primarius noſter Illuſtriſſimus Mantrique, Epiſcopus Pacenſis, *tomo* 4. *annal. Ciſterc. anno* 1215. *cap.* 5. De Petro Lombardo, & eius ſcriptis vltra illius expoſitores plura tradunt Bellarminus *de Scriptoribus*, *pag.* 231. Franciſcus Valens, & Petrus Gregorius in præſenti. 5.

e *Florenſi monaſterio.*] Cùm in Concilio Lateranenſi non Ioachim Abbas, ſed libellus ipſius damnatus eſſet, ne eius detractores in ipſum, atque eius monaſterium inueherentur, Innocentius declarauit, Florenſi monaſterio prædictam libelli damnationem non obeſſe, & Honorius III Innocentij ſucceſſor intra ſexennium ſimilem expediuit declarationem in gratiam vtriuſque, Abbatis videlicet, & monaſterij: cuius declaratio nis verba ex Bibliotheca Vaticana refert Peña *vb ſuprà*, quæ ſic ſe habent: *Honorius, & cætera Conſentino Archiepiſcopo Biſinacenſi. Ex parte dilectorum filiorum Abbatum, & Conuentuum de ordine*

Floris, tam capitis, quàm membrorum, fuit propositum coram nobis, quod is, qui saluti hominum inuidet, & quieti, occasione assumpta ex eo, quod libellus, quem Abbas Ioachim contra bonæ memoriæ Magistrum Petrum Lombardum edidit, in generali fuit Concilio condemnatus, contra eos nonnullos, tàm clericos, quàm laicos, Prælatos, & subditos concitauit: qui, vt ipsos ab otio contemplationis auertant, & funes extendentes in laqueum pedibus eorumdem, ponant eis scandalum iuxta iter, ipsis obiiciunt exprobrando, quod idem Abbas, qui pater, & institutor fuit Ordinis eorumdem, hæreticus ab Ecclesia Dei habetur: propter quod non solùm simplices lactis participes à consortio eiusdem Ordinis auertuntur, sed etiam fortes, qui vti cibo solido didicerunt, & ad discretionem boni, & mali exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa instituta eiusdem Ordinis incipiunt fluctuare. Licèt igitur prædictus libellus, siue tractatus, condemnatus fuerit in Concilio memorato; quia tamen ipse Ioachim omnia scripta sua Romano mandauit Pontifici assignari, Apostolico iudicio approbanda, seu corrigenda, & dictam epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confessus se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est & magistra; F. T. per Apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publicè nuntiari, quod eum virum catholicum reputamus, & regularem obseruantiam, quam instituit, salutarem. Eos qui Ordini memorato ex hoc detrahere, vel insultare præsumpserint, mo. præm. sub. Apost. ob. castig. dat. Lateran. XIII. Kalendas Ianuarij, anno 5.

6. f *Almarici.*] Almaricus hic, siue Amoricus (hoc duplici nomine vocat eum Gualterus *sæculo* 13. *cap.* 1.) natione Gallus, patriâ Carnotensis, Theologus Parisiensis, cùm apud Parisios non paruam doctrinæ opinionem obtineret, in varios errores incidit, quos referunt Eymericus *in direct. Inquisit. parte* 2. *num.* 3. Prateolus *verbo Almaricus*, Bzouius *anno* 1215. *n.* 2. Sallelles *lib.* 3. *de materiis tribun. cap.* 15. *regula* 274. Inter quos illum magnoperè fouebat, videlicet, verum Christi corpus non esse magis sub Eucharistia, quàm in alia qualibet re. Vnde hanc propositionem non tam hæreticam, quàm insanam esse censuerunt PP. Concilij Later. in præsenti; ille tamen, ac eius sequaces refossis ossibus Lutetiæ vsti sunt, vt referunt Ganguinus *lib.* 6. *sub Philippo*, Sanderus *lib.* 7. *de visibili Monarch.* Genebrardus *lib.* 4. *chronograph.* & ex eis Sallelles *vbi suprà.* Rigordus, & Robertus Polonus, quos referunt Altesserra & Florens *vbi suprà.*

Huius textus historiam, & occasionem libelli scripti à Ioachimo Abbate ex eo repetit Seuerinus Binius in notis ad hoc Concilium Lateranense, quòd cùm Alexander III. aliquorum relatu accepisset Magistrum Petrum Lombardum in quibusdam scriptis suis à fidei articulis recedere, ad Vvilhelmum Senonensem Archiepiscopum sub hac forma litteras direxit.

ALEXANDER EPISCOPVS,
Seruus seruorum Dei. Vvilhelmo Senonensi Archiepiscopo, salutem.

„ CVm in nostra olim esses præsentia constitu-
„ tus, tibi viua voce iniunximus, vt suffra-
„ ganeis tuis Parisiis tibi adscitum ad abrogatio-
„ nem prauæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis
„ Episcopi, quâ dicitur: Quod Christus secundùm
„ quod est homo, non est aliquid, omnino in-
„ tenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde
„ siquidem est, quod fraternitati tuæ per Aposto-
„ lica scripta mandamus, quatenus, quod tibi
„ cùm præsens præcepimus, suffraganeos tuos Pa-
„ risios conuoces, & vnà cum aliis viris religio-
„ sis, & prudentibus, præscriptam doctrinam
„ studeas penitus abrogare, & à Magistris Scho-
„ laribus ibidem in Theologia studentibus, Chri-
„ stum, sicut perfectum Deum, sic & perfectum
„ hominem, ac verum hominem, ex anima
„ & corpore consistentem, præcipias edoceri:
„ vniuersis firmiter, & districtè iniungens, quod
„ doctrinam de cætero illam nequaquam docere
„ præsumant, sed ipsam penitus detestentur.]

Hactenus Alexander. Coniectatur ergo Binius Ioachimum Abbatem inuitatum, & exhortatum à Præsule Senonensi, impugnasse Petrum Lombardum, non solùm in his, quæ refellenda erant, verùm in aliis articulis veris, & orthodoxis. Ioachimus autem omnia correctioni sanctæ Matris Ecclesiæ subiecit; vnde propter hanc pronam ad corrigendum voluntatem, non ipse, sed eius libellus damnatus fuit.

Commentarium huius tituli omitto, quia interioris Philosophiæ est; vltrà non licèt attingere, nam & præstat alioqui multa securè prætermittere, quàm cum periculo dicere. Videndi sunt D. Thomas *opusculo* 2. 3. & 24. Canus *lib.* 12. *de locis*, *cap.* 7. Peña *ad directorium Inquisitorum*, Prosperus Fagnanus *in præsenti.*

TITVLVS SECVNDVS.

De Constitutionibus.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio [a] *Meldensi.*

VT [b] canonum statuta sine præiudicio ab omnibus custodiantur, & nemo in [c] actionibus vel iudiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum authoritate ducatur. In exponendis etiam sacris Scripturis Sanctorum, Catholicorum, & probatissimorum Patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, vt Beatus dicit

dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillet. Sed & qui in suis monasteriis religiosè residere debent, & vocum nouitates, vt innotescant, studio proferre satagunt, acerrimè vt præsumptores arguantur, & comprimantur.

NOTÆ.

1. MELDENSIS CONCILII HISTORIA.

a *Meldenſi.*] Ita etiam legitur in 1. collectione, sub hoc titulo, *cap.* 1. & apud Burchardum *lib.*2. *decreti, cap.* 61. Carnotensem *parte* 5. *decreti*, *cap.*171. & apud Antonium Augustin. *in epitome iuris lib.*5. *titulo* 10. *cap.*49. Meldis vulgò dicta *Meaux*, nobilis ciuitas est Galliæ Celticæ, cuius meminerunt Turonenſis *lib.* 5. *cap.*1. Ptolomeus *lib.*2.*cap.*8. Plinius *lib* 4.*cap.*18. in qua celebratum fuit hoc Concilium Meldense anno 845. 15. kalendis Iulij, vt testantur Binius, & Sirmundus *in notis ad illud.* Congregatum fuit ad reformationem morum, & Regis Lotharij, qui facilè Ecclesiasticas res laicis possidendas tradebat; in eoque petierunt Patres ab ipso Rege, vt capitula à Carolo Magno, & Ludouico Pio prædecessoribus facta promulgare, & obseruare faceret, vt refert Baronius *in dicto anno*, *n.*52. & constat ex canone 78. ipsius Concilij. Canones enim Galliæ, de quibus *in cap.ſi quis Diaconus*, 50. *diſt.* tanquam inutiles, quosdam Romanos reiecisse conqueritur Agobardus Lugdun. Episc. contra legem Gundevaldi: sed melius est horum canonum sequi authoritatem, quàm proprium sensum. Eius Concilij fragmenta extant *in cap. præcaria*, 4. 10. *quæſt.*2.*cap.*1.28. *quæſt.*2 *cap.de illis* 6. *quæſt.*3. *cap. cauendum* 3. *cap. quod* 7. 1. *quæſt.* 7. *cap. nemo* 41. 11. *quæſt.* 3. *cap. quicumque* 6. 23. *quæſt.* 8. *cap. ſi autem* 36. *quæſt.*2. *cap. Eccleſiæ* 18. *de conſecratione diſt.* 1. *cap. vt Epiſcopi* 7. *de conſecratione diſt.* 5. & præsens textus reperitur *in can.* 11. ipsius Concilij: in editionibus verò Binij, & Regia Parisiensi, *in can.* 34. ex quo integrum restituo.

2. b *Canonum ſtatuta.*] Generalia, interpretatur Glossa, quam sequuntur in præsenti Baldus *columna* 1. Ferretus *num.*3. Burgos *num.*22. Mandosius *num.* 9. Sed contrarium, videlicet, tam statuta generalia, quàm prouincialia comprehendi in hoc textu, docuerunt in præsenti Decius, Panormitanus, Immola, Cardinalis Veronius, Riminaldus Lælius, Mancinus *genialium cap.* 224. quorum sententia verior est, iuxta ea, quæ in solutione secundæ difficultatis dicemus. Et licèt statuta plerumque ius peculiare ciuitatis, seu municipij significent, *cap.*1.*hoc tit.in* 6. *cap.ſtatutum* 9. *de hæreticis lib.*6. tamen ius commune, & generale sæpius demonstrant, *cap. ſtatum* 22. *de electione in* 6. *cap. ſtatutum, de reſcriptis*, *eodem lib. cap. ſtatutum* 15. *cap. ſtatuta* 20. *de hæreticis*, *eodem lib. cap.* 1. §. *vlt. de appellat. eodem lib. cap. regula*, §. *porrò* 3. *diſt.* notauit Mancinus *dict.cap.*224.

3. c *Actionibus.*] Criminalibus, exponit Glossa; ita vt actio ad criminales, iudicium ad ciuiles referantur. Sed cum actionis acceptio non semper ad ius persequendi, seu agendi in iudicio referatur, vt probant Petrus Gregorius 3. *parte ſyntagmatum*, *lib.*21. *cap.*8. *num.* 9. Brissonius, Othomanus, & Prateius verbo *actio*, rectiùs credo actiones in hoc textu referri ad extraiudiciales actiones, quod & docuit Ferretus hîc, & infrà explicabimus.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX hoc Meldensis Concilij canone communiter talis deducitur assertio. *Canonum ſtatuta ab omnibus* (*tam in actionibus, quàm in iudiciis*) *debent cuſtodiri.* Eam probant textus *in cap. Eccleſiaſticarum, diſt.* 11. *cap. finali*, *diſt.* 14. *cap. quoniam* 7. *diſt.* 16. *cap.*1. *diſt.*14. *cap. de libellis* 20. *diſt. cap. relatum*, 14. *diſt.*37. *cap. nulli* 4. *cap. placuit* 7. 38. *diſt. cap. iudicet* 4. 3. *quæſt.*7. *cap. etſi illa* 23. 1. *quæſt.* 7. *cap.*2. 12. *quæſt.* 1. *cap. nulli*, *cap. violatores* 5. *cap. contra* 7. *cap. hac* 13. *cap ideo* 16. 25. *quæſt.* 1. *cap. ne innitaris* 5. *hoc titulo.* Concilium Cabilonense 2. *can.* 9. *Canonum ſtatuta ab omnibus intemerata ſeruentur.* Chalcedonense *canon.* 1. ibi: *Canones à ſanctis Patribus in vnaquaque Synodo hucuſque poſiti ſeruentur.* Nicænum 2. *can.* 1. Synodus 8. sub Adriano, *cap.*1. & 2.Lateranensis sub Martino I. *can.*17.18.& 20. Carthag.2. *can.*13. *Omnia, quæ à veſtro cœtu glorioſiſſimo ſtatuta ſunt, placet ab omnibus cuſtodiri.* Aurelian. 3. *can.*32. *Nec ignorare quemquam, nec diſſimulare, id eſt prætermittere permittitur.* Aurelian.4. *can.*16. Bracharense I. *can.*40. *Præcepta antiquorum canonum, quæ modò in Concilio recitata ſunt, nullus audeat præterire.* Bracharense 2. *in fine.* Toletanum 3. *can.*1. Matisconense *can.*9. Toletanum 8. *can.*11.& 12. Toletanum 12.*can.*9. Trident. *ſeſſione* 25.*de reformat. can.*18. *l.omni* 6. *Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis*, *l.ſacris* 45. *Cod.de Epiſcopis*, & *clericis.* Consonat lex 15. *titulo* 16.*partita* 1. Alia iuris testimonia congerit Antonius Augustin. *in epitome lib.*1. *tit.*17. & *lib.*5. *tit.*10. Illustrant prædictam conclusionem Petrus de Ancharano, Baptista Ferrerius, Ant. de Burgos, Andreas ab Exea, Franciscus Coccius *in repetitionibus ad noſtrum textum*, extant *tomo* 1. *repetitionum iuris canonici*, Martinus Vranius, Millianus, Riminaldus, Fagnanus *hîc*, & noster Primarius D.Roque de Bergas *in hoc textu:* plures relati à Cenedo *ad Decretales collectione* 84. Barbos. *in præſenti*, Suarez de legibus *lib.*1. *cap.*6.*num.*5. Balsamon *in nomocanone*, *tit.*1. *cap.*2. Cironius *ad titulum de regulis iuris*, Franciscus Valens 2.*tomo concordiæ,in præſent.* Pater Azor *tomo* 1. *inſtitutionum*, *lib.*4.*cap.*5.

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed in hanc assertionem ita iuribus roboratam, & authorum fulcro munitam insurgi potest sequenti consideratione: Si omnes tenerentur, & ligarentur statutis sacrorum Canonum, tam fideles iusti, quàm alij viatores; tam Ecclesiastici, quàm laici; tam subditi, quàm extranei deberent ea obseruare: Sed prædictæ personæ non ligantur legibus Ecclesiasticis: Ergo prædicta assertio generaliter, & indistinctè sustineri nequit. Probatur minor. Primò ex eo, nam fideles liberati sunt à legibus hominum per Christum, vt docet D.Paulus 1. *ad Corinthios cap.* 6. Vnde Dominus apud Matthæum *cap.*23.reprehendit scrutantes mandata hominum: & Apostol. 1. *ad Timoth.*6. *cap.*1. ait: *Iuſto non eſt lex poſita.cap.*2.19.*quæſt.*2. & ad Galatas *cap.*5. inquit: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege:* & *cap.*7. *ad Rom. Nunc autem ſoluti ſumus à lege, in qua detinebamur:* Ergo fideles iusti non tenentur Canonum statutis. Secundò probatur; nam laici legibus, seu statutis temporalibus Conciliorum

ciliorum non obſtringuntur, vt probant Turiſcremata in ſumma Eccleſiæ *lib.2.2.parte*, *cap.*103. Victoria *in relectione de poteſtate Eccleſiæ*, *quæſt. penult.* Bellarminus, & alij quos refert Salas *de legibus diſput. 7. ſectione 4. num.*30. Suarez *eodem tract.lib.4. cap.*17. Diana *1.parte, tract.1. reſolut.1. & 2.* In orbe enim Chriſtiano duæ ſunt poteſtates diſtinctæ; ſcilicet ſpiritualis, quæ reſidet penes Summum Pontificem, & Eccleſiæ Prælatos; & ſæcularis, competens Regibus, & ſæcularibus Magiſtratibus, *cap.2. 96. diſt. cap. conuenior*, 23. *quæſt.8.cap. ſolitæ, de maiorit.& obed.extrauag. vnam ſanctam, eodem titulo*; nec altera alteri præiudicare debet, *cap.Imperium, cap. quoniam, diſt.*10. *cap. ſi Imperator* 96. *diſt.* Elfricus Hunnius *in Encyclop. de legibus, cap.*3. Igitur ſicut Principis ſæcularis legibus, aut ſtatutis laicorum non ligantur Eccleſiaſtici, *cap. Eccleſia, c.cum* 8. *hoc titulo*; ita nec laici Epiſcoporum ſtatutis obſtringi debent. Tertiò probatur ipſa minor; nam ſubditi alieni conſtitutionibus alieni Paſtoris non tenentur, *cap.2. de conſtit.lib.6.* plures enim ſunt conſtitutiones locales, quibus non omnes ligantur, *cap. ſciendum*, 29.*diſt.cap. ſtatuimus*, §. *his*, 61.*diſt. cap.cùm longè*, 63. *diſt.* Igitur non rectè in Concilio prouinciali Meldenſi abſolutè ſtatutum fuit, Canonum ſtatuta ab omnibus eſſe cuſtodienda.

6. ECCLESIA HABET POTESTATEM LEGISLATIVAM.

Hac tamen dubitandi ratione non obſtante, vera eſt ſuprà relata concluſio, videlicet canonum ſtatuta ab omnibus eſſe cuſtodienda. Pro cuius exactiori expoſitione ſciendum eſt, in Eccleſia eſſe poteſtatem legiſlatiuam, & Romanum Pontificem tanquam eius caput, poſſe vniuerſali Catholicæ Eccleſiæ leges indicere, ex poteſtate ſibi à Chriſto Domino conceſſa, per illa verba; *Quodcumque ligaueris ſuper terram*: & illa, *Tu es Petrus*; quæ referuntur *in cap.* 16. *D.Matthæi*, *in cap. in nouo*, 21. *diſt. cap. quodcumque*, 24. *quæſt.1. cap.nouit, de iudiciis*: & probatur ex definitionibus Eccleſiæ, in quibus hæc veritas ſtabilitur. Concilio Conſtantienſi *ſeſſione* 8. *&* 15. in Bulla Leonis: etſi fremant hæretici, qui tantùm in Deo agnoſcunt poteſtatem legiſlatiuam,non verò in hominibus, vt Vvaldenſes, Lutherus, & alij, quos refellunt D. Thomas *lib.1. de regim. Principum, cap.*1. Victoria *in relectione de poteſtate ciuili*, Bellarm. *lib.3.de laicis, cap.2.& lib.4.de Rom.Pontifice, cap.*15.*vſque ad* 22. Caſtro *lib.1.de lege pœnali, cap.*4.Azor *tomo 1.inſtit. lib.5. cap.6.quæſt.1.* Alarus Pelagius *de planctu Eccleſiæ, cap.*68. Salas *de legibus diſput.*8.*ſect.*2. Suarez *eodem tract. lib.4.c.1.* Paulus Layman *in ſumma tract.4.de legib.c.4.§.1.* Gretſerus *pro Bellarmino lib.4.cap.5.* Mathias Bredembachius *lib. 4. antiperapiſtkis, cap. 5.* Mancinus *genialium cap.* 164. Imò in hoc ſenſu diuina mandata dicuntur, quæ iniunguntur ab Eccleſia. Petrus Cluniacenſis *lib.4. epiſt.* 18. & ea ratione probatur: Regimen enim perfectum communitatis neceſſariò fieri debet legibus, vt poſt Politicos docent de legibus agentes Garzonus *in theatro, titulo de Iureconſultis*, Solorzano *emblemate* 66. Sconbornerius *lib.3.politicæ, cap.*1.Hunnius *in encyclop. tit.*2. Ergo Eccleſia gubernari alio modo non poterat, niſi legibus promulgatis. An autem Eccleſia, vel eius Magiſtratus habeant poteſtatem ferendi leges canonicas eccleſiaſticas, non ſolùm ad res ſpirituales, verùm etiam ciuiles, & politicas; quæſtio eſt apud Interpretes? Affirmant Pelagius *de planctu Eccleſiæ, cap.*41. Hoſtienſis *in cap. ſuper his, de voto*, Abbas *in cap.nouit, de iudiciis*, Nauarr. *ibi, notabili* 3. *à num.* 9. pro quibus facit illud Lucæ *cap.*22. ibi: *Ecce duo gladij*. Ex quibus verbis deducit Bonifacius VIII. in dicta extrauaganti *Vnam ſanctam*, Romanum Pontificem habere duas poteſtates, vnam ſpiritualem, aliam temporalem. Sed negatiuam ſententiam, vt veriorem tenet Turrecremata *in ſumma Eccleſiæ lib.2. c.* 103. Victoria *de poteſtate Eccleſiæ, quæſt. penultima*, Bellarminus & alij, quos referunt Salas *de legibus diſp.7.ſect.4.* Suarez *eodem tract. lib.3. cap.7.* Diana *1.p.tract.2.reſolut.* 122. qui ſatisfaciunt prædictæ authoritati. Semper tamen obſeruandum eſt, in terris ſubiectis Eccleſiæ Romanæ, Romanum Pontificem poſſe ciuiles leges proferre, vti ſpirituales, *cap.ſi duo*, §. *denique*, *de appellat. lib.6.* in terris verò Principum ſæcularium,indirectè, etiam circa res temporales, in ordine ad finem ſpiritualem, poſſe etiam leges indicere, *cap.per venerabilem, qui filij ſint legitimi*; quomodo accipiendi ſunt textus *in cap. Vigilanti, cap.finali, de præſcriptionibus, c. cum haberet, de eo qui duxit in vxorem, cap. finali, de ſecundis nuptiis.*

7. DE CONCILIIS PROVINCIALIBVS DIOECESANIS.

Sicut Pontifex in vniuerſa Eccleſia, ita & Epiſcopi in ſuis diœceſibus poſſunt conſtitutiones facere, exceptis rebus Romano Pontifici reſeruatis, aut iam iure communi deciſis, *cap. Catholica*, 11. *diſt.cap. nullus* 3.*quæſt.4.cap.cùm omnes, cap.cùm acceſſiſſent, de conſtitutionibus, cap.*1. *de conſecratione, diſt.3.cap.2.de maiorit. & ob.cap.final.de feriis, cap.2. de locato.* Barboſ. *de poteſtate Epiſcopi 2.parte, in compendio, num.*44. Suarez *dicto lib.4. cap.*4. Salas *diſp.8.ſect.4.* Nec ſolùm Pontifex, & Epiſcopi per ſe leges condendi poteſtatem habent; verùm etiam concilia, tam generalia, quàm nationalia, prouincialia, ſeu diœceſana. Generalia, ſi coram Romano Pontifice, aut eius Legatis celebrata ſint, aliàs ſi approbata non reperiantur, non obligant generaliter omnes fideles. Iacobatius *de Conciliis art.*10. Suarez *vbi ſuprà, cap.6.* Cætera verò abſque vlla confirmatione Pontificis circa materiam proportionatam canones poſſunt condere, quibus ſubditi obſtringantur, non verò generaliter omnes fideles, nec de maioribus cauſis aliquid in eis ſtatui valet, *cap. Concilia, diſt.*17.& in praxi quidem veteris Eccleſiæ dubitari non poteſt, quin Concilia prouincialia poteſtatem condendi canones haberent, modò ea decreta contraria non eſſent canonibus Conciliorum generalium. Exempla erunt varia concilia Hiſpana, necnon aliarum prouinciarum: vnde Author apologet. pro decretis Gregorij VII. *cap.2. &* 4. docet decreta Conciliorum œcumenicorum obſeruanda eſſe velut leges Euangelicas; deinde rationem etiam habendam canonum in Synodis prouincialibus editorum, dummodo contrarij non ſint canonibus Conciliorum. Quapropter meritò reprehendendus eſt Gratianus, qui nouum ius introducere conatus eſt *in diſt.*18.poſſe quidem Concilia hæc cauſas iudicare, & criminibus debitas pœnas irrogare, non tamen nouos canones condere: itaque Gloſſa eum apertè redarguit, quæ ita ſcribit ad eum locum. *Illud non eſt verum, quia Epiſcopi bene condere poſſunt canones Epiſcopales, & Archiepiſcopi prouinciales; ſed de maioribus cauſis non poſſunt aliquid ſtatuere.* Exceptio Gloſſæ aperit genuinum ſenſum dicti capitis *Concilia*, ex quo Gratianus ſententiæ ſuæ fundamentum mutuatus eſt, quodque deſcriptum eſt ex Apolog. Ennodij Ticinenſis, vt notauit P. Marcha *lib.6. concord. cap.*14. *in fine.* Proſequuntur Hoſtienſis *in ſumma*

huiuſ

huius tituli, Suarez, & Salas vbi ſuprà, & Illuſtriſſimus Tapia *dicto tractatu de legibus*, qui latè agunt de aliis communitatibus inferioribus legis condendæ poteſtatem habentibus; iſtæ verò Epiſcoporum, ſeu Conciliorum conſtitutiones etiam appellantur Canones, & vt canonum ſtatuta ſeruantur. *Clement. 1. de priuilegiis*, Nicæna Synodus 2. *in epiſtola ad Theodorum: Suſcipimus, & ex animo amplectimur ſextas ſacras vniuerſales Synodos; locales autem Synodos non auerſamur, ſed magis amamus, & amplectimur.*

8. LEGES REGVLARITER OMNES LIGANT.

Secundò animaduertendum eſt regulariter legem ſancitam, & publicatam ad ſui obſeruantiam obligare vniuerſos ſubditos eius, qui eam condidit, quod probatur ex D. Paulo *ad Romanos cap. 3. verſ. 19. Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege ſunt, loquitur. l. leges, vt generales 3. C. de legibus.* Hunnius *in notis ad Treutlerum vol. 2. diſp. 4. q. 36.* & indefinitè omnes ſubditos, cuiuſcumque ſint conditionis, & dignitatis: vnde lex dicitur commune præceptum, communis ſponſio, cui omnes obtemperare debemus, *l. 1. & 2. ff. de legibus*, Oſualdus *ad Donellum lib. 1. cap. 16. littera* D. Plura, vt ſolet, adducit Solorzanus *emblem. 66.* & pactum publicum dicitur ab Ariſtotele *lib. 1. Rhetor.* notat poſt Menchacam Oſualdus *lib. 12. comment. Donelli, cap. 4. littera A.* Eò pertinet lex duodecim Tabularum: *Priuilegia ne irroganto*; de qua Cicero *lib. 3. de legibus*, & *pro domo ſua*, ibi: *Vetant leges ſacræ, vetant duodecim Tabulæ, leges priuatis hominibus irrogari.* Notant Gothofredus *in quatuor fomibus ad ipſas leges, tabula 9.* Samuel Petitus *ad leges Atticas lib. 2. titulo 1.* niſi in ipſis legibus certæ perſonæ excipiantur, vt in ea lege, quâ Peregrini ab vrbe eiici iubebantur, nominatim Glaucippus excipiebatur, vt ſcribit Cicero *de lege agraria*: & in lege Pompei, quâ abſentes à petitione Magiſtratus arcebantur, exceptus fuit Caius Cæſar, teſtante Suetonio *in Caio Cæſare, cap.* 28. An verò leges debeant obſeruari cum periculo vitæ, diſputant latè de legibus agentes, tam Iuriſtæ, quàm Theologi: nos tamen vt minùs proprium præſentis commentarij omittimus; id tamen ſine piaculo omitti non valet, videlicet legibus Eccleſiaſticis, id eſt ſacrorum Canonum ſtatutis non ligari Iudæos, & Gentiles nondum baptizatos, *cap. de infidelibus, de conſanguinitate, & affinitate: cap. final. de diuortiis*, quia de his qui foris ſunt quid ad Eccleſiam? *cap. multi, 2. q. 1. cap. gaudemus, de diuortiis*, Petrus Gregorius *in præſenti, num. 5.* Fideles verò adulti, cuiuſcumque ſtatus, ſeu conditionis ſint, vbicumque degentes, Pontificiis legibus Eccleſiaſticis, aut Concilij generalis ligantur; & hac in parte eſt magnum diſcrimen inter leges Eccleſiaſticas, & ciuiles; nam ciuiles nullæ ſunt, quæ vniuerſum orbem obligent, nec etiam omnes hominum conditiones; ſtatuta verò Canonum ex ſuo genere vtriuſque effectus habent capacitatem, vt latè probat, & conſiderat Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 19.*

9. DE EFFECTIBVS LEGVM.

Tertiò ſciendum eſt, legis ritè conſtitutæ varios effectus eſſe, quos refert poſt alios Hunnius *in Encyclop. titulo de legibus, cap. 4.* inter eos autem præcipuus, & primarius eſt formam dare negotiis, *l. lege 7. C. de legibus*, vt ſic homines viuant, & negotientur: quod adeò procedit, v ſi aliqua contra leges irritantes geſta ſint, pro nullis habeantur, atque infectis, *l. non dubium, 5. C. de legibus*, Arnoldus Vinius *lib. 1. ſelectarum, q. 1.* Caldeira *lib. 2. de erroribus Pragmaticorum, cap. 1.* Hunnius *ad Treutlerum volumine 1. diſp. 6. q. 54.* & *diſp. 11. q. 28.* nec ſolùm hoc procedit in actionibus conuentionalibus, ſiue extraiudicialibus; nam ad effectum legum, tam ciuilium, quàm Eccleſiaſticarum pertinet, quod ex illis cauſarum deciſiones petantur; ſiquidem omnes iudices tenentur ſecundùm veritatem, & legum obſeruantiam iudicare, *l. nemo 13. C. de ſententiis, & interl.* Nouella 21. *cap. 2.* & 25. §. *vlt.* & 79. *cap. 1.* Authentica *iubemus, C. de iudiciis*; principium Inſtitut. *de officio Iudicis, cap. 1. de re iudicata lib. 6.* Clementina 1. § *Verùm, de hæreticis.* Chriſtinus *tom. 1. deciſ. 9.* ita enim iudicari oportet, vt lex ipſa, ſi loqui poſſet, iudicaret; vt ſit lex quaſi anima iudicis; iudex quaſi vox legis. Donellus *lib. 26. commentariorum, cap. 2.* Fruſtrà enim leges ſcriberentur, ſi iudices ab eis recedere, & ſuo ſenſu, & arbitrio lites decidere poſſent. Plura Bodinus *lib. 3. de republica, cap. 4. num. 289.* Tiraquel. *de retractu* §. *35. n. 31.* Hinc iudices in leges iurabant, omnia ex legibus ſe conſtituturos, & iudicaturos, *l. rem 14. authent. ſed hodie, C. de iudiciis*, vbi Giphanius, Donell. *lib. 26. cap. 2.* & in ſingulis cauſis in leges iurabant: cuius iuramenti forma refertur *in nouella 14. cap. 6.* & de eo plura adducunt Polletus *lib. 5. hiſtoriæ fori, cap. 7.* Reuardus *lib. 5. Variarum, cap. 8.* Riteruſius *in notis ad Saluianum, fol. 388.* Petrus Faber *ad titulum de origine iuris*, Anſenius *de iureiurando c. 7.* Oſualdus *ad Donell. lib. 24. cap. 3. littera E.*

10. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex his iam apparet deciſiua ratio noſtræ concluſionis; nam cùm Pontifici omnes fideles ſubſint, & Epiſcopis ſui ſubditi, *cap. omnis, de maioritate, & obedient. extrauaganti vnam ſanctam, eodem titulo*, & quicumque poteſtati ſubiecti ſunt, ſubdantur legi, quam fert illa poteſtas, *cap. 2. de maiorit. & obedient. l. vnica, ff. ſi quis ius dicenti*, docet D. Thomas 1. 2. *q. 96. art. 5.* ideò in noſtro textu deciditur, canonum ſtatuta ab omnibus eſſe cuſtodienda; ſi Concilij generalis, ab vniuerſis fidelibus; ſi Concilij nationalis, ab vna natione; ſi prouincialis, à tota prouincia; ſi ſynodalis, ab integra diœceſi: & cùm per conſtitutiones forma præſcribatur negotiis, tam iudicialibus, quàm extraiudicalibus, rectè affirmatur in noſtro textu, ſeruantes canonum ſtatuta, non ſuo ſenſu, aut arbitrio, ſed canonum ſtatutis vti debere, & eorum authoritate duci, cùm omnes iudices, tam ſæculares, quàm Eccleſiaſtici, teneantur leges, & ſtatuta in iudiciis, & aliis actionibus obſeruare; docent Vulteius, Vinius, & Pichardus *in* §. 1. *Inſtituta de officio iudicis.*

11. DISOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, ex qua dicebamus fideles liberatos eſſe à ſeruitute per Chriſti paſſionem, & ſic non teneri ſeruare leges. Nam leges, etſi plura prohibeant, non derogant aliquid libertati, vt docet Donellus *lib. 2. comment. cap. 9.* imò potiùs, qui ſub legibus viuunt, liberi ſunt: pulchrè Plutarchus *in initio libri de audit. Qui rationi parent, ſoli digni ſunt, qui liberi vocentur; ſoli enim hi viuunt vt volunt, qui quod velle debeant, didicerunt.* Cicero pro Cluentio: *Ideo legum ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus.* Cùm enim homines cuſtodiunt leges, canonumque ſtatuta, non tam hominum, quàm miniſtrorum Dei mandata ſeruant: nec obſtant Apoſtoli fragmenta, quibus ſuffulti Beguardi inter alia nefanda dogmata aſſeruerunt, hominem perfectum legibus non teneri; quorum hæreſes damnarunt.

Patres

Patres in Concilio Viennenſi relato in Clementina *Ad noſtram, de hæreticis*; refert Spondanus *anno* 1311. quæ fragmenta vt exponant, plura adducunt Suarez *lib.*1. *de legibus, cap.*19. Salas *eodem tractatu, diſput.*14. *ſect.*1. Azor *tomo* 1. *moralium, lib.*5. *cap.*6. *quæſt.*1. Ea tamen plauſibilior interpretatio mihi videtur, quæ aſſerit illis in locis non docere Apoſtolum iuſtos non teneri legibus, vel non peccare, ſi leges non ſeruent; ſed eas authoritates eſſe accipiendas de vi coactiua, non directiua; licèt enim omnis lex poſita ſit ad obligandos etiam iuſtos, Trident. *ſeſſione* 6. *canone* 11. *&* 19. non tamen ad cogendos illos, quia non indigent coactione; non enim habent legem ſupra ſe, quaſi ceruicibus ſuis imminentem, flagello terrentem, & minantem, vt habent iniuſti, qui timore tantummodò pœnæ legibus obtemperant: operantur enim bonum iuſti amore iuſtitiæ, quod Poëta eleganter expreſſit illis verſibus:

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Quocirca iuſti in lege potiùs eſſe dicuntur, quàm ſub lege; quomodo exponunt. Apoſtolum in dictis locis D. Thomas 1. 2. *quæſt.*93. *art.*6. Gazeus *ad Caſſianum collatione* 21. *cap.* 2. Valentia *tom.*3. *controu. diſput.* 7. *quæſt.*5. *punct.*4. *Aliud eſt*, inquit D. Auguſt. ſuper Pſalmos, *eſſe in lege, aliud ſub lege: qui eſt in lege, ſecundùm legem agit: qui eſt ſub lege, ſecundùm legem agitur. Ille ergo liber eſt, iſte ſeruus.* Hac interpretatione retenta apparet, non rectè Donellum *lib.*12. *comment. c.*5. prædictum locum Apoſtoli obiicere Modeſtino *in lege obligamur*, §.1. *ff. de obligationibus & actionibus*, vbi ait Iuriſconſultus: *Lege obligamur, cùm obtemperantes legibus, aliquid ſecundùm præcepta legum facimus, vel contra facimus.* Nam eius textus verus ſenſus eſt, nos lege obligari, quando leges aliquid præcipiunt, aut prohibent, quibus obtemperare neceſſe eſt: tunc enim ſumus lege obligati, cùm aliquid ſecundùm præceptum legis facimus, vt cùm teſtamentum iuxta leges condimus, aut è contra, id eſt è conuerſo, ob eius prohibitionem non facimus; dictio enim *contra*, ibi non eſt propoſitio, aliàs idem decideretur, quod *in* §. *ex peccato*, ſequenti; ſed extat aduerbialiter ſine caſu, pro è conuerſo, vt *in l. ſi duobus* 28. §. *vlt. ff. de iureiurando*, *l. quod iuſſit* 14. *l. ſi duo* 39. *ff. de re iudicata*, *l.*2. §. *vlt. ff. de verbor. obligat.* ex Cicerone, & aliis probat Turſelinus *de particulis*, *cap.*39. docuit magnus Præceptor meus Doctor Hontiberos *in ſuo tractatu de legibus*, *cap.*1. *num.*2. & alia tradiderunt pro eius textus expoſitione Giphanius *ibi*, Cuiacius *lib.*17. *obſeruat. cap.*18. nec obſtant etiam D. Pauli teſtimonia, *ad Galatas cap.*5. *Si ſpiritu ducimini*, & cætera: *ad Romanos cap.*7. *Nunc autem ſoluti ſumus.* Nam ibi Apoſtolus loquitur de lege veteri, ſub qua fideles non ſunt; Apoſtolus enim docere volebat, nunc non eſſe fidelibus neceſſariam legem Moyſis, nec ab eis eſſe ſeruandam, vt conſtat ex ipſa integra epiſtola 5. eſſe tamen ſub lege naturali *honeſtè viuendi*, non ſecundùm concupiſcentiam, vnde ait: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*; ac ſi diceret, quamuis neceſſarium ſit ſpiritu vincere concupiſcentiam, non ideò eſtis ſub lege ſcripta. Latiùs proſequitur *dicto lib.*1. *cap.*19. Nec augmentum dubitandi rationis obſtat; nam, vt ſuprà diximus, loquuntur Patres in præſenti de ſtatutis canonum ad eccleſiaſticas res pertinentibus, non verò ad ciuiles, quas directè indicere Eccleſia non valet, vt ſuprà dixi. Nec vltimum argumentum refragatur, in quo dicebamus, tantùm ſubditos teneri legibus ſuæ Eccleſiæ; nam noſtri textus verba cum diſtinctione commoda accipienda ſunt, ſcilicet canonum ſtatuta eſſe ab omnibus ſeruanda, cum quibus loquuntur, vel quibus imponuntur; vt ſi à Concilio generali, omnes, & vniuerſi fideles; ſi à nationali, incolæ illius nationis; ſi à Prouinciali, prouinciales; ſi à ſynodali, diœceſani vicini, teneantur vt docet Franciſc. Valens *tom.*2. *concord. iuris, fol.*126. *in præſenti.*

12. EXPONITVR CAP. CONTRA, 25. Q. 1.

Ex his infertur interpretatio ad textum *in cap. contra* 7. 25. *quæſt.*1. vbi ait Zoſimus Papa: *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis poteſt authoritas; apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reuerentiam.* Ex quibus verbis colligitur ſtatuta Patrum, vel Conciliorum magna cum reuerentia ab omnibus eſſe cuſtodienda: ſed difficilis eſt textus ille, dum innuit Romanum etiam Pontificem illis canonum ſtatutis ligari, adeò vt neque in eis diſpenſare valeat; quod verum non eſt, ſiquidem Romanum Pontificem in ſtatutis Conciliorum, etiam generalium, diſpenſare poſſe, dicitur *in cap.*2. *de tranſlatione Epiſcopi, cap. propoſuit, de conceſſione præbendæ:* docent Iacobatius *de Conciliis lib.*1. *cap.*15. Couarr. *in* 4. 2. *parte, cap.*6. §. 9. *num.*6. Morla *in emporio, titulo de legibus, quæſt.*2. Victoria 3. *parte de poteſtate Papæ, pag.*227. agnouerunt eam difficultatem Gloſſa, Turrecremata, & Archidiaconus *ibi:* qui vt illi ſatisfaciant, aſſerunt, textum illum procedere in ſtatutis pertinentibus ad fidem catholicam, vel ius naturale, aut diuinum continentibus; tunc enim R. Pontifex debet ſtatuta Patrum obſeruare, & tueri, *cap. violatores, cap. prima ſalus, cap. quæ ad perpetuam, cap. nulli, cap. à ſanctis*, 25. *quæſt.*1. Eos ſequuntur Couarr. *vbi ſuprà*, Morla *dicta quæſt.*2. Azor. 1. *parte inſtitutionum, lib.*5. *cap.*14. *quæſt.*4. Roa *de iuribus principalibus, quæſt.*2. *numer.* 30. Rouſſelius *lib.* 1. *hiſtoriæ Pontif. iuriſdict. cap.*6. *num.*8.

13. INTELLIGITVR AVTHENTICA HODIE C. DE IVDICIIS.

Sed prædictæ concluſioni aduerſatur textus in authentica *hodie*, *Cod. de iudiciis*, vbi poſtquam Iuſtinianus *in l. rem* 14. *Cod. eodem titulo*, docuetat, iudices debere iurare in leges, videlicet ſe ſecundùm eas iudicaturos, ſubiungit hæc verba: *Hodie iurant ſe facturos ſecundùm quod eis viſum fuerat iuſtius, & melius, exceptis defenſoribus ciuitatum, qui iurant omnia ſecundùm leges, & iura facturos.* Ex quibus verbis colligitur, non omnes teneri ſtatutis legum in iudiciis duci, ſed ſuo arbitrio poſſe cauſas decidere. Cui difficultati aliqui ſatisfaciunt aſſerendo, Magiſtratus maiores iudicare, non ſecundùm leges, ſed prout eis æquum viſum fuerit, etiam contra ius. Damhouderius *in praxi, cap.*228. *num.*13. Sed hæc ſolutio refellitur ex nouella 8. *cap.*12. & nouella 82. *cap.*13. & traditis à Donello *lib.*26. *comment. c.*2. Alij aſſerunt per verba illa, *ſecundùm quod eis viſum fuerit iuſtius, & melius*; nihil aliud iurare, quàm ius ſeruaturum; & verba illa, *exceptis defenſoribus*, accipi, id eſt, comprehenſis etiam defenſoribus; cùm aliquando verbum, *excipere*, ſignificet, *includere*; *l.*1. §.2. *ff. de poſtulando*, *l.*2. §. *quod ſi mancipium*, *l.*4. §. *idem*, *ff. de ædilitio edicto*, *l. tutelas*, *ff. de capite minutis*, Petrus Faber *lib.*3. *ſemeſtrium*, *cap.*24. Sed ne plus temporis in referendis, refellendiſque ſolutionibus, quàm in veris adſtruendis conſumamus, dicendum eſt, prædicta verba authenticæ *hodie*, non rectè traducta, tranſcriptaque eſſe ex ipſa Græca conſtitutione,

turione, vbi ita verba vertenda erant: *Conseruabo vt ius, & æquum esse videbitur:* quibus verbis nihil aliud Magistratus iurat, quàm se seruaturum ius; addit, quod rectè videbitur, id est non aliud se facturum, quàm quod ius esse sciet, & intelliget, vt plerumque Iudices iurant, *cap. videntes 19. de iureiurando:* docet pro eius textus interpretatione Donellus *lib. 26. comment. cap. 2.* Sensus ergo Iustiniani est, Magistratus maiores iurare se iudicaturos secundùm quod iustius & melius illis visum fuerit, quia illi ex circumstantiis à legibus recedere possunt, *l. hodie 14. ff. de pœnis.* Magistratus verò inferiores, vt defensores ciuitatum, iurant se omnia secundùm leges iudicaturos, & iustiùs, ac meliùs, & secundùm leges examinari, & decidi debet, vt patet ex ipsa iuramenti formula relata in dicta nouella 8. his verbis: *Neutri parti præter ius, & fas addictus ero.* Notauit Bronchorst. *centuria 1. assert. 7.* etsi aliter textum illum accipiant Gilkenius *in dicta lege rem 12.* Richierius *in dicta authent. hodie.*

CAPVT SECVNDVM.

[a] Gregorius *in* [b] *regestro lib. 7. indictione secunda, epist. 35. ad* [c] *Fortunatum Episcopum* [d] *Neapolitanum.*

COgnoscentes qualis fraternitatem vestram zelus pro christianis mancipiis, quæ Iudæi de Galliarum finibus emunt, accenderit, adeo nobis solicitudinem vestram placuisse signamus, vt inhibenbo eos ab huiusmodi e negotiatione, nostra etiam deliberatio iudicaret. Sed Basilio Iudæo cum aliis Hebræis veniente comperimus, hanc illis à diuersis iudicibus Reipublicæ emptionem iniungi, atque euenire, vt inter [f] paganos, & Christiani pariter comparentur. Vnde necesse fuit ita causam cauta ordinatione disponi, vt nec mandantes frustrari, nec hi qui contra voluntatem suam se inquiunt obedire, aliqua sustineant iniustè dispendia. Proinde fraternitas vestra hoc vigilanti solicitudine obseruari, ac custodiri prouideat, vt reuertentibus eis à præfata prouincia, christiana mancipia, quæ ab ipsis adduci contigerit, aut mandatoribus contradantur, aut certè christianis emptoribus intra diem quadragesimum venundentur; & transacto hoc dierum numero, nullus apud eos quolibet modo remaneat. Si autem quædam ex eisdem mancipiis talem ægritudinem fortassis incurrerint, vt intra statutos dies vendi non valeant, adhibenda solicitudo est, vt dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur: quia rem quæ culpa caret, ad damnum vocare non conuenit. Quoniam verò quotiens nouum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, vt multis dispendiis præterita non commodent, si qua apud eos mancipia ab emptione anni præteriti remanserunt, vel à vobis nuper ablata sunt, dum apud vos sunt posita, ea habeant alienandi licentiam, ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos dignum est postmodùm vetitos sustinere.

NOTÆ.

I. GREGORII MAGNI TEMPVS.

a *Gregorius.*] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc titulo, *cap. 2.* & in ipso regestro epistolarum, ex quo litteram præsentis textus restituo. Gregorius cognomento *Magnus*, natione Romanus, vrbanam Præfecturam gessit; vnde nouerat ius ciuile Romanorum, cuius in epistolarum libris crebrò mentionem facit. Monachus fuit Ordinis Diui Benedicti, vt contra Baronium defendunt Gregorius Lopez Madera *de reliquiis Montis sancti, cap. 5.* Yepes *tomo 1. chron. D. Benedicti, centuria 1. anno Christi 576.* varia opera eruditione plena scripsit, quorum catalogum refert Ludouicus à sancto Carolo *in Biblioth. Pontificia, lib. 1. littera G.* & plura de eius mira sanctimonia, & gestis congesserunt Baronius & Corjolanus anno Christi 590. Ioannes Diaconus in eius vita, Platina, Papirius, Masonius, Luitprandus, & alij de vitis Pontificum scribentes. Creatus fuit Pontifex anno 590. & Ecclesiam rexit vsque ad annum 604. Plures epistolæ ex ipsius regestro transcriptæ sunt in hac decretalium collectione, quæ reperiuntur aliquando mendosè sub nomine Gregorij IX. vt *in cap. 1. de testamentis*, & aliis, vbi notabimus.

2. REGESTRVM QVID.

b *Regestro.*] Regesta, siue Registra vocauit sequioris sæculi Barbaries scrinia, in quibus tum chartæ, & rescripta; tum thesauri Regij condebantur. Gregorius Turon. ærarij publici regestum dixit *lib. 9. cap. 5.* & crebrò vsurpat *eodem libro cap. 10. & cap. 40.* & *lib. 10. cap. 19.* Prudentius *lib. peristephanon*, pro scriniis chartarum accepit.

Hic in regestis liber est cœlestibus,
Monimenta seruans laudis indelebilis.

Quæ tandem acceptio in Ecclesia Romana viguit. Nam quemadmodum Imperatorum constitutiones, & rescripta in scriniis seruabantur; ita Romanorum Pontificum epistolæ in scriniis, archiuis, & regestis reconditæ fuerunt. In chartario Ecclesiæ Romanæ epistolam requirendam esse, ait Diuus Hieronymus *in apolog. aduersus Rufin.* Et Nicolaus Papa *in epistola ad Episcopos Galliæ, in causa Rotaldi Suessionensis*, Romanam

Eccleſiam decretalia in ſuis archiuis, & vetuſtis monumentis habere recondita refert. Hæc Pontificum regeſta per annos Pontificatus digeſta erant, vt patet ex hoc regeſto Gregorij, & ex aliis Gregorij VII. Alexandri III. Innocentij III. & aliorum Pontificum. Epiſtolas ex huiuſmodi regeſtis deſumptas pro canonicis ſanctionibus haberi probat Parexa *de inſtrum. edit. titulo 5. reſol. 2. num. 8.* vt apud nos inſtrumentum in archiuo publico repertum fidem facit, *ex l. 8. titulo 19. partita 3.* vbi Gregorius *gloſſa 3.*

3. c *Fortunatum.*] Secundum videlicet, qui floruit temporibus Gregorij Magni; nam ſanctus Fortunatus primus Epiſcopus Neapolit. floruit circa annum 300. vt refert Carraciolus *in monum. Eccleſ. Neapolit. cap. 22.*

4. Neapolis deſcriptio. d *Neapolitanum.*] Neapolis vrbs percelebris eſt Campaniæ, imò totius Regni caput, in cuius ſinum felicia omnia videntur à Deo congeſta, vt refert Flores *lib. 1. cap. 16.* dum de ea agens inquit: *Omnium, non modò Italiæ, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt*; olim Parthenope dicta. Claudianus *lib. 3. ad Claudiam vxorem.*

Noſtra quoque, & propriis tenuis, nec rara coloni
Parthenope, cui mite ſolum, trans æquora vectæ.

Virgilius *lib. 4. Georg.*

Parthenope ſtudiis florentem ignobilis otij.

Silius Italicus *lib. 12.* Solinus *cap. 2. Parthenope, à Parthenopeæ Syrenis ſepulchro, quam Auguſtus poſtea Neapolim eſſe maluit:* ex Plinij hiſtoria, Chalcidenſes habuit conditores; ex Strabonis verò ſententia, Cumanos. A Syrenis conditam refert Antonius Monachus *in ſua Campania*; & quid verum, examinat eruditus D. Garſias Coronel. *in notis ad Gongoram, tomo 2. ſonet. 56.* Habuit Eccleſiam Cathedralem iam à temporibus Beati Petri Apoſtoli, vt eius originem repetens tradit Carraciolus *vbi ſuprà.*

5. e *Negotiatione.*] De iuſtitia huius negotiationis apud nos, & an licitum ſit commercium mancipiorum, quæ ex Braſilia, Æthiopia, & Indiis in Europam tranſuehuntur, dubitant Molina *de iuſtitia, diſput. 34. 35. & 36.* Rebellus *eodem tract. 1. part. lib. 1. quæſt. 10.* Azor *3. part. lib. 8. cap. 6. quæſt. 5.* Sanchez *lib. 1. conſil. cap. 1. dubio 4.* Gibalinus *de negotiat. lib. 1. cap. 4. art. 3. conſect. 3.* quos conſulas, qui ferè damnant ſimilem emptionem in eiuſmodi locis.

6. Pagani qui. f *Paganos.*] Pagani ex eo dicti ſunt apud priſcos ſcriptores, quia in pagis habitarent. Pagus autem à fontibus ſimul confluentibus dictus eſt. Feſtus Pompeius *verbo Pagus*, ibi: *Pagus, fons græcè dicitur; vnde ſimul plures domus ruſticæ, hoc eſt plures villæ, pagus vocantur, quòd circa fontes condi huiuſmodi pagi conſueuerint.* Inde Præpoſiti pagorum *in leg. 1. C. Theodoſ. de erogatione milit. annon.* Quare pro *Præpoſiti pacis*, reſtituendum eſt, *Præpoſiti pagis, in l. 1. C. Theodoſ. de pignor. l. 49. eodem Codice de decur. l. 2. C. de ſuſceptoribus lib. 10.* apud Euſebium *lib. 4. cap. 1.* Hinc etiam Pagani dicti ibi habitantes, quaſi in eodem fonte potantes. Poſtea tamen in Imperatorum ſanctionibus & Authorum ſcriptis pagani dici cœperunt Gentiles, qui adhuc Idolorum cultui dediti erant. D. Auguſtinus *lib. 1. retract. cap. 43. Deorum falſorum cultores vſitato nomine paganos vocamus:* & *l. 1. & per totum titulum de paganis, in Theodoſ. & Iuſtin.* Vnde autem pagani Idolorum cultores dicti ſint, non liquet apud Doctores, vt conſtat ex traditis à Philaſtrio *de hæreſibus cap. 3.* Beda *in Cantica lib. 6. cap. 30.* Baronio *die 11. Ianuarij, & anno 351.* Vvetitio *in notis ad Prudentium, fol. 614.* Arniſeo *lib. 1. de repub. cap. 5. ſect. 1.* Connano *lib. 9. comment. cap. 5.* Oſualdo *lib. 18. Donelli, cap. 7.* Solorzano *tomo 1. de iure Ind. lib. 2. cap. 19. num. 76.* Salmaſio *in notis ad Vopiſcum in Saturnino*, Steubechio *in notis ad Vegetium de re milit. lib. 2. cap. 23.* Ex quibus placet ſententia Baronij *dicto anno 351.* qui refert quod cùm Conſtantinus Impetator aduersùs Maxentium expeditionem publicè pararet, indixit, ne quis niſi Chriſtianus militiæ nomen daret: imò ſi quis Gentilis auſus eſſet militiæ adſcribi, cingulo exueretur, & ad propria redire cogeretur; vnde frequenter pagani militibus opponuntur, *leg. quædam, ff. de pœnis, l. 1. Cod. de milit. teſtam.* Facit lex 21. *C. Theodoſ. de paganis*, ibi: *Qui profano pagani ritûs errore, ſeu crimine polluuntur, hoc eſt Gentiles, nec ad militiam admittantur.* Vnde ab his temporibus idolorum cultores pagani dici cœperunt. Non me latet, alios non inferioris eruditionis exiſtimaſſe, paganos dictos fuiſſe idolorum cultores à temporibus Chriſtianorum Imperatorum, quia clauſis idolorum delubris, ſacrificiiſque vetitis, Gentiles ſic publicè ab idolorum cultu excluſi pagos adirent, vt clandeſtina ſacra peragerent. Videndus Gothofredus *ad titulum C. Theodoſ. de paganis.*

7. g *Comparentur.*] Quod pluribus ſacris canonibus & Imperatorum legibus prohibitum fuit, quas dabimus *in cap. 1. de Iudæis.*

COMMENTARIVM.

8. Conclvsio probatvr. EX hoc fragmento epiſtolæ Diui Gregorij illa communiter deducitur ab Interpretibus concluſio: *Conſtitutio futura reſpicit, non præterita, niſi in ea ſpecialiter aliud caueatur.* Probant textus *in cap. ante triennium, 31. diſt. cap. 2. 42. diſt. cap. ſi quidem, 2. 10. quæſt. 1. cap. dixit, 3. 32. quæſt. 4. cap. ex tua, de filiis Preſbyterorum, cap. aqua, de conſecratione Eccleſiæ, cap. per tuas, qui filij ſint legitimi, cap. dilectus, vt lite pendente, cap. 2. de conſtitutionibus, lib. 6. cap. vnico, de poſtulatione Prælatorum, eod. lib. cap. cùm ſingulis, de præbendis, in 6.* Clementina *Vt hi qui, de ætate, & qualitate, cap. vlt. eod. titulo, in 1. collectione, cap. 2. de decimis, in 5. collectione, l. 3. l. leges 7. Cod. de legibus, l. penult. & vlt. Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis, l. iubemus, Cod. de teſtamentis, l. vlt. in fine, Cod. de curatore furioſi, l. vnica, §. 15. de caducis tollendis, l. vlt. §. vlt. Cod. de ſuis & legitimis, l. vnica, Cod. de contractibus Iudicum, l. per diuerſas 22. Cod. mandati, l. 3. Cod. Theodoſiano de conſtitutionibus Principum, l. Diuæ 65. Cod. de Decurionibus.* Nouella 7. *cap. 1. in fine*, Tridentinum *ſeſſione 27. cap. 12. 18. & 20.* Authentica *Vt cum, de appellatione, in principio, collatione 8. l. de variis 27. Cod. de vſuris*, Authentica *de hæredibus ab inteſtato, §. finali, collatione 9. l. final. in fine, titulo 14. partita 3. l. 6. tit. 1. lib. 2. recopilationis:* illuſtrant vltra relatos à Cenedo *in collect. 1. ad Decretales*, & Barboſa *in præſenti*, Vranius & Petrus Gregorius *in repetitionibus ad hæc iura*, Suarez *de legibus lib. 3. cap. 14.* Morla *eodem tractatu, quæſt. 6.* Anguianus *lib. 5. de legibus, cap. 1.*

&

& sequenti, Germonius *lib.* 1. *animadu. cap.* 2. Donellus *lib.* 1. *commentariorum*, *cap.* 5. vbi Osualdus *littera F.* Mornacius *in dicta l. leges*, Hothomanus *lib.* 1. *obseruat. cap.* 1. Moneta *de commutat. cap.* 6. *num.* 264. Acuña *in cap. ex antiquis*, 54. *dist.* Salas *de legibus tract.* 14. *disput.* 21. *quæst.* 97. Paz *ad leges styli*, *rubrica* 2. *num.* 157. Azeuedo *in dict. l.* 6. *recopil.* Pheb. *tom.* 2. *decis.* 151. Franciscus Valens & Prosperus Fagnanus *in præsenti*, Barbosa *in select. tomo* 6. *ad hunc textum*, & *voto* 26. Gothofredus *in dicta l.* 3. *Cod. Theodos. de constitut. Princip.* Diana *parte* 6. *tract.* 3. *per totum*, Menchaca *de success. creat.* §. 18. *num.* 280. Besoldus *in delibat. iuris ex lib.* 1. *Pandect.* §. 14. *fol.* 103. Albericus Gentilis *lib.* 2. *lect. cap.* 11. Borrelus *tom.* 1. *decis. titulo de legibus*, *à num.* 47. Castillo *lib.* 4. *controu. cap.* 6. *num.* 88. Valeron *de transact. lib.* 1. *quæst.* 1. *num.* 12. Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 3. *de iure Indiar. cap.* 9. *num.* 51. Schonbornerius *lib.* 3. *polit. cap.* 6. Hunnius *in encyclop. tit. de legibus*, *cap.* 4. D. Ioannes Bapt. de Larrea *tom.* 1. *decis. Granat. disput.* 11. Cuiacius *in dict. l. vnica*, §. *vlt. Cod. de caducis toll.* Drekerus *dissert.* 2. *lib.* 1. *num.* 19. Heringius *de fideiussoribus cap.* 6. *num.* 226. Nathen. *in iustit. vulner. titulo* 10. *cap.* 9.

9. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed in præsentem assertionem pro ratione dubitandi ita insurgo. Constitutio nihil aliud est quàm dictamen rationis, *cap. consuetudo* 1. *dist.* D. Thomas 1. 2. *quæst.* 31. *art.* 6. Sed eodem dictamine rationis adduci debet Legislator ad corrigenda præterita, quàm futura mala, cùm corrigendum sit quidquid illicitè admittitur, aut à Prædecessoribus admissum reperitur, *cap. quod quis commisit*, *cap. graue* 35. *cap.* 9. Ergo constitutiones non minùs præterita, quàm futura respicere debent. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam priuilegium priuata lex est, *cap. Abbate*, *de verb. signif.* Sed certi iuris est, priuilegium præterita quoque respicere, *cap. ad audientiam*, *de Ecclesiis ædificandis*: similiter & rescripta ad præterita extenduntur, *cap. ex litteris*, *cap. vlt. de rescriptis*, & etiam sententiæ dicuntur particulares leges, *cap.* 2. §. *statuto*, *de constitutionibus*, *lib.* 6. Desiderius Heraldus *de authoritate rei iudicatæ*, *lib.* 1. *cap.* 1. *&* 6. Sed certum est, sententiam præterita respicere, *cap.* 2. *de re iudicata*, *l. dicere* 27. *ff. de arbitris.* Igitur leges etiam ad præterita extendi debent. Secundò in eam partem, in qua asseritur ex nostro capite finali, leges ad præterita extendi, si id à Legislatoribus expressè caueatur, ita argumentatur: Constitutio est regula actus, & ideò canon appellatur, *cap. canon*, *dist.* 1. *cap. regula* 3. *dist.* Sed materia alicuius regulæ non est effectus iam præteritus, iuxta illud vulgare, *Ad præteritum non datur potentia*, *cap. Paulus* 32. *quæst.* 5. Ergo nunquam constitutio potest habere pro materia actum præteritum.

10. DE PROMVLGATIONE LEGIS.

Adhuc tamen defendenda est prædicta assertio, ad cuius expositionem aliqua prælibanda duxi: Et primò sciendum est, de ratione cuiuscumque legis esse eius promulgationem, & publicationem; nam cùm sit commune præceptum, & communis regula viuendi, debet omnibus patefieri, vt secundùm eam actiones suas dirigant, *cap. erit autem*, *cap. in istis*, §. *leges*, *dist.* 4. *l. finali*, *C. de decretis ab ordine faciendis*, *l. leges* 9. *C. de legibus*, Garcia *de beneficiis parte* 5. *cap.* 8. *num.* 14. Gratianus *decis.* 200. *num.* 10. Borrelus *dict. titulo* 13. *de legibus*, *num.* 22. Suarez *de legibus lib.* 1. *cap.* 11. & *lib.* 4. *cap.* 14. Salas *eodem tract. disput.* 1. *sect.* 10. & *disp.* 12. *per totam*, Anguianus *lib.* 4. *de legibus*, *cap.* 1. Morla *eodem tract. in emporio*, *quæstione* 5. Diana *prima parte*, *tract.* 10. *resol.* 8. *&* 9. Petrus Marcha *lib.* 2. *concordiæ*, *cap.* 15. Martinez à Prado *tom.* 1. *Theolog. Moral. cap.* 3. *quæst.* 5. §. 1. *&* 2. Gibalinus *tom.* 2. *scient. can. lib.* 7. *c.* 1. Vnde non sufficit ab habente potestatem legem sapienter esse statutam, & scriptam, sed vt illos quibus lata est, obliget, desideratur promulgatio, *cap. cùm infirmitas*, *de pœnitentiis.* Trident. *session.* 24. *de reform. cap.* 1. Nouella 66. Iustin. *cap.* 1. §. 1. Nec contrarium docet Innocentius III. *in cap.* 1. *de postul. Prælat.* in illis verbis: *Necessarium sit*, *cùm constitutio solemniter editur*, *aut publicè promulgatur*, *ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum*, *vel litteras inculcare.* Ergo non semper, & in omni lege promulgatio desideratur; nam dictio illa, *aut*, in eo textu accipitur pro, *&*, vt in nonnullis Codicibus legitur, accipiturque expositiuè, pro *seu*, vt denotet ad legis essentiam, & necessitatem illi parendi desiderari, quod solemniter edatur, seu publicè promulgetur: quo modo etiam eadem dictio accipitur *in l. si seruus*, iuncta Glossa 1. *ff. de rebus authorit. iudicis*, & aliis congestis à Barbosa *de diction. dictioue* 46. docet Germonius *lib.* 1. *animaduers. cap.* 3.

11. DE EADEM PROMVLGATIONE EX IVRE CIVILI.

Apud Romanos priusquam leges conditæ vim obligandi sortirentur priscis temporibus, populus centuriatis comitiis, consulto priùs Senatu, rogabatur, velletne legem sibi propositam excipere, & posteà lex illa scripta trinis nundinis pro rostris proponebatur, vt si alicui iniusta videretur, eam improbaret: & hanc publicam legis editionem, promulgationem veteres appellarunt, vt testatur Macrobius *lib.* 1. *Saturn. cap.* 16. & constat ex Cicerone *Philippic.* 5. & *in oratione pro Flacco*: ex quo & aliis probarunt Connanus *lib.* 1. *comment. cap.* 13. P. Azor *tomo* 1. *institut. lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 1. Et postquam Populus omne imperium & potestatem in Principem transtulit, hæc promulgationis forma penitus aboleuit, vnde mos in vsu esse cœpit leges, edictaque per Populos & Prouincias omnes, Iudicum programmatibus publicare, & Præfectorum curâ in celeberrimis locis proponi, Nouella 48. Iustin. obseruat Cuiacius *lib.* 19. *qq. Papin. in l. Iuris*, 7. *ff. de iuris & facti ignor.* Edictalem legem Constantini, in foro Trajani propositam constat ex subscriptionibus, *l.* 2. *C. Theodos. de petit. & impetrat. sublat. l.* 1. *C. de officio Magist. offic. l.* 2. *eodem Codice de iure fisci.* Proposita etiam fuit in foro Trajani nouella Theodosij de testamentis, & nouella 8. eiusdem, & Valentin. *de præscriptione triginta annorum*: sicut Romæ in Atrio Mineruæ constitutio Valent. Theodos. & Arcadij, relata *in l.* 6. *C. Theodos. ad legem Iul. de adult.* & alia eorumdem Imperatorum apud P. Pitheum *in collat. leg. Mosaic.* §. *vlt.* & in Bibliotheca Regis Galliæ antiquæ legis fragmentum vetus in æs incisæ se vidisse testatur Cujacius *lib.* 7. *obseru. cap.* 29. his verbis: *Apud forum palam*, *vnde de plano rectè legi possit*, *præscriptam habuerint.* Quam formulam fuisse edictorum comprobat Ausonius *in gratiar. act. Has ergo litteras*, ait, *tuas in omnibus pilis atque porticibus*, *vnde de plano legi possint*, *instar edicti pendere mandauero.* Et Iosephus *lib.* 19. *antiquit. cap.* 4. idem testatur de edicto Tiberij Claudij Cæsaris. Edicta ad populum Romanum emissa

Præfectus Vrbis vulgare debeat, *nouella* 48. Iuſtin. *nouella* 25. Theodoſ. & Valent. Aliquando tamen Magiſter vtriuſque militiæ, *nouella* 40. & 45. Necnon Iudices per omnes populos, *l.* 3. *Cod. de legibus.* Qua de cauſa in Metropolibus edicta, decretaque Principum proponebantur, vt faciliùs omnibus innoteſcerent, *nouella* 17. & 66. *l. quidam* 63. *Cod. Theodoſ. de Decur.* & ſi in Metropolibus dabantur, in principalioribus earum vrbibus proponebantur, *l. quiſque* 11. *Cod. Theodoſ. de tyronibus*, *l.* 54. *Cod. Theodoſ. de Decur. l.* 1. *Cod. Theodoſ. de gladiat.* vnde reſtituenda eſt ſubſcriptio legis decimæ, *Cod. de curſu publico*, *ex l.* 41. *Cod. Theodoſ. eodem.* Hac ratione puto quod edicta, tituli vocantur apud Metellum *in Quirinalibus*, his verſibus.

Interea Tiranus
Dat titulos per orbem
Abſque reſponſo, ſine ius, ratione captos
Nemora ſaluat vllum.
Iſtud edictum procul euulgat.

Licèt hanc etiam promulgationis formulam non ſolùm edictis, verùm etiam conſtitutionibus deſignatam videamus aliquando, vt apud Plinium *lib.* 34. *cap.* 4. *Vſus*, ait, *ad perpetuitatem monumentorum iam pridem tranſlatus eſt tabulis æreis, in quibus publicè conſtitutiones inciduntur.* Huc pertinet quod Imperatores reſcribunt *in l.* 2. *Cod. Theodoſ. de conſtit. Princip.* ipſos non permittere quemquam conſtitutiones Principum ignorare, aut diſſimulare; quæ tranſcripta eſt *in l. conſtitutiones* 12. *Cod. de iuris & facti ignor.* importuno tamen loco, cùm eius ſententia non de omnibus legibus, ſiue conſtitutionibus Imperialibus ſit accipienda, ſed de illis, quæ perpenſâ, & longâ deliberatione fuerint editæ; ſiue de edictis, quæ prædictâ publicationis formulâ, ſiue programmate vulgata fuiſſent. Hæc enim nec ignorare, nec diſſimulare fas eſt, vt obſeruo ex nouella *de tyronibus*, vbi in fine legitur: *Legem ne quis ſe ignorare confingat, per omnes Prouinciarum ciuitates edictis ſolemnibus diuulgetis.* Sed cùm ad generalem regulam hoc traducere Tribonianus vellet, verba illa ſuſtulit: *Perpensâ Serenitatis noſtræ longa deliberatione.* Quæ ad curam, & etiam ad formulam condendæ legis ſpectant, quæ deſcribitur *in l. humanum*, 8. *Cod. de legibus*, & exornatur à Samuele Petito *ad ius Atticum lib.* 2. *titulo* 1. Locus autem, in quo conſtitutiones præcipuè figebantur Romæ, erat forum Trajani, vt conſtat *ex l.* 4. *Cod. Theodoſ. ad SC. Claudianum*, *l.* 2. *Cod. de falſis*, *l.* 2. *Cod. ad leg. Corn. de falſis*, *l.* 6. *Cod. Theodoſ. de adult. l.* 3. *Cod. de ſepulch. violato*, *l.* 4. *eodem Cod. de iure fiſci*, *l.* 4. *Cod. de collatione donat. l.* 1. *de priuilegiis corporat. l.* 2. *eodem Cod. de habitu quo vti*, *l. vnica, eodem C.* de campo Martio notauit Iacobus Gothofr. *ad titulum Cod. Theodoſ. de conſtit.*

12. A QVO TEMPORE EX OBLIGET.

Sed licèt promulgatio legis neceſſaria ſit ex eius natura, non tamen deſideratur, vt omnibus ſingulis denuncietur, aut nota fiat, *cap.* 1. *de poſtulat. Prælat.* aliàs nullus vnquam lege teneretur, etiamſi ſciret illam eſſe latam & promulgatam, cùm ſemper dentur aliqui illam inuincibiliter ignorantes. Sufficit ergo promulgationem legis fieri in Curia Principis, vel Pontificis, vt expreſsè decreuit Pius IV. circa tempus obligationis Concil. Trident. dum ait Tridentinum omnes obligare poſt tres menſes publicationis factæ in Curia, niſi expreſsè à Principe cautum ſit, vt per ſingulas prouincias promulgetur, vt *in dicto cap. cùm infirmitas.* Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 1. & ſi lex ſit Epiſcopi, vel alicuius Prælati, vnam ſolam Prouinciam ſubiectam habentis, ſufficit publicationem in illa factam fuiſſe, nec deſideratur in ſingulis locis Prouinciæ publicari. Sotus *de iuſt. lib.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. aliis relatis Sayrus *in Claui Regia*, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 7. Nec ſtatim à die promulgationis incipit conſtitutio obligare, imò regulariter deſideratur lapſus duorum menſium à die promulgationis, *cap.* 2. *& vlt. ne clerici vel monachi*, *cap. noueris*, *de ſentent. excom. cap.* 1. *de conceſſ. præbend. in* 6. nouella 66. Iuſtin. *cap.* 1. Ex quibus iuribus hanc regulam deducunt plures congeſti à D. Vela *tom.* 2. *diſſert. cap.* 45. ſed puto malè hoc tempus pro regula conſtitui, cùm id tempus ex legiſlatoris arbitrio pendeat; nam in nouella Iuſtin. 58. non duo, ſed tres menſes aſſignantur; aliquando ſolùm triginta dies, vt in nouella 116. *cap.* 1. & ſi prædicta regula admittatur, non procedet niſi in ipſa conſtitutione exprimatur tempus ad obligandum, vt *in cap. ſingula*, *de præbendis in* 6. extrauaganti *Execrabilis*, *eodem titulo.* Trident. *ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 2. vel niſi ita concipiatur lex, vt ſtatim effectum ſortiatur, vt ſi adiiciatur clauſula, *Ex nunc.* Clementina 2. *de hæreticis*, vt obſeruabatur apud Athenienſes, apud quos ex lege, quam refert Demoſthenes *in Timocrat.* à die quo ferebatur lex, obligabat, lex erat: *Leges quæ ſcriptæ ſunt, & in poſterum feruntur, ratæ ſunto ab ea die, quâ vnaquaque earum lata eſt, præterquam ſi cui adſcriptum eſt tempus, in quo debet incipere.* Quam eruditè illuſtrat Samuel Petitus *ad ius Atticum lib.* 2. *titulo* 1. Aliquando etiam longior terminus à legiſlatore præſcribitur, vt in caſibus congeſtis à Sayro *in Claui Regia lib.* 3. *cap.* 5. Farinacio *in fragmentis crim. verbo Conſtitutio*, *num.* 656. Diana *parte* 1. *tractatu* 10. *reſolut.* 8. & 9. Vnde obiter infertur, minimè peccare non obtemperantem legi humanæ ante promulgationem, etiamſi Legiſlator intendat obligare ſtatim: poſt promulgationem autem etiam ante lapſum duorum menſium, ex probabiliori opinione, qui ſcit legis promulgationem, tenetur in conſcientia ad eius obſeruationem, *cap.* 1. *de poſtul. Prælat.* tempus enim duorum menſium datur ignorantibus, & ignorantes ante illius lapſum non obligat, niſi in ea apponatur clauſula irritans; nam eius clauſulæ natura eſt ligare etiam ignorantes quoad nullitatem actus, non quoad pœnam, *cap. ſi eo tempore*, *de electione lib.* 6. *cap.* 1. *de conceſſione præbend. eodem lib.* reſoluit Barboſa *in noſtro cap.* 2. *num.* 8.

13. DE PRÆTERITO ET FVTVRO.

Secundò ſciendum eſt, negotia alia præterita dici, alia pendentia, & alia futura. Præterita dicuntur, quæ tranſierunt, & fluxerunt; vnde tempus præteritum pro elapſo ponitur, *l. veluti* 27. *§. vltimo*, *l. eum qui* 41. *ff. de verb. oblig. l. Antæus* 14 *ff. de aqua pluuia*, *l. ſi ita fuerit* 41. *ff. de manumiſſis teſtamento*, *l.* 2. *ff. de bonis libertorum*, *l.* 1. *§. item ſi quis*, *ff. de iuris*, *& facti ignorantia*, *l.* 1. *§. ſi penſio*, *ff. de migrando*, notat Albericus Gentilis *de diuerſis temporum appellationibus*, *cap.* 13. Pendentia ſunt, quæ adhuc ſtant, & in ſuſpenſo ſunt; ita vt nec dici poſſint præterita, nec futura. Cicer. *in paradoxis: Cui ſpes omnis, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi*; vnde pendere fructus dicuntur quamdiu ſolo cohærent, nec ſeparati ſunt, *l. fructus*, *ff. de rei vindic. l. & quæ nondum*, *ff. de pignoribus*: pendere vindemia, id

eſt

est nondum lecta, *l. qui pendentem, ff. de actionibus empti*; opera pendentia, apud Virgilium, *lib. 6. Æneidos*, ibi: *Pendent opera interrupta, minaque.* Plura Brissonius *de verb. significat. verbo Pendere.* Vnde pendentia negotia dicimus, quæ adhuc pacto, transactione, vel sententia non sunt finita. Bartolus *in l. omnes 5. num. 50. ff. de iustitia & iure*: futura nuncupantur, quæ nondum euenerunt, *l. 1. ff. de noui operis nunciat.* hinc futura alimenta, quæ adhuc non sunt consumpta, *l. de alimentis, Cod. de transactionibus*: futurus vir, seu maritus, qui nondum contraxit matrimonium, *l. 7. §. 1. ff. de iure dotium, l. 2. Cod. de donat. inter*: futurus hæres, qui nondum adiuit hæreditatem, *l. si seruus 18. §. si seruus, ff. de stipul. seruorum*: casus futurus, qui tantùm speratur, *l. 1. §. si Magistratus, ff. de Magistratibus conueniendis*: semper tamen futura opponuntur præteritis, *l. verbum 23. ff. de v. s. l. redhibere 22. §. idem, ff. de adilitio edicto.* Matrimonia futura opponuntur iam contractis, *l. Titia 134. ff. de verbor. obligat.* & in hoc sensu præterita, & futura accipiuntur in nostro textu.

14. In lege attenditvr mens legislatoris.

Tertiò præmittendum est, quod sicut in quolibet actu mens agentis primum locum obtinet, *l. 1. §. si conueniat, ff. depositi, l. in conditionibus, ff. de conditionibus & demonstrat.* ita legislatorum mens in legibus, seu constitutionibus est inspicienda, *l. scire 13. §. aliud, ff. de excusationibus tutorum.* Vnde scire leges non est verba earum tenere, sed vim, & mentem, *l. scire 17. ff. de legibus, l. penultima, ff. ad exhibendum*; mens enim legislatoris est anima legis, & lex essentialiter in suo esse pendet ab intentione legislatoris, *l. non dubium, Cod. de legibus*; vnde dicitur in legem peccare, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem: mens autem legislatoris circa duo considerari potest. Primò, quod velit legem ferre, & per illam subditos obligare. Secundò, quod velit eos obligare ad hoc, vel illud, iuxta hunc vel illum modum. Primum commune est omni constitutioni; secundum non ita, nisi determinetur in ipsa; propriè enim consistit in voluntate legislatoris de tali actu à subditis exhibendo: ita & hæc dicitur propriè mens legislatoris, quia illa est, quæ immediatè insinuatur per talia verba: atque hoc docent textus dum dicunt, legem non obligare, nisi secundùm mentem legislatoris, *cap. si postquam, de electione in 6. l. cùm mulier, ff. soluto matrimonio*, explicat Suarez *dicto lib. 3. cap. 20.*

15. Traditvr ratio decidendi.

Quibus ita prælibatis ratio nostræ conclusionis ex eo prouenit; nam cùm leges non obligent ignorantes, nec ante promulgationem, sed tantùm transacto bimestri, perquàm iniquum esset si constitutione nouâ eius rei periculum quis incurreret, quod ante præcauere non poterat. Quid enim peccauit antiquitas, quæ nouæ constitutionis inscia pristinam sequuta est obseruationem? Vnde Cicero *3. in Verrem*, ipsum reprehendit, quòd edicto suo præteritum tempus comprehendisset, his verbis, *fecerit, fecit*: & Aulus Gellius *lib. 17. noctium, cap. 17.* increpat Scæuolam, & Nigirium, existimantes verba legis Attiniæ referri ad præteritas res furtiuas; notauit Ruger. *lib. 3. var. pag. 263.* Turbarentur enim omnia, si quis lege nondum lata ligaretur. Plinius *lib. 10. epist. 116.* ibi: *Mihi hoc temperamentum eius placuit, vt ex præterito nihil nouaremus, si in futurum lex Pompeia obseruaretur: cuius vim si retrò quoque velimus custodire, multa necesse esset perturbari.* Facit Cato Vticensis relatus à Gothofredo *in dict. l. 3.* his verbis: *Neque enim definiri facilè, quousque extendere se debeat in præterita inquisitio: & si nouæ statuantur antè commissorum pœnæ, fore, vt iniquè cum his agatur, qui punientur ex lege, quam nec violarunt, nec ex parte læserunt.* Accedit, nam legislator sua constitutione nunquam intendit alteri præiudicium inferre, *cap. super eo 15. de officio delegati, l. 2. §. meritò, ff. ne quid in loco publico*: Sed si constitutio noua ad præterita extenderetur, præiudicium contrahentibus fieret; siquidem contractus legitimè celebrati irritarentur, innocentes punirentur, & alia incommoda sequerentur, *dicto cap. 2. hoc titulo*; qui enim ante constitutionem aliquid gesserunt, iustam ignorantiæ causam habuerunt, cùm diuinare non poterant quid statuendum esset, *l. iubemus 29. Cod. de testam.* argumento textus *in cap. vnico, vt ecclesiastica beneficia*: quod enim nondum est in rerum natura, sciri nequit, *cap. bonæ 1. de electione, cap. ad dissoluendum, de desponsatione impuberum*: quod si in præteritum leges ferre liceret, non prouidenter, sed calumniosè Princeps ageret, vt occultis in futurum laqueis insontes irretiret; hocque ostendunt verba illa legis tertiæ C. Theodos. de constitutionibus Principium: *Non præteritis calumniam faciunt*; & optimè in legibus Vvisigoth. *lib. 1. titulo 2. l. 4. Lex erit manifesta, nequaquam in captionem ciuium denocabit.* Accedit etiam, nam quælibet constitutio ponitur vt regula humanorum actuum, statuens nouam regulam, *cap. regula 3. dist. cap. erit 4. dist.* Ergo ex natura sua lex fertur pro actibus futuris, quia præteriti nec indigent regula, nec eius capaces sunt. Confirmatur etiam hæc ratio; nam lex præceptum est, vt vulgò fatetur: sed præceptum non potest dari de re præterita: ergo constitutio respicere non potest præterita. Iustè igitur in præsenti capite secundo decidituir constitutiones futura, non præterita respicere: sed cùm in constitutionibus totum faciat voluntas legislatoris, si ipse ad præterita constitutionem extendi velit, præterita etiam constitutio respiciet; cùm constitutio vires capiat à potestate constituentis, *cap. nobis 1. de sent. excom.* docent Viuianus, & Vranius *in dicto cap. final.* An autem inferiores legislatores possint etiam leges ad præterita extendere, latè examinat Anguianus *lib. 5. de legibus, cap. 4.*

16. Dissolvitvr dvbitandi ratio.

Nec obstat iam dubitandi ratio suprà adducta, ex qua dicebamus legem esse dictamen rationis, & sic præterita etiam respicere debere; nam illa ratio tantùm concludit legem posse ex iusta causa pro præteritis causis ferri, quod nos non negamus; sed tantùm asserimus legem indefinitè promulgatam ad præterita non referri. Nec primum augmentum deductum ex æquiparatione legis, & priuilegij refragatur; licèt enim priuilegium sit priuata lex, & conueniat cum ipsa, non solùm quia ille, qui potest condere legem, potest concedere priuilegium, *l. 1. §. plane, ff. de constitut. Principum, l. ius singulare, ff. de legibus*, verùm quia priuilegium etiam sicut lex, futura respicit, nec contrarium euincitur ex dicto cap. *ad audientiam*; nam si rectè perpendatur, tantùm probat debere prius considerari ius commune, quàm priuilegium, nec debere priuilegium ad præterita concedi: non tamen negat posse indulgere in præteritum. Nec etiam argumentum deductum à sententia aliquid probat; nam natura sententiæ est finem præteritis controuersiis imponere, *l. dicere, ff. de receptis*: & sententia

non est lex, nec legem introducit, sed tantùm ius facit inter eos, qui in iudicio contenderunt, *cap. cùm inter* 13. *de re iudicata*, *l. vlt. in princip. Cod. de legibus.* Maranta *in speculo*, 6. *parte*, *tit. de sentent. num.* 129. lex enim pro communitate fertur, sententia particulari negotio finem imponit. Vnde rectè aiebat Cicero: *Iudex statuit de præteritis*, *lex de futuris*; licèt aliquando ad futura iudicia trahatur, *l. Antæus*, §. *vlt. ff. de aqua pluuia*, notauit Cuiacius *ad titulum Cod. de iudiciis*, *in principio.* Tandem non obstat vltima difficultas; nam licèt constitutiones ad præterita respicientes, non possint habere plenam rationem regulæ respectu actuum practicorum, tamen negari non potest, quin effectus eorum irritando possint regulare præteritas actiones, non quoad ipsas, sed quoad effectus earum, qui adhuc subsunt iurisdictioni legislatoris.

17. EXPONITVR CAP. CVM TV, DE VSVRIS.

Verùm superiori assertioni opponitur textus *in cap. cùm tu*, *de vsuris*, vbi refertur quod cùm in Concilio Lateranensi, celebrato sub Alexandro III. statutum esset, vt vsurarij manifesti communione ecclesiastica priuarentur, & vsuras restituere compellerentur, Archiepiscopus Salernitanus vsurarios sui Archiepiscopatus communione ecclesiastica priuauit, donec vsuras restituerent. Ipsi verò ab earum restitutione excusari intendebant, eo quòd illa Concilij constitutio futuros vsurarios tantùm respiciebat, præteritos verò nullo modo damnabat. Super iis, & aliis, quæ in textu recensentur, dictus Archiepiscopus consuluit Alexandum III. qui decreuit, quod siue ante constitutionem, siue pòst vsurarij vsuras extorserint, cogendi sunt eas restituere. Ex qua decisione expressè deducitur, constitutionem non solùm futura, verùm & præterita respicere: cui difficultati communiter Interpretes in præsenti satisfaciunt asserendo, quod quando lex noua nititur iure diuino, aut naturali, tunc ad præterita extenditur; quare cùm vsura sit prohibita iure diuino, *cap.* 25. *Leuitici*, *cap.* 23. *Deuteron. cap.* 19. *D. Matthæi*; & naturali, pecunia enim suâ naturâ sterilis est, nec generat pecuniam, *c. sicut* 8. 47. *dist. cap. plerique* 14. *quæst.* 3. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 28. *art.* 1. ideò in eo textu lex etiam præterita respicit; ita Hostiensis, Butrius, Beroius *in nostro cap.* 2. pro quibus etiam facit, quod cùm legis naturalis, aut diuinæ nulla promulgatio desideretur, Suarez *de legibus lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. mentibus enim hominum, dum primùm veniunt ad vsum rationis, inscribitur lex naturalis, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 9. *art.* 4. *ad primum*: Ergo lex vsuram prohibens, etiam ante Concilium Lateranense obligabat. Sed licèt hæc doctrina vera sit, decisioni textus *in dicto cap. cùm tu*, non adaptatur; nam licèt constitutio illa protraheretur ad præterita, quia consona erat iuri naturali, aut diuino, quoad prohibitionem; si tamen pœnæ nouiter statuantur, quoad pœnas constitutio non extenditur ad præterita, *c. quoniam* 47. *dist. cap. quoniam, de simonia*, *cap. cùm singula* 32. *vers. circa eos*, *de electione lib.* 6. Concilio Valentino I. *can.* 1. post Menochium, & Couarr. docet Morla *in emporio*, *titulo de legibus*, *quæst.* 6. *num.* 11. Ergo in eo textu quoad pœnam priuationis communionis constitutio non debebat ad præterita extendi. Hac solutione omissa, dicendum est *in dicto cap. cùm tu*, constitutionem Concilij Lateranensis extendi ad præterita, quoad prohibitionem vsurarum, ex eo, quia iuri naturali, & diuino consentanea erat; quoad pœnam verò priuationis communionis extendi, quia indurato, & pertinaci animo vsurarij persistebant in retentione vsurarum, absque eo quod eas restituerent; & cùm non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum; regula *peccatum*, *de regulis iuris lib.* 6. ideò nouis etiam plectebantur pœnis, exemplo furis, qui rem furtiuam non restituit, sed de loco in locum defert: potest enim vbicumque puniri, *l.* 1. *C. vbi de criminibus*, *cap.* 1. *de raptoribus*; quia idem est scienter rem iniustam detinere, ac eam inuadere, *cap. sæpe*, *de restitutione spoliatorum.* Inde in eo textu vsurarij antiqui ratione retentionis, & nouæ contrectationis possunt nouis pœnis puniri. Morla *vbi suprà*, *quæst.* 6.

18. EXPLICATVR CLEMENT. 2. DE ÆTATE ET QVALIT.

Secundò obiici solet textus *in Clementina* 2. *de ætate & qualitate*: vbi à Patribus Concilij Vienensis statuitur, vt de cætero, tam in Ecclesiis sæcularibus, quàm regularibus, nemo deinceps suffragium in Capitulo haberet, nisi saltem in Subdiaconatûs gradu fuisset constitutus, quo decreto etiam asseritur comprehendi eos, qui antea in Canonicos erant recepti, vel dignitatem fuerant consequuti. Igitur constitutio respicit tam futura, quàm præterita. Huic difficultati vt satisfaciant Doctores, asserunt constitutionem disponentem aliquid circa executionem, seu perfectionem alicuius actus, qui non potest exequi sine præiudicio præteritorum, ad præterita extendi: quæ solutio refellitur ab Immola, & Decio *in nostro cap. vltimo*, Anguiano *lib.* 5. *de legibus*, *cap.* 5. quem transcripsit Barbosa *tomo* 6. *in nostro cap.* 2. & conuincitur ex textu *in cap. vlt. de electione in* 6. vbi constitutio agens de executione futuri actus, non extenditur ad præteritos: quare ea solutione omissa, verius asserendum est, textum illum ex eo extendi ad præterita, quia expressum fuit in ipsa constitutione, & nominatim cautum per illa verba: *Sunt mancipati*, *vel mancipabuntur in posterum.* Quo in casu ex suprà dictis constitutio respicit præterita & futura; quo modo intelliguntur textus *in cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora*, *de electione*, *cap. si quidam* 10. *quæst.* 1. *cap. ad audientiam*, *de rescriptis*, *cap.* 1. *de consuetudine*, *lib.* 6. *cap. penult. in fine*, *de officio Delegati*, *eod. lib. l. vnica*, *Cod. de contractibus iudicum*, *l. finali*, *Cod. de pactis pignorum*, *l. vnica C. Theodos. de commiss. rescind. l.* 3. *in fine*, *eodem Cod. de incertis nuptiis*, *l.* 1. *ad Claud. l.* 1. *de act. certo temp. l.* 4. *de bonis vacant. l.* 7. *&* 17. *de hæreticis*, *l.* 5. *de can. frum. Vrb. Rom. in Theodos. Clem. vnica de probat. Clem. vnica de immunit. Ecclesiarum.*

19. EXPONITVR CAP. QVONIAM DE SIMONIA.

Tertiò euerti videtur dicta conclusio *ex cap. quoniam* 40. *de simonia*, vbi proponitur, temporibus Innocentij III. simoniæ labem adeo in plerisque Monasteriis inualuisse, vt nullo modo moniales admitterentur ad religionem, nisi magno pretio præstito; quem abusum vt corrigeret Innocentius, statuit, ne de cætero pro ingressu religionis Moniales aliquid reciperent; & si recepissent, tam admittentes, quàm admissæ, ex ipso Monasterio pellerentur, & in arctius Monasterium pœnitentiæ peragendæ causâ detruderentur. Prosequitur Pontifex, & agit de his, quæ ante illam constitutionem receptæ, & professæ erant; & respondit ipse Pontifex, eas remouendas esse, & in aliis eiusdem ordinis Monasteriis detrudendas. Ex quo textu facilè depromitur, constitutionem nouam non solùm futura, verùm etiam præterita respicere; siquidem eâ Innocentij constitutione ligantur Moniales, quæ antea erant professæ. Huic difficultati, vt satisfaciam, suppono legem declaratiuam

ratiuam legis antiquæ comprehendere non tantùm futura, sed etiam præterita: *authentica de filiis ante dotalia instrumenta natis*, *collatione* 3. *l. final. Cod. de pactis*, *l. final. Cod. de transactionibus*, *l. penult. Cod. de vsuris*, *Clement.* 1. *eodem titulo*, *Clementina* 2. *de iudiciis*; nam lex declaratiua, seu interpretatiua, non est regula actionis, sed supponit, & interpretatur illam. Ergo antea erat lex inducens obligationem, & sic noua veterem declarando, nihil denuò statuit, *l. hæredes* 21. §. 1. *ff. qui testamenta*, authentica de raptoribus mulierum, ibi: *Tanquam si lex nostra ab initio cum tali interpretatione promulgata fuisset.* Vnde cùm *in dicto cap. quoniam*, declaretur ius antiquum prohibens aliquid recipere pro ingressu religionis, *cap. non satis* 8. *cap. de regularibus* 25. *de simonia*; mirum non est si extendatur ad præterita: si tamen in lege declarante, aut interpretante ius antiquum, sint verba, quibus restringatur ad futura, tantùm in illis locum habebit: quo modo intelligendi sunt textus *in cap. aqua*, *de consecratione Ecclesiæ*, *cap.* 3. *de institutionibus*, *cap. cùm Magistrum*, *de electione*, *cap. final. de sponsa duorum*, *cap. vnico*, *de postulat. Prælatorum*, *lib.* 6. *cap. licèt canon*, *de electione*, *eodem lib. cap. vnico*, *in fine*, *de clericis non residentibus*, *eod. lib.* Clementina 1. vbi Glossa *verbo De cætero*, de vsuris, iuncto Anguiano *dicto cap.* 5. Pro coronide huius commentarij sciendum est, constitutionem nouiter editam respicere negotia pendentia, & iuxta illam, non iuxta veterem esse decidenda, *cap. vlt. de officio Legati*, *in* 6. *l.* 7. *de legitim. hæred. in Theodos. l. vnica de bonis cleric. in eod. C. l.* 6. *vnde vi*, *in eodem Codice*; nisi lis pendeat, quia per appellationem sententia suspensa est: tunc enim iuxta veterem legem causa definienda est, authentica *vt cùm*, de appellatione, *in princip.* latè prosequuntur Germonius *dict. cap.* 2. Cuiacius *in l. vnica*, §. *vlt. C. de caducis tollendis*, Donellus *lib.* 1. *comment. cap.* 5. vbi Osualdus *littera F.* Franciscus Valens *tom.* 2. *concord. fol.* 176. *in præsenti.*

---

[a] CAPVT III.

[b] Augustinus *super illud Apostoli ad Hebræos.*

TRanslato sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat. [c] Quia enim simul, & ab eodem, & sub eadem [d] sponsione vtraque data sunt: quod de vno dicitur, necesse est, vt de altero [e] intelligatur.

NOTÆ.

1. [a] *Caput tertium.*] Cùm in prima collectione Decretalium tertiò loco compilaretur textus *in cap. peruenit*, qui extat apud Gratianum *in cap. peruenit*, *de consec. dist.* 3. & post eum præsens textus statim apponeretur, Raymundus huius sextæ collectionis author, eius textus rationem non habuit. Tum quia apud Gratianum reperiebatur: tum quia in præsenti breuiùs eadem doctrina statueretur: vnde constat in præsenti textu agi de abrogatione legis vereris per legem gratiæ, vt facilè ex textu antecedenti, videlicet dicto *cap. peruenit*, colligitur: non verò Augustinus, seu quivis author eius est, tractat de potestate legislatiua, quæ extat penes Pontificem, vt omnes repentes hic supponunt, & exponunt. Apertè enim ex infrà dicendis apparebit, in præsenti textu tam Apostolum, quàm eius scholiasten docere Catholicos iam non esse sub lege Mosaïca, sed viuere sub lege gratiæ; miror tamen hoc à nemine ex repetentibus fuisse animaduersum.

2. [b] *Augustinus.*] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc titulo, *cap.* 4. non tamen reperiuntur verba huius textus inter opera D. Augustini, sed tantùm inueniuntur in Glossa ordinaria *ad cap.* 7. *D. Pauli ad Hebræos.* Priora autem verba sunt ipsius Apostoli, *dict. cap.* 7. vbi agit de excellentia Sacerdotij Christi, & quomodo abrogatum est Sacerdotium Leuiticum per Sacerdotium Christi; atque necessariò abrogari debuit lex vetus Moysis simul cum Sacerdotio data. Cuius connexionis, seu consequentiæ rationes varias assignant Sancti Patres, & Expositores in eo textu. Prima, quia sacerdotium proportionatum fuit legi, & cum ea indissolubiliter connexum; non enim potest esse sacerdotium sine certis & congruentibus legibus, ac cæremoniis: ita docuerunt Chrysostomus, Theodoretus, & Theophylactus, quos refert Cornelius à Lapide ibi, *n.* 46. Secunda, quia lex illa erat sub administratione sacerdotij, cùm apud Iudæos summus Sacerdos habuisset potestatem ferendi leges. *Exodi cap.* 18. *vers.* 13. Igitur mutato sacerdotio, necesse erat, vt lex mutaretur. Quam illustrat D. Thomas *lect.* 3. *in dicto cap.* 7. Tertia, quia translato sacerdotio de vna tribu ad aliam, necesse erat legem transferri, quia dum lex manebat, nullo modo sacerdotium mutari poterat de tribu Leui, vt probat Ribera *in dict. cap.* 7. *num.* 42.

3. [c] *Quia.*] Verba quæ sequuntur, sunt Glossæ ordinariæ exponentis sententiam Apostoli, quæ ait: *Quia enim simul, & ab eodem, sub eadem sponsione vtraque data sunt*; videlicet lex, & sacerdotium; in monte enim Synaï Populus legem accepit, & pariter sacerdotium; siquidem in eo constitutus est à Deo Sacerdos Aaron; vnde ex hac connexione legis, & sacerdotij infert Apostolus, factâ translatione sacerdotij, necessariò & legis translationem fieri debuisse. Et si dicas priùs datam fuisse legem, quàm institueretur sacerdotium, siquidem lex data est Moysi in monte Synaï, *Exodi cap.* 20. sacerdotium verò postea institutum, *Exodi cap.* 28. Respondeo Glossam appellasse legem non tantùm ea præcepta, quæ ante sacerdotij institutionem tradita sunt, sed quidquid Moyses illis quinque libris comprehendit, quos Hebræi legem vocabant; multa enim Dominus præcepit seorsim, quæ ad legem etiam spectabant: docet Ribera *in dict. cap.* 7. *D. Pauli ad Hebræos.*

4. [d] *Sponsione.*] Id est promissione; licèt enim sponsio aliquando accipiatur pro pignore deposito à certantibus, vt cui ex illis vicerit, tradatur, *l.* 3. *l. penult. ff. de aleatoribus*, *l. si rem* 19. §. *vlt. ff. de præscriptis verbis*, Sallustius *in Iugurtha*: *Per inducias* (inquit) *sponsionem faciunt, vti certo die legati domo proficiscerentur: quo in loco inter se obuij*

obuij fuiſſent, is communis vtriuſque populi finis haberetur. Macobrius *lib.* 3. *Saturn. cap.* 17. *Nec moratos ſponſione contendit*; quæ ſponſio in ſpectaculis magnoperè vſitabatur. Tertullianus *de ſpectaculis cap.* 16. *Aſpice populum ad id ſpectaculum iam cum furore venientem, iam tumultuoſum, iam cæcum, iam de ſponſionibus concitatum.* Caſſiodor. *lib.* 3. *variarum, cap.* 51. *Et ad inanes contentiones ſic deſcenditur, tanquam de ſtatu periclitantis patriæ laboretur.* Illuſtrant Bulengerus *de Circo cap.* 48. Petrus Pitheus *lib.* 1. *aduerſ. cap.* 18. Pantoxa *in dicta lege* 3. *de aleatoribus, num.* 9. Etiam hæc ſponſio in iudiciis Romæ olim vſitabatur; nam à litigatoribus ſe inuicem prouocantibus in æde ſacra certa pecunia deponebatur ea lege, vt qui non ex bona fide ageret, aut inficiaretur, aut fugeret, eâ pecuniâ mulctaretur. De qua ſponſione accipiendus eſt textus *in l.* 1. §. *proinde*, 5. *ff. de extraordinariis cognit.* vt obſeruarunt Pitheus *dicto cap.* 18. Cuiacius *in l. peto* 69. *ff. de legatis* 2. Germonius *lib.* 3. *de ſacrorum immunit. cap. finali, num.* 26. Vaſconcelos *ad titulum de ſacramentis non iterandis*, Pancirola *lib.* 1. *variar. cap.* 34. Dauid Argent. *de interdictis, in principio.* In hoc textu accipitur pro promiſſione à Deo facta ſine vlla interrogatione; nam licèt regulariter ſponſio ſupponat ſtipulationem, *l. vnica, C. de ſuffragio, l.* 7. *C. communia vtriuſque*, vnde ex ſponſu agere, eſt ex ſtipulatu, *l. ſponſio* 7. *ff. de v. ſ. l. ſciendum* 19. §. *dictum, ff. de ædilitio edicto, l. ſi ſuper* 9. *C. de traditionibus*, plura Iacobus Gothofredus *in l. ſi Barſatorem* 18. *C. de fideiuſſ.* tamen aliquando promiſſionem tantùm continet, Briſſonius *de v. ſ. verbo Sponſio:* vnde cùm Dominus tempore quo ſacerdotium, & legem populo dediſſet, illi promiſiſſet, vt ſi mandata in corde ſuo ſeruaret, in terram promiſſam eum introduceret, hanc promiſſionem Gloſſa ordinaria ſponſionem appellat, niſi Gloſſam accipiamus de promiſſione illa, quam populus fecit ſeruandi legem à Deo datam *Exodi cap.* 24. *verſ.* 3. *Reſponditque omnis populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus.* Et rectè Gloſſa ſponſionem dixit iuxta morem antiquum rogandi, & promulgandi legem à populo. Per ſtipulationem enim apud Romanos lex ferebatur, vt conſtat *ex* §. *lex, Inſtituta de iure naturali*, ibi: *Senatorio Magiſtratu interrogante.* A. Gellius *lib.* 10. *noctium, cap.* 20. Feſtus Pompeius *verbo Scita plebs:* notant Antonius Auguſt. *de legibus cap.* 7. *&* 8. Briſſonius *lib.* 2. *de formulis, pag.* 137. Oſualdus *ad Donellum lib.* 1. *comment. cap.* 8. *littera C.* quo modo explicant dictam legem primam de legibus Gifanius *in l. ſtipulationum, 5. num.* 45. Oſuald. *dicto lib.* 1. *Donelli, c.* 16. *littera D.* Cuiacius *lib. definitionum Papin.* & Faber ibi, quamvis eam aliter accipiant Forcatulus *dial.* 2. *num.* 8. Pantoxa *in l.* 3. *de aleatoribus, num* 5. Vnde lex dicitur communis ſponſio *in d. l.* 1. *ff. de legibus:* obſeruarunt etiam Gothofredus, & Pantoxa *vbi ſuprà.* D. Ioannes de Solorzano *emblemate* 66. *num.* 3. & varia de ritibus ferendi leges adducentes Forcatulus *dialog.* 2. *num.* 7. Oſualdus *ad Donellum lib.* 1. *comment. cap.* 8. *littera C.* Connanus *lib.* 1. *comment. cap.* 13. Roſinus *lib.* 8. *antiquit. cap.* 2. noſter D. Franciſcus de Amaya *lib.* 1. *obſeru. cap.* 3. *in fine*, Robertus *lib.* 3 *ſentent. cap.* 2.

5. e *Intelligatur.*] Id eſt, quod dicimus, ſacerdotio tranſlato, tranſlatam etiam eſſe legem, ex quibus verbis notat Gloſſa in præſenti, quod vbi eſt eadem ratio, idem ius ſtatui debet; quod probant textus *in cap. ad eius, 5. diſt. cap. denique* 4. *diſt. cap. ſi quis obiecerit* 7. 1. 9. 3. *cap. inter, de tranſlatione Epiſcopi, l. illud, ff. ad legem Aquil. l. cùm autem, ff. de negotiis geſtis, l.* 3. §. *iudicio, ff. de tutelæ & rationibus, l. illud, C. de ſacroſanctis Eccleſiis, l. quidam, ff. de edendo:* plures congerit Barboſa *in præſenti, & axiomat.* 197. pleraque tradit de connexis Franciſcus Valens *in præſenti, notatione* 1.

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO PROPONITVR.

QVibus prælibatis pro noſtri textus vera interpretatione, concluſio ex eo ita deduci debet: *Præcepta legis veteris, tranſlato ſacerdotio eius, iam ceſſarunt, nec hodie obligant.* Probant eam varia ſacræ Paginæ teſtimonia. D. Matthæus *cap.* 11. *verſ.* 13. ibi: *Omnes prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt:* & *cap.* 13. *verſ.* 38. & caput 15. Actuum Apoſtolorum: vaticinia Hieremiæ *cap.* 31. *verſ.* 31. Malachiæ *cap.* 3. *verſ.* 11. Apoſtoli *ad Romanos cap.* 15. *verſ.* 14. ibi: *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia:* & *cap.* 7. *verſ.* 4. ibi: *Ieſus liberauit me à lege:* & ad Galatas *cap.* 3. *verſ.* 13. ibi: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*; ad Epheſios *cap.* 2. *verſ.* 15. *Legem mandatorum decretis euacuans*; & ad Coloſſenſes *cap.* 2. *verſ.* 14. *cap. peruenit* 3. *cap.* 5. *hoc titulo, in* 1. *collect. cap. vnico de purificat. poſt partum.* Ex Patribus Cyprianus, Ambroſio, Damaſceno, & aliis probat Franciſcus Valens in præſenti, *ſect.* 7. Illuſtrant ex Theologis poſitiuis Ribera, Thena, & Salmeron, Cornelius à Lapide *in dicto cap.* 7. *ad Hebræos*, Serlogus *tomo* 1. *in Cantica, antiloquio* 3. *ſect.* 4. *pag.* 103. & *tomo* 3. *veſtigatione* 10. *ſect.* 1. *c.* 1. *pag.* 342. Ex Scholaſticis D. Thomas 1. 2. *q.* 104. *art.* 3. Bonauentura, Scotus, & alij Sententiarij *in* 4. *diſt.* 3. Vaſquez *tomo* 2. *in* 2. *partem, diſp.* 181. *c.* 9. Suarez *de legibus lib.* 9. *cap.* 10. Ex Canoniſtis & aliis Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num.* 1. Moneta *de commutatione cap.* 3. *num.* 47. Baronius *anno* 58. *num.* 81. Binius *tomo* 1. *Conciliorum, in initio* 1. *partis*, Becanus *in analogia, cap.* 5. *q.* 8. Ambianas ad Tertullianum *de pudicitia cap.* 6. *obſeru.* 1. Caſtro *de lege pœnali lib.* 1. *cap.* 15. Salas *de legibus diſput.* 23. *ſect.* 5. & *diſp.* 24. *ſect.* 4. Volduc. *de Eccleſia poſt legem, cap.* 5. *&* 8. Cellotius *de hierarchia lib.* 3. *cap.* 3. §. 4. Gibalinus *tom.* 1. *ſcient. can. lib.* 4. *cap.* 4.

7. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed ſupradicta concluſio difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam lex antiqua nihil aliud erat, quàm Dei voluntas data per diuinam prudentiam: ſed voluntas Dei eſt immutabilis: ergo nec per tranſlationem ſacerdotij potuit abrogari, præcipuè quia lex illa data fuit à Deo, vt in æternum duraret, vt probatur *ex cap.* 17. *Geneſis*, ibi: *Erit pactum hoc meum in carne veſtra in fœdus æternum:* & *cap.* 12. *verſ.* 14. *Exodi*, ibi: *Habebitis hanc diem ſolemnem Domino in gubernationibus veſtris cultui ſempiterno.* Et ibi: *Cuſtodietis diem ipſam ritu perpetuo.* Et *Pſalmo* 104. *verſ.* 10. ibi: *Statuit illud Iacob in præceptum, & Iſraël in teſtamentum æternum.* Deuteron. *cap.* 29. *In ſempiternum vt faciatis vniuerſa verba legis.* Et *cap.* 11. *verſ.* 1. *Obſerua præcepta eius, & cæremonias, iudicia atque mandata omni tempore.* Deuter. *cap.* 12. *verſ.* 28. *Obſerua, & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, & filiis tuis poſt te in ſempiternum.* Leuit. *cap.* 10. *verſ.* 9. *Quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras.* Leuit. *cap.* 17. *verſ.* 7. Ierem. *cap.* 11. *verſ.* 3. *Pſal.* 118. *verſ.* 96. ibi: *In æternum mihi eſt.* Et *verſ.* 111. *Teſtimonia tua in æternum.* Et præcepta tam cæremonia

monialia, quàm moralia in perpetuum data dicuntur, vt de Phaſe dicitur *Exodi cap.12. verſ.14.* ibi: *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.* Et *verſ. 17. Cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo.* De feſtiuitate Sabbathi dicitur *Exodi cap.31. verſ.16. Cuſtodiant filij Iſrael Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis; pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſrael, ſignumque perpetuum.* De ſolemnitate hebdomadarum legitur *Leuit. cap.23. verſ. 21. Legitimum ſempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus veſtris.* De tempore expiationum *Leuit. cap. 23. verſ. 31.* cauetur: *Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum ſempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus veſtris.* De ſacrificio legitur *Leuit.cap.6. verſ. 18. Legitimum, ac ſempiternum erit in generationibus veſtris.* De Sacerdote *Deuteron. cap. 18. verſ.5.* ita cauetur: *Ipſum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, vt ſtet, & miniſtret nomini Domini ipſe, & filij eius in ſempiternum.* Ergo ſi lex illa perpetuò data erat, non potuit vllo modo abrogari, ſeu transferri. Augetur, nam ſi aliquod præceptum ceſſaret, maximè præceptum circumciſionis, vtpote typicum cæremoniale, vt probant Turrianus *pro canonibus lib.1.cap.25.* Baronius *anno 102. num. 19.* & *anno 138. num. 1.* Sed circumciſionis præceptum adhuc in lege gratiæ prædicatur ab Apoſtolo, 1. *ad Corinthios c. 7. verſ. 18.* ibi: *Sicut vocauit Deus, ita ambulet; & ſicut omnibus Eccleſiis doceo, circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium; in præputio aliquis vocatus eſt, non circumcidatur: circumciſio nihil eſt, & præputium nihil, ſed obſeruatio mandatorum Dei.* Ergo præcepta legis veteris etiam cæremonialia, in lege gratiæ durant. Augetur tandem hæc difficultas ex eo, nam ſæpe legimus Romanos Pontifices ex lege veteri, & eius præceptis decreta deſumpſiſſe, vt conſtat *ex cap.1. de homicidio, c.1. de adulteriis, c.1.* cum aliis quatuor ſequentibus, *de iniuriis*, vbi tam ex præceptis iudicialibus, quàm moralibus decreta referuntur. Ergo quia adhuc in lege gratiæ præcepta legis veteris obligant.

8. De legè veteri.

Qua dubitandi ratione ſic fulcita, non obſtante, defendenda eſt præſens aſſertio, pro cuius illuſtratione præmittendum primò eſt, Populum Dei tam ad regimen Reipublicæ temporalis, quàm ad aſſecutionem æternæ ſalutis, finemque ſupernaturalem peculiare ius, priuataque ſtatuta habuiſſe ab ipſo Deo data, & lata per Moyſem, vt ſuprà retuli in apparatu. Hoc ius Hebraïci populi ius ciuile Hebræorum appellauit Philo Iudæus *in lib. de Ioſeph*, ſiue *de Viro ciuili*; ſic enim illi genti datum eſt, vt alteri minimè conueniret, niſi in quantùm de lege æterna, naturalique participabat, vt communiter Theologi docent cum D. Thom. 1.2.*q.98.* & *ſequent.* & tunc non obligabat gentes ob vinculum legis Moſaïcæ, ſed propter dictamen iuris naturalis, æquitatiſque, cui omnes homines debent obedire ex vi præcepti naturæ, iuxta illud *ad Rom. cap.2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt.* Ex quo apparet, Hebraïcum populum ſelectiorem fuiſſe Deo cæteris gentibus, vtpote qui ſelectus fuit vt ipſi incarnationis filij ſui ſecreta panderet, & à quo humanam carnem ſuſciperet: quare ipſum decuit perfectio, & ſanctitudo, iuxta illud Deuteron. cap.18. *Perfectus eris, & abſque macula coram Domino Deo tuo.* Illuſtrat, qui ignorauit nil, D. Ioſephus de Retes *lib.5. opuſcul. cap.1.* nec exiſtimandum eſt, deteriorem fuiſſe conditionem populi Hebraïci, quàm cæterarum nationum: multitudo ergo præceptorum quamvis libertatem operandi adſtrinxiſſet; libertatem tamen circa benè operandum minimè minuit, iuxta illud Pauli *ad Galatas cap.3. Itaque lex, pædagogus noſter, fuit in Chriſto.* Vnde cùm Deum optimum maximum pædagogum habere meruiſſent, meritò gloriantur *Deuteron. cap.4. Quæ eſt alia gens ſic inclyta, vt habeat cæremonias, iuſtaque iudicia.* Vniuerſus igitur orbis præter Iudaïcum populum in lege naturali per mediam gratiam Dei ſaluabatur: quod ſi ex gentibus eſſet, qui in religionem, populumque Iudaïcum tranſire vellet, circumciſus ad illam legem admittebatur, fiebatque Proſelytus, iuxta cautiones, & cæremonias textus *in cap. 12. Exodi*, quas explicant Toſtatus, Liranus, & reliqui PP. per quod ad vniuerſæ legis Iudaïcæ obſeruantiam obligabatur vnà cum circumciſione, alioquin profitenti non proficiebat ad ſalutem, iuxta teſtimonium Pauli *ad Galat. cap.5.* ibi: *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Quæ ideò diximus, vt ſemel moneamus, ad obſeruantiam legis idem cenſendum eſſe de Proſelytis, ac de propriis Iudæis, quibus peculiariter lex data fuit. De queis curiosè Grotius *lib.2. de iure belli, cap.1. §.16.*

9. De eadem lege.

Reipublicæ autem forma ex præſcripto legum, quibus fundatur, deſumenda eſt: quare Ariſt. *lib.2. Polit. per tot.* Plato *in libris de legibus*, & de *Repub.* Cicero *in fragm. de Repub.* itidemque *in lib. de leg.* Plutarch. *in lib. de Rep.* & alij veteres de eodem inſtituto ſcriptores, à legibus denominationes rerum publicas faciunt. Aliæ quippe leges Regno feruntur, aliæ Ariſtocratiæ, aliæ Reip. aut multitudinis iuſto imperio accommodantur. Ex quibus de forma regiminis Hebraïci populi facilè cenſeri poſſet, ſi pateretur noſtrum inſtitutum. Miſſam tamen facimus hanc inueſtigationem, quam poſt ſacros Scriptores ex profeſſo inſtituerunt Carolus Sigonius, Petr. Cunæus, Pat. Stephan. Menoch. *in libris*, quos *de repub. Hebræor.* ſcripſerunt, inſcripſeruntque, apud quos legi poſſunt obligationes, munia, ſucceſſio, redditus, & ſtipendia ſacerdotij Hebraïci, ſimulque Leuitarum miniſteria; item ſacrificia, holocauſta, victimæ, ſanctificationes, feſtiuitates, & reliqua, quæ illi legi conueniebant, erantque propria illius ſacerdotij, de quibus non pauca in toto hoc opere libabimus in ſuis titulis.

10. De fine ipsius legis.

Sed vt de lege Hebraïca, quæ neceſſaria ſunt, breuiter decerpamus, notandum eſt cum D.Thom. 1.2. *q. 99. per tot.* quod licèt homines alliceret ad cultum Dei per terrenorum repromiſſionem; tamen principalius intentum habuiſſe ad infundendum amorem erga Deum, bonoſque faciendos cultores per fidem, & charitatem, ſpemque in Deo repoſitam, iuxta illud *ad Rom.cap.13. Si quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Et 1. *ad Timoth. cap.1. Finis præcepti charitas.* Itaque tota compages mandatorum moralium ad Deum & proximum cum debita ordinatione referebatur. Cæremonialia verò Chriſtum venturum prædicabant, qui erat vltimus finis, quem intendit lex populi Hebraïci. Petauius *tom.1. dogmat. theolog. lib.10. c.22.* & diſponere, & præparare populum ad Chriſti aduentum, *cap. finali, §. his, 6. diſt. cap. vnico, §. vnde, de ſacra vnct.* D. Ambroſ. *lib.1. de officiis, cap.18.*

*cap.*48. vnde lex illa data fuit habitâ relatione ad Christum venturum; vnde ait Apost. 1. *ad Corinth.cap.*10.*Omnia in figura illis contingebant.* Quare præcepta cæremonialia præfiguratiua erant, & institituta ad præfigurandum.D.Thomas 1.2.*q.*102. *art.*2. Azor. *lib.* 6. *instit. moral. cap.*3. Suarez *lib.*9. *de legib. cap.*3. Sed per iudicialia, & leges politicas quies, tranquillitas, & pax illi populo quæsita fuit, vt mores eorum, & naturalis inclinatio regionis ferebant. Inde deducitur aliud fuisse intentum, aliud præceptum tendens ad consequendum intentum: intentum enim supernaturale fuit iustificare populum,ipsumque ad vnigenitum Dei suscipiendum præparare. Præceptum verò fuit multiplex, provt condecebat Remp. à Deo institutam, sacrisque & politicis documentis ordinatam. Quæ omnia percurrere cùm operæ, aut facultatis nostræ non sit, (breuiter retulit Beyerlinch *tom.*2.*in theat. vitæ humanæ, verbo Cæromoniæ*; & *tom.*4. *verbo Lex*) ad classes tamen cum eodem D. Thoma vbi nuper,breuiter deducemus. Quædam enim præcepta moralia sunt, quædam iudicialia, quædam cæremonialia. Moralia dicuntur à moribus, quia per illa mores reformantur, & homo reducitur ad operandum secundùm rectum dictamen rationis: iudicialia sunt, quæ ad leges, iudicia & administrationem iustitiæ in ciuilibus, & criminalibus spectant, & optimum Reipublicæ regimen, veluti ad Principem, ad Magistratus, aliosve Iudices, ad seruos, ad ciues, ad peregrinos, ad successiones, contractus & similia, de quibus Seldenus *de legib. Hebræor.* P. Cunæus, & Pater Menochius. Cæremonialia tandem quæ determinant ritus, modos, cæremonias, quibus decenter sacris operandum sit, ne alioquin si pro libito hominibus liceret Deum inuocare, placare, rogare priuato quodam cultu, & pro vniuscuiusque libito, superstitio ingrueret pro religione, vt Gentiles ipsi viderunt apud Ciceronem *lib.* 1. *de legib.* quam partem illustrauit Antonius Clarus Siluius *ad leges Regias cap.* 1. multis adductis sacris, profanisque testimoniis, quæ aduersùs Nouatores huius sæculi rem adstruunt. Ad cæremonialia pertinebant sacrificia, quæ multiplici genere hostiarum fiebant; dies festi, vt Sabbathi, *Geneseos cap.*2. Paschæ, *Leuitici cap.* 23. Neomeniæ, *cap.* 10. *Numer.* Azimorum, *Leuitici cap.* 23. Pentecostes, *Leuitici cap.* 22. Tubarum, *Leuitici cap.*23. & alia quæ refert Azor *p.*1.*instit.lib.*6.*cap.*30.

II. DISSOLVITVR QVÆDAM INSTANTIA.

Sed videtur dicendum, moralia præcepta minimè necessariò data fuisse populo Hebraïco, cùm legislatio hæc in tempore fuerit quingentis post Abrahamum annis; sed præcepta hæc homini ipsi ab initio indita esse per Deum, vt disputat Seren. Abbas apud Cassian. *collat.*8. *cap.* 23. ex illis verbis: *Nam quia sit homini omnis scientia legis ab initio creationis infusa, hinc manifestè probatur, quod mandata legis absque litteræ lectione ante legem, imò ante diluuium omnes Sanctos obseruasse cognoscimus*, &c. Quod multis exemplis illustrat à sacra Scriptura petitis, & cum aliis Patribus confirmat Alard. Gazæus *in notis ad eum locum*: ergo sine necessitate inculcata fuerunt Hebraïco populo prædicta præcepta moralia. Verùm enim verò, cùm per consuetudinem peccandi vniuersus ferè orbis obcæcatus viueret, amisissetque rectæ rationis dictamen, necesse fuit, vt Author naturæ Deus tanquam supremus Legislator, & Doctor iniungeret, & exponeret populo suo, à quo vniuersæ gentes mutuarentur,quid esset iustum naturaliter, & ad quid homo teneretur ex lege ipsa naturali; quod fecit *cap.* 20. *Exodi*; & hanc causam repetendi præcepta moralia præbuit D. Thomas *dict. q.* 98. *art.*4.5. *&* 6.& *q.* 99. *art.*2. & *quæst.* 100. *art.*1. & satis copiosè Cassian. *d. collat.* 8. *cap.* 23. noster Gratianus *in princip.*4. *distinctionis.* Aliquid verò diuini acceperunt respectu populi Hebraïci præcepta moralia ex promulgatione Dei; nec enim negari potest, illi populo non solùm naturalia fuisse, sed etiam diuina positiua, quia à Deo nedum tanquam Doctore, sed etiam tanquam Legislatore lata fuerunt. Sed translato sacerdotio, & lege, cessauit quidquid de maiore religione acceperunt respectu populi illius, retinueruntque, vt semper retinent, absolutam vim ex ratione naturali, quæ in mente diuina existit, vt docent Iacobus Iordanus*tom.*1.*Theolog.moral.lib.*2 *q.*7.*cap.*2. *ex num.* 4. P. Granadus *in* 1. 2. *controu.* 7. *de legib. tract.*4. *disput.*5.*sect.*2. *ex num.* 12. Franciscus Valens *d.q.*4 *ad tit. de constit.sect.*6.*ex num.*3. Quo in sensu communiter dicitur, hæc moralia præcepta non cessare per aduentum Christi, & legem gratiæ; sed viua, & viuificantia permansisse. Quod de obligatione naturali, quæ diuina in mente diuina est, intelligendum est, non de superaddita qualitate iuris positiui diuini, respectu populi Hebraïci, vt cum hoc moderamine accipiamus communem doctrinam apud Tiraquell. *in præfat. ad lib.retract.* Couar. *lib.*1. *variar.cap.*17.*ex num* 2. qui plurimos veteres adducunt, & ex neotericis non pauciores modernus additionator Couarr. à quorum recensione abstineo.

12. DE PRÆCEPTIS IVDICIALIBVS.

Sequuntur iudicialia præcepta, quæ Paulus ad Romanos *cap.*7. appellauit *mandatum iustum*, quæ ad pacem, & tranquillitatem ciuium referuntur, quâ homines politici sunt, siue in ciuitate, regnoque viuentes, D. Thomas 1.2.*tota quæst.*104. de quibus latè Azor 1. *tom. lib.*6. *cap.*30. *& seqq.* vbi post Angelicum Præceptorem ad classes præcepta hæc reducit appositissimè. Ad hanc partem spectant omnes leges de rebus publicis, & priuatis latæ, tam ad causas ciuiles, quàm ad criminales; de commerciis, & successionibus, reuersionibusque bonorum ad cippum, siue ad tribus. Quo de iure nouissimè egerunt Politici suprà relati, & Ioannes Seldenus *in lib.de successionib. Hebræorum*, & si qui sunt alij.In quibus ferendis legibus etiam reluxit benignitas & bonitas Dei erga populum; neque enim ipsis permittere voluit sanctionem; sed tot, tamque peculiares, & accommodas leges illis dictauit, quibus fundati vitam beatam possent transigere. Vidit quippe æterna prouidentia populum illum rudem adhuc, parumque ad rempublicam fundandam capacem fore, vt nesciret leges sibi condere, & formam regiminis stabilire. Itaque quod Deus immediatè Synagogæ præstitit, Ecclesiæ permisit per medios suos ministros,quos ad id aptos recognouit: quare de his iudiciis ad postremum tempus, siue ad tempus legis gratiæ nihil determinauit, vt docuit post D. Thomam Sotus *de iustitia & iure lib.*2.*q.*3.*art.*3. Cessauit ergo hæc lex quoad iudicialia præcepta Iudæorum respectu simul ac Iudaïsmus, & Synagoga cessauit per aduentum Christi, & complementum legis; quia illi soli populo, & statui data est: respectu verò nostri, qui ex Gentibus ad Ecclesiam venimus, nunquam propriè dicitur cessasse, quia nunquam Gentes timuit, quibus alia forma Reip. permissa fuit,vt doctè considerauit Hugo Grotius *lib.*1.

lib.1. de iure belli & pacis, cap.1. §.16. vbi alios dat in notis, quem laudo fidenter, cùm audierim amplexatum orthodoxam fidem, & iuſto fine defunctum.

13. DE EISDEM PRÆCEPTIS.

Hac de cauſa à noſtris communiter dicitur pro hac parte, quoad iudicialia lex mortua, quia populum Chriſtianum non obligat ex vi præcepti poſitiui; ſed non mortifera, cùm eius præcepta tanquam politica, & ad rectam gubernationem conducentia poſſint à Principibus habentibus poteſtatem ſuſcitari, ſiue eccleſiaſtici ſint, ſiue ſæculares: de eccleſiaſticis Principibus præcepta de decimis (ſi hæc iudicialia ſunt, & non moralia, de quo alibi diſputabimus) Eccleſia ad ſuſtentationem miniſtrorum excitauit, vt poſt Irenæum, & Chryſoſtomum in hunc ſenſum docuit Grotius *d.lib.1.cap.1.§.17.* aliaque permulta inueniuntur ab hoc ſacro iure traducta in libros Pontificij iuris *in cap.1. de homicidio*, & *ſub titulo de iniuriis & damno dato*, quæ adducit Valens *d.quæſt.4.ſect.3. ex num.7.* quâ occaſione de hac poteſtate diſputat Albericus Gentilis *in diſp.de libris iuris can.c.5.* Et de Principibus ſæcularibus ſufficiat exemplum retractus, quod deductum *ex cap. 25. Leuitici*, *Ruth. cap.4. Hieremiæ cap. 32.* nationes omnes ferè arripuerunt, vt de noſtra ab initio cautum fuit *in l.13. tit.10. lib.3. fori legum*, *l.230. ſtyli*, *l.70. cum ſeqq. Tauri*, & in aliis. De Gallia fundat latè Tiraquel. *in præfat. ad libros de retractu*, *num.7.* niſi quædam leges tam peculiariter datæ fuiſſent illi populo propter duritiam cordis eorum, vt pro tempore æquitatem habuiſſent à Deo participatam; quæ in ſtatu Eccleſiæ à nullo Principe poſſent ſuſcitari, quia à ſupremo Legiſlatore gratiæ reprobatæ ſunt, veluti lex, quæ iubebat oculum pro oculo dare, & dentem pro dente. *Exodi cap. 21. Deuteron. cap. 19.* quæ reprobata eſt per Chriſtum *Matthæi cap. 5.* Item lex repudij, de qua *in Deuteron.cap. 24.* abrogata eſt *eodem cap. 5. Matthæi, & cap.9. & Marci, cap.10. & Lucæ cap. 16.* quas nemo Chriſtianus iuſtè & ex charitate poterit ſuſcitare, nec præceptiuè, nec permiſſiuè. Docent Grotius *d.§.17.* Tiraquel. *in dict.præfat.num.10.*

14. DE MOYSE LEGISLATORE.

Ex quo multi ſibi perſuaſerunt, non omnes leges populo Iudaico datas, à Deo ipſo immediatè latas fuiſſe, ſed præter decem præcepta, & principaliores ſanctiones, reliquas leges iudiciales, & cæremoniales latas fuiſſe à Moyſe ſpiritu diuino afflato; quam opinionem ſuſtinuit olim Marſil. Ticinus *in lib. de relig. Chriſt.cap.34.* Paulus Ricus *in lib. de chriſt. veritate*, *tract. 2. 3.p. cap.3.* innixi quorumdam Patrum non rectè forſan perpenſis ſententiis, quos ſecutus fuit Tiraquellus *in dicta præfatione*, *num.8.* & doctiſſimus Alphonſus Salmeron *in acta Apoſtolorum tract. 61. & ſequenti*; quem tamen excuſare intendit Valens infrà referendus; & de libello repudij agens Primarius Scholæ noſtræ doctiſſimus Canus *lib.2. de locis*, *cap.16.* Cæterùm hæc ſententia communiter improbatur, quia omnes leges Hebraïcæ ſub vno eodemque contextu, & ſcriptura continentur, & tanquam ab vno, eodemque Legiſlatore datæ accipiuntur: quare omnes reſpectu illius populi leges diuinæ poſitiuæ fuerunt, indiſpenſabiliterque obligantes vſque ad vltimum apicem, aut iota, tanquam à diuina prouidentia prouenientes: at leges, quæ darentur per Moyſem, humanæ poſitiuæ forent, non adeò adſtrictè, & indiſpenſabiliter obligantes: ergo fieri non poteſt prædicta Legiſlatorum diſtinctio; faciliúſque dicitur, leges illas prouidentiâ diuinâ accommodatas fuiſſe illi populo, gentiſque genio & inclinationi pro ſtatu Synagogæ, antequam abundaret gratia, non tanquam perpetuò valituras, ſed pro tempore. Quæ communior ſententia eſt, quam ſequuntur Bartholomeus à Medina *in 1.2. D. Thomæ*, *q.98. art.2.* Gabriel Vaſquez *art.etiam 2.* Greg. de Valentia *diſput.7.q.7. puncto 1. probat. 1.* Greg. Martinez *d.q.98. art.2. dubio ſingulari*; Raphaël Auerſa *q. 1.* Eximius Pater Franciſcus Suarez *de legibus lib.9. cap.2.* Ioannes de Salas *eod. tract. diſput.22. ex n.11.* maximè *num.14.* Ioannes Arboreus *lib. 10. Theoſophiæ*, *cap.9.* Bellarminus *lib.1. de Verbo Dei ſcripto*, *cap.5.* Iacobus Gordonus *tom.1. Theolog. moralis, lib.2.q.7.cap.2. ex num.4.* Maldonatus *in Euangelium Matthæi*, *cap.19.* Franciſcus Valens *in concordia*, *tit.de conſt.q.4.ſect.4.*

Sequitur vt de cæremonialibus diſpiciamus, quæ ad virtutem religionis, & cultûs Dei referuntur: cum verò ritus, quo Deus decenter placandus ſit, ab ipſa ratione naturali non dictetur, neceſſaria eſt aliqua peculiaris, & priuata determinatio ab habente poteſtatem; hanc Eccleſiæ ſuæ permiſit Chriſtus Dominus propter abundantiam gratiæ, quâ ſponſam exornauit; populo verò Iudaïco permittere noluit, tanquam rudi, & carnali, & quem cernebat in idololatriam, & ſuperſtitionem pronum; ſed ipſe curam geſſit minutiſſimorum quorumcunque, ſub interminatione quæ extat *in cap. 5. & 8. Deuter.* Cæremoniæ docebant cultum, & decentiam tractandi ſacra; ſimul tamen manu ducebant populum per ritus ſacrificiorum, feſtiuitatum, veſtimentorum, & ſimilium, ad veritatem cognoſcendam, & ſperandum Chriſtum ex ſe venturum, vt poſt D. Thomam docent præcitati Authores, maximè Soto *d. lib.2. q.3. art. 2. cum ſequentibus.* Quare ex cæremoniis, quædam tantùm erant religioſæ, quædam religioſæ ſimul & typicæ, ſiue præfiguratiuæ venturæ veritatis, veluti purificatio poſt partum, quæ tantùm ad decentiam templi ſpectabat, & ad puritatem naturalem fœminæ, quæ in templum erat ingreſſura ſine vlla repræſentatione Chriſti venturi per ſe: è conuerſo Paſchalium obſeruatio, ſacrificia & holocauſta, aliaque quamplurima figuram præferebant venturæ veritatis. Illæ cæremoniæ ab Eccleſia ſuſcitari potuerunt, vt vidimus ſuſcitatas *in cap.1. de purificatione poſt partum*, vbi dicemus; iſtæ verò non tantùm mortuæ ſunt, ſed & mortiferæ, nec vlla prorſus lege eccleſiaſtica, aut ſæculari poſſunt ad vſum reduci, quia coniungeretur vmbra cum ſole, Synagoga cum Eccleſia, & Chriſtiani ſic Deum colentes, iudaïzarent. D. Thomas *q.104.* Tapia poſt relatos, *1.tom. catenæ moralis*, *lib.4.q.27. art.8. & ſequenti*, Franciſcus Valens *in concordia iuris Pontificij*, *ad titulum de conſtitutionibus*, *q.4.ſect.8.per totam*, maximè *num. 12.* aliis relatis, quibus parcimus. Non eſt opus in præſenti diſquirere de controuerſia exorta inter Paulum, Petrumque ſuper obſeruatione legalium, quæ extat *in epiſt.ad Galatas*, *cap.2.* quam poſteà ſuſcitarunt Hieronymus, & Auguſtinus, Auguſtinoque accedens D. Thomas *1. 2. q. 103. art.4.* & Recentiores, Suarez *lib.9.de legibus, c. 16. num. 4.* Salas *eodem tract. 14. diſput. 23.* Vaſquez *in 1.2.diſput.182. cap.2. num.9.* Franciſcus Valens *vbi proximè*, *ſect.9.* Tapia *d.lib. 4.q. 27. art.9.* Illud tamen in re præſenti prætermittere non licet, in Concilio Hieroſolym. 2. relato *Actuum Apoſt. cap.15.* iunctum fuiſſe Gentibus conuerſis, ſiue

ad

ad Ecclesiam venientibus, vt abstinerent à fornicatione, idolothyto, sanguine & suffocato, à quo Iudæi abstinebant à tempore Noëmi, *Geneſis cap.9.* Quæ pars videtur ad præcepta cæremonialia veteris legis pertinuisse; & nihilominus tam in prædicto Concilio Hierosolym. quàm in aliis canonibus, quos retuli in apparatu ad hæc commentaria, cernimus suscitatum; igitur quia præcepta cæremonialia veteris legis non cessarunt. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, præceptum hoc de abstinendo à sanguine, & suffocato, quamvis Iudæis datum, seu repetitum sit *Leuitici cap.*17. pro qua parte sanguinem & suffocatum edere prohibebat, non fuisse typicum, aut præfiguratiuum Christi venturi; potius verò respexisse obsequium, & reuerentiam quam Deo tanquam auctori naturæ exhibere debemus; cùm enim vita animalis in sanguine sit, proiicientes in terram eius sanguinem, Authorem vitæ recognoscere videmur; per consequens abstinentes à suffocato, censentur eandem reuerentiam præstare Authori naturæ, cùm carnes nolint attingere animalis illius, cuius sanguis Deo libatus non sit. Non ergo habuit cæremonia hæc aliud ex Iudaïco populo signum, quàm quod eidem populo data fuit, & in illius mores pertransiit, in tantùm, vt prophanos existimarent Iudæi, qui sanguine & suffocato vescebantur, non minùs quàm eos, qui manducabant idolothyta, siue de carnibus idolo mactatis: ne itaque scandalum oboriretur Iudæis baptizatis à Gentilibus ad Ecclesiam venientibus, si viderent illos vesci cibis, quos ipsi valdè abhorrebant, suscitata fuit, seu nouiter condita lex vetus, non quia cibi prædicti per se immundi haberentur; nullus etenim cibus immundus est, nec interdictus Christianis, sepositâ ecclesiasticâ constitutione, vt constat ex D. Paulo 1. *ad Corinth.cap.*8. & *epist. ad Rom. cap.* 14. sed quia visum fuit ita Gentilium, & Iudæorum animos in concordiam reducere, si prohiberentur cibi Gentilibus, quos horrebant Iudæi. Qua de causa vbi hoc periculum non cernitur, rectè potuit permitti, vel vsu, vel expressâ constitutione esus prædictorum ciborum, ne coincidamus cum hæreticis, qui quasdam carnes immundas putant, vt prohibitum fuit in Concilio Brachar. 1. *can.*14. *Immundos putaret cibos carnium, quas Deus in vsum hominum dedit.* Consuetudo etiam idem potest efficere, vt in toto Christianismo iam effecit; non verò damnatur constitutio 68. Leonis Philosophi, qui eosdem cibos vetuit suo imperio, insistens prohibitioni Apostolorum, quos vocat Præcones gratiæ. Itaque non omnis lex cæremonialis Iudæis data mortifera est, sed ea tantùm, quæ præfigurabat Christum venturum. Ita de hac lege censuerunt Baronius *anno* 51. Victoria *de potestate Papæ & Concilij, versic. Quarta propositio.* Ioannes Antonius Delphinus *de potestate Ecclesiæ, titulo de delectu ciborum, pag.* 147. Tapia *q.*24.*art.* 9. *in fine.* Quare autem nouioribus Ecclesiæ canonibus hoc præceptum suscitatum fuisset, exposui in dicto apparatu.

15. De cessatione legis veteris.

Tandem sciendum est, communem & veram sententiam Theologorum esse cum D. Hieronymo & Augustino, nullum præceptum legis veteris cessasse ante mortem Christi; nam etsi ferè omnia præcepta cæremonialia fuissent præfiguratiua Christi venturi, & ministeriorum eius; erant tamen præcipuè præfiguratiua mortis, & passionis illius, & ideo vsque ad mortem ipsius lex Moysis omnino perseuerauit: quare Christus dum vixit, legem obseruauit, & cæteros omnes ad eius obseruationem exhortabat, vt constat *ex cap.*5. & 17. *Lucæ, cap.* 23. *Matthæi.* Cessauit ergo lex vetus in ipso momento mortis Christi Domini, vt probatur ex D. Paulo in præsenti textu, relato ibi: *Translato sacerdotio*; nam cùm in ipso momento mortis Christi confirmatum fuerit nouum Testamentum, sequitur hinc fuisse reuocatum antiquum; & translato sacerdotio, translatam quoque fuisse legem antiquam in nouam: etiam aliqui idem probant ex eodem Apostolo ad Ephesios *cap.* 2. ibi: *Legem mandatorum decretis euacuans.* Idem dicendum est de præceptis iudicialibus; nam cùm morte Christi fuisset vetus Testamentum translatum, consequens erat, vt non solùm cæremoniæ, sed etiam Respublica illa omninò mutaretur, quatenus à Deo constituta erat. Poterant enim Hebræi propria authoritate suam eandem conseruare Rempublicam, & sibi hoc modo eligere Regem, vt conseruarent legem iudicialem, quam à Deo per Moysen acceperant, sicut & hodie Ecclesia multa ex illis præceptis iudicialibus renouauit; illa tamen lex quatenus à Deo lata, & quatenus diuina, post mortem Christi cessauit; nam quemadmodum tulit illam, non pro omnibus gentibus, sed solùm pro populo Iudaïco, qui signo circumcisionis à reliquis distinguebatur, ita cessante circumcisione, lex iudicialis quatenus à Deo lata fuit, cessare debuit. Circa præcepta moralia à Deo lata acerrimè defendit P. Vasquez 1.2. *q.*103.*disput.* 168. *cap.*3.*num.*17. obligationem eorum post mortem Christi non cessare, sed semper manere; verùm placet sententia Soti *lib.*2.*de iustit. q.*5. *art.*4. *conclus.* 2. quem sequuntur Recentiores Thomistæ, dum ait, præcepta moralia post mortem Christi cessasse, non quatenus erant præcepta naturalia, sed quatenus à Deo lata fuerant per Moysen; & ita hodie durare quatenus naturalia sunt. Facit pro hac sententia D. Thomas 1.2.*q.*98. *art.*5. dum docet præceptis naturalibus expressis in lege Moysi data omnes nationes teneri, non quia expressa erant in lege veteri, sed quia proueniebant à lege naturali, quæ omnes, & omni tempore obligat.

16. Traditiva ratio decidendi.

Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio nostri textus, quæ multiplex est. Prima, voluntas Dei, quæ manifesta fuit abrogandi legem veterem: & quis possit destruere legem, nisi qui eam statuit? Secunda, quia cùm contineret figuras, quæ per aduentum Christi adimpletæ sunt, D. August. *lib.*19. *contra Faustum, cap.* 13. statim cessare debuit, Ambianas *ad Tertullianum de pudicitia cap.*6. *obseruatione* 1. Tertia, quia lex imperfecta erat, cùm promitteret, non daret; repræsentaret, non exhiberet. Cyrillus *in Ioannem lib.*9. *cap.* 23. ibi: *Nec enim legem Mosaïcam inutilem fuisse putamus, sed non consummatè. Inde bonum nobis allatum contendimus: præparatio enim quædam fuit ad Euangelium, figurisque ac vmbris ad veram nos pietatem instruens.* Deinde quia, teste Apostolo *ad Ephesios cap.*2. *vers.*14. *Dominus noster fecit ex vtroque populo vnum*; id est, ex duobus populis, Iudaïco, & Gentilitio fecit vnum ouile, ac proinde debuit dissoluere medium parietem legis Mosaïcæ, qui separabat vnum populum ab alio, & ambos vnâ, euangelicaque lege includere: deinceps, quia lex antiqua continebat graue iugum, quod vix Iudæi poterant ferre, *cap.* 15. *Actuum Apostolorum, vers.*10. quod per legem gratiæ dissolui

*cap.*15. *Actuum Apoſtolorum*, *verſ.* 10. quod per legem gratiæ diſſolui debuit. Manet ergo legem veterem abrogatam eſſe, quoad cæremonialia & iudicialia; quoad moralia verò, quæ in Decalogo continentur, durare. D. Clemens *lib.*6. *conſtitutionum*, *cap.* 22. *&* 23. quatenus illa ſunt iuris naturalis: lex enim moralis Decalogo comprehenſa, nihil aliud eſt, quàm interpretatio legis naturæ, quæ cùm eſſet peccatorum tenebris opacata, per Moyſem reparata fuit; & ſicut gratia naturam non deſtruit, ſed perficit; ita lex gratiæ moralem legem non infirmauit, ſed confirmauit. Apoſtolus *ad Romanos cap.* 3. ibi: *Legem ergo deſtruimus per fidem, abſit? ſed legem ſtatuimus.* Latiùs proſequuntur Couarr. *dict. cap.* 17. *numer.* 1. Moneta *dicto cap.* 3. *num.* 53. Suarez *dicto cap.* 11. Franciſcus Valens *in præſenti, ſect.*8. *per totam*, Tiraquell. *de retractu*, ſuprà.

17. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà allata, vbi dicebamus, legem antiquam datam eſſe ex prouidentia Dei, & ſic perpetuam eſſe debere; nam dicendum eſt ſecundum D. Auguſt. ſuprà *contra Fauſtum*, quod ſicut ſapiens diſpenſator vnâ, & eadem diſpenſatione, & prouidentiâ, ſecundùm diuerſitatem temporum dat alia, atque alia præcepta; ita diuina prouidentia propter mutationem temporum varia dedit præcepta, quia alia ante aduentum debuerunt dari, quæ præfigurarent Chriſtum venturum; alia poſtea, quæ ſignificarent iam veniſſe. Nec obſtat quod dicebamus, legem veterem perpetuam, & æternam appellari; nam ſciendum eſt, quod licèt rigoroſè, & propriè, æternitas, vel æternum ſignificet durationem, quam Theologi dicunt totam ſimul; quæ æternitas formaliter dicit durationem carentem principio, & fine, ſeu termino, iuxta quam acceptionem tantùm Deus eſt æternus, iuxta illud *Exodi cap.* 15. ibi: *Dominus regnabit in æternum:* tamen ſæpiùs æternum accipitur pro longa duratione, & hoc ſenſu lex dicitur æterna, ſacerdotium ſempiternum, & cæremoniæ æternæ, vt accipitur poſſeſſio æterna terræ promiſſionis filiis Iſraël, quæ etiam ceſſauit, *Geneſ. cap.* 17. *verſ.*4. ibi: *Dabo tibi terram Chanaam in poſſeſſionem æternam.* Et *cap.*13. *Geneſ. verſ.*5. dicitur ſempiterna poſſeſſio data Abrahæ, his verbis: *Terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Et *lib.*1. *Reg. cap.*1. *num.*6. dicitur vita hominis æterna: & *cap.* 15. *Deuter. verſ.*7. vbi de ſeruo, qui non admiſit libertatem à Domino datam, dicitur quod ſeruiat in æternum, cùm tantùm ſeruitus duratura eſſet vſque ad Iubilæum. Et *eodem lib. cap.* 27. *num.*8. dixit Achis: *Erit mihi Dauid ſeruus ſempiternus*; cùm caſu, quo ſeruiturus eſſet Dauid, tantùm per vitam ſeruiturus eſſet. Et apud Ezechielem *cap.* 26. *verſ.* 21. ait Dominus de ciuitate Tyri: *In nihilum redigam te, & non eris, & requiſita non inuenieris vltra in ſempiternum*; cùm tantùm per 70. annos peritura erat, iuxta illud capitis 23. Iſaiæ, *verſ.* 15. ibi: *In obliuione eris, ò Tyre, ſeptuaginta annis:* & *verſ.* 17. *Poſt* 70. *annos viſitabit Dominus Tyrum.* Et *cap.* 15. *verſ.* 18. dicitur: *Dominus regnauit in æternum, & vltra*; vbi ſi per *æternum*, ſignificaretur ſempiterna duratio, ad quid adderetur, *& vltra*: vnde cùm æternum ſemper in ſacris litteris dicat durationem longam, inde lex Moyſi data dicitur æterna, quia duratura erat per mille, & quingentos annos, vſque ad legis gratiæ aduentum. Nec etiam obſtat, quod de circumciſione expendebamus: verum eſt enim, circumciſionem in lege veteri fuiſſe à Deo inſtitutam, vt eſſet ſignum fœderis inter Deum, & Abrahamum cum ſuis poſteris, vt eſſet typus baptiſmi: D. Paulus *ad Coloſſenſes cap.*2. *verſ.*11. vnde nullo modo hoc præceptum ſuſcitari valet. D. Thomas *in* 4. *diſt.*1. *q.*2. *art.*5. Salmeron *ad D. Paulum ad Galatas cap.*5. *q.*3. Suarez *de legibus lib.*9. *cap.*15. Franciſcus Valens 2. *parte concordiæ*, *ſect.*8. *&* 9. vbi latè exponit locum D. Pauli *ad Galatas cap.*2. in illis verbis: *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtitit, quia reprehenſibilis erat.* Nec refragatur authoritas Diui Pauli *ad Corinthios cap.*7. nam ibi Apoſtolus agit de Iudæis iam circumciſis, vel non ad fidem conuerſis, vt docent Caietanus, Anſelmus, & Cornelius à Lapide *ibi:* vt enim Apoſtolus doceret, vnumquemque ſeruum, ſeu coniugatum ad fidem venientem debere permanere in qua vocatione vocatus eſt, agit ſimiliter de Iudæo circumciſo ad fidem veniente, & docet vt ſi ſeruus coniugatus venerit ad fidem catholicam, non inde ſtatum mutet, ſed maneat circumciſus ſeruus coniugatus, vt vocatus fuit; non tamen permittit Apoſtolus baptizatum circumcidi poſt fidem ſuſceptam. Sed rectiùs Baronius in apparatu, vt verba illa Apoſtoli exponat, ſupponit apud Iudæos à prauis hominibus eam excogitatam fuiſſe malis artibus perfidiam, vt ad libitum cùm vellent, à patriis legibus ad Gentiles tranſirent, præputium ſuper circumciſionem induxiſſe, vt ſic Iudæos ſe eſſe negarent, quod liquet *ex lib.*1. *Machab. cap.*1. Ioſeph. *lib.*12. *antiquit. cap.*6. ibi: *Adduxerunt ſibi præputia, vt nudi quoque non eſſent Græcis diſſimiles; & contemptis omnibus patriis ritibus, imitabantur mores externarum gentium.* Epiphanius vbi de Symmacho agit. Medica ergo arte circumciſi cutem attrahebant, ſeu creſcere faciebant, vt iterum glans operiretur, & incircumciſi viderentur. Vnde D. Paulus, vt eos reprehenderet, ait quod ſi Iudæus circumciſus conuertitur, ſecum afferat præputium; ſi autem Gentilis conuertitur, non afferat præputium. Senſus ergo verborum Pauli eſt; circumciſus non adducat, id eſt arte medica non extendat præputium, vt incircumciſus videatur. Gentilis etiam, ſiue incircumciſus, non circumcidatur; quia poſtquam morte Chriſti circumciſionis præceptum euacuatum eſt, circumciſio nihil eſt, & Iudæo circumciſo non obeſt præputium non habere; nec Gentili incircumciſo obeſt præputium trahere. Nec tandem obſtant textus *in dicto cap.*1. *de homicidio*, *cap.*1. *de iniuriis*, & ſimiles, vbi præcepta iudicialia videntur ſuſcitari, & obſeruari; nam licèt præcepta, tam cæremonialia, quàm iudicialia poſt legem gratiæ ceſſaſſent, tamen diuerſo modo; cæremonialia enim, quæ Chriſtum venturum præfigurabant, non ſolùm mortua, verùm & mortifera ſunt, vt ab Eccleſia nullo modo ſuſcitari poſſint, *cap. maiores*, *de baptiſmo:* plura Franciſcus Valens *dicta ſect.* 8. *per totam*; iudicialia verò, licèt mortua, non tamen mortifera fuerunt; vnde poſſunt, ſicut & cæremonialia præcepta, quæ non præfigurabant tanquam præcepta, denuò ſuſcitari, quia non ordinabantur per ſe ad ſignificandum, ſed ad politicam vtilitatem, & inde poſſunt ad eundem vſum acceptari. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 104. *art.*3. vbi ait in corpore: *Præcepta iudicialia, ſunt quidem mortua,*

mortua, quia non habent vim obligandi; non tamen sunt mortifera, quia si quis Princeps ordinaret in regno suo illa iudicialia obseruari, non peccaret, nisi fortè hoc modo obseruarentur, vel obseruari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione; talis enim intentio obseruanda esset mortifera. Vnde textus suprà citati obligant tanquam ex iure ecclesiastico, non verò ex lege veteri prouenientes, vt docent Couarr. *lib.1. variar. cap.17. n.1.* Suarez *de legibus lib.9. cap.* 14. Moneta *de commutatione cap.* 13. *ex num.* 55. sicut plures cæremoniæ ex ritibus Iudæorum, & Gentilium acceptæ hodie in Ecclesia sunt in vsu, non quia illis consentiat, sed tanquam à iure ecclesiastico introductæ: eas referunt, & eruditè illustrant Filesacus *lib.1. selectorum, per totum*, Franciscus Hallier *de sacris electionibus sect.* 8. *de cæremoniis, cap.1.*

18. EXPLICATVR CAPVT VNICO, DE PVRIFIC. Ex his infertur interpretatio ad textum *in cap. vnico, de purificatione post partum*, vbi agitur de præcepto legis veteris abstinendi ab ingressu templi per quadraginta dies, mulieribus iniuncto *Leuitici cap.12. per totum.* Et ait Innocentius III. quod licèt mulieres post partum non cogantur ab ingressu templi se abstinere propter legem Moysi datam; si tamen abstinere voluerint, deuotionem earum non esse improbandam: ex quibus verbis expressè deducitur, præcepta cæremonialia non adeò esse mortifera vt ab Ecclesia suscitari non possint: pro cuius textus expositione dicendum est, abstinentiam illam ab ingressu Ecclesiæ propter corporalem immunditiam, non pertinere ad prædicta cæremonialia præcepta typica, sed ad honestam, & moralem prouidentiam; nam præceptum legis veteris non consistebat in sola separatione, seu abstensione à templo, sed in obseruatione dierum, in oblatione pulli columbæ, seu turturis, vt refert Becanus *in analogia cap.* 14. *q.5.* quæ cæremoniæ nec præcipiuntur, nec permittuntur ab Innocentio, sed tantùm approbatur abstensio ab ingressu templi ex deuotione: quo modo accipiendus etiam est Leo Imperator *in nouella 17. de puerperis.* Similiter ex deuotione & honestate mulieres tempore profluuij menstrui iubentur arceri à templo *in can.* 2. sancti Dionysij Archiepiscopi Alexandrini, apud Balsamonem: *De mulieribus autem, quæ sunt in absessu, an eas sic affectas oporteat domum Dei ingredi, supervacaneum vel interrogare existimo. Neque enim eas existimo, si sint piæ & fideles, sic affectas, ausuras vel ad sanctam mensam accedere, vel corpus & sanguinem Domini attingere; nec enim quomodocumque se habeat aliquis, & vtcumque sit affectus, Domini meminisse, & auxilium implorare, non est reprehendendum. Ad sancta autem sanctorum, qui non animâ, & corpore purus est, accedere prohibebetur.* Aliquando tamen ex Ecclesiæ præcepto fœminas in vtroque casu, profluuij videlicet, & partus, arceri ab ingressu Ecclesiæ depromitur ex pœnitentiali Theodori apud Carnotensem *parte 15. Decreti, cap. 150. & 151.* vbi ait: *Vt mulieres menstrui tempore non offerant, nec sanctimoniales, nec laicæ. Si præsumpserint, tres hebdomadas pœniteant. Mulier, quæ intrat in Ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, si masculum genuerit, XXXIII. dies pœniteat; si fœminam, LVI. Si qua autem præsumpserit ante tempus præfinitum Ecclesiam intrare, tot dies pœniteat in pane, & aqua, quot Ecclesiâ carere debuerat. Qui autem concubuerit cum ea his diebus, decem dies pœniteat in pane & aqua.* Refert Baronius *anno* 266. *num.* 11. Cùm enim hoc præceptum non ingrediendi Ecclesiam non esset typicum, seu præfiguratiuum, sed tantùm cæremoniale, potuit ab Ecclesia ex eadem ratione, videlicet honestatis, suscitari, iuxta suprà tradita.

19. EXPONITVR CAN. FIN. CONCILII TOLET. 9. Secundò, præsenti assertioni obstat textus parum notus *in can. vlt. Concilij Tolet. 9.* vbi Hispaniæ nostræ Patres ita sanxerunt: *Baptizati Iudæi quocumque loco, cætero tempore conuersentur; festis tamen præcipuis noui Testamenti serie consecratis, ac diebus illis, qui olim sanctione veteris legis sibimet censebantur esse solemnes; in ciuitatibus, publicisque conuentibus, cum summis Dei Sacerdotibus celebrare præcipimus, vt eorum conuersationem ac fidem & Pontifex approbet, & veritas seruet. Huius verò temeratu edicti, prout ætas permiserit, aut flagris, aut abstinentiæ subiacebit.* Ex quibus difficillimis verbis deducitur, Iudæos conuersos, & baptizatos posse festiuitates lege veteri Mosaïca introductas obseruare: ergo quia præcepta etiam cæremonialia legis veteris post legem gratiæ vigent. In huius canonis expositione ducem, quem sequamur, non habemus; si quid tamen proprij ingenij est, existimabam in eo canone non permitti Iudæis baptizatis obseruare festiuitates veteris legis; imò potiùs illis hoc prohiberi: illud enim in eo canone statuunt Patres, videlicet vt Iudæi baptizati adsint, & conueniant cum Episcopo, aut Sacerdotibus in festiuitatibus lege gratiæ introductis, & etiam illis, quas lex vetus statuerat, propter diuersos tamen fines; in festiuitatibus lege gratiæ consecratis, vt eas celebrent cum suis Sacerdotibus, ac custodiant; in festiuitatibus verò legis veteris, vt cognoscant Sacerdotes, eos similes dies non obseruare, imò potiùs in eis laborare, tanquam fideles iam liberati ab obseruantia legis veteris; vt tamen hoc rectum testimonium suæ fidei possint præstare Episcopi, & Sacerdotes, debent cum eis in prædictis festiuitatibus conuenire. Quæ interpretatio suadetur *ex l. 21. tit.3. lib. 12. legum Vvisigothorum*, ibi: *Omnis Iudæorum conuentus, in quibuscumque locis, vel territoriis habitare videntur, ad Episcopum loci, vel Sacerdotem, diebus Sabbathorum, vel cæterarum festiuitatum, quas celebrare solent, concurrere, & conuenire debebit: nec in his, & talibus diebus con esse sibi licentiæ vacatione vsuri sunt; sed quamdiu excursus dierum ipsorum pertranseat, quorum de celebritate suspiciones verentur; alibi citra Sacerdotis sui conniuentiam nullo modo mouebuntur. Diebus tamen Sabbathorum concursus eorum, & lauacro nitidus, & perceptione benedictionis deuotus, ad Episcopum, vel Sacerdotem semper est peruenturus. Sanè in locis illis vbi sacerdotalis præsentia defuerit, concursus eorum omnis, vel conuersatio, aut cum Iudicibus, aut cum Christianis honestissimis erit; qualiter sic eorum societati inhæreant, vt audenter de eorum conuersatione bonum perquisiti testimonium dicant. Mulieres sanè Iudæorum, coniuges scilicet, atque etiam filiæ, in prænemoratis omnibus festiuis diebus, quibus errore proprio abutuntur, nec vllius erroris, nec peruersitatis reperiant locum. Id omni modo obseruabitur, vt viris earum præsentibus prouida in eis Episcoporum, vel Sacerdotum ordinatio fiat: vt quemadmodum viri earum de præsentia se sacerdotali non differunt, ita & ipsæ per excursum omnium dierum ipsorum, electione Sacerdotum, atque Pontificum, cum quibus, vel qualibus honestissimis fœminis commorari debeant, ordinentur.*

ordinentur. Si quis autem huic præceptioni visus fuerit euenire contrarius, publica decaluatione turpatus, centenorum flagellorum erit suppliciis feriendus. Id tantùm præcipuè obseruandum est, ne quorundam Sacerdotum carnalium corda, dum vis libidinis execrabili contaminatione exagitat, occasiones quaslibet inquirant, per quas libidinis suæ votum efficiant. Vnde id arctiori sanctione decernimus, vt sic omnis Sacerdos hæc instituta legum nostrarum in iam dictis fœminis Hebræorum adimpleat, vt nullius peculiaritatis locum cum eisdem mulieribus habeat, per quod se ordinare intendat. Quod si quemlibet Sacerdotum contigerit, vt zelum, quo pro Christi nomine vti debet, frequenter ad libidinis suæ sibimet occasiones vsurpet; tunc Sacerdos ipse ab hoc honore depositus, exilio erit perpetuo mancipandus.

20. EXPONITVR CAN. 65. APOST.

Deinde aduersatur textus *in can. 65. Apost.* in illis verbis: *Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum, vno solo dempto, ieiunare deprehendatur, deponitur; sin laicus, à communione eiicitur.* In quibus verbis vno verborum ictu, & ob eandem rationem, videlicet festiuitatis Dominicæ, & Sabbathi, Apostoli inhibent ieiunium eisdem diebus: sed Sabbathi custodia ad præcepta cæremonialia legis veteris spectat, *Exodi cap. 31. vers. 13. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Videte, vt Sabbathum meum custodiatis.* Et ibi: *Qui polluerit illud, morte morietur. cap. 15. Numerorum, vers. 32.* Menochius *de repub. Hebræorum lib. 3. cap. 1.* Georgius Ambianas *ad Tertullian. de Idolol. cap. 14. obs. 3.* Igitur præcepta legis veteris etiam cæremonialia, post legem gratiæ non cessarunt. Pro huius canonis expositione sciendum est, circa ieiunium Sabbathi, & eius custodiam, non consensisse Ecclesiam Latinam cum Orientali, imò & in Ecclesia Latina non vnam, eandemque fuisse Ecclesiarum consuetudinem: primis enim Ecclesiæ sæculis in Ecclesia Orientali Sabbatha vt dies festiui colebantur. D. Clemens *lib. 8. constit. cap. 33. Serui quinque dierum opus faciant, Sabbatho autem, & Dominica die vacent in Ecclesia.* Synodus Laodicena *can. 5.* vbi cauetur ne aliis Quadragesimæ diebus, quàm Dominicis, & Sabbathis Sanctorum natalia celebrentur. Synodus 6. *can.* 8. ex Nysseno, Anasthasio, & aliis Ecclesiæ Orientalis Patribus, probat Baronius *anno* 57. *num.* 205. & Gentiles illum diem tanquam Saturno dicatum coluisse refert Tibullus *lib. 1. eleg. 3.*

Saturni sacram me tenuisse diem.

In Ecclesia Occidentali, primis etiam Ecclesiæ cunabulis, Sabbatho non ieiunari colligitur ex Tertulliano *de ieiun. cap. 15.* in illis verbis: *Quamquam vos etiam Sabbathum, si quando continuatis nunquam nisi in Pascha ieiunandum, secundùm rationem alibi traditam.* Ex quibus depromitur, Tertulliani æuo adhuc Romæ eo die ieiunatum non fuisse; vnde refellitur fabella illa, quæ vulgò narratur de certamine Sancti Petri cum Simone Mago, quasi die Dominico cum aduersario præliaturus, Sabbatho ipsum ieiunium commendasse; partâ autem victoriâ, deinceps illud indixisse ieiunium. Eam refellit D. Augustinus *epist.* 860. Sequentibus verò sæculis ieiunium Sabbathi in Ecclesia Occidentali obseruatum fuisse, constat ex Concilio Illiber. *canon. 26.* Gerundensi *can. 3.* Cæsaraugust. *can. 3.* Brachar. *1. can. 4.* Innocentio *epist. 4. ad Decentium.* August. *epist. 86.* notarunt Sauarus ad Sidonium *lib. 1. epist. 2. verbo Luxu Sabbatharios*; Ambianas *in dicto cap. 15. Tertull. obseruat. 2.* Vtriusque consuetudinis ratio redditur à sanctis Patribus. In Ecclesia Occidentali ob memoriam Dominicæ sepulturæ ieiunari, tradunt Innocentius I. *epistol. 1.* Siluester Pontifex, apud Eusebium *in eius vita*, his verbis: *Cùm omnis Dominicus dies colendus sit, in gaudium Christianorum: Ergo omnis dies Sabbathi deputandus est sepulturæ, ad execrationem Iudæorum. Omnes enim discipuli die Sabbathi fletum habuerunt, sepultum suspirantes; & Iudæis epulantibus lætitia inhærebat, Apostolis autem ieiunantibus imperabat: Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura, si volumus cum eisdem de resurrectione Dominica gaudere.* Refert Balsamon *in canon. 55. 6. Synodi*: Ecclesia verò Orientalis Sabbathum colebat, & in eo ieiunium damnabat in detestationem Hæreticorum Simonis Magi, Saturnini, Menandri, Cerdonis, Marcionis, eorumque sectariorum, qui Deum authorem mundi cum omnibus à se creatis rebus malum esse asserebant, atque ideò à carnis esu, & propagatione per matrimonium abstinentes, die Sabbathi ieiunabant, ne mundi creator, qui die 7. requieuit, honorari videretur. Epiphanius *hæresi 22.* Sanctus Ignatius *epist. 55. ad Philippenses: Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum, vno excepto, nempe Paschali, ieiunauerit, hic Christi interfector est.* Notarunt Benedictus Eftenus *disquisit. monastic. tractat. 7. disquisition. 2.* Primarius, Præceptorque noster D. Antonius de Garaña, nieto *in cap. 1. de feriis*; nos latiùs *in dicto can. 26.* Illiberitani Concilij.

21. IMPVGNATVR DISCRIMEN ADDVCTVM.

Nec contrarium Ecclesiæ Orientalis vsum suadent textus *in canone 29.* Synodi Laodic. in illis verbis: *Non oportet Christianos iudicare, & in Sabbatho vacare; sed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidem diei. Si hoc eis placet, vacent tanquam Christiani. Quod si inuenti fuerint iudaizare, anathema sint.* Ex quibus deducitur, in Orientali Ecclesia diem Sabbathi vt festiuum non coli. Nam huic difficultati satisfaciendum est asserendo, canonem illum aduersùs eos fuisse sancitum, qui non tantùm colebant sabbata, vt festiua, verùm ritu Iudæorum ea obseruabant, & more eorum, vt Iudæi ab omni opere vacabant. Itaque PP. non prohibent Sabbathum colere, vt diem Dominicum ritu christianorum, sed illud obseruare Iudæorum more: docent Albaspinus *lib. 1. obser. cap. 13.* Iustellus *in notis ad dictum can. 29.* nec Latinorum morem improbat textus *in can. 55.* Sextæ Synodi: *Quoniam intelleximus in Romanorum ciuitate, in sanctis Quadragesimæ ieiuniis, in eius Sabbathis ieiunare præter ecclesiasticam traditam consequentiam, sanctæ Synodo visum est, vt in Romanorum quoque Ecclesia inconcussè vires habeat canon, qui dicit: Si quis Clericus inuentus fuerit in sancto Dominico, vel Sabbatho ieiunans, præter vnum, & solum, deponatur; sin autem Clericus, segregetur.* Ex quo textu constat, nec in Ecclesia Latina Sabbatho ieiunare licere, aduersùs ea, quæ suprà adduxi. Pro huius textus interpretatione sciendum est, temporibus Agathonis, & Constantini fuisse Constantinopoli sextam Synodum celebratam contra Sergium, Cyrum, Monothelitas; & tunc nullos fuisse editos canones, postea tamen temporibus Iustiniani Imperatoris statutos fuisse canones 102. qui vt apochryphi obseruand non sunt in illis rebus, quæ repugnant disciplinæ Ecclesiasticæ, vt probabimus *in c. à multis, de ætate, & æqualit.* vnde canonem illum authoritate carere docent Turrian. pro canonibus dictæ Synodi, Mendoza *lib. 2. Concilij Illiber. cap. 52.*

cap. 52. Balsamon *in dicto can.* 55. qui etiam exponunt canonem *sextam Synodum*, 16. *dist.* qui falsò tribuitur Adriano Pontifici, cùm sit Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani.

22. VERA INTERPRETATIO PRÆDICTI CANONIS. His sic animaduersis, omissâ solutione eorum qui existimarunt canonem illum non esse Apostolorum, vt in eius notis docuerunt Seuerinus Binius, & Corjolanus, Bellarm. *tom.* 3. *controu. lib.* 2. *de bonis operibus*, *cap.* 8. Baronius *anno* 102. *num.* 15. Dicendum est, temporibus Apostolorum Sabbathis ieiunare non licere, imò vt festiua Sabbatha à fidelibus coli; quia cùm Euangelium prædicare cœpissent, noluerunt statim omnes Iudæorum cæremonias extirpare, vt de præcepto abstinendi à sanguine, & suffocato, in apparatu latè notaui. Igitur cùm Apostoli non auderent Sabbathi custodiam statim prohibere, eam tolerarunt, vt pro ipsius canonis expositione obseruauit Albaspinus vbi proximè. Etiam expendi potest Concil. Hierosolym. 2. in præcepto de sanguine & suffocato, iunctis traditis in apparatu.

CAPVT IV.

a Idem *super epistolam ad Romanos.*

NAm b concupiscentiam nesciebam, & cætera: hoc c enim elegit Apostolus generale, vnde omnia mala oriuntur. Bona est ergo lex, quæ dum hoc prohibet, omnia mala prohibet.

NOTÆ.

a

1. IDem.] Etiam in hac inscriptione mendum reperitur, ac in textu antecedenti; nam cùm deductus sit ex glossa ordinaria ad epistolam Pauli *ad Romanos cap.* 7. tribuitur D. Augustino, apud quem hæc verba non reperiuntur, licèt alia non dissimilia legantur in eius operibus, *tomo* 6. *lib.* 15. *contra Faustum*, *cap.* 8. ibi: *Ergo lex semper est bona, siue obsit inanibus gratiâ, siue prosit plenis gratiâ, semper est bona.* Et *tomo* 7. *de perfectione iustitiæ*, *cap.* 5. *ratiocinat.* 11. vbi ait: *Et fortè generalis prohibitio est: Non concupisces; & generalis iussio: Diliges.* In glossa ordinaria reperitur præsens textus, & etiam apud Antonium August. *in* 1. *collectione cap.* 7.

2. b *Concupiscentiam.*] Hæc verba sunt D. Pauli *ad Romanos cap.* 7. vbi agit de excusanda lege veteri, cùm *cap.* 3. 5. 6. & 7. docuisset, quod vbi subintrauit lex, superabundauit delictum; & quod per gratiæ legem liberati sumus ab illa lege; respiciens futuros hæreticos, qui legem veterem accusare, & damnare poterant; doctrinam suam exponens, & aduersùs hæreticos præmuniens, asserit legem veterem non solùm malam, & reprehensibilem non esse, verùm esse bonam, licèt non perfectam; quod contendit ex eo, quia non solùm lex vetus magistra peccati non fuit, verùm eius accusatrix. Vnde ait Apostolus, *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces.* Expressè enim concupiscentiam lex vetus prohibuit *Exodi cap.* 20. & in nono Decalogi præcepto.

3. c *Hoc enim.*] Licèt apud Patres relatos à Cornelio à Lapide *in dicto cap.* 7. *ad Romanos*, satis sit controuersum, quid nomine concupiscentiæ in eo textu comprehendatur, D. Augustinus, ex quo sumpsit glossa ordinaria verba nostri textus (licèt inter eius opera non reperiantur) existimauit nomine concupiscentiæ, eam concupiscentiam designari, quæ est generale peccatum, vnde concludit: *Hoc enim elegit Apostolus generale peccatum, vnde omnia mala oriuntur. Bona est ergo lex, quæ dum hoc prohibet, omnia mala prohibet.* Quasi diceret, prohibuit concupiscentiam, quæ iuxta Apostolum 1. *ad Timoth. cap.* 6. *vers.* 10. radix est omnium malorum, vt omnia peccata prohiberet.

COMMENTARIVM.

SEd huic Augustini sententiæ obstare videntur duo principia. Primum, quod lex vetus non prohibuit generaliter concupiscentiam, sed concupiscentiam rei proximi. *Exodi c.* 20. ibi: *Non concupisces rem proximi tui.* Ergo non fuit generale præceptum, vt D. Augustinus docuit. Secundum, non ex concupiscentia, tanquam ex radice, omnia mala oriuntur; sed ex superbia, iuxta illud Ecclesiastici *cap.* 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Ergo non rectè elegit Apostolus præceptum non concupiscendi, cùm potiùs exemplum superbiæ, vt magis generale, eligere deberet. Sed adhuc asserendum est, rectè D. Augustinum asseruisse, Apostolum concupiscentiæ præceptum elegisse, quia generale peccatum est; non enim hîc accipitur, vt vulgò sumi solet, pro libidine tantùm, sed pro inordinato animi motu ad auaritiam, iactantiam, & alia mala: quare radicem omnium malorum eam appellarunt Apostolus 1. *Timoth. cap.* 6. *vers.* 10. D. Ioannes *epist.* 1. *cap.* 2. D. Iacobus *epist.* 4. *vers.* 1. ibi: *Vnde bella, & lites in vobis, nonne ex concupiscentiis vestris?* Vnde concupiscentiam, vt fomitem omnium malorum damnant sacræ litteræ, *cap.* 20. *Exodi, vers.* 17. *Deuteron. cap.* 5. *vers.* 21. *Prouerbiorum cap.* 23. *vers.* 5. *Matth. cap.* 5. *vers.* 27. Apostolus 1. *ad Corinthios, cap.* 10. *vers.* 6. *ad Coloss. epist.* 3. *cap.* 5. D. Ioannes *epist.* 1. *cap.* 2. & eam frænare, & mortificare iubemur *Ecclesiast. cap.* 18. *vers.* 30. D. Paul. ad Romanos *cap.* 6. *vers.* 12. & *cap.* 8. *vers.* 8. & *ad Galatas c.* 5. *vers.* 16. *ad Ephesios cap.* 4. *vers.* 22. *ad Titum cap.* 2. *vers.* 12. *ad Hebræos cap.* 2. *vers.* 1. D. August. *de perfectione iustitiæ cap.* 16. ibi: *Si quis impleuerit præceptum, Non concupisces, nullum habebit peccatum.* Plura Bellarm. *tomo* 3. *controu. lib.* 5. *de amissione gratiæ, cap.* 10. Ambianas *ad Tertull. de anima c.* 4. *obserua.* 2. Petauius *tit.* 1. *dogmat. theolog. lib.* 10. *cap.* 22. Nec obstant principia in contrarium adducta; nam licèt præceptum non concupiscendi versetur præcipuè circa furtum, & adulterium, per hoc tamen præceptum omnia mala, quæ ex concupiscentia oriri possunt, censentur prohibita; vnde concupiscentia est generale malum, 4.

non

non communitate generis, vel ſpeciei, ſed communione cauſalitatis: & licèt concupiſcentia rei alienæ, & vxoris, potiùs quam aliorum peccatorum prohiberetur, fuit, quia iſta peccata in ipſa concupiſcentia habent quandam delectationem, quæ non contingit in aliis peccatis. Docent D. Thom. & Pererius *vbi ſuprà*. Nec obſtat quod de ſuperbia dicebatur: nam ſuperbia eſt initium omnis peccati, quantum ad contrarietatem cum incommutabili bono, qui eſt Chriſtus; concupiſcentia autem improba, de qua Apoſtolus loquitur, radix eſt omnis peccati, quantum ad conuerſionem peccantis ad bonum creatum, vt explicant D. Thomas, & Pererius *vbi ſuprà*.

5. His ſuppoſitis pro vera huius textus expoſitione, ex eo deducunt Interpretes, legem obligare cum peccato, cùm dicat Apoſtolus, ob prohibitionem concupiſcentiæ factam à lege, eam habentem peccare lethaliter; quod & in lege humana, eccleſiaſtica, ſeu ciuili affirmant Theologi cum D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 2. *& quæſt.* 96. *art.* 4. Bellarminus *anno* 1. *lib.* 3. *de laicis, cap.* 11. Suarez *de legibus cap.* 21. *&* 22. *lib.* 3. Salas *eodem tract. diſput.* 10. *ſect.* 1. Caſtro *de lege pœnali cap.* 4. illuſtriſſimus Tapia *in catena tom.* 1. *lib.* 4. *quæſt.* 9. *art.* 3. plures Barboſa *in cap. quæ* 7. *num.* 5. *hoc titulo*, Eſcobar *de vtroque foro, in principio*: etiam deducunt gloſſa, & antiquiores ex hoc textu, *Vno prohibito, omnia prohibita cenſeri, quæ ex illo ſequuntur*. Quod principium probant textus *in cap. denique* 4. *diſt. cap. pœnale* 13. *quæſt.* 5. *cap. inter, de fide inſtrum. cap. paſtoralis, §. finali, de appellat. cap. quod prohibetur, de regulis iuris in* 6. *l. oratio, ff. de ſponſalibus, l. pupillus, §. ſed ſi, ff. de authoritate tutorum, l. legem, in fine, C. de naturalibus liberis*. Plura pro eius illuſtratione Petrus Pekius *in dicto cap. cùm quod prohibetur*, Barboſa *axiomat.* 193.

CAPVT V.

[a] Hieronymus *in Parabolis*.

NE innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.

NOTÆ.

1. [a] *Hieronymus.*] Ita etiam legitur *in cap.* 6. *eod. titulo, in* 1. *collectione*. Priora verba videlicet, *ne innitaris prudentiæ tuæ*, ſunt Salomonis *cap.* 3. *Prouerbiorum*, & illis vtitur Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 4. ibi: *Innixus prudentiæ ſuæ*. Quæ ſequuntur, ſunt Diui Hieronymi, vt conſtat ex gloſſa ordinaria *in dict. cap.* 3. vbi reperiuntur verba, quæ ſequuntur. Ex illis deducunt communiter Doctores, conſtitutiones Decretorum opinionibus ſingulorum hominum eſſe præferendas; quod etiam probatur *ex cap. relatum* 37. *diſtinct. c.* 1. *diſt.* 84. *cap. ſunt nonnulli*, 16. *quæſt.* 1. *cap. cùm Apoſtolica, de his quæ fiunt à Prælatis*; & neminem proprio arbitrio niti, ſed ſecundùm canonum ſtatuta iudicare debere, docent Petrus Gregorius, & Vranius *in præſenti*, & nos diximus *in c.* 1. *hoc titulo*.

CAPVT VI.

Innocentius III. [a] *Senonenſi Archiepiſcopo & Epiſcopo* [b] *Trecenſi.*

CVm omnes vnum [c] corpus ſimus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, non debent maiores minoribus, aut [d] ſeniores iunioribus inuidere, ſi omnes qui in Eccleſia vni Domino famulantur, pari gaudeant libertate: cùm pondus, & pondus; menſura, & menſura, vtrumque abominabile ſit apud Deum: & euangelicus paterfamilias pari mercede primos vineæ ſuæ operarios remunerauerit, & extremos. Verùm ad audientiam Apoſtolatus noſtri peruenit, quòd dilecti filij Trecen. Canonici propriis inhiantes commodis, & aliorum profectibus inuidentes, nouum fecerunt in Trecenſi Eccleſia [e] conſtitutum, vt eis tam in præſentia ſua, quàm abſentia redditus ſuos ex integro percepturis, qui in eadem Eccleſia poſt illam inſtitutionem fuerunt, vel de cætero fuerint inſtituti, redditus ex ea in abſentia non percipiant, ſed tunc ſolùm, cùm in ea fuerint reſidentes; cùm ſecundum Trecen. Eccleſiæ [f] conſuetudinem omnes in hoc conſueuerint eſſe pares. Statuerunt etiam, vt (cùm ſingulis præbendis annexæ ſint [g] vineæ, ipſis ſuas dum vixerint poſſidentibus, vineæ decedentium ad [h] ſucceſſores non tranſeant, ſed prouentus earum inter ſingulos diuidantur. Cùm igitur, quod [i] quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe debeat vti eodem; & Sapientis dicat authoritas: Patere legem, quam [k] tuleris: Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus antiquos Canonicos iunioribus, & iuniores in perceptione fructuum, tam præbendarum, quàm vinearum coæquetis antiquis, [l] ſecundùm priorem conſuetudinem, vſque ad tempus prædictæ inſtitutionis ſeruatam, vel ſecundùm rationabilem inſtitutionem deinceps

obseruandam, illos per districtionem Eccles. percellentes, si quid duxerint renitendum. Nullis litteris, &c. Harum tenore, &c. quod si ambo, &c. alter vestrûm, &c.

NOTÆ.

1. SENONENSIS VRBIS DESCRIPTIO.

a *Senonensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titulo*, *cap.* 1. & in ipso regiſtro epiſtolar. Innocentij III. edito Coloniæ anno 1543. correcto à Cardinali Guillermo Sirleto *lib.* 1. *pagina* 89. ex quo litteram huius textus reſtituo. Senonenſis Metropolis eſt Galliæ, cuius meminerunt Cæſar *lib.* 6. & 7. Ptolomeus *lib.* 2. *cap.* 8. Ipſa ciuitas Senonum ſita eſt ad Vennam in Ionam influentem, cuius originem & conditores referunt fratres Sarmatani *tom.* 1. *Galliæ Chriſtianæ*, *folio* 613. Habet Eccleſiam Cathedralem D. Stephano dicatam, quam nobilem appellat S. Bernardus *epiſt.* 202. iam à temporibus Apoſtolorum, ſiquidem B. Paulus S. Saluianum in ea primum Præſulem inſtituit, vt refert Baronius *anno* 69. Inter Præſules huius Eccleſiæ, & Metropolitanum Lugdunenſem vetus fuit de Primatu controuerſia, cuius meminit Iuo Carnotenſis *epiſt.* 18. & 65. Plura de hac Metropoli congeſſerunt Franciſcus Hallierius *de hier. iuriſdict. lib.* 4. §. 6. *folio* 568. Chenu *in chronolog. Galliæ*, *folio* 164. In præſenti reſcribit Innocentius Petro de Coruel. Archipræſuli ipſius Eccleſiæ, qui poſtquam Pariſiis claruerat in Theologiæ profeſſione, quare Innocentius ipſe *lib.* 1. *epiſtola* 198. ſe eius diſcipulum gloriatur, his verbis: *De cuius litteratura, & ſcientia in longinquis & remotis partibus prædicatur, ſub cuius magiſterio nos aliquando fuiſſe, in memoriam reducimus, & ab eo diuinarum audiuiſſe paginam Scripturarum; quod volumus reputare glorioſum:* inde electus fuit Epiſcopus Cameracenſis, & anno 1201. tranſlatus ad Eccleſiam Senonenſem, cuius poſtulatio approbata fuit ab Innocentio *in cap.* 1. *de poſtulat. Prælat.* De eo egerunt S. Antoninus *titulo* 17. *cap.* 4. Thomas Cantipratenſis *lib.* 2. *cap.* 51. & 75. Sixtus Senenſis *lib.* 4. *chron.* Conſtitutiones quoque edidit, quarum fragmentum extat ad finem Concilij Lateran. 4. *tom.* 28. *Conciliorum.*

2. TRECENSIS VRBIS SITVS.

b *Trecenſi.*] Trecenſis, ſeu Tricaſis, vel Auguſta Tricaſinorum, nobilis vrbs eſt Galliæ, ampliſſimi Comitatus caput, mercaturæ in primis dedita, cuius Eccleſia ſuffraganea eſt Archiepiſcopi Senonenſis, à qua Metropoli abeſt ſupra tredecim millibus paſſuum Gallicorum, vt referunt Petrus Pitheus *in eius hiſtoria*, Nicolaus Camuzatus *in prompt. antiquit. Tricaſinorum*, fratres Sarmatani *tomo* 2. *Galliæ Chriſt. folio* 1075. Garnerro de Trainel, eius Eccleſiæ Præſuli ex anno 1193. vſque ad annum 1205. reſcribit in præſenti Innocentius, & Eccleſiæ Trecenſis etiam mentio extat *in cap. olim*, 32. *de officio delegati*, *cap. dilecti* 35. *de appellat.*

3. c *Corpus ſimus.*] Verba ſunt Diui Pauli 1. *ad Corinth. cap.* 3. Tranſcripta *in cap. quærit*, *de conſec. diſt.* 4. *cap.* 2. *de ſumma Trinitate.*

4. d *Seniores.*] Qui in Eccleſia dicantur ſeniores, exponam *in cap.* 1. *de cenſibus.*

5. CAPITVLVM STATVTA CONDERE VALET.

e *Conſtitutum.*] Certum eſt, Capitulum non ſolùm Sede vacante, verùm & ſuperſtite Epiſcopo poſſe ſtatuta noua condere, *cap. cùm acceſſiſſent*, *cap. ex litteris*, *cap. ex parte*, hoc titulo, *cap. conſtitutus*, *de reſcriptis*, *cap. cùm Eccleſia*, *de elect. cap. cùm dilectus*, *de clericis non reſid. cap.* 1. *de conſtitut. lib.* 6. *cap.* 2. *de v. ſ. lib.* 6. P. Suarez *de legibus lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 14. Nec contrarium docetur *in cap. cùm conſuetudinis*, *de conſuet. cap. nobis*, *de his quæ fiunt à Prælatis*, vbi aſſeritur, Epiſcopi conſenſum deſiderari in ſtatutis faciendis, quia Capitulum per ſe non habet poteſtatem legiſlatiuam, præcipuè cùm Capitulum aliquid ſtatuit circa cultum diuinum, vt eſt reſidere, vel non, *cap. ex parte*, *el* 2. *de reſcriptis*, *cap. finali*, *eodem titulo*, *lib.* 6. ergo Canonici Eccleſiæ Trecenſis ſtatutum, de quo in præſenti textu agitur, facere non poterant irrequiſito Epiſcopo. Quâ difficultate oppreſſi aliqui ex repetentibus in præſenti, docuerunt hoc in caſu conſenſum Epiſcopi præceſſiſſe: ita Beroius *num.* 26. Decius *num.* 2. Franciſcus Valens *in concord. iuris in præſenti*, *num.* 10. quibus ferè conſentiunt Innocentius, & Hoſtienſis, qui affirmant Innocentium ideò irritaſſe præſens ſtatutum Eccleſiæ Trecenſis, quia ſine conſenſu Epiſcopi factum fuerat. Verùm hac ſolutione omiſſa, dicendum eſt, Capitulum ſine Epiſcopi conſenſu poſſe ſtatuta facere circa res ſpectantes ad regimen proprium politicum, ſeu œconomicum; non verò circa eas res, quæ ſine iuriſdictione diſponi nequeunt. Fatendum etiam eſt, ſuper reſidentia, vtpote ſuper re graui, non poſſe Capitulum ſtatutum facere, cuius ratione abſentes beneficiorum fructus percipiant. Garcia *de beneficiis* 3. *part. cap.* 2. Hurtado *tomo* 1. *de reſidentia*, *reſolutione* 6. *per totam:* in præſenti autem caſu ſtatutum ſuper reſidentia validum eſſet, ſi ex alio capite non vitiaretur, quia ſtatutum hoc Capitulum fecerat in confirmationem iuris communis, videlicet vt Canonici deinceps inſtituendi tenerentur reſidere, non obſtante antiqua conſuetudine in ipſa Eccleſia præſcripta, alioquin fructus ſuarum præbendarum non lucrarentur; tunc enim validum eſt tale ſtatutum, etiam Epiſcopo inconſulto, quia quælibet res de facili reuertitur ad ſuam naturam, *l. ſi vnus*, §. *pactus*, *ff. de pactis.* Docuerunt in præſenti Beroius *num.* 39. Franciſcus Valens *num.* 8. quæ ſolutio illuſtrari poteſt exemplis deductis *ex cap. ab exordio* 35. *diſt. cap. ſtatuimus*, *de tranſact. cap. cùm Apoſtolicæ*, *de his quæ fiunt à Prælatis*, *cap. ad audientiam*, *de Clericis non reſident.* Cùm ergo in præſenti caſu Canonici Trecenſes intenderent ſtatutum facere iuxta ius commune, ex eo quod Epiſcopo inconſulto illud conderent, inualidum non erat: quo modo etiam accipiendi, & intelligendi ſunt textus *in cap. cùm dilectus*, *de clericis non reſid. cap. cùm conſuetudinis*, *de conſuetudine.*

6. DE CONSVETVDINE PERCIPIENDI FRVCTVS IN ABSENTIA.

f *Conſuetudinem.*] Quænam tamen fuiſſet hæc conſuetudo, claſſici repetentes in præſenti meritò examinant, cùm ex eius cognitione non modicam lucem præſens Decretalis accipiat. Aliqui putarunt conſuetudinem hanc fuiſſe iuri communi conſonam, videlicet quod omnes Canonici ipſius Eccleſiæ abſentes fructus ſuarum præbendarum non perciperent: in primo autem ſtatuto Canonicos ſtatuiſſe, vt ipſi, tam præſentes, quàm abſentes lucrarentur fructus ſuarum præbendarum; Canonici verò de cætero recipiendi non aliter eos adquirerent, quàm ſi in ipſa Eccleſia reſiderent. Contrarium tamen, videlicet in Eccleſia Trecenſi conſuetudinem præſcriptam fuiſſe, vt Canonici, tam abſentes, quàm præſentes

ſentes redditus ſuarum præbendarum perciperent, docuerunt in præſenti Panormitanus, Zabarella, Bellamera, Innocentius, Anania, Decius, Felinus, Baldus, Ferretus, Exea, quos refert, & ſequitur Franciſcus Valens *num.* 3. Quorum ſententia probatur ex eo, nam ſi conſuetudo eſſet iuri communi conformis, non aſſereret Innocentius III. Canonicos ſeniores coæquandos eſſe iunioribus, aut veterem conſuetudinem retinendo, aut nouum rationabile ſtatutum cuſtodiendo; hoc enim decretum ſupponit conſuetudinem præſcriptam eſſe circa exemptionem obligationis reſidendi; ſtatutum verò ſuſcitaſſe obligationem iuris communis per ſimilem conſuetudinem præſcribi poſſe, vt abſentes per aliquod tempus fructus præbendarum percipiant: fusè probat Thomas Hurtado *de reſidentia part.* 1. *reſol.* 3. *ſubreſol.* 13. §. 1. licèt circa diſtributiones quotidianas nulla conſuetudine introduci poſſit, vt abſentes eas lucrentur, *cap. vnico, de clericis non reſid. lib.* 6. Cuius differentiæ rationes varias aſſignarunt Selua *de beneficiis* 4. *part. quæſt.* 2. *num.* 1. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 9. Garcia *de beneficiis* 3. *part. c.* 2. *num.* 3. Rebuffus *in repetit. textus in cap. extirpandæ*, §. *qui verò, de præbendis.* Curtius *de conſuet. num.* 500. Ea tamen receptior videtur, quia videlicet etſi tam frufructus præbendarum, quàm diſtributiones quotidianæ deſignentur in ſtipendium Canonicorum; fructus tamen deferuntur mediante titulo beneficij, quo ius competit ad eos percipiendos pro ſuſtentatione, & alimonia, eo quod ſeruitio Eccleſiæ mancipati ſunt, *ex cap. cùm ſecundùm, de præbendis, cap. finali, de reſcriptis in* 6. docet Nauarrus *de horis canonicis cap.* 7. *num.* 31. ac proinde non ſequitur, fructus ipſos inſpectâ primæuâ naturâ ſuâ, & ipſorum deputatione, ob hæc, vel illa onera ſuſtinenda fuiſſe principaliter inſtitutos, quamuis prædicta onera veluti illis annexa ſubire teneantur, & legitimè puniri in ipſorum fructuum priuatione, vel aiis pœnis, ſi illa non impleuerint, vt ex Concilio Lateran. & Extrauaganti Pij V. tradit Nauarrus *vbi proximè.* Secus verò diſtributiones, quia tales ſunt ſpecialiter, & inſpectâ primæuâ naturâ, inſtitutæ fuerunt, vt actualiter diuinis officiis aſſiſtentibus quotidie tribuantur; quo fit, vt conſuetudo in hac ſpecie tanquam contra naturam ſeu ſubſtantiam actus improbetur, *dicto cap. vnico:* ſecus verò quoad alios fructus, iuxta præſentem textum.

7. g *Vineæ.*] Præbendæ enim habent fructus diſtinctos, & ſeparatos; ſed quia aliquando tetues ſunt prouentus, prædia, vel alia immobilia fructifera illis annectuntur, *cap. expoſuiſti, de præbendis, clem.* 2. *de rebus Eccleſiæ.*

8. h *Ad ſucceſſores.*] Appellat Innocentius ſucceſſores Canonicos de cætero inſtituendos in præbendis per electionem, & inſtitutionem canonicam, non quia iure hæreditario in præbendis, aut beneficiis ſuccedatur, quomodo etiam ſucceſſores accipiuntur *in cap.* 1. *de ſolutionibus, cap. finali, ne Prælati vices ſuas*; lato enim modo ille dicitur ſucceſſor alicuius, qui in locum illius ponitur, licèt non ſit hæres, *l. meminiſſe, ff. de officio Proconſ. l.* 1. *ff. de officio Præfecti Auguſt. l. edictum, ff. de iudiciis.*

9. EDICTVM QVOD QVISQVE IVRIS COMMENDATVR.

i *Quod quiſque iuris.*] Quod præceptum continens ſummam legum & Prophetarum expreſſit Chriſtus Dominus *Matthæi cap.* 7. *verſ.* 12. his verbis: *Omnia ergo, quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*; *hæc eſt enim lex, & Prophetæ:* & *Luc. c.* 6. *verſ.* 38. Facit illud Tobiæ *cap.* 4. *verſ.* 16. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Quod præceptum in cordibus noſtris Dominum ſcripſiſſe ait D. Auguſtinus *in Pſalmo* 57. ibi: *Quandoquidem manus formatoris noſtri, in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit, quod tibi non vis, alteri non facias.* Et hoc præceptum eſſe breuiarium totius iuſtitiæ dixit D. Hieronymus, ſeu, vt alij volunt, Paulinus *epiſt.* 14. *ad Zelantiam*, his verbis: *Sed quaſi ad compendioſum quoddam commonitorium illa tibi Euangelij eligenda ſententia, & ſuperſcribenda cordi tuo, quæ ad totius iuſtitiæ breuiarium dominico ore profertur: omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Et poſt pauca: *Quoties ergo talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter iuſtitiæ dereliquiſti.* Commendarunt præceptum hoc SS. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 1. Cyprianus *lib.* 3. *ad Quirinum, contra Iudæos.* Clemens *epiſt.* 1. Anacletus *epiſt.* 1. & 2. Calliſtus *epiſt.* 2. facit Tertullianus *lib.* 4. *aduerſus Marcionem, cap.* 16. ibi: *Proinde & aly facere, quod ab alio mihi fieri nolim, iniuriam, contumeliam, fraudem & eiuſmodi mala*; *& de hac inconuenientia voluntatis & facti agunt Ethnici nondum à Deo inſtructi.* Hæc autem verba, *quod quiſque iuris*, & cætera, ſunt edicti Prætorij, cuius verba referuntur *in l.* 1. *ff. quod quiſque iuris*, & eius meminerunt Conſulti *in l. ſed & partus* 12. §. 1. *ff. quod metus causâ, l.* 3. §. 1. *ff. mandati, l. cùm in eo* 44. *ff. de pactis, l. cùm hæreditas* 59. *ff. de adminiſt. tut.* Imperatores *in l. vlt. Cod. de fruct. & litium expenſis, l. rata*, 7. *Cod. de reſcind. lib.* 1. *feudorum, titulo* 13. *cap.* 1. *verſ. Eccleſia*, & *lib.* 2. *cap.* 33. §. 2. De cuius edicti æquitate plura tradunt Corraſius *lib.* 4. *miſcel. cap.* 4. Duarenus *lib.* 1. *diſput. cap.* 49. Donellus *lib.* 28. *comment. cap.* 2. Bartol. Cheſius *interpret. iuris cap.* 35. Franciſcus Valens *in præſenti.*

10. DE AVCTORIBVS GENTILIVM.

i *Sapientis.*] Id eſt, Catonis; inter eius enim dicta refertur ſententia, quæ in præſenti textu citatur, licèt Alciatus neget prædictam ſententiam Catonis eſſe, ex eo quod apud Romanos ſententia cuiuſlibet viri ſapientis, Catonis ſententia dicebatur, teſte Plutarcho *in vita M. Catonis.* Ex his autem verbis illud deducitur, nouum non eſſe, Philoſophorum aut Poëtarum teſtimonia in deciſionibus etiam Pontificiis citari, & laudari, vt etiam conſtat *ex cap. Forus*, §. *iurgium, de v. ſ.* vbi Virgilij locus adducitur: *cap. ſatyra*, 7. *diſt. cap. ſi quid veri* 27. *diſt. cap. Dominus*, §. *dixit*, 1. *quæſt.* 1. *cap. legimus* 30. *de conſec. diſt.* 5. Concilio Turon. 2. *can.* 15. ibi: *Sicut ait Seneca.* In iure Cæſareo paſſim id vſitatum inuenio, *in l. non tantùm*, §. *vltimo, ff. de rerum diuiſione, l. ſeptimo, ff. de ſtatu hominum, l. proponebatur, ff. de iudiciis, l. antiqui* 3. *ff. ſi pars hereditatis, l. finali, ff. finium regund. l. ſi pater* 36. *ff. ſolut. matrimonio, l. legatis* 65. §. *pecoribus, ff. de legatis* 3. *l. non facilè* 4. §. *gradus, ff. de gradibus, l.* 1. *ff. de donat. causâ mort. l. ſi vxori* 13. §. 1. *ff. ad legem Iuliam de adult. l. Cicero, l. aut facta* 8. §. *euentus, ff. de pœnis, l.* 1. §. 1. *de contrahenda emptione, l. vtrum* 7. *ff. de rebus dubiis*; nam vt ait D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ciuitate Dei, cap.* 14. *Veritas vbicumque eſt, Domini noſtri eſt*; *& proinde à Gentilibus, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vindicanda eſt.* Et S. Ioannes Damaſcenus *lib.* 4. *de fide, cap.* 18. ait: *Quod ſi quid in quo vtilitatis quidpiam iaſit, ab exteris authoribus ſumere poſſimus, quominus id facianus, nihil vetat.* Latè illuſtrat omni genere eruditionis Parens D. L. Ramirez de Prado *in ſuo ſchediaſmate.*

k *Tuleris.*] Sancta, & ſalubris ſententia, ab omnibus Principibus obſeruanda, frequenter vſurpata ab Alexandro Seuero, referente Lampridio *in eius vita*, & eam refert Auſonius *in ſeptem Sapientibus*, his verbis: *Pareto legi quiſquis legem ſanxeris.* Conſonant textus *in cap. pro illorum* 22. *cap. cùm nobis, de præbendis, l. ſed ſi hac*, §. 1. *ff. de in ius vocando, l. lege, C. de pactis, l.* 4. *C. de legibus, l.* 15. *&* 16. *tit.* 1. *partita* 1. Seneca *epiſt.* 91. *Legem ſtatuens legi ſe ſubiicere debet.* Quod præceptum etſi ad inferiores Legiſlatores in præſenti textu referatur, tamen ad ſupremos Principes Legumlatores ſpectare conſtat *ex l. digna vox, C. de legibus: cap. iuſtum* 9. *diſt.* variis authoritatibus, & exemplis illuſtrant Corraſius *lib.* 4. *miſcel. cap.* 4. Cochier *lib.* 2. *Theſauri Polit. cap.* 2. Mendoza *in viridario, lib.* 8. *cap.* 10. Marquez *in Gubernatore Chriſtiano, lib.* 2. *cap.* 2. Amaia *lib.* 1. *obſerv. cap.* 1. Mornacius *in d. l. digna vox*, Bernegerus *ad Tacitum q.* 35. Solorzanus *emblem.* 69. P. Pinto *in Eſaiam cap.* 14. *nota* 4. *num.* 223. & alij *in cap.* 1. *de prob. laudand.*

11. LEGISLATOR PARET LEGIBVS.

l *Vel ſecundùm.*] Quibus verbis loquitur Innocentius cum ipſis iudicibus delegatis, non verò cum Canonicis Trecenſibus, decernendo diſiunctiuè, vt Canonicos æquales faciant, iuxta conſuetudinem iam in ea Eccleſia præſcriptam, iuxta quam etiam non reſidentes lucrabantur fructus ſuarum præbendarum; vel ſecundùm rationabile ſtatutum nouiter factum coæquarentur, ita vt omnes Canonici, tam ſeniores, quàm iuniores tantùm reſidentes fructus perciperent: vnde quærunt repetentes in præſenti, an in hac alternatiua electio ſit Canonicorum, vel potiùs Iudicum, qui eos cogere poſſent ad obſeruandum ſtatutum per eos factum, inſuper habitâ priſtinâ conſuetudine; vel ad ſeruandam conſuetudinem legitimè præſcriptam? Et Iudices ipſos electionem habere, docuerunt hîc Cardinalis Alexander de Neuo *num.* 12. pro quibus faciunt ſequentia iuris principia. Primum, nam in alternatiuis ille habet electionem, ad quem verba alternatiua diriguntur, *cap. ſicut, de Iudæis, l. Lucio* 23. *ff. de legatis* 2. *l. quicunque, C. de ſeruis fugitiuis:* probat Madera *animadu. iuris cap.* 23. *num.* 4. Sed in præſenti Innocentius loquitur cum ipſis iudicibus: igitur ipſis competit electio. Secundò, nam Iudices delegati per ſententiam procedere debebant contra Canonicos, ſed ſententia alternatiuè ferri non poteſt, cùm certum debeat continere, *l. in ſententiis* 59. *ff. de re iudicata, l. penult. & vlt. de ſententiis & interl.* §. *curare, Inſtit. de actionibus:* ergo non poterant iudices delegati in præſenti caſu alternatiuè pronuntiare ſententiam contra Canonicos. Tertiò, nam Innocentius vt ſuam adſtruat ſententiam, vtitur edicto Prætoris, *quod quiſque iuris:* ſed iuxta illud qui ius nouum ſtatuit, tenetur illo præcisè vti: ergo Canonici Trecenſes, qui nouum ſtatutum fecerant, tenebantur illud obſeruare. Sed his fundamentis non obſtantibus, verius eſt in præſenti caſu Canonicos poſſe vel antiquam conſuetudinem conſeruare, vel nouum ſtatutum amplectentes, ſeniores iunioribus coæquare, vt probat Franciſcus Valens *in præſenti, notatione* 3. Et hæc ſententia valde conſona eſt menti Innocentij III. qui tantùm intendit coęquare ſeniores iunioribus: quæ exæquatio duobus modis contingere poterat, vel ſi iuniores conſuetudine præſcripta de percipiendis fructibus in abſentia vterentur, vel ſi ſeniores Canonici velint nouum ſtatutum, quod pro iunioribus fecerant, obſeruare; vnde verè electio in præſenti caſu Canonicis competebat. Nec tunc obſtant fundamenta contrariæ ſententiæ: non primum, nam principium in eo adductum non procedit, quando verba alternatiua priuatam partis vtilitatem concernunt, quia tunc non iudici, ſed parti competit electio. Abbas *in cap. provt, n.* 22. *de dolo & contum.* Antonius de Burgos *in cap. paſtoralis, num.* 54. *de reſcriptis:* ſed præſens Decretalis alternatiua priuatam partis, hoc eſt Canonicorum vtilitatem reſpiciebat: ergo etſi verba dirigerentur iudicibus delegatis, tamen electio Canonicis competebat. Vnde concludit Abbas *vbi ſuprà*, quod quando plura remedia à iure introducuntur alternatiuè, licèt verba non dirigantur in partem, ſed in iudicem, nihilominus ex quo reſpiciunt vtilitatem priuatam, electio non datur iudici, ſed parti; quo modo etiam intelligendus eſt textus *in cap. per veſtras, de donat.* interiuncto Scipione Gentili *lib.* 4. *de donat. inter, cap.* 23. Nec obſtat ſecundum contrariæ ſententiæ fundamentum, nam iudices curare debent in quantum poſſunt, certam ſententiam proferre: ſed ſi natura rei non patiatur, vel certam ſententiam non admittat, etſi ſententiam certam non proferant, ſententia vires habet, vt cùm iudex condemnat aliquem, qui alternatiuè promiſit Stichum, aut Pamphilum, non poteſt ſpecificè damnare, vt ſoluat Pamphilum, ſed tantùm vnum aut alium; ita etiam in iudicio noxali iudex debet damnare dominum ſerui, qui noxam dedit, vt damnum ſoluat, vel ſeruum tradat, *l.* 1. *per totum ff. de noxalibus, l. miles* 6. §. 1. *de re iudicata.* Vnde cùm natura negotij, de quo in præſenti textu, non admitteret certam ſententiam, ideò iudices delegati validè ſub alternatiua eam proferre poterant. Nec obſtat vltimum fundamentum, nam illud procedit, quando ius ab aliquo ſtatutum validè conditum fuit: at in præſenti caſu ſtatutum conditum à Canonicis Trecenſibus nullum fuit, ex rationibus ſuprà adductis; vnde præcisè Canonici non coguntur eo vti.

12. EXPONITVR PRÆSENS TEXTVS.

COMMENTARIVM.

13. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Statutum factum à Canonicis inæqualitatem continens reſpectu prouentuum præbendarum, invalidum eſt.* Probant eam textus *in cap. cùm M, hoc titulo, cap. cognouimus*, 12. *q.* 2. *cap. finali, de maiorit. & obed. cap. cùm in tua* 30. *de decimis, cap. nouit, de his quæ fiunt à Prælatis, cap. finali, de his quæ fiunt à maiori parte, cap. in noſtra* 8. *de iniuriis:* faciunt textus *in l.* 3. §. *ſocietas, l. cùm duobus* 42. §. *Papinianus, ff. pro ſocio, l. cùm pater* 77. §. *eiectis, ff. de legatis* 2. *l. eum qui ædes, ff. de vſucapionibus, l. finali, in fine princ. C. de fideicommiſſis.* Illuſtrant vltra ordinarios & congeſtos à Barboſa in præſenti, Antonius de Burgos, Andreas ab Exea, Martinus Vranius, Millianus, Franciſcus Valens, & Proſperus Fagnanus *in repetit. ad hunc textum.* Suarez *de legibus lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 11. Lælius Mancinus *genialium cap.* 122. Alteſſerra *hîc.*

14. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo: Quod maior pars Capituli ſtatuit, tanquam ab omnibus ſtatutum obſeruari debet, *cap.* 2. 10. *q.* 1. *cap. cùm in cunctis, de his quæ fiunt à maiori parte, l. quod maior, ff. ad municipalem, l. aliud*, §. *refertur, ff. de reg. iur. l. nominatim* 9.

tim 9. C. de Decur. lib. 10. quia cùm Capitulum sit vnum corpus, non debet duplici iure censeri, *cap. nouimus* 12. *quæst.* 2. præcipuè cùm maior pars Capituli aliquid statuit secundùm ius commune; tunc enim nec absentium suffragia exiguntur, *cap. factus* 7. *quæst.* 1. docet Vranius *in præsenti num.* 8. sed in præsenti textu statutum factum fuit, vt Canonici tenerentur residere, quod est secundum ius commune, *cap. inter*, *cap. finali*, *de clericis non residem.* igitur cùm fuisset factum à maiori parte Capituli, ab omnibus Canonicis debebat obseruari. Accedit, nam nouum non est, vt iure communi, consuetudine, seu statuto speciali Canonici seniores in eadem Ecclesia iunioribus præferantur, aliquaque præcipua obtineant; vt præcedentiam in Sede, *cap.* 1. *de maiorit. & obed.* ius ad portionem percipiendam, *cap. statuimus, eodem titulo*; optionem ad præbendam maiorem, si vacauerit, *cap.* 2. *de consuet. lib.* 6. ergo & Canonici Trecenses statuto cauere poterant, vt seniores perciperent fructus præbendarum in absentia, iuniores verò tantùm si residerent.

15. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Hac dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsentis textus decisio, cuius varias rationes adducunt repentes *in præsenti*. Aliqui asserunt, ideò statutum à Canonicis factum in præsenti casu non valere; quia contra antiquam Ecclesiæ consuetudinem factum fuerat, & contra consuetudinem legitimè præscriptam Canonici aliquid nouum statuere non valent, *cap. cùm consuetudinis* 9. *de consuet.* Sed hæc ratio facilè conuincitur ex eo, quia Canonici possunt noua statuta condere, quando per ea reducitur ad vsum ius commune, vt in præsenti casu contingit. Alij affirmant, ideò statutum in præsenti casu nullum esse, quia successores prædecessoribus in eo reddebantur inæquales. Sed etiam hæc ratio refellitur primò, quia in præbendis ecclesiasticis non attenditur successio; secundò quia nouum non est, vt successores plus minúsve iuris habeant, quàm antecessores, *l. reperitur* 10. *ff. ad legem Falcidiam.* Quare his & aliis rationibus omissis, verius dicendum est, iniustitiam præsentis statuti prouenire ex eius inæqualitate; cùm enim statutum sit legis species, *cap.* 2. vbi probaui, *hoc titulo*, & lex debeat esse iusta, æqualis, & honesta, *cap. erit autem* 4. *distinct.* ideò statutum de quo in præsenti, inæqualitatem continens, nullum erat. Illud enim factum erat in vtilitatem seniorum, & damnum iuniorum, non in commune bonum, sed potiùs ex zelo auaritiæ, & cupiditatis, cùm Canonici deberent esse in fructuum perceptione æquales; nam cùm faciant vnum corpus, diuerso iure censeri non debent, *cap. cognouimus* 12. *quæst.* 2. *cap. quia circa*, *de priuilegiis*, *l. semper*, 5. *ff. de iure immunit.* facit Cassiodorus *lib.* 1. *epist.* 9. *Iniquum est, vt de eadem substantia, quibus competit æqua successio, alij abundanter affluant, alij paupertatis incommodis ingemiscant.* Illustrat perdoctus Vir Academiæ nostræ decus D. Ioannes Solorzanus *tom.* 2. *de iure Ind. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 82. & licèt seniores à iunioribus sint honorandi, non tamen iuniores à senioribus sunt contemnendi, vel vtilitatis commodo priuandi. Concilium Tolet. 6. *can.* 13. ibi: *Qui Primatum dignitate, atque reuerentiâ, vel gratiâ ob meritum in palatium honorabiles habentur, his à iunioribus modestus honor per omnia deferatur, qui etiam iuniores à senioribus, & dilectionis amplectantur affectu, & vtilitatis imbuantur exemplo.* Iustè ergo Innocentius in præsenti decreuit, Canonicos iuniores Ecclesiæ Trecensis coæquandos esse senioribus, aut iuxta antiquam ipsius Ecclesiæ consuetudinem, vel iuxta nouum statutum, tam in lucrandis in absentia fructibus præbendarum, quàm in vinearum annexione.

16. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, videlicet factum à maiori parte Capituli, tanquam ab omnibus statutum obseruari debere; nam id procedit quando negotium pertinet ad omnes de Capitulo vt vniuersos, non verò vt singulos, quia hoc casu factum Capituli debet ab omnibus approbari, ex vulgari illa iuris regula, *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: cap. quod omnes, de reg. iur. lib.* 6. & in causa communi pluribus vt singulis, potiùs habetur ratio dissentientium, *l. Sabinus, ff. communi diuidundo*, *l. per fundum ff. de seruitutibus rustic. l. receptum, ff. communia prædiorum*; imò vnus contemptus reddit actum, statutumve in sui præiudicium factum, nullum, *cap. quod sicut*, *cap. bonæ*, *de electione:* vnde cùm in præsenti casu facultas lucrandi fructus præbendæ, & vtilitatis vinearum respiceret omnes Canonicos vt singulos, inde statutum factum à maiori parte in minoris præiudicium non sustinetur. Ita docent omnes repetentes *in præsenti*, qui latiùs prosequuntur quando negotium ad singulos vt singulos, vel vt vniuersos spectat. Nec obstat argumentum ipsius dubitandi rationis; nam licèt in fructuum perceptione coæquandi sint Canonici seniores iunioribus, & iuniores senioribus; tamen in honore exhibendo, & aliis prærogatiuis possunt, & debent seniores iunioribus præferri, *dict. cap. statuimus*, vbi dicemus; & si præbendæ non sint diuisæ in portionibus, præferuntur antiquiores; si autem sint diuisæ, vt erant in Ecclesia Trecensi, quilibet Canonicus habet propriam portionem, licèt consuetudine etiam eo casu introduci possit, vt respectu distributionum melioris conditionis sint antiquiores, quàm iuniores, vt docuit Glossa *in dict. cap. statuimus:* iuxta quæ iuris principia rectè docuit Innocentius *in præsenti*, Canonicos Trecenses iuniores esse coæquandos senioribus quoad fructus præbendarum.

17. EXPONITVR CAP. CVM DILECTVS, DE CLERICIS NON RESID.

Sed adhuc præsenti assertioni obstare videtur textus *in cap. cùm dilectus*, *de Clericis non residem.* vbi cùm Canonici Ecclesiæ Metensis statutum conderent, vt non nisi præsentes fructus suarum præbendarum perciperent, & quidam Canonicus esset in seruitio Romani Pontificis, quæsitum fuit vtrum ipse fructus suæ præbendæ non obstante statuto percipere possit? Et respondit Honorius III. quod cùm familiares, & obsequiales Romanæ Sedis non minùs sint in seruitio Ecclesiæ, quàm actualiter in ea residentes, ideò prædicto Canonico fructus integrè esse præstandos: quem textum sic expendo. En vbi tantùm ex indulgentia Canonicus absens lucratur fructus, quos aliàs propter statutum ab aliis Canonicis factum amitteret: ergo in præsenti casu Canonici iuniores statuto à senioribus facto ligabantur. Cui difficultati respondendum est, in eo textu statutum factum fuisse iuxta ius commune, videlicet vt tantùm Canonici residentes fructus præbendarum perciperent, aliàs eos amitterent; quo casu omnes Canonici tali statuto tenentur, vnde *in d. cap. cùm dilectus*, Canonicus existens in seruitio Pontificis, fructus præbendæ suæ lucratur, quia pro residenti habetur, cùm extet in seruitio Romani Pontificis. Etiam opponi potest textus *in cap. consuetudinis* 9. *de consuetudine*, iunctis ibi adductis.

CAPVT

CAPVT VII.

Idem *Matthæo* [a] *Cenetensi Episcopo.*

QVÆ in [b] Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum virorum præiudicium attentantur, firmitatem sortiri non decet, sed ad Ecclesiarum indemnitatem debent potiùs infirmari. Sanè peruenit ad audientiam nostram, quòd [c] Teruisin. & Coneglanen. constituendi sibi, & vtinam sibi tantùm, iurisdictionem temerè vsurpantes, impietatem palliant sub nomine pietatis: & dum quibusdam ex alieno gratiam exhibere nituntur, Ecclesiis sunt, & viris Ecclesiasticis oneroſi. [d] Constituerunt siquidem, sicut accepimus, quod si quis se ad inopiam vergere probabiliter allegarit, alienandi feudum, quod ab Ecclesia, vel aliis tenet, officiales, adhuc à Teruisinis ciuibus, & Coneglanen. deputatis, liberam habeant facultatem, ne emptor priori teneatur domino respondere, nisi tantummodo in sexta [e] parte pretij, quam ipsi, si recipere voluerit, exhibebit: ex quo ecclesiastica non modicùm iura læduntur. Volentes igitur Ecclesiarum indemnitati consulere, & huiusmodi grauaminibus prouidere, constitutionem huiusmodi, & venditiones feudorum ecclesiasticorum factas sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, occasione constitutionis, immò veriùs destitutionis, vel destructionis istius, præsentium auctoritate cassamus, & vires decernimus non habere. Nulli ergo, &c. Hanc paginam nostræ cassationis, &c. Datum Lateran. x. Cal. Aprilis.

NOTÆ.

1. CENETA VRBS VBI? [a] *Cenetensi.*] In hac sexta collectione legitur Tridentino, in tertia verò sub hoc titulo, *cap.* 1. habetur Trecensi: sed tam inscriptionem, quàm litteram restituo ex regesto epistolarum Innocentij III. Coloniæ edito, & correcto à Cardinali Sirleto, vbi *fol.* 281. reperitur hic textus. Ceneta vulgò, *Ceneda*, est ciuitas Venetiæ, prouinciæ Aquileiensis, cuius Episcopus Vrsinus subscripsit epistolæ Synod. Concilij occidentalis, sub Agathone, vt refert Carolus à Sancto Paulo *lib.* 1. *geograph. sacræ, fol.* 65. cuius Ecclesiæ historiam scripsit Venantius Fortunatus eius Præsul.

2. [b] *In Ecclesiarum.*] Idem Innocentius *lib.* 1. *in dicto regesto, fol.* 49. *Quæ in monasteriorum, & religiosorum locorum præiudicium attentantur, in statum conuenit debitum reuocari; nec firmitatem debent aliquam obtinere, quæ in enorme damnum ipsorum minùs licitè præsumuntur.*

3. DE TERVISINA VRBE. [c] *Teruisini.*] Teruisium vrbs Venetiæ est, vulgò dicta *Treuiso*, cuius ciues statutum fecerunt, vt si ad inopiam aliquis eorum vergeret, posset feuda etiam Ecclesiæ propriâ authoritate alienare: cuius statuti meminit idem Innocentius *lib.* 3. *regest.* 14. *epist.* 160. & *lib.* 4. *epist.* 19.

4. [d] *Constituerunt.*] Frequenter enim Italiæ ciuitates excusso Imperij iugo Consules, seu Senatores constituebant, & cum ipsis statuta ad regimen proprium faciebant, vt de Patauina ciuitate constat *ex cap. sicut* 7. *hoc titulo, in* 5. *compil.* de Ianuensi *in cap. per vestras, de donat. inter*, de Florentina *ex cap. finali, de iudiciis*, & etiam de Cenomanensi *ex cap. cùm inter, de consuetudine.*

5. [e] *Sexta parte pretij.*] Ex quibus verbis deducitur, ciues Teruisinos inter alia statuta suæ Reip. vtilia illud etiam fecisse, videlicet, vt si aliquis ex eis ad inopiam vergere probabiliter allegasset, alienandi feudum, quod ab Ecclesia, vel aliis personis obtineret, liberam haberet facultatem; ita vt nouus vassallus non teneretur pristino Domino soluere nisi sextam partem pretij. Quo statuto Ecclesiæ patrimonium grauiter lædebatur; nam feudum irrequisito Domino à vassallo alienari non potest, §. *callidis*, §. *habita*, §. *nos autem, de prohibita feudi alienatione*; aliàs vassallus, qui feudum Domino illaudato alienauit, illud amittit, *cap.* 2. *de feudis*, vbi probaui, *verbo Alienare*; & docent Alteserra *de feudis cap.* 15. Pater Gibalinus *de vsuris lib.* 4. *cap.* 3. *art.* 6. Deinde grauiter lædebatur Ecclesia; nam vt annuente Domino ritè feudum alienetur, tenetur nouus vassallus recognoscere priorem Dominum cum eadem præstatione, quam persoluebat primus vassallus, vt cauetur *lib.* 2. *feudorum, titulo* 9. Vnde apparet ex præsenti Taruisinorum statuto admodum lædi patrimonium Ecclesiæ, Ecclesiasticarumque personarum.

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hoc textu, & *ex cap. Ecclesia* 10. *hoc titulo*, communiter sequens deducitur assertio: *Leges, seu statuta laicorum non ligant Ecclesiasticos, seu Ecclesiæ bona.* Probant eam textus *in cap.* 1. *dist.* 10. *cap. benè, cap. cùm ad verum.* 96. *dist. cap. placuit* 2. *cap. nullus iudicum, cap. clericum* 11. *quæst.* 1. *cap. non placuit* 23. 16. *quæst.* 7. *cap. inter hæc* 33. *quæst.* 2. *cap. finali, de rebus Ecclesiæ, cap. non minùs, cap. aduersus, de immunit. Eccles. cap. clericis*, §. *nos igitur, cap. finali, eodem titulo, lib.* 6. *cap. nouerit, cap. graue, de sentent. excom. cap. series, de testibus, cap. statutum, de hæreticis in* 6. *cap. ad honorem, cap. sicut, hoc titulo, in* 5. *compil. authent. cassa, Cod. de sacros. Eccles.* consonat lex 57. *titulo* 6. *partit.* 1. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & *voto* 26. Valenzuela, Gueuara, & Zumel *integris tractatibus pro monit. Pauli V. aduersus Venetos*, Castillo *lib.* 6. *controu. cap.* 8. & 9. Frances *de competentiis quæst.* 99. Villarpel. *part.* 2. *regim. Ecclesiæ, quæst.* 12. *art.* 5. Christineus *tomo* 1. *decisione* 203. Marinis *lib.* 2. *resol. cap.* 213. Diana *parte* 5. *tractatu* 1. *resol.* 4. & *parte* 6. *tract.* 3. *resol.* 7. Bellarminus *tomo* 1. *controu. lib.* 1. *de clericis, cap.* 28. *versiculo*

ſiculo Secunda propoſitio, Victoria *in relectione de poteſtate Eccleſiæ, quæſt. vltima*, *n.*4. Molina *de iuſtitia tom.* 1. *diſput.* 73. *articulo* 1. Vazquez *in* 1. 2. *diſput.*167. *cap.*4. Frances *part.*3. *Paſtor.regul. voto* 9. Suarez *lib.*3. *de legibus*, *cap.*34. & *aduerſus Regem Angliæ lib.*4. *cap.*16. & *de cenſuris diſput.*29. *ſect.*2. Morla *in emporio, tit. de legibus*, *quæſt.*16. Antonius Auguſtinus *in epitome iuris Pont. lib.* 4. *tit.* 60. Couarr. *practicarum cap.* 31. Vighelius *in methodo iuris cap.*2. *excep.*1. Alderan. Maſcard. *de interpret.ſtat.concluſ.*1. Marta *de iuriſdict. caſu* 5.*num.*26. & *caſu* 52. *num.*8. Salas *de legibus diſp.*4. *ſect.*8. *numer.*92. Gutierrez *practic. lib.*4. *quæſt.*38. Germonius *de ſacrorum immunit.lib.*2. *cap.*11. *num. vltimo*, Cancerius *lib.*2.*var. cap.*2. *num.*94. pluribus relatis Carleual. *tom.*1. *de iudiciis*, *diſp.*2. *quæſt.*6. *ſect.*1. Selua *de ſalariis famil. quæſt.*10. & 17. Mancinus *genialium cap.*266. Seſſe *tom.*2. *deciſione* 13.*num.*40. Hunnius *de ſtatutis cap.*5. Thomas Benus *de immunit. Eccleſ. part.*1.*cap.*8. *dubio* 2. & *parte* 2. *c.*14. *dubio* 5. Hermoſilla *in l.*3. *gloſſa* 1.*titulo* 5. *lib.*5.*recopil.* Viccus *ad leges Sardiniæ*, *titulo* 5. *cap.*4. Germonius *lib.*3.*de ſacrorum immunit. cap.*15. *num.*103. & *lib.*1. *animadu. cap.*12. Gibal. *tom.*2. *ſcient. can. lib.*5.*cap.*9.*quæſt.*2. Alteſſerra *hîc.*

7. IMPVGNATVR TRADITA SENTENTIA.

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Licèt iniuſta ſtatuta laicorum repugnantia directè, vel indirectè immunitati eccleſiaſticæ, non ligent Eccleſiaſticos, eccleſiaſticaque bona, tamen ſtatuta ciuilia iuſta, quæ pro tota populi vtilitate feruntur, quorum materia communis eſt clericis & aliis ciuibus, omnes obligant; vnde paſſim legimus, leges ciuiles ab eccleſiaſticis perſonis amplecti & obſeruari, *cap. in adiutorium* 10.*diſt.cap.cùm ad verum*, *diſt.*96. *cap.*1. 3. *quæſt.*8. *cap. in legibus* 12. *quæſt.*2. *cap. finali* 16. *quæſt.*3. *cap. ita diligere* 30. *quæſt.*3. *cap. innotuit*, *de arbitris*, *cap.*1.*de noui operis*, *cap. ſuper ſpecula*, *de priuilegiis*: & Romani Pontifices in decidendis cauſis Eccleſiarum, & Clericorum ſæpe ſæpius vtuntur legibus ciuilibus, *cap. ex antiquis*,54. *diſt. cap. accuſatores* 3.*quæſt.*8.*cap.cùm deuotiſſimam*, 12. *quæſt.*2. *cap.id conſtituimus*, 17.*quæſt.*4. *cap.*2.*de alienatione iudicij*, *cap.*1. *de iuramento calumniæ*, *cap.*1. *de confeſſis*, *cap. Paſtoralis*, *de cauſa poſſeſſ. cap.*1. *de re iudicata*, *cap. venientes*, *de iureiurando*, *cap. ſecundò requiris*, *de appellationibus*, *cap. cùm dilecta*, *de confirmatione vtili*, *cap.*2. *de conceſſ. præbend. cap. cùm ab omni*, *de vita*, & *honeſt.clericorum*, *cap.inter alia*, *de immunit. eccleſ. cap.*2.*de ſponſ. cap.ex diligenti*, *de ſimonia*, *cap. calumnia*, *de pœnis*, *cap. quid per nouale*, *de v. ſ. cap. authoritate*, *cap. dudum*, *de conceſſ. præbendæ*, *lib.* 6. Similibus enim legibus, ſeu ſtatutis tenentur eccleſiaſticæ perſonæ, ex ratione naturali, iuxta quam obligantur ad ea ſeruanda, quæ ad pacem & publicam vtilitatem ſunt conſtituta, vtpote membra ipſius reipublicæ, *l. iubemus*, *Cod.de ſacroſ.Eccleſ.* quam illuſtrat Pancirola *lib.*1. *var. cap.*164. nam ex Clero & populo vna reſpublica coaleſcit, & ideo clerici de temporali diſtrictu dicuntur *in cap. finali*, *de officio deleg. lib.*6. Docuerunt Bartolus *in l.*1. *ff.ad municip. n.*11. Valaſcus *conſultatione* 10*num.*2. & tanquam vni de populo reputantur, vt probarunt Gregorius Lopez *in l.*5. *titulo* 2. *gloſſa* 2. *partita* 1. Cabedo *de patron. cap.*36. *num.*1. Marta *de iuriſdict.*4. *part. caſu* 1. *num.*27. quam doctrinam ad varios caſus forenſes notarunt Lapus *allegat.*10. vbi plura Mandoſius: Salzedo *in praxi cap.*55. Paz *in l.*3. *ſtyli*, *num.*338. ergo eccleſiaſticæ perſonæ ligantur ſtatutis ciuilibus laicorum, quæ pro communi reipublicæ bono facta ſunt. Et generaliter teneri clericos edictis, mandatiſque ſupremi Principis obedire, tenuerunt Bellarminus *lib.*1. *de Rom. Pontif. cap.*7. & *de clericis cap.*28. Farinacius *de inquiſit. quæſt.*8. *num.*30. Marta *de iuriſdict. dicto caſu* 1. *num.*27. P. Molina *tomo* 1.*de iuſtit. diſput.*31. Couarr. *in reg.poſſeſſor*, 2.*part.* §.4. *num.*9. Menochius *lib.*8.*conſil.*800. *num.*21.& *lib.*10.*conſil.*1000. Auendaño *de exequendis* 2. *part. cap.*14. Bobadilla *lib.*2. *polit.cap.*28.*num.*122. Sarmiento *lib.*7.*ſelect.cap.*13. Solorzanus *tom.*2. *de iure Indiarum*, *lib.*3. *cap.*27. *num.*26. Vnde clerici tenentur legibus, & ſtatutis ciuilibus taxantibus pretia rerum, vt apud nos *l.*1. *tit.* 24. *lib.*5. *recopil.* vbi continetur pragmatica taxæ panis, quâ clerici tenentur. Mexia *in eadem pragmat. concluſ.*5.*num.*3. Sotus, Matienzo, & alij relati à Barboſa *in præſenti*, *num.*3. Similiter tenentur ſtatutis prohibentibus venationem, ſeu piſcationem certis temporibus. Morla *de legibus quæſt.*16.*num.*16. item ſtatutis, in quibus agitur de puniendis damnis in prædia aliena à pecudibus admiſſis. Azeuedo *in l.*13. *titulo* 12. *lib.*1. *recopil.* Item ſtatutis imponentibus certam collectam ad reparationem Pontium, & murorum cum authoritate Eccleſiæ factis. Auendañus *de exequendis* 2. *part.cap.*14. Gutierrez *allegat.*10.*num.*2. Item ſtatutis tempore ſterilitatis factis, quibus prohibetur extra territorium vinum, ſeu frumentum extrahere. Diana *part.*1.*tract.*2. *reſol.*70. & *part.*6.*tract.*8. *reſol.*4. Bobadilla *lib.*2.*polit. cap.*17. & 18. Ergo & ſtatutis, de quibus in præſenti agitur, Eccleſiaſtici, Eccleſiæque bona ligabantur. Non parum fulcitur hæc dubitandi ratio, ſi perpendamus iuſtitiam & rationem ſtatutorum, tam vrbis Teruiſinæ, de quibus in præſenti textu, quàm ſtatuti vrbis Romæ, de quo *in dicto cap. Eccleſia.* Statuta enim Teruiſina id continebant, videlicet, vt ciuibus ad inopiam vergentibas, liceret feudum alienare, ita vt pretij ſextâ parte domino ſolutâ, feudum allodium remaneret penes emptorem, id eſt ab omni clientela liberum, vt refert ipſe Innocentius III. *lib.*4. *epiſt.*19. ibi: *Cùm Teruiſinenſis ciuitas ſtatuiſſet, vt de feudis venditis ſexta pars pretij ad feudorum Dominos volueretur, & ſic feudum fieret emptoris allodium.* Et *epiſt.*160. ibi: *Iuxta Teruiſinenſis ciuitatis ſtatutum, pretij ſextâ parte*, &c. Sed hoc ſtatutum ab Eccleſia ſeruandum & fouendum erat, cùm per illud conſuleretur ciuium egeſtati, ne eâ laborantes fame perirent, quod præcipuè ad curam Eccleſiæ, clericorumque ſpectabat, *cap. non ſatis*, *cap. paſce*, 83. *diſt.* ergo vt ita ciuibus egenis ſubueniretur, Eccleſia, eccleſiaſticique debebant illud cuſtodire, & obſeruare; præcipuè cùm per illud æquè conſuleretur clericis ac laicis, videlicet vt clericis ad inopiam vergentibus liceret vti prædicto ſtatuto: ergo ſi illis eo vti licebat, & tali ſtatuto ligari debebant. Similiter ſtatuto vrbis Romæ cauebatur, vt ſi quis poſt litem conteſtatam rem à ſe petitam in alium transferret, daretur poſſeſſio petitori, & alter fieret de poſſeſſore petitor: ſed hoc ſtatutum conſonum eſt diſpoſitioni, tam iuris canonici, quàm ciuilis; ſiquidem vtroque iure cauetur rei litigioſæ alienationem non valere, adeò vt qui eam acquiſierit, pretio amiſſo rem reſtituere teneatur, *l. finali*, *Cod. de litigioſis*, *cap. fin. de alienatione iudicij*: ergo tale ſtatutum vt iuri canonico conſonum, ab eccleſiaſticis perſonis etiam obſeruari debebat. Deinde inſurgi etiam poteſt in eam partem conclu-

ſionis,

sionis, vbi asseritur, statuta laicorum adeo inualida esse respectu Ecclesiæ, ecclesiasticarúmque personarum, vt etsi eorum vtilitatem respiciant, nulla sint; nam priuilegium alicui concessum, non debet adeò latè extendi, vt in eius damnum retorqu atur; sed si huiusmodi statuta sint nulla, etiamsi Ecclesiæ vtilia, in damnum Ecclesiæ id prouenit: ergo sustineri debent, præcipuè cùm laici possint priuilegia concedere Ecclesiæ, Ecclesiasticisque personis.

8. DVO SVNT GENERA CHRISTIANORVM.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, duo esse genera Christianorum, *cap. duo*, 12. *quæst.* 1. quorum aliud à Græco verbo *Laos*, quod latinè populum significat, laici appellantur, siue populares, quibus nulla functio ecclesiastica commissa est: cùm enim non sint aliquo gradu ordinis insigniti, non habent aliquam in Ecclesia potestatem. Bellarminus *lib.* 1. *de clericis, cap.* 1. vnde prouenit, quod illis quantumvis religiosis nulla est attributa potestas disponendi de rebus Ecclesiæ, *cap. bene*, 96. *dist. cap. non placuit* 23. *cap. laicus* 24. *quæst. finali*, *cap. finali, de rebus Ecclesiæ:* & ita Principem, seu Magistratus sæculares non posse de rebus Ecclesiæ, seu de ecclesiasticis personis leges proferre, probat latè Petrus Marcha *lib.* 2. *concord. cap.* 9. *cum sequenti.* Aliud verò genus hominum à Græco verbo *Cleros*, quod latinè interpretatur *sors*, Clerici dicuntur, quasi sorte, vel in sortem electi, quia S. Mathias, qui primò per Apostolos legitimè ordinatus fuit, sorte electus est; vel quia de sorte Domini sunt, vt ait D. Isidorus *in cap. cleros*, 21. *dist.* vel quia sunt sors, & hæreditas Domini, vt inquit idem sanctus Doctor *in cap. cleros*, 12. *quæst.* 1. Illustrant Belarm. *lib.* 1. *de clericis*, *cap.* 1. Alciatus *lib.* 2. *parerg. cap.* 22. Tiraquel. *de primog. quæst.* 17. *oppos.* 1. Clerici autem, quasi Domini sors, & hæreditas, diuino cultui consecrati, curandæ religionis, ac rerum sacrarum solicitudinem susceperunt, & omnino diuinis officiis mancipati, inseruiunt Ecclesiæ, & propterea populi appellatione strictè sumpta non comprehenduntur, *cap.* 1. *de præbendis*, & pro illorum regimine distinctæ sunt potestates, laica videlicet, siue ciuilis; ecclesiastica, siue spiritualis, *cap. quoniam*, 10. *dist. cap. cùm aduersus, cap. si Imperator*, 96. *dist. cap. solitæ, de maiorit. & obed.* Et licèt vtraque potestas diuinitus sit instituta, D. Paulus *ad Romanos cap.* 13. ibi: *Non est potestas nisi à Deo*, Ioannes *c.* 19. *cap. quod iure*, 81. *dist. cap. quoniam, de iudiciis*; tamen ecclesiastica potestas maior est quàm sæcularis, *dict. cap. solitæ*, vbi probaui; & non solùm clerici sunt exempti à laica iurisdictione, *cap. denique*, 96. *dist. cap. nullus* 6. *cap. Christianis*, *cap. Syluester*, *cap. relatum*, *cap. placuit*, *& per totam* 11. *quæst.* 1. *cap. clericis*, *cap. at si clerici*, vbi dicemus, *de iudiciis*; verùm & bona ecclesiastica exempta sunt ab omni politica potestate, *cap.* 1. 96. *dist. cap. præcipimus* 12. *quæst.* 1. *cap.* 1. *de immunit. eccles. lib.* 6. & in Concilio Lateranensi sub Leone X. *in Bulla de reformatione*, §. *& cum*, prohibetur laicis non solùm dispositio, verùm & administratio bonorum Ecclesiæ.

9. STATVTA QVI FACERE POSSINT.

Deinde sciendum est, statutum appellari illud ius, quod quisque populus intra Prouinciam suam, ac territorium seruandum sanxit, vt docent de statutis agentes Albericus Rosat. Alderanus Mascardus, & Hunnius *vbi suprà*, Nicolaus Bethsius *de statutis cap.* 1. Inter præcipua autem requisita, quæ desiderantur ad statuta condenda, est iurisdictio in statuentibus, ita vt illi demùm statuta condere possint, qui iurisdictionem habent, ac imperium, *l. omnes*, *ff. de iustit. & iure: nouella de defensor. ciuitatum*, §. 1. *collat.* 3. Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 4. *num.* 7. Mysingerus *responsorum cap.* 31. quippe facultas hæc condendi statuta, iurisdictionalis est, Martha *de iurisdict. part.* 4. *centuria* 1. *casu* 52. *num.* 9. quare statuta facere possunt Respublicæ, *l.* 1. *Cod. de emancipatione liberorum*, *l. Antiochensium*, *ff. de priuilegiis credit.* plura Gregor. Lopez *in l.* 12. *tit.* 1. *part.* 2. Legati Romanæ Sedis, *cap. finali*, *de offic. Legati*, *lib.* 6. Nec obstat quod vniuersitates & collegia, etiam illa, quæ nullâ iurisdictione decorata sunt, super administratione rerum suarum statuta facere possunt, vt probant communiter repetentes *in l. omnes populi*, *ff. de iustitia & iure.* Zasius *in l. de quibus*, *ff. de legibus*, Hunnius *de statutis cap.* 2. *num.* 5. Pater Mendo *de iure academ. lib.* 1. *quæst.* 36. nam huiusmodi statuta, seu dissipationes, cùm ad causarum decisionem non pertineant, sed tantùm ad publicorum munerum, aut negotiorum gestionem, pecuniæ, vel annonæ collectionem, & erogationem, rerumque ciuitatis defensionem, & conseruationem; propriè statuta, vel ius municipale dici nequeunt, sed tanquam communia vniuersitatis, aut collegij placita, licèt abusiuè publica dicantur, cùm ipsæ ciuitates priuatorum loco habeantur, *l. bona* 5. *cum sequenti*, *ff. de v. s.* Vnde huiusmodi statuta non leges, sed conuentiones appellantur, *l.* 4. *& finali*, *ff. de collegiis.* Statutis ergo ab habente potestatem legitimè factis, illi tantùm ligantur, qui iurisdictioni, & imperio statuentium subduntur; non verò ligantur superiores, *l. est receptum* 14. *ff. de iurisdictione:* quod adeò procedit, vt etsi superior statuentium simul ciuis sit, non ligetur ipsius ciuitatis statutis. Mascardus vbi suprà, *conclusione* 5. *num.* 176. nec statutis obligantur illi, qui imperio statuentium non parent. Gailus *obseru. cap.* 52. vnde statutum extra territorium statuentium non extenditur, *l. finali*, vbi Alexander *num.* 13. *ff. de iurisdictione*, Valenzuela *consilio* 55. *num.* 28. prosequitur latiùs Hunnius *de statutis cap.* 2.

10. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus suppositis apparet ratio præsentis assertionis; nam cùm ecclesiasticæ personæ, ecclesiasticaque bona exempta sint ab omni iurisdictione laicali, & vt aliquis ligetur statutis municipalibus, desideretur iurisdictio ex parte statuentis, *cap. à nobis*, *el primero*, *de sement. excom.* quia statuta facere est de lege iurisdictionis, *l. omnes*, *ff. de iustit. & iure*, *authent. de defensor. ciuit.* §. 1. *collat.* 3. probat Gutierrez *libro* 1. *canonicarum*, *capite* 7. iustè Innocentius III. decreuit statutis laicorum, nec ecclesiastica bona, nec ecclesiasticas personas teneri: præcipuè, nam statuta communiter pro populo conduntur: sed clerici in stricta populi acceptione non veniunt, *cap.* 1. *de præbendis*, Felinus *in cap. Ecclesia*, *hoc titulo*, Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 1. *ordin.* licèt iuxta latam significationem, & subiectam materiam sæpiùs clerici sub appellatione populi comprehendantur, *l.* 1. *Cod. de summa Trinit.* Carleual. *de iudiciis disp.* 2. *quæst.* 2. *num.* 38. Valascus *consult.* 100. *num.* 5. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 18. *num.* 87. Vnde ex defectu iurisdictionis similia statuta nulla sunt, *cap. ita Dominus* 19. *dist. cap. bene*, *cap. Imperator*, 96. *dist.* Secundæ etiam partis huius conclusionis ratio in eo consistit; nam si statutum etiam fauorabile admitteretur ab Ecclesia, prout statutum erat; quædam potestas denotaretur

notaretur in laicis diſponendi aliquo modo de rebus eccleſiaſticis, & perſonis; ſed laicis nulla competit ſuper his diſponendi facultas, *dict. cap. bene:* igitur etſi ſtatutum à laicis factum, ſit Eccleſiæ, vel eccleſiaſticis perſonis fauorabile, non ideò ſuſtineri debet, niſi ab Eccleſia recipiatur, & approbetur. Diana *part.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 14. & *part.* 6. *tract.* 3. *reſol.* 3.

II. VARIÆ ILLATIONES. Ex qua deciſiua ratione prouenit, non valere ſtatutum, quo prohibetur Eccleſiæ, vel eccleſiaſticis perſonis de nouo aliquid adquirere, vel quo obſtringuntur titulo oneroſo, vel lucratiuo iam adquiſita alienare, vt latè defendunt Barboſa *voto* 76. Gueuara & Valenzuela contra Venetos *vbi ſuprà*. Similiter non ſuſtinetur ſtatutum prohibens ædificare Eccleſiam abſque licentia Principis. Diana *parte* 1. *tract.* 2. *reſol.* 29. neque ſtatutum excludens ingredientem monaſterium à ſucceſſione parentum, Maſcardus *dicta concluſione* 1. *n.* 14. Item diſponens, vt Eccleſia teneatur vendere ſingulis annis tot amphoras ex ſuo vino, vel oleo. Maſcardus *vbi ſuprà*, *num.* 17. Item prohibens legare ad pias cauſas, aut aliquid ſtatuens circa funera defunctorum, videlicet circa numerum clericorum, ſeu Miſſarum; circa pompam verò, & impenſas funeris poteſt ſtatutum per laicos fieri, vt pro illuſtratione legis 2. *titulo* 5. *lib.* 5. *recopil.* docet Barboſa *dicto voto* 76. Etiam nullum eſt ſtatutum prohibens eccleſiaſticis apprehendere poſſeſſionem abſque licentia poteſtatis temporalis: Decius *in cap. Eccleſia, hoc titulo, num.* 185. vel diſponens quod exceptio excommunicationis non poſſit opponi in iudicio ſæculari. Maſcardus *vbi ſuprà num.* 24. aut obſtringens litigantes ad compromittendum, Maſcardus *ſuprà n.* 34. vel vt vtantur in iudicio chartâ ſigillatâ, vulgò *papel ſellado.* Barboſa *voto* 120. Circa ſtatuta prohibentia extractionem vel aſportationem certæ mercis intra, vel extra prouinciam, diſtinguendum eſt; vel enim ſimilia ſtatuta reſpiciunt vtilitatem publicam, & omnes ligant; vel vtilitatem priuatam eorum qui ſimilem mercem vendunt, & tunc eccleſiaſtici non tenentur ea obſeruare, vt circa varios caſus reſoluunt Marinis *lib.* 1. *reſol.* 31. Burſatus *lib.* 1. *conſil.* 18. Sperellus *deciſ.* 12. Genuenſis *in praxi, c.* 75. Trullench *in Decalogum lib.* 7. *cap.* 12. *dubio* 5. Ciarlinius *lib.* 1. *controu. cap.* 31. Barboſ. *voto* 26. inualida etiam ſunt omnia ſtatuta, quibus aliqua gabellæ ſpecies imponitur Eccleſiæ bonis, *cap. quamquam, de cenſibus in* 6. & tandem omnia, per quæ clerici reddunturtimidiores, laici verò audaciores efficiuntur, vt reſoluit Maſcardus *vbi ſuprà, num.* 88. hæc enim, & ſimilia ſtatuta immunitati eccleſiaſticæ contraria, quæ congerunt Hermoſilla, & Maſcardus vbi ſuprà, inualida ſunt, & eorum authores, Conſules, Poteſtates, Barones, quorum conſilio & authoritate facta fuerint, ipſo iure excommunicationem incurrunt, *cap. nouerint, cap. grauem, de ſentent. excom. cap. eos, de immunitate Eccleſ. lib.* 6. & in cenſuram Bullæ cœnæ Domini incidunt, vt pluribus relatis docet Leander *de cenſuris tract.* 3. *diſp.* 16.

12. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, pro cuius ſolutione dicendum eſt, clericos ſubiici legibus ciuilibus, quæ nec eorum ſtatui, nec ſacris canonibus aduerſantur, ſed ab omnibus ſine vlla indecentia, aut iniquo grauamine poſſunt obſeruari, vt conſtat *ex cap. quis autem,* 10. *diſt. cap. magnum* 11. *quæſt.* 1. ex epiſtola Valentiniani ad Epiſcopos Aſiæ, quam refert Theodoretus *lib.* 4. *hiſtoriæ, cap.* 8. vbi ait Epiſcopos ſolùm Dei & Regis legibus obtemperare: probant Bellarminus *lib.* 1. *de clericis, cap.* 28. Victoria *in relectione* 1. *de poteſtate Eccleſiæ, quæſt. vltima, num.* 4. Molina *de iuſtitia* 1. *tomo, diſput.* 77. *art.* 1. Suarez *de legibus lib.* 3. *quæſt.* 84. *per totam*, Salas *eodem tract. quæſt.* 96. *tract.* 14. *diſput.* 14. *ſect.* 8. *num.* 94. & in eleganti ſpecie Vazquez *in* 1. 2. *D. Thomæ, tomo* 2. *diſput.* 167. *cap.* 4. & pro conſtanti ſupponit Gutierrez 1. *part. cap.* 16. *num.* 73. Et ita nouâ pragmaticâ, quâ cauetur, vt cenſus antea impoſiti ad rationem de viginti milliaribus pro vno milliari, eleuentur ad rationem de triginta milliaribus pro vno ſoluendo, teneri Eccleſias, eccleſiaſticaſque perſonas, probat Araujo *tract.* 2. *de ſtatu ciuili, quæſt.* 14. *morali, per totam:* ſed in modo, quo obligantur eccleſiaſtici his legibus, non conſentiunt Doctores; alij enim exiſtimant clericos nullo modo directè legibus ſæcularibus obligari; ſed ſolùm vi naturalis rationis, quæ in eo conſiſtat, quod cùm clerici ſint membra reipublicæ ciuilis, naturali ratione obligantur ad ea obſeruanda, quæ ad quietem, & bonum reipublicæ regimen conducunt, vt notat Suarez *lib.* 3. *de legibus, cap.* 34. *num.* 7. atque vniformis legum obſeruantia tam in clericis, quàm in laicis ad rectum reipublicæ regimen eſt neceſſaria, vt probat Vazquez *vbi proximè*; quo fit clericos ad earum legum obſeruantiam non teneri ex vi præcepti, ſed vt pax reipublicæ ſeruetur; vt concludunt Azor *tomo* 1. *inſtitutionum, lib.* 1. *cap.* 12. *quæſt.* 3. & 2. *tomo lib.* 9. *cap.* 7. *quæſt.* 8. alij congeſti à P. Salas *de legibus quæſt.* 96. *tract.* 14. *diſp.* 14. *ſect.* 8. *numer.* 101. qui inde deducunt rationem propter quam Iudex ſæcularis non poteſt exequi pœnam lege ciuili ſtatutam aduerſus perſonas eccleſiaſticas. Sed hæc ſententia ex eo diſplicet; nam quod dicitur, partem corporis politici deberi cum aliis membris ſe conformare, verum eſt, ſi in omnibus par ratio vigeat; tunc enim ratio naturalis in pari cauſa paria iura deſiderat, argumento textus *in l. illud, ff. ad legem Aquiliam:* cæterùm clerici ſunt membra alterius rationis, ſeu conditionis, in quibus illa vniformitas non videtur eſſe neceſſaria: quemadmodum enim nobiles propter vniformitatem non tenentur obſeruare leges, à quibus propter nobilitatis priuilegia exempti ſunt; ita etiam clerici ex vi ſolius rationis naturalis propter ſeruandam vniformitatem ad obſeruantiam legum ciuilium obſtringi non debent, eo maximè, quia à politica iuriſdictione exempti ſint; deinde quia ſi clericus ex vi præcepti non teneretur, ſed ſolùm propter vniformitatem, ad harum legum obſeruantiam, earum tranſgreſſio non induceret peccatum mortale, ſecluſo ſcandalo, vt probat Suarez *lib.* 3. *de legibus, cap.* 34. *num* 8. quod tamen apertè falſum eſt, vt conſtat ex his, quæ tradit Medina *in* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. Salas *de legibus quæſt.* 96. *tract.* 14. *diſput.* 14. *ſect.* 8. *numer.* 29. Quare verior videtur ſententia exiſtimantium, leges politicas iuſtas, etiam quod attinet ad eccleſiaſticas perſonas, vim directiuam habere, vt docent Bartolus *in l. cunctos, Cod. de ſumma Trinit.* Panormit. *in cap. Eccleſia, num.* 13. *hoc titulo*, Rebuffus *in proœmio regul. gloſſa* 1. *num.* 55. Valaſcus *conſultat.* 100. & ita eis ligari clericos vi directiua, non verò coactiua, dummodo non rendant in præiudicium libertatis eccleſiaſticæ, docuerunt Salgado *de protect. Regia part.* 1. *cap.* 1. *num.* 66. Solorzanus *lib.* 3. *de iure Indiarum, cap.* 27. *num.* 33. Monteſinos

in 2. partem D. Thomæ, disput. 13. quæst. 1. difficult. 4. num. 201. Salcedo *de lege polit. lib. 1. cap. 4. num. 18.* Pereyra *de manu Regia p. 2. tit. 1. cap. 38. num. 31.* Vazquez *in 1. 2. disput. 176. cap. 4.* Suarez *de legibus lib. 3. cap. 34.* Layman *lib. 1. tract. 4. de legibus, cap. 13. num. 4.* Gutierrez *lib. 4. practic. quæst. 38.* Ferro Manrrique *p. 1. quæst. moral. q. 11. n. 10.* Thomas Benus *de Parlamentis dub. 30. sect. 2. num. 2.* Ciarlinius *lib. 1. controu. for. cap. 31. num. 11.* Cutellus *de prisca Ecclesiæ libertate, p. 5. tractat. 1. resol. 6.* Quo modo accipiendi sunt textus *in leg. 52. & 54. titulo 6. partita 1.* lex 3. & 14. *titulo 13. partita 2.* lex 1. *titulo 25. lib. 5. recopil.* vbi Azeuedo. Sed vnde legibus ciuilibus proueniat hæc vis directiua, non satis liquet: mihi valde placet sententia Decij *in cap. Ecclesia, num. 27. de constit.* existimantis ideò clericos ad harum legum obseruantiam teneri, quia cùm sint vtiles Reipublicæ, & ad eius quietem, & tranquillitatem conueniant, & statum clericalem non dedeceant, per sacros canones approbantur, *cap. 1. de noui operis nunt.* vbi sine noua extensione, aut approbatione casus de quo ibi, iuxta legis ciuilis dispositionem decidit; atque ita pro constanti habetur tales leges iustas esse, eo ipso quod non reprobantur, ac approbatas censeri; vnde leges ciuiles hanc vim directiuam in clericos à potestate Principis sæcularis eam proferentis non habent, sed ab approbatione, quæ fit per sacros canones, vt notant cum Decio Mantica *in d. cap. Ecclesia, n. 23.* & Petr. Gregor. *ibi, n. 16.* Fortunius Garcia *de vltimo fine, illatione 10. princip. n. 155.* Rebuffus *in d. glossa 1. n. 62.* Suarez *de legibus in lib. 3. cap. 34. num. 13.* Nec tunc obstat præsens textus; nam tunc statutum debet per clericos obseruari, si immunitatem Ecclesiæ directè, aut indirectè non lædat, quia tunc præsumitur ab Ecclesia approbatum: at verò si tale statutum repugnet sacris canonibus, aut respiciat bonum singulorum laicorum, ecclesiasticas personas, vel Ecclesiæ bona non ligat, vt defendit Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 34.* Vnde cùm statuta de quibus in præsenti, iuri Pontificio repugnarent, & tantùm singulorum ciuium vtilitatem respicerent, ideo inualida sunt: statutum enim Vrbis Tarui sinæ priuabat Ecclesiam dominio suo, quod habebat in feuda, & cedebat in vtilitatem cuiusvis ciuis. Similiter statutum vrbis Romæ priuabat monasterium rei litigiosæ possessione in pœnam alienationis; cuius statuti effectus pertinet ad vim coactiuam, quâ clerici non tenentur respectu statutorum sæcularium: vnde rectè docetur, tam in hoc textu, quàm *in dict. cap. Ecclesia*, clericos, vel ecclesiastica bona non ligari prædictis statutis. Nec primum augmentum ipsius difficultatis refragatur; nam licèt Ecclesia possit, & debeat alienare bona sua in pauperum alimoniam, *cap. Apostolicos, cap. quisquis*, cum aliis, 12. *quæst. 2.* non tamen licet laicis possidentibus illa bona ratione feudi propria auctoritate retinere, aut distrahere: nec etiam hoc respectu omnium pauperum generaliter procedit, sed tantùm respectu miserabilium, qui non propriâ culpâ, sed casu in egestatem inciderunt: vnde cùm statutum vrbis Tarui sinæ concederet bona Ecclesiæ propria auctoritate distrahere, & generaliter sine distinctione omnibus ad inopiam vergentibus permitteret feudi alienationem; ideo tale statutum Ecclesiæ bona non obstringit. Nec augmentum secundum refragatur; nam statutum vrbis Romæ, de quo *in dicto cap. Ecclesia*, non erat consonum sacris canonibus, siquidem iuxta eos tantùm rei litigiosæ alienatio irritatur, *cap. finali, vt lite pendente*; non verò possessor possessione priuatur, & in alium transfertur, quod prædicto statuto cauebatur; ideoque inualidum ab Innocentio declaratum fuit. Nec tandem obstat secunda difficultas: nam statutum in vtilitatem Ecclesiæ à laicis factum, quantumvis fauorabile videatur, reuerà non est. Eo enim ipso quod prohibet, vel præcipit clericis aliquid in particulari, supponit iurisdictionem in ipsos, quam statuentes non habent; vnde vsurpando iurisdictionem, magis nocent Ecclesiæ, quàm ei fauent. Nec argumentum à concessione priuilegij deductum obstat; nam aliud ius consideratur in statuto laicorum, aliud in priuilegio ab eis concesso; siquidem priuilegij concessio non est actus iurisdictionis, sed liberalitas, quæ exerceri potest in non subditum; atque ita priuilegium à Principe sæculari Ecclesiæ, ecclesiasticisque personis concedi potest: docet Suarez aduersus Regem Angliæ *lib. 4. cap. 16. num. 9.*

13. EXPONITVR CAP. CVM CAVSA, DE RE IVDIC.

Sed suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. cùm causa 8. de re iudicata*, vbi refertur, litem disceptatam fuisse inter quosdam ciues vrbis Veronensis, & Clericos S. Anastasiæ, aduersus quos laici actione ex empto agebant ob rem sibi venditam ab Archipresbytero ipsorum clericorum sine Capituli consensu: quâ consuetudine attentâ, legatus Pontificis iuxta eam sententiam pronuntiauit, & laicis rem emptam adiudicauit; sed R. Pontifex sententiam ipsam cassauit, ac nullam declarauit, quia iuxta consuetudinem prolata fuerat. Qui textus difficilis valde visus est Interpretibus ex eo, quia licèt ecclesiastici, bonaque Ecclesiæ statutis laicorum non ligentur, tamen consuetudines laicorum, etiam in causis ecclesiasticis attenduntur, *cap. constitutus, de in integrum restit. cap. cùm veniissem, de eo qui mittit. in possess. cap. ad nostram 12. de prob.* probant Felicianus, & Vega *in cap. clericis 9. de for. compet.* Marinis *lib. 1. resolutionum, cap. 55.* Pro cuius difficultatis solutione communiter repetentes affirmant, distinguendum esse inter consuetudines contrarias sacris canonibus, & illis consonas; & priores ab ecclesiasticis seruandas non esse, posteriores verò esse attendendas etiam in causis ecclesiasticis, quia sicut statuta laicorum immunitati ecclesiasticæ contraria non sustinentur, ita nec consuetudines. Verùm hac omissâ solutione, veriùs dicendum est, consuetudinem legitimè præscriptam etiam in causis ecclesiasticis procedere; at verò *in d. cap. cùm contra*, 8. consuetudo non erat legitimè præscripta, & ideo iuxta eam sententia proferri non potuit, vt in eius commentario latiùs dicemus.

14. EXPLICATVR CAP. DE CAPITVLIS, DIST. 10.

Deinde suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. de capitulis 10. dist.* vbi Leo IV. Lothario Galliarum Regi ita scribit: *De capitulis, vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conseruandis, quantùm valuimus, & valemus, Christo propitio, & nunc, & in futurum modis omnibus profitemur.* Ex quibus verbis expressè deducitur leges sæculares, & capitula statutorum sæcularium ligare ecclesiasticas personas. Pro cuius textus expositione sciendum est, Reges Galliæ non solùm sacrorum canonum custodiam omnibus iniunxisse, vt constat ex edicto Clotarij I. anno 615. ibi: *Definitionis*

nitionis nostræ est, vt canonum statuta in omnibus conseruentur, & quod per tempora ex hoc prætermissum, vel dehinc perpetualiter obseruetur; verùm etiam ipsos canones suis capitularibus inseruisse, vt constat ex capitulari Aquisgranensi anni 789. quod capitulare postea Lotharius filius Ludouici Pij in constitutionem suam retulit, quæ dicitur capitulare Lotharij, & in edito à Goldasto ita legitur: *Placuit nobis, vt hæc capitula, quæ excerpsimus de capitulis sanctæ memoriæ aui nostri Caroli, ac Domini nostri Ludouici Imperatoris, ab omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, seu nostris fidelibus in Regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur, & conseruentur, & quicumque huius capitularis contemptor extiterit, sexaginta solidos componat, sicut in capitulis prædicti aui Domini nostri.* Quod capitulare se obseruaturum pollicetur Leo *in dict.cap.de capitulis*, & etiam PP. Synodi Meldensis *can.*78. ita statuerunt: *Vt capitula ecclesiastica à Domino Carolo Magno Imperatore, necnon & à Domino Ludouico Pio Augusto promulgata, obnixè obseruari præcipiantur, sicut & legalia obseruanda esse noscuntur.* Retulerunt Baron. *tomo* 10.*anno* 847. Marcha *lib.*2. *concord. Sacerd. & Imp. cap.*12. nam cùm prædicta capitularia facta essent cum authoritate & consensu Episcoporum ad faciliorem exequutionem sacrorum canonum, rectè Leo IV. *in dict. cap.de capitulis*, & PP. in dicto Concilio Meldensi statuunt capitula Ludouici & Caroli seruanda esse: notauit Binius *ad dict. Concil. Meld.* & docuit P. Marcha *lib.*2. *concord. cap.*12. *num.*5.

15. EXPENDITVR CAN. 1 SYNOD. CP.

Tertiò supradictæ assertioni obstat textus *in can.* 1. *Synodi CP.* 1. vbi Imperatoris constitutio approbatur, quâ permittitur patronis laicis statuta condere, ita vt pro suo arbitrio bona Ecclesiarum administrentur: igitur quia statuta facta circa Ecclesiarum bona à laicis, valida & firma sunt, viresque obtinent. Cui difficultati post Balsamonem ad illum textum satisfacit Ciron. *in apparat. ad hunc tit.* asserens canonem illum procedere casu illo, in quo Ecclesiarum patroni tempore constructionis, & erectionis Ecclesiæ sibi reseruarunt ius disponendi de rebus ab ipsis Ecclesiæ collatis; nam sicut olim patroni plerumque sibi reseruare solebant ius præsentandi capellanos in eadem Ecclesia, Innocent. III. *lib.*3. *regest.*14. *epist.*194. ita & ius statuendi, seu disponendi de rebus ipsis Ecclesiæ donatis; quo casu dum secundùm ius commune, & sacros canones disponerent, eorum statuta circa Ecclesiæ bona facta valere meritò docetur *in dict.can.*1.

16. INTELLIGITVR CAP. FINALE, DE VITA ET HONEST. CLERIC.

Tandem supradictæ assertioni obstat textus *in cap. fin.de vita & honest. cleric.* in illis verbis: *Gaudere volentes priuilegio clericali, nolunt statutis patriæ (quibus quoties expedit, sicut laici se tuentur) in negotiationum suarum quæstibus subiacere.* Quibus in verbis Honorius III. indignum iudicat, vt clerici vtentes statutis laicorum, & secundùm ea negotium gerentes, nolint etiam secundùm ea conueniri, & iudicari: igitur quia clerici statutis laicorum ligantur. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, clericum negotiatorem ligari statutis laicorum circa ipsa negotia factis; cùm iniquum esset negotiando eorum commodum percipere, & damnum respuere: non tamen vt ea obseruent, possunt conueniri coram iudice sæculari, nisi præcesserit trina monitio: tunc verò post trinam monitionem clerici negotiis sæcularium se immiscentes, priuantur fori priuilegio, vt pro ipsius textus expositione docuerunt Boetius Epon. *ibi.* D. Iosephus Vela *tom.*2. *dissert.*45. *num.*53. Præsens autem conclusio procedit in ecclesiasticis negotiationi sæculari non deditis, qui non ligantur statutis laicorum.

CAPVT VIII.

[a] Idem.

CVm accessissent ad Apostolicam Sedem Archidiaconus [b] Tullensis, & G. Tullensis Capituli procurator; Archidiaconus proposuit memoratus, quod cùm olim quidam Canonici Tullenses nostris auribus intimassent, quod [c] Primiceriatus in Tullensi Ecclesia tanto tempore [d] vacauisset, quod ad nostras manus illius personatus esset donatio deuoluta. Dilectis filiis Altæsyluæ, & Belliprati [e] Abbatibus Cistercienſis Ordinis dedimus in mandatis, vt super hoc inquirerent veritatem; & si personatum illum tanto tempore vacauisse constaret, quod iuxta Lateranensis statuta [f] Concilij, ad nos ipsius esset donatio [g] deuoluta, ipsi personam idoneam de Tullensi [h] Ecclesia, vel aliunde, in ipso personatu [i] instituerent vice nostrâ, & eundem facerent ab illa pacificè [j] possideri. Fuit insuper ex parte Capituli allegatum, quod de communi assensu Canonicorum Tullensium fuerit [k] constitutum, ne Primiceriatus dignitas esset vlteriùs memorata, inter Canonicos ipsos Primiceriatus prouentibus, & possessionibus distributis. Et eadem constitutio à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro fuit postmodùm confirmata. Propter quod euidenter apparet, quod Primiceriatus ipse tanto tempore non vacauerit, sicut nobis fuerat falsa insinuatione suggestum. Quocirca mandamus quatenus si constiterit Tullenses Canonicos, ne vlterius in Tullensi Ecclesia Primiceriatus esset officium, communiter statuisse, ac statutum illud authoritate Sedis Apostolicæ fuisse postmodùm, sicut dicitur, confirmatum, vos illud faciatis in suo robore permanere, nisi postea dicti Canonici [l] contrauenerint, aliquem videlicet in Primicerium eligendo.

NOTÆ.

1. SPECIES TEXTVS REFERTVR.

a *Idem.*] Integram litteram huius textus restituo ex tertia collectione, vbi sub hoc titulo, *cap.* 4. extat, & apud Illustriss. Manrrique *tomo* 4. *annalium Cisterc. anno* 1216. *cap.* 3. licèt nullibi exprimatur Prælatus cui rescribit in præsenti Innocentius. Casus autem ita contigit: Decreuerant Canonici Tullenses dignitatem Primiceriatus in sua Ecclesia supprimere, quam suppressionem authoritate Alexandri III. confirmauerant. Hinc Primicerio defuncto nullus suffectus in eius locum fuerat: & nisi suppressio vires obtineret, ius eligendi per lapsum temporis ad summum Pontificem deuoluebatur: adfuerunt quidam Canonici ex ipsa Ecclesia, qui dignitatem suppressam impetrarent, suppressionem ipsam celantes. Innocentius III. nolens Canonicis Tullensibus præiudicare, sed nec suæ Sedis iuri cedere, duos Cistercienses Ordinis Abbates misit, Altæsyluæ nimirum, & Belliprati, qui de vacante, & vacantis tempore inquirerent, nec vt referrent tantùm, verùm vt ipsi procederent etiam ad Primicerij pro suo arbitrio institutionem. Adfuerunt Abbates, & dum lapsum temporis cognouerunt, & simul suppressionem ipsius dignitatis, omnia Innocentio III. retulerunt, qui in præsenti rescribit, quod si verum est statuto Ecclesiæ suppressam esse eam dignitatem, tale statutum omninò seruetur.

2. TVLLVM VBI.

b *Tullens.*] Tullum Leucorum ciuitas est, in prouincia Treuerensi, in Gallia Belgica, vt referunt Fratres Sarmatani *tom.* 3. *Galliæ christ. fol.* 1094. & notauit Bosquetus *ad Innocent. III. lib.* 1. *epist.* 45. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Stephano dicatam, cuius mentio fit *in c. dilectus, de officio delegati, cap. in nostra, de Procur. c. ex litteris* 31. *de iureiur.*

3. c *Primiceriatus.*] De dignitate, & officio Primicerij latiùs agemus *in c. vnico, de officio Primiceriy.*

4. d *Vacauisset.*] Id est, per annum & dimidium; nam Capitulo negligente in collatione præbendæ, seu dignitatis, ius conferendi eam deuoluitur ad Episcopum, *cap.* 2. *de conceff. præbend.* & Episcopo per alios sex menses in collatione cessante, ad Archiepiscopum deuoluitur collatio, *dict. cap.* 2. *cap. postulasti, eodem tit.* Demùm negligente Archiepiscopo, Romanus Pontifex conferre debet præbendam. Barbosa *lib.* 3. *iur. eccles. cap.* 13. *num.* 111. latiùs dicemus infrà *in cap.* 3. *de suppl. neglig.*

5. e *Abbatibus.*] Sunt hæc duo monasteria Ordinis Cistercienfis; primum dictum Altæsyluæ, in diœcesi Tullensi, cuius mentio fit *in cap. cùm Bertholdus, de re iudic.* de quo agit Manrrique *annal. Cisterc. anno* 1140. *cap.* 11. *num.* 6. Aliud dictum Belliprati, est etiam in Gallia, de quo Claudius Robertus *in sua Gallia*, ait: *Bellumpratum Cistercienfis Ordinis, Tullensis diœcesis, fundatum anno* 1134. *tertio Kalend. Martij à Simone Lotharingiæ Duce.* Plura de eo Manrrique *d. anno* 1134. *c.* 8. *n.* 6. Fratres Sarmatani *tomo* 4. *Galliæ Christ. verb. Bellumpratum.*

6. f *Conciliy.*] *Cap.* 8. quod extat *in cap. nulla* 2. *de conceff. præb.*

7. g *Deuoluta.* [Cap. *licèt, de suppl.* ibi: *Donatio deuoluta.* Collatio enim beneficij, aut præbendæ dicitur donatio, *cap. eam te* 7. *de rescript. cap. proposuit, cap. quia diuersitatem, cap. penult. de conceff. præb. cap. finali, de officio Vicarij in* 6. non quia liberè cui voluerit, collator potest conferre; debet enim digniorem eligere, *cap. graue, de præb.* sed quia sine vlla mercede, aut pretio debet conferre.

8. h *Ecclesia*] Potest enim Canonicus similiter in eadem Ecclesia habere dignitatem, quia licèt prohibitum sit sub eodem tecto habere duos Canonicatus, aut dignitates, *cap. de multa, de præb. Clem. vlt. eod. tit. cap. litteras* 9. *de conces. præb. cap.* 1. *de consuet. in* 6. Quintanaduenas Ecclesiast. *cap.* 2. dicemus *in d. c. de multa.* Attamen duo beneficia differmia, vt sunt Dignitas cum Canonicatu, vel cum Personatu; beneficium curatum cum simplici, vel cum capellania, etiam sub eodem tecto obtineri possunt, *c. super eo* 6. *de præb.* quia non sunt incompatibilia. Gonzal. *in reg.* 8. *Cancell. gloss.* 10. *n.* 41. Lara *de capel. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 17. Genuens. *in praxi, c.* 64. *n.* 5.

9. i *Instituerent.*] Id est, illum conferrent: verbum enim, *instituo*, generale est: aliquando significat facultatem conferendi, tam iure proprio, quàm alieno, ex delegatione, aut priuilegio, vt in nostro textu, & *in cap. ex tua, de fil. Presbyt. c.* 2. *cap. ad decorem, de instit.* aliquando pro possessione collata ipsius præbendæ accipitur, *cap. visis* 16. *q.* 2.

10. j *Possideri.*] Id est, vt possessione obtenta per inuestituram, *cap. ad hæc, cap. vt nostrum, de offic. Archid.* facerent pacificè conseruari.

11. k *Constitutum.*] An Canonici simile statutum facere possint, dicemus *in cap. ex parte, hoc tit.*

12. PRIVILEGIVM NON VSV AMITTITVR.

l *Nisi postea dicti Canonici contrauenerint.*] Aliquem videlicet in Primicerium eligendo. Ex his verbis communiter deducunt Interpretes, priuilegium amitti per non vsum etiam vno actu, quod & probari videtur *ex l.* 2. *l. fin. ff. de veteran. l.* 2. *l. semper, §. final. ff. de iure immunit. l.* 2. *§. final. ff. de Decur. l.* 2. *Cod. de tabul. l.* 1. *C. qui sponte publ. munera, l.* 3. *Cod. de Decur. lib.* 10. *l.* 2. *Cod. de iure dominy, c. pro illorum* 22. *de præb. cap. si de terra, cap. accendentibus, de priuileg.* Cùm enim Canonici possint omittere Primiceriatus collationem, & non fecerint, videntur suo priuilegio renunciasse, *l. Campanus* 47. *ff. de operis libert. l. si quis delegauerit,* 12. *ff. de nouat. l.* 4. *C. de pactis inter, l. ad solutionem* 5. *C. de re iudicata*; quia nihil interest, voluntatem quis declaret verbis, aut factis, immò plus facto ostenditur, *l. si tamen* 48. *§. ei qui, de ædilitio edict.* Docent Antonius de Burg. *in præsenti*, Azor 2. *p. instit. lib.* 6. *c.* 30. *q.* 10. Bartol. Platea, Lucas de Peña *in d. l.* 1. *C. qui sponte*, Suarez *de legibus lib.* 8. *c.* 35. Barbosa *de potest. Episcopi alleg.* 26. *n.* 5. & in præsenti *n.* 6. Garcia *de nobilit. gloss.* 6. *n.* 33. alij apud Amayam *in dict. l.* 1. *n.* 14. Sed contrariæ sententiæ, videlicet priuilegium non amitti vnico actu in contrarium habito, non desunt fundamenta: facit enim textus *in l. voluntaria* 12. *C. de excus. tutor.* vbi non opponens excusationem à tutelis, non ex eo priuilegium amittit, quod sponte semel tutelam susceperit. Facit etiam lex *creditore* 7. *Cod. de vsur.* & expressè probatur *in l.* 2. *& 3. C. qui sponte, lib.* 10. Docent Bobadilla *lib.* 5. *polit. c.* 10. *n.* 12. Fontanel. *de pact. nupt. clasul.* 3. *gloss.* 2. *n.* 18. Sed hanc quæstionem examinabimus latiùs *in d. c. si de terra:* nunc pro præsentis textus interpretatione, omisso Amayâ vbi suprà, *n.* 27. dicendum est, in nostro textu non agi de vllo priuilegio, sed de statuto à Canonicis Ecclesiæ Tullensis facto, ne ampliùs Primiceriatus dignitas esset in ea Ecclesia: quod statutum irritare poterant ipsi per contrarium actum, cùm in eorum fauorem tantùm confirmatum esset, & ipsi Primiceriatum conferendo, illud reducerent ad ius commune; vnde cùm quælibet res de facili reddatur ad sui naturam, vt diximus *in cap. cùm omnes, hoc titulo*, ideo per contrauentionem Canonicorum Primiceriatus dignitas potuit instaurari. Dicemus *in cap.* 1. *de confirm. vtil.*

CAPVT

CAPVT IX.

Idem [a] *Clugiensi Episcopo.*

CVm M. [b] Ferrariensis Canonic. F. Presbyteri, B. & B. & G. Canonicorum, Ferrariens. & Magister G. Ferrariens. Capituli procuratores ad Sedem Apostolicam accessissent super quæstione, quam de præbendis, & redditibus habebant adinuicem, dilectum filium nostrum N. S. Mariæ in [c] Cosmedin, Diaconum Card. eis concessimus auditorem: coram quo dictus M. pro se, & quatuor sociis suis proposuit, quòd Ferrariens. Canonici, vt eo amplius suos redditus augmentarent, quo prouentus Ferrariens. Ecclesiæ, qui diuidi consueuerant inter plures, in vsus cederent paucio-rum; quatuordecim præbendas tantùm, præter id, quod mensæ communiter deputarunt, in eadem Ecclesia contra antiquam consuetudinem statuêre. Postmodùm verò contra constitutionem ipsam voluntariè venientes dictos quinque in Canonicos recepêre, nullis præbendis assignatis eisdem: & licèt eorum redditus non modicùm fuerint augmentati, nondum tamen eis voluere ex superexcrescentibus redditibus prouidere. Verùm dictus Magister G. procurator partis aduersæ asseruit, quod olim de communi, tam Canonicorum, quàm tunc Ferrariens. Episcopi consilio prouidâ fuerat deliberatione statutum, & Apostolicæ protectionis præsidio roboratum. Tandem verò cùm vna in eadem Ecclesia vacasset præbenda, ad multam quorumdam instantiam duos ad eam; ac postmodùm ad preces venerabilis Fratris nostri V. Ferrariens. Episcopi dictum M. & quemdam alium sine præiudicio dictæ constitutionis in Canonicos recepere; ita quod ipsi de Canonia nihil perciperent; donec primò duo præbendas essent integrè assecuti. Cumque per Canonicorum industriam procuratum fuerit, vt ex possessionibus, quas eadem Ecclesia tempore longo possedit, plures eis redditus soluerentur, superexcrescentes redditus communi mensæ, quæ minùs sufficiens fuerat, communiter deputauêre, quos dicti quinque postmodum petiere contra Capituli constitutionem in beneficium assignari. Quia verò super his plena nobis, sicut idem Card. asseruit, exhiberi non poterat certitudo, causam ipsam tuo duximus examini committendam: mandantes, quatenus cùm in constitutione prædicta, & confirmatione Sedis Apost. vel fuerit, vel esse debuerit (sicut consueuit) expressum, nisi in tantùm excrescerent Ecclesiæ facultates, quod pluribus possint sufficere competenter: & cùm iidem Canonici in derogationem suæ constitutionis ad vacaturas præbendas quatuor recépêre, vltra numerum constitutum, antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus consuetas, superexcrescentes redditus prædictis Canonicis appellatione remotâ facias assignari: ita tamen quod si ex eis partes cum aliis potuerint sortiri præbendas, quod superfuerit, in communes Canonicorum vsus, siue vt priùs statuerant, siue aliter, provt melius videbitur, conuertatur; reuocatis in irritum omnibus, quæcumque ab alterutra partium in præiudicium alterius post motam quæstionem coram Episcopo Ferrariens. circa præbendas, vel possessiones fuerint innouata. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, XII. Calend. Maij.

NOTÆ.

a *Clugiensi.*] In tertia collectione sub hoc titulo, *cap.* 4. legitur Flugiensi; sed inscriptionem, & litteram restituo ex ipso Regestro Epistolar. Innocentij; edito Coloniæ, & correcto à Cardinali Sirleto, vbi *pag.* 48. reperitur textus hic. Clugium, siue Clugia, est ciuitas Venetorum, in quam translata fuit Cathedra Episcopalis anno 1100. à ciuitate Malamocco, Sede Ducum venetorum, propter maris inundationem, vt refert Sansoninus *in historia Venetorum*, & ex eo tradit Cironius *in cap.* 3. *de cleric. coniug. in* 5. *compil.* 1.

b *Ferrariensis.*] Ferraria ciuitas est Italiæ, supra Padum sita, cuius conditores refert Vighellius *tom.* 2. *Italiæ sacræ*, *fol.* 540. Fasces olim Imperatoris CP. Longobardorum, Caroli Magni, & Othonis venerata est. Quandoque Venetis tanquam potentioribus paruit: habet Ecclesiam cathedralem ab anno 657. suffraganeam Archiepiscopi Rauennat. & adhuc in ea floret studium à Federico II. Imperatore illic inuectum. Latè de ea egerunt vltra congestos ab Vighellio *vbi suprà*, Carolus Sigonius *lib.* 2. *de Regno Italiæ*, Coronel. *in notis ad Gongor. tom.* 3. *fol.* 307. De præbendis ipsius Ecclesiæ in hoc textu agitur, & de Vgone, siue Vguccio, qui in ea præfuit ex anno 1196. vsque ad annum 1212. 2.

c *In Cosmedin.*] sunt varij tituli Diaconorum Cardinalium, quos referunt Germon *de indultis Cardin.* Cohelius *in notit. Cardin. cap.* 7. inter quos refertur præsens titulus in Ecclesia S. Mariæ in Cosmedin, vt tradunt Cohelius *suprà*, *cap.* 6 Germonius 3.

monius *vbi proximè*, §. *tituli*, *num.* 10. Ciaconius *in historia Cardinalium huius tituli: Ecclesia S. Mariæ in Cosmedin*; fertur enim secundam Ecclesiam esse B. Virgini Mariæ in Vrbe dicatam: appellatur etiam Ecclesia S. Mariæ Scholæ Græcæ, quia in ea lingua Græca docebatur: vocatur etiam S. Mariæ Oris Veritatis, ex eo quia in ore Ecclesiæ erat altare, vbi aliquo crimine infamati, purgabantur præstito iuramento. Dicitur vulgò *in Cosmedin*, quæ vox Græca est, apud nos idem significans ac ornamentum, ex eo quia Adrianus Pontifex eam variis ornamentis ditauit, vt refert P. Martyr *in sua Roma*, *fol.* 151. Huius textus commentarium dabimus infrà *in cap.* 12. *hoc titulo.*

CAPVT X.

Idem *Abbati & Conuentui Sancti* [a] *Syluestri.*

ECclesia Sanctæ Mariæ in Via [b] Lata contra I. de Alteia, qui quasdam possessiones ipsius dicebatur contra iustitiam detinere, mouit tempore B. Corosonei dicti [c] Senatoris sub L. iudice quæstionem. In ipso autem iudicio præfato I. de Alteia syndicus [d] monasterij vestri astitit, & ab eo testes producti quidam de monachis [e] extiterunt. Iudex verò auditis rationibus partium, pro eodem Ioanne absolutionis sententiam promulgauit: à cuius sententia pars altera vocem appellationis emisit. Super hæc igitur quæstione suborta, proponente parte victrice, quòd non potuerit appellari, cùm dictus L. non vt iudex, sed tanquam arbiter fuisset [f] electus: victâ è contrario asserente, quoniam cùm arbitrio fuerit contradictum, quod partes non nisi metu pœnæ constringit, quæ in præmisso arbitrio non fuerat comprehensa, meritò potuit appellari, & fortiùs, si iudicium extitisset. De hoc igitur ad iam dictum B. Corosoneum quæstione perlatâ, causam appellationis S. [g] Primicerio iudicum delegauit: in cuius præsentia partibus constitutis, dictus Ioannes de Alteia proposuit se conueniendum non esse, cùm non possideret id, quod pars altera requirebat, sed monasterium Sancti Syluestri possidens rem petitam. Dictus autem B. Corosoneus quoniam [h] statutum quoddam emiserat, à populo Romano approbatum, pariter & acceptum, quod si quis post litem contestatam rem à se petitam transferret in alium, daretur possessio petitori, & alter fieret de possessore petitor: & idem I. post litem contestatam rem ipsam in monasterium transferre præsumpsit, possessionem rei petitæ assignauit Ecclesiæ memoratæ. Verùm quoniam dictus I. de possessionibus ipsis monasterio S. Syluestri annuam reddiderat pensionem, adiecit, vt hoc ipsum ab Ecclesia sanctæ Mariæ fieret, donec de proprietate fundi cognosceretur: sed solutio, quæ fieret pensionis Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Via Lata, in iure suo penitus non noceret. Hanc autem possessionem Ecclesia sanctæ Mariæ vsque ad tempora Ioannis Petri Leonis, Senatoris vrbis inconcussè possedit: qui supplicatione monasterij vestri clementer admissa, R. iudici causam commisit eandem: qui auditis hinc inde propositis, pro monasterio ipso sententiam promulgauit, reuocans quod præfatus B. Corosoneus statuerat contra ipsum. Per quam sanè sententiam, quoniam Ecclesia sanctæ Mariæ se læsam enormiter querebatur, & ipsa Senatori supplicauit prædicto, qui causam commisit R. iudici cognoscendam. Et quoniam eius iurisdictio erat in proximo desitura, supplicatum fuit ob eandem causam successoribus eius Senatoribus iam electis, & ab eis causa ipsa eidem iudici delegata. Iudex verò ex veteris, & nouorum pariter Senatorum delegatione cognoscens, quod à iam dicto B. statutum fuerat, approbans, Ecclesiæ sanctæ Mariæ possessionem restituit antedictam: & cùm nouem Consiliarios haberet Senatus, per octo ipsorum executioni fuit sententia demandata: sed vnus ex eis, qui & nepos erat Abbatis sancti Syluestri, quorumdam Senatorum fauore suffultus, Ecclesiæ sanctæ Mariæ possessionem violenter ablatam, monasterio tribuit nominato. Ex hoc ergo rixâ crescente, vsque ad armorum strepitum est processum. Ne verò deterius quid contingeret, bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster totum negotium ad suam solicitudinem reuocauit. Et quoniam tempus colligendorum fructuum imminebat, fructus præcepit apud colonos in sequestro deponi: circa quos, si qua partium violentiam inferre præsumeret, causæ suæ dispendium pateretur: Venerabilibus Fratribus nostris G. Portuens. & I. nunc Albanens. tunc verò Tusculan. Episcopis tituli sancti Clementis; & dilecto filio nostro G. sancti Angeli Diacono Card. causam committens eandem. In quorum præsentia partibus constitutis, pro Ecclesia sanctæ Mariæ fuit contra monasterum vestrum obiectum, quod violentiam pars vestra commiserat in fructibus sequestrandis: & cùm

super

super hoc testes fuissent vtrinque producti, quia violentia liquidò probata non fuit, & in dimidio ruglo hordei dicebatur admissa; Abbate nihilominus prohibente, ne delictum personæ redundaret in damnum Ecclesiæ, factâ hordei restitutione prouisum est, vt ad quæstionem possessionis fieret in causa processus: de qua coram eisdem productis testibus, & attestationibus publicatis, fuit diutius disceptatum. Consequenter verò post decessum præfati prædecessoris nostri, partibus in nostra præsentia constitutis, Ecclesia beatæ Mariæ possessionem, quâ fuerat prætermisso iuris ordine spoliata, sibi restitui postulabat. Et quoniam alij Senatorum sententiam pro monasterio, alij latam pro Ecclesia processu temporis confirmarant, nos quicquid ab eis factum fuit, postquam dictus prædecessor noster ad curam suam idem negotium reuocauit, de consilio Fratrum nostrorum irritum decernimus, & inane. Cùm ergo nobis constiterit, & ex ipsa confessione partium tenuerimus, quòd vnus Consiliariorum contra sententiam de voluntate octo executioni mandatam, de facto, quia de iure non poterat, veniens, Ecclesiam ipsam possessione sua spoliauerit violenter; & nihilominus attendentes, quod etiam iniusto possessori violenter ejecto, restitutionis sit beneficio succurrendum, spoliatam Ecclesiam in eo statu decreuimus reponendam, in quo fuerat tempore violentiæ perpetratæ. Verùm quoniam præfatam possessionem post restitutionem factam ab I. de Alteia, monasterium alij locationis titulo assignarat, neque restituere poterat Ecclesiæ spoliatæ, loco illius tantumdem possessionum æquiualentium, secundum arbitrium dilectorum filiorum I. Tineosi Capellani, & G. Hostiarij nostrorum, eidem Ecclesiæ fecimus assignari: quæ, quoniam alij fuerant iure pignoris obligatæ, à creditoribus eas fecimus liberari, qui nobis instrumentum pignoris postea resignarunt. Et quia sæpefatum monasterium vestrum se querebatur à præmisso B. Corosoneo contra iustitiam spoliatum, & ipsum per officium nostrum restitui suppliciter postulabat, quod statutum eius nullius valoris extiterit multipliciter asseuerans: sæpefatus enim B. cùm seipsum intruserit in Senatoriam dignitatem, nec Apostolicæ Sedis fauorem habuerit, ad quam institutio pertinet Senatorum, statutum non potuit emittere, quod valeret: qui etiamsi fuisset legitimè institutus, ipsius statutum, quamvis sibi subiectos, Ecclesias tamen nullatenus obligaret: præsertim cùm iuri ciuili esset aduersum, quod aliam pœnam litigiosas res transferentibus statuit imponendam. Illa distinctione inter contrahentes adhibita, vt si quis sciens ad donationes, venditiones, seu alios contractus accesserit, non solùm redimere rem compellatur, sed etiam pretium eius amittat, non vt lucro cedat alienantis, à quo etiam alia tanta quantitas est fisci iuribus inferenda: sin autem ignorans rem litigiosam emerit, vel per aliam speciem contractus acceperit, tunc alienatione rei factâ irritâ, pretium eius cum alia tertia parte recipiet, instrumentis etiam nullam vim obtinentibus, quæ super contractibus huiusmodi statuuntur. Verùm eos, qui dotis nomine, vel ante nuptias donationis, transactionis, vel diuisionis rerum hæreditariarum factæ, vel per legati, vel fideicommissi causam huiusmodi dederint, vel acceperint, à præmissis pœnis eadem constitutio excipit nominatim. Quòd si etiam obligare posset Ecclesias, monasterium in illa constitutione nequaquam inciderat; cùm antedictus I. nullam in aliud penitus possessionem transtulisset, qui tanquam colonus terras illas tenuerat, & eas non suo, sed monasterij nomine possidebat: quod etiamsi fecisset, quoniam priùs conuentus à monasterio, quàm ab Ecclesia fuerat, & per arbitrium; & nihilominus iure transactionis, per quam citra pœnam litigiosi contractus res potest in alium lite contestata transferri, res restituit antedictas, in statutum præmissum nullatenus incidisset: quin potiùs, etsi contra illud fecisset statutum, quoniam nec conuentum, nec confessum in iudicio, vel conuictum possessione sua monasterium fuerat spoliatum, instanter eam sibi restitui postulabat, quam ex nulla, vel saltem iniusta causa pars altera detinebat. Has autem rationes œconomus sanctæ Mariæ nitebatur multifariam infirmare. Quamvis enim dictus B. circa prælationis suæ primordia gratiam Sedis Apostolicæ non habuerit; quia tamen ab ea fuit tempore procedente receptus, & ratihabitio retrotrahitur, perinde habendus erat, tanquam ab initio fuerit institutus: qui tanquam alienus iudex non poterat à monasterio euitari, cùm nec nouum sit, nec insolitum, quòd vbi Clerici sunt actor, & reus, causas ciuiles in Vrbe coram Iudicibus per Sedem Apostolicam institutis, ex delegatione Senatorum ab ea iurisdictionem habentium prosequantur. Vnde nec in alieno foro intelliguntur, sed in proprio Rom. Pontificis litigare, cuius authoritate sortiri videntur effectum quæ ab huiusmodi

modi Senatoribus, vel Iudicibus ſtatuuntur. Quod ſi forum Senatorium fuiſſet monaſterio penitus alienum, quia tamen œconomus dicti monaſterij ſub L. Iudice à præfato B. inter Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & dictum I. de Alteia delegato, ipſi I. aſtitit, & eum in iure defendit, iudicium eius non potuit vlterius declinare. Statutum autem ipſius B. de quo ſæpius eſt præmiſſum, & quod non iuri aduerſum, ſed conſonum potiùs exiſtebat, cùm etiam in iure canonico caueatur, quod res in litigio poſita non ſit in perſonam aliam transferenda, non ad poſſeſſores ſolos, ſed etiam ad illos decebat extendi, qui tempore ſaltem detentionis cuiuſque poterant conueniri, quales conſtat eſſe colonos etiam temporales: perpetui namque vtilem ſaltem poſſeſſionem habentes, & conueniri poſſunt, & in alium transferre quod habent: ſicut I. fecerat antedictus, cuius factum, neque præmiſſum arbitrium poterat, nec tranſactio excuſare: cùm in dolum, & fraudem fuerint attentata. Iudex namque, in quem fuit à partibus compromiſſum, conſanguineus ipſius I. & infeudatus monaſterij dicitur extitiſſe; nihilque feciſſe in publicum, ſed omnia in ſecreto, quamvis inſtar iudiciorum ſint arbitria introducta. Coegit quoque partes ad tranſigendum, ſicut ex reſcripto tranſactionis apparet: & cùm de tranſactione non fuerit compromiſſum, quæ non eſt neceſſitatis, ſed liberæ potiùs voluntatis, dolo quaſi ex perſpicuis inſidiis iam probato, tranſactionem inefficacem penitus aſſerebat. Illa quoque ratione dicebat Eccleſia petitionem monaſterij repellendam, quòd cùm poſſeſſionem ipſam ſine dolo, & culpa ſua obtinuerit authoritate Prætoris, & per hoc ius ſibi fuerit acquiſitum, monaſterium veſtrum ſuper poſſeſſorio audiri vlterius non debebat, cui parata erat in petitorio reſpondere. His ergo, & ſimilibus in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia prudenter à partibus allegatis: nos attendentes, quòd laïcis etiam religioſis ſuper Eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi, à quibus, ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum reſpiciat etiam commodum, & fauorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum: vnde ſtatutum Baſilij, de non alienandis prædiis ruſticis, vel vrbanis, miniſteriis, & ornamentis Eccleſiarum, illâ reprobatum fuit potiſſimùm ratione, quòd authoritate Romani Pontificis non fuit roboratum; ne in exemplum tranſeat ſimilia præſumendi, quod à ſæpè dicto B. factum fuerat in præiudicium monaſterij, non conuenti, nec confeſſi etiam, vel conuicti, prorſus in irritum reuocantes, poſſeſſiones eaſdem reſtituendas ſibi ſententialiter diffinimus, nec ipſas, quæ in locum, & ius illarum, quas ab I. de Alteia Eccleſia ſanctæ Mariæ petierat, ſucceſſerunt, interim alienare valeat: prohibentes, vt ſi Eccleſia ſanctæ Mariæ, vel de vitio litigioſi contractus, vel de proprietate forſitan voluerit experiri; ne ſi obtinuerit in iudicio, in vanum laboret, monaſterio minimè poſſidente, ſit quod euincere valeat, & habere. Datum Lateran. V. Cal. Decembris.

NOTÆ.

a *Sancti Sylueſtri.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, ſub hoc titulo, *cap.* 5. & in ipſo regeſto epiſtolarum Coloniæ edito, *fol.* 412. ex quo ita integram huius textus ſeriem reſtituo. Romæ eſt Eccleſia ſancti Sylueſtri, & ſancti Martini, quæ conſtructa fuit à Conſtantino Magno: licèt apud hiſtoricos non liqueat cui Sancto fuiſſet dicata, poſteà tamen eam Symmachus conſecrauit Diuo Martino, tandem Sergius II. eam reparauit, & reliquias ſancti Sylueſtri in ea apposuit, atque monaſterium ædificauit, quod hodie eſt Societatis Diuæ Mariæ Carmelitarum. Huius ergo monaſterij Abbati miſſa eſt præſens decretalis, cuius partes extant *in cap.* 1. *de foro compet.* in ſecunda collectione, *cap.* 3. & 4. *vt lite pendente*, *cap.* 1. *de reſtit. ſpol.* in tertia collect. in quibus capitibus, quæ ex vna conſtitutione manarunt, eadem eſt inſcriptio, & vt aptiſſimè coniungantur, caſum referamus, qui ita contigit. Romæ Eccleſia ſanctæ Mariæ egit apud iudicem Laurentium contra Ioannem de Alteia laïcum ciuem Romanum, poſſeſſorem quorumdam prædiorum ipſius Eccleſiæ: Laurentius Ioannem de Alteia à prædicta petitione abſoluit, à qua ſententia Eccleſia appellauit ad Senatorem Vrbis Romæ: Ioannes oppoſuit, Laurentium non tanquam iudicem, ſed tanquam arbitrum pronunciaſſe; ideò ab eius ſententia tanquam ab arbitro prolata appellari non poſſe, iuxta tradita *in cap. cauſam, de re iudic.* ſed replicauit Eccleſia, Ioannem arbitrum fuiſſe iuris, non compromiſſarium; vnde ab eius ſententia ritè appellare valebat; quare reiectâ hac exceptione, Senator ipſe hanc ſecundæ inſtantiæ cognitionem delegauit Primicerio, apud quem Ioannes allegauit non rectè ſecum agi rei vindicatione, eo quod prædia ſuper quibus lis vertebatur, non poſſidebat, ſed ea detinebat monaſterium ſancti Sylueſtri per alienationem factam lite pendente, iuxta ſtatutum Vrbis Romæ, quo cauebatur, vt poſſeſſio rei litigioſæ, quam reus alienaſſet, auferretur ei in quem tranſlata fuiſſet, & adiceretur petitori; ideò Senator ipſe poſſeſſionem prædiorum monaſterio non citato, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ addixit. Poſt hæc actum fuit apud ſucceſſorem ipſius Senatoris de nullitate illius ſententiæ, qui ſententiam

tentiam pro monasterio pronunciauit. Sed his duabus sententiis contrariis prolatis, quidam temerè vi deiecit Ecclesiam de possessione prædiorum, eamque tradidit monasterio; quod cùm accidisset, totius causæ cognitionem ad se auocauit Cœlestinus III. Innocentij III. prædecessor; sed antequam sententiam proferret, decessit. Innocentius negotium terminauit, & licèt Ecclesia spoliata ante omnia esset restituenda, tamen quia certis ex causis restitutio fieri non poterat, iussit vt alia prædia eiusdem valoris monasterium Ecclesiæ restitueret. Verùm monasterium priorem spoliationem repetendo, allegabat virtute statuti Romani spoliari non potuisse, cùm statuta laïcorum quoad res Ecclesiæ non attendantur, & Senator eo statuto tantum motus ipsum spoliauerat. Quibus perpensis Innocentius III. iussit omnia acta à Senatore virtute illius statuti, cassari & irritari, ac pro monasterio sententiam dixit, videlicet ipsum virtute dicti statuti spoliatum esse restituendum, quia statuta laïcorum Ecclesiæ bona, seu ecclesiasticas personas non comprehendunt, vt probaui *in cap. quæ 7. hoc titulo*, vbi commentarium huius textus dedi.

2. b *In Via Lata.*] In qua vnus ex Presbyteris Cardinalibus titulum suum habet, vt referunt Anast. Germonius *de indultis Cardin. §. tituli*, Cohelius *in notitia Cardin. cap. 6.*

c *Senatoris.*] De Senatoris Romani officio & dignitate temporibus Syluestri, & eius successorum pro temporum distinctione plura adduxerunt Petrus Gregor. *in scholiis ad hunc textum*, Corjolanus *in Breuiario*, *anno 752.* 3.

d *Monasterij vestri.* Monasterium enim debet per syndicum causas suas in iudicio pertractare, *cap. vnic. de syndic.* vbi dicemus. 4.

e *Extiterunt.*] Quia monachi, qui causam ipsam in iudicio non prosequuntur, in ea vt testes plerumque admittuntur, *cap. insuper 6. de testibus*, vbi dicemus, & probant Balboa *in cap. tertio loco, de probat.* Farinac. *de testibus q. 6.* Bronchorst Enantioph. *centur. 2. assert. 99.* 5.

f *Electus.* A sententia enim arbitrorum appellari non potest, vt probaui *in cap. 2. de arbitris.* 6.

g *Primicerio.*] Id est primo iudicum, vt aliàs Primicerius accipitur *in cap. vnico, de officio Primicerij*, vbi notabimus. 7.

h *Statutum Basilij.*] Cuius mentio fit *in cap. bene 1. 96. dist.* Cuius historiam referunt Carolus Sigonius *lib. 25. de Imper. Occid. anno* 478. Naucle-rus *generat.* 17. Baronius *tom. 6. anno* 483. & explicat Iacobus Valdes *de dignit. Reg. Hisp. c. 1. n. 19.* 8.

CAPVT XI.

Idem *Vniuersis Doctoribus a Parisiis commorantibus.*

EX litteris vestræ b deuotionis accepimus, quòd cùm quidam, moderni videlicet Doctores liberalium c Artium à maiorum suorum vestigiis in tribus præsertim articulis deuiarent, habitu videlicet inhonesto, in lectionum & disputationum ordine non seruato, & pio vsu in celebrandis exequiis decedentium clericorum iam quasi penitus negligenter omisso: vos cupientes vestræ consulere honestati, octo ex vobis iuratos ad hoc vnanimiter elegistis, vt super dictis articulis de prudentium virorum consilio bona fide d statuerent quod foret expediens, & honestum ad illud in posterum obseruandum, vos e iuramento interposito communiter constringendo, excepto dumtaxat Magistro G. qui iurare renuens, & formidans, fideiussoriam pro se tantùm obtulit f cautionem. Fuit etiam insuper ad cautelam à vobis fide interposita protinus constitutum, vt si quisquam Magistrorum aduersus alios duceret resistendum, & primo, & secundo, tertióve commonitus infra triduum Vniuersitati parêre contemneret Magistrorum, ex tunc beneficio societatis eorum in Magistralibus g priuaretur: & quidem hoc vltimum quidam ex vobis simpliciter, quidam verò nisi satisfaceret, & nonnulli, nisi per vos se admitti ab aliis obtineret, se intellexisse fatentur. Cùm autem supradictus magister G. infra triduum Vniuersitati non paruerit, requisitus iuxta conditionem, ex tunc à vobis habitus est excluſus. Qui cùm satisfactioni condignæ postmodùm se h obtulisset, in iiij. Magistros iuramento interposito compromisit, illorum dictum pro bono pacis se gratum, & ratum pariter habiturum. Illi verò vsi Consilio sapientum, dictum suum communiter promulgarunt, memorato Magistro in virtute iuramenti præstiti prohibentes, ne deinceps in licitis Vniuersitati resisteret Magistrorum; & iniungentes eidem, vt tamdiu in eodem statu persisteret, quo tunc erat, donec per se, vel per procuratorem se posse ab aliis Magistris admitti per Sedem Apostol. obtineret, saluâ in omnibus honestate. Vnde nobis humiliter supplicastis, vt eumdem Magistrum, virum vtique prouidum, & honestum, & discretum, qui tanquam obedientiæ filius, quod sibi prædicti quatuor iniunxerunt, suscepit humiliter, & patienter obseruat, ex benignitate Sedis Apostol. faceremus communioni restitui Magistrorum. Nos igitur ex præmissis intelligentes eidem Magistro fuisse mandatum, vt tamdiu persisteret in eo statu, quo tunc erat, donec Magistrorum communioni de mandato Sed. Apost. redderetur, & paratus

ratus sit super præmissis satisfactionem congruam exhibere. Licèt à vobis fide præstita fuerit constitutum, vt si quis Magistrorum ordinationi Vniuersitatis ipsorum duceret resistendum; & primò, secundò, tertióve commonitus, intra triduum Vniuersitati parêre contemneret Magistrorum, ex tunc beneficio societatis eorum in Magistralibus priuaretur; & ob hoc Magister G. fuit eorum communione priuatus. Quia tamen constitutum non fuit vt in perpetuum huiusmodi priuatio perduraret; cùm tam iuris canonici, quàm nostri moris existat, vt is, qui propter contumaciam communione priuatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat: mandamus quatenus supradictum Magistrum statutis vestris nunc humiliter parêre curantem, ad communionis vestræ consortium in Magistralibus admittatis.

NOTÆ.

1. De Parisiensi vrbe, et eius Academia.

a *Parisiis.*] Ita etiam legitur in tertia collectione *sub titulo de iureiur. cap.* 12. Parisiensis vrbs, quam Lutetiam Parisiorum appellant Cæsar *lib.* 7. Strabo *lib* 4. est totius Galliæ primaria, & Regni caput: nobilem Galliarum ciuitatem dixit D. Bernardus: totius regni Metropolin appellauit Suggerius, quos referunt plura de eius origine & magnitudine adducentes Fratres Sarmatani *tomo* 1. *Galliæ Christ. fol.* 395. in qua florentissimam Academiam, præcipuam totius Galliæ, consilio, & authoritate Alcuini, & Venerabilis Bedæ erexit Carolus Magnus anno 791. vt refert Yepes *tom.* 3. *chron. D. Benedicti, fol.* 310. etsi aliunde eius originem repetat Marquez *in orig. Eremit. cap.* 15. §. 5. Eam instaurauit Ludouicus etiam Rex Galliæ: florentissimi illius studij mentio extat *in cap. in causis, de procurat. cap. super specula, cap. quantò, de Magistr. Clem.* 1. *eodem titulo.* Eam debitis extollunt laudibus Polydorus Virgilius *lib.* 4. *historiæ Angliæ*, Iacobus Meyerus *lib.* 14. *annalium Flandriæ*, Midendorpius *tomo* 2. *de Academiis.* Tuanus *tomo* 5. *historiæ*, & alij, quos refert P. Andreas Mendo *de iure academico q.* 3. In ea Academia florent omnium scientiarum Professores, etiam iuris Cæsarei, licèt olim temporibus Honorij III. huius iuris studium in ea non permitteretur, *cap. super specula, de Magistris*, ex ratione ibi assignanda. Vigent etiam in ea liberalium Artium studia, quarum scientiarum Professoribus Innocentius III. præsentem scripsit epistolam.

2. b *Denotionis.*] Ita alloquitur Pontifex Capitula Ecclesiarum, aut Vniuersitates, cùm illis rescribit, & eorum Professores dilectos filios appellat, vt notarunt Germonius *de indultis Cardin.* §. *Dilectus*, P. Franciscus Valens *in concordia iuris in proœm. decret.* dicemus infrà *in cap. quàm sit graue, de crim. falsi.*

3. c *Artium.*] Licèt iuris scientia aliquando liberalis ars, seu studium liberale dicatur, *l.* 1. *C. qui ætate, lib.* 10. *l. Medicos, C. de Professoribus, eodem libro, l. vnica, C. de studiis, lib.* 11. *l. vnica, C. de Professoribus, qui in vrbe CP. eodem lib.* tamen liberales artes strictè & propriè sumptæ, sunt Grammatica, Rhetorica, Logica, Geometria, Musica, Astrologia, & Arithmetica, vt probant de eis agentes Chassaneus *in catalogo p.* 10. *consider.* 9. Ioannes Bossius *in speciali tractatu de illis artibus.*

4. d *Statuerunt.*] Academiæ enim statuta proprio regimini ac suæ gubernationi congrua, & vtilia facere possunt, vt constat *ex l. finali, C. de iurisdict. l. finali, C. de colleg. illicit. l.* 1. *ff. quod cuiusque vniuers.* Docent Hunnius *in encyclop. tit. de statutis*, collega noster D. I. de Escobar *de Pontif. iurisdict. cap.* 23. Loseus *de iure vniuers. p.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. & de statutis ipsis Academiæ Parisiensis latè agit eruditus Ioannes Filesacus *lib.* 1. *select. tract. de orig. stat. Theol. Paris.*

5. e *Iuramento.*] Quo voluerunt Doctores firmare obligationem statutorum, & strictiùs ad eorum obseruationem obstringi; non quia illa non obseruantes maiorem sustinerent pœnam, quàm si tantùm statutum infringerent. Cùm enim quis iurat seruare statuta, obligatur eo genere obligationis, quo ipsa statuta obligant, vt docet Salas *de legibus disput.* 15 *sect.* 1. *num.* 26. P. Mendo *de iure academ.* vbi suprà, *q.* 13. Sed illud difficile videtur, quod his statutis obligentur illi, qui ea non condiderunt, sed tantùm in Academia successerunt, diuersi omnino ab illis, qui statuta fecerunt, quamvis disiunctum corpus semper idem censeatur, *l. proponebatur* 16. *ff. de iudiciis, l.* 5. *tit.* 15. *p.* 2. Franciscus Zypæus *lib.* 2. *contra Casanum, cap.* 12. Ioannes Seldenus *in mari clauso, lib.* 1. *cap.* 21. pluribus relatis noster Valentia *lib.* 2. *illustr. tract.* 4. *cap.* 2. Hæc enim fictio est, & reuerà non sunt eædem personæ statuentium, & per consequens non poterant obligari ex aliena promissione, *l. inter* 83. cum vulgatis, *ff. de verb. obl.* quod & in voto à Decurionibus ciuitatis facto hæsitari potest; pro cuius difficultatis solutione dicendum est cum D. Thoma 2. 2. *q.* 98. *art.* 2. nouos ciues, Decuriones, seu Doctores, qui in locum veterem succedunt, non obligari ex eorum voto, quia voti obligatio personalis est, vt etiam probant Bartholomeus Brixiensis in quadam quæstione, quæ incipit, *Bononienses iurauerunt*, Auendaño *lib.* 2. *de exequendis mandat. cap.* 27. *n.* 12. Gutierrez *in authentica Sacramenta, num.* 12. Doctor Pisa *lib.* 4. *suæ Curiæ, cap.* 5. & ibi Azeuedo, & *in l.* 1. *num.* 24. *tit.* 17. *lib.* 8. *recopil.* Marquez *lib.* 2. *Gubernat. Christ. cap.* 22. Azorius *lib.* 11. *instit cap.* 8. *versu* 5. ideoque in Concilio Trident. *session.* 25. *de reform. cap.* 2. decernitur, vt singulis annis DD. Magistrique Academiarum solemniter iurent, se interpretaturos, & docturos ea quæ sunt Catholicæ Fidei, propter denuò in eodem gradu cooptatos, quamvis aliam huius textus rationem adduxerint relati à Barbosa ibi *littera B.* Quod de voto dixi, idem dicendum est de contractu; quoniam si omnes Decuriones, seu DD. aliquid promiserint, veluti si aliquem annuum redditum super suis personis, & bonis imposuerint, successores minimè obligantur in officio, quia ex pactione alterius alter obligari non potest, *l. multùm, 6. C. si quis alteri*, nisi quatenus ex prædecessorum contractu ad eos peruenit, argumento *ex l. ciuitas* 27. *de rebus creditis*; notauit Bobadilla *lib.* 3. *polit. cap.* 8. *n.* 87. vnde quod antecessores promise

promiserunt, nisi in prædicto casu successores ex obligatione iustitiæ minimè præstare tenentur, sed ex quadam vrbanitate, vt inquit D. Thomas vbi suprà, siue se obligauerint ad dandum, siue ad faciendum, veluti ad custodiendos aliquos dies festos, vel ieiunandum; quia reuerà hoc est alienum factum, & extranearum personarum, quas aliæ minimè obligare potuerunt: in his tamen duobus exemplis aliquando iustitiæ obligatio nascitur; scilicet si legitimo tempore præscriptum sit, vt dies illi festi custodiantur, vel ieiunia fiant, quia est quasi lex consuetudo, quæ omnem populum obligat, etiam ciues de nouo natos. Marquez & Azor vbi suprà: cum his non sunt temerè confundenda statuta facta ad regimen ipsius communitatis, vel negotia quæ Decuriones contrahunt nomine ipsius Curiæ, seu Academiæ; hæc enim semel facta, aut contracta perpetuò durant, quia Decuriones, seu Doctores sunt legitimi administratores, & gubernatores ipsius communitatis, vt docent Bobadilla *lib. 5. polit. cap. 4. & 5.* Doctor Pisa vbi suprà *lib. 2. cap. 8.* Amaya *in rubric. C. de decurionibus, num. 23. & in l. vnica, de præbendo salario, ex num. 17.* & cùm statuta, de quibus in præsenti, facta fuissent pro bono regimine Academiæ Parisiensis; ideò etiam successores eorum qui statutum fecerunt, illud seruare tenentur.

6. f *Cautionem.*] Idonea cautio est, quæ fideiussoribus præstitis fit, *l. 1. §. iubet 4. ff. de collatione bonorum, l. si mandatum 59. ff. mandati, l. prætoria 7. ff. de prætoriis stipul. l. 3. C. de v. s.* Et licèt qui tenetur cautionem fideiussoriam dare, non adimpleat obligationem cautionem iuratoriam præstando, *authent. cui relictum, C. de indicta viduitate*; tamen qui tenetur iuratoriam cautionem præstare, sufficit vt fideiussoriam præstet, vt in præsenti textu supponitur, & docet Parladorus *differen. 61. num. 4.*

7. g *Priuaretur.*] Hæc pœna postea appellatur priuatio communionis, non quia excommunicatio sit, priuans à perceptione Sacramentorum; sed quia priuat à communione aliorum Professorũ in actibus, & functionibus propriis Academiæ. Plerumque enim legimus aliquem communione Christiana gaudere, denegari tamen illi communionem aliorum sociorum, seu collegarum, vt in Concilio Arelat. 2. *can.* 30. Aurelian. 5. *can.* 17. & aliis, vbi Episcopi priuantur tantùm communione Coëpiscoporum: cuius priuationis communionis effectus referunt Gibalinus *de censuris disquisit. 7. q. 12.* Morinus *lib. 2, exercit. cap. 5.* Vnde cognoscitur in præsenti casu, excommunicationem tanquam censuram appositam non fuisse violanti statuta, sed quia priuabatur communione cæterorum Doctorum; ideo talis pœna latè excommunicatio dici poterat.

8. h *Obtulisset.*] Purgat enim contumax contumaciam per satisfactionem, quam præstare potest per cautionem de obediendo mandatis Ecclesiæ, *vt in cap. ex parte 33. versiculo in primo, de v.s. cap. quâ fronte 25. versiculo Sanè, de appellat. cap. cùm desideres, cap. per tuas, de sentent. excom.* cautionem illam dare valet, aut fideiussoriam, pignoratitiam, seu iuratoriam.

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO RESPONDET ET PROBATVR.

EX hoc textu sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Contumax communione priuatus, aut ordine motus, si paruerit mandatis, absoluendus, & restituendus est ordini.* Probant eam textus *in cap. si quis, 81. dist. cap. presbyter 2. q. 4. cap. nos autem 15. q. 7. cap. si quis deinceps 16. quæst. 7. cap. ex litteris, 29.* vbi Glossa *verbo Satisfacta, de officio delegati, cap. significauit, de officio Ordinarij, cap. cùm in Ecclesiis 10. de maiorit. & obed. cap. non est vobis, de sponsal. cap. finali, de matrim. contracto, cap. cùm desideres, cap. à nobis, cap. per tuas, de sentent. excom. cap. cùm olim, cap. ex parte, de v.s. Clement. 1. de decimis, cap. quamquam, in fine, de censibus in 6. Clementina 2. post principium, de decimis, Clementina 2. de hæreticis.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti Robertus *lib. 1. rerum iudicatarum, cap. 20.* Petrus Greg. M. Vranius, Prosperus Fagnanus *in præsenti*, Balboa *in cap. 1. de iudiciis, num. 66.* Tiraquel. *in tract. cessante causa, 1. p. num. 60.* Marius Alterius *lib. 4. de censuris, disp. 1.* Gibalinus *eodem tract. disquisit. 9. quæst. 2. fol. 407. & quæst. 3. consectario 15.* Saytus *lib. 4. thesauri, cap. 17. num. 4.* Gutierrez *lib. 1. canonic. q. 5. num. 7.* Couarr. *in cap. alma, 2. p. cap. 6. num. 16.* G. de Valentia *tom. 4. contro. disp. 7. q. 18.* Suarez *de censuris disp. 7. sect. 1. num. 12.* Carena *de officio Inquisit. 1. part. tit. 5. §. 12. num. 86.* Alteserra in præsenti.

10. TRADITVR DVBITANDI RATIO.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam priuatio communionis aut fertur per modum pœnæ, aut per modum censuræ: profertur per modum pœnæ, quando imponitur ad vindictam delicti perpetrati, *cap. si quis Episcopus 11. quæst. 3.* per modum censuræ infligitur, quando tantùm ob contumaciam imponitur. Couarr. *d. 2. p. cap. 6. in initio, num. 15.* Cùm profertur per modum pœnæ, durat perpetuò, nisi ex indulgentia ita ligatus absoluatur: quando verò per modum censuræ, contumacia cessante post satisfactionem reus absoluitur. Ita omnes Doctores de censuris agentes; sed in præsenti casu priuatio communionis fuit imposita per modum pœnæ ob delictum admissum in violatione statuti academici: igitur etiam post satisfactionem durare debebat talis priuatio. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam etiam contumacia cessante in casu, quo tantùm propter contumaciam inflicta fuit excommunicatio, non statim contumacia cessante, reus communioni Ecclesiæ restituitur, sed post satisfactionem absolutio desideratur, *cap. si quis Episcopus 22. 1. q. 6. cap. ad aures 24. de simon. cap. finali, de sepulturis, cap. quamquam, in fine, de censibus in 6.* Couarr. *in cap. alma, 1. p. §. 11. num. 11.* Gennensis *practicab. quæst. 709.* Salgado *de Regia protect. 2. p. cap. 4. num. 202.* Ergo in præsenti casu etiam post satisfactionem restituendus non erat Magister communioni cæterorum ante absolutionem. Tandem fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam hæc priuatio communionis lege ipsius Academiæ statuta, & approbata fuerat; sed similia statuta, & quæ in eis continentur, perpetua sunt, *cap. 1. 50. dist. cap. reperiuntur 79. dist. cap. si quis ex Episcopis 10. quæst. 3.* Igitur in præsenti specie Doctores statutum propriæ Academiæ violantes, in perpetuum priuati manebant communione cæterorum.

11. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius decisiua ratione percipienda sciendum est, priuatum communione Ecclesiæ, seu fidelium, ob contumaciam absoluendum esse cessante contumacia, & communioni restituendum, *cap. per tuas, de sentent. excom. cap. cùm olim, cap. ex parte, de v.s.* cùm cessante

sante causa priuationis, cessare debeat ipsa priuatio, *cap. cùm cessante, de appellat*; cùm pœna debeat commensurari delicto, *cap. disciplinæ 45. dist.* inde contumacia naturâ suâ non patitur, vt censura ob eam inflicta protrahatur vltra quàm ipsa extenditur, *cap. si quis, cap. si Episcopus, 18. dist.* Vt autem contumax à censura liberetur, duo desiderantur. Primum, vt cum resipiscit, satisfaciat, *cap. quamquam, de censibus lib.6.* Clementina 1. *de decimis*, ibi: *Ante satisfactionem condignam nullatenus absoluantur.* Clementina 2. *de hæreticis*, ibi: *A qua non possint absolui, donec plenè satisfecerint.* Et hæc satisfactio datur saltem præstito iuramento de parendo mandatis Ecclesiæ, *cap. ex tenore, cap. de catero, cap. cùm desideres, de sententia excom.* Secundum, vt absoluatur; nam post satisfactionem habilis redditur excommunicatus ad absolutionem, non tamen absolutus manet, *d. cap. cùm desideres 15. cap. à nobis, 28. cap. quamvis 58. de sentent. excom.* Celebri exemplo firmat Illescas *2. p. hist. Pontif. lib. 6. cap. 14. fol. 126.* quod procedit siue excommunicatio simpliciter feratur, siue hac adiectâ clausulâ, donec satisfeceris; nam per hanc adiectionem nihil amplius exprimitur, quàm quod à iure tacitè ineat, & sic in vtroque casu debet pariter absolui. Contrarium tamen procedit, si suspensio imposita sit sub hac formula, *donec satisfeceris*; nam tunc per solam satisfactionem cessat, & relaxatur suspensio, *cap. presbyter 13. 2. q. 5. cap. si quis 16. 81. dist.* quod etiam procedit in interdicti censura, *cap. non est vobis, de sponsalibus.* Discriminis ratio in eo consistit, quia nullo Ecclesiæ canone cautum legitur, vt interdictum, seu suspensio egeant expressa absolutione. Vnde sufficiet tacita, quæ prouenit ex satisfactione, iuxta mentem iudicis imponentis interdictum, seu suspensionem sub hac forma, *donec satisfeceris*: in excommunicatione verò expresè cautum reperitur, vt post satisfactionem absolutio sequatur, *d. cap. cùm desideres, d. cap. à nobis.* Et si adhuc rationem huius discriminis exsciscitis, ea petenda est ex grauitate excommunicationis, vt docent Panormitanus *in cap. 1. de iudiciis, num. 6.* Marius Alterius *lib. 1. de censuris, cap. 1. num. 1.* Etiam sciendum est, statuta à qualibet communitate condita, recipere interpretationem à iure communi, vt cum eo in quantum fieri possit, conueniant, *cap. cùm dilectis, §. quia, de consuetudine*, Tondutus *resol. canonic. cap. 51. num. 20.* Alderanus Mascardus *de interpret. statut. concluf. 2. num. 70.* & *concluf. 12. per totam*, vbi in praxi varias huius doctrinæ ampliationes, & limitationes adducit. Vnde deducitur vera ratio præsentis decisionis; nam cùm statuta accipere debeant interpretationem à iure communi, & iure communi inspecto excommunicatus ob contumaciam, post satisfactionem sit communioni restituendus, ex dictis iuribus; inde Innocentius III. in præsenti specie decidit Doctores Academiæ Parisiensis communione aliorum non censeri priuatos in perpetuum, sed donec satisfecerint. Accedit, nam pœnæ molliendæ potiùs sunt, quàm exasperandæ, *l. penult. ff. de pœnis, l. factum 155. §. vltimo, ff. de reg. iur.* vbi plura Petrus Faber, & Gothofredus: & in pœnis ea interpretatio facienda est, vt potiùs restringantur, quàm amplientur, *cap. in pœnis, de reg. iur. lib. 6.* Vnde rectè pœna priuationis communionis in præsenti specie ita accipitur, vt potiùs temporalis sit, quàm perpetua.

12. Nec obstat dubitandi ratio suprà *num. 3.* expensa, in qua dicebamus, priuationem communionis appositam per modum pœnæ perpetuò durare; nam dicendum est potiùs, quamcumque pœnam censeri appositam ad mensuram delicti; vnde si illud consistat in contumacia, quæ tantùm temporalis est, erit etiam & pœna temporalis; vnde cùm in præsenti specie contumacia non transiret in aliud genus delicti, sed tantùm contumacia maneret; inde & pœna temporalis est iuxta naturam ipsius delicti. Nec augmentum primum ipsius difficultatis obstat; nam licèt controuersum sit apud Interpretes, an communione ecclesiastica priuatus, donec satisfecerit, ipso iure satisfactione præmissa sit absolutus; verior sententia est, necessariam esse post satisfactionem adhuc absolutionem; nec contrarium probatur in hoc textu, nam in eo non asseritur absque vlla absolutione, priuatum communione sociorum illi restitui; nam subintelligendum est, vt non solâ ipsâ satisfactione priuatus communione illi restituatur, sed præcedente absolutione, iuxta formam iuris tot canonibus præscriptam: quo etiam modo intelligendi sunt textus *in cap. nos 4. 15. q. 6. cap. finali, de matrimonio contracto contra interdictum*, iuncto Balboa *in d. c. 1. de iudiciis, n. 66.* Nec obstat augmentum vltimum ipsius difficultatis; nam procedit cùm statuta aliquid continent ex natura sua perpetuum, non verò si temporale, vnde cùm in præsenti textu pœna temporalis est propter causam temporalem, videlicet contumaciam, cessat & pœna, cessante contumaciâ.

DISSOLVITUR DVBITANDI RATIO.

13. Sed suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. 1. 50. dist.* in illis verbis: *Si lapsis ad suum ordinem reuertendi licentia concedatur, vigor canonicæ disciplinæ proculdubio frangitur, dum pro reuersionis spe pravæ actionis desideria quisque accipere non formidat. Illud igitur præ omnibus studete, vt lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo reuocare studeat, ne huiusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur vindicta.* Ex quibus verbis manifestè probatur, ordine motum, ac communione priuatum, etiam post pœnitentiam, & satisfactionem restituendum non esse. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non agi de excommunicatione lapsis inflicta, sed potiùs de depositione ob adulterium, vel aliud simile scelus facta; tunc enim etiam post pœnitentiam non restituitur, quia depositio est perpetua pœna, nec in modum censuræ infligitur, quare necessariò perpetua esse debet.

EXPONITUR CAP. 1. 50. DIST.

14. Secundò præsenti assertioni obstat textus *in can. 11. Concilij Tolet. 11.* in illis verbis: *Quod si ingenuorum personæ his erroribus fuerint implicatæ, & perpetuæ excommunicationis sententia ferientur, & arctiori exilio vlciscentur.* Ex quibus expresè deducitur, communione Ecclesiastica pulsum & priuatum, in perpetuum excommunicatum esse, nec ampliùs communioni esse restituendum. Igitur non rectè in præsenti docetur communione ecclesiastica priuatum post satisfactionem esse communioni restituendum. Pro cuius canonis expositione sciendum est, olim ob grauiora scelera plerumque fideles priuari communione Ecclesiæ, & fidelium in perpetuum, id est, pro toto vitæ tempore, vsque ad mortem; imò & pro grauissimis delictis, nec in fine illis communio concedebatur, vt passim cauetur in Concilio Illiber. & probaui latè in eius canone primo, quibus in casibus patratores similium scelerum communione Eucharistica, & fidelium in perpetuum priuabantur,

EXPLICANTUR VARII TEXTUS.

bantur, vt constat *ex cap. quia Sacerdotes* 11. *q.* 1. *cap. si quis* 4. 2. *q.* 3. Concilio Cæsarauguſt. 1. *can.* 4. ibi: *Item legit vigesimo & vno die, quo à* 16. *calend. Ianuarij vsque in diem Epiphaniæ, quæ est* 8. *idus Ianuarij, continuis diebus nulli liceat de Ecclesia se absentare, nec latère in domibus, nec secedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad Ecclesiam: quod qui non obseruauerit, his decretis anathema sit in perpetuum.* Concilium Pariſ. 1. *can.* 2. & Pariſiense 3. *can.* 5. *cap. ego Berengarius, de consecr. dist.* 2. Troſleianum *can.* 13. quo in ſenſu excommunicatio perpetua imponitur *in d. can.* 11. Concilij Tolet. II. in aliis verò leuioribus criminibus priuatio communionis inflicta, intelligitur de temporali, donec reus ſatisfecerit.

15. INTELLIGITVR CAP. EX PARTE, 23. DE V. S.

Tandem ſupradictæ aſſertioni obſtat textus *in cap. ex parte* 23. *de v. ſ.* vbi cùm proponatur quemdam fuiſſe excommunicatum propter iniuriam Capitulo Carnotenſis Eccleſiæ illatam, aſſeritur non poſſe eum abſolui à tali excommunicatione ante ſatisfactionem, ob ſpeciale priuilegium Capitulo Carnotenſi conceſſum. Igitur quia iure communi attento, excommunicatus etiam ante ſatisfactionem abſolui poteſt; ſiquidem fruſtra precibus impetraretur à Capitulo Carnotenſi, quod illi communi iure competebat, argumento textus *in l. vnica, C. de thesaur. lib.* 10. *cap. in his* 30. *de priuil. cap. si Papa, eod. tit. lib.* 6. Agnouit difficultatem Gloſſa ibi, *verbo Contumacia*; & vt illi ſatisfaciat, aſſerit priuilegium in illius textus ſpecie fuiſſe conceſſum ad cautelam, quia ſtrictiùs ſolet obſeruari quod ſpecialiter cauetur, quàm quod generaliter diſponitur, *cap. quamquam* 23. *d. cap. ſi aduerſus, de hæret.* & aliquando ſpecialiter conceduntur, quæ iure communi competunt, *cap. in cauſis, de procurat. cap. etſi Chriſtus, in fine, de iureiur. cap. permittimus, de ſentent. excom. cap. quod in te, de pœnit. cap. ſatis, in fine,* 24. *q.* 2. *cap. admonere* 33. *q.* 3. Vnde licèt iure communi quilibet excommunicatus poſt ſatisfactionem eſſet abſoluendus, tamen priuilegium ſpeciale ad cautelam Capitulo Carnotenſi conceſſum fuit, vt excommunicatus ob iniuriam illatam, abſolui non poſſet, niſi poſt ſatisfactionem. Sed licèt hæc Gloſſæ ſolutio ſuſtineri poſſet, verius dicendum eſt, priuilegium de quo in eo textu, duas partes continere; in priori cauebatur vt Capitulum Carnotenſe poſſit excommunicare, aut interdicto ſubiicere malefactores pro iniuria ſibi illata, in qua parte gratiam continebat, ſiquidem Capitulum Eccleſiæ Cathedralis poteſtatem ferendi excommunicationem, aut ſimiles cenſuras non habet, *cap. quæſiuit, de his quæ fiunt à maiori parte*, niſi ratione conſuetudinis, *cap. irrefragabili*, §. *cæterum, de officio ordin.* aut Sede vacante, *cap. cùm olim, de maiorit. & obed. cap. vnico, eod. titulo in* 6. *cap. Albericus, de teſtibus, cap. illa, ne Sede vac.* In ſecunda concedebatur quod nemo auderet abſoluere excommunicatum pro iniuria illata Capitulo Carnotenſi, niſi præmiſſa ſatisfactione; qua in parte conſonum erat prædictum priuilegium iuri communi, nec gratiam ſpecialem continebat, vnde virtute iuris communis ex præſenti textu, & ſimilibus excommunicatus abſolui poterat.

CAPVT XII.

[a] Honorius III. *Epiſcopo, &* [b] *Cantori* [c] *Cabilonenſi, & Abbati de* [d] *Firmitate, Cabilonenſis diœceſis.*

EX parte Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi e Eduenſis fuit propoſitum coram nobis, quod Canonici Eduenſes propriis commodis inhiantes, præbendarum numerum ab antiquo in Eccleſia Eduenſi ſtatutum, licèt non ſint eius diminuti redditus, reſtrinxerunt, vt ſic in temporalibus magis abundent, dum ea, de quibus valet ſuſtentari Canonicorum numerus conſuetus, tali prætextu nituntur in augmentum conuertere præbendarum: & in facti ſui tuitionem ſuper hoc confirmationis à nobis dicuntur litteras impetraſſe in communi forma. Nolentes igitur diuini numinis cultum huiuſmodi occaſione in Eccleſia ipſa diminui, ſed potiùs augmentari, diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, antiquum numerum facientes authoritate noſtra ſeruari, præbendas, quas à tempore vltimi ſtatuti inueneritis in Eccleſia memorata vacantes, non obſtante aliqua conſtitutione ſuper hoc à Canonicis ipſis facta, vel confirmatione huius à nobis ab eiſdem [f] obtenta, perſonis idoneis cum conſilio eiuſdem Epiſcopi, ſublato appellationis obſtaculo, conferatis,

NOTÆ.

1. HONORII III. GESTA.

[a] *Honorius III.*] Honorius antea Centius Sabellus dictus, patriâ Romanus, creatus fuit Pontifex die 18. Iulij anno 1216. & floruit vſque ad annum 1227. vt referunt Spondanus *in continuat. Baronij*, Corjolanus *in Breuiario, dicto anno*, & alij Scriptores de vitis Pontificum. Inter alia quæ illuſtrem illius Pontificatum faciunt, potiſſima ſunt confirmatio præclariſſimarum Religionum SS. Dominici & Franciſci, & Coronatio Federici Imperatoris II. Fecit ſuarum Decretalium quintam compilationem, quam diu deſideratam à perdoctis viris, edidit Innocent. Cironius, ex qua collectione aliquæ deciſiones compilatæ fuerunt à Raymundo in hac ſexta compilatione, inter quas primum in ordine obtinet locum præſens decretalis.

2. CANTOR QVIS?

[b] *Cantori.*] Id eſt, Præſuli chori canentium; qui enim ſimili choro præeſt, Cantor, Præcentor, ſeu Protopſaltes appellatur, *cap. cleros*, 21. *dist.* & in Eccleſia Cabilonenſi ſunt ſeptem Dignitates, inter quas Cantor recenſetur. Nec nouum eſt Romanum Pontificem cauſarum cognitionem committere Cantori, vt conſtat *ex cap. dudum, el ſegundo, de electione*, ibi: *Pariſienſi Succentori. cap. dilectus,*

dilectus, *de appellat.* ibi: *Cantori Trecensi. cap. significauit, eodem titulo*, ibi: *Præcentori Herefordiensi. cap. cùm iam dudum*, *de præbendis*, ibi: *Cantori Tornacensi.cap. 3. de censibus*,ibi: *Stephano Cantori. cap. 2. de donat. inter*, ibi: *Cantori Lexouiensi. cap. Abbate*, *de v. s.* ibi: *Cantori Atrebatensi. cap. cùm pro causa*, *de sentent. excom.* ibi: *Præcentori Lugdunensi.* De dignitate Cantoris plura Valenzuela *consil.* 33. Barb. *de Canonicis*, *cap.* 9.

3. CABILONIS DESCRIPTIO. c *Cabilonensi.*] Cabilo, seu Cabilonus, est ciuitas Galliæ ad Araris ripam, sita in prima Lugdunensi Prouincia, cuius meminerunt Cæsar *in comment. lib.* 7. Strabo *lib.* 4. Ammianus Marcellinus *lib.* 5. Sedes quondam fuit Regia Principum Burgundiæ, vt referunt Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 437. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Vincentio dicatam, cuius mentio fit *in cap.* 12. *de rescriptis*, *cap.* 27. *de sentent. excom. cap. in nostra*, *de procurat.* Plura de eius origine congesserunt Chenu *in chron. Ecclesiæ Cabilon.* Sabarus *in notis ad Sidonium*, *lib.* 4. *epist.* 25. eius Præsuli Duranno dicto, qui eam Ecclesiam rexit ex anno 1213. vsque ad annum 1215. missa est præsens epistola.

4. d *De Firmitate.*] Firmitas prima Cistercij filia, monasterium est in diœcesi Cabilonensi constructum anno 1113. cuius exordium, & nominis rationem reddunt tabulæ ipsius monasterij, ibi: *Fundata est Firmitas primogenita filia domus Cistercij*, *& pulchræ significationis suæ titulo firmitatem & stabilitatem Ordinis præsignauit.* Plura de eo monasterio retulit Manrique *annalium Cisterc. anno* 1113. *cap.* 3. huius monasterij Abbati Hugoni rescribit Honorius *in præsenti.*

5. ÆDVENSIS VRBIS NOTITIA. e *Æduensis.*] Ædua, quam alij Augustodunum appellant, celebris vrbs est Galliæ, cuius meminerunt Cæsar *lib.* 6. *de bello Gallico*, Mela *lib.* 3. *de situ orbis*, *cap.* 2. Tacitus *lib.* 11. *annalium*, Guillelmus Brito *lib.* 1. *Philip.* 2.

Ædua quos mittit, vrbs antiquissima plena.

Habet Ecclesiam Cathedralem D. Lazaro dicatam, cuius originem, & progressum referunt Authores Galliæ Christianæ *tom.* 2. *fol.* 27. cuius Præsul Galterus secundus præsentem quæstionem Honorio III. proposuit.

6. f *Obtenta.*] Confirmatio ista facta fuit in forma communi, vt ex ipsis verbis textûs constat; quæ confirmatio nihil nouum tribuit, *cap. cùm dilecta*, §. *nos igitur*, *de confirmatione vtili*, *cap. quia diuersitatem*, *de concessione præbendæ*, *cap. ex parte*, *de priuilegiis*, *cap. dudum* 39. *de decimis*: nec talis confirmatio tribuit ius nouum, *cap. examinata*, *cap. finali*, *de confirm. vtili.*

COMMENTARIVM.

7. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Canonici non possunt proprio statuto minuere numerum præbendarum*, *nisi tale statutum in forma speciali confirmetur à Romano Pontifice.* Probant eam textus *in cap. cùm M. hoc titulo*, *cap. consuetudinis* 9. *de consuet. cap. quoniam*, *de vita & honest. cleric. cap. dilecto*, *de præbendis*, *cap. finali*, *de v. s.* nouella 3. & 6. Iustiniani, *cap.* 8. *&* 16. §. *sed neque.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti Petrus Greg. Martinus Huranus, & Fagnanus *in repetit. ad hunc textum*, idem Petrus Gregorius *de beneficiis cap.* 19. Nicolaus Garcia *eodem tract. p.* 12. *cap.* 1. Lotherius *de re benefic. lib.* 1. *q.* 14. Lælius Cæcus *de rep. christiana*, *tit. de Canonicis*, *cap.* 24. *num.* 4. Azor *p.* 2. *instit. lib.* 3. *cap.* 11. *q.* 10. Moneta *de commut. cap.* 12. *n.* 113. & *de distribut. p.* 1. *q.* 5. *num.* 27. Lælius Mancinus *genialium c.* 257. Barbosa *de Canonicis cap.* 3. & *de potest. Episcopi* 3. *p. allegatione* 87.

8. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non solùm Sede vacante, verùm & superstite Episcopo statuta regimini Ecclesiæ congrua, & vtilia facere potest, *cap. cùm dilectus*, *de clericis non resid. cap. cùm Ecclesia*, *de electione*, *cap.* 1. *hoc titulo*, *lib.* 6. *cap.* 2. *de v. s. eodem lib.* Probant Suarez *de legibus lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 34. Tapia *tom.* 1. *catenæ moralis*, *lib.* 4. *q.* 8. *art.* 7. igitur potest facere statuta, quibus minuatur numerus præbendarum. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito, *l. vltima*, *in fine*, *ff. de legat.* 3. *l. etsi contra*, *in fine*, *ff. de vulgari*; quia contrariorum eadem est ratio & disciplina, *l. penultima*, §. *finali*, *ff. qui satisdare*: sed Canonici possunt statuto facere, vt maior sit Canonicorum numerus, *cap. cùm M. hoc titulo.* Igitur poterunt statuto disponere, vt restringatur ipse numerus. Augetur deinde hæc difficultas, nam multitudine ministrorum non augetur cultus diuinus, sed potiùs paucitate Deus honoratur, *cap. legimus*, 24. 93. *dist.* ibi: *Diaconos paucitas honorabiles*, *presbyteros turba contemptibiles facit*: & multi sacerdotes nomine non laudantur, sed pauci re, *c. multi*, *fin.* 40. *dist.* Ergo non solùm validè, verùm etiam rationabiliter Canonici possunt Canonicorum multitudinem proprio statuto restringere.

9. PRÆBENDARVM NVMERVS CERTVS. Adhuc tamen vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, numerum præbendarum in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus non esse determinatum, nec certum, vt in Ecclesiis, de quibus *in cap. ex parte* 10. *de conces. præb. cap. vacante*, *cap. dilecto*, *de præb.* In aliquibus autem esse numerum determinatum, sed absque vlla distinctione prouentuum, vt *in cap. fin.* §. *si autem*, *de conces. præb. in* 6. *cap. dilecto* 63. *de appellat.* in aliisque non solùm numerum esse determinatum, & præfixum, verùm & prouentus realiter esse distinctos, *cap. litteras*, *de conces. præb. Clem. fin. de præb.* docet Moneta *de optione canonica*, *cap.* 2. *q.* 2. *num.* 16. *&* 17. Licèt temporibus Ecclesiæ nascentis omnes Presbyteri in communem mensam aduocarentur, & sub vna matricula, seu pyctatio continerentur, quotidieque suas portiones, & sportulas acciperent, quæ dicebantur canonicæ portiones. Ivo Carnot. *epist.* 219. ibi: *Deliberaui*, *vt darem illis dimidiam præposituram*, *vt fieret inde quotidianus panis*, *quamvis eorum annua præbenda eis sufficiens esse deberet.* Et ab hac præbenda Canonici præbendarij dicebantur, *c. sanctorum* 70. *dist.* & Ecclesiæ, in quibus erant, præbendales: & quia nomina eorum ex pyctatio legebantur, portio illa vulgò, *pitanza*, dicitur: post diuisionem tamen bonorum Ecclesiæ certi fuerunt assignati redditus beneficiis & dignitatibus ecclesiasticis, vt dicemus *ad tit. de præb. & dignit.*

10. TALIS NVMERVS RESTRINGI POTEST. Secundò sciendum est, quod si numerus Canonicorum incertus sit, siue certus, non tamen plures institui debent, quàm commodè ex redditibus ali possint, *c. cùm M. hoc titulo*, *c. quoniam*, *de vit. & honest. c.* 1. *c. authorit. de instit.* Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 15. nouella 3. Iustin. vbi Cuiacius: & deficientibus Ecclesiæ facultatibus, possunt Canonici simul cũ Episcopo supprimere aliquas præbendas,

vt

vt inde debitis fructibus sustententur, *c. cùm accessissent, hoc titulo*, ne ad inopiam, & mendicitatem in opprobrium status clericalis redigantur, *cap. Diaconi, 93. dist.* Petrus Gregorius *de benef. cap. 19.* Barb. *d. cap. 3. de Canonicis.* Alij verò non possunt restringere prædictum numerum, vt Vicarius Episcopi cum Capitulo Sede vacante, Garcia *de beneficiis, p. 12. cap. 1.* quod adeò verum est, vt etiamsi numerus Canonicorum confirmatus sit à Pontifice, nihilominus ex defectu reddituum restringi poterit, vt resoluit Garcia *vbi suprà*: sine diminutione verò fructuum, aut alia simili causa nequeunt Canonici supprimere aliquam præbendam, ex nostro textu docent Barb. & Petrus Greg. *vbi suprà.*

II. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus profluit vera decidendi ratio ad nostrum textum *in cap. ex parte*; nam cùm in Ecclesia Æduensi certus, & determinatus fuisset Canonicorum numerus; & redditus non fuissent diminuti, non potuerunt Canonici illum restringere, & coarctare, præcipuè cùm diuinus cultus minueretur, qui diminui non debet, *cap. ad hæc, de præb.* & sic rectè Honorius III. iubet prædictum statutum, etiam confirmatum à Sede Apostolica in forma communi, irritari. Si verò ex iusta causa suppressa esset aliqua dignitas, vel præbenda, & confirmatio Pontificis in forma speciali sequeretur, tale statutum restrictionis, seu suppressionis obseruandum esset, vt *in cap. cùm accessissent*, docetur.

12. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS ADDVCTA.

Nec obstat difficultas suprà adducta; nam licèt capitulum Ecclesiæ Cathedralis possit statuta facere ad suum regimen, si hæc sint iuri canonico contraria, minimè condere valet: vnde cùm restringere numerum præbendarum, & sic cultum diuinum minuere, iuri nostro contrarium sit, ideò statuta per quæ restringuntur præbendæ, seu canonicatus, inualida sunt. Nec augmentum primum refragatur; nam Canonici possunt augere numerum præbendarum, cùm Ecclesiæ facultates suppetunt; restringere autem non possunt, cùm diuinus cultus augeri debeat, diminui autem non valeat: quod adeò verum est, vt etsi numerus confirmatus sit à Pontifice, nihilominus possit augeri, quia confirmatio à Pontifice facta præsumitur fauore Canonicorum, & sic illi renunciare possunt numerum augendo. Nec etiam aliud augmentum obstat; nam illud principium procedit, quando multitudo est tantùm nomine, non re; at semper præsumitur Canonicos magnis virtutibus pollere, & sic ex eorum assidua residentia cultum diuinum magnoperè augeri.

CAPVT XIII.

[a] Gregorius IX. *Archipresbytero* [b] *sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe.*

QVoniam constitutio Apostolicæ Sedis omnes adstringit, & nihil debet obscurum, vel ambiguum continere: Declaramus [d] constitutionem, quam nuper super præterendis in perceptione portionis maioribus, & consuetis seruitiis à minoribus exhibendis, edidimus, non ad præterita, sed ad futura tantùm extendi. Cùm leges & constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, nisi nominatim in eis de præteritis caueatur.

NOTÆ.

I. GREGORII IX. TEMPVS.

a *Gregorius.*] Antea Hugolinus dictus, natione Hernius, patriâ Anagninus, euectus ad Pontificatus culmen anno 1227. floruit vsque ad annum 1241. vt referunt Spondanus, & Corjolanus in eisdem annis: & cùm eius authoritate hoc volumen Decretalium prodiisset, vt in apparatu dixi, & de rebus gestis ab ipso Gregorio agentes, referunt Gregorius Polydorus *in Gregoriano*, Gerardus Vossius *de rebus Siculis*, Iacobus à Sancto Carolo *in Bibliotheca Pontif. lib. 1. in ipso Gregorio.* Ideo vltimo loco sub quolibet titulo Gregorij IX. constitutiones, vtpote posteriores tempore, vt sic series temporum seruetur, compilantur.

2. b *Archipresbytero.*] De Archipresbytero, & eius dignitate agam *titulo de officio Archipresb.*

3. c *De vrbe.*] Sunt enim in vrbe Romana plures Ecclesiæ Diuæ Mariæ dicatæ sub diuersis titulis; alia dicitur Ecclesia sanctæ Mariæ in Via Lata, de qua *in cap. Ecclesia, hoc titulo, cap. Ecclesia, vt lite pendente.* Ecclesia sanctæ Mariæ in Portico: S. Maria in Cosmedin, S. Maria in Dominica, S. Maria trans Tyberim, & aliæ, de quibus agunt Victor *de Vrbis Romæ regionibus.* Frater Alphonsus Muñoz *de rebus mirabilibus Romæ*: ex quibus Cardinales, tam Presbyteri, quàm Diaconi, titulos suos accepèrunt, Germonius *de indultis Cardinalium*, §. *tituli.* Inter eas præcipua est Ecclesia S. Mariæ Maioris de Vrbe, creata temporibus Liberij Pontificis, præcedente miraculo Niuium, quod Ecclesia die 5. Augusti celebrat. Illa autem Ecclesia est vna ex quinque Ecclesiis Patriarchalibus existentibus in Vrbe, habetque Archipresbyterum, & certum numerum Canonicorum: imò frequenter vnus ex Cardinalibus est Archipresbyter illius Ecclesiæ. Cohelius *in notitia Cardinalatus cap. 5.* & cùm ad Archipresbyterum spectet presbyterorum cura, ac regimen, *cap. 5. de officio Archipresbyteri*, & in hoc capite finali ageretur de iuribus Presbyterorum, & de prælatione inter eos seruanda, idcircò hæc decretalis epistola mittitur Archipresbytero illius Ecclesiæ.

d *Constitutionem.*] Cùm enim Gregorius IX. constitutionem edidisset, vt maioribus ordinibus insignitis in minoribus constituti obsequium, & obedientiam præstarent, de qua *in cap. statuimus, de maiorit. & obedientia*; dubium ortum fuit, vtrum ea constitutione tenerentur, qui iam illis temporibus sacris initiati erant Ordinibus, & in Canonicos admissi? Cui respondet Gregorius IX. quòd cùm lex nihil debeat continere ambiguum, præsenti decretali declarat tantùm post prædictam constitutionem in Canonicos admissos comprehendi, quia lex tantùm respicit futura, non præterita, vt probaui suprà *in c. 2.* vbi hoc commentarium dedi. 4.

TITVLVS TERTIVS.

De Reſcriptis.

CAPVT PRIMVM.

[a] Alexander III. *Senonenſi* [b] *Archiepiſcopo.*

SICVT Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum, diſponente Domino, mater eſt, & [c] magiſtra; ita & nos, qui eidem Eccleſiæ, licèt immeriti, diuinæ diſpoſitionis prouidentiâ præſidemus, provt Dominus nobis miniſtrauerit, conſultationibus reſpondere cogimur ſingulorum, & quæ videntur dubia, Apoſtolicæ circumſpectionis prouidentiâ [d] declarare. Sanè quæſitum eſt à nobis ex parte tua: Si alicuius cauſa delegatis iudicibus, ſublato remedio appellationis committitur; & litteris Apoſtolicis altera pars munita (quibus ei generaliter eſt indultum, vt liberè ſibi liceat appellare,) in vocem [e] appellationis proruperit, an eius in eadem cauſa debeat appellationi deferri? Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod eius in hac parte appellatio non debet admitti, poſtquam eſt cauſa iudicibus appellatione remotâ commiſſa, quia ſpeciale mandatum derogat generali.

NOTÆ.

1. [a] *Lexander III.*] Rolandus antea dictus, natione Tuſcus, patriâ Senenſis, qui cùm eſſet Preſbyter Cardinalis tituli S. Marci, & Apoſtolicæ Sedis Cancellarius, Romanus Pontifex electus fuit menſe Septembri, anno 1159. Vir prudentiſſimus, omnibus virtutibus pollens, diuinis, humaniſque litteris valdè inſtructus, quem D. Bernardus miris extollit laudibus, & plura de eius vita & geſtis referunt Baronius *anno* 1158. Corjolanus *anno* 1156. Platina, & alij de vitis Pontificum, *in eius vita.* Huius Pontificis plura extant decreta in hoc volumine, quæ Raymundus tam ex prima, & ſecunda collectione tranſcripſit, quàm ex Concilio Lateranenſi, ipſius Pontificis æuo celebrato. Præſens decretum tranſcripſit ipſe Raymundus *ex cap.* 1. *hoc titulo, in* 1. *collect.* ex Concilio Lateranenſi, ſeu eius appendice, *p.* 10. *cap.* 11. & *ex cap.* 12. *de appellat. in d.* 1. *collect.* ſub quo rubro aptiùs collocari, non ſine ratione putauit Antonius Auguſt. *in notis ad hunc textum.* Alia pars huius textus reperitur *in cap. ſi verò* 8. *de iureiur.* Et quia plures deciſiones in hoc volumine compilatæ, tranſcriptæ ſunt ex dicta appendice ad Concilium Lateran. præmittendam duxi admonitionem, quam ad principium ipſius appendicis lectori fecit Bartholomeus Laurens, cognomento vulgari *Poien*, in hæc verba. [„Synodus Lateran. ſub Alexando III. habita, cum „indice ſibi præfixo, itemque cum iis, quæ ad„iecta habet, ad quæ præfixus hic index ſpecia„tim reſpicit, ſicut paulò poſt videbis, excerpta „eſt è volumine pergamenico, non illo, cuius „ſuprà ſub Alexandro I. & Nicolao II. mentio„nem fecimus, ſed alio, ac diuerſo, nihil præter „ea quæ hîc ſequuntur, aliud comprehendente. „Ideoque totum hoc integrè, non diuiſum, ex„hibere placuit: quamquam pars ea quæ hic „prima aſſeritur, & in archetypo ita vocatur, „ſeorſim ac ſpecialiter ipſum tantummodò Late„ranenſe Concilium videri poteſt, cùm & ar„chetypi titulus eâ tantùm in parte hoc præfe„rat, nec omnia quæ deinceps ex ordine ſequun„tur, Alexandri III. ſint, ſed aliquorum etiam, „qui poſt eum Apoſtolicæ Sedi præfuerunt. Ve„rùm quia totus ille archetypi, de quo loqui„mur, codex eorumdem prope characterum erat, „& maximè, quia pars prima, ſecunda, tertia, „& cæteræ deinceps cohærebant; & ſuper om„nia, quòd Dominus Petrus Crab. ordinis S. „Franciſci de Obſeruantia, vnicus, ac ſedulus „archetyporum, quibus in editione Concilio„rum anno Domini 1551. vſi fuimus, procura„tor, iſtud nobis exemplar vnicè commendauit, „omittere quidquam ex illo, præſertim quod de „textu, vt vocant, eſſet, nec voluimus, nec auſi „ſumus. Nam annotationum, quæ in archetypo „ob marginis capacitatem, plurimæ ſunt, non „potuit in editione hac ob marginis exiguitatem „paſſim haberi ratio. Cæterùm quanto labore con„ſtiterit archetypi huius, quod propter breuia„tiones inſuetas, ac nimias, non tam lectore, „quàm coniectore indiguit, tranſcriptio; quo„niam neminem, niſi quem hoc ipſum archety„pon videre contigerit, crediturum putamus, „nullum hic verbum facimus; Deum tantùm „hoc noſtræ, quidquid eſt, opellæ commenda„tum volentes.] Et ad calcem ipſius appendicis, iterum per hæc verba admonet lecto„rem: [Hæc ſunt quæ ex archetypo illo, „cuius ſupra mentio fit, lectu adeò difficili, „ſummo labore deſcripſimus. Quæ ſi cui gra„ta, & vtilia fuerint, primùm gratias agat Deo, „qui horum qualecumque exemplar hucuſque „ſeruauit: deinde F. Petro Crab. qui hoc ipſum, „vt inter Concilia ederetur, procurauit: poſtre„mò & nobis, quos non pigùit, quamquam non deerant,

„ deerant, qui dehortarentur, & abſterrerent vti-
„ litatis publicæ gratiâ moleſtiæ tantùm perferre,
„ vt quæ antehac difficillimè legi poterant, iam
„ huius lectu facilia redderentur. Cæterùm ſi qui-
„ bus in his locus aliquis intrincatior, mutilus,
„ aut minùs abſolutus videtur, ij nouerint, dif-
„ ficultatem eam ſibi eſſe nobiſcum communem.
„ Neque enim archetypon ipſum adeò terſum
„ fuit, quin & nos aliquoties hæſitare cogeremur.
„ Maluimus autem & te ſubinde nobiſcum hære-
„ re, quàm conieciſſe, ac mutaſſe quidvis temerè
„ videri. Certè in editione hac poſtrema permul-
„ tis locis mendæ ſublatæ ſunt operâ F. Laurentij
„ Surij, & plurima ſuæ integritati reſtituta.]

2. b *Archiepiſcopo.*] Guillelmo videlicet, qui Theobaldi Comitis Campaniæ filius, primò fuit Epiſcopus Carnotenſis, poſtmodùm Senonenſis Archipræſul, anno 1169. & ab Alexandro III. per Galliam Legatus miſſus fuit, cùm illi adhæſiſſet aduerſus Pſeudo-Pontifices, vt referunt Fratres Sarmatani *tom. 1. Galliæ, in Eccleſia Senon. n. 68.* Huic & aliis eius ſucceſſoribus miſſæ ſunt decretales relatæ *in cap. ſedes 15. hoc tit. cap. 1. de poſtulat. Prælat. cap. præterea 5. cap. cùm olim 32. de officio Ordin. cap. cauſam 11. de probat. cap. ſi verò 8. de iureiur.* & aliæ. De ipſa Senonenſi Metropoli nonnulla adduxi ſuprà *in cap. cùm omne 6. de conſtit.*

3. c *Magiſtra.*] Cap. fin. *de iudiciis*, ibi: *Quia tamen omnium Eccleſiarum mater eſt eadem, & magiſtra.* Cap. *cuncta 18. 9. quæſt. 3.* ibi: *Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi, vtpote quæ de omni Eccleſia ius habeat iudicandi.* Concilium Florent. ſub Eugenio IV. pro Græcorum vnione celebratum, ibi: *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem vniuerſi orbis tenere primatum, ipſumque Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe D. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere.* Turrecremata *in ſumma lib. 2. cap. 36.* Canus *de locis lib. 2. cap. 4.* Bellarminus *de R. Pontifice cap. 22.* plures Barb. *in cap. 2. de ſum. Trinit. num. 6.* Fragoſo *p. 2. de regim. Chriſt. Reipub. lib. 1. diſp. 1. §. 2.* Theophilus Raynaud. *tom. 10. in corona aurea R. Pontificis*, & nos *in cap. finali, de foro compet.*

4. d *Declarare.*] Conſonat Petrus Damianus *opuſc. 7. ad S. Leonem IX.* ibi: *Quoniam Apoſtolica Sedes omnium Eccleſiarum mater eſſe ex ipſo veritatis ore cognoſcitur, dignum eſt, vt ſi quid vſpiam dubitationis emerſerit, quod ad animarum videatur pertinere negotium, ad ipſam, velut ad magiſtram, & quodammodo fontem cœleſtis ſapientiæ recurratur.* Et *opuſc. 5. in fine.* Petrus Cellenſis *epiſt. 1. ad Alexandrum Papam*, ibi: *In grauiſſimis, ſicut olim ad Moyſen, ſic nunc Pater venerande, ab omni Eccleſia Dei recurritur ad S. Petri, & veſtram Sedem.* Hanc praxim conſulendi Romanam Sedem in rebus arduis, & ambiguis, probant Canus *lib. 5. de locis, cap. 7.* M. Antonius Capella *diſp. de R. P. cap. 2. ſect. 7.* Onuphrius *de Primatu S. Petri*, Bozius *lib. 5. de ſignis Eccleſiæ, cap. 3. & lib. 18. cap. 4. & 5.* Bzouius *de R. Pontifice cap. 17.* Theophilus *vbi ſupra, fructu 5. per totum.*

5. e *Iudicibus.*] Signanter dixit Alexander delegatis, non ordinariis iudicibus; nam quoties Pontifex cauſam committit ſub clauſula, *appellatione remotâ*, etſi committatur iudici ordinario, eius iuriſdictio non excitatur, ſed in delegatam conuertitur, ſi modò in ea cauſa ponatur, in qua iure ordinario appellare licebat; tunc enim cùm per hanc clauſulam ab Ordinario appellatio inhibeatur, quia aliquid additur iuriſdictioni ordinariæ, quod antea non habebat, mutatur, & fit delegata, vt argumento textus *in cap. cum aliquibus, hoc tit. in 6. cap. ſi quis 12. in fine, de præbendis, eodem lib. c. ſi ſoli, de conceſſ. præb. eod. lib. l. 3. ff. de offic. eius, l. 1. §. ſi quis ſimpliciter, ff. de verb. obl.* docent Abbas *in cap. licet 12. de offic. ordin.* vbi nos latiùs dicemus, Parlad. *lib. 2. quotid. cap. vlt.* Diuerſum tamen obſeruandum eſt, cùm clauſula, *appellatione remotâ*, adiicitur in ea cauſa, in qua appellatio de iure non admittitur, iuxta textus ita accipiendos *in d. cap. licet, de offic. Ordin. cap. cum aliquibus, hoc titulo in 6.*

6. f *Appellationis.*] Poteſt enim Pontifex cauſam committere appellatione remotâ, *cap. ſuper 27. §. ſi verò, de offic. deleg. cap. Paſtoralis 52. de appellat. cap. bonæ, de confirmat. vtili*, Alexander poſt Concil. Lateran. *p. 7. cap. vlt. p. 10. cap. 8. p. 47. capite 3.* ſicut alij ſupremi Principes, *l. 1. §. vlt. ff. à quibus appellare, l. 13. tit. 23. partit. 3.* Vnde ſæpiſſimè in iure noſtro mentio fit huius clauſulæ, vt *in cap. cauſam 18. hoc titulo, cap. ſecundò 41. cap. Paſtoralis 53. cap. vt debitus 59. de appellat. cap. ſuper eo 15. cap. Paſtoralis 28. cap. ex parte 47. de offic. deleg. cap. dilecti 4. de arbitr. cap. accepimus 5. de pactis, cap. ex tua, de filiis preſbyterorum, cap. licet 6. de for. compet. cap. 2. de mutuis petit. cap. ex conqueſtione 10. de reſtit. ſpol.* Eam exponunt plures congeſti à Barboſa *in præſenti*, & *de clauſul. cap. 9.* quibus addendi ſunt Donellus *lib. 18. comment. cap. 6.* vbi Oſualdus *littera R.* Carleual. *de iudiciis tom. 2. titulo 2. diſp. 8.* Fragoſ. *de regim. Chriſtianæ Reip. tom. 1. p. 2. lib. 8. diſp. 24. §. 12.* Pichardus *in manuduct. p. 4. prælud. 1.* P. Gregorius *in dict. cap. cauſam, hoc titulo.* Ciron. *ad tit. de appellat.* Hunnius *ad Treuler. volum. 2. diſp. 33. theſi 4. quæſt. 31.* Diana *p. 9. tract. 7. reſol. 28.* Salgado *de protect. 1. p. prælud. 3. num. 81.* & *p. 2. cap. 6. num. 16.* & *p. 3. cap. 8. num. 27.* Germonius *lib. 1. animadu. cap. 13.* Clezelius *de appellat. cap. 1. num. 16.* & *cap. 4. num. 23.* & *cap. 6. num. 203.* Vtuntur hac clauſula Principes, non verò Magiſtratus inferiores, *dict. l. 1. §. fin.* ſicut enim ſoli Principes poſſunt Magiſtratibus, provt placuerit, iuriſdictionem definire, *l. quidam 57. de re iudic. l. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu:* ita decernere poſſunt, ne liceat ab eorum ſententiis appellare, *l. 1. §. de qua, ff. de poſtul. l. quominus, ff. de fluminibus:* nec contrarium probat Iuſtinianus *in l. finali, C. de ſentent. & interl.* vt aliqui putarunt, quorum ſolutiones, & veram illius textus interpretationem tradit Germonius *d. c. 13.*

7. DISSOLVITVR COMMVNIS DIFFICVLTAS.

Nec obſtat communis difficultas, quæ contra ſuprà tradita ab Interpretibus adducitur; videlicet defenſionem omnibus oppreſſis iure naturali fuiſſe conceſſam, *l. vt vim, ff. de iuſtitia & iure, l. 4. ff. ad leg. Aquil. cap. cùm inter, de except.* Inde appellationis remedium cùm ſit oppreſſorum defenſio, ab ipſo naturali iure prouenire probatur *ex cap. cum ſpeciali 62. §. porrò, de appellat. cap. cùm in his, cap. ſignificarunt 11. de except. l. 1. l. ſi tantùm, 6. ff. de appellat. cap. omnis oppreſſus 2. q. 6.* Sed Principis reſcriptum iniquitatem continens, vel aliquid contra ius naturale diſponens, nullum eſt, *l. ex facto 43. ff. de vulgari, l. reſcripta, Cod.*

de precib. cùm à iure natutali prouenientia, immutabilia sint, *cap. fin. de consuet. Clement. Pastoralis*, §. *cæterùm*, *de re iudic.* §. *sed naturalia*, *Instit. de iure naturali.* Ergo appellatio à Principe tolli non potest. Nam omissâ solutione Milliani *in præsenti cap.* 1. *num.* 23. & aliorum qui affirmant appellationem prohiberi per prædictam clausulam, quoad effectum suspensiuum, non verò quoad deuolutiuum, dicendum est, appellationem generaliter sumptam defensionem esse iuris humani, & positiui, vt probabimus *in cap. Pastoralis* 53. *de appellat.* atque ita per Principem tolli posse; cùm enim per hanc clausulam appellatio inhibetur, non omnis defensio denegatur, sed modus defensionis à lege humana positiua inductus restringitur, & limitatur, vt docent ordinarij, & Canisius *in præsenti.* Deinde quia tunc appellatio & defensio iure naturali permissa erit, quoties omnino perpensis negotiis, circumstantiis, & qualitatibus necessaria est ad iustitiam consequendam, & tunc à Principe tolli non poterit. Couarr. *practic. cap.* 23. *num.* 6. Vnde etiamsi commissa sit causa appellatione remotâ, qui grauatus reperitur, potest superiorem adire per viam querelæ, *cap. consultationi*, *de appellat. in* 6. vel per supplicationem, vt *in l. vnica*, *C. de sentent. Præf. Prætor.* docent Franchis *decis.* 148. vel per viam recusationis, Couarr. *vbi proximè*, *cap. postremò*, *in fin. de appellat.* Fragos. *d.* §. 12. *num.* 218. Barbosa *in select. ad nostrum textum*, & ad Pontificem immediatè appellare, *cap.* 1. *de offic. Leg. in* 5. *collect.* imò si grauamen sit notorium, aut ex dolo prolata sit sententia, appellatio non censetur denegata. Glossa *in d. cap. ex conquestione*, Didac. Perez *in l.* 1. *tit.* 9. *lib.* 3. *ordin.* Barb. *suprà num.* 20. & 21. prosequuntur alia remedia Paz *in praxi* 2. *tom. cap.* 1. 5. *p. num.* 1. Arnisæus *de iure maiest. cap.* 4. *num.* 5.

8. Sed circa effectus huius clausulæ Interpretes adhuc non consentiunt. Aliqui existimant per clausulam, *appellatione remotâ*, tantùm denegari appellationem friuolam, ideoque parum operari quando non est adiecta cum causæ cognitione. Ita docent Lancellotus, Scaccia, Menochius, & alij congesti à Barbos. *vbi proximè*, *num.* 15. & *in cap. Pastoralis*, *num.* 53. *de appellat.* Alij verò indistinctè affirmant, clausulam istam omnem appellationem, etiam legitimam tollere: ita Hunnius *in Treutl. volum.* 2. *disput.* 33. *thesi* 4 *quæst.* 31. Diana *p.* 4. *tractat.* 7. *resolut.* 28. Mouentur ex eo: nam si prædicta clausula ad legitimas appellationes non extenderetur, otiosa & superuacanea esset, cùm friuolæ, & frustratoriæ appellationes ipso iure non admittantur, *l. final. C. appellat. recip. l. libertus* 31. *de negotiis gestis*, *l.* 8. §. *si ignorantes*, *ff. mandati.* Deinde quia sicut verba legum cum effectu sunt accipienda, *l.* 5. §. 2. *de in ius vocand.* ita & verba rescriptorum; & sicut verba in qualibet dispositione adiecta, ita accipienda sunt, vt aliquid operentur, *l. si quando* 109. *in princip. de leg.* 1. ita & verba huius clausulæ. In quo Interpretum dissidio placet opinio Petri Gregorij *in dict. cap. causam* 18. *de rescriptis*, *num.* 12. & Fragos. *d. cap.* 12. *num.* 225. distinctionem dantium inter ius Canonicum, & ciuile, ita vt hoc inspecto, clausula, *appellatione remotâ*, tollat appellationem, non solùm friuolam, verùm & legitimam, *l.* 1. §. *interdum*, & ibi Glossa *verbo Ab eo*, *ff. à quibus appellare*: illo autem attento, tantùm extendatur ad friuolam & frustratoriam appellationem, *cap. meminimus*, *cap. Pastoralis*, *cap. vt debitus*, *de appellat.* non verò si legitima sit, *dict. cap. ex conquestione*, *cap. postremo* 36. *cap. ex parte* 47. *de appellat.* alioquin enim si non fuisset clausula posita, omissa appellatio, siue iusta, siue friuola, siue ante, siue post sententiam, admitteretur saltem ad effectum deuolutiuum, *cap. super eo* 10. *cap. de appellat.* 11. *cap. super* 12. *de appellat.* ita Borell. & Scaccia citati à Fragoso *vbi suprà.* Facit Arnulf. Lexou. ad Hadrianum Pap. *Priuata communis causa præponderat: quoniam de Ecclesiæ Dei libertate tractatur, nec iam spes vlla restat refugiis, si in irritum deducta fuerit Apostolicæ protectionis authoritas.* Illud etiam notandum est, clausulam istam in vna parte rescripti appositam ad omnes eius partes extendi, *cap. præterea*, 46. *cap. secundò requiris* 41. *de appellat.* vbi latè dicemus: docet Scaccia *de appellat. q.* 16. *limit.* 1.

EFFECTVS HVIVS CLAVSVLÆ.

g *Appellare.*] Meritò in præsentium verborum expositione laborant Interpretes, inquirentes quam vtilitatem hoc rescriptum impetratori afferre poterat, & quare vt superfluum non resecatur; nam certum est omnibus oppressis licitum esse in appellationis vocem prorumpere, *cap. Omnis oppressus*, *cap. ad Roman.* 6. 2. *quæst.* 6. *cap. cum speciali*, §. *porrò de appellat. l. non tamen*, *ff. eod. l. litigatoribus*, *l. ex maioribus*, *C. eod. titulo.* Couarr. *practic. quæst.* 23. Scaccia *de appellat. quæst.* 5. Lancellot. *de attentatis quæst.* 12. *limit.* 5. Sed frustra precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l.* 1. §. *vlt. ff. ad municip. l. quæ* 8. §. *vlt. ff. de condit. instit. l. vnica*, *C. de thesauris*, *lib.* 10. Ergo rescriptum in quo ius commune continetur, inutile & superfluum est. Torsit nimis Interpretum ingenia difficultas adducta; & in varias sententias distracti, nouas quærunt solutiones. Glossa *hic*, Bellamera *num.* 1. Ripa *num.* 32. Mantua *num.* 13. quos sequitur Sahagun *in præsenti*, existimant, eum qui impetrauit rescriptum, vt liceret appellare, prius perpetrasse delictum, in cuius pœnam appellandi facultate priuatus erat; & sic indulgentiâ Principis indigere, vt sibi liceret appellare. Sed hæc solutio diuinationis vitio laborat; siquidem ex textu non constat delictum aliquod ab impetrante fuisse perpetratum. Aliter Hostiensis *in nostro textu*, *num.* 8. Anton. de Burg. *num.* 77. quos reiiciunt Panormitan. *num.* 9. Beroius *num.* 34. qui ausi sunt asserere, in specie huius textus rescriptum speciale cum clausula, *appellatione remotâ*, prius impetratum fuisse post rescriptum generale cum clausula, *vt liberè liceret appellare*; & cùm certum sit secundum rescriptum prioris non fecisse mentionem, ideo rescriptum generale non potuit subsistere, imò virtute prioris rescripti sublatum fuit, Millianus *in præsenti*, *numer.* 3. Aliter Anastasius Germonius *lib.* 1. *animadu. cap.* 10. dum affirmat rescriptum, in quo conceditur facultas appellandi, inducere in eo qui aliàs appellare poterat, vt possit appellare sine solemnitate à iure præscripta, tam respectu temporis, quàm modi in appellatione seruandi, vt contingit in casu textûs *in l. si quando*, *C. de inofficios. testament.* & si ille qui rescriptum impetrauit aliàs impeditus erat, veluti quia excommunicatus reperiebatur, *ex cap. per tuas*, *de sentent. excom. cap. quæsitum*, *de offic. ordin. in* 1. *collect.* tunc appellatio interponi possit, seruatis iuris solemnitatibus. Verùm his, & aliis solutionibus omissis,

alij

alij docent, litigatorem, de quo in præſenti, per imperitiam, ſeu iniquitatem iudicis ſæpè ab eo vexatum fuiſſe, quare dum ipſe futura grauamina timeret, à Romano Pontifice litteras protectionis impetrauit, quibus illi concedebatur, vt in omnibus caſibus præmiſſis poſſit liberè & generaliter appellare. Item Pontifex ſub Sedis Apoſtolicæ protectione ipſum recipiebat ad hoc, vt quodlibet damnum illi illatum per Sedem Apoſtolicam vindicaretur, vt in caſibus relatis *in cap. ad audientiam 34.de appellat.cap. recepimus 8.cap.ex parte 18. de priuilegiis*; quod reſcriptum ſingularem vtilitatem continebat. Tum quia magis timeretur ſpeciale Pontificis reſcriptum, quàm iuris communis generalis diſpoſitio, *cap. quamcumque 23. diſt. cap.2. de donat.* Tum quia ſpecialiter in protectionem Sedis Apoſtolicæ recipiebatur; quæ facti ſpecies ſatis probatur ex noſtro textu, ibi: *Litteris Apoſtolicis munita.* Quid enim aliud ſignificat ſe munire, quàm ad imminentia damna ſe tueri, *l.1. §.fin.ff.de aqua pluuia,l.5.§.ſi quis, de dam.infect.* id etiam oſtendit Pontifex in illis verbis: *Vt liberè poſſit appellare*; non enim poterat Alexander apertiùs oſtendere oppreſſionem, quàm concedendo parti liberam appellationem; verbum enim *liberè*, magnam retrò oppreſſionem præceſſiſſe denotat, *l.3. ff.de ſtatu hominum*, docet Barboſ. *in ſelect. ad hunc textum, num.7.* Sed veriùs Franc. Florens, & Ioann. Acoſta textum hunc accipiunt iuxta vſum Eccleſiæ, cuius Senon. Archiep. in eo ſcribitur. Eccleſia enim Gallicana iuſto licentiùs non admittebat appellationes ad R. P. vt conſtat ex epiſtolis Arnulf. Lexou. & Nicolai I. ad Epiſcopos Galliæ, *cap.arguta 2. quæſt.6.*

TRADITA ASSERTIO.

COMMENTARIVM.

10. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hac Alexandri Decretali ſequens deducitur aſſertio: *Priuilegio generali reſcriptum derogat ſpeciale, etiamſi eius mentionem non faciat.* Probant textus *in cap.Paſtoralis 14. §.quoniam*, ibi: *Cum generali per ſpeciale proculdubio derogetur,hoc tit. cap.2. de offic. Legati*, ibi: *Quod cùm mandatum ſpeciale deroget generali.cap.dudum 14.§.nos igitur*, ibi: *Præſertim quod ſecundum canones, & legitimas ſanctiones, per ſpeciem generi derogetur, quamquam de genere in derogante ſpecie mentio nulla fiat. cap. quamuis 38. de præb.in 6.* ibi: *Nam primæ generali gratiæ tibi factæ derogat poſterior ſpecialis, licèt de illa non fecerit mentionem. cap.quoniam, cap.prudentiam, eod. tit. cap.1.de conſtitut.eod.lib.* Per argumentum etiam probat lex *cohæredi 41.§.quod patrem, ff.de vulg.* lex *vxori 41. §.feliciſſimo*, lex *ſeruus 99. ff.de legatis 3.* lex *doli 119. ff. de v. ſ.* lex *ſanctio 41.ff.de pœnis*, lex *quæſitum 12. §.finali, in princip. ff. de fundo inſtructo:* lex *proinde 33.*lex *cùm eiuſdem 34.ff.de ædilitio edicto*, iuncto Fabro *lib.1.coniect. cap.7.in fine.* Illuſtrant plures laudati à Barb. *in præſenti*, Millianus, Canus, Vranius, Petrus Gregorius, Fagnanus, & Sahagun *ad noſtrum textum*, Germonius *lib.1.animadu. cap.10.* Hotomanus *lib.4.obſeru. cap.7.* Mantic. *de coniect.vltim. lib.9. tit.6.* Pechius *in reg. generali, de reg. iuris in 6.* Surd. *1.tomo, conſil.56.* Suarez *de legibus lib.8.cap.39. num.7.* Salas *eod. tract. diſput.14. ſect.7.* Baſil. *lib.8. de matrim. cap.19. §.2. num.21.* Gregorius Lopez *l.37. & 39. tit.18. partit.3.*

11. IMPVGNATVR

Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam notiſſima iuris regula eſt, reſcriptum ſpeciale nullius momenti eſſe, niſi expreſſam iuris communis mentionem, & eius derogationem faciat, *l.reſcripta, Cod. de precib.* tranſcripta à Gratiano *in cap.reſcripta 25.quæſt.1.* Accedit, nam nunquam creditur Pontificem reſcriptum concedere cum damno & præiudicio tertij, *cap.ſuper eo 15.de offic.deleg.* ſed ex reſcripto ſpeciali, vt liceret appellare, damnum irrogabatur tertio, qui habebat priuilegium, vt appellatione remota audiretur in cauſa: ergo ſpeciale reſcriptum non debet illi priuilegio derogare cum eius præiudicio. Fulcitur etiam dicta conſideratio, quia ſi Pontifex in reſcripto ſecundo, cum clauſula, *appellatione remotâ*, conceſſo,certior fieret de reſcripto priori, quo appellatio permittebatur, minimè appellationem remoueret, *cap. ſuper 20. hoc titulo, cap. ſuper, 12. de offic. deleg.* igitur ſecundum reſcriptum non debebat ſubſiſtere. Tandem roboratur dicta dubitandi ratio ex eo; nam Princeps præſumitur ignorare prius priuilegium generale conceſſum, cùm non ſit intra corpus iuris clauſum: igitur priuilegium in noſtro textu conceſſum, vt liceret appellare, non potuit per ſpeciale reſcriptum tolli, cùm nec virtualem priori derogandi voluntatem contineat.

12. GENVS IN IVRE QVID?

Hac dubitandi ratione non obſtante, vera eſt tradita aſſertio, ad cuius expoſitionem ſciendum eſt, in iure noſtro genus illud vocari, quod plures ſub ſe continet ſpecies, *l.3. §.genera, ff. de acquir. poſſeſſione, l. non videtur 33. ff. de iudiciis, l.Mæuius 66.§.duorum, ff.de leg.2. l.2.§.mutui, ff.de rebus credit.* vbi Donellus & Barclaius in generis acceptione conſulti cum Dialecticis non conueniunt. In iure enim genus dicitur promiſſum cùm aliquid indefinitè, & generaliter promittitur, quamuis non in omnibus, ſed in vno tantùm ex omnibus promiſſio impleatur. Exemplum eſt homo generaliter legatus, in quo Dialectici omnem hominum ſpeciem legatam eſſe, nec impleri ipſorum obligationem niſi per vniuerſorum hominum ſolutionem, ſi fieri poſſet, affirmant: Conſulti verò non ſpeciei, ſed generis legatum; nec per vniuerſorum, ſed per vnius ex genere præſtationem obligationi ſatisfactum communiter aſſeruerunt, *l.in executione 88. §.pro parte, ff.de verb.obl. l.cùm incertus, ff.de leg.1.* non quia verè genus, aut vniuerſæ & ſingulæ ſpecies legatæ ſint;nam generis, aut vniuerſarum rerum promiſſio ſolummodo in toto genere, aut vniuerſis ſpeciebus implementum acciperet, *princip. Inſtit. de oblig.* ſed quia homo ille indefinitè debitus vnus numero eſt, & certificandus ſolutione quoad perſonam; tamen quia ante ſolutionem demonſtratio eius incerta eſt, & prædicari poteſt de ſingulis indiuiduis, attentâ hac vagâ generis qualitate, illud nomen ſortitum eſt: textus ita intelligendus *in l.2.in princip.ff. de reb. credit.* vbi cùm dicitur: *Mutuum damus, recepturi non eandem ſpeciem, ſed idem genus*; certum eſt Conſultum non aſſerere vniuerſum genus, ſed alteram tantùm ſummam parem receptæ quantitati ex eodem genere ab eodem indeterminatam ad omnes ſolutiones, ſolutione determinandam reddendam eſſe, vt docent ibi Donel.& Barclaius. Eoque ſenſu pariter accipiendi ſunt textus *in dict. l.2. §. & harum, in dict. l.in executione, §. pro parte:* quod cùm non ſatis percalluiſſet Hothom. *de verb.iur. verbo Genus*, auſus eſt IC. reprehendere, & impropria ſignificatione eum vſum fuiſſe aſſerere; ex eoque grauiùs reprehendendus eſt, quòd errauit poſt inuentam certam veritatis viam à Bartolo *in dict.§.ſed harum,*

*num.*10. Iaſone *num.*39.quos ſequutus eſt Donellus *in dict.l.in ſtipulationibus*, *num.*14.

13. QVID SPECIES. Secundò ſciendum eſt, ſpeciem dici illam, quam Dialectici vocant indiuiduum, in ſe continentem certa corpora, ſeu res, *l.talis* 30. §.*item*, *l.cùm res* 47.§.1.*ff.de leg.*1.*l.in ſtipulationibus* 54.*ff.de verb.obl.*vbi Cuiacius & Donellus *n.*15.Qua ratione rectè ſpeciale reſcriptum illud in præſenti vocatur, quo certa cauſa, appellatione remotâ, committitur; non quia ſub tali clauſula non ſoleat reſcriptum, niſi ex ſpeciali cauſa concedi, vt voluit Abbas hîc *num.*9. ſed magis quia cùm hac clauſula non ſolet genus cauſarum, ſed tantùm certa cauſa mandari: nec in alio ſenſu dicuntur ſpeciales litteræ *in cap. Paſtoralis* 14. §.*vlt. hoc tit.* nec ſpeciale mandatum, *in cap. nonnulli* 18. §.*vlt. hoc tit.cap. vlt.de procurat.in* 6. *cap. dudum* 14.*cap.nobis* 38.*de præbend.in* 6. Sed etiam ſpecialis ſubſtitutio illa dicitur, quæ certis tantùm perſonis fit, *l.cohæredi* 41.§.*qui patrem*, *ff.de vulgar.* Specialis obligatio, quæ certo corpore ſuſtinetur, *l.*2. *Cod. de pignor.* Speciale iudicium, quo res ſingularis petitur actione in perſonam, vel in rem, *l. ſi in rem*, *l.in ſpeciali* 73.*ff.de rei vindic.l. pro ſocio* 38.*ff.pro ſocio.* Specialis iudex, cui incerta cauſa addicitur, *l.vlt.Cod.de iudiciis.*

14. GENERI PER SPECIEM DEROGATVR. Tertiò illud ſciendum eſt, quod quoties in vno, eodemque negotio concurrunt genus & ſpecies, & ambo ſimul conſiſtere nequeunt, generi per ſpeciem derogatur, non quia vniuerſum genus pereat propter ſpeciem, ſed tantùm quia à toto genere ſpecies illa eximitur: nam derogare propriè loquendo, nihil aliud eſt, quàm ex toto partem aliquam detrahere, reliquo manente; vnde legi derogare dicitur, *in l.ſeruis* 99. §. *vlt.ff.de leg.*3. id eſt detrahi: regulæ derogari, *in l.ſi peculium* 10.*ff.de manum. teſtam.* id eſt excipi, ſeu minui. Igitur in toto iure generi per ſpeciem derogatur: inde eſt in omnibus iuris partibus, & negotiis, vt in vltimis voluntatibus, in inſtitutione hæredum, *l.cohæredi* 41. §.*qui patrem*, *ff.de vulgar.* in legatis, *l.ſi peculium* 10. *ff. de peculio legato*, *l.*4.§.*codicilli*, *l. vxorem* 41. §.*feliciſſimo*, *l.ſeruis* 99. §.*vlt.de legat.*3.*l.*1.*de aur.& arg.leg. l.*2.*ff.de penu leg. l.alimenta* 16.§.*penult. l.Stichus* 10. *in princ.de alim. leg.* & aliis congeſtis à P.Fabro & Gothofredo *in dict.l.in toto* 80. Caſtillo *lib.*5. *controu. c.*95.*num.*34. Cuiacio *in dict. l.cohæredi*, §. *qui patrem.* Nec huic principio obſtant textus *in l. vlt.* §. *vlt.ff. de aur.& arg.* de cuius expoſitione videndus eſt Couar. *in rubric.de teſtam.*2.*part. num.*29. Cuiac.8.*reſp.* Papin. *in l.libertis*, §.*pater*, *ff.de alim.leg.* Nec textus *in l.ſi alij* 19.*l.Sempronius* 16.§.*vlt.ff.de vſufruct. legat. l.ſi proprietas* 9. *de vſufruct. accreſc. l.ſi tibi* 6. *de vſufruct. earum rerum*: de quarum interpretatione agunt Cuiac. *in dict.* §.*ſi alij*, Caſtillo *de vſufruct. cap.*47. *à num.*3. Nec textus *in l.hæres* 10. §.1. *de leg.*3. *l.*1. §.*item ſi duo*, *ff.de aur.& arg. l.legatum* 9. §. *ſi enim*, *de ſuppel. legat. l. vxorem*, §. *feliciſſimo*, *ff.de leg.*2. *l.Domino* 99. *de leg.*1. *l.ſi Heros* 11. *ff. de optione leg. l.quæſitum*, §.*finali*, *ff. de fundo inſtructo*: quas exponunt Cuiacius *lib.*1. *obſeru. cap.*27. Ant. Faber *lib.*1. *coniect. cap.*1. Donellus *lib.*8. *comment. cap.*19. vbi Oſualdus *littera E*, textus *in l.periculis* 32.§.*Labeo*, *ff.de aur.& argent.* de qua Cuiacius ad Paulum *lib.*3. *ſentent.tit.*6.§. *lana*, Hothomanus *lib.*4. *obſeru. cap.*2.

15. AMPLIATVR PRÆDICTA REGVLA. Deinde prædicta regula in præſenti textu tranſcripta procedit, & locum habet in ſanctionibus, legibus, & ſtatutis, *l. ſanctio* 41. *ff.de pœnis*, *cap.*1.*de conſtit. lib.*6. ad quam ſpeciem referendam eſſe dictam regulam in toto iure exiſtimauit Gothofredus, *ibi*: igitur ſi vna lex ſit generalis, alia ſpecialis, & inter ſe pugnent, vtique ſpecialis generali derogabit, *dict. cap.*1. Nec aliud placuit in illis verbis legis Aquiliæ, de quibus in eius tertio capite, quæ extant *in l. ſi ſeruus* 27. §. *tertio autem*, *ff. ad leg. Aquil.* vbi licèt verbum, *ruperit*, generale ſit, per ſpeciale, *fregerit*, non derogatur; quia aliquando ſolent iuris conditores verbum generale ſubiicere, quo ſpecialia complectantur, vt docent Pichardus *in dict.*§.*tertio capite*, *num.*20. *Inſtit. ad leg.Aquil.* Suarez *ad ipſam leg.lib.*2. *cap.*3. Habet etiam regula dicta locum in contractibus priuatorum; exempli gratiâ doli clauſula, quæ ſtipulationibus ſubiici ſolet, non pertinet ad ea capita ſtipulationis, de quibus nominatim, ſeu in ſpecie cauetur, vt Papinianus ſcripſit *in l.doli* 119. *ff.de verb. obl.* & *in l.ſtipulationes* 53. *eod. tit.* Exemplum quoque peti poteſt ex pignoris remiſſione, *l.vlt.Cod.de remiſ.pignor.* ex hypotheca ſpeciali, *l.*2. *Cod.de pignor.* Nec huic doctrinæ aduerſantur textus *in l.*2.*ff.qui potiores*, *l.item* 7. §.*ſi tibi*, *ff.eod.* Ad quorum ſolutionem videndi ſunt Connanus *lib.*4. *comment. cap.* 17. *num.*6. Cuiacius *lib.* 11. *obſeru. cap.*32. & *in dict. l.*2.*ff.qui potiores.* Faber *lib.*6. *coniect. cap.*13. Felicianus *de cenſibus lib.*3. *cap.*5. Balduin. *de pignor. cap.*12. *in fine*, Couarr. *lib.*3. *var. cap.*18. Molina *lib.*4.*de primog.cap.*7. *num.*21.Sarm. *lib.*2. *ſelect. cap.*5.

16. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio ad noſtrum textum, quam vt aſſignent Interpretes, varias adducunt. Sahagun *in præſenti*, *num.*2. exiſtimat rationem noſtræ deciſionis in eo conſiſtere, quia animi mutatio nunquam præſumitur, *l.eum qui* 22. *ff.de prob.l.cùm hic*, 32. *in princip.ff.de donat.inter*,*l.quotiens* 9. §.*tantundem*, *ff.de hæredib. inſtituend. cap.quod ſemel*, *de reg.iur. in* 6. ideo ſi quis generaliter, & ſpecialiter diſpoſuerit, ne ſpecialis diſpoſitio ſemel valida per generis diſpoſitionem mutata dicatur, ſpecies conſiſtit, & genus in reliquis caſibus locum habet. Sed hæc ratio repugnat regulæ dictæ legis *in toto*, & verbis noſtri textus, vbi potiùs animi mutatio ſupponitur; & ſiue genus præcedat, ſiue ſequatur, ſemper illi ſpecies derogat, *dict. l.vxori*, §.*feliciſſimo*, *dict. l.ſeruis* 99. *cap.*2.*de offic.leg. cap.dudum* 14. *cap. quamuis* 38. *de præb.in* 6. vbi genus præceſſit, & ſpecies ſequebatur, *l.Titiæ* 36.*de leg.*1. *l.legatorum* 33. §.1.*de leg.*2. *cap.Abbate* 40. *hoc titulo*, vbi ſpecies præceſſit, & genus ſequebatur. Docet Millianus hîc *num.*12. Quare omiſſa hac ratione, dicendum eſt rationem noſtræ deciſionis ab Alexandro noſtro reddi in illis verbis: *Quia mandato generali derogat ſpeciale.* Quare non tam rationem deciſionis indagare debemus, quàm rationem à Pontifice traditam ex certa rerum origine deducere, & meo videri exinde prouenit; nam apertiùs declaratur voluntas diſponentis in ſpecie, quàm diſponentis in genere; potiorque habetur eius affectio in conſtitutione ſpeciei, quàm in generica diſpoſitione; nam in genere nomine collectiuo & vniuerſali comprehenditur ſpecies; in ſpecie autem nomine proprio, & aperta rei demonſtratione eam deſignat: id autem, quod ſpecialiter diſponitur, maioris voluntatis argumentum eſt, quàm id quod generali cautione ſtatuitur, *cap. quamquam* 23. *diſt. cap.*2. *de donat.* Vnde ad poſitionem generis non ſequitur actualis poſitio ſpeciei: in poſitione verò ſpeciei, ſequitur actualis poſitio

generis;

generis; nam ſi dicat quis, *eſt animal*, non ſequitur, *ergo eſt homo*; ſin autem dicat; *eſt homo*, ſequitur quod eſt animal: *l.ſi quid* 41. §.1.*de leg.*3. & docet Euerard. *loc.* 7. Sequitur ergo diſponentem ſemper voluiſſe ſpeciem contra genus præualere, & ſic ſpeciem generi derogare: quam rationem præſenſit Papin. *in dict.l.in toto*, dum ait: *Et illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem decretum eſt.* Eam illuſtrat Cicero *lib.2.de inuent.* vbi dum de legibus diuerſis ſermonem inſtituit, ait: *Vtra lex de genere, vtra de ſpeciali, quâ ſcripta videantur; nam quæ ad ſpeciem aliquam ſcripta eſt, propriùs ad cauſam accedere videtur, & ad iudicium magis pertinere.*

17. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI.

Nec obſtat ratio dubitandi deducta *ex dict. l.reſcripta*, pro cuius expoſitione varia cumularunt Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.*14. Salas *eodem tract. diſp.*13. *ſect.*14. *num.*15. Abbas *in præſenti num.*12. Beroius *num.*27. Ripa *num.*37. quorum ſolutionibus omiſſis dicendum eſt, in eo textu non generaliter decidi, in omnibus reſcriptis deſiderari mentionem iuris communis, ſed tantùm deciditur, vt confutentur reſcripta contra ius conceſſa, non ſemper, & abſolutè, ſed eo tantùm caſu, quo in præiudicium alterius impetrantur: nam cum damno tertij non habet Princeps facultatem aliquid concedendi. Cæterùm ſi ſine præiudicio conceſſerit, valebit reſcriptum, etiam non facta iuris communis mentione. Nec augmentum difficultatis obſtat; nam illud procedit cùm ius eſt alteri quæſitum, quod per ſubſequens reſcriptum non tollitur, niſi prioris derogatione expreſsè factâ. Non enim ſolet Princeps cum læſione iuris alterius reſcribere, *cap. ex parte* 12. *de offic. deleg.* vnde priuilegio non derogatur, ſi nulla illius mentio facta ſit, *cap. veniens* 19. *de præſcrip.* at in noſtro textu nullum ius impetranti reſcriptum generale acquiſitum erat, ſed tantùm generale mandatum ad omnes iudices communicatum fuerat, vt poſſet in qualibet cauſa appellare: non mirum ergo ſi huic generali præcepto derogetur per ſpeciale. Nec obſtat ſecundum augmentum, vbi dicebamus, Pontificem non æqualiter conceſſurum, ſi ſciret reſcriptum in contrarium iam ipſum conceſſiſſe. Nam reſpondetur, illud procedere cùm reſcripta ſunt generalia, aut ſpecialia; non verò ſi vnum ſit generale, aliud ſpeciale; tunc enim cùm non tollatur in totum, ſed tantùm in vna parte, ſpeciale videlicet, creditur Pontificem etiamſi ſciret, æqualiter conceſſurum. Nec vltimum augmentum obſtat, nam reſpondetur illam ignorantiam eſſe concomitantem, quia non minùs concederetur ſpecialis gratia, etiamſi generalis præceſſiſſet, *cap.dudum*, *de præb.in* 6. vnde non fuit neceſſaria ſpecialis ſcientia.

18. EXPONITVR TEXTVS IN CAP. EX TVA, DE FILIIS PRESBYTERORVM.

Supradictæ aſſertioni obſtat textus *in c.ex tua, de filiis Preſbyt.* vbi proponuntur duo reſcripta: primum generale, quo diſpenſatio concedebatur filiis Sacerdotum circa beneficia paterna immediatè retinenda: ſecundum verò ſpeciale beneficiorum paternorum priuationis, ſi conſtaret patres eorum immediatè illa poſſediſſe; & tamen per hoc ſpeciale non derogatur priori generali: igitur non rectè defendimus reſcriptum ſpeciale generali derogare. Cui difficultati variis modis ſatisfacere intendunt Panorm. *in præſenti*, *num.*14. Ripa *num.*61. Gloſſa *in dict. cap.ex tua*, *verbo Intimari*, & in præſenti, verbo *Mandatum.* Cardinal. *opp.*3. qui affirmant ideò reſcriptum ſpeciale in eo textu non derogare generali, quia ante ſecundum reſcriptum Archiepiſcopus ex vi prioris diſpenſauerat cum aliquibus clericis, quorum reſpectu primum reſcriptum generale in effectu factum fuerat ſpeciale, argumento textus *in l. cùm incertus* 13. *ff.de leg.*1. Proinde non mirum, ſi in ea ſpecie regula noſtri textûs locum non habeat: pro qua interpretatione duo faciunt. Primum, quia per diſpenſationem adeò ius quæritur diſpenſatis, quod ſi de eo Pontifex certior fieret, ſine dubio in eorum præiudicium non ſecundum reſcriptum concederet, *cap.dudum* 14. §.*conſiderantes*, *de præb. lib.*6. Secundum, quia ſi per poſteriores litteras *in dict.cap.ex tua*, prioribus derogaretur, non tantùm illis præiudicaretur, ſed irritarentur, vt ait textus ibi: *Nolumus irritare.* Facit etiam pro tradita ſolutione textus *in cap. paſtoralis* 14. §. *vlt.* ibi: *Ante perſonarum, vel rerum expreſſionem*; hoc titulo, quibus verbis innuitur, regulam noſtri textus non procedere, quoties ex vi generalis mandati exprimuntur perſonæ, & res, quibus expreſſis genus ad ſpeciem dirigitur, & perinde habetur, ac ſi reſcriptum eſſet ſpeciale: aliter hunc textum interpretatur Baſil. *lib.*8. *de matrim. cap.*17. §.2.*num.*24.

19. INTELLIGITVR CAP. CVM ORDINEM 6. HOC TIT.

Secundò etiam aduerſatur textus *in cap. cùm ordinem* 6. *hoc tit.* vbi proponitur generale priuilegium ciſtercienſium, quo eximuntur à ſolutione decimarum; cuius mentio extat *in cap.ex parte* 10. *cap.ad audientiam*, *cap. nuper*, *de decim.* & docetur, quod ſi poſtea fuerit impetratum reſcriptum ſpeciale, nullâ factâ priuilegij generalis mentione, per hoc ſpeciale non derogari generali: igitur vera non eſt præſentis textus deciſio, pro cuius interpretatione communiter Doctores diſcrimen conſtituunt inter priuilegium, & reſcriptum; aiunt enim reſcripto generali derogari per ſpeciale; priuilegio verò generali non vtique per reſcriptum. Ita Roderic. Suar. *alleg.*28. *num.*10. Menochius *conſil.*36. *num.*2. Tuſchus *littera G. concluſ.*36. *num.*99. Barb. *in l.*1.*part.*1. *num.*6. *ff. ſoluto matrim.* Caſtill. *lib.*3. *controu. cap.*45. *num.*21. Millian. *in præſent. num.*17. pro quibus faciunt textus *in cap. veniens* 19. *de præſcrip. cap. inter* 20. *de re iudic. cap. ex parte* 2. *de capell. monach. cap. dudum* 31. *de priuileg.* Sed contrariam ſententiam, videlicet priuilegio generali derogari per ſpeciale, defendunt Suarez *de legib.lib.*8. *cap.*39. *num.*7. Salas *eod. tract.diſp.*14. *ſect.*74. Hoſtienſ. Butr. Beroius *in præſenti*, Azor *lib.*5. *inſtit. cap.*22. *verſ.*12. Quorum ſententia probatur ex noſtro textu, vbi priuilegium conceſſum erat, vt liceret appellare, ibi, *indultum: cap. dudum*, *cap. quamuis*, *de præb. in* 6. Quâ ſententiâ retentâ, refellitur facile prædicta ſolutio; vnde eâ omiſſâ, & aliis traditis à Cenedo ad Decretal. *collect.*151. iam anteceſſoribus noſtris placuit ſolutio Butrij hîc *num.*2. Abbatis *num.*16. Beroij *num.*68. Ripæ *num.*74. qui affirmant ideo *in dict. cap. cùm Ordinem*, neceſſariam eſſe ſpecialem mentionem Ordinis, ſeu priuilegij Ciſtercienſibus conceſſi; quia vt conſtat ex integra illius textus littera, quæ extat in appendice Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. celebrati, *p.* 41. *cap.* 4. priuilegium illud Ordinis Ciſtercienſis præſcribebat formam, ne aliàs ſuper decimis, vel aliis, quæ ipſi Ordini ſpecialiter fuerant conceſſa, poſſent Monachi conueniri per reſcripta poſtea impetrata, non factâ mentione ipſius Ordinis. Nec mirum videri debet, ſi reſcriptum non ſeruatâ formâ traditâ in priuilegio inutile ſit, argumento textus *in cap. cùm dilecti*, *c.nonnulli* 28.

in

in principio, hoc titulo, l.si quis 22.de leg.3. l.3. Cod. de silentiariis. Facit etiam eius textûs vera historia. Cùm enim Alex. III. concessisset Cistercienſibus priuilegium exemptionis à ſolutione decimarum, quòd refert Illustrissimus Manrrique *tom.2. annal. anno 1169. cap.3. num.4.* quidam clerici ſuppresſo illo priuilegio, Monachos monasterij de Cumir magnopere vexabant; quod cùm primum agnouit Alex.III. nouum indulsit priuilegium, ne ex tunc monachi per reſcriptum Apoſtolicum conueniri valerent, niſi in eo ſpecialis ipſorum mentio fieret; illud refert Manrrique *vbi ſuprà, num.8. & tom.4. fol.350.* præſenſit hanc interpretationem Barb. *in dict.cap.cùm Ordinem, num.6.*

20. TRADVNTVR ALIA IVRA. Tertiò opponi ſolent noſtræ deciſioni textus *in l.1.Cod.de offic.Præfect. vrb.cap.per hoc 17.de hæretic.in 6.l.fin.Cod.de iurisdiction.* in quibus probatur, per iuriſdictionem ſpecialiter conceſſam non ſubtrahi aliquid de iuriſdictione generali, imò potiùs cumulatiuè concurrere. Igitur non eſt verum, ſpeciem generi derogare. Quorum iurium authoritate receptum à pluribus eſt, noſtrum textum locum non habere in iuriſdictione fauore iudiciorum: ita Barb. *in dict. l.1.* Couarr. *in cap. alma, 1. part. §.12. num.8.* Menochius *lib.2. præſumpt.16. num.28.* Surdus *conſil.56. num.19.* Oſuald. *lib.17. comment. cap.9. littera N.* Sed eorum ſententia refellitur à Donello *dict. cap.9.* Garcia *de nobilit. gloſſ.1.num.6.* Pro quibus faciunt textus *in cap. paſtoral.§.vlt. hoc tit.cap.2.cap. ſtuduiſti, de offic.leg.l.2. Cod.vbi cauſæ fiſcales, l.cùm Prætor 12. l.ſolemus 41. §.latrunculator, ff.de iudic. l.4. ff.de offic. Præſid.* Nec eâ opinione retentâ obſtant prædicta iura, quia dicendum eſt, per conceſſionem iuriſdictionis ſpecialis induci derogationem generalis, nec tunc cumulatiuè procedi, niſi expreſsè contrarium cautum ſit, vt in dictis iuribus; tunc enim cumulatio datur, *dict. l.fin.* ibi: *Vt ipſis nihilominus iudicibus, ſub quorum iuriſdictione ſunt, reſpondeant: dict. l.1.* ibi: *Eidem præfecturæ ſollicitudinem mandamus: dict.cap. per hoc*, ibi: *Concedimus quod perpetuò.* Vnde cùm expreſſa cumulatio permiſſa ſit, ideo per ſpeciem aliquid à genere non detrahitur.

21. EXPLICATVR CAP. EX PARTE 12. DE OFFIC. DELEG. Solet etiam opponi textus *in cap. ex parte 12. de offic.delegat.* vbi in concurſu duplicis reſcripti, generalis, & ſpecialis ad beneficia conferenda, potiùs generale derogat ſpeciali, quàm è contra. Pro cuius difficultatis ſolutione ſemper placuit doctrina Gloſſæ vltimæ *in dict. cap. ex parte*, communiter receptæ à Beroio *hîc, num.67.* Decio *in cap.paſtoralis, §. vlt. num.2. hoc tit.* Valaſco *conſult. 72. num.14.* Milliano *hîc, num.11.* dum docet *in dict. cap. ex parte*, non dari reſcriptum generale, & ſpeciale, ſed vtrumque eſſe ſpeciale; nam licet prius reſcriptum quoad verba generale videatur, re tamen, & effectu ſpeciale eſt, dum dirigitur ad primum Archidiaconatum proximè vacaturum: vnde cùm in ſpecie certa verificetur, ſpeciale eſt, *l.ſi domino 99.de legat.1.* Proinde cùm poſterius reſcriptum ſimiliter eſſet ſpeciale, non mirum, ſi alteri per aliud non derogetur; non enim ibi conferri iubetur Archidiaconatus indiſtinctè, quia tunc eſſet reſcriptum generale, *cap. Abbate 40.hoc tit.* ſed Archidiaconatus primò vacaturus, & ſic reſcriptum eſt ſpeciale. Barb. *in præſenti 6.tom.* Solorzanus *de iure Indiar.lib.2. cap.9.num.15.*

CAPVT II.

Idem [a] *Cantuarienſi Archiepiſcopo.*

EX parte [b] Conuentrenſis Epiſcopi noſtris eſt auribus intimatum, quòd cùm de cauſa, quæ inter G. & F. Clericos vertitur ſuper præbenda de [c] Noualis cognoſcens, legitimè eidem F. (ſecundum tenorem litterarum noſtrarum, continentium, quod ſi conſtaret ipſum F. de periurio eſſe [d] conuictum, [e] & perpetuò illi renunciaſſe præbendæ, [f] amoueretur ab ea, eo cognito, & probato) præbendam [g] adiudicaſſet eandem, ipſe in vocem appellationis prorupit: & ad te, quòd ei præbendam [h] præcisè, & abſque cauſæ cognitione reſtitueres, litteras noſtras reportauit: & [i] Epiſcopum, qui poſt appellationem eum præbenda ſpoliauerat, authoritate Ap. alicui beneficium conferendi [k] poteſtate, ap. ceſſante priuares, donec per ſe, vel per nuncium, aut per litteras ſuas de tanto exceſſu ſatisfacturus, ad Sedem Ap. accederet: & prænominatum G. ſi eundem F. in iam dicta præbenda præſumeret moleſtare, vinculo excommunicationis vſque ad condignam ſatisfactionem conſtringeres. Verùm quoniam non credimus ita præcisè [l] ſcripſiſſe, & in huiuſmodi litteris intelligenda eſt hæc conditio, etiamſi non adponatur, (ſi preces veritate nitantur:) mandamus quatenus inſpectis litteris, quas Epiſcopo prædicto direximus, ſi inueneris, quod ſecundùm prædictum modum ei ſcripſerimus, & in litteris, quas præfatus F. reportauit, non fuerit habita mentio priorum [m] litterarum: ſententiam præfati Epiſcopi confirmes, & ſæpedictum F. cum litteris noſtris, quas tibi detulit, ad præſentiam noſtram, tanquam falſarium venire compellas.

NOTÆ.

1. CANTVARIA VBI. a *Cantuarienſi.*] Archiepiſcopatus eſt præcipuus in regno Angliæ, habens quatuordecim Suffraganeos iam à temporibus Gregorij Magni, circa annum 605. Archiepiſcopali Cathedrâ decoratus. Plura de ipſo Polydor. Vergil. *lib.4. hiſtoriæ Angliæ.* Præſulum ipſius Eccleſiæ ſeriem, & catalogum refert Richardus Smitheus *in floribus Angliæ*, vbi *cap.6.* narrat B. Thomæ geſta & miracula, cui miſſa eſt hæc epiſtola ab Alexandro III. quæ etiam reperitur *in cap.2. de reſcriptis,*

in 1. collect. & in Concilio Lateran. ſub eodem Alex.III. celebrato, *p.7.cap.18.*

2. b *Conuentrenſis.*] Conuentrenſis Epiſcopatus eſt in Anglia, Suffraganeus Archiepiſcopi Cantuarienſis, vt proponitur in Angliæ deſcriptione, & refert Polyd. Vergil. *in principio Hiſt. Angliæ, fol.5.*

3. c *Noualis.*] Sed malè; legendum enim eſt, Noruicenſis, vel Nordouicenſis: eſt verò in Anglia ſimiliter ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo Epiſcopatus Nordouicenſis, de quo Polyd. *lib.4. hiſt.fol.65.* & *lib.10.fol.175.* Ciron. *in 5. collect. ad textum in cap.2.de præbend.* Circa vnam præbendam huius Eccleſiæ controuerſia orta fuit, de qua in præſenti agitur.

4. d *Conuictum.*] Vnde beneficio priuandus erat, *cap.2.de fideiuſſor. cap.accedens, de accuſat.cap. querelam 10.de iureiur.* vbi dicemus.

5. e *Et.*] Ex hac coniunctione deduci videtur, non ſufficere clericum de periurio conuictum eſſe, vt à præbenda amoueatur; ſed etiam deſiderari, vt idem perpetuò præbendæ renunciaſſet; quare & periurium, & renunciatio ſimul priuationem inducunt, non verò ſeparatim. Hunc enim ſenſum neceſſariò expoſtulat illa copulatiua, *&*, cuius vis & natura eſt, vt omnia ſub ipſa copulatiuè comprehenſa, exiſtere, & adimpleri debeant, *l.ſi hæredi 5. Cod. de condit. inſtit. l.ſi quis ita 129. ff. de verb. obl. l. quod vulgò 45. ff.de manumiſſ.teſt. l.ſi ambo 70. ff.de fideiuſſ. §.ſi plures, Inſtit. de hæred. inſtit.* Cuiac. Forner. & Gentilis *in dict. l.ſæpe 35.ff.de v.ſ.* plures Barb. *de dictionib. in dict. Et.* Sed periurium per ſe, & renunciatio ſeparatim ſufficit, vt quis priuetur beneficio: ergo non rectè Alexander III. ſimul requirit periurium, & renunciationem. Agnouit difficultatem quidam perdoctus veſpertinus Anteceſſor noſter, qui exiſtimauit renunciationem in præſenti non fuiſſe ſpontaneè, & liberè factam, ſed coactè, quæ nullius momenti eſt, *c.Abbas, cap.ad aures, de his quæ vi*, Petrus Gregorius *in præſenti, num.4.* dicemus latè *in dict. cap. Abbas.* Vnde cùm renunciatio nullius momenti eſſet, ideò ratione periurij tantùm priuandus beneficio erat. Mouebatur Anteceſſor noſter eo fundamento, quia Iudices ob periurium ſolebant priuare clericos beneficiis Eccleſiaſticis, *cap. tua 11. de iureiur.* quod faciebant cogendo ipſos beneficiis perpetuò renunciare; vnde hæc renunciatio vt facta metu, non ſuſtinebatur. Mouebatur etiam ex eo, quia vt renunciatio vires habeat, debet fieri coram legitimo ſuperiore, & in illius manibus, *cap.admonet 4. de renunc.* Sed in hoc textu nulla ſuperioris mentio fit: ergo renunciatio non valebat. Sed hæc interpretatio, quæ ingenij acumine, & tanti viri authoritate pollet, ſuſtineri non poteſt; nam non probatur ob periurium in noſtro caſu renunciationem factam fuiſſe, nec etiam Iudices conſueuiſſe priuare clericos periuros ſuis beneficiis per renunciationis modum: & ſi à Iudicibus intenderetur prædicta renunciatio, ſuperflua eſſet; ſiquidem poſt ſententiam prolatam de periurio, ſtatim clerici priuantur ſuis beneficiis; & ſi iudex cogeret eos renunciare, facta eſſet renunciatio metu iuſto, valorem actus minimè impediente, vt dicemus *in cap.1.de his quæ vi.* Nec quod aſſerit, renunciationem non valuiſſe ex defectu authoritatis Superioris, aliquid facit: nam cùm in noſtro textu quæſtio principalis non eſſet, an renunciatio valeret, necne, ſupponitur renunciationem factam fuiſſe in manibus ſuperioris. Hac igitur ſolutione omiſsâ, veriùs dicendum eſt, quod etſi in noſtro textu, & periurium, & renunciatio copulatiuè ſcripta ſint, ad hoc vt à dicta præbenda amoueretur, vnum tamen ſufficit probare; quoniam periurium per ſe, aut renunciatio ſufficit ad priuationem præbendæ; & quando in iudicialibus ad rem, de qua agitur, ſatis eſt alterum probari, etiamſi duo concipiantur dictione copulatiua, neceſſe non eſt illa duo probare, ne quis ſuperuacua probatione oneretur, argumento textus *in cap.exhibita 19.de iudiciis, cap.ſignificante 69. de appellat. cap.cùm iam dudum 18.de præb.in 6. l.ſtipulatio, §.vlt.ff.vt legatorum:* in aliis verò extraiudicialibus actibus, cùm pendeant à priuatorum voluntate, natura dictionis copulatiuæ ſeruatur, vt in iuribus ſuprà adductis docent, licèt non ita exponant in præſenti, Felinus *num.11.* Decius *num.8.* Ripa *num.35.* Sahagun *in fine:* & ſi hæc non placeant, reſponderi poteſt, copulatiuam in noſtro textu poni pro diſiunctiua, ex regula textus *in l.ſæpe 35.ff.de v.ſ.*

6. f *Amouerentur.*] Inde deducit Balboa *in cap. cùm non ab homine, num.13. de iudiciis*, periurum in noſtro textu ipſo iure priuari beneficio obtento, quòd etiam probat *ex cap. querelam 10. de iureiur.* ibi: *Remouentes ab ipſo.* Quæ verba nudam executionem denotant, argumento textus *in cap. Abbate 25.de v.ſ.* ibi: *Petat adiudicari eidem monaſterio, & vos exinde amoueri.* Mouetur etiam ex eo, quod renunciatio & iuramentum æquiparantur in præſenti: ſed renunciatione ipſo iure amittitur beneficium: ergo & periurio; cùm in æquiparatis diſpoſitum in vno, cenſeatur diſpoſitum in alio, *cap. de multa, de præb.* Sed contraria ſententia, videlicet, in noſtro textu priuationem, & ſententiam faciendam eſſe, probatur *ex cap. in noſtra, de procurator.* vbi cùm agatur de periuro, deciditur ipſum à Tullenſi Eccleſia per ſententiam eſſe remouendum, *cap. ad petitionem, de accuſat.* ibi: *Per ſententiam amouentes, cap. poſt electionem, de conceſ. præb.* ibi: *Poterit iudiciario ordine experiri.cap. fin. de iureiur. in 6.* Accedit nam priuationis pœna non incurritur, niſi in caſibus à iure expreſſis, *authent. de non eligendis, §.ſin autem, collatione 2.* Docent Suarez *lib.1. de legib. cap.20.* & *de cenſ. diſput.40. ſect.2.* ſed ex nulla lege eccleſiaſtica colligitur in hoc caſu priuationem incurri ipſo iure, ſed per ſententiam, *cap. ex litteris, de exceſſib. Prælat. cap. cùm noſtris, de conceſ. præb.* igitur nec periurus, cùm hæc delicta æquiparentur, *cap. cùm non ab homine, de iudiciis:* quare ſuſtineri non poteſt ſententia Primarij noſtri, nec eius fundamenta obſtant. Non primum deductum ex verbo, *amoueatur*; quod, vt probatum manet, potiùs importat priuationem per ſententiam, quàm ipſo iure. Nec ſecundum refragatur; nam æquiparatio periurij & renunciationis in noſtro textu, eſt quoad effectum; inſpecto enim effectu, certum eſt idem operari periurium, & renunciationem; alterutrum enim ſufficit, vt Clericus priuetur beneficio, diuerſo tamen modo; periurus per ſententiam; renuncians ipſo iure: vnde in praxi periurum non priuari beneficiis niſi per ſententiam, docet Balboa *vbi ſuprà.*

7. g *Adiudicaſſet.*] Eidem Gregorio adiudicaſſet, legitur *in 1. collect.* in Concilio, *Eidem F. adiudicaſſet*; ſed perperam, nam implicat præcipere Alexandrum F. præbendam adiudicari, ſi conſtaret ipſum de periurio eſſe conuictum, & perpetuò

petuò illi renunciasse; cùm cognito, & probato periurio iubeat ipse Alexander ab ea amoueri: quare aut retentâ eâ lectione legendum est, *abiudicasset*, vt *in cap. inter cæteras 4. hoc tit.* legitur, vt sensit Decius *in præsenti*, *num.2.* aut legendum est iuxta veriorem, & magis castigatam lectionem, *eidem G.* iuxta Antonium August. *in notis ad 1. collect.*

8. h *Præcisè.*] Id est, sine vllo iuris remedio restituatur præbenda, vt docet Barb.in nostro textu *num.7.* licèt Butrius *hic*, *num.7.* Panorm. *num.5.* Decius *num.42.* existiment idem significare, *præcisè*, ac sine causæ cognitione.

9. i *Episcopum.*] Scilicet Conuentrensem.

10. k *Potestate.*] Vt puniatur, *in quo deliquit, cap.nemo, de tempor.ordin. lib.6.*

11. l *Scripsisse.*] In aliis codicibus adiicitur, *& si scripsimus taliter, hoc ex nimia occupatione contigit.* Cum quibus verbis consonant textus *in cap. si aliquando*, 41.*de sentent. excom.* ibi : *Cùm per ignorantiam aut occupationem nimiam, vel etiam surreptionem. cap.2. de filiis presbyter. cap. ex parte 12. cum seq.de offic. Legati*, *cap.3.de Capellis monachor.* Cùm enim Pontifex non concedenda concedit, magis per importunitatem, aut nimiam occupationem, quàm ex mera voluntate concessisse intelligitur, *cap. fin.hoc tit.in 6.* cum adductis à Glossa, *cap.cùm in iuuentute 12. de purg. can.* notant Innocentius *in cap.petitio, de iureiur.* Afflictis *decis.69.num.4.* quòd iure ciuili & Regio admissum est, *l.2. C.de summ. Trinit. l.1. & 2. Cod. si nuptiæ ex rescripto petantur, l.1. Cod. de fund. limitroph. lib.11. l.1. §.sed quoniam, de petit bonorum*, *lib.10. l.1.tit.14. lib.4. l.17. tit.10. lib.5. Recop.* Illustrant Sanchez *de matrim. lib.4. disp.7.* Basil. *eod. tract. lib.4. cap.5. num.17.* Amaya *in l.vnica, Cod.de oblat.votor. lib.10.num.65. & in l.2. Cod. de bonis vacantibus*, *num.16.* Cabreros *de metu lib.2.cap.3. num.34.* Nauarrette *discurs.24.*

12. m *Litterarum.*] Vnde præsumuntur falsæ, vt dicemus *in cap.3. hoc tit.*

COMMENTARIVM.

13. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

COmmuniter à repetentibus ex hoc textu sequens deducitur assertio : *In rescriptis subintelligitur clausula : Si preces veritate nitantur. Et si rescriptum prohibeat causæ cognitionem, de falsitate suspectum est.* Primam partem conclusionis probant textus *in cap. certum 3. cap. ad aures 8.cap. sedes 15. cap.adeo 17.cap. constitutus 19.cap. super 20.cap.dilecta 22.cap. dilectus 26. hoc tit. cap. graue, de offic.Ordin. cap. dicenti*, §.*etsi 25. quæst.1. cap. super eo 5. de cohabit. cleric. cap. inter dilectos*, *in fin.de fid.instrum. cap. quia circa*, *de consanguin. l.fin. Cod. de diuers. rescrip.l.4.Cod.Theodos.eod.tit. l.penult.& fin.Cod.si contra ius*, *vel vtilit.l.3. Cod.de in integrum restit.l.interpositas 13.Cod.de transact. l.2. Cod.de reuocand.donat. l.1. Cod. de natalib.rest. l.5. Cod. de fide instrum.l.48. tit.18. l.6. titulo 19. l.57. tit.8. partit. 3.* Illustrant eandem partem Martha, Tuschus, Mascardus, & alij relati à Barb. *de clausul.claus.166.* Trentacinq. *tit. de rescript. cap.59. & 60.* Faber *in suo codice, tit. de diuersis rescriptis*, *defin.1.* Basil. *de matrim. lib.8. cap.16.* Vighel. *in meth.iuris can. fol.17.* Fornerius *in not.ad Cassiodor. lib.2. epist.12. num.2.* Rebuf. *ad ll.Galliæ, tit. de rescript. in præfat. num.125.* Valenzuel.*consil.69. num.90.* Mornacius *in dict. l.vlt. Cod. de diuers.* Solorzano *tom.2.de iur.Indiar. lib.2.cap.8. num.55.* Hunnius *in encyclop. part.1. tit.5. cap.1.* Gutherus *lib.1. de officiis domus Augustæ*, *cap.28.* Valascus *consultat.163.* Secundam partem nostræ assertionis probant textus *in l.4. cum seq. Cod. si contra ius*, *l.meminerint 6. Cod. vnde vi, l.prohibitum, l.defensionis 7. Cod. de iure fisci*, *lib.10. l.3. & vlt. Cod.de bonis vacant. eod.lib. l.quoniam 21. Cod.de appellat. l.1. Cod. quando hîc vnicuique.* Illustrant Menochius *lib.12.præsump.9.* Tiber.Decian. *consil.49. num.14.* Sahagun & Canus *in præsenti*, Mancin. *genial. cap.266.*

14. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed relatæ assertionis primæ parti obstat sequens consideratio : nam si in omnibus rescriptis subintelligeretur clausula, *Si preces, &c.* sequeretur æqualiter vires non habere rescriptum impetratum per obreptionem, dolo, vel simplicitate: sed hoc est absurdum, vt latè trademus *in cap. super 20. hoc tit.* igitur prædicta clausula non subintelligitur. Secunda etiam pars nostræ conclusionis difficilis redditur ex eo; nam non potuit reddi de falsitate suspectum rescriptum in nostro textu, ex eo quod per illud causæ cognitio inhiberetur, cùm Pontifex vt iuris formam seruaret, deberet prædicto modo rescribere; nam cùm F. R.Pontifici proposuisset, se iniustè fuisse spoliatum à præbenda, necessariò ante omnia eum restituere præcipere debebat, siue F. ageret remedio spoliatorum, *cap.1.cap.ex conquestione 10.de restit. spol. cap.consultationi 69. de offic. deleg. cap.fin.de ord.cognit.* siue remedio attentatorum, *cap.non solùm*, ibi: *Ante omnia*, *de appellat. in 6.* hoc est absque iuris ordine, & causæ cognitione. Gloss. 1.*in Clement.2. vt lite pendent.* Igitur prohibitio cognitionis causæ non potuit reddere rescriptum de falsitate suspectum.

15. DE PARTIBVS RESCRIPTI.

Vt prædicta assertio ab his, & aliis difficultatibus liberetur, sciendum est, rescripta communiter quinque partes obtinere. Primam appellant Pragmatici Corpus signaturæ; secundam Responsionem, siue concessionem; tertiam Clausulas; quartam Datam; quintam Signaturam. In prima parte, hoc est in corpore signaturæ, continetur narratio eius, quod postulatur, quod communiter preces dicimus, *l.2. Cod. de instit. & substit.l.3. Cod.de duob.reis*, *l.cùm precibus 18.Cod.de probat. l.precibus*, *Cod. de impuber.* nomina etiam debent explicari, tam supplicantis, quàm vltimi possessoris beneficij, si de beneficio obtinendo agatur, *cap. cùm adeò*, *hoc tit.* qualitas personæ supplicantis, si clericus, si regularis, laicusve sit, *cap.porrecta*, *de confirm. vtili*; si in dignitate constitutus, *cap. ad aures 17. de rescript. cap. ex litteris, de transact.* Formam supplicationis in ipsis libellis comprehensam apud Romanos legimus *in l.Diuus 33. de re iudic. l.solent 3. de alim.legat. l.deprecatio*, *ff.ad leg. Rhodiam de iactu*, iuncto D. Iosepho de Retes *in l.6.§.relegati, de interdictis*, & aliis congestis à Brissonio *fol.* 344. Hodie preces legitimè propositæ proponuntur coram Referendariis Signaturæ vel Gratiæ, vel Iustitiæ, iuxta qualitatem negotij : de quibus signaturis plura Gomezius *ad regul. Cancellariæ*, *in proœmio*, Octauianus Vestr. *in praxi lib.1. per totum*, Cohelius *in notit. Card. cap.15. congr.12.* Vt ad secundam partem, videlicet responsionem, seu concessionem perueniamus; sciendum est, supplices libellos tres ex Referendariis eiusdem Signaturæ, aut Iustitiæ, aut Gratiæ eos referre R.Pontifici; & tunc si preces gratiam contineant, respondet per verba, *placet*, aut *fiat*; quibus statim fit gratia, *cap. qui bona*, §.*sicut 17. quæst.1.* Gomezius *in compendio vtriusque signaturæ*, *quæst. 16.* si verò iustitiam

postulant,

poſtulant, reſcribit: *Audiat talis Epiſcopus, & iuſtitiam faciat.* P. Gregorius *de reſcript. cap.* 41. quam formam dandi Iudices, ab Imperatoribus vſitatam inuenio *in l.*1. *Cod. qui petant tutores, l.*1. *C. ſi tutor, vel curator, l.*1. *C. de liber. cauſa, l. Præſes* 5. *C. de pignor. l. ſi quis* 5. *§. idem, ff. de liber. agnoſcend.* quod Pontificis reſponſum Regens Magnæ Cancellariæ ſcribit, & tunc Abbreuiatores, qui exiſtunt in parco maiori, aut minori, hæc reſcripta breui verborum compendio impetrata in ipſis reſcriptis extendunt. P. Greg. *lib.*15. *ſyntagm. cap.*42. *num.* 3. Octauian. *dict. lib.*1. *cap.*4. *num.*2. Cohel. *cap.*24. Iſti Scriptores, & Abbreuiatores ad ſolicitatores litteras deferunt, quorum alter nomen ſuum paulò inferius à nomine ipſius ſcriptoris in dicta Bulla apponit; & ſi annata ſoluenda ſit ex ipſis, qui vocantur Ianiceri, pro fide ſui officij apponunt illa verba: *Pro annata ſoluitur tot*; de quorum officiis agunt Vergil. *lib.*8. *de inuent. cap.*2. Pauinus *in vita Sixti IV.* Cohel. *in notit. cap.*25. poſtea litteræ deferuntur ad Regiſtratores, de quibus Cohel. *ſuprà cap.*26.

16. De clavsvlis. In tertia parte reſcripti apponuntur clauſulæ, quæ modò reſtringunt, modò exponunt dictam conceſſionem: eas recenſuerunt, & cumularunt Martha & Barb. *in ſuis tractatibus de clauſulis*, Bayo *in praxi lib.*1. *cap.*3. *per tot.* Ex eis, etſi non apponantur, aliquæ inſunt, & tacitè veniunt, vt clauſula: *Si ita eſt, cap. ex parte* 12. *hoc tit.* vbi dicemus: &, *Si preces veritate nitantur*; de qua in noſtro textu. Aliæ expreſsè apponuntur, vt clauſula: *Appellatione remotâ*; de qua *in cap.*1. *hoc tit.* &, *Quod ſi non omnes*; de qua *in cap. ſciſcitatus, hoc titulo.* Sequuntur poſt clauſulas *data*, & *ſignatura*, de quibus agemus *in cap. plerumque, hoc titulo.*

17. Tradivtvr decidendi ratio. Cùm ergo clauſula, *Si preces veritate nitantur*, his verbis, vel æquipollentibus apponi ſoleat in reſcriptis, *l. interpoſitas* 13. *Cod. de tranſact.* ibi: *Si vera ſunt, quæ precibus complexus eſt*; *l.*2. *Cod. de tranſact.* ibi: *Si apparuerit*; *l.* 5. *Cod. de fid. inſtrum.* ibi: *Intelligere debetis, probari debere fidem veſtris precibus adeſſe*; *l.*2. *Cod. res inter alios acta*, ibi: *Adito Præſidem prouinciæ*; & probat Briſſonius *de formul. fol.*331. etſi non apponatur, habetur pro adiecta, ex regula textus *in l. quod ſi nolit* 31. *§. qui aſſidua* 20. *ff. de ædilit. edict. l. vlt. Cod. de fideiuſſor. cap. accepimus* 13. *de ætat. & qualit. l.*4. *ff. de lege commiſſoria*; clauſulæ enim quæ frequenter apponuntur, etſi omittantur, habentur pro appoſitis, vt docent Cuiac. *lib.*3. *Pauli ad Edict. in l.* 4. *ff. de pact.* & *lib.*15. *in l.*2. *de public. iudic.* plures relati à Barboſa *de clauſul. cap.*1. & ſi preces veritate careant, reſcriptum nullum eſt. Reſcripta enim à ſupplicationis forma, & ſupplicantis veritate vires accipiunt, *cap. ſuper* 20. *hoc tit. cap. inter, §. cæterùm, de fide inſtrum. l. etſi legibus* 5. *Cod. ſi contra ius:* nec creditur Pontificem illa reſcripta conceſſurum, vbi preces veritate deſtituuntur; cùm enim Pontifex reſcripta concedit, ſi preces falſæ ſint, creditur ex propria voluntate non conceſſiſſe, *cap. fin. hoc tit. in* 6. ſed ex nimia occupatione, vt in noſtro textu docetur, & *in cap.*1. *hoc tit.* ibi: *Et ſi taliter ſcripſimus, hoc ex nimia occupatione contigit.* Et ita veritas precum à iudice inquiri debet, etſi non cognitio, ſed ſola ei executio mandetur, *l.*4. *Cod. Theodoſ. de diuerſ. reſcript.* tranſcripta *in l.*4. *Cod. ſi contra ius.* Caſſiodor. *lib.*2. *var. cap.*18. *Vnde prouidentia veſtra pro integritatis ſuæ propoſito examinatâ veritate diſcutiat, quæ veniunt in querelam, & ſi deſideria petitorum veritate ſubſiſtunt.* Et apud Romanos hoc proprium erat Rectorum prouinciæ, *l. cùm propria, Cod. ſi quis alteri*, quod *in dict. l.*4. Conſularibus Campaniæ committitur, & eandem formam Prætores videntur ſecuti *in l.*3. *ff. de in integ. reſtit.* Pro ſecundæ partis præſentis concluſionis ratione ſciendum eſt, cauſæ cognitionem à Principibus adimi non ſolere, ne inaudita parte proferatur ſententia, *cap. nos* 1. *cap. iudex* 22. *quæſt.*1. *cap. Epiſcopus* 1. *cap. placuit* 3. 2. *quæſt.*6. *cap. conquerente, de reſtit. ſpol.* quò pertinent textus *in l.*1. *de execut. rei iudic. l.* 6. *Cod. vnde vi, l.*4. *cum ſequent. Cod. ſi contra ius:* ex quibus deducitur, reſcriptum impetratum, quod cauſæ cognitionem adimat, falsò extortum eſſe, impunéque contemni poſſe. In quam etiam partem poſt antiquiores, Caniſius *in noſtro cap. num.*9. commendat textum *in l. prohibitum, Cod. de iure fiſci, lib.* 10. cui adiungendi ſunt textus *in l. defenſione* 7. *Cod. eod. tit. l.* 3. *& vlt. Cod. de bonis vacant. lib.*10. *l.* 1. *Cod. quando liceat vnicuique.* Vndè cùm Pontifex cauſæ cognitionem non ſoleat adimere, imò in negotiis forenſibus cognitionis ordinem ſeruet, *cap. cùm dilectus* 6. *de for. compet. cap. in cauſis* 19. *de re iudic.* non creditur Pontificem ſuo reſcripto velle prohibere cauſæ cognitionem. Accedit, nam vtriuſque iuris notiſſimum principium eſt, inauditâ parte ſententiam proferendam non eſſe, ne inde abſens, & irrequiſitus prægrauetur, *cap.*1. *de cauſ. poſſeſſ. dict. l.*6. *Cod. vnde vi:* ſed non creditur Pontificem reſcripto ſuo velle alicui præiudicium inferre, *l.*2. *§. ſi quis à Principe, ff. ne quid in loco publico, cap. ſuper eo* 15. *de offic. delegati, cap. ad aures, hoc tit. cap. licèt, de offic. Ordin. l. nec auus, Cod. de emancipat. liber. l. ſi quis ſepulchrum, ff. de relig.* igitur non præſumitur reſcripto ſuo velle cauſæ cognitionem inhibere. Accedit etiam; nam clauſulæ, quæ ſunt prorſus alienæ ab ſtylo, & fori conſuetudine, etſi de facto inueniantur in reſcriptis, non creditur ex voluntate concedentis adiectas eſſe, & ſic de falſitate redduntur ſuſpectæ, *cap. licèt* 10. *cap. quoniam* 11. *de crim. falſi, l.* 2. *Cod. de precibus.* Farinac. *de falſitate quæſt.*163. *à num.*159. Menochius *lib.*5. *præſumpt.*5. *à num.*103. Maſcard. *de prob. concluſ.*780. *num.*37.

18. Dissolvitvr dvbitandi ratio. Nec obſtat difficultas ſuprà expenſa; nam etſi in reſcripto ſubintelligatur clauſula, ſi preces veritate, &c. id procedit, vt iudex, cui miſſum eſt reſcriptum, poſſit inquirere de veritate precum, non tamen vt reſcriptum ſit conditionale, vel nullum ipſo iure per obreptionem, vt dicam *in cap. ſuper eo*, & docet Mancinus *dict. cap.* 266. Nec obſtat augmentum difficultattis, quod tanti fuit ponderis, vt doctiſſimum virum cogeret affirmare reſcriptum in noſtro textu falſitatis ſuſpectum eſſe, non quia ſub clauſula, vt ſine cauſæ cognitione procederetur, fuiſſet impetratum; ſed quia non factâ mentione priorum litteratum impetratum fuit: & tunc vt falſum præſumitur *ex cap. cæterum, hoc tit.* Sed hæc ſolutio noſtræ, & communi interpretum explicationi aduerſatur; quare eâ omiſsâ dicendum eſt, reſcriptum in noſtro textu, non ſolùm de falſitate eſſe ſuſpectum, quia impetratum fuerat non factâ mentione prioris, ſed quia impetratum fuerat cum prædicta clauſula, *præcisè*, & *ſine cauſæ cognitione.* Cùm enim qui coram Pontifice conqueritur ſe ſpoliatum eſſe, & reſcriptum pe-

tit, vt reſtituatur abſque vlla cauſæ cognitione, adhuc probare coram delegato debeat veras fuiſſe preces Pontifici factas, *dict. cap. ſuper 20. verſ. Niſi fortè, cap. ex parte 33. verſ. His igitur, hoc titulo, cap. ſignificantibus, de offic. deleg.* docent Gloſſa *in c. 1. eod. tit. lib. 6.* Gaillus *lib. 1. obſ. cap. 13.* quæ probatio excludebatur per dictam clauſulam, *præcisè, & ſine cauſæ cognitione*; cuius clauſulæ ea eſt vis, vt nulla dilatione ſtatim reſtituatur; non creditur Pontificem ita reſcripſiſſe, vt examen & probationem precum inhiberet, vt in noſtro textu docetur.

19. INTELLIGITVR CAP. DICENTI, §. VNIVERSA, 25. q. 2.

Noſtræ aſſertioni aperto marte opponitur textus *in cap. dicenti*, §. *vniuerſa* 25. *quæſt.* 2. vbi deciditur expreſsè, in reſcriptis Principum eſſe exprimendam clauſulam: *Si preces veritate nitantur*; & ſi omittatur prædicta clauſula, tam litterarum impetratores, quàm magiſtros ſcriniorum amiſſione cinguli puniri. Ex qua deciſione colligitur, dictam clauſulam, *Si preces, &c.* non ineſſe tacitè in ipſo reſcripto, aliàs ad quid tam diligens emendatio in eos, qui illam omiſerunt? Cui difficultati vt ſatisfaciat Baſil. *de matrimonio lib. 8. cap. 16. num. 3.* exiſtimat *in dict. §. vniuerſa*, qui deductus eſt *ex l. vniuerſa, Cod. de diuerſ. reſcript.* non præcipi, quod exprimatur ea clauſula in quolibet reſcripto, ſed quod omne reſcriptum cenſeatur conceſſum ſub ea clauſula, licèt non exprimatur; & rationem ex eo deducit, quia in iure paria ſunt, quod ſubintelligatur, & quod exprimatur, quando eodem modo exprimitur quod ineſt, *cap. ſignificaſti, de elect. l. 3. ff. de leg. 1.* Sed hæc ſolutio non placet; nam ſi ibi decideretur, clauſulam ineſſe, ad quid ita graui pœna plectuntur magiſtri ſcriniorum? ſiquidem iure noſtro ex eo, quod prædicta clauſula ineſt, nullam pœnam incurrunt Abbreuiatores, vel Referendarij Apoſtolici. Hac ſolutione & aliis traditis à Sahagun *in dict. cap. 2.* omiſſis, dicendum eſt cum communi Interpretum plauſu, diſcrimen conſtituendum eſſe inter ius canonicum & ciuile; iure enim canonico clauſula illa, *Si preces, &c.* tacitè ineſt, etſi non exprimatur; iure verò ciuili neceſſe eſt vt exprimatur; & ſic iure Cæſareo attento, procedit textus *in dict. §. qui vniuerſas*, qui cùm deductus ſit *ex dict. l. qui vniuerſas*, etſi reperiatur apud Gratianum, tamen eandem authoritatem habet, ac ſi in Codice Iuſtinianeo eſſet, vt dixi latè in Apparatu: quam ſolutionem tradunt ordinarij in noſtro textu, Caniſius *num. 7.* Didac. Perez *in l. 1. tit. 12. lib. 3. ordin. quæſt. 14.* Gaill. *lib. 10. obſ. cap. 14.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 18. num. 21.* Gothofred. *in dict. l. qui vniuerſas.*

20. EXPONITVR CAP. QVONIAM 10. DE FILIIS PRESBYT.

Secundò noſtræ aſſertioni aduerſatur textus *in cap. quoniam 10. de filiis preſbyter.* vbi Archiepiſcopo Cantuarienſi reſcribitur ſub illa formulâ: *Nolumus enim vt cauſa in iudicium deducatur, vel teſtes etiam admittantur.* Quibus verbis docetur, reſcriptum, per quod cauſæ cognitio inhibetur, validum eſſe, contra præſentem Alexandri deciſionem. Pro cuius textus interpretatione ſciendum eſt, in aliquibus negotiis cauſæ cognitionem non deſiderari, & tunc poſſe inhiberi per reſcriptum abſque vitio falſitatis, quia conſonum eſt iuri communi, & in eis negotiis ab executione incipitur, vt in caſibus, qui moram non patiuntur, veluti in noui operis nunciatione, *cap. 1. de nou. oper. nunciat. l. Prætor 20. §. ait Prætor, ff. eod. tit.* vel quando timetur periculum, ne partes ad arma veniant, *l. æquiſſimum*, aliàs, *ſi vſusfructus 6. §. ſed inter, ff. de vſufructu, l. 1. §. illud autem, ff. vti poſſidetis*, ſi ſuper re notoria cauſa diſceptetur; ſtatim enim ſententia ferri poteſt, *cap. licèt, de ſim. cap. euidentia, de accuſat.* quare cùm *in dict. cap. quoniam*, ageretur de re notoria, & manifeſta, ideo cauſæ cognitio potuit inhiberi, quia cauſa per ſe eam non exigebat: docent Sahagun & Caniſius *in præſenti.*

CAPVT III.

Idem [a] *Vvintonienſi Epiſcopo.*

CÆterùm ſi aliquis ſuper aliqua cauſa ab Apoſtolica Sede impetrauerit literas, & aduerſarius eius eandem cauſam poſtmodùm obtinuerit committi aliis, de commiſſione priore non habita mentione, priores Iudices ad deciſionem cauſæ poſſunt procedere, nec ſecundæ literæ obtinent alicuius roboris firmitatem. Si verò in ſecundis literis habeatur mentio de commiſſione priori, prædicta cauſa à priorum eſt exempta iudicio; cùm eædem literæ non ſint veritate tacitâ impetratæ. Verùm ſi de adſenſu partium cauſa committitur, & proceſſu temporis, vel etiam continuò alterutra pars, altera neſciente, cauſam ipſam, tacito de commiſſione priori, alij iudici obtinuerit delegari, non immeritò is, qui tali dolo, vel fraude aduerſarium ſuum laborare coegit, in expenſis condemnari debet eidem.

NOTÆ.

1. VVINTONIA VBI.

a *Vvintonenſi.*] Ita etiam legitur *in 1. collect. ſub hoc tit. cap. 3.* vbi additur pars capitis *quamuis*, vt cognoſcatur in præſenti referri partem textus *in cap. quamuis, de officio deleg. cap. quamuis*, aliàs *illud, de iurepatron. cap. quamuis, de teſtibus, in 1. collect. cap. quamuis de teſtibus cogendis, in eadem collect.* Vvintonia eſt ciuitas Angliæ, cuius Epiſcopus ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Cantuarienſis, vt refert Vergil. *lib. 4. hiſt. Angliæ, fol. 85.* cuius Eccleſiæ Cathedralis mentio fit *in cap. Vvintonienſis 25. de elect. cap. 3. de offic. Vicarij, cap. 3. de dolo, cap. per tuas, de appellat.* & aliis.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO PROBATVR. EX hac epiſtola ſequens deducitur communiter aſſertio: *Si in ſecundo reſcripto per aduerſarium impetrato, non fiat mentio primi, non ſecundum, ſed primum ſuſtinetur.* Probant textus *in cap. ſi autem 9. cap. ex parte 12. cap. cùm dilecta 22. cap. plerumque 23. cap. cùm contingat 24. cap. ex tenore, hoc titulo: cap. cauſam quæ 2. de iudiciis, cap. ex tua, de filiis preſbyt. cap. paſtoralis 28. cap. ex litteris 29. cap. coram 34. de offic. deleg. cap. ſicut nobis, de offic. Vicarij, cap. 2. de dolo & contum. cap. audita 4. de reſtit. ſpol. cap. penult. de præſcript. cap. inter 20. de re iudic. cap. cùm teneamur 20. de præb. cap. cum noſtri 6. de conceſſ. præb. cap. 2. hoc titulo, lib. 6. cap. dudum 31. de priuileg.* Conſonant lex 27. & 39. *tit. 18. partit. 3.* Illuſtrant Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 21. num. 3.* Baſil. *eodem tract. lib. 8. cap. 17. §. 2.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 15.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 4. numer. 5.* Salas *de legibus diſp. 17. ſect. 14. numer. 71.* Suarez *eod. tract. lib. 8. cap. 39. num. 5.* Petrus Gregorius, M. Vranius, Antonius de Burgos, Proſperus Fagnanus *ad hunc textum:* plures quos congerunt Luna & Arellanus *lib. 1. antinom. 1.*

3. ADDVCITVR DVBITANDI RATIO. Hæc tamen concluſio ita illuſtrata ingentes patitur dubitandi rationes. Prima ex eo naſcitur; nam reſcripta inter partes, à quibus, & contra quas impetrantur, pro legibus habentur, & vim legum obtinent, *l. vlt. Cod. de legibus, cap. in cauſis 19. de re iudic. cap. licèt 15. 16. quæſt. 3. cap. licet 3. de ſponſa duorum:* & ideo poſt titulum *de conſtitutionibus*, ſtatim ſequi præſentem de reſcriptis, omnes antiquiores in hac rubrica notarunt, & Valenſis, Honorius, Caniſius, Legaufre, Chaſſaneus, Gofredus, Vaſconcellos, & Cironius *in paratitl. ad hunc titul.* Petrus Gregorius *ad hunc titulum c. 1.* ſed leges poſteriores, etſi de prioribus mentionem non faciant, valent, & iſtæ ab illis derogantur, *l. ſed & poſteriores, ff. de legibus, c. 1. de conſtit. lib. 6.* vbi probat D. Michael Moez; ſicut contingit in pactis, quæ inter paciſcentes pro legibus obſeruantur, *l. ſi vnus 27. §. pactus, ff. de pactis, l. pacta 12. Cod. eod. tit.* & in iudiciis, vbi noua voluntas potior eſt, *l. in duobus 28. §. vlt. ff. de iureiurand.* in conſtitutione Procuratoris, *l. ſi quis 31. §. Iulianus, ff. de procurat.* in teſtamentis, *l. ſi quis, in principio, ff. de legat. 1. l. ſi quis priore 29. ff. ad Trebel.* in codicillis, *l. Diui 6. §. licèt, ff. de iure cod. cill.* ergo etiam reſcripta poſteriora, etiam nullâ mentione factâ priorum, valida ſunt, cùm nouiſſimam contineant voluntatem. Augetur primò hæc difficultas *ex cap. ſicut 9. cap. plerumque 23. hoc tit.* vbi apertè deciditur, quod ſi ille, qui primò impetrauit reſcriptum, conueniatur authoritate poſterioris ab aduerſa parte impetrati, & poſtquam conuentus eſt, intra annum ſuo primo reſcripto, aut ob malitiam, aut ob ignorantiam non vtatur, poteſt per ſecundas litteras conueniri, etſi in eis de prioribus mentio non fiat. Nec difficultatem effugiet, qui dixerit, quod ius prioris reſcripti per non vſum fuerat amiſſum, & ſic ſecundum vires habere; nam tunc obſtabit, quod ſecundum reſcriptum prioris mentionem non faciens fuit ab initio nullum, ex ſuprà traditis pro illuſtratione concluſionis: ergo tractu temporis, videlicet per lapſum vnius anni, conualeſcere non poterat, ex regula legis *quod ab initio, ff. de reg. iur.* & in ſpecie probat textus *in cap. paſtoralis 14. §. 2. hoc tit.* Augetur ſecundò dicta difficultas ex illis verbis præſentis textus: *In expenſis condemnari debet eidem*; in quibus docetur, partem impetrantem ſecundum reſcriptum omiſsâ primi mentione condemnari in expenſas litis occaſione ſecundi reſcripti motæ: ergo non ita nullum eſt ſecundum reſcriptum, vt nihil operetur; ſiquidem eo conuenire poteſt cum effectu aduerſarios. Secunda difficultas militat aduerſus poſteriorem partem præſentis aſſertionis, vbi docetur primum reſcriptum poſt ſecundi impetrationem, nulla eius facta mentione, validum, & vtile manere; & naſcitur *ex cap. ſanè 2. de offic. deleg.* vbi ſtatuitur, quod ſi duo reſcripta fuerint impetrata, & in ſecundo non fiat prioris mentio, nec primum, nec ſecundum prævalere, ſed conſulendum eſſe R. Pontificem, & interim in vtriuſque executione ſuperſedendum. Igitur quia primum non prævalet neglecto ſecundo.

4. RESCRIPTI ETYMON. Quibus difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt præſens aſſertio; pro cuius expoſitione ſciendum eſt, *reſcribere*, variè accipi in iure, & apud bonæ notæ Authores, vt videre eſt apud Briſſonium, Prateium & alios Lexicographos. Plerumque accipitur pro reſponſione ad conſultationem, ſeu deſiderium alterius, vt apud Ouidium *lib. 1. epiſt. 1. Nihil mihi reſcribas.* Martial. *lib. 2. epig. 9. Scripſi, reſcripſit Mæuia.* Ideo Iureconſulti, cùm de iure reſpondebant, reſcribere dicebantur, *l. ex contractu 44.* ibi: *Reſcripſit. ff. de re iudic. l. Ariſto 46. ff. de manumiſſ. teſtam. l. 33. §. 1. ff. de bonor. poſſeſſ. §. ſacræ, Inſtit. de rerum diuiſ.* ibi: *Papinianus reſcripſit*; vbi reſponſum Papiniani intelligitur, quod extat *in l. ædes ſacra 73. ff. de contrahend. emptione:* qua etiam in ſignificatione reſcripta accipiuntur pro reſponſis Principum factis ad deſideria ſubditorum aliquid implorantium. Moris namque fuit apud veteres, vt aliquid à Principe impetraturi, præſentem etiam Principem ſcripto adirent. Suetonius *in Auguſt. cap. 53.* Tacitus *lib. 4. annal.* Briſſonius *lib. 3. ſelect. cap. 7.* Reuardus *in l. omni 71. ff. de reg. iur.* quò reſpiciunt textus *in l. libertum 15. ff. de in ius vocando, l. item 15. §. ſi quis libello, ff. de iniuriis, l. quæſitum 5. ff. ad Turpil.* Princeps verò lectis libellis ſubſcribebat, *l. non diſtinguemus 32. §. cum quidam, ff. de recept. arbit.* quæ ſubſcriptio ad libellos ſupplices facta reſcriptum dicebatur, *dict. l. libertus 15. l. eius 4. ff. de appellat. l. licet 23. de vſufruct. legato*; reſcribebantque Imperatores, vel vt ſatisfacerent deſiderio priuatorum, vt *in dict. l. non diſtinguemus, §. cum quidam, l. cætera 41. §. hoc, de legat. 1.* vel vt reſponſum darent conſultationi eorum, qui iuri dicendo præerant, *l. ſi quis filio 6. ff. de iniuſto rupto, in §. quid tamen:* vnde in iure ciuili frequens eſt reſcriptorum mentio, *in l. penult. ff. de in integr. reſtit. l. 3. ff. de bonis libert. l. 7. ff. de cuſtodia reorum, l. finali, ff. de teſtam. milit. l. à Diuo Pio, in principio, ff. de re iudic. l. 1. §. cui, l. is à quo 3. §. vlt. l. is cui 5. §. Imperator, ff. vt in poſſeſſ. legat.* & aliis congeſtis à Briſſonio *de v. ſ. verbo Reſcriptum.* Quo etiam in ſenſu reſcripta in præſenti titulo accipiuntur pro literis Pontificis, quibus ad deſideria ſupplicantium aliquid reſcribit.

5. DE RESCRIPTIS NVLLIS. Deinde ſciendum eſt, reſcripta Pontificia impetrantibus aliquando inutilia eſſe, & ſine effectu, veluti ob falſi ſuſpicionem, *cap. inter, de fide inſtrum. cap. licet 5. de crimine falſi*; propter inſoli-

tum idioma, *cap. ad audientiam* 11. *hoc tit.* propter omissum stylum Curiæ, *cap. quàm graui 6. de crimine falsi*; si sine die & Consule scripta sint, *l. si qua 4. Cod. de diuers. rescriptis*; si quid contineat rescriptum in iniuriam alterius, *l. socium*, *l. nec damnosa*, *l. rescripta*, *Cod. de precib. Imperat. offer. l. nec anus*, *Cod. de emancip. liber.* aut si per obreptionem, vel subreptionem impetretur, *c. super* 20. *hoc titulo*; vel si impetrans inhabilis sit, veluti excommunicatus, *cap. dilectus* 27. *hoc titulo*; vel si alieno nomine impetretur sine speciali mandato, *cap. nonnulli* 28. §. *finali*, *hoc tit.* Aliquando etiam rescriptum inefficax est, veluti si quis plures literas ad diuersos iudices impetraret, non factâ priorum mentione, *cap. ex tenore* 16. *hoc tit.* vel si per secundum rescriptum primum reuocetur, vt in præsenti textu: quos & alios casus prosequuntur repetentes ad hunc titulum.

6. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus suppositis ratio præsentis decisionis ex eo prouenit, nam cùm rescripta à petitionis forma effectum, & intellectum accipiant, *cap. sedes* 15. *cap. super* 20. *hoc tit. cap. inter* 6. §. *cæterùm*, *de fide instrum. l. etsi legibus*, *l. finali*, *Cod. de diuers. rescript.* inde qui rescriptum impetrat, tenetur Pontifici proponere omnia ea, quæ ad causæ iustitiam spectant, quæque ipsum ad rescribendum, vel non, mouere possunt; & si veritatem suppressit, vel falsitatem expressit, vitiatur rescriptum, *c. super* 20. vbi dicemus, *hoc tit.* Quare cùm ille, qui impetrauit secundum rescriptum, tacuisset primum iam in ipso negotio præcessisse, quod si sciret Pontifex, secundum non concederet, *cap. sanè* 2. ibi: *Si memores fuissemus*; *de offic. deleg.* ideo per istam suppressionem veritatis rescriptum vt subreptitium nullius momenti est, *ex dicto cap. super litteris*: & cùm ille, qui secundum impetrauit rescriptum mentione primi non factâ, eo animo faceret, vt aduersarium diuersis sumptibus vexaret, *cap. coram* 34. *de offic. deleg. cap. inter* 20. *de re iudic.* meritò punitur in expensis, & sumptibus litis, vt in eo puniatur, in quo deliquit, iuxta textum *in c. nemo*, *de tempor. ordin. lib.* 6. Si verò in secundo rescripto fiat mentio prioris, præualet secundum, quia cùm non fuisset tacitâ veritate impetratum, & non possint in vno eodemque negotio, tam primum, quàm secundum rescriptum obseruari, necessarium est, vt posterius deroget priori, ex vulgatis principiis textus *in l. non est nouum* 26. *ff. de legibus*, *l.* 1. §. *seruis*, *ff. de quæstionibus*, *l. si quis*, *in principio*, *ff. de legat.* 1.

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat prima difficultas suprà adducta; nam omissâ quæstione, an rescripta vim legis habeant inter ipsos impetrantes, dicendum est magnum discrimen versari inter reuocationem legis & rescripti; nam lex posterior derogat priori, datâ scientiâ prioris legis in legislatore; tunc enim per posteriorem abrogatur prior: at in dubio cùm ignorat priorem legem, eius reuocatio nullatenus præsumitur, argumento textus *in cap. ex litteris*, *de officio deleg. l. eum qui*, *ff. de probat.* quod faciliùs procedit in rescripto; nam etsi credatur Principem notitiam habere omnium legum, *l. omnium*, *Cod. de testam. cap.* 1. *de constit. lib.* 6. tamen quia rescripta ad priuata negotia spectant, nec creditur Principem eorum notitiam habere, maiori ratione non præsumitur derogatio prioris per posterius, nisi factâ expressâ primi mentione. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis, deductum *ex dict. cap. si autem* 9. *cap. plerumque*, *hoc titulo*; quia licèt rescriptum secundum non facta prioris mentione, vires non habeat; non tamen est ipso iure nullum, sed ita demùm, si exceptio aduersario opponatur: vnde si aduersarius negligens sit per annum, & non vtatur priori rescripto, quia in pœnam negligentiæ priuatur iure quæsito ex priori rescripto, non potest opponere amplius exceptionem contra secundum; & sic secundum non coalescit tantùm lapsu temporis, quantùm virtute legis canonicæ, quæ disponit, vt ita demùm priuetur Imperator commodo rescripti, si per annum eo non vtatur. Ita prædicta iura accipiunt post antiquiores, Mascard. *de prob. concluf.* 110. Menochius *de arbitr. casu* 202. *num.* 76. & *casu* 204. Germon. *lib.* 1. *animaduers. cap.* 14. Fachineus *lib.* 8. *controu. cap.* 65. Nec secundum augmentum deductum ex illis verbis nostri textus, *In expensis condemnari*, aduersatur, cui, omissis traditis à Butrio *in præsenti*, *num.* 13. Hostiensi *numer.* 3. respondendum est ex suprà tradito principio, videlicet, quod cùm rescriptum secundum impetratum nullâ factâ prioris mentione, non sit ipso iure nullum, imò subsistat donec per exceptionem elidatur, ideò iudices in eo designati iurisdictionem habent: quare si pars, quæ impetrauit secundum rescriptum, coram iudicibus in eo designatis illud præsentauerit, & aduersarius comparuerit ad exceptionem elidendam, iustè damnatur in expensis. Nec contrarium probant illa verba nostri textus: *Nec secundæ literæ alicuius roboris obtinent firmitatem*; nam ea verba non significant, statim rescriptum nullum esse, sed quoad effectum pro inualido haberi, oppositâ exceptione, vt contingit in his quæ metu fiunt, *cap. ad audientiam* 4. ibi: *Carere debeant robore firmitatis*; *de his quæ vi*: docent Antonius de Burg. *in præsenti*, Arellanus *dict. antin. num.* 1.

8. EXPONITVR CAP. SANE 2. DE OFFICIO DELEGATI.

Nec secunda difficultas, deducta *ex dict. cap. sanè 2. de officio deleg.* refragatur, pro cuius vera interpretatione varia adducunt Abbas, Felin. Decius, & Zabarella *in eo textu*, qui existimant, ibi rescripta fuisse eiusdem datæ: & cùm constare non possit quod primum, quod secundum esset, ideo R. Pontificem esse consulendum, vt cognosceretur cuius virtute esset in iudicio procedendum. Sed hæc solutio licèt communi antiquiorum calculo approbata sit, refellitur ex ipso textu in illis verbis: *Non facta mentione priorum litterarum*; vbi supponitur iam tempore datæ secundi rescripti, præcessisse priores literas. Omissa ergo hac solutione, communiter placuit Antecessoribus nostris illa interpretatio, videlicet *in dict. cap. sanè*, tam primum, quàm secundum rescriptum impetratum fuisse ad vnos, eosdemque Iudices, tantùm variatâ formulâ; quo casu cùm tantùm in forma dubium emergat, non verò in iudicibus, valebit secundum rescriptum, cùm deficiat ratio nostræ conclusionis; nullis enim sumptibus aduersarius vexatur, siquidem coram ipsis iudicibus semper conuenitur: nec diuersitas tantùm formæ inducit falsitatis suspicionem; forsan enim Pontifex æquè concederet secundum rescriptum sub diuersa forma, iisdem tamen iudicibus committeret, vt pro illius textus expositione considerant Barbosa ibi, P. Gregorius *in præsenti*. Basil. *lib.* 8. *de matrim. cap.* 16. §. 2. *num.* 14. Menochius *de arbitr. casu* 438. Anguianus *lib.* 1. *de legibus*, *cap.* 5. Arellanus *dict. antin.* 1.

9. INTELLIGITVR CAP. PASTORALIS 14. HOC TIT.

Secundò nostræ conclusioni obstat textus *in cap. Pastoralis* 14. *in principio*, *hoc titulo*; vbi proponitur secundum rescriptum fuisse impetratum, cùm iam aduersarius primum impetrauerat. Quæstionis

ſtionis fuit, vtrum Iudices aſſignati, tam in primo, quàm in ſecundo reſcripto, poſſint de cauſâ cognoſcere? Et reſpondet Pontifex, tam vnos, quam alios iudicare, & cognoſcere de meritis cauſæ; ita vt ſi inter eos aliquod dubium emergat, arbitri ex conſenſu partium eligantur, per quos poſſit terminari. Ex qua deciſione deducitur, reſcriptum ſecundum non facta primi mentione impetratum, vires obtinere, contra ſuprà tradita. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo ideò iudices in eo textu, tam primi, quàm ſecundi reſcripti cognoſcere poſſe, quia nec iure, nec facto cognoſci valebat reuocatio literarum; alioquin ſi appareret, vel ex iure, vel ex facto aliquod ex eis reſcriptis affectum eſſe vitio ſubreptionis, vel obreptionis, ambigua cauſa non eſſet, vt *in d. cap.* erat, ibi: *Ambigitur*; quo caſu omnes cognoſcunt, quia quilibet habens iuriſdictionem, ſiue ordinariam, ſiue delegatam, eam exercere, defendereque poteſt, *cap. cùm perſonæ, de priuileg. in 6.* & ſi iudices in ſententia proferenda non conſenſerint, tunc eligendi erunt arbitri, à quibus diſſidium componatur. Ita illum textum accipiunt Iacobus de Zochis *in repetit. ad hunc textum*, & alij congeſti à Sahagun *hic, num.* 12. Martha *de iuriſdict. 2. p. cap. 4. per totum.*

10. EXPLICATVR CAP. AVDITA, 3. DE RESTIT. SPOL.

Tertiò opponitur textus *in cap. audita 3. de reſtit. ſpol.* vbi proponitur, poſt primum reſcriptum, ſecundum factâ prioris mentione fuiſſe impetratum ab aduerſario ſub diuerſa forma: & deciditur, priores literas per ſecundas non reuocari, nec acta virtute prioris reſcripti irritari. Igitur licèt ſecundum reſcriptum primi mentionem faciat, primum ſuſtinetur. Pro cuius textus expoſitione dicendum eſt, quod licèt per reſcriptum ſecundum prioris expreſſam mentionem faciens, primum irritetur, non tamen ſtatim, ſed ita demùm ſi ſecundum præſentatum fuerit, & eius virtute procedatur. Cùm enim ſecundum reſcriptum illam habeat conditionem: *Si eo vtatur pars, quæ illud impetrauit*; & ipſa poſſit eo non vti, interim proceſſus factus virtute prioris reſcripti vires habet, niſi reſcriptum ſecundum, non ſolùm expreſſam mentionem primi habeat, verùm & clauſulam reuocatoriam, in hunc, vel ſimilem modum conceptam: *Reuocamus commiſſionem factam, & decernimus irritum, & inane quidquid ex nunc fuerit geſtum virtute dictæ commiſſionis.* Tunc enim omnia virtute primi reſcripti geſta irritantur, *cap. 1. de conceſſ. præb. in 6. Clement. 1. eod. tit.* docet poſt antiquiores ibi Couarr. *practic. cap. 9.* Mancin. *genial. cap. 256.*

11. OPPONITVR CAP. VT DEBITVS, DE APPELL.

Quartò, ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in cap. vt debitus, de appellat.* ex cuius ſerie deducitur, in concurſu prioris, & poſterioris reſcripti, illud prævalere, quod priùs coram iudicibus fuerit præſentatum. Ergo ſecundum reſcriptum vires habet, etiam non factâ primi mentione, aut eâ factâ, adhuc primum ſuſtinetur; ſiquidem tantùm inſpicitur tempus præſentationis literarum. Pro cuius textus explicatione, omiſſis traditis à Beroio *in cap. 1. hoc tit. num.* 57. Narbona *in l. 59. gloſſ. 1. tit. 4. lib. 2. Recopil.* dicendum eſt, ibi vnum ex litigatoribus conuentum fuiſſe coram ordinario, & ante diffinitiuæ ſententiæ prolationem ab aliquo grauamine appellaſſe: vnde ex eo, quod appellationis interpoſitæ nuncium ad Pontificem deſtinauerat, vel literas ab eo impetrauerat, contendebat non teneri coram iudice ordinario iuſtitiam ſuam proſequi; & deciditur, excuſari non poſſe ex eo, quod dicat ſe prius reſcriptum impetraſſe, quo aſſignabatur iudex de ea cauſa cognoſcturus, niſi illud præſentauerit coram iudice delegato, ex ratione adducta in principio textus, videlicet vt honor iudicibus deferatur, & expenſis ac laboribus partium exponatur; quæ interpretatio colligitur, tum ex illis verbis: *Coram idoneo iudice*; quæ communiter ad ordinarium iudicem referuntur, *cap. 1. de offic. Ordin. cap. ſignificaſti, de for. compet.* tum etiam ex illis, *Ad ſuperiorem iudicem*; in quibus prohibetur appellatio ad ſuperiorem iudicem ante diffinitiuam ſententiam, abſque iuſta, & rationabili cauſa. Manifeſtè ergo oſtenditur, non agi de citatione coram iudice delegato facta, quia ſi de ea ageretur, & ipſe citatus haberet reſcriptum prius impetratum, non diceretur appellare ad ſuperiorem, ſed declinare iudicis citantis iuriſdictionem, oppoſito ſuo reſcripto. Etiam ſuadetur hæc ſolutio ex illo verſiculo, *Cùm autem*; in quo agitur de appellatione interpoſita à iudice ordinario ante diffinitiuam ſententiam; quia dictio illa, *autem*, aduerſatiua eſt, & caſum contrarium demonſtrat, vt ex pluribus notat Barboſ. *de dictionibus, verbo Autem.* Cum ergo textus ille non loquatur de duobus reſcripris, non refragatur noſtræ aſſertioni. Pro coronide huius commentarij notare liceat duas exceptiones, quas præſens aſſertio patitur. Prima eſt, ſi vnum reſcriptum ſit generale, aliud verò ſpeciale: tunc enim neceſſarium non eſt, in ſecundo prioris mentionem facere, *cap. 1. cap. paſtoralis 14. §. vltim. hoc titulo, cap. dudum 14. §. nos, cap. quamuis 38. de præb. lib. 6.* Secunda tunc procedit, quando reſcriptum primum ex aliquo vitio nullum eſt; tunc enim in ſecundo prioris mentio non deſideratur, *cap. ex parte 12. hoc tit.* non enim præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, vt vulgò decantatur, & docent Menochius *lib. 2. de arbit. caſu 202. numero 44.* Baſil. Legion. *lib. 8. de matrimon. capite 16.*

Opponi etiam poteſt præſenti aſſertioni textus *in cap. tenor, de re iudic.* cuius interpretationem in eius notis aſſignabimus.

CAPVT IV.

Idem [a] *Eboracenſi Archiepiſcopo.*

INter [b] cæteras conſtitutiones tuas, fuit propoſitum coram nobis, quid tenere debeas, cùm aliqua ſub diſiunctione mandantur, quorum vnum verum eſt, alterum falſum: vtputà ſi proponatur, quod ſi talis ſit ſacerdotis filius, & in ſacerdotio genitus, qui [c] proximo in tali Eccleſia miniſtrauit; vel quod illicitè Eccleſiam occupauit [d] eandem. Huic ergo quæſtioni taliter reſpondetur (iudici quodcumque iſtorum conſtiterit) illi prælibatam Eccleſiam [e] adiudicari debere, & idem in ſimilibus obſeruandum eſt.

NOTÆ.

I. EBORACENSIS METROPOLIS VBI.

a *Boracenſi.*] Ita etiam legitur *in 1.collect. ſub hoc tit. cap.4.* & poſt Concilium Lateran. *p.41. cap.* 1. Eboracum antiqua, & nobilis ciuitas eſt in Britannia: eius meminerunt Ptolemeus *lib.2. cap.3.* Eutropius *lib.10.* & Candenus, qui eam ſecundam vrbem Angliæ appellat, Archiepiſcopali Sede præclaram, & in ea erat Gentilium Archiflamen, vt refert Polydor.Vergil. *lib.2. hiſtor. Angliæ, fol.39.* Quomodo autem eius Eccleſiæ Præſul Metropolitæ Eccleſiaſtici authoritatem obtinuerit, diſcere licet ex Gregorio Magno apud Bedam *lib.1. cap.25.* dum hæc Auguſtino, quem in Britanniam Apoſtolum miſerat, præcipit: *Ad Eboracum ciuitatem te volumus Epiſcopum mittere, quem ipſe iudicaueris ordinare: ita dumtaxat, vt ſi eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipſe quoque duodecim Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur: quia ei ego quoque (ſi vita comes fuerit) pallium tribuere, Domino fauente, diſponimus; quem tamen tuæ fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubiacere.* Ipſo Auguſtino prædicante, gens illa cum Rege ſuo Vvino verbum Dei ſuſcepit, & ita ordinatus eſt Paulinus in ea Eccleſia cum Metropolitico iure, vt refert Carolus à Sancto Paulo *in Geographia ſacra lib.6.* Huius Eccleſiæ mentio extat *in cap. ad ſupplicationem 9. de renunc. cap. ex tua, de filiis preſbyt. cap.2. cap.ex parte 12. cum ſequent.de offic. deleg. cap. accepimus 5.de pactis, cap.2. de arbitris, cap.2. de eo qui mittitur, cap.1.vt lite pend.cap.de cætero 5. de re iudic. cap.accepimus 4.de fid.inſtrum. cap.ad præſentiam 16. cap. propoſuit 24. cap. ex inſinuatione 50. de appellat.* In præſenti reſcribit Alexander Rogerio, qui Eccleſiam illam rexit vſque ad annum 1181. vt refert Beyerlinch *in theat.vit. hum.tom.3. verbo Epiſcopus, fol.289.*

2. b *Cæteras.*] Varias enim quæſtiones Alexandro III. propoſuit Rogerius, vt conſtat *ex dict. cap.ex tua, dict.cap.ex parte, cap.2.de arbitris, cap.5. de pactis:* aliæ verò partes huius epiſtolæ extant *in cap. inter cæteras, de re iudic. cap. ſanè 2. de offic. deleg.* & integra epiſtola reperitur poſt Concilium Lateran. *p.41. cap.* 1. & præſens fragmentum ſpectat ad ſecundam partem huius rubricæ, quæ in prima collectione ita concipitur: *De reſcriptis, & eorum interpretatione.* Et, ni fallor, anſam dedit præſenti conſultationi indulgentia Alexandri, quæ reperitur *in c.ex tua, de filiis preſbyt.*

3. c *Genitus qui proximo.*] Non omnia hæc vna oratione complectuntur, quia ſimul neceſſaria ſint, vt quis priuetur beneficio; ſufficit vnum verum eſſe, videlicet, quod ſit ſacerdotis filius, aut quod pater immediatè miniſtraſſet, ad hoc vt quis reddatur incapax illius beneficij, vt dicemus *in cap.2. de filiis preſbyt.* tantùm in præſenti coniunguntur, quia agitur de interpretatione illorum verborum, cùm in reſcripto apponuntur, vt *in cap. ex parte 7. de teſtibus:* non verò quæſtio eſt in præſenti, an debeant concurrere illegitimitas, & immediata ſucceſſio, vt quis à beneficio arceatur. Ita Decius *hîc, num.6.* Barb. *vot.98. num.68.* Obſeruandum tamen eſt, ex illis verbis: *Sacerdotis filius, & in Sacerdotio genitus,* omnem filium in Sacerdotio ſuſceptum, non vt illegitimum declarari; aliquando enim filius ſuſceptus in Sacerdotio, naſcitur legitimus, veluti ſi naſcatur ex Sacerdote orientali, cui licet matrimonium contrahere, textus formalis *in cap.quæſitum 7.de pœnit.* vel ex Sacerdote, cum quo mulier ignoranter in facie Eccleſiæ matrimonium contraxit, *cap.2. cap. ex tenore, qui filij ſint legit.* vel ducta vxore ex diſpenſatione Pontificis, *cap. de Syracuſana, 28. diſt.* vel ab eo, qui furtiuè ordinatus fuit, *extrauag. Antiquæ,* Ioann. XXII. *de voto:* vel ex eo Sacerdote, qui de conſenſu vxoris ordinatus fuit, ipsâ religionem profeſsâ; ſi enim poſteà filium procreauerit, naſcitur legitimus, quia per conuerſionem non fuit matrimonium diſſolutum quoad vinculum, vt dicemus *in cap. coniugatus, de conuerſ. coning.* Hoſtiens. Ioan. Andr. Abb. Panorm. Imol. Felin. Decius.

4. d *Eandem.*] Exemplum ſit, ſi per manum laicalem illam occupauit, *cap. quiſquis 43.de elect. cap. per laicos 16. quæſt.7.* poſt Gloſſam *in præſenti:* probant Hoſtienſis *hic num.* 1. Ioann. Andreas *num.5.* P. Gregorius *num.* 6. vel ſi alio poſſidente, ipſe propriâ authoritate nactus eſt eius poſſeſſionem, iuxta textum *in cap. eum qui, de præb. in 6. l.extat, ff.quod metus cauſ.* Cardin. *hîc, num.4.* Alia exempla peti poſſunt, cùm videlicet quis erat incapax, & nihilominus præbendam occupauit, iuxta textum *in cap. per inquiſitionem, 26. de elect.* vel cùm generaliter quis contra iuris conſtitutionem præbendam adeptus eſt, vt in terminis textus *in cap.cum iam dudum 18.de præb.cap.ex frequentibus, de inſtitut. cap.1.de conceſ.præb. cap. auaritiæ 5. de elect. in 6.* vel per ſimoniam, ſeu à non habente poteſtatem, per vim, vel metum, vel aliam inſtitutionem non canonicam, ſine qua beneficium obtineri nequit, *reg.1. de reg. iur. in 6.* namque verbum, *occupauit,* quo Pontifex noſter vtitur, ex ſui natura in malam partem accipitur, *l.1. ff. quorum legat. l. decernimus, Cod.de Epiſcopis, & cleric. cap. illud 8. quæſt.1. cap. ex litteris, de probat. cap. præſenti, de offic. Ordin.* Notant Gloſſa *verbo Occupare, in cap. generali, de elect. in 6.* & eodem verbo *in cap.vlt.de reſtit. ſpol. eodem lib.* & *eodem verbo in Clement.1. §. ſi quis autem, de ſequeſtratione poſſeſſionis.* Decius hîc *num.2.* Ripa *num.68.* Sed quia aliquando accipitur in bonam partem, *cap. factus 5. 7. quæſt.1.* ideo Alexander noſter adiecit verbum, *illicitè,* vt *in dict. cap.vlt. de reſtit. ſpol.* In his ergo, & ſuperioribus verbis duæ cauſæ inhabilitatis continentur, vt quis à præbenda deponatur. Prima, ſi ſit filius Sacerdotis in Eccleſia miniſtrantis: ſecunda, ſi eam illicitè occupauit, vt notant in præſenti Panormit. *num.1.* Decius *num.6.* Vranius *num.4.* Burg. *num.13.*

5. e *Adiudicari.*] Ita legitur in vulgatis, & in excuſis libris Lugduni, & apud Hugonem à Porta, & Vincentium, teſte P. Gregorio *hîc, num.7.* Sed in Concil. Lateran. *dict. cap.1.* legitur, *Eccleſiam abiudicari;* & in prima collectione, pluribuſque exemplaribus: quam lectionem probant Hoſtienſis *num.1.* Ioannes Andreas *num.9.* P. Gregorius *num.7.* Ant. Auguſt. *in notis ad 1. collect.* & eâ retentâ ſenſus erit, quod ſi iudici delegato conſtiterit, poſſeſſorem eſſe filium Sacerdotis in Sacerdotio genitum, qui proximo in Eccleſia miniſtrauit, & qui illicitè Eccleſiam occupauit, illi videlicet, contra quem literæ ſunt impetratæ, prælibatam Eccleſiam abiudicare debet, hoc eſt iudicio auferre, quod ſignificat verbum, *abiudicare;* quo in ſenſu accipitur *cap.ex parte 7.de teſtibus,* vbi ſimilis huic ſpecies proponitur, *cap.2. hoc tit. cap.2.de patrib.qui fil.* apud Ciceronem *de lege agraria,* ibi: *A populo Romano abiudicarit.* Sed adhuc vulgata lectio defendi poteſt ex textus deciſione

in

in cap. ex tua, 9. de filiis Presbyt. ex qua, iuncta inscriptione, constat, quod ad consultationem Eboracensis Archiepiscopi Alexander III. super filiis Sacerdotum tales illi literas concessit, vt eos posset in Ecclesiis, quas patres eorum nullo mediante possederant, sustinere, quos probatæ & sanæ conuersationis agnoscceret, vel quos longo tempore eas possedisse constaret; qui duo casus in nostro textu proponuntur. Circa quas Alexandri litteras vltra dubium, de quo *in d. cap. ex tua*, aliud emersit, quod in nostro textu deciditur; scilicet vtrum oporteret de vtroque iudici constare, vt filio Sacerdotis Ecclesiam adiudicet ad formam rescripti, quæ semper seruanda est, *cap. cùm dilecta 22. hoc tit.* cui dubio respondet Alexander, non oportere vtrumque verum esse; sed si alterum tantùm verum constiterit esse, illi, hoc est filio Sacerdotis, debere Archiepiscopum prædictam Ecclesiam virtute illius dispensationis adiudicare, id est in iudicio addicere, vel dare. Adiudicare enim est, alicui petenti in iudicio tem dare, addiceréve, *l. si idem, in fine, ff. de iurisdict. l. 2. ff. fin. regund.* Quâ explicatione retentâ, in præsenti declaratur textus *in d. cap. ex tua.*

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX hac decretali ita deduci potest assertio: *Si per rescriptum aliquid disiunctiuè iubetur, sufficit alterum adimpleri*; vel ita, *Vbi in rescripto duo alternatiuè proponuntur, sufficit vt in quocumque verificetur.* Eam probant textus, in quibus docetur, in alternatiuis sufficere alterum adimpleri, *l. si quis ita 63. l. si quis ita 129. de verb. oblig. l. si hæredi 5. ff. de condit. instit. l. illi aut illi, ff. de leg. 3. l. cùm hic 32. l. cùm pupillus 78. §. 1. ff. de condit. & demonst. l. si is qui, §. verùm, ff. de reb. dub. l. si ita 25. l. si in emptione 34. §. si emptio, ff. de act. empt. l. plerumque 10. §. vlt. ff. de iur. dot. l. quod ait 7. §. si maritus, ff. de donat. inter, l. si ita relictum 43. §. vlt. de leg. 2. l. hæc verba 124. ff. de v. s. l. in eo 110. §. vbi verba, ff. de reg. iur. l. cùm quærebatur 13. ff. iudicatum solui, l. penult. C. de v. s. §. penult. Instit. de hæred. instituend. l. penult. C. de condict. indeb.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *hic*, Greg. Lopez *in l. 3. tit. 4. part. 6. gloss. 3.* Surd. *de alim. tit. 4. q. 15. num. 59.* Euerard. *in argum. à natura alternatiui, ex num. 8.* Gratianus *lib. 2. discept. c. 288. num. 3.* Castillo *lib... controuers. cap. 136. num. 6.* Anton. Gomez *in l. 70. Tauri, num. 7.* Matienzo *in l. 7. tit. 11. gloss. 1. num. 50. lib. 1. Recopil.* Petrus Pechius *in regul. In alternatiuis, de reg. iur. in 6.* Cuiacius *lib. 5. obseru. cap. 35. & lib. 26. cap. 34. & in d. l. hæc verba*, Hotom. *lib... obseru. cap. 2.* Robertus *lib. 2. receptar. cap. 22.* Madera *lib. 2. animadu. cap. 6.* Valentia *tom. 2. illustrium, cap. 5. tract. 4.* plures referens Olanus *lib. 1. Præalip. cap. 4. cum sequent.*

7. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Suprà tradita assertio difficilis redditur ex eo; nam rescripta, præcipuè iustitiæ, strictè sunt interpretanda, ita vt in eis nulla admittatur extensio, *cap. significasti 36. hoc tit.* vbi notat Gloss. 1. Gloss. vlt. *in cap. olim 16. de v. s.* Rescripta enim priuilegiis æquiparantur, quæ strictè interpretantur, *l. si qua 35. in princip. de inoffic. testam. cap. quod verò 14. de offic. deleg. cap. 1. §. vlt. de filiis presbyt. in 6.* docet Rebuffus *in praxi, tit. de different. inter rescripta, num. 6.* Molina *de primog. lib. 1. cap. 4. à num. 48. & lib. 3. cap. 2. num. 24.* Sed in rescripto vbi diuersa proponuntur, si tantùm ad vnum illa reducimus, latè interpretamur mentem concedentis; siquidem vbi ipse plura excogitauit, vnum tantùm optamus. Ergo nullo modo rescripta disiunctiuè concessa possunt in vno verificari. Augetur hæc dubitandi ratio primò ex eo: nam plerumque dispositiones, quæ fiunt sub disiunctione, non adimplentur in altero, sed necesse est vtrumque fieri; vt si testator dicat, *Ille aut ille mihi hæres esto*; vel, *Illi, aut illi centum do, lego: Illum, aut illum tutorem esse volo*; non sufficit vnum admitti, sed vterque concurrit ad legatum, hæreditatem, vel tutelam, *l. penult. C. de v. s.* igitur in disiunctiuis dispositionibus dispositiones non verificantur in vno. Similiter, si pater ita dicat: *Si filius meus sine liberis, vel intestatus decesserit, Titium substituo*; si tantùm sine liberis moriatur, substitutus non admittitur, nisi vtrumque concurrat, *l. generaliter, C. de instit.* Deinde si maritus ita legauerit vxori suæ, mundus muliebris, ornamenta, seu quæ eius causâ parauit, omnia debentur, nec hæres liberatur præstando vnum, *l. si quis ita legauerit, l. Quintus, ff. de auro, & arg. legat.* Quod etiam in aliis casibus docent textus *in l. si is qui ducenta, §. finali, ff. de rebus dubiis, l. donationes, §. penult. ff. de donat.* Ergo idem in rescriptis dicendum est. Augetur secundò hæc difficultas; nam rescripta pro legibus obseruantur, & partes legum dicuntur, vt probaui in textu antecedenti: sed in legibus disiunctiua pro coniunctiua sumitur; imò si lex aliquid disiunctiuè constituat, coniunctiuè disposuisse præsumitur, *l. cùm quidam, C. de v. s. l. si quis in puteum, §. hoc interdictum, ff. quod vi, aut clam, l. vbicumque 60. ff. de fideiussoribus, l. Quintus 10. ff. de aur. & argent.* & in lege duodecim Tabularum, cuius fragmentum extat *in l. sæpe 53. ff. de v. s.* & *in l. actione 65. §. si post, ff. pro socio*, & in aliis, quas expendit Cuiacius *in l. alienationis 123. §. vlt. ff. de v. s.* idem probatur, ex quibus ita tenent Bartolus *in l. si is qui ducenta, §. verum, de rebus dubiis.* Texera *in l. 1. columna penult. ff. eodem tit.* Ergo in rescriptis disiunctio habetur pro coniunctione, & per consequens in nostro textu non sufficiebat alterum esse verum.

8. DE VERBIS ALTERNATIVIS.

Adhuc tamen Alexander noster defendendus est, cuius decisio vtriusque iuris principiis mirè congruit. Ad eius expositionem præmittendum est, disiunctiuam esse dictionem, quæ quamuis aliàs coniungat, sensum tamen disiunctiuum habet, vt hæ, *aut, vel, siue*; quas explicant Alphonsus Palentinus *de synonymis*, Alciatus *in l. sæpe 53. ff. de v. s.* Gilkenius *in l. generaliter 6 C. de institutionibus*, Albericus Gentilis *in l. alienationis 28. §. 1. ff. de v. s.* latè Olanus *lib. 1. paralip. cap. 2.* Disiunctiuarum autem varia sunt genera; est enim disiunctiua temporum, personarum, rerum, locorum, pœnarum, conditionum, item rerum & locorum simul, rerum & personarum mixtim. Disiunctiua temporum ita concipitur, *Kalendiis Ianuariis vel Februariis dare spondes. l. si ita relictum, §. finali, ff. de leg. 2. l. si ita 109. ff. de verb. obl.* Alternatiua personarum est, *Promittis mihi aut Titio. l. cùm quidam, C. de v. s. l. si ex toto, §. 1. ff. de leg. 1. l. si Titio aut Seio, ff. de leg. 2. l. item 9. §. vlt. cum l. sequenti, ff. de stipulat. seruor. l. Gaius 46. ff. solut. matrim.* Rerum, vt *Stichum, aut Pamphilum lego, aut promitto. l. cùm res 48. §. sed si, ff. de leg. 1. l. vbi autem 75. §. qui illud, ff. de verb. obl.* Locorum, vt *dabis mihi centum Romæ, aut Capuæ. l. 3. §. nusquam, ff. de eo quod certo loco, l. ei qui, §. in sequestrum, ff. depositi.* Pœnarum, vt

Qui tale delictum admiserit, seruum, aut centum soluat. l. quicumque, ff. de seruis fugitiuis. Conditionum, vt *Si nauis ex Asia venerit, aut Titius Consul factus fuerit. l. generaliter 6. C. de condit. instit. l. si hæredes 5. ff. eodem titul. l. cùm pupillus 76. §. 1. ff. de condit. & demonst. §. si plures, Instit. de hæred. instituend.* Rerum & locorum simul, vt *Dabis mihi centum Romæ, vel seruum Capuæ :* tandem rerum & personarum, vt *Dabis mihi seruum, vel centum Sempronio.*

9. IN DISIVNCTIVIS SVFFICIT VNVM ADIMPLERI.

Deinde sciendum est, in disiunctiuis rerum, quas vulgò alternatiuas dicimus, sufficere vnum adimplere, id est alterum dare : itaque debitor alternatiuus vnam rem dando, liberatur, *l. si ita 25. l. si in emptione 34. §. si emptio, ff. de contrahend. emptione, l. plerumque 10. §. vlt. ff. de iure dotium, l. quod autem 7. §. si maritus, ff. de donat. inter, l. si ita relictum 43. §. vltim. ff. de leg. 2. l. penult. C. de condict. indeb. l. si hominem 32. ff. de noxalibus, cap. de raptorib. 36. q. 1. cap. referente, de præb.* Docent Petrus Pechius *in reg. In alternatiuis, de reg. iur. lib. 6.* Caldas Pereyra *de nominatione, quæst. 10. numero 32.* Anton. Faber *lib. 3. coniect. cap. 3.* D. Melchior de Valentia *tom. 2. illustr. tract. 4. cap. 2. n. 7.* Licèt enim in obligatione alternatiua vtrumque sit in obligatione, *l. si Stichum 16. l. si duo 128.* vbi Corrasius, *ff. de verb. obl. l. Stichum 96. §. 1. ff. de solution.* nihilominus tamen alterum tantùm est in solutione, *d. l. si duo, l. illud 25. ff. de constit. pecun. l. ex toto 8. §. 1. ff. de leg. 1. l. si illud 27. ff. de legat. 2. l. cùm illud 25. ff. quando dies legati, l. adigere 6. §. vltim. ff. de iurepatronat. iuncta l. vlt. §. secundo, ff. qui, & à quibus, l. si quis ita 119. ff. de verb. obl. l. Stichum 8. §. qui decem, l. si is cui 26. l. qui hominem 32. ff. de nouationibus, l. Stichum 95. de solut.* Et quamuis aliàs tot sint obligationes, quot res in legato, vel stipulatione deductæ, *l. 2. ff. de legat. 2. l. sine 29. ff. de verb. obl.* idque ex ratione legis *non ita 34. §. vltimo, ff. eodem tit.* nihilominus legatum alternatiuum vnum, & stipulatio alternatiua vna est, quia tantùm vna res est in solutione deducta, *d. l. si illud 27. ff. de legat. 2.* vnde est, quod in alternatiua obligatione vnum tantùm in effectu consequitur, nec requiritur, quod omnia concurrant ; quia hoc ita postulat natura, & proprietas verborum, à qua recedi non oportet, *l. non aliter, ff. de legat. 3.* Quare in disiunctiuis sufficit alterum probari, vel alterum verum esse, seu quod alterum adimpleatur, vt in præsenti textu docetur : & in hac parte alternatiuæ obligationis obseruandi sunt textus *in l. hæc scriptura 26. ff. de condit. & demonst.* iuncto Fabro *lib. 17. coniect. cap. 2. l. 1. §. sed si mihi, ff. de verb. obl. l. vlt. vers. prohibetur,* & *§. is qui, ff. qui & à quibus, l. si quando 109. §. 1. ff. de legat. 1. l. cùm vnus 10. ff. de aur. & argent.* iuncto Costa *1. select. cap. 4. l. si vnus 27. §. si stipulatus 6. ff. de pactis, l. si quis 43. ff. ex quibus causis maiores,* iunctis Cuiacio *ad Africanum ibi,* & *in d. l. si quando 109.* Larreatigui *lib. 5. select. cap. 5. num. 1. l. 5. §. 1. ff. depositi, l. si marito 9. l. quod si fundus 11. ff. de fund. dotali,* iuncto Cuiacio *ad Africanum ibi, l. tutor 23. ff. de testament. tutel. l. illud 25. ff. de constit. pecun.* iuncto Cuiacio ad Papinianum ibi, *l. cùm illud 25. ff. quando dies legati, l. Stichum 95. in princip. de solut.* iuncto Cuiacio ibi, ad Papinianum, *l. Stichum 55. ff. ad leg. Aquil. l. & per 13. §. si Stichum, ff. de acceptil. l. si id quod 15. ff. de duobus reis, l. 1. §. si fructuarius, l. item 9. §. finali, cum l. sequenti, l. si ex re 28. ff. de stipul. seruor. l. cùm ita 9. ff. de opt. legata.*

10. DE ALTERNATIVIS PERSONARVM.

Hactenus egimus de alternatiua rerum ; in alternatiua verò personarum, quam magis propriè adiunctiuam dicemus, non idem docent Interpretes, sed potiùs affirmant disiunctiuam in coniunctiuam resolui : ita tenuerunt in præsenti Ripa & Burgos *num. 23. & 29.* Rebuffus *in l. sæpe, ff. de v. s.* Euerardus *loco à natura alternatiuarum, limit. 1.* Grassus *de successione. §. legatum, q. 6. num. vltimo* : sed hoc indistinctè in omnibus alternatiuis personarum verum non est, sed in illis tantùm casibus, in quibus hoc ius nouiter statuit Iustinianus, *in d. l. cùm quidam 4.* ne dispositiones illæ fauorabiles propter incertitudinem vitiarentur, ex regula legis *item si, §. vlt.* cum *l. sequent. ff. de stipul. seruor.* vt rectè docuit Madera *suprà cap. 34.* namque extra illos casus aliquando alternatiua inter personas posita propriam naturam retinet, vt *in l. si ex toto 8. §. 1. ff. de legat. 1. l. si Titio 16. ff. de leg. 2.* & aliis congestis à Grasso *dict. num. finali.* Aliquando alternatiua personarum inutilem reddit actum, vt *in d. l. item, §. vlt.* quæ nequaquam corrigitur ex finalibus verbis, *d. l. cùm quidam* ; quia vt rectè notauit Barbosa *in l. Gaius 46. num. 20. ff. solut. matrim.* non ad principalem decisionem, nec principium legis referuntur ea verba, sed ad versiculum, *sin autem* ; quod immediatè antecedit, vt sensus sit ; quod in contractibus ius antiquum in alternatiuis personarum remaneat illibatum, quamuis contrarium intendat probare Gomez *2. tom. var. cap. 11. num. 20.* in fauorem autem dotis admittunt omnes, quod alternatiua posita inter personas, inutilem non reddit dispositionem.

11. DE ALTERNATIVIS CONDITIONVM.

In pluribus etiam conditionibus appositis disiunctiuè, sufficit alterum adimplere, siue sint casuales, siue potestatiuæ, *l. si hæredi 5. ff. de condit. instit. l. cùm pupillus 78. §. 1. ff. de condit. & demonst. l. generaliter 6. C. de instit. & substit. l. Lucius 85. ff. de hæred. instit.* Faber *lib. 5. coniect. cap. 19.* & *lib. 17. cap. 18.* Idem erit dicendum si diuersæ conditiones super eadem re non disiunctim, sed separatim in diuersis partibus apponantur, veluti si ex eadem parte Titius hæres instituatur sub conditione, si nauis ex Asia venerit ; & iterum in diuersa parte testamenti ex eadem parte hæres nominetur, si Mæuius Capitolium ascenderit : quia tunc ad exemplum disiunctiuæ satis erit alteram conditionem existere, *l. si plures 17. ff. de condit. instit. l. si ita solum 27. §. vlt. ff. de hæred. instituend.* quas sic accipiunt Viglius *in d. §. penult. Instit. de hæred. instit.* Cuiacius *in dict. l. si hæredi 5.* Ideoque cùm eo casu plures institutiones censeantur, existente conditione vnius, iam idem hæres purè, & sub conditione ex eadem parte reperitur ; ideoque prævalet institutio pura tanquam plenior, & conditionalis non attenditur : docent Cumanus, & Castrensis *in dict. l. si plures*, Peralta *in l. 3. §. vlt. num. 40. ff. de hæred. instit.* nec obstant textus *in l. sub diuersis 51. l. quod traditum 56. cum duabus sequent. ff. de condit. & demonst.* quibus satisfaciunt Cuiacius *in d. l. si hæredi*, Viglius, & Pichardus *in d. §. penult.*

12. DE ALTERNATIVA NEGATIVA.

Ex his velut manuducimur ad resolutionem illius quæstionis satis vexatæ apud Interpretes, vtrum videlicet in disiunctiua negatiuè concepta sufficiat alterum adimpleri, quemadmodum in affirmatiua ? Et nonnulli docent in negatiua necessarium esse neutrum fieri, per textum *in l. si ij qui 13. §. cùm ita, ff. de reb. dubiis*, vbi affirmatur, ita conceptâ stipulatione, *Si hominem, seu fundum*

non

non dederis, centum dabis ; neceſſariò vtrumque faciendum eſſe, & ideò ſiue alterum, ſiue neutrum factum ſit, committi ſtipulationem ; quod & affirmatur *in verſ.* 1. eiuſdem legis. Expendi etiam poteſt pro ea ſententia textus *in l. ſi ita quis* 135. §. *ea lege, ff. de verb. obl.* Ita tenent in præſenti Ioannes Andreas *num.* 18. Butrius *num.* 8. Panormitanus *num.* 2. Cardinalis *num.* 4. Sahagun *n.* 10. Barboſa *num.* 5. Rebuffus *in d. l. ſæpe*, Baldus *in l. generaliter*, *C. de inſtitut.* Cuiacius *in d. l. ſi is qui* 13. §. *cùm ita*, & *lib.* 5. *obſerv. cap.* 3. Goueanus *lib.* 2. *variar. cap.* 22. Oſualdus *ad Donellum lib.* 15. *cap.* 12. *littera K*, Faber *lib.* 17. *coniecturar. cap.* 18. Contrarium, videlicet ſufficere etiam in negatiua diſiunctiua vnum adimpleri, docent Decius *hîc, num.* 26. Felinus *num.* 16. Vranius *num.* 3. Burgos *num.* 23. plures laudati à Sahagun *num.* 10. Barboſa *in præſenti*, *num.* 5. & *de dictionibus*, *dictione* 46. *num.* 3. Donellus *in d. l. ſi ita quis* 63. *ff. de verb. obl.* Madera *animadu. cap.* 24. Facit pro eorum ſententia textus *in d. l. ſi quis ita* 129. necnon & illa ratio, quia quemadmodum vt verificetur diſiunctiua affirmatiuè concepta, ſufficit vnum fieri, quamvis alterum factum non ſit, quia verum eſt dicere illud, aut illud factum eſſe ; ita ad veritatem negatiuæ ſufficiet alterum non fieri, quamvis alterum factum non ſit. Alij in hac quæſtione diſtinguendum putant inter eum caſum, in quo agitur de obligatione inducenda, & ſtipulatione committenda, & inter eum caſum, in quo agitur de obligatione inducenda, nec committenda ſtipulatione. Priori caſu affirmant, quod quemadmodum in affirmatiuis ſufficit alterum fieri, ita in negatiuis ſufficit alterum non fieri ; & ita accipiunt textum *in d. l. ſi quis ita.* Poſteriore verò caſu, ſicut in affirmatiuis requiritur, quod vtrumque non fiat, ita in negatiuis vtrumque fieri oportet, ne obligatio inducatur, vt in exemplis propoſitis *in d.* §. *cùm ita.* Sed in hoc Interpretum diſſidio ego negatiuæ ſententiæ adhæreo, quam nouiter defendit Olanus *d. lib.* 1. *paral. cap.* 5. qui contrariæ ſententiæ fundamentis ſatisfacit : videndus eſt, nam nobis omnia proſequi nec vacat, nec libet.

13. In alternatiuis cuius sit electio.

Cùm ergo debitor alternatiuè obligatus, teneatur tantùm vnam rem præſtare, aut vnum facere ex deductis in obligatione, ſequitur, ipſum poſſe eligere quod maluerit præſtare ; quod pro regula traditum eſt, videlicet, in alternatiuis, debitoris eſſe electionem, & ſufficere alterum adimplere, quam exponunt prædicti Interpretes : nos autem proſequi nec licèt, nec liber. Obſeruandi tamen ſunt textus *in l. ſi id quod* 15. *ff. de duobus reis*, *l. cùm hæreditas* 5. §. *vlt. ff. qui & à quibus*, iuncto Fabro *lib.* 2. *coniecturar. cap.* 5. *l. te hominem* 32. *ff. de nouationib.* iuncto ipſo *lib.* 3. *coniecturar. cap.* 3. *l. adigere* 6. §. 1. *ff. de iurepatronatus*, iuncto etiam ipſo *lib.* 24. *coniecturar. cap.* 18. *l. pater*, *ff. de pactis dotalibus*, adhibito Coſta *lib.* 1. *ſelectar. cap.* 16. *l. inter* 51. *ff. de fideiuſſorib.* cum Fabro *lib.* 1. *coniecturar. cap.* 4. *l. & ius* 13. §. *ſi Stichum*, *ff. de acceptilat. l. ſi vnus* 27. §. *ſed ſi Stichus*, *ff. de pactis*, *l. non ſolùm* 7. §. 1. *ff. de liberat. legata*, *l. Lucius* 85. *ff. de hæred. inſtituend.* Fabro *lib.* 17. *coniecturar. cap.* 19. *l. vlt.* §. *vlt. ff. qui & à quibus*, *l. cùm vnus* 10. *ff. de aur. & argent.* cum Coſta *lib.* 1. *ſelect. cap.* 4. *l. ſi quis ſtipulatus* 43. *ff. ex quib. cauſ. maiores*, iuncto Cuiacio 7. *ad Africanum* ibi, *l. ſi quando* 109. §. 1. *ff. de legat.* 1. iuncto D. Martino de Larreatigui *lib.* 5. *ſelectar. cap.* 5. *l. quod ſi fundus* 11. *ff. de fundo dotali*, *l. illud* 25. *ff. de conſtituta pecunia*, *l. Stichum* 55. *ad leg. Aquil. l. quotiens*, §. 1. *ff. de optione legata*, *l. hæredes* 25. §. *ſin autem* 7. *ff. familiæ erciſcundæ*, *l. ſi quis argentum* 35. *C. de donationib.*

Quibus ſic animaduerſis, ratio præſentis deciſionis ex eo prouenit ; nam cùm natura diſiunctiuæ ſit diſiungere vnam rem ab alia, & facere & vnum ſufficiat adimpleri, vt verificetur diſpoſitio, ex ſuprà traditis ; indè cùm in reſcripto aliquid iubetur ſub diſiunctione alternatiuam inducente, ſufficit vnum adimpleri, nec neceſſum eſt, vt vtrumque in reſcripto comprehenſum verificetur : vnde in noſtro textu reſcriptum, quod continebat illas diſiunctiuas partes ſub diſiunctione, videlicet, ſi conſtaſſet eſſe ſacerdotis filium, vel Eccleſiam illicitè occupaſſe, cùm ſit alternatiuum, vnum tantùm ſufficit, videlicet, quod ſit ſacerdotis filius, vel illicitè occupaſſet Eccleſiam ; tunc enim altero probato, ſeu verificato, remouendus eſt ab Eccleſia ; cùm reſcriptum alternatiuum eſſet ſub diſiunctione expeditum, vt docent in præſenti Viuianus, Sahagun, & Vranius. 14. Traditvr ratio decidendi.

Nec difficultas ſuprà adducta obſtat ; nam omiſsâ illâ ſatis diffusâ quæſtione, vtrum reſcripta ſint ſtrictè, an latè interpretanda ; dicimus, reſcripta ſtrictè accipi, vel latè, cùm ſumus in dubio, nec ex verbis, aut intentione concedentis aliud apparet ; quia tunc interpretatio fit iuxta id quod veroſimilius eſt, & ſecundùm materiam, & qualitatem diſpoſitionis, ad quam diſponens magis attendere videtur, regulâ *inſpicimus* 45. *de reg. iuris in* 6. vnde cùm in reſcripto, vbi alternatiuè, id eſt ſub diſiunctione aliquid iubetur, expreſſa ſit voluntas concedentis reſcribere volentis, vt alterum tantùm adimpleatur, ideò aſſerimus in tali reſcripto ſufficere alterum adimplere, aut eſſe verum. Nec obſtat difficultatis augmentum deductum *ex d. l. penult. C. de v. ſ.* nam cùm apud veteres dubitaretur, an legatum, hæredis inſtitutio, ſeu tutoris datio propter nimiam incertitudinem in ea ſpecie vitiarentur, *l. duo* 30. *ff. de teſtam. tutela* ; an verò potior eſſet conditio occupantis, iuxta legem *ſi pluribus*, *ff. de procuratorib.* vel is præferri deberet, qui priori loco nominatus eſt. Tandem Iuſtinianus expoſis veterum ſententiis, ſtatuit melius viſum eſſe, diſiunctionem, *aut*, pro copulatiua, *&*, accipi, vt coniunctiuo modo diſpoſitio teſtatoris procedat. Alia plura circa eius textus interpretationem adducunt Raguellus, Linglois, & Merillius *ibi*, Olanus *dict. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. & *cap.* 8. Nec obſtat dicta lex *generaliter* 6. fauore enim filiorum iam temporibus mediæ Iuriſprudentiæ receptum erat, vt diſiunctiua reſolueretur in copulatiuam, *l. Lucius* 85. *ff. de hæred. inſtit. l. ex facto* 43. *ff. de vulgari*, *l. cùm auus* 102. *ff. de condit. & demonſtrat. dicta l. ſi is qui ducenta* : latè & alia proſequens docet Olanus *dict. lib.* 1. *cap.* 8. *&* 9. Nec maiorem difficultatem continet textus *in dicta l.* 30. ibi enim dictio, *ſeu*, alternatiuam non inducit, quia fuit adiecta à teſtatore, non animo diſiungendi res legatas, ſed potiùs ampliandi legatum ; cùm enim legaſſet mundum muliebrem vxori, adiecit, *ſeu quæ eius causâ paraui*, ampliandi animo, vt quæ appellatione mundi muliebris, & in eo continebantur, expreſſis verbis relinqueret. Docuerunt Cuiacius *lib.* 26. *obſerv. cap.* 34. Coſta *lib.* 1. *ſelect. cap.* 4. Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 5. Eadem ratione *in dict. l. ſi is*

15. Respondetvr difficvltatibvs.

qui

qui ducenta, §. *finali*, ſubſtitutio ita concepta, *Si quis mihi filius gignetur* (ſeu *genitum*, vt vult Fornerius *lib. 5. rerum quotid. cap.* 20.) *hæres mihi eſto*; *ſi mihi filius aut filia hæres non erit*, *Seius hæres eſto*, non verificatur ſi filius non ſit hæres, licèt filia ſit; ſed deſideratur vt tam filius, quàm filia hæredes non ſint. Id enim procedit, quia ex tacita voluntate teſtatoris diſiunctiua filiorum reſoluitur in coniunctiuam, ne videatur teſtatorem voluiſſe propriæ poſterjtati extraneum ſubſtitutum præferre, vt Donellus & Gothof. ibi animaduertunt. Nec vltimum augmentum difficultatis refragatur, nam licèt Madera *animadu. cap.* 11. intendat etiam in alternatiua legis diſiunctiuam conſeruari, verius tamen eſt, in diſiunctiuam reſolui, & præſentem regulam limitari in alternatiuis legis. Nec tunc obſtat difficultas ſuprà perpenſa; nam reſcripta non ſunt leges generales, licèt quoad partes pro legibus obſeruentur; vnde diſiunctiua in eis non conuertitur in coniunctiuam, vt in legibus generalibus.

16. EXPONITVR CAP. OLIM 25. HOC TITVLO.

Sed adhuc præſenti aſſertioni obſtat textus *in cap. olim* 25. *hoc tit.* vbi proponitur, Petrum Clericum detinuiſſe Parochiam de Salice, quam R. dicebat ſe canonicè adeptum fuiſſe: ipſe impetrauit literas ad Abbates Saginenſem & Vallis Regiæ. Qui iudices delegati cùm partes ter citarent, Petrus nec per ſe, nec per reſponſalem, hoc eſt, procuratorem, *cap. cùm olim, cap. ex parte*, *de priuil. l. ſed etſi*, *ff. de pactis*, comparere voluit; quare ipſum excommunicarunt propter contumaciam, & fructus beneficij ſequeſtrarunt. Demùm Petrus comparuit, & abſolutus fuit; & cùm iudices illi aſſignarent diem, & locum in quo ſtaret promiſſis; ipſe ex litteris à iudicibus datis abraſit diem & locum, & in raſuræ loco appoſuit, quod illi fructus ſequeſtrati reſtituerentur, quo facto falſitatem commiſit; nam falſum committitur, quando amouendo aliquid per raſuram, aliud ibi ſcribitur, *cap. licèt*, *de crimine falſi*; & hoc confeſſus fuit coram iudicibus, qui totam facti ſeriem R. Pontifici retulerunt. Quibus cognitis Pontifex reſcripſit dictis iudicibus, vt ſi ita eſſet, Petro perpetuum ſilentium imponerent, & R. Eccleſiam adiudicarent. Sed cùm iudices delegati adhuc dubitaſſent, vtrum non ſolùm falſitas, verùm etiam detentio Eccleſiæ, & alia ſuprà relata eſſent probanda, vt ab Eccleſia Petrus amouerètur, conſuluerunt iterum R. Pontificem, qui decreuit omnia eſſe probanda, nec ſufficere vnum verum eſſe. Ex quo textu expreſsè deducitur, in reſcriptis diſiunctiuè conceptis non ſufficere vnum verum eſſe, ſed omnia probari debere. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, in eo textu non ſufficere vnum verum eſſe, ſed omnia eſſe probanda; quia cùm clauſula, *ſi ita eſt*, in ipſo reſcripto adiecta fuiſſet, ad omnia in eo contenta referri debuit, quod proprium eſſe ipſius clauſulæ docent plures congeſti à Barboſa in eo textu. Accedit, nam in reſcripto ibi relato Pontifex non fuit vſus dictione diſiunctiua, imò potiùs generali clauſula, *ſi ita eſt*; quæ ad omnia refertur: quare rectè Pontifex decreuit omnia probanda eſſe, nec ſufficere vnum verum fuiſſe.

17. EXPONITVR CAP. MANDATO 10. DE PRÆB. LIB. 6.

Deinde præſenti aſſertioni opponitur textus *in cap. mandato* 10. *de præb. lib.* 6. vbi proponitur reſcriptum Apoſtolicum gratiæ conceſſum fuiſſe, vt certus Prælatus conferret beneficium Petro, cuius beneficij collatio ad ipſum, vel ad alium pertineret. Simul vacarunt duo beneficia, quorum vnius collatio ſpectabat ad ipſum executorem literarum, alterius verò ad alium; quæſtio fuit, an executor literarum poſſit adimplere Pontificis iuſſum conferendo beneficium, cuius collatio ad alium ſpectabat? Et reſpondet Bonifacius VIII. ſcripturæ ordinem in ipſo reſcripto eſſe ſeruandum, & non poſſe executorem literarum adimplere Pontificis præceptum conferendo beneficium, cuius collatio ad alium ſpectabat: ex quo textu expreſsè deducitur, in reſcripto diſiunctiuè concepto non ſufficere alterum adimpleri, vel tantùm aliud verum eſſe. Pro cuius textus expoſitione ſciendum eſt, quod quamvis generaliter verum ſit, diſiunctiuam non conuerti in coniunctiuam, nec ſcripturæ ordinem ſeruari; hoc tamen procedit, niſi mens diſponentis, ſeu materia ſubiecta contrarium ſuadeant, aut iniquitas non ſequatur, ſi alternatiua ſuam naturam retineat; tunc enim reſoluitur in coniunctiuam, vt docent Bartolus *in l. Gallus*, §. *quidam rectè*, *num.* 4. & 6. Iaſon *ibi num.* 23. *ff. de liberis & poſthumis*, Tiraquell. *in l. ſi vnquam*, *verbo Suſceperit*, *num.* 42. *C. de reuocandis*, Suarez *alleg.* 27. Menchaca *de ſucceſſion. progreſſ.* §. 4. *num.* 7. & 8. Madera *ſuprà*, *cap.* 33. Exempla peti poſſunt, primum *ex l. cùm pater*, §. *à te peto*, *ff. de legat.* 2. *l. hæredes mei*, §. *vlt. ff. ad Trebel.* vbi quamvis aliàs alternatiua poſita inter perſonas honoratas reſoluatur in coniunctiuam, *l. penult. C. de v. ſ.* nihilominus ſeruatur ordo ſcripturæ, quia inter perſonas nominatas diſpar affectionis ratio erat, ob quam alternatiua, de qua ibi, dicitur alternatiua ordinis; quia inter eas perſonas apponitur, inter quas cadit ordinata affectio. Ita docuerunt in præſenti Felinus *num.* 4. Decius *num.* 39. Ripa *num.* 50. Burgos *num.* 30. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. Peregrinus *de fideicommiſſ. art.* 18. *num.* 24. inde reſoluentes, quod ſi in maioratûs fundatione caueatur, vt ſuccedat filius, vel filia maior, adhuc præferendus eſt filius etiam minor, quamvis filia maior exiſtat; quod etiam tenent Antonius Gomez *in l.* 40. *Tauri*, *num.* 62. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 5. *num.* 5. Gamma *deciſ.* 337. *ex num.* 11. Secundum exemplum proponitur *in d. cap. mandato*, in cuius ſpecie in diſiunctiua ordo ſcripturæ ſeruatur, quia ratio grauaminis poſtulabat, vt Epiſcopus grauatus beneficium conferre, potiùs illud, cuius collatio ad eum ſpectabat, conferret, quàm illud cuius collatio ad alium pertinebat; & ſic in eo reſcripto ſeruatur ordo ſcripturæ, vt docuerunt Gloſſa ibi, & in præſenti textu, vbi Felinus *num.* 4. *verſic. fallitur* 1. Decius *num.* 39. Burgos *num.* 30. Additionator Panormit. *litera G.* Etiam expendi poteſt textus *in cap.* 2. *hoc titulo*, iunctis ibi notatis.

CAPVT V.

Idem [a] *Rauennati* [b] *Archiepiſcopo.*

SI quando aliqua tuæ fraternitatis dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes, neque moueri, aut credere quod perſonam tuam contemptibilem velimus reddere, vel deſpectam: quia te ſicut chariſſimum fratrem noſtrum, & immobilem columnam Eccleſiæ affluentiſſimâ charitate diligimus, & honoris, & exaltationis tuæ deſideramus modis omnibus incrementum. Nam etſi ſæpe fratribus, & Coepiſcopis noſtris ſecundùm varietatem eorum, quæ nobis ſuggeruntur, aſperè, & durè ſcripſimus; hoc tamen non ex minori affectione contigit, ſed vt clamoribus querelantium ſecundùm Deum, & officij noſtri debitum ſatisfacere comprobemur. Quapropter monemus prudentiam tuam, & exhortamur attentiùs, quatenus de cætero non mouearis, neque turberis, nec tuus animus deiiciatur, ſi tibi durum, vel aſperum ſcripſimus; ſed ſicut vir prouidus & diſcretus, qualitatem negotij, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum [b] reuerenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas: quia patienter ſubſtinebimus, ſi non feceris quod prauâ nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.

NOTÆ.

I. RAVENNÆ DESCRIPTIO.

[a] *Rauennati.*] Ita etiam legitur *in* 1. *collect. ſub hoc titulo, cap.* 5. Rauenna inter nobiliores Italiæ ciuitates numeratur apud veteres Authores, ob veterrimum portum vbi Auguſtus claſſem ad tutelam maris collocauit, Suetonius *in eo, cap.* 49. Tacitus *lib.* 4. *annalium*, Vegetius *lib.* 4. *de re milit. cap.* 31. ex eis & aliis notauit Sauarus *ad Sidonium lib.* 1. *epiſt.* 4. Strabo *lib.* 5. in paludibus priùs ſitam fuiſſe refert, & fundatam à Teſanis, à quibus Sabini acceperunt: Auguſtus eam muris circumdedit: Alaricus Logobardorum Rex illam exornauit: Theodoricus in ea Regiam ſedem fixit. Variorum experta eſt dominatum; Romanorum, Eurorum, Oſtrogothorum. Iuſtinianus ſupremum in ea inſtituit Magiſtratum, cuius munere fungebantur Exarchi ab Oriente miſſi; quod munus durauit vſque ad tempora Imperatoris Leonis III. Aſtulphus Rex Longobardorum eam occupauit, ſed compellente Pepino Gallorum Rege R. Pontifici reſtituit, cœpitque cenſurâ Pontificiâ adminiſtrari; poſteà à Longobardis occupata, iterum in ditionem Eccleſiaſticam rediit, vt refert Vghellius *tom.* 2. *Italiæ, fol.* 325. Iam à temporibus S. Apollinaris Eccleſiâ Cathedrali decorata eſt, quæ poſtea in Metropolin erecta fuit. Zoſimus *lib.* 3. *Rauenna Metropolis, Flaminiæ vrbs primaria.* Et Hieronymus Rubeus *lib.* 2. *hiſtor. Rauennat.* refert à Valentiniano III. hunc honorem accepiſſe, tradens priuilegium ipſum ex vetuſtis membranis: ſed meritò de eius fide poſt Baronium dubitat Carolus à S. Paulo *lib.* 1. *Geograph. ſacræ, fol.* 44. qui probabile eſſe tradit, Rauennatenſem Eccleſiam iam tempore Leonis Magni à Mediolanenſi iuriſdictione abſtractam, Metropolin fuiſſe. Illud non omittam, primis eius temporibus columbam è cœlo delapſam, eius Eccleſiæ Præſules diuinitus monſtraſſe, vt refert Vghellius *vbi ſuprà.* Gerardo eius Eccleſiæ Præſuli ex anno 1172. vſque ad annum 1182. miſſa eſt præſens epiſtola: & quia ſæuiſſimis illis temporibus pro Alexandro III. acriter pugnauit contra Antipapas, Columna Eccleſiæ in præſenti appellatur. Eius Eccleſiæ mentio fit *in cap.* 3. *de poſtulat. Prælat. cap. cauſa* 8. *de elect. cap.* 4. *de corp. vitiat.*

2.

b *Reuerenter adimpleas.*] Alioquin punitur reſcripto non obediens, *l.* 5. *C. de diuerſis reſcriptis*, iure ciuili, vel ad arbitrium Præfecti Prætorio, vel ipſius Principis, vt colligitur *ex l. aliud* 131. §. 1. *ff. de v. ſ.* aut mulctâ triginta librarum auri, *ex l.* 2. *C. de legib.* Si ex contemptu ſit inobediens, maior eſſe debet pœna, iuxta illud Prudentij *in Rom. mart.*

——— *Solue pœnam ſanguinis:*
Spreuiſſe leges, reſpuere eſt Principem.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO ILLVSTRATVR.

EX præſenti textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Si reſcriptum Principis contineat aliquid contra ius expreſſum, aut ex cuius executione ſcandalum ſequatur, reuerenter eſt accipiendum, in eius tamen executione ſuperſedendum, donec Princeps conſulatur.* Probant eam textus *in cap. memoriam* 3. 14. *diſt. cap.* 1. 31. *diſt. cap.* 1. 40. *diſt. cap. nomen* 2. *q.* 5. *cap. contra mores* 3. 100. *diſt. cap. quid ergo*, 49. 11. *q.* 3. *cap. quid culpatur* 4. 23. *q.* 1. *cap. cùm apud* 11. *q.* 1. *cap. manet* 24. *q.* 1. *cap. ſententiam* 35. *q.* 9. *cap. cùm contingat, hoc tit. cap. niſi*, §. *pro graui, de renunc. cap.* 2. *de offic. delegat. cap. ex litteris* 4. iuncta gloſſa, *verbo Supplicauit, de in integ. reſtit. cap. licèt, de for. compet. cap. paſtoralis, de fide inſtrum. cap. cùm teneamur* 6. *de præb. cap. litteras, de reſtit. ſpol. l. omnes, finali, C. ſi contra ius, l. ſi quis aduersùs, authent. quæ ſupplicatio, C. de precibus Imperatori, l. vnica, C. de offic. Præfect. Prætor. authent. de mandatis Principum*, §. *deinde competens, authent. vt nulli iudicum*, §. *& hoc verò iubemus.* Conſonant de iure noſtro patrio lex 17. & 19. *tit.* 23. lex 6. *tit.* 24. *partit.* 3. lex 5. *tit.* 12. *lib.* 3. *ordinamenti*, lex 1. *tit.* 14. lex 1. & 2. *tit.* 19. *lib.* 4. *recopilat.* lex 11. *tit.* 14. *lib.* 2. *recopilat.* Illuſtrant plures ex antiquioribus, congeſti à Couarr. *in practicis cap.* 35. *num. vlt.* & in regula *peccatum, in principio, num.* 5.

num. 5. de regul. iuris lib. 6. & lib. 2. variar. cap. 8. num. 1. Ex practicis plures laudati à Cenedo *collectanea 30. ad Decretales*, quibus addendi sunt Anguianus *lib. 1. de legibus, cap. 5.* Salgado *de supplicatione, p. 1. cap. 1.* Salcedo *lib. 2. de leg. politic. cap. 3.* Roa *de iuribus principalibus, q. 1. num. 20. & 30.* Vranius & Petrus Gregorius *in præsenti*, idem *lib. 2. de rescriptis, cap. 51.* Fragoso *de regimine 1. p. disput. 2. §. 4.* Solorzano *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. cap. 8. num. 51. & lib. 4. cap. 10. num. 41.* Marquez *in Gubernator. lib. 1. cap. 10.* Mancinus *genialium cap. 246.* Cochier *lib. 2. thesauri, cap. 2. in notis*, Cironius *lib. 1. observat. cap. 14.* Arias de Mesa *lib. 2. variar. cap. 36. num. 2.*

4. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed in hanc assertionem ita illustratam, pro ratione dubitandi ita insurgi potest : Principis mandatis rescriptis comprehensis omninò parendum est, *cap. in memoriam, 3. 14. dist. cap. 1. dist. 31.* Probant latè Fragoso *dict. lib. 1. disput. 2. §. 4.* Solorzanus *dict. cap. 19. num. 41.* ita vt de eius potestate dubitare proximum sit sacrilegio, vel de eius præcepto, prætextu supplicationis, tergiuersari, *l. 1. C. vt ordo dignit. lib. 12. l. sacrilegij 5. C. de diuers. rescript. l. 3. C. de crim. sacril.* Rojas *de succession. cap. 23. num. 66.* Padilla *in l. 3. C. de diuersis rescriptis*; à quibus hæc lex tertia barbarè allegatur ad hoc probandum; emissa enim fuit super electionibus à Principe factis non taxandis, cui occasionem præbuit Symmachus *in epist. 30. lib. 10.* vt notauit Mendoza *de pactis lib. 1. cap. 5. q. 1.* Nec interest, quod rescriptum quid durum, aut à ratione alienum contineat, quia sufficit, quod ita scriptum sit, *l. prospexit, ff. qui & à quibus :* igitur non rectè asserimus, licere in executione rescripti Principis supersedere. Augetur hæc difficultas ex eo; nam si rescripta contra ius concessa, non mandarentur executioni, frustrà impetrarentur; siquidem rescripta iuri consona necessaria non sunt, ex illa vulgari regula, *Frustrà precibus impetratur, quod iure communi conceditur; l. quæ, 8. §. vlt. ff. de condition. instit. l. vnica, C. de thesauris, lib. 10. cap. in his 30. de priuilegiis :* vnde passim in Pandectis reperiuntur contra ius impetrata, vt *in l. Imperator 8. ff. de postulando*, iuncta lege *ad tempus 5. ff. de decur. l. 4. ff. de iurepatron. l. 3. ff. de interd. & releg. l. rescriptum 10. ff. de pactis*, iuncta lege *si præcedente 58. §. Lucius, ff. mandati, l. 2. ff. de bonis eorum*, iuncta lege *eius 29. ff. de iure fisci, l. constitutionib. 33.* iuncta lege *omne, ff. de oblig. & act. l. 1. §. si cohæredi, l. 3. §. quamvis, ff. ad leg. Falcid. l. moris 9. §. vlt. ff. de pœnis, l. qui pœnæ 8. ff. de manumiss.* notauit Arias à Mesa *lib. 1. var. cap. 39. num. 33.* Igitur cùm proprium sit rescriptorum aliquid contra ius inducere, non debet in eorum executione supersederi, quia aliquid à iure alienum contineant. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex eo; nam si liceret in executione rescripti supersedere eo prætextu, quòd contra ius aliquid contineret, liceret etiam executionem differre secundi rescripti post factam supplicationem primi, cùm detur eadem ratio : sed non licèt supersedere in secundi rescripti executione post supplicationem à primo interpositam, *authent. vt determinatus sit numerus, §. vltimo, versicul. Contradicere, leg. 29. tit. 18. partit. 3.* Anguianus *lib. 1. de legibus, cap. 5.* ergo nec à primo rescripto licet supplicationem interponere, suspensa eius executione.

5. Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ, non obstante, vera est præsens assertio, videlicet Principum rescripta reuerenter esse suscipienda, tam à partibus, qui ea impetrarunt, quàm à iudicibus, quibus diriguntur, ex præsenti textu ibi, *reuerenter : cap. sciscitatus 13. cap. edoceri, 21. cap. Abbatem 40. hoc titulo.* Concil. Romanum sub Gelas. I. ibi : *Decretales epistolas, quas B. Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma pro diuersorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter esse custodiendas.* Quare rescripta Principum, Sacræ Litteræ vocantur *in l. vnica, C. Theodos. de mandat. Princip. leg. 5. C. de iure fisci, l. vltim. C. de longi temp. præscript. leg. 10. C. Theodos. de his qui super rel. l. 20. C. Theodos. de hæreticis.* Sacri affatus, *in l. 6. C. Theodos. de diuers. rescript.* Cælestia Oracula, *in l. iubemus, C. de sacros. Eccles. l. 4. C. de legibus.* Qui verò irreuerenter, & sine honore debito rescriptum Principis suscipit, amissione bonorum mulctatur, & verberibus castigatur in legibus Longobard. *lib. 7. tit. 1. in capitul. Caroli, lib. 4. cap. 3.* apud nos amissione bonorum, & exilio plectitur, *l. 11. tit. 13. partit. 2.* Honor autem etiam consistit in osculatione ipsarum litterarum; rescripta enim Principum, pro salutatione, & reuerentia moris fuit omni tempore labris admouere. Paulus Diaconus *lib. 16. Cum autem susciperet Imperatoris sacrum, osculatus est signaculum.* Quod ea ratione factum credi potest, quia cùm in bulla, quâ signatæ sunt litteræ Imperatorum, vultus & icones ipsorum expressi essent, religionis causâ, quam in ipsis simulachris inesse existimabant, ea osculabantur. Vnde sacri vultus, quos populus salutare & osculari solebat, labrata dicebantur, *l. 1. C. publicæ lætitiæ vel consul.* obseruauit Cironius *lib. 1. observat. cap. 14.* sed potiùs legendum est in eo textu, *laurata*; nam Imperatores imagines suas laureatas ad Prouincias mittebant, *eclog. 56. Basilic.* Gregorius Dialogus *in epist. 1. ad Leonem Isaurum :* ita emendauit Meursius *in glossario, verbo Lauratam :* videndi sunt Cuiac. & Gothof. *in d. l. 1.* Bulengerus *lib. 2. de Imperat. cap. 5.* Accedit, nam adorare propriè est ad os admouere, iustus Lypsius *in elect.* Baronius *in martyrolog. die 17. Februarij :* vnde adorare purpuram dicitur, qui eam osculatur, *leg. 1. C. de apparit. Præf. Prætor. lib. 11. l. si quis seruum 7. C. qui milit. possunt, eod. libro, l. fin. C. de Principibus agentium in rebus, eodem libro, l. 2. C. de Primipilo, eod. lib.* Pancirol. *lib. 1. memorab. tit. 46.* vbi plura Salmut. Inde cùm antiqui adorarent imagines & simulachra Imperatorum, eorum rescripta bullis signata osculabantur, quod maiori cum ratione obseruatur in rescriptis Pontificiis, in quibus sacri vultus SS. Apostolorum Petri & Pauli exprimuntur. Innocentius III. *lib. 1. epist. 133.* illustrarunt Cironius *dict. cap. 14.* Salgado *de retentione bullarum, 1. parte, cap. 3. à principio.*

TRADITVR RATIO DECIDENDI.

6. PROSEQVITVR EADEM RATIO.

Sed si rescripta Principis contineant aliquid à ratione alienum, aut ex quo scandalum sequatur, debent reuerenter suscipi; sed personæ quibus diriguntur, supersedere in eorum executione debent, & ipsum consulere; nam Princeps rescriptum concedendo, tacitè complectitur eam conditionem, *Nisi iusta adsit causa supersedendi in eius executione :* quare similes iudices supersedentes, licèt verbis Principis non obediant, menti tamen eius obtemperant. Abbas *in præsenti, num. 2.* Ripa *num. 2.* Cardinalis *quæst. 1.* Accedit, nam quando Princeps aliquid in rescripto

complectitur

complectitur contra bonos mores, aut ius tertij, per importunitatem, aut mendacium, magis quàm ex propria voluntate reſcripſiſſe intelligitur, *cap. finali, hoc titulo in 6.* aut per nimiam occupationem, extra voluntatem in ipſis litteris irrepſiſſe, *cap. 2. hoc titulo, cap. cùm ex litteris, de in integrum reſtitut. cap. cùm olim*, ibi: *Sicut creditur circumuentus. hoc tit.* Quod agnoſcentes quamplures Principes, ſtatuerunt, ne ſubditi parêrent eorum præceptis, ſi quid in litteris, quæ ipſorum nomine ſcriberentur, eſſet quod ipſorum legibus aduerſari videretur, crederentque ipſis ignaris huiuſmodi litteras emanaſſe: & Reges Ægyptiorum Iudices ſuos iureiurando adigebant, vt ſi quid iuberent, quod iniuſtum eſſet, nullo modo iuxta illud ius dicerent. De Antiocho Rege Aſiæ, & aliis idem referunt Cochier *lib. 2. theſauri, cap. 2.* Vfelius *in notis ad Couarr. lib. 1. cap. finali*, vnde praxim ſupplicandi Romanum Pontificem cùm bullæ expediuntur contra Concilium Trident. & interim ſuperſedendi in executione ipſarum bullarum, probant Salgado *dicta 1. p. de ſupplicatione, per totam.* Salcedo *lib. 2. de lege politica, cap. 3.* Caueant tamen qui hoc prætextu intendunt retentionem bullarum ex priuatis commodis, quando in eis contra ius, aut vnde ſcandalum oriri poſſit, aliquid conceditur, aut diſponitur. De obligatione autem ſupplicandi, & quando ſit ex lege charitatis, vel ex lege iuſtitiæ, agunt Marquez *in ſuo gubernat. lib. 1. cap. 10.* Primarius noſter Balboa *in libello ſupplici contra pragmaticos, concluſ. 1. & 2.*

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec dubitandi ratio ſuprà propoſita refragatur; licèt enim verum ſit, Principi eſſe obediendum, id procedit dum iuſta, & legibus conſona præcipit, & tunc illi non parêre, graue nefas eſt, *l. 2. Cod. de deſertor. lib. 11.* ſecus ſi expreſsè iniuſtum præcipiat, *l. omnes, Cod. de appellat.* non enim Principi aut Magiſtratibus iniuſtum præcipientibus parendum eſt, *l. nec Magiſtratibus, ff. de iniuriis:* pluribus relatis probat Fragoſo *dict. diſput. 2. §. 4.* ſed reuerenter ſimilia præcepta ſuſcipienda ſunt, & ſuſpensâ eorum executione, Princeps ipſe conſulendus eſt, vt in præſenti textu docetur. Nec primum augmentum ipſius difficultatis obſtat; pro cuius ſolutione ſciendum eſt, Principes de iure reſcribere in dubio credi, *l. 2. Cod. de diuerſ. reſcript. l. reſcripta 7. C. de precibus Imperat. l. vltima, Cod. de edendo*, & ab ipſo iure communi reſcripta interpretationem accipere, *cap. cauſam 18. hoc titulo, cap. licèt 32. de præb. cap. ſuper eo 15. de offic. deleg. l. ſi quando 35. Cod. de inofficioſ.* Salgado *de ſupplicat. p. 4. cap. 14. num. 183.* Menochius *lib. 2. de præſumpt. cap. 9.* Tuſchus *littera R. concluſ. 201.* imò & reſcripta cum ipſo iure communi coniunguntur, *l. falſa 33. ff. de condit. & demonſtrat. l. 4. §. contra, de doli except. l. 1. §. ergo, ff. nihil innouar. appellat. pend. l. ab executore 5. Cod. quorum appellationes.* Quare vt reſcripta ſecundùm ius Imperatores ederent, cum conſilio Iureconſultorum plerumque reſcribebant, vt conſtat *ex l. ſi debitor 7. l. ait Prætor 10. §. 1. ff. quæ in fraud. l. Plautius 49. ff. ad leg. Falcid. l. reſcriptum 10. ff. de diſtract. pignor.* Plura Bertrandus *de Iuriſperitis, in vita Papiniani & Vulpiani*, Petrus Gregorius *lib. 6. ſyntagm. cap. 8. numer. 5.* Guterus *lib. 1. de officiis domus, capit. 17.* Cuiacius *ad titulum Cod. de comitib. conſiſt.* Gothofredus *in l. finali, Cod. de officiis diuerſ.* Si autem reſcripta contra ius impetrentur, tanquam contra Principis voluntatem impetrata, executioni mandari non debent, *cap. reſcripta 25. quæſt. 2. l. iubemus, Cod. de Præpoſit. ſacr. cubicul. lib. 12. l. omnes 6. Cod. ſi contra ius, l. præſcriptio 6. Cod. de operibus public. l. vnica, Cod. de ſenatuſconſult. l. 2. Cod. de canone frum.* Facit Tiberij Cæſaris ſententia apud Nicephorum Calliſt. *lib. 1. hiſtor. ſacr. cap. 17.* his verbis: *Si quid contrarium legibus per epiſtolam iuſſero, nolite parêre, ſed me ignoratione lapſum creditote.* Conueniunt maximè Theodorici verba apud Caſſiodorum *lib. 2. epiſtol. 17.* Non ſolùm ergo reſcripta damnoſa fiſco, ſed quocumque modo publicis legibus contraria, viribus non ſubſiſtunt, *l. nec damnoſa 3. Cod. de precibus Imperat. nouella 82. Iuſtin. cap. 13.* nam quoties contra ius reſcriptum impetratur, ſubreptio impetrantis arguitur, *l. iubemus 10. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l. petentibus 43. Cod. Theodoſ. de operib. public. l. ſi quis 47. Cod. Theodoſ. de hæretic.* nouella Valentiniani, quæ deſideratur ſub titulo Codicis Theodoſ. *in damnum public. non val. reſcript.* idque indicant illa verba dictæ legis *reſcripta 7. Damnabili ſubreptione reſcriptum, & fraudulentum intelligitur*; quapropter authoritate caret, *l. 6. Cod. Theodoſ. de hæret.* Nec obſtat, quod ex variis iuris locis probabamus, frequenter reſcripta aduerſus leges concedi, & valere; nam dicendum eſt, tunc reſcripta contra ius conceſſa non valere, quando alium lædunt; ſecus verò ſi proſint petenti ſine alterius damno, vt quando reis ſupplicantibus gratia indulgetur, *dict. l. reſcripta, l. 7. titul. 5. lib. 2. Baſilic.* ibi: *Valet reſcriptum contra ius elicitum, ſi non lædat alium, vel ſi crimen ſupplicantibus indulgeat.* Poteſt enim & boni Principis eſſe legem abrogare, aut ſuſpendere, non verò in iniuriam beneficia tribuere, *l. 4. Cod. de emancip. liber. l. ſi donationem, Cod. de reuoc. donat.* ſicuti nec in damnum vtilitatis publicæ, *l. 7. Cod. de procurat.* Diſertiſſimè hac de cauſa Symmachus *lib. 10. epiſt. 40.* Cùm in cauſa Ionij viri Patricij, qui reſcriptum ſpeciale Imperatoris Theodoſij impetrabat aduerſus iura Medicis conceſſa ab Imperatore Valent. *in l. ſi quis 10. Cod. de profeſſ. & med. l. 9. Cod. Theodoſ. eodem*; negotium ipſi Imperatori diffinien-dum tam ipſe, quàm Medicorum collegium curarunt: *Quoniam potiſſimi*, ait, *inter venerationem legis, & noui beneficij reuerentiam iudicare non auſi.* Et infrà: *Quare motus ambiguis, & neque D. genitoris veſtri auſus rumpere ſanctionem, neque obuiam ſpecialibus venire præceptis, diuino arbitrio numinis veſtri, ſubditis allegationibus partium, ſummam negotij reſeruaui.* Nec augmentum ſecundum obſtat, pro cuius ſolutione diſputant Interpretes, vtrum poſt ſecundum reſcriptum iterum locus ſit ſupplicationi, vt videre eſt apud Anguianum *lib. 1. de legib. cap. 5.* qui latè quæſtionem pertractat, & prædictæ difficultati ſatisfacit.

8.

Sed ſuprà traditæ aſſertioni apertè opponitur textus *in cap. Paſtoralis 28. §. quia verò, de*

EXPONITVR TEXTVS IN CAP. PASTORALIS, §. QVIA VERO, DE OFFIC. DELEG.

offic. deleg. in illis verbis: *Etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem.* Ex quibus verbis depromitur, ordinarium iudicem iussum per litteras iudicis delegati exequi sententiam à se prolatam, teneri eam executioni mandare, etsi sciat iniustam esse: ergo & rescriptum, quamvis iniquitatem contineat, debet exequi. Pro huius textus expositione plura cumularunt Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 1. Suarez *de censuris disput.* 3. *sect.* 5. *num.* 1. Anguianus *dict. cap.* 5. Balboa *in cap.* 5. *de iudiciis*, Hottomanus *illustrium quæst.* 27. Babadilla *lib.* 2. *politic. cap.* 10. Bronchorst. *centuria* 1. *assertione* 14. & nos plura dicemus, Deo annuente, in eius commentario. Nunc pro solutione difficultatis dupliciter responderi potest: primò si attentè perpendamus diuersos casus decidi in præsenti textu, ac in dicto §. *quia verò*; etenim cùm plerumque accidat, multa à Pontifice extorqueri propter nimias petentium suggestiones, quæ ob negotiorum molem rimari non possunt, indeque proueniat plura concedi non concedenda, *cap. si aliquando* 41. *de sentent. excom.* meritò eo casu executor dubitans, quænam fuerit voluntas concedentis, si agnoscat superiorem re maturiùs consideratâ oppositum eius, quod iussit, & rescripsit, responsurum, vt plerumque contingit, *cap. finali, in principio, de rescriptis in* 6. *l.* 1. *Cod. de petit. bonor. lib.* 10. tunc debet executor supersedere in rescripti executione, superioremque consulere, ex præsenti textu; diuersum autem est quod docetur *in dict.* §. *quia verò*, vbi sententia, de qua agebatur, iusta erat, inspectâ publicâ actorum fide; iniusta verò secundùm priuatam executoris scientiam; quo casu cùm is, vtpote publicus minister, hanc deponere, & illam sequi teneatur, vt probant Caietanus 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 1. *num.* 10. quibus adstipulatur sententia communi calculo recepta, videlicet, iudicem teneri iudicare secundum ea, quæ in iudicio allegantur & probantur, *l. illicitas*, §. *veritas, ff. de offic. Præsidis, cap. iudicet* 3. *quæst.* 7. *l.* 10. *tit.* 17. *lib.* 4. *recop.* probant latè Couarr. *dict. cap.* 1. vbi plures referunt, Vfelius, & Farias, Alber. Gentilis *in notis ad apolog. Apulei, fol.* 4. Cuiacius *lib.* 12. *obseru. cap.* 19. Donellus *lib.* 26. *comment. cap.* 3. Cenedus *ad decretales collect.* 101. *num.* 11. non immeritò *in dict.* §. *quia verò*, docetur iudicem ordinarium omninò esse cogendum sententiam delegati exequi, etiamsi iuxta priuatam scientiam credat esse iniustam. Secundò responderi potest, quod etsi *in dict.* §. *quia verò*, priuata executoris scientia sententiæ executionem non impediat, attamen si probabiliter in executione magnum scandalum timeatur, cui non aliter consuli potest, quàm supersedendo in executione, teneri executorem supersedere, iuxta præsentem textum, quod satis patet ex vltimis verbis ipsius §. *quia verò*, ibi: *Nisi apud eum efficere potest, &c.* quæ sunt referenda ad eum casum, in quo negotij qualitate perpensâ causa rationabilis subest, quare exequi mandatum non possit; non verò quando sola interuenit iniustitiæ priuatæ scientia, hæc enim non sufficit, vt in executione supersedeatur, vt in principali decisione ipsius §. docetur.

9. Sed adhuc obstat suprà traditæ assertioni textus *in cap. cùm teneamur* 6. de præbendis, vbi in hac eadem specie sufficit, vt iudex, qui rescriptum suscepit, & iniustum agnouit, supersedeat in eius executione, nec desideratur, vt Pontifici rescribat: igitur non rectè in præsenti textu iniungitur iudici ordinario, vt supersedeat, & statim rescribat superiori. Cui difficultati satisfaciendum est, dicendo quod licèt *in dict. cap. cùm teneamur*, non exprimatur, teneri iudicem inferiorem rescribere superiori, tamen id supponendum, & supplendum est ex præsenti textu, & *ex l. rescripta* 7. *Cod. de precibus Imperatori, cap. rescripta* 25. *quæst.* 2. quod in iure insolens non est, cùm omnia exprimi facilè non possint, vt obseruat Cuiacius *lib.* 6. *qq. Papiniani, in l.* 2. *ff. de vsuris*, vbi ait Papinianus, fructus postea captos restitui à possessore post litem contestatam; quod idem scribitur *in l. si fundum* 17. *Cod. de rei vendicatione*; cùm tamen explorati iuris sit, non tantùm perceptorum, sed etiam percipiendorum, quos scilicet actor percepturus fuisset, si ei possidere licuisset, rationem haberi, *l. & fructus* 34. *l. si nauis* 62. §. *vlt. ff. de rei vindicat. l. donum* 5. *Cod. eod. tit. l. cùm seruus* 39. §. *fructus, ff. de legat.* 1. Illustrant Sanchez *lib.* 2. *summæ, cap.* 23. *num.* 97. Pichardus *in* §. 1. *numer.* 15. *Instit. de officio iudicis*: aliud etiam exemplum sumi potest *ex l. si rogatus* 20. §. *vltim. ff. de manumiss. vindicta*, vbi ait Vlpianus, Consulem apud se manumittere posse, etiamsi euenerit, vt minor annis 20. sit; quod tamen posterius falsum apparet *ex l. vnica, versiculo Sed si euenerit, ff. de officio Consulis* nisi suppleatur, & declaretur, *ex eadem l. vnica*; scilicet, si causam apud collegam probauerit, quo casu apud se, non apud collegam manumittere potest; quo in casu accipienda sunt verba vltima dictæ legis vnicæ, iuxta legem *apud* 18. *ff. de manumiss. vindicta, l. apud* 14. *ff. de manumiss.* Notarunt Cuiacius *lib.* 7. *obseruat. cap.* 17. Antonius Faber *in eadem l. vnica*, & *in iurisprudent. titul.* 6. *principio* 7. *illat.* 11. Iulius Pacius *centur.* 1. *quæstione* 41. alij congesti ab Osualdo *lib.* 2. *comment. cap.* 15. *littera C.*

EXPONITVR CAP. 6. DE PRÆBENDIS.

10. Manet ergo, non semper teneri inferiorem exequi mandatum superioris. Inde exponenda venit celebris constitutio Theodosij *in l. si vindicari* 20. *Cod. de pœnis*, vbi iubetur executio sententiæ capitalis per 30. dies differri: quam constitutionem edidit Theodosius ob cladem Thessalonicam; nam cùm ipse atrocitate cuiusdam sceleris commotus iussisset sine discrimine nocentes, atque innocentes capite obtruncari, Diuus Ambrosius eum ab Ecclesiæ communione separauit, donec pœnitentiâ humiliter peractâ, ad communionem admisit, factâ prædictâ constitutione, quam referunt Diuus Augustinus *lib.* 5. *de ciuitate Dei, cap.* 26. Diuus Ambrosius *epist.* 28. Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 17. & 19. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 24. Nicephorus Callist. *lib.* 12. *historiæ, cap.* 40. & 41. & ex eo Gratianus *in cap. cùm apud Thessalonicam* 69. 11. *quæst.* 3. & illustrant Cuiacius *lib.* 5. *obseru. cap.* 9. & *lib.* 26. *cap.* 32. Petrus Greg. *lib.* 2. *syntagm. cap.* 8. *num.* 10. Sauarus ad Sidonium *lib.* 1. *epist.* 7. Pancirola *lib.* 1. *variar. c.* 41. Langleus *lib.* 11. *semestrium, cap.* 2. Anonymus *contra Machiauel. fol.* 274. Arias à Mesa *lib.* 2. *variar. cap.* 36. Robertus

ILLVSTRATVR L. SI VINDICARI, C. DE POENIS.

Robertus *lib.* 1. *rerum iudic. cap.* 4. Solorzanus *emblem.* 74. Couarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 1. *verſic.* 2. Menochius *de arbit. caſu* 334. *num.* 6. Baronius *tom.* 4. *annal. anno* 390. *num.* 25. Petrus Faber *lib.* 3. *ſemeſt. cap.* 17. Gothofredus *in eod. textu*, *in C. Theodoſ.* quæ conſtitutio lucem accipit ex ſuprà traditis; nam cùm executor mandati Principis poſſit in eius executione ſuperſedere, ſi ſcandalum timeatur, vt agnoſcat Principem per importunas preces ita reſcripſiſſe, meritò in eo textu Theodoſius ſtatuit pœnam vltimi ſupplicij à Principe decretam differendam eſſe per triginta dies; nam cùm Princeps procliuior credatur ad pietatem, quàm ad ſeueritatem, vt de Auguſto teſtatur Seneca *lib.* 1. *de clementia*, *cap.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 1. atque aliis exemplis illuſtrant Petrus Faber *lib.* 2. *ſemeſtrium*, *cap.* 2. & *lib.* 3. *cap.* 17. hinc prouenit, vt ſi aliquando ab ipſis vindicta in reos exerceatur, id contra conſuetudinem feciſſe credantur. Quare meritò talis ſententia ſtatim exequenda non eſt, cùm ſæpe modicâ dilatione emolliri poſſit, vt ait Paulus *in l. quidquid* 48. *ff. de reg. iur.* & malè aliqui exiſtimarunt, conſtitutionem illam non eſſe Theodoſij: nec etiam alij rectè docuerunt, idem iam olim cautum fuiſſe SC. Tyberiano, teſte Sidonio *lib.* 1. *epiſt.* 7. ibi: *Ex vetere Senatuſconſulto Tyberiano triginta dierum vitam poſt ſententiam trahit.* Faciunt Quintilianus *declamatione* 303. Calfurnius Flaccus *declamatione* 25. qui floruerunt ante Theodoſium; nam vt obſeruarunt Cuiacius *lib.* 5. *obſeru. cap.* 9. Iuſtus Lypſius *in annotat. ad Tacitum*, *lib.* 3. *annal. num.* 113. hac in re variarunt Auctores; nam nuper citati triginta dies adſcribunt illi Senatuſconſulto, à quibus diſſentiunt Tacitus *dict. lib.* 3. ibi: *Igitur factum Senatuſconſultum, ne decreta Patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ ſpatium damnatis prorogaretur.* Suetonius *in Tyberio*, *cap.* 75. ibi: *Nam cùm Senatuſconſulto cautum eſſet, vt pœna damnatorum in decimum ſemper diem differretur.* Seneca *lib.* 1. *de tranquillit. cap.* 14. Vnde ſi placet illo SC. indultum fuiſſe ſpatium triginta dierum, fatendum eſt, Theodoſium non ſtatuiſſe nouiter ſpatium illud, ſed potiùs repetiiſſe, aut inſtauraſſe, vt in pluribus aliis caſibus id contigiſſe obſeruat Pancirol. *lib.* 1. *variar. cap.* 78. Verùm hæc ſolutio meritò diſplicet Iuſto Lypſio *vbi ſuprà*, *dict. num.* 113. quare eâ ſolutione omiſsâ, & aliâ Baronij *anno* 390. *num.* 27. dicendum eſt cum Cuiacio *lib.* 5. *obſeru. cap.* 4. verè Tyberiano SC. tantùm decem dierum ſpatium præſcriptum fuiſſe, iuxta Suetonium, Tacitum, Senecam, & Dionem *lib.* 57. & 58. *in fine libri*; ſed Sidonium ſcienter, prudenterque id ſpatium dierum, quod Theodoſius adiecit, SC. Tyberiano deputaſſe, vt ſæpe quod legibus Iuliis additum eſt poſterioribus conſtitutionibus, nihilominus Iuſtinianus ipſis legibus Iuliis multis in locis adſcribit, *l. vnica*, §. *cùm igitur*, *Cod. de caducis tollendis*: obſeruarunt Hottomanus *lib.* 4. *obſeru. cap.* 9. Balduinus *ad legem Iuliam & Papiam*, *pagina* 159. Illud tandem notandum eſt pro expoſitione dictæ legis *ſi vindicari*, eam conſtitutionem procedere in extraordinariis Principum iuſſionibus, vbi ſperatur per dilationem mutatio voluntatis, iuxta illud Senecæ *lib.* 2. *de ira*, *cap.* 23. ibi: *In ſuſpenſo ira retinenda; poteſt enim pœna dilata exigi, non poteſt exacta reuocari*: & alterius Senecæ *in Agamemnone.*

—— Da tempus ac ſpatium tibi:
Quod ratio nequit, ſæpe ſanauit mora.

Non verò procedit in ordinariis iudicum ſententiis, quæ etſi capitales ſint, ſtatim ſunt exequendæ, *l. penult. Cod. de cuſtodia reorum*, *l. cum reis* 18. *Cod. de pœnis*, *l. ſi quis forte*, *eod. titulo*: niſi ſuggerente iuſta cauſa differri contingat, vt in caſibus relatis *in l.* 3. *l.* 10. & 13. *ff. de pœnis*, *l.* 1. *Cod. de bonis proſcriptorum*, quos & alios exponunt Couarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 9. Tiraquel. *de pœnis delictorum*, *cap.* 33. Iulius Clarus *in praxi*, §. 60. *num.* 26. Alciatus *lib.* 2. *parergon*, *cap.* 28. Iacobus Gothofredus *in l.* 4. *C. Theodoſ. de pœnis.*

CAPVT VI.

Idem [a] *Fratribus, & Abbati monaſterij de Cumir.*

CVm Ordinem [b] Ciſtercienſem profeſſi, eo [c] priuilegio, quo Fratres alij (eiuſdem Ordinis) gaudeatis; inter vos & Clericos alios ſæculares, ſuper decimis quæſtione ſubortâ, tacito, quod ſitis Ciſtercienſis Ordinis, contra vos, veluti contra Monachos alterius Ordinis, litteras à Sede Apoſtolica impetrantes, deinde iuramentis, & litigiis, ſicut à vobis ſignificantibus accepimus, & expenſis difficilibus vos inquietant. Volentes ergo vobis ſollicitè prouidere, ne contra tenorem [d] priuilegiorum veſtrorum poſſitis quorumlibet temeritate vexari, authoritate Apoſtolica vobis mandamus, vt ſi contra vos ſuper decimis, vel aliis quæ ordini veſtro ſpecialiter Sedes Apoſtolica indulſit, non factâ mentione Ciſtercienſis Ordinis litteræ fuerint à Sede Apoſtolica impetratæ, per eas minimè teneamini reſpondere, &c.

NOTÆ.

1. [a] *Fratribus.*] Ita legendum eſt, non Fratribus Ciſtercienſibus, vt legitur in hac ſexta compilatione; nec Ciſtercienſibus, & fratribus de Cuman, vt legitur in prima collectione: nec Abbati & Fratribus de Ribol,

vt legitur in Concilio Lateranensi *parte* 41. *cap.* 4. non enim præsens priuilegium Alexander concessit omnibus Cisterciensibus Fratribus, sed monachis Cistercienſibus monasterij de Cumir, vt refert Illust. Manrique *annal. Cisterc. tom.* 2. *anno* 1169. *cap.* 3. *num. vltim.* vbi præsentem textum refert. Monasterium hoc de Cumir, est ipsius Ordinis Cistercienſis in Hibernia, cuius initium refert prædictus Manrique *tom.* 3. *anno* 1176. *cap.* 5. *num.* 1.

2. b *Cistercienſem.*] Iam instutum anno 1098. temporibus Vrbani II. & Henrici III. Imperatoris, vt miris, sed semper debitis laudibus præclarum hunc Ordinem extollentes referunt Henriquez *in Menolog. Cisterc.* Aubertus Mireus *in suo chron. Cisterc.* Bernardus Britto *in sua hist.* Yepez *tom.* 7. *chron. D. Benedicti, centuria* 7. Illustrissimus Manrique *tom.* 1. *annal. ipsius Ordinis*, Theophilus Raynaud. *tom.* 17. *de beneuol. in relig. fol.* 409. Chopinus *lib.* 2. *sacræ pol. tit.* 3. *num.* 6. Mentio extat in hoc corpore decretalium passim huius inclytæ Religionis, vt *in cap. nuper, cap. ex parte, de decimis, cap. non est vobis, de sponsalibus, cap.* 2. *de transact. cap. dilecto, cap. venenerabili, de testibus, cap. per inquisitionem, de electione*, & alibi.

3. c *Priuilegio.*] Videlicet non soluendi decimas, ab Innocentio II. concesso, quod referunt Oldradus *consilio* 300. Manrique *tom.* 1. *annal. Cisterc. anno* 1132. *cap.* 1. *num.* 5. cuius mentio extat *in cap. nuper, de decimis.*

4. d *Priuilegiorum.*] Varia enim priuilegia monachis Cistercienſibus concesserunt Innocent. II. Alexand. III. & eorum successores, quæ referunt Ioannes Abbas, & plura tradit Manrique *tom.* 2. *anno* 1162. *cap.* 1. *num.* 12. *& anno* 1169. *cap.* 5. & *anno* 1228. *cap.* 1.

COMMENTARIVM.

CVm monachis Cistercienſibus priuilegium ab Innocentio II. concessum esset non soluendi decimas, de quo *in cap. nuper, de decimis*, & ita monachi monasterij de Cumir non possent palam ad solutionem ipsarum cogi, Parochi & Clerici sæculares occultè, & per fraudem eos molestare & inquietare nitebantur, impetrantes litteras à Sede Apostolica contra ipsos, suppresso Cistercienſum nomine, vt sic ab illis decimas extorquerent: quare Alexander III. huius Ordinis valde deuotus, dum Clericorum dolum agnouit, præsens Cistercienſibus concessit priuilegium, ne videlicet per rescriptum Apostolicum conueniri valerent, non factâ speciali mentione ipsius Ordinis; quod priuilegium per contrarium vsum iam obsoletum instaurauit Gregorius IX. dum in hæc verba rescripsit Abbati Cistercienſi, & vniuersis Abbatibus & monachis „ Cistercienſis Ordinis. [Cùm Cistercienſis Or- „ dinis titulus per Dei gratiam adeò sit insignis, „ quod vix credatur ab his, qui contra vos litteras „ impetrant, sine malitia procedere valuisse: nos „ & illorum fraudibus obuiare, ac innocentiam „ vestram volentes fauorabiliter confouere, au- „ thoritate vobis præsentium indulgemus, vt ne- „ queatis per litteras Apostolicas conueniri, quæ „ de Cistercienſi Ordine non fecerint mentio- „ nem. Nulli ergo, &c. Datis Laterani VIII. „ idus Ianuarij.] Ex regesto ipsius Gregorij refert „ Manrique *tom.* 4. *anno* 1228. *cap.* 1. *num.* 5. 5.

CAPVT VII.

Idem [a] *Tornacensi Episcopo.*

EAm [b] te. *Et infrà.* Dudum siquidem ante tuam [c] promotionem litteræ à nobis (si benè meminimus) emanarunt, quibus [d] Decano, & Ecclesiæ tibi commissæ (te adhuc in eodem Capitulo existente) mandatum dedimus, & [e] præceptum, vt P. (qui de gente Iudæorum originem duxit, & diuinâ gratiâ fidem Christi susceperit) in Canonicum reciperent, & præbendam sibi conferre deberent. *Et infrà.* Ipsi verò (quia donatio præbendarum ad te spectabat) præceptum nostrum executioni non potuerunt mandare. Cùm itaque præscriptus P. te super hoc ex parte nostra requireret, respondisti, quod nullum inde mandatum receperas, & sic eum à te, infecto negotio, remisisti. Quod nullatenus feciſſe deberes, si data litterarum diligentiùs adtendisses, cùm tempore, quo litteræ ipsæ datæ fuerunt, de Capitulo ipso esses, sicut qui eras [f] Archidiaconus, & Canonicus eiusdem Ecclesiæ, nec esses adhuc in Episcopum consecratus. *Et infrà.* Pro eo verò, quòd Iudæus [g] extiterit, ipsum dedignari non debes. F. T. mandamus, quat. eum in Canonicum Ecclesiæ tuæ recipias, & ei [h] stallum in choro, & locum in Capitulo assignes.

NOTÆ.

1. TORNACVM VBI. a *Tornacensi.*] Tornacensis ciuitas est in prouincia Belgica, vetus Flandriæ vrbs, cuius meminerunt Antoninus *in itiner.* D. Hieronymus *epist.* 11. Armonicus *Philippidos libro* 10. & Sedem Episcopalem habet à temporibus Eugenij III. anno 1146. ad petitionem Ludouici VII. Regis Galliæ, vt referunt Chenu *in chronologia, fol.* 24. Bucherus *in Belgio Romano, lib.* 8. *cap.* 14. Cironius *in cap.* 1. *de rescriptis, in* 5. *compilatione*: nunquam Archiepiscopali dignitate fuit condecorata, vnde *in cap. Capitulum, hoc titulo*, vbi legitur Archiepiscopum Tornacensem, legendum est Archidiaconum: olim Ecclesia Tornacensis suffraganea erat Archiepiscopi Rhemensis, postea tamen post comitia habita Matriti inter Inuictissimum Carolum V. & Franciscum I. Regem Galliæ, hæc Ecclesia spectat ad Archiducem Austriacum, & est suffraganea Cameracensis Archiepiscopi.

Archiepiſcopi. Fratres Sarmatani *tom.* 3. *Galliæ Chriſt. fol.* 1062. De Gerardo eius Præſule, qui floruit vſque ad annum 1171. in præſenti agitur.

2. b *Eam te.*] Principium huius textus ſupplerи debet *ex cap. eam te, de iurepatronatus*, & alia fragmenta huius epiſtolæ extant *in cap. eam te, de ætat. & qualit. cap. cæterùm* 5. *de iudiciis, cap. ad hæc* 27. *de appellat.*

3. EPISCOPVS AN TANTVM ELECTVS DICATVR. c *Tuam promotionem.*] Ex his verbis, iunctis illis: *Nec eſſet in Epiſcopum conſecratus*; deducunt Claſſici repetentes ad hunc textum, Epiſcopum electum, & confirmatum, ante conſecrationem non dici promotum in Epiſcopum; quorum ſententia etiam confirmari ſolet *ex cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælat.* in illis verbis: *Epiſcopo, vel electo*; iuncta rubrica *de tranſlatione Epiſcopi, vel electi*: ita tenuerunt in præſenti Abbas, & Felinus, Selua *de beneficiis* 1. *parte, quæſt.* 2. *num.* 46. Hæc tamen doctrina meritò diſplicuit Doctoribus communiter aſſerentibus electum, & confirmatum, non tantùm promotum in Epiſcopum dici, *cap. ſuper his* 16. *de accuſat. cap. cùm in cunctis* 7. §. *inferiora, de electione*, vbi Gloſſa verbo *Promoti*; verùm etiam Epiſcopum appellari, *Clement.* 1. *de for. compet.* vbi Gloſſa verbo *Promoti. Clement.* 2. *hoc titulo*, vbi Gloſſa verbo *Epiſcopi.* Azor. 2. *tom. moral. lib.* 3. *cap.* 29. *quæſt.* 5. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 27. *num.* 35. Ricciulus *in praxi reſol.* 136. Et Pontifex ipſe nondum coronatus, Epiſcopus vocatur, *extrauag. vltima, de ſentent. excom.* Vnde Epiſcopus, qui electionis ſuæ confirmationem accepit, quoad ea, quæ ſunt iuriſdictionis plenam poteſtatem habet, *cap. noſti* 9. *cap. tranſmiſſa* 15. *de elect.* licèt adhuc poſſeſſionem actualem non ſit adeptus, dummodo litteras ſuæ confirmationis coram Capitulo præſentauerit, *extrauag. iniunctæ*, inter communes, *de elect.* Probant latè Garcia *de beneficiis* 5. *p. cap.* 4. *num.* 242. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop.* 1. *parte, tit.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. Et ideò diſpoſitio loquens de Epiſcopo, ad electum, & confirmatum referri ſolet. *Clement.* 1. *de pœnis, Clement.* 2. *de celebrat. Miſſ. cap. quia* 4. *de ſentent. excom. in* 6. Docent Cenedus *collectanea* 4. *ad* 6. Suarez *de pœnit. diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 4. & *de cenſuris diſp.* 28. *ſect.* 2. *num.* 7. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 2. *num.* 11. quinimò aliquando Epiſcopus conſecratus vocatur etiam ille, qui tantùm confirmatus eſt, quo modo accipiendus eſt textus *in cap. verùm* 7. *de for. compet.* cum gloſſa ibi verbo *Conſecratus*, vbi Zoſimus *num.* 8. Felinus *num.* 5. Hac ergo ſententiâ retentâ pro expoſitione prædictorum verborum huius textus, dicendum eſt, illa verba, *ante tuam promotionem*, ſolùm ſignificare Epiſcopum tempore priorum litterarum non eſſe in Epiſcopum electum, & confirmatum, ſed tantùm Archidiaconum, & Canonicum ipſius Eccleſiæ Tornacenſis: ita Decius & Felinus hîc; neque hæc expoſitio refellitur ex illis verbis, *nec eſſes in Epiſcopum conſecratus*; in quibus innui videtur, Epiſcopum nondum conſecratum promotum non dici; nam omiſſis interpretationibus traditis à Cardinali *in præſenti, num.* 1. Decio *num.* 1. dici poteſt, conſecratum in hoc textu latè poni pro electo & cooptato ad Epiſcopatum. Nec etiam fauet contrariæ ſententiæ textus *in dict. cap. tua*; licèt enim in eo, & in dicta rubrica *de tranſlation. Epiſcop.* aperta proponatur differentia inter Epiſcopum, & electum; vt tamen ea procedat, debet accipi de electo tantùm, non confirmato. Nec obſtabit ſi dicas, quod Epiſcopo electo non confirmato interdicitur adminiſtratio bonorum, & iurium Epiſcopalium, *dicto cap. noſti, cap. qualiter* 17. *de elect.* vnde ſi Epiſcopus *in dict. cap. tua*, tantùm eſſet electus, non confirmatus, non poſſet adminiſtrationi bonorum ſe ingerere: ergo dum refertur ſe ingeſſiſſe, ſupponitur confirmatum eſſe; nam textus ille referendus eſt ad caſum textus *in cap. nihil* 44. *de electione, verſ. Ita quod*, vbi ex diſpenſatione Epiſcopo electo, non confirmato conceditur vſus iuriſdictionis Epiſcopalis.

4. DECANI DIGNITAS. d *Decano.*] Decani apud Romanos in militia dicebantur illi, qui decem militibus præerant, D. Iſidorus *lib.* 3. *orig. cap.* 3. *Decani eo quòd decem militibus præficiuntur.* Vegetius *lib.* 2. *de re milit. cap.* 14. notarunt Steubechius *ad ipſum lib.* 2. *cap.* 6. Loayſa *in notis ad Concil. Toletan.* 8. repetentes ad rubricam *de Decanis, lib.* 11. A Decanis ipſis militiæ terreſtris etiam in militia cœleſti Decani dicti fuerunt, qui præerant decem monachis. D. Hieronymus *epiſt.* 22. *ad Euſtochium: Prima apud eos confœderatio eſt obedire maioribus, & quidquid iuſſerint, facere: diuiſi ſunt per decurias, ita vt nouem hominibus decimus præſit.* Diuus Auguſtinus *de moribus Eccleſiæ lib.* 1. *cap.* 31. *Opus autem ſuum tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod ſint denis præpoſiti.* Illuſtrarunt Brauo *in notis ad regulam Diui Benedicti, capite* 21. Hugo Menard. *in concord. regularum, capite* 38. §. 1. Benedictus Heftenus *lib.* 3. *diſquiſit. monaſt. tract.* 6. *diſquiſit.* 4. quorum exemplo ſuſpicari licet inſtitutos fuiſſe in Eccleſiis Cathedralibus Decanos, & ita dictos eos, qui Canonicis præſunt; nam Decani dicuntur omnes illi, qui in collegio præſunt, & ratione muneris, aut temporis eam dignitatem obtinent, *l.* 1. *Cod. de collegiatis, lib.* 11. *l.* 4. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* notarunt Pancirol. *lib.* 1. *variar. cap.* 163. Alciatus *lib.* 1. *parerg. cap. vltimo*, Cuiacius *in nouell.* 43. Durantius *lib.* 1. *de ritibus Eccleſ. cap.* 23. Renat. Chopinus *lib.* 1. *de ſacra. pol. cap.* 2. Valenzuela *conſilio* 149. Et licèt inſpecto iure antiquo Archidiaconatus maior eſſet dignitas, quàm Decanatus, *cap. ad hæc, de offic. Archid.* poſtea conſuetudine introduci cœpit, vt præſtantior eſſet dignitas Decanatus: atque plerumque legimus maiores cauſas per Sedem Apoſtolicam illis committi, vt Decano Pariſienſi *in cap. cùm dilectus, de elect.* Cenomanenſi *in cap. cùm inter, eod. tit.* Bellouacenſi *in cap. tua nos, de ſimonia.* Andegauenſi *in cap. inter, de tranſlat. Epiſcop.* Lingonienſi *in cap. ſignificauit, de conuerſ. coniug.* Rhemenſi *in cap. propoſuit, de conceſſ. præb.* Engoliſmenſi *in cap. tranſmiſſæ, de v. ſ.* Morinenſi *in cap.* 1. *de ſolut.* Tullenſi *in cap. Odoardus, eod. tit.* alia de Decano dabimus *in cap. cùm in cunctis*, 7. §. *inferiora, de elect.*

5. e *Præceptum.* Rectiſſimè Abbas hîc, *num.* 4. & alij antiquiores acceperunt verba hæc, *mandatum dedimus, & præceptum*, de illis reſcriptis, quæ iure communi attento dari ſolebant ad beneficia vacatura, quæ litteræ dicebantur monitoriæ, & præceptoriæ, de quibus agemus *in cap. conſtitutus* 19. *hoc tit.* vnde detegitur inutilis labor Felini *num.* 9. qui inter hæc verba *mandatum*,

tum, &. *præceptum*, plures adfert differentias à reſcriptis, & eorum materia prorſus alienas.

6. f *Archidiaconus.*] Certum enim eſt in eadem Eccleſia poſſe aliquem obtinere duo beneficia, ſi modò difformia ſint, vt Dignitas, & Canonicatus; non verò ſi vniformia, vt duas præbendas, vel duas dignitates; in illis enim incompatibilitas adeò datur, vt nec ratione conſuetudinis admitti poſſit, *cap. litteras, de conceſſ. præbend cap.1. de conſuetud. lib.6.* Docent Garcia *de beneficiis p.11. cap.5.* Barboſ. *de poteſt Epiſcop. allegat.61.num.17.*

7. g *Iudæus extiterit.*] Ex his verbis, iuncto huius textus initio, plures deducunt, in Eccleſiis Cathedralibus ad præbendas, & alia beneficia admitti poſſe nouiter ad fidem conuerſos, & ex eis deſcendentes; quod etiam probari poteſt *ex cap. officium 2.* cum ſequenti, *cap. nunquam 4. cap. naſci, 5. 56. diſt. cap. venerabilis 37.* ibi: *Quia non generis, ſed virtutis nobilitas. de præbendis, cap. ad decorem*, ibi: *Vndecumque originem duxerint. de inſtitut. cap. quod autem 33. quæſt.7.* Concilio Baſileenſi *ſeſſ. 19.* vbi ſtatuitur, vt ad officia, dignitates, & honores admittantur, qui ex Iudæis catholicam amplexi fuerint fidem. Tolet. *16. can. 1.* relato à Mariana *lib. 6. hiſtoriæ, cap. 18.* vbi ſtatuitur, ex Iudaïſmo conuerſos gaudere omnibus immunitatibus, quibus cæteri nobiles gaudent. Quibus conſonat lex *6. tit. 24. partit. 7.* Faciunt plura Sanctorum Patrum teſtimonia congeſta à Barboſa *voto 93. per totum:* docent Otalora *de nobilit. 2. p. tertiæ partis, num. 7.* Salcedo *in praxi, cap. 22. num. 8.* Torreblanca *de iure ſpirit. lib. 13. cap. 22.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 1. cap. 28. num. 49. & lib. 4. polit. cap. 19.* Turturetus *de capellis cap. 5.* Salcedo *de lege polit. lib. 1. cap. 5.* Gutierrez *de delictis lib. 1. quæſt. 26.* Lara *de capell. lib. 2. cap. 4. num. 16.* Valenſis *de beneficiis lib. 2. tit. 3.* Zapata *de iuſtitia cap. 8.* Villar. *reſponſo 12.* Fragoſo *de regimine p. 1. lib. 1. diſp. 2. §. 8.* Selua *de benef. lib. 3. quæſt. 26.* Garcia *eodem tractatu 7. p. cap. 9. num. 4.* Corraſius *de Sacerdot. 3. p. cap. 5. num. 9.* Lambertinus *de iurepatron. 1. p. lib. 2. quæſt. 7. art. 24.* Melchior Iunius *quæſt. 7. polit.* alij relati à Barboſa *de Canonicis, cap. 13. & de poteſt. Epiſc. allegat. 72.*

8. IMPVGNATVR TRADITA DOCTRINA. Verùm hæc communis doctrina difficilis redditur ex ſequenti conſideratione. Non poteſt beneficium eccleſiaſticum obtineri ab eo, qui inhabilis eſt ad officium exercendum, *cap. ex litteris, de exceſſib. Prælat.* ſed Iudæi ad fidem conuerſi ſunt inhabiles ad officium, ſi quidem irregulares reperiuntur, *cap. cognoſcamus, 34. diſt. cap. 1. & per totam 48. diſt.* Concilium Sardicenſe *can. 13.* Arelat. *2. can. 1.* Laodicæn. *can. 3.* quæ & alia refert Anton. Auguſt. *in epitom. iuris Pontif. lib. 4. tit. 6. & lib. 27. tit. 12.* Salcedo *in praxi cap. 22.* Iuſtellus *in notis ad Concil. Nicænum can. 2.* Ricciulus *de iure perſon. titulo de Neophytis, per totum:* ergo præbendarum ac beneficiorum incapaces ſunt. Accedit, nam filij hæreticorum, quamvis catholicam fidem amplectantur, incapaces ſunt præbendarum & beneficiorum, *cap. 2. §. hæretici, de hæreticis lib. 6.* Ergo ſimiliter Iudæi, atque eorum filij, quamvis Catholicam ſuſceperint fidem, non ſunt admittendi ad præbendas & beneficia eccleſiaſtica. Deinde, nam nouiter conuerſi plerumque ſunt parum conſtantes in fide; imò facilè reuertuntur ad vomitum, *cap. Iudæi, 4. diſt.* malis moribus aſſueti, & ſeditioſi reperiuntur; quare Dominus apud Matthæum *cap. 12.* progeniem viperarum eos appellauit: ergo non debent ad beneficia eccleſiaſtica admitti. Quas & alias rationes latè expendunt Eſcobar *de puritate ſanguin. 1. p. quæſt. 3. §. 3. num. 84.* Cruz *in defenſione ſtatut.* Valenzuela *conſil. 90.* alij plures congeſti à Barboſa *voto 93. num. 74.* Solorzano *lib. 3. de iure Indiar. cap. 19. num. 4.* qui defendunt ſtatuta puritatis tot in Eccleſiis noſtræ Hiſpaniæ præſcripta, & obſeruata.

9. EXPLICATVR DICTA SENTENTIA. Verùm adhuc ſecluſis ſtatutis puritatis, dicendum eſt Iudæos ad fidem conuerſos, ex eiſque deſcendentes, iure communi inſpecto admitti poſſe ad officia, ſeu beneficia eccleſiaſtica, dummodo bonis moribus ſint imbuti, & litteris reperiantur inſtructi, *cap. venerabili 37. de præb.* vbi ea ratio aſſignatur: *Quia non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæ quoque honeſtas gratum Deo faciunt, & idoneum ſeruitorem.* Alias cumularunt Montaluus *in l. 2. verbo Tornadizo, tit. 3. lib. 4. fori*, Barboſa *dict. voto 93. num. 70.* vnde iuxta ſacros canones rectè Alexander in præſenti aſſerit, Iudæum nouiter ad fidem conuerſum, non ideo eſſe repellendum à præbenda Eccleſiæ Tornacenſis. Nec obſtat difficultas proximè adducta, quam diſſoluunt Felinus *in præſenti, num. 12.* Decius *num. 6.* Ripa *num. 31.* Simancas *de Catholicis cap. 47. num. 87.* Ojeda *de incompatib. cap. 23. & 24.* Villar. *dicto reſponſo 12. num. 37.* Sanchez *lib. 2. ſummæ, cap. 28. num. 11.* Barboſa *dicto voto 93.* ex quorum mente tres caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt de illis conuerſis, qui iam diu in catholica religione ſunt conuerſati, & ij ad ſacros ordines, & præbendas, dignitateſque admitti poſſunt, *cap. 1. verſiculo. Niſi, 57. diſt.* & hoc caſu accipiendus eſt noſter textus, & procedit textus *in l. 6. tit. 24. partit. 7.* iunctis Villar. *vbi ſuprà, num. 38.* Secundus caſus eſt de conuerſis recenter ad fidem, & in ea non ſatis probatis; illi enim ab ordinibus & beneficiis eccleſiaſticis arcentur; quo caſu accipiendi ſunt textus *in cap. Neophytos 63. 61. diſt.* & alij ſuprà adducti. Tertius caſus eſt de deſcendentibus à Iudæis, Mauris, vel aliâ radice infectâ; illi enim ſi à natiuitate moribus chriſtianis ſint imbuti, repellendi non ſunt à ſacris ordinibus, beneficiiſque eccleſiaſticis. Couarr. *in Clementina ſi furioſus, p. 2. §. 2. num. 8.* Ojeda *dict. cap. 23. num 54.* Nec argumentum deductum à filiis hæreticorum obſtat; nam tale argumentum non admittitur. Tum quia ſemper ab Eccleſia, vt magis exoſi, damnati fuerunt hæretici, & eorum filij, quàm Iudæi, & illorum deſcendentes. Tum quia pœna ſtatuta aduerſus hæreticorum filios, non debet extendi ad Iudæorum progeniem, cùm in pœnalibus non ſit extenſio facienda. Couarr. *lib. 2. variar. cap. 8. num. 4.* Villadiego *de hæreticis quæſt. 23.* nec pœnæ vltra caſus expreſſos protrahantur, Sayrus *in claui regia lib. 3. cap. 8. num. 9.* Suarez *de legib. lib. 6. cap. 3. num. 4.*

10. EXPONITVR CAP. CONSTITVIT 13. 17. Q. 4. Obſtat ſuperiori ſententiæ textus *in cap. conſtituit 17. quæſt. 4.* vbi refertur conſtitutio Concilij Toletani 4. quâ Iudæis, & his, qui ex Iudæis ſunt, prohibetur officia publica exercere, quia ſub hac occaſione Chriſtianis infeſti ſunt. Cuius Concilij deciſio, quatenus Iudæos publicis officiis præfici vetat, conſona eſt capiti penultimo *de Iudæis*; ſed dum idem ſtatuit de iis, qui ex Iudæis

ſunt,

ſunt, vt ſi apud Chriſtianos degant, beneficia & officia Eccleſiaſtica non obtineant, ſummè aduerſatur doctrinæ ſuprà traditæ. Agnouit difficultatem Gloſſa ibi, verbo *Iudæi*; & aſſerit Patres Concilij Toletani 4. loqui de his, qui ex gente Iudaïca deſcendunt, & nouiter ſunt ad fidem conuerſi, vt nedum Iudæi, ſed neque illi admitti poſſint ad officia publica, à quibus non arcentur, quia filij Iudæorum ſint, ſed quia neophyti exiſtunt, id eſt nouiter conuerſi, nondum ſatis in fide inſtructi ſunt. Sed hæc ſolutio non congruit verbis ipſius textus, in quibus hi, qui ex Iudæis ſunt, diſtinguuntur à Chriſtianis, ibi: *Qui ſub hac occaſione Chriſtianis iniurias faciunt:* ergo ſub illis verbis, *qui ex Iudæis ſunt*, non poſſunt comprehendi qui ex Iudæorum gente ſunt ad fidem conuerſi. Aliter difficultatem ſoluit Turrecremata ibi, qui affirmat ex Iudæis eos appellari, *in dict. cap. conſtituit*, qui Iudaïſmum profitebantur, & eiuſdem erroris participes erant, licèt ex eorum origine non eſſent. Sequitur ipſum Barboſa *dict. voto* 93. *num.* 115. ſed verior mihi videtur alia eiuſdem Gloſſæ interpretratio, quæ prædictum canonem accipit de familiaribus, & domeſticis Iudæorum, qui ex familia, & domo eorum ſunt, quia & ipſi Iudæi ſunt, & ideò repelluntur ab officiis publicis, quæ pertinent ad iuriſdictionem exercendam circa Chriſtianos, vt ex ipſo Concilio Toletano 4. *can.* 64. conſtat: quam Gloſſæ ſolutionem amplectuntur Sanchez *dict. diſp.* 28. *num.* 28. Barboſa *vbi ſuprà.*

II. INTELLIGITVR CAP. QVANDO, 24. DIST.

Secundò etiam aduerſatur textus *in cap. quando*, 24. *diſt.* vbi præcipitur Epiſcopis, vt in ordinationibus faciendis genus eorum, qui promouendi ſunt, perſonam, ætatem, mores, & doctrinam diligenter inquirant, & examinent: quod innouatum fuit in Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 7. Igitur ſi genus inſpiciendum eſt, non rectè aſſerimus Iudæos conuerſos, & etiam ex eis deſcendentes admitti ad beneficia, ordinesque eccleſiaſticos. Huic difficultati reſpondendum eſt, *in dict. cap. quando*, ſub generis appellatione illos tantùm ſignificari, qui deſcendunt ex hæreticis, eorum fautoribus, ſeu defenſoribus, qui arcentur à ſacris Ordinibus vſque ad ſecundum gradum. Ita verbum illud accipiunt Archidiaconus, & Turriſcremata ibi, Salcedo *in praxi, cap.* 22. *num.* 22. Auila *de cenſuris, part.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 4. Barboſa *ad Concil. Trident. in dict. cap.* 7. quæ interpretatio ſuadetur ex ipſo Concilio Trident. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 2. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 5. Hodie tamen deſcendentes ex Iudæis, vel Sarracenis vſque ad quartum gradum, non poſſe ad ſacros Ordines aſcendere, ex Bullis Pauli IV. & Gregorij XIII. probat Nauarrus *conſil.* 1. *ad titul. de Iudæis*, etſi contrarium teneat Thomas Sanchez *lib.* 2. *ſummæ, cap.* 28.

12. STALLVM QVID!

h *Stallum.*] Id eſt ſedem; ſtallum enim, ſiue ſtallus, eſt ſedes vnius Canonici in choro. Cæſarius *lib.* 1. *cap.* 35. *Sicque intra Abbatis, & Prioris ſtallum exiens.* Et *lib.* 4. *cap.* 35. *Sedem ſtalli ſui ſic parauit.* Matthæus Pariſius *in Henrico III. Clanculò intrantes inquiſiuerunt à quodam ibidem orante, quodnam eſſet ſtallum Decani.* Innocentius III. *lib.* 3. *epiſt.* 1. *Ipſe ante confirmationem obtentam ſtallum Præpoſiti ſibi vſurpauit.* Petrus Valliſarn. *hiſt. Albig. cap.* 16. *Ipſa etiam ſtalla Eccleſiæ, quod execrabilius eſt, deſtruxerunt.* Quo modo accipitur *in cap. ne Dei* 43. *de ſimoñia*; notarunt Boſquetus *ad Innocent. III. lib.* 1. *epiſt.* 44. Cerda *in aduerſ. cap.* 44. *num.* 2. Ioannes Boſſius *lib.* 2. *de vitiis ſermon. cap.* 17. etſi aliter accipiatur ſtallus *in cap. ſignificante, de appellat.* Igitur iuxta communem acceptionem in præſenti iubetur, vt Petrus recipiatur in Canonicum Tornacenſem, aſſignatâ ei præbendâ, & ita in choro ſedes ei deputetur, & in capitulo locus; cùm enim poſſeſſio ſit ſedis poſitio, vel pedum, iuxta Paulum *in l.* 1. *ff. de acquir. poſſeſſ. cap. ius gentium* 1. *diſt. l.* 1. *tit.* 3. *partit.* 3. ibi: *Vn ponimiento de pies*, Cicero *in oratione pro Cæcinna*, ibi: *Pedem cùm intulero, atque in poſſeſſionem veſtigium fecero.* Quam lectionem à pedibus *in d. l.* 1. amplexi fuerunt veteres, qui lectionem Florentinam non habuerunt præ manibus; & ex nouioribus Cuiacius, & Giphanius, Petrus Gregor. Laurentium Balam carpens *lib.* 1. *ſyntagm. cap.* 13. *num.* 9. vbi ab vtroque idiomate, Græco, & Latino probat notationem hanc; in Pandectis verò Florentinis legitur à ſedibus, quaſi poſſeſſio ſit ſedium poſitio: quò etiam alluditur *in l.* 3. §. *ex contrario, ff. eod. tit.* ibi: *Vel in quo ego ſedeo, tu ſedere videaris.* Quam etymologiam videtur prætuliſſe D. Iſidorus *in dict. cap. ius gentium:* & quamuis hac in re digladientur Forcatulus *in Neceom. dialog.* 73. Alexand. Tuzamin. *de vera ſubſtantia poſſeſſionis, cap.* 4. *num.* 3. Antonius Merenda *lib.* 2. *controu. cap.* 17. Lælius Mancin. *diſquiſit. genial. centuria* 1. *cap.* 65. alij congeſti à Barboſa *in collect. & addit. ad rubric. de cauſa poſſeſſ. & de ſequeſtr. poſſeſſ. ex num.* 8. & nuper à Don Hieronymo de Oroz *lib.* 4. *de apicibus iuris, cap.* 1. Tamen vtramque rationem admitti poſſe, & defendi, verum eſt, & notarunt Pichardus *ad titul. Inſtit. de interdictis, in princip. art.* 1. *num.* 6. Valentia *lib.* 1. *illuſtr. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. Inde rectè Eccleſiæ more receptum eſt, vt ſedes, ſella, aut ſtallum in choro, ſymbolum ſit adeptæ poſſeſſionis, *cap. vt noſtrum, de offic. Archidiac. cap. dilectus* 19. *cap. pro illorum* 22. *in fine, cap. dilecto* 25. *de præbendis:* obſeruat cum Hothomano *lib.* 10. *obſeru. cap.* 1. Gothofredus *in dict. l.* 1. addenduſque Petrus Faber *in dodecameno, pag.* 275. *in addit.* Multa adducit de hoc ſymbolo, aut alluſione Briſſonius *lib.* 17. *de v. ſ. verſic. Sedes pro domicilio*; cui adnecte Ciceronis locum in oratione pro Archia Poëta. *Is*, inquit, *ſedem omnium rerum, & fortunarum ſuarum Romæ collocauit.*

COMMENTARIVM.

HIs ſuppoſitis pro præſentis textus expoſitione, caſus in eo deciſus ita contigit. Quidam recenter ad fidem catholicam conuerſus litteras monitorias, & præceptorias ad Decanum, & Capitulum Eccleſiæ Tornacenſis, Sede vacante impetrauit, vt eum in Canonicum reciperent, præbendamque ei aſſignarent, qui litteras in Capitulo præſentauit; Canonici verò eas exequi renuebant ex eo, quia præbendarum collatio ad Epiſcopum pertinebat; quia quamuis Capitulum Sede vacante in omnem iuriſdictionem ſuccedat, *cap. is cui* 11. *cap. cùm olim* 14. *de maiorit. & obed. cap. vnico, eod. tit. in* 6. *c. ad abolendam* 9. *de hæreticis, cap. penult. & vlt. de ſupplend. neglig. in* 6. *cap.* 1. *de conſtit. eod. lib.* in collatione tamen beneficiorum non ſuccedit, *cap.* 2. *ne Sede vacante, cap. vnico,* §. *cùm verò, eod. tit. in* 6. quia collatio beneficiorum inter fructus Epiſcopatus numeratur, qui futuro ſucceſſori reſeruantur, *cap. quia ſæpe* 40. *de elect. in* 6. Clementina *ſtatutum* 7. *eod. tit.* Docent Garcia *de beneficiis part.* 5. *cap.* 7. Diana 8. *p. tract.* 4. *reſol.* 25. 13.

*reſol.*25. Solorzanus *de iure Ind.lib.*3. *cap.*13. *n.*31. Lotherius *de re benef. quæſt.*2.& 45. Sed quamuis hæc doctrina facilè procedat in collatione beneficiorum inferiorum, tamen non idem ſeruatur in collatione præbendarum, & dignitatum; in his enim magis obtinuit, iure communi inſpecto, ad Epiſcopum & Capitulum ſimul pertinere earum collationem, *cap. vlt. de ſupplend. neglig. cap. poſtulaſti, de conceſ. præb. cap. quia*, §.*verum*, *de Magiſtris*, *cap. à collatione* 21.*de appellat. lib.*6. latè docent Gonzales *ad regulam* 8. *Cancell. Gloſſa* 45. *num.*36. Garcia *de benef. dict.*5.*part. cap.*4. Quorum ſententia illâ nititur ratione, quia cùm Epiſcopus ſimul cum Capitulo vnum corpus conſtituat, non debet Epiſcopus ſine ſuo Capitulo præbendas propriæ Eccleſiæ conferre, *cap. nouit*, *cap. ea noſcitur*, *de his quæ fiunt à Prælatis*: vnde friuola erat excuſatio Capituli Tornacenſis in præſenti, niſi in ea Eccleſia conſuetudine, vel priuilegio introductum eſſet, vt collatio præbendarum ad Epiſcopum tantùm ſpectaret, vt *in cap. Eccleſia* 31. *de elect.dict. cap.ea noſcitur*.

14. Prædictus ergo P.litteras præceptorias coram Gualtero Epiſcopo Tornacenſi præſentauit, qui cùm eas exequi neglexiſſet, allegabat litteras ad ipſum non fuiſſe miſſas; quæ omnia propoſita fuerunt Alexandro III. qui iuſſit prædicto Epiſcopo, vt præbendam faceret aſſignare, quia cùm tempore litterarum eſſet Archidiaconus, & Canonicus eiuſdem Eccleſiæ, excuſari non poterat, quominus eas exequeretur, quia litteras non recepiſſet, & ita iuſſit Epiſcopo, vt ex vi prioris reſcripti impetratorem reciperet in Canonicum, atque ſtallum in Choro, & locum in Capitulo ei aſſignaret. Ex quo Alexandri III. reſponſo, Gloſſa, Abbas, & cæteri omnes antiquiores deducunt, Epiſcopum teneri exequi litteras Apoſtolicas ad Capitulum, Sede vacante, miſſas: quæ ſententia eam præcipuam difficultatem patitur; nam litteræ, de quibus in præſenti, vel mittebantur ad Capitulum, tanquam ad ordinarium præbendarum collatorem, aut tanquam ad ſucceſſorem Epiſcopi in eadem collatione; vel denique tanquam ad executorem delegatum Apoſtolicum, iuxta textum *in cap. cum aliquibus* 4. *in principio*, *hoc tit. in* 6. ſiue in primo, ſiue in ſecundo caſu minimè poteſt Capitulum litteras exequi, cùm exploratum ſit, Capitulum in collatione beneficiorum, quæ tantùm ad Epiſcopum pertinet, non ſuccedere, *cap.*2. *ne Sede vacante*, & in aliis ſuprà adductis: ſi verò in tertio caſu textum accipiamus, tunc Capitulum non tantùm Sede vacante, verùm poſt Epiſcopum conſecratum exequi teneretur, adeò vt Epiſcopus de eis cognoſcere non poſſet, *cap. ſi ſoli*, *cap. ſi Capitulo*, *de conceſſione præbendæ*, *lib.*6. quam difficultatem vt effugiant antiquiores hîc, varias adducunt ſolutiones, quibus omiſſis, magis obtinuit, idem mandatum ad Capitulum emiſſum, exequi teneri Epiſcopum pòſt electum; quia Capitulum Sede vacante, eo tempore, quo litteræ emanarunt, vices gerebat Epiſcopi; ideoque ad Capitulum, non tanquam ad ordinarium collatorem, nec tanquam ad ſucceſſorem Epiſcopi, nec denique tanquam ad ſimplicem executorem, ſed tanquam ad vices gerentem, executio ſpectabat. Vnde cùm primùm extitit Epiſcopus, ad quem ex Pontificis mente mandatum dirigebatur, ipſe debebat litteras exequi: ita in præſenti Innocentius, & Abbas *num.*14. Baldus, & Cardinalis *num.*10. Felinus *num.*16. Decius *num.*7. Ripa *num.*44. Garcia *de beneficiis* 6.*p. cap.*2. *num.*27. Nec hæc communis ſententia impugnatur ex eo, quod in principio, & *in verſic. Nullatenus*, expenditur, ſemel & iterum Epiſcopum Tornacenſem tempore, quo primùm reſcriptum fuit, de corpore Capituli eſſe; quod fruſtra expenderetur, ſi iuxta communem interpretationem idem eſſet dicendum in alio quolibet in Epiſcopum promoto, qui de Capitulo non eſſet; quia reſpondetur, Pontificem Alexandrum tum ad reiiciendam Epiſcopi excuſationem, de qua in verſiculo, *itaque*; tum ad ſignificandum tempore datæ non extitiſſe Epiſcopum, ad quem reſcriptum dirigeretur; nec dirigi potuiſſe ad Epiſcopum iam promotum, quia eodem tempore de Capitulo erat, ea verba adieciſſe.

CAPVT VIII.

[a] Lucius III. [b] *Linconienſi Epiſcopo.*

AD aures noſtras peruenit, quod plerumque [c] Decani, [d] Archidiaconi, Præcentores, [e] vel alij eccleſiaſticis prædíti dignitatibus, ſuper minoribus beneficiis litteras impetrantes, nomen ſupprimunt dignitatis ſuæ, & ſimplici nomine ſe appellant, tanquam non habeant aliquem [f] perſonatum: ideoque reſcripto noſtro poſtulas edoceri, ſi fraus ita tacendi præiudicium illis debeat generare? Tuæ conſultationi taliter reſpondemus, quod cùm non ſit intentionis noſtræ, vt perſonæ pluribus [g] redditibus abundantes, per litteras noſtras pauperes Clericos ſuper minoribus beneficiis inquietent, litteras, in quibus actor ſuæ nomen Dignitatis ſupprimit, vires nolumus obtinere.

NOTÆ.

1. [a] *Lucius III.*] Lucius natione Tuſcus, patriâ Luca, genere quidem nobilis, poſt mortem Alexandri III. anno Chriſti 1179. ſuffectus fuit in eius locum, & Eccleſiam rexit per quatuor annos, duos menſes, dies 18. vt referunt Baronius & Corjonalus *in prædicto anno*, Petrus Gregorius *in præſenti*, & nos *in cap.cùm eſſes*, *de teſtamentis*. Et licèt ita breui tempore Eccleſiam rexerit, plures tamen edidit conſtitutiones, ac deciſiones, quas variis ſub titulis tranſcripſit Raymundus; inter quas primum locum obtinet præſens decretalis, quæ etiam reperitur in prima collectione, *ſub hoc tit.cap.*6. & poſt Concilium Lateran. *p.*41. *cap.*8. aliæ etiam eius partes extant *in cap.poſtremò*, *de*

de appellat. cap. de Rectorib. de clerico ægrotante, cap. ſi vero, de iurepatron.

2. De Linconienſi dioecesi. b *Linconienſi.*] Lingonum præclara ciuitas eſt Galliæ, prouinciæ primæ Lugdunenſis, cuius meminerunt Plinius *lib. 4. cap. 1.* Ptolemeus *lib. 2. cap. 9.* Aimonius *lib. 5. cap. 5.* Tacitus *lib. 4.* Eius ſitum & fines deſcribunt Fratres Sarmatani *tom. 2. Galliæ Chriſt. fol. 653.* habet Eccleſiam Cathedralem, cuius Præſul Dux, & Par Galliæ eſt. Galtero eius Epiſcopo, qui eam Eccleſiam rexit vſque ad annum 1179. reſcribit Lucius in præſenti, & *in cap. conquerente 6. de cleric. non reſid. cap. 1. de renunc. in 2. collectione:* & ipſius Eccleſiæ mentio extat *in cap. cùm capella, de priuilegiis, cap. 4. de his quæ vi, cap. dilecti 10. de exception. cap. dilectus, de præb. cap. 18. de conuerſ. coniug. cap. Capitulum 30. hoc tit.* notarunt Cironius *in cap. vnic. de Clericis coniug. in 5. compil.* Sauarus *ad Sidonium lib. 9. epiſt. 10.*

3. c *Decani.*] De quibus egi *in c. antecedenti.*

4. d *Archidiaconi.*] De quibus agemus *in titulo de officio Archidiaconi.*

5. e *Præcentores.*] De quibus agemus *in cap. 6. de conſuetudine.*

6. f *Perſonatum.*] Id eſt, abſque dignitate, & cura animarum beneficium; quæ vox primis Eccleſiæ ſæculis cognita non fuit vſque dum ſequentibus temporibus à Gallis fuit vſurpata, vt docent Cuiacius *in rubrica de præbendis, & dignit.* Boſquetus *in notis ad Innocentium III. lib. 1. epiſt. 154.*

7. g *Redditibus.*] Hinc deducitur reſcriptum in præſenti caſu impetratum fuiſſe ad noua beneficia obtinenda; non autem fuiſſe reſcriptum iuſtitiæ, vt plures ex antiquioribus exiſtimarunt.

COMMENTARIVM.

8. Conclvsio refertvr et probatvr. IN hoc textu, & *in cap. cum adeo 17. cap. poſtulaſti 27. cap. in noſtra 32. cap. ſi proponente 42.* vna, fereque eadem hypotheſis proponitur; quare ſub vno commentario eos exponere decreui. Eſt aſſertio: *Reſcriptum vitiatur, ſi qui illud impetrauit ad beneficium conſequendum, mentionem non fecerit beneficij, licèt exigui, penſionis, ſeu vicariæ iam obtentæ.* Probatur *ex cap. litteras 31. hoc tit. cap. cùm teneamur, de præbendis, cap. dilecti, el 2. cap. non poteſt 21. cap. ſi motu 23. eod. tit. in 6.* Clementina *ſi Romanus 4.* Clementina *1. eod. tit.* Clementina *2. de officio Ordinarij:* docent Menochius *de arbitr. lib. 2. cap. 201.* Flaminius *de reſignat. lib. 10. quæſt. 2.* Vighelius *in methodo iuris canonici lib. 1. cap. 4.* Azor *2. part. inſtitut. lib. 6. cap. 10. quæſt. 3.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 15. num. 22.* Selua *de beneficiis 3. part. quæſt. 11. num. 11.* Garcia *eod. tract. part. 8. cap. 3.* Lotterius *de re benefic. lib. 3. quæſt. 38.* Antonius Cuccus *lib. 1. inſtitutionum, tit. 4. num. 95.* Petrus Gregorius *lib. 1. de reſcriptis, cap. 49.* Vranius *in cap. cùm adeo 17. hoc tit.* Moneta *de commut. vltimarum volunt. cap. 10. num. 450.* Barboſa *voto 107.* Baſilius Legion. *lib. 8. de matrim. cap. 16.* Eſcobar *de ratiociniis, cap. 12.*

9. Impvgnatvr tradita asser-tio. Sed in præſentem aſſertionem non leuis inſurgit difficultas ex ſequenti iuris conſideratione. Tunc reſcripta vitio ſubreptionis laborant, & ideo nulla ſunt, cùm ab impetrante ea omittuntur, quæ ſi expreſſa eſſent, aut omnino tollerent voluntatem reſcribentis, aut difficilem redderent reſcriptorum conceſſionem, *cap. quia circa, de conſanguinitate, cap. conſtitutus, hoc tit. cap. ſi præcedentis, de præbendis, lib. 6.* docet latè Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 21. num. 10.* ſed ſi qui impetrauit reſcriptum ſecundum ad beneficium, explicaret ſe habere dignitatem, vicariam, aut beneficium exiguum, nihilominus Pontifex concederet prædictum ſecundum reſcriptum: igitur etſi ab impetrante ſupprimatur dignitas, vicaria, vel beneficium exiguum, reſcriptum vt reſcriptuum vitiari non debet. Probatur minor; nam iuris communis regulis inſpectis poteſt quis habere dignitatem cum beneficio, ſeu Canonicatu, etiam ſub eodem tecto, *cap. Eccleſia 57. de electione, cap. ad hæc 23. cap. de multa, de præbend.* Similiter iure communi inſpecto poteſt qui habet vicariam, ſeu beneficium in commendam, aliud in titulum iure proprio obtinere, *cap. eam te 7. de ætat. & qualit. cap. vnico 10. quæſt. 3. cap. propoſuiſti, de præbendis:* docent Quintanaduenas *lib. 4. Eccleſ. num. 54.* Ojeda *de incompatibilitate 2. part. cap. 5.* Ergo cùm ſimul iure communi quis poſſit habere dignitatem cum beneficio, vicariam, & beneficium exiguum cum alio, qui impetrauit ſecundum reſcriptum ad beneficium, tacendo ſe dignitatem, vicariam, ſeu beneficium exiguum habere, non ſupprimit aliquid, quod expreſſum Pontificem à tali conceſſione remoueret. Augetur primò hæc difficultas, nam quæ modica ſunt, aut exigua, non veniunt in conſiderationem, vt in caſu ſimoniæ deciditur *in cap. & ſi quæſtionis, de ſimonia:* in reuocatione donationis, *in cap. finali, de donationibus:* in diſpoſitione teſtatoris, *in cap. requiſiſti, de teſtam.* & in aliis quamplurimis caſibus probant lex *ſi oleum, §. vlt. ff. de dolo*; lex *in rebus, §. poſuit, ff. commodati,* lex *ſi id quod, §. ſi qua, ff. de donationib.* lex *omnino,* & lex *quod dicitur, ff. de impenſis:* ergo ſimiliter ad inducendum falſitatis vitium in reſcriptis Apoſtolicis non eſt ſufficiens ſuppreſſio exigui beneficij. Augetur ſecundò hæc difficultas, nam ſi beneficij exigui mentio deſideratur, id prouenit ex noua Gregorij X. conſtitutione, de qua *in cap. ſi motu 23. de præbendis lib. 6.* ibi: *Quantuncunque modicum beneficium taceatur in ea, ipſum velut ſubreptitium, vires nolumus obtinere.* Ex quibus verbis deducitur, ibi à Gregorio X. nouiter ſtatui, vt habens beneficium, licèt exiguum, teneatur illud exprimere: ergo rectè aſſerimus iure Decretalium ex deciſione textus *in dict. cap. ſi proponente*, impetrantem reſcriptum debere mentionem facere beneficij etiam exigui, aliàs reſcriptum vitiari. Tandem aduerſus eam partem præſentis aſſertionis, vbi aſſeritur idem procedere in penſione poſſeſſa, ac in beneficio iam obtento, obſtat; nam expreſſio, de qua in præſenti, tantùm exigitur in beneficiis, *cap. penult. hoc titulo, cap. non poteſt 21. cap. ſi motu 23. de præbendis lib. 6.* Clementina *2. de officio Ordin.* ſed penſio res temporalis creditur, & vt talis, nec beneficium dicitur, nec ſub eius nomine comprehenditur, *cap. quamuis 4. de præbend. in 6.* pluribus relatis probat Garcia *de beneficiis, 1. part. cap. 5. num. 3.* igitur qui beneficium impetrare intendit, non cogitur mentionem facere penſionis iam obtentæ: quod etiam adſtruitur exemplo ſtipendiorum eccleſiaſticorum, quæ pro mercede laboris præſtantur, & eorum mentionem facere non tenetur reſcriptum impetrans ad beneficium, vt reſoluunt Calderinus *conſilio 6.* Felinus *in cap. noſtra, num. 10. hoc titulo*, vbi adducit exemplum textus *in cap. 1. de Magiſtris.*

10. Tradivr Quâ dubitandi ratione non obſtante, vera eſt ſuprà relata aſſertio, quæ non ſolùm authoritatibus

RATIO DECIDENDI.

bus probatur, verùm & ea nititur ratione; nam dolosa & fraudulenta est impetratio illa rescripti gratiæ, quando quis suppressit dignitatem, vicariam, seu beneficium, licèt exiguum, cùm intendit impetrare aliud; non enim potest inficiari dolo ipsum vsum fuisse, asserendo nullum beneficium possidere, cùm haberet dignitatem, vicariam, pensionem, seu beneficium etiam exiguum: vnde cùm mendax precator carere debeat penitus gratiis impetratis, *cap. sedes* 15. *hoc tit. cap. ne damnosa* 14. *cap. rescripta* 15. *cap. dicenti* 16. 25. *quæst.* 2. *l. penult. & final. Cod. si contra ius*; quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent, *cap. ex litteris, de dolo, cap. cùm dilectus* 18. *de religios. cap. dictum est* 30. *quæst.* 1. *l. neque ex dolo, ff. de dolo*, inde rescriptum cum hac obreptione impetratum nullum est. Accedit, nam qui falsum proponit Principi, graue crimen committit, *l. finali, Cod. de his qui à non dominis*: ergo non tantùm ex eo, quia aliud beneficium, dignitatem, seu vicariam obtinens, qui litteras ad nouum beneficium impetrauit, priuatur beneficio ipsarum; verùm quia falsum Pontifici proposuit, vt nouam gratiam assequeretur, negando, aut tacendo, se aliud beneficium, vel dignitatem habere, vt considerat Basilius *lib. 8. de matrim. cap. 16. §. 3. num.* 17. & cùm ille, qui beneficium, licèt exiguum, obtinet, illud tacendo, mentiatur, præcipuè cùm tenuitas beneficij per se causæ cognitionem requirat, ideò rescriptum impetratum ad aliud assequendum nullius momenti est: docent Baldus & Viuianus *in dict. cap. si proponente.*

II. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat difficultas suprà expensa; nam omissâ quæstione, an suppressis illis circumstantiis, quibus expressis aliter rescriberet Princeps, committatur subreptio, & per consequens rescriptum vitietur, quam examinat Sanchez vbi suprà, *dicta disput.* 21. & nos *in cap. super litteris*, adducemus; dicendum est in impetratione rescripti ad secundum beneficium, necesse fieri debere prioris mentionem, quod impetrator possidebat, aliàs subreptitium reddi, *cap. si postulasti* 27. *hoc titulo*; quia si Pontifex sciret, impetrantem aliud beneficium obtinere, non concederet gratiam ad secundum, ne pluralitas beneficiorum daretur. Nec quod dicebamus, posse quem habere Dignitatem cum beneficio, aut Canonicatu, obstat; quia id procedit cùm ratione residentiæ non datur incompatibilitas; at verò nostra assertio procedit cùm incompatibilitas datur. Nec etiam obstat habentem vicariam, seu beneficium in commendam, posse aliud in titulum perpetuum obtinere; nam illud procedit in vicaria temporali, seu commenda ad tempus, quæ beneficium non est, vt suprà probaui; at commenda, seu vicaria perpetua, beneficium est, & inducit incompatibilitatem, *cap. nemo, de elect. in* 6. Trident. *sess.* 7. *cap.* 4. vnde rectè *in dicto cap. postulasti*, signanter expenditur habentem vicariam perpetuam, teneri eam exprimere R. Pontifici, vt deducatur à contrario, habentem vicariam temporalem, non teneri eam exprimere, quia beneficium non est. Difficillius est quod in primo, & secundo augmento difficultatis dicebamus; pro quorum solutione, omissâ vulgari quæstione, quando exigua attendenda sint, de qua Boic. *in dict. cap. & si quæstionis*, Tiraquel. *in tract. de rebus exiguis*; discrimen est constituendum inter ius antiquum Decretalium, & ius nouum libri 6. Iure Decretalium tenebatur impetrator litterarum ad beneficium consequendum mentionem facere beneficij iam obtenti, aliàs rescriptum nullum erat, tum ob rationes suprà adductas, tum ob reprimendam ambitionem clericorum, qui pluribus redditibus abundantes, per nouum rescriptum pauperes clericos super beneficiis inquietare præsumebant, *cap. ad aures*, 8. *hoc tit.* quæ omnia cùm procedant in eo, qui beneficium sufficiens ad sustentationem habebat, non verò in eo, qui exiguum tantùm obtinebat, inde sacri Canones prædictam mentionem in impetratione secundi beneficij limitarunt, si sufficiens beneficium impetrator obtinebat, *dict. cap. cùm adeò* 17. *dicto cap. cùm teneamur*: sed cùm inde magnæ contentiones orirentur, siquidem aliqui ambitione seducti, & oppressi beneficia etiam ampla, vt exigua reticebant, ideò Gregorius X. vt illis fraudibus obuiam iret, & prædictas contentiones sedaret, statuit habentem beneficium etiam exiguum teneri illud exprimere in precibus Pontifici oblatis pro assequendo alio beneficio: quod nouiter ipsum Gregorium constituisse *in dict. cap. si motu*, constat ex illis verbis, *Vires nolumus obtinere*; quæ nouum ius inducunt, *Clement.* 1. iuncta Glossa *verbo Volumus*, de officio vicarij. *Clement. vnica*, vbi Glossa *eodem verbo, de rerum permut.* Nec tunc obstat textus *in dict. cap. si proponente*, vbi iam hoc constitutum fuisse videtur probari; siquidem ibi statuitur rescriptum impetratum ab eo, qui beneficium licèt exiguum habebat, cum eius suppressione, nullum esse: nam in illo casu rescriptum non fuit nullum declaratum ex eo, quod non esset facta mentio beneficij etiam exigui, sed quia fuit dolosa impetratio: cùm enim illud qualequale haberet beneficium, dixit se nullum obtinere, & cùm dolus etiam in re minima vitiet omnia rescripta, inde in eo textu vitiatur rescriptum dolo impetratum, vt docent Petrus Gregorius *dicto lib. 1. de rescriptis, cap.* 49. Basilius *lib. 8. cap.* 17. §. 3. *num.* 17. Nec obstat vltimum augmentum ipsius dubitandi rationis, pro cuius solutione sciendum est, multùm interesse, an rescriptum impetretur ad beneficium *in forma pauperum*, an simpliciter. Priori casu verum est, pensionis, & etiam stipendiorum mentionem esse faciendam, cùm ea obtinens pauper dici nequeat: docent Felinus, & alij repetentes *in cap. postulasti* 27. *hoc tit.* & *in cap. si pauper*, per textum ibi *eodem tit. in* 6. nisi pensio, seu stipendium esset ad tempus largitum; tunc enim de illo mentionem fieri non debere, argumento dicti capitis *postulasti*, docuit Petrus Gregorius *in cap. ad audientiam* 31. *num.* 3. *hoc tit.* posteriori verò casu, quando litteræ simpliciter ad beneficium impetrantur, licèt attenta curiæ Romanæ stylo mentio pensionis fieri debeat, quia iuxta eundem stylum in plerisque pensio beneficio exæquatur, quare vacat ipso iure per promotionem ad Episcopatum, *ex cap. cùm in cunctis*, §. *cum verò, de electione*, docent Gigas *de pensionibus quæst.* 57. Ojeda *de incompatibilitate* 1. *part. cap.* 4. *à numero* 4. Garcia *dict.* 1. *part. cap.* 5. *à numero* 110. & similiter per contractum matrimonij pensiones, seu beneficia vacant, Gigas vbi suprà, *quæst.* 54. Couarr. 2. *part. de sponsal. cap.* 6. §. 3. *num.* 6. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 44. Garcia *dict. cap.* 5. *num.* 108. nihilominus tamen inspecto iuris rigore verius est, in præsenti casu necessariò mentionem fieri non debere pensionis, vt docuerunt plures, quos referunt Garcia *dict. cap.* 5. *num.* 75. Gonzales *ad regulam* 8. *glossa* 5. §. 5. *num.* 18. rectè aduertens aliud procedere, si de pensione in titulum

lum beneficij aſſignata loquamur; de hac enim mentionem fieri debere, meritò docuerunt Gigas *vbi ſuprà, quæſt.67. concluſ.3.* Menochius *de arbitrariis caſu 201. num. 51.* & alij, quos refert, & ſequitur Garcia *dict. cap.5.* nec huic ſolutioni obſtat textus *in cap. ad audientiam 31. hoc tit.* vbi probari videtur, in illis verbis, *penſionem, ſeu alia beneficia*, ſub generali beneficij nomine penſionem comprehendi, propter particulam, *alia*, quæ ſimilia repetere ſolet, vt probat Gloſſa *in l. ſi fugitiui, Cod. de ſeruis fugitiuis :* nam reſpondetur, in eo textu non agi de penſione exprimenda in ipſa impetratione gratiæ ad beneficium, vel non; quo caſu iuxta diſtinctionem proximè traditam procedit præſens aſſertio: ſed caſum illum pertractari, quo priorum litterarum eſt facienda mentio, vtputà ſi quis impetraſſet litteras ad beneficia, quibus poſtea renunciauit in alterius fauorem, à quo penſionem, ſeu alia beneficia receperit; qua in ſpecie inquit Pontifex, eum qui poſt priores litteras taliter venditas, alias ad beneficium impetrauit, teneri de illis prioribus mentionem facere, aliter poſteriores non valere; vnde deducitur, verba illa ipſius textus, *de illis mentione non addita*; iuxta mentem Pontificis referenda non eſſe ad penſiones, ſeu alia beneficia, ſed ad litteras pro penſionibus venditas, de quibus proximè agebat, quæ eſt vera interpretatio ipſius textus, omiſſis aliis traditis à Rebuffo *de pacificis poſſeſſoribus, in praxi num.115.* ſicut etiam verba illa, *ſeu alia beneficia*, accipienda eſſe, vt dumtaxat ſimilitudinem repetant quoad beneficia, quæ per priores litteras impetrata fuerant, non verò quoad penſiones.

12. EXPONITVR CAP. DILECTVS 27. DE PRÆBENDIS.

Ex hac animaduerſione lucem accipiunt textus *in cap. dilectus 27. de præb. & dignitat.* & *in cap. cum adeò 17. hoc tit.* Nam *in dict. cap. cùm dilectus*, proponitur R. Pontificem litteras ſuas ad Capitulum Nouarienſe miſiſſe, vt ſi qua præbenda vacaret, eam Petro conferret: Capitulum litteras Pontificis exequi recuſabat, imò & vacantem præbendam alij contulit; conqueſtus fuit Petrus coram R. Pontifice, qui iuſſit prædictum Petrum in Canonicum eſſe recipiendum, & quod ſi beneficium ſufficiens habebat, præbenda illi adiudicaretur. Ideò enim tantùm excepit Pontifex caſum in quo beneficium ſufficiens Petrus haberet, quia iure Decretalium beneficium exiguum non præſtabat impedimentum, vt quis poſſit cum eius ſuppreſſione reſcriptum ad aliud impetrare. Similiter *in d. cap. cùm adeò*, proponitur Petrum in Eccleſia Modecenſi præbendam congruam habentem, reſcriptum Pontificium impetraſſe, vt in alia Eccleſia in Canonicum reciperetur, & ei præbenda aſſignaretur, in cuius reſcripti impetratione nullam ſuæ præbendæ mentionem fecit: in qua ſpecie deciditur, litteras ita impetratas nullius momenti eſſe, quia præbendam ſufficientem, quam habebat, tacuit impetrator; & per conſequens innuitur, quod ſi ſufficientem præbendam non habuiſſet, etiamſi illius mentionem non feciſſet, litteras vires, & robur obtinere; quia temporibus Innocentij III. illius textus authoris non erat neceſſaria mentio expreſſa prioris beneficij, ſi exiguum erat, vſquedum Gregorius X. *in d. cap. ſi motu*, conſtituit cuiuſlibet beneficij, etiam exigui, mentionem faciendam eſſe in impetratione reſcripti ad aliud. Omitto alia, quæ circa illius textus interpretationem expendi ſolent à Cuiacio, Federico de Senis *in eo textu*, Azor. 2. *p. moralium, lib.3. cap.11.* & *lib.6. cap.32.* Petro Gregorio *lib.1. de reſcriptis, cap.4.*

13. INTELLIGITVR TEXTVS IN CAP. IN NOSTRA 32. HOC TIT.

Sed adhuc noſtræ aſſertioni opponitur textus *in cap. in noſtra 32. hoc titulo*, vbi proponitur, quemdam diuerſas litteras impetraſſe, vt in diuerſis Eccleſiis ad præbendam admitteretur; & cùm virtute priorum litteratum fuiſſet in canonicum receptus, licèt illi præbenda aſſignata non eſſet, & vellet virtute poſteriorum ad aliam præbendam in alia Eccleſia admitti, ſtatuit Gregorius IX. quod etſi nullum beneficium ſit adhuc adeptus, tamen poſteriores litteras de prioribus mentionem non facientes, nullo modo vires habere; ex quo decreto expreſsè deducitur, non ſolùm beneficij exigui, verùm etſi nullum beneficium ſit adhuc conſequutus, nihilominus poſteriores litteras vires non obtinere. Cui difficultati reſpondendum eſt ex traditis in eius ſcholiis; videlicet, ſecundum reſcriptum in eo textu non valere, quia licèt in Canonicum receptus in eius textus ſpecie, nondum fuiſſet eccleſiaſticum beneficium aſſequutus, hoc eſt præbendam, quæ communiter appellatur beneficium, *cap. tuæ, de præb. cap.1. & 2. de conceſ. præb.* canonicatum tamen habebat, & eius ratione ius ad præbendam proximè vacaturam; nam per receptionem in Canonicum ſub expectatione præbendæ, conſequitur ius ad præbendam proximè vacaturam, *cap. relatum 9. cap. dilectus 19. de præbendis, cap. cùm ſuper 8. de conceſ. præb. cap. ſi quis obiecerit, 1. quæſt.3. cap. conſtitutus 19.* vbi Gloſſ. finalis, *hoc tit.* Moneta *de optione canonica cap.1. quæſt.1. num.3.* Gonzales *ad regulam 8. gloſſa 5. §.1. num.16. & 17.* Cenedus *collectanea 10. ad Decretales*; & ita beneficiatus reputatur, vt probant textus *in cap. dilectus 19. de præb. cap. cum M. de conſtitut.* quare cùm per receptionem in Canonicum in eo textu conſequatur impetrator infallibiliter præbendam, iuſtè deciditur, in impetratione ſecundi reſcripti fieri debere mentionem prioris, aliàs reſcriptum ſubreptitium iudicari: ita illum textum accipiunt Cæſar *de Eccleſ. hierarch. 3 part. diſp.12. num.44.* Ioannes Calderinus *in repetitione ad illum textum*, Baſilius *lib.8. de matrim. cap.16. §.3.*

14. EXPONITVR CAP. GRATIA 7. HOC TIT. LIB.6.

Secundò prædictæ aſſertioni aduerſatur textus *in cap. gratia 7. hoc tit. lib.6.* vbi Bonifacius VIII. conſtituit reſcriptum à R. Pontifice impetratum vitioſum non eſſe, quamuis de alio beneficio impetrator, quod ſibi abſenti, & ignoranti Epiſcopus contulerat, mentionem non fecerit; ſed tam ab Epiſcopo collatum, quàm à R. Ponticce impetratum poſſe obtinere, & retinere, ſi exinde incompatibilitas à iure prohibita non ſequatur: quod decretum ita contra relatam aſſertionem expenditur: In valore reſcripti æſtimando, non ſpectatur impetrantis culpa, aut ſimplicitas, ſed tantùm intentio Pontificis concedentis, à qua reſcriptum vires ſumit; vnde ſiue per fraudem, ſiue per ignorantiam ſubreptio contingat, vtroque caſu reſcriptum vitiatur, *cap. ſuper litteris 4. §. ſi cui, hoc tit.* vbi cùm agatur de veritate ſuppreſſa per ignorantiam, ſeu ſimplicitatem, aſſeritur litteras vires non habere; quod etiam fulcitur *ex cap. conſtitutus 19. hoc tit. cap. ſignificante 34. hoc tit. c. dudum 14. verſ. conſiderantes, de præbendis:* Ergo *in d. cap. gratia 7.* ſi vera eſſet noſtra aſſertio, reſcriptum impetratum non factâ mentione beneficij etiam ignoranter adepti, vitiari debebat. Huic difficultati variis modis ſatisfacere intendunt Abbas *in dict. cap. ſuper litteris, num.3.* vbi

Decius

Decius *num.* 7. Felinus *num.* 6. Beroius *lectura* 1. *num.* 40. Menochius *de arbitrariis lib.*2. *casu* 201. *num.*52. Thomas Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*21. *num.* 60. quorum solutionibus omissis, respondendum est, rescriptum *in d. cap. gratia* 7. non esse subreptitium ex eo, quia cùm collatio beneficij facta esset absenti, & ignoranti ante scientiam & acceptationem, non erat quæsitum ius, nec beneficium adquisitum: per collationem enim absenti clerico factam, donec eam ratam habuerit acceptando, vel consentiendo, ius in ipso beneficio, vt suum dici valeat, non adquirit, licèt illud beneficium alij non possit conferri, *cap. si tibi absenti, de præbendis lib.* 6. iunctis traditis à Couarr. *lib.*3. *variar. cap.*16. *num.*1. Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.*7. *num.* 20. & 22. & perinde subreptio ex ista iusta ignorantiæ causa rescriptum non vitiat, quæ vt vitiet, debet esse beneficij iam obtenti, licèt ex ignorantia procedat: quare cùm in textu ignorans, & non habens adhuc ius ad beneficium, impetrasset rescriptum, ideo vt subreptitium non vitiatur: ita textum illum acceperunt Beroius *in d. cap. super litteris, num.*42. & 43. Sanchez *dicta disp.*21. *num.* 60. Basilius *d. cap.*16. *num.*19. Moez *in eo textu.*

15. INTELLIGITVR TEXTVS IN CLEMENT. SI ROMANVS DE PRÆBENDIS.

Tertiò obstat suprà traditis textus in Clementina *Si Romanus, de præbendis, & dignit.* vbi Clemens V. generaliter, & indistinctè statuit, rescriptum impetratum à Pontifice, non facta mentione beneficij obtenti, seu dignitatis, vires habere, etiamsi beneficium primum obtineat curam animarum: ex qua Clementis constitutione probatur apertè, non esse necessariam expressam mentionem primi beneficij in adeptione rescripti ad aliud. Sed huius textus facilis expositio est, si animaduertatur, rescriptum in ea specie fuisse concessum à Pontifice cum clausula, *motu proprio*, quæ supplet vitium subreptionis, proueniens ex taciturnitate beneficij necessariò explicandi; atque ideò valet collatio, quia cùm ea gratia ex mera Pontificis liberalitate procedat, præsumitur ipsum conscium æqualiter fore concessurum; nec potest culpa aliqua imputari prouiso, quod de beneficio priùs obtento non fecisset mentionem, *cap. si motu, de præb. lib.* 6. non tamen æqualiter clausula motu proprio supplet subreptionem ex falsitatis expressione prouenientem; quia quando tacetur veritas, ignoratur, an Pontifex rectè, aut perperam aditus gratiam motu proprio concesserit, & ideò non potest dici concessa contra eius mentem; at cùm falsitas exprimitur, cognoscitur animum concedentis in contrarium esse; & cùm hæc clausula non firmet gratiam contra concedentis intentionem, vitium hoc suppleri non potest: docent latè Menochius *lib.*2. *de arbitrariis, casu* 201. *num.* 28. Sanchez *d. disput.* 21. *num.*47.

16. OPPONITVR TEXTVS IN CLEMENT. 2. DE OFFICIO ORDINAR.

Quartò refragatur textus *in Clementina* 2. *de offic. Ordin.* vbi asseritur collationem factam ab Episcopo habenti aliud beneficium, sine expressa mentione illius robur obtinere, non obstante suppressione possessoris: igitur suppressio beneficij obtenti non vitiat rescriptum ad aliud beneficium. Augetur difficultas ex ipsomet textu, vbi contrarium decitur in collatione beneficij facta à Legato Sedis Apostolicæ; dicitur enim collatione beneficij facta à Legato Sedis Apostolicæ alicui habenti aliud, nullius esse momenti, si non exprimatur primum beneficium; quod etiam deciditur *in cap. collatio* 5. *de officio Legati, lib.* 6. sed collatio beneficij à Legato Sedis Apostolicæ facta, ordinaria censetur, cùm iure ordinario, & suæ legationis virtute possit conferre omnia beneficia, quæ potest Ordinarius in tota sua diœcesi, *cap. dilectus, de officio Legati, cap.*1. *eod. tit. lib.*6. *cap. cùm dilectus* 28. *de iurepatronatus*, Cæsar *de Eccles. hierarch. disp.* 3. §.2. Azor. 2. *part. instit. lib.*5. *cap.*29. igitur quemadmodum collatio facta à Legato beneficij aliud habenti, non valet prætextu subreptionis; sic similiter collatio facta ab Episcopo aliud habenti debet vitiari. Primæ difficultati respondendum est, discrimen assignado inter collationem, & impetrationem beneficij factam à Pontifice, & inter eam, quæ fit ab Episcopo; impetrans enim rescriptum ad beneficium à Pontifice, mentionem facere debet beneficij, quod iam obtinet, ex traditis in nostra conclusione: sed qui ab Ordinario illud impetrat, necesse non habet primum beneficium exprimere, vt in dicta Clementina deciditur. Cuius discriminis vera ratio est, quia Episcopus ex visitatione, & scientia, quam habere debet de statu suarum Ecclesiarum, præsumitur qualitates, & possessores suorum beneficiorum nosse meliùs quàm Pontifex, & maiorem notitiam habere clericorum suæ diœcesis, quàm Pontifex clericorum totius orbis; atque ideò taciturnitas primi beneficij, tanquam cadens super re minimè necessaria, subreptionem non inducit: docent Felinus *in cap. ad aures, num.*15. *hoc tit.* vbi Beroius *num.*18. & 33. Menochius *dicto casu* 201. Moneta plures referens *de commutat. c.*10. *num.*434. & 455. Sanchez *dict. disp.*21. *num.*4.

17. DISSOLVITVR ALIA DIFFICVLTAS.

Augmento difficultatis satisfacere intendit Glossa *in dict. Clement.*2. *verbo Beneficio*, dum asserit, Legatos Apostolicos conferre beneficia, non potestate & authoritate ordinaria, sed Apostolica, & delegata; & ideò necessarium esse sicut in impetratione à Pontifice, facere mentionem prioris beneficij. Sed licèt hæc Glossæ doctrina vera sit, & procedat in Legatis missis, qui de iure communi non habent facultatem conferendi beficia, sed tantùm ex speciali Pontificis commissione, iuxta textum *in cap. litteras, de supplenda neglig.* iunctis laudatis à Barbosa *ad rubricam de offic. Legati, lib.*6. *num.*8. tamen non procedit in Legatis à Latere, qui maiori dignitate, & honoris prærogatiua fulgentes, *cap. volentes, cap. penult. de officio Legati, cap.*1. *eod. tit. lib.*6. *cap. si Abbatem, de elect. eod. lib.* in prouinciis sibi decretis Ordinarij censentur, non Delegati; & in his quæ iure Legationis illis competunt, non delegatam, sed suam exercent iurisdictionem, *cap.*2. *de offic. Legati, lib.*6. *cap. si Apostolicæ, cap. hi qui, de præbendis lib.*6. & ordinario iure, virtuteque suæ legationis omnia beneficia conferunt, quæ possunt Ordinarij suæ diœcesis conferre, *cap. dilectus, de officio Legati, cap. cùm dilectus, de iurepatronatus, cap. venerabili* 37. *de præb. cap. hi qui, eod. tit. lib.*6. sed de his Legatis loquitur Clemens V. igitur Glossæ solutio admitti non potest. Quare eâ omissâ dicendum est, quod licèt collatio beneficiorum facta per Legatos à Latere ordinaria censeatur, est tamen exorbitans à iure communi, & fundatur quodàm iure speciali; nam de iure communi beneficiorum prouisio cuiuscumque diœcesis ad Episcopum proprium spectat, *cap. conquerente, de officio Ordinarij, cap. ex frequentibus, de institutionibus, cap. omnes* 16. *quæst.*7. *cap. cùm ex iniuncto, de hæreticis*; ideò collatio beneficij per Legatos à Latere facta vitiatur, nisi prioris beneficij,

ficij, quod obtinet impetrator, ſpecialis mentio non fiat; quod prorſus ceſſat in Epiſcopo, cuius prouiſio iure communi fundatur. Epiſcopi enim conferendo beneficium prouident motu proprio Eccleſiis, non perſonis: contra verò Legati prouident perſonis, non Eccleſiis, vt poſt Menochium, Gomezium, & alios docet Barboſa *in dicta Clement.* 2. *num.* 4. & in Legato non datur eadem notitia proxima ſtatus beneficiorum, & poſſeſſorum eorum, ac in Epiſcopo.

18. EXPONITVR CAP. 6. DE PRÆBENDIS.

Tandem ſuprà traditæ aſſertioni obſtat textus *in cap. cùm teneamur 6. de præbendis*; vbi cùm agatur de executione reſcripti impetrati ab eo, qui aliud beneficium habebat, nulla eius facta mentione, affirmat Pontifex ſe æquanimiter ſuſtinere, etiamſi tale reſcriptum executioni non mandetur: igitur quia ſimile reſcriptum nullâ factâ beneficij obtenti mentione impetratum validum erat, aliàs diceret Pontifex, *irritum omninò decernas, & nullatenus exequaris*, vt *in cap. ad aures, cap. dilectus 26. hoc tit.* Quam difficultatem vt effugiamus, ſcire oportet, ſignanter Pontificem in eo textu vſum fuiſſe prædictis verbis, vt ſignificaret, ſe de eo caſu agere, in quo reſcriptum validum erat; quod iuxta ſuprà tradita dupliciter contingere poterat, vel quia tale reſcriptum abſque partis petitione, & ex mera Pontificis liberalitate proceſſerat, iuxta textum *in cap. ſi motu 23. de præbendis lib. 6.* vel etiam cum partis petitione, valida tamen, & ſine ſubreptione, propter clauſulam aliquam vel modum legitimum, quo ſecundùm ius ſubreptio tollatur: quo caſu ſi Pontifex iubeat beneficium conferri habenti aliud ſufficiens, de quo mentio facta non ſit, aut ſi non poteſt ei ſine ſcandalo prouideri, meritò in vtroque caſu, ſuppoſito reſcripti valore, Pontifex inquit ſe æquanimiter ſuſtinere, ſi Epiſcopus non exequatur tale mandatum. Cui deciſioni mirè conuenit textus *in cap. ſi quando 5. hoc tit.* ibi: *Quia patienter ſuſtinebimus*; quæ verba omninò euincunt, Alexandrum ibi eum caſum pertractare, quo reſcriptum validum erat mero iure, alioquin non patienter ſuſtineret illud non exequi. Deinde non teneretur Epiſcopus in ſpecie textus *in dict. cap. ſi quando*, conſulere R. Pontificem, & cauſam illi exponere, interimque ſuperſedere; ſed mandatum eſſet ſubreptitium, vt probant textus *in cap. ad aures, cap. ſuper litteris 20. cap. dilecti 26. capit. ad audientiam 31. hoc titulo*: quæ iura de litteris ſubreptitiis loquentia, non dicunt ſe patienter ſuſtinere, quod eas non exequantur hi, ad quos diriguntur; imò indiſtinctè præcipiunt omnino reiici: vnde immeritò Gloſſa, & ferè omnes repetentes *in d. cap. ſi quando*, exiſtimarunt Alexandrum ibi agere de mandato ſubreptitio, perperam accommodantes caſus dicti capitis *ad aures*, capitis *cum adeò 17. hoc titul.* deciſioni dicti capitis *ſi quando*, vbi etſi reſcriptum ad partis petitionem emanaſſe admittamus, vt ipſi contendunt, idcircò tamen autumandum non eſt, ipſum ſubreptitium iudicari; nec contrarium probant illa verba, *praua vobis fuit inſinuatione ſuggeſtum*; quæ videntur innuere reſcriptum fuiſſe per falſitatem obtentum. Nam reſpondendum eſt, ſuggeſtum non ſolùm dici id, quod petitur, ſed etiam id quod allegatur, vel in memoriam traditur, *l. irritum 8. C. ad legem Falcid.* notat Briſſonius *de v. ſ. verbo Suggerere*: & ita non importat neceſſariò ſubreptionem, quemadmodum nec illam præcisè præſefert praua inſinuatio; quippe non inducit falſam, ſed malam ſignificationem, quâ aliquid inſinuatur, vt obſeruat Ripa *num.* 16. Et ſi adhuc hæc interpretatio non placet, dici poteſt, priorem caſum textus *in dict. cap. cùm teneamur*, ibi: *Qui alium, &c.* eſſe intelligendum de mandato ſubreptitio, iuxta præſentem aſſertionem: quo caſu fatendum, ea verba, *æquanimiter ſuſtinentes*, tantùm referenda eſſe ad poſteriorem eiuſdem textus partem, ibi, *aut ſi non potes*, vbi cùm agatur de mandato valido, tantùm referri poſſunt ad priorem caſum.

CAPVT IX.

Idem [a] *Norvicenſi Epiſcopo.*

SI autem aliquis authoritate poſteriorum litterarum per aduerſarium in iudicium tractus obiecerit litteras ſe priores habere, de quibus in poſterioribus mentio non habetur; ſi eis dolo, vel negligentiâ vti [b] poſtpoſuerit, excuſari non debet: ſi autem quia delegati iudicis copiam nequiuerit habere, per poſteriores litteras non poterit conueniri.

NOTÆ.

1. a *Norvicenſi.*] Ita legendum eſt, vt etiam habetur in prima collectione decretalium, *ſub hoc titul. cap. 7.* & *in cap. 1. de offic. delegati*, & *in cap. ad hæc 37. de appellat.* vbi aliæ partes huius decretalis reperiuntur, in quibus ſemper legitur, *Norvicenſi Epiſcopo*, non *Eboracenſi*, vt habetur poſt Concilium Lateran. *p.* 41. *cap.* 9. Norvicenſis Eccleſia eſt in Anglia, ſuffraganea Archiepiſcopi Cantuarienſis, cuius Epiſcopo Ioanni, qui priùs fuerat Archidiaconus Sariſbarienſis, & floruit ex anno 1175. vſque ad annum 1200. miſſa eſt præſens decretalis.

2. b *Poſtpoſuerit.*] Quod tamen tempus debeat elabi, dicemus infrà *in cap. plerumque.* Commentarium huius textus dedi ſuprà *in cap. cæterùm 3.*

CAPVT X.

a Idem.

AD hoc ſumus in ſede iuſtitiæ, diſponente Domino, conſtituti, vt quæ contra iuſtitiam attentantur, noſtra ſolicitudine ad rectitudinis tramitem reuocentur. *Et infrà*: Prouidè ſignificatum eſt nobis, quoſdam in prouinciæ tuæ partibus tales de Cancellaria [b] noſtra litteras recepiſſe, per quas omnia eorum negotia vnius iudicis, vel plurium, quos ſibi elegerint, arbitrio committuntur; ſicque fit, vt ſi aliquando pulſare voluerint, examen ordinarij iudicis non requirant, ſed ad iudicem vnum, vel plures delegatos ſibi propitios, & exinde parti aduerſæ ſuſpectos, ſuper examinanda quæſtione decurrant. Quod quàm ſit contrarium Deo, & ſacris Canonibus inimicum, nemo ambigit, qui vel ad modicum notitiam canonicæ inſtitutionis apprehendit. Tales itaque litteras à noſtra Cancellâria non credimus prodiiſſe; vel ſi fortè prodierint, conſcientiam noſtram, quæ diuerſis occupationibus [c] impedita ſingulis cauſis examinandis non ſufficit, effugerunt. Vnde nos huic morbo celeri volentes obuiare remedio, F. R. tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipimus mandantes, quatenus ſi litteras tales in ſubiecta tuæ Ordinationi prouincia, vel impetratas, vel deinceps impetrandas inueneris, eas carere viribus noſtra [d] authoritate decernas, & ne ab aliquo in iudicium admittantur ſuper quacumque quæſtione, prohibeas.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Etiam Lucio III. tribuitur hæc epiſtola in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. ex qua litteram tranſcribo; nullibi tamen exprimitur cui Archiepiſcopo eam miſerit Pontifex, tantùm ex eius ſerie liquet cùm Metropolitano alloqui.

2. CANCELLARIA QVID. b *Cancellaria.*] Cancellaria *hic*, & *in cap. porrecta, de confirmat. vtili*, & *in cap. vnico, vt eccleſiaſtica beneficia, cap.* 4. *de crimine falſi*, accipitur pro loco vbi acta iudiciaria ſcribuntur, reſcriptaque, tam iuſtitiæ, quàm gratiæ conſcribuntur, vbi qui præeſt, Cancellarius dicitur, cuius officium valde antiquum in Eccleſia eſſe probat Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 16. & 20. & plura de eius dignitate, & vſu apud varias gentes congeſſerunt Ioannes Boſſius *de vitiis ſermonum lib.* 2. *cap.* 3. Lindembrogius *in gloſſario legum antiq. verbo Cancellarius*, Roſverius *in onomaſt. eodem verbo*, Corjolanus *in breuiario, anno* 752. Cuiacius *in cap. vt noſtrum, de appellat.* Petrus Gregorius *in præſenti*, Gutherus *lib.* 2. *de officiis domus, cap.* 13. & nos infrà *in cap. Eccleſia, de elect.*

3. c *Impedita.*] Conſonat textus *in cap.* 2. *hoc tit.* vbi notaui.

4. d *Authoritate.*] Nam tanquam Ordinarius Archiepiſcopus hoc facere non poterat, ſed tantùm aut obedire, aut Pontificem conſulere, iuxta tradita ſuprà *in cap. ſi quando.*

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO PROBATVR. EX præſenti epiſtola communiter repetentes ſequentem deducunt aſſertionem: *Inutile eſt reſcriptum, in quo incerti iudices dantur, vel futura negotia delegantur.* Eam probant textus *in cap. ſtudeat* 50. *diſt. cap. peruenit* 11. *quæſt.* 3. *cap. nunc verò* 9. *quæſt.* 3. *cap. ſedes, cap. paſtoralis, cap. finali, hoc titulo, cap. cùm in multis, cap. diſpendia, eod. tit. lib.* 6. Illuſtrant vltra repetentes & congeſtos à Barboſa in præſenti, Acuña *in dict. cap. ſtudeat*, Moneta *de commut. cap.* 6. *num.* 514. & *lib.* 1. *de conſeruatoribus, cap.* 3. *num.* 22. Vighelius *in meth. iur. can. fol.* 25.

6. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO. Sed hæc aſſertio impugnari poteſt ſequenti iuris conſideratione; nam nihil in iure canonico nouiori vſitatius reperitur, quàm litteræ conſeruatoriæ, quibus alicui communitati, aut certæ Religioni conceditur ſibi eligere iudicem conſeruatorem in quocumque negotio, tam præſenti, quàm futuro, aduerſus quaſcumque perſonas, vt probant textus *in cap.* 1. *de officio deleg. lib.* 6. *cap. ſtatutum, hoc tit. eod. lib. cap. authoritate* 4. *de priuileg.* & conſtat ex aliis relatis à Moneta de conſeruatoribus *cap.* 3. *quæſt.* 2. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 106. D. Michaele Moez *in dict. cap.* 1. *dict. cap. ſtatutum*, quibus litteris incerti iudices dantur, & futura negotia delegantur: ergo reſcripta, in quibus futura negotia committuntur, & incerti iudices dantur, valent, & vires obtinent. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam plerumque litteris Apoſtolicis iudices dantur ad vniuerſitatem cauſarum, *cap.* 3. *de offic. deleg.* ſed tunc reſcripto tali committuntur negotia præſentia, & futura: ergo quia reſcripta in quibus futura negotia delegantur, valida ſunt. Augetur ſecundò hæc difficultas ex eo, quia reſcripta gratiæ indiſtinctè, & generaliter ad beneficia conſequenda in iure admittuntur, *cap. Abbatem, hoc tit. cap. quamuis, de præb. lib.* 6. ergo ſimiliter reſcripta iuſtitiæ generaliter ad quæcumque negotia admitti debent.

7. TRADITVR RATIO CONCLVSIONIS. Sed hac dubitandi ratione ita fulcitâ non obſtante verum eſt, vitiari reſcriptum, ſi in eo dentur incerti iudices, aut ad futura negotia reſcripta expediantur: quæ aſſertio magnâ nititur ratione; nam per tam vaga & abſoluta reſcripta nimis reſtringitur iuriſdictio ordinaria, & pars, quæ illa impetrauit, cùm facultatem habeat eligendi iudices, quos maluerit, eligèt ſuſpectos aduerſæ parti; vnde cùm hoc alienum ſit ab æquitate canonica, ſimilia reſcripta vitiantur, & improbantur. Accedit, quia hæc facultas eligendi iudices in futuris

futuris negotiis, adimit iuriſdictionem à iudice competenti, quod non facilè admittendum eſt, ex regula textus *in l.2. l.reſcripta, Cod. de precibus Imperatori, l.nec anus, Cod. de emancip. liber.* Si autem Pontifex ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis concedat ſuis litteris facultatem eligendi iudices, qui de cauſa cognoſcant, quia non datur præſumptio falſitatis, ſeu ſubreptionis, cùm Pontifex expreſsè, & deliberatè eam facultatem litteris ſuis concedit, tale reſcriptum vires habet; quo modo intelliguntur textus *in cap. ſtudeat 50. diſt.* in illis verbis: *Ex vicinis prouinciis fratres & Coëpiſcopos tuos*; iuncto Acuña *in eius commentario*, etſi textus ille verè non loquatur de iudicibus incertis ex incertis eligendis, ſed de iudicibus incertis ex certis, qui rectè dari poſſunt, vt probat Moez *in dict. cap. diſpendia*, & textus *in cap. cum R. 35. de offic. deleg.* in illis verbis, *iudicem eligant:* quem ita interpretatur Barboſa *in præſenti, num.2.* etſi aliter illum accipiant Hoſtienſis, & & Imola *hîc.*

8. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI. Nec obſtat ratio dubitandi ſuprà adducta; nam licèt inſpecto iure communi ex præſenti textu, & ſimilibus inutile ſit reſcriptum impetratum ad futura negotia, & in quibus incerti iudices dantur; nihilominus ex indulgentia & certa ſcientia Pontifex concedere ſolet iudices conſeruatores, vt priuilegia locis piis, & religioſis perſonis conceſſa cuſtoditi, obſeruarique à iudicibus Ordinariis faciant, omnemque arceant à priuilegiatis iniuriam, ſeu violentiam; quorum authoritas ad caſus iudicialem indaginem exigentes non pertinet, vt conſtat *ex cap. finali, de offic. deleg. lib.6.* & exprimitur in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap.5. in l.1. tit.8. lib.1. Recopil.* & agnoſcunt de illis iudicibus agentes Petrus Gregorius *lib.5. part. tit.5. cap.2.* & *lib.47. ſyntagm. cap.22. num.28.* P. Barboſa *in l.cùm Prætor 12. §.1. ex num.29. ff. de iudiciis*, Moneta *de conſeruat. cap.3. num. 22.* & *cap. 7. num. 36.* Gutierrez *lib. 3. practic. quæſt.9.* & 10. Ceuallos *de cognitione per viam viol. 2. part. quæſt. 15. per totam*, Gratianus *tom. 1. diſcept. cap. 170.* in quibus cùm ratio præſentis prohibitionis ceſſet, meritò admittuntur. Nec augmentum primum ipſius difficultatis refragatur; nam præſens decretalis procedit in reſcripto ad futura negotia generaliter, & abſolutè impetrato; non verò ſi ad negotia præſentia detur, licèt plures ſint, ſeu ad vniuerſitatem cauſarum; tunc enim valet tale reſcriptum, cùm ceſſet prædicta ratio. Nec aliud augmentum ipſius difficultatis obſtat, nam principium, quod in eo expendebamus, procedit in reſcriptis gratiæ, in quibus cùm deſit ratio præſentis prohibitionis, ideo valent, etſi abſoluta, & generalia ſint, indefiniteque concedantur, vt docet Bohic. *in præſenti*, qui diſcriminis rationem inter vtrumque caſum proſequitur.

CAPVT XI.

a Idem.

AD audientiam noſtram, te ſignificante, peruenit, quod H. de S. Stephano ſuper b abſolutione ſua litteras tibi (vt primâ facie videbatur) Apoſtolicas præſentauit: quas quoniam habuiſti ſuſpectas, nec de Cancellaria Eccleſiæ Romanæ emanaſſe putaſti, ad nos remittere curauiſti, conſulens Apoſtolatum noſtrum (vnde deuotionem tuam in Domino commendamus) vtrum occaſione ipſarum litterarum præfatum virum habere debeas abſolutum. Nos igitur litteris ipſis diligenter inſpectis, taliter tibi duximus reſpondendum, quod cùm eas non credamus de prædeceſſoris noſtri conſcientia emanaſſe, nullam eis fidem te volumus adhibere, cùm etiam manifeſtum contineant in c conſtructione peccatum.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Etiam tribuitur textus iſte Lucio III. in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.5.* Cui tamen miſſa ſit hæc epiſtola, non conſtat.

2. b *Abſolutione.*] Plerumque enim excommunicati, vel ſuſpenſi accedunt ad Romanum Pontificem, & ſuppreſſa veritate, litteras, quas dicunt abſolutorias, impetrant, vt ab inferioribus iudicibus abſoluantur, quas nec exequendas, neque admittendas eſſe iure noſtro cautum reperitur in præſenti, *in c. ſuper eo 5. de cohabitatione cleric.* vbi cùm clericus concubinarius voluiſſet per obreptionem impetrare reſcriptum, vt abſolueretur à ſuſpenſione, & cum effectu impetraſſet, aſſeritur reſcriptum illud vires non habere: idem deciditur *in cap. quod ſuper, 7. de fide inſtrum.* in illis verbis: *Quid agere debeas circa cruce ſignatos, qui dicentes ſe ab Apoſtolica Sede redire, ſuper abſolutione ſua ignota Cardinalium ſigilla reportant.* Ex qua obſeruatione lucem accipit textus difficilis *in canone 72. Concilij Africani*, ſub Innocentio I. ibi: *Quicumque non communicans in Africa in tranſmarinis ad communicandum obrepſerit, iacturam clericatus excipiat.* Huius canonis occaſione aliqui aſſerunt, Eccleſiam Africanam à ceruice excutere iugum R. Pontificis; ſed ex noſtra obſeruatione lucem accipit, ibi enim agitur de illo, qui excommunicatus in Africa, mendaciis, & dolis impetrauit communionem à Romana Sede, & in pœnam clericatu priuatur: obrepere enim idem eſt, quod fallaciter, & doloſè facere, vel impetrare, *l.1. §.2.* ibi: *Obreptum eſſe Prætori, ff. de rebus eorum, l.3. l.55.* ibi: *Licèt obreptum, ff. de adminiſt. tutorum.* Cicero *in Piſonem*, ibi: *Obrepſiſti ad honores.* Plura ad eius canonis interpretationem tradit Franciſcus Marcus, Antonius Capell. *de appellat. Eccleſiæ Africanæ, cap.3.*

c *In conſtructione.*] Hoc ambitioſè traditum dicit impius & mordax Scipio Gentilis *cap.4. de errorib. teſtat.* eo motus, quod Pontificum ſcripta ſolæciſmis, & barbariſmis pleraque ſcateant. Sed ô impia Scipionis verba, qui ita audenter in ſacras conſtitutiones irruis! etſi enim aliquando ex incuria typographi, aut bibliopolæ irrepſit vi- 3.

tium latinitatis, ideóne arguendi, & increpandi sunt Religionis nostræ summi Præsules, qui statuerunt adeò vitium latinitatis alienum esse suis litteris, vt & eas vitiare decreuerint? Licèt enim testamenta non vitientur, etsi in eis contra Grammaticæ regulas peccetur, *l.qui habebat, ff.de manumiss. testam.* tamen sicut rescripta Principis ob vitium grammaticale vitiantur, Bartolus *in l. Plautius 9. num.5. ff. de aur. & arg. legat.* Vvolfangus Heyentricus *disp.3. de iure publico* (circumfertur post Clapmarium *de iure publico*;)ita rescripta Pontificia ob vitium latinitatis vitiantur, vt si Pontifex alloquatur vni in plurali, *cap. quàm graue, de crim. falsi*, docet Azor *tom.1.instit. lib.5.cap.24. vers.5.* aut si vitium committatur in salutatione, quem casum exponemus *in d.cap.quàm sit graue.*

COMMENTARIVM.

4. De Rescriptorvm idiomate.

PEtrus Gregorius, & alij repetentes ad hunc textum, disputant, an rescripta, vel alia decreta Pontificia debeant necessariò latinè concipi, & expediri? In qua quæstione, vt rem ab origine repetamus, & certa ab incertis separemus, sciendum est, Romanos post Italiam, & alias prouincias subiugatas,in animos apprimè induxisse Latinam linguam, siue ad alliciendos populos eloquij suauitate, siue ad leniendam morum feritatem participatione linguæ, siue ne laborarent ipsi in discendo idiomate peculiari prouinciarum, quibus imperabant, quod variis artibus, & modis curarunt: primò statuendo ne Magistratus ad prouincias destinati aliâ linguâ quàm latinâ sententias, vel decreta dicerent, quo scilicet Latinæ vocis honos per vniuersas gentes venerabilior diffunderetur, vt tradit Valerius Maximus *lib.2. cap.2. §.2.* nec aliâ linguâ vti poterant, quàm latinâ, licèt in conuentibus externorum verba facerent. Inde excusationem petit Cicero *actione 5. in Verrem*, quòd in Sicilia coactus esset græcè loqui; & cautum ante ipsius tempora fuisse, ne quis græcè oraret, refert Valerius *lib.2. cap.1.* Deinde in Senatu strictissima lex erat loquendi solùm latino idiomate, adeò vt Imperator Tyberius orationem faciens in Senatu, sine venia ausus non fuit aliqua verba græca proferre, teste Suetonio *in eius vita, cap. 70.* & ipse Imperator testimonium græcè dici in Senatu non permisit. Xiphilinus *in eo.* Ad iudicandi etiam munus nemo admittebatur, nisi qui latinè nosset, & posset loqui; imò Claudius Imperator virum splendidum, Græciæque Principem, è Iudicum albo erasit, & quod magis est, ad peregrinitatem redegit, quia sermonis Latini erat ignarus.Suetonius *in Claudio, cap. 16.* latè illustrant Pancirola *lib. 3. variar. cap.15.* Reuardus *lib.4. variar. cap.2.* Petrus Faber *lib.1. semestr. cap. 23.* & *lib.2. cap. 24.* Osualdus *lib.28. comment. Donelli, cap.3. littera M.* Gutherus *lib.2.de offic. domus, cap.24.* Polletus *lib.5. historiæ fori, cap.15.* Solorzanus *de iure Indiar. lib.1. cap.25. ex num.49.* Forcatulus *in sphær. leg.* Aldrete *de orig. ling. Castell. cap.7. cum 8. sequentib.* Anast. Germonius *pro Merid. sess.1.*Inde eueniebat,vt nihil esset solemne apud eos, legitimum, & à lege cum speciali formula aliqua inductum, quod non latinè peragi deberet, veluti testamentum, tutelæ, aut libertatis datio, & alij actus,quos refert Aldrete *dict.cap.7.in fine:* & in legatis disertum testimonium habemus apud Vlpianum *in fragment. tit.25. §.item græcè:* tradunt supracitati, & Antonius Faber *in iurisprud. tit.13. per totum.* Nec sententiæ, aut decreta, aliâ quàm Latinâ linguâ proferri poterant, *l. decreta 48. ff.de re iudic.* nec contrarium probant textus *in l.si duo 13. §.vlt. ff.de iureiur. l.verbum 17. Cod. ex quibus causis infamia;* quia *in dict. §.vlt.* superindictio illa Græcis verbis concepta, *petulanter ne iurato*; non à iudice, sed à præcone ex more recepto proferebatur, vt sic per præconem causa supplicij publicaretur. Fornerius *lib.1. quotid. cap.13.* Balduinus *de edictis pro Christianis, cap.34. in dict. l.17.* Et quamuis sycophanteseus, id est, calumniatus est, à iudice pronuntiatus sit, non fuit pro tribundi sedendo, sed extra, vt in ipso textu docetur, & notauit Reuardus *lib.4.variarum, cap.2.* Simili modo in lege *moris 9. §.idem 8. ff.de pœnis*, verba græcè relata non sunt formalia sententiæ, aut iudicis, sed Vlpiani, qui græco sermone vsus fuit, vt commodiùs se expediret. Tandem ab Arcadio, & Honorio constitutum fuit, vt iudices tam Græcâ, quàm Latinâ linguâ sententiam proferre possint, *l. iudices 12. Cod. de sentent. ex periculo.* Circa rescripta ipsorum Imperatorum probabile est, græcè plerumque fuisse concepta, vt constat *ex l.3. de custodia reorum, l.moris 9. §.erit 8. ff.de pœnis, l.1. §.1. ff. de appellat. l.deprecatio, ff.ad leg. Rhodiam, l.semper 5. §.licèt, de iure immunit.* & Iosephus *lib.14. antiquitatum, c.18.* refert rescriptum Iulij Cæsaris græcè scriptum, & Iustinus Martyr *lib. 2. apolog. pro Christianis*, refert aliud Imperatorum Adriani & Antonini. Hæc omnia obseruata fuerunt dum sedes imperialis apud Latinos erat, eâ tamen Constantinopolim translatâ, concipi cœperunt, tam rescripta, quàm sententiæ græcè, & latinè, *l.iudices 12. l.omnes, C.de sententiis*; quamuis pars, quæ ad Imperium Latinum spectabat, vsum retinuisset, vt decreta latinè tantùm interponerentur, & ideò post dictam constitutionem legis *iudices*, Tribonianus compilauit textum *in dict. l.decreta, ff.de re iudic.* in corpore Pandectarum: & hoc modo sedanda est eorum iurium antinomia, omissis solutionibus traditis à Genua *in conciliatione legum, fol.769.in paruis*, Osualdo *lib.28.ad Donellum, cap.3. littera M.* Pancirola *3. variarum cap.15.* vt docet & eruditè tradit, provt solet, nunquam sine laude nominandus Præceptor D. Iosephus de Retes *in dict. l.decreta, ff.de re iudicata.*

5. Qvid procedat ivre Canonico.

Sed vt ad ecclesiasticas constitutiones, & rescripta Apostolica perueniamus, sciendum est, Ecclesiam in Conciliis, Legatis suis & Oratoribus præscripsisse, vt iuxta morem obseruatum non aliter quàm latinè loquerentur, vt ex actis Synodi Ephesinæ obseruat Baronius *anno 325.* illud adiiciens, Marcianum Imperatorem in sacrosancto Concilio Chalcedonensi primum latinè, deinde græcè loquutum esse: & *anno 45. ex num.38.* refert quod Orientalis Ecclesia Euangelia & Epistolas primùm latinè recitari, mox græcè consueuisset; quem morem occasione Concilij Nicæni repetit etiam Spondanus *anno 325. n.19.* Sed quamuis hæc ita sint, dubitari non potest, quin post translatum Imperium ad Byzantium, paulatim Græcus sermo introduci cœpit, vnde in litteris commendatitiis characteres Græci apponebantur, *c.1. & 2.73. dist.* dicam latè *in titulo de Clericis peregrinis:* & leges ecclesiasticæ, tam latinè, quàm græcè scribebantur, vt probat Franciscus Valens *in concordia, sectione posteriori, 2. tomo:* rescripta verò etiam ad Prælatos Orientales latinè concipiebantur, *cap.quanto, de consuetudine, cap.ex parte 12.*

hoc

hoc tit. in Eccleſiis verò inferioribus vniuſcuiuſque prouinciæ vſus ſeruatur, *cap. quoniam* 14. *de offic. Ordin.* Concilium Turonenſe 3. celebratum temporibus Caroli Magni, ibi: *Vt eaſdem homilias quiſque apertè transferre ſtudeat in ruſticam Romanam linguam ac Theoſticam, quo facilius cuncti poſſint intelligere quæ dicuntur.* Plura Aldrete *de origine linguæ, lib.* 1. *cap.* 12. Albericus Gentilis *in opuſculo de linguarum mixtura*, Bellarminus *de verbo Dei, lib.* 2. *cap.* 16. Germonius *vbi ſuprà.*

CAPVT XII.

[a] Clemens III. [b] *Abbatibus de Obſen & de Hetuer, & Priori S. Tridæ.*

EX parte S. [c] perſonæ Eccleſiæ de Tarento nobis innotuit, quòd cùm Capella de Empton ad prædictam Eccleſiam de iure pertineat, O. diaconus (qui iam dictam Capellam detinet) Capellanum ipſius Eccleſiæ nomine ipſius S. in ea miniſtrantem, poſt appellationem à ſe factam, amouit. Quam cùm eſſet S. proſecutus, & ad Iudices litteras impetraſſet, ipſe O. appellationem ſuam proſequi non curauit. Cúmque authoritate Iudicum in ius eſſet vocatus, dixit ſe litteras priores habere, de quibus nulla mentio in poſterioribus habebatur, quas vſque ad tertiam citationem ſuppreſſit, eiſque dolo vel negligentiâ vti poſtpoſuit, quod ex diuturnitate temporis videbatur, in quibus nulla mentio de appellatione ab ipſo facta fiebat, cùm biennium à tempore appellationis iam fuiſſet elapſum; ideoque F. V. per A. S. mandamus, quatenus ſi ita conſtiterit, reuocatis in ſtatum debitum omnibus, quæ poſt appellationem ipſius O. inueneritis attentata, præſcriptam Capellam Matrici Eccleſiæ appellatione remotâ reſtituatis: prædictum O. ſi eum appellationem ſuam non fuiſſe proſequutum conſtiterit, memorato S. in expenſis neceſſariis condemnantes.

NOTÆ.

1. [a] *Clemens.*] Defuncto Gregorio VIII. creatus fuit Pontifex Clemens III. Paulinus antea dictus, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus, qui diligentiſſimus fuit circa omnia ad Eccleſiam, & Catholicam Religionem ſpectantia, præcipuè circa expeditionem pro recuperanda Terra ſancta. Eccleſiam rexit ex anno 1188. vſque ad annum 1199. vt referunt Baronius, & Corjolanus *eodem anno*, Ludouicus à S. Carolo *in Clement. III.* Huius Pontificis aliqua referuntur decreta in hac ſexta compilatione, inter quæ primum in ordine obtinet locum præſens deciſio, quæ reperitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 8.

2. [b] *Abbatibus.*] Ita retinenda eſt inſcriptio huius textus ex dicta collectione ſecunda; hæc autem monaſteria ſunt in Græcia, in Diœceſi Tarentina, Ordinis D. Baſilij.

3. [c] *Perſonæ.*] Nomen perſonæ iure ciuili hominem tantùm liberum ſignificabat, ideò ſerui ſine perſona dicti ſunt. Theophilus *ad titulum de ſtipulatione ſeruorum*, Caſſiodorus *lib.* 6. *epiſt.* 8. ibi: *Quid enim prius facerent inter ſeruos iura publica, qui perſonam legibus non habebant.* Inde ſequentibus ſæculis vſus inualuit, vt inter liberos homines, nobiliores, Perſonæ dictæ ſint; & ſimiliter qui in Clero primas ſedes habebant, perſonæ, vt eorum dignitas, perſonatus, dicebantur. Concilium Aruernenſe, ibi: *Clericos, quos perſonas vocant: cap. ad aures* 8. vbi notaui, *hoc tit.* non ergo omnes clerici dicebantur perſonæ, ſed tantùm maiores, & primi, præpoſiti Eccleſiis parochialibus, aut regularibus. Ioannes Sariſbariſienſis *epiſt.* 11. ibi: *Aſſerens Eccleſiam ſuam eſſe perſonam eius*: notarunt Gaſpar Barthius *lib.* 17. *aduerſ. cap.* 32. Boſquetus *ad Innocentium tertium lib.* 1. *epiſt.* 54.

Textum hunc expoſui ſuprà *in cap. cæterùm* 3.

CAPVT XIII.

[a] Cæleſtinus III.

SCiſcitatus es à nobis petitorio deſtinato, de qua impotentia illud intelligitur (quod in litteris noſtris ſæpe conſueuit adponi) vt ſi duo, vel tres, quibus litteræ diriguntur, ipſis exequendis ſimul intereſſe nequiuerint, vnus, aut plures, quibus ſcribitur, nihilominus exequantur. Nos verò ita ſentimus, quod tam de iure, quàm de facto illa impotentia cenſeatur. De iure, ſi aliquem illorum ſeruum, vel infamem, aut alio legitimo impedimento detentum eſſe conſtiterit. De facto, ſi conſtiterit eum caſu mortis occumbere, aut ineuitabilis neceſſitatis articulo impediri, quominus valeat intereſſe. Dummodo is, qui pro neceſſitate præſens eſſe non poteſt, collegis ſuis canonicè excuſationem ſuam curet (ſi poterit) deſtinare: vt alij coniudices, vel executores nihilominus ad conſummationem iniuncti mandati procedant. Nec enim ille, qui tantummodo non vult intereſſe, hac impoſſibilitatis interpretatione valeat ali-

quatenus excusati, nisi fortè sic in rescripto habeatur expressum, si non omnes interfuerint, vel simul nequiuerint, aut noluerint interesse.

NOTÆ.

1. a *Cælestinus III.* Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. Cui autem missa sit hæc epistola, nec ex illa, neque ex hac constat. Cælestinus III. successit Clementi III. anno 1191. & Ecclesiam rexit vsque ad annum 1198. vel referunt Baronius & Corjolanus *in eod. anno.* Papirius & alij de vitis Pontificum scribentes. Varias epistolas scripsit, & decreta edidit, quæ refert Ludouicus à S. Carolo *lib.* 1. *in Cælestino* 3. Eius nonnullæ decisiones compilatæ sunt in hoc volumine, & in secunda collectione, in quibus plerumque omittitur inscriptio, vt in præsenti contingit.

2. QVI IVDICES ESSE POSSINT.

b *Tam de iure, quàm de facto.*] Plures enim arcentur à iudicandi munere propter impotentiam iuris, aut propter impotentiam facti. Ob impotentiam iuris, aut naturalis, aut positiui. Per naturam enim prohibentur iudicare illi, quorum nullum iudicium est, vt sunt furiosi, *l. furiosi* 40. *de reg. iuris:* qui dicuntur mente alienati, *l. si cùm dotem* 22. §. *si maritus*, *ff. soluto matrimonio*; nec voluntatem habent, *l. qui seruum* 47. *ff. de adquirend. hæredit.* adeò vt absentium, dormientiumve loco habeantur, *l.* 2. §. *furiosi*, *ff. de iure codicillorum*, *l. Iulianus* 40. *ff. de diuort. l. sed si vnus* 17. §. *filio*, *ff. de iniuriis.* Furiosus ergo iudex esse non potest, *l. cùm Prætor* 12. §. *natura*, *l. cùm furiosus* 39. *ff. de iudiciis.* Docent Hotthomanus *lib.* 4. *obs. c.* 6. Vulteius *de iudiciis lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 88. quod procedit in furioso perpetuo; si verò lucida interualla habeat, vt frequenter habet, *l. qui testamento* 20. §. *maritus*, *ff. qui testamenta facere*, iudex dari potest, *dict. l. cùm furiosus* 39. *cap. his qui* 32. *q.* 7. & si postquam iudex datus est, furere cœpit, iudicandi officio, non verò ipsâ Magistratus dignitate priuatur, *l. iudex datus* 46. *ff. de iudiciis*, *l. qui furere* 20. *ff. de statu hominum*, *l. nec mandante* 8. §. 1. *ff. de tutoribus:* deinde à natura iudicare prohibentur muti, *dicta l. cùm Prætor*, §. *non autem:* mutos autem intelligimus, non qui obscurè, aut tardè; sed qui omninò nihil loquuntur, iuxta legem *mutum* 9. *ff. de ædilit. edicto*, §. *nam & mutus*, *ff. quibus non est permissum facere testam.* Ratio aperta est, mutus enim ius dicere non potest, & minùs interdictum, aut sententiam proferre: deinde quia in iudicio plerumque interrogationes fiunt, de quibus in titulo *de interrogat. in iure faciend.* & interloquutoriæ sententiæ dicuntur, *l.* 1. *C. de sententiis & interloquut.* Obseruat Vulteius *vbi suprà*, *num.* 117. arcentur etiam à iudicum officio surdi, *dict. l. cùm Prætor*, §. *non autem*, illi videlicet, qui nihil penitus audiunt, quomodo surdi definiuntur, *l.* 3. §. *surdus*, *ff. ad Syllanianum:* impuberes etiam ob iudicij defectum iudices esse non possunt; iure nostro Pontificio, qui decimumoctauum agit annum, à Principe iudex delegatus dari potest, etiam renuentibus partibus; ipsis verò consentientibus, maior 18. annis, *cap. cum vigesimi* 41. *de officio delegati:* iure Regio annus 26. præscriptus est ad iudicandum, *l.* 2. *tit.* 9. *lib.* 3. *recopil.* abrogata lege 5. *tit.* 4. *partita* 3. quid tamen iure ciuili obseruaretur pro expressione textus *in l. ad rem publicam* 8. *ff. de muneribus*, *l.* 1. §. 3. *de postulando*, *l. cùm lege* 41. *ff. de receptis*, pertractant Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 24. Petrus Gregorius *lib.* 47. *Syntagm. cap.* 9. *num.* 16. Cuiacius *in l.* 1. *Cod. qui ætate*, Petrus Faber *in l.* 2. *ff. de reg. iuris*, Altamiranus *in l.* 1. *Cod. de filiis officialium*, *cap.* 6. *num.* 48. & *in l.* 3. *cap.* 4. Feloaga *in cap.* 1. *de his quæ vi, ratiocinat.* 5. Narbona *anno* 20. *quæst.* 3. *num.* 19. & *anno* 25. *quæst.* 10. Bronchorst. *centuria* 1. *assertione* 65. Vulteius *dict. cap.* 4. *num.* 96.

3. PROSEQVVNTVR QVI IVDICARE NEQVEANT.

Inter eos, qui à natura iudicare nequeunt, aliqui numerant cæcos. Accursius & Bartolus *in l. cæcus* 6. *ff. de iudiciis*, Robertus *lib.* 3. *sentent. cap.* 26. sed rectiùs affirmant, cæcos posse iudices dari, contra Accursium & Bartolum Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 24. Duarenus *lib.* 1. *disput. cap.* 23. & ad titulum *de iudiciis*, *cap.* 1. Hothomanus *illustrium quæst.* 26. Xammar. *de offic. iud. part.* 1. *quæst.* 12. Vvesembechius *ad titulum de iudiciis*, *num.* 3. Cæcus enim nunquam reperitur iudicare prohibitus, imò *ex dict. l. cæcus*, apertè constat, cæcum iudicandi officio fungi posse, quod etiam traditur *in l.* 1. §. 2. *loco*, *ff. de postulando*; quia officium iudicis non in oculis corporis, sed mentis consistit. Hactenus recensuimus eos, qui à natura iudicare prohibentur; nunc agamus de illis, qui à iure impotentiam habent; & primò ex iuris dispositione à munere iudicandi arcentur infames, *cap. infamis* 3. *quæst.* 7. *l.* 2. *Cod. de dignitat. lib.* 12. idque lege Iulia cautùm esse constat *ex l.* 1. *ff. ad leg. Iuliam de vi*; & ex Cicerone *in oratione pro Cluentio*, ibi: *Legem esse hominibus turpi iudicio damnatis in perpetuum, nullum ad honores, neque in curiam aditum esse.* Nec tantum si damnatus ex crimine famoso, verùm & si eo tantùm notatus sit, iudex dari nequit, *dicta l.* 2. *l. sancimus*, *Cod. ad leg. Iuliam repetund.* plura D. Franciscus de Amaya *in l. vnica*, *Cod. de infamibus*, *lib.* 10. officium enim iudicandi honor est, *cap. vt debitus* 59. *de appellat.* sed infamibus aditus ad honores non patet, *dicta l. vnica*, *Cod. de infamibus*, *cap. infamibus*, *de reg. iur. lib.* 6. ergo infames ad iudicandi officium admitti non possunt. Similiter illiterati iudices esse nequeunt, *cap.* 1. *cap. statuimus*, 61. *dist. nouella* 81. *Iustin.* & magna cum ratione, cùm iudex debeat sententiam proferre secundùm canones, legesve, *cap. iudex* 3. *quæst.* 7. *cap.* 1. *de constit. cap.* 1. *de re iudic. l. nemo*, *Cod. de sententiis*, nisi periti sint eius rei, de qua agitur, *l. certi* 17. *Cod. de iudiciis*, *l.* 1. *ff. & Cod. de officio eius*, *l.* 7. *Cod. de professoribus*, *l.* 2. *Cod. de postulând. l.* 2. *C. quod quisque iuris:* docent Corrasius *lib.* 5. *miscell. cap.* 19. Robertus *lib.* 3. *sentent. cap.* 3. Vulteius *disput. iuris cap* 8. Cuiacius *lib.* 13. *obseruat. cap. vlt.* Hunnius *ad Treutl. volum.* 1. *disp.* 12. *quæst.* 33. Bronchorst. *centuria* 1. *assertione* 64. Sauarus *ad Sidonium*, *lib.* 1. *epist.* 2. Canonerius *in prolog. ad* 7. *aphorismum Hippocr.* Etiam iure, seu moribus prohibentur fœminæ iudices esse, *l. cùm Prætor* 12. §. *non autem*, *ff. de iudiciis*, *l.* 2. *ff. de regulis iuris*, *cap. dilecta*, *de maiorit. & ob. cap. dilecti*, *de arbitris.* Item serui, *l. sed si in seruum* 9. *l. Pædius*, §. 1. *l. non distinguemus* 32. §. *si seruus*, *ff. de arbitris*, *l.* 3. §. *Imperator*, *ff. de decurionibus*, *l. vnica*, *Cod. ad legem Visellium*, *cap. insinuante*, *de officio Delegati*; serui enim pro mortuis habentur iure ciuili, *l. quod attinet*, *ff. de reg. iuris*, *l. seruus*, *l. seruitutem*, *ff. de reg. iuris:* sed munus iudicandi est ciuile: ergo serui sunt incapaces iudicandi. Cui principio non obstat textus *in l. Barbarius*, *ff. de officio Præsidis*; pro cuius expositione videndi sunt Morla *tit. de iurisdictione*, *quæst.* 26. *num.* 4. Amaya *in l.* 1. & 2. *Cod. si seruus*,

ſeruus, authent. debetur, Caldeyra *lib. 2. variarum, cap. 7.* Iacobus Gothofredus *in eo textu*, Robertus *lib. 1. animaduerſ. cap. 8.* Maqueda *in repetitione ad illum textum*, Heraldus *lib. vnico emend. cap. 4.* Salmaſius *ad ius Atticum, cap. 14.* Similiter ex iuris noſtri diſpoſitione iudicare prohibentur excommunicati, *cap. prudentiam 21. §. 6. de officio delegati*, *cap. ad probandum, de re iudic. cap. is cui 10. de officio delegati, lib. 6. cap. 1. de officio Vicarij, eod. lib.* docent Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 30. n. 6.* Suarez *de cenſuris diſput. 7. ſect. 2. & diſput. 14. ſect. 1.* Gibalinus *eodem tract. fol. 270.* & hæc de illis, qui à iure impotentiam habent iudicandi: de facto iudicare nequeunt, qui cauſæ deciſioni intereſſe non poſſunt, morte, vel inevitabili neceſſitate impediti.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hoc Cæleſtini reſponſo talem deducunt Interpretes diſputandam aſſertionem: *Clauſula, quod ſi non omnes; vel, ſi ambo intereſſe non poſſint, duo, alterve eorum nihilominus exequatur; tam ad impotentiam iuris, quàm facti referenda eſt.* Eam probant textus *cap. prudentiam 21. §. adiicimus, cap. cum ſuper 23. cap. inſinuante 25.* iunctâ Gloſsâ *verbo Iniquo, cap. quoniam Abbas 14.* vbi Gloſſa *verbo Proſpexit, cap. ſuper quæſtionum 27. §. ſi verò duo, cap. licèt 30. cap. coram 34. cap. quamvis 6. cap. vno 41. de officio delegati, cap. dilecto 40. de teſtibus, cap. cùm dilecti 3. de emptione & vendit. cap. Raynaldus, de teſtam. cap. ſi duo, de procurat. lib. 6. cap. ſi contra vnum 4. cap. cùm plures 8. de offic. deleg. eod. libro, cap. finali, de teſtam. eod. libro, cap. vt commiſſum, in principio, de hæret. eod. libro.* Conſonant de iure ciuili lex *duo 39. ff. de re iudic.* lex *Pædius*, §. 1. lex *item ſi vnus 17. §. item ſi plures*, lex *ſi intres*, cum ſequenti, lex *non diſtinguemus 32. §. cùm in pluribus, ff. de recept. arbitris*, lex 4. *C. quando prouocare.* Conſonat lex 17. *tit. 22. partit. 3.* Illuſtrant vltra repetentes, & congeſtos à Barboſa hîc, & *de clauſulis clauſula 125.* Moneta *de commut. cap. 8. num. 136.* Petrus Gregorius, Caniſius, Vranius, & Fagnanus *in præſenti*, idem Petrus Greg. *lib. 1. de reſcriptis, cap. 2. & lib. 5. partit. tit. 5. cap. 5.* Guillelmus Fornerius *lib. 1. ſelect. cap. 7.* eius filius Rodulphus Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 3.* Hermannus Vulteius *de iudiciis lib. 2. cap 7. num. 404.*

5. TRADITVR DVBITANDI RATIO.

Hæc tamen aſſertio non leues patitur difficultates. Prima naſcitur ex eo; nam in cauſa pluribus iudicibus à Pontifice commiſſa, vnus ſine alio procedere nequit, imò omnes ſimul de ea cognoſcere, & eam terminare debent, *cap. cauſa matrimonij, cap. cùm cauſa 32. de offic. deleg.* adeò vt vno ex iudicibus defuncto, alter ſuperſtes de ea cognoſcere non poſſit, quia eius iuriſdictio iam expirauit, *cap. vno 42. de offic. deleg.* Ergo ſiue impotentiâ iuris, vtpote infamiâ; aut facti, videlicet morte, vnus ex iudicibus impediatur de cauſa cognoſcere, alter in ea procedere non valet. Secunda ex eo prouenit, quia aſſerimus infamem, cui à R. Pontifice commiſſa eſt alicuius cauſæ cognitio, non poſſe in ea procedere propter impedimentum infamiæ; nam dum Pontifex infami, aut aliàs à iure impedito cauſam committit, cenſetur ipſum famæ reſtituere, & eum capacem facere vt poſſit iuriſdictionem delegatam exercere; Pontifex enim infamem reſtituere poteſt, *cap. cauſam, de re iudicata.* Præcipiens enim Princeps actum, præcipit id omne ſine quo ad eum peruenire non poteſt, *l. quidam 57. ff. de re iudic.* Accurſ. per textum ibi, *in l. Imperiales 23. verbo Oportet, C. de nuptiis.* Rodericus Suarez *allegat. 12. per totam*, Sanchez *de matrim. lib. 8. diſput. 4.* Baſilius *eodem tract. lib. 8. cap. 13. num. 15.* Azeuedus *in l. 3. tit. 3. lib. 8. recopil.* Leſſius *de iuſtitia lib. 2. cap. 35. dub. 5.* Amaya *in l. 1. C. ſi ſeruus aut libertus, num. 29.* ergo Pontifex præcipiendo infami, vt in cauſa procedat, eum reddit habilem ad huiuſmodi actum. Tertia difficultas militat aduerſus id, quod in præſenti aſſeritur, videlicet virtute clauſulæ, *quod ſi non omnes*, vno ex iudicibus nolente in cauſa procedere, alium poſſe eam decidere, & determinare; nam alius eſt caſus voluntatis, alius eſt caſus impotentiæ; ſiquidem primus prouenit ex defectu voluntatis, ſecundus ex defectu capacitatis, *l. Iulianus 26. ff. ſi quis omiſsâ cauſâ teſtam.* igitur licèt in caſum impotentiæ vnius ex iudicibus alij concedatur in cauſa procedere, hæc facultas protrahi non debet ad caſum noluntatis. Fulcitur hæc difficultas ex præſenti textu, in illis verbis: *Simul nequiuerint, aut non potuerint.* Igitur ſi tantùm apponatur clauſula, *non potuerit*, non comprehendetur caſus noluntatis.

6. DE CAVSA PLVRIBVS COMMISSA.

Sed his difficultatibus minimè obſtantibus, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione primò ſciendum eſt, ſummum Pontificem, penes quem omninò reſidet iuriſdictio eccleſiaſtica, *cap. decreto 11. cap. qui ſcit 2. q. 6. cap. multis 3. q. 6.* iunctis traditis à Hieronymo Gonzalez *ad regulam 8. Cancell. §. 1. proœmiali*, cauſam vni, vel pluribus ſolere delegare, vt videre eſt paſſim *in tit. de officio delegati:* frequenter autem duobus, aut tribus iudicibus cauſam committit, vt ſic meliùs veritas cognoſci poſſit, *cap. prudentiam 21. verſ. Illa, de offic. deleg. cap. de quibus 20. diſt.* Facit lex vltima, *C. de fideiuſſorib.* cùm pluribus committitur, aut committitur coniunctim, aut ſeparatim: quibus coniunctim committitur, per coniunctiuam &, vel *etiam*, competit ſimul iuriſdictio, & omnes ſimul cauſæ cognitioni vel executioni intereſſe debent, quia licèt quilibet eorum habeat iuriſdictionem in ſolidum, propter naturam ipſius, quæ vtpote res incorporalis, & indiuidua, pro parte haberi non poteſt, Immola *in dict. cap. prudentiam, num. 14.* Gratianus *diſcept. cap. 396.* eam tamen ſolus non poteſt exercere, nec vno defuncto, vel abſente, reliqui in cauſa procedere poſſunt; *l. duo 39. ff. de re iudic. l. ſicut 20. ff. de receptis:* facit textus *in cap. ſi duo 6. de procur. lib. 6.* Docet Moneta *de commut. cap. 8. num. 135.* vnicam enim iuriſdictionem habent, & vnam perſonam, à qua illam obtinent, repræſentant, *cap. Paſtoralis, hoc tit.* vnde neuter ſine alio in cauſæ cognitione procedere valet, *cap. cauſam 16. cap. cùm cauſa 21. de offic. deleg.* Si verò diſiunctim, veluti vt duo, vel vnus eorum de cauſa cognoſcat, hoc caſu cuiuis ex delegatis facultas cognoſcendi competit in ſolidum, itavt præuentioni inter eos locus ſit, nec re non integra alter cauſæ ſe immiſcere poteſt, niſi qui cœpit cognoſcere, infirmitate, vel ſimili causâ proſequi impediatur.

7. DE CLAVSVLA: QVOD SI NON OMNES.

Quæ omnia procedunt, niſi adiecta ſit clauſula, *quod ſi non omnes*, vel *quod ſi ambo intereſſe non poſſint, duo vel alter eorum procedat*; quæ frequenter apponitur in delegationibus Apoſtolicis, vt patet ex noſtro textu *cap. prudentiam, cap. licèt duo, de officio deleg. cap. ex tenore 35. de teſtibus,*

cap. Raynaldus, in princip. de teſtam. cap. 3. *de emptione & vendit.* & aliis infrà citandis. Cui clauſulæ maximè affinis eſt quæ ſex notis apud veteres ſignificabatur, videlicet A.A.V.S.E.V. quas ſic eruditi exponunt, ambo, alterve, ſi eis videbitur: quæ clauſula reperitur apud Ciceronem in Antonium *Philipp.*9. aliàs 8. ibi: *Vtique C. Panſa, A. Hircius Coſſ. alter, ambóve ſi eis videbitur, quæſtoribus vrbis imperent.* Apud Iulium Frontinum *lib.* 2. *de aquæductu*, ibi: *Q. Hellius, Q. Fabius Coſſ. ambo, alterve, ſi videbitur, adhibitis Prætoribus, qui ærario præſunt.* Aulum Gellium *lib.*1. *noctium, cap.* 12. ibi: *Cuius parentes alter, ambóve ſeruitutem ſeruierunt.* Facit textus *in l.* 4. §. *ſi quis, in fine, C. de aduocatis diuerſorum.* Vegetius etiam *lib.* 3. *de re militari, cap.* 1. ſcribit, multitudine militum rebellante duos duces exercitus mitti ſolitos cum hoc præcepto: *Prouideant, ne quid reſpublica detrimenti capiat, Coſſ. alter, ambóve.* Alia adducunt Briſſonius *de formulis lib.*3. Guillelmus Fornerius *lib.*1. *ſelectionum, cap.* 7. Rodulphus Fornerius *lib.*3. *quot. cap.*3. Hac igitur adiectâ clauſulâ, licèt ſtatim vnus ſine alio in cauſa procedere non poſſit, nec eam terminare, quia licèt iuriſdictionem habeant in ſolidum, eius tamen exercitium ita eſt apud omnes, vt non ſit penes ſingulos; imò ſi vnus ſine altero procederet, excederet iuriſdictionis mandatæ terminos, & ſententia corrueret, quia forma reſcripti ſeruanda eſt, *d. cap. prudentiam, cap. ſuper eo* 15. *cap. cùm contingat*, 36. *cap. venerabilis* 37. *de officio deleg.* Si verò vnus ex eis ob impotentiam iuris, aut facti adhuc in cauſæ cognitione procedere nequiuerit, & ſententiam proferre, tunc cùm impedimentum liquidò conſtiterit, alter virtute prædictæ clauſulæ in cauſa procedere, & eam terminare valet, *cap. prudentiam, cap. licèt* 30. *de officio deleg. cap. cùm plures, eod. tit.* quo caſu accipio textum *in cap.*2. *de eo qui mittitur in poſſeſſ.* per impotentiam enim vnius non expirat iuriſdictio alterius, imò purificatur quæ per dictam clauſulam conditionalis erat, *dicto cap. vno* 42. Barboſa *de clauſulis, clauſula* 125.

8. EXPONITVR CAP. QVONIAM 14. DE OFFICIO DELEG.

Igitur non adiectâ ſupradictâ clauſulâ in cauſa pluribus commiſſa, ſi aliquis, vel vnus ex iudicibus impeditus reperiatur, alij in cauſa procedere non poſſunt: nec huic principio obſtat textus *in cap. quoniam* 14. *de officio deleg.* vbi fuit cauſa commiſſa à ſummo Pontifice duobus Abbatibus Leiceſtræ, & Lileshulæ: mortuo Abbate Lileshulæ, Abbas Leiceſtræ cum ſucceſſore defuncti in cauſa proceſſit, & ſententiam protulit, quam ſummus Pontifex approbauit, & ratam habuit. Igitur mortuo vno ex iudicibus delegatis, alter in cauſa procedere valet. Gloſſa, quam ſequitur Panormitanus in eo textu, *num.* 4. exiſtimat, cauſam ibi commiſſam eſſe ſub clauſula, *quod ſi non omnes*; & ideò mortuo vno, alium in cauſa procedere poſſe, nec eius iuriſdictionem expirare. Sed hæc ſolutio diuinationis vitio laborat; ſiquidem ex textu non conſtat, clauſulam, *quod ſi non omnes*, præceſſiſſe. Quâ ſolutione omiſſâ, verius dicendum eſt, diſcrimen eſſe conſtituendum inter eum caſum, in quo delegatur, ſeu committitur cauſa expreſſo nomine proprio, videlicet Petri, aut Pauli; & inter eum caſum, in quo non exprimitur perſona, ſed dignitas, & cauſa committitur ſub nomine appellatiuo, vt Epiſcopo, Decano, vel Abbati. Primo caſu mortuo iudice in litteris deſignato, iuriſdictio non tranſit ad ſucceſſorem in dignitate, quæ extinctâ perſonâ conſequenter & finitur, *cap. ſi gratioſè* 5. *de reſcriptis, lib.* 6. Secundo verò caſu in ſucceſſorem tranſit iuriſdictio, quia dignitas nunquam moritur, *dict. cap. ſi gratioſè*, & ſic per mortem non extinguitur, *cap. Paſtoralis*, §. *præterea, de officio Ordin. cap. ſi is cui, de officio deleg.* docent Caniſius *in eo textu*, Sanchez *de matrim. lib.*8. *diſput.*22.27.& 28. Moneta *de commut.cap.*8.*num.*114. & 134. quod procedit ſi reſcriptum iam præſentatum eſt, aliàs ſi re integra deceſſit vnus ex iudicibus, etiam deſignatus nomine dignitatis, neceſſe eſt vt ſucceſſor de nouo nominetur, aliàs in cauſa procedere nequit; cùm enim reſcriptum eſt præſentatum, iam perpetua eſt iuriſdictio, *dict. cap. Paſtoralis*, §. *præterea, dict. cap. ſi is cui.* Notant Germonius *de indultis*, §. *Hieronymo, num.*38. Bajo Arroyo *in cap. finali, de procur. num.* 56.

9. EXPLICATVR CAP. CAVSAM 16. DE OFFICIO DELEG.

Nec huic ſolutioni aduerſatur textus *in cap. cauſam* 16. *de officio delegati*, vbi quædam cauſa commiſſa fuit duobus Epiſcopis; & cùm vnus ſine alio in cauſa procederet, & definitiuè eam terminaret, ſententia fuit caſſata à Romano Pontifice, ea ratione, quia cùm cauſa duobus committitur, alter ſine altero procedere in ea non valet: ergo ſiue cauſa committatur ſub nomine dignitatis, ſiue ſub nomine proprio, vnus ſine alio nullo modo procedere valet. Auguſtinus Beroius *in cap. quoniam Abbas* 14. *num.* 45. *verſ. Multi*, exiſtimat in eius textus ſpecie cauſam non ſub nomine dignitatis, ſed potiùs ſub nomine proprio Epiſcoporum fuiſſe commiſſam, & ſic vnum ſine alio in cauſa procedere non poſſe. Sed hæc ſolutio non depromitur ex verbis textus, imò ſiue textum provt eſt in decretalibus, ſiue provt in prima collectione iacet ſub illo titulo, *cap.* 21. & in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *p.*50. *cap.* 26. conſulamus, conſtat ſub nomine dignitatis cauſam commiſſam eſſe. Quare hac ſolutione reiecta, dicendum eſt, in eo textu vnum Epiſcopum ſine alio in cauſa proceſſiſſe, dum non conſtabat alium deceſſiſſe, aut impeditum fuiſſe; tunc enim dicendum eſt, etiam nomine dignitatis factâ delegatione, vnum iudicem ſine alio in cauſa procedere non poſſe: quo modo intelligendus eſt etiam textus *in cap. veniens* 13. iuncta gloſſa, *verbo Iudices, de renunciatione:* docet Moneta *de commut.cap.*8.*num.*13.

10. TRADITVR RATIO CONCLVSIONIS.

Prædictæ concluſionis ratio ex eo prouenit; nam reſcriptorum forma diligenter eſt obſeruanda, *cap. cùm dilecta, hoc titulo, cap. prudentiam, de officio deleg.* & delegationis forma ſemper ſequenda, *cap. ſuper eo* 15. *cap. cùm contingat* 36. *cum ſequenti, de officio deleg.* & ſi quid iudices contra formam reſcripti attentauerint, nullum erit, *cap. ſi cui*, & ibi gloſſa, *verbo Propter, de electione lib.*6. ideo cùm cauſa committitur ſub clauſula, quod ſi non omnes, ſi conſtet alium de cauſa cognoſcere non poſſe, aut nolle, alter iuxta formam litterarum in cauſa ſeorſim procedere valet; quia ea fuit voluntas Principis delegantis, & quia verbum illud generaliter prolatum, generaliter eſt intelligendum, *cap. ſolita*, iuncta gloſſa finali, *de maiorit.* & paria ſunt aliquid ſpecialiter expreſſum eſſe, vel ſub verborum generalitate comprehendi, *l. ſi duo* 51. *ff. de adminiſt. tut. l. Prætor*, §. 2. *de noui operis nunciat.* Accurſius *in l. ſi quis mihi* 25. §. *iuſſu, ff. de acquir. hæred.* ideo dicta clauſula, *quod ſi non omnes*, comprehendit tam impotentiam iuris, videlicet ſi ob infamiam, ſeruitutem,

uiuitatem, vel defectum ætatis iudicare nequit; aut facti, videlicet, ſi deceſſit, aut inevitabili neceſſitate impediatur in cauſa intereſſe: docet Moneta *vbi ſuprà.*

11. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES. Nec obſtant difficultates ſuprà adductæ. Non prima, quæ procedit cùm cauſa commiſſa eſt indefinitè, non adiectâ clauſulâ, *quod ſi non omnes*; tunc enim verum eſt, alium ſine alio in cauſa procedere non poſſe, *dict. cap. cauſam 16. cap. cauſam 22. de leg.* at verò ſi non ſimpliciter, ſed adiectâ prædictâ clauſulâ committatur, tunc vnus alio impedito in cauſa prodecere valet. Nec ſecunda difficultas refragatur; licèt enim Pontifex beneficium concedendo irregulari, cenſeatur cum ipſo diſpenſaſſe, & ſimiliter in aliis impedimentis; tamen hoc locum habet cùm Pontifex ſcit tale impedimentum habere perſonam illam: at ſi neſciat, non præſumitur cum ea diſpenſaſſe, vt latè docent Baſilius *lib. 8. de matrimonio, cap. 16.* Vnde cùm Pontifex committit alicui cauſam, qui habet impedimentum iuris, quod Pontifex ignorat, non præſumitur Pontificem cum eo diſpenſaſſe. Quæ tamen impedimenti ſcientia requiratur in Principe, vt præſumatur diſpenſaſſe, diſputat Baſilius *vbi ſuprà.* Difficilior eſt tertia conſideratio; nam licèt verum ſit, caſum impotentiæ comprehendere caſum noluntatis, vt probat Pichard. *in principio Inſtit. de vulgari, num. 20.* tamen in noſtro caſu dubium eſt, an virtute clauſulæ, *quod ſi non omnes intereſſe potuerint*, caſus noluntatis, videlicet cùm alter non vult intereſſe, comprehendatur; & ſic altero renuente in cauſa procedere, alter nihilominus intereſſe poſſit? Et poſſe reſoluit Zabarella *in præſenti*, qui docet textum noſtrum correctum eſſe per textum *in d. cap. prudentiam, §. adiicimus, de officio delegati*; vbi dicitur, noluntatem comprehendi ſub impotentia: ſequitur eum Moneta *d. cap. 8. num. 658.* Sed cùm correctio iurium de facili non ſit admittenda, *cap. cùm expediat, de elect. lib. 6. l. præcipimus, C. de appellat.* dicendum eſt textum præſentem exponi, & ſuppleri ex deciſione textus *in d. §. adiicimus*, ita vt clauſula, *quod ſi non omnes*, comprehendat noluntatem ad hoc, vt alius alio nolente poſſit in cauſa procedere, *d. §. adiicimus*; non autem includat ad hoc, vt qui nolit de cauſa cognoſcere, excuſetur, imò grauiter plectendus eſt, cùm reſcriptum Apoſtolicum exequi renueret, ex noſtro textu: quod ſi clauſula, *quod ſi non omnes*, ita concepta ſit, *quod ſi nequiuerit*, aut *non potuerit*; tunc etiamſi vnus renuat de cauſa cognoſcere, non punitur, ſed excuſatur, quia per verbum nequiuerit, facultas illis data fuit ſe excuſandi à prædicto iudicandi munere.

12. EXPONITVR CAP. LICET 30. DE OFFIC. DELEG. Sed ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in cap. licèt 30. de officio deleg.* vbi cauſa commiſſa fuit tribus iudicibus ſub clauſula, *quod ſi non omnes*; & cùm vnus ex iudicibus deceſſiſſet, & alter vt ſuſpenſus remotus eſſet, quæſtionis fuit, an ſuperſtes, cui cognitionem cauſæ defunctus commiſerat, poſſit in cauſa procedere? Et reſpondet Innocentius III. diſtinguendum eſſe, an viuente adhuc iudice, iudex ſuperſtes vti cœperit iuriſdictione, an eo defuncto? Primo caſu in negotio procedere poſſet, quia iuriſdictio delegata, morte delegantis, re non integrâ, durat. Secundo verò caſu, cognoſcere de cauſa, vt delegatus non poſſet, cùm re integra deceſſiſſet collega, qui illi iuriſdictionem ſuam commiſit. Ex qua facti ſerie deducitur, adhuc appoſitâ clauſulâ, *quod ſi non omnes*, vnum ex iudicibus procedere in cauſa non poſſe, niſi alius iudex datus in ipſis litteris illi vices ſuas committat. Augetur eius textûs difficultas *ex cap. coram 34. de officio deleg.* vbi in eadem ſpecie, cùm cauſa commiſſa eſſet tribus iudicibus, aſſeritur vnum ex illis non poſſe vices ſuas committere, & alteri cauſam ſubdelegare: ergo non rectè *in d. cap. licèt*, ſupponitur iudicem delegatum potuiſſe coniudici ſuo cauſam committere. Præſenſerunt difficultatem Gloſſa, Innocentius, Hoſtienſis, & alij antiquiores *in commentariis ad ea iura*, qui varias aſſignant ſolutiones: illis tamen omiſſis, pro ſolutione difficultatis dicendum eſt, *in d. cap. licèt*, ſupponi iudicem delegatum potuiſſe duplici iure de cauſa cognoſcere, videlicet vel vt delegatum Pontificis virtute clauſulæ, *quod ſi non omnes*, vel vt delegatum coniudicis virtute ſecundæ delegationis. Vt delegatus Pontificis ſemper poterat in cauſa procedere, ex dicta clauſula, *quod ſi non omnes*; vt delegatus verò coniudicis non, niſi re non non integrâ deceſſiſſet coniudex; quod expreſsè docet textus *in d. cap. licet*, ibi: *Vices ſuas*; &, *Ille poterit adimplere.* Igitur per ſe poterat de cauſa cognoſcere abſque noua delegatione; nomine autem coniudicis neutiquam procedere poterat, niſi eo adhuc ſuperſtite lis conteſtata eſſet, ex ratione textus *in cap. gratum, cap. relatum, de officio deleg.* Nec tunc obſtat textus *in d. cap. coram*, pro cuius conciliatione cum *dicto cap. licèt*, dicendum eſt, quod licet regulariter iudices delegati Principis poſſint ſubdelegare, *cap. 3. cap. quamuis 6. cap. ex litteris, cap. final. de officio deleg. cap. cùm cauſa, de appellat.* tamen cum appoſita eſt clauſula, *quod ſi non omnes*, non poteſt vnus ex iudicibus in reſcripto datis ſubdelegare, *d. cap. coram*, vbi docent antiquiores repetentes, niſi cauſam committat coniudici in ipſo reſcripto aſſignato; tunc enim ſubdelegatio vires habet, quia cùm omnium iudicum electa, & appellata ſit induſtria ab ipſo R. Pontifice, iudex qui committit iudici ſuo cauſæ cognitionem, quam aliàs proprio iure habebat iudex, non excedit reſcripti formam, quo caſu procedit textus *in dict. cap. licèt*, vt conſiderat Moneta *de commut. dict. cap. 8. num. 570.* quâ etiam doctrinâ accipiendi ſunt textus *in cap. quamuis 6. de officio deleg.* vbi iudex delegatus poteſt cauſam ſubdelegare coniudici ſuo, cùm appoſita eſt clauſula, *quod ſi non omnes*; & aliter ſi ea clauſula adiecta non ſit, docet Moneta *cap. 5. num. 552.* & textus *in cap. ſuper quæſtionum 27. §. ſi verò, de officio deleg.* vbi iudex delegatus, cui cauſa commiſſa erat cum clauſula, *quod ſi non omnes*, ritè, & validè ſubdelegauit, quia eam commiſit coniudici, non extraneæ perſonæ. Ad hanc etiam clauſulam ſpectant textus *in cap. ſuper 23. de officio delegati, cap. olim 25. de reſcriptis, cap. veniens 13. de renunciatione, cap. 3. de in integr. reſtitutione.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Innocentius III. [a] *Elienſi Epiſcopo.*

PAſtoralis officij. *Et infrà* : Præterea quæſiuiſti (quando de reuocatione litterarum ambigitur) vtrum iudices priores, an poſteriores cognoſcere debeant ; & vtrum per ſecundas ſint primæ litteræ reuocatæ ? Ad quod tibi reſpondeo , quod niſi poſteriores prioribus , vel è conuerſo duxerint deferendum , ſimul vtrique cognoſcant : ſi fortè nequiuerint ſimul in vnam ſententiam concordare (quamvis plures ſint ex vna parte , quàm altera) per arbitros communiter electos à partibus huiuſmodi concertatio ſopiatur. Quoniam autem ſub huiuſmodi forma , videlicet (cauſam , quam talis aduerſus talem , & quoſdam alios ſuper hoc , & quibuſdam aliis ſe habere proponit, tibi duximus committendam ,) à nobis multoties litteræ impetrantur , & ſollicitè quæſiuiſti , an iudex ex delegatione huiuſmodi ante perſonarum , vel rerum expreſſionem , ſuper perſonis , vel rebus exprimendis habeat poteſtatem : adiiciens, vtrum ſi antequam perſonæ vel res expreſſæ fuerint nominatim , ſuper non expreſſis in commiſſione priori , ſed generaliter comprehenſis , ſpeciales litteræ (quæ de priori commiſſione nullam faciant mentionem) ad alios iudices à Sede Apoſtolica emanauerint , eundem vigorem debeant obtinere. Nos igitur ad hæc duo taliter reſpondemus, quod (cùm generali per ſpeciale proculdubio derogetur) iuriſdictio per generales litteras adtributa , per ſpeciales (quantùm ad ea , quæ ſpecialiter exprimuntur) penitus eneruatur , licèt de prioribus non faciant mentionem ; vnde ſuperflua relinquitur prima quæſtio, etſi meritò dici poſſit, quod donec iuriſdictio reuocetur, eam ſuper rerum , vel perſonarum articulis exprimendis obtinet delegatus: ſed antequam exprimantur perſonæ , vel res , delegatus nequit iuriſdictionem huiuſmodi exercere.

NOTÆ.

I. ELIENSIS DIOECESIS VBI.

a *Elienſi.*] Ita legendum eſt , non Helienſi, vt habetur in tertia collectione , *ſub hoc tit. cap.* 3. Elienſis inſula eſt Angliæ Orientalis, ſtatim poſt Auguſtini primi Anglorum Apoſtoli tempore ad fidem conuerſa , in eaque Ethelbertus Canciæ Rex Eccleſiam ædificauit , quam ampliorem conſtruxit Etheldreda Regis filia anno 678. & monaſterium monialium ibi appoſuit. Verùm per Danos monaſterio euerſo , & inſulâ deſertâ , vniuerſum illum locum emit ab Edgaro Rege Etheliboldus Epiſcopus Vvintonienſis , & monaſterium Ordinis D. Benedicti ibi conſtituit ; & creſcentibus opibus , cùm illud regeret Richardus eius Abbas , annuentibus Henrico I. Rege , & Epiſcopo Linconienſi , de R. Pontificis aſſenſu in Epiſcopatum erectum fuit , vt refert Polydorus Vergilius *lib.* 11 *hiſtoriæ Angliæ, fol.* 183. Euſtachius eius Epiſcopus variis ſuper articulis conſuluit Innocentium III. qui omnes coniungendi ſunt , & colligendi in vnum faſcem , *cap. Paſtoralis* 28. *de officio deleg. cap. Paſtoralis* 11. *de officio Ordin. cap. Paſtoralis* 14. *de iudiciis , cap.* 1. *de ſacramentis non iterandis , cap.* 8. *de fide inſtrum. cap.* 4. *de except. cap. penult. de iis quæ fiunt à Prælat. cap.* 7. *de donat. cap. Paſtoralis* 28. *de decimis , cap. Paſtoralis* 53. *de appellat. cap. Paſtoralis* 29. *de iurepatron. cap. Paſtoralis* 19. *de priuileg.* in quibus omnibus legendum *Elienſi* , notauit iam Cuiacius *in d. cap. Paſtoralis , de iudiciis.*

COMMENTARIVM.

IN præſenti textu proponitur forma obſeruanda in contentione iuriſdictionis plurium iudicum delegatorum , cùm nec prioribus poſteriores deferunt , nec conſtat quodnam reſcriptum alteri deroget ; quo caſu ad officium cuiuſque iudicis etiam delegati pertinet examinare , an ſua ſit iuriſdictio , *cap. cùm perſonæ , de priuileg. lib.* 6. *l. ſi quis ex aliena , ff. de iudiciis* ; & ſtatuit Innocentius , quod ſi in vnam ſententiam omnes delegati conuenire nolint , per arbitros electos à partibus hæc contentio dirimatur. In qua conſtitutione duo ſingularia continentur : primum eſt , vt quamvis pluribus iudicibus de cauſa cognoſcentibus præualeat quod maior pars decreuerit, *l. Pomponius* 36 *l. duo* 39. *ff. de re iudic.* in hoc caſu omnes debeant conſentire , ne quibuſdam iudicibus invitis , aliorum facto iuriſdictio adimatur. Secundum , vt in hac ſpecie non conſulatur R. Pontifex , ſed potiùs per arbitros contentio decidatur, qui dicuntur arbitri iuris ; ideóque ab eorum ſententia ad Pontificem appellatur, *cap. ab arbitris* 11. *de offic. deleg. lib.* 6. Quæ forma dirimendi contentiones iuriſdictionis per arbitros etiam inter iudices ordinarios , eccleſiaſticum & ſæcularem, hodie obſeruatur in Regno Aragonum , vt latè eam praxim exponentes probant Seſſe *tom.* 2. *deciſ.* 113. *per totam* , Frances *de competent. q.* 22. Pareja *de inſtrum. edit. p.* 1. *tit.* 2. *reſol.* 6. alia quæ ad hunc textum ſpectant , adduxi ſuprà *in cap.* 2.

CAPVT

CAPVT XV.

Idem [a] *Senonenſi Archiepiſcopo.*

SEdes Apoſtolica conſueuit exhibere ſe petentibus liberalem; ſed quidam eius gratiâ nequiter abutuntur, dum quod ipſa de benignitate concedit, ipſi ad malignitatem retorquent. Quidam enim malignari volentes, in commiſſionibus omnibus noſtris minores vel viliores perſonas propriis nominibus exprimunt; maiores autem & digniores ſpecialibus vocabulis non deſignant, ſed eas ſub quodam generalitatis involucro comprehendunt, vt commiſſiones ipſas à nobis faciliùs impetrent ſub hac forma, Conqueritur talis de iſto, vel illo, & aliis quibuſdam propriis nominibus exprimendis, qui eis ſuper tali negotio, & quibuſdam aliis rebus iniurioſi nimis & graues exiſtunt. Nos igitur volentes eorum malitiis obuiare, decernimus, vt cùm in commiſſionibus noſtris minores & viliores perſonæ ſolummodò deſignentur, maiores & digniores ſub generali clauſula non intelligantur includi. Sed nec liceat occaſione generalitatis huiuſmodi multitudinem effrenatam in iudicium euocare. Nec ſuper maioribus, & grauioribus negotiis audiantur, qui de minoribus, & leuioribus tantùm faciunt mentionem. Si quis verò aliquas perſonas expreſſerit, non vt velit cum eis in iudicio experiri, ſed vt ad pares tranſire valeat, vel minores (quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent) tanquam mendax precator, careat penitus impetratis.

NOTÆ.

1. a *Senonenſi.*] De Senonenſi Archiepiſcopo egi *in cap. cùm omnes 6. de conſtitutionibus*, & textum hunc exponam *in cap. Rodulphus, num. 3. hoc tit.* Et licèt textus hic reperiatur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 4.* & tam in ea, quàm in hac ſexta tribuatur Innocentio III. vereor tamen, ne ſit Clementis III. cùm reperiatur poſt Concilium Lateran. ſub Alexandro III. *p. 50. cap. finali*, vbi nullo modo compilantur Decretales Innocentij III. ſed tantùm Alex. III. Cæleſtini III. Clementis III. & aliorum ſuorum prædeceſſorum.

CAPVT XVI.

[a] Idem R. *Cantori, & R. Priori de Monte Leproſorum, & L. de Sagio Canonico Rhotomagenſi.*

EX tenore litterarum, quas nobis deſtinaſtis, intelleximus R. ſacerdotem de Colloui illa ad alios iudices ſuper quæſtione (quæ inter ipſum & Abbatem de [b] Becco vertitur) litteras Apoſtolicas impetraſſe, qui cùm partem citaſſent aduerſam, dictus preſbyter coram eis noluit litigare. Poſtmodùm verò idem preſbyter ſuper eodem negotio vobis noſtras litteras præſentauit, in quibus de prioribus mentio non fiebat. Cúmque vos in cauſæ cognitione procedere velletis, Abbas coram vobis propoſuit, quod non tenebatur per directas ad vos litteras preſbytero reſpondere, cùm per alias ab aliis iudicibus fuiſſet citatus, quæ authoritate illarum non fuerant reuocatæ. Nos igitur adtendentes fraudem preſbyteri memorati, duas commiſſiones ſuper eodem negotio impetrantis, quarum altera non faciebat mentionem de reliqua (quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent) decernimus, vt ipſe commodo careat vtriuſque.

NOTÆ.

1. a *Idem R.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* ex qua reſtituo hanc inſcriptionem. Rhotomagum, ſeu Rhotomagus, præclara eſt vrbs Normanniæ, Normannorum Ducum ſedes, vt ex Marcellino & Ptolomeo referunt Fratres Sarmatani *tom. 1. Galliæ Chriſt. fol. 554.* Habet Eccleſiam Archiepiſcopalem, cuius Præſulum ſeriem refert Chenu *in Chronolog. Galliæ.* Canonici ipſius Eccleſiæ ratione dignitatum & præbendarum habent prærogatiuam maioris iuſtitiæ in diuerſis locis, vt referunt dicti Fratres Sarmatani *vbi ſuprà.* Textum hunc expoſui ſuprà *in c. 3.*

b *Becco.*] Monaſterium hoc eſt in Normannia conditum anno 1034. in diœceſi Lexou. à Giſleberto Comite Brioniæ, de quo Horder. Vital. *lib. 3. & 5.*

CAPVT

CAPVT XVII.

Idem [a] *Mediolanenſi Archiepiſcopo.*

CVm adeò ſcripta Sedis Apoſtolicæ moderemur, vt ex certa ſcientia nihil in eis faciamus apponi, quod de iure debeat reprehendi: miramur non modicùm, & mouemur, quia quoties ad te, vel aliquos tibi ſubiectos noſtras litteras deſtinamus, te ſuper his mirari reſcribis, ac ſi mandaremus aliquid inhoneſtum. Scripſiſti etenim nobis, quod cùm P. Clericus in Eccleſia [b] Modecenſi ſufficientem ſibi ſit præbendam adeptus, mirabaris, quia pro receptione ipſius in Eccleſia de Grongonſola, Præpoſito, & Fratribus eiuſdem Eccleſiæ litteras Apoſtolicas miſeramus: cùm ſi litterarum noſtrarum diligenter ſeriem attendiſſes, nihil penitus inueniſſes in eis, quod tuum debuiſſet animum offendiſſe: cùm enim in litteris ipſis, nec de præbenda ipſius P. mentio haberetur, nec Modecenſis canonicus, immo nec etiam clericus diceretur in eis, & in litteris ipſis hæc eſſet adiecta conditio, Si dignus [c] exiſteret ad eccleſiaſticum beneficium obtinendum; etſi eadem Eccleſia ex dono parentum ipſius quandam Capellam cum dote fuiſſet adepta, & à conſanguineis eius oblationes, & mortuaria pro tempore, & decimas perciperet annuatim; intelligere potuiſſes qualiter litteræ ipſæ fuerant impetratæ, in quibus de beneficio ipſius, pro quo ſcribebatur, mentio non fiebat. Ideoque fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum ad te, vel tuos litteræ Apoſtolicæ diriguntur, earum tenorem diligenter attendas, & quod mandatur in eis, dum tamen nec per ſuppreſſionem veritatis, aut expreſſionem falſitatis obtentæ fuerint, facias effectui mancipari. Datum Romæ, &c. XIII. Calend. Iulij.

NOTÆ.

1. a *Mediolanenſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 7. & in epiſtolis Innocentij Coloniæ editis, folio 122. Ex quo regeſto litteram huius textus reſtituo. Mediolanum Metropolis eſt Inſubrum, immò & totius Italiæ appellatur à Suida, & Procopio *lib.* 2. *Gothiæ*, à Plutarcho *in Marcello*, vrbs potentiæ, & dignitatis eximiæ: magnis quondam Imperatoribus ſedes gratiſſima celebratur ab Auſonio his verſibus.

—— Mediolani mira omnia,
Templa, Palatinæque arces, opulenſque moneta.

Tempore Gratiani Imperatoris res Mediolanenſes ingenti incremento auctæ fuerunt, quæ felicitas durauit vſque ad tempora D. Ambroſij, quibus Arriana hæreſis magnis calamitatibus hanc vrbem affecit. Deinde Attila Italiam ingreſſus Mediolanum diruit. Inſtauratum aliquantulum, mox à Longobardis maximis agitatur moleſtiis, quibus à Carolo Magno ſuperatis, per annos 360. floruit. Deinde Federicus Barbaroſſa vrbem hanc ſolo adæquauit, ſed eius incolæ eam poſtea reſtaurarunt. Habet Eccleſiam Cathedralem à temporibus S. Barnabæ Apoſtoli, qui eam inſtituit, & per ſeptem annos rexit, vt eius vrbis clades, & triumphos referens, tradit Ioſephus Ripamontius *in hiſtoria Mediolan.* Eius mentio fit *in cap. cùm contra* 9. *de teſtibus*, *cap. in noſtra* 32. *hoc tit. cap.* 1. *de ſequeſt. poſſeſſ. cap. vlt. de præſumpt. cap. cùm inter* 6. *de fide inſtrum. cap. vt noſtrum* 56. *de appellat.* Ipſius Eccleſiæ Præſuli Huberto III. qui Canonicus ipſius Eccleſiæ, & Cardinalis preſbyter tituli B. Stephani, ab Innocentio III. Archiepiſcopus creatus fuit, pacemque inter Mediolanenſes, & Comenſes conciliauit, reſcribit Pontifex hîc.

b *Modecenſi.*] Modoicum oppidum eſt in finibus Mediolan. vbi electus Imperator Regni diadema ſuſcepit. Otho Friſing. *lib.* 7. *chron. cap.* 17. 2.

c *Exiſteret.*] Quæ clauſula ſubintelligitur, etſi non exprimatur, *cap. accepimus*, 13. *de ætat. & qualit. cap. finali, de præſumpt.* Quare gratiæ plerumque fiunt *in forma dignum: cap. cùm ſecundùm, de præbend.* probat Barboſa *de clauſulis*, *clauſ.* 66. 3.

CAPVT XVIII.

Idem *electo Decano, & Magiſtro Nicolao de Leuennes, Canon.* [a] *Cameracenſi.*

CAuſam quæ inter [b] Præmonſtratenſ. & Prumienſ. Eccleſias ſuper poſſeſſionibus de Hanapia vertitur, diſcretioni veſtræ commiſiſſe meminimus fine canonico terminandam. Sed quia in litteris illis animaduertimus fuiſſe inſertum, quod ſi alterutra partium legitimè citata præſentiam veſtram adire, vel iudicio parère contemneret, vos nihilominus præſentis partis probationes recipere, & quantùm de iure poſſetis, in cauſæ cognitione, ac deciſione procedere minimè tardaretis. Nos volentes vt

clauſula

clauſula illa (quantùm de iure poteritis) quæ antequam de probatione receptionum mentio fieret, fuerat inſerenda, clauſulam illam de probatione receptionum præcedat, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſam intelligentes ibidem, in eadem cauſa iuxta tenorem litterarum illarum procedere non tardetis: attentè prouiſuri, vt ſi litterarum authoritate priorum in eodem negotio legitimè eſt proceſſum, firmum, & ſtabile perſeueret. Alioquin, ſi occaſione clauſulæ memoratæ aliquid conſtiterit in alterutrius partis præiudicium attentatum, id viribus decernimus carituram: volentes nihilominus, & mandantes, vt in deciſione ipſius negotij (ſicut præmiſſum eſt) tam ſuper principali, quàm ſuper incidentibus quæſtionibus, appellatione c remota canonicè procedatur. Nullis obſtantibus litteris præter aſſenſum partium à Sede Apoſtolica impetratis. Quod ſi non omnes, &c. Datum Lateran. XIII. Calend. Aprilis.

NOTÆ.

I. CAMERACVM VBI.

a *Cameracenſi.*] In tertia collectione *ſub hoc tit. cap.* 8. legitur, *Idem Abbati de Alcobatia, E. & P. monachis de Alcobatia*; ſed malè, nam monaſterium Alcobatiæ eſt in Luſitania prope ciuitatem Vliſſiponenſem, vt dicemus *in cap. cùm inter, de priuilegiis*, & notarunt Manrique *tom.* 2. *annal. Ciſtercienſ. anno* 1147. *cap.* 17. *num.* 9. Boſquetus *ad Innocentium III. lib.* 2. *epiſt.* 118. Præmonſtratenſis Eccleſia, necnon & Prumienſis, inter quas præſens quæſtio vertebatur, ſunt in Belgio, vt refert Bucherus *in Belgico-Romano, fol.* 255. & 257. Quare retinenda eſt inſcriptio, quæ habetur in hac ſexta collectione, & in ipſis epiſtolis Innocentij Coloniæ editis, *pag.* 30. ex quo regeſtro litteram huius textus reſtituo. Cameracum vulgò, *Cambray*, à Cambro-Cimbrorum Rege ita dicta, ciuitas eſt ad Schaldum fluuium ſita, amœnitate, fortitudine, ædificiorum ſplendore nulli ſecunda: eſt ſub ditione Magni noſtri Monarchæ, vt refert Bucherus *vbi ſuprà*, Bucellinus *tom.* 3. *Germaniæ, littera C.* Habet Eccleſiam cathedralem iam à primis Eccleſiæ ſæculis, cuius Archipræſuli Hugoni miſſa eſt præſens epiſtola.

2. b *Præmonſtrat.*] Hoc monaſterium eſt caput totius Ordinis in diœceſi Laudun. Prumienſe eſt ordinis ſancti Benedicti in diœceſi Treuerenſi.

3. c *Appellatione remota.*] Effectus huius clauſulæ expoſui ſuprà *in cap.* 1.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hoc textu communiter deducunt Interpretes, *Reſcripta interpretationem recipere à iure communi, & cum eo concordare debere.* Quod axioma probatur *ex cap. licèt* 32. *de præbend. cap. ſuper eo* 15. *de officio deleg. l. ſcire*, §. *ſunt*, *ff. de excuſat. tutor. l. ſi quando* 35. *C. de inofficioſo*, *l. reſcripta* 7. *C. de precibus*, *l. vlt. C. ſi contra ius*, *l. vt reſponſum, C. de tranſactionibus*, vbi aſſeritur in dubio præſumi Principem de iure reſcribere. Illuſtrant in præſenti Vranius, Petrus Gregorius, & Sahagun, Menochius *lib.* 2. *de præſumption. cap.* 9. Maſcardus *de probat. concluſ.* 1279. Larrea *tom.* 2. *allegat.* 105.

5. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Sed hoc commune axioma difficile redditur ſequentibus difficultatibus. Prima naſcitur ex eo, nam fruſtra precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l.* 1. §. *vlt. ff. ad municipalem*, *l. vnica, C. de theſauris lib.* 10. *l. quæ ſub conditione* 8. §. *vlt. ff. de condit. inſtit. cap. in his* 30. *de priuilegiis*: ergo non ita interpretari debent reſcripta, vt iuri conſona ſint. Secunda naſcitur ex eo, nam reſcripta ſæpius à Principe contra ius conceduntur, *l. Imperatoris* 8. *ff. de poſtulando*, iuncta lege *à temporibus* 5. *ff. de iure patronatus, d. l.* 3. *ff. de interdictis*, ſuprà latè probaui *in cap. ſi quando*, *hoc tit.* accedit quod ſcribit Capitolinus in vita Macrini Imperatoris, qui cùm eſſet iuriſperitiſſimus, & amantiſſimus, decreuit abolere omnes Principum conſtitutiones, *vt ex iure agerètur, non ex reſcriptis.* Ergo reſcripta præcipuè in dubio contra ius conceſſa eſſe præſumere debemus, non ſecundum ius; nec ab ipſo iure, contra quod impetrata ſunt, interpretationem accipere debent.

6. TRADITVR RATIO ASSERTIONIS.

Quibus difficultatibus non obſtantibus, vera eſt prædicta aſſertio; ſemper enim Principes de iure reſcribere credimus, *l.* 2. *C. de diuerſis reſcriptis*, *l. vlt. C. de edendo*; immò reſcripta adeò iuri conformia præſumuntur, vt cum iure ipſo coniungàntur, *l. falſa* 33. *ff. de condition. & demonſt. l.* 1. §. *ergo*, *ff. nihil innouari appellat. pendente*, *l. ab executione*, *C. quorum appellationes.* Quare vt reſcripta Principes ſecundùm ius concederent, Iureconſultorum conſilio vtebantur, *l. ſi debitor* 7. *l. ait Prætor* 10. §. 1. *ff. quæ in fraudem credit. l. Plautius* 49. *ff. ad leg. Falcid.* Plura Ioannes Bertrandus *in vita Papiniani*, Petrus Gregorius *lib.* 6. *ſyntagm. cap.* 8. *num.* 5. Gutherus *de officiis domus cap.* 17. Cuiacius *ad titulum C. de comitib. conſiſtor.* Gothofredus *in l. finali*, *C. de officiis diuerſorum*, notaui ſuprà *in cap. ſi quando* 5. & reſcripta contra ius impetrata, contra Principis voluntatem conceſſa creduntur, *l. iubemus* 10. *l. vlt. C. de ſacroſ. Eccleſ. l.* 1. *C. Theodoſ. de diuerſis reſcriptis*, *l. in fraudem*, *C. de annon. & tribut. l. omnes* 6. *C. ſi contra ius*, *l.* 3. & 7. *C. de precib. Imperat. offer. l.* 2. *C. de canone frument. vrb. Rom. lib.* 11. *l. vnica, C. Theodoſ. de Senatuſ conſultis, cap. ſuper* 20. *verſ. Diſcretionem*, *hoc tit. cap. Paſtoralis, de fide inſtrum.* & ideò non valent, ex eiſdem iuribus, *l.* 2. *tit.* 12. *lib.* 3. *ordin. l.* 6. *tit.* 14. *lib.* 4. *recopil.* Auguſtinus Barboſa *in collect. ad d. l. reſcripta.* Si autem ſcienter Princeps contra ius reſcripſerit, valet reſcriptum, quia ita reſcribendo diuerſum ius inter partes conſtituere voluit, vnde de iure, licèt contra ius, reſcripſiſſe dicitur; quo fit, vt reſcripta ita accipiantur, vt iuri communi magis conueniant ex noſtro textu: accedit, nam in dubio non creditur Principem velle per reſcriptum ſuum alicui præiudicare, *l.* 2. §. *meritò*, & §. *ſi quis*, *ff. ne quid in loco publico*, *cap. ex tuarum, de authoritate & vſu pallij*: ergo reſcripta ita interpretanda ſunt, vt iuri communi magis conueniant, quàm aduerſentur.

7. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec difficultates ſuprà adductæ obſtant. Non prima, nam etſi reſcripta ſecundùm ius accipiamus, & vt iuri conſona interpretemur, non inde ſequitur, illa ſuperfluò interpretari; nam per ea ius commune executioni mandatur per iudices in eis deſignatos. Sæpius enim ſtatuta à iure communi non adimplentur ita diligenter, niſi reſcriptis Principum ad debitum finem perducantur;

cantur ; vnde non ſuperflua , ſed valdè vtilia ſunt huiuſmodi reſcripta. Nec obſtat ſecunda difficultas,nam licèt regulariter reſcribi ſecundùm ius contingat ; ſi tamen aliquando Principes contra ius reſcripſerint , nihilominus de iure reſpondiſſe dicentur ; verum enim eſt , Principem de iure reſcribere , licèt non ſecundùm ius : ideſt , vt apertiùs me expediam , præcipit tale reſcriptum pro lege ſeruari , etiamſi iuris communis regulis non conueniat. Quare reſcripta ius faciunt inter partes , & vim legis obtinent , §. *ſed quod Principi, Inſtit. de iure natur.* immò & pro lege vniuerſali ſæpius obſeruantur , *cap. ſi Romanorum , verſic. Decretales,* 19. *diſt. l. Imperator* 18. *ff. ſolut. matrim. l. maiorem* 8. *ff. de pactis :* probant vltra repetentes ad præſentem rubricam, Salas *de legib. diſp.* 2. *ſect.* 8. Duarenus *ad tit. de condict. indeb. cap.* 6. *verſic. Reſcriptorum* , Donellus *lib.* 1. *comment. cap.* 9. vbi Oſuald. *littera C. & D.* Reuardus *pro tribunal. c.* 8. Briſſonius *lib.* 3. *ſelect. cap.* 7. Quod verum credo quando reſcripta emanarunt ad declarationem dubij iuris ; tunc enim reſcripta vim legis vniuerſalis obtinent , *l.* 3. §. *Diuus , ff. de ſepulcr. viol.* Si verò inter partes de iure priuato agatur , inter eas tantùm vim legis obtinent. Salas *dicta ſect.* 8. *num.* 46. & regulariter ius tantùm quoad eas faciunt , *l.* 2. *&* 3. *C. de legibus* , niſi ſpecialiter caueat Princeps , vt tale reſcriptum vim legis vniuerſalis habeat , vt probat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 14. *num.* 4. *ex cap. in cauſis* 19. *de re iudic. l. finali, C. de legibus.* Quare ſemper reſcripta ita interpretanda ſunt, vt iuri communi conueniant.

CAPVT XIX.

Idem *Archiepiſcopo* [a] *Senonenſi* ; *& P.* [b] *S.* [c] *Mariæ in Via Lata Diac. Cardin. A. S. L.*

COnſtitutus in præſentia dilecti filij noſtri G. ſancti Angeli Diaconi Cardinalis Petrus Clericus , quem ei conceſſeramus , & parti alteri auditorem , propoſuit coram ipſo , quod cùm olim bonæ memoriæ G. [d] Papa prædeceſſor noſter dilectis filiis N. Dec. & [e] Capitulo Bituricen. dederit in mandatis , vt ipſum in Canonicum reciperent , & in fratrem , & præbendam ei conferrent , ſi qua tunc in eorum vacaret Eccleſia , vel proximò vacaturam , venerabili fratre noſtro Bituricen. Archiepiſcopo ei monitore conceſſo , & ipſi mandatum eius admittere non curaſſent , eis præcipiendo mandauit , vt quod eis mandauerat , adimplerent , dicto Archiepiſcopo , & venerabili fratre noſtro Claromont. Epiſcopo ſuper hoc executoribus deputatis. Interim autem Capituli nuncius ad Apoſtolicam Sedem accedens , cùm ſuggeſſiſſet ipſum B. in pluribus Eccleſiis habere præbendas , Bituricen. Eccleſiam ab eius obtinuit impetitione abſolui : indulgentiâ etiam impetratâ , ne infrà triennium aliquem recipere in fratrem cogeretur. Cúmque poſtmodùm idem P. ad Eccleſiam Romanam reuerſus , eidem prædeceſſori noſtro exponere curauiſſet , quòd licèt in Claromont. Eccleſia quoddam beneficium , quod concedi etiam laïcis conſueuit , & Familiaritas appellatur , fuiſſet adeptus , & ex ipſo tamen , vel alio , quod haberet , non poſſet commodè ſuſtentari , idem prædeceſſor noſter dictis Decan. & Capitulo per ſuas litteras iniunxit , vt prædictâ indulgentiâ in ſuo robore permanente , præbendam, quæ poſt triennium primò vacaret,ipſi conferrent : interim autem ei ſtallum in choro , & locum in Capitulo aſſignarent , executione huius mandati dilecto filio Claromont. Præpoſito delegatâ : qui ſicut ex eius litteris manifeſtè liquebat , cùm dictos Decan. & Capitulum ad implendum mandatum Apoſtolicum diligentiùs monuiſſet, nec profeciſſet in aliquo , dictum P. de præbenda primò poſt triennium vacatura authoritate curauit Apoſtolica inueſtire , & ei ſtallum in Choro , & locum in Capitulo concedere. Verùm dilectus filius P. Roſſignos ex aduerſo reſpondit , quod cùm in Bituricenſi Eccleſia certus eſſet Canonicorum numerus inſtitutus , firmatus [f] iureiurando , & per multos Romanos Pontifices confirmatus , & de hoc memoratus P. non feciſſet in ſuis litteris mentionem, intelligendus erat [g] circùmueniſſe prædeceſſorem noſtrum , & dictas litteras veritate tacitâ impetraſſe. Licèt enim cùm in aliqua Eccleſia certus ſtatuitur numerus , hæc apponatur conditio , vel intelligatur apponi : Salua Sedis Apoſtolicæ authoritate ; non tamen erat credendum,quod eum ex certa ſcientia contra iuramentum eorum recipi mandauiſſet , cùm de hoc in eius litteris nihil fuiſſet expreſſum. Nos igitur de prædictis per memoratum Card. inſtructi , diſcretioni veſtræ per Ap. ſ. p. m. quatenus ſi legitimè vobis conſtiterit , numerum Canonicorum , qui nunc eſt in Eccleſia , eſſe per Decan. & Capitulum eiuſdem Eccleſiæ iuramento firmatum , [h] antequam prædictus Clericus à prædeceſſore noſtro litteras [i] executorias impetraſſet : quicquid factum eſt occaſione litterarum , quas

idem

idem clericus à Sede Apoſtolica impetraſſe dignoſcitur, caſſum & irritum [k] decernatis haberi : ali oquin ei faciatis in eadem Eccleſia præbendam (ſi qua vacat) ſine ap. ob. aſſignari , contradictores, ſi qui fuerint, per diſtrictionem Eccl. app. poſt. compeſcentes. Prouiſuri attentiùs, quod ita ſuper hoc mandatum noſtrum adimplere curetis, quod eundem clericum non oporteat deinceps ad nos iterare laborem : quia ſicut nolumus iniuſta præcipere, ſic cùm iuſta præcipimus, volumus efficaciter exaudiri. Nullis litteris ob. harum tenore tacito, &c. Quod ſi ambo, &c. Alter veſtrûm, &c. Datum Spolet. 11. Calend. Septemb.

NOTÆ.

1. a *Senonenſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 9.* & in ipſis epiſtolis Innoc. III. Coloniæ editis, *fol. 166.* De hoc Archiepiſcopo, & eius Eccleſia egi ſuprà *in c. 6. de conſtit.*

2. b *P.*] Petrum videlicet ; anno enim 1198. Innocent. III. miſit Legatum in partibus Galliæ Petrum Diaconum Cardinalem tituli S. Mariæ in Via Lata, vt proſequeretur iudicium diuortij à Philippo Francorum Rege facti cum legitima coniuge, aliâ ſuperinductâ ; & cùm Petrus Legatus ad Senonas perueniſſet, vt ibi Concilium celebraret, referente Spondano *anno* 1198. *num.* 9. cauſa, de qua in noſtro textu, commiſſa fuit Archiepiſcopo Senonenſi, & ſimul prædicto Legato ibi degenti.

3. c *S. Mariæ.*] Eſt titulus Cardinalatus valde antiquus, referturque inter titulos Diaconales à Germonio *de indultis*, §. *tituli*, *num.* 2. Cohelio *in notitia cap. 6.*

4. d *G. Papa.*] Legendum eſt C. vt Cæleſtinum ſignificet ; in litteris enim Innocentij III. cùm legitur C. prædeceſſor noſter, Cæleſtinus, non Clemens, ſignificatur, teſte Spondano *anno* 1199. *n.* 4.

5. e *Capitulo.*] Quare ita reſcribatur, dixi *in cap.* 2. *hoc tit.* Specialiter hîc Decano & Capitulo reſcribitur, quia in Eccleſia Bituricenſi collatio præbendarum ad Decanum & Capitulum ſpectat, vt refert Chenu *in notitia beneficiorum illius Eccleſiæ.* De Eccleſia Bituricenſi aliqua afferam *in cap. ad audientiam* 31. *hoc titulo.*

f *Iureiurando.*] Simile ſtatutum reperitur *in cap. cum M. de conſtitutionibus*, vbi dixi. 6.

g *Circumueniſſe.*] Quia ſi exprimeret certum numerum eſſe præſcriptum in ea Eccleſia, non ita Pontifex litteras conceſſiſſet ; & ſic cùm deficeret veritas narratiuæ per ſuppreſſionem, deeſt voluntas Pontificis. Pulchrè Caſſiodor. *lib. 5. variar. c. 24. Rogare enim in talibus cauſis, non fraudare Principem decet ; quia negligentiæ virtus eſt præſumptiones relinquere, quæ iura præcipiunt amputari.* Notauit Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. num. 57.* 7.

h *Antequam.*] Quatenus in reſcriptis tempus datæ vel præſentationis attendatur, dicam *in c. 30. hoc tit.* 8.

i *Executorias.*] Primò enim dantur litteræ monitoriæ, deinde præceptoriæ, & poſt executoriæ, quas latè exponam *in cap. ex inſinuatione, hoc tit.* 9.

k *Decernatis.*] Ex his verbis, iuncta contextura huius textus, deducunt Interpretes, reſcripta gratiæ per ſubreptionem impetrata, ipſo iure nulla eſſe, quod ſequenti textu diſputabimus. 10.

CAPVT XX.

Idem *A. Canonico* [a] *Pictauienſi.*

SVper litteris, quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia (tacitâ veritate, vel ſuggeſtâ falſitate) impetrantur à nobis, diuerſos intelleximus diuerſa ſentire, aliis aſſerentibus eos debere prorſus carere omni commodo litterarum, cùm mendax precator carere debeat penitus impetratis : aliis verò dicentibus, quod etſi formâ carere debeant in litteris noſtris expreſsâ, nihilominus iuxta rigorum iuris ſit à delegato iudice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos, qui per fraudem, vel malitiam ; & illos, qui per ſimplicitatem, vel ignorantiam litteras à nobis impetrant, huiuſmodi credimus diſcretionem adhibendam ; vt hi, qui priori modo falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ peruerſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur, ita videlicet, quod delegatus (poſtquam ſibi ſuper hoc facta fuerit fides) nullatenus de cauſa cognoſcat. Inter alios autem, qui poſteriori modo litteras impetrant, duximus diſtinguendum, quæ falſitas ſuggeſta fuerit, vel quæ veritas ſit ſuppreſſa ; nam ſi talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuiſſet tacita, vel expreſſa, nos nihilominus ſaltem in forma communi litteras dediſſemus, delegatus non ſequens formam in litteris ipſis adpoſitam, ſecundùm ordinem iuris in cauſa procedat. Si verò per huiuſmodi falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ vel expreſsâ nos nullas prorſus litteras dediſſemus, à delegato non eſt aliquatenus procedendum, niſi forſitan eatenus, vt partibus ad ſuam præſentiam conuocatis, de precum qualitate cognoſcat, vt ſic in vtroque caſu eadem ratio, quæ delegantem moueret, moueat etiam delegatum ; & vbi delegans ſuas litteras denegaret, delegatus etiam ſuæ cognitionis officium nullatenus interponat.

NOTÆ.

1. Pictavien-sis dioecesis vbi.

a *Pictauiensi.*] Pictauium inter nobiliſſimas Aquitaniæ vrbes recenſetur à Marcellino *lib.*16. Fulberto *in vita Sancti Richardi.* Caput Pictonum,amplæ prouinciæ nomen dedit : eius meminerunt Strabo *lib.*4. Sozomenus *lib. 5. cap.* 12. & alij relati à Fratrib. Sarmat. *tom.3. Galliæ, fol.* 866. Epiſcopatu & Academia fulget, cuius Præſulum ſeriem , & catalogum refert Chenu *in chronol. Galliæ.* Aymonio ipſius Eccleſiæ Canonico reſcribit in præſenti Innocentius , vt exprimitur *in cap.* 10. *hoc tit.* in tertia collectione.

COMMENTARIVM.

2. Conclvsio tradi-tvr et proba-tvr.

IN hoc titulo de reſcriptis,primum, præcipuumque locum obtinere præſentem deciſionem , teſtatur Butrius *in præſenti* , & clauem totius tractatus de reſcriptis eſſe , teſtatur etiam Abbas *in præſenti :* eam edidit ad conciliandas DD. ſententias *ad l.*1.2.*&* 5. *C. ſi contra ius.* Vt tamen eius materiam iuſto commentario abſoluam , ſit concluſio : *Reſcriptum doloſâ obreptione , ſeu ſubreptione impetratum , irritum eſt ipſo iure ; ſimplici autem ignorantiâ adeptum , quatenus conceſſioni cauſam dedit, reiicitur.* Quam concluſionem probant textus *in cap.*2. *cap. cæterùm* 3. *cap. ad aures* 8. *cap. ſedes* 15. *cap. ex tenore* 16.*cap. conſtitutus , cap. poſtulaſti,* 27. *cap. ſi proponente* 42.cum aliis *hoc tit.cap.dudum* 54. *verſiculo Inſuper , de elect. cap. cùm teneamur* 6. *de præb. cap.* 1. iuncta gloſſa , *verbo de iure , vt lite pendente , lib.* 6. *cap. dicenti* 26. *verſic. Et ſi legibus,*25. *q.* 2. *cap.cauſam* 18. *hoc tit. cap. ſignificantibus* 38. *de officio deleg. cap. bonæ , de confirm. vtili, cap. dudum* 14. *de præbend. lib.6.cap.*2. *de filiis preſbyterorum , cap. ex parte* 5. *de officio ordinar. cap. quod ſuper , de fide inſtrum. cap. eam te* 4. *de ætat. & qualit. cap. penult. de officio vicarij , cap. ſuper* 10. *de cohabitat. cleric. cap. final. de filiis preſbyterorum, lib.* 6. *cap. cùm olim* 12. *de ſentent. & re iudic. cap. cùm dilecti , de elect. cap. ſententiam* 35. *q.*9. *cap. ex litteris , de officio deleg. cap. ſignificauit , de appellat. cap. quia circa , de conſanguin. cap. cùm in noſtris, de conceſſ. præb. l.* 1. *§. quæſitum , ff. de appellationib. l.* 1.*ff. de natalibus reſtituendis , l. ſi quis* 29.*ff. ad leg. Cornel. de falſis , l. vlt.* §.1. *C. de his qui à non dominis , l.*2.*l. etſi legibus* 5. *C. ſi contra ius* , Paulus *lib.*1. *ſententiarum,tit.*10. *l.vlt. C. de diuerſ. reſcript. l. vlt.C. ſi nupt. ex reſcrip. l.* 36. *tit.*10. *partit.* 6. Faciunt etiam textus *in l. ſed ſi* 10. *§. patronus , de in ius vocando , l. liberto* 49. *ff. de bonis libertorum , l. magis* 5. *§. manet,ff. de rebus eorum,l. cùm vno* 26. *§. ſub aſſenſu,ff. de fideicom. libertatibus , l. ſi nollem, ff. de ædilitio edicto.* Illuſtrant plures congeſti à Barboſa *in præſenti* , quibus addendi ſunt Petrus Gregorius *lib.*1. *de reſcriptis , cap.* 49.*&* 50. & in præſenti Farinacius *de falſitate q.* 150. Trentacinquius *de reſcriptis reſol.* 4. *&* 5. Faber *in ſuo Codice, tit.de diuerſis reſcriptis, diffinit.*1. Gutierrez *lib.*2. *canonic. cap.* 5. Germonius *lib.* 1. *animadu. cap.* 15. Couarr. *lib.* 1. *variar. cap. finali* , Moneta *de commut. cap.* 16. *num.*12. Cuiacius *ad titulum C. ſi contra ius* , Coquæus *contra Morneum tom.*1. *fol.* 131. Paulus de Zochis , Millianus , & Vranius *in noſtro textu* , Balboa *in cap.*5.*de re iudic.* Baſilius *lib.*8. *de matrim.cap.*16. Nigrus Cyriacus *tom.*1. *controu.* 160. Salas *de legibus diſp.* 20.*ſect.* 14. Suarez *lib.*1. *de legib. cap.* 22. Arellano *antinom.*3. Lælius Mancinus *genialium cap.* 261. *cum ſequentibus,* D. Ioannes de Larrea *allegat.*91. Alteſerra *hic.*

3. Tradi-tvr dv-bitandi ratio.

Sed hæc aſſertio ita illuſtrata , acriter impugnatur ſequentibus difficultatibus. Prima inſurgit aduersùs eam partem concluſionis, quæ generaliter aſſerit , tam in caſu obreptionis , quàm ſubreptionis impetrantem reſcriptum carere ipſius commodo : nam iniquum videtur , æqualiter puniri illum qui tacuit verum , ac eum , qui falſum dixit ; cùm aliud ſit falſum dicere , aliud verum omittere ; ideò tanquam diuerſa hæc duo ſeparantur , *cap. ne quis* 14. *cap. quæritur* 22.*q.*2.& cui prohibetur falſum dicere , permittitur verum celare, vt in caſu relato à D. Thoma 2.2.*q.*69. *art.*1. Couarrr. *lib.*1.*variar. cap.*2. Cenedo *ad decretum , collectanea* 43. *num.* 11. Igitur non rectè in noſtro textu , qui verum tacuit , priuatur commodo reſcripti , ſicut ille qui falſum dixit. Augetur hæc difficultas *ex l. præſcriptione , C. ſi contra ius* , relata *in cap. dicenti* , §. *præſcriptione* 25. *q.* 2. in illis verbis : *Tacendi fraude* ; vbi dolo,ſiue fraude impetratum reſcriptum , non vitiari deciditur. Augetur ſecundò hæc difficultas ex eo ; nam ſi reſcriptum obreptione , aut ſubreptione impetratum, eſſet nullum , iudex in eo datus, eius virtute nullam poſſet exercere iuriſdictionem : ſed poteſt de obreptione & ſubreptione cognoſcere,vt docetur in noſtro textu in fine : ergo quia reſcriptum vires habet. Secunda difficultas militat aduerſus id quod aſſerimus , videlicet falſas preces ſimplicitate aut ignorantiâ propoſitas , non vitiare reſcriptum, ſi modò non dederint principaliter cauſam reſcripto , & Princeps illud etiam principaliter concederet. Obſtat , nam ignorantia in iure æquiparatur dolo , & calliditati , *l. quod* 32.*ff. depoſiti , l. magna* 224.*ff. de v. ſ. l.*1.§. *is quoque,ff. de obl.& act. l.* 5.§. *dolum , ff. vt in poſſeſſ.* Donellus *lib.*16.*comment.cap.*27. Barboſa *in l. ſi mora , num.*3. *&* 8. *in præludiis , ff. ſoluto matrim.* nec ignorantia à pœna falſi excuſat , *l. Diuus* 15. *in principio , ff. ad leg. Corn. de falſis :* igitur preces falſæ etiam per ignorantiam vitiant reſcripta. Augetur hæc difficultas ex eo ; nam impoſſibilia non veniunt in conſiderationem : ſed impoſſibile eſt cognoſcere an Princeps , qui ob preces falſas ex ignorantia propoſitas reſcriptum conceſſit , æquè conceſſurus eſſet , ſi preces veræ eſſent , cùm intentionis ſolus Deus cognitor ſit , *cap. erubeſcant* 32. *diſt. cap. in ciuitate, de vſuris , cap. à nobis* 28. *de ſentent. excom. cap. dilecto* 28. *de v.ſ.* ergo nullâ habitâ ratione, an æquè Princeps conceſſurus eſſet, necne, dicendum videbatur , reſcripta per falſas preces, etiam ex ignorantia propoſitas , vitiari.

4. Qvid ob-reptio, et svbre-ptio.

Quibus difficultatibus minimè refragantibus, vera eſt prædicta aſſertio , ad cuius expoſitionem aliqua præmittenda ſunt ; & primò ſciendum eſt, duo vitia communiter in impetratione reſcriptorum conſiderari ; vnum in falſitate ſuggeſta , & narrata ; aliud in veritate celata & taciturnitate veri. Primum ſubreptio dicitur, cùm videlicet precatores falſitatem exprimunt , falſiſque , & mendacibus ſupplicationibus reſcripta impetrant , vt in exemplis , de quibus *in cap.ex inſinuatione* 37.*hoc tit. cap. ſuſceptum, eod. tit. lib.* 6. *cap. tam litteris* 33. *de teſtibus , cap. ex litteris* 6. *de tranſact.* Secundum obreptio dicitur, cùm veritas in precibus reticetur, *c.*3.*c. poſtulaſti* 21.*cap. ad audientiam* 31.*cap. penult. hoc tit.*D.Cypr. *epiſt.*68. *Nec enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit.* Aut cùm aliud celatur,quod expreſſum Principis animum in diuerſam traheret ſententiam, *cap. ad aures* 8. *hoc tit.cap.cùm olim* 12.

cap.

cap. inter 20. *de re iudic.* docent Prateius, Caluinus, & Briſſonius *verbo Obreptio*, Petrus Gregorius *lib.* 1. *de reſcriptis*, *cap.* 49. *&* 50. qua in ſignificatione verba *obrepere*, *& ſubripere*, accipienda ſunt in textu *in l. ſed etſi* 10. §. *Patronum* 19. *ff. de in ius vocando*, *l. liberto* 49. *ff. de bonis libertorum*, *l.* 1. §. *nepos*, *ff. ſi quis à parente*, *l. Diuus*, *ff. de iure aureorum*, *l. poſtremò* 5. *ff. de natalibus reſtit. l. ſi fideiuſſor* 29. §. *ſi cùm debitor*, *ff. mandati*, *l. ſi quis* 20. *ff. ad leg. Corn. de falſis*, *l.* 3. §. *puberi*, *ff. de Carboniano*, *l. magis* 5. §. *manet*, *ff. de rebus eorum*: notant Millianus *in præſenti*, 1. *p. num.* 3. Sahagun *num.* 8. quoad effectum verò nullum inter prædicta verba datur diſcrimen; quare tam Pontifices, quàm Iureconſulti his verbis promiſcuè vtuntur, *l.* 2. *C. ſi nuptiæ ex reſcrip.* vbi Gothofr. *littera R.* quod & apud bonæ notæ Authores receptum eſſe conſtat ex traditis à Milliano *vbi ſuprà*.

5. VERITAS EXPRIMENDA EST.

Secundò ſciendum eſt, adeò in precibus Superiori proponendis veritatem deſiderari, vt non ſufficiat generaliter, & obſcurè narratiuam facere; ſed ita diſtinctè, ſine obreptione, & ſubreptione facti ſeries narranda eſt, vt nihil per dolum reticeatur, aut per falſitatem ſuggeratur; ſiquidem Princeps facilè ex narratis & narratiuæ circunſtantiis moueri poteſt ad concedendum, vel negandum reſcriptum, *cap. ſuper eo* 5. *de cohabit. Cleric. cap.* 2. *de dolo*, *cap. venerabili*, *de confirmat. vtili*, *l. finali*, *in fine*, *C. de dotis promiſſione*, argumento legis primæ, §. 1. *ff. de ædilitio edicto*, iunctis traditis ab Antonio Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 2. *num.* 49. Morla *in emporio*, *tit.* 9. *in principio*, *n.* 41. Hermoſilla *in l.* 66. *gloſſa* 1. *num.* 11. *tit.* 5. *partit.* 5. Amaya *lib.* 2. *obſerv. cap.* 13. vnde generaliter dicendum eſt, tunc reſcripta obreptitia, aut ſubreptitia appellari, quoties non expreſſum eſt, aut falsò ſuggeſtum, quod poſſet impedire conceſſionem reſcripti, vt ſi impetretur reſcriptum ſecundum, non factâ mentione prioris, *cap. cæterum* 3. *hoc tit.* ſi non diſtinctè proponatur ſtatus negotij, ſuper quo impetratur reſcriptum, *cap. inter* 20. *de re iudicata*, *cap.* 1. *de confirmat. vtili*, *cap. ex litteris*, *de dolo*, *cap.* 1. *vt lite pendente*, *cap. dudum*, *de priuilegiis*: ſi pro clerico non tonſurato impetretur beneficium, *cap. ex litteris*, *de tranſactionibus*: ſi impetrans beneficium taceat aliud, quod habet: ſi in mandato ad beneficium non fiat mentio reſcripti in fauorem alterius conceſſi, *cap. mandatum*, *cap. litteris*, *cap. Abbatem*, *de reſcriptis*: ſi non fiat mentio in impetratione beneficij penſionis in titulum beneficij obtentæ, *cap. propoſuiſti*, *hoc tit. cap. ſi pauper*, *de præb. in* 6. ſi quis dicat ſe clericum, cùm clericus non ſit, *dict. cap. ex litteris*: ſi dicat litteras executorias præceſſiſſe, cùm monitoriæ non præceſſerint, *cap. ex inſinuatione*, *de reſcriptis*, vbi Petrus Gregorius: ſi exprimatur falſus modus vacationis beneficij, Petrus Gregorius *lib.* 1. *de reſcriptis*, *cap.* 49. *&* 50. in quibus caſibus illud notandum eſt, ſimulatorem veritatis in totum æquiparari quoad nullitatem reſcripti illi, qui falſum expreſſit, vt in ſpecie textus *in l.* 1. §. *venditor*, ibi: *Sed ſcire venditorem*, *& celare ſic accipimus*, *non ſolùm ſi non admonuerit*, *verùm & ſi negauerit ſeruitutem iſtam deberi. ff. de act. empti.* Faciunt Ammian. Marcell. *lib.* 29. *Fallere non minùs videtur*, *qui geſta præterit ſciens*, *quàm ille qui nunquam facta fingit.* Plinius *lib.* 2. *cap.* 20. *Prænaricationem dicit eſſe tranſigere dicendo*, *vel curſim & breuiter attingere*, *quæ ſint inculcanda*, *infigenda*, *repetenda.* Et eleganter Plautus *in Querulo*: *Peierat ſæpe qui tacet.* Damnabilis ergo ſubreptio euenit, ſi quid geſtorum in precibus omittatur, *l.* 1. *C. ſi contra ius*: ſi fraude quid reticetur, *l.* 2. *C. eod.*

6. RESCRIPTVM SVBREPTITIVM NVLLVM EST.

Reſcripta ergo per ſubreptionem, aut obreptionem impetrata, nullius ſunt momenti, nullumque precatori commodum afferre poſſunt, *l.* 1. *ff. de natalibus*: quæ doctrina procedit, licèt in eodem reſcripto diuerſa proponantur; nam quoad omnia tale reſcriptum vitiatur, ex noſtro textu, ibi: *Nullum ex illis litteris commodum. cap. ad audientiam* 12. *cap. Sedes* 15. ibi: *Careat penitus impetratis.* Docent Caniſius *in præſenti*, Baſilius *dict. cap.* 16. *num.* 9. nec contrarium probatur ex textu *in cap. ſi eo tempore*, *hoc tit. lib.* 6. vbi valet reſcriptum in ſecundo capitulo de beneficio ſimplici, etiamſi primum capitulum ad beneficium curatum eſſet ſubreptitium: nam omiſſis ſolutionibus traditis à Baſilio *dicto libro* 8. *de matrim. cap.* 16. dicendum eſt, reſcriptum per obreptionem, aut ſubreptionem impetratum, nullum eſſe quoad negotium principale, & articulos connexos; non verò quoad ſeparatos, quos falſitas in vno non vitiat, argumento textus *in l. vlt. C. de tranſact. cap. dilectus*, *de præb. regula Vtile*, *de reg. iur. lib.* 6. quare ſi ſubreptio committatur in expreſſione valoris beneficij pro obtinenda penſione in dimidia eius parte, non vitiatur gratia, ſed penſio moderatur iuxta verum valorem. Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 20. *num.* 7. Garcia *de beneficiis* 6. *p. cap.* 2. *num.* 163. vnde *in dict. cap. ſi eo*, ætatis reticentia in beneficio curato non potuit vitiare gratiam quoad beneficium ſimplex, cùm hæc duo inter ſe valde diuerſa ſint, vt docent relati à Milliano *in noſtro textu*, 1. *p. num.* 27. Accedit, nam in eo textu impetrans gratiam alternatiuam, ad obtinendum beneficium cum cura, vel ſine ea, poteſt admitti ad beneficium ſine cura, ex tacita concedentis voluntate, cùm concedentis animus eſſet, vt ſi ipſe noluiſſet ex defectu voluntatis, aut non potuiſſet ex defectu capacitatis, curatum conſequi, in altero gratia conſiſteret: quare mirum non eſt, ſi in eo textu ex defectu ætatis, qui capax non inuenitur ad beneficium curatum, poſſit admitti ad aliud, argumento textus *in l. ſi duo* 128. *l. ſi quis ita* 129. *ff. de verb. obl. l. is qui decem*, §. *Stichum*, *ff. de ſolution.* Manet ergo, reſcriptum quo conceduntur plura ad eundem finem obtinendum, ſi falſitas talis in eo adfuerit, quod aliter Princeps, niſi deceptus, eam gratiam non concederet, non ſolùm quoad partem, verùm quoad omnia illud vitiari, *d. cap. ad audientiam*, *cap. conſtitutus*, *hoc tit.* Millianus *in præſenti*.

7. IDEM PROCEDIT IN RESCRIPTIS GRATIÆ ET IVSTITIÆ.

Omnia quæ de fraudulosa impetratione diximus, pariter procedunt in reſcriptis, tam iuſtitiæ, quàm gratiæ, *cap. ad aures* 8. *cap. in noſtra* 32. *cap. ſi proponente*, *hoc tit.* docent communi calculo Interpretes ſuprà relati. Illud tamen apud eos non conuenit, an reſcripta iuſtitiæ ipſo iure nulla ſint, ſicut reſcripta gratiæ? Et apud antiquos receptum fuit, reſcripta gratiæ ipſo iure nulla eſſe; iuſtitiæ verò non aliter, quàm ſi appoſita fuerit exceptio. Ita Gloſſa vltima *verbo Iudicas*, *in cap. ad audientiam* 31. *hoc tit.* Menochius *de arbitrariis caſu* 201. *num.* 2. Antonius Cuchus *lib.* 1. *inſtit. tit.* 4. *num.* 16. Sanchez & alij relati à Barboſa *in præſenti*, *num.* 8. qui mouentur ſequentibus fundamentis. Primò exemplo contractuum bonæ fidei, & ſtricti iuris; certum enim eſt, inter eos illam aſſignari differentiam, quòd

quòd dolus dans cauſam contractui bonæ fidei, nullum reddit illum ipſo iure, *l. eleganter 4. in princip. ff. de dolo, l. 3. §. vlt. ff. pro ſocio, l. in cauſa 16. §. item, ff. de minoribus, l. domus 57. ff. de contrahenda empt.* Si verò dolus cauſam præſtiterit contractui ſtricti iuris, non ipſo iure, ſed oppoſita exceptione nullum reddit, *l. ſi quis 36. ff. de verb. obl. l. dolo 5. Cod. de inutilibus.* Donellus *lib. 12. comment. cap. 7.* Robertus *lib. 3. animadu. cap. 1.* Faber *lib. 14. coniect. cap. 18.* Pichard. *in §. actionum, quæſt. 9. Inſtit. de actionibus.* Igitur ſimiliter reſcripta gratiæ ad inſtar contractuum bonæ fidei ipſo iure vitiari debent, iuſtitiæ verò exemplo contractuum ſtricti iuris; ſiquidem ſtricta dicuntur, *cap. ſedes 15. cap. Rodulphus, hoc tit.* ideò oppoſitâ exceptione debent vitiari. Secundò expendunt textum noſtrum in illis verbis: *Ita videlicet, quod delegatus poſtquam ſibi ſuper hoc facta fuerit fides, nullatenus de cauſa cognoſcat.* Exigit ergo Pontifex fieri fidem falſitatis, hoc eſt opponi, & probari debere exceptionem falſitatis, ad hoc vt reſcriptum nullum ſit: quod etiam in ſpecie exigunt Imperatores *in lege præſcriptionem*, ibi: *Præſcriptione oppoſita. l. etſi non cognitio*, ibi: *De veritate precum inquiri oportet. Cod. ſi contra ius:* ergo non oppoſitâ falſitatis exceptione, reſcripta iuſtitiæ vires obtinent.

8. VERA SENTENTIA ADSTRVITVR.

Sed verius eſt, quoad hanc partem nullum diſcrimen verſari inter reſcripta iuſtitiæ, & gratiæ; nam ſicut reſcripta gratiæ ipſo iure vitiantur, *cap. ad audientiam 31. hoc tit. cap. final. de filiis preſbyterorum, lib. 6. cap. ſi motu, de præb. eodem lib.* ſimiliter reſcripta iuſtitiæ, vt apertè probatur ex præſenti textu, ibi, *nullum ex litteris*; & ibi, *nullatenus de cauſa cognoſcat*; quæ verba ipſo iure inducunt nullitatem, *authent. ſi qua mulier*, vbi gloſſa, *verbo Nullatenus, Cod. ad Velleianum, Clement. 1. hoc tit.* docuerunt Gloſſa *in cap. innotuit, verbo Nullum, de elect.* Tiraquel. *in l. ſi vnquam, verbo Reuertatur, num. 293.* & ex illis verbis, *careat penitus impetratis*, legis *& ſi legibus, Cod. ſi contra ius*, tranſcriptis *in cap. ſedes, hoc tit.* vbi verbum, *penitus*, importat nullitatem ipſo iure, iuxta textum *in cap. finali, de pœnis.* Probatur etiam *ex cap. ad aures*, ibi, *vires nolumus obtinere*; *cap. dilectus*, ibi, *viribus carere decernas*; *hoc tit.* vbi dubitari non poteſt, verba illa nullitatem exprimere ipſo iure, vt ex ſimilis locutionis genere communiter deducitur ex lege prolatam, *Cod. de ſententiis, cap. quod in dubiis, de renunciatione, cap. ex his, de officio deleg.* Accedit etiam & illa ratio, quod non aliter reſcripta concedantur, quàm ſub illa conditione tacita, ſi preces veritate nitantur, *cap. 2. hoc tit.* At quoties reſcripta ſunt ſubreptitia, deeſt illa conditio, quâ deficiente reſcripta ipſa vitiari neceſſe eſt, argumento textus *in l. item quia 4. §. 1. ff. de pactis, l. ſi quis 37. ff. de contrahenda empt. l. neceſſariò 8. §. quod ſi, ff. de periculo & com.* ergo reſcripta iuſtitiæ, ſicut gratiæ, ipſo iure nulla ſunt. Quibus, & aliis fundamentis moti ita docuerunt Abbas Siculus, Barbatia *in cap. 3. hoc tit.* Beroius *in præſenti, lectura 2. ex num. 6.* Quâ opinione retentâ contrariæ ſententiæ fundamenta non obſtant. Non primum deductum ex æquiparatione contractuum bonæ fidei & ſtricti iuris, nam licèt admittamus illam differentiam in contractibus, non tamen inde euincitur idem dicendum eſſe in reſcriptis; nam aliud eſt decipere priuatum in contractibus, aliud, & quidem grauius, Principem: vnde in pœnam huius falſitatis, tam iuſtitiæ, quàm gratiæ reſcripta nulla ſunt. Neque etiam contrarium ſuadet præſens textus; nam licèt reſcriptum dolo impetratum ſit ipſo iure nullum, tamen cùm dolus & fraus non præſumantur, niſi probentur, neceſſe eſt oſtendere fraudem interueniſſe, cùm aliter de nullitate reſcripti apparere non poſſit; & ita accipienda ſunt verba huius textus, & alia ſuprà relata.

9. DE VERITATE EX IGNORANTIA SVPPRESSA.

Hucuſque egimus de reſcriptis per ſubreptionem impetratis, ex dolo, & fraude: nunc agamus de reſcriptis impetratis ex ſimplicitate & ignorantia, quo caſu diſtinguendum eſſe docetur in præſenti textu, *verſiculo Inter alios*, inter eum caſum, in quo falſitas ſuggeſta, vel veritas ſuppreſſa illa erat, quæ quamuis fuiſſet tacita, vel expreſſa, nihilominus Pontifex reſcriptum concederet; & tunc reſcriptum vires habet: & eum caſum, in quo falſitas per ignorantiam ſuggeſta, aut tacita induceret, vt nunquam Pontifex litteras concederet; & tunc reſcriptum vires non habet: quod etiam docetur *in cap. conſtitutus 19. hoc titulo, cap. dudum 54. de elect. cap. ſignificantibus 38. de officio deleg. cap. bonæ, de confirmat. vtili.* Tunc enim licèt non propter culpam impetrantis, propter defectum tamen voluntatis in Principe reſcriptum vitiatur, vt docet Baſilius *dicto lib. 8. cap. 16.*

10. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam apparet præſentis decretalis vera deciſiua ratio; cùm enim dolus ſuus nemini patrocinari debeat, *cap. ſedes*, cum ſequenti, *hoc tit. l. ita demùm 36. ff. de arbitris, l. iudex 12. ff. de dolo:* mendax precator carere debet litteris impetratis, *l. vniuerſi 7. Cod. de diuerſ. reſcriptis.* D. Auguſtinus in D. Ioannem, vbi ait, *iuris eſſe forenſis, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit quod impetrauit, ne ex malitia ſua commodum conſequatur: l. verum, §. tempus, ff. pro ſocio, l. in fundo, ff. de rei vindic.* qui enim aut per obreptionem, aut per ſubreptionem reſcriptum conſequitur, magnum delictum committit, aliud agendo, & aliud ſimulando, ſiue per expreſſionem falſitatis, ſiue per ſubreptionem veritatis; dolus enim magnum delictum eſt, *l. 1. ff. de fideiuſſoribus tutorum, l. item exigit, ff. de dolo*; quod non debet impunitum remanere, *l. ſi fraudetur, ff. de doli exceptione*; nec etiam mendacium, quod committit, cùm tot iuris ſanctionibus inueniamus præſcriptum, mendaces variis pœnis puniri, *l. ſin autem 27. l. vltima, ff. de rei vind. l. qui ſe liti 45. ff. de petit. hæred. l. inde 23. §. hæc actio, ff. ad l. Aquil. l. de ætate 11. § ſi cùm eſſet, ff. de interrogat. l. 4. verſic. Interdum, ff. quod cum eo, l. ſed hoc 22. §. 1. ff. de re iudicata, l. computationi 68. §. vlt. ff. ad l. Falcidiam, l. ſi ſeruus 22. §. vlt. l. electio 26. §. neque, ff. de noxalibus, l. ſi dubitetur, §. 1. ff. de fideiuſſor. l. falſum 44. §. ſi quis, ff. de furtis, l. 1. Cod. ad Macedonianum, l. 2. & 8. Cod. ſi minor, l. contra 4. Cod. ad leg. Aquiliam.* Plura Caſtillo *lib. 3. controu. cap. 18.* Eringius *de fideiuſſor. part. 1. cap. 27. num. 210.* Quare præter pœnam falſi, quam ſubit, *l. ſi quis 29. ff. ad leg. Corn. de falſis*, nulla pœna aptior huic delicto apponi poteſt, quàm vt priuetur impetrator commodo reſcripti impetrati. Facit, nam generaliter obreptitia non valent, *l. 5. Cod. de prædiis, & aliis rebus, l. ſi quis obrepſerit 29. ff. ad leg. Corn. de falſis, l. tres 55. ff. de adminiſt. tut. l. cùm vero 26. §. 8. ff. de fideicommiſſ. libert. l. 3. §. puberi, ff. de Carbon. edicto.* Accedit, nam reſcriptum impetratum ſimulatâ veritate, aut ſuggeſtâ falſitate, non creditur impetratum ex Principis voluntate, vt notarunt Decius, Felinus, & Caniſius *in præſenti*, quia deficiente veritate

veritate in narratiua, deficit voluntas in Principe, qui concedendo circumuenitur, *cap. conſtitutus, de conceſſ. præb.* eleganter Caſſiodorus *lib. 5. variar. epiſt. 24. Rogari enim in talibus cauſis, non fraudari Principem decet; quia negligentiæ vitium eſt præſumptiones relinquere, quæ iura præcipiunt amputari.* Vnde cùm reſcripta pendeant à voluntate concedentis, deficiente eâ, vires non obtinent. Secundæ partis præſentis aſſertionis, videlicet reſcripta per falſas preces, ſed per ignorantiam & ſimplicitatem appoſitas, valere, ratio ex eo prouenit, quia ignorantiæ, & ſimplicitati eſt indulgendum, *cap. ſcripta 3. de conſecrat. diſt. 2. cap. 2. in fine, de tranſlat. Epiſcopi, cap. cùm vniuerſorum, de rerum permut. l. genere 8. ff. de his qui notant. infam. l. ſi ſideiuſſor 29. ff. mandati, l. de die 9. §. ſi ſeruus, ff. qui ſatisdare, l. 1. §. final. ff. de edendo, l. final. C. de teſtam. l. 2. ff. ſi quis in ius vocatus, l. 3. §. vlt. ff. de ſuſpectis tutor. l. 3. §. ſi quis ignorans, ff. ad Sillanian. l. tutor 16. §. 1. ff. de pignorat. l. 3. C. de his qui ſibi adſcribunt, cap. penult. de Clerico excommunicato,* Tiraquell. *de pœnis, cauſa 11.* Menochius *de arbitrariis caſu 193.* vnde reſcriptum ita impetratum valet, & vires obtinet, ſi Pontifex æqualiter conceſſurus eſſet.

II. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat ratio dubitandi ſuprà adducta; nam quamuis celare veritatem non ſit ex ſe mendacium, *cap. ne quis 14. 22. quæſt. 2.* cùm mendacium tantùm ſit falſa vocis ſignificatio cum propoſito fallendi, vt ex D. Auguſtino, & aliis Patribus docet Gratianus *in cap. veritas, §. ille ergo 22. quæſt. 2.* D. Thomas *2. 2. quæſt. 110. art. 1.* Præceptor D. Ioſephus de Retes *lib. 7. opuſc. cap. 3. num. 5.* & veritatis celatio nullam vocis ſignificationem habeat, ſed tantum diſſimulationem; tamen cùm ex dolo diſſimulatio contingit, pro mendacio habetur, exceptis quibuſdam caſibus relatis *in cap. quæritur*, cum aliis, *22. quæſt. 2.* vnde quoad inualiditatem reſcripti æquale vitium eſt ſubreptionis, aut obreptionis, *cap. quiſquis 80. 21. quæſt. 3.* quod & *d. l. præſcriptione, C. ſi contra ius*, clarè docetur. Similiter in ædilitio edicto dantur actiones ex reticentia, ſicut ex dicto & promiſſo, *l. 1. l. 38. ff. de ædilit. edict.* Nec obſtat augmentum deductum *ex d. l. præſcriptione*, pro cuius expoſitioſitione plura tradunt Cinus *in eo textu, num. 4.* Bartolus *num. 3.* Iaſon *num. 1.* Baldus *num. 20.* Caſtrenſis *num. 2.* & alij relati à Barboſa ibi, Millianus *in præſenti, 2. p. num. 8.* quibus omnibus exploſis, reſpondendum eſt, duplicem eſſe cognitionem delegati, quando ex commiſſione Pontificis cauſa committitur. Prima eſt de veritate aut falſitate ipſius reſcripti, in quo ad inſtantiam partis pronunciat delegatus; & ſi reſcriptum per falſas preces impetratum fuiſſe declarauerit, protinus in negotio principali ſuperſedere debet; ſin autem valere reſcriptum pronuntiet, tunc incipit ſecunda cognitio, in qua cauſa principalis diſceptatur: quam diſtinctionem præſenſit Pontifex in præſenti, verſiculo, *forſitan*; & de hac præambula diſceptatione reſcripti, cuius finis eſt inquirere, & pronunciare de veritate precum, Imperatores loquuntur *in d. l. præſcriptione*; aſſerentes exceptione falſitatis oppoſita pro tenore veritatis, iudicem cognoſcere oportere; quia iudex de qua re cognouit, de eadem pronuntiare debet, *l. de qua re, ff. de iudiciis*: proſequuntur Imperatores, iudicem proferre ſententiam debere, id eſt pro valore, aut nullitate reſcripti pronuntiare. Nec obſtat ſecundum augmentum, cui eodem modo ſatisfaciendum eſt; iuriſdictio enim, quâ delegatus vtitur, quoad precum veritatem inquirendam, non ex commiſſione reſcripti, ſed à iure communi pendet, *l. ſi quis 5. C. ſi contra ius.* Nec ſecunda difficultas obſtat; nam generaliter verum non eſt, quamcunque ignorantiam excuſare impetrantem à vitio falſitatis; diſtinguendum enim eſt inter ignorantiam iuſtam, & probabilem; & inter iniuſtam & affectatam: ignorantia enim iuſta & probabilis excuſat, vt in aliis caſibus, de quibus *in cap. 3. §. 1. de clandeſt. deſponſ. cap. eos, de temp. ordin. lib. 6. cap. penult. de clerico excom. l. nec ſupinam, ff. de iuris & facti, l. 1. §. 1. ff. ſi menſor falſum, l. 1. §. 1. ff. ſi is qui teſtam. liber, l. ſi ſideiuſſor 29. in principio, ff. mandati, l. quæſitum 8. §. illud, ff. de precario*: affectata verò non excuſat ab aliis pœnis, & ſic nec à nullitate reſcripti per falſas litteras impetrati. Nec augmentum huius difficultatis obſtat; nam ſatis poſſibile omnibus viſum eſt, cognoſcere an Pontifex æqualiter eſſet conceſſurus, necne, cùm conceditur gratia, quæ de iure, vel Curiæ ſtylo ſolet concedi; quod ſecus eſt quando id, quod conceditur de iure vel ſtylo curiæ, concedi non ſolet; nam tali caſu præſumitur ſubreptionem fuiſſe cauſam inductiuam. Ita poſt antiquiores in præſenti docet Millianus *p. 3. num. 50.*

12. EXPONITVR CAP. QVIA 6. DE CONSANGVINITATE.

Adhuc ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in cap. quia circa 6. de conſang. & affinit.* vbi proponitur, conſanguineos intra 5. gradum (iure enim antiquo ante Concilium Lateranenſe prohibitum erat matrimonium inter conſanguineos vſque ad ſeptimum gradum, *cap. nullum, cap. nulli 35. q. 3. cap. ad ſedem 35. q. 5.*) vt diſpenſationem ad contrahendum matrimonium à Pontifice conſequerentur, dixiſſe bona fide ſe prolem ſuſcepiſſe (vrgens enim cauſa eſt diſpenſationis, ſi proles bona fide ſuſcepta fuit, *cap. 1. 2. quæſt. 2.* ſicut è contrario ſuſcepta malâ fide, difficilem reddit diſpenſationem: quo modo conciliandus eſt textus *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit conſanguineam*, cum *d. cap. quia circa*;) per ignorantiam tamen falsò aſſeruerunt prolem ſuſcepiſſe, cùm tempore impetrationis non eſſet; & cùm expreſſio huius falſitatis impetrationi cauſam dediſſet, & conſultus fuiſſet Innocentius III. circa valorem matrimonij, decreuit ſuſtinendnm eſſe vt remanerent in matrimonio, id eſt non obſtante falsâ causâ, matrimonium rectè contractum eſſe: ergo falſa narratio per ignorantiam Pontifici facta non vitiat reſcriptum, etſi cauſa præcipua eſſet conceſſionis. Varia pro huius textus interpretatione adduxerunt Interpretes, inter quos illa communiter recepta eſt ſolutio, videlicet in eo textu primam diſpenſationem nullius fuiſſe momenti; cæterùm ex Pontificis indulgentia, qui cognitâ inualiditate matrimonij, coniuges ſuſtinendos eſſe in matrimonio reſpondit, induci ſecundam diſpenſationem validam, cuius virtute ſuſtinetur matrimonium. Ita docent Speculator *tit. de diſpenſ. §. nunc de Epiſcoporum, num. 27.* Bertachinus *de Epiſcopo lib. 4. tit. 2. quæſt. 49. num. 139.* Selua *de beneficiis 4. p. quæſt. 7. num. 114.* Couarr. *de ſponſalib. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 15.* Sed hæc ſolutio latè conuincitur à Thoma Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 38. num. 12.* quare eâ omiſsâ dicendum eſt, in ſpecie illius textus, coniuges in petitione diſpenſationis pro cauſa expreſſiſſe prolem ſuſceptam, quæ cauſæ expreſſio pro varietate temporum potuit eſſe falſa, & vera. Falſa, ſi tempus petitionis impetrationiſque inſpiciatur, quo tempore proles

ſuſcepta iam ex rebus humanis exempta erat; & in hoc ſenſu dixit Pontifex, cauſam falſam eſſe. Vera ſi inſpiceretur tempus, in quo proles ſuſcepta viuebat: & quia licèt ſtricto iuris rigore conſiderato, partes tenerentur exprimere an viueret, an deceſſiſſet; tamen propter bonam fidem, quam habebant, exiſtimantes ſufficere in precibus narrare prolem ſuſceptam fuiſſe, quamuis nullam mortis mentionem facerent, matrimonium ſuſtinetur: vnde fit, vt cùm iuris regula doceat eos, qui bona fide matrimonium contraxerunt, admonendos non eſſe, ſi ſcandalum ex admonitione immineat, meritò Innocent. III. ob ſcandali imminentis periculum diſſimulandum eſſe præcipit in ea ſpecie. Ita docuerunt Sanchez *vbi ſupra*, *num.* 12. Gutierrez *de matrim. quæſt.* 48. *n.* 1. Barboſa *in eo textu*, *num.* 5. licèt aliter eum accipiat Baſilius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 16. *num.* 7.

13. INTELLIGITVR CAP. EX PARTE 13. DE PRIVILEGIIS.

Secundò ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in cap. ex parte* 13. *de priuilegiis*, in illis verbis: *Quarum ipſe non erat ignarus.* Ex quibus deducit gloſſa ibi, *verbo Non erat*; quod vt reſcriptum tanquam ſubreptitium vitietur, deſideratur vt tacitâ veritate ſcienter ſit impetratum. Igitur ſi per ignorantiam veritas ſupprimatur, quæ expreſſa in contrarium Pontificem moueret, vt in ea ſpecie eueniret expreſſis priuilegiis, quæ fuerunt ſuppreſſa, argumento textus *in cap. cùm Ordinem* 6. *hoc tit.* non vitiatur reſcriptum. Cui difficultati, omiſſis ſolutionibus traditis ab Hoſtienſi in eo textu, qui ſupplet, & reponit dictionem, *maximè*; & Panormitano ibi, *num.* 5. Socino *num.* 2. qui affirmant ideò in eo caſu reſcripta valida fuiſſe, nullâ exemptionis factâ mentione, quia priuilegia illa eius erant naturæ, vt producerent exceptionem peremptoriam, quo caſu neceſſaria non fuit eorum mentio, vt reſcriptum ſubſiſteret, *ex l.* 2. *Cod. ſi contra ius*, *cap.* 1. *de litis conteſt. lib.* 6. quibus omiſſis, veriùs dicendum eſt, in verbis ſuprà relatis proponi litigatoris, hoc eſt monaſterij, allegationem; & quamuis Pontifex ſimili allegationi detulerit, non fecit quia exiſtimaret ſcientiam priuilegij neceſſariam eſſe ad reſcripti nullitatem, ſed quia falſi ſcientiâ interueniente, conſtabat apertè reſcriptum indiſtinctè nullum fuiſſe, iuxta præſentem textum. Nec argumentum ibi à contrario ſenſu per Doctores deductum, debet admitti, cùm exinde ſequatur abſurdum. Alia pro ipſius textus expoſitione adducunt P. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 20. Salgado *de protectione part.* 1. *cap.* 1. *num.* 207.

14. EXPONITVR CAP. SIGNIFICANTE, HOC TIT.

Tertiò ſuperiori aſſertioni opponi poteſt textus *in cap. ſignificante* 34. *hoc tit.* vbi docetur, quod ſi precator reſcripti errore ductus in precibus propoſuit reum eſſe diœceſis Rhemenſis, cùm eſſet Leodienſis, reſcriptum nullum eſſe: ſed nemo negabit Pontificem æqualiter conceſſurum reſcriptum, etſi verè narratum eſſet, cuius ciuitatis incola reperiretur impetrator. Igitur etſi per ignorantiam falſæ preces proponantur, & Pontifex æquè conceſſurus eſſet, reſcriptum nullius momenti eſt. Augetur hæc difficultas ex eo; nam certum iuris principium eſt, falſam demonſtrationem non nocere, præſertim vbi de perſona, aut re conſtat, *l. demonſtratio* 17. *l. quibus* 40. *§. qui dotali*, *ff. de condit. & demonſtr. l.* 4. *ff. de legat.* 1. *l.* 2. *Cod. de falſa cauſa*: ergo licèt erraſſet Impetrator in demonſtratione diœceſis, reſcriptum ſuſtineri debebat. Pro huius textus interpretatione varia adduxerunt Interpretes. Compoſtellanus & Innocentius *ibi*, docuerunt, ideò reſcriptum vitiari in ea ſpecie, quia propter falſam demonſtrationem loci de certa perſona non conſtabat, & ideò ob incertitudinem reſcriptum vitiari, argumento textus *in l. duo ſunt*, *ff. de teſtam. tut. l. legauit* 25. *ff. de liberat. legat. l. ſi ſic* 75. *§. ſi mihi*, *ff. de legat.* 1. eos ſequitur Barboſa *in eo textu*, *num.* 4. Aliter Millianus *in præſenti*, 2. *part. num.* 16. exiſtimauit litteras falſas extitiſſe, quia cùm reſcripta ſtricti iuris ſint, non debent ad locum in eis omiſſum extendi. Sed ſemper placuit doctrina Ioannis Andreæ *in dict. cap. ſignificante*, exiſtimantis multùm intereſſe, an is qui falſam demonſtrationem diœceſis adiecit, idem conſequeretur ſi veram diœceſim expreſſiſſet; & tunc ſimilem errorem non vitiare reſcriptum, ſi conſtet de corpore: an verò certâ diœceſi expreſsâ Pontifex æqualiter reſcriptum non concederet, forſan ob nimiam diſtantiam, *ex cap. nonnulli* 27. *hoc tit.* vt eueniebat *in dict. cap. ſignificante*; & tunc reſcriptum nullius momenti eſſe, quia ſuppreſſio veritatis reſcripto cauſam dedit, vt conſiderat Abbas in eo textu *num.* 9. Ad hoc etiam commentarium ſpectant textus *in cap. ſi motu* 22. *de præb. lib.* 6. quem expoſui ſuprà *in cap. ad aures*; & textus *in cap. per veſtras*, *de donat. inter*, cuius interpretationem dabimus in eius notis.

CAPVT XXI.

Idem *Abbati & Conuentui*[a] *Præmonſtratenſi.*

EDoceri poſtulaſti à nobis, vtrum per litteras aduersùs Abbates (nulla mentione habitâ de ſuis Conuentibus) impetratas, teneantur Abbates ipſi ſuper cauſis (quæ ad Conuentus pertinent, & eoſdem) de ipſis querelantibus reſpondere: ac licèt inhibita ſit appellatio, per appellationis obiectum poſſint (ne reſpondeant) ſe tueri. Super quo duximus reſpondendum, quod (niſi alia cauſa rationabilis ſuffragetur) per appellationem ſe tueri non poſſunt, quominus debeant auctoritate litterarum huiuſmodi legitimè reſpondere: cùm ex officio ſuo teneantur congregationum ſuarum negotia procurare. Niſi fortè Abbatis & Conuentus negotia eſſent omninò diſcreta.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Præmonſtratenſi.*] Præmonſtratum Diœceſis Laudunenſis, caput ſui Ordinis, ſub regula D. Auguſtini, temporibus Calixti II. & Ludouici Craſſi Galliarum Regis inſtitutum, ac fundatum fuit anno 1120. vt refert Albericus Monachus *in Chron.* per hæc verba: *Ordo Præmonſtratenſis cœpit per virum mirabilem Dominum Norbertum, natione Teutonicum; & fundata eſt Eccleſia ſub Epiſcopo Bartholomæo, in Diœceſi Laudunenſi.* Plura de eius origine & progreſſu congeſſerunt Ioannes le Page *in Bibliot. Præmonſtrat.* Mauritius *in annal. ipſius Ordinis*, Yepes *tom. 7. chronicæ D. Benedicti, fol.* 162. Gabriel. Pennot. *lib. 2. hiſt. Canonic. regul. cap.* 70. Chopinus *de ſacra pol. tit. 3. num.* 7. Tamayo à Salazar *in Martyr. Hiſp. die 6. Iunij*, Boſquetus *in notis ad Innocent. III. lib. 1. epiſt. 4.* Manrrique *tom. 1. annal. Ciſterc. anno* 1150. *c.* 8. Fratres Sarmatani *tom. 4. Galliæ Chriſt. fol.* 753. F. Franciſcus Duval *in vita S. Norberti.* Balduino eius Monaſterij Abbati miſſa eſt eſt præſens epiſtola, quæ etiam reperitur in tertia collectione *ſub hoc tit. cap.* 11.

COMMENTARIVM.

2. CErtum eſt, ad Abbatem curam, & adminiſtrationem rerum ſui monaſterij ſpectare, ideoque & ſine mandato monaſterij cauſas ipſius in iudicio tractare valere, *cap. cauſam quæ 9. de iudiciis, cap. auditis 15. de præſcript. cap. cùm olim 17. de reſtit. ſpoliat.* & ſi aliquando proponatur, Abbatem & Monachos in cauſis monaſterij querelam propoſuiſſe, vt *in cap. ex tranſmiſſa 10. de præſcript.* inde non euincitur, Abbatem ſolum non poſſe per ſe in iudicio comparere, etſi quoad alios actus qui ad collegium pertinent, non niſi ex conſenſu monaſterij maioris, & ſanioris partis ipſius poſſit ea expedire, veluti ſi ad monaſterium ius præſentandi pertineat; namque tunc ſi ſolus præſentare intendat ad beneficium, monachorum conſenſus deſideratur, *cap. nobis, cap. ea noſcitur, de his quæ fiunt à Prælat.* Lambertinus *de iurepatron. p. 1. q. 2. à num. 2.* Sanchez *lib. 7. ſummæ, cap. 14. num. 7.* qui exponit textum *in cap. ex litteris 7. de iurepatron.* Vnde cùm quoad negotia monaſterij procuranda præcipuè attendatur perſona Abbatis, ideò per reſcriptum impetratum contra ipſum, nullâ monaſterij factâ mentione, ipſe efficaciter conuenitur, niſi negotia Abbatis, & Conuentus ſint diſtincta; quia tunc per reſcriptum impetratum contra Abbatem, ſuper negotio monaſterij Abbas conueniri non poteſt.

CAPVT XXII.

Idem *Archiepiſcopo, & Magiſtro VV. Canonico* a *Magdeburgenſi.*

CVM b dilecta in Chriſto filia R. c Cuſtos Heſienſis Eccleſiæ, ac d procurator G. monialis, ſuper electionibus in eadem Eccleſia e celebratis litigauerint aliquandiu f coram nobis. *Et infrà*: Deprehendimus litteras ad Abbatem de Remech, & ſuos coniudices impetratas, per ſubreptionem obtentas, cùm in eis illius articuli, videlicet de ſubtractorum g reſignatione, fuerit præter conſcientiam noſtram cognitio demandata, qui in prioribus litteris ad h Scholaſticum Hildeſenſem, & coniudices ſuos obtentis, inſertus fuerat, de quibus in ſecundis litteris mentio non fiebat: & ideò, quod ipſarum litterarum occaſione dignoſcitur attentatum, duximus irritandum. Dictum inſuper Scholaſticum, & coniudices ſuos inuenimus minùs prouidè proceſſiſſe. Cùm enim in litteris noſtris eiſdem principaliter mandaretur, vt ad prædictam Eccleſiam perſonaliter accedentes, perſonæ idoneæ adminiſtrationem committerent Abbatiæ, cui ad opus eius fieret hinc inde reſignatio ſubtractorum, ipſi formam mandati Apoſtolici tranſponentes, illo capitulo prætermiſſo, de aliis articulis inordinatè plurimùm cognouerant: propter quod proceſſum ipſorum contra noſtri formam reſcripti, ac iuris ordinem attentatum, irritum decernimus, & inanem. Ideóque mandamus quatenus G. & quibuſdam aliis ſororibus Eccleſiæ (ſicut iuſtum fuerit) reſtitutis, & formâ mandati noſtri exactâ diligentiâ obſeruatâ, in negotio ipſo ratione præuiâ procedatis.

NOTÆ.

1. a *Magdeburgenſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 22. Magdeburgum celebris eſt Germaniæ Metropolis, cui ſubſunt quatuor Eccleſiæ Cathedrales, vt refert Acuña *de Primatu Eccleſiæ Brachar. cap. 4. num.* 10. Ydumai. *in notis ad Innocent. lib. 1. epiſt.* 118. Eam inſtaurauit Imperator Otho, & magno ſplendore extulit, & priuilegiis excoluit, vt referunt Buzelinus *tom. 3. Germaniæ ſacræ, fol.* 65. Alberto eius Præſuli miſſa eſt præſens epiſtola, & præſentis cauſæ mentio fit *in cap. ad probandum, de re iudic.* Etiam committitur præſens cauſa Canonico & Magiſtro ipſius Eccleſiæ, qui apud nos vulgò dicitur Magiſter Scholæ; quæ dignitas in Eccleſiis Cathedralibus, iam à temporibus Concilij Lateranenſis, de quo *in cap. 1. de magiſtris*, fuit inſtituta, vt ſic eſſet in qualibet Eccleſia, qui linguam Latinam, aliaſque artes doceret. De cuius inſtitutione, & officio plura Duarenus *de ſacris Eccleſiæ lib. 1. cap. 19.* Azor *lib. 3. inſtit. cap.* 22. Cæſar *de de Hierarchia diſput.* 12. §. 4. Barboſa *de canonicis cap.* 10. Eſcobar *de Pontif. cap.* 8. Chopinus *de*

ſacra

sacra polit. lib.2. fol. 70. Petrus Gregorius *lib.* 15. *syntagm. cap.*19. P. Mendo *lib.2. de iure academico, quæst.*18. *num.*202.

2. b *Dilecta.*] Ita appellantur Moniales Abbatissæ, & aliæ fœminæ dignitate præfulgentes, *cap. dilecta, de excepi. cap.2. de testam. cap. dilecta, de maiorit. cap. noua, de pœnitentiis.*

3. c *Custos.*] Licèt temporibus nostri textûs clausura monialium non ita strictè fuisset obseruata, ac post Bonifacij constitutionem, de qua *in cap.*1. *de statu regularium, lib.*6. inuenitur tamen statuta iam primis Ecclesiæ sæculis, egressusque monialium à monasteriis, & ingressus externorum in ea damnati reperiuntur in Concilio Carthaginensi 3. *can.*44. ibi: *Vt virgines sacræ cùm parentibus, à quibus custodiebantur, priuatæ fuerint, Episcopi, vel Presbyteri, vbi Episcopus absens est, prouidentiâ grauioribus fœminis commendentur, aut simul habitantes, inuicem se custodiant, ne passim vagando Ecclesiæ lædant existimationem.* Synodo Trullana *can.*44. *Quæ vitam exercitatoriam eligunt, & in monasteriis sunt constitutæ, ne omnino exeant.* Et *can.*47. *Ne in virorum monasterio mulier, neque in mulierum vir dormiat: si quis fecerit, clericus, siue laicus, excommunicetur.* Epaunensi *can.*38. *Monasteria puellarum non nisi probatæ vitæ & ætatis prouectæ ad quascumque earum necessitates, vel ministrationes laici permittantur intrare.* Cabilonensi sub Carolo *can.*63. *Nullus vassus Abbatissæ minister aliquis, nec clericus, nec laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi fortè quando necessitas operandi incumbit.* Alia iuris testimonia congesserunt Antonius Augustin. *in epitome iur. Pontif. lib.*9. *tit.*19. Gibalinus *de clausura disquisit.*1. *cap.*1. *num.*5. & nos plura dabimus *in cap. monasteria* 8. *de vita & honest. cleric.* Vt ergo hæc disciplina ecclesiastica seruaretur, ne videlicet moniales è monasterio exirent, aut extranei in eum ingrederentur, omni æuo obseruatum fuit, vt vna ex illis, quæ in monasterio primæ erant, ab Abbatissa custodiæ monasterij præficeretur, quæ custos in præsenti dicitur. Cui ministerio præpositam fuisse S. Euphrasiam refert Surius *in mense Augusti*; ex quo & aliis Patribus id probat Tamburinus *de iure Abbat. disput.*18. *q.*2. Quo sensu custos in præsenti textu accipitur pro moniali clausuræ monasterij præposita.

4. d *Procurator.*] Cùm enim causa esset ecclesiastica, & coram R. Pontifice disceptaretur, potuit clericus in ea constitui procurator, *cap. cùm M. de constit.* pro laicis enim & coram iudicibus laicis, clericis negotia procurare non licet, *cap.*2. vbi dicemus, *ne cleric. vel monach.*

5. e *Celebratis.*] Aliæ enim moniales elegerant R. custodem in Abbatissam monasterij; aliæ verò aliam; vnde super iis electionibus præsens lis vertebatur, vt constat *ex dict. cap. ad probandum, de re iudic.*

f *Coram nobis.*] Ex his verbis deduci videtur, moniales posse iustitiæ prosequendæ causâ è monasterio exire, & R. Pontificem adire; quod illis olim licuisse facilè probatur ex Concilio Vernensi, seu in Palatio Vernis celebrato temporibus Pipini, *can.*6. Turonensi 3. temporibus Caroli Magni *can.* 30. Cabilonensi, eodem imperante, *can.*57. Moguntino sub Rabano *can.*13. & 16. vbi prohibetur ne deinceps Abbatissa exeat à monasterio, nisi vrgente iussione Regia, seu hostilitate cogente. Sed adhuc crederem in præsenti casu non per se, sed per procuratores coram R. Pontifice moniales comparuisse; quod euincitur ex illis verbis, *clericus procurator*; & illis, *clerico, qui pro eodem negotio venerat.* Ex quibus deducitur, ipsos clericos, vt procuratores monialium comparuisse: sed procurator propriè dicitur, qui absentis negotia curat, *l. si lite, Cod. Theodos. de cognitoribus,* Cironius *ad titulum de procurat.* ergo supponit Pontifex pro monialibus absentibus clericos vt procuratores comparuisse. 6.

g *Resignatione.*] Resignationis vox varias habet significationes: plerumque significat quod signatum est aperire, *l. si testamentum, ff. qui testamenta, l.2. ff. ad leg. Corn. de falsis,* Plautus *in Trinum. lib.* 1. *epist.* 7. & *in epist. ad Mæcenatem:* plerumque significat perfectè signare, Virgilius *lib.* 4. *Æneid.* ibi: 7.

——— *Et lumina morte resignat.*

In præsenti tamen accipitur pro reddere aut restituere; quomodo etiam sumitur apud Horatium *lib.*3. *od. penult. Resigno quæ dedit:* & *lib.*1. *epist.*7. *Cuncta resigno.* Quare vt iubeat Innocentius ante omnia cuncta esse restituenda, ait esse resignanda.

h *Scholasticum.*] Scholasticus in vtroque iure, & apud politioris notæ Authores accipitur pro Aduocato. Concilium Sardic. *can.*10. *Scholasticus de foro Episcopi fuerit postulatus.* Africanum *can.*99. *Constituendus Scholasticus: l.2. Cod. de lucro Aduocatorum,* quæ est lex 2. *Cod. Theodos. de concus. Aduocat.* D. Augustin. *tractatu* 7. *in Ioannem: Qui habent causam, & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholasticum iuris peritum.* Plinius, Palladius, & alij relati à Baronio *in martyrol. die sexta February,* Synesius, Basilius, & Theodoretus, ex quorum epistolis probat Iacob. Gothofredus *in dict. l.2. Cod. Theodos.* Vnde cùm pro viro docto & litteris pollente scholasticus communiter acciperetur, ideò Canonici in Ecclesiis constituti in Magistros Scholarum, cœperunt Scholastici appellari, vt probant Cæsar *de eccles. hierarch. disp.* 12. §.3. *num.*4. P. Herrera *in origine sacrificij Missæ, cap.*5. Mendo *de iure Academico cap.*18. Quare cùm Magistro Scholæ præsens causa commissa esset, dicitur delegata Scholastico. Ex hoc textu deducunt communiter Interpretes, omnia acta per litteras subreptitias, ipso iure nulla esse; quod principium exposui superiori commentario. 8. SCHOLASTICVS QVIS.

CAPVT XXIII.

a Idem.

PLerumque contingit, quod aliqui (nostris litteris impetratis) illis vti multo tempore postponentes, tum demùm eas exhibent, cùm aliarum authoritate ab eis, contra quos primitùs litteras impetrarunt, cœperint conueniri, dicentes posteriores litteras non valere, vtpote non facientes de prioribus mentionem: cùm enim non sit malitiis

malitiis hominum indulgendum, ſtatuimus, vt ſi quis noſtras litteras impetrans, infra [b] annum poſtquam copiam iudicum habuerit, ex malitia, vel negligentia poſtpoſuerit vti eis, authoritate poſteriorum litterarum valeat conueniri, licèt in ipſis nulla de prioribus mentio habeatur.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 13. nullibi tamen exprimitur, cui Prælato reſcribat Innocentius, nec inter eius epiſtolas hucuſque editas reperitur præſens textus.

2. De die, aut data reſcripti ex vtroque iure.

b *Annum.*] Quare reſcripta debent diem, menſem, & annum continere, aliàs ſuſpecta de falſitate redduntur, *cap. inter, de fide inſtrum. l.* 4. *C. de diuerſ. reſcript.* plurimi enim intereſt ſcire diem conceſſi reſcripti: tum vt cognoſcatur, an annus elapſus ſit, vt qui illud impetrauit, eo vti non poſſit, ex præſenti textu: tum vt ſi poſt primum ſecundum expediatur, prioritas eorum ex data cognoſcatur, *cap. capitulum* 30. *hoc tit.* ob quos & alios iuris effectus, de quibus *in cap. eam te, cap. conſtitutus, hoc tit. cap. ſi eo tempore, eod. tit. lib.* 6. vtriuſque iuris conditores ſtatuerunt, vt reſcripta, teſtamenta, contractus, & alij actus humani diem & indictionem continerent; quod vt faciliùs percipiatur, obſeruandum eſt, olim iure ciuili inſpecto conſtitutiones generales ſine die, & Conſule prolatas authoritatem habuiſſe, vt teſtatur D. Auguſtinus *in collatione cum Donatiſtis, die tertia*, ibi: *Euidentiſſimis legibus definitum eſt, Imperialia conſtituta, etiamſi Conſules non legerentur, in dubium non reuocari.* Et paulò poſt: *Etiamſi Conſul deſit, non impedit Imperialis conſtituti veritatem.* Quem etiam morem adeò Eccleſia olim obſeruauit, vt in Summorum Pontificum decretis, Conciliiſque falſitatis potiùs ſuſpicio foret, diem aut Conſulem expreſſum habere: idem D. Auguſtinus *vbi ſuprà, cap.* 17. Hac de cauſa Cirtenſe Concilium falſi arguebat, *quia* (inquit) *contra eccleſiaſticam conſuetudinem ipſum Cirtenſe Concilium diem & Conſulem haberet*; licèt annus Domini, ſiue annus gratiæ, aliquando Imperatoris, ac denique Conſulum nonnunquam nomen apponi conſueuiſſet, vt obſeruat Cironius *lib.* 3. *obſeruat. cap.* 7. & *ad hunc titulum.* Mendoza *lib.* 1. Concil. Illiber. *cap.* 10. Idem ferè in ciuilibus Conſtitutionibus euenit, vt ſcilicet diei, aut Conſulis defectus veritatem non infringeret, ſolemnitatémve læderet; veluti in teſtamentis teſtatur Modeſtinus *lib.* 3. *regul. ſub tit. de bonis libert.* & *de teſtam.* apud Pitheum, *ante collat. legum Moſaïc.* ibi: *Cùm teſtamento dies & Conſules adiecti non ſunt, non nocet quominus valeat teſtamentum*; licèt in eis adſcribi ſolere indicent textus *in l.* 2. §. *diem, ff. quemadmodum teſtam. l.* 3. *Cod. eod. tit.* Nouella Iuſtinian. 107. Sic leges, reſcripta, pragmaticæ ſanctiones, & cæteræ aliæ Diuales conſtitutiones poſteà non ſine die & Conſule proponebantur, id ita curante Magiſtro libellorum, ſiue eo abſente, Promagiſtro, qui vicem Magiſtri libellorum habebat, eiuſque officij erat, vt reſcriptis diem & Conſulem adiiceret. Sic eſt antiqua libelli formula, quam in lapide vetuſto Romæ ſtare teſtantur Briſſonius *lib.* 3. *antiquit. cap.* 7. & *lib.* 3. *de formulis*, Oſualdus *lib.* 1. *comment. cap.* 9. Reuardus *ad legem* 71. *ff. de regul. iur.* I. Gutherus *lib.* 1. *de officis domus, cap.* 35. in qua poſtquam reſcriptum eſſet ab Antonio Pio: *Feretrum fieri placet*; additur illa ſubſcriptionis clauſula, *Iuuentius Celſus Promagiſter ſubſcripſi tertio nonas Nouembris, Antio, Polione, & Oppiano Coſſ.* Hæc tamen licèt eius ſtudij eſſent, aliquando tamen aut negligentiâ omittebantur, vel ætatis ſenio in reſcriptis, cæteriſque conſtitutionibus deficere ſolebant, vt coniectari licet ex tot conſtitutionibus, quæ ſignanter ſine die, & Conſule circumferuntur, vt lex 3. *C. ad Trebell.* lex 6. *C. de vſucap. pro empt.* lex 1. *C. de hæredib. inſtit.* lex finalis, *Cod. ſi per ignor.* lex 1. *Cod. qui admitti*, lex *ſtipendia* 9. *C. de procurat.* lex 4. & 5. *C. de iure fiſci, lib.* 10. lex 2. *de decur. eod. lib.* 2. lex 2. *C. vt in poſſeſſ.* lex 1. *C. de patria poteſt.* lex 4. & 5. *C. de iure fiſci*, lex 3. *C. Theodoſ. de conſtit. Principum*: & in aliis, quæ tamen non authoritate carebant antequam relatæ eſſent in corpore iuris à Triboniano, nec poſtquam fuerunt relatæ, ſi in aliis Codicibus inueniantur, qui Iuſtinianeum præceſſerunt. Hæc tamen mutata fuerunt Imperatoris Conſtantini conſtitutione, quæ refertur *in l.* 1. *C. Theodoſ. de diuerſis reſcriptis*, ſcripta ad Luſytanos, vt habetur in Codicibus Ioannis Tilij, Cuiacij, Pithœi, licèt in Codice Iuſtinianeo *in l.* 4. *eodem titulo*, legatur *ad Luſitanos*, mendosè, vt etiam in ſubſcriptione *Samariæ*, cùm non niſi *Sabariæ*, legi debeat, de qua Hiſpaniæ vrbe egi *in ſubſcript. Concilij Illiber.* Hac itaque Conſtantini lege fuit ſancitum, vt deinceps edicta, & conſtitutiones, quæ ſine die & Conſule fuiſſent deprehenſa, authoritate carerent, Baronius *anno* 312. *num.* 15. quod & Gratianus ad ſuum retulit decretum *in cap. dicenti* 25. *quæſt.* 2. & in ordinationibus Epiſcoporum, & Clericorum idem ſtatutum fuit in Concilio Mileuit. idemque firmauit Imperator Lotharius *in legibus Longobard. lib.* 2. *tit.* 38. ibi: *In finibus Tuſciæ, quæ ſunt abſque menſe & die menſis, nullum habeant vigorem.* Iuſtianus tamen idem abrogauit, ſtatuens, non vitiari reſcripta, etſi ſine die & Conſule referantur, ſi relata fuerint in corpore iuris, *l. vnica*, §. *penultim. C. de nouo Codice faciendo*: ad quod ius reſpiciens Triboniano, tranſcribens dictam Conſtantini conſtitutionem *ex l.* 1. *C. Theodoſ. de diuerſ. reſcriptis, in l.* 4. *C. eod. tit.* pro illis verbis, *ſi qua poſt hæc edicta, ſiue conſtitutiones*; ſubſtituit, *ſi qua beneficia perſonalia*; quaſi tantummodo de beneficiis perſonalibus, ſiue priuilegiis id dici poſſet, cùm non ſint (vtpote quia quotidie conceduntur) relata in corpore iuris, nec die ac Conſule indigeant, vt tempus computetur (per Conſules enim tempus probatur, *l. ſi arbiter* 28. *de probat.*) intra quod ea inſinuari & allegari oportet, ſi temporaria ſint, *l.* 2. *Cod. de diuerſ. reſcript.* vel vt intelligatur, an iam ſint ſub generali reuocatione contenta, quæ ab Imperatoribus initio ſui Imperij frequenter fiebat, *l. priuilegia, Cod. de paganis.* Æquiùs ſanè voluit Conſtantinus, vt omnem falſitatis ſuſpicionem à reſcriptis, & conſtitutionibus amoueret, quæ non faciliùs, aut euidentiùs, quàm per diei, aut Conſulis adiectionem conuincitur, *l. cùm tabernam* 34. §. 1. *ff. de pignor.* & eâ ratione in inſtrumentis apponebantur, *l.* 1. §. *editiones, ff. de edendo*: Cicero *lib.* 13. *epiſt.*

*epist.*29. D.Augustin. *in comment. ad Lucam: Nam si consules*, ait, *adscribuntur tabulis emptionis, quantò magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi. Habes ergo omnia, quæ in contractibus esse consueuerunt.* Et *l.optimam, C.de contrahenda stipul. l.*2.*§.vlt. ad Tertyl.* Ita etiam obseruabatur in libellis accusatoriis, *l.*8.*Cod. Theodos. de iurisdict.* & in apochis publicis, *l.*1.*Cod.de apochis publicis, lib.*10. Scriptura etiam non valebat, nisi annus & dies euidenter ostenderetur, ex legibus Aleman. *cap.*43. Vvisigoth. *lib.*2. *tit.*5. *l.*1.2.*&* 16. & Capitul. Caroli *lib.*6. *cap.*146. & apud nos falsitas inde arguitur, *l.*2. *tit.*5. *lib.*4. *recopil.* obseruarunt Cironius *ad hunc titulum*, D.Nicolaus de Castro *in princip. Instit.de empt.& vendit. num.*77. & *in l.ad reparationem, num.*2. *Cod. de aquæductu*, Osualdus *lib.*1. *ad Donel. cap.*9. *littera G.* & *lib.*23. *cap.*6. *littera H.* Couarr. *practic. quæst.*20. *num.*2. Cuiacius *lib.*10. *obseru. cap.*14. Amaya *in l.*2. *C.de decurionib. num.*4. Petrus Burgius *lib.*1. *select. cap.*11. Samuel Petitus *ad ius Atticum lib.*2. *pag.*119. *&* 320. Brissonius *lib.*3. *select. cap.*7. Altamiranus *de filiis offic. lib.*3. *in principio*, Cironius *in paratitl. ad hunc titulum*, & *lib.*3. *obseru. cap.*7. Gutherus *lib.*3.*de offic.domus, cap.*36. Borellus *lib.*2.*de Magist. cap.*14. Hac ratione non semel olim Imperatores, qui Constantinum secuti sunt, diem rescriptis non solùm apponebant, sed geminabant, & dum Quæstor eorum constitutionibus subscribebat, diem etiam addebat postquàm Princeps manu subscripserat, addita etiam die, vt videre est in constitutione Iustiniani *de filiis libert.* & in alia Imperatoris Tiberij *de filiis colon. & libert.* in nouellaque Iustiani 114. *cap.*15. statuitur, vt diuinæ iussiones subscriptionem habeant glorioßissimi Quæstoris; vnde in vna,eademque constitutione quatuor diuersos dies aliquando notatos inueniri obseruauit Cuiacius *in l.finali, Cod. de petit. bonor. sublat.* Gothofredus *ad dict. constit. Tiberij*, & Gutherus *lib.*1. *de officiis domus, cap.*35. Brissonius *de formulis pag.*326. Et cùm post Constantinum duo Consules designarentur, vnus Romæ, alter Constantinopoli, rescripta, & constitutiones, quæ promulgabantur Romæ, antequam sciretur quis Constantinopoli nunciatus esset, promulgabantur sub hac forma,A.& qui fuerit nunciatus,Consulibus, *l.finali, Cod.de bonis vacant. lib.*10. *l.finali, Cod. Theodos. de hæret. l.vlt. eod. Cod. de petit. sublatis, l.vlt. Cod. de Princip. agent. l.*1. *Cod. de castrensianis, in Theodos. l.*4. *&* 5. *eod. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* Iure etiam canonico frequentiùs rescriptis & epistolis decretalibus indictio adhibebatur, vt constat ex epistolis Gregorij Magni, & prædecessorum suorum. Tandem Innocentius III. loco indictionis annos Pontificatus apponere cœpit, cùm alij annos tantùm Domini apponerent, vt obseruauit Cironius. Ex tunc rescripta sine die & Consule vires non obtinent, *dict. cap. inter, de fide instrum.*

COMMENTARIVM.

3. EXPONITVR L.2. COD. DE DIVERSIS SCRIPTIS.

LIcèt regulariter rescriptum secundum non factâ primi mentione, nullum sit, iuxta tradita *in cap.*3. *hoc tit.* tamen si ille qui primum impetrauit, dolo, & fraude intra annum vsus non sit, secundum sustinetur, quia per lapsum anni primum euanuit, & ita secundo impedimentum non præstat; quæ exceptio in præsenti textu statuitur. Cui consonant textus *in cap.si autem, hoc tit. l.*35. *tit.*8. *partit.*3. Sed apertè opponi videtur textus *in l.*2. *Cod. de diuersis rescriptis*, in illis verbis: *Falsò adseueratur authoritatem rescriptorum deuoluto spatio anni obtinere firmitatem suam non oportere, cùm ea quæ ad ius rescribuntur, per omnia esse debeant, si modò tempus in quo allegari, vel audiri debent, non sit comprehensum.* Ex quibus verbis expressè deducitur, rescriptum adhuc elapso anno sustineri, & vires habere: pro cuius textus conciliatione cum præsenti Innocentij epistola, varia adduxerunt repetentes hîc. Baldus & Felinus discrimen constituunt inter ius ciuile, & canonicum. Iure ciuili inspecto asserunt rescripta esse perpetua; iure verò canonico, annalia, & temporalia: eos sequuntur Decius *in dict. cap. si autem*, Iason *in l.finali, Cod.de constit. Principum.* Sed cùm tam Innocentius *in præsenti*, quàm Lucius III. *in dict. cap. si autem*, non expressè discesserint à iure Cæsareo, non est cur inducamus diffidium inter ius canonicum, & ciuile,argumento textus *in cap.*2.*de noui operis nunciatione, cap. final. de secundis nuptiis.* Aliter diffidium hoc sedare intendunt Rebuffus *ad leges Galliæ, tit. de rescriptis, in præfat. num.*4. Menochius *de arbit. casu* 202. *num.* 77. Asserunt enim textum *in dict.l.*2. accipiendum esse de rescriptis concedentibus ius parti, seu ius partium respicientibus; & ea verba, *perennia esse debent*, sic exponunt, id est, quæ ad iuris obseruationem rescribuntur; illa enim sunt perpetua, sicut & ipsum ius, *l.Diui fratres, ff.de iurepatron. l.*2. *Cod.de constit. Princip. cap. consuluit, de officio deleg.* quorum rescriptorum meminerunt Plinius *lib.* 10. *epist.* 119. Symmachus *lib.*10. *epist.*42. præsentem verò textum procedere in rescriptis iustitiæ, quæ comprobatione iudicis indigent. Sed neque hæc solutio placet, cùm nullo iuris testimonio similis distinctio probetur, neque Ecclesiæ Patres vllibi decreuerint absolutè, & generaliter rescripta facto iudicis indigentia anno expirare, vt notauit Fachineus *lib.*8. *controu. cap.*65. Nec feliciùs Cuiacius *ad titul. Cod. de diuers. rescript.* dum existimat, præsentem textum procedere inspecto iure antiquo, textum verò *in dict. l.*2. attento iure nouiori; quem refellit Germonius *lib.*1. *animadu. cap.*14. Quare his solutionibus omissis, vt verum adducamus, dicendum est, rescripta iustitiæ, ad iuris videlicet obseruationem expedita, perennia esse, sicut ius ipsum, *dict. l.*2. *&* vlt. *Cod. Theodos. eod.tit.* Item rescripta ad ius partium concessa, eo modo sunt perpetua, sicut est actio,cuius ratione, & propter quam impetrantur; id est, si decennio durat actio, per decennium durabit rescriptum, non vltra, *l.sicut, Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. licèt ad excipiendum perpetua manere defendat Germonius vbi suprà: sed si impetrato primo rescripto, secundum super eadem causa impetretur, & qui primum impetrauit, dolo, vel ignorantiâ, eo intra annum non vtatur, euanescit primum, & conualescit secundum, non tam per lapsum anni, quàm per impetrationem secundi rescripti coniunctam cum omissione primi; quo casu rescriptum per anni lapsum finiri decidit Innocentius *in præsenti.* Vnde si secundum non fuisset impetratum, primum perpetuum esse non negaret Innocentius *in præsenti:* ita post Glossam *in dict. cap. si autem*, docent Innocentius *hic*, Castrensis & Padilla *in dict.l.*2. Cironius *in parat.ad hunc titul.* Germonius & Fachineus *vbi suprà.* Sed si rescripta habeant præfinitum tempus, finiuntur eo elapso, quia omnia rescripta expirant iuxta voluntatem concedentis, *cap.*

ad

ad aures, *hoc tit.* Reſcripta autem gratiæ omni reſpectu perpetua ſunt, ex regula *Decet*, *de reg. iur. lib. 6.* Docent Phebo *deciſ.* 168. vbi interpretatur textum *in l. 1. ff. de nundinis*, Padilla *vbi ſuprà*, qui eo modo accipit textus *in c. accedentibus*, & *cap. perpetuas*, *de priuilegiis*.

CAPVT XXIV.

Idem [a] *Rhotomagenſi Archiepiſcopo.*

CVm [b] contingat interdum, quòd laici ad Monaſteria conuolantes, à ſuis Abbatibus tonſurentur, Apoſtolicæ Sedis oraculum requiſiſti, an Clericatus ordo in tonſura huiuſmodi conferatur? Super quo fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quòd cùm in ſeptima Synodo ſit ſtatutum, vt Lectoris manus impoſitionem licentia ſit vnicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodò faciendi, dummodo ipſi ab Epiſcopò ſecundùm morem præficiendorum Abbatum manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere Sacerdotem, per primam tonſuram à talibus Abbatibus iuxta Ecc eſiæ formam datam, clericalis ordo confertur. Præterea cùm quidam ſuper aliquo litigantes, ad diuerſos iudices litteras impetrant, quorum quidam obtenti à parte altera tibi mandant, vt partem aduerſam denunties excommunicationis ſententiæ ſubiacere; aliis iudicibus tibi poſtmodùm iniungentibus, vt eandem denunties abſolutam. Quæris à nobis, an vtriſque, vel neutris, vel alterutris ſaltem obedire debeas in hac parte. Super quo tuæ prudentiæ reſpondentes, credimus diſtinguendum: an cùm primum mandatum recepiſſe dignoſceris, tibi forſan innotuit inter illos, & alios ſuper iuriſdictione diſcordiam ſuſcitatam: an ſuper hoc nihil omnino [c] ſciuiſti. Et quidem ſi ſuper contentione huiuſmodi nihil tibi penitus innoteſcit, cùm primum mandatum recipere te contingit, illud debes humiliter executioni mandare. Sed ſi poſtea contrarium tibi ab aliis demandetur, tunc litterarum ad vtroſque à Sede Apoſtolica obtentarum copiâ poſtulatâ, quas authoritate præſentium diſtrictè præcipimus exhiberi; ſi ex ipſarum tenore deprehenderis euidenter, ita quòd non ſit aliquatenus hæſitandum, quòd litteræ, quæ ad illos, à quibus ſecundum mandatum receperas, impetratæ noſcuntur, expreſsè reuocent litteras aliorum, tu illud intrepidus exequaris, quod ſecundo tibi loco mandatur. Si verò ex litterarum inſpectione manifeſtè tibi conſtet, quòd litteræ obtentæ ad illos qui primum dedere mandatum, per alias minimè reuocantur, ſecundum mandatum nullatenus exequaris. Quod ſi ſuper hoc tibi fuerit meritò dubitandum, ad exequendum ſecundum mandatum te procedere non oportet, donec, iuxta cuiuſdam noſtræ conſtitutionis tenorem, inter eos huiuſmodi contentio ſopiatur: & id ipſum facere debes, ſi primo mandato recepto, & nondum executioni mandato, tibi forſitan innotuerit, quòd inter ſe, ſuper iuriſdictione videlicet demandata, cœperint diſceptare. Cæterùm in his omnibus puram, & prouidam te conuenit intentionem habere, ne vel ad declinandum mandatum dubitare te dicas, vbi dubitandum non eſt; vel ad mandatum etiam exequendum te aſſeras eſſe certum, vbi certus eſſe non debes. Licèt autem ex his certa tibi detur doctrina, qualiter in huiuſmodi debeas te habere; nulla tamen attribuitur poteſtas, vt inter delegatos, aut partes de iuriſdictione debeas [d] iudicare. Inſuper requiſiſti, cùm quis conqueritur in ſe à ſuo Epiſcopo poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam, vel aliàs iniuſtè excommunicationis ſententiam promulgatam, & nos iudicibus damus noſtris litteris in mandatis, vt ſi ita eſt, vel iuxta formam Eccleſiæ illis beneficium abſolutionis impendant, vel eandem ſententiam denuntient nullam eſſe, ac Epiſcopus paratus ſit probare, ſe in illum antequam vocem appellationis emitteret, vel aliàs iuſtè huiuſmodi ſententiam protuliſſe: an probationibus non admiſſis, iudicibus liceat excommunicatum abſoluere, vel denuntiare ſententiam nullam eſſe. Ad quod tibi taliter reſpondemus, quòd ſuprà iam dicto caſu non conſueuimus, ſi bene meminimus, ſub præſcripta forma iudicibus ſcribere, ſed ſub iſta, vt videlicet, ſi excommunicationis ſententiam poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam inuenerint eſſe latam, ipſam denuntiantes penitus nullam eſſe, audiant ſi quid fuerit quæſtionis; alioquin recepta iuxta formam Eccleſiæ cautione, impendant abſolutionis beneficium conquerenti; & iniuncto ſibi quod de iure fuerit iniungendum, audiant cauſam, & eandem fine debito terminare procurent. Sed ſi forſan appareat,

nos in iam dicto casu, sub prænotata quandoque forma scripsisse, & in altero vtique casuum prædictorum, cùm videlicet quis conqueritur se post appellationem ad nos legitimè interpositam, excommunicatione fuisse notatum, semper vtriuslibet partis probationes sunt admittendæ, antequam ad decernendum super hoc aliquid procedatur: per quas denique apparebit, an absolutione indigeat conquerens, vel denuntiandus sit potiùs non ligatus. In reliquo verò casu, cùm videlicet excommunicatum quis se asseuerat iniustè, vix vnquam eius est, antequam absolutus fuerit, probatio admittenda, nisi tunc tantùm, cùm asserit in excommunicationis sententia intolerabilem errorem fuisse patenter expressum, ad quod probandum admittitur antequam absolutionis gratiam consequatur. Verùm si proponat, se simpliciter excommunicatum iniustè, ac Episcopus ad probandum quòd iustè ipsum excommunicauerit, suas postulet probationes admitti, non est ante absolutionem illius aliquatenus audiendus, cùm etsi pro certo constaret in illum rationabiliter excommunicationis sententiam promulgatam, nihilominus ei esset absolutio secundùm formam Ecclesiæ impendenda humiliter postulanti. Et ideò in hoc casu illum credimus iuxta formam Ecclesiæ protinus absoluendum, vt sic demùm probationibus vtriusque partis admissis, vtrum iustè, an iniustè ligatus fuerit, decernat. Datum Lateran. Kal. Septembris, anno XIII.

NOTÆ.

1. a *Rhotomagensi.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in ipsis epistolis editis à Bosqueto *lib.* 1. *regest.* 13. *epist.* 127. In præsenti rescribit Innocentius Roberto de Pullo, qui Ecclesiam eam rexit ab anno 1208. vsque ad annum 1221. vt referunt Fratres Sarmatani *tom.* 1. *Galliæ Christ. fol.* 584. Chenu *in Chronol. Galliæ*, *in ipsa Ecclesia*, Bosquetus *ad Innocentium III. lib.* 2. *epist.* 125. Præsens epistola in partes diuisa fuit à Raymundo, partim in præsenti, partim *in cap. cùm contingat*, *de ætat. & qualit. cap. cùm contingat* 36. *de officio deleg.* eam tamen ex collectione Bosqueti integram, & rediuiuam reddimus.

2. c *Cùm contingat.*] Vsque ad illa verba, *præterea*, *& cætera*; reperiuntur *in cap. cùm contingat*, *de ætat. & qualit.* vbi ea exponemus.

3. c *Sciuisti.*] Per famam, vel alio modo, vt exponunt Glossa *in præsenti*, Antonius Augustinus *in notis ad* 4. *collectionem*, in nostro textu.

4. d *Iudicare.*] Ex his verbis deducitur, quod licèt executor possit petere vt sibi exhibeantur litteræ, vel acta iudicialia, non tamen potest iudicare, aut vllam sententiam proferre; post Zabarellam, Abbatem, Hostiensem, & alios docet Parexa *de instrumentorum editione tit.* 7. *resol.* 2. *num.* 8. Sed aliqui ausi sunt asserere Innocentium nostrum contra Iuliani regulam *in l. de qua re* 74. *ff. de re iudic.* rescripsisse; siquidem ibi traditur, quod de qua re cognoscit iudex, de ea quoque pronunciare cogendus est: sed Archiepiscopo in nostro casu competit cognitio litterarum: ergo necessariò competit illi ius proferendi sententiam. Sed miserè labuntur, nam potiùs certum est, executorem merum partes iudicis assumere non posse, nec sententiam proferre, *l. si vt proponis* 7. *Cod. de except. rei iudicatæ*, latè tractabimus *in cap. Pastoralis*, §. *quia verò*, *de officio deleg.* vnde Archiepiscopus, qui tantùm executor erat, requisitus à Delegato Pontificis non poterat iudicare. Nec tunc refragatur Iuliani regula, quæ vera est; sed superest vt probetur in nostro textu, cognitionem competere Archiepiscopo, quod nos negamus, & Innocentius non affirmat: tantùm enim Archiepiscopo competit nuda inspectio litterarum, non verò cognitio aliqua; quis enim ipsam nudam inspectionem, cognitionem causæ appellauit? Competit enim Archiepiscopo ius inspiciendi ipsas litteras, non verò cognoscendi de causa, vt docet Bosquetus *dicta epist.* 125. Quæ ad huius textus expositionem spectant, petenda sunt ex commentariis textus *in cap. Pastoralis*, *hoc tit. cap. Pastoralis*, §. *quia verò*, *de officio deleg.*

CAPVT XXV.

Idem *G. de Vallibus*, *Magistro G. & P. de Fimis*, *Canonicis* a *Laudunens.*

OLim ex litteris dilectorum filiorum Sancti b Nicasij, Rhemen. c Signiani, &... & Vallis d Regiæ Abbatum, nostris fuit auribus intimatum, quòd cùm ad eos semel, & iterum à nobis litteræ processissent, super eo videlicet, quod R. Clericus S. Remigij e Rhemen. Parochiam de Salice S. Remigij, quam R. f de Crun. clericus sibi per g interpositam personam ab Abbate S. Remigij collatam fuisse proposuit, detinebat. Ipsi partes semel, secundò, & tertiò citauerunt, & dictum R. de S. Remigio, quia citatus pluries comparere noluit per se, vel h responsalem aliquem coram eis, excommunicationis vinculo innodantes, fecerunt fructus ipsius Parochiæ i sequestrari. Cúmque postmodùm idem R. accedens ad eos, se iuri promiserit pariturum, ac obti-

nuerit

nuerit ſe abſolui, ipſi abſolutionis ei j litteras concedentes, diem in eis aſſignarunt, & k locum, quibus coram eis quod promiſerat, adimpleret. Qui diem & locum ex litteris illis l radens, in loco raſuræ reſcripſit, quod ipſi ei ſequeſtratos fructus exhiberi mandabant, quod demùm coram duobus eorum, tertio ſui abſentiam m excuſante, per litteras eſt n confeſſus. Nos igitur cùm tantæ temeritatis exceſſus o falſitatis ſcrupulo non careret, vobis dedimus in mandatis, vt ſi res taliter ſe haberet, ipſi præſumptori ſuper dicta Parochia perpetuum ſilentium imponentes, præfato R. de Crun. clerico aſſignaretis eandem cum fructibus ſequeſtratis. Verùm ſicut vos filij S. & P. per veſtras nobis litteras intimaſtis, cùm dictus R. de Cruneio raſuram præfatam coram vobis per teſtes idoneos probauiſſet, & ob hoc poſtulaſſet ſibi dictam Eccleſiam aſſignari: vos vtrum clauſula illa (ſi eſt ita) de omnibus ſuperioribus, an de articulo tantùm raſuræ deberet intelligi, dubitantes, in negotio ipſo procedere vlteriùs diſtuliſtis. Eligentes ſecundùm hoc potiùs Apoſtolicæ Sedis oraculum implorare, quàm aliquid temerè diffinire. Nos ergo diligentiam veſtram in Domino commendantes, taliter duximus reſpondendum: Quòd clauſula illa debet ad omnia ſuperiora referri, ad hoc vt ipſi præfata Eccleſia conferatur. Quia licèt vitium falſitatis ad imponendum illi perpetuum ſilentium ſuper Eccleſia ipſa ſufficiat, qui falſitatem huiuſmodi perpetrarat; non tamen propter hoc eadem Eccleſia eſt aduerſario aſſignanda, niſi ſuper aliis facta fuerit p plena fides. Datum Later. vj. Non. Martij, Pont. N. anno XV.

NOTÆ.

1. LAVDVNVM VBI.

a *Laudunen.*] In hac ſexta collectione legitur, Idem Magiſtro G. & P. de Firmiſca, in quarta verò collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. legitur S. de Vallibus, Magiſtro G. & P. de Fumuſca. Sed perperam, tam in vna, quàm in alia; quare reſtituo tam inſcriptionem, quàm litteram textus ex regeſtro epiſtolarum ipſius Innoc. III. edito à Boſqueto, vbi *lib.* 3. *regeſt.* 15. *epiſt.* 6. reperitur textus hic. Laudunum, ſeu Lugdunum, ciuitas eſt prouinciæ Belgicæ ſecundæ, in Campaniæ, & Picardiæ confinio ſita, habet Eccleſiam Cathedralem, cuius erectionem his verbis refert Sigebertus anno 500. *Collatis à Clodoueo Rege multis prædiis Eccleſiæ Rhemenſi, Remigius multâ eorum parte datâ Eccleſiæ Laudunenſi, Sedem Epiſcopatus ibi conſtituit.* Eius Eccleſiæ mentio fit *in cap.* 14. *&* 16. *de re iudic. cap.* 17. *de præb. cap. ex parte* 33. *hoc tit.* Eius Epiſcopi Duces & Pares Franciæ ſunt, & Comitum titulo gaudent, propter hæreditatem D. Remigij, qui hunc Epiſcopatum fundauit, vt referunt Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Galliæ Chriſt. fol.* 616. Chenu *in chronol. Galliæ, fol.* 293.

2. b *Nicaſij.*] Rectè; non Remanenſi, vt legitur in quarta collectione. Eſt enim monaſterium hoc in vrbe Rhemenſi, clarum origine, & progreſſu celebre; olim vetus Baſilica ſub titulo S. Agricolæ fuit, à Iouino Romanæ militiæ Præfecto conſtructa anno 335. vt plura de eo adducentes tradunt Fratres Sarmatani *tom.* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 681.

3. c *Signian.*] Ita legendum eſt, non Sargienſi, vt vulgò legitur. Signiacum enim eſt monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Rhemenſis, in territorio Porciani, de quo plura Fratres Sarmatani *tom.* 4. *Galliæ Chriſtianæ, fol.* 831. Manrrique *tom.* 1. *annal. Ciſterc. anno* 1134. *cap.* 8. *numer.* 2.

4. d *Regiæ.*] Vallis Regia eſt Abbatia eiuſdem Ordinis Ciſterc. in eadem diœceſi Rhemenſi fundata anno 1149. ſub B. Bernardo, de qua agunt Fratres Sarmatani *dicto tom.* 4. *fol.* 900. Manrrique *annal. Ciſterc. tom.* 2. *anno* 1149. *cap.* 9. *numer.* 3.

e *S. Remigij.*] Hæc verba deſunt in hac ſexta collectione, in regeſto verò Boſqueti rectè adduntur; nam illa Parochia vocatur de Salice S. Remigij, & eius collatio ſpectat ad Abbatem S. Remigij, vt notat Boſquetus *vbi ſuprà.* 5.

f *De Crun.*] Non de Cliuo, vt in hac ſexta collectione legitur: nec Clerin, vt legitur in quarta collectione. 6.

g *Interpoſitam.*] Iuxta textum *in cap. accedens, de præb.* vbi dicemus. 7.

h *Reſponſalem.*] Licèt reſponſalis aliquando dicatur Apocriſiarius, vt *in cap. frater noſter* 16. *quæſt.* 1. tamen propriè pro procuratore accipitur, *cap. cùm olim, cap. ex parte, de priuilegiis, l. ſed etſi, ff. de procurat.* & meritò, nam procurator idcò conſtituitur à reo, vt reſpondeat ad ea quæ contra aliquem proponuntur; vnde rectè reſponſales appellantur. Hincmarus *epiſt.* 17. Carnotenſis *epiſt.* 274. ibi: *Reſponſales tamen meos, & litteras meas monachorum obiectionibus obuiantes, eidem Legato veſtro tranſmiſi.* Petrus Cellenſis ibi: *Et ſufficientem reſponſalem in Dei iudicio contra omnes aduerſarij allegationes, tam veras, quàm falſas conſtituere.* Docet Voſſius *de vitiis ſermonum lib.* 3. *cap.* 42. *verbo Reſponſalis.* 8.

i *Sequeſtrari.*] Ob contumaciam, *cap. ex litteris, de dolo.* Mitiùs cum eo agi notat hîc P. Gregorius, cùm poſſet miſſio fieri in poſſeſſionem ex primo, vel ex ſecundo decreto: ſed licèt hoc remedium in aliis caſibus admittatur, tamen in præſenti non poterat procedi ad prædictam miſſionem in poſſeſſionem, quia de beneficio agebatur, & in cauſis beneficialibus non poteſt dari prædicta miſſio, *cap. cum qui, de eo qui mittitur in poſſeſſion, lib.* 6. quare in noſtro caſu non poterat dari poſſeſſio ex ſecundo decreto. Sequeſtrantur verò fructus, quia cùm poſſeſſor eſſet excommunicatus, eos lucrari non poterat, *cap. paſtoralis*, §. 1. *de appellat.* docet Abbas *hîc, numer.* 5. 9.

j *Litteras.*] Immò ſtatim ac comparuit, præſtitâ cautione ſiſtendi in iudicio, abſolutus eſt, *cap. ex parte, el primero de v. ſ. cap. qua fronte, de appellation. cap. venerabili*, §. *ſecus, de ſentent. excommun. lib.* 6. ergo neceſſariæ non erant litteræ 10.

absolutionis, cùm absolutus esset ipso iure. Sed huic difficultati,omissâ quæstione, vtrum excommunicatus donec satisfecerit, secutâ satisfactione egeat absolutione, quam infrà disputabimus, dicendum est, quod etsi ea quæ ad tempus prohibentur, eo elapso sine noua concessione permissa censeantur, *l. si vnus* 27. §. *si cum reo*, *ff. de pactis*, *l. Imperator*, *ff. de postul.* id tamen procedit quando tacita concessio sufficit ; aliud verò obseruatur, quando expressa iuxta formam iuris necessaria est, vt contingit in maiori excommunicatione, *c.cùm desideres* 15.*cap.à nobis* 28. *de sentent.excomm.* Vgolinus *de censuris tabula* 1.*cap.* 19. Sayrus *lib.*2. *capit.*8. tunc etiam excommunicatus si comparuerit, adhuc absolutione indiget, *cap.quamquam*, *in fine*, *de censibus*, *lib.*6. Clementina 1. *de decimis*, Clementina 2. *de hæreticis*. Ratio est, quia licèt contumacia à principio necessaria sit, vt sententia excommunicationis possit proferri, *cap. sacro*, *de sentent. excom.* vbi tamen lata est,inducitur vinculum,quod perpetuò durat, donec soluatur ; quemadmodum etiam culpa est causa pœnæ, & sublatâ culpâ, potest manere pœna, vt considerat Marius Alterius *lib.*4. *de excom. disput.*4.*q.*1.

11. k *Diem & locum.*] Quæ pertinent ad personam, & sunt diligenter attendenda, *cap. Abbate*, *versic. præfatus*, *de sentent*, *& re iudicata*,*lib.*6.

12. l *Radens.*] Vbi videlicet annotatio temporis recensetur, *cap.cùm venerabilis*, *de religiosis*, *in annotatione indictionis*, *cap.inter*, §.*sed contrà*, *de fide instrum.* inter alios enim modos perpetrandi falsitatem in litteris Apostolicis ille enumeratur, quando amouendo aliquid per rasuram, aliquid scribitur, *cap.licet*, §.*quinta*, *de crimine falsi*, docet Petrus Gregorius *hîc*.

13. m *Excusante.*] Tunc si adiecta fuisset clausula, *quod si non omnes*, duo tantùm procedere possent : sed quia non fuit adiecta, ideò cognoscere de causa non poterant, *cap.penult.de officio deleg.*

14. n *Est confessus.* Sed si confessus fuit falsitatem, & suum delictum, ad quid postea causa committitur sub clausula, *si ita est*, cùm confessus habeatur pro iudicato, *cap.*2. *de confessis* ; & quod magis est, ad quid postea pars R. testibus probauit ipsam falsitatem, vt priuaretur beneficio, si ipse P.confessus fuerat suum delictum, & falsitatem, ac per consequens propter confessionem eius in iudicio factam, priuandus erat à quolibet iudice, *l.*1. *Cod.de confessis*, *cap.nos* 2. *quæst.*1. Huic difficultati variis modis satisfacere intendunt Abbas, Barbatia, & Felinus ; sed magnopere à vero nostri textus intellectu recesserunt ; quare eorum interpretationibus omissis, dicendum est, confessionem non valuisse ad priuationem beneficij inducendam, quia non fuit iudicialis, cùm facta fuisset coram duobus tantùm iudicibus, cùm causa fuisset commissa tribus indistinctè sine clausula, *quod si non omnes* ; sicut enim sententia per duos iudices lata non valebat, *cap. causam* 16. *de officio deleg.* ita confessio iudicialis absque vno iudice facta non valuit. Glossa 2. & ibi Baldus *in dict. cap. causam* 16. Hippolytus *singulari* 309.certum enim est confessionem coram iudice incompetenti factam vires non obtinere, *cap.at si clerici*, *de iudiciis*, vbi latè Vega, Balboa & Fermosinus, Anguianus *lib.*2. *controu. cap.*26. ergo cùm in nostro textu confessio facta coram duobus iudicibus, non fuisset iudicialis, nec competens, ideò sufficiens non erat, vt confessus priuaretur beneficio, nisi alio modo constaret de falsitate : docent Anguianus *vbi suprà*, *num.*23. Moneta *de commut. cap.*10. *num.*450.

15. o *Scrupulo.*] Id est suspicione ; cùm enim in bullis aliquid per rasuram immutatum est, suspicio falsitatis datur, *cap. licet*, *cap. venerabilis*, *de crim. falsi.*

16. p *Plena fides.*] Hinc manifestè deducitur, petentem beneficium vt proprium, debere probare illud ad se spectare, nec sufficere probare, ad ius diuersæ partis non pertinere, vt pluribus limitationibus, & ampliationibus illustrat Barbosa *in præsenti*, *num.*3.*&* 4.

Textum hunc exposui *in cap.inter cætera* 4. *de rescriptis*.

CAPVT XXVI.

Idem *Episcopo* [a] *Imolensi.*

Dilectus filius Abbas [b] sancti Stephani Bononiensis,per suas nobis litteras intimauit, quod cùm ipse (cui visitationis officium in ciuitate, ac Diœcesi Bononiensi commisimus) B. & A. presbyteros ab Ecclesiis suis (propter eorum graues, & manifestos excessus) duxerit [c] amouendos ; iidem super restitutione sua nostras ad te in communi forma litteras impetrarunt, de [d] amotionis suæ causa, & excommunicationis, quâ tenentur adstricti, nullam facientes penitus mentionem. Nos igitur fraternitati tuæ mandamus, quatenus (si ita est) litteras ipsas, tanquam per veri suppressionem obtentas, viribus carere decernas.

NOTÆ.

1. a *Imolensi.*] Imola antiquitùs dicta forus Cornelij, ciuitas sita est inter Æmiliam,& Boloniam, & Fauentiam, quæ distat à Rauenna sua Metropoli viginti tantùm milliaribus : habet Ecclesiam Cathedralem S.Cassiano dicatam, Episcopali Sede decoratam iam à temporibus S.Ambrosij, vt constat ex eius epistola ad Constantinum Imperatorem missa : plura de origine huius Ecclesiæ, & eius Præsulibus tradit Vghellius *tom.*2.*Italiæ sacræ*, *fol.*673. Hieronymo, qui tempore Innocentij III. eam Ecclesiam regebat, missa est præsens decisio, quæ reperitur in quarta collectione, *sub hoc tit.c.*3.

2. b *S. Stephani.*] Monasterium S.Stephani, & Bartholomei,est ordinis D.Benedicti diœcesis Bononiensis, vbi magnæ reliquiæ à Diuo Petronio fuerunt conditæ.

3. c *Amouendo.*] Visitatores enim tempore visitationis possunt amouere beneficiarios ob suos excessus,*c.cùm ita* 22.*de re iudicata*, *c.ex litteris* 5.*de excessibus Prælat.* P.Gregorius & Barbosa *in præsenti*.

d *Amotionis*

4. d *Amotionis ſuæ cauſa, & excommunicationis.*] Copulatiuè præſcribit Innocentius excommunicationem, & cauſam ipſius; hoc eſt delictum, in cuius pœnam excommunicatio inflicta fuit, vt etiam deſideratur *in cap. ſuper eo, de cohabitatione, cap.7. de fide inſtrum.* explicari enim debet facti ſeries, & cauſa eiuſdem facti, vt abſolutio impetretur, cùm notabiliter Pontifex inde moueri poſſit ad concedendam, vel negandam ipſam abſolutionem, vt docet pro expoſitione huius textus Anguianus *lib.1. de legibus, cap.6. num.36.* qui ita interpretatur textum *in cap.pia, de except.lib.6.*

5. e *Super reſtitutione ſua.*] Secus ſi vt appellaret, vel in cauſam appellationis: tunc enim non eſt neceſſaria mentio excommunicationis, *cap.dilectæ 10. de exceptionibus.*

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu repetentes ad ipſum, & relati à Barboſa in præſenti, *num.3.* deducunt excommunicatum reſcripta impetrare non poſſe, iuxta quorum mentem, ſequentem deducimus diſputandam aſſertionem: *Excommunicati reſcripta, tam gratiæ, quàm iuſtitiæ impetrare non poſſunt, & ab eis impetrata ipſo iure nulla ſunt.* Probant textus *in cap. ab excommunicato, hoc tit.cap.bonæ, de ætat.& qualit. cap.final. de procurat. cap.olim 7. cap. dilectus 8. cap. dilectæ 11. cap. ſignificauerunt, de exceptionib. cap. poſt 7.* vbi Gloſſa *verbo Excommunicatus, de probat. cap. poſtulaſti, de clerico excomm. cap. finali, de except. cap. per tuas, de ſententia excom. cap.1. hoc tit. lib.6.* Conſonat lex 38. *tit.18. part.3.* illuſtrant Felinus *in præſenti*, Valdes *ad R.* Suarez *allegat.13. num.12.* Couarr. *in cap.alma, 1.part.§.7.num.3.* Balboa *in cap. 2. de except. num.3.* Baſilius *de matrim. lib.8. cap.17. §.2.* Gibalinus *de cenſuris diſquiſit.7. §.7.fol.252.* Suarez *eod.tract. diſput.16. ſect.4.* Gomez *in repetitione ad textum in cap.1.hoc tit.lib.6.* vbi etiam plures congeſſit Barboſa, Salgado *de protectione Regia 1.part.cap.12. num.151. & part.2.cap.8.* Antonius Ricciulus *de iure perſonarum, cap.38.39. & 40.* Primarius noſter D. Antonius de Garaña *in cap. venerabilis, de except.* Ioannes Calderinus *in cap.ab excommunicato 41. hoc tit.* Sanchez *lib.5. conſiliorum, cap. vnico, dubio 35.* Moez *in dict. cap.1. hoc tit.in 6.* Alteſſerra *hîc.*

7. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed hæc communis aſſertio difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam impetratio reſcripti eſt actus extraiudicialis, *cap.ex parte Decani 33.hoc tit.* docent Crotus, & Gomez *in dict.cap.1. hoc tit. lib.6.* Sed excommunicatus poteſt peragere actus extraiudiciales, *cap. veritatis, de dolo, cap. ſolet, in fine, de ſentent. excomm. lib.6. cap. inter, de donat. cap. ſignificaſti 6. de eo, qui duxit in matrim.* tenent Gomezius *in dict. cap.1.* Ricciulius *dict. cap.38. num.52.* Ergo & reſcripta valent impetrare: augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam faciliùs quis admittitur ad impetrandum reſcriptum, quàm ad agendum in iudicio, vt vulgò traditur *in cap. cauſam 18. hoc tit.* notat Felinus *in cap.edoceri, num.5. hoc tit.* Sed acta ab excommunicato in iudicio, ſi non opponatur exceptio excommunicationis, ipſo iure ſubſiſtunt; textus diſertus *in cap.1.de except. lib.6.* Ergo ſimiliter nullâ oppoſitâ exceptione contra reſcriptum impetratum ab excommunicato, debent ipſo iure valere.

8. QVI RESCRIPTA IMPETRARE POSSINT. Quâ dubitandi ratione non obſtante, verum eſt excommunicatum maiori excommunicatione ligatum reſcripta impetrare non poſſe, nec à Principe eccleſiaſtico, nec à ſæculari, vt docet Ricciulus *d.c.40. per totum*, licèt quoad Principem ſæcularem contrarium defendat Suarez *de cenſuris diſp.16. ſect.3.* nec ſolùm Principum ſuperiorum excommunicatus reſcripta impetrare non valet, verùm nec inferiorum Prælatorum, qui ea concedere poſſunt, vt reſoluit Ricciulus *dict.cap.39. per totum:* nec intereſt, an per ſe impetrauerit reſcriptum, an procuratorio nomine; vel etiamſi excommunicatus non pro ſe, ſed pro alio reſcriptum impetrauerit; vtroque enim caſu reſcriptum nullum eſt, vt tenent Barboſa *in d.c.1. de reſcriptis*, Ricciulus *d.c.38.n.7.* immò ſi excommunicatus pro ſe, & alio excommunicatione non ligato impetrauerit reſcriptum in ea cauſa indiuidua, nec quoad ipſum, nec quoad ſocium reſcriptum vires habet; ſi autem cauſa diuidua eſt, & ſocius ignorat ſocium eſſe excommunicatum, quoad eius partem reſcriptum vires obtinet, quia in diuiduis incapacitas vnius ſocij non officit alteri, *l.1. §. ſiquidem, ff. quod falſo tutore, l.ſi ſponſius, §. ſi maritus, ff. de donat. inter, l.ſi mihi & Titio, de legat.2. l.ſi communem, ff.quem adm. ſeruitutes, cap. per tuas de arbitr.* Docent Gomezius *in dict.cap.1. num.45.& 46.* Ricciulus *dict. cap.38. num.15.* Adeò autem verum eſt, reſcriptum ab excommunicato impetratum nullum eſſe ipſo iure, vt etſi aduerſarius conſentiat impetrationi, nihilominus reſcriptum nullum erit ipſo iure. Geminianus *in dict. cap.1. hoc tit.in 6.* Felinus *in cap.finali, de exceptionib. num.2.* immò etſi in ipſo reſcripto concedatur beneficium cum clauſula, *motu proprio*, nihilominus vires non habet, cùm non præſumatur reſcribentem excommunicatum abſoluiſſe. Ricciulus ſuprà, *num.13.* Amplius reſcriptum ab excommunicato impetratum, adeò nullum eſt, vt non inducat litis pendentiam, Gomezius *in dict.cap.1. num.31.* nec ſi ſententia proferatur contra excommunicatum, valida erit: defendit Ricciulus *num.18.* nec ſi ſuperueniat abſolutio, conualeſcit reſcriptum: Rebuffus *in cap. poſtulaſti, n.50. de clerico excomm.* nec intereſt reſcriptum impetratum ſit gratiæ, an iuſtitiæ, Balboa *in dict.cap.2.n.30.* Couarr. *dicto §.7.* ideoque vtiliſſima iudicatur ab interpretibus clauſula illa, quæ in reſcriptis gratiæ ſolet apponi: *Teque à quibuſcumque excommunicationibus*; per eam enim clauſulam omne impedimentum ab excommunicatione proueniens tollitur, excepto eo quod per durationem in excommunicatione per annum inducitur, vt docent Rebuffus *in concordata, verbo Innodatus.* Staſileus *de litteris gratiæ, num.14.* Quare cùm hodie de ſtilo Curiæ in omnibus reſcriptis præmittatur abſolutio à cenſuris, ſi excommunicatus à R. Pontifice petat reſcriptum, & illi concedatur, vires obtinet, vt docet cum aliis Ricciulus *vbi ſuprà num.22.*

9. TRADITVR RATIO ASSERTIONIS. Superioris aſſertionis ratio in eo conſiſtit; nam impetratio reſcripti præambula eſt ad iudicium, & ideò cui prohibetur ſtare in iudicio, prohibetur etiam impetratio reſcripti, *l.3. Cod.ſi ſæpius ex reſcripto:* vnde ſerui reſcripta impetrare non poterant, *l.1. Cod.de precibus*, nec hæretici, *cap.2. §.ad hæc, de hæreticis, lib.6.* ſed excommunicatus nequit in iudicio ſtare, nec vt iudex, *cap. ſciſcitatus, hoc tit.cap.ad probandum, de re iudicata, cap.1. de ſupplend. lib.6. cap.1. de officio vicarij, eod. lib.* nec vt actor, *cap.2. cap. exceptionem, de exceptionibus, cap. 1. eod. tit. lib. 6. cap. intelleximus, de iudiciis*, Suarez *de cenſuris diſput. 16. ſect. 3.* ergo nec reſcripta impetrare, cùm ille, qui inhabilis

inhabilis est ad consecutiuum, repellatur ab antecedente, *cap.final.de clerico excommunicato*, *l.oratio*, *ff.de sponsal.* inde etiam cùm excommunicatus possit esse in iudicio tanquam reus, *dict. cap. intelleximus*; meritò in omnibus eius defensionem respicientibus potest impetrare rescriptum, *cap. final.de exceptionib.* vt ad absolutionem consequendam, Salgado *de protectione* 1. *part. cap.*12. *n.*151. & *part.*2. *cap.*8. Et cùm excommunicato permittatur appellare, *cap.cùm inter* 5. *cap. finali*, *de except. cap. reuera* 3. *quæst.*9. Sayrus *de censuris lib.*2. *cap.*8. *num.*13. potest super appellatione rescriptum impetrare, *cap.final. de except. cap.*1.*de rescriptis*,*lib.*6. Salgado vbi suprà. Hoc tamen procedit, nisi adeo sit graue delictum commissum, vt non permittatur nec etiam libellos Principi dare, & rescripta impetrare, vt constitutum est *in c.statuimus* 32.11. *quæst.*1. in Concilio Colonienſi sub Carolo III. *can.*2. & aduersùs Episcopum degradatum, qui aliquid officij sui attentauit; ille enim in exilium mittitur sine spe veniæ, annullato rescripto, *l.quicumque* 14.*Cod.de Episcop.& clericis*, *l.*35. *Cod. Theodos. eod.tit.* refertur à Photio *in Nomocanone*, *tit.*9. *cap.*10. quod apud Romanos obseruatum legimus; deportatis enim libellum Principi porrigere, aut rescriptum impetrare interdicebatur, *l.*7. §.*relegati* 18. *ff.de interdictis*, *l.vnica*, *Cod. de Nili aggeribus*: licèt relegatis permitteretur, *l.Diuus* 33. *de re iudicata*, *l.deprecatio* 9. *ad leg.Rhodiam de iactu*: docent, & notarunt Petrus Faber *lib.*2. *semestr. cap.*13. D. Nicolaus Antonius *lib.*3. *de exilio*, *cap.*1.*num.*5.*&* 6.& sæpius laudatus, qui ignorauit nil, Præceptor D. Iosephus de Retes *in notis ad dict.leg.*7. §.*relegatus* 18.

10. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat difficultas suprà adducta, cuius maiorem negamus; nam potiùs verum est, impetrationem rescripti spectare ad actus iudiciales potiùs quàm ad extraiudiciales, *cap. quoniam*, *de probat.* quamuis enim impetratio rescripti, siue iustitiæ, siue gratiæ, extra iudicium fiat, *dict. cap. ex parte*, *hoc tit.* tamen per illud datur iurisdictio in habitu, postea reducenda ad actum, & ideò iudicialis actus impetratio rescripti iudicatur: docet Gomezius *in dict. cap.*1. *num.*3. Nec augmentum difficultatis refragatur; nam omissis traditis ab Vranio, & Balboa *in dict. cap.*2. *de except. num.*29. dicendum est, acta in iudicio per excommunicatum valida esse, non oppositâ exceptione; rescripta tamen ipso iure nulla esse. Ratio discriminis est, quia tota vis rescripti pendet à voluntate concedentis, qui nunquam intendit gratiam concedere illi, cui communio ecclesiastica interdicta est, *dicto cap.*1.*de rescript. in* 6.

11. EXPONITVR CAP. PRVDENTIAM, § SEXTA, DE OFFIC. DELEG.

Nostri textus assertioni primò obstat textus *in cap. prudentiam*, §. *sexta*, *de officio delegati*, vbi proponitur Petrum contra Ioannem rescriptum impetrasse; & cùm coram iudicibus in eo designatis Ioannem conuenisset, ipse opposuit Petrum esse excommunicatum, & sic à iudicio repellendum. Quæstionis fuit coram Cælestino III. vtrum si Ioannes probauerit esse excommunicatum impetratorem rescripti, debeat repelli à iudicio? Huic hæsitationi Cælestinus III. respondet, quod si Ioannes statim non probauerit Petrum esse excommunicatum, nullo modo repellatur à iudicio; si autem probauerit censurâ ecclesiasticâ esse ligatum, tunc mittatur iudici ordinario, vt ab eo absoluatur, vel ab ipsis iudicibus delegatis, quibus cùm concedatur principale, conceditur accessorium. Ex quo Cælestini decreto colligitur, rescriptum impetratum ab excommunicato vires habere; siquidem potest eius virtute conuenire reum, & à iudicibus in eo designatis absolui. Huic difficultati variis modis satisfacere intendunt Interpretes ibi: Glossa *in eo textu*, *verbo Vinculo*, affirmat rescriptum ibi vires habere absoluto Petro ab excommunicatione, quia per absolutionem conualescit rescriptum, & effectum obtinet. Sed hæc solutio reiicitur ex suprà dictis; nam rescriptum impetratum ab excommunicato, adeò est nullum, vt per absolutionem non conualescat, *cap.*1. *de rescriptis in* 6. quare hac solutione omissa, Hostiensis in eo textu, & alij antiquiores, & Barbosa *num.*14. existimant, excommunicatum in eo textu rescriptum impetrasse in causa appellationis, aut excommunicationis, & sic rescriptum valere, *ex dict. cap. finali*, *de exceptionibus.* Sed etiam hæc refellitur; nam si in causam appellationis fuisset impetratum rescriptum, excommunicatus non indigeret absolutione; siquidem potest esse in iudicio, *cap. intelleximus*, *de iudiciis*, *dicto cap. finali*, *de exceptionib.* Sed in eo textu asseritur necessariam esse absolutionem: ergo quia litteræ impetratæ non fuerunt in causam appellationis. Quare dicendum est, textum illum esse intelligendum de eo, qui nullâ censurâ ligatus impetrauit rescriptum à Sede Apostolica, & posteà antequam litteras præsentasset, incidit in excommunicationem; tunc enim & rescriptum validum est, & debet absolui antequam iudicium inchoetur. Ita Glossa *in eo textu*; latiùs prosequitur Basilius *dict. cap.*8. §.2.

12. INTELLIGITVR CAP. CVM CONTINGAT 36. DE OFFIC. DELEG.

Secundò opponitur textus *in cap. cùm contingat*, 36. *de officio deleg.* vbi proponitur quendam excommunicatum litteras impetrasse ad certos iudices, coram quibus proposuit se excommunicatum fuisse à suo Episcopo post appellationem. Quæstionis fuit, an esset absoluendus statim, vel potiùs iudices deberent pronuntiare excommunicationem nullam fuisse. Cui quæstioni Innocentius III. respondet sub variis distinctionibus, quas in præsenti referre nec licet, nec libet: ex traditis autem colligitur, excommunicatum validè impetrasse rescriptum, pendente ipsa excommunicatione. Pro cuius textus explicatione, omissis traditis à Lotherio *de re beneficiaria lib.* 1. *quæst.* 22. *num.*90. Sebastiano Cæsare *de Hierarchia* 1. *part. disput.*5. *num.*23. dicendum est, in eo textu rescriptum impetratum fuisse ab excommunicato in causa ipsius excommunicationis; quo casu, vt suprà probaui, valida sunt rescripta ab excommunicatis impetrata. Ita communiter repetentes ad illum textum.

13. EXPONITVR CAP. FINAL. DE PROCVRAT.

Tertiò aduersatur textus *in cap. finali*, *de procuratoribus*, vbi proponitur vniuersitatem (vbi Maiores, & Iurati erant excommunicationis vinculo ligati, constituisse procuratorem ad impetrandum rescriptum à R. Pontifice. Quæstionis fuit, an procurator ita ab vniuersitate constitutus, validè possit impetrare rescriptum? Cui quæstioni respondet R. Pontifex, procuratorem à prædicta communitate nominatum validè posse impetrare rescripta, si ipsi excommunicati nominatim expressi non sunt in constitutione procuratoris. Ex quo textu sequens deducitur difficultas: Gesta ab vniuersitate capiunt robur à maioribus, & regentibus ipsam; vnde ipsi sunt, qui in causis forensibus præstant iuramentum de calumnia, *l.*2. §. *hoc etiam*, *ff. de iuramento calumniæ*, *l. municipibus*, *ff. de condition. & demonstrat.*

monſtrat. Sed procurator ab ipſis conſtitutus poteſt in eorum cauſa reſcripta impetrare : ergo excommunicati validè reſcripta impetrare poſſunt. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt cum Butrio in eo textu, *num.5.* qui ait, quod quidam ſunt actus qui reſpiciunt adminiſtrationem commiſſam regentibus ipſam communitatem, vt regimen ipſius ciuitatis, & ſimilia, quæ ab eis vires capiunt, & in ialidi erunt ipſis inhabilibus exiſtentibus ; alij verò ſunt actus qui reſpiciunt adminiſtrationem, quæ tantùm competit communitati, vt litem proſequi, vel alienare bona communitatis, quæ non ſingulorum, ſed vniuerſitatis ſunt, *cap. qui manumittuntur* 12. *quæſt.*2. & ſimiles actus recipiunt vires ab vniuerſitate, non à ſingularibus etiam principaliter regentibus ; quæ enim tunc geruntur ab vniuerſitate robur capiunt, cùm aliqui ex ea habiles ſint, *cap. illa, de elect.* Barboſa *in eo textu :* vnde cùm *in dict. cap. finali*, licèt maiores, & iurati tanquam excommunicati reſcriptum impetrare non poſſint ; tamen cùm alij habiles eſſent, rectè tam conſtitutio procuratoris, quàm impetratio reſcripti ab illis vires capiunt.

Expendi etiam poſſunt textus *in cap. dilecti* 8. *de exceptionibus, cap. exhibita, de iudiciis*, iuncto Barboſa *in dict. cap.*2. *de except. cap. ſignificauit* 6. *de offic. ordin.* cum ibi dicendis.

CAPVT XXVII.

Idem *Epiſcopo* [a] *Vratiſlauienſi.*

POſtulaſti per Sedem Apoſtolicam edoceri, vtrum alicuius Eccleſiæ [b] perpetuo Vicario, de prouentibus vicariæ [c] boniſque paternis habenti vnde valeat commodè ſuſtentari, tenearis per illam communem formam (cum ſecundùm [d] Apoſtolum) in eccleſiaſtico beneficio prouidere. Ad quod ſic duximus reſpondendum : Quod cùm per formam prædictam neceſſitatibus pauperum clericorum, qui nullum ſunt eccleſiaſticum beneficium aſſequuti, ſicut ibidem exprimi conſueuit, Sedes Apoſtolica duxerit ſuccurrendum, perpetuus Vicarius, niſi de vicaria fecerit mentionem, commodum reportare non debet de huiuſmodi litteris, vtpote veritate tacitâ impetratis : non enim carere beneficio eccleſiaſtico dici debet, cui competenter de perpetuæ vicariæ prouentibus eſt prouiſum. Et pro habente beneficij ſufficientis ſubſidium ex certa ſcientia ſuper obtinendo alio beneficio de leui non ſcribimus, quin faciamus de primo in noſtris litteris mentionem. Tu denique frater Epiſcope ſuper te ipſo, &c. Datum Lateran. V I. Idus Ianuarij. Pont. N. anno [e] XVI.

NOTÆ.

1. a *Vratiſlauienſi.*] In quarta collectione legitur Bratiſmenſi ; in ſexta verò Veratiſamenſi ; ſed ſemper malè : reſtituenda enim eſt inſcriptio huius textus ex ipſis epiſtolis Innoc. III. editis à Boſqueto, vbi *lib. 4. regeſt. 16. epiſt.165.* reperitur textus hic. Vratiſlauienſis Diœceſis eſt in Polonia, in Prouincia Sileſiæ, ſuffraganea Archiepiſcopi Genecenſis, vt notauit Boſquetus *in notis ad ipſam epiſtolam.* Inſtitutus fuit Epiſcopatus hic à Regibus Poloniæ, teſte Staniſlao Lubiensko *in hiſtoria Polonia, fol.* 163. Eius Epiſcopus Leonardus Sedem tranſtulit in Bicinam anno 1041. ſed poſtea anno 1062. Hieronymus reſtituit eam in Vratiſlauiam. Huius Eccleſiæ Epiſcopo Cypriano in præſenti reſcribit Innoc. III. nam ipſe in ea floruit vſque ad annum 1217. vt refert Aubertus Mireus *de rebus Bohemiæ, cap.9.*

2. b *Perpetuo Vicario.*] Non temporali ; nam commenda, ſeu temporalis Vicaria beneficium non eſt ; ſecùs autem Vicaria perpetua, cui conuenit eccleſiaſtici beneficij diffinitio, videlicet ius perpetuum percipiendi redditus propter officium ſpirituale, *Clementina* 1. *de officio Vicarij*, docent Rebuffus *in praxi, tit. de Vicariis perpetuis*, Ojeda *de incompatibilit.* 1. *p. cap.* 15. Cæſar *de Eccleſiaſt. diſput.*14. §. 8. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi p.* 3. *allegat.*57. *num.*146. Contingit hæc vicaria perpetua, aut quia Eccleſia aliqua vnita eſt alteri ; cùm enim vnus Rector non poſſit vtrique deſeruire, conſtituitur perpetuus Vicarius in Eccleſia vnita, *cap. extirpandæ*, §. *qui verò*, *de præb. cap.* 1. *de Capellis monach.* vel ſi Eccleſia vnita ſit monaſterio ; tunc enim conſtituitur Vicarius perpetuus, qui adminiſtret Sacramenta, *d. cap.*1. *de Capellis.*

c *Boniſque paternis.*] Coniunctiuè apponit Pontifex, non diſiunctiuè ; nam qui habet patrimonium etiam vberrimum, poteſt petere beneficium ab Epiſcopo, cùm nemo teneatur propriis ſtipendiis militare : quare etſi conſequatur litteras expectatiuas ad beneficium, non factâ mentione patrimonij, non ideò litteræ vitiantur. Olim autem qui patrimonium habebat, ſtipendiis Eccleſiæ non alebatur, *cap. Clericos* 1. *q.*3. 3.

d *Apoſtolum.*] Id eſt ſecundùm formam præſcriptam *in cap. cùm ſecundum, de præb.* Quæ etiam dicitur in forma communi, *cap.* 13. *de ætate & qualit.* & in forma pauperum, quia ſimilia reſcripta tantùm pauperibus dabantur, *cap. ſi pauper, de præb. in* 6. notarunt Alteſſerra, & Florens *in præſenti.* 4.

e *XVI.*] Qui eſt Chriſti 1213. 5.

Textum hunc expoſui *in cap. adeo, hoc tit.*

CAPVT XXVIII.

Idem *in Concilio* [a] *generali.*

NOnnulli gratia Sedis Apoſtolicæ abutentes, litteras eius ad remotos iudices impetrare nituntur, vt reus fatigatus laboribus & expenſis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cùm autem per iudicium iniuriis aditus patere non debeat (quas iuris obſeruantia interdicit) ſtatuimus, ne quis vltra duas dietas extra ſuam diœceſim per litteras Apoſtolicas ad iudicium trahi poſſit. Niſi de aſſenſu partium fuerint impetratæ, vel expreſſam de hac conſtitutione fecerint mentionem. §. Sunt & alij, qui ſe ad nouum genus [a] mercimonij conuertentes, vt vel ſopitas poſſint ſuſcitare querelas, vel nouas immittere quæſtiones, fingunt cauſas ſuper quibus à Sede Apoſtolica litteras impetrant abſque dominorum mandato; quas vel reo (ne propter eas laborum vel expenſarum diſpendio moleſtetur) aut actori (vt per ipſas aduerſarium indebitâ moleſtatione fatiget) venales exponunt. Cùm autem [b] lites reſtringendæ ſint potiùs, quàm laxandæ: hac generali conſtitutione ſancimus, vt ſi aliquis ſuper aliqua quæſtione de cætero ſine ſpeciali mandato domini litteras Apoſtolicas impetrare præſumpſerit, & litteræ illæ non valeant, & ipſe tanquam [c] falſarius puniatur. Niſi fortè de illis perſonis extiterit, à quibus non debet exigi de iure mandatum.

NOTÆ.

1. a *Generali.*] Lateranenſi videlicet, celebrato ſub Innoc. III. vbi *can.* 37. reperitur textus hic. De hoc Concilio iam nonnulla adduxi *in cap.* 1. *de Summ. Trinit.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc Concilij Lateranenſis canone ſequens communiter deducitur aſſertio: *Non valet reſcriptum, per quod quis trahitur vltra duas dietas extra ſuam diœceſim.* Probant eam textus *in cap. dilectus* 29. *hoc tit. cap. ſtatutum* 11. §. *cùm verò, eod. tit. lib.* 6. *cap. ex parte, de foro compet. cap. olim* 7. *de exceptionibus, cap. vt officium, verſic. Denique, de hæreticis, lib.* 6. *cap. vlt. de officio delegati, eod. libro,* Innocentius VIII. in bulla relata ab Azeuedo *in l.* 10. *tit.* 7. *lib.* 1. *recopil.* Rota *in antiquis, tit. de reſcriptis, deciſ.* 34. docent plures relati à Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Renatus Chopinus *lib.* 2. *de ſacra politia, tit.* 4. *num.* 5. Petrus Gregorius *in præſenti*, Salgado *de protectione Regia* 1. *parte cap.* 24. *à num.* 41. & 2. *part. cap.* 1. Balboa *dict. cap. olim, num.* 7. *de exceptionibus*, Scobar. *de lege Pontificia, cap.* 40. *à num.* 1. Phœbo *tom.* 2. *deciſ.* 138. Parladorius *lib.* 3. *quotid. quæſt.* 14. Vranius & Fagnanus *in præſenti*, Marcheſſanus *de commiſſionibus part.* 2. *num.* 33. Moez *in dict. cap. ſtatutum*, §. *cùm verò, num.* 45. Alteſſerra *in præſenti.*

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed in hunc Lateranenſis Concilij canonem inſurgit præſens difficultas. Delegatus iudex in reſcripto deſignatus, non ſuo nomine, ſed authoritate Principis delegantis iuriſdictionem exercet, *l.* 1. §. *qui mandata, ff. de officio eius*: ſed Pontificis delegantis iuriſdictio nullâ diœceſi, aut territorio limitatur, ſed per vniuerſum Chriſtianum orbem patet, *cap. ſolitæ, de maiorit. & obed. cap. vnico*, vbi Gloſſa finalis, *de ſacra vnctione*: ergo & delegatus iudex in reſcripto Pontificio datus, vbicumque, etiam in partibus remotis, nullâ inſpectâ dietarum taxatione, iuriſdictionem ſibi reſcripto datam exercere poteſt, iuxta textum *in cap. finali, de rerum permut.* vbi notauit Ioannes Andreas; & per conſequens reſcriptum contra debitorem impetratum, etſi per illud trahatur vltra duas dietas, valet. Deinde aduerſus præſentem textum, vbi aſſeritur valere reſcriptum impetratum vt iudex cognoſcat vltra duas dietas, ſi expreſſam faciat mentionem huius Concilij, ſic argumentor: Ad derogationem Concilij generalis non deſideratur ſpecialis illius mentio, vt docent Gloſſa, & Abbas *in cap. ex parte, de Capellis Monach.* Barboſa *in præſenti, num.* 10. Couarr. & Molina, quos refert, & ſequitur Balboa *in cap.* 1. *de iudiciis, num.* 4. Baſilius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 19. §. 2. *num.* 19. Sed præſens conſtitutio eſt Concilij generalis Lateran. ergo non deſideratur eius expreſſa mentio.

4. DIETA. QVID. Quâ difficultate minimè obſtante, defendenda eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, dietam in vtroque iure diuerſimodè accipi: plerumque ſumitur pro cubiculo domus ad vnius vſum ſeparato, in quo alij ex ipſa domo non verſantur; quo in ſenſu accipitur *in l. vxorem,* §. 1. *ff. de legat.* 3. *l. codicillis* 34. *ff. de vſuf. & legat. l. ſi auus* 13. §. *ſed ſi, ff. de vſufructu, l. Senatus*, §. 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 1. §. *hoc autem, ff. ad Syllanian. l. ligni* 55. §. *lignis, ff. de legat.* 3. *l. quæſitum* 12. §. *idem, de fundo inſtructo, l. & per ius* 13. §. *illud, ff. de acceptil.* iunctis traditis à Pancirola *lib.* 1. *variar. cap.* 56. Marcello Donato *in notis ad Lampridium, fol.* 957. *tomo* 6. *theſauri crit.* Cotta *in memor. verbo Dieta.* Quoad præſentem verò textum dieta accipitur pro itinere vnius diei, apud nos dicitur *jornada*; vt notant D. Sebaſt. Couarr. *in theſauro, verbo Dieta,* Zerda *in aduerſ. ſacr. cap.* 156. *num.* 9. quam vocem latinam eſſe docuit Marcus Varro *de lingua Latina,* quamuis Cuiacius barbarè vſurpatam affirmet *in cap. ex parte, de foro comp.* Qualiter tamen dieta computari debeat, aut taxari, non ſatis liquet apud Interpretes, vt videre eſt apud Menochium *de arbitr. caſu* 206. Oroſium & Alexandrum *in l.* 1. *ff. ſi quis caution.* Ceuall. *communium opin. q.* 897. Bobadilla *lib.* 4. *polit. cap.* 19. *num.* 37. Azeuedum

in

in l.20. tit.7. lib.1. recop. illud autem conſtat, Romanos viginti milla paſſuum pro qualibet die, ſeu dieta conſtituiſſe, vt conſtat *ex l. 1. ff. ſi quis caution. l. ſcire 13. §. aliud, ff. de excuſat. tut. l.2. §. ſi preces, ff. quis ordo in bonorum poſſeſſ. l.3. ff. de v. ſ.* vbi notarunt Gentilis & Fornerius; cuius moris dinumerandi itinera per milliaria, vulgò *millas*, extat exemplum *in l. omnia, §. initio 4. de officio Præf. Vrb. l. propter 21. §. nec tertio, l. planè 41. ff. de excuſat. tut.* notarunt Pancirola *lib. 1. var. cap. 43.* Lypſius *de magnit. Roman. lib.3. cap. 10.* Oſuald. *lib. 3. Donelli, cap.9.* Parlad. *lib.1. rerum quotid. cap. 19.* Hæc autem viginti millia paſſuum in ſingulas dietas viginti milliaria faciebant; nam milliare mille paſſibus conſtabat, & vnumquodque milliare lapide cum numero ſcripto diſtingui ſolebat, vt ita ſignificarentur viarum diſtantiæ & locorum interualla, vt referunt Suetonius *in vita Claudij, cap. 25.* Martialis *lib. 1. epig. 13. & lib. 9. epig. 95.* ex illis, & aliis obſeruant Fornerius, Gentilis, & Gothofredus *in l. mille 154. de v. ſ.* paſſus autem millies repetitus milliarium conſtituit: differt à greſſu, quia greſſus cùm ſit ſpatium illud quod gradiendo pedes efficiunt, non continet niſi pedes duos, & ſemiſſem; paſſus verò, quia ex eo dictus eſt, quod extenſis in quantum fieri poteſt pedibus panditur, quinque pedibus conſtat. Columella *lib. 5. de re ruſtica, cap.5.* & probatur *ex l. 4. tit. 13. partit.1.* pes verò debet conſtare quindecim digitis tranſverſis, vt *in eadem l.* deciditur, & docuerunt Parladorius *lib.2. quotid. cap.19. num.6.* digitus verò quatuor debet conſtare granis hordeaceis, vt docent proximè citati, & Germonius *lib.3. de ſacror. cap.16. num. 42.* Petrus Gregorius *lib.4. ſyntagm. cap. 24.* Hæc procedunt in legali dieta, quando certa milliaria in regione ſunt conſtituta. Iure tamen noſtro Regio dieta non milliaribus, ſed leucis conſtat, quam vocem gallicam eſſe, inſpecta eius origine, & mille & quingentis paſſibus conſtare, exiſtimarunt Couarr. *2.variar.cap.5. num.final.* Cuiacius *in d. cap. ex parte 15.* Alteſſerra *lib.2.rer. Aquit.cap.15.* ducti authoritate D. Iſidori *lib. 15. etym. cap. 15.* Ammiani Marcellini *lib. 19.* & probatur *in d.cap.ex parte*, vbi Ioannes Andreas, Abbas & Socinus docent, leucam duobus milliaribus conſtare, quibus conſentiunt Rebuffus, & Cæpola *in d.l.3.de v. ſ.* quamvis Hoſtienſis *in d.cap.ex parte*, affirmet tres leucas quinque milliaria conficere, atque ideò duodecim leucas vnam dietam legalem facere; ſed vt adnotauit ibidem Panormitanus, diſſenſus Interpretum ex eo prouenit, quòd leucæ non vbique ſunt æquales; nam in Hiſpania tria milliaria vnam leucam duntaxat conſtituunt, *l.3.tit.16.part.2.l.25.tit.26. eadem partita*, ibi: *Faſta vna legua que es tres millas.* Ex quibus conſtat, ſecundùm prouinciæ, aut loci conſuetudinem aliter, atque aliter dietas accipi poſſe, & tunc ſtandum eſt dietæ vulgari, non legali, vt cùm leucarum mentio fit, non de leucis ciuilibus, ſed de vulgaribus lex accipienda ſit, niſi contrarium expreſſum fuerit, *cap. præſenti, §. loca, de præb. lib. 6. cap. ſtatutum 11. §. cùm autem, de reſcriptis lib.6. l. 18. tit.7. lib.1. recopil.* docent plurimi congeſti à Ceuallos, Menochio, Bobadilla; vnde communis vſus, & recepta praxis admiſit duplicem dietam conceſſam Cancellario noſtræ inclytæ Vniuerſitatis Salmantinæ, 20. leucas continere, non enim ad hoc computatio fit per milliaria legalia, quæ breuiorem terminum, & vix 14. leucas continerent, vt docent Azeuedo *in d.l.20.* Oroſius *in l. 1. ff. ſi quis cautionibus.*

5. DIETÆ SPATIVM.

Hæc autem, ſiue vulgaris, ſiue legalis dietæ computatio, fieri debet non à loco domicilij, ſed à fine diœceſis, in qua habitat reus, qui conueniendus eſt, ex noſtro textu ibi, *Extra ſuam diœceſim; cap. olim 7. de except.* ibi, *Vltra duas dietas extra ſuam diœceſim: cap. ſtatutum, §. cum verò, de reſcriptis lib. 6. cap. final. §. conſeruatores, de officio deleg.in 6. l. 18. tit.7. lib.1. recopil.* vbi Azeuedus, Eſcobar *de iuriſd. Pontificia cap.28. num. 28.* quod ex ea ratione procedit, quia cùm reus poſſit trahi per totam diœceſim à iudice ordinario, *cap. Epiſcopus 7. de officio ordinarij lib.6.l. final.ff. de iuriſd. l. pupillus 239. §. territorium, ff.de v.ſ.* nullum grauamen ei inferri videtur, ſi dietæ quoad iudicem in reſcripto datum, à fine diœceſis incipiant; nam intra diœceſim nihil patitur reus, quod antea ob iuriſdictionem ordinariam non pateretur; vnde ſuppoſito reſcripto, nullâ iniuriâ afficitur reus hac computatione, nec damnum aliquod contra iuris rationem ſentire videtur, vt docuerunt Menochius, & Azeuedus *vbi ſuprà*, Emanuel Rodriguez *quæſt.regular.tom.2.q.65.art.7.* Mornacius *in l. 13. §. ſed ſi ædium, ff. de vſu & habit.* Nec hæc doctrina labefactatur *ex l. mille paſſus 154.ff. de v. ſ.* vbi aſſeritur, computationem paſſuum fieri debere, non à confinio prouinciæ, ſed à continentibus ædificiis illius ciuitatis, vbi reus domicilium obtinet; quia Iureconſultus ibi, vt ex epigraphe conſtat, loquitur de tempore concedendo hæredi extraneo ad aperiendas teſtamenti tabulas ex lege Iulia Viceſimaria ab Auguſto lata, de qua Plinius in panegyrico, Diocaſius *lib. 55.* & Marcel. I. C. duos libros ſcripſit, vt conſtat *ex l. ſi mutus 7. ff. qui teſtamenta, l. funeris 37. ff. de religioſis, l. nulli 13. ff. de tranſact.* obſeruant Bertrandus in vita ipſius conſulti, Fornerius *in d. l. mille*, quam legem ante Iuſtinianum abrogatam eſſe conſtat *ex l. 3. C. de edicto D. Adriani.* Docent Cuiacius *ad Paulum lib. 4. ſentent. tit. 6. §. final.* Gothofredus *in d. l. funeris*: quare cùm de itinere faciendo per hæredem agatur in eo textu, alienum à ratione eſſet illi non concedere dilationem temporis, tanquam ex illo loco profecturo, in quo degebat. Cæterùm iura ſuprà citata non loquuntur de dietis computandis, vt reus compareat intra certum terminum; ſed de dietis iudici aſſignatis pro diſtrictu ſuæ iuriſdictionis: & in his rectiſſimè docuerunt Legiſlatores computationem faciendam eſſe à fine diœceſis, in qua reus habitat. Quâ etiam diſtinctione conciliandi ſunt textus iuris noſtri Hiſpani circa ſpatium itineris conſtituendum pro vnaquaque dieta, *in l.* enim *18. titul. 7. lib. 1. recopil.* in ſingulas dietas decem leucæ præſcribuntur; *in l.* autem *6. tit. 22. lib.2. recopil. l. 2. & 3. tit. 10. lib.6.l.6. tit.11.lib. 9. recopil.* octo tantùm leucæ in ſingulas dietas aſſignantur, quæ antinomia ita componenda eſt, vt videlicet cùm principaliter non de itinere peragendo, ſed potiùs de percipienda ſpatij diſtantia pro diſtrictu iuriſdictionis agitur, tunc decem leucas in ſingulos dies dinumeremus; quo caſu procedit textus *in d.l.18.* verùm ſi de itinere peragendo principaliter agatur, tunc octo leucas in ſingulos dies proficiſcenti concedimus; quo caſu accipiendi ſunt textus *in d.l.6. & in d. l. 2.* docent Parladorius *lib. 2. rerum quotid.cap.19. num.12.* Eſcobar *de ratiociniis, comput.*

put. 12. *num.* 11. vbi teſtatur aſſiduò hoc practicari in Senatu Pinciano, cùm curſoribus ſoluitur ſalarium ad rationem octo leucarum per ſingulos dies.

6. EXPONITVR L. CONTINVVS 137. §. CVM ITA, DE V. O.

Sed antequam ad rationem noſtræ concluſionis perueniamus, exponendus eſt textus *in l. continuus* 137. §. *cùm ita*, 2. *de verb. obl.* vbi quidam Romæ ſtipulatus fuit Epheſi dare: in qua ſtipulatione docet Conſultus, tempus ineſſe; ſed quantum illud futurum ſit, arbitrio iudicis remitti debere. Igitur dietarum computatio arbitrio iudicis relinquitur, non autem certa iuris ſanctione facta eſt. Pro cuius textus explicatione Accurſius ibi exiſtimat, textum illum procedere in contractibus, non verò in iudiciis. Alij verò, vt Bartolus *in tractatu de inſula, verſic. Nullus, in principio*, Alciatus *in d. l.* 3. illum intelligi debere de via maris; nam Epheſus tranſmarina ciuitas eſt, ad quam etſi terrâ perueniri poſſit, frequentiùs nauigio adiri ſolet, iuxta textum expreſſum *in l. obſeruare* 4. §. *ingreſſum, ff. de officio Proconſulis:* quando verò per mare iter fit, propter ventorum incertitudinem ſupradictæ dietarum limitationi locus eſſe nequit. Hæc tamen interpretatio licèt plauſibilis videatur, eo vitio laborat, quia non tantùm de via maris, verùm etiam de itinere per terram faciendo, expreſſa ſunt verba textus *in dicto* §. *cùm ita*, ibi: *Quod ſi diplomate vſus eſt*; quæ ſic exponenda ſunt, vt ſcilicet ſi quis vt citiùs perueniat Epheſum, diplomate, id eſt libello Principis vſus ſit, quo equis curſoriis, & euectione poſſet vti, quod olim exceptis quibuſdam perſonis interdictum fuit, *l. his tantummodò, C. de curſu publico, lib.* 12. notarunt Donellus, & Alciatus *in d.* §. *cùm ita*, Budeus *in l. eos, ff. ad leg. Corn. de falſis*, Parlador. *lib.* 2. *quotid. cap.* 19. *num.* 4. Quare pro vera intelligentia textus *in d.* §. *cùm ita*, animaduerto IC. ibi docuiſſe, ſtipulationem illam Epheſi dare, inſpectis verbis purè factam, re ipſa dilationem accipere; tempus videlicet intra quod Epheſum poſſit perueniri. Verùm cùm duplici viâ, maritimâ videlicèt, & terreſtri Epheſus adiri poſſit, vt fert commoditas, aut difficultas itineris, ideoque alij citiùs, alij tardiùs peruenire conſueuerint, præcipuè cùm ex eorum diſtantia per milliaria certa regiones non poſſint computari, iuxta textum *in cap. cupientes*, §. 1. *de elect. in* 6. arbitrio iudicis iure optimo relinquitur dilatio definienda *in d.* §. *cùm ita*. Quam interpretationem præſenſerunt Cumanus ibi, *num.* 4. Rebuffus *in l. mille, ff. de v. ſ.* Menochius *de arbitr. caſu* 203. & alia pro ipſius textus expoſitione adducit Guillelmus Maſius *lib.* 1. *ſingular. opin. cap.* 2.

7. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam apparet ratio noſtræ concluſionis, quam innuit Innocent. in noſtro textu, ibi: *Nonnulli gratiâ Sedis Apoſtolicæ abutentes, litteras eius ad remotos iudices impetrare nitebantur, vt reus fatigatus laboribus, & expenſis cederet liti, vel importunitatem actoris redimere compelleretur: & quia per iudicium iniuriis aditus patère non debet, quas iuris obſeruantia interdicit.* Et *cap. qualiter, de accuſat. Clementina vnica de renunciatione, l. meminerunt, C. vnde vi.* Vt ergo his fraudibus Patres Concilij obuiam irent, in dicto Concilio Lateranenſi ſtatuerunt, ne quis vltra duas dietas extra propriam diœceſim per reſcripta Pontificia trahi poſſit, niſi in reſcripto illius conſtitutionis mentio fieret; tunc enim valeret reſcriptum ex ſpeciali gratia, quæ derogat iuri communi: vel niſi de conſenſu partium litteræ fuerint impetratæ; quia cùm hæc dietarum reſtrictio in fauorem rei introducta ſit, ne ab actore malitiosè vexetur, huic fauori renunciare poteſt, *cap. ad Apoſtolicam, de regularib. l. ſi quis in conſcribendo, C. de pactis:* conqueri enim non poteſt, ſi conueniatur vltra duarum dietarum metas; nam ſcienti & conſentienti non fit iniuria, regula *Scienti, de reg. iur. lib.* 6. *l. nemo videtur, ff. de reg. iur.* tradunt Viuianus, Vranius, Petrus Gregorius, & Sagahun *in præſenti.*

8. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec difficultas ſuprà expenſa refragatur; nam licèt principiis illis iuris inſpectis, per reſcripta Apoſtolica poſſint iudices in eis dati ex quacumque, etiam remotiſſimâ regione in ius vocare; tamen ne reus malitiosè ab actore vexaretur, Patres Concilij in præſenti latiſſimam illam delegatorum iuriſdictionem limitarunt, ſtatuentes, ne quis vltra duas dietas per litteras Apoſtolicas trahi poſſit; & cùm poſtea hæc duplex dieta adhuc præſtaret anſam vexandi litigatores, ius hoc dietarum ad vnam tantùm dietam reſtrictum fuit *in cap.* 1. *de officio deleg. lib.* 6. *cap. ſtatutum*, §. *cùm verò, de reſcriptis, eod. lib.* Sed licèt hoc generaliter in omnibus conſeruatoribus procedat, tamen in cauſis Scholaſticorum magnæ noſtræ Vniuerſitatis Salmantinæ adhuc viget noſtra conſtitutio; nam licèt Cancellariis ipſius inclytæ Academiæ liceret vſque ad quatuor dietas in ius vocare, *ex l.* 28. §. 2. *tit.* 17. *lib.* 1. *recopil.* hodie tamen *ex l.* 20. eiuſdem tituli, hoc ius ad duas dietas reſtrictum eſt, iuxta conſtitutiones Innocentij VIII. & Iulij II. quas refert Azeuedus *d. l.* 20. notarunt Moneta *de conſeruatoribus cap.* 7. *à num.* 380. Eſcobar *de iuriſdict. Pontificia, cap.* 40. vnde cùm perſonæ, quæ potiuntur priuilegiis huius Vniuerſitatis, contra aliquem actionem habent, poſſunt illum virtute ſuorum priuilegiorum, contra regulam iuris, quæ docet actorem forum rei ſequi debere, *c. ſi clericus* 6. *cap. cùm ſit* 8. *de foro compet. c.* 2. *cap. neminem* 3. *quæſt.* 6. *l. iuris ordinum, C. de iuriſdictione*, trahere ad ſuum iudicem intra duas dietas: docet Salgado *de protect. p.* 1. *cap.* 2. §. 5. *num.* 42. Si verò Scholaſticus, non actor, ſed reus ſit, & ob cauſam ciuilem, aut ob criminalem conueniatur etiam vltra prædictas dietas, poteſt opponere fori exceptionem, & tunc remittitur ad Cancellarium huius Studij, nec coram alio, ſiue ſæculari, ſiue eccleſiaſtico iudice conueniri valet, *authentica Habita, C. ne filius pro patre:* & ita obſeruari & iudicari in Senatu Pinciano teſtantur Salgado *dicto* §. 5. Eſcobar *dicto* §. 40. nouiter noſter Amicus R. Pater Andreas Mendo *de iure academico lib.* 3. *q.* 2. Limitatur etiam deciſio textus *in d. cap.* 1. *de officio deleg.* in cauſis hæreticæ prauitatis; poſſunt enim Inquiſitores etiam extra duas dietas in ius vocare, *cap. vt officium* 12. §. *compeſcendi, de hæreticis lib.* 6. inquiſitores enim licèt iudices delegati primis temporibus fuiſſent, *cap. ne aliquis, eod. tit. & libro*; tamen hodie ordinarij ſunt, & certam prouinciam ſibi deſignatam habent, vt pluribus relatis docet Parexa *de edit. inſtrum. tit.* 2. *reſolut.* 5. *num.* 13. vnde quemadmodum iudex intra territorium, etſi plures excedat dietas, poteſt partes in ius vocare; ita Inquiſitores qui certæ prouinciæ præpoſiti ſunt. Nec ſecunda difficultas obſtat, cui omiſsâ illâ ſatis vexatâ quæſtione, vtrum videlicet requiratur expreſſa mentio, aut derogatio Concilij generalis in reſcripto contra illud impetrato, de qua vltra relatos à Balboa, & Vega

in

in dict.cap.1. de iudiciis, videndi ſunt Baſilius *lib.8. de matrim. cap.19. §.2.* Barboſa *in Trident. ſeſſ.1. cap.1.* Fragoſo *de regimine part.2. lib.1. diſput.1. §.7.* ſatisfaciendum eſt cum Baſilio *ſuprà num.10.* qui aſſerit, quod licèt iure communi inſpecto verum ſit ſufficere derogationem generalem, tamen noſtrum textum procedere ſpecialiter in noſtro caſu, nec ad alios extendi, quia ita Patres Concilij Lateranenſis ſtatuerunt.

9. Adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c.ſignificauerunt, 22.de iudiciis*, vbi cùm inter Abbatem & Monachos monaſterij B.Mariæ,quod eſt Florentiæ, & vicinos cuiuſdam oppidi lis diſceptaretur ſuper iure eligendi Rectorem, id eſt iudicem ſæcularem, R.Pontifex Epiſcopo Bononienſi, & quibuſdam Canonicis eiuſdem Eccleſiæ cauſam commiſit terminandam, vt ex inſcriptione textus conſtat: ex quo textu manifeſtè depromitur, per reſcriptum Apoſtolicum trahi quem poſſe vltra duas dietas; ſiquidem in eo textu cauſa diſceptabatur Florentiæ in prouincia Tuſciæ, & commiſſa fuit Epiſcopo, & iudicibus Bononienſibus, & ſic in alia prouincia valde remota. Quam difficultatem præſenſerunt Ioannes Andreas, & Abbas in eo textu: quorum ſolutionibus omiſſis, dicendum eſt, in eo textu commiſſam cauſam fuiſſe iudicibus extra prouinciam commorantibus, non tamen extra duas dietas: textus autem noſter non prohibet cauſam committi extra prouinciam, ſed extra duas dietas, vnde *in d.c.21. de iudiciis*, & *in cap.ſignificauit 6. de officio Ordinarij*, licèt cauſa Committatur iudicibus extra prouinciam degentibus, tamen cùm extra duas dietas cauſa non committeretur, reſcriptum vires habet. Præſenſerunt hanc ſolutionem Ancharanus ibi *num.7.* Panormit. *num.2.*

Huic commentario adiungenda ſunt, quæ dicemus *in cap.dilectus 29. hoc tit.*

§. Sunt.

NOTÆ.

1. a *Mercimonij.*] Quod valde alienum eſt à peritiâ canonicâ, cùm in iudiciis aliquid nequeat eſſe venale, *cap. cum ab omni, de vitâ & honeſt.*

2. b *Lites.*] Quod expedit reipublicæ, vt probabimus *in cap.finem,de dolo & contumacia.*

3. c *Falſarius.* Non tamen eſt falſarius; quia aliud eſt eſſe tale, aliud haberi pro tali.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR. EX hoc §.ſequens communiter deducitur aſſertio: *Non valent reſcripta iuſtitiæ impetrata per procuratorem ſine ſpeciali mandato, niſi impetrentur à coniuncta perſona.* Probant eam textus *in cap. ex parte 33. hoc titulo, cap.ſi motu 23. §.ſi verò, de præb. lib.6.* Illuſtrant Gloſſa *in cap. ad aures, verbo Litteras, de ætat. & qualit. in cap. qui ad agendum, verbo Speciali, de procuratorib. lib.6.* Mandoſius, Gonzales, Didacus Perez & Flaminius, relati à Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Petrus Gregorius, Vranius, & Sahagun in noſtro textu. Couarr. *lib.1. variar. cap.6. num.6.* Sanchez *de matrim. lib.8. diſput.26.* Baſilius *eod. tract. lib.8. cap.15. num.2.* Moneta *de commut. cap.6. num.369.* Nauarrus *in cap.ſi quando, præludio 1. num. 2. hoc tit.* Suarez *de legibus lib.6. cap.13. num.13.* Salas *eod.tract. diſput.20. ſect.14.* Tiraquellus *de retractu lignag. §. 1. Gloſſa 13. num.34.* Caldas *in l.ſi aratorem, verbo Implorando, num. 8. Cod. de in integrum reſtit.*

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed in contrarium pro ratione dubitandi ſic argumentor: In reſcriptis à Principe impetratis, inſpiciendum non eſt à quo impetrentur, ſed an à Principe concedantur, *l.vniuerſa 6. Cod. de precibus Imperatori.* Ergo ſiue impetrator ſit procurator cum mandato ſpeciali, ſiue cum generali, ſemper reſcripta vtiliter impetrantur. Accedit, nam apud omnes Interpretes liquet, & conſtat, ad diſpenſationem à Sede Apoſtolicâ impetrandam, non deſiderari, neque mandatum generale, neque ſpeciale, vt docent Vgolinus *de irregul. cap.62. num.5.* Azor *tom.1.inſtit. lib.5. cap.23. q.12.* Sanchez & Baſilius *vbi ſuprà*: ergo generaliter verum non eſt, litteras à Pontifice impetratas ſine ſpeciali mandato, vires non habere. Secundò contra ſecundam partem aſſertionis, in qua docetur coniunctas perſonas pro aliis coniunctis ſine ſpeciali mandato reſcripta impetrare poſſe, obſtat, nam ea quæ deſiderant ſpeciale mandatum à coniunctis perſonis, vt fratribus, & ſimilibus, ſi patrem excipias, peragi non poſſunt, vt probatur *ex l.patri 28. in principio, ff. de minorib. l.ſi hominem 34. §.ſi genero, ff. de ſolutionib.* docent Accurſius *verbo Non cogitur, in l.exigendi, la 2. Cod. de procuratorib.* Couarr. *lib.1. variar. cap.6. num.5.* Caldas *in l.ſi curatorem, verbo Implorandum, à n.8. Cod.de in integrum*, & alij plures relati ab Oſualdo *lib.18. Donelli, cap.12. littera M.* ſed ad impetrationem reſcripti deſideratur mandatum ſpeciale: ergo perſonæ coniunctæ pro aliis coniunctis reſcripta impetrare non poſſunt.

6. TRADITVR DECIDENDI RATIO. Quibus argumentis non obſtantibus vera eſt hæc Concilij Lateranenſis conſtitutio; cuius ratio ex eo prouenit, nam licèt aliquando mandatum generale idem operetur ac ſpeciale, *l.1. §.1. ff.quod iuſſu, l.1.ff.mandati*; in plurimis tamen caſibus propter cauſæ grauitatem non ſufficit mandatum generale, ſed deſideratur ſpeciale; quas enumerat Gloſſa *in cap.qui ad agendum, verbo Speciali, de præb. in 6.* illuſtrat, & eas proſequitur Barboſa *ibi*; ius enim præſumit in generali mandato, mandantem non concedere ea, quæ ſine ſpeciali deliberatione conceſſurus non eſſet, *c.2. cap.finali, de officio vicarij in 6. cap.quoad tranſlationem, de officio legati, l.1. Cod. quæ res pignori, l.obligatione, ff.de pignor.* Vnde cùm reſcripti impetratio inter eas cauſas enumeretur, Gloſſa *vbi ſuprà*; ideò deſideratur ſpeciale mandatum. Accedit ratio noſtri textus; nam lites potiùs ſunt reſtringendæ & minuendæ, quàm laxandæ, & augendæ, *l.quidam, ff.de rebus creditis*: ſed ſi permittatur impetratio reſcripti abſque ſpeciali mandato, facilè lites augerentur; ſiquidem quæſtus causâ eſſent plures, qui litteras à Pontifice impetrarent, vt poſteà actori venderent; aut ne id facerent, à reo pecunias extorquerent, vt contigiſſe temporibus Concilij Lateranenſis in noſtro textu refertur. Cui fraudi, vt obuiam irent Patres huius Concilij, ſtatuerunt, ſine ſpeciali mandato neminem poſſe pro alio reſcriptum impetrare; quæ ratio cùm ceſſet quando impetrator eſt perſona coniuncta (nam inter conſanguineos non datur fraudis præſumptio, *l.ſi ſeruus*, & ibi Gloſſa, *ff.de donationib.*

tionib. inter,) ideo coniunctæ personæ pro aliis coniunctis absque mandato speciali rescripta impetrare possunt. Hodie etiam rescripta, tam gratiæ, quàm iustitiæ, sine mandato speciali impetrata vires habent, vt docent Glossa *in cap. ex parte, verbo Ordine, hoc tit.* Sarmiento *lib.1. select. cap.8. num.3.* cuius stili rationem tradit post Octau. Vestrium Petrus Gregorius *in præsenti, num.3.*

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec nos premit ratio dubitandi suprà adducta ex textu *in d. l. vniuersas*; nam omissis solutionibus Bartoli, Iasonis, & Fulgosij *ibi*, Felini *in præsenti §. num.50. vers. Fallit sextò*, dici potest, sententiam illius textus procedere secundùm ius ciuile; quod etiam attentis sacris canonibus obseruabatur ante Concilium Lateranense; in præsenti enim canone ius nouum statutum fuit, vt constat ex illis verbis, *Generali constitutione sancimus*; quam vtriusque iuris differentiam perperam confundit Stephanus Gratianus *discept. forens. cap.573. num.5.& 41.* Nec augmentum ipsius difficultatis obstat; procedit enim in litteris seu rescriptis gratiæ, aut ad beneficia, aut ad indulgentias impetratis: rescripta enim gratiæ possunt impetrari per extraneam personam, etiam secluso mandato. Licèt enim acceptatio beneficij fieri non possit per alium, cùm personalis sit, & fieri debeat ab eo cui conceditur gratia, argumento textus *in cap. si tibi absenti, de præb.* at concessio ipsius gratiæ potest fieri alij, cùm solùm pendeat ex voluntate concedentis, vt docent Thomas Sanchez, Basilius & Moneta *vbi suprà*. Difficiliorem explicatum habet aliud augmentum prædictæ difficultatis, cùm certum sit coniunctos pro coniunctis posse peragere omnia, quæ ab aliis sine speciali mandato peragi non possunt, vt docent omnes antiqui repetentes in præsenti ex hoc textu, & *ex cap. ex parte 33. hoc tit.* & ex ea ratione, quia coniunctus non obligat coniunctum pro quo negotium gessit, si ratum non habeat, *l.3. §. 1. ff. iudicatum solui*, *l. 1. ff. quibus res iudicata*; & per consequens non est ratio cur arceantur coniuncti etiam in actibus petentibus speciale mandatum, præstitâ cautione de rato. Faciunt textus *in l. sed & 35. ff. de procurat. l.10. tit.5. part.5.* vbi indistinctè asseritur coniunctos pro coniunctis absque vllo mandato admitti: nec tunc obstat textus *in dict. l. patri 28.* cui satisfacere intendunt Decius *in d. cap. cum M*, Vasquius Menchaca *qq. forensium cap.23. num.13.* Sed si verum amamus, Decij interpretatio magis subtilis est, quàm vera: quare probabilior mihi videtur sententia tradita suprà pro solutione dubitandi rationis, quam meo videri adeò confirmat textus *in d. l. patri*, vt sine violentia elidi nequeat. Nec in contrarium mouet, quod Decius expendit ex præsenti textu, & *d. cap. ex parte*: quibus respondeo speciale mandatum, quod desideratur in impetrante rescriptum iustitiæ ad lites, fuisse introductum odio impetrantium, attento iuris rigore, quem Pontifex temperauit, permittens coniunctis personis pro coniunctis rescripta impetrare.

8. DE MARITO RESPECTV VXORIS. Hæc autem quæ modò tradidimus de coniunctis personis, locum habent in marito respectu vxoris; hic enim patri æquiparatur; atque ita sicut pater, ita & maritus sine mandato speciali admitti potest in his, quæ aliàs, speciale mandatum requirunt, *l. maritus, ff. de procurat. cap. constitutis, eod. tit. cap. vlt. de confess. cap.1. qui filij sint legitimi.* Quod adeò verum est, vt etiam inuitâ & contradicente vxore agere possit, *dicta l. maritus*, ibi: *Liberam habeat facultatem.* Sed obstare videtur textus *in l. 8. C. de pactis conuentis*, vbi cauetur maritum vxore contradicente non esse admittendum. Nam respondetur, eam constitutionem pertinere tantùm ad bona parafernalia, de quibus apertè loquitur textus: in illis enim maritus agit tanquam procurator vxoris, & ex ipsius tacito consensu eam obligat; iniquum enim esset, maritum super illis bonis inuitâ vxore admitti. Diuersa causa est in bonis dotalibus, in his enim propter dominium, & liberam administrationem, quam à iure habet, *l. doce ancillam, C. de rei vind. l. in rebus, C. de iure dotium*, poterit in iudicio maritus sine mandato, & satisdatione agere: quod si de bonis propriis vxoris tractetur, tunc si maritus sine mandato agat, eam non obligat, & ideo necessaria est cautio de iudicato soluendo, vt in quocumque alio defensore, vel sine mandato agente, *l. qui proprio 46. §. aliud, de procurat. l. vnica, C. de satisdando*; & consequenter nullum vxori imminet periculum, dum non est cur possit, vel debeat maritus ab ea prohiberi, immò illâ inuitâ erit admittendus, *d. l. maritus, in principio.* Nec contrarium suadet ipse textus *in vers. Sic autem*; vbi cauetur, maritum ab vxore mandatum suscipientem negotia tantùm in mandato præscripta exequi debere; vnde Accursius *ibi, Glossa vlt.* deducit maritum citra mandatum vxoris agere non posse: subscripserunt communiter Antiquiores, teste Iasone *ibi, num.9.* vbi expendit verba illa textus, *licèt maritus sit*; vnde videtur probari, maritum vxore contradicente repellendum esse à iudicio. Sed respondendum est, verum esse, maritum admitti posse, quamuis mandatum susceperit in aliis, quæ mandatum excedunt: neque id negatur *in d. vers. Sin autem*; tantum enim negat Consultus, maritum admitti posse vt procuratorem respectu eorum negotiorum, quæ mandato comprehensa non sunt, vt docent Salicetus, quem sequitur Cardinalis *in cap.1. num.2. qui filij sint legitimi*: quod optima ratione confirmari potest, quia cùm mandatum susceptum sit ad ampliandam mariti potestatem, æquum non esset eam restringere, quæ aliàs à iure illi competit, argumento legis *ita inutiliter, ff. de adimend. legatis.*

9. EXPONITVR CAP. CONSTITVTVS, DE IN INTEGR. RESTIT. Superiori assertioni opponitur textus *in capit. constitutus, de in integrum restitut.* in illis verbis, *pro se, ac fratre suo*; vbi sine vllo mandato rescriptum impetratum fuit à R. Pontifice, & asseritur, seu potiùs supponitur, validè, & cum effectu fuisse impetratum: ergo quia ad impetranda rescripta Pontificia, nec generale, nec speciale mandatum desideratur. Pro cuius difficultatis solutione Panormitanus *ibi, num.6.* asserit in specie illius textus fratres ipsos fuisse consortes eiusdem litis; quo casu sine speciali mandato consors potuit admitti ad impetrandum rescriptum, iuxta textum in Clementina *Religiosus, de procurat.* Sed hanc solutionem meritò refellunt Couarr. *lib.1. variar. cap. 6. num. 6.* Caldas *in l. si procuratorem, verbo Implorandum, Cod. de in integrum restit. num.9.* quare placet alia solutio eiusdem Abbatis ibidem, dum affirmat, in specie fratrem impetrasse rescriptum pro fratre, & in causam communem; vnde cùm ex suprà traditis coniunctæ personæ possint pro coniunctis admitti sine speciali mandato, ideò in eo textu validè impetratum fuit rescriptum. Quâ solutione interpretandi sunt textus *in cap. cum pridem, de pactis, cap. ex parte 33. hoc tit.* cum adductis in eorum notis.

Suprà

10. EXPONITVR CAP. INNOTVIT 20. DE ELECT.

Suprà traditis etiam, videlicet reſcripta gratiæ impetrari poſſe ſine mandato ſpeciali, obſtat textus *in cap. innotuit* 20. *de elect.* vbi petita fuit à R. Pontifice quædam diſpenſatio ad confirmandam electionem cuiuſdam illegitimi, quæ fuerat ob defectum natalium nulla; & tamen ait textus, nuntios fuiſſe ad id ſpecialiter deſtinatos: atque ita probare videtur, deſiderari ſpeciale mandatum ad obtinendam gratiam à Sede Apoſtolicâ. Cui difficultati vt ſatisfaciant Abbas *ibi*, *num.* 10. Rebuffus *in praxi*, *tit. de diſpenſatione*, *à num.* 23. exiſtimant, id ſpecialiter procedere in filiis illegitimis, qui valdè exoſi per ſacros canones ſunt, *cap.* 1. *de filiis preſbyt. lib.* 6. Quæ ſolutio ex eo diſplicet, quia & verba, & ratio præſentis textus conuenire nequeunt diſpenſationibus, quantumcumque odioſæ ſint; neque enim odium inſpicitur in præſenti §. vt proinde appareat, ſtandum eſſe iuri antiquo, vt de ſtylo receptum eſſe teſtatur Bellamera *in dicto cap. innotuit*, *num.* 26. quare verius dicendum eſt, in ſpecie dicti capitis *innotuit*, non agi de ſimplici diſpenſatione ab eo petitâ, qui natalium defectum patiebatur; ſed de illa, quæ nomine Capituli pro ipſo illegitimo petebatur, ad confirmandam eius electionem: quare Capitulum nuncios miſit ad eam conſequendam. Ita Sanchez *d. diſp.* 26. *n.* 4. Baſilius *in dict. cap.* 15. *n.* 13.

CAPVT XXIX.

[a] Honorius III. *Cant. Archiep. Sanctæ R. Eccleſ. Card. & Coniudicibus ſuis.*

Dilectus f. I. [b] Sarracenus clericus expoſuit coram nobis, quod cùm Iordanus clericus [c] Dunelmenſem Epiſcopum ſuper Eccleſia S. Nicolai Dunelm. coram vobis authoritate litterarum noſtrarum traxiſſet in cauſam, ex parte ipſius Ioannis in præſentia noſtra fuit excipiendo propoſitum, quod authoritate litterarum illarum non debebat, nec poterat conueniri, eò quod vltra duas dietas à diœceſi, vbi prædicta erat [d] ſita Eccleſia, contra ſtatuta Concilij generalis, de quo in eiſdem litteris non fiebat mentio, diſtabatis: & quia huiuſmodi eius exceptionem admittere denegantes, nihilominus procedebatis in cauſa, pro eo duntaxat quod idem Ioannes in Roffenſi, & Helienſi [e] diœceſi [f] beneficia obtinet, quaſi ex hoc ibi domicilium intelligeretur [g] habere, ipſe noſtram audientiam appellauit: ſed eius appellatione contemptâ partem alteram mittendam in poſſeſſionem eiuſdem causâ [h] cuſtodiæ decreuiſtis. Cumque idem Ioannes appellationem proſequutus emiſſam ad Ven. fr. n. [i] Eborac. Archiepiſcopum, & eius collegas, noſtras ſuper præmiſſis litteras impetraſſet, vos in cauſa ipſa nihilominus procedentes, eiſdem iudicibus, ne in commiſſo ſibi procedant negotio, inhibetis: quocirca diſc. veſtræ mandamus, vt ſi eſt ita, cauſæ ſuperſedeatis eidem, cùm non vos, ſed dicti iudices cognoſcere habeant, ad quos iuriſdictio [k] debeat pertinere.

NOTÆ.

1. a *Honorius III.*] In ſexta compilatione apud Raymundum, legitur tantùm, Honorius III. Cantuarienſi Archiepiſcopo, & coniudicibus ſuis; ſed diminutè, ſuppleri enim debet hæc inſcriptio ex quinta collectione Honorij III. edita ab Innocentio Cironio, quæ inſcriptio ita reſtituta magnoperè congruit cum hiſtoria illius temporis; nam Stephanus Langtonus, natione Anglus, publicus Profeſſor Philoſophiæ, & Theologiæ fuit, cui ſi fidem adhibemus Baleo 3 *centur.* 87. & Spondano in continuatione *anno* 1240. *num.* 10. diſtinctionem ſacræ Bibliæ per capita debemus. Cùm eſſet Cancellarius ipſius Vniuerſitatis, ob morum probitatem, & ſcientiarum peritiam, creatus fuit ab Innocentio III. preſbyter Cardinalis tituli S. Chryſogoni anno 1212. & anno 1217. Archiepiſcopus Cantuarienſis electus fuit, vt referunt Spondanus *in eo anno*, Smitheus *in ſerie Præſulum Cantuarienſium.* Huic enim varias Honorius III. miſit epiſtolas, inter quas primum locum obtinet præſens, quæ compilata fuit ſub titulo *de officio deleg.* in quinta compilatione, quia in ea agitur de iuriſdictione iudicum delegatorum. De Honorio III. & Cantuar. Archiepiſc. egi *in cap. penult. de conſtitut. cap.* 2. *de reſcriptis.*

2. b *Sarracenus.* Ideſt, ex Sarracenis conuerſus, aut deſcendens, qui nomen conſeruauit.

3. c *Dunelmenſem.* Dunelmenſis Epiſcopatus ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Eboracenſis, in Anglia, translatus ex Lindisfarna inſula. Polydorus Vergilius *lib.* 4. *hiſtoriæ Angliæ*, Cironuis *in præſenti.*

4. d *Sita Eccleſia.* Sed quomodo dietæ computantur à loco rei ſitæ, cùm earum computatio debeat fieri à fine diœceſis, in qua reus commoratur, vt probaui ſuprà *in cap. nonnulli*, *hoc tit.* igitur non rectè hîc ſupponitur à loco rei ſitæ computationem fieri debere. Gloſſa in hoc textu, verbo *Domicilium*, difficultatem agnouit, & diſcrimen conſtituit inter caſum, in quo reus actione perſonali coram iudicibus delegatis conuenitur; & inter caſum, in quo reali actione pulſatur: aitque in primo caſu in computandis dietis reſpectum haberi ad diœceſim domicilij rei conuentæ, iuxta tradita *in dict. cap. nonnulli*; in ſecundo autem caſu computari dietas à loco rei ſitæ, cuius ratione conuenitur, quia quemadmodum reus

ratione rei sitæ sortitur forum in eo loco, vbi res est, *cap. sanè 3. cap. finali, de foro competenti, l. forma, §. si verò, ff. de censibus, l. quando legatur, ff. de iudiciis, l. finali, Cod. vbi in rem actio, l. si prædium, Cod. de prædiis minorum*, Osualdus *lib. 17. Donelli, cap. 7.* ita & in impetratione rescripti extra locum debet haberi respectus ad diœcesim vbi res sita est, super qua lis vertitur, & non vbi est domicilium personæ, iuxta nostrum textum. Glossam sequuntur Felinus, Zabarel. & Innocentius *in præsenti*, Petrus Gregorius *in dict. cap. nonnulli, num. 9.* Sed hanc distinctionem impugnarunt Hostiensis, & plerique alij in nostro textu, moti ex eo; nam constitutio Concilij generalis relata *in dict. cap. nonnulli*, prohibet reum vltra duas dietas extra suam diœcesim à iudice delegato extrahi, vt constat ex illis verbis, *extra suam diœcesim.* Diœcesis autem sua dicitur illa, in qua res sita est, nec reus efficitur subditus illius iudicis, licèt ratione rei litigiosæ sortiatur illius forum, vt post Glossam *in Clementina 1. verbo Subditos, in fine, de foro compet.* probauit Panormitanus *hîc num. 5.* & quia prædicta constitutio, vt prohiberet extractionem rei extra duas dietas, rationem habuit laboris in itinere peragendo, & sumptuum, quos ipse facere deberet. Hæc verò attenduntur habito respectu ad diœcesim vbi persona residet, non vbi res sita est: ergo à diœcesi propria dietarum computatio fieri debet, nec contrarium suadent verba suprà relata præsentis textus; nam tantùm continent allegationem partis, non verò Pontificis responsum; pars enim intendebat dietas esse computandas à fine diœcesis vbi res petita existebat: nec Pontifex appellationem partis approbauit, sed tantùm causam commisit Archiepiscopo Eboracensi.

5. EXPONITVR CAP. EX PARTE, DE FORO COMPET.

Sed antequam hinc abeamus, exponendus est textus *in cap. ex parte 15. de foro compet.* vbi cùm Regina Angliæ Nobilem virum detentorem cuiusdam castri ad ipsam ratione donationis propter nuptias spectantis, quo fuerat per ipsum iniustè spoliata, coram delegatis iudicibus, authoritate litterarum Innocentij III. in iudicium vocasset, Nobilis eam exceptionem opposuit, videlicet litteras Apostolicas vires non habere, ex eo quod castrum, vbi erat eius domicilium principale, existebat in diœcesi Rodonensi, quæ vltra duas dietas remota erat à diœcesi Turonensi, vbi conueniebatur. Regina replicauit, Nobilem posse ibi conueniri, eo quod non solùm in diœcesi Rodonensi, verùm in Andegauensi existeret, & castra, pluresque redditus ibi obtineret simul cum castro, de quo disceptabatur; & eadem diœcesis à Turonensi nequaquam vltra duodecim leucas distabat. Plures alias exceptiones Nobilis obiecit ad elidendam vim litterarum; sed eis reseruatis ad petitorium iudicium, Pontifex iudicibus delegatis iussit, vt si constaret Nobilem habere castra, & mansiones in Andegauensi diœcesi, ipsamque vltra duas dietas à Turonensi non distare, in eaque castrum litigiosum reperiretur, ratione præuiâ in negotio procederent. Cuius textus decisio difficilis est ex eo, quod si computatio dietarum fit à fine diœcesis vbi reus habitat, frustra exigitur ibi, quod in diœcesi sit res super qua quæstio vertitur: ergo quia dietarum computatio à loco rei sitæ fieri debet. Cui difficultati, omissis solutionibus, quas refert & refellit Panormitanus *ibi*, *num.* 4. respondendum est, quod si reus conueniatur coram iudice ordinario loci, in quo res litigiosa sita est, quamuis vltra duas dietas ab eo loco distet, non potest opponere exceptionem dietarum, sed ibi debet respondere, quia iure cautum est, posse quem conueniri vbi res est, *dict. cap. final. de foro compet.* nec tunc locum habet exceptio duarum dietarum, si coram iudice delegato conueniatur reus in loco rei litigiosæ; quia cùm sortiatur ibi forum, & possit coram Ordinario conueniri, eodem modo & coram delegato; quippe deterior eius conditio hoc casu non redditur, nec propriè extrahi dicitur: si verò extra diœcesim, vbi res petita est, existit, causa à Pontifice committitur: tum quia cùm causa agitur, computatio dietarum fieri debet à loco domicilij rei conuenti; & si plura habet domicilia, prout habere potest, *l. assumptio, §. iuris, ff. ad municipalem*, debet fieri à principaliori loco habitationis, & domicilij; nam inde propriè trahitur, vbi pro maiori parte se collocat, & habet domicilium principale: & constitutio de duabus dietis edita, sumptus & labores rei, qui trahitur, præ oculis habuit, nisi in diœcesi vbi reus minùs principale domicilium habet, res sita sit; tunc enim ab eo loco dietæ computari debent, quia illis duobus concurrentibus simul videtur suum domicilium principale quoad causam subiectam; nam duæ causæ vincunt vnam, *cap. 1. de tregua & pace, l. 3. in fine principij, de liberat. legat.* Cùm ergo in specie textus *in dict. cap. ex parte*, extra diœcesim rei causa delegaretur, computatio dietarum fieri debebat à diœcesi Rodonensi, vbi domicilium principale vir Nobilis habebat, quæ à Turonensi vltra duas dietas remota est. Sed cùm in diœcesi Andegauensi minùs principale haberet domicilium, quia interdum ibi habitabat, non semper, vt ex littera constat; & res litigiosa simul ibi esset, ex dicta ratione computantur inde dietæ, & iudices delegati iuxta seriem priorum litterarum in causa procedunt, cùm vltra duas dietas à diœcesi Turonensi ipsa non distaret. Tradit Panormitanus in eo textu, *numer. 9.* & in nostro, *numer. 3. in fine*, & latiùs eius textus materiam prosequuntur Couarr. *practic. cap. 6. num. 1.* Barbosa *in l. 1. 1. part. ff. soluto matrimonio, à numer. 46.*

e *Helienſi.*] Sunt duo Episcopatus suffraganei Cantuarienſis Archiepiscopi, de quibus dixi *in cap. Pastoralis, hoc tit.* 6.

f *Beneficia.*] Compatibilia, simplicia, vel minùs congrua ad sustentationem, aliàs nemo potest duo beneficia possidere, *cap. de multa*, cum aliis, *de præbendis.* 7.

g *Habere.*] Non solùm enim ratione beneficij, quod quis obtinet, sortitur forum Episcopi vbi beneficium est institutum, vt omnes de litteris dimissoriis scribentes docent; verùm quoad iurisdictionem contentiosam efficitur de eius iurisdictione, cum hac distinctione, vt si beneficium postulet residentiam, censeatur ibi domicilium habere, & eius ratione ibi conueniri valeat. Felinus hîc *num. 2.* & *in cap. ex ore, de priuilegiis*, Bernardus Diaz *in praxi, cap. 10.* vbi Salcedo, Corrasius *in l. Senatore, n. 5. ff. de Senator.* Si verò beneficium non postulet residentiam, tunc ratione beneficij sortitur forum, & potest conueniri; etsi duo habeat beneficia, in quolibet loco, vbi beneficium habet, conueniri potest, Carleual *de iudiciis tomo 1. disp. 2. num. 146.* Petrus Gregorius *hîc, cap. postulasti 14. de foro compet.* Vnde in præsenti 8.

si

ſi beneficium poſtulabat reſidentiam, rectè Iordanus allegabat, ob beneficium, domiciliarium illius loci cenſeri.

9. h *Cuſtodiæ.*] Quia agebatur de proprietate ipſius Eccleſiæ; nam ſi de poſſeſſione tantùm ageretur, ob contumaciam rei actor non poterat mitti in poſſeſſionem; quia miſſio tam ex primo, quàm ſecundo decreto, in beneficiis locum non habet. *c. 1. de eo qui mittitur, lib. 6.* dicemus latè *in cap. 2. de ſequeſtratione poſſeſſionis.*

10. i *Eborac.*] De ea Eccleſia egi *in cap. inter 4. hoc tit.*

11. k *Debeat.*] Poſtquam enim cauſa commiſſa fuit Archiepiſcopo Eborac. & aliis coniudicibus, ſuſpenſa eſt iuriſdictio priorum iudicum, *cap. Paſtoralis, §. præterea, de officio ordin.* & iſti ſecundi iudices poſſunt inhibere iudicibus, à quibus appellatum fuit, ne in eadem cauſa procedant, *cap. Romana, §. ne pro eo, de officio ordin. lib. 6. cap. Romana, §. ſi autem, de appellat. in §.* & cognoſcere debent, an ſit legitimè appellatum; & ſi legitima eſt appellatio, ipſi cognoſcunt de cauſa, aliàs ad priores iudices remittunrur partes, in expenſis condemnando appellantem, *cap. vt debitus 59. cap. cum ſpeciali 61. de appellat.* Vnde iudices priores non poterunt inhibere iudices ad quos, cùm è contra ipſi inhiberi per eos poſſint. Petrus Gregorius *in præſenti*, dicemus *in dicto capit. vt debitus*, ex cuius commentario, & traditis *in capit. nonnulli, hoc titulo*, petenda eſt præſens repetitio.

CAPVT XXX.

Idem *Abbati, & Priori S.* [a] *Proiecti, & I. de Villa Vuad. Canonico S.* [b] *Quintini, Nouiomenſis.*

CApituli ſanctæ Crucis [c] Cameracenſis exhibita nobis petitio declarauit, quod [d] Reuardo Clerico [e] Nouiomenſis Diœceſis ſuper præbendali beneficio in eorum Eccleſia obtinendo, noſtras ad eos [f] monitorias, & demùm præceptorias litteras impetrante, Balduinus Clericus Tornacenſis Diœceſis contra eos ſuper conſimili beneficio in eadem ſibi Eccleſia conferendo ad I. [g] Archidiaconum Tornacenſ. & eius collegas, de prædictis litteris non habitâ [h] mentione, executorias à nobis litteras impetrauit, qui poſt appellationem ad nos interpoſitam, in eos ſuſpenſionis ſententias protulerunt: ac dictus R. ſuper executione mandati noſtri pro eo facti, ad [i] Scholaſticum S. Quintini Nouiomenſis Diœceſ. & coniudices eius obtinuit ſcripta noſtra, qui tulerunt [j] ſuſpenſionis & [k] excommunicationis ſententias in eoſdem. Vnde nobis humiliter ſupplicarunt, vt quum in eadem Eccleſia duodecim tantummodò ſint [l] præbendæ, & ob hoc non ſine magno grauamine ſimul prouidere poſſent, vtque faceremus eaſdem ſententias relaxari, & prouideri eorum alteri in eadem Eccleſia de præbenda; præſertim cùm in vtriuſque litteris clauſula illa contineretur inſerta (niſi eadem Eccleſia de mandato noſtro foret in alterius receptione grauata.) Quocirca diſc. v. m. quatenus eo recepto in Canonicum & in fratrem, aſſignatoque ſibi beneficio [m] præbendali, qui ad eos priùs Apoſtolicum mandatum reportauit, præfatas ſententias iuxta formam Eccleſiæ, ſublato appellationis obſtaculo relaxetis, alteri ſuper præbendali beneficio in eadem Eccleſia ſilentium imponentes.

NOTÆ.

1. a S. Proiecti.] In ſexta collectione perperam legitur, Epiſcopo, & Archidiacono Legionenſi; quare litteram cum inſcriptione reſtituo ex quinta collectione edita à Cironio, vbi *ſub hoc titulo cap. 1.* reperitur præſens textus. Monaſterium S. Proiecti eſt Ordinis D. Benedicti, diœceſis Nouiomenſis, in vrbe S. Quintini Veromanduorum, de quo agunt Yepes *tom. 2. chron. D. Benedicti, anno 672.* Fratres Sarmatani *tom. 4. Galliæ Chriſt. fol. 753.* eius Abbati Raynaldo I I. miſſa eſt præſens decretalis.

2. b *S. Quintini.*] Antiqua Eccleſia Cathedralis in Gallia, cuius Sedes tranſlata fuit in Nouiomenſ. vt refert ex aliis Cironius in noſtro textu.

3. c *Cameracenſis.*] De ea egi *in cap. cauſam 18. hoc titulo.*

d *Reuardo.*] Ita legendum eſt, non *Calimaco*, vt legitur apud Raymundum. 4.

e *Nouiomenſ.*] Nouiodunum, nunc Nouionus, eſt in Gallia Belgica, Picardiæ nobilis ciuitas, ſuffraganea Archiepiſcopi Cameracenſis, vt referunt Fratres Sarmatani *tom. 3. Galliæ Chriſt. fol. 809.* eam Eccleſiam vnitam fuiſſe cum Tornacenſi, refert Petrus Marcha *lib. 4. concordiæ ſacerdot. capite 13.* 5.

f *Monitorias.*] De his litteris agemus *in cap. ex inſinuatione, hoc tit.* 6.

g *Archidiaconum.*] Ita legendum eſt, non Archiepiſcopum, vt etiam notaui *in capit. eam 7. hoc titulo.* 7.

h *Non habita mentione.*] Sed tunc obſtat textus *in cap. cæterùm 3. hoc tit.* vbi expreſsè ſtatuitur, ſecundum reſcriptum abſque mentione prioris impetratum, nullum eſſe: ergo & in præſenti caſu ſecundum reſcriptum nullum erat. Cui difficultati 8.

ſatisfaciendum eſt ex traditis *in dict. cap. cæterùm*, aſſerendo illum textum procedere, quando ſuper vna, eademque re duo reſcripta impetrantur; ſecus verò ſuper diuerſis, vt in præſenti caſu impetratum fuit, videlicet ad ſimile beneficium, non ad idem; quia ſimile non eſt idem. Quintilianus *inſtit. lib.* 10. *cap.* 2.

9. i *Ad Scholaſticum.*] De eo egi *in cap. cum dilecta* 22. *hoc tit.*

10. j *Suſpenſionis.*] Certum eſt, Capitulum, ſeu aliam communitatem, corpus collectiuum conſtituentem, ſuſpendi poſſe, *cap. quia ſæpe, de elect. in* 6. *extrauag.* 1. *eod. tit. circa finem*, Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 16. docent Suarez *de cenſuris diſput.* 28. *ſect.* 3. *num.* 4. Marius Alterius *eod. tract. diſput.* 7. *cap.* 5. Gibalinus *eod. tract. diſput.* 4. *quæſt.* 5. Leander *diſput.* 1. *de ſuſpenſione*, *quæſt.* 5. Sed talis ſuſpenſio dupliciter conſiderari poteſt, primò quatenus per eam tantùm ſuſpendatur Capitulum, ſeu communitas ab illis actibus, qui competunt Capitulo collectiuè vt Capitulo; pleramque enim Capitulo competit aliqua iuriſdictio, ſeu beneficiorum collatio, quæ per ſuſpenſionem in Capitulum latam ſuſpenduntur, *dict. cap. quia ſæpe*; tunc enim talis ſuſpenſio cadit formaliter in ipſum Capitulum, non verò in ſingulos Capituli. Secundo modo ſuſpenſio fertur in Capitulum, ita vt per eam ſinguli ex corpore Capituli ſuſpendantur ab officio, aut beneficio, *dict. cap. quia ſæpe*: poſſunt enim ita ſinguli imperare vnam actionem, vt propter eam valeant vt ſinguli ſuſpendi, docet Gibalinus *vbi ſuprà*: ſed ſi ſuſpenſio ſimpliciter, & abſolutè feratur, credimus ſuſpenſionem cadere in Capitulum collectiuè vt vnum corpus eſt, non autem in ſingulas perſonas diſtributiuè, niſi aliud ex materiæ circunſtantiis deducatur, vt in præſenti; namcùm dicatur ſuſpenſionem latam eſſe in eos, credendum eſt ſuſpenſionem non in Capitulum collectiuè, ſed in ſingulos diſtributiuè latam eſſe. Ex his verbis notandum eſt, quod quoties occurrunt diuerſæ cauſæ per ſe ſufficientes ad ferendam cenſuram, eam multiplicari poſſe, vel à pluribus iudicibus, vel ab eodem, *cap. ita quorundam, de Iudæis*: ita Garcia *de beneficiis part.* 8. *cap.* 3. *num.* 86. Couarr. Molina & alij relati à Gibalino *de cenſuris ſect.* 5. *quæſt.* 4. *fol.* 157. Leander *eod. tract. diſput.* 3. *quæſt.* 33. Ratio perſpicua eſt; quamuis enim ſubiectum priuatum aliquâ formâ, non poſſit ampliùs illâ priuari, ad hoc enim neceſſe eſt formam tolli à ſubiecto, à quo tolli non poteſt ſi in illo non eſt; in illo autem non eſt, ſi priuatio ipſi oppoſita ſit: & ſanè non eſſe, non poteſt augeri, aut minui, niſi poſito aut ſublato eſſe; tamen cenſuræ non ſunt formaliter priuationes, ſed cauſaliter; tantùm enim priuant ſubiectum vſu legitimo bonorum ſpiritualium, conſtringuntque manus excommunicati, aut ſuſpenſi, ne liberè & licitè exequatur officium ſuum, vt notat Gibalinus ſuprà: vnde ob eas cauſas formaliter diuerſas non eſt dubium à diuerſis iudicibus diuerſas cenſuras in eundem ſubiectum ferri poſſe, cùm ſint contumaciæ diſtinctæ; & ſic in præſenti Clerici Cameracenſes potuerunt à diuerſis iudicibus ſuſpendi.

11. k *Excommunicationis.*] Sed quomodo excommunicari poterat Capitulum, cùm excommunicatio in vniuerſitatem, collegiumve, ſeu aliam communitatem prolata, ſit inualida, *cap. Romana, de ſentent. excom. lib.* 6. Couar. Suarez, & alij congeſti à Gibalino *de cenſuris diſquiſit.* 2. *quæſt.* 5. P. Mendo *de iure academico lib.* 1. *quæſt.* 35. Ritherurſius *in notis ad Saluianum*, *fol.* 221. ex defectu capacitatis in ſubiecto; ſi enim excommunicatur communitas vt eſt vnum corpus collectiuum, & perſona quædam ficta, ita vt excommunicatio non feratur in ſingulos, communitas incapax eſt, cùm per ſe committere peccatum lethale nequeat, quod ad excommunicationem deſideratur, *cap. nemo*, *cap. nullus* 11. *quæſt.* 3. Si excommunicatur communitas vt cenſura transfundatur in ſingulos communitatis, etiam tunc neutiquam ſuſtinetur, cùm non omnes communitatis nocentes reperiantur; aliqui enim innocentes erunt. Quare cùm hæc omnia vera ſint, reſpondendum eſt, in præſenti textu non fuiſſe prolatam excommunicationem in ipſum Capitulum, ſed tantùm in clericos ipſius Capituli; licèt enim communitas ipſa non poſſit excommunicari, tamen omnes, & ſinguli clerici ipſius communitatis excommunicari valent. Leander *de cenſuris dict. diſput.* 3. *quæſt.* 27. quo modo etiam procedunt, & accipiendi ſunt textus *in cap. ſignificauit, de exceptionib. cap. clerici* 8. *de immunit. Eccleſ.*

12. l *Præbendæ.*] Plerumque enim ex ſtatuto Eccleſiæ certus, & determinatus eſt numerus præbendarum, vt notaui *in cap. cùm acceſſiſſent, de conſtit.* vt etiam eueniebat in Eccleſia Cameracenſi; ſed tunc non leuis naſcitur difficultas *ex cap. conſtitutus* 19. *hoc tit.* vbi in non diſſimili ſpecie aſſeritur, quòd ſi impetretur reſcriptum ad præbendam, vbi certus eſt præbendarum numerus, non aliter reſcriptum vires habet, quàm ſi mentio fiat in eo numeri ſtatuto Eccleſiæ determinati, aliàs reſcriptum nullum eſſe: igitur idem dicendum erat in præſenti caſu. Pro cuius difficultatis ſolutione, donec alius meliora attulerit, credebam reſponderi poſſe, in Eccleſia Cameracenſi numerum præbendarum fuiſſe certum, & ſtatuto determinatum; ſed tale ſtatutum non fuiſſe à Pontifice approbatum, & confirmatum; quare abſque illius expreſſa derogatione, ſeu mentione reſcriptum in præſenti impetratum ſuſtineri poterat.

13. m *Præbendali.*] Canonico enim in numero Canonicorum recepto, debet aſſignari præbenda, vt notaui *in cap. cum M. de conſtit.*

14. n *Mandatum reportauit.*] Aliqui accipiunt hæc verba de eo, qui primus litteras ſuas coram iudicibus delegatis præſentauit, ita vt verbum *reportare*, pro *præſentare* accipiatur, vt *in cap. ex parte* 2. *hoc tit. cap. ſuggeſtum*, *eod. tit.* in prima collectione. Ita poſt plures Barboſa *in præſenti, num.* 2. Gonzales *ad regulam* 8. *Gloſſa* 3. *procemiali*, *num.* 18. Anteceſſor noſter Arias à Meſa *lib.* 3. *var. cap.* 41. *num.* 3. Sed verius eſt verbum *reportare*, in præſenti accipi pro obtinere, vt *in l. etiamſi*, *Cod. mandati*, ibi: *Contrariam ſententiam reportauerunt*; id eſt acceperunt: *l. vlt. Cod. ad Turpil.* ibi, *reportare vindictam*, id eſt obtinere ſententiam: vnde ſenſus Honorij III. in præſenti eſt, vt ille admittatur ad præbendam, qui prior tempore fuit, & ita data reſcripti, non oblatio, ſeu præſentatio attendatur, vt probat Cironius *in notis ad hunc textum*, *in fine.*

COMMEN

COMMENTARIVM.

15. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hac Honorij III. decretali ita expoſita, ſequens deducitur aſſertio: *In concurſu reſcriptorum non attenditur præſentatio, ſed data.* Probant eam textus *in cap. mandatum, cap. litteris, cap. eam te 7. verſic. Nullatenus, cap. conſtitutus 19. verſic. Antequam, cap. Abbatem 40. cap. finali, hoc tit. cap. ſi eodem tempore 9. cap. ſi duobus, cap. ſi pro te, cap. tibi qui, eodem tit. lib. 6. cap. eum qui, de præbendis, eodem lib. cap. 2. in principio, & in §. 1. de decimis in 6. cap. propoſuit, de conceſ. præb. cap. dilectus, el 2. de præb. cap. conſtitutus, cap. ſi aliquando, de ſement. excom. Clement. vnica, hoc tit. cap. qui prior, de reg. iur. lib. 6.* Conſonant lex 27. & 29. *tit. 3. partita 5.* Faciunt textus *in l. ſi ita 7. ff. de auro & argent. l. ſi vſusfructus 26. ff. de ſtipul. ſeruor.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, Marcus Antonius *lib. 1. inſtit. tit. 4. num. 26.* Didacus Perez *in l. 1. tit. 12. lib. 3. Ordin.* Caſtillo *lib. 7. controu. cap. 41. num. 62.* Valenzuela *conſilio 34. ex num. 31.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. cap. 8. num. 20.* plures congeſti ab Arias de Meſa *lib. 3. variar. cap. 41.* Petrus Pecchius *in dict. regula Qui prior*, D. Michael Moez *in dict. cap. tibi qui, hoc tit. in 6.* Petrus Gregorius, Cironius & Fagnanus *ad hunc textum.*

16. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed in præſentem aſſertionem pro ratione dubitandi ita inſurgo: ex gratiâ alicuius beneficij à R. Pontifice factâ per reſcriptum, tantùm competere poteſt parti actio perſonalis: ſed in iuribus perſonalibus qualitas prælatiua non eſt attendenda ex tempore, ſed ex cauſa, *l. priuilegia, ff. quæ in fraud. credit.* vt cauſa fauorabilis poſterior præferatur alteri priori non æquè fauorabili, Gloſſa *in cap. his qui, de præb. lib. 6.* Ergo in præſenti ſpecie non debebat attendi data reſcripti, ſed cauſa eius conceſſionis. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam ſi aliquod tempus in reſcriptis attendi deberet, maximè tempus præſentationis, vt in ſpecie probatur *in cap. plerumque 23. hoc tit. cap. ſuper eo 12. de appel.* & à ſimili ex eo, nam ſi duobus eadem res vendatur, non primus in venditione, ſed qui adeptus fuit rei poſſeſſionem præfertur, *l. quotiens 15. Cod. de rei vind. l. ſiue autem 9. §. ſi duobus, ff. de public.* ſimiliter in duobus concurrentibus ad iudicium, ille præfertur, qui primò libellum dedit, *l. qui prior, ff. de iudiciis:* ſimiliter in duobus collitigantibus, qui priùs litem conteſtatus eſt, *l. amplius, ff. rem ratam haberi, l. ſi ex duobus, ff. de duob. reis:* ergo ſimiliter in reſcriptorum concurſu, non qui priùs illud impetrauit, ſed qui priùs præſentauit, præfertur. Secundò fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam ſi tempus præſentationis non attenderetur, deberet inſpici tempus ipſius gratiæ, id eſt, in quo Pontifex beneficij gratiam fecit, non verò tempus datæ, hoc eſt expeditionis reſcripti; ſiquidem ſolo verbo Principis gratia perficitur, vt probat Barboſa *in præſenti, num. 4.* Ergo tempus datæ nunquam attendi debet.

17. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ minimè obſtante, vera eſt præſens aſſertio, cuius ratio, præmiſſis quæ de data, ſeu die adiiciendo in reſcriptis adduxi *in cap. 23.* ſuprà *hoc tit.* ex eo prouenit; nam cùm in gratiis faciendis gratia ex parte concedentis, non verò ex exequentis metiatur, *cap. eum qui, de præb. lib. 6.* ideò qui priùs gratiam adeptus fuit, non qui præſentauit priùs litteras, præferendus eſt. Accedit, nam qui prior eſt tempore, potior eſt iure: regula *Qui prior, de reg. iuris in 6.* dicemus *in cap. 1. de maiorit. & obed.* ergo qui priùs gratiam adeptus fuit, debet præferri in concurſu reſcriptorum. Accedit vulgare illud pragmaticorum axioma, Priùs vocatum ſeu nominatum, cenſeri magis dilectum: ergo debet præferri in concurſu duplicis reſcripti ad beneficium, qui priùs gratiam Pontificis meruit, non verò qui priùs præſentauit reſcriptum; cùm ex eo quòd fuit priùs vocatus, præſumatur magis dilectus. Meritò ergo hîc deciditur, ex duobus concurrentibus ad beneficium virtute reſcripti, illum præferendum eſſe, qui priùs gratiam reportauit. Noſtra tamen aſſertio aliquas patitur limitationes. Prima ſi reſcriptum ſecundum contineat clauſulam retrotractiuam, videlicet *anteferri aliis*, de qua *in cap. penult. de præb. in 6.* tunc enim ſecundus in gratia præfertur priori: item ſi primus, qui impetrauit reſcriptum, ſit incapax illius, vt ſi tunc non ſit Clericus, *cap. ex litteris 6. de tranſactionib.* quæ qualitas requiritur in impetrante beneficium, vt in noſtro textu notant omnes antiquiores; vel ſi beneficium, quod vacauit, non poſſit obtineri à primo impetratore, veluti ſi vacauit per obitum patris eius, quod immediatè à filio occupari non poteſt, *cap. 2. cap. ex tranſmiſſa, de filiis preſbyt.* Deinde præfertur ſecundus impetrator, ſi primus dolo, negligentiáve non ſit proſequutus iuſſum, vel ſi gratiæ ſuæ renunciauerit, *cap. querela 4. de reſtit. ſpol. cap. ad audientiam 31. hoc tit. dict. cap. tibi, hoc tit. in 6.* vel ſi ſententiâ latâ aduerſus primum, ab ea appellatum ſit. Gloſſa *in cap. 1. verbo Repellendi, de conceſ. præb.* & etiam ſi ob negligentiam vacante præbendâ, ad quam ius habebat, non petierit collationem; tunc enim in pœnam negligentiæ priuatur iure prioritatis, quòd habebat, vt probat Petrus Gregorius hîc *num. 9.* Etiam limitatur noſter textus in caſibus propoſitis *in cap. tibi qui, de reſcriptis lib. 6. cap. ſuper te 41. eod. tit. cap. quia ſæpè, de præb. eod. lib.* & aliis infrà referendis.

18. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec iam obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam ſententia Pauli *in dict. l. priuilegia*, procedit cùm agitur de priuilegiis perſonalibus, non verò in realibus priuilegiis, in quibus non cauſa, ſed tempus ſpectatur: quare cùm in præſenti ſpecie agatur de concurſu duarum gratiarum realium, ſeu ad rem pertinentium, videlicet ad beneficium, non ex cauſa, ſed ex tempore prioritas earum æſtimatur. Nec obſtat augmentum primum difficultatis deductum *ex dict. cap. plerumque 23.* cum ſimilibus, de cuius ſolutione numero ſequenti agemus. Neque exempla ibi adducta in contrarium nos mouent; procedunt enim in actibus in quibus abſque traditione nullum acquiritur ius, vt ait Moez *vbi ſuprà, n. 14.* in concurſu verò reſcriptorum ante præſentationem quilibet habet ius ad beneficium; quare non datur eadem ratio. Nec obſtat vltimum augmentum ipſius difficultatis; nam idem eſt tempus datæ, & tempus gratiæ: ſiquidem non credimus gratiam factam fuiſſe à Principe donec litteræ expeditæ ſint à Cancellario, & aliis Abbreuiatoribus, vt aliis relatis probat Barboſa *in præſenti:* quare dum Pontifex in hoc textu, & aliis ſuprà adductis, affirmat in concurſu reſcriptorum attendi tempus datæ, accipiendus eſt, ac ſi decreuiſſet expectandum eſſe tempus gratiæ factæ.

19. INTELLIGITVR

Suprà traditæ aſſertioni opponitur textus *in cap. vt debitus 59. de appellat.* in illis verbis: *Priuſquam*

CAP. VT DEBITVS, DE APPELLAT.

quam delegato fuerit assignata; in quibus probari videtur, non attendi tempus datæ in rescriptis, sed tempus assignationis, siue præsentationis factæ coram iudicibus delegatis executoribus in ipso rescripto designatis. Pro cuius textus expositione, & conciliatione cum præsenti textu, discrimen constituendum est inter casus, in quibus agitur de substantia, & valore rescripti, veluti si de habilitate, aut inhabilitate impetrantis agatur; & inter casus, in quibus tantùm tractatur de modo exequendi ipsum rescriptum. In primo casu dato concursu rescriptorum tempus datæ attenditur; in secundo verò tempus præsentationis: vnde cùm quæstio esset in præsenti specie circa obreptionem, seu subreptionem secundi rescripti impetrati ad simile beneficium in eadem Ecclesia, quia agebatur de valore rescripti æstimando ex prælatione inter duo rescripta, tempus datæ attenditur, quo casu etiam procedunt textus *in cap. constitutus* 19. *hoc tit. cap. gratiæ* 7. *cap. si ex tempore* 9. *hoc tit. lib.* 6. *cap. quia circa, de consang. & affin. cap.* 2. *de decimis in* 6. Docent Decius *in cap. eam te* 7. *num.* 5. *hoc tit.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 30. *num.* 41. Ideoque *in Clementina vlt. hoc tit.* attenditur similiter tempus datæ, non præsentationis; quia de validitate rescripti agebatur, vt pro ipsius textus conciliatione cum capite *quia circa* 22. *de priuilegiis*, tradit Arias de Mesa *dict. cap.* 41. *num.* 23. In secundo verò casu inspicitur tempus præsentationis, veluti in computatione termini in rescripto assignati, *cap. super eo, de appellat.* vel in computando anno, de quo *in cap. plerumque* 23. *hoc tit.* vnde cùm *in dict. cap. vt debitus*, non agatur de valore rescripti, sed de iurisdictione exercenda à iudicibus designatis in rescripto, & per consequens de eius executione, non tempus datæ, sed præsentationis attendi debet, iuxta tradita ab Arias de Mesa *dict. c.* 41. *n.* 5.

20. EXPONITVR CAP. SI CVI 29. DE PRÆBENDIS IN 6.

Sed adhuc obstat textus *in cap. si cui* 29. *de præb. in* 6. vbi cùm agatur de habilitate impetrantis rescriptum, vtrum videlicet habuisset ætatem legitimam, necne, non tempus datæ, sed præsentationis attenditur; quod etiam probatur *in cap. si quis clerici* 8. *cap. is cui* 19. *eod. tit. & lib.* igitur quia non attenditur tempus datæ, sed præsentationis. Augetur difficultas *ex cap. si eo tempore* 9. *de rescriptis, lib.* 6. vbi in eadem specie contrarium deciditur, videlicet quoad ætatem legitimam attendi tempus datæ. Pro istorum iurium expositione varia tradiderunt Glossa *in cap. ei cui* 29. *verbo Nondum.* Francus *num.* 9. quibus omissis dicendum est, verum esse, habiliratem impetrantis desiderari tempore datæ, non autem sufficere tempore præsentationis: nec contrarium probatur *ex dict. cap. ei cui* 29. nam ex eo potius suadetur, ætatem esse spectandam tempore datæ; nam illa verba, *si nondum in ætate*, referenda sunt non ad proximè immediata, sed ad tempus collationis, vt sensus illius textus sit, quod cui confertur præbenda, debet esse in ætate legitima tempore collationis. Minùs obstat textus *in dict. cap. is cui* 19. nam ibi non agitur de casu quem disputamus. Nec tandem refragatur textus *in dict. cap.* 8. quia in eo non agitur de defectu ætatis, sed de defectu gradus sacerdotalis: & magnum discrimen est inter vtrumque defectum; nam defectus ætatis vitiat rescriptum, si tempore datæ adsit: defectus verò sacerdotij potest suppleri ante præsentationem, *cap. licet* 14. *de elect. lib.* 6. nisi contrarium in ipsa iuris dispositione specialiter caueatur, *cap. nemo* 15. *de elect. in* 6. Nec etiam obstat textus *in cap. si pauper* 30. *de præb. lib.* 6. vbi videtur probari idoneitatem requiri tempore præsentationis; nam ibi non agitur de habilitate irritante, vel annullante rescriptum, sed de meritis ipsius impetrantis, quæ dari possunt tempore præsentationis, & sic illud tempus spectatur. Arias de Mesa *dict. cap.* 41. *num.* 21.

21. EXPONITVR CAP. QVAMVIS, DE PRÆB. IN 6.

Etiam aduersatur præsenti assertioni textus *in cap. quamuis* 38. *de præb. in* 6. vbi in concursu duorum rescriptorum ad beneficium, seu præbendam non præfertur qui priùs litteras impetrauit, nec tempus datæ attenditur: igitur quia non ex data, sed ex præsentatione rescripti prioritas æstimatur. Cui difficultati satisfaciendum est ex traditis suprà *in cap.* 1. videlicet præsentem textum non procedere in concursu duorum rescriptorum, quorum aliud est generale, aliud speciale; quia tunc generali derogatur per speciale, *ex dict. cap.* 1. quare tunc non attenditur tempus datæ, nec prioritas æstimatur ex tempore, sed ex forma, an videlicet generalis sit, an specialis: quo modo etiam intelliguntur textus *in cap. dudum*, §. *nos igitur, de præb. in* 6. *cap. pastoralis*, §. *quoniam, de officio deleg.* Nec tunc obstat textus difficilis *in cap. ex parte* 12. *de officio deleg.* vbi in concursu duorum rescriptorum, generalis, & specialis, attenditur tempus datæ: cuius interpretationem adduxi *in dict. cap.* 1.

CAPVT XXXI.

Idem [a] *Bituricensi Archiepiscopo, Ap. S. Leg.*

AD audientiam nostram, te significante, peruenit, quod quidam [b] laici clerici obtentis à Sede Apostolica litteris super prouisione sua in aliquibus Ecclesiis tibi lege diœcesana subiectis, ab Ecclesiis recipiunt annuas pensiones, seu alia [c] beneficia; & sic ab earum impetitione desistunt [d] renuntiantes nostrarum beneficio litterarum: deinde ad S. Apostolicam accedentes super prouisione sua obtinent alias litteras ab eadem, de litteris antea impetratis non habitâ mentione, & sic gratiâ benignitatis Apostolicæ abutentes, Ecclesias multipliciter inquietant. Ne ergo tales de suæ circumuentionis astutia glorientur, f. t. mandamus, quatenus eos qui post litteras nostras taliter [e] venditas, alias, de illis mentione non habitâ, impetrabunt de cætero, vel hactenus impetrarunt, [f] carere decernens commodo earundem, Ecclesias contra quas fuerint impetratæ, non permittas earum occasione vexari, reuocando in irritum, si quid earum prætextu inueneris esse factum.

NOTÆ

NOTÆ.

1. BITVRIGVM VBI? a *Ituricenſi.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione Honorij III. vbi *ſub tit. de præbendis*, *cap.*4. reperitur textus hic, provt in præſenti tranſcribitur. Biturigum Archiepiſcopalis Galliæ Celticæ ciuitas eſt, Metropolis Aquitaniæ, cuius meminerunt Plinius *lib.* 4. *cap.* 17. Strabo *lib.*4. Ptolemeus *lib.*2. *cap.*7. Cæſar *lib.*7. *comment.* Ex quibus eius ſitum & originem repetunt Fratres Sarmatani *tom.*1. *Galliæ chriſt. fol.*140. Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ*, Philippus Bertherius *diatrib.*2. *cap.*5. Tamayo à Salazar *in martyr. Hiſp. die* 17. *Ianuarij.* Eius Præſul Patriarcha appellatur *in cap. conqueſtus* 9. *q.* 3. Controuerſiam ſuper Primatu Aquitaniæ cum Andegauenſi Eccleſia referam *in cap. finali*, *de maiorit. & obed.* Eius Archipræſuli Simoni de Soyliaco reſcribit in præſenti Honorius, à quo vt Legatus miſſus fuit in Regnum Franciæ, vt Philippum, cognomento *Auguſtum*, inuitaret ad ſubſidium Terræ Sanctæ; & creatus fuit Cardinalis tituli S. Cæciliæ, à Gregorio IX. anno 1232. vt de ipſo referentes tradunt Chenu & Fratres Sarmatani *ſuprà.*

2. b *Laici Clerici.*] Sed nonne duo ſunt genera chriſtianorum, alij Clerici, alij Laici, *cap. duo*, 96. *diſt. cap. cleros*, 21. *diſt.* quomodo ergo confunduntur hic, & ſimul appellantur Clerici laici? Innocentius Cironius in præſenti duplici modo difficultatem diſſoluit: primò aſſerendo in præſenti, Clericos laicos appellari Canonicos illos, qui in Eccleſiis Cathedralibus deſeruiunt, ad differentiam Canonicorum Regularium, qui Clerici Regulares dicebantur, vt docuit Boſquetus *ad Innoc. pag.* 85. Secundò affirmat, laicos Clericos dici eos fideles, qui licèt in ſacris conſtituti non eſſent, tamen adſcripti erant ſeruitio Eccleſiæ, ſeque, & ſua Eccleſiæ deuouerant, de quibus in Concilio Tolet. 4. *can.* 22. Cironius 1. *obſeru.cap.*20. [illegible]

3. c *Alia beneficia.*] Ex his verbis deducunt antiquiores, penſionem beneficium eccleſiaſticum non eſſe: ſed contrarium meo videri deducitur ex hoc textu; dictio enim, *alia*, implicatiua ſimilium eſt, & in præcedentibus eandem repetit qualitatem: docent & defendunt Gigas *de penſionibus cap.*1. Nicolaus *de beneficiis lib.*1. *cap. final.* Cæſar *de eccleſiaſt. diſp.*14. 3.*p.* §.7. & nos dicemus *ad titulum de præbendis*, *in cap. niſi eſſent.* Sed ſi penſio appellatione beneficij comprehenditur, quare qui conſequitur gratiam, vt ei de beneficio in Eccleſia prouideatur, non poteſt eius virtute conſequi penſionem, *cap. quamvis* 5. *hoc tit. in* 6. Cui difficultati vt ſatisfaciat Petrus Gregorius *in præſenti*, *num.*3. aſſerit quod ſi expectans beneficium penſionem poſſet obtinere, commodo temporali gratiam beneficij commutare videretur, & crimen ſimoniæ committeret. Quæ ſententia ex eo diſplicet, quòd penſio non eſt ius merè temporale; quare in præſenti caſu non intelligitur facta commutatio rei temporalis pro ſpirituali, ſed eccleſiaſticæ pro eccleſiaſtica. Quapropter dicendum eſt, penſionem non poſſe concedi expectanti beneficium, quia licèt pro beneficio eccleſiaſtico habeatur, tamen id procedit in penſione iam conſtituta, & in eſſe deducta, non verò in penſione nondum conſtituta, quæ ſtrictè accipitur, nec rationem beneficij eccleſiaſtici habet: & ita in ea non poteſt verificari gratia expectatiua beneficij.

d *Renunciantes.*] Poteſt enim qui habet litteras ad beneficium illis propria authoritate renunciare, *cap. ſanè*, *cap. veniens*, *de renunciatione*, Clementina *Gratiæ*, *eod. tit.* 4.

e *Venditas.*] In hoc caſu non dari ſimoniam docuerunt Flaminius *lib.*14. *q.*25. *de reſig.* Barboſa *in præſenti.* Sed rectiùs affirmat dari ſimoniæ crimen Gibalinus *de ſimonia quæſt.* 14. *conſect.* 7. *fol.*197. & dicemus *in cap. inſinuatum*, *de ſimonia.* 5.

f *Carere.*] Nam ſicut qui poſſidet beneficium, tenetur illius mentionem facere in impetratione ad aliud, *cap. ad aures*, *cap. cùm adeò*, *cap. ſi proponente*, *hoc tit.* dixi latè *in d. cap. ad aures*, ex cuius commentario repetenda ſunt quæ huc ſpectant: ſic etiam debet de litteris impetratis ad beneficium obtinendum mentionem facere, licèt illis renunciaſſet, penſione ſibi conſtituta. Ratio eſt, quia omne ſuppreſſum, quo expreſſo difficilis eſſet conceſſio Pontificia, inducit ſubreptionem, & reddit gratiam invalidam, *cap. poſtulaſti* 27. *hoc tit.* ſed ſi Pontifex ſciſſet impetratorem habuiſſe litteras, & eis renunciaſſe, non ita [illegible] ſecundas concederet, cùm per primas poſſet conſequi beneficium; & cùm per eum ſtetiſſet quominùs conſequeretur, perinde habetur, ac ſi illud obtinuiſſet, argumento legis *nemo videtur*, *ff. de in integ. reſt.* tum etiam quia per illam renunciationem conſtitutâ penſione, gratia impleta videtur, & per eam beneficium conſequutum; ſubrogatâ enim penſione in locum beneficij, recipit naturam illius, in quo ſubrogatur, argumento legis *ſi eius*, §. *qui iniuriarum*, *ff. ſi quis cautionibus*, §. *fuerat*, *Inſtituta de actionibus.* 6.

CAPVT XXXII.

Gregorius IX. [a] *Mediolanenſi Archiepiſcopo.*

IN noſtra propoſuiſti præſentia, quod nonnulli Clerici à S. Ap. plures litteras (non tamen alias de aliis mentionem facientes) impetrant fraudulenter, quòd in pluribus Eccleſiis admittantur: ſicque aliquando in aliis recepti, licèt nondum in eis [b] eccleſiaſticum beneficium ſint adſecuti, alias Eccleſias ſuper receptione ſua nihilominus impetunt, & moleſtant. *Et infrà*: Mandamus quatenus eos Clericos Eccleſiis, in quibus recepti ſunt, faciens eos contentos, non permittas alias ab eis occaſione litterarum huiuſmodi [c] moleſtari, niſi de receptione fortè ſua expreſſam fecerint mentionem.

NOTÆ.

1. a *Mediolanenſi.*] Huius Eccleſiæ originem retuli *in cap. cùm adeò 17. hoc tit.*

2. b *Eccleſiaſticum.*] Ex his verbis deducunt Abbas hîc *notabili 2.* Barbatia *num.28.* Felinus *in principio*, Antonius Fabricius *in praxi benef. tit. de intitulat. num.21. & 34.* canonicatum per ſe non eſſe beneficium eccleſiaſticum, nec titulum eccleſiaſticum ſufficientem ad lucrandos fructus; cùm in præſenti aſſerat Gregorius IX. Canonicum præbendam non habentem, non obtinere beneficium eccleſiaſticum. Sed eorum ſententia refellitur *ex cap. dilecti 19. in fine de præbendis*, vbi apertè docetur, recepto in Canonicum, etiamſi præbenda illi non fuerit aſſignata, diſtributiones quotidianas eſſe præſtandas; quod etiam probatur *ex cap. cùm M. de conſtit.* quare Canonicum adhuc ei non aſſignatâ præbendâ, verè beneficiarium eſſe, rectè probant Archidiaconus & alij antiquiores, quos referunt Flaminius Patiſ. *de reſig. lib.2.q.1.num.102.* Nec contrarium docet Gregorius *in præſenti*, in illis verbis, *eccleſiaſticum beneficium*; nam omiſſis diſtinctionibus traditis à Fabricio *vbi proximè*, *num.* 24. quas refert, & refellit Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. diſp.12.3. p. n.44.* dicendum eſt, Gregorium in præſenti non negare receptum in Canonicum verè eſſe beneficiarium, ſed tantùm aſſerere non habere beneficium, id eſt præbendam; vtitur enim verbo beneficij pro præbenda; quia præbendæ appellatione comprehenditur, *cap. 1. & 2. de conceſſ. præb. cap. tua, de v. ſ.* ac ſi dicat, receptum in Canonicum, adhuc non fuiſſe aſſecutum præbendam, vt apertiùs explicatur *in cap. dilectus*, ibi: *Receptus in Canonicum præbendæ beneficio fraudatur: cap. relatum, eod.tit. cap. cùm ſuper, de conceſſ. præb.* explicat Sebaſtianus Cæſar *vbi proximè.*

c *Huiuſmodi moleſtari.*] In his verbis deciditur, quod Clericus virtute reſcripti Apoſtolici receptus in Eccleſia Cathedrali, licèt nondum in ea præbendam ſit aſſecutus, aliud reſcriptum à Pontifice impetrans de receptione ſua nullam faciens mentionem, vt in alia Eccleſia ei de beneficio prouideatur, non poteſt occaſione ſecundi reſcripti aliam moleſtare Eccleſiam, beneficium in ea petendo. Quæ deciſionis pars difficilis ex eo redditur, nam cùm ſufficiens tantùm beneficium ab impetrante poſſeſſum exprimi debeat in impetratione ſecundi reſcripti pro alio beneficio obtinendo, & is qui virtute primi reſcripti tantùm receptus eſt, nullam ſit eccleſiaſticam præbendam adeptus, vt ex noſtro textu conſtat, non debebat cogi in reſcripto pro alia præbenda impetrato de receptione ſua vllam mentionem facere. Difficultatem agnouit Gloſſa in præſenti, verbo *Beneficium*, ex cuius ſententia dicendum eſt, ſecundum reſcriptum non valere in noſtro textu, niſi de receptione in Canonicum mentio fiat; quia licèt in Canonicum receptus ex vi reſcripti primi non ſit præbendam aſſecutus, quia tamen Canonicus eſt, ius habet ad præbendam proximè vacaturam, quia non eſt congruum, vt præbenda careat, qui in Canonicum noſcitur eſſe receptus, *cap. relatum, cap. dilectus 19. de præb. cap. cùm ſuper 8. de conceſſione.* Moneta *de optione canonica, cap.1. q.1.num.3.* & ita beneficiatus reputatur: inde cùm per receptionem in Canonicum beneficium obtineat, in impetratione ſecundi reſcripti debet mentionem facere ſuæ receptionis. 3.

CAPVT XXXIII.

Idem *Epiſcopo* a *Siluanectenſi, & Abbati* b *Caroliloci.*

EX parte Decani & Capituli c Laudunenſis fuit propoſitum, quòd cùm ipſi authoritate Ap. d indulgentiæ in nobilem e virum I. excommunicationis ſententiam protuliſſent, procuratoribus partium propter hoc ad S. Apoſt. f accedentibus, & lite ſuper diuerſis g articulis conteſtatâ, nos cauſam vobis commiſimus terminandam, hoc adiecto, vt non obſtarent litteræ præter adſenſum partium h impetratæ. Dictus autem nobilis citatus propoſuit, quòd per litteras illas procedendum non erat, ex eo, quod V. qui eaſdem litteras impetrauerat, i falſus extiterat procurator, cùm ipſe ante impetrationem litterarum ipſarum propter i ſuſpicionem, quam contra eundem conceperat, mandatum ſibi traditum reuocaſſet. Eis igitur proponentibus ex aduerſo, quod ad nos, vel ad ipſos huiuſmodi k reuocatio non peruenit, vos quod deberetis per litteras ipſas procedere, per quandam l interlocutionem protuliſtis. *Et infrà:* Petente itaque procuratore ipſorum, vt inſpiceretis prædictam indulgentiam, procurator ipſius Nobilis ex aduerſo reſpondit, quod non erat per iam dictas litteras m procedendum, exhibens alias quaſdam poſteriùs impetratas, inter alia continentes, vt ſi de partium voluntate procederet, cauſam terminaretis eandem: alioquin [i]pſam ſufficienter inſtructam remitteretis ad Sed. Apoſt. & examen, cum indulgentia memorata. Quas litteras ipſi ex eo non valere dicebant, quia per eundem V. & poſt reuocationem mandati fuerant impetratæ. Quia verò iuxta generalis ſtatuta n Concilij valere non debent, niſi ſit de illis perſonis, à quibus non eſt exigendum de iure mandatum: o mandamus quatenus ſi reuocatio mandati ad procuratorem peruenit (cùm minus valere debeant litteræ, quæ impetrantur ab illo, à quo mandatum dominus reuocauit,) in negotio iuxta priorum continentiam litterarum, non obſtantibus poſterioribus, procedatis.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Siluan.*] Siluanectum à Silua Rezia dicitur : vrbs Epiſcopalis eſt in Metropoli Rhemenſi, ob ſyluam eam ciuitatem circumdantem & cingentem, ſic appellata. Patronum habuit S. Regulum ; nunc eſt dicata B. Mariæ, vt referunt Fratres Sarmatani *tom.* 3. *Galliæ, fol.* 1016. cuius Epiſcopo Guarino ſecundo reſcribit in præſenti Pontifex, de quo Rigordus ad annum 1213. ibi : *Guarinus Siluanectenſis Epiſcopus, ſentiens ſe tam ætate, quàm corpulentiâ ponderosâ inſufficientem oneri, quod iam per* 30. *annos portauerat, impetratâ à Summo Pontifice, ſicut in iure cautum eſt, licentiâ, renunciauit Epiſcopatui, & tranſtulit ſe ad Monachos Caroliloci, Ciſtercienſis Ordinis.* Alia proſequuntur de hac Eccleſia Chenu *in ea*, Boſquetus *ad Innocent. lib.* 1. *epiſt.* 1. *&* 2.

2. b *Caroliloci.*] Quatuor Abbatiæ, ſeu Prioratus huius nominis ſunt in Gallia ; tamen in præſenti ſcribit Gregorius Abbati Caroliloci, aliàs Carliloci, Ordinis Ciſterc. diœceſis Siluanectenſis ; cui etiam reſcribunt Alexander III. *in cap. cùm dilecti* 3. *de empt. & vendit.* & Innocentius III. *in cap. ex parte* 10. *de temporibus ordin.* Huius monaſterij initium & ſitum refert Robertus Claudius *in catalogo monaſt. Ciſterc.* per hæc verba : *Carlilocus, vel Carolilocus, Ciſterc. Ordinis, Siluanectenſis diœceſis, filia Pontigniaty, ab vrbe Siluanecto duabus leucis diſtans, fundatur anno* 1126. 5. *Idus Ianuarij, à Ludouico VI. Craſſo, eaque fundatio confirmatur à Ludouico VII. Rege Francorum, & Duce Aquitanorum, anno Regni ſui primo.* Alia de ipſo monaſterio adducunt Manrique *tom.* 1. *annal. Ciſterc. anno* 1136. *cap.*6. *num.*6. Fratres Sarmatani *tom.* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 219. Eius Abbati Ioanni Cadomenſi reſcribit in præſenti Gregorius.

3. c *Laudunenſis.* Hæc Eccleſia eſt Cathedralis ſuffraganea Archiepiſcopi Rhemenſis, de qua egi *in cap.* 25. *hoc tit.*

4. d *Indulgentiæ.*] Ex his verbis deducunt omnes antiquiores in præſenti, quod licèt iure communi Epiſcopis competat ius excommunicandi, cenſuraſque eccleſiaſticas imponendi, *cap. conquerente* 16. *de officio Ordin. cap. corripiantur* 24. *q.* 3. & aliis Prælatis inferioribus, ſi modò eccleſiaſticam iuriſdictionem exerceant : textus ſic accipiendi *in cap. Sacerdos* 3. *de offic. ordin. cap.* 1. *de empt. & vendit. cap. ſicut* 33. *de ſimonia, cap. cùm in Eccleſiis* 10. *de maiorit. & ob.* Couarr. *in cap. alma,* 1. *p.* §. 11. *num.* 11. Singularibus tamen perſonis, ſeu aliis, qui nullâ iuriſdictione vtuntur, excommunicandi facultas denegatur : vnde fit, quod Capitulum Eccleſiæ Cathedralis non poteſt de iure communi excommunicationem, ſeu aliam cenſuram inferre, niſi de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulgentia, *cap. quæſiui, de his quæ fiunt à Prælatis, cap. ex parte* 23. *de v. ſ.* cuius doctrinæ ratio illa eſt, quod iuriſdictio ordinaria de iure communi ad Epiſcopum pertinet, licèt illam debeat explicare cum conſenſu Capituli, *cap. Epiſcopus* 15. *q.* 7. *cap. nouit, cap. quando, de his quæ fiunt à Prælatis, cap.* 3. *de conſuetudine, lib.*6. Vnde cùm Capitulum iuriſdictione eccleſiaſticâ careat, excommunicandi, aut interdicendi poteſtatem non poterit exercere, niſi priuilegio Pontificis, vel conſuetudine legitimè præſcripta talem facultatem obtineat, *cap. irrefragabili* 13. §. *exceſſus*, & §. *cæterùm*, *de offic. ordin.* docent Sayrus *de cenſuris lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 13. plures relati à Gibalino *de cenſuris diſput.* 3. *q. vlt. fol.* 110.

5. e *Virum.*] Non expreſſit Pontifex cauſam cenſuræ, ob quam videlicet Capitulum nobilem illum excommunicatione ligaſſet. Suſpicor tamen latam fuiſſe excommunicationem ex cauſa manifeſtæ iniuriæ, vt in textu *in cap. ex parte* 23. *de v. ſ.* quæri tamen non inutiliter poſſet, an in his Hiſpaniæ Regnis nobiles excommunicari poſſint ob cauſam meri debiti ciuilis. Anſam dubitationi præbent lex 3. cum ſequenti, lex 14. *tit.*2 *lib.*6. *recopil.* quibus cauetur, nobiles propter debitum ciuile in carcerem detrudi non poſſe, quo argumento idem dicendum eſſe contendunt in excommunicatione, cùm excommunicatio non modica ſeruitutis ſit ſpecies, Gomez de Leon reſponſo 14. Ceuallos *communium q.*701. *num.*1. Felicianus *lib.*2. *de cenſibus, cap.*3. *num.*9. Latè probant Narbona *in d. l.* 14. *gloſſa* 1. Collantes *lib.*2. *pragmat. cap.* 14. ſed eorum ſententia communiter reiicitur, atque contraria communi praxi recepta eſt, tam circa nobiles mulieres, quàm circa agricolas, qui certis anni temporibus pro debito ciuili carceri mancipari nequeunt.

6. f *Accedentibus.*] Hinc apertè intelligimus, tam Capitulum, quàm nobilem virum conſtituiſſe procuratores, vt ad S. Apoſtolicam accederent : vnde deducunt Cardinalis *in præſenti*, Barboſa *num.*22. excommunicatum procuratorem in iudicio conſtituere poſſe, immò & neceſſariò illum conſtituere teneri, *ex cap. intelleximus, de iudiciis :* docent plures, quos refert & ſequitur Balboa *ibi, num.*70. licèt contrarium defendant alij ab eo citati *num.*69.

7. g *Articulis.*] Hinc etiam colligitur, poſſe in vno, eodemque iudicio ſimul plures quæſtiones agitari ; quod etiam docetur *in l. hæredes* 25. §. *de pluribus, ff. familiæ erciſc. l. cùm duobus* 52. §. *ſi plures, ff. pro ſocio, cap.*2. *de capel. monach.* idque receptum eſt causâ finiendarum litium ; quod tamen ita accipiendum eſt, ſi modò in vno, eodemque iudicio proponantur diuerſæ actiones, non eiuſdem rei, ſed ex diuerſis cauſis, & ad diuerſas res, *l. ſi idem* 11. *ff. de iuriſdict. l. vlt. in principio, C. de annal. except.* & quamvis non ſatis conſtet inter Doctores, an vnus in hoc caſu libellus ſit, an plures ; frequentiùs tamen obtinuit vnicum eſſe, licèt actiones ſint diuerſæ : docent *in l. edita, C. de edendo*, Caſtrenſis & Alexander, Cagnolus *num.* 247. vnde ad praxim noto, ſententiam ſuper tali libello latam, vnicam eſſe, ex eaque vnam tantùm decimam deberi. Cagnolus *vbi ſuprà, num.*254.

8. h *Impetratæ.*] Regulariter enim reſcripta ad lites impetrata valent etiam ſine conſenſu vtriuſque litigatoris : à qua regula duo caſus excipiuntur. Primus eſt, quando Pontifex nominatim adiecit, vt non valeat abſque conſenſu vtriuſque partis ; tunc enim formam reſcripti ſeruari oportet, adeò vt rectè exiſtimet Gloſſa hîc, quod licèt Nobilis iſte non reuocaſſet mandatum procuratorium, adhuc poſteriores litteræ ſine conſenſu partium impetratæ non valerent, ex vi huius adiectionis. Secundus caſus proponitur *in cap. cæterùm* 3. *hoc tit.* quando ſcilicet primum reſcriptum fuit impetratum de communi litigantium conſenſu ; quo caſu ſecundum obtineri non poteſt, niſi habita mentione prioris, & promiſcui conſenſus : explicat Barboſa hîc *num.*34.

i *Falſus.*]

9. i *Falsus.*] Ex quibus verbis colligitur, post reuocationem mandati procuratorem falsum dici; quare nobilis iste intendebat rescriptum impetratum à procuratore reuocato, tanquam à falso procuratore, non valere. Planè illud sciendum est, illum dici propriè procuratorem falsum, qui procurator non est, sed se negotiis alienis offert, simulando se mandatum habere, decipiendi animo, *l. falsus* 44. §. 1. *l. si vendidero* 80. §. *si Titius*, & §. *vlt. ff. de furtis*, *l. falsus* 19. *C. eod. l. si quis* 18. *in fine*, *ff. de solutionibus*, *l.* 1. §. *quotiens*, *ff. de vi & vi armata*, *l.* 3. §. *vlt. ff. rem ratam haberi*, *l. si procuratorem* 14. *ff. de condict. causa*, *l.* 1. §. *vlt. ff. quod iussu*, *l. licèt* 56. *ff. de iudiciis*, *l. licet* 24. *C. de procuratoribus.* Dicitur item falsus procurator ille, qui cùm mandatum haberet, postea dominus reuocauit, & scienter perseuerat, simulatque se esse procuratorem, *cap. in nostra* 4. *de procuratorib.* & quamvis in nostro textu falsus procurator dicatur ille, qui reuocatus erat, & non certior factus, vt docet Glossa verbo *Falsus*; tamen vt rectè considerat Barbosa *n.* 37. In his verbis continetur partis allegatio, non Pontificis responsum. Notandum etiam est, gesta per falsum procuratorem posse à domino rata haberi, *d.l. licet* 56. *d.l. si procurator* 14. *l. si pupilli* 6. §. *item*, *ff. de negotiis gestis*, nullâ habitâ differentiâ inter falsum procuratorem, & reuocatum: sed hoc ita accipiendum est, dummodò ante ratihabitionem aduersa pars non opposuerit falsitatem mandati. Azeuedo *in l. vlt. num.* 7. *tit.* 21. *lib.* 4. *recop.* Barbosa *in l. alia*, §. *eleganter*, *num.* 5 *ff. soluto matrim.* Gutierrez *consilio* 9. *num.* 4. Farinacius *decis.* 1. *in nouissimis.* Quod verò Glossa in præsenti, verbo *Procurator*, discrimen constituit inter falsum procuratorem, & reuocatum, procedere debet cùm agimus de procuratore reuocato, & non certiorato; nam procurator falsus, seu denuntiatus de reuocatione, nec dominum obligat, nec soluentem liberat: procurator verò reuocatus, si ignoret reuocationem, & dominum obligat, & soluentem liberat ipso iure, si modò vterque, procurator & debitor, ignorans sit, *l. si seruus* 32. *l. qui hominem* 34. §. *si Titium*, *l. cùm quis* 38. §. 1. *ff. de solutionib. l. eius qui* 41. §. *placebat*, *ff. de rebus creditis.* Planè si debitor ignorans soluat procuratori scienti reuocationem, & simulanti, debitor non ipso iure, sed ope exceptionis liberatur, si modò paratus sit cedere condictionem furtiuam, quam habuit contra procuratorem, *d.l. cùm quis* 38. §. *is cui.* Nec obstat lex *si quis* 28. *in fine*, *ff. de solutionibus*, dum ait in hac specie debitorem simpliciter liberari. Cui respondet Cuiacius *tract.* 7. *ad Africanum*, *in d.* §. 1. textum illum exponendum esse de liberatione per exceptionem: nec nouum est in iure, vt liberari dicatur, qui per exceptionem liberatur, *l. qui hominem* 34. §. *stipulatus*, *ff. de solution.* iunctâ lege vltimâ, §. *cùm mihi*, *ff. de v. s.* docet Osuald. *lib.* 16. *Donelli*, *cap.* 10. *littera P.*

10. j *Suspicionem.*] Licèt enim regulariter post litem contestatam dominus non possit sine causa procuratorem reuocare, vt ante litis ingressum, *l. ante* 16. *cum l. sequent. ff. de procurat. l. procuratoribus* 22. *C. eod. tit. cap.* 2. *eod. tit. in* 6. *l.* 23. *&* 24. *tit.* 5. *partita* 3. Donellus *lib.* 18. *comment. cap.* 17. vbi Osuald. *littera B.* si tamen iusta causa interueniat, poterit etiam post litem contestatam eum reuocare. Iustæ autem causæ recensentur *in leg. post* 19. cum sequenti, *ff. de procurat.* in quarum numero refertur suspicionis causa, cuius meminit Gregorius in præsenti. Differentiæ ratio inter istos casus ex eo prouenit, quia ante litem contestatam res integra est, *l.* 3. *C. mandati*; & ideò mandatum potest reuocari, §. *rectè*, *Instit. mandati*: post litem verò contestatam procurator litis eius dominus fit, vnde sine causa reuocari non valet. Nec differentiam hanc euertit textus *in l. is cuius* 64. *ff. de procurat.* vbi etiam ante litem contestatam causæ cognitio necessaria est, vt remoto procuratore dominus iudicium per se suscipere possit. Quæ difficultas adeò pressit Cuiacium *lib.* 22. *obseru. cap.* 10. vt coactus sit asserere, illa verba, *causâ cognitâ*, in eo textu abundare. Sed eâ, & aliis solutionibus omissis, traditis ab Accursio *ibi*, Iulio Pacio *centur.* 2. *q.* 32. dicendum est cum Alberico, quem sequitur Osualdus *dict. cap.* 17. *littera B.* textum illum accipiendum esse non de procuratore, sed de defensore, qui se liti obtulit sine mandato, qui cùm effectu solus ad iudicatum faciendum & soluendum teneatur, æquum non est sine causæ cognitione à domino reuocari.

k *Reuocatio.*] Quæ quomodo fieri debeat, dicemus latè, Deo annuente, *in cap. mandato*, *de procuratoribus.* 11.

l *Interloquutoriam.*] Propria fuit interloquutoria sententia, quæ ex eo dicta est, quia interim dum iudex sententiam definitiuam profert, loquitur aliquid iubendo, *l. ex stipulatione* 7. *C. de sentent. & interl. l. id ergo*, §. *quantum*, *ff. de his qui notantur.* Docent Donellus *lib.* 27. *comment. cap.* 1. vbi Osuald. *littera B.* Treutlerus *volumine* 2. *select. disp.* 23. *thesi* 1. Valentia *lib.* 2. *illustr. tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. licèt aliquando interloquutio significet vocem iudicis admonentis, vt *in l. in testamento* 38. *ff. de fideicommiss. libert.* & aliquando sententiam definitiuam importet, *l.* 3. §. 1. *ff. de offic. Præfect. vig.* dicemus fusè *in cap. super eo* 12. *de appellat.* 12.

m *Procedendum.*] Quod verum erat, si cum mandato procurator non reuocatus impetrasset secundas litteras, priorum factâ mentione, vt exponit Moneta *de commut. cap.* 6. *num.* 369. & nos diximus suprà *in cap. si autem* 9. 13.

n *Concilij.*] Lateranensis videlicet, relati *in cap. nonnulli*, §. *sunt*, vbi notaui, *hoc tit.* 14.

o *Mandamus.*] Concludit Pontifex, priores litteras, non verò posteriores ab eodem procuratore impetratas, valuisse: sed cur magis primæ quàm secundæ sustineantur, quandoquidem ambæ ab eodem procuratore reuocato impetratæ fuerunt, difficilis inspectionis est, & quæ antiquorum Interpretum ingenia torsit, in variasque traxit sententias, vt videre est apud Glossam hîc, verbo *Propter*, Innocentium, Ioannem Andream, Cardinalem *oppositi.* 3. Barbat. *num.* 97. Ex quibus illa frequentior resolutio est, quod priores litteræ fuerunt in iudicio impetratæ, posteriores verò extra iudicium: quo fit vt priores valuissent, quia procuratoris reuocati notitia ad iudicem, aut aduersarium non peruenerat, quæ necessaria erat, ex adducendis *in d. cap. mandato*; posteriores verò inutiles fuerunt, quia satis erat ad illarum inualiditatem, quod solus procurator de reuocatione certior fieret. Sed hæc communis interpretatio displicuit Butrio *in præsenti*, *num.* 29. ex eo, quod in præsenti quæstione non potest constitui vlla differentia inter iudicialia rescripta, & extraiudicialia; & quia admissâ etiam hac differentiâ, tam priores, 15.

priores, quàm poſteriores litteræ iudiciales dici debebant, vt docent Abbas *hic*, *num.* 10. Barbatia *num.* 96. Quare hac, & aliis exploſis ſolutionibus, probabilior videtur expoſitio Abbatis *hic*, *num.* 11. qui ait, in præſenti caſu ideò prævalere priores litteras, quia procurator reuocatus illas impetrauit, ignorante alio Capituli procuratore reuocationem; cùm enim ille procurator diſtinctus eſſet ad proſequendam litem cum Capitulo, ſeu eius procuratore, geſta per Capitulum cum falſo procuratore tenuerunt antequam de eius reuocatione certior haberetur, *l. ſi fideiuſſor* 29. §. 1. *ff. mandati*: planè ſecundum reſcriptum à procuratore fuit impetratum in vtilitatem domini reuocantis, ideoque ad eius nullitatem neceſſe non fuit, niſi vt ſolus ipſe procurator certior fieret, cùm alterius non interſit: & hinc prouenit ratio, quare in præſenti textu ſignanter expendatur, circa primum reſcriptum reuocationis notitiam ad aduerſarium non peruenisſe, non ita circa ſecundum, quia in ſecundo reſcripto aduerſarius in nullam captionem incidebat, quæ in primo caſu ſine dubio contingeret, ſi reuocatio vtilis eſſet. Abbatem ſequitur Barboſa *in præſenti*.

CAPVT XXXIV.

Idem *Decano & Magiſt. G. Canonic.* [a] *Leodienſi.*

Significante V. nos noueris accepiſſe, quod cùm R. contra V. [b] Rhemenſis diœceſis ſuper quibuſdam [c] pannis, & aliis, ad iudices litteras impetraſſet, idem V. excipiendo propoſuit, quod cùm idem, non de Rhemenſi, ſed de Leodienſi diœceſi exiſteret, per huiuſmodi litteras (cùm de diœceſi Leodienſi non facerent aliquam mentionem) conuenire de iure non poterat, nec debebat. Et quia exceptionem huiuſmodi admittere denegarunt, noſtram audientiam appellauit. Ideoque mandamus quatenus ſi eſt ita, reuocato in irritum, &c.

NOTÆ.

1. a *Leodienſi.*] Leodium ciuitas eſt antiqua Eburorum, totius principatus Leodienſis caput, cuius ſitum & antiquitatem referunt Bucherus *in Belgico Romano*, *fol.* 589. Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Chriſt. fol.* 638. In ea ſunt duæ Eccleſiæ æquè Cathedrales; alia S. Ioannis Euangeliſtæ, alia S. Dionyſij, quarum mentio extat *in cap. veniens*, *de renunt.* vbi notauit Cironius. De dignitatibus Decani & Magiſtri Scholæ egi *in cap.* 2. *cap. cùm dilecta* 22. *hoc tit.*

2. b *Rhemenſis.*] Quæ eſt Metropolis Galliæ, vt probaui *in cap. olim* 25. *hoc tit.*

3. c *Pannis.*] Apud nos, *paños*; vnde Pannifer dicitur qui pannos texit, vt probat Ioannes Voſſius *de vitiis ſerm. verbo Pannifer.* Textum hunc expoſui ſuprà *in cap. ſuper* 20. *num. finali.*

CAPVT XXXV.

Idem *Priori* [a] *S. Laudinenſis, &* [b] *Succentori Rhotomagenſi.*

Rodulphus Clericus Rector Eccleſiæ S. Chriſtophori de ciuitate [c] Sagienſi, ſuâ nobis inſinuatione monſtrauit, quod cùm Magiſter R. eum per quaſdam litteras contra Epiſcopum Sagienſem, & quoſdam alios Sagienſis diœceſis, ſuper redditibus & rebus aliis impetratas à nobis coram iudicibus ſuper eadem Eccleſia per generalem clauſulam (quidam alij) conueniſſet, idem Rector propoſuit excipiendo, quod cùm eſſet de ciuitate Sagienſi, & ſub eadem clauſula nullus de ciuitate ipſa intelligatur incluſus, conueniri non poterat per eandem: & quia dicti iudices exceptionem huiuſmodi recuſarunt admittere, noſtram audientiam appellauit. Ideoque mandamus quatenus ſi eſt ita, reuocetis in irritum, &c.

NOTÆ.

1. a *S. Laudinenſis.*] Cùm nulla reperiatur Eccleſia huius nominis in Metropoli Rhotomagenſi, aut diœceſi Sagienſi; reperiatur autem monaſterium S. Audoeni in Rhotomagenſi diœceſi, de quo plura Fratres Sarmatani *tom.* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 101. credebam in præſenti legendum eſſe S. Audoeni. De diœceſi Rhotomagenſi iam nonnulla adduxiſuprà *in cap. cùm contingat.*

2. b *Succentori.*] Succentor eſt, qui præcentori canenti canendo reſpondet. D. Iſidorus *lib.* 7. *etymolog.* D. Baſilius *epiſt.* 63. ibi: *Cùm id muneris datur, vt quid canendum eſt, prior ordinatus; qui ſuccinat:* cuius officium ſpectabat ad ſcholam Cantorum, vt dicemus *in tit. de officio Primiceriy.*

3. c *Sagienſi.* Sagienſis, ſiue Saicorum ciuitas, eſt prouinciæ ſecundæ Lugdunenſis, ſub Archiepiſcopatu Rhotomagenſi, cuius etiam mentio fit *in cap. ex inſinuatione*, *de procurat.* Eius ſitum, & originem referunt Fratres Sarm. *tom.* 3. *Galliæ Chriſt. fol.* 971. Chenu *in Chronol. Galliæ*, *in ipſa Eccleſia.* In præſenti agitur de Geruaſio 1. qui eam Eccleſiam rexit vſque ad annum 1228.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Idem *Abbati* a *S. Iacobi.*

SIgnificauit nobis Comitiſſa Namurenſis, quod cùm mortuo Comite fratre ſuo, ipſa in eius ſucceſſerit b Comitatu, G. & B. per quaſdam litteras Apoſtolicas contra c Tullenſ. Epiſcopum, & quoſdam aliquos Clericos impetratas, eam coram iudicibus (ad quos obtentæ fuerant) ſuper quadam ſumma pecuniæ, quam eidem fratri ſuo ſe mutuaſſe dicebant, per illam generalem clauſulam (quidam alij) quia in prædicto Comitatu ſucceſſerat, conuenerunt. Excipiente itaque procuratore ſuo, quod cùm adhuc frater eiuſdem mulieris viueret, quando eædem litteræ impetratæ fuerunt, nec per ipſas dum viueret, fuerat ad iudicium euocatus, earum authoritate non poterat conueniri. Et quia iudices exceptionem non admittebant ipſius, noſtram audientiam appellauit. *Et infrà*: Ideoque mandamus, quatenus ſi eſt ita, reuocato in irritum, &c.

NOTÆ.

1. a *S. Iacobi.*] Monaſterium S. Iacobi, & Chriſtophori in Epiſcopatu Tullenſi eſt, Ordinis S. Benedicti, vt refert Tamburinus *in ſerie Abbatiarum, verbo Tullenſis.*

2. b *Comitatu.*] In Gallia enim, vbi eſt Namur, fœminæ non excluduntur à feudis, *cap.* 18. *de conſuet. cap. finali, de conceſſ. præb. cap. Abbate* 25. *de v. ſ.* & ſuccedunt in eis, vt probat Arniſeus 2. *p. de iure reipub. ſect.* 12. *num.* 2. Præfertur autem filius fœminæ, vt ſine controuerſia ab omnibus ſcribentibus admittitur.

3. c Tullenſem.] De Eccleſia Tullenſi egi *in cap. cùm acceſſiſſent, de conſtitut.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR. EX his tribus deciſionibus ſequens deducitur diſputanda aſſertio: *Reſcriptum iuſtitiæ impetratum contra Petrum ciuem vnius diœceſis, non extenditur contra Petrum incolam alterius ciuitatis, aut diœceſis, aut eo defuncto contra eius hæredem.* Probant eam textus *in cap. paſtoralis, in fine, cap. vlt. hoc tit. cap. cùm olim* 31. *cap. licet, cap. P. & G. de officio deleg. cap. ex parte, cap. compromiſſum, de arbitris, cap.* 2. *cap. ſuſceptis* 6. *hoc tit. in* 6. *cap. finali, de præbendis, eod. lib. cap. accuſator, §. ſi verò, de hæreticis, eod. lib. l.* 2. *C. de diuerſis reſcriptis.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, Petrus Gregorius *in præſenti*, & *lib.* 74. *ſyntagm. cap.* 3. Oſualdus *lib.* 17. *Donelli, c.* 10. *littera P.* Sahagun *in cap.* 1. *de alienat. iudicy.* Cuiacius, Alciatus, Vega, & Balboa *in cap. quia* 11. *de iudiciis*, Morla *in emporio, tit.* 2. *de iuriſdict. q.* 21. Moneta *de commut. cap.* 6. *num.* 363. & *cap.* 8. *num.* 305. & *de conſeruatoribus cap.* 10. *num.* 199. Tuſchus *littera R. concluſione* 213. *num.* 13. Fachineus *lib.* 6. *controu. cap.* 66. plurimi relati à Salgado *de retent. Bullarum lib.* 2. *cap.* 12. *per totum*, Arellano *in antinom. antinomia* 3. Fermoſinus *in cap. quia, de iudiciis, q.* 1. Baſilius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 2. *num.* 21. Alexander Ludouiſius *deciſ.* 34. Ioannes Andreas *in regula Qui in ius, de reg. iuris lib.* 6. Gothofredus *in l. finali, C. Theodoſ. de diuerſis reſcriptis.*

5. TRADITVR RATIO DVBITANDI. Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequentibus argumentis. Primum ex eo naſcitur, nam demonſtratio falſa non vitiat diſpoſitionem, *l. cùm tale, §. falſa, ff. de condit. & demonſt.* §. *falſa, Inſtit. de legatis, l. demonſtratio* 17. *ff. eod. tit.* quia dum de corpore conſtat, de demonſtratione non curatur, *l. falſa, l. nominatim* 34. cum aliis, *ff. de condit. & demonſt.* Igitur ſi de perſona Petri conſtat, quamvis erretur in demonſtratione diœceſis, vel ciuitatis, reſcriptum vires obtinet, & per illud poteſt conueniri. Secundum aduerſus ſecundam noſtri partem, vbi aſſerimus, aduerſus hæredem, ſeu ſucceſſorem non tranſire reſcriptum impetratum contra prædeceſſorem, ex eo prouenit, nam certum eſt hæredem vniuerſalem repræſentare defunctum, cum ſuis cauſis, vitiis & obligationibus, *l. hæres* 22. *ff. de vſucap. authent. de iureiurando, in principio, collat.* 5. Hothomanus *illuſtrium quæſt.* 25. ideoque omnibus obligationibus, & actionibus ex contractibus, vel quaſi prouenientibus, quibus tenebatur defunctus, & ipſe hæres tenetur, *l. ex contractibus* 48. *l. ex depoſiti, ff. de obl. & act.* latè Pichardus *in §.* 1. *Inſtit. de perpetuis & temp.* Sed reſcriptum iuſtitiæ tantùm conceditur ad exercitium actionum, quæ oriuntur ex dictis obligationibus: ergo ſicut actiones tranſeunt ad hæredem, ita & reſcriptum; & per conſequens eo reſcripto, quo conueniri poterat defunctus, & eius hæres conueniri valet. Augetur primò hoc argumentum ex ſatis vulgari principio, quo docetur, hæredem conueniendum eſſe coram eodem iudice, coram quo teſtator conueniri poterat, *l. hæres* 19. vbi plura Petrus Barboſa, *ff. de iudiciis, l.* 32. *tit.* 2. *part.* 3. quia quoad forum nullam ex perſona hæredis obligatio defuncti accipit diuerſitatem, vt pluribus ampliationibus, & limitationibus latè illuſtrantes docent Carleual. *de iudiciis diſput.* 2. 2. *tom. q.* 5. Fermoſinus *in d. cap. quia, de iudiciis, q.* 8. ergo ſi prædeceſſor virtute reſcripti poterat conueniri coram iudice deſignato in reſcripto, & ſucceſſor poterit coram eodem iudice ſimiliter conueniri. Secundò augetur hæc difficultas, nam certum eſt, lite conteſtatâ inſtantiam iam inceptam tranſire in ſucceſſorem, *l. in hoc iudicio, ff. familiæ erciſcundæ, cap. penult. de officio deleg.* docent Caſtillo *lib.* 2. *controu. cap.* 9. *per totum*, Fermoſinus *in d. cap. quia* 11. *q.* 7. ſed oblatio precum, & conceſſio Principis, quæ concurrunt in reſcripto, pro lite conteſtata habentur, *l.* 1. *C. quando libellus Principi datus*, quæ pars eſt legis *poſt celebratam, C. Theodoſ. de denunt. l. illam* 33. *Codice de donationibus, l. non dubium, C. Theodoſ. de diuerſis reſcriptis*: ergo poſt

reſcriptum

reſcriptum impetratum conueniri poteſt, non ſolùm qui in eo nominatus eſt, verùm & eius ſucceſſor, cùm per litis conteſtationem iam non ſit res integra, vt expreſsè docetur *in l. final. Cod. Theodoſ. de diuerſis reſcriptis.*

6. RESCRIPTA STRICTA SVNT. Quibus argumentis minimè obſtantibus verum eſt, reſcripta non extendi ad alias perſonas præter deſignatas in ipſis, ita vt ſi reſcriptum impetretur contra vnum, alius etiam eiuſdem nominis conueniri non poſſit; vt ſi impetretur reſcriptum contra Petrum diœceſis Salmantinæ, non poteſt conueniri eo reſcripto Petrus diœceſis Zamorenſis, ex præſenti capite *ſignificante*; nec Petrus incola ipſius ciuitatis, *dict. cap. Rodulphus:* ſimiliter ſi reſcriptum impetretur contra aliquod monaſterium ſuper re ad monaſterium ſpectante, non poterit conueniri Abbas ipſius monaſterij: vel è contra, ſi reſcriptum concedatur contra Abbatem, non poterit conueniri monaſterium, cùm diſtinctæ ſint res monaſterij, & Abbatis, *cap. edoceri* 22. *hoc tit.* Nec ſolùm aliæ perſonæ extraneæ in reſcripto non deſignatæ conueniri non poſſunt, verùm nec ſucceſſores, vel hæredes illius perſonæ, quæ expreſſa fuerat in reſcripto, *cap. ſignificauit* 36. *hoc tit.* Sicut enim morte aut delegantis, aut delegati re integrâ expirat iuriſdictio delegata, *cap. gratum, cap. relatum, cap. licèt, de offic. deleg.* ita mortuo eo aduersùs quem reſcriptum impetratur, expirat, quia reſcriptum non extenditur ad perſonas incognitas, *cap. finali, hoc tit.* faciunt lex *ſi deceſſerit* 4. *ff. qui ſatisdare*, lex *Paulus* 2. *ff. quæ ſententia ſine appellat.* Moez *in cap. 2. hoc tit. lib. 6. num. 16.*

7. DE CLAVSVLA, QVIDAM ALII. Quæ omnia licèt procedant in reſcriptis generaliter & indiſtinctè impetratis, tamen ſi in illis adiecta ſit clauſula illa, *Quidam alij, omneſque alios ſua intereſſe putantes*; tunc alij non deſignati in reſcripto, coram iudicibus in eo datis conueniri poſſunt, *cap. ſedes, hoc tit. cap. cùm in multis 2. eod. tit. lib. 6.* Martha *de clauſulis p. 1. clauſula* 86. Barboſa *eod. tract. clauſ.* 94. Moneta *de conſeruat. cap. 6. num.* 367. plures relati à Salgado *de ſupplic. ad ſanctiſſim. 2. p. cap.* 12. *per totum*: ſed licèt virtute huius clauſulæ poſſent conueniri omnes alij quorum intereſſe vertebatur in ipſo negotio, tamen hodie poſt conſtitutionem textus *in dict. cap. cùm in multis, hoc tit. lib. 6.* vltra tres, aut quatuor conueniri nequeunt, vt ſic fraudi occurratur, vt ait Pontifex in eo textu: & debet impetrator reſcripti illorum nomina expreſsè demonſtrare, adeò quod ante citationem debeat fieri hæc nominatio eorum, qui conueniendi ſunt virtute prædictæ clauſulæ: nec iudex datus in eo reſcripto habet antè iuriſdictionem, quæ interim eſt incerta, Barboſa *vbi ſupra, num.* 7. Salgado *num.* 9. nec vigore dictæ clauſulæ poſſunt conueniri perſonæ priuilegiatæ, niſi factâ ſpeciali earum mentione, *cap. ſedes, hoc tit.* nec comprehendit prædicta clauſula perſonas maiores, vt Principes, nec alias qualificatas, *dict. cap. ſedes*, nec vniuerſitates, Eccleſiarum Capitula, aut Collegia, ſeu ſimiles communitates, quas enumerat Moneta *dict. cap. 6. num. 362.*

8. TRADITVR RATIO DECISIONIS. His ſuppoſitis ratio præſentis concluſionis, videlicet reſcripto generaliter impetrato, conueniri non poſſe niſi perſonas in eo deſignatas, non alias, nec earum hæredes, ex eo prouenit: nam iuriſdictio, quæ per reſcriptum iuſtitiæ committitur, ac delegatur, eſt odioſa, & ſtricta, *cap. cauſam* 16. *cap. prudentiam* 23. *cum tribus ſequent. de officio deleg. cap. ad aures* 8. *cap. ad hæc* 10. *cap. paſtoralis* 14. *cap. ſedes* 15. *hoc tit.* Marcus Antonius *lib. 1. inſtitut. tit. 4. n. 10.* Petrus Greg. *lib. 24. ſyntagm. cap. 3.* & *in cap. ex parte, hoc tit.* Morla *dict. quæſt. 21.* ergo protrahi non debet vltra perſonas in reſcripto deſignatas. Accedit, nam reſcripta contra perſonas incertas iure expediri non poſſunt, *cap. finali, hoc tit. cap. P. & G. de officio deleg.* Igitur perſonæ non deſignatæ in reſcripto, eo conueniri non poſſunt. Deinde, nam iuriſdictio in reſcripto conceſſa pendet à voluntate & intentione delegantis, *cap. gratum*, cum aliis, *de officio deleg.* ſed voluntas delegantis fuit, vt vi illius reſcripti poſſent conueniri in eo deſignati: igitur ad alios extendi non poteſt. Quæ quidem ratio procedit in ſucceſſore eius, qui reſcripto deſignatus eſt; nam mortuo eo contra quem reſcriptum impetratur, neceſsè illud corruit, cùm non conſtitiſſet in perſona conuenienda in reſcripto deſignata, *l. 2. ff. quæ ſententia ſine appellat.* vnde audiendi non ſunt Abbas, Innocentius, Ioannes Andreas, & Butrius, omneſque ferè antiquiores, quos ſequuntur Vega *in dict. cap. quia* 11. *num.* 31. Moneta *dicto cap. 6. num.* 306. aſſerentes, per reſcriptum impetratum contra certam perſonam, conueniri poſſe eius hæredem, etiamſi perſona deſignata deceſſerit re integrâ; qui accipiunt textum *in dict. cap. ſignificauit*, eo caſu, quo reſcriptum impetratum fuit cum clauſula, *& quidam alij*; tunc enim aiunt dicti Interpretes, quod ſi ex perſonis non deſignatis aliqua deceſſerit, hæres eius non poteſt conueniri. Sed hæc ſententia ex ſuprà dictis facilè conuincitur; verius enim eſt, ſiue cum clauſula, *& quidam alij*, ſiue ſine ea ſpecialis perſona deſignetur, ſi ea tamen decedat re integrâ, eius hæredem conueniri prædicto reſcripto non poſſe, ſed neceſſarium eſſe nouum impetrare contra ipſum, vt ex pluribus defendit Salgado *d. cap. 12. num. 24.*

9. DISSOLVVNTVR ARGVMENTA. Nec obſtant argumenta in contrarium adducta. Non primum deductum *ex dict. l. falſa demonſtratio*; nam licèt principium illud procedat in legatis, & vltimis voluntatibus, non tamen admittitur in reſcriptis, quorum natura odioſa, & ſtricta eſt; nec poteſt extendi vltra ea, quæ expreſſa ſunt, tantumque videtur diſpoſitum, quantum expreſſum, vt ſuprà probaui. Nec ſecundum argumentum aſſertionem noſtram euertit; nam licèt hæredes ſuccedant in vniuerſum ius defuncti, ita vt obligationibus, & actionibus, quibus defunctus tenebatur, & ipſi obſtringantur; tamen non tenentur reſcripto contra defunctum impetrato, poteſt enim conueniri hæres, aut coram eius iudice ordinario, aut coram delegato, virtute alterius reſcripti; & ſic coram eo conuentus, & damnatus ſoluere cogitur. Nec augmentum primum ipſius difficultatis refragatur; nam procedit cùm defunctus re non integrâ, ſed lite cum eo conteſtatâ deceſſit; ad hoc enim vt ſucceſſor conueniri poſſet coram iudice alieno, coram quo defunctus conueniri poterat, neceſſe eſt, vt iudicium ſit cœptum cum defuncto, ita vt ſi in eius vita iuriſdictio non fuerit fundata, non coram eo iudice, ſed coram ſuo, ordinario videlicet, conueniendus erit, *l. ſi conſtante*, §. *finali, ff. ſolut. matrim. l. ſi is qui Romæ, l. ſi petitor* 31 *ff. de iudiciis*: illuſtrant varias inde

inde in praxi quæstiones resoluentes Carleual. *suprà*, Salgado *vbi suprà*, *num.* 30. Fermosinus *in dict. cap. quia, vers. de iudiciis*, *quæst.* 11. Nec vltimum augmentum difficultatis obstat, quia procedit iure ciuili attento, quo inspecto, rescripta perpetua erant; vnde ab hæredibus, & contra hæredes allegari posse docetur *in l. finali*, *C. Theodos. de diuersis rescriptis*, vbi legendum esse, *nec aboleri casibus impetrantium*, placuit Fornerio *in l.* 162. §. *si quis*, *ff. de v. s.* non, *impetratum*, vt communiter legitur. Quod antea constitutum lego à Constantino *in l.* 2. *C. Theodos. de diuersis rescriptis*. At verò iure canonico rescripta perpetua non sunt, vnde contra hæredes non dantur. Nec obstat, quod oblatio precum, & responsum Principis pro litis contestatione habetur, *l.* 1. *C. quando libellus*; nam id procedit ex ipso iure ciuili, ob causam præscriptionis, vt ita perituris actionibus succurreretur; quare non quoad omnia oblatio precum pro litis contestatione habetur; & cùm iure hoc Pontificio attento litis contestatio non inducatur ex sola rescripti impetratione, sed ex conquestione vnius partis, & alterius responsione, *cap. relatum*, *de officio deleg. cap.* 1. *de litis contest.* ideò rescriptum impetratum contra prædecessorem non datur in successorem, nisi lis fuerit contestata cum defuncto; tunc enim quia res integra non est, iudicium transit in hæredem: docet Cironius *in paratit. ad hunc titulum.*

10. EXPONITVR CAP. DILECTI II. DE FORO COMPET.

Sed præsenti assertioni primò obstat textus *in cap. dilecti*, *de foro compet.* vbi proponitur, quosdam ciues Romanos mutuam pecuniam credidisse Episcopo Dunelmensi, tunc negotia suæ Ecclesiæ Romæ procuranti, quam pecuniam Episcopus promisit se certo loco soluturum; sed in solutione eo cessante, ciues Romani litteras impetrarunt ad Abbatem S. Genouefæ, vt coram eo possent conuenire prædictum Episcopum; sed cùm re integrâ adhuc non citatus Episcopus decessisset, Romani ciues intendebant conuenire ratione ipsius rescripti eius successorem in Ecclesia Dunelmensi: successor opposuit, quod cùm Anglus esset, habebat priuilegium, ne extra prouinciam, & trans mare conueniri posset. Consultus fuit Gregorius IX. qui rescripsit, successorem Episcopi conueniri potuisse litteris prædictis contra prædecessorem impetratis, & compelli ab ipso Abbate pecuniam mutuò acceptam à prædecessore soluere: ex quo textu expressè colligitur, & deducit Glossa in eo, successorem conueniri posse litteris impetratis contra prædecessorem. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, ideò in ea specie successorem potuisse conueniri per rescriptum contra Episcopum Dunelmensem eius prædecessorem impetratum, & cogi pecuniam mutuò acceptam soluere, quia rescriptum impetratum fuit non sub nomine proprio, sed potiùs dignitatis, videlicet contra Episcopum Dunelmensem; & quia mutuum contractum fuerat intuitu dignitatis; & quoties debitum contrahitur ratione dignitatis, potest ille qui in dignitate successit, conueniri, & ad illius solutionem cogi, *cap.* 1. *de solut. cap.* 1. *de depositio*, *cap.* 2. *de precario*. Plura Fermosinus *in cap. quia*, *vers. de iudiciis*, *q.* 11. 12. 16. & 18. quia dignitas nunquam moritur, *cap. quoniam*, *de offic. deleg. cap. si gratiosè*, *de rescriptis in* 6. Molina *de primogeniis lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 15. Luna, & Arellanus *dicta antinom.* 3. *num.* 5. Vnde cùm Episcopus Dunelmensis semper idem crederetur, ideò rescripto impetrato contra prædecessorem successor conueniri valet.

11. EXPLICATVR CAP. QVIA, DE IVDICIIS.

Secundò præsenti assertioni obstat textus difficilis, licèt vulgò notus, *in cap. quia*, *vers.* 11. *de iudiciis*, vbi proponitur Petrum certam Ecclesiam per violentiam occupasse, & cùm Ioannes spoliatus rescriptum impetraret, vt restitueretur illi sua Ecclesia, Petrus decessit: quæsitum fuit à Cælestino III. vtrum Episcopus Vvintonienſis, & Abbas S. Albani, iudices dati in rescripto, possent procedere aduersùs successorem Petri, qui successit in prædicta Ecclesia? Et Cælestinus III. decreuit virtute talis rescripti, contra Petrum impetrati, conueniri posse successorem in ipsa Ecclesia: igitur quia rescriptum transit ad successorem. Quam difficultatem vt effugiat Glossa *in d. cap. quia*, quam sequuntur antiquiores ibi, docet, textum illum accipiendum esse de successore vitioso sciente; quo casu cùm vna & eadem persona credatur cum defuncto, vt docet Glossa *in verbo Quod idem*, *in cap. denique* 7. *q.* 1. non immeritò per rescriptum obtentum contra anteceſſorem successor conuenitur: quæ interpretatio adstruitur *ex cap. sæpè* 18. *de restit. spol.* vbi contra vitiosum successorem competit remedium possessorium personale proinde ac contra ipsum spoliantem, ex ratione ibi adducta, quæ ad casum textus *in dict. cap. quia*, protrahenda est, quo modo etiam intelligitur textus *in cap.* 1. *de alienatione iudicij*. Quæ interpretatio probatur ex ipso textu, provt iacet post Concilium Lateran. *titulo de spoliat. cap.* 9. vbi loco verbi, *Ingressus*, quod vulgò habetur, legitur, *intrusus*; quod significat vitiosam possessionem, *cap. cùm iam dudum* 18. *de præbendis*, *cap. veniens* 15. *de accusat. cap.* 3. *de excessibus Prælat.* Verùm hæc interpretatio admitti non debet, quia non constat in iure, successorem scienter in vitio eandem personam censeri cum anteceſſore; & fictio sine lege introduci non potest, *l. si forte* 8. *ff. de castrens. peculio*: vbi Bartolus, Menochius *lib.* 1. *de præsumpt. cap.* 9. *num.* 18. Castillo *lib.* 3. *controu. cap.* 19. Immò si sedulò perpendamus textum *in d. cap. sæpè*, contrarium ex eo deducitur: siquidem frustra nouum remedium Pontifex indulgeret, si vitiosus successor eadem persona cum anteceſſore crederetur; tunc enim certum est, interdictum *vnde vi*, contra eum competere, quemadmodum contra hæredem, & similes successores, *l.* 1. §. *vlt. ff. vnde vi*: deinde quia non constat *in dict. cap. quia*, agi de vitioso successore, cùm id necessariò non euincat verbum, *intrusus*; immò aliquando intrusus dicitur is, qui cum bona fide, sed sine iusto titulo possessionem ingreditur, *cap. finali*, *de excessibus Prælat. cap. quia* 5. *de conces. præb. cap.* 2. *de in integr. restit.* probant Menochius *de recuper. remedio* 15. *num.* 469. Frances *de intrusione cap.* 1. Nec fauet traditæ interpretationi textus *in d. cap. sæpè*; nam verius est rationem ibi ab Innocentio adductam subiici causâ probandi ius nouum, quod ipse statuebat; quæ ratio ante illam constitutionem sufficiens non erat ad abrogandum ius ciuile. Nec etiam facit pro ea interpretatione textus *in d. cap.* 1. *de alienatione iudicij*; quoniam dicendum est cum Glossa ibi, verbo *commutationem*, quam sequuntur Cardinalis *q.* 5. ibi, Abbas *num.* 5. Bellamera *num.* 12. Antonius *in cap. P. & G. n.* 19. *de officio deleg.* textum illum accipiendum esse ex speciali prohibitione Pontificis causâ

causâ coercendi fraudem illius, qui vt elideret reſcriptum Pontificis, in alium tranſtulit rem, de qua coram delegato futura erat controuerſia: quare mirum non eſt, reſcriptum in eo caſu ad ſucceſſorem, contra hucuſque tradita in hoc commentario, protrahi. Cui interpretationi mirè conueniunt verba illa, *Nos igitur contra prædictam calliditatem, &c.* Qua etiam interpretatione accipi poſſunt textus *in cap. 1. cap. ſuper eo, de officio deleg. cap. veniens, de teſtibus, cap. propoſuit, de conceſſ. præb. cap. cùm vniuerſorum, de rerum permut. cap. paſtoralis, cap. ſedes, hoc tit.* in quibus ex ſpecialibus rationibus cauetur delegati iuriſdictionem ad alias perſonas vltra expreſſas in reſcripto extendi. Quare hac interpretatione, & aliis in eius commentario adductis, omiſſis, dicendum eſt, multùm intereſſe, an reſcriptum concipiatur in rem, an in perſonam? Primum non ſolùm locum habet in perſona rei, contra quam impetratur, verùm & contra eius ſucceſſorem, ex vi verborum, & mente concedentis, veluti ſi reſcriptum ita concipiatur, vt Eccleſia reſtituatur; in qua ſpecie loquitur Cæleſtinus *in dict. cap. quia:* ſecundum verò non datur in ſucceſſore. Neque hæc diſtinctio inſolens in iure eſt, ſiquidem frequenter occurrit in actionibus, *l. actionum 24. ff. de obl. & act. §. omnium, Inſtit. de actionibus.* Sic exceptiones aliæ ſunt in rem, aliæ in perſonam, *l. 4. §. vltimo, ff. de doli except.* & pacta alia ſunt realia, alia perſonalia, *l. iuris gentium, §. pactum, ff. de pactis*; & etiam reſtitutio interdum in rem, interdum in perſonam datur, *l. in cauſa 13. §. finali, ff. de minoribus:* vnde reſcriptum in rem ad ſucceſſorem tranſit, *cap. dilecti, de foro compet.* non verò in perſonam conceptum. Nec hæc interpretatio refellitur ex eo, quod *in dict. cap. quia*, mentio fiat perſonæ anteceſſoris, vt patet ex illis verbis; *Quia V. qui dicebatur in reſcripto Eccleſiam detinere violenter:* vnde deduci videtur, reſcriptum potiùs perſonale, quàm reale fuiſſe: nam huic difficultati, quam expendebam in commentario ipſius textus, reſponderi poteſt ex doctrina textus *in l. iuris gentium, §. pactorum, ff. de pactis*, vbi dicitur, plerumque euenire, perſonam pacto inſeri, non vt perſonale pactum reddatur, ſed vt demonſtretur cùm quo pactum initum eſt; cuius argumento idem in reſcripto relato *in dict. cap. quia V.* dici oportet, quod etſi perſona in reſcripto exprimatur, tamen eius effectus non in perſonam, ſed in reſtitutionem dirigitur, & ita reale potiùs creditur, quàm perſonale.

Etiam opponi poteſt textus *in l. cùm quaſi 30. ff. de fideicom. libert.* vbi aſſerit Vlpianus, decretum interpoſitum à Principe ad hæredem defuncti tranſire: igitur ſimiliter reſcriptum impetratum aduersùs Titium, ad eius hæredem tranſit. Pro cuius textus expoſitione varia adduxerunt repetentes *ibi*, & *in l. ſi deceſſerit 4. ff. qui ſatisdare cogantur*; qui communiter aſſerunt, ideò in eius textus ſpecie decretum interpoſitum, videlicet ex iuſta cauſa abeſſe eum qui libertatem erat præſtiturus, & ſi is iam deceſſiſſet, in hæredis perſonam tranſire, vt iuſpatronatus eidem conſeruetur ex SC. Daſumiano, *l. neque infantes 36. verſiculo Quid, l. non tantùm 51. §. 4. ff. de fideicom. libert.* quia illud decretum magis rem, quàm defuncti perſonam reſpiciebat; exemplo decreti interpoſiti ſuper alienatione rerum minorum, quod in rem magis quàm in perſonam concipitur: vnde cùm ſit reale, non immeritò in hæredem tranſit. Diuerſa cauſa eſt cùm quis promittit Titium in iudicio ſiſtere; nam cùm hoc perſonæ cohæreat, non poteſt ad hæredem tranſire, ex regula legis *non ſolùm, §. tale, ff. de liberat. legata:* quo caſu procedit textus *in d. l. ſi deceſſerit 4.* Nec obſtabit ſi dicas, decretum interpoſitum in ſpecie legis *cum quaſi*, ex eo nullum eſſe, quia iam deceſſerat is qui libertatem erat præſtiturus, argumento legis *de quare 74. §. cùm abſentem, ff. de iudiciis, l. penultima, ff. quæ ſententiæ ſine appellat.* Nam reſpondeo, magnum diſcrimen verſari inter ſententiam, præceptum, & decretum; priora enim duo ſi contra defunctum ferantur, non valent, *dicto §. cùm abſentem, d. l. penult.* cæterùm decretum, ex iuſta cauſa abeſſe, interpoſitum, ideo ſuſtinetur contra defunctum *in d. l. cùm quaſi*, quia mortuus, iuſtâ causâ abeſſe dicitur, *l. mulieri 13. §. abeſſe, ff. de v. ſ.* notauit Albericus *in d. l. ſi deceſſerit, num. 2.*

12. EXPONITVR L. CVM QVASI, ff. DE FIDEICOM. LIBERT.

CAPVT XXXVII.

Idem *Abbati* [a] *S. Victoris.*

EX inſinuatione Epiſcopi [b] Ambianenſis accepimus, quod I. Clericus ſuper eius prouiſione ad ipſum præceptorias, & poſtmodùm ad vos executorias contra eum litteras impetrauit. *Et infrà*: Quocirca mandamus, quatenus ſi nullæ monitoriæ ſuper hoc præceſſerint, executoriis ſuperſedeatis eiſdem, dummodo eædem executoriæ de monitoriis fecerint [c] mentionem: alioquin in executionis negotio iuxta directum ad vos pro ipſo mandatum, ratione præuiâ procedatis.

NOTÆ.

1. a *S. Victoris.*] Pariſiis eſt monaſterium S. Victoris, Canonicorum Regularium D. Auguſtini, à Ludouico VI. Craſſo Rege Francorum anno 1113. conſtructum, non longè ab vrbe, de quo plura Fratres Sarmatani *tom. 4. Galliæ Chriſt. fol. 924.* Renatus Chopinus *lib. 1. de ſacra pol. tit. 8. num. 5.* Cironius *in cap. 2. de ſtatu monac. in 5. compil.* Boſquetus *in notis ad Innoc. lib. 2. epiſt. 122.* Eius Abbati Petro primo huius nominis, reſcribit Pontifex *in præſenti*, & huius monaſterij mentio fit *in cap. ſignificauerunt, de teſtibus, cap. cùm dilectus, de elect. d. cap. 2. de ſtat. monach.*

2. b *Ambianenſis.*] Gaufridi videlicet, qui floruit in ipſa Eccleſia temporibus Gregorij IX. vt referunt Chenu *in chronolog. ipſius Eccleſiæ*, Cironius *in cap. ex litteris, de vita & honeſt. cleric. in 5. collect.* Ambianenſis ciuitas, vulgò *Amiens*, dicta eſt totius Picardiæ Primaria, Rhemenſis Metropolis ſuffraganea, vbi iuxta Hieronymum *in chron.* Gratianus Valentiniani filius faſces Imperij accepit: quare in C. Theodoſiano plures conſtitutiones Valentiniani & Gratiani Ambiani datæ leguntur. Eius meminerunt Plinius *lib. 5. cap. 32.* Solinus *cap. 43.* Cæſar *lib. 8. cap. 2.* Marcellinus *lib. 25.* & alij, quos congerunt Fratres Sarmatani *tom. 2. Galliæ chriſt. fol. 90.* Habet Eccleſiam Cathedralem D. Mariæ dicatam, cuius mentio fit *in cap. ſignificantibus, de offic. deleg. cap. vnico, de clericis peregrin. d. cap. ex litteris.*

3. c Mentionem.] Nam inſtrumentum referens non valet, niſi relatum reperiatur, vt plura afferens docet Parexa *de inſtrument. edit. tit. 1. §. 3. reſol. 3.*

COMMENTARIVM.

4. Licèt generalem huius textus deciſionem omnes exponant *in cap. ſuper 20. hoc tit.* pro peculiari tamen eius explicatione ſciendum eſt, vſum litterarum Apoſtolicarum ad beneficia paulatim in Eccleſia cœpiſſe, & progreſſu temporis maximè inoleuiſſe, quibus iuſtis ex cauſis Romanis Præſulibus iuſtum, æquumque viſum fuit neceſſitatem conferendi beneficia ordinariis collatoribus imponere. Quamdiu enim Epiſcopi diligentes admodùm in munere ſibi commiſſo fuerunt, ſingulis fuit ſeruata ſua iuriſdictio, *cap. peruenit 11. q. 3.* ſed cùm poſtea cœpiſſent abuti poteſtate conferendi beneficia, quam ex Pontificis conceſſione in ſuis Epiſcopatibus habebant, *cap. ad honorem, de authoritate & vſu pallij, cap. inaudita, de præſumpt. cap. qui ſe ſcit 2. q. 6. cap. conquerente, de officio ordinarij, cap. ex frequentibus, de inſtitut.* eorum negligentia circa collationem in perſonas non idoneas, omiſſis dignioribus, fuit punita, *cap. licèt, de ſupplend. cap. 2. cap. quia 5. cap. dilectus 12. de conceſſ. præb. cap. graue, eod. tit.* Cœperunt ergo clerici conqueri apud R. Pontificem, qui in gratiam ipſorum cœpit etiam excitare Epiſcoporum negligentiam, ſuis litteris ad beneficia vacantia, ſeu vacatura conceſſis. Petrus Greg. *lib. 1. de reſcript. cap. 6. num. 7.* & in præſenti Ioannes Dartis *de beneficiis fol. 79.* Similes reſeruationes Apoſtolicas ante Alexandrum III. notas fuiſſe, probat Alteſſerra *de Ducibus cap. 7.* & conſtat; ſiquidem Innocentius II. præbendam proximè vacaturam in Eccleſia Trecenſi Guarino conceſſit. Petrus Cluniacenſis *lib. 2. epiſt. 33. cum duabus ſequent.* ibi: *Pro Guarino clerico monachum noſtrum præcurrente, ſatis ſobrium nobis Dominus Papa mandatum impoſuit, vt ſi libera præbenda pateret, ei daretur; ſi non, prima quæ occurreret, præberetur.* Sanè ab Alexandro III. id genus prouiſionum valde frequentatum fuiſſe, ſatis ſuperque notum eſt, ex variis epiſtolis in hoc volumine compilatis, & ex epiſtola 43. apud Sirmundum *in calce epiſt. Petri Cellenſis*, vbi ita ſcribit: *Paſtoralis cura & ſolicitudo, quam licèt immeriti, diſponente Domino, gerimus, nos admonet propenſius, & hortatur pro viris eccleſiaſticis, & præſertim pro his qui nullum habent eccleſiaſticum beneficium, & ſunt bonæ opinionis, & famæ, ſolicitos ſemper & ſtudioſos exiſtere, & Eccleſiarum Prælatos, vt eis in competentibus beneficiis prouideant, propenſius inuitare. Hac itaque ratione inducti, &c.* Obſeruarunt Florens, & Ioannes Acoſta *ad hunc titulum.*

§. De diuersis litteris ad beneficia.

Etiam ſciendum eſt, litteras à R. Pontifice ante Tridentinum impetratas ad beneficium, triplicis generis fuiſſe, monitorias, præceptorias, & executorias. Monitoriæ erant quibus Pontifex ordinariis collatoribus iubebat, ſeu admonebat, vt his, pro quibus ſcribebat, beneficia conferrent, ſi quæ tunc vacarent, vel proximè vacatura ad eorum collationem ſpectantia; primò enim Pontifex verbis mitioribus vtebatur, & primum reſcriptum admonitionem potiùs, quàm iuſſum continebat: vnde litteræ illæ dicebantur monitoriæ, ſuaſoriæ, exhortatoriæ, vt probat Cironius hîc *circa finem.* Sequebantur deinde præceptoriæ, quæ ſtrictiùs obligabant; illis Pontifex præcipiebat iiſdem Ordinariis, ad quos antea monitorias direxerat, vt conferrent beneficium vacans, vel vacaturum, *cap. dilectus 27. de præb.* dicebanturque præceptoriæ, ad ſimilitudinem præceptorum Regiorum, de quibus paſſim in formulis veteribus, & in Capitularibus Caroli Magni; aliquando tamen Pontifex vtebatur verbo, *Hortamur*, & præceptum ſignificabat, iuxta tenorem materiæ ſuper qua reſcribebatur, *cap. dudum*, vbi Gloſſa, 18. *quæſt. 2.* iſtæ tamen litteræ non omninò obligabant ordinarios collatores; vnde inuentum fuit tertium genus litterarum executorialium. Executoriæ enim erant, quibus mandabatur executoribus in ipſis litteris deſignatis, vt ordinarios collatores cogerent ad conferendum beneficium ei, qui gratiam impetrauerat, de quibus *in cap. eam te 7. cap. conſtitutus 19. cap. poſtulaſti 27. cap. in noſtra 32. cap. capitulum 30. cap. mandatum 38. cap. litteris 39. cap. Abbatem 40. cap. ſi proponente 42. hoc tit. cap. poſtquam 13. de præb. lib. 6. cap. ſi ſoli, de conceſſ. præbendæ, eod. lib.* Inter eas autem litteras hic ordo ſeruatur, vt monitoriæ, & præceptoriæ præcedant, executoriæ verò ſequantur, licèt aliquando ex ſpeciali gratia ab executoriis incipiatur, *cap. capitulum 30. hoc tit.* notat Gloſſa *in præſenti*: quare in hoc textu litteræ executoriæ, vt falſæ reiiciuntur, ſi in eis dicatur monitorias, aut præceptorias præceſſiſſe.

Sed cùm ordinarij collatores his litteris ægrè obtemperarent, & aliis quàm impetratoribus, pro quibus ſcriptum erat, beneficia conferrent; nam illæ litteræ non ita ordinarios ligabant, vt in contrarium facta collatio, irrita, vel nulla eſſet, *cap. dilectus 27.* vbi Gloſſa verbo *duxerunt, de præb. cap. propoſuit, de conceſſ. præb.* niſi clauſula irritans fuiſſet appoſita, *cap. inter cætera, cap. dilecto, de præb.* vel niſi impetrator in Eccleſia, in qua expectabat præbendam, fuiſſet iam in Canonicum receptus, *d. cap. ſi poſtquam 3.* Innocentius III. *lib. 1. epiſt. 113.* aut executor litteris datus ante collationem inhibuiſſet, ne alij conferret beneficium, quo caſu executor virtute ſuæ commiſſionis, beneficium ſuæ collationi reſeruat, *cap. tibi quidem, de præb. lib. 6. cap. ſi ſoli, de conceſſ. præb. eod. lib.* ſucceſſit in locum harum litterarum vſus mandatorum, quæ ſtrictiùs obſtringunt ipſos Ordinarios, adhibitis etiam executoribus, quibus poteſtatem concedit Pontifex conferendi beneficium, ſi Ordinarius negligat, vel

renuat

renuat conferre poſt præſentationem mandati legitimè, & ſuo tempore factam; beneficiumque adeò eſt impetranti affectum, vt alij non poſſit conferri, *cap. Apoſtolicæ 22. de præb. in 6. cap. ſi Capitulo 5. de conceſſ. præb. in 6.* docent Petrus Greg. *in c. Capitulum, hoc tit.* Azor *2. p. inſtitutionum lib. 6. c. 32.*

CAPVT XXXVIII.

Idem [a] *Nouienſi Epiſcopo.*

MAndatum [b] Apoſtolicum ad te [c] directum, vt Magiſtrum S. faceres in Canonicum recipi, & in fratrem Nouienſ. Eccleſiæ, ſi [d] pro alio ibidem non ſcripſimus, qui huiuſmodi gratiam proſequatur, alio iam beneficium per noſtras litteras obtinente, proſequi non teneris. Cùm ſuper receptione duorum grauandi Eccleſiam antedictam non fuit intentio mandatoris.

NOTÆ.

1. a *Nouienſi.*] Nouienſis Eccleſia à Vaſeo in chronico Hiſpaniæ ponitur in Regno Galeciæ, vbi etiam à Ptolomeo deſcribitur: ſed eſſe in Tarraconenſi prouincia, in ciuitate Nouionis, docet Petrus Gregorius *in præſenti.* Eius mentio fit *in c. 1. de litis conteſt. cap. ad petitionem 22. de accuſat. cap. Paſtoralis 7. de cauſa poſſeſſionis.*

2. b *Mandatum.*] Ideſt reſcriptum; licèt enim mandatum dicatur de quocumque alio negotio, vt in iure ciuili, quoties mandatur alicui iudicium, cognitio, ſeu iuriſdictio, *l. 4. ff. de officio eius*; propriè tamen reſcriptum mandatum vocatur, vnde litteræ Principum dicuntur mandata & reſcripta, *l. 5. §. 1. ff. de cenſibus.*

3. c *Directum.*] Vt ordinarium collatorem, aliquando enim reſcribitur ipſi collatori, vt conferat; aliquando verò alteri, vt faciat exequi litteras monitorias, vt dixi in textu antecedenti. Epiſcopo etiam aliquando iſtæ litteræ mittuntur, vt *in cap. ſi ſoli, de conceſſ. præb. lib. 6.* aliquando Epiſcopo & Capitulo, *cap. litteris, hoc tit. cap. final. de præb. lib. 6. cap. nonnunquam, cap. tantùm, cap. eam te 7. hoc tit. cap. ſi Capitulo, de conceſſ. præb.* ſecundùm naturam beneficij, de cuius collatione agitur, Petrus Gregorius *hîc.*

4. d *Si pro alio.*] Hæc clauſula hodie ineſt in reſcriptis Apoſtolicis: & licèt apponatur in numero plurali, ſufficit quod verificetur in ſingulari, vt ſecundæ litteræ vires non habeant. Plura de hac clauſula adducens docet Barboſa *de clauſulis cap. 167.* Et nos textum hunc expoſuimus *in cap. Capitulum, hoc tit.*

CAPVT XXXIX.

Idem.

[a] LItteris Apoſtolicis ad vos directis, vt G. Clericum reciperetis in Canonicum, & in fratrem, niſi pro alio fuiſſet per nos Eccleſia veſtra grauata, mandatum noſtrum vos exequi volumus, & mandamus. Non obſtante, quod T. Subdiaconum per noſtras litteras executorias recepiſtis, qui à bonæ memoriæ [b] H. prædeceſſore noſtro monitorias impetrauit. Cùm factum prædeceſſoris noſtri potiùs, quàm noſtrum fuerimus [c] proſecuti.

NOTÆ.

1. a *Litteris.*] Videlicet monitoriis, præceptoriis, & executoriis, de quibus latè Staphileus, Gomez, & Rebuffus *tit. de mandatis Apoſtolicis*, Azor *tom. 2. lib. 6. cap. 32.* Moneta *de commut. cap. 6. num. 264.* Petrus Greg. *lib. 1. de reſcriptis, cap. 4.* & nos *in cap. ex inſinuatione, hoc tit.*

b *H.*] Honorio videlicet III.

2. c *Proſecuti.*] In clauſula enim, *ſi pro alio non ſcripſimus*, continentur prouiſi ab eo Pontifice, non verò prouiſi à prædeceſſoribus. Barboſa *de clauſulis, clauſ. 167.*

CAPVT XL.

Idem.

ABbatem, [a] qui mandatum Apoſtolicum iam recepit, vt S. Clerico in [b] aliqua Eccleſiarum ſui monaſterij prouideret, & per litteras generales ad diœceſanum Epiſcopum obtentas, vt in diœceſi ſua (vbi pro alio ſcriptum non eſſet) faceret prouideri, cogi iuris ratio non permittit, nec ſuper conferendis Eccleſiis, aut beneficiis aggrauari, etiamſi facultatem habeat diœceſanus per eaſdem litteras prouidendi.

NOTÆ.

1. a *Abbatem.*] Ad quem ſpectabat collatio beneficiorum, aut virtute priuilegij, præſcriptionis, aut conſuetudinis, vt hîc Interpretes ſupponunt, & exponunt.

2. b *In aliqua.*] Quæ conſueuit regi per clericum ſæcularem, aliàs per regularem non poſſet conferri Clerico ſæculari, niſi expreſsè in ipſis litteris Apoſtolicis hoc præſcriberetur, *cap. cùm de beneficio, de præb. lib. 6.* iunctis traditis à Barboſa ibi; non enim quodlibet beneficium poteſt obtineri virtute mandati Apoſtolici; nam litteræ expectatiuæ non extenduntur ad dignitates eccleſiaſticas, *cap. cùm in cunctis, de præb. in 6.* Clementina 1. *eod. tit.* nec ad beneficia iuriſpatronatus, *cap. dilectus, de iurepatronatus:* nec ad beneficia quibus cura animarum ineſt, Clementina vltima *de reſcriptis*, nec ad iam ſuppreſſa & extincta, *cap. cùm acceſſiſſent, de conſtitut.* vel iam vnita, Clementina 1. §. *quædam, de exceſſibus Prælat.* & alia de quibus Azor *d. lib. 6. 2. p. cap. 32.* vnde hîc debebat Abbas conferre beneficium ſæculare ſæculari. Quæ ad hunc textum ſpectant, expoſuimus *in cap. Capitulum, hoc tit.*

CAPVT XLI.

Idem.

AB excommunicato, qui contra ſtatuta Concilij a generalis aſſerit ſe ligatum, litteris ad b excommunicatorem obtentis, vt ſi eſt ita, ſine difficultate abſoluat eundem, & c aliis deputatis iudicibus, qui (eo non parente) mandatum Apoſtolicum exequantur; non excommunicatori (qui de facto ſuo certus eſſe debet, licèt hoc deferatur eidem) ſed illis cognitio demandatur.

NOTÆ.

1. a *Concilij generalis.*] De quo *in cap. ſacro, de ſentent. excomm.* Sed cùm ſententia excommunicationis monitione præmiſsâ, licèt iniuſta, valida tamen ſit, vt probat latè Gibalinus *de cenſuris fol.* 183. inde hîc agitur de abſolutione illius; quod admodum difficile putarunt antiquiores, & Petrus Gregorius *hîc.*

2. b *Ad excommunicatorem.*] Plerumque enim iudex ſuperior remittit reum abſoluendum ad inferiorem, à quo fuit prolata ſententia, quia iudex inferior etiam poſt appellationem interpoſitam habet poteſtatem reuocandi grauamen, & ſic abſoluendi ab ipſa cenſura, *cap. ſi à iudice, de appellat.* Quod enim dicitur *in cap. cùm appellationibus, de appellat. lib. 6.* iudicem videlicet inferiorem poſt appellationem abdicaſſe omnem iuriſdictionem, accipiendum eſt ita, vt ſemper retineat poteſtatem abſoluendi à cenſura à ſe inflicta, vt docet Gibalinus *de cenſuris fol.* 416. & ſic iuxta iuris regulas rectè Gregorius *in præſenti* ait, reum remiſſum fuiſſe iudici inferiori, vt ab eo abſolueretur.

c *Aliis.*] Non ſolùm ipſe iudex, qui excommunicationem protulit, poteſt ab ea abſoluere, verùm & ſuperior, & ab eo delegatus, ſeu datus, vt probat Gibalinus *de cenſur. fol.* 412. & nos dicemus *in cap.* 8. *de officio ordinarij.* 3.

Textum hunc expoſui ſuprà *in cap. dilectus* 26. vbi de excommunicatis reſcriptum impetrantibus validè, vel inualidè egi.

CAPVT XLII.

a Idem.

SI proponente aliquo nondum ſe beneficium eccleſiaſticum aſſecutum, ſuper proſuiſione ipſius (licèt minùs competens obtinentis) reſcriptum Apoſtolicum de hoc mentionem non faciens impetretur, illud veluti fraudulenter obtentum dicimus non valere.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Gregorius videlicet IX. qui motu proprio, & à nemine conſultus præſentem conſtitutionem edidit. Pro explicatione doctrinæ quam diſputaui *in cap. ad aures* 8. *hoc tit.* vide ibi, ex quo commentario præſens ſupplendum eſt.

CAPVT XLIII.

Idem *Epiſcopo* a *Pariſienſi.*

QVia nonnulli diuerſis modis litteris Apoſtolicis abutuntur, ſtatuimus, vt quicumque obtentas ſub nomine ſuo litteras aliis eiuſdem nominis b tradunt, qui quos volunt, fatigant indebitè per eaſdem; & qui eas tali modo recipiunt, quique illos contra quos nihil habent quæſtionis, faciunt in iudicium euocari, aut litteras ipſas

ipſas ad [c] futuras trahunt controuerſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ; ſeu quemquam ſuper vno negotio, vel etiam malitiosè ſuper pluribus perſonalibus actionibus, quæ ſub vno [d] iudice poſſent tractari commodiùs, per varias litteras coram diuerſis iudicibus trahunt, vt laboribus fatigatus, & ſumptibus, vel compellatur componere, vel cedere iuri ſuo: aut reus actorem eodem tempore ad diuerſa loca, vel indeterminatè ad villam, quæ commune cum pluribus eiuſdem prouinciæ villis habet vocabulum, citari procurat, vt dum non comparuerit, excommunicetur quaſi contumax, & ſic eum à ſua intentione repellat: earundem litterarum commodo careant, & aduerſariis in moderatis [e] expenſis, ac damnis, quæ propter hoc eos pertuliſſe conſtiterit, condemnentur.

NOTÆ.

1. [a] *Pariſienſi.*] Pariſienſis vrbs Galliarum primaria, Regni caput, de qua Ludouicus Calcondillas *lib.2. hiſtoriæ*, ſic ait: *Vrbs maxima eſt ciuitas Pariſiorum; ſedes eſt, & caput totius Regni, ſiue pulchritudinem, ſiue multitudinem populi, mores ciuiles, atque humanitates conſideres.* Lutetia dicitur à Cæſare *lib.7.* Strabone *lib.4. Regis Galliæ*, & Principum ſedes eſt: plura de eius origine & magnitudine tradunt Fratres Sarmatani *tom. 1. Galliæ Chriſt. fol.396.* Chenu *in chronol. ipſius Eccleſiæ.* Cathedralem eius Eccleſiam conſtruxit, & B. Virgini dicauit Childebertus, vt referunt Fortunatus *lib.2.cap.11.* Aymonius *de geſtis Francorum lib.3. cap.37.* Temporibus Gregorij IX. tantùm Epiſcopali Cathedrâ decorata erat, poſtea à Gregorio decimoquinto, poſtulante Ludouico XIII. anno 1623. in Metropolim erecta fuit. Eius Epiſcopo Guillelmo, qui ex Eccleſia Autiſſidiorenſi tranſlatus fuit, reſcribit in præſenti Gregorius.

b *Tradunt.*] Hanc partem expoſui *in cap. nonnulli 28. §. ſunt, hoc tit.* 2.

c *Ad futuras.*] Niſi per eas litteras conſeruatores concedantur, qui pro iniuriis coercendis ad futura negotia dari ſolent, vt probaui *in cap. ad hæc 16. hoc tit.* 3.

d *Sub vno iudice.*] Omnia enim quæ ad eandem cauſam pertinent, coram eodem iudice ſunt tractanda, *l.non cogitur 22. ff. de iudiciis*, *l.nulli 10. Cod. eodem*, *l.final. ff. rem pupilli*, *l.omnes 5. Cod. arbitrium tutelæ*, *cap. diſpendia*, *hoc tit.in 6. l.12. tit.1. lib.8. recopil.* explicant Carleual *de iudiciis*, *tit.1. diſp. 2. num. 899.* & *tom.2. tit.1. diſput.2. num.5.* P. Barboſa *in l. ſi quis poſtquam*, *num. 90. ff. de iudiciis.* 4.

e *Expenſi.*] Si contradicta fuerit cum effectu, *cap. ex tenore*, *hoc tit. cap. diſpendia*, *hoc tit. in 6. Clement. 1. eod. tit.* id eſt ſi duplicibus litteris vtatur, non ſi plura reſcripta impetrauit, & eis non vtatur; nam tunc impetrator propter affectum tantùm non punitur, vt probat Anguianus *lib.3. de legibus*, *cap.8. num.46.* 5.

TITVLVS IV.

De Conſuetudine.

CAPVT PRIMVM.

Gregorius *in Regeſtro, ad Felic. Epiſc.* [a] *Meſſan.*

CONſuetudines, quæ Eccleſiis grauamen noſcuntur [b] inducere, noſtrâ nos decet conſideratione remittere, ne illuc aliqua cogantur inferre, vnde ſibi inferenda debent potiùs expectare. Clericorum ſiquidem aliorum conſuetudinem te oportet illibatam ſeruare, eiſque annis ſingulis, quæ ſunt conſueta, [c] tranſmittere. Nobis autem de cætero, ne quid tranſmittere debeas, [d] inhibemus. Et quoniam non delectamur [e] xeniis, [f] palmatianas, quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepimus: ſed eas, ne quod exinde potuiſſes ſentire diſpendium, digno fecimus pretio [g] venundari, & id fraternitati tuæ tranſmi ſimus ſingillatim. Sed quia charitatem tuam ad nos venire velle cognouimus, ſcriptis præſentibus admonemus, vt ad veniendum non debeas laborem aſſumere, ſed ora pro nobis, vt quantò nos itineris interualla diſſocient, tantò animis noſtris ad inuicem Chriſto adiuuante ſimus in charitate coniuncti: quatenus nos alternâ obſecratione iuuantes, ſuſceptum officium venturo integrum iudici reſignemus.

NOTÆ.

1. a *Messanensi.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. in ipso regestro D. Gregorij, vbi *lib.* 1. *epist.* 64. reperitur textus hic. Messana perantiqua, & præclara Siciliæ ciuitas est, cuius meminerunt Strabo *lib.* 6. Polybius *lib.* 2. relati ab Abbate D. Rocho Pirro *tom.* 1. *Siciliæ sacræ, notitia* 2. Habet Ecclesiam Cathedralem à temporibus Apostolorum; siquidem vt aliqui volunt, à D. Paulo primus Messanæ Episcopus Bachirius fuit consecratus; seu, vt alij volunt, D. Petrus primum ibi Episcopum constituit, quas opiniones examinat D. Rochus Pirro *dict. notitia* 2. vbi de veritate epistolæ missæ à Deipara Virgine Messanensibus agitur. In præsenti rescribit Gregorius Felici eius Ecclesiæ Episcopo, cui & alias epistolas misit, vt constat *ex lib.* 1. *indictione* 9. & *lib.* 12. *indictione* 7. *epist.* 10. & 32. Eiusque mentio fit *in cap. quædam* 35. *quæst.* 3. *cap. ad Sedem* 35. *quæst.* 5. & de eo plura D. Rochus Pirro *vbi supra.*

2. b *Inducere dignoscuntur.*] Horum verborum occasione omnes repetentes in præsenti agunt de consuetudinibus à laicis introductis, per quas grauamen Ecclesiis infertur: sed si rectè huius textus integra littera perpendatur, provt eam damus ex dicta epistola 64. à D. Gregorio non improbantur consuetudines laicorum, sed Episcoporum, clericorumque, qui eas cum magno Ecclesiarum dispendio introducere intendebant.

3. c *Transmittere.*] Iubet Gregorius piam consuetudinem grauamen non inferentem Ecclesiis obseruari. Illis enim sæculis in vsu erat, vt clericis quotidie vltra præbendam aliqua distributio daretur. Ivo Carnotensis *epist.* 219. Ampliùs & Clerici, vt suos Episcopos colerent, ac debito honore prosequerentur, certis temporibus eulogias illis mittebant. Concil. Meldense *can.* 45. *Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare & venerari Episcopos suos.* Leo IV. *epist.* 2. *ad Episcopos Britanniæ: De eulogiis ad sacra Concilia deferendis nihil inuenimus à maioribus terminatum; sed sicut vnicuique presbytero placuerit.* Hincmarus Rhemensis: *Nolite quasi pro aliquo adiutorio ad quamcunque rem denarios apud presbyteros postulare, nec eulogias exigatis; sed sicut forte commodum fuerit aliquid offerre, cum gratiarum actione suscipite.* Nec solùm Clerici Episcopis propriis eulogias mittebant, verùm & ipsi Episcopi Clericis, cæterisque fidelibus per vicos & pagos dispersis, vt sic in vnius orthodoxæ religionis Christianæ communionem viuere crederetur, vt obseruarunt Albaspinus *lib.* 1. *obseru. cap.* 8. Benedictus Ephtenus *lib.* 4. *disquisit. monast. tract.* 4. *disquisit.* 4. & illis sæculis cœpit vice eulogiarum panis benedictus mitti, quod de cætero prohibet Synodus Laodic. *can.* 14. *Sanctas oblationes ad vicem eulogiarum per festiuitatem paschalem ad alias parochias mitti minimè oportere.* Pius Pontifex in suo decreto, quod extat *tom.* 1. *concil.* & explicat Baronius *anno* 313. *num.* 52. Istas autem eulogias ab excommunicatis, & extra gremium Ecclesiæ existentibus accipere non licebat. Concilium Laodic. *can.* 52. *Quod non oporteat hæreticorum eulogias accipere.* Aliæ etiam erant eulogiæ, quas amici inter se ad inuicem mittebant, quarum plura exempla extant apud Paulinum *epist.* 1. *ad Seuerum,* & *epist.* 4. *ad Augustinum:* & esculenta, aliaque munuscula vice eulogiarum mittebantur, vt constat ex vita Frontoni, quæ extat *tomo* 1. *in vitis Patrum,* vbi quidam diues vice eulogiarum illi misit camelos, & alias res. Munera etiam S. Antonium suis benefactoribus mittere consueuisse, refert S. Athanasius *in eius vita, cap.* 26. Similiter Eustachius mittebat D. Hieronymo armillas, columbas, canistrum fructibus plenum, vt ipse Sanctus testatur *epist.* 19. & etiam Marcella eidem Sancto mittebat saccum, calices, & similes res pro quibus illi gratias agit *epist.* 20. Etiam nomine eulogiarum reliquiæ Sanctorum mittebantur. Gregorius Magnus *lib.* 11. *epist.* 49. *Eulogias verò S. Marci à Beatissima fraternitate vestra transmissas, cum ea charitate, quâ transmissæ sunt, secundum notitiam earum suscepimus.* Et *lib.* 2. *epist.* 13. & 47. & *lib.* 7. *epist.* 34. & 128. Hanc igitur consuetudinem transmittendi aliquid ad inuicem iubet Gregorius illibatam seruari, cùm per illam grauamen Ecclesiis non inferatur, sed tantum communio fidelium conseruetur, & demonstretur.

4. d *Inhibemus.*] Non solùm Clerici vt honorarent Episcopos, munera illis mittebant, verùm & ipsi Episcopi R. Pontificem vltroneis muneribus, & largitionibus debito honore prosequebantur, vt constat ex pluribus epistolis ipsius Gregorij Magni, præcipuè ex dicta epistola 49. & aliis, quas illustrat Nicolaus Lemaistre *lib.* 2. *de iuribus Episcop. cap.* 3.

5. e *Xeniis.*] Xenia, siue encenia, sunt munera, seu munuscula, quæ inter consanguineos aliasque personas mitti solent. Apud Romanos à prouincialibus prouinciarum Rectoribus xenia mittebantur, *l. solent* 6. §. 3. *ff. de officio Proconsul.* quæ deinceps offerri, seu mitti vetarunt Imperatores *in l. vnica Cod. Theodos.* ne damna prouincialibus infligantur. Plinius *lib.* 5. *epist. ad Valerium: Quam iuuat, quod in causis agendis non modò pactione, & munere, verùm etiam xeniis semper abstinui.* Etiam Principibus mittebantur xenia, *l. laudabile* 4. *Cod. de officio diuersorum.* Esculenta etiam & poculenta pro xeniis mitti solebant, de quibus *in cap. si diligenti, de decimis, in* 5. *compil. Nisi forsan aliqua xenia sint.* Et generaliter pro muneribus xenia ponuntur in Concilio Aurelian. 1. *can.* 10. *Vt nullus presbyter ad introitum Ecclesiæ xenia donet.* Plura de xeniis Demsterus ad Rosinum *lib.* 1. *fol.* 39. & 40. Claudius Minois *in emblem.* 45. *Alciati*, Cironius *in dict. cap. si diligenti*, Cuiacius *in l.* & *quia* 6. *ff. de iurisdict.* Ritherursius *in notis ad Saluianum, fol.* 562. Bartolinus *in annotat. tom.* 6. *thesauri*, Tamayus à Salazar *in martyr. Hisp. tom.* 1. *fol.* 7. Prateius, Brissonius & alij *de verbis iuris, verbo Xenia.* Brumerus ad legem Cincitiam, *cap.* 7.

6. f *Palmatianas.*] Earum meminit Imperator *in l.* 1. *Cod. de grege dominic. lib.* 11. Palmatianæ sunt fructus palmæ, quos nos vulgò appellamus, *datiles*, Zerda *in aduers. cap.* 176. *num.* 19. Meursius *in glossario, verbo Palmatiana.*

7. g *Venundari.*] Gregorius vendere iussit palmatianas, & pretium Episcopo Messanensi misit, quia Romæ magnæ æstimationis erant, cùm solùm asportarentur ex Africa, vbi dantur; tantùm enim in illis partibus Africæ, propter nimium calorem producuntur, vt notat Laguna *ad Dioscoridem lib.* 1. *cap.* 126. vnde cùm Gregorius respuisset xenia, multò magis palmatianas, quæ non sine magno dispendio Ecclesiæ Messanensis illi mittebantur.

COMMEN

COMMENTARIVM.

8. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX fragmento huius epistolæ à Raymundo in præsenti transcripto, sequens communiter deducitur conclusio. *Consuetudines, quæ grauamen Ecclesiæ inferunt, obseruari non debent.* Probant eam textus *in cap. mala* 8. *dist. cap. vsus, cap. consequens* 11. *dist. cap. omnia* 12. *dist. cap. ad nostram, cap. cum venerabili, cap. finali, hoc tit. cap. cùm causa* 8. *de re iudic. cap. cùm terra, de elect. cap. ex frequentibus, de instit. cap.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte, cap. clerici* 8. *de iudiciis, cap. quantò, de censibus, cap. noueris, de sentent. excomm. cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *cap. vnico, de clericis non resid. eod. lib. cap.* 2. *de pœnit. & remis. eod. lib. Clement.* 2. *de rebus Ecclesiæ,* Concilium Salisburgense tempore Martini V. *can.* 3. *Consuetudines, quæ grauamen Ecclesiis inducere dignoscuntur, inualidas publicamus.* Authentica *cassa, Cod. de sacros. Eccles.* Illustrant vltra relatos à Barbosa in nostro textu, Azor *tom.* 1. *institut. lib.* 9. *cap.* 19. Suarez *de legibus lib.* 7. *cap.* 18. *&* 19. *in defens. fidei, lib.* 4. *cap.* 32. Martha *de iurisdict.* 4. *part. centuria* 1. *casu* 63. Sanchez *de matrim. disput.* 4. *per totam*, Basilius *eodem tract. lib.* 6. *cap.* 5. *&* 6. Rochus de Curte & Sahagun *in cap. finali, hoc tit.* Hallier. *de sacris elect. art.* 4. *sect.* 7. *cap.* 1. Canisius *in dict. cap. vltimo*, Sichardus *in rubrica Cod. quæ sit longa consuetudo, num.* 13. Gratianus *tom.* 5. *discept. cap.* 894. *num.* 27. Alij relati ab Hunnio *in encyclop. tit.* 4. *quæst.* 2. *de consuetudine*, Lælius Mancinus *genialium centuria* 2. *cap.* 107. *&* 108. Bocerus *tom.* 1. *class.* 1. *disput.* 4.

9. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Sed hæc assertio difficilis redditur ex sequenti consideratione: nam consuetudinis non leuis authoritas est, *l.* 2. *Cod. quæ sit longa consuetudo*, vtpotè ipsis legibus antiquior, vt *ex l.* 1. *ff. de curatore furiosi*, probat Goueanus *in l.* 2. *de vulgari:* immò consuetudinem esse alteram naturam, probat Philo Iudæus *lib. de Abrahamo*, ibi: *Inueterata consuetudo plerunque tantùm potest, quantùm natura.* Philosophus *lib.* 7. *de moribus*, & in hoc sensu consuetudinem pro natura, & è contra, accipi *in l. si quis posthumus* 9. *ff. de liberis & posthumis, l. sed si damnum* 9. *§. si ipse seruus, ff. de peculio, l. in causa, §. idem Pomponius, ff. de minoribus, l. item, §. quemadmodum, ff. locati, l.* 2. *§. ex his legibus, ff. de origine iuris*, notat Vasconcellus *ad nostrum titulum.* Consuetudo enim est ius moribus vtentium introductum, habens vim legis, *l. de quibus, ff. de legib. l.* 1. *ff. de aqua pluuia, cap. consuetudo,* 1. *dist. § sine scripto, Instit. de iure naturali*, Seneca *lib.* 5. *de beneficiis, cap.* 21. ibi: *Multa legem non habent, nec rationem, ad quæ consuetudo vitæ humanæ lege omni valentior dat habitum.* Cuiacius *lib.* 20. *obseru. cap.* 1. Reuardus *de authoritate prudentum, cap.* 16. Donellus *lib.* 1. *comment. cap.* 10. immò laudabilior est sæpius consuetudo, quàm lex, cùm lex coactum ius, consuetudo verò voluntatium; lex in tabulis, consuetudo in animis custodiatur: & vera legis interpres est, *cap. cùm dilectus, hoc tit. l. si de interpretatione, ff. de legibus:* superat legem, siquidem destruit, abrogat, emendat, *dict. l. de quibus, cap. finali, hoc tit. §. finali, Instit. de except.* Cuiacius *lib.* 2. *feudorum, cap.* 1. Duarenus *lib.* 1. *disput. cap.* 32. Petrus Faber *lib.* 2. *semest. cap.* 22. & certum principium iuris est consuetudinem legitimè præscriptam esse seruandam, *l. cùm de lanionis, §. asinam, ff. de fundo instructo, l. si seruus plurium, §. finali, ff. de legat.* 1. *l. si publicanus, in fine, l. licitatio, §. eadem, ff. de publicanis, l. non tamen, ff. de donat. l.* 3. *Cod. de Episcop. audientia, l. si quis donaturus, ff. de vsufructu, l. venditor, §. si constat, ff. communia prædiorum, l. quod si nolit, §. qui assidua, ff. de ædilit. edicto, l. si fundus, ff. de euictionibus, l.* 3. *§. vlt. ff. de testibus, l. sine hærede, §. Lucius, ff. de administ. tut. l. cùm alimenta, ff. de alimentis, l. nummis, ff. de pollicit. l. semper, ff. de leg.* 3. *l.* 1. *ff. de decur. l.* 1. *§.* 1. *ff. de albo scribendo, l. vt gradatim, §. etsi lege, l. honor, l. munerum, §. mixta, ff. de muner. & honor. l.* 1. *Cod. de pascuis publicis, l. vsum aquæ, Cod. de aquæductu, l. si non speciali, Cod. de testam. l. in totum, Cod. de ædificiis priuatis, l. ob metallum, Cod. de metallis, lib.* 12. *l. super, C. de iure fisci,* & veteres consuetudines fidei non contrarias obseruandas esse docent *in cap.* 2. *de frigidis*, & Gregorius *in epist. ad Episcopos Angliæ*, ibi: *Mihi placet, vt siue in Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia inueneris, quod plus omnipotenti Deo placere possit, solicitè eligas.* Et prouinciarum priuilegia ex consuetudine metienda esse statuit Synodus Nicæna *can.* 6. ibi: *Antiqui mores obtineant.* Idemque postea Synodus Ephesina constituit *can.* 7. Igitur consuetudo, si legitimè præscripta est, etsi grauamen exinde Ecclesiæ sequatur, obseruanda est. Augetur hæc dubitandi ratio ex variis iuris testimoniis, in quibus consuetudo cum Ecclesiæ grauamine admittitur, & approbatur; nam quis negabit consuetudinem non soluendi decimas, Ecclesiæ grauamen inferre, & tamen approbatur *in cap. cùm sint homines, cap. Apostolicæ, cap. in aliquibus, de decimis.* Similiter consuetudo percipiendi fructus præbendarum Ecclesiæ valde damnosa est, cùm per eam minuatur cultus diuinus; & tamen approbatur, *cap. penult. de constit.* Similiter consuetudo permittens clericis testamentum facere de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, non leue grauamen infert Ecclesiæ, quæ succedere in eis debebat, *ex cap.* 1. *cap. cùm in officiis, de testam.* & tamen talis consuetudo obseruatur, *cap. relatum, el* 2. *de testam. l.* 13. *tit.* 6. *part.* 1. dicemus *in dict. cap. cùm in officiis:* ergo consuetudo, quantumcunque grauamen Ecclesiæ inferens, obseruanda est.

10. DE IVRE NON SCRIPTO.

Sed antequam huic, & aliis difficultatibus satisfaciamus, aliqua præmittenda sunt: & primò sciendum est, ius ecclesiasticum, sicut & ius ciuile, constare iure scripto, & non scripto, *cap. Catholica* 12. *dist.* vnde iudices cognitores in Concilio Chalcedonensi rectè petierunt ab Anastasio Episcopo Nicæno, quâ ratione probare vellet Ecclesiam Basilinopoleos subiectam esse Nicænæ, an secundùm canones, an ex consuetudine aliqua, *in actione* 13. & annis aliquot superioribus Faustinus Legatus Romanæ Ecclesiæ dixerat in præfatione Concilij Africani, aliqua teneri canone, aliqua verò consuetudine: quare Photius *in Nomocan. tit.* 1. *cap.* 3. rectè adnotauit ecclesiasticam consuetudinem non scriptam, perinde ac legem seruari. Quidquid enim sacris Scripturis, Conciliorum Canonibus, Pontificum decretis definitum est, ius scriptum dicitur: quod verò à maioribus acceptum per manus traditum, seu generali consuetudine receptum est, ius non scriptum appellatur; & hoc duplex est, publicum videlicet, & priuatum: publicum circa res sacras, quod traditionibus ecclesiasticis constat; priuatum circa res humanas ex vsu hominum prouenies, quod dicitur consuetudo, *cap. consuetudo* 1. *dist. cap. consuetudinis,* 11. *dist.* Et sicut ius non scriptum apud Romanos præcessit omnes leges,

etiam

etiam duodecim Tabularum, *l.1. ff.de curat. furiosi*, Goueanus *in l.2.num.1. ff.de vulgari*: ita traditiones ecclesiasticæ, omnia Concilia, & Pontificum decreta præcesserunt. Primis enim illis temporibus Ecclesiæ nascentis fideles traditiones ecclesiasticas obseruabant absque vlla scriptura, D.Chrysostomus *homil.4. in epist.2. ad Thessalon. Vnde perspicuum est, non omnia Apostolos tradidisse per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea esse fide digna, quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam.* Et de hoc iure non scripto expenditur illud D.Pauli *ad Timoth. cap.6. Depositum custodi*: id est traditiones Ecclesiæ. Irenæus *lib.3. cap.3.* Triplex genus est traditionum, primum iuris diuini, de quibus in Synodo 5. Constantinopol. *actione* 10. in 7. Synodo, *actione* 1. Trident. *sess.4.* & intelligitur D. Paulus ad Hebræos, *quod non habemus scriptum in Euangelio*: & *1.ad Corinth. cap.15. 16. & 20.* ideo dicitur Euangelium datum esse in corde Ecclesiæ, quia constat datum esse per traditionem ab ipso Christo Domino, & ab eo accepisse Apostolos, & ab iis traditum Gentibus. D.Paulus *2.ad Timoth. cap.2.* & *ad Thessalon. cap.2.* Exempla harum traditionum extant *in cap. ecclesiasticarum*, 11. *dist. cap. cùm Martha, de celebrat. miss.* Trident. *sess.* 24. *cap.1.* & *sess.* 22. *cap.* 2. & aliis congestis à Fr. Antonio Perez *in pentat. fidei, integro volum. de tradit.* Suario *lib.7.de legibus, cap.4.a num.9.* & *de fide disp.5. sect.4.* Ideo in his traditionibus Ecclesia non potest dispensare. Trident. *sess.21. cap.2.* Secundum genus traditionum est earum, quæ ab Apostolis institutæ sunt propriâ Apostolicâ authoritate: quasdam referunt ipsi Apostoli, *1.ad Timoth. cap.2. & 5.* & *ad Corinth. cap.7.* & SS. PP. relati à Couarr. *lib.4. var. cap.19. & 20.* Bargas *de iurisdict. Episcop. axiom.10.* Soto *lib.2.de iustitia, quæst.5.art. vlt.* In hoc secundo genere traditionum potest Pontifex dispensare, *cap. proposuit, de conces. præb.* Glossa *verbo Apostoli, in cap. sunt quidam* 25. *quæst.1.* Couarr. *2.part. de sponsal. cap.9. §.6.* Sotus *de iustitia lib.5. quæst.1. art.4.* Ad tertium genus spectant traditiones institutæ per Episcopos in sua prouincia vel diœcesi, in qua tantùm vigent, & obligant, *cap.sicut sancta, cap.illud, cap. ridiculum, cap. illa, cap.nouit, cap. omnia, dist.12.* Omnes traditiones circa res diuinas ex vsu Ecclesiæ, & consuetudine gentium dicuntur ritus, vt probat Carolus Sigonius *de iure Romano lib.1. cap.8.* in quo differunt à consuetudine, quæ potest esse circa res humanas, & ex vsu hominum; & cùm traditiones ad ius publicum ecclesiasticum spectent, de eis in præsenti non agitur, quare earum tractationem omittimus. Videndi sunt pro earum authoritate scribentes, Baronius *in apparatu, numer. 38.* & *anno 53.* & *anno 169. num. 19.* & *anno 173. num.11. 175. num.4. 196. num. vlt. 214. numer.2. 217. num.3. 225. num.7. 258. num.38. 259. num.1. 266. num.4.* Carrier. *tom.2. digesti fidei, tit. de tradit. eccles iast.* Castro *lib.1.contra hæreses, cap.5.* & *lib.de hæreticorum punit. cap.4.* Simanchas *de catholicis cap.23.* Canus *lib.2.de locis, cap.7.* Bellarminus *tom.1. controu.de verbo Dei, cap.4.* Sausay *in panoplia Cleric. part.1. lib.2.cap. finali.* Viuar. *in apolog. pro Flauio Dextro, §.2.* Gibal. *tom.2. scient.can.lib.6. cap.1. cum sequent.*

II. De consvetvdine.

In præsenti ergo titulo agitur tantùm de iure non scripto circa res humanas, quod consuetudinem dicimus; nam licèt aliquando ius scriptum appelletur consuetudo, *cap.consuetudo, dist.1. cap. cùm dilectus, hoc tit.* & in Gallia lex Salica appelletur consuetudo, Marculfus *in formulis cap.12.* tamen consuetudo propriè accepta est ius non scriptum, §. *ex non scripto, Instit. de iure natur.* adeo vt si postea scribatur, semper consuetudo maneat, *cap.1.de iureiur. lib.6.* docent Sahagun *in cap.finali, hoc tit.* Osuald. *ad Donel. lib.1. cap.10.* Consuetudo ergo est *ius quoddam moribus introductum, quod pro lege obseruatur: cap.consuetudo, 1.dist.* docent repetentes *ad leg de quibus, ff.de legibus.* Donellus *dict. cap.10.* Bocerus *tom.1. class.1. disput.4.* & alij infrà laudandi: loco generis ponitur, *ius*, prout significat regulam iusti, vt probat textus *in cap. ius generale, 1. dist.* Adiicitur, *moribus introductum*, quia mores hominum introducunt consuetudinem, & illam faciunt; eaque de causa respectu eiusdem consuetudinis mos habet se per modum causæ ad causatum; & licet aliquando pro eodem vsurpentur mos, vsus, & obseruantia; nihilominus tamen in se maximè differunt, siquidem mos propriè sumptus, consuetudo est imperfecta: textus ita intelligendus *in cap.nos, 1. dist.* idque in vsu dicendum est, qui quidem propriè importat actus illos ex quibus consuetudo conficitur, vt docent Decius *in præsenti rubrica, num.2.* Cabreros de Auendaño *de metu lib.2.cap.36.* Lælius Mancinus *genialium cap.107. & 108.* & *de triplici iuris collat. cap.226.* Tandem dicitur quod pro lege obseruatur, vt agnoscantur effectus consuetudinis, de quibus agemus *in cap. finali, hoc tit.* Vt autem consuetudo vim & authoritatem legis habeat, tria concurrere debent; videlicet, vsus longæuus, Principis consensus, & rationabilis causa: docent DD. *in dict. l.de quibus*, & de consuetudine agentes. Vsum longæuum desideramus, id est diuturnitatem temporis, vnde inueterata dicitur consuetudo *in l.de quibus 32. ff.de legibus*, & diuturna *in l.33.eod.tit.* Longa *in l.sed ea, ff.eod. cap. finali, hoc tit.* Cæterùm quot anni desiderentur ad inducendam consuetudinem vim legis habentem, non constat apud DD. Glossa, & Bartolus *in d.l.de quibus, num.14.* Iason *num.43.* docent decem vel viginti annis induci perfectissimam consuetudinem. Hothomanus *in dict.§.sine scripto*, & Mela *miscel.c.5.* existimant tantum tempus desiderari, quantum superstitum hominum nec ætas, nec memoria comprehendere possit, *argumento l.1. §. vlt. iuncta l.sequenti, ff.de aqua & aquæ pluuiæ.* Iudicis arbitrio hoc definiendum pro negotij qualitate relinquunt Corrasius *in dict. l.de quibus*, Duarenus *ad tit.de legibus, cap.11.* A.Faber *in ration. ad l.38. de legibus*, Menochius *de arbitr. casu 32. num.8.* Osuald. *ad Donel.lib.1. cap.10. littera F*, Basilius *lib.6. de matrim. cap.5.* Martinez de Prado *tom.1. Theolog. moral. cap.3.de legibus, quæst.13.* per textum *in l.1.ff.de iure deliber.* Alij, quos sequitur Lessius *lib.7.de iustit. cap.6. dubit. 14.* distingunt inter consuetudinem, quæ introducitur ignorante Principe, & quæ inducitur eo sciente. Sed receptior opinio est eorum, qui discrimen constituunt inter consuetudinem, quæ est præter ius, & contra ius; ita vt si sit præter ius scriptum, desiderentur tantùm decem anni; si verò contra ius, desiderentur quadraginta, vt *ex cap.vt litigantes, de officio ordin.in 6. cap.cùm de beneficio, de præbend. eod.lib.* docent Suarez *lib.7.de legib. cap.15.* Gratianus *discept. forens. cap.395.* Hunnius *in encyclop. tit. de consuetudine, num.25.* Per illud tempus debent actus populi interuenire, quia non verbis, sed factis consuetudo introducitur *dict.l.de quibus*: & debent esse voluntarij,

tarij, non coacti, pluribus relatis defendit Auendaño *de metu lib.2. cap.36.* vbi expendit textus *in l.si priuatus 17. ff. qui & à quibus, cap. quia cognouimus 10. quæst.3.* cùm enim in consuetudine consensus sit causa præcipua, *dict.§.sine scripto*, & per coactionem deficiat consensus, *l.nihil 116. §.1. de reg. iuris*; consequens est, consuetudinem induci his actibus non posse. Debent etiam esse vniformes, cùm ex difformibus consensus colligi non possit. Desideratur & actuum frequentia; vtrum verò debeant esse iudiciales, vel sufficiant extraiudiciales, disputant Suarez *suprà cap.11.* Hunnius *num.16.* qui resoluunt sufficere actus extraiudiciales. Gibalinus *tom.2. scient. can.lib.6. cap.2. per tot.*

12. DE REQVISITIS CONSVETVDINIS.

Secundò desideratur Principis consensus, *dict. §.sine scripto*, Suarez *suprà, cap.13.* Tuschus *littera C. conclus. 795.* quia populus nequit consuetudinem authoritatem legis habentem inducere, nisi mediante tacita, vel expressa approbatione Principis, penes quem residet authoritas legislatiua, postquam populus in eum illam transtulit, *cap.cùm consuetudinis 9. hoc tit. l.finali, C.de testam.* D.Thomas *2.2.quæst.97. art.3.ad 3.* Besoldus *tom.1. polit.de iure maiest. sect.3. cap.2. num.3.* Quare improbatur consuetudo introducta in casu textus *in cap.illud, 99. dist.* quod præcipuè procedit iure canonico attento, quia ad leges canonicas ferendas nulla est potestas in populo, nec in ipso sine capite; non tamen desideratur consensus personalis, vt communi sententiâ Interpretum receptum est; nec expressus, vel positiuus; sufficit enim interpretatiuus, vel tacitus ex ipsa tolerantia præsumptus, vt ex D.Thoma docet Suarez *vbi suprà, num.10.* Si tamen per errorem Princeps consentiat, non sufficit talis consensus, quia consentire non intelligitur, qui errat, *l.si per errorem, ff.de iurisdict.* tandem desideratur vt consensus sit rationabilis, id est iusta ratione nitatur, vt rationi non repugnet, quæ lege statui potuit, siue quæ iusta censeretur, & obligaret, si lege statuta esset; eadem enim est materia legis, iustitiæ, & consuetudinis; nam consuetudo est tacita quædam lex, *l.3. Cod. quæ sit longa consuetudo:* irrationabilis enim consuetudo corruptela est, *cap. mala 8. dist.* quæ nec immemorabili tempore præscribi potest. Quæ tamen dicatur rationabilis, ab Interpretibus disputatur. Aliqui affirmant eam esse irrationabilem, quæ iuri diuino, aut naturali aduersatur. Ita post Nauarrum Suarez *vbi suprà, cap.6.* sed iudicis arbitrio relinquendum esse, docent Gaillus *obs. cap.31.* Hunnius *de consuetudine cap.4.* Canisius & Sahagun *in cap. finali, hoc tit.* Barbosa *in selectis ad textum in dict. cap. finali, numer.3.* Illud indubitatum est, consuetudinem aliquid introducentem contra immunitatem ecclesiasticam, vel ex qua grauamen Ecclesiæ inferatur, irrationabilem esse. Gaillus *obseru. cap.32.* Barbosa *in cap.finali, num.12. hoc tit.*

13. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio; nam cùm de essentia consuetudinis desideretur, vt sit rationabilis, & ea quæ grauamen Ecclesiæ infert, irrationabilis sit; inde in nostro textu à Pontifice remittitur, & nulla declaratur, quæ grauamen Ecclesiæ Messanensi inferebat; nam cùm Episcopus tantùm sit administrator rerum Ecclesiæ, *cap. expedit 12. quæst.1.* non verò habeat plenam dispositionem, si præiudicium Ecclesiæ sequatur; vnde ex xeniis, & aliis muneribus, quæ R.Pontifici mittebantur ab Episcopo, & Ecclesia Messanensi, Ecclesia lædebatur; inde iustè ait Gregorius illa munera se remittere, & dictam consuetudinem, iniungendo ne deinceps talia sibi mitterentur, cùm auaritia ab omnibus Ecclesiæ Prælatis debeat esse aliena: vnde sæpè prohibitum legimus, ne ab Episcopis nouis exactionibus, aut præstationibus Ecclesiæ grauentur, *cap. quia cognouit 20. quæst.3. cap. prohibemus*, cum aliis, *de censibus.*

14. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat ratio dubitandi: nam licèt consuetudinis authoritas leuis non sit, illa tamen procedit, cùm veritas, & ratio illi suffragantur, aliàs non consuetudo, sed corruptela erit, cùm rationem non vincat, *dict.l.2. Cod. quæ sit longa consuetudo:* vnde cùm in nostro textu ratione careret consuetudo, cùm grauamen Ecclesiæ inferret, ideo non obseruatur, vt in aliis quamplurimis casibus ob defectum rationis nullam authoritatem habet; vt consuetudo vt ecclesiasticus coram iudice sæculari conueniatur, *cap. clerici 8. de iudiciis*; de quo videndus est Suarez *aduersus Regem Anglia lib.4. cap.32. per totum.* Nec augmentum obstat, vbi dicebamus consuetudinem non soluendi integras decimas posse præscribi, & admitti; nam illud procedit, quia remanet semper congrua sustentatio Parocho, & tunc rationabilis est consuetudo; aliàs si Parochus integris decimis egeret, parochiani nullâ consuetudine, quantumvis immemoriali, excusari possent; cùm enim virtute consuetudinis rationabilis parochiani detinent decimas, erogantur in eum finem, in quem destinatæ sunt; & ita ex tali consuetudine nullum grauamen Ecclesiæ infertur, vt probat Lemaistre *de decimis cap.2. & 3.* Nec obstat augmentum deductum *ex dict. cap. relatum, de testam.* nam verum est, & apud nos obseruatur, clericos testamentum facere posse de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, quia quamuis hæc consuetudo Ecclesiæ grauamen inferat, quæ aliàs successura erat, tamen quia per Summum Pontificem reprobata non est, dum non improbatur, obseruari debet, quia ex tacita Pontificis dispensatione derogatum videtur dicto capiti *cùm in officiis*, & similibus. Nec tandem obstat argumentum deductum *ex dict. cap. cùm omnes 6. de constit.* nam respondendum est, consuetudine introduci posse, vt Canonici in absentia percipiant fructus suarum præbendarum, cùm rationabilis est consuetudo, veluti cùm absunt ob negotia Ecclesiæ, vel ob similem causam; non tamen consuetudine introduci potest, vt Canonici in absentia percipiant distributiones quotidianas, *cap. vnico, de cleric. non resid.lib.6.* Ratio discriminis in eo consistit, nam licèt tam fructus beneficiorum, quàm distributiones designentur in stipendium officij clericalis, fructus tamen deferuntur ex eo, quod ratione beneficij ius conceditur ad eos percipiendos ex eo, quod officio clericali se deputarunt, iuxta regulam textus *in cap. cum secundum, de præb. cap. vlt. de rescriptis in 6.* docet Nauarrus *de horis canonicis cap.7. num.3.* ac proinde non sequitur, fructus ipsos inspectâ primæuâ naturâ suâ, & eorum deputatione, ad hæc, vel illa onera sustinenda fuisse institutos; at verò distributiones inspectâ naturâ suâ institutæ sunt, vt actualiter diuinis officiis interessentibus quotidie distribuantur: quo fit vt consuetudo in distributionibus tanquam contra naturam, & substantiam actus reprobetur, iuxta textum *in dict. cap. vnico*; secus verò quoad fructus, *ex dict. cap. cùm omnes 6.* de cuius exactiori expositione videndus est nonis-

simè

simè Franciscus Valens *in repetitione ad ipsum textum.*

15. EXPONITVR CAP. SCIENTES, DE CENSIBVS.

Ex suprà traditis lucem accipit textus *in cap. scientes, de censibus*, in illis verbis: *Asseruit autem prædictus Abbas, presbyterum prædictæ Massæ nouas monasterio ipsi velle ponere consuetudines, quæ ex tempore conditionis monasterij per triennale tempus hactenus non fuerunt; siquidem si quid munificentiæ gratiâ à fidelibus viris oblatum fuerit, portionem sibi vult percipere, quod Magnitudo vestra studeat diligenter agnoscere, etsi hoc ab initio non fuit: etenim labentibus temporibus aliquid imponi nouiter non concedas, quia maximè exiguæ substantiæ, & monasterium pauper esse didicimus, & Abbatem ipsum hospitalem esse omninò didicimus.* In quibus verbis proponitur, quod cùm Parochus S. Mariæ in quodam monasterio vellet nouas introducere consuetudines cum grauamine monasterij, videlicet vt de oblationibus factis in ipso monasterio certam portionem sibi præstarent monachi, respondet Gregorius Magnus, & rescribit Stephano Chartulario, vt faciat antiquas consuetudines obseruare, nouas autem introducere non permittat: ergo consuetudines præscriptæ, etsi Ecclesiis grauamen inferant, obseruari debent. Innocentius Cironius *in parat. ad titulum de censibus*, asserit, ibi consuetudines accipi pro quantitate cathedratici, vel synodatici, quæ soluebatur Episcopis: & cùm quantitas non esset expressa, consuetudinem appellari, vt *in c. 15. de simon. in 1. compil. nouella 123. Iustin. cap. 3.* Sed ea solutio sustineri non potest, siquidem in eo textu agitur non de Episcopis, sed de Parochis, quibus nulla quantitas cathedratici, seu synodatici nomine debetur: quare eâ omissâ verius dicendum credo, in eius textus specie Parochum introducere voluisse consuetudinem Ecclesiæ valdè onerosam, vt videlicet ex omnibus oblationibus certa portio ipsi præstaretur; quæ quia grauamen inferebat monasterio, ex suprà traditis, reiicitur & repellitur: si autem fuisset introducta ex iusta causa, vt rationabilis defenderetur, vt in eius textus commentario dicemus.

CAPVT II.

[a] Innocentius III. *A. Archiepiscopo, & Capitulo* [b] *Lundensi.*

EX litteris, quas tu nobis frater Archiepiscope destinasti, intelleximus manifestè, quòd regnum [c] Daciæ, quantum ad ea quæ ius fori contingunt, consuetudinibus suis, & institutionibus Regum suorum omnino regatur: vnde nullum [d] vsum testamentorum illius prouinciæ haberi contingit, qui alibi in vltimis decedentium voluntatibus secundùm legalem obseruantiam custoditur. Si verò aliquis possessiones aliquas claustris, vel aliis religiosis locis in bona valetudine, vel voluntate vltima [e] constitutus vult pro suorum remedio peccatorum [f] conferre, hanc Ecclesiæ conferendi formam esse proponis, quòd in huiusmodi donationibus modicùm terræ consueuit assumere, aut in extremitate pallij, quod manu Episcopi, vel cuiuslibet alterius Prælati Ecclesiæ [g] sustinetur, aut super ipsum altare aliquo inuolutum panniculo cum debita humilitate [h] ponendum, sub testimonio videntium, & audientium, formâ donationis huiusmodi [i] subsequente, quæ *i* Scotatio vulgariter appellatur. Verùm quia huiusmodi donatio malitiosè à quibusdam cauillatoribus (sicut asseris) [k] impeditur, à nobis humiliter postulasti, ne loca religiosa, & Ecclesiæ, quibus multæ possessiones sub scotatione huiusmodi sunt [l] collatæ, ab aliquibus possint, vel debeant temerè perturbari, paternâ debemus solicitudine prouidere. Nolentes igitur, vt tales constitutiones, quas diuturnitas temporis (vt asseris) obseruauit, & vsus consuetudinis hactenus approbatæ retinuit, temeritate qualibet infirmentur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus donationes eorum, quæ sub obtentu consuetudinis claustris, Ecclesiis, vel quibuslibet locis religiosis piè, ac prouidè conferuntur, vel etiam sunt collatæ, faciatis irreuocabiles obseruari; cùm huiusmodi signum, quod scotatio dicitur, non tam factæ donationis, quàm traditæ possessionis sit euidens argumentum: si quos contradictores inueneritis, aut rebelles, authorita freti Apostolica, per censuram ecclesiasticam, monitione præmissâ, sublato appellationis obstaculo [m] compescentes. Datum Lateran. XVI. Cal. Decembris.

NOTÆ.

1. a *Innocentius.*] Ita legitur in tertia collectione *sub hoc tit. cap.* 1. in hac verò sexta legitur Innoc. III. Archiepiscopo & Capitulo Lugdunensi. Glossa autem marginalis ita emendat. *Honorius III. Archidiacono & Capitulo Lundensi.* Sed perperam, tam in vna quàm in alia collectione: legendum enim est, Archiepiscopo & Capitulo Lundensi, vt habetur in ipso regestro epistolarum Innocentij III. edito Coloniæ, vbi *fol.* 209. legitur præsens textus provt in præsenti transcribitur, & ita etiam legendum est *in cap. cùm post, de elect. cap. ad nostram, de probat.* vbi eidem Prælato rescribit Innocentius.

2. b *Lundensi.*] Non est legendum Lugdunensi, vt in sexta collectione legitur; sed Lundensi, siue Londensi; nam cùm consuetudo, de qua in præsenti textu agitur, inoleuisset in Regno Daniæ, vt ex integra ipsius textus serie constat, quomodo Archiepiscopo Lugdunensi, qui est in Gallia, committi poterat, vt obseruare faceret prædictam

dictam consuetudinem? Legendum ergo est, *Lundensi Archiepiscopo*, cui etiam rescribit ipse Innocentius *in cap. cum Marthæ, de celeb. Missæ:* & *lib.3.epist.14.* & *lib.4.epist.16.* & *epist.181.* Lundensis ciuitas, siue Londonia, præcipua est Regni Daniæ, caput Ecclesiasticæ iurisdictionis, sicut politicæ & Regiæ est Hasnia, de qua plura Kranzius *lib.1. rerum Daniæ, cap.1.* Olim tantùm Cathedrâ Episcopali decorabatur, vt refert Bosquetus *in notis ad Innoc.III. dictâ epist.14.* posteà pactum fecit Archiepiscopus Amburgensis cum Rege Danorum, vt Lundensis Ecclesia Metropolitanæ titulo decoraretur si Amburgensis Ecclesia Patriarchalis ipsius Regni crearetur. Quod cùm assecutum fuisset, ex tunc Lundensis Ecclesia quæ semper Amburgensi vt suffraganea suberat, Archiepiscopalis facta est ab Vrbano II. anno 1092. vt refert Leopoldus *in compendio historiæ Daniæ, in Henrico*, qui sceptrum illius Regni tenuit per annos 1095. ibi: *Huius temporibus factus est Azeras quidam clarissimus, primus Archiepiscopus Lundensis; prius enim parebant omnes Danici Episcopatus Archiepiscopatui Amburgensi.* Latiùs prosequitur Franc. Florens *ad hunc tit.* Posteà Ecclesia hæc Lundensis ab Innocentio III. Primatus totius Sueciæ honore decorata fuit, vt testantur Kranzius, & Saxonius Grammaticus *in historia Daniæ.* Archiepiscopus, cui missa fuit hæc decisio, ni fallor, fuit Andreas Sunonis pronepos ex fratre Absalonis eius prædecessoris, quem Legatum Sedis Apostolicæ constituit Innocentius noster, vt constat ex epistola 14. *lib.3.* eumque posteà increpauit, quia ad Concilium generale venire distulit, *epist.181. lib.3.* referunt Bosquetus *in dict. epistola 14.* Spondanus *in continuatione, anno 1201. num.4.*

3. c *Daciæ.*] Legendum est Daniæ; qui error ferè in omnibus libris repetitur, vt *in c. ad nostram, de probat.* confunduntur enim plerumque à Recentioribus Scriptoribus gentes istæ, vt notauit Abrahamus Hortelius *in thesauro geograph. in voce Dani*; siue quòd processu temporis permixtæ fuerint, siue ob nuncupationis affinitatem; cùm certum sit antiquas earum sedes longè sepositas esse; siquidem Dacia non longè distat à Dalmatia, propè Danubium, vt de ea agentes referunt Vvolfangus Lazius *de Repub. Rom. lib.12. sect.2. cap.1.* Pancirola in notitia Imperij Orientalis, *cap.138.* D.Rochus Pyrro *tom.1. Siciliæ sacræ, notitia 1. fol.84.* & Dacorum memoriam vetustiorem esse tradit Spondanus post Baronium *anno 1221. num.1.* Regnum igitur Daniæ diuersas leges pro diuersitate temporum à suis Regibus accepit, quas refert Saxo Grammaticus in historia Daniæ, & in iure nostro canonico mentio ipsarum extat *in cap.ad nostram 12.de probat.* vbi refertur in Regno Daniæ negatiuam probari. Dani etiam vtebantur consuetudine in rebus profanis, in ecclesiasticis verò sacris canonibus, *cap. cùm Ecclesia, de elect. cap.super eo, de cognat. spirit.*

4. d *Vsum testamentorum.*] In his verbis non solùm inuenitur diuersam esse solennitatem testamentorum in regno Daniæ, ac in aliis prouinciis, quod sæpe contingit, *cap. cùm esses, de testam.* verùm, nullum esse testamentorum vsum in ea prouincia. Licèt enim ex communi sententia testamenta sint quoad originem iuris gentium; quoad formam verò, & solennitatem iuris ciuilis sunt, vt docent Viglius *in §.2. Inst.de testam.* Ægidius *in præfatione ad l.1. Cod.de sacrof.* Lælius Mancinus *lib.1.de triplici iuris collat. cap.47.* Guibertus Costanus *qq. iuris cap.6.* Gibalinus *de negot. tom.2. lib.5. cap.6.* Bronchorst. *centur.3. enantioph. assert.20.* Theophilus *in princip. Instit.de iure natur.* Couar. *3. variar. 6. num. 6.* Osualdus ad Donellum *lib.6. cap.5. littera A*, Cuiacius, Duarenus, & alij relati à Gilkenio *in l. 1. Cod.de testam. num.7. & 32.* Pinello *lib.2. selectarum, cap.10. per totum.* Verius tamen credo, testamentum inuentione esse iuris ciuilis alicuius populi, qui cùm primus testamentum facere cœpisset, postea eius vsus communi consensu approbatus fuit, vt inde fieret iuris gentium approbatione, vt docent Menchaca *de succes.creat. §.1. num.1.* & probat Faber *in iurisprud. tit.2. principio 5. illatione 1.* & tunc ius ciuile confirmauit, non permisit testamenti factionem: de qua confirmatione accipiendi sunt textus *in l.verbis 120. ff.de v. s. l. 1. ff.de testament. manumiss.* Vlpianus *in fragmentis, tit. 12. §. testamento 13.* nec hoc nouum est, nam plerumque iuris ciuilis constitutiones, & consuetudines transeunt in ius gentium, vt ex multis illustrat Solorzanus *tom.1. de iure Ind. lib.3. cap.5.ex num.12.* exemplum extat in acceptilatione, de qua Consultus *in l.an inutilis, 8. §.finali, ff. de acceptilat.* ait: *Et hoc iure vtimur, vt iuris gentium sit acceptilatio, & ideò puto, & græcè posse acceptum fieri*; non enim ambigi potest, inuentum fuisse Romanorum, cùm ad contractus iuris ciuilis (qualis est stipulatio, §. *de constituta, Instit. de actionibus*) referatur, cùm requirat solennia, & concepta verba, *l. 1. Cod. de acceptil. dict. l. an inutilis, §. acceptum, l. & vno 18. ff.eodem tit.§.3. Instit. quibus modis tol. oblig.* in qua omnes gentes conuenire non poterant tacito consensu, vt initium acceptilationi darent: sed postquam à Romanis introducta fuit, recepta fuit à plerisque gentibus, quarum præcipuè commercio gaudebant, tanquam res summè facilis ad dissoluendas obligationes: & sic nouâ approbatione accedente, ad gentes extendi cœpit, quæ in vrbe Romana nata fuit, vt ferè exponit noster Valentia *lib.2. illustrium, tract.3.de verb. oblig. cap.1. ex num.36.* quidquid impropriè iuris gentium esse dixerit Faber *in iurisprud. tit.2. princip.5. illat.4.* & licèt Grotius *lib. 2. de iure belli, cap.4. §. 4.* tantùm iuris gentium esse censuerit, quatenus tollit obligationem ex consensu creditoris, non quatenus constat solennibus verbis; & Galbanus *de vsufructu cap. 16. ad finem*, existimarit esse iuris gentium, eo quod tollat obligationes natas ex iuramento liberti, quæ erat species verborum obligationis, Gaius *lib.2. Instit. tit.1.* aliter tamen exponit textum illum D. Hieronymus Oroz *lib.2. de apicibus iuris, cap.2.* & vt propiùs accedamus, certum est codicillorum vsum inuentum esse à iure ciuili, & quidem Romanorum, si fides est Iustiniano ex professo initium, progressumque codicillorum narranti *in principio Instit. de codicillis*; cùm verò eorum vsus percrebuerit apud omnes ferè gentes, consequens est, vt facti sint iuris gentium, quia non est maior ratio, vt ad ius gentium reducatur hodiernum institutum, quàm societas, mandatum, & alia negotia, quæ iuris gentium sic effecta fuisse tradit Hermogenianus *in l. ex hoc iure 5. ff. de instit. & iur.* licèt Vulteius, Albericus Gentilis, & Connanus relati ab Osualdo *lib. 1. Donelli, cap. 6. littera F*, tenuerint non desinere esse iuris ciuilis, quæ ab aliqua ciuitate inuenta fuerint, quamuis apud alias gentes incipiant custodiri; quod verum crederem si ab vna, vel altera gente recipiantur.

Cæterùm ſi conſenſu, & conſpiratione communi omnium ferè gentium, Rerumpublicarumque benè inſtitutarum approbetur, iuris gentium rectè dicitur: quare etſi ita ſit iuris gentium teſtamenti factio, mirum non eſt, vt vna, vel alia gens, vt Dani, de quibus in præſenti; & Germani, de quibus Cornelius Tacitus *de moribus German.* teſtamenti vſum non recepiſſent, aut retinuiſſent.

e *Conſtitutus.*] Oblationes enim fiebant olim à fidelibus, tam in vita, quàm in morte, *cap. clerici* 11. ibi: *Aut donatas, aut teſtamento relictas*; *cap.* 5. *qui oblationes* 13. *quæſt.* 2. Concilium Matiſcon. *can.* 4. Aurelian. 5. *can.* 16. *cap.* 1. *de ſucceſſ. ab inteſt. in* 3. *collect.*

f *Conferre.*] Oblationes à fidelibus fiunt ob læſam Dei Maieſtatem; nam cùm eius clementiam 6. continuo ſcelere laceſſimus, modum aliquem inuenire oportuit, quo placaretur, & eius miſericordia impetraretur. Vrbanus Pontifex II. *epiſt. vnica, cap.* 2. *Oblationes ſunt vota fidelium, & pretia peccatorum.* Concilium Aquiſgran. *can.* 116. *Fideles namque fidei ardore, & Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, & cæleſtis patriæ deſiderium ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam.* Concilium Turonenſe 2. *can.* 26. *Quia nonnulli immemores ſui per quaſlibet ſcripturas pro captu animi de facultatibus ſuis Eccleſiis aliquid contuliſſe probantur.* Omnes quippe donationes, fundationes, & priuilegia Eccleſiis conceſſa his, atque ſuperioribus ſæculis, hanc remedij animæ cauſam continent, vt fallatur Falectus, qui *antiquit. lib.* 5. *c.* 10. non ante Dagoberti Regis tempora Eccleſiis bona in animæ remedium, aut remiſſionem peccatorum data exiſtimat; ſed tantùm ad opus, in vſum luminum, & vt ſarta tecta ſeruarentur. Gregorius Turonenſis *lib.* 6. *c.* 20. ibi: *Sint hæc Eccleſiæ data, dum vt de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum.* Et *lib.* 9. *c.* 42. in Radegundis epiſtola, ibi: *Quæ alij pro animarum ſuarum remedio, vel ſororis ibidem de rebus propriis contulerunt.* Quâ ratione poſtea eò vſque progreſſum eſt, vt plerique de induſtria peccarent, quòd crederent ſe donationibus in Eccleſiam factis poſſe crimina quæcumque aboleri: quæ corruptela damnata fuit in Synodo Cabilonenſi, ſub Carolo Magno, ibi: *Non enim idcirco quis peccare debet, vt eleemoſynam faciat, ſed ideò eleemoſynam facere debet, quia peccauit.*

g *Suſtinetur.*] Ponebatur enim modica terra in 7. extremitate pallij ipſius Epiſcopi, vel Parochi, & ſic per ipſum acquirebatur poſſeſſio Eccleſiæ: aliquando etiam per pallium Altaris tradebatur Epiſcopo dominium dotis ipſius Eccleſiæ, cùm fundator pallium, quod ab altari ſumebat, Epiſcopo tradebat; quâ cæremoniâ ſignificabatur fundatorem nullum ius in ipſa Eccleſia habere: cuius ritus extat nobile monumentum in notitia donationum Eccleſiæ Saliſburg. *cap.* 9. apud Henricum Caniſium *tom.* 6. *lection.* ibi: *Quo facto Guntherus tradidit per pallium Altaris Vigilio Epiſcopo ipſam Eccleſiam cum omnibus quæ antea perdonauerat.*

8. h *Ponendum.*] Frequens ritus fuit apud veteres apponendi in Altare res donatas, aut ſaltem earum inſtrumenta, vt ipſarum poſſeſſionem traderent. Anaſtaſius Bibliot. agens de donatione Caroli Regis factâ Eccleſiæ Romanæ, ait: *Super Altare S. Petri.* Et poſtmodum: *Intus in ſancta eius confeſſione poſuit.* Et *lib.* 6. *capitul.* 285. ait: *Ipſam ſcripturam coram Altari, aut ſupra tenet, dicens eiuſdem loci Sacerdotibus atque cuſtodibus: Offero Deo, atque dedico omnes res quæ in hac carthula tenentur ſcriptæ.* In legibus Baiubar. *tit.* 1. legitur: *Et tunc ipſam epiſtolam ponat ſuper Altare, & ſic tradat pecuniam.* Illuſtrant morem hunc Bignonius *ad formulas Marculfi, fol.* 430. Hugo Menardus *in notis ad concordiam regul. fol.* 966. Nouarinus *lib.* 12. *ſchedias, cap.* 19. & iure communi attento, inſtrumento vel ſcripturâ traditâ, rei donatæ, aut venditæ cenſetur tranſlata poſſeſſio, *l.* 1. *Cod. de donat. l.* 8. *tit.* 30. *partit.* 3. *l.* 2. *tit.* 12. *lib.* 3. *fori, l.* 17. *Tauri*, quæ eſt lex 1. *tit.* 6. *lib.* 5. *recopil. l.* 44. *Tauri*, quæ eſt lex 4. *tit.* 7. *lib.* 5. *recopil.* Probant Valenzuela *conſilio* 23. *num.* 10. Azeuedo *in d. l.* 4. Molina *de primogeniis lib.* 4. *c.* 2. *n.* 11. Maſcard. *de probat. vol.* 3. *concl.* 1184. Oroz *lib.* 4. *de apicib. iuris, cap.* 12. *num.* 9. dum eo animo inſtrumentum tradatur, vt transferatur poſſeſſio, neſque ſit præſens, & poſſeſſore vacua.

i *Subſequente.*] Non ſolùm donationes in ſcripturam redigebantur, vel ſuper altare ponebantur, 9. verùm & teſtibus firmabantur, vt conſtat ex donationibus ſuprà relatis. Huiuſmodi autem teſtes debebant eſſe homines liberi & ingenui, vt conſtat *ex tit.* 1. *legum Baiubar.* cuius verba in præſenti referam, quia ex eis non modicùm illuſtratur præſens Daniæ mos: *Si quis liber perſona voluerit, & dederit res ſuas ad Eccleſiam pro redemptione animæ ſuæ, licentiam habeat de portione ſua, poſtquam cum filiis partiuit; nullus eum prohibeat, non Rex, non Dux, nec alia perſona habeat poteſtatem prohibendi, & quidquid donauerit, villas, mancipia, vel aliquam pecuniam, omnia quæcumque donauerit pro redemptione animæ ſuæ, hoc per epiſtolam confirmet propria manu ſuâ ipſe, & teſtes adhibeat ſex, vel amplius ſi voluerit; imponat manus in epiſtola, & nomine eorum notentur ibi, quos ipſe rogauerit, & tunc ipſam epiſtolam ponat ſuper Altare, & ſic tradat ipſam pecuniam coram Sacerdote, qui ibidem ſeruit.*

j *Scotatio.*] Vnde tamen hæc forma donationis ſcotatio dicatur, non facilè conſtat apud Inter- 10. pretes. Gibalinus *de negotiatione tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *art.* 1. ex Olibano exponit ſcotationem, id eſt quotæ dationem, quaſi per hunc modum certa res aut quota donetur. Prateus, Caluinus, & alij Lexicographi tantùm aſſerunt ſcotationem eſſe genus donationis in Dacia vſitatum. Innocentius Cironius *lib.* 1. *obſeru. cap.* 8. poſtquam varias huius vocis etymologias adduxit, tandem aſſerit ſcotationem dictam eſſe à verbo, *ſcoto*, quod ſignificat cenſum, ſeu tributum, aut quidquid ex diuerſis rebus in vnum aceruum aggregatur, quod apud nos dicitur *ſcotar*, cùm vel ad conuiuium, vel quid ſimile diuerſæ res conferuntur: quem vſum eruditè, vt ſolet, illuſtrat Ramirez de Prado *in pentecont. cap.* 12. Conſentit huic expoſitioni Alteſſerra *in præſenti.* Etiam dici poteſt, quod ſicut apud nos vulgari idiomate dicitur *ſcotar*, ex aliqua veſte partem reuellere, Couarr. *in theſauro, verbo Scotar*; ita quia ex fundo gleba reuellebatur, & vt me exponam, prædium ſcotabatur, inde portio illa ſcotatio dicebatur.

k *Impeditur.*] Ex eo, quia res in vita donantis 11. realiter traditæ non fuerant, ſed tantùm promiſſæ; & ex eo, quia oblatæ fuerunt in vltima voluntate, ſine vlla teſtamenti ſolennitate: quæ rationes facilè refelluntur ex ſuprà traditis.

l *Collatæ.*] Extenditur ad præterita hæc deci- 12. ſio, quia in ea agitur de declaratione iuris antiqui, quo caſu conſtitutio etiam præterita reſpicit, vt dixi *in cap.* 2. *de conſtitutionibus.*

m *Compeſ*

13. m *Compescentes.*] Consonant Concilium Romanum sub Calixto II. *cap.*14. ibi: *Sub districtione anathematis.* Aurelianense 3. *can.* 22. ibi: *A communione ecclesiastica suspendatur quisquis ille ex quolibet ordine, qui quod pro deuotione sua Ecclesiis dedit, reuocare præsumpserit.* Aurelian.4. *can.*19. *A communione ecclesiastica suspendatur.* Et quintum *cap.*16. *Vt necator pauperum communione priuetur.* Matiscon *can.* 4. *Ab Ecclesiæ luminibus arceantur.* Turonense 2. *can.*26. *Ab omnibus Ecclesiis segregatus, à sancta communione habeatur immunis.*

COMMENTARIVM.

14. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

CVm in Regno Daniæ consuetudo legitimo tempore præscripta esset, vt si aliquis in vita, vel morte vellet pro redemptione animæ suæ aliqua prædia Ecclesiæ offerre, seu donare, acciperet modicum ex prædio donato, & in extremitate pallij, aut super Altare illud poneret, seu in manu Prælati Ecclesiæ, vt hac symbolica traditione possessionem transferret; quidam post donationes prædicto ritu factas malitiosè asserebant, donationes non valuisse, & posse reuocari, cùm adhibitæ non fuissent solennitates legales, nec rerum ipsarum adhuc possessio fuisset translata. Consuluit Archiepiscopus Lundonensis super id Innocentium III. vigilantissimum rerum Daniæ conseruatorem, qui rescripsit, vt huiusmodi donationes faceret inuiolabiliter custodiri prætextu consuetudinis; quia dictum signum, quod *scotatio*, dicitur apud Danos, non est tam argumentum donationis factæ, quàm signum traditæ possessionis. Ex qua specie sequens deducitur assertio: *Consuetudine potest introduci, vt signo, seu symbolo aliquo adquiratur possessio rei absentis.* Quæ conclusio singularis est in vtroque iure, nec est alia similis decisio ab specie. Per argumentum tamen probari potest *ex cap. contingit, de dolo & contumacia, cap. ex ore, de his, quæ fiunt à maiori parte, cap. per tuas, de donat. cap. proposuit, de concess. præb. l. clauibus* 74. *ff. de contrahenda empt. l. quà ratione, §. item si merces, ff. de acquir. rer. dom. l.* 1. *§. si iusserim, l.* 3. *§.* 1. *l. quod meo* 38. *§. si venditorem, l. quorundam* 51. *ff. de acquir. possess. §. item si quis merces, Instit. de rerum diuis.* Illustrant præter ordinarios in præsenti, & relatos à Barbosa in collectaneis ad hunc textum, Osualdus ad Donellum *lib.*5. *comment. cap.*9. *littera D.* Cuiacius *lib.*19. *obseruat. cap.* 18. Antonius Gomez *in l.*45. *Tauri*, Parladorius *in sesquicenturia, different.* 26. §. 1. Balsamon *in nomocan. Photij, tit.*1. *cap.*3. Cironius *in paratit. ad tit. de præsumpt. & de donat.* & *lib.*1. *obseru. cap.*8. Lemaistre *de bonis Ecclesiæ lib.* 2. *cap.*7. Hieronymus Bignonius in notis ad Marculfum *lib.*1. *cap.*2. & *cap.*13. Bosquetus *in notis ad Innocent. III. lib.*1. *epist.*47. Vvissembac. *disp.*10. *num.*36. Anseguisus *in glos. ad capitularia, verbo Libertatem.* Matienzo, & Azeuedo *in dict. l.*8. *tit.*7. *lib.*5. *recopil.*

15. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed præsens Innocentij decisio difficilis valde redditur sequentibus iuris considerationibus. Prima nascitur ex eo; nam consuetudo contraria, seu quæ opponitur naturæ ipsius actus & essentiæ, non admittitur, *cap. vnico, de cleric. non resid. lib.*6. Sed consuetudo Regni Daniæ, quæ in præsenti ab Innocentio approbatur, repugnat naturæ & substantiæ possessionis, seu eius adquisitioni: ergo validè introduci non potest. Probatur minor; primò ex eo, nam possessio à pedibus, quasi pedum positio dicta est, *l.*1. *l.*3. *l. quod si meo, §. si venditorem, ff. de acquirenda possess.* Cuiacius *lib.*54. *Pauli ad edictum, in dict. l.*1. Petrus Gregorius *lib.*1. *syntagm. cap.*13. Antonius Gomez *l.*54. *Tauri, num.*18. vel à sedibus, quasi sedium positio, *dicta l.*1. secundùm lecturam Florentinam, vt vtramque notationem illustrans docet Valentia *tomo* 1. *tract.*2. *c.*1. Sed in possessione, quæ ex consuetudine Regni Daniæ introducitur, nec datur pedum, aut sedium positio: igitur non datur natura, seu substantia possessionis. Secundò, nam certum est, de essentia possessionis desiderari ad adquirendam eam, non solùm animum, verùm etiam corpus, scilicet affectionem possidendi, & factum apprehensionis externum, *l.* 3. *§.*1. *l. quemadmodum* 8. *ff. de adquir. possess.* sed in casu dictæ consuetudinis, nec datur affectio vel animus, nec datur factum apprehendendi totam ipsam rem: ergo non potest adquiri possessio. Non animus, quia cùm Ecclesia, siue communitas ecclesiastica, regularis, aut sæcularis, sit nomen iuris, & corpus fictum, ex clericis, monachis, & aliis fidelibus constans, argumento textus *in l.*1. *§. quibus, l. sicut, § final. ff. quod cuiusque vniuersitatis, l. an vsusfructus* 56. *ff. de vsufructu*, consentire non potest, nec affectionem habere, Vlpianus *in fragmentis tit. qui hæredes instituì possint*; ideo nec etiam factum apprehensionis datur. Nec satisfacies si dicas, adesse signum, seu symbolum ipsum, scotationem appellatum, per quod fingitur factum apprehensionis ipsius fundi: nam cùm possessio fit facti, *l. possessorem* 29. *ff. de acquirenda possess. l. denique, ff. ex quibus caus. maiores, l. in bello* 12. *§. facti, ff. de captiuis, l. bonæ fidei, §. in contrarium, ff. de acquir. rerum dom.* post Valentiam & alios docet Præceptor meus, & communis, doctissimus D. Iosephus de Retes *in repetita tractatione de aquir. possess. cap.*2. *consectario* 1. & factum fingi non possit, *dict. l. in bello* 12. *§. facti:* ergo fingi non potest adesse corpus, aut factum exterius ordinatum ad acquisitionem possessionis. Tertiò præsens decisio difficilis videtur ex eo, nam Ecclesia non eget aliquo facto ad acquirendam possessionem rei sibi donatæ, vt constat *ex l. raptores* 54. *Cod. de Episc. & Cleric.* vbi possessio bonorum sine apprehensione vera, vel ficta Ecclesiæ adquiritur: ergo etsi in præsenti casu non adfuisset consuetudo in Regno Daniæ capiendi possessionem per signum, seu symbolum scotationis, possessio rerum donatarum Ecclesiæ statim illi acquirebatur.

16. DE TRADITIONIBVS SYMBOLICIS POSSESSIONIS.

His tamen difficultatibus non obstantibus vera est, & vtriusque iuris principiis consona præsens Innocentij decisio: quod vt faciliùs cognoscatur, sciendum est, quod licèt animus & corpus desiderentur ad acquirendam possessionem, *d. l.*3. *§.*1. *dict. l. quemadmodum*; tamen vt circuitus vitarentur, & esset facilior acquisitio possessionis, quia ius cupit amputare superflua facta, *l. qua ratione* 9. *§. interdum, ff. de acquir. rer. dominio*, propter commercij, & negotiorum facilitatem introductum fuit, vt per aliqua signa, seu symbola possessio rerum acquireretur; vnde qui vult apprehendere possessionem prædij, non debet totum prædium peragrando occupare, sed tantùm glebam aut cespitem pertingere, *l.*3. *§.*1. *ff. de acquir. possess.* vel oculos immittere in ipsum prædium, *l.* 1. *§. si iusserim, l. quod meo, §. si venditorem, ff. eod. tit.* vt pro facto sit immissio oculorum in rem præsentem, & ad quam possit sine impedimento accedere, *l. si pecuniam* 79. *ff. de solut.* vbi Iauolenus ait, sic possessionem adipisci *longâ manu.* Longa manus est, quæ à longinquo rem consequitur; tales tribuuntur

Principibus propter eorum ſummam poteſtatem. Ouidius adductus & expoſitus à Solorzano *emblem.54.* nam vt ait Xenocrates relatus à Donello *lib.11.cap.5. Nihil intereſt vtrum oculos, an pedes in alium prædium immittamus.* Quod procedit ſi res eſt præſens, poteſtque apprehendi, aliàs ius non fingit impoſſibilia: quo modo accipiendi ſunt textus *in l.ſi ego 9. §.cæterum, ff.de fundo dot.l.donationes 31. l.ſi pater 34.l.quod 41. in fine, l.finali, §.finali, ff.de donat. l.fulſius 43. §.ſi is qui, ff.de furtis, l.ſcire 29. ff.de verb. obl.* iunctis Valentia *tom.2. illuſtr. tract.2. cap.14.* D.Hieronymo Oroz *de apicibus iuris lib.4. cap.12.num.7.* Sic etiam clauibus traditis transfertur poſſeſſio domus, vel horrei, ſi in præſentia domus traditio fiat, *l.clauibus 74. ff.de contrahenda empt. dict. l.1. §.ſi iuſſerim, l. quâ ratione, §.item, ff.de aquir. rer. dom. l.2. Cod.de periculo & comm. rei venditæ, l. 1. Cod. de crimine expil. hæredit. §.item ſi merces, Inſtit. de rerum diuiſ.* Ant. Faber *de erroribus decade 75. errore 1. 6. & 7.* & vnâ re ex vniuerſitate apprehensâ, veluti ex maioratu, aut Capellaniâ, cæterarum rerum cenſetur apprehenſa poſſeſſio, Parladorius *in ſeſquicenturia, different.26. §.1.* Molina *de primog. lib.4.cap.2. num.23.* Couarr. *lib.3.variar. cap.16.num.13.* Gomezius *in l.45.Tauri, num.35.* Oroz *lib.4. de apicibus, cap.12. num.3.* etiam cuſtodem apponendo in ipſa re, eius poſſeſſio acquiritur, *l. quando 51. ff. de acquir. poſſeſſ.* Gomez *vbi proximè, num.74.* Merillius *lib.3. var.* ex Cuiacio *cap.36.* vel ſi ſigillum impreſſum ſit trabibus, aut rebus emptis, aliterve comparatis per emptorem, *l.quod ſi neque 14. §.1.de periculo & commodo:* ſi animo acquirendi poſſeſſionem ſignum imponatur; qui animus tum ex rei qualitate, tum ex propoſito contrahentium cognoſcendus eſt, & iudicandum, an animo acquirendi poſſeſſionem, an ſecuritatis, aut cuſtodiæ causâ res ſignetur, cùm frequentiùs ad ſecuritatem tantùm ſignum apponatur, *l. iniuria 22. ff. de iniuriis.* Illuſtrant Fornerius *lib.4. rerum quotid. cap.8.* Theophilus Raynaud. *in tract. de ſtygmatiſmo ſacro, & profano:* tale enim ſignaculum non tribuit poſſeſſionem, *l.1.§.ſi dolium, ff.de periculo, & comm.* Docent Claſſici, & Faber *in ration. ipſius textus*, quod in ſacris litteris ignotum non fuit: ſic enim legitur *Cantic. cap.8. verſ. 6. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Et *Iſaiæ cap.44. verſ.5.* Illuſtrant Pinto Ramirez *in Cantica cap.86. num.518.* Paulus Serlogus *in eodem loco*, Theophilus *vbi ſuprà*, Gibalinus *de negot. tom.1. lib.1. cap.5. art.2.* Idem obſeruarunt Cæſares in hydrophilacis, qui deputati erant cuſtodiæ aquarum Conſtantinopoli, *l.penultima, C.de aquæductu, lib.11.* vt huiuſmodi annotatione manifeſti eſſent omnibus, nec à procuratoribus domorum, nec quolibet alio ad alios vſus auellerentur: & in fabricenſibus idem obſeruatum lego *in l.3. Cod. de fabric. lib.12.* ne à militia fugerent. Vegetius *de re milit. lib.4. cap.5.* Vbi Steubechius Lypſius *de militia Romana lib.1. dialogo 9.* Turnebus *lib.24. aduerſ. cap.12.* Itidem in ſeruis fugitiuis, vt à fuga retraherentur, *l.1.§.finali, ff.de ſeruis fugitiuis.* Latè probant Laurentius Pignorius *de ſeruis pag.17.* Ramirez de Prado *ad Luitprandum pag.364.* Henricus Salmut. *ad memor.Pancirolæ lib.2.tit.2. pag.85.* Raphael Villoſa *de ſeruis fugitiuis cap. 14.* Illud tamen neceſſariò exigitur in acquiſitione poſſeſſionis per hoc ſymbolum clauium, ſeu ſigilli appoſiti, vt titulus præcedat, cuius virtute res poſſit accipientis fieri, & quo poſſit dignoſci in accipiente animus poſſidendi, ſibique habendi, alioquin per annuli obſignatorij, vel clauium traditionem potiùs commiſſa cuſtodia, quàm res translata, aut dominij, poſſeſſioniſve causâ tradita cenſetur, argumento ex lege *cùm pater 77. §.pater, ff.de leg.2.* Docet pluribus relatis Oroz *dict. lib.4. cap.12. num.8. & 9.*

17. De aliis symbolicis traditionibvs.

Ampliùs, etſi ſit vacua poſſeſſio rei, de cuius traditione agitur, & præſens qui accipere vult, etſi non apprehendat eam, transfertur poſſeſſio longâ manu, vt rectè aiunt Conſulti, quaſi prolongata manus iniecta ſit in ipſam rem, *l.ſi ego, §.non puto, ff.de iure dotium, l.ſi pecuniam 79. ff.de ſolut.* in quo caſu loquuntur textus *in l. donationes 31. l.ſi pater 34. §.vlt.ff.de donat. l.ſi procuratore 79. ff.de verb. oblig.l.falſius 43. §.ſi is qui 2.de furtis*, iunctis Cuiacio *lib.12.reſp. Papin.in dict.l.31. §.ſpecies*, Donellus *lib.5. comment. cap.10.* Valentia *dict. tom.1. tract.2. quæſt.14.* Scripturâ ſimiliter traditâ, rei emptæ, vel donatæ cenſetur tranſlata poſſeſſio, *l.1. C.de donat. l.penult.§.1. ff.de leg.3.l.2.Cod.quæ res pignori*, Cuiacius *1.diffinit. Papin.dict. l.clauibus*, & *ad titul.Cod.ſi quis alteri, vel ſibi.* Couarr. *lib.3. var. cap.15.* immò ſine vlla traditione poſſeſſio transfertur, cùm datur fictio breuis manûs, de qua poſteà in explicatione legis *quidam 77.ff.de verb.oblig.* etſi rei, cuius causâ inſtrumentum confectum eſt, ipſum tradatur, *l.8. tit.30. partit.3. l.2. tit.12. lib.3. fori, l.17. Tauri*, quæ eſt lex *4.tit.7.lib.5. recopil.* Docent Gregorius Lopez, & Antonius Gomez *in dictis legibus.* Tandem poſſeſſio transfertur per conſtitutum, ſeu clauſulam conſtituti, quando qui vendit, aut donat rem, etſi non tradat emptori, vel donatario, conſtituit tamen ſe eius nomine poſſidere, de quo acquiſitionis modo plura doctè cumularunt Barboſa *in cap.ſanè, de renunciat. num. vlt.* Præceptor D.Ioſephus de Retes vbi ſuprà, *n.6.* Iure etiam noſtro canonico poſſeſſio per ſymbola, ſeu per ſigna plerumque traditur, & alij actus celebrantur; nam per annulum datur inueſtitura præbendæ, ſeu beneficij, *cap.cùm olim, de re iudicata, cap. ex ore 3. de his quæ fiunt à maiori part.* per panem, vt conſtat ex formula relata à Cironio *ad tit. de præbendis*; non tamen illa inueſtitura tribuit poſſeſſionem actualem & corporalem, ſed tantùm collationem, & inſtitutionem canonicam cum facultate apprehendendi poſſeſſionem, *cap.ad hæc, verſ.in quadam, cap.vt noſtrum 9. de officio Archidiaconi*, Couarr. *lib.3.var. cap.16.num.10.* Faber *in ſuo C.lib.7.tit.7.diffinit.9.* quod ſymbolum tradendi annulum etiam olim vſitatum fuit in inſtitutione hæredum, ita vt tradendo annulum teſtator alicui ipſum hæredem inſtituere cenſeretur, vt de Alexandro refert Trogus Pompeius *lib.22.hiſt.* de aliis Valerius *lib.7.cap.9.* & *lib.3.c.5.* Ex his & aliis plura obſeruauit Fornerius *lib.1. ſelection.c.3.*

18. De traditionibvs symbolicis mediæ ætatis.

Sed vt ad ſpeciem noſtri textus contrahamus animaduerſionem, ſciendum eſt, tempore mediæ ætatis varia ſymbola etiam fuiſſe recepta apud varias gentes pro tradenda poſſeſſione rerum donatarum Eccleſiis, vel priuatis perſonis; & inter ſymbola hæc inferioris ſæculi legimus adeptam poſſeſſionem rei donatæ per traditionem inſtrumenti donationis, per glebæ iniectionem, feſtucam, guantonem, ramum arboris, per oſtium & annaticulam, per gramen, per calceos, & ſimilia. De traditione per ſcripturam, aut inſtrumentum donationis obuia mentio extat in formulis Marculfi, & in Codice donationum Augberti Mirei Bruxellenſis Profeſſoris. Aliorum etiam ſymbolorum mentio fit in veteri

veteri formula incerti Authoris, *cap.* 43. in illis verbis: *Nomine illi per ostium de ipsa casa, per terram, vel herbam, sicut lex est ad partem Sancti illius, visus est tradidisse, & per suam festucam ipsum missum, vel ipsam fœminam de ipsis rebus se exutos ex omnibus esse dixisse.* Et apud Marculfum *lib.* 1. *cap.* 13. & 21. ibi: *Quod in præsenti per festucam eas eidem visus est commendasse.* Et *lib.* 2. *c.* 14. *Et pars parti tradidisse, & per festucam omnia partitum esse dixisse.* Frequens fuit hoc traditionis symbolum apud Gallos, vt probant & illustrant Bignonius *in notis ad Marculf. lib.* 1. *cap.* 3. Osualdus *lib.* 5. *Donelli, cap.* 9. *littera D.* Potest verò ex antiquitate symbolum tale intelligi & exponi per quandam vim festucariam, vt accepta festuca, qui possessurus erat, tradentem deiiceret, & à possessione pristina deturbaret: ad quod possunt alludere illa verba formulæ 29. *Et per suam festucam contra ipsum illum inde exitum feciſſe.* Etiam per guantonem possessio tradebatur, vt referunt Anonymus *lib. de miraculis S. Benedicti, cap.* 4. ibi: *Acceptis huiusmodi præceptis cum guantis ipsius auro ornatis, per quos donationes memoratarum rerum sacris imponerent Altaribus.* Robertus Comes, & Abbas S. Martini anno 7. Regni Hodonis, ibi: *Redimus Dociacum admoniti, ad eius sepulchrum veniens per guantum nostrum.* Traditionis etiam per ramum arboris factæ mentio extat in donatione facta à Comitissa Matilde Romanæ Ecclesiæ tempore Gregorij VII. cùm enim donasset siluam, per ramum arboris decerptum possessionem tradidit, vt refert ex quodam Codice Vaticano Baronius *tom.* 11. *anno* 1102. & per traditionem viridi scirpi Guidonem Comitem Pictauorum res donatione comprehensas tradidisse, constat ex ipso instrumento donationis Latinè reddito à Bignonio *in dict. cap.* 13. *lib.* 1. *formul. Marculfi*, & Zerda *in aduers. cap.* 99. *num.* 18. in hæc verba: *Tunc inclinauit se Comes, & accepit viridem scirpum; nam domus recenter erat iuncata, sicut solemus facere quando aliquem personæ potentis, vel Dominum suscipimus, vel amicum. Tunc iunco ipso non tam donum faciens, quam restaurationem dedit.* Per ostium & annaticulam, id est per ostij & cardinum ipsius contactum possessionem tradi constat ex dicta formula 43. incerti Authoris, & ex alia Marculfi relata à Lemaistre *lib.* 2. *de bonis Ecclesiæ, cap.* 7. Per gramen, aut cespitem possessio tradebatur, cùm donator ex agro donato cespitem reuellebat, & reuulsum tradebat aduocato Ecclesiæ, vel Prælato: cuius symboli celebre exemplum habemus *in chronic. Vindocinensi, lib.* 1. *cap.* 18. Similiter in Codice donationum monasterij Absiensis constat matronam donationem confirmasse per traditionem flocci capillorum: & in eodem codice refertur quendam nobilem confirmasse donationem traditione calcei: & in archiuis Ecclesiæ sancti Hilarij Pictauiensis refertur quædam donatio per traditionem cinguli perfectam: & tradit Lemaistre *dict. cap.* 7. & olim se, suaque tradens monasterio, coronam in capite ferebat in signum ipsius oblationis, *cap.* 1. *de succes. ab intest. in* 3. *collect.* ibi: *Cùm Archipresbyter de Alerio se & sua ad participationem orationum monasterio de Brunseria obtulisset, de manu cuiusdam fratris eiusdem cœnobij augmentationem coronæ in signum oblationis accepit.* Per fustem, & baculum possessionem etiam olim tradi probatur ex veteri testimonio relato à Brissonio *lib.* 6. *de formulis, pag.* 502. Illustrat Lindembrogius *in glossario legum antiq. verbo Traditio.*

Ex quibus prouenit vera decisiua ratio præsentis textus; nam cùm omne, quod potest fieri lege, possit fieri consuetudine, *cap. consuetudo,* 1. *dist.* diximus suprà *in cap.* 1. & legibus admissa sit adquisitio per symbola, consuetudine etiam introduci potest, præcipuè in casu nostræ consuetudinis, vbi symbolum illud accipiendi partem terræ fundi donati in extremitate pallij, & deferendi ad Ecclesiam, imponendique in Altare, valdè consonum est disciplinæ Romanæ, & Ecclesiasticæ. Romanæ, quia apud Romanos, cùm vindicabatur fundus, qui tradi non poterat, coram Prætore, vel Iudice glebam ipsius litigantes afferebant, & ibi in ea, tanquam in toto fundo præsenti, Prætor formulam vindicationis proferebat, Authore Gellio *lib.* 2. *noctium, cap.* 9. quæ formula ex iure *manu consertum*, vocabatur. Gellius *ibi:* Festus Pompeius *verbo Vindiciæ*, vbi ait: *Vindiciæ olim dicebantur glebæ* (sic enim legendum putat Reuardus *ad leges duodecim Tabul. cap.* 6. non verò *illæ*, vt passim legitur,) *quæ ex fundo sumptæ in ius allatæ erant.* Illustrant Brodeus *in supplemento historiæ Polleti lib.* 5. *cap.* 4. Cuiac. *lib.* 19. *obseru. cap.* 18. Dionys. Gothofr. *in l. quisquis* 18. *Cod. de donat.* & *ad leges duodecim Tabul. cap.* 22. §. 1. Ecclesiasticæ, quia priscis Ecclesiæ sæculis omnes ferè actus coram Altari, & in ipsius cornu fiebant; vnde libertas ibi dabatur, Burchardus *lib.* 2. *Decreti, cap.* 88. ibi: *Ego Burchardus, Deo annuente, Vormatiensis Ecclesiæ Episcopus, quendam Ecclesiæ nostræ famulum nomine Ebeardum, sacris Ordinibus oblatum, ad Altaris cornu in nobilium Virorum præsentia per hunc authoritatis titulum statuo ita, vt ab hodierno die verè ingenuus ab omni seruitutis vinculo securus permaneat.* Capitulari 88. *lib.* 1. Caroli Magni, ibi: *Coram Sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu Altaris, sicut in nostra authoritate continetur, remotâ qualibet calliditate, libertatem consequatur.* Et passim in capitularibus Caroli Magni. Extat etiam celebre fragmentum instrumenti vetustissimi cuiusdam monasterij apud Anseguisum, *in glossario capitularium, verbo Libertatem*, ibi: *Et fecerunt in Capitulo nostro coercitionem calumniæ, & donum authorizationis de his omnibus, quæ de more sub Altari posuissent.* Iustè ergo Innocentius III. dictam Danicæ consuetudinem, scotationem dictam, obseruare præcepit, cùm rationi, & omni disciplinæ ecclesiasticæ consona sit: & licèt traditio symbolica possessionis debeat fieri in præsentia ipsius rei, *l.* 1. §. *si insserim, ff. de acquirenda possess. dict. l. clauibus*; tamen fauore Ecclesiæ introductum est, vt etiam in absentia rei eius possessio transferri possit.

19. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Nec obstant rationes dubitandi. Non prima deducta ex natura possessionis; nam non est præcisè necessaria pedum positio ad possessionem, sed sufficit qualiscumque actus, vel symbolum quodlibet, vt probatum est; appellatur tamen possessio à pedibus, vel à sedibus, quia hæc instrumenta frequentiora fuerunt ad adquirendam possessionem, vt aduertit Couarr. *in reg. possessor,* 2. *part. in principio, num.* 1. vnde cùm nomen possessionis non sumatur ex natura essentiali, sed ex eo, quod frequentiùs contingit, argumentum ab etymologia parum mouet. Nec argumentum obstat, vbi dicebamus non dari animum, seu affectum in Ecclesia, monasterio, vel alia communitate; nam licèt stricto iure monasterium, collegium, seu municipium, non possint adquirere possessionem ex defectu animi; tamen vtilitatis causâ, cùm plura circa possessionem

20. DISSOLVVNTVR RATIONES DVBITANDI.

sionem recepta sint, *l.peregrè* 44.*d.*§. *quæsitum*, *ff.de acquir. possess.* receptum est, vt possidere possint, possessioque illis per seruos, vel liberas personas acquiratur, *l.* 2. *ff. de acquir. possess. l. siue* 9. §. *vlt. cum l.sequenti*, *ff.de publiciana.* Docet Valentia *dict. tract.*2. *cap.*15. vnde sic similiter sicut possessio acquiritur communitati sæculari per liberam personam; ita Ecclesiæ per Aduocatum, vel Prælatum ipsius acquiri potest. Nec aliud membrum argumenti refragatur, vbi dicebamus factum fingi non posse: nam ius in acquisitione possessionis non fingit factum, sed etiam factum illud per symbolum explicatum habetur pro facto sufficienti ad acquirendam possessionem, ac si emptor vel donatarius totum fundum peragarent & occuparent; nam cùm detur facultas in eis occupandi totam possessionem, quæ vacua est, & capax apprehensionis, fingi potest occupatam esse. Vnde euenit vt ius supplere hoc non possit, vbi possidens rem occupare non potest, *l. Nerua* 36. *l. Pomponius* 15. §. *si id quod*, *ff. de acquir. possess.* Gisanius *in dict. l.*3. *num.*82. Faber *decade* 75. *errore* 1. Nec obstat secundum argumentum deductum *ex l. raptores* 53. *Cod. de Episcop. & cleric.* nam ibi non agitur de acquirenda possessione, sed de iusto titulo Ecclesiæ, vel monasterio competente, ad obtinendam possessionem bonorum illius, qui virginem rapuit, vt post Gisanium *in dict. l.*3. docet Valentia *de acquirend. possess. cap.*2. *num.*30.

21. EXPONITVR L. VT INTER, COD. DE SACROS. ECCLES.

Sed superioribus acriter obstat textus *in l.vt inter diuinum* 23. *vers. itaque*, *Cod. de sacrosc. Ecclesiis*; vbi Imperator Iustinianus postquam concessit Ecclesiis, Xenodochiis, & aliis locis piis, vt in illis quæ ipsis venduntur, aut donantur, siue sint mobilia, siue immobilia, non esset locus præscriptioni, nisi centum annorum; statim ait, vt ad ipsas res datas, vel donatas absque vlla apprehensione adhuc non occupatas competat rei vindicatio. Tunc sic: Rei vindicatio supponit dominium, *l.in rem* 23. *ff.de rei vindicatione*; sed dominium sine possessione adquiri non potest, *l.*2. §. *vacuam*, *l. emptorem*, §. *Neratius*, *ff. de action. empti*, *l. si pacto* 8. *Cod. eodem*, *l. traditio* 20. §. *vlt. ff.de acquir. rer. domin. l. cùm res* 12. *Cod. de probat. l.quibusdam* 13. *Cod. de distract. pignor.* Hothomanus *illustr. quæst.*11. Bronchorst. *lib.*3. *cap.*81. Valentia *vbi suprà*, *cap.*4. Timeus, & Faber *disp.*14. *thesi* 12. ergo Ecclesiæ possessio sine vlla apprehensione, verâ, vel fictâ adquiritur, & per consequens superuacua expenditur consuetudo Regni Daniæ in nostro textu ad confirmandam possessionem rerum donatarum. Cui difficultati, omissâ controuersiâ, an dominium sine possessione adquiratur, quam disputant DD. suprà citati, Donel. *lib.* 4. *comment. cap.* 19. Vvisemb. *disp.* 10. *num.*34. variè satisfaciunt Interpretes. Osualdus *lib.*20. *comment. cap.*4. *littera B*, asserit vindicationem ibi esse extraiudicialem: Vvisemb. *dict. numer.*35. affirmat verbum *vindicationem*, ibi accipi impropriè pro exactione, vt *in l.ex imperfecto* 23. *ff.de leg.*3. iuncta lege 178. §.2.*de v.s.* Sed his omissis verius dicendum est, in eo textu nihil respectu dominij nouiter à Iustiniano constitui; tantùm enim illam edidit constitutionem ad introducendam præscriptionem centenariam, propter falsitates cuiusdam Emisseni, vt ex Suida refert Caldeira *lib.*3. *de errorib.cap.*10. & cùm obiter dicitur, Ecclesiæ dari vindicationem, id referendum est ad casum hæreditatis, vel legati, de quibus antea egerat, & ad res donatas, cùm donator retinuerit vsumfructum rei, *l.data* 28. *Cod. de donat. l.*42. *ff.de donat. causâ mortis*, *l.*2. *Cod. Theodos. de donat.* cùm enim in his dominium transferatur ipso iure, *l. à Titio*, *ff.de furtis*, inde conceditur vindicatio rei, vel aliarum rerum exactio. Ita Azo, & Gisanius *in eo textu*, Hunnius *ad Treutlerum volum.*2. *disp.*27.*quæst.*26.

22. INTELLIGITVR LEX QVÆDAM, ff. DE REI VIND.

Secundò expendi potest contra suprà dicta, textus *in l. quædam* 77. *ff. de rei vindicatione*, vbi quædam mulier, quæ Titio prædium donare volebat, ipsi epistolam misit, dum erat in ipso fundo: quæstionis est, an si mulier conduxerit ipsum prædium, censeatur possessio translata? Et respondet Consultus, possessionem traditam censeri per constitutum. Prosequitur, quid si tantùm Titio existenti in prædio mittatur donationis scriptura? Et respondet Consultus, possessionem adquiri absque vlla apprehensione. Tunc sic expendo: En textum vbi rei donatæ adquiritur possessio absque vlla apprehensione: ergo & in nostro textu adquiri poterat absque signo scotationis. Cui difficultati satisfaciunt Faber *de error. decade* 75. *errore* 10. Cumanus *in l.*3. *ff.de acquir. possess. num.*2. dicendo, ibi transferri possessionem per fictionem, quam Consulti appellant, *Breuis manus*, de qua *in l.siue autem* 9. §.1 *ff.de publiciana*, *l. certi* 9. §. *vlt. l. singularia*, *ff. de reb. creditis*, *l.si rem* 61. *ff.de euictionibus*, *l.*3. §.*vlt. ff.de donat. inter*, *l.qua ratione*, §. *interdum*, *de acquir. rer. dom.* Plura Valentia *de acquir.possess. cap.*14. Matteacius *in dict. l.singularia*: fingitur enim *in dict. l.* quandam possessionem fundi ad mulierem peruenisse, & statim Titio tradidisse; & cùm in nostra specie Ecclesia non possideret res donatas, ex alia causa necessaria fuit traditio per signum scotationis.

23. EXPLICATVR CAN. 19. CONCILII AVREL.4.

Tertiò suprà traditæ assertioni obstat textus *in can.* 19. *Concilij Aurelian.* 4. relatus ab Antonio Augustino *in epitome lib.*15.*tit.*36. *cap.*9. ibi: *Quicumque pro sua deuotione oblationis studio aliquid in campellis, vel vineolis etiam absque scriptura probatur Ecclesiis contuliſſe, si postmodùm ipse, vel hæredes eius quacumque occasione auferre hoc à iure Ecclesiæ, vel alienare voluerint, quousque à tali intentione discedant, aut ablata restituant, à communione ecclesiasticâ suspendantur.* Ex quo textu constat, sine vlla scriptura vel signo possessionem adquiri posse. Cui difficultati respondendum, in eo textu supponendam esse traditionem rei, cùm dicant Patres, donatorem auferre intendere, & prædia contuliſſe; quæ omnia supponunt ipsas res donatas traditas fuisse; & tunc licèt non adsit scriptura donationis, parum refert, vt suprà diximus: nam si tradita sit, aut realiter, aut symbolicè, sufficit hæc traditio, vt possessio adquiratur, & vt auferre volens puniatur grauibus pœnis, de quibus in Concilio Parisiensi *cap.* 1. Aurelianensi 5. *cap.*16.

CAPVT

CAPVT III.

Idem *Episcopo* [a] *Patauiensi.*

AD nostram noueris audientiam peruenisse, quòd in tua diœcesi, [b] etiam in causis [c] ecclesiasticis consuetudo minus rationabilis habeatur, quod cùm aliqua causa tractatur, ibidem [d] allegationibus, & [e] querelis vtriusque partis auditis, à præsentibus literatis, & illiteratis, sapientibus, & [f] insipientibus, quid iuris sit, quæritur: & quod illi dictauerint, vel aliquis eorum præsentium, consilio requisito pro sententia teneatur. Nos igitur attendentes, quod consuetudo, quæ canonicis obuiat [g] institutis, nullius debeat esse momenti; cùm sententia à non suo iudice lata [h] nullam obtineat firmitatem: vt in causis ecclesiasticis subiectorum tuorum, postquam tibi de meritis earum constiterit, sententiam proferre valeas, sicut ordo postulat rationis, authoritate tibi præsentium, præmissâ consuetudine non obstante, concedimus [i] facultatem. Nulli ergo, &c. Datum Lateran. XII. Calendis Martij.

NOTÆ.

1. PATAVIVM VBI.

a *Patauiensi.*] Tam in tertia, quàm in sexta collectione legitur *Pictauiensi*; sed ex ipso regestro epistolarum Innocentij edito Coloniæ, vbi *fol.* 275. reperitur textus hic, tam litteram, quàm inscriptionem restituo. Patauium vulgò Padua, vetustissima est Italiæ vrbs, à Padi vicinitate, quasi Padauium, dicta, vt sentit Serarius. Ciuitas est ampla & amœna; habet ius, & dignitatem municipalem supra insignia septem oppida; eam sæpius inexpugnabilem reddiderunt Veneti, vt de ea plura adducens tradit Franciscus Schotus *in itiner. Italiæ*, *fol.* 56. Habet Ecclesiam Cathedralem S. Sophiæ dicatam à temporibus S. Prosdocimi, discipuli S. Petri: cuius Ecclesiæ Episcopo, Gerardo de Ponte dicto, rescribit in præsenti Innocentius; nam eam rexit ex anno 1159. vsque ad annum. 1214.

2. b *Etiam.*] Id est non solùm in causis sæcularibus & profanis, verùm etiam ecclesiasticis: coniunctio enim *etiam*, non solùm importat assertionem, verùm & exprimit casum magis difficilem, & implicat minùs dubitabilem, *l. etiam*, *C. si tutor*, *l. conuenticula*, *Cod. de Episcopis*, *l. etiam*, *ff. de v.s.* vbi Fornerius & Gentilis, Barbosa *de dictionibus*, *dictione* 112.

3. c *Ecclesiasticis.*] Meris videlicet, vel de rebus, vel de personis: de rebus, partim diuinis, vt sunt res sacræ; partim temporalibus, vt iuspatronatus, decimæ & similes: de personis, quæ ecclesiasticæ sunt, iuxta distinctionem causarum, quam dabimus *in cap. 2. de iudiciis.*

4. d *Allegationibus.*] Id est, petitionibus, & responsionibus; allegationes enim, seu allegata, sunt ea, quæ à litigantibus in facto sunt proposita, & deducta, ex quibus deinde ius sumitur: hinc allegare causas, *l.* 1. §. 1. *ad leg. Iul. de adult.* allegare absentiam, *l.* 3. §. *litem*, *ff. de negotiis gestis*; excusationem, *l.* 31. *ff. de excusat. tuor.* plura Brissonius *verbo Allegare.*

5. e *Querelis.*] Siue criminalibus, siue ciuilibus; sicut enim querela potest proponi ad publicam delicti vindictam, *l.* 1. *ff. de officio Præf. vrb.* ita & ciuiliter potest proponi ad priuatam vtilitatem, *l.* 3. *ff. de his qui sunt sui*, *l. qui post* 58. *ad Trebell. l.* 5. *de manumissionibus.*

6. f *Insipientibus.*] Hinc huius consuetudinis irrationabilitas, cùm illi, qui iudicandi munere præponuntur, debeant maximè litteris pollere, vt plurimis sacræ Scripturæ locis probat D. Thomas *de regimin. Princip. lib.* 1. *cap.* 2. & Philosophorum, Oratorumque innumeris sententiis illustrat Carleual *de iudiciis tom.* 1. *lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *n.* 18. annotaui suprà *in cap. sciscitatus*, *de rescriptis*; nam cùm debeant sententiam proferre secundùm leges, quomodo imperiti earum iudicare valebunt? Vnde illiterati iudices dari non possunt, *nouella* 82. *Iustiniani*, cui adstipulantur textus *in cap.* 1. *cap. statuimus*, 61. *dist.* Inscitia enim in iudice pro crimine habetur, *l. finali*, *ff. de variis & extraord.* Petrus Herodius *lib.* 2. *Pandect. tit.* 9. *cap.* 29. Besoldus, Canonerius, & alij apud Altamiranum *de filiis officialium lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. An autem ante Iustinianum potuissent illiterati iudices assignari, itavt consilio Assessorum iudicarent, disputant Corrasius *lib.* 5. *miscel. cap.* 19. Vulteius *disp. cap.* 8. & *de iudiciis lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 128. Cuiac. *lib.* 23. *obs. cap. vlt.* Tuldenus *ad tit. C. de officio iudicis*, *cap.* 4. Hunnius *ad Treutlerum volum.* 1. *disput.* 12. *quæst.* 33. Bronchorst. *centur.* 1. *assert.* 64. Sanarus *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 2. Mornacius *in l.* 4 *ff. familiæ erciscundæ*, Vvisembac. *disp.* 52. *num.* 21. in qua quæstione notandi sunt textus *in l.* 1. *ff. de officio eius*, *l.* 7. *C. de profess. l.* 2. *C. de postulando*, *l.* 2. *ff. quod quisque iuris*, *l. vnica*, *C. vt quæ desunt Aduocatis*, *l. vlt. C. de iurisdict.* cum Hothomano *illustrium q.* 28.

7. g *Institutis.*] Vt dixi *in cap.* 1. *hoc titulo.*

8. h *Lata.*] Consonant textus *in cap. in primis* 2. *q.* 1. *cap. at si Clerici*, *de iudiciis*, *cap. nullus*, *de parochis*, *l.* 2. & 3. *C. si à non compet.* plures huius regulæ exceptiones, & ampliationes referunt Glossa & antiquiores *in præsenti.*

9. i *Facultatem.*] Id est, à iure concessam esse ostendimus; non enim Pontifex concedit de nouo, sed declarat ius commune; vtitur tamen his verbis forsan ad cautelam, vt ita securior maneret Episcopus cum populo: ita Abbas, & Zabarella *in nostro textu.*

COMMENTARIVM.

10. TRADITVR, ET PROBATVR CONCLVSIO.

CONclusio in præsenti disputanda ita se habet: *Non valet consuetudo, vt in causis ecclesiasticis placitum populi pro sententia teneatur.* Probari potest *ex cap. cùm inter*, *hoc titul. cap. clerici* 8. *de iudiciis*, *cap. quod clerici*, *de foro compet. cap. nouerit*, *de sen-*

tentia excomm. & aliis iuribus, quæ à Doctoribus expenduntur *in cap. decernimus, de iudiciis.* Illustrant vltra relatos à Barbosa *in collect. ad hunc textum*, & *in d.cap. clerici* 8. Borellus *in summa decis.p.*1. *tit.*4.*num.*143. Marta *de iurisdict.*4.*p. centur.*1.*casu* 63. Azorius *tomo* 1. *instit. lib.*5.*cap.*12. *q.*1. Vega & Balboa *in d. cap. clerici* 8. Suarez *in defens. fidei lib.*4. *cap.* 32. *per totum*, Rochus de Curte *in cap. finali, hoc tit. num.* 52. Azeuedo *in Curia Pisana lib.*2. *cap.*3.*num.*3.

II. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Sed hæc assertio impugnari potest sequenti iuris consideratione. Consuetudo potest tribuere iurisdictionem eam non habenti, *cap. auditis* 15. *de præscript. cap. finali, de officio Archidiac. cap. irrefragabile* 13. *de officio ordin. cap. cùm contingat, de foro compet. cap. Romana* 3. §. *debet, de appellat. lib.*6. *l.* 1. *ff. de albo scribendo, l.* 1. *& finali, C. de emancip.liber.* Probant Narbona *in l.*20. *glossa* 22. *tit.*1. *lib.* 4. *recopil.* & *in l.* 59. *glossa* 1. *tit.* 4. *lib.*2. Valenzuela *consilio* 26. *num.* 17. Decianus *tom.*1. *tract. crimin.lib.*4.*cap.*27. Petrus Marcha *lib.*3. *concord. Sacerd. & Imper. cap.* 9. vnde fœminæ, quæ iure communi à iudicandi munere arcentur, *l.* 2. *ff. de reg. iur.* consuetudine interueniente iudicare valent, *cap. dilecti, de arbitris*, Cironius *in parat. ad hunc titulum*: & populum consuetudine acquirere posse iurisdictionem, probant Immola, Panormitanus, & Socinus *in cap. cùm comingat, de foro compet.* quos sequitur Morla *in emporio, tit.*6. *q.*4. *num.* 39. Igitur populus Patauiensis virtute consuetudinis legitimè præscriptæ poterat sententiam proferre in omnibus causis, tam sæcularibus, quàm ecclesiasticis. Augetur primò hæc difficultas; nam quælibet res de facili reuertitur ad suam naturam, vt diximus *in cap.cùm omnes, de constit.* sed ante legem Regiam omnis iurisdictio penes populum erat, §. *sed quod Principi, Instit. de iure natur.* & eius erat cognoscere de capite ciuis; immò & publica iudicia frequenter per populum exercebantur vsque ad annum 604. vrbis conditæ, teste Dionysio Halicar. & ex eo, & Cicerone obseruat P. Gregorius *lib.*4. *syntag.cap.*5.*num.*12. Igitur populus per consuetudinem potest hanc iurisdictionem recuperare. Augetur secundò hæc difficultas; nam si veteres Ecclesiæ mores repetamus, nihil vsitatius, aut frequentius inueniemus, quàm iudicium populi in causis omninò ecclesiasticis adhiberi, veluti in Conciliis, in electionibus, & ordinationibus ministrorum Ecclesiæ. Populus enim in eis suffragium adhibebat, approbando, vel reprobando, ita vt qui dignus à populo acclamabatur, ordinaretur; qui verò indignus, reiiceretur, *cap. nullus* 14. *dist. Nullus ordinetur clericus, nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio, cap. Episcopus* 24. *dist.* D. Cyprianus *epist.*68. *ad clerum. Ordinationes non nisi sub æquali adsistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Plura Franciscus Hallierius *de sacris elect. fol.*41. & 81. Ergo consuetudo præscripta in populo Patauiensi, cùm secundùm iuris rationem, & non contraria Ecclesiæ disciplinæ esset, obseruari debebat.

12. IVDEX DEBET ESSE COMPETENS.

Quâ difficultate ita fulcirâ non obstante defendenda est præsens Innocentij decisio, pro cuius vera ratione capessenda sciendum est, quod etsi principales personæ sint iudicij, iudex, actor, & reus, *cap. forus, de v. s. l. inter litigantes* 62. *ff. de iudiciis*; iudex tamen rectè à Baldo *in rubrica C. si à non compet. num.*2. iudicij dux, & imperator appellatur; & Vantius *de nullitatib. ex defectu iurisdict. num.*2. Gaillus *lib.*1. *obseru. cap.*42. *num.*9. iudicem Basim & fundamentum iudicij appellant; nam ipse est, qui processum iudiciarium dirigit, & inter litigantes se interponit, atque quod ab ipsis faciendum est, præscribit, iubet, mandat, denique authoritate publica fungitur. Osualdus *lib.* 6. *Donelli, cap.* 6. *littera B.* non autem quilibet iudex hæc facere potest, sed tantùm qui est competens, qui in præsenti textu appellatur suus; nam iudices respectu causarum sunt competentes, vel incompetentes; & si incompetens sententiam proferat, sententia nullius momenti est, *l.*2.*&* 3. *C. si à non compet. l.*6.*§. si quis, ff. de iniusto rupto*, adeò vt nulla necessaria sit appellatio, nec ex ea actio iudicati oriatur. Cuiacius *ad titul. C. si à non compet.* vnde iudex datus in causa proprietatis, si iudicauerit de possessione, sententia nulla est, *l.* 1. *C. si à non compet. l. post* 9. *C. de sententiis*: quia alia est causa possessionis, alia proprietatis, *l. naturaliter*, §. 1. *l. penult. ff. de acquir. possess.* inde etiamsi iudex militaris cognouerit de aliqua causa inter paganos, iudicium nullum est, *l.*2.*C. si à non compet.* Similiter de procuratore Cæsaris ratiocinandum est, *ex l.* 1. *C. de pedan. iudic.* & generaliter illud verum est, sententiam prolatam à non competenti iudice, nullam esse. Secundò præmittendum est, laicos non solùm tanquam incompetentes, verùm & tanquam incapaces de causis ecclesiasticis cognoscere non posse, & sententiam ab eis prolatam ipso iure nullam esse, *cap. decernimus*, vbi probabimus, *de iudiciis, authent. statuimus, C. de Episcop. & cler.* Similiter de personis ecclesiasticis cognoscere nequeunt, *cap. at si clerici* 4. *cap. clerici* 8. *cap. cùm non* 10. *de iudiciis, cap. placuit, cap. clericum, & fere per totam* 11. *q.* 1. adeò vt nec ratione incidentiæ, prorogationis, aut consuetudinis laicus iudex capax fieri possit, *cap. si diligenti, cap. significasti, de foro compet.* in quo magnum versatur discrimen inter iudicem ecclesiasticum & sæcularem; nam ecclesiasticus ratione incidentiæ, prorogationis, aut consuetudinis potest reddi competens, laicus verò, cùm sit incapax, nec ratione incidentiæ, prorogationis, seu consuetudinis potest fieri capax, vt docent Balboa, Vega & omnes primarij nostri, *dict. cap.*2. *de iudiciis.*

13. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Ex quibus profluit ratio nostræ decisionis; nam cùm laici populi sint incapaces iurisdictionis in causis ecclesiasticis, & inter ecclesiasticas personas, nec prætextu consuetudinis possunt fieri capaces, nec talis consuetudo introduci; nam consuetudo populi plus operari non potest, quàm constitutio ipsius populi: sed constitutio populi non potest derogare immunitati ecclesiasticæ, *cap. Ecclesia, cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. cap. Clerici, de iudiciis, cap. cùm terra, de elect. cap. causam, de præscript.* ergo nec consuetudo potest introduci, per quam immunitati ecclesiasticæ derogetur, aut grauamen Ecclesiæ inferatur. Accedit & illa ratio, quæ iniustitiam huius consuetudinis etiam respectu causarum sæcularium satis adstruit; nam populus docendus est, non verò sequendus, *cap. docendus* 62. *dist.* nec vanæ eius voces sunt audiendæ, *l. ad bestias* 31. *ff. de pœnis, l. decurionum* 12. *C. eod. cap. vnusquisque* 22. *q.* 4. idque disertè probatur *ex l. si priuatus* 17 *ff. qui & à quibus*, vbi si priuatus coactus à populo

populo seruum manumiserit, libertas non competit, adeò vt constitutione D. Marci cautum fuerit, vt seruus actor, id est qui in scenis partes fabulæ agebat, non posset manumitti, quia plerumque talis manumissio cogente populo per acclamationem fiebat: quo modo exponenda etiam est lex 3. C. *qui manumitti non possunt*; obseruauit Cuiacius *lib.2. obseru.cap.22.* scitum enim est, ab Augusto in spectaculis populum extorsisse, vt Comœdum seruum manumitteret, referente Suetonio *in Tiberium cap.* 47. quod cùm populus intentaret, imperante Hadriano, qui pertinacior, tenaciorque erat, repulsus fuit, contemptasque eius voces fuisse tradit Diocasius *in Hadrianum.* Eandem Athenis viguisse legem, testatum reliquit Æschines *contra Esiphontem.* Quæ omnia suadent, rectè in præsenti ab Innocentio decretum fuisse populum Patauinum non esse consulendùm in causarum decisione, nec eius iudicium pro sententia sequendum. Deinde, nam populus vix probat quæ probanda sunt, vt docent Ælianus *de vera histor.cap.6.* Seneca *de vita beata, cap.12.* ibi: *Non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant; argumentum pessimi turba est.* Clemens Alexandrinus *lib. 5. stromatum*, ibi:

Ne spectes famam dum vis sophos esse repente,
Terreat amentis nec te sententia vulgi:
Iudicium sapiens, & iustum non habet vllum
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Iudicium enim eius inconstans, & varium est; vnde Socrates ait, vulgum motui cedere vt ligna securi; neque cuiquam est incognitum iudicium populi Iudaïci aduersus Christum Dominum nostrum; primò enim eum excepit vt Regem, & paucis pòst diebus clamauit *Crucifige*, vt refertur *cap.21. Matth.* Charondas, qui leges Athenien-sibus dedit, de populo dicebat: *Qui se populo committit, fortunam, non rationem sequitur.* Tacitus *lib.2. histor.* ait: *Plebi non iudicium, nec veritas est: populus precio, acclamationibus, & leuitate monetur.* D. Hieronymus *epist.* 22. ita vulgum describit: *Vulgus habet os barbarum, procax, & in conuitia semper armatum.* Et Ioannes XXIII. relatus à Solorzano *emblem.* 97. populi iudicium ita definit: *Quicquid laudat, vituperatione dignum est; quidquid cogitat, vanum; quidquid loquitur, falsum; quod improbat, bonum est; quodque approbat, malum; & quidquid denique extollit, infame.* Alia dabimus *in cap. 2. de elect.cap. ex litteris, de excess. Prælat.* Rectè ergo in præsenti Innocentius decidit iniustam esse consuetudinem, per quam decisio causarum ecclesiasticarum iudicio populi Patauini committebatur.

14. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam licèt consuetudine acquiri possit iurisdictio eam non habenti, vt probant Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imper. lib.3. cap.9.* Thomas Deibene *de immunit. eccles. tom.1. cap.1. dubit. 15. sect.5. & 6.* id tamen procedit, & locum habet quando qui eam non habebat, erat tantùm incomperens, non verò si erat incapax, vt populus est, vel iudex laicus, de quo agit P. Suarez *in defens fidei lib.3. cap.* 34. nam tunc nullâ consuetudine, quæ rationabilis esse nequit, tolli potest incapacitas: & iura pro dubitandi ratione adducta procedunt in illis iudicibus, qui incompetentes erant, qui ratione consuetudinis legitimè præscriptæ reddi possunt competentes: quare fœmina in regno Galliæ virtute consuetudinis iurisdictionem exercere valet, & populus etiam consuetudine acquirere potest, vt sibi licat de quibusdam causis temporalibus iudicium proferre. Nec obstat primum augmentum ipsius dubitandi rationis, ex quo dicebamus, populum per consuetudinem recuperare iurisdictionem, quam in Principem transtulerat per legem Regiam; & sic non de nouo acquirere, sed amissam restaurare: nam illud procedit in iurisdictione sæculari, & temporali; sæcularis enim iurisdictio communi populi consensu fuit in Principem translata, *l.1. ff. de constitut. Princip. l.1. cum sequentib. tit.1. part.2.* at verò iurisdictio ecclesiastica nunquam fuit penes Rempublicam, sed à iure diuino originem sumit; vnde nunquam populus potuit eam transferre in Pontificem. Couar. *practic. cap.31.* Cùm enim huius iurisdictionis incapaces sint laici, *cap. ita Dominus, 19. dist. cap. si Imperator, 96. dist. cap.2. cum sequentib. 11. q.1.* nec consuetudine poterit populus eam adquirere. Nec augmentum vltimum aliquid probat; nam cùm populus aderat in Conciliis, id fiebat non vt iudicium ferret, sed potiùs vt leges ecclesiasticas ibi factas acciperet, & sustineret: similiter cùm populus consilium præstabat in ordinationibus ministrorum Ecclesiæ, non ex eo habere iurisdictionem arguebatur, nec Episcopi tenebantur populi suffragium in ordinandis presbyteris petere; sed cùm illis temporibus esset omnium fidelium vnum cor, & quicumque nominis erant christiani, magis charitate copulati, quàm potestatum diuersitate segregati viderentur; nihil mirum si Episcopi populum consulerent, non tamen vt exinde aliquam sibi iurisdictionem populus arrogaret, vt latè dicemus *in cap.2. de elect.*

15. EXPONITVR CAP. QVERELAM, DE ELECTIONE.

Superiori assertioni obstat textus *in cap. querelam 24. de elect.* in illis verbis: *Per electionem populi, ad quem de antiqua consuetudine pertinet electio.* Ex quibus verbis depromitur, populum consuetudine acquirere posse iurisdictionem in beneficiis & aliis præbendis ecclesiasticis conferendis, siue in earum electione: igitur similiter consuetudine introduci valet, vt iudicium populi in causis ecclesiasticis pro sententia habeatur. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, in eo textu populum consuetudine non adquisiisse iurisdictionem aliquam, aut potestatem in rebus ecclesiasticis, aut electione, sed tantùm præsentationem propter iuspatronatus, quia cùm ius hoc à laicis obtineri possit, *cap. 1. & per totum, de iurepatronatus*; sic consuetudine acquiri valet, *cap. cùm Ecclesia, de causa possessionis, cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælatis*, licèt per præscriptionem adquiri non valeat, vt docent Fachineus *lib.8. controu. cap.* 24. Lambertinus *de iurepatronatus lib.1. p.1. q.8. art.1.* & *lib.2. p.1. q.7. art.* 19. *num.* 13. Balboa *in cap. ad aures, de præscript. num.* 37. vnde cùm consuetudine in eo textu nulla iurisdictio acquiratur, sed tantùm ius præsentandi, ideo consuetudo obseruatur.

16. INTELLIGITVR CAP. ROMANA, § DEBET, DE APPELLAT. IN 6.

Secundò opponi potest textus *in cap. Romana, §. debet, de appellat. lib.6.* vbi cùm agatur de sententiis prolatis ab Episcopo, quomodo ab eis, & ad quem appellandum sit, asserit Innocentius IV. appellandum esse ad Archiepiscopum, nisi contrarium consuetudine introductum fuerit, videlicet, vt ad iudicem laicum, aut populum appelletur. Ex qua decisione expressè deducitur, consuetudine introduci posse, vt populus, aut alia persona sæcularis de causis ecclesiasticis per viam appellationis cognoscat: ergo & in nostro textu

consuetu

consuetudine introduci poterat, vt iudicium populi Pictauiensis pro sententia haberetur. Cui difficultati satisfaciendum est dicendo, quod quamvis in illius textus specie acquiri posset iurisdictio à laico per consuetudinem; hoc tamen procedit ex eo, quod iurisdictio erat sæcularis in sui principio, & in Episcopum fuerat translata; vnde consuetudine potuit tolli obex, siue impedimentum, per quod non poterat alius quàm Metropolitanus de causis appellationis cognoscere. Tum quia quælibet res de facili reuertitur ad sui naturam, *cap. ab exordio*, 35. *dist. l. si vnus* 27. §. *pactus*, *ff. de pactis*. Tum etiam, quia cùm ipsa iurisdictio fuisset sæcularis, & ex accidenti fuisset translata in Episcopum, non est ratio, cur sicut in sui principio non excluderet talem consuetudinem, idem non procedat postquam est penes Episcopum; cùm qualitas, siue conditio rei non recipiat variationem ex personæ mutatione, *l.* 2. §. *ex his*, *ff. de verb. obl.* præcipuè cùm origo cuiusque rei regulariter in omni dispositione debeat attendi, *l. quidquid* 34. *ff. de donat. l. clam* 6. *ff. de acquirenda possess. l. tutor* 70. *ff. de fideiussor.* Ita illum textum explicant, & exponunt Anguianus *de legibus lib.* 2. *cap.* 17. plures relati ab Escobar *de Pontificia cap.* 21. §. 9. Vega *in cap. clerici* 8. *de iudiciis*, *num.* 33.

17. Tertiò aduersari videtur textus *in cap. cùm venisset* 3. *de eo qui mittitur in possessionem*, in illis verbis: *Secundum ius, & honestam consuetudinem terminandam.* Ex quibus verbis colligitur, consuetudinem populi circa causarum ecclesiasticarum decisionem esse obseruandam, & attendendam: igitur illâ introduci potest, vt iudicium populi pro sententia seruetur, etiam in causis ecclesiasticis. Cui decisioni aperto marte pugnat textus *in cap. cùm causa*, *de sententia & re iudic.* vbi expressè deciditur, consuetudinem Veronensis populi in causis ecclesiasticis terminandis attendendam non esse. Pro quorum iurium conciliatione cùm communi Interpretum schola, distinguendum est inter consuetudinem iustam, & consuetudinem iniquam; nam consuetudo populi recta, est admittenda, etiam in causis ecclesiasticis terminandis, cùm sit recepta & introducta non solùm à laicis, verùm etiam à Clericis, qui populi appellatione comprehenduntur, *l.* 1. *C. de summa Trinit.* Valascus *consultat.* 100. at verò si consuetudo sit iniqua, ex traditis suprà nullo modo valet obseruari; quo casu procedit textus *in d. cap. cùm causa*, cùm consuetudo ratione carnis, corruptela potiùs, quàm consuetudo sit: ita Balboa *in cap.* 2. *de iudiciis*, *num.* 89. vnde cùm in nostro textu agatur non de consuetudine iusta, sed iniqua, atque à ratione aliena, ideo statuit Innocentius eam nullo modo obseruari debere.

EXPLICATVR CAP. 3. DE EO QVI MITTITVR.

CAPVT IV.

Idem *Lucio* [a] *Vicario apud* [b] *Constantinopolin constituto.*

QVantò de benignitate Sedis Apostolicæ locum obtines celsiorem, tantò tibi est solicitiùs procurandum, vt te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram, vel ad siniſtram, quod non minùs re, quàm nomine vices Apostolicas gerere videaris. Peruenit sanè ad audientiam nostram, quod quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolin ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore ritè fuerunt solis [c] Pontificibus reseruata, vt est sacramentum [d] Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis, & sui erroris fomentum solam consuetudinem prætendentes: cùm diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augmentet; quæ tantò grauiora existunt, quantò infelicem animam diutiùs detinent alligatam. Volentes igitur hæc, & alia, quæ oculos diuinæ Maiestatis offendunt, de agro dominico extirpari, discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis presbyteris apud Constantinop. constitutis districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant, quæ licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex [e] necessitate, quæ legem non habet, omittere, quàm vt ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine graui periculo inaniter conferantur: cùm alios quosque subiectos tuos, & ab illicitis reuocare satagas, & ad facienda bona verbo, & exemplo pariter inuitare: quibus quales pro te [f] litteras destinemus, ex rescripti nostri serie perpendere poteris euidenter. Dat. Lateran. XVI. Cal. Decembris.

NOTÆ.

1. a *Vicario.*] Ita etiam habetur *in cap.* 3. *hoc tit. in* 3. *collect.* & in epistolis editis à Sirleto, *pag.* 388. ex quo codice supplenda est hæc decisio. Vicarius Romani Pontificis, cui Innocentius rescribit in præsenti, licèt habeat tantùm iurisdictionem extra Vrbem, & in his quæ circa Vrbem sunt, vsque ad quadraginta milliaria, vt de eius officio & iurisdictione plura adducentes tradunt Flaminius Parisius *de resign. benef. lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 5. Octauianus Vest. *in praxi lib.* 2. *cap.* 16. Petrus Gregorius *p.* 3. *syntagm. lib.* 47. *cap.* 35. *num.* 8. Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 55. tamen plerumque mittitur in aliam prouinciam suffultus authoritate litterarum Apostolic. Cohelius

helius *vbi suprà, cap.15. congreg.* 8. vt missus fuit Lucius ab Innocentio III. Constantinopolin eo tempore, quo ipsa ciuitas à Latinis occupata erat. Romani enim Pontifices vsu ipso edocti, quantùm conferret ad disciplinam ecclesiasticam conseruandam, in diffitis longè prouinciis Vicarios constituebant, vt probat Petrus Marcha *de Primatu Lugdunensi*; quæ dissertatio extat in appendice Concilij Claromont. & ita in Gallicana diœcesi Vicarium constituit Zosimus anno 117. Arelatensem Episcopum, & posteà Hormisdas Remigium Episcopum Rhemensem, & Gregorius primus Leandrum Hispalensem Episcopum in Hispaniis Vicarium constituit, & ita per Constantinopolin Vicarius hic, cui rescribit Innocentius, designatus fuerat. Idem Gregorius *lib.4. indict.13. epist.52.* Vigilius *epist.7.* & Ioannes VIII. *epist. 93. 94. 95.* eodem penè stylo delegauerunt Vicarios suos, vt adhibito competenti sacerdotum numero, causas canonica & Apostolica authoritate discuterent, vt referunt varia de his Vicariis congerentes, Rousselius *lib.4. histor. iurisd. Pontif. cap. 6.* Cabassutius *in notit. Concil. fol. 54. & 234.* vt aliqua corrigerent, emendarentque, & vices ipsius per omnia gererent, vt ex litteris infrà referendis, quibus Innocentius iubet tam clericis, quàm laicis Latinis Constantinopoli commorantibus, vt illum tanquam Vicarium Sedis Apostolicæ recipiant, constat: notauit Cironius *in cap. vnico, de transact. in cap.2. de confirmat. vtili, in 5. compil.*

2. CONSTANTINOPOLIS ANTIQVITAS.

b *Constantinopolin.*] Constantinopolis olim dicta Byzantium, non ignobilis ciuitas fuit, vt ex Cicerone & aliis probat Angelus Petrica *de appellat. disp.* 3. sed postea multis cladibus exagitatam, & pluribus naufragiis iactatam, Imperator Caracalla restituit, teste Spartiano *in ipso*; sed iterum sub Gallieno oppressa & deuastata fuit: tandem Constantinus eam mirificè auxit & illustrauit, atque non tantùm nomine, sed reipsa illam alteram Romam fecit, vnde caput ciuitatum dicitur *in §. vlt. Institua de satisdat.* & priuilegia Vrbis Romæ illi communicata fuerunt, *l.1. C. de priuilegiis vrbis Constant. l. 1. C. Theodos. de iure Italico vrbis Constantinop. can.* 28. *Concilij Chalcedon.* Reuardus *lib.3. coniect. cap.17.* Bulengerus *diatribe 3. ad Casaubon.* demùm diuiso Imperio Sedes Imperatoris Orientis fuit, Reginaque totius Græciæ, iuxta Sidonium.

Salue sceptrorum Columen, Regina Orientis,
Orbis Roma tui.

Plura de eius magnitudine, & laudibus post scriptores Byzantinæ historiæ tradunt Bertcrius *diatrib.1. cap.1.* Rabi Moyses Almosinus *de magnit. Constantinop.* Bulengerus *de Imperat. lib.1. cap.8.* Ipsa imperialis ciuitas temporibus Innocentij III. capta, occupataque fuit à Gallis, & Venetianis, atque Henricus Flandr. Imperator renunciatus, Patriarcha verò electus fuit Thomas Maurocenus, iuxta pacta & conditiones, de quibus nonnulla adducam *in cap. scriptum* 40. *de elect.* vnde Latini permixtim habitabant cum Græcis, & à Latinis iuxta ritus Ecclesiæ Latinæ sacramenta accipiebant, Græci verò à Græcis iuxta mores Græcanicos, *cap. quoniam* 14. vbi notabimus, *de offic. ordin.* vnde cùm Latini presbyteri præsumerent Latinis fidelibus confirmationis sacramentum administrare, vt Græci presbyteri fidelibus Græcis, ratione consuetudinis Græcanicæ conferebant, Innocentius III. in præsenti Lucio Vicario suo Constantinopoli degenti iubet, vt inhibeat presbyteris Latinis, ne virtute prædictæ consuetudinis audeant conferre sacramentum Confirmationis, cùm diuturnitas temporis eos non valeat excusare, & tutius sit hoc sacramentum omittere ex necessitate, quàm ab eis qui conferre non possunt, inaniter suscipere.

c *Pontificibus.*] Episcopis videlicet, qui plerumque in iure nostro dicuntur Pontifices, *cap. bonæ, el 3. de postul. Prælat.* vbi notabimus; dicunturque Apostolorum successores, Leo *epist.66.* probant Cellotius *de hierarchia lib.6. cap.7.* Basilius Legion. *q.3. scholast. cap.9. pag.* 183. Villaroel. *tom.1. regim. eccles. cap.1.* immò & aliquando Apostoli, *cap. dominus*, 93. *dist.* notarunt Sauarus *ad Sidonium lib.6. epist.7.* Bignonius *ad lib.1. formul. Marculsi, cap.2. fol.* 434. 3.

d *Confirmationis.*] Ita appellatur sacramentum hoc ab effectu, Melchiades Papa in epistola decretali ad Episcopos Hispaniæ: *Confirmatio armat, & instruit nos ad agonem vitæ istius.* D. Clemens *lib.3. constit. cap.* 17. ibi: *Vnguentum est confirmatio confessionis, seu professionis, scilicet fidei.* Et *cap. vt ieiunium, de consecrat. dist.* 5. Concilium Arausicanum 1. *can.1.* expressit Innocentius noster *in cap. vnico, §. per frontis, de sacra vnctione*, ibi: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur:* per hoc enim sacramentum gratia cumulatior, & fidei acceptæ in baptismo robur præstatur: & hoc sensu per confirmationem sacramentum baptismi perfici docuerunt D. Clemens *epist.4. decretali*, ibi: *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demùm consignari ab Episcopo, id est septiformem gratiam Spiritus sancti percipere, quia aliter perfectus Christianus esse non poterit, si non necessitate, sed iniuriâ, vel voluntate sic remanserit.* Et rursus ibidem: *Nisi regeneratus fuerit ab Episcopo confirmatus, perfectus esse Christianus nequaquam potest.* Melchiades *in d. epist. Ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta, vt ad inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari; & vnum sine altero ritè perfici non potest.* Vrbanus, & Melchiades relati à Gratiano *in cap.1. & 2. de consecr. dist.5.* Concil. Illiberit. *can.* 38. Laodic. *cap.* 48. notarunt Vicecomes *lib.1. de ritibus confirm. cap.2.* Diana *tom. 5. tract. 3. resol.* 30. Narbona *de ætate anno 7. q.* 4. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 30. Lemaistre *de Sorbonic. prop. cap.* 4. Hallierius *in vindiciis Facult. Theolog. lib. 2. cap. 1. & sequentib. pag.* 123. Explicat latè necessitatem huius sacramenti in fidelibus Theophilus Raynaud. *tom.16. in heterocl. spirit. punct.11.* Etiam hoc sacramentum à materia remota appellatur *chrisma.* D. August. *lib. 2. contra Petil. cap.* 104. Baronius *anno* 35. *num.15.* Albaspinus *lib.1. obseru. cap.* 25. Turrianus *lib.2. aduersus Magdeburg. cap.* 18. *per totum*, Dartis *ad 5. dist. de consec.* aut oleum, seu vnguentum. Dionysius *lib. 4. de ecclesiast. hierarch. cap.4.* D. Cyprianus *lib. 1. epist. 12.* Augustinus *lib.5. contra Donatistas, cap.* 20. & à Græcis appellatur vnguentum perenne, cuius nomenclaturæ rationem tradit Baronius, & ex eo refert Basilius Legion. *p.1. de hoc sacramento, cap.1. num.4.* A materia proxima appellatur vnctio: Synodus Laodic. *can.48. Vnctio supercælestis chrismatis.* A forma ipsius vnctionis appellatur signaculum spirituale, sigillum, & obsignatio Domini, vt ex pluribus Ecclesiæ Patribus probant Baronius *anno Christi 34.* 4.

num.14.

num. 14. *&* 15. Ioſeph Vicecomes *de ritibus confirmationis lib.* 1. *cap.* 2. à ritibus in eius collatione receptis, dicitur *Benedictio.* Concilium Illiber. *can.* 77. ibi: *Si quis diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel preſbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Etiam hoc ſacramentum appellatur manus impoſitio in eodem Concilio Illiber. *can.* 38. Matiſcon. 2. *can.* 3. à D. Cypriano *epiſt.* 73. Hieronymo *contra Luciferianos*, ibi: *Vt baptizatis poſtea manus imponatur, & ita inuocetur Spiritus ſanctus.* Quia apud antiquos ritus ille in conſignandis baptizandis ſeruabatur, vt Epiſcopus, & manus illis imponeret, & eorum frontes chriſmate ſignaret. Tertullianus *de baptiſmo cap.* 7. & *de reſurrectione carnis cap.* 8. *Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione vmbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur.* Cœpit poſteà pro manus impoſitione chriſmatis vnctio adhiberi, cuius ritus rationem expreſſerunt PP. Concilij Mogunt. tempore Pauli III. *anno* 1549. his verbis: *Nam cùm in initio Spiritus ſanctus ad euidentiorem recentis adhuc fidei commendationem ſigno viſibili influeret confirmatis, externa vnctione, quæ illam deſignaret tunc non erat opus, poſtea verò adultâ Eccleſiâ, & ſtabilitâ fide, cùm ſigna externa apparere ceſſarunt, nec iam amplius Spiritus viſibiliter deſcenderet, mox in locum viſibilis ſigni vnctio chriſmatis adhiberi cœpit.*

5. e *Ex neceſſitate.*] Licèt enim Innocentius III. intenderet Græcos ad ritus Eccleſiæ Romanæ in conferendis ſacramentis, & diuinis officiis celebrandis trahere, ad hunc effectum miſſo Pelagio Albanenſi Epiſcopo Conſtantinopolin, id aſſequi non potuit, vt refert Beſoldus *in hiſtoria Conſtantinop. cap.* 37. *à num.* 1206. vnde ait in præſenti, tutius eſſe ſacramentum confirmationis omittere, quàm iuxta ritus Græcanicos ex neceſſitate retentos, & toleratos, à preſbyteris ſimplicibus Latinis illud inaniter accipere; apud Græcos verò iam conſuetudo inualuerat ante tempora Photij, vt preſbyteri Græci hoc ſacramentum conferrent, quæ nec à R. Pontifice, nec in Concilio Florentino damnata eſt, quia grauiſſimis de cauſis introduci potuit, conniuente ſaltem Apoſtolicâ Sede.

6. f *Litteras.*] Quas huc referre & tranſcribere ex epiſtolis Innocentij III. Coloniæ editis iniucundum non erit: in eo regeſtro *pag.* 389. ita legitur.

Omnibus Latinis, tam Clericis, quàm laicis apud Conſtantinopolin conſtitutis.

QVàm magnum ſit bonum obedientiæ, quantumque ab omnibus fidelibus appetendum, ex contrario eius euidenter apparet: cùm teſte Propheta peccatum ariolandi ſit repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere; ſitque in illos grauiter vindicatum, qui ſchiſma in populo facientes, inobedientes extitere ſuis ſuperioribus, & rebelles. Ad huius autem virtutis eminentiam nullus attingere poterit ſubditorum, niſi Prælatis ſuis curauerit humiliter obedire. Sanè quoniam præſentiam ſuam non poteſt Romanus Pontifex omnibus exhibere, dilecto filio Magiſtro L. cuius virtutes, & merita pleniùs cognouiſtis, vices ſuas apud Conſtantinopolin duxit Sedes Apoſtolica committendas, vt abſens corpore, præſens Spiritu, per ipſum, quem tanto deputauit oneri, & honori, vos tanquam membra ſibi capiti firmiter coüniret. Vt igitur ei, qui factus eſt Deo patri obediens vſque ad mortem per obedientiam placere poſſitis, monemus vni, uerſitatem veſtram, & attentiùs exhortamur in Domino, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus pro reuerentia beati Petri, & noſtra præfato Magiſtro humiliter intendentes, ſalutaria ipſius monita & præcepta teneatis firmiter, & ſeruetis: ſcituri quòd nos illi conceſſimus, vt quia communis depoſcit vtilitas, non obſtante reſcripto, ſi quod à bonæ memoriæ C. Papa prædeceſſore noſtro proponitur impetratum, ad eum quoties neceſſe fuerit, liberè appelletur; & ipſe cauſas, ſuper quibus ad eum fuerit appellatum, canonico fine decidat: enormes etiam, & graues exceſſus per cenſuram eccleſiaſticam corrigat, & caſtiget. Circa quem, cùm ſine veſtra non poſſet iniuria mendicare, in ſubſidiis etiam corporalibus conferendis, qui vobis ſpiritualia ſubminiſtret, vos eſſe conuenit liberales: vt de bonis vobis à Deo collatis eidem in vita, & morte hilariter conferentes, orationum illius ſitis participes, qui Vicarius noſter exiſtit. Et per hæc & alia bona, quæ in terris, Domino inſpirante, feceritis, ad æterna gaudia peruenire poſſitis. Datum Lateran. LXV. Cal. Decembris.

COMMENTARIVM.

EX præſenti Innocentij epiſtola ea deducitur communiter aſſertio: *Conſuetudine introduci non poteſt, vt ſimplex ſacerdos validè conferat ſacramentum Confirmationis.* Quæ aſſertio ab ſpecie conſuetudinis probatur ex Concilio Senonenſi celebrato anno 1527. *can.* 38. in illis verbis: *Quoniam Abbates nonnunquam attentant munus confirmationis conferre, idque vindicant ex conſuetudine præſcripta, ad ſe pertinere. Nos attendentes hanc impoſitionem manuum à Chriſto primùm inſtitutam, & ab Apoſtolis receptam, ſolis Epiſcopis (qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores) reſeruatam, conſuetudinem huiuſmodi, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, reprobamus.* Generalius tamen probari poteſt ex omnibus illis Eccleſiæ canonibus, Pontificum, & SS. PP. teſtimoniis, in quibus preſbyteris negatur huius ſacramenti collatio, vt *in cap. quamvis*, 68. *diſt. cap. preſbyteros* 98. *diſt. cap. cauendum* 7. *verſ. obſeruandum* 10. *q.* 3. *cap. preſbyteri* 119. *de conſecr. diſt.* 4. *cap.* 1. 3. & 4. *de conſec. diſt.* 5. *cap. vnico*, §. *per frontis*, *de ſacra vnctione.* Concil. Pariſ. ſub Ludouico *lib.* 1. *cap.* 33. Meldenſi *can.* 28. & 44. Vormat. ſub Hadriano II. *can.* 8. Hiſpal. 2. *can.* 5. Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. Colonienſi 1. ſub Hermanò, *p.* 7. *cap.* 8. Tridentino *ſeſſ.* 7. *de Confirm. can.* 3. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. Ex Pontificibus Ioanne III. *epiſt. vnica*, *in principio: Donum ſancti Spiritus per impoſitionem manuum Corepiſcopi non tradant, nec Preſbyteri, ſed Epiſcopi, quia non LXX. ſed Apoſtoli tantùm manus imponebant.* Damaſ. *epiſt.* 4. *poſt princip. Quod ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus proprij ſit officij tradere Spiritum ſanctum, liber actuum Apoſtolorum docet, præſertim cùm nullus ex LXX. diſcipulis, quorum iſti (Corepiſcopi) in Eccleſia ſpeciem gerunt, legatur donum ſancti Spiritus per manus impoſitionem tradidiſſe.* Innocentio I. *epiſt.* 1. *cap.* 3. *De conſignandis infantibus manifeſtum eſt ab alio fieri quam ab Epiſcopo non licere; nam Preſbyteri licèt ſint ſacerdotes, Pontificatus*

7. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

tificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, vt vel conſignent, vel Paracletum ſpiritum tradant, non ſolùm conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat, verùm illa lectio actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit, Petrum & Ioannem eſſe directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Leo Magnus *epiſt.* 88. cuius pars extat apud Gratianum *in cap. quamvis*, 68. *diſt.* D. Clemens *lib.3. conſtit. cap.* 16. & *epiſt.* 4. Nicolaus I. *epiſt.*70. Gelaſius *epiſt.* 1. *cap.* 8. Iſidorus *lib.* 7. *etymol. cap.* 12. Cyprianus *epiſt. ad Iouin.* D. Chryſoſtomus *homilia* 18. *in acta Apoſt.* Epiphanius *hæreſi* 21. Beda *in cap.* 18. *actuum.* Alia iuris teſtimonia cumularunt Antonius Auguſt. *in epit. iuris, libro* 4. *tit.* 45. Iodocus Coccius *tom.* 2. *theſauri, lib.* 5. *art.* 20. Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 30. & *in remiſſ. ad Trident. dict. can.* 3. Sahagun *in cap. finali, hoc tit. num.* 31. Sebaſt. Cæſar *de Eccleſ. hierarch.*1. *p. diſp.*6. §.3. *num.* 5. Bellarminus *de confirm. cap.* 12. Petrus Gregor. *lib.* 1. *partit. tit.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. & *lib.* 2. *ſyntagm. cap.* 5. *num.*2. Diana *p.* 8. *tract.* 1. *reſol.*1. Baſilius Legion. *de confirm.* 4. *p. cap.*1. 2. & 3. Vicecomes *de ritibus Confirm. lib.* 1. *cap.*8. Mendoza *lib.* 3. *Concily Illibert. cap.* 8. Suarez *tom.* 3. *de ſacram. in* 3. *part. diſput.* 36. *ſect.* 1. Lorinus *in cap.* 8. *actuum*, *verſ.* 17. Salmeron *tract.* 26. *in acta.* Tamburinus 2. *tom. de iure Abbat. diſp.* 4. Fragoſo *de egim. Chriſt. Reipub. part.*2. *lib.* 1. *diſput.* 1. §. 9. & *lib.* 8. *diſput.* 18. §. 7. Torreblanca *de iure ſpirit. lib.* 2. *cap.* 6. Sauſay *in panopl. ſacerd.* 2. *p. lib.*5. *cap.* 13. Franciſcus Hallierius *in vindiciis*, Pariſ. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 4. Baronius *anno* 58. *num.*4. Ioannes Dartis *ad diſtinct.* 5. *de conſecr.* Cellotius *de hierarchia lib.*6. *cap.*10.§.1. Martinez de Prado *tom.* 1. *de ſacram. quæſt.* 72. *dub.*3. & 11. Claudat agmen vnus pro cunctis omnigenæ eruditionis parens, Academiæ noſtræ, immò Hiſpaniæ decus, Illuſtriſſimus D. Franciſcus Ramos *in memor. ad Alexand.VII. pro Epiſcop. Luſitaniæ, propoſ.*4. §.4.

8. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed aduerſus hanc aſſertionem non leues inſurgunt difficultates. Prima naſcitur ex eo, nam tempore Apoſtolorum pari cum Epiſcopis Preſbyteri vtebantur poteſtate. D. Paulus *ad Philippenſes* 1. *Omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus*; id eſt cum Preſbyteris: idem *epiſt.*1. *ad Titum.* D. Petrus *epiſt.*1. *cap.*5. *actuum Apoſt.cap.*20. *verſ.* 17. quas & alias authoritates ad id probandum congerit & expendit D. Hieronymus *in cap. legimus*, 93. *diſt. Quemdam audio in tantam erupiſſe vecordiam, vt Diaconos Preſbyteris, id eſt Epiſcopis anteferret; nam cùm Apoſtolus præcipuè doceat eoſdem eſſe Preſbyteros, quos Epiſcopos, &c.* Et *cap. ecce*, 95. *diſt.* Illuſtrant Bellarminus *de Clericis cap.* 14. & 15. Villaroel. *part.* 1. *regim. eccleſ. quæſt.* 4. *art.* 2. Baronius *anno Chriſti* 58. *num.* 5. plures congeſti à Barboſa *de poteſt. epiſcop.*1. *part. cap.*2. immò ſequentibus Eccleſiæ ſæculis potiùs conſuetudine, quàm dominica inſtitutione diſtinctio Epiſcoporum & Preſbyterorum introducta eſt, *cap. olim* 5. 95. *diſt. Sicut Preſbyteri ſciunt ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos*; *ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Preſbyteris eſſe maiores, & in commune debere Eccleſiam regere.* Vnde vſu & conſuetudine introductum fuiſſe, vt Epiſcopi conferrent ſacramentum confirmationis, probatur *ex cap. peruenit*, 91. *diſt. Secundum veterem vſum Eccleſiæ noſtræ.* Dionyſius *de eccleſ. hierarch. cap.*8. *verſic. Itaque diuinus mos.* Sed non ſolùm lex ſcripta, verùm conſuetudo contrariâ conſuetudine abrogari poteſt, vt probant latè Oſualdus *lib.* 1. *comment. Donel. cap.* 10. *littera I.* Salcedo *de leg. polit. lib.* 1. *cap.*8. Vighellius *in methodo iuris ciuilis, p.* 1. *lib.* 1. *cap.*4. igitur conſuetudine Conſtantinopoli præſcripta introduci poterat, vt Preſbyteri Latini ſacramentum Confirmationis adminiſtrarent. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam conſuetudine apud Græcos receptum eſt, vt Preſbyteri ſimplices ſacramentum Confirmationis ritè conferant. D. Ambroſius *in epiſt. ad Epheſios, cap.* 4. *Apud Ægyptum Preſbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus*: Dionyſius *de eccleſ. hierarch. cap.* 5. Latè illuſtrant Petrus Arcudius *lib.* 2. *de concord. Eccleſiæ Occident. cap.* 10. *vſque ad* 16. Iacobus Sirmundus *antirrhetico de canone Arauſicano contra Petrum Aurelium*, Baſilius *de confirmat.cap.*5. Vicecomes *lib.* 1. *de ritibus confirm. cap.*8. igitur etiam Preſbyteri Latini virtute conſuetudinis poterant conferre ſacramentum Confirmationis. Augetur ſecundò hæc difficultas ex eo, nam quod poteſt fieri priuilegio, poteſt introduci conſuetudine, *l.* 1. *l. in ſumma*, *ff. de aqua pluuia*, *l. nemo* 123. §. 1. *ff. de reg. iur. cap. duo, de officio ordin.* docent Fontanella *de pactis nuptialibus tom.* 1. *clauſ.* 3. *gloſſ.*2. *num.* 28. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 6. *num.* 12. Morla *in emporio, p.* 1. *tit.* 2. *num.* 5. Amaya *in l.* 3. *C. de annonis, lib.* 10. *num.* 17. ſed priuilegio concedi poteſt ſimplici ſacerdoti, vt ſacramentum Confirmationis conferat, *cap. peruenit* 2. 95. *diſt.* vt Innocentius VIII. conceſſit Generali, & Abbatibus Ciſtercienſibus, vt referunt F. Emanuel Roderic. *tom.* 1. *regul. quæſt.*18. *art.* 3. Vaſquez *in* 3. *p. diſp.* 234. *cap.*4. *num.* 39. & Fratribus Regularibus ſancti Franciſci, vt referunt Barboſ. 2. *p. de poteſt. Epiſcop. alleg.* 30. *num.* 5. Lucas Vvadingus *in annalibus Franciſc. tom.*3. *anno* 1444. *num.* 45. & *anno* 1447. *num.* 15. & Patribus Societatis Ieſu in Braſilia, teſtantibus Petro Arcudio *lib.* 2. *de concord. Eccleſ. Occid. & Orient. cap.* 15. Sfortia Pallauic. *lib.* 9. *hiſtor. Concil. Trident. cap.* 7. Solorzanus *de iure Indiar. tom.*2. *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 33. & *in polit. lib.*4. *cap.* 18. igitur ſimiliter ratione conſuetudinis poterant Preſbyteri Latini Conſtantinopoli degentes ritè conferre ſacramentum Confirmationis.

9. DE EPISCOPORVM ORDINE, ET POTESTATE.

His difficultatibus minimè refragantibus, vera eſt præſens deciſio, pro cuius illuſtratione ſciendum eſt, Epiſcopos per conſecrationem Epiſcopalem recipere à Chriſto immediatè nouam Ordinis poteſtatem indelebilem, ſecundùm quam ſuperiores ſunt Preſbyteris; & quædam Ordinis miniſteria exercere poſſe, quæ Preſbyteris omninò denegantur, vt expreſsè docet Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 4. & probant Vaſquez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.* 243. Bellarminus *lib.*4. *de R. Pontif. cap.* 10. Sayrus *de ſacram. lib.*1. *cap.*2. *q.*3. *art.*5. Vnde neceſſitatem Epiſcoporum ad miniſteria eis ſpecialiter incumbentia feliciter propugnarunt Nicolaus Lemaiſtre *de inſtaurat. Epiſc. integro lib.* Franciſc. Hallierius *de diuin. inſtit. Epiſc. per duos libros*, Petrus Aurelius, aut quiſquis eſt, qui eo ſub nomine latère voluit, *in vindiciis cenſuræ Sorbonicæ aduerſus ſpongiam Lamelli:*

D. Emanuel Sarmiento & Mendoza *in libello hiſpanicè ſcripto*, *Militia Euangelica*, *cap.* 10. *cum ſequent.* Ex his autem miniſteriis, quæ ratione ordinis Epiſcopalis ſolummodò Epiſcopis reſeruantur, aliqua referunt Iſidorus *in cap. perlectis, verſ. Ad Epiſcopum*, 25. *diſt. cap. quamvis*, 68. *diſt.* Trident. *vbi proximè*, inter quæ alia ſunt ſacramenta, vt Confirmatio & Ordo; alia verò ſolùm ſacramentalia, vt conſecrationes Eccleſiarum, Altarium, Vaſorum, Virginum, & ſimilia. De ſacramento Ordinis latè probaui *in cap.* 1. *de ordinatis ab Epiſcopo:* de conſecratione Chriſmatis, Altarium, & Eccleſiæ, conſtat *ex cap. penult. verſ. Chriſma, de præſcript. cap. illud*, 95. *diſt. cap.* 1. 2. *&* 3. 26. *q.* 6. *cap. penult. de conſecr. Eccleſ.* & aliis. De conſecratione etiam Virginum eam probaui *in cap.* 1. *de temp. ordin.* quæ omnia miniſteria Epiſcopis ratione ordinis reſeruata, non ita ab ipſo Chriſto fuerunt diſtincta, ſed hæc determinationi Eccleſiæ reliquit, ex cuius inſtitutione, & more reſeruatio hæc, & diſtinctio initium habuit. Apoſtoli enim Epiſcopis ea miniſteria reſeruarunt, quæ conſona erant ſtatui Epiſcopali, prout à Chriſto noſcitur inſtitutus, vt generaliter ſunt omnes conſecrationes ad rerum ſacrarum perfectionem inſtitutæ.

10. De miniſtro Confirmationis.

Inter hæc miniſteria vſu Eccleſiæ, & inſtitutione Apoſtolorum, primum, præcipuumque eſt ſacramentum Confirmationis, cuius adminiſtratio iam à temporibus Apoſtolorum ſolis Epiſcopis vt ordinariis miniſtris competit, vt conſtat *ex cap.* 8. *actuum Apoſt.* vbi refertur, Petrum & Ioannem miſſos fuiſſe in Samariam, vt baptizatis manus imponerent, ex D. Cypriano *epiſt.* 73. *ad Iubaianum: Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur.* D. Hieronymo *in dialog. aduerſus Luciferianos: Non abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus vrbibus per Preſbyteros, vel Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad inuocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat.* Ex Euſebio *epiſt.* 3. *ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ: Manus quoque impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis Sacerdotibus; nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis legitur peractum.* Concilio Hiſpal. 2. Vormatienſi *can.* 8. Florentino *in decreto Eugenij IV. de ſacrament.* §. *ſecundum. Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus, vt cùm cæteras vnctiones ſimplex ſacerdos valet exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre; quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum traderent.* Et ita ex inſtitutione diuina explicata per Apoſtolos, & vſu Eccleſiæ Epiſcopi ordinarij miniſtri ſunt ſacramenti Confirmationis. Docent, & latè probant hanc inſtitutionem diuinam Franciſcus Hallierius *in vindiciis*, Pariſ. *lib.* 2. *cap.* 2. §. 4. Suarez *de ſacrament. vbi ſuprà*, Baſilius *de confirm. cap.* 6. *p.* 4. Chriſt. Lupus *ad* 8. *Syn. calumniat.* 4. *fol.* 1422.

11. De erroribvs hæreticorvm.

Sed hanc Catholicam veritatem, tot Conciliorum, & SS. PP. decretis definitam negarunt Caluinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 19. §. 10. Vvicleph. *lib.* 4. *Trialog. cap.* 14. Armachanus *lib.* 11. *Armenic. quæſt. cap.* 4. relati à Bellarmino *tom.* 2. *lib.* 2. *de Confirm. cap.* 12. Phocius Patriarcha CP. relatus à Baſilio *dict. p.* 4. *cap.* 1. qui leuibus nituntur fundamentis. Primò adducunt factum Ananiæ, quod refertur *actorum cap.* 9. Ananiam videlicet (qui non erat Epiſcopus, ſed Diaconus tantùm, vel Preſbyter) manus impoſuiſſe Saulo: igitur non ſolùm Epiſcopi ſunt miniſtri Confirmationis. Sed facilè reſpondetur, manuum illam impoſitionem non fuiſſe confirmatoriam, ſed tantùm curatiuam, vt docet Baſilius *dict. cap.* 1. *num.* 4. Secundò adducunt authoritatem D. Pauli 1. *ad Timoth. cap.* 4. in illis verbis: *Noli contemnere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij.* Igitur Timotheus confirmationem acceperat à Preſbytero. Sed neque hæc authoritas pro eis facit; nam per illam manus impoſitionem, non Confirmatio, ſed ſacramentum Ordinis ſignificatur, & in correctis Codicibus legitur: *Per impoſitionem manuum Presbyterij*, vt etiam latè probauit Hallierius *de ſacris elect. in principio.* Tertiò etiam expendunt pro ſua ſententia D. Ignatium *epiſt.* 13. & D. Ambroſium *lib.* 3. *de ſacrament. cap.* 2. vbi inquit: *Spirituale ſignaculum, & ſeptiformem Spiritum ſanctum dari ad inuocationem Sacerdotis.* Quibus in locis Ignatius & Ambroſius inter ſacerdotis munera recenſent ſacramenti Confirmationis collationem. Sed his & ſimilibus authoritatibus facilè reſpondetur, ſi obſeruetur ſacerdotis appellatione Epiſcopum plerumque venire, vt conſtat ex Sidonio *lib.* 9. *epiſt.* 3. vbi de Fauſto Abbate Lyrinenſi in Epiſcopum aſſumpto ait: *Nihil ab Abbate mutatus per ſacerdotem.* Tandem arguit Phocius à ſacramento Euchariſtiæ, quod adminiſtrare poſſunt Preſbyteri, etſi præcellens ſacramentum ſit ratione contenti. Sed hoc argumentum nihil probat, ſiquidem Euchariſtia conficitur, & adminiſtratur à quocumque Preſbytero, tanquam proprio miniſtro, à quo non rectè arguitur ad ſacramentum Confirmationis; aliàs inde etiam deduceretur, ſacramentum Ordinis ab eis adminiſtrari poſſe.

12. Tradi-tvr ra-tio deci-dendi.

Manet ergo, Apoſtolos tantùm adminiſtraſſe ſacramentum Confirmationis, & per conſequens Epiſcopos tantùm, qui in eorum locum ſucceſſerunt, vt latè probant Sauarus ad Sidonium *lib.* 6. *epiſt.* 7. Bignonius *ad Marculfum lib.* 1. *cap.* 2. *fol.* 434. Pamelius *ad D. Cyprianum epiſt.* 64. Seuerinus Binius *in notis ad epiſt.* 1. *Anacleti*, Ambianas *ad Tertull. de fuga cap.* 11. *obſeru.* 1. & *cap.* 12. *obſeru.* 2. eſſe miniſtros ordinarios ſacramenti Confirmationis: vnde cognoſcitur ratio huius deciſionis; nam cùm conſuetudo iuri diuino derogare non poſſit, *cap. fin. hoc tit.* vbi Sahagun, & nos plura adducemus, non poterat conſuetudine introduci, vt ſimplices Preſbyteri Latini Conſtantinopoli degentes hoc ſacramentum validè conferrent. Quæ ratio illuſtratur *ex cap. aqua, de conſecrat. Eccleſiæ, vel Alt.* vbi in non diſſimili ſpecie cùm proponeretur in prouincia Bracharenſi vſum inoleuiſſe, vt ſimplices ſacerdotes Eccleſias ſanguinis effuſione pollutas, aquâ per Epiſcopum benedicta reconciliarent, decreuit Pontifex de cætero huiuſmodi reconciliationem non eſſe faciendam prætextu conſuetudinis, quæ potiùs corruptela appellanda erat. Vnde cùm ex eadem ratione competat Epiſcopis miniſterium conſecrandi Eccleſias, ac adminiſtrandi ſacramentum Confirmationis,

rectè

rectè deciditur in præsenti, prætextu consuetudinis non posse Presbyteros Latinos administrare sacramentum confirmationis.

13. RESPONDETVR PRIMÆ DIFFICVLTATI. Nec difficultas suprà expensa pro ratione dubitandi aduersatur, quâ dicebamus Episcoporum & Presbyterorum idem esse nomen, æqualeque officium, *ex cap. olim, 95. dist. cap. legimus, dist. 93.* Nam omissâ solutione Michaelis à Medina *in tractat. de continentia, lib. 1. cap. 1.* qui ausus fuit affirmare D. Hieronymum, Augustinum, & Ambrosium relatos *in dict. cap. legimus, cap. olim*, & à Bellarmino *tom. 1. contro. tit. de clericis, cap. 14. & 15.* in Arij errorem incidisse, & aliorum qui tenuerunt inter Episcopos & Presbyteros nullum esse discrimen; apage enim his Ecclesiæ Doctoribus talem irrogare iniuriam: omissâ etiam aliâ solutione Pauli Layman *tom. 1. summæ, lib. 5. tit. 9. cap. 3. num. 5.* dicendum est, quod quamvis verum sit, Episcopos à iure diuino institutos, à Presbyteris reuerà differre, atque ordine esse maiores, dignitate, ac iurisdictione præstantiores, vt contra errores nostrorum temporum, præcipuè Salmasij, & Puritanorum defendunt Franciscus Hallierius *de Episcopor instit.* Lemaistre *eod. tract.* Petauius *de eccles. hierarc. lib. 1. & 2.* Cellotius *eod. tract. obs. 4. cap. 16. per totum*; tamen primis Ecclesiæ sæculis Presbyteri nomen, & aliqua ministeria Episcoporum retinebant; sicut enim Episcopi tanquam seniores Presbyteri dicebantur, ita & Presbyteri à cura animarum, quam in Ecclesia exercebant, Episcopi appellabantur, & Episcopi Presbyteri primi ordinis dicebantur: & quia aliqua ministeria ordinis, & iurisdictionis omnibus communia Presbyteri exercebant, ideò illis sæculis legimus aliquando confundi Episcopum cum Presbytero, & è contra; non tamen inde rectè infertur, quia Episcopi nomen Presbyteris commune erat, æqualem esse ordinis potestatem: nam apud Romanos Prætoris nomen commune erat aliis Magistratibus, *l. patri pro filio, §. 1. ff. de minoribus, l. in hæredem, ff. de dolo malo*; & tamen omnium æqualis potestas non erat. Primis ergo sæculis Ecclesiæ Presbyteri à cura animarum, quam exercebant, Episcopi appellabantur; sed officia & ministeria propria Episcoporum non exercebant, vt latè docent Baronius *anno 58. num. 3. & anno 60. num. 2. & 166. num. 3. & 205. num. 27.* Turrianus *lib. 1. pro can. cap. 13.* Bellarminus *tom. 1. lib. 1. de clericis, cap. 14.* Lantdmeter. *de veteri mon. lib. 2. cap. 96.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disp. 6. §. 2.* Acuña *in d. cap. legimus*, Lemaistre *lib. 2. de restaurat. Episc. cap. 3.* Ayala *de eccles. trad. 3. p. pag. 214.* Espenceus *ad epist. D. Pauli, lib. 1. digress. cap. 1. & 2.* Messana *in D. Hieronymum, verbo Episcopus*, Corjolanus *in breuiar. anno 53. & 58.* Hallierius, & Petauius *vbi suprà.* Nec etiam obstant illa verba: *Magis consuetudine, quàm dispensationis dominicæ veritate Presbyteris esse maiores*; quæ reperiuntur *in dict. cap. olim*; nam omissa interpretatione Dominici Soto *in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 2.* qui existimat verba illa stare relatiuè, non assertiuè, dicendum est, discrimen inter Episcopum & Presbyterum à D. Hieronymo ibi relatum referendum esse post schisma exortum inter Christianos, qui tempore Apostolorum baptismum recipientes, existimantes gratiam à ministris accipere, aiebant: *Ego sum Cephæ, ego sum Pauli*; quos reprehendit Apostolus 1. *ad Corinth. cap. 1.* his verbis: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Ad quod schisma sedandum Ecclesia statuit, vt in ciuitatibus, in quibus Episcopalis cura communis erat, Episcopus ordinaretur, vt ita sicut diuino iure diuersa inter se erant officia Episcopi & Presbyteri, sic etiam per diuersas personas obirentur: cùm itaque ait D. Hieronymus, consuetudine Ecclesiæ introductum fuisse, vt Episcopi Presbyteris maiores essent, non negat maioritatem prouenire à iure diuino, sed dumtaxat ostendit, quod licèt potestas Episcopalis in genere instituta sit à iure diuino, tamen in particulari, & in actu accipitur immediatè ab Ecclesia, & eius summo Pastore. Præsenserunt Baronius *anno 58. num. 11.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disp. 6. n. 13.* Nec obstat augmentum difficultatis deductum ex more apud Græcos recepto, apud quos Presbyteri absente Episcopo hoc sacramentum conferunt, vt constat ex D. Augustino *quæst. 101. vtriusque Testamenti*, illic: *Nam in Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter*; ex Nicolao I. & Dionysio latè probat Basilius Legionensis *de Confirm. p. 4. cap. 5.* Nam omissa solutione Vvaldensis *de sacrament. cap. 104.* P. Suarez *eodem tract. disp. 36. sect. 1.* qui affirmant Armenos, atque Ægyptios non errasse in ministro confirmationis, sed confirmationem ipsam negasse, atque D. Augustinum, Ambrosium, & Dionysium exaudiendos esse de alia vnctione, quæ fit à Presbyteris statim post baptismum, quos refellit Basilius *dict. cap. 5.* dicendum est, prædictam consuetudinem ab Ecclesia tolerari, quia non eius ratione Presbyteri propria authoritate sacramentum hoc administrant, sed potiùs ex tacita delegatione Pontificis, & expressa Episcoporum Orientalium, quibus absentibus, non verò præsentibus, Presbyteri consignant: vnde ex commissione Pontificis, & Episcoporum, accedente ipsa consuetudine Græcanica, presbyteri licitè conferunt confirmationis sacramentum: nec hanc consuetudinem in Presbyteris Græcis improbauit Innocentius in præsenti, sed tantùm in Presbyteris Latinis, apud quos cùm delegatio tacita Pontificis, aut expressa Episcoporum non daretur, ideo consuetudine introduci non poterat, vt licitè & validè hoc sacramentum conferretur.

14. EXPONITVR CAP. PERVENIT, 95. DIST. Nec obstat vltimum difficultatis augmentum, quo dicebamus, ex delegatione, seu commissione Pontificis, posse presbyterum simplicem sacramentum hoc conferre: pro cuius solutione sciendum est, valdè controuersum esse apud Interpretes, an ex delegatione Pontificis possit simplex sacerdos sacramentum hoc administrare. Negarunt Durandus, Maior, & Adrianus *in 4. dist. 7. de confirmat. q. vlt.* Castro *de hæresibus, verbo Confirmatio*, & *de punit. hæretic. lib. 2. c. 21.* Henriquez *lib. 3. summæ, c. 6. §. 4 littera L.* Moure *in exam. Theolog. p. 3. cap. 2. §. 3.* Petrus Suauis Polanus *in Concil. Trident. histor. lib. 2. pag. 279.* qui ex eo mouentur, nam quæ ratione ordinis Episcopis competunt, delegati non possunt, *c. aqua, de consecratione Ecclesiæ*: sed collatio sacramenti confirmationis spectat ad Episcopum ratione ordinis, vt suprà probaui: igitur hæc facultas administrandi hoc sacramentum Presbyteris delegari non potest. Contrariam tamen sententiam, quam vt probabilem, tutamque defendimus, tenent post D. Thomam *3. p. q. 72. art. 11.* plures à Barbosa congesti *de potest, Episcop. 2. p. allegat. 30. num. 4.*

num. 4. & in præsenti *num.* 7. & *in cap. vnico, num.* 12. *de sacra vnctione*, Diana 8. *p. tract.* 1. *resol.* 3. Leander *de sacram. tract.* 3. *disput.* 2. *quæst.* 2. Tamburinus *de iure Abbat.* 2. *tom. disp.* 3. *quæst.* 1. *numer.* 5. Fragoso *de regim. reipub. lib.* 1. *cap.* 1. §. 9. Card. Lugo *in consiliis*, *pag.* 12. P. Hurtado *de confirm. difficult.* 3. Basilius Legion. *eod. tract. p.* 3. *cap.* 3. Hurtado *de resident. tom.* 1. *resol.* 5. *subresol.* 6. *pag.* 259. Ex eruditioribus Anton. August. *in Gratianum lib.* 1. *dialog.* 17. Vicecomes *lib.* 1. *de ritibus Confirm. observ.* 8. & 22. & *lib.* 5. *de Baptism. cap.* 3. Laurentius Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri cleric. cap.* 72. Baptista Casalius *de veter. Christ. ritib. cap.* 23. Zerda *ad Tertull. lib.* 2. *de Baptism. cap.* 8. *num.* 108. Seuerinus Binius, Petrus Arcudius, Sfortia Pallauic. Sirmundus, & P. Aurelius, quos laudat & sequitur Præceptor eximius noster D. Franciscus Ramos *vbi suprà*, §. 4. *numer.* 152. P. Mendo *in statera*, *dissertat.* 12. *in appendic.* §. 1. Martinez à Prado *tom.* 1. *de sacram. q.* 72. *dub.* 11. §. 3. Fr. Antonius Perez *in pentateuc. fidei*, *volum.* 4. *cap.* 3. *num.* 63. Nicolaus Romeus *in effig. Caluini*, *color.* 33. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Ind. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 34. Cabassutius *in notit. Concil. in can.* 1. *Concilij Arausic.* Ioannes Dartis *ad addit. ad consec. dist.* 5. quorum sententia probatur apertè *ex dict. cap. peruenit*, 95. *dist.* vbi Gregorius Magnus permisit vt vbi Episcopi deessent, Presbyteri baptizatos sacro chrismate in frontibus signarent; cuius facti meminerunt Patres Concilij Florentini *in decreto Eugenij*, §. *secundum*, illic: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum.* Et D. Gregorium egisse de simplicibus sacerdotibus, & de sacramento confirmationis, agnouit Concilium Florentinum vbi suprà, quamvis aliqui apud Vvidifordum *ad sextum articulum Vvicleſi*, variè circa hoc senserint, & perperam voluerint S. Pontificem, vel egisse de sacerdotibus Episcopis, vel de alia vnctione, quàm confirmatiua: & Gregorij successores plerumque concessisse priuilegia monasteriis, vt simplices presbyteri possent hoc sacramentum administrare, iam suprà retuli. Accedit Concilij Florentini decretum *in dict.* §. *secundum*, vbi de confirmatione aiunt Patres: *Ordinarius minister est Episcopus.* Consentit Concilium Trident. *sess.* 7. *de confirm. cap.* 3. ex quibus rectè colligitur, siue intelligitur, alium posse vt ministrum extraordinarium confirmationem administrare. Facit tandem Concilium Senonense *in decretis morum*, *cap.* 38. vbi cùm Patres supponerent, Abbates non habere potestatem confirmandi, hæc verba subiungunt: *Quod si qui sint, qui contendant, sibi competere hanc facultatem ex priuilegio, volumus, quod cùm primùm fuerint requisiti à suffraganeis nostris, de priuilegio fidem facere teneantur.* In quibus apertè supponitur, ex priuilegio posse confirmandi facultatem Episcopis competere. Quâ opinione retentâ, non obstat contrariæ fundamentum; nam licèt ratione Ordinis Episcopalis Episcopus sit ordinarius minister, tamen Presbyter extraordinarius esse potest, quia habet eum ordinem, saltem inchoatum, & imperfectum. Vnde virtute huius consecrationis remotæ, accedente delegatione potest presbyter validè conferre hoc sacramentum.

15. Explicatvr concilivm Barchinonense can. 2.

Sed adhuc suprà dictis aduersatur textus *in can.* 2. *Concilij Barchinonensis* 2. temporibus Recaredi Regis celebrati, in illis verbis: *Simili etiam statutum conditione est, vt cùm chrisma Presbyteris diœcesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur, ne gratia Dei pretio benedictionis affecta simoniacum interitum ementibus, vendentibusque adsociet.* Ex quibus deduci videtur, presbyteros chrisma accipere, vt neophytis confirmationis sacramentum conferant. Pro huius Canonis interpretatione dicendum est, in eo tantùm prohiberi à patribus, ne prætextu liquoris pretium accipiatur pro chrismate ab Episcopis, à quibus presbyteri quotannis chrisma petere debent. Concilium Carthag. 4. *can.* 36. *Presbyteri, qui per diœceses Ecclesias regunt, à suis Episcopis omni anno ante paschæ solennitatem chrisma petant.* Et *cap. omni* 124. *cap. Presbyteri, de consecrat. dist.* 4. *cap. non videtur, de offic. ordin. in* 5. *collect.* Antonius August. *in epit. iuris lib.* 23. *tit.* 2. Seuerinus Binius *in notis ad epist.* 2. *Fabiani:* quod chrisma à proprio Episcopo acceptum sub fideli custodia presbyteri seruare debebant, *cap.* 1. *de custod. Eucharist.* Concil. Arelat. *can.* 18. *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel cuiuslibet rei donare præsumant.* Turon. *can.* 20. *Presbyteris iniungendum est, ne sacrum chrisma foras conclaue dimittant, vbi à quolibet attingi possit.* Metense *can.* 3. *Vt Episcopi diœcesim visitantes, neophytos confirmare possint.* Et *cap. cauendum* 7. 10. *q.* 3. Concil. Meldense *can.* 28. vnde *in dict. can.* 2. *Concilij Barchin.* non traditur chrisma presbyteris, vt ipsi neophytos cum eo signent, sed tantùm vt custodiant, ad hoc vt Episcopi diœcesim peragrantes eos confirmare possint.

16. Exponitvr can. 2. Concilii Arausic.

Secundò aduersatur textus *in can.* 2. *Concilij Arausic.* in illis verbis: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet.* Ex quibus apertè probatur, presbyteros simplices posse sacramentum confirmationis administrare. Pro cuius canonis vera expositione sciendum est, primis Ecclesiæ temporibus in vsu fuisse, vt simul cum baptismo confirmationis sacramentum ministraretur; verùm cùm sequentibus sæculis Presbyteris baptizantibus Episcopi non facilè adessent, qui chrismate baptizatos signarent, pluresque sine chrismatis vnctione decederent, Sylvester Papa constituit, vt absente Episcopo presbyteri chrismate baptizatos linirent. Damasus Pontifex *in Pontificiali*, vbi de Sylvestro ita ait: *Hic & hoc constituit, vt baptizatum liniat presbyter chrismate, leuatum de aqua, propter occasionem transitus mortis.* Fortunatus *lib.* 1. *de eccles. offic. cap.* 17. ibi: *In gestis Pontificalibus legitur, Sylvester Papa instituit, vt à Presbytero vngeretur neophytus in cerebro.* Et statim: *Si quis sine chrismate migrauerit de sæculo, periculosum iter arripit. Hoc prævidens Sylvester Papa, in quantum potuit, subuenit, & propter absentiam Episcoporum, necessitatem addidit, vt à Presbytero vngerentur.* Rupertus *lib.* 5. *de diuinis officiis*, *cap.* 16. *Legitur autem in gestis Pontificalibus, quod Sylvester Papa constituit, vt baptizatum liniat Presbyter chrismate, leuatum de aqua, propter occasionem transitus mortis, ne propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizati migrent.* Hugo à Sancto Victore *lib.* 2. *de sacram. p.* 7. *cap.* 3.

Primis

Primis temporibus omnis vnctio chrismatis per solos Pontifices fiebat ; sed postea institutum est, vt baptizatum sacerdos in vertice liniat ; consignatio tamen frontis solis Pontificibus reseruatur. Latè illustrant hanc vnctionis cæremoniam F. Ioseph. à S. Maria *de ritibus baptismi, cap.* 23. Iosephus Vicecomes *eod. tract. lib.* 5. *cap.* 3. *&* 4. Hanc igitur vnctionem cum chrismate in vertice baptizati presbyteri faciebant absente Episcopo. Leo I. *epist.* 88. *Sed neque coram Episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere, aut signare.* Concil. Tolet. 1. *can.* 20. *Statutum verò est, Diaconum non chrismare, sed presbyterum absente Episcopo, præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum.* Cùm enim hæc vnctio chrismatis à B. Syluestro fuisset instituta vt vicaria, in subsidium & locum Confirmationis, quam Episcopi absentes, & multis curis præpediti statim post baptismum conferre non poterant, ideo nisi illis absentibus, aut præsentibus de eorum licentia presbyteri chrismate vnctionem facere in vertice baptizati non poterant. Quibus ita animaduersis cognoscitur vera interpretatio prædicti Concilij Arausicani ; nam cùm hæretici ad fidem conuersi, perperam antea baptizati, per baptismum recipi deberent, *cap. de Arrianis* 109. *de consec. dist.* 4. & statim confirmandi essent, aut saltem absente Episcopo per presbyterum chrismate vngendi ; ideò aiunt PP. Concil. Arausic. in mortis discrimine hæreticos positos, si catholici esse desiderent, & desit Episcopus, à presbyteris cum chrismate & benedictione consignandos esse. Quæ verba non sunt accipienda de confirmatione, sed de prædicta vnctione cum chrismate : quæ interpretatio apertè probatur ex canone antecedenti ipsius Concilij Arausic. qui reperitur apud Gratianum *in cap. nullus* 125. *de consec. dist.* 4. vbi hæc vnctio appellatur tantùm *benedictio*. De hac etiam vnctione cum chrismate, non verò de Confirmationis sacramento accipiendi sunt textus *in cap. presbyteris* 119. *cap. presbyteri* 120. *cap. omni tempore* 124. *de consec. dist.* 4. vbi presbyteris permittitur hæc vnctio cum chrismate in vertice baptizati.

17. EXPONITVR D. CHRYSOSTOMVS.

Etiam suprà traditis aduersari videtur D. Chrysostomus *homil.* 11. *in epist.* 1. *D. Pauli ad Timoth. cap.* 3. in illis verbis : *Cur istud ? quia scilicet inter Episcopum atque Presbyterum interest fermè nil ; quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt ; sola quippe ordinatione superiores illis sunt ; atque hoc tantùm plusquam Presbyteri habere videntur.* Quæ verba ita expendit Hallierius *de diuina Episcop. instit. lib.* 1. *art.* 7. solâ ordinatione, id est ordinandi potestate Episcopi Presbyteris maiores sunt ; igitur quoad confirmandi facultatem, æqualem habent Episcopi, ac Presbyteri. Cui difficultati, omissâ solutione ipsius Hallierij, qui existimat ordinandi potestatem tantùm à B. Chrysostomo fuisse expressam, quia hæc Episcopi Prærogatiua, ordinandi videlicet facultas, difficiliùs presbyteris communicatur : dicendum existimo, verba illa, *solâ ordinatione*, non esse referenda ad ordinandi potestatem, Episcoporum propriam ; sed ad gradum ordinis Episcopalis, quo distinguntur Presbyteri ab Episcopis, & cuius virtute competit Episcopis facultas administrandi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis : vnde rectè ait D. Chrysostomus, curam animarum æqualiter competere Presbyteris ac Episcopis, inter eosque nullam dari differentiam, exceptâ solâ ordinatione, id est Episcopali gradu, cuius virtute Episcopus minister est ordinarius Confirmationis, & Ordinis.

18. EXPONITVR CAN. 4. CONCILII REGIENSIS.

Rursus suprà traditis opponi potest canon 4. Concilij Regiensis, in illis verbis : *Et inter minutas has discussiones, & indefinitas, visum est omni presbytero per familias, per agros, per priuatas domos pro desiderio fidelium habere facultatem benedictiones aperire, quod nonnullas iam prouincias habere occurrit. Huic autem etiam in Ecclesiarum plebibus, per loca tamen magis, quàm per vrbes hoc idem visum est tribuendum. In Ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum, ius habebit, & per omnia, vt sit multa indulgentia testimonium, semper se inferiorem Episcopo, superiorem Presbytero agat.* Ex quibus verbis expressè deducitur, presbyteros posse sacramentum confirmationis administrare. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo canone agi non de simplici presbytero, sed de Chorepiscopo : olim enim in pagis & minoribus ciuitatibus consecrabantur Chorepiscopi, qui vt Vicarij Episcoporum in eis sacramenta administrarent. Concilium Antioch. *can.* 10. *&* 18. Sardicense *can.* 6. de quorum potestate, & conditione agemus *cap.* 1. *de priuileg.* Illi ergo, præcipuè in Gallia, superbiâ elati, non solùm in Ecclesiis propriis, verùm in aliis baptizatis Confirmationem ministrare, chrisma benedicere, virgines consecrare audebant, vt probat P. Marcha *lib.* 2. *concord. Sacerd. & Imper. cap.* 13. *&* 14. *&* *lib.* 6. *cap.* 26. vnde in dicto Concilio Regiensi modus præscriptus fuit Chorepiscopis, videlicet vt in propriis Ecclesiis tantùm fideles benedicerent, neophytos confirmarent, virgines que consecrarent ; quod & cautum fuit *in can.* 1. *ipsius Concilij*, in illis verbis : *Ex constitutionis permissu benedicere, & vt suprà definitum est, in vna & eadem Ecclesia neophytos confirmare, in castellis ac vicis totum illis ante presbyteros (sicut venerit) liceat, quod in ciuitatibus omnino præscribitur.* Et tandem temporibus Caroli Magni cùm eorum ambitio comprimi nequiret, per Leonem I V. in Synodo Romana amoti fuerunt, & in exilium missi, vt constat *ex lib.* 7. *capitul. cap.* 187. ibi : *Prædictos autem Chorepiscopos omnes præcipit damnari, & in exilium detrudi. Ista verò omnes, maximè Regni nobis à Deo commissi Episcopi, cum eodem Arnone, permittente præfato Apostolico mitiùs tractantes, iam dictos villanos Episcopos inter Presbyteros statuerunt.* Latiùs prosequitur Marcha *d. cap.* 12. & nos plura dabimus *in cap.* 1. *de priuileg.*

19. EXPONITVR CAP. NVLLVS, DE CONSECR. DIST. 4.

Ex eadem etiam obseruatione exponendus est canon Concilij Ancyrani, relatus à Gratiano *in cap. nullus* 125. *de consecr. distinct.* 4. quem adiectâ negatione ita edidit Iacobus Sirmundus in editione Conciliorum Galliæ : *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate vsquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi vna benedictio est ; non vt præiudicans quidquam, sed vt non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Qui quidem textus valdè difficilis est, siquidem in eo docetur, simplicem sacerdotem posse sacramentum Confirmationis conferre, ideoque dum baptismum

baptiſmum adminiſtrat, non debere progredi ſine chriſmate. Canoni huic negationem illam, *non*, adiecit Sirmundus, quem contra Petrum Aurelium defendit Petrus Marcha *in notis ad can. 2. Concilij Claromont.* ita vt ſenſus præſentis canonis ſit; videlicet PP. præcipere, vnicam, eamque in fronte, chriſmatis vnctionem fieri; ideoque miniſtrum Baptiſmi chriſma in promptu habere debere, vt mox baptizatum liniat. Si quis verò caſu chriſmatus in baptiſmate quiſquam non fuerit, commonendum Epiſcopum in Confirmatione, nempe vt baptizatus, cui chriſma adminiſtratum non ſit in baptiſmo, tunc ab Epiſcopo chriſmetur; inde chriſmatis vnam eſſe benedictionem, vel in Baptiſmo, vel in Confirmatione; neceſſariam autem non eſſe repetitam chriſmationem, ſemel ſcilicet à Preſbytero in baptiſmo, & iterum ab Epiſcopo in confirmatione, quæ ſolâ manuum impoſitione confertur. Affirmatiuè legentes canonem illum Petrus Aurelius, & Seuerinus Binius, eius ſenſum ita eliciunt: Nullus preſbyterorum, aut Diaconorum, qui ad ægros, vel laborantes accedunt, baptiſmi gratiâ, abſque chriſmate progrediatur, quia id conſtitutum eſt, vt baptiſma ab iis non adminiſtretur ſine chriſmatis vnctione, quam ſemel tantùm conferant, nullâ aliâ, ſcilicet extra baptiſmum, chriſmatione illis permiſsâ, quæ tunc ab Epiſcopis adminiſtrari debet. Si quis autem in baptiſmo chriſmatus non fuerit, Epiſcopus ea de re tempore Confirmationis admonendus eſt, nempe vt baptizatum arceat à confirmatione, & ad preſbyterum remittat priùs chriſmandum in vertice; ipſe enim Epiſcopus eiuſmodi chriſmationem præbere non poteſt, quia chriſmatis ipſius non niſi vna benedictio eſt, id eſt chriſmatis Epiſcopalis. Eſſet autem duplex benedictio illius chriſmatis, ſi Epiſcopus priùs vicem eius, quæ à preſbytero petenda erat, deinde ſuam expleret. Cæterùm à preſbytero expetenda eſt prima chriſmatio omiſſa, quia neceſſaria eſt repetita chriſmatio, nempe prima illa baptiſmalis, & ſecunda, quæ ab Epiſcopo adhibetur in Confirmatione. Quod eò non pertinet, vt chriſmatis baptiſmalis omiſſionem ſolâ neceſſitate contractam cuiquam obeſſe, aut chriſmationis Epiſcopalis vim minuere PP. velint, ſed ſine vllo huiuſmodi præiudicio, repetita chriſmatio, ſeu chriſmatio duplex, neceſſaria habeatur. Verùm hæc interpretatio ſuſtineri nequit, cùm aliena ſit à verbis ipſius canonis, & illius ſententiam potiùs obtrudat, & inextricabilem reddat, quàm explicet: quare eâ omiſsâ dicendum eſt, in eo canone duplicem caſum proponi: in primo agitur de vnctione baptizati in vertice, quæ preſbyteris permiſſa eſt, ex iuribus ſuprà traditis; quam inſtitutam fuiſſe à D. Syluestro referunt Amalaricus, & Rabanus relati ab Hallierio *in vindiciis, obſ. 1. cap. 1. §. 3.* & in dicto canone eius neceſſitas iniungitur, ideoque iubetur, vt qui baptizare intendit, ſine chriſmate non progrediatur. Secundus caſus proponitur, cùm omiſſa fuit hæc vnctio à baptizante ob neceſſitatem emergentem; & ſtatuitur, vt tunc tempore Confirmationis miniſtrandæ ab Epiſcopo ipſe commoneatur, non vt baptizatum mittat preſbytero ad præmittendam verticis vnctionem, ſed vt ipſum chriſmate vngat tantùm, ſi illi viſum fuerit; aliàs ſi duplici chriſmatis vnctione illum linire velit, nihil obeſſe myſterio, quia ſuperflua non nocent; attamen repetitam chriſmationem neceſſariam non eſſe: *Quoniam*, aiunt, PP. *chriſmatis ipſius inter quoſlibet non niſi vna eſt benedictio*; id eſt vnâ, eademque benedictione conſecratum eſt chriſma, quâ vtuntur Epiſcopi, & Preſbyteri; adeoque licèt vnctio in baptiſmate omiſſa fuerit, ex eo nullum ſequitur damnum, cùm reſarciatur copiosè in chriſmare confirmationis: & ita primus caſus, in quo de preſbytero baptizante agitur, referendus eſt ad vnctionem verticis; in ſecundo verò, vbi de confirmatione per ſacerdotem, intelligendus eſt Epiſcopus, non ſimplex Preſbyter.

CAPVT V.

Idem *Decano & Capitulo* [a] *Cenomanenſi.*

CVm inter vos ex vna parte, & Canonicos S. P. de [b] Curie ex altera, ſuper eo, quod dicti Canonici S. P. generale [c] interdictum à Ven. fratre noſtro Epiſcopo [d] veſtro, vel [c] vobis in ciuitate Cenoman. poſitum non ſeruant, quæſtio verteretur, vtraque pars, vt eadem cauſa poſſet ſine debito terminari, ſuum nuntium ad Sedem Apoſtolicam deſtinauit. Partibus igitur in noſtra præſentia conſtitutis, per procuratores idoneos audientiam præbuimus liberam, & benignam. Et quidam Eccleſiæ veſtræ propoſuit procurator, quod cùm Cenoman. Eccleſia ſuo loco, & tempore pro exceſſibus ſæcularis [f] poteſtatis interdicto voluit ſupponere [g] ciuitatem Eccleſiæ S. P. de Curie, tanquam membrum ſuo Capiti non adhærens, [h] campanis pulſatis, apertis [i] ianuis, j diuina officia celebrare, aliis ceſſantibus non omiſit. Cùm autem Ven. f. noſter Hoſtienſis [k] Epiſcopus tunc in partibus illis legationis officio fungeretur, iidem ad eius præſentiam accedentes, ſuam ei ſuper hoc querimoniam exponere [l] curauerunt, qui partibus conuocatis, & rationibus vtriuſque diligenter auditis & cognitis, cùm pars Eccleſiæ S. P. per priuilegia S. Apoſt. non poſſet oſtendere ſe munitam, immò ei firmum conſtaret, quod ex ſuperbia potiùs, quàm ex cauſa rationabili duceretur, ſententialiter diffiniuit, quod cùm in ciuitate Cenomanen. poſitum fuerit interdictum, illud eadem Eccleſia obſeruaret, vinculo quoque excommunicationis, ac pœnæ ordinis, ac [m] beneficij eos ſupponens, qui ſuæ ducerent ſententiæ reſiſtendum. Poſtmodum verò cùm

propter

propter quosdam excessus sæcularis potestatis tota Cenomanen. ciuitas supponeretur ecclesiastico interdicto, & ipsis Canonicis S. P. denuntiatum fuisset, vt à diuinorum celebratione cessarent, & obseruarent, sicut aliæ Ecclesiæ illius ciuitatis, interdictum, ipsi maiorem temeritatem suæ audaciæ adiungentes, cum maiore solemnitate suum sunt officium executi, venire contra Legati sententiam non verentes. Procurator verò ipsorum proposuit ex aduerso, quod ipsa Ecclesia S.P. ab ipsa sui fundatione [n] libera extitit, & exempta, & de bonis progenitorum Chariſſimiin Christo filij N.I. Anglorum Regis illic fundata fuerat, & dotata: firmiter asseuerans, & ex hoc suam credens intentionem fundare, quod Decanatum, & præbendas illius Ecclesiæ Rex & progenitores sui conferebant, diœcesano Episcopo inconsulto. Proposuit etiam, quod ex consuetudine tali hactenus eadem Ecclesia gauisa fuerat libertate, & hoc idem multotiens vester Episcopus recognouit, quod suos parochiales potest is interdicere & Capellanum, qui extra chorum celebrat Ecclesiæ antedictæ; allegans de consuetudine antedicta, quod in generali etiam interdicto licitum erat eis, pulsatis campanis, altâ voce, interdictis tamen & excommunicatis exclusis, diuina officia celebrare. Nos igitur auditis hinc inde propositis, & cognito quod ex tali consuetudine, si qua foret, disrumperetur neruus ecclesiasticæ disciplinæ, ipsam de [o] consilio f. nostr. penitùs duximus [p] irritandam: cùm non consuetudo, sed corruptela potiùs sit censenda.

NOTÆ.

1. a *Cenomanenſi.*] Cenomanensis ciuitas est in Gallia Celtica, tertiæ prouinciæ Lugdunensis, caput Cenomanorum. Plinius *lib. 4. hist. cap.* 18. Fratres Sarm. *tom. 2. Galliæ, fol.* 512. Habet Ecclesiam Cathedralem dicatam S. Iuliano, suffraganeam Archiepiscopi Turonensis: eius mentio fit *in cap. mulieres, de iureiur. cap.* 1. *de cleric. pereg. cap. is qui fidem, de sponſ. cap.* 2. *qui clerici vel vou. cap. venerabili* 52. *de sentent. excom. cap.* 4. *eod. tit. in* 5. *compil. cap.* 1. *de offic. deleg. in eadem collect.* Eius Ecclesiæ Præsuli Hamelino, qui eam rexit ex anno 1191. vsque ad annum 1209. siue vt alij volunt 1218. rescribit in præsenti Innocentius, cui etiam scribit *lib.* 2. *epist.* 85. vbi notauit Bosquetus.

2. b *De Curie.*] Est Ecclesia Collegialis in ipsa ciuitate Cenomanensi, quæ intendebat interdicto generali non ligari, vt similiter contendebat Ecclesia Collegialis S. Aniani, de qua Innocentius noster *lib.* 3. *epist.* 12. Alia est etiam Ecclesia S.P. de Cultura, in suburbiis Cenomanensibus, Ordinis S. Benedicti, de qua *in cap. venerabile, de censibus:* eiusdem meminit Orderic. Vital. ad annum 1098. *Is iam dudum in Cenomannico Consulatu castra violenter in alieno iure construxit, in possessionibus scilicet S. Petri de Cultura, & sancti Vincentij Martyris, quibus colonos grauiter oppressit.* Arnulf. Lexou. *ad Alex. III.* Cironius *dict. cap. venerabili* 52.

3. c *Interdictum.*] Interdictum diuiditur ab Interpretibus in locale, & personale. Locale dicitur, quod principaliter fertur in locum, vt ibi diuina officia non peragantur, *cap. præsenti, cap. si sententia, cap. si ciuitas, de sentent. excom. lib.* 6. Hoc interdictum locale subdiuiditur in generale, & particulare: generale est cùm tota diœcesis, aut tota ciuitas interdicitur, de quo agitur in præsenti textu, & *in cap. cùm in partibus, de v. s. cap. præsenti, de sentent. excom. in* 6. particulare est cùm tantùm interdictum apponitur in hac, vel illa Ecclesia. Personale interdictum est, quod in personas profertur, non inspectis locis, sed tantùm ipsis personis: subdiuiditur in generale, & particulare. Generale est cùm interdicitur populus, *cap. si sententia, de sentent. excom. in* 6. particulare est, quod in aliquam personam specialiter profertur, vel in plures, *dict. cap. si sententia.* Leand. *de interdicto disp.* 1. *quæst.* 2. Gibalinus *de censuris disp.* 7. *quæst.* 14. Suarez *eod. tract. disp.* 32. *quæst.* 2.

4. d *Episcopo.*] Episcopi enim, vt iudices Ordinarij, sententiam interdicti proferre possunt, *cap. transmissam, de elect. cap. cùm ab Ecclesiarum, de officio ordin. cap. auditis, de præscript. cap. cùm & plantare*, §. 1. *cap. Episcopum, de priuileg.* Etiam absque consensu Capituli, licèt iure communi attento, si in clericos interdictum apponendum erat, consensus Capituli desiderabatur, *cap.* 1. *de excessibus Prælat.* etsi hodie consuetudine introductum sit, vt talis consensus non desideretur. Leander *dict. tract. de interdicto, disp.* 2. *quæst.* 2.

5. e *Vel vobis.*] Licèt Canonici iure communi inspecto non possint sine consensu Episcopi interdicti sententiam proferre, *cap. quæsiuit, de his quæ fiunt à Prælatis*; attamen si consuetudine introductum sit contrarium, poterunt tam Ecclesias, quàm personas interdicere: quo modo intelligendi sunt textus noster, & textus *in cap. cùm dilecti* 55. *de appellat. cap. ex parte, de v. s. cap. si Canonici, de offic. ordin. in* 6. *cap. statutum, de sentent. excom. eod. lib.* Docent Petrus Greg. *lib.* 4. *partition. tit.* 16. *cap.* 5. & nos dicemus *in dict. cap.* 2. *de his quæ fiunt.*

6. f *Potestatis.*] Id est magistratus sæcularis, *cap. penult.* vbi latiùs dicemus, *de iudiciis*; plerumque enim interdictum apponitur pro delicto, contumaciáve Magistratus, Principisve sæcularis, *cap. non est vobis, de sponſ. cap. si sententia, de sentent. excom. in* 6. Concilium Lemouic. *act.* 2. ibi: *Nisi de pace acquieuerint, ligate omnem terram.* Ob Episcopi etiam contumaciam interdictum poni potest, *cap. sanè, el* 2. *de officio deleg.* semper tamen desideratur culpa grauis, Gibalinus suprà, Leander *disp.* 2. *quæst.* 13. Ob debitum pecuniarium poni non potest, *c. quæsiuit, de his quæ fiunt à Prælat. cap. licèt* 3. *de pœnis, extrauag. prouidè, de sentent. excom.* Nauarrus, Sylvester, Couarr. apud Suarez *de cens. dict. sect.* 3. alij apud Leandrum *quæst.* 15.

7. g *Ciuitatem.*] Tunc non solùm Ecclesiæ vrbicariæ, verùm etiam suburbicariæ, & aliæ comprehenduntur, vt infrà dicemus.

8. h *Campanis.*] Campanarum etiam pulsatio

adeò prohibita est tempore interdicti, vt etsi concedatur alicui diuina officia celebrare, semper tamen campanarum pulsatio excipitur, *cap. quod in te, de pœnit.* & licèt per Alexandrum III. Innocentium III. Bonifacium VIII. quamplurimùm de rigore interdicti mitigatum fuisset *in cap. non est vobis, de sponsalib. cap. quod in te, de pœnit. cap. alma, de sentent. excom.* nunquam tamen circa pulsationem campanarum aliquid permissum inuenitur; immò eius tempore tabulâ, tubâ, aut cursore debent Canonici conuocare ad horas canonicas; manè tamen, meridie ac serò, & ad conuocandum populum ad verbum Dei, possunt pulsari, vt pluribus relatis docet Barbosa *lib.3. voto* 102. *num.*33. nouiter Gibalinus *disquisit.7. quæst.*14. *sect.*17. *de censuris.*

9. i *Ianuis.*] Ianuas Ecclesiæ aperire tempore interdicti prohibitum est, *dict. cap. quod in te:* nec circa eas aperiendas aliquid dispositum est in prædictis iuribus, nisi in festiuitatibus, de quibus *in dict. cap. alma mater:* vnde nisi in prædictis festiuitatibus non licebit eas aperire, adeò vt qui eo tempore eas perforauerit, aut in eis feneſtras fecerit, excommunicetur. *Clement.* 1. *de sentent. excom.* Leander *d.tract.de interdicto, disput.4.quæst.*11. *cum sequentibus.*

10. j *Diuina officia.*] Sacrificium enim Missæ, & diuina officia celebrari tempore interdicti non licet. Gibalinus *vbi suprà, quæst.*14. Leander *de interdicto disput.*4. Sed licèt primis sæculis, quibus hac censurâ Ecclesia vti cœpit, officia diuina vniuersa, exceptis morientium pœnitentiis, & baptismo interdicerentur, etiam temporibus Alexandri III. *cap.non est vobis, de sponsi.* refert Oldericus monachus in Concilio Bituricensi; tamen Innocentius noster concessit sacramentum confirmationis administrare, *cap. responso, de sentent. excom.* & semel in anno Missam celebrare in Ecclesia interdicta, *cap. cùm & plantare, §. quod etsi, de priuileg.* Permisit etiam clericis interdictum seruantibus ius sepulturæ sine vllo diuino officio, aut pulsatione campanarum, *dict. cap. quod in te.* Et in Ecclesiis conuentualibus horas canonicas recitare bini, & bini, clausis ianuis, exclusis excommunicatis, non pulsatis campanis; & ita cantare, vt exteriùs audiri non possint, *dict. cap. quod in te.* Idem Pontifex concessit viaticum decedentibus dari, deferrique cum omni solennitate, & campanarum pulsatione, *dict. cap. quod in te.* Bonifacius VIII. & alij Innocentij successores alia concesserunt, quæ suis locis exponemus.

11. k *Episcopus.*] Theobaldus dictus, monachus Cistercienſis, à Lucio III. electus Episcopus Hostiensis anno 1184. qui legatione functus est in Germaniam per annos 1186. decessitque Romæ anno 1188. vt refert Vghellius *tom.*1. *Italiæ sacræ, in Hostiensi Ecclesia, num.*42.

12. l *Curauerunt.*] Legati enim dati, vel à latere, possunt adiri non solùm per viam appellationis, verùm etiam per simplicem querimoniam, *c.*3. 2. *quæst.*3. *cap. conquestus* 9. *quæst.*3. *cap.*3. 25. *quæst.*2. *cap.*1. *de officio deleg.* vbi Deo annuente dicam.

13. m *Ac beneficy.*] Has pœnas Legatus appposuit, vt cogeret prædictos Canonicos seruare interdictum; iure verò communi inspecto omnes clerici, tam in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus constituti, actum proprium sui Ordinis exercendo eo modo, quo à laicis exerceri non potest, vt Episcopus ordines conferendo, sacerdos administrando sacramenta, diuina officia celebrando, præter peccatum lethale, quod incurrunt, irregulares fiunt, *cap.clerici, de clerico excomm. cap.vlt. de excessib. Prælat. cap.*1. *de sentent. excom. lib.6. cap.*1. *cap.is cui, de sentent.excom. eod.lib.cap. Episcoporum, de priuileg.* nec eligi possunt, aut postulari ad beneficium ecclesiasticum, *cap.*1. *de postulat. Prælat.* Nauarrus, Couar. Suarez & alij apud Dianam *part.*5. *tract.*5. *resol.*59. Gibalinus *de censuris disquisit.*8. *quæst.*1. Leander *disput.*8. *de interdicto, q.*2.

n *Libera.*] Aliquando enim, dum Principes Ecclesias constituebant, & prædiis, ac magnis dotibus ditabant, petebant, vt exemptæ essent à iurisdictione Episcopi, immediateque R. Pontifici parèrent: quæ exemptio illis concedebatur, in grati animi significationem, immò & aliquando pars decimarum ipsius Ecclesiæ illis assignabatur. Innocentius noster *lib.*1. *epist.*6. vbi de Marchione Brandeburgensi ita scribit: *Nobis humiliter supplicauit, vt cùm pro ampliatione diuini cultus conuentualem Ecclesiam decidere, & in terra ipsa construere licentiam super hoc ei concedere dignaremur, & ipsam ab omni onere Pontificalis iurisdictionis exemptam, in ius & proprietatem Sedis Apostolicæ retinere; ita profectò, quod duæ partes decimarum eiusdem terræ ad Marchionem ipsum, & hæredes ipsius pro Ecclesiæ fabrica deuoluantur, & cætera.* Ita Ecclesia S.P. à progenitoribus Regis Angliæ constructa, exempta fuit à iurisdictione Episcopali. 14.

o *De consilio.*] Quia hæc verba sæpiùs occurrunt in decisionibus hoc volumine compilatis, sciendum est, ferè per priora octo sæcula ad grauiora negotia decidenda frequenter R. Pontificem Concilia nationalia congregasse, sed auctis Ecclesiæ bonis, & insuper accessione temporalis Principatus, cœpit Pontifex in singulos dies consiliariis, & adiutoribus indigere: & quia Episcopi ita frequentiùs conuocari non poterant, prædicta Concilia paulatim omissa fuerunt, & tota causarum cognitio ad Senatum Cardinalium redacta est, postquam iurare cœperunt Pontifices tempore inaugurationis iuxta veterem formulam, quæ extat in collectione canonum Deusdedit, & in libro diurno Bibliothecæ Vaticanæ, se ministerium suum cum consilio Cardinalium gesturos. Vnde factum est, vt quamplures constitutiones de consilio Cardinalium factæ dicantur, vt *in cap. licèt, cap. Ecclesia, de elect. cap. cùm inter, de consuet. cap.*1. *de schism. cap. Apostolicæ, de re iudic. lib.6. cap.*1. *de renunt. eod. lib. Clement. ne Roman. Clement. plerumque, de electione,* & aliis: referunt Platina *de officio Cardin. cap.* 6. Manfredus *lib.*4. *cap.*881. Vnde Pontifex in arduis negotiis consilium adhibet Cardinalium, non quia præcisè teneatur illud petere, aut petitum sequi, sed vt negotia ardua cum eorum consilio decidantur. Anast. Germonius *de indultis Cardin. §.quod tu Romana,* Paleotus *de sacri consist. consultat.* Tiberius Decianus *tom.*1. *tract. crimin. lib.*4. *cap.*24. *num.*4. Bermondus *de concub. fol.*149. Cohelius *in notitia Cardin. cap.*13. nam in rebus arduis consilium virorum prudentum adhibendum est, *l. aiunt* 3. *Cod.de ingenuis manum.* ibi: *Si cum peritioribus tractatum habuisses, facilè cognosceres.* Et *l.*2. *§. final. ff.quis ordo in bonorum possess. l.*5. *Cod.de his qui accusare:* probat Solorzanus *tom.*1. *de iure Indiar. lib.*3. *cap.*2. quare Principes olim nullâ de re ferè cognoscebant, nisi adhibitâ prudentum authoritate, qui consilij causâ ipsis assidebant, *l.* 1. *ff. de officio assess. l.rescriptum, in princip. ff.de distract.pignor.l.an apud* 5. *ff.de manumiss. vindicta, l.omnium* 19. *Cod.de* 15.

testam.

testam. l.vlt. ff. de iure fisci : sic legimus Augustum non antè codicillorum vsum approbasse, quàm conuocatis prudentibus, *princip. Instit. de codicillis*, quò pertinet singularis epigraphe legis 6. *C. de vsucap. pro empt.* illustrat Fornerius *lib.* 4. *rerum quotid. cap.* 10.

16. P *Irritanda.*] Sed quomodo R. Pontifex irritat consuetudinem, cùm lis super ea non disceptaretur, & iudex tantùm de re in iudicium deducta pronuntiare debeat, *cap. qualiter, de acusat. cap. licèt, de simonia.* Ioannes Andreas, Hostiensis, Zabarella, & Butrius *hic*, affirmant Pontificem consuetudinem corruptelam declarasse, quia exceptio Canonicorum S. Petri eâ nitebatur; amplius quia ad Pontificem spectat vitia extirpare, *cap. quoniam, de filiis presbyt. cap. ad petitionem, de accusationibus.*

COMMENTARIVM.

17. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR. EX hoc textu communiter talis deducitur assertio. *Consuetudine introduci non potest, vt tempore generalis interdicti licitum sit in loco exempto publicè diuina officia celebrare.* Probatur ab specie *ex Clementina* 1. *de sepultur. Clementina* 1. *de sentent. excommunic.* nostro Innocent. *lib.* 3. *regest.* 15. *epist.* 12. Probari etiam potest per argumentum *ex cap. quod in te, de pœnitent. cap. cùm & plantare* 6. *cap. cùm capella, cap. petiisti* 20. *cap. vt priuilegia* 24. *de priuileg. cap. ne aliquis, cap. Episcopum, de priuileg. in* 6. Trident. *sess.* 25. *de regularib. cap.* 11. *&* 12. Illustrant præter relatos à Barbosa in præsenti, Petrus Gregorius *in cap. conquerente, cap.* 10. *num.* 2. *de offic. Ordin.* Suarez de censuris *disp.* 36. *sect.* 1. Moneta *de commut. cap.* 11. *num.* 238. Bosquetus ad Innocentium *in dict. epist.* 12. Barbosa *ad Concilium in dict. cap.* 12. Auila, Marius Altetius, Filliucius, & alij relati à Leandro *de interdicto disp.* 1. *quæst.* 10. Altesserra *hic.*

18. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed aduersùs hanc assertionem illa se offert dubitandi ratio; nam Episcopi nullam habent iurisdictionem in personas exemptas, *cap. licèt, cap. irrefragabili, de officio ordin.* Trident. *sess.* 7. *de reform. cap.* 14. & *sess.* 14. *cap.* 11. Cochier *integro tractatu de iurisdict. in exemptos*, plures, & plura adducit Carleual *de iudiciis tom.* 1. *disput.* 2. *sect.* 2. *quæst.* 6. ita vt eorum Ecclesias non possint interdicere, ipsos excommunicare, aut aliis censuris ligare, *cap. cùm capella, de priuileg. cap.* 1. *de v. s. lib.* 6. Leander *de interdicto disp.* 1. *quæst.* 11. *& quæst.* 25. Sed Ecclesia S. P. de Curie exempta erat, vt ex nostro textu constat: ergo interdicto subiici ab Episcopo non poterat, & per consequens non tenebatur illud obseruare. Accedit, nam contrariorum eadem est ratio, & disciplina, *l.* 1. *ff. de his qui sunt sui, l. final. ff. de leg.* 3. *l. in fundo, ff. de rei vind.* plura Barbosa *axiomat.* 58. sed consuetudine potest introduci, vt qui non habebat iurisdictionem ad proferendam interdicti sententiam, eam proferat, *cap. auditis* 55. *de appellat. cap. ex parte* 23. *de v. s.* ergo poterit similiter consuetudine introduci, vt qui alicui subiectus est, eximatur ab eius iurisdictione, & non teneatur obseruare interdictum à se positum. Augetur etiam prædicta difficultas, nam certum est, illud omne introduci consuetudine, quod potest concedi priuilegio, vt suprà probauimus. Barbosa *axiomat.* 57. sed priuilegio potest fieri, vt vna Ecclesia, aut monasterium non teneatur seruare interdictum generale, vel locale ab Episcopo positum, *cap. cùm & plantare, §. quod si, cap. vt priuilegia, de priuilegiis, cap. vlt. eod. tit. in* 6. Auctor vitæ S. Abbonis Floriacensis Abbatis refert in quodam priuilegio ita contineri: *Néve vnquam quilibet Pontificum eidem monasterio diuinum interdicat officium, etiamsi tota Gallia ob populi peccata anathematis feriatur censurâ.* Refert Bosquetus ad Innocentium *dicta epist.* 12. ergo & consuetudine poterit introduci, vt certa Ecclesia non teneatur seruare interdictum, sed pulsatis campanis diuina officia possit celebrare.

19. INTERDICTI ORIGO. Hac dubitandi ratione non obstante, verissima est suprà tradita assertio; pro cuius exactiori expositione primò sciendum est, interdicti censuram introductam esse ad compescendam Principis, aut superioris contumaciam, vt vniuersa plebs, quæ eius malitiam non ignorat, & cui illius iniquitas magnopere displicet, hinc occasione arreptâ proclamet in eum, & sic qui ob Dei amorem ab iniusta actione non vult desistere, clamore plebis ab ea recedat, vt ex Gofrido refert Iuretus *in notis ad Carnotensem epist.* 266. Sed à quo tempore vsus huius censuræ in Ecclesia inualuisset, adhuc non liquet, vt constat ex traditis à Rousselio *lib.* 8. *Pont. iurisd. cap.* 1. *num.* 31. Aliqui existimarunt ante tempora Alexandri III. qui Ecclesiam rexit per annos 1160. interdicti vsum non viguisse, eo argumento moti, quia apud Gratianum nulla interdicti mentio inueniatur. Alij ab anno 1304. huius censuræ originem repetunt ex Synodo Lemouicensi, quam refert Baronius in prædicto anno. Alij paulò antiquiùs initium sumunt, videlicet à temporibus Lotharij, & Ludouici, moti verbis Ademari monachi, qui anno 994. Balduino Episcopo Lemouicensi ita scribit: *Sæpè idem Alduinus pro nequitia populi nouam obseruantiam constituit, scilicet Ecclesias & monasteria cessare à diuino cultu, & sancto sacrificio, & populum quasi paganum à diuinis laudibus cessare.* Eos sequitur Morinus *lib.* 2. *exercit. cap. final.* adiiciens, quod Carolouingiæ familiæ potentia alio modo compesci non poterat. Sed hæc sententia facilè refellitur, cùm multis antea retrò annis huius censuræ vestigia reperiantur; nam Episcopi Galliæ passim per nonum sæculum ea vsi fuerunt: testis est Ivo Carnotensis *epistola* 50. ibi: *Præcepit itaque Stamptensi Archipresbytero, vt vel eos ad satisfactionem adducat, vel ipsis excommunicatis, & locis, in quibus morantur, diuinum officium interdicat.* Et *epist.* 62. 264. *&* 266. vt in interdicto ciuitatis Rhotomag. relato à Gregorio Turon. *lib.* 8. *cap.* 31. & in interdicto à Ioanne VIII. indicto, de quo annales Franc. *ad annum* 878. Quare verius credo, ante tempora Alduini Episcopi, iam interdicti censuram in Ecclesia viguisse; id constat ex Concilio Cabilonensi sub Carolo, *cap.* 26. vbi propter quandam dissensionem circa diuisionem rerum Ecclesiæ, iubetur Episcopo, vt prohibeat in ea Ecclesia Missarum solennia celebrari. Et in Concilio Triburiensi, *can.* 32. iubetur ianuas Ecclesiæ claudi, vt diuina officia non celebrentur. Pro qua sententia adduci possunt alia testimonia congesta à Bosqueto in notis *ad Innocent. III. lib.* 2. *epist.* 72. qui nostram tuetur sententiam: eam etiam amplectuntur Gibalinus *de censuris, disquisit.* 7. *quæst.* 14. Grethserus *de immunit. eccles. lib.* 3. *cap. vlt.* Vnde immeritò Michael Rousselius *histor. Pontif. iurisdict. lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 31. displicuisse D. Augustino *in epist.* 75. vsum interdicti ecclesiastici sibi persuasit, cùm huius censuræ formalem vsum non nisi aliquot ab Augustino sæculis recepisset Ecclesia;

eleſia; & in ea epiſtola non improbat S.Doctor niſi excommunicationem, vel anathema in totam familiam ob peccatum domini, vt conſtat ex illa epiſtola, prout tranſcribitur à Gratiano *in cap. ſi habes 24. quæſt. 3. cap. non imputantur 1. quæſt. 4.* & notauit magnus Præceptor Illuſtriſſ. Ramos *in ſyntagm. de Epiſcop. Luſit. propoſ. vlt. num. 221.* Apud Gentiles etiam adumbratam legimus hanc cenſuram; nam Iulius Cæſar dum Druidum mores & ritus refert, ita ait: *Si quis, vel publicus, vel priuatus, eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt; hæc pœna apud eos eſt grauiſſima: quibus ita eſt interdictum, hi numero impiorum, ac ſceleratorum habentur; hi omnes decedunt, aditumque, ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagio incommodi accipiant; nec his petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.* Videndus Budeus *ad legem penult. ff. de donat. inter.*

20. INTERDICTI EFFECTVS. Secundò ſciendum eſt, interdictum generale ab omnibus eſſe obſeruandum, vt ſic Eccleſiæ claues non contemnantur; vnde paſſim in chronicis legimus interdicta à monaſteriis, & aliis locis exemptis obſeruari. Chronici Altiſſiodorenſes *ad annum* 1200. dum recenſent generale illud interdictum ob ſuperinductam pellicem à Rege Chriſtianiſſimo, ita aiunt: *Nec modò in Eccleſiis, ſed & monaſteriis ceſſatum eſt à diuinis.* Et de alio interdicto Angliæ ita referunt: *Tota Anglia gratiſſimo ſubiicitur interdicto, & tam in monaſteriis, quàm in Eccleſiis, ceſſantibus priuilegiis, organa lætitiæ diuinæ ſunt ſuſpenſa ſilentio.* Niſi ipſa monaſteria priuilegiis ſpecialibus fuerint exempta, vt *in dict. cap. cum & plantare*, & aliis, *de priuileg.* quæ priuilegia illis iuris locis comprehenſa, an ſint ſublata per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de reform. cap. 12.* diſputant plures congeſti à Barboſa *ibi*, Gibalinus *de cenſur. diſquiſit. 4. quæſt. 6. conſect. 3.* P. Andreas Mendo *in Bullam diſp. 15. cap. 1.*

21. TRADVNTVR RATIO DECIDENDI, ET SOLVTIO DIFFICVLTATIS. Ex quibus ita præmiſſis prouenit vera decidendi ratio præſentis textus; nam cùm conſuetudo non ſeruandi interdictum ſit contra ſacros canones, & bonos mores, vtpotè per quam neruus eccleſiaſticæ diſciplinæ diſrumpitur, vt ait Innocentius *in præſenti*, & poteſtas clauium Eccleſiæ contemnitur, vt corruptela obſeruanda non eſt, ex vulgatis iuribus *in cap. mala 8. diſt. cap. cùm decorem, de vita & honeſt. cleric.* Iuſtè ergo, & rectè Pontifex in præſenti eam caſſauit, & irritauit tanquam irrationabilem, & iniuſtam. Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam verum eſt, monaſteria, & alia loca exempta teneri obſeruare interdictum generale locale, licèt Epiſcopus non poſſit interdictum ſpeciale in ipſis Eccleſiis apponere, quia nullam iuriſdictionem in eas habet. Tenentur autem monachi interdictum generale ſeruare, *cap. tuarum, de priuil. cap. ex frequentibus, de ſent. excom.* Chron. Altiſſiod. anno 1200. *Nec modò in Eccleſiis, ſed & monaſteriis ceſſatum eſt à diuinis.* Quia ita ſacris canonibus cautum eſt, ne inutiliter, & vanè apponeretur; cùm in eis Eccleſiis facilè diuina officia celebrarentur, & ita interdictum inane redderetur. Nec quod dicebamus de priuilegiis, aliquid facit; nam procedit argumentum illud quando non militat diuerſa ratio, ſed eadem datur, vt in præſenti ſpecie militabat; ſiquidem ex eo quod Canonici virtute conſuetudinis poſſint interdicti ſententiam proferre, aut ob priuilegium illis conceſſum illud ab Epiſcopo poſitum non ſeruare, non diſrumpitur neruus eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſicut ex conſuetudine in præſenti textu improbata. Similiter neque in caſu priuilegij, cùm ex iuſtis cauſis illud R.Pontifex conceſſerit.

CAPVT VI.

Idem [a] *Helienſi Epiſcopo.*

CVm olim ven. f. noſter [b] Londonien. Epiſcopus noſtris auribus intimaſſet, quod in ſua Eccleſia propoſuerat ſtatuere Præcentorem, certum redditum aſſignaturus eidem ſine læſione cuiuſquam: nos eius precibus inclinati [c] licentiam ei conceſſimus, [d] Præcentorem huiuſmodi [e] ordinandi, dummodò in conferendis ſibi redditibus nulli præiudicium inferretur. Nihilominus ſtatuentes, vt Præcentor taliter inſtitutus, in ſeſſionibus, proceſſionibus, & aliis illam haberet in Londonien. Eccleſia dignitatem, quam habent alij Præcentores in aliis Eccleſiis [f] Anglicanis. Poſtmodùm autem noſtris fuit auribus intimatum, quod licèt idem Epiſcopus dil. f. B. in eadem inſtituiſſet Eccleſia Præcentorem, quod tamen à nobis fuerat de prælibata dignitate ſtatutum, biennio iam elapſo exequi non [g] curarat. Quapropter tibi dedimus in mandatis, vt illud, ſub. cuiuſl. contradict. & ap. ob. exequi non poſtponeres, contradictores per cenſ. eccleſiaſticam compeſcendo. Nouiter verò dil. f. Decanus, & quidam alij [h] perſonatus habentes in Eccleſia memorata, ſuam nobis tranſmiſere querelam; quod cùm per Anglicanas Eccleſias conſuetudines ſint diuerſæ, ac quidam Cantorum minorem, quidam verò maiorem habeant dignitatem, nec poſſint dignitates eorum, cùm ſint vel variæ, vel repugnantes, conuenire ſimul in vnam, is, qui nouiter eſt inſtitutus in Eccleſia Londonien. Præcentor, non contentus eo quod habere poteſt ſine præiudicio aliorum, occaſione litterarum noſtrarum, quaſdam ipſius Decani & aliarum perſonarum eiuſdem Eccleſiæ dignitates ſibi nititur in eorum præiudicium arrogare. Quocirca f. t. p. A. ſ. m. quat. ſi ſecundùm diuerſas conſuetudines locorum, diuerſas noueris habere Præcentores in Anglicanis Eccleſiis dignitates,

tates, iam dictum Præcentorem illam habere facias in Londonien. Ecclesia dignitatem, eaque ap. rem. permanere contentum, quam rationabilibus, & approbatis consuetudinibus eius saluis, sine alio præiudicio poterit obtinere.

NOTÆ.

1. a *Helienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* De Helienſi Eccleſia Angliæ egi *in c. paſtoralis, de reſcriptis*; & mentio fit *in cap. 3. de in integrum. reſtit. in cap. caterum 5. de iuramento calum. cap. audita 4. de reſtit. ſpoliat. cap. 2. de dolo, cap. conſtitutus 30. cap. in noſtra 32. de teſtibus.*

2. b *Londonienſ.*] Londinum ciuitas Regia eſt in Anglia, Regni caput, vulgò *Londres*, ciuibus præcipuè alienigenis frequentiſſima, diuitiis, atque opibus affluens; in ea Reges diademate inſigniuntur, Parlamentum ibi celebratur, adminiſtrantur antiquo Britannorum Regum priuilegio à 24. ciuibus, quos *Aldermanos*, quaſi ſeniores Angliæ vocant. Polydorus Vergilius *lib. 2. hiſtor. Angliæ. Anno 604. ordinatur Mellitas Epiſcopus, & ſic facta eſt Eccleſia Cathedralis ſuffraganea Archiepiſcopi Cantuar.* Eius mentio extat *in cap. 1. de renunc. cap. 1. de tempor. ordin. cap. veniens 5. de filiis preſbyt. cap. 1. de officio deleg. cap. in noſtra 32. de teſtibus, cap. G. 11. de fide inſtrum. cap. querelam 10. de iureiurando, cap. 1. de ſequeſtrat. poſſeſſ. in 5. compilat.* vbi Cironius.

LONDINVM VBI.

3. c *Licentiam.*] Hîc diſputant Interpretes, an Epiſcopus inconſulto R. Pontifice, poſſit nouam erigere dignitatem in ſua Eccleſia. Negant Gloſſa *verbo Omnes, in cap. 1. diſt. 22.* & *verbo Conceſſimus*, in præſenti, Immola *in cap. cùm acceſſiſſent, num. 4. de conſtit.* Mandoſius, Romanus, & Felinus apud Barboſam *de dignit. cap. 4. num. 2.* Affirmant Butrius, Zabarella, & Abbas *in præſenti*, Selua *de benefic. part. 1. quæſt. 4. num. 18.* & *part. 4. quæſt. 7. num. 120.* Azor *2. part. inſtit. lib. 6. cap. 30. quæſt. 10.* Lotherius *de re benefic. lib. 1. quæſt. 5. num. 16.* Zerola *in praxi, verbo Beneficia, num. 36.* Valenzuela *tom. 1. conſilio 33. num. 87.* quorum ſententiam vt veriorem ſequitur Barboſa *dict. cap. 4. num. 2.* Nec contrarium probat præſens textus, nam in eius ſpecie nulla adeſt mentio conſenſus Capituli, vnde creditur Epiſcopum ſolum nouam dignitatem ſtatuere intendiſſe, & ſic confirmationem Sedis Apoſtolicæ poſtulare. Vel dici poteſt, ad cautelam tantùm petitam fuiſſe; quæ interpretatio ſuadari poteſt *ex epiſtola 70. lib. 2. regeſtri 14.* ibi: *Cùm præter decem & octo præbendas, quæ in Eccleſia tua eſſe noſcuntur, duas de nouo de redditibus menſæ tuæ creare diſponas, & de tuorum Canonicorum aſſenſu ſtatuere, vt vigeſimo Canonicorum numero eadem Eccleſia ſit contenta: fraternitati tuæ, de cuius diſcretione plenam fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus id ſupra his, ſublato cuiuſlibet appellationis, & contradictionis obſtaculo, de tuorum Canonicorum aſſenſu conſtituas, quod animarum ſaluti, & eiuſdem Eccleſiæ*

4. *vtilitati videris expedire.*

d *Præcentorem.*] Quiſnam verò ſit Præcentor, à paucis animaduerſum inuenio; credo tamen eundem eſſe, ac Cantorem, *cap. cleros, cap. Præcentor, 21. diſt.* & tantùm pro locorum diuerſitate diuerſimodè appellatur; aliquando Cantor, aliquando Primicerius, vt docent Manrique *de præcedentiis quæſt. 30. num. 1.* Azor, Reginaldus & alij apud Barboſam *de dignit. cap. 9. num. 10.* In Eccleſia Lugdunenſi etiam Præcentor appellatur, *cap. cùm pro cauſa, de ſentent. excom.* & in Eccleſia Senonenſi *cap. 1. de poſtul. Prælat.* in Ambianenſi, *cap. ſignificamibus 38. de teſtib.* in Herfordienſi, *cap. ſignificauit 48. de appellat.* Præcentoris vicarius dicitur Succentor, *cap. cleros, cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælat.* De eo egi *in cap. cùm acceſſiſſent, de conſtitutionibus.* 5.

e *Ordinandi.*] Id eſt eligendi, ſiue inſtituendi, *cap. ſi tibi abſenti, de præb. in 6.* Ordinationis enim in iure noſtro ampla eſt ſignificatio, cùm non ſolùm ordinationem, verùm etiam electionem perſonæ, eiuſque in aliqua Eccleſia inſtitutionem & deſcriptionem ſignificet; quare illuſtria exempla peti poſſunt ex Concilio Arelat. 1. *can. 2.* & 21. Arelat. 2. *can. 54.* Carthagin. 3. *can. 46.* Cùm enim, vt ait Budeus *in l. honores, ff. de decurionib.* ordinare nihil aliud ſit, quàm aliquem ad honorem, vel magiſtratum promouere, ſeu, vt loquitur Cicero, *ornare, honoribuſque augere*; ordinatio eccleſiaſtica nihil aliud eſt, quàm ad eccleſiaſticam dignitatem promotio; vnde paſſim in iure noſtro legimus, quem in aliqua Eccleſia Ordinari, id eſt eligi. Plura Hallier. *de ſacris electionib. cap. 4. fol. 17.* 6.

f *Anglicanis.*] Anglia enim habet duas Eccleſias Archiepiſcopales, Cantuarienſem videlicet, & Eboracenſem: primæ parent vt ſuffraganei viginti duo Epiſcopi: ſecundæ tres ſubſunt. Eos referunt Candenius *in deſcriptione Angliæ*, Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, tit. 1. cap. 7.* Carolus à S. Paulo *in Geogr. ſacra.* 7.

g *Non curarat.*] Videlicet aſſignando prouentus, & locum in Choro, & Capitulo, ſine præiudicio aliorum Canonicorum, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiarum vicinarum. 8.

h *Perſonatus.*] Sunt perſonatus in Eccleſiis Cathedralibus tantùm quædam prærogatiuæ, ſeu dignitates, quæ præcedunt Canonicos, habentque locum honorabiliorem in ſeſſionibus, & proceſſionibus, vt docent vltra congeſtos *in c. 8. de reſcriptis*, Barb. *de dignit. cap. 4. num. 19.* Cæſar *de eccleſiaſt. diſput. 12. §. 3. num. 10.* & præcentorem, de quo in noſtro textu, tantùm perſonatum eſſe, ſentit Rebuffus *in praxi, tit. Beneficium quotuplex*; licèt contrarium ſentiat Petrus Gregorius *lib. 15. ſyntagm. cap. 22.* vnde cùm Præcentor nouiter inſtitutus voluiſſet maiorem dignitatem obtinere, quàm alij perſonatus, inde tam Decanus, quàm alij Canonici coram Pontifice comparuerunt.

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO ADDVCITVR ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur concluſio: *In tribuendis honoribus nouæ dignitati conſuetudo vicinarum Eccleſiarum attenditur; & ſi diuerſæ ſint, quæ magis rationabilis videtur, & aliis minùs præiudicat.* Quæ concluſio ſigularis eſt, per argumentum tamen probari poteſt *ex cap. ſuper eo, de cenſib. c. cùm Eccleſia, de electione, cap. ſuper eo, de cognat. ſpiritual. l. cùm de lanionis, §. 3. ff. de fundo inſtructo, cap. 1. de ſupplend. lib. 1. l. tutor 7. §. 10. ff. de adminiſt. tutor. l. quod ſi nolit. 31. §. qui aſſidua, ff. de ædilit. edicto, l. ſi ſeruus 56. ff. de legat. 1. l. nummis 75. de legat. 3.* Illuſtrant Gutierrez *lib. 3. practic. quæſt. 17. num. 215.* Alij plures congeſti à Barboſa in præſenti, & in ſelectis

selectis ad nostrum textum, & *allegat.*78. *num.*17. Salgado *de protect.reg.2.part.cap.9.num.*18. Escobar *de Reg.& Pontific. cap.*24.Bobadilla *lib.2. polit.c.*10. *num.*48. Solorzanus *in allegat. pro præcedent. Consil. num.*31. *&* 55. Manrrique *de præced. quæst.*18. Castillo *de tertiis, cap.*41. *num.*64. Altesserra *in præsenti.*

10. TRADITVR DVBITANDI RATIO. Hæc tamen assertio impugnari potest sequenti consideratione; nam in rebus ecclesiasticis, non vnius aut alterius Ecclesiæ consuetudo attenditur, sed tantùm Romanæ Ecclesiæ, *cap.in causis, de re iudicata, cap.quis nescit* 11. *dist. cap.2.de temp.ordinat. cap.ad abolendam, de hæret.cap.consilium, de obseruatione ieiunior.* aut saltem Ecclesiæ Metropolitanæ consuetudo requirenda est, *cap. de his,* 12. *dist.cap.vlt. de sponsa duorum:* igitur vicinarum Ecclesiarum consuetudo attendi non debet. Deinde cùm diuersæ sunt, quæ minor est, attendi debet, argumento textus *in l. in stipulationibus, ff. de reg. iuris.*

11. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Hac dubitandi ratione non obstante, vera est dicta assertio, pro cuius expositione primò obseruo, consuetudinem præcipuè attendendam esse in præcedentiis, & assignando loco dignitati: vnde assignare tribunalia dicitur *in l.penult. ff.de iust. & iur.* sedem in prouincia, *l.1.ff.de offic.Præf. August.* & per eam dignitatem agnosci, docent Salgado *de protect. part.2. cap.9. num.*18. Mastrillus *de magistrat. lib.5.cap.4. num.*30. & consuetudo totum facit in materia præcedentiæ, *l. Primicerij, C.de offic.Præfect. Vrb.l.5.tit.6. part.*1. Ferro Manrrique *de præcedent.quæst.*18.*num.*2. Larrea *allegat.*51. *num.*8. Sperellus *decis.*76. *num.*3. Gregorius XV. *decis.* 124. *num.*2. Solorzanus *in allegat. pro Consil. Indiarum, num.*31.*&* 32. Valenzuela *tom.2. consilio* 201. *num.*42. plures congesti à Barbosa *in select. ad nostrum textum, num.* 2. Deinde sciendum est, dignitatem, quæ de nouo creatur, ita erigi debere, vt quamminimum, aut nullum præiudicium inferat antiquioribus dignitatibus; sicut cùm Ecclesia de nouo ædificatur, ita construi debet, vt vicina nullum damnum sentiat, *cap. ad audientiam, de Ecclesiis ædificandis*; præcipuè cùm non credatur Pontificem voluisse confirmare aliquid cum præiudicio aliorum. Valascus *consult.*72. *numer.*23. Ex quibus apparet decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm in assignando loco dignitati nouiter erectæ, attendatur consuetudo, quæ assignat ipsum locum; meritò in præsenti textu iubetur in ea parte, attendendam esse consuetudinem Ecclesiarum Angliæ; nam in dubiis, si non apparet quod actum est, erit consequens, vt id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur, *l. in stipulationibus, ff. de regul. iuris.* Vnde in iudiciis bonæ fidei illæ vsuræ debentur, de quibus actum est; & si id non appareat, tunc illæ veniunt, quæ in regione, in qua contrahitur, frequentantur, *l.*1. *l.& in contraria* 37. *ff. de vsuris, l.tutor* 7. §. 10. *ff.de administr. tut.* in euictionibus rerum venditarum attenditur consuetudo regionis, vbi contracta emptio est, *l.si fundus, ff. de euictionibus:* in nummis legatis regionis testatoris consuetudo attenditur, *l.si seruus* 50. *in fine, ff.de leg.*1. *l.nam* 75. *de legat.*3. & in aliis contractibus, & actibus semper consuetudo regionis, vbi actum est, attenditur, *l.* 31. §. 19. *ff. de ædilit. edicto, l.1. in fine, ff.de ventre inspiciendo, l.1. Cod. quæ sit longa consuet. l.si de interpretatione* 37. *ff.de legibus*, Mascardus *de probat. conclus.* 423. *num.*11. Valenzuela *consilio* 33. *ex num.*228. & *cons.*34. *ex num.*161. Rota apud Farinac. *in nouis, decis.* 362. *num.*4. Cyriacus *controu.*23. *num.*22. Solorzanus *de iure Ind. lib.*1. *cap.*23. *num.*20. Meritò ergo cùm Londonienſis Ecclesia sit in Angliæ regno, iubetur ab Innocentio III. in dignitate Præcentoris statuenda inspiciendam esse consuetudinem Angliæ Ecclesiarum. Accedit, nam quemadmodum cùm lex deficit in causis nouiter emergentibus, ad vicinorum leges recurritur, *cap. super eo, de censibus*, & id custoditur, quod proximum est, *l. de quibus, ff. de legib.* Quintilianus *declamatione* 331.ibi: *Si quid vltione dignum non habet lex, manifestum iudicium proximum sequi debere*; ita ad consuetudines proximas recurrendum est. Sed si consuetudines diuersæ sint, & dubium, quænam sequenda sit, emergat, quæ minimùm habet iniquitatis, eligenda est, argumento textus *in l.*56. *l.*155. *l.*200. *ff.de reg. iuris:* inde iubetur in nostro textu, eam consuetudinem esse sequendam, quæ magis rationabilis sit, & minùs præiudicij inferat.

12. RESPONDETVR DIFFICVLTATI. Nec obstat dubitandi ratio, nam distinguendum est inter consuetudinem seruandam in sacramentis administrandis, & ieiuniis Ecclesiæ; & consuetudinem seruandam in sedibus & præcedentiis: in primis casibus consuetudo Sedis Apostolicæ sequenda est, quomodo intelliguntur iura in argumento adducta, aut Metropolitanæ Ecclesiæ: secundo verò casu vicinarum Ecclesiarum consuetudo sequenda est: ita Bohic. *in præsenti*, Cironius *in parat. ad hunc titulum.*

CAPVT VII.

Idem *Conuentui* [a] *Coruiensis Monasterij.*

CVm v.f.n. Episcopus [b] Hostien.& dilectus filius [c] L.tituli S.Crucis Presbyter Cardinalis olim in partibus Alemaniæ [d] legationis officio fungerentur, inuenerunt dilectum f. Abbatem de monasterio Hermion, quod ad Romanam Ecclesiam nullo mediante noscitur pertinere, ad monasterium Corbien. quod est etiam [e] Romanæ Ecclesiæ speciale, propriâ temeritate migrasse, licentiâ illud deserendi, vel confirmatione à nobis, vel ab ipsis, qui vices nostras in illis partibus tunc [f] gerebant, nec habitâ, nec petitâ. *Et infrà*: Postmodùm autem nuncij eius, ad defensionem ipsius, generalem illius terræ consuetudinem allegarunt. Cùm igitur hæc non tam consuetudo, quàm corruptela meritò sit censenda, quæ profectò sacris est canonibus inimica, ipsam mandamus de cætero non seruari.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. CORVIENSE MONASTERIVM VRI.

a *Coruienſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 6.* Monaſterium Coruienſe duplex eſt, vnum in Gallia inter Ambianum, & Peronam, ab ipſa Ambianenſi per ſeptem leucas diſtans; illud conſtruxit S. Bathildis, Clodouei ſecundi Francorum Regis vxor, in honorem Sanctorum Apoſtolorum, vt conſtat ex decretali epiſtola Nicolai I. relata à F. Antonio Yepes *in chronic. D. Benedicti, tom. 2. in append. fol. 2.* ibi: *Nos igitur conſiderantes religioſam eſſe petitionem tuam, & nihil noui nos conſtituros, ſi prædeceſſorum noſtrorum decreta ſequamur; paſtoralis quoque pariter eſſe officij ſeruorum Dei iugiter vtilitati, commodiſque proſpicere, decernimus, vt monaſterium Corueiæ, quod ad laudem Dei, in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructum eſſe dignoſcitur, & à Bathilde Regina Francorum, filioque eius Lothario à principio fundatum, & donariis, rebuſque neceſſariis locupletatum, quod eſt in pago Ambianenſi, ſuper fluuium Sumna ſitum, rerum ſuarum in omnibus habeat diſponendi regulariter poteſtatem.* Alia quæ ſpectant ad hoc monaſterium, proſequuntur Yepes *vbi ſuprà*, Boſquetus *ad Innocentium epiſt. 1.* Renatus Chopinus *de ſacra politia fol. 90.* Tamayo à Salazar *tom. 1. martyrolog. Hiſp. fol. 47. die 2. Ianuarij.* De hoc monaſterio agitur *in cap. ad petitionem 22. de accuſat.* Aliud eſt Corueienſe, Nouum dictum, ad differentiam alterius veteris, in Saxonia, prope Biſurgin fluuium, diœceſis Paderuornenſis, conſtructum à S. Aderardo monacho Coruienſi, vt referunt Yepes *vbi ſuprà*, Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ, fol. 292.* De quo agitur *in præſenti*, non verò de monaſterio veteri, vt notauit Chopinus *vbi ſuprà.*

b *Hoſtienſis.*] Hugolinus cognominatus, Anagninus Comes, Patruelis fratris Innocentij III. Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, poſteà R. Pontifex electus, Gregorius IX. appellatus, Vghellius *tom. 1. Italiæ, in ſerie Epiſcop. Hoſtien.* & nos *in cap. 2. de poſt. Prælat.*

2. c *L.*] Leo dictus, tituli S. Crucis Preſbyter Cardinalis. Septem ſunt preſbyteri Cardinales Baſilicæ S. Laurentij extra muros; inter eos vnus eſt preſbyter tituli S. Crucis in Hieruſalem, vt refert Cohelius *in notitia, cap. 6.*

3. d *Legationis.*] Ad varias legationes miſit Innocentius noſter prædictum Leonem, ſed præcipua fuit in Alemaniam; nam cùm Germania continuis affligeretur cladibus Imperatorum, Otthonis, & Philippi factionibus, Innocentius Legatos miſit Leonem & Hugolinum, vt præſtito iuramento Philippum abſoluerent à nexu excommunicationis. Cuius legationis mentio extat *in cap. 2. de poſtulat. Prælat.* eam fusè narrat Spondanus *anno 1107.*

4. e *Romanæ Eccleſiæ.*] Monaſterium Coruienſe, ſiue Corueienſe, eſt immediatè ſubiectum R. Pontifici. Innocentius III. *lib. 2. epiſt. 1. regeſt. 14.* ibi: *Quanto amplius Corueienſe monaſterium ad ius & proprietatem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ noſcitur pertinere, & ſpecialiùs ad eius curam reſpicit, & tutelam; tantò ad defenſionem, & conſuetudinem ipſius propenſiori curâ nos oportet intendere.* Idem *lib. 1. regeſt. 13. epiſtola 1.*

f *Gerebant.*] Licet enim Legati non poſſint transferre Epiſcopos de vna Eccleſia ad aliam, *cap. quoad tranſlationem, de officio Legati*, Cironius *ad titul. de tranſlatione Epiſcoporum*; Abbates tamen transferre poſſunt, *cap. ſi Abbatem, §. final. de electione, lib. 6.* Vnde in præſenti Legatus Pontificis potuit tranſlationi authoritatem præſtare. 5.

COMMENTARIVM.

EX hac Innocentij III. deciſione ſequens vulgò deducitur aſſertio: *Conſuetudine introduci non poteſt, vt Abbas exempus ſine licentia Pontificis poſſit transferri in aliam Abbatiam.* Probant eam textus *in cap. finali, de renunciat. cap. licèt, de regul.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa in præſenti, Cironius *in 5. compil. in dict. cap. vlt. de renunc. & in parat. ad titulum de tranſlat. Epiſcop.* Azor *part. 1. inſtit. lib. 5. cap. 18.* Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. diſput. 13.* Layman *in ſumma, tit. de Prælat. elect. cap. 19.* Petrus Gregorius *lib. 2. de elect. cap. 19.* Lambertinus *de iure patron. quæſt. 5. princip. art. 2.* 6. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

In hanc tamen aſſertionem pro dubitandi ratione ita inſurgi valet. Prohibitio tranſlationis Prælatorum de vna Eccleſia in aliam, vel de vno monaſterio in aliud, tantùm eſt iuris Eccleſiaſtici, *cap. 1. de clericis non reſid. cap. 1. & per totum*, vbi illuſtrabimus, *de tranſlat. Epiſcop.* ſed paſſim admittuntur conſuetudines iuri eccleſiaſtico contrariæ, *cap. ſuper eo, de cognat. ſpirit.* probaui ſuprà *in cap. 1. hoc tit.* ergo & in caſu huius textus conſuetudo obſeruanda erat, per quam licebat tranſlatio Abbatis de vno monaſterio in aliud. Augetur hæc difficultas, nam in electionibus eccleſiaſticis admittitur & attenditur conſuetudo, *cap. nos, 12. diſt. cap. pudenda, 24. quæſt. 1. cap. cùm olim, de cleric. coniug. cap. cùm Eccleſia, de cauſa poſſeſſ.* igitur & in tranſlationibus Prælatorum Eccleſiæ. Augetur tandem hæc difficultas, nam ſi in præſenti ſpecie Abbas contra ius tranſlatus eſſet de vno monaſterio in aliud, priuaretur tam primâ, quàm ſecundâ Abbatiæ dignitate, iuxta textus *in cap. quantò, de tranſlat. Epiſcop. cap. litteras, de conceſſ. prebend.* ſed non priuatur primâ Abbatiâ: ergo quia contra ius tranſlatus non fuit. 7. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Quâ difficultate ſic fulcitâ minimè refragante, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſcire oportet, tranſlationem Prælatorum de vna Eccleſia in aliam iam diu in Eccleſia prohibitam fuiſſe; Preſbyterorum, & Abbatum ſine licentia ſuorum Prælatorum; Epiſcoporum verò ſine licentia Romani Pontificis, *can. 15. Apoſt.* latè dicemus *in titul. de tranſlat. Epiſcop.* immò adeò exoſæ erant tranſlationes Prælatorum, vt earum prohibitio cum rebaptizatione coniungatur *in cap. non liceat, de conſecr. diſt. 4.* Circa Abbates autem ſequens obſeruantia viguit; nam ſi immediatè ſubiecti erant Epiſcopis, eorum licentia deſiderabatur, *cap. Abbas 18. quæſt. 2.* ſi tamen exempti erant, R. Pontificis conſenſus petebatur, *cap. vlt. de renunc.* In Gallia tamen tranſlationem Abbatum Sedi Apoſtolicæ reſeruatam eſſe, teſtatur Cironius *ad titulum de tranſlat. Epiſc.* Vnde apparet vera ratio præſentis deciſionis; nam cùm prohibita ſit tot Eccleſiæ canonibus tranſlatio Prælatorum 8. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

rum de vna Eccleſia in aliam, ex rationibus, quas illuſtrabimus *in tit. de tranſlat. Epiſcopi*, inde conſuetudo tranſlationem Abbatis abſque ſuperioris licentia permittens, non poteſt vt rationabilis iudicari, & ita tanquam corruptela, iuſtè improbatur in præſenti textu. Accedit, nam petere licentiam à ſupetiore, ſpectat ad obedientiam ſuperioribus debitam, vt ex citatis iuribus conſtat: ſed contra obedientiam ſuperiori debitam nulla præſcribitur conſuetudo, *cap. cùm ex officio, de præſcript.* Gloſſa *verbo de conſuetudine, in cap. cùm inter, hoc tit.* ergo conſuetudine introduci non valet, vt non obtentâ ſuperioris licentiâ, Abbas ſe transferat in aliud monaſterium. Ampliùs, nam nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidquid diſſolui, quo colligatum eſt, *cap. 1. de reg. iuris, l. nihil tam naturale, ff. eodem:* ſed Abbas immediatè ſubiectus R. Pontifici, ab eo confirmationem petit, *dict. cap. vlt. de renunc.* ergo eius licentiâ, & abſolutione indiget, vt in aliud monaſterium ſe tranſferat, quam conſuetudo ſupplere non valet.

9. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, cui facilè ſatisfaciendum eſt ex ſæpius repetitis *in hoc tit.* videlicet præſentem conſuetudinem, & ſimiles non improbari, quia ſacris canonibus contrariæ ſunt, aliàs nunquam daretur conſuetudo contra ſacros canones; ſed quia ratione deſtituuntur, vt contingit *in cap. inter, de exceſſibus Prælat. cap. cùm decorem, de vita & honeſt. cleric. cap. ſi Epiſcopus, de pœnitent. cap. 1. de conſuet. lib. 6.* tales enim conſuetudines vt corruptelæ improbantur, licèt illæ, quæ rationabiles ſunt, in electionibus, & aliis actibus eccleſiaſticis admittantur. Nec obſtat augmentum ipſius difficultatis, nam præterquam quod in præſenti textu non deciditur, an Abbas tranſlatus inconſulto Pontifice ſuſtinendus ſit in prima Abbatia, an verò vtraque priuandus; etſi demus tolerari in prima, id procedit propter iuſtam ignorantiam, quam ob prædictam conſuetudinem Abbas habuit.

CAPVT VIII.

[a] Idem *Decano Saleſbrien. A. Archidiacono, & Magiſtro P. Puluerel. Canonico Pariſienſi.*

CVm dilectus filius [b] Andren. Eccleſiæ monachus, qui pro [c] electo eiuſdem Eccleſiæ ſe gerebat, & G. Daubis monachus, ac procurator monaſterij [d] Karroffen. ſuper iure eligendi [e] Abbatem Andren. monaſterio, & de electione eiuſdem inuicem in noſtra præſentia litigarent: idem electionem ſuam à Fratribus Andren. concorditer celebratam, auctoritate petiit Apoſtolicâ [f] confirmari, aſſerens tam de iure communi, quàm [g] priuilegio ſpeciali eis à Ser. Alexandro Papa [h] prædeceſſore noſtro conceſſo, & à nobis poſtmodùm confirmato, liberam eligendi auctoritatem ad eoſdem Fratres tantummodo pertinere. Nam de iure communi omnis congregatio monachorum eligere ſibi debet [i] Abbatem: & in cuiuſdam Alexandri priuilegio continetur, vt obeunte monaſterij Andren. Abbate, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutiâ, ſeu violentiâ præponatur, niſi quem Fratres, vel eorum pars conſilij ſanioris ſecundùm Deum, & B. Benedicti regulam duxerint eligendum. A nobis quoque prædictis Fratribus dignoſcitur eſſe conceſſum, vt licitum ſit eiſdem cùm Eccleſiam Abbate vacare contigerit, perſonam idoneam de gremio eiuſdem Eccleſiæ, vel aliunde per regularem electionem ſibi præficere in Paſtorem, Karroffen. monaſterio præſentandam, vt ab ipſo confirmationem accipiat, & reuerentiam ei, quam debet, impendat. Dictus verò j G. procurator propoſuit ex aduerſo, quod cùm olim ad petitionem Comitis Balduini, vxoris, & filiorum eius, Andren. Eccleſiæ patronorum, à bonæ memoriæ G. Morin. Epiſcopo fuerit [k] conſtitutum, quod ſi præfatus locus, diuino more adeò [l] pullularet, vt Prior, aut Abbas conſtitueretur ibidem, electio eius penes Fratres eiuſdem loci, & Capitulum Karroffen. penderet; & huius obtentu ſtatuti ſic fuerit longè retroactis temporibus obſeruatum, vt monaſterio Andren. vacante, Andren. fratres Karroffen. Capitulo aliquem de gremio monaſterij Karroffenſis ſibi eligerent in Abbatem, electio prædicti G. tam contra ſtatuti tenorem, quàm etiam contra conſuetudinem approbatam, quæ optima eſt legum [m] interpres, minùs canonicè a tentata, meritò caſſari debeat, & mandari Fratribus antedictis, vt iuxta quod eſt hactenus obtentum, procederent ad electionem Abbatis. *Et infrà*: His igitur, & aliis, quæ coram nobis vtrinque fuerunt propoſita, perſpicaciter intellectis, quia nobis conſtitit electionem ipſam à ſuſpenſis, & de ſuſpenſo etiam eſſe [n] celebratam, ipſam de confratrum noſtrorum conſilio, iuſtitiâ caſſauimus exigente. Cæterùm cùm ſupradictum ſtatutum, videlicet quod penes Fratres eiuſdem loci, & Capitulum Karroffen. pendeat Abbatis, electio, ita ſanè poſſet intelligi,

intelligi, quod per illud neque iuri communi, nec priuilegio derogetur, vt videlicet ad sæpedictos Fratres electio spectet Abbatis, ad Karoffen. Capitulum confirmatio: deuotioni vestræ pr. auctoritate m. quat. auditis hinc inde propositis, si ex parte Karoffen. cœnobij talis fuerit consuetudo probata, quæ iuri communi præiudicet, in hac parte vos secundùm illam consuetudinem decernatis electionem Andren. Abbatis de cætero faciendam; quod si talis consuetudo probata non fuerit, per quam in hoc casu præiudicetur iuri communi, vos Andren. monachis ius eligendi Abbatem sub. ap.ob. adiudicare curetis, vt sic de cætero liberam habeat facultatem, de gremio Ecclesiæ suæ, vel aliunde per electionem canonicam, eligendi personam idoneam in Abbatem præsentandum Karoffen. Capitulo, vt ab eo, si fuerit canonica, confirmetur.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita legitur in hac sexta collectione, & in tertia *sub hoc tit. c.* 7. sed emendenda est inscriptio in hunc modum. Idem *Decano Sareſbarienſi, & Archidiac. & Magiſt. P. Puluerel. canonico Pariſienſi*; ita enim eam restituo *ex lib.* 2. *epiſt. Innoc. III. reges.* 14. *epiſt.* 19. Vbi casus præsens refertur; quare ad huius textus illustrationem eam transcribere ex editione Bosqueti operæpretium duxi.

Hugoni Abbati, & conuentui Karroſſen.

INter Ecclesiam vestram, & Andren. cœnobium super iure eligendi Abbatem Andren. dudum quæstione suborta, postquam super ea fuit in nostra præsentia diutiùs disceptatum, dil. fil. Decan. Sareſbarien. & Archid. & Magistro P. Puluerel. Canonico Parisiensi dedimus in mandatis, vt auditis hinc inde propositis, si ex parte vestra talis foret consuetudo probata, quæ iuri communi præiudicaret, meritò in hac parte ipsi secundùm consuetudinem eandem decernerent electionem Andren. Abbatis vlteriùs faciendam. Quod si talis consuetudo, per quam in hoc casu præiudicaretur iuri communi, minimè probaretur, ipsi Andren. Monachis ius eligendi Abbatem, sublato appellationis obstaculo, adiudicare curarent. Vt sic postmodùm obtinerent liberam facultatem, vel de Ecclesiæ suæ gremio, vel etiam aliundè, per electionem canonicam, eligendi personam idoneam in Abbatem, præsentandam Capitulo Karroffen. vt si esset canonica, confirmaretur ab ipsis. Quod si forsitan partes mallent, vt nobis sententia seruaretur; ipsi causam instructam ad nostrum examen remittere procurarent, præfigentibus partibus terminum competentem, quo in nostra comparerent præsentia, recepturæ iudicium æquitatis. Quod si omnes his exequendis interesse non possent, duo eorum ea nihilominus exequi procurarent. Qui postmodùm testibus vtriusque partis receptis, & tam instrumentis, & rationibus, quàm confessionibus, & allegationibus etiam diligenter inspectis; cùm iudices super sententiâ proferendâ tractarent, & vnus eorum, videlicet Decanus, adstrueret, sibi de causæ meritis non liquere, quam ad nostrum cupiebat examen remitti, reliqui duo iudices, sicut ex litteris intelleximus eorundem, cupientes negotium expedire, prout partes pluries instanter petierant; postquam in causa renunciatum fuerat, & conclusum, auditis specialiter postea quæ fuerunt à partibus proposita coram eis, cùm iam sententiam, quam de consilio peritorum conscripserant, intenderent promulgare: Andren. monasterij procurator quasdam suspicionis causas proposuit contra eos, de quibus antè nullam fecerat mentionem, & ad cognoscendum de ipsis, arbitris non petitis recessit ab eis. Sed dicti iudices nihilominus sententialiter decreuerunt, cùm in Andren. cœnobio immineret Abbatis electio facienda, & Andren. monachi ab Abbate & Capitulo Karroffen. eligendi Abbatem licentiam peterent, & eligerent postmodùm personam idoneam de gremio, & professis Ecclesiæ Karroffen. ita quod in capitulo Karroffen. eligere minimè tenerentur. Cùm autem nuper dil. fil. G. Daubis monachus vester, & Vv. Andren. Ecclesiæ procuratores propter hoc ad Sedem Apostolicam accessissent, & super antedicta sententia litigassent aliquando coram nobis, nos qui ex officij nostri debito his, quæ pacis sunt, tenemur insistere, compositionem amicabilem, & vtrique monasterio vtilem fecimus inter eos, quam ipsi demùm pariter acceptarunt, vt videlicet Andren. monachi, qui nunc sunt, & qui pro tempore fuerint, Karroffen. Abbati professionem faciant apud Andren. cœnobium, promittendo eidem obedientiam, & reuerentiam regularem. Cùm autem in Andren. Ecclesia occurrerit electio facienda, Andren. monachi de professis monasterij Karroffen. siue de suo, siue de monasterij Karroffen. collegio personam idoneam liberè sibi eligant in Abbatem. Electus verò Karroffen. præsentetur Abbati, qui electionem de illo factam confirmare, vel infirmare procuret, sicut de iure fuerit faciendum. Confirmatus autem à Diœcesano benedicatur Episcopo, & singulis trienniis monasterium visitet Karroffen. ac census nomine viginti solidos sterlinguorum annuatim persoluat eidem. Præterea Karroffen. Abbas annis singulis, si voluerit, per seipsum, vel per duos ex suis monachis Andren. monasterium visitet, cui Andren. Abbas in Choro, Capitulo, refectorio, & aliis locis, vtpote Patri Abbati cedat. Qui cum consilio Andren. Abbatis corrigat, si quid in membris Andren. cœnobij fuerit corrigendum. Quod si quidquam corrigendum fuerit in Abbate, id cum seniorum & saniorum Fratrum ipsius loci consilio Abbas corrigat Karroffen. Nos igitur compositionem eandem à præfatis procuratoribus approbatam, de communi fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes eandem perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruandam. Nulli ergo, &c. hanc paginam nostræ confirmationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. vsque, incursurum. Datum Lateran. X. Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quatuordecimo.] De diœcesi Parisiensi iam suprà egi *in cap. fin. de rescriptis*: de Sareſbarienſi agam *in cap.* 28. *de appellat.*

2. b *Andren.*] Malè in aliis compilationibus legitur *Mandrenſis*. Andrenſe enim monaſterium fundatum fuit inter alia à Comite Flandriæ Balduino, vt refert Iperius *in chronic. S. Bertini*, ibi: *Ioannes Bertinenſis Abbas 39. conſecratus eſt anno Domini 1081. Huius Abbatis anno 3. Balduinus Ghiſnarum Comes, & Ingelramus Lilarienſis à peregrinatione S. Iacobi redeuntes per Pictauiam, hoſpitati ſunt in monaſterio Karrofen. & videntes ibi religionem bene vigere, de monachis Karrofenſibus ſecum ad has partes duxerunt; & quidem Balduinus Andrenſe, Ingelramus verò Hamenſe monaſterium in honorem S. Saluatoris fundauerunt anno Domini 1084.* Meyerus *in annalibus Flandriæ:* ex eis notarunt Boſquetus *in notis ad Innocentium lib.2. epiſt.18. regeſt.14.* Yepes *tom.6. chronicæ, centuria 7. cap.3.*

3. c *Pro electo.*] Perperam in decretalibus legitur *pro clerico*; electus enim fuit Abbas monaſterij Andrenſis, & ſimul procurator deſignatus ad electionis cauſam proſequendam coram R.Pontifice, vt conſtat ex dicta epiſt.19. vnde non ſolùm vt electus electionem ſuam proſequebatur, quod facere poterat, *cap. cùm dilecta, de electione*, verùm etiam vt procurator.

4. d *Karrofen.*] Karrofum monaſterium eſt S. Saluatoris, ordinis D.Benedicti, diœceſis Pictauienſis, quod conſtruxit Rotgarius Comes Lemouicenſis cum Eufraſia eius vxore, cuius meminerunt Theodulphus Aurelian. *lib. 3. carminum, cap.8.* & de eo egerunt Fratres Sarmat. *tom.4. Galliæ chriſt. fol. 220.* Boſquetus *ad Innoc. III. in dict. epiſt.18.*

5. e *Abbatem.*] Frequens controuerſia inter monachos oriebatur ob prælationem, quam vnum monaſterium ſupra aliud habere intendebat.

f *Confirmari.*] Abbates enim electi debent petere confirmationem, ſi exempti ſunt, à R.Pontifice, aliàs à proprio Epiſcopo, *cap. cùm venerabilis, hoc tit.cap. Abbate, de elect.lib.6.*

6. g *Priuilegio ſpeciali.*] Sæpius enim confirmationis gratiæ priuilegium idem continet, ac ius commune, *cap.veniens, de elect.cap.1.* iuxta vulgarem intellectum, *de reſcriptis*; quia quod priuilegio ſpeciali cautum eſt, & ſingulariter promittitur, plus ſolet timeri, vt de voto dicitur *in cap. quamquam, diſt.23.* Docent Cironius *ad 5. compil. in cap.3.de elect.* & tunc priuilegium ius, quod antea competebat, non mutat, ſed firmat, *cap. poſt electionem, de conceſ. præb. cap. auditis, de præſcript. cap. cùm perſonæ, §.quod ſi, de priuil. in 6. l.forma, §.finali, ff.de cenſibus*; & ideò qui illud impetrauit, non creditur à iure ſibi competente receſſiſſe, vt probat Solorzanus *de iure Ind.lib.3.tom.1.c.1.n.58.*

7. h *Prædeceſſore noſtro.*] Varia enim priuilegia conceſſerunt his monaſteriis Alexander II. Vrbanus II. Lucius II. Alex.III. vt conſtat ex dicta epiſtola 19. Alexandri III.

i *Abbatem.*] *Cap. vlt.16. quæſt.1. cap. Abbate, cap.quàm ſit 18. quæſt.2. cap.1. de electione*, vbi latè probabimus.

8. j *G.*] Gerardo videlicet, vt conſtat ex Meyero *in annalib. Flandriæ.* Morinum eſt ciuitas dicta *Teroana*; & Morinorum retinet nomen, quamuis euerſa à noſtro inuictiſſimo Carolo V. & eius Epiſcopalis Sedes in Bononiam tranſlata eſſet. Vghellius *in deſcriptione Bononiæ.* Morinenſis Eccleſiæ mentio extat *in cap.2. de alienatione iudicij, cap. ex parte 67. cap. inſinuaſti 68. de appellat. cap.1. de ſolutionib. in cap. vltimo de confirm. vtili*, vbi Cironius *in 5. compil.*

k *Conſtitutum.*] Licèt enim Epiſcopus per ſe non poſſit vnam Eccleſiam alij ſubiicere, nec quid ſtatuere in præiudicium eorum, qui iam inſtituti ſunt in ea, *cap.cùm olim, hoc tit.cap.3.de Eccleſiis ædificandis*; tamen tempore fundationis poteſt ad petitionem patroni ſtatuere, vt Prælatus electus confirmetur ab alio monaſterio, *cap.nobis, de iurepatron. cap. Abbati, de v. ſ. cap.1.18. quæſt.2.* tunc enim valet tale ſtatutum, quia ante fundationem non irrogatur præiudicium alicui. Anguianus *lib.2.de legibus, cap.2.num.21.* 9.

l *Pullularet.*] Id eſt, religioſis & prouentibus augeretur; tunc enim eligendus eſt proprius Prælatus, cùm quælibet congregatio debeat habere ſuum Prælatum, *cap.1.de elect.* 10.

m *Interpres.*] Inter alios conſuetudinis effectus præcipuus eſt interpretari ius ſcriptum, *l.ſi de interpretatione, ff.de legibus, cap.certificari, de ſepult.* Docent Duarenus *ad titulum de legibus, c.12.* Donel. *lib.1.comment.cap.25.* Suarez *lib.7.de legibus, cap.17.* Molina *lib.2.de primog.cap.6. num.58.* 11.

m *Celebratam.*] Hîc duo ſunt notanda. Primum, ſuſpenſum non poſſe eligi, nec eligere ad dignitatem eccleſiaſticam, *cap.cum inter R.de elect. cap.cùm bonæ, de ætat. & qualit.* Suarez *de cenſuris diſput.37. ſect.1.num.34.* & *tom.4.de relig.lib.2.cap.4. & 6.* Barboſa *de poteſt Epiſc. tom.1. cap.3. num.24. & de dignit.cap.41.* latè dicemus *in dict. cap.cùm bonæ.* Secundò, quod Pontifex pronunciauit non ſolùm ſuper conſuetudine, de qua principaliter agebatur, verùm ſuper ſuſpenſione; quod duplici ex cauſa facere potuit. Prima, quia deducta ſuſpenſionis cauſa fortaſſis fuerat in ipſo proceſſu: ſecunda, quia cùm confirmatio peteretur à R. Pontifice, poterat inquirere ſuper electione, & perſona electi, *cap.nihil, de electione.* 12.

o *Electio.*] Hoc enim verbum *electio*, diuerſimodè poteſt interpretari: ſi illud vniformiter ſumatur, ſequitur abſurdum; licèt enim electio ſtrictè ſumpta tantùm cooptationem inducat, tamen pro confirmatione hic ſumitur. Ita poſt plures Vela *tomo 2. diſſert.28. num.44.* 13.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu, prout iacet apud Raymundum, talis deducitur aſſertio: *Conſuetudine induci poteſt, vt vna Eccleſia de gremio alterius ſibi eligat Prælatum.* Probat textus *in c.Abbate, de v. ſ.* Illuſtrant Gonzales *in regul.8. gloſſa 8.num.109.* Sylueſter *in ſumma, verbo Electio 1.quæſt.1.* Petrus Gregorius *de elect.c.6. num.9.* Iulius Lauorus *eod.tract. tit.4.c.16.* Suarez *de religione tom.4.lib.2.cap.3.n.11.* Tamburinus *de iure Abbatum diſp.5.quæſt.1.* Layman *in ſumma de elect.tit.de elect.q.19.cap.2.* Duarenus *de ſacris lib.5.c.1.* Boſquetus *in dicta epiſt.17.* Fragoſo *p.2.de regimine, diſput.24. §.1.* Balſamon *in can.4. Synodi Conſtantinopolitanæ.* Alteſerra *hîc*, Gibalinus *tom.2. ſcient.can.lib.6. cap.4. quæſt.2.* 14. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

Sed aduersùs iſtam aſſertionem pro ratione dubitandi ita inſurgi poteſt. Conſuetudo ſacris canonibus contraria, vt corruptela debet caſſari, *cap.1.cap.cùm venerabilis., hoc tit.* ſed hæc conſuetudo, vt eligatur Abbas prælatus de alio monaſterio, repugnat ſacris canonibus, de quibus *in cap. Abbatem 18. quæſt.1.cap.nullus, de elect.lib.6. Clementina Vt rationi, de elect.* ergo conſuetudine induci non poteſt, vt Prælatus de alterius monaſterij congregatione eligatur. Augetur hæc conſideratio, quia hæc conſuetudo erat irrationabilis, ſiquidem 15. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

quidem ratio naturalis dictat, vt homines disparis professionis simul non socientur. *Clementina* 1. *de elect.* præcipuè cùm non omnes monachi conueniant in regula, & viuendi norma, *cap. sanè, de regularibus*; & sic monachus alterius monasterij non rectè degit cum aliis, *cap. in nouo* 26. *quæst.* 7. Deinde, nam non debet in magistrum eligi, qui adhuc in eo monasterio discipuli officium non assumpsit, *cap. cùm magistrum, cap. cùm monasterium, de elect.* nec præficiendus vt superior est, qui vt inferior subesse non nouit, extrauaganti *cùm in magistrum, de elect.* ergo consuetudo, de qua in præsenti, tanquam iuri & rationi contraria, sustineri non poterat.

16. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Adhuc iuri & rationi congrua est nostra decisio, ad cuius expositionem sciendum est primò, illo aureo quidem religiosæ vetustatis æuo, dum monasteria vnius ordinis vnum superiorem non habebant, & quodlibet suum Prælatum agnoscebat, illum debuisse eligi ex monachis ipsius congregationis, *cap. Abbas, cap. quàm sit*, §. *defuncto, cap. Abbatem* 18. *quæst.* 2. *cap. congregatio* 16. *quæst. vlt.* & ab ipsa congregatione electionem esse faciendam, *cap. nec emeritis, cap. nullus inuitus, cap. obitum*, 61. *dist. cap.* 64. *regulæ S. Benedicti.* Carolus Caluus *in priuilegio Stradensi monasterio dato*, vt habetur *lib.* 2. *vitæ S. Genulphi, cap.* 12. ibi: *In clausula demùm præscripti decreti statutum est, vt per succedentia tempora locum ipsum inhabitantes, è suis, non aliunde petitis personis, eligerent semper quibus sacra prælatio loci committeretur, à quibus cœnobij totius gubernatio æquo iure tractetur.* Idque non cuiusquam mortalium vi, sed fratrum cœnobialium voto fieri quammaximè decreuit Carnotensis *epist.* 47. & 120. Postquam tamen monasteria non sunt ita diuisa, sed vnum corpus faciunt, & ab vno superiore, Prouinciali videlicet, vel Generali gubernantur, non desideratur, nisi vt electus in Prælatum sit eiusdem Ordinis, licèt non professus in eodem monasterio, *Clement.* 1. *de elect.* Suarez *suprà cap.* 3. Quid tamen in Gallia procedat, latè refert Renat. Chopinus *lib.* 1. *monast. tit.* 1. *per totum.* Secundò sciendum est, consuetudinem quamplurimùm posse circa electiones Prælatorum, tam in Ecclesiis regularibus, quàm sæcularibus, *cap. querelam, de elect. cap. cùm Ecclesia, de causa possess.* vt consuetudo quâ introducitur, vt Canonici Pastorem non eligant, nisi priùs Princeps certior factus sit de morte prædecessoris; quoniam hæc consuetudo præiudicium Ecclesiæ non infert. Abbas *in cap. cùm terra, num.* 4. *de elect.* item vt Canonici sibi eligant inferiores Prælatos irrequisito Episcopo, *cap. cùm Ecclesia, de elect.* vel Episcopus solus eligat, *cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælat.* item vt absentes non vocentur ad electionem, vt obseruari in Tuscia refert Glossa *in cap. finali, hoc tit.* item potest consuetudo aliàs habilem ad eligendum, reddere inhabilem, Glossa *verbo Repugnet, in cap. olim, de clericis coniugat.* cùm antiquæ consuetudinis magna auctoritas sit, *cap. cùm consuetudinis, hoc tit.* Ex quibus profluit vera nostri textus ratio, nam cùm constitutio, vt Abbates eligantur ex propria congregatione, sit iuris positiui, & consuetudo vincere possit ius positiuum, *cap. finali, hoc tit.* atque in electionibus plurimùm faciat; inde Innocentius decreuit in præsenti, consuetudine induci posse, vt de congregatione Karrofensi Andrenses monachi teneantur sibi eligere Abbatem. Accedit, nam quod consuetudine introductum est pro interpretatione legis, perinde est, atque si in ipsa lege cautum esset, *cap. cùm venissent, de instit.* Latè illustrat Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 24. igitur sicut lege caueri poterat, vt Abbas eligeretur de alterio monasterio, ita & consuetudine id introduci poterat.

17. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obstat ratio dubitandi suprà adducta; nam licet consuetudo, de qua in nostro textu, deroget legibus ecclesiasticis, cùm tamen rationabilis sit, sustinetur, aliàs nunquam daretur consuetudo sacris canonibus contraria. Nec augmentum difficultatis aliquid facit, nam rationes in eo expensæ tantùm sunt congruentiæ, non verò simpliciter, & necessariò obseruandæ, præcipuè cùm Abbas in nostro textu eligatur ex eadem religione, licèt non ex eadem congregatione, aut monasterio; quia in eo datur obseruantia regulæ, disciplinæ monasticæ, & aliorum, quæ in propriis monachis desideratur.

18. EXPONITVR CAP. ABBATE, DE V. S.

Ex quibus lucem accipit textus *in cap. Abbate, de v. s.* vbi proponitur, quod vacante monasterio S. Siluani Monachi elegerunt in Abbatem vnum ex proprio monasterio, & confirmationem à Morienſi Episcopo petierunt, vt in nostro textu: Monachi S. Bertini prædictam confirmationem contradixerunt, & procuratores ipsorum coram Innocentio nostro comparuerunt: Monachi S. Bertini proposuerunt & probarunt, iam per 40. annos Abbates eligi de congregatione S. Bertini, & priuilegium Paschalis Pontificis exhibebant, quo prædicta possessio fundata erat: ex aduerso verò monachi S. Siluani asserebant, nullam præscriptam fuisse consuetudinem, sed tantùm aliquando pro bono pacis permissum, vt monachi S. Bertini eligerentur in Abbates. Quibus & aliis auditis Innocentius III. decreuit, vt deinceps Abbas monasterio S. Siluani præficeretur ex congregatione S. Bertini, si personæ idoneæ inueniantur in ipso; quæ decisio ex nostra lucem accipit, nam cùm consuetudo per 40. annos fuisset præscripta, necnon priuilegium Pontificium adesset, iustè ait Pontifex, Abbatem eligendum esse ex monachis S. Bertini: nobilem tamen proponit Pontifex exceptionem, videlicet cùm persona idonea adesset; nam cùm præcipua causa priuilegij esset, quia magis frequenter personæ idoneæ reperiebantur in monasterio S. Bertini, & cessante causa priuilegij, cessaret priuilegium, plures relati à Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 30. necessariò deficiente causâ deficere debebat facultas eligendi; quæ exceptio etiam subintelligenda est in nostra specie, cùm idem casus sit, & eadem decisio.

19. INTELLIGITVR CAP. CVM CAVSAM 18. DE ELECT.

Sed superiori doctrinæ aduersatur textus *in cap. cùm causam* 28. *de elect.* vbi proponitur, vacante prioratu Ecclesiæ S. Petri Lucanensis, Ordinis D. Augustini, Canonicos ipsius Ecclesiæ quendam presbyterum nomine Bonum in Priorem elegisse, alios autem Canonicos electioni se opposuisse, asserendo prædictum Bonum non esse in ea religione professum, & iure communi non professum eligi in Prælatum non posse, *c. nullus, de elect. lib.* 6. *Clementina* 1. *de elect. c. cùm in Magistrum, eod. tit.* Couar. *in c.* 2. *de testam. n.* 1. Antonius Augustinus *in epitome lib.* 9. *tit.* 45. Tamburinus *de iure Abbatum disp.* 5. *q.* 10. Barbosa *lib.* 1. *de iure ecclesiastico, c.* 17. *n.* 31. Aduersarij verò asserebant, iam per longum tempus consuetudinem in ea Ecclesia inoleuisse, vt non professi in Abbates eligerentur. Consultus fuit R. Pontif. qui decreuit, quod non debemus attendere quid factum, sed quid faciendum sit; & cùm homines disparis status non sint associandi, in-

de prædictam consuetudinem tanquam corruptelam esse improbandam. Ex quo textu sic insurgo : Iisdem decisionibus , quibus prohibetur , ne alterius congregationis monachus in Prælatum eligatur, eisdem prohibetur , ne qui adhuc professus non est , in Abbatem eligatur , *dict. cap. nullus*, 61. *dist. dict. Clement. 1. de elect.* sed consuetudine introduci non potest , vt non professus eligatur in Abbatem , quia repugnat prædictis canonibus : ergo similiter consuetudine non valebit induci vt monachus alienus præficiatur alieno monasterio. Cui difficultati satisfaciendum est , dicendo consuetudinem , de qua *in dict. cap. cùm causam* , non solùm repugnare dictis sacris canonibus , verùm irrationabilem esse , & contra bonos mores , *cap. nemo* 16. *quæst.* 1. *cap. peruenit* 18. *quæst.* 2. non enim sub eodem tecto dispar debet esse professio , *cap. in noua* 16. *quæst.* 7. *cap. cognouimus* 12. *quæst.* 2. cùm inexpertus in disciplina monastica non debeat præesse monachis, *cap. quam Episcopus* , 24. *dist. cap. cùm monasterij* 19. *quæst.* 3. *cap. cùm ad nostram* , *cap. cùm Magistrum, de elect.* Vnde cùm consuetudo irrationabilis, non consuetudo , sed corruptela sit, *c. ad nostram, hoc tit.* ideo ibi consuetudo non sustinetur , nec eâ valet introduci, vt non professus eligatur in Abbatem.

CAPVT IX.

Honorius III. [a] *Parisiensi Capitulo.*

CVm consuetudinis , vsusque longæui non sit leuis [b] auctoritas, & plerumque discordiam pariant [c] nouitates, auctoritate præsentium vobis inhibemus, ne absque ven. f. n. Episcopi [d] consilio, & consensu immutetis Ecclesiæ [e] vestræ constitutiones, & consuetudines vestras approbatas , vel etiam nouas inducatis ; irritas decernentes, si quas fortè feci stis in ipsius Episcopi præiudicium [f] postquàm est regimen Parisiensis Ecclesiæ adeptus.

NOTÆ.

1. a *Parisiensi.*] De Honorio III. & eius compilatione egimus *in cap. ex parte , de constitutionibus.* De Parisiensi Ecclesia *in cap. finali , de rescriptis.* Verba nostri textus reperiuntur in quinta compilatione edita ab Innocentio Cironio , *in cap. vnico , hoc tit.*

2. b *Auctoritas.*] Verba sunt textus *in l. 2. Cod. quæ sit longa consuet.* & reperiuntur *in cap. finali , hoc tit.* consuetudinis enim magna authoritas est , vt passim *in hoc tit.* diximus ; siquidem potest legem abrogare , corrigere , & mutare , vt dicemus *in cap. finali, hoc tit.* & probant Duarenus *ad titulum de legibus, cap.* 12. Madera *animad. cap.* 5. Bronchorst. *centuria* 1. *assert.* 9. Amaia *in l.* 1. *Cod. de annonis, num.* 56. Tuldenus & Perez *ad tit. Cod. quæ sit longa* , Suarez *de legib. integro libro de consuet.*

3. c *Nouitates.*] *Cap. quis nesciat* 11. *dist. l. 2. de constit. princip. l.* 18. *tit.* 1. *partit.* 1. D. Augustinus *epist.* 128. *Ipsa mutatio consuetudinis , etiam quæ adiuuat , vtilitatem nouitate perturbat.* Diocasius *lib.* 52. *Optimum esse inimicitias omnes , & ambitiosa certamina prorsus scindere , atque adeò nec nomina noua, aut aliud quid permittere , ex quo possint oriri discordiæ.* Tacitus *lib.* 14. *annal. Non quia dubitarem super omnibus negotiis melius , atque rectius prouisum , & quæ conuertuntur , in deterius mutari.* Ælianus *lib.* 1. *de varia historia. Sæpenumerò etiam mutatio in melius maiorum malorum solet esse principium.* Et nouitatis ineuitabilis effectus est discordias seminare , & Rempublicam turbare. Cæsar *lib. 6. de bello Gallico*, ibi : *Nemo est tam fortis , qui rei nouitate non turbetur :* ex Aristotele refert Patricius *lib. 3. tit.* 1. *de repub.* hæc verba : *Ciuitatis statum diligant , contentique eo nihil moliantur , nihil agitent quod alienum, nouumque sit , sed eam viam ire pergant , quam maiores instituerunt , quæque aliorum vestigiis attrita sunt; nouarum enim rerum studium semper rempublicam labefactare solet.* Nimis enim periculosæ sunt in quacumque Republica aut communitate nouitates , vt eas impugnantes probant Lypsius *lib. 7. polit. c.* 11. & *lib. 4. cap. 9.* & *lib. 6. cap. 3.* I. Cochier *in thesauro polit. lib. 3. cap. 4.* Sahabedra *emblem.* 19. Valenzuela *consilio* 24. *ex num. 2.* & *cons. 52. ex num.* 50. & *cons. 4. num. 35.* & *cons. 70. ex num. 70.* Pinellus *in l. 1. part. 2. num. 2. Cod. de rescind.* Menchaca *de succes. creat.* §. 30. *num.* 312. Solorzanus *de iure Indiarum tom. 2. lib. 1. cap. 4. num. 73.* Salgado *de supplic. 1. part. cap. 6. num. 1. & 146.* & *cap. 18. num. 4.*

4. d *Consilio.*] Raymundus omisit hoc verbum, *forsan* , vt superfluum ; nam minus est consilium alicuius desiderari , quàm consensum : qui enim tenetur aliquid facere de consilio alterius , adimplet si petat , etsi illud non sequatur , *cap. cùm olim* , vbi Doctores , *de arbitris* ; qui verò consensum alterius tenetur expectare , non solùm illum petere , verùm & sequi tenetur , *cap. cùm in veteri, de elect.* aliàs eo omisso inutiliter actus agitur , *cap. vltimo , de iudiciis in* 6. vnde plus erat in præsenti casu expectare consensum , quàm consilium Episcopi ; in aliis verò vtrumque , consilium , & consensum.

5. e *Vestræ.*] Signanter dixit Honorius, non Capituli vestri; nam Canonici per se non constituunt Ecclesiam , sed cum suo Capite , videlicet Episcopo , *cap. requisisti , de testam. cap. irrefragabile* , §. *excessus , de officio ordin.* Capitulum verò per se Canonici absque Episcopo faciunt , *cap. Capitulum, de rescriptis , cap. dilecta , de excessibus Prælat.* docet Anguianus *lib. 2. de legibus , cap. 4. num. 4.* vnde cùm hîc agatur de consuetudinibus simul spectantibus ad Canonicos , & Episcopum, appellat eas Honorius consuetudines Ecclesiæ , non Capituli.

6. f *Postquam.*] Non tamen inde inferas , Sede vacante posse Capitulum statuta facere in præiudicium Episcopi , contra textus *in cap. si qua , de rebus* , 12. *quæst.* 2. *cap.* 1. *ne Sede vacante :* potest tamen statuta facere pro tota diœcesi , quæ poterat facere simul cum Episcopo ; nam cùm Capitulum Sede vacante succedat in ea omnia , quæ sunt iurisdictionis , *cap. cùm olim , de maiorit. & obed. cap. si Episcopus* , §. *vlt. de supplend. neglig. lib. 6. cap. vnico , ne Sede vacante , eod. lib.* potest ea statuta facere:

facere: docet Suarez *de legibus lib. 4. cap. 6. numer. 17.*

COMMENTARIVM.

7. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu communiter à repetentibus talis deducitur assertio: *Capitulum sine consensu Episcopi nouas consuetudines Ecclesiæ mutare non potest.* Probant eam textus *in cap. si qua 12. q. 2. cap. cùm accessissent, cap. cùm M. de constit.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti Berotus *in cap. cùm omnes, num. 3. de constit.* Suarez *de legibus lib. 4. cap. 6. num. 11.* Anguianus *lib. 2. de legib. c. 4.* ferè *per totum*, Cironius *in notis adhunc textum*, Hugo Grotius *in flor. sparsim in l. minimè, ff. de legib.*

8. ADDVCITVR DVBITANDI RATIO.

Sed hæc assertio impugnari potest sequenti iuris consideratione. Certum est consuetudinem, quantumvis longæuam, & legitimè præscriptam, posse tolli lege scriptâ, vel aliâ consuetudine in contrarium introductâ, vt probat Suarez *de legib. lib. 7. cap. finali*; & ita Principem posse abrogare quamcumque consuetudinem, constat *ex cap. 1. de constit. lib. 6. l. 1. §. sed & hoc, C. de veteri iure enucl.* Sicut enim lex tollitur consuetudine, *cap. vlt. hoc tit.* ita & consuetudo tollitur contrariâ lege: sed Capitulum potest condere statuta, & sibi leges statuere, non solùm Sede vacante, verùm etiam viuente Episcopo, absque eius consensu, *cap. constitutus, de rescriptis, cap. cùm dilectus, de clericis non resid.* igitur poterit illis statutis mutare, & abrogare antiquas consuetudines, etiam sine consensu Episcopi. Secundò contra rationem, quam adducit Honorius in præsenti, videlicet nouitates non esse inducendas, ita insurgi potest: Si vtilitas adest, nouæ leges condendæ, sunt, etsi nouitatem inducant, quin iniustum, aut illicitum sit aliquid ex maiorum moribus iunouare, *l. penult. C. de constit. Princip.* nam vt ait Innocentius *in cap. non debet, de consang. & affinit. Non debet irreprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque quandoque varientur humana.* Illustrant Iuretus ad Symmachum *epist. 2.* Sarmiento *lib. 2. select. cap. 4. n. 9.* Simanchas *de cathol. tit. 31. num. 28.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 1. num. 9.* cùm ob mutationem temporum & morum quotidie videamus leges mutari, & reipublicæ regimen, *l. 2. C. de veteri iure*, ibi: *Æqualis æquitas est, vel promulgare quæ iusta sunt, vel antiquare quæ grauia.* Tempore enim consenescunt, & moriuntur leges, Claudianus ibi:

> —— *Priscamque resumunt*
> *Canitiem leges, emendanturque vetustæ,*
> *Acceduntque nouæ.*

Igitur si in præsenti specie aderat vtilitas, etsi nouitas sequeretur, Capitulum poterat nouis statutis veteres consuetudines abrogare.

9. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius vera ratione capessenda scire oportet, Capitulum cum Episcopo efficere vnum corpus, cuius caput Episcopus est, Canonici verò membra sunt, *cap. nouit, de his, quæ fiunt à Prælat.* vnde Episcopus vtitur Canonicis ad consilium, & sine eorum assensu aliquid de Ecclesia disponere non potest, *cap. 1. & per totum, de his quæ fiunt à Prælat.* Hoc ius præstandi assensum, canonicum honorem appellat Innocentius III. *in cap. proposuit, de concessione præb.* & ideò Canonici ab Episcopis fratres appellantur, *cap. 2. de his quæ fiunt à Prælat.* & apud Græcos *proédorantes*, Episcopi vocantur, ideſt Senatus Ecclesiastici Præsides, ab exedris, siue peristiliis, & claustris Ecclesiarum, in quibus omnes conuentus fiebant: Canonici verò apud eos dicuntur *Symponoi*, id est assidentes & consiliarij; vnde cùm gubernatio Ecclesiæ spectet ad caput ipsius, hoc est Episcopum, non debent Canonici sine eius consensu veteres consuetudines immutare, cùm membra non debeant recedere à capite, & sibi assumere officium illius, *cap. cùm non liceat, de præscriptionibus*; & cùm inferiores sint Canonici, Episcopo parêre debent, *cap. cùm inferior, de maiorit. & ob.* Accedit, nam consuetudines antiquæ nouitatibus non sunt abrogandæ. D. Augustinus *epist. 118. cap. 5.* ibi: *Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.* Lucianus *lib. 1. cap. dilecto, de consang. & affin.* ibi: *Vnde in hac parte consultius duximus multitudini, & obseruatæ consuetudini deferendum, quàm aliud in dissensionem, & scandalum populi statuendum, quadam adhibitâ nouitate.* Faciunt textus *in l. testamenta 18.* ibi: *Mos namque retinendus est fidelissimæ vetustatis.* In rebus enim nouis constituendis euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est: verba sunt textus *in l. 2. ff. de constit. Princip. l. minimè, ff. de legib.*, & generaliter quæ ab antiquioribus sunt constituta & obseruata, facilè non debent nouitate mutari, *cap. Ecclesiasticæ 12. 25. q. 2. cap. 1. 35. q. 9. cap. an puto 25. q. 2.* Cassiodorus *lib. 12. epist. 25. Plerumque soliciti sunt qui mutatos rerum ordines intuentur, quia sæpe prætendunt aliqua, quæ consuetudini probantur aduersa.* Alia plura politè, & politicè congessit noster Solorzanus *embl. 51.* Iustè ergo Honorius in præsenti, ne nouitates facilè inducerentur, quas magnoperè cauendas, tam Philosophi, quàm Consulti docuerunt, decreuit, consuetudines antiquas, à Capitulo sine Episcopi consensu non esse mutandas.

10. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat difficultas pro ratione dubitandi suprà adducta; nam omissâ quæstione, vtrum Capitulum sine Episcopi consensu noua statuta facere possit, quam examinant Suarez *d. lib. 4. de legib. cap. 11.* Anguianus *d. cap. 4.* & nos, etsi leuiter, *in cap. cùm omnes, de constit.* discrimen est constituendum inter res, quæ spectant simul ad Capitulum, & Episcopum, & inter eas, quæ tantùm ad Capitulum: quod discrimen agnouit Innocentius *in cap. edoceri, de rescriptis.* Quando agitur de rebus, quæ spectant tantùm ad Capitulum, Canonici per se tantùm possunt statuta facere independenter ab Episcopo; cùm verò agitur de re vtrique communi, neutiquam, cùm facilè Episcopo præiudicium irrogaretur: vnde cùm Honorius in præsenti ageret de rebus, quæ spectabant simul ad Capitulum, & Episcopum, vt constat ex illis verbis, *Ecclesiæ, & præiudicium Episcopi*; inde consensus Episcopi desideratur. Nec etiam secunda difficultas obstat; nam ratio adducta ab Honorio non ita strictè est accipienda, quin exigente temporum, rerumve ratione, iustum non sit aliquid innouare, cùm id euidens vtilitas postulat. Benedictus XI. *in extrauag. 1. de priuileg.* ibi: *Nec mirum, quia plerumque pariunt nouitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per nouam constitutionem recedit tur; nec quare recedatur, euidens vtilitas, vel alia causa subest, & simul adest potestas in statuente.* Vnde cùm vtilitas & potestas deficerent in præsenti casu Capituli Parisiensis, ideò Honorius III. ait, nouitatem esse cauendam, cùm pariat discordias.

Sed ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in cap. cùm omnes, de conſtit.* vbi proponitur, Canonicos Trecenſes ex antiqua ſuæ Eccleſiæ conſuetudine ſuorum beneficiorum redditus, tam in abſentia, quàm præſentia percepiſſe; ſed ea conſuetudine non obſtante, ipſos ſine Epiſcopi aſſenſu, aut conſilio ſtatuiſſe, vt Canonici in poſterum recipiendi, non niſi in præſentia prouentus præbendarum ſuos facerent, & ſic conſuetudinem antiquam nouo ſtatuto mutaſſe; quod cùm ex relatione proprij Epiſcopi Pontifex agnouiſſet, iuſſit vt pares Canonici, tam præſentes, quàm abſentes eſſent, aut iuxta antiquam conſuetudinem in abſentia fructus percipiendo, aut iuxta nouum ſtatutum ſolùm in præſentia; & ſic ſtatutum à Capitulo factum eſſe ſuſtinendum. Ex qua facti ſpecie deducitur, Canonicos ſine Epiſcopi conſenſu conſuetudinem veterem in re graui, vt eſt reſidere, vel non, ſtatuto nouo potuiſſe immutare, cùm Pontifex iubeat ſtatutum de nouo obſeruari. Agnouerunt difficultatem ordinarij ibi, qui aſſerunt, ideò ſtatutum in totum confirmatum non eſſe, quia ſine aſſenſu Epiſcopi factum erat, ita Innocentius, & Hoſtienſis *ibi.* Sed hæc ſententia refellitur ex eo, quia Pontifex non ideò ſtatutum improbat, quia factum erat ſine Epiſcopi conſenſu, ſed quia æqualitatem non continebat; quare dum ad æqualitatem reducitur, ipſum confirmat: alij verò exiſtimant, conſenſum Epiſcopi ibi præceſſiſſe. Ita Decius *ibi, num.* 2. Beroius *num.* 25. Exea *num.* 2. Sed hæc interpretatio, præterquam quod diuinationis vitio laborat, ex eo refellitur, nam ſi Epiſcopus aſſenſum præſtaret, non poſſet prædictum ſtatutum improbare, vt fecit coram R. Pontifice. His igitur omiſſis, dicendum eſt, Canonicos in eo textu ſtatuta feciſſe ſine Epiſcopi aſſenſu in re graui, & ſuſtineri, quia non intendebant per illud eximere Canonicos à reſidentiæ obligatione, ſed potiùs in iuris confirmationem ſtatuebant, ne abſentes fructus ſuos facerent: vnde cùm quælibet res de facili redeat ad ſuam naturam, *cap. ab exordio, 25. diſt. l. ſi vnus, §. pactus, ff. de pactis*, rectè potuerunt Canonici etiam irrequiſito Epiſcopo facere prædictum ſtatutum.

II. EXPONITVR CAP. CVM OMNES, DE CONSTIT.

Secundò aperto marte noſtræ deciſioni opponitur textus *in cap. 1. de his quæ fiunt à maior. parte*, vbi ex Concilio Lateran. refertur, quod cùm in quadam Eccleſia conſuetudine iuramento firmata eſſet introductum, vt ordinationes, & alia negotia ab omnibus eſſent tractanda, & approbanda; nihilominus maior pars conſuetudinis iuratæ immemor, ſtatuta condebat, neglectâ minori capituli parte: minor pars opponebat ſimilia ſtatuta obtineri non poſſe contra prædictam conſuetudinem; quibus auditis Patres Concilij Lateranenſis decreuerunt, prædicta ſtatuta eſſe obſeruanda, non obſtante contrariâ conſuetudine, etiam à Capitulo iuratâ. Ex quo textu deducitur, maiorem Capituli partem poſſe immutare conſuetudines antiquas, etiam iuratas, irrequiſito Epiſcopo, neglectaque minori parte, contra ea quæ hucuſque adduximus. Huic difficultati ſatisfaciendum eſt ex verbis ſequentibus ipſius textus, ex quibus apparet, conſuetudinem in ea ſpecie iuratam, nec ratione iuuari, nec ſacris congruere ſtatutis; ſiquidem factum à maiori & ſaniori parte, contra tot iuris ſanctiones, ratum non habebat; vnde Canonici potuerunt eam proprio facto abrogare, etiam ſine Epiſcopi conſenſu: at verò præſens textus loquitur de conſuetudinibus rationalibus, & legitimè ab ipſo Capitulo præſcriptis; vnde non poterant eas Canonici ſine Epiſcopi conſenſu mutare.

CAPVT X.

Idem [a] *Maiori & [b] Burgenſibus de [c] Rupella.*

EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod in terra veſtra ſeruatæ ſunt hactenus duæ [d] conſuetudines abuſiuæ; vna ſiquidem hæc eſt, quod ſi fortè [e] indigena, vel extraneus [f] prodigalitatis vitio, vel incuriâ, ſeu quocumque caſu alio diſſipauerit, vel amiſerit omnia [g] bona ſua, bona vxoris ſuæ, quantumcunque laudabilis & honeſtæ vitæ, tam [h] mobilia, quàm immobilia, pro ſuæ voluntatis arbitrio alienat: quare fit interdum, vt viro defuncto vxor remaneat [i] indotata, & ſuperſtites filij extremæ ſubiaceant incommodis paupertatis. Alia quoque conſuetudo eſt non impariter reprobanda, ſcilicet quod ſi vir ducat vxorem, quæ fide coniugij violatâ committat adulterium manifeſtè, nihilominus medietatem omnium j bonorum, quæ fuerit vir adeptus, impudenter exigit, & improbè apprehendit; quæ potiùs [k] priuanda eſſet omnibus viri bonis. Quare ſuper his prouidere vobis per Sedem Apoſtolicam ſuppliciter poſtulatis. Nos itaque ſaluti, & vtilitati veſtræ prouidè [l] conſulere cupientes, tenore præſentium [m] declaramus, vos non teneri ad huiuſmodi conſuetudines, tanquam iuri contrarias, obſeruandas.

NOTÆ.

1. [a] *Maiori.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *ſub tit. de adulteriis, cap.* 1. ex qua textum tranſcribo. Maioritatis nomen nihil aliud ſignificat, quàm imperium ab aliquo exerceri ſolitum, ſiue altioris, ſiue inferioris gradus: & Maiores dicuntur qui primum locum obtinent. In conſtitutionibus Canonicorum regularium S. Auguſtini, *in cap. de forma, & habitu,* dicitur: *In Cathedralibus Eccleſiis Abbates, Præpoſiti, Priores, ſeu alij Maiores.* In Gallia Miſſi Dominici, Maiores dicuntur, *capit. vlt. Capitul. Caroli.* In legibus Vviſigothorum *lib. 9. tit. 1. l. 6.* legitur: *Illius, qui in loco Maior eſt:* & Maiores dicuntur illuſtriores, & nobiliores in lege. Salica,

&

& in legibus Burgundionum *cap.* 1. *tit.* 38. Hinc nomen Maioris factum est nomen officij & dignitatis eorum, qui alicui loco præsunt, *lib.* 5. *Capitul. cap.* 107. ibi: *Vt Presbyteri curas sæculares nullatenus exerceant, id est vt neque iudices, nec Maiores villarum fiant.* Apud Græcos nomen est curationis, seu villicationis. Sexta Synodus *can.* 10. & 11. notarunt Bosquetus *ad Innocentium III. lib.* 2. *regest.* 14. *epist.* 62. Cironius *ad titul. de maiorit. & ob.* Ioannes Vossius *de vitiis serm. cap.* 27. In præsenti Maior accipitur pro primario Magistratu, cui obediunt Consules, Iurati, & alij inferiores, vt apud Innocentium III. *lib.* 4. *epist.* 63. Anonymum Floriacensem *lib.* 4. *cap.* 4. ibi: *Conuocato Gautherio eiusdem loci Maiore.* Et quia temporibus Honorij III. Rupella regebatur Maiori, ac societate ciuium, qui vrbem administrabant, vt referunt Fratres Sarm. *tom.* 3. *Galliæ Christ. fol.* 951. ideo Honorius in præsenti rescribit Maiori, & Burgensibus ipsius vrbis.

2. b *Burgensibus.*] Burgenses sunt nobiliores ciuitatis, de quibus agemus *in cap. Abbas, de his quæ vi.*

3. c *Rupella.*] Rupella vulgò *la Rochelle*, famosa ciuitas est Santonum Galliæ in territorio Alnien-si, quæ pro varietate temporum varia est experta Dominos, tum Duces, tum Comites, vt referunt Fratres Sarmat. *dicto fol.* 950. Gutherus *in sua Rupella.*

4. d *Consuetudines.*] In Gallia enim labente Carolini Principatus robore, Duces, & Comites prouinciales cœperunt leges, ac consuetudines prouincialibus dare, vt pro lege eis vterentur, vt constat *ex cap. constitutus, de in integrum restit.* vbi mentio fit consuetudinis Parisiensis: vnde redeunte pago Vvastinensi ad Philippum Regem, non priùs ciues redierunt, quàm Rex consuetudines iurasset seruaturum. Aymonius *lib.* 5. *hist. cap.* 47. *Inuadens igitur Fulco fratrem suum, per auxilium Andegauensium, & Turonensium Baronum, hominum multâ strage factâ, eum in campo deuicit, cepit, & vsque ad finem vitæ suæ in carcere tenuit; quâ peractâ expeditione, Vvastinense, sicut promiserat Regi, vuerpiuit. Rex autem iurauit se seruaturum consuetudines terræ illius, aliter enim nolebant milites ei facere sua hominia.* Illustrant Altesserra *lib.* 2. *de Ducibus, cap.* 3. idem *lib.* 3. *rer. Aquitanic. cap.* 18.

5. e *Indigena, vel extraneus.*] Id est, vel in ciuitate genitus, vel aliunde natus. Omnes enim illi poterant vti prædictis consuetudinibus, vt statutis ciuitatis vtuntur *in cap. quæ in Ecclesiarum, de constitut.*

6. f *Prodigalitatis vitio.*] Prodigus enim est, qui neque finem, nec modum in expensis habet, sed bona sua dissipando, & dilapidando profudit, *l.* 1. *ff. de curatore furiosi*; nihil enim miserabilius accidere potest homini, quàm prodigalitatis vitium; siquidem quod diu, & magno forsan labore acquisiuit, sæpe sæpius vnius tantùm diei spatio dissipat, quod mirè describit Euripides apud Stobeum *serm.* 13. vnde cùm Romani rectiùs quàm Rupellani censuerint reipublicæ interesse, ne quis re sua malè vtatur, §. *sed hoc tempore, Instit. de his qui sunt sui*; prodigo bonorum suorum administrationem vt furioso interdicebant, eique curatorem assignabant, eâ formulâ verborum à Prætore vsitatâ: *Quando bona paterna nequitiâ tuâ dissperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi commercio interdico.* Et *l.* 1. *l. Iulianus* 10. *l. sæpe iam, l. si furioso* 16. §. 1. *ff. de curat. furiosi, l.* 1. & 3. *C. eod. l.* 1. & 3. §. *finali, l. hic* 12. §. *finali, ff. de tutorib. l. is cui* 18. *ff. qui testam. l.* 5. §. 1. *ff. de acquir. hæred.* ad quam prodigorum materiam spectant textus *in l. vlt. ff. quarum rerum, l. Antistius*, §. 1. *ff. de adquir. hared. l.* 9. §. *quoniam, ff. de reb. credit. l.* 1. §. *exigit, ff. de bonorum poss. secundum tabulas, l. Fulcinius*, §. *planè, ff. ex quib. caus. l.* 28. §. *si curator, ff. de pactis, l. si quis cùm sciret, ff. pro emptore, l.* 3. *C. de in integ. restit. l.* 3. *de nouat. l.* 1. *ff. de suis & legit. l. certi* 9. §. *sed si eius, ff. de rebus credit. l. Fulcinius*, §. *idem, ff. ex quibus causis in possessionem, l. dabimus*, §. 1. *ff. de authoritate iudicis, l. si cùm dotem* 22. §. *nunc, ff. solut. matrim. l.* 3. *l.* 55. §. *vlt. ff. de administr. tut. l.* 1. §. *si quis autem, de bonor. possess. secund. tabul. l. pacti* 27. *ff. de minoribus, l. tutor.* 35. §. 1. *ff. de iureiurando, l. interdum* 29. *ff. de condict. indebiti, l. ex castrensi* 18. *ff. de Castrens. pecul. l. si non remunerandi*, §. *adolescens, ff. mandati, l. si quis cùm sciisset, ff. pro emptore, l. si furiosi* 16. *ff. de curat. furiosi, l.* 1. §. *quod si delegatus*, & §. *si mutuam, ff. si quid in fraudem, l.* 2. *ff. quarum rerum, l. si sciens* 26. *ff. de contrahenda emptione*; quæ in materia huius interdictionis exponenda sunt, iunctis Alberico, Cumano, Castrensi, Alexandro, Iasone, Alciato, Duareno, Ferreto, Cuiacio, Donello, & Gifanio *in l. is cui bonis, ff. de verb. obl.* Cuiacius 21. *ff. Iuliani, in l.* 7. *ff. de curatore furiosi*, & *ad Digesta, & Codicem, in eod. tit.* Fabro *in Papin. tit.* 7. *princip.* 6. *illat.* 4. & *tit.* 12. *princip.* 3. *in princip.* & *illat.* 8. *cum sequentib.* Petro Gregorio *lib.* 16. *syntagm. cap.* 6. Reuardo *ad ll.* 12. *Tabul. cap.* 13. Donello 3. *comment. cap.* 18. & *lib.* 12. *cap.* 22. vbi Osuald. Petro Fabro *in l. furiosi* 40. *de regul. iuris*, Bolchort. *in tractat. de verb. obl. cap.* 3. *num.* 52. *Gedeo de contrahenda stipul. cap.* 7. *num.* 34. Antonio Gomez *lib.* 2. *variar. cap.* 14. Caldas *in l. si curatorem, verbo Cùm non absimilis, C. de in integrum*, Gutierrez *lib.* 1. *de tutelis, cap.* 12. Amaia *lib.* 1. *obseru. cap.* 8. & plura de hoc vitio prodigalitatis Theophilus Raynaud. *tom.* 4. *lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 20.

g *Bona.*] Scilicet dotalia, vt constat ex verbis sequentibus, *maneat indotata*; & communiter ita Interpretes sentiunt. Quæ consuetudo erat contrà ius scriptum, ex lege Iulia, *de fundo dotali*: lege enim Iulia maritis inhibita est fundi dotalis alienatio, non simpliciter cuiuscumque, & quomodocumque; sed ita si prædia Italica essent, & mulier renueret; eâ enim consentiente, illa alienare poterat, non autem hypothecæ dare, *l. lex* 4. cum aliis, *ff. de fundo dotali, principio Instit. quibus alienare liceat.* Iustinianus autem, nec consentiente vxore prædium dotale alienare permisit, *l. vnica*, §. 15. *de rei vxoriæ actione.* Docent latè D. Nilaus de Castro *in l.* 1. *C. de fundo dot.* Balduinus *lib.* 2. *de iure nouissimo, pag.* 230. Petrus Barbosa *in l.* 1. *ff. solut. matrim.* Amaia *in l.* 1. *C. de prædiis decurion.* & nos iura huius materiæ dabimus *in cap. mulieres, de iureiur.*

8. h *Mobilia.*] Mobilia alienare lex Iulia non prohibebat, *l. fœnum* 21. *ff. de manumiss. l. doce* 9. *C. de rei vindicat. l.* 3. *C. de iure dotium.* Docent Perez *ad tit. C. de fundo dot.* Corrasius *lib.* 5. *miscel. cap.* 1.

9. i *Indotata.*] Quod vitandum esse, tam sacri, quàm Cæsarei iuris conditores curarunt, cùm magnoperè reipublicæ interfit, mulieres dotes habere, vt sic nuptiis contractis, liberis ciuitas repleatur,

repleatur, *l.* 1. *ff. ſolut. matrim. l.* 2. *ff. de iure dotium, l. pater* 71. *ff. de euictionib. cap. ex litteris, de pig. cap. per veſtras, de donat. inter.*

10. j *Omnium bonorum.*] Conſuetudine enim Galliæ receptum eſt, vt ex coniugali acquæſtu dimidia pars viro debeatur, alia verò dimidia vxori, *cap.* 2. *de donat. inter*, vbi Cuiacius. Quod primò conſuetudine, poſteà verò variis legibus apud nos ſtatutum fuiſſe, latè probabimus *in d. cap.* 2.

11. k *Priuanda eſſet.*] Non ſolùm enim dotem, verùm etiam bona conſtante matrimonio acquiſita per adulterium vxor amittit, vt latè dicemus *in cap. plerumque, de donat. inter.*

12. l *Prouidè conſulere.*] Ex quibus verbis cognoſcitur, Rupellanos conſuluiſſe immediatè R. Pontificem ſuper prædictis conſuetudinibus, quæ ad iudicem ſæcularem pertinebant; non quia vt feudatarij R. Eccleſiæ ſubiecti erant R. Pontifici, ſed quia ratione peccati conſultus fuit R. Pontifex à Rupellanis, qui in perniciem ſuarum animarum eas conſuetudines obligare exiſtimabant. Vnde ſæpe ſæpius Pontifices cognoſcunt, ratione peccati, de rebus merè temporalibus, *cap. nouit, de iudiciis, cap. relatum, de teſtam. authentica vt clerici*, §. *ſi verò, collat.* 6. ideò Honorius III. in præſenti, ratione peccati, quod ex obſeruantia dictarum conſuetudinum naſcebatur, de rebus merè temporalibus cognouit.

13. m *Declaramus.*] Neceſſaria enim eſt declaratio, vel irritatio, cùm dubium contingit circa conſuetudinem, vtrum videlicet rationabilis, an iniuſta ſit, *cap. cùm inter, de conſuetudine*, Suarez *lib.* 7. *de legibus, cap.* 7.

COMMENTARIVM.

14. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hac deciſione talis deducitur ab Interpretibus aſſertio: *Non valet conſuetudo, per quam quis inducitur ad peccandum, & ad bona diſſipanda.* Probant textus *in cap. denique*, 4. *diſt. cap. mala, diſt.* 8. *cap. vlt. de præſcript. cap. ex frequentibus, de inſtitut.* Illuſtrant Suarez *de legib. lib.* 7. *cap.* 7. Antonius Gomez *in l.* 80. *Tauri, num.* 47. *&* 63. Chaſſaneus *in conſuet. Burgund. rubric.* 4. §. 23. Sahagun *in cap. finali, hoc tit. num.* 24. Rochus de Curte *in eod. textu*, Couar. *in* 4. 2. *p. cap.* 8. §. 1. Cironius *in noſtro textu*, Ant. Matthæus *de crimin. fol.* 361. Valaſcus *de priuilegiis pauperum, p.* 1. *quæſt.* 54. Peña *tom.* 1. *deciſ.* 147. Sixtinus *conſilio* 14.

15. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc deciſio difficilis redditur ſequenti conſideratione. Nam certum eſt, conſuetudine non ſolùm interpretari, verùm mutari, & abrogari poſſe ius poſitiuum, vt etiam ſæpe ſæpius in hoc titulo probatum eſt: ſed prohibitiones ne prodigus, vel maritus poſſit alienare bona ſua, & dotalia, ſunt iuris poſitiui, *l. lex, ff. de fundo dotali:* & ſimiliter acquiſitio bonorum conſtante matrimonio eſt iuris poſitiui; ſiquidem conſuetudine introducta eſt, & conſuetudo circa eam, & dotem plurimùm poteſt, vt probat Peña *dicta deciſ.* 147. ergo contrariâ conſuetudine poteſt fieri, vt prodigus ſua bona, & maritus dotalia alienent, & mulier adultera retineat partem coniugalis acquæſtus. Accedit, nam conſuetudine excuſatur à pœna qui aliquod delictum perpetrauit, ex eo ſolùm, quia talis conſuetudo introducta eſt, *cap. denique* 6. 4. *diſt. cap. obiiciuntur* 33. *q.* 4. *cap. ſanè, de temporib. ordin.* vnde DD. affirmant, quod licèt conſuetudo non excuſet à pœna gehennæ, excuſat à pœna temporali, vt latè probant Alexander *conſilio* 1. *num.* 7. *volum.* 2. Beroius *in cap. quia in omnibus, num.* 8. Nauarrus *in cap.* 1. §. *tanta, de pœnit. diſt.* 5. Tiraquell. *de pœnis temperandis, cauſa* 43. ergo conſuetudine in ciuitate Rupellana introduci poterat, vt mulier adultera non priuaretur bonis conſtante matrimonio adquiſitis. Augetur ſecundò, nam prima conſuetudo, quæ in noſtro textu recenſetur, admodum rationabilis videtur, cùm maritus conſtante matrimonio dominus dotis ſit, *l. doce, C. de rei vindicatione, l. quamvis* 75. *ff. de iure dotium:* huius dominij ratione poteſt maritus provt ſibi libuerit res dotales alienare, *l. ſi ex lapidicinis, ff. de iure dotium, l.* 3. *C. eod. tit. l.* 1. *C. de ſeruo pignori dato:* ergo ſi ad inopiam vergebat maritus, vxoris bona alienare poterat, vt poteſt in Friſia ceſſante lege Iulia. Vviſembac. *diſp.* 15. *num.* 4.

16. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obſtante, vera eſt noſtra aſſertio, quæ Auctoribus iam illuſtrata, ratione non deſtituitur; nam omiſſis quæ in deteſtationem prodigalitatis hîc facilè afferre poteram, cùm prodigus non ſolùm ſua diſperdat, verùm & ſtatim aliena appetat, vt ait Saluianus *de Eccleſia Cath.* conſuetudo Rupellanorum iniqua erat, ſiquidem inuitabat ad peccandum propria dilapidantibus, ſinendo non ſolùm aliena appetere, verùm & perdere: & cùm reipublicæ interſit, ne quis re ſua malè vtatur, §. *ſed hoc, Inſtit. de his qui ſunt ſui*; & vt dotes conſeruentur, *l.* 1. *ff. ſolut. matrim.* non minùs corruptela ſecunda conſuetudo erat, & omni iudicio carebat, & ratione; ſiquidem cùm interſit reipublicæ, ne delicta maneant impunita, *l. ita vulneratus* 15. *ff. ad legem Aquil.* & publicæ ſaluti expediat inſontes puniri, & peccatores coerceri, *l.* 3. *l. congruit, ff. de officio Præſidis, l. locatio* 9. §. *quod illicita, ff. de publicanis, cap. vt ſame, de ſentent. excom.* iuſtè Honorius III. prædictas conſuetudines irritas declarauit, cùm inuitarent ad peccandum, mulieri adulterij impunitatem concedendo, prodigiſque aliena appetendi conſilium præſtando.

17. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obſtat ratio dubitandi ſuprà adducta; nam licèt conſuetudine tolli poſſit ius poſitiuum, id tamen procedit cùm conſuetudo rationabilis eſt, vt ſæpè in hoc titulo inculcaui; vnde cùm conſuetudines, de quibus in præſenti, fuiſſent à ratione prorſus alienæ, non poterant ſuſtineri, aut iuri communi derogare. Nec augmentum obſtat, in quo dicebamus rationabilem eſſe conſuetudinem, ex eo, quia maritus habet dominium dotis; nam totum negatur. Et licèt daremus, dominium rerum dotalium habere, tamen eſt diminutum, & delibatum, cùm careat primario effectu, qui conſiſtit in alienandi facultate. Difficilius eſt quod in vltimo argumento dicebamus, videlicet conſuetudine introduci poſſe, vt delinquens ad pœnam non teneatur, *dicto cap. denique*; nam licèt conſuetudo, quæ omnium conſenſu inducta eſt, excuſet à pœna; id tamen procedit modò non ſit contra ius diuinum, aut naturale, aut verſetur circa rem grauem, *cap. non ſatis, cap. cùm Eccleſia, cap. ea quæ, de ſimonia, cap. inter, de exceſſib. Prælat.* docet Tiraquel. *vbi ſuprà*, vnde cùm in noſtro textu verſaretur conſuetudo circa adulterium, quod eſt delictum maximum, *cap. quid in omnibus* 32. *q.* 7. conſuetudine introduci non poterat, vt vxor adultera lucraretur bona conſtante matrimonio adquiſita.

Sed noſtræ deciſioni opponitur textus *in cap. finali,* 1

EXPONITVR CAP. FINALE DE DONAT. INTER.

final. de donat. inter, vbi postquam Gregorius IX. docuit dotem soluto matrimonio vxori esse restituendam, & donationem propter nuptias à marito, eam apponit exceptionem, nisi consuetudine, aut pacto contrarium inductum sit: ergo consuetudine introduci potest, vt vxor maneat indotata, & maritus dotem retineat, aut eam alienet; & per consequens nostri textus consuetudo sustineri poterat. Cui difficultati respondendum est, negando Gregorium IX. in eo textu asserere, consuetudine, aut pacto fieri posse, vt superstite vxore, soluto matrimonio dos illi non restituatur; nulla enim consuetudo hoc facere potest, vt mulier superstes dotem non recuperet, *l. Attilicinus, l. si liberis* 17. *ff. de pactis dotalibus*; Gregorius enim loquitur casu, quo mulier decessisset: tunc enim aut hæredibus, aut quibus pacto, consuetudinéve competit actio rei vxoriæ, dos restituenda est virtute pacti, aut consuetudinis; ita tamen vt pacto fieri non possit, quin vxor maneat indotata. Docet Cironius in quinta compilatione ad nostrum textum.

CAPVT XI.

[a] Gregorius IX.

CVm tantò sint grauiora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent [b]alligatam, nemo sanæ mentis intelligit [c]naturali iuri (cuius transgressio periculum salutis inducit) quacumque consuetudine (quæ dicenda est veriùs in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari. Licèt etiam longæve consuetudinis non sit vilis [d]authoritas, non tamen est vsque adeò valitura, vt vel iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit [e]rationabilis, & legitimè præscripta.

NOTÆ.

1. a *Gregorius IX.* De eo egi *in cap. finali, de constitutionibus*, qui præsentem constitutionem motu proprio edidit, à nemine consultus.

2. b *Alligatam.*] Consonant textus *in cap. cùm haberet 5. de eo qui duxit in matrim. cap. schisma* 24. *quæst.* 1. *cap. non satis* 8. *de simonia*; eo enim longiùs Deum sibi offensum tenet, vnde peccatum augetur, *cap.* 1. *de pœnit. dist.* 5. Concilium Moguntinum 4. *can.* 87. ibi: *Non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, cùm iniquitati longinquitas temporis patrocinari non debeat.* Plura Simon Maiolus *dierum canicul. fol.* 657. Sed huic principio obstare videtur textus *in l. si diutino, ff. de pœnis*, vbi ait Modestinus: *Quod si diutino tempore aliquis in reatu fuerit aliquatenus, pœna eius subleuanda erit. Sic enim constitutum est, non eo modo puniendos eos, qui tempore longo agunt, quam eos qui recenti sententiâ excipiunt.* Ex quibus verbis Accursius ibi deducit, in crimine persistentem mitiùs esse puniendum: & Iulius Clarus *lib.* 5. *sentent. §. vlt. quæstion.* 6. ex eo textu probat, delicta post decennium non puniri: igitur diuturnitas temporis peccatum non auget, sed minuit, aut tollit: quem textum vt exponamus, sciendum est, *in reatu esse*, in eo textu non accipi pro eo, qui durat in peccato, vt pleramque reatus accipitur, *l.* 1. *§. qui operas, ff. ad Tertyl.* quia etiam iure ciuili, qui diutiùs in delicto perseuerauit, grauiùs punitur, *l. inficiando* 6. *§. infans, ff. de furtis*: sed accipi ibi reatum pro carcere, statuque misero & squallido reorum, vt apud Martialem *lib.* 2. *epigram.* 24.

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorque reo.

Cum sordida veste, vt ait Consultus *in l. finali, ff. ad leg. Iul. maiest.* & notauit Budeus *in l. rem* 39. *ff. de iniuriis.* Reatus enim apud Romanos dicebatur tempus illud, cùm die dictâ, & accusatione propositâ, reus in Tribunali comparebat, vt se defenderet, ore mœstus, habitu sordidus, squallore, & signis tristitiæ notabilis, vt describit Sidonius *lib.* 1. *epist.* 7. vbi Sauarus: de quo tempore accipiendus est textus *in l.* 3. *§. quod pater, ff. de muner. & honorib.* Addendi sunt cultissimus Ramirez de Prado *in d. epigram.* 44. Martialis Raderus *ad epigram.* 22. Salmut. *ad Pancirol. lib.* 1. *tit.* 44. *pag.* 186. Lypsius *lib.* 1. *elector. cap.* 13. Petrus Faber *lib.* 2. *semestr. cap.* 7. Ruginellus *practicar. q.* 39. *num.* 6. Nicolaus Romeus *in effigie Caluini, color.* 70. *de iustific. §.* 5. *fol.* 517. In eo enim squallore & reatu, si diu reus iacuerit, delictum minuitur, & ideò mitiùs punitur, *l. onus, ff. de pœnis, l. finali, §. fraudis, ff. de bonis damnat. l. aufertur, §. in reatu, ff. de iure fisci, l.* 2. *de his qui notant. infam. l.* 6. *§. hoc, ff. si quis omissâ causâ testam.* quo modo textum illum accipiunt Alciatus *lib.* 2. *parerg. cap.* 10. Corrasius *lib.* 2. *miscel. cap.* 20. Caldeira *lib.* 3. *variar. cap.* 2. Couar. 2. *variar. cap.* 9. Parladorius *lib.* 3. *different. cap.* 51. Suarez *in addit. ad Gomezium lib.* 3. *cap.* 1. *littera C.*

c *Naturali.*] Ius naturale hîc accipitur pro eo, 3.
quod diuinâ quadam prouidentiâ apud omnes gentes obseruatum est, quo aliqui actus vetantur, præcipiunturve, aliaque præcepta continentur, seu principia moralia, quæ euidentem habent honestatem necessariam ad rectitudinem morum: Grotius *de iure belli, lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Suarez *de legibus lib.* 2. *cap.* 7. Salcedo *de lege polit. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 8. & nos in apparatu ad hæc commentaria. Et transgressionem huius iuris naturalis peccatum inducere, rectè ait Gregorius IX. in præsenti; nam lex naturalis semper obligat in conscientia, vt tanquam de fide certum docent Theologi ex illo Pauli *ad Roman.* 2. *Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, quia videlicet legem naturalem transgressi sunt.* Ratio est, nam lex naturalis lex Dei est: ergo omnes homines obligat. Sed difficile illud est, qualiter sola lex naturalis obliget in foro conscientiæ, & sufficiat ad æternam damnationem, etiamsi omnis lex supernaturalis ignoretur, præcipuè cùm naturalis ratio non cognoscat æternam pœnam: ergo nec lex naturalis poterit obligare sub reatu pœnæ æternæ, & consequenter nec sub culpa mortali: culpa enim mortalis est, quæ pœnæ

æternæ

æternæ reatum inducit: at lex non potest obligare ad illam pœnam, quam non potest manifestare: ergo lex naturalis non obligat cum discrimine salutis æternæ. Sed respondendum est, quod licèt lex naturalis in nobis sit ipsa ratio, in Deo tamen est ratio & voluntas diuina: satis ergo est, quod Deus legis naturalis conditor cognoscat pœnam transgressoribus illius debitam; ad incurrendum enim alicuius pœnæ reatum non est necesse, quod trànsgressor legis cognoscat pœnam debitam, sed satis est, quod faciat actum tali pœnâ dignum.

4. d *Non sit vilis authoritas.*] Hæc verba etiam reperiuntur *in cap. cùm causa* 8. *de re iudic. l.* 2. *C. quæ sit longa consuet. l. eos* 26. §. 1. *versic. non liceat*, *C. de vsuris*, *cap. consuetudinis* 1. *dist. nouella* 106. *Iustiniani*, *cap.* 1. sed semper difficilia ab Interpretibus iudicantur, vt infrà dicemus *num. finali.*

5. e *Rationabilis*, *& legitimè.*] Ex his verbis videtur deduci, consuetudinem irrationabilem, nec legitimè præscriptam aliquid roboris obtinere, quod valde absurdum esset; quare notandum est Gregorium IX. differentiam constituere inter consuetudinem iuri contrariam, & nulli iuri aduersam. In consuetudine iuri contraria iudicium habendum est, an rationem contineat, sitque legitimè præscripta, vt legem iustam, & eius rationem tollat, argumento legis *nihil*, *ff. de iustit. & iure*, *iuncto cap. erit autem*, 4. *dist.* In alia verò consuetudine legibus non contraria, non est inquirendum, an ratione nitatur, vel non, quia huiusmodi præsumptionem rationis habet vt ipsa lex; & ideo non de ipsa, licèt secundùm ipsam, iudicandum reliquit D. Augustinus *in cap. consuetudinis*, 11. *dist.*

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hac Gregorij constitutione talis deducitur exponenda assertio: *Consuetudo non derogat iuri naturali, aut diuino, nec positiuo, nisi sit rationabilis & præscripta.* Probatur *cap. mala*, *cap. veritatem*, *cap. consuetudinem*, cum aliis, 8. *dist. cap. vsus*, cum aliis, 11. *dist. cap. cùm contingat*, *de foro compet. c. cùm Ecclesia*, *de causa possess. cap.* 1. *de his quæ fiunt à maiori*, *cap. ad nostram*, *cap. ex parte*, *hoc tit. l.* 1. *ff. de vsuris*, *l. idem* 10. §. *si procurator*, *ff. mandati*, *l. venditor*, 13. §. *si constat*, *ff. communia prædiorum*, *l. item*, §. 1. *ff. quod cuiusque*, Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 20. *l. finali*, *tit.* 2. *partita* 1. *l.* 5. *tit.* 3. *part.* 3. *l.* 9. *tit.* 7. *part.* 5. Iustinian. *nouel.* 134. ibi: *Quæ improbè excogitata sunt, ea nec longa consuetudine confirmari volumus.* Illustrant plures congesti à Barbosa *in nostro textu, & tom.* 6. *in præsenti*, Rochus de Curte, Sahagun, Otero, & Canisius *in relectionib. nostri textus*, Suarez *lib.* 7. *de legibus*, *cap.* 19. Basilius *de matrim. lib.* 6. *cap.* 4. Hallier. *de sacris*, *sect.* 7. *cap.* 1. *art.* 4. Arellano *antinomia* 4. Prado *tom.* 1. *Theolog. mor. cap.* 3. *de legib. q.* 15. Gibalinus *tom.* 2. *scient. can. lib.* 6. *cap.* 3.

7. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed aduersùs primam conclusionis partem sic argumentor: omne quod potest lege statui, id consuetudine valet introduci: sed lege statui potest, quod iuri naturali diuino repugnat: igitur & consuetudine introduci potest. Probatur minor; nam non occidere, non furari, præcepta sunt moralia iuris naturalis diuini, *l. iustitia*, *ff. de iustitia & iure*, *cap.* 1. 50. *dist. cap.* 1. 23. *q.* 5. Docent Fagundez, Sanchez, & alij in illis præceptis scribentes: sed lege permittitur occidere furem nocturnum, *l.* 2. *C. ad leg. Corn. de sicariis*, *cap.* 2. *cap. significasti* 18. *cap. finali*, *de homicidio*, *l.* 1. *& per totum C. quando liceat*: itemque hostem in bello, *cap. homicidium* 23. *q.* 5. & furari tempore necessitatis, *cap. discipulos*, *de consecrat. dist.* 5. *cap. si quis propter*, *de furtis*: ergo & consuetudine ius naturale mutari potest. Secundò contra secundam nostri textus partem, vbi asseritur, consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam, posse iuri positiuo derogare, obstat sequens consideratio: nam consuetudo contra legem non potest esse rationabilis. Tum quia eo ipso, quod est contra legem, est contra rationem, quia lex nititur ratione, *cap. erit autem*, 4. *dist. l. quod non ratione*, *ff. de legib.* Tum quia actus talis consuetudinis sunt praui, qui non possunt peccantibus prodesse, nec eos à legis iugo liberare, vnde Hostiensis *in cap.* 1. *de tregua & pace*, docuit legem positiuam præceptiuam, non posse desuetudine abrogari: ergo consuetudo nunquam iuri positiuo derogare valet. Deinde, nam non semper desideratur, vt consuetudo sit legitimè præscripta ad hoc, vt deroget iuri positiuo; siquidem si Princeps sciat consuetudinem, & ipsa talis sit, vt moraliter sufficiat ad indicandum Principis consensum, sufficit tempus breuius, licèt adhuc præscripta non sit. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 3. quem sequuntur Soto *lib.* 1. *de iustit. q.* 2. *art.* 2. Suarez *de legib. lib.* 2. *c.* 18. *num.* 17. igitur non semper desideratur quod sit præscripta.

8. LEX NATVRALIS EST IMMVTABILIS.

Sed his minimè refragantibus vera est tradita assertio, pro cuius expositione sciendum est primò, naturalia quidem iura diuinâ quadam prouidentiâ constituta immobilia esse, *l.* 2. *ff. de vsufructu earum*, *l.* 2. *ff. ad Tertyl. l. eas* 8. *ff. de captiuis*, §. *sed naturalia*, *Instit. de iure natur. Clementina Pastoralis*, *de re iudic.* D. Thomas 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. *&* 5. Sotus, Suarez, Salas, & alij innumeri Theologi congesti à Valente *in concord. iuris Pontif. fol.* 283. & 286. Connanus 1. *comment. cap.* 6. *n.* 5. Reuardus 2. *variar. cap.* 1. Cuiacius *in l.* 1. *ff. de iust. & iure*, Donellus 1. *comment. cap.* 12. Ex Philosophis, & Poëtis probat Gothofredus *in dict.* §. *sed naturalia*: ex practicis plures congerunt Salgado *de supplicat.* 2. *p. cap.* 20. *num.* 84. Salcedo *de lege polit. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 10. Nulla enim lex per se deficit, siue imminuitur, antequam per oppositum vsum, seu per legislatorem reuocetur, nisi quia perpetua non erat, sed pro certo tempore data, quo finito desinit obligare; vel quia in eius materia est aliqua mutatio, ratione cuius aut cessat eius adæquata ratio finalis, aut irrationabilis fit, & iniusta: sed lex naturalis non fuit statuta pro definito tempore, nec potest reddi iniusta, & irrationabilis: ergo mutari non potest. Accedit, nam cùm lex naturæ sit veluti proprietas naturæ rationalis, si hæc natura de medio tolleretur, lex etiam naturalis quoad existentiam suam deficeret, & solùm per essentiam in mente Dei maneret, vt docet D. Thomas 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. lex enim naturalis, aut consideratur provt est in Deo, & sic certum est esse immutabilem; vel provt est in homine, & sic manente naturâ humanâ, deficere non potest: quod apertiùs ostenditur factâ distinctione inter præcepta negatiua, & affirmatiua; nam negatiua cùm res prohibeant intrinsecè malas, deficere non possunt, nunquam enim bonum esse potest, quod per essentiam malum

malum est; & ideò hæc semper obligant, & pro semper. Affirmatiua verò, licèt semper obligent, non tamen pro semper; & ideo quamvis naturalia sint, vno tempore obligant, & alio non; sed non ideò recipiunt mutationem. Hæc enim est illorum natura, quæ solùm obligat pro illis occasionibus, in quibus omissio talis actus esset intrinsecè mala. Nec contrarium docet D. Thomas *dict. q.94.art.5.* dum ait, legem naturalem quoad prima principia esse immutabilem; at verò quoad conclusiones illorum in aliquibus propter causas occurrentes mutari posse. Exempla sunt præcepti naturalis reddendi depositum domino petenti; quod non obligat quando petitur ad damnum reipublicæ: item seruandi secretum, quod negatiuum est non reuelandi; & tamen violari potest, si ad defensionem reipublicæ necesse sit: item præceptum non occidendi, quod cessat in casu defensionis, vt suprà probaui. Nam sciendum est, legem dupliciter posse mutari, aut deficere; vno modo per mutationem sui ipsius intrinsecè, alio modo extrinsecè tantùm per mutationem alterius. Exempli gratiâ, pater desinit esse pater priori modo, si moriatur; posteriori modo absque aliqua sui mutatione, si moriatur filius. Priori ergo modo mutatio contingere potest in lege positiua; secus verò in lege naturali, quæ solùm mutari potest extrinsecè per mutationem materiæ, quando hic, vel ille casus non cadit sub obligatione naturali, ex aliqua causa peculiari; & in hoc sensu docet D. Thomas, aliqua præcepta naturalia mutari posse; loquitur enim de mutatione extrinseca ex parte materiæ; quo casu naturaliter præceptum non mutatur, quod pro illo casu nunquam impositum fuit, vt in specie textus *in cap. quemadmodum, de iureiurando:* qui non implet promissionem, quia res non manet in eodem statu, non videtur fidem fallere; nam casus ille non videtur sub eadem promissione comprehensus, quo modo procedunt exempla proximè adducta. Et si aliquando legimus legem naturalem mutari, simul supponere debemus id fieri aliâ ratione naturali fortiori, & validiori, vt *in l. bona fides, ff. depositi, l. ius ciuile 6. ff. de iust. & iure, l. Stichum 95. §. naturalis, de solutionib.* Quomodo dissoluenda sunt argumenta, quæ de seruitute contra libertatem naturalem, vsucapione, alimentis filiis incestuosis denegatis, & alia, quæ ab Interpretibus vulgò opponuntur, & referunt Faber *in Iurisprud. tit.2. princip.3. per totum*, Donellus *lib.1. comment.cap.8.* Connanus *lib. 1. comment. cap.4.* Inde etiam infertur, neminem posse dispensare in lege naturali, *cap. sunt quidam 25. q. 1.* Probant latè Sotus *lib.2. de iust.q.7. art.3.* Franciscus Valens *vbi suprà, num.5.* Molina *de iust.tract.1. disput.4.* Salas *de legib. disput.5. sect.7.num.32.*

9. De consvetvdine ivri contraria.

Deinde sciendum est, proprium consuetudinis esse iuri positiuo derogare, si legitimè præscripta sit, cum requisitis relatis suprà *in cap.1.* vt docetur *in l. de quibus 31. ff. de legibus, l. venditor 13. §. si constat, ff. communia prædiorum, cap. relatum, el 2. de testam. cap. in his 3. §. leges, 4. dist. cap. cùm contingat, de foro compet. cap. cùm olim 6. hoc tit. l. 6. tit.2. part.1.* Mela *miscel. p.3. cap.5.* non quia potentior consuetudo sit, sed quia posterior; nam sicut lex anterior posteriore aboletur, *l.26. cum sequent. ff. de legibus:* sic & desuetudine quasi posteriore lege, scriptæ tolluntur leges, non quia consuetudo sit fortior lege, vt inquit Osualdus *lib.1. Donelli, cap. 10.* sed quia posterior; nam & lex posterior priorem consuetudinem æquè tolleret; & tamen non maiorem vim consuetudine, sed æqualem habet.

10. Tradi-tvr de-cidendi ratio.

Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio præsentis textus; nam cùm naturalia iura diuinâ prouidentiâ constituta sint immutabilia, nec aliquâ lege positiuâ, similiter nec consuetudine mutari poterunt; cùm enim ius naturale dicatur, quod bonum, & æquum est, *l. penult. ff. de iustit. & iure*, necessariò quod illi aduersatur, debet esse iniquum, & iniustum: sed consuetudo iniquitatem continens nulla est, *cap. mala, 8. dist.* ergo consuetudo repugnans iuri naturali nulla est, neque effectum vllum obtinet. Secundæ verò partis præsentis textus ratio ex eo prouenit, nam cùm humanæ constitutiones posteriori lege positiuâ tolli possint, *l. sed & posteriores 28. ff. de legibus*, quia lex positiua adaptari debet loco, tempori, & personis, quæ sæpè mutari solent, consequenter mutatâ ratione legis, mutari lex ipsa valet; & ita sic similiter contrariâ consuetudine lex positiua tolli poterit, quia posterior lex non scripta est, vt docet & illustrat Arellano *lib.1. antinom. 4. cap.9. num. 5.* facit Tertull. *de cor. milit. Consuetudo etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur cùm deficit lex: nec differt scriptura an ratione consistat, quando & legem ratio commendat.* Vnde rectè in præsenti docet Gregorius IX. quod licèt consuetudine mutari non possit lex naturalis, positiua tamen consuetudine legitimè præscriptâ abrogari in totum, vel in partem valet.

11. Dissol-vitvr dvbitan-di ra-tio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, ex qua dicebamus, contra præcepta naturalia non occidendi, seu furandi, lege positiuâ homicidium, & furtum permitti posse: igitur & consuetudine præcepta illa naturalia mutari valent. Quia respondetur, præceptum illud non occidendi, generaliter accipiendum esse, nisi speciales circunstantiæ homicidium licitum reddant; nam si præceptum in illa amplitudine accipiatur, errorem continebit in fide, in quem lapsi sunt Vvaldenses. Semper igitur limitanda est generalitas illorum præceptorum, in casibus, in quibus eadem naturalis lex, vel particularis ad eos reuelata contrarium non suadeat, *cap. non est nostrum 23.q.5.* vnde cùm in casibus pro ratione dubitandi expensis naturalis lex contrarium dicter, vt suis locis dicemus, ideò in eis permittuntur homicidium, & furtum. Docet latè Franciscus Valens *vbi suprà, fol.287.* Nec secunda difficultas obstat; nam verum est in consuetudine rationem desiderari ad hoc, vt tanquam legitimè præscripta possit vincere ius positiuum; sed non eo ipso, quod contra legem positiuam præscribatur, irrationabilis est; siquidem lex, quæ pro futuris casibus profertur, *cap.2. de constit.* potest iniusta reddi ex temporis & rerum mutatione; quare tunc consuetudo contra ipsam legitimè præscribitur. Nec tandem obstat augmentum ipsius difficultatis; nam retentâ sententiâ eorum, qui asserunt, non desiderari integrum tempus ad præscribendam consuetudinem, cùm datur Principis scientia, & sic sufficiens significatio consensus illius, non obstat noster textus, qui debet accipi de consuetudine independenter à scientia Principis præscribenda suâ ratione, & per propriam vim, & efficaciam; tunc enim desideratur, vt præscripta sit per legitimum tempus, quomodo interpretatur nostrum textum P. Suarez *lib.7. de legib.c.18.n.20.*

12. Exponi-tvr cap in ali-

Sed superiori assertioni obstat textus *in cap. in aliquibus, §. vlt. de decimis*, vbi proponitur decimas deberi ex iure diuino, præstandas autem esse

esse iuxta loci consuetudinem. Quem textum sic expendo: Ex ipso constat obligationem præstandi decimas esse iuris naturalis, & diuini: sed consuetudine potest eius præstatio mutari, & alterari: ergo quia consuetudo contra ius diuinum introduci potest. Cui difficultati respondendum est, omissâ eorum solutione, qui asserunt consuetudinem circa substantiam decimarum admitti posse, consuetudine quotam decimarum tolli posse; nam tunc non per eam mutatur ius diuinum, sed interpretatur. Accedit, nam decimæ præstantur sacerdotibus in eorum & pauperum alimoniam: sed consuetudine rationabili introduci potest, vt decimæ remaneant penes ipsos pauperes; nam tunc finis præstationis decimarum non tollitur, sed tantùm modus exactionis interpretatur: igitur talis consuetudo vt non repugnans iuri diuino præscribi potest: Docet Lemaistre *de decimis cap. 5. & 6.*

QVIBVS, §. VLT. DE DECIMIS

Secundò refragatur textus *in cap. ad Apostolicam, de simonia*, vbi cùm agatur de simonia, quæ committitur in pretij receptione pro collatione sacramentorum, statim ea exceptio annectitur, *Nisi contrarium consuetudine introductum fuerit*: tunc sic argumentor. Iuri diuino repugnat, vt pretium, vel aliquid loco pretij pro conferendis sacramentis recipiatur, vt probat Hallier. *de sacris elect. sect. 2. art. 4. per totum*: sed nihilominus consuetudine introduci valet, vt aliquid præstetur in illis casibus: igitur quia consuetudine potest mutari ius diuinum. Cui difficultati, omissâ celebri quæstione, an consuetudo contra simoniam præscribi possit, dicendum est, quod licèt iuri diuino repugnet, vt aliquid tanquam pretium exigatur pro administratione sacramentorum; tamen in eo textu, quod exigitur ratione consuetudinis, non exigitur vt pretium, siue pro pretio rei spiritualis, nec cum intentione vendendi, vel emendi; sed exigebantur veluti quædam stipendia in vim eleemosynæ accepta per consuetudinem approbatæ; tunc enim laudabilis consuetudo dicitur, vt probat Hallierius *vbi suprà*.

13. EXPONITVR CAP. AD APOSTOLICAM DE SIMONIA.

Tertiò præsenti assertioni obstat textus *in l. 2. C. quæ sit longa consuetudo*, vbi Constantinus Imperator diserte scribit, non tantam esse consuetudinis authoritatem, vt possit vincere rationem aut legem: igitur quia consuetudo, quantumvis rationabilis, & legitimè præscripta, non potest iuri positiuo derogare. Cui difficultati vt satisfaciat Cuiacius *in parat. ad illum tit. & lib. 2. feudor tit. 1.* existimat in eo textu agi de consuetudine, quæ nullâ, aut paruâ ratione constat. Mela *p. 3. miscel. cap. 5.* accipit Constantinum de consuetudine breuis temporis, decem scilicet, vel viginti annorum; quam seruari, ac custodiri debere in rebus parui momenti, rescribit Alexander *in l. 1. C. eod. tit.* & eius consuetudinis non eam esse authoritatem asserit Constantinus, vt rationem vincat, aut lege. Glossa & Bartolus *ibidem*, textum illum accipiunt de consuetudine speciali, quæ legem generalem vincere non potest, iuxta textum *in l. venditor, §. si constat, ff. communia prædiorum*, P. Vasquez *in 1. 2. q. 97. art. 3. disput. 277. cap. 7. num. 62.* verum sensum dictæ legis secundæ desumendum esse credit ex illis verbis, *sui momento*; vt sensus sit consuetudinem sui momento, id est, propriâ virtute non vincere legem; nam is effectus non prouenit ex propria virtute consuetudinis, quatenus solus populi vsus est, sed quatenus voluntate Principis tacitè confirmantis fulcitur; & ideò dum ait Constantinus, consuetudinem & vsum non esse vilis authoritatis, loquitur de consuetudine consensu Principis confirmata, & hoc modo ait habere authoritatem vincendi legem, non virtute sui, quatenus est solus vsus populi, sed ex consensu Principis. Alij docent, Constantinum minimè loqui de consuetudine iam formata, sed de longo vsu, seu assuefactione plurium personarum, quatenus factum est, & ex ea ius scriptum resultat: quam consuetudinem docet Constantinus non esse leuis authoritatis, quippe ex ea ius scriptum oritur, sed non adeò graue, vt vincat rationem, aut legem. Sed his omissis placet alia communior interpretatio, quæ asserit, Constantinum in ea lege non negare consuetudinem vincere legem positiuam, sed tantùm affirmare, non esse maioris authoritatis quàm ipsa lex separatim, spectatâ vtriusque vi; quod enim fieri potest per legem, potest fieri per consuetudinem, & è contra; sed non ampliùs, nec maiori vi per consuetudinem, quàm per legem; itavt sicut lex vincit consuetudinem, ita consuetudo vincat legem; sed non maiori authoritate, quàm ipsa vincitur à lege. Alia prosequuntur pro ipsius textus expositione Matheacius *lib. 1. de ratione iuris, cap. 33. à num. 29.* Osualdus *lib. 1. Donelli, cap. 10. littera L.* Suarez *de legib. lib. 7. cap. 18. & 19.* Robertus *lib. 2. rerum iudicat. in principio*, Menochius *lib. 1. de arbitr. q. 71. per totam*, Pichardus *in §. ex non scripto, Instit. de iure natur.* Canisius *in nostro textu, num. 4.* Basilius *lib. 6. de matrim. cap. 5. & 6.* Madera *animadu. cap. 5. num. 8.* Cuiacius *lib. 2. quæstion. Papin. in l. 1. ff. de vsuris*, Hothomanus *ad Pandectas, tit. de legib. num. 10.* Duarenus *eod. tract. cap. 8. & 1. disput. cap. 31.* Tuldenus *ad titul. C. quæ sit longa.* Amaya *in l. 2. C. de annon. num. 5.* Carrasco *ad leges recopil. de constit. cap. 8.* Bronchorst. *centuria 1. assert. 9.* Hanc interpretationem firmat textus *in cap. 1. de feudi cognit. in vsibus feudorum*, in illis verbis: *Legum autem Romanorum non vilis est authoritas; sed non adeò vim suam ostendunt, vt vsum vincant, aut mores.* Ex quibus deducitur, æqualem vim esse legis, ac consuetudinis.

14. INTELLIGITVR L. 2. C. QVÆ SIT LONGA CONSVETVDO.

Tandem superiori assertioni obstat textus *in l. 3. §. Diuus Adrianus, ff. de sepulchro violato*, vbi Vlpianus docet, consuetudinem municipalem non posse tollere rescriptum Principis: ergo quia consuetudine lex positiua tolli non potest. Cui difficultati vt satisfaciant Bartolus *in d. l. de quibus, num. 53. oppos. 7.* Iason *ibi*, Couarr. *lib. 3. variar. cap. 13. num. 4.* asserunt rescriptum Principis ibidem emanasse post consuetudiuem; quare mirum non esse, quod lex posterior consuetudine anteriori non derogetur: quæ interpretatio vltraquàm litteræ repugnat, refellitur *ex cap. 1. de constit. lib. 6.* Quare eâ omissâ verius dicendum est, in eo §. non agi de consuetudine generali, sed de constitutione municipali alicuius populi, quâ prohibitio generalis non sepeliendi mortuum intra vrbem, confirmata pœnali rescripto D. Adriani, abrogari non poterat, cùm prohibitio esset generalis Imperatoris, & constitutio municipalis iniusta, quæ iuri communi non derogat.

15. OPPONITVR L. 3. § DIVVS, ff. DE SEPVLC. VIOLATO.

TITVLVS

TITVLVS V.

De postulatione Prælatorum.

CAPVT PRIMVM.

[a] Innocentius III. *Decano, & Capitulo Senon.*

AD hæc in B. Petro. *Et infrà:* Sanè cùm Ecclesia Senonens. semper fuerit Ecclesiæ Romanæ deuota, non immeritò ipsius Ecclesiæ passioni compatimur, & doloribus condolemus, cùm eo sit viduata Pastore, qui etsi nobilis esset, [b] nobilior tamen fuit, sicut credimus, sanctitate. *Et infrà:* Dolemus insuper quod dolori nimio, quem de tanti Patris obitu conceperat Eccl. Senonens. dolor alius superuenit, cùm eâ vix surgente ab officio [c] funeris tam funesti, vix dignè celebratis exequiis tanti Patris, Rex ipse iniustè commotus, possessiones ipsius, tam ad mensam Archiepiscopi, quàm Canonicorum pertinentes, non vt debuit, vel vt decuit, sed vt voluit, & valuit, occupauit, & personas etiam quæ de mandato nostro suspenderant organa sua, compulit exulare. *Et infrà:* Cúmque propter persecutionem instantem, & diffidentiam animorum, quam in talibus & zelus mouet interdum, & vsus excusat, de facili non possetis in [d] vnum locum & propositum conuenire, sed ad nos fuisset ab aliquibus [e] appellatum: tandem non sine difficultate conuenientes in vnum, Altissiodorens. [f] Episcopum in Archiepiscopum vnanimiter postulastis, postulationem vestram per Magistrum R. Præcentorem vestrum, virum in vtroque iure peritum, honestum, prouidum, & discretum, qui apud nos super assumpti promotione negotij fideliter institit, & de contingentibus nihil omisit; & per Abbatem [g] S. Petri, & per vestras etiam litteras exponentes, ac petentes humiliter, vt faciendæ translationi fauorem Apostolicum, & pium præberemus assensum, consideratâ præsertim persecutione, quæ communiter instat Ecclesiæ Gallicanæ, ac necessitate quæ incumbit specialiter [h] Ecclesiæ Senonens. Verùm quoniam antequam idem Magister ad Sedem Apostolicam accessisset, audieramus à multis, immò etiam nobis quasi pro certo [i] constabat, quoniam idem Episcopus interdicti sententiam non seruasset, quod & idem Magister non negauit, à nobis in nostra, & fratrum nostrorum præsentia requisitus, in ipsius Episcopi excusationem allegans, quod sententiam illam seruare nullatenus tenebatur, quæ ad eius notitiam, nec per nostras litteras, nec per dil. filium [j] P. S. M. in Via Lata Diaconum Cardinalem, tunc Ap. Sedis Legatum, qui eandem sententiam promulgauerat, nec per deputati ad hæc executoris mandatum, vel litteras peruenisset; & quod in Altissiodorens. [k] diœcesi Rex ipsam terram propriam non haberet; & quod eadem Altissiodorens. diœcesis ex alia causa fuerat [l] interdicta. *Et infrà:* Nec sufficit, immò nec profuit ad excusationem prædicti Altissidoren. Episcopi, & aliorum similium, quod mandatum nostrum, & Card. eiusdem, vel executoris, etiam ad se per speciales litteras ad ipsos directas, vel speciale mandatum non peruenisse proponunt. Cùm Card. idem sententiam interdicti præsentibus multis Archiepiscopis, & [m] Episcopis solenniter ac publicè promulgauit, & eadem interdicti sententia in regno Francorum iam à multis cœpit obseruari, nec sit necessarium, cùm constitutio solenniter editer, [n] aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare; sed id solùm sufficit, vt ad eius obseruantiam teneatur, quod nouerit eam solenniter editam, aut publicè promulgatam, cùm etiam contra quosdam qui [o] Sardicense Concilium non seruabant, tanquam illud non habuerint, aut receperint, canonica tradat authoritas, quod eis non facilè facultas credendi tribuitur, cùm idem penes illos in suis regionibus actum fuerit & receptum. Nec valet quod in Altissiodorens. diœcesi dictus Rex propriam terram dicitur non habere; cùm nos totam terram Regis ipsius subiici mandauerimus inter-

dicto, & Cardinalis noſtrum [p] mandatum interpretatus, in terram illam ſententiam promulgauerit, quæ Regi [q] tunc temporis adhærebat. Quod ſi Epiſcopatus eius ex alia cauſa fuerat interdictus, interdicti ſententiam & tenebatur fortiùs, & poterat faciliùs obſeruare: ſed inde liquidò conſtat, ſæpedictum Epiſcopum ſufficienter excuſari non poſſe, quòd ſuam [r] Metropol. Eccleſiam generalis interdicti ſententiam, & recepiſſe nouerat, & ſeruare. Ideoque vnus eorum extiterat, qui deliberantes ſuper eadem ſententia, communi conſilio decreuerunt, ſed errauerunt, vt ipſam ſententiam non ſeruarent. Cùm ſi verbum Apoſtoli P. de Clemente dicentis diligentiùs attendiſſent, commonitionem ſuper hoc non debuerint expectare, ſed obſecundare prudenter, & humiliter obedire. Nos igitur qui ſecundùm Apoſtolum prompti ſumus inobedientiam omnem vlciſci, eiuſdem Altiſſiodor. inobedientiam attendentes, ne nihil obedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contemptus contumacibus non obeſſet, cùm iuxta canonicas ſanctiones, quædam ſint culpæ, in quibus culpa eſt relaxare vindictam, habito cum fratribus ſuper hoc diligenti tractatu, quantumcunque vobis, tanquam obedientiæ filiis deferre vellemus; poſtulationem tamen huiuſmodi, non propter poſtulantem Eccleſiam, ſed propter poſtulatam perſonam repulimus vt indignam. Licèt autem ex eo quod hominem, qui veſtro non conueniebat propoſito, poſtulaſtis, cùm vos interdicti ſententiam ſeruaretis, ipſe tamen eam contemneret obſeruare, permiſsâ vobis abuſi fueritis poteſtate, ac ideò vos ea non immeritò priuare poſſemus, cùm iuxta diuinæ legis edictum non liceat veſtem induere de lana, linoque contextam: ne tamen veſtræ videamur deuotionis ingrati, de ſolita Apoſt. Sed. benignitate concedimus, vt vobis, & eidem Eccleſiæ, vel per poſtulationem idoneam, vel per electionem canonicam de perſona congrua conſulatis.

NOTÆ.

1. [a] *Innocentius.*] Ita etiam legitur *in cap.* 1. *hoc tit. in* 3. *collectione.* De Senonenſi Metropoli Galliæ nonnulla adduxi *in cap. cùm omnes* 6. *de conſtit.* vt autem præſens textus rectè perpendatur, eius hiſtoria repetenda eſt ex hiſtoricis Franciæ, Rigordo videlicet *in vita Philippi*, *anno* 1199. Spondano *in continuat. Baronij*, *anno* 1198. *num.* 8. & ex geſtis ipſius Innocentij editis à Boſqueto, vbi *fol.* 32. ita ſententiæ interdicti, de qua in præſenti, & *in cap. nouit, de officio Legat. cap. nouit, de appellat.* ac præſentis textus, & ſequentis hiſtoria refertur, quam etſi diffuſam, tranſcribere neceſſarium duxi pro dictorum iurium illuſtratione. [Præfatum verò Petrum Diaconum Cardinalem, quem ipſe poſtmodùm in Preſbyterum ad titulum S. Marcelli promouit, direxit in Gallias, tria ſibi præcipiens & iniungens. Videlicet, exhortaretur, & induceret populos ad Terræ ſanctæ ſuccurſum: vt pacem vel treguas inter Francorum & Anglicorum Reges componeret, & firmaret: & vt ipſum Regem Francorum ad dimittendam ſuperinductam, & recipiendam vxorem propriam, quam iniuſtè dimiſerat, commoneret, & cogeret, ſi neceſſitas poſtularet. Ipſe verò profectus, circa primum capitulum vſque adeò diuinâ gratiâ fauente profecit, quod innumera tam militum, quàm peditum multitudo ad verbum exhortationis ipſius ſignum Crucis ſuſcepit ad obſequium Crucifixi. Cum quibus & quidam Epiſcopi, & Abbates, ac alij multi Clerici peregrinationis propoſitum aſſumpſerunt, inter quos principales fuerunt Theobaldus Comes Trecenſis, Ludouicus Comes Bleſenſis, Balduinus Comes Flandriæ ac Hannoniæ, & Comes de S. Paulo, Sueſſionenſis, & Trecenſis Epiſcopi, & quidam Ordinis Ciſtercienſis Abbates. Circa ſecundum quoque capitulum idem Legatus ita proceſſit, quod Philippus Franciæ in manu eius datâ fide promiſit ſe ad mandatum ipſius pacem, vel treguas cum Rege Angliæ initurum. Richardus autem Rex Angliæ ſe difficilem oſtendebat: ſed cùm idem Legatus ei cœpit rigorem eccleſiaſticum intentare, ſaniori ductus conſilio acquieuit, & quinquennales treguas compoſuit inter Reges, faciens quædam caſtella, quæ firmauerat contra alium, demoliri. Circa tertium verò capitulum, ad pleniorem intelligentiam eſt notandum, quod defunctâ primâ vxore mandato præfati Philippi Regis Francorum, filiâ Balduini Comitis Hannoniæ, nepte videlicet Philippi Comitis Flandriæ, de qua ſuſceperat vnum filium nomine Ludouicum, tractatum eſt inter ipſum, & Canutum Regem Danorum, vt Ingeburgim ſororem ipſius Rex Franciæ duceret in vxorem: miſſoque Stephano Nouiomenſi Epiſcopo cum Regio apparatu, vt eam adduceret, ille Rex eam cum multo deſiderio expetebat. Cùm de ipſa ſuſcipienda in coniugem, & tenenda præſtitæ fuiſſent ſufficientes, & idoneæ cautiones, frater eius tranſmiſit cum ea Petrum Bucchideum Epiſcopum cum idoneo comitatu: quæ cùm tranſuecta per mare peruenisſet Ambianis, vbi Rex Franciæ ipſius præſtolabatur aduentum, dilationis impatiens, ipſo die deſponſauit eandem, & congregatis Principibus, tam Eccleſiaſticis, quàm mundanis, ſequenti die per manum Guillelmi Rhemenſis Archiepiſcopi fecit eam ſecum ſolenniter coronari. Sed inter ipſa coronationis ſolennia, ſuggerente diabolo, ad aſpectum illius cœpit vehementer horreſcere, tremere, ac pallere, vt nimium perturbatus vix ſuſtinere poſſet finem ſolennitatis inceptæ. Statimque motum eſt verbum diuortij celebrandi, propter affinitatis obſtaculum, quod inter eos quidam exiſtere muſſitabant dicentes, quod ſecunda contingat primam vxorem in gradu conſanguinitatis quarto, vel quinto: ſed aliis aſſerentibus, quod id ſine turpi notâ ſubitò fieri non valeret, aliquantulum eſt dilatum; & interim ſuggeſtum eſt Regi, vt ad illam accederet, ſi forſan affectu mutato illam cognoſcere

cognoſcere poſſet. Acceſſit igitur Rex ad illam apud Foſſatum propè Pariſios, quò fecerat illam adduci, & thorum eius ingreſſus eſt. Poſt paululum ab illa receſſit, in tantùm habens ipſam exoſam, vt vix ſuſtineret coram ſe de illa fieri mentionem. Aſſerebat autem Regina, quod Rex carnaliter illam cognouerat, Rex verò è contra aſſerebat quod ei non potuerat carnaliter commiſceri. Conuocatis igitur præfato Rhemenſi Archiepiſcopo in ſua prouincia tunc Apoſtolicæ Sedis Legato, & aliis quibuſdam Epiſcopis, coram eis accuſatum eſt matrimonium, ipsâ Reginâ quid ageretur, penitùs ignorante, vtpote, quæ compatriotis remiſſis ad propria, quaſi ſola remanſerat, linguæ Francorum prorſus ignara: & affinitate per quoſdam teſtes incontinenti iurata, mox idem Archiepiſcopus ſententiam diuortij promulgauit, quæ cùm Reginæ per quendam exponeretur interpretem, illa vltra quam dici poſſet admirans, flens, & eiulans, exclamauit: Mala Francia, Mala Francia: & adiecit, Roma, Roma. Non enim aliter nouerat Gallicis verbis talem exprobrare ſententiam, aut Sedem Apoſtolicam appellare. Protinus ergo Rex illam à Regno Francorum emiſit, & in quòdam cœnobio monialium extra Regni fines fecit vtcumque deponi. Turbati ſunt multi, quin & omnes qui Deum timebant, & iuſtitiam diligebant, ſuper ſententia tanquam iniqua. Peruenitque fama, vel magis infamia huius facti ad Cœleſtinum tunc temporis Papam, qui cùm per Magiſtrum Meliorem, tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Preſbyterum Cardinalem de Francia redeuntem, veritatem pleniùs & certiùs cognouiſſet, quia factum erat notorium, quod nullâ poterat tergiuerſatione celari, ſententiam illam diuortij contra ignaram, & indefenſam inordinatè ac impetuosè prolatam, authoritate Apoſtolica irritauit. Interdicens Regi per nuncios, & apices ſuos, ne aliam ſibi præſumeret copulare. Verùm quantò idem Papa feruentior circa hoc apparuit in principio, tantò tepidor eſt inuentus in fine, quia licèt Rex Danorum germanus præfatæ Reginæ, per honorabiles nuncios imploraret, vt compelleret Regem Francorum ad recipiendum eandem Reginam ſororem ſuam, quam iniuſtè dimiſerat, ſicut iuris ratio poſtulabat, nunquam tamen apud eum hoc potuit obtinere; quin etiam tolerauit vt idem Rex poſt interdictum ipſius, filiam Ducis Meraniæ, puellam vtique pulchram nimis, non ſine multo ſcandalo ſuperduceret, & teneret. Præfatus autem Innocentius Cœleſtino ſuccedens, ſtatim per litteras ſuas, & per Pariſienſem Epiſcopum, ſæpedictum Regem ſtuduit commonere, vt eam remoueret à ſe, quam contra interdictum Eccleſiæ ſuperduxerat; & reciperet illam in gratiam coniugalem, quam legitimè ductam, illegitimè duxerat amouendam, iuris ei licentiâ non negatâ, quominus factâ reſtitutione poſtmodùm audiretur, ſi quid duceret proponendum. Conteſtans eidem, quòd quantumcunque ſibi moleſtum exiſteret cum aliquo moleſtare; quia tamen oportebat eum plus cæleſti, quam terreno deferre Regi, & ſine perſonarum acceptione, ſicut ratio poſtularet. Quia verò idem Rex ſæpè commonitus noluit acquieſcere, ſæpedicto Legato per Apoſtolica ſcripta præcepit, quatenus ſublato appellationis obſtaculo, totam terrâ ipſius eccleſiaſtico ſubiiceret interdicto, vt nullum in ea, præter Baptiſmum paruulorum, & pœnitentiam morientium, diuinum celebraretur officium, ſi forſan ei vexatio tribueret intellectum.

Congregato igitur apud Diuionem Archiepiſcoporum, necnon Abbatum, & aliorum multorum Concilio, Rex præſentiens quod idem Legatus vellet procedere contra ipſum, per nuncios ſuos fecit ad Sedem Apoſtolicam appellari. Legatus verò non vt appellationi deferret, ſed vt differret ad tempus, quatenus alibi mandatum Apoſtolicum commodiùs adimpleret, tandem apud Viennam multis Archiepiſcopis conuocatis, inter quos quidam de Regno Franciæ fuerunt præſentes, interdicti ſententiam promulgauit; mandans per litteras ſuas, quibus etiam tenorem Apoſtolicarum inſeruit litterarum, vniuerſis Eccleſiarum Prælatis in terra Regis Franciæ conſtitutis, vt eam & ipſi ſeruarent, & facerent per ſuas litteras obſeruari. Quod ſi forſan Epiſcoporum aliqui contra eam venire præſumerent, ſcirent ſe ab officio Pontificali ſuſpenſos. Cæteris verò cuiuſcumque dignitatis, vel ordinis officiorum & beneficiorum adminiſtrationem penitus interdicit. Omnes autem ad feſtum Aſcenſionis Domini proximè tunc futurum de inobedientia reſponſuros, ad Sedem appellauit. Receptis igitur litteris, quidam in auditu auris obedire cœperunt: ſicut Canonici Senonenſes, Pariſienſes, Epiſcopus Siluanectenſis, Sueſſionenſis, Ambianenſis, Atrebatenſis, & quidam alij, ſententiam interdicti firmiter obſeruantes. Alij verò diſtulerunt obſeruare ſententiam; ſicut Rhemenſis Archiepiſcopus, Laudunenſis, Nouiomenſis, Antiſſiodorenſis, Beluacenſis, Morinenſis, Meldenſis, Carnotenſis, Aurelianenſis, & alij fortè perpauci, nuncios ſuos ad Sedem Apoſtolicam deſtinantes, per quos quaſdam excuſationes, licèt friuolas, prætendebant; ſed promittebant, quod illis expoſitis, ſi demùm placeret ſummo Pontifici, ſententiam obſeruarent. Cùm igitur ſummus Pontifex excuſationes illas euidentiſſimis rationibus improbaret, præcepit eiſdem, vt ipſi pariter obſeruarent ſententiam interdicti, qui audito præcepto, humiliter paruerunt: ſicque tota terra Regis Francorum arctiſſimo eſt interdicto concluſa; ita vt clauſis Eccleſiis nuſquam in cæmeteriis ſepelirẽtur corpora mortuorum, quin etiam ſuper terram ſeruabantur vbilibet inſepulta. Rex autem in tantam indignationem excanduit, vt Epiſcopos & alios Clericos, qui primò ſeruauerunt interdictum, ab Eccleſiis ſuis faceret violenter expelli, & bona omnia occupari. Sed cùm plebs vniuerſa clamaret, Rex iámque non valens eccleſiaſticæ ſeueritatis ſuſtinere vigorem, nuncios ſuos, quoſdam inde Clericos, & quoſdam Milites ad ſummum Pontificem deſtinauit, conquerens de Legato multipliciter, ſed tamen offerens per eoſdem iuratoriam cautionem, quod coram Legatis, vel Delegatis iudicibus ſtaret iuri. Quibus ipſe prudentiſſimus Papa reſpondit, quod diſtinguendum erat, vtrum ſtare vellet iuri dictato, vel iuri dictando: ſi iuri dictato, videlicet ſecundùm ius quod dictauerat, vt ſuperinductam à ſuo remoueret conſortio, & Reginam antedictam reciperet, libenter cautionem; immò ſine cautione qualibet, ſi hoc faceret, relaxaret ſententiam interdicti; dummodo priùs Epiſcopi, & clerici deſtituti plenam fuiſſent reſtitutionem adepti. Si verò iuri dictando, videlicet ſecundùm ius quod dictaret, vt affinitatis deciderẽtur articulus, cautionem oblatam reciperet ad cautelam, dummodò ſuperinductâ remotâ, Reginam reciperet memoratam. Hoc autem cùm Rex per nuncios ſuos à Sede Apoſtolica reuertentes audiſſet, ſpiritus eius cœpit multipliciter anxiari; quia

nec illam volebat recipere, quam habebat vehementer exosam; nec istam dimittere, quam habebat nimis acceptam. Verùm conuocatis quibusdam Principibus, tam ecclesiasticis, quàm mundanis, cœpit deliberare cum illis, quid ei foret in hoc articulo faciendum: quibus vnanimiter respondentibus, quod erat parendum Apostolicæ Sedis mandatis, quæ fiuit à Rhemensi Archiepiscopo, qui sententiam diuortij promulgauerat, vtrum verum esset, quod Dominus Papa scripserat, videlicet quod illa non erat diuortij dicenda sententia, sed ludibrij fabula nominanda. Qui cùm respondisset, verum esse quod scripserat Summus Pontifex, non enim audebat aliud respondere; statim Rex intulit dicens: Ergo tu es stultus, & fatuus, qui talem sententiam protulisti. Remissis igitur nunciis instabat vt priùs, quòd videlicet relaxato interdicto, cognosceretur de iure: sed cùm nec minis, nec precibus, nec promissis animus Summi Pontificis flecti posset in fundamento iustitiæ solidatus, ipsius arbitrio se submisit: qui Octauianum Ostiensem Episcopum Legatum in Franciam destinauit, talem ei formam præfigens, vt ante omnia satisfactionem plenariam de damnis & iniuriis Clericis irrogatis faceret exhiberi. Ita quod ij, qui propter obedientiam, & reuerentiam Apostolicæ Sedis graues perpessi fuerant contumelias, & iacturas, per Apostolicam Sedem sibi sentirent, & gauderent congruè satisfactum. Deinde superinductam præciperet à Regis consortio, tam localiter, quàm carnaliter remoueri; vt non solùm Regis amplexibus, verùm etiam à Regni finibus faceret illam excludi, & præfatam Reginam ab ipso Rege solenniter recipi, & regaliter pertractari; receptâ publicè iuratoriâ cautione, quod eam sine iudicio Ecclesiæ non dimitteret; & sic relaxaret sententiam interdicti, reseruata sibi correctione illorum, qui ab initio non seruauerunt interdictum. Et si post frequentes, & diligentes admonitiones, & exhortationes idem Rex præfatam Reginam sicut legitimam habere nollet vxorem; sed mallet matrimonium accusare, præcepit eidem Legato, vt pro termino peremptorio ad inchoandum causam spatium sex mensium assignaret. Infra quod, si præfata vellet, commoneretur Rex Danorum germanus ipsius, vt ad defensionem eiusdem viros prudentes cum Aduocatis, & testibus aliis quibuslibet necessariis, sub Apostolica, & Regia securitate dirigeret, competenti loco de libera voluntate partium assignato. Associauit Ostiensi Episcopo ad examinationem & defensionem causæ eiusdem, Ioannem tituli sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem, iniungens eisdem, vt assidentibus sibi viris religiosis, litteratis, & prouidis, causam ipsam sufficienter, diligenter, ac patienter examinare curarent, taliter in verbis, & operibus, & aliis circumstantiis se habentes, vt nulla de ipsis posset suspicio suboriri, sed iuris ordine per omnia obseruato, securitatem & libertatem parti sæpedictæ Reginæ per omnia prouidentes, causam ipsam mediante iustitiâ terminarent. Profectus est Episcopus secundùm hanc formam ad Regem Francorum: & tam ab ipso, quàm ab eius Magnatibus honorificè, & deuotè receptus, fecit imprimis Ecclesiis, & Ecclesiasticis viris de damnis & iniuriis satisfieri congruenter; ac deinde Reginam de loco, in quo fuerat, ad quoddam regale castrum adduci fecit, vbi præsentibus tam Archiepiscopis, & Episcopis, quàm Magnatibus; & tam Cleri, quàm multitudine populi copiosâ, Rex ad mandatum Legati Reginam recepit, faciens in animam suam iuramento firmari, quòd honorificè ipsam vt Reginam tractaret, & absque iudicio Ecclesiæ non dimitteret: & sic ipse Legatus sententiam interdicti, quæ per octo menses durauerat, relaxauit cum multo gaudio, & applausu. Etsi nonnulli sibi detraxerint, quòd Apostolici mandati formâ neglectâ, in quibusdam superficialiter processisset. Superinductam autem Rex à suis separauit amplexibus, sed à regni finibus non excluſit, quia grauida erat, & partui iam vicina. Porrò causam ipsius Dominus iudicauit, quia post partum grauiter infirmata, debitum carnis exsoluit. Cùm igitur idem Rex non posset induci vt ipsam Reginam maritali vellet affectione tractare, assignati sunt certi dies, & certus locus ad causam, in quo apud Sueſſionem, præsentibus partibus ambo interfuere Legati, coram quibus causa cœpit suo more tractari. Et licèt Rex plures, & maiores Aduocatos haberet, non tamen defuit qui propter Deum verbum faceret intrepidus pro Regina: videns verò Rex quòd parum proficeret, cùm diebus aliquot litigasset, indignatus recessit, nolens coram ipsis Legatis vlteriùs litigare. Summus autem Pontifex, etsi nunquam potuerat Regem inducere, vt ipsam Reginam diligeret, nunquam tamen cessabat, nec blandis, nec asperis agere apud ipsum, vt eam faceret regaliter honorari, consolatorias, & confortatorias ei litteras sæpe transmittens, & per proprios nuncios eam faciens visitari, de contingentibus nihil obmittens, etsi Regi plurimùm displiceret. Nam eadem Regina conquerebatur se magis esse incarceratam, quàm restitutam. Cùm etsi Rex in victu & vestitu competenter ei faceret prouideri, adeò tamen arctè faciebat eam apud Stampas in regio palatio custodiri, quòd nec ipsa permittebatur exire, nec quisquam ad eam, nisi rarò permittebatur intrare; sicque manebat omni solatio destituta. Interea vacante Metropoli Senonensi, Antissiodorensis ab vniuerso Capitulo vnanimiter est electus, Rege suum præbente consensum: missique sunt nuncij honorabiles & solennes ad obtinendam translationem, & pallium impetrandum. Porrò Summus Pōtifex prudenter attendens, quod idem Antissiodorensis Episcopus vnus fuerat ex illis, qui ab initio interdicti sententiam non seruarunt, & Senonensis Ecclesia eam obseruauerat ab initio; vt discerneret inter inobedientes, & indeuotos, postulationem ipsius in publico consistorio reprobauit, cùm secundùm legem diuinam non sit arandum in boue, & asino; nec quisquam debeat vestem induere de lana, linoque contextam. Vnde quidam protinus clamauit; Nunquam Antissiodorensis Episcopus de benè cantando tantùm acquiret, quantùm de malè cantando iam perdidit. Vniuersis exaltantibus, & laudantibus Deum, præfecit eidem Magistrum Petrum de Corbolio, cuius Parisius in sacra Theologia fuerat auditor, quem iampridem in Cameracensem Episcopum fecerat promoueri.] Ex Rigordo & aliis referunt Altesserra *hîc*, Franc. Florens & Acosta *ad hunc tit.*

b *Nobilis esset genere.*] Michael videlicet de Corbel, Patriarcha Ierosolymitanus, Theologus Parisiensis: apud Vincentium *lib.* 30. *c.* 63. dicitur vir bonus & Deo plenus: à nostro Innocentio *in cap. inter, de purgat.* nuncupatur vir prouidus & discretus, veri Pastoris adimplens officium: referunt fratres Sarmat. *tom.* 1. *Gallia christ. fol.* 635. 2.

c *Funeris*

3. c *Funeris.* Antea enim non poterat eligi successor, *cap. nullus*, 79. *dist. cap.* 3. *in fine* 8. *quæst.* 1. *cap. bonæ*, *el* 2. *de elect.* Docent Petrus Gregorius *de elect. cap.* 13. *num.* 5. Iulius Lauorus *lucubr. eod. tract. cap.* 18. *num.* 20.

4. d *Vnum locum.*] Certum, nam electiones debent fieri in loco certo, solito & consueto, *cap. cùm terra, de elect. cap. quâ fronte, de appellat.* vt in Capitulo, Choro, vel simili, *cap. cùm nobis, de elect.* aut in Ecclesia, *cap. sicut, eod. tit.* Docet Iulius Lauorus *dict. cap.* 18. *num.* 4. Nec interest, quod locus sit interdicto suppositus, *cap. Ecclesia, cap. Cumana, de elect.* Abbas *in præsenti, num.* 33. licèt in electione Romani Pontificis contrarium obseruetur, *cap. vbi periculum*, §. *porrò, de elect. lib.* 6. Castellinus *de elect. cap.* 5. *num.* 40. Lauorus *suprà, num.* 9.

5. e *Appellatum.*] Sed quomodo si appellatum fuit ab electione, proceditur ad ipsam ? contra textum *in cap. adhibita, de elect.* Sed respondetur adhibitâ distinctione: aut enim appellatur, ne fiat electio, vt in nostro textu; & tunc non obstante appellatione proceditur ad electionem; aut ne fiat electio nisi canonicè, & assignatur causa cum iuramento; tunc enim si fiat electio, non valet, *dict. cap. cùm inter, cap. considerabimus, hoc tit. cap. vlt. de supplend. cap. constitutus, de appellat. cap. ex ore, de his quæ fiunt à maiori parte*, Hostiensis *hîc, num.* 1.

6. f *Episcopum.*] Hugonem videlicet de Noyers, qui electus fuit Episcopus Altissiodorensis anno 1183. genere, litteris, & facundiâ clarus dicitur in chronico Altissiodorensi. Varia de eo congesserunt Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 282. Chenu *in serie Præsulum Autissiod.* Ciuitas Autissiodorum, quæ olim Autricus dicebatur, est Galliæ, suffraganea Archiepiscopi Senonensis, vt referunt Fratres Sarmat. *vbi suprà.*

7. g *S. Petri.*] Monasterium S. Petri Viui, Ordinis est D. Benedicti, fundatum à Theodeuilde, anno 507. de eo plura Mireus *cap.* 25. Yepes *centuria* 6. Cironius *in cap.* 2. *de simonia.* Hîc etiam notandum est, Abbatem posse designari procuratorem ab Ecclesia Cathedrali; quod etiam probatur *ex cap. sopitæ, de censibus*, notauit Abbas *in cap. cum I, & A, de re iudicata.*

8. h *Ecclesiæ.*] Ob duritiam Philippi Regis, & expulsionem Episcoporum.

9. i *Pro certo constabat.*] Sed si constabat vt priuato, non autem ex actis postulationis, Pontifex secundum propriam conscientiam sententiam proferre non poterat, cùm iudex teneatur secundùm allegata & probata, non verò secundùm ea, quæ vt priuatus scit, sententiam proferre, *cap.* 2. *de officio Ordinarij, cap. pastoralis*, §. *quia verò, de officio deleg. cap. cùm dilectus, de fide instrum. cap.* 1. 3. *q.* 7. pluribus relatis docent Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 1. Osualdus *lib.* 26. *cap.* 1. *littera K*, & *cap.* 3. *littera B.* Sed licèt hoc verum sit, tamen cùm in præsenti textu Pontifex procederet ad inquisitionem, vt postulatum confirmaret, quia confirmationem præcedit inquisitio, inde Pontifex vtitur illis, quæ vt priuatus sciebat, *cap.* 3. *& penult. hoc tit. c.* 3. *de elect. cap. scriptum, cap. nihil est*, 47. *dist.*

10. j *P.*] Petrum videlicet, vt suprà retulimus. Titulus autem huius Cardinalatus vnus est ex quatuordecim titulis Diaconorum Cardinalium, vt post Germonium, & alios refert Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 6.

11. k *Diœcesi.*] Diœcesis enim Altissiodorensis spectat ad comitatum Altissiodorensem, vt refertur *tom.* 1. *Biblioth. nouiss.* vnde putabat Episcopus, neque quoad iurisdictionem, neque quoad dominium spectare ad Philippum Regem: sed cùm quoad iurisdictionem spectasset ad Regem, potorat interdicto supponi; sufficit enim vt alicuius terra interdicatur, quod spectet ad aliquem ratione iurisdictionis, aut dominij, licèt contrarium defendat Gibalinus *de censuris fol.* 135.

12. l *Interdicta.*] Videlicet propter excessus Comitis Altissiodorensis, Petri scilicet fratris, patruelis ipsius Regis, qui ab Hugone Episcopo Altissiodorensi ob varia facinora excommunicatus fuit, & ciuitas interdicto supposita, cuius celebrem pœnitentiam narrat Spondanus *anno* 1204. *num.* 20. Iterum anno 1209. ipsa ciuitas simul cum Aurelianensi interdicto supposita est, ob certas discordias cum prædicto Philippo Rege, vt ex pluribus Innocentij nostri epistolis referunt Bosquetus *ad Innocentium lib.* 3. *epist.* 39. *&* 40. Spondanus *in prædicto anno, num.* 6.

13. m *Episcopis.*] Diximus suprà promulgatam fuisse interdicti sententiam primò in Concilio Senonensi, apud Senones habitum; & in Concilio à plurimis Archiepiscopis, & Episcopis apud Diuionem congregato. Acta Concilij Senonensis reperiuntur in gestis nostri Innocentij, & refert Spondanus *anno* 1198. *num.* 21.

14. n *Aut.*] Particula, *aut*, in præsenti extat expositiuè, pro *seu*, vel pro *idem*; vt sensus sit, ad legis sententiam, & parendi necessitatem requiri quod solenniter edatur, seu publicè promulgetur, vt accipitur hæc dicto *in l. si seruus*, iuncta Glossa 1. *ff. de reb. auctorit. iudic.* Barbosa *de dictionibus, dict.* 46. *num.* 8. Docet Germonius *lib.* 1. *animad. cap.* 3. probaui *in cap.* 2. *de constitutionibus.*

15. o *Sardicense.*] Clerici enim Constantinopolitani intendebant se non teneri seruare canones Concilij Sardicensis, eo quod Constantinopoli promulgatum non esset Concilium illud; sed condemnati fuerunt à Nicolao Papa *in cap. finali*, 18. *dist.* De Concilio Sardicensi agemus infrà *in cap.* 2. *de electione.*

16. p *Mandatum.*] Et rectè, nam ciuitates Autissiodorensis, & Aurelianensis Regi parebant, illique ad bellum proficiscenti suppetias, & auxilium præstabant, vt patet ex pluribus Innocentij III. epistolis.

17. q *Tunc.*] Si postea adquisiisset ipsam, non censeretur interdicta, vt docet Gibalinus *vbi suprà, de censuris fol.* 134. *consect.* 4.

18. r *Metropolitanam.*] Id est Senonensem. Archiepiscopalis enim Ecclesiæ leges & consuetudines obseruari debent à suffraganeis, *cap. de his* 12. *dist. cap. tua, de sponsa duorum*: probaui *in c. cùm olim, de consuetudine.*

COMMENTARIVM.

19. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu à repetentibus hæc deducitur assertio: *Impostulabilis est ad dignitatem ecclesiasticam qui violauit interdictum.* Quæ conclusio singularis est in iure canonico; per argumentum tamen probari potest *ex cap.* 11. *dist.* 61. *cap. miramur* 24. *quæst.* 1. *cap. finali* 9. *quæst.* 3. *cap. cùm in monasterium, cap. innotuit* 20. §. *habito, cap. bonæ* 23. *cap. cùm inter* 28. *cap.* 30. 46. *& 48. de elect. cap. vlt. de transl. Episc. cap. postulasti*, §. *quæsiuisti, de clerico excom. cap. à nobis, de iurepatron. cap. constitutus, de appellat. cap. cùm dilectus, de concess. præb. cap. is qui, de*

sentent. excom. lib.6. cap. cùm in eo, de elect. eod.lib. Illustrant Iulius Lauorus *de elect. cap. 16. num.6.* Rebuffus *in dict. cap. postulasti, num.95.* Suarez *de censuris disput.33. sect.4. num.14. & 16.* Auila *eod. tract.dub.4. conclus.3.* Marius Alterius *de interdicto, cap.4.* Hurtado, Filliucius, & alij apud Leandrum *de censuris tract.5.quæst.16.* Azor *tom.2.lib.6.cap.17.* Corrasius *de bene ficiis 3.part.cap.2.* Ioannes Dartis *eod. tract. sect.5. cap.2. fol.63.* Valensis *eod. tract. lib.1. tit.3.* Duarenus *lib.5. de sacris Eccles. minist. cap.2.* Coruinus Legaufre, & Cironius *in paratit. ad hunc titulum.* F. florens, I. Acosta & Altesserra *hic.*

20. RATIO DVBITANDI TRADITVR. Verùm hæc assertio dubia redditur ea iuris consideratione; nam illud discrimen communiter assignatur inter electionem, & postulationem, quòd postulatio fieri possit illius, qui iure eligi non potest; electio verò neutiquam, *cap. bonæ 4. cap. vlt. hoc tit. cap. cùm monasterium 13. cap. innotuit 40. de election.* ergo licèt qui violauit interdictum, non possit eligi, ex iuribus pro illustratione conclusionis adductis, potest tamen postulari. Accedit, nam si ille qui violauit interdictum, tanquam indignus, seu incapax dignitatis ecclesiasticæ, non posset postulari, sequeretur postulantem ipsum in Episcopum priuari facultate alium postulandi: sicut qui elegit incapacem, priuatur potestate alium eligendi, ex Concilio Lateranensi relato *in cap. cùm in cunctis, cap.bonæ, de elect.* sed postulantes violantem interdictum, non priuantur facultate postulandi alium, vt constat ex vltimis verbis huius textus, & capite sequenti, vbi refertur, in hoc casu Capitulum Senonense cum effectu postulasse in Archiepiscopum Petrum Episcopum Cameracensem: igitur quia violans interdictum non redditur inde impostulabilis ad dignitatem ecclesiasticam. Augetur tandem hæc difficultas ex eo, nam Episcopus Autissiodorensis non violauit interdictum à Legato in Gallia appositum, eo quod ignorauit appositum fuisse; quia factum præsumitur ignorari, nisi contrarium probetur, *l.verius, ff.de probat. cap.ex tenore, de testibus, cap. cùm in tua, qui matrim. accusare:* sed in præsenti casu probatum non fuit Episcopum sciuisse in regno Galliæ interdictum appositum fuisse: ergo licèt in sua Ecclesia diuina officia celebrasset, non ideò interdictum violauit, & per consequens postulari poterat.

21. POSTVLATIONIS ETYMON ET DEFINITIO. Quâ dubitandi ratione sic fulcitâ minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, postulare nihil aliud esse, quàm poscere, seu petere: vnde postulationes fieri dicuntur apud profanos auctores Diis atque hominibus. De postulationibus Diis factis plura tradunt Cælius Rhodigin. *lib.10.lection. antiq.cap.19.* Turnebus *lib.9. aduers. cap.20.* Atque in hac significatione postulandi verbum accipitur in vtroque iure, in rubrica *de postulando.* In præsenti tamen titulo agitur de quadam postulatione, quæ idem ferè significat in sacris canonibus, ac electio; vnde sæpiùs in eis confunditur, *cap. litteras, cap. Valentinianus, 63. dist.* & electus dicitur postulatus & è contra, *cap.statuimus, §.his, c.Osius, dist.61. cap.1. & 2. hoc tit.* Sed propriè postulatio accipitur pro precibus eligentium eum, quem vel alius nexus, vel clericalis vitæ dispar conditio ab electione remouebant. Quæ postulatio non temerè, nec nisi vrgente necessitate audiebatur, vt si Præsul Ecclesiæ ab alia Ecclesia postularetur, in Concilio, pensatâ Ecclesiæ vtilitate, postulatio vel admittebatur, vel reiicebatur. Concilium Carthagin. apud Gratianum *in cap. placuit 21.7.q.1.* notauit Bosquetus *ad Innocentium III. lib.1.regest.3. epist.13.* Omissis autem pluribus postulationis definitionibus traditis à Gofredo, Canisio, Vasconcellos, Coruino, Legaufre, & Honorio *in parat. ad hunc titulum*, placet communis definitio, vt postulatio *sit eius, qui eligi non potest, concors Capituli facta superiori petitio*; quæ deducitur *ex cap.innotuit 20. cap. bonæ 23. de elect. cap.bonæ, hoc tit.* Explicant Petrus Greg. *de elect. cap. 3. num.11.* Iulius Lauorus *eod. tract. cap.13. num.29.* Cironius *ad hunc titulum.* Postulatio hoc modo sumpta duplex est, alia solennis, alia simplex. Solennis est, quæ per scrutinium fit, seruatâ formâ constitutionis Innocentij, de qua *in cap.quia propter, de elect.* per eam postulatur is, in quem maior, & sanior pars Capituli consentit, quam si admittat superior, habet vim electionis, *cap. scriptum, de elect.* Simplex dicitur, cùm ab aliquo superiore, ad quem spectat munus confirmationis, petitur vt super aliquo defectu dispenset, & in hac non seruatur aliqua forma, nec etsi superior dispenset, habet vim electionis; sed tantùm postulatus redditur habilis ad electionem. Petrus Gregorius & Iulius Lauorus *vbi suprà.* A quibus verò, & de quibus postulatio fieri possit, dicemus commentario sequenti.

22. POSTVLATIO QVATENVS DIFFERAT AB ELECTIONE. Dixi postulationem ab electione in pluribus distare; in aliis verò cum ea conuenire. Differt primò, quia electio nititur iure communi, postulatio verò tantùm gratiâ, *cap. postulationem 5. hoc tit.* ita vt si ob impedimentum, vel defectum electio, quæ stricti iuris est, fieri non possit, recurratur ad postulationis remedium. Vno verbo me expediam; eligitur dignus & habilis, qui nullum impedimentum patitur: postulatur verò qui est dignus, sed inhabilis, licèt non omninò. Secundò differunt, quia per electionem acquiritur ius Prælaturæ, & vinculum matrimonij spiritualis initiatur; per postulationem verò tantùm eligentium vota superiori offeruntur, & diriguntur; atque ideò nullum ius postulato quæritur antequam postulatio admissa fuerit, *cap.3. cum sequent. §. obstabit, hoc tit.* Antonius Chucus *lib.4.instit.tit.2.num.28.* Garcia *de beneficiis 4. part. cap.3. num.7.* Tertiò differunt electio & postulatio in eo, quod electione factâ, & publicato scrutinio, non licet ab ea resilire, immò necessariò collatio facienda est, *cap. publicato 58. de elect.* In postulatione verò secus procedit, quia licet recedere ab ea quousque superiori præsentetur, vt nullum ius postulato adquisitum sit. Docent repetentes *in dict. cap. publicato.* Tandem differunt, quia in electione, si plures sint electi, is potior habetur, qui à maiori parte, & saniori Capituli eligitur, nisi aliud impediat, *cap. dudum, de elect. cap. quia propter, eodem:* in postulatione verò si postulatus concurrat cum electo, non obtinet, nisi habeat duas ex tribus partibus Capituli, *cap. scriptum, de elect.* Coruinus *ad hunc titul. num.4.* Conuenit postulatio cum electione in eo, quod forma electionis præscripta *in dict. cap.quia propter*, seruatur in postulatione. Deinde quia sicut non valet electio illius qui delictum commisit, alióve corporis, aut animi vitio indignus iudicatur; ita nec postulatio, *cap. scriptum 40.* cum aliis, *de electione:* vnde postulari non possunt, sicut nec eligi, homicidæ, periuri, notorij excommunicati, & alij irregulares. Rebuffus *in dict. cap. postulasti, num. 95.* Iulius Lauorus *de elect.*

elect. cap. 14. *num.* 3. Valensis & Ioannes Dartis *vbi suprà.*

23. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Ex quibus profluit vera decidendi ratio præsentis textus; nam cùm violans interdictum ecclesiasticum, etiamsi sit Episcopus, claues Ecclesiæ contemnat, & ecclesiasticæ disciplinæ neruum disrumpat, *cap. finali, de excessib. Prælat.* atque ideò vt irregularis ad dignitates ecclesiasticas eligi non valeat, *dict. cap. cùm inter, de elect.* Suarez & Leander *vbi suprà*, & postulatio conueniat adeò cum electione, vt qui eligi non potest ob delictum, nec postulari valeat, ex suprà traditis; ideò in præsenti deciditur ab Innocentio III. violantem interdicti censuram esse impostulabilem ad dignitatem ecclesiasticam, cùm ad eam eligi non possit, etiamsi sit Episcopus, qui non seruauit interdictum; cùm non minùs Episcopi, quàm alij teneantur censuras ecclesiasticas seruare, *dict. cap. final. de excessib. Prælat.*

24. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obstat ratio dubitandi suprà adducta, verum enim est, postulari posse illum, qui eligi non valet; immò si eligibilis postularetur, postulatio non valeret, *cap. vnico, hoc tit. lib. 6.* Abbas & Cardinalis *in cap. finali, hoc tit.* non tamen omnis, qui eligi non potest, postulari valet; nam qui ob delictum est ineligibilis, similiter impostulabilis est: ille tamen qui ob defectum natalium, ætatis, aut ordinis, siue quia alteri Ecclesiæ adscriptus est, inhabilis est, postulari potest, licèt eligi non valeat, vt dicemus *in cap. finali, hoc tit.* Vnde cùm in nostro textu impedimentum oriretur ex delicto, non verò ex defectu; inde sicut electio non potest admitti, ita nec postulatio. Nec primum augmentum aduersatur, nam licèt certum similiter sit, postulantem indignum priuari potestate postulandi, *cap. 2.* vbi Abbas *hoc tit.* Azor *2. part. instit. lib. 6. cap. 17. quæst. 9.* tamen ex benignitate conseruatur Canonicis Senonensibus facultas postulandi, vt constat ex illis verbis: *Solitâ tamen benignitate*; quam potestatem posteà per abusum amiserunt. Nec vltimum augmentum obstat, cuius difficultatis occasione Bohic. & antiquiores in præsenti illam prolixam satis exagitant quæstionem, quando quis præsumatur scire factum alienum, aut proprium: sed eâ quæstione omissa, ex suprà dictis respondendum est, Episcopum in præsenti ignorantiam allegare non posse, cùm sententia interdicti publicè in Concilio plurimorum Episcoporum esset promulgata, vt suprà retulimus. Vnde certum erat, ipsum agnouisse interdictum appositum esse, sed in gratiam ipsius Philippi Regis, vt alij fecerunt, illud non seruasse; & sic iustè tanquam contemptor clauium Ecclesiæ punitur.

CAPVT II.

Idem [a] *Hostiensi Episcopo Ap. S. Legato.*

GRatum gerimus & acceptum, & fraternitatem tuam plurimùm commendamus, quòd ad promotionem venerabilis f. nostri [b] P. quondam Cameracen. Episcopi, nunc autem Senonen. Archiepiscopi, prudenter, & efficaciter intendisti. Accepimus etiam ex litteris tuis, quod Canonici Senonen. cùm postulatio, quam fecerunt, nostrâ fuisset auctoritate cassata, licèt cassationis litteras suppressissent in fraudem, vt concorditer, & canonicè ad electionem procederent mandauisti, addens etiam, quod nisi forsitan in talem personam concorditer sua vota transferrent, pro qua meritò tuum obtinere deberent assensum, de prouisione ipsius Ecclesiæ postmodùm faceres quod crederes expedire. Cúmque plures eorum postulationem cassatam à nobis innouare denuò niterentur; quidam verò prædictum Cameracen. in Archiepiscopum postularent, tu intelligens eos qui cassationem nostram quodammodo reuocare volebant, eligendi priuilegium amisisse, quia concessâ sibi ex Apostolicæ Sedis benignitate abuterentur temerè potestate, ac ideò ad alios, licèt pauciores numero, quantùm tamen ad hoc pertinet, consilio saniores, eligendi, vel postulandi deuolutam esse licentiam, prædictum Cameracensem ad eorum instantiam in Pastorem auctoritate Ap. prouidisti, & deputasti ad regimen Ecclesiæ Senon. Nos igitur tantò id magis gratum & ratum habentes, quantò in eius promotione de mandato nostro, & beneplacito potiùs processisti, à solicitudine Cameracensis Ecclesiæ ipsum reddimus absolutum, vt liberiùs gerat curam Metropolis Senonensis, quod à te factum est, auctoritate Apostolica confirmantes.

NOTÆ.

1. a *Hostiensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* Hostia perantiqua vrbs est Italiæ, à Roma quatuordecim milliaribus distans, quam Ancus Martius Romanorum Rex in ore Tyberis condidit, vt referunt Sextus Aurelius, ibi: *Ancus Martius Rex Romanorum Hostiam coloniam maritimis commeatibus opportunam in ostia Tyberis deduxit.* Isidorus *lib. 15. orig. cap. 1. Ancus Martius vrbem in exitu Tyberis condidit, quæ & peregrinas merces exciperet, & hostem terreret*; quam ab ipso situ Hostiam appellauit Ouidius.

Hostia contigerat, quâ se Tyberinus in altum
Diuidit, & campo liberiore natat.

Habet Ecclesiam Cathedralem, cuius Antistites quodammodo naturâ Cardinales sunt, Purpuratorumque habentur Decani, ac omnes orbis Episcopos dignitate superant. Huius Ecclesiæ Præsuli Hugolino, qui ex Diacono Cardinali tituli S. Eustachij ab Innocentio III. ad Episcopatum Hostiensem euectus fuit anno 1206. ipse Pontifex scribit,

ſcribit, qui poſt trepidas legationes, quas retuli *in c. cùm venerabilis, de conſuet.* ad Pontificatus faſtigium peruenit anno 1227. Gregorius IX. feliciſſimo omine appellatus, vt plura de Eccleſia Hoſtienſi adducens refert Vghellius *tom.* 1 *Italiæ, pag.* 83.

b *P.*] Petrus de Corbelio, de quo egi *in cap. cùm omnes 6. de conſtit.* & de Eccleſia Cameracenſi aliqua notaui *in cap. cauſam* 17. *de reſcriptis.* 2.

CAPVT III.

Idem [a] *Clericis Rauen. Eccleſiæ.*

BOnæ mem. Archiepiſcopo veſtro, viam vniuerſæ carnis ingreſſo, eius nobis obitum per veſtras litteras intimaſtis. Nos autem vobis dedimus in mandatis, vt perſonam idoneam, quæ in noſtra deuotione perſiſteret, vobis eligeretis canonicè in Paſtorem. Cúmque vos poſtmodùm receptis litteris, ſuper electione ſubſtituendi [b] Pontificis tractaretis, vota veſtra fuerunt in diuerſa diuiſa. Nam quidam veſtrûm dil. f. n. [c] S.tit. Sanctæ Praxedis Preſbyterum Cardinalem; quidam verò ven. f. noſtrum [d] Imolen. Epiſcopum poſtulauerunt. Cúmque partes poſtulationes ſuas per ſuos nuncios præſentaſſent, proponebatur ab his, qui Cardinalem poſtulauerant memoratum, quod plures quàm duæ partes veſtrûm conuenerant in eundem. Verùm pars altera proponebat, quod digniores perſonæ poſtularant Epiſcopum Imolen. & quod in poſtulatione ipſius, & forma canonica, & tenor [e] fuerat obſeruatus; cùm tanquam ſuffraganeus Rauennatis Eccleſiæ poſtulatus de ipſius gremio extitiſſet. Fuerat enim compromiſſum, vt de corpore Rauennat. Eccleſiæ, vel Archiepiſcopatus perſonam eligerent congruentem; quod pars altera friuolum aſſerebat, cùm etſi talis conditio fuiſſet adiecta, poterat tamen de Romanæ Sedis collegio propter ipſius priuilegium præfata poſtulari perſona, cùm membra capitis à membris corporis cenſeri non debeant aliena. Nos igitur auditis quæ de facto fuerant hinc inde propoſita, & de iure inſuper allegata, deliberauimus cum fratribus noſtris, & pleniùs etiam pro vtralibet partium curauimus [f] allegare. Conſiderauimus verò quod eiuſdem Cardinalis perſona vtilior ſit, non ſolùm Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ [g] generali, tam apud Ap. Sedem, quàm apud Rauennarum Eccleſiam; & quod maioris meriti ſit in huiuſmodi neceſſitatis articulo præire in Terræ Sanctæ [h] ſubſidium, exercitui Ieſu Chriſti, quàm ſuſcipere pondus officij Paſtoralis. Vnde non immeritò præferentes ſpeciali vtilitati communem, & minori maiorem, prædictum Cardinalem poſtulationi veſtræ non duximus concedendum: attendentes autem ex altera parte, quod prædictus Epiſcopus Imolen. à minori quàm tertia parte fuerit poſtulatus, & quod Ap. Sed. poſtulationes huiuſmodi non conſueuerit in tanta [i] diuiſione, ac contradictione recipere, cùm quando etiam aliquis ab aliis vnanimiter poſtulatur, ad admittendam [k] poſtulationem eorum, non tam ex iuſtitia, quàm gratia moueatur, poſtulationem ipſius non duximus admittendam. Monemus igitur dil. v. & exhort. at. & per Ap. ſ. m. quat. infra menſem poſt ſuſceptionem præſentium, cum iis qui vocem in electione habere noſcuntur, per electionem, poſtulationem, ſeu nominationem canonicam, in perſonam idoneam, quæ in Eccleſiæ Romanæ deuotione perſiſtat, concorditer conuenire curetis, & electionem, & poſtulationem veſtram, ſeu nominationem per idoneos nuncios Sed. Ap. præſentetis. Venient autem iidem nuncij parati, vt ſi fortè (quod abſit) factum veſtrum fuerit exigente iuſtitiâ reprobandum, illum recipiant, quem nos vobis prouidebimus in Paſtorem. Alioquin cùm eidem Eccleſiæ cupiamus ſolicitiùs prouidere, nullatenus omittemus, quin ei authoritate Ap. Paſtorem idoneum aſſignare curemus.

NOTÆ.

1. a *Clericis.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. ſed quomodo, cùm temporibus Innocentij III. electio Epiſcoporum ad proprium Capitulum, id eſt Canonicos, ſpectaret, *cap. cùm in Eccleſia*, vbi probat Balboa, *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* & nos *in cap.* 2. *de electione*, reſcribit Innocentius Clericis, inuens ab ipſis electionem Epiſcopi factam fuiſſe? Antiquiores repetentes in præſenti aſſerunt, Canonicis reſcriptum videri, quia Clericorum appellatione Canonici continentur, *cap. cùm in cunctis*, §. *clerici, de elect. cap. cùm clerici, de v. ſ. cap. per exceptionem, de priuil. lib.* 6. Sed licèt hoc principium verum ſit, tamen maius myſterium latet in hac inſcriptione. Sciendum enim eſt, Canonicos Eccleſiæ Rauen. inter alia plurima priuilegia, quibus à Sede Apoſt. ſunt decorati, illud etiam habere, vt appellentur Clerici Cardinales, *cap. illud, 93. diſt.* Gloſſa *in cap. pudor*, 32. *quæſt.* 2. ſicut quidam Canonici Compoſtellanæ Eccleſiæ dicuntur Cardinales

nales Clerici; vnde tanquam Cardinales mapullis vti volebant, vt constat *ex d. cap. illud*: quare Innocentius eis rescribit sub appellatione Clericorum. De Rauennatensi Ecclesia egi *in cap. si quando, 5. de rescriptis.* & præsentem casum refert Rubeus *lib.6. Hist. Rauen.*

2. b *Pontificis.*] Pontifex propriè dicitur Summus Episcopus, id est Papa, vt probant huius nomenclaturæ rationem reddentes Morinus *lib.1. exercit. cap.1.* Alciatus *lib. 2. parerg. cap. 7.* Theophilus *tom. 10. in corona aurea Rom. Pontif. verbo Pontifex Maximus,* & *Pontifex Summus.* Sed primis, immò & sequentibus Ecclesiæ sæculis nomen hoc communicatum fuit Episcopis, qui Summi Pontifices plerumque appellantur, *cap.mirum, 61. dist.cap.legum, 2. quæst.1.* Concilium Agat. *2. can.35.* Tauritanense *can.1.* Leo I. *epistola* 84. probarunt Sauarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 11.* Ambianas *ad Tertull. de pudicitia, cap.13. observ. 1.* Rousselius *lib. 8. hist. Pontif. iurisd. cap. 2. num.8.* I. Filesacus *in cap. 9. §. 5. de officio ordin.* Mendoza *lib. 2. Concilij Illeber. cap. 30.* Basilius Legion. *lib.7. de matrim. cap.10. & quæst.3. schol.cap.9.*

3. c *S.*] Sofredum, licèt nonnulli Gofredum eum appellent. Titulus S. Praxedis est Presbyteri Cardinalis, ad Basilicam S. Laurentij extra muros cum aliis adscriptus, vt refert Cohelius *in notitia Cardin. cap.6.*

4. d *Immolen.*] Maynardinum dictum, quem Rubeus Maldinum appellat, de quo Vghellius *tom.2. Italiæ, pag.684. num.23.* De Ecclsia Immolensi aliqua adduxi *in cap. dilectus, 26. de rescriptis.*

5. e *Compromissiones.*] De electione per compromissum, & eius forma agemus *in cap. causam, de electione.*

6. f *Alligare.*] Iudex enim potest supplere quæ desunt Aduocatis, & partibus, in his, quæ spectant ad ius partium, *l.vnica, C. vt quæ desunt Aduocatis:* notant communiter Interpretes.

7. g *Ecclesiæ generali.*] Cardinales enim in negotiis Ecclesiæ vniuersalis terminandis assistunt R.Pontifici; vnde licèt ratione Ordinis Episcopi illis maiores sint, tamen ratione administrationis maiores sunt Cardinales, *cap.quamquam 2 quæst.7.* ibi: *Quamquam secundùm honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus maior Presbyterio sit, tamen Augustinus in multis rebus Hieronymo minor est.* Plura Cohelius *in notit.cap.8.*

8. h *Subsidium.*] Innocentius enim noster valdè solicitus de subsidio Terræ sanctæ, destinauit Sofredum Presbyterum Cardinalem tituli S. Praxedis, qui prædictam expeditionem in terram sanctam promoueret, & exercitum comitaretur, vt refert Spondanus *anno 1199. num.1.*

9. i *Diuisione.*] Similia refert Honorius III. *in cap.2. hoc tit.in 5.* ibi: *Duabus postulationibus, vna videlicet de ven. f.n. Cenad. reliqua verò de ven. f.n. Nitrien. Episcopis in Strigon. Ecclesia celebratis, cùm nullam eorum inuenerimus esse canonicam, & in tanta contradictione non consueuerit fieri postulatio, quæ si etiam concorditer fieret, plus gratia, quàm ius, requirit admitti, neutram de f.n. conf. duximus admittendam.*

10. k *Postulationem.*] Superiori capite differentiam inter electionem, & postulationem tradidimus; nunc quid inter postulationem, & nominationem intersit, videamus? Et præcipua differentia in eo consistit: nam nominatio est quæ fit duorum, pluriumve; electio verò, seu postulatio, vnius, *cap. congregatio 16. quæst.7.* vnde in Episcopo Neapolitano nominando tres sibi nominari iubet Gregorius Magnus *lib.2. epist.15.* Notant Cironius *in nostro tit.* Petrus Gregorius *de elect. cap.3.* Iulius Lauorus *de elect.cap.13. num.33.* licèt propter vocum promiscuam significationem nominatio accipiatur pro electione, *in cap.cùm olim, de elect.* Deinde, nam cùm vnus postulatur, is solus dignior censetur; in nominatione, primò nominatus, *cap. quorundam, de elect. in 6.* Deinceps, nam postulatio pendet ex mera gratia, & liberalitate; nominatio autem non ita: magis enim adstringitur superior eam prosequi. Vnde Patronorum nominationes admittere tenentur Superiores, *cap.pastoralis, de iurepatronat.* si nominatus sit idoneus; ideò nominatores creatores dicuntur, *l. si quos 59. Cod. de decurionibus, lib.10.* Docet Cironius *ad nostrum titulum.*

COMMENTARIVM.

11. CONCLVSIO PROPONITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur disputanda assertio: *Postulatio facta à minori, quàm tertia parte, non debet admitti.* Probant textus *in cap.1. cap. bonæ, el 2. hoc tit. cap. scriptum, de elect. cap.2. hoc tit. in 5. compil.* Illustrant Sylvester *in summa, verbo Postulatio, quæst.2.* Azor *2. part. moralium, lib.4. cap.17. quæst.3.* Castellinus *de elect. cap.2. num.8.* Petrus Gregorius *de elect. cap.3. eod.tract. cap.14. num.7.* Layman *de Prælator. electione cap.1. quæst.1.* Barbosa *tom.1. voto 33.* Dartis *de beneficiis cap.2. fol.63.* Valensis *de beneficiis lib.1.tit.3.* Garcia *tom.2. polit. regularis, fol.9.*

12. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed aduersus hanc conclusionem illa expendi potest difficultas; nam licèt admittere postulationem pendeat à potestate superioris, *cap. postulationem, hoc tit.* tamen iniuria fit postulantibus, si sine causa non admittatur, argumento legis *1. §. penult. ff. de aqua pluuia.* Docent Lauorus *dicto cap.14. num.9.* & Petrus Gregorius *dict. cap.3.* sed in præsenti non erat causa, ob quam postulatio non admitteretur: ergo reiici non debebat. Probatur minor, nam cùm pars minor, & sanior Capituli iustè, & rationabiliter aliquid statuit, non minùs ratum habetur, quàm si à maiori parte fiat, *cap.1. de his, quæ fiunt à maiori:* sed in præsenti minor pars rationabiliter maiori se opponens, postulauit Episcopum Immolensem: ergo eius postulatio admitti debebat.

13. QVI POSSVLARE POSSINT.

Quâ difficultate minimè refragante, vera est præsens assertio, pro cuius illustratione sciendum est, omnes illos posse postulare aliquem in Prælatum, qui possunt illum eligere. Hostiensis *in præsenti,* & *in summa huius tituli:* vnde mandatum ad eligendum datum, censetur datum ad postulandum, *cap.in causis 36. de elect.* Iulius Lauorus *c.14 num.1.* an omnes postulantes debeant consentire, ab Interpretibus hæsitatur? Et omnes debere consentire, docet Cironius *in 5. compil. in cap. 1. hoc tit.* motus eo fundamento, quia cùm iuri communi aduersetur, & ex gratia quodammodo fieri dicatur, *ex nostro cap. bonæ,* incongruum est aliquibus ex Capitulo renuentibus, alios collegij benignitatem velle impartire, inuitosque ad gratiam faciendam compellere, cùm iuris præceptum sit, vno contradicente gratiam fieri non posse, *cap. precaria,* vbi Glossa, *verbo Si quam gratiam 10. q.2.* Sed verius est, sufficere maiorem partem Capituli, vt in aliis actibus desideratur, & obseruatur, vt docent Iulius Lauorus *dict. cap.14.* Corrasius *de benef.*

benef.3. part. cap.2. nec obstat Cironij fundamentum, nam procedit quando Capitulum gratiam facit; non verò quando eam petit, vt docuit Corrasius suprà *num.7.* Deinde sciendum est, non sufficere eligentium concordem postulationem, sed desiderari causam, siue vtilitatem Ecclesiæ, in ipsa postulatione; vnde olim in Synodis, vbi approbatio postulationum fiebat, vtilitas Ecclesiæ attendebatur, & inspiciebatur, & sic postulatio reiiciebatur, vel admittebatur, *c. Episcopus 37. 7. quæst.1.* & ideò Eug. III. R. P. relatus à Baronio *tom.12. anno 1145.* contradixit postulationem factam de Guiemano Cycensi Episcopo, in Archiepiscopum Magdeburgensem; quia nulla euidens vtilitas eam postulasset: idem de Archiepiscopo Thessalonicensi refertur ab Innocentio III. *lib.1. epist.3.*

14. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus proficiscitur vera decidendi ratio huius textus. Nam cùm postulatio debeat fieri à maiori parte Capituli, & ex eo, quia regulariter quod fit à maiori parte Capituli, præsumitur factum à saniori, *cap.1. de his quæ fiunt à maiori parte*; ideo postulatio facta à maiori quàm tertia Capituli parte, non admittitur; & cùm vtilitas Ecclesiæ desideretur, nullaque in præsenti casu adesset, ideò postulatio admissa non fuit. Vtilitas autem non aderat, quia in contrarium vrgebat bonum publicum, quod priuato præferendum est, iuxta Philosophum *lib.3. polit. cap.4.* quod superiores præcipuè respicere debent, *cap. scias 7. q.1.* Cardinalis enim præerat exercitui in expeditione Terræ sanctæ, vbi vniuersalis Ecclesiæ commodis deseruiebat: quare eius postulatio admitti non debuit, vtpote facta absque vlla vtilitate. Nec tunc obstat difficultas suprà adducta; nam postulatio in præsenti casu admissa non fuit ob prædictas causas, ob quas Ecclesia Romana non consueuit similes admittere postulationes, vt docent Honorius III. *in cap.2. hoc tit.* Innocentius III. *lib.1. epist. 138. regest.13.* ibi: *Postulationem de memorato Episcopo tantummodo factam à tribus, quamquam persona commendabilis haberetur, non duximus admittendam.* Vnde rectè, & consequenter idem Innocentius in præsenti postulationem ita cùm contradictione factam reiicit.

15. INTELLIGITVR CAP. SCRIPTVM, DE ELECTIONE.

Sed superiori assertioni obstat textus *in c. scriptum, de elect.* vbi cùm disceptetur causa inter quendam electum, & alium postulatum, deciditur, vt si duplo maior fuerit inuentus numerus postulantium, quàm eligentium, postulatus admittatur. Ex qua decisione ita conficitur argumentum: En textum, vbi ad postulationem desideratur, vt postulatus habeat duplo maiorem partem Capituli: ergo non sufficit pars maior Capituli. Cui difficultati respondendum est asserendo, in eo textu non agi de postulato vtcumque, sed de postulato concurrente cum electo; tunc enim non pars maior, sed pars duplo maior desideratur, *cap. bonæ 3. hoc tit.* Docet Bosquetus *ad Innocentium lib. 3. epist. 44. regest.15.* Vnde cùm in hoc textu postulatus non concurreret cum electo, sufficit maior pars Capituli, vt electio admittatur.

16. EXPONITVR CAP. ECCLISIA DE ELECT.

Secundò aduersatur textus *in cap. Ecclesia vestra 55. de elect.* vbi vacante quadam Ecclesia Canonici elegerunt sibi in Episcopum Cardinalem quendam; & talis electio non cassatur à Pontifice, immò supponitur Cardinalem eligi posse in Episcopum: ergo non rectè in nostro textu deciditur, Cardinalem in Episcopum postulari, non verò eligi debere; quod ex nostro textu docuerunt Azor *2. p. instit. lib.4. cap. 3. quæst.13.* Gonzalez *in regul. 8. glossa 44. num. 123.* Borellus *in summa decis. tit.10. num.8.* Lauorus *de elect.cap.16. num. 67.* Huic difficultati duplici modo Doctores satisfaciunt. Primò asserendo, Cardinalem ibi in Episcopum electum non esse Cardinalem vrbis Romæ, sed tantùm Canonicum Cardinalem ipsius Ecclesiæ, quia vt in inscriptione huius textus obseruaui, in aliquibus Ecclesiis Canonici priuilegio Pontificis appellantur Cardinales, & sic eligi, non postulari. Moneta *de decimis cap.9. quæst.3. num. 114.* Secundò asserunt, ibi electionem accipi pro postulatione, vt in aliis passim vsurpatur. Ita post Azorium, & Iulium Lauorum docet Barbosa *in nostro textu, num.8.*

CAPVT IV.

Idem *Præposito & Cap.* [a] *Strigon.*

BOnæ memoriæ Guil. Archiepiscopo vestro viam vniuersæ carnis ingresso, cùm in ven. f. nostrum [b] Colocen. Archiepisuopum postulandum à nobis contulissetis vnanimiter vota vestra, & regium super hoc obtinuissetis assensum, suffraganei Strigonen. Ecclesiæ, [c] Quinque-Ecclesien. videlicet, Atien. Pruen. & Nitrien. Episcopi, postulationi vestræ se opponere curauerunt, asserentes quod eis contemptis, qui ius habebant [d] eligendi vobiscum, postulatio eadem fuerat attentata; licèt nuncij vestri proponerent ex aduerso, quod super præficiendo vobis Pontifice de gratia multotiens suffraganeorum fuerat requisitus assensus, sed Episcopi vobis consilium denegauerunt. Nunciis igitur in nostra præsentiâ constitutis, & proponentibus aduersariis quædam alia contra postulationis vestræ processum, quæ in prioribus litteris meminimus nos pleniùs expressisse, quia nobis de propositis non constabat, ita duximus prouidendum, vt si suffraganeis persistentibus in contradictione sua, vos postulationi vestræ volentes instare vsque ad Septuagesimam tunc primò venturam, per procuratores idoneos ad omnia sufficienter instructos ad Sed. Apost. veniretis, vt statueremus vtraque parte præsente, quid iustitia suaderet. Si autem illi à contradictione cessarent, & vos proposito vestro instaretis, mitteretis ad præsentiam nostram

personas

personas idoneas infra terminum supradictum : qui super his , quæ opportuna forent, nos redderent certiores. Quod si contradicentibus Episcopis memoratis, vos contingeret de iure vestro diffidere , ne laborem & dolorem subiretis in cassum, aliam personam idoneam prouideretis vobis canonicè in Pastorem. Cæterùm cùm inclytæ recordationis [e] Rex Vngariæ viam fuisset vniuersæ carnis ingressus , quidam vestrûm à postulatione , quam nobis præsentaueratis communiter, temerè recedentes, aliis persistentibus in eadem , & ad Sed. Ap. appellantibus, prædictum Quinque-Ecclesiensem Episcopum in Archiepiscopum postulauerunt, quorum votis nullus Suffraganeorum assensit, excepto dumtaxat Episcopo [f] Nitrien. Et licèt charissimus in Christo filius noster A. Vngariæ Rex Illust. tunc Dux Regni Vngariæ, L. nepotis sui Regis nomine, cuius tutelam & regni curam ipsi frater eius commiserat Gubernator, precum suarum primicias ad nos ad prædicti Colocen. postulationem transmiserit, postmodùm tamen pro Quinque-Ecclesiensi Episcopo ad Strigonen. Metropolim transferendo nobis per litteras suas humiliter supplicauit. Nos igitur super postulatione ipsa cum fratribus nostris habito diligenti tractatu , quoniam inuenimus eam post appellationes interpositas, in multa discordia non solùm Suffraganeorum , verùm etiam Canonicorum Strigonen. Ecclesiæ , contra formam mandati nostri, regulari ordine prætermisso, temerè celebratam , illam exigente iustitiâ non duximus admittendam ; sed vobis dedimus in mandatis, vt ad prouidendum vobis Pastorem idoneum , per electionem canonicam, vel postulationem concordem , requisito Suffraganeorum assensu , si esset de antiqua , & approbata [g] consuetudine requirendus , infrà mensem post susceptionem litterarum nostrarum procedere curaretis ; alioquin ex tunc , ne gregi Dominico deesset diutiùs cura pastoralis , nos ipsi prouideremus Ecclesiæ viduatæ , secundùm officij nostri debitum , ex plenitudine Apostolicæ potestatis. Verùm antequam ad vos nostræ litteræ peruenirent , innitentes mandato priori , Suffraganeos qui erant in Regno præsentes, præter prædictum Quinque-Ecclesiensem Episcopum, ad concordiam reuocastis, ita quod Atrien. & Esprumen. & Iacien. Episcopi , pro translatione Colocen. Archiepiscopi, suo iure saluo in posterum , cui propter afflictionem & necessitatem Strigonen. Ecclesiæ supersedebant ad præsens , nos humiliter rogauerunt , prædicto Nitrien. scribente, quod si non placeret nobis electionem factam de Quinque-Eccleſien. admittere , postulationem alterius , sine præiudicio iuris sui , suppliciter exorabant. Post hæc autem mandato nostro susceptо , ij qui conuenerant in Archiepiscopum Colocen. ab eius postulatione , sicut fuit propositum coram nobis , recedere noluerunt ; sed innouantes eandem , quibusdam Canonicorum , qui in partem alteram declinauerant, reuersis ad eos, cum prædicti Regis & Suffraganeorum litteris dil. f. A. Magistrum Scholarum , M. Thesaurarium , Archid. & l. & N. Canonicos Strigon. Ecclesiæ ad Sed. Apostolicam destinauerunt , super postulatione sua dispensationis gratiam petituros. Cæteri verò qui Quinque-Ecclesien. Episcopum postulauerant , sicut ex eorum parte fuit propositum coram nobis , conuenientes in vnum , cæteros Canonicos ad Capitulum conuocarunt, ad postulationem concordem , vel electionem canonicam , iuxta mandatum Apostolicum infrà terminum præfixum procedere cupientes; sed illis nolentibus conuenire , intelligentes penes se tantùm remansisse facultatem liberam eligendi , quia reliqui ius suum prosequi negligebant , prædictum Quinque-Ecclesien. Episcopum , licèt ne id fieret , fuisset ab aliis appellatum , denuò postularunt. Cùm ergo vtriusque partis nuncij ad Sed. Apost. peruenissent, ij qui pro Quinque-Ecclesiensi Episcopo venerant, proponebant partem suam iuxta mandatum Apostolicum processisse , non obstante discordiâ , vel contradictione eorum , qui iuxta formam mandati nostri procedere contemnentes , illo recepto nec elegerant quemquam canonicè , nec concorditer postularant : vnde concors debebat eorum postulatio reputari , cùm cæteri , tanquam iussionis Apostolicæ contemptores, eligendi & postulandi se iure priuassent , dum nec postulare , nec eligere voluerunt , immò etiam nec ad Capitulum conuenire. Ad hoc autem poterat responderi , quod illi, qui Colocen. Archiepiscopum postulauerant, formam sequuti fuerant per nostras litteras sibi datam ; quoniam innitentes postulationi priori, iuxta tenorem litterarum priorum nostrarum concordè fecerant , quæ fuerat priùs discors , dum suffraganeos ad concordiam reuocauerant. Nec nocebat eorum discordia qui alium postulauerunt, cùm prius in postulatione Archiepiscopi supradicti conuenissetis pariter vniuersi,

uersi, & consensum vestrum annotatum litteris, & subscriptionibus propriis roboratum petiissetis à nobis per communes nuncios confirmari, nosque vestram recepissemus postulationem diiudicandam, si Suffraganei forsitan in contradictione persisterent; aut si concederent, approbandam. Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & iudicium nostrum pendere ex eorum arbitrio videretur. Poterat quoque addi, quod pars altera mandatum Ap. non seruarat, vtpotè quæ nec postulationem concordem, nec electionem canonicam celebrarat, cùm in maiori contradictione quàm priùs, non solùm Canonicorum, sed Suffraganeorum, etiam ipso Rege aduersæ parti fauente, prædictum Quinque-Ecclesiensem Episcopum postulasset. Auditis igitur his & aliis, quæ fuerunt hinc inde proposita, & habito super his cum fratribus nostris diligenti tractatu, intelleximus quod etsi neutra esset postulatio approbanda; iuxta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cærero Strigonen. Ecclesiæ prouisio pertineret. Quia verò non plenam de personis illius Regni notitiam habebamus, ideò non poteramus saluâ conscientiâ nostra eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno [h] Vngariæ originem duceret, congruè prouidere; nec vellemus ei præficere alienum, quamuis & honestius videretur, si Suffraganeus ad Metropolim suam accederet, quàm Archiepiscopus ad Metropolim transferretur; partem tamen eligimus potiorem. Et eundem Archiepiscopum, in quem omnes, quorum consensus in electione, vel postulatione Pastoris requiritur, licèt diuersis temporibus, conueneranr, à vinculo quo tenebatur Colocen. Ecclesiæ absoluentes, ad Metropolim Strigon. transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi, pallium ei ad nomen & vsum eiusdem Ecclesiæ transmissuri.

NOTÆ.

1. a *Strigonen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. Ex qua textum transcribo. Strigonensis Archiepiscopatus est in Regno Vngariæ, cuius Archipræsul, Primas est totius Regni, à quo Reges Vngariæ coronam accipiunt; & etiam Legatus natus est Sedis Apostolicæ, vt notauit Bosquetus *ad Innocentium III. lib.* 2. *epist.* 155.

2. b *Colocen.*] In Vngaria est ciuitas Collecia, vel Kaloquia, à Collecianis ita dicta. Bonfinus *in rebus Vngariæ, decade* 1. *lib.* 1. Habet Ecclesiam Metropolitanam nullo iure subiectam Strigonensi, vnde tot controuersias legimus disceptatas inter Colocensem, & Strigonensem Archipræsules apud Innocentium III. *lib.* 2. *epist.* 155. vbi notauit Bosquetus. Mentio Colocensis Ecclesiæ fit *in cap. dudum, 22. de elect. cap. cùm inferior, de maiorit. & obed. cap. ex parte, de arbitris, cap. exhibita, de iudiciis, cap. intellecto* 33. *de iureiurando:* & de ea aliqua notarunt Cironius *in eod. textu, in* 5. *compil.* Chopinus *de sacra polit. tit.* 1. *fol.* 84.

Collecia vbi.

3. c *Quinque-Eccles.*] Sunt Ecclesiæ Cathedrales in Vngaria, suffraganeæ Strigonensis, vt constat ex Vngariæ descriptione, & Episcopatuum serie relata à Barbosa *part.* 1. *de potest. Episcopi.*

4. d *Eligendi.*] Olim enim in electione Episcopi tres eiusdem prouinciæ Episcopi saltem interesse debebant, reliquorum Suffraganeorum consensu accedente, *cap. non licet, 63. distinct. canon.* 4. *Synod. Nicænæ, canon.* 5. *Synod. septimæ.* D. Cyprianus *epist.* 68. *Episcopi eiusdem prouinciæ proximè quoque conueniant, & Episcopus eligatur.* Dicemus *in cap. si Archiepiscopus, de tempor. ordin.*

5. e *Rex.*] Andreas videlicet II. cui rescribitur *in cap. intellecto* 33. *de iureiurando.*

6. f *Nitrienſi.*] Vel Litrienſi, qui est Vngariæ Regni Cancellarius, Suffraganeus Strigonensis.

7. g *Consuetudine.*] Ex consuetudine enim potest ad aliquos spectare electio, *cap. querelam, de elect. cap. cùm dilectus, de consuet.* Iulius Lauorus *de elect. cap.* 15. *num.* 9.

8. h *Vngariæ originem.*] Hæc verba illustrabimus *in cap. finali, de clericis peregrinis.*

COMMENTARIVM.

9. IN hoc textu expressè deciditur, postulantes à postulatione recedere non posse, ex quo ipsa postulatio præsentata est superiori; & ita ex hoc textu docuerunt Iulius Lauorus *de elect. cap.* 15. *num.* 8. Sylvester *verbo Postulatio, quæstion.* 8. Petrus Gregorius *de elect. cap.* 3. Iacobus de Zecchis *in repetit. ad hunc textum*, Layman *in summa de elect. lib.* 1. *cap.* 1. Nec obstat, per postulationem postulatum aliquod ius non adquirere, *cap. per postulationem*, ibi, *nullum ius:* vnde postulatus non potest exercere aliqua quæ sint iurisdictionis, aut ordinis. Iulius Lauorus *suprà:* ergo cùm nullum ius postulato acquisitum sit, poterunt postulantes à postulatione recedere, & alium postulare. Nam respondetur, verius esse postulantes non posse variare, postulatione coram superiore præsentatâ, ne illudatur superioris auctoritas, & videatur eius iudicium ex varietate postulantium pendere: præcipuè cùm per eam satis voluntatem suam superiori demonstrauerint, & sic eam postea mutare non possunt: & licèt ius adquisitum non sit postulato, tamen id procedit, quia totum ex gratia superioris pendet, qui potest confirmare, vel respuere: at quoad postulantes iam perfecta est actio, dum postulatio superiori

præsentata

præſentata eſt; vnde ante præſentationem variare poterunt, poſtea verò neutiquam. Ad hanc etiam decisionem ſpectat ſequens textus, qui etiam reperitur in tertia collectione, *ſub hoc titulo cap.5.*

CAPVT V.

Idem *Capitulo Strigonienſi.*

POſtulationem, quam celebratis. *Et infrà* : Licèt ergo per poſtulationem huiuſmodi nullum ius ſit alicui acquiſitum, ideoque ſine præiudicio alicuius poſtulationem potuiſſenus repellere memoratam; vt tamen vobis de ſpeciali gratia conſulamus, ita duximus prouidendum, quòd per procuratores idoneos, ad omnia ſufficienter inſtructos, noſtro vos conſpectui præſentetis, quatenus vtraque parte præſente, quod iuſtum fuerit, decernamus.

CAPVT VI.

Honorius III. *Archiepiſcopo* [a] *Calaritano.*

ETſi vnanimiter vota veſtra concurrerint ad ven. f. n. Suellen. [b] Epiſcopum in Eccleſiæ veſtræ Archiepiſcopum eligendum, quum ſuæ alligatus Eccleſiæ liberum non habeat ſine noſtra permiſſione [c] volatum, electionem de ipſo factam, tanquam contra canones minùs licitè attentatam, de conſilio fratrum noſtrorum duximus irritandam; quum eligi nullo iure potuerit, ſed potiùs poſtulari. Volentes tamen, quantùm cum Deo poſſumus, deſideriis veſtris benigno fauore occurrere, dil. filiis H. Subd. & R. [d] Capellanis noſtris, Ap. Sed. Leg. duximus iniungendum, vt & vota veſtra circa ipſum exquirant, & perſonæ merita vice noſtrâ examinent diligenter, eundem ad nos cum litteris ſuis rei veritatem continentibus deſtinando, vt ſi idoneus repertus fuerit, diſponente Domino, & ipſi, & Eccleſiæ veſtræ vtiliter prouideatur.

NOTÆ.

1. a *Calaritano.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *ſub hoc tit. cap.1.* Calaris, vulgò *Caller*, non tantùm Metropolis ciuilis fuit totius Regni Sardiniæ, verùm & eccleſiaſtica. Vnde & illam primariam vrbem Sardiniæ vocat Theodoretus *lib.2.hiſtor. eccleſ.cap.15.* & Ianuarius eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus dicitur à D. Gregorio *lib.1. indict.9. epiſt.* 60. qui ad eum multas ſcripſit epiſtolas, eique præcepit *lib. 3. epiſt. 9.* vt bis in anno Concilia prouinciæ ſuæ celebraret. Immò Præſulem Calaritanum Metropolitanum fuiſſe inſularum Balearium, probat Carolus à S. Paulo *lib. 1. Geograph. ſacr. fol.49.* & plura de origine & magnitudine ipſius vrbis congeſſerunt Dionyſius Bonfant. *in hiſtoria Sardiniæ, lib.1. cap.1. lib.12. cap.1. lib.13. cap. finali*; D. Franciſcus Vicus *part. 1. hiſtor. Sardin. cap.* 13. & de eius primatu plura congeſſit Barboſa *in cap. ſi diligenti, de for. compet. n.17.* & *de poteſt. Epiſcop. titul. 3. cap. 7.* Eius mentio fit *in cap. niſi* 10. *de renunc. cap. cam te* 22. *de iureiurando, cap. 3. de offic. ordin. in 5. compil. cap. vlt. de ſentent. excomm. in eadem*, vbi notauit Cironius.

2. b *Suellenen.*] Perperam Raymundus legit *Suerinenſi.* Suellis enim ciuitas erat in Sardinia, Epiſcopali Cathedrâ decorata, poſteà tamen tranſlata fuit Sedes, & vnita in Calaritanam.

3. c *Volatum.*] Simili verbo vſus fuit Pontifex, *in cap. niſi, de renunc.* qui enim de vno Epiſcopatu in alium ſe transfert, inuaſor, & raptor dicitur, *canon. 16. Synodi Antiochenæ.* Volare, & inuolare, importat idem ac eripere, *l. expugnatur 6. ff. de incendio.* Ex Lucano & Sidonio probat Cironius *in præſenti.*

4. d *Capellanis noſtris.*] Qui hodie Clerici Cameræ Apoſtolicæ nuncupantur, quorum munia, iura, & dignitates refert Cohelius *in notit. Card. cap.47.*

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Epiſcopus non eſt eligendus, & promouendus ad aliam Eccleſiam, ſed poſtulandus.* Probant eam textus *in cap.10. & 11. 61. diſt. cap. bonæ 4. cap.vnico, hoc tit. in 6. cap. bonæ 23. cap. in cauſis 30. cap. ſcriptum 40. de elect. cap.vlt. de tranſlat. Epiſc. cap. poſt tranſlationem, de renunciat. extrauaganti vnica, hoc tit.* Illuſtrant Antonius Chucus *lib.2. de inſtit.cap.4.* Acuña *in cap. Oſius, 61. diſt.* Corraſius *de beneficiis part. 3. cap. 2.* Boſquetus *ad Innocentium lib. 1. epiſt. 23.* Duarenus *lib.5. de ſacris, cap.2.* Iulius Lauorus *de elect. dict. cap.* 14. Petrus Gregorius, & alij relati à Barboſa *de iure eccleſ. lib.1. cap.19. num. 3.* Cironius *in noſtro textu*, Dartis *de beneficiis ſect. 6. cap. 2. fol.* 63. Valenſis *de beneficiis lib. 1. titul. 3.* Hieronymus Garcia *tom. 2. polit. regul. fol. 9.* Layman *in ſumma, tit. de elect. cap. 1. quæſtion. 1.* Anguianus *lib. 5. de legib. cap.*

6. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed præsens assertio difficilis valdè redditur ex ea iuris consideratione ; nam si Episcopus non posset eligi, sed postulari, maximè quia nexus, & alligatus est alteri Ecclesiæ, vt in præsenti docet Honorius: sed hæc ratio non est sufficiens, vt postulatio desideretur: igitur Episcopus eligi debet ad aliam Ecclesiam. Probatur minor : nam clericus alligatus est Ecclesiæ parochiali, adeò vt inconsulto Episcopo eam dimittere non valeat, *cap. admonet, de renunc.* & potest eligi ad aliam dignitatem, *cap. inter canonicos, de elect.* similiter Abbas immediatè subiectus Romano Pontifici, qui sine eius, vel Legati licentia dimittere eam dignitatem non valet, *cap. cùm venerabili, de consuet.* tamen potest eligi in Prælatum alterius monasterij, *c. Abbatem, de elect. in 6.* ergo vt Prælatus vnius Ecclesiæ transferatur ad aliam, non est necessaria postulatio, sed sufficit electio. Augetur hæc difficultas ex eo, nam electio Canonicorum in præsenti specie debebat à Pontifice admitti ex eo, nam siue postulandum se eligere, siue eligendum se postulare dixissent, nihil contra Canones fecisse viderentur, cùm constaret eos gratiam à Pontifice petere voluisse, dum illi Episcopum Suellenensem proposuerunt confirmandum, quem iure suo eligere non posse fatebantur, *cap. post translationem, de renunc.* ergo admittenda erat electio ab Honorio III.

7. POSTVLARI QVI POSSINT.

Quâ dubitandi ratione minimè refragante, defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, antiquis, recentioribusque Ecclesiæ canonibus accuratè prospectum esse, vt Prælatorum Ecclesiæ ambitio tollatur, & vt indignus aliquo modo, qui dignitates ambit, ab eis arceatur, vt dicemus *ad tit. de transl. Episcopi.* Verùm hæc disciplina absque aliqua interpretatione, & modificatione obseruati non potuit; quid enim si vir magnæ eruditionis, & sanctimoniæ reperiatur, qui adhuc sactis non sit initiatus ordinibus, aut ætatem à iure præscriptam non sit adeptus? quid si Ecclesiæ magna vtilitas suadeat Episcopum in aliam Ecclesiam æquè Cathedralem, seu Archiepiscopalem transferri. Visum itaque est Ecclesiæ Patribus huius iuris conditoribus, ita disciplinam illam veterem temperare, vt summum ius æquitati cederet, & nihilominùs salua sit priscarum constitutionum reuerentia; non enim electoribus permittitur hominem sæcularem, aut non legitimæ ætatis, vel alterius ciuitatis Episcopum eligere; sed superiorem adire, veniamque petere, & gratiam postulare, *cap. innotuit, cap. cùm olim, de elect.* Non autem postulari possunt qui ob animi, aut corporis vitium eligi nequeunt, *cap. scriptum* 40. *de elect.* veluti criminosi, homicidæ, periuri notorij, bigami, corpore vitiati, & alij irregulares ; immò eos postulantes priuantur potestate postulandi & eligendi, *dict. cap. scriptum.* Azor *part. 2. instit. lib. 6. cap. 17. quæst. 9.* Sed ij demùm postulari possunt, quorum dispensabilis est defectus, quique alioquin digni essent, vt laici, non iustæ ætatis, illegitimè nati, aut qui in Abbatem professus est, *cap. bona 4. hoc tit. cap. cùm monasterium, cap. innotuit 20. de elect. cap. statuimus, §. è contra, cum sequent. eod. tit. lib. 6.* & plerumque Episcopus alterius Ecclesiæ, *cap. 1. 2. & 3. hoc tit.* cuius postulationis rarum apud veteres extat exemplum, nisi fortè in promotione D. Ioannis Chrysostomi, cuius mentio extat *lib. 10. historiæ tripart. cap. 3.* sed neque ea huic postulationi similis est, vt probat Duarenus *lib. 5. de sacris Ecclesiæ, cap. 2.* Si autem qui eligibilis est, postuletur, postulatio non sustinetur, quia eius forma non seruatur, *cap. vnico, hoc tit. lib. 6.* vbi Moez, Lauorus *dict. cap. 14. num. 2.*

8. GRATIA SVPERIORIS DESIDERATVR.

Secundò sciendum est, in hac postulatione consentire debere ipsum postulatum, si laicus postuletur in Episcopum, aut sacerdotem, cùm nemo cogendus sit vouere castitatem, *cap. vbi ita, cap. gesta, 74. dist.* Consentire etiam debet Episcopus, cuius iurisdictioni subiicitur, *cap. 2. & 3. dist. 71.* & si monachus in Episcopum postuletur, Abbatis consensus desideratur, argumento textus *in cap. si quis monachus 16. quæst. 1. cap. quàm sit 18. quæst. 2.* vt contigit in postulatione magni Hincmari, vt ex Flodoardo refert Cironius *in parat. ad hunc titulum.* Tandem superioris auctoritas ad gratiam postulationis desideratur, citra quam postulatio sustineri non potest. Ille autem superior est adeundus, qui confirmandi electionem ius habet, vt olim in Synodis prouincialibus, in quibus de Episcoporum electionibus, & translationibus agebatur, *cap. si Episcopus 7. quæstion. 1.* Sed postquam R. Pontifici facultas confirmandi Episcopos tantùm competit, illi postulatio præsentanda est, & magnâ cum ratione; nam cùm matrimonij vinculum spirituale detur inter Episcopum, & Ecclesiam, *cap. inter, de transl. Episcop.* ab alio quàm à Pontifice dissolui nequit, præcipuè cùm hæc causa vna sit ex maioribus: quare ab alio quàm à Pontifice iudicari non valet. Docet Bosquetus *in notis ad Innocentium, lib. 1. epist. 13.*

9. TRADVNTVR RATIO DECISIONIS ET SOLVTIO DIFFICVLTATIS.

Quibus ita prælibatis, dignoscitur iam vera ratio præsentis decisionis. Cùm enim per matrimonium, quod extat celebratum inter Episcopum & Ecclesiam, sit Episcopus alligatus eidem, & eam vt coniugem habeat, *dict. cap. inter*, non poterit propria auctoritate eam dimittere, & in aliam se transferre, *cap. sicut 7. quæst. 1.* Necessariò ergo est primò absoluendus ab illo priori vinculo ; quæ absolutio fieri debet mediante postulatione, non electione; & sic licet eligi non possit, tamen postulari valet: tunc enim ipse non se transfert, sed transfertur à superiore in aliam Ecclesiam: quare vtilitate Ecclesiæ suadente, asserit Vitrianus *in rationali ad hunc textum*, posse Episcopum cogi transire de vna Ecclesia in aliam. Nec tunc obstat ratio dubitandi suprà adducta ; nam verum est, parochum alligatum Ecclesiæ posse eligi, non verò postulari in Prælatum, *dict. cap. si Abbatem:* docent Turriscremata, & Acuña *in cap. Osius, 61. dist.* Abbas *in præsenti, num. 6. & 8.* Ratio est, quia inter parochum, & Ecclesiam non datur verum matrimonium spirituale, quia parochus non habet perfectum pastorale officium, nec vinculum perpetuum, quod est de substantia matrimonij: vnde fit, quod licèt Episcopus non possit ingredi religionem sine consensu Pontificis, *cap. nisi cùm pridem, de renunciat.* parochus tamen potest sine consensu Episcopi religionem profiteri, *cap. duæ 19. quæst. 2.* D. Thomas *2. 2. quæst. 184. art. 9. in corpore :* vnde eligi potest in Prælatum, non verò postulari necesse est. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, quia in præsenti casu Canonici Calaritani tantùm elegerunt, non verò postularunt; aliàs enim si vterentur eâ formâ, *Eligimus postulandum*, postulatio sustineretur, *cap. post translatio*

translationem 11. *de translat. Episcopi*; licèt hodie vt omnis ambiguitas tollatur, talis forma postulationis improbata sit, *cap. vnico, hoc tit. lib. 6.* vbi Moez.

TITVLVS VI.

De electione & electi potestate.

CAPVT PRIMVM.

[a] Lucius Papa.

NVllus in Ecclesia, vbi duo, vel tres fratres in congregatione fuerint, eligatur presbyter, nisi eorum electione, & conuocatis eisdem etiam parochianis, atque in vnum consentientibus. Si verò aliter quis Ecclesiam adeptus fuerit, eo quod per cupiditatem illam adquisierit, atque contra canonicæ regulæ disciplinam egerit, expellatur.

NOTÆ.

1. [a] *Lucius.*] Aliàs legitur *Pius*, aliàs *Alexander*, alibi etiam *Gregorius*, & huius textus auctorem penitus ignorari, testantur Antonius Augustin. *in notis ad primam collectionem*, *in hoc textu*, Barbosa *in præsenti*, & *de potestate Episcopi* 1. *part. tit.* 1. *cap.* 15. *num.* 3. Ego existimabam auctorem huius textus esse Lucium, non vt aliqui voluerunt tertium, sed primum, qui Ecclesiæ Romanæ præfuit ex anno 255. vsque ad annum 257. in quo post multa omni laude dignè gesta, sub Imperatoribus Gallo, & Volusiano in martyrio diem vltimum clausit. Eius constitutiones extant primo tomo Conciliorum, & aliæ iniuriâ temporum perierunt: ex quibus hanc decretalem deductam esse, & sic Lucio I. esse tribuendam, facilè suadetur sequenti argumento: nam iuxta seriem temporum, quæ maximè in hac sexta decretalium compilatione seruatur, hic textus non potest tribui Lucio III. Alexandro, aut Gregorio, qui omnes floruerunt post Concilium Sardicense, ex quo sequens decisio compilata fuit; vnde necessariò hæc decisio tribuenda est Lucio I. qui multis retrò annis ante Concilium Sardicense vitâ functus fuit. Deinde pro nostro opinamento illud facit; nam noster textus continet veteris ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam circa congregationes monachorum, quæ iam æuo Lucij III. inualuerant; quod vt manifestum fiat, & verâ luce præsens textus donetur, eius verum intellectum ex veteri disciplina repetamus; nam temporum ignoratione in nostro textu Doctores sæpius peccant. Sciendum igitur est, monachos priscis Ecclesiæ temporibus labori rustico, & aliis artificiis assiduè deditos, ad sacerdotij culmen non ascendisse, quin immò in hierarchia ecclesiastica post Cantores, & Ostiarios gradum obtinuisse, *cap. à subdiacono*, 93. *dist. cap. alia causa*, *cap. Ecclesia* 16. *quæst.* 1. *cap. quidam*, §. *clerici* 18. *quæst.* 3. *l. generaliter*, *Cod. de sacrosanct. Eccles.* plura Benedictus Ephtenus *in vita S. Benedicti*, *prologo* 18. §. 3. Gibalinus *de claus. disquisit.* 2. *cap.* 2. §. 3. Quintanadueñas *lib.* 3. *ecclesiast. num.* 11. Bignonius *ad Marculfum lib.* 1. *cap.* 2. Cuiacius *in nouella* 5. *Iustiniani*, Chopinus *lib.* 2. *monast. tit.* 3. Antonius Augustin. *in epitom. lib.* 3. *tit.* 32. Hallier. *de hierarch. fol.* 379. igitur cùm monachi nullis essent sacris ordinibus initiati, sed potiùs laici, sacerdos ex clericorum corpore accersitus in monasterio ordinabatur, vt Missæ sacrificium, aliaque ecclesiastica munia obiret. Epiphanius *epist.* 60. Concilium Chalcedon. 4. *can.* 8. *Clerici in ptochis, & in monasteriis, aut martyriis constituti, sub potestate sint eius, qui in ea est ciuitate Episcopus.* Textus ita intelligendus *in cap. neminem*, 70. *dist.* Posteà tamen cœperunt ipsæ congregationes vnum ex monachis eligere, qui ab Episcopo presbyter ordinatus, in monasterio diuina officia celebraret, *c.* 1. *cap. sint*, *cap. nonnulli* 16. *quæst.* 1. qui eligebatur ab ipsa congregatione, atque Abbas ab Episcopo petebat, vt illum sacris initiaret, *cap. presbyteri*, *dist.* 24. Gregorius Magnus *lib.* 5. *epist.* 41. ibi: *Cum sua congregatione magnopere à nobis postulauit, in eodem monasterio presbyterum, qui sacra Missarum solennia celebrare debeat, ordinari.* Expressiùs idem *lib.* 7. *epist.* 94. *Vt in congregatione monachorum, quæ in monasterio Præcoritano consistit, eum, quem sibi de congregatione sua vnanimiter duxerint eligendum, in prædicto monasterio sine mora, vel excusatione aliqua presbyterum debeat Episcopus ordinare.* Huius presbyteri meminit D. Augustinus *in sua regula*, *cap.* 9. *Præposito tanquam patri obediatur, multò magis presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit.* Et *cap.* 24. *Conuictus verò secundùm Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam.* Cassianus *lib.* 4. *collation. c.* 34. vbi notauit Gazeus. Omitto alia quæ pro temporum varietate circa monachorum ordinationem obseruata fuerunt, cùm dicta sufficiant ad nostri textus veram expositionem. Iubetur enim in eo, vt congregatio, vbi duo, aut tres fuerint (priscis enim his temporibus monachi in locis desertis, latibulis, seu cellulis secedebant) presbyterum eligant simul cum parochianis; nam in eius presbyteri electione populi consensus desiderabatur, *c. obeuntibus* 63. *dist. c. Abbatem* 18. *q.* 2. & qui præter electionem prædictã occupauerit Ecclesiam, expellebatur: quæ expulsionis pœna tantùm in monacho cadere poterat. Vnde si hæc omnia rectè perpendantur, apparebit nostram decisionẽ temporibus Lucij I. magnopere conuenire

conuenire, cùm illic ptædicta vigeret monasticæ disciplinæ obseruantia. Hæc ex proprio captu pro textus huius expositione adduxisse sufficiat, nunc iuxta mentem Raymundi, & omnium interpretum acceptionem conclusionem deducamus, & ad examen reducamus.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

SIt conclusio: *Prælatus in qualibet congregatione ab ipsa debet eligi, non verò alio modo Prælaturam occupare.* Probant textus *in cap. Adrianus, 63. dist. cap. in nomine, dist. 23. cap. miramur, cap. à multis, 61. dist. cap. cùm scriptura 83. 1. quæst. 1. cap. Abbatem, cap. nullus, cap. hoc, cap. quàm sit, §. defuncto 18. quæst. 2. cap. congregatio 16. quæst. vlt. c. cùm terra 14. cap. cùm Ecclesia 31. cap. si gens 55. hoc tit. cap. cùm dilectus, de consuet. cap. nobis 29. de iurepatronatus, l. 46. Cod. de sacros. Eccles. nouella 5. Iustiniani, cap. 8.* varia Galliæ Concilia, & religionum statuta cumulat Chopinus *lib. 1. monast. tit. 1.* Illustrant Crespetius *in summa, verbo Abbas, el 1.* Petrus Gregorius *de elect. cap. 4. in principio*, Valascus *alleg. 40.* Nouus Notator Petri Blesensis *ad epist. 48.* Suarez *de relig. tom. 4. lib. 1. cap. 3. num. 8.* Duarenus *lib. 5. de sacris, cap. 1.* Garcia *de beneficiis 5. part. cap. 4. num. 9.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. disput. 5. quæst. 1. & 8.* Paulus de Eleazar. *in hoc textu*, Bellarminus *lib. 1. de clericis, cap. 7.* Azor *2. tomo mor. lib. 3. c. 28. quæst. 4.* Chucus *lib. 4. instit. tit. 1. num. 2.* Vighellius *in met. iuris can. fol. 329.* Menardus *ad concord. regul. cap. 4.*

3. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sèd hæc assertio difficilis redditur ex sequenti consideratione: nam Prælatos Ecclesiarum potiùs successione, aut optione, quàm electione admitti, politiæ ecclesiasticæ congruum est, ita vt defuncto Prælato antiquior in ipsa dignitate succedat: ergo non rectè in præsenti deciditur, tantùm per electionem esse admittendos. Antecedens probatur; nam vt ex nostro textu, & vulgatis constat, summa Ecclesiæ cura fuit semper repellere cupiditatem, & ambitum in officiis & dignitatibus ecclesiasticis: sed quis nescit, ab ipsis incunabulis ingenitam esse hominibus dominandi cupiditatem? vnde fit, vt viuente etiam Prælato, sæpe de eius successione tractetur; inde instruuntur insidiæ, factiones oriuntur, vt non sine magno dolore nostris temporibus contingit. Quid autem mali afferant factiones istæ pro dignitatis ambitu, testantur abundè miserrima Romanorum bella ciuilia, Marci, Sillæ, Lepidi, Cæsaris, & Pompeij, Antonij, & Augusti; quæ quidem cessant, cùm per successionem, aut optionem certus successor designatur, vt considerat Petrus Gregorius *lib. 7. de republica, cap. 4.* & politè, ac politicè monuit Lipsius *lib. 2. Monit. cap. 5.* vnde apud tot nationes inualuit, vt potiùs successione, quàm electione Principes admitterentur, quas refert Cochier *in thesaur. polit. lib. 1. cap. 2.* igitur non per electionem, sed per successionem aut optionem Prælatus est designandus. Accedit, nam aut congregatio nostri textus erat sæcularis, Canonicorum videlicet; aut regularis, scilicet monachorum: si sæcularis, ad Pontificem spectabat Episcopi electio, *cap. 1. & 2. 22. dist.* si regularis, Episcopus instituit Prælatum, *cap. 1. de supplenda:* igitur nunquam ad congregationem ipsam sui Prælati electio spectare poterat.

4. Hac dubitandi ratione minimè obstante, præsens assertio defensanda est, ad cuius expositionem obseruandum est, omnem politicam gubernationem secundùm receptam prudentum sententiam, vel vnius esse, quæ dicitur monarchia; vel optimatum, quæ Aristocratia appellatur; vel populi, quæ democratia dicitur. Docent Plato *in polit.* Aristoteles *lib. 3. polit. cap. 5.* Tacitus *lib. 4. annalium, cap. 33.* fusè Arnisæus *tom. 1. lib. 1. de repub. & lib. 2. cap. 2. sect. 4.* Inter has regiminis species optimam esse monarchiam, ex Aristotele, Platone, & Socrate docent Cochier *in thesauro polit. lib. 1. cap. 3.* Bodinus *de repub. lib. 2. cap. 2. cum sequent.* Petrus Gregorius *eod. tract. suprà*, Bellarminus *lib. 1. de Romano Pontif. cap. 4.* Bernegerus *in Tacitum c. 55.* Salcedo *de regim. Princip. lib. 1. cap. 4.* Marquez *in suo gubernatore lib. 2. cap. 3.* Nam vt in vniuerso ordine vnus Deus; in homine, vnum cor; ita vnum imperium vnius animo est regendum. Et certè vnius principatum ipsa commendat antiquitas; nam vt ait Cicero *lib. 3. de legibus: Omnes antiquas nationes Regibus quondam paruisse, magis enim tranquillitati concordiæque ita consulitur.* Cornelius Tacitus *lib. 1. annal. cap. 9. Non aliud discordantis patriæ remedium, quàm vt ab vno regatur.* Et *lib. 1. histor. cap. 1. Pacis interest omnem potestatem ad vnum conferri.* Meritò ergo Ecclesia eâ formâ regiminis, vt præstantiori vtitur, videlicet, vt vno capite gubernetur, Pontifice videlicet in vniuersa Ecclesia, Archiepiscopis, & Episcopis in suis prouinciis & diœcesibus, Abbate in sua congregatione, seu monasterio. DE MONARCHIA.

5. ELECTIO PRÆSTANTIOR EST.

Secundò sciendum est, ad dignitatum culmen peruenire, aut per successionem, aut per electionem: per successionem peruenerunt Imperatores, Principesque sæculares: per electionem Principes & Prælati ecclesiastici; semper enim Ecclesia autumauit electionem successioni esse præferendam. Iulius Lauorus *de elect. cap. 1.* Dartis *de beneficiis sect. 6. cap. 1.* Cabreros *de metu lib. 2. cap. 5.* Garcia *tom. 2. politiæ regular. tit. de elect.* Immò & aliquando ipsi Principes sæculares electionem successioni prætulerunt. *Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus*; dicebat Plinius *in paneg. cap. 7.* agnouit etiam Galba in celebri oratione, quæ apud Tacitum extat *lib. 1. histor. cap. 16.* ibi: *Optimum quemque*, inquit, *adoptio* (quæ species electionis est) *inuenit*; *nam generari, & nasci à Principibus, fortuitum, nec vltra æstimatur*; *adoptandi iudicium, & si velis eligere, consensu monstratur.* Cui testimonio adiungendum est aliud Cassiodori *lib. 3. variar. cap. 2. Per arma fieri posse filium, grande inter gentes constat esse præconium, quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci; in sobole frequenter fallimur, ignaui esse nesciunt, quos iudicia peperevunt: hi enim gratiam non de natura, sed de solis meritis habent.* Cùm ergo per electionem admittatur ille, cuius præclara virtus cognita est, iustè electio nostris sacris canonibus commendatur, & vt successione præstantior, præfertur.

6. TRADITVR RATIO DECISIVA.

Ex quibus profluit vera decidendi ratio nostri textus; nam cùm in qualibet congregatione vnus debeat regimen, principatumque obtinere, vt sic concordiæ fratrum consulatur, & ipse non per alium quàm electionis modum sit admittendus; vt sic cognoscatur, an illi debita suffragentur merita, iustè ait noster Lucius I. esse eum eligendum ab ipsius congregationis fratribus, cùm rectiùs illi, quàm alij de meritis ipsius, & Ecclesiæ necessitatibus valeant informari; *cap. quotiens, de testibus*; & cùm ipsi sint membra capitis, id est Prælati,

Prælati, non ad alios, quàm ad ipsa membra debet electio capitis spectare, *cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælatis :* & qui per alium modum ipsam dignitatem occupauit, tanquam in ea intrusus per ambitum, & cupiditatem, non solùm ipsâ priuari debet, verùm à congregatione expelli, vt noster Pontifex decreuit.

7. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, quâ moti plurimi existimarunt, successionem in Regnis & aliis dignitatibus sæcularibus electioni esse præferendam, quoad officia verò & dignitates ecclesiasticas, non est dubium electionem esse præferendam, & successionem omninò repelli, vt latè dicemus *in cap. 1. de præbendis :* non tamen inde suspicari debet, in viris religiosis regendi cupiditas, cùm in eis præsumatur, prorsus omnem ambitionem abesse, *cap. cùm ab omni, de vita & honest.* Nec augmentum difficultatis refragatur, nam noster textus procedit primis temporibus, quibus Pontifices, aut Reges electiones, siue nominationes Episcoporum & Abbatum sibi non reseruarant; nam sequentibus temporibus pro eorum varietate electiones prædictæ, seu nominationes ad varias personas cœperunt spectare, vt passim in huius tituli commentariis dicemus, & refert Chopinus *tit. 1. monast.* Nec quod de Episcopo dicebamus, contrarium suadet; nam licèt ratione subiectionis, seu legis diœcesanæ Episcopus ius fundatum haberet in omnibus monasteriis suæ diœcesis, *cap. omnes 16. quæst. 1.* & ideò deberet Abbates benedicere; non tamen vnquam legimus ad ipsum spectare Prælatorum regularium electionem, immò ex præsenti textu, & aliis suprà citatis contrarium deducitur.

8. EXPONITVR CAP. ABBATEM 4. 18. Q. 2.

Sed primò præsenti assertioni obstat textus *in cap. Abbatem 4. 18. quæst. 2.* vbi Pelagius Pontifex ita scribit : *Abbatem in monasterio illum volumus ordinare, quem sibi de sua congregatione, & monachorum electio, & possessionis dominus (& quod magis est obseruandum) ordo vitæ ac meritum proposuerit ordinari.* Ex quibus verbis apparet, non solùm ad congregationis fratres, verùm & ad possessionis dominum spectare electionem Prælati, & dominum possessionis suffragium in ea habere: ergo non rectè in præsenti statuitur, tantùm ad ipsius congregationis fratres spectare Prælati electionem. Huius textus difficultas in eo præcipuè consistit, quisnam videlicet sit dominus possessionis, qui eius ratione suffragium habet in electione Abbatis? Et sciendum est, verbum *possessionis*, in eo textu accipi pro Ecclesia ipsius monasterij, aut loco, in quo monasterium ipsum constructum est; quo modo accipitur *in l. Ecclesiis quæ in possessionibus 33. Cod. Theodos. de Episcop. & cleric. cap. neminem, 70. dist. cap. qui verè 16. quæst. 1.* Docet Quintanaduenas *lib. 3. ecclesiast. num. 30.* Vnde dominus possessionis in eo textu est fundator, qui possessionem dedit ad construendum monasterium; & cùm patronus sit, rectè asserit Pelagius, eius desiderari assensum in electione Abbatis, cùm patronus debeat consentire electioni Prælati Ecclesiæ, in qua ius habet patronatus, *c. nouit 29. de iurepatron.* qua etiam solutione accipiendus est textus *in cap. sacrosancta 51. hoc tit.*

Secundò præsenti assertioni opponitur textus *in cap. 2. de in integrum restit.* vbi post longam disceptationem inter monasterium quoddam, & proprium Episcopum, deciditur, Episcopum debere eligere Abbatem in eo monasterio, cùm contigerit Abbatem decedere : igitur non semper electio Prælati spectat ad ipsam congregationem. Cui difficultati satisfaciendum est, asserendo præsentem Lucij constitutionem illam pati exceptionem, videlicet, nisi consuetudine, aut priuilegio contrarium introductum sit, scilicet, vt ad aliam personam, aut communitatem electio Prælati spectet, *cap. cùm dilectus, de consuet.* quia tunc talis consuetudo est obseruanda: quo modo etiam intelligendi sunt textus *in cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælatis, cap. accedentibus 12. de excessibus Prælat. cap. cùm contingat 13. in fine, de foro compet.* Docent post repetentes *in præsenti*, Tamburinus *de iure Abbat. disput. 7. quæst. 5. & 6.* Antonius Chucus *vbi suprà.*

9. OPPONITVR CAP. 2. DE IN INTEGRVM RESTIT.

Tertiò præsenti assertioni aduersatur Concilium Toletanum relatum *in cap. 1. 18. quæst. 2.* vbi statuitur, in monasterio illud tantùm sibi vindicare presbyteros (hoc est Episcopos, *cap. olim 95. dist.*) quod sacri canones præcipiunt, videlicet monachos ad sanctam conuersationem perducere, Abbates, aliaque officia instituere. Ex quo Toletani Concilij canone deducitur, Abbatum electionem non ad ipsam congregationem, sed potiùs ad proprium Episcopum spectare. Pro cuius textus interpretatione Glossa ibi, *verbo Instituere*, tres affert solutiones. Primò, inquit, Abbates in monasteriis sibi subiectis instituere posse, quando monachi, ad quos ius pertinet eligendi, fuerunt negligentes in Prælati electione, vt *in cap. cùm simus 9. quæst. 3.* Secundò asserit Patres Concilij Toletani non absolutè tribuere eligendi facultatem Episcopo, sed tantùm eo casu, quo monachi minùs idoneum Prælatum eligant, iuxta textum *in cap. si quis alibi 18. quæst. 1.* Tertiò, & meo videri rectiùs, respondet, institutionis verbum in eo textu non electionem, sed confirmationem significare, vt sensus sit, in monasteriis sibi subiectis, posse Episcopum electionem à monachis factam confirmare, quia olim solebant Episcopi Abbates tantùm electos confirmare, & instituere, *cap. cùm monasterium, hoc tit.* dicemus *in cap. 1. de supplend.* Quâ etiam solutione exponendi sunt textus *in cap. expositi, de corpore vitiatis*, & *in can. 54. Concilij Nicæni*, vbi asseritur, Episcopum solere creare Abbates, id est confirmare & instituere. Docent Suarez *tom. 4. de religione, dict. lib. 2. cap. 6. num. 1.*

10. INTELLIGITVR CAP. 1. 18. Q. 2.

CAPVT II.

Ex Concilio [a] Sardicensi.

OSius [b] Episcopus dixit: Si quis ita temerarius extiterit, vel talem excusationem afferens asseueret, quod litteras populi acceperit, cùm manifestum sit, potuisse plures eorum, qui sinceram fidem non habent, præmio & mercede corrumpi, vt

clamarent in Eccleſia, & ipſum petere viderentur; omninò fraudes has damnandas eſſe arbitror, ita vt nec [c] laicam in fine communionem (niſi de hoc pœnituerit) talis accipiat. Si verò omnibus placet, ſtatuite. Synodus reſpondet: [d] Placet.

NOTÆ.

1. [a] *Sardicenſi.*] Sardicenſe Concilium ita dictum eſt à Sardica vrbe, quæ vt ait Theodoretus *lib.2. quæſt.* 3. eſt inter Traciam, & inferiorem Miſiam, confinis Illyrici, in qua Conſtantinus Magnus aliquando degnit, vt quamplura eius reſcripta illic data teſtantur. Ad hanc Synodum celebrandam deſignata fuit ea vrbs ex Imperatorum Conſtantij & Conſtantis conſilio, vtpotè confinis inter Orientale, atque Occidentale Imperium, ſecundùm diuiſionem à Conſtantino magno inter prædictos filios factam, vt referunt Baronius *anno* 397. Morinus *lib.* 1. *exercit. cap.* 2. Chriſt. Lupus *ad hoc Concil.* Hæc Synodus dicitur vniuerſalis à Socrate *lib.2. cap.*10. & in excerptis de martyrio Pauli Epiſcopi apud Phocium, & probarunt Binius & Corjolanus *in eius notis:* ſed inter particulares Synodos refertur ab Harmenopulo, Zonara, & Balſamone, vel quia Epiſcopi præcipui Occidentales, qui in Concilio Nicæno interfuerunt, ſimiliter in hoc interfuerunt; & cùm paulò poſt ipſum Nicænum congregatum fuiſſet; propter Arrianos fidem Nicænam conuellentes, & Epiſcopos Athanaſium & Paulum deponentes in Concilio Antiocheno, potiùs pars ipſius Concilij Nicæni, quàm ſecundum œcumenicum iudicatum fuit, vt docuit Coqueus *in Antimor. fol.* 128. vel quia licèt eâ mente congregatum fuit, vt œcumenicum eſſet, tamen quia abſentibus Prælatis Orientalibus celebratum fuit, ideò inter œcumenicas Synodos non numeratur, vt docuit Petrus Marcha *lib.7. concord.cap.*3. Illud etiam notandum eſt, non videri numerandum inter Concilia Græca, vt præfefert editio Romana Græcorum Conciliorum. Tum quia Sardica Illyrici vrbs, ad Occidentale Imperium pertinebat, vt teſtantur Socrates *lib.* 2. *hiſtoriæ, cap.*16. Nicephorus *lib.9. cap.*22. Tum quia eius canones Latinè editi ſunt, vt oſtendit præfatio Dionyſij Exigui in illis verbis: *Ne quid præterea notitiæ veſtræ videamur velle ſubtrahere, ſtatuta quoque Sardicenſis Concilij atque Africani, quæ Latinè ſunt edita, ſuis à nobis numeris ponuntur eſſe diſtincta.* Hadrianus I. *in epit. canonum, in præfatione Sardic.* ait: *viginti regulæ, quæ per Oſium Cordubenſem Epiſcopum currunt, quæ titulantur tanquam quadraginta Epiſcoporum, apud Sardicam; quæ tamen non apud Græcos, ſed magis apud Latinos inueniuntur.* Quare *in can.* 5. *Synodi Conſtantinop.* 1. Concilium Sardicenſe, vocatur *Tomus Occidentalium.* Notarunt Ioannes Dartis *in* 15. *diſt. fol.*89. Fileſacus *de origine paroch. cap.*3. In eo Concilio editi fuerunt viginti & vnus Canones, non ad fidem, ſed ad diſciplinam eccleſiaſticam: & quia in eo Concilio damnantur tranſlationes Epiſcoporum, editus fuit canon hic primus, maximè factus contra Euſebium, priùs Beryti, tum Nicomediæ, & Conſtantinopolis Epiſcopum, vt apparet ex epiſtola Synodali Alexandrinorum, apud Athanaſium *apol.* 2. ex quo canone præſens textus tranſcriptus eſt, qui etiam reperitur apud Ivonem Carnotenſem *part.*15. *decreti, cap.* 73. Burchardum *lib.*1. *decreti, cap.* 19. Antonium Auguſtinum *in prima collectione Decretalium, ſub hoc titulo capit.* 2.

2. b *Oſius.*] Magnus Epiſcopus Cordubenſis, mirâ ſanctitate conſpicuus, qui vt Legatus Sedis Apoſtolicæ in Concilio Nicæno fidei formulam concepit, in Sardicenſi, & Illiberitano adfuit: & licet aliqui hunc egregium virum miſerè lapſum ſenectutis ſuæ tempore affirment, feliciter tamen pro eo dimicarunt Baronius *anno* 356. Mendoza *lib.*1. *pro confirmando Concilio Illiber. c.*11. Morinus *lib.*1. *exercit. cap.*20. Coqueus *in Morneum, fol.*163. Ambroſius de Morales *tom.*1. *hiſtoriæ Hiſpaniæ*, Aldrete *in antiquitatibus Hiſpaniæ, cap.*2. Raynaud. *de calumnia ſect.*2. *ſerie* 3. *cap.*26. Valdes *de dignit. Reg. Hiſpan. cap.*7. *num.*20. & nos *in notis ad Concilium Illiber. in canone* 76.

3. LAICA COMMVNIO QVÆ? c *Laicam.*] Quid ſit communio laica, & quis tam huius, quàm aliorum veterum canonum ſenſus ſit, in quibus communio laica aut concedi-tur, aut negatur; aliquando in vitæ exitu, nonnunquam nec in fine, Epiſcopis, & Preſbyteris? non leuis hæſitationis eſt apud veteris diſciplinæ eccleſiaſticæ indagatores. Alij exiſtimant, à materia communionis laicam ita dictam eſſe; alij à loco, alij tandem à tempore ita appellatam exiſtimant. A materia, quia licèt ſacerdotes communicarent ſub vtraque ſpecie, tamen ob aliqua ſcelera perpetrata illis, vt laicis tantùm, ſub vnica ſpecie communio concedebatur, ita Vazquez 3. *part. in* 3. *diſput.*216. *num.*23. Bellarminus *de Euchariſtia lib.* 4. *cap.*24. §. *quintus ritus*, Valentia *tom.*4. *diſput.*6. *quæſt.*8. *punct.*5. Salmeron *tom.*9. *in euang. tract.*35. *fol.*369. & alij apud Lindanum *lib.*4. *Panopliæ, cap.*58. Sed hæc ſententia facilè refellitur ex eo, quia noſtri textus temporibus, & aliorum veterum canonum, vbi mentio fit communionis laicæ, adhuc laici communicabant ſub vtraque ſpecie. Cyrillus *catecheſi* 5. ibi: *Sanctificeris eo ſanguine Chriſti, quem aſſumis; & cùm adhuc humilitas eſt in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua ſenſuum organa conſecra.* Plura adducentes probant Suarez *aduerſus Regem Angliæ lib.*1. *c.*5. Boſquetus *ad Innocentium lib.*1. *epiſt.*149. Claudius Eſpenceus *de adorat. Euchariſtiæ lib.*2. *cap.*13. Pamelius *ad D. Cyprianum epiſt.*63. *num.*2. Maſſæna *ad D. Hieronymum, verbo Euchariſtia.* Igitur communio laica non poteſt accipi pro communione more laicali ſumpta. Alij exiſtimarunt, communionem laicam dictam eſſe ex eo, quia extra cancellos, vbi laici communicabant, Epiſcopi, & Preſbyteri damnati ad communionem laicam, ibi cum eis communionem accipiebant: ita Baronius *tom.*2. *annal. anno* 154. *num.*91. & *tom.*5. *anno* 400. *pag.*119. & *anno* 407. *pag.*263. Pamelius *ad epiſt.*52. *D. Cypriani, nota* 37. Mendoza *lib.*3. *ad Illiberit. cap.* 76. Zerda *in aduerſariis, cap.*145. Durantius *lib.*2. *de ritibus Eccleſiæ, cap.*55. *num.*7. Loayſa & Binius *in can.*16. *Concilij Illerd.* Herrera *lib.*3. *de origine Miſſæ, cap.*22. Albaſpin. *lib.*2. *obſ. cap.*4. Sed licèt verum ſit, diuerſum locum præſcriptum fuiſſe in Eccleſia ſacerdotibus, ac laicis, vt latè dicemus *in cap.*1. *de vita & honeſt.* tamen hæc ſententia conuincitur ex noſtro textu & ſimilibus, vbi communio laica in fine vitæ interdicitur, & *ex epiſt.*7. *Felicis III, cap.*2. vbi tantùm in fine conceditur

ditur communio laica. Quomodo autem communio laica conceditur in vitæ exitu exiſtenti, ſi ratio communionis laicæ ſumatur ex certo loco? nam Epiſcopus, Preſbyterve, ſiue intra clauſtrum Eccleſiæ, ſiue extra degeret, non poterat ad Eccleſiam venire in vitæ exitu, & in laicorum loco ad communicandum ſe conſtituere? A tempore deriuationem communionis laicæ aliqui petunt, aſſerentes ita dictam eſſe, quia Clerici damnati ob facinora, temporibus Paſchæ, quibus laici communicabant, poſt eos communionem ſumebant: ita Turrecremenata *in diſt. 55.* Sed etiam hæc opinio ex adductis pro refellendis aliorum ſententiis facilè conuincitur. Vnde manet, neque à tempore, neque à modo, neque à materia communionis laicæ rationem peti poſſe. Quare his ſententiis omiſſis, veriùs alij docuerunt, laicam communionem non conſiſtere in Euchariſtiæ perceptione iſto, vel illo loco; illo, vel illo modo; ſed ita dictam eſſe à communione prohibita, non tantùm cum Clericis, verùm cum laicis perſonis: ita docuerunt Lindanus *lib. 4. Panoplia, cap. 58.* Morinus *lib. 2. exercit. cap. 4. 8. & 9.* Theophilus Raynaud. *de litteris monit. cap. 1. num. 1.* Gibalinus *de cenſuris diſquiſit. 7. q. 12. conſect. 7.* Zerda *in aduerſariis cap. 145.* Ioannes Philippeus *in cap. 4. Oſea, verſu 9.* Cellotius *de hierarch. lib. 6. cap. 16. §. 1.* Pater Henao *tom. 3. de ſacrif. Miſſæ, diſp. 18. ſect. 36.* Eruditi D. Ildephonſus de Auila *in cap. tranſmiſſa, num. 10. de electione*, D. Ioannes Antonius de Otalora *in tract. de irregul. ex pœnit. 2. p. excurſu 3. num. 12.* quorum ſententia vt rectiùs perpendatur, ſciendum eſt, quod licèt communio antonomaſticè ſumpta accipiatur pro communione Euchariſtica, vt probant Albaſpinus *lib. 1. obſeru. cap. 1.* Morinus *lib. 2. exercit. cap. 1.* tamen in ſacris Canonibus aliquando ſumitur pro illa ſocietate, quæ inter fideles in rerum ſacrarum, & vitæ chriſtianæ communione datur, vt probant latè Albaſpinus, & Gibalinus *vbi ſuprà*. Ea duplex eſt, aut generalis, cum omnibus fidelibus, tam laicis, quàm eccleſiaſticis; aut ſpecialis, quæ inter eccleſiaſticas perſonas tantùm datur, vt Epiſcoporum cum Epiſcopis, & Preſbyterorum cum aliis Clericis: vnde ſæpe ſæpius occurrit in ſacris canonibus Epiſcopum priuari communione aliorum Epiſcoporum, & Preſbyterorum tantùm: ſimiliter etiam Preſbyteros prohiberi communicare cum aliis Preſbyteris. Concilium Arelat. 2. *can.* 30. Aurelian. 5. *can.* 17. Notat Morinus *lib. 2. exercit. cap. 6. & 7.* Et ſi adeò graue ſcelus eorum erat, vt depoſitione dignum iudicaretur, tunc omni communione Coepiſcoporum, & Sacerdotum Epiſcopi priuabantur, tantùm cum laicis communione illis conceſsâ: & hæc pœna nunquam niſi poſt depoſitionem infligebatur, vt probant Morinus, Gibalinus & Otalora *vbi proximè*. Vnde cognoſcitur, communionem laicam concedi tantùm, in præſenti Canone, & ſimilibus idem eſſe, ac Epiſcopum communione Coepiſcoporum, & ſacerdotum priuari, & illi ab ordine excluſo, tantùm cum laicis communionem permitti: è contrario ipſis communionem laicam denegari, eſſe nec communionem cum laicis permitti; quæ communio aliquando in fine vitæ concedebatur, ſæpius nec in vitæ exitu permittebatur; & ſi adhuc Epiſcopus, Preſbyterve, cui communio laica prohibita erat, pergeret in ſuis ſceleribus, communio Euchariſtica illi denegabatur. Igitur in præſenti Canone non agitur de communione Euchariſtica deneganda, vel concedenda; ſed de communione cum laicis prohibita, quæ à perſonis communicantibus, vel non, laica dicitur. De qua communione ita accepta exaudiendi ſunt textus *in can. 14. Apoſtolor.* Concil. Agat. *can. 50. Quæ quamdiu vixerit, tantùm laicam communionem accipiat.* Toletan. 4. *can. 4. Inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.* Aurelian. 3. *can. 2. Quod ſi fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum canonum ſtatuta, ab officio deponatur.* Turon. 2. *can. 26.* Illiberit. *can. 76.* vbi notaui, Cornelius Papa *epiſt. ad Fabium*, D. Cyprianus *epiſt. 52. Vt laicus communicet.* Et *epiſt. 56.* Siricius *epiſt. 2. Laicâ tantùm ſibi communione conceſsâ.* Innocentius I V. *cap. 22. Laicam tantùm tribuere communionem.* Felix III. *epiſt. 7. cap. 2. Quibus communio laica in fine reddenda.* Baſilius *epiſt. ad Amphiloch. cap. 3. & 32. Qui peccatum ad mortem peccant, Clerici quidem a gradu deponantur, à laica autem communione non arceantur.* Proſequuntur Boſquetus *ad Innocentium I I I. lib. 1. epiſt. 174.* Lantdmeter. *de veteri clerico lib. 2. cap. 40. 56. & 60.* Notator Capitul. Caroli, *verbo Communio*, Ioannes Dartis poſt Decretum, *de diſciplin. can: circa pœnit. cap. 34.* Cabaſſutius *in notit. Concil. ad Concil. Agat. fol. 36. & 373.* Franc. Florens *ad hunc text.* Chriſt. Lupus *ad hunc can.*

d *De hoc pœnituerit.*] Hæc verba adiecit Raymundus, nec reperiuntur in ipſo Concilio, quia exiſtimauit in hoc Canone denegari communionem Euchariſticam; ne videretur, Eccleſiam eam denegaſſe pœnitenti. 4.

e *Placet.* Vetus mos rogandi, & decernendi leges, tam ciuiles, quàm eccleſiaſticas; in habendis etiam Senatuſconſultis, illum morem obſeruatum eſſe facilè conſtat ex epiſtolis Cælij Frontini *lib. 2. de aquæductu*; & in Pandectis exempla tranſcripta ſatis ſuadent, quod in illis rogandis, iſtis ſingularibus litteris Romani vti ſolebant: Q.D.E.R.F.P.D.E.R.V.I.C. quas ſic interpretatur Valerius Probus, *Quid de ea re fieri placeret, de ea re vniuerſi ita cenſuerunt.* Frequenter Senatus eâ formulâ vtebatur, *Placere Senatui.* Cicero *in oratione pro Cornelio*, ibi: *Quatuor omninò genera ſunt, iudices, in quibus per Senatum more maiorum ſtatuatur aliquid de legibus; vnum eiuſmodi, placere legem abrogari.* Sic in duobus Senatuſconſultis, quæ à Frontino *lib. 2. de aquæductu*, referuntur, ita legitur: *Placere huic ordini*; & ita, *Neque augeri placere, nec minui numerum*; & *in l. 1. ff. ad Macedon. Placere.* In Senatuſconſulto *de petitione hæredit.* apud Vlpianum *in l. item 22. §. Prætor, ff. de petitione hæred. Quod fieri placeret, deque ea re ita cenſuerunt.* Lucius *lib. 31.* de quodam Senatuſconſulto refert: *De auxilio mittendo, tunc reſpondère, placere.* Et *eodem lib. Senatui placere quæſtionem de expilatis theſauris.* Cicero variis in locis congeſtis à Briſſonio *lib. 2. de formulis, fol. 215.* Nec ſolùm formulam dictam ſeruabat Senatus, verùm & quilibet Senator in ſua ſententia proferenda. Valerius *lib. 6. cap. 4. Neutrum mitti placet.* Sed ſicut quæ probabat Senatus, decernebat per verbum *placet*; ita quæ negabat, reprobabat eâ formulâ, *non placere.* Cicero pro Cornelio, *Senatui non placere:* idem *oratione 4. in Verrem: De abſente iudicium nullum fieri placere.* Titus Liuius pluribus in locis congeſtis à Briſſonio *vbi proximè*. In legibus etiam eccleſiaſticis decernendis ipſos Apoſtolos eadem formulâ vſos fuiſſe, 5.

notaui

notaui suprà *in apparatu*. Vnde Ecclesia ab ipsis Apostolis eam formulam accepit. Concilium Carthag. 1. *can.* 1. vbi cùm Gratus Episcopus proposuisset, *Si videtur vestræ dilectioni*; in fine canonis legitur, *Et vniuersi dixerunt, Placet.* Concilium African. *can.* 58. & 59. Ritè ergo, & secundùm Ecclesiasticum morem Osius Pater Conciliorum in præsenti canone Patrum rogauit sententias prædictis verbis: *Si omnibus placet*; & Patres more solito responderunt, *Placet.*

COMMENTARIVM.

6. Conclvsio probatvr. EX hoc textu omnes repetentes deducunt, electionem ad clamorem populi factam, non valere: sed si hic canon secundus conferatur cum primo eiusdem Concilij, iunctâ eius historiâ suprà relatâ, Patres nullo modo id statuere intendunt; in eo enim agitur de translatione Episcopi de vna Ecclesia ad aliam neutiquam admittenda, *cap.* 1. *de Clericis non resid.* vbi extat canon primus; non verò de electione per populum facta. Sed licèt hoc verum sit, & menti Patrum valdè consonum; quia tamen à compilatoribus primæ collectionis, & huius sextæ, sub titulo *de electione*, compilatus fuit canon hic, ad probandum populi acclamationes in electionibus Episcoporum attendi non debere, ideò iuxta illorum mentem, & antiquorum receptam interpretationem illum exponemus. Sit conclusio: *Electio ad clamorem populi facta non subsistit.* Probatur *cap.* 1. & 2. 62. *dist. cap. miramur*, 61. *dist. cap. non est permittendum*, 6. *cap. non licet*, 8. *cap. nosse*, 63. *dist. cap. si ego* 8. *q.* 1. *cap. si deinceps* 16. *q.* 7. *cap. licet* 15. *cum sequenti*, 18. *q.* 1. *cap. is qui opes*, iuncta Glossa, *verbo In iudicio*, 17. *q.* 4. *cap. vnusquisque* 20. *q.* 4. *cap. innotuit* 20. §. *multa*, *cap. querelam* 24. *cap. quod sicut* 28. *cap. sacrosancta*, *cap. Massana*, *hoc tit. cap. tuæ fraternitati*, *de præbendis*. Synodus Nicæna *can.* 4. Laodicensis *can.* 12. Parisiensis 1. *can.* 8. Bracharensis 2. *can.* 1. & alij congesti ab Iuone *p.* 15. *Decreti*, Antonio August. *in epitome lib.* 4. *tit.* 4. Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti*, quibus addendi sunt Acuña, & Ioannes Dartis *in dicta* 63. *dist.* Barbosa *de potest. Episcopi* 1. *p. tit.* 1. *cap.* 3. Lantdmeter. *lib.* 1. *de veteri clerico*, *cap.* 26. Bellarminus *tom.* 1. *tit. de clericis*, *lib.* 1. *cap.* 7. Ambianas *ad Tertull. cap.* 29. *obseru.* 2. Coqueus *in Morneum fol.* 313. *tom.* 1. Boetius Epon. *tom.* 1. *quæst. heroic. tit. de Regalib. quæst.* 89. Iulius Lauorus *de elect. tit.* 4. *cap.* 4. Petrus Gregorius *eod. tract. cap.* 5. Pamelius *ad D. Cyprianum epist.* 68. Corjolanus *in Breuiario*, *anno* 71. Sanderus *de visibili monarchia*, *lib.* 1. *cap.* 8. Franciscus Hallier. *de sacris electionibus sect.* 1. *cap.* 3. §. 3. Quintanadueñas *lib.* 3. *eccles. ast. in principio*, Menardus *ad D. Gregorium*, *fol.* 302. Herodius *lib.* 1. *Pandect. tit.* 4. *cap.* 19. Turrianus *in notis paruis ad lib.* 8. *constit. Clementis*, *cap.* 2. Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *p. disput.* 244. *cap.* 5. Diana *p.* 10. *tractat.* 1. *resol.* 3. Michael Rousselius *lib.* 2. *histor. Pontif. iurisd. cap.* 1. Dartis *de beneficiis sect.* 6. *fol.* 37. Petauius *de hierarchia lib.* 1. *cap.* 18. Chopinus *de sacra polit. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 4. Notator Capitularium Caroli, *verbo Episcopus*, Ferrarius *de veteri acclamandi ritu lib.* 2. *cap.* 3. Mancinus *lib.* 1. *de triplici iure*, *cap.* 30. Cochier *in face hist. centur.* 2. *c.* 11. Cellotius *de hierarch. obser.* 4. *cap.* 17. *per totum*, Balluzius *in notis ad Concil. Monspelienſe*, *fol.* 33.

7. Sed hæc assertio ita illustrata difficilis reddi- IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

tur sequenti ratiocinio: Nihil magis congruum est rationi, & disciplinæ ecclesiasticæ consentaneum, quàm vt Episcopi à populis eligantur, & vt eorum acclamationes in electionibus attendantur; quod probatur primò. Nam populorum maximè interest eligere à quo regantur, ne improbi Prælati commixtione maculentur: sed quod ad omnes spectat, ab omnibus debet approbari, regula *Quod omnes*, *de regulis iuris in* 6. igitur Prælati electio à populis fieri debet: vnde toties statutum legimus, ne populo inuito detur Episcopus, *cap. nullus*, 61. *dist. cap. illud*, *dist.* 23. *cap. fortè*, 63. *dist.* Secundò probatur; nam si populus eligat Episcopos, viri integri, fide præstantes, moribus incorrupti Ecclesiis præficientur; siquidem tunc licebit omnibus crimina, aut criminum suspiciones eligendo obiicere. D. Cyprianus *lib.* 1. *epist.* 4. *Vt plebe præsente*, *vel detegantur malorum crimina*, *vel bonorum merita prædicentur.* Quam rationem expressit Alexander Seuerus, referente Lampridio *in eius vita*, his verbis: *Vbi aliquos Imperator Alexander Seuerus voluisset vel Rectores prouinciis dare*, *vel Præpositos facere*, *vel Procuratores*, *id est Rationales ordinare*, *nomina eorum proponebat*, *hortans populum*, *vt si quis quid haberet criminis*, *probaret manifestis rebus*; *& si non probaret*, *subiret pœnam capitis: dicebatque graue esse*, *cùm id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus*, *qui ordinandi sunt*, *non fieri in prouinciarum Rectoribus.* Sed hunc generalem morem eligendi Prælatos à propriis populis, authoritatibus diuersarum nationum illustremus. Apud Hebræos etiamsi hæreditaria esset sacerdotij dignitas, aliqui tamen sacerdotes electi fuerunt à populo, vt de Iuda, & Ionatha refert Iosephus *lib.* 12. *antiquit. cap.* 17. & *lib.* 13. *cap.* 8. & 19. Idem obseruasse Ægyptios refert Heliodorus *in Æthiopica historia.* Apud Romanos satis notum est, præcipuas sacerdotij dignitates popularis electionis fuisse, vt Pontificis Maximi, qui in Comitiis Tribunitiis eligebatur: Regis sacrificuli, qui in Centuriatis; Flaminum, qui in Curiatis creabantur. Cicero 2. *de lege Agraria.* Liuius *lib.* 5. *decade* 3. *in initio*, Carolus Sigonius *lib.* 1. *de antiquo iure*, *cap.* 19. Sed ad tempora nostræ legis gratiæ perueniamus. Et in Ecclesia Orientali prædictum morem obseruatum fuisse, constat ex Concilio Nicæno *in epist. ad Ecclesias Ægypti*, *& Pentapol.* quæ extat apud Socratem *lib.* 1. *histor. eccles.* & in Ecclesia Africana, ex D. Augustino *epist.* 110. aliàs 120. vbi referuntur populi acclamationes in actis ordinationis Eradij, Augustino ipsum populo proponente vt sibi succederet, & à populo acclamatum esse: *Trigesies sexies Deo gratias Christo*; *laudes exaudi Christe. Augustino ita dictum est: Tredecies te Patrem*, *te Episcopum. Dictum est octies*, *Dignus est*, *iustus est. Dictum est vicies*, *Benemeritus*, *bene dignus.* Ex Concilio Afric. *can.* 45. ex Metaphastre *in vita S. Eutichij*, *cap.* 19. apud Surium *die* 6. *Aprilis*; vbi in ordinatione S. Eutichij Patriarchæ Constantinop. de populo refertur, omnes vno animo, eademque mente, & coniunctis suffragiis atque vna voce, ante tempus proclamasse, *dignus est.* Variis exemplis probat Menardus *ad D. Gregorij sacrament. fol.* 303. In Hispania faciliùs hic mos probatur ex Concilio Toletano relato *in cap. qui in aliquo* 5. *dist.* 51. Barchinonensi *can.* 3. *Duobus aut tribus*, *qui tamen digni sint*, *quos consensus Cleri & plebis selegerit.* Isidorus *lib.* 2. *de eccles. offic.* ex celebri Hormisdæ Pontificis epistola

epiſtola 4. *cap.* 2. ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Iſtam in ſacerdotibus ordinandis ſeruet electionem, vt in graui murmure populorum diuinum credatur eſſe iudicium; ibi enim Deus, vbi ſimplex ſine prauitate conſenſus.* In Eccleſia Gallicana etiam populum elegiſſe Prælatos, patet ex Concilio Valent. 3. *can.* 7. Leone 1. *epiſt.* 3. *ad Epiſcop. Vien.* Concilio Aurelian. 1. *can.* 7. Aurelian. 2. *can.* 6. Aurelian. 5. *can.* 11. Cabilon. *cap.* 10. Pariſienſi *can.* 8. ibi: *Nullus ciuibus inuitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi, & clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate.* Aurelian. 3. *can.* 3. ibi: *De comprouincialibus ordinandis cum conſenſu Metropolitani, Cleri & ciuium, iuxta priorum Canonum ſtatuta voluntas & electio requiratur.* In Anglia etiam hoc obſeruatum fuiſſe facilè conſtat ex Concilio Aruern. *can.* 2. ibi: *Epiſcopatum deſiderans electione Clericorum, vel ciuium Pontifex ordinetur.* Tandem in Italia, & ipſa vrbe Romana populum elegiſſe Epiſcopos, liquet ex Synodo Romana ſub Gregorio VII. *can.* 6. *Clerus & populus remotâ omni ſæculari ambitione, timore, & gratiâ, & Apoſtolicæ Sedis, vel Metropolitanæ conſenſu, Paſtorem ſibi ſecundùm Deum eligat.* Vnde Gregorius Magnus noluit confirmare Conſtantinum, quem Clerus Sedi Mediolanenſi præfecerat, antequam populi comitiis approbaretur, referente Rouſſelio *vbi ſuprà, cap.* 1. *diſt.* 62. *cap. vota*, 63. *diſt.* Idem de aliis referunt Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 9. Herbertus *obſeru.* 2. Gregorius Nazianzenus *orat.* 11. *de S. Athanaſio*, ex Hieronymo 1. *aduerſus Iouin.* Leone *epiſt.* 87. *ſeu* 89. quos refert Iacobus Gothofr. *in l.* 49. *C. Theodoſ. de decur.* ergo non rectè, nec iuxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam in præſenti aſſeritur Epiſcoporum electionem populis non eſſe committendam, neque eorum acclamationes attendendas.

8. De electione Episcoporvm.

Adhuc tamen defendenda eſt præſens aſſertio, pro cuius vera expoſitione, & prædictæ difficultatis ſolutione præmittendum eſt, iuxta temporum varietatem, immò & pro regionum diuerſitate, variam etiam fuiſſe electionum Epiſcoporum formam, vt vltra ſuprà relatos fusè probant Petrus Marcha *lib.* 8. *concord. Sacerd. & Imperij, per totum*, Michael Rouſſelius, ſeu vt veriùs credo, idem Petrus Marcha *lib.* 2. *hiſtor. Pontif. iuriſdict. cap.* 5. 6. & 7. Dadinus Alteſſerra *de Ducibus*, *cap.* 7. idem *in cap. cùm inter* 18. *hoc tit.* Florens *ad hunc tit.* 1. Dartis *de beneficiis ſect.* 3. *cap.* 1. & *cap.* 12. & 13. Primis enim Eccleſiæ temporibus Apoſtoli ipſos Epiſcopos eligebant, & deſignabant; ſed illis in cœlum elatis, ſucceſſit ſecundum tempus, in quo Epiſcopi comprouinciales, Metropolitanos, & Epiſcopos eligebant cum teſtimonio atque conſenſu Cleri & populi. Anacletus Pontifex, qui floruit per annos 102. relatus *in cap. finali*, 79. *diſt.* quam electionis formam firmarunt eius ſucceſſores, quorum epiſtolæ extant *in cap. in nomine*, 23. *diſt. cap. plebs, cum ſequentib.* 63. *diſt.* ad quod tempus referendus eſt D. Cyprianus *lib.* 4. *epiſt.* 2. vbi de Cornelio inquit: *Factus eſt à pluribus collegis noſtris, qui tunc in vrbe Roma aderant; factus eſt de Dei, & Chriſti eius iudicio, de clericorum ferè omnium teſtimonio.* Adeò hæc forma eo æuo obſeruabatur, vt plebi inuitæ non daretur Epiſcopus; non quia Epiſcopi comprouinciales tenerentur à populo poſtulatum conſecrare, *cap. noſſe*, 63. *diſt. can.* 1. & 2. *collect. Martini Brachar.* immò ſi quem petiiſſet populus contra ſtatuta canonum, reiiciebatur; & denuò conuocabantur Clerus & populus, *cap. plebe*, 63. *diſt.* ſi verò nec tunc in vnum conueniſſent, quem Archiepiſcopus eligebat, is pro Epiſcopo habebatur, vt probat Pamelius *ad D. Cyprianum epiſt.* 68. vnde manifestè depromitur, populum in electionibus Epiſcoporum adfuiſſe ex permiſſione Eccleſiæ, vt eo præſente, vel detegerentur malorum crimina, vel bonorum merita prædicarentur; atque ita nemo ad Epiſcopatus apicem indignus accederet, *cap. Metropolitano*, 63. *diſt.* non quia à iure diuino populo Epiſcoporum electio competeret, vt falsò exiſtimabant Caluinus & Lutherus, quos refellit Bellarminus *lib.* 1. *de cleric. cap.* 7. Poſteà verò ius electionis in Occidente clero cum populi conſenſu communicatum fuit, vt probant Bellarminus *d. cap.* 7. Azor *lib.* 3. *inſtit. c.* 28. *q.* 4. itavt electio fieret per Clerum populo annuente, & conſentiente, non verò ſuffragante. Hinc apparet, quomodo accipiendum ſit quod Patres Eccleſiæ docent, plures electos fuiſſe à populo, vt D. Cyprianus *epiſt.* 68. Nicolaus relatus *in cap. Epiſcopos*, 63. *diſt.* D. Hieronymus *in cap. licèt* 8. *q.* 1. quem electionis modum vſitatum legimus in Africa, vt conſtat ex electione Eradij ſucceſſoris D. Auguſtini, vt conſtat ex eius epiſtola 120. In Græcia, vt liquet ex Diuo Chryſoſtomo *lib.* 3. *de ſacerdot.* In Hiſpania ex epiſtola 68. D. Cypriani. In Gallia, ex epiſtola Cœleſtini Papæ II. & aliis congeſtis à Petro Marcha *dicto lib.* 8. *per totum.* Sed hoc ius electionis penes populum reſidens, tranſlatum fuit in Principem, à Sedeque Apoſtolica conceſſum fuit Regibus, vt in ſuis Regnis Epiſcopos eligerent. De Chriſtianiſſimis Regibus Galliæ, conſtat *ex cap. Adrianus*, cum ſequentibus, 63. *diſt.* plura Duarenus *lib.* 5. *de ſacris eccleſ. cap.* 1. Baronius *anno* 816. Fileſacus *de authoritate Epiſcopi, fol.* 75. De inuictiſſimis noſtris Hiſpaniæ Monarchis, *ex cap. cùm longè*, 63. *diſt.* & variis Romanæ Sedis priuilegiis, quæ referunt Boetius Epon. *tom.* 1. *quæſtionum, tit. de Regalibus, num.* 163. Culmus & calamus extant apud Præceptorem meum Illuſtriſſimum D. Franciſcum Ramos *in memoriali ad Alexandrum VII. pro Epiſcopatibus Luſitaniæ, propoſit.* 1. *fol.* 28. Solorzan. *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 30.

9. Proseqvitvr temporvm series.

Succeſſit tertium tempus, in quo Epiſcopi eligebantur à Canonicis ipſius Eccleſiæ, & religioſis ipſius ciuitatis, *cap. pro obeuntibus* 35. 63. *diſt.* ſed ſtatim electio Epiſcoporum ad Capitulum propriæ Eccleſiæ fuit deuoluta, *cap. cùm terra* 14. *cup. cùm inter* 18. *cap. cùm in Eccleſia* 31. *cap. quia propter* 42. *cap. Cumana* 50. *cap. in Geneſi* 51. *de elect. cap. cùm in Eccleſia, de cauſa poſſeſſ.* vbi plura Primarius noſter D. Ioannes de Balboa. Et hic electionis modus iuri communi conſentaneus dicitur *in cap.* 1. *hoc tit.* & notauit Cironius *in præſenti.* Sed cùm Canonici ea eligendi facultate abuterentur, & ea eligendi forma plures ſeminaret diſcordias, ablata eſt ab illis facultas eligendi Epiſcopos, & R. Pontifici reſeruata in regula 2. Cancellariæ; & licèt iſtæ reſeruationes ſublatæ fuiſſent in Concilio Baſileenſi, nihilominus in quamplurimis prouinciis Pontifex retinuit hanc eligendi poteſtatem. Noſtri tamen inuictiſſimi Reges ex priuilegiis huic Regiæ Coronæ ſpecialiter conceſſis obtinent ius præſentandi Epiſcopos in omnibus ſuis regnis, vt pro expoſitione legis primæ, *tit.* 6. *lib.* 1. *recopil.* referunt, & probant Balboa *vbi ſuprà*, Diana *d. p.* 10. *tract.* 2. *reſolut.* 70. Salcedo *de lege polit. lib.* 2. *cap.* 11. innumeri laudati & congeſti

gesti à Præceptore D. Franciſco Ramos *vbi proximè*, Parexa *de inſtrum. edition. tom.2. tract. 7. reſolut.9.* Ramirez de Prado *ad Luitprandum num. 97.*

10. TRADITVR DECIDENDI RATIO. Quibus ita præiactis, in medium afferamus iam rationes quibus moti fuerunt Patres Concilij Sardicenſis, vt ſtatuerent populi acclamationes in electionibus Epiſcoporum non eſſe attendendas. Et primam, præcipuamque deducamus ex illis verbis noſtri textus, *præmio & mercede corrumpi*; ideò enim acclamationibus populi iudicium deferendum non eſt, quia facilè, magnaque cum leuitate mouetur pretio, & præmio corrumpitur. Horatius *lib. 1. epiſt. 19.*

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis cœnarum, & tritæ munere veſtis.

Vbi notauit Lembinus. Quare Tertullianus *in apolog. cap.39.* pungit ethnicos, quia pecuniâ populi ſuffragia ſacerdotes emebant, vt eos ad ſacerdotium eligerent: & Chriſtianos è contrario laudat, dum de his ait, *præſident probati quique ſeniores, non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Ethnici enim non ſolùm plura ſimul ambiebant ſacerdotia; ſed & numeratâ pecuniâ populi ſuffragia non minùs in ſacerdotiis, quàm in aliis officiis redimebant, adeò vt apud ipſos reperirentur non ſolùm nummarij iudices, ſed & ſacerdotes. Seneca *lib... de beneficiis, cap. vlt.* ibi: *Vt circa Conſularia occupato Comitia, aut Sacerdotiorum candidato quæſturæ ſuffragator excideret.* Tertullianus *de ſpectaculis cap. 30. Vt talibus exultes, qui tibi Prætor, aut Conſul, aut Quæſtor, aut Sacerdos de ſua liberalitate præſtauit.* Alia adducit Grotius *in floribus ad legem primam, ff. ad leg. Iuliam de ambitu.* Vnde eueniebat, vt impares oneri ferendo eligerentur, cùm populus non attenderet quantùm valeret ſacerdos, ſed quantùm daret. Vt ergo ſimile in Eccleſia abſurdum non contingeret, prohibitum fuit tot ſacrorum canonum decretis, ne populi acclamationes in electionibus Epiſcoporum admitterentur, aut aliquis populi acclamatione eligeretur; immò ſi aliquis hoc modo Eccleſiam conſequatur, communione laicâ priuetur, cùm tot damna & incommoda ex his electionibus cognoſcerentur, vt exemplis & hiſtoriis probat Lantdmeter. *lib.1. de veteri monach. cap.27.* Alias rationes huius deciſionis omittimus, quia eas adduximus *in cap.2. de conſuet.*

11. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec ratio dubitandi ſuprà adducta refragatur; verum enim eſt, populi conſenſu, & coram eo olim electos fuiſſe Epiſcopos, vt omnibus dicendi in electum eſſet facultas, & liceret vnicuique palam vitia & virtutes eligendi proferre: at vbi cœpit ambitio eligendorum animos clericorum ad dignitates properantium obſidere, & populos largitionibus ad ſuffragia danda corrumpere, neceſſaria fuit noſtra prohibitio, ne indigni ad Epiſcopatus infulas peruenirent. Sed vtrum populus ipſe olim eligeret, an verò tantùm conſenſum, & teſtimonium præſtaret, dubium eſt apud Interpretes? Et populum ius electionis habuiſſe, docent Pamelius *ad D. Cyprianum epiſt.68.* Vazquez *3.p. in tertiam partem, diſp.244. cap.5.* Bellarminus *lib.1. de clericis cap.7.* pluribus relatis probat Michael Rouſſelius *in hiſt. Pontif. iuriſdict. lib. 2.cap.1. n.10.* Diana *p.10. tractatu 1. reſolut.4.* Negant Andreas Duualius *de poteſtate Pontif. cap.3. quæſt.6.* Ambianas *ad Tertull. in Apolog. cap.39. obſerv. 2.* Lantdmeter. *lib.9. de veteri clerico, cap.27.* Quorum opinionem veriorem iudico, cùm textus ſuprà citati tantùm exigant conſenſum, aut præſentiam populi; non verò neceſſariò poſtulent populi electionem, vt ſuprà dixi. Et quia hanc quæſtionem fusè examinat Diana *vbi ſuprà*, cuius opera præ manibus habentur, ideò in eius examine ſupersedeo. Manet ergo populi conſenſum deſiderari antiquitus in electionibus Prælatorum, vt attenderetur, non vt ſequeretur, vt in electione Abbatis docetur *in cap. ſi quis monachus, 16. quæſtione prima.*

12. EXPONITVR D. CYPRIANI LOCVS. Sed ſuperiori aſſertioni primò aduerſatur D. Cypriani teſtimonium *lib.1. epiſt.4.* in hæc verba: *Propter quod plebs obſequens præceptis dominicis, Deum metuens, à peccatore propoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere, quando ipſa maximam habet poteſtatem, vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi; quod & ipſum videmus de diuina deſcendere poteſtate, vt ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis eligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio probetur.* Ex quibus verbis apertè deducitur, populo competere ius eligendi Epiſcopos ab ipſo iure diuino. Igitur præſenti Concilio hæc facultas auferri non potuit, & in contrarium ſtatui, vt populi acclamationes in electionibus Epiſcoporum, contra iuris diuini regulas non attenderentur. Hoc, & aliis teſtimoniis moti impij Kimnitius, & Illyricus, auſi ſunt affirmare electionem Epiſcoporum competere populo ab ipſo iure diuino; quod & noſtris temporibus quoſdam Doctores Pariſienſes typis dediſſe referunt Diana *d. p. 10. tract.1. reſolut. 8.* Petauius *de hierarchia lib.1. cap. 13.* Sed eos refellunt feliciter Bellarminus *lib.1. de clericis, cap.7.* Bouerius *contra remp. Marci Antonij de Dominicis, lib.3. cap.3. per totum*, qui reſpondit, D. Cyprianum nullo modo aſſerere, hoc ius electionis populo à iure diuino competere, ſed tantùm ex auctoritate diuina deſcendere; id eſt, ex exemplo diuino ex ſacra Scriptura deprompto, inſtar cuius ait D. Cyprianus, debere fieri electionem: nam probare volens hoc deſcendere ex diuina auctoritate, adducit tria exempla, videlicet Eleazari, qui vt refertur *Numerorum cap. 20.* coram populo ordinatus fuit; & ſimiliter Mathiæ, & Septem Diaconorum, de quibus *actuum Apoſtolor. c.1. & 6.* Sed exempla ex ſacra Scriptura petita non inducunt ius diuinum, ſed præcepta Dei ſunt, quæ hoc ſtatuunt. Amplius, etſi admitteremus verba illa, *ex auctoritate diuina*, accipi pro præcepto; tamen adhuc Sanctus non concludit populum eligere debere, ſed tantùm teſtimonium perhibere poſſe, quod illius ſancti æuo in Eccleſia obſeruatum fuiſſe, iam ſuprà retulimus.

13. INTELLIGITVR CONCILIVM CABILON. CAN. 10. Secundò refragatur textus *in can.10. Concilij Cabilonenſis*, in illis verbis: *Nullus ciuibus inuitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate.* Ex quibus verbis expreſsè conſtat, electionem Epiſcopi competere populo ſimul & Clero. Igitur, ſicut Clero competit ius, non ſolùm ferendi teſtimonium, verùm etiam eligendi, ita ſimiliter populo. Pro cuius canonis expoſitione dicendum eſt, populum nullo modo elegiſſe Epiſcopos, ſi propriè, & ſtrictè electionem accipiamus; ſed tantùm illi interfuiſſe, vt proponeret, & poſtularet, teſtimoniumque perhiberet de vita & meritis ipſius. Et licet in dicto Canone Concilij Cabilon. & aliis referatur, populum elegiſſe, verbum *electio*, reſpectu Cleri propriè ſumitur; reſpectu verò plebis impropriè, & diuerſimodè: ſicut etiam, dum in ſacris litteris legimus, Pilatum, Turbas, Sacerdotes, & Milites, Chriſtum

Christum cruci affixisse, non intelligitur, omnes eodem modo ipsum crucifixisse: sic etiam *in dict. can.* 10. accipimus Clerum & populum interfuisse electioni Episcopi, sed non eodem modo, immò diuerso, videlicet, Clerus eligendo, populus electioni consentiendo. Quo modo accipiendi sunt textus in ratione dubitandi adducti, qui sigillatim expendi possunt.

CAPVT III.

Gregorius [a] Magnus *Anthemio Subdiacono Campaniæ.*

POstquam is, qui ad Episcopatum [b] Surentinæ ciuitatis electus fuerat, aptus nobis visus non est, Amandum Presbyterum Oratorij sancti Seuerini, quod in castro Luculano situm est, elegerunt. Ea propter experientiæ tuæ præcipimus, vt eundem presbyterum, excusatione postpositâ, sub omni ad nos studeas festinatione transmittere, quatenus petentium desideria cum Christi auxilio, si nihil est, quod eum impediat, impleantur. Cuius vita, vel actus, quia meliùs possunt illic, vbi diu est conuersatus, agnosci, curæ tuæ sit cum fratre, & Coepiscopo nostro [c] Fortunato de eo diligenter inquirere: & si nulla sint, quæ ad sacrum ordinem obsistere valeant, ad nos debet omni postpositâ tarditate transmitti.

Mon. 820 sin de clun L. 6. n° 27.

NOTÆ.

1. a *Gregorius.*] Perperam in Decretalibus tribuitur hæc decisio Gregorio III. vel Gregorio IX. cùm desumpta sit ex regestro epistolarum Gregorij Magni *lib.* 8. *epist.* 18. ad Anthemium Subdiaconum missa. De ipso Gregorio egi *in cap.* 2. *de constit.* & *cap.* 1. *de consuetud.* Ex ipsa epistola ita restituo nostrum textum, qui etiam reperitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 11.

2. SVRENTVM VBI? b *Surentinæ.*] Surentina ciuitas est in Campania, *Sorrento*, vel *Surriento*, nunc dicta. Habet Ecclesiam Cathedralem iam à primis Ecclesiæ sæculis, cuius Præsul Rosarius subscripsit in prima Synodo Romana, sub Symmacho celebrata. Carolus à S. Paulo *in Geographia sacra, fol.* 54. posteà Archiepiscopali dignitate decorata fuit, vt constat *ex cap. constitutis*, 45. *de testibus.*

3. c *Fortunato.*] Archiepiscopo Neapolitano, de quo vide dicta *in cap.* 2. *de constitutionibus.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO PROBATVR. EX hac decretali epistola sequentem deducunt Doctores assertionem: *Electio canonicè facta debet confirmari; & superior confirmans inquiret de vita electi, vbi conuersatus est.* Probant textus *in cap. illud*, 23. *dist. cap. priusquam*, 28. *dist. cap. de Petro*, 47. *dist. cap. nosti* 9. *cap. suffraganei* 11. *cap. transmissa* 15. *cap. nihil est* 44. *cap. cùm inter*, *hoc tit. cap. quàm sit*, *cap. cupientes*, *cap. si confirmationem*, *cap. cùm constitutionem*, §. *final. cap. vt circa* 4. §. *quamuis*, *cap. ab eo* 31. *hoc tit. in* 6. *cap. cùm dilecti*, *de consuetudine*, *cap. licèt*, *de officio Legati*, *cap. cùm iam dudum*, *de præbendis*, *cap. quâ fronte*, *de appellat. cap. ad probandum*, *de re iudic.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *hîc*, Petrus Gregorius *de elect. cap.* 19. Antonius Chucus *lib.* 4. *instit. tit.* 5. Iulius Lanorus *de elect. cap.* 15. Tamburinus *de iure Abbatum disput.* 6. Rousselius *lib.* 2. *histor. Pontif. cap.* 2. *per totum.* Hallier. *de hierarchia*, *fol.* 728. Garcia *tomo* 2. *polit. regul. fol.* 127. Diana *part.* 12. *tractat.* 1. *resolut.* 58. Barbosa *de potestate Episcopi* 1. *p. tit.* 1. *cap.* 4. & *voto* 35. & 36. Dartis *de beneficiis*, *sect.* 6. *cap.* 1. Tondutus *tom.* 3. *var. cap.* 125.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam cùm electio vnanimiter, & canonicè est celebrata, confirmatio nihil operatur: ergo superfluè in nostro textu desideratur. Probatur antecedens: nam confirmatio in forma communi facta, non plus iuris tribuit actui præter id, quod iam habebat, *cap.* 1. cum vulgatis, *de confirmat. vtili*: ergo confirmatio, de qua in nostro textu, nihil operatur. Accedit, nam plerumque electio ipsa continet in se confirmationem. Glossa *in cap.* 1. *verbo Prouisionem.* Et *in cap. vt circa*, *verbo Electiones*, *de electione lib.* 6. Nicolaus Milis. *verbo Electio*, *quæst.* 1. Compostellanus *in cap. inter canonicos*, *hoc tit.* igitur indistinctè verum non est, in omni electione confirmationem desiderari. Deinde contra eam partem assertionis, vbi docetur electi inquisitionem faciendam esse in loco, vbi conuersatus est, obstat, nam talis inquisitio ad confirmandam electionem debet fieri vbi electio celebrata est, *cap. scriptum*, §. *finali*, *de elect. cap. finali*, *eod. tit. lib.* 6. ergo non rectè hîc asserimus, inquisitionem ad confirmationem faciendam esse vbi conuersatus est.

5. IMPVGNATVR ASSERTIO.

Adhuc tamen præsens assertio defensanda est, videlicet electionem factam canonicè, esse confirmandam à superiore ipsorum eligentium: ad cuius expositionem sciendum est, electionem canonicè celebratam, & in scripturam redactam, & ab ipso electo acceptatam (eius enim consensus peti debet ante omnia, *cap. cupientes*, *in principio*, §. *cæterum*, *hoc tit. lib.* 6.) confirmari debere ab iis, quibus competit potestas confirmandi; & olim plerumque fiebat in Conciliis ad id peculiariter congregatis, vt fusè probat Petrus Marcha *lib.* 6. *concordiæ*, *cap.* 3. Posteà ea disciplina viguit, vt si electio esset Episcopi, à Metropolitano, *cap. cùm dilecti* 64. *de elect.* si Metropolitani, à Patriarcha, *cap. quia*, 63. *dist.* si Patriarchæ, à Pontifice fieret, *cap. scriptum*, *hoc tit.* latè cum temporum varietate & distinctione illustrat Rousselius *dicto lib.* 2. *cap.* 2. *per totum*, nisi talis confirmatio peculiariter Summo Pontifici reseruata fuerit, *cap. nihil est* 44. *hoc tit.* vt confirmatio Archiepiscopi Capuani, *cap. cùm nobis*, *hoc tit.* Rhemensis Synodus *apud S. Medardum in causa Hincmari*: Imperatoris, *cap. venerabilem*, 34. *hoc tit.* Pontifex cùm superiorem non agnoscat, non habet à quo

6. CONFIRMATIO A QVIBVS FIAT.

confirmetur, *cap.*1.23. *dist.* Si electio sit ad beneficia inferiora, confirmat Episcopus diœcesanus, ad quem institutio, & destitutio spectat, *cap. nullus* 16. *quæst.*7. & defuncto Episcopo, Capitulum, Sede vacante, *cap. cùm olim* 14. *de maiorit. & obed. cap.*1.*ne sede vacante,in* 6. Circa Abbatum electiones discrimen est constituendum inter exemptos immediatè subiectos R. Pontifici, & non exemptos: exempti confirmantur à R. Pontifice, vel eius Legato, *cap. si Abbatem, hoc tit. in* 6. Tamburinus & Garcia *vbi suprà:* non exempti ab Episcopo diœcesano, *cap.* 1. *de supplend. neglig.* Rectè in hac parte reprehendit Duarenum *lib.* 5. *de sacris eccles. cap.*2. I. Dartis *de beneficiis sect.* 6. *cap.* 1. eo quod existimauerit olim consecrationem non fuisse distinctam à confirmatione.

7. A QVIBVS ET QVOMODO PETATVR.

Confirmatio petenda est ab ipso electo, vel eius electoribus, per se, vel per procuratorem: & si amicus electi petierit confirmationem, dum intra tempus à iure præscriptum electus ratam habuerit, confirmatio vtilis est. Barbosa *dicto cap.*4. *numer.*4. Peti autem debet confirmatio intra tres menses, alioquin à iure per electionem quæsito cadit electus, nec opus est sententiâ, sed vacat Sedes, & secundæ electioni locus fit, *c.quoniam*, 75. *dist.cap. quoniam* 100. *dist.* vbi Ioannes Dartis, *cap. si Episcopus, de supplenda neglig.* Nisi legitimum adsit impedimentum eam non petendi, *cap. quàm sit, hoc tit.* In Cathedralibus verò, & Regularibus Ecclesiis, quæ à Sede Apost. confirmationem petunt, tempus hoc laxatum est à Nicolao Pontifice *in cap. cupientes, hoc tit. in* 6. ex rationibus, quas considerat Petrus Gregorius *dict.cap.*19.*num.*9. Petitâ autem confirmatione à legitimo superiore, ipse, si non adest impedimentum, eam denegare non potest; est enim necessaria, & per eam non beneficium, sed debitum impendit, *cap. finali, de elect. in* 6. Iulius Lauorus *dict.cap.*25. Debet tamen superior non temerè electionem confirmare, sed priùs electum dignum iudicare, vel per viam iudicij cum causæ cognitione sententiâ prolatâ, aut extraiudicialiter. Iulius Lauorus *dict.c.*25. *num.*49. Debet etiam priùs inquirere de forma electionis, an sit canonicè celebrata; de persona etiam electi, an sit idonea; & si sint contradictores, qui aliqua opponant, debet peremptorium terminum præscribere illis, intra quem opposita probent; & si nemo elapso termino probauerit opposita, debet ex officio diligenter inquirere personam electi, eiusque mores, scientiam, ac vitam, *cap. cùm nobis, cap. nihil est* 44. *hoc tit.* Iulius Lauorus *vbi supra, num.*57. & si dignum inueniat, confirmare; si verò indignum, reiicere, *dict. cap. cùm nobis*; aliàs ipse confirmator grauiter punitur, *cap. cùm inter, hoc tit. cap. prouida* 44. *eod. tit. lib.*6. *cap. quà fronte, de appellat.*

8. CONFIRMATIONIS EFFECTVS.

Nec hæc confirmatio leuis momenti est, immò magnos præbet effectus, cùm per eam concilietur matrimonium inter electum & Ecclesiam, *cap. inter, de translat. Episcopi:* electus gradum episcopalem consequitur, ita vt administrationem bonorum Ecclesiæ consequatur, & quæ sunt iurisdictionis, vtpote potestatem iudicandi, excommunicandi, corrigendi, à vassallis iuramenta accipiendi, instituendi in beneficiis propriæ diœcesis; non tamen quæ sunt maioris disquisitionis, Cuiacius *in cap. verùm, de foro compet.* nec quæ sunt ordinis, quæ tantùm per consecrationem adquiruntur, *cap.transmissa* 15. *cap.quod sicut*, §. *præterea, hoc tit. cap. quamuis* 78. *dist.* ante confirmationem verò electus se immiscere administrationi non potest, *dict.cap.transmissa, cap.nosti* 9.*cap.qualiter* 17. *hoc tit. cap. cùm iam dudum, de præbendis.* Plura Franciscus Hallierius *de hierarch. iurisdict. fol.* 728. Illud enim discrimen versatur inter electionem & confirmationem, quod electio confert dignitatem in habitu, confirmatio verò in actu; electio ius præstat, confirmatio exercitium: vnde aduersùs electum accusator potest proponere accusationem sine pœna inscriptionis; post confirmationem verò contrarium obseruatur, *c.super his* 16. *de accusat.* & si ante confirmationem electus administrauerit, eo ipso priuatus est iure quæsito per electionem, *c.auaritiæ* 5. *hoc tit. lib.*6. latè probant Iulius Lauorus *dict.cap.*45. *num.*6. Lotherius *lib.*2. *de re benefic. cap.*13. Intrusus enim censetur, qui ita se immiscet administrationi, & ideò redditur inhabilis ad eam dignitatem, *dict. cap. cùm iam dudum*, Tamburinus *de iure Abbat. tom.*1. *disput.*6. *quæst.*1. Solorzanus *lib.*4.*polit.cap.*4. vnde tanquam propriâ authoritate inuadens Episcopatum, eo priuatur, *cap. cum qui, de præbendis:* excusatur tamen ab his pœnis, si cum eis dispensetur, *dict. cap. nosti, hoc tit.* si vnanimiter ab omni congregatione fuerint electi, & sint valdè remoti à Curia, ita vt facilè non possint confirmationem obtinere, dum non sint negligentes in ea petenda. Petrus Gregorius *vbi supra, num.*6. item Abbatissa electa à duabus partibus ex tribus monialium administrare potest, dummodò nihil alienet, aut moniales recipiat, *cap. indemnitatibus* 43. §. *si verò, de elect. in* 6. Lauorus suprà *num.* 5. & hodiè Abbates, & alij Prælati regulares electi à Capitulo, seu Definitorio, ob priuilegia specialia Religionibus concessa, quæ referunt Garcia *vbi suprà*, Tamburinus *dict. tom.* 1. *disput.*6. *quæst.*2.

9. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus sic constitutis pro præsentis textus expositione, eius decisiua ratio ex eo prouenit; nam cùm electio ritè, & canonicè celebrata est, iustè confirmatio postulatur, iuxta illud Cassiodori *lib.*1. *epist.*14. *Libenter omnibus præbeamus assensum, quotiens est iusta vox postentium:* & cùm electus sine confirmatione administrare non possit, & Ecclesia defectu Pastoris plerumque grauia patiatur damna, *cap. cùm in cunctis, cap. ne pro defectu, hoc tit.* ideò canonicè electus debet confirmari, vt sic Ecclesiæ deseruire possit, & ius quod per electionem tantùm in habitu habet, per confirmationem reducatur ad actum. Rectè ergo in præsenti textu statuit Gregorius confirmationem à superiore fieri debere, & cùm inquisitio fieri debeat de scientia, & moribus electi, & non aliunde congruentiùs fieri possit, quàm in loco, in quo conuersatus est, cùm præsumatur vicinum scire facta vicini, *cap. quosdam, de præsumpt.* notant Scipio Gentilis *de donat. inter, lib.*1. *cap.*8. ideò iubetur in nostro textu, inquisitionem ibi fieri debere. Faciunt ad rem Innocentij III. verba relata *in cap. scriptum*, §. *pro Apostolica, de electione*, ibi: *Quatenus super his & aliis inquirat diligentissimè veritatem de meritis electi, & postulati, apud Venetias, vbi nati sunt, & diutiùs conuersati. De studiis autem eligentium & postulantium, & omnibus generaliter, quæ causam possunt instruere, apud Constantinopolim, vbi huiusmodi electio & postulatio celebratæ fuerunt.* Et *in cap. cùm dilectus, de purgat. canonica*, ibi: *Vt tales ad purgationem*

tionem admittantur perſonæ, quæ vicinæ ſunt. Et ad probationem morum ordinandi in parochia vbi conuerſatus eſt, inquiſitio fit, vt latè probat Hallier. *de ſacris electionib. fol. 59.* rectè ergo in præſenti iubetur inquiſitionem fieri in eo loco vbi electus eſt conuerſatus.

10. SOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obſtat prima difficultas ſuprà allata; nam magnum diſcrimen adeſt inter confirmationem in forma communi factam, & in forma ſpeciali. Quæ fit in forma communi, nihil actui addit, ex iuribus ſuprà adductis; quæ verò fit in forma ſpeciali, multùm operatur: vnde cùm confirmatio electi fiat in forma ſpeciali, cum cauſæ cognitione, & electi inquiſitione, plures effectus operatur, quos ſuprà retuli. Nec augmentum difficultatis obſtat; verum enim eſt, confirmationem, non deſiderari in ea electione, quæ fit à ſuperiore, qui etiam eligendi habet facultatem: ſed noſter textus loquitur cùm electio fit ab inferiore; quo caſu confirmatio petenda eſt à ſuperiore. Nec obſtat alia ſecunda difficultas, vbi dicebamus inquiſitionem faciendam eſſe in loco electionis, non vbi electus conuerſatus eſt: nam diſcrimen eſt conſtituendum inter eum caſum, in quo inquiritur de viribus electionis; & inter eum caſum, in quo inquiritur de vita, & ſcientia electi. Primo caſu inquiſitio eſt facienda in loco electionis: ſecundo verò caſu in loco vbi conuerſatus eſt. Primo caſu procedunt textus ſuprà adducti, ſecundo verò caſu textus noſter. Docet latè Henricus Bohic. *in præſenti.*

CAPVT IV.

[a] Paſchalis [b] *Panorm. Archiepiſcopo.*

SIgnificaſti, [c] frater chariſſime, [d] Regem, & [e] regni Maiores admiratione permotos, quòd pallium tibi ab [f] apocriſiariis noſtris tali [g] conditione [h] oblatum fuerit, ſi [i] ſacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerant, iurares. In pallio frater quippe *j* plenitudo conceditur Pontificalis officij, quia iuxta Sedis Ap. & totius Europæ conſuetudinem, ante acceptum pallium Metropolitanis minimè licet, aut Epiſcopos [k] conſecrare, aut ſynodum celebrare. Imitentur in hac cauſa Dominum Ieſum Chriſtum; cùm enim Dominus Ieſus, vt Dominus ouium ſuarum, curam Simoni Petro committeret, conditionem poſuit dicens: Si diligis [l] me, Simon Petre, paſce oues meas. Si conſcientiarum factor & cognitor conditione hac vſus eſt, nec ſemel tantùm, ſed & ſecundò, & vſque ad contriſtationem; qua nos ſolicitudine, qua prouiſione oportet tantam Eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ouium curam imponere fratribus, quorum conſcientias non videmus; illis maximè, quos nullo vſu nouimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? Aiunt omne iuſiurandum in Euangelio à Domino Deo eſſe prohibitum, nec ab Apoſtolis poſt Dominum, nec in Conciliis pòſt inueniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo, quod idem Dominus ſubſecutus ait: Quod amplius eſt, à malo eſt? hoc enim amplius, vt exigamus, malum nos illo permittente compellit. Non-ne malum eſt ab Eccleſiæ vnitate, à Sedis Apoſt. obedientia reſilire? Non-ne malum eſt contra canonum ſtatuta prorumpere? quod multi etiam poſt ſacramentum præſtitum præſumpſerunt? Non-ne prædeceſſor tuus præter R. Pontificis conſcientiam damnauit Epiſcopum? quibus hoc canonibus, quibus Conciliis legitur eſſe permiſſum? Quid ſuper Epiſcoporum tranſlationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate Apoſtolicâ, ſed [m] nutu Regio præſumuntur? Propter hæc mala, & alia euitanda, huiuſmodi iuramentum exigitur. Cur autem iuramentum Dominus prohibuit, Apoſtolus Iacobus manifeſtat, adiiciens: Vt non ſub iudicium incidatis, nec quiſquam, ſicut beatus Auguſt. exponit, aſſiduitate iurandi ad periurij conſuetudinem dilabatur. Quapropter iuratione non vtatur, niſi neceſſitate, cùm pigros videt eſſe homines ad credendum, quod eis vtile eſt credere, niſi iuratione firmetur. Hoc nimirum malo, hac neceſſitate compellimur iuramentum pro fide, pro obedientia, pro veritate requirere. Porrò pro auditorum diffidentia Apoſtolum P. iuraſſe, ipſius epiſtolæ proteſtantur. Aiunt Reges tui, in Conciliis ſtatutum non inueniri: quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint, cùm omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romana patenter [n] excipiatur auctoritas. *Et infrà:* Poſſunt Apoſtolicam Sedem contemnere? poſſunt apud nos calcaneum eleuare? datum à Deo priuilegium euertere, vel auferre non poſſunt, quo Petro dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum. Quibus tandem Conciliorum decretis dandi pallij modus præſcriptus eſt, & profeſſionis, vel obedientiæ ordo ſancitus? Cùm igitur à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ à beati Petri tantùm [o] corpore aſſumuntur, iuſtum eſt, vt vos

quoque Sedi Apoſtolicæ ſubiectionis debitæ ſigna ſoluatis, quæ vos cum beato Petro, tanquam membra de membro habere, & catholici Capitis vnitatem ſeruare declarant, in quibus à prædeceſſoribus noſtris ea eſt adhibita moderatio, vt nil iniurioſum, nil difficile ſit appoſitum, quod non etiam præter exactionem noſtram debeat ab omnibus Epiſcopis obſeruari, qui ſub Apoſtoli Petri & Pauli obedientia decreuerint in vnitate perſiſtere. Numquid non vltra vos [p] Daci conſiſtunt? & tamen eorum Metropolitani & idem iuramentum aſſerunt, & Legatos Apoſtolicæ Sedis honorificè tractant, & in ſuis neceſſitatibus adiuuant, & Apoſtolorum limina per Legatos ſuos non tantùm per triennium, ſed ſingulis [q] annis viſitant.

NOTÆ.

1. a *Paſchalis.*] Primus-ne, an ſecundus, ſub lite eſt. Baronius *anno* 1102. Paſchali II. tribuit hanc deciſionem, qui Eccleſiam Romanam rexit ex anno 1100. vſque ad annum 1117. Baronium ſequuntur & defendunt Piccolus 2. *part. hiſt. cap.* 17. P. Marcha *lib.* 6. *concord. cap.* 7. *ad finem:* mouentur eo argumento, quia in noſtro textu fit mentio Regis Siciliæ; & tamen temporibus Paſchalis I. non erat in Sicilia Rex, vſquedum Rogerius coronatus fuit per annum 1117. igitur Paſchalis II. auctor eſt huius deciſionis. Contrarium tamen, videlicet Paſchalis I. eſſe hanc decretalem, probant Vincentius Litara *in orat. de Primate Eccleſiæ Panorm.* D. Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ, in notit. Eccleſiæ Panorm. fol.* 77. quorum opinio verior eſt. Contrariæ autem fundamento infrà ſatisfaciam. Paſchalis iſte primus Eccleſiam rexit ab anno 817. vſque ad annum 823. teſtantibus Baronio, Corjolano & aliis. *Collocenſi*, legendum eſſe, & ita ad Regnum Hungariæ referendam eſſe hanc Decretalem, probat Franc. Florens *ad titulum de vſu pallij*; ſed vt Abbati Pirro conſentiam, mouet quod lego *in collect. hiſt.* quam Auctor inſcripſit, *Flores hiſtoriarum*, ibi: *Tempore Paſchalis fuerunt Reges Siciliæ Rogerius & Bernardus fratres; & cùm miſiſſet Paſchalis Archiepiſcopo Panormitano pallium, & fidelitatis iuramentum exigeret, offendit ea res Archiepiſcopum, & Reges, atque optimates Regni: dicebant enim rem eſſe nouam, & habere ſpeciem tyrannidis.*

2. b *Panormit.*] Nec in hac parte conueniunt codices; alij legunt *Colonenſi*, *Toletano*; alij *Polonienſi*, vel *Poluerienſi*. Sed retinenda eſt vulgaris lectura *Panormit.* quia ita habetur in codice Vaticano, vbi ſe legiſſe teſtatur Alexander Renaldus, relatus à Pirro vbi ſuprà, *num.* 6.

3. c *Significaſti.*] Huius textus ſeriem & hiſtoriam Baronius *dicto anno* 1102. *num* 6. ex eo petit, quod tertio anno ſui Pontificatus Paſchalis II. Concilium generale Romæ celebrauit, vt conciliaret Henricum Imperatorem; & cùm ipſe comparere noluiſſet, immò antipapam introduceret, Patres Concilij eius ſchiſma cum fautoribus damnarunt, fideique profeſſionem fecerunt, atque obedientiam Pontifici promiſerunt. Accidit eodem anno, vt ab Archiepiſcopo Panormitano iuramentum obedientiæ Sedis Apoſtolicæ apocriſiarij exigerent; ille autem facere detrectauit: vnde eum Paſchalis corripuit præſenti deciſione, quam refert Baronius *prædicto anno*, *num.* 6. Eodem etiam anno, & ob eandem cauſam ſimilem miſit epiſtolam Paſchalis II. Archiepiſcopo Poloniæ, quam ex codice Vaticano tranſcripſit Baronius *dicto anno*, *num.* 8. Sed hæc Baronij ſententia admitti non poteſt; tum quia vt ſuprà retuli, hæc decretalis non eſt Paſchalis ſecundi, ſed primi: tum quia ſi Archiepiſcopus Panormitanus renuiſſet obedientiam præſtare, ipſum incuſaret, increparetque R. P. ſed Regem Siciliæ, Regnique proceres arguit Pontifex: ergo quia Archiepiſcopus non renuebat obedientiam præſtare.

4. TEXTVS HISTORIA REFERVNTVR.

Hac igitur opinione omiſsâ, placet Abbatis D. Rochi de Pirro ſententia *vbi ſuprà*, qui refert electo noſtro Paſchali primo, pſeudo-Patriarcham Conſtantinopolitanum Legatos miſiſſe ad ipſum Pontificem, quos tanquam turpiſſimæ legationis miniſtros reiecit: quare Præfecti Orientis, qui totam Siciliam regebant, deſiderabant vt Siciliæ Præſules potiùs Patriarchæ Orientis, quàm R. Pontifici obedientiam præſtarent; & ſi forſan à R. Pontifice pallium peterent, fidei profeſſionem facerent: quos Præfectos, & Regni Proceres arguit Paſchalis, probans, tam auctoritatibus ſacræ Paginæ, quàm exemplis Dacorum, ipſos mirari non debere ex eo, quod Siciliæ Præſules fidem, & obedientiam R. Pontifici promittant. Hæc facti ſeries facilè conſtabit, ſi huius decretalis verba paraphraſticè percurramus.

5. d *Regem.*] Sed quomodo Rex memoratur in Sicilia tempore Paſchalis primi, cuius ævo vſque ad annum 1129. quo inuaſit illud regnum Rogerius, aut ſub Sarracenis, aut ſub Græcis erat tota Sicilia, vt probant Facelus *in hiſtoria Siciliæ, decade* 2. *lib.* 2. *anno* 812. Pirro *vbi ſuprà, num.* 6. De quo ergo Rege accipiendus eſt Paſchalis in præſenti? Huius difficultatis neruum vt abſcinderet Vincentius Litara, ſupponit Præfectos Siciliæ, qui pro Conſtantino Imperatore Siculam prouinciam adminiſtrabant, Regum nomine inſignitos fuiſſe, & Præfectum Panormiæ inde Regem appellari, quod probat ex Nicephoro Gregora *lib.* 7. *de Irene Imperatrice*, vbi ait: *Magni autem Conſtantini temporibus Roſicus locum & dignitatem Papiferi, Peloponneſiacus Principis, Atticus & Athenarum* (ſcilicet Principes) *magni Ducis, Bœtiæ, & Thebarum magni Primicerij; magnæ verò inſulæ Siciliæ Regis, alij demùm alia nomina obtinuerunt.* Id etiam probari poteſt ex D. Gregorio *lib.* 12. *epiſt.* 32. ibi: *Cæterùm ſuper vexatione, de quo nos conſulere voluiſti, ſcimus quia à nullis vita Præſulum perturbari debet exceſſibus, quia valde indignum eſt, vt hi qui throni Dei vocantur, aliqua motione à Regibus, vel ſubditis turbentur.* Et vt ad viciniora tempora Paſchalis accedamus, de Carolo Magno, qui filium Regis Panormitani de ſacro fonte leuauit, ita cecinit Gothefridus Viterbienſis.

Dum rate feſtinâ Regem vehit vnda marina,
Vrbe Panormita portum capit abſque ruina,
Omne ſolum Siculi munera ſoluit ei.
Carolus hic Siculum recreat baptiſmate Regem,
Quem iubet Eccleſiæ Romanæ ſumere legem.

Rectè ergo aſſerit Litara, in præſenti textu Regem accipi pro Præfecto Panormitano, eo nomine fungente. Regnum autem Siciliæ olim, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus

ad

ad Ecclesiæ Romanæ patrimonium spectasse constat *ex cap. ad Apostolicæ, de re iudic. lib. 6. Clement. Pastoralis, eod. tit.* & probant Carolus Sigonius *de regno Italiæ lib. 5. 6. & 7.* Borellus *de præstantia Regis, cap. 46. & 47.* pluribus relatis Solorzanus *tom. 1. lib. 3. de iure Indiar. cap. 1. numer. 69.*

6. e *Regni Maiores.*] Proceres videlicet ciuitatis, maiores, illustriores, & nobiliores, *homines boni generis* dicuntur in lege Salica. Maiores personæ in legibus Burgundionum, dicuntur *optimates* communiter, de quibus aliqua adduxi *in cap. ex parte, de consuet.*

7. f *Apocrisiariis.*] Apocrisiarij, vel apocrisarij sunt qui Ecclesiæ negotia gerunt, *nouella 6. Iustin.* qui dicuntur etiam Adresponsi *in nouella 25. cap. 1.* ibi: *Habeat item Adresponsum, seu Apocrisiarium.* Item capellani Pontificis, Hincmarus *epist. 3.* ibi: *Apocrisarius autem, quem nostri capellanum, vel palatij custodem appellant.* Pro Legatis etiam Ecclesiæ accipiuntur passim apud Scriptores posterioris ætatis. In præsenti textu capellani missi ad pallium tradendum, & iuramentum obedientiæ recipiendum, dicuntur Apocrisiarij. De illis & eorum munere plura adduxerunt Seuerinus Binius *in notis ad epist. 2. Zephirini*, Bosquetus *ad Innocentium III. lib. 3. epist. 139.* Zerda *in aduers. cap. 141.* Rosuerius *in Onomast. verbo Apocrisiarios*, I. Vossius *de vitiis sermonum lib. 3. cap. 1.* Petrus Pitheus *lib. 1. aduers. cap. 12.* fusè & doctè Petrus Marcha *lib. 5. concord. Sacerd. & Imper. cap. 16. cum sequent.*

8. g *Tali conditione.*] Licet superior non possit nouas addere conditiones, vel grauamina tempore collationis beneficij, aut inuestituræ, *cap. prohibemus, de censibus, cap. ne Dei, de simonia*; tamen quæ tacitè insunt, possunt exprimi, cùm quid noui non addant, vt in præsenti fidei professio, & iuramentum obedientiæ in pallij susceptione. Eleganter Carnot. *epist. 73. Quæ culpa est si exigitur quod debetur, & quod debetur, exhibetur.*

9. h *Oblatum.*] Non quia motu proprio Pontifex obtulisset, sed prius postulanti concessit. Pallium enim peti debet ab Archiepiscopis, *cap. prisca, 100. dist.*

10. i *Sacramentum.*] Tam in iure canonico, quàm Cæsareo, necnon apud bonæ notæ auctores iuramentum appellatur sacramentum, *cap. vidua, de regul. authent. sacramenta, Cod. si aduersus vendit.* probabimus *in cap. 1. de feriis.*

11. j *Plenitudo.*] *Cap. 3. & finali, de authorit. & vsu pallij*, vbi dicemus.

12. k *Consecrare.*] *Cap. 28. §. vlt. hoc tit.* notaui *in cap. suffraganeis, infrà eodem.*

13. l *Diligis me.*] *Ioannis cap. 21.* D. Iacobus *epistol. 5.* plerumque enim Romani Pontifices in suis decisionibus adstruendis & illustrandis vtuntur auctoritatibus sacræ Paginæ, vt *in cap. facientes, 86. dist. cap. error 63. dist. cap. cùm secundum, cap. extirpandæ, de præb.* & passim in hoc volumine.

14. m *Nutu regio.*] Eò enim audaciæ per ea tempora Græci Imperatores deuenerunt, vt ipsi, & eorum Præfecti transferrent Episcopos de vna Ecclesia in aliam, vt refert Gretheserus *in præfatione ad indicem Codini, fol. 112.* ibi: *Imperator Græcorum Papa videretur, adeò licentiosè Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos ponebat, ac deponebat arbitratu suo, & quasi pilas modò in hunc, modò in illum iactabat locum:* ac Demetrius Clematianus *in responsis ad Canasilum*, relatus ab eodem Gretheserο, ait: *Imperator, vt communis in Ecclesiis sapientum Princeps, & re, & nomine Synodorum placitis præsidet, & auctoritatem ipsis largitur, ecclesiasticas ordinationes disponit, & legem ponit vitæ atque officio eorum, qui altari inseruiunt; quin & iudiciis Episcoporum, & clericorum, & electionum Ecclesiarum vacantium; promouet insuper à minori dignitate ad maiorem.*

15. n *Excipiatur auctoritas.*] Grauis iam diu controuersia fuit apud iuris Doctores & Theologos, vtrum videlicet Romanus Pontifex sit infra Concilium generale, illique subsit; an verò supra ipsum? Et Concilio generali subesse docuerunt F. Duarenus *lib. 8. de sacris eccles. cap. 11. in princip.* post Parisienses Theologos in Basileensibus & Constantiensibus decretis. P. Marcha *lib. 3. concord. cap. 7. num. 1.* memorat Gramondus *in Ludouico XII. lib. 1.* temperatè disquirens Rousselius *lib. 3. hist. iurisd. Pont. cap. 3. num. 10. & 16.* Qui nituntur sequentibus fundamentis: Primò Ecclesia 16. est corpus, in quo singuli fideles membra existunt: sed totum corpus maius est quacumque eius parte: igitur maius erit vno R. Pontifice, qui membrum est. Adducunt in comprobationem illud Hieronymi à Gratiano relatum *in cap. legimus, 93. dist.* in illis verbis: *Si auctoritas quæritur orbis, maior est vrbe; id est Ecclesiæ vniuersalis, quàm Papæ.* Secundò Ecclesia vniuersalis dicitur mater omnium fidelium, iuxta illud Ecclesiastici *cap. 24. Mater pulchræ dilectionis:* & Apostoli ad Galatas *cap. 4. Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ mater nostra est.* Ergo Pontifex filius Ecclesiæ dicitur: sed absurdum est, vt filius sit supra matrem: ergo Ecclesia, quæ mater est, supra Papam est, tanquam supra filium. Fulcitur consequentia ex D. Bernardi testimonio *lib. 4. de considerat. ad Eugenium, circa finem*, vbi Pontificem ita alloquitur: *Considéres autem super omnē sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, matrem esse, non dominam; te non dominum Episcoporum, sed vnum ex eis.* Tertiò ille superior est, ad quem in extremo casu reus iudicandus mittitur, vt patet in appellationibus, & probabo *in cap. 7. de appellat.* Maius enim tribunal vltimum est: sed in extremo casu reus ad Ecclesiam remittitur, non ad Pontificem: ergo Ecclesia maior est Pontifice. Probatur minor ex verbo Christi Domini *Matthæi cap. 18.* vbi inquit Petro, qui futurus erat Summus Pontifex: *Si peccauerit in tē frater tuus, vade, & corripe eum:* & post pauca, *Si te non audierit, dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus:* ergo ex hoc testimonio apparet, à Petro ad Ecclesiam recurrendum esse, tanquam ad vltimum tribunal. Quod agnouerunt Innocentius IV. *in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. lib. 6.* vbi ait, quod si Federicus II. queratur ab Ecclesia, contra se, id est, à Pontifice iniustam esse prolatam sententiam, paratam esse eandem Ecclesiam accuratè, & de consilio Concilij satisfacere: & D. August. *epist. 126.* dum querentibus Donatistis absolutum ab Episcopo Romano Melchiade Cecilianum, respondebat: *Si putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententia*

ſolueretur. Vbi ex ſerie totius epiſtolæ conſtat, poſt ſententiam Melchiadis Papæ, Epiſcopum Arelatenſem eandem cauſam iterùm iudicaſſe. Et ita ſæpeſæpiùs legimus ad futurum Concilium appellatum, vt de D. Ioanne Chryſoſtomo referunt Nicephorus *lib.6. cap.15.* Sozomenus *lib.8. cap.* 17. Similiter à Pontifice ad futurum Concilium appellaſſe Gualterum Pictauienſem Epiſcopum, refert D. Antoninus, & ex eo Rouſſelius *lib. 3. hiſtor. Pontif. dict. cap.3. num.10.* qui idem de Philippo Pulchro Galliæ Rege narrat. Quartò id expreſsè definitum legimus in Concilio Conſtant.generali, *ſeſſ.4.§.& primò*, per hæc verba: *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens, &c. Et primò declarat, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata, legitimè generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei, in capite & in membris.* Quod confirmauit Martinus V. in ſua bulla, quæ extat inter acta vltimæ ſeſſionis, per illa verba: *Credendum eſt, & approbandum, quod in fauorem fidei, & ſalutem animarum Concilium Conſtantienſe vniuerſalem Eccleſiam repræſentans approbauit, & approbat.* Ergo quia agnouit Martinus V. Concilium ſupra Pontificem eſſe. Quod poſtea confirmatum fuit eiſdem verbis in Concilio Baſileenſi, *ſeſſ.33.* Deinde in Concilio Sinueſſano Marcellinus Papa depoſitus fuit, vt in eius actis refertur: & epiſtolam Leonis Papæ Epiſcopi in Concilio Chalcedonenſi congregati examinarunt, vt refert Euagrius *lib.2. hiſtoriæ Eccleſ. cap.*18. & ipſe gloriatur, epiſtolam ſuam à Concilio approbatam fuiſſe: & Liberius Papa, quem Imperator Conſtantius depoſuit, vt ſimul cum Felice Eccleſiam regeret iuſſit Concilium Smirnenſe, litteris datis ad Felicem, vt refert Sozomenus *lib.4. hiſt. cap.*24. Tandem facit textu *in cap.ſanè, verſiculo Romanorum, 24.quæſt.2.* vbi Dioſcorus Romanorum Papa etiam poſt mortem ab Eccleſia damnatus fuit: ergo quia Concilium eſt ſupra Pontificem.

17. CONTRARIA SENTENTIA PROBATVR.

Verùm contrariam ſententiam, videlicet Pontificem eſſe ſupra Concilium, non è contra, & Summum Pontificem caput eſſe totius Eccleſiæ, & poteſtatem illam à Deo D. Petro conceſſam immediatè in Pontificis perſona radicari, & ideò Concilium in eo nullam iuriſdictionem exercere poſſe, docuerunt D. Thomas *in 4. diſt.19.* & D. Bonauentura, Paludanus, & alij, Caietanus *in tract. de comparatione Papæ, & Concil.* Albertus Phigius *de hierarch. eccleſ.* Nicolaus Anderus *lib.7. de viſibili monarch. pag.*540. Turriſcrem. *lib.2. ſummæ, de Eccleſia cap.* 93. & 104. Campegius *in tract. de Rom. Pontif. cap.22. cum ſequent.* Nauarrus *lib.1. conſil. tit. de conſtitut. conſilio 1. num.4.* Carrier. *tomo 2. ff. fidei, tit.* 38. *de Conciliis, quæſt.* 10. Baronius *anno* 33. *num.17.* & *anno* 39. *num.7.* & *anno* 51. *num.* 12. Franciſcus Turrianus in tribus libris, quos de hac quæſtione ſcripſit, Martha *de iuriſdict. 3. part. cap.17.* Salas *de legibus quæſt.95. tract.14. diſput.8. ſect.* 14. *num.70.* Valenzuela *in monit. contra Venetos, cap.6. per totum*, Theophilus Raynaud. *tom.* 10. *in corona aurea R. P. veritate 6. in fine*, Anonymus, qui notas ſcripſit ad conſtitutionem Eugenij IV. quæ extat *tomo 35. Conciliorum Regiæ editionis, pag.*535. Grauina *de catholic. præſcript. tom.4. part.2. diſput.1. art. vlt. dubio 1.* Victoria *in relectione de poteſtate Papæ*, Canus *lib.6. de locis, cap.1.* Bellarminus *tom. 1. controu. lib.4. de Roman. Pontif. cap.1.* Suarez *de fide diſput.5. ſect.8.* Caietanus *de poteſtate Papæ, 2. part. cap.13. cum ſequent.* Carranza *in ſumma Concil. 3. controu.* Barboſa *in præſenti*, & *de iure eccleſiaſtico lib.1. cap.2. ex num.38.* & *in dict. cap. ad Apoſtolicæ*, Valentia *tom.3. controu. quæſt.1. puncto 7. §.4.* Dominicus Bañez 2. 2. *quæſt. 1. art.10. dubit.2.* Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ, lib.16. cap.8.* & *lib.18. cap.6.* & poſt noſtros Salmanticenſes, Diana *in peculiari tract. de hac re edito*, qui eſt primus in appendice partis vndecimæ, Solorzanus *tom.1. de iure Indiar. lib.3. cap.7. num.37.* Duualius Profeſſor Sorbonicus *in tractatu de Pontifice, 2. part. quæſt.1.* Ioannes Leycet *de auctoritate Pontificis lib.2. per totum*, Brunus Chaſſaing. *de priuilegiis regul. part.1. tract.1. propoſit.2.* Quorum ſententia probatur ex ſequentibus iuris fundamentis: nam Pontifex eſt vicarius Chriſti, *cap. omnes, 22. diſt.* & Eccleſia Romana mater eſt & magiſtra fidei, vt probaui *in cap.1. de ſumma Trinit.* ſed eſſet abſurdum, vt mater filiis ſubeſſet: igitur abſurdum eſt dicere Pontificem Romanum Concilio ſubeſſe. Facit textus *in cap. ita dominus, 19. diſt.* Deinde quia prima Sedes à nemine iudicatur, *cap. nemo, cap. aliorum, cap. facta 9. quæſt.3. extrauaganti Vnam ſanctam, de maiorit. & obed.* plura Antonius Auguſt. *in epit. lib.1. tit.13.* Petrus Marcha *tom.1. concord. lib.1. cap.11. per totum*, Corjolanus *in breuiario, anno* 1150. & 1155. Vnde non ab eo ad Concilium appellatur, *cap. cuncta 9. quæſt.3.* ſed potiùs à Concilio ad ipſum, *cap. patet, cap. ipſi ſunt 9. quæſt. 3.* vt ex variis hiſtoriis Eccleſiæ conſtat: ex Sozomeno *lib.3. hiſt. cap.7.* vbi refertur Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum, & Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, à Concilio depoſitos, ad Iulium Papam appellaſſe, & ab eo in ſuas Sedes reſtitutos fuiſſe: ex Leone Papa *epiſt.25. ad Theodoſium Auguſtum*, vbi affirmat Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum appellaſſe à Concilio Epheſino 2. generali ad Leonem Papam: ex Liberato *in breuiario cap.12.* vbi affirmat, Theodoretum Epiſcopum Cyri appellaſſe à Concilio eodem Epheſino 2. ad eundem Leonem; quod & conſtat ex epiſtola ipſius Theodoreti, quæ extat ad finem operum Leonis. Denique Ioannes Chryſoſtomus à Concilio depoſitus, appellauit ad Innocentium Papam, vt conſtat ex epiſtola ipſius ad Innocentium, & probat Gelaſius I. *epiſt.13. ad Epiſcopos Dardaniæ*, vnde idem Gelaſius *columna 4. eiuſdem epiſt.* à Sede Apoſtolica appellationem permiſſam non eſſe affirmat in his verbis: *Sedes Beati Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi, vtpotè quod de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, ſi quid ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint; ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Accedit, quia Concilia valent, roburque accipiunt, quatenus confirmantur à Pontifice, *cap. multi, 17. diſt. cap. in nomine, 24. diſt. cap. ad Apoſtolicæ, de re iudic. lib.6.* Sed omne, quod tribuit eſſe, & formam alteri, eſt ſuperius illo, cui eſſe tribuit: ergo Pontifex ſuperior eſt Concilio generali. Item Sedes Apoſtolica ligat, & damnat quidquid Concilia generalia decernunt, vel abſoluunt ſine eius authoritate congregata, vt patet in Ariminenſi, & Epheſino 2. igitur maior eſt authoritas Pontificis,

ficis, quàm Concilij Generalis. Accedit, quia Pontifex sæpesæpiùs mutat, quæ à Concilio generali statuta fuerunt, *cap. non debet, de consang. & affinit. cap. statutum, de rescriptis in 6.* Quod si inferior esset, facere nequiret, *cap. cùm inferior, de maiorit. & obed.* Faciunt etiam exempla Concilij Chalcedonensis, in quo Dioscorus, qui contra Leonem Papam excommunicationem dictauit, sine vlla restitutionis spe condemnatus fuit, vt habetur *in cap. in tantum*, 21. *dist.* & Synodus 8. vniuersalis, in qua Photius Patriarcha, quia Concilium generale absque consensu Romani Pontificis congregare præsumpsit, condemnatus fuit, vt ex eiusdem Synodi gestis constat. Tandem facit, nam Pontifex est caput Ecclesiæ, *cap. fundamenta, de elect. lib. 6.* & Pastor, nedum Ecclesiarum particularium, sed etiam vniuersalis Ecclesiæ, *cap. Petrus 2. q. 7. cap. fideiussor*, 50. *dist. cap. in istis*, 80. *dist. cap. non licet, cap. præceptis* 12. *dist. cap. quis nesciat, dist.* 11. *cap. rogamus, cap. cùm beatissimus* 24. *q.* 1. *cap. antiqua, de priuileg. cap. vnico, de renunciat. lib. 6. cap. vbi maius*, §. *cæterum, de elect. eod. lib. cap. licèt, de constit. eod. lib.* & ipse solus habet potestatem sine vlla limitatione, in cuius signum non vtitur baculo pastorali curuato, vt cæteri Episcopi, vt probabimus *in cap. vnico*, §. *final. de sacra vnctione*; & notauit D. Thomas *in 4. dist. 24. art.* 1. Igitur Pontifex non est infra, sed supra Concilium generale.

18. RESPONDETVR FVNDAMENTIS CONTRARIIS.

Quâ catholicâ sententiâ retentâ, non obstant argumenta in contrarium adducta: non primum, quia non valet consequentia: Papa est membrum Ecclesiæ; ergo sequitur quod potestate iurisdictionis non possit esse maior toto residuo corpore Ecclesiæ; quia cùm habeat excellentiam, & potestatem concessam à Christo Domino, nihil impedit, quod membrum superius sit, quàm totum residuum corpus. Confirmatur hoc naturali ratione, ex D. Ambrosio *lib. 6. in hexam. c. 29.* ab exemplo capitis corporis naturalis, quod cum cæteris membris totum corpus facit, & nihilominus præstantius est cæteris, & maius in virtute sensitiua, totoque residuo copore; cùm in eo solo sit plenitudo sensuum. Deinde totius Ecclesiæ Christus Dominus membrum dicitur ab Apostolo 1. *ad Corinth. cap.* 12. ibi: *Vos estis corpus, & membra de membro.* Sed hæreticum esset asseuerare Christum D. non esse supra Ecclesiam, ex eo, quod membrum Ecclesiæ sit: igitur idem erit dicendum & de Vicario ipsius. Pontifex enim quoad potestatem iurisdictionis non est membrum Ecclesiæ, provt importat partialitatem, quia potestas in eo non est limitata, sed plena & integra. Dicitur autem membrum provt importat distinctionem à cæteris. Distinguitur enim ab aliis membris Ecclesiæ in duobus, nempe perfectione, & officio; perfectione, non gratiæ, sed plenitudinis potestatis: officio, in quantum ipse influit in totum corpus Ecclesiæ potestatem iurisdictionis in eos, qui participes eius esse possunt, vt habetur *in cap. ita Dominus*, 19. *dist.* Nec obstat authoritas D. Hieronymi; nam S. Doctor non agit de authoritate potestatis, aut iurisdictionis totius orbis, aut Ecclesiæ respectu Papæ; sed tantùm improbat consuetudinem, iuxta quam quidam Diaconi in vrbe Romana præferebantur Presbyteris; vnde alij Diaconi per orbem intendebant Presbyteris anteferri, vt iam notaui *in cap. statuimus* 15. *de maiorit. & obed.* & in eo sensu dixit, maiorem esse vim consuetudinis totius orbis, quàm vnius vrbis. Nec obstat Pontificem esse filium Ecclesiæ, Ecclesiam autem matrem; nam dicendum est Pontificem filium Ecclesiæ dici quodam in sensu, in alioque appellari Patrem Ecclesiæ: filius Ecclesiæ dicitur, tanquam regeneratus in baptismate, quia vt inquit D. Augustinus *in Psalmo* 127. Ecclesia per baptismum continuò dicitur parere christianos, hoc est, quod per baptismum dicantur generati filij Dei, & per consequens consortes naturæ diuinitatis, vt inquit D. Petrus *epist.* 1. & hoc etiam sensu Christus fuit dictus filius Synagogæ, ex sententia Glossæ *ad cap.* 1. *Iob:* & etiam dicitur Ecclesiæ filius à D. Augustino *in Psalmo* 127. ibi: *Quomodo mater eius Ecclesia est, nisi quia ipse Christus est in Christianis, quos per baptismum parit Ecclesia.* Dicitur etiam Pontifex pater, non tantùm quia Apostoli sic appellati fuerunt, vt habetur *in cap. quorum vices*, 68. *dist.* sed specialissimè, ex testimonio D. Bernardi *in epist. ad ciuitatem Pisanam*, vbi Innocentium appellat honoratum, & vniuersitatis Patrem. Ecclesiaque Romana per consequens mater omnium fidelium dicit 1 in Glossa ordinaria *cap. 7. D. Marci*, quia est omnium Ecclesiarum mater, vt docet Calixtus Papa *in cap. non decet*, 12. *dist.* igitur non potest sumi argumentum in maioritate potestatis, & iurisdictionis in Ecclesia, ex eo quod mater Pontificis in prædicto textu Ecclesia appelletur cùm ex aduerso Pontifex etiam Pater Ecclesiæ dicatur. Deinde quia improba est consequentia: Est mater: Ergo est superior. Christus enim Dominus filius fuit sanctissimæ, & intemeratæ Virginis Mariæ; & nemo, nisi impius, & blasphemus hæreticus, asserere auderet, superiorem esse matrem filio. Cùm igitur potestas vicaria Christi irradiet in R. Pontifice, eadem analogiâ dicendum erit, hunc maiorem esse sua matre. Quo argumentandi genere vsus fuit Turriscremata *d. lib. 2. summæ, cap.* 86. Nec etiam fauet contrariæ sententiæ D. Bernardus, dum negat Ecclesiam dominam, & Pontificem dominum dici posse: nam omisso Archidiacono *in cap. fideli, de summ. Trinit. lib. 6.* qui insuper habito eo testimonio, ait: *Quidquid Bernardus, Ecclesia Romana Domina nuncupatur in canone oportebat*, 72. *dist.* quem sequitur Turriscremata *d. lib. 2. c.* 87. veriùs respondendum est distinguendo inter significationem *dominatus*; si enim illum accipiamus pro authoritate, & maioritate iurisdictionis, & potestatis in ordine ad regimen temporale indirectè, & directè in ordine ad regimen spirituale, hæreticum est dicere in hoc sensu dominatum penes Romanum Pontificem non esse; quod probatur *ex cap. nolite errare*, 11. *dist. cap. oportebat*, 79. *dist.* quâ in significatione, & analogiâ Summus Pontifex dominus est: alio sensu dicitur dominatus, & dominatio respectu dominij totalis, quod habet dominus in seruos, præcipiendi, & disponendi ad libitum; quod dominium nec in personas, nec in res fidelium competit Ecclesiæ Romanæ, nec eius sponso Summo Pontifici, vt docuit D. Thomas 1. *p. q. 96. art.* 4. & agnouerunt Turriscremata *vbi supra*, Victoria *de potestate Papæ, relect.* 1. in quo sensu testimonium D. Bernardi accipiendum est, nempe vt dominium totale, quod Græci despoticum dicunt, non dicatur residere in Ecclesia, nec in Pontifice, quem Deus non instituit ad elationem, & superbiam, sed ad curam & ministerium, iuxta illud Christi Domini Matthæi *cap.* 20. *Scitis quia Principes gentium dominantur*

dominantur eorum ? & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos ? Et *in eodem cap.* ibi : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Quæ verba arripiens idem mellifluus Doctor in epistola ad Eugenium, ait : *Si Christus te misit, æstimabis te non ministrari, sed ministrare venisse ; & ministrare non solùm substantiam, sed ipsam quoque animam : verus successor Pauli dicet cum Paulo, non quia dominamur fidei vestræ, sed auditores sumus gaudij vestri : Petri hæres audiet Petrum dicentem, nec vt dominantes in Clero, sed forma facti gregis.* Hactenus D. Bernardus, ex quibus verbis apparet, qualis eius præcedentium verborum sensus sit.

19. RESPONDETVR ALIIS FVNDAMENTIS.

Nec obstat argumentum deductum *ex cap.* 18. *D. Matthæi*, ibi : *Vade, dic Ecclesiæ*, &c. quod vt dissoluamus, obseruandum est, in eo textu agi de correctione fraterna, continerique præceptum datum D. Petro, tanquam cuilibet fideli, vel discipulo, antequam ei Christus Dominus vniuersum gregem committeret. Et supponendum est, verbum *Ecclesia*, ibi non sumi per antonomasiam de vniuersali Ecclesia per orbem diffusa, nec in vniuersali Concilio congregata : primum enim illud impossibile est, vt reus fieret peccator coram tota Ecclesia, per quam obiurgationem fraternam non audiuit : secundum verò esset valde difficile, expectare Concilium vniuersale, vel totius Ecclesiæ congregationem, vt censendum esset, & iudicandum de peccatore obdurato. Quare illa verba, *dic Ecclesiæ*, accipiunt de Ecclesia particulari, Episcopo, aut Prælato ordinario, qui illi præest, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, & alij sancti Patres, quos sequitur & refert Glossa ordinaria ibi. Verba Hieronymi sunt : *Hic potestatem tribuit Apostolis : Prælati ergo vniuersitatum sunt, ad quos tanquam ad iudices, fideles remittuntur, non ipsæ vniuersitates.* Chrysostomus sic habet : *Dic Ecclesiæ, id est his qui Ecclesiæ præsunt.* Quem sensum, alium etiam præbens, aptissimum agnouit D. Thomas *in tractatu de correctione fraterna*, & Glossa *in cap. si peccauerit 2. q. 1.* Ex his apparet, hoc argumentum, si probaret, multùm probatutum ; conuinceret enim, Petrum vt Summum Ecclesiæ Pastorem, inferiorem esse quovis Ecclesiæ particulari Prælato : igitur satis apparet, iniunctum fuisse dictum præceptum de correctione fraterna Petro vt discipulo, non vt vniuersali Ecclesiæ Præsuli, vt latiùs docuit Turriscremata *d. lib. 2. cap. 92.* Nec interest à nonnullis appellarionem interpositam fuisse ad futurum Concilium ; nam huiusmodi appellationes, vt iniustas semper Ecclesia execrata est vt dicemus *in cap. 7. de appellat.* Nec obstat, quod de Concilio Constantiensi expendebamus, nam decretum Concilij Constantiensis, vtpote tempore schismatis factum, nullam authoritatem habet. Nec obstat, quod de confirmatione ipsius Concilij expendebamus ; nam confirmatio Martini V. refertur ad ea, quæ gesta sunt respectu hæreticorum, & hæresum Ioannis Vvicleſi, & aliorum ; non verò ad sessiones 4. & 5. in quibus decretum potestatis Concilij editum fuit. Non autem in prædictis litteris confirmationis Martinus mentionem fecit de præfato decreto potestatis Concilij supra Papam : quare confirmatio ipsa referenda est ad damnationem in materiis fidei contra hæreses tunc insurgentes, & damnatas in Concilio conciliariter, vt patet ex illis verbis, *Conciliariter, non aliter, nec alio modo.* Ex quibus constat, Martinum ea tantùm approbasse, quæ in Concilio conciliariter, præuio scilicet diligenti examine, & inquisitione fuerant approbata, vel damnata more Conciliorum, nimirum à sessione 8. & deinceps, vt latiùs docent Ioannes Leyau *de Pontificis authoritate lib. 3. fol. mihi 112.* Caietanus *in opusc. de potestat. Papæ & Concilij, cap. 8.* Bellarminus *de Romano Pontifice lib. 4. cap. 6.* Turriscremata *lib. 2. cap. 98.* Alio modo decretum illud Concilij Constantiensis exponit Sfortia *in historia Concilij Trident.* videlicet decretum illud Concilij Constantiensis iustum fuisse pro tempore illo, & occasione schismatum trium Pontificum, Ioannis videlicet XXIII. Gregorij XII. & Benedicti XIII. qui pro Pontificibus se gerebant ; tunc enim, quia legitimus Pontifex non erat certus, Concilium de illis non certis, sed dubiis Pontificibus sententiam tulit ; quia Concilium generale habet auctoritatem iure diuino concessam ad tollendum schisma, legitimumque Pontificem declarandum, vt explicat Turriscremata *lib. 2. summæ de Ecclesia, cap. 99.* Caietanus *tom. 1. opusc. 1. de auctorit. Papæ, cap. 16. §. Concilium perfectum*, Valentia *2. 2. disput. 2. q. 1. punct. 7. §. 45. ad 6. argum.* Suarez *lib. 3. aduersus Regem Angliæ, cap. 28. num. 8.* Martha *de iurisdict. 3. p. cap. 17. num. 7.* Salas *de legibus q. 95. tract. 14. disput. 8. sect. 14. num. 73.* Vnde deducit Theophilus *d. tom. 10. de aurea corona R. P. verit. 6. ad finem*, idoneam excusationem viri optimi & doctissimi Ioannis Charlierij, cognomento Gersonis, cui passim tribuitur, quod statuerit Concilium suprà Pontificem, & quod censuerit Pontificem subesse Concilij iudicio, itavt possit per Concilium deturbari, & redigi in ordinem. Scribebat enim Gerso tempore Concilij Constantiensis, quo Ecclesia trium simul Pontificum dubiorum multiplicitate fœdè excisa erat, in quo euentu rectè Gerso scripsit de Concilij authoritate suprà Pontificem, quamvis extra illum euentum ea Gersonis doctrina nullo modo esset probanda.

20. PROSEQVITVR EADEM SOLVTIO.

Nec obstat etiam quod ex Concilio Basileensi expendebamus ; nam respondendum est, Concilium illud, dum Eugenium IV. indubitatum Pontificem deposuit, & Felicem elegit, schismaticum, seditiosum, & nullius momenti fuisse, vt definitum est in Concilio Lateran. vltimo, *sess. 11.* nam licèt fuisset legitimè congregatum à Martino V. eo tamen tempore, quo sententiam in Pontificem protulit, iam à Sedis Apostolicæ obedientia recesserat, vt notat Suarez *lib. 3. aduersus Reg. Angliæ, cap. 18. num. 9.* vbi subiungit, Pontificem pro nihilo eam sententiam habuisse, vt traditur in eodem Concilio, *sess. 38.* & vniuersam Ecclesiam eum tanquam verum Pastorem coluisse, & Felicem, cognito errore, Eugenio obtemperasse, & demùm ipsum Concilium Nicolao V. Eugenij successori se subiecisse, vt constat ex epistola eiusdem Nicolai Concilio affixa, in qua Pontifex solùm confirmauit ea, quæ circa beneficia, & censuras ecclesiasticas Concilium definierat ; ea verò, quæ de sua authoritate supra Pontificem decreuerat, nullus vnquam Pontifex probauit, vt notat Bellarminus *lib. 2. de Conciliis, cap. finali, versiculo vltimo* ; qui *lib. 3. de Ecclesia, cap. 16.* plura de hoc Concilio adducit. Nec obstat exemplum Marcellini à Concilio Sinuessano depositi ; nam vt omittam, ea acta ab aliquo Donatista conficta, & edita videri post tempora Augustini, vt suspicantur Baronius *2. tom. anno 302. num. 95.* Iacobus Gordonus *in chronol. anno 303.*

quia.

quia cùm ea hiſtoria communiter in Eccleſia recepta ſit, non debet in dubium reuocari, vt & ipſe Baronius admonuit, præſertim cùm Nicolaus Papa *in cap. nunc autem*, 21. *diſt.* eius meminerit; dicendum credo, ideò potuiſſe Concilium de ea cauſa cognoſcere, quia Marcellinus de actu infidelitatis accuſabatur, cuius rei diſcuſſio atque examen ad Concilium ſpectat, *cap. ſi Papa*, 40. *diſt.* ſed quoniam omnibus conſtabat Marcellinum metu compulſum Idolis ſacrificaſſe, neque ipſum hæreticum fuiſſe, aut à fide deuiaſſe, nullus auſus eſt in eum ſententiam proferre, quia prima Sedes non iudicatur à quoquam, vt dicitur *in d. cap. nunc autem:* verùm quia Marcellinus, qui poſtea fuit inſignis martyr, ſeipſum damnaſſe videtur, dicens: *Peccaui coram vobis, & non poſſum eſſe in ordine ſacerdotum* (per quæ verba exiſtimat Bellarminus *tom. 2. de Conciliis, cap. 19.* Marcellinum Pontificatui renunciaſſe,) Concilium acceptauit renunciationem, & condemnationem; atque ita Marcellinus non fuit iudicatus à Concilio, dum Pontifex manſit; ſed poſtquam ſe Pontificatu abdicauit. Aliter factum illud exponit Suarez *aduerſus Regem Angliæ, cap. 18. num. 1.*

21. SOLVVNTVR VLTIMA FVNDAMENTA.

Nec quod de epiſtola Leonis dicebamus, obſtat; nam epiſtolam illam, non vt continentem vltimam definitiuam ſententiam, ſed inſtructionem quâ adiuti Epiſcopi meliùs iudicarent, examinarunt Epiſcopi Concilij Chalced. Nec etiam obſtat, quod de Liberio Papa expendebamus; nam factum illud in argumentum trahi non poteſt, quia Imperator Conſtantius, qui eum depoſuit, Arrianus erat, & Concilium Smirnenſe ſimiliter Arrianorum: nec Concilium iuſſit, ſed tantùm litteras exhortatorias miſit ad Liberium, vt ſecum pateretur ſimul Felicem ſedere. Tandem non obſtat textus *in d. cap. ſanè*; quoniam Dioſcorus non fuit B. Petri ſucceſſor, neque Summus Pontifex, ſed Patriarcha Conſtantinop. vt ſuprà retuli: ideò autem appellatur Romanorum Papa, quia ciuitas Conſtantinopolitana noua Roma dicta eſt, *l. 1. C. de priuileg. vrbis Conſtantinop. cap. Conſtantinopolitana, 21. diſt.* notat Petrus Gregorius *lib. 15. ſyntagm. cap. 5. num. 4.* & Papæ nomen apud Græcos non ſolùm Patriarchis, ſed etiam Epiſcopis commune erat, vt colligitur ex Gregorio Turon. *lib. 2. hiſtor. Franc. cap. 27.* notauit Petrus Greg. *d. lib. 15. cap. 2. num. finali.* Hactenus de poteſtate Pontificis ſupra Concilium, non è contra, pro illuſtratione noſtri Paſchalis; nec inutilis digreſſio lectori videbitur, cùm in nullo alio huius voluminis textu noſtra catholica ſententia expreſſiùs doceatur, & decidatur.

o *Corpore.*] Dicemus in titulo *de authoritate & vſu pallij.*

22. p *Daci.*] Plures confundunt Dacos cum Danis, vt notaui *in cap. 2. de conſuet.* quod cùm feciſſet Piccolus *vbi ſuprà*, affirmat hanc decretalem miſſam non eſſe Panormitano Archiepiſcopo; nam ſi eſſet, fruſtra Pontifex adduceret exemplum Romanorum ad conuincendam Regis & Procerum perfidiam. Legendum igitur eſt Daci, qui diuerſi ſunt à Danis, vt notaui *in cap. 2. de conſuetudine*; & tunc rectè vtitur noſter Pontifex eorum exemplo; nam cùm longiùs abeſſent, quàm Panormitani à Romana Curia, & nihilominus, vt iurarent obedientiam, Romæ veniebant: quantò ergo magis ipſi Siculi venire recuſare non debebant.

q *Singulis annis.*] Inter capita iuramenti præſtandi ab Archiepiſcopis tempore receptionis pallij, illud erat, vt limina Apoſtolorum viſitarent, *cap. ego*, §. *vlt. de iureiurando*, vbi dicemus: & Epiſcopi Siculi in hac peregrinatione admodùm deuoti erant; ſiquidem ſingulis annis limina Apoſtolorum adibant. D. Gregorius *lib. 6. indictione 15. epiſt. 9.* 23.

COMMENTARIVM.

EX hac Paſchalis decretali talis deducitur aſſertio: *Archiepiſcopi & Epiſcopi debent obedientiam & fidelitatem iuramento promittere R. Pontifici.* Probant textus *in cap. quamquam, 23. diſtinct. cap. 8. 65. diſt. cap. 1. & per totum, 100. diſt. cap. de forma 22. q. 5. cap. in omnibus, de conſecr. diſt. 5. cap. ego 4. cap. 8. 22. & 30. de iureiurando, cap. dudum, el 2. hoc tit. cap. antiqua, de priuileg. cap. dilecta, de maiorit. & obed. cap. cùm clerici, de v. ſ. cap. 1. §. verùm, de ſtatu regul. lib. 6. nouella 137. Iuſtinian. cap. 2.* Concilium Carthaginenſe 4. *can. 1.* Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.* Mediolanenſe *lib. 1. tit. 1.* Aquileienſe *tit. 1.* Rhotomag. *tit. de Epiſcopis, num. 29.* Illuſtrant plures relati à Cenedo, & Barboſa *in præſenti*, & *de poteſtate Epiſcopi allegat. 111. num. 41.* Quibus addendi ſunt Baronius *anno 722.* Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. ſect. 6.* Solorzanus *lib. 4. polit. cap. 6.* Sauſay *in Panoplia Epiſcop. cap. vlt.* Anſeguiſus *in notis ad Capitularia, verbo Fidelitas*, Iulius Lauorus *de elect. tit. 4. cap. 22.* Petrus Gregorius *de elect. cap. 19. num. 21.* Balboa *in d. cap. ego 4.* Michael Rouſſelius *lib. 2. hiſtor. cap. 1.* Boſquetus *ad Innocentium lib. 1. epiſt. 91.* Cironius *ad titulum de iureiurando, de feudis*, & *de authoritate & vſu pallij*, Garcia *de beneficiis 3. p. cap. 3.* Diana *p. 12. tractat. 2. reſolution. 56.* Petrus Marcha *lib. 6. concord. cap. 3.* 24. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

Sed in hanc aſſertionem inſurgi poteſt ſequenti ratiocinio, deducto ex viſceribus noſtri textus: nam iurare omninò à Deo prohibitum eſt. Ex veteri Teſtamento probatur *ex cap. 4. Oſeæ*, ibi: *Non iuraueritis, viuit Dominus.* Zachar. *epiſt. 5.* ibi: *Omnis fur iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur.* Ex Teſtamento nouo, *cap. 5. Matthæi*, ibi: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua: ego autem dico vobis non iurare omninò.* Et ſtatim: *Sit autem ſermo veſter, non non, eſt eſt; quod autem hoc abundantius eſt, à malo eſt.* D. Iacob. *epiſt. 5.* ibi: *Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum.* Quibus authoritatibus probatur, omnibus fidelibus interdictum eſſe iuramentum; quam prohibitionem iurandi etiam firmarunt Sancti Patres. Baſilius *homilia in Pſalmum 14.* Chryſoſtomus *homilia 19. & 78. ad populum*; Clemens Alexandrinus *lib. 6. conſtit. cap. 11.* ibi: *Magiſter noſter præcipit, vt neque per verum Deum iuraremus, vt ſermo noſter credibilior ipſo iureiurando haberetur.* Tertullianus *de idololatria cap. 11.* ibi: *Taceo de periurio, quando nec iurare quidem licet.* Quæ prohibitio iurandi maximè in Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis eccleſiaſticis perſonis adeò viget, vt nulla ex cauſa illis liceat iurare, *cap. ſacramentum 2. q. 4.* Vnde legitur in actione prima Concilij Conſtantinop. contra Eutych. quod cùm Patres Concilij cogerentur à Magiſtratibus iurare, ſi veræ erant propoſitiones vtriuſque partis, Baſilius Epiſcopus reſpondet: *Hactenus iura-* 25. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

mentum

mentum Episcopis nescimus oblatum, sed est præceptum nobis à Domino non iurandum, nec per cœlum, nec per terram. Et *cap. legibus, de iuramento calumniæ*, Concilium Triburiense celebratum anno 868. igitur nec prætextu obedientiæ, aut fidelitatis promittendæ iurare licèt Archiepiscopis. Augetur hæc difficultas ex eo, nam Abbates monachorum tenentur obedientiam præstare Episcopis, *cap. ne Dei, de simonia.* Sed apud ipsos inualuit, vt iurare minimè cogerentur, ex eo quod regulâ D. Benedicti iurare prohibitum erat, vt refertur in chronicis Cassin. *lib. 4. cap. 109.* vbi monachi excusati fuerunt à iuramento obedientiæ præstando Innocentio secundo, quia neque per Euangelium, neque per regulam S. Benedicti fas illis erat iurare. Vnde Fulbertus Carnotensis *epist. 4.* existimat à monachis obedientiam esse exigendam, iuramenta autem relaxanda, ibi: *Igitur si Abbas Sancti Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognouerit, & deinceps subiectionem promiserit, quæ canonicè vobis debetur, hortor & suadeo, vt recipiatis; sacramenta verò, & cætera, quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem Regis Domini missa faciatis, vt religionem magis, quam ambitionem vos sectari cognoscat.* Referunt Sigonius *de Regno Italiæ anno 1137.* Rousselius *dicto cap. 1. numero 7.*

26. De origine hvius ivramenti.

Qua difficultate minimè obstante defendenda est Paschalis decisio, quæ vt rectiùs perpendatur, sciendum est, Archiepiscopos, & Episcopos teneri suarum consecrationum tempore, antequam manus eis imponantur, iuramentum fidelitatis, & obedientiæ facere summo Pontifici; cuius iuramenti origo à temporibus Gregorij secundi repetenda est, qui floruit per annum 723. eo enim anno legimus S. Bonifacium iuramentum hoc coram Gregorio II. sequenti verborum formâ fecisse: *Promitto ego Bonifacius Dei gratiâ Episcopus, tibi Beate Petre Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ, & successoribus eius, per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem, & puritatem S. Fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiusdem fidei Deo operante persistere, in quo omnis Christianorum salus esse comprobatur sine dubio; nullo modo me contra vnitatem communis, & vniuersalis Ecclesiæ suadente quopiam consentire: sed, vt dixi, fidem & puritatem ei, & prædicto Vicario, atque successoribus eius per omnia exhibere: sed & si cognouero Antistites contra instituta Sanctorum Patrum conseruari, cum his nullam habere communionem, aut coniunctionem; sed magis si prohibere valuero, prohibebo; sin minus, fideliter statim Domino meo Apostolico renunciabo: quod si, quod absit, contra huius promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, vel occasione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, & vltionem Ananiæ, & Sapphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præsumpserunt. Hunc etiam indiculum sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratissimum corpus S. Petri, ita vt præsumptum est, Deo teste & iudice, feci sacramentum, quod & conseruare promitto.* Referunt Baronius *anno 723.* Surius *in vita S. Bonifacij*, Binius *tomo 3. Concilior. p. 1. in eod. anno.* Inde fluxit consuetudo promittendi fidelitatem sub iureiurando, vt obseruat Petrus Marcha *lib. 6. concord. cap. 7. ex num. 6.* Similiter temporibus Gregorij VII. legimus occasione schismatis, quod Henricus Imperator in eum excitauerat, primò ab omnibus Episcopis ab schismate redeuntibus, sacramentum prædictum exactum fuisse, & paulatim à cæteris Episcopis idem iuramentum emitti cœpit: constat ex Concilio Romano 6. sub Gregorio VII. celebrato, *tom. 3. Concil. cap. 2.* vbi Archiepiscopus Aquileiensis in hunc modum iuramentum emisit: *Ab hac hora, & in antea fidelis ero B. Petro, & Papæ Gregorio, suisque successoribus, qui per meliores Cardinales intrauerint; non ero in consilio, vt vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti sint mala exceptione: ad Synodum, ad quam me vocabunt, vel per se, vel per suos nuncios, vel per suas litteras, veniam, & canonicè obediam; aut si non potero, legatos meos mittam. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri adiutor ero ad retinendum, & defendendum, saluo meo ordine: consilium verò, quod mihi crediderit per se, aut per nuncios suos, siue per litteras, nulli pandam, me sciente, ad eorum damnum: Legatum Romanum eundo, vel redeundo honorificè tractabo, & in ciuitatibus suis adiuuabo, cum inuitatus fuero; hæc omnia obseruabo, nisi quantum sua certa licentia remanserit.* Igitur hoc iuramentum progressu temporis ex consuetudine recepta, non solùm ab Archiepiscopis tempore susceptionis pallij, & Episcopis ab schismate redeuntibus præstari cœpit, sed præceptum fuit à Paschali II. in Concilio Romano generali, & à Gregorio VII. in dicto Concilio Romano, vt docet Hallier. vbi suprà *sect. 7. §. 3.* De capitulis huius iuramenti agemus *in dicto cap. ego.*

27. Qvibvs, et a qvibvs præstetvr hoc ivramentvm.

Secundò sciendum est, prædictum iuramentum præstare Archiepiscopos, & Episcopos R. Pontifici, licèt olim dum confirmationem petebant, illis obedientiam iuramento promitterent; Episcopi enim pollicebantur obedientiam Sedi Metropolitanæ, quod iuramentum sponsio dicitur ab Ivone Carnotensi *epist. 61.* ibi: *Timentes rei fieri sponsionis, quam Metropolitanæ Sedi fecimus.* De quo iuramento accipiendus est textus *in cap. cùm dilecti, de maiorit. & obed.* & promittebant se obseruaturos canones vsu receptos, & priuilegia Metropolitana, vt constat ex formula 12. quæ extat *tom. 12. Concil.* & exponit P. Marcha *lib. 8. concord. cap. 3.* eo verò iuramento vltra fidelitatem, & obedientiam, si à Metropolitano non consecrabatur Episcopus, sed à suffraganeis, spondebat se vt primùm posset, Metropolitanam Sedem aditurum, in signum reuerentiæ: idem obseruabatur in Episcopo à Pontifice consecrato, quia Pontifex iuri Metropolitano derogare nequibat. Concilium Toletanum 12. *cap. 6.* Tarraconense *can. 5.* Exempla extant in Ivone Carnotensi, qui ab Vrbano III. consecratus, ad Richerium Senonensem Archiepiscopum missus est, vt obedientiam promitteret, *epist. 2. Ivonis*, ibi: *Consecratum ergo eum, salua tua Ecclesiæ obedientiâ, remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem postulamus, vt omnis litis fomite consopito, benignitate eum debita complectaris, & ad Ecclesiæ suæ regimen auxilium tuum ei largiaris.* Hodie tamen semper committitur viciniori Episcopo, vt à nouo electo recipiat iuramentum; quod si decesserit Episcopus ille, cui committebatur iuramenti susceptio, alius quilibet potest suscipere, quin bullis Apostolicis aduersetur. Similiter etiam fidelitatis iuramentum Imperator, Reges, cæterique Principes Catholici Summo Pontifici præstant. *Clementina 1. de iureiurando.* De variis Monarchis referunt Polydorus Vergilius *lib. 15. histor. Angl.* Heliblolgd. *in histor.*

hiſtor. Sclauorum, cap.5. & de præſtantiſſimo noſtro Rege refert Martha *de iuriſdict. 1. part. cap.26. numer.94.* & nos dicemus *in cap. venerabilem, hoc tit.* Similiter etiam hoc iuramentum præſtant Abbates, & Abbatiſſæ Epiſcopo, *cap. ne Dei, de ſimonia,* Innocentius III. *lib.15. epiſt.227.* & Clerici beneficia parochialia poſſidentes, *c. quamquam, diſt.23.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.24. de reformat. c.12.* & in aliquibus religionibus, vt D. Benedicti, & Carmelitarum, Prælati inferiores ſuo Generali præſtant hoc iuramentum, Tamburinus *de iure Abbatum tom.1. diſput.8.* Garcia *tom. 2. politicæ, difficult.7. dub. 7.* Cardinales verò Romanæ Eccleſiæ non tenentur hoc iuramentum facere, cùm ſint membra ipſius capitis.

28. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus apparet vera decidendi ratio ad noſtrum textum; nam cùm Paſchalis temporibus iam obſeruatum eſſet, vt Archiepiſcopi, & Epiſcopi à ſchiſmate redeuntes, vel nouiter electi, præſtarent iuramentum fidelitatis, & obedientiæ Summo Pontifici, iuſtè Paſchalis per Apocriſiarios ab Archiepiſcopo Panormitano hoc iuramentum exigebat, cùm iam alij Archiepiſcopi illud præſtitiſſent temporibus Vrbani II. & Gregorij VII. Et Alexander III. initâ cum Federico pace, non antè Archiepiſcopis, qui partes Imperatoris ſequebantur, pallium conceſſit, quàm idem iuramentum præſtitiſſent, vt refert Albertus Stad. *in chronic. anno* 1179. Accedit, nam Archiepiſcopi, qui de D. Petri corpore inſignia, hoc eſt pallium plenitudinis poteſtatis accipiunt, debent eo obedientiores ſe ipſi Sedi exhibere, vnde aiebat S. Bonifacius *epiſt. ad Gubertum: Maior nobis ſolicitudo Eccleſiarum, & cura populorum propter pallia credita, & recepta, quàm cæteris Epiſcopis incumbit.* Deinde facit alia ratio à Pontifice noſtro perpenſa; nam quælibet Domini noſtri actio debet eſſe vitæ noſtræ inſtructio; ſed Chriſtus, qui ſummam poteſtatem D. Petro conceſſit, eam conditionem apposuit, *Si diligis me, paſce oues meas:* ergo & Pontifex, cùm plenitudinem poteſtatis per pallium tradit, poteſt eam conditionem apponere, *Si fidelis & obediens Romanæ Sedi erit.*

29. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam licèt illis auctoritatibus moti Albanenſes, Chatari, & alij impij Hæreſiarchæ, quos refert, & refellit Caſtro *aduerſus hæreſes, verbo Iuramentum, hæreſi 1.* aſſeruerint iuramentum adeò eſſe intrinſecè malum, vt nunquam Chriſtianis liceat eo vti; tamen certum eſt, non omne iuramentum eſſe illicitum, aut prohibitum, quod probatur authoritatibus ſacræ Paginæ. *Deuteron. cap.6. & 10.* ibi: *Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis. Pſalmo 62.* ibi: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Teſtimoniis iuris noſtri probatur ex tota cauſa 22. *quæſt.5.* Exemplis etiam id ſuadetur; nam frequenter Prophetæ vtuntur illâ formulâ iuramenti, *Viuit Dominus:* & D. Paulus pluribus in locis, 1. *ad Roman.* ibi: *Teſtis enim mihi eſt Deus:* ad Corinth. *verſic.1.* ibi: *Ego autem tantùm Deum inuoco in animam meam:* & 2. *ad Timoth. cap.4. Teſtificor coram Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Sanctorum Patrum ſententiis etiam id probatur, relatis ab Innocentio *in cap. etſi Chriſtus, de iureiurando.* D. Auguſtin. *lib.10. contra Fauſtum, cap.23.* Iſidor. *lib.2. ſentent. cap.31.* ibi: *Non eſt contra præceptum Dei iurare; ſed dum vſum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus.* Firmatur etiam hæc ſententia ex conſuetudine Eccleſiæ vniuerſalis, nam ſæpè in ſacris canonibus exiguntur iuramenta, vt in iudiciis, in teſtibus, *cap.1. de teſtibus:* in actore iurante de calumnia, *cap.1. de iuramento calumniæ:* in purgatione canonica, *cap.1. de purgatione:* in abiuranda hæreſi, & aliis actibus; quæ omnia iuramenta licita ſunt, *cap. vt noueritis 22. quæſt.1.* Nec obſtant teſtimonia pro ratione dubitandi adducta; nam auctoritates Teſtamenti veteris procedunt in iuramentis præſtitis à Iudæis per Angelos, per cœlum, & terram, quæ ab illis vſitabantur: nec locus D. Matthæi refragatur, cui ſatisfacit Suarez *de religione tom.2. tit. de iuramento, cap.2.* qui aſſerit, ibi non prohiberi iuramentum vtcumque, ſed frequentiam iurandi, ne ex facilitate ad conſuetudinem, & ex conſuetudine ad periurium deſcendatur. Nec locus D. Iacobi pro hæreticis facit, qui eodem modo intelligendus eſt. Similiter pro eis non facit locus Oſeæ, nam ibi Dominus non prohibet fidelibus iurare per Deum; ſed illis, qui ad cultum Idolorum deuiauerunt, prohibet ne iurent per Deum viuum, ne maius idololatriæ crimen perpetrarent; nam ita iurando, intendebant iurare per idolum, quem colebant, & ideò profitebantur idolum eſſe Deum viuum: ita Theodoretus & Lyra *ibi.* Nec tandem Sanctorum Patrum, & Conciliorum decreta aduerſantur; nam procedunt in iurantibus abſque neceſſitate; prohibent enim Patres iuramentum voluntarium, cùm neceſſitas non expoſcit; tunc enim iurari non debet: at noſter textus procedit in caſu, quo iuramentum neceſſarium eſt, vt docet Cironius *ad titulum de iureiurando.* Nec augmentum difficultatis obſtat, deductum ex vſu, & conſuetudine monachorum; nam licèt legamus in dicto chronico Caſſin. eos ea friuola excuſatione aliquando obedientiæ iugum auerſatos fuiſſe, tamen eam, & alias excuſationes reiecit Innocentius III. in epiſtola ad eos miſſa, quæ extat *in cap. etſi Chriſtus, de iureiurando:* vnde ceſſauit ſuperſtitio, & ſemper iuramento obedientiam promittunt ſuis Prælatis, aut Epiſcopis diœceſanis, vt tradit Tamburinus *dicto tit.1. diſput.8.*

30. EXPONITVR CAP. VLT. DE REGVLIS IVRIS.

Sed ſuperiori aſſertioni primò opponitur textus *in cap. vlt. de regulis iuris*, in illis verbis: *Indignum eſt, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, vt pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur.* Ex quibus apertè conſtat, nec pro pallio, aut conſecratione recipiendis licere homagium facere, hoc eſt iuramentum fidelitatis præſtare; homagium enim facere, eſt iurare fidelitatem, & eam promittere. Verrucius *in verbis feudalibus, verbo Homagium.* Meurſius *eodem verbo,* Zerda *in aduerſariis, cap.77.* Voſſius *de vitiis ſermonum, lib.3. cap.14.* Iuretus *ad Iuonem cap.35.* Idumai. *ad Innocentium lib.3. epiſt.77.* Solorzanus *lib.3. polit. cap.25.* igitur non rectè aſſerimus, Archiepiſcopum teneri, dum pallium recipit, obedientiam, & fidelitatem promittere. Huic difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, promittere fidelitatem, & obedientiam iurare R. Pontifici, non eſſe homagium facere; nam homagium maximum ſubiectionis ſignum eſt, illud enim flexis genibus vaſſalli faciunt Domino feudi, his verbis: *Ego N. iuro homagium tibi Domino, vt amodò ſim homo ligius veſter contra omnem hominem, qui poteſt viuere.* Vnde cùm nullus ſimilem debeat facere ſubiectionem Epiſcopo ſuo, deciditur in eo textu homagium pro ſpiritualibus fieri non debere, quod probatur *in cap. ex diligenti,* vbi dicemus, *de ſimonia:* quæ ſolutio maximè iuuatur ſi obſeruetur, textum *in dict. c. finali,* eſſe deductum *ex cap.2. de exceſſibus Prælat. in 2. collect.* vbi agitur

agitur de Episcopo, qui volebat Archidiaconum Ecclesiæ facere hominem ligium; quod Cœlestinus III. decreuit fieri non debere, cùm homagium facere pro spiritualibus omni iure sit prohibitum. Aliter Cironius exponit textum illum ad titulum de feudis.

31. EXPLICATVR CAN. 13. CONCILII CABILON. 2.

Secundò refragatur Concilium Cabilonense 2. *can.* 13. in illis verbis: *Dictum est de quibusdam fratribus, quod eos, quos ordinaturi sunt, iurare cogant, quod digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ in qua ordinantur: hoc iuramentum, quia periculosum est, inde inhibendum statuimus.* Ex quibus verbis expressè colligitur, ab ordinandis iuramentum obedientiæ, & fidelitatis exigi non debere, ne periurij occasio præstetur: igitur similiter Archiepiscopi tempore receptionis pallij non debent compelli obedientiam, & fidelitatem iurare. Difficilior redditur Cabilon. Concilij canon ex eo, quod certum est, ordinandum tempore suæ ordinationis teneri iurare, quæ in eo continentur: primò canonum obseruantiam, *cap. quamquam*, 23. *dist.* obedientiam Episcopo, vt constat *ex cap. quod super, de maiorit. & obed. cap. cum Clericis* 19. *de v. s.* vbi iurantem hac formulâ: *Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero & obediens Placentinæ Ecclesiæ, & Domino meo Episcopo*; obstringi iuramento respondet Innocentius III. Plura in hac parte Hallierius *dicta sect. 7. fol.* 248. Huius canonis difficultati duplici modo satisfieri potest. Primò asserendo, simplicem sacerdotem beneficium parochiale non habentem, neutiquam teneri obedientiam, & fidelitatem Episcopo suo promittere, *cap. nullus, de iureiurando*, de cuius conciliatione *cum dicto cap. quamquam*, & *dict. cap. cum Clericis*, latiùs in eius commentario agemus: vnde cùm textus *in d. canone* 13. loquatur de sacerdotibus simplicibus, ideò asseritur, eos cogendos non esse prædictum iuramentum præstare. Secundo etiam modo satisfieri potest asserendo, eo canone non obedientiæ promissionem inhiberi, sed illam vniuersalem, & absolutam canonum obseruandorum pollicitationem; quod iuramentum periculosum est, cùm periuriis frequentiores præbeat occasiones. Vnde iustè Patres de cætero illud exigi prohibuerunt: videnda sunt, quæ adduximus *in d. cap. nullus*, quæ nunc omittimus, ne eadem sæpius inculcando, & molestiam lectoribus inferamus, & volumen vltra votum excrescat.

32. ADDVCITVR CAP. OPTATVM 100. DIST.

Ex nostra decisione facilè lucem accipit textus *in cap. optatum*, 100. *dist.* vbi Ioannes I I. ideò se pallium denegare affirmat, quia illud petens nullam fecerat, aut emiserat fidei professionem, obedientiamque promiserat; nam cùm per pallium plenitudo potestatis concedatur, iustè ab Archiepiscopis exigitur fidei, obedientiæque professio; quod magnopere conuenit nostræ decisioni. Illud autem perdifficile est, quod ex vltimis verbis ipsius textus deducitur, videlicet per procuratorem hoc iuramentum præstari posse, cùm iuramentum sit personale, & sic per alium emitti non valeat: quare Archiepiscopum, vel Episcopum non posse fidem profiteri, aut obedientiam promittere per alium, defendunt Gonzales *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *n.* 169. Gratianus *discept. forens. cap.* 166. *num.* 22. & ita sæpiùs decreuisse sacram Cardinalium congregationem, referunt Garcia *de beneficiis* 3. *p. cap.* 3. Sigismundus *de elect. dubio* 50. Solorzanus *lib.* 4. *polit. cap.* 6. Diana *p.* 12. *tract.* 1. *resolut.* 57. Sed adhuc contrariam sententiam, videlicet hoc iuramentum præstari posse per procuratorem, docuerunt Sanchez *lib.* 2. *summæ, cap.* 5. *n.* 7. Tamburinus *d. disp.* 8. *quæst.* 3. *num.* 11. Azor *p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 26. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 51. *n.* 20. *& in remiss. Concilij Trident. sess.* 24. *cap.* 12. moti authoritate textus *in d. cap. optatum*, & *in cap. vnico*, §. *verùm*, *de statu regul. lib.* 6. vbi consentiente domino feudi, potest vassallus iuramentum fidelitatis per procuratorem præstare. Faciunt etiam textus *in cap. tibi domino*, 63. *dist.* vbi Glossa *verbo Iurare*, *cap. metuentes* 17. *q.* 4. & alij adducti à Tusco *littera I, conclusione* 530. & 537. Feliciano Vega *in cap. Pastoralis, de iudiciis*, vbi docetur, in casibus, in quibus præstari debet iuramentum, posse præstari per procuratorem: quâ opinione retentâ, non obstant contrariæ sententiæ fundamenta; nam licèt iuramentum sit actus personalis, non tamen ita est personalissimus, vt per alium præstari non possit, cùm matrimonium sit actus personalis, & tamen per procuratorem celebrari possit, *cap. finali, de procurat. lib.* 6. vbi plura D. Iosephus Vela, & Doctor Bajo-Arroyo: & sicut in coniugio celebrando procurator vicem gerit contrahentis, dum se eius nomine contrahere affirmat, ita in iuramento procurator dominum sacramento obligat, dum eius nomine iurat. Hodie tamen nullo modo potest Episcopus fidei professionem facere, aut iuramentum fidelitatis emittere per procuratorem, vt resoluit Solorzanus *vbi suprà*.

33. OPPONITVR CAP. LEGEBATVR, DE MAIORIT. ET OBED.

Tandem suprà traditæ assertioni obstat Leo Magnus relatus *in cap. legebatur, de maiorit. & obed.* in illis verbis: *Legebatur in litteris tuis, quod frater Atticus chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat, in qua signum prodebatur iniuriæ.* Ex quibus deducitur, non licere absque iniuriæ nota obedientiæ sponsionem accipere ab Episcopis, seu aliis ecclesiasticis Prælatis: ergo Episcopi non tenentur iuramento promittere fidelitatem, & obedientiam R. Pontifici. Difficultatem agnouit Glossa ibi, & varias solutiones adduxit, quibus omissis dicendum est cum Petro Marcha *lib.* 6. *concord. cap.* 3. anno nimirum 450. tempore Leonis I. sponsionem hanc, siue iuramentum fidelitatis, vt sequens ætas vocauit, nondum fuisse vsu receptam, & posteà inualuisse adeò, vt in professione fidei, quam Episcopi tempore suæ consecrationis emittebant, in primis mentio fieret Metropolitani, cui ipsi pollicebantur se obedientiam, & reuerentiam in canonibus & decretis Sedis Apostolicæ contentam obseruaturos; & insuper priuilegia, quæ secundùm eosdem canones, & decreta Metropolitanis debebantur, nullâ mentione factâ Sedis Apostolicæ, vt probat Marcha *vbi suprà*, & deducitur ex libello quorumdam Episcoporum Aquileiensium oblato Imperatori Mauritio, quem refert Baronius *anno* 590. *num.* 41. ibi: *Suggerimus, pie Dominator, quia tempore ordinationis nostræ vnusquisque sacerdos in sancta Sede Aquileiensi cautionem scriptis emittimus studiosè de fide ordinatoris nostri, & nos fidem integram sanctæ Reipublicæ seruaturos.* Itaque hæc illorum professio fidei continebat, sequuturos se exemplum & authoritatem Metropolitani in damnandis hæresibus, & pro canonum executione; ac præterea seruaturos integram fidem, quæ reipublicæ, id est Imperatoribus debetur: postea tamen introductum fuit, vt cùm Episcopi fidei professionem emitterent, simul obedientiam promitterent Pontifici; iuxta quam temporũ distinctionem accipiendus est præsens textus, nec non alij suprà citati.

CAP.

CAPVT V.

Alexander III. [a] *Ioanni Presbytero Cardinali, & Apostolicæ Sedis Legato.*

QVia diligentia tua requisiuit, an electionem electi, qui [b] abiurato schismate ad vnitatem Ecclesiæ rediit, debeas confirmare: duximus respondendum, quod si à schismatico nullum [c] ordinem susceperit, & eius electio secundùm formam canonum fuerit celebrata, eum (dummodò alia non impediant) dispensatiuè permittimus [d] confirmari. Mandantes vt eum facias à Catholicis Episcopis [e] suffraganeis Aquileiensis Ecclesiæ in Episcopum [f] ordinari, saluâ debitâ iustitiâ, & reuerentiâ eiusdem Ecclesiæ, cùm ad Catholicam [g] redierit vnitatem.

NOTÆ.

1. a *Ioanni.*] Legendum est, *Ioanni Neapolitano Presbytero Cardinali Basilicæ duodecim Apostolorum, Apost. Sedis Legato*; quo modo legitur post Concilium Lateran. *p.*40. *de elect. cap.*2. Ipse enim Ioannes cum aliis legationis officio fungebatur temporibus huius schismatis. Dicitur Presbyter, non alicuius tituli, sed Basilicæ Apostolorum, quia illius Basilicæ Cardinales specialiter appellantur Cardinales Basilicæ, absque titulo, vt notauit Cohelius *in notit. Cardin. cap.*6. Antequam huius textus interpretationem aggrediamur, repetenda est historia huius schismatis ex scriptoribus illius sæculi, vnde veram lucem accipiet præsens Alexandri decisio. Adriano IV. defuncto, Cardinales & Episcopi, vt illi succesſorem designarent, pridiè nonas Septembris, anno salutis nostræ 1150. in Ecclesia B. Petri conuenerunt, & per trium dierum spatium de electione, sicut moris erat, pertractantes, viginti-tres Cardinales Rolandum Presbyterum Cardinalem tituli S. Marci, & Apostolicæ Sedis Cancellarium, patriâ Senensem, assentientibus Clero & populo in Pontificem elegerunt, atque nomine Alexandri III. salutarunt; tres verò Cardinales Octauianum tituli S. Cæciliæ elegerunt; vnde fauente Imperatore Frederico grauissimum in Ecclesia ortum est schisma, ordine 21. licèt alij duodecimum, alij 27. appellent: durauit ferè per viginti annos; nam Octauianus confirmatus in Concilio Papiæ, sub nomine Victoris III. receptus fuit à pluribus Prælatis Galliæ, Vngariæ, & Bohemiæ; immò & defuncto Victore suffecti fuerunt Callixtus, & Innocentius, ex quibus ille spontè, iste coactè renunciauit, vt referunt Baronius & Corjolanus *in dicto anno* 1150. Petrus Gregorius *de elect. cap.*11. *num.*33. Michael Rousselius *lib.* 2. *historiæ Pontif. iurisd. cap.* 9. *num.* 50. Radeuicus *de gestis Freder. lib.*2.*cap.*50.51. 54. 56. & 66. alij apud Florentem *in hoc tit.* de quo schismate agitur in præsenti textu, *in cap. sequenti*, & *in cap.*1. *de schismaticis.*

2. b *Abiurato schismate.*] Plures schismatici huius schismatis abiurarunt schisma in ipso Concilio Lateran. sub Alexandro III. celebrato anno 1179. sub hac forma: *Ego N. anathematizo, & recuso omnem hæresim extollentem se aduersus sanctam R. Ecclesiam Catholicam, præcipuè verò schisma Octauiani, Guidonis, & Ioannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico, & modò, & in antea me obediturum iuro, & promitto fidelitatem S.R.E. & Domino meo Alexandro, & successoribus eius iustè intrantibus; ipsique seruiam absque omni malo ingenio contra omnem hominem, secundùm ordinem meum. Consilia eius, quæ mihi scripto certo mandauerit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & iuuabo expensis. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.* Referunt Baronius *in prædicto anno*, & ex eo Spondanus *num.* 4. Alia abiurationis forma refertur *in cap. quotiens* 1. *q.*7.

c *Ordinem.*] De ordinatis ab schismaticis agemus *in cap.* 1. *de schismaticis.* In præsenti tantùm declarantur irritæ ordinationes factæ ab Octauiano, vt etiam declarauit Concilium Lateran. sub Innocentio II. nullas à Petro Leone pseudo-Pontifice factas: idemque aliud Lateran. sub Calixto II. circa ordinationes Burdini pseudo-Papæ statuit. 3.

d *Confirmari.*] Legatus enim ex speciali commissione potest electiones confirmare, *cap. si Abbatem, de elect. lib.*6. 4.

e *Suffraganeis.*] Archiepiscopus debet Episcopos consecrare cum suffraganeis: sed quia in nostro casu erat schismaticus, ipsi suffraganei tantùm poterant illum consecrare. Dicemus *in cap. si Archiepiscopus* 6. *de temporibus ordin.* 5.

f *Ordinari.*] Licèt verbum ordinari, siue vt apud Græcos χειροτονία, aliquando accipiatur pro electione Episcopi, quæ fiebat tribus Episcopis præsentibus, *cap. non licet*, 63. *dist.* Cironius *in nostro tit.* tamen in præsenti accipitur pro consecratione, vt *in d.c.*6. *de temporib. ordin.* Cùm enim in nostro textu iam præcederent electio & confirmatio, sequi debebat consecratio. 6.

g *Redierit.*] Aquileiensis enim Patriarcha, Peregrinus dictus, subscripsit electioni Octauiani in gratiam Imperatoris, vt refert Baronius *anno* 1160. *cap.*4. 7.

COMMENTARIVM.

8. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX hac Alexandri epistola talis depromitur assertio: *Abiurans schisma dispensatiuè potest eligi.* Probant textus *in cap. nos consuetudinem*, 12. *dist. cap.* 1. *c. saluberrimum* 7. *q.*1. *cap. pudenda*, *cap. ipsa pietas* 24. *q.* 1. *cap.* 1. & 2. *de schismaticis*, Vrbanus II. *in Concilio Placentino*, *can.* 11. Concilium Cæsarauguſt. 2. *can.* 1. Illustrant Sanchez *lib.* 2. *summæ, cap.*36. *num.* 18. Garcia *de beneficiis p.* 11. *cap.*10.§.1.*num.*161. Azor *tom.*1. *instit. lib.*8. *c.* 20. *q.*6. Peña *in direct. Inquisit.*2.*p.cap.*48. *comment.*73. Suarez *de censuris disput.* 43. *sect* 2. Acuña *in cap. Catinensis* 17. 61. *dist.* Petrus Gregorius *de elect.*

cap.8.num.17. Corrasius *de beneficiis cap.6.num.17.* Lambertinus *de iurepatronatus 1.part.lib.2. quæst.9. art.8.* Maiolus *de irregularit. lib.5. cap.46. num.4.* Vgolinus *eodem tractat. cap.36.§.3. num.7.* Gibalinus *eodem tract. cap.5. dubio 2.* Iulius Lauorus *de elect. cap.16. num.98.* Coruinus *in ius canonicum lib.2.aphorism.tit.8.*

9. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed contra hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo: certum de fide est, peccatorem per pœnitentiam exuere veterem hominem, & alium ab antiquo considerari, *cap. ferrum, 50. dist.18.* ibi: *Non ergo in eo debet despici, quod fuit, quia iam incipit esse quod non fuit*; adeò vt pristinum statum per pœnitentiam amissum recuperet, *cap. cùm renunciatur 32. quæst.1. cap. præceptum 32. q.5. cap.cùm ex aduerso, 50. dist.* vnde clericos per pœnitentiam reconciliatos veterem gradum recuperare deciditur *in cap. contumaces, cap. si quis presbyter, cap.benè, cap. sacerdos, 50. dist.* & ad vlteriores gradus posse ascendere variis auctoritatibus & exemplis probat Gratianus *in cap. Ioannes, cum sequent.50. dist.* etiamsi in hæresim prolapsi fuerint, dum tamen eam abiurauerint, *cap. ponderet, cum sequent.50. dist.* igitur abiurans schisma, tanquam nouus homo, absque vlla dispensatione potest non solùm ad veterem redire gradum, verùm & ad altiorem ascendere. Accedit nam cui conceditur officium, concedi etiam debet beneficium, *cap.ex litteris,de excessibus Prælat.* Sed abiurans schisma,capax est officij, siquidem pristinum gradum retinet, & ad altiorem ascendere valet, quia irregularis non manet, vt contra Speculatorem & alios, probant Sanchez *in summa lib.2. cap.36. num. finali*, Suarez *de censuris disput. 43. sect.2.num.7.* Gibalinus *vbi suprà, cap. 5. dubio 2.* igitur ipse capax est absque vlla dispensatione beneficij, Episcopatus, vel alterius dignitatis ecclesiasticæ. Tandem & illud facit, nam pœnitens peractâ pœnitentiâ dicitur dispensatus quoad omnia à iure, vt probant Tiber. Decian.*lib.5. tractat. crimin. cap.54.num.16.* Acuña *in cap.si post 12. 50. dist.* igitur si schismaticus, eo quod pœnituit, & schisma abiurauit, dispensatus est à iure, non eget nouâ hominis dispensatione ad beneficia obtinenda.

10. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Quâ dubitandi ratione minimè obstante, præsens assertio vera est, cuius rationem vt percipiamus, omissis schismatis etymologia, definitione, & pœnis, de quibus agemus *in cap.1. de schismaticis*, sciendum est, schismaticos, vtpote Ecclesiæ corpus lacerantes, vt appellantur *in cap. aduocauit, cap. vbi, 24.quæst.1.* omnem potestatem in rebus ecclesiasticis amittere, quia extra Ecclesiam sunt, *cap. didicimus 31.24. quæst.1. cap. alienationis 12. quæst.2. cap.1. de schismaticis :* vnde nec eligi, nec eligere ad officium ecclesiasticum posse, probatur *ex d. cap.1.* immò à gradu, & dignitate eos deiici, probatur *ex cap. subdiaconus 40. cap. qui contra 24. quæst.1.* & ipso iure excommunicantur illi, *cap. de Liguribus, 22. quæst.1.* & si non resipiscant, pœnâ depositionis puniuntur, *cap. in nomine, 23.dist.* & si laici sunt, nobilitate priuantur, atque Principibus sæcularibus traduntur puniendi, *d.cap.de Liguribus*, & aliis pœnis plectuntur, de quibus agunt Turriscremata *in summa Ecclesiæ,p.1. cap.8.* Petrus Gregorius *lib.2. partit. tit.7.* Deinde sciendum est, quod ad hoc vt electio Episcopi, vel similis Prælati ecclesiastici valida sit, debet fieri de eo qui non habet impedimentum canonicum, vt sunt irregulares, *cap. is cui 15. de sent. excommun.* falsarij litterarum Apostolicarum, *cap. ad falsariorum, de crimine falsi*; sacrilegi, *cap. venerabilem, hoc titulo*; vsurarij, *cap. inter, de excessibus Prælat.* excommunicatione maiori ligati, *cap. postulasti 7. de clerico excommunicato*; interdicti, *cap. cùm inter R. de consuet. cap.1. de postulat. Prælat.* suspensi, *capite cùm dilectus 8. de consuetud.* periuri, *cap. querelam, de iureiurando*; publici aleatores, *d. cap. inter, de excessibus Prælat.* & alij quos enumerant Petrus Gregorius *de elect. cap.9.* Iulius Lauorus *vbi suprà:* ex quibus iam cognoscitur vera nostri textus decidendi ratio; nam cùm non possit eligi ad dignitatem ecclesiasticam ille, qui impedimentum ecclesiasticum habet; & schismaticus adeò per schisma ineligibilis redditur, vt non possit ampliùs in Ecclesia ministrare sine dispensatione, *capite final. de temporibus ordin.* ideò tam ad Episcopatum, quàm ad alias dignitates ecclesiasticas eligi non valet: sed cùm hæc prohibitio, seu pœna sit tantum iuris ecclesiastici, ab Ecclesia imposita, & in his omnibus quæ à iure ecclesiastico introducta sunt, Pontifex valeat dispensare, *capite proposuit, de concess. prebend.* ideò si cum schismatico dispensetur, poterit in Episcopum, vel Ecclesiæ Prælatum eligi.

11. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat ratio dubitandi suprà adducta; nam procedit in peccatis occultis, vbi per pœnitentiam totum expiatur delictum: at schisma est peccatum publicum, & notorium, ex quo etiam post absolutionem, & pœnitentiam remanet quædam infamia, quæ impedit etiam per pœnitentiam reconciliatum eligi ad dignitates ecclesiasticas. Nec augmentum difficultatis obstat; nam vt suprà *in dict.cap. ex litteris*, animaduertimus, plerumque iuxta disciplinam ecclesiasticam conceditur officium denegato beneficio, nunquam tamen è contra conceditur beneficium denegato officio. Nec tandem augmentum vltimum refragatur; nam vt docet Acuña *vbi supra*, illud procedit iure antiquo, quando multa denegabantur, quæ posteà concessa fuerunt.

12. EXPONITVR CAP. NOS, 12. DIST.

Sed superiori assertioni aduersatur textus *in cap. nos consuetudinem 12. dist.* vbi cùm Episcopi Numidiæ petiissent à prædecessore Gregorij per Hilarium Chartularium S.R.E. seruari omnes consuetudines, quæ ab ipso Phocij tempore in electionibus sacris vetustas longa seruauerat. Respondet Gregorius, omnes consuetudines, quæ fidei Catholicæ contrariæ non essent, inuiolatas permanere debere, *Exceptis*, inquit, *his quæ ex Donatistis ad Episcopum perueniunt, quos prouehi ad Primatus dignitatem etiam cùm ordo eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus: sufficiat autem illis commissa sibi plebis tantummodò curam gerere, non autem illos Antistites, quos catholica fides in Ecclesiæ sinu edocuit, & genuit, ad obtinendi culmen primatus anteire.* Ex quibus verbis expressè deducitur, non lidere illis, qui schisma abiurarunt ascendere ad altiorem gradum, etiamsi illis permittatur in antiquo ministrare: ergo non rectè asseritur in nostro textu, post abiurationem schismatis schismaticum posse eligi in Episcopum. Huic difficultati respondendum est, textum illum procedere non præmissâ dispensatione; nam sola abiuratio schismatis non reddit schismaticum habilem ad dignitates ecclesiasticas, sed sequuta dispensatione redditur eligibilis, vt in nostro textu docetur: notat Gibalinus *de irregul. cap.5.dub.1.*

13.

Secundò opponitur textus *in cap. pudenda 22. q.1.*

EXPONITVR CAP. PVDENDA 24. Q. I.

q. 1. vbi asseritur, consuetudinem diutiùs obseruatam fuisse inter Aquileiensem Patriarcham, & Archiepiscopum Mediolanensem, vt vnus alterum consecraret; & cùm ambo in schisma peruenissent, vnus ab alio consecrationem accepit: quæstionis fuit, vtrum ritè esset consecratus? Et respondet Pelagius Papa, illum potiùs execratum, quàm consecratum dici debere, cùm ab schismatico, & non obseruatâ veteri consuetudine esset consecratus: quod idem decreuit Pontifex in casu contrario, si non schismaticus consecretur ab schismatico. Igitur qui in schisma inciderunt, perpetuò ineligibiles manent. Huic decisioni respondendum est in eo textu, tempore consecrationis durasse schisma, nec esse abiuratum, tam à consecrante, quàm à consecrato: vnde rectè ait Pelagius, quod sicut à Catholico Catholicus ordinatus dicitur consecratus; ita ab schismatico schismaticus consecratus dicitur execratus, id est non ritè consecratus, vt notauit Marcellus Donatus *in notis ad Suetonium, in Cæsare, cap. 20. tom. 6. Thesauri Critici.*

CAPVT VI.

Idem *in Concilio* [a] *Lateranensi.*

LIcèt de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis à prædecessoribus nostris [b] constituta manauerint; quia tamen sæpè post illa per improbæ ambitionis audaciam grauem passa est Ecclesia [c] scissuram, nos etiam ad malum hoc euitandum, de [d] consilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione Concilij, aliquid decreuimus adiungendum. Statuimus ergo, vt si fortè (inimico homine superseminante zizaniam) inter Cardinales de substituendo Summo Pontifice non poterit esse plena concordia, & duabus [e] partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium præsumpserit nominare; ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus electus fuerit, & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus (quia de ratione esse non potest) sibi [f] nomen Episcopi vsurpauerit, tam ipse, quàm hi qui eum receperint, [g] excommunicationi subiaceant, & totius sacri ordinis priuatione multentur, ita vt [h] viatici etiam eis (nisi tantùm in vltimis) communio denegetur: & si non resipuerint, cum Dathan, & Abiron (quos terra viuos absorbuit) accipiant portionem. Prætereà si à paucioribus quàm à duabus partibus aliquis electus fuerit ad Apostolatus officium, nisi maior concordia interceserit, nullatenus assumatur, & prædictæ pœnæ subiaceat, si humiliter noluit abstinere. Ex hoc tum nullum canonicis constitutionibus, & aliis Ecclesiis præiudicium generetur, in quibus maioris & sanioris partis debet sententia præualere; quia quod in eis in dubium venerit, superioris poterit iudicio diffiniri. In Romana verò Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad superiorem recursus haberi.

NOTÆ.

1. a *Lateranensi.*] Generali videlicet, celebrato Romæ in Basilica Lateranensi, quæ Constantiniana dicta est, & fuit olim Lateranorum nobilium ciuium Palatium, de quo Iuuenalis *satyra* 10. Congregatum fuit ob causam schismatis Octauiani, de quo *in cap. antecedenti:* interfuerunt in eo 300. Episcopi simul cum ipso Alexandro III. & licèt circa annum non consentiant historici, quos refert Barbosa *in cap. 7. de his quæ fiunt à Prælatis*; verius tamen est celebratum fuisse die 5. mensis Martij anno 1179. cuius Concilij canon primus refertur in præsenti: de eo Concilio agunt Otho Frisingensis *lib. 7. cap. vlt. Alexander vniuersalis totius Ecclesiæ Pater canonicè confirmatus est, qui secundo confirmationis suæ anno maximum Romæ Concilium congregauit.* Robertus Sigeberti continuator *anno* 1179. Guillelmus Tyrius *lib. 21. belli sacri, cap. 26. Anno ab incarnatione Domini* 1178. *qui erat Domini Balduini IV. annus quintus, mense Octobri, cùm anno præcedente indicta esset per vniuersum orbem Latinorum Romæ Synodus generalis.* Acta huius Concilij summatim, & compendiosè Matthæus Parisiens. *histor. Angliæ anno* 1179. ita describit: *Eodem anno habitum est Concilium, generale trecentorum & decem Episcoporum, XIV. Kalendas Aprilis in Patriarcho Lateranensi, cui præsedit Dominus Papa Alexandrr III. cuius statuta omni laude dignissima, sub viginti & octo, quæ sequuntur, capitulis continentur. De electione Summi Pontificis: De hæreticis Albigensibus, & diuersis eorum appellationibus: De Ruptariis & Breuantiis prædonibus, qui fideles affligunt: Quod nullus promoueatur in Episcopum, vel ad aliquem ordinis gradum, nisi legitimæ sit ætatis, & de legitimo matrimonio susceptus: Ne viuentibus personis Ecclesiæ conferantur, nec illis defunctis, nisi vltra sex menses vacent: De appellationibus: Ne intra sacros ordines constituti, vel qui ecclesiasticis sustentantur stipendiis, rebus se immisceant secularibus: De treguis statuendis & temporibus treguarum: Quod clerici vnam tantum habeant*

Ecclesiam, & quod Episcopus, si aliquem sine certo ordinauerit titulo, tamdiu necessaria præstet, donec ei aliqua in Ecclesia stipendia assignet: Ne Patroni, vel quilibet laici Ecclesias opprimant, aut ecclesiasticas personas: Ne Iudæi, vel Sarraceni christiana mancipia permittant habere, sed ad fidem Christi, si conuerti voluerint, à possessoribus suis nullatenus excludantur: Vt leprosi, si excluduntur à cohabitatione hominum, oratorium habeant, & proprium sacerdotem: Ne bona ecclesiastica in alios vsus conuertantur: Ne Decani pro certa pecuniæ quantitate iurisdictionem exerceant Episcopalem: Vt in electionibus, vel ecclesiasticis ordinationibus consequatur effectum quod à maioris & sanioris Concilij parte fuerit constitutum: Quod vsurarij manifesti ad communionem altaris non admittantur, nec christianam habeant sepulturam: Vt agricolæ & viatores, & omnia quæ sua sunt, plenâ vbique pace, & securitate lætentur: Vt ordinationes à schismaticis factæ irritæ habeantur, & inanes, & beneficia ab eis collata reuocentur: Ne pro ecclesiasticis instituendis personis, seu mortuis sepeliendis, aut nubentibus benedicendis, vel aliis Ecclesiæ sacramentis aliquid exigatur: Ne viri religiosi, vel quilibet alij Ecclesias, vel decimas præsumant de manu suscipere laicorum sine auctoritate Episcoporum; & non nisi semel in anno templarij, siue hospitalarij Ecclesias sub interdicto positas aperiant, nec corpora sepelire tum præsumant: Ne quis interuentu pecuniæ habitum religionis vsurpare præsumat, nec conuersus peculium habeat; nec facti Prælati, non nisi pro dilapidatione, vel incontinentia degradentur: Ne Christiani Sarracenis arma vendant; nec patientes naufragium quùsquam exspoliare præsumat: Vt clerici intra sacros ordines constituti continenter viuant; & si in illa incontinentia, quæ contra naturam sit, deprehensi fuerint laborare, excommunicentur, & à Clero abiiciantur: Vt Archiepiscopi parochias, vel Ecclesias visitantes, quadraginta vel quinquaginta equorum numero sint contenti; Episcopi viginti vel triginta; Legati vigintiquinque; Archidiaconi quinque, vel septem; Decani duarum euectionum numerum non excedant: Vt nullus torneamenta exercere præsumat, & mortui in torneamentis christianâ careant sepulturâ: Quod vnaquæque Cathedralis Ecclesia magistrum habeat, qui pauperes scholares, & alios doceat, nec pro licentia docendi aliquis pretium exigat: Vt Prælati vnam tantùm regant Ecclesiam, & quod patroni ab Ecclesiis in suo fundo constitutis exactiones non faciant: Ne Episcopi, seu viri ecclesiastici stare compellantur iudicio laicorum, nec laici laicis decimas conferre præsumant: Si quis ab aliquo commodatâ pecuniâ possessiones in pignus acceperit, si deductis expensis sortem suam receperit ex fructibus possessionis, pignus restituat debitori.

2. b *Constituta.*] Nicolai videlicet II. *in c.1. dist.79.* Bonifacij, & aliorum, quæ infrà iuxta seriem temporum dabimus.

3. c *Scissuram.*] Iam à primis Ecclesiæ sæculis varia cœperunt, & sequuta fuerunt schismata; iam enim anno Christi 250. inter Cornelium Ponticem, & Nouatum Antipapam exortum est, & Liberium & Felicem anno 366. inter Bonifacium, & Eulalium ann. 420. & alia, quæ enumerant Turriscremata *lib.4. summæ, cap.1.* Petrus Gregorius *lib.2. partit. titul.7.* Marra *de iurisd. p.2. cap.38.* Corjolanus *in Breuiario.*

4. d *De consilio.*] Diximus *in cap. vlt. de postulat. Prælator.*

e *Duabus partibus.*] Non insubtiliter docet Boëtius Epon. *tom.1. de regalibus, num. 196.* has partes desiderari ex Cardinalibus præsentibus, non verò absentibus: nam licèt absentes habeant vocem passiuam, hoc est eligi possint; non tamen habent actiuam, & sic eorum suffragia non attenduntur. 5.

f *Nomen Episcopi.*] Sicut Episcopus appellatur Pontifex, vt notaui *in cap.4. de postulat. Prælat.* ita & Pontifex Episcopus dicitur, *cap. mos, cap. olim, 65. dist. cap. legimus, cap. olim, 95. dist. cap.1. de maledicis.* 6.

g *Excommunicationi.*] Schismatici enim, & eorum fautores maiori excommunicatione ligantur, *cap. in nomine, 23. dist. cap. de Liguribus 24. q.1.* Plura Antonius August. *in epitome lib.22. tit.54.* & nos trademus *in titulo de schismaticis.* 7.

h *Viatici.*] Viaticum in sacris canonibus diuersimodè accipitur; nam omnia quæ morientibus prodesse poterant, viatici appellatione comprehendebantur: quare baptismus in mortem collatus, appellatur viaticum à D. Basilio *in homilia de baptismo*, notauit Balsamon *in can. 18. Concilij Carthag.* Frequentiùs tamen primis Ecclesiæ sæculis accipiebatur pro reconciliatione pœnitentis, vt *in cap. qui recedunt, cap. si quis de corpore, 26. quæst.6.* Concil. Ancyran. *can.77.* Carthag.4. *can.8.* Gerundense *can.13.* Epaunense *can.24.* Nicænum *can.29.* Toletanum 2. *canon.12. cap.2. de raptoribus:* in nostro tamen textu accipitur pro Eucharistia, vt in Concilio Nicæno *can.29.* Toletano 1. *can.18.* notarunt, & varias viatici acceptiones prosequuntur Albaspinus *lib.1. obseru. cap.11.* Bosquetus *lib.1. ad Innocentium, epist.149.* Loaysas *in Concilio Toletano 11. can.11.* Corjolanus *in notis ad can.1. Concily Illiberit.* Zerda *in aduersariis cap.138.* Menardus *ad D. Gregorium fol.234.* Et nos plura de viatico dabimus *in d. cap.2. de raptoribus.* 8.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Electus in Pontificem à duabus partibus Cardinalium, absque vlla exceptione habendus est pro legitimo D. Petri successore; electus verò à minori parte, non est legitimus Pontifex.* Probant textus *in cap. vbi periculum, hoc tit. in 6. Clementina ne Romani, eodem tit.* Clemens VII. in sua constitutione, quæ incipit, *Cùm charissimus*, data 26. Octobris anno 1529. Paulus IV. in sua constitutione, quæ incipit, *Cùm secundum*, data anno 1554. Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *In eligendis*, data 7. idus Octobris, anno 1562. Gregorius XV. in constitutione, quæ incipit *Æterni*, data 17. Kalendis Decembris, anno 1621. Vrbanus VIII. in constitutione, quæ incipit, *Ad Romanum*, data 5. Kal. Februarij, anno 1625. Illustrant Paleotus *de consult. part. 3. cap.4.* Turriscrema *in summa lib.2. cap.43.* Bellarminus *tom.1. lib.2. de clericis, cap.9. & 10.* Ioan. Brunell. *in repetitione ad hunc textum*, Barbosa *lib.1. de iure Eccles. cap.1.* Bonacina *in tractatu de electione Romani Pontificis*, Boëtius Epon. *tom.1. quæstionum, tit.5. de regalibus, num. 186.* Rousselius *lib.2. historiæ Pontificis, cap.9.* Germonius *lib.2. animadu. cap.16.* Cochier. *in face historiarum cap. 58.* Corjolanus *in breuiario, anno 1562.* Carrier. *in digesto fidei, tom.2. titulo de elect. Pontificis, folio 1107.* Bruno Chassaing. *de priuilegiis regular. tract.2. cap.1. propos. 1.* Suarez *de fide disput.16. sect.4.* Moez *in d. cap. vbi periculum.* 9. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

Sed

10. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed aduersùs hanc assertionem pro ratione dubitandi ita argumentor: Electio Pontificis non solùm ad Cardinales, verùm etiam ad Clerum, populumque Romanum spectat, *cap. factus 7. quæst. 1.* Igitur non solùm maior pars Cardinalium desideratur, verùm etiam Cleri & populi; siquidem omnes suffragium habent in electione Pontificis. Deinde contra id quod asseritur, videlicet nullam exceptionem contra electionem à duabus partibus Cardinalium factam opponi posse, sic insurgo: Si non posset opponi vlla exceptio contra huiusmodi electionem, non desideraretur eius confirmatio, sicut in aliis Prælatis inferioribus: sed desideratur talis confirmatio: ergo quia non statim habetur pro Pontifice, & per consequens aliqua exceptio opponi valet. Probatur minor ex sententia Episcopi Portuensis, apud Malesburgensem *lib. 1. de gestis Pontificum*, ibi: *Fratres siquidem vestri Cardinales, quorum præcipua in electione potestas cum Clero vniuerso, expetente populo, cum honoratorum consensu, in luce, in manifesto, vnanimi voto, & desiderio delegerunt Dominum Petrum Cardinalem in Romanum Pontificem. Hanc ergo electionem canonicè celebratam conspexi, & auctore Deo confirmaui.* Refert Franciscus Hallier. *de sacris electionibus fol. 930.* Accedit, nam exceptio hæresis contra electum in Romanum Pontificem opponi potest, *cap. si Papa, 47. dist.* ergo verum non est, nullam exceptionem aduersus electum opponi posse.

11. VARIÆ ELECTIONIS PONTIFICIS FORMÆ.

Adhuc tamen defendenda est nostra assertio, ad cuius expositionem, & solutionem rationis dubitandi res ab origine repetenda est; scire enim oportet, ex diuersitate temporum, & variis militantis Ecclesiæ fluctuationibus & oppressionibus, ad hæc vsque tempora electionem Pontificis, tam in modo eligendi, quàm in personis eligentibus variis modis celebratam reperiri, vt passim videre est, tum in historiis ecclesiasticis, tum in Sanctorum Patrum scriptis, & nostri iuris testimoniis; licèt omni æuo credendum sit diuinum opus esse, vt probat Scipio Amiratus *in dissertat. polit. lib. 3. cap. 1.* Triplici autem modo Pontifices creatos fuisse apud historiæ ecclesiasticæ scriptores inuenio; videlicet, per institutionem, substitutionem, & electionem. Institutionis enim forma semel tantùm vsitata est in terris. Christus enim Dominus, Summus Sacerdos, & Pontifex, à quo sancta Romana Ecclesia proprio eius sanguine redempta obtinuit principatum, *cap. ita Dominus, 19. dist. cap. si verò, dist. 22.* D. Petrum, quem Beatum appellauerat apud Matthæum *cap. 16. Beatus es Simon*; & cui primatum promiserat, ibi: *Tibi dabo claues Regni cœlorum*; Pontificem constituit, & Vicarium suum in terris instituit, dum illi dixit post resurrectionem, *pasce oues meas*, Ioannis *cap. 21. & 22. cap. consideratum, cap. fides, 50. dist. cap. solitæ, de maiorit. & obed.* & ipsum confirmauit, dum dixit: *Ego rogabo pro te, ne deficiat fides tua.* Lucæ *cap. 22. cap. sacrosancta, 22. dist.* Per substitutionem, & successionem in Ecclesia Summum Præsulatum obtinuisse D. Clementem, & Linum deducitur *ex cap. si Petrus 8. quæst. 1. epistola 1. D. Clementis ad Iacobum:* sed hanc substitutionem rectè iuris Interpretes de sola commendatione D. Petri, vel monitione fidelibus facta accipiunt, cùm certum sit Summum Pontificem non posse sibi eligere successorem, vt probant Iulius Lauorus *var. lucubr. tit. de elect. cap. 3. per totum*, Sebast. Cæsar *de ecclesiast. hierarch. disput. 1. §. 5.* Claudius Espenceus *ad epistol. D. Pauli, lib. 5. digress. cap. 21.* Corjolanus *in summa, in notis ad Concilium Rom. 2. sub Bonifacio I.* Sauaro *in notis ad Sidonium lib. 4. epist. 11. fol. 265.* Diana *p. 10. integro tract. 5.* P. Ripalda *in peculiari syntag. de hac quæstione edito*, Michael Rousselius *lib. 2. histor. Pontific. iurisdict. cap. 9. num. 1.* Barbosa *de potest. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3.* Thomas Hurtadus *de resident. tom. 1. resol. 2. & 3.* P. Suarez *de fide disput. 10. sect. 4.* & nos D. Petri factum exponemus *in c. 1. de præb.*

12. PROSEQVITVR ELECTIONIS HISTORIA.

Per viam electionis cæteri omnes R. Pontifices creati fuerunt: hæc autem electio ratione formæ diuiditur in electionem per inspirationem, adorationem, per compromissum, & per scrutinium. Sed antequam de eis agamus, priùs circa personas eligentium Pontificem aliqua præmittenda sunt. D. igitur Petro è vitæ huius carcere ad augustissimam æternæ gloriæ sedem euecto, D. Clemens, etsi ab eo designatus, ne apud posteros pernicioſi esset exempli, succedere noluit, & electio Pontificis spectare cœpit ad Clerum & plebem, ita vt Clericorum suffragiis, & populi consensu Pontifices crearentur. D. Cyprianus *lib. 4. epist. 2. cap. plebis*, & passim, *63. dist.* Hæc electionis forma durauit vsque ad schisma, quod ortum fuit temporibus Damasi Papæ, inter ipsum & Vrsicinum; cùm enim schisma agnouisset Imperator Valentinianus, Vrsicino reiecto, Damasum confirmauit, vt referunt Socrates *lib. 2. historiæ, cap. 27. & lib. 4. cap. 29.* Theodoretus *lib. 1. histor. cap. 15.* Sozomenus *lib. 4. cap. 11. & lib. 6. cap. 23.* & tunc cœpit Imperatorum authoritas in electione Romani Pontificis interponi tantùm ratione schismatis; siquidem ita sedarum fuit schisma hoc, & aliud etiam ab Honorio Imperatore inter Bonifacium & Eulalium; & aliud à Theodorico Rege inter Symmachum & Laurentium, vt refert Rousselius *dict. cap. 9. à num. 3.* Deinde Iustinianus per annos 550. decreuit nullum alium Pontificem in Ecclesia futurum, nisi quem ipse confirmasset, & sic illum maximè impium deplorat D. Gregorius *in Psalmo 7. & lib 4. epist. 4.* & constitutum fuit, vt certæ pecuniæ quantitas Imperatori pro confirmatione Pontificis penderetur, vt referunt Rousselius *vbi suprà, lib. 5. cap. 4.* Boëtius Epon. *tom. 1. qq. heroic. tit. de regalib. num. 187.* & Basilius Præfectus vrbis Romæ ausus fuit constituere, ne quis Pontifex sine eius consilio, & consensu eligeretur, *cap. 1. 96. dist.* cuius statuti mentio fit *in cap. Ecclesia, de constit.* vbi notaui. Hæc electionis forma durauit in Ecclesia vsque ad tempora Benedicti II. cuius temporibus Constantinus Heraclij pronepos, per annum Christi 684. Benedicti integritate, sanctimoniaque motus, pristinam Pontificis eligendi potestatem Clero & populo restituit. Platina *in vita ipsius Benedicti.* Mutato imperio, sunt qui affirment Adrianum Papam infestatum à Desiderio Longobardorum Rege, aduocasse Carolum Magnum, illique concessisse ius eligendi Pontificem; quod postea Ludouicus eius filius renunciauit, vt refertur *in cap. Adrianus, cap. ego, 63. dist.* Sed huius fabellæ author est Sigebertus historicus schismaticus, qui Henrici Imperatoris partes propugnans, fabulam commentus est Synodi Romanæ 145. Episcoporum, in qua Adrianus Papa Carolum Magnum summo decorauit priuilegio, non modò confirmandi Pontificis electionem, sed, quod hactenus fuerat inauditum, solâ & propriâ auctoritate eligendi pro libito. Post Sigebertum Gratian

nimia credendi facilitate adductus, commentitium illius Concilij decretum suæ canonum collectioni inseruit, quæ res multos incautos, ipsumque Onuphrium decepit. Sed hanc fabulam validissimis argumentis refellunt Baronius *anno* 774. *numero* 10. & *anno* 964. *num.*22. Bellarminus *in apolog. contra Regem Angliæ*, *cap.* 6. *fol.* 67. Iacobus Grethserus *in apolog. pro Baronio*, *cap.*1. & 2. Iulius Lauorus *de elect. cap.*5. Corjolanus *in breuiario anno* 774. & 817. Martha *de iurisdict. part.*1. *cap.*31. Quintanaduenas *lib.*1. *ecclesiast. cap.*1. Cenedus *ad decretum*, *collect.* 64. Carrier. *vbi suprà*. Suarez *aduersus Regem Angliæ*, *cap.* 29. Morinus *in lucubrat. de orig. & progress. temp. iurisd. R. P.* Ioannes Cabassutius *in notit. Concilior. in Lugdunens. Concil. fol.*613. Sed cùm adhuc seditiones circa populi consensum præstandum darentur, Nicolaus II. statuit, vt deinceps qui Apostolicæ Sedi sine concordia & canonica electione Cardinalium Ecclesiæ Romanæ, ac deinde sequentium Clericorum intronizaretur, non Papa, vel Apostolicus, sed apostaticus haberetur, *cap.*1.*cap.si quis pecunia*, 79. *dist.* referunt Platina *in eius vita*, Anast.Germon. *lib.*2. *animadu. cap.*16. Barbosa *de iur. eccles. lib.* 1. *cap.*1. fusè Rousselius *d. lib.* 2. *cap.* 9. *per totum*, Ioannes Dartis *ad* 63. *dist.* Ab eo ergo tempore electio Pontificis ad Cardinalium Collegium spectat: sed cùm adhuc longissimus vsus tot sæculorum docuisset, quàm turbulenta foret Summi Pontificis electio, & eam Alexander III. expertus fuisset in tam longo schismate, in Concilio Lateranen. in præsenti textu relato constitutum fuit, vt is demùm legitimus haberetur Pontifex, qui à duabus Cardinalium partibus esset electus, exempli gratiâ, si sexaginta fuerint in electione Pontificis Cardinales, desiderantur suffragia quadraginta Cardinalium; & qui paucioribus suffragiis fretus Pontificis vsurpauerit dignitatem, tam ipse, quàm omnes eum recipientes, maiori excommunicationi subiacent, atque à totius ordinis gradu deiiciuntur.

13. PROSEQVVNTVR ELECTIONIS FORMÆ.

Hæc de personis eligentium sufficiant: nunc de formis in electionibus Pontificis vsitatis agamus. Primò per inspirationem electio fit quando repentè, nullo inter eligentes ordine seruato, sed vnus post alium per reuelationem diuinam contiuuò aliquem eligunt, *cap. quia propter*, *versiculo nisi*, *hoc tit.* vt contigisse Fabiano narratur; dum enim Clerus & populus conueniissent pro facienda electione & successore designando, columba de sublimi euolans, eius capiti insedit, & audita est vox: *Tu Romæ Episcopus designaberis.* Narrant Eusebius *lib.*6. *histor. cap.*22. Platina *in eius vita*, Baronius *anno* 238. quæ electionis forma præstantior est cæteris, *l.*21. *tit.*5. *partit.* 1. *Esta eleccion tienen por mas noble que las otras*, *porque no ay otro mouedor de las voluntades de los homes*, *sino solo el Espiritu Santo.* Illustrant Simon Maiolus *dierum canicul. tom.*2. *colloq.* 6. *pag.* 465. Solorzanus *tom.* 1. *de iure Indiar. lib.*2. *cap.*3. *num.* 10. Similiter per adorationem fit electio, cùm Cardinalium duæ partes, nullo facto scrutinio, omnium consensu, & voluntate aliquem in Romanum Pontificem adorant, & salutant. Quo electionis modo electos fuisse Clementem VII. anno Christi 1523. Paulum III. anno 1534. Iulium III. anno 1550. Marcellum II. ann. 1555. Pium IV. anno 1559. Pium V. anno 1566. referunt Azor *lib.*4. *instit. p.*2. *c.*5. Iulius Lauorus *de elect. c.*9. Per viam compromissi fit electio, quando aliqui Cardinales eliguntur, in quos omnium vice eligendi potestas transfunditur cum certis clausulis, & conditionibus in ipso compromisso explicatis; de qua forma agemus *in cap. causam* 8. *hoc tit.* Accedamus iam ad viam electionis per scrutinium, quæ magis frequens & vsu recepta est: hæc autem celebratur præsentibus omnibus, qui debent, & possunt commodè interesse; & tunc tres de ipso collegio Cardinalium electi, sigillatim, & secretè singulorum suffragia exquirunt, & in publicum proferunt; & is censetur electus, in quem vel omnes, vel duæ ex tribus partibus consentiunt: circa quam electionem plura statuit Gregorius XV. Bulla data 17. Kalendis Decembris anno 1621. de que Lauorus *vbi suprà*, *cap.*10. Carrier. *vbi suprà*, Diana *p.* 12. *tit. de conclaui*: nulla tamen ex his formis necessariò præscripta est in electione R. Pontificis; quocumque enim modo duæ partes consentiant, electus legitimè Pontifex erit, Lauorus *suprà*, *cap.*6. *num.*59. Barbosa *d. cap.*1. *de R. Pontifice*, Bonacina *de elect. R. Pontificis*, qui ex variis Pontificum constitutionibus referunt, & describunt formam, quam hodie seruant Cardinales anteà & post electionem in conclaui. Manet ergo ex nostro textu, electionem Pontificis fieri debere à duabus partibus Cardinalium, ita vt ipsi non repellantur à suffragio, etsi sint vinculo excommunicationis ligati, *Clementina ne Romani*, §. *cæterùm*, *de elect.* variis Bullis probat Lauorus *cap.* 6. *num.*22. ampliùs, etsi illis non sit traditus galerus, nec os apertum, ex constitutionibus Pij V. & Gregorij XV. quas refert Lauorus *vbi suprà*: nec interest quod omnes Cardinales electioni non interfint, ad præsentes tantùm spectat electio, & absentes agere contra eam non possunt, nec alteri vt eligat, votum committere. Azor *d.lib.*4.*cap.*2. quod ampliatur, vt procedat etiamsi duo tantùm remanserint Cardinales, cæteri verò vel absentes, vel mortui sint: illi enim tantùm debent eligere, *cap. Adrianus*, 63. *distinct. cap. non licet*, §. *his* 19. *quæst.*7. immò etsi vnus remanserit, ad ipsum spectabit electio. Lauorus *vbi suprà*, *num.*26. si autem omnes decessissent, Canonici Lateranenses eligerent Pontificem; & si tempore obitus Pontificis congregatum sit Concilium generale, etiam ad Cardinales spectabit electio, vt ex plurimis resoluit Lauorus *suprà*, *num.*29.

14. EX HIS IAM APPARET RATIO DECIDENDI.

Ex his iam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm electio Pontificis à nemine confirmetur, nec possit dari superior, qui hoc ius confirmandi habeat; ideò à duabus partibus debet celebrari, præcipuè cùm electio hæc magni momenti sit, & in his rebus, quæ magni ponderis considerantur, non maior pars sufficiat, sed duæ partes desiderentur, *l.* 3. *ff. de decretis ab ordin. faciend.* Plinius *epist.*50. Docent Gothofredus *in d. l.*3. Reuardus *in l.*160. *ff. de reg. iur.* Vnde rectè Alexand. III. in Concil. Lateranensi decreuit, electionem à duobus partibus Cardinalium fieri debere, & cùm non sit superior, qui similem electionē confirmare possit, non erit qui aliquam exceptionem contra eam admittere valeat, vnde nulla exceptio aduersùs similem electionem opponi potest.

15. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, vbi dicebamus populum, & Clerum electioni Pontificis interesse posse; cui facilè fit satis ex suprà traditis. Nec primum augmentum refragatur, nam verum est, Pontificis electionem confirmari non posse, vt probat Hallier. *de sacris elect. fol.* 929. cuius rei rationem tradit Nicolaus *in cap. in nomine*,

mine, 23. *dist.* ibi : *Quia Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideò super se Metropolitanum habere non potest.* Cardinales Episcopi proculdubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem prouehunt: nec verba prædicti Episcopi Portuensis contrarium suadent, nam præterquam quod illi fides adhibenda non est, cùm schismaticus sit, & in gratiam Anacleti instructi contra Innocentium II. scripserit, responderi potest, eam consuetudinem tunc temporis in Ecclesia viguisse, vt in electione Pontificis ea forma seruaretur, quæ in electionibus aliorum Episcoporum custodiebatur, videlicet, vt Pontifex à Clero eligeretur, populo expeteretur, & Episcopis prouincialibus confirmaretur; non quia Pontifex confirmatione egeret, sed quia cùm Episcopi propter loci distantiam electioni adesse non poterant, consensum suum eo modo præstarent; quam consuetudinem latè illustrat Hallier. *de sacris elect. tit. de tempore consecrationis Episcopi*, §.6. Nec secundum augmentum obstat, ex quo dicebamus, exceptionem hæresis opponi posse contra electionem factam etiam à duabus partibus; nam licèt noster textus affirmet, nullam exceptionem electo opponi posse, intelligitur ita, nisi exceptio eius naturæ sit, vt iure naturali, aut diuino impediat electionem, vt exceptio hæresis; quia si contra Pontificem ob hæresim agi potest, *cap. si Papa, dist.* 40. multò magis & hæresis exceptio opponi, ex regula *Quæ ad agendum, de reg. iur. lib.* 6. potest etiam opponi exceptio simoniæ, *cap. si quisquam*, 75. *dist.* Iulius II. in constitutione, quæ incipit, *Cùm tam diuino:* exceptio metus; non est enim electio vbi non est libera voluntas, *cap. cùm locum, de sponsalibus.* Concilium Constantiense *sess.* 29. Lauorus *suprà, cap.* 6. *num.* 38. plures dat Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 59. Cùm igitur istæ exceptiones repugnent substantiæ electionis, admittuntur etiam in electione Pontificis: noster autem textus eas reiicit, quæ iuri canonico tantùm repugnant, vt si electus non sit in sacris, sit per saltum ordinatus, & similes. Azor *dicta parte* 2. *lib.* 1. *cap.* 5.

CAPVT VII.

Idem *in*[a] *eodem.*

CVm in cunctis sacris[b] ordinibus, & ecclesiasticis[c] ministeriis sint ætatis maioritas,[d] grauitas morum, & litterarum scientia inquirenda; multò fortiùs in Episcopo hæc oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus, in se ipso debet ostendere[e] qualiter alios in domo Dei oporteat conuersari. Eapropter, ne quod de[f] quibusdam pro necessitate temporis factum est, trahatur à posteris in exemplum, præsenti decreto statuimus, vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum ætatis[g] exegerit, & de[h] legitimo matrimonio sit natus, qui etiam vitâ & scientiâ commendabilis demonstretur.

NOTÆ.

1. a *Eodem.*] Concilio videlicet Lateranensi, *cap.* 2. vbi reperiuntur verba huius textus, & etiam in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 16. ex quibus transcripsit Raymundus. Meminit huius canonis Innocentius III. *lib.* 1. *in epist. Vsalensi Episcopo missa*, apud Sirletum *fol.* 220. his verbis: *Quod cùm quamplurimi Sueciæ clerici non sint de legitimo thoro suscepti, qui ob suæ generationis erubescentiam, altioris gradus culmen appetere nullâ præsumptione deberent, contra constitutionem in Lateran. Concilio prouidâ deliberatione innouatam, venire nullatenus metuentes, Episcopatuum dignitates inuerecundè obtinere contendunt*, &c.

2. b *Ordinibus.*] Et in cæteris aliis ætas certa præfinita est à sacris canonibus, tam antiquis, quàm recentioribus; nemini enim citò manus est imponenda. D. Paulus *ad Timoth. cap.* 5. vt constat *ex cap. miramur*, 61. *dist. cap. subdiaconus* 4. 77. *dist. cap. presbyter*, 28. *dist. cap. vel non est compos* 14. *de temporib. ordin. cap. super* 33. *de præbendis*, *cap. final. de temporib. ordin. lib.* 6. ætas enim vnicuique ordini assignata refertur *in cap. de his* 5. 28. *dist. cap. in singulis*, 77. *dist.* nouissimè in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 5. & 6. Pro quorum iurium expositione plura adducemus *in cap. eam te, de ætate & qualitat.*

3. c *Ministeriis.*] Videlicet dignitatibus, & officiis ecclesiasticis; sæpè sæpiùs enim, tam in iure nostro, quàm Cæsareo ministeria accipiuntur pro officiis, aut dignitatibus, *cap. multi* 1. *quæst.* 1. *cap. nulla ecclesiastica monasteria, de concess. præb.* §. *inferiora verò ministeria nostri textus*, *cap. Ioannes, de clericis coniugatis*, *cap. cum singula*, §. *prohibemus, de præbend. lib.* 6. Concilium Parisiense 3. *can.* 9. *l.* 2. *ff. de officio Proconsulis*, *l. illicitas* 6. §. *illicita*, *ff. de officio Præsidis*, *l. in eandem* 10. *ff. ex quibus causis*, *l.* 2. *ff. de seruis fugitiuis:* notant vtriusque iuris Lexicographi *verbo Ministeria.*

4. d *Grauitas morum.*] Quæ in Episcopo, & quolibet Prælato Ecclesiæ præficiendo maximè desideratur. D. Isidorus *lib.* 3. *de summo bono*, *c.* 34. *Non sunt promouendi ad regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subiacent.* Saluianus *lib.* 2. *ad Eccles. Quidquid enim de aliis omnibus dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet, qui exemplo esse omnibus debent; & quos vtique tanto anteslare cæteris oportet deuotione, quanto anteslant omnibus dignitate.* B. Laurentius Iustin. *lib. de compunct. part.* 2. D. Gregorius *homilia* 17. *in Euang.* latè illustrat Theophilus Raynaud. *tom.* 12. *tract. Mala è bonis*, *cap.* 16.

5. e *Qualiter.*] Faciunt D. Gregorius *in Pastorali lib.* 1. *cap.* 10. & 11. ibi : *Episcopus debet ad exemplum viuendi protrahi.* Concilium Aquisgran. *can.* 13. Turonense sub Carolo Magno *can.* 4. *Episcopi vitâ, habitu, formâ, & communicatione suis sint subiectis exemplum, & viuendi norma.* Cabilon. sub eodem, *can.* 2. Valentinum sub Lothario, *can.* 13. Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 319. ibi : *Cùm sacerdos gregis forma, & Ecclesiæ lumen dicatur, & sit reuerà, subditos, vt ceram sigillo, sic ipsius moribus*

imprimi neceſſum eſt. Fileſacus *in cap. primo*, §. 3. *de officio ordin.* hinc Epiſcopus peccans, grauiùs punitur quàm cæteri fideles, *cap. cùm quædam, de iureiurando.*

6. f *Quibuſdam.*] Cùm enim in electionibus Epiſcoporum Regis expectabatur aſſenſus, inter alia incommoda, quæ ſequebantur, præcipuum erat, quia pueri & ignati Eccleſiis præficiebantur. Iuo Carnotenſis *epiſt.* 6. & 7. ibi:

Eligimus puerum, puerorum feſta colentes;
Non noſtrum morem, ſed Regis iuſſa ſequentes.

Vnde refert Flodoardus *lib.4.chron.cap.22.* Oldaricum Aquenſem Epiſcopum, præfectum Eccleſiæ Rhemenſi fuiſſe vice Hugonis Comitis tunc paruuli: quod etiam refert Baronius *tom.10.anno 925. num.8.* ibi: *Illud planè tunc primò contigit in Eccleſia Dei videri monſtrum, numquam hactenus in Orbe Chriſtiano viſum, nec auditum, immò nec puto mente conceptum, cùm videlicet puer nondum quinquennis, nondum alicuius inferioris ordinis capax, vix ferulâ prima addiſcens elementa, Rhemenſis eligatur Archiepiſcopus.* Similem caſum refert Spondanus *in epitome, anno 933.* ibi: *Quo tempore res accidit, quæ nunquam in ea Eccleſia fuerat audita, vt poſt Stephanum non alius niſi temporaneus ſubſtitueretur Antiſtites, nempe Triphon monachus, qui ſedit vſquedum Theophila, & filius Romani Imperatoris adoleſcens, tunc ſexdecim annorum, legitimæ eſſet ætatis, vt poſſet fieri Patriarcha: quem tamen hoc anno verè creatum fuiſſe Patriarcham ex Curopalate conſtat, dum numerat annos ſedis eius viginti tres; ſed loco ipſius Triphonem conſtitutum eſſe adminiſtratorem eius Eccleſiæ.* Cuius abuſus iam conquerebatur Bernardus *epiſt. 12. poſt medium: Scholares, pueri, & impuberes adoleſcentuli, ob ſanguinis dignitatem promouentur ad eccleſiaſticas dignitates; & de ſub ferula transferuntur ad principandum preſbyteris; latiores interim quòd virgas euaſerint, quam quòd meruerint principatum.* Et *epiſt.* 271. Philippus Abbas *lib. de dignit. cleric. cap.115. Væ tibi terra*, ſcriptura dicit, *cuius Rex puer eſt. Hoc eſt dicere: Væ tibi Eccleſia, cuius Prælatus vitam retinet puerilem, non aſſumens grauitatem ſenilem, non fortitudinem iuuenilem.* Illuſtrat Theophilus Raynaud. *tom.12. tract. Mala è bonis, cap.6. ex num.30.*

7. g *Exegerit.*] Antiquiores in præſenti, & Gloſſa *in cap. vnico, verbo compleuerit*, exiſtimarunt, ſufficere Epiſcopum eligendum tetigiſſe trigeſimum annum, non verò neceſſarium eſſe perfeciſſe. Sed licet hoc in terminis iuris communis defendi poſſet, hodie tamen non poteſt admitti poſt conſtitutionem Gregorij XV. editam die 15. Maij anno 1591. in illis verbis: *Annum trigeſimum explicuiſſe.* Ex quibus conſtat deſiderari trigeſimum annum expletum: ita docent Armendariz *ad leges Nauarræ, in l.1. tit.7. lib.1. num.* 18. Gutierrez *lib. canonic. q.26. n.39.* Leſſius *de iuſtitia lib.2. cap.34. dubio 20.* Diana *p. 5. tractatu 2. reſolut.* 19. Narbona *anno 30. q.5.*

8. h *Legitimo.*] Quæ ad hanc textus partem ſpectant, petenda ſunt ex traditis *in cap.1. de filiis preſbyter.*

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR. EX hoc textu ſequens deducitur aſſertio: *Epiſcopus debet eligi, qui 30. annos habeat, ex legitimo matrimonio ſit natus, & litteris polleat.* Probant textus *in cap.2. diſt.36. cap. ſi gens, cap. preſbyterum, 56. diſt. cap. 1. 59. diſt. cap. Epiſcopus, 77. diſt. cap. qui in aliquo, 51. diſt. cap. vlt. de ætate & qualit. cap. innotuit 20. cap. cum Vvintonienſis, hoc tit.* Concilium Arelatenſe tertium, *can. 1.* ibi: *Epiſcopatus, vel preſbyteri honorem nullus laicus ante præmiſſam anni conuerſionem, vel ante triginta ætatis annos accipiat.* Romanum ſub Eugenio II. *can. 4.* Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* Tridentinum *ſeſſ. 7. cap.1. & ſeſſ. 24. cap.12.* Aquiſgran. 2. ſub Ludouico, *p.2. cap.2. & 3.* Gregorius VII. *lib.9. regeſt. epiſt.2. circa medium*, Gregorius XV. in conſtitutione ſuprà relata. Illuſtrant Azor, Suarez, Toletus, Reginaldus, Leſſius, Sayrus, Garcia, Menochius, Rebuffus, Gutierrez, Armendariz, & alij relati ab Acuña *in cap. Epiſcopus 6.num.17.77. diſt.* Berthachinus, & Petrus Gregorius apud ipſum, *in cap.1. num.6. diſt.60.* Henriquez & Salcedo laudati ab ipſo *in cap. qui in aliqua, 51. diſt.* innumeri relati à Barboſa in præſenti, *de poteſtate Epiſcopi allegat.1. num.26.* & ad Concilium *ſeſſ.7. cap. 1.* quibus addendi ſunt Narbona *de ætate, anno 30. q.5.* Fileſacus *in cap.1. §. 3. de officio ordin.* Ægidius Boſſius *tom.1. moral. tit. 2. §. 4.* Sauarus *ad Sidonium lib.5. epiſt.5.* Pirrus *tom.1. Siciliæ ſacræ, fol.419.* Creſolius *lib.2. myſtag. cap.7.* Yepes *tom.5. chron. D. Benedicti, anno 935. cap. 1.* Turturetus *in paralel. cap. 15.* Anton. Auguſt. *lib. 4. in epitome, tit.9. & 10.* Salmeron *in Principe abſcondito, meditatione 18. §. 3.* Garcia *tom. 2. polit. folio 89. & 93.*

10. TRADITVR DVBITANDI RATIO. Sed aduerſus hanc concluſionem ſequentes inſurgunt difficultates; & prima aduerſus eam partem in qua aſſeritur, minorem triginta annorum non poſſe in Epiſcopum eligi, in quam ſic argumentor: Morum honeſtas, & mentis ſolertia non ita adſcriptæ ſunt ætati triginta annorum, vt antea obtineri non valeant; nam ſicut malitia, ſic prudentia ſupplet ætatem, *l.1. C. de Præpoſitis ſacri cubiculi, lib. 12. cap. de illis, cap. finali, de deſponſ. impub.* quippe vita commendabilis non naſcitur ex diuturnitate annorum, aut ex numero eorum computatur; ſed ex probatis moribus, quibus ſi polleat Epiſcopus, eligi debet, quamuis ætate minor ſit, vt in iudice eligendo aiebat Caſſiodorus *lib. 2. variar. epiſt. 1.* ibi: *Dignus planè largitatibus noſtris, qui in ipſo pueritiæ flore maturis moribus lubricam frænauit ætatem; & quod rarum continentiæ bonum eſt, patre priuatus, grauitatis factus filius eſt, cupiditatem inimicam ſapientiæ ſubiugauit, vitiorum blanda contempſit.* Id probemus exemplis. Timotheus enim iuuenis in Epiſcopum electus fuit. D. Paulus 1. *ad Timoth.4.* vbi reddit rationem D. Ambroſius, quia quantùm ad ætatem pertinet, iuuenis erat; quantum ad mores, & conuerſationem, ſenior, & grauis. Idem de Paulo Conſtantinopolitano Archiepiſcopo refert Socrates ibi: *Qui vt ætate admodum iuuenis, ita prouidentiâ & conſilio ſenex erat.* Etiam id de S. Honorato refert Hilarius Arelat. *in eius vita*; & multos honoribus, & dignitatibus iuuenes decoratos referunt Bobadilla *lib.1. polit. cap.7. num.22.* Creſolius *lib. 2. myſtag. cap. 13.* Laurentius Beyerlink *in Theatro vitæ humanæ, verbo adoleſcentia.* Vnde olim apud Romanos virtute pollentes, non attentâ ætate admittebantur. Tacitus *lib.11. annal.* vbi notauit Leſſius: ergo etſi trigeſimum annum quis non expleuerit, poterit in Epiſcopum eligi. Secundò contra eam partem, vbi docetur eligendum Epiſcopum litteris conſpicuum eſſe debere, nec illitteratum eligi poſſe, ſic inſurgo: Quælibet Domini noſtri actio debet eſſe vitæ noſtræ inſtructio, *cap.4.*

de

de elect. ſed Dominus noſter non vocauit, aut elegit litteratos in Apoſtolos, ſed piſcatores; & Petrus, & Ioannes illiterati dicuntur *Actorum cap.* 4. ergo & Eccleſia non debet eligere litteratos, ſed virtutibus pollentes. Accedit, nam plurimos ſanctos omnem litteraturam paruipendiſſe, notum eſt. Rex Dauid aiebat: *Quoniam non noui literaturam, introibo in potentiam Domini.* Et D. Paulus Vas electionis aiebat: *Scientia inflat.* Et Corinthiis gratulabatur, eo quòd eſſent litterarum, & diſciplinarum huius ſæculi rudes, ac imperiti. Celebre etiam eſt S. Auguſtini de ſalutari ignorantia documentum; cùm enim ſibi narraretur vita S. Antonij, repentè (vt ipſe fatetur *lib.* 8. *confeſſ. cap.* 8.) exclamauit: *Quid eſt hoc, quod audiſti! ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt; & nos cum doctrinis noſtris ſine corde ſumus, vbi volutamur in carne & ſanguine.* De S. Benedicto refert D. Gregorius *lib.* 2. *dialog.* quod de domo parentum diſceſſit ſcienter neſciens, & ſapienter indoctus. Denique oraculum eſt, *littera occidit, ſpiritus autem viuificat:* ergo gratia ſufficit in Epiſcopo, nec humanâ ſcientiâ opus eſt.

II. ÆTAS TRIGINTA ANNORVM NATVRALIS.

Sed his non obſtantibus, vera eſt noſtra aſſertio, quæ rationibus probatur. Primæ partis, vbi docetur in Epiſcopo eligendo deſiderari ætatem 30. annorum, ratio ex eo prouenit, quia hæc ætas naturalis eſt; vnde apud Romanos ea ætas præfinita fuit in ſeruo manumittendo, vt iura ciuitatis Romanæ conſequeretur, vt agnoſceret manumiſſus libertatis beneficium ſibi collatum. Vlpianus *in fragmentis tit.* 1. ad quod caput legis Æliæ Sentiæ ſpectant textus *in l. ex parte* 39. §. *ſeruo, ff. familiæ erciſcundæ, l. vlt. ff. de rebus dubiis, l. Ariſto* 46. *ff. de manum. teſtam. l. ſi quis ita* 13. *ff. de ſtatuliberis, l. qui filium* 74. *in fine, ff. ad Trebellianum:* notarunt Fornerius *lib.* 6. *rerum quotid. cap.* 26. Merillus *lib.* 2. *obſeru. cap.* 21. Cuellar. *de manumiſſ. num.* 54. ipſi etiam Romani in ſuis legibus annalibus ſtatuerunt, ne quis Prætor fieret ante 30. annos, quia non eſt concedenda adminiſtratio Reipub. ei, cui non conceditur ſuorum bonorum diſpoſitio. Refert Diocaſius *lib.* 53. Suetonius *in Auguſto, cap.* 32. Et aliâ lege latâ à Cn. Pompeio cum M. Craſſo, Coſſ. anno vrb. cond. DCCL. cautum fuit, ne minor annis 30. Magiſtratum cepiſſet, in Senatúve eſſet. Apud Plinium Iuniorem *lib.* 10. *epiſt.* Romani etiam conſtituerunt, ne ante quadrageſimum annum quis Conſulatum haberet: rationem reddit Cicero *Philipp.* 5. in fine: *Legibus annalibus maiores noſtri cùm grandiorem ætatem ad Conſulatum conſtituebant, adoleſcentiæ temeritatem verebantur, & ne Ædilitatem ante* 27. *annum gerere poſſent, nec minor* 25. *annis in Senatorem eligeretur.* Nec etiam adſtante hominum penuriâ, *l. ad rempub.* 8. *ff. de muneribus & honorib. l.* 2. §. *final. ff. de iure immunit. l. Lucius* 21. §. *penult. ff. ad municipalem.* Apud varias etiam nationes conſtitutum reperitur, vt non niſi prouectæ ætatis viri ad dignitates, & magiſtratus admitterentur; apud Hebræos enim in ſacerdote ætas 20. annorum, in Pontifice 26. deſiderabatur. Seldenus *de ſucceſſ. Hebræorum, cap.* 4. licèt nullam ætatem iſtis miniſteriis præſcriptam eſſe doceat Pater Menochius *lib.* 2. *de republica Hebræorum, cap. fin. circa finem.* Apud Athenienſes Helicaliſtæ, id eſt qui in Helica iuri dicundo præerant, conceptis verbis iurabant, ſe trigeſimum ætatis annum exceſſiſſe. Demoſthenes *contra Timocratem.* De Spartianis idem tradit Plutarchus *in vita Licurgi:* de aliis Petrus Gregorius *lib.* 47. *ſyntagm. cap.* 9. cùm ergo maior & prudentia, & cura in regendis animabus, quàm in regendis corporibus requiratur, *cap. cùm ſit ars, de ætat. & qualit.* meritò ſacri canones in eligendo ad Epiſcopatum ætatem 30. annorum præſcripſerunt. Accedit exemplum Hebræorum, vbi nullus ante trigeſimum ætatis annum ad populum concionem habere, Doctoris, Prophetæve munere fungi poterat, niſi 30. annis natus: vnde D. Ioannes Baptiſta ætatis annum trigeſimum agens prædicare cœpit, & Chriſtus Dominus noſter triginta annis natus baptizatus fuit, & tunc prædicare cœpit, vt expendunt Patres Concilij Neocæſareenſis relati *in cap. preſbyter,* 78. *diſt.* Illuſtrant Creſolius *myſtag. cap.* 7. Baronius *anno* 31. Viuar. *in notis ad Flau. Dext. anno* 31. *fol.* 21. Meritò ergo in Epiſcopo ætas triginta annorum deſideratur, in qua ætate Senatores eligendos eſſe, probat Langleus *lib.* 7. *ſemeſt. cap.* 11. & in his Regnis Hiſpaniarum Inquiſitores hæreticæ prauitatis in eadem ætate eligi debere probant Carena *de officio Inquiſit.* 1. *part.* §. 4. *num.* 18. Simanchas *de catholicis inſt. tit.* 34. licèt iure communi attento in eis ætas quadraginta annorum deſideretur, vt docent Eymericus *part.* 3. *direct. quæſt.* 2. *comment.* 51. Farinacius *de hæreſi quæſt.* 186. *num.* 46. Delbene *tom.* 2. *de officio Inquiſit. dubit.* 1.

12. SECVNDÆ PARTIS CONCLVSIONIS RATIO.

Secundæ etiam partis concluſionis ratio ex eo prouenit, nam Epiſcopi officium & munus eſt docere, & prædicare, *cap. inter, de officio ordin.* Synodus 6. Trullana *can.* 19. & 20. vbi Balſamon, D. Ambroſius *lib.* 1. *de officiis, cap.* 1. ibi: *Cùm iam effugere non poſſimus officium docendi, quod nobis fugientibus impoſuit ſacerdotis neceſſitudo.* Sidonius *lib.* 5. *epiſt.* 3. vbi Sauarus *verbo Qui miſerant:* & Apoſtolus 1. *ad Timoth. cap.* 1. Epiſcopum Doctorem debere eſſe prædicat. D. Iſidorus *lib.* 2. *de offic. Eccleſiaſt. cap.* 5. *Epiſcopo etiam ſcientiâ ſcripturarum neceſſaria eſt; quia ſi Epiſcopi tantùm ſancta ſit vita, ſibi ſoli prodeſt ſic viuens. Porrò ſi & doctrinâ, & ſermone fuerit eruditus, poteſt cæteros quoque inſtruere, & docere ſuos, & aduerſarios reuincere, qui niſi refutati fuerint, atque conuicti, facilè poſſunt ſimplicium corda peruertere.* Citatur locus hic in Concilio Aquiſgran. 1. ſub Ludouico, *cap.* 9. & ſumptus eſt magnâ ex parte ex B. Hieronymo *in comment. ad epiſt. Pauli ad Titum, cap.* 1. Latè probat I. Fileſacus *in cap.* 1. *de officio ordin.* §. 4. *per totum.* Debet etiam Epiſcopus cauſas iudicâre, & criminoſos pœnis à iure ſtatutis punire, *cap.* 1. *de officio ordin.* quomodo ergo illiteratus poterit ea exequi? Vnde ignorantiam Præſulum valde damnarunt Zoſimus Pontifex *epiſt.* 1. *cap.* 1. Hilarius *epiſt.* 1. *ad Aſcanium, c.* 4. Gregorius VII. *lib.* 9. *regeſt. epiſt.* 2. iuſtè ergo tot canonibus ſtatutum eſt, in Epiſcopum, illiteratum eligi non poſſe.

13. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obſtant difficultates ſuprà expenſæ: non prima, nam licèt ante trigeſimum annum in vno, vel alio ſacerdote poſſint reperiri morum honeſtas, mentiſque ſolertia; non tamen id frequentiùs ita contingit; quare Eccleſia non ad ea, quæ rarò, ſed quæ frequentiùs accidunt, reſpiciens, ſtatuit ætatem triginta annorum in Epiſcopo eligendo. Adducta autem pro dubitandi ratione euincunt, poſſe R. Pontificem ante eam ætatem cum aliquo diſpenſando, eum in Epiſcopum eligere, ſeu confirmare, vt contingit in electione Rudeſindi Epiſcopi Dumienſis, vt referunt Yepes *tom.* 5. *chron. D. Benedicti, anno* 935. *cap.* 1. Tamayo à Salazar *tom.* 2. *martyrol. Hiſp. die* 1. *Martij.* Nec ſecunda

ſecunda difficultas obſtat ex variis auctoritatibus, & exemplis petita, quibus ſigillatim eſt ſatisfaciendum: non exemplum deductum ex Apoſtolis; nam licèt quandiu Apoſtoli tantùm piſcatores erant, litteras neſcirent, tamen poſtquam à Domino electi fuerunt, & miſſi vt prædicarent in vniuerſum orbem, Spiritu ſancto illuminati loquebantur variis linguis magnalia Dei, vt omnes Scribas & Doctores legis veteris in ſtuporem raperent, vt refertur *Actuum Apoſt. cap.4. & 13.* Nec illud Dauidis, *quia non noui litteraturam*, ad rem facit: nam præterquam quod, vbi in vulgata legitur *litteraturam*, in alia verſione legitur, *non noui numeros*, ſeu arithmeticam; & in alia habetur, *non noui negotiationes*, vt notarunt D. Auguſtin. *ibi*, D. Ambroſ. *lib.3. de officiis*, *cap.6.* Gelaſius Papa *in epiſtola decretali*; nemo ignorat Prophetam Regem non fuiſſe Sacerdotem, aut Leuitam; quare non illis litteris egebat, quibus miniſtri Eccleſiæ debent pollere, & quæ adeò ex ſacra pagina in miniſtris deſiderantur, vt apud Oſeam *cap. 4. verſ.* 8. illa interminatio legatur: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Nec auctoritates D.Pauli aduerſantur; nam Apoſtolus non de litterarum inſcitia agit, ſed de minori eloquentiæ cultu; & ſic inquit *ad Corinth. 2. cap.1. verſ.6. Imperitus ſermone, non tamen ſcientiâ.* Scitè ad rem D. Auguſtinus *lib.4. de doctrina Chriſt. cap.7.* ibi: *Sicut præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita, quod eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus.* Ad ſententiam illam Pauli, *littera occidit*, præuia eſt ſolutio, videlicet Apoſtolum agere de littera legis, quam accipiebant Iudæi, neglecto litteræ ſenſu; illa enim occidebat, vt docent latiùs proſequentes ipſius loci explicationem Fr. Antonius Perez *in pentateuc. fidei*, *cap.4.* Conradus Kling. *lib.3. diſput.cap.28. per totam.* Facetè & acutè Thomas Morus Luſit. cum quodam eccleſiaſtico valde ignaro, qui ſuam ignorantiam defendebat, & hoc prætextu tegebat, *littera occidit.*

Magne Pater clamas, Occidit littera, in ore:
Hoc vnum ſemper, Littera occidit, habes.
Cauiſti benè tu, ne te vlla occidere poſſit
Littera; nam nulla eſt littera nota tibi.

Manet ergo, prædicta teſtimonia nullo modo adſtruere inſcitiam in viris eccleſiaſticis, in quibus eam maximè damnandam eſſe probant Fileſacus, & alij ſuprà citati.

14. OPPONITVR CAP. QVORVMDAM, 34. DIST.

Sed ſuperiori aſſertioni primò obſtat textus *in cap. quorundam*, 34. *diſt.* ex cuius verbis expreſsè deducitur, iuuenem, & per conſequens trigeſimum annum non habentem, Epiſcopali dignitate fungi poſſe, cùm de Lanfredo in eo textu referatur, iuuenem eſſe, & iuuenilibus ardoribus deditum. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt dicendo, non rectè deduci, Lanfredum non habuiſſe ætatem naturalem in Epiſcopo præſcriptam, ex eo, quod appelletur iuuenis; cùm latè iuuenis dicatur etiam ille, qui ſupra quinquageſimum annum habet; ſiquidem iuuentutis ætas incipit ab anno 25. & finitur in quinquageſimo, vt probat Narbona *anno 25. quæſt.1.* & *anno 50. quæſt.1.* Deinde, nam iuuenis ibi in eo textu dicitur Lanfredus, non tam ætatis ratione, quàm ob vitia, quæ ipſe commiſerat; iuuenes enim lubrico ætatis ad venerem facilè prolabuntur. Concilium Toletanum 4. *can.23.* latè illuſtrat Feloga *in cap.1. de his quæ vi, ratiocin. 5. per totam*, Creſolius *lib.2. myſtag. cap.3. ſect.4.* Sauarus *ad Sidonium lib. 7. epiſt.2.* Buſeus *de ſtatibus hominum*, *verbo Adoleſcentia.* Quare cùm Lanfredus, de quo in eo textu, veneri, & venationi deditus eſſet, dicitur iuuenis, quia iuuenilibus ardoribus flagrabat; non verò quia ita iuuenis exiſteret, vt trigeſimum annum non expleuiſſet.

15. EXPONITVR NOVELLA 123. IVSTINIANI.

Secundò obſtat noſtræ aſſertioni textus *in nouella 123. de Sanctiſſimis Epiſcopis*, *cap.1. §.1. collatione 9.* ibi: *Hoc quoque decretis oportet inferri, quia non minùs quam triginta quinque ætatis annos habeat is, qui eligitur.* Ex quibus verbis expreſsè deducitur, Epiſcopum non eſſe eligendum, niſi trigeſimumquintum annum habentem: igitur non rectè in hoc textu docetur, ætatem triginta annorum Epiſcopis eligendis eſſe præſcriptam. Cui difficultati reſpondendum eſt, illum textum procedere inſpecto iure ciuili, ex Imperatoris Iuſtiniani conſtitutione; noſtram verò deciſionem procedere attento ſacro iure canonum, cui in hac parte, tanquam merè eccleſiaſtica, ſtandum eſt, vt docent pro illius textus interpretatione Turturetus *in paral.dict.diſſert.15.* Narbona *anno 30.quæſt.5.*

§. I.

CVm verò electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de [a] conſecrandis Epiſcopis à [b] canonibus diffinito, is ad quem [c] ſpectant beneficia, quæ habebat, de illis diſponendi liberam habeat facultatem.

NOTÆ.

1. a *Conſecrandis.*] Omnia enim iſta quatuor deſiderantur; videlicet electio, confirmatio, poſſeſſionis adeptio, & conſecratio, de quibus ſtatim agemus.

2. b *A Canonibus.*] Tempus videlicet trium menſium, *cap. poſtquam 11. 50. diſt. c.quoniam 75. cap. quoniam 100. diſt.* Concilium Vvormatienſe *can.76.* Synodus Romana III. ſub Innocentio II. *can.21.* & refert Luitprandus *in chron.* Honorium I. ſtatuiſſe, vt poſt tres menſes à die electionis Epiſcopus conſecraretur. Trident. *ſeſſ.23. de reformat. cap.2.* quod procedit, ſi electus in Epiſcopum ſit preſbyter; nam ſi electus non ſit ſacerdos, expectabitur tempus quatuor Temporum, *cap. dilectionis 12. 76. diſt.* Gibalinus *in ſynopſi cenſurarum, fol.453.* & ſi intra tres menſes ob negligentiam ſuam Epiſcopus non conſecretur, priuatur Epiſcopatu. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi*, *tit.1. cap.5. num.1.* & *allegat.1. num.* 39. trimeſtre autem computatur à die confirmationis Pontificiæ in Epiſcopis à Regibus præſentatis; in illis verò, qui à Pontifice nominantur, à die, in quo in Conſiſtorio præconizantur, Barboſa *dict. cap. 5. numer.2.* Hallier. *de ſacris elect. titulo de tempore conſecrat. Epiſcop. artic. 3. per totum*: aliquæ tamen cauſæ ſunt, quæ excuſant à prædicta conſecratione,

secratione, quas refert Hallier. *dict. art.* 3. §. 4.

3. c *Spectant.*] Iure communi collatio beneficiorum vacantium per promotionem ad Episcopatum spectat ad eos, ad quos ex ipso iure communi pertinebat similis collatio; sed per extrauagantem *ad Regimen, de præbendis*, reseruantur R. Pontifici omnia vacantia beneficia per promotionem ad Archiepiscopatus, & Episcopatus: docent Mandosius *ad regul. primam Cancellariæ, quæst.* 13. Germonius *de indultis Card.* §. *si verò, num.* 26. In nostra tamen Hispania, ex antiquissima consuetudine receptum est, vt præsentatus à Rege nostro Catholico renunciet beneficia antea habita, in fauorem personæ à Catholica Maiestate designatæ, cui, & non alij Pontifex tenetur conferre beneficia. Latè docent Barbosa *alleg.* 57. *num.*76. & plura Borellus *de præstant. Regis, cap.* 50. Larrea *alleg.*67. Idem Barb. *voto* 28. *num.*6. & *voto* 43.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc §. talis depromitur assertio. *Beneficia electi in Episcopum vacant per confirmationem, adeptionem possessionis, & consecrationem sequutam, vel postquam tempus ad eam petendam elapsum fuerit.* Probant textus *in cap. si quis* 21. *quæst.* 2. *cap. ne pro cuiuslibet* 16. *quæst.*1. *cap. cùm nostris* 7. *cap. post electionem, de concess. præb. cap. eam te* 7. *de rescriptis, cap. ex ore, de his quæ fiunt à Prælatis, cap. cùm in Ecclesia* 25. *de præbendis, lib.* 6. *cap. licèt Episcopus, de concess. præb. eod. lib. extrauagant. ad regimen, de præbendis*, Trident. *sess.*7. *cap.*9.& *sess.*23. *cap.* 2. Illustrant Gigas *de pensionibus quæstione* 56. *num.*4. Germonius *de indultis* §. *si verò, num.* 20. Sanchez *de matrim. lib.*8. *disput.*1. *num.*24. Ojeda *de incompatibilit.* 1. *p. cap.*3. Valenzuela *tom.*1. *consil.* 51. *num.*19. Balboa *in cap.* 3. *de probat. num.*2. Rufiniacus *lib.*3. *constitut. cap.* 5. Sosa *in Episcopo religioso, num.* 68. & 123. Lotherius *lib.* 3. *de re benef. quæst.*26. *num.*56. Barbosa *voto* 28. *per totum*, Salgado *de Regia protect.part.* 3. *cap.*10.*num.*23. Borellus *de præstantia Regis Cathol. cap.* 50. Larrea *alleg.* 67.

5. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO. Hæc assertio difficilis admodum redditur sequenti consideratione; nam si quis habeat beneficium, & aliud consequatur, eo ipso priuatur primo, & illud amittit, *cap. quia in tantum* 5. *cap. referente* 7. *cap. cùm ignores* 15. *cap. præterea, cap. ad hæc, cap. cùm iamdudum, de præbendis:* sed Episcopatus beneficium est curam animarum habens, *cap. significasti, de officio ordin. cap. nullus, de parochis, cap. parochiano, de sentent. excomm.* igitur per adeptionem Episcopatus, etiam non secutâ consecratione, vacant ipso iure beneficia iam obtenta. Augetur hæc difficultas primò ex eo, nam contrariorum eadem est ratio & disciplina, *l. finali*, §. 1. *ff. de legat.*3. sed si Episcopus adipiscatur dignitatem, & beneficia, non vacat Episcopatus, etiam post adeptam possessionem, *cap. cùm nostris, de concess. præbendæ:* igitur similiter habens beneficia, licèt Episcopatum consequatur, non debet priuari beneficiis iam obtentis. Augetur secundò; nam per assecutionem secundi Episcopatus non vacat prior ipso iure, sed necessaria est sententia, *cap. quantò, in fine, de trans lat. Episcop. cap. quia frater*, §. *ambitionis* 1. *quæst.*1. igitur per adeptionem Episcopatus, secutâ consecratione, non vacant beneficia antea obtenta ipso iure.

6. Hac tamen dubitandi ratione non obstante præsens assertio defensanda est, cuius ratio proTRADITVR DECIDENDI RATIO. uenit ex prohibitione pluralitatis beneficiorum, tot Ecclesiæ canonibus repetita; nam cùm propter incompatibilitatem non possit quis habere duas dignitates, pluráve beneficia, *cap. quia in tantùm, cap. referente, cap. de multa, de præbendis, cum aliis*; ideò qui beneficia possidet, & consecratur in Episcopum, ipso iure priuatur illis beneficiis iam obtentis; & si retineantur, vsurpari dicuntur. Carnot. *epist.* 54. *Archiepiscopus, qui in prædicta Ecclesia adhuc sibi vsurpabat Præposituram, & Archidiaconatum.* Sed cùm ante confirmationem non dicatur Episcopus propriè, nec ipse Ecclesiam plenè habeat, *cap. nisi, de auctorit. & vsu pallij, cap.* 1. §. *porrò, vt lite non contest. cap. super his, de accusat.* ideò non statim vacant beneficia post electionem, sed sequi debet confirmatio, aut consecratio; nam plura euenire possunt, quæ post electionem suspendant, & prorsus impediant confirmationem, & consecrationem; sed si Episcopus electus in mora sit non petendo ipsam consecrationem intra tempus à iure præscriptum, videlicet tres menses; tunc mora sua illi nocet, & sic punitur priuatione beneficiorum, & iuris quod ad Episcopatum habebat, *cap. quoniam* 100. *dist.* Trident. *dicta sess.*23. *cap.*2. Ampliatur etiam præsens assertio, vt procedat etiam in Romano Pontifice electo beneficia habente; omnia enim beneficia anteà obtenta vacant. Germonius *de indultis Card.* §. *si verò, num.*34. & in Cardinalibus, qui etiam amittunt omnia beneficia anteà possessa, adeò vt non possint ea aliquo modo renunciare. Fragoso *disput.*19. *num.*61. Etiam ampliatur nostra decisio, vt procedat non solùm in beneficiis curatis, verùm etiam in simplicibus nullam residentiam exigentibus, vt probat Ojeda *de incompatibilitate* 1. *part. cap.*4. *num.*3. Circa pensionem autem dubium est apud Interpretes, vt videre licet apud Ojedam *vbi suprà*, Barbosam *allegat.*57. *num.*67. Sed licèt hoc sub dubio esset, inspecto iure communi, quo disceptabatur, an pensiones essent beneficia ecclesiastica, tamen hodiè post constitutionem Leonis X. editam anno 1570. res prorsùs omni difficultate caret, cùm ex ea, & curiæ Romanæ stilo certum sit, per Episcopatus adeptionem vacare pensiones anteà obtentas: resoluit & alias ampliationes adducit Barbosa *allegat.*57. *num.*72.

7. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS. Nec obstat difficultas suprà adducta; nam cùm ante consecrationem Episcopus non sit plenè Pastor ipsius Ecclesiæ, cùm adhuc contra electionem agi possit, *cap. super his, de accusat.* ideò non statim vacant beneficia antea obtenta: in eo verò, qui secundum beneficium consequitur, non omnia quatuor illa desiderantur tempora, quæ in nostro textu recensentur; vnde per adeptionem secundi statim vacat primum. Nec obstat difficultatis augmentum primum; nam ideò per adeptionem cuiuslibet beneficij non vacat Episcopatus, quia Episcopus sine Pontificis licentia Episcopatum dimittere non valet, *cap. inter, cap. final. de translatione Episcopi:* vnde propriâ auctoritate beneficium nouum acceptando episcopatui renunciare non valet. Nec secundum augmentum obstat, pro cuius solutione discrimen constituendum est inter eum casum, in quo acceptat quis Episcopatum propriâ auctoritate; & inter eum, in quo auctoritate Romani Pontificis. Primo casu vtraque Ecclesia priuatur in pœnam tantæ temeritatis. Secundo verò casu ipso iure vacat primus Episcopatus, *cap. si quis translatus* 21. *quæst.*1.

Docent

Docent Ioannes Andreas, & Panormit. *in præsenti.*

8. EXPONITVR CAP. EX LITTERIS, DE PROBAT.

Sed præsenti assertioni primò opponitur textus *in cap. ex litteris, de probat.* in illis verbis: *Te & Archidiaconum confines habere præbendas*; in quibus verbis supponitur, Episcopum etiam post confirmationem, & consecrationem retinuisse præbendam ecclesiasticam: igitur non rectè in præsenti asseritur, per adeptionem Episcopatus omnia beneficia antea obtenta vacare. Cui difficultati omnes repetentes ibi communiter satisfaciunt asserendo, præsentem decisionem locum non habere quando R. Pontifex dispensauit cum promoto ad Episcopatum, vt possit adhuc retinere beneficia antea possessa; quod plerumque fit quando fructus Episcopatus sunt tenues, vt fecisse Cœlestinum cum Episcopo Terdonensi refert Innocentius III. *lib. 1. epist. in editione Coloniæ, fol.* 88. ibi: *Cœlestinus prædecessor noster, eidem per Apostolicam indulgentiam concessit, vt beneficia, quæ habebat quando fuit ad officium Pontificatus vocatus, ei liceret vsque ad triennium possidere.* Ita textum illum acceperunt Rodriquez & Lessius, quos refert & sequitur Balboa *ibi, n.* 14. Germonius, & alij, quos laudat Valenzuela *consil.* 51. *n.* 19. Sed omissâ hac solutione, verius dicendum est, verba suprà relata non esse referenda ad Episcopum Cistrensem, cui rescribit Pontifex; sed potiùs ad Decanum ipsius Ecclesiæ, qui confinem habebat præbendam cum Archidiacono, vt in eius notis latiùs dicemus.

9. INTELLIGITVR CAP. CAVSAM 9. DE IVDICIIS.

Secundò refragatur textus *in cap. 9. de iudiciis,* in illis verbis: *Episcopus idem Abbatem monasterij se proponens.* Ex quibus apparet, Episcopum Dunelmensem etiam post electionem, & consecrationem retinuisse Abbatiæ dignitatem, quam anteà habebat: ergo beneficia obtenta, per consecrationem in Episcopum non vacant ipso iure. Nec satisfaciet qui dicat, textum illum procedere in beneficio regulari, Abbatia videlicet; præsentem verò canonem loqui de beneficiis sæcularibus, non verò de regularibus; nam contrarium deciditur *in cap. cùm nostri 6. de conces. præbend.* vbi asseritur, non posse Episcopum simul cum Episcopatu Præposituram retinere: & Episcopatum cum Abbatia in eodem subiecto dari non posse, probat Flaminius Parisius *de resignatione benef. lib. 3. q. 1. num.* 98. & *lib. 5. q. 6. num.* 112. Idem etiam docetur *in cap. presbyteros* 38. 16. *q.* 6. vbi cauetur, ne sæculares clerici, qui Ecclesiarum seruitio mancipati sunt, possint creari Abbates in monasteriis: ergo neque Episcopus potest simul retinere Episcopatum & Abbatiam. Hoc tamen discrimen versatur inter Episcopum electum habentem beneficium sæculare, & inter electum obtinentem dignitatem Abbatis, Præpositi, Prouincialis, seu Generalis; nam beneficium sæculare vacat tantùm per consecrationem, Prælatia verò regularis vacat per confirmationem; quia cùm per eam eximatur ab obedientia regulari, non potest regularis eam retinere, vt docet Sanchez *vbi suprà*, & *tom. 2. summæ, lib. 6. cap.* 6. vera ergo interpretatio illius textus petenda est ex eius monasterij notitia & historia: sciendum enim est, monasterium Dunelmense Angliæ habere Cathedram Episcopalem, & continere Ecclesiam Cathedralem erectam in honorem S. Cudberti, & Abbatem esse simul Episcopum ipsius Ecclesiæ, vt refert Yepes *in chron. D. Benedicti, centuria 3. anno* 687. *cap. vlt.* huius enim monasterij Monachi Canonici erant; vnde ad eos Episcopi electio, Abbatisque Dunelmensis spectabat, vt ex Matthæo Parido *in Henrico III.* notauit Cuiacius *in d. cap. causam* 9. quare in eo monasterio vnus idemque erat Abbas monasterij, & Episcopus eiusdem: nec hoc nouum erat in monasteriis D. Benedicti; monasterium enim Dumiense in Regno Galleciæ similiter Cathedram Episcopalem obtinebat, & Abbas simul erat Episcopus ipsius Ecclesiæ, vt refert Yepes *vbi suprà, centur. 1. anno* 563. qui & de aliis monasteriis idem tradit.

10. INTELLIGITVR CAP. SI QVIS EPISCOPVS 6. 92. DIST.

Ex præsenti canone, & pro eius expositione traditis lucem accipit textus *in cap. si quis Episcopus,* 6. 92. *dist.* vbi ex Concilio Ancyrano refertur, quod si Episcopi ordinati non recipiantur in propria Ecclesia, non debent alios inquietare, sed in locum sui Presbyterij remanere, si voluerint. Ex quo canone deduci videtur, Episcopum per adeptionem Episcopatus non amittere beneficium iam obtentum. Verùm textus ille facilè ex præsenti lucem accipit; nam cùm ad hoc vt Episcopus beneficia antè obtenta amittat, non solùm desideretur, vt sit electus, & confirmatus, verùm vt consecratus obtineat possessionem Episcopatus; & in eius textus casu Episcopus nactus non esset possessionem, ob contradictionem propriæ plebis; ideò non priuatur beneficio anteà obtento. Ex qua doctrina in praxi deducitur, Episcopum titularem, cuius Ecclesia est in partibus Infidelium, non priuari beneficiis anteà obtentis, cùm non sit assecutus Episcopatus possessionem, vt resoluunt Garcia *de beneficiis p. 11. cap. 6. num.* 24. Barbosa *d. allegat.* 57. *num.* 74. Christineus *tom. 1. decis.* 61. Etiam præsenti assertioni opponi possunt textus *in cap. intellecto* 33. *de iureiurando, cap. ex ore* 3. *de his quæ fiunt à maiori parte*; quorum interpretationes dabimus in eorum notis.

§. II.

INferiora etiam [a] ministeria, vtputà [b] Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ [c] curam animarum habent adnexam, nullus omninò suscipiat, sed nec parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui iam vigesimumquintum annum ætatis attigerit, & scientiâ, & moribus commendandus existat. Cùm autem assumptus fuerit, si Archidiaconus [d] in Diaconum, & Decanus & reliqui admoniti non fuerint præfixo à canonibus [e] tempore, in presbyteros ordinati, & ab isto remoueantur officio, & aliis conferatur, qui & velint, & possint illud conuenienter implere. Nec prosit eis appellationis refugium, si fortè in constitutionis istius transgressionem per appellationem voluerint se tueri. Hoc sanè [f] non solùm de promouendis, sed etiam de his qui iam promoti sunt, si canones [g] non obsistant, præcipimus obseruari.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Ministeria.*] Quæ sint ministeria ecclesiastica, iam suprà notaui in principio huius textus.

2. b *Decanatus.*] Licèt Decanus ille propriè dicatur, qui decem viris præest, siue militibus, siue monachis, Vegetius *de re militari lib.2.cap.13.* ibi: *Ipsæ centuriæ in contubernio diuisæ sunt, vt decem militibus sub vno populione degentibus, vnus præesset decanus, qui caput contuberny nominaretur.* Festus Pompeius, ibi: *Decani appellantur, qui denis equitibus præsunt.* D. Benedictus in sua regula, *cap.11.* ibi: *Si maior fuerit congregatio, eligatur de ipsis frater boni testimonij, & sanctæ conuersationis, & constituantur decani*; notaui iam *in cap. eam te, de rescriptis:* inde translatione factâ denarij numeri, Decanus solet appellari omnis ille, qui alicuius ordinis, Cardinalium, Canonicorum, vel Doctorum primus & præcipuus est; vnde Archipresbyter, qui inter presbyteros primus est, solet appellari Decanus, *cap. ad hæc, de officio Archidiaconi:* in Hispania verò, & Gallia Decanatus in Ecclesiis Cathedralibus est dignitas diuersa, & separata ab aliis, videlicet ab Archidiacono, Archipresbytero, & similibus, vt notat Azor 3. *tom. instit. cap.17.* quo in sensu accipitur Decanus in nostro textu diuersus ab Archidiacono. De dignitate Decani latè agunt Cæsar *de hierarchia disput. 12. §. 2.* Chopinus *de sacra polit. lib.1. tit.2.* Barbosa *de dignit. cap.6.* Sed antequam hinc abeamus, exponendus est textus *in l. non plures 4. Cod. de sacros. Eccles.* vbi ab Imperatoribus Honorio & Theodosio prohibetur, ne in Ecclesia Constantinopolitana sint plures quàm nongenti, & quinquaginta Decani, nullique licere eos augere, mutare, seu minuere: qui textus si de supradictis Decanis accipiatur, summè difficilis est; nam quo modo seruatâ dignitatis amplitudine tot poterant esse Decani in vna Ecclesia: quare vt textus ille intelligatur, sciendum est, decanos ibi accipi pro illis hominibus, qui efferendis ad Ecclesiam cadaueribus designati erant, qui aliquando dicebantur Lecticarij, *nouella 43. Iustiniani, §.1. nouella 69.§.1.* à Consultis appellabantur Vespiliones, *l.3. §.7. ff. de sepulchro violat.* Notarunt Brissonius *de v.s. verbo Decanus*, Pancirola *lib.2. variar. cap.163.* & nos *in cap.29. de simonia.*

3. c *Et alia quæ.*] Licèt enim Decani, & Archidiaconi non habeant curam animarum principaliter per se, *cap. nullus 16. quæst.7. cap. cùm satis, de officio Archidiaconi*; habent tamen quodammodo, vt post Glossam in præsenti, *verbo Archidiaconum*, notarunt omnes ferè antiquiores, & nos dicemus *in dicto cap. cùm satis.*

4. d *Archidiaconus.*] In Diaconum similiter, *cap.1. de ætat. & qualit.*

5. e *Tempore.*] Quodnam tamen istud tempus sit, non facilè cognoscitur: aliqui existimant esse tempus interstitiorum à canonibus præfixum in tota ferè 77. distinctione, ita vt seruatis illis temporibus, qui beneficium parochiale, aut aliud curam animarum habens, obtinuit, teneatur ordinem beneficio annexum recipere: ita Innocentius & Zabarella *in præsenti:* sed neutiquam hoc sustineri potest; quippe qui diuturna tempora interstitiorum obseruasset, non nisi longo tempore ordinari valebat post acceptam dignitatem, vt considerat Glossa *in præsenti*, quam sequuntur Abbas, Hostiensis, & alij, qui existimarunt, Alexandrum III. respicere ad tempora ordinationibus celebrandis præscripta, de quibus *in 75. dist.* & *in tit. de temporibus ordin.* vt sensus sit, electum ad beneficium curam animarum habens, teneri quatuor proximis temporibus gradatim singulos ordines recipere, provt beneficio, Archidiaconatuíve sunt adscripti: ita Hallierius *de sacris elect. tit. de tempore ordin. cap.1.* Potest etiam non improbabiliter defendi, nostrum Alexandrum respexisse ad canones Concilij Arelat. 3. *can.* 6. Aurelian. 3. *can.6.* Aurelian. 5. *can.9.* Brachar. 1. *can.* 38. Gelasius ad Episcopos Lucaniæ *cap.3. &* 4. qui textus post annuam conuersionem, saltem in necessitate Presbyteratus, vel Diaconatus, ordinari dumtaxat permittebant; vnde iuxta eos canones non expectatur annus, vt ordinetur parochiale beneficium habens, si iam erat in sacris constitutus, vt exponit Hallier. *dict. cap.* 1. Hodie autem post Concilium Lugdunense, de quo *in cap. licèt canon, hoc tit. in 6.* & constitutionem Bonifacij *in cap. si is, de institutionibus, eod. lib.* Clementis *in Clementina vt ij, §. quia verò, de ætat. & qualit.* intra annum à die obtentæ dignitatis sacrum ordinem annexum Diaconatus, seu Presbyteratus recipere promoti debent.

6. f *Non solùm.*] Licèt lex non futura, sed præterita respiciat, *cap. 2. de constitut.* vbi latè dixi; tamen si expressè caueatur in ipsa lege contrarium, ad præterita extenditur, *cap. finali, eodem tit.* & sic ex verbis relatis hæc constitutio ad præterita extendebatur, id est ad eos, qui iam tempore Concilij Lateranensis beneficia obtinebant. Sed postea Alexander III. consultus in hac parte, contrarium decreuit, forsan motus auctoritate textus *in cap. ante triennium, 31. dist.* cuius decreti verba reperiuntur in Concilio Lateran. *parte 25. cap. 4.* ibi: *A nobis tua discretio requisiuit, vtrum is, cui ante 15. annum ætatis suæ secundùm Concilium, quod nuper Laterani fecimus celebratum, Ecclesiæ magisterium concessum fuit, occasione decreti, quo in Concilio eodem clericis minoris ætatis conferri Ecclesias prohibuimus, possit Ecclesiâ spoliari, quam ante Concilium obtinuerat; præsertim cùm ipsa concessio fuerat ab ipso diœcesano Episcopo post Concilium approbata? Super quo consultationi tuæ taliter respondemus, quod nisi alia causa rationabiliter obstet, occasione minoris ætatis, aut decreti, quod in Concilio promulgauimus, nolumus à percepto antè beneficio remoueri.*

7. g *Obsistant.*] Hæc verba Glossa in præsenti, & passim Doctores accipiunt, vt contineant exceptionem, ita vt qui aliqua ex causa ordinari intra tempus non potest, nullo modo priuetur beneficio; si enim sacri canones alicuius ordinationi obsistant, æquum non est, vt si sine culpa sua non ordinetur, beneficiis, aut dignitatibus priuetur: ita Hallierius *dict. cap.* 1. sed nos aliter ea verba exponemus infrà *numero penultimo.*

COMMENTARIVM.

8. CONCLVSIO PROPONITVR.

EX hoc §. sequens deducitur assertio: *In dignitatibus, & beneficiis curam animarum habentibus eligendus est is, qui 25. annos attigerit, moribus,*

bus, & scientiâ commendabilis; & si intra annum non ordinatur, beneficio priuatur. Probant textus *in cap.1. cap. quæris, cap. eam te, cap. penult. de ætat. & qualit. cap. innotuit* 20. *cap. cùm dilectus, hoc tit. cap. licet canon, cap. commissa, cap. quàm sit, cap. institutum, eod. tit. in 6. cap. si is, de instit. eod. lib. cap. si pro clericis, de præbendis lib.6. Clementina vt ij*, §. *illi verò, de ætat. & qualit.* Concilium Trident. *sess.7. de reform. cap.3. & cap.12. & sess.22. cap.4. & sess.24. de reform. cap.12. cap.1. cap. innonamus*, 60. *dist.* Concilium Londinense sub Paschali II. apud Malesburgensem *de gestis Pontif. Angliæ: Archidiaconi sint Diaconi.* Londinense 1. sub Honorio II. *can.6.* ibi: *Vt nullus in Decanum, nullus in Priorem, nisi presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi diaconus, vel presbyter ordinetur.* Concilium Rauennat. tempore Honorij IV. *rubrica* 4. Concilium Rhemense sub Eugenio III. *can.9.* ibi: *Illud etiam duximus annectendum, vt nullus etiam in Archidiaconum, vel Decanum, nisi Diaconus, vel Presbyter ordinetur.* Vnde D. Bernardus *de considerat. lib.3. cap.5.* conqueritur hæc iuris decreta negligi. Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti, & de iure ecclesiast. lib. 3. cap. 14. & de canonicis cap.3. num.18. & de potestate Episcopi alleg.60. numer.65. & de officio Parochi cap.2.* & in dictis locis Concil. Trident. quibus addendi sunt Vazquez *de beneficiis cap.3. §.1.* Valensis *eod. tract. lib.1. tit.14. & sequenti*, Petrus Gregorius *de beneficiis cap.25. & de elect. cap.11.* Ægidius Bossius *tom.2. moral. tit.2. §. 9. & 10.* Fragoso *de regimine Christ. reipub.2. part. lib.10. disput.21. §.3.* Narbona *in annalib. anno 22. quæst.3. & anno 25. quæst.55. & 56.* Cironius *in cap. 8. de constitut.* Lauorus *de elect. cap.25. num.22.* Renatus Chopinus *lib.1. de sacra politia, tit. vlt. num.17.* Peña *tom.1. decis.50. & 54.* Gibalinus *de censuris fol.45.* Moneta *de commutat. cap.10. num. 110.* Franciscus Hallierius *de sacris elect. tit. de tempore ordin. sect.7. art.7. §.1. per totum.*

ubi Rauen. numero sequ.

9. Impvgnatvr hæc assertio.

Sed in primis Patres Concilij in nostro textu sibi ipsis aduersari videntur; asserunt enim eligendum ad beneficium curam animarum habens, debere esse in ætate vigintiquinque annorum; & statim docent intra annum esse ordinandum, cùm certum sit, neminem, quamtumvis probabilis vitæ sit, iuxta veteres canones ordinari posse, nisi post triginta annos expletos, *cap. Episcopus 6. 72. dist. cap. si quis 1. cap. nemo 2. cap. presbyter 4. cap. si triginta 5. 78. dist.* quibus consonat lex 27. *tit.6. part.1.* Quod receptum fuisse exemplo Christi Domini, & Ioannis Baptistæ, qui in ea ætate cœperunt docere & prædicare, traditur in Concilio Neocæsar. relato *in cap. presbyter, 78. dist. cap. Estote 19. 1. quæst. 1. cap. innouari, 60. dist.* igitur cùm ante eam ætatem ordinari quis non possit, nullo modo qui 25. annum habet, poterit ad beneficium parochiale promoueri. Secundò contra eam partem, vbi asseritur, habentem beneficium ecclesiasticum cogendum esse sacros ordines suscipere, sic argumentor: Certum est, sacramentum Ordinis inuito, & reluctanti collatum, nullius momenti esse, *cap. maiores, §. item quæritur, de baptismo:* plura Hallier. *de sacris elect. tit. de consensu ordinand.* igitur cogi non potest qui beneficium ecclesiasticum habet, ordines suscipere. Deinde asseritur in nostro textu, non ordinatum intra tempus à iure statutum, monitione præmissâ beneficio priuari; contra quod sic insurgo: Episcopus si negligens fuerit in petenda consecratione intra tempus à iure statutum, videlicet tres menses, ipso iure priuatur Episcopatu, *cap.1. 100. dist.* igitur similiter Parochus, si negligens fuerit in recipiendis sacris ordinibus, ipso iure priuari debet beneficio.

10. Ætas ad beneficia ecclesiastica.

His argumentis non obstantibus, vera est nostra assertio, pro cuius expositione sciendum est, quibusdam præbendis assignatum esse sacerdotium, *cap. dilectus, de testibus, cap. constitutus, de concess. præb.* aliis Diaconatum, aut Subdiaconatum, *cap. 27. de præb.* Innocentius III. *lib.1. epist.127. & lib.14. epist.21.* & hodie post Concilium Tridentinum ex sortitione Ecclesiarum quælibet præbenda suum gradum sacrum, vel non, habet; omnibus autem ferè dignitatibus, & ministeriis ecclesiasticis pro earum natura, & conditione certam ætatem esse præscriptam à iure communi, vt in Episcopatu 30. anni, suprà latè probaui in principio huius textus: de dignitatibus Episcopatu inferioribus, quibus nulla animarum cura commissa est, post Concilium Tridentinum comperta res est, videlicet desiderari 22. annos. Tridentinum *sess. 24. de reformat. cap.12.* ibi: *Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei viginti duobus annis non minores asciscantur.* Docent plures relati à Barbosa *in eo textu.* Iure autem antiquo, quæ ætas præscripta esset consequendis his dignitatibus, non facilè constat. Azor 2. *part. instit. lib.6. cap.5. versiculo tertiò quæritur*, ex sententia Innocentij existimat, iure communi ad personatum, & alias dignitates Ecclesiæ Cathedralis nullam esse præscriptam ætatem: sed rectiùs docuerunt Ioannes Andreas, & Geminianus *in cap.1. de ætat. & qualit. lib.6.* Garcia *de beneficiis 7. part. cap.4. num.54.* Petrus Gregorius *de elect. cap.11.* vigesimumquintum annum ad eas dignitates assequendas præscriptum esse; quæ opinio probatur *ex dict. cap.1. de ætat. & qualit. cap. innouamus, 60. dist.* vbi statuitur, ne Decanatus, vel Archidiaconatus adolescentibus conferantur, *ex cap. permittimus, de ætat. & qualit. lib.6.* ibi: *Permittimus, vt Episcopi cum his, qui vigesimum annum compleuerint, quo ad dignitates, & personatus, quibus animarum cura non imminet, valeant obtinere, si aliud non obstat canonicum impedimentum, liberè dispensare.* Igitur si maior viginti annis indiget dispensatione ad dignitatem obtinendam, sequitur, quod maior ætas, videlicet 25. annis, desideratur: ita nouissimè censuerunt Narbona *de ætate ad actus humanos, ann.25. quæst.3.* Bossius *tom.2. moral. tit.2. §.10.* Circa ætatem etiam iure communi præscriptam ad obtinendum canonicatum, non minor hæsitatio est. Glossa & Philippus Francus *in cap. ex eo 32. hoc tit. in 6.* Ojeda, Flaminius Parisius, & Mandosius relati à Garcia *de beneficiis part.7. cap.4. num.17.* Moneta *de conseru. cap.5. num.158.* existimarunt sufficere ætatem septem annorum. Alij verò tenuerunt quatuordecim annos desiderari: ita Abbas *in cap. super, num.4. de præb.* Corasius *de beneficiis 3. part. cap.3. num.2.* alij relati à Garcia suprà *num.17.* Narbona *dicto anno 22. quæst.2.* Bossius *dicto tit.2. §.11.* pro quibus facit textus *in cap. cùm decorem, de ætat. & qualitate*, in illis verbis: *Mandamus, quatenus nemini intra annum 14. constituto personatum cuiuslibet Ecclesiæ concedere præsumatis*; vbi dicemus: hodie tamen post Concilium Trident. *sess.24. de reform. cap.12.* nulla manet difficultas, cùm in eo expressè caueatur, neminem deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut

aut portionem poſſe recipi, niſi qui eo ordine ſacro ſit initiatus, quem talis dignitas, præbenda, ſeu portio petit; aut in ea ætate ſit, vt infra tempus à iure communi, aut ſtatutis ſynodalibus præſcriptum, initiari valeat. Quapropter ſi ad canonicatum ſubdiaconatus deſideretur, debet ad illum promouendus habere vigintiduos annos; ſi diaconatus petatur, viginti tres; ſi ſacerdotium, vigintiquinque, vt docent Boſſius & Narbona, qui varias quæſtiones pro expoſitione dicti canonis Concilij Trident. examinant. In officiis verò, & beneficiis curam animarum habentibus ætas vigintiquinque annorum deſideratur, ex præſenti textu, & aliis ſuprà expenſis, necnon ex Concilio Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.* Vnde Abbates, Præpoſiti, & alij Prælati regulares, cùm exerceant curam animarum, & debeant eſſe preſbyteri, *cap. 1. de ætat. & qualit.* debent habere vigintiquinque annos, *Clement. 1. §. cæterùm, de ſtatu monach.* docent Boſſius *vbi ſuprà*, §. 9. & 10. Narbona *anno 25. quæſtion. penult.*

II. DE TEMPORE PRÆSCRIPTO AD ORDINES.

Deinde ſciendum eſt, ab eo tempore, quo vagi clerici, & acephali ordinari cœperunt, cœpiſſe quoque electionem, contra antiquum morem, & inſtituta maiorum, ab ordinatione diſiungi; nam ſæpe eligebantur, qui gradu ſacro inſigniti non erant: quem abuſum abolere curarunt Vrbanus II. *in cap. 1. 60. diſt.* & eius ſucceſſores, ſuprà pro illuſtratione concluſionis adducti, ferè per eadem verba ſtatuentes, vt nullus in Præpoſitum, Priorem, vel Decanum, niſi Preſbyter; nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus eligeretur: & poſteà ſtatutum legimus, vt ſaltem intra breue tempus poſſint ad ordinem illum aſcendere, quem officium, ſeu beneficium eccleſiaſticum poſcebat, vt conſtat ex præſenti textu, & *cap. præterea, de ætat. & qualit.* ibi: *Dummodò tales ſint, quod infra breue tempus poſſint in preſbyteros ordinari.* Quod tempus per annum intellexerunt ſequentes Pontifices, vt Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi, relatus *in cap. licèt canon, hoc titul. in 6.* & Clemens V. *in Clementina Vt ij, §. illi, de ætat. & qualit.* ibi: *Se promouëri fecerint intra annum.* Quas Gregorij X. & Clementis conſtitutiones innouauit Tridentin. Concilium *ſeſſ. 7. de reform. cap. 3. & 12.* & *ſeſſ. 22. de reform. cap. 4.* & *ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.*

12. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Ex quibus apparet iam ratio deciſiua præſentis canonis; nam cùm Decanatus, Archidiaconatus, & beneficia parochialia curam animarum habeant, preſbyteris tantùm poſſint conferri, qui talem curam exercere valeant; ideò Alexander II. in præſenti non minores vigintiquinque annis admittendos eſſe ad prædicta miniſteria, & beneficia eccleſiaſtica, decreuit: & cùm interſit Eccleſiæ, ne populus fidelis neceſſario eccleſiaſtico pabulo priuetur, ſtatuit Alexander in præſenti canone, promotos ad ſimilia officia eccleſiaſtica, & intra annum gradu ſacerdotali non ordinatos, ipſis beneficiis eſſe priuandos; nam cùm illi ſint in mora ſuſcipiendi gradum ſacerdotalem poſt promotionem ad beneficium parochiale, mora ſua illis nocere debet, regulâ *Mora, de reg. iuris in 6.* & per conſequens iuſtè beneficiis illis priuantur.

13. DISSOLVVNTVR

Nec obſtant difficultates ſuprà adductæ. Non prima; nam licèt prioribus Eccleſiæ ſæculis diuerſa ætas fuiſſet aſſignata pro ſacerdotio, ſeu preſbyterij gradu recipiendo, vt probant Sayrus *lib. 6. theſauri, cap. 12. num. 2.* Sanchez *tom. 2. conſil. lib. 7. cap. 1. dub. 33.* Layman *lib. 5. ſummæ, tract. 9. cap. 7. num. 1.* Boſſius *dicto tit. 2. §. 1.* Narbona *de ætate anno 25. quæſt. 55.* Diana *2. part. tract. 2. reſol. 20.* & de ſacramento Ordinis agentes relati à Leandro *de Ordine diſput. 6. quæſt. 2.* tamen ſequentibus Eccleſiæ canonibus, & nouioribus conſtitutionibus ætas ſaltem cœpta vigintiquinque annorum præſcripta fuit, *Clement. generalem, de ætat. & qualit.* Trident. *ſeſſ. 23. de reform. cap. 22.* & meritò, cùm ea ætas in iure perfecta dicatur, *l. quæro, §. finali, ff. de conſt. pecun. l. cum filio 50. ff. de legat. 3. l. Aurelio 20. §. Caius, de legat. 1. l. 1. ff. de fideiuſ. tut. l. ex duobus, ff. de negotiis geſtis:* matura ætas dicitur *in dict. l. cum filio, in fine:* plena & integra *in l. 2. ff. de excuſat. muner. l. ad rempub. 8. ff. de muner. & honor.* robuſta *in l. ſi mariti 15. §. lex. ff. ad leg. Iuliam de adult.* quare Romani ante eam ætatem neminem admittebant ad regimen Reipublicæ, *dict. l. 8. l. 2. §. 1. ff. de iure immunit. l. Lucius 21. §. 1. ff. ad municip.* Petrus Gregorius *de elect. cap. 11. num. 6.* Narbona *dicto anno 25. quæſt. 1.* vnde Alexander *in præſenti*, non iuxta veteres Eccleſiæ canones, ſed iuxta nouos ſuppoſuit ætatem vigintiquinque annorum ſufficere ad ſacerdotij gradum recipiendum. Nec ſecunda difficultas refragatur; nam verum eſt, quod ſicut nec baptizari, ita nec Ordinibus initiari aliquis cogi poteſt; in noſtro tamen textu, qui miniſterium eccleſiaſticum obtinet, non ordinatur inuitus; nam ex eo, quod voluit vnum connexorum, videlicet miniſterium eccleſiaſticum curam animarum habens, videtur voluiſſe & aliud, videlicet ſuſcipere ordinis gradum annexum; vnde non renuens, ſed volens ordinatur. Nec tertium argumentum obſtat; certum enim eſt, in noſtro caſu neceſſariam eſſe monitionem, licèt ſine iuris ſolennitate faciendam, *cap. quæris, de de ætat. & qualit. cap. cùm noſtris, de conceſ. præb.* in Epiſcopo verò ſufficere negligentiam, *dict. cap. 1. 100. diſt.* cùm enim in Epiſcopo ſit turpior negligentia, & eius officium valde neceſſarium ſit in Eccleſia, ideò maiori commonitione, & cum breuiori tempore iubetur Epiſcopo, vt intra tres menſes conſecrationem accipiat, aliàs Epiſcopatu priuetur; quod etiam hodie ex diſpoſitione textus *in dict. cap. licet, hoc tit. in 6.* obſeruatur in habentibus beneficia parochialia: latè probat Araujo *tractat. 1. qq. moral. quæſtion. 2.*

DIFFICVLTATES.

Sed ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in cap. nemo deinceps, hoc tit. in 6.* in illis verbis: *Nemo deinceps parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & ſacerdotio commendare præſumat.* Ex quibus verbis manifeſtè conſtat, non licere non habenti 25. annos conferri beneficium parochiale, etiam conſtituto in gradu preſbyteri, etiamſi poſſit ſtatim ſacris ordinibus initiari, dum tempore electionis non ſit preſbyter: igitur non ſufficit ea ætas, in qua ſtatim parochus in preſbyterum ordinari valet Cui difficultati reſpondendum eſt aſſerendo, Gregorium in eo textu prohibere tantùm parochialem Eccleſiam non ordinato in ſacerdotem commendari; non tamen vetat illi beneficium conferri; commendatur enim Eccleſia, cùm alicui eius adminiſtratio, & cura animarum committitur ad tempus; talis autem debet eſſe ſacerdos, fruſtra enim non ſacerdoti committeretur,

14. EXPONITVR CAP. NEMO, HOC TIT. IN 6.

vt docent Hallier. *dict. art.*2. §.1. Fragoſo *de regimine*, 2. *part. lib.*16. *diſput.*21. §.3. Vnde quia cùm Eccleſia commendatur, non ad tempus, ſed in perpetuum, dum vixerit commendatarius, cum facultate diſponendi de fructibus ſicut verus beneficiarius, eſt titulus canonicus, talis commenda eſt verum beneficium, *cap. ſi plura* 21. *quæſt.*1. *cap. dudum*, *el* 2. *hoc tit.* parumque diſtat ab aliis beneficiis, vnde inducit incompatibilitatem, *cap. de multa, de præb. extrauagant. execrabili, eod. tit.* poteſtque permutari, & reſignari, *cap. finali, de rerum permut.* docent Rebuffus *de pacificis, in praxi numer.* 35. Lambertinus *de iurepatron. lib.*2. *part.*1. *quæſt.*6. *num.*14. & poteſt conferri attingenti 25. annum, & tunc habet locum noſtri textus deciſio, & textus *in dict. cap. licèt*; itavt commendatarius perpetuus intra annum debeat ordinari, aliàs ipsâ præbendâ priuetur; quo caſu non habet locum textus *in dict. cap. nemo*, qui tantùm in commenda temporali procedit.

15. OPPONITVR CAP. QVÆRIS, DE ÆTAT. ET QVALIT.

Secundò deciſioni noſtræ, in illis verbis, *Si canones non obſiſtant*, opponitur textus *in cap. quæris, de ætat. & qualit.* vbi agitur de illis, qui beneficia poſſident curam animarum habentia, & qui minimè valebant ad ſacros ordines aſcendere ex eo, quod impedimentum canonicum contraxerant, propter quod illi non poterant ad maiores ordines aſcendere. Et reſpondet Alexander III. eos beneficiis eſſe priuandos, ſi admoniti ad ſacros ordines non promoueantur. Ex quo Alexandri decreto expreſsè depromitur, quod etſi canones obſtent alicui, ne poſſit ad ſacros ordines aſcendere; nihilominus tranſacto tempore à canonibus definito, beneficio eum priuari: ergo non rectè in noſtro textu ea exceptio adiicitur, *niſi canones obſiſtant.* Pro cuius textus interpretatione, omiſsâ Cironij ſententiâ *in cap.*8. *de conſtit. in* 5. *collect.* examinandum eſt, quænam ſint impedimenta legitima, ob quæ aliquis excuſetur, quin intra annum ſuſceptâ dignitate minimè promotus eſt. Et certum eſt, irregularitates, quæ ex delicto, vtpote homicidio, vel ſimili, contrahuntur, non præſtare excuſationem, *dict. cap. quæris:* ſimiliter nec eæ, quæ ex defectu contracto ante promotionem ortæ ſunt, illi patrocinantur, *cap. expoſuiſti, de corpore vitiatis:* circa illum verò defectum, qui poſt electionem ante ordinationem contingit, vtrum excuſationem præbeat, ſacri canones non conueniunt, vt fatetur Alexander III. *in dict. cap. quæris*; textus enim *in cap.*1. *de ætat. & qualit.* ita ait: *Si aliquâ causâ impediente, Abbates, Decani, Archidiaconi, Preſbyteri, aut Diaconi ordinari nequiuerint, dignitates amittant.* Ex quo textu conſtat, non promotum ad ſacros Ordines ob impedimentum canonicum, amittere beneficium: quod etiam deciditur *in dict. cap. quæris.* Sed in contrarium faciunt D. Gregorius *in epiſt. ad Anatolium*, vbi aſſerit iniuſtum eſſe, vt ſi moleſtia corporis irruit, honore ſuo priuetur ægrotus: conſonant textus *in c.*1.2. & 3.7. *q.*1. *cap.*1. *de clerico ægrotante*, Vlpianus *in l.*1. §. *caſum*, *ff. de poſtulando*: facit expreſsè textus noſter in illis verbis, *ſi canones non obſiſtant*; quæ verba exceptionis vim habent: vnde Gloſſa, & Doctores deducunt, quod ſi canones alicuius ordinationi obſiſtant, illum non eſſe priuandum dignitate iam obtenta. Sed in hoc iurium diſſidio diſcrimen eſt conſtituendum inter eum caſum, in quo ob culpam ſuam electus promoueri non poteſt; & inter eum, in quo ſine culpa ſua irregularitatem contraxit: primo caſu, cùm ob culpam propriâ voluntate admiſſam quis ordinari intra tempus non poteſt, tunc priuatur beneficio, ſiue antè, ſiue poſt adeptum beneficium in eam irregularitatem inciderit, *cap. quando*, 24. *diſt. cap. expoſuiſti, de corpore vitiatis:* ſecundo verò caſu, cùm ſine culpa propria quis non valet promoueri, tunc ne afflicto detur afflictio, non priuatur beneficio, aut dignitate; ſed ſi impedimentum eſt temporale, expectatur tempus, intra quod valeat promoueri; & ſi perpetuum eſt, illi aſſignantur fructus, dato coadiutore, iuxta textum *in cap.*1. *de clerico ægrotante.* Ita prædicta iura conciliare intendit Franciſcus Hallier. *de ſacris electionibus, tit. de tempore ſacræ ordinationis, art.*1. §.2. qui in hoc ſecundo caſu accipit noſtrum textum. Etiam excuſatur à pœnis noſtri textus Parochus per ſeptennium, dum in aliqua Vniuerſitate ſtudiorum causâ abeſt, *cap. cùm ex eo, de elect. in* 6. De cuius explicatione latè agit Hallier. *vbi ſuprà.*

16. EXPONITVR CAP. INDECORVM 3. DE ÆTAT. ET QVALIT.

Tertiò ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in cap. indecorum*, 3. *de ætat. & qualit.* vbi Alexander III. inhibendo, ne infra 14. annum conſtituto perſonatus cuiuſlibet Eccleſiæ conferatur, videtur permittere, quod poſt 14. annum illi conferatur, quia quod de vno prohibetur, de alio conceſſum videtur, *cap. qualis, diſt.*25. probant Zerola *in praxi, verbo Canonia, verſiculo Ad ſextum*, Moneta *de diſtribut. quotid.*2. *part. quæſt.*19. *num.*16. & *de commut. cap.*10. *num.*115. ſed perſonatus eſt beneficium eccleſiaſticum, & beneficiis curam animarum habentibus æquiparatur, *cap. dudum* 54. *hoc tit.* ergo ad beneficium parochiale, & dignitates curam animarum habentes obtinendas non deſideratur ætas 25. annorum. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, non poſſe illud argumentum deduci à contrario ſenſu, ex prædicto textu; ſiquidem ius commune repugnat, & ſequitur abſurdum: quo caſu argumentum à contrario ſenſu deduci non poteſt, vt ſatis tritum apud omnes eſt: ius repugnat in præſenti textu, & ſimilibus ſtatutum, & ſequitur abſurdum, ſi habenti tantùm 15. annos, beneficium conferatur; vnde tale argumentum ex eo textu deduci non poteſt, vt poſt Gloſſam ibi, *verbo Intra*, docent Maiolus *de irregul. lib.*1. *cap.*30. *num.*11. Fachineus *lib.*1. *controu. cap.*3. Narbona *de ætat. anno* 22. *quæſt.*3.

§. III.

CLerici ſanè, ſi contra [a] formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi tunc poteſtate priuatos, & ab eccleſiaſticis beneficiis triennio nouerint ſe [b] ſuſpenſos. Dignus eſt enim, vt quem Dei timor à malo non reuocat, eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeueritas diſciplinæ. Epiſcopus autem, ſi [c] contrà ei fecerit, aut conſenſerit fieri, in conferendis prædictis officiis, & beneficiis poteſtatem amittat, & per Capitulum, aut per Metropolitanum (ſi Capitulum concordare nequiuerit,) ordinetur.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Formam.*] Præscriptam *in hoc cap. cùm in cunctis.*

2. b *Se suspensos.*] Beneficiis possessis in ea Ecclesia, in qua peccarunt eligendo indignum, non verò ab officio suspenduntur; nam suspensus beneficio, non est suspensus officio; tantùm enim suspenditur à totali fructuum perceptione, & administratione; nec ipso beneficio priuatur, sed tantùm per triennium suspenditur, *cap. cùm Vvintonien. hoc tit. cap. cupientes, de elect. lib.6.* Gibalinus *de censuris disquisit.7. quæst.11. & 12.* vbi latè de suspensione agit.

3. c *Si contra hæc fecerit.*] In eligendis ad inferiora beneficia.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO REFERTVR. EX hoc §. talis deducitur conclusio: *Eligentes indignum contra formam huius textus, priuantur potestate eligendi, & defectum Capituli supplet Episcopus, & è contra; & si Capitulum negligat eligere ob discordiam, deuoluitur electio ad superiorem.* Probant textus *in cap. innotuit 20. cap. bonæ 23. versic. Vnde nec ab eis, cap. scriptum 40. §. fin. cap. ne pro defectu 41. cap. quia 42. §. quia verò, cap. quisquis, 43. §. final. cap. dudum, cap. congregato 53. cap. Cumana, §. final. cap. cùm Vvintonienſis, hoc tit. cap. si compromissarius, cap. quidquam, versiculo scienti, eod. tit. in 6. cap. graue, de præbendis, cap. gratum 2. de postul. Prælat. extrauag. vnica, eod. tit.* Illustrant præter ordinarios in præsenti, & relatos à Barbosa in hoc textu, Petrus Gregorius *de elect. cap.7. num.11.* Iulius Lauorus *de elect. tit.4. cap.21. n.31.* Suarez *de censuris disput.31. sect.3. num.10.* Antonius Chucus *tit. de elect. num.159.* Cortasius *de beneficiis cap.3. num.19.* Bonacina *de censuris disput.3. quæst.4. part.1. num.8.* Marius Alterius *de censuris disput.16.* Gibalinus *eod. tract. in synopsi, littera E, num.7.* Lugo *de iustitia disput.34. sect.2.* Castropal. *tit.2. tract.13. disput.3.* Garcia *tit.2. polit. tract.9. difficul.3. dub. 6.* & alij congesti *in d.c. graue.*

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed aduersùs hanc conclusionem illæ se offerunt dubitandi rationes. Primò contra eam partem, vbi asseritur, eligentem indignum contra formam huius textus, priuari eligendi facultate, & simul suspendi beneficiis obtentis, sic argumentor: Ex eodem delicto quis duplici pœnâ puniri non potest, *c. at si clerici, §. de adulteriis, de iudiciis, can.25. Apostolorum,* vbi reddunt rationem Apostoli, ne bis idem crimen vindicetur, contra scripturam sacram, quæ ait: *Dominus non vindicat bis in idipsum.* D. Basilius *ad Amphilochium cap.3. de Diaconis lapsis*; vbi eandem rationem affert, propter quam clerico post depositionem non iniungatur excommunicatio, ne bis idem crimen puniatur. Notant Turrianus & Corjolanus *in dict. can.25. Apostolor.* Gibalinus *de censuris disquisit.7. quæst. 12. consectar.5.* ergo eligentes contra formam huius textus, si suspenduntur beneficiis, non debent priuari iure eligendi. Augetur hæc difficultas; nam si eligens indignum suspenditur, eo ipso potestate eligendi est priuatus: ergo superfluò dicitur, eum suspendi, & potestate eligendi priuari. Secundò aduersùs secundam partem conclusionis, vbi asseritur ius eligendi deuolui ad Capitulum, & è contra; non consentiente autem Capitulo, deuolui ad Metropolitanum, obstat: nam aut omnes de Capitulo electioni contra formam huius textus factæ, aut maior pars consenserunt: si omnes, ius electionis deuoluitur ad R. Pontificem, *cap. quia diuersitatem, §. si tamen, de concess. præb.* si maior pars deliquit, ad minorem partem electio deuoluitur, *cap. congregato 53. hoc tit. cap. bonæ, el 2. de postulat. Prælat. cap. cùm in cunctis, de his quæ fiunt à maiori,* Iulius Lauorus *dicto c.21. num.47.* cum minor pars iure suo eligendi sine facto proprio priuari non debeat, *c.1. de constit.* ergo nunquam ad Episcopum deuoluitur ius eligendi. Augetur hæc difficultas, nam Episcopo defuncto Capitulum non succedit in collatione beneficiorum, nec ad illud deuoluitur ius eligendi, *cap.2. ne sede vacante:* igitur nec delinquente Episcopo formâ electionis non seruatâ, deuolui debet electio ad Capitulum.

6. TRADITVR RATIO DECIPIENDI. His difficultatibus non obstantibus vera est suprà relata assertio, quæ non solùm auctoritatibus suprà expensis, verùm & ratione probatur: nam in eo debet quis puniri, in quo peccauit, *cap. litteras, de temporib. ordin. cap. vel non est compos, eod. titulo in 6.* vnde qui delinquit in collatione alicuius gradus sacramenti ordinis, priuatur potestate conferendi eum tantùm gradum, *cap. nullus 4. de temporib. ordin. lib.6.* ibi: *Qui verò contrafecerit, vt in eo, in quo peccauerat, puniatur, per vnum annum à collatione clericalis tonsuræ dumtaxat nouerit se suspensum.* Ideò in nostro textu contra eligentem indignum imponitur pœna, vt pro ea vice sit eligendi facultate priuatus: & quia simul ita eligentes peccarunt circa beneficia, beneficiis etiam suspenduntur, sicut Episcopus, qui scienter contulit beneficium clerico excommunicato per aliquod tempus, suspenditur à collatione beneficiorum, *cap. postulasti 7. de clerico excommunicato:* & qui prohibuit, ne peregrinus testaretur, prohibetur etiam, ne de suis bonis testari possit, *authentica omnes peregrini, Cod. communia de successionib.* & qui ex voluntate testatoris habebat facultatem præstandi legatum vni ex libertis digniori, si eligat indignum, priuatur facultate eligendi, & omnes admittuntur ad legatum, *l. cùm quidam 24. §. at si ita, ff. de legat.2.* vbi notauit Padilla, Gomez *in l.17. Tauri, num.18.* & *in l.40. num.48.* Gamma *decis.2. num.3.* & *decis.149. num.2.* & *decis.377.* Facit etiam lex 2. *versic. quem ita, ff. de vacatione munerum.* Rectè ergo Patres Concilij Lateran. decreuerunt, eligentem aliquem contra formam huius textus, priuari eligendi facultate, & simul suspendi à beneficiorum collatione: & quia Episcopus supplet negligentiam Capituli, & è contra; & omnibus negligentibus, Metropolitanus, *cap.2. de concess. præb.* ideò in nostro textu supplebitur negligentia Capituli per Episcopum, & è contra; & eorum per Metropolitanum, vt latè dicemus *in tit. de supplenda negl.* Aliis etiam pœnis puniuntur eligentes indignum, de quibus agemus *in cap. graue, de præbendis.*

7. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES. Nec obstant difficultates suprà adductæ. Non prima, nam procedit regulariter in delictis leuioribus; aliquando tamen si atrocia sint, propter eorum grauitatem variis pœnis puniuntur ea perpetrantes, vt depositione, simulque excommunicatione, *can. 28. 29. 30. & 64. Apostolorum*; propter grauitatem enim sceleris plures pœnæ infliguntur passim in iure nostro, vt docet Balsamon *in can.32. D. Basilij ad Amphilochium.* Nec augmentum difficultatis obstat; nam certum est, suspensum à beneficio, non ideò priuari facultate eligendi, aliàs superfluò in nostro textu vt diuersa pœna apponeretur priuatio facultatis eligendi,

eligendi, & ſuſpenſio à beneficio, in illis verbis: *Eligendi tunc poteſtate priuatus, & ab eccleſiaſticis beneficiis triennio*, &c. Docent Gloſſa *in cap. cupientes, §. caterùm, verbo Beneficiis, hoc tit. in 6.* Panormitanus *hic, num.* 10. actus enim eligendi non ſpectat ad beneficium, ſed ad officium; vnde non quia in textu noſtro eligens indignum ſuſpenditur beneficio, ideò priuatus erat facultate eligendi, & ſic vt diuerſa pœna proponitur: docet poſt alios Gibalinus *de cenſuris fol.* 344. Nec huic ſolutioni aduerſatur textus *in cap. cùm dilectus, de conſuetud.* vbi caſſatur electio facta à ſuſpenſo: igitur quia per ſuſpenſionem amittitur facultas eligendi; nam textus ille accipiendus eſt de ſuſpenſo ab officio, non verò à beneficio; qui cum officij exercitium non haberet, ideò nec ſuffragium præſtare poteſt. Nec obſtat ſecunda difficultas; ſupponimus enim, in noſtro textu totum Capitulum deliquiſſe eligendo indignum, vnde ius eligendi deuoluitur ad Epiſcopum; ſicut in caſu, quo eſt negligens, & ob ſuam negligentiam Epiſcopus eligit: ſi autem maior pars Capituli deliquiſſet, ad minorem ius eligendi deuoluereretur, ex iuribus ſuprà citatis. Deuoluitur autem electio ad Epiſcopum, quando ad ipſum ſimul cum Capitulo non ſpectat electio; ſecus autem ſi in prima electione cum Capitulo ſimul eligeret; tunc enim ad Metropolitanum electio deuoluereretur, vt latè proſequuntur in præſenti Hoſtienſis, Abbas, & omnes antiquiores, noſque dicemus *in cap. litteras, de ſupplenda negligentia.* Nec augmentum huius difficultatis obſtat, quia licèt defuncto Epiſcopo ius eligendi, ſiue collatio beneficiorum non deuoluatur ad Capitulum; tamen in noſtro textu in pœnam improbæ electionis Epiſcopus ita priuatur pro ea vice poteſtate eligendi, vt ad Capitulum ius deuoluatur, vt docent Hoſtienſis & Bohic. *in præſenti*, qui latè hanc deuolutionis partem proſequuntur.

Prædictæ aſſertioni obſtat textus *in cap. finali, de filiis preſbyterorum*, vbi agitur de eligentibus ad Archidiaconatum, & alia beneficia eccleſiaſtica indignos, videlicet illegitimè natos: & iubet R. Pontifex, huiuſmodi electiones irritari, ita tamen, vt illi, quibus de iure competit electio, denuò alias perſonas idoneas eligant ad prædicta beneficia: igitur eligentes indignum nec pro ea vice ſunt priuati facultate eligendi. Huic difficultati aliqui ſatisfacere intendunt, aſſerendo concluſionem ſuprà traditam tantùm procedere in eligentibus indignum contra formam in hoc textu præſcriptam: vnde aſſerunt, quod ſi cauſa indignitatis ex alio capite proueniat, etiam eligens indignum non priuatur, nec pro ea vice, eligendi facultate. Ita Tamburinus, & alij relati à Barboſa *in præſenti.* Sed licèt hæc doctrina, attentâ noſtri textus deciſione, ſuſtineri poſſit; tamen cùm *ex dict. cap. cùm Vvintonienſis, cap. per inquiſitionem*, cum aliis ſuprà traditis, ſatis conſtet, generaliter eligentes indignum, ex quacumque cauſa indignitas proueniat, priuari eligendi facultate; ideò hæc ſolutio ſuſtineri non valet. Eâ igitur omiſsâ dicendum eſt, noſtri textus deciſionem procedere in eligentibus indignum ſcienter, non verò in eligentibus indignum per ignorantiam; tunc enim ſi appareat indignum eſſe, caſſatâ eâ electione, iterùm proceditur ad ſecundam; quo modo ſunt intelligendi textus *in cap. veniens 3. eod. tit. de filiis preſbyter.* textus *in cap. cùm vos 4. de officio ordin.* vbi docetur, quod ſi eligatur indignus, & eius electio caſſetur, debet conſtitui ab Epiſcopo œconomus, donec alius eligatur ab ipſo patrono: vbi ſupponendum eſt, in prima electione electum fuiſſe indignum per ignorantiam. Etiam interpretari poſſunt in præſenti textus *in cap. graue, de præbendis, cap. ſi compromiſſarius, hoc titulo, in 6.*

8. EXPONITVR CAP. FINALE DE FILIIS PRESBYTER.

CAPVT VIII.

Idem [a] *Rauennati Archiepiſcopo.*

CAuſam, quæ inter Moniales S. Margaritæ ſuper diſcordia & diſſenſione electionis, quam fecerunt, dignoſcitur agitari, experientiæ tuæ iam pridem commiſimus terminandam. Vnde quoniam cauſa ipſa in tantum protrahitur, & nondum, ſicut accepimus, proceſſiſti, & [b] periculoſum & damnoſum eſt monaſterio, eo quòd cauſa ipſa in tantùm protrahitur: F.t.p.A.ſ.m.q. infra dies XL. vel duos [c] menſes, aut plus, ſecundùm tenorem aliarum noſtrarum litterarum, in eadem cauſa procedas, ita videlicet, quod ſi ſorores in Epiſcopum electionem contulerint, promittentes quod illam, quam eis prouideret, reciperent, ipſam, quam prouiderit, facias ab eis (ſi tamen exiſtat idonea) in ſuam recipi Abbatiſſam.

NOTÆ.

1. a *Rauennat.*] De hac Eccleſia egi *in cap. 2. de poſtulat. Prælat.* & *in cap. 5. de reſcriptis.* Textus iſte reperitur in Concilio Lateran. ſub Alexandro III. celebrato, *parte 40. cap. 5.* & *in prima collectione, ſub hoc tit. cap. 17.*

2. b *Periculoſum.*] Ita agnouerunt ſacri canones, dum omni æuo valde curauerunt, ne Eccleſia, monaſteriumve diutiùs vacaret, *cap. 2. de conceſ. præbendæ, cap. ne pro defectu, hoc tit.*

3. c *Duos menſes.*] Semper in reſcriptis iuſtitiæ, quibus iuriſdictio delegatur, præſcribitur tempus, intra quod cauſa ipſa decidatur, *cap. de cauſis 4. de officio delegati.*

COMMENTARIVM.

EX hoc textu talis deducitur concluſio: *Compromittentes ſuper electione, tenentur recipere electum à compromiſſariis, ſi eſt idoneus.* Probant textus *in cap. cùm inter 21. cap. cùm dilectus, cap. ſcriptum, cap. cùm Vvintonienſis, cap. in cauſis, cap. quia propter, hoc tit. cap. ſi compromiſſarius, eod. tit. lib. 6. cap.*

4. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

cap. post translationem, de renunciat. cap. ex parte 10. *de arbitris.* Illustrant plures relati à Barbosa *in præsenti, lib.* 1. *de iure ecclesiastico, cap.* 1. *num.* 94. & *cap.* 29. *num.* 158. Vighellius *in methodo iuris canonici, fol.* 331. Iulius Lauorus *de elect. cap.* 19. *n.* 30. Ioannes Calderinus *in cap. cùm in iure, hoc tit.* Tamburinus *de iure Abbatum, tom.* 1. *disput.* 28. *quæsito* 8. Layman *tom.* 1. *summæ, tit. de Prælatorum elect. cap.* 8. Nouarius *in lucerna regul. verbo Electio,* Lezana *tom.* 3. *quæst. regul. tract.* 9. *cap.* 2. Garcia. *tom.* 2. *politicæ, tract.* 9. *difficult.* 5. *dubio* 8.

5. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed aduersùs hanc decisionem illa se offert difficultas, nam ea est natura compromissi, vt quidquid arbitri compromissarij dixerint, statuerintve, siue æquum, siue iniquum, ratum atque firmum, & pro iudicato à partibus habeatur, *l. diem* 27. §. *stari*, & §. *finali, ff. de receptis, l. societatem,* §. *finali, ff. pro socio,* nisi dolus interueniat, *l. ita demum, ff. de verb. obl. l. arbitrorum, Cod. de arbitris*; adeò vt ab eorum sententia non possit appellari, *l.* 1. *C. de arbitris, l. arbitrio, ff. qui satisdare:* igitur siue compromissarij idoneam, siue minùs dignam personam elegerint, tenentur compromittentes recipere. Augetur hæc difficultas, nam ideò forma compromissi in electionibus introducta est, vt sic multitudo eligentium, quæ sibi ipsi impedimentum affert, facilè ad concordiam reduceretur. Magnus Gregorius *lib.* 2. *epist.* 15. relatus *in cap.* 10. *hoc tit. in prima collectione:* sed si adhuc esset sub potestate compromittentium admittere, vel respuere ab arbitro electum, sub prætextu minoris idoneitatis, non satis succursum esset per compromissum; siquidem in eorum arbitrio remanet admittere, vel respuere electum: igitur, &c.

6. DE ELECTIONE ABBATISSÆ.

Quâ difficultate non obstante vera est prædicta assertio, ad cuius expositionem præmittendum est, in Monialium monasteriis electionem Abbatissæ spectare ad ipsas moniales, licèt non omnes suffragium habeant in ipsa electione, *cap. indemnitatibus, hoc titulo, lib.* 6. & specialiter circa moniales S. Claræ probatur *ex cap.* 4. *suæ regulæ:* docent Iulius Lauorus *de electione, cap.* 24. *num.* 1. Tamburinus *de iure Abbatissæ, disp.* 28. *quæst.* 1. & in ea electione obseruari debet forma præscripta *in cap. quia propter, hoc tit.* vt cauetur *in d. cap. indemnitatibus,* §. *sanè:* scilicet, vt fiat per suffragia secreta. Lambertinus *de iure patron. lib.* 1. *p.* 1. *quæst.* 9. *art.* 5. *num.* 3. & collatio votorum debet fieri numeri ad numerum, itavt Abbatissa à maiori parte eligatur, *d. cap. indemnitatibus.* Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 7. non tamen desiderantur duæ partes suffragiorum in ipsa electione, sed sufficit, quod detur maior pars, *cap. dudum, hoc tit. cap. cùm in cunctis, de his quæ fiunt à maiori parte.* Nec contrarium suadet textus *in d. cap. indemnitatibus,* §. *sanè*; nam textus ille procedit, quando adest discordia, & duæ partes in vnam consenserunt; tunc enim minor pars non potest aliquid opponere, etiamsi de maiori zelo, & auctoritate minoris partis opponeret, nisi per superiorem inueniatur huiusmodi electio non canonica, hoc est facta de persona inhabili, seu ineligibili. Docent Tamburinus *dict. disput.* 28. *quæsito* 4. Iulius Lauorus *d. cap.* 24. *de elect. per totum,* qui latè agunt de qualitatibus Abbatissarum, & an possint eligi illegitimæ, bigamæ, aut ex Mauris descendentes.

7. DE ELECTIONE PER COMPROMISSVM.

Deinde sciendum est, inter electionum varias formas præscriptas *in cap. quia propter,* 42. *hoc tit.* secundam recenseri, quæ fit per compromissum, quæ contingit quando aliqui idonei eliguntur, in quos omnium vice eligendi certo modo potestas & facultas transfunditur, cum aliquibus clausulis in compromisso specificandis: de qua electionis forma agitur *in cap. scriptum, cap. cùm Vvintonienſis, & aliis, hoc tit. cap. cùm expediat, cap. si compromissarius, eod. tit. lib.* 6. *cap. ex parte* 10. *de arbitris, cap. post translationem, de renunciat.* latè disserunt Petrus Gregorius *de elect. cap.* 3. *num.* 3. Iulius Lauorus *de electione, cap.* 7. *num.* 23. & *cap.* 19. *num.* 29. tunc enim electio fieri dicitur per compromissum, quando celebratur per vnum, duos, aut tres, per electores designatos, quibus commissa est omnium eligendi facultas, vt ipsi eligant quem dignum, & idoneum esse Ecclesiæ cognouerint. Et licèt hodie post Concilium Trident. *d. sess.* 25. *cap.* 6. vbi iubetur, vt in electionibus regularium vota secretò emittantur, hanc electionis formam per compromissum non admittant Nouarius vbi suprà, *verbo Electio,* Lezana *d. q.* 3. tamen contrarium vt verius defendunt Tamburinus & Garcia *vbi proximè.* Debet autem compromissum fieri vnanimi consensu omnium, qui ius eligendi habent, nec sufficit maior pars Capituli, ne alia minor pars priuetur iure eligendi, præcipuè cum in re communi potior sit causa prohibentis, regulâ *in re communi, de reg. iur. lib.* 6. Debet etiam fieri compromissum in clericum, non in laicum. Nec obstabit si dicas, laicum posse esse procuratorem in causis spiritualibus, *c.* 1. *de procurat. lib.* 6. nam non inde infertur, posse in eisdem causis esse arbitrum; immò contrarium probatur *in cap. contingit, de arbitris:* in extraneum tamen, id est in eum, qui non est de corpore Capituli, benè posse compromissum fieri, probatur ex præsenti textu, & docuerunt Abbas *hic, num.* 2. Lauorus *dicto cap.* 19. *num.* 30. etsi contrarium defendat Tuschus *conclusione* 75. *littera C.* Compromissum hoc ad electionem dupliciter fieri potest, seu duplici modo. Primò simpliciter, & absolutè, vt possint compromissarij eligere quem maluerint. Secundò vt eligant eum, in quem maior pars eligentium consenserit, *cap. cùm dilectus, hoc titul.* quam formam electionis licèt plures affirment contrariam esse decisioni textus *in dict. capit. quia propter, hoc tit.* tamen eam iuri consonam esse probat, & defendit Garcia *dict. tom.* 2. *polit. regul.* Si sint tres compromissarij, duo possunt eligere tertium, Iulius Lauorus *vbi suprà, num.* 28. si autem sit vnus, non potest seipsum eligere, vt docet Barbosa *in addition.* 6. *tomi, ad textum in cap. cùm in iure, hoc tit.* Lauorus *de elect. cap.* 6. *num.* 17. licèt in Cardinale seipsum eligente in Pontificem, contrarium teneat, & electionem admittat Barbosa *lib.* 1. *iuris eccles. cap.* 1. *n.* 97. & Ioannem XXII. ita electum fuisse, referunt D. Antoninus 3. *part. tit.* 2. *cap.* 24. Spondanus post Baronium *anno* 1316. Et in Rege Romanorum se eligente in Imperatorem, idem docet Garcia *vbi suprà, num.* 9. Facit celebre exemplum, quod post Æneam Siluium refert Rousselius *lib.* 2. *historia Pontif. iurisd. cap.* 2. *num.* 11.

8. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus prouenit huius decisionis vera ratio; nam cùm electus à compromissariis credatur electus ab ipsis, qui compromissum fecerunt, cùm ab illis eligendi facultatem acceperint, & quod quis per alium facit, censeatur facere per se ipsum, *cap. vt famæ, de sentent. excomm.* nec possit quis venire contra factum proprium, *l. post mortem, ff. de adopt.* ideò electus à compromissariis necessariò à compromittentibus est admittendus: & quia quando fit compromissum super electione, etiamsi

non apponatur ſpecialiter quod perſona eligenda ſit idonea, ſemper intelligitur illud cautum, *cap. in cauſis, hoc tit. cap. cùm adeò, de reſcriptis*; ideò ſi compromiſſarij eligant perſonam minùs idoneam, compromittentes non tenentur illam recipere; non enim creditur in ipſo compromiſſo compromittentes ſenſiſſe, vt eligerent Prælatum minùs idoneum, *cap. ſi compromiſſarius, hoc tit. lib.6.* vnde ex defectu facultatis electio perſonæ non idoneæ vitiatur, quia cùm aliquid committitur arbitrio alicuius, non valet arbitrium, ſi iuſtè, & legitimè non ſit prolatum, *cap. veniens 16. cap. Quintaualiis 23. de iureiurand. l. quamquam, ff. de ritu nupt.* Vnde hoc caſu non deuoluitur ius eligendi ad ſuperiorem, ſed ad ipſos compromittentes reuertitur, niſi elapſum ſit tempus electoribus ad eligendum à iure ſtatutum, *c. ſi compromiſſarius 37. hoc tit. in 6.* Iulius Lauorus *de elect. cap. 19. num. 37.* vel ipſi compromittentes indignum electum approbauerint, quia tunc ex deciſione textus antecedentis, ad ſuperiorem deuoluitur electio, *dict. cap. ſi compromiſſarius.* Rectè ergo Alexander III. in præſenti decreuit electionem Abbatiſſæ factam ab Epiſcopo virtute compromiſſi, non teneri recipere ipſas moniales, cùm minùs idonea eſſet regimini monaſterij.

9. Dissolvitvr difficvltas.

Nec obſtat ratio dubitandi ſuprà adducta, nam diſcrimen conſtituendum eſt inter arbitrum electum vt compromiſſarium, & inter electum vt virum bonum. Arbitrio compromiſſarij ſtandum eſt, ſiue æquum, ſiue iniquum ſit, *ex dict. §. ſtari*, cum aliis, niſi contra ius ſcriptum, & formam compromiſſi ſit prolatum; tunc enim non tenentur compromittentes ei ſtare, *cap. ei qui 2. quæſt. 6.* in arbitro verò tanquam bono viro electo non tenet eius laudum, ſiue ſententia, niſi æqua ſit, *dict. cap. veniens, dict. cap. Quintauallis.* Vnde cùm in noſtro textu Epiſcopus non ſeruaret formam, eligendo non idoneam, contra clauſulam, quæ tacitè in ipſo compromiſſo inerat; & ſimul eligeret, non tanquam iudex, ſed tanquam vir bonus, ad ſedandas diſcordias, quæ ob diſſenſum monialium oriebantur, inde electio ab eo facta non valet, ſi perſona minùs idonea ſit. Nec augmentum obſtat; verum enim eſt, inuentam eſſe hanc eligendi formam, vt facilè eligentes ad concordiam reducerentur; ſed non exinde quia probandum maneat, an electa perſona ſit idonea, remanet electio ſub dubio, & lite; ſiquidem quælibet perſona electa idonea præſumitur, niſi contrarium probetur, *l. ſeruus 20. l. teſtamento 51. ff. de manumiſ. teſtam. cap. vnico, de ſcrutinio*: vnde compromittentes tenentur ſtare compromiſſo, & electum à compromiſſariis recipere, donec probetur idoneam perſonam non eſſe.

10. Exponitvr cap. in cavsis, hoc tit.

Primò huic aſſertioni aduerſatur textus *in cap. in cauſis, hoc tit.* vbi cùm compromiſſum ſuper electione Epiſcopi factum eſſet in quinque, tres ex illis elegerunt Epiſcopum alterius ciuitatis in Epiſcopum Toloſanum; alij duo diuerſum elegerunt: quæſtionis fuit, vtrum electus à tribus compromiſſariis admittendus eſſet? Et reſpondet R. Pontifex, admittendum eſſe electum à compromiſſariis, ſi idoneus, & neceſſarius valdè ſit Eccleſiæ Toloſanæ: ergo non ſolùm deſideratur, vt electus à compromiſſariis ſit idoneus, verùm etiam vt ſit neceſſarius. Pro cuius textus ſolutione ſciendum eſt, compromiſſarios in eo textu deſignatos, non elegiſſe, ſed poſtulaſſe alium Epiſcopum in Epiſcopum Toloſanum; quo caſu cùm tranſlatio facienda eſſet de vna Eccleſia ad aliam, & non poſſit fieri ſine cauſa, id eſt abſque neceſſitate, & vtilitate Eccleſiæ, in quam transfertur, *cap. inter, & per totum tit. de tranſlatione Epiſcopi*; ideò non ſolùm exigitur in eo textu, vt ſit idoneus, ſed hoc amplius, vt ſit neceſſarius: ſi autem compromiſſarij eligerent, nec poſtularent, ſufficeret vt electus eſſet idoneus.

11. Intelligitvr cap. ex parte, de arbitris.

Secundò aduerſari videtur textus *in cap. ex parte 10. de arbitris*; vbi cùm electores in duas partes diuiſi eſſent, compromiſſum fecerunt in Epiſcopum, eorum iudicem ordinarium: ſed cùm neglecto compromiſſo ad ſecundam electionem procederent, hæſitatum fuit, vtrum ſecunda electio eſſet ſuſtinenda. Et reſpondet R. Pontifex, ſecundam irritandam eſſe, quia primâ nondum caſſatâ celebrata fuit: igitur ſi prima eſſet caſſata, etiam neglecto compromiſſario, poſſent eligentes alium eligere, & per conſequens non tenentur ſtare compromiſſo; ſiquidem poſt illud poſſunt ſecundam electionem celebrare. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt dicendo, in eo textu compromiſſum factum non fuiſſe in Epiſcopum ſuper electione, vt ipſe eligeret, ſed ſuper lite orta inter ipſos compromittentes circa vtriuſque electionis valorem; vnde Epiſcopus tantùm virtute compromiſſi poterat vnam, vel aliam electionem irritare, aliamve validam declarare; & Epiſcopus nunquam poterat vt compromiſſarius eligere.

CAPVT IX.

Idem *Epiſcopo* [a] *Vvigornienſi.*

NOſti, ſicut vir prudens & ſapiens, quomodo dilectus filius noſter [b] G. dictus Lincoluienſis electus, committendi [c] honores, vel præbendam, & aliàs diſponendi de rebus Eccleſiæ, cùm ſua nondum ſit electio confirmata, nullam habeat facultatem. Vnde eſt quod fratern. tuæ, &c. quatenus eidem dicto electo ex noſtra parte non differas arctiùs inhibere, ne Archidiaconatum alicui conferre præſumat, vel ſi iam conceſſerit, ei auctoritate noſtra præcipias, vt conceſſionem ſuam omni contradictione, & appellatione ceſſante ſtudeat reuocare. Quod ſi diſtulerit, tu eandem conceſſionem appellationis remoto remedio auctoritate noſtra non differas reuocare.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Vigornienſi.*] Ita etiam legitur apud Antonium Auguſt. in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 18. ſed in Concilio Lateranenſi, *parte* 40. *cap.* 1. ita inſcriptio huius deciſionis concipitur, *Idem Exonienſi Epiſcopo*; & meo videri rectiùs: nam cauſa, quæ committitur in noſtro textu, eſt Epiſcopi Linconienſis, qui eſt in Anglia ſuffraganeus Archiepiſcopi Cantuarienſis. Et licèt Exonienſis eius etiam ſit ſuffraganeus, propinquior tamen eſt ciuitati Linconienſi (vulgò *Licolne*) Exonienſis, vnde probabilius eſt, cauſam Epiſcopi Linconienſis commiſſam fuiſſe propinquiori Prælato, videlicet Exonienſi.

2. b *G.*] Guillelmus videlicet, Cantor eiuſdem Eccleſiæ.

3. c *Honores.*] Id eſt dignitates: ſæpè ſæpius enim, qui dignitatem habet, honores habere dicitur, *l. reus* 7. *l. honor* 14. *§. plebeij* 4. & *§. vltimo*, & paſſim *ff. de muneribus & honoribus*, *§. Prætorum*, *Inſtituta de iure naturali.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur concluſio. *Electus Epiſcopus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter adminiſtrare non poteſt.* Probant textus *in cap. tranſmiſſam* 15. *cap. qualiter* 17. *cap. nihil* 44. *cap. cùm in cunctis*, *§. cum verò, hoc titulo*, *cap. auaritiæ, hoc titulo in* 6. *extrauagant. iniunctæ, de elect. inter communes*, *cap. in nomine, circa finem*, 23. *diſt. cap. ſi quis ordinatus* 4. 92. *diſt. cap. inter*, *de tranſlat. Epiſcopi*, *cap. cùm iam dudum* 18. *de præbendis*, *cap. cum dilecti, de purgat. canonica*, *cap. ſicut* 33. *de ſimonia*, *cap. ſuper his* 16. *de accuſat. cap. quoniam*, *§. porrò*, *vt lite non conteſt. cap. finali, de clerico excomm.* Pius IV. *in bulla* 66. quæ extat in bullario Cherubini, Iulius III. in ſua conſtitutione, quam refert Lotherius *lib.* 3. *de re benefic. quæſt.* 29. Illuſtrant Layman. *lib.* 4. *ſummæ, tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. Scortia *in ſelect. conſtit. epitom.* 51. *theorem.* 204. Petrus Gregorius *de elect. capit.* 19. *&* 20. Lotherius *d. lib.* 3. *quæſt.* 17. *ex numero* 262. *vſque ad* 324. & *lib.* 1. *q.* 27. Iulius Lauorus *de electione*, *cap.* 25. *num.* 2. Moez *in d. cap. auaritiæ*, Barboſa *in collect. ad ipſum textum*, & *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 36. *num.* 6. *&* 7. & *lib.* 1. *iuris eccleſiaſt. cap.* 9. *num.* 23. Hallier. *de ſacris elect.* 2. *part. cap.* 2. *art.* 3. *§.* 5. *fol.* 927. Calderinus *de de elect. tit. de reform.* Boetius *tom.* 1. *qq. tit. de regalibus, num.* 58. Menochius *de arbitrariis, caſu* 403. Tuſchus *littera C. concluſ.* 824. Solorzano *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 38. & *lib.* 4. *politicæ, cap.* 4. Parexa *tom.* 1. *de inſtrum. edit. tit.* 2. *reſolut.* 3. Ioannes Dartis *de beneficiis ſect.* 6. *cap.* 1. Hieronymus Garcia *tom.* 2. *polit. regul. tract.* 9. *difficult.* 6. *dubio* 1.

5. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO. Sed hæc aſſertio difficilis valde redditur ſequenti iuris conſideratione: Epiſcopus per electionem acquirit ius dignitatis, & Epiſcopatus in ipſa Eccleſia, ad quam electus eſt, textus, & ibi Gloſſa *in c. cùm inter*, 21. *hoc tit. cap. cum dilectiſſimis* 8. *q.* 1. docet Abbas *conſilio* 47. & per electionem tantùm cenſetur contractum coniugium inter Epiſcopum & Eccleſiam, *cap. quoniam*, *§. ſin verò*, *vt lite non conteſt.* quod nouum non eſt; nam in aliis electionibus, quando quis eligitur ad aliquod officium, vel dignitatem, ex ea ſolùm electione acquirit ius ad officium, etiam abſens, & ignorans, *l. illud*, *ff. de tutoribus & curat.* igitur Epiſcopus tantùm virtute electionis ante confirmationem poteſt beneficia conferre, & adminiſtrare bona Eccleſiæ, ad quam electus eſt; præcipuè cùm confirmatio nouum ius non tribuat, ſed tantùm acquiſitum conſeruet, *c. cùm monaſterium* 13. *hoc tit. c.* 5. *de conceſſ. præb.* Accedit, nam licèt Epiſcopus electus ante confirmationem non poſſit exercere ea, quæ ſunt iuriſdictionis, tamen beneficia conferre valet; quod ſic probo. Beneficiorum collatio Epiſcopo non competit ratione iuriſdictionis, ſiquidem Capitulum Sede vacande ſuccedens in iuriſdictione Epiſcopi, non ſuccedit in beneficiorum collatione, *cap.* 2. *ne ſede vacante*: ergo licèt Epiſcopus prohibeatur exercere quæ ſunt iuriſdictionis, non tamen prohiberi debebat conferre beneficia. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam electores Imperij, Archiepiſcopi videlicet Moguntinus, Treuerenſis, & Colonienſis, qui tanquam Prælati ſuarum Eccleſiarum eligunt Imperatores, electi tantùm, nondum confirmati ſuffragium præſtant in electione Imperatoris, & in Collegio Electorali admittuntur, vt fecerunt anno 1555. Daniel electus Moguntinus: anno 1567. Fridericus electus Colonienſis: eodem anno Iacobus electus Treuerenſis, vt refert Auguſtus Viſquerus *de elect. Reg. Roman.* §. 8. *num.* 41. & ipſe Imperator tantùm electus, ante confirmationem Pontificis iura Imperij adminiſtrat, *cap. legimus*, 93. *diſt.* ergo quia electi ante confirmationem habent ius eligendi, & conferendi dignitates, & inferiora miniſteria Eccleſiaſtica. Secundò præſens deciſio imperfecta videtur ex eo, quia Pontifex in ea non irritat collationes beneficiorum factas ab Epiſcopo electo, nec aliquam pœnam illi irrogat, cùm Epiſcoqus electus, qui ante confirmationem ſe ingerit adminiſtrationi, inhabilis reddi debeat ad ipſam dignitatem, & priuari iure quæſito, vt ſtatutum legimus *in cap. auaritiæ, hoc tit. in* 6. & variis Rotæ deciſionibus probat Iulius Lauorus *d. cap.* 25. ergo ſaltem in hac parte imperfecta eſt præſens deciſio.

6. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Quibus difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt præſens aſſertio, ad cuius expoſitionem ſupponenda ſunt quæ de confirmatione Epiſcopi electi adduximus *in cap.* 3. *hoc tit.* quibus præmiſſis apparet præſentis deciſionis ratio; nam cùm ante confirmationem electus non habeat aliquod exercitium in rebus Epiſcopatus, non debet ſe immiſcere collationi, aut adminiſtrationi beneficiorum, vel bonorum Epiſcopatus, ne rerum ordo confundatur, & ſuperioris auctoritas contemnatur; aliàs de confirmatione electi non curarent, nec confirmatio aliquid operaretur, & contrarium, abuſum dixit Pariſ. *ad annum* 1251. *&* 1253. Ante confirmationem enim Epiſcopus nullo modo pro Epiſcopo habetur, vnde aduersùs eum, ſicut aduersùs priuatum poteſt accuſatio proponi ſine pœna inſcriptionis; quod non procedit poſt confirmationem, *cap. ſuper his*, *de accuſat.* & nunquam Epiſcopus appellatur abſolutè, ſed tantùm electus, *cap. tam litteris*, *de teſtibus*, *cap.* 1. iuncta inſcriptione, *de teſtibus cogendis*, *cap. tua nos*, *de his quæ fiunt à Prælatis*, & Gloſſa *in Clementina prima de pœnis*, docet illa conſtitutione, quâ puniuntur qui in Epiſcopum violentas manus iniecerint, non comprehendi Epiſcopos electos: & licèt Romanus Pontifex, dum reſcribit Epiſcopis, fratres, alios verò filios appellet; dum tamen reſcribit Epiſcopo electo, filium, non fratrē appellat, vt conſtat ex præſenti textu, & *ex c. quam*

graue

graue, de crim. falsi, necnon ex stylo Curiæ Romanæ. Iustè ergo cùm Episcopus tantùm electus ius administrandi bona Episcopatus ante confirmationē non obtineat, in præsenti asseritur, ipsum nō posse ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter administrationi se ingerere, aliàs priuatur iure quæsito, & redditur inhabilis ad illud obtinendum, *c. auaritiæ 5. de elect.* cuius textus decisio procedit non solùm in electo, verùm etiam in postulato, *cap. bonæ 23. hoc tit.* multis relatis docet Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. disput. 6. num. 5.* item in eo, qui administrat post confirmationem, sed innalidam: item in eo qui administrat post appellationem à confirmatione interpositam. Tamburinus *vbi supra*, Glossa *verbo Confirmatur, in d. cap. auaritiæ.* Et licèt dicta decisio continere videatur canonem latæ sententiæ, ex probabiliori Interpretum sententia; est tamen sententiæ ferendæ, vt docet Tamburinus suprà, *num. 26.* Hodie etiam post extrauagātem *iniustitiæ, de elect.* inter communes, non solùm desideratur confirmatio, vt Episcopus possit administrare, verùm etiam vt ipsas litteras confirmationis ediderit, exhibueritque coram Capitulo: latè docet Lauorus *vbi suprà.* Et in nostra Hispania debet priùs obedientiam præstare magno Regi nostro, vt fusè docet Parexa *de instrum. edit. dict. tit. 2. resolut. 3. per totam.* Et ita per præsentationem Regiam hodie Episcopi tantùm assequuntur ius ad ipsam Ecclesiam, non verò in ipsa Ecclesia. Azeuedo *consil. 14. num. 6.* magnus Præceptor Illustrissimus Ramos *in memor. ad Alex. VII. pro Episcop. propos. 3. §. 1. num. 30.* Nec audiendi sunt Tondutus *resolut. benef. 2. part. cap. 3. §. 13. num. 35.* Petrus Gregorius *lib. 17. syntagm. c. 12. n. 24.* Cironius *in parat. ad titulum de postulat. Prælat.* qui docent Episcopum ita præsentatum, saltem spiritualia statim administrare posse.

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat prima difficultas suprà adducta, verum enim est, electum per electionem ius habere ad ipsum Episcopatum, & acquirere administrationem in habitu, non in actu; adquirit enim per electionem habitum administrationis, per confirmationem exercitium. Glossa *in cap. quantò 10. 63. dist.* & illud ius quod acquirit per electionem, tantùm est ad rem, & ad electionem prosequendam, *cap. si eo tempore 45. hoc tit. cap. vt qui duas, de elect. in 6.* Vnde si contingat electum decedere, non dicitur vacasse Episcopatum per mortem ipsius, sed per obitum primi, vt resoluit Tamburinus *tom. 1. de iure Abbatum, disput. 6. quæsito 1. num. 21.* Nec quod de matrimonio contracto dicebamus, aliquid facit; nam per electionem tantùm non dicitur matrimonium contractum inter Episcopum & Ecclesiam; sed sicut in matrimonio carnali triplex consideratur status coniugij, primus per sponsalia celebrata, secundus per cōtractum matrimonij, tertius per consummationem: ita in matrimonio spirituali datur triplex status, initiati per electionem; sicut enim post spōsalia non licet contrahentibus resilire ab illis, nisi ex noua causa, *cap. ex litteris, cap. commissum, cap. requisiuit, de sponsalibus*; ita nec electoribus post electionem licet pœnitere, & ab electione recedere, *cap. cùm inter, de elect.* & sicut per contractum matrimonij contrahitur fortius vinculum, *cap. veniens, de sponsalibus*, ita per confirmationem robur adhibetur electioni, *cap. postquam, hoc titul.* tandem sicut per coniunctionem corporum redditur vinculum matrimonij indissolubile, *cap. ex publico, cum vulgatis, de conuersione coniugatorum*; ita per consecrationem vinculum matrimonij spiritualis redditur indissolubile, *cap. inter, de transl. Episcopi.* Vnde textus *in dict. cap. quoniam, §. si verò*, intelligendus est de matrimonio initiato, non verò rato, aut consummato: docet Hallier. *vbi suprà, fol. 928.* Nec secunda difficultas obstat, nam licèt beneficiorum collatio spectet ad Episcopum ratione iurisdictionis, spectat tanquam fructus ipsius Episcopatus, vt docent repetentes *in dicto cap. 2. ne Sede vacante*; vnde cùm electus aliquid attingere de fructibus Episcopatus non valeat, nec vt œconomus, ita nec conferre beneficia valet. Similiter Capitulum Sede vacante, licèt succedat in iurisdictione Episcopi; tamen quia non succedit in fructuum perceptione, ideò non potest conferre beneficia Sede vacante. Nec vltima difficultas obstat, nam præterquam quod nostri textus quæstio non vertebatur, vtrum puniendus esset Episcopus Linconiensis, qui beneficia contulit, pœna textus *in dict. cap. auaritiæ*, est nouiter statuta *in d. c. auaritiæ*, à Bonifacio VIII. Supponi etiam potest, in nostro textu excusatum fuisse Episcopum à prædicta pœna, ob ignorantiam facti, forsan quia existimauit confirmationem præcessisse, vt supponit Tamburinus *dicta disput. 6. quæsito 2. numero 9.*

8. EXPONITVR CAP. NIHIL 44. HOC TIT.

Aduersatur primò huic decisioni textus *in cap. nihil 44. hoc tit.* vbi asseritur Episcopos commorantes vltra Italiam, posse ante confirmationem administrare, dum tamen aliquid non alienent de rebus Episcopatus: ergo poterunt ante confirmationem beneficia conferre, & omnia gerere ea, quæ alienationem non contineant. Cui difficultati Doctores satisfaciunt asserendo, illum textum procedere ex dispensatione Pontificis, vt constat ex eo ibi, *dispensatiuè*; vnde non proprio iure, sed ex dispensatione. Accedit etiam, quod valdè remoti erant à Curia Romana, vt in ipso textu signanter dicitur; ex qua decisione manifestè probatur praxis Episcoporum Indiarum, vbi Episcopi à Catholico nostro Rege præsentati, cum litteris ad Capitulum missis, vt sinant exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, ritè omnia exercent, propter distantiam Regnorum, & difficultatem nauigationis, vt latè probat eximius illorum Regnorum scriptor D. Ioannes de Solorzano *lib. 4. politicæ, cap. 4.* quem transcripsit Diana *p. 12. tract. 1. resolut. 58.* qui etiam *cap. 7.* refert, propter eandem distantiæ rationem aliquando contigisse, vt sine editione bullarum confirmationis, habitâ tantum expeditionis notitiâ, Episcopum administrasse, & consecratum fuisse; quod supremum Indiarum Consilium ratum habuit in casu Episcopi de Paraguai.

9. INTELLIGITVR CAP. TVA NOS, DE HIS QVÆ FIVNT.

Secundò prædictæ assertioni opponitur textus *in cap. tua nos 8. de his, quæ fiunt à Prælatis*, in illis verbis: *Episcopo, vel electo.* Ex quibus deducitur, non licere electo Episcopo conferre beneficia, seu vnire locis regularibus cum consensu Archidiaconi, sine consensu Capituli; quia illa annexio alienatio est: igitur cum consensu Capituli licebit Episcopo beneficia conferre ante confirmationem. Huic difficultati respondendum est, in eo textu Episcopum non solùm fuisse electum, verùm etiam confirmatum, vt supponunt ibi Butrius, Zabarella, & Hostiensis: sed quia confirmatus non est perfectè Episcopus, vt dicemus *in cap. transmissa 15. hoc tit.* ideò appellatur electus, non quia confirmatus non esset, sed quia per consecrationem non reperiebatur perfectè Episcopus;

copus ; & cùm opponeretur Epiſcopo conſecrato, ibi : *Epiſcopo, vel electo* ; non poterat alio verbo appellari : & cùm verè eſſet confirmatus, poterat beneficia conferre. Huic commentario adiungenda ſunt quæ adducemus infrà *in cap. tranſmiſſam* 15.

CAPVT X.

Idem.

CONſideraui mus, quod electio Ioannis Frontini poſt appellationem ad nos interpoſitam, & contra tenorem priuilegiorum Eccleſiæ veſtræ fuerit celebrata. Perpendimus etiam, quod electio poſt illam qualemcunque electionem non caſſatam, necnon & poſt appellat. (per quam ad ſuum ſtatum omnia debent reduci) facta fuit, & illata violentia, quamquam Rex penitùs inficietur violentiam aliquam in hoc de aſſenſu, vel conſcientia ſua vnquam perpetratam fuiſſe. Quapropter nos electionem vtriuſque de communi fratrum noſtrorum conſilio omninò caſſauimus, & vobis in aliam perſonam idoneam, & honeſtam conueniendi liberam tribuimus facultatem ; ita tamen, quod vtrique prædictorum fama ſua non minùs propter hoc integrè conſeruetur, & quod in aliis Eccleſiis poſſint, ſi Deus dederit, ad dignitatem promoueri. Vobis autem liceat, præter iſtam Eccleſiæ veſtræ ordinationem in alterutrum eorum, ſi voluntas fuerit, iterum conuenire, & eum vobis in Abbatem, atque Magiſtrum canonicè prouidere.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Alexander videlicet III. cui tamen miſſa ſit hæc decretalis epiſtola, nec ex hac collectione, nec ex prima, vbi *ſub hoc tit. cap.* 22. refertur, conſtat, nec etiam in qua prouincia præſens caſus contigiſſet.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur aſſertio : *Electio ſecunda facta primâ non caſſatâ, quia appellatum eſt, vel contra priuilegia Eccleſiæ celebrata erat, caſſanda eſt, licèt in prima electus denuò eligi poſſit.* Probant textus *in cap. ſuper eo, cap. auditis, cap. bonæ, el primero, cap. innotuit, cap. cùm terra, hoc tit. cap. bonæ* 2. *de poſtulat. Prælat. cap. ex parte* 10. *de arbitris, cap. ad probandum, de re iudicata, cap. conſtituti, de appellat. cap. poſt electionem* 7. *de conſ. præb.* Illuſtrant Petrus Gregorius *de elect. c.* 18. *num.* 5. Caſtellinus *eod. tract. cap.* 4. *num.* 52. Iulius Lauorus *in ſimili tract. cap.* 19. *num.* 123. Barboſa *tom.* 1. *voto* 39. *num.* 65. Cuiacius *in cap. cùm in Apoſtolica* 8. *de ſponſalib.* Samuel *de elect. tract.* 1. *diſput.* 2. *num.* 27. Acuña *in cap. quantò* 10. 63. *diſt. num.* 3. Garcia *tom.* 2. *polit. tract.* 9. *difficultat.* 6. *dub.* 3.

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed quia veritas diſputando eruitur, *l. final. §. mixta*, & ibi Bartolus, *ff. de munerib. & honorib. cap. graue*, & ibi Gloſſa, *verbo Veritas, de præbendis*, Vulteius *volum.* 1. *conſil.* 15. ideo pro ratione dubitandi aduersùs hanc concluſionem ita argumentor : ſi in hoc textu ad ſecundam electionem Canonici procedere non valerent, maximè quia prima caſſanda erat : ſed prima non poterat irritari : ergo ſtatim ſequi poterat ſecunda electio. Probatur minor. Quæ nulla ſunt, ipſo iure non egent caſſatione, cùm per ſe non ſubſiſtant, regulâ *Non præſtat, de reg. iuris in* 6. ſed electio facta poſt appellationem, aut contra priuilegia Eccleſiæ, eſt nulla ipſo iure : ergo non eget caſſatione. Probatur prima pars minoris ex textu *in cap. bonæ, el primero, hoc tit.* vbi electio facta poſt appellationem, ipſo iure non valet ex eo, quia omnia geſta poſt appellationem, tanquam attentata, non valent, *cap.* 1. *cum vulgatis, de appellat.* igitur electio poſt appellationem celebratam ipſo iure non ſubſiſtit. Probatur ſecunda pars propoſitionis ex eo, nam priuilegium eſt priuata lex, *cap. priuilegia*, 3. *diſt.* ſed quæ fiunt contra leges, ipſo iure nulla ſunt, *l. non dubium, Cod. de legibus, cap. vide*, 10. *diſt. cap. quæ contra ius, de regul. iuris, lib.* 6. igitur electio facta contra Eccleſiæ priuilegia, nulla eſt ipſo iure, & per conſequens, ſi caſſatione non indiget, ſtatim procedi poteſt ad ſecundam. Augetur hæc conſideratio, nam valet argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale, *cap. inter, de tranſlat. Epiſcopi* ; & de cauſa matrimonij, ad cauſam electionis, *cap. cùm inter canonicos*, vbi Abbas, *hoc tit.* ſed ſi quis contracto primo matrimonio nulliter ob impedimentum irritans, adhuc lite pendente, eo non caſſato, ſecundum celebret, validè contrahit, non expectatâ iudicis eccleſiaſtici ſententiâ, *cap.* 2. *de matrim. contract. cap. veniens* 13. *cap. cùm in apoſtolica, de ſponſalib.* ergo ſimiliter poſt electionem primam, ſed nullam, quia contra priuilegia Eccleſiæ, vel poſt appellationem erat celebrata, adhuc eâ non caſſatâ, ſecunda celebrari valet.

4. DE APPELLATIONE AB ELECTIONE. Hac conſideratione non obſtante, vera eſt noſtra deciſio, quæ vt ampliori lucis vſurâ fruatur, ſciendum eſt, quod licèt appellatio facta, ne electio celebretur, vt vaga, nulla ſit, *c.* 1. *de poſtulat. Prælat. cap. ex ore, verſic. de hoc, de his quæ fiunt à Prælatis* ; valet tamen ita interpoſita, vt hoc modo, vel illo canonicè fiat, ne talis perſona eligatur ; & tunc electio appellatione pendente vt attentata reuocatur, Lancellotus *de attentatis lib.* 2. *cap.* 2. *limit.* 26. Salgado *de protect. part.* 3. *cap.* 8. ſicut alia omnia noſt appellationem geſta, *cap.* 1. vbi dicam, *de appellat.* Similiter electio reuocanda eſt, ſi fiat contra priuilegia alicui Eccleſiæ conceſſa circa electionem Prælatorum ; frequenter enim Eccleſiæ habent priuilegium, ne ex alia, quàm ex ipſa Eccleſia Rector eligatur, aut ſimilia, *cap. cùm dilectus, de conſuet. cap. Abbate, de v. ſ.* tunc enim ſimilia

similia priuilegia in electionibus valdè attendenda, & custodienda sunt.

5. RATIO DECIDENDI.

Vnde profluit vera decidendi ratio ad nostrum textum ; nam licèt electio facta post appellationem , & contra priuilegia Ecclesiæ , sit cassanda, tamen ipso iure non est nulla ; vnde cùm per ipsam electionem sit contractum matrimonium inter ipsum electum & Ecclesiam , *cap. cùm inter, hoc tit.* ideò donec annulletur prima electio, non potest procedi ad secundam, quia sicut in matrimonio carnali non potest dari polygamia , vt vnus duabus coniunctus sit ; ita nec in spirituali potest quis duabus Ecclesiis vt sponsus præesse. Rectè ergo deciditur in nostro textu , ad electionem secundam non esse procedendum , donec cassetur prima facta post appellationem interpositam , & contra priuilegia Ecclesiæ. Sed cùm in his electionibus electi excluſi non sint , tam à prima , quàm à secunda electione,propter vitium, aut defectum eorum,sed tantùm propter appellationem, aut formam non seruatam in secunda electione, ideò electi fama non minuitur , aut sugillatur, sed illibata permanet , & sic potest in alia Ecclesia, vel in ipsa , vt Prælatus præfici ; vt ex nostri textus finalibus verbis constat ; licèt aliqui ex antiquioribus ausi sint contrarium defendere. Si tamen non de electione, sed de beneficio inter duos lis disceptetur , vno defuncto alter subrogatur in iure vtriusque , ex regula de collitigantibus, quam exponunt Lotherius *lib. 2. de re benefic. c. 20.* Barbosa *tom. 6. in cap. 1. vt lite pendent.*

6. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt attentatum post appellationem sit ipso iure nullum,ex vulgatis principiis ; hoc tamen procedit in appellatione iudiciali, non verò extraiudiciali , quia tunc post eam factum non est inualidum ipso iure , sed tantùm reuocari potest per viam attentati, Butrius , Hostiensis, & Zababarella *in præsenti.* Discriminis ratio in eo consistit, nam per appellationem iudicialem suspenditur potestas iudicis : sed per appellationem extraiudicialem non suspenditur potestas , & sic posteà gesta non sunt ipso iure nulla. Sunt tamen casus , in quibus appellatio extraiudicialis etiam inducit attentata ipso iure nulla , vt quando gesta post appellationem extraiudicialem , non solùm peraguntur post appellationem , sed etiam contra ipsam ; tunc enim etiamsi appellatio sit extraiudicialis, inducit attentata , *cap. cùm nobis , hoc titul.* vbi Abbas *num. 7.* Lancellotus *2. part. de attentatis, cap. 12. limit. 3.* Valenzuela *consilio 76. num. 25.* Quando autem fiat aliquid contra appellationem, exponit Barbosa *voto 39. num. 69.* Vel si appelletur ab electionibus Cathedralium , vel Regularium Ecclesiarum , cùm exprimitur causa , quæ verificata iudicatur legitima , *cap. quoniam 10. cap. si postquam 13. de præb. lib. 6.* Lancellotus *d. cap. 12. limit. 1.* Tandem si appellationis causa probata sit coram superiore, tunc enim licèt sit extraiudicialis , inducit attentata ipso iure. Glossa *in cap. non solùm, §. illa , de appellat. lib. 6.* docet & illustrat Barbosa *d. voto 39. num. 1.* sed cùm nullus ex his casibus in hoc textu præcessisset , ideò appellatio extraiudicialis non inducit attentata,quæ ipso iure nulla sint. Nec augmentum primum huius difficultatis obstat , deductum *ex d. cap. priuilegia, cum aliis* ; nam licèt priuilegia sint leges , sunt tamen priuatæ , non publicæ , aut communes: quare cùm in facto consistant , facilè ignorantur, *cap. 1. de constit. in 6.* vnde facta contra priuilegia , non sunt ipso iure nulla ; sicut facta contra leges publicas & communes. Nec aliud huius difficultatis augmentum refragatur,deductum *ex cap. cùm in apostolica , de sponsalib.* cui satisfacit Cuiacius in eodem textu ; asserendo in nostro textu irritari electionem factam post primam non cassatam , quia vitium continebat : at verò *in d. cap. cùm in apostolica* , secundum matrimonium nullum vitium continere , & sic vt validum defendi. Sed hæc solutio ex eo non placet ; nam electio facta post primam adhuc non cassatam , nullum aliud vitium continet , nisi vt vna Ecclesia duobus adhæreat ; vni ratione primæ electionis, licèt inualidæ ; alij virtute secundæ electionis , quod *in dict. cap. cùm in apostolica* , contingit ; immò & si verum fatemur, maius vitium adest *in dict. cap. cùm in apostolica* , & debet considerari in eo , qui contraxit secundum matrimonium lite nondum sopitâ super primo, & adhuc per sententiam iudicis non irrito , quàm in nostro textu ; siquidem qui contraxit matrimonium primum, & lite pendente secundum celebrauit , exposuit se periculo polygamiæ , si primum validum esse declaretur. Quare eâ sententiâ omissâ dicendum puto , in eo textu matrimonium secundum, licèt non iustum, tamen validum fuisse , cùm posteà apparuisset primum inualidè contractum fuisse , & sic secundum sine vitio , aut impedimento dirimente fuisse celebratum ; non tamen irritatur , vt electio in præsenti casu , quia non ita facilis est irritatio matrimonij sicut electionis ; in matrimonio enim validè , etsi iniustè celebrato , datur sacramentum , quod Ecclesia irritare non valet : quare in eo textu non irritatur secundum matrimonium , sicut electio in præsenti textu.

7. EXPONITVR CAP. CVM TERRA 14. HOC TIT.

Sed adhuc præsenti assertioni obstat textus *in cap. cùm terra , 14. hoc tit.* in illis verbis : *Quod si in persona fuerit , vel in electionis modo peccatum, tamdiu in electione diligentiam inquisitionis apponant, donec vacanti Ecclesiæ de persona idonea valeat prouideri.* Ex quibus verbis apertè deducitur , post primam electionem nondum cassatam , ad secundam procedi posse : ergo non rectè Alexander in præsenti decidit , nondum cassatâ secundâ electione, secundam celebrari non posse. Cui difficultati vt satisfaciant Glossa ibi , *verbo diligentia* , & classici repetentes *ibi* , varias solutiones adducunt.Primò asserunt in eo textu electionem iam cassatam fuisse tempore secundæ , vel secundam electionem celebrari non permitti , sed tantùm inquisitionem fieri de personis eligendis , vt primâ electione cassatâ possit rectè ad secundam procedi. Secundò , & veriùs , affirmant in eo textu electionem primam ipso iure nullam fuisse , & sic statim ad secundam procedi posse : ita Butrius , & Abbas in eius textus expositione. Etiam ex suprà traditis exponi debent textus *in cap. sicut 28. hoc tit.* iuncta Glossa *ibi , verbo Iuris , cap. auditis 29.* cum Glossa *ibi , verbo cassatam , eodem tit. cap. ex parte , de arbitris.*

CAPVT

CAPVT XI.

[a] Idem.

SVffraganeis alicuius Metropolitani ad mandatum ipsius post confirmationem Selectionis suæ, etiamsi pallium non receperit, licitum est electum, qui ad eius iurisdictionem pertinet, consecrare.

NOTÆ.

1. [a] *Idem.*] Simile etiam vitium continet hæc decisio, ac antecedens; licèt enim reperiatur *sub hoc tit. cap.* 1. *in* 2. *collectione*; non tamen constat cui missa sit, & quâ occasione ab Alexandro III. ita decreta, adeò vt quidam asseruerint, hanc epistolam non esse decretalem, sed quandam adiectionem Ioannis Gallensis, & sic vim legis Pontificiæ non obtinere: sed cùm compilata sit in hac sexta collectione, locus non est hæsitationi, vtrum authentica sit, vel apocrypha, vt dixi in apparatu, & iam animaduertit Panormitanus hîc *num.* 1. quem sequuntur Sanchez *lib.* 7. *consilior. cap.* 2. *dubio* 16. *num.* 16. Diana *p.* 12. *tract.* 1. *resolut.* 68.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO TRADITVR. EX hoc textu talis depromitur assertio: *Metropolitanus non consecratus, licèt nondum receperit pallium, potest consecrationem sui suffraganei delegare Episcopo.* Non est similis decisio in iure, ex qua ab specie, vt vulgò dicitur, probari possit: per argumentum autem probatur *ex cap. nosti, cap. transmissam, hoc tit. cap.* 2. *de translat. Episcopi*, vbi docetur, posse Archiepiscopum post confirmationem exercere quæ sunt iurisdictionis, etsi non receperit pallium. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Azor 2. *tom. instit. lib.* 3. *cap.* 34. Sanchez *tom.* 2. *consil. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 16. Boerius *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 29. *q.* 7. Pater Andreas Gerund. quem laudat Diana *p.* 12. *tract.* 1. *resolut.* 68. Turriscremata *in cap. Episcopo* 6. *dist.* 100. Hallier. *de sacris elect.* 2. *p. cap.* 4. *art.* 1. §. 9. *fol.* 701. Solorzano *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 7.

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Huius decisionis dubitandi ratio vnica, sed non leuis, ex eo nascitur; nam ille videtur facere, cuius nomine fit, *cap. mulieres, de sentent. excomm. cap. qui per alium*, vbi plures. Peshius *de reg. iur. in* 6. sed Metropolitanus, etiam confirmatus, dum pallium non recepit, non potest consecrare suffraganeum, *cap. quod sicut* 28. §. *super eo, hoc tit.* Nicolaus *ad consulta Bulgarorum, cap.* 73. vbi de Episcopo eligendo eos admonens, inquit: *Si Christi plebs ipso crescente crescit, Archiepiscopus priuilegia per nos accipiat; & ita demùm Episcopos sibi constituat, qui ei succedenti successorem eligant.* Et paulò post: *Archiepiscopum ab Episcopis eligendum scribit, sanè interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium à Sede Romana accipiat, sicut Galliarum omnes & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Gregorius VII. *lib.* 9 *epist.* 1. ibi: *Te ipsum non ignorare putamus, quàm districtè sanctorum Patrum censura in eos vindicandum statuerit, qui post consecrationem suam post tres continuos menses pallium, quod sui officij, obtinere tepuerint. Deinde Apostolicâ tibi præcipimus authoritate, vt quia sanctorum Patrum statuta paruipendisti, nullum deinceps Episcopum, vel Sacerdotem ordinare, seu Ecclesias præsumas consecrare, donec honoris tui supplementum, pallij videlicet vsum, ab hac Sede impetraueris.* Ioannes VIII. *epist.* 93. vbi Arelat. Archiepiscopo rescribens, ita ait: *Proh dolor, cùm in Galliæ partibus essemus, inter cætera vnum valdè prohibendum inuenimus: Metropolitæ antequam à Sede Apostolica pallium receperint, consecrationem facere præsumunt, quod antecessores nostri, & nos canonico decreto, ne fieret, interdiximus; per pallium enim Pontificalis officij plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur.* Igitur si ipse per se non potest consecrare Episcopum, quomodo poterit consecrandi potestatem aliis demandare.

4. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Adhuc tamen defendendum est hoc Alexandri decretum, ad cuius expositionem supponendum est, ad Archiepiscopum spectare consecrare Episcopos suffraganeos, vel eorum consecrationem Episcopo demandare, *cap. si Episcopus* 7. *de temporib. ordin.* vbi plura adducemus, quæ ex eo commentario petenda sunt, & huic annectenda. Etiam sciendum est, Archiepiscopum post confirmationem, etiam pallio non recepto, posse exercere quæ sunt iurisdictionis, exceptis grauioribus causis, vt congregare Concilium, & similia; quia adhuc non habent plenitudinem officij, nec nomen Archiepiscopi, *cap. nisi, de auctorit. & vsu pallij*, vbi plenè probo. Ex eius commentario præsens suppleri debet, ne bis eadem repetam: quibus suppositis facilè eruitur huius decisionis ratio; nam cùm Archiepiscopus ante pallij receptionem possit exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, & eius ratione Archiepiscopo competat ius consecrandi Episcopos suffraganeos, vel delegandi eandem consecrationem alicui ex suffraganeis, ideò in præsenti textu deciditur, Metropolitanum posse suffraganei consecrationem committere, & delegare ante pallij receptionem, cùm post confirmationem, quæ sunt iurisdictionis exercere valeat, *dict. cap. nosti, dict. cap. transmissam.*

5. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS. Nec obstat, Archiepiscopum per se ante pallij receptionem non posse Episcopum consecrare, & per consequens nec aliis committere consecrationem; nam Archiepiscopus, dum committit suffraganeo consecrationem suffraganei, non committit potestatem ordinis, quæ est indelegabilis, *cap. aqua, de consecratione Ecclesiæ*, cùm proueniat ex charactere; sed tantùm præstat iurisdictionem, quam habet in consecrandis Episcopis, vt Episcopus possit Episcopum ordinare, qui aliàs ex defectu iurisdictionis illum consecrare non valebat: coniunguntur ergo potestas ordinis, quæ residet in Episcopo delegato, & iurisdictio, quæ mandatur, & sic ex his duobus, iurisdictione videlicet vnius, & alterius ordine, ritè celebratur consecratio ab Episcopo suffraganeo: sicut defuncto Archiepiscopo suffraganei ritè consecrât consuffraganeũ suum, *c. quia*, 64. *dist.* Nec hoc nouum, aut insolens

est in vtroque iure; nostro enim Pontificio attento, licèt Capitulum Sede vacante non possit ordines conferre, potest tamen committere subditos suos alicui Episcopo, vt ab eo ordinentur, *cap. cùm nullus, de temporibus ordin. lib. 6.* seruatâ formâ Concilij Tridentini *sess. 8. de reform. cap. 10.* & Archiepiscopus non consecratus, non potest altaria & Ecclesias consecrare, *d. c. 28. §. super, hoc tit.* & tamen potest earum consecrationem aliis demandare. Parochus similiter habens beneficium parochiale, sed non ordinatus, quia intra annum est, licèt ex opinione plurium non possit matrimonio assistere, tamen potest alij sacerdoti facultatem assistendi delegare. Basilius *de matrim. lib. 5. cap. 17.* Barbosa *de officio parochi, cap. 22. num. 60.* Iure etiam Cæsareo Proconsul, qui ante ingressum ciuitatis iurisdictionem non habebat, *l. 1. ff. de officio Proconsulis*, Cuiacius *in l. Legatus 20. ff. de officio Præsidis*; tamen poterat iurisdictionem demandare, *l. aliquando, ff. de officio Proconsulis:* ita similiter Archiepiscopus ante pallij receptionem, licèt consecrare Episcopum non possit, potest tamen Episcopo demandare talem consecrationem.

6. EXPONITVR CAP. QVONIAM 100. DIST.

Sed primò in hac parte adest difficilis textus *in cap. quoniam, 100. dist.* in illis verbis: *Metropolitanorum fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctæ Sedi Apostolicæ exponere detrectantes, vsum pallij neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur.* Ex quibus verbis depromitur, Episcoporum consecrationem differri, donec Archiepiscopus pallij vsum consequatur: igitur, quia dum illud non obtinet, neque per se, neque per alium consecrare potest Episcopos. Difficultatem agnouerunt Glossa *in præsenti*, & *in d. cap. quoniam, verbo Episcoporum*; & omnes antiquiores *hîc*, qui varias adducunt solutiones: quibus omissis, placet noua interpretatio Hallierij *de sacris elect. vbi suprà, fol. 700.* dum Pelagij decisionem non vniuersalem, nec perpetuam esse supponit, sed pro opportunitate temporis, & prouinciæ dimanasse: cùm enim temporibus Pelagij, Archiepiscopi, Episcopique Ligurum, Venetorum, atque Istrionum, pro defensione trium capitulorum Concilij Chalcedon. contra quintam Synodum schisma conflarent, eos valdè increpauit, immò aduersus eos dimicauit Pelagius, vt constat ex eius epistolis ad Narsetem: quare vt faciliùs, tam Archiepiscopi, quàm Episcopi ad fidem Romanæ Ecclesiæ redirent, statuit ne Archiepiscopi, non petito pallio, in cuius assecutione fidem atque obedientiam promittunt, *cap. significasti 4. hoc tit.* Episcopos possent consecrare, aut committere consecrandos, vt sic Episcoporum consecratione protelatâ, obedientiam Pelagio præstarent, ita Hallierius *vbi proximè.*

7. EXPLICATVR CAP. 1. DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

Secundò aduersatur textus *in cap. 1. de translat. Episcop. in fine*, ex cuius vltimis verbis deducitur, Archiepiscopum pallio non accepto Episcopum Valiensem confirmasse: igitur, quia Archiepiscopus per se, pallio non recepto, potest Episcopos ordinare. Cui difficultati respondendum est, textum illum procedere in Archiepiscopo confirmato Episcopum confirmante; cùm enim per confirmationem iurisdictionem consequatur, ita vt omnia quæ sunt iurisdictionis, possit exercere cõfirmatus, ideo potest Episcopos confirmare, quia in confirmatione non exercet quæ sunt ordinis, sed iurisdictionem, cuius exercitium habet post suam confirmationem, *cap. nosti, c. transmissam, hoc titulo.*

CAPVT XII.

[a] Clemens III.

SVper eo verò, quod quærere voluisti, si alicuius electione cassatâ, idem ad alterius Ecclesiæ regimen electus fuerit, an eius electio debeat confirmari: hoc tuam volumus discretionem tenere, quod si prior electio non vitio personæ, sed modo electionis cassatur, promotionem eius in eadem etiam Ecclesia (nisi fortè simoniacæ prauitatis aliquid interceßisse constitit) non debeat impedire.

NOTÆ.

1. [a] *Clemens III.*] Ita legitur in hac collectione, alibi autem legitur, *Alexander III.* cui autem missa sit hæc decretalis, neque ex hac, neque ex secunda collectione, vbi *sub hoc tit. cap. 3.* reperitur hæc decisio, apparet.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO TRADITVR.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Ille, cuius electio fuit cassata, non vitio personæ, sed formæ electionis, nisi ob vitium simoniæ, iterum eligi potest.* Probant textus *in cap. consideranimus, hoc tit. cap. gratum 2. de postulat. Prælat. cap. ad petitionem 22. de accusat.* Illustrant Ioannes Calderinus *in repetitione ad hunc text.* Petr. Greg. *de elect. cap. 9. num. 23.* Castellinus *eod. tract. cap. 5. num. 35.* Iulius Lauorus *de elect. cap. 5. num. 35.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disput. 5. quæsito 21. n. 4.* Laurentius Peyrinis *de subdit. relig. cap. 31. tom. 1. §. 8.* Layman. *de Prælat. elect. cap. 6. q. 61.* Alij plures relati à Barbosa *tom. 1. voto 35. num. 22. & voto 36. num. 22. & voto 104. n. 23.*

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc assertio valdè impugnatur sequenti consideratione; nam materia & forma ad perfectionem cuiuslibet rei necessaria sunt, *c. de ætate 1. q. 1. cap. tua nos, de sponsi.* & sic cuiuslibet defectus tollit perfectionem rei, vel actus, *cap. in quadam, de celebrat. Missarum:* sed in electione vitium personæ electæ est vitium materiæ: ergo sicut vitium formæ solùm reddit ipsam electionem cassandam, non verò inhabilem reddit electum ad aliam; ita similiter & vitium materiæ, hoc est personæ, tantùm electionem debet vitiare, non autem electum reddere inhabilem ad aliam electionem. Secundò impugnatur hæc assertio; nam vt quis propter electionem cassatam reddatur inhabilis in posterum ad aliam quamlibet, repugnat iuri canonico, & rationi: iuri Pontificio, quatenus in eo docemur, ob crimen in modum exceptionis oppositum, criminosum non puniri pœnâ ordinaria, *c. 1. de exceptionibus, cap. 2. de ordine cognitionum:* nec exinde criminosus redditur infamis, *dict. cap. 1. l. Lucius, ff. de his qui notantur infamiâ:* sed cùm agitur de cassatione electionis, tantùm vitia opponuntur electo per modum exceptionis:

ergo

ergo non debet inhabilis inde reddi ad alias electiones, cùm hæc fuisset pœna ordinaria, ob delictum in modum exceptionis oppositum. Rationi etiam, nam qui in vna electione vitio personæ reiectus est, potest emendari, & per pœnitentiam reddi habilis ad secundam electionem; *multos enim vidi & audiui* (inquit Cicero in oratione pro Cælio) *qui cùm totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, & se ad frugem bonam recepisse, grauesque homines, & illustres fuisse.* Vnde Pericles, qui ex seducta prodiit domo, Athenien sium fuit Imperator electus, cùm emendatus esset: ergo etsi aliqua electio vitio personæ cassata sit, quia potest expectari eius pœnitentia, non quoad omnes alias electiones debet inhabilis iudicari. Accedit, nam sæpe quis est dignus minori dignitate, non tamen maiori, *c. scriptum 12. hoc tit. c. nos 12. dist.* ergo licèt indignus sit quis maiori dignitate, non debet repelli ab omnibus electionibus.

4. ELIGI QVI NON POSSINT.

Quâ dubitandi ratione non obstante defendenda est præsens decisio, ad cuius expositionem sciendum est, non omnes eligi posse ad dignitates ecclesiasticas; aliqui enim vitio, seu delicto eligi prohibentur, vt sacrilegi, *cap. venerabilem, hoc tit.* qui ab aliis etiam actibus excluduntur, *cap. nulli 3. q. 4.* falsarij litterarum Apostolicarum, *cap. ad falsariorum, de crimine falsi*; vsurarij, *cap. de Petro, 47. dist. cap. inter dilectos, de excessib. Prælat.* infames enim sunt, *l. improbum, C. ex quibus causis infamia*; schismatici, *cap. nos, 12. dist. cap. quia tua 5. de elect.* excommunicatione maiori ligati, *c. postulasti, de clerico excomm.* interdicti, *cap. cùm inter, hoc tit. cap. 1. de postulat. Prælat.* suspensi, *cap. cùm dilectus 8. de consuet.* periuri, *cap. querelam 10. de iureiurando*; publici aleatores, *d. cap. inter, de excessib.* & omnes alij, qui irregularitatem contraxerunt, vel ob vitium animi, corporis, originis, ob vinculum reale, personale, aut ciuile, quos longum foret recensere. Videndi sunt Maiolus, Suarez & Gibalinus *in comment. de irregul.* P. Gregorius *de elect. cap. 9. per totum*, Coruinus *lib. 1. de iure Pontificio, tit. 25.* Barbosa *allegat. 42. & 43. & 77.*

5. DE VITIO SIMONIÆ.

Secundò sciendum est, inter delicta, aut vitia à supradictis recensita, quibus aliquem eligi prohibetur, semper vt detestabilius iudicatum fuisse simoniæ vitium; simoniæ enim labes impedit electionem ad omnem dignitatem ecclesiasticam: ita notorij simoniaci, si de facto electi fuerint, à dignitate abiici, & deponi debent, *cap. insinuatum 13. de simonia*; nec solùm simoniaci, & per simoniam dignitatem ecclesiasticam adepti, dicuntur illi, qui pecuniam electoribus dederunt, aut illicitas pactiones inierunt, *l. si quemquam, C. de Episcop. & Clericis*; verùm & si propinqui, aut amici electi, siue eligendi, pecuniam dederint, aut prædictas pactiones fecerint, *cap. Matthæus, de simonia*; isti enim licèt propriâ personâ immediatè vitium simoniæ non contraxerint, tamen simoniacè eliguntur, & talis electio nulla est, atque electus redditur inhabilis ad beneficium, ac si vitium ipse contraxisset, vt dicemus *ad titulum de simonia.*

6. DE FORMA ELECTIONIS.

Tertiò prænotandum est, electionem aliquando nullam esse, non ex defectu habilitatis electi, verùm ex defectu formæ, videlicet quia non fuit seruata forma præscripta *in cap. quia propter, hoc tit.* vel ex defectu eligentium, cùm propter eorum vitium cassatur electio, vt quia elegerunt conditionaliter, vel alternatiuè, *cap. 2. de elect. in. 6.* vel non vocatis vocandis, *cap. quod sicut, cap. bonæ, el 2. hoc tit.* vel admissis ad electionem non admittendis, vt si admittantur excommunicati maiori excommunicatione, *cap. illa, hoc tit.* vel laici, qui admitti non debent, *cap. si quis, cap. Massana, hoc tit.* vel si eligant contra priuilegia Ecclesiæ, *cap. considerauimus, hoc tit.* vel tandem neglexerint ea, quæ circa electionis formam à sacris canonibus sunt præscripta, de quibus passim *in hoc tit.* & præcipuè *in d. cap. quia propter*, agemus: in his enim casibus electio non cassatur ob vitium personæ, sed ob formæ defectum. Ex quibus apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm electio cassatur vitio formæ, imputari non debet electo tale vitium, cùm nemo alterius odio prægrauetur, *l. iniquissimum, ff. de iuris & facti*; nec res quæ culpâ caret, in damnum vocari debet, *c. 2. de constit.* ideò cùm electus ob vitium formæ non seruatæ nullam infamiæ notam contraxerit, siquidem ob vitium suum non fuit cassata electio, inde ad alias electiones in ipsa Ecclesia, vel in alia habilis remanet: at verò cùm vitio personæ electio cassatur, electus remanet inhabilis ad alias electiones; nam ex tali vitio sugillatur electi persona, & notatur quodammodo, *cap. cito 1. q. 1.* sed cuius opinio est grauata, eligi interim non potest, *cap. omnipotens, de accusation.* & infamibus portæ dignitatum non patent, *cap. infamibus, de regul. iuris, lib. 6.* igitur illi manent inhabiles ad omnes dignitates ecclesiasticas. Accedit, nam semel malus, semper præsumitur malus, *reg. Semel. de regul. iuris lib. 6. l. si cui, §. iisdē, ff. de accusat.* vnde qui propter grauatam opinionem fuit à testimonio aliquando repulsus, semper repellitur, *cap. testimonium 54. de testibus:* vnde fertur, M. Fiduccium Senatorem semel proscriptum fuisse à Silla, & post 36. annos proscriptum iterum ab Antonio; nec vlla alia de causa, quàm quòd anteà fuisset proscriptus, vt refert Plinius *lib. 7. historiæ, cap. 44.* Rectè ergo Alexander III. in præsenti decreuit, eum cuius electio vitio personæ cassata fuit, reddi inhabilem ad alias electiones, tam in ea Ecclesia, quàm in alia.

7. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec prima dubitandi ratio suprà adducta obstat; nam licèt æquè defectus formæ ac materiæ vitiet electionem, hoc procedit quoad vim, & effectum ipsius electionis, non verò vt inhabilitas inde proueniat respectu electi; siquidem, vt suprà dixi, cùm vitio formæ electio cassatur, factum electorum non debet nocere electo, nec ille sine dolo suo damnum sentire, vt Abbas, Butrius, & omnes antiquiores hîc defendunt. Nec secunda difficultas obstat, nam cùm electio cassatur vitio personæ, non cassatur electio quia opponitur vitium in modum exceptionis: immò potiùs cùm agitur de cassanda aliqua electione, ita proceditur, vt formetur processus, vocato priùs & audito ipso electo, vt docent Rodriguez *tom. 2. quæstione 52. art. 12.* Castellinus *vbi suprà, num. 27.* Valenzuela *tom. 1. consilio 44.* Portel. & alij laudati à Barbosa *dicto voto 35. num. 22. & voto 38. num. 17.* vnde cùm citatus sit electus, rectè, si probetur vitium, deciditur, manere ineligibilem quoad alias dignitates ecclesiasticas. Nec obstat augmentum difficultatis à ratione deductum; nam cùm quis semel ob vitium inhabilis declaratus est quoad vnam Ecclesiam, inhabilis censetur quoad omnes, quia semel malus semper præsumitur talis, dictâ regulâ *Semel*, vbi plura Petrus Pecchius. Distinguendum tamen est inter vitium animi, & corporis; nam vitium animi, de quo agimus, durare potest; vitium verò corporis tolli, & aboleri in totum. Vnde reiectus ab electione ob vitium corporis

temporalis, non ſemper manebit inhabilis, cùm deficiat cauſa ipſius inhabilitatis. Nec quod dicebamus de inhabilitate quoad minores dignitates, obſtat; nam non attenditur quoad caſſationem primæ electionis quantitas dignitatis, ſed tantùm vitium perſonæ inſpicitur: vnde ſiue ad maiores, ſiue ad minores dignitates manet inhabilis, vt docent Cardinalis *hic*, & alij ſuprà citati.

8. EXPONITVR CAP. OFFICII 38. HOC TIT.

Sed adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in cap. officij* 38. *hoc tit.* vbi cùm quædam electio fuiſſet caſſata, non vitio formæ, ſed perſonæ, decidit ipſum inualidè electum poſſe ex poſtfacto admitti ad ipſam dignitatem: igitur reiectus ab vna electione, nec quoad ipſam Eccleſiam, immò nec quoad ipſam dignitatem manet inhabilis. Pro cuius textus expoſitione diſcrimen conſtituendum eſt inter vitium electi perpetuum, & temporale; cùm enim adeſt in ipſo electo vitium perpetuum, nec in ipſa Eccleſia, nec in alia eligi poteſt; cùm autem vitium non eſt perpetuum, ſed temporale, ex quo nulla infamia ſecuta fuit, tunc ſemel reiectus ab vna electione, poteſt deinceps ſublato vitio eligi, *cap. cùm inter R. hoc tit.* docet Bohic. *in præſenti*, *num.* 4. vnde cùm defectus, ſeu vitium electi *in d. cap. officij* 38. eſſet temporale, ex eo proueniens, quod non erat profeſſus in ipſo monaſterio, quod vitium lapſu temporis nouitiatus, & profeſſione ſecutâ tollitur; ideò aſſerit Pontifex, poſt profeſſionem emiſſam poſſe eligi in Abbatem ipſius monaſterij: ſed quia aliqua ſuſpicio anticipatæ electionis poterat in eo conſiderari, iniungitur illi purgatio, vt ab hac ſuſpicione, ſi qua adfuerat, liberaretur.

9. EXPONITVR CAP. CONSIDERAVIMVS, HOC TIT.

Secundò obſtat textus *in cap. conſideranimus* 10. *hoc tit.* vbi cùm electio fuiſſet caſſata quorundam, non vitio perſonæ, ſed formæ, videlicet quia contra priuilegia Eccleſiæ, & poſt appellationem interpoſitam celebrata erat, deciditur quòd licèt ipſis electis integra, & incolumis conſeruetur fama, & in aliis Eccleſiis eligi poſſint; tamen quoad ipſam Eccleſiam, & illam ordinationem inhabiles remanere. Ex quo textu expreſsè deducitur, quod licèt non vitio perſonæ, ſed formæ electio caſſetur, inhabilis remanet ex tali electione reiectus. Cui difficultati reſpondendum eſt, in eo textu electum & reiectum ab electione non remanere inhabilem, quoad electiones, tam in ipſa, quàm in alia Eccleſia celebrandas; ſed tantùm quoad ipſam, quæ caſſata fuit; quia licèt non propter vitium perſonæ caſſata eſſet, tamen magnum ſcandalum ſequebatur, ſi electus poſt appellationem interpoſitam, etiam ex noua electione, in eadem tamen ordinatione admitteretur: quare ob hanc rationem ſpecialem, ſcandali videlicet, quod ſequi poterat, electi inhabiles redduntur tantùm quoad eam electionem.

CAPVT XIII.

[a] Cæleſtinus III.

CVm monaſterium de Pellicia in tuo ſitum Epiſcopatu ad eam diſſolutionem deuenerit, ſicut tuarum litterarum inſinuatio patefecit, quod fratres eiuſdem domus obſeruantiam religionis, & ordinem abiecerunt; & bonis eius dilapidatis, atque conſumptis, ad eligendum ſibi Abbatem de ipſius Eccleſiæ gremio non potuerint hactenus conuenire: ad tuæ tamen admonitionis, & exhortationis inſtantiam in vnum conuenientes, in quemdam, qui cum fratribus ſuis in eremo eſt laudabiliter conuerſatus, boni teſtimonij virum vnanimiter conſenſerunt, & eum in Abbatem totis deſideriis poſtulantes, eius ſubiici diſciplinis, & habitui poſtulabant. Tu verò poſtulationi eorum, de prudentum & diſcretorum virorum conſilio præbuiſti aſſenſum, & humiliter ſupplicaſti eandem ordinationem à Sede Apoſtolica [b] confirmari. Nos autem petitioni tuæ fauorem noſtrum & aſſenſum liberaliter impertientes, ordinationem ipſam, ſicut canonicè facta eſt, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

NOTÆ.

I. [a] *Cæleſtinus.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. cui tamen miſſa ſit hæc decretalis, nec ex hac, nec ex illa collectione conſtat: ego autem ita reſtituendam huius textus inſcriptionem exiſtimo, *Cæleſtinus III. Amelino Cenomanenſi Epiſcopo*: quod vt notum fiat, priùs diſquirendum eſt, de quibus monachis agatur in præſenti? Et Zabarela, Hoſtienſis, & Abbas accipiunt hanc deciſionem de Camaldulenſibus, qui ſimul vitam agunt eremiticam, & cœnobiticam, iuxta regulam S. Romualdi. Auguſtinus Florentinus *in hiſtor. Camald.* Arnoldus Vvion. *lib.* 1. *ligni vitæ, cap.* 19. 20. & 21. plures relati à Barboſa *lib.* 1. *iuris eccleſt. c.* 41. *n.* 46. Yepes *in chron. D. Benedicti, centuria* 6. *anno Chriſti* 1009. Petrus Muñoz *de eremo Camald.* Sed in hoc textu agitur de monachis, & eiuſdem ordinis eremitis: igitur Cæleſtinus de Camaldulenſibus accipiendus eſt. Sed, ni fallor, textus iſte accipiendus eſt de monachis D. Benedicti, quod facilè ſuadebitur ex ſequentibus. Primò, nam monaſterium B. Mariæ de Pellicia, de quo in præſenti, eſt ordinis D. Benedicti, in Comitatu Cenomanenſi, vt tradunt Chopinus *de ſacra polit. lib.* 1. *tit.* 2. *num. vlt.* Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbat. in ſerie Abbatiarum, verbo Cenomanenſis.* Secundò quia, vt refert ex hiſtoricis Religionis Camaldulenſis Yepes *vbi ſuprà, fol.* 314. eorum Prælati, Priores, non Abbates dicuntur: ſed in præſenti textu agitur de Abbate eligendo: ergo non de Camaldulenſibus, ſed de monachis D. Benedicti eſt accipiendus. Cùm ergo monaſterium de Pellicia ſit in Comitatu Cenomanenſi, & tempore Cæleſtini III. floruiſſet in ea Eccleſia Amelinus, vt refert Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ*, Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Chriſt.* & Epiſcopo proprio ipſius monaſterij reſcribat Cæleſtinus ibi, *in tuo ſitum Epiſcopatu*; rectè inſcriptionem reſtituimus ita, *Cæleſtinus Amelino Epiſcopo Cenoman.* Quæ ſententia non parum firmatur *ex cap.* 1. *de confeſſis*, vbi extat alia pars huius epiſtolæ.

b *Confirmari.*

2. b *Confirmari.*] Non quia prædictum monasterium D. Mariæ de Pellicia, esset Sedi Apostolicæ immediatè subiectum, vt aliqui in præsenti volunt, cùm eo casu frustra Episcopus electioni, seu confirmationi Prælati se immiscereet; sed ipse petiit confirmationem, & consuluit Romanum Pontificem, quia ambigebat vtrum monachus in eremo degens possit præfici vt Prælatus monasterio de Pellicia.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR. EX hoc textu, & *ex cap. cùm causam 27.cap. ad nostram 37.cap. officij 38.cap.cùm in magistrum, hoc tit.* qui cùm eandem contineant decisionem, eodem commentario sunt exponendi, talis deducitur conclusio: *Non professus religionem, nequit eligi in Prælatum ipsius, non obstante contraria consuetudine; postulari autem valet.* Probant eam textus *in cap.sicut 48. dist. cap.nemo 16.q.1. cap. congregatio 16.q.vlt.cap.in noua 16.q.7.cap. Presbyteros, cap. Abbas,cap.Abbatem 18.q.2.c.finali, de statu monach. cap.nullus, hoc tit. lib.6.Clementina 1.§.cæterùm,versiculo sanè, Clement. ne in agro, §.penult. de statu monach.* Concilium Meldense sub Carolo, *can.9.* Lateran. sub Leone X. *sess. 9.* Trosleian. *can.3. Et vt Abbates sint religiosæ personæ, & quæ religiosam agnouerint disciplinam.* Trident. *sess. 25. de regul.c.21.* Colonienſe anno 1536. *can.7. Sacris Canonibus saluberrimè constitutum est, vt omnes Cathedrales Ecclesiæ, collegia,& conuentus, ad dignitates vacantes ex sua congregatione idoneos eligant Prælatos.* Diuus Gregorius *lib.7.regest. epist.9.* & *lib.8. epist. 23.* Carnotensis *epist. 47. & 120.* Arnulphus Lexouiensis *in sermone habito in Synodo*, ibi: *Regularis conuentus accipiat Patrem regulari institutione formatum, ne statuæ aureæ caput æneum dicatur adfixum.* Alia iuris testimonia cumularunt Crespetius *in summa, verbo Abbas* 2. Anton. August. *in epitom.lib.9. titulo 43.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti Lauorus *de elect.tit.4.cap.16. num.27.* Suarez *de relig.tom.4.lib.2. cap.3. tract.8.* Barbosa *lib.1. iuris eccles.cap.17.num.32.* Acuña *in cap.2.47.dist.* Couarr. *in cap.2. de testam.* Idumay *in notis ad Innocentium lib.4.epist.29.* Cæsar. *de eccles iast. disp. 13. de Abbatibus, 1.tomo, disput.5.quæsito 10.* Balsamon *in can.4. Synodi Constantinopol.* Bruno Chassaing. *de priuileg. regul. tract.3. cap.2. propos it.1.* Filesacus *de auctorit. Episcopi, fol.86.* Diana *p.9.tract.9.resolut.5.* Garcia *tom.2.polit.tract.9.difficult.4.dub.5.* Chopinus *lib.1. monast. tit.1. num.2.* Benedictus Capra *in Clementina 1. de elect.*

4. TRADITVR RATIO DVBITANDI. Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione. Si non professus in Abbatem, seu Prælatum regularem, eligi non posset, maximè ideò, ne homo disparis conditionis præficiatur monasteriis, vt *in d.cap. cùm causam,* & similibus docetur: sed hæc ratio est insufficiens: ergo & cætera. Probatur minor; nam si hæc ratio esset sufficiens, sequeretur, vt professus vitam monasticam, tanquam homo disparis conditionis, non posset eligi in Episcopum, seu Prælatum Ecclesiæ sæcularis: sed potest eligi in Episcopum monachus, *cap. vnico, 18. q.1. cap. per principalem 28. 1.q. 1. cap. ad audientiam 3.de Eccles. ædificand.* Acuña *in cap.si quis, 58.dist.* Azor *1.tom.instit.lib.12. cap.7.* Germonius *lib. 3. sacrorum, cap. 4.* Couarr. *in cap.1.de testam.num.26.* Sosa *in Episcopo religioso, num.4.* Barbosa *de potest. Episcopi lib.1. tit.1. cap.4.* igitur & non professus vitam monasticam poterit in Abbatem, seu Prælatum eligi. Augetur primò, nam si non professus eligi nequiret in Prælatum regularem, maximè propter iuris ecclesiastici prohibitionem, de qua in hoc textu, & aliis suprà citatis: sed consuetudo derogat iuri positiuo ecclesiastico, *cap. finali, de consuet.* ergo consuetudine introduci potest, vt non professus eligatur in Abbatem. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex eo; nam licèt regulariter non professus in aliqua religione, non possit in ea Prælatus designari, si tamen in eo monasterio negligitur obseruantia regularis, & disciplina monastica omittitur, tunc rectè potest, vel monachus alterius religionis, vel sæcularis sacerdos probæ vitæ, & integris moribus præditus, eligi in Prælatum ad reformationem illius monasterij, vbi monachi disciplinam monasticam abiecerunt, vt sæpiùs factum legimus, & temporibus Gregorij XV. admodum vlitatum refert Bruno *d.proposit.1.* igitur si in nostro casu monachi professionem propriam contemnentes disciplinam regularem abiecerunt, vt ex textu constat, rectè absque dispensatione Pontificia poterat eremita in Prælatum eligi.

5. DE ELECTIONE PRÆLATI REGVLARIS. Sed ita vallatâ hac dubitandi ratione non obstante, vera est prædicta assertio, pro cuius exactiori expositione sciendum est, nullum posse in Abbatem, seu Priorem alicuius religionis præfici, nisi canonicè sit electus ab illis, qui ius eligendi habent. Concilium Bituricense *can. 21.* vbi expressè Patres vetant, ne quisquam Abbatiam, seu Prioratum retinere præsumat, nisi canonicè sit vocatus. Senonense *can.27.* Trident. *sess. 25. cap. 21.* circa istam verò electionem vltra ea, quæ in aliis desiderantur, de quibus *in cap.quia propter,* aliqua specialia præscribuntur, tam quoad eligentes, quàm quoad eligendos. Et primò eligere Abbatem, seu Priorem illi tantum possunt, qui sunt ipsius congregationis, *cap. Abbas,* ibi: *Abbas in monasterio, non per Episcopum, aut per aliquem extraneum ordinetur; cap. quam sit, §. defuncto,* ibi: *Defuncto verò Abbate cuiuscumque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum sententia elegerit, cap. Abbatem 18. q. 2.* Facit in huius sententiæ confirmationem quod refertur *lib.2. chronici Cassin.cap.66.* de Conrado Imperatore, qui cùm anno 1038. Alpibus transmissis in Italiam venisset, adiit D. Benedicti cœnobium Cassinense, vbi à monachis exoratus, vt eis Abbatem constitueret, negauit electionem sibi competere, dicens, *Vos vnum ex vestris eligite monachis:* monachis verò adhuc exorantibus vt Abbatem eligeret, respondit, *Nequaquam, sed de congregatione vestra præcipuè idoneum Abbatem vobis eligite.* Id etiam constituit D. Benedictus in sua regula, *cap.24.* ibi: *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt is constituatur, quem sibi concors congregatio secundum timorem Dei, siue etiam pars quæuis parua congregationis saniori consilio elegerit.* Plura adduximus *in c.1. hoc tit.* vbi simul exposuimus textum *in cap.1. 18.q.2.* Non omnes qui sunt eiusdem congregationis, ad electionem Prælati admittuntur; eligentes enim debent esse professi in eadem religione, in qua Prælatus est eligendus, siue expressè, siue tacitè, *cap. ex eo, §. in Ecclesiis, c. indemnitatibus, de elect.in 6.* Tamburinus, Suarez, & alij relati à Barbosa *lib.1.iuris eccles.cap.17.n.20.* Debent etiam esse in sacris ordinibus constituti, *d.§.in Ecclesiis, Clement. vt ij, de ætat. & qualit.* vnde nec conuersi, nec monachi professi sacris ordinibus non initiati, admittuntur ad electionem. Suarez

tom.4. tract.8.lib.2. cap.4. num.3. si autem tempore electionis quis inueniatur in sacris, quamvis tempore vacaturæ non inueniatur, admittitur ad electionem. Tamburinus, qui alia dubia circa hoc quæsitum resoluit, *disp.5.q.8.* nec etiam admittuntur excommunicati, interdicti, suspensi, qui indignum elegerunt, & alij, qui ab aliis electionibus reiiciuntur; *cap. illa, cap. innotuit, cap. scriptum, cap. finali, hoc tit.*

6. QVALITATES ELIGENDI.

Quoad eligendos etiam in Abbates, aut Priores regulares, aliqua etiam specialia desiderantur. Primum, vt habeant ætatem vigintiquinque annorum, *cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora, hoc tit.* probat Narbona *de ætate anno 25.q.57.* Secundum, vt sint Presbyteri, *cap.1. cap. tuam 3. de ætate, & qualit.* Hieronymus Garcia *vbi suprà, dubio 4.n.6.* Item vt sint ex legitimo matrimonio nati, *cap.1.* vbi dicemus, *de filiis Presbyter.* Deinde vt non sint alterius monasterij Abbates, non enim potest vnus, idemque duobus monasteriis præfici, *cap.vnum, 21. q.1.c. finali, de religios. dom.* Trident. *sess.25. de regul. cap.7.* nisi vnum monasterium ab alio dependeat, *cap. finali 25.q.2.* Tandem desideratur, vt sint professi in eadem religione, ex præsenti textu, & aliis pro confirmatione conclusionis adductis; ita vt non sufficiat professio emissa in alia religione, adeò vt si monachus alterius religionis eligatur in Abbatem, vel Prælatum, electio ipso iure nulla sit. Clementina 1. *hoc tit.* Barbosa *vbi suprà, num.33.* Immò olim cùm monasteria etiam eiusdem ordinis erant ita diuisa, vt vnum corpus, seu congregationem vnam non efficerent, debebat Abbas eligi ex proprio monasterio. Synodus Carthag. *can.* 80. Constantinop. *can.* 4. vbi notauit Balsamon, & probaui suprà *in c.1.* Potest tamen R. Pontifex dispensare in hac prohibitione, & facere, vt monachus professus in alia religione, vel non professus, in Prælatum eligatur, vt fecit Clemens VIII. qui moniales Carmelitanas euntes ex Hispania in Galliam causâ construendi noua monasteria, subiecit iurisdictioni quorundam sacerdotum: & Gregor. XV. Fratribus conuentualibus Reformatorum S. Francisci pro tempore eas subiecit, vt refert Chassaing. *d.tract.3.cap.2. proposit.1.*

7. DE VARIIS EREMITIS.

Secundò præmittendum est, eremitas, id est in eremo solitariam vitam agentes, nullam religionem, aut certam regulam profiteri, nec castitatis aut paupertatis vota emittere, Gratianus *in §. è contra 19.q.3.* qui vtrum sint ecclesiasticæ personæ disputant. Suarez *tom.4.lib.1.c.2.* Gibalinus *de clausura p.3.c.1.§.7. num.* 23. aliquando verò eos certam regulam profiteri, & sub Abbate & Priore vitam agere, *cap. ad nostram, de regul.* vt de eremitis D. Augustini, & aliis refert Suarez *vbi suprà.* Alij etiam in eremo degunt cùm priùs professi fuissent aliquam religionem; cùm enim vita solitudinis ad spiritus perfectionem maximè desideretur, omni ævo religiosi non longè à Cœnobiis lauras, aut eremiticas construebant cellulas, in quibus secederent Deo vacantes, vt refert Cassianus *in præfatione ad collationem* 18. vbi laudat Climacus *cap.* 14. Ioannem monachorum præsidem, his verbis: *Erat eidem laudando viro & laura subiecta, ex quo cœnobio Præsul ille omnibus numeris absolutus, ad solitudinis quietem perfectiores deducebat.* S. Romualdus Camaldulensium institutor, vbicumque loci opportunitas erat, non longè à monasteriis eremum quoque construebat, vt referunt August. Florentinus in historia Camald. & alij relati à Barbosa *d.lib.1.num.46.* Nostro etiam sæculo, tam in Lusitania, quàm in his prouinciis, reperiuntur similes eremitæ religiosi D. Benedicti, Franciscí, & præcipuè Carmelitarum Discalceatorum; cùm enim hæc sacra religio ex primæua sua institutione eremum petat, vt vitam primitiuam agant, huiusmodi Patres construxerunt in vnaquaque prouincia monasterium vnum eremiticum cum diuersis cellulis in solitudine aliqua; in quo perfectionis augendæ gratiâ religiosi secederent, vt in hac prouincia est eremus D. Ioseph, vulgò *las Batuecas*, locus valdè desertus, vbi continuò huius sacrati ordinis Patres mirâ sanctitudine florent: illum describit Yepes *vbi suprà, d. centuria 6.*

8. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Ex quibus iam profluit vera decidendi ratio præsentis textus; nam cùm monachi non professi neutiquam sint eiusdem congregationis, & religionis, non possunt in Prælatos eligi, ne quis eligatur in magistrum antequam sit discipulus, *cap. miserum, 69. dist.cap. ordinationes, cap. si officia, 59. dist.cap. si clericatus, cap. sic viue 26.16.q.1.cap.cùm in magistrum, hoc tit.* & quia iuxta sacram Scripturam non est arandum in boue, & asino, neque quisquam debet induere vestem ex lana linoque contextam. *Deuteron.c.22.* refertur *in d. cap. in noua 16.q.7.cap. cùm causam, 27. hoc tit. c. 4. de apostatis*; id est, vt exponit Glossa ordinaria *in d.c.22.* homines disparis conditionis, & professionis in vno, eodemque officio non sunt sociandi; vnde laici non professi non possunt eligi in Prælatos monachorum, etiamsi habitum religiosum induerint, quia nouitij pro laicis habentur, *cap. non solùm 2.cap.3. de regul. in 6. cap. religioso 21. §. quamvis, de sentent. excom. eod. lib.* & si præficiantur regimini monasterij, electio antiquitus veniebat irritanda; hodie verò ipso iure nulla est, *ex d.cap. nullus 28. hoc tit. in 6.* vbi Moez. Sed cùm postulatio fiat cùm ipse, qui postulatur, eligi non potest, propter canonicum impedimentum; inde licèt non professus nequeat eligi in superiorem regularem, potest tamen postulari à superiore, ab Episcopo videlicet, si monasterium non est exemptum: si verò exemptum sit, & immediatè subiectum R. Pontifici, ab eo postulandus est, vt docet Acuña *in d.cap.2.48.dist.*

9. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obstat difficultas suprà perpensa, ex qua dicebamus, monachum eligi posse Episcopum, & sic Prælatum Ecclesiæ sæcularis; nam magnum discrimen vertitur inter casum, in quo monachus eligitur in Episcopum; & inter eum, in quo non professus eligitur in Prælatum regularem. Primò casu electio admittitur; secundo verò nulla est. Ratio discriminis ex eo prouenit, nam sæculares non professi non sunt experti regulam, & vitam monasticam, nec in ea facilè imbui possunt; sed religiosus facilè potest instrui in vita, & moribus clericorum sæcularium, quia instructus in strictiori vita, facilè in laxiore instruitur, vt docent Hostiensis, & Abbas in præsenti. Nec primum augmentum aduersatur; nam licèt aliqui asseruerint hanc prohibitionem prouenire à iure diuino, contrarium tamen verius est, & tenent Garcia *vbi suprà*, Chassaing. *d. proposit.* 1. nihilominus tamen consuetudine introduci non potest, vt non professus eligatur in Prælatum regularem; quia talis consuetudo est irrationabilis, & contraria religiosæ gubernationi, quæ introduci non valet, *c.1.& 3. de consuetud.* In hac enim iuris parte attendi debet quid faciendum, non verò quid factum sit, *dict. cap. cùm causam, hoc tit.* Nec obstat vltimum augmentum, nam verum est, ad reformationem alicuius

alicuius monasterij posse ad tempus monachum diuersæ religionis constitui, & proponi: sed hoc fieri debet non electiuè, sed dispensatiuè à superiore, vt reformetur monasterium illud. At in præsenti casu monachi ipsi volebant sibi in Prælatum eligere vnum eremitam, quod per viam electionis facere nequibant, si diuersæ professionis erat; quare necessariò adeundus erat R. Pontifex, vt in hac iuris prohibitione dispensaret.

10. EXPONITVR CONCILIVM MOGVNT. CAN. 25.

Sed superiori assertioni primò obstat textus *in can. 25. Concilij Moguntini, sub Arnulpho celebrati,* in illis verbis: *De monasteriis clericorum, monachorum, atque puellarum, quæ clericis, siue laicis beneficij iure donata sunt, placuit vt tales eis præficiant prouisores, & præpositos, sicut in Cabilon. Concilio scriptum est, qui & præesse nouerint, & prodesse, & qui ad Episcopum recurrant, & secundum eius ordinationem ad conuentum Synodi occurrant, & commissum sibi gregem Canonicè, & cum magna religione custodiant, quasi rationem de animabus eorum reddituri.* Ex quibus verbis constat, non solùm extraneos monachos, verùm & laicos posse tanquam Abbates præfici monasteriis. Pro cuius canonis expositione sciendum est, in Gallia iam à temporibus Caroli Martelli, & successorum, consuetudinem, seu potiùs corruptelam inualuisse, vt Regio beneficio Comites, Milites, profanique Proceres monasteria possiderent simul cum nomine Abbatum; illique monachis duntaxat erogarent quantùm necessarium erat ad sumptus quotidianos, ex monachisque vnum eligebant, qui non Abbas (nam id nomen sibi velut amplissimum arrogabant,) sed prouisor, præpositus, seu decurio vocaretur, vt variis scriptoribus illius sæculi probant Dadinus Alteserra *lib. 1. de Ducibus, c. 13.* Ioannes Filesacus *in querela Ecclesiæ Gallic.* Yepes *tom. 4. chron. D. Benedicti, in appendice,* Renat. Chopinus *de Domanio lib. 3. tit. 28. & de sacra polit. lib. 1. tit. 1. num. 20.* De quo abusu conqueruntur Bonifacius Mogunt. Episcopus *epist. 132. ad Zachariam Papam,* his verbis: *Modò autem maximâ parte per ciuitates Episcopales Sedes traditæ sunt laicis, cupidis ad possidendum, vel adulteratis clericis, scortatoribus, & publicanis sæculariter ad perfruendum.* Hincmarus in vita S. Remigij apud Surium *die 13. Iunij,* refert Aymonius *lib. 5. cap. 1. Carolus ordinauit per totam Aquitaniam Comites, Abbatesque, necnon alios plurimos, quos vassos vulgò vocant.* Et *lib. 6. cap. 36. Ludouicus quos potuit, conciliauit sibi, dans eis Abbatias, Comitatus, & villas.* Hoc sensu Robertus, & post eum Hugo M. vterque Comes Parisiorum, cœnobij S. Germani Parisiensis Abbatem se inscribebat, Aymonius *d. lib. 5. cap. 34. Tamen vigore decedente Regum, Robertus Comes Parisiorum, qui Marchio Francorum vocabatur, frater videlicet Odonis Regis, necnon Hugo Magnus, quin etiam vsque ad tempora Roberti Regis, ea quæ Abbates accipiebant, sibi addixerunt, & statuentes Decanos monachis, sibi nomen Abbatis vsurpauerunt.* Et adeò monasterij prædia occupabant, vt tantùm relinquerent monachis modica alimenta, adhibitâ victus & vestitus ratione, vt refert Nauclerus *generat. 33.* vsque adeò inualuit hæc illius sæculi corruptula, vt Suidgerus in Dionis historia scripserit, Abbates tunc non fuisse cucullatos, sed profani ordinis Proceres, in quos Princeps monasteria beneficij titulo ad tempus, vel ad extremum vitæ calculum conferret. Concilium Trosleian. *Nunc autem in monasteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum & sanctimonialium Abbates laici cum suis vxoribus, filiis & filiabus, cum militibus morantur, & canibus.* Vnde in Synodo Meldensi coacta anno 845. temporibus Caroli Calui, questi sunt Patres Ecclesiæ Gallicanæ, laicos vt Abbates, & Magistros in ipsis monasteriis versari, *can. 10. Peruentum est siquidem ad nos, quod auditu lugubre, & dictu nefas, actuque horribile, ac nimis triste dignoscitur; quia contra omnem authoritatem, contra Patrum decreta, & totius Christianæ religionis consuetudinem, in monasteriis regularibus laici in medio Sacerdotum, & Leuitarum, ac cæterorum religiosorum virorum, vt domini, & magistri resideant, & velut Abbates de illorum vita & conuersatione decernant.* Et *can. 41. Prouidendum est Regiæ Maiestati, vt monasteria, quæ, &c. Et nunc in allodium sunt data; quapropter omnis exinde religio funditus est euersa, qualiter vota fidelium inconuulsa permaneant.* Quare sequentibus sæculis cautum apud Gallos legimus patriis legibus in hunc modum: Abbatias nemo teneat qui infra annum habitum religionis non assumpserit. Abbatias Rex sæcularibus auferat, & reddat Religiosis eiusdem ordinis. Refert Chopinus *d. tit. 1. de sacra polit. num. 20.* vnde textus *in d. can. 25. Concilij Mogunt.* Procedit temporibus Caroli, in quibus prædicta irrepserat corruptela; non quia ex sacris canonibus liceret vnquam laicos in monachorum Abbates eligi: videndus est Filesacus *in d. opusc. querela Ecclesiæ Gallicanæ.*

11. OPPONITVR TEXTVS IN CAP. QVAM SIT 28. Q. 2.

Secundò præsenti assertioni aduersatur textus *in cap. quam sit 5. §. defuncto 18. quæst. 2.* in illis verbis: *Quod si aptam inter se personam inuenire nequiuerint, solerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum.* Ex quibus verbis deducitur, eo casu, quo abiecta est monachorum disciplina, licere monachis eligere sibi Prælatum de alio monasterio: ergo non rectè in nostro capite *cùm monasterium*, etiam neglectâ disciplinâ regulari, non licere monachis ex eremitis Prælatum petere dicitur. Cui difficultati, omissâ solutione Turriscrematæ in eo textu, qui affirmat decisionem illam procedere vrgente necessitate, cùm non est copia monachorum; dicendum existimo, D. Gregorium non asserere, non professum, vel extraneum monachum posse in Abbatem eligi; sed monachum alterius congregationis, sed eiusdem ordinis, & regulæ, posse in Abbatem illius monasterij eligi, si in ipsa Congregatione non erat qui posset Abbatiæ vacanti præfici. Illis enim temporibus, vt suprà obseruaui, non poterant eligi Abbates, nisi ex ipsa Congregatione, excepto casu necessitatis, vt in eo textu euenerat.

12. INTELLIGITVR CAP. EX TRANSMISSA, DE RENVNCIAT.

Tertiò prædictæ assertioni opponitur textus *in cap. ex transmissa, de renunciat.* in illis verbis: *Prædictum Abbatem, & socios eius.* In quibus supponitur, sacerdotem sæcularem Abbatem esse, & per consequens in Præfectum monasterij eligi posse, contra nostri textus decisionem: pro cuius textus interpretatione sciendum est, aliquando in iure nostro inueniri Abbates sæculares, & similiter Priores, vt *in d. cap. ex transmissa*, & *in cap. vlt. de maiorit. & obed.* non quia Clerici sæculares præficiantur monasteriis; sed quia Ecclesia, cui inseruiunt, est Collegiata; & tunc qui ei, vt Prælatus præponitur, aliquando Abbas, non nunquam Prior dicitur. Chopinus *lib. 1. sacræ polit. tit. 1. num. 17.* vel etiam appellantur Abbates, seu Priores, quia in Ecclesiis Cathedralibus est dignitas Abbatis, seu Prioris, vt in Ecclesia Toletana, Salmantina, & aliis docet Azor *lib. 3. instit. cap. 19.* vel etiam, quia huiusmodi Ecclesiæ, qui-

bus clerici vt Abbates, aut Priores præsunt, de regularibus, & conuentualibus labente regulari disciplinâ in sæculares transierunt; tunc enim manet nomen dignitatis Abbatis, aut Prioris talis Ecclesiæ, licèt monasterium sublatum sit: quo in sensu accipiuntûr Abbates sæculares, tam in Italia, Gallia, quàm Hispania, testantibus Fabricio *titulo de minoribus & maioribus beneficiis, num.*57. Zecchio *de republic. Christiana, titulo* 25. *num.*2. Cæsare *de hierarch. Ecclesiast. disputat.* 13. *num.*2.

13. EXPLICATVR EXTRAVAGANS 2. DE PRÆB.

Quartò aduersatur textus in extrauaganti secunda *de præbendis*, vbi supponitur, ante tempora Clementis V. in Ecclesia vsitatum esse, vt monasteria quoad regimen & administrationem clericis sæcularibus commendarentur: ergo temporibus Cœlestini nostri textus auctoris, licebat non professos ad regimen monasterij eligere. Pro cuius textus interpretatione prænotandum est, iam à temporibus Leonis IV. obseruatum fuisse in Ecclesia, vt monasteria traderentur in commendam ecclesiasticis personis sæcularibus, non professis, vt docent Ruzeus *in tract. de commenda, cap.*1. Tamburinus *tom.*1. *de iure Abbatum, disput.*4. *q.*1. Chopinus *tit.*1. *monast.* quæ consuetudo durauit per tempora Vrbani VI. & Pauli II. adeò vt Calixtus III. monasteria 500. commendauerit clericis, vt refert Chopinus *de sacra politia tit.* 1. *num.*14. Duplici autem ex causa monasteria clericis commendabantur: aut quia sæpe Prælatorum electio ob lites, & controuersias eligentium differebatur; tunc enim ne monasteria diu absque superiore, destituta Pastore aliquod detrimentum paterentur, commendabantur; aut quia decrescente monachorum numero, & cœnobiis penè destitutis, vix idonei regulares reperiebantur, qui ipsis monasteriis præficerentur, R. Pontifices ipsas Abbatias sæcularibus clericis nullâ regulâ monasticâ adstrictis, in commendam concedere cœperunt, ne dictæ Ecclesiæ sine Prælatis remanerent, vt docent suprà citati: per huiusmodi autem commendas non perpetuò consulebatur monasteriis, sed ad tempus. Commendare nihil aliud est, quàm ad tempus deponere, *l. commendare, ff. de v.s. l. Lucius, ff. depositi, l. rei commendatæ, ff. commodati, cap.*1. *de deposito*: sed in nostro textu agitur de non professo in perpetuum eligendo ad Prælaturam regularem; quæ electio fieri non debet, licèt commenda admitti possit; nam inhabilis ad retinendum beneficium in perpetuum titulum, non est inhabilis ad retinendum illum in commendam. Lambertinus *lib.*2. *de iurepatron. p.*1. *q.*6. *art.*14. *num.*15. Garcia *de beneficiis p.*4. *cap.*4. *num.*24. & 25. & sic clericus sæcularis inhabilis ad Prælatiam in titulum perpetuum obtinendam, est habilis ad retinendum in commendam. Plura de his commendis Chopinus & Tamburinus *vbi suprà.*

14. OPPONITVR CAP. 2. DE TESTAM.

Quintò opponitur textus *in cap.*2. *de testam.* vbi refertur Grauiniam nondum professam regulam monialium, in Abbatissam monasterij fuisse electam: ergo qui adhuc non est professus regulam monasticam, potest in Prælatum seu Abbatem eligi. Cui difficultati satisfacere intendit Couarr. in eo textu, asserendo ibi non de electione Abbatissæ, sed de postulatione agi: quare nondum professa poterat postulari, licèt non eligi, ex suprà adductis. Sed hac solutione omissâ verius dicendum est, nostri textus temporibus, vsque ad Bonifacij constitutionem, de qua *in cap. nullus, hoc titulo, lib.*6. non desiderari professionem expressam in eo, qui in Abbatem eligendus erat; sed sufficere tacitam: vnde cùm *in d.cap.*2. Grauinia tacitè professa esset, quia se immiscuit actibus professarum, vnde professio tacita inducitur, *cap. vidua, de regularib.* ideò potuit eligi in Abbatissam, quia licèt non expressè, saltem tacitè erat professa. Hodie verò necessariò desideratur expressa professio, *dict. cap. nullus.*

CAPVT XIV.

Idem [a] Cœlestinus.

CVm terra, quæ funiculus hæreditatis Domini censebatur. *Et infrà*: Sicut autem ex quarundam litterarum tenore, & plurium relatione percepimus, quod quidam olim in electionibus faciendis prauæ consuetudinis morbus irrepsit, vt videlicet cùm alicuius Prælati debet electio confirmari, & conuentus, ad quem pertinere dignoscitur, duas personas nominet, auribus latenter [b] Patriarchæ, vel [c] Principis exprimendas, vt sic illarum, vel alterius eligendæ, vel totius electionis penitùs irritandæ idem Patriarcha, & Princeps plenariam habeant facultatem. Quia hoc igitur diabolicæ noscitur versutiæ, aut fraudis instinctu inuentum, in perniciem totius ecclesiasticæ libertatis præscriptam consuetudinis prauitatem penitus abolendam, præsentium auctoritate sancimus, statuentes, vt cùm de summi creatoris clementia in manus fidelium terra illa [d] deuenerit, vt forma electionis canonicæ in omnibus conuentualibus Ecclesiis obseruetur, videlicet, vt cùm debeat Ecclesiæ consuli Pastoris regimine destitutæ, electores in locum, in quo fuerit electio celebranda, conueniant, & inuocatâ Spiritus sancti gratiâ, personam solenniter canonicè nominent, in qua omnes, vel maior pars sanioris consilij potuerint conuenire; & ea sine vllius contradictione, dummodo persona idonea fuerit, & electio sine simoniaca prauitate celebrata, ad illius Ecclesiæ regimen admittatur. [e] Quod si in persona fuerit, vel in electionis modo peccatum, tamdiu electores in electione diligentiam inquisitionis apponant, donec secundùm præscriptam formam vacanti Ecclesiæ de persona congrua valeat prouideri. Quo facto non prohibemus,

mus, quin Regis, qui pro tempore fuerit, seu Patriarchæ requiratur assensus: sed propter ipsum prædictam electionis formam nolumus impediri.

NOTÆ.

1. a *Eleſtinus.*] Ita etiam legitur in secunda collectione Ant. Augustini, *sub hoc tit. c. 6.* cui tamen missa sit hæc decretalis, non constat; suspicari autem valet, missam esse Episcopis Hierosolymitanis, & eam motu proprio, non verò ad partis consultationem edidisse Cœlestinum nostrum.

2. b *Patriarchæ.*] Hierosolymitani, de cuius origine & progressu, Deo annuente dicam *in cap. 2. de clericis pereg.* Cœlestini autem temporibus ad fastigium huius dignitatis fuit euectus Heraclius, qui vt Legatus missus fuit ad Regem Francorum pro auxilio impetrando ad Hierosolymas periclitantes, vt refert Baronius *anno 1185. num. 2.*

3. c *Principis.*] Id est Regis Hierosolymitani: nostri enim textus temporibus Imperium Occidentis obtinebat Henricus V. Orientis verò Isaacus, & Guido Rex Hierosolymitanus erat; quamuis iam anno 1187. eo capto, & in carcerem detruso, Saladinus Babyloniæ Rex Hierusalem caperet, vt cladem referens tradit Baronius *anno* 1187. & post eum Besoldus *in histor. Hierosolym.* Demùm anno 1191. Rex Francorum, mortuo prædicto Guidone, pace initâ cum Saladino, regnum Ierosolymorum nepoti suo tradidit, vt refert Baronius: vnde cùm non perpetuò Rex esset Hierosolymitanus, ait noster Cœlestinus in calce textus, *Regis qui pro tempore fuerit.*

4. d *Deuenerit.*] Sæculo enim nostri Cælestini Principes Christiani magnoperè intendebant in expeditionem & restaurationem Terræ sanctæ; Hierosolymâ enim recuperatâ à Sarracenis anno 1180. iterum occupata fuit à prædicto Saladino anno 1187. quare tam Clemens III. quàm noster Cœlestinus curarunt vt Principes Catholici, cruce assumptâ, in prædictam expeditionem intenderent, cuius belli occasione Pontifex decimas vulgò *Saladinas* dictas indixit. Baronius *anno* 1188. vbi Spondanus.

5. e *Quod si in personam.*] Hæc verba exposuimus *in cap. considerauimus, hoc titulo.*

COMMENTARIVM.

6. TRADITVR ASSERTIO. Conclusio communiter ex hoc textu deducta sic se habet: *Non valet consuetudo, per quam ad alterius voluntatem tenetur monasterium eligere Prælatum.* Probant textus *in cap. 1. 2. 63. dist. cap. cùm inter, de consuetud. cap. sacrosancta, capite Massana, hoc titulo, cap. vbi periculum, §. caterum, cap. quisquis, hoc titulo in 6. cap. bona, el. 3. de postulat. Prælat. cap. Abbate, de v. s.* Concilium Constantinop. 8. Illustrant Castellinus *de elect. cap. 14. n. 60.* Fr. Manuel Rodriquez *tom. 1. quæst. 103.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. disput. 5. quæst. 22.* Garcia *tom. 2. polit. difficult. 5. dubio 4.* Barbosa *voto 52.*

7. TRADITVR RATIO DVBITANDI. Sed hæc conclusio impugnatur sequenti consideratione: Nil frequentius in iure nostro obseruatum legimus, quàm vt electio Episcoporum Principi sæculari præsentetur, eiusque expectetur assensus, *cap. quia igitur 19. cap. principali 15. cap. Reatina 16. cap. lectis 18. cap. cùm longè 25. 63. dist. cap. cùm inter 18. cap. innotuit 20. cap. quod sicut 28. hoc tit.* plura adducunt Boëtius Epon. *tit. de regal.* Filesacus *in cap. 7. §. 6. & 7.* Iuretus *in epist. 104.* Menardus *ad Sacram. D. Gregorij, pag. 302.* Lauorus *de elect. cap. 15. num. 23.* ex Salcedo *lib. 2. legis polit. cap. 11. num. 8.* nouissimè eruditissimus Præceptor D. Franciscus Ramos *in memoriali ad Alexandrum VII. fol. 46. num. 11.* ergo iuxta iuris regulas consuetudo Hierosolymis præscripta erat, vt monasterium, seu monachi duos eligerent, & præsentarent Patriarchæ aut Principi, vt vnum ex eis in Prælatum eligerent. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam consuetudinis non leuis auctoritas est, *cap. consuetudinis, cap. finali, de consuet. l. 2. C. quæsit longa consuet.* immò quamplurimùm operatur circa electiones Prælatorum, tam regularium, quàm sæcularium, *cap. querelam, cap. cùm Ecclesia, hoc tit.* vnde consuetudine introduci valet, vt Canonici irrequisito Episcopo eligant Prælatos inferiores, *d. cap. cùm Ecclesia*: vel è contra, vt solus Episcopus eos eligat, *cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælat.* Item vt ab aliquibus potestas eligendi auferatur, *cap. 2. de in integr. restitut. cap. finali, ne sede vacante.* Similiter consuetudine potest introduci, vt absentes non vocentur ad electionem, Glossa *in cap. fin. de consuet.* vt habilis reddatur ineligibilis, Glossa *in c. olim, de clericis coniug.* vt Canonici non antea ad electionem procedant, quàm Princeps de morte Prælati certioretur: ergo similiter consuetudine fieri potest, vt duo, vel tres Principi præsententur, ipseque ex eis vnum eligat, vel omnes eiiciat.

8. DE LOCO ELECTIONIS. Quâ difficultate sic fulcitâ minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, in electionibus ecclesiasticis certam præscriptam esse formam *in cap. quia propter, hoc titulo.* Circa quam primò desideratur, vt electores conueniant certo in loco, in quo debent collegialiter congregari, *d. cap. quia propter, §. electiones*, exemplo Apostolorum in electione B. Mathiæ, vt refertur *cap. 2. Actuum*; electio enim non in latibulis, aut locis clandestinis, sed in publico, & honesto loco fieri debet, *cap. in Genesi, d. cap. quia propter, §. electiones*; in consueto loco, vbi tutus sit accessus, *cap. quæ fronte, de appellat.* vt in Ecclesia, Capitulo, Choro, Sacristia, aut Bibliotheca, *cap. cùm nobis, hoc titulo*, præcipuè tamen in Ecclesia, vbi eligendus præficiendus est, *cap. sicut, hoc titulo*, aut vbi faciliùs facultas se obtulerit, *cap. in nomine, 23. dist. cap. præceptum 22. quæst. 2. cap. in causis, hoc titulo*: docent Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. disput. 5. quæst. 6. num. 3.* Hieronymus Garcia *tom. 2. polit. regul. difficult. 2. dub. 7.* Certus autem locus non est de substantia electionis, quia quilibet, vbi electores congregentur, dicetur Capitularis, *cap. quod sicut, hoc titulo.* Tamburinus *d. quæst. 6. num. 3.* in loco autem interdicto electio celebrari non debet, *cap. 1. de postulat. Prælat.* vbi Barbosa *num. 2.* præcipuè R. Pontificis, *cap. vbi periculum, §. porrò, hoc titulo in 6.* quamvis contrarium docuerint Abbas, Ioannes Andreas, & alij, quos refert & sequitur Iulius Lauorus *dict. tit. 4. de elect. cap. 18.*

9. DE SACRIFICIO MISSÆ PRÆMITTENDO. Secundò pro nostri textus expositione, in illis verbis, *inuocatâ Spiritus sancti gratiâ*, notandum est, congregatis electoribus in honesto ac consueto loco, offerendum esse Missæ sacrificium de Spiritu sancto, *capite cùm inter, el. 2. hoc titulo*, Concilium Basileense *in pragmat. sanctione, §. cùm humanæ,*

humanæ, ibi : *Inuocatione factâ antequam electionis locum ingrediantur electores, Missam audiant de Spiritu sancto, cuius gratiam implorent, vt de digno Pastore inspirare dignetur.* Trident. *sess.24.de reformat.cap.*1.docent Petrus Gregorius *de elect.cap.*15. *num.* 13. Lauorus *cap.*19. *num.*43. Tamburinus *d. quæst.6.num.*34. Principium omnium actionum à Deo esse auspicandum, Pontifices decreuerunt *in cap. in nomine*, 23. *dist.* & ipsi Gentiles neglectâ verâ religione, idem statuerunt, & obseruarunt, *l.* 2. *C. de officio Prætoris Africæ*, ex Platone refert Marcilius Ficinus *in argumento dialogi Platonis :* & Romani nunquam ad eligendum ingrediebantur Senatum, nisi priùs Diis sacrificarent : refert Gellius *lib.*4. *noctium, cap.*7. Sed vtrum de substantia electionis sit hæc sacrificij oblatio, apud Interpretes non constat ? Ad essentiam canonicæ electionis desiderari docent Madagod, Petrus de Viag. F. Emanuel Rodriquez, relati à Lauoro *dict. cap.*19. *num.*43. sed contrarium, immò ad essentiam electionis non desiderari hanc sacrificij oblationem, docuerunt Sigismundus *tit. de electione, dubio* 19. plures relati à Tamburino *vbi suprà, quæst.* 7. *num.*7. *&* 8. Lezana *tom.*3. *verbo Electio*, Garcia *d. difficultate* 2. *dub.* 2. *in fine*, quorum sententia verior est, nisi aliter in aliqua Ecclesia sæculari, vel regulari caueatur cum clausula irritationis ; aliter enim licèt non sit omittenda, aut negligenda hæc laudabilis consuetudo, tamen si de facto omittatur, adhuc electio valida est.

10. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

His suppositis huius decisionis ratio ex eo prouenit ; nam cùm cuilibet canonicorum collegio, seu regularium Capitulo competat potestas eligendi sibi Prælatum, *cap.*1. vbi dixi, *hoc titulo*, & libera illis competat electio, non potest consuetudine introduci, vt electores teneantur duos Principi præsentare, quos etiam dignos ipse possit reiicere, cùm hæc consuetudo repugnet substantiæ electionis, quæ ex sua natura libertatem petit in eligentibus : sed consuetudo repugnans substantiæ actus, & disciplinæ Ecclesiasticæ, vt corruptela à sacris canonibus reiicitur ; latè probaui *in cap.*1. *de consuetud.* igitur consuetudo Hierosolymis introducta, vt libertati, & substantiæ electionis contraria, rectè damnatur à nostro Cœlestino. Accedit, nam cùm alicuius consensus desideratur ad confirmationem electionis, non ita ex eius nutu pendet electio, vt si nolit dignos confirmare, audiendus sit ; necessariò enim tenetur assensum præstare, & legitimè electos confirmare, vt probaui *in capite postquam* 3. *hoc titulo*, igitur nullo modo consuetudine Hierosolymis introduci poterat, vt electio ex mera, & absoluta Principis penderet voluntate, postquam à Capitulo legitimè facta erat. Regius tamen expectatur assensus, quia Reges ius habent respuendi Episcopos, si suspecti sint, & Reipublicæ commotio suspicari valeat, Innocentius III. *lib.*1. *epist. ad Ædernem Pictauiens. Episcop.* ibi : *Nec ipsa persona, in quam vota electorum conueniissent, Regi ex certa ratione suspecta existeret.* Tristanus Coleus *lib.*16. *histor. patriæ*, vbi refert orationem Legatorum Mediolanensium coram Clemente Pontifice habitam pro respuendo Archiepiscopo Vicecomite electo, ibi : *Contradiximus, fateor, edicto Pontificio, designatumque Antitistem recusauimus, non vt Maiestati vestræ derogaremus, sed ne hic sub nomine, & potestate sacerdoty excidium patriæ moliretur.* Et statim: *Interest nimirum, Pater Beatissime, non tam sacrorum, & religionis, quàm publicæ quietis, qualem Præsulem sortiamur : quò enim se Pastor noster inclinauerit, eò imperia & opes stetere.* Hoc ius excipiendi contra Præsules, ex pluribus plura adducentes probarunt Salgado *de Regia protectione* 3.*part.cap.*10.*num.*240. Solorzanus *lib.*3. *de iure Indiar.cap.*4.*num.*33. Salcedo *de lege lib.*2.*cap.*8.*num.*31. omnia complectens eximius vir D. Franciscus Ramos in sæpe allegato memoriali, *propos.* 2. *num.*10. Iustè ergo licèt Cœlestinus in præsenti damnet consuetudinem suprà traditam, decernit Regium esse expectandum assensum.

11. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obstat difficultas suprà proposita, pro cuius solutione sciendum est, Principes sæculares posse consensum electioni præstare, vel eligendo, seu præsentando ratione iurispatronatus, vel ratione priuilegij Apostolici, vt inuictissimi nostri Principes, quorum ius in præsentatione Episcoporum Regiæ Coronæ latè probant Salcedo *de leg. polit. lib.*2.*cap.*11. Rousselius *lib.*2. *histor. Pontif. cap.*6.*num.*26. ex nostris Salmanticensibus Balboa *in cap. cùm Ecclesia, num.*33. *de causa possess.* Solorzanus *de iure Indiar.tom.*2.*lib.*3.*cap.*4. *num.*28. concollega meus Escobar *de Pontif. iurisdict.cap.*8.*n.*7. D. Franciscus Ramos in suo non satis laudato memoriali, *propos.*1. *num.*1. apud quem extant culmus, & calamus : & tunc omninò expectatur Regius assensus. Aut citra priuilegium, & iuspatronatus assensum præstant, vt Rex Hierosolymorum in præsenti, quo casu licèt olim Principes eo assensu vterentur, ita vt reiicerent, vel admitterent quos maluissent, id tamen sustinebatur, quia aliter fieri non poterat, vt ait Lucius III. *in capite 5. hoc titulo, in prima collectione.* Posteà verò sequentibus temporibus temperatus fuit rigor ille, & tantùm ad approbandam electionem expectabatur assensus, vt in nostro textu, & similibus ; quem assensum esse expectandum Pontifex noster etiam decreuit. Nec augmentum difficultatis obstat ; nam discrimen constituendum est inter casum, in quo consuetudo præscripta repugnat substantiæ electionis ; & inter casum, in quo tantùm opponitur eius accidentalibus. Primo casu consuetudo vt corruptela reiicitur, vt in nostro textu, & similibus. Secundo verò casu, cùm tantum repugnet accidentalibus, & iuri positiuo, sustinetur, vt in iuribus pro ratione dubitandi adductis.

12. EXPONITVR CAP. AGATHO 21. DIST. 63.

Sed primò superiori assertioni aduersatur textus *in cap. Agatho* 21. *dist.*63. in illis verbis : *Sic tamen, vt si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi priùs decretum generale introducatur in Regiam vrbem, secundum antiquam consuetudinem, vt cum eius scientia, & visione debeat ordinatio prouenire.* Ex quibus verbis expressè constat, consuetudine introduci posse, vt in electionibus omninò attendatur Imperatoris, seu Principis voluntas, vt ex eius iussu institutio, seu ordinatio pendeat. Huius textus solutio in promptu est, si in memoriam reuocemus quæ historicè narrauimus *in cap. licet 6. hoc titulo.* videlicet, temporibus primis Ecclesiæ, præcipuè æuo Imperatoris Iustiniani, R. Pontificem, etiam legitimè electum, non anteà consecrari potuisse, quàm eius electio ab Imperatore, vel eius Exarcho confirmata esset ; immò donec certam pecuniæ summam electus Imperatori penderet, vt narrant Lantdmeter. *lib.*2. *de veteri Clerico, capite* 98. Rousselius *lib.*2. *histor. Pontific. iurisdict. cap.*9. & *lib.*5. *cap.*4. quod propter schisma sedandum Imperatoribus Orientis primùm fuerat permissum,

deinde

deinde extra schisma hanc sibi vsurpauerunt facultatem Imperatores, vt *in d. cap.* 2. latiùs retuli, & narrant Onuphrius *in vita Pelagij*; ad quæ tempora referendus est textus *in d. cap. Agatho*, & verba illa, *iuxta consuetudinem*, accipienda sunt de prædicta corruptela.

13. INTELLIGITVR CAP. LECTIS 18. 63. DIST. Ad eadem etiam tempora, & ex suprà dicta obseruatione referendus est textus *in cap. lectis* 18. 63. *dist.* in illis verbis: *Ordinare omissimus, quòd imperialem nobis, vt mos est, absolutionis detulit epistolam.* Ipsius autem textus facti series ita contigit. Reatina Ecclesia, quæ est in Prouincia, & Ducatu Spoleti, longo tempore fuerat destituta Pastore, vsquedum precibus Leonis IV. Pontificis R. Lotharius & Ludouicus Colonum Episcopum elegerunt; cuius electionis ratio extat *in cap. Reatina* 16. 63. *dist.* sed cùm ipse Colonus è viuis excessisset, Guido Dux Spoleti alium Episcopum consensu Cleri, & populi electum, ordinandum proposuit Stephano VI. Pontifici, à quo adoptatus fuerat, vt refert Flodoardus *lib.* 4. *histor. Rhemens.* Sed Pontifex illum consecrare recusauit, quia consensus Imperialis non præcesserat, cùm secta illorum temporum pateretur, vt Principes non solùm assensum præstarent post electionem, verùm & eligerent Ecclesiæ Prælatos: quare Pontifex *in d. cap. lectis*, scribit Duci Spoleti Imperialem assensum iuxta consuetudinem priscam expectandum esse. Cuius textus historiâ neglectâ ex eo plura deducit Germonius *lib.* 3. *sacrorum, cap.* 12. *num.* 45. Sed nos eleganter habemus narratam apud Præceptorem Illustrissim. D. Franciscum Ramos *in d. memoriali, propost.* 1. *num.* 23.

Opponitur etiam textus *in 6. bonæ, el 2. de postul. Prælat.* in illis verbis: *Sed vobis dedimus in mandatis, vt ad prouidendum vobis Pastorem idoneum per electionem canonicam, vel postulationem concordem, requisito suffraganeorum assensu, si esset de antiqua, & approbata consuetudine requirendus, procedere curaretis.* Ex quibus verbis manifestè deducitur, ex consuetudine posse introduci, vt in electionibus ecclesiasticis aliquorum expectetur assensus, ita vt illis irrequisitis, electio celebrata nulla sit: igitur consuetudo Hierosolymis introducta, vt electiones Prælatorum Regi & Patriarchæ præsentarentur, & eorum expectaretur assensus, tanquam sacris Canonibus contraria, reiicienda erat. Cui difficultati vt satisfaciamus discrimen est constituendum inter consuetudinem, quâ introducitur, vt aliqui extranei à Capitulo suffragium habeant in electione; & inter eam, quâ præscribitur ius improbandi, & reprobandi electionem legitimè celebratam. Primo casu consuetudo obseruatur, & attenditur, *cap. cùm Ecclesia* 31. *hoc titulo*: consuetudo enim circa suffragia admittenda, vel respuenda maximè attenditur, *cap. in Genesi*, *cap. coram* 35. *hoc titulo*. Secundo verò consuetudo defendi non potest, nec admitti, tanquam contraria substantiæ electionis, & eius libertati. De prima loquitur textus *in dicto cap. bonæ*; & ideo in eo admittitur consuetudo: in secundo verò procedit noster textus, vt suprà dixi.

14. EXPLICATVR CAP. BONÆ, EL 2. DE POSTVLAT. PRÆLAT.

CAPVT XV.

a Cœlestinus III. *Helienſi Episcopo.*

TRansmissam iam dudum, sicut insinuare curasti, ad nostram peruenisse audientiam quæstionem, tua nunc deuotio replicauit, quid tibi faciendum sit super eo, quod clerici tuæ diœcesis, cùm pro suis excessibus suspensionis, vel interdicti, vel [b] excommunicationis sententiâ percelluntur, paruipendentes [c] eam, dimittunt [d] Ecclesias, & conferunt se ad mercimonia [e] laicorum. Nonnulli quoque ipsorum, habitu clericali postposito [f] vestes induunt laicales, & sicut laici mercatores, se turpibus quæstibus implicant, consimilium sibi laicorum manus associant, & correctionem ecclesiasticam per contemptum eludunt, dicentes, quod potestatem non habeas corrigendi eos, nisi tibi specialiter fuerit ab Apostolica Sede indultum. Nos autem in hoc volentes tibi certum dare responsum, tuæ deuotioni respondemus, quod si quando tales repereris, si commoniti noluerint à tam turpibus actibus reuocari, & de contemptu satisfacientes, plenariè ad clericale schema redire, tu eos auctoritate nostrâ suffultus excommunicationi appel. cess. subiicias, faciasque eos ab omnibus arctiùs euitari, donec reatum suum congrua satisfactione diluerint, præsertim si qui eorum in sacris ordinibus constituti sunt: hoc etiam sine speciali mandato exequi posses, cùm ex quo electionis tuæ confirmationem accepisti, de talibus & consimilibus, præter ea, quæ & maioris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, quod iustum est, & ecclesiasticæ conuenit vtilitati, statuendi liberam habeas facultatem.

NOTÆ.

1. a *COElestinus.*] In hac Raymundi compilatione tantùm legitur *Cœlestinus III.* in secunda verò, vbi *sub hoc titulo* reperitur hæc decisio, legitur, *Clemens III. Helienſi Episcopo.* Sed ex his duabus inscriptionibus vera restituenda est in hunc modum: *Cœlestinus III. Helienſi Episcopo.* Cœlestinus enim ipse auctor proponitur duarum præcedentium decisionum; vnde iuxta seriem temporum, quæ in hac collectione seruatur, non potest tribui hæc decisio Clementi III. qui prædecessor fuit Cœlestini: addimus *Helienſi Episcopo*, ex dicta collectione secunda, & meritò; nam temporibus Cœlestini III. Ecclesia Anglicana fœdissimis deturpabatur Clericorum excessibus, vnde

vnde in Concilio Eboracensi illis temporibus celebrato, quod extat *tom. 4. pag.* 1443. in editione Binij, mercimonia, vestis laicalis delatio, & turpia lucra clericis prohibentur, quorum excessuum mentio fit in hac decisione; quare non improbabiliter existimo auctorem huius textus esse Cœlestinum III. epistolam autem esse missam Episcopo Helicnsi, de qua Ecclesia egi *in cap. Pastoralis, de rescriptis.*

2. b *Excommunicationis.*] Ob quæ delicta clerici his afficiantur pœnis, longum foret etiam per indicem recensere: videndus est Antonius Augustinus *in epitome iuris, ex lib.* 37. *vsque ad finem operis.*

3. c *Parùpendentes.*] Cùm excommunicatio sit neruus ecclesiasticæ disciplinæ, & nulla maior pœna in Ecclesia reperiatur, *cap. nemo contemnat* 31. *cap. omni* 32. *cum sequenti* 11. *q.* 3. traditur enim satanæ excommunicatus, iuxta Apostolum 1. *ad Corinth.* quem locum exponit Morinus *lib.* 2 *cap.* 29. ideò non est parùpendenda hæc censura.

4. d *Dimittunt.*] Cùm sine licentia proprij Episcopi non possint dimittere titulos, quibus adscripti, & mancipati sunt, *cap. admonet,* vbi dicam, *de renunt.*

5. e *Mercimonia.*] Quod innumeris iuris nostri testimoniis illis prohibitum est, quæ Deo annuente, dabimus *in cap.* 1. *ne clerici vel monachi.*

6. f *Vestes.*] Quàm aliena sit à professione sacerdotali hæc vestium delatio, probabo *in cap. Clerici, de vita & honestate Clericorum.*

COMMENTARIVM.

7. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur assertio: *Episcopus confirmatus, licèt non consecratus, potest exercere omnia, quæ sunt iurisdictionis.* Probant textus *in c. in nomine,* 23. *dist. cap. si quis Ordinatus* 4. 92. *dist. cap. cùm in cunctis* 7. §. *cùm verò, cap. quod sicut,* §. *præterea, cap. nosti, cap. nihil* 44. *hoc tit. cap. quamuis* 7. *quæst.* 1. *cap. verùm* 7. *de foro compet. cap. cùm ex illo, de transl. Episcopi, cap. sicut* 33. *de simonia, cap. finali, de clerico excommunic. cap. cùm iam* 18. *de præbendis.* Illustrant Petrus Gregorius *de electione cap.* 19. *&* 20. & *lib.* 5. *partit. tit.* 2. & *lib.* 15. *syntag. cap.* 12. *num.* 33. Duarenus *de benefic. cap.* 5. Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 56. Franc. Hallierius *de sacris elect.* 2. *part. sect.* 7. *cap.* 2. *art. vlt.* §. 7. & *de hierarchia fol.* 228. *&* 894. Lotherius *de re benefic. lib.* 1. *q.* 27. Coruinus *lib.* 1. *aphorism. titul.* 5. Diana *p.* 12. *tract.* 1. *resolut.* 94.

8. TRADITVR RATIO DVBITANDI. Sed in hanc assertionem insurgi potest eâ validissimâ ratione. Episcopi, etiam confirmati, ante consecrationem non sunt, nec appellantur Episcopi, *cap. nulla* 1. 62. *dist. cap. sicut* 8. *dist.* 40. *cap. super his, de accusat.* sed electi, *cap. tua nos, de his quæ fiunt à Prælat.* immò in hierarchia ecclesiastica diuersum gradum à presbyteris non obtinere, probant latè Cellotius *de hierarchia lib.* 13. *cap.* 17. Petrus Bollo *in œconomia, class.* 3. *cap.* 1. §. 2. Cæsar *de eccles. iast. q.* 4. *proœmiali,* §. 3. & 1. *part. disput.* 6. §. 1. *&* 6. ampliùs Ecclesia, in qua Episcopus electus & confirmatus est, dicitur viduata, *cap. quoniam* 100. *dist. can.* 76. *Concilij Vorm.* ergo ante consecrationem nec ea quæ sunt iurisdictionis Episcopus exercere valet. Augetur hæc consideratio, nam si Episcopus, quæ sunt iurisdictionis, obire possit, fructus ipsius Episcopatus percipere, & administrare valeret; sed redditus Episcopatus, quousque Episcopus consecretur, penes œconomum deponuntur, *cap. quoniam,* 75. *dist. cap. si quis* 4. 92. *dist.* & si non sint canonici in Ecclesia, qui eorum curam habeant, Archiepiscopo custodia competit, *cap. non licet* 12. *quæst.* 2. Gregorius Magnus *lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 15. 26. *&* 27. *nouella* 7. *Emmanuelis Comneni:* igitur ea, quæ non ratione consecrationis, sed iurisdictionis pertinent, ab Episcopo tantùm confirmato exerceri non valent.

9. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Hac ratione dubitandi parum obstantè, vera est nostra assertio, ad cuius interpretationem præmittendum est, in Episcopo perfectè, & consummatè Episcopo, tria considerari, videlicèt electionem, confirmationem, & consecrationem. Sed quia de electione egimus *in cap.* 2. *cap. cùm in cunctis, de elect.* de confirmatione *in cap. postquam* 3. *cap. nosti* 9. *hoc titulo,* de consecratione *in cap. si Episcopus* 6. *de temp. ordin.* ideò in præsenti omittimus: quibus præmissis ratio nostræ decisionis ex eo prouenit, nam licèt Episcopus confirmatus, perfectè Episcopus illius Ecclesiæ non sit, est tamen eius Prælatus, *cap. tam litteris,* 33. *de testibus,* vbi Innocentius scribit, vt si delicti, quo accusabatur Episcopus confirmatus, conuictus esset, à Prælatione Ecclesiæ Lucanensis amoueretur: ergo quia iam erat Prælatus ipsius Ecclesiæ ante consecrationem. Idem probatur ex eleganti decisione textus *in cap. super his* 16. *de accusat.* vbi asseritur, accusantem Episcopum tantùm electum, non debere subscribere, quia approbatâ accusatione non deiicit promotum, sed impedit promouendum; accusantem verò Episcopum iam confirmatum, subscribere debere, quia tunc deiicit iam promotum: igitur quia per confirmationem confirmatus efficitur Prælatus Ecclesiæ. Facit etiam pro nostro Cœlestino exemplum Apostolorum, quorum successores Episcopi sunt, *cap. quantò, de consuetud.* Apostoli enim electi, & confirmati fuerunt, cùm Dominus noster eos ab aliis segregauit & selegit. *Lucæ cap.* 6. ibi: *Quos & Apostolos nominauerat.* Et *Matthæi cap.* 10. *Marci cap.* 3. Consecrati autem, & initiati fuerunt in nocte Cœnæ, dicente Domino: *Hoc facite in meam commemorationem,* vt habetur *Lucæ cap.* 22. Sed anteà prædicabant, & exercebant quæ erant iurisdictionis, vt probat Hallier. *de sacris electionibus fol.* 933. igitur & Episcopi eorum successores post confirmationem possunt ea, quæ sunt iurisdictionis exercere. Deinde facit R. Pontificis exemplum; ipse enim, quia nulla indiget confirmatione, *cap. licet* 6. *hoc titulo,* statim ante consecrationem, quæ sunt iurisdictionis exercet; vnde legimus Gregorium VII. ante diem suæ consecrationis Legatos in diuersas partess misisse, vt ipse testatur *lib.* 1. *epist.* 67. & Clementem IV. Perusiis commorantem, Pontificem renunciatum, Viterbiam Cardinales ad Curiam accersiuisse, referente Platina *in eo*; & Cœlestinum plura administrasse ante consecrationem, referunt Ciaconius & Platina *in eo.* Episcopus etiam Cato Aruernæ ciuitatis electus, & confirmatus, Cautino Archidiacono iudicialiter minas intulit: refert Gregorius Turonensis *lib.* 4. *histor. cap.* 7. rectè igitur asserit Cœlestinus noster, Episcopos per confirmationem consequi facultatem exercendi omnia iurisdictionalia.

10. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec refragatur supradicta difficultas; licèt enim Episcopus non consecratus, sed tantùm confirmatus, non dicatur perfectè, & consummatè Episcopus; siquidem post confirmationem possunt in ordinatione aliqua obiici, quæ remoueant ipsum ab Ecclesia, *cap. illud, dist.* 23. *nouella* 63. *Iustiniani;*

niani ; & vt ait Innocentius *in cap. inter, de transl. Episcopi*, detur spirituale fœdus coniugij, quod inter Episcopum & Ecclesiam intercedit, in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum : tamen quoad iurisdictionem exercendam non desideratur, vt perfectè, & consummatè sit Episcopus; sed sufficit vt sit confirmatus. Consecratio autem desideratur, vt exerceat ea, quæ sunt ordinis. Nec obstat Ecclesiam etiam post confirmationem electi dici viduatam, *dict. cap. quoniam, 76. dist.* Concilium Vvormat. *can. 76.* nam huic difficultati satisfacit Innocentius III. *in d.c. inter*, in illis verbis: *Cùm non intelligatur Ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat ; sed quia sponsus eius adhuc non sit consecratus*, adhuc quoad quædam quasi viri maneat solatio destituta : sicut iuxta communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata, quæ licèt Episcopum habeat, inutilem tamen habet : dici etiam potest viduata, quia matrimonium inter ipsam, & Episcopum consummatum non est, iuxta tradita *in cap. nosti, hoc tit.* exponit Hallier. *de sacris, fol. 927.* Nec augmentum difficultatis deductum *ex d. cap. quoniam, cap. non liceat*, obstat ; nam licèt quæ sunt iurisdictionis Episcopo concedantur, tamen denegatur mixtio in bonis, & fructibus Ecclesiæ speciali ratione, videlicet vt ad procurandam suam consecrationem confirmatus alliciatur: & sic iura, quæ concedunt confirmato exercitium iurisdictionis, negant Episcopo immistionem in bonis, & fructibus Ecclesiæ ; ideoque tantùm ea quæ adquirit Episcopus à tempore consecrationis, adquirit Ecclesiæ, non à tempore confirmationis, quia antea non implicatur fructibus, & bonis Ecclesiæ : quo modo intelligendus est textus *in cap. vt clerici 3. de peculio Clericorum* ; omisso Butrio ibi, *num. 3.*

II. EXPONITVR CAP. VERVM, DE FORO COMPET.

Sed primò aduersatur superiori assertioni textus *in cap. verùm 7. de foro compet.* in illis verbis: *Ex quo fuerit in Ecclesia consecratus.* Ex quibus expressè probatur, de causa feudali cognoscere non posse Episcopum confirmatum, sed desiderari vt sit consecratus : at causa feudalis est iurisdictionis, *cap. cæterùm, de iudiciis :* igitur quæ sunt iurisdictionis non possunt exerceri ab Episcopo confirmato. Oppressi hac difficultate Innocentius, & Hostiensis *ibi*, & Gofredus *in summa illius tituli*, existimant addendam esse particulam *maximè*, vt sensus sit, de causis feudalibus cognoscere posse Episcopum, maximè consecratum. Glossa marginalis in eo textu testatur in codice Barbatiæ legi, *confirmatus, vel consecratus :* sed nec in secunda collectione, nec in vlla alia inueni ita legi. Quare retentâ vulgari litterâ, D. Ildefonsus de Auila, apud Salmanticenses D. Bartholomæi Collegij alumnus, in præsenti, *n. 12.* affirmat in eo textu verbum *consecratus*, non sumi strictè, & rigorosè pro ordinato Episcopo, sed pro Episcopo iam deuoto, & mancipato Ecclesiæ ; quia sicut res consecratæ dicuntur, quæ cultui diuino destinatæ sunt, licèt vnctione sacra non sint delinitæ, *cap. nulli 12. q. 2. § sacræ, Instit. de rer. diuisione, l. si quando 30. Cod. de bonis vacantibus, lib. 10. l. pergit 5. Cod. de sepulc. violato* ; ita Episcopus deuotus & destinatus Ecclesiæ, latè potest appellari consecratus. Sed nec hanc subtilis ingenij interpretationem admittunt ea verba, *Ex quo Episcopus fuerit in Ecclesia consecratus* ; quæ expressè exigunt consecrationem ipsius Episcopi. Cuiacius in eo textu affirmat, Episcopum confirmatum non posse exercere iurisdictionem in omnibus causis, sed tantùm respectu clerici contumacis, iuxta nostrum textum. Sed omnibus his omissis existimo, aliam esse mentem Pontificis ; obserno ergo ibi tractari de feudis spectantibus ad Ecclesiam vacantem, in qua confirmatus erat episcopus : sed vt suprà dixi, Episcopus non consecratus, licèt exerceat quæ sunt iurisdictionis, tamen non potest attingere, aut aliquid disponere de rebus, aut fructibus Ecclesiæ, vt suprà probaui, ideò ergo in eo textu desideratur, vt sit consecratus, nec sufficit confirmatus ; quia de feudis ipsius Ecclesiæ agebatur, & per consequens de rebus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus.

12. OPPONITVR CAP. CVM DILECTI, DE PVRGAT.

Secundò obstat textus *in c. cùm dilecti 15. de purgat. canonica*, in illis verbis : *Purgationem indictam ab electo Constantiensi curauerit exhibere.* Ex quibus depromitur, tantùm Episcopum electum potuisse punire, & animaduertere in clericum incestuosum : igitur non desideratur vt sit confirmatus, vt quæ sunt iurisdictionis, valeat exercere. Cui difficultati satisfaciendum est dicendo, in eo textu electum Episcopum accipi pro confirmato, quia Episcopus vsquedum consecretur, semper appellatur electus, *cap. tua 8. de his quæ fiunt à Prælat.* quare dum esset confirmatus, potuit iurisdictionem exercere.

13. EXPONITVR CAP. CVM OLIM 7. DE DOLO ET CONTVM.

Tertiò suprà traditæ assertioni obstat textus *in c. cùm olim 7. de dolo & contum.* in illis verbis : *Administrationem Roscensis Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus committatis.* Ex quibus deducitur, Episcopum confirmatum non ideò statim posse administrare in propria Ecclesia res temporales, aut spirituales. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, quod licèt Episcopus confirmatus possit exercere omnia quæ sunt iurisdictionis, & etiam administrare res etiam temporales ipsius Ecclesiæ; id tamen procedit quando confirmatio legitimè & quietè facta est : at verò cùm super ipsa confirmatione, seu electione lis mota est, & agitatur, non potest se immiscere Episcopus, etiam confirmatus, administrationi rerum temporalium, seu spiritualium ipsius Ecclesiæ ; quo casu procedit textus *in dict. cap. cùm olim*, vt facilè ex eius serie colligitur, & notauit Abbas ibi, *num. 7.*

CAPVT XVI.

[a] Innocentius III. *N. de Cella S. Petri, & N. Mitren. Abbatibus, & N. Præposito Vverden.*

CVm inter dilectum filium R. seniorem, & R. iuniorem, super Abbatia Scaffusen. quæstio verteretur, eis in nostra præsentia constitutis dilectos filios G. sanctorum Cosmæ & Damiani, & G. Sanctæ Mariæ in Aquiro Diacon. [b] Cardinales dedimus auditores, in quorum præsentia pro R. seniore fuerunt proposita quæ sequun-

tur. Quod cùm H. quondam Abbas ipſius cœnobij, onus regiminis inuito Capitulo ſuo ſpontaneè reſignaſſet, & ab obedientia ſua monachos abſoluiſſet, ipſi prædictum R. ſeniorem, dicto H. conſentiente, ſibique obediente cum aliis, in Abbatem vnanimiter elegerunt. Poſteà verò electus diœceſano Epiſcopo præſentatus munus ab eo benedictionis accepit, Eccleſiam ipſam per biennium, & amplius, ſicut Abbas proprius adminiſtrans. Verùm quoniam moniales ſanctæ Agnetis eiuſdem villæ, quæ peccandi materiam iunioribus monachis miniſtrabant, arctiori cuſtodiæ mancipauit, exinde occaſione inuentâ, iuuenes monachi contra ipſum alios concitarunt, tanquam prædicti H. reſignatio minùs canonica extitiſſet: quod audiens Epiſcopus antedictus, ad locum acceſſit, cauſam diſſenſionis requirens, & prædictum H. paternè redarguens, tanquam odij fomitem in Eccleſia ſeminaſſet, accepit ab eo, quod per ipſum talia non fiebant: & cùm quidam de monachis ipſo Epiſcopo præſente ſe dicerent ab obedientia præfati H. nullatenus abſolutos, idem H. quod eos abſoluerat, eſt profeſſus: & vt omnem à ſe ſuſpicionis materiam amoueret, cum iureiurando vehementer aſſeruit coram Epiſcopo antedicto, quod neque illam, nec aliam habere vellet vlteriùs Abbatiam. Monachi verò poſt receſſum Epiſcopi ad artes ſolitas nihilominus recurrentes, coram dicto Epiſcopo, & Capitulo Conſtantienſi aduerſus eundem R. controuerſiam agitarunt, tanquam minùs canonicè dictus H. dimiſerit Abbatiam. Cúmque dictus R. paratus eſſet de iuſtitia ſua incontinenti probare, monachi defectum cauſæ ſuæ videntes, in nullo grauati Sedem Apoſtolicam appellarunt, & per litteras infra terminum appellationis per ſubreptionem obtentas, contra ipſum R. per nuncios appellantem iniquâ ſententiâ promulgatâ, eius fuit aduerſarius reſtitutus. Ipſe verò R. appellationem interpoſitam per nuncium proſequens, & termino conſtituto, commiſſionis litteras ad certos iudices impetrauit, vt eo, quod occaſione prioris commiſſionis contra eum iudicatum fuerat, ad ſtatum debitum reuocato, & ei reſtituerent Abbatiam, & à monachis ſibi facerent debitam reuerentiam exhiberi. Sed monachis obſtinatis, & ſibi obedire nolentibus, ambæ partes ad Sedem Apoſtolicam acceſſerunt: quibus à bonæ memoriæ Cœl. Papa [c] prædeceſſore noſtro, nos ipſi, dum in minori eramus officio [d] conſtituti, & dilectus filius noſter I. tit. Sancti [e] Stephani Preſb. Card. dati fuimus auditores: & cùm vtrimque coram nobis eſſet diutiùs allegatum, & eidem prædeceſſori noſtro per nos eſſet proceſſus negotij declaratus, ipſe prædictum R. ſententiam cum inſtantia poſtulantem, ad [f] componendum coegit inuitum; & ſic Abbatiæ renuncians, de manu eius [g] Cuſtodiam, & etiam Prioratum ab eo dum viueret, ſine quæſtione qualibet accepit [h] poſſidendos. Huic autem ordinationi licèt inuitus conſentiret, domum tamen reuerſus, aduerſariis compoſitionem ipſam in nullo volentibus obſeruare, non potuit quæ ſibi conceſſa fuerant, obtinere, quin potiùs in eum, quod deterius eſt, manus iniecerunt poſteà violentas. Sed adiutus ab ipſius loci hominibus, & monachorum manus euadens, ad Apoſtolicum ſubſidium conuolauit. Interim verò dilectus filius noſter P. [i] Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad partes illas accedens, pro iamdictis, & aliis multis exceſſibus, & ſuſpendit monachos, & monaſterium [j] interdixit. Ipſi verò contemptâ ſententiâ Card. diuinâ promptiùs, quàm antea [k] celebrarunt, & in hac ſuſpenſione prædictus aduerſarius eius de medio eſt ſublatus: quo comperto ad Eccleſiam venit, & cùm vellet prædictæ compoſitioni parêre, parte alterâ hoc nolente, ne ad electionem Abbatis procederetur, quouſque quæſtio inter eos finiretur, obicem prouocationis obiecit. Sed monachi per omnia contumaces, & dictũ R. iuniorem pariter eligentes, ipſum benedicendum diœceſano [l] Epiſcopo præſentarunt: qui poſt appellationem interpoſitam benedixit eum, & in Eccleſia interdicta. Vnde idem R. iteratò Sedem Apoſtolicam accedens, à nobis litteras impetrauit, vt eo, quod poſt appellationem legitimè interpoſitam perperam fuerat à monachis attentatum, ad ſtatum debitum reuocato, ſi conſtaret à ſuſpenſis, & interdictis electionem factam fuiſſe, denunciarent eam penitus non tenere: ſuper reſtitutione verò ipſius R. ſenioris, & aliis, quæ vtrimque ducerent proponenda, ſtatuerent appellatione remotâ, quod ordo poſceret rationis. Cæterùm iudices delegati litteris his receptis, partes ad ſuam præſentiam citauerunt, & cùm monachi per ſuggeſtionem falſi probare vellent litteras impetratas, iudicibus nolentibus ipſorum probationem recipere, Sedem Apoſtolicam appellarunt. Delegati verò, quia remota erat in litteris appellatio, in cauſa nihilominus procedentes, cùm per depoſitiones teſtium eis de veritate negotij conſtitiſſet, pro ſæpedicto R. ſeniore ſententiam protulerunt, adiudicantes ei Eccleſiam memoratam. Petebat itaque, quod factum erat ex delegatione

Apoſto

Apoſtolicæ Sedis, per nos obtinere debitam firmitatem: vt repreſsâ contumaciâ monachorum, pacificâ ipſius Abbatiæ poſſeſſione gauderet. Cæterùm contra eundem R. ſeniorem fuit ex parte altera taliter allegatum, quod cùm dictus H. quondam Abbas minùs legitimè reſignaſſet, & monachi de electione tractarent, ſenior R. fraude adhibitâ procurauit, quod cùm Veſperæ cantarentur, & die ſequenti eſſet electio celebranda, homines burgi ad Eccleſiam accedentes, ipſum R. ferè omnibus monachis reclamantibus ibidem per violentiam intruſerunt. Monachi verò poſtea cognoſcentes renunciationem præfati H. minimè tenuiſſe; pariterque penſantes, quod ſub eius conuerſatione laudabili monaſterium proficere poſſet, ipſum tanquam Abbatem proprium requirebant. Vnde factum eſt, quod poſt multas altercationes factas, tandem de vtriuſque partis aſſenſu commiſſio eſt obtenta: quod ſi de informi reſignatione H. & inutili ſubſtitutione R. ſenioris conſtaret iudicibus delegatis, R. remoto, ſæpedicto H. reſtituerent Abbatiam; & ita fuit effectui mancipatum. Poſt hæc ipſo R. nihilominus murmurante, ambo pariter ad prædeceſſoris noſtri præſentiam acceſſerunt: qui ſicut iam præmiſimus, nos, & præfatum preſb. Card. eis tribuit auditores: & tandem causâ diutiùs actitatâ, per eundem prædeceſſorem noſtrum de vtriuſque partis aſſenſu fuit compoſitio taliter celebrata, quòd H. Abbatiam, R. verò Prioratum, & Cuſtodiam obtineret: propter quod ipſi H. obedientiam repromiſit. Sic ergo eis reuerſis ad propria, præfatam compoſitionem idem R. coram diœceſano Epiſcopo approbauit. Sed ab ipſo Abbate poſtea requiſitus tertiò, ſi Cuſtodiam, & Prioratum vellet habere, poſt trinam citationem veniens dixit, quod non per eum, ſed per Rom. Pontificem volebat habere præmiſſa; vnde nullam obedientiam ei voluit exhibere. Recedens igitur abſque Abbatis licentia, cùm extra monaſterium moram faceret longiorem, ab ipſo H. de fratrum conſilio fuit excommunicationis vinculo innodatus; & cùm per longum tempus non rediret ad monaſterium, Abbas dicta officia, conſulentibus fratribus, aliis aſſignauit: qui quandiu Abbas vixit, ea pacificè tenuerunt. Abbate verò defuncto, fratres conuenerunt in vnum, nonnullis Abbatibus, & aliis viris religioſis præſentibus, qui ad defuncti conuenerant ſepultutam: & R. iuniorem ſeniore abſente, in Abbatem vnanimiter elegerunt: quem præſentatum ſibi diœceſanus Epiſcopus confirmauit, & benedixit. Conſequenter verò ſenior R. ad præſentiam noſtram accedens, litteras ad remotos per dietas quatuor iudices, & ſuſpectos monachis, per mendacium impetrauit. Ad quos pars monachorum ante aliquam citationem accedens, copiâ commiſſionis obtentâ, litteras per falſi ſuggeſtionem propoſuit impetratas, pro eo quod dicebatur in eis, compoſitionem ſibi non fuiſſe ſeruatam, monaſterium interdictum, & ſe appellaſſe priuſquam R. iunior electus fuerit in Abbatem; quæ falſa penitus aſſerebat. Tacuit etiam ſe excommunicatum ab hoc Abbate defuncto, & alia quædam, quibus expreſſis, litteras ipſas nullatenus impetraſſet. Cúmque omnia quæ præmiſimus, ſufficienter probare vellent, & iudices eorum probationes recipere, tanquam demandatum eis non fuerit, recuſarent, ipſi monachi ante ingreſſum iudicij appellarunt, ſicut ex depoſitionibus teſtium eſt probatum. Delegati verò nihilominus procedentes, & recipientes teſtes partis aduerſæ, ſeniorem R. inſtituendum ſententialiter decreuerunt; quorum factum tanquam iniquum irritari à nobis monachi ſuppliciter poſtulabant. Cùm autem quæ præmiſſa ſunt, & alia quædam, præfati Cardinales nobis, & fratribus noſtris prudenter, & fideliter retuliſſent, nos attendentes, quòd ex conſenſu compoſitionis receptæ, quam prædeceſſor noſter etiam confirmauerat, ius (ſi quod ſibi competierat) R. ſenior amiſiſſet; ac per hoc, ne monachi ad electionem procederent, appellare de iure minimè potuiſſet; cùm, niſi quorum intereſt, audiri non ſoleant [m] appellantes, de conſilio fratrum noſtrorum appellationem illam dicimus legitimam non fuiſſe, vnde per eam electio non potuit impediri. Quia verò conſtitit nobis, monachos ante litis exordium rationabiliter appellare, pro eo quòd ſuper falſi ſuggeſtione probationem nolebant admittere delegati; & per conſequentiam eo ipſo, quod bene appellatum fuerat, iuriſdictionem iudicum expiraſſe, quicquid ab eis eſt perperam attentatum, vel de recipiendis ante litem conteſtatam teſtibus, vel de ſententia proferenda, denunciamus ſententialiter non tenere. Sanè quamuis dilecti filij Præpoſitus, & Capitulum [n] Conſtantienſe de interdicto præmiſſo ad Cardinalem, qui poſuerat illud, ſuis litteris inſeruerint; quia tamen per id, quod R. iuniori diœceſanus Epiſcopus munus benedictionis impendit, & videtur quod præmiſimus obuiare; vnde vel ſcriptura facto, vel factum ſcripturæ præiudicat: nec probatum fuit, licèt obiectum,

ctum, quod ab interdictis electio fuerit celebrata, ipsam non potuimus irritare: præsertim cùm contra personam electi nihil fuerit intentatum. Ideoque causam ipsam sub ea forma vobis duximus de consensu partium committendam, vt si constiterit, quòd electio fuerit facta à suspensis, eâ omninò cassatâ, ipsi monasterio, post ° satisfactionem condignam suspensionis, & interdicti sententiâ relaxatâ, de persona idonea consulatur. Alioquin ne vtilitas monasterij retardetur, præmissam electionem per vos appellatione remotâ volumus confirmari, & R. iuniorem Abbatiæ pacificâ possessione gaudere: alium verò Custodiam, & Prioratum, quæ sibi fuerant à suprà memorato prædecessore nostro concessa, non obstante donatione ab H. quondam Abbate facta de ipsis, volumus, & mandamus sine contradictione qualibet obtinere. Testes autem, &c. Nullis litteris præter assensum partium. Quod si omnes, &c. Datum Lateran. VII. idus Aprilis.

NOTÆ.

1. a *Innocentius III.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. vbi reperitur hic textus, legitur *Vercellensi*; sed inscriptionem, & litteram restituo ex ipso codice epistolarum Innocentij III. Coloniæ edito, *pag.* 289. Monasteria, quorum Abbatibus rescribit Innocentius, sunt in Germania, vbi etiam in diœcesi Constantiensi est monasterium Scaphusien. de quo Bertholdus *in chron. ad annum* 1083. & S. Saluatoris, quod Scaphusen dicitur, id est nauium domus.

2. b *Cardinales.*] Inter titulos Cardinalium Diaconorum, præcipui sunt tituli S. Mariæ in Acquiro, & SS. Cosmæ & Damiani, vt refert Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 6.

3. c *Prædecessore.*] In aliquibus epistolis Innocentij III. vbi reperiuntur hæc verba, *C. prædecessore nostro*, aliqui, *Clemente*, legunt, sed malè; legendum enim est, *Cœlestino*, vt in præsenti textu notarunt iam Spondanus post Baronium *anno* 1198. *num.* 4. Cardinalis Sirletus *ad calcem editionis epist. Innoc. III. Coloniæ.*

4. d *Officio constituti.*] Innocentius III. cùm in studiis Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ valde profeciſſet, alioſque coætaneos superasset, à Gregorio VIII. Subdiaconus ordinatus fuit, à Clemente III. promotus est in Diaconum Cardinalem, qui posteà temporibus Cœlestini III. non solùm Cardinalis officiis intendens, verùm studiis maximè deditus, varios scripsit tractatus summâ eruditione, quos recenset Biblioth. Pontific. *in eo*; ideò asserit temporibus Cœlestini se fuisse in minori officio constitutum.

5. e *S. Stephani.*] Titulus iste adscriptus erat ad Basilicam S. Laurentij extra muros, & presbyter illo titulo decoratus, appellabatur *Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte*; notat Cohelius *in notitia Card. cap.* 6.

6. f *Ad componendum.*] Licèt nemo cogendus sit regulariter transactionem, aut compromissionem facere, sed tantùm hortandus, & suadendus, *cap. finali, de transact. authent. vt litigat. collat.* 9. docent Molina *de primog. lib.* 4. *c.* 9. *num.* 29. Osuald. *lib.* 17. *comment. cap.* 1. *littera D.* plures apud Auendañum *de metu:* sunt tamen casus, in quibus quis cogitur transigere, aut compromissum facere, veluti si supremus Princeps sic iubeat: sicut enim potest quamlibet causam auocare, *authent. quæ in prouincia, Cod. vbi de criminib.* ita & ad compromittendum partes cogere valet. Auendaño *vbi suprà, num.* 28. Iudex etiam inferior potest partes ad compromittendum cogere, cùm causa diutiùs disputanda est, aut ita dubia existit, vt facilè expediri non possit, vt in hoc textu, & *in cap. placuit* 9. *cap. discordantes*, 90. *dist. cap. nouit, de iudiciis, l. vnica, Cod. de Irenarchis*; aut causa inter magnates vertitur, & eius naturæ est, vt ex iudiciali decisione turbari posset; quos & alios casus latè prosequuntur Acuña *in dict. c. placuit*, Guillelmus Benedict. *in cap. Raynuntius, 3. part. n.* 27. Matienzo *in dialogo, p.* 2. *c.* 1. *n.* 8. Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 4. *ordinamenti*, Auendaño *vbi suprà*, Mysingerus *in cap. finali, de probat.* Xamar. *de officio Aduocati part.* 1. *quæst.* 8. *num.* 19. & *quæst.* 4. Guzman *de euict. quæstion.* 41. Pereyra *qq. forens. cap.* 23. *n.* 119. Valeron *de transact. in proœmio, num.* 24.

7. g *Custodiam, & etiam Prioratum.*] Licèt enim aliquis duo beneficia regularia in diuersis Ecclesiis habere non possit, *cap. cùm singulæ, de præb. lib.* 6. tamen in vno, eodemque monasterio duo beneficia obtinère quis valet, *cap.* 1. *de consuet. lib.* 6. Custodia autem est protectio ipsius monasterij, & custodes dicuntur patroni, & aduocati ipsius; quo in sensu accipiuntur in legibus Longobardorum, *tit.* 10. *cap.* 1. ibi: *Cum Pontificibus, Abbatibus, vel Custodibus Ecclesiarum, seu xenodochiorum Præpositis.* Plura adducit Bosquetus *ad Innocentium lib.* 2. *epist.* 122. in hoc tamen textu custodis nomen accipitur pro eo, qui custodiam monachorum, præcipuè puerorum habebat; olim enim in monasteriis custos eligebatur generalis omnibus monachis, & aliquando binis, aut ternis adhibebatur. Lanfrancus *in consuet. Cluniac. cap. de pueris*, ibi: *Extra loca custodiæ suæ procedat nusquam; duo, & duas lanternas ferant, quocumque pergant.* S. Dunstanus *in concord. regul.* ibi: *Sub sui custodis vigilantia iugiter maneat, nec ipse custos cum singulo aliquo puero, sine tertio, qui testis assistat, migrandi licentiam habeat.* Obseruat Benedict. Ephtenus *lib.* 4. *disquisit. monast. tract.* 1. *disquisit.* 6. de qua custodia accipienda sunt verba suprà relata.

8. h *Possidendos.*] Sed quomodo Prioratus, & Custodia dantur in perpetuum? siquidem ad vitam concedi non valent, *cap. ad nostram, cap. porrecta, de confirmat. vtili, cap. cùm ad monasterium*, §. *nec alicui, de statu monachorum.* Dicendum est, hoc procedere regulariter in Prioratibus electiuis, & prioribus electis ab ipso monasterio, at R. P. potest in perpetuum priores eligere, vt in præsenti fecit.

9. i *P. S. Mariæ.*] Petrus enim Diaconus tituli S. Mariæ, nostri Pontificis tempore, videlicet per annos 1198. missus fuit Legatus in partibus Galliæ, vt prosequeretur iudicium iam cœptum super diuortio à Philippo Francorum facto cum legitima vxore, aliâ superinductâ; cuius legationis extant quamplures nostri Innocentij epistolæ, & meminit Spondanus *in continuat. anno* 1198. *num.* 9.

10. j *Interdixit.*] Quia vniuersitas, aut communitas non potest excommunicari, *cap. Romana, §. in vniuersitatem, de sentent. excomm. lib. 6.* interdicto tamen subiici valet, vnde passim in iure nostro, dum personæ excommunicantur, communitates interdicuntur, *cap. 1. de iniuriis, lib. 6. cap. 1. de homicidio, eodem lib.*

11. k *Celebrarunt.*] Quo facto irregularitatem contraxerunt, *cap. finali, de clerico excommunicato.*

12. l *Episcopo.*] Cui competit Abbatum benedictio, vt dicemus *in cap. 1. de supplenda negligentia.*

13. m *Appellantes.*] Certum est, appellantes non audiri, si illorum non interfit prouocatio; quare in præsenti Rodericum posse agere ad impediendam electionem, & etiam prouocare, quia illius intererat, docent fusè Abbas, Butrius, & Hostiensis in præsenti: videndi tamen sunt Couar. *practic. quæst. 14.* Flaminius *de resignat. quæst. 13.* Salgado *de protect. 1. tom. lib. 1. cap. 13. num. 219.* Lambertinus *de iurepatronat. lib. 2. part. 1. quæst. 2. tit. 3.*

14. n *Constantiense.*] Constantiæ apud Geographicos multiplex mentio extat: in iure nostro triplex reperitur: prima Constantia Metropolis Cypri; secunda in Germania; tertia in Gallia.

15. o *Satisfactione.*] Ad relaxationem censuræ debet præcedere satisfactio, *cap. ex litteris*, vbi dixi, *de constitut.*

COMMENTARIVM.

16. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu illa rubro, & decisioni aptior deducitur assertio: *Electio à suspensis celebrata non sustinetur.* Probant textus *in cap. cùm dilectus, de consuetud. cap. cùm bonæ, de ætat. & qualit. cap. constitutis, de appellat. cap. Apostolicæ, de exception. cap. quia, de concess. præb. cap. vnico, ne sede vacante, lib. 6. cap. 1. de re iudic. eod. lib. cap. 1. de postulat. Prælat. cap. postulasti, cap. finali, de clerico excomm. cap. nos in hominem 9. quæst. 1. cap. quisquis, cap. per inquisitionem, hoc tit. cap. cùm in Curia, §. vlt. eod. tit. lib. 6.* Illustrant Suarez *de relig. tom. 4. lib. 2. cap. 4. num. 9. & cap. 6. num. 10.* Barbosa *de dignitat. cap. 41. num. 6. & lib. 1. iuris eccles. cap. 19. num. 59.* Suarez *de censuris disput. 27. sect. 2. num. 34.* Sayrus *eodem tract. lib. 4. cap. 6. n. 7.* Vgolinus *eod. tract. tabula 4. c. 7. §. 3. & cap. 8. §. 9.* Gibalinus *eod. tract. fol. 321. num. 7.* Petrus Gregorius *de elect. cap. 7. num. 7.* Iulius Lauorus *de elect. cap. 15. num. 61.* Ricciulus *de iure personar. lib. 4. cap. 3. num. 9.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. disput. 5. quæst. 8. num. 13.* Diana *5. parte, tract. 10. resolut. 8.* Anguianus *lib. 2. de legibus, cap. 2. num. 10. & 22.* Garcia *tom. 2. polit. tract. 9. diffic. 3. dub. 2.* Ioannes Dartis *de beneficiis sect. 6. cap. 1.* Altesserra *hîc.*

17. TRADITVR RATIO DVBITANDI. Quæ assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti ratiocinio; nam actus eligendi est iurisdictionis, *cap. nosti 9. hoc tit.* sed suspensus solùm priuatur illis, quæ sunt ordinis, non verò quæ sunt iurisdictionis, vt probant Suarez *de censur. disp. 26. sect. 4. num. 3.* Alterius *eod. tract. de suspens. cap. 4.* latè Gibalinus *eod. tract. fol. 331. num. 33.* ergo suspensus non priuatur potestate eligendi. Augetur hoc ratiocinium ex eo, nam aut suspensi in nostro textu erant suspensi à beneficio, vel ab ordine, vel ab actu particulari: neutro casu suspensi priuantur potestate eligendi: ergo. Probatur minor; nam suspensus à beneficio, priuatur tantùm fructuum perceptione, *cap. cupientes, §. cæterùm, hoc tit. in 6.* sed electio, seu facultas eligendi non imputatur inter fructus beneficij: ergo suspensus à beneficio retinet facultatem eligendi. Deinde si erant suspensi ab ordine tantùm, priuati erant potestate gerendi ea, quæ sunt ordinis: sed facultas eligendi non competit ratione ordinis; siquidem laici, quos conuersos religiosi appellant, plerumque habent ius suffragij, vt refert Garcia *vbi supra:* ergo suspensi etiam ab ordine possunt eligere. Rursus si suspensi sunt ab aliquo actu particulari, non sunt suspensi ab aliis, & per consequens nec à facultate eligendi, quia actus humani non operantur vltra agentium intentionem, vt probat in specie Gibalinus *vbi suprà, fol. 331. num. 32.* igitur nullo casu suspensi priuati sunt iure eligendi, & per consequens electio à suspensis celebrata valida est.

18. SVSPENSIO EST CENSVRA. Hoc ratiocinio non obstante, vera est prædicta assertio, ad cuius expositionem sciendum est, suspensionem esse censuram impedientem, ne personæ ecclesiasticæ munia ecclesiastica obeant, actusve spirituales exerceant, seu aliquâ potestate spirituali vtantur, *cap. quærenti, de v. s.* vbi non solùm comprehenditur suspensio, quæ vt pœna ob delictum infligitur, verùm quæ vt censura ad compescendam contumaciam imponitur, de qua *in cap. ecce, quæst. 4. cap. tam litteris 33. de testib. cap. cùm in cunctis, §. vlt. hoc tit. Clement. 1. §. vlt. de hæret. Clement. 2. de pœnis,* & in aliis iuris locis congestis à Panormit. *in cap. reprehensibilis 26. de appellat. n. 16.* illud tamen inter suspensionem vt pœnam, & vt censuram discrimen versatur, quòd suspensio vt pœna inflicta, elapso tempore præfixo cessat, cùm prohibitio ad tempus facta elapso tempore cesset; suspensio verò, quæ est censura, nunquam nisi absolutione præcedente cessat, vt probat Gibalinus *de censuris disput. 10. sect. 3.* Hæc suspensio licèt cum excommunicatione plerumque confundatur, & excommunicatio appelletur, *cap. quidquid,* iuncta Glossa ibi, *quæst. 1. cap. ecclesiastica, dist. 23.* nihilominus differt ab ea formaliter, & specificè. Excommunicatio enim priuat omnibus illis bonis, & ministeriis, ac functionibus, quatenus sunt quædam communicationes, & per eas communicatur cum aliis fidelibus: suspensio verò eisdem functionibus priuat, quatenus sunt exercitia alicuius potestatis ecclesiasticæ ab officio, vel beneficio prouenientis. Vnde cùm per hanc pœnam reus in eo statu constituatur, vt nec amittat officium ecclesiasticum, nec interim suspensione pendente exercere valeat, ideò suspensus dicitur, vt docent Sayrus *lib. 4. thesauri, cap. 1.* Marius Alterius *de suspens. disput. 1. cap. 1.* Aliud etiam discrimen facilius agnoscitur inter excommunicationem, & suspensionem, videlicet quòd excommunicatio in omnes personas inferatur; suspensio verò tantùm in personas ecclesiasticas, quæ ecclesiastica officia exercent.

19. SVSPENSIO QVOTVPLEX. Secundò sciendum est, suspensionem aliam esse ab officio, aliam à beneficio, vel ab vtroque; & aut fieri ad tempus, vt *in cap. cùm in cunctis 7. §. vlt. hoc tit. cap. 1. de re iudicata, lib. 6. cap. 2. de temporib. ordin. eod. lib. cap. 1. de sentent. excomm. in 6. Clementina 1. §. penult. de hæret.* aut ad beneplacitum superioris, donec indulgentiam mereatur, *cap. tam litteris, 33. de testib.* Suspensio ab officio priuat omni actu spirituali ordinis, de qua *in cap. 3. de vsuris, cap. 2. de officio deleg. in 6. cap. 1. de rebus Ecclesiæ, in Clementinis;* nisi tantùm à certo actu suspensio fiat, vt à sacerdotali, vel simili, vt in casibus congestis à Glossa, *verbo Suspensi,* in Clementina *cupientes, de pœnis.* Suspensio à beneficio

neficio incurritur cùm aliquis priuatur iure illo perpetuo percipiendi fructus ratione dignitatis, beneficiiue, de qua *in dict. cap. cùm in cunctis*, *cap. nihil* 44. *hoc tit. Clement.* 2. *de vita & honest.* Suspensio ab officio & beneficio dicitur, cùm quis tam fructibus beneficij, quàm exercitio ordinis priuatur, quæ totalis, seu integra suspensio dicitur, de qua *in cap. Apostolicæ* 9. *de except. cap.* 1. *de schismaticis*, *cap. tuarum* 11. *de priuileg. Clement.* 1. *de decimis.* Suarez *disp.* 25. *de censuris*, *sect.* 3. *numer.* 11. & ita suspensus non potest quæ sunt ordinis exercere, *cap.* 2. *de clerico excomm. cap.* 1. *de re iudicata lib.* 6. nec quæ sunt iurisdictionis, vt conferre beneficia, *cap. quia* 4. *de concess. præb. cap. vnico*, §. *cùm verò*, *ne sede vacante*, *lib.* 6. eligere, ex nostro textu, & *cap. cùm dilectus*, *de consuet.*

20. SVSPENSIONIS EFFECTVS. Tertiò circa effectus suspensionis sciendum est, suspensum ab officio omni vsu ordinis, iurisdictionis, & administrationis clericalis priuatum esse, simulque habilitate ad nouum beneficium consequendum; prius verò obtento non priuatur, quæ doctrina probatur ex nominibus, quibus suspensionem ab officio explicant PP. Concilij Nicæni *cap.* 2. vbi suspensionem appellant cessationem ab omni sacro ministerio; & Patres Synodi Trullanæ cessationem similiter vocant. D. Basilius *ad Amphiloch. cap.* 69. cessationem à ministerio dicit; & ex communi sententia, tam Theologorum, quàm Canonistarum, vt ex Hugolino, Mario Alterio, & aliis refert Leander *de censur. tract.* 4. *disput.* 3. *quæst.* 3. non tamen suspensus ab officio priuatur eo, sed tantùm ipsius vsu; suspensionis enim verbum non demonstrat extinctionem, seu ablationem, sed tantùm impedimentum exercitij: quo in sensu eo verbo vtuntur Felix II. R. P. *epist.* 2. Concilium Aurelian. 5. *can.* 5. & 17. vnde dum suspensionem imponunt Patres, vtuntur illis verbis: *Sequestretur*, *remoueatur*; vt constat ex Concilio Aurelian. 3. *can.* 2. Brachar. 3. *can.* 1. Tolet. 13. *can.* 11. Obseruant Morinus *lib.* 2. *exercit. cap.* 3. Gibalinus *de censuris fol.* 316. igitur suspensus ab officio, suspensus est ab integro vsu ordinis, *cap.* 1. *de re iudicata*, *lib.* 6. Et licèt Glossa *in cap. audiuimus* 24. *quæst.* 1. *verbo Qui excommunicatus*, existimauerit, suspensum ab officio non priuari iurisdictione; contrarium tamen verius est, vt probatur *ex dict. cap.* 2. & extrauaganti *ambitiosæ*, *de rebus eccles.* Docent Gibalinus *vbi suprà*, *fol.* 317. Leander *dict. disput.* 3. *quæst.* 3. qui exinde varias morales resolutiones deducunt. Similiter suspensus à beneficio, licèt non priuetur ipso; priuatur tamen eius fructibus, & integrâ administratione, *cap. cùm Vvinton. hoc tit. cap. cupientes*, *eod. tit. in* 6. & licèt teneatur deseruire officio, si tamen fructus percipiat, restituere tenetur, *cap.* 2. *de solutionib.* Illustrant Gibalinus *suprà*, *folio* 342. Leander *vbi proximè*, *c.* 26. *cum sequentibus.*

21. TRADITVR DECIDENDI RATIO. Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum: nam cùm electio, seu facultas ipsa eligendi spectet ad officium, quod tantùm clericis, aut personis ecclesiasticis conuenit; ideò suspensus ab officio priuatur suffragio in electione. Hugolinus *dict. tabula* 4. *cap.* 7. §. 3. & *cap.* 8. §. 9. similiter quia priuatur iurisdictione: sed potestas eligendi spectat ad iurisdictionem, *cap. nosti* 9. *hoc tit.* ergo suspensus ab officio eligere non potest, cùm enim aliquid generaliter prohibetur, species generis prohibita intelligitur. *Clement. exiuit*, §. *nam vbi*, *de v. s.* ideò electio facta à suspensis non valet, quia pro non dato habetur illud, quod datur à non habente potestatem, *cap.* 2. *cap. pastoralis*, *de donationibus*: sed si ius præstandi suffragium in electione non competat ratione officij, sed beneficij, illud ius non amittitur per suspensionem ab officio, quia suspensus ab officio non priuatur beneficio, aut eius administratione. Docet Gibalinus *vbi suprà*, *n.* 8. *fol.* 321.

22. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam procedit cùm suspensio non est ab officio, sed à beneficio, tunc enim suspensus non priuatur facultate eligendi; nostra verò assertio procedit in suspensis ab officio, aut ab ordine; nam illi cùm non possint actum ordinis, vel officij exercere, vtique nec ea, quæ dependent ab ordine, aut officio, vt actus eligendi, *Clement.* 2. *de ætat. & qualit.* quare nihil interest, an à iure, aut ab homine suspensio imponatur, quidquid velit Glossa *verbo Suspensi*, *in cap. cùm dilectus*, *de consuet.* & *in cap. si celebrat*, *verbo Eligere*, *de clerico excomm.* omnia autem quæ pro ratione dubitandi adduximus, procedunt in suspenso à beneficio, qui non priuatur eis, quæ sunt ordinis, aut officij, vt suprà dixi.

23. EXPONITVR CAP. CVM IN CVNCTIS 7 §. CLERICI, VLT. HOC TIT. Adhuc superiori assertioni obstat textus *in cap. cùm in cunctis* 7. §. *clerici*, *vlt. hoc tit.* vbi agitur de clericis, qui scienter aliquem ad Episcopatum, vel inferiora Ecclesiæ ministeria elegerunt, contra formam in eo textu præscriptam; & Alexander III. eius textus auctor, eos suspendendos esse, & potestate eligendi priuandos decreuit: ex qua decisione colligitur, priuationem iuris eligendi, & suspensionem distinctas prorsus esse pœnas, aliàs frustrà Pontifex post suspensionem inflictam adderet, *& priuandos esse potestate eligendi*: igitur quia suspensio non includit in se priuationem facultatis eligendi, vt aliàs arguebat Glossa *in cap. cupientes*, *verbo Beneficiis*, *hoc tit. in* 6. Cui difficultati ex suprà dictis facile fit satis, supponendo textum illum loqui, & procedere in suspensis à beneficiis, non verò ab officiis; vnde cùm suspensus à beneficio, nisi aliunde priuatus sit, eligendi potestate non careat; ideò Alexander III. in eo textu, vt suspensum à beneficio excluderet à facultate eligendi, distinctè apponit pœnam suspensionis, & pœnam priuationis facultatis eligendi, vt docet & interpretatur illum textum Gibalinus *de censuris fol.* 343. *num.* 5. Sed huic solutioni aduersatur textus *in cap. quisquis*, *hoc tit.* in verbis vltimis, ibi: *Ab officiis & beneficiis penitus suspendantur*, *per triennium tunc eligendi potestate priuati.* Ex quibus deducitur, in suspensis ab officio necessariam esse expressionem, vt suspensus eligere non possit. Cui difficultati respondendum est, in eo textu duplicem esse pœnam; vna imponenda per iudicem, nimirum suspensio ab officiis, & beneficiis; alia quæ incurritur ipso facto, nempe priuatio potestatis eligendi pro tunc; quare vt diuersa pœna debuit exprimi: quæ interpretatio apertè suadetur ex illis verbis: *Ab officiis*, *& beneficiis penitus suspendantur*, *eligendi tunc potestate priuati.* Vbi notandum est, priuationem eligendi poni in præsenti, suspensionem autem in futuro: at *in dict. cap. cùm in cunctis*, vtraque pœna, suspensio videlicet, & priuatio facultatis eligendi imponitur ipso iure, ac proinde frustra distingueretur vna ab alia, nisi diuersæ essent. Præsensit Gibalinus *vbi suprà*, *fol.* 344. *in principio.*

CAPVT

CAPVT XVII.

Idem *Capitulo* [a] *Pennenſi.*

QValiter poſt obitum bonæ memoriæ Pennen. Epiſcopi Eccleſiâ veſtrâ vacante, receptis priùs ſuper electione facienda litteris noſtris, [b] Primicerium veſtrum vobis elegeritis in Paſtorem, vos tanquam auctores electionis ipſius pleniùs cognouiſtis. Verùm quoniam electus à vobis ante confirmationem obtentam, adminiſtrationi Epiſcopatus ſe irreuerenter immiſcuit, & tam à Clericis, quàm à laicis iuramenta recepit, non attendens quod ſecundùm Apoſtolum nemo ſibi debeat honorem aſſumere, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: nec donum ſcientiæ Pontifici conueniens fuerat aſſecutus, cùm iuxta verbum dominicum, qui fecerit & docuerit, magnus vocetur in regno cœlorum. Poſtquam nobis eundem præſentaſtis electum, ſufficienti examinatione præmiſsâ, communicato fratrum conſilio, electionem de ipſo factam exigente iuſtitiâ duximus irritandam, quicquid ob eam, vel ex ea ſecutum eſt, denunciantes penitus non tenere. Ne autem gregi Dominico diu deſit cura paſtoris, & ex defectu ipſius Eccleſia veſtra incurrat diſpendium & iacturam, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus conuenientes in vnum, ſicut moris eſt, & Spiritus ſancti gratiâ inuocatâ, virum idoneum, & qui vitâ, & ſcientiâ ſit ſufficiens, Pontificali oneri, & honori poſt receptionem præſentium infra menſem, in Patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum per electionem vobis canonicam aſſumentes, electum ipſum nobis poſteà præſentetis, à nobis, vt dignum fuerit, vice Regiâ petituri conſenſum, & confirmationem authoritate Apoſtolica recepturi. Alioquin aliquos ex vobis ad præſentiam noſtram ex parte omnium tranſmitti volumus, & mandamus ſecundùm aſſignationem noſtram Paſtorem idoneum recepturos. Datum Lateran. XI. Cal. Octobris.

NOTÆ.

1. PENNENSIS VRBS VBI.

a *Pennenſi.*] Ita legendum eſt, vt etiam habetur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. & in ipſo Codice epiſtolarum Innoc. III. *fol.* 379. Penna perantiqua ciuitas eſt Italiæ, in Aprutio, cuius meminit Ptolomeus *lib.* 3. *cap.* 1. illamque Paulus Diaconus *lib.* 2. *cap.* 19. reiicit in Picenum: à Farneſianis Principibus hodie poſſidetur. Habet Eccleſiam Cathedralem iam à temporibus Apoſtolorum, quæ immediatè paret Sedi Apoſtolicæ, & cui coniunxit Innocent. IV. Hadrianenſem Epiſcopatum anno 1252. vt refert Vghellius *tom.* 1. *Italiæ ſacræ*, *fol.* 48. De electione ſucceſſoris in locum Anaſtaſij eius Epiſcopi, in præſenti agitur, & ſuffectus fuit Gualdericus monachus Ciſtercienſis.

2.

b *Primicerium.*] De Primicerij officio agimus *in cap.* 1. *de officio Primicerij.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Electus ante confirmationem adminiſtrans, priuatur iure quæſito per electionem, & electio caſſatur.* Probant textus *in cap. cùm in cunctis*, §. *ſi verò*, *cap. noſti* 9. *cap. bonæ*, *cap. nihil* 44. *hoc tit. cap. cupientes*, §. *cæterùm*, *cap. auaritiæ*, *eod. tit. lib.* 6. *extrauaganti in iunctæ*, *hoc tit. cap. cùm venerabilis* 7. *de conſuet. cap. iam* 18. *de præb.* & alij citati *in cap. poſtulaſti*, *cap. noſti*, *hoc tit.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & *de poteſtate Epiſcopi* 1. *p. tit.* 1. *cap.* 4. & *de iure eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 146. Iulius Lauorus *tit.* 4. *de elect. cap.* 25. Layman *eod. tract. cap.* 19. Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *diſput.* 6. *q.* 1. plures relati à Solorzano *lib.* 4. *polit. cap.* 14. Pellizarius *q.* 21. Garcia *tom.* 2. *polit. tract.* 9. *difficultate* 6. *dub.* 1. Gibalinus *in ſynopſi cenſurar. littera E. num.* 4. Lotherius *de re benef. lib.* 2. *cap.* 13. Michael Rouſſelius *lib.* 2. *hiſtor. Pontif. iuriſdict. cap.* 2. & 25. Moez *in d. cap. auaritiæ.*

4. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Hæc aſſertio dubia redditur ex eo; nam certum eſt, per electionem tantùm acquiri ius dignitatis, & officij, *cap. cùm inter* 21. iunctâ ibi Gloſsâ, *hoc tit. cap. dilectiſſimi* 8. *q.* 1. *cap. quantò*, iuncta Gloſſa ibi, *verbo Relatio*, 63. *diſt.* Abbas *conſilio* 47. ſed nemo delictum committit, aut fraudem facit, qui ſuo iure vtitur, *l. nemo*, *ff. de reg. iuris*: ergo electus, qui iure quæſito vtitur, adminiſtrans bona ſuæ dignitatis, puniri non debet. Accedit nam adeò verum eſt, per electionem ius ad dignitatem acquiſitum eſſe, vt olim ſi coniugatus eligeretur in Epiſcopum, ſtatim ab vxore recedere cogebatur, D. Hieronymus *epiſt.* 50. *ad Pammachium*; ex eo notat Cironius *in hoc tit.* igitur quia electus per electionem ita ius acquirit, vt ante confirmationem adminiſtrare poſſit. Augetur ſecundò hæc difficultas *ex cap. noſti*, *hoc tit.* vbi cùm electus ante confirmationem adminiſtraſſet, priuatus non fuit quæſito iure per electionem.

5. RATIO DECIDENDI.

Sed hac difficultate ita fulcitâ non obſtante, vera eſt noſtra deciſio, ad cuius expoſitionem, præmiſſis traditis *in cap. poſtquam* 3. *cap. noſti*, *cap. tranſmiſſam*, *hoc tit.* ſciendum eſt, confirmationem ex parte electi ita neceſſariam eſſe, vt ſi eâ omiſsâ ſe ingerat adminiſtrationi bonorum, ſiue vt Prælatus, ſiue vt Oeconomus, ſiue vt procurator, priuetur iure quæſito per electionem. Pius IV. in ſua conſtitutione 86. quæ extat in Bullario: Alexander V. & Iulius II. in conſtitutionibus relatis à Gibalino *vbi ſuprà*; & ita deciſum

sum fuisse in sacra Rota refert Farinacius *tom. 2. p. 2. decis.* 641. Tamburinus *vbi supra:* immò si absque dispensatione Pontificis promoueatur ad aliam dignitatem, talis promotio censetur subreptitia, nec præstat verum titulum, vt resoluit Abbas in præsenti, *num.* 8. quæ doctrina procedit non solùm in electo, verùm in postulato, nominato, seu præsentato. Lotherius *q.* 13. *num.* 2. Tamburinus *d.q.* 1. *num.* 5. & in omnibus dignitatibus, & beneficiis expressis *in d. cap. Auaritiæ.* Limitatur autem nostra decisio in eo, qui per ignorantiam, & cum bona fide se ingessit administrationi, vt decisum fuisse in sacra Rota referunt Tamburinus *d.q.* 1. Barbosa *in d.cap.auaritiæ*, *n.* 4. ratio autem nostræ decisionis ex eo prouenit, nam cùm iure communi attento, post electionem sequi debeat confirmatio, *cap. postquam*, *hoc tit.* cum ibi traditis; per electionem enim tantùm inchoatur spirituale coniugium inter Ecclesiam & Prælatum, quod per confirmationem perficitur, *cap. inter*, *de transl. Episcopi*; inde electus non confirmatus se immiscens administrationi Ecclesiæ, quia non vocatus, sed potiùs intrusus præsumitur, priuatur iure quæsito per electionem, & inhabilis redditur ad eandem dignitatem, vt sic puniatur in quo peccauit, *cap. nemo*, *de temporib. ordin. lib.* 6. Peccauit se immiscendo administrationi dignitatis, quam non habebat: priuatur ergo & iure quæsito, & facultate obtinendi eam. Post Viuianum *in præsenti*, docent Lotherius & Lauorus *vbi supra.*

Nec obstat ratio dubitandi suprà adducta; nam licèt verum sit, per electionem ius ad dignitatem acquiri; illud tamen tantùm est in habitu, non verò in actu: per electionem acquiritur ius administrandi sine exercitio, quod confirmatio præstat; & sic cùm ius illud sit sine effectu, inde administrationi se immiscens ante confirmationem, tanquam intrusus, priuatur iure quæsito: nec obstat textus *in d.cap. nosti*, *hoc tit.* suprà expensus, pro cuius interpretatione videnda sunt, quæ in eius commentario adduximus pro rationis dubitandi solutione. 6. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI.

Obstat præsenti decisioni textus *in cap. indemnitatibus*, *§. cæterùm*, & *§. si verò*, *de elect. in* 6. vbi sæpe sæpiùs deciditur, electam Abbatissam, & nondum confirmatam, posse impunè res monasterij administrare: igitur quia ante confirmationem se immiscens administrationi, non priuatur iure quæsito per electionem. Sed huius textus decisio specialiter procedit in Abbatissa, quæ non à duabus partibus, sed à maiori impugnatur, ne confirmetur, quæ interim potest administrare, non tamen aliquid ex rebus monasterij alienare, vel moniales recipere; cuius specialitatis rationem considerat Iulius Lauorus *d.cap.* 24. *n.* 25. Quæ huic commentario desunt, petenda sunt ex traditis *in cap. postquam* 3. *c.nosti* 9. *c.transmissam*, *hoc tit.* 7. EXPONITVR CAP. INDEMNITATIBVS, §. CÆTERVM, ET § SI VERO, DE ELECT. IN 6.

CAPVT XVIII.

Idem *Capitulo* [a] *Capuano.*

CVm inter vniuersas Metropoles Capuana sit Apostolicæ Sedis vicinior, ad prouisionem ipsius specialiùs aspiramus, talem ipsi personam præfigi cupientes, quæ sicut alios Metropolitanos loci vicinitate, sic & deuotionis affectu præcellat: per quem & ipsa Metropolis, tam in spiritualibus, quàm [b] temporalibus optatum suscipiat incrementum. Intelleximus autem per dilectos filios L. & P. Canonicos vestros, & litteras, quas ad Sedem Apostolicam detulerunt, quod ad Decanum, & alios Canonicos vestros [c] Panormi manentes, cùm ex eorum parte vobis fuisset per litteras intimatum, vt Ecclesiæ Capuanæ damna pensantes, sic tractaretis super electione substituendi Pastoris, quod nullum deberetis in eorum absentia nominare, quendam socium vestrum cum [d] litteris destinatis, duodecim dierum terminum assignantes, infra quem post receptionem litterarum vestrarum iter arriperent redeundi: quamvis ecclesiastica consuetudo non exigat, vt ad electionem Pastoris Canonici tam remoti vocentur, & illi præcipuè, qui longè antequam vos Metropolitani vestri obitum præsentialiter cognouerunt, quorum aliqui post eius decessum ad Capuanam Ecclesiam sunt reuersi. Quia verò mora longior in electionibus est valdè suspecta, immò sæpè damnosa, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus inuocatâ Spiritus sancti gratiâ, personam idoneam per electionem Canonicam concorditer assumatis ad regimen Ecclesiæ Capuanæ: consequenter ad nostram præsentiam nuncios idoneos transmissuri, per quos à nobis vice [e] regia postuletis assensum, & Apostolicæ confirmationis [f] gratiam requiratis: attentiùs prouisuri, vt eo discretionis, & charitatis studio procedatis, quòd nec in electione vitium, nec in [g] electo defectus valeat inueniri. Alioquin & factum electionis reuocaremus in irritum, & personas eligentium puniremus.

NOTÆ.

1. CAPVA VBI. [a] *Capuano.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & *in ipso Codice epistolar. Innocentij III. lib.* 2. *fol.* 381. ex quo litteram textus restituo. Capua ciuitas est antiquissima Campaniæ, caput aliquando Italiæ, vt refert Titus Liuius *lib.* 4. *historiæ*, sæpiùs diruta à Romanis, & Gothis; denuò à Longobardis ex illius ruinis reædificata, cuius nominis rationem assignat Liuius

Liuius *d. lib.*4. his verbis: *Eo anno Vulturnum Hetruscorum vrbs, quæ nunc Capua est, à Samnitibus capta, Capuaque à Duce eorum, vel quòd proprius est, à campestri agro est appellata.* Illustrat Lælius Biscíola *lib.* 11. *horarum successiu. cap.* 15. Est ciuitas Archiepiscopalis à temporibus Ioannis XIII. qui cùm in ea exularet, posteà memor beneficiorum, quæ ibi acceperat, Archiepiscopali decorauit titulo anno 968. vt refert Baronius *in eo anno.* Alia de Capua notarunt Fridericus Scotus *in itinerario Italiæ, p.*3.*p.*209. Tamaius à Salazar *tom.*2. *Martyrol. Hisp. die* 15. *Martij.*

2. b *Temporalibus.*] Licèt aliquo tempore Capua ad patrimonium Ecclesiæ Romanæ spectasset, ex donatione Caroli Magni, Ludouici, & Othonis, cuius verba refert Cohelius *in notitia Cardin. cap.*15. *congregat.*21. tamen labente tempore, Capuæ principatus ad Regem Siciliæ peruenit: sed quia Innocentius III. tanquam tutor Friderici II. Regnum Siciliæ, & Principatum Capuæ regebat, ideò in temporalibus etiam curam Capuæ habebat, vt infrà dicemus.

3. PANORMVS VBI. c *Panormi.*] Panormus vrbs est omnium totius Siciliæ maxima, ac splendidissima, Regni caput, vt refert Philippus Clueuerius *lib.*2. *Siciliæ, cap.*3. Colonia Romanorum, teste Strabone *lib.*6. cuius initium refert D. Rochus Pirro *tom.*1. *Siciliæ Sacræ, notitia* 1. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Mariæ dicatam, & authoritate D. Gregorij consecratam, vt ipse testatur *lib.*12. *indict.*7.*epist.*4.

4. d *Litteris destinatis.*] Istarum litterarum ad conuocandos electores absentes refert ex veteri formulario instrumentum Petrus Gregorius *de elect.cap.*14. in hæc verba: [Fratres N. talis Ordinis sancti (putà) Benedicti, ad R. Curiam nullo modo pertinentis, & Frater N. humilis Prior claustralis N. cuiusdam monasterij, & curam ipsius gerens sede Abbatiali vacante, dilectis correligiosis, & fratribus de N. & Proratuum, & membrorum à monasterio dependentium respectiuè, salutem à Domino: Cùm bonæ memoriæ Domnus N. Abbas ipsius monasterij nouissimus, die 4. (putà) præsentis mensis Decemb. (quod non sine grandi mentis amaritudine referimus) naturæ soluens debitum, spiritum suum reddiderit Creatori: nos ipsius corpore tradito reuerenter (vt decuit) sepulturæ ecclesiasticæ, nolentes dictum nostrum monasterium existere Pastoris diutiùs solatio destitutum, diem Lunæ post festum D. 24. mensis Ianuarij proximè futuri, cum intimatione omnium dierum sequentium concorditer præfiximus ad electionem Pastoris & Abbatis in dicto monasterio, & Capitulo nostro celebrandam, & ad alia omnia peragenda, quæ ipsius electionis negotium contingere dignoscuntur. Vt igitur ignorantiam super hoc prætendere nequeatis aliquam, vobis, & cuilibet vestrûm, omnibus, & singulis correligiosis præfixionem huiusmodi duximus intimandam, vosque, & quemlibet vestrûm tenore præsentium citamus, & vobis mandamus, quatenus die dicta Lunæ N. manè, horâ Capituli (quam diem & horam cum omnibus sequentibus, quousque ipsius electionis negotium fuerit expeditum, vobis harum serie assignamus, & præfigimus) ad monasterium nostrum prædictum, si volueritis, & vestra crediderit interesse, veniatis, & compareatis, vnà nobiscum de electione futuri Abbatis, dante Domino, eligendi, ac in ipso electionis negotio modo debito processuri: alioquin vobis non expectatis, nec vlteriùs, si prædictus terminus per nos fuerit prorogatus, conuocatis, in huiusmodi negotio procedemus, absentiâ vestrâ non obstante: ad istas autem litteras vobis, & cuilibet vestrûm præsentendas & intimandas, dilectos nostros D. D. duximus specialiter deputandos: & in signum mandati nostri susceptí, & nunciorum, quilibet ex præsentibus Capitulo per se manu propriâ, vel per alium subscripsit, vel sigillum suum apposuit. Datum in Capitulo nostro sub sigillo nostro communi, vnà cum sui notarij subscriptione, &c. die, anno, &c.]

5. e *Vice Regiâ.*] Circa huius clausulæ expositionem variè cruciantur repetentes *hîc.* Abbas Siculus, Abbas Panormitanus, Hostiensis, & Butrius *num.* 4. ignari historiæ huius temporis Innocentij III. variè hallucinantur, quorum sententiis omissis, vt veram interpretationem assignemus, sciendum est Innocentium III. auctorem huius textus, fuisse tutorem Friderici II. pupilli, & Regis Siciliæ, & sic regnum ipsum, tam in spiritualibus propriâ authoritate, quàm in temporalibus tutoriâ rexisse, vt referunt Spondanus post Baronium *anno* 1198. *num.* 6. D. Rochus Pirro *tom.*1. *Siciliæ sacræ, cap. de elect. Præsul. num.* 6. & ex eis obseruauit, qui ignorauit nihil, Illustrissimus D. Franciscus Ramos in memoriali sæpè citato, & semper laudando, *pro Episcop. Lusit. propos. vlt.*§.5. vnde in illis electionibus, in quibus Rex Siciliæ, si adultus esset, præstaret assensum tanquam patronus Ecclesiarum Cathedralium sui Regni, Innocentius tanquam tutor præstabat assensum vice Regiâ, quod etiam constat ex alia epistola ipsius Innocentij missa ad Clerum & populum Regiensem in hæc verba: [Cùm dilectus filius G. S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, cui vices nostras, tam super Balio Regni, quàm officio Legationis commiseramus, apud Messanam pro ipsius Regni negotiis moraretur, dilecti filij Canonici Regienses eidem obitum bonæ memoriæ Regiensis Archiepiscopi, tam per litteras, quàm per Canonicos suos nunciarunt. Postmodùm autem ad propria reuertentes, & conuenientes in vnum, inuocatâ Spiritus sancti gratiâ, vota sua in Venerab. Frat. nost. L. tunc Regiensem Archidiaconum contulerunt, eundem sibi vnanimiter eligentes in Patrem suum pariter & Pastorem: cúmque ad prædicti Cardin. præsentiam accessissent, vt ab eo tam assensum, quàm confirmationem etiam obtinerent, ipse assensum eis regiâ vice concedens, & electionem examinans, cùm eandem inuenisset canonicè, & de persona idonea celebratam, authoritate Apostolicâ confirmauit, &c.] Idem liquet *ex epist.* 232. *lib.*2. *ad pop. Cap.* & *epist.* 244. ex gestis Innoc. III. *pag.* 10. & 20. notauit Florens *ad tit. de elect.* Huius notitiæ oblitum cerno Michaelem Rousselium *lib.* 2. *histor. Pontif. iurisd. cap.*7. *n.*40. vbi tamen meminit Constantiæ Henrici VI. viduæ, quam tutricem dicit Friderici II. pupilli, narratque in manibus Innocentij III. renunciasse iuri præsentandi Prælatos in Regno Siciliæ; quod ius repetiit tanquam iniustè extortum Fridericus iam vir, & Imperator factus. Eodem modo accipiendus est textus antecedens in illis verbis, *vice regiâ.* Sup. quæstione 17.

6. f *Gratiam.*] Confirmatio electionis, tam ex parte confirmandi, quàm confirmantis, non gratia, sed iustitia est; siquidem ex necessitate prouenit: vnde qui confirmat, non beneficium,

sed

ſed debitum impendit, *cap. poſtquam 3. hoc tit. cap. finali, hoc tit. in 6.* nec qui confirmat, donat, aut liberalitatem exercet, *cap. inter dilectos, de fide inſtrum.* docet Lauorus *de elect. cap.25.num. 28.* & electus poteſt petere per ſe, aut per procuratorem ex iuſtitia confirmationem, argumento textus *in cap. nullus, de iurepatron.* & confirmante in confirmatione ceſſante, poteſt conqueri coram ſuperiore. Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. diſput. 6. q.1.& q.3.num.4.* Peyrinis *de ſubdito cap. 3. §. 6. in fine*, Garcia *tom.2. tract.9. difficult.6.dub.2.* Barboſa *voto 97. n. 70.* igitur non rectè Innocentius confirmationem gratiam appellat. Huic difficultati reſpondendum eſt, Pontificem ex gratia electos confirmare; quia ſi nolit confirmare electionem, non habet ſuperiorem, à quo cogatur: quare omnia, quæ facit Sedes Apoſtolica, ex gratia facere dicitur *in cap. Sedes, de reſcriptis.*

7. g *Electio.*] In hoc caſu electus fuit in Archiepiſcopum Capuanum R. cuius mentio fit *in cap.2. ne ſede vacante.*

COMMENTARIVM.

8. Conclvsio refertvr, et probatvr. EX hoc textu talis communiter deducitur aſſertio. *Ad electionem vocari debent abſentes, ſi intra prouinciam ſunt; valdè autem remoti, ſi commodè citari poſſint.* Probant textus *in cap. quanto, 63. diſt. cap. humilis, de maiorit. & obed. cap. obeuntibus, cap. in Geneſi, cap. bonæ, el 2. cap. quod ſicut 28. cap. coram 35. cap. quia propter, §. illud, cap. venerabilem 34. hoc tit. cap. cùm olim 7. de arbitris, cap. conſtitutis, 45. de appellat. cap. quamvis, de officio ordin. lib.6. cap. cùm in Eccleſiis, 33. de præbend. eod. lib.* Trident. *ſeſſ. 25. de regul. cap.6.* Illuſtrant vltra laudatos à Barboſa *in præſenti*, & *lib.1. iuris eccleſiaſt. tit. de elect. num. 89.* & *de Canonicis cap.39.* & *voto 47. num. 168.* Petrus Greg. *de elect. cap. 14.* Iulius Lauorus *cap. 17. de elect.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. diſput. 5.* Suarez *tomo 4. de relig. tract.2. cap. 5.* Samuel *tract.1. de elect. diſput. 2. controu. 3.* Lugo *reſponſ. moral. lib.1.cap.24.* Garcia *tom.2.tract.9.difficult.3. dub.5.* Viſcherus *de elect. Regis, concluſ. 20.fol.79.* Dartis *de beneficiis, ſect.6.cap.1.* Alteſſerra *in præſenti.*

9. Ratio dvbitandi. Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequenti conſideratione: Non ſolùm abſentes intra prouinciam, verùm & valdè remoti, ad electionem ſunt vocandi; nam inuitis his, quorum intereſt, non eſt dandus Epiſcopus, *cap. nullus, 61. diſt.* & quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *l. finali, ff. de auctorit. tutor.* & præſentibus omnibus quorum intereſt, de vnoquoque negotio tractandum eſt, *l. de vnoquoque, ff. de re iudic. l. nam ita 39. ff. de adopt. l. etiamſi 29. §. final. ff. de minoribus.* Facit textus *in l. curialis 2 C. de decurion. lib.10.* ibi: *Vbi tractatur publica vtilitas, remoti ſunt vocandi*; aliàs non vocati electores contempti videntur, & tunc potior eſt cauſa vnius prohibentis, quàm maioris partis eligentis, *l. Sabinus 20. ff. communi diuidundo:* igitur in noſtro caſu etiam valde remoti erant vocandi.

10. Absentes svnt vocandi. Sed hac difficultate minimè obſtante, vera eſt noſtri textus deciſio, ad cuius expoſitionem ſciendum eſt, mortuo Prælato, & eius corpore humato, electores de futuri Prælati electione agentes, congregari debere in loco honeſto, & conſueto, atque præfinire diem ad ſucceſſorem eligendum; & tunc præſentes abſentibus litteras, aut nuncium mittere debere, vt cuncti abſentes ſciant vacantem eſſe Eccleſiam, & ſimul diem electionis præſcriptum: quæ omnia litteris comprehendenda ſunt, quarum exemplar retuli ſuprà ex veteri formulari. Vocandi autem ſunt abſentes, ſi ſint intra prouinciam, ſiue venire poſſint, ſiue non. Innocent. *in d. cap. quia propter, §. illud:* ſi verò in loco remotiori degant, & commodè vocari poſſint, atque expectari, vocandi ſunt, ex noſtro textu. Vocari etiam debent abſentes causâ ſtudij, ſi ſint in loco, ex quo venire poſſint. Panorm. *in cap. bonæ, el 2. hoc tit.* & illi qui ſunt in poſſeſſione præbendæ, quamvis illis mota ſit quæſtio proprietatis, *cap. in Geneſi*, vbi Abbas *num.5. hoc tit.* & ſi abſentes vocati non comparuerint intra præfixum tempus, vt interſint electioni, præſentes ad eam procedere poſſunt, non obſtante illorum abſentia, *cap. quod ſicut 28. hoc tit.* Quid tamen, ſi maior pars abfuerit, minor autem præſens ſit? diſputant Petrus Gregor. *dict. cap.14. de elect.* Lauorus *dict.cap.17.* ſed ſi illis vocandis non vocatis electio facta ſit, ipſo iure ſuſtinetur; caſſanda autem eſt, dummodò abſentes de contemptu agant, & non aliter; etſi vnus tantùm contemptus ſit, *d. cap. quod ſicut*, vbi Abbas *num.4.* plus enim in hac ſpecie operatur vnius contradictio, quàm plurium electio, *cap. bonæ 36. hoc tit. l. ſi in tres, ff. de arbitris:* & quia talis electio non eſt nulla ipſo iure, ſed irritanda; ideò neceſſe eſt, vt abſens contemptus petat caſſationem ante illius confirmationem, *cap. finali, hoc tit. in 6.* Antonius Cuchus *lib. 4. inſtit. tit.5.num.51.* Lauorus *vbi ſuprà, num. 14.* ſed ſi maior pars abſens vocata non ſit, electio ipſo iure nulla eſt, quia de eſſentia electionis deſideratur, vt maior pars vocetur, *cap. audiſti, hoc tit.* Illud tamen ſummè notandum eſt, electione caſſata, quia vnus ex abſentibus contemptus eſt, ideò electores non priuari facultate eligendi, nec electionem deuolui ad abſentem, vel ſuperiorem, ſed poſſe iterum eligere electores etiam ipſum, quem iam elegerant, docet Petrus Greg. *de elect. cap. 14.*

11. Inhabiles non svnt vocandi. Circa inhabiles, eos videlicet, qui propter delictum, aut cenſuram priuati ſunt facultate eligendi, dubium eſt apud Interpretes. Et dicendum, quod ſi delictum ita eſt manifeſtum, vt nullâ poſſit tergiuerſatione celari, tunc non eſſe vocandos; & quamvis vocati ſint, non debent expectari, *cap. cùm inter, de elect.* vnde ſi abſentes ſint excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti notorij, non ſunt vocandi. Similiter nec illi, qui quamvis adeſſent, eligere non poſſent, propter defectum ordinis, vel ætatis, *cap. ex eo, de elect. lib.6. Clementina 1. de regular. cap. vt hi qui, de ætat. & qualit.* quæ doctrina procedit etſi nondum ſit diſcuſſum, an inhabiles priuandi ſint, cùm ſufficiat vt poſſint poſtea conuinci. Docent Lauorus *d. cap.17. num.7.* Barboſa *num. 89.* Garcia *vbi ſuprà, num. 4.* ſeruanda tamen conſuetudo eſt illius Eccleſiæ, de cuius Paſtore ſubſtituendo agitur, *cap. in Geneſi, hoc tit.* Gloſſa *in cap.coram 35. hoc tit.*

12. Ratio decidendi. Ex quibus dignoſcitur vera decidendi ratio ad noſtrum textum: qui enim in prouincia ſunt, vocari debent ad electionem faciendam, ſicut vocantur ad alia negotia ardua. Felinus *in cap. cùm omnes, de conſtit. cap. quamvis, de officio Ordin. in 6.* Accedit, quia fructus præbendæ conſiſtunt etiam in ſuffragio præſtando, & iure eligendi, vt de Epiſcopo docetur *in cap. 2. ne ſede vacante:* ergo abſentes intra prouinciam vocandi ſunt ad electionem;

nem; qui verò remoti ſunt, & commodè vocari, & expectari non poſſunt, vocandi non ſunt, quia periculum eſt in mora, *d. cap. in Geneſi*, *cap. bonæ* 36. *hoc tit.* periculum enim adeſt, quia abſentibus extra prouinciam dilatio concedenda eſt iuxta diſtantiam locorum, à quibus fit euocatio; veluti ſi ex prouincia aſſignentur, tres menſes; extrà, ſex; & trans mare, nouem, iuxta legem primam *C. de dilationib.* atque ita ſi abſentes expectarentur, diu vacaret Eccleſia, cum graui eius damno, tempuſque electionis elaberetur, *cap. ne pro defectu*, *hoc tit.* Vnde rectè in præſenti textu decidit Innocentius, abſentes extra prouinciam vocandos non eſſe, ſi commodè vocari, & expectari non poſſunt; intra prouinciam verò degentes, vocandos, & expectandos eſſe. Sed ſi non vocandi vocentur, expectandi ſunt vſque ad diem præſcriptam, niſi incommodum inde Eccleſiæ ſequatur, vt reſoluit Lugo *reſponſ. moral. lib.* 14. *cap.* 24. & ſi abſentes acceſſerint, etiam poſt ſcrutinium poſſunt ad electionem admitti, *cap. Eccleſia*, *cap. ſicut*, *hoc tit.* Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà perpenſa; nam procedit in præſentibus, & abſentibus, qui commodè vocari valent: ſi verò ita remoti ſint, vt non ita commodè vocari poſſint, vocari non debent, ex ratione proximè adducta, damni videlicet, quod Eccleſiæ ſequitur; quæ ratio vt validior, firmiorque, vincit aliam pro dubitandi ratione expenſam.

13. EXPONITVR CAP CVM OLIM DE RE IVDICATA.

Sed obſtat textus *in cap. cùm olim* 12. *de re iudic.* in vltimis verbis, ibi: *Archidiaconatum placâ omnium veſtrûm, qui præſentes fuerint in Eccleſia, interueniente concordiâ ordinaueritis.* Ex quibus deducitur, abſentes ad electionem non eſſe vocandos, ſiue remoti ſint, ſiue intra prouinciam: ergo non rectè aſſerimus, abſentes intra prouinciam eſſe vocandos. Gloſſa ibi, *verbo Præſentes*, vt huic difficultati ſatisfaciat, aſſerit in eo textu conſuetudinem introductum eſſe, vt abſentes non vocarentur; quare ratione præſcriptæ conſuetudinis, tantùm præſentes admitti ad eligendum. Sed hæc ſolutio conuincitur, quia conſuetudo in hac parte tantùm attenditur circa valdè remotos vocandos, vel non, *cap. coram*, *cap. in Geneſi*, *hoc tit.* & abſentes intra prouinciam ſemper vocandi ſunt, vt ex noſtro textu, & ſimilibus: quare hac ſolutione omiſsâ, verius dicendum eſt, quod cùm in ea ſpecie collatio Archidiaconatus deuoluta eſſet ad R. Pontificem, reſtituendo eam, & denuò concedendo Capitulo, potuit coarctare eam ad præſentes, & intereſſentes, vt poſſint ipſi tantùm eligere Archidiaconum: ita Panormit. *ibi*, *num.* 29.

14. INTELLIGITVR CAP. QVOD SICVT 28. HOC TIT.

Ex ſuprà traditis accipit lucem textus *in cap. quod ſicut* 28. *hoc tit.* vbi aſſerit Innocentius, quod ſi ad electionem Præſulis Armachani vocati fuerunt abſentes, qui ſine periculo potuerunt vocari (quia ex noſtro textu vocandi non ſunt, qui commodè vocari nequeunt,) & illi venire nequiuerint, quia intra tempus deſignatum non venientes, ampliùs expectandi non ſunt, electio à præſentibus celebrata valida eſt; ſi verò eos non fuiſſe vocatos conſtiterit per litteras, aut per teſtes (vocatos enim fuiſſe Capitulum debet probare, *cap. Albericus*, *de teſtibus*; quia vocatus nemo præſumitur niſi probetur, *cap. ſacro* 48. *de ſentent. excomm.*) electio infirmabitur, niſi abſentes ſuperueniant, & illi conſentiant: qui textus debet accipi quando non vocati fuerunt pauci, & poſteà ſuperuenientes conſentiunt: ſi verò maior pars abſens contempta eſſet, etiam ex poſtfacto conſentiens, non ideò conualeſcit electio, quæ ipſo iure nulla fuit, cùm de eſſentia electionis ſit, vt maior pars electorum vocetur, vt docet Garcia *vbi ſuprà*, *num.* 6.

CAPVT XIX.

Idem *Archidiacono & Capitulo* [a] *Capuano.*

CVm olim nobis de obitu bonæ memoriæ Archiepiſcopi Capuani, tam per veſtras litteras, quàm nuncios conſtitiſſet, volentes, provt officij noſtri ſolicitudo depoſcit, in Paſtorem prouideri celeriùs Eccleſiæ viduatæ, vobis dedimus in mandatis, vt electionem canonicam de perſona idonea faceretis, per quam in ſpiritualibus & temporalibus Capuana Eccleſia poſſet congruè gubernari. Vos autem mandatum noſtrum ſuſcipientes humiliter & deuotè, ſtatuto die in Metrop. Eccleſia conueniſtis; & cùm ad tractandum de facienda electione in Capitulo ſederitis, & tu fili Archidiacone hymnum ad inuocandam Spiritus ſancti gratiam incepiſſes, dilectus filius M. Archidiac. Theat. Canonicus Capuanus ſilentium indicens ſic ait: Dominus Papa vt faceremus canonicam electionem præcepit; & ego ne fiat niſi canonica, interdico, & ad ipſum vocem appellationis emitto. Cúmque à quibuſdam veſtrûm quæſitum fuiſſet ab Archidiacono memorato, quid intelligeret per canonicam electionem, reſpondit: Vt ſecundum decreta canonica nullus in Epiſcopum de aliena eligeretur Eccleſia, donec in propria poſſet idoneus inueniri; & ſic aliquantulo facto tumultu, cùm tu fili Archidiacone hymnum iterum incepiſſes, ipſe Archidiac. Theatinus cum quibuſdam complicibus ſuis choro exiuit, & cœpit in quodam angulo Eccleſiæ commorari, & vos hymnum in choro ſolemniter compleuiſtis. Deinde cùm poſt inuocatam Spiritus S. gratiam foret de electione tractandum, vnum Presbyterum, & vnum Diaconum, & alium Acolytum vicem gerentem Subdiaconi, qui etiam eſt Cancellarius Eccleſiæ Capuanæ, vt vota ſingulorum ſeriatim perquirerent, elegiſtis: qui vniuerſorum perquirentes diligentiùs voluntates, vos omnes, qui ad eligendum in Capitulo remanſiſtis, inuenerunt in electione concordes, dilectum

filium

filium R. Subdiacon. & L. Capell. noſtrum, filium dilecti filij nobilis viri P. Comitis Celanen. vnanimiter nominantes. Demùm verò prædictum Archidiaconum, & qui cum eo exierant, per quoſdam de veſtris admonere curaſtis, vt ad electionem accederent faciendam: ſed cùm ipſi venire penitus recuſaſſent, & diceret idem Archidiaconus, quod non ei feceratis tantùm honoris & gratiæ, quod vobiſcum vellet in electione facienda perſiſtere, vos publicatâ electione veſtrâ, cantaſtis Te Deum laudamus, & pulſari feciſtis cum ſolemnitate campanas, vt quod per vos factum fuerat, innoteſceret ciuitati: ad quarum ſonitum cùm vniuerſus populus ad Eccleſiam aduenisſet, & audiſſent qualiter à vobis electio fuerat celebrata, factum veſtrum communiter approbarunt; & quidam eorum, vt Archidiaconum, & alios, qui ab electione diſcordabant, ad concordiam reuocarent, multipliciter inſtiterunt. Verùm ipſe Archidiaconus, vt proponitur, ſe tunc ipſi electioni minimè conſentire, & in noſtra præſentia ſuum aſſenſum ipſi velle præſtare reſpondit; quod etiam, ſicut dicitur, ſæpè ac ſæpiùs in multorum præſentia replicauit. Tu verò, fili Archidiacone, cum multis de Canonicis Capuanis decretum electionis afferens eligentium ſubſcriptionibus roboratum, ad noſtram præſentiam acceſſiſti, & cùm apud nos fuiſſetis aliquamdiu commorati, Canonici Capuani pro parte aduerſa poſt aliquot dies noſtro ſe conſpectui præſentarunt. Vobis igitur, & ipſis in noſtra, & fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, vtrique partium præcepimus dicere veritatem; & quantùm quidem erat in narratione facti, vſque ad exitum Archidiaconi prædicti de choro, neutra partium diſcordabat. Dicebant tamen clerici antedicti, quod multi qui exierant cum Archidiacono, minis & terroribus fuerant inducti electioni à vobis poſtmodùm factæ conſentire. Cúmque tam à vobis, quàm à Clericis illis quæſiuerimus diligenter, quot erant Clerici Capuani, qui electioni debuerant intereſſe, inuenti non fuiſtis in reſponſione diſcordes; ſed tam vos, quàm ipſi, certum ſuper hoc numerum deſignaſtis: & cùm quæreremus ſolicitè, quot exierant cum Archidiacono Theatino, cùm appellationem oppoſuit, interpoſitæ appellationi fauentes; licèt in hoc à vobis præfati tres Clerici diſcordarent, quod duodecim vel tredecim ad plus de Canonicis ab electione facta proponerent diſſentire; & vos eos eſſe quinque, aut ſex ſolummodò diceretis, ſecundùm tamen expreſſum ab vobis, & ipſis Canonicorum numerum tres partes, & amplius erant in electione concordes, ſi etiam prædictorum Clericorum aſſertio vera eſſet, quod tredecim Canonici diſſentirent. Quamquam autem, vt prædiximus, diligenter inquiſiuimus publicè veritatem, ne tamen aliqua videremur omittere, de quibus fides nobis erat plenior exhibenda, per quoſdam de fratribus noſtris ſigillatim vos, & ipſos Clericos examinari præcepimus, vt quiſque veſtrûm coram ipſis pleniùs, & ſecuriùs exponerent voluntatem; qui non aliud quàm antè propoſitum fuerat, inuenerunt. Interrogati verò Clerici antedicti, qui quorundam Canonicorum dixerant minis, & terroribus ad conſentiendum inductos, ſi viderunt aliquibus quamlibet coactionem inferri, taliter reſponderunt, quod poſt factam electionem audiuerunt quoſdam de Canonicis aliis comminantes, & dicentes: De ciuitate trecenti vocentur armati, & tunc apparebit, quis electioni noſtræ noluerit conſentire. Sed licèt hoc dictum fuerit, non viderunt tamen propter hoc aliquem cum armis venientem ipſis coactionem aliquam intuliſſe. Cùm autem ex vtriuſque partis aſſertione conſtaret, interpoſitam fuiſſe appellationem canonicam, quando ne fieret electio niſi canonica, ſecundùm mandati tenorem, ad noſtram fuit audientiam appellatum, videri poterat quod poſt eam medio tempore nihil debuerit innouari: vnde talis electio iudicanda erat irrita & inanis, vt poſt appellationem canonicè interpoſitam attentata: & è contra cùm appellatum fuiſſet, non vt nulla fieret electio, ſed vt fieret canonica, ſi factum electionis canonicæ fuit ſubſecutum, non vtique contra formam appellationis huiuſmodi, ſed magis ſecundùm eam videbatur eſſe proceſſum; & ideò licèt poſt appellationem, tamen contrà fuit eadem electio celebrata, propter quod non erat aliquatenus irritanda. Nam cùm duæ partes, & ampliùs electioni conſenſerint, & conſentiant, licèt cautum reperiatur in [b] canone, vt tunc alter de altera eligatur Eccleſia, cùm nullus in propria fuerit repertus idoneus; quia tamen hoc in fauorem introductum eſt Clericorum, & cuique licet [c] renuntiare iuri, quod pro ſe noſcitur introductum; vos qui duæ partes eratis, & amplius, cùm quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere doceatur, in hac parte iuri, quod pro vobis facere videbatur, renuntiare potuiſtis, & electionem de perſona alterius Eccleſiæ celebrare; præſertim cum illud decretum locum videatur habere,

quando

quando clericis renitentibus & inuitis per alicuius violentiam potestatis extraneus ingeritur ex adulterio, propter quod sequitur in decreto vt sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægrauari; & quos ingeri sibi viderint ex aduerso, non timeant refutare. Præterea cùm Sedes Apost. Caput omnium Ecclesiarum existat, & R. Pontifex iudex sit ordinarius singulorum, quando de ipsa quis assumitur in Prælatum alterius, ei posse obiici non videtur, propter capitis priuilegium, quod obtinet plenitudinem potestatis, quod de alia Ecclesia eligatur, cùm à capite membra reputari non debeant aliena. Item cùm post appellationem emissam vt non fieret electio, quia talis appellatio nulla foret, sed vt fieret canonica, dictus Archidiaconus Theatinus cum suis fautoribus chorum exiisset, & vos illos vt interessent electioni faciendæ vobiscum, curassetis solicitè reuocare, quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos se feciſſe videntur; propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ de iure non posse contradicere videbatur: præsertim cùm idem Archidiac. postea requisitus responderit, quod in præsentia nostra vellet suum ei præbere consensum: & ideò cùm secundùm statuta Lateran. Concilij, app. remotâ semper id debeat præualere, quod à pluribus & sanioribus fuerit ordinatum, nisi fortè à paucioribus & inferioribus aliquid rationabile obiectum fuerit & ostensum; à vobis celebrata electio, tanquam à maiori & saniori parte, non obstante contradictione, vel appellatione paucorum, debebat, & poterat rationabiliter confirmari, cùm id quod obiectum existit & ostensum, rationibus præmissis appareat rationabile non fuisse. His taliter allegatis, quamquam contra personam illius, quem elegistis, nihil vnquam dictum fuerit vel obiectum; quia tamen verbum Apostoli dicentis: Nemini citò [d] manum imponas; debemus attendere, diligenter ad ea, quæ circa personam inquirenda fuerant, duximus ex officio nostro (sicut decuit) procedendum. Et quia cùm tria sint in persona electi præcipuè requirenda, videlicet ætas legitima, morum honestas, & litteratura sufficiens; licèt de honestate morum, tanquam ei, qui nobiscum est aliquamdiu laudabiliter conuersatus, possimus ipsi laudabile testimonium perhibere: illius quoque litteraturæ, licèt non eminentis, tamen conuenientis existat, vt pro defectu scientiæ (sicut plenius intelleximus ab his, qui eum melius cognouerunt) ab electione non deberet excludi; de legitima tamen ætate plenè scire [e] non potuimus veritatem, de qua nec vos (vt accepimus) aliquid cogistatis: & cùm à multis cuius ætatis existeret, curauerimus indagare, à nemine vnquam audiuimus, quod annum trigesimum attigerit. Cùm autem secundùm prædicti statuta [f] Concilij nullus debeat in Episcopum eligi, qui trigesimum ætatis annum non egerit, licèt senectus venerabilis sit, non diuturna, nec annorum numero computata, sed cani hominis sint sensus eius, & ætas senectutis vita immaculata: quia tamen post illa tria, quæ Salomon asserit difficilia, quartum quasi reputet impossibile, viam videlicet viri in adolescentia sua, tanquam inuestigari non possit; nos Ecclesiæ pariter & personæ prouidere volentes, & tam rationes, quàm canones obseruare, habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, quia propositum vestrum prouidum intelleximus, & ideò propter vrgentem necessitatem, & euidentem vtilitatem Ecclesiæ Capuanæ, quam in hac parte potiùs approbamus, volumus ipsum firmiter perdurare, præfatum Subdiaconum nostrum de communi fratrum consilio vobis in procuratorem concedimus, liberam administrationem ei tam in spiritualibus, quàm in [g] temporalibus committentes. Quapropter discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum suscipientes humiliter & deuotè, ipsi curetis plenariè de spiritualibus & temporalibus respondere, vt & ipse profectum & honorem Ecclesiæ Capuanæ valeat studiosiùs procurare, & dilectionem quam vos ad eum habere proponitis, in exhibitione operis experiri. Speramus enim in Domino, quod sicut ei dedimus in mandatis, taliter in commissa sibi procuratione proficiet, quod sibi salutem, vobis vtilitatem, & nobis comparabit honorem. Datum Lateran.

NOTÆ.

1. a *Capuano.*] Ita legitur in ipſo codice epiſtolarum Innocentij Coloniæ edito, *pag.* 435. ex quo litteram textus reſtituo; ſed legendum eſt, *Archiepiſcopo*, vt habetur tam in hac, quàm in tertia collectione, vbi *ſub hoc tit. cap.*4. reperitur textus hic. De Eccleſia Capuana egi in textu antecedenti.

2. b *In Canone.*] Vt tunc de altera Eccleſia eligi valeat Prælatus; iure enim communi ex propria congregatione ſumi & eligi Prælatus debet,*cap.*1. vbi probaui, *hoc tit.* Conſuetudine etiam introduci poteſt, vt de aliena Eccleſia Prælatus eligatur,*cap. cùm dilectus* 8. *de conſuet.cap.*25. *de v.ſ.*

3. c *Renunciare.*] Vulgare axioma deductum ex lege *ſi quis in conſcribendo*, *C. de pactis*, *l. ſi quis in conſcribendo*, *C. de Epiſcop. & Cleric.* quod variis limitationibus exponit Balboa *in cap.*1.*de foro compet.*

4. d *Manum imponas.* Verba ſunt Apoſtoli *ad Timoth.cap.*1. quæ reperiuntur *in cap.miramur*, 6.*diſt. cap. quod eſt manus*, 78. *diſt.* ex quibus euincitur, ante legitimam ætatem non eſſe aliquem ſacris ordinibus initiandum.

5. e *Scire non potuimus.*] Inde ob negligentiam diei natalis innumera iurgia, & perniciosæ mortalium ſeditiones ſæpè eueniunt; probari autem ætas poteſt, vel aſpectu corporis, *l. minor* 33.*ff. de minor. l. ſi minor*, *ff. ſi tutor*, *vel curat. l. ſi alterius*, *C. ſi minor ſe maiorem*; teſtibus, *l. nouiſſima*, *C. de liberali cauſa*; natali profeſſione, etiamſi à matre fiat, *l. etiam*, *l. penult. ff. de probat. l. non nudis*, *C. de precibus*, *l.*1. *C. ſi minor*, *l.*2. *de excuſat. tutor.* de qua profeſſione aliqua adducunt Coſtanus *de ſponſ. fol.* 74. Narbona *de ætate,anno* 1.*q.*1. & communiter fit ex libris parochialibus, vbi ſcribuntur regeneratorum nomina.

6. f *Statuta.*] Concilij Lateranenſis, de quo *in cap. cùm in cunctis*, *ſuprà hoc tit.*

7. g *Temporalibus.*] Hæc verba etiam occurrunt in textu antecedenti, vbi adduximus rationem quare Archiepiſcopus Capuanus in temporalibus etiam adminiſtraret.

COMMENTARIVM.

8. CONCLVSIO PROBATVR. EX hac diffuſa epiſtola ſequentem communiter repetentes deducunt aſſertionem: *Appellatione interpoſitâ, ne electio niſi canonicè fiat, ſi ſequatur electio canonica, valida eſt; ſi verò appelletur, ne hoc modo fiat, & contrà celebretur, nulla eſt.* Probant textus *in cap. conſiderauimus*, *cap. cùm inter*, *hoc tit. cap. dilecti*, *de ſupplend.neglig. cap.*1. *cap.circa*, *cap. quamvis* 10. *hoc tit.in* 6. *cap.*1. *de appellat.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa in præſenti, Couar. *practic.q.*24.*num.*5. Iulius Lauorus *de elect. cap.*19. *num.*120. Lancellotus *de attentatis* 2. *p. cap.* 12. *limit.*5. Salgado *de protect. Reg.p.*3. *cap.*8. latè *de retentione bullarum* 3. *p. cap.* 8. Lezama *tom.* 3. *verbo appellare*, Fragoſo *de regim. Chriſt. reip. p.* 1. *lib.*8. *diſput.* 24. §.1. Thomas Sanchez *lib.* 3. *conſil. cap. vnico*, *dub.*32. Hieronymus Garcia *tom.*2. *polit. regul. difficult.*6.*tract.*9.*dub.*3.

9. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Hæc tamen aſſertio difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam ab eo quod facit maior pars Capituli non licet appellare; nec ſi tali appellationi deferatur, inducitur attentatum, *cap.*1. *cap. ex ore*, *de his quæ fiunt à Prælat.* immò factum à maiori parte, non obſtante appellatione exequendum eſt, *d. cap.* 1. ibi: *Appellatione remotâ præualeat ſemper*, *& ſuum conſequatur effectum*, *quod à maiori*, *& ſaniori parte Capituli fuerit ſtatutum.* Et *d. cap. ex ore*, ibi: *Nos attendentes ſibi de iure non potuiſſe competere*, *vt per appellationem ob id interpoſitam communem ordinationem Eccleſiæ impediret.* Quod adeò procedit,vt etiamſi in continenti offeratur cauſæ probatio, non admittatur appellatio, vt docent *in d. cap.*1. Immola *colum.* 1. *num.*2. Innocentius *num.*3.quos ſequuntur Azeuedo *ad Curiam Piſanam lib.*2. *cap.*4. *num.* 12. Salgado *de protect. p.* 2. *cap.* 13. *num.* 228. igitur ſi in præſenti textu appellatio interpoſita fuit à minori parte, cùm electio celebrata eſſet à maiori, non debebat admitti. Accedit, nam ex alio capite appellatio ſuperfluè interpoſita fuit in præſenti caſu; nam appellatio ne electio fiat niſi canonicè, fruſtratoria eſt, quia vel electio celebrata fuit canonicè, & cùm non ſit contra appellationem facta, nihil operatur appellatio: vel fit minùs canonicè, & tunc electio nulla eſt ipſo iure, *cap. cùm in cunctis*, *cap. quia diligentia*, *cap. quia propter*, *hoc tit.* ergo fruſtratoria fuit appellatio,de qua in præſenti caſu. Augetur ſecundò hæc difficultas, nam ſi appellatio, de qua in præſenti,vires habuit, ſiue interpoſita ne niſi canonicè electio fieret; ſiue vt hoc vel illo modo celebraretur,quidquid poſt appellationem admiſſum fuerat,vt attentatum reuocari debebat,*cap.ſi à iudice*, *de appellat. lib.*6. quidquid enim poſt appellationem attentatum fuerit, nullum eſt ipſo iure, *cap. ſignificante*, *cap. Rodulphus*, *de reſcriptis*, *cap.*1. cùm vulgatis, *de appellat.* ergo quocumque modo appellaret minor pars Capituli Capuani, quidquid poſteà attentatum fuerat, nullum debebat declarari.

10. APPELLATIO QVOTVPLEX. Quâ difficultate, etſi graui, non obſtante, vera eſt præſens deciſio, pro cuius explicatione ſciendum eſt, appellationem duplicem eſſe,vnam iudicialem, aliam extraiudicialem, vt docent Abbas *in rubrica de appellat.num.*3.Petrus Greg.*lib.*50. *ſyntagm. cap.*2. *num.* 5. Rebuffus *in tract. de appellat. in præfat.* Paz *in praxi*, 6.*p. in procem. num.* 8. Azeuedus & plures ab eo relati *in rubrica tit.* 18. *num.*4.*lib.*4. *recopil.* Iudicialis dicitur, quæ in iudicio interponitur, & quadrupliciter à Doctoribus conſideratur, videlicet anteiudicialis, intraiudicialis, iudicialis, & poſtiudicialis. Anteiudicialis dicitur, quæ ante litis conteſtationem interponitur, *cap. ſignificaſti* 32. *cap. Rodulphus* 35. *de reſcriptis.* Intraiudicialis, quæ poſt litem conteſtatam ante finem iudicij fit, *cap.* 1. *de dilat.* vt quæ ab interlocutionibus interponitur, *cap. vt delitus* 59. *de appellat.* Iudicialis dicitur quando à ſententia definitiua appellatur. Poſtiudicialis, quæ interponitur ab executione, *l. ab executione* 4. *ff. de appellat. l. ab executore* 5. *C. quorum appellationes*, *cap. conſultationi* 15. *de re iudic.* Extraiudicialis verò appellatio dicitur ea, quæ ab actibus extraiudicialibus interponitur, quotiens quis grauatur, vel grauamen ſibi inferendum eſſe ſuſpicatur, vt in electionibus, præſentationibus, & ſimilibus, *cap. conſtitutis* 23. *in fine*, *de appellat. cap. concertationi* 8. *eod. titul. lib.* 6. quæ omnia extraiudicialia ſunt, *cap. cum inter*, *hoc tit. cap. conſtitutio* 41. *cap. vt circa*, *eod. tit. lib.*6. Mareſcottus *lib.* 1. *variar. cap.* 52. *numer.* 30. Salgado, plura inde ad praxim reſoluens, *de protectione Regia* 2. *part. cap.* 13. Et hæc extraiudicialis appellatio interponitur vel à iudice extraiudicia

extraiudicialiter procedente in danda alicui possessione, vel spoliatione; vel à priuato grauamen aliquod inferente, veluti in electione non solùm facta, verùm facienda, *cap. Ecclesia* 48. *hoc tit.* vt si de persona non idonea fiat, *cap. congregato* 53. *hoc tit.* vel contempto eo, qui prouocat, *c. bonæ* 36. *hoc tit.* vel ne procedatur ad electionem sine consensu totius Capituli, seu vocatis absentibus, *cap. auditis* 27. *hoc tit.* ne ille, vel ille eligatur, *cap. inter* 21. *hoc tit. cap. qui contra* 20. *eod. tit. in* 6. vel nisi canonicè fiat electio, *cap. cùm nobis* 19. *hoc tit.* quibus in casibus eligentium potestas suspenditur, *cap. cùm nobis* 19. *de elect.* progressusque ipsius electionis impeditur, *cap. quod sicut* 28. *hoc tit.* Hæc autem appellatio extraiudicialis frequenter interponitur, cùm quis suspicatur aliquod grauamen sibi esse inferendum in electione seu præsentatione; quo casu fieri debet protestatio in publica forma eligenti, vel aduersario, quam nos appellamus vulgò *requirimiento*, ne videlicet ad electionem procedatur, aliquisve præsentetur, instituatur, seu in possessionem mittatur, aliter ex tunc tanquam à grauamine comminato appellari; à futuro enim grauamine appellari potest, *l. in multis* 25. *Cod. de appellationib.* cum vulgatis.

11. POST APPELLATIONEM NIHIL INNOVATVR.

Secundò præmittendum est, post appellationem interpositam nihil esse innouandum, *l. 1. & per totum Cod. nihil innouari appellat. pendent. cap. 1.* vbi latè dicam, *de appellat.* Lancellottus *integro tract. de attentatis* : quod procedit siue appellatio recepta sit, siue non sit admissa; nam si recepta est, nihil innouari potest, ex eo quia recepta est, & per consequens suspensa iurisdictio iudicis à quo, *cap. ad hæc, cap. super eo, cap. vt nostrum* 36. *de appellat.* Si verò non sit admissa, etiam non permittitur innouatio, ne præiudicium appellanti irrogetur interim dum per superiorem deciditur, an appellatio iustè interponatur, an inualidè, *l. vnica, ff. nihil innouari*, Lancellottus *de attentatis* 2. *part. cap.* 15. *num.* 58. Couar. *practic. quæst.* 25. *num.* 1. Sententia enim per appellationem inspecto præsenti statu extincta censetur, *l. 1. §. finali, ff. ad Turpillian.* & si consideremus futurum litis euentum, suspensa dicitur, *c. venientes, de iureiur.* tum etiam, nam si aliquid appellatione interposita innouaretur de iudice à quo, non solùm in præiudicium partis fieret, verùm etiam in contemptum superioris iudicis ad quem, vt docent Francus & Cardinalis *in cap. bonæ, §. 1. de appellat.* Vnde quia post appellationem à iudice à quo innouatur, attentatum dicitur, & ante omnia remedio attentatorum à iudice ad quem reuocari debet: quare frequens est illa clausula in rescriptis impetratis appellationis causâ: *Reuocato in irritum quidquid post apellationem inueniatis attentatum, in negotio procedatis.* Docent & illustrant Donel. *lib. 28. comment. cap. 9.* Gaillus *lib. 1. practic. cap. 146.* Gonzalez *ad regulam 8. glossa 5. num. 176.* Tuschus *littera A, conclusione 375. & 376.* Balboa & communiter repetentes *in cap. 1. de appellat.*

12. RATIO DECIDENDI.

Ex quibus velut manuducitur ratio nostræ conclusionis; nam si appellatio interposita sit, ne hoc, vel illo modo ad electionem electores procedant, electio contrario modo celebrata, vt attentata rescinditur, & reuocatur, ex suprà dictis; immò electores pœnam suspensionis incurrunt, *cap. si postquam, cap. prouida, hoc titulo in 6.* si verò generaliter appellatum fuit, ne electio nisi canonica admitteretur, electio canonicè celebrata sustinetur, quia non est contra appellationem, licèt sit post eam celebrata; quod non est sufficiens in extraiudiciali appellatione, vt attentatum inducatur, vt dixi *in cap. considerauimus, hoc tit.* Quare rectè Pontifex in præsenti decidit electionem in præsenti specie post appellationem, non verò contrà, celebratam valere, electumque litteris pollentem, legitimamque ætatem habentem, admittendum esse ad Episcopatum.

13. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obstat difficultas suprà adducta, quia quod in ea dicebamus, procedit cùm maior pars Capituli rationabiliter, & secundùm iuris tramites statuit; minor verò pars irrationabiliter, non ratione, sed propriâ voluntate ductâ, in appellationis vocem erumpit, vt electionem differat: tunc enim appellatione remotâ maior pars procedere valet ad electionem absque eo quod vt attentatum rescindatur. Nec obstat appellationem interpositam in nostro textu, ne nisi canonicè procederetur, frustra interponi. Cui difficultati, omissâ solutione Innocentij in præsenti, dicendum est, appellationem interpositam, ne nisi canonicè electio fiat, non esse frustratoriam, quia vtilius est, vt electio annulletur per viam attentati iudicis officio, quàm per viam ordinariam, agendo ad nullitatem electionis, vt docet Butrius *in præsenti, num.* 22. Nec obstat augmentum difficultatis, cui satisfaciendum est discrimen constituendo inter appellationem iudicialem, & extraiudicialem; licèt enim post appellationem iudicialem omnia quocumque modo attentata reuocentur; tamen in appellatione extraiudiciali illud tantùm reuocatur, quod contra ipsam appellationem factum est, videlicet contra expressum articulum, à quo fuit extraiudicialis appellatio interposita, iuxta textum *in cap. cùm sit Romana, §. verò, de appellat.* docent Lancellottus *de attentatis lib. 3. cap. 12. limit. 3.* Couar. *pract. cap. 24. num. 5.* extraiudicialis enim appellatio tantùm est quædam prouocatio, quæ non suspendit iurisdictionem eius, à quo interponitur; sed tantùm in eo articulo, de quo specialiter est appellatum. Vnde cùm in nostro textu agatur de appellatione extraiudiciali, rectè asseritur, quod nisi contra ipsam appellationem electio celebrata sit, vt attentata reuocari non potest, vt dixi *in cap. considerauimus, infrà.*

14. EXPONITVR CAP. CONSTITVTIS 46. DE APPELLAT.

Obstat suprà traditis textus *in cap. constitutis 46. de appellat.* vbi asseritur interpositâ ab electione appellatione, posse electum possessionem acquirere, & remedio attentatorum possessionem non reuocari: igitur etiam post appellationem interpositam licet ad electionem procedere. Cui difficultati, omissis traditis à Balboa *in cap. 1. de appellat. n. 47.* dicendum est, possessionem in eo textu iustè adeptam fuisse, & defendi posse duplici ratione. Primâ generali, quâ docetur ab executione appellationem non admitti, *cap. nouit* 43. *hoc tit. l. ab executore, ff. de appellat. l. ab executione* 5. *Cod. quorum appellationes*; latè docet Salgado *de protect. 4. part. cap. 1. cum seqq.* Aliâ speciali ratione, quia licèt à confirmatione electionis appellari possit, *cap. cùm nobis* 19. *de elect. cap. concertationi, eod. tit. lib. 6.* pluribus relatis Garcia *tom. 2. polit. tract. 9. difficult. 6. dubio* 2. tamen post confirmationem ab inuestitura, seu institutione appellari non valet, *cap. vt circa, de elect. in 6.* ne diu Ecclesia pastore destituatur; vnde cùm *in dict. cap. constitutis*, appellatio esset interposita post confirmationem, appellatio postea adepta remedio attentatorum reuocari non potest. Docet Petrus Greg. *lib. 5. part. tit. 15. c. 2. littera V.*

CAPVT XX.

Idem [a] *Cantuarienſi Archiepiſcopo.*

INnotuit nobis olim, tam per tuas litteras, quàm quorundam ſuffraganeorum tuorum, & dilectorum filiorum Prioris, & Conuentus [b] Vvigornien. Eccleſiæ, quod eadem Eccleſia deſtituta [c] Paſtore, dicti Prior, & [d] Conuentus dil. fil. Magiſtrum M. Eboracen. [e] Archidiac. in Paſtorem animarum ſuarum vnanimiter elegerunt; & cùm eius tibi fuiſſet electio præſentata, [f] confirmationem vſque in aduentum ipſius, qui [g] abſens eligebatur, & inſcius, diſtuliſti; qui tandem, quod fuerat factum, audito, ad præſentiam tuam deuotus acceſſit, & præter opinionem omnium, qui nihil obſtare credebant, quin ſtatim concors, & canonica deberet electio confirmari, ſpontaneâ tibi, & [i] ſecretâ confeſſione *j* monſtrauit, quod conſcientiæ eius aliquantiſper ex natalibus eſſet læſa, & quod ad tantæ dignitatis apicem præter indulgentiam Apoſtolicæ Sedis nollet aliquatenus promoueri propoſuit, etiamſi promouentem benignum, & facilem inueniret. Tu autem, ſicut vir prouidus, & diſcretus, intellectâ conſcientiâ eius, noluiſti protinus ad confirmationem procedere, ſed nobis rei ſeriem per tuas inſinuaſti litteras, & per eas ipſius Magiſtri merita, & conſcientiam [h] commendaſti. Capitulum autem eiuſdem Eccleſiæ, quare per te fuiſſet electionis confirmatio protelata, ſe ignorare per litteras ſuas nobis tranſmiſſas expoſuit, & eam petiit per Sedem Apoſtolicam confirmari, præſentato nobis decreto electionis ſubſcriptionibus eligentium roborato. Quidam tamen ſuffraganeorum tuorum, quod per tuas litteras videbaris obſcurè aliquantulum innuiſſe, per ſuas litteras in aliquibus expreſſerunt, aſſerentes eum filium fuiſſe cuiuſdam militis, & ab eo ex quadam [k] ingenua, & non coniugata ſuſceptum. Interim verò idem Magiſter ex inſperato ad præſentiam noſtram acceſſit, & quod nobis de natiuitate ipſius per litteras aliquorum ſuffraganeorum tuorum fuerat intimatum, expoſuit, & adiecit, quod nunquam pater eius habuerat vxorem, ſed matri eius virginitatis florem ſubripuerat, quaſi furtim, quo facto ipſa infra quadriennium à natiuitate ipſius matrimonium contraxit. Nos ergo cum fratribus noſtris habito ſuper hoc diligenti tractatu, relectis [l] canonibus, quoſdam inuenimus, qui non legitimè genitos promoueri vetant ad officium paſtoralem, cauſam fortè trahentes ex lege diuina, per quam ſpurij, & manzares vſque in decimam generationem in Eccleſia Dei prohibentur intrare. Inuenimus etiam [m] alios, qui vndecumque genitos non prohibent ad ſacros ordines promoueri, dummodò ſibi merita ſuffragentur; aſſerenteſque, quod culpa parentum non eſt filiis [n] imputanda. Et ad hoc probandum inducuut, quod Dominus noſter Ieſus-Chriſtus non tantùm ex alienigenis, ſed etiam [o] adulterinis voluit commixtionibus naſci, qui eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec. Hi etiam diuinæ Scripturæ videntur inniti, quâ dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: per quam antiquum videtur prouerbium remoueri, quod inter filios Iſraël dici ſolebat: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Quidam verò ad concordiam diſcordantia reuocantes, repugnantiam canonum prædictorum quodammodò ſopire videbantur, dicentes quod illegitimè geniti, ſi [p] religioſi fuerint, aut in cœnobiis, aut in Canonicis conuerſati, à ſacris miniſteriis minimè reuocentur: & inter illegitimè genitos quidam aſſerunt, eos ſolos à ſacris officiis prohibendos, qui paternam incontinentiam imitantur: & ij quoque videntur auctoritate diuinæ legis inniti, quâ dicitur: [q] Ego ſum Deus zelotes, viſitans peccata patrum in filios vſque in tertiam, & quartam progeniem in iis, qui oderunt me gratis; quaſi dicat, in iis, qui circa me paternum odium imitantur. Verùm canon Concilij Lateran. à bon. memor. [r] Alexandro Papa prædeceſſore noſtro editus in Synodo generali, primis concordans canonibus, non ſolùm tales vetat in Epiſcopum promoueri, verùm etiam eligentibus talem perſonam, pœnam infligit, immò ipſo facto eandem pœnam aſſerit incurriſſe; vt ſecundùm hunc canonem, latæ ſententiæ eſſe videatur, cuius tenor talis eſt. Ne videlicet, quod de quibuſdam pro neceſſitatibus temporis factum eſt, in exemplum trahatur

à

à poſteris, nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui de legitimo matrimonio ſit natus. Circa finem ſubiungens: Clerici ſanè, ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi tunc poteſtate priuatos, & ab eccleſiaſticis beneficiis triennio ſe nouerint eſſe ſuſpenſos. Sanè prædictus canon, qui non per eum, qui canones non noſſet antiquos, ſed per illum, qui plenè nouerat canonicas ſanctiones, in Concilio multorum Iuriſperitorum eſt editus, & ipſius approbatione Concilij roboratus, natis de non legitimo matrimonio omnem videtur in Epiſcopos promouendi aditum præcluſiſſe. Cùm id etiam ad conſequentiam trahi prohibeat, quod pro neceſſitate innuit prioribus temporibus eſſe factum; licèt nihil ampliùs, quàm neceſſitas diſpenſantem ad diſpenſationem inducat. Præterea electionem talium innuit nullam eſſe, dum in pœnam ſtatuit electorum, vt nunc eligendi poteſtate ſe nouerint priuatos; quod nihil eſſet, ſi tunc non occurreret electio facienda: quod fieri non poſſet priori electione, ſeu etiam nominatione durante. Ex quo patet, electionem huiuſmodi per ipſum canonem irritatam. Quamuis autem etſi canon iſte non legitimè genitos fortiùs proſequatur; nobis tamen per eum adempta non fuerit diſpenſandi facultas, cùm ea non fuerit prohibentis intentio, qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari poſt eum, immò eadem poteſtate functuris, cùm non habeat poteſtatem par in parem: ſed ea tantùm fuerit mens ipſius, vt quia ex eo quod aliquando ex diſpenſatione pro neceſſitate temporis factum fuerat, quidam gratiam in licentiam extendentes, & inde ſumentes exemplum, ſe licitè credebant eligere tales, & indifferenter huiuſmodi eligebant, cùm talia fieri prohiberet, vnde grauem electoribus pœnam inflixit. Deliberauimus tamen cum fratribus noſtris, vtrum in tali caſu, & cum tali perſona deberemus miſericorditer diſpenſare, vel iuris potiùs ſeruare rigorem. Inuenimus enim à bonæ memoriæ Vrbano [s] Papa prædeceſſore noſtro in caſu multò difficiliori cum Cenomanen. diſpenſatum electo, qui fuerat filius ſacerdotis; & Legion. Epiſcopo, qui poſt conſecrationem ſuam humiliter fuerat, & ſpontè confeſſus, quod fuiſſet ex matre non legitima procreatus, quam pater viuente vxore propria cognouiſſet. Sed idem Vrbanus prohibuit, ne id quaſi pro regula in poſterum ad conſequentiam traheretur. Videbatur enim, quod quia cum illegitimè natis fuiſſet aliquamdiu diſpenſatum, & ex certa cauſa forſitan in poſterum diſpenſandum, in hoc caſu deberet celeriùs diſpenſatio indulgeri, illi perſonæ videlicet, quæ minùs imperfectionis, plus perfectionis habeat. Multa enim in hoc caſu diſpenſationem inducere videbantur, litterarum ſcientia, morum honeſtas, vitæ virtus, & fama perſonæ multipliciter à quibuſdam etiam ex fratribus meis, qui eum in ſcholis cognouerant, approbatæ. Faciebant etiam ad id non modicùm concors Capituli Vvigornien. electio, petitio populi, aſſenſus Principis, votum tuum, ſuffraganeorum ſuffragia, & humilis deuotio confitentis, quòd ſpontè, & humiliter ſuum maluit confiteri defectum, quàm læsâ conſcientiâ thronum aſcendere paſtoralem. Habito ergo ſuper hoc cum fratribus noſtris diligenti tractatu, intelligentes Vvigornien. Capitulum eundem Magiſtrum non humiliter poſtulaſſe, ſed improuidè potiùs elegiſſe, cùm ad obtinendum diſpenſationis beneficium procedendum fuiſſet, non per electionem inhibitam, ſed per poſtulationem præmiſſam, electionem ipſam prædicti canonis auctoritate caſſatam denuntiauimus irritam, & inanem, parcentes non modicùm Vvigornien. Capitulo, quòd eis nec pœnam infligimus expreſſam canone ſupradicto, nec probare cogimus ignorantiam, quam allegant: quamuis poſt caſſationem huiuſmodi nobis à multis fuerit humiliter ſupplicatum, vt propter cauſas prædictas dignaremur cum eo miſericorditer diſpenſare, cùm ad diſpenſandum in talibus nullus ſe caſus habilior poſſit offerre: quia tamen prædicto Capitulo liberam facultatem eligendi, vel poſtulandi volumus reſeruare, ſupplicationem huiuſmodi, quæ nomine Capituli non fiebat, cùm non ad poſtulandam diſpenſationem, ſed petendam confirmationem ipſius Capituli [t] nuncij fuerint deſtinati, ad præſens non duximus admittendam, decernentes irritum & inane ſi quid ſuper ordinatione ipſius Epiſcopatus ante ſuſceptionem litterarum noſtrarum fuerit attentatum. Volumus igitur & mandamus, quatenus per Cantuarien. prouinciam ex parte noſtra facias diſtrictiùs inhiberi, ne quod de multis in eadem prouincia (quod ſine pudore non dicimus) inordinatè noſcitur eſſe factum, de cætero contra formam præſcriptam nullatenus attentetur. Sed ſi Vvigornien. Capitulum eundem Magiſtrum propter prærogatiuam meritorum ipſius duxerit poſtulandum, poſtulationem ipſius apud Sedem Apoſtolicam præſentare procuret.

NOTÆ.

1. a *Archiepiſcopo.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.5.* id eſt, Stephano, qui temporibus Innocentij III. electus fuit in Archipræſulem Cantuar. Vveſtmonaſterienſis *anno* 1207. *Innocentius III. perſuaſit monachis Cantuarienſibus, vt eligerent Stephanum de Langtona, natione Anglicum, virum profundi pectoris, elegantem corpore, moribus præelectum, aptum, & ſufficientem, in quantùm hominis eſt, vniuerſalem Eccleſiam gubernare: & Regi Ioanni elegantiſſimam epiſtolam direxit, vt ipſum natione Anglicum, ſcientiâ & moribus incomparabilem, Magiſtrum Stephanum de Langtona electum etiam & conſecratum ſuſciperet in Cantuarienſem Archiepiſcopum.* De eo plura Polyd.Vergil.*lib.15.hiſtor.Angliæ, fol.*269. Richardus Smitheus *in floribus Angliæ, lib.7. cap.*11. De Metropoli Cantuarienſi egi *in cap.2.de reſcriptis.*

2. b *Vvigornienſis.*] Inter alias viginti Eccleſias, quæ vt ſuffraganeæ ſubſunt Archiepiſcopo Cantuar. quas poſt Bedam, Vergilium, & Candenum illius Regni Scriptores enumerat Petrus Gregorius *in cap. non eſt nobis, num.5. de ſponſal.* non inferioris dignitatis eſt Vvigornienſis; cuius mentio fit *in cap.4.& 8. de filiis preſbyſt. cap.5. de officio Archid. cap. finali, de officio vicarij, cap.6.de tranſact.cap.1. de dilationib. cap.*10. *de iureiurando, cap.9. & 47. de appellat.cap.2.de confirm. vtili.*

3. c *Paſtore.*] Quia deceſſerat his temporibus Ioannes de Conſtantiis, ipſius Eccleſiæ Præſul.

4. d *Conuentus.*] Eccleſiæ enim Cathedrales olim frequenter regulares erant, atque earum Canonici regularem vitam profitebantur, vt de Eccleſiis Anglicanis refert Vergilius *vbi ſuprà, fol.*269. & latè de aliis Eccleſiis diuerſarum prouinciarum Gabriel Pennotus *in hiſtoria Canonic. regul.*

5. e *M. Archidiaconum.*] Maugerum videlicet, qui iram metuens Ioannis Regis, in quem ſententiam excommunicationis à Pontifice latam declarauerat, in Galliam profugus deceſſit anno 1212. & licèt fuiſſet Archidiaconus Eboracenſis, quia Prælatus non erat, potuit eligi in Epiſcopum, nec neceſſaria fuit poſtulatio. De Eboracenſi Eccleſia nonnulla adduxi *in cap.4. de reſcriptis.*

6. f *Confirmationem.*] Olim confirmatio Epiſcoporum ad Metropolitanos ſpectabat, *cap.*1. 63. *diſt.cap. cùm inter, hoc tit. cap. cùm inter, de tranſlat. Epiſcopi,* niſi R.Pontifex confirmationem ſibi reſeruaſſet, vt *in cap.3.cap. nihil,* 44.*hoc tit.*

7. g *Abſens.*] Certum eſt, abſentem, & ignorantem poſſe eligi in Prælatum, & poſteà accedente eius conſenſu ſequi confirmationem, *cap. licèt, de tranſlat. Epiſcop.* etſi aliquando ſtatim Pontifex ipſam electionem confirmet, *cap.quantò, cap.his igitur,*63. *diſt.*

8. h *Commendaſti.*] Ex ſerie, deciſioneque huius textus probat Michael Rouſſelius *lib.2. hiſtor. Pontif. iuriſd. cap.3. num.*4. deuolutam olim fuiſſe ad Sedem Apoſtolicam controuerſiam electionum Epiſcoporum, & variis exemplis probat.

9. i *Secreta.*] Non confeſſione auriculari, ſiue ſacramentali, tunc enim non poſſet Archiepiſcopus vti eâ notitiâ ad impediendam confirmationem, quia ſciret vt Deus, non vt homo, *cap.2.* vbi dicemus, *de officio ordin. cap. omnis, §.caueant, de pœnit.& remiſſ.* vbi plura Balboa: ſed confeſſione ſecretâ extraiudiciali, quo modo accipiendi ſunt textus *in cap. ſignificauit, de adulteriis, cap.*1. *de clerico per ſaltum.*

10. j *Monſtrauit.*] Licèt cùm agitur ad vindictam delicti, nemo teneatur ſe prodere, aut proprium reatum fateri, etiamſi excommunicatio impoſita ſit, vt probant Gutierrez *lib.*1. *canonic. cap.*11. Diana, Suarez & alij relati à Gibalino *de cenſuris fol.*96. *conſect.*6. tamen ſi agitur de euitando peccato, aut auertendo damno, tenetur ſuperiori delictum aut defectum etiam occultum declarare; & ſi electus eſt, diſpenſationem petere. Samuelius *de elect. tract.*2. *diſput.*6. *controu.*3. Peyrinis *de Prælato quæſt.*2. *cap.*5. *num.*128. Caſtro Palao *tom.*6. *de cenſur. diſput.*6. *punct.*3. Vnde ordinandus tenetur manifeſtare vitium, aut defectum occultum. Gloſſa *in cap.non potuit, de renunc.* Maiolus *de irregul. lib.*4. *cap.*10. & *lib.*5.*cap.*33. *num.*3. & qui vitium, aut defectum huiuſmodi tacuerit, deponi iubetur *in cap.ex pœnitentibus,* 50.*diſt.* quod & ad commendatarios Ordinum Militarium extendit Pater Mendo *de Ordinibus Milit. diſput.*3. *quæſt.*4.

11. k *Ingenua.*] Quæ in præſenti opponitur coniugatæ, vnde non poteſt accipi pro ea, quæ ſtatim à prima luce libera nata eſt; nam hæc opponitur ancillæ, aut libertinæ, non verò coniugatæ. Exiſtimo ergo Pontificem ingenuam appellaſſe virginem ſolutam, non vxoratam, quia ingenuus dicitur, qui ſuo ingenio viuit. Oſualdus *lib.*2. *comment. Donelli, cap.*10. *littera B,* Arnold. Vinius *in princip. Inſtit.de ingenuis;* vnde cùm mulier ſoluta, marito non ſubiecta, ſuo ingenio viuat, & plenâ libertate fruatur, dicitur ingenua, vt *in l.* 5. *&* 6. *tit.*1. *lib.*3. *fori:* dicitur mulier innupta, *manceba en cauello;* ideſt, quæ caput non velauit, ſuâ libertate fruens, vt exponit Cabreros de Auendaño *lib.*1. *de metu, cap.*48.*num.*21.

12. l *Canonibus.*] Relatis *in cap.* 1. 56. *diſt. cap.*1. *de filiis preſbyter.*

m *Alios.*] Videlicet *cap. Oſius, cap. vndecumque, cap.naſci,* 56. *diſt.*

13. n *Imputanda.*] *Dicto cap.vndecumque, dict.cap. naſci, cap.non imputantur* 1. *quæſt.*4.

14. o *Adulterinis.*] *Cap. dominus,* 56. *diſt. cap.iam itaque* 8. 1. *quæſt.*4.

p *Si religioſi.*] Vrbanus II. *in cap.*1. 56. *diſt.* Concilium Pictauienſe relatum *in cap.*1. *de filiis preſbyt.*

15. q *Ego ſum Deus.*] *Exodi cap.*20. quæ verba referuntur à Gratiano *in* 1. *quæſt.*4. & exponuntur à Couarr. *lib.*2. *var. cap.*8.

r *Alexandro.*] Reperitur *in cap. cùm in cunctis* 7. *hoc tit.*

ſ *Vrbano Papa.*] Tam primum, quàm ſecundum caſum inuenies *in cap. Cenomanenſi, & ſequenti,* 56. *diſt.*

t *Nuncij deſtinati.*] Hæc verba expoſui *in cap. nonnulli* 27. *§.finali, de reſcriptis.*

COMMENTARIVM.

16. CONCLVSIO REFERTVR, ET ILLVSTRATVR.

EX præſenti Innocentij epiſtola talis communiter deducitur aſſertio: *Illegitimus in Epiſcopum eligi non poteſt: poſtulari autem valet, & cum eo tantùm R. Pontifex diſpenſat.* Probant eam textus *in cap.*1. *cap. Cenomanen. cum ſequenti,* 56. *diſt. cap. cùm in cunctis, hoc tit. cap. niſi cùm pridem, de renunc. cap. vt filij,cap. penult. & finali, de filiis preſbyter. cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi,* Concilium Aruernenſe temporibus Vrbani II. apud Vvillelmum

Vvillelmum Malmeſburgenſem *lib. 4. de geſtis Regis Angliæ, cap. 2.* Matthæum Pariſium *in Vvillelmum lib. 2. anno* 1095. ibi : *Quod nemo in Epiſcopum eligatur, niſi preſbyter, aut diaconus, aut ſubdiaconus, & cui natalium dignitas ſuffragatur, niſi maximâ neceſſitate, & licentiâ Papæ.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti, & de poteſt. Epiſc. 1. p. tit. 1. cap. 5. & 2. part. allegat. 1. num. 32.* Dadinus Alteſſerra *de Ducibus lib. 2. cap. 9.* Suarez *de cenſuris diſput. 50. ſect. 5. numer.* 11. Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 2. cap. 1. & de beneficiis cap. 35.* Gibalinus *de irregul. cap. 6.* Claudius Eſpenceus *ad D. Paulum lib. 3. digreſ. cap.* 11. Sauſay *in Panopl. Cleric. p. 1. lib. 6. cap. 2. §. 1.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. diſput. 5. quæſt.* 14. Samuelius *de elect. tract. 2. diſput. 6. controu. 11. & 13.* Pellizarius *tract. 9. cap. 2. ſect. 3.* Garcia *tom. 2. polit. regul. tract. 9. dub. 3.* Lezana *tom. 3. verbo Illegitimi,* Maſtrill. *de Magiſt. lib. 2. cap. 12. num. 37.* Gambara *de officio Legati lib. 7. num. 69.* Chopinus *lib. 1. monaſt. tit. 3. num. 7.* Alteſſerra *hîc.*

17. IMPVGNATVR HÆC DECISIO. Omiſsâ generali dubitandi ratione adducendâ *in cap. 1. de filiis preſbyt.* valde difficilis redditur hæc aſſertio ſequentibus conſiderationibus. Prima ex eo naſcitur : certum eſt enim tantam eſſe vim matrimonij, vt filij anteà geniti, & ex ſoluto & ſoluta ſuſcepti, per ſubſequens matrimonium efficiantur legitimi, *cap. 1. cap. tanta, qui filij ſint legitimi*; vnde per totalem legitimationem habiles redduntur ad Epiſcopatus, & omnes dignitates obtinendas, exceptâ Cardinalitiâ : probant Suarez *vbi ſupra*, Couarr. *de ſponſal. 2. part. cap. 8. §. 2.* Azor. *p. 3. inſtit. lib. 2. cap. 14. quæſt. 14.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri monacho, cap. 17.* Garcia *de benef. 7. p. cap. 2.* plures relati à Nicolao Garcia *de beneficiis 7. p. cap. 2.* Sed in noſtro textu matrimonium fuit ſubſecutum inter militem & Rufinianam virginem defloratam, vt conſtat ex illis verbis : *Quo facto cum ipſa infra quadriennium matrimonium fuit ſubſecutum.* Conſtat etiam tempore ſuſceptionis filij parentes fuiſſe ſolutos, habileſque ad contrahendum matrimonium, ibi : *Nunquam pater eius habuerat vxorem*; & ibi : *Virginitatis florem præripuit:* igitur Maugerius ab illis ex tali coniunctione ſuſceptus, legitimatus fuit per ſubſequens matrimonium poſt quadriennium contractum. Secunda difficultas ex eo prouenit ; nam ex noſtro textu conſtat, ipſum Maugerium tempore electionis in Epiſcopum reperiri Archidiaconum in Eccleſia Eboracenſi, ad quam dignitatem abſque vlla diſpenſatione, quæ ex textus ſerie conſtet, admiſſus fuerat : igitur ad Epiſcopatum etiam admitti valebat. Et ſi dicas diſpenſationem præceſſiſſe, replicabo : ergo erat à Pontifice diſpenſatus quoad dignitates eccleſiaſticas : igitur etiam quoad Epicopatum. Tertia naſcitur ex eo, nam etſi Maugerius in noſtro textu aliqua egeret diſpenſatione, Archiepiſcopus Cantuarienſis, cui confirmandi facultas competebat, cum eo diſpenſare poterat; nam Archiepiſcopus diſpenſat cum corpore vitiatis, *cap. 1. de corpore vitiat.* in defectu ætatis, *cap. præterea, de ætat. & qualit.* ergo ſimiliter in defectu natalium, ſi neceſſe erat, in præſenti caſu diſpenſare valebat.

18. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Huius deciſionis ratio in promptu erit, ſi animaduertamus, inter alios caſus, ex quibus irregularitas contrahitur, enumerari vitium originis, ſiue vt alij volunt, defectum natalium. Illegitimi enim ex quocumque coitu extra matrimonium procreati irregulares ſunt propter vitium originis, *cap. 1. 56. diſt. cap. inter, de exceſſ. Prælat. cap. 1.* vbi plura dabimus, *de filiis preſbyt.* docent Hugolinus *de irregul. cap. 44. §. 1.* Auila *eod. tract. 7. p. diſp. 3. dub. 6.* Gibalinus *eod. tract. cap. 3. quæſt. 1.* Maiolus, Couarr. Suarez, & alij congeſti à Leandro *de irregul. tractat. 2. diſputat. 3.* Cuius impedimenti ratio, licet primis Eccleſiæ ſæculis non attenderetur, niſi conſtaret in filios patris incontinentiam tranſiſſe, vt probatur *ex cap. dominus, 56. diſt.* tamen Vrbanus II. qui floruit poſt ſæculum decimum Eccleſiæ, ſtatuit generaliter, ſacerdotum filios non poſſe ad ſacros ordines aſcendere, niſi in canoniis, aut cœnobiis religiosè probati fuerint conuerſati ; poſteà tamen Patres Concilij Pictau. hanc prohibitionem porrexerunt ad omnes filios illegitimos, tam naturales, quàm ſpurios, cum eadem limitatione, videlicet niſi in monaſteriis laudabiliter fuerint conuerſati, *cap. 1. de filiis preſbyt.* cuius prohibitionis rationes ibi afferemus. Etiam ſciendum eſt, neminem poſſe ad Epiſcopatus apicem aſcendere, niſi priùs minoribus, atque maioribus ordinibus fuerit initiatus, *cap. nullus, 61. diſt. cap. ſacerdotale, cap. miramur, & per tot. 62. diſt. cap. 1. de renunt. in ſecunda collect.* plura Anton. Auguſt. *lib. 4. in epitom. tit. 6.* Barb. *de poteſt. epiſc. alleg. 14.* Petrus Bollo *in œconomia, claſ. 1. cap. 1. §. 4.* Diana *p. 12. tract. 1. reſolut. 109.* Cùm enim character Epiſcopalis ſupponat characterem ſacerdotalem, neceſſariò ille, qui Epiſcopus conſecrandus eſt, debet eſſe priùs ſacerdos, & in preſbyterali gradu conſtitutus, vt poſſit in Epiſcopum ordinari. Ex quibus dignoſcitur vera decidendi ratio ad noſtrum textum ; nam cùm illegitimus ob vitium originis ſit irregularis, nec ad gradus eccleſiaſticos poſſit admitti, conſequenter nec ad Epiſcopatum, cum Epiſcopatus ſupponat habilitatem ad preſbyteratum ; & qui non poteſt preſbyter ordinari, quomodo poterit in Epiſcopum eligi ? Sed cùm hoc impedimentum ex defectu natalium prouenians, ſit merè eccleſiaſticum, *ex dict. cap. 1. 56. diſt. cap. 1. de filiis preſbyt. dict. cap. cùm in cunctis,* & R. P. ſit ſupra ius eccleſiaſticum poſitiuum, in eiuſque omnibus deciſionibus valeat diſponere, *cap. poſt, de conceſſ. præb.* ideo illegitimus licèt non poſſit eligi, poſtulari tamen valet à R. Pontifice, vt cum eo diſpenſet in prædicto defectu ; poſtulatur enim ille, qui propter aliquem defectum non poteſt eligi, vt diximus *in tit. de poſtulat. Prælat.* Hoc iure vrgente poſtulatus fuit Galfridus nothus Henrici II. Anglorum Regis, in Linconienſem Epiſcopum ; & Theodoricus Præpoſitus Turinenſis Eccleſiæ, ob vitium natalium, in Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ poſtulatus fuit apud Gregorium IX. vt referunt Albertus Crantzius *lib. 8. Metrop. cap. 8.* Vveſtmonaſter. *anno* 1183. Alteſſerra *de Ducibus, cap. 9.* Vnde rectè Innocentius III. in præſenti decidit, illegitimè genitum non potuiſſe eligi in Epiſcopum Vvigorn. cùm eſſet irregularis ex defectu natalium, & electio nitatur iure : poſtulari tamen eum poſſe, quia poſtulatio nititur gratiâ, & R. Pontifex, qui eſt ſupra ius eccleſiaſticum, poteſt cum eo diſpenſare, & habilem reddere ad Epiſcopatum.

19. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES. Nec obſtat prima difficultas ſuprà perpenſa, cuius principium cùm animaduerterent Gloſſa *verbo Coniugata*, in præſenti, Abbas, Hoſtienſis, & omnes antiquiores, docent in noſtro textu Maugerum potuiſſe in Epiſcopum eligi, ſi eius parentes matrimonium contraxiſſent ; non enim integram noſtri textus legerunt, & integratum

ignoratione ſæpè antiquiores miſerè labuntur, qui ideò magis increpandi ſunt, quòd ſuis temporibus facilè regeſtra, & epiſtolarum autographa habere potuerunt, quibus hodie temporum iniuriâ, & librorum inopiâ priuamur. Omiſsâ ergo antiquorum ſententiâ, attentâ integrâ huius textus dicendum reor, ex diſpoſitione Concilij Lateranenſis relata *in d. cap. cùm in cunctis*, non poſſe in Epiſcopum eligi illegitimè genitum, ne ad apicem dignitatum admitteretur ex libero coitu genitus: quare licèt Maugerius per ſubſequens matrimonium quoad alia legitimus haberetur, tamen quoad Epiſcopatus apicem, vt in noſtro textu dicitur, quia genitus fuit illegitimus, non poteſt *ex dict. cap. cùm in cunctis*, in Epiſcopum eligi, vt hodie etiam illegitimi nati, licèt poſteà legitimati, non poſſunt Cardinales creari, Cohelius *in notitia Cardin. cap. 9.* ideoque ſignanter, & ſæpè ſæpiùs ait Innocentius, Maugerium fuiſſe illegitimè genitum, quia impedimentum ex eo proueniebat, quia ex Concilio Lateran. illegitimè genitus in Epiſcopum eligi non poterat. Sed cùm Raymundus omiſiſſet eam partem præſentis textus, vbi legitimatio referebatur, & non ſit alia decisio in iure canonico, in qua filij legitimati per ſubſequens matrimonium inhabiles declarentur ad Epiſcopatus, ideò communiter receptum eſt, illegitimum, & per matrimonium ſubſequens legitimatum poſſe in Epiſcopum eligi. Azor *p. 3. inſtit. lib. 2. c. 14. q. 14.* Baſilius Pontius *de matrim. lib. 1. c. 11. n. 5.* Suarez *de cenſuris diſp. 50. ſect. 5. à num. 10.* plures relati à Barboſa *in cap. tanta, qui filij ſint legitimi, num. 24.* & *de poteſt. Epiſcopi allegat. 1. num. 35.* qui hanc partem omiſſam fuiſſe à Raymundo credit, quia tantùm partis allegatio in ea continebatur.

20. EXPONITVR CAP. 2. DE CORPORE VITIATIS.

Huic aſſertioni aduerſatur textus *in cap. 2. de corpore vitiatis*, vbi Archiepiſcopus Cantuarienſis poteſt cum illegitimo in Epiſcopum electo diſpenſare, vt ad Epiſcopatum admittatur: igitur ſimiliter in noſtro textu poterat Archiepiſcopus Cantuar. cum Maugerio diſpenſare, vt in Epiſcopum Vvigornienſem eligi poſſet. Huic difficultati facilè reſpondetur, ſi animaduertatur, in eo textu Archiepiſcopum Cantuarienſem non iure proprio, ſed auctoritate Pontificia, ex poteſtate ſibi delegèta diſpenſare, vt conſtat ex ipſa textus ſerie: vnde cùm in noſtro textu delegatio Pontificia non adeſſet, ſed tantùm iure ordinario vt confirmaret electionem Archiepiſcopus procederet; ideò affirmatur neceſſariam eſſe Pontificiam diſpenſationem, vt illegitimus poſſit in Epiſcopum eligi.

CAPVT XXI.

[a] Idem [b] *Ianuenſi Archiepiſcopo*, & [c] *Placentino*, & [d] *Bobienſi Epiſcopis.*

CVm inter dil. fil. Canonicos [e] Saonen. ſuper electione Pont. quæſtio verteretur, eligentium votis in diuerſa diuiſis, ad Sed. Ap. dil. fil. G. Subd. Saonen, & I. procurator Capituli acceſſerunt, quibus ven. f. n. I. Alban. [f] Epiſcopum, & dil. fil. n. A. tituli S. [g] Marcelli Preſbyterum Cardinalem dedimus auditores, in quorum præſentia Subd. propoſuit memoratus, quod cùm ſeptem eſſent Canonici Saonen, ſe in Capitulo receperunt de futura electione Pontificis tractaturi, vbi diuerſi à diuerſis nominati fuere: ſed Archid. Archipreſbytero & Præpoſito Aſtenſi Præpoſitum nominantibus, fuit à præfato S. fortiter obuiatum, aſſerente ipſum electum morbo epileptico laborare, pro quo alia vice fuerat tanquam inhabilis recuſatus; nec ad Eccleſiam aliam debere fieri tranſitum, donec reperiretur idoneus in Eccleſia Saonen. *Et infrà*: Sed Præpoſitus Saon. ſpretis appellationibus interpoſitis Præpoſitum Aſtenſem elegit, obiiciente parte aduerſa, quod huiuſmodi electio propter [h] appellationes interpoſitas, & alia etiam obſtacula non teneret. *Et infrà*: Sed & ciuitatem idem Præpoſitus, & alij omnes egreſſi, exceptis Preſbytero, & Subdiacono ſæpedictis, ſecum [i] ſigillum eis ignorantibus detulerunt, & *i* ad Mediolanen. Archiepiſcopum accedentes, petierunt electionem, quam fecerant, [k] confirmari, licèt à ſolo Præpoſito, & poſt appellationem facta fuiſſet. Sed quoniam indebitus electionis proceſſus Archiepiſcopo antea innotuerat, petitioni eorum non annuens, quendam de fratrib. ſuis ad inueſtigandum electionis proceſſum Saonam direxit: ſed cùm teſtes producerentur coram eo, & poſtularetur, vt nuntium ipſum pariter procurarent; pars aduerſa iamdictum Archiepiſcopum, altera verò Sedem Ap. inuocauit: ſed cùm ad mandatum nuntij partes Mediolanum iuiſſent apoſtolos petituræ ab Archiepiſcopo, vt ad pacem redirent fuêre monitæ diligenter, cuius arbitrio Præpoſitus ſe ſtare velle conſtanter aſſeruit, ſi hoc & ipſum faceret pars aduerſa; quod deliberato conſilio præfatus Subdiaconus repromiſit. Poſt hæc reuerſi ad propria, & demùm ab Archiepiſcopo euocati, Archipreſbyter pro parte altera de rato, vt dicebat, litteris præmunitus, ipſe verò S. pro parte ſua Mediolanum acceſſit, iterum ab eo in Archiepiſcopum [l] compromiſſo: ipſe habito fratrum noſtrorum conſilio, Magiſtrum B. Mediocen. Canonicum eis dedit in Epiſcopum, & etiam confirmauit, quem in

Saonen.

Saonen. Ecclesia præsente Clero, & populo Ciuitatis, adhibitis solemnitatibus consuetis electum publicè nuntiarunt, cui Archiepiscopus, Præposito Sed. Apostolicam prouocante, consecrationis munus distulit impertiri. *Et infrà*: Postquam igitur coram præfatis auditoribus fuit super his, & similibus disputatum, qui nobis ea sufficienter ac fideliter retulerunt; quoniam de ipsis nobis non potuit fieri plena fides, causam ipsam vestro duximus examini committendam, disc. vestræ per A. s. m. quat. cùm constet electionem de Præposito memorato à maiori, & saniori parte Capituli celebratam, fuisse publicatam etiam, & subscriptam, si dictus Præpositus eidem electioni consenserit, vt per mutuum consensum eligentium & electi quasi [m] coniugale vinculum spiritualiter sit contractum, nisi sufficienrer sit ostensum eundem Præpositum morbo epileptico laborare, super quo contra ipsum dicit appellatum; vos non obstante appellationis obiectu, si qua forsan ex aliis causis superiùs memoratis proponitur interposita; cùm ex iis, quæ coram nobis allegata fuerunt, eas appellationes certâ ratione friuolas repuiemus: electionem ipsius nostra freti auctoritate, sublato cuiusc. contradict. & ap. obstaculo confirmetis, non obstante, quod post talem electionem à præfato Archiepiscopo proponitur esse factum, etiamsi à partibus in eum fuerit compromissum; cùm electores à tali electione sic nequiuerint [n] resilire. Quod si electores illius non compromiserint in Archiepiscopum memoratum, & si dictus Præpositus nondum electioni factæ consenserit, eo tamen consentire volente, dummodo à morbo sit immunis obiecto, vos electionem ipsius nihilominus confirmetis.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 6. sed loco ipsius verbi *Placentino*, legendum est *Papiensi*; quod manifestum fit, si obseruetur Placentinam Ecclesiam esse Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Bononiensis, cuius originem & progressum refert Vghellius *tom.* 2. *Italiæ sacræ*, *fol.* 244. eius mentio fit *in cap. cùm causam* 6. *de iuramento calumniæ*, *cap. fraternitatis* 17. *cap. cùm causam* 37. *de testibus*, *c.* 4. *de decimis*: quæ Ecclesia cùm admodum distet à Ianuensi, & Bobiensi, non poterat causa Episcopatus Saonensis committi Præsuli Placentino valdè remoto ab aliis duobus coniudicibus.

2. GENVA VBI. b *Ianuensi.*] Ciuitas vulgò Genua dicta, sita est in Italiæ prouincia, iuxta mare, vbi incipit Apenninus mons: aliquando dicitur Genua, aliquando etiam Ianua, vt notant Atlas Maior *in eius descriptione*, Petrus Bizarrus *in historia Genuensi lib.* 1. *in princip.* Dicitur Genua ab aliquibus à genu, quia habet recuruum, tanquam genu à latere maris; vel à Genuo Saturni filio eius conditore, vt probat Iacobus Bracelus *in Liguriæ descript.* Ianuam alij appellant à Iano Italorum Rege, à quo conditam esse existimant, & probant Næuicensis & Vuillelmus eius scriptores, Anonymus de Armenis, contra Spondanum pro ipsa ciuitate. Genuensem Ecclesiam Episcopalem, in Archiepiscopalem & Metropolitanam erexit Innocentius II. vt ex eius actis constat, relatis à Bosqueto *ad Innocent. III. lib.* 3. *epist.* 158. ibi: *Genuensem verò Episcopum à subiectione Mediolanensis emancipauit*], *& specialem de nouo Metropolitanum Sedis Apostolicæ Episcopum constituit*, *cui Bobiensem Episcopum*, *& Portiniacensem Abbatem*, *quem creauit Episcopum*, *obedire præcepit.* Huius Ecclesiæ mentio fit *in cap.* 3. *de testibus cogendis*, *cap. illud*, *de præsumpt. cap. quemadmodum* 25. *de iureiur. cap. ad hæc* 30. *de appellat. cap. per vestras*, *de donat. inter*, vbi notabimus.

3. PAPIA VBI. c *Papiensi.*] Papia Insubriæ Clarissima ciuitas, ad flumen Ticinum sita est: eius discriptionem tradunt Volaterranus *lib.* 5. *Geographiæ*, Hieronymus Vossius *in annal. Papiensib.* & ex illis Vghellius *tom.* 1. *Italiæ*. Iam à primis sæculis Cathedram Episcopalem habuit, nullius Metropol. arbitrio parentem, sed tantùm R. Sedi subiectam, variis priuilegiis decoratam. Hormisdas Pontifex vsum Pallij Papiensibus Episcopis concessit: Ioannes VIII. potestatem gestandi crucem fecit: alij Pontifices ius vocandi ad Synodum Archiepiscopos Mediolanen. & Rauennat. concesserunt, vt ex Baronio notat, & refert Vghellius *vbi suprà*. Rodouado huius Ecclesiæ Episcopo missa est præsens decisio.

4. d *Bobiensi.*] Bobium ciuitas est Liguriæ intra Apenninos montes, inter Genuam & Placentiam, cuius originem referunt Gaudentius Merula *de antiquit. Galliæ lib.* 2. *cap.* 1. ex Blondo & Volaterrano Tamayo de Salazar *tom.* 1. *martyrolog. Hisp. die* 2. *Ianuarij*. Episcopali Sede iam diu fuit decorata, vt refert Georg. Leander *in eius historia.*

5. e *Saonensis.*] Saona, siue Sanona, est ciuitas inter Ianuam & Mediolanum: septem milliaribus distat à Genuensi, vt refert Iacobus Bracellus *vbi suprà*. Paret Archiepiscopo Mediolan. vt suffraganea, vt constat ex subscriptionibus Conciliorum Mediolan.

6. f *I. Albanensem Episcopum.*] Ioannem videlicet, cui aliam misit epistolam Innocentius *lib.* 13. *regest. epist.* 129. cuius Episcopi vitam, patriamque refert Vghellius *tom.* 1. *Italiæ*, *de Albanens. Episcop. num.* 37. Ipse Albanensis Episcopatus immediatè subiectus est R. Ecclesiæ, vt eius originem & historiam referens tradit Vghellius *tom.* 1. *Italiæ.*

7. g *S. Marcelli.*] Inter alios titulos Cardinalium Presbyterales refert Cohelius *in sua notitia*, titulum S. Marcelli.

8. h *Appellationes.*] Quando electio facta, post appellationem celebrata, sustineatur, dixi *in cap. consideranimus*, *cap. cùm nobis*, *hoc tit.*

9. i *Sigillum.*] De sigillo Capitulari nonnulla dicam *in cap. dilecta*, *de excessibus Prælat.*

10. j *Mediolanen.*] De Mediolanensi Ecclesia egi *in cap. cùm adeo* 17. *de rescriptis.*

11. k *Confirmari.*] Iam sæpius monui *in hoc tit.* confirmationem Episcoporum olim ad Archiepiscopos spectasse.

l *Compromisso.*] Super electione, & lite inde subortâ compromitti posse probabimus *in cap. ex parte* 10. *de arbitris.*

12.

m *Coniugale vinculum.*] Non quia per consensum tantùm eligentium, & electi detur verum coniugium, sed tantùm initiatur, *cap. inter, de transiat. Episcopi*, docet Barbosa *de iure ecclesiast. lib. 3. cap. 15. num. 30.* dicemus *in dict. cap. inter.*

13.

n *Resilire.*] Contrarium procedit in postulatione, à qua postulantes resilire possunt, quia ius postulato adquisitum non est per postulationem, sicut electo post electionem, vt post antiquiores in præsenti notauit Barbosa *dict. lib. 3. iuris eccles. cap. 15. num. 30.*

14.

COMMENTARIVM.

15. CONCLVSIO TRADITVR.

EX hoc textu varias repetentes deducunt assertiones; ego verò vt antiquorum commentaria omittam, istam disputandam selegi: *Morbo epileptico laborans in Episcopum eligi non potest.* Probant textus *in cap. communiter, dist. 33.* quem tam Gratianus, quàm Carnotensis perperam tribuunt Pio Papæ, cùm constet esse transcriptum ex Concilio Toletano 11. *can. 13. cap. in litteris, cap. nuper, c. illud 7. quæst. 1. cap. finali, versiculo Non enim 15. quæst. 1.* Illustrant Parisius *de resign. benefic. cap. 6. num. 105.* Duarenus *lib. 4. de sacris, cap. 4.* Selua *de benef. 3. part. quæst. 5. num. 32.* Corrasius *de sacerd. part. 3. cap. 6. num. 6.* Pelagius *de planctu Ecclesiæ cap. 48. versiculo Epilepsia*, Gregorius Lopez *in l. 24. tit. 5. part. 1.* plures relati à Valenzuela *tom. 1. consil. 25. per totum*, Maiolus *de irregul. lib. 2. c. 16.* Vgolinus *eod. tract. cap. 54. §. 1.* Sayrus *eod. tract. lib. 6. cap. 9.* Gibalinus *eod. tract. cap. 3. consect. 8.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 14.* Garcia *de beneficiis 7. part. cap. 12. num. 20.* pluribus relatis Leander *de irregul. tract. 2. disput. 4. quæst. 77.* latè Paulus Zacchias *quæst. Medicolegal. lib. 2. tit. 1. quæst. 14.* & *lib. 8. tit. 1. quæst. 5.* & *consilio 117. & 159.*

16. RATIO DVBITANDI.

Sed licèt hæc assertio vndique munita in tutissima sit canonicæ sapientiæ arce constituta, & aduersantia tela despicere videatur; tamen insurgunt aliqua, quæ radicitus ipsam euertere conantur, & primum ministrat sequens consideratio. Nam si morbo epilepsiæ laborantes eligi in Episcopum non valerent, maximè quia sacra munia obire non possent, ne detur beneficium illi, qui officij exercitium non habet, iuxta textum *in cap. ex litteris, de excessib. Prælat.* sed epileptico morbo laborantes possunt Missam, & alia diuina officia celebrare, *cap. illud 7. quæst. 1.* in illis verbis: *Vbi temporis, vel loci, siue cleri copia suffragatur, habeat quisquis illic canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adiutorem, vt si aliquo casu ille qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat qui eius vicem exequatur intrepidus.* Ea verba, *in terram elisus*, omnes accipiunt de epilepticis: sed Patres Concilij Toletani testantur, posse eos sacrificium, & diuina officia celebrare: ergo epileptici eligi in Episcopos valent. Secundum vibrat telum illud ratiocinium: Nam licèt electus in nostra specie aliquando epileptico morbo laboraret, tamen cùm ea, quæ à morbo naturali non procedunt, perpetua non præsumantur, argumento textus *in lege spadonem 15. §. qui absolutus, ff. de excusat. tutor.* præsumi non valebat ipsum in eadem infirmitate permansurum, & sic ineligibilem esse.

Hucusque Innocentio bellum indiximus, non spe victoriæ, sed vt eius oppressâ veritate dubietate concertationis, obiectionum spoliis splendidiùs posteà triumpharet: igitur vt triumpho via sternatur, aliqua sunt præiacienda. Primò sciendum est, epilepsiam dici apprehensionem, ex eo quod mentem apprehendat, corpusque possideat: fit ex humore melancholico, quoties exuberauit, & ad cerebrum conuersus est; quæ passio quamplurimis nominibus solet explicari: appellatur morbus comitialis, *l. 53. ff. de ædilitio edicto*, eo quod comitia interrumpebat. Alex. ab Alex. *lib. 4. Genialium, cap. 3.* Perotus *in cornucopia pag. 565.* ibi.

17. EPILEPSIA QVID.

Est subita species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri à nobis suffragia iusta recusat.
Sæpè etenim membris acri languore caducis,
Concilium populi labes horrenda dirimit.
Ipse Deus memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum talis, quem sæpè ruina profundit.

Illustrant Nicolaus Cruchius *lib. 1. de comitiis Romanorum, cap. 4.* Bodinus *lib. 3. de repub cap. 6.* Brissonius *verbo Comitialem*, Iulius Lauorus *lib. de comitiis, cap. 7. num. 7.* Dicitur etiam morbus caducus, quia eo affecti, sæpiùs in terram cadunt: plura Valenzuela *consil. 25. num. 11.* Dicitur Herculeus, quia fertur Herculem eo laborasse. Rauisius Textor *p. 1. officinæ, cap. 58.* Vocatur etiam lunaticus ex eo, quia singulis mensibus infirmus in morbum relabitur. Dicitur morbus sonticus à Plinio *lib. 36. historiæ, cap. 19. l. vlt. ff. de ædilitio edicto, l. morbus 113. ff. de v. s.* Et morbus magnus ab Hippocrate *lib. 6. epidim. sect. 6. textu 7.* & aliis nominibus explicatur, de quibus Zacchias *dicto tit. 1. quæst. 14.*

18. EPILEPSIA DVPLEX.

Secundò sciendum est, epilepsiam duplicem esse, aliam grauiorem, aliam mitiorem: grauior epilepsia est, aut ratione assiduitatis, quia in singulis nouiluniis & pleniluniis, & in lunæ quadratis contingit; aut ratione durationis, aut ratione contorsionis membrorum, cùm tanta contorsio partium contingit, vt penè impossibile videatur ita euenire, vt de quodam presbytero hac passione prehenso, qui tantâ partium faciei distorsione affligebatur, vt os ipsum ad pectoris clauiculas vsque distorqueretur, refert Paulus Zacchias *dicto lib. 8. tit. 1. quæst. 5.* Alia est epilepsia mitior, de qua latè Zacchias *dict. quæst. 5.* Tam grauiore, quàm mitiore laborans, non valet ad sacros ordines ascendere; hoc tamen discrimine adhibito, vt qui vehementissimè corripiuntur, subitò cadunt, spumant, & colliduntur, non solùm sint omnino irregulares, verùm nec in susceptis ordinibus ministrare valeant, vt docetur *in cap. in tuis 7. quæst. 1.* illi verò, qui mitiùs corripiuntur, non furiosè, & quædam præbent signa aduentus illius passionis, ex dispensatione Episcopi in susceptis ministrare possunt. Docet Leander *dict. quæst. 77.* qui alia dubia moralia, quæ in hac parte adduci solent, resoluit.

19. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm ad Episcopatus, & dignitates ecclesiasticas non possint eligi, nisi qui idonei reperiuntur, *cap. cùm in cunctis, hoc tit. cap. super ordinata, de præbendis, cap. significasti, de iurepatronat.* Lambertinus *de iurepatron. lib. 2. part. 1. quæst. 7. art. 27. num. 3.* ille autem solùm dicatur ad Episcopatum idoneus, qui eius munia valet obire, *dict. cap. super ordinata, cap. ex litteris, de excessib. Prælat.* omnes enim humani actus regulantur, & vim accipiunt ab habilitate eorum, quorum concursus

curſus deſideratur, *l. cùm te, C. de donat. propter, cap. cùm ſuper, de officio deleg. cap. ad hæc 6. de appellat.* ideo epileptico morbo laborans, ineligibilis eſt, quia cùm ſit irregularis, propter corporis vitium, ratione illius morbi, quo affligitur, non poteſt ad ſacros ordines aſcendere, & per conſequens Eiſcopalia munia obire. Rectè ergo in præſenti deciditur, epileptico morbo laborantem non poſſe in Epiſcopum eligi, immò ſi de facto eligatur, electio nullius momenti erit. Docent Valenzuela *d. conſilio 25. num.* 8. Selua *de beneficiis 3. p. quæſt. 5. num.* 32.

20. EXPONITVR CAP. ILLVD 7. QVÆST. I. Nec dubitandi ratio ſuprà adducta aduerſatur; negamus enim epilepticum poſſe Miſſæ ſacrificium celebrare: nec contrarium probat textus *in dict. cap. illud*, quem accipiunt Maiolus *dict. lib. 2. cap. 16.* Sayrus *d. lib. 6. quæſt. 8. num. 11.* Roſella *in ſumma, verbo Initiatus*, de eo epileptico, qui nec frequenter colliditur, nec ſpumat; illum enim aſſerunt celebrare poſſe in præſentia alterius ſacerdotis. Sed eos refellunt Vgolinus *de cenſuris cap. 54. §. 1. num. 3.* Gibalinus *de irregul. cap. 3. conſect. 8.* ex eo, quia textus ille generaliter loquitur de quocumque ſacerdote, qui ſecum alium habere debet, vt cœptum ſacrificium perficiat, ſi fortè immineat aliqua neceſſitas: quare hac ſolutione omiſsâ, alio modo textum illum eſſe accipiendum exiſtimo, aſſerendo deciſionem illam procedere in quolibet ſacerdote rectâ valetudine fruente; ille enim etiamſi aduersâ valetudine captus non ſit, debet ſecum alium habere, ob periculum imminens, quia ſubitò poteſt in terram elidi, aut alio morbo capi, itaut cœptum ſacrificium perficere non poſſit; quem preſbyterum adiutorem appellant Æthiopes, vt patet ex auctore Miſſæ illorum, qui reperitur *6. tomo Bibliothecæ veterum Patrum*, in hæc verba: *Diaconus: Flectite genua. Populus: Ante te, Domine, flectimus, & te laudamus. Coadiutor ſacerdotis ſequitur orationem.* Igitur textus *in dict. cap. illud*, referendus eſt ad veterem Eccleſiæ morem, cùm antiqui religionis chriſtianæ cultores, ne diuinus cultus detrimentum pateretur, ſtatuerunt, vt preſbytero Miſſam celebranti plerumque alius preſbyter adeſſet, qui vel defuncti, vel grauiori caſu præpediti ſacerdotis vicem expleret, vt docet & illuſtrat Vicecomes *de ritibus Miſſæ tom. 3. lib. 1. cap. 21.* Illud etiam omittendum non eſt, falsò textum illum tribui Sotero Pontifici ab Ivone *2. part. Decreti, cap. 126.* Burchardo *lib. 3. decreti, cap. 73.* cùm deductus ſit ex Concilio Toletano *11. can. 14.* Nec augmentum difficultatis obſtat, ſiue ſecunda conſideratio; nam potiùs ſemel epilepticus creditur ſemper laborans eo morbo, donec contrarium probetur. Gloſſa *verbo Solummodò*, in hoc textu, Valenzuela *dict. conſil. 25. num.* 34. Vnde varij excogitantur modi, quibus cognoſcatur epilepticum liberatum eſſe, licèt eos admodum fallibiles dicat Zacchias *dict. lib. 8. q. 5.* & nos infrà dicemus. Cùm ergo in præſenti caſu non conſtaret epilepticum liberatum eſſe ab ea paſſione, rectè aſſeritur in Epiſcopum eligi non poſſe.

21. EXPONITVR CAP. 1. 7. Q. 2. Superiori aſſertioni primò opponitur textus *in cap. in tuis 1. 7. q. 2.* vbi cùm quidam clericus morbo epileptico laboraret, Epiſcopus Vvibarienſis conſuluit Alexandrum I I. vtrum illi permittendum eſſet Miſſæ ſacrificium celebrare? Cui conſultationi Pontifex reſpondit, quod ſi prædictus ſacerdos eo modo laborabat, ab oblatione & Miſſarum celebratione modis omnibus arceatur, ſi frequenter eâ paſſione vexabatur. Ex quo textu deducitur, epilepticum, qui frequenter non vexatur eo morbo, aut colliditur, poſſe Miſſam celebrare; neque ex eo, quod in epilepſiam inciderit, priuari ſtatim diuinorum officiorum celebratione, cùm languor in culpa non ſit: igitur ſimiliter in præſenti caſu preſbyter, qui adeò rarò vexabatur vt aliqui affirmarent eum ſanum eſſe, poterat diuina officia celebrare, & per conſequens eligi in Epiſcopum. Pro cuius textus expoſitione dicendum eſt, morbo epileptico ſemel laborantem, etiamſi in terram non frequenter cadat, aut collidatur, nihilominus celebrare non poſſe, donec appareat eum ſanum eſſe: nec contrarium docet Alexander II. *in dict. cap. 1.* quia tantùm decidit, quod ſi ſanus ſit, quia languor in culpa non eſt, admittatur ad Miſſæ ſacrificium offerendum; ſi autem ſanus non ſit, neutiquam admittatur: ſanum autem eſſe, vel non, cognoſci poſſe ſupponit Pontifex ex frequentia lapſus in morbum; & ſi per aliqua interualla vexatus non ſit, non tamen ſtatim dicetur eum ſanum eſſe: itaque nunquam Alexander decreuit, vexatum epileptico morbo, etſi rarò, Miſſam celebrare poſſe. Quod adſtruitur primò ex ratione deciſionis ab ipſo Pontifice adducta ibi, *Indecens enim & periculoſum eſt, vt in conſecratione Euchariſtiæ morbo epileptico victus cadat.* Quæ ratio etiam militat cum rarò vexato, quia tempore ſacrificij cadere poteſt. Secundò ex poſterioribus verbi ipſius Alexandri, ibi: *Si verò conualuerit Dei miſericordiâ, quandoquidem non culpa, ſed infirmitas eſt in cauſa, eum ſacrificare non interdicimus.* Vbi tunc ſacrificare illi permittit Alexander, cùm conualuerit; ſupponit enim afflictum hoc morbo, ſiue frequenter, ſiue rarò, non poſſe Miſſæ ſacrificium celebrare. Docuit Gibalinus *dict. cap. 3.*

22. EXPONITVR CAP. FINALE, 7. Q. 2. Secundò præſenti aſſertioni opponitur textus *in cap. finali 7. quæſt. 2.* vbi proponitur, ſacerdotem & alios parochianos coram R. Pontifice comparuiſſe, propoſuiſſeque ſuum Epiſcopum morbo caduco, id eſt epileptico, laborare, ita vt frequenter in terram collideretur: quibus auditis Gelaſius Pontifex reſcripſit Ruſtico, & Fortunato Epiſcopis, vt diligenter inquirerent, vtrum prædictus Epiſcopus aliquando in domo, vel in proceſſione, alióve quocumque loco fuiſſet frequenter collapſus, voceſque dediſſet confuſas, & ſpumas ore iactaſſet: & ſi id cognoſci, aut probari non poſſet, cum eo ſimul habitent per triginta dies, vtendo indiſtinctè omnibus alimentis vſquequò cognoſcatur, verá-ne, an falſa ſit parochianorum conqueſtio. Ex quo Gelaſij reſponſo triplex inſurgit difficultas contra hucuſque tradita. Prima ex illis verbis, *voceſque dediſſe confuſas, & ſpumas ore iactaſſe.* Ex quibus depromitur, eum tantùm Epiſcopum, qui colliditur, & ſpumas iactat, miniſtrare in Eccleſia non poſſe: igitur ſi hæc non patiatur, tantùm ob morbum epilepſiæ non arcetur à diuinis officiis, & per conſequens in præſenti textu epilepticus, qui hæc non patiebatur, poterat eligi in Epiſcopum. Secunda naſcitur ex illis verbis, *triginta diebus tecum eſſe conſtituas.* Ex quibus deducitur, triginta dierum ſpatium aſſignari ad cognoſcendum, vtrum epilepticus liberatus eſſet ab ea oppreſſione; cùm *in cap. communiter, 33. diſt.* ſtatuatur vnius anni tempus eſſe expectandum. Tertiam continent difficultatem illa verba, *Ac carnibus indifferenter vti compellas:* ad quid enim deſideratur, vt omnibus carnibus

carnibus vtatur epilepticus, vt cognoſcatur, an ſanus ſit, vel-ne? Quibus difficultatibus vt ſuo ordine & ſigillatim ſatisfaciamus, primæ reſpondendum eſt negando conſequentiam; nam præterquam quod argumentum à contrario ſenſu deductum, cùm ſequitur abſurdum, non admittitur, in eo textu tãtùm proponebatur, vtrum Epiſcopus coram R. Pontifice denunciatus reuerà laboraret morbo epileptico, quod diligenter inquiri iubet Gelaſius, & ſigna quibus id cognoſci valeat, refert; non autem affirmat, Epiſcopum confuſas voces non proferentem, aut ſpumas non iactantem, poſſe diuina officia celebrare, ſi verè morbo epileptico laboret. Secundæ difficultati ſatisfaciendum eſt diſcrimen conſtituendo inter tempus aſſignatum ad cognoſcendum vtrum morbus comitialis ſit, an verò dæmonis vexatio; & inter tempus præſcriptum ad cognoſcendum, an liberatus & ſanus ſit, qui eo aliquando vexatus fuit. Primo caſu anni tempus præſcribitur *in dict. cap. communiter*; ſecundo verò caſu triginta dierum ſpatium aſſignatur, quo caſu procedit textus *in dict. cap. finali*, docet Maiolus *dict. cap.* 16. *num.* 5. Tertiæ etiam difficultati reſpondendum eſt, omiſsâ Gloſsâ *in dict. cap. finali*, quæ affirmat, in eo caſu Epiſcopum vti debere omnibus carnibus, quia hœdinæ carnes prouocant dæmones; dicendo omnium carnium vſum Epiſcopo illi iniungi, quia hœdinæ carnes & ſimiles morbum epilepticum augent, vt latè probant Maiolus *dict. cap.* 16. *num.* 8. Paulus Zacchias *dict. quæſt.* 5. Quare vt cognoſcatur, vtrum Epiſcopus epileptico morbo laboraret, iubet Gelaſius vt omnibus carnibus indiſtinctè vteretur, & veſceretur.

CAPVT XXII.

Idem [a] *Prænestino Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato.*

DVdum ad audientiam noſtram quæſtione prolatâ, quod vacante [b] Præpoſiturâ [c] Colon. Eccleſiæ, in duo ſe vota eligentium diuiſiſſent, cauſam ſuper his dil. f. N. de Lacu, & I. de Clauſtro, & G. de Valle Sancti Pan. Heſterbarch. [d] Abbatib. ſub eo tenore duximus committendam, vt auditis quæ proponerentur hinc inde, ſi de partium procederet voluntate, diffinitiuam ſententiam promulgarent, alioquin cauſam ſufficientur inſtructam ad noſtram remitterent audientiam, ſtatuentes partibus terminum competentem, quo per ſe, vel per [e] reſponſales idoneos ad Ap. Sed. accederent ſententiam recepturæ. Ipſi verò mandatum Apoſtolicum fideliter exequi cupientes, partes ad ſuam præſentiam conuocarunt, receperunt teſtes hinc inde productos, examinarunt eligentium conſcientias, audierunt allegationes vtrimque: & quoniam Præpoſitus [f] S. Georgij eorum ſententiæ ſe tandem aſſeruit nolle ſtare, depoſitiones teſtium hinc inde receptas, & allegationes partis alterius ſub ſigillis ſuis ad Sed. Ap. deſtinarunt, partibus feſtum beati Michaelis tunc primò venturum, veniendi ad Sed. Ap. terminum præfigentes. *Et infrà*: Cumque nuntij Præpoſiti [g] ſanctorum Apoſtolorum ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, Præpoſitus ſancti Georgij nec venit, nec miſit idoneum reſponſalem. *Et infrà*: Viſis ergo atteſtationibus, & geſtis iudicum diligenter inſpectis, inuenimus, quod pro Præpoſito Sanctorum Apoſtolorum auctoritas, pro Præpoſito verò ſancti Georgij numerus eligentium faciebat, cùm primus à XIV. tum [h] perſonis, tum Canonicis, qui alios dignitate, & ætate, & tempore præcedebant; ſecundus verò à XXIV. fuiſſet electus. Obiiciebatur autem Præpoſito ſancti Georgij minor ſcientia', defectus ætatis, & quod in minoribus ordinibus erat conſtitutus. Vnde cùm Præpoſituræ illi eſſet Archidiaconatus annexus, nondum erat ei dignitas conferenda, ratione cuius cogebatur infra præfixum à canonibus [i] ſpatium in Diaconum promoueri. Proponebatur autem pro altero, quod erat vir ætate, ſcientiâ, & moribus commendandus. Vnde meliori ducti zelo propter hoc electores ipſius in eum ſe confeſſi fuerant conueniſſe, & non ſolùm ſui, ſed etiam quidam alterius electores eum prudentiorem eſſe, præſertim in ſpiritualibus, aſſerebant; quamnis alium magis vtilem, maximè circa temporalia, propter potentiam fuerint proteſtati. Cùm autem allegationes pro eodem Præpoſito S. Georgij coram iudicibus ipſis propoſitæ; nobis non fuerint præſentatæ, propter quod non potuimus ſcire per nos quod obiecerint, vel quod reſponderint ad obiecta; ſicque cauſa remiſſa non fuerit ad nos ſufficienter inſtructa, ad diffinitiuam ſententiam non duximus procedendum, ſed deciſionem ipſius cauſæ dil. fil. ſancti *j* Gedeonis, & S. Seuerini Præpoſitis, & Decano [k] Bruen. ſub ea forma potiùs committendam, vt vel ſi notorium eſſet, vel per ea, quæ iam dicta erant conſtaret, quod Præpoſitus S. Georgij in electionis tempore pateretur, vel in Ordinibus, vel in ſcientia, vel ætate defectum, qui eum iuxta ſanctiones Canonum impedirent ad huiuſmodi officium promoueri, ei ſubl. ap. ob. non obſtante ipſius [l] abſentiâ corporali, ſilentium imponentes,

tes, Præpoſito Sanctorum Apoſtolorum præpoſituram adiudicarent eandem, & eum in poſſeſſionem corporalem mittentes, eum pacificâ facerent poſſeſſione gaudere. Alioquin cùm in eum non ſolùm plures, ſed duæ penè partes conuenirent, & impedimentis ceſſantibus appareat, quod eum bono zelo elegerunt, Præpoſiti ſanctorum Apoſtolorum electione caſſatâ, ap. ceſſ. auctoritate noſtra ſuffulti electionem confirmarent ipſius, & ei facerent Præpoſituram aſſignari prædictam, & de cætero tanquam Præpoſito reſponderi.

NOTÆ.

1. a *Prænestino.*] Ita legitur in hac ſexta collectione, & in tertia *ſub hoc tit. cap.* 7. ſed ita ſupplenda eſt ex hiſtoria illius temporis: *Idem Guidoni Archiepiſcopo Rhemenſi, & Cardinali Epiſcopo Prænestino, Apoſtolicæ Sedis Legato.* Guido iſte ab Innocentio III. Legatus miſſus fuit in Galliam, & tunc profectus in Coloniam, vbi noſtri textus caſus contigit, & etiam textus ſequentis, qui ex his accipit lucem. De hac legatione ita refert Abraham Bzouius *anno* 1206. *num.* 25. *Hoc eodem anno Innocentius Pontifex Guillelmum Comitem Bleſenſem, Archiepiſcopum Rhemenſem, Epiſcopum Cardinalem Prænestinum, Legatum in Germaniam in cauſis grauiſſimis deſtinauit, & inter alia negotia, quæ Coloniæ profectus egit, ſchiſma poſt Conradi Cardinalis Sabini mortem in Eccleſia Moguntina exortum tulit, cùm Leopoldum ex Vvarmatienſi Epiſcopatu à Philippo Rege intruſum reprobaſſet, & Sigofridum à minori Canonicorum parte electum confirmaſſet.* Eâ legatione ſummo cum honore perfunctus, totius Galliæ Legatus à latere factus, paulò poſt ex humanis exceſſit, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ Chriſt. fol.* 519. Plura de eius legatione Illuſtriſſimus Manrique *tom.* 3. *annalium, prædicto anno* 1206. *n.* 1. huius Cardinalis mentio fit *in cap. ſequenti*, & *in c. cùm dilecti* 6. *de dolo & contumacia, cap. in cauſis* 19. *de re iudicata.*

2. b *Præpoſitura.*] Adolphus de Altenao Brunonis frater, poſt fratris reſignationem in Archiepiſcopum Colonienſem aſſumptus eſt, qui poſteà iuſſu Innocentij III. per Archiepiſcopos Moguntinum, & Cameracenſem depoſitus fuit anno 1205. vt refert Merſelus *in annal. Archiep. Colon. fol.* 67. Iſte Adolphus Præpoſitus Colonienſis erat, vnde per aſſecutionem Archiepiſcopatus vacauit dicta Præpoſitura, quia vt probaui *in cap. cùm in cunctis* 7. §. 1. *hoc tit.* per adeptionem Epiſcopatus vacant omnia beneficia antea obtenta.

3. c *Colon.*] Malè in hac ſexta collectione legitur Colocen. cùm Colocenſis Eccleſia ſit in Vngaria, vbi Legatus Prænestinus nunquam peruenit. De ea Eccleſia egi *in cap. bonæ* 4. *de poſtulat. Prælat.* Cùm ergo Colonienſis Eccleſia ſit in Germania, vbi Cardinalis Prænestinus Legationis officio fungebatur, rectè retinemus *Colon.*

d *Abbatibus.*] Non autem delegata fuit hæc cauſa Archiepiſcopo Colonienſi, quia his temporibus, & per duodecim annos valde turbatum erat illius Eccleſiæ regimen, depoſito Adolpho. 4.

e *Reſponſales.*] Id eſt procuratores, vt ſæpè ſæpiùs notaui in his Commentariis.

f *S. Georgij.*] Eſt Eccleſia in ipſa ciuitate Colonienſi ſub titulo S. Georgij.

g *Sanctorum Apoſtolorum.*] Sanctus Herebertus Coloniæ erexit Baſilicam ſub nomine Sanctorum Apoſtolorum, quam Pilligrinus Colonienſis Archiepiſcopus auxit, & 40. canonicatibus dotauit, de qua Eccleſia agit Merſelus *vbi ſuprà, fol.* 45. Huius Eccleſiæ Præpoſitus electus fuit in Præpoſitum Colonienſem.

h *Perſonis.*] Perſonæ quæ dicantur in iure canonico, expoſui *in cap. ad aures* 8. *de reſcriptis.*

i *Spatium.*] Quod ſit hoc tempus à canonibus præſcriptum, expoſui *in cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora, hoc titulo.*

j *S. Gedeonis.*] Legendum eſt S. Gereonis; eſt enim Coloniæ celebre templum S. Gereoni primo Epiſcopo illius Eccleſiæ dicatum à S. Helena, vt teſtantur carmina quæ ante valuas ipſius Eccleſiæ inſculpta ſunt. 5.

Regibus exemplum, ſacroque chariſmate plena
Condidit hoc templum S. Gereonis Helena,
Pagana nata Iudæa fit, inde renata
Inuentrix ſanctæ Crucis almo Pneumate flante
Septuaginta duo Collegia fundat amœna,
Dotans perpetuò Conſtantis mater Helena.

k *Bruen.*] Legendum *Bremenſi*, quæ Eccleſia eſt in Germania, hodie Archiepiſcopalis, olim verò ſuffraganea Eccleſiæ Colonienſis, vt notat Cironius *in c.* 1. *de ſacramentis non iterandis, in* 5. *collect.* 6.

l *Abſentia.*] Cùm enim fuiſſet citatus & contumax, iuſtè potuit etiam abſens damnari, *cap. prout, de dolo & contum. cap. quoniam*, §. *porrò, vt lite non conteſt. cap. per tuas* 58. *de appellat.* Docet pro noſtri textus interpretatione Balboa *in cap.* 1. *num.* 89. *de cauſa poſſeſſionis.*

CAPVT XXIII.

Idem *Canonicis* [a] *Maguntin.*

BOnæ mem. C. [b] Maguntin. Archiepiſcopo Sabin. viam vniuerſæ carnis ingreſſo, cùm vota veſtra ſe in varia diuiſiſſent, quibuſdam petentibus [c] Vvarmatien. Epiſcopum, quibuſdam verò ven. f. [d] n. nunc Archiepiſcopum veſtrum, tunc Præpoſitum ſancti P. Magunt. ſibi eligentibus in Paſtorem: dil. fil. Magiſter P. Scholaſticus Magunt. cum quibuſdam aliis pro illis, qui Vvarmatien. Epiſcopum poſtularunt [e] procurator ad Ap. Sed. acceſſit; pro aliis verò dil. fil. E. & R. clerici venerunt, quorum alter inſtitutus fuit procurator. Partibus igitur in noſtra præſentia conſtitutis, & eis in conſiſtorio noſtro diligenter, & ſufficienter auditis, de conſenſu fratrum noſtrorum ven. f. n. [f] Prænestino Epiſcopo Ap. Sed. Leg. dedimus in mandatis, vt ſi eun-

dem Episcopum, quoad temporalia, siue spiritualia recepisse constaret Ecclesiam Maguntin. vel ministrasse in temporalibus, aut in spiritualibus in eadem, provt obiectum fuerat ex aduerso; postulationem factam de ipso subl. cuiusc. ap. obst. irritam nuntiaret, de gratia nostra concedens eidem, vt Vvarmatien. sibi Ecclesiam retineret. Nam de iure communi, quia præter auctoritatem nostram transire præsumpsit, vtraque erat [g] spoliandus, vt & ea careat, quam concupiuit auarè; ac ea, quam superbè despexit: quod si parêre contemneret, vtraque ipsum denuntiaret Ecclesia auctoritate nostra priuatum. Deinde inquireret de electione ipsius Archiepiscopi diligentiùs veritatem; & si ei de vi, quam ipse, & sui [h] metuebant, constaret, eo non obstante, quod post appellationem ad nos interpositam in ipsius fuerat electione processum; cùm alij, qui appellationi ad nos interpositæ non duxerant deferendum, vti contra ipsum hac exceptione non possent; quoniam frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem; vnde nec ab eis posse obiici videbatur, quod idem esset à paucioribus secundùm eorum assertionem electus, cùm ipsi appellationem ad nos legitimè interpositam contemnentes, & præter licentiam nostram recipientes Episcopum memoratum, reddiderint se indignos, electionem Archiepiscopi, dummodò nihil obstaret de canonicis institutis, subl. ap. obst. confirmaret. Quod si nec recepisse prædictam Ecclesiam, quoad temporalia, vel spiritualia, nec in spiritualibus, vel in temporalibus ministrasse Episcopum memoratum constaret, idem Legatus audiret, quæ super postulatione ipsius, & electione Archiepiscopi proponerentur: huiusmodi testes vtrimque reciperet, & eorum depositionibus publicatis vsque ad calculum diffinitiuæ sententiæ procedens, gesta omnia sub sigillo suo ad nostram præsentiam destinaret; statuens partibus terminum competentem, quo Apostolico se conspectui repræsentarent sententiam recepturæ. Licèt autem essent notoria, quæ fuerant contra dictum Vvarmatien. Episcopum, & eius fautores obiecta, prædictus Legatus ad maiorem cautelam multos, & magnos testes recepit, ex ipsius Archiepiscopi parte productos, qui super prædictis deposuere [i] iurati. Vnde ipse iuxta mandati nostri tenorem procedens, postulationem factam de Vvarmatien. cassauit, & electionem Archiepiscopi memorati curauit auctoritate Apost. j confirmare, ipsumque ordinauit in [k] Presbyterum; & tandem Episcopum consecrauit: ipse autem humiliter ad nostram præsentiam accedens, suppliciter postulauit, vt [l] pallium sibi, videlicet insigne pontificalis officij, de consueta Sed. Apost. beneuolentia conferremus. Verùm quidam nuntius ab aduersariis eius ad Sed. Apost. destinatus, ex eorum parte apertas nobis litteras cum pendente sigillo præsentauit, per quas iidem significabant Canonici, quòd prædictus Legatus corruptus pecuniâ iniquam sententiam protulisset, & addebant etiam quod Maguntini ciues pariter iurauerunt, quod eum nunquam haberent in [m] Episcopum, & quod vniuersi clerici, paucis exceptis, suo fauebant electo. Cùm autem super his cœpissemus deliberare cum fratribus nostris, electioni eiusdem Archiepiscopi duo videbantur obstare, videlicet, quod à pauciſſimis, & post interpositam ap. à seipso dicebatur electus; nam cùm postulatio Vvarmatien. Episcopi fuerit præcedentis ap. ratione cassata, Archiepiscopi electio debebat etiam ex eadem causa cassari: sed è contra, sicut superiùs est expressum, qui in appellatione deliquerant, appellationem contra eundem Archiepiscopum non poterant allegare. Poterat quoque dici, quod etsi post appellationem, non tamen contra [n] formam appellationis fuisset electus Archiepiscopus sæpedictus, cùm appellauerit in hac forma, ne Canonici Maguntiæ residentes, sine ipso, & sociis ipsius haberent in electione processum. Nec nocet, quod posset ex parte altera replicari, quia nec ipse, nec socij sui debuerant procedere sine ipsis; quia ipsi ad nos interpositam appellationem contemnendo, reddiderant se indignos, & abusi fuerant iure suo. Vnde cùm in [o] Lateran. Concilio de iis, qui quasdam personas inhibitas eligunt, sit statutum, vt eligendi tunc potestate priuatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio nouerint se suspensos, illis pro longè maiori delicto, tanquam indignis ab electionis potestate cadentibus, penes eundem, ac socios suos tantùm ius remanserat eligendi. Quia si multò pauciores in ipsum conueniſſent, intelligendum est tamen, quod omnes, qui tunc eligere poterant, elegerunt eundem. Contra Legati verò processum hoc facere videbatur, quod dicebat, in loco suspecto, & non citatis Vvarmatien. Episcopo, & eius fautoribus processisse. Porrò iuxta canonicas sanctiones excessus notorius examinatione non indiget, & pro his, quæ à iudice sunt acta, præsumitur, quod omnia ritè fuerint celebrata; quamuis & quod citati non fuerint, non possent de facili comprobare, quia negantis factum secundùm

rerum

rerum naturam nulla est [p] probatio. Cùm etsi quilibet de se posset asserere, quod ad eum citatio minimè peruenisset, singuli tamen vestrûm essent in suo testimonio singulares: ad ipsum quoque Legatum, si voluissent, securè potuissent procuratorem idoneum destinare, sicut nuntium destinarunt, quemadmodum ex ipsorum ad [q] nos directis litteris comprobatur, qui securè ad eundem Legatum accessit, & ad propria remeauit, cùm & ipse Legatus paratus fuerit securitatem omnimodam prouidere, nec obstet, quod idem nuntius dicitur appellasse, cùm appellationi renuntiauerit, & in commissione nostra, quam pars reportauit vtraque, obstaculum fuisset appellationis amotum. Sed nec apparebat etiam, quod contra factum Legati quidquam posset obiicere, ac probare; cùm non procurator sufficiens, sed simpliciter ad nos contra prædictum Archiepiscopum fuisset nuntius destinatus. *Et infrà*: Nos igitur, etsi propter auctoritatem iudiciariam præsumamus pro iis, quæ acta sunt à Legato, illi tamen plus innitimur rationi, quàm quod aduersarij Archiepiscopi ex tribus causis prædictis se vsqueadeò reddiderunt indignos, quod contra eum non debebant audiri. Vnde quod de ipso factum fuerat, non poterat per eos impediri, quin etiam si electores eiusdem pariter deliquissent, vt se reddidissent indignos, ad nos deuoluta fuisset hac vice ordinatio Maguntin. Eccles. quia dictum Archiepiscopum sine iuris iniuria potuissemus eidem Ecclesiæ præficere in Pastorem, præsertim cùm per I. Legatum Ap. Sed. fuisset in Maguntin. Archiepiscopum consecratus. Super his ergo cum fratribus nostris habito diligenti tractatu, de ipsorum consilio cassationem postulationis factæ de Vvormatiensi Episcopo ratam habemus, & electionem Archiepiscopi memorati auctoritate Apostolica duximus confirmandam.

NOTÆ.

1. MOGVNTIA VBI.

a *Moguntin.*] Ita etiam habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 8. Moguntia vt celebris Germaniæ Metropolis refertur à Cornelio Tacito *lib.* 4. *historiæ*, Ptolomeo *lib.* 2. *cap.* 9. Ammian *lib.* 15. Athanasio *apologia* 2. Hieronymo *in epist. ad Gerontium.* Ecclesiâ Cathedrali decoratur à temporibus S. Crescentij Apostoli Germaniæ, à D. Paulo missi, vt refert Bucherus *lib.* 4. *Belgij Romani, cap.* 1. *num.* 14. Inter duas Germaniæ prouincias præcipua est Moguntina, Francici Imperij inclyta Sedes. Gothofridus Viterbiensis *in chron. part.* 17. *de Pipino*, ibi:

Inde Moguntinas patria remeauit od oras,
Regia Francorum quæ tunc erat inclyta sedes.

Tandem S. Bonifacij temporibus Germaniæ primatum consecuta est, vt memoriæ prodidit Marianus Scotus *in Pipino*, ibi: *Pipinus in ciuitate Suessionum à S. Bonifacio Archiep. in Regem vnctus, Regni honore sublimatus est, & deinde ob id post Papam secundus habetur Moguntinus Archiepiscopus vsque in hodiernum diem.* Mariano suffragatur V. Villabaldus auctor vitæ S. Bonifacij, *cap.* 44. ibi: *Decreuerunt iidem Principes (Cardo Magnus, & Pipinus) Ecclesiam Moguntiacensem, quæ priùs alteri subiecta erat, Metropolim omnium in Germania positarum Ecclesiarum efficere, moxque Legatione factâ illud à Præsule Apostolico impetrauere.* Idem etiam referunt Surius *die* 5. *Iunij*, Petrus Kratapolitanus *in catalog. Præsulum ipsius Ecclesiæ.* Plura de hac Metropoli adducunt Philippus Berterius *diatribe* 2. *fol.* 212. Hallierius *de hierarc. iurisd. lib.* 4. §. 34. *fol.* 644. Huius Ecclesiæ Canonicis missa est præsens decretalis, & eius Præsulibus textus *in cap.* 3. *de translat. Episcopi.* In hac epistola, quam se habere MS. testatur Franc. Florens, sequuntur hæc verba: *Nobilem virum Philippum Ducem Sueuiæ moneatis, vt se prædicto Archiepiscopo non opponat, quominus Moguntinam Ecclesiam, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus salubriter valeat gubernare.*

2. b *C. Moguntino.*] Conrado videlicet, Co-

mite de Vvitebachi, fratre Othonis, qui eo quod Octauianum Cardinalem tituli S. Cæciliæ nollet agnoscere pro R. Pontifice, Romæ properauit, & in eius locum suffectus fuit Sabinensis Episcopus, quo defuncto Christianus Comes de Buche electus fuit; & cùm sedisset per 18. annos, decessit anno 1182. & tunc rediit è Roma Conradus iam Episcopus Sabinensis, qui suum Archiepiscopatum gubernauit 17. annis. Vnde intelliguntur verba, quæ sequuntur in nostro textu, ibi: *Moguntin. Archiep. Salin.*

c *Vvormatien.*] Ludolphum videlicet, qui electus fuit ab vna parte Capituli Maguntini.

d *F. n.*] Sifridum, qui secundus Præsul fuit Ecclesiæ Moguntinæ.

e *Procurator.*] Clericum in causa suæ Ecclesiæ posse constitui procuratorem, iam suprà notaui.

f *Prænestino.*] Guidone videlicet, de cuius legatione egi in textu antecedenti.

g *Spoliandus.*] *Cap. Episc.* 12. *quæst.* 1. *cap. quantò, de translat. Episcopi.*

h *Et sui metuebant.*] Vt hæc verba percipiantur, & nostri textus historia comprehendatur, sciendum est, Sifridum Archidiaconum Moguntinum electum fuisse post mortem Conradi ab vna tantùm parte Capituli; ab alia verò parte, suffragante Philippo Imperatore, electus fuit Lupoldus Episcopus Vvormat. hoc schisma tamdiu durauit, quamdiu vixit Imperator Philippus, & ex eo magna illata sunt prouinciis Germaniæ damna. Sifridus in Italiam profectus, Romæ à Pontifice clementer exceptus, Cardinalitiaque dignitate tituli S. Sabinæ donatus, vixit donec Philippus è viuis excessit; eo defuncto Sifridus, cùm hanc obtinuisset epistolam missam Canonicis Moguntin. Moguntiam reuersus, à suis honorificè exceptus, decessit anno 1230. vt referunt Abbas Vrsperg. & Tritemius *in chron.* Arnold. Lubecensis *in supplem. Holmoldi, lib.* 6. *cap.* 3. Petrus Kratapolit. *vbi suprà, fol.* 204. 3.

i *Iurati.*] Aliàs testes producti fidem non faciunt, *cap.* 1. vbi Deo annuente dicam, *de testibus.*

j *Confirmare.*] Quia confirmatio Archiepiſcoporum ad R. Pontificem immediatè ſpectat, vt dixi *in cap. 3. hoc tit.*

4. k *In preſbyterum.*] Cùm antea eſſet diaconus, debuit priùs conſecrari in preſbyterum; quam conſecrationem ex iure diuino ſupponit ordo Epiſcopalis, vt docent, & probant Bellarminus *lib. 1. de ſacramento Ordinis, cap. 7. §. olim*, Marchinus *eod. tract. part. 2. cap. 11. num. 20.* Leander *eod. tract. 6. diſput. 1. quæſt. 13.* pluribus relatis Diana *part. 12. tract. de conſecrat. reſolut. 53.*

l *Pallium.*] Per quod conſequitur plenitudo poteſtatis; *cap. niſi 3. de auctoritate & vſu pallij.*

5. m *In Epiſcopum.*] Quia vt ſuprà retuli, non adhærebat Philippo; ſi autem ob legitimas cauſas populus eum reſpueret, non erat conſecrandus, ne inuitæ plebi præficeretur Epiſcopus, *cap. 2. 62. diſt. cap. ſi fortè, cum aliis, 63. diſt.* Prælatus enim à ſubditis amplectendus, & optandus eſt, vt probat Benedictus Ephtenus in vita S. Benedicti, *cap. 3. num. 10.*

n *Contra formam.*] Et in appellationibus extraiudicialibus non ſufficit poſt appellationem innouare, niſi contra formam appellationis fiat, vt dixi *in cap. conſiderauimus, hoc tit.*

o *Lateranenſi.*] De quo *in cap. cùm in cunctis, §. vlt. hoc tit.*

p *Eſt probatio.*] Latè dicemus *in cap. ad noſtram, de probat.*

q *Ad nos.*] Quia agebatur de electione Archiepiſcopi, qui immediatè paret Rom. Pont. à tempore, quo Bonifacius miſſus à Zacharia fidem collapſam in his partibus inſtaurauit. Vnde ſi vtraque pars Capituli in præſenti caſu indignum eligerent, electio deuolueretur ad Papam, vt notat Franc. Florens *ad hunc tit.* in aliis verò inferioribus officiis electio deuoluitur ad immediatum ſuperiorem, *dict. cap. 7. §. vltimo, hoc titulo.* 6.

CAPVT XXIV.

Idem *Clericis Sanctæ Agathes.*

QVerelam dil. fil. G. tit. [b] ſancti Vitalis, nunc Preſbyteri, tunc S. Mariæ in Acquiro Diaconi Cardinalis, quam [c] œconomus Eccleſiæ veſtræ, cuius idem Cardinalis eſt gubernator, contra P. nunc Preſbyterum, tunc verò Diaconum, ſuper Eccleſia ſancti Saluatoris, [d] quæ dicitur de Cornutis, coram bon. m. præd. n. propoſuit, ipſe nobis in minori officio [e] conſtitutis audiendam & examinandam commiſit. Petebat igitur idem œconomus, vt præfatus Petrus ab Eccleſia S. Saluatoris, quam in præiudicium Eccleſiæ veſtræ, ac iniuriam Cardinalis prædicti præſumpſerat occupare, remoueretur; cùm ipſa Eccleſia ſancti Saluatoris [f] plebano iure pertineat ad Eccleſiam ſanctæ Agathes; petens etiam penſionem XVI. denar. [g] Papien. mon. debitam Eccleſiæ ſanctæ Agathes pro Eccleſia ſancti Saluatoris, & [h] Thermis, ſibi reſtitui de nouo ſubtractam. Prædictus verò P. clericus reſpondebat, quod ipſe nullam iniuriam irrogauerat Card. nec in præiudicium Eccleſiæ ſanctæ Agathes acceperat Eccleſiam ſancti Saluatoris; cùm hæc ad illam nullo iure pertineat: nec aliquam illi debebat reddere penſionem; ſed ipſe per [i] electionem populi, quæ de antiqua conſuetudine ei pertinet, ad eundem A. Card. ſanctæ Suſannæ præſentatus, cui eadem Eccleſia ſancti Saluatoris tanquam Capella ſuo titulo in ſpiritualibus eſt ſubiecta, canonicè fuerat inſtitutus. Cumque ad ſuam aſſertionem probandam vtraque pars teſtes multotiens produxiſſet, nos illos recepimus, & examinauimus diligenter, quorum depoſitionibus publicatis, diſputationem audiuimus ſuper illis: ſed antequam huiuſmodi controuerſia finem accipere potuiſſet, præfatus prædeceſſor n. debitum carnis exſoluit. Demùm vero à nobis vtraque pars cum inſtantia poſtulauit, vt cauſam ipſam decidere dignaremur. Nos igitur atteſtationibus ac inſtrumentis vtriuſque partis diligenter auditis, & pleniùs intellectis, habito fratrum noſtrorum conſilio, prædictum preſbyterum ab impetitione; œconomi veſtri ſuper electione, ac inſtitutione de ſe facta in Eccleſia S. Saluatoris abſoluimus, & ſuper his præfato œconomo ſilentium duximus imponendum. Cúmque per teſtes idoneos nobis conſtiterit euidenter, quod populus quaſi in [k] poſſeſſione præſentandi clericum ad illam exiſtebat, quando prædictum clericum ad illam elegit; & eadem Eccleſia ſpectat ad titulum ſanctæ Suſannæ in ſpiritualibus pleno [l] iure, ſaluâ quæſtione ſuper iurepatronatus inter Eccleſiam veſtram, & populum S. Saluatoris; quia per teſtes omni exceptione maiores fuit liquidò comprobatum, quod penſio XVI. d. Papien. mon. fuit clericis Eccleſiæ veſtræ pro Eccleſia S. Saluatoris, ac Thermis annuatim per multa [m] tempora perſoluta, ſed de nouo ſubtracta; nos in eundem ſtatum percipiendi huiuſmodi de Eccleſia S. Saluatoris, & Thermis, Eccleſiam veſtram decreuimus reducendam, & ad ſolutionem penſionis ſubtractæ condemnauimus Preſbyterum antedictum, ſalua quæſtione [n] proprietatis inter Eccleſias memoratas.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a S. *Agathes.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 9. ex qua textum tranſcribo. Duplex Eccleſia Romæ dicata eſt S. Agathæ, alia quæ in titulum Cardinalis S. Agathæ erecta eſt, alia trans Tyberim, iuxta Eccleſiam S. Chryſogoni, quæ dicata fuit à Gregorio III. anno 731. hodieque eſt collegialis Patrum Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, vt refert Muñoz *de rebus memor. Romæ, pag.* 55.

b *S. Vitalis.*] Preſbyter Cardinalis, qui habebat titulum ab Eccleſia S. Vitalis, quam reparauit Sixtus IV. ſed Clemens VIII. eam abſtulit, conceſſitque Patribus Societatis Ieſu.

c *Oeconomum.*] De eius officio agimus *in cap. cùm vos, de officio Ordinarij.*

d *Quæ dicitur de Cornutis.*] Exiſtimo legendum eſſe, *de Curte*; Eccleſia enim S. Saluatoris, vulgò *de la Corte*, eſt iuxta Eccleſiam S. Agathæ, de qua in noſtro textu agitur, Muñoz *vbi ſuprà, pag.* 55.

e *Officio conſtitutis.*] Erat enim Innocentius temporibus Cœleſtini III. Preſbyter Cardinalis, vt dixi *in cap. cùm inter*, 16. *hoc tit.*

2. f *Plebano iure.*] Id eſt Parochiali; parochi enim dicuntur Plebani; & parochia Plebania, vt dicemus in titulo *de Parochiis*, & notauit Fileſacus *in tract. de orig. Parochiarum.* Cùm eccleſia S. Agathæ eſſet Parochia, intendebat ſibi ſubiectam eſſe Eccleſiam S. Saluatoris de la Corte.

g *Papienſ.*] Quorum quilibet valet tres Lucenſes: hæc moneta in vſu erat Romæ, & Mediolani.

3. h *De Thermis.*] Thermæ apud Romanos dicebantur ædificia magna habentia criptas, vbi balnea frequentabantur, & ſumebantur. De his thermis, tam publicis, quàm priuatis, plura adducunt Muñoz *in antiquitat. Romæ, cap.* 16. Demſterus *ad Roſinum lib.* 1. *cap.* 14. Pancirola *lib.* 1. *variar. cap.* 50. *&* 52. Salmutius *ad ipſum lib.* 1. *memor. titul.* 28. Chokier *in face hiſtor. cap.* 5. Narbona *anno* 14. *quæſt.* 39. Sauarus *ad Sidonium lib.* 2. *epiſt.* 2. Caſaubon. *in Spartianum, fol.* 54. Serlogus *tom.* 3. *in Cantica, veſtigat.* 30. *ſect. vnica.*

4. i *Electio.*] Ex his verbis deduci videtur, iuſpatronatus longâ poſſeſſione adquiri poſſe, quod & ſuadetur *ex cap. cura, de iurepatronat.* & docuerunt Couar. *in regula Poſſeſſor*, 2. *part.* §. 10. *num.* 2. Fachineus *lib.* 8. *controu. cap.* 24. Phebo *deciſione* 213. Sed contrariam ſententiam docuerunt Lambertinus, & alij, quos ſequitur Balboa *in cap. ad aures, eadem 7. num.* 34. *de præſcript.* pro cuius difficultatis ſolutione diſcrimen eſt conſtituendum inter caſum, in quo laicus intendit præſcriptione acquirere iuſpatronatus contra Eccleſiam liberam; & caſum, in quo intendit præſcribere contra patronum laicum. Primo caſu non poteſt præſcribere, niſi per ſpatium quadraginta annorum, accedente bonâ fide, & iuſto titulo, argumento textus *in cap.* 1. *de præſcriptionib. lib.* 6. Secundo verò caſu, cùm præſcriptio procedat non contra Eccleſiam liberam, ſed contra patronum, tempus ordinarium ſufficit, vt docet Balboa *in dict. cap. cauſam, num.* 34. Nec contrarium probat præſens textus, qui procedit in conſuetudine, non verò in præſcriptione; quo modo etiam accipiendus eſt textus *in cap. generali, hoc tit. in* 6. neque etiam textus *in dict. cap. cura*, aduerſatur, quem vt exponat poſt Lambertinum Balboa *in dict. cap. cauſam, num.* 37. aſſerit in eius ſpecie non agi de laico acquirente iuſpatronatus virtute præſcriptionis; ſed de clerico, qui cum titulo inualido intendebat beneficium eccleſiaſticum acquirere: ſed eâ ſententiâ omiſsâ veram ipſius textus interpretationem in eius commentario aſſignabimus.

5. j *Oeconomi.*] Licèt enim iure ciuili attento, vt ſententia legitimè proferatur domino abſente, debeat proferri in procuratorem, qui per litis conteſtationem dominus factus eſt, *l. penultima, ff. iudicat. ſolui, l.* 1. *Cod. de ſentent. & interl.* iure tamen noſtro canonico, vel in perſonam domini, aut procuratoris poteſt proferri. Abbas *in præſenti*, Vulteius *de iudiciis lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 20.

k *Quaſi in poſſeſſione.*] Recta cum proprietate; nam incorporalia, vt ſunt iura, tangi, neque apprehendi poſſunt, *principio Inſtit. de rebus corpor.* Lucretius *lib.* 1. ibi: *Tangere autem, aut tangi niſi corpus nulla poteſt res.* Vnde cùm poſſeſſio ſit rei detentio, & factum contineat, in rebus incorporalibus non datur vera poſſeſſio, *l.* 3. *in princip. ff. de acquirenda poſſ. l. ſi ædes* 32. *ff. de ſeruit. vrban. l.* 4. §. *ſi viam, ff. de vſucap.* datur tamen in illis quaſi poſſeſſio, *l. vlt. ff. de ſeruit.* quæ per vſum, & aduerſarij patientiam acquiritur, *l.* 3. §. *dare, ff. de vſufructu, l. ſi ego* 11. §. 1. *ff. de publiciana:* docent Oſualdus *lib.* 20. *comment. Donelli, cap.* 1. *littera F*, Valentia *tom.* 2. *illuſt. tract.* 2. *cap.* 2. *in fine.*

6. l *Pleno iure.*] Cardinales enim in Eccleſiis vbi titulum habent, & in capellis illis ſubiectis obtinent omnimodam iuriſdictionem, *cap. his, de maiorit. & obed.* Habent etiam ius conferendi omnia beneficia vacantia in prædictis Eccleſiis, abſque eo, quod talis collatio ſubiiciatur diſpoſitioni Bonifacij VIII. de qua *in cap. qualiter, in principio, hoc tit. lib.* 6. nec regulæ ſecundæ Cancellariæ, vt docent Ludouicus Gomez *in regula de triennali, quæſt.* 31. Flaminius Pariſius *de reſignat. lib.* 7. *quæſt.* 12. Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 15. *priuilegio* 14.

7. m *Per multa tempora.*] Ex iterata enim ſolutione præſumitur cenſus conſtitutus, itavt in futurum debeatur; & qui per triennium exegit penſionem, ſeu redditus cenſus, habet ius eos exigendi in futurum, *l. cùm de in rem verſo* 6. *ff. de vſuris, l. creditor* 7. *Cod. eod. tit. l.* 1. *Cod. de fideicommiſ.* plura ex ſcholaſticis adducunt Cuiacius *ad tit. Cod. ne vxor pro marito*, Gifanius *in dict. l.* 1. *Cod. de fideicommiſ.* Merillus *lib.* 2. *obſeru. cap.* 39. Genua *in conciliatione legum, fol.* 624. *in paruis*, Amaya *in l.* 3. *Cod. de apochis, lib.* 10. Faber *lib.* 7. *coniect. cap.* 9. Hunnius *ad Treutlerum volum.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 13. Pacius *centuria* 4. *quæſt.* 44. Schiford. *ad Fabrum tract.* 15. *quæſt.* 5. Ex practicis Cencius *de cenſibus* 2. *part. cap.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 6. plures congeſti à Parexa *de inſtrum. edit. tit.* 7. *reſol.* 3. vbi latè probat hanc exactionem trium annorum probandam eſſe per tres apochas vltimas: & nos dicemus *in cap. peruenit, de cenſibus.*

8. n *Proprietatis.*] Ex his verbis manifeſtè depromitur, in exactione cenſus, ſeu penſionis dari duplex iudicium, poſſeſſorium, & petitorium; quod latè docuerunt Mareſcotus *lib.* 1. *variar. c.* 11. *num.* 11.

*num.*11. Posthius *de manutent. obseru.*42. *num.*34. pluribus relatis Barbosa *in praxi exig. pensiones, q.*1. *part.*1.*ex num.*22. Cencius *de censib. part.*3. *quæst.*2. *cap.*2. *art.*1. *&* 4. licèt contrarium teneat Auendaño *de censibus, cap.*26.

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Sufficit electo ad obtinendum beneficium probare eligentem esse in quasi possessione eligendi tempore electionis.* Probant textus *in cap.cùm in Ecclesia, cap.cùm olim, de causa possessionis, cap. consultationibus, de iurepatronat. cap.ex litteris* 7. *eod. tit.cap. cùm Bertoldus, versiculo Licèt, de re iudicata.* Consonat lex 9. *tit.*15. *partita* 1. Illustrant Selua *de benefic.* 2. *part. quæst.*7. Corrasius *eod. tract.*2. *part.cap.*5. Duarenus *de sacris lib.*3.*cap.*9. Garcia *de benefic. part.*5. *cap.*5. Couar. *in pract.cap.*14. *num.*2.*in regul. Possessor*, 2. *part. in initio, num.*6. Cabedus *de patronatu cap.*8. *per totum*, Lotherius *de re benef. lib.*2.*cap.*45.*num.*2. Posthius *de manutent. obseru.*32. *num.*16. Carolus Maranta *tom.*3. *controu. respons.*44. *num.*34. & *respons.*46. *num.*6. Noguerol. *alleg.*18. *num.*137. Gratianus *discept. cap.*310. *num.*76. alios more suo adducens Præceptor sæpius laudatus D. Franciscus Ramos *in suo memoriali propositi.*1.*n.*5.& 2.*n.*4.

10. RATIO DVBITANDI.

Sed pro ratione dubitandi sic argumentor: Licèt cùm agitur iudicio possessorio possessor manutenendus sit, tamen cùm ius resistit possessori, ita vt habeat notorium defectum tituli in proprietate, manutentio non datur: docent Paz *de tenuta, cap.*2. *num.*21. Posthius *de manut. obseru.*42. *per totam*, Menochius *de retin. rem.*3. *num.*18. Mindanus *de interd.*2. *tom. tit.*7. Valenzuela *consil.* 58. *ex num.*13. & *cons.*151. *num.*70. Barbosa *voto* 42. 49. 52. 54. *&* 106. sed in specie huius textus dabatur notorius defectus tituli in proprietate, quia ius resistebat possessoribus: ergo virtute possessionis electus defendi non poterat. Probatur minor, nam laicis apertè denegatum est ius eligendi, seu conferendi beneficium ecclesiasticum, *cap. si quis deinceps, cap.per laicos* 16. *quæst.*7. *cap. præterea, de iurepatron.* sed possessores in præsenti laici erant, parochiani videlicet S.Saluatoris: ergo nec virtute possessionis iniustæ, & contra ius electio ab illis facta defendi poterat: præcipuè nam licèt præsentatio ad fructus possessionis iurispatronatus spectet, *cap. cùm* 18. *cap. consult.*19. *de iurepatron.* tamen iniusti possessores fructus non percipiunt, *l.nemo* 22. *de acquir.rer.dom.l.si quis liberum* 20. *ff.de prob. l.*1. *§.vlt. ff.vti possidetis, l.communi* 7. *§.inter, ff.communi diuid.l.*1.*§.sed per eum* 6.*l.cùm hæredes* 23. *§.vlt.cum l.sequenti, ff.de acquir. possessione, l.improba* 7. *l.nemo* 10. *Cod.eod.tit.* Ab specie probat textus *in cap.ex insinuatione* 14. iuncta eius integra, *de iurepatron.* ergo nullo ex capite electus à laicis in nostro textu defendi poterat ratione quasi possessionis eligentium. Accedit, nam consuetudine introduci non potest, vt qui ius non habet conferendi beneficium, illud conferat, *cap.ex frequentibus, de institut.* igitur populus in nostra specie non potuit consuetudine acquirere ius conferendi Ecclesiam, seu beneficium ecclesiasticum.

11. RATIO DECIDENDI.

Hac difficultate minimè refragante vera est tradita assertio, cuius decisiua ratio ex eo prouenit; nam qui in possessione rei est, illius verus dominus censetur, etiamsi talis non sit, *l.*2. *&* 4. *Cod. de probat. l.litibus, Cod. de agricolis, lib.*11. & qui possidet, plenius ius habet, quàm ille, qui intendit dominus esse. Vnde maximum esse possessionis commodum, deciditur *in §. commodum, Instit. de interdictis*; quare præsentatus ab eo, qui est in quasi possessione præsentandi, præfertur præsentato à proprietario, vt docent Rochus de Curte *de iurepatron. verbo Competentes, num.* 34. Gutierrez *consilio* 4. *num.*32. Selua *de qualitat. prælatiuis, num.*51. Accedit nam fructus rei possessæ spectant ad bonæ fidei possessorem, *l.bonæ fidei, ff.de acquirendo rer. dom. cap. grauis*, vbi dicemus, *de restit. spol.* sed præsentatio ad beneficia enumeratur inter fructus iurispatronatus, vt suprà probaui, & docet Lælius Mancinus *Genialium cap.*91. ergo qui est in quasi possessione eligendi, seu præsentandi ad beneficium, potest suâ possessione vti, & ab eo præsentatus tantùm tenetur docere patronum esse in quasi possessione tempore vltimæ præsentationis: hæc autem quasi possessio acquiritur vnicâ præsentatione, *cap.cùm olim* 7. *de causa possessionis*; & sufficit electo ad manutentionem probare vnicam præsentationem, argumento textus *in l.*1. *§.quod autem*, ibi: *Vel vna die, vel nocte, ff.de aqua plu.* docent Posthius *de manut. obseru.*32. Couar. *pract. cap.*14. *num.*2. præcipuè vltimam, quia ad manutentionem attendimus vltimum statum possessionis, quæ fuit tempore turbationis, *§.retinendæ* 4. *de interdictis, cap.licet* 9. *de probat.* textus formalis *in cap.cùm Bertholdus* 18.*versic. Licèt, de iurepatron.* docet eximius Præceptor D. Franciscus Ramos *dict. proposit.*1. *num.*6. & plura de requisitis ad probationem possessionis iurispatronatus adducunt Gonzalez *ad regul.*8. *Glossa* 18. *& num.*86. Viuianus *in praxi iurispatron. part.*2. *lib.*5. *cap.*2. Garcia *de benefic.*5. *part. cap.*5. *num.*67. Posthius *de manut. obseru.*32. *num.*2. Noguerol *allegat.*28. Accedit, nam si cùm agitur contra electum, super proprietate lis disceptaretur, Ecclesia diu vacaret, & electionis effectus protraheretur cum magno Ecclesiæ damno, *cap.*2.*de concess. præb. cap.oblatæ* 57. *in fine, de appellat.* Igitur rectè Cœlestinus in præsenti decreuit, sufficere electo docere patronum fuisse in quasi possessione præsentandi.

12. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, cuius maiorem concedimus, minorem autem negamus: nam licèt laici non possint conferre Ecclesiæ beneficia, ex iuribus suprà citatis, tamen patroni, quia iuspatronatus habent, possunt præsentare presbyteros ad eas Ecclesias, in quibus obtinent iuspatronatus, *ex toto tit.de iurepatron.* vnde cùm in præsenti parochiani essent in quasi possessione præsentandi, & iurispatronatus in Ecclesia S.Saluatoris, ideò illis ius non resistit; immò suffragatur, *cap.generalis, hoc tit.lib.*6. Fachineus *lib.*8. *controu.cap.*24. Neque textus *in cap.ex frequentibus*, aduersatur, qui loquitur in institutione, non verò in præsentatione. Vnde licèt ius instituendi in beneficiis ecclesiasticis, consuetudine acquiri non possit, tamen ius præsentandi consuetudine acquiri valet, vt suprà probaui: docet pro interpretatione illius textus Lotherius *dict.cap.*45. *num.*28.

13. INTELLIGITVR CAP.2.DE IN INTEGR. RESTIT.

Primò superiori assertioni opponitur textus *in c.*2.*de in integrum restit.* vbi monachi erant in quasi possessione iuris eligendi Abbatem in suo monasterio, vt docent ex eo textu Glossa *verbo inhibentes*, Hostiensis *num.*22. Ioannes Andreas *n.*28. Butrius *num.*44. quæ quasi possessio iuri communi consona erat; siquidem iure nostro cautum est, vt Abbatis electio ad congregationem, seu proprium monasterium spectet, *cap. congregatio* 43.16. *quæst.*7.*cap. Abbas* 2. *cap. Abbatem* 3. 28. *quæst.*2. & tamen *in dict.*

dict.cap.2. deciditur, electionem celebratam à monachis non esse confirmandam, & electus appellatur intrusus: igitur quia non sufficit electo docere eligentem esse in quasi possessione eligendi. Pro huius textus interpretatione varij casus sunt distinguendi. Primus est cùm lis agitatur super proprietate, & vnus est in possessione eligendi; & tunc etiam lite motâ possessor potest eligere virtute quasi possessionis; quo casu procedit noster textus. Secundus consideratur cùm lis disceptatur super possessione, & ambo intendunt in possessione esse, nec apparet vter ex illis possideat; & tunc neuter eligere potest, sed si periculum sit scandali, vel rixæ, sequestranda est possessio, & ne diu Ecclesia vacet, eligere interim Episcopus potest, *cap. quoniam 3. de iurepatron.* vbi plura Augustinus Beroius. Tertius casus euenire potest cùm iudicium possessoriũ intẽditur, sed constat vnum esse in possessione; & tunc etiam lite pendente potest vti sua possessione, *cap. 1. vt lite pendente.* Nec quolibet prætextu possessio sequestranda est, argumento *ex l. vlt. ff. de officio procurat. Cæsaris, l. illicitas 6. §. ne potentiores, ff. de officio Præfecti:* pluribus relatis docent Posthius *de manutentione obseru. 75. n. 16.* Castillo *lib. 8. de alimentis, c. 13. n. 17.* Quibus suppositis textus *in d. cap. 2.* procedit secundo casu, cùm lis vertitur super possessione, nec apparet vter ex contendentibus in possessione sit; tunc enim electio ab vno celebrata, nec confirmanda est, ne præiudicium collitiganti generetur, si approbetur aduersarij electio: sed appellatur intrusus in eo textu electus à monachis, non à R. Pontifice, sed ab alio collitigante. Alia pro illius textus interpretatione in eius commentario adducemus.

14. INTELLIGITVR CAP. EX LITTERIS, DE IVREPATRON.

Secundò opponitur textus *in cap. ex litteris 7. de iurepatron.* vbi deciditur præsentatum à bonæ fidei possessore, lite secutâ super proprietate instituendum non esse à superiore. Ex quo textu deducit Augustinus Beroius *ibi*, & *in cap. quoniam 3. de iurepatron.* præsentatum à Patrono, sed non institutum, posteà instituendum non esse: igitur non sufficit electo docere eligentem esse in quasi possessione eligendi. Cui difficultati vt satisfaciam, sciendum est, nostri textus decisionem procedere, etsi controuersia mota sit super proprietate post electionem, vel præsentationem factam ab eo, qui est in quasi possessione eligendi, vt docent Rochus de Curte *de iurepatron. verbo Competens, num. 23.* Gutierrez *lib. 3. practic. quæst. 42. num. 41.* ex sæpius repetita ratione, quia videlicet fructus rei possessæ ad possessorem spectant. Similiter noster textus procedit, si lis moueatur super proprietate ante electionem, vel præsentationem; nam etiam tunc potest possessor vti sua possessione, lite etiam pendente super proprietate, nec debet possessor priuari commodo suæ possessionis, nec eius fructibus, *cap. volumus 2. 16. q. 2. c. cùm veriſſimum 6. versiculo Nos igitur, de institut. cap. 1. vt lite pendente, cap. vel Episcopus 28. de præb. lib. 6. l. final. C. si per vim vel alio modo*, iunctis traditis à Glossa *verbo Deferre crucem, in d. c. 1. vt lite pendente:* & huiusmodi electio est confirmanda à superiore, quia cùm legitimè sit facta, iustè postulat confirmationem, *cap. illud*, vbi glossa *verbo Debeant, de iurepatron.* licèt contrariam sententiam, videlicet pendente iudicio petitorio præsentatum non esse instituendum, defendant Glossa *in d. c. illud 2. de in integ. restit.* vbi Imola *n. 19.* Abbas *n. 22.* moti ex eo, quod possessor etiam bonæ fidei tenetur restituere omnes fructus post motam litem perceptos, *l. certum 22. C. de rei vindicatione*: sed si possessor non possit eos restituere, non debet illos percipere: vnde aiunt, quod cùm electus est institutus, non potest postea remoueri, *cap. consultationibus 19. versiculo remoueri, de iurepatron.* igitur à possessore non debet confirmari. Sed huic fundamento respondetur, regulam textus *in d. l. certum*, habere locum in fructibus, quibus possessor locupletatur; non verò in fructibus honoris, quibus possessor locupletior nõ fit, quales sunt electio, seu præsentatio: nam his fructibus, etiam lite mota, sine restituendi obligatione fruitur possessor, *d. c. 1. vt lite pendente:* docet Gutierrez *d. q. 42. n. 42.* nec tunc obstat textus *in d. c. ex literis*, cui, omissis traditis à Beroio, respondendum est, in specie illius textus præsentationem non fuisse factam à possessore iurispatronatus, sed ab eo, qui intendebat ius præsentandi sibi competere, vt colligitur ex versiculo, *vel antequam*; & ideò post litem motam institutionem fieri non debere, nec electum vlla possessione eligentis defendi valere.

15. EXPONITVR CAP. CVM BERTOLDVS, DE RE IVDIC.

Tertiò aduersatur textus *in c. cùm Bertoldus 18. de re iudicata*, vbi non sufficit clerico electo docere eligentem esse in possessione præsentandi: ergo nec in nostro textu sufficere debebat electo probare quasi possessionem eligentis. Huic difficultati variis modis satisfacere intendunt Augustinus Beroius *in d. c. ex litteris*, Duarenus & alij relati à Sahagun *in c. finali, n. 59. versic. qua ratione, de sequestrat. possessionis*, quibus illa plausibilior interpretatio visa fuit, videlicet, creditoribus præsentationem non fuisse admissam in specie, quia quamuis creditor bona fide possidere videatur pignus, *l. quicumque 13. §. interdum, ff. de publiciana, l. si seruus 22. §. si quando, ff. de pignoratitia*; tamen non possidet affectu domini, sed pro domino, *l. pignori 15. ff. de vsucap.* Sed omissâ eâ solutione, quæ supponit ad creditorem non spectare iuspatronatus, & per consequens ius præsentandi (quod an verum sit, disputat Balboa *in d. cap. cùm Bertoldus*) alij respondent in eo textu creditorem non posse præsentare, quia dominus pignoris sibi reseruauerat iuspatronatus; quam solutionem licèt diuinatoriam esse asserat Balboa in eo textu, euincunt verba integræ ibi: *Dominus fundi asserens, quod sibi retinuerat iuspatronatus expressè cùm fundum obligauerat.* Quare virtute huius reseruationis ad debitorem spectabat iuspatronatus. Sed licèt hæc solutio admitti possit, tamen pro adductæ difficultatis solutione responderi posse existimo, in eo textu electum à creditore in beneficio, illud non retinere, quia licèt creditor pignus possideat, & per consequens iuspatronatus in ipsum translatum censeatur, quasi possessionem tamen præsentandi translatam non credi; quia talis quasi possessio præsentandi solùm translata censetur per vsum præsentationis effectum sortitæ, argumento textus *in l. cùm hæredes 23. ff. de acquir. possessione, l. 1. §. Scæuola, ff. si is qui testam.* Docent Viuianus *in praxi iurispatron. lib. 5. cap. 2. num. 16.* & *decisione 43. per totam*, Lotherius *de re benef. tom. 1. lib. 2. q. 11. num. 15.* Posthius *de manut. obseru. 65. num. 32.* Barbosa *de iure eccles. lib. 3. cap. 12. num. 39.* doctissimus D. Franciscus Ramos *d. proposit. 1. num. 14.* Vnde cùm creditor nunquam fuisset in quasi possessione præsentandi, ideò præsentatus ab eo non habet possessionem quam doceat, & cuius ratione defendi possit.

CAPVT XXV.

Idem.

CVm [a] Vvintonienſis Eccleſia Paſtore vacaret, Archidiaconus cum fautoribus ſuis [b] Saleſbrien. Decanum: Prior autem, & complices eius [c] Præcentorem Lincon. in Epiſcoqum elegerunt. *Et infrà*: Licèt igitur omnes in communi de facienda electione tractauerint, quia tamen nequiuerunt eſſe concordes, infecto negotio ad nos habuere recurſum; & ij quidem, qui Præcentorem elegerant, aſſerebant, quod illi qui Decanum elegerant, erant eligendi poteſtate priuati, pro illa maximè cauſa, quòd hominem non legitimè [d] natum ſcienter eligere præſumpſerunt; vnde ſecundùm Lateran. Concilium, & eligendi hac vice perdiderant poteſtatem, & per triennium eccleſiaſticis beneficiis [e] carere debebant: ſuppliciter poſtulantes, vt ſuper hoc interloqui dignaremur. Illi verò taliter reſpondebant, quòd licèt is, quem elegerant, fuiſſet minùs legitimè natus, per gratiam tamen Ap. Sed. legitimari [f] promeruit, & hoc aſſerebant ſe legitimè probaturos. Nos ergo attendentes, quod iſti poſt primam electionem [g] admiſerant illos ad celebrandum ſecundam, & quod decretum Concilij memorati decernit huiuſmodi præſumptores vna vice duntaxat eligendi poteſtate priuatos; quoniam electio, quam coram nobis celebrare volebant, non iam ſecunda, ſed tertia concurrebat, ad eligendum illos cenſuimus admittendos.

NOTÆ.

a *Vvinton.*] De Vvintonienſi Eccleſia egi *in cap. cæterùm, 3. de reſcriptis.*

1. b *Saleſbrien.*] Legendum eſt *Sariſberienſem:* Sariſberienſis Eccleſia eſt ſuffraganea Archiepiſcopi Cantuarienſis in Anglia, de qua Polydorus Vergilius *lib. 1. hiſtoriæ Angliæ, fol. 85.*

c *Præcentorem Lincon.*] De hoc Præcentore, & Eccleſia Lincon. aliqua adduxi *in cap. ad aures 8. de reſcriptis.*

2. d *Non legitimè natum.*] Sed quare ſi illegitimus erat, ad dignitatem Præcentoris eligi potuit, cùm illegitimis aditus ad dignitates præcludatur, *cap. final. de filiis preſbyter. cap. innotuit 20. hoc titulo.* Sed reſpondetur, Præcentorem non fuiſſe illegitimum, ſed alium in prima electione electum, defectum natalium pati; & ideò eius electione caſſata, ad electionem Præcentoris ſecundam proceſſiſſe Canonicos.

3. e *Beneficiis carere.*] Non tamen ex eo quod ſuſpenſus eſſet, per conſequens priuatus erat eligendi facultate; neceſſe enim fuit, vt id exprimeretur in dicto Concilio Lateranenſi, relato *in cap. cùm in cunctis 7. §. finali*, & *in cap. quiſquis, hoc tit.* ibi: *Ab officiis, & beneficiis penitus ſuſpendantur, eligendi tunc poteſtate priuati.* Iam poſt Gibalinum *de cenſuris pag. 344.* notaui *in dicto §. finali.*

f *Promeruit.*] Pontifex poteſt illegitimè natos legitimare, & habiles reddere ad beneficia eccleſiaſtica, *c. per venerabilem*, vbi latè illuſtrabo, *qui filij ſint legitimi.* 4.

g *Admiſerant illos.*] Non tamen inde electio irritabitur; nam admittentes ad electionem inhabiles in noſtra ſpecie ad eam procedere valent, cùm inhabiles non ob cenſuram inhabilitatem contraxerint, ſed potius in fauorem aliorum in eam inciderint; & tunc etſi inhabiles admittantur, non ideò electio caſſabitur: quod diſcrimen inter inhabilitatem ex prædicto Concilio Lateranen. prouenientem, & alias agnouit, & noſtrum textum latè interpretatur Suarez *de cenſur. diſp. 14. ſect. 2. per totam.* 5.

In hoc textu explicatur deciſio Concilij Lateranenſis relata *in dict. cap. 7. §. final.* quâ deciditur, eligentes indignum priuari facultate eligendi: in præſenti illa deciſio exponitur, ita vt procedat in prima dumtaxat electione, non verò in vlterioribus: itaque eligens indignum iuxta prædictum Concilij Lateranenſis decretum, priuatur facultate eligendi in alia electione, non verò in tertia, aut ſequentibus. Quæ huc ſpectant repetenda ſunt ex traditis *in dict. §. finali.* 6.

CAPVT XXVI.

Idem *Arnoldo Abbati Ciſterc. Rodulpho & Petro monachis* [a] *Fontis Frigidi*, [b] *Inquiſitoribus.*

PEr inquiſitionem, quam de mandato noſtro feciſtis, ſuper ſtatu Epiſcopatus, & [c] Epiſcopi [d] Toloſani, perſpicaciter intelleximus, quod [e] Maſcaron Cancellarius iuratus aſſerit ſe ſciuiſſe pro certo, [f] Raymundum [g] olim Toloſanum Epiſcopum, & amicos ipſius ante ſuam electionem habuiſſe colloquium cum quibuſdam Canonicis nominatim expreſſis, eoſque ſolicitaſſe [h] precibus, vt ipſum eligerent

in

in Epiſcopum; ſeque vidiſſe pariter, & audiſſe, quando prædictus Epiſcopus exiſtens in domo S. Petri de Coquinis, recognouit in quorumdam Canonicorum præſentia, ſe Canonicis illis, qui aduerſati fuerant ſuæ primæ electioni, iuramentum in domo Actonis de Montibus præſtitiſſe: credens pro certo, quod iuramentum illud illicitè fuerit factum, vt idem Raymundus eligeretur [i] ex pacto; & quod ipſe M. poſt ipſius electionem caſſatam, domum Epiſcopalem eius nomine detinebat, recipiens quoſdam redditus & prouentus, quos de ipſius conſcientia & conſenſu in eiuſdem negotiis expendebat. Cùm igitur talem ſcienter in Epiſcopum eligendo, ſicut ipſe ſuo iuramento firmauit, eccleſiaſticis beneficiis reddiderit ſe [k] indignum, graue gerimus, & moleſtum, quod dil. fil. Toloſano Præpoſito in Epiſcopum communiter electo, idem Maſcaron in Præpoſitum dicitur conſtitutus. Quocirca diſc. v. per Ap. ſ. m. quat. eundem Maſcaronem ab officio Præpoſituræ penitus [l] amouentes, faciatis virum idoneum ad officium illud aſſumi.

NOTÆ.

a *Fontis frigidi.*] Ita reſtituenda eſt inſcriptio huius textus ex epiſtola Innocentij III. edita ab Illuſtriſſimo Manrique *tom. 3. annal. Ciſterc. anno 1205. cap. 3.* quæ ferè per eadem verba reperitur in tertia collectione, *ſub hoc titulo, cap. 11.* De Abbate Ciſtercij nonnulla notaui *in cap. cùm ordinem 6. de reſcriptis.* Monaſterium autem Fontis frigidi eſt Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Narbonenſi, quondam ſub regula D. Benedicti fundatum, ſed tempore D. Bernardi eius Ordini vnitum, vt plura de eo adducentes tradunt Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ Chriſtian. fol. 432.* Manrique *anno 1147. capit. 19.* Eius monaſterij etiam mentio fit *in cap. litteras, de ſupplenda negligentia, capit. cùm dilecti, de accuſat.* 1.

b *Inquiſitoribus.*] in tertia collectione legitur *Legatis*; ſed omnia rectè conueniunt, ſi animaduertamus, Arnaldum Abbatem Ciſtercienſem, & Petrum de Caſtronouo Legatos Sedis Apoſtolicæ miſſos fuiſſe ab Innocentio III. ad conuerſionem hæreticorum Albigenſium, qui infeſtabant totam Galliam, vt refert Spondanus poſt Baronium *anno 1208. numero 4.* Ipſis etiam commiſit Pontifex inquiſitionem, & viſitationem Eccleſiæ Toloſanæ cum omnimoda iuriſdictione, vt refert Manrique *dict. capit. 3.* Vnde ſi primam legationem attendamus, rectè illis ſub nomine Inquiſitorum reſcribit; nam omni tempore iudices contra hæreticos deputati, Inquiſitores dicti fuerunt, *l. 9. Cod. Theodoſ. de hæreticis*, ibi: *Sublimitas itaque tua det Inquiſitores.* Similia verba reperiuntur *in l. 13. in fine, l. 15. 31. 32. 35. & 52. eodem Cod. & titulo.* Si verò ſecundam commiſſionem, hoc eſt viſitationem Eccleſiæ Toloſanæ conſideremus, rectè Legati appellantur. Non omittam Spondanum *vbi ſupra*, aſſeruiſſe, hunc Petrum de Caſtronouo fuiſſe primum Inquiſitorem, & huius S. Officij fundatorem, etſi aliter repetant eius originem Prateolus *lib. 4. ſuæ hiſtoriæ*, Hieronym. Roman. *lib. 5. de republ. Chriſt.* Sed certum eſt, tempore Innocentij III. quo impiis erroribus, & blaſphemiis Albigenſium tota ferè Gallia infecta erat, initium habuiſſe hoc ſemper miris laudibus extollendum S. Inquiſitionis officium. Innocentius enim III. prædictum Petrum de Caſtronouo, & alios duodecim Abbates ex familia D. Bernardi, virtute & doctrinâ præclaros, per vniuerſam Galliam miſit, vt Albigenſium errores diſputationibus, & concionibus refellerent ac damnarent. Etiam eo tempore S. Dominicus cùm Albigenſes diſputationibus refellere, conuincereque intenderet, & agnouiſſet eorum perfidiam, ac pertinaciam in dies creſcere, inſtanter petiit ab Innocentio III. vt debitis pœnis ipſi hæretici afficerentur; quod cùm Pontifex conceſſiſſet, initium habuit S. Inquiſitionis officium, conſtituto primo generali Inquiſitore B. Dominico, vt expreſsè refertur in conſtitutione Sixti V. & referunt Peña *in 3. part. Directorij, commentario 32.* Lucius Marinus Siculus *in ſua hiſt. Hiſp.* Ioannes Marieta *part. 2. lib. 7. capit. 11.* Ludouicus Souſa *in hiſtor. S. Dominici, cap. 3.* Fragoſo *part. 2. de regim. Chriſt. reipub. lib. 5. diſput. 13. §. 4.* plutibus relatis Paramus *lib. 2. de orig. S. Inquiſit. cap. 1.* Licèt enim prædicti Abbates miſſi fuiſſent ab Innocentio III. vt hæreticos diſputationibus, & in concionibus refellerent, conuincerentque; tamen vt debitis pœnis, & ordine iudiciario eos compeſceret, primus S. Dominicus conſtitutus fuit Inquiſitor generalis, vt referunt proximè laudati, licèt variis rationibus & authoritatibus pro ſuis Ciſtercienſibus pugnet Manrique *dict. tertio tomo, anno 1204. cap. 3. per totum.* De origine ipſius Inquiſitionis apud nos, & Luſitanos agunt Fragoſo *dict. diſput. 13. §. 5. per totum*; Paramus *dict. lib. 2. cap. 2.* Solorzanus *tom. 2. de iure Ind. lib. 3. cap. 24.* & ſigillatim de omnibus tribunalibus agens Tamaius à Salazar *in martyrol. Hiſpan. die 28. Aprilis.* 2.

c *Epiſcopi.*] An Raymundi de Rabaſtens; an verò Fulcandri eius anteceſſoris, adhuc apud hiſtoricos ſub lite eſt. Auctores Comitatus Toloſani viſitationem non tam in Raymundum, quàm in Fulcandrum factam referunt, cum eius inſcitiâ ac deſidiâ Albigenſium peſtis in Comitatum Toloſanum ingrueret. Guillelmus de Podio *cap. 6. chronici*, ait: *Anno 1205. non erat excuſabilis Fulcander, quòd hæreticos multùm radicatos in terra ſine aduerſantium ſibi voluntate poterat extirpare: neque erat ad excuſationem ſui ſufficiens, qui etſi non poſſet, alia ad hoc ſaltem ſufficientia multa habere conſilia, & auxilia potuiſſet.* Sed in Raymundum ſimoniacè electum, & Albigenſium fautorem, viſitationem decretam, & inquiſitionem factam fuiſſe, conſtat ex præſentis textus ſerie, & probarunt Fratres Sarmat. *tom. 1. Galliæ Chriſtian. fol. 686.* 3.

d *Toloſan.*

4. d *Toloſanæ.*] Toloſa Galliæ Narbonenſis vrbs antiquiſſima, vt celebris recenſetur à Cæſare *lib.* 8. *cap.* 5. Mela *lib.* 2. *cap.* 5. Suetonio *in Vtellio cap. vltimo*, Iuſtino *lib.* 32. Strabone *lib.* 4. Ptolomeo *lib.* 2. *cap.* 10. Iacet ad Garumnam fluuium, cuius originem, & progreſſum latè proſequuntur Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ Chriſt. fol.* 671. adhuc temporibus Innocentij III. Epiſcopali tantùm Cathedrâ decorabatur, & ſuffraganea erat Archiepiſcopi Narbonenſis; poſtea tamen Ioannes XXII. anno 1317. tranſlato Archiepiſcopatu Narbonenſi in Toloſanam Eccleſiam, iure metropolitico eam decorauit, vt conſtat ex extrauaganti *Saluator*, ipſius Ioannis XXII. *de præbendis.* Docent Chenu *in ſerie Præſulum Toloſan.* Franciſcus Hallierius *de hierarch. fol.* 633. Nec hanc euertit ſententiam, & noſtrum textum oppugnat in illis verbis, *Epiſcopatu & Epiſcopi*, quædam ſubſcriptio Concilij Aurelianenſis 1. celebrati anno 511. temporibus Hormiſdæ Pontificis, vbi ſubſcribit Leontius eius Eccleſiæ Præſul, hoc modo, *Leontius Epiſcopus Toloſanæ Metropolis:* ergo iam ante tempora noſtri Innocentij Toloſana Eccleſia, vt Metropolis honorabatur. Hac inſcriptione decepti Papirius Maſonius, & Chenu *vbi ſuprà*, exiſtimarunt iam temporibus Concilij Aurelianenſis primi Eccleſiam Toloſanam Metropolitanam Galliæ Narbonenſis eſſe; ſed eorum ſententia facilè refellitur ex noſtro textu, & dicta extrauaganti *Saluator*: quare eâ ſententiâ omiſsâ, & ſuperiore retentâ, dicendum eſt, prædictam ſubſcriptionem falsò, & vitiosè irrepiſſe in quibuſdam codicibus, cùm in correctis & caſtigatis à Iacobo Sirmundo ita legatur, *Leontius Epiſcopus Eluſanæ Metropolis:* quod mendum ſatis probatur ex Concilio Agathenſi 1. celebrato anno 506. vbi reperitur ſubſcripſiſſe Clarum Epiſcopum Eloſæ Metropolis, Heradianum Epiſcopum Toloſanæ ciuitatis: & in Concilio Matiſcon. 2. congregato anno 585. mentio fit Magnulphi Epiſcopi Toloſani; vnde verum eſt, noſtri Innocentij temporibus Eccleſiam Toloſanam tantùm Epiſcopum obtinuiſſe.

5. e *Maſcaron.*] Maſcarium legendum eſſe, ſuadetur ex traditis à Chenu *in ſerie Archiepiſcop. Toloſan.* vbi aſſerit, Hugonem Maſcarium eam Eccleſiam rexiſſe; & de eo agi in noſtro capite *per inquiſitionem*: ſed temporum ſeries huic ſententiæ repugnat; anno enim 1201. Raymundus tertius depoſitus fuit ab Epiſcopatu Toloſano, aut illi ſponte renuntiauit, de quo in hoc textu, cùm iam in eius electione ſuffragium præſtitiſſet, vt ex noſtro textu conſtat: ſed Hugo Maſcarius Epiſcopus Toloſanus obiit anno 1296. vt refert ipſe Chenu: igitur nullo modo potuit idem eſſe prædictus Maſcarius, ac Maſcaron, de quo in præſenti, cùm ferè impoſſibile eſſet, vt Maſcaron, qui in ſacris conſtitutus erat Ordinibus per annum 1200. peruenisſet ad annum 1296. & ſic pluſquam per 124. annos vitam protraxiſſet.

f *Raymundum.*] Tertium huius nominis, de quo Guillelmus de Podio *in chron. cap.* 6. *Defuncto autem Domino Fulcandro Epiſcopo anno circiter* 1201. *eligitur in Epiſcopum Raymundus Archidiaconus Agenenſis; ſed quia ſe infeſtauit ab initio vitio ſimoniæ, benedictione caruit in fine: ipſe tandem ab Epiſcopatu per Sedem Apoſtolicam ad depoſitionem fuit condemnatus.* Petrus Vallis Sarnenſis *hiſtor. Albig. capit.* 9. 6.

g *Olim Epiſcopus.*] Iam enim per annum 1201. depoſitus fuerat ab Epiſcopatu, ſiue voluntaria ceſſione, ſententiam depoſitionis metuens, ipſi renunciauit, vt refert Manrique *dict. anno* 1205. *cap.* 3. *num.* 3. quare temporibus huius decretalis epiſtolæ, quæ miſſa fuit 2. nonas Iulij anni 1205. iam Toloſanam regebat Eccleſiam Fulco, vir apprimè doctus, & ſanctus, de quo plura Chenu & Manrique *vbi proximè*, Guillelmus *in tractatu de Fratre Petro de Caſtronouo*, ibi: *Cùm igitur terra ipſa, ſcilicet Toloſana, apud Sedem Apoſtolicam, ſicut hæreticâ prauitate, quàm rapinâ mirabili, & iniuriabili infamiâ laboraret; iiſdem temporibus miſſus eſt Legatus à Summo Pontifice Frater Petrus de Caſtronouo, Ordinis Ciſtercienſis, vir prouidus & diſcretus, cui & Magiſter Rodulphus perſona litterata, & multùm honeſta adiectus eſt collega, qui Comitem Toloſanum ad expellendos hæreticos, ac raptarios de terra ſua, & pacem conſeruandam monuerunt, & adſtrinxerunt etiam iuramento; factumque eſt eodem tempore, quod Deo inſpirante, venerabilis, & religioſus vir Dominus Fulco Abbas Floreſiæ, ſiue Toroneti, Ordinis Ciſtercienſis, eligitur in Epiſcopum Toloſanum; cuius promotionem cùm audiuit dictus Legatus, qui optimè eum nouerat, vt iacebat in lecto infirmus, eleuatis manibus in cœlum, gratias egit Deo, quod de tali perſona prouidiſſet Eccleſiæ Toloſanæ.*

7. h *Precibus.*] Vnde reddebatur indignus, *cap. in ſcripturis*, *cap. qui Epiſcopatum* 8. *quæſtion.* 1. poſt Gloſſam in noſtro textu notant Abbas, & Sylueſter. An verò liceat Epiſcopatum optare, variis concluſionibus adductis reſoluunt D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *artic.* 1. Pellizarius *tract.* 9. *cap.* 1. *quæſt.* 12. Peyrinis *de Prælato quæſt.* 1. *cap.* 6. *numero* 4. Tamburinus *tom.* 1. *diſputat.* 10. *quæſito* 1. Garcia *tom.* 2. *politica, tractatu* 29. *difficult.* 4. *dub.* 1. Eſpenceus *lib.* 3. *digreſ.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi*, 1. *part. tit.* 1. *gloſſa* 4.

i *Ex pacto.*] Quod procul ab electionibus abeſſe debet, *cap. finali*, *de pactis.*

k *Indignum.*] *Cap. cùm in cunctis* 7. §. *vlt. hoc tit.* vbi quæ ad hunc textum ſpectant, adduxi.

8. l *Amouentes.*] In hac parte difficilis valdè eſt hic textus; nam certum iuris principium eſt, crimen teſti per viam exceptionis obiectum, ipſum reiicere à teſtimonio, non verò illum puniri pœna ordinariâ ipſius delicti, *cap.* 1. *de except. cap.* 2. *verſ. Verùm*, *de ordin. cogn. l. Lucius*, *ff. de his qui notantur infam. l. final. titulo primo*, *partit.* 7. Cuius ratio traditur *in dict. cap.* 2. & in eo conſiſtit, quod ſine legitimo accuſatore nemo debet pœnâ ordinariâ puniri, *cap. de manifeſta* 7. *quæſtione* 1. *cap.* 1. *de accuſat.* & iudex iuxta formam petitionis actoris debet ſententiam proferre, ſiue ciuiliter, ſiue criminaliter agatur, *cap. qualiter*, *el* 2. *de acuſat. cap. licèt*, *de ſimonia:* ſed vbi crimen obiicitur teſti per viam exceptionis, nulla interuenit accuſatio: igitur teſtis in noſtra ſpecie non poterat ob crimen obiectum pœnâ ordinariâ puniri. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, etiam teſtem puniri poſſe pœnâ ordinariâ, quando crimen quod obiectum fuit, tangebat, vel concernebat negotium principale:

quo

quo in casu non solùm à testimonio repellitur, verùm etiam punitur, vt *in dict. cap.* 1. docent Glossa finalis, Hostiensis, Ioannes Andreas, Panorm. Cuiacius, Felinus, & Decius. Ratio est, quia cùm crimen testi obiectum tangit, & inuoluitur in negotio principali, illius accessorium creditur & accessoriè in petitionem deductum, vnde in eadem instantia puniri valet; nam de connexis, & accessoriis idem iudicium est, *cap. transiatio, de constit. cap. quantò, de iudiciis, l. quæ religionis, ff. de rei vind.* Vnde cùm in hoc textu Mascaron à iudicibus delegatis examinatus, confessus esset, se simoniacè Raymundum in Episcopum elegisse, priuatur beneficio obtento, quia eius delictum ad principale negotium pertinebat. Innocentius enim III. commiserat iudicibus delegatis inquisitionem in Ecclesia Tolosana, tam in capite, quàm in membris, cum omni iurisdictione, vt ex integra relata constat; quâ etiam animaduersione intelligendi sunt textus *in cap. cùm super, de confessis, l. 2. §. si publico, ff. ad legem Iuliam de adulteriis.*

CAPVT XXVII.

Idem *A. Priori S. Frigidiani, G. & G. Canonicis* [a] *Lucanen.*

CVm causam, quæ inter Presbyterum Bonum, & Brunum Canonicum Ecclesiæ S. P. Lucan. vertitur, super eo, quod dictus Presbyter Bonus à maiori parte Canonicorum eiusdem Ecclesiæ, prædicto Bruno, & quodam alio contradicentibus in [b] Priorem, sicut dicitur, est electus, olim vobis duximus committendam; vos, sicut ex litteris vestris accepimus, partes citare curastis, vt iuxta mandatum nostrum causam ipsam fine possetis canonico terminare. Cumque essent in vestra præsentia constitutæ, dictus Presbyter Bonus cum instantia postulabat, vt electionem de se factam auctoritate curaretis Apostolica confirmare. Sed præfatus Brunus è contrario respondebat, illum non esse dignum regimine Prioratus, crimen obiiciens ei simoniæ, quodque ipsius electio non erat canonicè celebrata: & quia professus non erat, ipsum asserebat meritò repellendum. Verùm cùm de simonia nil fuisset probatum, nec aliquid contra modum electionis ostensum, mouit vos vehementer ipsius Ecclesiæ priuilegium, in quo continebatur expressum, vt nullus qualibet subreptionis astutiâ præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris, secundùm Dei timorem, & B. Augustini [c] regulam prouiderint eligendum. Vnde quamuis multi Priores continuè vnus post alium in ipsa Ecclesia per multa & longa [d] tempora fuerint non professi; quòd tamen præfatus Presbyter Bonus non est professus obseruantiam regularem, dubitatis, & meritò, nobis inconsultis procedere contra [e] priuilegium Sed. Apost. concessum Ecclesiæ memoratæ. Quia verò debemus attendere non solùm quod modò factum sit, sed quid sit potiùs faciendum; consultationi vestræ taliter respondemus, quod cùm secundum legem diuinam non sit in boue arandum & asino, nec quisquam debeat vestem induere de lana, linoque contextam; electionem prædictam sublato cuiuscunque appellationis obstaculo irritetis, & compellatis præfatum Presbyterum, aliosque clericos non professos, vt vel B. Augustini regulam in eadem Ecclesia constitutam profiteantur, & seruent; aut ipsam Ecclesiam omnino [f] dimittant.

NOTÆ.

1. a *Lucanensi.*] Luca Etruriæ ciuitas propè Lunenses montes sita est: eius meminerunt Ptolomeus, Plinius, Cicero, & alij relati ab Vghellio *tom.* 1. *Italiæ sacræ, pag.* 839. In ea ciuitate vltra Ecclesiam Cathedralem, cuius mentio fit *in cap. Pisanis* 19. *de restit. spol. cap. cùm olim* 18. *de præscript. cap.* 3. *de sortilegiis*, vbi notauit Cironius, est alia Ecclesia Canonicorum regularium extra muros, quam erexit S. Frigidianus Episcopus ipsius ciuitatis, vbi cum suis Canonicis regularibus degebat, à quo Canonici dicti sunt Frigidionarij, non Frisionarij, vt voluit Barbosa *in rubrica de statu monachor. & lib.* 1. *iuris Eccles. cap.* 41. *num.* 150. Plura de hac Ecclesia regulari tradit Gabriel Pennotus *lib.* 3. *historiæ Canonic. regular. cap.* 41. & *lib.* 2. *cap.* 45. Huius ergo Ecclesiæ Priori missæ sunt quamplures epistolæ decretales, adductæ à Pennoto *dict. lib.* 3. *cap.* 41. inter quas præcipua est nostra, & textus *in cap. super his, de testib. cogendis.*

b *In Priorem est electus.*] Huiusmodi Prioratus electio spectat ad canonicos maioris Ecclesiæ Lucanensis, vt constat ex bulla Gelasij, quam refert Vghellius *vbi suprà, pag.* 875. 2.

c *Regulam B. Augustini.*] Notum est, B. Augustinum non solùm ordinem eremiticum instituisse, verùm & Canonicorum regularium instituisse ordinem, vt pluribus relatis docent Marquez *in origine Fratrum eremi, cap.* 5. §. 2. Pennotus *integro lib. histor. canonic. regul.* hanc D. Augustini regulam profitentur dicti Canonici Lucanenses, vt refert Pennotus *dictis in locis.* 3.

d *Longa tempora.*] Quæ consuetudo, seu potiùs corruptela non admittitur, *cap. ad nostram, de consuet.* & nos probauimus *in cap. monasterium, hoc titulo*, vbi huius textus commentarium dedimus. 4.

e *Priuilegium.*] Sed ad quid hoc priuilegio opus est, cùm statutum iure communi reperiatur, 5.

ne

ne non professus eligatur in Prælatum Regularem, *cap. Abbatem* 18. *quæst.* 2. *dict. cap. cùm monasterium.* Huic difficultati respondet Cironius *in cap.* 3. *de elect. in* 5. *collect.* priuilegium hoc impetratum fuisse, quia quod priuilegio cautum est, & singulariter conceditur, plus timeri solet, & diligentiùs obseruari, *cap. quamquam* 23. *dist. cap. in omnibus, de consecr. dist.* 5. *l. sicut certo, ff. commodati.* Sed existimo aliam esse rationem huius priuilegij; nam cùm electio Prioris Lucanensis ad Canonicos maioris Ecclesiæ spectaret, vt suprà dixi, volebant ex suo Capitulo Priorem eligere, ex ratione textus *in cap.* 1. *hoc tit.* quare necessarium fuit priuilegium, vt Canonici maioris Ecclesiæ de Capitulo Ecclesiæ Lucanensis Priorem eligerent.

f *Dimittant.*] *Cap.* 3. *de electione*, in quinta compilatione, ibi: *Ad relinquendum monasterium, vel ad faciendam professionem, vt debent, monitione præmissâ, per censuras ecclesiasticas appellatione remotâ compellendos.*

CAPVT XXVIII.

Idem [a] *I. tit. Sancti* [b] *Steph. in Cælio monte Presbytero Card. Ap. Sed. Legato.*

QVod sicut ex litteris tuis. *Et infrà*: Nos igitur litterarum tuarum tenore diligenter inspecto, sex in eis perspeximus contineri, quorum tria contra prædictum [c] Armacan. electum, & alia tria contra eius [d] electionem facere videbantur. Primum nominatio facta de tribus, quam ex litteris tuis aliquotiens electionem appellas; contra quam, si electio verè fuit, antequam cassaretur, non debuerat aliquid [e] attentari. Secundum appellatio interposita, quæ si legitima fuit, sequentem electionem penitus impediuit. Tertium, quoniam [f] Miden. Episcopus, & Abbas [g] Mellifontis, qui interesse debuerant, ad electionem minimè conuenerunt: vnde si contempti fuerunt, vel ambo, vel alter, plus eorum contemptus, quàm multorum contradictio electionem prædictam debuit impedire. Quartum quia præfatus Abbas sic electus, ante confirmationem obtentam [h] administrare præsumpsit. Quintum, quia in die consecrationis suæ Ordines celebrauit, cùm nondum pallium obtineret. Sextum dilapidatio, quia tabulam argenteam alienare minimè formidauit. Verùm cùm ad primam electionem, quæ facta de tribus, dicenda videtur potiùs nominatio, non nisi quatuor de omnibus, ad quos electio pertinebat, videlicet duo suffragan. Ecclesiæ Armacanæ, & prædictus Abbas Mellifontis, & Archidiaconus Armacanus conuenerant, & ex illa tali nominatione nihil iuris acquisitum fuerit nominatis, licitè procedi potuit ad electionem regulariter celebrandam, præsertim in Ecclesia Armacana, cùm iuxta canonicas institutiones, si fieri potest, in Cathedrali Ecclesia electio debeat celebrari. Nec talis appellatio interposita electionem illam potuit impedire, cùm in ea nihil attentatum fuerit in præiudicium Regiæ dignitatis, quòd non simpliciter nominatio, sed solenniùs electio debet [i] Principi præsentari, vt postulato præstet assensum, etsi secus aliquando per vsurpationem aliqui faciant abusiuè. Si autem præfati Miden. Episcopus, & Abbas Mellifontis non contempti fuerant, sed ad electionem vocati, si tamen sine periculo potuerunt conuocari, siue nequiuerint, siue noluerint ad electionem celebrandam accedere, ipsorum absentia electionem non potuit impedire. Quoniam si ad locum illum inter Hibernenses securè non poterant proficisci, nec cæteri ad alium locum inter Anglicos tutè poterant conuenire, propter, quod tibi super hoc credimus veritatem diligentiùs inquirendam, & si eos vocatos fuisse constiterit, si vocari absque periculo potuerint, & illos noluisse, vel non potuisse ad electionem celebrandam venire, propter eorum absentiam, si canonicum aliud non obsistat, electio ipsa non debet aliquatenus irritari. Quod si eos vocatos fuisse non constiterit, sed contemptos, infirmanda penitus erit electio taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis diligenter admoniti curauerint consentire. Cæterùm, cùm antequam tu ad partes Hibernicas peruenisses, illa fuerit electio celebrata, & electus ipse statim cœperit ministrare, tu satis id potes sub dissimulatione transire, cùm id, sicut nosti, de Metropolitanis Angliæ, & Franciæ, & Alemaniæ, & aliarum partium remotarum, qui concorditer sunt electi, Romana Ecclesia patiatur, Ecclesiarum vtilitate pensatâ: quia si tanto tempore, quousque posset electus confirmationem cum pallio à Sede Ap. obtinere, regalia non reciperet, Ecclesia, quæ interim administratione careret, non modicum incurreret detrimentum. Super eo autem, quòd in die consecrationis suæ, antequam j Missar. solemnia finirentur, [k] Acolytum ordinauit, pro tali excessu eum

corripias

corripias & caſtiges, niſi fortè hoc eſſe de antiqua conſuetudine cognoueris Eccleſiæ Armacanæ, de qua ſi tibi conſtiterit, quod nunc factum eſt propter ſimplicitatem, & ruditatem gentis illius, poteris miſericorditer ſuſtinere: ſed diſtrictè ei ex parte noſtra prohibeas, ne de cætero aliquid ſimile attententur, cùm ſolus Rom. Pontifex, qui ſicut noſti ante [l] hymnum Angelicum conſecratur, & poſtmodùm ipſe Miſſar. ſolennia incipit, & perficit conſecratus, in die conſecrationis ſuæ valeat ordines celebrare. Cæteri verò, qui inter Epiſtolam, & Euangelium conſecrantur, quia conſecratori concelebrant principaliter celebranti, ne diuidatur myſterium vnitatis, non debent tunc ordines celebrare. Præterea cùm non liceat Archiepiſcopo ſine [m] pallio conuocare Concilium, conficere Chriſma, dedicare Baſilicas, ordinare clericos, & Epiſcopos conſecrare, multùm profectò præſumit, qui antequàm impetret pallium, clericos ordinare feſtinat, cùm idem non tanquam ſimplex Epiſcopus, ſed tanquam Archiepiſcopus facere videatur. Quod autem tabulam argenteam dicitur vendidiſſe, dummodo Eccleſiam Armacanam, ſicut promiſit, reddat indemnem, æquanimiter poteris præterire, cùm id de Cleri, vel populi proceſſerit voluntate. Sanè ſecundùm ea, quæ nobis tuis litteris intimaſti, tibi præſcripto modo duximus reſcribendum; ſed cùm de circumſtantiis eiuſdem negotij valeas habere notitiam pleniorem, & nos de diſcretione tua plurimùm confidamus, in iſto negotio, & in aliis te ſic credimus auctore Domino proceſſurum, quod tuæ ſolicitudinis prudentia poterit meritò commendari, & tua legatio ad honorem, & commodum Sed. Ap. multipliciter redundabit.

NOTÆ.

1. a *Idem I.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. id eſt, *Ioanni de Ferentino*, qui in partibus Hiberniæ Legatus miſſus fuerat ab Innocentio, cuius legationem refert Spondanus poſt Baronium *tom.* 1. *anno* 1206. *n.* 6.

b *S. Stephani.* Titulus hic eſt Preſbyteri Cardinalis ad Baſilicam S. Laurentij, vt refert Cohelius *in notit. Cardin. cap.* 6.

2. c *Armacanum.*] Armacum ciuitas eſt Archiepiſcopalis Hiberniæ, cuius Præſul non ſolùm Archiepiſcopus, verùm etiam Primas totius Hiberniæ eſt, cui etiam ſubſunt varij Epiſcopatus, quos referunt ex Scandeno, & aliis Acuña *de Primatu Brachar. cap.* 4. *num.* 20. Chopinus *lib.* 2. *Sacræ pol. tit.* 2. *num.* 15. Cuiacius *in cap.* 7. *de dolo & contum.* & nos *in eodem textu.*

3. d *Electionem appellas.*] Sed non rectè; aliud enim eſt nominatio, aliud electio; in electione vnus ſegregatur; in nominatione plures cooptantur: electio præſtat ius electo ad ipſam Eccleſiam; nominatio nullum tribuit ius nominatis: alias differentias proſequuntur Petrus Greg. *de elect. cap.* 2. *num.* 20. Iulius Lauorus *variar. lucubr. eod. tit. cap.* 4. licèt aliquando in nominatione inſit electio, *l.* 2. *l. nominatorem* 26. *C. de decurionibus, lib.* 10.

e *Attentari.*] *Cap. conſideranimus* 9. *hoc tit.* vbi commentarium huius textus inuenies.

4. f *Miden.*] Midenſis ciuitas eſt etiam in Hibernia, quæ habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Armacani; vnde eius Epiſcopus debebat intereſſe electioni Archiepiſcopi, iuxta ea, quæ adducimus *in cap. ſi Archiepiſcopus, de tempor. ordin.*

5. g *Mellifontis.*] Monaſterium hoc eſt Ordinis D. Baſilij, in Midenſi diœceſi, cui forſan ex priuilegio, aut conſuetudine competebat, vt eius Abbas ſuffragium præſtaret in electione Archipræſulis Armacani, vt plerumque olim euenie-bat, *cap. cùm dilectus, de conſuet.* vbi dixi.

h *Adminiſtrare.*] Vnde priuandus erat iure quæſito poſt electionem, iuxta tradita *in c. noſti, hoc tit.* *D.D. Gonzal. in Decretal.* Tom. I. Pars I.

i *Principi.*] Cuius conſenſus frequenter in electionibus eccleſiaſticis deſideratur, *c. cùm terra* 14. vbi probaui, *hoc tit.* & ita olim eueniebat, tam in Gallia, vt conſtat ex epiſtolis 54. & 137. Carnotenſis; quàm in Anglia, vt apparet ex epiſtolis 295. 297. & 298. Ioannis Sariſbarienſis, & refert Matthæus Pariſ. *ad annum* 1215. Tunc autem eius aſſenſus deſideratur, non quia electio ad eum ſpectet, nec neceſſe eſt in præſenti ſupponere Principem patronum Eccleſiæ fuiſſe, vt voluit Leo Pinellus *in cap.* 2. *de regul. num.* 192. 6.

j *Miſſarum.*] Epiſcopus dum conſecratur inter Miſſarum ſolennia, non poteſt aliquem ſacris Ordinibus initiare; ſed ſi ordines conferat, validè confert, vt docent Marchinus *de ordine tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. Diana *p.* 12. *tract. de conſecr. Epiſcop. reſol.* 44. Vnde legimus, aliquando inter Miſſarum ſolennia conſecrationis Epiſcopalis ordines fuiſſe collatos. De S. Anono Colonienſi Præſule refertur apud Surium *die* 4. *Decembris*, eodem die quo ordinatus fuit Epiſcopus, Miſſæ ſacrificium, & Ordines celebraſſe. Idem de Ioanne Conſtantienſi Præſule refert Vvalfridus Strabo *in vita S. Galli Abbatis, lib.* 1. *cap.* 34. & Surius *die* 16. *Octobris*, extantque litteræ Baſilij Patriarchæ Bulgarorum ad noſtrum Innocentium, in quibus refert eodem die, quo inauguratus eſt, ſe duos vnxiſſe Metropolitanos, & alios Epiſcopos. Idemque conſtat ex geſtis ipſius Innocentij III. & refert Hallierius *de ſacris elect. fol.* 971. 7.

k *Acolytum.*] Id eſt Ceroferarium, cuius officium duplex eſt: primum deferre cereos accenſos ante Preſbyterum, cùm legitur Euangelium: ſecundum miniſtrare vinum, & aquam in vrceolis, *cap. perlectis* 25. §. *ad acolytum*, 23. *diſt.* Plura de de acolyti officio, & muneribus Vaſquez 3. *p. in* 3. *diſp.* 236. *n.* 30. Vicecomes *volum.* 3. *de ritibus Miſſæ, lib.* 1. *c.* 25. Menardus *ad D. Gregorium fol.* 271. Petrus Gregorius *lib.* 15. *ſyntagm. c.* 6. Eſpenceus *lib.* 1. *digreſſ. cap.* 8. Mendoza *lib.* 2. *pro confirmat. Concilij Illiberit. lib.* 2. *cap.* 6. Zerda *in aduerſar. cap.* 94. Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. fol.* 381. 8.

l *Ante hymnũ.*] Ritum ordinationis Pontificis ex veteriſſimo codice manuſcripto refert Menard. *ad* 9.

D. Gregorium, pag. 311. in hæc verba: *Psallent secundùm consuetudinem; procedit electus de sacrario cum ceroſtatis ſeptem, & venit ad Confeſſionem, & poſt Litaniam aſcendunt ad ſedem ſimul Epiſcopi, & Preſbyteri. Tunc Epiſcopus Albanenſis dat orationem primam, poſtmodùm adducuntur Euangelia, & aperiuntur, & tenentur ſuper caput electi à Diaconibus. Tunc Epiſcopus Oſtienſis conſecrat eum Pontificem. Poſt hoc Archidiaconus mittit ei pallium, deinde aſcendit ad ſedem, & dat pacem omnibus ſacerdotibus, & dicit: Gloria in excelſis Deo.* Vnde cùm Pontifex non ſolùm conſecretur Epiſcopus, verùm & benedicatur Pontifex, licèt conſecrari debeat eâ Miſſæ parte, quâ cæteri Epiſcopi; tamen benedictio debet dari ante hymnum, vt ex noſtro textu cõſtat, & docet Franc. Hallier. *vbi ſuprà, d. pag.* 971.

m *Sine pallio.*] vt dixi, & probaui latè *in cap. ſuffraganeis, hoc tit.*

CAPVT XXIX.

Idem [a] *Doln. Epiſcopo, & Samgneo, & de* [b] *Arden. Abbatibus.*

AVditis, & intellectis meritis cauſæ de duabus electionibus celebratis in Eccleſia [c] Baiocen. vna de R. Archid. & altera de Magiſtro R. inuenimus vtramque contra formam canonicam attentatam, cùm inquiſitis voluntatibus ſingulorum Decanus cum paucioribus in ipſum Rob. & Cantor cum pluribus in Vv. Archid. conueniſſent. Solo Cantore poſtmodùm Magiſtrum R. de Ablegiis nominante, ad noſtram fuit audientiam appellatum, ne Decanus, qui primam in electione [d] vocem habebat, ad electionem procederet ſine conſenſu totius Capituli, vel maioris, & [e] ſanioris partis ipſius, vt diſcordiæ ianua, quæ iam videbatur aperta, per appellationis obſtaculum clauderetur: ipſe verò Decanus, non habito conſenſu maioris partis Capituli, ſed longè minoris, ſubitò in electionem prorupit appellans, ne quis contra ipſam electionem aliquid attentaret; quamvis aſſereret, quod electioni factæ plures alij conſenſerunt, cùm tamen ex poſtfacto nequiuerit [f] conualeſcere, quod ab initio non valebat; quoniam electio, quæ fuerat irrita ipſo iure, per ſubſequentem conſenſum appellatione pendente non poterat eſſe rata. Eis ergo ad propria recedentibus, Cantor & alij, qui remanſerant in Capitulo, poſt illam electionem nondum [g] caſſatam, & appellationem ad nos interpoſitam, à nominatione Vv. Archid. recedentes, de nouo Magiſtrum R. abſque Rom. Pont. vel Metropolitani proprij conſcientia, cùm Subdiaconus eſſet, proceſſerunt non ſolùm eligere, verùm etiam pulſatis [h] Campanis cum proceſſione ſolenni cantando hymnum in Eccleſia deportare. Nos igitur his, & aliis, quæ coram nobis fuere propoſita, diligenter auditis, de communi fratrum noſtrorum conſilio electionem vtramque duximus irritandam.

NOTÆ.

1. DOLENSIS VRBS VBI.

a *Dolnenſi.*] Ita corrupta huius textus inſcriptio eſt, vt non facilè vera reſtitui poſſit: vulgaris autem quæ in ſexta collectione habetur, retineri non valet; nam cùm cauſa, quæ in hoc textu diſceptatur, contigiſſet in Eccleſia Baiocenſi Prouinciæ Rhotomagenſis, eius cognitio committi non poterat Archiepiſcopo Toletano, Primati noſtræ Hiſpaniæ. Legendum ergo eſt: *Epiſcopo Dolenſi & Sagneo Abbati de Arden.* Dolenſis ciuitas eſt in vltima ferè Britanniæ parte, cuius Præſul Comitis titulo honoratur, & per plures annos Archiepiſcopi titulo decoratus fuit, vſquedum noſter Innocentius anno 1197. Ioanni IV. Moſchino dicto, Archiepiſcopi titulum abſtulit, & Turonenſi Eccleſiæ conceſſit, à quo tempore Eccleſia Dolenſis tantùm Epiſcopalis eſt, & Turonenſis ſuffraganea: quare dum Innocentius III. in præſenti Ioanni IV. reſcribit, eum tantùm Epiſcopum appellat. Seriem Præſulum ipſius Eccleſiæ referunt Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Chriſt. fol.* 565. Chenu *in chron. Galliæ.*

2. b *Arden.*] Ardenſe monaſterium, vulgò *de Ardena*, eſt Ordinis Præmonſtratenſis, propè Cadomum, in diœceſi Baiocenſi, ſub patrocinio B. Mariæ conſtructum anno 1122. à Dynaſta de Ermambille, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Galliæ chriſt. fol.* 76.

c *Baiocenſi.*] De ea diœceſi agemus *in cap. cùm in iure* 33. *hoc tit.*

d *Vocem.*] Tanquam Caput Capituli, vt probaui *in cap.* 2. *de reſcriptis.*

e *Sanioris.*] Ita enim procedendum erat, *cap. Cumana, cap. Eccleſia, hoc tit.*

f *Conualeſcere.*] Quia conſenſus ſuperuenit ſingulariter, non collegialiter; & Canonici nouiter accedentes cum aliis non faciebant maiorem partem Capituli, & proceſſerunt aliis non vocatis, & poſt appellationem: ex quibus omnibus cauſis non conualeſcere priorem electionem, docet Moneta *de commut. vltimar. volunt. c.* 12. *n.* 236. 3.

g *Nondum caſſatam.*] Vnde ad ſecundam procedi non poterat, ex traditis *in cap. conſideraui-mus, hoc tit.* ex cuius commentario, & ex traditis *in cap. Eccleſia, hoc tit.* præſens petendum eſt.

h *Pulſatis campanis.*] In receptione enim Epiſcoporum, & Abbatum, & cùm poſſeſſionem apprehendunt per intronizationem, pulſantur campanæ, *cap. in cauſa, de cauſa poſſeſſ.* Inde Innocentius noſter *lib.* 1. *regeſt. epiſt.* 297. ait, ruptos fuiſſe funes campanarum, ne Prælatus Flauienſis ad Eccleſiam duceretur, in ſedeque collocaretur, ibi: *Ne poſſent ad Eccleſiam ducere, fores Eccleſiæ clauſæ ſunt, funibus ruptis campanarum.* 4.

CAP.

CAPVT XXX.

Idem *Episcopo, & [a] Grandisilua & [b] Bellepertica. Abbatibus.*

IN causis, quæ ad Ap. Sedem. *Et infrà*: Nimirum cùm in Ecclesia [c] Tolosana vacante duo per dissensionem Capituli sui, videlicet ven.f. n. Episcopus [d] Conuenarum, & dil.fil. R. Archid. Agenen. nominati fuissent, R. Canonicus S. Licerij, Archid. & R. Canonicus S. Stephani Tolosani pro parte dicti Episcopi; pro parte verò altera dilectus filius Magister P. de Rama, & G. socius eius, ad nostram præsentiam accesserunt, quibus ven.f.n. [e] Alban. Episcopum, & dil. filium H. tit. Sancti [f] Martini Presbyterum Cardinalem deputauimus auditores, coram quibus proposuerunt nuntij prædicti, quod cùm Capitulum Tolos. Ecclesiæ ad tractandum de [g] electione Episcopi conuenissent, duos, R. de Ponte, & M. Cellerarium elegetunt, vt quinque de eodem Capitulo eligerent electores, qui præstito iuramento de substituendi Pont. electione tractarent; & à singulis de Capitulo statutum est, & consensum, vt illum, quem illi quinque concorditer, vel tres ex illis eligerent, si persona esset idonea, pro Episcopo, sine contradictione qualibet, haberetur; & etiam statutum fuit expressè, quod si quinque electores in vnam personam conuenire non possent, tribus ex eis concordantibus, reliqui duo illorum tenerentur sequi assensum, & electionem eorum ratam habere. Postmodùm verò cùm à prædictis duobus electi quinque electores fuissent, & ad tractandum de electione secessissent in partem, & non possent omnes pariter in vnam personam concordare, tres ex eis conuenerunt in prædictum Conuenar. Episcopum, qui erat Archidiaconus Ecclesiæ Tolosanæ; & antequam prænuntiarent [h] nominationem ipsius, eam sub protectione Apostolica posuerunt, & demùm electionem, quam de postulando eodem Episcopo fecerant, Capitulo publicarunt; ac reliqui duo subsequenter tertia die, cum paucis de Capitulo, reliquis absentibus, elegerunt prædictum Archidiaconum Agenen. Adiecerunt insuper prædicti R. & alij nuntij memorati, quod à dilecto filio I. tit. [i] Sanctæ Priscæ Presbytero Cardinale Ap. Sed. Legato fuit ex parte illa specialis nuntius destinatus; & quoniam Episcopus ipse j postulandus erat à nobis, & Legatus nullam concedendi, vel transferendi in eum potestatem habeat; cùm huiusmodi dispensatio Sedi duntaxat Apostolicæ [k] reseruetur, ne quid contra fieret, nostram audientiam appellauit. Nuntij verò prædicti Archidiaconi coram prædictis auditoribus è contrario responderunt, quod cùm prædicti quinque electores, in quos totum Capitulum eligendi transtulerat potestatem, seorsum de electione tractantes, inter se dissiderent, ita quod contentiosæ voces eorum à fratribus, qui remanserant in Capitulo, auditæ fuerunt, Capitulum ipsos propter huiusmodi contentiones suspectos habens, ad eos duos de Canonicis destinarunt, per quos inhibuerunt eis ex parte nostra, & prædicti Legati, ne vlteriùs in facto procederent; & ita potestatem eligendi, quam eis commiserant, reuocarunt, mandantes eis, vt redirent ad Capitulum, & pariter cum aliis fratribus de electione tractarent; & huiusmodi reuocationi duo ex ipsis electoribus adhibentes consensum, reliquis tribus non contradicentibus, cum nuntiis Capituli ad ipsum Capitulum sunt reuersi; sed alij tres vsque ad fores Capituli subsecuti, ab eis postmodùm discesserunt. Capitulum verò illorum absentiam admirantes, cùm tota die illa ipsorum præsentiam expectassent, subsequenti die [l] campanam pulsari fecerunt, & sicut moris est, ad Capitulum congregandum prædictis tribus cum paucis complicibus suis sese contumaciter absentantibus, Prior, Sacrista, & maior [m] Cellerarius Ecclesiæ Sancti [n] Stephani, quia quod speciale super hoc Præpositi absentis mandatum habebant, cum maiori, & saniori parte, conuocatis Abbatibus, [o] Prioribus, cum monachis, & aliis viris religiosis supradictum R. in Episcopum elegerunt; exhibuerunt etiam eiusdem Archidiaconi nuntij litteras prædicti Legati, quas nobis super hoc destinauit. *Et infrà*: Cùm autem prædicti auditores præmissa nobis, & fratribus nostris fideliter retulissent, nos memoratum Legatum piam intentionem in hoc facto adhibuisse pro certo credentes, ex ipso tamen tenore litterarum suarum intelleximus, eum circumuentum fuisse, & per subreptionem tacitâ veritate perpendimus elicitum, & extortum quidquid ab eo fuit obtentum, cùm in ipsis litteris non expresserit formam postulationis de Episcopo Conuenarum,

quæ præceſſerat, & facta erat per eos, in quos totum Capitulum eligendi tranſtulerat poteſtatem, propter quod vnanimiter, de conſenſu totius Capituli intelligitur eſſe factum: quam poteſtatem, cùm res non [p] eſſet integra, quia iam in tractatu proceſſerant electores, & tres, duobus diſſidentibus, conuenerant in vnam perſonam, Capitulum minimè potuit reuocare, præſertim ex illa cauſa, quia illi quinque erant diſcordes, cùm in tranſlatione poteſtatis illius manifeſtè fuiſſet expreſſum, quod ſi illos quinque contingeret diſſidere, electionem trium ratam haberent, & firmam. Præterea liquet eundem Legatum fuiſſe deceptum, quoniam in commiſſione ſua, prætermiſſo de electione Epiſcopi, qui erat à nobis ſolummodo poſtulandus, inquiſitionem de ſola electione Archid. ſub forma ſuperiùs expreſſa commiſit, ſuper quibus nequaquam taliter proceſſiſſent, ſi omnia ex ordine, provt fuit in veritate proceſſum, ſibi enarrata fuiſſent; vnde communicato fratrum noſtrorum conſilio, electionem ipſius Archid. non ex vitio, vel culpa perſonæ ipſius, ſed quia proceſſum eius minùs canonicum eſſe cognouimus, & ipſum Legatum multipliciter circumventum, decreuimus penitus irritandam. Quocirca diſc. v. per A. ſ. m. quat. omni gratiâ, & timore poſtpoſitis, circa perſonam Epiſcopi Conuenarum perſcrutari ſtudeatis indagatione ſollicitâ veritatem, ſi ſit vtilis & [q] neceſſaria ad regimen Eccleſiæ Toloſanæ, & idonea, tam ſcientiâ litterarum, quàm ſuæ conuerſationis exemplo, ad hæreticorum perfidiam de Toloſana diœceſi extirpandam, quæ ibi ob negligentiam [r] Præſulum miſerabiliter, & damnabiliter hactenus pullulauit; & ſi vobis ita conſtiterit, tranſeundi ad Eccleſiam Toloſanam propter vrgentem neceſſitatem, & eorundem vtilitatem auctoritate noſtra, ſublato cuiuſcumque contradictionis & appellationis obſtaculo ei licentiam tribuatis; alioquin ipſius poſtulatione repulsâ, Capitulo eiuſdem Eccleſiæ auctoritate Ap. iniungatis, vt perſonam ad hoc eligant in Paſtorem.

NOTÆ.

1. a *Randiſiluæ.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 15. Monaſterium hoc eſt Ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Toloſanæ, fundatum anno 1144. cuius mentio fit *in cap.* 33. *de reſcriptis*, & de eo plura cumularunt Manrique *tom.* 3. *annal. Ciſterc. anno* 1147. *cap.* 18. *num.* 20. Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Galliæ, fol.* 506.

2. b *Bellepertícæ.*] Etiam Abbatia hæc eſt Ordinis Ciſtercienſis, filia Clareuallis, diœceſis Montis Albaniæ, ad ripam Garumnæ, ſub inuocatione B. Mariæ fundata anno 1143. vt referunt de ea agentes Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 144. Illuſtris. Manrique *tom.* 3. *annalium Ciſtercienſium, anno* 1143. *cap.* 8. *num.* 2.

3. c *Toloſana.*] Morte Fulcandri, & depoſitione, ſeu renunciatione Raymundi tertij, vt dixi ſuprà *in cap. per inquiſitionem*; ex tunc enim Eccleſia Toloſana cœpit pati diuiſionem, nec facilè ad concordiam reduci poterat, diuiſis Canonicis, vt in noſtro textu refertur, vſquedum electus fuit Fulco, natione Maſſilienſis, monachus Ciſtercienſis; in cuius electione Canonici ad vnitatem, hæretici ad fidem, & res Eccleſiæ ad priſtinum ſtatum redactæ fuerunt. De eo agit Manrique *d. tomo* 3. *anno* 1205. *cap.* 3.

d *Epiſcopus Conuenarum.*] Qui antea fuerat Præpoſitus Eccleſiæ Toloſanæ, vt dixi *in d. cap. per inquiſitionem.*

4. e *Albanenſem.*] Gerardum videlicet, quem ex Nouarienſi Epiſcopatu in Epiſcopum Cardinalem Albanenſem elegit Innocentius III. anno 14. ſui Pontificatus, vt refert Vghellius *tom.* 1. *Italiæ ſacræ, in Eccleſia Alban. num.* 38.

f *Tituli S. Martini.*] Titulus iſte eſt Preſbyteri Cardinalis, ad Baſilicam Sancti Petri ſpectans. Cohelius *in notit. Card. num.* 38.

g *Electione Epiſcopi.*] Adhuc enim temporibus Innocentij III. Toloſa ciuitas erat tantùm Epiſcopalis, vt probaui *in d. cap. per inquiſitionem.*

h *Nominationẽ.*] Ideſt electionem; ſæpè enim confunduntur nominatio, & electio, *c. quod ſicut, hoc tit.*

i *I. tituli S. Priſcæ.*] Ioanni videlicet, qui ſimul cum Octauiano Hoſtienſi Epiſcopo miſſus fuit Legatus in partibus Galliæ, ad cauſam matrimonij Philippi Francorum Regis, vt refert Spondanus *tom.* 1. *continuat. anno* 1201 *num.* 1. Titulus S. Priſcæ eſt Preſbyteri Cardinalis, ad Baſilicam S. Pauli pertinens, de qua Cohelius *d. cap.* 6. 5.

j *Poſtulando.*] Quia qui ſunt compromiſſarij ad eligendum, habent facultatem poſtulandi, vt defendit Layman. *de Prælat. elect. cap.* 8. *per totum.*

k *Reſeruetur.*] *Cap.* 1. *de tranſlat. Epiſcopi, cap.* 3. *de officio Legati*, vbi latiùs probabimus.

l *Campanam.*] Vſus apud omnes receptus eſt, vt Capitulum congregetur pulſatione campanæ, ad actus communitatis, tam iudiciales, quàm extraiudiciales. Gloſſa *in l. obſeruari*, Maranta *de ordine iudic. 6. p. memb.* 1. *num.* 211. Romani ad Comitia tubâ vocabantur, ex Sabellico, & aliis probat Iulius Lauorus *in tractat. de comit.* ad balnea verò pulſatione tintinnabuli. Iuuenalis *ſatyra* 6. 6.

Tot pariter pelues, & tintinnabula dicas
Pulſari, iam nemo tubas, atque æra fatigat.

Martialis:

Redde pilam, ſonat æs thermarum.

An vbi conſuetudo viget, vt Capitulum congregetur ad ſonum campanarum, ſi alio modo congregetur, acta ſubſiſtant, diſputat Bobadilla *tom.* 2. *polit. cap.* 7. *num.* 15. & nos plura de campanarum vſu adducemus *in cap. patentibus, de priuilegiis.*

m *Cellerarius.*] Huius officij mentio extat *in cap. dilecto, de præb. cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu monach. l. quæſitum, ff. de inſtructo vel inſtrum. l. nominatim, ff. de manumiſſis teſtam.* Concil. Aquiſgran. *can.* 40. Conſiſtit autem in diſpenſanda penu, tritico, & vino; vnde qui præpoſitus eſt diſpenſationi panis, aut vini, dicitur Cellerarius; quod officium præcipuè in monaſteriis reperitur D. Benedicti, *cap.* 31. *regulæ*, ibi: *Cellerarius monaſterij eligatur de congregatione.* Concil. Francoford. 7.

ford. *can.* 13. *Vt cellerarij in monasteriis auarì non eligantur, sed tales electi sint, quales regula S. Benedicti docet.* Plura de his cellerariis regularibus Vossius *de vitiis sermonum lib.*2. *cap.*4. Benedictus Ephtenus *lib.*3. *disquisit. tract.*7. *disquisit.*4. à quibus qui in Ecclesiis Cathedralibus præpositus est, aut emendis, seu custodiendis rebus esculentis, & poculentis, siue vt rationes saluæ sint, dicitur Cellerarius. Cæsar *de ecclesiast. hierarch. q.*2. *præmiali,*§.5.*num.*15.

n *Stephani.*] Ecclesia Cathedralis Tolosana dicata est D. Stephano, vt refert Chenu *vbi suprà.*

o *Abbatibus & Prioribus.*] Quibus competebat temporibus nostri Innocentij electio Episcoporum, *cap. cùm Ecclesia, de causa proprietatis.*

p *Res non est integra.*] Quando res integra dicatur, vel non, dicemus *in cap. gratum*, & *relatum, de offic. delegati.*

q *Vtilis & necessaria.*] Istæ causæ, videlicet 8.
euidens vtilitas, & ineuitabilis necessitas, concurrere debent, vt translatio de vna Ecclesia fiat ad aliam, *cap. inter*, vbi latè dicemus, *de translat. Episcopi.*

r *Præsulum.*] Fulcandri videlicet, & Raymundi tertij, ob quorum desidiam hæresis Albigensium in ipsam Ecclesiam, & Comitatum Tolosanum irrepsit, vt diximus *in d.cap. per inquisitionem*, & refert Manrique *tom.* 3. *annalium*, *anno* 1205. *cap.* 5. Quæ ad hunc textum spectant, adduxi *in cap. causam* 8. *hoc titulo.* 9.

CAPVT XXXI.

Idem [a] *Florentino Episcopo.*

CVm Ecclesia [b] Vulterana debito Canonicorum obsequio longo fuisset tempore destituta, ven. f. n. Vulteranus Episcopus volens ministrorum defectum in eadem Ecclesia restaurare, Canonicos quosdam elegit, & [c] instituit in eadem, quos residentes Canonici recipere noluerunt, asserentes, quod talis electio fuerat in eorum præiudicium attentata. Cúmque super hoc suam ad nos idem Episcopus querimoniam destinasset, causam ipsam tibi commisimus fine canonico terminandam, &c. *Et infrà*: Nos verò vtriusque partis attestationibus, & rationibus diligenter inspectis, de communi fratrum nostrorum consilio præsentium tibi authoritate mandamus, quatenus super primo articulo petitionis Episcopi, in quo postulauit à te, vt prænominatos Canonicos ab iniuria, quæ ei super electione Canonicorum Vulteranæ Ecclesiæ infertur, prohiberes, ab impetitione ipsius Episcopi sæpedictos Canonicos appellatione postpositâ absoluere non postponas: quia sicut iuris regula dicit, non videtur iniuriam facere, qui vtitur iure suo, cùm per testes longè melius sit probatum, quod Canonici supradicti hoc iure vsi fuerint, quàm Episcopus memoratus. In secundo quoque præscriptæ petitionis articulo, quo idem petebat Episcopus, vt dicti Canonici ipsum iure electionis vti liberè paterentur, absoluere studeas Canonicos sæpedictos, maximè si sit notorium, quod in Tuscia generalis consuetudo seruetur, vt in Cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum, irrequisito Episcopo, eligendi Canonicos habeat facultatem.

NOTÆ.

1. FLORENTIA VBI.

a *Florentino.*] Florentia Etruriæ caput, & Metropolis est, Magnorum Ducum inclyta sedes, cuius descriptionem tradit Franciscus Schotus *in itiner. Italiæ, pag.* 206. iam ab anno 56. ciuitas Episcopalis legitur, licèt aliquando grassantibus bellis destituta Pastore fuisset: posteà Martinus V. anno 1410. in Archiepiscopalem erexit, adiunxitque vt suffraganeos Pistorienscm, Fesulanum, Burgensem, Cellensem, ac Summuniatensem, vt latè eius Præsules recensens tradit Vghellius *tom.*3. *Italiæ sacræ.* Huius Ecclesiæ Episcopis plures decretales epistolę missæ reperiuntur, vt *in cap.* 3. *de officio ordin. cap. per tuas* 7. *de maiorit. & obed. cap. causam* 19. *de testibus*, *cap.*3. *de dilat. c. inter* 8. *de donation. c. quod Dei* 5. *de statu monach.* Præsens decretalis missa est Ioanni, qui ex Veriternensi Ecclesia, vbi Canonicus erat, assumptus fuit in Episcopum Florentinum anno 1205. & vixit vsque ad annum 1230. cui vt viro integerrimo varia commisit negotia Innocentius noster, vt constat ex adductis ab Vghellio *vbi suprà*, *n.* 33.

2. VVLTERENSIS CIVITAS VBI.

b *Vulterana.*] Ciuitas Vulterana, aliàs Vulterensis dicta, est in Regno Neapolitano, in terra Samnitum, supra altissimos montes, qui Tremuli vocantur, sita; habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Beneuentani: tradit Cironius *in cap.*2. *de officio Archid. in* 5. *collect.* in qua Ecclesia nostri textus casus contigit.

3.

c *Et instituit.*] In hoc maximè peccauit contra receptam consuetudinem Ecclesiæ Vulteranæ, cùm in ea institutio tantùm ad Archidiaconum spectet, *c.*2. *de offic. Archid.* vbi in simili specie Episcopo Vulterano in hæc verba rescribitur: *Quid ad Archidiaconi spectet officium, in epistola B. Isidori, & Ordinis Romani statutis, necnon & constitutionibus aliis inuenitur expressum; vnde non sine ratione miramur, quod cùm dil. f. Magister Vuido Archid. Ecclesiæ tuæ, occupatus Cancellariæ nostræ seruitiis, in Archidiaconatu suo personaliter ministrare non possit, ac propter hoc commiserit dilectis filiis Vulterano Capitulo vices suas: tu, sicut eodem accepimus conquerente, cùm examinatio, præsentatio, ac installatio Clericorum, siue de beneficiis, siue dignitatibus hic agatur, pertineat ad eundem, eodem, ac procuratoribus suis irrequisitis, omninò ipsos instituis pro tuæ arbitrio voluntatis, aliàs super officio suo*

4.

grauis eidem & iniurioſus exiſtens. Vt igitur quod per ſeipſum modò non poteſt, per alios liberè proſequatur, f.t. p. A.ſ. m. quatenus procuratores ipſius in his, quæ iure ſcripto, vel approbata conſuetudine ad ſui Archidiaconatus officium ſpectare noſcuntur, benevolo ſtudeas fauere proſequi, attentiùs prouiſurus, vt eos in præmiſſis, & aliis ad officium ſuum ſpectantibus non impedias, nec patiaris, quantùm inte fuerit, ab aliis impediri.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu talis depromitur concluſio. *Si ad Capitulum conſuetudine ſpectat collatio præbendarum, Epiſcopus eas conferre non poteſt.* Probant textus *in cap. à collatione, de appellat. in 6. cap. finali de ſupplenda neglig. cap. poſtulaſti, de conceſſ. præb. cap. fin. de inſtitutionib. cap. innotuit, cap. ea noſcitur, de his quæ fiunt à Prælatis, cap. ex frequentibus, cap. cùm veniſſent, de inſtitutionib. cap. cùm ex iniuncto, de hæreticis, cap. quod quibuſdam, de fideluſſorib. cap. 3. de exceſſ. Prælat. cap. quia, §. verum, de magiſtris.* Illuſtrant Duarenus *lib. 3. de ſacris, cap. 4.* Selua *de beneficiis p. 2. q. 22. caſu 4.* Garcia *eod. tract. p. 5. cap. 4. ex num. 13.* Gonzalez *ad regul. 8. gloſſa 45. num. 5.* Quintanadueñas *lib. 1. eccleſiaſt. cap. 5. num. 4.* Lotherius *lib. 2. de re benef. q. 21.* plures congeſti à Barb. *de canonicis cap. 14.* quibus addendi ſunt I. Dartis *de benef. cap. 6.* Michael Rouſſelius *lib. 3. hiſt. iuriſd. Pontif. cap. 4. & lib. 4. cap. 11.* Valenſis *lib. 1. de beneficiis, tit. 9. num. 4.*

5. IMPVGNATVR PRÆSENS DECISIO.

Sed huius textus deciſio difficilis redditur ſequenti iuris conſideratione: Præbendarum, & omnium beneficiorum, quæ in alicuius diœceſi conſiſtunt, collatio ad ipſum Epiſcopum, in cuius Epiſcopatu reperiuntur, ſpectat, & ea conferre valet, *cap. nullus, cap. omnes 16. q. 7. cap. decretum, cum tribus ſequentibus, 10. q. 1. cap. ex iniuncto 10. de hæreticis, cap. cùm olim, de maiorit. & obed.* & ſi Capitulum intendat collationem ad ipſum ſpectare, ſimul cum Epiſcopo admittitur, *d. cap. cùm olim:* igitur nunquam ad Capitulum tantùm ſpectat collatio præbendarum. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, quia in præſenti caſu ex alio capite, iure videlicet deuoluto, collatio præbendarum, quæ longo tempore vacauerant, vt ex textus ſerie conſtat, ad Epiſcopum ſpectabat; nam ex diſpoſitione Concilij Lateran. cùm per ſex menſes præbenda collata non eſt à Capitulo, ad Epiſcopum tanquam immediatum ſuperiorem ius conferendi deuoluitur, *cap. 2. cap. finali*, vbi dicemus, *de ſupplend. neglig. cap. 2. de conceſſ. præb.* poſt alios docet Valenſis *de benef. lib. 2. tit. 20.* ſed in noſtro textu præbendæ vacauerant per longum tempus, quod diuturnum, & decennium ſignificat, *l. penult. de prætor. ſtipulat. l. 1. ff. de riuis, l. ſi finita, §. 1. ff. de damno infecto, l. diuturna, ff. de legib. l. 4. C. de præſcrip. long. temp.* Cuiacius *de diuerſ. tempor. præſcript. 2. p. cap. 26.* Albericus Gentilis *de temporum appellat. cap. 10.* igitur in præſenti caſu ad Epiſcopum iure deuoluto collatio canonicatuum ſpectabat. Secundò difficilis eſt noſter textus, dum docet, Canonicos ratione conſuetudinis in prouincia Tuſciæ præſcriptæ poſſe conferre præbendas in ſua Eccleſia, irrequiſito Epiſcopo; nam hæc conſuetudo iuri communi expreſsè aduerſatur, vt liquet ex ſuprà dictis: ſed conſuetudo iuri communi contraria, niſi ſit legitimè præſcripta, attendi non debet, *cap. cùm dilectus, de conſuet.* igitur in noſtro textu non ſufficiebat probare conſuetudinem introductam eſſe, niſi ſimul conſtaret eam legitimè præſcriptam eſſe. Augetur vltimò hæc difficultas ex eo, quia conſuetudo generalis non protrahitur ad loca particularia, niſi in eis obſeruata fuerit, *cap. final. de officio Archid. cap. ſuper eo, de cenſibus:* igitur licèt in præſenti textu conſuetudo generalis Tuſciæ probaretur; ſi tamen non conſtabat in Vulterana Eccleſia eſſe obſeruatam, eius ratione Canonici eam tueri non debebant.

6. COLLATIO PRÆBENDARVM AD QVEM SPECTET.

Quibus difficultatibus non obſtantibus, vera eſt præſens Innocentij deciſio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, iure communi inſpecto, in Eccleſiis Cathedralibus collationem præbendarum ad Capitulum ſimul, & Epiſcopum ſpectare: pro qua ſententia expenduntur communiter textus *in cap. fin. de ſupplend. neglig. cap. ea noſcitur, de his quæ fiunt à Prælat. cap. poſtulaſti, de conceſſ. præb. cap. quia nonnulli, §. verum, de magiſtris, cap. à collatione, de appellat. in 6.* Sed licèt prædicta doctrina vera ſit ex ea ratione, quia cùm Epiſcopus & Capitulum vnum corpus conſtituant, *cap. nouit, de his quæ fiunt à Prælat.* & æquum ſit vt ſimul concurrant ad collationem; tamen nullo ex prædictis iuribus probatur: illa enim iura loquuntur ſecundùm conſuetudinem, ac ius ſpeciale Eccleſiæ, de qua agebatur; & quidem narratiuè, non diſpoſitiuè, vt defendunt Garcia *de beneficiis 5. p. cap. 4.* Lotherius *d. lib. 2. cap. 21.* Barboſa *d. cap. 14.* Qui eam rationem expendunt, quia præbendæ Eccleſiæ Cathedralis præſumuntur dotatæ ex bonis communibus Eccleſiæ, & Epiſcopi; vnde ſiue hoc expreſsè conſtet, ſiue præſumatur, æquale ius vtrique competere debet; ita tamen, vt Capitulum vnam vocem habeat, Epiſcopus verò aliam, ideſt, vt æquale ſuffragium habeat Capitulum, ſiue eius maior pars, ac habet Epiſcopus, *cap. paſtoralis, de reſcriptis*, vbi Gloſſa *verbo Plures, cap. ſcriptum, §. & ſi partes, hoc tit.* vbi Abbas, *cap. poſtulaſtis, §. ad quod breuiter, de conceſſ. præb.* Gloſſa *in Clement. plures, de iurepatron.* argumento textus *in l. liber homo, §. Titius, ff. de hæred. inſtit. l. pater filio, ff. de vulgari, l. ſi quis filio, ff. de vſufructu accreſcendo.*

7. QVID EX CONSVETVDINE ET IVRE NOVO.

Sed licèt hæc ita procedant inſpectâ iuris communis ratione, tamen conſuetudine, præſcriptione, ſeu ſpeciali Eccleſiæ ſtatuto contrarium introduci valet, videlicet vt ad Capitulum tantùm, vel contrà, ad Epiſcopum ſolum collatio præbendarum ſpectet, *cap. ex frequentibus, de inſtitut.* Garcia & Barboſa *vbi proximè*, Selua *de benefic. d. q. 22. num. 32.* Vnde ſi conſuetudine introductum ſit, vt ad Capitulum tantùm ſpectet collatio præbendarum, Epiſcopus in ea collatione ſuffragium non habet, vt in noſtro textu docetur: hodie tamen poſt regulam 8. aliàs 9. Cancellariæ, præbendæ, quæ vacant in menſibus ordinariis, videlicet Ianuario, Februario, Maio, Auguſto, Octobri, & Nouembri, conferuntur à R. Pontifice abſque eo, quod Epiſcopus, ſeu Capitulum aliquod ius in ſupradictis menſibus habeant: vacantes verò in reliquis menſibus debent ſimul à Capitulo & Epiſcopo conferri alternatiuè, vt vno conferente alter eligat ſequenti vice. Hæc tamen procedunt, niſi Epiſcopus impetrauerit alternatiuam à R. Pontifice; nam tunc incipiente Pontifice à menſe Ianuarij, Epiſcopus habet Februarium, & ſic de ſingulis menſibus ſequentibus dicendum eſt: plura de hac alternatiua

congeſſit

congessit Barbosa *d.cap.14.num.13.* Ex quibus apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cùm in præsenti casu constaret, ex consuetudine Tusciæ Canonicis Vulteranis competere collationem præbendarum in sua Ecclesia, nullo modo Episcopus poterat intendere ius conferendi ad ipsum spectare, & sic iustè Innocentius III. illi silentium imponit, cùm consuetudo in rebus à iure positiuo prouenientibus non leuis auctoritatis sit, *cap. finali, de consuet. l.2. C. quæ sit longa.* Quare ius conferendi præbendas Capitulo competere potest ratione consuetudinis, *ex c. dilectus, de consuet.*

8. Dissolvitur difficultates.

Nec prima difficultas suprà adducta aduersatur, quia procedit cessante consuetudine, aut simili iure speciali; præsens verò decisio locum habet adstante consuetudine, quæ valet ius positiuum abrogare, & ius conferendi præbendas Capitulo tribuere, *d. cap. cùm dilectus.* Nec augmentum ipsius difficultatis obstat, nam constitutio Concilij Lateran. locum habet in Ecclesiis, vbi certus & determinatus est numerus præbendarum, non verò si certus numerus præscriptus non sit, *cap. ex parte, de conces. præb.* Vnde cùm in hoc textu, vt rectè supponit Glossa, quam omnes sequuntur, non esset certus Canonicorum numerus, nunquam ex iure deuoluto potuit collatio præbendarum ad Episcopum pertinere. Nec obstat secunda difficultas, quia supponimus consuetudinem, de qua in hoc textu, esse legitimè præscriptam per statutum à iure tempus cum titulo, ex regula textus *in c.1. de præscriptionibus in 6.* vt Abbas notauit in præsenti, *num. 6.* Cùm autem agatur in hoc textu de iure alteri quæsito tollendo, potiùs præscriptio, quàm consuetudo debet appellari; & cùm ad hoc vt inferior acquirat ius conferendi contra ordinarium habentem fundatam intentionem de iure communi, requiratur præscriptio quadragenaria cum titulo, ex traditis à Garcia *d. cap.4. num.91.* ita vt Capitulum contra Episcopum hoc ius eligendi acquirat, debet quadragenaria præscriptione muniri. Nec augmentum huius difficultatis refragatur, nam potiùs verum est, consuetudinem generalem vnius prouinciæ debere obseruari in Ecclesiis ipsius, in quibus non est alia specialis consuetudo; quia tunc specialis derogat generali; eâ autem cessante attendi debet consuetudo generalis, *d. cap. super eo:* tradit Barbosa *in præsenti, circa finem*; videndus etiam est Henricus Bohic. *in cap. innotuit, de his quæ fiunt à Prælatis.*

CAPVT XXXII.

Idem [a] *Abbati S. Victoris, Decano Parisiensi, & Mag. R. de Coizon, Canonico Nouiomensi.*

CVm dilect. fil. H. Archidiaconus [b] Morin. & Magister H. Attebaten. Canonicus Morin. electi procuratores, & B. Morin. Canonicus ad Sed. Ap. accessissent, procuratores ipsi proponere in nostra præsentia curauerunt, quod Ecclesiâ Morin. Episcopi solatio destitutâ, Canonici eiusdem Ecclesiæ de Pastoris substitutione tractantes, in dil. fil. A. Presbyterum, G. diac. T. Subdic. Canonicos Morin. potestatem eligendi Episcopum vnanimiter [c] contulerunt, iuramento interposito promittentes, vt illum reciperent in Pastorem, quem de gremio ipsius Ecclesiæ ducerent in Episcopum eligendum: qui postmodùm examinatis voluntatibus singulorum, Ioannem Archid. eiusdem Ecclesiæ, virum litteratum, prouidum & discretum in Episcopum elegerunt, & eadem electione à Capitulo communiter approbatâ, à Metrop. suo pariter petierunt, vt electionem confirmaret eandem: qui tam electionem, ac electi personam diligenter examinans, quàm etiam super ipsius ætate, de cuius defectu fuerat ab aliquibus dubitatum, inquirens solicitè veritatem, per sententiam declarando electum ipsum minimè sustinere in ætate defectum, electionem de ipso factam, vtpotè canonicè celebratam, solemniter confirmauit, qui posteà [d] regalibus receptis à Rege, ad petitionem eiusdem Capituli à v. f. n. Attebaten. Episcopo de mandato Metropolitani prædicti fuit in Presbyterum ordinatus, & aliquamdiu nullo contradicente, liberam, & pacificam, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus administrationem obtinuit in Ecclesia Morinen. vnde procuratores ipsi à nobis humiliter petierunt, vt iis, qui post hæc omnia inuidiæ stimulis agitati, contra factum proprium temerè veniendo, aduersùs electum ipsum materiam discordiæ suscitare præsumunt, silentium imponentes, & memoratam electionem, tam concorditer celebratam & confirmatam, solemniter approbantes, eidem faceremus electo munus [e] consecrationis impendi; multorum super hoc non solùm Abbatum, & Capellanorum ciuitatis, & diœcesis Morin. sed etiam aliorum Presbyterorum nobis litteris præsentatis, qui super præmissis omnibus testimonium perhibentes, electum ipsum de litteratura, discretione, ac honestate reddiderunt apud nos multipliciter commendatum. Quin immò & electorum ipsorum super hoc nobis litteras obtulerunt, quibus erat litterarum illarum de verbo ad verbum, sicut iidem asserunt electores, tenor insertus, quæ de potestate ipsis tradita iuxta præmissam formam confictæ in

Capitulo fuerant, & [f] sigillo Capituli sigillatæ. Verùm supradictus B. qui contra electum venerat memoratum, proposuit ex aduerso, quod in supradictos tres sub hac forma, iuramento præstito, fuerit eligendi concessa potestas, vt Capitulum eum recipere teneretur, quem illi tres ab omnibus, vel maiori & saniori parte de gremio ipsius Ecclesiæ nominatum eligerent in Pastorem. Electores ipsi terminos potestatis sibi traditæ non seruantes, prædictum Archidiaconum eligere præsumpserunt, quem pauci de Capitulo nominarant. Vnde Canonici Morin. postmodùm admirantes, qualiter Archidiaconus electus fuerat memoratus, cùm plures essent in eadem Ecclesia digniores, super electionis processu inuicem colloquendo, cœperunt ferè omnes publicè profiteri, quod nullatenus Archidic. nominauerant supradictum: & reputantes se illusos in hac parte, quod super hoc factum fuerat, per eum, cui suas litteras testimoniales assignarunt, nostro curauerunt Apostolatui referare. Qui coram nobis solicitè postulauit, vt eadem electione cassatâ faceremus ipsi Ecclesiæ de persona idonea canonicè prouideri; cùm omnes ferè Canonici Morin. sicut asseruit, sint parati præstito iuramento firmare, quod præfatum Archid. nunquam in Episcopum nominarunt; & legitimè posset ostendi, quod iuxta præmissam formam supradictis tribus collata fuerit auctoritas eligendi, vt videlicet de gremio Ecclesiæ illius eligerent eum, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli consentirent; asserens idem B. se nihilominus probaturum, quod sæpedictus electus pateretur in ætate defectum. Nos verò his, & aliis, quæ fuerunt hinc inde proposita coram nobis, diligenter auditis, quòd res pernicioſa esset exemplo, si per subreptionis astutiam quis ascenderet ad apicem dignitatis, de consilio fratrum nostrorum ita duximus prouidendum, vt præstito à contradictoribus iuramento, quod ipsi contra præfatum electum [g] malitiosè non moueant huiusmodi quæstionem, prædicti tres electores iuramenti vinculo astringantur dicere veritatem, quot ex Canonicis examinationis tempore in præfatum Archid. conuenerunt; & si tres simul, aut duo saltem ex ipsis iurati dixerint, maiorem Canonicorum partem in ipsum Archid. conuenisse, vos contradictoribus silentium imponatis, cùm contra hoc eorum esset probatio insufficiens, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares. Si verò per eorum depositiones constiterit, sæpedictum Archid. extitisse à paucioribus nominatum, tunc demùm solicitè auditis quæ vtraque pars proposuerit ad probandam formam, secundùm quam eligendi potestas præfatis tribus electoribus asseritur fuisse concessa, si fuerit sufficienter ostensum, quod illum de gremio Ecclesiæ secundùm formam sibi datam debeant eligere, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli conuenirent, vos electionem ipsius Archid. omninò cassetis, & faciatis Ecclesiæ Morinen. per electionem canonicam de persona idonea in [h] Pontificem prouideri: alioquin, quod de ipsa factum est, ratum habentes, contradictores ab eius impetitione per censuras ecclesiasticas, appellatione remotâ compescatis, præfatumve B. præbendâ Morin. Ecclesiæ spoliantes, qui se ad hanc pœnam, si forsan in probatione defecerit, [i] obligauit, non obstante, quod super ætatis defectu obiectum est contra illum, cùm idem Canonicus huic obiectioni non multùm institerit, & super hoc à Metropol. fuerit [k] iudicatum; cuius sententia in rem transiit iudicatam, cùm infra [l] decendium non fuerit legitimâ prouocatione suspensa.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita restituenda est hæc inscriptio ex Antonio August. in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 17. De Abbate S. Victoris egi *in cap. ex insinuatione, de rescriptis*: de Parisiensi Ecclesia *in cap. final. eod. tit.* De Nouiomensi *in c. Capitulum, hoc tit.* ex quibus illustranda est hæc inscriptio.

2. b *Morin.*] Morinum, seu Morinensis ciuitas, est in Belgica Romana, Taruana dicta, vt refert Bucherus *in Belgic. Rom. pag.* 609. *cap.* 1. Habet Ecclesiam Cathedralem, cuius mentio fit *in cap.* 2. *de alienat. iudic. cap. ex parte, de appellat. cap.* 1. *de solut.* Eius Præsulum catalogum refert Henricus Huntidunensis *in annalib. Anglicis.*

3. c *Contulerunt.*] In tres enim, aut quinque super electione compromitti valet, *cap. in causis, hoc tit.* in vnum tamen compromitti non posse, *ex cap.* 4. *hoc tit. in* 5. *collectione*, probat Cironius *ibi*, licèt aliud obseruari posse in electione Imperatoris defendat Vicherus *de elect. Regis Rom. p.* 94.

4. d *Regalibus receptis.*] Plerumque enim Reges Regalia Episcopis concedunt, iuramento fidelitatis ab eis recepto: vnde cùm Rex Regalia obtineret in Ecclesia Morinensi, vt probat Chopinus *lib.* 1. *sacræ polit. tit.* 7. *num.* 1. ideo Rex potuit ea concedere Episcopo electo; ex hoc autem textu rectè probat Chopinus *vbi suprà, num.* 22. quod licèt Rex in Ecclesia ius regaliæ habeat, non tamen ex eo electionem Prælati ad ipsum spectare.

e *Consecrationis.*] A prædicto Archiepiscopo, vel tribus Episcopis, iuxta ea, quæ adducimus *in cap. si Archiepiscopus, de temp. ordin.*

f *Sigillo Capituli.*] Quælibet enim Ecclesia habet suum sigillum, de quo nonnulla dabimus *in cap. dilectus, de excessib. Prælat.*

g *Malitiosè.*]

g *Malitiosè.*] Quando in cauſis ſpiritualibus præſtetur calumniæ iuramentum, dicemus *in cap. licèt, de iuramento calumniæ.*

h *Pontificem.*] Id eſt Epiſcopum ; Epiſcopi enim plerumque in iure noſtro appellantur Pontifices, vt etiam probaui *in cap. 1. de poſtulat. Prælat.*

i *Obligauit.*] Aliàs arbitrariâ pœnâ eſſet plectendus vt calumniator, *cap. 1. de calumniatorib. cap. ſuper his, de accuſat.*

5. k *Iudicatam.*] Hoc textu moti Abbas Panormit. *in cap. lator, num. 5. & in cap. cùm Bertholdus, num. 28. de re iudicata*, Couarr. *in 4. 2. p. §. 12. num. 14.* exiſtimarunt ſententiam prolatam in cauſa beneficiali tranſire in rem iudicatam, itavt poſteà retractari non poſſit. Sed contrarium, videlicet ſententiam prolatam in cauſa beneficiali non tranſire in rem iudicatam, docuerunt Felinus *in d. cap. lator, num. 14.* plures relati à Couar. *vbi ſuprà, num. 12.* pro quibus facit, quod valet argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale : ſed in matrimonio Carnali ſententia prolata non tranſit in rem iudicatam, *d. cap. lator, cap. tenor, de re iudic. cap. cauſam 14. de præſumpt.* D. Ioannes de Larrea *allegat. 63. num. 12.* igitur nec in beneficiali debet tranſire. Hoc tamen Interpretum diſſidium ita componendum eſſe exiſtimat Balboa *in d. cap. lator, num. 39.* videlicet ſententiam in cauſa beneficiali latam, quoad eum, qui ſuccubuit, & condemnatus eſt, tranſire in rem iudicatam elapſo tempore appellationis ; quoad alium verò, qui obtinuit, non tranſire in rem iudicatam. Diſcriminis rationem ex eo reddit, quia qui ſuccubuit, & non appellauit, potuit renuntiare iuri ſuo ; qui verò obtinuit iniuſtè, cum vitio retinet, & ſic quoad eum non poteſt ſententia in iudicatum tranſire.

l *Decendium.*] Vox barbara, legendum eſt decennium, vt notauit Cuiacius *in cap. ſignificauerunt, de teſtib. & atteſtationibus* ; quo modo etiam emendandus eſt textus *in cap. quoad conſultationem, de re iudicata* ; vbi de decennio ad appellandum agemus. 6.

Pro huius textus interpretatione videnda ſunt quæ addùximus *in cap. cauſam 8. hoc tit.*

CAPVT XXXIII.

Idem *Epiſcopo* [a] *Baiocenſi.*

CVm in iure peritus exiſtas, & copiam habeas peritorum, non poſſumus non mirari, quòd ſuper quibuſdam iuris articulis nos conſulere voluiſti, qui nihil, aut modicùm [b] dubitationis continere noſcuntur. Primus ſiquidem tuæ conſultationis articulus continebat, quod cuiuſdam Eccleſiæ [c] Decano defuncto, eiuſdem loci Capitulum ſub hac forma in ſeptem ex ipſis Canonicis compromiſit, vt illum, quem ex ſe, vel ex aliis de gremio ipſius Eccleſiæ omnes pariter, vel maior eorum pars eligerent, idem Capitulum reciperet in Decanum. Verùm cùm vnus ex illis ſeptem à tribus ipſorum ; & alius, qui non erat de numero eorundem, à tribus aliis in Decanum fuerint nominati, à nobis tua fraternitas requiſiuit ; vter eorum aſſumi debeat à Capitulo in Decanum ? Super quo taliter reſpondemus, quod is, qui de numero ſeptem à tribus eorum dignoſcitur nominatus, iuxta compromiſſi tenorem debet in Decanum aſſumi, dummodo electioni de ſe factæ conſentiat, & aliquod canonicum non obſiſtat.

NOTÆ.

1. a *Baiocenſi.*] Baiocenſis, ſeu Baiocaſis, ciuitas eſt Galliæ, cuius populi Baiocaſini dicuntur à Gregorio Turon. *lib. 5. hiſtor. cap. 27.* Habet Eccleſiam Cathedralem B. Mariæ dicatam, & in ea obtinet ius Regaliæ Galliæ Monarcha, vt refert Chopinus *de ſacra polit. lib. 1. tit. 7.* eſt ſuffraganea Archiepiſcopi Rhotomagenſis, vt referunt Fratres Sarmat. *tom. 2. Galliæ, fol. 332.* Eius mentio fit *in cap. dilectus, de officio Ordin.* Roberto de Ablagel eius Præſuli reſcribit in præſenti Innocentius, vt iam notarunt Fratres Sarmat. *vbi ſuprà.* Præſentis decretalis alia pars extat *in cap. cùm in iure, de offic. deleg.* & reperitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 18.*

2. b *Dubitationis.*] Sed nouum non eſt, res certas, nec controuerſas iterum Iureconſultis proponere, & quærere, vt firmiores reddantur, vt *in l. 1. ff. ad legem Falcidiam, l. 3. §. 1. ff. nautæ, caupones, l. quoties, C. de rei vind. l. quæris, C. de natalibus reſtit. l. ſi procuratori 79. ff. de verb. obl.* docent Cuiacius, Corraſius & Reuardus laudati ab Olano *lib. 2. paralip. cap. 1. num. 31.* immò cùm de iure aperto Conſultus Scæuola reſpondiſſet *in l. à teſtatore 169. ff. de condit. & demonſtrat.* laudatur à Claudio eius notatore, vt poſt Cuiacium, & Fabrum notarunt Pancirola *lib. 2. variar. cap. 103.* Præceptor ſemper laudandus D. Ioſephus de Retes *in d. l. à teſtatore.*

c *Decano.*] Eius dignitatem expoſui *in cap. 2. de reſcriptis.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur aſſertio : *Si ex ſeptem compromiſſariis tres eligant quartum, & ille conſentiat electioni de ſe factæ, confirmabitur electio.* Quæ deciſio non habet ſimilem in iure noſtro, per argumentum tamen probari poteſt *ex cap. cùm inter, cap. cùm dilectus, cap. congregato, hoc tit. l. planè, ff. quod cuiuſque vniuerſit. l. pater 4. §. quotiens, de manumiſſis vindicta, l. vbi abſens, ff. de tutor. & curat.* cum aliis in ratione decidendi expendendis. Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, Ioannes Calderinus *in rep. ad hunc textum*, Vighellius *in methodo iuris canon. pag. 336.* Lambertinus *de iurepatron. lib. 2. q. 1. art. 8.* Iacobatius *de*

de Conciliis lib.3. art.1. num. 119. Arellanus *lib.1. antinom.5.* Cuiacius *lib. 9. Pauli ad edictum in l. 4. ff. quod cuiusque vniuers.* Robertus Beneuentanus *variar. q. 3.* Vicherus *de elect. Regis Rom. pag. 93.* Silua *de qualit.prælatiuis, num 61.*

4. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Sed non leuiter impugnatur tradita assertio sequenti consideratione; nam nemo seipsum eligere potest, *cap. final. de institutionib. cap. per vestras, de iurepatronat.cap.3.de excessib. Prælat.* ne ambiendi dignitates detur occasio, contra textus *in cap. in scripturis 8.q.1. cap. qualiter* 17. *hoc tit. l. 1.ff. ad legem Iuliam de ambitu*, Bartolus & Baldus *in d.l. planè* 4. Petrus Greg. *lib.1. partit. tit.28. cap.3.* inter dantem enim, & accipientem debet esse distinctio, *d. cap. finali, de institut. cap. per nostras, de iurepatron.* nec vna, eademque persona diuerso iure censeri valet, videlicet eligentis, & electi, *cap. debitum, de baptismo, l. eum qui, ff. de vsucap. l.2.ff.de stipulat. seruorum*; nec quis potest esse auctor in re propria, *l. 1. ff. de auctoritate tutor. l. 1. §. fuit quæsitum, ff. ad Trebellian.* nec iudex, aut testis in causa propria aliquis admittitur, *l. vnica, C. ne quis in sua causa*; electus verò dum se sua voce iuuat, videtur quasi sibi perhibere testimonium, & iudicare se dignum esse: igitur in hoc textu non poterat vnus ex compromissariis consentire electioni de se factæ ab aliis compromissariis, cùm seipsum eligat; eo enim non consentiente, electio ab aliis facta non valebat, cùm non fuisset à maiori parte celebrata; ratione autem proprij suffragij sustinetur: igitur primò & principaliter compromissarius se eligit, quod ius abhorret.

5. RATIO DECIDENDI.

Hac dubitandi ratione non obstante, iuri, & rationi consona est nostra decisio; nam vt electio rectè celebretur, tantùm desideratur vt maior pars eligentium concurrat, *cap. coram, hoc tit.* nec desideratur, vt maior par eligendum eligat, sed vt in eo adsit maior pars: sed si ipse electus consentiat, maior pars in eius electione concurrit, & reperitur: ergo talis electio iure defenditur. Faciunt pro hac decisione textus *in l. planè 4. ff. quod cuiusque vniuers.* vbi cùm supponatur actorem ciuitatis decreto Ordinis, & à maiori parte Decurionum esse eligendum, *l.3.ff.eod. tit.* ait Paulus: *Plane vbi duæ partes Decurionum adfuerint, is quoque quem decernunt, numerari potest*; notat Cuiacius *ibi*: igitur in nostra specie is quoque, in quem alij tres consenserunt, numerari debet. Facit etiam textus *in l.vbi absunt, ff. de tutorib. & curator.* ibi: *Non est dubium, quin vnum ex se dare possint*; vnde in electione Imperatoris vnus ex electoribus potest consentire suæ electioni, & maiorem partem facit, ex constitutione Caroli IV. *cap.2. aureæ bullæ, §.final.* & practicatum fuit in Ruperto Imperatore, qui à Moguntinensi, Treuirensi, & Colonensi Archiepiscopis electus, suæ electioni consensit, & sic Imperator renunciatus fuit; referunt Abbas Trithemius *in chronic. anno* 1040. Paulus Langius *eod. anno*: & vnus ex patronis ab aliis præsentatus potest præsentationi consentire, Silua *vbi suprà, num.61.* ergo similiter in hoc textu vnus ex compromissariis suæ electioni potest consentire, præcipuè cùm formæ compromissi non repugnet, siquidem ea fuit, vt ex se, vel ex aliis vnum in Episcopum eligerent; quare vnum ex ipsis eligendo, compromissi formam seruarunt.

6. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

In contrarium obiecta vno ictu dissolui possunt; hæc enim probant sui ipsius electionem non valere, quod non negamus; at in hoc textu, vbi tres quartum elegerunt, non quartus semetipsum elegit, sed iudicium, quod tres de ipso tulerunt, comprobauit; & aliud est eligere, aliud electioni consentire; sicut aliud est manumittere, aliud manumissioni consentire, *l.4. ff. de manumiss. vindicta*; vbi qui non potest manumittere, potest manumissioni consentire; & aliud est vendere, aliud venditioni assensum præstare, *l. aliud 160. ff. de regulis iuris*; vbi alia adducit Petrus Faber. Quare licèt prohibitum sit iure nostro se eligere, non tamen prohibitum est electioni consentire. Nec obstat ambitionem præsumi in eo, quia cùm tantùm consentit suæ electioni, non se ingerit dignitati, sed tantùm iudicium aliorum probat.

7. EXPONITVR TEXTVS IN CAP. CVMANA, HOC TIT.

Obstat huic assertioni textus *in cap Cumana 50. hoc titulo*, vbi Gregorius IX. decreuit, electum à media parte Capituli, electioni de se factæ consentire non posse, nec assentiendo augere numerum eligentium; quod expressè nostræ assertioni aduersatur. Huic difficultati vt occurratur, discrimen constituendum est inter electionem, quæ fit per viam scrutinij manifesti, & quæ fit per viam scrutinij occulti. Primo casu electus electioni de se factæ assentire potest, secundo verò neutiquam. Discriminis ratio ex eo prouenit, nam ille, qui scrutinio secreto electioni sui consentit, cùm nesciat se electum ab aliis, potiùs se elegit, quàm electioni consentit, & principaliter & directè suam electionem intendit: in scrutinio verò manifesto, cùm iam sit vocatus ab aliis, non se elegit, sed tantùm vocationi consentit; vnde cùm in nostro textu agatur de scrutinio manifesto inter compromissarios, potuit vnus ex eis electioni de se factæ consentire: textus verò *in d. cap. Cumana*, loquitur in scrutinio occulto, & ideò non est cur antinomia inter eas decisiones detur. Docent Panormit. *in præsenti*, Azeuedo *ad Curiam Pisanam lib.2.cap.14.num.7.* Arellanus *dicta antinomia 5.*

CAPVT XXXIV.

Idem *Duci* [a] *Laringiæ.*

VEn. f. n. [b] Salesburgen. Episcopum, & dil. fil. Abbatem de [c] Sal. & nobilem virum Marchionem Orientalem, quorundam [d] Principum nuntios ad Sed. Apost. destinatos benignè recepimus, & eis beneuolam duximus audientiam indulgendam. Litteras quoque, quas per eos quidam nobis Principes destinarunt, diligenter perlegi fecimus, & quæ continebantur in eis, notauimus vniuersa. Inter cætera verò, quæ dicti Principes per easdem nobis litteras intimarunt, hac præcipuè obiectione sunt vsi, dicentes, quod ven. f.n. [c] Prænestinus Episcopus Ap. Sed. Leg. aut electoris gessit,

gessit, aut cognitoris personam; si electoris, in alienam messem misérat falcem suam, & electioni se ingerens, Principum derogauerat dignitati; si cognitoris, [f] absente altera partium videtur perperam processisse, cùm citata non fuerit, & ideò non debuerit contumax iudicari. Verùm nos, qui secundùm Apostolicæ seruitutis officium sumus singulis in iustitia debitores, sicut iustitiam nostram ab aliis nolumus vsurpari, sic ius Principum nobis nolumus vindicare. Vnde illis [g] Principibus ius, & potestatem eligendi Regem in Imp. postmodùm promouendum, cognoscimus, vt debemus, ad quos de iure, ac antiqua [h] consuetudine noscitur pertinere: præsertim cùm ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Ap. Sede peruenerit, quæ Rom. Imperium in persona Mag. Caroli à [i] Græcis transtulit in Germanos. Sed Principes recognoscere debent, & vtique recognoscunt, sicut iidem in nostra recognouerunt præsentia, quod ius, & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ad nos spectat, qui eam j inungimus, consecramus, & coronamus. Est enim regulariter ac generaliter obseruatum, vt ad eum [k] examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat. Numquid enim, si Principes non solùm in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque, vel excommunicatum, in Regem, [l] tyrannum, vel fatuum, & [m] hæreticum elegerint, aut paganum, nos inungere, consecrare, aut coronare hominem huiusmodi debemus? Absit omninò. Obiectioni ergo Principum respondentes asserimus, quod Legatus noster Episcopus Prænestinus [n] approbando chariſſimum in Christo fil.n. Regem Othonem, & reprobando Philippum Ducem Sueuiæ, neque electoris gessit personam, iuxta quod nobis per litteras suas quidam Principum opponebant; vtpotè qui neque fecit aliquem eligi, neque elegit, & sic electioni se nequaquam ingessit: neque cognitoris personam exhibuit, cùm neutrius electionem quoad factum eligentium confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam; & sic ius sibi Principum nullatenus vsurpauit, aut venit contra illud. Exercuit autem denunciatoris officium, quia personam Ducis eiusdem denunciauit non idoneam quoad Imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electorum; quamvis plures ex illis, qui eligendi Regem in Imp. promouendum de iure, ac consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum Regem O. & ex eo quod fautores Philip. absentibus aliis, & [o] contemptis ipsum eligere præsumpserunt, pateat eos perperam processisse; cum explorati sit iuris, quod electioni plus contemptus vnius, quàm contradictio multorum obsistat; vnde priuilegium meruerunt amittere, qui permissâ sibi abusi sunt potestate; videri non immeritò potest, quod iniuria huiusmodi non obstante, cæteri vti poterant iure suo. Et quoniam Dux prædictus nec vbi debuit, nec à [p] quo debuit, coronam, & vnctionem accepit; memoratus verò Rex, & vbi debuit, videlicet [q] Aquisgrani; & à quo debuit, scilicet à ven.f.n. Colonienſi Archiepiſco recepit vtrumque: Nos vtique non Ph. sed O. reputamus & nominamus Regem, iustitiâ exigente. In reprobatione verò præfati Ph. Ducis Sueuiæ, propter [r] manifesta impedimenta personæ, non accusatione, sed condemnatione potiùs fuit opus, quia non accusatione, sed condemnatione indigent manifesta. Quod autem cùm in electione vota Principum diuiduntur, post admonitionem & expectationem alteri partium fauere possimus, maximè postquam à nobis vnctio, consecratio, & coronatio postulantur, sicut vtraque pars à nobis multotiens postulauit, ex iure patet pariter, & exemplo: numquid enim si Principes admoniti, & expectati, vel non potuerint, vel noluerint conuenire, Ap.Sed. [s] aduocato & defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam? Sicut autem Principes, & tua Nobilitas non ignorat, quod cùm [t] Lotharius & Conradus in discordia fuissent electi, Rom. Pont. Loth. coronauit, & Imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demùm ad eius gratiam redeunte: Nos ergo per nuncios Principum memoratorum eos duximus commonendos, vt sicut nos à iuris ipsorum cessamus iniuria, sic ipsi contra ius nostrum se nequaquam iniurioſos ostendant, sed à præfato Duce iusto quidem à nobis iudicio reprobato recedant, & præfato Regi O. non abnuant adhærere, nisi tunc demùm contra personam, vel factum legitimum aliquid ab eis obiectum fuerit, & ostensum. Sunt enim notoria impedimenta Ducis Sueuiæ, scilicet [v] excommunicatio publica, [x] periurium manifestum, & persecutio diuulgata, quam [y] progenitores eius, & ipse præsumpserunt in Ap. Sed. & alias Ecclesias exercere: fuit enim à bonæ mem. S. [z] Papa prædecessore nostro propter inuasionem, & deuastationem patrimonij beati P. commonitione sæpè præmissa, publicè, ac solemniter excommunicationis vinculo innodatus, cùm in Tuscia moraretur; quod ipse postmodùm recognouit, dum

pet

per nuntium ſuum ab ipſo prædeceſſore noſtro abſolutionis beneficium [aa] poſtulauit, & poſtmodùm ab A. tunc [bb] Sutrino Epiſcopo, quem cum Abbate [cc] S. Anaſtaſij pro liberatione ven. f. n. [dd] Saliſniter. Archiepiſcopi nos in Theutoniam miſeramus, contra formam mandati noſtri de facto ſolummodò, quia de iure non potuit, poſt ſuam electionem apud [ee] Vvarmatiam occultè ſe fecit [ff] abſolui. Vnde patet, quod fuit excommunicatus electus, & videtur non immeritò, quod adhuc ſit ex eadem cauſa excommunicationis ſententiâ innodatus, cùm prædictus Epiſcopus cum auctoritate ſua non poſſet abſoluere; auctoritate verò noſtræ delegationis, nec plus, nec aliter liceret hoc ipſi, quàm quod ei fuerit ab [gg] Ap. Sed. conceſſum. Ex eo etiam excommunionis ſententiæ ſubiacere creditur manifeſtè, quod cùm perfidus [hh] Marcoaldus, Dei, & Eccleſiæ inimicus, cum vniuerſis fautoribus, tam Theutonicis, quàm Latinis excommunicationis vulgatæ vinculis, ſuæ iniquitatis meritis ſit adſtrictus, ſicut iam vobis per litteras noſtras directas per P. iudicem Placen. ipſius Phil. nuntium intimaſſe meminimus, quas ad ipſius Phil. audientiam credimus peruenisse; nihilominus quamvis id non tantùm ex relatione ipſius iudicis, ſed etiam per publicam famam ad notitiam eius deuenerit, eidem excommunicato non ſolùm communicat, ſed eum in malitia ſua fouet, & per nuntios & litteras ſuas exacuit furorem ipſius, vt chariſſimum in Chriſto fil. n. F. Siciliæ Regem Illuſtrem, nepotem eius, quem iam hæreditate paterna priuauit, adhuc priuet poſſeſſione materna. Idem etiam contra proprium iuramentum, ſuper quo nec conſilium à Sede Ap. requiſiuit, ambitionis vitio Regnum ſibi vſurpare præſumpſit, non alium neceſſitatis causâ in Regem eligere: quod vtrumque tolerabile videretur, ſi ſuper illo iuramento à Sed. Ap. conſilium requiſiiſſet, quæ priùs conſuli debuiſſet, ſicut & eam quidam conſuluere prudenter, apud quam ex inſtitutione diuina plenitudo reſidet poteſtatis. Nec valet ad plenam excuſationem ipſius, ſi iuramentum illud dicatur [ii] illicitum, cùm nihilominus ſuper eo nos prius conſulere debuiſſet, quàm contra ipſum propria temeritate venire, illo præſenti exemplo, quod cùm [jj] Gabaonitæ à filiis Iſraël per fraudem ſurripuerint iuramentum; ipſi tamen cognitâ fraude noluerunt contra illud ſuâ temeritate venire. Vtrum verò iuramentum licitum ſit, an illicitum, & ideò ſeruandum, aut non ſeruandum extiterit, nemo ſanæ mentis ignorat, ad [kk] noſtrum iudicium pertinere. Quod autem Phil. de genere perſecutorum exiſtat, Principes non credimus dubitare, cùm Henricus, qui primus Imperium hoc de genere accepit, Paſchalem PP. prædec. n. cum Epiſcopis & Card. multis Romanorum præſumpſerit [ll] captiuare. Fredericus verò pater ipſius Phil. contra fel. rec. PP. A. [mm] præd. n. longo tempore ſchiſma fouit. Henricus frater ipſius Phil. qualiter ſe habuit circa interfectores ſanctæ mem. A. [nn] Leodien. Epiſcopi, quem ipſe priùs coegerat exulare ad [oo] Conradum, qui Epiſcopum [pp] Oſtien. ceperat, ſatis noſtis; quin etiam qualiter ven. f. n. [qq] Auximianum Epiſcopum [rr] alapis cædi fecerit, & pilos de barba eius auelli, & tractari eum in pluribus inhoneſtè; qualiter quoque quoſdam familiares Eccleſiæ Rom. naſo fecerit mutilari: qualiter prædictum Salernitanum Archiepiſcopum [ss] captiuauerit, & quoſdam viros eccleſiaſticos flammis torreri fecerit; quoſdam verò viros in mare ſubmergi, ad tuam & aliorum Principum credimus audientiam peruenisse. Inſuper ſi prædictus Dux, quod abſit, Imperium obtineret, libertas Principum in electione periret; Imperij obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur. Nam ſi, provt olim Fridericus [tt] Conrado, vel Henricus poſtmodùm Friderico; ſic nunc vel [vv] Fridericus [xx] Phil. vel Phil. Henrico ſuccederet, videretur Imperium non ex electione, ſed ex ſucceſſione deberi. Præterea cùm multi Principum ex Imperio æquè ſint nobiles, & potentes, in eorum præiudicium redundaret, ſi non niſi de domo Ducum Sueuiæ videretur aliquis ad Imperium aſſumendus. Cùm ergo nos flecti à noſtro propoſito nullâ penitus occaſione poſſimus; ſed in eo potiùs firmiſſimè perſiſtamus; & tu nobis ſæpè per litteras tuas duxeris ſuggerendum, vt eidem Duci nullatenus faueremus: Nob. tuam admonemus & exhortamur in Domino, & per A. f. m. quat. ſicut de gratia noſtra confidis, & nos de tua deuotione ſperamus, de cætero à præfato Duce Phil. recedas omninò, non obſtante iuramento, ſi quod ei ratione Regni feciſti; cùm eo quantùm ad obtinendum Imperium reprobato, iuramentum huiuſmodi non debeat obſeruari: prædicto verò Regi O. quem nos concedente Domino ad coronam Imperij diſponimus euocari, patenter adhæreas, & potenter; vt cùm ei ad commonitionem noſtram adhæſeris, inter primos gratiam, & beneuolentiam eius obtinere præcipuè merearis, ad quod pro tuæ Nobilitatis honore dabimus operam efficacem.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Laringiæ.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 19. in hac autem ſexta habetur, *Duci Caringiæ*; ſed vtrobique malè, nam legendum eſt *Zaringiæ*, ſeu *Turingiæ*. Bertholdus enim Dux Zaringiæ, cum à Principibus, qui poſteà Othonem elegerunt, nominatus eſſet Imperator, idem mox cùm auariſſimus eſſet, acceptâ à Philippo pecuniâ, ei turpiter ceſſit ius ſibi competens, vt ex Vrſpergenſi & aliis refert Spondanus *tom. 1. poſt Baron. anno* 1198. *num.* 8. quare Bertholdo Duci Zaringiæ miſſa eſt hæc decretalis, cuius hiſtoria ex integra ſuprà relata ſatis cognoſcitur, & ita contigit. Mortuo Henrico V. Imperatore apud Meſſanam, ſchiſma in Imperio ortum fuit, eo quod Principes Germaniæ in Imperatorem elegerunt Philippum Ducem Sueuiæ, fratrem Imperatoris prædefuncti; & cùm à maiori Electorum parte fuiſſet Imperator renunciatus, coronam accepit, & conſecrationem Moguntiæ, à Tarentaſienſi Archiepiſcopo; & cùm in ea electione Colonienſis Archiepiſcopus, & quidam alij Principes, tam eccleſiaſtici, quàm ſæculares, elegiſſent Othonem filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, Comitem Pictauienſem, qui coronatus fuit ſolenniter Aſquigranis à Colonienſi Archiepiſcopo; Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus Apoſt. Sed. Legatus vt hoc ſchiſma ſedaret, Othonem legitimum Imperatorem eſſe; Philippum autem iniuſtum & illegitimum pronunciauit. Electores conqueſti fuerunt coram Innocentio III. prædictum Legatum iuri ſuo electorali ſe immiſcuiſſe; Innocentius verò Legati factum approbauit, & etiam variis rationibus roborauit; præcipuâ, quia cùm Philippus eſſet excommunicatus, & periurus, ex cauſis infrà referendis, erat incapax, atque indignus faſcium Imperialium, ſiue à maiori parte, ſiue à communi Electorum ſuffragio eſſet nominatus: quare à R. Pontifice, à quo Imperatoris petenda eſt confirmatio, immò & conſecratio, non valebat confirmari, nec conſecrari. Referunt præſentis textus hiſtoriam poſt D. Antoninum, Abbatem Vrſpergenſem, & alios illius ſæculi ſcriptores, Philippus Bergomas *lib. 3. ſupplement. chronic. in principio*, Martinus Chromer. *lib. 7. de geſtis Polonorum*, Ioannes Baptiſta Egnatius *lib. 3.* Seuerinus Binius *in notis ad Concil. Rom. celebratum anno 996. tempore Gregorij V.* ex profeſſo magis Abraham Bzouius *annal. tom. 1. anno* 1198. *n. 3. & anno* 1199. *num. 22. & ſequent. & anno* 1200. *num. 3.* Spondanus *poſt Baronium tom. 2. anno* 1198. *num. 8.* Odoricus Reynaldus *anno* 1198. *num. 61. &* 1199. *n. 29. &* 1205. *num. 43. &* 1207. *num. 7.* Carolus Sigonius *de Regno Italiæ lib. 15. anno* 1198. Thomas Facellus *de rebus Sicul. decade 2. lib. 8. cap. 1. & 2.* Ex noſtratibus Petrus Mexia *in ſuis Cæſaribus, in Henrico & Philippo*, Illeſcas *hiſtor. Pontif. tom. 1. c. 32. in Innocentio III.* Pineda *tom. 3. monarch. eccleſiaſt. lib. 21. cap. 10. §. 2.* ſæpiùs laudatus, etſi nunquam ſatis laudandus, Illuſtriſſimus D. Franciſcus Ramos *in memor. ad Alex. VII. pro Epiſcop. Luſit. propoſ. 3. §. 1. num. 55.* Auctor reſponſi, ſeu idem eximius vir, *à las pretenſiones de Francia, §. 41. num. 170.* Florens *ad hunc tit.*

b *Saliſburg.*] Qui Archiepiſcopatus eſt in Germania.

2. c *Abbatem de Sal.*] De Salenſi, ſiue Salomonis villa; de quo monaſterio ita Bruſchius *in chron. monaſt. Germaniæ*, ibi: *Salomonis villam nonnulli Alemani dicunt omnium in Germania facilè pulcherrimam, atque opulentiſſimam; milliari vno ab Vberlinga Imperiali oppido diſtat: nomen hoc illi inditum volunt, quòd ad templi Hieroſolymitani ſimilitudinem ſit condita; alij verò à Salomone quodam paſtore deriuant, qui primam ibi Eccleſiam ſibi extruxerit.* Fundator extitit Gunteranus Baro, qui anno 1138. obiit, Manrique *tom. 1. anno* 1138. *cap. 14. num. 4.* Alia dabimus *in cap. final. de accuſat.*

d *Principum.*] Eorum videlicet, qui vocem electoralem in electione Imperatoris habent, de quibus infrà.

e *Præneſtinus Epiſcopus.*] Guido Cardinalis, qui ſimul cum Octauiano Cardinali Epiſcopo Hoſtienſi miſſus fuit Legatus à noſtro Innocentio per annum 1200. vt Othonem confirmarent, & illi obedientiam præſtari facerent. Refert Spondanus *dicto anno* 1200. *num.* 1. & de eo Epiſcopo egi *in cap. dudum, hoc tit.* 3.

f *Abſente altera.*] Philippo videlicet.

g *Principibus.*] Electoribus ſcilicet, de quibus infrà.

h *Conſuetudine.*] Valde difficilis inter Catholicos, & Proteſtantes diſceptatur quæſtio, vtrum Pontificiâ authoritate, vel aliquâ Imperatoris conſtitutione, ſeu conſuetudine inſtitutum ſit Electorum collegium? Proteſtantes inſtitutionem collegij Electorum ad Othonem III. referunt, ſtatuuntque, ipſum Othonem conſilio Gregor. V. cuius cognatus erat, inſtituiſſe ipſos Electores: ita docent Marſilius Patauinus *de tranſlat. Imper. c. 11.* Leopold. *de iurib. Imperij n. 12.* Panuinus *de coron. Imperat.* Platina *in vita Gregorij V.* Alij exiſtimant non certo aliquo Imperatorum, Pontificumve decreto, ſed tantùm Principum & ordinum Imperij conſenſu interueniente, temporis diuturnitate memoriam hominum ſuperante introductum eſſe. Ita docuerunt Tobias Pauimeiſter, *de iuriſd. Imper. lib. 2. c. 2. n. 38.* Scombornerius *lib. 5. polit. c. 32.* Arniſeus *tom. 1. lib. 2. polit. c. 6. ſect. 5.* Auguſtus Viſcherius *de elect. Regis Rom. membro* 1. pro quibus faciunt præſens textus, vbi hoc ius conſuetudine introductum eſſe ſupponitur: Carolus IV. *in ſua bulla aurea, tit. 1.* ibi: *Iuxta antiquam, & laudabilem conſuetudinem.* Et *tit. 2. §. 5.* ibi: *Quia de antiqua, approbata, & laudabili conſuetudine.* Et *tit. 4. §. 2.* ibi: *Ab antiqua.* Et *tit. 9. §. 2.* ibi: *Antiquâ, approbatâ, & laudabili conſuetudine.* Igitur conſuetudine potiùs, quàm aliqua iuris ſcripti parte collegium Electorum inſtitutum eſt. Aliorum etiam hiſtoricorum teſtimoniis idem probat Viſcherius *vbi ſuprà.* Catholici non tantùm conſilio Gregorij V. verùm eius authoritate inſtitutum fuiſſe hoc collegium defendunt: ita Nicolaus Serarius *lib. 1. Mogunt. c. 29.* D. Thomas *de regim. Princip. cap. 18. & 19.* Baronius *tom. 10. anno 996. §. 54.* Bellarminus *de tranſlat. Imperij lib. 3. c. 1.* Seuerinus Binius *vbi ſuprà*, Borellus *de præſtant. Reg. Cathol. c. 58. n. 6.* Iacobatius *de Conciliis lib. 10. art. 8.* innumeri congeſti à Diana *p. 10. tract. 4. reſol. 3.* quæ doctrina expreſſo nititur teſtimonio D. Thomæ *d. cap. 19.* in illis verbis: *Otho Imperium tenuit vſque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus eſt Otho; & ex tunc, vt hiſtoriæ tradunt, per Gregorium V. genere ſimiliter Theutonicum, prouiſa eſt electio, vt videlicet per ſeptem Principes Alemaniæ fiat, quæ vſque ad iſta tempora perſeuerat.* Facit etiam textus *in Clement. vnica, de iureiurand.* vbi id expreſsè deciditur, & probatur teſtificationibus Electo- 4.

rum, ab ipſiſmet ſcriptis & obſignatis, quibus fatentur ex conſtitutione, & auctoritate Pontificia, ad eos facultatem eligendi Imperatorem ſpectare: eas ex codice Vaticano referunt Baronius *d. anno 996. num. 45.* Bellarminus *d. lib. 3. cap. 3.* In hoc Hiſtoricorum, & iuris Interpretum diſſidio, reque prorſus extera, ſi quid mei iudicij eſt, exiſtimo Electorum collegium & numerum conſtitutione Pontificia inſtitutum eſſe, vt Catholicorum ſententia docet, & probat; ſed cùm per hanc conſtitutionem, exceptis prædictis ſeptem Electoribus alij Principes ordinis Imperialis excluderentur ab electione Imperatoris, non ita ab initio fuit admiſſa, & amplexa, quouſque per ſchiſmata orta in electione Frederici II. & aliorum Imperatorum, ingentia mala, graſſantiaque bella cognita, & experta fuerunt: quare vniuerſorum Principum conſenſu, laudabilique, & approbata conſuetudine, Pontificia conſtitutio vires, atque robur obtinuit. Quare ſi attendamus primam Gregorij V. conſtitutionem, iure ſcripto hoc collegium Electorum inſtitutum eſt, quod ſignificat noſter Innocentius in præſenti, ibi *iure*: ſi autem communem Principum vſum & laudabilem conſuetudinem perpendamus, à iure non ſcripto, & approbata conſuetudine non impropriè originem trahere refertur in noſtro textu, & in dicta bulla Caroli V. Præſenſit, licèt non ita expreſsè, Bellarminus *d. lib. 3. cap. 2.* Videndi ſunt Cardinalis Cuſanus *de concordant. Catholic. lib. 3. cap. 4.* Petrus de Andlo *lib. 2. de Imperio, cap. 1. per totum.*

i *Græcis.*] Clement. vnica, *de iureiur.* infrà *notabili* 1. probabimus.

j *Iniungimus.*] Vt tertio notabili latè dicemus.

k *Examinatio perſonæ.*] Vt probaui *in c. 3. hoc tit.*

5. l *Tyrannum.*] Tyrannus Princeps duplici modo conſiderari poteſt: primò cùm in legitimo, & proprio regno tantùm in exercitio tyrannidem committit: ſecundò cùm vſurpat regnum alienum, quo modo vulgò tyrannus accipitur *in cap. neque 20. verſic. Neque 4. q. 5. l. 10. in principio, tit. 5. part. 2.* notarunt poſt Ariſtotelem *lib. 5. polit. cap. 10.* Bart. *de tyrannide, num. 12.* Caietanus *ad D. Thomam 2. 2. quæſt. 64. art. 3.* Hoc ſecundo modo tyrannus erat Philippus in præſenti, cùm vſurpare intenderet regnum alienum; quare cùm tyranni ad honores non admittantur, *l. quiſquis 5. §. 1. C. ad leg. Iuliam maieſtat. cap. ſi quis 22. 6. q. 1.* ideò Philippus in Imperatorem à Pontifice coronari, & vngi non poterat, ne ipſe qui malleus tyrannorum dicitur à D. Bernardo *lib. 4. cap. 7.* tyrannidi aſſentiret.

6. m *Hæreticum.*] Eligendus enim in Imperatorem debet eſſe verâ religione, ac pietate imbutus, aliiſque virtutibus præditus, atque ornatus, quas politici recenſent, Saabedra *in ſuis polit.* doctiſſimus vir D. Ioannes de Solorzano *emblemate 1. cum ſequentibus*, non verò debet eſſe hæreticus, *l. inter claram, C. de ſumm. Trinit.* Baronius *anno 996.* nec paganus, *cap. Apoſtolicæ 2. de re iudic. lib. 6.*

7. n *Approbando.*] Per annum enim 1200. auditis nuntiis Philippi Sueui, Othonis Saxonis, necnon Rogerij Frederici Siciliæ Regis, filij Henrici poſtremi Imperatoris, Innocentius III. Imperium Othoni adiudicauit, miſitque Legatos Octauianum, & Guidonem Prænestinum Epiſcopum, vt Principes ad obedientiam Othonis reuocarent, vt conſtat ex pluribus epiſtolis Innocentij III. à Boſqueto editis *lib. 3. epiſt.* quare nullâ ratione Epiſcopus Prænestinus electoris fungebatur officio, ſed tantùm vt Legatus Sedis Apoſtolicæ, exequebatur officium ſibi iniunctum.

o *Contemptis.*] Anno 1198. aliqui ex Electoribus, abſentibus aliis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, elegerunt in Imperatorem Philippum Ducem Sueuiæ, & vngi curarunt; abſentes verò ſe eſſe contemptos agnouerunt, & elegerunt in Imperatorem Othonem filium Henrici Ducis Saxoniæ, in Anglia tunc degentem cum auunculo ſuo Richardo Rege Angliæ, vt pluribus refert Spondano *dicto anno 1198. num. 8.* 8.

p *Nec à quo debuit.*] Cùm enim Imperator vngi & coronari debeat, vt infrà dicemus, Aquiſgrani, & Philippus coronatus eſſet Moguntiæ; ſimiliter cùm à Colonienſi Archiepiſcopo deberet vngi, & à Tarentaſienſi Archiepiſcopo vnctus fuerit, contra morem ſeruatum in Electione Imperatoris; rectè ait Innocentius, *nec vbi, nec à quo debuit*, Philippum coronatum fuiſſe. 9.

q *Aquiſgran.*] Vbi vocatus fuit ab Electoribus, vt à Colonienſi vngeretur.

r *Manifeſta.*] Iuxta textum *in cap. de euidentia, de accuſat.*

ſ *Aduocato.*] Imperator dicitur aduocatus, & defenſor Eccleſiæ, vt cùm opus fuerit, auxilium brachij ſæcularis præſtet, Lupoldus *de iuribus Regni, & Imperij, cap. 13.* Ioannes Limnæus *in annotationibus ad Capitul. Imperat. art 2. pag. 134.* 10.

t *Lotharius & Conradus.*] Defuncto Henrico IV. Imperatore, quidam ex electoribus Conradum in Regem, & Imperatorem elegerunt, qui à Mediolanenſibus honorificè exceptus, coronatus fuit in Regem Italiæ ab Anſelmo Archiepiſcopo Mediolanenſi. Lotharius autem Dux Saxoniæ electus fuit in Imperatorem, quem Innocentius coronâ Imperiali decorauit anno 1133. vt refert Baronius *eodem anno.* 11.

u *Excommunicatio publica.*] Inuaſerat enim patrimonium Eccleſiæ, regnumque Friderici Regis Siciliæ, vt refertur *in geſtis Innoc. III. pag. 9. & 10.* vnde tanquam notorius excommunicatus, eligi non poterat in Imperatorem, ex traditis ab Azorio *2. p. inſtit. moral. lib. 10. cap. 4. q. 5.* Gibalino *de cenſuris diſp. 7. q. 6. n. 5.* Suario *eodem tractatu diſp. 16. ſect. 2.* Rouſſelio *lib. 7. hiſt. iuriſd. Pontif. c. 3. n. 29.* 12.

x *Periurium.*] De quo infrà.

y *Progenitores eius.*] Qui enim deſcendunt ex ſacrilegis, & inuaſoribus rerum Eccleſiæ, priuantur omni honore ab Eccleſia conſequendo, *cap. ad aures 10. cap. in quibuſdam 12. §. ſacri, de pœnis. Clement. 1. verſ. ipſius filij, eodem tit.* notat Tiberius Decianus *tom. 2 tract. crim. lib. 6. cap. 3. n. 30.* 13.

z *C.*] Cœleſtino III. dum enim Philippus eſſet tantùm Dux Tuſciæ, inuaſit patrimonium Eccleſiæ Romanæ; vnde à Cœleſtino excommunicatus, in excommunicatione permanſit vſquedum Innocentius III. miſit Epiſcoqum Sutrinum, & Abbatem S. Anaſtaſij Legatos in Germaniam pro Siculis captiuis liberandis; quibus Legatis iniunxit, vt Archiepiſcopo Salernitano ad ſuos reuerſo, ipſum Philippum abſoluerent: extant huius Legationis litteræ *lib. 3. epiſtolar. ipſius Innocentij, epiſt. 21. & 26.* refertque Spondanus *d. anno 1198. num. 7.* 14.

aa *Poſtulauit.*] Vnde videtur fateri, ſe in excommunicationem incidiſſe, vt ex his verbis deducunt omnes repetentes; ſed an rectè, diſputat Couarr. *in cap. alma, 1 p. §. 22. n. 1. de ſent. excomm.*

bb *Sutrino Epiſcopo.*] Sutrinus Epiſcopatus erat in Tuſcia, poſteà vnitus fuit Napeſino, vt refert Boſquetus *ad Innocentium lib. 3. epiſt. 102.*

S. Anaſta

15. cc *S. Anastasij.*] Intra ipsam ciuitatem Rom. est Ecclesia S. Anastasij, Collegialis, habens canonicos regulares cum suo Abbate: de ea agit Muñoz *in rebus mirab. Rom. fol.* 174.

16. dd *Salisniter.*] Legendum est, *Salerniter.* Salernum enim est ciuitas Archiepiscopalis in regno Neapolitano, de qua agemus *in cap.* 1. *de officio iudicis.*

ee *Vvormatiam.*] Vvormatia est etiam in Germania ciuitas Episcopalis, de qua Bucherus *lib.* 3. *Belgici Rom. cap.* 5. *num.* 4.

17. ff *Absolui.*] Contra ius, siquidem ab excommunicatione speciali sententiâ prolata tantùm potest absoluere qui illam protulit, eius superior, successor, aut ab eo delegatus, non alius inferior, vel æqualis. Concilium Nicænum *can.* 47. ibi: *Nullus Episcopus soluat, quem alius Episcopus ligauit.* Carthag. 6. *cap.* 16. plura Panormit. & Filesacus *in cap. pastoralis, §. præterea, de officio ordin.* Gibalinus *de censuris pag.* 413. Vnde Episcopus Vvormat. non iure ordinario, cùm inferior esset; non iure delegationis, cùm nulla præcessisset, absoluere poterat Philippum iam à Cœlestino III. excommunicatum.

18. gg *A sede Apostolica requisiuit.*] Sed videbatur superfluò requisiisse, cùm Episcopus posset dispensare in iuramentis, *cap. nuper, de sent. excomm.* Sed adhuc dicendum est, non posse relaxare hoc iuramentum, nec alium quàm Pontificem posse gratiam iurisiurandi facere, vel eius vinculum remittere, cùm iuratum est in rebus maximè arduis, & à personis illustribus, vt supremis Principibus, *cap. nouit* 13. *vers. licèt, de iudiciis, cap. quantò* 18. *cap. sicut* 29. *cap. intellecto* 33. *de iureiurando, cap. ad Apostolicæ* 2. *versic. Deierauit, de re iudic. lib.* 6. *cap. grandi, de supplend. eodem lib.* Docent post D. Thomam 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *cap.* 33. *in fine,* Sanchez *lib.* 3. *summæ, cap.* 19. *num.* 7. & *cap.* 21. *num.* 2. Azor *lib.* 11. *moral.* 1. *p. c.* 9. *q.* 4. Rousselius *lib.* 1. *histor. iurisd. Pontif. cap.* 6. *n.* 2. vnde cùm iuramentum in præsenti fuisset præstitum super re ardua, videlicet electione Imperatoris, & à Principe supremo, ideò eius relaxatio spectat ad Romanum Pontificem.

19. hh *Marcoaldus.*] Ipse enim cùm esset Senescallus Imperij, ob nimiam gratiam, quâ ipsum prosequebatur Otho Imperator prædefunctus, & esset vir potens, & subdolus, arte, & armis totum Siciliæ Regnum pessundare non cessabat, in graue Rom. Ecclesiæ, & Friderici adhuc pupilli Regis Siciliæ damnum; quare eum excommunicauit Innocentius, vt refert Spondanus *ann.* 1202. *n.* 2.

20. ii *Dicatur illicitum.*] Philippus enim iuramento promisit Henrico, eius filium Fridericum Imperatorem futurum fore; quare licèt sine animo adimplendi iurasset, adhuc iuramento obstringebatur, aliàs in periurium incideret, *l.* 2. *vers. ne ex necessitate, Cod. de indict. viduit. l. vltima, tit.* 11. *part.* 3. docent Suarez *d. tom.* 2. *lib.* 3. *de iuram. n.* 2. plures apud Sancium *lib.* 3. *summæ, cap.* 10. *n.* 3. Hugo Grotius *lib.* 2. *de iure belli, c.* 13. *num.* 3. Et licèt Philippus existimaret illicitum fuisse iuramentum cùm dubium esset an licitum, vel illicitum esset, sine dispensatione, vel relaxatione R. Pontificis contra illud venire non poterat, vt docent Suarez *de censuris lib.* 2. *disput.* 33. Basilius *de matrimonio lib.* 12. *cap.* 8. §. 2. *num.* 5. Iuramentum, de quo in præsenti, præstiterunt Philippus & alij Principes Friderico Siciliæ Regi in cunis vagienti, superstite adhuc Henrico Imperatore eius patre, promiseruntque eum in Imperio successurum, vt refert Spondanus *d. anno* 1200. *num.* 1.

jj *Gabaonitæ.*] De quo iuramento est textus *in cap.* 9. *Iosue*, relatus *in cap. innocens* 22. *q.* 4. & agunt Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *cap.* 16. *ex num.* 3. Basilius *lib.* 9. *de matrim. cap.* 17. *num.* 16.

kk *Ad nostrum iudicium.*] *Cap. quantò* 18. *cap. intellecto* 33. *de iureiurando, cap. nouit, §. licèt, de iudiciis,* vbi latè dicemus; & *in cap.* 2. *eod. tit.*

ll *Captiuare.*] Et alia facinora perpetrare, etiam post pacta inter ipsum Henricum, & Paschalem: inita enim fuerunt anno 1110. & anno sequenti, pridie idus Februarij Imperator Romam ingressus, solenniter receptus fuit à Clero, & populo; & cùm Paschalis coronare recusaret, nisi pactis staret, præcipuè inuestituris Ecclesiarum renunciando, ipsum Pontificem cum Cardinalibus, & magna Clericorum, ciuiumque Romanorum parte Sabinis apud castrum quoddam captiuos duxit, & per 61. dies arctissimâ custodiâ detinuit, donec inspectis cladibus, & captiuorum calamitatibus, Paschalis illum coronauit, eique concessit, ne inquietaretur in inuestituris Episcoporum, & Abbatum sui Regni, vt narrat Baronius *ann.* 1111. 21.

mm *A præd.*] Alexandro III. videlicet; adeò enim Fridericus adhæsit Octauiano Antipapæ, vt cùm Alexander Legatos suos ad ipsum Fridericum apud Cremonam existentem misisset pro reuocando eo ad vnitatem, & concordiam Ecclesiæ; ille nimiâ superbiâ elatus non solùm litteras legere spreuit, verùm & furore accensus, nuncios ipsos suspendere nequiter intentauit; quod ad effectum perduxisset, nisi Duces Bauariæ, & Saxoniæ obstitissent. De eius proteruia plura Baronius *tom.* 12. *anno* 1159. 22.

nn *Leodien.*] Alberti scilicet. Albertus enim Dux Brabantiæ, dum Romam profectus esset, & à Pontifice coronatus, in itinere inuasus, & occisus fuit iussu ipsius Imperatoris, vt refert Merseus *in annalib. Episcop. Leodiens. num.* 34. 23.

oo *Conradum.*] Theutonicum, qui vnà cum Marcoaldo maiorem partem patrimonij Ecclesiæ occupauerat, vt refert Spondanus *anno* 1198. *num.* 5.

pp *Hostiens. Episcopo.*] Hugolino videlicet, qui postea anno 1227. ad Pontificatus fastigium peruenit, dictusque fuit Gregorius IX. De eo plura Vghellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ, in Ecclesia Hostiensi, num.* 4.

qq *Auximianum.*] Ramerum videlicet, de quo, & Ecclesia Auximianensi agit Vghellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ, pag.* 557.

rr *Alapis.*] De iniuria percussione alapæ irrogata latè agunt Villadiego *in l. finali, lib. vltimo fori.* Ant. Gomez *lib.* 3. *variar. cap.* 6. *num.* 6.

ss *Archiepiscopum captiuari.*] Horum scelerum detestationem prætereo, sufficiat laudasse textus *in cap. si quis deinceps* 22. 17. *q.* 4. *cap. ita nos* 25. *q.* 2. in carceratione enim sacrilegium commisit, *cap. attendendum* 13. 17. *q.* 4. *Clement.* 1. *de pœnis*; censuram, *ex canon.* 11. *Bullæ Cœnæ Domini*, & infamiam contraxit, *l. si quis hoc* 10. *C. de Episcop. & clericis.* Zonaras *in can.* 3. Concilij habiti in templo Sophiæ asserit eiusmodi sacrilegium esse intolerabilis audaciæ, & ob id Imperio, seu Regno etiam obtento priuandus erat, vt in nostra tempestate priuatus fuit Henricus Rex Galliæ ob incarcerationem Archiepiscopi Cardinalis Legionensis: referunt Spondanus *anno* 1589. *num.* 10. Iacobus Thuanus *tom.* 4. *libro* 25. Henricus 24.

Catharin. Dauila *lib.10.de le guerre ciuil de Franc.*

25. tt *Conrado.*] Eo enim defuncto anno 1152. Fridericus Dux Sueuorum, cognomento Oenobarbus, succeſſit, vt refert Baronius *dicto anno:* mortuo autem ipſo Friderico I. anno 1190. Henricus V. eius filius creatus fuit Imperator anno 1191.

uu *Fridericus.*] Qui erat filius ipſius Henrici V.

xx *Philippus.*] Qui erat frater ipſius, vnde videbatur iure ſanguinis, non verò electionis Imperium deferri: an verò vtilius ſit regnum deferri iure ſucceſſionis, an verò per electionem, diſputant latè Politici. Cochier *lib.1. theſauri pol. cap...* Bernegerius *in Tacitum quæſt.32.* P. Menochius *lib.1. polit.cap.6.* Salcedo *de regim. Princip. lib.4.c.1. diſſertat.43.* & citati *in cap.1.hoc titulo.*

COMMENTARIVM.

26. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR.

EX hac percelebri Innocentij III. epiſtola ſequentem eliciunt Interpretes aſſertionem: *Ad R. Pontificem ſpectat electum Imperatorem confirmare, vngere & conſecrare, ſi eſt dignus; vel reiicere, ſi eſt indignus.* Probant textus *in cap. ſi Apoſtolicæ 2. de re iudic. lib.6. Clement. vnica, de iureiur. extranag. vnica Ioannis XXII. cap.licèt, de voto.* Probari etiam poteſt ex Concilio Lateran. ſub Innocentio III. *cap.3.* in illis verbis: *Si Dominus temporalis monitus ab Eccleſiæ terram ſuam purgare neglexerit, intra annum ſignificetur hoc R. Pontifici, vt ex tunc ipſe vaſſallus ab eius fidelitate denuncietur abſolutus, & terram exponat Catholicis occupandam.* Etiam probatur perpetuo vſu, & praxi Eccleſiæ. Gregorius enim Romam cum tota Italia à Leonis Imperio recedere fecit, vt refert Baronius *anno 730. num.2. & 4.* Gregorius etiam VII. Henricum IV. & Imperio, & Regno priuauit, vt ex Sigeberto refert Suarez *aduerſus Regem Angliæ lib.3. cap.23. num.3.* Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi Fridericum II. Imperatorem à Gregorio IX. excommunicatum, auctoritate Apoſtolica Imperio priuauit, firmiter inhibendo ne quiſquam illi tanquam Imperatori perêret. Refert Platina *in vita Innocentij IV.* Clemens VI. Ludouicum Bauarum, quia iniquè Imperium occupauerat, eo priuauit, & Carolum V. elegi fecit. Hæc, & alia exempla ad Imperatorem ſpectant; alia autem de Regnis à Pontifice ablatis, & tranſlatis paſſim apud hiſtoricos reperiuntur. Zacharias Pontifex titulum Regis à Childerico in Pipinum tranſtulit, vt traditur *in cap.alius 15. quæſt.6.* & refert Baronius *anno 751. in principio*; & *anno 841. num.3.* vbi etiam tradit Lotharium ob ſua ſcelera regno priuatum fuiſſe: & Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum regno priuatum declarauit, vt refert Æmilius *in eius vita.* Alia exempla referunt Suarez *vbi ſuprà, cap.23. num.16.* Salcedo *ad D. Thomam de regim. Princip. lib.3.cap.19. diſſert.41.* innumeri relati à Barboſa *in cap. ſi Papa 6. 40. diſt.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & *in dict. Clement.vnica, de iureiur.* Cironius *in parat.ad tit.ne ſede vacante*, Scomborn. *lib.4. polit. cap.33.* Bellarminus *de tranſlat. Imperij, lib.3. per totum*, Grethſerus *pro Bellarmino, in eod.tract.* Ponze de Leon. contra Vvaramundum *cap.13.* Roa *de iurib. Princip. quæſt.2. num.11.* Penuinus *integro tract.de coronat. Imperat.* Stephanus Pauimeiſter. *lib.2.de iuriſd. Imperij, cap.4.* Michael Rouſſellius *lib.7.hiſt. iuriſd. Pontif.cap.3.* Zipæus *in Caſanum lib.1.cap.9.* Homagen. *in iuriſprud. public.lib.2. cap.1.* Viſcherius *de elect. Regis Roman. concluſ.31.* Ioannes Theodorus Sprengerius *in iuriſprud. public.* qui latè formam electionis, coronationis, & conſecrationis Imperatoris refert. Illuſtriſſimus D.Franciſcus Ramos *ad Alex.VII. pro Epiſcop. Luſitaniæ, propoſit.3.& 4.*

Sed hæc aſſertio, vt dogma à Catholicis recepta, & amplexa, difficilis redditur quorundam hæreticorum cauillationibus, qui ſub politicorum larua continuò Pontificiam poteſtatem laceſſere, & impugnare non ceſſant. Primam expendunt ex eo, quia Imperia, Regna, & Principatus à Deo immediatè proueniunt, nec ab vlla humana pendent poteſtate, vt probatur *ex lib.1. Regum, cap.12. verſ.1.& 16. Prouerbior.cap.8. verſ.15. cap.2. Danielis, verſ.25. Iſaiæ cap.45. verſ.1.& 2. Matthæi c.22. verſu 17. epiſt.1. D.Petri, cap.2.* D.Paul. *ad Rom. cap.13. verſ.18.* Faciunt lex *deprecatio, ff.ad legem Rhodiam de iactu*, lex finalis, *Cod.de legib.* lex 3. *in fine, C.de quadrien.præſcript.* nouella 28. Iuſtiniani, *cap.4.& 105.cap.2.* vnde Imperatorem tantùm virtute electionis, abſque vlla confirmatione, aut conſecratione Pontificis, exercere poſſe iuriſdictionem Imperialem, docuerunt Carolus Molineus *in conſuet. Pariſ.tit.1.n.73.* Pauimeiſter. *lib.2.de iuriſdict.cap.4.n.5.* Fuluius Pacianus *lib.2.de probat. cap.35.n.32.* Elias Scherius *de Diis German. cap.1. pag.32.* igitur non rectè in præſenti deciditur, electum in Imperatorem, confirmationem, & coronationem à Pontifice petere debere. Secundam deducunt ex exemptione Imperatorum à R. Pontificis iuriſdictione temporali, quam adſtruunt ex Tertulliano *ad Scapulam c.2. Colimus ergo Imperatorem vt hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem; ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo Deo vero minor eſt.* D.Ambroſio *contra Maxentium*, ibi: *Dolere potero, potero flere, potero gemere; aduerſus arma, milites, Gothoſque lacrymæ meæ arma ſunt, talia munimenta ſunt ſacerdotis, aliter neque debeo, neque poſſum reſiſtere.* D.Gregorio *lib.1.epiſt.61.* aliàs 100. vbi ſcribit Mauritio Imperatori ob legem, quam iniuſtè tulerat, in hæc verba: *Ego quidem iuſſioni ſubiectus, eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci; & quia lex ipſa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce perſecutionis meæ paginas Sereniſſimis Dominis nunciaui, vtrobique ego quæ debui, exſolui, qui & Imperatori obedientiam præbui.* Igitur Imperator electus non ſubeſt Pontifici, vt tanquam indignus reiiciatur, & Imperio priuetur. Accedit, nam Imperatoribus, etiam tyrannis, & dyſcolis, eſſe obediendum, omnia iura teſtantur. D.Petrus *epiſt.1.c.2. verſu 18.* illic: *Serui ſubditi eſtote in omni tempore Dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis*; id eſt, iniuſtis, & tyrannis, vt acceperunt D.Clemens *lib.7.conſt. Apoſtolicar.cap.17.* Clemens Alexandrinus *lib.3.pædagog. c.11.c.Iulianus 94. cap. qui reſiſtit 97. 11. q.1.c.omnis 2.de cenſibus.* D.Thomas *2.2. q.10. art.10. in corpore*; latè probant Suarez *aduerſus Regem Angliæ lib.3.cap.1.& 4.* Molina *de iuſtit.diſput.8.* Bellarminus *tom.2.lib.3. c.3.§.præterea*, Benedictus Perer. *ad cap.13. epiſt. ad Rom. quæſt.1.& 2.* Ioannes Lorinus *ad primam epiſt.Petri, c.2.verſ.13.* Marius Cutel. *in cod.ad l.Martini, c.32. nota 32.ex num.3.& de immunit.eccleſ.lib.2.q.20.* poſt multos, & poſt egregiam legem 15. *cùm ſequenti, tit.13.p.2.* ex noſtratibus noſtri olim Præceptores, & affectu, & togâ noſtri, D.Ioannes de Solorzano *tom.2. de iure Indiar. lib.2. c.23.n.77.* D.Ioannes de Larrea *allegat.63.n.5.* Valenzuela *conſilio 4. n.79.& ſequent.* Ex eruditorum ſubſelliis Ioannes Fileſacus

27.

lib. 1. select. cap. 9. & de idololatr. cap. 9. & 10. Antonius Augustinus *in epitome iuris lib.* 10. *tit.* 7. & *lib.* 35. *tit.* 2. Grotius *de iure belli lib. 1. cap. 4. num. 3. &* 4. quos, & alios laudat more solito Illustrissimus D. Franciscus Ramos *in prædicto syntagmate de Episcop. Lusit. in præludiis, num.* 86. Igitur, licet Philippus, de quo in præsenti, tyrannus esset, nihilominus cùm à maiori parte electorum electus esset in Imperatorem, tamen debebat confirmari à Pontifice, & à Duce Turingiæ, aliisque Principibus Germaniæ pro Imperatore haberi.

28. DE TRANSLATIONE IMPERII.

His tamen politicorum cauillationibus parum obstantibus, præsens Innocentij decretalis obseruanda, & propugnanda est, pro cuius illustratione sciendum est, ante Constantinum Magnum Imperium tantùm ab Imperatore Romæ degente, & Cæsareâ dignitate præfulgente regi, & gubernari; demùm cùm Constantinus Magnus Bizantium, seu Constantinopolim in nouam Romam erexisset, Imperium diuisit inter Constantinum, Constantem, & Constantium suos filios; quare cùm ipse è viuis excederet anno 341. Constantinus iunior, & constans Imperatores Occidentis remanserunt; Constantius verò iuxta patris diuisionem Constantinopolim, & cum ea Imperium Orientale occupauit; à quo tempore vsque ad Augustuli Imperatoris tempora, annos videlicet 476. diuersi Imperatores Orientis atque Occidentis fuerunt. Augustulo verò debellato, & Imperio Occidentali à Barbaris occupato, tantùm remansit Imperator Romanus in Oriente, vsquedum Iustinus operâ Belisarij & Narsetis, hinc inde victis Vandalis, & exactis Gothis, Imperium occidentale recuperauit; quo tempore ab vno tantùm Imperatore, tam orientale, quàm occidentale Imperium regebatur: sed cùm Imperatores semper Constantinopoli sedem habuissent, & tantùm per Exarchos Italiam regerent, & grauatæ Ecclesiæ per totam Italiam à variis gentibus Imperatores etiam interpellati auxilium non præberent, & ita Imperatorum Orientalium absentiâ, aut ignauiâ, Occidentalium rerum statum defensoris indigere præsentiâ, & curâ expertum esset, post alios Ecclesiæ Romanæ Præsules, qui diuersos Franciæ Reges in subsidium Ecclesiæ vocarunt, Leo III. Carolum Magnum Romæ vocauit, & Imperatorem coronauit, atque ei, & eius successoribus nomen, & dignitatem Imperatoris concessit; quo facto translatum fuisse Imperium à Græcis in Carolum Magnum, docetur in hoc textu, & in Clementina vnica, *de iure iur.* Neque audiendi sunt, qui hoc Imperium diuersum à Romano fuisse autumarunt. Hanc Imperij translationem referunt Pius II. *in epistola* 396. ad Regem Turcorum missa, illic: *Et sicut antecessores nostri Stephanus, Adrianus & Leo Astulphum, & Desiderium gentis Longobardicæ Reges, Pipinum, & Carolum Magnum accersiuerunt, & liberati de manu tyrannica, Imperium à Græcis ad ipsos liberatores transtulerunt.* Zonaras *lib.* 3. *Româ Franci potiti sunt Carolo à Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato.* Cedren. *in vita Constantini*, ibi: *Venerunt etiam à Carolo, quem Leo Papa Romæ coronauerat.* Ado Viennensis *in Chronic. ætate* 6. ibi: *In die sancto Natiuitatis Domini, ante confessionem B. Petri Apostoli, cùm gloriosus Rex Carolus ab oratione surrexisset, Leo Pontifex capiti eius coronam imposuit.* Polydorus Vergilius *lib.* 4. *de inuentione rerum, cap.* 7. ibi: *Quas ob res Leo III. Carolum Magnum fecit Imperatorem.* Et innumeris SS. PP. & historicorum, præcipuè illius sæculi, testimoniis probant, & obiectionibus Illyrici, aliorumque hæreticorum satisfaciunt Bellarminus *de translatione Imperij lib. 1. cap.* 4. Iacobus Grethserus *in eod. tract.* Ponze de Leon. *contra Vvaramundum cap.* 13. etsi nuper impugnet Arnisæus *de translat. Imperij cap.* 7. & auctoritate Ecclesiæ factam fuisse negent Rogerus Vvidringtonus *in apologia pro iure Principum, num.* 413. Barclaius *contra Bellarm.*

29. DE CAROLI SVCCESSORIBVS.

Carolo Magno Imperatori successit Ludouicus eius filius, quem Stephanus IV. aliàs V. Rhemis coronauit anno 802. Ludouico successit Lotharius, quem Paschalis II. Romæ coronauit anno 822. Lothario successit Ludouicus eius filius, quem Sergius II. coronauit Romæ anno 844. Ludouico successit Carolus Caluus eius patruus, frater Lotharij, quem Ioannes VIII. coronauit anno 874. Carolo Caluo suffectus fuit Ludouicus Balbus, quem coronauit ipse Ioan. VIII. ann. 877. Ludou. Balbo successit Carolus Crassus, coronatusque fuit à Ioanne VIII. ann. 878. Carolo Crasso successit Arnulphus, quem Formosus Papa coronauit ann. 886. Arnulpho successit Ludouicus eius filius, quem coronauit Steph. VII. ann. 899. Ludouico à Berengario tyranno oculis & Imperio orbato, occupauit Imperium Lambertus I. & defuncto Ludouico IV. anno 912. extincta fuit Caroli Magni progenies, & Conradus Dux Germaniæ Imperator renunciatus fuit. Referunt latè Petrus Andlus *de Imp. lib. 1. cap.* 13. Rousselius *d. lib. 7. c. 3.* Sed cùm Ecclesia illis temporibus à tyrannis vexaretur, opprimereturque, Ioannes XII. in subsidium vocauit Othonem Saxonum Regem, quem ob res tam pace, quàm bello præclarè gestas, Imperatorem coronauit anno 962. Illi successit Otho II. & huic III. & ita Imperium à Francis in gentem Saxonum translatum fuit, vt ex variis Historicis referunt Baronius & Corjolanus *in prædictis annis*, Bellarminus *vbi suprà, lib. 2. cap. 1.* Postquam tres Othones Imperium continuò obtinuerunt, Gregorius V. Pontifex Romanus constituit, ne deinceps Imperij maiestas iure hæreditario, sed potiùs electitio deferretur, vt spe ipsius consequendi post obitum pro tempore imperantis, cæteri Principes ad virtutes inuitarentur, electione penes certos Electores decreta, qui in Germaniæ liberis ciuitatibus congregati, Romanorum Regem eligerent, non antè Imperatoris nomine appellandum, quàm confirmationem dignitatis & Imperatorum diadema à R. Pontifice reciperet, vt suprà probaui, & narrat Baronius *anno* 996.

30. DE SEPTEM ELECTORIBVS.

Constat collegium hoc Electorum septem Principibus, quos Palmites Imperiales appellat Carolus *in bulla aurea*; columnas imperij dicunt plures relati à Vischerio *de elect. Regis Roman. memb. 6.* frequenter tamen Electores dicuntur. Septem constituti fuerunt magnâ cum ratione: missas facio quas Interpretes adducunt, petitas tam ex perfectione numeri septenarij, quàm ex numeri inæqualitate, vt dissentientibus tribus ab aliis, esset qui vni parti accedens, omnem posset sedare dissordiam. His ergo, & aliis omissis, in quibus nec etiam pedem figimus, verior ratio petenda est ex eo; nam cùm olim, teste Schardio *de Electoribus cap.* 9. quatuor essent Principum electorum ordines, primus Regum, secundus Ducum, tertius Marchionum, quartus Comitum; ideo ne vllus ordo, qui anteà electioni interesse consueuerat, se præteritū cõqueri posset, vnus ex quolibet ordine, videlicet ex Regibus vnus, alter ex Ducibus, alius

ex Marchionibus, alterque ex Comitibus, qui eorum vice, & nomine electionem celebrarent, vocabatur. Hæc circa Principes laicos; circa ecclesiasticos verò instabis, quare ecclesiastici in collegium Electorum cooptati fuerunt? & si Principes Ecclesiastici, quare tres? Primæ hæsitationis variæ possunt reddi rationes: prima, quia cùm illi Antistites Ludouici Imperatoris tempore Imperij participes effecti essent, non immeritò sicut alij Principes sæculares designati sunt, quod expresserunt Guntherus *lib.1.in Ligurino*, de electione Friderici I. agens:

Huc sacri, celebresque viri, quos laude serenâ
Infula, vel gladius mundo facit esse verendos,
Ex omni regione fluunt ad publica Regni
Commoda.

Et Guillelm. Brito *lib.3. Philippidos.*

Est enim talis Dynastia Theutonicorum,
Vt nullus regnet super illos, ni prius illum
Eligat vnanimis Cleri, Procerumque voluntas.

Alia ratio reddi potest deducta ex aurea bulla, *tit.4. §.4.* vbi affirmatur, ecclesiasticos debere admitti, vt Imperatoris consiliis adsint. Magis tamen vera ratio prouenit ex deuotione Pontificis, & Principum Germaniæ, existimantium sine Episcopis in negotio adeò graui, & arduo, non posse rectè procedi; & omnia rectè processura credebant, si religionis Antistites electioni Imperatoris, & eius consiliis interessent: docet Stephanus Pauimeister. *lib.2.de iurisdict.cap.5.num.18.* Tres autem electores designati fuerunt, quia propter summam eorum auctoritatem ordo ecclesiasticus vno tantùm contentus non fuisset; duo verò constitui non poterant, propter suffragij æqualitatem, quæ contingere poterat: tertius ergo addi debuit, atque sic septenarius numerus est completus; adeò tamen iste numerus præscriptus & præfixus est, vt sine Pontificis auctoritate augeri, minuíve non possit, vt latè defendit Diana *part.10. tract.4. per totum.*

31. ENVMERANTVR ELECTORES.

Ecclesiastici electores sunt Archiepiscopus Moguntinus per Germaniam, Archiepiscopus Treuerensis per Galliam & prouinciam Arelatensem, Archiepiscopus Colonensis per vniuersam Coloniam: eorum antiquitatem & officia refert, & exponit Vischerius *vbi suprà, fol.24.* Electores sæculares sunt Rex Bohemiæ, Romani Imperij Archipincerna; Comes Palatinus, Rheni Archidapifer; Dux Saxonię, Archimarescallus; Marchio Brandeburgensis, Archicamerarius. Circa Regem Bohemiæ, omissis traditis à Vischerio *vbi suprà, pag.35.* solet dubitari, vtrum habeat vocem electoralem absolutè, an tantùm suffragium dare possit, cùm cætera Electorum vota dissentiunt? Aliqui negant absolutè, Regem Bohemiæ suffragium dare posse, vt sunt Krantzius *lib.4. Saxoniæ, cap.25. & 28.* Simon Schardus *de electionis origine cap.9.* Alij tantùm in casum discordiæ vocem electoralem habere docent: ita cómmuniter Canonistæ *in hoc textu*, Pacianus *de probat. lib.2. cap.35. num.26.* Clamarius *de arcanis Rerumpublic. cap.19.* Bellarminus *de translat.Imperij, lib.1.cap.1.* Schomborn. *lib.5. polit. cap.33.* sed rectiùs defendit, & probat Vischerius *vbi suprà, pag.40.* Regem Bohemiæ purum, & absolutum habere suffragium; ipse videndus est pro huius quæstionis resolutione. Hoc ius vocis electoralis successione defertur, non tamen absolutè, sed ex iure primogenituræ. Debent etiam habere Electores decimumoctauum annum, vt admitti possint ad electionem; & si infra eos sint, eorum curatores, qui debent esse fratres seniores, admittuntur ad electionem. Debent etiam Electores imbui, & institui linguis Latina, Italica, & Sclauonica.

32. FORMA ELECTIONIS.

His suppositis circa personas vocem electoralem habentes, nunc breuiter forma electionis, confirmationis, & coronationis referenda est, vt nostri textus contexturam absoluamus; & illa tres continet partes. Prima versatur circa ea, quæ electionem præcedunt: secunda circa ea, quæ in ipsa electione contingunt: tertia circa ea, quæ electionem sequuntur. Vacante igitur Imperio Moguntinus Archiepiscopus, tanquam Collegij Decanus, litteris suis patentibus aliis Electoribus certum electioni diem, & conuentum indicit, vt ex aurea bulla probat Vischerius *conclus.20.pag.75.* omnes autem Electores vocandi sunt, ita vt si vnus contemnatur, electio nulla sit, ex regula textus *in cap. bonæ, hoc tit.* Electores ita vocati comparere debent per se, aut per suos procuratores; si personaliter adfuerint, tantùm comitatum ducentorum hominum ducere possunt: conuocari debent in ciuitate Francofordiensi; licèt enim antiquitus locus electionis incertus esset, & arbitrio electorum relictus, vnde Otho II. electus fuit Aquisgrani, testante Cuspiniano *in eius vita*; Henricus II. Moguntiæ, vt refert Marianus Schotus *in chron. lib.3.* & alibi alij; per bullam tamen auream statutum fuit, vt Francofurti electio celebraretur, vbi deinceps omnes ferè Imperatores electi fuerunt, vt probat Vischerius *vbi suprà, pag.67.* Cùm in conuentu Electores de electione tractauerint, celebrato Missæ sacrificio, & aliis tam sacris, quàm prophanis rebus peractis, quas recensèt Ioannes Theod. Sprengerus *in iurisd. public.* iuramentum præstant Electores sub formula ita concepta ex aurea bulla, *cap.2. §.2. Ego N.Elector, iuro ad hæc sancta Dei Euangelia hîc præsentialiter coram me posita, quod ego per fidem, quâ Deo, & sacro Romano Imperio sum adstrictus, secundùm omnem discretionem, & intellectum meum, cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput populo Christiano, id est Regem Romanorum in Cæsarem promouendum, qui ad hoc existat idoneus, in quantum discretio & sensus mei dirigunt, & secundùm fidem prædictam, vocemque meam, votum, seu electionem præfatam dabo, absque omni pacto, stipendio, pretio, vel promisso, seu quocumque modo talia valeant appellari. Sic me Deus iuuet, & omnes Sancti.* His peractis suffragia hoc modo præstantur. Primò suffragium dat Archiepiscopus Treuerensis, secundò Colonensis, tertiò Rex Bohemiæ, quartò Comes Palatinus, quintò Dux Saxoniæ, sextò Marchio Brandeburg. vltimo loco Archiepiscopus Moguntinus: statim vota conferuntur, & publicantur, primò in conclaui, demùm coram populo.

33. DE TRIBVS CORONIS.

Succedit alia pars electionis, quæ circa coronationem, inaugurationem, & alia, quæ electionem sequuntur, versatur. Electione igitur legitimè peracta, Imperium commendatur electo, & ab eo confirmantur priuilegia Electoribus concessa. Sequitur coronatio, quæ triplex est, Germanica videlicet, Lombardica, & Romana? Prima coronatio coronæ ferreæ fit Aquisgrani ab Archiepiscopo Colonensi, licèt olim à Moguntino fieret: probant Homagen. *in iurisprudentia publica lib.2. cap.1.* Vischerius *vbi suprà, pag.109.* Ipsa coronatio peragitur primò per vnctionem; secundò per traditionem insignium, quæ sunt gladius, sceptrum, pomum: sequuntur statim pompa, elogia, præconia,

præconia, missilium iactatio, & conuiuium, vbi ecclesiastici Electores mensam consecrant, & sigillum Imperatoris tenent: Marchio Brandeburg. aquam, Comes Palatinus cibum ministrant; Dux verò Saxoniæ Marescalli officium exercet: post hanc coronationem Germanicam sequitur Lombardica, quæ fit cum corona argentea Modoëtiæ propè Mediolanum, ab Archiepiscopo Mediolanensi. Demùm tertia coronatio, Romana videlicet, fit Romæ, ab ipso Pontifice, vnctione iam peractâ à Cardinale Hostiensi, licèt hæc coronatio iustis ex causis aliquando omitti soleat, vt refert Vischerius *vbi suprà*, *pag.* 117. His omnibus peractis Imperator iuramentum facit Pontifici, de quo *in cap. tibi Domino, 93. dist. Clement. vnica, de iureiurando:* eius formam refert Homagen. *d. lib.* 2. quos ritus in coronatione hac Imperatoris adhibendos refert ex Gerbrando & aliis Nouarinus *lib.* 10. *schediasm. cap.* 6.

34. RATIO DECIDENDI.

His animaduersis ratio eius decisionis, quare videlicet Pontifex reiicit, vel admittit Imperatorem electum, cùm dignum consecrat, & indignum respuit, ex eo prouenit, quia R. Pontifex est spiritualis pater, & pastor, tam Imperatoris, quàm cæterorum Principum, quantumcunque in suo ordine supremi sint; ac proinde ex vi suæ potestatis in his, quæ ad spirituale regimen spectant, iurisdictionem temporalem saltem indirectam obtinet; quare cùm maximè interfit totius Reipublicæ Christianæ, vt dignus, moribus integer, virtutibus clarus, & Romanæ Ecclesiæ religiosissimus, & fidei Christianæ & Apostolicæ amantissimus ad summa Imperij fastigia euehatur, iure potest Romanus Pontifex in tam arduo negotio decernere, ita vt confirmet dignum electum, reiiciat autem, Imperioque priuet indignum, *cap. cùm in memoriam, 19. dist. cap. nouit, de iudiciis, cap. licet 6. de voto, cap.* 2. *de re iudic. lib.* 6. plura tradimus *in dict. cap. nouit*, & latè probat Solorzanus *lib.* 2. *de iure Ind. tom.* 1. *cap.* 22. *per totum*, & eruditè congessit D.D. Franciscus Ramos *in d. suo Syntagmate, prop.* 4. Vnde in præsenti potuit Innocentius III. Philippum periurum, excommunicatum, & tyrannum ab Imperio reiicere, & Othonem confirmare, & consecrare, præcipuè cum hæc Imperatorum electio à R. Pontifice proueniat, vt suprà dixi.

35. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI.

Nec obstant politicorum considerationes. Non prima, cui facilè ex suprà relatis fit satis; imperium enim à Græcis ad Germanos auctoritate Pontificis translatum fuit; vnde Carolus Magnus non successione, aut armis illud occupauit, sed à R. Pontifice immediatè obtinuit; vnde Pontifici competit confirmatio, cùm tota hæc Imperialis electio ab eo introducta sit, vt defendit Bellarm. *d. lib.* 2. *de translat. Imperij, per totum.* Nec secunda consideratio aduersatur, deducta ex dictis auctoritatibus Tertulliani, Ambrosij & Gregorij, quibus facilè & sigillatim respondetur. Primò Tertulliani auctoritati, asserendo Septimiũ Africanum tantùm asserere, supremam Imperatoris potestatem in temporalibus esse; potestatem verò R. Pontificis spiritualẽ, & temporalem indirectã in ordine ad supernaturalia; & istæ supremæ potestates diuersæ sunt, nec inter se habent oppositionem. Nec D. Ambros. negat hanc potestatem Pontificis in Imperatorem; vt enim ait in fine orationis: *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Igitur tantùm D. Ambrosius ait, quod quando Ecclesiæ arma, videlicet censuræ non sufficiunt, subsidium vltimum sacerdoti est lachrymas, atque preces coram Deo effundere. Quod ad auctoritatem Magni Gregorij spectat, S. Pontifex illis verbis vtitur pro temporum calamitate; Imperatoris enim audacia cohiberi non poterat: non tamen negat Doctissimus Præsul, Ecclesiam habere potestatem transferendi Imperium, ex causis in iure expressis, & aliis iustis. Nec obstat Principi tyranno obediendum esse; nam vt suprà dixi, dupliciter Princeps tyrannus potest considerari; primò ob vsurpationem, & inuasionem alieni regni; secundò improbo vsu & exercitio iurisdictionis. Primo casu Principi tyranno obsistendum, resistendumque est, quomodo tyrannus erat Philippus in præsenti specie. Secundo casu Principi legitimo, sed tyrannicè regenti, & gubernanti suum Principatum parendum est, ex iutibus suprà citatis; cùm adhuc regno priuatus non sit: quare legitimus dominus naturalis censetur.

36. INTELLIGITVR EXTRAVAGANS VNI. CA, NE SEDE VACANTE.

Ex suprà traditis accipit lucem textus in extrauaganti vnica Ioannis XXII. *ne sede vacante*, vbi cùm post Clementis V. obitum vacasset Romana Sedes annis duobus, mensibus tribus, diebus 17. & eo tempore Henricus Imperator decessisset, Imperatores electi fuerunt à variis Ludouicus Dux Bauariæ, & Fridericus; & cùm armis superior euaderet Ludouicus, absque Pontificia confirmatione imperium occupauit, quem anathemate percussit Ioannes XXII. & constituit, ne vllus vacante Imperio regimen susciperet, nec tanquam vicarius: quæ constitutio ex suprà dictis lucem accipit; nam cùm ex Pontificia iurisdictione prouenirat electio Imperatoris, & à R. Pontifice petenda sit confirmatio, iustè, & iure potuit Ioannes XXII. Ludouicum excommunicare, cùm absque confirmatione Pontificia Imperij regimini se ingessisset; & simul ratione propriæ iurisdictionis potuit Ioannes XXII. constituere, ne vacante Imperio vicarius eligeretur.

CAPVT XXXV.

[a] Idem.

COram dilecto fil. n. tit. S. Pudentianæ Presbyt. Card. *Et infrà:* Si verò vtriusque partis fuerit electio cassata, vos fratribus omnibus, qui fuerint in prouincia, conuocatis, quod maiori, & saniori parti eorum super prædictis videritis complacere, faciatis per censuras ecclesiasticas formiter obseruari.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Licèt textus iſte reperiatur in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. tamen non conſtat cui miſſa ſit eius deciſio, & vbi præſens caſus contigerit; tantùm ex eo deduci valet, de hac cauſa cognouiſſe Cardinalem tituli S. Pudentianæ, qui titulus Cardinalitius pertinet ad Baſilicam S. Mariæ Maioris, vt refert Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 6. Ex hoc textu deducitur, ad electionem vocandos eſſe omnes ius ſuffragij habentes, dum tamen intra prouinciam exiſtant: quam partem examinaui *in cap. cùm inter* 18. *hoc tit.* etiam ex hoc textu probatur, electionem factam à maiori, & ſaniori parte, eſſe confirmandam à ſuperiore: quam aſſertionem latè exponam *in cap. Eccleſia* 57. *hoc titulo.*

CAPVT XXXVI.

Idem [a] *Parmenſi Epiſcopo, & eius coniudicibus.*

BOnæ memoriæ S. Epiſc. [b] Cremon. in extremis agente, cùm de conualeſcentia deſperaretur ipſius, Cremonenſe Capitulum H. concanonicum ſuum [c] Regij diſciplinis ſcholaſticis inſiſtentem, ad certum terminum in vigilia Pentecoſtes pro futuri electione Pontificis citari fecerunt. Verùm ſecundâ feriâ poſt Pentecoſten dicto Epiſcopo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Capitulum antequam corpus illius eſſet [d] traditum ſepulturæ, abſente Canonico memorato in quatuor de ipſo Capitulo, & [e] tres de Clero ciuitatis poteſtatem eligendi Pontificem contulerunt, expreſſo, vt minor pars illorum ſeptem ſequeretur in electione maiorem. Habito itaque poſt mortem, ſed ante ſepulturam tamen ipſius Epiſcopi de futuri Paſtoris electione tractatu, cùm vota illorum ſcinderentur in partes, quatuor in Archipreſbyterum, duobus in Archidiaconum, vno in alium conſentientibus, tandem illo ſepulto minoris partis arbitrio ad iudicium accedente maioris, eundem Archipreſbyterum concorditer elegerunt; cui electioni Archid. cum Capitulo, & Clero ciuitatis, nullo contradicente conſenſit. Verùm aduenièns poſtmodùm H. & aſſerens ſe fuiſſe contemptum, ac propter hoc electionem huiuſmodi nullius fuiſſe momenti, quaſi ius eligendi deuolutum fuiſſet ad ipſum, pro ſe, provt potuit, Archid. memoratum elegit. Conſtituto autem H. pro ſua, & dil. fil. n. F. & N. pro electione Archipreſbyteri coram nobis, electionem ab ipſo H. poſt electionem Archipreſbyteri non caſſatam, licèt de viro multæ litteraturæ, honeſtæ vitæ, ac claræ famæ, non tamen ſine multa temeritate præſumptam, cùm de priori noſtrum debebat [f] expectare iudicium antequam procederet ad ſecundam, duximus irritandam, in pœnam interdicentes eidem contradictionis vocem, in primo conſenſu Capitulo perdurante. Electionem quoque Archipr. quamuis laudabile teſtimonium perhibeatur de ipſo, iuſtitiâ exigente caſſauimus: tum quia corpore defuncti Epiſcopi nondum tradito ſepulturæ, habuere de ipſa electione tractatum, contra canonicas [g] ſanctiones: tum quia inuentus eſt H. fuiſſe [h] contemptus, licèt vnus ſolus extiterit; cùm plus in talibus conſueuerit vnius contemptus obeſſe, quàm multorum contradictio in præſenti. Nec prædicta debet dici valuiſſe citatio, quia cùm Epiſcopi mortem præuenerit, temeraria nimis extitit, & non potuit arcere citatum. Adhæc volentes Cremonen. Eccleſiæ ſpeciali ſolicitudine prouidere, concedimus, & mandamus, vt ſi Capitulum in ſuo voluerit perdurare conſenſu, ipſum Archip. auctoritate noſtra in Paſtorem Cremon. Eccleſiæ concedatis, alioquin niſi fortè infra XI. dies de perſona idonea in Pontificem ſibi & Eccleſiæ ſuæ prouiderint per electionem canonicam, & concordem, vos eiſdem auctoritate Sed. Apoſt. de ipſo Archip. vel Archidic. ſeu de alio viro idoneo prouidere curetis.

NOTÆ.

1. PARMA VBI. a *Parmenſi.*] Ita etiam legitur *in cap.* 2. *hoc tit. in* 4. *collect.* Parmenſis ciuitas Inſubriæ, nobiliſſima vrbs, in via Æmiliana ſita eſt: cum Imperij Romani florente fortuna floruit, poſteà modò arbitrio iuorum, modò R. Pontificis gubernata fuit, vt referunt plura de eius origine & progreſſu adducentes Merula *de antiquit. Galliæ, lib.* 2. *cap.* 2. Andreas Schotus *in itinerario Italiæ, lib.* 1. *pag.* 170. Habet Eccleſiam Cathedralem Deiparæ Aſſumptioni dicatam, vt vetus marmorea inſcriptio eius teſtatur, ibi: *Templum hoc olim Diuo Herculano dicatum, Paſchalis ſecundus Pontifex Romanus ritu ſolenni in Parmenſium gratiam Aſſumptæ Virgini ille ipſe conſecrauit* 6. *Kalendis Octob. anno* 1106. Eius Præſulum catalogum tradit Vghellius *tom.* 2. *Italiæ ſacræ, fol.* 182. Opizoni eius Eccleſiæ Præſuli miſſa eſt hæc deciſio, qui floruit temporibus noſtri Innocentij, vt videre eſt apud Vghellium *vbi ſuprà:* eius etiam mentio fit *in cap. cauſam, 7. de præſcriptionibus.*

b *Cremo*

2. De Cremona.

b *Cremonensi.*] Sed quomodo casus Cremonensis Episcopi potuit contingere temporibus Innocentij III. cùm eam Ecclesiam in Episcopalem erexerit Gregorius XIII. anno 1580. vt constat ex bulla creationis, quam refert Vghellius *dict. tom.* 2. *fol.* 24. Sed dicendum est, diuersam prorsus esse ciuitatem Cremensem à Cremonensi. Crema enim, quæ est suffraganea Ecclesiæ Bononiensis, de qua Merula *vbi suprà*, Schotus *dict. lib.* 1. *pag.* 117. est tantùm Episcopalis à temporibus Gregorij XIII. Cremona verò, quæ est ciuitas Galliæ Cisalpinæ, non procul à Mantua, de qua plura *vbi suprà*, *cap.* 10. Bernardus Saccus *lib.* 9. *hist. Ticinensis*, *cap.* 6. Schotus *d. lib.* 1. *pag.* 216. Episcopalis erat temporibus nostri Innocentij, cùm præsens casus contigit.

3. Regivm lepidi vbi.

c *Regij.*] Regium Lepidi, iuxta Parmam, pulchra ciuitas est, tametsi latiùs fines non extendat, in medio viæ Æmiliæ sita: post Imperium Romanum à Longobardis, & Gothis excidium passa est, posteà diuersorum Comitum iugum sustinuit, donec temporibus Adriani V I. Estenses sub titulo Ducatus eam administrarunt: plura de ea tradunt Merula *d. cap.* 2. Schotus *d. lib.* 1. Vghellius *tom.* 2. *Italiæ*, *fol.* 300.

4.

d *Traditum sepulturæ.*] Cùm corpus Prælati humatum non est, immò ante eius depositionis diem tertium electio successoris fieri non debet, *cap. nullus*, *el* 2. 79. *dist.* vbi Acuña, Dartis, & Barbosa. Tamen id non seruatum in electione R. P. refert Petrus de Vineis *lib.* 1. *epist.* 33. & in electione Procli Patriarchæ CP. tradunt Socrates *lib.* 7. *cap.* 31. Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 37.

5.

e *Et tres de Clero.*] Compromitti enim potest, non solùm in eos, qui sunt de corpore Capituli, verùm & in extraneos; dummodò laici non sint, *cap. sacrosancta*, *hoc tit.* Dixi *in cap. causam*, *suprà.*

f *Expectare iudicium.*] Contra textum *in cap. consideranimus*, vbi aliqua adduxi, *hoc titulo.*

g *Sanctiones.*] Videlicet textus *in cap. obeuntibus*, 63. *dist. cap. nullus*, *el* 2. 79. *dist.* licèt tractatus consultiuus haberi possit, iuxta textum *in cap. si transitus*, 79. *dist.* Sed licèt prohibitum sit futurum Pastorem eligere ante obitum, & humationem prædecessoris; tamen si electio ante humationem de facto celebretur, valet & sustinetur, cùm plures euenire possent causæ, quæ hanc celeritatem expostulent, *cap. Episcopo* 3. 8. *q.* 1. docent Lambertinus *de iurepatron. lib.* 2. *p.* 2. *q.* 2. Petrus Gregorius *de elect. cap.* 13. *num.* 5. Vnde in nostro textu si non adfuisset contemptus vnius electoris, electio defenderetur. Neque contrarium probant verba relata nostri textus, quia hæc causa præuentæ, & acceleratæ electionis inter alias refertur, non verò asseritur eam per se sufficere ad irritandam electionem, sed tantùm coniunctam cum aliis, vt pro nostri textus expositione docent Lambertinus, & Petrus Gregorius. Nec etiam aduersatur textus *in dict. cap. nullus*, 79. *dist.* quia procedit de honestate, non verò de necessitate; itavt iuxta honestatem post depositionis diem tertium debeat electio celebrari, non verò anteà: docet Miranda relatus à Barbosa *in præsenti.* 6.

h *Contemptus.*] Contemni elector duplici modo potest: primò si non vocetur, cùm vocari debebat, *cap. quod sicut*, *hoc titul.* secundò si vocatus non admittatur ad electionem. Tamburinus *tom.* 1. *disput.* 5. *quæsito* 3. vtroque autem casu electio non est nulla ipso iure, sed annullanda iudicis sententiâ, si de contemptu agatur, *dict. cap. quod sicut*, Panorm. *hic*, *num.* 4. Petrus Gregorius *de electione*, *cap.* 14. *num.* 5. quare nullo modo dici potest, facultatem eligendi ad electorem contemptum esse deuolutam, *cap. super eo*, *hoc tit.* vt malè Hostiensis in nostro textu probat: vnde si contemptus consentiat electioni, tanquam ab omni vitio immunis sustinebitur, vt dixi *in cap. cùm inter*, 16. *hoc tit.* ex cuius commentario, quæ huc spectant, petenda sunt. 7.

CAPVT XXXVII.

[a] Idem.

CVm ad nostram nuper notitiam deuenisset, quod H. qui se pro Abbate [b] Luxouin. gerebat, non fuerit antè monachus quàm electus. Nos attendentes, quod contra regulares traditiones illud fuerit attentatum, cùm nullam spem, vel promissionem habens, vt Abbas fiat, debeat [c] monachari; electionem de ipso factam, de consensu fratrum nostrorum curauimus irritare. Quocirca mandamus, quatenus tam monachis, quàm aliis fidelibus monasterij memorati studeatis ex parte nostra districtiùs inhibere, ne præfato H. vllam obedientiam, vel reuerentiam propter iamdictam electionem valeant exhibere; & si quid in eodem monasterio disponendo perperam attentauit, nullum robur habere volumus firmitatis, sed penitus irritari.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. cui tamen missa fuerit præsens decisio, non constat; credo tamen ad monachos Benedictinos Lexouiensis diœcesis spectare.

2. b *Luxouin.*] Ita legendum est, nam in præsenti agitur de Monasterio Luxouiensi, quod est in Gallia, in Comitatu Burgundiæ, de quo plura tradunt Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Gall. Christ. fol.* 585.

c *Monachari.*] Id est monachus fieri, vt enim canonicari ponitur, pro canonicum fieri; ita & monachari pro monasticam vitam profiteri. Gofridus Vvintonienſis *lib.* 4. *epist.* 13. ibi: *Summâ precum infirmitate monachasti.* Et *epist.* 50. ibi: *Quos monasterio nostro monachandos misisti.* Notat Bosquetus *lib.* 1. *ad Innoc. III. epistola* 13. Commentarium huius textus tradidi *in cap. cùm Magistratus*, *hoc titulo.* 3.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

[a] Idem *Magistro tit. S.Laurentij in Lucinia, Presbytero Card. A. S.Leg.*

OFficij tui laudabilem persequeris actionem, cùm super illis, de quibus dubitas, per nos postulas edoceri. Sanè nobis tuis litteris intimasti, quod cùm monasterium quoddam possessionibus [b] conuenienter ditatum, sed positum in medio nationis prauæ pariter & peruersæ, Pastore careret, monachi de electione Abbatis tractantes necessarium duxerunt personam eligere aliquam, cuius potentiâ valeret à persecutoribus liberari. Cúmque non possent sui Ordinis idoneam inuenire personam, in quendam virum nobilem oculos direxerunt, per quem meliùs poterat defensari; & consilio quorundam Iurisperitorum adierunt patrem ipsius, humiliter postulantes, quod filium suum [c] induceret, vt habitum susciperet monachalem, nullam patri de ipsius promotione [d] fiduciam tribuentes: & pater ad hoc induxit filium discretum, prouidum, litteratum, & vigintiquinque annorum ætatis, qui monachus est effectus, nulla spe, vt asserit, de sublimatione tributâ. Sed die, in quo monachus est effectus, fuit in Abbatem electus, cuius electio fuit per dil. fil. n. G. de Lab. Subdiaconum nostrum, Rectorem Messanæ, A.S. L. qui in omnibus prædictis interfuit, confirmata. Cùm autem idem sit paratus purgare se, quia nullâ fuit ad hoc ambitione inductus, per litteras nostras postulas edoceri, vtrum dictus Legatus potuit huiusmodi electionem confirmare, vel dispensare, vt quod factum est, stare possit: & vtrum electione ritè cassatâ, iterum valeat eligi in Abbatem. Nos autem consultationi tuæ taliter respondemus, quod licèt ex his, quæ in continenti subsecuta sunt, ostendatur, quod talis taliter eligi non possit in Abbatem, maximè ex eo, quod antequam esset discipulus, voluit esse magister, electionem illam irritam esse decernimus, & inanem. Verùm postquam fuerit in regula competenter instructus, si vrgens necessitas, & euidens vtilitas ipsius monasterij postulauerit, purgatione [e] receptâ poterit in Abbatem assumi, ne monasterium opprimatur incursibus malignorum.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Huius textus inscriptio corrigenda est ex inscriptione textus *in cap. officij, de testam. cap. officij, de pœnit. & remiss. cap. officij, de sentent. excomm.* vbi tantùm legitur, *C. Presbyt. Cardinali Ap. Sed. Legato.* Cùm enim C. Presbyt. Cardinalis tituli S.Laurentij in Lucinia (qui titulus Cardinalitius spectat ad Basilicam S.Laurentij extra muros, testante Cohelio *in notitia Cardin. cap.7.*) legationis officio fungeretur, consuluit Innocentium III. super diuersis quæstionibus, quarum prima refertur in nostro textu, secunda *in dict. cap. officij, de testam.* tertia *in d. cap. officij, de pœnitent.* vltima demùm *in dict. cap. officij, de sentent. excom.* nostra autem decisio reperitur in quarta collectione, *sub hoc titulo, cap.4.*

2. b *Conuenienter ditatum.*] Debet enim quodlibet monasterium tempore suæ fundationis competenter dotari, vt monachi congruè sustententur; quod primis Ecclesiæ temporibus obseruatum fuisse probat Nicolaus Lemaistre *lib. 2. de iuribus ecclesiast. cap.8.*

c *Induceret.*] Licèt parentes non possint cogere filios ingredi & profiteri religionem, possunt tamen eos inducere; nec ita inducentes hodie excommunicationem incurrunt, ex dispositione Concilij Tridentini *sess.25.cap.18.* vt refert decisum à Cardinalibus Barb. *ibi, num. 5. & de potest. Episcopi allegat. 104. num.3.* 3.

d *Fiduciam tribuentes.*] Quod prohibitum est Ecclesiæ legibus, *cap. per laicos 16. q.7.* plura Anton. Augustin. *in epitome lib.9. tit.5.* 4.

Receptâ.] Præstito videlicet iuramento, se ingressum non fuisse, vt in Abbatem eligeretur.

CAPVT XXXIX.

[a] Idem.

ILla quotidiana instantia. *Et infrà:* Quia pro certo didicimus, electionem de ipso factam canonicam extitisse, ipsam auctoritate Ap. duximus confirmandam, supplentes de plenitudine potestatis, si quis in ea ex eo fuisset defectus, quòd quidam interfuerunt electioni eidem, qui ex sola participatione in simplicis excommunicationis laqueum inciderunt.

NOTÆ

NOTÆ, ET COMMENT.

1. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

a *Idem.*] In præsenti proponitur fragmentum cuiusdam epistolæ Innocentij III. cuius integra non reperitur, nec in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.5.* vbi reperitur hic textus; nec in aliqua ex epistolis editis à Bosqueto: ex ea tamen, prout hic iacet, sequentem deducunt Interpretes assertionem: *Electio canonicè celebrata, debet confirmari, licèt quidam eligentium essent minori excommunicatione ligati.* Probat textus *in cap. si celebrat, de clerico excomm.* Illustrant Couarr. *in cap.alma, 2. part.* §.7. Lambertinus *de iurepatron. part.1. lib.2. quæst.2. art.1.* Garcia *de beneficiis 5. part. cap.4. numer.*314. Marius Alterius *de censuris tom.1. lib.2. disput.5. cap.1.* Suarez *eod. tract. disput.14. sect.1. num.8.* & *disp.24. sect.3. num.13.* Lezana *tom.3.verbo Excommunicatio*, Bonacina *eod. tract. disput.2. quæst.2. puncto 5. num.3.* Auila *simili tract. part.2. disput.6. dubio 3.* Peyrinis *de Prælato, quæst.2. cap.5. num.1.* Hurtado *de excommunicatione disput.7. difficult.2.* Castro Palao, Sayrus, & alij laudati à Garcia *tom.2. polit. tract.9. difficultate 3. dub.2.* Leander *de censuris disput.10. quæst.7.*

2. RATIO DVBITANDI.

Hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione; nam quando actus celebratur ab excommunicatis simul cum non excommunicatis, similis actus corruit, vt probant textus expressi *in cap. ad probandum, de re iudicata*, vbi quia vnus ex iudicibus erat excommunicatus, sententia à pluribus prolata nulla est: *cap. vlt. de procurat.* vbi procurator constitutus ab vniuersitate, vbi aliquis ex iuratis erat excommunicatus, non admittitur in iudicio, nec talis constitutio sustinetur: igitur similiter in electionibus, si aliquis ex eligentibus sit excommunicatione innodatus, electio vitiabitur. Augetur hæc consideratio ex illis verbis præsentis textus, *supplentes de plenitudine potestatis*; vbi supponitur, R. Pontificem confirmasse electionem celebratam ab eis, quorum vnus erat excommunicatus, ex plenitudine potestatis, & supplendo defectum ipsius electionis: igitur quia electio mero iure non sustinebatur.

3. EXCOMMVNICATIO DVPLEX.

Sed adhuc præsens Innocentij decisio defensanda est, pro cuius expositione primò sciendum est, omissis variis communionis speciebus, & diuersis excommunicationis definitionibus, quas tradunt & illustrant Suarez, Sayrus, Alterius, Auila, Gibalinus, & Leander *in suis tractatibus de censuris*, Morinus *lib.2. exercit. cap.1.* Albaspinus *lib.1. obseru. cap.1. cum sequent.* excommunicationem communiter diuidi in maiorem, & minorem, licèt sub his nominibus non inueniamus expressam eam diuisionem in toto Gratiani volumine; in eo enim priuatio communionis simpliciter excommunicatio dicitur, *cap. sicut Apostoli, cap. si quis* 38. *cap. cum excommunicato* 58. 11. *q.3.* aliquando anathema appellatur, *cap. Engeltrudam 3. quæst.4. cap. nemo* 41. *cap. quoniam* 103. *cum sequenti*, 11. *quæst.3. cap.de presbyterorum* 17. *quæst.4. cap. P.Guilisarius* 23. *quæst.4.* exponemus *in cap.cùm ab homine* 10. *de iudiciis.* In hoc Decretalium volumine prædicta diuisio expressa reperitur, vt in præsenti textu, *cap. significauit*, *cap. finali, de sent. excomm.* Effectus autem maioris & minoris valde diuersi sunt; siquidem excommunicatio maior non solùm priuat perceptione actiua, & passiua sacramentorum, verùm & communione fidelium, *cap. penult. de sentent. excom. cap.2. de except. cap. cum excommunicato, cap. excommunicatos* 11. *quæst.3.* maiori enim excommunicatione ligatus separatur ab aliorum consortio tanquam ouis morbosa, *cap. corripiatur* 24. *quæst.3.* quæ priuatio communionis, atque commercij facit, vt nullus cum excommunicato habere possit communionem, nec ipse se valeat ingerere actibus societatis humanæ, *dict. cap. cum excommunicato, cap. sicut Apostoli*; veluti in actibus iudicialibus, *cap. ad probandum* 24. *q.3. cap.2. de except. cap. intelleximus, de iudiciis*, vbi dicemus: item in collationibus beneficiorum, *cap. vnico, ne sede vacante in 6.* quare nec electionibus ecclesiasticis interesse debent, *cap. finali, de clerico excommunicato*, Ricciulus *lib.4.de personis extra gremium, cap. 3.* Illustrissimus D. Franciscus Ramos *in dict. memor. ad Alex.VII. pro Episcopat. Lusit. proposit.3. num.86.* & si talibus electionibus intersint, eorum suffragia non attenduntur, nec numerantur, *cap. bonæ, el 1. hoc tit. cap. cùm dilectus, de consuet.* Secundò sciendum est, quod cùm excommunicatus maiori excommunicatione ligatus, priuatus sit communione fidelium, si quis contemptis Ecclesiæ clauibus, cum eo communicauerit, in minorem excommunicationem incidit, *cap. sicut Apostoli, cap. excommunicatos, cap. cum excommunicato* 11. *quæst.3. cap. nuper, cap. significauit, de sentent.excom. cap. sacris, de his quæ vi:* vnde in præsenti textu Innocentius III. affirmat, communicantem cum excommunicato simplicem excommunicationem incurrere, id est minorem, quæ simplex dicitur. Hæc autem minor excommunicatio, quæ ob communicationem cum excommunicato, vel ob similes causas incurritur, priuat tantùm communione sacra, id est sacramentorum perceptione, *cap. penult. de sentent. excomm. cap. si celebrat, de clerico excom.* Est enim excommunicatio minor censura ecclesiastica, quâ baptizatus priuatur passiuâ participatione sacramentorum. Couarr. *in cap. alma mater, 1. part. in princip. num.4.* & §.8. *num.1.* Gibalinus, Leander, & alij de excommunicatione agentes; non autem priuat actiuâ, aut iurisdictione propriâ; vnde eâ censurâ ligatus, potest sacramenta administrare absque eo, quod irregularitatem incurrat, *cap. si celebrat, de clerico excomm.* & per consequens omnia valet ritè peragere, quæ ad iurisdictionem, & similes actus spectant, vt dicemus *in cap.2. de except.*

4. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus prouenit vera decisiua ratio præsentis textus; nam cùm excommunicatus minori excommunicatione tantùm sit priuatus participatione sacramentorum, quæ in sola perceptione consistit, vt ait Pontifex *in dict.cap. si celebret*, vtique ab ea tantùm arcetur communione, per quam peruenitur ad eam perceptionem, vt est electio passiua, *dict. cap. si celebret, cap. postulasti, de clerico excomm. cap. audiuimus* 4. 24. *quæst.1. cap.1. de offic. Vicar. in 6. cap. veniens* 38. *in fine, de testibus*, Petrus Gregorius *lib.4. partit. tit.16. cap.7.* non tamen ab electione actiua, quia illa extrinsecùs se habet ad participationem sacramentorum, vt docent Glossa *in dict. cap. si celebrat, verbo Negligere*, Couarr. *in dict. cap. alma, 1. part.* §.8. *num.3.* Suarez *de censuris disput.24. sect.2. num.4.* Hugolinus *de censuris tabula 3. cap.6.* §.4. *num.4.* Nec interest, an minor excommunicatio ab homine, an à iure inflicta sit, quia in qualibet ex eis eadem ratio militat, quamuis contrarium doceri videatur *in l.6. tit.9. part.1.* Vnde cùm in præsenti textu agatur de illis, qui ex participatione cum excommunicato

in

in minorem excommunicationem inciderunt, meritò deciditur electionem cum eis celebratam tanquam canonicè factam esse confirmandam, cùm per simplicem excommunicationem ius eligendi non amiserint.

5. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat difficultas suprà adducta, quæ procedit in maiori excommunicatione ligatis; verum enim est, quod si ipsi maiori excommunicatione ligati cum aliis actum humanum celebrauerint, huiusmodi actus vitiatur, *dict. cap. ad probandum*, quod etiam in electione procedit; cùm enim excommunicati maiori excommunicatione eligere non valeant, *cap. cùm inter, hoc tit. cap. postulasti, cap. si celebrat, cap. finali, de clerico excomm.* pluribus relatis docet Petrus Gregorius *dict. lib. 4. part. tit. 16. cap. 7.* si alij cum eis elegerint, electio vitiatur, Ricciulus *de iurepatron. lib. 4. cap. 3.* Nec solùm hoc procedit, si plures excommunicati in ipsa electione concurrant, verùm si vnus tantùm, dum tamen eius suffragium prosit electo, quia sine eo non eligeretur; talis enim electio vitiatur, Leander *vbi suprà*, *cap. 8.* Garcia *tom. 2. polit. vbi suprà*: quæ doctrina procedit hodie in excommunicato non tolerato, quem vitare debemus, ex extrauaganti *ad euitanda*; non verò in occulto, ille enim quamuis maiori excommunicatione ligatus sit, electionem non vitiat, vt docet pluribus adductis Garcia *vbi suprà*. Sed dubium est, an casu, quo suffragium excommunicati necessarium non est ad electionem, si admittatur, eam vitiet? Affirmant aliqui; sed rectiùs, pluribus relatis, negant Leander *vbi suprà*, *quæst. 10.* & Garcia *vbi proximè*: vnde si in nostro textu ad electionem admissi essent maiori excommunicatione ligati, electio nulla esset: sed cùm tantùm minori essent irretiti, ex participatione cum excommunicato contracta, ideò electio ab eis celebrata sustinetur. Nec augmentum difficultatis aduersatur; nam licèt Innocentius affirmet se supplere ex plenitudine potestatis defectus electionis; non tamen id fecit ex necessitate, sed ex superabundantia, vt inquit Glossa secunda in nostro textu, Innocentius & alij antiquiores, Suarez *de censuris dict. disput. 24. sect. 2. num. 13.*

6. EXPONITVR CLEMENT. NE ROMANI, §. CÆTERVM, DE ELECT.

Sed superiori assertioni opponitur textus *in Clement. ne Romani*, §. *cæterùm*, *de elect.* vbi apertè docetur, quod si in electione Rom. Pontificis aliqui ex Cardinalibus reperiantur maiori excommunicatione ligati, non ideò electio R. Pontificis vitiatur: igitur siue minori, siue maiori excommunicatione ligati cum aliis admittantur ad electionem, non ideo electio vitiatur. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, eum textum specialiter procedere in electione R. Pontificis, ne schisma, diuisiones, aut alia similia sequantur, si Cardinales etiam maiori excommunicatione ligati non admittantur ad electionem: quam & alias specialitatis rationes illustrant Suarez *de censuris disput. 24. sect. 2. num. 19.* Petrus Greg. *dict. cap. 7.* Leander *vbi suprà*, *quæst. 13.*

7. EXPLICATVR CAP. VNIC. NE SEDE VACANTE, LIB. 6.

Ex suprà traditis lucem accipit textus *in cap. vnico, ne Sede vacante*, *lib. 6.* vbi asseritur, quod si collatio beneficiorum ad Capitulum simul, & Episcopum spectet, & Capitulum in suspensionem inciderit, collatio ad Episcopum deuoluitur: idem etiam docetur cùm aliqui ex Capitulo excommunicati reperiuntur, tunc etiam ad Episcopum deuolui collationem: ex qua decisione constat, aliquibus ex Capitulo excommunicatis, electionem ab aliis celebrari non posse; qui textus procedit in maiori excommunicatione ligatis: nam si tantùm minori excommunicatione essent irretiti, tantùm electio, seu collatio non spectaret ad solum Episcopum, sed etiam ad Capitulum, admissis etiam excommunicatis, vt præsenfit Ricciulus *dict. lib. 4. cap. 3.*

CAPVT XL.

Innocentius III. *Magistro Maximo* [a] *Notario nostro.*

SCriptum est in Apocalypsi Ioannis, quòd in medio sedis, & in circuitu sedis erant quatuor animalia plena oculis antè & retrò. Primum animal simile leoni; secundum animal simile vitulo; tertium animal habens faciem quasi hominis; & quartum animal simile æquilæ volanti: & quatuor animalia singula eorum alas senas habebant. Sedes ista Romana Ecclesia intelligitur, quæ vsitato vocabulo Sedes Apostolica nuncupatur. Vtique sedes Agni, sedes viuentis in sæcula sæculorum. In medio cuius quasi filiæ in gremio residenf, & in circuitu astant quasi famulæ in obsequio, [b] quatuor Patriarchales Ecclesiæ, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana, quæ per illa quatuor animalia designantur. Marcus enim Alexandrinam fundauit, & rexit Ecclesiam, qui secundùm visionem Ezechielis accipitur per leonem, eo quod Euangelium inceperit à rugitu, dicendo: *Vox clamantis in deserto.* Et quia quemadmodnm leo catulum suum post diem tertium suo asseritur excitare rugitu; sic Deus pater filium suum, qui leo de tribu Iuda esse describitur, de cuius resurrectione principaliter tractat Marcus, diuinitatis suæ potentiâ post triduum à mortuis suscitauit. Vnde in die resurrectionis Dominicæ ipsius Euangelium antonomasticè in Ecclesia recitatur. Lucas autem fuit natione Antiochenus, qui propterea in vituli figura describitur, in quo sacerdotalis hostia designatur, quoniam à sacerdotio inchoans Euangelium, de immolatione tractauit, præcipuè summi Sacerdotis & veri, qui est hostia salutaris, vitulus videlicet saginatus, quem pater iussit occidi pro filio prodigo redeunte. Vnde benè per ipsum Antiochena Ecclesia designatur, in qua primùm Apostolorum Princeps in summi Sacerdotij Cathedram à

fidelibus

fidelibus extitit sublimatus. Matthæus quidem fuit natione Iudæus, & Euangelium primus descripsit etiam Hebraïcè in Iudæa; & ob hoc per hominis speciem designatur, quòd ab incarnatione Christi suum inchoans Euangelium, principaliter humanam eius natiuitatem ostendit, quam ipse Christus de Iudæis, & in Iudæa pro nobis assumens, Hierosolymitanam Ecclesiam Metropolim Iudæorum suâ humanâ præsentiâ consecrauit, de qua dictum fuerat per Prophetam: *Homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Ioannes verò Asianam fundauit Ecclesiam, & Apocalypsin septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, ipse descripsit, quibus, & cæteris Græcorum Ecclesiis Constantinopolitana tandem præferri meruit, & præponi, per aquilam meritò designata; quia sicut aquila volatu omnes aues excellit, & oculorum eius intuitum solis radius non offendit; sic Ioannes tribus aliis animalibus in terra relictis, supra cœlos cœlorum ascendens veram lucem oculis irreuerberatis aspexit, & à diuina Verbi natiuitate suum Euangelium inchoauit; qui licèt inter vniuersos Euangelistas fuerit vltimus tempore, præcipuus tamen extitit dignitate: quoniam in cœna supra pectus Christi recumbens, fluenta doctrinæ de ipso sacri Dominici pectoris fonte potauit. Sic Constantinopolitana Ecclesia, licèt posterior tempore, postmodùm propter honorificentiam piissimi Constantini prælata est aliis dignitate; sicque facti sunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Vt meritò ipsi dicatur: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, sed tu sola supergressa es vniuersas.* Ad cuius Ecclesiæ regimen talis est Pontifex assumendus, qui ad similitudinem illorum quatuor animalium, antè & retrò plenus sit oculis, vt pleno lumine veteris, & noui Testamenti mysteria contempletur, per experientiam videns præterita, & futura præuidens per cautelam. Debet etiam habere sex alas, scilicet sex legum notitiam; Naturalis, Mosaïcæ, & Propheticæ, Euangelicæ, Apostolicæ & Canonicæ, quibus perfecto libramine inter cœlum volans & terram, de terris ad cœlestia, & de temporalibus transvolet ad æterna. Sanè ad hanc Ecclesiam duo quædam animalia sunt vocata, vtinam plena oculis, & alas habentia, videlicet venerabilis Frater noster [c] Heraclien. Archiepiscopus, & dilectus filius [d] Plebanus S. Pauli de Venetiis, sicut per procuratores, tam postulantium Archiepiscopum, quàm eligentium Plebanum fuit propositum coram nobis. Proposuerunt siquidem procuratores electorum Plebani, quod cùm Ecclesiâ Constantinopolitanâ vacante Canonici Ph. Decanum suum sibi elegerint in Pastorem, & nos cassauerimus electionem eandem, quia quibusdam exclusis, qui adesse debuerant, extitit celebrata: ne diu gregi fidelium deesset cura pastoris, tàm Canonici, quàm quidam alij, qui se in electione Constantinopolitani Patriarchæ ius habere dicebant, vt de electione tractarent, ad inuicem conuenerunt. Cúmque septem [e] personæ, pro septem Præpositis se offerrent, & quidam alij pro cæteris Prælatis se tractatui electionis ingererent, post multam concertationem, tam illas septem personas, quàm duas alias ad vniuersitatis instantiam, quæ tamen duas tantùm voces haberent, saluo in omnibus iure suo, tam in præsenti, quàm in futuro, pro bono concordiæ receperunt. Sed factum est, quod humani generis inimico, qui vnitatem Ecclesiæ scindere nititur, superseminante zizania messi dominicæ, in duas partes sunt vota diuisa. Nouem de Canonicis, & nouem aliis prænominatis personis postulantibus Archiepiscopum memoratum; & quindecim Canonicis, & Præposito SS. Apostolorum Plebanum eligentibus supradictum, cuius electioni Cantor, qui propter vtilitatem absens erat Ecclesiæ, & ante tractatum electionis per litteras suas consensum expresserat de Plebano, si aliis complaceret; & octo alij Canonici, qui electionis tempore non fuere præsentes, suum præstitere consensum: & sic in Plebanum prædictum vota vigintiquatuor Canonicorum, & vnius Præpositi conuenerunt. Dicebant ergo, postulantium numerum esse minorem, cùm decem & octo tantùm Archiepiscopum postularent, de quibus quosdam eorum, quos cum præfata protestatione sui iuris admiserant, excludere nitebantur; duos videlicet de Blakerna, & Buccaleone Præpositos; quia cùm per exemptionis priuilegium à Sede Apostolica impetratum se subtraxerint oneri, tacitè renunciasse videbantur honori, vt ad electionem non pertinerent illius, cui electo nullatenus subiacerent. Alij quatuor non erant Præpositi, sed aliarum Ecclesiarum Clerici, qui se tractatui electionis suorum Præpositorum nomine ingerebant, quia eorum domini adeò erant absentes, quod ad tractatum electionis vocari commodè nec poterant, nec debebant; quoniam

si absentes possent per procuratores adesse, vix iura deuoluerentur absentium ad præsentes, cùm rarò contingeret quod per se, vel per alios interesse non possent. Septimus autem qui præsens extiterat, iam [f] electus, & confirmatus in Archiepiscopum [g] Vericen. & translatus ad suam Ecclesiam, possessionem eiusdem adeptus fuerat corporalem. Et licèt vniuersitas Clericorum quatuor priùs pro se postularet admitti, quia tamen pars Canonicorum tot nolebat admittere, ne numerus aliorum nimis excresceret, ita tandem pro bono pacis extitit ordinatum, vt duo tantùm admitterentur ex illis, cum protestatione prædicta; & ideò eligentes asserebant illos duas tantùm voces, & non cæterorum habere, maximè cùm triginta Præposituræ fuerint ad septem redactæ, quæ tamen nondum fuerunt auctoritate sui iudicis approbatæ. [h] Conuentuales autem Ecclesias vltra quinque, vel sex tunc temporis esse negabant; & si plures fuissent, tempore tamen electionis prædictæ Prælatos earum dicebant non fuisse præsentes. De malo denique zelo intendebant arguere postulantes, eo quòd, vt proponebant, illiteratum & impudicum ex certa scientia postularant, cuius incontinentiam dicebant per filium in monachatu genitum, paternæ libidinis testem posse probari. Eundem etiam Archiepiscopum de ambitione notabant, eo quòd in vigilia [i] Natiuitatis Dominicæ se suæ subtraxit Ecclesiæ, vt esset in vrbe Regia, vbi tunc erat postulatio celebranda; & passus est cum hymno, *Te Deum laudamus*, se in sede locari, in qua profestis diebus residere consueuerat Patriarcha. Qui etiam auctoritate propriâ bona Patriarchatus post mortem Patriarchæ distribuens, eiusdem sigillo violenter arrepto de scrinio Camerarij, litteras quasdam, quibus illud impressit, misit Rauennam, & quandam pecuniæ summam ibi depositam auctoritate litterarum illarum sibi fecit afferri, eandemque distribuit pro suæ voluntatis arbitrio, in Ecclesiæ Constantinopolitanæ præiudicium & grauamen. Quod totum, & alia in Capitulo fuere proposita, cùm quidam de ipso postulando tractarent. Vnde petebant, vt cùm pars postulantium Archiepiscopum esset numero minor, inferior zelo, & à suo iure ceciderit postulando scienter indignum, electionem confirmare factam de dicto Plebano canonicè dignaremur. Maximè cùm ipsi vsi fuerint iure communi, personam eligibilem eligendo, quod ordinarij iuris existit: & alij iuris communis contempto beneficio, ad extraordinarium auxilium transvolarint. Ad hæc procuratores partis alterius responderunt, quod vniuersi Prælati Conuentualium Ecclesiarum apud Constantinopolim existentium, per nostram constitutionem in electione Constantinopolitani Patriarchæ ius habent. Vnde vniuersitas Prælatorum, de qua in eadem constitutione cauetur expresè, restringi non debet ad septem, cùm ratione suæ dignitatis in hoc benè fuerit Ecclesiæ memoratæ prouisum: tum vt sanior haberetur super electione tractatus, cùm integrum sit iudicium plurimorum sententiis confirmatum: tum etiam, vt per numerum Prælatorum illis posset occurri, qui Dei Sanctuarium iure volebant hæreditario possidere. Addebant etiam, quod præfatæ constitutionis beneficium duo exempti Præpositi per exemptionis priuilegium nullatenus amiserunt; cùm ea quæ in fauorem alicuius introducta sunt, in eius læsionem non debeant redundare, & per priuilegia Pontificum Romanorum addi, non subtrahi consueuerit illis, quibus specialiter indulgentur: propter prædictam maximè rationem, vt illis obsisterent prudenter, qui Domini Sanctuarium moliuntur in ius hæreditarium vsurpare. Vnde iidem excludi non poterant, nec debebant, eâ etiam ratione, quòd septem nomine septem Præpositurarum, & duo vice ac nomine vigintrium Prælatorum pro ipsa vniuersitate fuerint à Canonicis ad tractatum electionis admissi: & sic cùm in postulatum vota septem Præpositorum, & decem & octo Prælatorum præsentium, & aliorum sex absentium, quorum procuratores erant in ciuitate præsentes, consensu mediante illorum duorum concurrerint, pro parte sua vltra duplò maiorem numerum allegabant; cùm in Plebanum quindecim tantùm Canonici, & vnus Præpositus à principio consensissent, nec aliquid eis iuris accreuerit in hoc casu per subsequentem consensum nouem Canonicorum, qui electionis tempore non fuerunt præsentes, nec vocari potuerant commodè, nec deberent. Præsertim cùm octo ex illis *j* tanto tempore fuissent absentes, quòd secundùm constitutionem Patriarchæ ac Capituli Constantinopolitanorum, pro Canonicis nullatenus haberentur. Auctoritatem etiam introducebant pro se, cùm regulariter maioris auctoritatis Prælatus, quàm simplex canonicus habeatur. Bonum verò zelum eâ ratione probabant, quòd Venetum pro vitando scandalo, longâ conuersatione notum, laudabili administratione probatum, charum Clericis, & acceptum laicis postularant, in quem assensus

Principis,

Principis, suffraganeorum vota, plebisque desiderium concurrebant, nec debebant aliquid sinistrum de illo præsumere, quem & excellentia dignitatis, & communis reddebat fama præclarum. Nec etiam erant aduersarij audiendi, qui promotionis eius tempore tacuerunt, nisi fortè aliquid nouum proponerent, vel quod postmodùm didicissent. Maximè cùm obiectam notam incontinentiæ, si qua forsitan præcessisset in ipso, quod tamen inficiabantur omninò, subsequens longæ conuersationis deleuisset honestas. Proposuerunt etiam, quòd nisi pars altera se ab iniuriis temperaret, intendebant quædam proponere, tam in personis eligentium, quàd electi. Ad excusationem verò eiusdem Archiepiscopi super obiectione ambitus proponebant, quod idem ex honesta, & probabili causa Constantinopolim venerat, & habebat necesse frequenter accedere, tum propter [k] negotia Patriarchalis Ecclesiæ, tum etiam propter executionem vltimæ voluntatis Patriarchæ defuncti, suæ discretioni commissæ; qui licèt interfuerit Vesperis & Matutinis in Patriarchali Ecclesia, ob solennitatem diei, in loco tamen [l] Decani resedit, nec aliquid de Patriarchalibus vsurpauit. Ipsum etiam litteratum, etsi non eminenter, competenter tamen esse dicebant, sufficientem intelligentiam, & eloquentiam de Scripturis, & in Scripturis habentem. Nihilominus allegantes, quòd etsi quædam conuentuales Ecclesiæ tunc vacarent, aut forsan propter pauperiem non haberent numerum clericorum, ipsum Capitulum, aut etiam vnus, qui vicem Capituli retineret, ad electionem pro Prælato deberet admitti, cùm in talibus sæpè Capitulum vicem consueuerit supplere Prælati, & nomen ac ius vniuersitatis multotiens deuoluatur ad vnum, & retineatur in vno. De malo nihilominus zelo arguebantur electores Plebani, eo quòd hominem elegerant, quem electionis tempore credebant in minoribus ordinibus constitutum, asserentes quod in vigilia Natiuitatis Dominicæ altera pars apud Constantinopolim consenserat in Plebanum, qui se paulò antè apud Venetias fecerat in Subdiaconum promoueri. Ex quo inferebatur, quod si hoc actum fuerit ex condicto, non poterat ambitione carere. Si verò præordinatum non extitit, cùm propter locorum distantiam hoc ad eligentes tam breui tempore nequiuerit peruenisse, sequitur quod secundùm conscientias suas ineligibilem eligebant: vel si error ad excusationem accusatione non vacuam allegetur, in confessionem negligentia veniet, quæ super iis non multùm distat à culpa. Adiiciebant etiam, quod magis erat extraordinarium consentire in hominem non solùm extra totum Patriarchatum, verùm etiam extra totum Imperium constitutum, quàm in vicinum & familiarem suffraganeum eiusdem Ecclesiæ, de cuius Pastoris electione tractatur. Personam quoque Plebani de vehementi ambitione notabant, dicentes quod ipse per litteras suas quosdam Constantinopolitanos canonicos expressè [m] rogauerat, vt eum in suum eligerent Patriarcham; quod pars aduersa negabat. Vnde petebant postulatores Archiepiscopi sæpedicti, vt cùm esset pars altera zelo, auctoritate, ac numero minor, cassato quod factum fuerat de Plebano, postulationem ipsorum admittere dignaremur. Verùm quia de iis quæ per assertiones partium in iudicium deducta fuerunt, nobis non potuit fieri plena fides, quamuis super iis, quæ de numero dicta sunt postulantium, per quoddam publicum instrumentum, & litteras Constantinopolitani Vicarij, necnon confessionem procuratoris partis aduersæ, in iudicio quidem factam, sed posteà reuocatam, pars altera suam intentionem assereret esse fundatam, causam ipsam discretioni tuæ duximus committendam, per Apost. scripta mandantes, quatenus super iis & aliis inquiras, sublato cuiuslibet appellationis obstaculo, diligentissimè veritatem de meritis electi & postulati apud Venetias, vbi [n] nati fuerunt, & diutiùs conuersati. De studiis autem eligentium & postulantium, & omnibus generaliter, quæ causam possint instruere, apud Constantinopolim, vbi huiusmodi postulatio & electio celebratæ fuerunt: & si partes consenserint, procedas hoc modo, vt si constiterit de mutuo conueniisse consensu, quod ad electionem Patriarchæ septem admitterentur Præpositi, siue per seipsos, siue per alios, & duo alij ex parte vniuersitatis pro cæteris conuentualium Ecclesiarum Prælatis; totque tunc temporis Conuentuales Ecclesias habuisse Prælatos, qui cum septem Præpositis & nouem Canonicis, quos quidem Canonicos constat in postulatione præfati Archiepiscopi conueniisse, duplò maiorem facerent numerum, quàm sexdecim electores Plebani, tu vice nostra postulationem admittas, nisi probatum fuerit postulato aliquid obuiare de canonicis institutis, quod promotionem ipsius debeat impedire: ac Plebani electione cassatâ, ipsum Archiepiscop. absoluas à vinculo, quo Heraclienſi tenetur Ecclesiæ, concedendo ipsum Constantinop. Ecclesiæ in Pastorem, & faciendo ipsi per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ reueren-

tiam, & obedientiam debitam exhiberi. Quod si ad faciendum duplò maiorem numerum simul omnes prædicti minimè suffecerunt, siue dignus, siue indignus sit postulatus, tu postulatione repulsâ, electionem Plebani auctoritate nostra ° confirmes, dummodo nihil obsistat eidem, quod ipsum tanto Præsulatu reddat indignum, ad impendendum siue reuerentiam, & obedientiam sibi debitam ac deuotam, quoslibet sibi subiectos, si necesse fuerit, sublato appellationis obstaculo canonicâ districtione compellens. Si verò numerus postulantium inuentus fuerit duplò maior, quemadmodum est prædictum, & persona postulata indigna reperta fuerit, tu tam postulationem, quàm electionem non differas reprobare; nisi forsan omnes, aut maior pars postulantium præsumptione damnabili postulauerint scienter indignum, vt hac vice meritò debeant eligendi, seu postulandi potestate priuari: & in hoc quoque casu electionem confirmes, si de persona idonea constiterit esse celebratam. Porrò si tam electionem, quàm postulationem cassari contigerit, aut altera partium postulante causam ad nos instructam referri, tu ex parte nostra districtè præcipias Canonicis & Prælatis, vt procuratores idoneos ad Apostolicam Sedem studeant destinare, per quos, aut vnum ex istis, si contigerit approbari, aut alium, quem nos eis duxerimus præferendum, aut quem ipsi fortè postulauerint, vel elegerint, si eis de benignitate nostra fuerit postulandi, vel eligendi concessa potestas, in Patriarcham recipiant; cùm tantam Ecclesiam nolimus manere diutiùs Pastoris solatio destitutam: & ad hæc & alia, quæ ipsorum consensum desiderant, eis vices suas plenè committant. Tu ergo Deum solum habens præ oculis, cum omni studio, & cautela secundùm præscriptam formam procedas in negotio memorato, nisi forsan Apostolicæ Sedis Legatus præuenerit, per quem vnà tecum ipsum negotium expediri secundùm præscriptam formam volumus & mandamus. Datum Signiæ XV. Kal. Septemb. Pont. N. anno XV.

NOTÆ.

1. a *Notario.*] Ita restituo inscriptionem, & litteram huius textus ex regestro epistolarum Innocentij III. edito à Bosqueto, vbi *lib. 3. epist.* 154. reperitur textus hic. De hoc officio Notarij latè agit Cohelius *in notitia Cardin. cap. 52.* Maximo Notario commissa fuit præsens causa, videlicet postulationis Heraclienſis Archiepiscopi, & electionis Plebani S. Pauli: sed cùm Venetiis peruenisset, & inde Constantinopolim progredi non posset, ipsius causæ cognitio sub eadem formula, sub qua commissa fuerat Maximo, delegata fuit Pelagio Cardinali Albanensi Episcopo, vt constat ex epistola 112. *lib. 4. ipsius regestri*, ibi: *Cùm causam super postulatione de venerabili fratre nostro... Heraclien. Archiepiscopo, & electione de dilecto filio... Plebano S. Pauli de Venetiis in Constantinopolitana Ecclesia celebratis, dilecto filio Magistro Maximo Notario nostro duximus committendam; & idem proficiscens vsque Venetias, in negotio pro parte processerit; quia tamen per Venetias Constantinopol. transitum habere non potuit, causam ipsam tuæ fraternitati, de qua plenè confidimus, duximus committendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus in eadem secundùm formam comprehensam in litteris directis ad eundem Magistrum, appellatione remotâ procedas. Tu denique frater Episcope, super teipso, &c. Datum Signiæ XIV. Kal. Octob. Pont. N. anno XVI.* Et ex epistola 15. ibi: *Alterius absentiam exequentes, venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem Episcopum, virum litteratum, prouidum, & honestum, quem inter fratres nostros speciali diligimus charitate, à Latere nostro Legatum in Constantinopolitanum Imperium destinamus.* Et ex epistola 106.

2. Huius textus historia, tam ex scriptoribus ipsius sæculi, quàm ex regestro epistolarum ipsius Innocentij deducta, ita contigit. Defuncto Thoma Mauroceno Patriarcha Constantinopolit. qui præerat ipsi Ecclesiæ per annum 1211. & in inobedientia Sedis Apostolicæ Græcos fouebat, *cap. licèt, de baptismo*, cui etiam scribit Innocentius *lib. 1. regest.* 13. *epist.* 8. actum est de eligendo successore; & cùm tres fuissent postulati ad prædictam Ecclesiam, Innocentius III. iuris rationibus motus talem postulationem irritauit, seu potiùs reiecit, vt constat ex libro 2. *regest.* 14. *epist.* 97. vbi huius postulationis casus refertur: & quia non modicam lucem præsenti decisioni affert, eam ex editione Bosqueti transcribo. [Per litteras vestras, filij Prælati, nostro nuper Apostolatui reseraſtis, quòd bonæ memoriæ T. Patriarchâ Constantinopolitano, apud Thessalonicam extremâ ægritudine laborante, vos, ne circa Patriarchæ substituendi electionem vobis præiudicium fieret, metuentes, in Ecclesia S. Sophiæ, Decano, & Canonicis eiusdem præsentibus, nostræ constitutionis authenticum, quod super forma electionis in Constantinopolitana Ecclesia celebrandæ à nobis dudum obtentum fuerat, perlegistis. Sed cùm propter quorundam Canonicorum absentiam certum recipere nequiueritis nunc responsum, auctoritate studuistis Apostolica prohibere, ne super electione in vestrum præiudicium, siue contra mandati nostri tenorem, aliquid fieret, ad Sedem Apost. appellantes. Cúmque die tertia pro recipiendo responso, prout condictum fuerat, venissetis, multitudinem Venetorum in eadem Ecclesia inueniſtis, tam in stallis, quàm circa altare irreuerenter armatam, & eis, qui electioni se Venetorum opponerent, membrorum truncationem, ac mortem, non absque multis clamoribus intentantem. Vobis autem spectantibus de foris, quædam Venetorum Canonicorum pars prosiliens subitò de conclaui, vbi fuerant obserati, nonnullis ex canonicis aliis recedentibus à consilio eorundem, Decanum eiusdem Ecclesiæ nominauit. Quod vos extrinsecùs positi sentientes, electioni huiusmodi studuistis contradicere iuxta posse, in crastino appellationem priùs ad nos interpositam coram

TEXTVS HISTORIA REFERTVR.

coram Constantinopolitani Cleri multitudine innouando. Postmodùm verò tres personas, videlicet V.F.N. Cremonen. Episcopum, & dilectos filios P. titul. S. Marcelli Presbyt. Cardin. & Magistrum R. de Corzon Canonicum Parisiens. vnanimiter nominantes, easdem à Sed. Apost. postulastis, vt earum aliqua iuxta nostræ voluntatis arbitrium præficeretur Ecclesiæ memoratæ. Cùm autem nuper vtriusque partis procuratoribus propter hoc apud Sed. Ap. constitutis, super electione, ac postulationibus memoratis inquisissemus pleniùs veritatem, licèt ex parte vestra, filij Capitulum, propositum fuerit, quod priusquam statutum Apostolicum vobis ostensum, aut aliqua prohibitio facta fuerit, tractatus habitus fuerat super prædicti electione Decani, quæ nondum extiterat publicata. Quia nobis constitit euidenter, electionem ipsam à vobis, filij Capitulum, post statutum Apostolicum vobis ostensum, & appellationem ad nos legitimè interpositam, quibusdam exclusis atque contemptis, qui volebant, & debebant pariter interesse, minùs canonicè fuisse celebratam: vt de cæteris quæ tam contra electionis processum, quàm contra personam electi fuere proposita taceatur, & ad postulationes præfatas à vobis, filij Prælati, inconsultè processum: tam illam, quàm istas de fratrum nostrorum consilio duximus reprobandas. Deuotioni vestræ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus omni vitio simultatis explosо, tam loco, quàm voto conuenientes in vnum, & S. Spiritus gratiâ inuocatâ, talem vobis personam eligatis canonicè in Pastorem, quæ scientiâ, vitâ & famâ præpollens, tanto congruat oneri, & honori, vt vestris parcatis laboribus, & expensis, & Apostolicum vobis fauorem ex hoc valeatis pleniùs comparare. Pro certo scientes, quia si vel persona non esset idonea, vel forma canonica, nos defectum vestrum authoritate Apostolica suppleremus. Dat. Lateran. Non. Aug. anno XIV.] Hac postulatione ita cassatâ electores iterum de electione tractantes, in duas partes diuisi fuerunt. Aliqui postularunt Præsulem Heraclienſem; alij verò elegerunt Laurentium Plebanum S. Pauli: & cùm controuersia talis electionis Innocentio III. proponeretur, ipse causam terminandam commisit Maximo Notario, cuius delegationis litteræ in præsenti referuntur: & cùm Venetiis moratus causæ finem non imposuisset, iterum causa commissa fuit Pelagio Albanensi Episcopo. Exitus tamen huius controuersiæ, & quis ex ipsis electis confirmatus fuisset, non constat. Spondanus post Baronium *anno* 1215. *num.* 12. existimat præualuisse Venetos, & tertium, videlicèt Matthæum, electum fuisse. Illud liquet, Honorium III. circa expensas factas in huius litis progressu rescripsisse *in cap.* 4. *de constit. in* 5. *collect.* in hæc verba: *Vt præteritæ contentionis decisâ materiâ futuris litigiis occasio amputetur, præsenti authenticâ statuimus, vt expensæ necessariæ, quas Capitulum Constantinopolitanum, vel eius nuncij vacante sede pro electionis negotio fecerint, de bonis Patriarchatus fiant totaliter, vel reddantur, dummodo ipsi bona decedentis Patriarchæ non occupent, vel vsurpent.* Refertur *infrà hoc tit. cap. vt præterita.*

b *Quatuor Patriarchales.*] De quarum Sedium origine, & dignitate agemus *in cap. antiqua, de priuilegiis.*

3. HERACLEA VBI. c *Heraclienſis.*] Heraclea ciuitas est præclara in Thracia, antea Perinthus dicta, vt legitur apud Theodoretum *lib.* 1. *cap.* 28. ad mare sita, prope Byzantium, olim Metropolis prima Orientis, nunc secunda post Constantinopolim. Procopius *lib.* 4. *de ædificiis Iustiniani.* Ante Constantinum Patriarcha Constantinop. consecrabatur ab Heraclienſi, vt refertur in relatione Synodi Constantinop. ad Hormisdam; sed posteà Primatu translato Constantinopolim, tantùm Archiepiscopalis Heraclea remansit, vt referunt Philippus Berterius *diatribe* 2. Cruzius *in Turco-Græcia lib.* 4.

4. PLEBANVS QVIS. d *Plebanus.*] Id est Rector, seu Parochus Ecclesiæ S. Pauli; plerumque enim Rectores, seu Parochi Ecclesiarum Parochialium, appellantur Plebani, vt *in cap.* 2. *vbi lite non contest.* vbi mentio fit Plebani S. Marci: *cap. sua* 5. *de officio Vicarij*, vbi agitur de Plebano S. Petri: *cap. ex litteris* 29. *de officio deleg.* vbi mentio extat Plebani S. Sophiæ: & *in cap. ex ratione* 8. *de appellat.* mentio fit Plebani S. Macarij: & *in cap. cùm olim, de præscript. cap. ad audientiam, de Ecclesiis ædificand. cap.* 1. *ne cleric. vel monach.* notarunt Filesacus *de origine Paroch. cap.* 3. Barbosa *de officio Parochi cap.* 1. *num.* 5.

e *Septem personæ.*] Quando procurator absentis ad eligendum admittatur, dicemus *in cap. quia propter*, §. *vlt. infrà hoc tit.*

f *Electus & confirmatus.*] Vnde ipso iure vacarunt præbendæ, & beneficia, si quæ habebat, *cap. cùm in cunctis*, §. *cùm verò*, *suprà hoc tit.*

g *Verricenſis.*] Quæ diœcesis est in Prouincia Thessalonicensi, vt refert Bosquetus *in notis ad Innocent. III. lib.* 1. *epist.* 13.

5. h *Conuentual.*] Innocentij III. temporibus monachorum Prælati admittebantur ad electionem Episcopi, Archiepiscopíve diœcesani, *cap. obeuntibus*, 63. *dist. cap. cùm Ecclesia, de causa possess.*

6. i *Natiuitatis Dominicæ.*] Contra canonem 64. Concilij Agathensis, vbi Patres sanxerunt, per triennium esse suspendendum Prælatum absentem à sua Ecclesia nocte sancta Natiuitatis Domini.

7. j *Tanto tempore.*] Quodnam tempus illud sit, dicemus *in cap.* 2. *de clericis non resident.*

k *Propter negotia.*] Et iure, quia cùm non esset superior in tota Orientali Ecclesia, nisi summus Pontifex, ad ipsum cura viduatæ Ecclesiæ spectabat, vt probat Bosquetus *in notis ad hanc epistolam.*

8. l *In loco Decani.*] Quia Episcorum peregrinorum sedes erat prima post Episcopalem, & rogatus frequenter episcopalia munia exercebat, & ad prædicandum inuitabatur, vt probat Bosquetus *ad Innocentium d. lib.* 1. *epist.* 13. & nos dicemus *in cap.* 2. *de Clericis pereg.*

m *Rogauerat.*] Quod sine lethali culpa an fieri possit, disputant Barbosa *de potest. Episcop. tit.* 1. *cap.* 2. Hieronymus Garcia *tom.* 2. *polit. regul. tract.* 9. *difficult.* 4. *dub.* 2.

9. n *Vbi nati.*] Ambo enim, tam electus, quàm postulatus, Venetiis nati erant. Vt autem verum sensum horum verborum percipiamus, repetendum est quod sæpius in hoc opere notaui, videlicet, obsessâ à Gallis, & Venetianis Constantinopoli, inter alia pacta inter eos inita, quæ referuntur in gestis Innocentij III. editis à Bosqueto, illud initum fuisse, vt si Imperium eius vrbis ad Francos peruenisset, Sedes Patriarchalis apud Venetos remaneret, ne vtraque potestas,

temporalis, & ſpiritualis penes vnam gentem reſideret. Vnde cùm Balduinus ex Gallis ſummâ concordiâ Imperator renunciatus eſſet, Thomas Maurocenus ex Venetianis Patriarcha electus fuit; & eo defuncto, cùm de ſucceſſore ageretur, tam electum, quàm poſtulatum natos fuiſſe Venetiis proponitur. Referunt prædictam conuentionem Beſoldus *in hiſtor. Conſtantinop. pag.*376. Philippus Berterius *diatribe* 2. *cap.*3. & ex ea lucem accipit textus *in cap. ad decorem* 5. *de inſtit.*

10. o *Confirmes.*] Multa enim exempla, in quibus inſtitutio Eccleſiæ Conſtantinop. facta fuit à R. Pontifice, etiam ſub Græcis Imperatoribus, affert Michael Rouſſellius *lib.*2. *hiſtor. Pontif. iuriſd. cap.*1. *num.*12. iuxta quem vſum Thomas Maurocenus confirmationem accepit à ſummo Pontifice, vt refert Beſoldus *vbi ſuprà*, *fol.*376. Sed hæc poteſtas per Græcorum ſchiſma denegata fuit; recuperatâ verò ciuitate Hieroſolymorum à Gothifredo Lotharingio, & à Latinis deinceps poſſeſsâ, reſtituta fuit hæc poteſtas R. Pontifici, ad quæ tempora iuxta proximè tradita referenda eſt præſens decretalis. Tamen nouiſſimè cùm poſt reconciliationem factam inter Græcos & Latinos in Concilio Florentino peteret Papa à Græcis, vt eligerent Archiepiſcopum CP. in locum Ioſephi Florentiæ defuncti, noluerunt, dicentes Græcis ſemper moris fuiſſe, & inſtituere, & conſecrare ſuum Patriarcham, nec Imperatorem paſſurum Romæ eligi, vel ordinari. Quo tempore Græci Imperatores conſueuerant in poſſeſſionem inducere Patriarcham, dato Pedo Paſtorali, vt refert Codinus *cap.*20. vbi plura Grethſerus.

Ex hac epiſtola, & eius ſatis diffuſa ſerie communiter deducitur, quod quoties concurrunt electio, & poſtulatio, duplò debet eſſe maior numerus poſtulantium, quàm eligentium: quam doctrinam examinaui *in cap.*3. *de poſtulat. Prælat.*

CAPVT XLI.

Idem *in Concil.* [a] *Lateran.*

NE pro defectu Paſtoris gregem dominicum lupus [b] rapax inuadat, aut in facultatibus ſuis Eccleſia [c] viduata graue diſpendium patiatur, volentes in hoc, & occurrere periculis animarum, & Eccleſiarum indemnitatibus prouidere, ſtatuimus, vt vltra tres [d] menſes Cathedralis Eccleſia, vel Regularis Prælato non vacet, intra quos iuſto [e] impedimento ceſſante, ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant ea vice, ac ipſa eligendi poteſtas ad eum, qui [f] proximo præeſſe dignoſcitur, deuoluatur. Is verò, ad quem fuerit deuoluta poteſtas, Deum præ oculis habens, non [g] differat vltra tres menſes cum [h] conſilio Capituli ſui, & aliorum virorum prudentium viduatam Eccleſiam de perſona idonea ipſius quidem [i] Eccleſiæ, vel alterius, ſi dignus non reperiatur in illa, canonicè ordinare, ſi canonicam voluerit effugere vltionem.

NOTÆ.

a *Lateranenſi.*] Generali videlicet, celebrato ſub Innocentio III. vbi *cap.*23. textus hic reperitur, & etiam in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.*8. De quo Concilio nonnulla adduxi *in cap.*1. *de ſum. Trinit.*

1. b *Lupus rapax.*] Id eſt hæretici, & alij Eccleſiæ hoſtes; illi enim plerumque ſub nomine luporum deſignantur, *cap. poſtquam* 11. 50. *diſt. cap.*20. *actuum Apoſt.* ibi: *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam in vos, non parcentes gregi lupi rapaces.* Et *cap. decreto* 11. *in fine*, 2. *quæſt.*6. *cap. inquiſitionis officium* 11. *in fine princip. de hæret. lib.* 6. Probant latè Theologi poſitiui *in cap.*7. *Matthæi*, *verſu* 13. Lorinus *in dict.cap.*20. *actuum Apoſt.* Zerda & Ambianas *ad Tertull. de præſcript.* in illis verbis: *Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum gregem Chriſti.* Nicolaus Serarius *tom.*3. *opuſc. lib.*1. *cap.*1. eruditè, vt ſolet, Illuſtriſſimus D. Franciſcus Ramos *pro Epiſcop. Luſit. propoſ. vlt.* §. *vlt. num.*103.

2. c *Viduata.*] Eccleſia viduata dicitur, quæ paſtore caret. Concilium Chalcedon. *can.*25. *Redditur verò eiuſdem viduatæ Eccleſiæ.* Et *can.*76. Vita Fulgentij *cap.* 16. *Nec viduatis plebibus prouidere Paſtores licebat.* Damaſus Papa *in decretis cap.* 2. *Epiſcoporum conſecratio viduatis Eccleſiis non ſine periculo protelatur.* Collatio Carthag.1. 185. *Aliquantas etiam nunc Cathedras eſſe viduatas.* Et 217. *Etiam Cathedras viduatas, quibus Epiſcopi ordinandi ſunt.* Sidonius *lib.*7. *epiſt.*5. *Quæ nuper ſummo viduata Pontifice.* Notarunt Ioannes Sauarus *ibi*, Balſamon *in can.*35. *Synodi Trull.* Cùm enim inter Eccleſiam & eius Prælatum ſpirituale contrahatur coniugium, *cap. inter*, *de tranſlat. Epiſcopi*, quemadmodum mulier vidua dicitur defuncto marito, quaſi ſine duritate, iuxta illud Virgilij 8. *Æneid.*

Tot ferro ſæuo viduaſſet ciuibus vrbem,
Ac multis funeratam.

Horatij *lib.*1. *carmin.*

Vocem dum teneat viduus vir rixit Apollo.

Ita Eccleſia Prælato orbata dicitur viduata. Faciunt textus *in l. qui fœtu* 5. *ff. ad leg. Iul. de vi publ. l. malum* 242. §. *viduam*, *ff. de v. ſ.* vbi Fornerius & Gentilis: illuſtrauit eruditè Epiſcopus Zerda *tom.*1. *in Iudith*, *cap.*8. *verſu* 5. *fol.*320. nec ſolùm Eccleſia defuncto Paſtore viduata dicitur, verùm & ſi habeat Epiſcopum electum, aut confirmatum, interim dum non eſt conſecratus, cùm adhuc perfectus ſponſus non ſit, *cap. quoniam*, 100. *diſt.* explicat Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. cap. de conſecr. Epiſcop. art.*3. §.5. *per totum*: vt etiam mulier quæ maritum habet, ſed inutilem, dicitur vidua, *l. finali*, vbi Gloſſa 2. *Cod. ad leg. Flau. de plag.* probat Tiraquellus *ad leges connub. gloſſa* 6. *num.*12.

d *Tres menſes.*] Quod tempus iam præſcriptum erat in Concilio Chalced. *can.*25. relato *in cap.* 3.

cap. quoniam 3. 75. *dist.* & etiam hoc tempus præscriptum est ad petendam confirmationem, *in cap. quoniam* 100. *dist.* & in Concilio Tridentino *sess.*25. *de reform. cap.*6. vbi iubetur, vt Cardinales intra tres menses consecrationem accipiant: quam constitutionem exponit Gibalinus *de censuris in synopsi*, *pag.*453.

4. e *Iusto impedimento.*] Quæ exceptio etiam adiicitur *in dict. can.* 25. *Concilij Chalced.* relato *in dict. cap. quoniam*, ibi : *Nisi ineuitabilis necessitas coegerit ordinationis tempus amplius protelari.* Vbi Zonaras, & Balsamon illud exemplum adducunt, si fortè ipsam vrbem barbari occupauerint : pro quibus faciunt textus *in cap. fraternitatem* 5. 71. *dist. cap. prima actione* 13. 16. *quæst.*3. Aliam iusti impedimenti causam adducit Honorius III. *in cap. 2. hoc tit. in* 5. *compil.* in hæc verba : *Sanè ne quis fortè causetur, Capitulum S. Iuliani Lemouicen. diœcesis ius eligendi Præpositum per decursum temporis amisisse, nolumus quod tempus lapsum ante concessam sibi eligendi licentiam eis currat ; cùm constitutio, quæ de huiusmodi lapsu temporis loquitur, contra negligentiæ vitium fuerit promulgata ; & hi dici nequeant negligentes, cùm non possint eligere : præsertim cùm ex dilecti f. n. B. tituli S. Ioannis & Pauli Presbyt. Card. mandato, nostram vel eius tenerentur licentiam postulare.* Cùm enim ob negligentiam electorum hæc deuolutio inducatur per lapsum temporis, & impeditis non currat tempus, *cap. finali, hoc titulo, cap. quia, de conces. præb. cap.* 1. *cap. cùm nobis, cap. ex transmissa, de præscript. l.*1. §. *finali, Cod. de annal. except.* ideò si ex iusto impedimento electio protelatur, non deuoluitur ius eligendi ad superiorem.

f *Proximo.*] Vt in beneficiis obseruatur, *cap.*2. *de conces. præbend.* dicam latè *in cap. licèt, de supplend. neglig.*

5. g *Non differat.*] Consonant textus *in cap. cùm propter, de iurepat.* ibi : *Non differas ordinare* ; & *cap. litteras, de supplend. neglig.* ibi : *Non differatis.* Vnde ab hac electione iure deuoluto facienda non admittitur appellatio, vt probat Salgado *de protect. Regia, cap.*11. *num.*40.

6. h *Consilio.*] Cùm enim electio ex iure deuoluto competit, causæ cognitio desideratur, & præcedere debet, vt cognoscatur an scientia vacationis adfuerit, an iustum impedimentum, & tempus elapsum sit, & alia inquirenda, de quibus Salgado *de protectione d. cap.*11. *num.*33.

7. i *Ipsius Ecclesiæ.*] Quia Canonici debebant eligere Prælatum ex corpore ipsius Capituli, iuxta adducta *in cap.*1. *hoc tit.* vnde ex his verbis deducitur, quod quando propter negligentiam patroni deuoluitur electio, seu præsentatio ad beneficium, seu capellaniam, ad ordinarium, si patronus tenebatur eligere cum aliqua qualitate, veluti consanguinitatis, gradus, vel certi ordinis, tenetur qui ex iure deuoluto eligit, seu præsentat, eligere cum eadem qualitate, vt docent Lambertinus *de iurepatron. lib.*2. 3. *p. art.*13. *q.* 7. Gutierrez *consil.*1. *num.*31. & *cons.*3. *num.*15. Petrus Gregorius *de benef. cap.* 34. Selua *eod. tract. q.* 49. Lara *lib.* 2. *de capell. cap.*6. *num.* 27. Pro qua sententia expendi potest non insubtiliter textus *in l.* 2. §. *vnde bene, ff. de suis & leg. hæred.* de cuius explicatione & ratione latè agunt Cuiac. *lib.*18. *obseru. cap.*12. Anton. Faber 6. *coniect. cap.* 14. & *lib.* 18. *cap.*14. Amaya *in l.*1. *C. de bonis vacant. lib.*10. Merillus *lib.*2. *obseru. cap.*11.

COMMENTARIVM.

8. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur conclusio : *Electio Prælati Ecclesiæ Cathedralis, vel Regularis, intra tres menses fieri debet, aliàs deuoluitur ad proximum superiorem.* Probant textus *in cap. postquam* 11. 50. *dist. cap. obeuntibus, cap. cùm longè* 25. 63. *dist. cap. de persona* 4. 65. *dist. cap. quoniam* 2. 75. *dist. cap. quoniam* 1. 100. *dist. cap. litteras, cap. quia, cap. postulasti, de conces. præb. cap. dilectus* 12. *de præbend. cap. quam sit* 6. *hoc tit. in* 6. *Clement.* 1. *de supplend. neglig.* Concil. Carthag. 5. *can.* 8. Vernense *can.* 17. Vvormatiense *can.* 75. Sexta Synodns Trullana *can.*35. Trident. *sess.*23. *de reform. cap.*2. Consonant lex 5. & 8. *tit.*16. *part.* 1. lex 10. *tit.*5. *part.*5. Illustrant Pinellus *in authent. nisi, num.* 46. *C. de bonis matern.* Flores de Mena *variar. q.*3. *numero* 22. Petr. Gregor. *lib.*19. *syntag. cap.*9. Gutierez *lib.*1. *canonic. q.* 48. Spino *in speculo testam. glossa* 4. *num.*12. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Ind. lib.*3. *cap.*13. *num.* 108. & *lib.*4. *polit. cap.*5. Sauarus *in notis ad Sidon. lib.*7. *epist.* 5. Lemaistre *de origine Episcop. lib.*9. *cap.* 9. Franciscus Hallier. *de sacris elect. cap. de tempore consecr. Episc. art.*3. *per totum*, Azor 2. *p. instit. lib.*6. *cap.* 14. *q.*13. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 5. *quæsit.*7. Ioannes Dartis *de benef. sect.*6. *cap.*5. Iulius Lauorus *de elect. cap.*18. *num.* 12.

9. RATIO DVBITANDI.

Sed in præsentem assertionem pro ratione dubitandi sic insurgo : Si aliquâ lege ecclesiasticâ præscriptum esset certum tempus ad electionem Episcopi faciendam, maximè Concilio Lateranensi celebrato sub Innocentio III. sed hoc Concilio non trium, sed sex mensium tempus præfixum est, *cap.* 2. *cap. litteras, de supplend. neglig. cap.* 2. *cap. quia, de conces. præb.* igitur non intra tres menses, sed potiùs infra sex, electio est celebranda. Fulcitur hæc difficultas, nam si ob aliquam rationem eligentium facultas ad hoc breue tempus esset restringenda, maximè ne defectu Pastoris in spiritualibus, & temporalibus Ecclesia damnum pateretur, vt in nostro textu docetur : sed hæc ratio est insufficiens : igitur & decisio. Probatur minor primò, quia quoad spiritualia Capitulum Sede vacante succedit in omnem iurisdictionem Episcopalem, *cap. cùm olim, de maiorit. & obed. cap. vnico, eod. titul. in* 6. *cap. penult. & vlt. de supplend. neglig. lib.* 6. *cap.*1. *de institut. eod. lib. cap. cùm nullus* 3. *de tempor. ordin. eod. lib.* Concil. Trident. *sess.* 7. *de reform. cap.*10. & *sess.*23. *cap.*10. Franciscus Hallierius *de hierarch. lib.*3. *sect.* 3. *cap.*3. *art.*1. §.2. Secundò quoad temporalia, id est quoad facultates Ecclesiæ, certum est, sede vacante constitui œconomum, qui fructus, & bona administret, *cap. cùm vos, de officio ordin. cap. vt debitus, de capellis, cap.* 1. *de rebus Ecclesiæ, lib.*6. *l. omnia*, §. *hoc, C. de Episcop. & cleric.* vel interuentores, qui interim vacantem Ecclesiam curent, præponuntur, de quibus in canone Concilij Macrien sis, quem ex Ferrando recitat I. Dartis *lib.* 1. *de Episcopo, cap.*1. *pag.* 7. in hæc verba : *Vt interuentores Episcopi conueniant plebes, quæ Episcopum non habent, vt Episcopum accipiant: quod si accipere neglexerint, remoto interuentore sic remaneant, quamdiu ibi Episcopum quærant.* Concilium Carthag. 5. *cap.*8. *cap. constitutum* 22.7. *q.*1. Igitur si nec quoad temporalia, nec quoad spiritualia Ecclesia viduata vllum damnum pati valet, frustra restringitur facultas eligendi Prælatum ad tempus trium mensium.

10. RATIO DECIDENDI.

Hac dubitandi ratione non obstante, vera est præsens Concilij Lateran. constitutio; & omissis quæ de supplenda negligentia electorum adducimus *in tit. de supplend. negl.* ratio præcipua præsentis constitutionis traditur in illis verbis: *Ne pro defectu Pastoris, &c.* Ne scilicet Ecclesia in spiritualibus, & temporalibus graue damnum patiatur. In spiritualibus, si ob Prælati defectum lupus rapax gregem dominicum inuadat; si enim pastorem diutiùs deesse contingat, variis incursionibus suppositа est Ecclesia, cùm Prælati officium sit inuigilare super gregem sibi commissum, *cap. inter cætera, de officio ordin.* fidelibus sacramenta Confirmationis, & Ordinis administrare, quorum minister ordinarius est, vt de Confirmatione probaui *cap. quantò, de consuet.* & de sacramento Ordinis testantur PP. Concilij Hispal. 1. *can.* 5. & 6. Tolet. 8. *can.* 7. Florent. sub Eugenio IV. *de sacramentis*, §. *Sextum*, Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. & *can.* 7. *cap.* 1. §. *ad Episcopum*, 25. *dist.* dicemus *in cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo*; etiam chrisma conficiendo, & Ecclesias consecrando, quæ munia obire tantùm possunt Episcopi, *cap. omnis* 124. *de consecr. dist.* 4. *dict. cap.* 1. §. *ad Episcopum*, *cap.* 1. 2. & 3. 26. *quæst.* 6. *cap. illud* 3. 95. *dist. cap. penult. de consecr. Ecclesiæ.* Vnde necessitatem Episcoporum in Ecclesia, tam ad hierarchiæ vnitatem, quàm ad hæc munia obeunda feliciter propugnarunt Nicolaus Lemaistre *integro lib.* 2. *de instit. Episc.* Petrus Aurelius, seu quiuis auctor est vindicarium censuræ Sorbonicæ aduersus spongiam Læmelij, Franciscus Hallierius *in tom. de hierarch. iurisdict.* Deinde in temporalibus etiam graue damnum timetur ex Prælati defectu, qui debet bona Ecclesiæ administrare, *cap. finali* 16. *quæst.* 1. vnde diutina Ecclesiæ vacatio valde damnosa est Ecclesiæ, vt probat textus *in cap. quàm sit, hoc tit. lib.* 6. *Quia gubernationes in quotidianis vitæ commeatibus Prælatorum adminiculo destituta fatiscunt.* Verba sunt Concilij Cabilon. 2. *can.* 51. refert Burchardus *lib.* 15. *Decreti*, *cap.* 32. Damasus Pontifex *in decretis*, *cap.* 2. ibi: *Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur.* Prælatus enim est proprius, legitimus, & immediatus defensor Ecclesiæ, *cap. edoceri, de rescriptis*, cuius industria electa est, *cap. finali, de officio Archipresbyteri.* Cùm ergo expediat Ecclesiæ diutiùs non vacare, rectè in præsenti statuitur, electores intra tres menses debere eligere Prælatum. Ideò etiam breuitatem electionis, in optando Ecclesia statuit in Clement. *Dispendiosam, de iudiciis*, Clement. *Sæpè, de v. s.* vt in causis electionum breuiter, & de plano procedatur, vt agnouit Garcia *de expensis c.* 20. *num.* 14. & olim in nostra Hispania in Concilio Tolet. 12. cautum fuit, vt Toletanus Primas Episcoporum electiones confirmaret, ne propter Sedis Apostolicæ distantiam Ecclesiæ diutiùs vacarent. Ampliùs in præsenti statuitur, videlicet eo tempore trium mensium elapso, ius eligendi ad superiorem deuolui, electoribus pro ea vice eligendi facultate priuatis, vt sic vtilitati Ecclesiæ consulatur, & non eligentium negligentia compescatur. Faciunt textus *in cap.* 2. *vers. Si autem*, *cap. litteras*, *cap. quia*, *cap. postulasti*, *de conces. præbend. cap. eam te* 22. *de iurepatron. cap. litteras*, *de supplend. negl.* & quæ ibi adducimus. Superior tamen, ad quem deuoluitur electio, debet eligere intra eundem terminum, videlicet tres menses, ex aperta iuris ratione, quia cùm subrogetur in locum eius, qui eligere neglexit, eodem iure vti debet, ex vulgari principio, Subrogatum sapere naturam subrogati, *l. si eum*, §. *qui iniuriarum*, *ff. de iniuriis*, *l. vnica*, §. *sed vt plenius*, *Cod. de rei vxoriæ actione.* Quare cùm Capitulum intra tres menses eligere teneretur Episcopum, superior, qui in eius locum successit, infra eundem terminum debet eum eligere.

11. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt præsens constitutio tribuatur Concilio Lateran. generali, deducta tamen est ex Concilio Lateran. celebrato sub Innocentio III. quod diuersum est à Concilio Later. celebrato sub Alexandro III. & inter ea illud discrimen versatur, quod in Concilio 1. Lateran. temporibus Alexandri III. præscriptum est tempus sex mensium eligentibus tantùm circa dignitates inferiores, nec eo tempore negligente Capitulo in electione Episcopi deuoluebatur electio ad Metropolitanum, sed ad Pontificem: Concilio verò 2. Lateran. sub Innocentio III. præscriptum est tempus trium mensium electioni Episcopi, & statutum vt electio deuoluatur ob negligentiam Capituli ad Metropolitanum. Breuius autem tempus præfixum fuit electioni superioris Prælati, quàm aliarum dignitatum, quia eius defectus pernicioſior est Ecclesiæ, ideoque propter maiorem Episcopi necessitatem eius electionis tempus debuit restringi, iuxta rationem textus *in cap. vbi* 3. *hoc tit. in* 6. Docuerunt Cuiacius *in cap.* 4. *de conces. præb.* Petrus Greg. *de elect. cap.* 13. *num.* 6. Duarenus *lib.* 5. *de sacris eccles. cap.* 5. Acuña *in cap. postquam*, 50. *dist.* Garcia *part.* 10. *de beneficiis*, *cap.* 2. *num.* 3. Barbosa *de potest. Episcopi*, *alleg.* 1. *num.* 39. Nec augmentum ipsius difficultatis obstat; nam licèt Capitulum succedat in iurisdictione Episcopi Sede vacante, nihilominus tamen Ecclesia Pastore destituta est, & legitimo defensore caret, *cap. finali, ne Sede vacante:* & præcipua episcopalia munera, quæ ratione ordinis exercentur, à Capitulo exerceri non valent. Nec etiam, quod de œconomo dicebamus, obstat, quia eodem modo satisfaciendum est.

12. EXPONITVR CAP. CVM DILECTVS, DE CONCES. PRÆBENDÆ.

Ex suprà dictis accipit lucem textus *in cap. cùm dilectus* 12. *de conces. præb.* vbi asseritur, Concilium Lateran. quod præscripsit tempus electionibus, & in pœnam negligentium, ius deuolutiuum ad superiorem, non habere locum in Episcopatibus, & maioribus dignitatibus: igitur etsi Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel Regularis negligat eligere Prælatum, non inde electio deuoluitur ad superiorem. Cuius textus interpretatio ex dictis prouenit, nam ibi agitur de Concilio Lateran. celebrato sub Alex. III. in quo, vt suprà dixi, nihil cautum fuit circa electionem Episcopi, nec in ea ad Metropolitanum ius deuoluebatur, donec Concilio Later. de quo in hoc textu, trimestre assignatum fuit Episcopi electioni, & ius deuolutiuum ad proximum superiorem introductum.

13. INTELLIGITVR CAP. CVM NOSTRIS, DE CONCES. PRÆBENDÆ.

Superiori assertioni obstat textus *in cap. cùm nostris, de conces. præb.* vbi docetur, sex mensium tempus præfixum in Concilio Lateran. celebrato sub Alex. III. habere etiam locum in Præposituris: ex quo sic argumentor. Præpositura est dignitas maior, & Præpositus Episcopo, Abbati, seu Decano æquiparatur, *cap.* 1. *de ætat. & qualit.* & tamen ad eius electionem non tres menses, sed sex assignantur: igitur quia in dignitatibus etiam maioribus Concilium primum Lateran. non secundum sub Innocentio III. celebratum, locum habet. Pro cuius textus solutione dicendum est, in Præpositi electione Concilium Lateran. 2. attendi debere cùm sit maior dignitas, & caput Collegij,

Collegij, vt poſt gloſſam *in cap. nulla, de conceſſ. præb.* docet Cironius *in cap. 2. de electione, in 5. compilat.* Nec obſtat textus *in dict. cap. cùm noſtris*, qui loquitur in Præpoſitura, quæ non eſt caput Collegij, vel Eccleſiæ: vnde cùm in ea ſpecie accipiatur pro minori dignitate, ideò tempus aſſignatum in primo Concilio Lateran. attenditur.

CAPVT XLII.

Idem *in* [a] *eodem.*

QVia propter diuerſas electionum formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta euenirent, & magna pericula imminent Eccleſiis [b] viduatis: ſtatuimus, vt cùm electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & [c] poſſunt commodè intereſſe, [d] aſſumantur tres de [e] Collegio fide digni, qui [f] ſecretè & ſigillatim vota cunctorum exquirant, & in ſcriptis redacta, mox [g] publicent in communi, nullo prorſus obſtaculo appellationis interiecto: vt is [h] collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel maior, vel [i] ſanior pars conſentit: vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium viduatæ Eccleſiæ prouideant de Paſtore: aliter electio facta non [k] valeat, niſi fortè communiter eſſet ab omnibus, quaſi per [l] inſpirationem, abſque vitio celebrata. Qui verò contra præſcriptas formas eligere attentauerit, eligendi ea vice poteſtate [m] priuetur. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in loco, de quo debeat aduocari, iuſtoque impedimento detentus venire non [n] poſſit: ſuper quo, ſi opus fuerit, fidem faciat [o] iuramento; & tunc ſi voluerit, vni committat de [p] collegio ipſo vicem ſuam. Electiones quoque [q] clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, vt quàm citò electio fuerit celebrata, ſolemniter plublicetur.

NOTÆ.

1. a *Eodem.*] Concilio videlicet Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato, vbi *can.* 24. reperitur textus hic, & in quarta collectione *ſub hoc titul. cap.* 9. De quo Concilio egi *in cap.* 1. *de ſumma de Trinit.* In præſenti textu Innocentius III. formam electionibus eccleſiaſticis præſcripſit, admiſſo triplici eligendi modo, videlicet per inſpirationem, compromiſſum, & ſcrutinium.

2. b *Eccleſiis viduatis.*] Ex his verbis deducit Gloſſa in præſenti, hanc conſtitutionem tantùm locum habere in electionibus Prælatorum Eccleſiarum, tam Cathedralium, quàm Regularium, ex quorum defectu dicitur Eccleſia viduata, vt probaui in textu antecedenti: non autem præſentem conſtitutionem procedere in electione dignitatum inferiorum, vel Prælatorum Collegiatarum Eccleſiarum. Gloſſam ſequuntur Iulius Lauorus *de elect. c.* 19. Lotherius *de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 19. *num.* 10. Sylueſter, Miranda, & alij laudati à Barboſa *de canonic. cap.* 38. Illud etiam certum eſt, relatis verbis comprehendi electionem, tam regularium, quàm ſæcularium Prælatorum; quod etiam ſuadetur ex ſequentibus. Primò, nam PP. Concilij in hoc textu intendebant conſulere Eccleſiis viduatis: ſed æqualiter Eccleſiæ viduatæ dicuntur defectu Prælati ſæcularis ac regularis, *cap. ne pro defectu, cap. officij, hoc titulo*, igitur tam Prælati ſæculares, quàm regulares præſenti conſtitutione comprehenduntur. Deinde quia plerumque electiones Epiſcoporum, & Prælatorum regularium coæquantur, *cap. cupientes, hoc titul. in* 6. igitur eadem forma in eis debet obſeruari. Vnde electio Prælati regularis nulla erit, ſi non obſeruentur quæ vt eſſentialia formæ in hoc textu præſcribuntur, licèt quoad alia accidentalia forma mutari poſſit. Ita docent Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbat. diſput.* 5. *quæſt.* 5. Barboſa *de iure Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 45. Garcia *tom.* 2. *polit. difficult.* 1. *dub.* 1. quod etiam procedit poſt Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 6. quia per illud nihil immutatum eſt, vt docuerunt Lezana *tom.* 3. *regul. verbo Electio, num.* 2. Pellizarius *tract.* 9. *p.* 2. *q.* 2.

c *Et poſſunt commodè.*] Quando abſentes vocandi ſint, & ex qua regione, dixi *in cap. cùm inter, hoc titulo.*

d *Aſſumantur tres.*] Ab ipſo Capitulo: ſed vtrum numerus iſte ita præſcriptus ſit, vt augeri, minuíve non poſſit, ſub lite eſt. Non poſſe augeri, vel minui, itavt aucto, vel minuto, electio nulla ſit, docent Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 5. Tamburinus *ſuprà, q.* 7. *num.* 7. Barboſa *dict. lib.* 1. *iuris eccleſ. cap.* 19. *num.* 190. Sed contrarium, videlicet pro opportunitate loci, & numero eligentium poſſe augeri, vel minui, rectiùs defendunt Pellizarius *dict. tract.* 9. *cap.* 2. *q.* 4. Portel. *in dubiis regul. verbo Electio, num.* 13. Peyrinis *in formul. littera E, cap.* 3. *num.* 2. latè Lezana *tom.* 4. *in relectione de elect.* appoſita in fine libri, Garcia *dict. tom.* 2. *polit. difficult.* 5. *dub.* 5. 3.

e *De Collegio.*] Hæc circumſtantia, vt ſcrutatores ſint de corpore Capituli, eſſentialis eſt; vnde ſi extranei eligantur, electio nulla erit. Barboſa *d. cap.* 19. *num.* 186. Tamburinus *vbi ſuprà, num.* 9. Iulius Lauorus *cap.* 19. *num.* 45. Pellizarius *ſuprà, num.* 25. Garcia *ſuprà, n.* 3. 4.

f *Secretè, & ſigillatim.*] Quod duobus modis fieri poteſt. Primò cùm electores coram ſcrutatoribus viuâ voce eligunt, & aliqui, vel omnes ſcrutatores ſuffragia Scripturæ tradunt. Secundò ſi vnuſquiſque ex eligentibus ſuffragium ſuum ſcripto deferat adeò occultè, vt nec ipſis ſcrutatoribus notum fiat, iuxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 6. & ea quæ addunt Tamburinus, Garcia & Pellizarius ſuprà laudati: & an ſuffragium neceſſariò 5.

ceſſariò voce præſtandum ſit, dicemus *in cap. Eccleſia* 44. *hoc tit.*

6. g *Publicentur ſtatim.*] Antequam à loco electionis diſcedant ſcrutatores, vel ad alios actus ſe conuertant, vnoque contextu; vt in teſtamento condendo præſcribitur *in l. hæredes, ff. qui teſtamenta.* Vota autem in communi publicari dicuntur quando integrè eorum numerus publicè congregationi propalatur, non explicando quot ex ipſis in vnam, vel in aliam perſonam conſenſerint; ſed tantùm proferendo numerum perſonarum, quæ ſuffragium habuerunt: quæ ſolennitas eſſentialis eſt, vt certior fiat collatio ſuffragiorum, & vt publicato ſcrutinio non poſſint electores variare, *cap. publicato, hoc tit.* docent Petrus Gregorius *de elect. cap.* 16. *num.* 11. Tamburinus *dict. quæſt.* 5. *num.* 15. Garcia vbi ſuprà *dubit.* 7. Iulius Lauorus *de elect. cap.* 19. *num.* 100.

7. h *Collatione facta.*] Hæc collatio fit numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, *cap. in Geneſi, cap. Eccleſia, cap. Cumana, hoc tit.* vt ſic poſſit cognoſci, an ſanior, an maior pars elegiſſet: hodiè autem ceſſat hæc collatio poſt Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 6. vbi ſtatuitur, vt in electionibus tantùm maior pars reſpectu numeri, non verò ſanior attendatur.

i *Maior & ſanior.*] Iuxtà ea quæ adducemus *in cap. Eccleſia* 57. *hoc tit.*

j *Aliquibus viris.*] De electione per compromiſſum egi *in cap. cauſam* 8. *hoc tit.*

8. k *Facta non valeat.*] Licèt Suarez, Sanchez & alij relati à Barboſa *dict. cap.* 19. *num.* 131. tenuerint, ex his verbis non irritari ipſo iure electionem, ſed potiùs eſſe irritandam; contrarium tamen, videlicet electionem ipſo iure nullam eſſe, meritò defendunt Iulius Lauorus *de elect. cap.* 19. *num.* 10. Tamburinus *dict. diſput.* 5. *quæſt.* 22. *num.* 9. Barboſa *dict. cap.* 19. *num.* 131. Garcia *dict. difficult.* 5. *dub.* 2.

9. l *Per inſpirationem.*] Electio per inſpirationem contingere dicitur, cùm communi conſenſu, Spiritu ſancto vltrò impellente, concordi animo omnibus poſtulantibus quis eligitur; quam formam in electionibus R. Pontificum aliquando obſeruatam legimus, vt retuli *in cap.* 5. *hoc tit.* in electionibus verò inferiorum Prælatorum rarò contingit. De ea electionis forma latè agunt Sam uelius *de elect. diſput.* 1. *controu.* 3. Lauorus *eod. tract. cap.* 7. Hieronymus Garcia ſuprà, *dub.* 1. Cohelius *in notit. Cardin. cap.* 13.

m *Priuetur.*] Per ſententiam, non ipſo iure, *cap. Cumana, hoc tit.* vnde ſecundam electionem factam ab ipſis electoribus ante ſententiam declaratoriam, defendunt Lotherius *de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 19. *n.* 66. & 67. & *lib.* 3. *quæſt.* 17. *n.* 105. Tondutus *reſol. canonic. q.* 17. *num.* 6. 10.

n *Non poſſit.*] Cùm abſens elector, qui de iure vocandus eſt, iuſto impedimento detentus venire non poteſt, procuratorem ad ſuffragium præſtandum conſtituere valet, *c. ſiquis* 46. *hoc tit. lib.* 6. Tamburinus *dict. diſput.* 5. *quæſt.* 4. Hieronymus Garcia *tom.* 2. *polit. regul. difficult.* 2. *dub.* 5. Viſcherius *de electione Regis Roman. pag.* 77. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit. finali, cap.* 4. Patianus *de probat. lib.* 4. *cap.* 30. Non tamen hoc abſolutè procedit, ſed certis concurrentibus conditionibus. Prima, vt ſit elector abſens in eo loco, vbi vocari debeat, & vbi venire poſſit. Secunda vt iuſto impedimento detineatur. Quæ ſi non concurrant, procurator conſtitutus non admittitur, *cap. ſcriptum*, iuncta integra, *hoc tit.* proſequitur alia de ipſo procuratore Iulius Lauorus *de elect. cap.* 17. *ex num.* 32. 11.

o *Iuramento.*] Ob rationem textus *in cap. is cui, de officio deleg. lib.* 6.

p *De ipſo collegio.*] Et qui aliàs per ſe ſuffragium non habeat, *cap. penult.* §. *porrò, hoc tit. in* 6. & ſi procurator extraneus conſtituatur, & cæteri electores conſentiant, valebit electio, vt docent Tamburinus *vbi ſuprà, num.* 1. & 2. Hieronymus Garcia *dict. dub.* 1. *num.* 8. Non poteſt tamen abſens mittere votum in ſcriptis, *dict. cap. ſi quis* 46. *hoc tit. in* 6. niſi contrarium conſuetudine introductum ſit, vt in aliquibus Religionibus obſeruari teſtantur Garcia *vbi ſuprà, num.* 8. 12.

q *Clandeſtinas.*] Clandeſtina electio dicitur, quæ fit ſingulariter, & per occulta conuenticula, *cap.* 2. *diſt.* 79. quando non fuit facta publicatio, *cap. vnico, vt eccleſiaſtica beneficia:* quæ meritò reprobatur, quia cenſetur fraudulenta & doloſa, *l. finali, ff. de ritu nuptiar. cap. cùm inhibitio*, §. 1. *de clandeſtin. deſponſ.* explicat Iulius Lauorus *de elect. cap.* 18. *num.* 9. 13.

CAPVT XLIII.

Idem *in* [a] *eodem.*

QViſquis electioni de ſe factæ per ſæcularis poteſtatis [b] abuſum conſentire præſumpſerit contra canonicam [c] libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeat eligi poteſtatem: quinimò qui electionem huiuſmodi, quam irritam eſſe cenſemus, præſumpſerint celebrare, ab officiis & beneficiis [d] ſuſpendantur, eligendi tunc poteſtate priuati.

NOTÆ.

1. a EOdem.] Concilio videlicet Lateran. *cap.* 25. vbi extat hæc deciſio, quæ etiam reperitur apud Antonium Auguſtinum *ſub hoc tit. c.* 10.

b *Poteſtatis abuſum.*] Vt ſi laicus interſit vt elector, *cap. cùm terra, cap. quod ſicut, hoc tit.* aut cùm immediatè propter laicum eligitur, tunc enim per abuſum poteſtatis laicalis electus dicitur, cùm aliàs niſi propter laicos non eligeretur: quo modo hæc verba accipiunt Petrus Gregor. *lib.* 4. *partit. tit.* 7. *cap.* 2. Tamburinus *de iure Abbat. tomo* 1. *diſput.* 5. *quæſit.* 22. *num.* 11. Barboſa *in præſenti.*

c *Libertatem.*] Verendum enim erat in hoc caſu, ne laici deinceps vſurparent facultatem ſe ingerendi electionibus eccleſiaſticis, ac per conſequens cum plena libertate non fierent, contra earum naturam, *cap. dilectiſſimi* 8. *quæſt.* 1. *cap. ſacroſancta, hoc tit.* 2.

d *Suſpendantur eligendi.*] Ex his verbis deducitur, 3.

citur, suspensum à beneficio non ideò esse priuatum eligendi facultate, cùm post pœnam suspensionis à beneficio inflictam vt diuersa pœna apponatur priuatio facultatis eligendi, vt etiam contingit *in cap. cùm in cunctis, §. vlt. hoc tit.* Illud autem in præsenti difficile videtur, quomodo videlicet si suspensio in hoc textu erat, non solùm à beneficio, verùm & ab officio, vt diuersa pœna ponitur priuatio eligendi, cùm in suspensione ab officio comprehensa esset? Sed respondendum est, vt diuersam pœnam poni à suspensione ab officio priuationem iuris eligendi, quia inter eas magnum dabatur discrimen; pœna enim priuationis iuris eligendi incurrebatur ipso iure, ibi, *priuati*; pœna verò suspensionis ab officio & beneficio post sententiam, ibi, *suspendantur*. Ita nostrum textum interpretatur P. Suarez *de censuris disputat. 25. sect. 1. num. 35.* Gibalinus *eod. tract. pag. 544. in principio.* Nisi dicamus, per illa verba, *eligendi potestate priuati*, non infligi pœnam priuationis facultatis eligendi vt diuersam, sed tantùm explicari effectum suspensionis contractæ, vt Patres Concilij affirmant ita electionem celebrantes esse suspendendos ab officio, & beneficio, & per consequens suspensione incursa esse priuatos facultate eligendi. Cui expositioni fauent verba relata, provt leguntur transposita *in d. cap. 25. Concilij.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Electus per laicos ad beneficium ecclesiasticum, electionis commodo caret, & ineligibilis manet, donec cum eo dispensetur.* Probant textus *in cap. si quis deinceps 12. cap. quoniam 13. cap. si quis Episcopus 14. cap. sanè 15. cap. contigit 17. cap. nullus 18. cap. si quis 19. cap. per laicos 20. cap. quoniam 21. 16. quæst. 7. cap. laici 38. dist. cap. cunctis 41. 16. quæstion. 2. cap. nullus 17. cap. relatum, de iurepatron. cap. Massana, hoc titulo.* Gregorius VII. in Synodo Romana, *cap. 2.* ibi: *Nullus Presbyter ministerium Ecclesiæ, vel ipsam ab aliquo accipiat, nisi ab Episcopo, qui iniungat sibi curam & obedientiam.* Concilium Turon. sub Carolo, *can. 15.* Moguntin. sub Arnulpho, *can. 5. Interdicendum videtur clericis, siue laicis, ne quis cuilibet presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & consensu Episcopi sui.* Vvormatiense *can. 57. Nullus laicus presbyterum in Ecclesiam mittere, vel eiicere præsumat.* Nannetense *can. 16.* Salegustadiense *can. 20.* Biterrense *can. 21.* Pictauiense *can. 1. Decreuit sancta Synodus, vt nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel quælibet persona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cuiuslibet laicæ personæ donum Episcopatus, Abbatiæ, vel Ecclesiæ.* Lateran. sub Alex. III. *in appendice, part. 1. cap. 9. Ecclesias & decimas de manu laicorum sine consensu Episcoporum recipere prohibemus.* Lateran. sub Leone X. *sess. 9. & 10.* extrauagans *Debent, de officio ordin.* inter communes. Alia iuris testimonia congesserunt Antonius Augustinus *in epit. iuris Pontif. lib. 6. tit. 11.* Crespetius *in summa, verbo Beneficia, pag. 74.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti, & in d. cap. si quis deinceps,* Petr. Gregor. *de elect. cap. 5. & lib. 4. partit. tit. 7. cap. 2.* Boëtius Epon. *tom. 1. qq. heroicar. tit. de beneficiis, num. 10.* Renatus Chopinus *de sacra pol. tit. 1. cap. 1.* Lambertinus *de iurepatron. 3. p. lib. 2. art. 12.* Petrus Marcha *lib. 8. concordiæ iuris, cap. 19.* Michael Rousselius, seu ipse Archiepiscopus Marcha, *lib. 2. histor. Pontif. iurisd. cap. 1. 6. 7. & 8.* I. Dartis *in d. causa 16. q. 7. & de beneficiis sect. 6. cap. 1.* Acuña *in cap. nullus, 63. dist.* Bellarmin. *lib. 1. de clericis, cap. 7. & in Apolog. contra Regem Angliæ, cap. 6. fol. 72.* Martha *de iurisdict. 4. p. casu 47. per totum,* Salcedo *de lege polit. lib. 1. cap. 12. n. 35.* Dadinus Alteserra *de Ducibus lib. 1. cap. 8.* Theophilus Raynaud. *tom. 12. tract. Mala è bonis, &c. fol. 128.*

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc assertio ista illustrata difficilis redditur ex eo; nam si veterum Patrum, & scriptorum monumenta repetamus, nihil vsitatius inueniemus, quàm Episcopos, Abbates, & similes Prælatos de manu Principum Ecclesias immediatè accepisse. Sic Ecclesiæ Aruernensi Apollinaris à Theodorico Rege Episcopus datus fuit, & post eum Quintianus Episcopus impositus, & mortuo Quintiano, ab eodem Rege datus fuit Antistes Gallus, contemptis votis Treuirensium, qui virum sanctum sibi in Episcopum expetebant. Gallo suffectus fuit Cautinus à Theodobaldo Rege, omisso Catone iam electo consensu Cleri, vt refert Gregorius Turon. *lib. 3. hist. cap. 2. & 16. & lib. 4. cap. 5. 7. & 18.* A Sigiberto Rege electus fuit Gregorius Episcopus Turonensis, teste Fortunato *lib. 5. cap. 2.*

Huic Sigibertus ouans fauet, & Brunichildis honori
Iudicio Regis nobile culmen adest.

Immò tam Episcopi, quàm Abbates inuestituram suæ dignitatis à Regibus, & Principibus sæcularibus accipiebant, fidelitate illis promissâ, Carnotensis *epist. 60. Quod autem scripsisti, prædictum electum inuestituram Episcopatus de manu Regis accepisse, nec relatum nobis ab aliquo, qui viderit, nec cognitum.* Et *epistol. 190. & 236.* D. Bernardus *epist. 170.* Quare in Germania, vacante Ecclesiâ virga Pastoralis, & annulus deferebantur ad Imperatorem, qui Episcopum, vel Abbatem per se electum per virgam, & annulum inuestiebat. Referunt Author vitæ S. Othonis Episcopi Rambergensis, *cap. 3.* ibi: *Quoties Episcopus aliquis decessisset è vita, Ecclesia, cui præfuerat, baculum & annulum ad Imperatorem transmittebat, ab eius aula petens sibi dari Episcopum.* Guillelmus Tyrius *lib. de bello sacro, cap. 13. Inoleuerat enim consuetudo, præsertim in Imperio, quod defungentibus Ecclesiarum Prælatis, annulus & virga Pastoralis ad Dominum Imperatorem dirigebatur; vnde postmodùm vnumquemlibet de familiaribus & Capellanis suis inuestiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, vbi Pastoris fungeretur officio, non expectata Cleri electione.* Sugerius Abbas *in oratione Treuirensis Archiep. ad Paschalem II. in Ludouico Crasso*, ibi: *Temporibus antecessorum nostrorum sanctorum Apostolicorum virorum Magni Gregorij, & aliorum, hoc ad vim Imperij pertinere dignoscitur, vt in maiorum electione hic ordo seruetur, antequam electio in palàm proferatur, ad aures Domini Imperatoris perferre, & si personam deceat, assensum ab eo ante factam electionem assumere: deinde in conuentu secundùm canones, petitione populi, electione Cleri, assensu honoratorum præferre consecratum liberè, nec simoniacè ad Dominum Imperatorem pro Regalibus, vt annulo & virga inuestiatur.* Nec tantùm Reges, verùm etiam Duces & Comites Ecclesias ad libitum concedebant, vt de Duce Mosellanorum refert Sigibertus anno Christi 109. *Dux Mosellanorum Deodericus post fratrem suum Alberonem dato Episcopatu Metensium filio suo adhuc puero, tutorem ei substituit ipsum Deodericum.* De Ducibus Normanniæ idem refert Ordericus Vitalis *lib. 3.*

lib. 3. hiſtor. eccleſ. in Guillelmo II. ibi : *Dux autem petitioni eorum acquieuit, & præfato viro, qui electus erat per Cambutam, Iuonis Epiſcopi Sagienſis exteriorem Abbatiæ poteſtatem dedit.* De Comite Cameracenſi hæc refert Valdricus Nouiomenſis *lib. 3. cap. 11. Poſt obitum verò Domini Abbatis Vvenrici, duos Abbates, alterum poſt alterum Comes Raynerius ſubſtituit.* Et generaliter de Proceribus Galliæ refert Ordericus Vitalis *libro 4. hiſtoriæ*, hæc verba : *Sicut tyronibus ſuæ à Principibus erogabantur ſtipendia militiæ ; ſic quibuſdam coronatis pro famulatu ſuo dabantur à laicis Epiſcopatus & Abbatiæ, Eccleſiarum Præpoſituræ, Archidiaconatus, & Decaniæ, aliæque dignitates & poteſtates eccleſiaſticæ.* Plura referunt Theophilus *dict. tom. 12. ex fol. 128. vſque ad 130.* Altesserra *dict. cap. 7.* igitur ſi à laicis licet accipere inueſtituram, & collationem Eccleſiarum, multò magis electioni de ſe factæ à laicis licebit conſentire. Accedit praxis Hiſpaniæ & Galliæ eligendi Epiſcopos, ac Prælatos ſuperiores per Reges, quam probaui *in cap. 2. hoc tit.* igitur licet à laicis Eccleſias accipere.

6. DE INVESTITVRIS.

Quâ dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, olim in Eccleſia abuſum introductum fuiſſe accipiendi inueſtituras Eccleſiarum per laicos. Ita vocabant intruſionem aliquorum in beneficia per poteſtatem laicam. Nam veſtitura idem ſonabat ac poſſeſſio, vt ex variis locis Capitularium probat P. Sirmundus *ad capitul. Caroli, tit. 39.* Inueſtitura ergo idem erat, quod immiſſio in poſſeſſionem, quæ quoad Epiſcopatus, & Abbatias fiebat, dato per Principem baculo & virgâ, vt referunt Iuretus *ad epiſt. 8. Ivonis*, Theophilus *dict. tom. 12. fol. 128.* Et licèt ſimiles inueſtituræ prohibitæ reperirentur *in can. 30. Apoſtolor.* & Nicæna Synodo ſub Adriano II. *act. 8. & 10.* tamen poſtea per duo ſæcula, ab anno videlicet 1077. ad annum 1169. prædictæ inueſtituræ valdè vſitatæ fuerunt, non obſtantibus diuturnis, & aſperrimis Pontificum contentionibus cum Principibus. Demùm improbatæ & damnatæ fuerunt à Gregorio VII. in Synodo Romana, his verbis : *Quoniam inueſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta SS. PP. à laicis perſonis in multis partibus cognouimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex quibus religio Chriſtiana conculcatur, decernimus vt nullus inueſtituras Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ perſonæ, viri vel fœminæ ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, recognoſcat inueſtituram illam Apoſtolica auctoritate irritam eſſe, & vſque ad dignam ſatisfactionem excommunicationi ſubiacere.* Vrbanus II. idem ſtatuit in Concilio Claromont. *can. 16.* ibi : *Interdictum eſt, ne Reges, vel alij Principes aliquam inueſtituram de eccleſiaſticis honoribus faciant.* Refert Vvilielmus Malmeſburienſis *de geſtis Pontif. Angliæ, lib. 2. de Vrbani Concilio*, per hæc verba : *In hoc Concilio Papa cum omnibus ſententiam excommunicationis vibrauit in laicos inueſtitores Eccleſiarum, & inueſtitos à laicis, & in taliter inueſtitos conſecrantes, & in illos qui pro eccleſiaſticis honoribus laicorum homines fiunt.* Idem ſtatuerunt Paſchalis II. & Calixtus II. vt refert Abbas Vvindocinenſis *in opuſc. ad Calixtum Papam, cap. 3. & 4. Inueſtituram per virgam & annulum accipere niſi à ſuo conſecratore, manifeſtum eſt eſſe damnoſum, quia nulli laico licet illa Eccleſiæ ſacramenta dare, ſicut ei non licet Epiſcopum conſecrare.* Et cùm hæc controuerſia de inueſtituris agitata eſſet anno 1119. in Concilio Rhemenſi, & anno 1122. in Concilio Lateran. ſemper Calixtus II. ſimiles inueſtituras damnauit : quæ Concilia edidit Balluzius *ad Marcham lib. 8. cap. 21.* Idem etiam ſtatuerunt Alexander II. & III. Et tandem Innocentius III. *lib. 1. epiſt. 47.* ſtatuit ne defuncto Epiſcopo annulus eius, & baculus Principi mitterentur, vt moris erat, ibi : *Cùm te, vel aliquem ſuffraganeorum mori contigerit, baculus paſtoralis & annulus in Eccleſia remaneant propria, ſub fideli cuſtodia conſtituti ad ſucceſſoris vſum, cùm Deo fauente conſecrationem acceperit.* Et *lib. 2. epiſt. 87.* talem conſuetudinem corruptelam appellat. Plura de his inueſtituris, quæ magnas clades Eccleſiæ irrogarunt, cumulant Baronius *tom. 11. anno 1077.* & *tom. 12. anno 1116.* Boëtius Epon. Friſius *qq. heroicar. de iure ſacro, lib. 1. de regalibus, num 26.* & *217. cum ſequentibus*, Iuretus in notis ad epiſtolas 60. 190. 233. & 236. *Ivonis Carnotenſis*, Iacobus Grethſerus *in apolog. pro Baronio contra Goldaſtum, cap. 1.* & *contra replicat. lib. 2. cap. 1.* & *ſequenti*, Boſquetus *in notis ad Innocentium III. lib. 2. regeſt. 15. epiſt. 78.* & 87. Vincentius Cabotius *lib. diſput. de iure publico, cap. 5.* Antoninus Diana *part. 10. tract. 1. reſol. 5.* & 6. Petrus Marcha *lib. 8. concord. cap. 19. cum ſequent.* Michael Rouſſelius, ſeu quiuis auctor eſt hiſtoriæ Pontif. iuriſd. *cap. 3.* cum cautione nec ſine delectu legendus; alij apud Chriſtophorum Beſoldum *tom. 1. polit. diſſert. de Maieſt. in genere, ſect. 2. de Eccleſiæ Maieſtatis iure, cap. 4. num. 1.* & 2. Ioannes Cochier *in vindiciis libert. Eccleſiæ, 2. part. cap. 4.* & 5. Theophilus Raynaud. *dict. tom. 12. tract. Mala è Bonis Eccleſiæ, ſect. 2.* Altesserra *de Ducibus, cap. 7. per totum*, Franc. Florens *ad tit. de tranſlat. in fine.*

Vnde apparet vera ratio præſentis deciſionis; iam enim à primis Eccleſiæ temporibus variis conſtitutionibus prohibitum legimus, à laicis, & per manus ipſorum Eccleſias, vel eccleſiaſtica beneficia accipere, vt conſtat ex variis canonibus congeſtis à Gratiano *in cauſa 16. quæſt. 7.* Et contra accipientes Eccleſias à laicis variæ ſunt ſtatutæ pœnæ : excommunicatio *in cap. quoniam 25. 16. quæſt. 7.* depoſitio à miniſterio eccleſiaſtico, *cap. quia 6. de iurepatron.* inhabilitas ad beneficia eccleſiaſtica, in præſenti textu, & aliis ſuprà relatis ; & magna cum ratione, nam Eccleſia ſemper curauit arcere laicos ab adminiſtratione, & diſpoſitione rerum eccleſiaſticarum, *cap. 2. hoc titulo, cap. 2. de iudiciis*, ne laicis inuadentibus electionem, & prædictam diſpoſitionem libertas eccleſiaſtica minueretur, laicique immiſcerentur negotiis eccleſiaſticis. Et quia agentes & conſentientes pari pœnâ puniuntur, vt vulgò docetur *ex cap. 1. de officio deleg.* inde non ſolùm illi, qui à laicis eliguntur, verùm qui huiuſmodi electioni conſentiunt, æqualiter puniuntur. Et quia debet quis puniri in eo, in quo peccauit, *cap. nemo, de temporib. ordin. lib. 6.* ideò & clerici in electione delinquentes, & electioni conſentientes, priuantur poteſtate eligendi, & inhabiles redduntur ad beneficia eccleſiaſtica.

7. RATIO DECIDENDI.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam quæ in ea expendebamus, procedunt cùm inueſtituræ in vſu, ſeu potiùs abuſu erant, cùm adhuc Romani Pontifices ſimilem abuſionem propter

8. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

propter potentiam Principum extirpare nequibant, vsquedum Gregorius VII. & alij strenui in eo opere adiutores eam improbarunt, & damnarunt, vt referunt Iuretus & Theophilus suprà citati. Nec augmentum ipsius difficultatis refragatur; nam magni nostræ Monarchæ, vt Patroni Ecclesiarum Cathedralium præsentant R. Pontifici Episcopos ab eo confirmandos, non autem propria auctoritate Ecclesias conferunt, vt pluribus relatis probat, & vt solet, illustrat Illustrissimus D. Franciscus Ramos *in memor. ad Alex. VII. pro Episcop. Lusitaniæ, propos.* 1. *in principio*, & nos aliqua dedimus *in cap. 2. hoc tit.*

9. EXPONITVR CAP. DILECTO, DE TESTIBVS.

Superiori assertioni primò aduersatur textus *in cap. dilecto, de testibus*, vbi proponitur Ioannam Comitissam Flandriæ, de qua mentio fit *in cap. finali, de conces. præb.* litem disceptasse coram tribus iudicibus delegatis super donatione & collatione sex præbendarum, cum Præposito Arrensi: & cùm ex iusta causa vnus ex iudicibus reiectus esset, alius in eius locum suffectus fuit. Supponitur ergo collationem à laica persona accipi posse: igitur licet impunè de manu laici Ecclesiam accipere. Cui difficultati ex suprà traditis satisfacit Boetius Epon. *tom. 2. quæstionum, num. 2.* asserendo Ioannam Constantinopolitanam, Balduini Imperatoris filiam iuspatronatus obtinuisse in Ecclesia Arrensi; vnde ratione ipsius iurispatronatus potuisse præbendas in ea Ecclesia, & in aliis à se, vel à maioribus fundatis donare; quo casu non accipitur beneficium de manu laici, cùm eius collatio à proprio Episcopo fiat.

10. EXPONITVR CAP. CVM INTER, DE CONSVETVD.

Eodem etiam modo intelligendus est textus *in cap. cùm inter, de consuet.* in illis verbis: *Decanatum & præbendam ipsius Ecclesiæ idem Rex, & progenitores sui conferebant, diœcesano etiam Episcopo inconsulto.* Ex quibus verbis manifestè deducitur, laicum posse conferre Ecclesiam proprio iure: igitur licet à laicis Ecclesias accipere. Cui difficultati satisfaciendum est ex suprà dictis, videlicet Ecclesiam S. Petri de Curia Cenomanensis, ratione iurispatronatus spectare ad Regem Angliæ; vnde ratione ipsius iurispatronatus poterat ad Decanatum, & alias præbendas Canonicos præsentare. Nec obstat verbum illud *conferebant*; quod non nudam præsentationem, sed collationem omnimodam, etiam Episcopo inconsulto, demonstrat; nam verba suprà relata tantùm continent simplicem partis narrationem; non autem Pontificis decisionem, quæ diuersa fuit: nec Pontifex decidit collationem inconsulto Episcopo potuisse ad Regem Angliæ, vel eius progenitores spectare. Eadem solutione exponendus est textus *in cap. ad supplicationem, de renunciat.* iuncto Boetio *vbi supra, num. 3.*

11. INTELLIGITVR CAP. 1. DE VSVRIS.

Aduersatur superiori assertioni textus singularis, & valdè difficilis *in cap. 1. de vsuris*; vbi cùm generaliter Clericis interdicatur vsuras exercere, prohibetur etiam fructus rei pignoratæ retinere, sed eos debere deductis expensis in sortem principalem imputari: & statim hæc adiiciuntur verba loco exceptionis: *Nisi fortè Ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.* Ex quibus verbis apertè deducitur, licere non solùm beneficium, Ecclesiasque de manu laici recipere, verùm & ab eis redimere: igitur licebit liberè Ecclesias, seu beneficia accipere à laicis. Agnouerunt difficultatem Glossa in eo textu, verbo *Beneficium*, Hostiensis, Panormitanus, & omnes ferè antiquiores, qui vt eam exponant, varios casus fingunt & supponunt. Sed illis omissis altiùs repetenda est interpretatio illius textus. Obseruandum enim est, olim in Gallia ad instar beneficiorum temporalium, seu feudorum, in quibus pro mutatione Dominorum, vel vassallorum redemptiones feudorum fiebant, introductam fuisse similem redemptionem in Ecclesiis & Altaribus; nam cùm primis Ecclesiæ sæculis monachi tantùm laici essent, nec sibi, nec aliis sacramenta administrarent, & ita decimas nullo iure percipere valerent, vsu receptum fuit, vt per alios clericos decimas, & redditus Ecclesiarum perciperent, id est, vt constituerentur plebani, seu parochi, qui Sacramenta fidelibus administrarent, & monachi decimas perciperent, & mortuo ipso parocho, qui in eius locum substituebatur, decimas redimebat ab Episcopo proprio, & à monachis, qui eas percipiebant: cuius corruptelæ expressa mentio extat *in cap. quæsitum* 1. *q.* 3. in illis verbis: *Quia quidam simoniacæ prauitatis vsus in Galliarum partibus iam diutiùs inoleuit, vt Ecclesiæ, vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos Altaria nuncupantur, monasteriis datæ, sapiùs ab Episcopis sub palliata auaritia vendantur, mortuis nimirum, seu mutatis clericis, quos Personas vocant. Nos, auctore Deo venalitatem omnium, tam ex rebus, quàm ex ministeriis ecclesiasticis propellentes, hoc vlteriùs fieri auctoritate Apostolica prohibemus, sicut etiam præbendas omnes vemundandas interdicimus. Porrò quæcumque altaria, vel decimas ab annis triginta, & suprà, super huiusmodi redemptione possedisse monasteria noscuntur, quietè deinceps & sine molestia qualibet eis possidenda firmamus, saluo vtique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere dicti sunt.* Gofridus Vindocinensis *lib. 3. epist. 12.* Ioannes Sarisbar. *lib. 7. epist. 17.* Ivo Carnot. *epist. 12.* ibi: *Maximè quod apud nos, qui altari non seruiunt, de altari viuunt: à quo sacrilegio cùm eos absterrere velint monendo, increpando, excommunicando, altaria à me redimere nolunt sub nomine personæ? sicut à prædecessoribus meis ex prauæ consuetudine redemerunt.* Plura de hac redemptione Ecclesiarum adducunt I. Dartis *in cap. 4. 1. q. 3.* Bosquetus *ad Innocentium lib. 1. epist. 23.* & nos *in cap. 1. de capellis monach.* Nec solùm monachi ita Ecclesias accipiebant, vt ab eis redimerentur, verùm & singulares homines laici, vt ex Carnotensi probat Ioannes Dartis *vbi suprà.* Vnde percipitur mens Alexandri III. *in d. cap. 1. de vsuris*; docet enim, Clericos mutuantes pecuniam laicis sub pignore, debere fructus ipsius rei pignoratæ in sortem imputare, nisi fortè Ecclesiam de manu laici iure pignoris acceperint, & hoc modo eam redimere curauerint; tunc enim fructus ipsius Ecclesiæ non imputantur in sortem principalem, cùm ab iniusto possessore, laico videlicet, hoc modo Ecclesia redimatur. Et hæc est, ni fallor, vera illius textus interpretatio: si alius meliorem afferat, sponte illi herbam tradam. Etiam præsenti assertioni obstat textus *in c. dilectus 94. de præb.* cuius interpretationem in eius notis dabimus.

CAPVT XLIV.

Idem *in* [a] *eodem.*

NIhil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medelam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cùm quisquam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem pertinet confirmatio, diligenter [b] examinet & electionis processum, & personam electi, vt cùm omnia ritè concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quia si secus fuerit incautè præsumptum, non solùm deiiciendus est indignè promotus, verùm etiam indignè promouens [c] puniendus. Ipsumque decreuimus hac animaduersione puniri, vt cùm de ipsius constiterit negligentia, maximè si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, aut ætatis illegitimæ approbauerit, non solùm confirmandi primum successorem illius careat potestate, verùm etiam ne aliquo casu pœnam effugiat, à perceptione proprij beneficij suspendatur, quousque si æquum fuerit, indulgentiam valeat promereri. Si verò conuictus fuerit, in hoc per malitiam excessisse, grauiori subiaceat vltioni. Episcopi quoque tales ad sacros Ordines, & ecclesiasticas dignitates promouere procurent, qui commissum officium sibi dignè valeant adimplere, si canonicam ipsi cupiunt effugere vltionem. [d] Cæterùm qui ad Romanum pertinent immediatè Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem officij eius se conspectui, si commodè potest fieri, personaliter repræsentent, vel personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus & electis possit haberi, vt sic demùm per ipsius circumspectionem sui plenitudinem officij assequantur, cùm eis nihil obstiterit de canonicis institutis. Ita quod interim valdè remoti, videlicet vltra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensatiuè propter necessitates Ecclesiarum, & vtilitates, in spiritualibus, & temporalibus administrent; & sic tamen, vt de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent. Munus verò benedictionis, seu consecrationis recipiant, sicut hactenus recipere consueuerunt.

NOTÆ.

1. a *Eodem.*] Concilio videlicet Lateranensi, *can.* 26. vbi reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 11.

2. b *Examinet.*] Ad eum spectare examen electi, ad quem eius confirmatio pertinet, probaui *in cap. postquam* 3. *hoc tit.*

c *Puniendus.*] Hanc priorem textus partem de pœnis eligentium indignos ad officia, & dignitates ecclesiasticas, exposui *in cap. cùm in cunctis, §. vlt. hoc tit.* 3.

d *Cæterùm.*] Hanc secundam textus partem exposui & illustraui *in c. nosti, cap. transmissam, hoc tit.* 4.

CAPVT XLV.

Honorius III. [a] *Constantinop.*

VT præteritæ [b] contentionis decisâ materiâ futuris litigiis occasio amputetur, præsenti authentica statuimus, vt expensæ necessariæ, quas Capitulum Constantinop. vel eius nuntij vacante Sede pro electionis negotio fecerint, de bonis Patriarchatus fiant totaliter, vel reddantur, dummodo ipsi bona decedentis Patriarchæ non [c] occupent, vel vsurpent.

NOTÆ.

1. a *Constantinop.*] Ita etiam legitur *in cap.* 4. *de constit. in* 5. *compilat.* ex qua textum transcribo. De ea collectione egi *in c. penult. de constit.* de Ecclesia Constantinopolit. *in c. quantò, de consuet.*

b *Contentionis.*] Huius contentionis historiam retuli suprà *in cap. scriptum.* 2.

c *Occupent.*] De bonis decedentis Prælati, seu spoliis Episcoporum, agemus *in cap.* 1. *de testamentis:* de fructibus verò sede vacante perceptis, *in cap. cùm vos* 4. *de officio ordin.* 3.

CAPVT

CAPVT XLVI.

Idem *electo* [a] *Lugdunensi.*

CVm post petitam [b] instanter, & demùm obtentam ven. f. n. quondam Lugdunensis Archiepiscopi cessionem vota Canonicorum Lugdun. in te tunc ipsorum Præpositum concorditer conuenissent; quia tandem examinato, sicut decuit, processu electionis tuæ, inuenimus eam post publicatum [c] consensum, & collationis tractatum aliquandiu fuisse [d] protractam, assensumque tuum, priusquam electus fuisses, requisitum, electionem eandem ex ipsius duntaxat inordinato processu iustitiâ cassauimus exigente.

NOTÆ.

1. a *Lugdun.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & historiam huius textus intendit referre Iacobus Seuertius *in chronol. Lugdun. Præsulum*, ita vt in præsenti agatur de Lugdunensi Archiepiscopo Ioanne II. de quo agemus *in cap. cùm Marthæ, de celebrat. Miss.* Sed hæc historia temporibus Honorij III. minimè consonat: quare Innocentius Cironius *in notis ad hunc textum*, rectè existimat legendum esse, *electo Lundensi*; quod mendum in hoc Decretalium volumine plerumque reperiri iam obseruaui *in cap. 2. de consuet.* Quæ emendatio faciliùs suadebitur, si repetamus historiam veram huius textus. Sciendum enim est, temporibus Honorij III. anno videlicet 1222. magnum illum Archiepiscopum Andream Sunonem morbo afflictum Archiepiscopatui renunciasse, & à ciuitate Lundensi secessisse in insulam apud Escanenses, Istoa dictam; post cuius Præsulis renunciationem Pontificis consensu factam, à Capitulo Lundensi Præpositus ipsius Ecclesiæ electus fuit in Archiepiscopum: sed eius electione cassatâ ab Honorio III. in præsenti, Petrus Saxonis electus fuit solenniter, & Ecclesiæ ipsi præfuit anno 1224. vt ex chronico Henrici Regis refert Cironius *in præsenti.*

b *Instanter.*] Episcopi enim, & Archiepiscopi debent instanter licentiam cedendi petere à R. Pontifice, nec antea renunciare valent, *cap. nisi cùm pridem, de renunciatione*, vbi probabimus. 2.

c *Consensum.*] Licèt post electionem celebratam eligentes debeant electionem electo præsentare, & eius consensum petere, *cap. quàm sit 6. cap. nulli 8. hoc tit. in 6.* ante electionem tamen propter ambitionis suspicionem electus non debet consensum, seu voluntatem explicare. 3.

d *Protractam.*] Vnde peccatum fuit in forma electionis; siquidem factâ collatione suffragiorum, & regulato scrutinio, electio publicari debet, vt dixi *in cap. quia propter 41. hoc tit.* 4.

CAPVT XLVII.

Idem *P. Bolcen. Priori sanctæ* [a] *Barbaræ, Lexouiensis Diæc. & Magistro V. de Capella, Cancellario Rothomag.*

COnstitutis in præsentia nostra procuratoribus dil. f. Sancti [b] Tauricen. Ebroicen. & [c] S. Leofridi de Cruce Abbatum, ac Monasterij [d] Fiscan. dil. f. n. [c] B. Sanctorum Ioannis & Pauli Presbyterum Cardinalem dedimus auditorem, coram quo proposuerunt procuratores prædictorum Abbatum, quòd vacante præfato Monasterio, quod immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinet, monachi eiusdem loci, contemptis præfatis Abbatibus, qui commodè poterant, & debebant de iure vocari, ad electionem Abbatis temerè procedentes, H. quondam Abbatem [f] S. Iudoci ad eiusdem regimen minùs idoneum eligere præsumpserunt: quare petebant electionem huiusmodi penitùs irritari. Quum autem procuratores ipsorum Abbatum iussi essent exprimere, [g] quo iure ipsi Abbates deberent electioni Abbatis supradicti monasterij [h] interesse; responderunt, quod olim cùm assumerentur in suorum monasteriorum Abbates, fuit specialiter indultum ab Abbate & conuentu monasterij Fiscan. vt haberent vocem in Capitulo eorundem. Nos autem rationem huiusmodi friuolam reputantes, de consilio f. n. perpetuum silentium imposuimus Abbatibus prædictis.

NOTÆ.

1. a *S. Barbaræ.*] Ita restituenda est inscriptio ex quinta collectione Honorij III. vbi *sub hoc tit. cap.* 5. reperitur textus hic. Monasterium hoc S. Barbaræ in diœcesi Lexouiensi, esse Ordinis D. Augustini refert Innocentius Ciron. *in præsenti.*

2. b *Tauricen.*] *Taurini*, legendum est, vt legitur in sexta collectione; quod monasterium est Ordinis D. Benedicti, congregationis S. Mauri, in vrbe Ebroicensi, quod construxit Richardus Dux, qui Normannos rexit anno 943. vt referunt Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ Christ. fol.* 859. De diœcesi Rothomagensi iam nonnulla adduxi *in cap. 24. de rescript.*

c *S. Leofredi.*] Monasterium de Cruce S. Leofredi est Ordinis D. Benedicti, diœcesis Ebroicensis, in pago Madriacensi constructum à S. Leofredo, apparitione Crucis ibidem visæ, ditatum à S. Andoeno Archiepiscopo Rothomag. quare aliquando 3.

appellatur monasterium Beatæ Crucis S. Audœni, vt referunt Yepes *tom. 2. chron. D. Benedicti, anno 677.* Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ, fol. 321.* Richardus ex gremio ipsius Ecclesiæ assumptus fuit, & eius electionem confirmauit Innocentius III. *lib. 2. epist. 89.*

4. d *Fiscan.*] Fiscanum monasterium SS. Trinitati dicatum, amplissimum & opulentissimum, est ordinis D. Benedicti, quod condidit, seu potiùs restauravit Richardus primus Dux Normanniæ, vt referunt Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ, fol. 375.* Yepes *tom. 2. chron. D. Benedicti, anno 659. & tom. 5. anno 990.* Rodulphus Glaber *lib. 5. historiæ Galliæ, c. 28.* eius meminit Ivo Carnotensis *epist. 32. & 99.*

e *B.*] Bertrandus videlicet Cardinalis SS. Ioannis & Pauli; qui titulus Cardinalitius spectat ad Basilicam S. Laurentij, vt probat Cohelius *in notitia Cardinalium, cap. 6.*

5. f *S. Iudoci.*] In sexta collectione legitur S. Vindoci, & Cironius in præsenti existimat rectiùs legendum esse S. Vvindoci; quod est monasterium Ordinis D. Benedicti in diœcesi Morinensi; de quo Aubertus Mireus *cap. 31.* Si retineatur S. Iudoci, monasterium hoc est in diœcesi Ambianensi, de quo plura Fatres Sarmat. *tom. 4. Galliæ, fol. 539.* Yepes *centuria 2. anno 645.*

g *Quo iure.*] Non vt nomen actionis exprimerent, quod iure canonico, & nouiori Cæsareo necessarium non est, *cap. dilecti, de iudiciis.*

6. h *Interesse.*] Licèt regulariter possessor non teneatur reddere causam, seu edere titulum suæ possessionis, immò interrogatus cur possideat, sufficienter respondeat, Quia possideo, *l. in speciali 63. ff. de rei vind. l. vltima, C. eod. tit. l. extat aliàs decretum, ff. de iure fisci, l. cogi 11. C. de petit. hæreditat. l. 2. C. de probat.* plures cumulat Parexa *de instrument. edit. tit. 5. resolut. 7.* tamen si ius commune resistat possessori, tenetur edere titulum possessionis, vt docet Parexa *vbi proximè.* Vnde cùm in præsenti Abbatibus resisteret ius commune, quod dictat monachum eodem tempore duobus monasteriis præficiendum non esse, *cap. ne nimia, de religiosis domibus*, ideò si intendebant admitti ad electionem Abbatis monasterij Fiscanensis, debebant priùs edere, seu probare titulum quasi possessionis iuris eligendi.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu communiter deducitur, Abbatem vnius monasterij non habere ius eligendi Prælatum in alio monasterio exempto, etiamsi monachi illi ius suffragij concedant. Ita docent post antiquiores *in præsenti*, alij relati à Barbosa *in hoc textu*, Cironius *in 5. compilat. ad hunc textum:* quæ communis doctrina impugnatur eâ iuris consideratione, nam ius præstandi suffragium in alicuius electione potest concedi ab ipsis electoribus, *cap. scriptum, hoc tit.* igitur si Abbatibus SS. Taurini, & Leofredi concessum erat ius eligendi Abbatem à monachis Fiscanensibus, virtute illius concessionis ad electionem admitti valebant. Augetur difficultas hæc ex decisione textus *in cap. cùm Ecclesia, de causa possess.* vbi illi, qui iure admitti non poterant ad electionem Episcopi, admittuntur virtute quasi possessionis eligendi, in qua erant. Sed hac difficultate non obstante verum est, monachum vnius monasterij electum in Abbatem alterius, non posse ad electionem Prælati prioris monasterij admitti; quia cùm ad electionem Prælati tantùm admittantur qui ex Capitulo, propriaque congregatione sunt, *cap. 1.* vbi probaui, *hoc tit.* & monachus electus in Abbatem alterius monasterij, amittat gradum, & sedem in priori, quia duobus monasteriis adesse non potest, *cap. ne nimia, de religiosis domibus*, inde non admittitur tanquam extraneus ad electionem Prælati prioris monasterij. Nec difficultas suprà allata obstat, cui vt satisfaciant Interpretes in præsenti, varia adducunt, quibus omissis placet sententia Gofridi, quam sequitur Cironius *in præsenti*, videlicet hoc monasterium esse exemptum, & immediatè subiectum R. Pontifici, vt ex huius textus contextura liquet; vnde sine Pontificis licentia non poterant monachi ius præsentandi suffragium illis, qui illud non habebant, præstare. Nec obstat textus *in d. c. cùm* Ecclesia; nam in præsenti nulla erat adhuc quasi possessio adquisita Abbatibus, immò etsi fuisset quæsita, cùm illis resisteret ius commune, in ea tueri non debebant, iuxta adducta *in cap. querelam 24. hoc tit.* vnde tam in iudicio possessorio, quàm petitorio ab electione excluſi fuerunt Abbates SS. Taurini, & Leofredi in præsenti. 7.

CAPVT XLVIII.

[a] *Rhotomagensi Capitulo.*

ECclesia vestra destituta [b] Pastore, & votis vestris, cùm de futuri Prælati haberetis successione tractatum, in diuersa diuisis, quidam in Thomam, quidam in Cancellarium, & quidam singulariter in singulares personas eiusdem Ecclesiæ consensistis: vnde cùm super his in nostra, & f. n. præsentia multa fuissent hinc inde proposita, inuenimus, quod illi, qui sua in Thomam desideria direxerunt, licèt partem maiorem facerent partium comparatione minorum; non tamen ad maiorem partem Capituli peruenerunt. Considerauimus nihilominus, quod post publicationem consensuum, & collationis tractatum, ad electionem nullus habitus est processus, quamvis [c] deportationis solennitas etiam post [d] appellationem legitimam fuerit subsecuta, quod pro electione non deceret, nec expediret [e] haberi: vnde de f. n. consilio quod factum est de Thoma, cassauimus, petitione consentientium etiam in Cancellarium non admissâ.

NOTÆ.

1. a *Rhotomagensi.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* de Ecclesia Rothomagensi egi *in cap. cùm contingat 24. de rescriptis.*

b *Pastore.*] Cironius in præsenti existimat agi de electione Theobaldi in locum Roberti Pulli, qui decesserat anno 1221. & anno 1222. Theobaldus Thesaurarius ipsius Ecclesiæ ei suffectus fuit pridie nonas Septembris, anno 1222. de cuius ordinatione hæc fatur Albericus *in chronic.*

Successit

Successit non laude minor, nec moribus impar,
Forma gregis, vitâ clarus, verboque Robertus.
Huic est scribendus THEOBALDVS, ob inde canendus,
Quòd laudare piam satagebat vbique Mariam.

Floruit ipse vsque ad annum 1229. & eo defuncto cùm duo contenderent de ipsa Ecclesia, quia Thomas de Freauila Decanus electus fuerat ab vna parte, Cancellarius verò ab alia, Dei prouidentiâ vtroque cedente Mauritius institutus fuit ab Honorio III. cassatâ vtraque electione in præsenti textu: idem referunt Chenu *in serie Præsulum Rhotomag.* Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ Christ. fol.*585. Sed falluntur omnes, qui hoc contigisse credunt anno 1231. nam cùm Honorius III. decessisset anno 1227. quomodo poterat cassare electiones Decani & Cancellarij, & Mauritium instituere. Quare credo, in præsenti agi de substituendo Pastore in locum Theobaldi, & hoc contigisse anno 1226. Mauritio etiam Præsidè noua lis orta fuit temporibus Gregorij IX. de qua *in cap. dudum* 53. *hoc tit.* vbi, ni fallor, de ipso Mauritio agitur.

2. c *Deportationis.*] Id est translationis de loco in locum; deporto enim significat mutare aliquem, seu transferre de loco in locum, teste Asconio Pediano, & Virgilio *lib.*4. *Georgic.*

—— Tunc corpora luce carentum
Exportant tectis, & tristitia funera ducunt.

Vnde deportati dicuntur in iure Cæsareo, qui è ciuitate in certam insulam transferuntur, vt probat D. Iosephus de Retes *de interdictis cap.*2.

3. d *Appellationem.*] Quæ in præsenti iustè interponi potuit, quia nullum præcesserat scrutinium, nulla collatio suffragiorum facta fuerat, vnde appellari potuit, aliàs publicato scrutinio appellatio interponi nequit, cùm iam electores ab electione discedere nequirent, *cap. publicato, hoc tit.* notauit Cironius *in præsenti.* Præsentem textum exponemus infrà *in cap. Ecclesia* 57.

e *Haberi.*] Hinc notant, & rectè repetentes, non sufficere in electionibus ecclesiasticis facto suffragium præstare, sed verbis illud explicari debere: quod ea ratione adstruunt, quia forma præscripta *in cap. quia propter* 42. *hoc titulo*, adamussim est seruanda. Sed ibi statuitur, vt suffragia expressis verbis præstentur: igitur non sufficit ea facto explicari. Vnde si pro forma specifica verba non desiderarentur ad suffragium dandum, sufficeret facto exprimere voluntatem, vt in Conciliis, & Comitiis sæcularibus obseruatum legimus; plerumque enim manu porrectâ, aut pedibus ibatur in sententiam propositam. Vtriusque moris exempla habemus in Concilio Chalcedon. *actione* 1. ibi: *Exurgens Reuerendissimus Episcopus Iuuenalis, simul cum ipsis transiit in alteram partem, & clamauerunt Orientales: Deus benè adduxit te, Orthodoxe, bene venisti.* Et rursus de Petro Corinthiorum Episcopo: *Exurgens ipse transiit in alteram partem.* Et postea eadem actione 1. ex 2. Ephesina Synodo Dioscorus Episcopus Alexandriæ dixit: *Quoniam voces vestras necessarias habeo, & manus, si quis non potest clamare, manum extendat.* Apud Romanos etiam eundem consentiendi morem in Senatu obseruatum fuisse constat ex Vopisco *in Aurelio*, ibi: *Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum Senatusconsultum.* Tito Liuio *lib.* 7. *Quibus hæc salutaria videntur, agite-dum, in dextram partem pedibus transite.* Et *lib.* 19. *Cùm omnes laudibus modò prosequentes, vtrum in sententiam eius pedibus irent, paulisper intercessio est.* Et *lib.*5. *In quam sententiam cum pedibus iretur, cæteri Tribuni militum nil contradixere.* Inde per discessionem fieri Senatusconsultum, dici refert Aulus Gellius *lib.* 3. *noctium, cap.* 18. cùm videlicet vniuersi in alienam sententiam pedibus ibant. *Hinc*, ait, *in Mimo scriptum, caput sine lingua pedaria sententia est.* Notarunt Philippus Berterius *diatribe* 1. *cap.*2. Ioannes Cochier *in face historiæ, cap.*89.

4.

CAPVT XLIX.

[a] Gregorius IX.

CVm in magistrum adsumi non debeat qui formam discipuli non [b] assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non nouit: nos intellecto per te, quod in quibusdam regularibus domibus iure tibi diœcesano subiectis sunt quidam in Abbates non professi ordinem regularem adsumpti, mandamus quatenus cùm Abbates tales esse non debeant, qui per professionem monachi, vel regulares canonici non fuerint, ad amotionem eorum, quos tales inueneris (sublato appellationis obstaculo) procedas.

NOTÆ.

1. a *Gregorius IX.*] Non exprimitur cui Episcopo rescribat Pontifex, tantúmque ex serie textus constat, cum Præsule diœcesano loqui, cui scribit, ne personæ non professæ vitam regularem præficiantur monachorum regimini; quam decisionem examinaui *in cap. cùm* 13. *hoc tit.*

2. b *Assumpsit.*] Quod absurdum est. Zozimus Pontifex *in epist. Hesitio missa, cap.* 1. ibi: *Statim Dux esse desiderat, cùm tyro antè non fuerit, vt prius velit docere quàm discere.* Cœlestinus Pontifex *in epist. Galliarum Episcopis missa, cap.* 31. ibi: *Debet enim antea esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, vt possit docere quod didicit.* Ruricius *lib.* 2. *epist.* 25. *Apollinari filio Synodi*, ibi: *Prius enim quilibet debet discere, quàm docere; quia præproperè Doctoris vsurpat supercilium, nisi discipuli susceperit antea famulatum.* Eucherius *lib.* 3. *Regum, cap.*6. *in fine*, ibi: *Nam frustrà sibi officium doctoris vsurpat, qui dissertionem fidei catholicæ ignorat; neque sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicerunt, conantur.* Ioannes Sarisbariensis *lib.* 6. *Polycratici, cap.* 6. ibi: *Quem enim inuenies, qui strenuè docere possit, quod ipse non didicit?*

CAPVT L.

Idem [a] *Cumanenſi Capitulo.*

CVmanâ Eccleſiâ Paſtoris ſolatio deſtitutâ, & congregatis die ad celebrandam electionem præfixâ, qui præſentes erant de Cumanis Canonicis, ac tribus Abbatibus, qui vocem in electione habere noſcuntur, Capellani & Clerici ciuitatis electioni ſe debere intereſſe dicentes, ſub huiuſmodi [b] proteſtatione admiſſi fuerunt, quod vox eorum, qui non deberent intereſſe de iure, vel de [c] conſuetudine, non valeret. Tandem præmiſſo iuxta formam Concilij generalis ſcrutinio, VII. de Canonicis, vnus Abbatum, VI. Capellani, & nouem Clerici in eiuſdem Eccleſiæ Archipreſbyterum conuenerunt: nouem Canonicis, vno de Abbatibus, vno Capellano, & XI. Clericis in ipſius Eccleſiæ Archidiaconum dirigentibus vota ſua. *Et infrà*: Cùm decem & octo fuerint Canonici, tres Abbates, XX. Clerici, & XIV. Capellani, neutram electionem comperimus ad maiorem partem totius Capituli peruenisſe, nec probatum fuerat, quod Clerici admitti debuerint, nec quod Capellani admiſſi fuerint de conſuetudine, vel de iure; nam etſi Capellani [d] duabus electionibus Epiſcoporum interfuerint, & ſcrutatores dederint voluntatum; non tamen inquiſita vota ſua fuiſſe, vel ipſos aliquos elegiſſe probatur: ſed etſi inquiſita fuiſſent vota, vel ipſi aliquos elegiſſent, per hoc tamen non conſtitit, id eis de iure competere, vel ex conſuetudine iam præſcripta. Vnde nos electiones ipſas præſumptas, etiam contra formam Concilij generalis, cùm collatio omiſſa fuerit, quæ poſt publicationem ſcrutinij fieri debuiſſet, de fratrum noſtrorum conſilio ſententialiter duximus irritandas, electores hac vice eligendi poteſtate priuantes.

NOTÆ.

1. a *Cumanen.*] Cumana ciuitas duplex reperitur Epiſcopalis; alia in Eccleſia Orientali, vulgò dicta Cyme, cuius Præſul Maximus ſubſcripſit Concilio Epheſino, & etiam Anatolius in quinta Synodo generali: alia Cumana ciuitas eſt in Campania, cuius originem & ſitum tradit Antonius Sanfelicius *in deſcriptione Campaniæ*. Eius Eccleſiæ Epiſcopus Adeodatus ſubſcripſit Concilio Romano ſub Hilario. Sed cùm integrâ huius textus careamus, agnoſcere non poſſumus
2. cui ex his Capitulis reſcribat in præſenti Gregor.

b *Proteſtatione.*] Licèt nulla ſit electio, ſi admittantur ad eam, qui de iure admittendi non ſunt, vt probant Cabedo 2. *p. deciſ.* 84. *num.* 15. Maſtrillus *de Magiſtr. cap.* 23. *num.* 53. tamen cùm præcedit proteſtatio, etſi admittantur inhabiles, electio non ideò vitiatur, neque ex tali admiſſione aliquod ius admiſſi conſequuntur, vt docent ex hoc textu Samuel *de elect. contro.* 11. *concluſ.* 3. Tondutus Sanlegerius *lib.* 1. *reſol. canonic. q.* 44. Iranzo *de proteſt. cap.* 16.

c *Conſuetudine.*] Conſuetudine acquiri poſſe ius eligendi, iam probaui *in cap. cùm dilectus* 8. *de conſuet.*

3. d *Duabus electionibus.*] Si verum eſſet, duabus electionibus poſterioribus capellanos interfuiſſe, admittendi vtique erant virtute quaſi poſſeſſionis, vt probaui *in cap. querelam* 28. *hoc tit.*

Commentarium huius textus dabimus infrà, *in cap. Eccleſia* 55.

CAPVT LI.

Idem *Abbati* [a] *Cluniacenſi.*

SAcroſancta Romana Eccleſia. *Et infrà*: Sanè propoſuiſti in noſtra præſentia, quod ſuper ordinatione prioris monaſterij [b] S. Pancratij, ad Cluniacenſ. Eccleſiam pertinentis, cum Comite de Varena patrono ipſius, quidam prædeceſſor tuus de conſenſu Capituli ſui compoſitionem quandam iniuit iuri contrariam, & Eccleſiæ ipſi damnoſam, videlicet, vt in [c] optione ſit ipſius Comitis adſumere ad Prioratum dicti monaſterij (Cluniacen. & de [d] Charitate Prioribus dumtaxat exceptis) vnum de duobus melioribus totius Cluniacen. Ordinis, quos Abbas duxerit nominandos. *Et infrà*: Attendentes itaque, quod ius eligendi in Collegiata Eccleſia non cadit in laicum, & ideò id eſſet pernicioſum exemplo, & redundaret in diſpendium eccleſiaſticæ libertatis, volumus vt dictum Prioratum liberè poſſis (non obſtante compoſitione ipſa) ſicut alios Prioratus tibi ſubditos ordinare, denuntiando ordinationem factam patrono, vt ſuum, ſi voluerit, honeſtum impartiatur adſenſum.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Cluniacenſi.*] Cluniacum ad Graonam fluuium, diœceſis Matiſconenſis, in Burgundia, percelebre monaſterium eſt Ordinis D. Benedicti, caput ſuæ Congregationis, à Bernone Abbate, fauente Guillelmo primo Comite Aruerniæ, & Aquitanorum Duce, conditum, ſeu vt alij volunt, inſtauratum. Nominis etymon graphicè expreſſit Rodulphus Glaber. *lib. 3. hiſtor. Francorum, cap. 5.* ſic: *Monaſterium cognomento Cluniacum, quod ex ſitu eiuſdem loci adcliuo, atque humili, tale ſortitum eſt nomen; vel etiam, quod aptiùs illi congruit, à cluendo dictum, quoniam cluere creſcere dicimus.* Aliam etymologiam adfert Petrus Damianus *lib. 6. epiſt. ad Hugonem Abbatem.* Hoc monaſterium Gofridus Vvindocinenſis appellauit Secundum Paradiſum; Petrus Cellenſis Hortum Domini; Hildebertus *in vita S. Hugonis*, Lauacrum animarum; Petrus Damianus *vbi ſuprà*, Spiritualem campum; Petrus Venerabilis *lib. 1. cap. 34.* præ totius mundi Eccleſiis ſingularem filiam appellauit; Ioannes Sariſbarienſis *lib. 2. Polycratici, cap. 7.* Cluniacenſes multis prouinciis formam religionis dediſſe refert. Eius magnitudinem agnoſcere libet ex his, quæ refert Arnoldus Vvion. *lib. 5. hiſtor. cap. 4.* his verbis: *Innocentius Papa IV. hoſpitatus fuit in monaſterio Cluniacenſi, habens ſecum Cardinales 12. Patriarchas duos, Conſtantinop. & Antioch. Archiepiſcopos tres, & Epiſcopos 15. Aderant & Imperator Conſtantinop. Rex Franciæ, cum matre, ſorore, & fratre; filij Regum Caſtellæ, & Aragoniæ; Dux Burgundiæ, Comites ſex, & multi alij Principes & Barones cum infinita militum multitudine: & cùm tam multi eſſent, monachi tamen nunquam amiſerunt dormitorium, refectorium, Capitulum, infirmarium, cellarium, coquinam, nec aliquam de officinis Conuentui deputatis.* Huic monaſterio ſubdita erant alia innumera, quorum catalogum refert Yepes *tom. 5. chron. D. Benedicti*, vbi enumerat monaſteria S. Pancratij, & Charitatis Angliæ, de quibus in hoc textu agitur. Vnde iuſtè deciſio contentionis ſuper eis ortæ commiſſa fuit Abbati Cluniacenſi, Stephano ſecundo, qui Gregorij IX. temporibus illi monaſterio præerat.

2. b *Sancti Pancratij.*] Monaſterium hoc fundatum fuit in prouincia Subſeeſia Angliæ à Guillelmo Comite Vvarenniæ, vt referunt Candenus *in deſcript. Brit.* Houeden. *pag. 590.* Huius monaſterij & præſentis compoſitionis mentio fit in catal. Cœnob. Cluniac.

3. c *Optione.*] Id eſt electione: licèt verbum optio in maſculino genere acceptum, ſignificet aliquando adiutorem, *l. Diui 6. ff. de bonis damnatorum, l. vlt. C. locati*, Feſtus Pompeius *verbo Optio*; aliquando apparitorem, ſeu exactorem tributorum, *l. penult. & vlt. C. de iure fiſci, lib. 10. l. vlt. C. eod. tit. in Theodoſ. l. penult. C. de apochis publ.* plerumque carcerum cuſtodem, vt ex D. Ambroſio, & aliis obſeruat Cuiacius *lib. 6. obſeru. cap. 33.* etiam ſignificat militaris annonæ erogatorem, *l. 1. ff. de munerib. & honorib.* Bulengerus *lib. 6. de Imperatore, cap. 47.* verbum tamen optio in fœmenino genere acceptum electionem ſignificat, *l. 2. §. Scæuola, ff. de eo quod certo loco, l. ſi pupillus 79. ff. ad Trebell. l. in Magiſtralibus 7. ff. de Magiſtr. conueniendis, l. 2. l. cùm ita 8. l. heros 11. ff. de optione leg.* Plautus *in Aſinaria*, ibi: *Optio hæc tua eſt, vtram harum vis conditionem accipe.* Cicero *orat. 1. in Verrem*, ibi: *Quotiens ille tibi poteſtatem, optionemque facturus ſit, vt eligas vtrum velis factum eſſe, necne.* Quintilianus *lib. 5. inſtit.* ibi: *Nec optio iudicis aduerſario eſt permittenda.* Non tamen optio, & electio ſunt ſynonoma; tanquam diuerſa enim ponuntur *in l. 2.* ibi: *Quotiens ſeruì optio, vel electio datur*; *ff. de optione legata, l. 3. ff. qui & à quibus.* Differt valde electio ab optione. Electio eſt quædam ſimplex voluntatis declaratio; optio verò eſt ſolennis cum aliqua ſolennitate voluntatis manifeſtatio, vt notant Pinellus *lib. 2. ſelect. c. 16.* D. Martinus de Larreatigui *lib. 5. ſelect. cap. 1.* vnde conſtat, magnâ cum proprietate Gregorium IX. in præſenti appellaſſe optionem illam ſolennem electionem prioris monaſterij S. Pancratij.

4. d *De charitate.*] Monaſterium hoc ſubiectum eſt Cluniacenſi, licèt aliquando eius iugum excutere voluiſſet, vt conſtat ex Innocentij III. epiſtola, *lib. 3. epiſt. 191.* notat Chopinus *lib. 1. de ſacra politia, pag. 56.*

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Propter compoſitionem factam cum Prælato & Capitulo, non poteſt ius eligendi Prælatum laico competere.* Quæ aſſertio licèt ab ſpecie aliquo iuris teſtimonio non probetur, tamen per argumentum probari poteſt *ex cap. cùm terra, cap. quod ſicut, cap. quiſquis, cap. Maſſana, hoc tit. cap. ex eo, cap. indemnitatibus, hoc tit. lib. 6. cap. ſi quis deinceps, cap. quoniam, cap. per laicos 16. q. 7.* cum aliis adductis *in cap. quiſquis, hoc tit.* Illuſtrant Azor *2. p. moral. lib. 10. cap. 7. q. 3.* Petrus Gregor. *lib. 17. ſyntagm. cap. 4. num. 3. & de elect. cap. 5.* Layman. *2. tom. ſummæ, lib. 4. tract. 3. cap. 13. n. 8.* Selua *de beneficiis 2. p. cap. 23. num. 25.* Suarez *lib. 4. de relig. cap. 28. n. 9.* Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. diſput. 7. quæſito 6.*

6. RATIO DVBITANDI. Sed pro ratione dubitandi in præſentem aſſertionem ita inſurgi poteſt: Patronus laicus ratione iuriſpatronatus, quod ſpiritualibus annexum eſt, *cap. quanto 3. de iudiciis, cap. de iure, de iurepatron.* ex Eccleſiæ conceſſione ius habet præſentandi Prælatos in omnibus Eccleſiis proprij iuriſpatronatus, *cap. 1. 16. q. 5. cap. piæ mentis 16. q. 7. cap. quod autem, cap. nobis, de iurepatron.* Tridentin. *ſeſſ. 14. de reform. cap. 12.* igitur in præſenti caſu patrono, quantumvis laico, competebat ius eligendi Prælatum in monaſterio, ſeu Eccleſia, vbi iuſpatronatus obtinebat, cum nulla diſcriminis ratio inter præſentationem, & electionem dari poſſit; ſicut enim per electionem plenum ius electo non acquiritur antequam à ſuperiore electio confirmetur, *cap. noſti, cap. tranſmiſſam 15. hoc tit.* ita per præſentationem plenum ius præſentato non quæritur ante ſuperioris, ſcilicet Epiſcopi, inſtitutionem, *cap. ſi plures, cap. monaſterium 16. q. 7. cap. relatum, cap. quod autem, cap. illud, de iurepatron.* & quemadmodum per electionem canonicã tribuitur electo ius ad Prælaturam, ſeu dignitatem, quod per ſuperioris confirmationem perficitur, *cap. poſtquam 3. hoc tit.* ita etiam per præſentationem patroni; nam ſi præſentatus idoneus eſt, neceſſariò debet ab Epiſcopo inſtitui, *cap. cùm autem, de iurepatron.* igitur ſi in præſenti caſu patronus habebat ius præſentandi Prælatum in Eccleſia ſeu monaſterio, non rectè affirmat Gregorius IX. illum eligere non poſſe Prælatum in ea Eccleſia. Augetur hæc difficultas ex

vltimis verbis præsentis textus, vbi asseritur, patroni assensum expectandum esse in electione Prælati; nam si ratione iurispatronatus, aut compositionis factæ cum Prælato, & Capitulo patronus Prælatum eligere non valet, frustrà eius expectatur assensus, cùm electionem iam celebratam reiicere aut improbare nequeat, etsi potest eam rescindere, quia illi competit electio.

7. RATIO DECIDENDI. Quâ difficultate minimè obstante vera est præsens Gregorij IX. decisio, cuius ratio præmissis quæ adduximus *in cap.2.cap.quisquis, hoc tit.* ex eo prouenit, quia laici spiritualia possidere nequeunt, *cap. decimas 16.q.7. cap. causam, de præscript.* vnde non possunt Ecclesias, seu ecclesiastica beneficia conferre, *cap.1. & per totam 16. q. 7.* latè probaui *in cap. quisquis, hoc tit.* illis enim obsequendi adest necessitas, non authoritas imperandi, seu disponendi de rebus ecclesiasticis, *cap. non placuit 23. cap. laicis 24. 16. q.7. cap. Ecclesia, de constit.* & ideò electionibus ecclesiasticis interesse nequeunt, *d.cap.cùm terra, cap. quisquis,cap. Massana, hoc tit.* neque ex vi alicuius compositionis, aut pacti hoc ius adquirere valent, quia pactiones omnes circa spiritualia initæ nullæ sunt, *cap. cùm pridem 4. cap. final. de pactis, cap. de cætero, de transact.* ergo cùm spiritualia laicorum iudicio non disponantur, *cap. 2. de iudiciis, cap. contingit, de arbitris*, iure optimo Gregorius IX. in præsenti affirmat, nec ratione compositionis ius eligendi Prælatum, laicum acquirere posse. Si enim ius eligendi obtineret, cessaret prorsus libertas, quæ in electionibus maximè attendi debet, *cap. dilectissimi 8.q.2.* latè probaui *in d.cap. quisquis.*

8. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec difficultas suprà adducta refragatur; nam licèt ius præsentandi Prælatum ratione iurispatronatus laicis competat ex concessione Ecclesiæ, *d. cap. piæ mentis*, cum similibus; ius tamen eligendi illis non competit; valdè enim differt electio à præsentatione; & ius eligendi potentius est, & magis spirituale, quàm præsentandi: nam electio dirigitur proximè ad electum, ipsique ius tribuit, *cap. quæsiuit 6. hoc tit. in 6.* Panormit. *hic, num.4.* vnde inter electum & Ecclesiam, ad quam eligitur, spirituale matrimonium initiatur, & inchoatur, *cap. cùm inter, hoc tit.* at verò præsentatio ad Ordinarium dirigitur, à quo præsentatus omne ius per institutionem assequitur, *cap. quod autem, cap. relatum, de iurepatron.* & per præsentationem non inchoatur aliquod matrimonium spirituale inter præsentatum, & Ecclesiam, ad quam præsentatur, sed omne ius spirituale ex institutione Episcopi prouenit, & per electionem, publicato scrutinio, electo ita ius acquiritur, vt eius consensus statim requiratur, *cap. publicato, hoc tit. cap. quàm sit, eod.tit. lib.6.* quod non contingit in præsentatione; nam patronus laicus etiam publicatâ præsentatione potest variare alium præsentando, *d. cap. quod autem*, quod in patrono Clerico non contingit, de quo intelligendi sunt textus *in cap.significasti, de iurepatron. d.cap. quod autem.* Deinde electio intimatur electo antequam à superiore confirmetur, vt cognoscatur vtrum admittere, an reiicere eam velit, *d. cap. quàm sit*; quod in præsentatione non procedit, quæ directè ad collatorem defertur: & ita nihil refert, vtrum præsentatus consenserit ante collationem, cùm per huiusmodi consensum nullum ipsi ius acquiratur. Cùm ergo ita differat præsentatio ab electione, licèt laici ratione iurispatronatus possint præsentare, tamen eligere non possunt. Nec augmentum difficultatis obstat; nam patroni expectatur assensus propter honorem illi debitum vt patrono: & si patronus legitimam causam proposuerit, quare electio admittenda non sit, superior eâ cognitâ electionem cassabit: si verò causa insufficiens, nec legitima sit, electionem confirmabit; vnde in eius arbitrio non est electionem reiicere, vel respuere.

9. EXPONITVR CAP. ABBATEM 2.18.Q.2. Primò superiori assertioni aduersatur textus *in cap.Abbatem 2.18.q.2.* in illis verbis: *Et possessionis dominus proposuerit ordinandum.* Ex quibus verbis apertè liquet, in conuentuali Ecclesia electionem Prælati ad patronum simul cum monachis spectare: igitur ratione fundationis, aut compositionis potest ius eligendi ad laicum spectare. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu possessionis dominum, videlicet patronum, non eligere, sed eligendum præsentare, & electioni honestum præstare assensum; quo modo textum illum accipiunt Suarez *de relig.d.tom.4.lib.2. cap.6.* Tamburinus *dicto quæsito 6.* & nos *in cap.1. hoc tit.* vbi etiam adduximus textum *in cap.1.18.q.2.*

10. EXPONITVR CAP. NOBIS, DE IVREPATRON. Secundò opponitur textus *in cap. nobis, de iurepatron.* in illis verbis: *Nisi aliter de sua iurisdictione obtineat.* Quæ apertè docent, in conuentuali Ecclesia virtute compositionis, aut reseruationis ius eligendi spectare ad patronum, contra ea, quæ Gregorius IX. decidit. Vt difficultatem hanc dissoluant repetentes ibi, varia adducunt. Ioannes Andreas existimat, textum illum Innocentij III. procedere ante præsentem Gregorij IX. decisionem, & per eam, vtpote tempore posteriorem, correctam esse illam Innocentij decisionem. Sed hæc solutio facilè refellitur: tum quia correctio sacrorum canonum non facilè est admittenda, præcipuè in hoc Decretalium volumine, vbi licèt decretales epistolæ à Raymundo compilatæ diuersos authores præseferant, tamen simul, & eodem tempore comprobatæ, & approbatæ fuerunt à Gregorio IX. tum quia Gregorius in præsenti nouum ius non statuit, sed tantùm iam in Ecclesia statutum declarat. Gofredus asserebat *in d. cap. nobis*, ius eligendi laico competere virtute iurisdictionis reseruatæ tempore constructionis Ecclesiæ; quia licèt post constructionem & dotationem virtute compositionis laicus etiam patronus non possit obtinere ius eligendi Prælatum, tamen tempore fundationis tale ius sibi & successoribus reseruare valet. Adducit exemplum census, qui tempore fundationis Ecclesiæ imponi potest, sed ex postfacto constitui non valet, *cap. prohibemus, cap. Ecclesiis, de censibus, cap. præterea, el 2. de iurepatron.* Sed hæc solutio similiter conuincitur, quia etiam tempore erectionis, vel fundationis Ecclesiæ nullus Prælatus Pontifice inferior potest concedere laico ius eligendi, cùm illum habilem reddere ad spiritualia obtinenda tantùm possit R. Pontifex, *cap. benè, 96. dist. cap. præterea, §. verùm, 32. dist.* igitur nec ratione reseruationis tempore fundationis monasterij factæ, potest patronus laicus acquirere ius eligendi Prælatum in eo. Aliter textum illum accipit Glossa ibi, verbo *Nisi*, asserendo textum illum non procedere in patrono laico, sed ecclesiastico: quæ interpretatio prorsus diuinatoria est; quod etiam vitium patitur alia eiusdem Glossæ solutio. Quare his omissis verus sensus illorum verborum, *nisi aliter de sua iurisdictione obtineat*, est, ex iure dicto, & lege conuenta in ipsa Ecclesiæ fundatione, patronum ius habere posse partes suas interponendi in electione,

id

id est præsentandi Prælatum in ipsa Ecclesia, non vt videatur perinde illum eligere, sed tantùm præsentare, vt instituatur, vel eligatur, vt ea verba interpretatur Bosquetus *in notis ad Innocent. III. lib. 1. regestr. 13. epist. 21.* Quæ interpretatio mirè adstruitur ex ipsa epistola 21. vbi Innocentius ita scribit: *Tertia verò pars integra persoluatur Ecclesiæ construendæ, quam idem Marchio competenter dotauit, vt in ea duodecim Canonici commodè possint cum suo Præposito deseruire, qui pro tempore canonicè debeat præsentari per eum ac successores ipsius, & per solum R. Pontificem, aut eius mandato per alium confirmari; ac denique confirmatus gerat administrationem temporalium, quæ poterunt administrari per ipsum in Ecclesiis construendis in terra prædicta.* Qua etiam in solutione accipiendus est textus *in cap. decernimus 32. 16. q. 7.* vbi etiam permittitur patronis ius ordinandi Prælatos in Ecclesiis, vbi obtinent iuspatronatus, id est præsentandi, vt ita præsentati ab ordinariis collatoribus instituantur.

Huic etiam conclusioni opponi possunt textus *in cap. dilectus 34. de prabendis, cap. de hoc 11. de simonia*, quorum interpretationes in eorum notis dabimus.

CAPVT LII.

Idem *Decano & Capit. S. Ioannis, & S. Stephani* [a] *Bisuntinen.*

CVm in veteri lege. *Et infrà*: Porrò iamdudum vobis dedimus in mandatis, vt intra quadraginta dies post susceptionem litterarum nostrarum, cum consilio [b] S. Benigni & [c] Morismundi Abbatum, & Fratris S. de Ordine Prædicatorum, eligeretis personam idoneam canonicè in Pastorem; alioquin dicti consiliarij vobis de Archiepiscopo prouiderent. Verùm die ad eligendum præfixâ, sex ex vobis potestatem eligendi dedistis, vsque ad consumptionem cuiusdam candelæ, quæ ibidem accensa extitit, duraturam. Tandem cùm electores huiusmodi conueniissent in prædictum Abbatem S. Benigni, & super hoc sociorum eius consilium requisissent: proponente vno ex illis, quod deliberato consilio responderent, & differentibus eis festinanter dare responsum, præfati electores (cùm candela ipsa deficeret) non [d] expectato ipsorum consilio dictum Abbatem in Bisuntinen. Archiepiscopum elegerunt. *Et infrà*: Relato ergo ad Apost. Sed. negotio, Archiepiscopo [e] Vinen. & Abbati de [f] Firmitate iniunximus, vt si constaret, ab eisdem electoribus de electione tractatum fuisse habitum, & in [g] tractatu electionis prædictorum consilium requisitum, electionem ipsius Abbatis (si persona esset idonea) confirmarent. Quod si in tractatu electionis non fuisset illorum consilium requisitum, licèt posteà requisitum fuerit non competenti tempore, neque etiam expectatum responsum ipsorum, aut non esset idoneus idem Abbas, quod de ipso factum erat, tanquam inualidum irritarent. *Et infrà*: Cùm autem compertum non fuerit competenti tempore fuisse requisitum consilium de persona prædicti Abbatis, & quando extitit requisitum, nec fuit expectatum responsum, nisi modico tempore, nec debeat aliis imputari, quod in tantùm illi sibi tempus arctarant, electionem Abbatis ipsius, non personæ, sed electionis vitio duximus [h] irritandam.

NOTÆ.

1. a *Bisuntinen.*] Bisuntina ciuitas, vulgò Bezançon, vrbs est amplissima, in vmbilico Comitatus Burgundiæ, ad Dubim fluuium: Ammianus Marcellinus *lib. 15.* Eius meminerunt Ptolomeus *lib. 2. cap. 9.* Tacitus *lib. 20. annal.* Sarisbariensis *epist. 234.* Cæsar. *lib. 1. de bello Gallico, cap. 9.* qui maximum Sequanorum oppidum eam appellant: plura de ea Fratres Sarmat. *tom. 1. Galliæ Christ. fol. 126.* Aliquando iura Imperialia nouit, vt ex Vignerio, & Crantzio notat Idumay *ad Innocent. III. lib. 2. epist. 164.* In Bisuntina vrbe duæ sunt Ecclesiæ: alia S. Ioannis dicta; alia S. Stephani appellata. Inter eas iam temporibus Calixti III. & Paschalis II. variæ ortæ fuerunt controuersiæ circa Archiepiscopalem Cathedram: & in quodam Concilio iussu Paschalis II. celebrato definitum fuit, Præside Guidone Archiepiscopo Viennensi, Sedis Apostolicæ Legato, Ecclesiam B. Ioannis Metropolitico iure gaudere. Sed cùm posteà Honorij III. temporibus iterum controuersia esset instaurata, ipse decreuit Ecclesiam B. Ioannis Matricis habere dignitatem: quod & Gregorium IX. confirmasse ex Clifetio refert Cironius *in c. 2. de fide instrum. in 5. collect.* Huius Ecclesiæ mentio extat *in cap. tuis 39. de testibus, cap. Ecclesiis, de consecr. Ecclesiæ, cap. licèt 14. de accusat. cap. finali, de purgat. Canon.* Licèt huius textus integrâ careamus, eius tamen historiam ex manuscripto Ecclesiæ Bisuntinæ, & ex regestris Vaticanæ depromptam habemus apud Illustrissimum Manrique *tom. 4. annal. Cisterc. anno 1228. cap. 7.* quam pro exactiori expositione præsentis textus referam. Vacante Ecclesia Bisuntina, pro eligendo Pastore sex Canonici ex ipso Capitulo designati fuerunt, in quos cæteri compromisere, & illis ad eligendum tempus præscriptum fuit quoadvsque cereus accendendus consumeretur: cereo igitur accenso sex compromissarij designati accesserunt ad locum electioni deputatum, sed animo discordes; & consumptâ cerei maiori parte, ne residua sine effectu consumeretur, consuluerunt duos ex tribus consiliariis sibi assignatis à R. Pontifice, vt Guidonem Morismundi Abbatem in Archiepiscopum eligerent; & si forsan ille acceptare noluisset, elegerunt

Abbatem

Abbatem S. Benigni. Dum hæc referunt, & consultores deliberant, cereus consumptus fuit, & compromissarij egressi fuerunt renunciantes tribus consiliariis vnum ex illis, Abbatem videlicet S. Benigni Diuionensis. Sed prædictus Guido iustitiæ zelo accensus, atque obedientiæ Sedis Apostolicæ, quæ non modicùm læsa videbatur, cæteris duobus collegis proposuit prædictam electionem irritam esse, aut saltem ab aliis irritandam: tum quia debito tempore consiliarij consulti non fuerunt; siquidem dum electores eos consuluerunt, iam cereus ferè consumptus erat: tum quia ex tribus consiliariis duorum tantùm consilium requisitum fuit, licèt non expectatum. Quare prædicti consiliarij eam electionem cassarunt, & in Archiepiscopum Bisuntinum Episcopum Cabilonensem elegerunt. Causâ ad Gregorium IX. perlatâ, eam commisit Archiepiscopo Viennensi, & Abbati de Firmitate, vt ex præsenti textu constat, & ex ipsa epistola Gregorij I X. quam ex libro 2. regestri ipsius Pontificis transcripsit Manrique *vbi suprà, num.* 4. à quo & ego accepi.

Archiepiscopo Viennensi, & Abbati de Firmitate Cisterc. Ordinis, Cabilonensis diœcesis.

Venerabili Fratre nostro Ioanne Sabinensi Episcopo, de Bisuntinensi Ecclesia in consortium fratrum nostrorum assumpto, nos cupientes, vt sibi succederet in eadem Ecclesia, qui eius congrueret oneri & honori, Sancti Ioannis & S. Stephani Capitulis Bisuntinis mandauimus, vt cum consilio Morismundensis, & S. Benigni Diuionensis Abbatum, atque Fratris G. Prioris de Ordine Prædicatorum Bisuntinensi, infra quadraginta dies post susceptionem litterarum nostrarum sibi eligerent personam idoneam canonicè, ac concorditer in Pastorem: alioquin iidem Abbates, & Prior eis de Archiepiscopo prouiderent. Quare dicta Capitula die ad eligendum præfixâ, de prædictorum consilio, sicut procurator eiusdem Abbatis S. Benigni dicebat, sex ex ipsis potestatem eligendi dederunt, vsque ad consumptionem cuiusdam cerei, qui ad hoc accensus extitit, duraturam. Cùm igitur electores ipsi concorditer conuenissent in prædictum Abbatem S. Benigni, & sociorum eius super hoc consilium requisissent, qui iidem se velle deliberare dixerunt; dicti electores, cùm cereus ipse deficeret, & propterea tempus ad deliberandum non esset, non expectato illorum responso, præfatum Abbatem S. Benigni in Bisuntinensem Archiepiscopum elegerunt. Præfati verò Morismundensis Abbas, & Prior proponentes electionem huiuscemodi contra formam mandati nostri præsumptam, cassauerunt eandem, & venerabilem fratrem nostrum Cabilonensem Episcopum, in Bisuntinensem Archiepiscopum assignarunt. Proponebatur ergo contra electionem eandem, quod cùm responsum prædictorum expectatum non fuerit in electione, ipsa forma mandati nostri non extitit obseruata; & idcirco censenda erat irrita, vel etiam irritanda. Sed ad hoc respondebatur econtrà, quod electores ipsius cum eisdem Abbatibus, & Priore de electione tractauerant, & consilium requisierant eorundem. Propter quod, si responso ipsorum (quorum postmodùm, cùm conuenissent in Abbatem S. Benigni, requisierunt consilium) non expectato ex causa prædicta, ad electionem huiusmodi processerunt, non erat calumniæ subiiciendum, quod fecerant; sed eorum debebat electio confirmari: nos verò auditis, & intellectis, quæ fuerunt hinc inde proposita, deliberato fratrum nostrorum consilio, discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus si vobis constiterit, ab eisdem electoribus tractatum de electione habitum, & requisitum consilium prædictorum, ita quod in tractatu electionis illorum fuerit consilium requisitum; & persona ipsius Abbatis S. Benigni litteraturâ, vitâ, & aliis, quæ in Archiepiscopo requiruntur, eidem Ecclesiæ congruere dignoscatur, & aliquod canonicum non obsistat; vos electionem confirmetis eandem, & sibi faciatis debitam obedientiam, & reuerentiam exhiberi. Quod si non in tractatu electionis extitit requisitum prædictorum consilium, licèt posteà requisitum fuerit non competenti tempore, nec etiam expectatum responsum ipsorum, cùm hoc eis debeat, qui sibi tempus acceperant imputari; aut si non sit idoneus idem Abbas, quod de ipso factum est, inualidum decernatis. Nos enim prædictorum duorum processum in irritum reuocamus. Datis Laterani XII. Cal. Aprilis, Pont. N. anno II.] Hactenus Gregorius IX. in litteris delegationis, quarum mentionem in præsenti facit. Ex quibus omnibus constat, electionem Abbatis S. Benigni cassatam fuisse: quis autem electus fuisset in eius locum, non apparet.

b *S. Benigni.*] Monasterium S. Benigni Diuionensis nobile est in Burgundia, diœcesis Lingonensis, cuius patronus S. Benignus in Diuionensi Castro martyrio coronatus fuit, teste Gregorio Turon. *lib.* 1. *miracul. c.* 51. Huius monasterij Abbas Consiliarius est in Senatu Diuionensi, recipitque iuramentum. De Raynardo, vel Raymundo eius Abbate 61. agitur in præsenti, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Gallia Christ. fol.* 166. 2.

c *Morismundi.*] Monasterium hoc est Ordinis Cistercienſis, in Comitatu Burgundiæ, in diœcesi Lingonienſi, constructum anno 1115. ab Oldorico de Agrimonte, de quo plura referunt Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Galliæ, fol.* 671. In præsenti agitur de Guidone, qui eius Abbas fuit, vt refert Manrique *in appendice ad tom.* 1. *annal. Cisterc.* 3.

d *Non expectato.*] Glossa in præsenti docet, consilium in hoc casu non solùm esse petendum, verùm expectandum, & sequendum; quia cùm iussum esset Canonicis Bisuntin. eligere Archiepiscopum cum consilio prædictorum trium Prælatorum, tenebantur illud petere, expectare, & sequi; quia cùm iubetur aliquid fieri cum consilio tertij, necessariò consilium sequendum est, vt docent Bartolus *in l.* 1. §. *si plures, ff. de exercitoria actione*, Albericus, Ioannes Andreas & Lapus relati à D. Ioanne de Larrea *allegat.* 67. *num.* 10. Sed contrarium suadetur *ex cap. cùm olim, de arbitris*, vbi in casu etiam electionis deciditur, consilium necessariò esse petendum, non verò sequendum. Idem docetur *in l. cùm pater*, §. *mando, ff. de legat.* 2. *l. turpia* 54. §. *Titio, ff. de legat.* 1. vnde communiter discrimen constituitur inter consensum, & consilium; nam qui tenetur aliquid facere cum consensu alterius, & petere, & sequi eum debet, *cap. finali, de iudiciis in* 6. qui verò cum consilio, tantùm illud requirit, non autem sequitur: ita plures congesti à Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellariæ*, *glossa* 46. Barbosa *axiomat.* 96. Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 34. *num.* 24. qui exinde infert, mulierem posse grauari, vt nubat cum consilio alicuius, non verò cum eius consensu; quia consilium tenetur petere, non verò sequi. In hac 4.

quæstione

quæstione placet sententia collegæ nostræ D. Ioannis de Larrea *d. alleg. 67.* qui censet, attendendam esse qualitatem illius, cuius consilium petendum est; vt si magnæ auctoritatis, dignitatisque fuerit, consilium petendum, & sequendum sit; secus verò si inferioris qualitatis, ac sunt eligentes: quia tunc affirmat perdoctus vir, sufficere consilium petere, non verò necessariò sequendum esse. Pro qua sententia faciunt textus *in cap. venerabili 37. de officio deleg. cap. vnico*, vbi Glossa *verbo Assensu, ne sede vacante, in 6.* vnde cùm in præsenti casu illi, quorum consilium petendum erat, essent magnæ dignitatis, non malè existimat Glossa, eorum consilium petendum, expectandum, & sequendum esse.

5. e *Vinen.*] Legendum esse *Viennensi*, facilè constat ex epistola suprà relata. Viennensis ciuitas Archiepiscopalis est Galliæ, ad Rhodanum posita: vetus colonia fuit iuris Italici, vt patet *ex l. vlt. ff. de censibus*: eius meminerunt Ptolomeus *lib. 2. cap. 10.* Cæsar *lib. 7. cap. 2.* Suetonius *in Augusto, cap. 9. & 19.* Plinius *lib. 3. cap. 4.* quos referunt plura de ipsa Metropoli adducentes, Fratres Sarmat. *tom. 1. Galliæ, fol. 769.*

6. f *Firmitate.*] Firmitas ad Gronam fluuium, diœcesis Cabilonensis, prima Cistercij filia, fundatores habuit Comites Cabilonenses anno Domini 1113. vt plura de ipso monasterio adducentes tradunt Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ Christ. fol. 374.* Simoni eius Abbati missa est epistola suprà relata, vt post Manrique notarunt Fratres Sarmat. *vbi suprà.*

7. g *In tractatu.*] Ante electionem esse habendum tractatum, & de essentia electionum desiderari, *ex cap. in Genesi, hoc tit.* docent Samuelius *de electione controu. 11. num. 15.* Petrus Gregor. *eod. tract. cap. 15. in fine*, Barbosa *lib. 2. iuris eccles. cap. 19. num. 183.* Hieronymus Garcia *tom. 2. polit. regul. difficult. 2. dub. 6. puncto 4.*

8. h *Irritandam.*] Ex hoc textu expressè probatur, eum, qui tenetur eligere cum alterius consilio, debere illud congruo tempore petere, & expectare, aliàs electionem nullam esse: quam doctrinam illustrant Lambertinus *de iurepatron. 1. p. q. principali, lib. 2. art. 8. fol. 29.* Paulus de Castro, Gofredus & Classici *in l. turpia 54. §. Titiæ, de legat. 1.* Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 34. num. 24.* Gonzalez *ad regulam 8. glossa 46. n. 36.* Palacios Rubios *in cap. per vestras, §. 52. num. 8.* Couarr. *1. p. de matrim. c. 3. §. 8.* Rodericus Suarez *tit. de los casamientos, n. 23.* Molina *lib. 2. de primogeniis, cap. 3. num. 36.* Micres *lib. 1. de maiorit. q. 50.* Mantica *de coniecturis lib. 11. tit. 18. num. 10.* Menochius *1. tomo, consilio 69. n. 17.* Vnde cùm in hoc textu ex mandato Pontificio deberent Canonici Bisuntini eligere cum consilio prædictorum Abbatum, & illud congruo tempore non peterent, nec expectarent, electio tanquam contra formam mandati Apostolici celebrata irritatur. Nec huic decisioni aduersatur textus *in cap. dilectus, el 2. de præbendis & dignitatib.* vbi collatio præbendæ facta contra mandatum Apostolicum, subsistit, & vires habet, licèt Canonici ita conferentes in eo puniantur, vt cogantur alere eum, cui ex mandato Sedis Apostolicæ tenebantur præbendam conferre: igitur similiter in præsenti electio Archiepiscopi Bisuntini celebrata, non expectato consilio à Sede Apostolica præscripto, defendi debebat. Pro cuius textus interpretatione iam diu obseruaui *in cap. ex insinuatione, de rescriptis*, collationem præbendæ ab Ordinario factam, neglectis litteris monitoriis, vel præceptoriis R. Pontificis, validam esse, donec mandatorum vsus non inualuit: at verò postquam mandata Pontificia ad præbendas vacaturas ad vsum venerunt, collatio præbendæ ab Ordinario facta contra eorum tenorem nulla est, Petrus Gregorius *lib. 1. de rescriptis, cap. 4.* Quare cùm in præsenti mandatum Pontificis præcessisset, vt Canonici Bisuntini ad electionem sui Prælati procederent cum consilio prædictorum Abbatum, & Prioris, ideò electio facta non requisito congruo tempore, nec expectato prædicto consilio, nulla est.

CAPVT LIII.

Idem *Episcopo* [a] *Siluanecten.*

COngregato [b] Niuernen. Capitulo ad electionem futuri [c] Pastoris, XIII. in Decanum, & XVIII. (computato [d] procuratore cuiusdam absentis) in [e] Cantorem ipsius Ecclesiæ conuenerunt: qui cùm plures in eum, & pauciores in alium sua desideria direxissent, à parte sua electus extitit in Pastorem Ecclesiæ Niuernen. Postmodùm credente parte [f] Decani, quod alij plurimùm deliquissent eligendo personam scientiæ litteralis expertem, propter quod illis secundùm statuta [g] Lateran. Concilij ipso iure eligendi potestate priuatis, potestas eligendi ad eos extitit deuoluta; Decanum ipsum, qui in eum sua vota direxerant, in suum Episcopum elegerunt, ad Sedem Apostolicam appellantes. *Et infrà*: Reliquis petentibus, vt irritare Decani electionem attentatam à paucioribus, & post aliam non [h] cassatam, ac confirmare reliquam, veluti canonicè celebratam à pluribus de persona idonea, dignaremur. Nos igitur mandamus quatenus, si dictus Cantor defectum in litteratura non patitur, & aliàs est idoneus ad regimen pastorale, ipsius electionem procures auctoritate nostra (infirmatâ reliquâ) confirmare: alioquin ipsius Cantoris electione irritâ nuntiatâ, prænominatum Decanum (si nihil ei de canonicis obsistat statutis) eadem auctoritate præficias Ecclesiæ memoratæ.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Siluanectensi.*] Roberto videlicet Episcopo Siluanectensi, de qua Ecclesia egi *in cap. ex parte* 33. *de rescriptis.*

2. b *Niuernien si.*] Niuernia, seu Niuernum, vulgò *Neuers*, à fluuio Niueri, qui sese ad vrbis mœnia immiscet, dicta est, sita in Lugdunensi quarta prouincia, inter Lutetiam, & Lugdunum. Habet Ecclesiam Cathedralem S. Ciricio dicatam, suffraganeam Archiepiscopi Senonensis, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 3. *Galliæ Christ. fol.* 791. Chenu *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ.*

3. c *Futuri Pastoris.*] Decesserat enim Raynaldus anno 1230. in cuius locum suffectus fuit Radulphus Velbacensis, de quo in præsenti agitur, vt notarunt Fratres Sarmat. *suprà*, *num.* 49.

d *Procuratore.*] Quando procurator absentis nomine ad electionem admittatur, dixi suprà, *in cap. quia propter.* 4.

e *Cantorem.*] De hac Ecclesiæ dignitate egi *in cap. ad aures, de rescriptis.*

f *Decani.*] De Decano, & eius officio nonnulla adduxi *in cap.* 2. *de rescriptis.* 5.

g *Lateran.*] Relata *in cap. cùm in cunctis*, §. *cùm verò*, *hoc tit.*

h *Non cassatam.*] *Ex cap. consideranimus*, vbi plura adduxi, *hoc tit.* ex cuius commentario, & ex adductis *in d.* §. *cùm verò*, illustranda est præsens decisio.

CAPVT LIV.

Idem [a] *Siluanecten. Episcopo, & Ioan. de Monte Morabili, Archidiac. & Succentori Parisiensi.*

DVdum Ecclesiâ Rothomag. Pastoris solatio [b] destitutâ, contra electionem, quæ in eadem Ecclesia fuerat celebrata, Archid. & quidam alij eiusdem Ecclesiæ Canonici ad Sed. Apost. accesserunt. Dicto verò Archid. pro se ac parte sua, & G. Archid. procuratore illorum, qui electionem celebrauerant, in nostra præsentia constitutis, inter alia quæ contra electum obiecta fuerant, Archidiac. proposuit memoratus, quod idem electus post generale [c] Concilium Archidiaconatum Ambianens. adeptus, ipsum cum pluribus partialibus Ecclesiis, quas ante idem Concilium obtinuerat, retinere præsumpsit, eoque dimisso retinuit Ecclesias memoratas. Vnde cùm in eodem Concilio sit statutum, vt quicunque receperit aliquod beneficium curam animarum habens annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit ipso iure priuatus; & si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur: prædictus electus contra huiusmodi veniens statuta, transgressionis notam, necnon [d] cupiditatis vitium (quod in aliis reprobare debuerat) ex pluralitate beneficiorum incurrit. Et retinendo beneficia, quæ non spectabant ad ipsum (cùm post receptionem alterius priora beneficia vacauerint ipso iure) rem contrectauit per consequens [e] alienam, & sic [f] furtum commisit quodammodo, vel [g] rapinam. In suæ quoque salutis, & multarum animarum dispendium prædictas parœciales Ecclesias retinebat, cùm earum cura, quia iam priuatus fuerat ipso iure, ad eum nullatenus pertineret: & sic per ipsum eædem animæ damnabiliter sunt [h] deceptæ. Verùm procurator eorum, qui elegerant ipsum, etsi pluralitatem beneficiorum huiusmodi coram nobis profiteretur in iure, per concessionem tamen Rothomag. Archiepiscopi nobis exhibitam, eundem electum nixus est multipliciter excusare. Nos igitur dictam excusationem, vtpotè friuolam, nullatenus admittentes, vobis dedimus in mandatis, vt si constaret, quod idem post receptum Archidiaconatum prædictum curam animarum habentem, præfatas parœciales Ecclesias electionis tempore retineret, nec ostenderet secum per Sed. Apost. super hoc dispensatum, electionem illius auctoritate Apostolica cassaretis. *Et infrà:* Partibus ergo propter hoc in vestra præsentia constitutis, præstito quoque [i] iuramento de veritate dicenda, & factis positionibus, & *i* responsionibus hinc inde, tandem eodem Decano prætextu quorundam grauaminum ad nostram audientiam appellante, vos electionem huiusmodi irritantes, eidem Ecclesiæ de Cenoman. Episcopo prouidistis. *Et infrà*: Licèt autem positiones, & responsiones super pluribus articulis factæ fuerint coram vobis, quia tamen contestationem litis non inuenimus esse factam (cùm non per positiones & responsiones ad eas factas, sed per petitionem in iure propositam, & responsionem factam contestatio litis fiat) eundem processum de fratrum nostrorum consilio irritum duximus nuntiandum. Tandem [k] Archidiaconus electionem ex premissa causa petiit irritari, electo respondente prædicto, quod non erat eius electio irritanda. Lite verò coram nobis legitimè contestata, præstitoque de veritate dicenda à partibus iuramento, idem electus etsi confiteretur se dicta beneficia electionis tempore tenuisse; tamen excusare se super hoc nihilominus nitebatur, quia videlicet dictum Archidiaconatum non credebat curam animarum habere: sed cùm in iure confessus fuerit, quod Archidiac. Ambian. de consuetudine suspendit, excommunicat,

&

& absoluit Presbyteros & Priores, & Parœciales Ecclesias interdicit, nec-non Archidiacon. visitat, & inquirit quæ viderit inquirenda, & procurationes ratione visitationis recipit; euidenter apparet, quod curam habet animarum adnexam : quam si etiam non haberet, negare non potest, quin personatus existat, cùm idem de personatibus, quod & de beneficiis curam animarum habentibus iudicium sit habendum. Insuper indulgentiam, quam super hoc asserit se habere, inualidam reputauimus, cùm in ea falsitatem suggesserit, & suppresserit veritatem : quâ tacitâ vel expressâ ipsam nullatenus habuisset. Suggessit enim, quod prædictas Parœciales Ecclesias antequam fuisset in Archidiaconum assumptus, canonicè fuerat assecutus; cùm nullus potuerit plures Parœciales Ecclesias obtinere, nisi vna penderet [l] ex altera, vel vnam intitulatam, & alteram [m] commendatam haberet. Vnde cùm idem vtramque illarum intitulatam haberet, ipsas nequiuit canonicè habuisse. Item suggerens, quod redditus personatus sui erant tenues & exiles, suppressit quod alios redditus in pluribus Ecclesiis noscitur obtinere. Suppressit etiam, quod plures Parœciales Ecclesias cum pluribus aliis beneficiis in diuersis Ecclesiis obtineret : cùm intentionis nostræ non fuerit, secum in tot beneficiis (præsertim habentibus curam animarum) dispensare : nec intentionis nostræ fuerit aliquid ei de nouo concedere, sed vt per indulgentiam posset habita licitè retinere. *Et infrà* : Tandem cùm non restaret nisi proferenda sententia, idem tam iuri (si quod ei competere videbatur,) quàm liti cessit spontaneâ voluntate, cuius cessionem duximus admittendam.

NOTÆ.

a *Siluanecten.*] Roberto videlicet, de quo in textu antecedenti. De Succentore, & eius officio, pro huius inscriptionis illustratione repetenda sunt quæ adduxi *in cap. ad aures* 8. *de rescriptis.*

1. b *Destituta.*] Decesserat enim Theobaldus, & post longam disceptationem suffectus fuit in eius locum Mauricius, vt retuli suprà *in cap.* 38. de quo in præsenti, ni fallor, agitur, non verò de alia electione, vt voluit Cironius *in notis ad textum in dict. cap. Ecclesiam* 48. nam Mauricius hic fuerat priùs Archidiaconus, & inde in Cenomanensem Episcopum electus, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ, Christ. fol.* 585.

c *Concilium.*] Lateranense videlicet, relatum *in cap. de multa* 28. *de præbendis.*

2. d *Nec-non cupiditatis.*] Quæ falsò de hoc Prælato iactabatur; nam Ioannes Cantipratensis *lib.* 1. *Apum, cap.* 1. *&* 8. de eo agens ait : *Mirum valdè in ipso Archiepiscopo videri potuit, quod sibi tam parcus, & pauperibus tam largus fuerit; dicebat enim œconomis cùm annuos redditus ad duodecim librarum millia computarent : Duo, aut tria millia ad victum familiæ nostræ conseruate, in reliquis omnibus nihil habeo, pauperum enim sunt, & in pauperes dispensata; illis autem quæ mihi manent, dispensatoris vtar loco, non domini.*

3. e *Alienam.*] Tantùm enim rei alienæ furtum committitur, *l. serui* 17. *§. cùm autem, l. falsus* 43. *§. qui alienum, l. inficiando* 67. *§. cùm seruus, l. si quis ex bonis* 83. *ff. de furtis, l.* 2. *§. hac actione, ff. de vi bonorum raptorum, §. aliquando, Instituta de obligat. quæ ex delicto :* probaturque ex diffinitione furti ab Isidoro *lib.* 5. *originum, cap.* 16. tradita, ibi : *Clandestina rei alienæ occupatio.* D. Thomas 2. 2. *quæstion.* 66. *art.* 3. ibi : *Occulta rei alienæ acceptio.* Latè explicant post Bonifacium, Farinacium, Iulium Clarum, & alios Criminalistas, Donellus *lib.* 15. *comment. cap.* 29. Pichardus, Arnoldus Vinius, Mantius, Harprectus, & alij Institutarij *in §.* 1. *Institut. de obligat. quæ ex delicto.* Et si aliquando legamus in re propria furtum committi, *in l. rei communis* 45. *ff. pro socio, l. si socius* 46. *l. si seruus* 61. *§. locaui, l. creditoris* 15. *§. vlt. l. si is qui* 59. *ff. de furtis, l.* 58. *ff. de ædilitio edicto*, tunc furtum datur in ea parte, quæ nobis abest, vt in possessione, vsu & aliis, quæ abesse possunt, vt explicat colendissimus Præceptor D. Iosephus de Retes *lib.* 7. *opusc. cap.* 2. *pag.* 208.

f *Furtum.*] Non rectè procurator vsurpationem, seu inuasionem beneficij furtum dixit, cùm in iure ipso, vtpotè incorporali, furtum committi non possit, cùm contrectari non valeat; nec etiam in possessionibus ipsius beneficij : abolita est enim sententia existimantis Sabini, in re immobili furtum dari, *l. quam* 28. *ff. de vsuc. §. aliquando, Instit. eod. l. si cretæ* 57. *ff. de furtis*, Aulus Gellius *lib.* 11. *noctium, cap.* 18. nec hæc verba referenda sunt ad Gregorium IX. abusiuè, vel impropriè vsurpationem beneficij furtum appellantem, vt existimarunt Glossa & Panormitanus *in præsenti, num.* 18. Pichard. *in dict. §.* 1. *Instit. de obligat. quæ ex delicto, num.* 51. 4.

g *Rapinam.*] Minùs propriè vsurpationem beneficiorum procurator rapinam appellauit, cùm rapina committatur cùm quid alienum, siue alieni iuris violenter rapitur. Institutarij suprà citati, *in rubrica de vi bonorum raptorum*, Donellus *lib.* 15. *comment. cap.* 30. Cuiacius 12. *quæst. Papiniani, in l. si vendidero, §. cùm raptor, ff. de furtis,* & 11. *Pauli ad edictum, in l. id est, ff. de dolo :* in qua parte obseruandi sunt textus *in l.* 2. *ff. de extraord. crimin. l. bouem* 43. *§. si quis seruum, ff. de ædilitio edicto, l.* 1. *§. quando, ff. de publicanis, l. si rogandus, §.* 1. *ff. de præscriptis verbis, l.* 1. *§. aleæ, ff. de aleatoribus, l.* 3. *Cod. de nauicul. lib.* 11. 5.

h *Sunt deceptæ.*] Hæc verba magnam continent difficultatem, quare videlicet error communis parochianorum non sufficiat, vt gesta ab ipso Parocho effectum obtinerent; cùm certum sit errorem communem populi facere, vt gesta ab eo, qui communi errore pro Iudice, aut Prælato habetur, sustineantur, *l. Barbarius, ff. de officio Præsidis,* quam suis commentariis illustrant Iacobus Gothofredus, & Primarius noster D. Paulus de Maqueda, & Maldeira *lib.* 2. *variar. cap.* 7. Robertus *lib.* 1. *animadu. cap.* 8. Desiderius Heraldus *lib. vnico emenda-* 6.

*emendation.cap.*4. Salmasius *ad ius Atticum*, *cap.*14. Guibertus Costanus *qq.iuris c.*1. Amaya *in l.*2. *C. si seruus aut libert.* Madera *animadu. cap.*6. Gilkenius *de præscript.p.*2. *membro* 1.*c.*7. Bronchorst. *centur.*1. *assert.*7. Concius *lib.*1.*disput.c.*2. Pancirola *lib.*2.*variar.cap.*13. Hunnius *ad Treutlerum volum.*2.*disput.*5. *q.*6.& *disput.*6. *q.*56. Vvisembac. *disput.*17. *thes.* 20. *l.*2.*C.de sentent.& interl.c.infames* 3.*q.*7.*l.*4. *tit.*4.*partit.*3.*l.*8. *tit.*19. *lib.*3.*recopil.* docent pluribus relatis Sanchez *de matrim.lib.*3.*disput.*22.*num.*6. Martinez à Prado *tom.*2.*Theolog. moral. c.*23.*q.*1.§.4. Agnouerunt difficultatem Glossa *in præsenti*, *verbo Deceptæ*, & antiquiores *in præsenti*, quorùm solutionibus omissis, D.Petrus Bajo-Arroyo *in cap.finali*, *de procurat. num.*40. existimat in præsenti errorem non fuisse communem totius populi, sed tantùm vnius, vel alterius parochiæ; & sic non sufficere vt gesta ab ipso parocho putatiuo effectum obtinerent.Aliter difficultatem dissoluunt, & hæc verba interpretantur Sanchez *vbi suprà*, Maqueda *in dict. l.Barbarius*, *n.*64. Sed illis omissis dicendum est, verba suprà relata non esse Gregorij IX. huius textus auctoris,sed partis referentis,vel allegantis: nec enim Gregorius IX. affirmat, sacramenta administrata ab eo, qui plures retinebat Ecclesias, effectu non carere; sed tantùm ea verba referuntur tanquam à parte proposita: ita ea accipit Basilius Legion. *lib.*5.*de matrim. cap.*20.*num.*10.

i *Iuramento.*] In causis spiritualibus, vt est electio, non præstatur iuramentum de calumnia, sed de veritate dicenda, *cap. litteras*, *de iurament calum.*

j *Responsionem.*] Dicemus *in cap.* 1. *de litis contest.*

k *Archidiaconus.*] Archidiaconum aliquando curam animarum, iurisdictionemque exercere, probabo *in c.ad hæc*, *de officio Archidiac.*

l *Pendeat ex alia.*] Vel per annexionem, seu per vnionem, vt docetur *in cap.eam te* 7.*de ætat. & qualit.cap. extirpandæ*, §.*qui verò*, *cap. exposuisti* 33. *de præbendis.*

m *Commendam.*] Licèt enim non possit quis habere duas Ecclesias in titulum perpetuum, *d.cap. eam te*, *de ætat.& qualit.c.ad hæc*, *c.de multa*, vbi commentarium huius textus dabimus, *de præbendis*; tamen Leo IX. concessit vt possit quis habere vnam Ecclesiam in titulum, aliam verò in commendam, *c.qui plures* 3.21.*q.*1.ibi: *Qui plures Ecclesias retinet, vnam quidem titulatam, aliam verò sub recommendatione retinere debet.* Quia commenda non est titulus perpetuus, sed ad tempus: vnde beneficia ita commendata, commendationes dicuntur, vt *in l.*2. *tit.*44. *lib.*11. *legum Longobard.* ibi: *Cæteri verò homines liberi, qui vel in commendationem, vel beneficium ecclesiasticum habent, sicut reliqui iustitiam faciant.* Agunt de his commendis Cironius *in cap.*1.*de eo qui mittitur*, *in* 5.*compil.* Bosquetus *ad Innoc.III. lib.*1.*regest.*13.*epist.*182. & nos alibi. 7.

CAPVT LV.

a Idem.

IN Genesi legitur. *Et infrà:* Cùm in b Concilio caueatur, vt is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel maior & c sanior pars Capituli consentit, & in Guil. maior pars totius Capituli non consenserit, quamquam maiorem partem habuit partium comparatione minorum: nec plenè numeri ad numerum, quia vtrum G. & H. de quibus aduersarij referunt quæstionem, in electione vocem habuerint, d tractatum non extitit, nec discussum: nec zeli ad zelum, nec meriti ad meritum collatio facta fuerit: nec etiam electio e communiter celebrata; quoniam licèt in eundem Guil.singulariter singuli consensissent, non tamen debuit subsequi singularis electio, sed communis, ne vel idem repeti videretur, vel ex hoc sequeretur absurditas, vt tot essent electiones, quot essent numero eligentes: nec ex singularibus, vel particularibus consensibus appareret vniuersalis electio, vel communis, licèt quilibet singularis veritatem exprimat suæ partis, quemadmodum ex singularibus propositionibus (licèt veris) vniuersalis propositio non apparet, nisi per signum vniuersale forsitan exprimatur: nec præmissi duo Canonici poterant sic excludi, cùm primus existeret in Canonicatus possessione, vel quasi, habendo f stallum in Choro, & locum in Capitulo, legendo & g cantando vt Canonicus; & ad tractatus ac electiones dignitatum & personatuum, quæ occurrerunt pro tempore faciendæ, canonicè sit vocatus: quanquam hac vice fuerit cum h protestatione admissus; secundus verò esset in tali loco, de quo erat ad electionem vocandus, cùm de toto i Regno Franciæ vocentur absentes de consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ. Nos his pleniùs intellectis, de consilio fratrum nostrorum præmissam electionem, vtpote contra formam Concilij attentatam, decernimus k irritam & inanem.

NOTÆ.

a *Idem.*] Non liquet cui missa sit hæc decretalis epistola; illud tantùm ex vltimis verbis deducitur,causam in præsenti textu decisam contigisse in Regno Galliæ.

b *Concilio.*] Lateranensi videlicet, relato *in cap.quia propter*, *suprà hoc tit.*

c *Maior & sanior.*] Quænam sit pars maior & sanior, exponemus infrà *in cap.Ecclesia* 57.

d *Tractatum.*] De quo egi suprà *in cap. cum in veteri*, *eodem verbo*, *hoc tit.*

e *Communiter.*] Non enim singuli sigillatim possunt suffragia ad electionem præstare, aut in schedulis

schedulis scripta tradere; sed in Ecclesia, Capitulo, aut alio honesto loco communiter debent congregari ad electionem faciendam, vt ex hoc textu probant Sylvester *verbo Electio*, q.8. Tamburinus *de iure Abbat. tom.1. disput.5. quæst.6.* Hieronymus Garcia *tom.2.polit. regul.dub.7.*

f *Stallum in Choro, locum in Capitulo.*] Hæc verba exposui *in cap.eam te 7.de rescriptis.*

g *Cantando vt Canonicus.*] In quo consistit Canonicorum officium, vt probat Cæsar *de ecclesiast. hierarch. disput.12. §.6.per totum.*

2. h *Protestatione.*] Vnde ex eo ius præstandi suffragium in aliis electionibus non acquisiuit, quia admissus ad electionem cum protestatione, non acquirit ius ex tali admissione, *cap.bonæ,de postulat. Prælat.* Iulius Lanorus *de elect.cap.15. num.14.* Iranzo *de protestat. cap.16. num.5.*

i *In toto Regno.*] Quando absentes vocandi sint ad electionem, exposui *in cap.coram 34.hoc tit.* 3.

k *Irritam.*] Causas cassationis huius electionis, in præsenti à Gregorio adductas, suis locis exposui, videlicet *in cap. coram, cap. quia propter, cap. Ecclesia 57. hoc tit.* ex quibus Commentariis præsens supplendum est.

CAPVT LVI.

Idem *Capitulo* [a] *Massano.*

MAssanâ Ecclesiâ Pastore vacante. *Et infrà*: Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur, quæ si fortè præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine, quæ dici potiùs debet corruptela.

NOTÆ.

1. a *Massano.*] Glossa Marginalis legit *Messano*, sed perperam; nam Messana Ecclesia est in Sicilia, in quo Regno temporibus Gregorij IX. & pluribus retrò annis Episcopi eligebantur à Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, cum assensu Principis, vt probat D.Rochus Pirro *tom.1. Siciliæ sacræ, tract.de elect.Præsulum Siciliæ, pag.35.* vnde iuxta illum morem ab Ecclesia approbatum, non rectè statuebat Gregorius, in ipsa Ecclesia electionem per Canonicos & laicos factam non admitti, nullâ adiectâ exceptione consensus Principis, qui iure in ea Ecclesia desiderabatur. Retinenda ergo est communis lectio, quæ habet *Massano.* Massana vrbs est perantiqua Italiæ, maritina, cuius meminerunt Ammianus Marcellinus *lib.13.* Strabo, Aristot. & Ptolemeus, quos laudat Vghellius *tom.3. Italiæ sacræ, fol.784.* Iam ante Gregorium Magnum Cathedrali Ecclesiâ decorabatur, sed ipsius Pontificis tempore adeò desolata fuit, vt nullus minister esset, qui in ea diuina officia celebraret: posteà instaurata fuit, & eius Præsul Episcopus Populoniæ & Massæ dicebatur, vt eius Præsulum seriem tradens refert Vghellius *d.tom.3.* In ea Ecclesia tempore Gregorij IX. florebat Guillelmus ex Canonico ipsius Ecclesiæ à Canonicis electus, & à Gragorio IX. confirmatus, vt constat *ex epist.109. lib.5.regestr. ipsius Pontificis*, quam refert Vghellius *vbi suprà, fol.792.*

Commentarium huius textus inuenies suprà *in cap.2.cap. quisquis, cap.sacrosancta, hoc tit.*

CAPVT LVII.

Idem *Capitulo* [a] *Cathalaun.*

ECclesiâ vestrâ destitutâ [b] Pastore, conuenientes in vnum (absente Guil. qui tunc noluit interesse) ad celebrandam electionem [c] terminum statuistis. Veniente verò termino, & Guil. dicto (cùm absens existeret) non [d] vocato, præmisso iuxta formam [e] Concilij generalis scrutinio, 14. Magistrum [f] G. presbyterum Cardinalem [g] concanonicum vestrum, & 17. R. Rhemen. Canonicum [h] elegerunt, præfato G. postmodùm electioni eiusdem R. suum præbente consensum. Tandem procuratoribus vtriusque partis in nostra præsentia constitutis, allegabatur pro electione dicti R. quod cùm in quatuor excederet aliam, computato Guil. prædicto, maiorem Capituli partem habebat, & per hoc debebat pars sua sanior reputari, cùm vbi maior numerus est, zelus melior præsumatur. Pars verò altera electionem eandem multipliciter impugnabat, proponens prænominatum R. in ætate pati defectum, nec esse sufficientis scientiæ ad Ecclesiam supradictam, cùm ætatis maturæ, & eminentis scientiæ præfatus Cardinalis existat; & cùm electores Cardinalis alios meritis, & auctoritate præcellerent, habito præsertim respectu ad personam electam, meliorem zelum eos habuisse constabat. Dicebatur præterea, quod consensus dicti Guil. (quem pars eiusdem R. confitebatur fuisse contemptum, asserente parte reliqua Capitulum potiùs contemptum ab ipso fuisse) cùm non fuerit consensus præstitus in scrutinio, sed post electionem accesserit, adiicere nil valebat. *Et infrà:* Denique statutum generalis Conc. quod electionem decernit inualidam, cùm contra eiusdem Concilij formam in electione peccatur, non debet ad contemptum, & alia, quæ non sunt de forma, referri.

Vnde quod ibi dicitur, quod aliter electio celebrata non valeat, ea respicit tantùm, quæ attentantur contra formam Concilij memorati : non autem alia, quæ ponuntur ibidem ; sicut est istud, quod præsentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, haberi debeat in electione processus : ne cætera, quæ super hoc alibi statuta noscuntur, vno verbo videantur euerti. Neque enim credendum est Roman. Pontif. (qui iura tuetur) quod aliàs excogitatum est multis vigiliis, & inuentum, vno verbo subuertere voluisse. Nos ergo quæ hinc inde fuere proposita, pleniùs intellectis (cùm ex Lateran. Concilio in ordinationibus Ecclesiarum maior, & sanior pars Capituli exigatur, & statutum generalis Concilij contineat inter cætera, vt is eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars consentit) electionem dicti R. non personæ, sed potiùs electionis vitio (cùm maior & sanior pars non consenserit in eundem) de fratrum nostrorum consilio duximus sententialiter irritandam.

NOTÆ.

1. a *Athalaun.*] Cathalaunum nobilis ciuitas est prouinciæ Belgicæ, sub Archiepiscopatu Rhemensi : habet Ecclesiam Cathedralem D. Stephano dicatam, cuius Præsul Comes & Par Franciæ est : tertium locum habet à Rhemensi Metropoli, teste Fulberto Carnotensi *epist.* 78. ibi : *Ne ciuitati, vel Ecclesiæ Cathalaunorum suum deneget honorem, meminisse vos decet, quod in antiquis inscriptionibus Belgicæ secundæ ipsa ciuitas à Rhemensi tertium locum habet.* De ea agunt Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 506. Chenu *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ*, Bosquetus *ad Innocentium III. lib.* 1. *epist.* 72.

b *Pastore.*] Decesserat enim anno 1237. Philippus de Nemours, in locum cuius suffectus legitur Gaufridus anno 1239. cuius electionem confirmatam fuisse à Gregorio IX. referunt Fratres Sarmat. *vbi suprà*, *num.* 63.

c *Terminum.*] Qui licèt à iure sit præscriptus tamen à Capitulo ex causa restringi valet, vt dixi *in cap. quia propter*, *hoc tit.*

d *Non vocato.*] Quando absentes vocari debeant, dixi *in cap. coram* 35. *hoc tit.*

e *Concilij.*] Lateranensis videlicet, relati *in cap. quia propter*, *hoc tit.*

f *G.*] Guillelmum videlicet de Pertica, qui in serie Episcoporum ipsius Ecclesiæ, 62. fuit, vt refert Chenu *vbi suprà.*

2. g *Cardinalem concanonicum.*] Ex his verbis aliqui deducunt, Cardinales non ligari sacris canonibus pluralitatem beneficiorum prohibentibus : mouentur etiam extrauaganti *Execrabilis*, *de præbendis*, in illis verbis : *Cardinalibus tamen sacræ R. Ecclesiæ duntaxat exceptis.* Sed contraria sententia verior est, & à repetentibus in præsenti recepta, quam sequuntur Ojeda *lib.* 1. *de incompatib. cap.* 2. Gambara *de officio Leg. lib.* 5. *num.* 226. quæ probatur primò ex eo, quod Cardinales vnum corpus constituunt cum R. Pontifice, *cap. fundamenta*, §. *de cætero*, *de elect. lib.* 6. *cap. per venerabilem*, §. *rationibus*, *qui filij sint legitimi :* atqui incompatibile est vt prædicta exerceat Cardinalis, & resideat in sua diœcesi : igitur simul vtramque dignitatem obtinere nequit. Faciunt etiam textus *in cap. bonæ* 3. *de postulat. Prælat.* Tridentina Synodus *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. vbi S. Synodus prohibitionem pluralitatis beneficiorum in personis quibuscumque, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, iubet obseruari. Quâ sententiâ retentâ, non obstat præsens textus, qui non loquitur de Cardinali simul Episcopo, sed Canonico Cathalaunensi. Vnde cùm Canonicatus curam animarum non obtineat, immò simplex beneficium sit, potest simul cum Cardinalitia dignitate retineri. Nec etiam obstat dicta extrauagans *Execrabilis* ; nam in ea non declaratur, licere Cardinalibus simul plures dignitates, pluráve obtinere beneficia ; sed tantùm deciditur, in reuocatione dispensationis obtinendi plura beneficia curam animarum habentia, de quibus in eo textu agitur, non comprehendi Cardinales habentes plura beneficia ex dispensatione.

h *Elegerunt.*] Non postulatunt, quia Canonici & Cardinales non contrahunt spirituale matrimonium cum Ecclesia, vnde eligi possunt, & non est necessaria postulatio, vt notauit Abbas in præsenti.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hac Gregorij decisione sequens deducitur assertio : *Electio vt confirmetur, debet celebrari à maiori & saniori eligentium parte.* Probant eam textus *in cap. bonæ, el* 1. *de postulat. Prælat. cap. hoc ipsum, in fine,* 33. *quæst.* 2. *cap. dudum* 22. *c. auditis, cap. coram* 35. *cap. quia propter* 42. *c. Ecclesia* 48. *cap. Cumana* 50. *cap. in Genesi, hoc tit. cap.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte, cap.* 1. *eod. tit. in* 5. *compil. c. quoniam* 3. *de iurepatron.* Illustrant Miranda *in manuali Prælat. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 27. Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *c.* 15. *num.* 13. Castellinus *de elect. c.* 12. *num.* 17. Samuellius *eod. tract. disput.* 2. *controu.* 17. *concluf.* 9. Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbatum, disput.* 5. *quæsito* 6. *n.* 13. Iulius Lauorus *de elect. cap.* 19. *num.* 8. & 84. I. Garcia *de nobilit. gloss. a* 3. §. 2. *num.* 20. Barbosa *de Canonic. cap.* 38. Acuña *in cap. in ordine,* 61. *dist.* Lambertinus *part.* 2. *de iurepatron. lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 120. Petrus Herodius *lib.* 2. *Pandect. tit.* 9. *c.* 15. Hieronymus Garcia *tom.* 2. *polit. regul. tract.* 9. *difficult.* 5. *dub.* 7.

4. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc assertio valdè difficilis redditur ex sequentibus ; nam electio vt subsistat, sufficit maior eligentium pars, etsi non sit sanior, quia regulariter omnes actus celebrati à maiori parte Capituli, seu Curiæ, inspecto tantùm numero, non verò ponderato suffragantium zelo, sustinentur, *l.* 4. 5. & 6. *ff. quod cuiusque vniuers. l. quod maior* 19. *ff. ad municipale :* vnde iure ciuili attento in decretis, & aliis actibus Senatus maior pars tantùm respectu numeri consideratur, *l.* 3. *de decurionib. l. nominationes, C. eod. tit. l. vbi* 19. *ff. de tutor. & curat. l. penult. & vlt. C. de prædiis Curial. l. finali, C. de vendendis rebus ciuit. l.* 84. & 142. *C. Theodos. de decur.* quia quod à maiori parte fit, ab omnibus factum creditur, *l. aliud* 160. §. 1. *ff. de reg. iuris*, vbi plura Dionysius Gothof. *littera P.* Iacobus eius filius, & Petrus Faber : & hoc ius, videlicet vt maior pars Capituli tantùm inspecto numero attendatur, patrias leges appellauit Prudentius *lib.* 1. *contra Symmachum*, ibi :

Seruemus

Seruemus patrias leges, infirma minoris
Vox cedat numeri.

In Senatuſconſultis etiam rogandis, non ſanioris, ſed maioris partis conſenſus attendebatur, nec quàm prudentes, ſed quàm multi idem cenſuiſſent, conſiderabatur. Symmachus *lib.* 4. *epiſt.* 37. ibi: *Lex Curiæ eſt, vt maioris partis anteſtet auctoritas.* Quintilianus *declam.* 365. *Exiſtimo maiorem partem eſſe, in qua plures idem ſentiunt, eandem pœnam pronuntiant, in eadem verba iurant.* Vnde Senator quilibet poterat Conſulem monere, vt antequam Senatuſconſultum proferretur, numeraret Senatum, vt ſic cognoſceretur, an expediret Senatuſconſultum rogari. Feſtus Pompeius *lib.* 12. ibi: *Numera Senatum; quibus Senator ait Conſuli, cùm impedimento vult eſſe, quominus faciat Senatuſconſultum.* Huc reſpexit Cicero *lib.* 5. *epiſt. ad Atticum*, ſic: *Conſule, aut numera.* Et Cælius *lib.* 8. *epiſt. ad Cicer. Cùm poſſet rem impedire, ſi vt numeraretur, poſtularet, tacuit.* Alia adducit Demſterus *lib.* 7. *ad Roſinum, cap.* 5. *in fine.* Accedit, nam maior pars præſumitur ſanior, *cap. de quibus*, 20. *diſt. cap. prudentiam* 21. *de officio deleg. cap. gratum, de poſtul. Prælat. cap. dudum* 22. *hoc tit.* igitur ſi in Senatuſconſultis rogandis, & aliis actibus humanis celebrandis attenditur tantùm maior pars reſpectu numeri, non rectè in præſenti aſſeritur, maiorem, & ſaniorem partem in electionibus deſiderari. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam iuxta formam electionibus præſcriptam *in dict. cap. quia propter* 42. cognoſci nequit, quænam ſit pars ſanior ſuffragantium, quia in eo canone ſtatuitur, vt ex ipſis electoribus tres ſcrutatores eligantur, qui ſingula ſuffragia per ſchedulas præſtita recipiant, & numerent; ſed tunc cùm ſuffragia ſecretò præſtentur, cognoſci nequit ſanior pars, ſed tantùm maior, numeratis, non ponderatis votis: igitur tantùm maior pars reſpectu numeri, non verò ſanior, attendi debet. Secundò impugnatur præſens aſſertio eo iuris principio, Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari; regula, *Quod omnes, de reg. iuris lib.* 6. vbi plura Petrus Pecchius, *l. per fundum* 11. *ff. de ſeruit. ruſtic. l. in concedendo, ff. de aqua pluuia:* ſed omnes tangit electio futuri Prælati: igitur ab omnibus, non à maiori parte Capituli debet celebrari. Fulcitur hæc difficultas *ex cap. licèt* 6. *hoc tit.* vbi docetur, in electione R. Pontificis non ſufficere maiorem, & ſaniorem partem Cardinalium, ſed ex tribus partibus duas deſiderari; quod etiam circa electiones Abbatiſſarum cauetur *in cap. indemnitatibus*, §. *ſanè, hoc tit. in* 6. igitur indiſtinctè verum non eſt, in electione ſufficere maiorem & ſaniorem partem.

5. DE MAIORI ET SANIORI PARTE.

His difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt ſuprà tradita aſſertio, videlicet ad electionem canonicè celebrandam, non ſolùm maiorem partem, verùm & ſaniorem deſiderari. Maior pars dicitur, attento numero eligentium, non verò reſpectu aliorum de Capitulo, Zerola *in praxi, part.* 1. *verbo Capitulum, num.* 13. vnde in electionibus canonicè faciendis non ſufficit habere maiorem numerum ſuffragiorum reſpectu minoris partis, ſed ampliùs deſideratur haberi maiorem partem reſpectu omnium ſuffragantium. Miranda *d. quæſt.* 23. *art.* 24. Lambertinus, & alij relati à Barboſa *de Canonicis cap.* 38. *num.* 10. Tamburinus *ſuprà, num.* 27. in quo numero computandi ſunt tantùm illi, qui in eadem electione ſuffragium habuerunt, iuxta tradita à Panormit. *in præſenti, num.* 1. nec augent numerum vota extra Capitulum, & poſt factum ſcrutinium data; Hoſtienſis *in c. in Geneſi* 55. *num.* 17. *hoc tit.* Barboſa *vbi ſuprà, n.* 11. nec etiam computantur vota eorum, qui recedunt à loco vbi facienda eſt electio, *cap. cùm nobis*, vbi Abbas *num.* 5. *hoc tit.* nec illorum, qui noluerunt ſuffragium præſtare. Si autem non appareat maiorem partem eligentium in vnam partem conſenſiſſe, iterandum eſt ſcrutinium, donec conſtet in quam maior pars conſenſerit, *cap. cùm terra, hoc tit.* & hæc de maioritate reſpectu numeri. Minor verò pars dicitur, cùm medior zelus in eligentibus conſideratur propter maiorem meritum, aut quia omnes agnoſcunt perſonam ab eis electam eſſe doctiorem, & aptiorem ad dignitatem, de cuius electione agitur, & hæc collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum præſcribitur *in d. cap. quia propter.*

6. RATIO DECIDENDI.

Vnde agnoſcitur ratio huius deciſionis; nam cùm pro forma ſpecifica eſſentiali electionis *in d. cap. quia propter*, præſcribatur, vt electio fiat à maiori, & ſaniori parte, & ea ſit natura copulatiuæ, vt tota reddatur falſa ex defectu vtriuſque partis, vt dixi *in cap. inter* 4. *de reſcriptis*, ſi deficiat ſanioritas, licèt detur maioritas, electio non poteſt confirmari, cùm non ſit ſeruata forma præſcripta *in d. cap. quia propter:* vnde quia in noſtro textu electio non fuit celebrata à maiori, & ſaniori parte Capituli, ideò confirmata non fuit; requiritur enim maior pars, & ſanior in electionibus, vt ſic maiori cum iudicio in eis procedatur; vt enim eleganter aiebat. Plinius *lib.* 2. *epiſt.* 22. in ſententiis ferendis ſuffragia non numeranda ſunt, ſed ponderanda. Rectè igitur in præſenti, & in Concilio Lateran. ſtatuitur, vt non tantùm numerentur ſuffragia, ſed ponderentur; & non ſolùm maior, verùm etiam ſanior pars concurrat in electionibus, vt debeant à ſuperiore confirmari.

7. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec obſtat prima difficultas ſuprà adducta, cui ſatisfacere intendit Eraſmus Roterodamus apud Guillelmum Neubrigenſem *de rebus Anglicis lib.* 3. *cap.* 3. cuius verba refert Demſterus ad Roſinum *d. lib.* 7. *cap.* 5. vbi agens de actibus, qui per maiorem partem decurionum tantùm peragebantur, ait: *Ex hoc tamen nullum Canonicis inſtitutionibus, & aliis Eccleſiis præiudicium generetur, in quibus maioris, & ſanioris partis debet ſententia prævalere; quia quod in eis deciſum venerit, ſuperioris iudicio poterit definiri: in Romana verò Curia, & Eccleſia ſpeciale euenit aliquid, atque conſtituitur, quia non poteſt ad ſuperiorem recurſus facilè haberi.* Sed hæc ſententia conuincitur; ſiquidem in electionibus facilè etiam recurſus ad ſuperiorem haberi poteſt; ſiquidem, is ad quem ſpectat confirmatio ipſius electionis, poterit corrigere, aut approbare electionem factam. Quare omiſsâ hac ſententiâ dicendum eſt, verum eſſe, in omnibus aliis actibus ſufficere maiorem partem Senatus, Curiæve; in electionibus verò canonicè faciendis deſiderari etiam ſaniorem partem, propter prauitatem negotij, & vt electiones recto cum iudicio celebrentur. Nec augmentum difficultatis obſtat, quod vt diſſoluat P. Suarez *d. tom* 4. *lib.* 2. *cap.* 5 *num.* 23. varia adducit: ſed illis omiſſis verius dicendum eſt, temporibus Concilij Lateranenſis, de quo *in d. cap. quia propter*, ſuffragia non per ſchedulas, aut ſecretò fuiſſe præſtita, ſed coram tribus ſcrutatoribus, palam, vt ab ipſis poſſet fieri collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum, quæ in ſuffragiis per ſchedulas emiſſis fieri non poterat. Quare

cùm post dictum concilium in aliquibus Ecclesiis vsus inualuisset, vt tam publicè, quàm secretè suffragia præstarentur, magnaque sequerentur incommoda ex prædicta collatione meriti ad meritum, Concilio Tridentino *sess. 25. de regul. cap. 6.* statutum fuit, vt amplius non inquiratur, quænam pars suffragantium sit sanior, sed tantùm quæ sit maior: & sic hodie tantùm numerus attenditur, cùm si persona idonea electa sit, pars maior, etiam sanior præsumatur: docent Pellizarius, Barbosa & Tamburinus, quos laudat & sequitur Hieronymus Garcia *tom. 2. polit. regul. tract. 9. difficult. 5. dub. 7.*

8. RESPONDETVR SECVNDÆ DIFFICVLTATI.

Nec secunda difficultas refragatur, pro cuius solutione discrimen est constituendum inter eas res, quæ ad totum Capitulum pertinent collectiuè; & inter eas, quæ canonicis, non vt vniuersis, sed vt singulis communes sunt. Primo casu certum est, factum à maiori parte Capituli, valere, *cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte*, ex ea ratione, quia in his rebus factum à maiori parte, ab omnibus præsumitur factum, *dict. l. aliud* 160. §. 1. vnde ab omnibus debet obseruari, tanquam si omnibus placuisset: pulchrè Plinius *lib. 6. epist. 13.* ibi: *Singulis re integra dissentire fas est; quod pluribus placuit à cunctis tenendum.* Secundo verò casu, quod priuatim, non vt vniuersis, sed vt singulis competit, ab omnibus est approbandum: quo casu procedunt iura suprà adducta, & textus *in cap. ad hæc 7. de officio Archidiaconi, l. vlt. Cod. de authorit. præstand.* docet Pechius *in dict. regula Quod omnes.* Vnde cùm electio spectet, non tanquam ad singulos, sed vniuersos collectiuè, ideò à maiori, & saniori parte electus, ab omnibus electus præsumitur. Nec augmentum huius difficultatis obstat; ob specialem enim rationem in electione R. Pontificis, & Abbatissarum non sufficit maior, & sanior pars eligentium, sed duæ partes desiderantur: in electione enim R. Pontificis, propter authoritatem & grauitatem electionis, quia in ea maius est periculum, pleniùs est consulendum, *cap. vbi periculum, de electione in 6.* vt docetur *in cap. licèt, hoc tit.* quia post Pontificis electionem non est superior, qui adeatur pro confirmatione; vnde cùm eligitur, confirmatur, & statim consequitur electus administrationem; quod non euenit in electionibus aliorum Prælatorum, in quibus si aliqua difficultas emergit, debet à superiore examinari ante confirmationem, & an à maiori & saniori parte sit celebrata, *cap. postquam 3. hoc tit.* ideo specialiter in electione Pontificis desideratur, vt ex tribus partibus duæ in electione consentiant: in electionibus etiam Abbatissarum specialis ratio consideratur, ne si attenderetur zelus, aut meritum, moniales ob sexus fragilitatem conuitia sibi inferrent, secretaque reuelarent, vt post Ioannem Andream *in dict. cap. indemnitatib. §. sanè*, considerat Tamburinus *dict. tom. 1. disput. 5. quæst. 6.*

9. EXPONITVR CAP. IN ORDINE 14. 61. DIST.

Superiori assertioni obstat textus *in cap. in ordine* 14. 61. *dist.* in illis verbis: *In ordinatione Prælati illa semper consideretur ratio, vt is constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundùm timorem Dei, siue etiam pars congregationis, quamuis parua, saniori consilio elegerit.* Ex quibus vltimis verbis expressè deducitur, sufficere ad electionem partem minorem, & saniorem: igitur non maior, & sanior pars desideratur. Cui difficultati vt satisfaciamus, sciendum est, controuersum esse apud Interpretes, vtrum simul desideretur sanioritas cum maioritate, adeò vt si vnus electus sit à maiori parte, sed non saniori; alius à saniori, sed minori, neutra electio subsistat. Et electionem factam à saniori parte, valere, & alteri præferri, docuerunt Glossa *in cap. in Genesi, verbo Ad zelum, hoc tit.* Innocentius *in cap. quia propter, cap. scriptum, hoc tit.* Contrarium autem, videlicet neutram electionem valere, defendunt Panormit. *in dict. cap. quia propter, num. 7.* Suarez *dict. lib. 2. cap. 5. num. 21.* quia desideratur pro forma *in dict. cap. quia propter*, vt pars sit maior, & sanior coniunctim: vnde etsi sit sanior, non tamen maior, electio non sustinetur. Quâ sententiâ retentâ non obstat textus *in dict. cap. in ordinatione*, qui procedit ante Concilium Lateran. de quo *in dict. cap. quia propter:* antea enim poterat confirmari electio facta à saniori parte, licèt non maiori. Chronic. Cameracense *lib. 1. cap. 105.* ibi: *In cuius electione noueritis non deesse nostram vnanimitatem, secundùm nostræ regulæ institutionem, quæ præcipit, vel omninò concordem in hoc fieri congregationem, vel saniori consilio, etiam quamuis minimam partem.* Notauit Menardus *ad concord. regul. cap. 4.* Post Concilium tamen Lateran. nullo modo sufficit pars minor, etsi sanior sit, quia in eo pro forma substantiali desideratur, vt maior, & sanior pars eligat, vt electio confirmetur.

10. EXPONITVR CAP. CVM CAVSAM, HOC TIT.

Secundò aduersatur præsenti assertioni textus *in cap. cùm causam 27. hoc tit.* vbi refertur, Ecclesiam Lucanensem habere priuilegium, vt nullus in eius Priorem eligatur, nisi communi assensu fratrum, vel quem sanior pars elegerit: quem textum ita expendo. Si in electionibus canonicè faciendis maior, & sanior pars desideraretur, ex iuris dispositione, frustra in eo textu impetraretur rescriptum, seu priuilegium, vt electio non nisi à maiori, & saniori parte fieret, cùm frustrà precibus impetretur quod iure communi conceditur, *l. vnica*, cum vulgatis, *Cod. de thesauris, lib. 10.* igitur quia iure communi non desideratur maior, & sanior pars in electione canonicè facienda. Huic difficultati satisfaciendum est ex his, quæ pro paraphrastica expositione ibi adduximus, & in præsenti repetere superfluum esset.

11. ADDVCITVR CAP. CONGREGATO, HOC TIT.

Tertiò opponitur textus *in cap. congregato, hoc tit.* vbi deciditur, electionem celebratam à saniori parte, licèt minor sit, valere: igitur quia non desideratur maior, & sanior pars in electionibus ecclesiasticis. Cui difficultati respondendum est asserendo, aliquando saniorem, licèt non maiorem partem, sufficere ad electionem, veluti quando maior pars elegit indignum; tunc enim deuoluitur facultas eligendi ad minorem partem: & licèt sit minor, si tamen sanior est, electio ab ea celebrata sustinetur, quo casu accipiendi sunt textus *in cap. dudum 22. cap. scriptum, dicto cap. congregato, hoc titulo.*

CAPVT

CAPVT LVIII.

Idem.

[a] PVblicato scrutinio, variare nequeunt electores; cùm sit facienda [b] collatio, & electio celebranda. Ad quod per superiorem, si oportuerit, compellantur.

NOTÆ.

1. a *Publicato.*] Scrutinio publicato non posse variare electores, ex hoc textu expressè constat, & docent Miranda, Nauarrus & alij congesti à Barbosa *in præsenti*; quia post publicationem res desinit esse integra, *cap. in causis, cap. Ecclesia vestra, hoc tit.* Idem procedere in postulatione, *ex cap. penult. & finali, de postulat. Prælat.* docet Petrus Gregorius *de elect. cap.* 16. *num.* 12. Contrarium tamen defendit Barbosa in præsenti: pro cuius dissidij concordia discrimen est constituendum, vt iam notaui *in cap.* 1. *de postulat. Prælat.* inter casum, in quo postulatio præsentata est superiori, & inter eum, in quo à postulantibus facta est, non verò præsentata. Primo casu non licet postulantibus à postulatione recedere, *dict. cap. penult. & vlt.* secundo verò casu possunt recedere ab ipsa postulatione.

2. b *Collatio.*] Quæ fieri debet statim, *cap. quia propter, hoc tit.* & si omittatur, electio est nulla, *cap. Cumana* 50. *hoc tit.* Fit autem vt cognoscatur, an electio celebrata sit à maiori & saniori parte, iuxta tradita suprà *in cap. Ecclesia* 57.

CAPVT LIX.

Idem.

SI alicuius electionem propter simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari, cum eo super postulatione, ad quam fuerat electus taliter illa vice, non potest Episcopus dispensare. Quamuis circa eum qui ignoranter recepit simplex beneficium per simoniacam prauitatem, post liberam resignationem Episcopi dispensatio toleretur.

COMMENTARIVM.

1. VAldè notum est, simoniam committi in electione, & collatione beneficij ecclesiastici, *cap.* 1. 2. 3. *&* 4. *cap. si quis obiecerit, cap. Saluator, cap. ex multis, cap. final.* 1. *quæst.* 3. *cap. quàm pio* 1. *quæst.* 2. *cap. sicut cum aliis, de simonia:* docent Rebuffus *in praxi, tit. de requisitis, num.* 2. Parisius *de resign. lib.* 8. *quæst.* 8. *anno* 28. Hugolinus *de simonia, tabula* 6. Garcia *de beneficiis* 8. *part. cap.* 1. *num.* 123. Suarez *de relig.* 1. *tom. lib.* 4. *tract.* 3. *c.* 57. *num.* 35. Lessius *de iustit. lib.* 2. *dubio* 35. *num.* 14. & pluribus modis committitur, vt nouissimè exponit Gibalinus *de simonia cap.* 20. *per totum.* Nec solùm committitur cùm quis pretium, aut quid pretio æstimabile pro beneficio assequendo eligenti dedit, verùm etsi alius consanguineus, vel extraneus quid pretio æstimabile præstiterit, *dict. cap. sicut, de simonia,* vbi Binsfeldius, & nos Deo annuente latiùs dicemus. Etiam certum est, inter alias pœnas, quas simoniaci incurrunt, & enumerat Gibalinus *de simonia quæst.* 25. illam constitutam reperiri, inhabilitatem videlicet ad illud beneficium, in quo simonia commissa fuit, obtinendum; & hodie ex constitutione Pij V. inhabilis redditur simoniacus declaratus ad omnia beneficia. Suarez *vbi suprà, cap.* 58. Gibalinus *dict. q.* 25. *num.* 6. dicemus *in d. cap. sicut.* Præterea sciendum est, in hac pœna inhabilitatis ad idem beneficium obtinendum Episcopum dispensare posse, cùm hæc dispensatio Pontifici non sit reseruata; cum hac tamen distinctione, vt si ab ignorante commissa sit, & beneficium sponte resignatum fuerit, Episcopus possit dispensare, vt ad idem beneficium statim eligatur: sed si beneficium hoc non fuerit simplex, pro ea vice potest Episcopus alij conferre; & cùm iterum vacauerit, potest qui ignoranter simoniam commisit, ad illud admitti: cum eo verò qui scienter simoniam commisit in beneficiis ecclesiasticis, alius quàm R. Pontifex dispensare non potest: & hæc est sententia Gregorij IX. *in præsenti,* quam ita exposuerunt Suarez *d. cap.* 57. *num.* 15. Gibalinus *dict. quæst.* 31. *num.* 2. & nos latiùs dicemus *in dict. cap. sicut,* vbi exponemus textus *in cap.* 2. *de confessis, cap. veniens, el* 1. *de testibus.*

CAPVT LX.

[a] Idem.

HIs, quibus interdicitur, vt absque superioris [b] licentia eligere non [c] præsumant, tempus statutum à [d] canone currit, ex quo in mora fuerint licentiam huiusmodi postulandi.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ad huius inscriptionis, & duarum præcedentium expositionem repetenda sunt quæ adduximus *in cap. finali, de constit.* 1.

b *Licentia.*] Vt *in cap.2. hoc tit. in quinta compilatione*, vbi Honorius III. ita ait: *Cùm bonæ memoriæ.* Et infrà: *Sanè ne quis fortè causetur, Capitulum S. Iuliani Lemouicensis diœcesis ius eligendi Præpositum per decursum temporis amisisse, nolumus quod tempus lapsum ante concessam sibi eligendi licentiam eis currat, cùm constitutio, quæ de huiusmodi lapsu temporis loquitur, contra negligentiæ vitium fuerit promulgata; & hi dici nequeant negligentes, cùm non possint eligere, præsertim cùm ex dilecti F. N. B. tituli S. Ioannis & Pauli Presbyteri Card. mandato nostram, vel eius teneretur licentiam postulare.* Ex qua Honorij III. decretali constat, tempus eligentibus præscriptum in Concilio Lateran. relato *in cap. 2. de conces. præbendæ*, non currere illis, qui debent eligere petitâ licentiâ, nisi in mora eam petendi fuerint; tunc enim illis currit tempus eligendi, ex præsenti textu; quia cùm impedimentum tollere potuissent petendo licentiam eligendi, si in ea impetranda moram commiserint, illis currit tempus præfinitum in dicto Concilio, *cap. vnico, §. quia verò, ne sede vacante, lib.6.* Non enim tantùm negligens est, qui nullo impedimento detentus non eligit, verùm & qui cùm impedimentum tollere posset, illud tollere non curauit, *l. quibus diebus 40. ff. de condit. & demonstr. l. non omnes, §. qui captus, ff. de re milit.* docent Petrus Greg. *lib.27. syntag. cap.9. num.34.* Barbosa *de potest. Episcopi alleg. 126. num.74.* & *in d. cap. vnico, num.1. & 5.* 2.

c *Præsumant.*] Non tantùm à sacris Canonibus, verùm & a R. Pontifice, vel eius Legato prohiberi potest Canonicis, ne sine superioris licentia ad electionem procedant; quod & in Religionibus Generales statuere posse docet, & ad hoc textum hunc commendat Hieronymus Garcia *tom.2. polit. regul. tract. 2. difficult. 2. dub.4. pag.22.* 3.

d *Canone.*] Relato *in cap. ne pro defectu, hoc tit.* aut *in cap.2. de conces. præbendæ:* ex quorum commentariis & adducendis *infrà, in tit. de supplenda neglig.* præsens petendum est. 4.

TITVLVS VII.

De translatione Episcopi.

CAPVT PRIMVM.

Innocentius III. [a] *Antiocheno* [b] *Patriarchæ.*

CVM ex illo [c] generali priuilegio, quod beato Petro, & [d] per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit, canonica postmodùm manauerint [e] instituta, continentia maiores Ecclesiæ causas esse ad Sed. Apost. perferendas: ac per hoc translationes Episcoporum, sicut depositiones eorum, & [f] Sedium mutationes ad summum Apost. Sedis Antistitem de iure pertineant; nec super his, præter eius assensum, aliquid debeat attentari: miramur non modicùm, & mouemur, quòd tu [g] prædecessoris tui exempla secutus, qui motu propriæ voluntatis [h] Mamistan. in [i] Tharsen. dicitur trantulisse, L. quondam *j* Apamien. electum in [k] Tripolitan. Ecclesiam transtulisti: nec tibi sufficit dicti prædecessoris tui præsumptionem solummodo imitari, immò etiam in iniuriam nostram ipsius transgressus excessum, nouo quodam mutationis genere paruificasti maiorem, & magnum quodammodo minorasti, [l] episcopare Archiepiscopum, immò potiùs dearchiepiscopare præsumens: cùm dictus prædecessor tuus dictum Archiepiscopum de Tharsen. Ecclesia in Ecclesiam transtulerit similis dignitatis. Licèt enim dictus L. nondum fuisset in Archiepiscopum consecratus, confirmationis tamen munus receperat, & Archiepiscopalia, quantùm ei licuerat, [m] ministrarat, sicut ipsius nobis relatione innotuit, qui se [n] Valenien. Episcopum, cùm in nostra esset præsentia constitutus, asseruit confirmasse. Ne igitur perpetrandi similia cæteris audacia præbeatur, si tantus excessus relictus fuerit impunitus, te ab Episcoporum [o] confirmatione duximus suspendendum, quousque super hoc aliud statuamus: sciturum, quòd hoc nos ab exauditione petitionis, quam pro venerabili f. n. Archiepiscopo Mamistan. porrexeras, reuocauit. In cæteris autem quantùm cum honestate potuimus, te curauimus exaudire. Datum Lateran. XVI. Cal. Aprilis.

NOTÆ

NOTÆ.

1. ANTIOCHIA VBI.

a *Antiochen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*1. & *lib.*1. *epistol. ipsius Innocentij*, *fol.*25. in regestro Coloniæ edito, ex quo textum restituo. Antiochia præcipua Orientis Metropolis appellatur ab Strabone *lib.* 16. Eam Orientis pulchrum apicem vocauit Ammianus Marcell. *lib.*22. Metropolim absolutè dixit D. Hieronymus *in epist. ad Pammachium.* Erat Syriæ Metropolis, vbi Orientales Imperatores degebant, vt constat *ex lege actione* 7. *C. de numerariis*, *lib.*12. *l. Fabricensium* 4. *C. de metatis*, *eod.lib. l. eos* 22. *l. si quis* 24. *C. de decur. lib.*10. *l. nullus* 2. *C.de Palatinis sacr. larg.* ex Tacito *lib.*2. *historiæ*, probat D. Ioannes Duran. *de postliminio*, vbi exponit legem *Antiochenum*, *ff.de priuileg. credit.* De ea D. Chrysostomus *homilia* 3.*ad populum Antioch.* ait: *Ciuitatum sub Oriente positarum caput*, *& mater esse ciuitas nostra.* Epiphanius *epist. ad Hormisdam Pontif. Multis perturbationibus Antiochiæ*, *maximam ciuitatem*, *quæ est in Orientali diœcesi prima*, *circunstantibus.* Alia de ea tradit Philippus Bertherius *diatribe* 1. *cap.*2. Huius inclytæ ciuitatis Præsul Patriarchali honore decoratus fuit ob multitudinem ciuium, qui in ea fidem catholicam susceperunt, vt refertur *in Actis Apostolor. cap.*11.13. *&* 15. Et ex eis notauit F. Angelus Petrica *de appellat.disput.*2. vnde dum Anacletus Pontifex anno 102. *epist.* 3. Patriarchalium seriem commendat, apponit Romanam, Antiochenam, & Alexandrinam, quia eas instituit D. Petrus, vt variis auctoritatibus & rationibus probat F. Hallierius *de hierarch. iurisd. lib.*4.*cap.*2.*fol.*703. Huic Antiocheno Patriarchæ variæ fuerunt pro temporum diuersitate prouinciæ subiectæ, quas enumerat Carolus à S. Paulo *in Geographia sacra*, *pag.*285. Statum huius Patriarchatus temporibus Innoc. III. refert Tyrius *lib.* 14. *cap.*12.13. *&* 14. & ex eo Franc. Florens *in præsenti.*

2. b *Patriarchæ.*] Rodulpho videlicet secundo, qui Sedem Antiochenam rexit per 33.annos vsque ad annum 1219. de cuius erga R. Pontificem inobedientia agunt Baronius *anno* 1187. eius continuator Spondanus *anno* 1215. *n.*13. & *anno* 1219. Illi etiam aliam misit epistolam ipse Innocentius, quæ reperitur *lib.* 2. *epist.*71. Præsentis autem excessus mentio fit in gestis ipsius Pontificis editis à Bosqueto, *fol.*30. in hæc verba: *Propter eandem causam Antiochenum Patriarcham à Pontificali suspendit officio*; *quia videlicet Apamiensem electum*, *præter Apost.Sedis licentiam in Metropolitanum Episcopum transferre præsumpsit: sed vtroque suam ignorantiam confitentes humiliter*, *& indulgeri supplicitter postulantes*, *sine difficultate & mora restituit*, *& absoluit.*

3. c *Generali priuilegio.*] Dum apud Matthæum *cap.*18.dixit Dominus: *Tu es Petrus*, *& super hanc petram.* Quæ verba in hunc sensum acceperunt Anacletus *epist.*1. relatus *in cap. Omnis* 3.2. *quæst.*6. ibi: *Quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt difficiles quæstiones semper ad Sedem deferantur Apostolicam*, *super quam Christus vniuersam constituxit Ecclesiam*, *dicente ipso ad beatum Apostolorum Principem: Tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; Alexander *epist.* 2. in illis verbis: *Apud ipsum Euangelium loco citato*, *ibi: Quodcumque ligaueris*, *&c.* quæ verba ad hoc probandum adduxit Zephirinus *epist.* 1. ibi: *Episcoporum iudicia*, *maioresque causæ à Sede Apostolica*, *& non ab alia*, *sicut Apostoli & Sancti successores eorum statuerunt*, *cum aliis Episcopis sunt terminandæ*; *quia licèt in alios transferantur Episcopos*, *B. tamen Apostolo Petro dictum est: Quodcumque ligaueris*, *&c. & quæcumque solueris*, *&c. & reliqua priuilegia quæ soli huic Sedi concessa sunt.* Alia iuris testimonia tradit Anton. August. *in epitome*, *lib.*1.*tit.*9. & nos *in cap. maiores*, *de baptismo.*

Per eum Ecclesiæ Romanæ.] Quæ enim Dominus 4.
concessit B. Petro, concessa videntur Ecclesiæ Romanæ, vbi durat Primatus, vt latè probat Bellarminus *lib.*2. *de R. Pontif.cap.*12. *&* 13. & omnes de Primatu Ecclesiæ agentes.

e *Instituta.*] Canone 18. Concilij Nicæni, 5.
ibi: *Apostolicæ Sedis dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas*, *& Episcoporum iudicia*, *Apostolorum*, *eorumque successorum*, *atque canonum authoritas seruauit.* Anacletus *epist.* 3. ibi: *Si quæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint*, *ad huius S. Sedis apicem eas*, *quasi ad caput referte.* Damasus *epist.*3. *circa medium*, ibi: *Sedi Apostolicæ maiores causæ seruatæ sunt.* Pelagius II. *in cap. multis* 17. *dist.* ibi: *Maiores*, *& difficiles quæstiones*, *vt S.Synodus statuit*, *& vetus consuetudo exigit*, *ad Sed. Apostolicam referri.* Gregorius VII. *lib.*2. *regest.* ibi: *Quod maiores causæ cuiuscumque Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem referri debeant.* Plura Ant. Augustin. *in epitome*, *lib.*1.*tit.*9.

f *Et Sedium mutationes.*] Quid intersit inter transferre Episcopum, aut Sedem mutare, dicemus infrà.

g *Prædecessoris tui.*] Aymerici videlicet, qui etiam in his translationibus peccauit.

h *Mamistan.*] Ita legendum existimo, quæ est Metropolis Antiochiæ in Cilicia. Guill.Tyrius *lib.*3.*cap.*11.*&* 24.

i *Tharsen.*] Tharsus, vulgò *Tarso* dictus, est 6.
secunda Sedes Metropol. in Cilicia, sub Antiocheno Patriarcha, cuius Metropolitani subscriptiones reperiuntur in Conciliis Ancyrano, Neocæsareensi, & Chalcedonensi.

j *Apamiense.*] Apamia, seu Apamea, Ptolomeo teste *lib.*5. *cap.*15. est Metropolis Syriæ secundæ, sub Antiocheno Patriarcha, cuius Prælatus Thomas subscripsit in Synodo V. generali. Plura Sandoual *in apolog. pro patrono Palent.* §.2. 7.

k *Tripolitan.*] De hac Ecclesia agemus *in cap. finali*, *de auctorit. & vsu palij.*

l *Episcopare.*] Cùm quis non debeat de maiori ad minorem dignitatem transferri, vt docent Classici *in cap.Ecclesia* 57. *de elect.*

m *Ministrarat.*] Quæ possit Archiepiscopus post confirmationem, sed ante consecrattonem exercere, dixi *in cap. suffraganeis*, *cap. nostri*, *cap. transmissam*, *de electione.*

n *Valenien.*] Ita legitur in dicta tertia collectione, & *in d. regest. epistol.* in sexta autem collectione malè legitur *Cenalimen.*

o *Confirmatione.*] Vnde alios actus, tam ordi- 8.
nis, quàm iurisdictionis exercere valet, quia suspensus partialis ab ea tantùm officij parte suspenditur, quam expressis verbis Iudex comprehendit, vt probant Gibalinus *de censuris disquisit.* 7. *q.*9. Morinus *lib.*2. *exercit. cap.*2. *&* 3. Ipse autem Tripolitanus Episcopus suspensus fuit ab officij executione, vt constat ex epistola sequenti ipsius Innocentij, *d. fol.*25. vbi ita illi scribit: *Cùm ex illo* (& cætera, vt suprà vsque ad verbum illud, *nouemur.*) *Quod cùm in Apamien. Ecclesia in Archiepiscop. fuisses electus*, *& confirmatione susceptæ*, *quantùm*

tùm tibi licuerat, Archiepiſcopalia manifeſtaſſes, ſicut ex tua nobis relatione innotuit, qui olim apud Sed. Apoſt. conſtitutus, venerabilem fratrem noſtrum Valenien. Epiſcopum te confeſſus es confirmaſſe, in Tripolitan. te transferri feciſti nouo quodam promotionis genere, non promotus, ſed potiùs minoratus. Ne igitur perpetrandi ſimilia cæteris audacia præbeatur, ſi tantus exceſſus relictus fuerit impunitus, te ab executione Pontificalis officij duximus ſuſpendendum, donec ſuper hoc aliud ſtatuamus. Datum Lateran.

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hac Innocentij epiſtola talis deducitur aſſertio. *Tantùm R. Pontifex poteſt transferre Epiſcopos de vna Eccleſia in aliam, non verò Patriarcha.* Probant eam textus *in cap.2. cap. finali, hoc tit. cap. in cauſis* 30. *de elect. cap. mutationes* 34. iuxta corruptam litteram Gratiani 7.*quæſt.*1.*cap.quoad tranſlationem, cap. niſi ſpecialis, de officio Leg. cap.venerabilis* 7. *de conſuet. cap.ſi Abbatem, de elect. lib.6. cap. illud, de maiorit. & obed.* Gregorius VII. *lib.2. regeſt. epiſt.* 2. ibi : *Quod R. Pontifici liceat de ſede ad ſedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos tranſmutare.* Innocent. III. *lib.* 3. *regeſt.*15. *epiſt.* 175. apud Boſquetum. Alia iuris teſtimonia adducunt Creſpetius *in ſumma, verbo Epiſcoporum tranſlationes.* Anton. Auguſt. *in epit. iuris Pont. lib.*1. *tit.* 12. Illuſtrant P. Vazquez 3.*part.diſput.*241. *cap.*6. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 1. *cap.*16. Petrus Gregor. *lib.* 15. *ſyntag. cap.*12. *num.* 42. Germonius *lib.*2. *admadu. cap.* 19. Duarenus *lib.*5. *de ſacris, cap.*2. Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. diſput.*6. §. 2. *num.* 14. Tuſchus *littera T. concluſ.*4. Valenzuela *conſil.*190. *num.* 7. Solorzanus 1. *tom. de iure Indiar. lib.*3. *cap.*13. Lantdmeter. *lib.*2. *de veteri clerico, cap.* 98. Boſquetus *ad Innocent. lib.* 3. *epiſt.*175. Iuretus *ad Ivonem epiſt.*146. Seuerinus Binius *in notis ad Anterium Ponticem, & ad Concil. Sardicenſe can.*2. Balſamon *in can.* 1. *Concilij Sardicenſ.* & in ſupplemento ad Concilium Nicæn. *can.* 15. Viuar. *ad Marcum Maximum, anno* 381. *num.* 2. Iuſtel. *ad can.* 9. *Eccleſiæ Africanæ*, Rouſſellius *lib.* 1. *hiſtor. iuris Pontif. cap.* 4. *num.* 9. Diana *part.* 11. *tract.*4. *reſol.*4. Ioannes Dartis *in dicto* 7. *quæſt.*1. & *de beneficiis cap. de tranſlat. Epiſcopi, pag.* 64. Hieronymus Garcia *tom.*2. *polit. regul. pag.*9. Menochius *de arbitr. caſu* 423. *per totum*, Nauarrette *diſcurſu* 28. *fol.* 191. Vighellius *in methodo iuris canon. pag.*513. Petr. Gregor. *lib.* 15. *ſyntag. cap.*12. *numero* 42.& *ad tit. de reſcriptis cap.* 3. *num.* 12. Caballutius *in notitia Concil. in can.*20. *Synodi Nicæn.* Eruditus vir D. Gaſpar. Ibañez, Marchio de Agropoly, *diſſert.* 2. *cap.* 4. Alteſſerra, & Franc. Florens *hîc.*

10. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Hæc aſſertio ita iuribus & authoritatibus illuſtrata, valde dubia redditur ſequentibus conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo, nam correlatiuorum eadem eſt ratio, *l.*3. *ff. de re iudic.* plura Barboſa *axiomat.* 61. vnde ſæpius decantatum legimus, illum abſoluere poſſe, qui & ligare : plura Barboſa *axiomat.* 1. & ille poteſt deſtituere, qui inſtituere. Sed ſic eſt, quod Patriarchæ poſſunt confirmare, & conſecrare Archiepiſcopos, & Epiſcopos, vt conſtat ex epiſtola ſynodica Concilij Nicæni, apud Theodoretum *lib.*1. *cap.* 9. & Caſſiodorum *hiſtor. tripart. lib.* 2. *cap.* 12. ex epiſtolis prima & tertia Theophili Alexandrini; 67.& 76. Syneſij ad ipſum Theophilum : Athanaſio *epiſt. ad Dracontium*, Epiphanio *hæreſi* 68. Nicephoro *lib.*13. *cap.* 17. innumeris Canonibus, & SS. PP. teſtimoniis relatis à Franc. Hallierio *de ſacris elect. ſect.*15. *cap.*4. *per totum*, præcipuè *art.*4.*ex fol.*769. ergo & ipſis Patriarchis licet Epiſcopos mutare, & transferre de vna Eccleſia in aliam, & à vinculo prioris matrimonij abſoluere. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam maiores cauſæ Eccleſiæ, & grauiora Epiſcoporum negotia ad Primates, & Patriarchas deferenda ſunt. D. Clemens *epiſt.*1. poſt medium : *Epiſcoporum iudicia, & maiora Eccleſiarum iudicia, ad Primates, vel Patriarchas ſunt deferenda.* Anacletus Papa *epiſt.*1. *Si autem difficiles cauſæ, aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem Sedem referantur; & ſi illic facilè diſcerni non poterint, ac iuſtè terminari, vbi fuerit ſummorum congregata congregatio, quæ per ſingulos annos fieri ſolet, & debet, iuſtè, & Deo placitè coram Patriarcha aut Primate Eccleſiaſtico iudicentur.* Idem *epiſt.* 2. *cap.*4. *Ad Primates, vel Patriarchas poſt Sedem Apoſtolicam ſumma negotia conueniant, vt ibidem, quibus neceſſe fuerit, releuentur, & iuſtè reſtituantur.* Igitur etſi tranſlatio Epiſcoporum inter maiores cauſas numeretur, à Patriarchis, vel Primatibus eſt facienda. Accedit, nam Patriarchas in ſuis prouinciis poſſe in ea omnia peragere, quæ R. Pontifex in toto orbe Chriſtiano, probant Hallierius *dict. cap.* 4. *art.*3. Anaſt. Germonius *lib.*3. *de ſacror. immunit. cap.* 7. *ex num.*1. ſed Pontifex poteſt tranſferre Patriarchas, Primates, & alios Eccleſiæ Prælatos : igitur & Patriarchæ poſſunt ſimiliter tranſferre Archiepiſcopos, & Epiſcopos de vna Eccleſia in aliam. Secundò fulcitur hæc difficultas ex ampla Patriarcharum poteſtate, & ampliſſima eorum iuriſdictione; Patriarchalis enim Sedes vna eſt cum Sede D. Petri. Hincmarus Rhemenſis *opuſc.* 55. *cap.*16. *Sedes Eccleſiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ ſunt vna eadem Sedes magni Apoſtolorum Principis Petri.* De Antiochena expreſſiùs Leo IX. in epiſtola ad Petrum Antiochenum : *Sedes Antiochena, ſedes Apoſtolica eſt.* Et generaliter agens de Patriarchis Zacharias Papa *epiſt. ad S. Bonifacium*, ait : *De Epiſcopis verò Metropolitanis, quos per vnamquamque Metropolim conſtituiſti, eos per tuum teſtimonium confirmamus.* Ex qua authoritate deducit Cironius *lib.* 1. *obſeru. capit.*10. Patriarchas habuiſſe ius conſtituendi Epiſcopos, & diuidendi Epiſcopatus. Secunda difficultas naſcitur ex eo, nam ſi vinculum matrimonij ſpiritualis impediret quominus Patriarcha poſſet transferre Epiſcopos de vna Eccleſia in aliam, ſequeretur, nec R. Pontificem poſſe Epiſcopos transferre; nam fortius eſt vinculum matrimonij ſpiritualis quàm carnalis : verba ſunt textus ſequentis. Sed R. Pontifex non poteſt diſſoluere vinculum matrimonij carnalis, *cap. quos Deus, cap. an quod* 32. *quæſt.*2. Ergo nec vinculum matrimonij ſpiritualis, & per conſequens nec R. Pontifex poteſt tales tranſlationes admittere. Augetur hæc difficultas, nam ſi vinculum matrimonij ſpiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam celebrati impediret ne alius quàm Pontifex illud diſſoluendo Epiſcopos transferret, ſequeretur, quod ipſe, & non alius poſſet Parochum de vna Eccleſia in aliam transferre, & ſic diſſoluere matrimonium inter ipſum & parochiam contractum : ſed parochos transferre poteſt Epiſcopus proprius, *cap. Epiſcopus* 7. *quæſt.*1. Concilium Carthag. 4. *can.*27. igitur Patriarcha, qui eſt Archiepiſcoporum immediatus ſuperior, poteſt tranſferre Archiepiſcopos de vna Eccleſia in aliam.

Quibus

11. TRANSLATIO QVOTVPLEX.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, translationem Prælati de vna Ecclesia in aliam, appellari transmutationem, *cap. mutationes 7. quæst. 1.* Nec interest, quæ persona transferatur; nam transferri possunt Cardinales, *cap. dilectus, de præbendis:* Archiepiscopi, *cap. bonæ 4. de postulat. Prælat.* Abbates, *cap. cùm venerabilis, de consuet.* Præpositi, *cap. dudum, de elect.* Nec etiam interest, an in maiorem, parem, aut minorem Ecclesiam translatio fiat, quia licèt non facilè inueniatur qui de maiori ad minorem Ecclesiam transire velit, *cap. legimus, 93. dist. cap. 1. de cleric. non resident.* tamen si de facto transferatur, dicitur translatio. Multis autem modis translatio Episcopi euenire potest. Primò, cùm aliquis Episcopus occupatâ ab infidelibus eius sede, alteri vacanti præponitur, non in perpetuum, sed ad tempus, donec ab infidelibus liberata fuerit; quia tunc restituitur ad pristinum statum, *cap. 41. 7. quæst. 1.* & hæc non tam translatio, quàm transitio dici debet, vt notauit Balsamon *in supplement. & expositione canonis 15. Concilij Nicæni.* Secundo modo contingit translatio, quando aliquis Episcopus sedem viuentis inuadit, vel vacantem propriâ auctoritate occupat, *cap. 10. 31. & 32. 7. quæst. 1.* De qua translationis specie agemus infrà, *in cap. 3.* Tertio modo contingit translatio, licèt impropriè, cùm quis relictâ propriâ sede, aliam recipit in commendam ad tempus; aut cùm antiquam retineat, secundam in commendam accipit, aut simul dispensatiuè retinet, *cap. 3. cap. 6. 21. q. 1.* Quarto modo translatio contingere potest, cùm Episcopus relictâ propriâ Ecclesiâ, vbi sedes Episcopalis residebat, in aliam ciuitatem eiusdem diœcesis Cathedram Episcopalem transfert; quod an Episcopo liceat, non vulgò disputatum inuenio. Et non licere Episcopo Cathedram mutare in aliam ciuitatem, etiam eiusdem diœcesis, ni fallor, apertè probatur ex canone 15. Concilij Nicæni 1. in illis verbis: *Vt à ciuitate in ciuitatem nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus transeat.* In cuius explicatione Theodorus Balsamon hæc subiungit. *Decimusquintus canon Concilij Nicæni primi prohibet, Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum ab vrbe in vrbem ad suam parochiam pertinentem transmeare, ac transire, sicut Illiderci Archiepiscopus conatus est Illiderci thronum transferre in Philopopelim, & fuit synodicè prohibitus.* Hoc etiam firmat Balsamon ex eo, quia transiens Episcopus hoc modo in aliam ciuitatem, non punitur *in dict. can. 15.* sed in antiquam sedem redire cogitur; cùm tamen illi, qui in aliam diœcesim transeunt propriâ auctoritate, priuentur propriâ sede, *cap. 1. de clericis non resid.* dicemus infrà *in c. 3.* Probatur etiam hæc sententia ex Concilio Carthag. 5. *can. 5.* ibi: *Placuit, vt nemini sit facultas, relictâ principali Cathedrâ, ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre.* Facit etiam textus præsens in illis verbis: *Translationes Episcoporum, & sedium mutationes.* Vbi primis verbis translationes de diœcesi in diœcesim prohibentur; secundis verò Sedium Episcopalium mutationes intra eandem diœcesim. Docent Zonaras & Balsamon *in dict. can. 15. Nicæn.* Acuña & Dartis *ad Decret. in 101. dist.* qui afferunt iustas causas, ob quas Cathedra Episcopalis de vna Ecclesia in aliam mutari potest.

12. DE TRANSLATIONE IVSTA.

Demùm alius translationis modus (de quo in præsenti titulo) contingit cùm aliquis Episcopus, vel Archiepiscopus, relictâ propriâ sede in Ecclesiam vacantem transfertur; quæ si fiat propriâ auctoritate, non sustinetur; immò ita translatus variis pœnis afficitur, de quibus infrà *in cap. 3.* Si autem auctoritate superioris, & iusta interueniente causa transferatur, talis translatio iusta & licita est, & sacris canonibus approbata, *can. 13.* aliàs 14. Apost. *Episcopo non liceat suâ relictâ parochiâ ad aliam se transferre, etiamsi à pluribus cogatur, nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, vtpotè ad maius lucrum.* In cuius scholiis Zonaras & Balsamon rectè accipiunt maius lucrum pro maiori populi vtilitate. Concilium Nicænum relatum *in cap. non oportet 19. 7. quæst. 1.* Antiochenum *in cap. Episcopum 25. eadem quæstione*, Sardicense *in cap. 1. de Clericis non resid.* Carthag. 4. *in cap. Episcopus 37. 7. quæst. 1.* Chalcedon. *in cap. propter 26. eadem quæst.* Calixtus relatus *in cap. sicut 39. 7. quæst. 1.* Antherus Pontifex & Martyr *in epist. ad Episcopos Bœticæ in cap. mutationes 7. quæst. 1.* vnde viros virtute conspicuos de vna Ecclesia in aliam translatos fuisse, ex Socrate, Sozomeno, & Nicephoro referunt I. Dartis *de beneficiis cap. 3.* Cironius *in parat. ad hunc titulum.* Semper tamen desideratur euidens vtilitas Ecclesiæ, aut vrgens necessitas, *dict. can. 14. Apost. d. cap. mutationes:* quo casu licita est translatio, etsi aliquando Græci absolutè translationes improbauerint, quos arguit Balsamon vbi suprà, *pag. 1119.* in hæc verba: *Iam verò & qui hoc dicit, accusat S. Gregorium Theologum, & alios sanctissimos Patriarchas, qui ex Episcopatibus translati sunt in Sedem Constantinop. & alias Sedes Patriarchales, tanquam qui indignè in translatione sacra ministeria obeant; quod non est veniâ dignum.*

13. DE CAVSIS TRANSLATIONIS.

Causas ergo legitimas translationis duas tantùm sacri canones agnouerunt, vtilitatem videlicet Ecclesiæ, aut necessitatem, *dict. cap. mutationes*, ibi: *Sed aut vi à sede propria pulsus, aut vtilitate loci, aut populi.* Antherus Pontifex *in d. epist.* ibi: *Propter vtilitatem populi, aut necessitatem Ecclesiæ, sed non pro libito cuiusquam, aut dominatione.* Et *dict. cap. Episcopus 37. Si id vtilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit.* Et *dict. cap. sicut 39. Si autem vtilitatis causâ mutandus, non per se hoc agat, sed fratribus inuitantibus, & auctoritate huius sanctæ Sedis faciat, non ambitus causâ, sed vtilitatis.* Dicitur autem vtilitas sufficiens, non quando quæcumque vtilitas speratur, sed si spes sit maioris fructus, & lucri spiritualis in Ecclesia, ad quam transfertur, vt statuitur *in d. can. 14. Apostol.* quare propter parem vtilitatem prima Ecclesia non est deserenda. Vrgens necessitas dicitur, non quælibet, quæ sufficiat ad renunciationem, de quibus *in cap. nisi cum pridem, de renunciat.* illæ enim non sufficiunt ad translationem, vt probat P. Vazquez *dict. disput. 241. cap. vlt.* Necessitas enim debet considerari, vel ex parte Episcopi transferendi, vt si in prima Ecclesia ob aëris intemperiem viuere nequeat, vel persecutionem plebis patiatur: vel ex parte ipsius Ecclesiæ, si cogatur à secunda Ecclesia ibi transferri, *cap. sicut 7. quæst. 1. cap. quantò 3. hoc tit.* non autem facilè ex hac regula generali descendi potest ad casus particulares; quare totum hoc relinquendum prudenti arbitrio, tam Episcopi, qui transfertur, quàm eorum qui translationes faciunt, qui non facilè, & ob vtilitatem tantùm Episcopi transferendi eas facere debent; vnde cùm nostris temporibus valdè frequentes essent Episcoporum translationes, decretum emanauit Magni nostri Philipi IV. vt huiusmodi translationes matu-

consilio

consilio fierent. Videndus est pro eius illustratione, & praxi Illustrissimus D.F.Ioannes Martinez, ipsius Catholici Regis confessor, ac electus Archiepiscopus Compostellanus, *discursu 1. polit. per totum.*

14. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Præsentis textus decisiua ratio deducitur ex illis verbis: *Maiores Ecclesiæ causas*, &c. cùm enim Ecclesiæ causæ grauiores debeant tantùm per R. Pontificem decidi, *cap. maiores*, vbi dicemus, *de baptismo*; & translatio Episcoporum inter maiores Ecclesiæ causas enumeretur, *cap. quamuis 3. quæst. 6. cap. temporis 7. quæst. 1. cap. 2. hoc tit.* alius quàm R. Pontifex transferre non potest Episcopum de vna in aliam diœcesim. Et si adhuc scisciteris rationem rationis, quare videlicet inter maiores Ecclesiæ causas translatio Episcoporum enumeretur? Respondeo, ex eo prouenire, quia cùm confirmatio Episcoporum ad Sedem Apost. spectet, & virtute confirmationis detur vinculum coniugij spiritualis inter Episcopum, & Ecclesiam, non per alium quàm per R. Pontificem, Christi Vicarium, mediante translatione dissolui valet.

15. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat prima dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt cùm olim Patriarchæ & Metropolitani per se, aut in Conciliis prouincialibus confirmabant Episcoporum electiones, vt probaui *in cap. 3. de elect.* possent etiam Episcopos transferre, vt expressè probatur in Concilio Carthag. 4. relato *in cap. Episcopus, 7. quæst. 1.* ibi: *Sanè si vtilitas Ecclesiæ fiendum popoposcerit, decreto per ea Clericorum & laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur.* Anth. Pontif. *in dict. epist. ad episcopos Bœticæ*, ibi: *Aut necessitate coactus, aut electione, & exhortatione Sacerdotum, & Episcoporum translatus est*; quare ea verba, *nec tamen sine sacrosanctæ Sedis Romanæ auctoritate, in cap. mutationes 34. 7. quæst. 1.* non esse Pontificis, sed Gratiani, notauit Cironius ad hunc titulum: tamen postquam confirmatio Episcoporum, & eorum translatio, vt potè maiores causæ, sunt reseruatæ R. Pontifici; sicut confirmatio per inferiores Prælatos non fit, ita nec Episcoporum translatio. Nec augmentum ipsius difficultatis obstat, nam procedit exceptâ R. Pontificis authoritate, vt in iuris testimoniis ibi relatis expressè cauetur. Et licèt maiores causæ ad Patriarchas referri debeant, non tamen omnes; nam translatio Episcoporum, sanctorum canonizatio, & similes, quas recensèt Barbosa *de potestate Episcopi 2. part. allegat. 50.* sunt R. Pontifici reseruatæ, & ita per alium, quàm per ipsum Christi Vicarium decidi non valent: nec ritè huius reseruationis, & translationis Episcoporum, vt potè contra sacros canones factæ, conqueritur Petrus Marcha *lib. 6. concordiæ, cap. 8. num. 4.* Nec secundum augmentum deductum ex amplissima Patriacharum potestate, obstat; nam licèt ea magna sit, non tamen æqualis est Pontificiæ, sed inferior. Et licèt Antiochena Sedes dicatur Apostolica, id prouenit ex eo, quia D. Petrus Antiochiæ primam erexit Ecclesiam, & Cathedram, quam posteà Romam transtulit; vnde inspectâ illâ primâ erectione, Antiochena Sedes dicitur Apostolica; non verò quia post translationem Romæ factam auctoritas Pontificia remanserit penes Patriarcham Antiochenum, *cap. mutationem 34. cum sequenti 7. quæst. 1.* quare licèt eius, & aliorum Patriarcharum magna auctoritas sit, vt probant Franciscus Hallierius *lib. 4. de hierarch. iuris.* Morinus *lib. 1. exercit. per totum*: tamen circa ea, quæ R. Pontifici vt Christi Vicario spectant, aut illi sunt reseruata, nihil attrectare, aut statuere valent; quare in præsenti Antiochenus Patriarcha suspensus fuit, quia Episcopum transferre attentauit.

16. DISSOLVITVR SECVNDA DIFFICVLTAS.

Nec obstat secunda difficultas deducta *ex cap. 2. hoc. tit.* certum enim est, R. Pontificem vt Christi vicarium posse Episcopos transferre de vna Ecclesia in aliam, & per consequens dissoluere vinculum spiritualis matrimonij cum prima Ecclesia contractum. Nec textus *in dict. cap. 2.* contrarium probat, pro cuius expositione varia adducunt Doctores, & quærunt, an prohibitio hæc translationis ad aliam Ecclesiam, proueniat à iure diuino, à quo dimanat indissolubilitas matrimonij carnalis, quo fortius esse vinculum matrimonij spiritualis docet Innocentius III. *in dict. cap. 2.* & P. Vazquez *tom. 3. in 3. part. disput. 241. cap. 7.* existimat, translationem Episcoporum à iure diuino esse prohibitam: sed contrarium, & rectiùs, defendunt P. Suarez *de relig. tom. 3. lib. 1. c. 16. n. 6.* Cæsar *de eccles. iast. hierarch.* vbi suprà, Diana *part. 11. tract. 4. resolut. 40.* & facilè probatur ex vsu Ecclesiæ; siquidem omni tempore translationes factas legimus, vt varia exempla referentes tradunt Socrates *lib. 7. cap. 35. & 39.* Theodoretus *lib. 5. c. 4. & 8.* Quâ opinione retentâ non leuem continent difficultatem verba illa, *fortius vinculum*; quæ cùm aliqui parum percallerent, notant Innocentium III. nimiæ audaciæ. Petrus Marcha *lib. 7. concordiæ, cap. 26.* cum Matthæo Parisio vocat eum audacem Iureconsultum. Alij magis piè vt ea verba exponant, varia adduxerunt. Glossa ibi ita exponit, vt significet, vt dignius sit vinculum spiritualis coniugij, quàm carnalis. Hostiensis *in dict. cap. 2.* ea verba accipit, non generaliter & indistinctè, sed ita: cùm matrimonium ratum tantùm possit dissolui quoad vinculum, etiam per ingressum Religionis, *cap. ex publico 10. de conuers. coniugat.* tunc fortius est vinculum matrimonij spiritualis. Deinde etiam in matrimonio carnali ab infidelibus celebrato, si alter ex coniugibns nolit cohabitare sine contumelia Creatoris cum alio ad fidem conuerso, dissoluitur matrimonij vinculum, *cap. gaudemus, de diuoriis*, vbi plura Balboa: sed matrimonij spiritualis vinculum neutro ex his modis dissoluitur: igitur quia fortius est vinculum hoc, quàm matrimonij carnalis. Verùm interpretationem hanc rectè refellit Viuar. *ad Marcum Maximum*, vbi suprà; etsi eam sequantur Andreas Valentis *ad hunc titulum*, Diana *vbi suprà*, Basilius Legion. *lib. 8. de matrim. cap. 2. num. 15.* Aliter Zoesius *ad hunc titulum, num. 3.* verba illa exponit, dum ait, fortius esse vinculum matrimonij spiritualis quàm carnalis, ratione durationis, quia videlicet matrimonium carnale morte soluitur, & si vnus ex coniugibus ad vitam rediret, non teneretur cum alio cohabitare, iuxta D. Paulum *ad Rom. cap. 7.* relatum *in cap. finali, de secundis nuptiis:* vinculum verò spiritualis matrimonij fortius est ratione characteris ex eo prouenientis; quia si Episcopus defunctus iterum ad hoc sæculum rediret, teneretur residere in propria Ecclesia; & ideò ratione durationis fortius esset vinculum spiritualis matrimonij, quàm carnalis. Alij, quibus consentit Bellarminus contra Barclaium, agnoscunt in hoc matrimonio spirituali duplex vinculum. Primum quatenus dicit vnionem cum Ecclesia vniuersali; aliud quatenus respicit vnionem cum Ecclesia particulari, & propria ipsius Episcopi, in

in qua ordinatus eſt. Primum agnoſcunt eſſe fortius quàm carnale, & omninò indiſſolubile; ſecundum verò fatentur eſſe ſanctius quàm carnale, ſed non ita indiſſolubile. Verùm his omnibus ſententiis omiſſis dicendum eſt, verum eſſe, matrimonium ſpirituale contrahere Epiſcopum cum ſua Eccleſia, *cap. licèt, hoc tit.* Euariſtus Papa *epiſt.* 2. probant Azor *part.* 2. *inſtit. lib.* 3. *cap.* 29. *quæſt.* 3. Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. part.* 1. *diſput.* 6. §. 2. nihilominus tale vinculum diſſolui poſſe à R. Pontifice, non iure ordinario, ſed ſpeciali diuina poteſtate conceſſa à Chriſto Domino D. Petro, & eius ſucceſſoribus, vt expreſsè fatetur Innocentius III. *in dict. cap.* 2. ibi: *Non enim humanâ poteſtate, ſed potiùs diuinâ poteſtate coniugium ſpirituale diſſoluitur.* Et *in cap. quantò*, 3. illic: *Et poteſtatem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit D. & Magiſter, quod ſoli B. Petro Vicario ſuo, & per ipſum ſucceſſoribus eius, ſpeciali priuilegio tribuit, & commiſit.* Quare tunc non homo, ſed Deus ipſe, quos Papa ſeparat, ſeparaſſe videtur. Comparatio autem quæ fit in eo textu inter matrimonium carnale, & ſpirituale, non probat ſpiritualis matrimonij vinculum æquè eſſe indiſſolubile, ac matrimonij carnalis; ſed tantùm eò dirigitur, vt probet matrimonium ſpirituale ab hominibus non poſſe diſſolui, ſicut neque carnale. Non enim æquiparationem facit Innocentius vtriuſque vinculi quoad diſſolutionem D. Petro, & eius ſucceſſoribus reſeruatam, ſed ſolùm quoad diſſolutionem hominibus denegatam; & vt hoc adſtrueret Pontifex ait, fortius eſſe vinculum ſpirituale, quàm carnale, ex eo quia corporalia faciliùs diſſoluuntur, quàm contrahuntur; ſpiritualia verò contra faciliùs contrahuntur, quàm diſſoluuntur: quod exemplis Pontifex illuſtrat, ex quibus apparet, eum non negare, vinculum ſpiritualis matrimonij inter Epiſcopum, & Eccleſiam contractum, Pontificem diſſoluere non poſſe, deponendo, aut transferendo Epiſcopum; ſed hoc Archiepiſcopum Turonenſem facere nequire ob comparationem vinculi ſpiritualis, & carnalis. Docent, & ita accipiunt prædicta verba Viuar. *ad Marcum Maximum, pag.* 619. Barboſa *voto* 123. *num.* 15. Nec augmentum huius ſecundæ difficultatis obſtat; verum enim eſt, Epiſcopum poſſe transferre Parochum de vna Eccleſia in aliam; Archiepiſcopum verò, vel Patriarcham non poſſe transferre Epiſcopum. Diſcriminis ratio illa ſolet aſſignari, quia inter Epiſcopum, & Eccleſiam verum, & perfectum matrimonium datur, quod initiatur in electione, ratificatur in confirmatione, atque conſummatur in conſecratione: quæ omnia cùm non dentur in Parocho, ipſe non contrahit verum, perfectumque matrimonium ſpirituale: quare defuncto Parocho dicitur Eccleſia vacans, *cap.* 1. *& 2. de conceſ. præb.* non vidua, vt in Epiſcopo, *cap. ne pro defectu*, vbi notaui, *de elect.* quare ſicut Epiſcopus poteſt diſpenſare cum illis, qui matrimonio adhuc rato Religionem profitentur, vt diſſoluatur matrimonium, *cap. ex publico, de conuerſ. coning. cap. commiſſum, de ſponſal.* ita ſimiliter cum Parocho diſpenſare valet, vt relictâ propriâ parochiâ, cum qua tantùm matrimonium ratum inierat, ad aliam tranſeat. Ita docet, & ratiocinatur Anaſt. Germonius *lib.* 2. *animadu. cap.* 19. Sed hæc Germonij ſolutio, & diſcriminis ratio refellitur ex eo, nam ſi ea vera eſſet, ſequeretur Patriarcham, & Archiepiſcopum poſſe transferre Epiſcopos electos, & confirmatos, ſed nondum conſecratos, quia tantùm matrimonium ratum contraxerunt: ſed eos transferre nequeunt, vt in præſenti textu deciditur: ergo prædicta ratio diſcriminis ſuſtineri nequit. Eâ igitur omiſsâ dicendum eſt, quod ſicut depoſitio parochorum ad Epiſcopum ſpectat, quia eam Sedes Apoſtolica inter cauſas maiores ſibi non reſeruauit; ita ex eadem ratione & tranſlatio parochorum per Epiſcopum fieri poteſt. Et ſi adhuc ſciſciteris, quare tranſlationem Epiſcoporum, vt cauſam grauiorem Romana Sedes ſibi reſeruauit, non verò tranſlationem parochorum; reſpondeo id prouenire ex eo, quia inter Parochum, & Eccleſiam non datur ſpirituale coniugium, vt inter Epiſcopum & Eccleſiam: quare illi tempore inſtitutionis non traditur annulus, vt datur Epiſcopo in ſignum contracti matrimonij, *cap. clerici, de vita & honeſt. cleric.* docuit Gigas *de reſidentia Epiſcopor. cap.* 10.

17. EXPONITVR CAP. NON LICET, DE CONSECR. DIST. 4.

Sed adhuc intendam probare, nec R. Pontificem poſſe transferre Epiſcopos de vna Eccleſia in aliam, ex textu *in cap. non licet* 107. *de conſecr. diſt.* 4. vbi ex Concilio Carthag. hæc verba refert Gratianus: *Non licet fieri rebaptizationes, reordinationes, vel tranſlationes Epiſcoporum.* Vbi vno verborum ictu prohibentur in Eccleſia reordinationes, rebaptizationes, & tranſlationes Epiſcoporum; ſed pluſquam notum eſt, reordinationes, & rebaptizationes à iure diuino eſſe prohibitas, nec Pontificem vlla ex cauſa eas permittere poſſe: igitur nec tranſlationes Epiſcoporum, cùm ſub vna verborum contextura ſimul Patres Concilij ea complectantur. Vt huius textus ſenſum, veramque Patrum mentem percipiamus, ſciendum eſt, textum *in dict. cap. non licet*, deductum eſſe ex canone 38. Concilij Carthag. in editione Græca 49. in compilatione Balſamonis 52. Zonaræ verò 53. & in eo tranſcriptum fuiſſe canonem cuiuſdam Concilij Capuani, cui anſam dedit mutatio Creſconij Epiſcopi Regienſis, qui propriâ auctoritate inuaſit Eccleſiam Tubicinam, vt in principio ipſius canonis legitur: *In Synodo Capuæ ſtatutum eſt, vt non liceat fieri rebaptizationes, vel reordinationes, vel mutationes Epiſcoporum. Creſconius tamen Regienſis agri Epiſcopus, ſuo populo contempto ad Tubicinam Eccleſiam rediit.* Quare canonem illum ex Concilio Capuano refert Seuerinus Binius in eo Concilio, *pag.* 697. illius ergo Concilij Carthag. temporibus Epiſcopi, & Preſbyteri à Donatiſtis redeuntes, ab ipſis poſtremis illius ſchiſmatis temporibus iterum baptizabantur, & ſic ad laicorum ſtatum redacti, iterum ordinabantur, & in Epiſcopos repetita ordinatione eligebantur. D. Auguſtinus *lib.* 3. *contra litteras Petiliani*, ibi: *Et rebaptizauerunt illum hominem nonagenarium Epiſcopum.* Obſeruat Albaſpineus *in Optatum cap.* 8. *& 9.* Sciendum etiam eſt, electionem Epiſcopi, vel eius mutationem in aliam Eccleſiam, appellari ordinationem, *can.* 46. *eiuſdem Concilij Carthag. Vt Epiſcopus in diœceſi factus ſolùm eam plebem teneat, quâ extitit ordinatus.* Notauit Cironius *ad hunc titulum, in principio.* Quibus ſic animaduerſis apparet verus ſenſus illius canonis; vt enim Patres Concilij Carthag. prohiberent, damnarentque prædictas rebaptizationes, & reordinationes Epiſcoporum, repetito canone Capuano ſtatuerunt, ne liceret facere rebaptizationes, vel reordinationes: & quia ipſi Donatiſtæ reordinabant

bant Episcopos, eos mutando de sede in sedem, subiunxerunt Patres, *vel translationes Episcoporum*; non quia agnouissent translationes Episcoporum eodem iure esse prohibitas, ac rebaptizationes, seu reordinationes; sed quia ipsi Donatistæ transferendo Episcopos asserebant, eos reordinare; ideò vt totum comprehenderent Patres, simul statuerunt non liceret facere reordinationes, rebaptizationes, vel translationes Episcoporum, quasi idem esset transferre, ac ordinare Episcopos.

18. EXPLICATVR CAP. PASTORALIS 7. Q. 1.

In eandem etiam partem, & ad idem probandum expendo textum *in cap. Pastoralis* 42. 7. *quæstion.* 1. vbi Ioannes Episcopus Lusitanus translatus in Ecclesiam Scilatinam ex iusta causa, videlicet quia Lisitana vrbs per inimicos capta erat, iubetur cessante hostilitate ad primam Ecclesiam redire; quod & iussit Nicolaus Pontifex *in cap. sciscitatis* 47. 7. *quæst.* 1. igitur quia Pontifex nec iustâ causâ accedente potest vinculum spiritualis matrimonij dissoluere, transferendo Episcopum de vna Ecclesia in aliam. Cui difficultati respondendum est, in eo casu Episcopum non fuisse translatum in Ecclesiam Scilatinam in perpetuum, & vt semper eam regeret, sed potiùs vt eam haberet, donec hostilitate cessante possit redire ad primam sedem; quæ translatio cùm non sit absoluta, nec in perpetuum facta, non soluit vinculum prioris Ecclesiæ. Notari autem oportet, in eo textu ordinari aliquem, seu constitui Episcopum, incardinari dici, quo etiam verbo vtitur Gregorius Magnus *lib.* 5. *epist.* 111. ibi: *A nobis petiisse recolimus, vt Gratianum Ecclesiæ Venefranæ Diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum.* Notarunt Spelmanus *in glossario, verbo Cardinari*, Iuretus *in notis ad epist.* 131. *Carnotenses*, I. Vossius *de vitiis serm.*

19. EXPONITVR PELAGIVS II.

Suprà traditæ assertioni opponi videtur Pelagius II. *in epist. ad Benignum Episcopum Bracharensem*, cuius integram ex tomo 3. Conciliorum transcripsit Viuar. *ad Marcum Maximum vbi suprà*, & eius fragmentum extat *in cap. scias* 35. *cap. omnis* 36. 7. *quæst.* 1. in illis verbis: *Non enim benè intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causâ vtilitatis, aut necessitatis fieri posse.* Et statim: *Quapropter, charissime, his Apostolicis fultus auctoritatibus, muta Episcopum.* Et deinceps: *Quia hoc, quod tibi soli scribimus, generaliter omnibus tenere mandamus.* Ex quibus verbis expressè deducitur, Archiepiscopos posse transferre Episcopos de vna Ecclesia in aliam: igitur maiori cum ratione in præsenti casu Patriarcha Antiochenus poterat transferre Episcopum de vna Ecclesia in aliam. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Pelagium *in dict. epist.* 2. rescripsisse Archiepiscopo Brachar. iuxta disciplinam sui temporis; nam cùm eo sæculo 6. Ecclesiæ adhuc non fuisset reseruata translatio Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, sed Metropolitani, qui in Concilio prouinciali Episcopos confirmabant, possent etiam eos transferre; ideò Pelagius ait iusta ex causa secundùm veteres canones illi, & aliis Metropolitanis licere, quod hæsitabatur ab aliquibus Episcopis Bæticæ. Sed postquam cum causis maioribus reseruata fuit translatio Episcoporum R. Pontifici (vt erat temporibus Innocentij III.) non poterat etiam Patriarcha transferre Episcopos, nisi ex delegatione Pontificia, quâ præcedente accipiendus est textus *in cap. si Abbatem, §. finali, de elect. lib.* 6.

Ex eadem etiam animaduersione exponendus est canon 12. Concilij Tolet. 16. in illis verbis: *Felicem Episcopum de Hispalensi Sede, quam vsque hactenus rexit, in Toletanam Sedem canonicè transducimus, & in eadem Hispalensi Cathedra fratrem nostrum Faustinum Bracharensis Sedis Episcopum, necnon & Fœlicem Portugalensis Ecclesiæ Antistitem in præfata Bracharensi Sede Pontifices subrogamus.* Ex quibus verbis expressè constat, Concilium prouinciale, seu nationale, quale erat Concilium Toletanum, potuisse transferre Episcopos de vna Ecclesia in aliam. Qui textus iuxta suprà dicta facilè procedit: nam cùm olim Episcoporum confirmatio, & ordinatio ad Concilium prouinciale spectasset, Concilio Tolet. 12. *can.* 6. non vt voluit Loaysa *in eius notis*, ex delegata Pontificis potestate, quam etiam in depositione Sisberti, de quo *in dict. can.* 12. supponit Luitprandus *in chron. anno* 693. *num.* 57. nec ex speciali ratione distantiæ à Sede Romana, quam probat, & exornat Salgado *de retent. bullar. part.* 1. *cap.* 1. §. *vnico*, *num.* 46. sed quia illis temporibus iuxta Ecclesiæ canones Metropolitani in Conciliis prouincialibus ordinabant, & deponebant Episcopos, vt sæpè sæpius notaui *in tit. antecedenti*, & probat fusè P. Marcha *lib.* 6. *concord. passim.* Cùm ergo in Concilio prouinciali ordinatio Episcoporum fieret, etiam ex iusta causa de vna in aliam Ecclesiam transferebantur, quod & cautum legimus *in can.* 14. *Apostolor.* vbi postquam prohibitum fuit Episcopis, ne transirent de vna Ecclesia in aliam, nisi maioris lucri causâ, adiicitur: *Et hoc non à semetipso prætendat, sed multorum Episcoporum iudicio.* Et in Concilio Antiocheno *can.* 16. Carthag. 4. *can.* 27. *Si id vtilitas Ecclesiæ faciendum proposuerit, decreto pro eo clericorum & laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur.* Et *lib.* 1. *Capitul. Caroli, cap.* 137. *Ne de vno in alium locum transeat Episcopus sine decreto Episcoporum:* notarunt Ioannes Dartis *de beneficiis cap. de translat. Episcopi.* Bosquetus *in notis ad Innocentium III. lib.* 3. *epist.* 175.

20. INTELLIGITVR CAN. 12. CONCILII TOLET. 16.

Tandem præsenti decisioni opponi potest textus *in cap. mos* 6. 65. *dist.* in illis verbis: *Quandoquidem Episcopo Romano par illis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam.* Ex quibus verbis deducitur, Patriarcham Antiochenum, & alios æquali frui potestate, quâ R. Pontifex vtitur: igitur si Pontifex potest transferre Episcopos de vna Ecclesia in aliam, similiter & Patriarcha Antiochenus in præsenti casu Episcopum transferre poterat, cùm vtriusque parilis auctoritas sit. Hoc Concilij Nicæni canone suffulti hæretici, tam antiqui, quàm neoterici, intendunt Primatum R. Ecclesiæ euertere, asserendo æqualem cum eo habere potestatem Patriarchas. Vnde Catholici varia adduxerunt pro huius canonis expositione, vt constat ex traditis à Bellarmino *lib.* 2. *de R. Pontifice, cap.* 13. Coqueo *in Morneum part.* 1. *pag.* 155. Turriano *in dogmat. fol.* 184. Corjolano & Binio *in notis ad ipsum canon.* Cæsar. *de eccles. iast. disput.* 4. §. 2. Baronio *anno* 325. vbi Spondanus *numer.* 23. Morino *lib.* 1. *exercit. cap.* 29. Leone contra Vvaramundum *cap.* 7. Sirmundo *in tract. de suburbicariis regionib.* Martha *de iurisdict.* 1. *part. cap.* 15. Germonio *lib.* 3. *de sacrorum immunit. cap.* 5. Hallierio *de hierarch. lib.* 4. *c.* 4. *art.* 3. §. 3. qui plures adducunt solutiones, ex quibus illa semper placuit, quæ asserit, in eo textu tantùm affirmari,

21. EXPONITVR CAP. MOS, 65. DIST.

affirmati, ex R. Eccleſiæ auctoritate, quæ ſemper habuit in vniuerſa Eccleſia Primatum, Epiſcopum Alexandrinum omnium Eccleſiarum, quæ ſunt in Ægypto, in cuius ditione continebantur Libya, & Pentapolis, habere poteſtatem, quoniam ſic moris fuit Epiſcopo Romano illi concedere; ſiue quia R. Pontifex conſueuit per Epiſcopum Alexandrinum eam prouinciam gubernare. Quæ interpretatio vt perpendatur, ſciendum eſt, ex varia editione, & ex Græca in Latinum ſermonem verſione, difficultatem illius canonis emanaſſe; quare illa erit verior interpretatio, quæ puriori tranſlationi conueniet. Nulla autem verior, puriorque tranſlatio credi poteſt, quàm approbata à Synodo Chalcedonenſi, *actione* 16. vbi à Paſchaſino Apoſtolicæ Sedis Legato ita canon ille recitatur: *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum, tenuit autem Ægyptus, vt Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem; quoniam & Epiſcopo Romano hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt, & in cæteris prouinciis, Primatus habeant Eccleſiarum.* Eadem ferè eſt verſio Dionyſij Exigui: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum, mos autem durat in Ægypto, &c.* Ex quibus editionibus rectè perpenſis tantùm conſtat, Patriarchas in ſuis prouinciis habere plenam iuriſdictionem, & poteſtatem, non autem in vniuerſali Eccleſia, vt R. Pontifex obtinet. Deſunt autem *in dict. cap. mos*, illa verba: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*, quia Gratianus, ſicut alij illius canonis compilatores, exiſtimarunt verba illa eſſe titulum canonis, non verò partem ipſius: quare ea in corpore canonis non inſeruerunt, vt docet Baronius *dict. anno* 325. qui feliciter Rufini, Balſamonis, & aliorum interpretationes refellit. Manet ergo, parem non eſſe poteſtatem Patriarcharum, ac R. Pontificis; quare ſicut alia facit Pontifex, quæ Patriarchæ ſtatuere non valent, de quibus Germonius *lib. 3. de ſacror. immunit. cap. 5. & 7.* ita & transfert Epiſcopos, cùm Patriarchæ transferre non poſſint.

CAPVT II.

[a] Idem *Decano, & Capitulo* [b] *Andegauenſi.*

INter corporalia, & ſpiritualia eam cognouimus exiſtere differentiam, quòd corporalia faciliùs deſtruuntur, quàm conſtruantur: ſpiritualia verò faciliùs conſtruuntur, quàm deſtruantur. Vnde iuxta canonicas ſanctiones Epiſcopus ſolus honorem dare poteſt, ſolus autem auferre non poteſt. Epiſcopi quoque à [c] Metropolitanis ſuis munus conſecrationis recipiunt, qui tamen non poſſunt, niſi per R. Pontificis ſententiam [d] condemnari. Cùm ergo fortius ſit ſpirituale [e] vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus coniugium, quod eſt inter Epiſcopum, & [f] Eccleſiam, ſuo tantùm iudicio reſeruauerit diſſoluendum: qui diſſolutionem carnalis coniugij, quod eſt inter virum & fœminam, ſuo tantùm iudicio reſeruauit, præcipiens, vt quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Non enim humanâ, ſed diuinâ potiùs poteſtate coniugium ſpirituale diſſoluitur, cùm per tranſlationem, vel depoſitionem, aut etiam ceſſionem authoritate R. Pontificis, quem conſtat eſſe Vicarium Ieſu-Chriſti, Epiſcopus ab Eccleſia remouetur: & ideo tria hæc, quæ præmiſimus, non tam conſtitutione canonicâ, quàm inſtitutione diuinâ, ſoli ſunt R. Pontifici reſeruata. Sicut autem Epiſcopus conſecratus ſine licentia R. Pontificis ſuam non debet Eccleſiam derelinquere; ſic & electus confirmatus per eius aſſenſum ſuam deſerere nequit Eccleſiam, cui eſt matrimonialiter alligatus; cùm non debeat in dubium reuocari, quin poſt electionem, & confirmationem canonicam inter perſonas eligentium, & electi coniugium ſit ſpirituale contractum. Cui profectò Epiſcopalis dignitas nihil addit, cùm quis Epiſcopali præditus dignitate, nullius [g] tamen Eccleſiæ poſſit eſſe Epiſcopus: quem admodum de illo contingit, qui honori Pontificali renuntiat, non [h] oneri. Vnde cùm non maius ſit vinculum Epiſcopi ad Eccleſiam, quàm electi, maximè cùm fuerit confirmatus; immò idem penitus, & non aliud, idem iuris obtinet in vtroque. Sicut ergo Epiſcoporum tranſlatio, vel etiam depoſitio, ſic & electorum, poſt confirmationem, ratione ſpiritualis coniugij ſoli eſt R. Pontifici reſeruata. Licèt vſque ad tempora iſta, quod cautum fuerat de Epiſcopis, expreſſum non fuerat de electis; propter expreſſam tamen ſimilitudinem, vel identitatem potiùs, nemini poterat videri dubium ſubtiliter intuenti, cùm idem iudicium de ſimilibus ſit habendum. Sed neque illud, quod in canone legitur de electo, vt ſi vltra quinque menſes per ſuam negligentiam retinuerit viduatam Eccleſiam, nec ibi, nec alibi conſecrationis donum percipiat, immò Metropolitani ſui cedat iudicio; aliter intelligentibus poterat ſuffragari, cùm non intelligatur Eccleſia viduata, quaſi ſponſum non habeat, ſed quia cùm ſponſus eius nondum ſit conſecratus, adhuc quoad quædam quaſi viri maneat ſolatio deſtituta: ſicut iuxta communem modum loquendi illa dicitur Eccleſia vi-

duata, quæ licèt Episcopum habeat, [i] inutilem tamen perhibetur habere. Nec quod de cessione subsequitur, & statutum fuit ad pœnam, trahi debet ad gratiam: vt sicut Metropolitani iudicio electus deiicitur, ita etiam ad aliam Ecclesiam possit transferri: præsertim cùm nec sine authoritate R. Pontificis fiat cessio, vel deiectio memorata, qui vt hæc possent, ex canone illo Metropolit. indulsit. Vnde si circa translationem idem fieri voluisset, quod de cessione dixerat, de translatione poterat expressisse: & quod non est Sanctorum Patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinuentionibus præsumendum; præsertim cùm nonnunquam intelligatur prohibitum, quod non inuenitur expressum. Sanè nos qui sacrâ docente Scripturâ monemur, ne nostrum alij demus honorem, quoniam Apostolatui nostro multis referentibus innotuerat, quod venerabilis frater noster [j] Turonen. Archiepiscopus Magistrum Vv. de Chimeleio, qui electus fuerat in Episcopum [k] Abricen. & per [l] Metropolitanum suum posteà confirmatus, aliquandiu tam in spiritualibus, quàm in temporalibus ministrarat, in Ecclesiam vestram præter Apost. Sed. auctoritatem transferre præsumpsit, & Episcopum consecrare; quem & venerabilis frater noster Rothomagensis Archiepiscopus præter Apost. Sedis mandatum absoluit, & ei tribuit licentiam transeundi: venerabili fratri nostro Bisuntino Archiepiscopo, de quo plenam fiduciam obtinemus, dedimus in mandatis, vt inquisitâ super hoc pleniùs veritate, si rem gestam taliter inueniret, tam memoratum Turonensem, quàm ipsum Rothomagensem Archiepiscopos, qui saltem Apostolicam Sedem super hoc, quod nouum emerserat, præsertim cùm iuxta traditiones canonicas, maiores ecclesiasticæ causæ ad Sedem Apostolicam sint deferendæ, consulere debuerunt, à confirmatione pariter & [m] consecratione Pontificis; memoratum verò Vv. ab executione Pontificalis officij, nostrâ fretus auctoritate suspenderet: qui mandati nostri diligens executor, super quo deuotionem eius dignâ gratiarum prosequimur actione, cùm per confessionem spontaneam eidem Bituricen. Archiepiscopo de veritate negotij constitisset, dictos Archiepiscopos, & Episcopum iuxta tenorem mandati nostri suspendit. Et quamuis iidem Archiepiscopi Turonen. & Rothomag. tanquam maiores plus excesserint in præmissis, præfatus verò Episcopus minùs, vtpote illorum, tanquam maiorum, errorem secutus; nos tamen intellectâ per litteras & nuntios eorundem Archiepiscoporum confessione spontanea, & supplicatione deuota, veniam errori dedimus: quia non ex malignitate, sed ex simplicitate peccarunt. Et quoniam præfatus Episcopus, qui & minùs peccauerat, & (sicut ex præmissis apparet) seueriùs fuerat castigatus, ad Apostolicam Sedem spontanea voluntate, non tamen sine multis laboribus, & expensis accessit, reatum suum cognoscens humiliter, & deuotè misericordiam postulans, iudicium non requirens: nos super facto eius cum fratribus nostris communiter tractatum habentes, & subtiliter indagantes, quod licèt munus sibi consecrationis impensum, nec prioris Ecclesiæ ipsum Pont. fecerit, nec secundæ, cùm ad primam non fuerit consecratus, & ad secundam prioris vinculo perdurante non potuerit canonicè consecrari, adhuc alteri alligatus coniugaliter; illud tamen prouidè attendentes, quod & vrgens [n] necessitas, & euidens vtilitas Ecclesiæ vestræ, quoniam non poteratis in aliam personam idoneam conuenire, dispensationis gratiam requirebant: eo de plenitudine potestatis, tam à vinculo prioris Ecclesiæ, quàm à pœna suspensionis penitus absoluto, de benignitate sibi Apost. Sedis duximus concedendum, vt prioris consensu hactenus perdurante, sicut per litteras personarum Ecclesiæ vestræ nobis est intimatum, Andegauen. Ecclesiam tanquam proprius Pontifex, ad laudem, & gloriam nominis Dei, ad honorem & exaltationem ipsius, ad salutem, & vtilitatem suam, & tam Cleri, quàm populi sibi commissi, studeat gubernare: vt prætueniente diuinâ gratiâ, & sequente, plus prodesse velit, & valeat, quàm præesse: præsertim temporibus istis, quibus cùm abundet iniquitas, & peccatis exigentibus multorum charitas refrigescat, opus est non mercenario, sed pastore. Quocirca per Apost. scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsum Episcopum, tanquam patrem, & pastorem animarum vestrarum recipientes humiliter, & deuotè, reuerentiam ei debitam, honorem, & obedientiam impendatis: vt ipse in vobis filialem deuotionem inueniat, & vos in eo paternum reperiatis affectum. Dat. Lateram XII. Cal. Februarij.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & in ipso regestro epistolarum Coloniæ edito, *pag.* 255. ex quo litteram textus restituto, & præsentis casus mentio fit in gestis Innocentij à Bosqueto editis, per hæc verba. [Cùm autem Turonensis Archiepiscopus quendam, qui fuerat electus in Episcopum Abricen. & per Metropolitanum suum postea confirmatus, & tam in spiritualibus, quàm temporalibus aliquandiu ministrauit, ad Andegauensem Ecclesiam præter Apostolicæ Sedis auctoritatem præsumpsisset transferre, ac Episcopum consecrare, quem Rothomagensis Archiepiscopus præter Apostolicæ Sedis mandatum à priore absoluit Ecclesia, & ad posteriorem ei licentiam tribuit transeundi; attendens idem prudentissimus Papa, hoc attentatum esse in derogationem Apostolicæ dignitatis, cui soli competit Episcoporum translatio, vtrumque; Archiepiscopum à confirmatione pariter, & consecratione Pontificum; ipsum autem electum à Pontificalis officij executione suspendit, auctoritatibus euidenter ostendens, quod idem iuris est in confirmatis electis, quàm in Episcopis consecratis.]

2. b *Andegauen.*] Andegauensis vrbs est Galliæ, in prouincia Lugdunensi, totius prouinciæ caput, cuius meminerunt Ptolomeus *lib.* 2. *cap.* 7. Brito *lib.* 10. *Philippidos*, quos & alios referunt Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Galliæ*, *fol.* 111. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Mauricio dicatam, cuius Præsulum seriem referunt Fratres Sarmat. vbi suprà, Chenu *in chronol. Galliæ.*

c *Metropolitanis.*] *Cap. si Archiepiscopus*, *de temporibus ordin.* vbi dicemus.

d *Damnari.*] Vt docent repetentes *in cap.* 1. *de iudiciis.*

3. e *Fortius vinculum.*] Facit idem Innocentius *lib.* 1. *epistol. fol.* 153. vbi Fauentino Episcopo ita scribit: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Vtrique autem, carnali scilicet, & spirituali coniunctioni competit, quod superius est præmissum: quod Deus coniunxit, homo non separet: vt nec liceat homini carnali matrimonio legitimè copulatos diuidere, nec spirituali coniugio canonicè vinctos, vt Episcopum & suam Ecclesiam, separare. Licèt autem videri posset ex his, quod Summus Pontifex spirituale matrimonium, Episcopi scilicet, & Ecclesiæ, separare non possit; cùm tamen ex consuetudine, quæ est optima legum interpres, & sacris canonibus habeatur, quod per cessionem, depositionem, & translationem, quæ soli sunt Sedi Apostolicæ reseruatæ, super hoc plenam habeat potestatem, sanè intelligentibus id nullum dubitationis scrupulum generauit; cùm non humanâ, sed diuinâ fiat auctoritate, quod in hac parte per summum Pontificem adimpletur: qui non hominis puri, sed veri Dei verè Vicarius appellatur. Nam quamuis simus Apostolorum Principis successores, non tamen eius, aut alicuius Apostoli, vel hominis, sed ipsius sumus Vicarij Iesu-Christi: vnde quos Deus spirituali coniunctione ligauit, non homo, quia non vicarius hominis; sed Deus, quia Dei Vicarius separat, cùm Episcopos à suis sedibus per eorum cessionem, depositionem, & translationem aliquando remouemus. Quæ tria ex hac, quam ostendimus ratione, meritò sunt tantùm R. Pontifici reseruata: qui licèt alios Episcopos vocauerit in partem solicitudinis, sibi tamen retinuit plenitudinem potestatis; siquidem ex litteris venerabilium fratrum nostrorum,* &c. Quatenus tamen hoc vinculum fortius dicatur, exposui *in cap. antecedenti.*

f *Episcopum & Ecclesiam.*] *Cap. quoniam,* §. *quia verò, vt lite non contest. cap. super his, de accusat.* vt etiam Pontifex dicitur sponsus totius Ecclesiæ, vt probat & illustrat Theophilus Raynaudus *tom.* 10. *in Corona Aurea, verbo Sponsus.*

g *Nullius tamen Ecclesiæ.*] Hinc inter Episcopos titulares, & Ecclesias in partibus infidelium existentes verum datur matrimonium, cùm illi propriè Episcopi sint. Trident. *sess.* 14. *de reform. cap.* 2. probant Vazquez 3. *part. in* 3. *disput.* 241. *cap.* 1. *num.* 6. Diana *part.* 12. *tract.* 1. *resolut.* 51.

h *Oneri.*] Paronomasia non inelegans, Episcopatus non est honos, sed onus D. Hieronymus relatus *in cap. illud* 8. *quæst.* 1. *Retrahit se ab hoc, non tam honore, quàm onere.* Idem ad Heliodorum: *Igitur intelligens clericatum, non honorem esse, sed onus.* Iuo Carnot. *epist.* 17. *Quid est tibi Episcopatus, nisi cruciatus? quid aliud est hic honos, nisi onus?* Nouella Maioriani *de Episcop. iudicio.* 4.

i *Habeat inutilem.*] Vnde vidua dicitur vxor, quæ absentem & inutilem maritum habet, vt probat Felicianus Vega *in cap. ex tenore, numer.* 15. & notaui *in cap. ne pro defectu* 41. *de electione.*

j *Turonensis.*] Bartholomæus videlicet de Vendosme, cui etiam rescribit Innocentius in eundem modum ac Capitulo Andegau. *lib.* 2. *epistol. fol.* 222. vbi suspensionis sententiam illi, & Rothomagensi relaxat in hæc verba: [Quia verò tu, & dictus Archiepiscopus nobis humiliter & deuotè per nuncios, & litteras supplicastis, vt veniam dantes errori, quia non ex malignitate, sed ex simplicitate peccastis, cùm id etiam & vrgens necessitas, & euidens vtilitas Andegauen. Ecclesiæ postularet, quoniam in aliam personam idoneam non poterant conuenire, vestris canis misericorditer parceremus, ne vitam in confusione vltatenus finiretis. Nos, qui personam tuam sincera charitate diligimus, & tuo, quantùm cum nostro possumus, intendimus honori deferre: cùm te inter fratres, & coepiscopos nostros membrum honorabile reputemus, & confessionem spontaneam, & supplicationem deuotam benigniùs attendentes, de consueta Rom. Sedis clementia pœnam inflictam duximus relaxandam: venerabili fratri nostro Bituricen. Archiepiscopo per Apostolica scripta mandantes, quatenus te, & præfatum Rothomagen. Archiepiscopum à pœna suspensionis publicè denuntiet absolutos.] 5.

k *Abricens.*] Abricensis ciuitas est in Normannia, prouinciæ Lugdunensis secundæ, cuius meminerunt Ptolomeus *lib.* 2. *cap.* 8. Gregorius Turon. *lib.* 11. *miracul. S. Martini, cap.* 36. Habet Ecclesiam Cathedralem ab anno 1121. vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 1. In præsenti agitur Guillelmo Camiliacho, de quo iidem Fratres *ibi, num.* 27. 6.

l *Metropolitanum.*] Rothomagensem videlicet, quia Abricensis Ecclesia est suffraganea Rothomag. His temporibus eam regebat Vvalterus de Constantiis, de quo plura Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ, fol.* 583. 7.

m *A consecratione.*] Quia non solùm confirmarunt,

marunt, verùm & consecratunt ipsum Episcopum: at verò *in cap. antecedenti*, tantùm confirmarunt; & sic ibi tantùm Patriarcha priuatur confirmandi potestate.

n *Necessitas & vtilitas.*] Quæ sunt iustæ causæ translationis Episcopi, vt probaui suprà *in cap.* 1. & eas exponit Petrus Passerinus *de elect. cap.* 30. *num.* 58.

CAPVT III.

[a] Idem [b] *Bambergen. Episcopo, & P. Scholastico Maguntin.*

QVantò personam ven. fratris nostri N. Hildesemen. quondam Episcopi synceriori diligimus affectu, tantò securiùs sperabamus, quòd nihil aduersus matrem suam Romanam Ecclesiam, in præiudicium sui ordinis, & ecclesiasticæ disciplinæ dispendium attentaret. Sanè sicut certâ multorum assertione comperimus, & suarum didicimus nihilominus testimonio litterarum, quibus ad nos directis [c] Herbipolen. se Pontificem nominabat, ipse relictâ [d] Hildesemen. Ecclesiâ, cui fuerat spirituali coniugio copulatus, ad Herbipolen. sine auctoritate R. Pontificis propriâ temeritate transiuit, non attendens, quòd veritas in Euangelio protestatur: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Potestatem enim transferendi Pontifices ita sibi retinuit Dominus & Magister, quod soli beato Petro Vicario suo, & per ipsum successoribus suis, & nobis ipsis, qui locum eius (licèt indigni) tenemus in terris, speciali priuilegio præbuit, & concessit, sicut testatur antiquitas, cui decreta Patrum sanxerunt reuerentiam exhibendam, & euidenter asserunt sanctorum canonum sanctiones. Non enim homo, sed Deus separat, quod R. Pontifex, qui non puri hominis, sed Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate, vel vtilitate pensatâ, non humanâ, sed diuinâ potius auctoritate dissoluit. Nolentes autem tantæ præsumptionis audaciam relinquere impunitam, cum secundùm Apostolum omnem inobedientiam prompti simus vlcisci, ne facti peruersitas transeat præsumptoribus in exemplum: quod quidem (si verum est) non potest non esse notorium, auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & nostrâ, de communi fratrum nostrorum consilio in virtute Spiritus sancti districtè tibi præcipimus, vt visis litteris nostris, omni contradictione, & appellatione cessantibus, administrationem ipsius Herbipolen. Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm temporalibus penitus derelinquat. Si verò (quod non credimus) hanc suspensionem nostram non curauerit humiliter obseruare, & inhibita sibi vsurpare præsumpserit, excommunicationis vinculo ipsum decernimus innodatum. Omnibus etiam, tam clericis, quàm laicis Herbipolen. diœcesis, sub anathematis interminatione præcipimus, vt non obstante [e] iuramento fidelitatis, omnem ipsi obedientiam subtrahant, quam ipse sibi contra sacros canones vsurpauit, non attendens quod dicit Apostolus: Nemo sibi assumat honorem, sed qui [f] vocatur à Deo, tanquam Aaron. Cæterùm quoniam Herbipolen. Canonici vota sua in ipsum prorsus illicitè contulerunt, volentes (sicut dignum est) vt in eo puniantur, in quo peccarunt, eligendi eos hac vice potestate suspendimus: & si contra Sedis Apostolicæ interdictum ad cuiusquam nominationem processerint, quod ab eis factum fuerit, irritum decernimus, & inane. Quia verò iamdictam Hildesemen. Ecclesiam, cui fuerat alligatus, vnde (secundùm Apostolum) solutionem quærere non debebat, nimis improbè dereliquit, ne ad ipsam vlteriùs redeat, in virtute Spiritus sancti ei districtiùs inhibemus: cùm secundùm traditiones canonicas, qui ad maiorem se plebem transtulerit, à Cathedra quidem pelli debeat aliena, & carere propriâ, vt nec illis præsideat, quos per superbiam spreuit; nec illis, quos per auaritiam concupiuit. Nos quoque Hildesemensi Capitulo dedimus in mandatis, vt ipsum redire volentem nulla ratione recipiant: vt sic saltem, quem timor Dei, & bonum obedientiæ, de cuius laude quid sentiendum sit, ex diuerso meliùs demonstratur; cum secundùm Prophetam peccatum ariolandi sit repugnare, & scelus idololatriæ nolle acquiescere; à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. Quocirca discr. vestræ per Apost. scripta mandamus, & sub pœna officij, & beneficij, quantâ possumus districtione præcipimus, quatenus nisi dictus Episcopus, & alij, quæ statuimus, & mandauimus, infrà viginti dies post receptionem litterarum nostrarum curauerint adimplere, vos ea sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, exequi non tardetis, & præfatum Episcopum excommunicatum per regnum

Alemaniæ

Alemaniæ nuntiantes, excommunicationem ipsam faciatis Dominicis, & festiuis diebus, pulsatis campanis, & accensis candelis publicè innouari. Quod si ambo, &c. Alter vestrum, &c. Datum Spolet. XII. Cal. Septembris.

NOTÆ.

1. *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & in ipso regestro epistolarum Coloniæ edicto, *pag.* 255. ex quo litteram textus restituo, & præsentis casus mentio fit in gestis Innocentij à Bosqueto edictis, per hæc verba. [Propter similem quoque causam excommunicauit Conradum Hildesemensem Episcopum, Imperialis aulæ Castellanum, virum vtique nobilem, diuitem, & potentem, ingeniosum, industrium, & astutum; quia videlicet ad Herbipolensem Ecclesiam suâ præsumpsit temeritate transire, monitusque contempsit resipiscere ab errore, prætendens quod à Cælestino Papa sibi fuerat indultum, vt inuitatus maiorem posset assumere dignitatem. Sed hæc indulgentia eum non poterat excusare; quoniam Herbipolensis Ecclesia, quamuis ditior, non tamen dignior quàm Hildesemensis existit: & maioris est indulgentiæ, vt transeat quis ad parem, quàm ad maiorem ascendat. Et ideò cùm post admonitionem contemptam præcepisset eidem, quatenus Ecclesiam vtramque dimitteret; quia cautum est in canonibus, vt qui ad maiorem se plebem transtulerit, & à Cathedra pelli debeat, & carere propriâ; vt nec illis præsideat, quos per superbiam spreuit; nec illis, quos per auaritiam concupiuit, ipse tandem excommunicari fecit eundem, & excommunicatum per totam prouinciam publicari. Qui cùm ab omnibus vitaretur, tentauit multoties per honorabiles nuntios, si forsan intercessione Principum, aut oblatione munerum eius posset animum inclinare: qui cùm nullo modo proficeret, proprium tandem recognoscens excessum, primò coram Magdeburgensi Archiepiscopo, & multis Principibus; ac secundò coram Moguntinensi Archiepiscopo, & multis aliis Magnatibus iuramento firmauit, quòd mandatis Apostolicis obediret. Et exinde nec viarum euitans discrimina, nec incommoda temporis impacati, ad Apostolicam Sedem accessit in multa contritione cordis, & magna vilitate corporis, absolutionis beneficium implorans. Qui cùm fuisset iuramento rursus præstito absolutus, depositis calceamentis, in pallio, cum corrigia in collo, Apostolico se conspectui præsentauit, & prosternens se totum in terram, in modum crucis manus expandit, cum grandi fletu postulans indulgentiam, proprium confitendo peccatum. Commota sunt autem viscera Summi Pontificis super eum, sed ne dissolueret neruos ecclesiasticæ disciplinæ, post deliberationem, & disciplinam multiplicem in summo Consistorio præcepit eidem sub debito præstiti iuramenti, vt tam Hildesemensem, quàm Herbipolensem Ecclesiam omninò dimitteret; qui, quamuis omnino confusus, humiliter obediuit, faciens de necessitate virtutem. Misitque munera quædam ipsi Domino Papæ, vasa videlicet argentea pulchra visu, qui animo hæsit paulisper, hæsitans, vtrum deberet illa recipere, an potiùs refutare. Sed ne ille de gratia sua penitus desperaret, recepit oblata; & ne putaret, quod munerum posset oblatione corrumpi, misit ei per honorabilem nuncium vnam cuppam auream pretiosam magis, quàm illa essent vasa argentea vniuersa. Volens autem infundere super oleum, cùm præcepisset vt Hildesemensis Ecclesia idoneum sibi Pontificem per electionem canonicam prouideret, ordinationem duxit Herlipolensis Ecclesiæ differendam, vt si forsan eundem Ecclesia iteratò postularet, eundem humiliatum erigeret, quem deiecerat exaltatum; sicque post annum factum est vt præuidit, ne ex aliqua parte suum iudicium claudicaret. Similem penè modum aduersus Salzeburgensem Archiepiscopum obseruauit, qui cùm esset Brismensis Episcopus, in Archiepiscopum Salzeburgensem electus, absque licentia Summi Pontificis ad Metropolitanam Ecclesiam transire præsumpsit; quam electionem omnino cassauit, & præcepit eidem, vt ad primam Ecclesiam, secundâ relictâ, rediret, cassans quicquid egerat apud illam. Vnde Burgensem electum à Burgensi Episcopatu remouit; quoniam in eum ab ipso fuerat institutus; ipse verò ex eo perterritus humiliter obediuit. Cumque postmodùm fuisset electus, electionem recipere non præsumpsit; sed cum electoribus suis ad Apostolicam Sedem accessit, dispensationis gratiam obtenturus: & quidem obtinuit, vt experimento cognosceret, quod in arca fœderis, & virga continetur, & manna.] Eandem historiam referunt Abbas Vrsperg. *de bel. Philip. & Othonis, ad annum* 1125. Krantzius *lib.* 7. *Metrop. cap.* 9. *&* 17. Tritemius *in chron. ann.* 1201.

b *Bambergen.*] De hac Ecclesia & Moguntina egi *in cap. cùm dilecta* 22. *de rescriptis.* 2.

c *Herbipolensi.*] Herbipolensis ciuitas est in Germania, suffraganea Archiepiscopi Maguntini, de qua Bucherus *in Belgico-Romano.*

d *Hildesemen.*] Etiam est Ecclesia Cathedralis Germaniæ, de qua Bucelinus *in Germ. sacra.*

e *Nonobstante iuramento.*] Prout Pontifex facere potest, vt probat Beroius *in c. quæ in Ecclesiarum, de constit. num.* 165. Ipsum Conradum à Gallis posteà sceleratè occisum fuisse refert Spondanus post Baronium *anno* 1204. *num.* 21. eumque præsentis excessus arguit ipse Innocentius *lib.* 2. *in editione Coloniæ, folio* 276. dum illi ita scribit. 3.

C. quondam Hildesemensi Episcopo.
Sine salutatione.

Quod tibi Apostolicæ salutationis alloquium denegamus, non ex maleuolentia nostra procedit: sed cùm olim præter auctoritatem Apostolicæ Sedis, ad quam cessiones, depositiones, & translationes Episcoporum spectare noscuntur, ad Herbipolen. Ecclesiam ab Ecclesia præsumpsisses Hildesemen. transire, Archiepiscopis & Episcopis Alemaniæ, ac tibi ipsi (si tamen ad te litteræ nostræ peruenerunt) & tam Herbipolen. quàm Hildesemen. Capitulo contra te litteras curauimus destinare: quas cùm ad eos, ad quos mittebantur, sicut ex relatione cursorum nostrorum accepimus, nouerimus peruenisse, ab ipsis iuxta tenorem ipsarum in te credimus fuisse processum. Sanè non erat nobis tutum in hoc articulo dissimulare Apostolicæ Sedis iniuriam, aut priuilegiorum nostrorum æquanimiter sustinere iacturam, ne dissimulatio in approbationem, & taciturnitas in consensum posset ab aliquibus allegari. Vnde maluimus in te, licèt olim dil. nobis, cùm in minori

essemus officio constituti, aliquam exercere vindictam, quàm impunitus excessus traheretur à posteris in exemplum. Miramur autem non modicùm, & non sine ratione mouemur, quòd contra nos ausus es ponere os in cœlum: asserens quod contra te nec citatum, nec victum non fuerat sententia proferenda. Sed ecce, in quo alterum iudicas, te ipsum condemnas: cùm tuum non fuerit de superiori temerè iudicare, & in eo quod in excusationem tuam, immò potius accusationem nostram allegas, tertium membrum omiseris, cùm in manifestis non sit ordo iudiciarius requirendus. Verùm vtrum excessus tuus fuerit manifestus conscientiæ, tuæ relinquimus discernendum; cùm non potuerit esse occultum, quod tam publicè factum fuit, & per totam Teutoniam publicatum. Tu etiam confessus videris de crimine, cùm in litteris ad nos directis, quas adhuc apud nos in testimonium reseruamus, Herbipolen. te præsumpseris Episcopum appellare. Nec credere de facili debuisses, quod in odium tuum, aut in exaltationem alicuius, & depressionem alterius, duximus procedendum: cùm te dilexerimus hactenus, & adhuc etiam (nisi fortè tu ipse impedias,) diligimus: & non glorioſum, sed periculosum nobis existeret, in fauorem alicuius in te proferre sententiam, aut aliquem ex maleuolentia condemnare. Omni ergo excusatione cessante, si apud nos desideras gratiam inuenire, mandatum studeas Apostolicum adimplere: non rediens ad Hildesemen. Ecclesiam, & ab Herbipolen. recedens, vt tunc tandem, quem circa te in hoc etiam geramus affectum, euidenter agnoscas.

f *Qui vocatur à Deo.*] Vnde iustè repelluntur à dignitatibus, qui se illis ingerunt, *l.* 2. §.47. *ff. de origine iuris.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX hoc textu sequens deducitur assertio: *Episcopus, qui se propria auctoritate transfert de vna Ecclesia in aliam, priuatur vtraque.* Probant eam textus *in cap. non oportet* 19. *cap. Episcopus* 25. *cap. propter* 26. *cap. sicut, cap. mutationes, cap. cos, cap. si quis Episcopus, cap. remoto, cap. suas, cap. Episcopum, cap. Episcopus* 37. 7. *quæst.* 1. *cap. si translatus,* §. *penult.* 21. *quæst.* 2. *cap. petimus* 11. *quæst.* 1. *cap.* 1. *de Cleric. non resident.* Concilium Tribur. *can.* 18. Aquisgran. *can.* 43. & 44. Beneuent. *can.* 13. *sub Fabiano IX.* Nicænum *can.* 15. Nannetense *can.* 16. Can. 14. 15. & 16. *Apostolor.* Arelat. 1. *can.* 2. & 22. & secundum *can.* 13. & tertium *can.* 4. Toler. 2. *can.* 2. Carthag. 3. *can.* 37. Parisiense sub Ludouico *can.* 13. Chalcedon. 5. *can.* 5. & 10. Leo Magnus *epist.* 84. Hilarius *epist.* 1. *ad Tarracon. Episcop.* Damasus *in confessione fidei,* relatus à Theodoreto *lib.* 5. *histor. cap.* 21. Iulius I. *in epist. ad Eusebianos*; quæ & alia iuris testimonia compilauit Anton. Augustin. *in epitome iuris lib.* 4. *tit.* 77. & *lib.* 7. *tit.* 11. & *lib.* 8. *tit.* 31. *Nouella* 3. *Iustin.* Consonat lex 25. *titul.* 6. *partit.* 1. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & de iure ecclesiast. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 28. & *de potest. Episcop.* 2. *part. allegat.* 119. Petrus Gregorius *lib.* 16. *syntagm. cap.* 12. Duarenus *de sacris ecclesiast. lib.* 5. *cap.* 3. Cuiacius *in cap.* 1. *de cleric. non resident.* Solorzanus *lib.* 1. *de iure Indiar. cap.* 13. *num.* 103. Iustelus *in notis ad can.* 48. & 129. *Ecclesiæ Afric.* Æneas Robertus *lib.* 1. *rerum iudic. c.* 7. Hieronymus Garcia *tom.* 2. *polit. regul. difficult.* 1. *dub.* 13. Michaël Rousselius *lib.* 1. *histor. Pontif. in. risd. cap.* 4. *num.* 6. pluribus relatis Illustrissimus Ioannes Martinez *discursu* 1. *polit.*

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Verùm præsens decisio vt iuri, & naturali libertati contraria, sustineri nequit; nam iuris dispositio, per quam infringitur naturalis libertas, admitti non debet; sed præsens dispositio infringit naturalem libertatem: igitur sustineri non debet. Probatur minor, nam dispositio, vt quis à tali loco, vel ciuitate non recedat, infringit naturalem libertatem: *De sua cuique ciuitate statuendi facultas libera esse debet* (aiebat Triphoninus) *in l. in bello* 12. *ff. de captiuis*; & Cicero *in oratione pro Balbo*, laudat ius illud, ne quis in ciuitate maneat inuitus: vocat & fundamentum libertatis, sui quemque iuris retinendi, & dimittendi esse dominum. Romanorum iure vnicuique licebat domicilium transferre ad libitum de ciuitate in ciuitatem, *l. filij, ff. ad municip.* Probant Petrus Herodius *lib.* 10. *Pandect. titul.* 11. *cap.* 3. Grotius *de iure belli lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 24. Vnde conditio illa non recedendi à certo loco, in testamento adiecta, tanquam contraria libertati, reiicitur, *l. Titio* 71. *ff. de condit. & demonstr. l. qui manumittuntur, C. de operis libert.* docuerunt Cuiacius *lib.* 14. *obseru. cap.* 27. Amaya *lib.* 1. *obseru. cap.* 6. Phœbo *tom.* 1. *decis.* 139. igitur iuris dispositio, per quam denegatur facultas Episcopo mutandi sedem & ciuitatem, tanquam libertati naturali contraria, sustineri nequit. Secundò aduersùs rationem huius dispositionis, quam sacri canones assignant, videlicet vt tollatur ambitio, & occasio ambiendi maiorem Ecclesiam, *cap.* 1. *de cleric. non resid.* ibi: *Manifesta est enim,* & *cap. si quis Episcopus*, ibi: *Ambierit maiorem*; 7. *quæst.* 1. sic argumentor: Cùm Episcopus transfertur de maiori ad minorem, aut ad parem, non potest considerari hæc ratio, & tamen neque eo casu hoc licet Episcopo, inconsulto Pontifice, ex præsenti textu, & *cap. sequenti*, vbi idem casus prosequitur: ergo nec ratio suprà adducta defendi valet.

6. RATIO DECIDENDI.

Quibus argumentis minimè obstantibus vera est præsens assertio, cuius rationes variæ à Doctoribus assignantur. Prima, & communior, ex eo, quia Episcopus cum sua Ecclesia matrimonium contrahit, adeò vt sicut in matrimonio carnali triplex tempus consideratur, videlicet matrimonij sperati, cùm sponsalia contrahuntur; rati, cùm matrimonium in facie Ecclesiæ celebratur; consummati, cùm per coniunctionem fiunt coniuges vna caro: ita similiter in matrimonio spirituali contingit; nam matrimonium speratur, cùm Episcopus eligitur: ratum habetur cùm à superiore confirmatur: consummatum cùm sequitur consecratio, *cap. sicut* 3. 7. *quæst.* 1. *cap. inter* 2. *hoc titul.* dixi *in cap. nosti, de elect.* sed maritus propria auctoritate ab vxore recedere non valet, & aliam ducere, *can.* 5. *Apostol. cap. coniugatus, cap. sanè, de conuers. coniug.* Basilius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 25. igitur sic similiter Episcopus non potest deserere sponsam propriam, & transire de vna Ecclesia in aliam. Secunda ratio prouenit ex ambitione, & auaritia, quâ insimulatur, qui relictâ propriâ Ecclesiâ ad aliam se transfert: quam præ oculis habentes primi Ecclesiæ Patres, huiusmodi translationes improbarunt. Concilium Nicænum *can.* 13. iuxta versionem Pisani: Leo relatus à Gratiano *in cap. si quis Episcopus* 31. 7. *quæst.* 1. Antherus Papa *epist. sua vnica*, ibi: *Auaritiæ quoque causâ, vel præsumptionis, aut propriæ voluntatis non sunt Episcopi mutandi de ciuitate in ciuitatem.* Gregorius Magnus

Magnus *lib. 3. regestr. epist. 20.* D. Isidorus *lib. de summo bono, cap. 34.* Agnouerunt Ioannes Buseus *de stat. hom. cap. 1. §. 5. pag. 146.* Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 3. num. 68.* Machado *tom. 2. summæ, lib. 4. tract. 1. document. 2.* Accedunt innumera damna ex huiusmodi translationibus prouenientia; qui enim huiusmodi translationibus inhiabant, gregi suo, non pascendo, sed expilando incumbebant, de profectu animarum parum curantes, tantùm quasi mercenarij manentes, & reditus, quos in pauperes erogare tenebantur, expensis in futuram translationem insumendis reseruabant, qui essent pinguiores Episcopatus tantùm in mente habentes; quæ & alia incommoda, vt translationes etiam cum superioris auctoritate factas impugnaret Robertus Bellarminus, virtute, & sapientiâ præclarus, proposuit Clementi VIII. cuius verba refert Diana *part. 11. tract. 1. resolut. 40.* & nostris temporibus non minùs grauiter, & eleganter Illustrissimus Fr. Ioannes Martinez *discurs. 1. polit.* Accedit, nam valet argumentum de militia cælesti ad terrestrem, & è contra, *cap. 1. de renunc.* sed miles militiæ terrestris adscriptus matriculæ vnius legionis, non potest eam propriâ auctoritate deserere, & in aliam se transferre, *l. 3. §. qui stationis, & §. desertor, ff. de re milit. l. 1. Cod. de desertorib. lib. 12.* Petrus Gregorius *de repub. lib. 11. cap. 7. num. 10.* nisi superioris licentiâ à prima absoluatur, & in numeris secundæ referatur *l. vnica, §. finali, ff. de bonor. possess. ex testam. militis:* ergo nec Episcopus inconsulto R. Pontifice potest Ecclesiam propriam deserere, & ad aliam transire.

7. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant difficultates suprà adductæ: Non prima; doctrina enim in ea allata procedit, nisi publicè interfit, ne quis migret à propria ciuitate in aliam, vel nisi tacitè, aut expressè actum, seu conuentum sit, ne irrequisito, siue inconsulto superiore liceat mutare domicilium. Tunc enim non licet propria auctoritate de vna in aliam ciuitatem transire, *l. vnica, Cod. de priuileg. Corporat. lib. 11.* iuncto Petro Gregorio *lib. 35. syntagm. cap. 18. l. finali, Cod. de seruis fugit.* iuncto Grotio *vbi suprà:* quæ omnia concurrunt in præsenti casu; nam interest Ecclesiæ, ne translationes ab Episcopis propria auctoritate fiant, ob incommoda suprà relata, Deinde pactum celebratur tempore contractus matrimonij inter Episcopum & Ecclesiam tacitè, ne liceat eam deserere propriâ auctoritate; quare Episcopus ratione libertatis naturalis non potest mutare sedem, aut in aliam Ecclesiam migrare. Accedit, nam si seruus manumittatur eo pacto, vt certæ Ecclesiæ inseruiat, ab ea recedere non potest, *cap. eo libentiùs 6. de seruis non ordin.* igitur Episcopus, qui electionem suam acceptando, tacitè promisit ab Ecclesia non recedere, non potest propria auctoritate ab ea migrare, & in aliam transire. Nec secunda difficultas refragatur; nam licèt Franciscus Duarenus existimauerit, totam præsentis prohibitionis rationem consistere in ambitione vitanda; verius est tamen, rationem finalem esse indissolubilitatem vinculi matrimonij inter Episcopum & Ecclesiam celebrati, vt dicitur *in d. cap. mutationes, cap. sicut 7. quæst. 1.* vnde etsi cesset ratio ambitionis, cùm Episcopus de maiorj ad minorem, seu ad æqualem se transfert; tamen quia manet ratio vinculi matrimonij, nec ea translatio propriâ auctoritate facta licita est.

8. EXPONITVR CAP. PER TVAS, DE VOTO.

Verùm adhuc præsenti assertioni primò obstat textus *in c. per tuas 10. de voto*, in illis verbis: *Regnes regimen Ecclesiæ memoratæ, ac reddas altissimo vota tua.* Ex quibus deducitur, Episcopum posse propriâ auctoritate de propria Ecclesia transire in ecclesiam regularem. Augetur hæc difficultas *ex cap. quoad translationem, de renunc.* vbi expressè deciditur, non licere Episcopo deserere propriam Ecclesiam, vt Religionem ingrediatur. Pro huius difficultatis solutione Suarez *de relig. tom. 3. lib. 1. cap. 19. & 20.* Hieronymus Garcia *tom. 1. polit. regul. pag. 105.* Balboa *in cap. 3. de iureiur. num. 57. & 58.* affirmant textum *in dict. cap. per tuas*, loqui & procedere in Episcopo electo tantùm, non confirmato, vel consecrato, qui potest migrare in aliam Ecclesiam, cùm adhuc nec per confirmationem dicatur factũ ratum. Sed hæc solutio refellitur ex illis verbis, *Regimen resignes*, in quibus supponitur, Episcopum iam habuisse regimen propriæ Ecclesiæ, quod obtinere non poterat ante confirmationem, *cap. nosti*, cum ibi adductis, *de elect.* Hac ergo omissâ interpretatione dicendum est, in eo textu Episcopum vt votum religionis adimpleret, potuisse Episcopatum deserere, quia R. Pontifex in eo casu consultus illi facultatem concessit deserendi propriam Ecclesiam, & Religionem ingrediendi: quare petitâ prædictâ facultate, rectè potuit Religionem ingredi.

9. INTELLIGITR TEXTVS IN CAP. SICVT 7. Q. 1.

Secundò aduersatur textus *in cap. sicut 7. q. 1.* in illis verbis: *Apostolica, vel regulari mutatione.* In quibus docetur, posse Episcopum transire de vna Ecclesia in aliam Apostolica mutatione, & etiam regulari; videlicet si profiteatur vitam regularem: igitur Episcopus propriâ authoritate Ecclesiam deserere, & in aliam regularem se transferre potest. Augetur illius difficultas; nam eius tempore prohibitum erat Episcopis Religionem ingredi, aut vitam monasticam profiteri, *cap. hoc nequaquam 7. quæst. 11.* plura adducunt Anton. August. *in epitome lib. 9. tit. 3.* Gibalinus *de clausura disquisit. 3. cap. 2. §. 4.* igitur ob regularis vitæ mutationem non licet Episcopo Ecclesiam deserere. Pro huius textus expositione dicendum est, in eo casu licere Episcopo ob Regularem vitam Religionem ingredi, & Ecclesiam propriam deserere, petitâ R. Pontificis licentiâ, non autem propriâ auctoritate: nec hoc textus negat, licèt expressè non affirmet, desiderari licentiam R. Pontificis, cùm adest iusta causa deserendi propriam Ecclesiam. Temporibus enim Euaristi eius textus auctoris, non ita compertum erat, adstante iustâ causâ desiderari Pontificis licentiam, vt quamplures non existimauerint sufficere iustam causam, & eâ adstante posse Episcopum propriâ auctoritate se transferre in aliam Ecclesiam: quare Pontifex dum iustas causas translationis recensuit, omisit licentiam Pontificis, cùm adhuc non constaret concurrente iustâ causâ necessariam esse. Nec augmentum difficultatis obstat, cui satisfaciendum est ex adductis pro expositione textus *in c. quoad translationem 10. de renunc.* & adductis à Gibalino *vbi suprà.*

10. EXPONITVR TEXTVS IN CAP. ILLVD 5. DE CLERICO EXCOM.

Tertio refragatur textus *in cap. illud 5. de clerico excomm.* vbi proponitur alia pars nostri textus, & refertur Episcopum Hildesemensem, non petitâ à Pontifice se transferendi licentiâ, relictâ propriâ Ecclesiâ, in Herbipolensem se transtulisse. Consultus Innocentius III. iussit Archiepiscopo Magdeburgen. vt cùm hoc esset notorium, nisi intra 10. dies rediret in propriam Ecclesiam, eum excommunicationis mucrone feriret. Sed cùm eũ excommunicasset, ille nihilominus diuina officia celebrauit: & cùm R. Pontificis conspectui præsentaretur, Pontifex rescripsit, quod licèt inculpabilis existeret quia

quia tamen in dubiis tutior pars est eligenda, gratiam faciebat absolutionis, nullâ iniunctâ pœnitentiâ: ex quo textu apertè constat, Episcopum, de quo in nostro textu, inculpabilem extitisse, & sic eum R. Pontificem declarasse: igitur non rectè in præsenti asseritur, Hildesemensem Episcopum ob transitum de vna Ecclesia in aliam, vtraque priuandum esse; quod etiam innuitur *in cap. illud, de maiorit. & obed.* vbi in eadem specie valde reprehenditur Hildesemensis Episcopus. Cui difficultati vt satisfaciamus, sciendum est, *in dict. cap. illud, de Clerico excomm.* non agi de puniendo delicto in translatione perpetrato, sed de censura incursa ex eo, quod post sententiam excommunicationis in ipsum promulgatam Episcopus ausus fuerit celebrare diuina officia: sed quia allegauit se iustâ ignorantiâ excusari, quia putabat Episcopum Magdeburgensem, eo quod tantùm esset iudex delegatus, non ordinarius, non posse in eum sententiam excommunicationis proferre, nisi priùs editis litteris, iuxta textum *in cap. cùm in iure, de officio deleg.* ideo cùm hac ignorantiæ causa excusaretur ab irregularitate, quæ contrahitur ex celebratione post excommunicationem incursam, *cap.* 1. cum vulgatis, *de clerico excommunicato min.* inde ab Innocentio III. inculpabilis quoad eam censuram declaratur; non tamen ideò Episcopatum retinuit, immò potiùs tam vnâ, quàm aliâ Ecclesiâ priuatus fuit, vt constat ex præsenti textu, & *cap. sequenti*; necnon ex epistola Innocentij suprà relata.

CAPVT IV.

[a] Idem *Bambergensi Episcopo, & Magistro Præpositino, Scholastico Maguntino.*

LIcèt in tantùm Apostolicæ Sedis extendatur auctoritas, vt nihil præter eius auctoritatem in cunctis Ecclesiarum negotiis rationabiliter disponatur, vtpote, quæ canones, quibus forma ecclesiasticæ constitutionis exprimitur, vel edidit, vel ab aliis editos approbauit, suum receptione ac approbatione faciens, quod inuentione, vel editione videbatur forsitan alienum; quædam tamen sibi quodammodo specialiter, & singulariter reseruauit, vt præter specialem auctoritatem ipsius, nec iure agi debeant, nec attentari valeant cum effectu. In his specialiter translationes Episcoporum, non tam constitutio canonica, quàm diuina, eius tantùm potestati commisit: vt sicut legitimum matrimonij vinculum, quod inter virum & vxorem homo dissoluere nequit, Domino dicente in Euangelio: Quod Deus coniunxit homo non separet: sic & spirituale fœdus coniugij, quod inter Episcopum est, & eius Ecclesiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum, sine illius auctoritate solui non potest, qui successor est Petri, & Vicarius Iesu-Christi. Hoc autem C. quondam Hildesemens. Episcopus non attendens, licentiâ nostrâ nec postulatâ, nec habitâ, contra canonicas sanctiones, & in iniuriam Apostolicæ Sedis, cuius super hoc fuerat & requirendus, & obtinendus assensus, ad Herbipolen. Ecclesiam ab Hildesemensi, non auctoritate nostrâ, sed propriâ temeritate transiuit, & administrationi eius se ingerens, Herbipolen. se fecit Episcopum nominari. Nec illa felicis recordationis C. Papæ prædecessoris nostri indulgentia, quam impetrasse refertur, in hoc præsumptionem excusat ipsius, sed ambitionem accusat, vtpote quæ ipsum reddidit de ambitione notabilem, non auctoritatem contulit ad aliam Episcopalem Ecclesiam transeundi: cùm sit expressum in ea, quod si ad maiorem forsitan vocaretur dignitatem, eam sibi liceret assumere, dum tamen ei nihil de statutis canonicis obuiaret. Vnde licèt forsan aliquibus videatur, vt indulgentiæ occasione illius ad dignitatem possit transire maiorem; ad parem tamen ipsi transire non licuit, cùm in maiori dignitate propter maiorem vtilitatem faciliùs soleat dispensari. Præterea cùm postulatio, sicut electio, examinari soleat diligenter, & tenor eiusdem indulgentiæ non solùm videatur postulationis examinationem, sed personæ etiam reseruasse, subiungens, *Dummodo nihil appareat, quod tibi de canonicis obuiet institutis*; antequam per eum postulatio examinata fuisset, cui fuerat facienda, nullâ debuerat ratione transire: & licèt tantæ præsumptionis excessus ad aures nostras publicâ referente famâ veniisset, distulimus tamen procedere contra ipsum, donec litteras eius recepimus, in quibus se nobis Herbipolensem Episcopum appellabat. Vnde postmodùm præsumptionem ipsius debitâ volentes animaduersione punire, quibusdam Ecclesiarum Prælatis in Theutonia constitutis districtè præcepimus, vt cùm factum huiusmodi non posset in partibus ipsis non esse notorium,

nisi

nisi dictus C. infra viginti dies post susceptionem litterarum nostrarum ab Herbipolensis Ecclesiæ administratione cessaret, eum excommunicatum auctoritate nostra non differrent publicè nuntiare, & excommunicationem eius facerent pulsatis campanis, & candelis extinctis festiuis diebus, & Dominicis innouare. Quamvis in manifestis non sit ordo iudiciarius requirendus, & ipse videretur confessus de crimine, cùm in litteris ad nos directis, se præsumpsisset Herbipolen. Episcopum nominare: nos tamen ad euincendam omnem malitiam, in litteris nostris commonitionem canonicam duximus præmittendam; & eum postmodùm etiam ad bonum obedientiæ reuocare volentes, ipsi non præmissâ salutatione mandauimus, vt omni excusatione cessante, si apud nos vellet gratiam inuenire, mandatum Apostolicum adimpleret. Quia verò nec sic ei vexatio præbuit intellectum, quin eo fortiùs in sua pertinacia perduraret, quo amplius nos videbat de sua correctione solicitos, cùm postquam alius de mandato nostro fuit in Episcopum Hildesemen. electus, & etiam confirmatus, se ipse præsumpserit Hildesemen. Episcopum nominare, & electum ipsum, & Ecclesiam per suos fecerit multipliciter molestari, Apostolicæ Sedis iniuriam dissimulare nolentes, ipsum in festo Principis Apostolorum præsentibus nuntiis eius inter Missarum solemnia excommunicatum publicè nuntiauimus, mandantes sententiam latam à nobis per Theutoniam publicari. Volentes igitur de facto ipsius per vestras reddi litteras certiores, & vtrum seruauerit sententiam nostram, vtrum prorsus ab Ecclesia Herbipolensi recesserit, & in Hildesemensi nihil sibi penitus vindicauerit, vtrum se humiliare curauerit, & an suum recognoscat excessum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis super præmissis omnibus diligentiùs veritatem; & quod inueneritis, per vestras nobis litteras fideliter intimetis, vt in eum, si adhuc contumax fuerit, manus nostras ampliùs aggrauemus, vel si misericordia dignus extiterit, secundùm benignitatem Apostolicæ Sedis illam misericordiam cum illo faciamus, per quam neruus ecclesiasticæ disciplinæ minimè dissoluatur. Volumus præterea nihilominus, & mandamus, vt Herbipolen. Canonicis sub pœna excommunicationis ex parte nostra districtiùs iniungatis, totum tenorem præsentium litterarum in litteris vestris, quas eis super hoc à vobis dirigi volumus, exponentes, ne quid eorum ignorent, ne donec ipse Episcopus absolutionis gratiam meruerit obtinere, ipsi communicare, vel obedire præsumant: & vt ipsum Capitulum in eo puniatur in quo deliquit, ad alicuius electionem sine nostro speciali mandato procedere non attentent. Quod si contrà præsumpserint, huiusmodi factum irritum decernimus, & inane. Super his autem omni gratiâ, & timore postpositis taliter procedatis, quod prudentiam & deuotionem vestram debeamus meritò commendare, nec in eo incurratis offensam, ex quo debetis gratiam promereri, cum veritas nobis nequeat occultari. Datum Lateran. VII. Calend. Februar.

NOTÆ.

1. a *Dem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & in epistolis Innocentij editis Coloniæ, *fol.* 418. ex quo regestro restituo litteram huius textus. In eo tantùm agitur de Episcopo Hildesemensi, de quo in textu antecedenti, ex cuius commentario facilè sententia Innocentij in præsenti textu percipitur.

TITVLVS

TITVLVS VIII.

De authoritate & vsu Pallij.

CAPVT PRIMVM.

[a] Clemens.

CVM ſuper aliqua re, &c. *Et infrà.* Quæſiuiſti etiam, quomodo intelligatur, quod in [b] forma traditionis pallij continetur, videlicet: Tradimus tibi pallium, vt vtaris eo infrà Eccleſiam tuam. Quod ita intelligitur, infrà Eccleſiam tuam, id eſt quamlibet Eccleſiam prouinciæ tuæ. Si verò te ſacris indutum veſtibus Eccleſiam proceſſionaliter, vel alio modo exire contigerit, tunc pallio vti minimè debeas.

NOTÆ.

1. [a] *Clemens.*] Nec ex hac, nec ex ſecunda collectione conſtat, cui miſſa ſit hæc deciſio: varias enim ſcripſit epiſtolas Clemens III. quas in vetuſto codice MS. ſe legiſſe teſtatur Iacobus à S. Carolo *in Bibliotheca, in Clement. III.* De eo autem egi *in cap. ex parte, de reſcriptis.*

2. [b] *Forma traditionis.*] Quæ ita concipitur: *Ad honorem omnipotentis Dei, & B.M. ſemper Virginis, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, necnon Eccleſiæ N. tibi commiſſæ, tradimus tibi pallium, de corpore B. Petri ſumptum, in plenitudinem Pontificalis dignitatis, vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegiis Eccleſiæ tuæ, conceſſis à R. Sede.* Refert Vicecomes *tom. 4. de ritibus Miſſæ, lib. 4. cap. 9.* aliam ſimilem ex Baronio refert Lantdmeter. *lib. 2. de veteri Clerico, cap. 97.* aliam etiam adducit Goldaſtus *de rebus Boœmiæ, in appendice cap. 1.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Archiepiſcopi intra Eccleſias ſuarum prouinciarum pallio vti poſſunt, non extra.* Probant textus *in cap. pallium 6. cap. contra 8. 100. diſt. cap. ad honorem, cap. ex tuarum, cap. cùm ſis, hoc tit. cap. ſuffraganeis 11. cap. bonæ 23.* in integra, *cap. quod ſicut 28. §. ſuper, de elect. cap. 1. de tranſlat. Epiſc. cap. antiqua, de priuil.* Gregorius I. *lib. 4. epiſt. 54. ad Marian. Epiſcopum Rauenn.* ibi: *Apoſtolicæ Sedis benenolentia, & antiquæ conſuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Rauenn. Eccleſia gubernationis ſuſcepiſſe conſtat officium, pallij vſum præuidimus concedendum: quo non aliter te vti memineris, niſi in propria tuæ ciuitatis Eccleſia, procedens à ſalutatorio ad ſacra Miſſarum ſolemnia celebranda: peractis verò Miſſis, idem in ſalutatorio rurſus curabis deponere.* Idem *lib. 7. epiſt. 31.* ibi: *Itaque pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia vtendum ex more transmiſimus.* Et *epiſt. 114. Secundum poſtulationis tuæ deſiderium pallij te vſu, quod intra Eccleſiam tuam habere debeas, ad ſacra tantùm Miſſarum ſolemnia celebranda, Deo auctore præuidimus honorandum.* Vrbanus II. *in epiſt. ad Berengarium,* ibi: *Pallio itaque in Miſſarum ſolemniis intra Eccleſiam ſolummodo vti debetis.* Idem *in epiſt. ad Æliam,* ibi: *Præterea fraternitati tuæ pallij vſum ex more concedimus, vt eo inter Miſſarum ſolemnia dumtaxat vtaris.* Synodus Conſtantinop. 4. Generalis, *cap. 27.* ibi: *Pallio Epiſcopi ne vltra ſtatuta loca, & tempora vtantur, ne ſignum ſit ſuperbiæ & arrogantiæ.* Illuſtrant plures congeſti à Barboſa *in præſenti, & de iure eccleſ. lib. 1. cap. 7. & de poteſt. Epiſcopi, tit. 4. num. 40.* quibus addendi ſunt Acuña, & Ioannes Dartis *in d. 100. diſt.* Sanchez *lib. 7. conſil. cap. 1. dubio 16.* Vighellius *in method. iuris canon. pag. 334.* Fragoſo *de regim. Chriſt. Reipub. tom. 2. lib. 2. diſp. 17. §. 2.* Cæſar *de eccleſt. hierarch. 1. p. diſp. 3. §. 2.* Azor *2. p. moral. lib. 5. cap. 34.* Lotherius *lib. 1. de re benef. cap. 22.* Vicecomes *volum. 4. de ritib. Miſſæ, lib. 4. cap. 26.* Sauſay *de myſticis Galliæ ſcriptorib. cap. 9. de pallio,* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 97.* Iuretus *in notis in Ivon. epiſt. 250.* Pancirola *lib. 1. variar. cap. 20.* Germonius *lib. 3. cap. 7.* Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 7. & 54.* Bulengerus *lib. 1. opuſc. cap. 10.* Carrier. *tom. 2. Digeſt. fidei, tit. de pallio,* Opingus *de iure inſignium, cap. 2. ſect. 3. §. 4. num. 5.* & alij infrà referendi. Franc. Florens & Acoſta *ad hunc tit.*

4. RATIO DVBITANDI. Hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam licèt Archiepiſcopi non poſſint extra ſuam prouinciam iuriſdictionem exercere, tamen pallium, quod eſt inſigne ſuæ dignitatis, vbique deferre valent, vt probatur *ex l. 1. ff. de officio Proconſulis,* in illis verbis: *Proconſul vbique quidem proconſularia inſignia habet, poteſtatem non exercet, niſi in ea prouincia, quæ ei decreta eſt.* Ex quo textu deducitur, Proconſulem poſſe inſignia ſuæ dignitatis, etiam extra prouinciam deferre, licèt nullam iuriſdictionem exercere valeat: igitur ſimiliter & Archiepiſcopus pallium deferre poteſt. Augetur hæc difficultas ex eo, nam ſi ideò Archiepiſcopus non poteſt deferre pallium extra ſuam prouinciam, quia eius delatio denotat actum iuriſdictionalem; ob eandem rationem nec intra prouinciam in Eccleſiis ſuffraganeorum deferre poſſet, cùm in eis nec clericos ordinare, nec iuriſdictionem exercere illi permittatur, *cap. conqueſtus, §. ſi Epiſcopus, cap. per ſingulas, & per totam 9. q. 3.* igitur ſi intra prouinciam in Eccleſiis ſuffraganeorum deferre valet, etiã extra prouinciam deferre poterit.

Hac

5. PALLII VARIÆ ACCEPTIONES.

Hac dubitandi ratione non obſtante, vera eſt ſuprà tradita aſſertio, ad cuius expoſitionem, & rubricæ explicationem, ſciendum eſt, Pallium ita dictum eſſe, vel à pellibus, propterea quod ſuper indumenta pellicea veteres illud induebant, teſte Iſidoro *lib.* 10. *originum, cap.* 24. vel à verbo Græco πάλλομαι, quod eſt *vibror, agitor* : nam circa collum ſuper humeros vibratur, agitatur, ſeu circumuoluitur: cui etymologiæ ſuffragatur Tertullianus, qui *lib. de pallio*, pallium Græcam vocem eſſe affirmat, atque à Græcis ad Latinos tranſlatam fuiſſe, ibi : *Pallium, etſi Græcum magis, ſed linguâ iam penes Latium eſt, cum voce veſtis intrauit* : vbi notant Pamelius, Zerda, & Ambianas. Alij etiam pallij verbum à *Palam*, deducunt, eò quod exterior veſtis ſit, & palam geſtetur. Ita ex Varrone, & aliis docet Sofranis *in Dauidem, de re veſtiaria cap.* 3. Ex his variis acceptionibus pallij diuiſio facilè notari poteſt. Primò enim aut largè, aut ſtrictè ſumitur : largè quidquid ad operiendum aſſumitur, pallium dicitur; vnde coopertoria, menſalia, ſtratoria, pallij nomine continentur : vnde Ouidius lectuli opertoria, pallia dixit *lib.* 2. *eleg.*

Eſſe quid hoc dicam, quòd tam mihi dura videntur
Strata, nec in lecto pallia noſtra ſedent.

In ſacris etiam litteris ita accipitur. Ruth *cap.* 3. *verſu* 4. ibi : *Quando ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat, venieſque, & diſcooperies pallium.* Apud Eſaiam *cap.* 28. *verſu* 20. ibi : *Coangustatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non poteſt.* In iure etiam noſtro coopertorium altaris palla, ſeu pallium dicitur, *cap. præſens* 20. *quæſt.* 3. *cap.* 2. *de conſuet.* Strictè verò pallium ſumptum dupliciter adhuc accipitur, impropriè, & propriè : impropriè accipitur pro omni veſte, non ad hominem induendum, ſed ad amiciendum comparata; in quo ſenſu pallij vox complectitur omnes veſtes exteriores, quæ tunicis iniectæ, ſeu ſuperinductæ, alienis aſpectibus primæ ſe offerunt. Iſidorus *lib.* 19. *etymolog. cap.* 24. & 25. quo in ſenſu accipitur apud Matthæum, *verſu* 40. ibi : *Si quis à te vult auferre tunicam, dimitte ei pallium.* Expoſuit Sofranis *dict. tract. de re veſtiaria, cap.* 2. propriè verò ſumptum pallium certam ſpeciem veſtis exterioris tantùm complectitur, quæ longè, latequè diffuſa, aliis veſtimentis ſuperindui ſolet; & pallium hoc modo acceptum, duplex eſt : commune, & ſacrum. Commune, veſtis erat quotidiana diuerſarum gentium, præſertim Græcorum; ſicut enim Romani togâ vtebantur, ita Græcorum proprium erat pallium; inde Græci palliati dicebantur. Suetonius *in Auguſto*, ibi : *Inter varia munuſcula, togas inſuper, & pallia diſtribuit, lege propoſitâ, vt Romani Græco; Græci Romano habitu vterentur.* Tertullianus *de pallio*, ibi : *Vt hoc pallium, etſi Græcum magis, ſed linguâ iam penes Latium eſt.* Erat etiam pallium inſigne Philoſophorum, vt ex Apuleio, & Capitolino probat Sauarus *ad Sidonium lib.* 4. *epiſt.* 11. De forma huius pallij communis latè agunt Sofranis *vbi ſupra*, Lazarus Veiſ. *de re veſtiaria* : & de forma pallij clericalis Sauſay *in Panopl. cleric. lib.* 5. *cap.* 6. Sacrum pallium non omnibus commune, variè etiam accipitur : aliquando pro ſuperiori veſte Epiſcopi, quæ vulgò mozetta dicitur, vt ex Venantio, & aliis probat Vicecomes *dict. lib.* 4. *cap.* 2. plerumque etiam pro ſtola à Diaconis deferri ſolita : Vvalfridus Strabo *de vaſis & veſtibus, cap.* 24. ibi : *Sylueſter ordinauit, vt Diaconi dalmaticis in Eccleſia vterentur, & pallio linoſtino eorum læua tegeretur.* Frequentiùs pro habitu monachi, D. Hieronymus in oratione ad Saluianum, ibi : *Sicut è contrario aliis non prodeſt vile palliolum.* Caſſianus *de habitu monach.* ibi : *Auguſto palliolo, tam amictûs humilitatem, quàm vilitatem pretij, compendiumque ſectantes, colla pariter, atque humeros tegunt.* Saluianus *lib.* 4. *de eccleſ.* ibi : *Licèt religionem veſtibus ſimules, licèt fidem cingulo adſeras, licèt ſanctitatem pallio mentiaris.* Notat Sauarus *ad Sidonium lib.* 4. *epiſt.* 9. *verbo Sub pallio.* Et pallium fuiſſe olim propriam veſtem Chriſtianorum, probat Baronius *anno* 57. *num.* 94. & *anno* 197. *ex num.* 7.

6. EXPONITVR CAP. SI QVIS VIRORVM, 30. DIST.

Ex his venit intelligendus textus *in cap. ſi quis virorum*, 30. *diſt.* in illis verbis : *Si quis virorum putauerit ſancto propoſito (id eſt continentiæ) conuenire, vt pallio vtatur, tanquam ex eo iuſtitiam habiturus, & reprehendat, vel indicet alios, qui cum reuerentia birris vtuntur, & alia veſte communi, quæ in vſu eſt, anathema ſit.* In cuius expoſitione varia adduxerunt Turriſcremata, & Acuña *ibi* : quibus omiſſis verus illius textûs ſenſus ex ſuprà dictis prouenit; cùm enim monachi Euſtathiani pallio, id eſt proprio habitu monachorum vterentur, eo quaſi ſanctitatis notâ gloriantes, & ſuperbientes, cæteros etiam eccleſiaſticos aſpernabantur, eo quod birris, aut alio communi vtebantur habitu : quare Patres Concilij Gangrenſis decreuerunt, eos anathematis mucrone eſſe feriendos, ex eo quod contemnerent alias eccleſiaſticas perſonas, non pallio, ſed birris vtentes. Ita illum textum acceperunt Zonaras *ibi*, & Seuerinus Binius, Gazeus ad Caſſianum *lib.* 1. *cap.* 7. Baronius *tom.* 2. *anno* 261. Sed adhuc ſupereſt examinare, quid per birros intelligant Patres in eo canone, dum docent, contemnendos non eſſe birris vtentes. Et ſciendum eſt, quod licèt birrus aliquando accipiatur pro pileo, aut tegumento capitis, vt probat Pancirola *lib.* 1. *cap.* 81. propriè tamen ſignificat veſtem, tam apud eccleſiaſticas, quàm alias perſonas vſitatam; de ſeruis enim ſtatuitur *in l.* 1. *C. Theodoſiani de habitu quo vti oportet*, in hunc modum : *Seruos omnium, quos tamen conſtat ſolicitudine militiæ non teneri, aut birris vti permittimus, aut cucullis.* Et Epiſcopis in vſu fuiſſe birros, conſtat ex actis D. Cypriani Martyris, vbi legitur, cùm ipſe decollandus eſſet, primùm exuiſſe ſe birro. Refert Baronius *dict. anno* 261. ex ſermone 40. D. Auguſtini, vbi clericorum diſciplinam proponens, ait : *Nemo det birrum, vel tunicam lineam, vel aliquid, niſi in commune de communi accipiat.* Gregorius Turon. *lib.* 2. *hiſtoriæ, cap.* 1. vbi de Turonenſi Epiſcopo ait : *Ille autem ad ſatisfaciendum adhuc populo prunas ardentes in birrum ſuum poſuit.* Palladius de S. Athanaſio *in epiſt. Lauſiaca, cap.* 51. Vnde exiſtimo, birrum eſſe veſtem illam, quam nos appellamus mozettam, quæ cum ipſo pallio habet ſimul contextum birretum ad tegendum caput; licèt hodie ob eius breuitatem tegendo capiti non deſeruiat. Plura de his birris,

tam pretiosis, quàm vilibus, Bulengerus *lib.* 1. *opusc. cap.* 9. Lælius Biſciola *lib.* 2. *horarum ſucceſſiuarum, cap.* 16. *n.* 8. Gabriel Pennotus *lib.* 1. *hiſtor. canonic. regul. cap.* 22. Theophilus Raynaud. *in opuſc. de pileo, cap.* 13. Acuña *in princip.* 100. *diſt.* Cuiacius *ad titul. Cod. de veſtibus oloberis & olobericis*, & *ad tit. C. quæ res venire*, Marquez *in origine eremitarum, cap.* 7. §. 8. Meurſius *in gloſſario, verbo Birretum*, & nos *in cap. penult. de vita & honeſt. clericor.*

7. De origine pallii Archiepisc.

Omiſſis aliis pallij acceptionibus, vt ad noſtrum perueniamus, quod proprium eſt Archiepiſcoporum, vt eius originem repetamus, ſciendum eſt, quod ſicut olim apud Hebræos in ſacerdotio Iudaïco tantùm ſummus ſacerdos deferebat laminam in fronte, ita tantùm ſummus Pontifex primis Eccleſiæ temporibus pallium deferebat, & ab ea lamina pallium hoc originem traxiſſe, teſtantur Albinus Flaccus *de diuinis officiis, cap. Quid ſignificent veſtimenta*, ibi: *Pallium Archiepiſcoporum ſuper omnia indumenta eſt, vt lamina in fronte ſolius Pontificis.* Rupertus *lib.* 1. *de diuinis officiis, cap.* 27. *Eſt tamen octauum Archiepiſcopis indumentum pro aurea lamina, quod dicitur pallium, ab Apoſtolica Sede datum.* Apud Ægyptios etiam legimus, ſacerdotes honoratiores pallium detuliſſe in ſignum ſuperioris poteſtatis, vt probat Baptiſta Pius *in annotationib. poſterioribus, cap.* 96. extat *tit.* 1. *theſauri critici, pag.* 449. igitur ſiue originem pallij repetamus à lamina ſummi Pontificis, ſiue à rationali, vt voluit Alcuinus *lib. de diuin. officiis*, ibi: *Pro rationali nunc Summi Pontifices, quos Archiepiſcopos dicimus, pallio vtuntur*; conſtat primis Eccleſiæ temporibus tantùm R. Pontificem illud geſtaſſe, Polydor. Virgil. *lib.* 4. *de inuent. rerum, cap.* 22. cœpit autem aliis Archiepiſcopis eius vſus concedi, licèt circa Pontificem, qui illud conceſſiſſet, apud ſcriptores non liqueat. Aliqui D. Petrum Treuerenſi Epiſcopo illud conceſſiſſe referunt: ita Rupertus *dict. lib.* 1. *cap.* 27. ibi: *Treuerenſi autem Eccleſiæ Maternus à B. Petro Apoſtolo miſſus, hæreditatem pallij ſuis ſucceſſoribus dereliquit.* S. Maximus *in homilia de veſte ſacerdotali*, Linum huius conceſſionis authorem laudat, ibi: *In lege gratiæ antiquum eſſe illud noſtrum Ephod, id eſt pallium, quod noſtri Patriarchæ arbitrantur à Lino, poſt B. Petrum, ſecundo Pontifice Romano inſtitutum, & in ſingulare poteſtatis priuilegium noſtris plenis Præſulibus datum.* Conſentit Euſebius Cæſareenſis *in ſermone de Epiphan.* Alij exiſtimant Marcum Sylueſtri ſucceſſorem vſum pallij primùm Epiſcopo Hoſtienſi conceſſiſſe: ita docuerunt Seuerinus Binius *in notis ad vitam Pontificis Marci, tom.* 1. *Concil. pag.* 472. Platina *in vita ipſius Marci*, Vicecomes *dict. lib.* 4. *cap.* 12. quod etiam probatur ex Anaſtaſio Bibliothecario *in vita ipſius Marci*, & ex Damaſo *in eum*; quorum ſententiæ potiùs diuerſæ, quàm contrariæ ſunt: nam primis illis Eccleſiæ ſæculis non aliqua lege vniuerſali pallij vſus conceſſus fuit omnibus Archiepiſcopis; ſed ſpeciali priuilegio aliqui ſummi Pontifices illud conceſſerunt huic, vel illi Epiſcopo, vel Archiepiſcopo: vnde optimè conuenit, D. Petrum primùm Treuerenſi Epiſcopo illud conceſſiſſe, Marcum Hoſtienſi, Linum aliis Præſulibus, iuxta ſuprà tradita, etſi aliunde huius pallij originem repetat Petrus Marcha *lib.* 6. *concord. Sacerdot. & Imperij, cap.* 6. *per totum*, qui capite ſequenti rectè probat, ante tempora Zachariæ pallium nemini Antiſtitum Galliæ conceſſum fuiſſe præter Arelatenſi, qui vicarius erat Sedis Apoſtolicæ; quod ſuadetur ex epiſtola 1. Vigilij Papæ ad Auxanium, ibi: *Et quia digna credimus ratione compleri, vt agenti vices noſtras pallij non deſit ornatus.* Pelagius I. in epiſtola ad Sapaudum Epiſcopum Arelatenſem ſcripta anno 557. quo eum inſtituit Vicarium: *Pariter etiam pallium dirigentes, vt in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris.*

8. De personis a quibus pallium conceditur.

Circa perſonas, quæ poſſunt pallium concedere, ſciendum eſt, tantùm R. Pontificem poſſe & potuiſſe omni æuo pallium concedere inferioribus Præſulibus, vt probat diſertè Gregorius I. *dict. lib.* 1. *epiſt.* 54. *Apoſtolicæ Sedis beneuolentia, & antiquæ conſuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Rauennati Eccleſia gubernationis officium ſuſcepiſſe conſtat, pallij vſum præuidimus concedendum.* Ex cuius Pontificis variis teſtimoniis, & Conciliorum decretis id probat Ioſephus Vicecomes *dict. lib.* 4. *cap.* 14. *per totum*; qui *cap. ſequenti*, ſatisfacit cuidam impoſturæ Hieronymi Rubei, aſſerentis Epiſcopum Rauennat. pallium accipere ab Imperatore, ex quodam reſcripto Imperatoris Theodoſij, quod ſuppoſititium eſſe, poſt Baronium agnouit Petrus Marcha *dict. cap.* 6. *num.* 11. etſi in ea adhuc maneat ſententia, Imperatores videlicet olim Patriarchis, & Archiepiſcopis pallium conceſſiſſe. Dixi ſignanter, *iure ordinario*; quia ex commiſſione, & delegatione Pontificis alij etiam pallium tribuere valent: vnde Patriarchis Alexandrino, Conſtantinopolitano, Antiocheno, & Hieroſolymitano datam eſſe facultatem tribuendi pallium ſuis ſuffraganeis, conſtat *ex cap. antiqua, de priuileg.* & vſum ipſius facultatis expreſsè demonſtrat Synodus 8. Conſtantinop. ſub Adriano II. celebrata anno 970. in qua ſtatutum eſt, debere Metropolitanos confirmationem à Patriarcha ſuo recipere, ſiue per manus impoſitionem, ſiue per conceſſionem pallij, ibi: *Ita vt earum* (id eſt Sedium Patriarchalium) *Præſules, vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promouentur, ſiue per pallij datione Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt*, &c. Eandem facultatem Honorium III. conceſſiſſe Archiepiſcopis Cantuarienſi, & Eboracenſi, probatur ex quadam epiſtola ipſius Pontificis ad Eduinum Anglorum Regem miſſa, vbi de his Præſulibus agens, ait: *Duo pallia vtriſque Metropolitanis, id eſt Honorio, & Paulino direximus, vt dum quis eorum de hoc ſæculo ad auctorem fuerit accerſitus, in loco ipſius alterum Epiſcopum ex hac noſtra authoritate debeat ſubrogare.* Et Legatis ſuis R. Pontificem conſueuiſſe pallia mittere, vt Archiepiſcopis præſtarent, patet *ex cap. ſignificaſti* 4. *de elect. cap. etſi quæſtiones* 18. *de ſimonia*, & probat Vicecomes *d. lib.* 4. *cap.* 18.

9. Quibus conceditur pallium.

Circa perſonas, quibus conceditur pallij vſus, primis Eccleſiæ, immò & ſequentibus ſæculis non erat ius certum, quia non tam ratione perſonarum, quàm ob locorum, atque prouinciarum amplitudinem, & dignitatem pallium concedebatur, vt docet Cironius *lib.* 1. *obſerv. cap.* 10. vnde legimus, in aliquibus regnis, vnum, aut nullum

Præſulem

Præſulem pallium obtinere. In tota Africa ſolus Archiepiſcopus Carthaginenſis poteſtatem deferendi pallium obtinebat. Leo Pontifex IX. *epiſt.* 4. *ad Petrum & Ioannem Epiſcopos Africæ*, ibi: *Cætera autem, ſicut & alij Epiſcopi Africani, conſilio Carthag. Archiepiſcopi ages, qui ſolus in Africa pallium ab Apoſtolicæ Sede habere ſolet.* Idem de aliis Archiepiſcopis probat Vicecomes *d. lib.* 4. *cap.* 11. econtrà verò pluribus Epiſcopis, etſi Metropolitani non eſſent, pallium conceſſum legimus; Gregorius enim I. Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi pallium conceſſit, vt ex ipſo Gregorio *lib.* 7. *epiſt.* 112. conſtat, & probant Vicecomes *vbi ſuprà*, *cap.* 13. Franc. Florens *ad hunc tit.* Chriſt. Lupus *in can.* 27. *Synod.* 8. I. Dartis *in cap.* 5. 100. *diſt.* Marcus Epiſcopo Hoſtienſi ſimiliter conceſſit, vt ſuprà retuli. Agapetus II. Brunoni Colonienſi Epiſcopo, vt in actis eius apud Surium refertur, ibi: *Quo & eodem pallio præter conſuetudinem Sacerdos Domini, quotiens vellet, indui permiſſus.* Probat Boſquetus *ad Innocent. III. lib.* 1. *epiſt.* 47. Gregorius Arelatenſi Epiſcopo, *cap. in Galliarum* 25. *q.* 2. Paſchalis Pontifex B. Othoni Epiſcopo Bambergenſi, vt in eius vita legitur: *Venerabilis frater Otho, Bambergenſis Epiſcope, dilectioni tuæ pallium ad ſacra Miſſarum ſolennia celebranda concedimus.* Idem de Papienſi, & Lucenſi Epiſcopis referunt Dartis *vbi ſuprà*, Acuña *in cap. quoniam* 1. 100. *diſt.* de Maſſilienſi Epiſcopo D. Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ*, *pag.* 289. Poſteà tamen tantùm Archiepiſcopis ius deferendi pallium conceſſum fuit, ob ſublimen eorum dignitatem, & vt ſic ab Epiſcopis habitu diſtinguantur. Hinc pallium vt veſtis propria Archiepiſcoporum enumeratur ab Innocentio III. *lib.* 1. *de myſteriis Miſſæ*, *cap.* 10. vbi recenſet indumenta propria Archiepiſcoporum, & communia aliis; & aſſerit: *Pallium autem, & Metropolitanorum, & Primatum, & Patriarcharum eſt proprium.* Franc. Florens *ad hunc tit.*

10. De forma pallii.

Succedit alia non iniucunda inſpectio circa materiam, & formam pallij, videlicet ex qua materia ſit conficiendum, quamque formam debeat obtinere, & quæ tam in eius petitione, quàm conceſſione obſeruari ſoleant? Et circa materiam ſciendum eſt, debere pallium non ex lino, ſed ex lana candida confici, vt referunt & rationem tradunt Clemens II. *in epiſtol. ad Ioannem Salern. Epiſcopum*, vbi cùm illi pallium traderet, ita alloquutus fuit: *In quo quia de vellere ouis eſt, intellige te ouium Paſtorem.* Innocentius III. *lib.* 1. *de myſteriis*, *cap.* 63. ibi: *Sit enim pallium de candida lana contextum.* Expreſſiùs Iſidorus Peluſiota *epiſt.* 136. vbi ſic ait: *Id autem amiculum, quod ſacerdos humeris geſtat, atque ex lana, non ex lino, contextum eſt, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat.* Lana autem ad texturam pallij ſumitur ex vellere duorum agnorum, qui annuatim à Religioſis S. Agnetis in feſto, & eius altari offeruntur, quos Canonici S. Ioannis Lateran. nutriendos recipiunt vſque ad tonſionem, & tunc tradunt Subdiaconis Pontificis, & ex eorum velleribus, admixtâ aliâ etiam lanâ candidâ, texitur faſcia quatuor digitorum, habens deſuper circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab vtraque parte, videlicet antè, & retrò pendentes. Habet etiam quatuor purpureas cruces antè, & retrò, à dextris, & ſiniſtris: & à dextris infiguntur etiam tres acus arcæ lapidem pretioſum habentes, in capite ſcilicet, ante pectus, & ſuprà ſiniſtrum humerum, & poſt tergum: olim etiam in eo ponebatur paſtor portans humeris ouem. Baronius *anno* 216. *num.* 15. Quæ omnia moralibus ſunt plena myſteriis, quorum explicationem tradunt Germanus *in hiſtor. Eccleſiæ*, Beda *de tabern. lib.* 3. *cap.* 4. Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *epiſtol.* 136. Innocentius III. *lib.* 10. *de myſteriis*, *cap.* 10. & ex eis Baronius *anno* 337. Bulengerus *dict. cap.* 9. Pancirola 1. *variar. cap.* 120. Carrier. *dict. tractat. de pallio.* Sic elaborata, & contexta à dictis Religioſis pallia Subdiaconi Pontificis tradunt Canonicis S. Petri, & poſtquam ea benedixerunt, ſupra corpus S. Petri in vigilia alicuius ſolennitatis reponunt, ipſaque reddunt Subdiaconis in honeſto loco cuſtodienda, donec ad inſtantiam alicuius Metropolitani tradi debeant; & ideò dicitur pallium tradi ex corpore B. Petri, *cap. ſignificaſti* 4. *de electione.* Vrbanus II. *in epiſt. ad Bernardum Archiepiſcop. Toletan.* ibi: *Pallium tibi, frater venerabilis Bernarde, ex Apoſtolorum P. & P. benedictione tradimus.* Paſchalis II. *in epiſt. ad Archiepiſcopum Panorm.* relata à Baronio *anno* 1002. ibi: *Cùm igitur à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ à B. Petri tantùm corpore aſſumuntur.* Probat Vicecomes *dict. lib.* 4. *cap.* 8. & 9. Aliam etiam rationem adiunxit Theophilus Raynaud. *tom.* 10. *in corona aurea*, *verit.* 10. videlicet vt agnoſcatur, plenitudinem poteſtatis, quæ per pallij traditionem confertur, à Pontifice, tanquam à ſupremo Hierarcha, & radice omnis iuriſdictionis prouenire. Sequitur forma, tam petentis, quàm conceſſionis pallij. Archiepiſcopus igitur poſt ſuam confirmationem, & conſecrationem debet intra tres menſes à die conſecrationis enumerandos enixè pallium petere à R. Pontifice, aliàs ſi negligens fuerit in eius petitione, ab Archiepiſcopatu arcetur, *cap. quoniam*, 100. *diſt.* vbi Acuña, & Dartis, Sanchez *lib.* 7. *conſil. cap.* 7. *dubio* 16. Gibalinus *de cenſuris pag.* 453. & 455. non enim conceditur pallium, niſi enixè petenti. Gregorius Magnus *lib.* 7. *epiſt.* 5. ibi: *Vt honor pallij, niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat:* idem *lib.* 5. *epiſt.* 55. *Quod verò in eis iuxta antiquum morem, vſum pallij, ac vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti.* Et licèt moris fuiſſet priſcis Eccleſiæ temporibus tantùm præſentibus pallium concedi, vt latè probat Hallierius *de ſacris elect. pag.* 237. hodie tamen per ſcripturam peti ſolet, vt refert Vicecomes *vbi ſuprà*, *cap.* 17. Omittendum etiam non eſt, Archiepiſcopos pallium petentes, debere priùs fidei profeſſionem facere, & obedientiam R. Eccleſiæ promittere, *cap. optandum*, 100. *diſt. cap. ſignificaſti* 4. *de electione*, vbi latè dixi: & hæc de petitionis forma ab Archiepiſcopis ſeruanda ſufficiant. Succedit traditio, id eſt modus ſeruandi ex parte concedentis pallium. Et in primis R. Pontifex ante traditionem, & pòſt preces Deo fundit, quas ex ordine Romano refert Menardus *in notis ad Sacrament. D. Gregorij*, *pag.* 314. & cum inuocatione ſanctiſſimæ Triados illud tradit. Clemens II. *epiſt. ad Ioannem Saler.* ibi: *Vnde innomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Archi-*

episcopali pallio nostrâ Apostolicâ manu dilectionem vestram insignimus, quo vtaris totiens in anno, quotiens prædecessores tuos eo vsos fuisse constat. Alias traditionis formas retulimus suprà, *num.*4.

11. TRADITVR RATIO DECIDENDI. His præmissis circa originem, materiam, & formam pallij, necnon circa personas quibus, & à quibus concedatur, apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum: nam cùm forma cuiuscumque concessionis diligenter sit seruanda, *cap. dilecta* 22. *de rescrip.* nec ab ea in aliqua parte recedere liceat; atque in ipsa forma traditionis Pallij expressè caueatur, vt intra Ecclesiam tantùm Archiepiscopi eo vtantur; inde extra eam, ne formam excessisse videantur, eo vti non possunt: intra Ecclesiam autem accipimus intra quamlibet Basilicam suæ prouinciæ, quæ sua Ecclesia latè dici potest. Accedit, nam cùm pallium concedatur, vt eo insignitus Archiepiscopus Missarum solennia celebret, *cap. cùm sit 6. hoc tit.* vbi dicemus, & Missarum solennia intra Ecclesias tantùm celebrari possint, *cap. vnicuique* 33. *de consecrat. dist.*1. *cap. final. de priuileg. in* 6. meritò deciditur, intra Ecclesiam Archiepiscopum, non extra eo vti posse: & quia in qualibet Ecclesia suæ prouinciæ Archiepiscopus Missam celebrare valet, quia talis celebratio non spectat ad actus iurisdictionis, ideò in qualibet Ecclesia suæ diœcesis pallio vti potest.

12. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, ex exemplo Proconsulis, qui licèt iurisdictionem extra prouinciam exercere non valeat, insignia tamen suæ dignitatis vbique deferre valet. Nam discrimen inter Archiepiscopum, & Proconsulem apertum datur, siquidem Archiepiscopus extra prouinciam insignia deferre non valet. Discriminis ratio vera, & subtilis ex eo preuenit; nam insignia Pronconsulis, indicia sunt potestatis, & imperij, non verò exercitij iurisdictionis, seu imperij, *l. Proconsul* 4. *ff. de officio Proconsul.* Antonius Faber *in d. l.* 4. *ff. de officio Proconsulis:* pallium autem Archiepiscopi est indicium exercitij iurisdictionis; non enim traditur Archiepiscopis, vt sit indicium exercitij iurisdictionis, nec per illud traditur aliqua iurisdictio, sed tantùm executio officij committitur, vt videlicet liceat Archiepiscopo exercere potestatem, quam iam habebat: vnde Archiepiscopus extra prouinciam pallium deferre non potest; Proconsul verò insignia suæ dignitatis deferre valet. Ex qua ratione etiam diluitur augmentum rationis dubitandi; nam licèt pallium, quia indicat exercitium iurisdictionis, non possit in aliena prouincia deferri; intra suam tamen etiam in Ecclesiis suffraganeorum illud deferre valet, quia cùm eo vtatur ad Missarum solennia, & per consequens ad iurisdictionem voluntariam, non verò contentiosam, ideo & pallium, & crucem erectam per totam suam prouinciam Archiepiscopus deferre potest.

13. EXPONITVR CAP. PENVLT. HOC TIT. Superiori assertioni primò aduersatur textus *in cap. penult. hoc tit.* vbi decidi videtur, Archiepiscopum vbicumque posse deferre pallium in Missarum solennitatibus: igitur non solùm intra prouinciam, verùm vbicumque Archiepiscopi Missam celebrant, possunt vti pallio. Agnouit difficultatem Glossa *ibi, verbo Vbicumque*, quæ textum illum accipit, & restringit ad Ecclesias propriæ diœcesis; quasi affirmet Pontifex, intra prouinciam suam, vbicumque sit Archiepiscopus, posse vti pallio. Glossam sequuntur Iulius Pacius *centur.* 10. *q.*82. Barbosa *lib.*1. *de iure eccles. cap.*7. *num.*10. & *de potest. Episcopi, p.*1. *tit.*4. *num.*40. Eadem solutione intelligendus est canon 4. Concilij Matiscon. 1. in illis verbis: *Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat.* Generalis enim illa decisio ex suprà traditis est interpretanda, videlicet dum Missarum solennia celebrat in Ecclesiis propriæ prouinciæ, non verò extra, & in his diebus, in quibus iuxta formam concessionis, & consuetudinem suæ Ecclesiæ eo vti valet; non verò in aliis diebus, in quibus sine pallio debet Missæ sacrificium celebrare. Eum canonem à R. Ecclesia receptum esse testatur Antonius Augustin. *in epitome lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 10.

14 INTELLIGITVR CLEMENT. 2. DE PRIVILEGIIS. Secundò aduersatur textus *in Clement.*2. *de priuileg.* vbi conceditur Archiepiscopis, vt possint per quæcumque loca etiam exempta Crucem, & Pontificalia deferre: igitur & pallio vti possunt extra prouinciam; siquidem Pontificalium appellatione pallium continetur. Cui difficultati satisfaciendum est dicendo, in eo textu ex speciali gratia, & indulgentia concedi Archiepiscopo priuilegium, vt possit etiam extra loca sibi subiecta pallium deferre: quare cùm textus ille procedat ex speciali priuilegio, non aduersatur nostræ assertioni. Eodem etiam modo accipiendus est textus *in cap.* 1. *vt lite pendente*, vbi Archiepiscopus Eboracensis potest per totam Angliam etiam extra prouinciam crucem deferre, cùm delatio crucis non minùs quàm pallij spectet ad iura specialia Archiepiscoporum, & per crucis delationem significetur exercitium iurisdictionis, vt latè *in d. cap.* 1. probabimus; illa enim decisio procedit ex speciali gratia, quæ concessa erat Archiepiscopo Eboracensi, vt per totam Angliam ante se crucem deferret: & sicut priuilegio potest concedi Archiepiscopo, vt pallium deferat extra prouinciam propriam, *cap. ex tuarum, hoc tit.* probat Vicecomes *d. lib.*4. *cap.*25. ita similiter potest concedi, vt crucem deferat extra prouinciam.

15. EXPLICATVR CAN. 27. SYNODI 8. Tertiò obstat textus *in can.*27. *Synodi* 8. *Constantinop. generalis*, sub Adriano II. celebratæ, in illis verbis: *Episcopi, quibus concessum est palliis vti certis temporibus, in eisdem temporibus, & locis his induantur, & tanto, & tali non abutantur amictu propter typhum, & inanem gloriam, & humanum placorem, atque sui amorem, omni videlicet tempore diuini sacrificij, & omnis alterius ecclesiastici ministerij hunc inepte portantes.* Refert Antonius Augustinus *in epitome lib.*3. *tit.*4. *cap.*1. Ex quibus verbis deducitur, non solùm intra Ecclesias suæ prouinciæ in Missarum solemnitatibus, verùm in omnibus ministeriis ecclesiasticis licere Archiepiscopo pallium deferre: igitur non rectè in præsenti asserimus, tantùm intra Missarum solennia, non verò in processionibus posse Archiepiscopum vti pallio. Cui difficultati respondendum est, illa verba, *ecclesiastici ministerij*, accipienda non esse de processionibus, & aliis actibus, qui extra Ecclesiam celebrantur; sed de illis, qui intra Ecclesiam peraguntur, videlicet de consecrationibus Episcoporum, ordinationibus sacerdotum, Synodorum congregationibus, & aliis, in quibus Archiepiscopo licet vti pallio. Non me latet aliquando priuilegio speciali concedi Archiepiscopis etiam in processionibus vti pallio, vt concessum fuit Archiepiscopo Rauennat. à Gregorio I. *lib.*4. *epist.*11. ibi: *Fraternitatem vestram valde inuenio contristatam pro eo, quod in Letaniis induere pallium rationis censurâ prohibetur. Sed per excellentissimum Romanum Patricium, & per eminentissimum Præfectum,*

Præfectum, atque per alios ciuitatis suæ nobiles viros importunè expetit, vt hoc debeat concedi. Nos autem solicitè requirentes ab Adeodato Diacono quondam fraternitatis tuæ cognouimus, quia nunquam consuetudo fuerat decessoribus tuis, vt in Letaniis pallio, nisi in solennitate B. Ioannis Baptistæ, & B. Petri Apostoli, & B. Martyris Apollinaris vterentur. Cui quidem nequaquam credere debuimus, nisi quia multi apud ciuitatem fraternitatis vestræ responsales sæpius fuerunt, qui se faterentur tale quid nunquam vidisse. Et in hac re multis potiùs credendum est, quàm vni pro sua Ecclesia aliquid attestanti. Sed quia nos fraternitatem tuam contristari nolumus, & petitionem filiorum nostrorum apud nos minimè frustrari, vsum pallij donec subtilius, veriusque aliquid cognoscamus, in Letaniis solennibus, id est die natalitio B. Ioannis Baptistæ & B. Petri Apostoli, & B. Apollinaris Martyris, atque in ordinationis vestræ celebritate concedimus.

Quartò obstat textus *in cap. ad supplicationem 9. de renunc.* in illis verbis: *Absque vsu pallij officium Episcopale valeat exercere*; vbi prohibetur, ne in alieno Archiepiscopatu Archiepiscopus possit vti pallio: igitur quia iure communi poterat illud deferre in aliena prouincia. Sed huic difficultati respondetur, quod ibi Innocentius III. speciali sententiâ declarauit, Archiepiscopum non posse vti pallio in aliena prouincia, propter dubium, quod emergebat ex eo, quod cùm iam fuisset Archiepiscopus consecratus, videbatur etiam post cessionem posse pallium retinere, & eo vti. Quare ad sedandum hoc dissidium, decreuit Innocentius III. ne Archiepiscopus post cessionem, & renunciationem suæ dignitatis posset vti pallio in aliena prouincia.

16. OPPONITVR CAP. AD SVPPLICATIONEM, DE RENVNT.

CAPVT II.

[a] Cœlestinus III.

AD hæc, quia quæsitum est à nobis ex parte tua, vtrum liceat tibi pallium tuum Metropolitano alij commodare, si contigerit eum sine pallio suo ad Ecclesiam sibi commissam, vel in aliqua præcipua solemnitate venire, & in eadem Ecclesia [b] Missarum solemnia celebrare. *Et infrà*: Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod non videatur esse conueniens, vt pallium tuum alicui commodes, cùm pallium in personam non tranſeat, sed quisquis (sicut tua nouit discretio) cum eo debeat sepeliri.

NOTÆ.

1. a *Cœlestinus.*] Nec ex hac, nec ex secunda collectione, vbi *sub hoc tit. cap. finali*, refertur hæc decisio, constat cui Archiepiscopo rescripsisset Cœlestinus III. De ipso autem Pontifice egi *in cap. 12. de rescriptis.*

2. b *Missarum solemnia.*] Aliarum prouinciarum Præsules plerumque inuitabantur à Prælatis Ecclesiarum, per quas iter faciebant, ad Missarum solennia celebranda, & prædicandum, vt latè dicemus *in cap. 1. de clericis peregrinis*; vnde cùm in hoc textu alienus Archiepiscopus inuitatus à proprio vellet solennia Missarum celebrare cum pallio, deciditur à Cœlestino III. cum pallio alterius Archiepiscopi non posse celebrare.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur assertio: *Archiepiscopus alij pallium suum commodare non potest, sed quilibet cum suo pallio debet sepeliri.* Non est similis decisio in iure nostro, vt testatur ipse Cœlestinus in præsenti, dum affirmat, huius casus solutionem non reperiri in aliquo canone expressam. Illustrant tamen hanc assertionem Azor 2. *p. instit. lib. 3. cap. 34.* Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 7.* Sanchez *tom. 2. lib. 7. consil. cap. 1. dubio 16.* Pancirola *lib. 1. variar. cap. 20.* Acuña *in cap. pallium*, 100. *dist.* & omnes citati superiori commentario.

4. RATIO DVBITANDI. Hæc assertio, quæ duplicem continet partem, duplicem etiam patitur dubitandi rationem. Prima, vbi deciditur pallium Archiepiscopo commodari non posse, difficilis redditur eo principio: nam omnes res mobiles, etiamsi ad pompam tantùm sint destinatæ, commodari valent, *l. 3. §. vlt. l. sicut 5. §. interdum, ff. commodati:* ergo similiter pallium ab vno Episcopo aliis commodari potest. Secunda nostræ conclusionis pars, quatenus docet Archiepiscopum cum pallio esse sepeliendum, impugnatur sequenti consideratione; nam vtriusque iuris principium est, neminem cum vestibus, & ornamentis esse sepeliendum, vt iure Cæsareo probatur *ex l. si quis 14. §. non aurum, ff. de religiosis, l. seruos 112. §. vlt. ff. de legat. 1. l. vlt. §. mulier, ff. de auro & argent. legat.* argumento legis *nec amplius, ff. ad legem Falcidiam.* Iure canonico id constat *ex cap. nemo 39. de consecr. dist. 1.* Concilio Autisiod. *can. 12. Non licet velo, vel pallis corpora mortuorum inuolui.* Aruern. *can. 3. Obseruandum, ne pallis, vel ministeriis diuinis defunctorum corpuscula obuoluantur.* Bituricensi *can. 13.* Refert Antonius Augustinus *in epit. iuris Pont. lib. 17. tit. 3.* facit D. Chrysostomus *homilia 84. in Ioannem. Tu cùm audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa quæso ab insana funeris impensa, quia sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimùm affert detrimenti, mortuis nullam vtilitatem, vel damnum potiùs.* D. Hieronymus in vita Pauli: *Mortuos auratis obuoluamus vestibus; cur ambitio inter lachrymas luctusque non cessat: cadauera diuitum nisi in serico putrescere nesciunt.* Illustrant Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 18.* Iulius Lauorus *variar. lucubr. tit. 2. cap. 1. num. 11.* igitur non licet etiam Archiepiscopum cum pallio sepelire.

5. RATIO DECIDENDI. Adhuc tamen defensanda est Cœlestini decisio, cuius decisiua ratio ex eo prouenit; nam pallium, de quo agimus, est personale, ad instantiam, & petitionem Archiepiscopi concessum, suffragantibus eius meritis, vt suprà *cap. 1.* dixi: sed

quæ perſonalia ſunt, aliis commodari non poſſunt, *l. quia tale, ff. ſoluto matrim. cap. priuilegium, de regul. iuris in 6.* igitur nec pallium tanquam perſonale alij commodari poteſt. Accedit, nam adeò pallium reſpicit perſonam Archiepiſcopi vt Metropolitani illius Eccleſiæ, quod ſi ipſe tranſfertur in aliam Eccleſiam ſimiliter Archiepiſcopalem, tenetur nouum pallium à R. Pontifice petere, nec primo conceſſo intuitu primæ Eccleſiæ vti valet, *cap. bonæ 4. de poſtulat. Prælat.* quia conceſſum fuit illi vt Metropolitano prioris Eccleſiæ: igitur ſi pallium Archiepiſcopo conceſſum non poteſt commodari ipſi in aliam Eccleſiam tranſlato, minùs valebit pallium vnius Archiepiſcopi alteri commodari: debet ergo Archiepiſcopus cum eo ſepeliri, cùm neque eius ſucceſſori, nec alij commodari poſſit, præcipuè cùm quilibet ſit ſepeliendus cum inſigniis dignitatis ſuæ, quibus in vita decorabatur, vt probatur ex actis Petri Martyris, Patriarchæ Alexandrini, relatis à Baronio *tom. 3. anno* 310. ibi: *Indutum veſtibus ſacerdotalibus albi coloris, colobio, & omophorio, triumphali pompâ ad cæmeterium detulerunt.* Ex Eutichiani Pontificis decreto, *lib. 2. de R. Pontifice*, ibi: *Vt quicumque fidelium ſepeliret ſine dalmatica, aut colobio purpurato, nulla ratione ſepeliret.* Quid autem in his auctoritatibus per colobium, & dalmaticam intelligatur, exponunt Bulengerus *lib. 1. opuſc. cap. 22. & 28.* I. Vicecomes *lib. 3. de Miſſæ ritibus, volum. 4. cap. 26.* Hugo Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorij, pag. 65.* Meurſius *in gloſſario, verbo Colobium*, Valeſius *in notis ad Ammianum Marcell. pag. 45.* Rectè ergo in præſenti deciditur, Archiepiſcopum cum proprio pallio eſſe ſepeliendum.

6. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obſtant difficultates ſuprà adductæ. Non prima, nam principium in ea expenſum, locum non habet in rebus perſonalibus, vt eſt pallium quod Archiepiſcopi perſonam non tranſgreditur: quare vt perſonaliſſimum alij commodari non poteſt. Nec ſecunda difficultas obſtat, nam nec iure ciuili, nec canonico prohibetur abſolutè defunctos veſtibus indutos ſepeliri; ſi enim modicæ veſtes ſint, cum illis ſepeliri valebunt, & ſemper apud Romanos cadauera cum veſte ſepeliebantur: vnde *in l. filius 19. ff. de in rem verſo*, refertur filium ſepultum fuiſſe cum modica toga; & inter funeris impenſas veſtes recenſentur *in l. ſed ſi quis 24. §. impenſa, l. funeris 37. ff. de religioſis*: vnde Scæuola, ſi hæres veſtimenta alicui legata eroget in funus teſtatoris, vtique ſi ignorans & neceſſariò fecerit, agnoſcit nihil ei imputari poſſe, nec ex teſtamento teneri, cùm neceſſariò, vtiliterque impenderit; nec ad exibendum, quia nec veſtimenta poſſidet, nec dolo malo fecit quominus poſſideret; quamquam aliud ſit, ſi hæreditas ſoluendo ſit, poſſitque legatarius indemnis ab hærede ſeruari, *l. finali, §. finali, ff. de religioſis, l. ſi hæres 63. l. Mœuius 66. §. in fundo, ff. de legat. 2. l. quid ergo 53. §. ſed ſi mortuum, ff. de legat. 1. l. ſcriptus 4. in fine, l. & ſi quis 14. §. ſed ſi, ff. de religioſis, l. ſi fundum 105. ff. de condit. & demonſtr.* Mentio ſit ſimilis veſtis *in l. veſtis 23. ff. de auro & argento, l. 3. §. aduerſus, ff. de ſepulchr. violat. l. quicumque, §. 8. ff. de inſtitoria actione*: apud Macrobrium *lib. 6. Saturn. cap. 2.* Titum Liuium *lib. 34.* Apuleium *lib. 10. de Aſino aureo*, Lucianum *de luctu*, Lactantium *lib. 2. cap. 4.* Sidonium *lib. 3. epiſt. 3.* fuitque frequens, ac vulgare Romanorum cadauerum indumentum toga, ſicut Græcorum pallium, Iuuenalis *ſatyra 3.*

Pars magna Italiæ eſt,
Si verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit, niſi mortuus.

Martialis *lib. 9. epigr. 58.* De his veſtibus plura Spondanus *de Cæmeteriis ſacris p. 3. lib. 1. cap. 4.* Reuardus *lib. 1. coniect. cap. 5.* Antonius Clarus Siluius *ad leges duodecim Tabul. c. 23.* Donellus *lib. 8. comment. cap. 12.* vbi Oſualdus *littera A*, Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 18.* Philippus Camerarius *horarum ſucceſſiu. cap. 14.* Briſſonius *lib. 7. de formulis, pag. 751.* Tantùm enim iure ciuili prohibetur, ne cum veſte ſplendida cadauer ſepeliatur, quia hoc ineptum Romani iudicarunt, & ineptas voluntates reprobarunt, *l. 113. §. ineptas, ff. de legat. 1.* Iure etiam Pontificio non prohibetur cum veſtibus communibus, aut cum ſacris proprij gradus, & dignitatis cadauera ſepeliri; ſed tantùm cum veſtibus ſacris; quare Archiepiſcopus poteſt, & debet cum proprio pallio ſepeliri.

7. EXPONVNTVR VARII CANONES.

Nec contrarium probant textus *in d. cap. nemo 40. de conſecr. diſt. 1.* in Concilio Aruern. *can. 3.* Concilio Altiſſiod. *can. 12.* in illis verbis: *Non licet mortuis, neque Euchariſtiam, neque oſculum tradi, nec velo, nec pallis corpora eorum inuolui.* In quibus expreſsè prohibetur, defunctorum corpora cum pallis ſepeliri: igitur nec Archiepiſcopi poſſunt cum ſuis palliis humari. Pro quorum canonum expoſitione primò obſeruandum eſt, pallium, ſeu pallam, in illis canonibus appellari veſtem illam Altaris, quam nos appellamus *Corporales*, quæ ponitur ſupra ipſam Aram ad ſacrificium Miſſæ celebrandum, & quaſi imaginem ſuſtinet mundæ illius ſyndonis, quâ Chriſti corpus ad ſepulturam inuolutum nouimus, *Ioannis c. 19.* de qua ab Euſebio & à Sylueſtro I. in epilogo Romanæ Synodi ſtatutum legimus, ne Altaris, ſeu Dominici Corporis conſecratio in panno ſerico, aut tincto fieret; ſed in palla linea, puraque, ad ſimilitudinem mundæ illius ſyndonis, ſiue lintei. Et Damaſus Papa in vita Soteris Pontificis ait: *Hic conſtituit, vt nulla monacha pallam ſacratam contingeret, nec incenſum poneret in ſancta Eccleſia.* Idem habetur *cap. præſens 20. q. 1.* De hac palla accipienda ſunt verba illa Romani Ordinis: *Vbi pallæ corporales lotæ fuerint, nullum linteamen ibidem debet aliud lauari, ſed ipſa aqua debet in baptiſterium vergi.* Plura I. Vicecomes *d. lib. 3. de Miſſæ ritibus, cap. 2.* Secundò obſeruandum eſt, olim, ſicut hodie, in vſu fuiſſe defunctos veſtibus propriæ dignitati congruentibus, & inſigniis propriis ſepeliri, vt notauit Seruius *ad illud Virgilij 11. Æneidos.*

Et tela quibus ſpoliauerat hoſtem.

In antiquis diſciplinis relatum eſt, quæ quiſque ornamenta conſecutus eſt, vt ea mortuum eum condecorarent. Ita apud Romanos efferri Magiſtratus in toga prætexta, Cenſores purpureâ, Triumphales palmatâ ſolebant, auctoribus Polybio *lib. 6.* Tito Liuio *lib. 34.* & aliis. Similiter & Cæſares cum diademate & purpura, aliiſque Imperij, & triumphorum inſigniis funerantur, *l. 13. tit. 13. partit. 1.* quem morem inter alios deſcripſit nemo meliùs Coryppo Africano in laudibus Iuſtini minoris, vbi de Iuſtiniani funere *lib. 1.* ait:

Sic ſuprema ſuæ ſeruans inſignia vitæ,
Iuſtinianus erat, non mutans morte colorem.
—— Diademate comptus.

Et paulò poſt.

Purpureaque in veſte iacens.....

Hæc

Hæc ideo fieri vnax ſapientia iuſſit,
Ornatum vt propriis funus regale triumphis
Auguſtum in tumulo fatalis duceret hora.

Ex Gregorio, Sidonio, & aliis probat Spondanus *de cæmeteriis ſacris 3. p. lib. 1. cap. 2.* & milites cum armis, aliiſque ſtipendiorum decoramentis plerumque funerari innuitur *in cap. in noſtra 10. de ſepulturis:* & SS. Martyrum corpora etiam dalmaticis obuolui, ſuprà probaui. Sed cùm religionis prætextu, non ſolùm Martyrum, & Eccleſiæ miniſtrorum corpora cum dalmaticis, pallis, & aliis veſtibus ſepelirentur; verùm etiam laicorum cadauera veſtibus ſacris, & pallis inuoluta aliqui ſepelire præſumerent, variis Eccleſiæ canonibus prohibitum fuit, ne defunctorum cadauera pallis, & aliis ſacris veſtibus obuoluerentur ad ſepulturam, etiamſi ſacerdotum eſſent. Prohibitionem, & rationem aſſignant Patres Concilij Aruern. *can. 5.* his verbis: *De opertorio Dominici Corporis, ſeu palla Altaris, nunquam ſacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur; quia ſacro velamine vſibus ſuis reddito dum honorantur corpora, Altaria polluuntur.* Non tamen illis, ſeu aliis Eccleſiæ canonibus prohibentur Archiepiſcopi, & alij Eccleſiæ miniſtri veſtibus propriæ dignitatis inuoluti ſepeliri. Facit Concilium Romanum 2. ſub Gregorio I. *can. 4.* ibi: *Sicut indignos nos pro B. Petri Apoſtoli reuerentia mens fidelium veneratur, ita noſtram infirmitatem debet ſemetipſa ſemper agnoſcere, & impenſæ ſibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium huius Sedis Rectoribus mos vltra meritum erupit, vt cùm eorum corpora humana deferuntur, dalmaticis contegant, eaſdem dalmaticas pro ſanctitatis reuerentia ſibimet partiendas populus ſcindat; & cùm adſint multa à ſacris corporibus Apoſtolorum, Martyrumque velamina, à peccatorum corpore ſumitur, quod pro magna reuerentia ſeruatur: de qua re præſenti decreto conſtituo, vt feretrum, quo R. Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur.* Vbi pro, *corpora humana deferuntur*, non dubito quin legendum ſit, *corpora humanda.* Similis commutatio obſeruata eſt iam à doctis *in l. 2. C. de SS. Eccleſiis, in l. nemo 14. C. de religioſis*; in quibus pro verbis *humanis*, & *humanum*; reponenda ſunt, *humandis*, & *humandum*, vt liquet *ex l. penult. & vlt. C. Theodoſ. de ſepulcr. viol.*

8. EXPONITVR RVPERTVS.

Sed ſuprà dictis aduerſatur Ruperti auctoritas *lib. 2. de diuinis officiis, cap. 27.* in illis verbis: *Treuerenſi autem Eccleſiæ Maternus à B. Petro Apoſtolo miſſus, hæreditatem pallij ſuis ſucceſſoribus dereliquit.* Ex quibus depromitur, pallium à defuncto in ſucceſſorem tranſire: igitur quia nec eſt perſonale, nec cum eo Archiepiſcopus eſt ſepeliendus. Pro cuius auctoritatis expoſitione dicendum eſt, Maternum Præſulem Treuerenſem, non ipſum pallium à Sede Apoſtolica acceptum ad ſucceſſores tranſtuliſſe, ſed potiùs ius deferendi illud; nam cùm R. Pontifex Materno vt Treuerenſi Epiſcopo illud conceſſiſſet, tanquam intuitu Eccleſiæ conceſſum ius illud deferendi ex illa conceſſione ſucceſſoribus competit.

CAPVT III.

[a] Innocentius III. *C. Preſbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato.*

NIſi ſpecialis illa dilectio.[b] *Et infrà*: Sanè ſi poſtulatio ven. f.[c] Troianen. Epiſcopi, Regni Siciliæ Cancellarij, ad Panormitan. Eccleſiam fuiſſet per nos etiam approbata, non tamen deberet ſe Archiepiſcopum appellare, priuſquam à nobis pallium ſuſcepiſſet, in quo Pontificalis officij plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur. Tu ergo, ſicut vir prouidus & diſcretus, quod factum eſt, ſic ſtudeas palliare, vt id in confuſionem tuam, & Ap. Sed. opprobrium non redundet; quoniam ſi oporteat, vt vel nos in hoc facto confuſionis opprobrium incurramus, vel tu ex hoc negotio confundaris; eligemus te potiùs confundi, quàm lædamus Sed. Ap. dignitatem.

NOTÆ.

1. a C.] Cencio videlicet, tituli S. Laurentij Preſbytero Cardinali. Cùm enim temporibus Innocentij III. circa annum 1202. Marcoaldus Seneſcallus Imperij ſtuderet arte, & armis totam Siciliam peſſundare, in grauiſſimum Eccleſiæ damnum, & etiam Friderici, adhuc eo tempore pupilli, Regis Siciliæ, Innocentius miſit in illis partibus Cencium vt Sedis Apoſtolicæ Legatum, cuius Legationis meminit D. Rochus Pirro *tom. 1. Siciliæ ſacræ, in Eccleſia Panormit. anno 1201.* Et ſub hac etiam inſcriptione textus hic reperitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.*

2. b *Et infrà.*] Prima pars huius textus, quæ hîc deeſt, reperitur *in cap. niſi ſpecialis, de officio Legati*; & pars vltima præſentis caſus extat *in cap. quoad tranſlationem, de renunc.* ex quibus noſtri textus hiſtoria ita repetenda eſt. Mortuo Bartholomeo Panormit. Eccleſiæ Præſule anno Domini 1201. Gualterius de Polena, ſeu de Pallearijs, ex Henrici Imper. genere ortus, magnus Siciliæ Cancellarius, Troianus primùm Epiſcopus, poſtea Catinenſis electus; antequam ipſi Catinenſi Eccleſiæ præficeretur, à prædicto Cencio Cardinale Legato ad Panormit. Eccleſiam tranſlatos fuit: ſed cùm hoc Legati factum Innocentio diſplicuiſſet, animi dolorem acribus, & reprehenſionis plenis litteris ipſi Gencio ſignificauit, ibi: *Niſi ſpecialis illa dilectio*, &c. quæ referuntur *in d. cap. niſi, de officio Legati.* Et cùm ipſe Gualterius ſe Archiepiſcopum Panormitanum cognominaſſet antequam Innocentius illum transferret, illique concederet pallium, quod vt Metropolitano Panormit. debebatur; ideò ſtatim ſubiecit verba, quæ reperiuntur in hoc textu: & cùm poſtea Cencius Cardinalis excuſationem propoſuiſſet, aſſerens putaſſe ſe vt Legatum Sedis

Apostolicæ potuisse prædictum Gualterium transferre, ne honoris iacturam pateretur, Innocentium III. enixè rogauit, vt prædictæ translationis author fieret eam confirmando; cui rescripsit in litteris compilatis à Raymundo *in d. c. quoad translationem.* Rem latiùs prosequitur D. Rochus Pirro *vbi suprà*, anno 1201. & nos *in d.cap. quoad translationem:* & reperitur casus hic in gestis Innoc.III. *pag.*18.20.& 24.

3. c *Troianen.*] Troia Apuliæ opulentissima ciuitas est Episcopalis, vbi Vrbanus II. Concilium congregauit ad morum reformationem. Eius Ecclesiæ historiam, & Præsulum seriem refert Vghellius *tom.*1. *Italiæ,pag.*238.

COMMENTARIVM.

4. Conclvsio refertvr, et probatvr. EX hoc textu sequens depromitur assertio: *Archiepiscopus ante receptionem pallij, nec quæ sunt ordinis valet exercere, neque Archiepiscopus appellari.* Probant textus *in cap. non solùm* 7. 100. *dist. cap. significasti* 4. *cap. bonæ, cap. suffraganeis, cap. quod sicut, cap. illa quotidiana, cap. nihil,* §. *cæterum, de electione, cap. licèt* 4. *de transl. Episcopi, cap. proposuisti,* §. *final. de concess. præb. cap. antiqua, in fine, de priuilegiis.* Paschalis II. *in epist. ad Archiepiscopum Poloniæ*, quam ex Vaticano Codice refert Baronius *anno* 1102. *In pallio, frater, plenitudo conceditur Pontificalis officij, quia iuxta Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem ante susceptum pallium Metropolitanis minimè licet, aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare.* Ioannes VIII. *epist.* 93. *ad Archiepiscopum Arelat.* quam refert Vicecomes *d. tom.* 4. *lib.* 4. *cap.* 21. ibi: *Proh dolor, cùm in Galliæ partibus essemus, inter cætera vnum valdè prohibendum inuenimus. Metropolitæ antequam pallium à Sede Apostolica suscipiant, consecrationem facere præsumunt; quod antecessores nostri, & nos canonico decreto, ne fieret, interdiximus.* Innocentius noster *lib.*1.*myst. Missæ, cap.* 63. *Dicitur autem pallium plenitudo Pontificalis officij, quoniam cum ipso, & in ipso confertur Pontificalis officij plenitudo; nam antequam Metropolitanus pallio decoretur, non debet Clericos ordinare, Pontifices consecrare, vel Ecclesias dedicare, nec Archiepiscopus appellari.* Idem *eod. lib. cap.*47. Nicolaus *ad consulta Bulgarorum, cap.* 73. *Episcopi qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant Archiepiscopum in throno non sedentem, & præter Corpus Christi non consecrantem priusquam pallium à Sede Romana percipiat, sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Gregorius VII. *lib.* 9. *regest. epist.* 1. Concilium Matiscon. I. *can.* 6. refert & alia iura Antonius Augustin. *in epitom. lib.*3. *tit.*5. Illustrant Acuña, & Dartis *in d. cap. non solùm,* 7. *dist.* 100. Azor 2.*p. instit.lib.*3.*cap.*34. *versiculo* 6. *quæritur.* Germonius *lib.*3. *de sacrorum immunit. cap.*7.*num.*24. Durantus *in rationali lib.*3.*cap.*17.*num.*11. Sanchez *lib.*4.*summæ, cap.*38.*num.*9. & *lib.*7. *cap.*5.*num.* 66. & *lib.*7. *consil. cap.*1. *dubio* 16. Vicecomes *d. tom.* 4. *lib.*4. *cap.* 21. Bosquetus *ad Innocentium lib.* 1. *epist.* 47. Vghellius *in methodo iuris can.pag.* 336. Solorzanus *lib.*1. *polit. cap.* 7. & *lib.*4. *cap.*7. Hallierius *de sacris elect. sect.* 5.*cap.*4. *art.* 10. §. 9. *pag.* 237. & alij suprà *in cap.*1. laudati.

5. Ratio dvbitandi. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam aut ea, quæ exercet Archiepiscopus ante pallij receptionem, sunt iurisdictionis, aut ordinis: si sunt iurisdictionis, statim post confirmationem, etiam ante consecrationem, exerceri valent, *cap. transmissam* 15. *de elect.* si sunt ordinis, post consecrationem à tribus Episcopis peractam celebrari possunt, *cap.nosti, cap. suffraganeis,* vbi dixi, *de electione:* igitur etsi pallium adhuc non receperit, cùm per illud nullam potestatem ordinis, seu iurisdictionis accipiat, rectè potest Archiepiscopus ea, quæ sunt muneris Archiepiscopalis, exercere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, quia si Archiepiscopus non posset ante pallij receptionem peragere quæ sunt Archiepiscopalis muneris, sequeretur, vt si ea perageret, nullius momenti essent, argumento textus *in l. non dubium, C. de legibus:* sed sic est, quod subsistunt, & sustinentur, vt probant Acuña *in d.cap. non satis*, Germonius, & alij, quos refert & sequitur Fragoso *tom.*2. *de regimine,lib.*7.*cap.*17. §.2. *num.*5. igitur quia ante pallij receptionem potest exercere ea, quæ sunt muneris Archiepiscopalis.

6. Ratio decidendi. Hac consideratione minimè obstante vera est præsens decisio, quæ optimâ nititur ratione; nam licèt Archiepiscopus post confirmationem,& consecrationem habeat potestatem iurisdictionis, & ordinis in aptitudine, non tamen habet in actu, donec pallium receperit; quia licèt per illud non addatur quidquam consecrationi, tamen executio officij committitur, & in eo est plenitudo potestatis, *cap. significasti* 4. *de elect.* quare communi Sedis Apostolicæ, & totius orbis consensu receptum est, vt Archiepiscopi absque pallio non possint quæ sunt ordinis exercere, *ex cap. ad honorem, hoc tit.* ibi: *Priscam Sedis Apostolicæ consuetudinem*; & *d.cap.significasti* 4.& sicut pallium traditur ad exercitium Archiepiscopalis officij, ita ad eiusdem ademptionem pallium aufertur. Anastasius Biblioth. *in vita Silueri*, ibi: *Ioannes Subdiaconus tulit pallium de collo eius, & spolians eum, induit veste monastica.* Liberatus *in breuiario, cap.* 21. ibi: *Anthimus videns, se sede pulsum, pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit.* Et *cap.*23.de Paulo Alexandrino, ibi: *Auferentes Paulo pallium, deposuerunt eum.* Et in Synodo 6. *act.* 8. *Macario depositio pallium aufertur.* Plura I. Dartis *in* 100. *dist. in fine.* Rectè ergo cùm per pallium plenitudo officij, seu executio tradatur, deciditur in præsenti, ante pallij receptionem Archiepiscopum ea, quæ sunt ordinis exercere non posse, nec se Archiepiscopum cognominare.

7. Dissolvitvr difficvltas. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt verum sit, ante pallij receptionem Archiepiscopum obtinere potestatem exercendi omnia, quæ sunt iurisdictionis, aut ordinis, *d. cap. transmissam, cap. quod sicut,* §. *præterea, de elect.* non tamen habet exercitium huiusmodi potestatis ordinis; vnde non potest ea licitè exercere. Nec obstat augmentum difficultatis; nam licèt controuersum sit apud iuris nostri Interpretes, vtrum videlicet Archiepiscopi validè, & licitè, pallio non recepto Clericos ordinare, & Basilicas consecrare possint; placuit tamen communis distinctio, videlicet, validè posse ea peragere, non tamen licitè; quia nostri textus prohibitio non procedit cum irritatione: vnde cùm tantum contineat prohibitionem, si Archiepiscopus pallio non recepto quæ sunt ordinis exercuerit, puniendus erit, sed ab eo gesta non carent effectu.

8. Opponvntvr. Superiori assertioni obstat textus *in cap. suffraganeis* 11. *de elect.* vbi asseritur, Archiepiscopum tantùm confirmatum posse suffraganeis suis committere,

mittere, seu delegare consecrationem Episcopi, etiam suffraganei: igitur & per se potest exercere quæ sunt ordinis. Huic difficultati satisfaciendum est ex traditis in eius textus commentario. Deinde obstat textus *in cap. nihil* 44. §. *cæterùm, de elect.* cuius interpretationem adduxi *in cap. nosti* 9. *num. penult. de elect.* Deinceps opponitur textus *in cap.* 1. *in fine, de transl. Episcopi*; cuius difficultatem expendi *in cap. suffraganeis* 11. *de elect. n. vlt.* vbi alia, quæ huc spectant, adduxi.

CAPVT IV.

[a] Idem.

AD honorem Dei. *Et infrà*: Sanè solus Romanus Pontifex in Missarum solenniis [b] pallio semper vtitur, & vbique, quando assumptus est in [c] plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quod per pallium figuratur: alij autem eo nec semper, nec vbique, sed in Ecclesia sua, in qua [d] iurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, [e] certis debent vti diebus: quoniam vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. cui tamen rescripserit Innocentius III. non constat, nec epistolæ integra reperitur; & credo in præsenti tantùm transcribi formam traditionis pallij ex gestis Innocentij III. editis à Bosqueto, vbi *fol.* 64. *sub hoc tit. de forma dandi pallium*, hæc verba leguntur. *Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Innocenty, & Romanæ Ecclesiæ, necnon & Ecclesiæ tibi commissæ tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in signum videlicet plenitudinis Pontificalis officij, quo ad Missarum solennia infrà Ecclesias tibi subiectas vtaris, in Natiuitate Domini, festiuitate Protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Dominica in Ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbatho sancto, Paschâ, feriâ secundâ post Paschа, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus festiuitatibus Sanctæ Mariæ, Natali B. Ioannis Baptistæ, solennitatibus omnium Apostolorum, Commemoratione omnium Sanctorum, Dedicationibus Ecclesiarum, Consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus Clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festiuitatibus, Anniuersario consecrationis tuæ die. Sanè solus Romanus Pontifex in Missarum solenniis pallio semper vtitur, & vbique; quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium figuratur. Alij autem eo nec semper, nec vbique, sed in Ecclesia sua, in qua iurisdictionem acceperunt, certis debent vti diebus; quoniam vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Præcepit etiam, vt tam à Primate, quàm præfatis Archiepiscopis reciperet huiusmodi sacramentum.*

2. b *Pallio.*] Romani etiam Pontifices iam à primis Ecclesiæ temporibus pallio vtebantur. Auctor Romani Ordinis *lib. de diuinis officiis, tit. de ordine processionis*, ibi: *Nonissimè per Diaconum, vel Subdiaconum, cui ipse iusserit, pallio superinduitur, & configitur per acus in planeta retro & antè, & in humero sinistro.* Et de ordine ecclesiastico, ibi: *Remanent cum Pontifice Primicerius Defensorum, Notarij, Regionarij, & Subdiaconus sequens, qui tenet pallium Pontificis in brachio suo super planetam in sinistra, cum acu.* Quod temporibus Gregorij I. fuisse ex byssо contextum, ait Ioannes Diaconus *in vitâ S. Gregorij, lib.* 4. *cap.* 80. ibi: *Nam in eo, quod pallium eius byssо candente contextum, nullis fuisse cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obuolutum fuisse, non autem confixum dignoscitur.* De hoc pallio Pontificis agunt Vicecomes *d. lib.* 4. *cap.* 11. Zerda *in aduersariis lib.* 1. *cap.* 3. Rousselius *lib.* 2. *histor. iurisd. Pontif. cap.* 2. *in fine.*

c *Plenitudinem.*] Ob eandem rationem licèt Episcopi baculo vtantur, non tamen Pontifex illud defert, *cap. vnico, in fine, de sacra vnctione*, vbi dicemus.

d *Iurisdictionem.*] Quam in suis Ecclesiis Archiepiscopi, & Episcopi æqualem Summo Pontifici, exceptis causis Sedi Apostolicæ reseruatis, obtinent, vt docent Suarez *de pœnit. dict. p.* 2. *sect.* 1. & *lib.* 6. *de legibus, cap.* 14. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 61. *num.* 3. Barbosa *de potest. Episcop.* 2. *p. allegat.* 1. Ex priuilegio autem possunt etiam extra prouinciam Archiepiscopi pallium deferre, *Clement.* 2. *de priuileg.* dixi supra *in cap.* 1. 3.

e *Certis debent vti diebus.*] Isti dies, aut erant communes omnibus Archiepiscopis, aut speciales vniuscuiusque, vt dies S. Titularis propriæ Ecclesiæ, & dies natalis ipsius Archiepiscopi, id est dies, in quo Archiepiscopus consecratus fuit, vt probatur ex Alexandro II. *in epist. ad Petrum Archiep. Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad Missarum solennia celebranda, sicut antecessoribus tuis concessum est, concedimus: videlicet in Natali Domini, Epiphania, Cœna Domini, Paschа, Ascensione, Pentecoste, Natali S. Ioannis Baptistæ, Natali Apostolorum Petri & Pauli, & quatuor festiuitatibus S. Mariæ, scilicet Natiuitate, Annunciatione, Purificatione, Assumptione, & duobus festis S. Angeli: sic pro natalitiis quoque duodecim Apostolorum, Natali S. Gregorij, & Sanctorum Sergij & Bacchi, & festiuitate omnium Sanctorum, atque Natali tuo, & quoties ordinationem, vel consecrationem Ecclesiarum celebraueris.* Vrbanus II. *in epist. ad Eliam Bracharensem Archiep. Propterea fraternitati tuæ pallij vsum ex more concedimus, vt eo inter Missarum solennia certis dumtaxat festiuitatibus vtaris, videlicet Natiuitate Domini, S. Stephani, Epiphaniæ, Cœnæ Domini, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, Natalitiis Apostolorum, & festiuitatibus S. Nicolai & Sabini, festiuitate omnium Sanctorum, in annua ordinationis tuæ die, in ordinatione Episcoporum, seu* 4.

cæterorum Clericorum; *in consecratione etiam Ecclesiarum*, *in translatione etiam Domini Confessoris Nicolai.* Faciunt textus *in cap. porrò 56. de consecr. dist.* 1. Innocentius III. *lib.* 1. *epist.* 47. Quæ omnia procedunt, nisi speciale priuilegium concessum sit alicui Archiepiscopo, vt semper vteretur pallio, vt indultum fuisse Rhemensi, & Colonienſi Archiepiscopis refert Vicecomes *d. tom.* 4. *lib.* 4. *cap.* 24.

COMMENTARIVM.

5. Conclvsio refertvr, et probatvr. EX hoc textu talis deducitur assertio: *Pontifex semper, & vbique vtitur pallio, Archiepiscopus verò tantum intra diœcesim, & certis diebus.* Probant textus *in cap. Pallium*, 100. *dist. l.* 5. *tit.* 5. *partit.* 1. & alij suprà citati *in cap.* 1. *hoc tit.* Illustrant Cæsar *de eccleſiast. hierarch.* 1. *part. disput.* 5. §. 2. *num.* 5. Zerola *in praxi*, *verbo Archiepiscopus*, Durantius *de ritibus lib.* 3. *cap.* 19. Azor 2. *p. lib.* 3. *cap.* 34. Antonius Augustinus *in epitome iuris lib.* 4. *tit.* 4. & *lib.* 17. *tit.* 8. Germonius *lib.* 3. *de sacr. immunit. cap.* 7. *num.* 24. Petrus Greg. *de elect. cap.* 20. *num.* 9. & *in cap. conquerente*, *cap.* 2. *num.* 7. *de officio Ordinarij*, Barbos. *de iure eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 104. & *de potestate Episcopi n.* 104. *tit.* 4.

6. Ratio dvbitandi. Contrarium tamen, videlicet semper, & vbique Archiepiscopos vti pallio posse, probatur ex eo, quia Archiepiscopi plura, quæ specialiter competunt Pontifici, exercere valent; vnde diuinis officiis formam præscribunt, *cap. altaria*, *de consecrat. dist.* 1. in Concilio prouinciali diem Paschæ nuntiant, *cap. placuit* 25. *de consecr. dist.* 3. Concilium celebrant, *cap. peruenit*, 6. *dist. cap. sicut* 25. *de accusat.* Antonius Augustinus *in epitom. lib.* 3. *tit.* 10. & alia plura exercent, quæ enumerat Petrus Gregorius *lib.* 15. *syntagm. cap.* 11. & sicut iure speciali Pontifex de causis Episcoporum cognoscit, *cap. audiuimus* 4. 3. *q.* 2. *cap. qui se scit* 2. *q.* 6. Antonius Augustinus *in epitome iuris Pontif. lib.* 1. *tit.* 14. ita etiam Archiepiscopi de illis cognoscere valent, *cap. si clericus* 11. *quæst.* 1. Germonius *dict. cap.* 7. *num.* 31. igitur similiter sicut Pontifex semper, & vbique vtitur pallio; ita similiter Archiepiscopi eo vti possunt.

7. Ratio decidendi. Præmissis his, quæ de pallij origine & forma adduxi *in cap.* 1. *hoc tit.* huius textus decisiua ratio redditur à nostro Innocentio in illis verbis: *Quoniam Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis, alij verò vocati sunt in partem solicitudinis.* Pontifex enim ex institutione diuina in toto orbe vniuersalem potestatem habet, *cap. fundamenta*, *de elect. in* 6. *cap. solitæ*, *de maiorit. & ob. cap. per venerabilem*, *qui filij sint legitimi*: plura Sebastian. Cæsar *disputat.* 1. *de R. Pontif.* quare vniuersalis Pastor dicitur *in cap. celebritatem*, *de consecrat. dist.* 1. plura Anton. Augustin. *in epitome lib.* 1. *tit.* 3. & Episcopus Episcoporum, caputque omnium Episcoporum dicitur *in epist.* 1032. *in ordine*, post Concilium Chalcedon. ibi: *Per iussionem Leonis R. Pontificis, qui verè caput est Episcoporum.* Bellarminus *lib.* 2. *de R. Pontif. cap.* 31. Sauarus *ad Sidonium lib.* 6. *epist.* 1. in illis verbis: *Tu Pater Patrum, Episcopus Episcoporum.* Vnde cùm non limitatam, sed absolutam Pontifex obtineat iurisdictionem, semper & vbique pallio vti potest; Archiepiscopi verò cùm limitatam, videlicet intra prouincias proprias, iurisdictionem exerceant, non extra eas possunt pallio vti, cùm pallium sit symbolum exercitij iurisdictionis: quæ ratio illustratur ex alia mystica, quam innuit Innocentius *in cap. vnico*, *in fine*, *de sacra vnctione*, quam ibi illustramus.

8. Dissolvitvr difficvltas. Nec obstat difficultas suprà adducta, ex variis iuris principiis petita: nam licèt in illis casibus, quæ à Pontifice fieri possunt, ab Archiepiscopis exerceti valeant, non tamen inde deducitur, nec Catholici admittere valemus, æqualem obtinere potestatem Archiepiscopos in partem solicitudinis vocatos, ac habet R. Pontifex in plenitudinem potestatis assumptus: quare licèt iudicare Episcopos, Pascha nuntiare, Concilium prouinciale celebrare possint Archiepiscopi, non tamen pallio, vt Rom. Pontifex, semper & vbique vti valent.

9. Exponitvr cap. in Galliarvm 25. q. 2. Sed suprà dictis opponitur textus *in cap. in Galliarum* 25. *q.* 2. vbi cùm Gregorius Magnus Bonifacium Archiepiscopum, & Primatem Angliæ constituisset, expressè cauit, ne in Galliarum prouinciis aliquam vindicaret potestatem; quia in eis ius deferendi pallium Arelatensi Præsuli concessum erat, & sic omnimodam poterat exercere iurisdictionem in illis prouinciis. Qui textus valde difficilis est, præcipuè si conferatur cum capite *Artaldus* 8. *quæst.* 1. in illis verbis: *Artaldus Arelatensis Episcopus, Narbonensis Ecclesiæ suffraganeus.* Ex quibus expressè constat, Arelatensem Præsulem tantùm Episcopum, & suffraganeum Narbonensis Ecclesiæ esse; & tamen *in dict. cap. in Galliarum*, decidit, per Galliarum prouincias posse eum pallium deferre: igitur quia non solùm Archiepiscopi, verùm etiam Episcopi, quibus concessus est vsus pallij, possunt illud deferre etiam extra prouinciam propriam. Pro huius textus interpretatione sciendum est, Arelatensem Præsulem non solùm Archiepiscopi titulo, verùm & Primatis, & Vicarij R. Pontificis iure decorari. Concilium Arelat. 2. *can.* 8. Nicolaus *in epist. ad Michaëlem Imperatorem*, ibi: *Arelatensis Ecclesia in regionibus Gallicanis Primatis priuilegio, & Sedis Apostolicæ vicibus decoratur.* Latè probant Antonius Augustinus *in epit. lib.* 2. *tit.* 12. Hallierius *de hierarch. eccleſiast. pag.* 597. *cum sequentibus*; vnde tanquam Primas totius Galliæ, & Vicarius Pontificis, poterat pallium deferre in prædictis prouinciis, vt docet Petrus Marcha *lib.* 6. *concord. cap.* 7. Nec tunc obstat textus *in dict. cap. Artaldus*, in quo omissâ solutione Glossæ, *verbo Galliarum*, *in dict. cap. in Galliarum*, loco illius verbi: *Arelatensis*, reponendum est *Alectensis*, qui Episcopatus suffraganeus est Narbonensis Ecclesiæ, quod leue mendum in eo textu iam obseruarunt Ioannes Andreas *in notis ad Speculatorem*, *in nostro tit. littera B*, Chenu *in serie Præsulum Arelat. in principio.*

10. Exponitvr cap. 1. de simonia. Secundò aduersus præsentem decisionem intendam probare alios etiam, præter Archiepiscopos, posse pallium deferre: & vt id adstruam, expendo textum *in cap.* 1. *de simonia*, vbi cùm prohibeatur Episcopis pretium recipere pro ordinatione Clericorum, prosequitur, nec pretium recipi posse pro vsu pallij, chartis, seu pastellis: ex quibus verbis depromitur, clericos etiam habere ius deferendi pallium; siquidem simul, & vna verborum contexturâ prohibetur pretium recipere pro eorum ordinatione, pro vsu pallij, & pro chartis: igitur quia non solùm Pontifex, & Archiepiscopus, verùm & simplices Presbyteri possunt

possunt pallium deferre. Pro huius textus expositione sciendum est, consuetudine, seu potiùs corruptelâ introductum esse, vt pro pallio Archiepiscopi Subdiaconis Pontificis, vel eius Apocrisiariis certum pretium erogarent, *cap. nouit, 100. dist. cap. sicut, cap. nullus, 1. q. 2.* quare vt Gregorius hanc consuetudinem radicitus euelleret, dum pro ordinatione Clericorum, & aliis actibus ecclesiasticis pecuniam recipi prohibuit, coniunxit, nec pro pallij vsu; non quia pallium sacerdotibus concederetur, sed potiùs Archiepiscopis: quare si in eo textu singula singulis tribuantur, ordinatio ad Presbyteros; pallij verò vsus ad Archiepiscopos spectabat. Alia quæ pro illius textus interpretatione desiderantur, in eius commentario, Deo annuente, dabimus; interim videndi sunt Mancinus *dissert.* 28. Spondanus *anno* 745. Lemaistre *de iuribus Episcop. lib. 2. cap. 5.* Vossius *de vitiis serm. cap. 33.* Hallier. *de sacris elect. sect. 7. art. 7. §. 2. & 5.* Rousselius *lib. 5. histor. cap. 4.*

II. EXPLICATVR CAP. PRÆSENS 20. Q. 3. Tertiò in eandem partem expendo textum *in cap. præsens 20. q. 3.* vbi proponitur, Athonem Clericum duo monasteria construxisse, & in vno Lambertum eius filium nonum annum tantùm agentem obtulisse: & cùm fratres eius totam patris substantiam, siue hæreditates in integrum sibi vindicarent, excluso fratre vt monacho, ipse oblatus opponebat, monachum non esse, & inuitum à patre oblatum fuisse. Pater autem fatebatur, nunquam eius filium pallium induisse. Hactenus illius textûs casus, ex quo apertè probatur, alios quàm Archiepiscopos posse pallium deferre. Pro cuius textus interpretatione sciendum est, in eo mendum scatere; loco enim verbi *pallio*, legendum est, *palla*: palla enim est pannus lineus, qui super altare ponitur, de quo *in cap. altaris palla, de consecr. dist. 1. cap. 2. de custodia Eucharistiæ.* Antonius August. *in epitom. lib. 17. tit. 2.* & nos suprà *in cap. 2.* Quâ lectione retentâ sciendum est, moris fuisse olim, vt qui religioni offerebantur, pallâ Altaris induerentur, vt notat ibi Turrecremata, & nos diximus *in cap. 2. de consuet.* vnde cùm pater ipsius Lamberti asseruisset, filium suum propriâ voluntate Religioni non obtulisse, subiunxit: *Nec ego pater eius pallâ Altaris indutum illum obtuli.* Quare textus ille non loquitur de pallio; & si de eo acciperetur, non de pallio Archiepiscopali, sed monastico, aut vulgari intelligendus erat. De quo etiam agitur *in cap. clerici 15. de vita & honest. Cleric. cap. 2. de maledicis.*

CAPVT V.

Idem [a] *Compostellano Archiepiscopo.*

EX tuarum tenore litterarum accepimus, quod cùm fuerit in concessione pallij tibi dictum, vt ipso infra [b] Ecclesiam tuam vtaris; & tibi pro Ecclesiæ tuæ negotiis frequenter extra tuam prouinciam commoranti verecundum sit absque pallio ministrare (cùm consuetudo sit in Hispania generalis, quod Archiepiscopi extra suas prouincias pallio indifferenter vtantur,) vt extra tuam prouinciam vti pallio valeas, indulgeri tibi à Sede Apostolica postulasti. Licèt autem talis consuetudo dicenda sit potiùs corruptela: Nos tamen de speciali gratia indulgemus tibi, vt si necessitate aliqua præpeditus ad Ecclesiam tibi subiectam accedere fortè nequiueris pro consecrandis suffraganeis tuis, vel Clericis ordinandis, & ad Ecclesiam alienam propter hoc te contigerit declinare, dummodo ad quem Ecclesia pertinet, id [c] permittat, vtendi pallio in iamdictis casibus liberam habeas facultatem.

NOTÆ.

I. a *Compostellano.*] Irienſis ciuitas in regno Galleciæ, quæ nunc dicitur *el Padron*, Sedes Archiepiscopalis erat iam à primis Ecclesiæ temporibus, Bracharensiis Ecclesiæ suffraganea: sed temporibus Alphonsi, vulgò *el Casto*, Regis Hispaniarum, ea Sedes Episcopalis translata fuit in Compostellam, vbi est corpus Apostoli Hispaniarum Patroni: translata fuit temporibus Theodomiri Episcopi Irienſis. In eam etiam Compostellanam Ecclesiam translata est Metropolis Emeritensis à Calixto II. precibus Alphonsi VII. Imperatoris nuncupati, vt referunt Basseus *in chron. anno* 877. Illescas *1. p. histor. Pontif. lib. 5. cap. 18.* Morales *lib. 10. histor. cap. 12.* Sandoual *in historia Alphonsi cap. 12.* Baronius *tom. 12. anno* 1123. *num. 1.* Vargas *in historia Emeritensi*, qui tradit bullam prædictæ translationis, Guil. Gonzales *in theatro prædictæ Ecclesiæ Compost.* Ex tunc ergo Compostellani Præsules Archiepiscopali fulgent dignitate. Eius Archiepiscopo Petro Suarez, priùs Episcopo Salmantino, missa est hæc decisio, cui etiam rescripsit noster Innocentius *in cap. 2.* (vbi alia de hac Ecclesia adducimus) *de postulando, cap. super eo, de censibus, cap. proposuisti, de consecrat. Ecclesiæ, cap. & si necesse 5. de donat inter*, & *lib. 2. epist. 72.* eius etiam Ecclesiæ mentio extat *in cap. 3. de vita & honest. Clericorum, cap. 1. de voto in 5. collectione.*

b *Infra Ecclesiam.*] vt dixi *in cap. 1. hoc tit.*

c *Permittat.*] Non enim licet in aliena diœcesi, aut Clericos ordinare, aut publicas Missas dicere, sine permissu proprij Pastoris, *cap. nullus, de Parochiis*, dicemus *in cap. 1. de clericis peregrinis.* 2.

CAPVT

CAPVT VI.

[a] Idem.

CVm sis in partibus remotissimis, gratum gerimus & acceptum, quòd in actibus tuis, quotiescumque scrupulus dubitationis emergit, etiam. *Et infrà* : Noueris igitur, quod vbi expoſcit neceſſitas, & plura in vna Eccleſia Altaria, & plures Epiſcopos ſimul poteris conſecrare : & vbicumque fueris in celebratione [b] Miſſarum conſtitutus, diebus ſolemnibus vſum pallij, per quod plenitudo Pontificis deſignatur, liberiùs exercere.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur *in cap.* 1. *hoc tit. in* 4. *collect.* cui autem miſſa ſit hæc epiſtola, non conſtat. Alia etiam eius pars reperitur *in cap. cùm ſis, de conſecrat. Eccleſiæ.*

2. b *Miſſarum.*] In Miſſarum enim celebratione, conſecratione Epiſcoporum, & Eccleſiarum dedicatione, Archiepiſcopus pallio vti poteſt, *cap. quod ſicut* 28. §. *cæterùm, de elect.* Gregorius Pontifex *in epiſt. ad Bonifacium*, vbi de pallio ita ait : *Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus cognoſce : itaque dum Miſſarum ſolennia geris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris.* Sed quia hæc omnia inter Miſſarum ſolennia celebrantur, ideo licèt plerumque dicatur in epiſtolis decretalibus Pontificiis, Archiepiſcopos vti debere pallio dumtaxat in Miſſarum ſolenniis ; non negatur tamen in omnibus ſupradictis actibus inter Miſſarum ſolennia peragenda pallio vti poſſe ; quo modo intelligendi ſunt noſter textus, & Gregorius II. *lib.* 2. *epiſt.* 54. in illis verbis : *Illud tamen, frater chariſſime, tibi non putauimus ignotum, quod penè de nullo Metropolitano in quibuſlibet mundi partibus ſit auditum, extra Miſſarum ſolennia vſum ſibi pallij vindicaſſe.* Idem *lib.* 7. *epiſt.* 31. *Itaque pallio ad Miſſarum ſolennia vtendum ex more tranſmiſimus.* Et *epiſt.* 114. *ad Siagrium*, ibi : *Vſum tibi pallij inter Miſſarum ſolennia agenda concedimus.* Vrbanus II. *in epiſt. ad Bereng. Auſon. Epiſcopum*, ibi : *Pallio itaque in Miſſarum ſolenniis intra Eccleſiam ſolummodo vti debetis.* Vbi Vicecomes *d. tomo* 4. *lib.* 4. *c.* 27.

CAPVT VII.

[a] Honorius III. *Archiepiſcopo* [b] *Lugdunenſi.*

TVa nos. *Et infrà* : Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod tam in tua, quàm in [c] aliena diœceſi potes abſque pallio, & [d] ſandaliis celebrare ; quum etiam in tua diœceſi non ſemper debeas celebrare cum pallio, ſed diebus illis dumtaxat, qui in Eccleſiæ tuæ [e] priuilegiis ſunt expreſſi : ſicque ſoluta eſt quarta quæſtiò, quâ quæſiſti, an tibi ſit licitum [f] pro defunctis cum pallio celebrare.

NOTÆ.

1. a *Honorius.*] De Honotio egi *in c. penult. de conſtit.*

LVGDVNVM VBI. b *Lugdunenſi.*] In hac ſexta collectione legitur *Tripolitano*, de qua diœceſi egi *in c. petiiſti* 20. *de priuilegiis* : ſed veram inſcriptionem, & litteram reſtituo ex quinta compilatione Honorij III. vbi *ſub hoc tit. cap.* 1. reperitur textus hic. Lugdunum illuſtris Metropolis Galliæ vocatur ab Strabone ; eius meminerunt Plinius *lib.* 4. *cap.* 18. Dio *lib.* 46. Sidonius *lib.* 1. *epiſt.* 5. & plura de eius nomine, origine, & progreſſu congeſſerunt Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ, fol.* 289. Eius Præſul Patriarcha vocatur in Concil. Matiſcon. & à Gregorio Turon. eiuſque Primatus deſcribitur in ſupplemento Sigeberti. Hæc Sedes habet Primatum ſuper tres Archiepiſcopatus. Plura de eius Primatu Bertherius *diatribe* 2. *cap.* 5. Petrus Marcha *in tract. de Primatu Lugdun.* Theophilus *tom.* 1. *eod. tract.* Raynaldo eius Archipræſuli reſcribit Pontifex in præſenti.

c *Aliena.*] Iuxta tradita in ſuperioribus commentariis.

2. d *Sandaliis.*] Omiſſis aliis ſignificationibus, ſandaliæ accipiuntur pro calceis, ſeu compagibus calceamento deſtinatis, tam apud profanos, quàm ſacros ſcriptores. Ex profanis earum meminere Lucianus *de ſcrib. hiſtor.* Strabo *lib.* 9. Nabathæus, & alij laudati à Barthio *lib.* 9. *aduerſ. c.* 11. Pancirola 1. *var. cap.* 20. Bulengerus *lib.* 1. *opuſc. c.* 20. Ex ſacris Gemma animæ *c.* 209. *Sandalium calceamentum eſt, quo partim pes tegitur, partim nudus cernitur.* Albinus Flaccus *lib. de diuinis officiis, cap. quid ſignificent veſtimenta,* Rabanus Maurus *de inſtit. cleric. lib.* 1. *c.* 22. *Induunt quoque ſacerdotes pedes ſandaliis, ſiue ſoleis.* Alij relati à Vicecomite *lib.* 3. *volum.* 4. *de ritibus Miſſæ, cap.* 6. *cum ſequentib.* Sauſay *in Panop. Epiſcop. lib.* 7. *cap.* 3. Olim communia erant ſandalia, tam maioribus, quàm minoribus Eccleſiæ miniſtris ; poſtea tamen ad ſolos Epiſcopos pertinent. Innocent. III. *lib.* 1. *de myſteriis Miſſæ, c.* 10. *Nouem autem ſunt ornamenta Pontificum ſpecialia, videlicet caligæ, ſcandalia, ſuccinctorium,* &c. latè probant Vicecomes & Sauſay *vbi ſup.* Meurſius *in gloſſa, verbo Compagi.*

e *Priuilegiis.*] De quibus egi *in cap.* 1. *cap. ad honorem, hoc tit.*

3. f *Pro defunctis.*] Supponit Honorius III. Miſſarum ſacrificia pro defunctis licitè, & proficuè offerri poſſe ; quod etiam docetur *in cap. animæ* 13. *q.* 2. Concil. Turon. 2. *cap.* 23. Quod contrà plures hæreticos purgatorium negantes, & fructum oblationum pro defunctis, defendunt Bellarminus *de purgat. c.* 15. Ayala *de eccleſiaſt. tradit. fol.* 150. Pamelius *ad D. Cyprianum epiſt.* 66. Scottia *in ſelectis cap.* 33. *theſi* 96. Petrus Gregor. *lib.* 1. *partit. tit.* 23. *c. final.* Gazeus *ad Caſſianum collat.* 2. *c.* 5. Creſpetius *in ſumma, verbo defunctis fidelibus.* Iodocus Coccius *lib.* 7. *theſauri, art.* 5. Ait ergo Honorius noſter, in huiuſmodi ſacrificiis pro defunctis offerendis Archiepiſcopum non debere pallio vti : tum quia huiuſmodi

huiusmodi dies non reperiuntur expressi in forma traditionis pallij, seu priuilegiis Ecclesiæ concessis: tum quia in his diebus, & exequiis, indumentis rubris, aut lætitiam demonstrantibus Ecclesia vti non solet; quam rationem illustrant in præsenti Cironius, & Herrera *in origine diuini officij, lib. 1. c. 39.*

TITVLVS IX.

De Renunciatione.

CAPVT PRIMVM.

Alexander III. [a] *London. Archiepiscopo.*

LITTERAS tuas nuper accepimus deuotione plenas, & dolore non vacuas, quæ quidem & tuam nobis insinuant affectuosissimam charitatem, & tui Archiepiscopalis officij, quod fideliter gessisse, & adhuc gerere te gaudemus, contrariam exigebant Ecclesiæ vtilitatibus cessionem. Nosti enim, sicut vir prudens, & prouidus, quod tanta est Cleri malitia, & contra Ecclesiam Dei tam grauis, tamque diuturna persecutionis instantia, vt nequaquam ei cedat ad commodum, si tuam Sedem talem contigerit subire defectum. Quod si tuam, aut senectutem, aut insufficientiam fortè considerans, te tanquam [b] emeritum postulas relaxari, scito nos credere, & pro certo tenere, quod tutius sit hoc tempore, si commissa tibi Ecclesia sub vmbra tui nominis gubernetur, quàm si alteri nouæ, incognitæque personæ in tanto discrimine gubernanda committeretur; maximè quia in te vigor deuotionis, & fidei, etiam corpore senescente non deficit, sed vergente deorsum conditione corporea, feruor spiritus in sublimiora conscendit. Ne igitur huius doloris aculeus viuidam circa te nostri pectoris vulneret charitatem, rogandum te potiùs duximus, & monendum, vt super hoc diebus istis nulla te facias importunitate molestum. Quia indecens omnino probatur, priùs soluere militiæ [c] cingulum, quàm cedat victoribus aduersitas præliorum. Insta igitur, sicut bonus miles Christi, & in tuæ solicitudinis officio perseuera; ne dum tuæ quietis desideria quæris, tu aliquod talenti tibi crediti detrimentum patiaris. Illud quoque te oportet attendere, quod si pennas habeas, quibus in solitudinem volare satagis, vt quiescas; ligatæ sunt tamen nexibus præceptorum, quæ ita, vt nosti, & sacrorum canonum institutione te vinciunt, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum. Cæterùm ne, frater, te intolerabiliter nos grauare causeris, qui melius tui potes tam animi debilitatem nosse, quàm corporis; hoc tandem tibi, si iudicio conscientiæ tuæ res id prorsus exigit, indulgemus: vt si suscepta opportunitate, tam per te, quàm per Principem terræ, vel etiam per litteras tuas, & idoneos nuntios, si corporalem ibi vel non potueris, vel nolueris exhibere præsentiam, aliosque regni illius religiosos, & industrios de [d] substituenda sis persona solicitus; talem inuenire satagas successorem, qui non à fidei claritate degeneret, neque à tramite rectitudinis, & honestatis aberret. De his quoque quæ tuis duxeris necessitatibus reseruanda, cum eisdem personis tractare, & deliberare conuenit: vt cùm nobis hæc omnia, tam tuâ, quàm illorum fuerint assertione comperta, ita prouidè, ac securè possimus in facto procedere, quod neque nos, nec teipsum oporteat huius operis in posterum pœnitere.

NOTÆ.

1. a *Londonienſi.*] Ita legitur in hac sexta Raymundi collectione, in prima autem, *ſub hoc tit. c. 2.* legitur, *Archiepiſcopo Lundonienſi*; quæ epigraphe propria huius textus videbitur lectori, qui obseruauerit, Andream Sunonis Archiepiscopum Lundensem aduersâ valetudine captum, vitæque tædio, & ærumnis afflictum, licentiam cedendi à R. Pontifice enixè petiisse, & eâ obtentâ, semotum à populi frequentia, Istoam insulam apud Scanenses, in medio dulcis aquæ, in lacu amœno secessisse; ob cuius renunciationem variæ circa successoris electionem ortæ fuerunt controuersiæ, vt liquet *in c. cùm poſt petitionem, de elect.* & ex Danicis Scriptoribus refert Cironius *in notis ad illum textum, in 5. compil.* & nos ibi notabimus. Verùm etsi hæc circa Archiepiscopum Lundonienſem contigissent, tamen præsentis textus historiæ adaptari nequeunt, cùm series temporum non patiatur prædictum casum ad hunc textum potrahere: nam præsentis textus auctor est Alexander III. quomodo ergo Andreas, qui ob senectutem ab Alexandro

Alexandro cedendi licentiam petebat, potuit vitam agere & potrahere vsque ad Honorium III. illius textus auctorem, cùm ab Alexandro III. ad Honorium plusquam quadraginta anni elaberentur; & sic, qui iam senex erat tempore Alexandri III. non poterat ita in longæuum vitam ducere. Hac igitur reiectâ inscriptione existimabam, ita corrigendam esse: *Lugdunensi Archiepiscopo*; vt in aliquibus codicibus legi testatur Antonius Augustinus *in notis ad hunc textum in* 1. *collect.* Quod leue mendum vt suadeatur, sciendum est, Ioannem de Bellesmains Archiepiscopum Lugdunensem, iam senem ab Alexandro III. cedendi licentiam petiisse, quam licèt ab eo consequi non posset, vt in præsenti textu refertur, à Cœlestino tamen III. eam impetrasse, & vitam monasticam professum in monasterio Clareuallis orationi & contemplationi vacasse, cui posteà rescripsit Innocentius *in cap. cùm Martha, de celebrat. Miss.* Eius meminerunt Ioannes Saresbarienſis, Stephanus Tornacensis, & Iuo Carnotensis *in suis epistolis*, & varia de eo referunt Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ Christ. fol.* 320. Chenu *in serie Præsulum Lugdun.* Citonius *in d.c. cùm post*; & de eo, ni fallor, in præsenti agit Alexander. De Ecclesia Lugdunensi iam egi *in c. antecedenti*, etsi textum hunc de Lunden. Metrop. accipiat. Florens in præsenti.

2. b *Emeritum.*] Qui militant, stipendia mereri dicuntur, *l. miles, l. item miles, ff. de re iudicata, l. vnica, Cod. de his qui non impletis stipendiis:* inde emeriti milites, iam veterani, stipendia merentur, soluto militiæ cingulo, & expletâ militiâ, *l. deferri, ff. de iure fisci, d. l. vlt. Cod. de his qui non impletis, l. veteranis, C. quando prouocare:* notauit Steubechius *ad Vegetium lib.* 2. *de re milit. c.* 3. inde in nostra Hispania erat ciuitas colonia Romanorum, vbi milites emeriti degebant, à quibus ciuitas Emerita dicta fuit, *l.* 1. *& fin. ff. de censibus*, Diocasius *lib.* 53. ibi: *Finito bello Augustus milites exauctorauit, vrbemque eos in Lusitania Augustam Emeritam nomine condere iussit.* Vasæus *in chron. cap.* 12. Nuñez *in sua Hispania, cap.* 1. Morales *lib.* 8. *c.* 54. Mariana *lib.* 1. *historiæ, cap.* 4. plura de huius ciuitatis, vulgò *Merida*, origine & progressu tradunt Vargas *in sua historia Emeritensi*, Tamayo *in martyr. Hisp. die vlt. Martij.*

3. c *Militiæ cingulum.*] Eleganter Innocentius collationem facit, & parallelum deducit à militia terrestri ad cœlestem; milites enim dum militiæ nomen dabant, cingulum accipiebant, seu baltheum, quod durante militiâ deferebant: eius mentio fit *in l. Titius* 25. *l. quod dicitur* 38. §. 1. *l. penult. ff. de testam. militis, l.* 2. §. *ignominia, ff. de his qui notant. infamia, l. quicumque*, §. *nullum, C. de hæreticis, l. penult. Cod. de pactis, l. vlt. C. de iurisdictione, l.* 2. *Cod. vbi ratiociniis, l. vlt. Cod. de postul. in Theodos. l. eos* 27. §. *vlt. ff. ad leg. Corn. de falsis:* plura Brissonius *lib.* 2. *select. cap.* 7. Pancirola *lib.* 1. *variar. c.* 12. Steubechius *ad Vegetium lib.* 2. *cap.* 3. Budeus *in l. final. ff. de Senatoribus.* Qui autem militiam explebant, discincti dicebantur, Steubechius *vbi suprà.* Hinc factum translatiuè, vt dignitatis, & honoris insignia etiam aliorum, quàm militum dicantur cingulum, *l.* 2. *Cod. vt ordo dignit. l. omnis, C. de metallis, l. penult. Cod. de pactis, cap. nulli* 8. 11. *quæst.* 3. in Ecclesiæ etiam politia eiusdem nominis eadem est acceptio: inde in Concilio Nicæno 1. *can.* 12. ita legitur: *Quicumque vocati per gratiam, primum quidem ardorem, fidemque suam ostenderunt, & cingulum militiæ deposuerunt, postea verò vt canes ad suum vomitum reuersi fuerunt, ita vt & aliqui pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis iaceant post triennij auditionis tempus.* Vbi notauit Albaspineus. Hinc Episcopi exauctorati, dicuntur discincti, id est cingulo sacræ militiæ exuti. Sidonius *lib.* 1. *epist.* 7. ibi: *Prius cinctus custodiâ, quàm potestate discinctus.* Et *lib.* 5. *epist.* 7. reuerentiam clericis cinctis, iura distinctis, priuilegia, &c. Gregorius Turon. *lib.* 5. *c.* 27. ibi: *Qua de causa ab Episcopatu discincti in basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur.* Eruditè ergo Pontifex in præsenti collationem facit vtriusque militiæ, asserēdo, quod sicut militi militiæ terrestris non licet militiam deserere, non expleto militiæ tempore, *l.* 3. §. *qui stationi, ff. de re milit.* ita nec Episcopo licet Episcopatui renunciare, & militiæ cingulum soluere. Alia plura parallela ex vtraque militia deducunt Loaysa *in can.* 3. *Concil. Hispal.* 2. Cresolius *in mystagog. lib.* 1. *cap.* 8. Iuretus *in notis ad Carnotens. epist.* 24. Demsterus *ad Rosinum lib.* 9. *pag.* 959. D. Mathias Guerra *de litteris & armis, num.* 6. & 30.

d *De substituenda sis persona.*] Sed nulli viuenti Episcopo alius superponitur, aut superordinatur, nisi forsan in eius locum, quem culpa capitalis deiecit, *c. Episcopum, c. non dicatis, & per totam* 8. *q.* 1. Concil. Aurelian. *lib.* 5. *c.* 22. Meldense *can.* 47. plura Antonius Augustinus *in epit. lib.* 4. *c.* 24. dicemus *in c.* 1. *de præb.* igitur Archiepiscopus in præsenti, licèt senio, aut morbo fontico laborans, munere suo accuratè fungi nequiret, non poterat substituere, aut sibi successorem designare. Cui difficultati satisfaciendum est dicendo, quod licèt in nostro textu nō posset Archiepiscopus sibi successorē designare, tamen cum consensu Cleri, & plebis, siue eorum, quibus competebat ius eligendi, aut electioni consentiendi poterat coadiutorem adhibere, vt ab eo Episcopalia munia obirentur. Concil. Arausic. *can.* 29. quamplurimis Ecclesiæ sanctionibus, & Patrum exemplis probat Filesacus *in c. quoniam* 14. §. 2. *de officio ordin.* vnde in præsenti rectè iubetur, vt si Archiepiscopus adeò sit senio impeditus, vt in Ecclesia ministrare nequeat, tunc cum consilio Regis, cui ius consentiendi in electionibus Episcoporum competebat, iuxta textum *in c. cùm terra* 14. vbi dixi, *de elect.* & religiosorum, aliorumque, qui ius eligendi Episcopum habebant, iuxta textum *in c. cùm Ecclesia, de causa possessionis*, possit coadiutorem adhibere, vt eo defuncto, si Ecclesiæ expediret, illi in Episcopatu succederet. Docet Filesacus *vbi suprà.* 4.

COMMENTARIVM.

EX hac decretali epistola ita ex prima collectione restituta sequentem deduco disputandam assertionem: *Non licet Episcopo propriâ auctoritate deserere Episcopatum prætextu senectutis, aut insufficientiæ.* Probant textus *in c. suggestum* 46. *cap. sciscitasti* 47. *& per totam* 7. *q.* 1. *c. cum post* 46. *de elect. c. nisi cùm pridem, hoc tit.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *lib.* 3. *iuris eccles. cap.* 6. Petrus Gregorius *lib.* 17. *syntagm. c.* 16. & *de beneficiis c.* 24. & *tom.* 1. *partit. tit.* 28. *c.* 8. Solorzanus *de iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 13. *n.* 93. Michael Rousselius *lib.* 1. *hist. Pontif. iurisd. c.* 4. *n.* 10. Petrus Marcha, seu idem auctor historiæ Pontif. *lib.* 6. *concord. c.* 8. Magnus Præceptor maioris discipuli, seu auctor responsi à las pretens. de Francia, §. 20. *n.* 58. Bosquetus *ad Innocentium lib.* 3. *epistol.* 122. Robertus *lib.* 1. *rerum iudicat. c.* 7. Vighellius *in methodo iuris canonici, pag.* 313. Espenceus *lib.* 3. *digress. c.* 20. Dartis *de beneficiis c. de renunciat.* & alij laudandi *in c. admonet, hoc tit.* 5. CONCLVSIO PROBATVR.

Hæc

6. RATIO DVBITANDI.

Hæc Innocentij epistola valdè difficilis redditur sequenti consideratione; nam vnicuique licet iura, quæ pro se introducta sunt, cedere, *l.penult. C.de pactis*, *l.si quis in conscribendo*, *C.de Episcopis, & clericis*: plura Balboa *in cap.1.de foro compet.* Vega, & Fermosinus *in cap.si diligenti*, *eod.tit.* Galbanus *de vsufructu c.20.*& quilibet suæ rei est moderator, & arbiter, *l. in re mandata*, *C.mandati*, *cap.eos qui* 1.*q.*1. Fortunius Garcia *de vlt.fine*, *illat.* 7.*n.*453. Pinellus *in l.*1.2. *p.n.*1.*C.de bonis maternis*: sed Episcopus est dominus proprij Episcopatus: igitur illum cedere propria auctoritate valet. Probatur minor; nam ille dicitur dominus alicuius rei, qui habet iustum titulum, possessionem, vel quasi, *l.cogi*, *ff.de petit.hæreditatis*, *l.iusto*, *ff.de vsucap.l.& generaliter*, *ff.de noxalibus*, *l.apud*, *ff.de furtis*: sed Episcopus virtute confirmationis Pontificiæ obtinet titulum, possessionem, vel quasi, vt habent alij beneficiarij virtute institutionis, *c.1.de regulis iuris lib.6. c.ex frequentibus*, *de institut.* igitur Episcopus potest Episcopatui renunciare propriâ auctoritate. Augetur hæc difficultas ex eo, quia Episcopatui in præsenti iustam renunciandi causam habebat, senectutis videlicet; senex enim erat, vt ipse fatetur: vnde iuxta rectam politiam non solùm excusandus, verùm & repellendus ab honore, & munere pastorali erat. Apud Romanos enim legibus cautum erat, vt senes ab omnibus muneribus vacationem haberent;& ipsi Senatores post senectutem ad Senatum ire non cogebantur. Plinius Iunior *lib.4. epist.*23. ibi: *Vt ipsæ leges monent*, *quæ maiores annis* 60. *otio reddunt.* Seneca *de breuitate vitæ*, *cap.*20. ibi: *Lex à quinquagesimo anno militem non cogit*, *à sexagesimo Senatorem non citat.* Cicero *de senect. Legibus, & institutis vacat ætas nostra muneribus his*, *quæ non possunt sine viribus sustineri.* Et *l.semper*, *ff.de iure immunit. l.2.Cod.de excusat.munerum*, *l.1.Cod.qui ætate*: plura Mancinus *de triplici iuris collat. c.*191. Petrus Gregorius *lib.*47. *syntagm.cap.*25. *n.*14. Tiraquellus *ad Alexand.lib.4. cap.*3.*n.*11. Paulus Zacchias *tomo* 1. *quæstionum Medicolegal. q.*1. *& vlt.* vnde senes depontani dicebantur, non quia de ponte (vt aliqui putarunt) ab adolescentibus deiicerentur; sed quia suffragium in Senatu non habebant, quod ferebatur supra mensam, quam pontem ipsi appellabant, vt referunt Marcus Varro *lib.2.de vita Patrum*, ibi: *Cùm in quintum gradum peruenerant*, *atque habebant sexaginta annos*, *tunc denique erant publicis negotiis liberi*, *atque expediti*, *& otiosi*; *ideo in prouerbium quidam putant venisse*, *sexagenarios de ponte deiici oportere*, *quòd suffragium non ferant*, *quod per pontem ferebatur.* Macrobius *lib.*1. *Saturnal. cap.*5. ibi: *Adimere vis doctis viris in verborum comitiis ius suffragandi*, *& tanquam sexagenarios maiores de ponte deiicis.* Ex pluribus illustrant Espenceus *in D.Paulum*, *ad Titum c.2. digress.*4. Cresolius *lib.*1. *mystag. c.*18. Cochier *in face hist. cap.*1. Solorzanus *in sua Cand.n.*265.& plura de incómodis senectutis Theophil.*tom.*3.*dict.*1.*q.*4.*art.*2. igitur iustè in nostro textu Archiepiscopus senex, ætateque iam longæuâ, cedendi facultatẽ petebat. Augetur hæc difficultas, nam inter iustas causas renunciandi Episcopatui, & simili dignitati, senectus enumeratur, *c.nisi*, *hoc tit.* vnde ob eam causam Siluan. Episcopus Gaufridus renunciauit Episcopatui, vt refert Rigordus *ad annum* 1213. ibi: *Gaufridus Siluanectensis Episcopus*, *sentiens se tam ætate*, *quam corpulentiâ ponderosâ insufficientem oneri*, *quod iam per triginta annos portauerat*, *impetratâ à summo Pontifice*, *sicut in iure cautum est*, *licentiâ*, *Episcopatui renunciauit.* Ex eo notauit Bosquetus *ad Innocent.lib.*1.*epist.*1. senes in Episcopos eligi non debere, *c.vnico*, *5.dist.* pulchrè Sidonius *lib.*7. *epist.*9.*in concione*, ibi: *Solam clericatus diuturnitatem promeritis autumant calculandam*, *vt nos in Antistite consecrando*, *non vtilitatem velint eligere*, *sed ætatem.* Igitur ob senectutem, quam allegabat Archiepiscopus, cedendi licentia illi concedi debebat. Augetur vltimò, nam ignorantia, quam Archiepiscopus fatebatur, non solùm sufficiens erat, vt eius renunciatio admitteretur, verùm & ob eam repellendus erat à dignitate iam promotus, *c.nisi*, *hoc tit.c.omnes*, 63. *dist.c.congregato* 53.*de elect.c.final. de ætat. & qualit.* igitur saltem ob hanc insufficientiæ causam, quam Archiepiscopus patiebatur, eius renunciatio admittenda erat.

7. RENVNCIATIONIS ETYMON, ET DIFFINITIO.

Hac difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens decisio, ad cuius expositionem sciendum est, renunciationem in vtroque iure, & apud bonæ notæ Interpretes accipi aliquando pro referre, seu nunciare quid iam contigerit, vt accipitur apud Matthæum *c.*2.ibi: *Ite, & renunciate mihi*: & apud Cósultum *in l.*1 *ff.si mensor falsum modum*, ibi: *Interest nostra, ne fallamur in huiusmodi renunciatione.* Apud Ciceronem *Philip.*8. ibi: *Cùm Legati renunciarunt, quod certè renunciabant, Antonium non esse in vestra potestate.* Vnde renunciatores dicuntur, qui reuelant Regis secreta, *l.si quis aliquid*, §.1.*ff.de pœnis.* Frequentiùs tamen accipitur pro cedere, aut remittere, *l.si absenti*, *ff.de legationibus*, ibi: *Licèt legationem, quam susceperit, non renunciauerit*; & *l.si quis in conscribendo*, *C.de pactis*: pro resignare accipitur *in l.naturaliter*, §.*nihil*, *ff.de acquir. possess. l.sed etsi quis*, §.*quæsitum*, *ff.si quis cautionibus*: qua in significatione accipitur in nostro textu, & aliis congestis à Petro Greg. *de beneficiis c.*24. Cabreros de Auendaño *de metu lib.*2.*c.*13. Olea *de cessione iurium tit.*1. *q.*2. quibus suppositis pro renunciationis variis acceptionibus sciendum est, renunciationem esse, *Iuris proprij spontaneam cessionem ex certis causis, & cum auctoritate superioris factam.* Dixi, *iuris proprij*; quia iuri alieno nemo renuntiare valet, *l.si vniuersa*, *C.de legatis*, *l.obseruare*, *ff.de officio Proconsulis*, *c.dilecto*, *de præbendis*; nisi fiat procuratorio nomine iussu domini: non solùm enim potest quis renunciare proprium beneficium per se, verùm & per procuratorum; & statim renunciatio vim & effectum obtinet, etiamsi mandatum reuocatum sit, *Clement.vnica*, *de renunc.* cuius interpretationem latè prosequuntur Dartis *de beneficiis c.*3. Couarr. *in pract.c.*9. Basilius *lib.2.de matrim. c.*15. Rufiniacus *lib.3.constit. tit.*22.*c.*22. Petrus Gregorius *de beneficiis c.*28. dixi etiam, *spontaneam cessionem*; quia renunciatio per vim facta caret effectu, *c.sciant* 12.*de elect.in* 6.*c.Abbas*, cum sequenti, de *his quæ vi*, vbi latè dicam: Auendaño *lib.2.de metu*, *c.*13. Tandem dixi, *ex certis causis, & cum auctoritate superioris*, vt cognoscatur, non quamcumque Episcopatus, seu beneficij valere, sed eam tantùm, quæ ex iustis causis fit, quas enumerabimus *in cap.nisi*, *hoc tit.* Dixi etiam, *cum auctoritate superioris*, vt comprehendantur non solùm renunciationes Episcoporum, vbi Pontificis licentia expectatur, verùm & Parochorum, in quibus auctoritas Episcopi desideratur. Supersunt pro huius tituli exactiori expositione tria examinanda. Primum, per quas personas, & apud quas renunciationem fieri oporteat; quam partem examinabimus *in c.admonet*, *c.quod in dubiis*, *c.final. hoc tit.* Secundum, quibus ex causis renunciatio admittatur, de qua *in c.nisi*, *hoc tit.* tertium, quænam beneficia renunciari valeant; quod dubium discutie-

mus *in cap. sanè, cap. veniens, hoc tit.* Sed quia noſtri inſtituti non eſt methodicè materias exponere, ſed ſingulas deciſiones peculiaribus commentariis explicare, prædicta dubia ſuo ordine non proſequimur: facilè tamen qui maluerit præſentis tituli, & aliorum materias methodicè pertractare, aſſequi poterit perlectis, & in vnum collatis totius tituli commentariis.

8. RATIO DECIDENDI.

Manet ergo ex noſtri textus deciſione, Epiſcopum non poſſe Epiſcopatui renuntiare, etiam prætextu ſenectutis, niſi ex licentia R. Pontificis: cuius prohibitionis ratio eſt, nam cùm inter Epiſcopum, & Eccleſiam contrahatur ſpiritualis matrimonij vinculum, *cap. inter*, vbi dixi, *de tranſlat. Epiſcop.* & huius vinculi diſſolutio R. Pontifici ſit reſeruata, ideò abſque eius licentia non licet Eccleſiam propriam Epiſcopi ſponſam deſerere. Lupus Ferrarienſis *epiſt.* 29. ibi: *Quemadmodum carnalem copulam non licet reſoluere, niſi ex cauſa fornicationis; ita ſuſceptam ſemel paſtoralem curam nefas eſt deponere, quamdiu omnium ſaluti conſuli poteſt.* Accedit, nam valet argumentũ de militia terreſtri ad cœleſtem, vt in hoc textu docetur. Sed quemadmodum non licet militi militiæ terreſtris deſerere ſtationem propriâ auctoritate, *l. 3. §. qui ſtationi, l. non omnes, l. ex cauſa, ff. de re milit. l. 4. Cod. eod. tit.* faciunt textus *in l. Legatus 19. ff. de officio Proconſul. l. 2. §. & cùm placuiſſet, de origine iuris*, Steubechius *ad Vegetium lib. 2. cap. 5. in fine.* Similiter nec cœleſtis militiæ militi licebit priùs ſoluere militiæ cingulum, quàm cedat illi aduerſitas præliorum, vt in præſenti docetur: quod procedit præcipuè tempore perſecutionis, quo non licèt vllo modo Eccleſiam deſerere, vt aiebat D. Ambroſius, cùm ex Iuſtinæ Imperatricis iuſſu de Eccleſia iuberetur exire. *Hoc ego* (inquiebat ad Quæſtorem) *ſponte non faciam, ne lupis ſepta ouium tradere & prodere videar; hìc ſi placet, occide, hoc loco mortem prona ſuſcipiam voluntate.* Refert ipſe S. Doctor *in oratione ad Exentium*, & *epiſt. 37. de Baſilicis*, tradunt Theodoretus *lib. 5. cap. 13.* Nicephorus Calixtus *lib. 12. hiſtor. cap. 9.* & *lib. 9. cap. 20.* quare Liberius Papa *epiſt. 2.* hortatur quoſdam Epiſcopos deſerere volentes Eccleſias, & ad religionem tranſire, ne id faciant. Neque cauſa ſenectutis ſufficiens erat in Archiepiſcopo Lugdunenſi, quoniam plerumque vergẽte deorſum conditione corporea, feruor ſpiritus in ſublimiora conſcendit, & Eccleſia meliùs per ſenes regitur, quàm per iuuenes; quod & agnouerunt Maiores dum Senatores maiores ſexaginta annis eligebant. Plutarchus *in vita Lycurgi*, ibi: *Senex ipſe, vti diximus, Lycurgus, primùm eos, qui cœpti ſui fuerant participes, deſignauit: deinde in locum demortui ſuffici iuſſit eum virtute, qui eſſet præſtantiſſimus iudicatus, ſexaginta annis maior.* Et certè hæc ætas eſt accommodata iis, qui ſuo conſilio alios regere debent: nam, vt inquit idem Plut. in opuſculo, An ſeni gerenda ſit Reſp. *Ad parendum iuuenelis, ad imperandum ſenilis ætas accommodata eſt; ac maximè ſalua eſt ciuitas, vbi conſilia ſenum, & iuuenum arma obtinent. Laudaturque maiorem in modum iſthuc:*

Primùm ætate graues, & forti pectore claros,
Neſtoream ad nauim conductos dicere iuſſit,
Conſiliumque dare.

Atque ideo optimatum Magiſtratum Spartanæ ciuitatis Regibus adiunctum Apollo preſbygenas, id eſt magno natu præditos; Lycurgus diſertè Gerontes, id eſt ſenes, nominauit. Idem Plutarch. in vita Lycurgi refert Tyrtei carmina, quæ eandem rationem inſinuant:

Conſilij teneant Reges, & iuris habenas:
Queis curæ eſt Spartæ conſpicienda domus.
Grandæuique ſenes, & qui de plebe creati,
Sanctarum legum ciuibus inſtar erunt.

Saluſt. *in Catil.* ibi: *Dilecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientiâ validum eſt.* Huc pertinet pulchrum illud Euripidis:

Dictum eſt vetuſtum, facta iuuenum, cæterùm
Magis valent conſilia ſenum.

Cicer. *in Catone*, ibi: *In agris tunc erant Senatores, id eſt ſenes.* Ouidius *in Faſt.*

Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſe Cros.

Hinc etiam videmus Virgil. 8. *Æneidos*, iuuenibus oppoſuiſſe Senatum, hoc eſt ſenes.

9. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec difficultas ſuprà perpenſa aduerſatur; licèt enim dominus cuiuſque rei poſſit eam pro libito dimittere, & iuri proprio renunciare; hoc tamen non procedit in Prælatiis eccleſiaſticis, & aliis officiis publicis; quæ enim publicam cauſam continent, priuato arbitrio nec dari, nec cedi poſſunt, *l. 3. §. idem & ſi, l. Paulus 47. ff. de bonis libertor. l. meminiſſe 10. ff. de officio Proconſulis, l. penult. ff. de officio Præſidis:* vnde Legatus Cæſaris, Præſidiſve prouinciæ abdicare ſe Magiſtratu prohibetur *in l. penult. ff. de officio Præſidis.* Vnde cùm publicè interſit Eccleſiæ, ne eius miniſtri propriâ auctoritate beneficia eccleſiaſtica cedant, iuſtè ſtatutum eſt, ne inconſultis his, quibus competit ius confirmandi eos, Epiſcopatum, ſeu beneficium cedant. Nec augmentum primum refragatur; nam licèt ſenectus, quæ Epiſcopum reddit inhabilem ad exercitium officij, ob corporis debilitatem, iuſta cauſa ſit cedendi Epiſcopatum, *dict. cap. niſi, hoc tit.* ex rationibus ſuprà adductis; tamen cùm ſenectus non ita grauat corporis vires, non præſtat cauſam ceſſioni: vnde cum cauſæ cognitione examinabitur, an qui abdicare ſe vult ab officio paſtorali, impar ſit eius oneri, necne. Quare licèt in hoc textu Archiepiſcopus aſſeruiſſet ſe iam ſenectute oppreſſum eſſe, nihilominus cauſæ cognitio præcedere debebat, vt poſſit eâ à Pontifice approbatâ Epiſcopatui renuntiare. Nec vltimum augmentum obſtat; procedit enim eius principium cùm vera inſufficientia datur, & adeò magna, vt non poſſit Epiſcopus officij munia obire, aut Eccleſiam regere, quæ in hoc textu non dabatur, licèt humilitatis causâ aſſereret Archiepiſcopus, ſe inſufficientem regimini eſſe.

10. EXPONITVR CAP. 7. Q. 1.

Ex ſuprà traditis accipit lucem textus *in c. ſcripſit. 1. 7. quæſt. 1.* iuncta eius integra, quæ reperitur *lib. 9. epiſt. Gregorij Magni, epiſt. 4.* Agitur in eo textu de Ioanne Epiſcopo primæ Iuſtinianeæ, quam Eccleſiam Vigilius Papa in Metropolitanam Daciæ, tam Mediterraneæ, quàm Ripenſis erexit, vt refert Iuſtinianus *in nouella 11.* & *131.* vbi notarunt Cuiacius & Ritherurſius. Aſſerit ergo Gregorius Magnus, quod ſi Ioannes Epiſcopus adeò aduerſa valetudine captus eſt, vt Epiſcopali curæ non ſufficiat, diſpenſator, hoc eſt adiutor apponatur, qui curam illius Eccleſiæ habeat: pergit Gregorius *in dicta epiſt.* & ait quod ſi ipſe Epiſcopus velit præ moleſtia ſua Epiſcopatui renunciare, renunciatio admittatur, & ſucceſſor ordinetur. Quæ deciſio locum habet, ſecutâ Pontificis licentiâ, ita vt ex iuſta cauſa ægritudinis à Pontifice approbata, poſſit Epiſcopus Epiſcopatui renuntiare, iuxta ſuprà tradita: quo modo etiam accipiendi ſunt textus *in cap. quamuis 14. cap. fratres, 18. 7. quæſt. 1. c. finali 7. quæſt. 2. cap. 1. hoc tit. in 1. collectione.*

CAPVT

CAPVT II.

Idem *Abbati* [a] *Dalonen. & Priori de* [b] *Artigia.*

CVm inter P. Gaufredi, & quosdam alios Canonicos S. Luuiani super spirituali beneficio scilicet [c] stallo in Choro,& loco in Capitulo in [d] Curia nostra quæstio fuisset diutiùs agitata : quia tamen altera pars sufficienter instructa non venerat, negotium non potuit terminari. Ideoque causam ipsam vestro examini committentes, d. v. per A. s. m. quat. partes ante vestram præsentiam conuocetis, & rei veritate pleniùs inquisitâ, si præfatum P.Gauf. inueneritis de consensu maioris, & sanioris partis Capituli fuisse de spirituali [e] beneficio auctoritate Apostolica [f] inuestitum, eum beneficium ipsum faciatis ap. rem. pacificè possidere ; non enim videtur nobis impedimentum afferre etiam iuramentum, quod de eodem non petendo vlteriùs proponitur præstitisse, si consensus maioris, & sanioris partis Canonicorum Ecclesiæ interceſſit.

NOTÆ.

1. a *Dalonen.*] Ita legitur in prima collectione, vbi *sub hoc tit.cap.*3. reperitur nostra decisio : sed legendum est, *Dolensi*, vt habetur in sexta compilatione. Dolense autem monasterium Ordinis D. Benedicti, celebre est in Gallia, in diœcesi Bituricensi, fundatum ab Ebbone Domino Dolensi anno 917. vt habetur in chronico Dolensi, *tom.*1. *Biblioth. nouissimæ* ; siue ab eo reædificatum, cùm à Samsone Episcopo Dolensi constructum esset anno 562. vt probat Yepes *tom.*1. *chron. D.Benedicti*, *dicto anno* 562. *cap.*1. Dolense monasterium Sedi Apostolicæ immediatè subest. Gregorius VII. *tom,*3.*epist.*10.*Dolense monasterium, sicut nouit fraternitas tua, iuris sancti Petri esse dignoscitur, cui si aliquod discrimen inferatur, speciali solicitudine succurrere debemus.* Plura de eo Chopinus *lib.*1.*sacræ polit.n.*14. Yepes *vbi suprà*, Bosquetus *ad Innocentium lib.*1.*epist.*1. Cironius *in c.*5.*de constit.in* 5.*collect.* Huius monasterij Abbati Giraldo Moral dicto, qui 22. annis illi præfuit, rescripsit Alexander *in præsenti*, Fratres Sarmat. *tom.*4. *Galliæ*, *fol.*341.

2. b *Artigia.*] Est etiam in Gallia in diœcesi Lemouicensi, non longè à S.Leonardo, Ordo vulgò dictus *de Artitia*, propter locum appellatum Artigia, vt refertur à Guidone *tom.*2. *Biblioth. nouissimæ*, *pag.*278. Huius Ordinis Priori Ioanni Neuitoner dicto missa est hæc decisio.

c *Stallo in choro.*] Hæc verba exposui *in cap. cum te* 7. *de rescriptis.*

3. d *Curia.*] Licèt Curia aliquando accipiatur pro villa, seu curte, *cap.*2.*de censibus*, *in* 5. *collect.* ibi : *Ne de curiis*, *aut grangiis* ; vbi notat Cironius: tamen in vtroque iure,& apud probatos Auctores Curia accipitur pro loco vbi causæ disceptantur, & deciduntur, *cap.si quis Clericus* 10. 11.*quæst.*1. *c.nullus* 33. *ead. quæst.* Clementina 1.*de iureiurando*, & aliis congestis ab Antonio Augustino *in epitom. lib.*4. *tit.*61. Iureto *in notis ad Iuonem*, *epist.* 241. Apud Romanos duæ erant Curiæ, vna vbi de sacris, Deorumque religione agebatur ; alia vbi de rebus publicis, ad populumque spectantibus tractabatur : vtriusque meminerunt Varro *lib.*4.*linguæ Latinæ*, Festus *lib.*3. *verbo Curiæ*, Aulus Gellius *lib.*4.*noctium*, *cap.*7. Alex.ab Alex. *lib.*1.*Genialium*, *cap.*16. & apud eos Curia generaliter pro consensu Senatus accipitur, *l.*1.*C.de Consulibus*, *in Theodos.l.*3.*de fide instrum.in eod.Cod.* inde curiales dicti, qui in his curiis erant, *l.curialis*, *Cod. locati*, *l.si quis curialis*, *Cod. de Episcop. & cleric.* plura Vvolfang. Lazius *lib.*12. *Reip. Romanæ*, *cap.*13. Paz *in l.*7.*stili.* In iure etiam nostro patrio ita accipitur curia, *l.*27.*tit.*9.*partit.*2.Paz *vbi suprà.* Alia de curiæ etymologia adducunt Polletus *lib.*1.*histor.fori Rom. cap.*4. Lexicographi *verbo Curiæ*, & nos *in cap. cùm non ab homine*, *de iudiciis.*

4. e *Spirituale beneficium.*] Aliud enim est beneficium temporale, aliud spirituale, *cap. felicis*, §.*si qua verò*, *de pœnis*, *lib.*6. Temporale est feudum, quod dicitur beneficium, *cap.*1. & passim, *quibus modis feudum amittitur.* Ecclesiasticum dicitur præbenda, Canonicatus, Episcopatus, & etiam Pontificatus, *cap.*1. *de maledicis :* docent Corrasius *de benef. cap.*1. *tit.vlt.* Petrus Gregor. *eod. tract. cap.*6. Lotherius *de re benefic. quæst.*2. *num.*3. Cironius *ad titulum de præbendis.* Quare cùm in præsenti ageretur de Canonicatu, illum appellat Alexander III. beneficium spirituale, quamuis aliter accipiat hæc verba Hostiensis *in præsenti.*

5. f *Inuestitum.*] Sed quomodo Capitulum poterat inuestituram dare, & in possessionem mittere, si institutio, inuestitura, seu possessionis traditio fit per Archidiaconum, cui competit Canonicos in sedem collocare ? *c.ad hæc*, *c.significasti* 8.*de officio Archid.* Sed huic difficultati respondendum est, quod licèt inuestitura propriè significet ipsam possessionem realiter traditam, *lib.*2. *feudorum*, *tit.*2. Prateius *verbo Inuestitura*, Hothomanus *de verbis feudalibus*,*eod.verbo :* tamen aliquando tantùm significat ius adipiscendi possessionem corporalem, *lib.*1. *feud.tit.*3. §.*si verò*, & *lib.*2.*tit.*7. §.*fin.* notat Cironius *ad tit. de instit.* vnde qui electus est à maiori, & saniori parte Capituli, quia habet ius, vt sibi constituantur locus in Capitulo, & stallus in choro, latè dicitur inuestitus in nostro textu, licèt adhuc corporalem possessionem ab Archidiacono non acceperit.

COMMENTARIVM.

6. EX hoc textu, tam classici, quàm relati à Barbosa *in præsenti*, deducunt, renuntiantem beneficium interposito iuramento ampliùs illud non petendi posse,si denuo eligatur,illud obtinere.Opponunt tamen vt huic decisioni contrarium, textum *in c.si verò*, *de iureiurando*, vbi decidit,iurantem ampliùs non petiturum beneficium,non posse illud

illud repetere. Sed si textus attentè perpendantur, nullam continent antinomiam; siquidem *in dict. cap. si verò*, agitur de eo, qui neglectâ iuramenti religione, volebat beneficium, quod cum iuramento renunciauit, repetere; in hoc verò textu agitur de eo, qui denuò electus fuit à Capitulo, absque vlla repetitione: vnde salua iuramenti religione illud obtinere poterat, cùm etsi beneficium renunciauerit cum iuramento, renunciauit ius, quod tunc habebat, non autem futurum, quod non sperabatur, cùm in renunciatione non veniant, quæ non cogitantur, *l. cùm Aquiliana, ff. de transact. l. mater decedens, ff. de inofficioso testam.* Fontanella *de pactis nuptial. tom.* 1. *claus.* 4. *glossa* 28. *num.* 40. Renunciatio est strictissimi iuris, & strictè interpretanda, tam respectu rerum, *l. qui cum tutoribus, Cod. de transact.* quàm personarum, *l. si vnus, §. antea, ff. de pactis:* Salcedo *de repræsentat. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 87. quare renunciatio facta ex vna causa, non extenditur ad ius competens ex alia, licèt verbis generalibus facta sit, *l. si domus, ff. de seruit. rustic.* Decianus *volum.* 2. *consilio* 169. plura Auendaño *lib.* 2. *de metu, cap.* 13. Vnde renunciatio facta in hoc textu cum iuramento ampliùs non repetendi beneficium, non extenditur ad secundam electionem, cùm ius ex ea prouenies, tanquam non speratum, renunciari non possit.

CAPVT III.

Idem *Episcopo* [a] *Verulan.*

EX transmissa relatione Abbatis S. Nicolai de [b] Ceperano auribus nostris est intimatum, quod P. Rubeus, dum olim infirmitate laboraret apud monasterium [c] S. Saluatoris de Telesia, sibi petiit habitum [d] monasticum indulgeri, qui postmodùm recuperata sanitate, ad monasterium illud gratiâ complendi suum votum accessit, & ibidem moram aliquantulum faciens, ea, quæ dictæ Ecclesiæ sancti Nicolai [e] contulerat, sibi fecit restitui. Nunc autem mutato animo, per te, & per amicos tuos laborat, vt in eadem Ecclesia restituatur. Verùm quoniam iamdicta Ecclesia ab eo soluta dignoscitur, ex quo illi ea, quæ sibi contulerat, ad voluntatem, & petitionem suam resignauit: f. t. mon. atque mand. quat. si res ita se habet, prædictum Abbatem, & socios eius ad receptionem præfati P. nullâ ratione inuitos compellas, nec à Ceperano compelli permittas. Hortari tamen eos, & monere poteris, si tanti tibi fuerit, vt illum, non tanquam vnum de Ecclesia, sed quasi de nouo deberet intrare, [f] recipiant.

NOTÆ.

1. a *Verulano.*] Verulana antiqua ciuitas Italiæ est: Frontinus coloniam Romanorum fuisse affirmat: eius libertatem, & antiquitatem miris laudibus extollit Liuius *lib.* 9. In ea vrbe Beatam Mariam filiorum Zebedæi matrem, simul cum sanctis Blasio, & Demetrio Euangelium prædicasse, ex veteri illius Ecclesiæ menologio referunt Baronius *in martyrolog. die* 8. *Kalendis Augusti*, Vghellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ, in serie Episcoporum ipsius Ecclesiæ.* Quamprimùm Verulani ciues fidem amplexi, & professi fuerunt, Ecclesia Verulana Cathedrâ Episcopali fuit decorata, vt refert Vghellius *vbi suprà.* Inter alios Præsules qui eam rexerunt Ecclesiam, Fromundus, seu Frouiomundus eam gubernauit ex anno 1160. vsque ad annum 1170. vir singularis doctrinæ, probitatisque: ab Alexandro III. qui tunc, vt Friderici tyrannidem compesceret, Verulæ degebat, consecratus fuit. Huic ergo tanto viro missa est præsens epistola, vt iam animaduersum inuenio ab Vghellio *vbi suprà, pag.* 294.

2. b *S. Nicolai de Caperano.*] Caperanum habet Ecclesiam Collegiatam, quæ subest Verulanæ Ecclesiæ: eius Præsul Abbas appellatur, non quia Ecclesia sit regularis, sed quia plerumque Ecclesiæ Collegiatæ reguntur ab Abbate, vt *in cap. final. de maiorit. & obed.* & hanc Ecclesiam S. Nicolai esse sæcularem, testatur Chopinus *lib.* 1. *sacræ polit. tit.* 1. *num.* 17.

c *S. Saluatoris.*] Monasterium hoc est Ordinis D. Benedicti, vt refert Tamburinus *in serie Abbatum, verbo Telesin.*

d *Habitum monasticum.*] Plerumque enim infirmi olim in vltimis constituti, aut religionis habitum induebant, aut pœnitentiæ benedictionem efflagitabant. Concilium Tolet. 13. *can.* 10. Gerundense *can.* 9. obseruat Gibalinus *de clausura monastica disquisit.* 3. *cap.* 1. §. 7. 3.

e *Contulerat.*] Non per oblationem; nam quæ Ecclesiæ, aut monasterio offeruntur, repeti non possunt, *cap.* 2. *de consuet.* cùm autem quis se, & sua monasterio offerebat, coronam ad modum monachorum in capite ferebat, *cap. finali, de successionibus ab intest.* ibi: *Cùm Archipresbyter de Alterio se, & sua ad participationem orationum monasterio de Bruxeria obtulisset, de manu cuiusdam fratris eiusdem cœnobij augmentationem coronæ in signum oblationis accepit.* Notat Cironius *ad titul. de donationibus.* 4.

f *Recipiant.*] Et tunc habebit locum à die huius secundæ receptionis, non autem pristinum; quia qui in aliqua communitate priuatus fuit loco, seu sede, si postea denuò eligatur, non recuperat pristinum locum. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Ind. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 101. Salgado *de protect.* 4. *part. cap.* 1. *num.* 178. 5.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu ea deducitur assertio: *Qui ingreditur Religionem, & beneficio renunciat, licèt intra annum probationis egrediatur è monasterio, non recuperat* 6. CONCLVSIO PROBATVR.

recuperat beneficium. Hæc assertio singularis est, nec aliquo iuris testimonio probatur. Eam tamen illustrant Petrus Gregor. *de benefic. cap. 25. num. vlt.* Dartis *eod. tract. pag.* 107. Flaminius *de resignat. lib.5. quæst.6. num.* 64. & *lib.7. quæst.14. num.*28. Pereyra *in l. si curatorem, verbo Improbare, C. de in integr. restit.* Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regul. quæst.*37.*art.*1. Sanchez *de matrim. lib.*9. *disput.*33. *num.*19. Gonzalez *in regul.*8.*Cancellariæ, glossa* 15. *num.*45. Garcia *de beneficiis part.*11. *cap.*9. Barbosa *lib. 3. de iure eccles. cap.* 14. *num.* 3. Castro Palao *tom.*2. *tract.*13.*disput.*6. §.7. Tamburinus, Lezana, & alij congesti à Garcia *tom.*1. *polit. regul. tract.* 2. *diffic.* 6. *dubio* 7. Solorzanus *lib.* 2. *de iure Indiar. cap.*27. *& lib.*3. *polit. cap.* 29. Azor 1. *tom. instit. lib.* 12. *cap.*3.

7. RATIO DVBITANDI.

Sed hæc assertio, si non euerti, labefactari videtur ex sequentibus iuris ratiociniis. Primum nascitur ex eo, nam satis iuris certum principium est, & in nostro titulo sæpius commendatum, renunciationem beneficij, cuiuscumque generis sit, non posse fieri nisi de licentia superioris, *cap.* 1. *cap. admonet, hoc tit.* sed in præsenti renunciatio facta fuit absque vlla superioris licentia: igitur ipso iure nulla erat. Secundum non minùs liquet apud iuris conditores & Interpretes, pendente anno probationis omnia iura nouitij esse in suspenso, nec beneficium ante professionem vacare, *cap. beneficium, de regularibus in* 6. vt illi Religionem deferenti omnia restituantur,ac si Religionem non fuisset ingressus. Trident. *sess.*25. *de regularib.c.*16. vbi plura Barbosa, Suarez *tom.*3.*de relig.lib.*5.*c.*16. Portel. Villalobos, Peyrinis, & alij congesti à Garcia *d.*1.*part. difficult.*5. *dub.* 8. ergo in hoc textu, qui pendente anno probationis ad sæculum rediit, debet beneficium suum recuperare. Tertium aduersus eam partem nostri textus, vbi supponitur, Canonicum S. Nicolai potuisse ad religionem, & monasterium S. Saluatoris transire, ex eo nascitur; nam pluribus, & expressis iuris decisionibus cautum est, ne Canonici,aut aliæ ecclesiasticæ personæ possint aliquam Religionem ingredi, aut profiteri, *cap. nullus* 1. ibi: *Nullus Abbas, vel monachus, aut Canonicus regularis à proposito professionis canonicæ reuocare, & ad monasticum habitum suscipere audeat.* Et *cap. mandamus* 2. ibi: *Mandamus & vniuersaliter interdicimus, ne quis canonicus regulariter professus, nisi (quod absit) publicè lapsus fuerit, monachus efficiatur.*19. *q.*3. Plura tradunt Bosquetus *ad Innocent. lib.*1. *epist.*4. Lemaistre *de monachis lib.*3.*cap.*9. igitur non rectè in hoc textu supponitur,Canonicum regularem S.Nicolai potuisse ingredi monasterium S. Saluatoris.

8. INGRESSVS RELIGIONIS QVANDO VACET BENEFICIVM.

Adhuc tamen defendenda est Alexandri III. decisio, ad cuius explicationem sciendum est, canonicum, seu beneficiarium, præbendam, seu beneficium habentem, religionem ingressum,& eius regulam expresè, vel tacitè professum, beneficio sæculari retrò habito priuari, *cap.* 1. 17. *quæst.* 2. *cap. beneficium, de regularib. in* 6. ibi: *Aut constet quod vitam voluerit mutare.* Quæ verba de tacita professione sunt exaudienda, iuxta textum *in cap. consulti, cap. statuimus,de regularibus, cap.non solùm, eod. tit. in* 6. antea autem, scilicet ante professionem, intra probationis annum, beneficium retinet, vt latè probant Molfes. *tract.*6. *summæ, c.*12. *num.*18. immò si ad eius titulum nouitius ordinatus est, durante anno non potest beneficium dimittere, aut resignare. Trident. *sess.* 25. *cap.*16. licèt iure communi olim potuisset illud resignare, *dict.cap. beneficium,* Sanchez *lib.* 7.*summæ, cap.* 4. Barbosa *dict.lib.*3.*cap.*15. *num.*109. Dubium tamen apud Interpretes est, an post Concilij Tridentini constitutionem, quâ prohibetur renunciatio bonorum durante anno probationis, nisi intra duos menses proximos professioni, possit nouitius in prædicto anno resignare quodlibet beneficium? Et in hac parte ius antiquum seruari, & sic posse resignare quandocumque, tenent Rodriguez *in summa,*2. *part. cap.* 8. *num.*2. Garcia *de benefic.p.*11. *cap.*8. *num.* 12. Castro Pallao, Villalobos, Machado, & alij congesti à Barbosa *de potest. Episcopi allegat.* 99. *num.*19. Contrarium tamen,videlicet renunciationem beneficij etiam comprehendi in prædicta Concilij dispositione, defendunt Suarez *tom.*3. *de relig. lib.*5. *cap.*16. *num.*12. Tamburinus, Lezana, & alij, quos laudat, & sequitur Garcia *dict. tom.*1. *difficult.*6. *dubio* 7. Maiolus, & Flaminius relati à Valensi *de beneficiis lib.*2. *tit.* 25. *n.*28. in quo Interpretum dissidio media sententia amplecti potest, quæ discrimen constituit inter beneficium, ad cuius titulum quis promotus est ad sacros ordines; & inter alia beneficia: asserunt enim, beneficium, ad cuius titulum nouitius promotus est, non posse renuntiari; alia verò beneficia resignari valere: latiùs prosequitur Garcia *dict.* 1.*part. polit.*

9. RATIO DECIDENDI.

Etiam sciendum est, renunciatione legitimè factâ, & à superiore admissâ, beneficium ipso iure vacare,etiamsi alij collatum non sit; neque regressum ad illud absque noua institutione permitti, *cap. super,hoc tit. cap. constitutis* 45.*de appellat.cap.*1. *eod. tit. in* 6. *Clement. vnica,eod. tit.* Garcia *dict.p.*11. *de benef.* Flaminius *de resign. lib.*1. *quæst.*1. Valensis *de benef. lib.*3. *tit.* 13. *per totum:* vnde dicitur, beneficium vacare per renunciationem, *cap. susceptum, de rescriptis, lib.*6. quod adeò verum est, vt etsi post renunciationem, qui renuntiauit, permanserit in possessione per triennium, non iuuetur beneficio regulæ Cancellariæ *de triennali possessione,* quia nullum habet titulum. Rebuffus *in praxi, tit. de pacificis, n.*285. Vnde prouenit vera decidendi ratio ad nostrum textum; ideò enim in eius specie Canonicus S. Nicolai non potest redire ad suam præbendam, etsi non elapso anno probationis habitum dimiserit, quia cùm beneficium semel renunciasset, non potest illud propria auctoritate repetere, nec mutare voluntatem, *cap. quam periculosum* 7. *quæst.*1. facit regula, *Quod semel, de reg. iuris lib.* 6. nec solùm si illud renunciasset in nostro textu, ad illud redire non valebat, verùm etsi licentiam tantùm cedendi petiisset, renuntiare cogendus erat, nec ad beneficium redire poterat, *cap. quidam, hoc tit.* Rectè ergo in hoc textu docetur, Canonicum S. Nicolai non potuisse redire ad beneficium, quod iam tempore ingressus religionis renunciauerat; sed quia qui semel renunciauit beneficio, si denuò eligatur, virtute secundæ electionis potest iterum admitti; ideò in præsenti docetur, hortandos esse & monendos ipsos Canonicos S. Saluatoris, vt ipsum recipiant in Canonicum & fratrem.

10. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec difficultates suprà expensæ aduersantur; nam licèt verum sit, ad renunciationem expressam legitimè faciendam consensum superioris desiderari; in hoc tamen textu supponitur, Abbatem S. Nicolai renunciationi assensum præstitisse: cùm enim Petrus Canonicus S. Nicolai petiisset ab Abbate, & Canonicis, vt bona quæ obtulerat tempore receptionis in Canonicum, sibi redde-

rent, & Abbas restituisset, constat licentiam cedendi & renunciandi illi concessisse. Nec secunda difficultas aduersatur; nam verum est, nouitium pendente anno probationis è monasterio egressum, omnia, quæ obtinebat tempore ingressus, & in suspenso erant, recuperare, *dict. cap. beneficium, de regularib. lib. 6.* sed illud procedit quando beneficium non est expressè renunciatum, vt in nostro textu fuit; tunc enim virtute renunciationis expressæ priuatus fuit beneficio; vnde etiamsi religionem deserat, ad illud redire non valet. Nec tandem tertia difficultas obstat; nam textus in ea adducti, qui prohibent canonicis regularibus, & aliis personis ecclesiasticis vitam monasticam profiteri, procedunt illis primis Ecclesiæ temporibus, quibus monachi vt laici tantùm degebant, nec sacris ordinibus initiabantur, aut ministeria ecclesiastica tractare valebant, vt per plures annos obseruatum fuisse in Ecclesia, traditur *in cap. interdicimus, cap. iuxta, & per totam 16. quæst. 1.* obseruant Lemaistre, & Bosquetus *vbi suprà*. Sed cùm postea illis permitteretur ad sacros ordines ascendere, *cap. monachos, c. si quis, cap. monachus 16. quæst. 1.* clericis ingressus etiam in monasteriis permittebatur. Concilium Toletanum 4. *can. 49. Clericis qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos ab Episcopis in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Docet Benedictus Ephtenus *lib. 4. disquisit. tract. 2. disquisit. 4.* Vnde cùm temporibus nostri Alexandri Clerici ad monachatum transirent, & conuolarent; ideò in præsenti supponitur Canonicum S. Nicolai potuisse ad religionem transire.

11. EXPONITVR CAP. 1. 17. Q. 2.

Sed superiori assertioni aduersatur textus *in cap. Goldastus 1. 17. quæst. 2.* vbi proponitur, Goldastum presbyterum infirmitatis passione oppressum, promisisse se monasticam vitam professurum in quodam monasterio D. Benedicti; & vt votum faciliùs adimpleret, beneficium quod obtinebat, in manu cuiusdam aduocati renunciauit: posteà cùm pœnituisset, voluissetque in sæculo remanere, & beneficium obtinere, consuluit Alexandrum II. qui respondit, ipsum retinere debere beneficium. Ex quo decreto apertè deducitur, clericum aduersâ valetudine captum, & beneficium renunciantem, posse ad sæculum redire, & beneficium retinere: igitur similiter in nostro textu Canonicus S. Nicolai poterat intra annum probationis ad sæculum redire, & beneficium retinere. Accedit etiam, nam Goldastus *in dict. cap. 1.* promisit ingredi religionem, id est votum emisit religionis: igitur cogendus erat votum adimplere, vt de simili professione latè probat Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 33. num. 9.* tandem ex alio capite Goldastus *in dict. cap. 1.* priuandus erat beneficio; nam vt ibi refertur, illud renunciauit in manibus cuiusdam aduocati: sed qui renunciat beneficium in manibus laici, priuatur ipso beneficio, *cap. quod in dubiis, hoc tit.* igitur Goldastus *in dict. cap. 1.* priuandus erat beneficio iam obtento. Pro huius textus vera interpretatione dicendum est, Goldastum in eo, nec votum solenne Religionis emisisse, nec beneficium in manibus Superioris renunciasse; vnde cùm tantùm simplicem promissionem fecisset ingrediendi monasterium, & eius prætextu beneficium in manibus aduocati renunciasset, potuit ex capite pœnitentiæ illud repetere. Nec augmentum difficultatis suprà adductum aduersatur; nam aduocatus, de quo in eo textu agitur, erat defensor Ecclesiæ, qui frequenter in iure nostro dicitur aduocatus, *cap. præterea, cap. cùm autem, de iurepatron.* vnde cùm aduocatus in eo textu esset persona ecclesiastica, sed non superior ipsius renunciantis, ideo renunciatio viribus destituitur. Alia pro eius textus interpretatione adducit Feloaga *in cap. 1. de his, quæ vi, propè finem.*

12. INTELLIGITVR CAP. VENIENS, DE INSTIT. IN 2. COLLECT.

Secundò aduersatur textus *in cap. veniens 5. de instit. in 2. collect.* in illis verbis: *Veniens ad Apostolicam Sedem, &c.* Et infrà: *Interim autem R. clericus, qui Ecclesiam alieno nomine possidebat, furto est irretitus, & exinde, quia crimen ei notorium fuit, rebus furtiuis in arca sua repertis, grauiter puniri metuens, eo quòd ad Regias aures scelus eius peruenerat, habitum religionis sumpsit, quem infra annum abiiciens Sedem Apostolicam adiit, & scriptum Apostolici culminis impetrauit, in quo continebatur, quod si monstrare posset, quod timore mortis clausstrum intrasset, à religionis voto absolueretur à vobis; tacito quod timor ille ex praua conscientia perpetuati sceleris proueniebat.* Et infrà: *Discretioni vestræ per A. S. mandamus, quatenus cùm exinde requisiti fueritis, in vnum pariter conuenientes, vtramque partem ante præsentiam vestram conuocetis, & inquisitâ horum veritate, quæ dicta sunt, & plenius cognita, causam ipsam ap. rem. fine canonico terminetis, ita quod si vobis constiterit, quod crimen notorium fuerit, & timore illo sæpedictus R. religionem susceperit, & quod idem V. per Archiepiscopum fuerit canonicè institutus, ei Ecclesiam ipsam ap. & oc. cess. faciatis restitui, & liberè, pacificéque dimitti, non obstantibus litteris nostris, si taliter fuerint, prout diximus, impetratæ.* Ex quibus verbis apertè constat, ingredientem religionem, eamque deserentem intra annum probationis, non recuperare beneficium, quod ante ingressum obtinebat: ergo & in nostro textu, licèt expressè beneficio non renunciasset, ratione tantùm ingressus religionis, licèt intra annum exiret è monasterio, beneficio priuandus erat, nec ad illud restitui valebat. Pro cuius textus vera interpretatione dicendum est, Rodericum in ea specie cogi beneficium dimittere, & in religione manere, quia beneficium non solùm vacat per expressam professionem emissam in monasterio, verùm & per tacitam, *cap. beneficium, de reg. iuris in 6.* olim enim etiam temporibus Alexandri & & Innocentij III. non solùm expressè, verùm & tacitè professio emittebatur, *cap. 2. de testam. cap. vidua, de regul.* vbi dicemus. Vnde cùm *in dict. cap. veniens*, Rodericus tacitam professionem emisisset, quia monasterium ingressus fuit animo manendi ibi perpetuò, immiscendo se actibus professorum, quomodo olim professio tacita inducebatur; idò non potest ad sæculum redire, nec beneficium recuperare. Ratio autem dubitandi illius textus proueniebat ex eo, quia Rodericus asserebat metu coactum religionem ingressum fuisse, & sic à vinculo, seu nexu professionis esse absoluendum, & ad beneficium admittendum: sed cùm metus non fuisset ab alio illatus, sed à seipso iustè incussus, existimauit enim se furti manifesti reum esse, & per consequens acriter puniendum, quam pœnam vt effugeret, religionem professus fuit; ideo cùm metus à seipso fuisset incussus, non ab alio, inde eius professio valida declaratur, iuxta tradita à Basilio *lib. 4. de matrimonio, cap. 13. per totum*, Sanchez *eod. tract. lib. 8. disputat. 8. num. 8.*

Etiam

Etiam præsenti assertioni opponi potest textus *in cap. 2. de rescriptis*, in illis verbis: *Et quod expresse renuntiauit.* Cuius veram interpretationem dedi in eius notis.

CAPVT IV.

Idem *Episcopo* [a] *Tornacensi.*

ADmonet. *Et infrà*: Vniuersis personis tui Episcopatus sub districtione prohibens, ne [b] Ecclesias tuæ diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque adsensu tuo intrare audeant, aut [c] detinere, aut te dimittere inconsulto. Quod si quis contra prohibitionem tuam venire præsumpserit, in eum canonicam exerceas vltionem.

NOTÆ.

1. a *Tornacensi.*] Epigraphen huius textus illustraui *in cap. eam te 7. de rescriptis.*

b *Ecclesias tuæ diœcesis.*] Quas ex iure, quod obtinet in suo Episcopatu, illi subiectas esse certum est, *cap. omnes Basilicæ 16. quæst. 7.* siue Ecclesiæ sint regulares, siue seculares, *cap. monasteria 18. quæst. 1.* plura adducunt Crespetius *in summa, verbo Basilicæ*, Balboa *in cap. 1. de foro compet. quæst. 1. num. 1.* Sauarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 15.* Germonius *lib. 3. sacrorum, cap. 4.* Bosquetus *in notis ad Innocentium lib. 1. epist. 7.* Mendoza *lib. 2. pro confirmat. Concilij Illiber. cap. 30.* Bignonius *ad Marculfum cap. 1. pag. 417.* Sed quia Ecclesiæ regulares iam à temporibus Gregorij exemptæ fuerunt à lege diœcesana, vt latè dicemus *in cap. licèt, de officio ordin.* ideò in præsenti Alexander III. absolutè non agit de omnibus Ecclesiis in Episcopatu Tornacensi constructis, sed tantùm de illis, quæ ad ordinationem ipsius Episcopi spectant.

c *Detinere.*] Hæc prima pars continet prohibitionem, ne quis Ecclesiam obtineat absque institutione illius Prælati, ad quem institutio pertinet; quam partem examinauimus *in cap. ex frequentibus, de institutionibus.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu sequens depromitur conclusio: *Beneficiatus sine licentia sui Episcopi beneficio renunciare non potest.* Probant textus *in cap. 1. 53. dist. cap. 1. & 2. 63. dist. cap. si qui verò, cap. Episcopus*, cum sequentibus, *cap. suggestum, cap. sciscitaris 7. quæst. 1. cap. denique 6. quæst. 3. cap. Abbas 28. quæst. 2. cap. nisi cum pridem, cap. super, hoc tit. cap. post electionem 7. de concessione præbendæ, cap. ex ore 3. de his quæ fiunt à maiori, cap. cùm & plantare, §. in Ecclesiis, de priuilegiis*, Concilium Lateran. *part. 49. cap. 9.* Lateran. sub Innocentio III. *c. 28.* Basileense *sess. 23.* Moguntinum *4. cap. 69.* Concilium Salesburgense tempore Martini celebratum, *can. 4.* ibi: *Nullus Ecclesiam, vel beneficium Ecclesiasticum dimittere, vel recipere præsumat sine sui superioris auctoritate; quod sub pœna excommunicationis, vel suspensionis omnibus firmiter inhibemus.* Alia iuris testimonia adducunt Crespetius *in summa, verbo Beneficio renuncians*; Antonius August. *in epit. lib. 15. tit. 5.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, *lib. 3. iuris eccleiast. cap. 15.* Vighellius *in method. iuris can. pag. 303.* Robertus *lib. 3. rerum iudic. cap. 2.* Petrus Gregorius *de benef. cap. 28. & lib. 1. part. tit. 28. cap. 8.* Corrasius *de beneficiis cap. 8.* Rufin. *lib. 3. constit. tit. 11. cap. 14.* Valenzuela *tom. 1. consil. 32.* Solorzanus *lib. 3. polit. cap. 7. & lib. 4. cap. 13.* Spino *in repetit. ad hunc textum*, Rousselius *lib. 1. cap. 4. n. 10.* Arellano *lib. 1. antimon. 7.* Dartis *de beneficiis, cap. de renunciatione*, Valensis *eod. tract. lib. 2. tit. 17.* Quintanadueñas *lib. 2. de Ecclesiast. num. 10.*

Sed hæc assertio impugnatur sequentibus difficultatibus. Prima, nam taciti, & expressi idem iudicium est, *l. cùm quid, ff. de rebus creditis, l. vltim. ff. de legat. 2. l. item quia, ff. de pactis, l. vltim. Cod. qui bonis cedere*: plures congerit Barbosa *axiomat. 218.* sed beneficiarius potest tacitè beneficio renuntiare, aut aliud incompatibile acceptando, *cap. ex parte 8. de clericis non resid. cap. de multa 28. de præbendis*; aut religionem ingrediendo, *cap. licèt, de regul.* aut matrimonium contrahendo, *cap. 1. de clericis coniugatis*: ergo & expressè renunciare valet. Secunda ex eo nascitur: Si beneficium absque superioris licentia renunciari non posset, renunciatio aliter celebrata effectum non obtineret, nec beneficium vacaret per renunciationem; quia actus contra iuris dispositionem celebratus nullus est, *cap. in nomine, de testibus, l. non dubium, C. de legibus*: immò nec nomen actus meretur, *l. sicut, ff. de operis libertorum, l. statutis, C. de sententiis ex periculo*: docet, & in hac specie plura in praxi notabilia deducit Valenzuela *dict. consilio 32. per totum*: sed renunciatio beneficij absque superioris licentia facta vires obtinet, ita vt per eam beneficium vacare dicatur, *cap. quod in dubiis, hoc tit.* igitur absque Episcopi licentia beneficiarius beneficio suo validè renunciare potest. Tertia difficultas insurgit ex eo, nam Pontificatus beneficium est, *cap. 2. de maledicis*, vbi omnes classici notarunt: sed R. Pontifex potest liberè Pontificatum renunciare, nullâ Concilij generalis, aut alterius expectatâ licentiâ, vt exemplis illustrat Hieronymus Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. glossa 5. præmial. §. 5. num. 20.* & expressè declaratum fuit *in cap. 1. hoc tit. lib. 6.* quam constitutionem non edidit Bonifacius, quasi de sua electione parum securus, ad approbandam Cœlestini renunciationem, vt Michael Rousselius *lib. 1. hist. iurisd. Pontif. cap. 4. num. 10.* & alij nonnulli nimis irreuerenter erga Pontificem, qui celator iurium Ecclesiæ appellatur à S. Antonino *part. 1. cap. 8. §. 1. pag. 20.* voluerunt. Immò Cœlestinus ipse cum assensu Cardinalium illam fecit, etsi eam publicauerit Bonifacius, vt referunt Abraham Bzouius, Spondanus, Odoricus Raynaldus *in annal. eccleiast. anno 1294. & 1303.* igitur quia ad renunciandum beneficium non desideratur superioris licentia,

3. RATIO DVBITANDI.

Quibus

4. RENVNCIATIO DVPLEX EST.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, renunciationem dupliciter fieri posse, purè videlicet, & conditionaliter: purè absolutè; conditionaliter in fauorem alicuius. Renunciationem puram, & absolutam diximus, quæ ex mera liberalitate, & absque vllo pacto fit in manibus superioris, de qua in hoc textu: conditionalem appellamus, quæ in fauorem certæ personæ, & sub aliqua conditione celebratur. De vtraque latè egerunt Flaminius Parisius *de resignatione, per integrum librum*, Rebuffus *in praxi, tit. de renunciatione*, expresse Petrus Gregor. *de beneficiis cap.* 28. Garcia *eod. tract. p.* 11. *cap.* 3. Valensis *de beneficiis lib.* 3. *tit.* 27. Differt pura à conditionali in eo, quod per puram renunciationem statim ac facta est, beneficiarius amittit omne ius, quod habebat, *cap.* 2. *hoc tit. Clement. vnica, eod. tit.* etiam possessionem, tam naturalem, quàm ciuilem. Flaminius *vbi suprà, lib.* 1. *quæst.* 3. *num.* 7. etiamsi renunciatio non sit admissa, *cap. tua nos, de simonia, cap. cùm pridem, de pactis:* at verò conditionalis non nisi adimpletâ conditione effectum obtinet, quia cùm conditio formam importet, adimpleri debet in specifica forma, *l. Mœuius, l. qui hæredi, ff. de condit. & demonstrat.* plura Brusselius *de condit. tit.* 2. *de condit. implement. num.* 3. Etiam differunt iuxta aliquorum sententiam in eo, quod renunciatio pura potest coram Ordinario fieri, conditionalis verò tantùm coram R. Pontifice, licèt contrarium, videlicet renunciationem, tam puram, quàm conditionalem, coram Ordinario fieri posse, si persona in cuius fauorem fit, idonea sit, defendant Soto *lib.* 9. *de iustitia quæst.* 7. *art.* 2. Couarruu. *lib.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 5. Nicolaus Berius *de legato quæst. vnica, num.* 115. Duarenus *lib.* 8. *de sacris Eccles. cap.* 2. alij congesti à Barbosa *d. cap.* 15. *n.* 48. Mouentur sequentibus fundamentis. Primum est, quia per renunciationem legitimè factam beneficium absolutè vacat, *cap.* 3. *hoc tit.* igitur potest Episcopus illud conferre personæ illi, in cuius fauorem resignatum est. Secundum, renunciatio, quæ fit ex causa permutationis, conditionalis, & expressa est in fauorem tertiæ personæ, in eaque adiicitur clausula illa, *Non aliter, aliàs, nec alio modo.* Clement. vnica, *hoc tit.* sed talis renunciatio validè fit coram Ordinario, *cap. ad quæstionis, cap. cùm vniuersorum, cap. finali, de rerum permut.* docent Couar. vbi suprà, *dict. cap.* 5. Barbosa *vbi proximè, n.* 52. igitur similiter renunciatio conditionalis in manibus Ordinarij fieri valet.

5. NEGATIVA SENTENTIA AMPLECTITVR.

Sed primam sententiam, videlicet renunciationem conditionalem coram Ordinario fieri non posse, neque collationem ex ea secutam, tanquam sacris canonibus contrariam, valere, defendunt Felinus, Parisius, Rebuffus, Nauarrus, quos laudat, & sequitur Spino *in nostra rubrica, num.* 19. Bonacina, Cassadorus, & alij congesti à Barbosa *vbi suprà, num.* 52. Valensis *de beneficiis lib.* 3. *tit.* 27. quæ sententia ex sequentibus probatur. Primò, nam omnis pactio, vel conuentio in beneficiis coram Ordinario, redolet & continet simoniam *cap. quàm Pio* 1. *quæst.* 2. *cap. cùm pridem, cap. finali, de pactis, cap. ex parte*, & ibi Glossa, *de officio delegati:* sed renunciatio conditionalis vt beneficium conferatur certæ personæ, continet pactionem, cùm duorum in idem placitum consensum demonstret, *l.* 1. *ff. de pactis*, iunctis traditis ibi à Cuiacio & Fabro, Duareno *lib.* 2. *disput. cap.* 8. Roberto *lib.* 2. *sentent. cap.* 19. Constano *qq. iuris cap.* 8. igitur renunciatio aliter quàm coram R. Pontifice, qui omnem simoniæ labem tollere potest, fieri non valet. Deinde, nam renunciatio beneficij liberè fieri debet, *cap. dilecto* 25. ibi: *Liberaliter resignauit; de præbendis, cap. ex parte, de officio deleg.* sed renunciatio conditionalis libera non est; adstringit enim collatorem ad conferendum beneficium certæ personæ, in cuius fauorem renunciatum est: igitur non potest fieri coram Ordinario. Facit pro hac sententia expressa Pij V. constitutio, quæ incipit: *Antea Ecclesia*, vbi huiusmodi resignationes prohibuit absolutè: quare hac opinione retentâ non obstant contrariæ fundamenta. Non primum, nam illud procedit in renunciatione purè, & liberè facta, non verò conditionaliter; nam tunc cùm renuncians beneficium cum clausula, *non aliter, &c.* intendat tantùm renunciare beneficium casu, quo illi personæ conferatur, beneficium per talem renunciationem non vacat, & sic conferri non potest. Nec etiam aduersatur secundum fundamentum; nam permutatio fit inter duos habentes titulum ad beneficium: vnde tantùm mutatur locus; quare mirum non est, si coram Ordinario ex æquitate admittatur. Nec tertium fundamentum aduersatur; nam verum est, actionem illam esse simoniacam, quæ continet certam conuentionem, videlicet vt certæ personæ conferatur; quæ conuentio in nostro casu datur, siquidem aliter renuncians non dimitteret beneficium, nisi vt conferretur certæ personæ, vnde ratione huius conuentionis recunciatio sacris canonibus aduersatur.

6. RATIO DECIDENDI.

Manet ergo renunciationem beneficij purè, & liberè fieri debere coram proprio Episcopo: conditionalem verò non aliter admitti, quàm factam coram R. Pontifice; & tunc beneficium non vacare per renunciationem, nisi illud conferatur personæ in renunciatione designatæ; non enim aliter qui renunciat, abdicare intendit ius suum, nisi beneficium conferatur illi, in cuius fauorem renunciatum est: pluribus Rotæ decisionibus firmat Barbosa *vbi suprà, num.* 74. immò etsi resignatarius beneficium non assequatur, aut quia resignationis tempore erat excommunicatus, absens, vel alio modo impeditus; resignans non amittit ius sui beneficij: similiter si resignauit vt certa pensio sibi reseruetur, & non sit reseruata, non admittit beneficium. Flaminius *de resignat. lib.* 1. *q.* 4. Barbosa *dict. cap.* 15. *num.* 82. qui plura in praxi notabilia exinde deducit: quibus suppositis nostræ decisionis ratio ex eo prouenit, nam cùm clericus ad titulum beneficij ordinatus, adscriptus & mancipatus sit certæ Ecclesiæ, *cap.* 2. *cap. cùm secundum, de præb.* in ea debet perpetuò manere, *cap. sanctorum*, 70. *dist. cap. clericus*, 21. *quæst.* 1. sicut apud Romanos glebæ adscriptus à fundo recedere non valebat, *l. defensionis, C. de iure fisci, lib.* 10. *l. cùm satis, C. de agricolis, lib.* 11. *l. scripturas, C. qui potiores.* Accedit nam nihil tam naturale est, quàm eo genere quidquid dissolui, quo colligatum est, *regul.* 1. *de regul. iuris:* sed sine institutione & collatione Ordinarij beneficium ecclesiasticum obtineri non potest, *cap.* 1. *de reg. iur. in* 6. *c. ex frequentibus, de instit.* igitur nec illud deserere licet absque proprij Ordinarij licentia: vnde in nostro textu rectè coniunguntur prohibitio non admittendi beneficium absque Episcopi institutione; & non dimittendi illud absque eius licentia. Alia etiam pro huius decisiuæ rationis fundamentis adduci possunt ex his, quæ diximus *in c.* 2. *de translat. Episcopi.*

Nec

7. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec difficultates ſuprà adductæ obſtant: Non prima, nam inter alias exceptiones, quas patitur axioma illud, *Taciti & expreſſi idem eſt iudicium*; præcipua eſt in rebus à iure prohibitis, in quibus tacitum non operatur idem ac expreſſum, vt docent Tuſchus *littera T, concluſ. 7. num. 39.* Barboſa *axiomat. 218.* vnde licèt expreſſa renunciatio abſque ſuperioris licentia facta prohibita ſit, non ideò renunciatio tacita vetita cenſetur. Cauendum tamen eſt à Petro Gregorio *de beneficiis cap. 28.* Rebuffo *in praxi, tit. de tacita renunciat.* qui caſus ſuprà in prima difficultate adductos de renunciatione tacita accipiunt, cùm in illis caſibus beneficium non vacet ob beneficiarij renunciationem, ſed ob priuationem à iure in illis inductam, ob quam nullâ intercedente beneficiarij renunciatione, vacatio beneficij inducitur: verus autem caſus tacitæ renunciationis proponitur *in cap. ex ore, de his quæ fiunt à maiori parte.* Nec ſecunda difficultas aduerſatur, cui ſatisfaciunt Abbas *in dict. cap. quod in dubiis, num. 8.* Baldus *num. 2.* Immola *num. 12.* Flaminius *lib. 7. de reſignat. quæſt. 1.* Valenſis *dict. tit. 17.* qui exiſtimant renunciationem ſine licentia ſuperioris factam valere in præiudicium renunciantis, non verò ſuperioris, & ſic in textu *in dict. cap. quod in dubiis*, valere renunciationem quoad præiudicium illius, qui renunciauit, non verò Eccleſiæ, ſeu ſuperioris, cuius licentia deſiderabatur. Sed hanc diſtinctionem refellit Luna *lib. 1. antinom. 7.* & facilè ea conuincitur *ex cap. non oportet*, ibi: *Hoc factum prorſus irritum denunciatur:* & *cap. placuit 7. quæſt. 1.* Rectiùs ergo dicendumeſt, *in dict. cap. quod in dubiis*, beneficium renunciatum in manibus laici, non tam virtute renunciationis, quàm in pœnam vacaſſe; quia ex eo, quod in manibus laici renunciauit beneficium, graue crimen commiſit, cùm tot iuris canonici ſanctionibus, legibuſque prohibitum ſit, ne liceat beneficia accipere à laicis, aut in eorum manibus renunciare, vt probauimus *in cap. quiſquis 43. de elect.* ideò ergo in pœnam illius delicti renuncians priuatur ipſo beneficio, vt conſtat ex illis verbis, *beneficio ſpirituali.* Ita illum textum accipiunt, & exponunt Cironius *in hoc tit.* Couarr. *lib. 1. variar. cap. 5. num. 6.* Luna vbi ſuprà; licèt aliter eum interpretetur Barboſa *d. cap. 15. iuris eccleſ. num. 17.* Nec tandem obſtat tertia difficultas; nam R. Pontifex poteſt renunciare Pontificatui propriâ auctoritate, quia ſuperiorem non recognoſcit, *cap. ſi Papa, 40. diſt.* Nec tunc obſtat noſter textus, nam diſcrimen eſt aſſignandum inter electionem eccleſiaſticam, quæ confirmatione ſuperioris indiget; & inter illam, quæ confirmatione non eget. Primo caſu renunciatio beneficij debet fieri in manibus ſuperioris, ex ſuprà traditis: ſecundo verò caſu, cùm electio non confirmatur, renunciatio propriâ auctoritate fit; vnde cùm R. Pontifex ſtatim, ac legitimè à Cardinalibus electus eſt, plenitudinem poteſtatis conſequatur abſque vlla confirmatione, *cap. licèt 6. de elect.* vbi dixi; & docent Marchinus *de ordine part. 2. cap. 3.* Leander *eod. tract. diſp. 2. quæſt. 3.* ideò rectè *in dict. cap. 1. de renunciatione, lib. 6.* nouiter deciditur R. Pontificem poſſe propria auctoritate cedere. Alia pro eius textus interpretatione adducunt Barboſa *lib. 1. iuris eccleſ. cap. 2. num. 211.* Bellarminus *de R. Pontifice lib. 2. cap. 29.* Fragoſo *part. 2. de regimine, lib. 1. §. 2. num. 19.* Coſtaldus *de Imperatore q. 103.* Baſilius *lib. 8. de matrimon. cap. 6. in fine*, Morla *in Emporio, tit. 1. q. 4.*

Primò ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in cap. ſignificatum 11. de præb.* vbi proponitur, præbendam clerico aſſignatam fuiſſe in certa Eccleſia, eâ conditione, & lege dictâ, vt eam dimittere nequiret abſque conſenſu Capituli: confirmatio huiuſmodi conditionis à Pontifice petita, & impetrata fuit, & deciditur prædictum clericum non poſſe propria auctoritate præbendam dimittere, & in aliam Eccleſiam ſe transferre; quem textum ſic expendo. En textum vbi ob conditionem appoſitam tempore collationis, non poteſt clericus præbendam propria auctoritate dimittere: igitur ſi conditio adiecta non eſſet, poſſet propriâ auctoritate eam dimittere. Huic difficultati reſpondendum eſt, in eo textu conditionem appoſitam non fuiſſe, vt ſine libentia ſuperioris, hoc eſt Epiſcopi, non liceret clerico præbendam dimittere, ſed potiùs, vt ſine licentia Præpoſiti & Capituli non poſſet eam dimittere, quorum licentia iure communi non deſiderebatur: quare vt ſine Capituli auctoritate non poſſet præbendæ renunciare, neceſſaria fuit prædicta pactio.

8. EXPONITVR CAP. SIGNIFICATVM, DE PRÆBEND.

Secundò refragatur textus *in cap. finali de crimine falſi*; vbi cùm quæſtio circa falſitatem litterarum inter duos tractaretur, vnus ex illis, qui beneficium obtinebat, probationi falſitatis ſe obtulit; itavt ſi non probaſſet litteras falſitatis vitium habere, beneficium quod habebat, amitteret. Quæſtionis fuit, vtrum potuiſſet prædictus beneficiarius prædictæ priuationis pœnæ ſe ſubiicere? Et reſpondit R. Pontifex, quod cùm cuilibet liceat renunciare iuri ſuo, prædicta renunciatio vires habeat. Ex quibus vltimis verbis deducitur, cuilibet ſacerdoti licere renunciare proprio beneficio, ex illa generali regula, *Cuicumque renunciare licet iuri ſuo.* Pro cuius difficultatis ſolutione ſciendum eſt, Rodericum ſacerdotem in eo textu priuari beneficio non ſolùm ob propriam renunciationem priuationi beneficij ſe ſupponendo, verùm quia talis renunciatio admiſſa fuit à ſuperiore: quilibet enim in iudicio coram ſuo Prælato diſceptato poteſt ſub pœna priuationis beneficij ſe obligare, *cap. quotiens 1. 1. q. 7. cap. eo, de conſecr. diſt. 2. cap. cùm dilecti, §. finali, de elect.* notant omnes repetentes *in dict. cap. finali.* Si autem prædicta renunciatio fiat coram alio iudice, quàm Prælato ſuo, non valet, ex ſuprà traditis. Vnde cùm *in dict. cap. finali*, coram ſuperiore facta fuiſſet, & acceptata, ideò R. P. clericus in ea ſpecie beneficio priuatur.

9. INTELLIGITVR CAP. FINALE DE CRIMINE FALSI.

Tertiò opponitur ſupradictæ aſſertioni textus *in cap. ſolicita 2. de reſtit. ſpol.* vbi proponitur, Honorium beneficio proprio ſpoliatum fuiſſe, & poſt ſpoilum beneficio renunciaſſe: conſuluit Epiſcopus Vvigorn. Alexandrum III. vtrum prædictus H. eſſet reſtituendus ad beneficium? Et reſpondet R. Pontifex, reſtituendum eſſe, ſi poſt ſpolium renunciauit, non verò ſi ante ſpolium. Ex quo textu deducitur, renunciationem ſine licentia ſuperioris factam, valere; ſiquidem in eo textu nulla mentio ſit licentiæ ſuperioris. Difficilis etiam redditur textus ille *ex cap. accepta 3. eod. tit.* vbi in eadem ſpecie deciditur, renunciantem reſtituendum non eſſe prætextu ſpolij. Primæ difficultati reſpondendum eſt, in ea ſpecie ſupponendam eſſe licentiam ſuperioris, & cum eius auctoritate beneficium fuiſſe renunciatum. Pro conciliatione textus *id dict. cap. 2.* cum *dict. cap. 3.* dicendum eſt, renunciationem factam ab ſpoliato non impedire reſtitutionem ex cauſa ſpolij; nam cùm renunciationis

10. EXPONITVR CAP. 2 DE RESTIT SPOLIAT.

ciationis exceptio respiciat proprietatis iudicium, & spoliatus ante omnia sit restituendus, *cap.ex litteris, de restit. spoliat. l.1.§.qui à me, ff. de vi*, & *in cap.oportet 1.cap.prius 3.q.2.* ideò *in d.cap. solicitè 2.* quia renunciatio facta fuit post spolium, non obstante renunciationis exceptione restituitur spoliatus: at verò *in dict.cap.accepta 3.* renunciatio facta fuit ante spolium; vnde meritò restitutionis remedium denegatur iure directo, contra spolij naturam, & fauorem, quia beneficiarius, qui anteà renunciauerat, non potest probare se esse spoliatum possessione, quam iam per renunciationem amiserat. Docent Nauarrus *in dict. cap. accepta, oppos. 9.* Menochius *de recuper. remed. 15.* Valensis *de beneficiis d.tit. 16.*

.11 Intelligitur cap. ex ore 3. de his quæ fiunt a maiori.

Tandem præsenti assertioni aduersatur textus *in cap.ex ore 3. de his quæ fiunt à maiori parte*, in illis verbis: *Iuri suo renunciasse videtur.* Vbi absque vlla superioris licentia renunciatio præbendæ facta à Canonico Ecclesiæ Cathedralis vires habet: igitur quia ad renunciationem proprij beneficij non desideratur superioris auctoritas. Cui difficultati ex suprà traditis satisfaciendum est, discrimen videlicet constituendo inter renunciationem tacitam, & expressam; ad renunciationem enim tacitam non desideratur superioris licentia, secus verò ad expressam: vnde cùm textus *in dict. cap. ex ore*, loquatur de renunciatione tacita, vt agnouit ibi Glossa, *verbo Renunciasse*; ideò in ea specie non fuit necessaria superioris licentia.

Etiam ex suprà traditis interpretari possunt textus *in cap.cùm venisset, de consuet.cap.eo libentiùs, de seruis non ordin. cap. post electionem 7. de concess. præb. cap.si electio 26. de elect. lib.6.*

CAPVT V.

[a] Clemens III.

SVper hoc, quod sciscitaris, vtrum ecclesiastica beneficia reposcentibus obiecta spontaneæ [b] abiurationis exceptio sine causæ cognitione sit admittenda; & an actoris, quod spontè non renunciauit; an rei de spontanea renunciatione testes sint, & probationes admittendæ? Sic experientiæ tuæ respondemus, quod hoc nulla ratio verisimile reddit, vt beneficio quisquam etiam multis laboribus & [c] expensis acquisito, à quo sustentari debet, sine magna causa temerè sua sponte [d] renuntiare elegerit: ideoque superuacuum esse non credimus, causam renunciationis, vel resignationis diligenter inquirere, quam si fortè probabilem, id est, non vi, non metu, non oppressione, non interuentu pecuniæ, non promissione extortam iudex ordinarius, seu delegatus inuenerit; & maximè si non interuenerit iuramentum, quod vix fieri de voluntate spontanea propria credimus, quia iuramentum semper ferè à malo est, admittere, nisi replicatio canonica fuerit opposita, non postponat. Porrò licèt negantis factum per rerum naturam nulla sit [e] probatio; eius tamen, qui spontaneam renunciationem negat, cùm implicitè, & quodammodo replicando inficietur super assertione sua, probationes credimus admittendas: habita nihilominus ad dignioratem opinione & relatione.

NOTÆ.

1. a *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, vbi *sub hoc tit. cap.3.* reperitur textus hic; nullibi tamen exprimitur, cui Prælato rescripserit Pontifex, nec *in c.super eo, de elect. cap. super eo, de simonia, in eadem 2. collect.* vbi reperiuntur aliæ partes huius decretalis.

2. b *Abiurationis.*] Verbo hoc abiurationis, an semper comprehendatur renunciatio iuramento firmata, dicemus *in cap.Abbas 2. de his quæ vi*, vbi commentarium huius textus dabimus.

3. c *Et expensis.*] In studiis, & assecutione beneficij factis; non verò accipienda sunt hæc verba de aliqua pecuniæ quantitate pro acquirendo beneficio expensa.

4. d *Renunciare.*] Consonant textus *in cap.2. de restit. spol. cap. quia verosimile, de præsumpt.* & meritò hæc præsumptio à iure inducitur, quia nemo est qui facilè res suas iactet, *l.cùm de indebito 25. vers. Sin verò, de probat.* Cironius *ad tit. de procurat.*

5. e *Nulla sit probatio.*] *Cap.ad nostram, de probat.* vbi latè sententiam hanc examinabimus.

CAPVT VI.

[a] Cœlestinus III.

IN præsentia nostra, &c. *Et infrà*: Licèt igitur iudex non semper ad vnam speciem probationis applicet mentem suam, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & aliis, quæ in eius præsentia proponuntur, firmet animi sui motum, & tanta sit iudicialis auctoritas, vt semper [b] præsumi pro ipso debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur: quare si tu contra prædictum R. coram prædicto [c] Dulmen. & eius coniudice nihil penitus probauisses, standum tamen sententiæ

tentiæ fuerat, niſi dictus R. eam oſtenderet irritandam. Quia tamen præter iſta conſtitit de ipſius renunciatione ſpontanea per quaſdam Epiſcoporum litteras, & confeſſionem ipſius, nos de conſilio f. n. ei ſuper eadem Abbatia ſilentium duximus imponendum.

NOTÆ.

1. a *COEleſtinus III.*] Similiter non liquet, nec ex hac, nec ex ſecunda collectione, vbi *ſub hoc tit. cap. vlt.* reperitur hæc deciſio, cui miſſa ſit: tantùm conſtat, eſſe Cœleſtini III. ſeu Clementis III. vt *in dict. cap. finali* emendatur: & licèt ſit eiuſdem Clementis epiſtola relata *in cap. in præſentia, de ſponſalibus*; tamen illa miſſa eſt Cæſarauguſtano Epiſcopo: & in hoc caſu diſceptatur caſus, qui contigit in Dulmenſi diœceſi; vnde non poteſt præſens deciſio ſuppleri *ex dict. cap. in præſentia.*

2. b *Præſumi debeat.*] Res enim iudicata pro veritate habetur, *cap. cùm inter* 13. *de re iudicata, l. ingenuum* 25. *ff. de ſtatu hominum*, *l. res iudicata* 207. *ff. de reg. iuris*; plura Maranta *in ſpeculo, 6. part. tit. de ſentent. num.* 119. Parladorius *lib.* 2. *rerum quotid. cap. vlt.* plures referunt Pichard. *in* §. 1. *de offic. iudicis*, & *in manuduct.* 2. *part.* §. 1. Valentia *tom.* 2. *illuſtrium*, *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. Vnde contra hanc iuris præſumptionem non admittitur probatio in contrarium: plures, & plura Menochius *de præſumpt. lib.* 1. *præſumpt.* 61. *num.* 4. & *lib.* 4. *præſumpt.* 67. *num.* 47. noſter Amaya *in apolog. pro ſtatuto noſtri celebris Collegij*, *num* 44. & nos latè tractabimus *in dict. cap. ad noſtram*, vbi exponemus textus *in l. penult. ff. de his qui ſunt ſui*, *l. Iulianus* 60. *ff. de condict. indebiti*, *l.* 3. §. *idem* 3. *ff. de rebus eorum*, *l. ſi patronus* 12. §. *ſi quis*, *ff. de bonis libert.*

3. c *Dulmenſi.*] De quo Epiſcopatu egi *in cap. cauſam, de iudiciis.*

CAPVT VII.

[a] Cœleſtinus III.

SAnè dilecto filio noſtro I. Preſbytero Cardin. tunc Ap. Sed. Legato nos meminimus iniunxiſſe, vt H. Subdiaconum Canonicum in Pictauien. Eccleſia inſtituere procuraret: qui mandatis noſtris obtemperans, ibidem inſtituit in Canonicum Subdiaconum memoratum. Verùm vos nec nobis, nec ipſi Cardinali reuerentiam exhibentes, quod litteris ſuis de iamdicto H. idem Cardin. iniunxit vobis, adimplere minimè curauiſtis, nec etiam curationem ipſius in aliquo obſeruare. Poſtmodùm idem H. quorundam veſtrûm ductus conſilio, litteras ſuas vobis reddens, veſtræ miſericordiæ ſe ſubiecit: qui cùm crederet apud vos miſericordiam impetraſſe, vobis ſatisfaciens in hac parte, inde damnum cogitur ſuſtinere, vnde gratiam & præmium meruit reportare. Nolentes igitur, quod de ſæpedicto H. tam à prædeceſſoribus noſtris, quàm à nobis inchoatum eſt, aliquatenus relinquere imperfectum, mandamus, &c. Quia verò vnde miſericordiam debuit impetrare, inde cogitur diſpendium ſuſtinere: mandamus quatenus (hoc non obſtante) ipſum in fratrem & Canonicum [b] admittatis.

NOTÆ.

1. a *COEleſtinus III.*] Ita etiam legitur *in cap.* 1. *de maiorit. & obed. in* 2. *collect.* & licèt nec ibi, nec in præſenti referatur, cui miſſa ſit hæc deciſio, tamen facilè credi poteſt, miſſam eſſe Capitulo Pictauienſi, vt ex textus littera colligitur.

2. b *Admittatis.*] Licèt inter modos, quibus reſcripta finiuntur, ille præcipuus enumeretur, qui per renunciationem eorum tacitè, & expreſsè factam contingit, *cap. ad audientiam* 31. *de reſcriptis*, vbi Petrus Gregorius, & *lib.* 1. *de reſcriptis*, *cap.* 8. tamen in hoc textu renunciatio gratiæ facta non fuit animo deſerendi ipſam præbendam, quam iam habebat, nec etiam priuandi ſe gratiâ reſcripti, ſed potiùs vt conſequeretur gratiam ipſius Capituli: vnde licèt ob renunciationem litterarum regulariter priuetur quis earum commodo, tamen in præſenti non amittit ius, quod habebat ad beneficium.

CAPVT VIII.

Innocentius III. [a] *Nidroſien. Archiepiſcopo.*

QVod in dubiis noſtro poſtulas certificari reſcripto, vt iuxta illud tuæ diſcretionis arbitrium modereris, fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Sanè conſuluit nos tua fraternitas, vtrum altare, in quo excommunicatus diuina celebrare præſumpſit, reconſecrari debeat, & an ſit communicandum

excommunicato: qui quod ſtaret mandato Eccleſiæ, iuratoriam præſtitit cautionem, ſed nondum abſolutionis beneficium eſt adeptus. Et ſi excommunicato communicare aliquis, & qui etiam tenentur? Quæſiuit etiam, quæ pœna his fuerit iniungenda, qui excommunicatis volentes communicant, vel inuiti? & quid de Preſbyteris ſit agendum, qui gubernant naues ad pugnam & pugnant; & his, qui alios incitant, ſed non pugnant. Ad hæc autem fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod nec altare, in quo excommunicatus celebrat (niſi aliud interueniat) conſecrari; nec excommunicato, licèt quod ſtet mandato Eccleſiæ, iuramento firmarit, communicari debet, donec fuerit per Eccleſiam abſolutus, alioquin poſt iuramentum non eſſet abſolutio neceſſaria. Vtrum autem ſi abſolutionis beneficium non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excluſerit, tali vel ſaltem in morte communicare ſit licitum; quia minimè per tuas litteras requiſiſti, ad præſens non duximus reſpondendum. Nullus autem omninò nominatim excommunicato ſcienter communicare tenetur, niſi quædam perſonæ, quæ per illud Gregorij Papæ capitulum, *Quoniam multos*, ſpecialiter excuſantur. Illi, qui nominatim excommunicatis præſumptuosè participant, præter perſonas dicto canone denotatas, niſi ab eorum participatione commoniti fortè deſtiterint, excommunicationis ſunt vinculo innodandi: ſecus autem ſi ei communicant ſcienter, qui cum participibus ſuis eſt vinculo excommunicationis innodatus; tunc enim & ipſi ſententiam excommunicationis incurrunt. Quia verò tam ſacerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, quàm qui perſonaliter exercent pugnæ conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes quidem enormiter peccant, de rigore canonum credimus deponendos. Hi præterea, qui beneficium eccleſiaſticum ſibi collatum [b] ſpontè in manum laicam reſignantes, illud denuò à [c] laico ſuſceperunt, eodem ſunt beneficio [d] ſpoliandi, licèt reſignatio talium facta laico nullam obtineat firmitatem. Altare verò, in quo tabula, cui conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur, mota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immeritò conſecrari. Nec negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri. Clerici autem qui excommunicati, vel ab excommunicatis ſcienter ad Ordines ſunt promoti, debent ab ordine ſic ſuſcepto deponi. Datum apud ciuitatem Caſtellan. vi. Idus Octobris.

NOTÆ.

1. a *Nidroſienſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. & in ipſo codice epiſtolarum Innocentij Coloniæ edito, *fol.* 190. ex quo integram epiſtolam reſtituo, quæ in partes diuiſa extat *in cap. quod in dubiis, de conſecr. Eccleſ. cap. quod in dubiis, de pœnis, cap. quod in dubiis, de ſentent. excom.* Nidroſienſis Archiepiſcopalis Eccleſia eſt in Regno Norvegiæ, in Europa Septemtrionali: eius mentio fit *in cap. ſacris, de his quæ vi, in cap. ſacris, de ſepulturis, cap. ſacris, de ſentent. excom.* & apud Innocentium III. *lib.* 2. *epiſt.* 73.

2. b *Spontè.*] Aliàs ſi vi, aut metu renunciatio facta eſſet, non priuaretur beneficio renuntians, *cap. Abbas*, vbi latè dicemus, *de his quæ vi.*

3. c *A laico.*] Quod ſub grauiſſimis pœnis iam à primis Eccleſiæ temporibus prohibitum fuiſſe, latè probaui *in cap. quiſquis* 43. *de electione.*

4. d *Spoliandi.*] Non quia renunciatio abſque ſuperioris licentia facta vires obtineret, ſed in pœnam renunciationis in manibus laici factæ, vt expoſui *in cap. admonet, hoc tit.*

CAPVT IX.

Idem [a] *Eboracenſi Archiepiſcopo.*

AD ſupplicationem inſtantem ven. f. n. Archiepiſcopi [b] Raguſinen. eum à cura, & ſollicitudine, quâ tenebatur, Eccleſiæ Raguſinen. duximus abſoluendum, eo videlicet, quod ibi non poterat ſecurè [c] morari; & ſi acceſſum haberet ad illam, mortis ſibi periculum imminebat. *Et infrà*: Ne verò idem Archiepiſcopus in vituperium miniſterij noſtri defectum in rebus temporalibus patiatur, f. t. mon. attentiùs, ac per A. f. m. quat. beneficium quod de munificentia, & [d] liberalitate chariſſimi in Chriſto fil. n. [e] I. Regis Anglorum Illuſt. ac conceſſione tua in Epiſcopatu [f] Karleoli, & Eccleſia de Malebor, eſt illi collatum, ad [g] ſuſtentationem conſerues ipſius. Nos etenim de Sedis Ap. benignitate conceſſimus, vt in Epiſcopatu abſque [h] vſu pallij officium Epiſcopale valeat exercere; tibi tanquam Metropolitano reuerentiam, & obedientiam impenſurus.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Boracenſi.*] De hac Eccleſia Archiepiſcopali egi *in cap. inter cætera, de reſcriptis.*

2. b *Raguſinen.*] Archiepiſcopatus Raguſinenſis ſex habet Eccleſias ſuffraganeas in fine Apuliæ, vt refert Barboſa *in ſerie Epiſcopatuum, part.* 1. *de poteſt. Epiſcopi.*

3. c *Securè morari.*] Aut propter aëris intemperiem, aut ob perſecutionem plebis, vt *in c. quorundam*, 74. *diſt. cap. bona, de elect.* quæ ſunt iuſtæ cauſæ renunciationis, *cap. niſi, hoc tit.*

4. d *Liberalitate.*] In Regno enim Angliæ, ex iure regaliæ ad Regem ſpectat electio in præbendis, & beneficiis eccleſiaſticis, *cap. cùm inter, de conſuet.* probat Boëtius Epon. *tom.* 1. *qq. tit. de regalibus, num.* 10.

5. e *I.*] Ioannis videlicet, qui fuit frater Richardi, & filius Henrici II. Sceptrum Anglicanum tenuit ex anno 1199. vſque ad annum 1216. Eum nemo ex catholicis ſcriptoribus laudat, propterea quòd noſtro Innocentio III. in electione Archiepiſcopi Cantuarienſis maximè reſtiterit: de eo, & eius tempore geſtis, agit Richardus Smitheus *in floribus Angliæ, cap.* 7. *ſect.* 1. *folio* 270.

f *Karleoli.*] Karleona inter Metropoles à peritioribus rerum Britannicarum Scriptoribus enumeratur. Beda *lib.* 2. *hiſtoriæ Angliæ, cap.* 2. Carolus à S. Paulo *in Geographia ſacra, pag.* 163. Poſteà vt ſuffraganea Eboracenſi Eccleſiæ paruit. In eadem Metropoli eſt Eccleſia de Mairlos, quo modo legendum eſt in præſenti, non *Malebor*, vt conſtat ex D. Bernardo *in vita Malachiæ, cap.* 10. 6.

g *Suſtentationem.*] Et ſic in hoc caſu dantur duo Epiſcopi in vna Eccleſia. Alios caſus huic ſimiles enumerabimus *in cap. quoniam* 14. *de officio ordinarij.* 7.

h *Vſu pallij.*] Hæc verba expoſuimus *in cap. ad honorem, de auctorit. & vſu pallij.* 8.

CAPVT X.

Idem *Archiep.* [a] *Calaritano.*

NIſi cùm pridem in officio paſtorali ad diuinum ſeruitium acceſſiſti, præparaſſe te ad tentationes animum crederemus, ac præuidiſſe prudenter, nequaquam in humana fragilitate conſentire varios anguſtiarum languores, quos in ipſo ſciebas officio perpeſſurum non poſſe abſque magno Dei adiutorio ſuſtinere, formidaremus vtique, ne paruulos tuos poſtmodùm ad petram allidere neglexiſſes, eoſque tantùm in te permiſeris inualeſcere, vt ipſorum ſuggerentium tibi ſuſcepti miniſterij ceſſionem inſtantiæ vix iam valeas repugnare. Verùm quoniam, ſicut credimus, cùm te ſcires contra ſpirituales nequitias pugnaturum, armaturam Dei, quâ poſſes ſtare contra inſidias tentatoris, ab Apoſtolo monitus induiſti, & inexpertus non ignoraſti ſollicitudinis anguſtias paſtoralis, quas forſitan expertus abhorres: neſcimus, cur tam inſtanter ſuſceptum velis regimen inutiliter derelinquere, quod ſuſceptum vtiliter non deberes vſquequaque irritare. Si enim in huiuſmodi ceſſione frugem tibi melioris vitæ promittis, ſcire te debes, non eſſe ſanctificato in vtero ſanctiorem; & ideò non oportet te prædicationis deſerere miniſterium, cùm ille, cuius fieri baiulus recuſabat, tandem prædicando receperit verbum Dei. Quod ſi forſan humilitatis causâ de culmine quæris Pontificali deſcendere, ac contra ſuperni nutus arbitrium, datum tibi per illud in terris deſerere Præſulatum; eo ipſo videris humilitatis erigere malè verticem, quo te nimis in reſignandi propoſito exhibes pertinacem; quia tunc in te veram humilitatem cuſtodies, cùm & per eam locum ſublimen fugies, & per obedientiam non dimittes. Intueri te itaque, v. f. n. in Chriſto, volumus, quod hæc ſunt illa, per quæ cedendi Epiſcopus officio paſtorali licentiam poſtulare poteſt: conſcientia criminum, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, irregularitaſque perſonæ. Sed in his omnibus eſt adhibenda diſcretio, & obſeruanda cautela. Propter conſcientiam enim criminis cedendi paſtorali officio poteſt licentia poſtulari, & forſitan non cuiuſlibet, ſed dumtaxat illius, propter quod ipſius officij executio poſt peractam etiam pœnitentiam impeditur. Cùm enim quacumque hora peccator conuerſus fuerit, omnium iniquitatum ſuarum non recordari ſe Dominus fateatur; & neminem eſſe ſine peccato, ſacra Scriptura teſtetur, appareret, quod non pro cuiuſlibet criminis conſcientia quemquam cedere oporteat officio paſtorali. Cùm, ſi omnes, quos arguit conſcientia cuiuſlibet culpæ, cederent, pauci, vel nulli forſitan in illo miniſterio remanerent. In multis enim offendimus omnes; & ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: quia miſericordia illum excuſat, qui miſerabiliter ſe accuſat. Debilitas verò corporis cauſa eſt,

propter quam petere potest aliquis ab honore solicitudinis pastoralis absolui, quæ videlicet, vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit; nec tamen omnes, sed illa solummodo, per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale. Nam si pro qualibet corporali debilitate susceptæ seruitutis officium posset deseri, frustra se fateretur Apostolus in suis infirmitatibus gloriari. Et senectute grauatus, à cura se non debet quispiam omninò pastoralis regiminis excusare: cùm interdum non plus hortetur senilis debilitas eum cedere, quem moralis maturitas, quæ in senibus esse solet, ipsum in suo suadet officio permanere. Pro talibus enim de se dicit Apostolus: Cùm infirmor, tunc fortior sum; quia nonnunquam infirmitas corporis fortitudinem cordis augmentat. Pro defectu quoque scientiæ plerumque potest quis pastoralis officij petere cessionem; quia cùm ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimùm necessaria, & circa curam temporalium opportuna: Præsul, qui commissam sibi debet Ecclesiam regere, in vtrisque salubriùs eius regimini abrenuntiat, si scientiam, in qua ipsam regat, ignorat. Quoniam, cùm subiectos docere habeat, quid facere debeant, quid cauere: nec benè docebit eos, quod nescierit ipse, fugere; nec illud, quod ignorauerit, exercere. Tu enim, inquit Dominus, scientiam repulisti; & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi. Quamquam etsi desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen sit competens toleranda; quia secundùm Apostolum scientia inflat, charitas autem ædificat; & ideò imperfectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis. Propter malitiam quoque plebis cogitur interdum Prælatus ab ipsius regimine declinare, & quando plebs adeò duræ ceruicis existit, & in rebellione sua ita pertinax inuenitur, vt proficere nequeat apud ipsam, sed propter eius duritiam, quò magis satagit, eo magis iusto iudicio deficere permittitur, dicente Domino per Prophetam: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans est. Et Apostoli dixisse leguntur Iudæis: Ecce conuertimur ad Gentes, quia vos feciſtis indignos. Non tamen pro qualibet culpa Pastor debet deserere gregem suum, ne fortè mercenario comparetur, qui vidit lupum venientem, & fugit: sed de superioris licentia tunc demùm potest non tam timidè fugere, quàm prouidè declinare, cùm oues conuertuntur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, iam irreuocabiliter contradicunt. Cùm etsi tales sint grauiter pro crimine puniendi; sunt tamen pro tempore vtiliter tolerandi, quia sanguinem elicit, qui nimis emungit. Et pro graui quoque scandalo euitando, cùm aliter sedari non potest, licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare salutem, memor illius quod dicit Apostolus: Si esca scandalizauerit fratrem tuum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem tuum scandalizem. Sed inter scandalum, & scandalum est subtiliter distinguendum, sicut Dominus ipse distinguit: cui cùm dixissent Apostoli: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizantur, respondit: Sinite, cæci sunt, duces cæcorum. Alibi verò dicit: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum: nam etsi necesse fuerit, vt scandala veniant, væ tamen homini illi, per quem scandalum venit. Personæ verò irregularitas, vt si fortè sit bigamus, viduæque maritus, est causa, propter quam licentiam petere potest aliquis resignandi Pontificis dignitatem, Apostolo attestante, qui dicit: Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum. Non tamen propter quamlibet irregularitatem personæ debet ei, qui regulariter ministrauit, cedendi licentia indulgeri, vtpotè si de legitimo matrimonio non sit natus; quia licèt irregularitatem huiusmodi non poterit subticere, si tamen & culpa latet, & causa, cum eo, qui laudabiliter suum impleuit officium, iiunctâ sibi pœnitentiâ competenti, potest non minùs vtiliter, quàm misericorditer dispensari. Ego sum, inquit, Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios vsque in tertiam & quartam generationem, in iis, qui oderunt me, id est, in illis, qui contra me paternum odium imitantur. Vnde patet, quod illis, qui paterna vitia non sequuntur, propriæ possunt in talibus suffragari virtutes, illo discretionis adhibitio moderamine, vt inter nothos, manceres, naturales, & spurios distinguatur. Cùm autem vitia plerumque se virtutes esse mentiantur, subtiliter aduertere te oportet, vtrum resignandi propositum, quod tam feruenter gestas in pectore, dignum sit Dei odio, vel amore. Si enim propter causam aliquam præmissarum cedere postulares, tam super causa, quàm super eius affectu pariter doleremus; sed ne prouidæ pietatis amictu ad resignandum detestabiliùs impietas

te

te impellat, considerare te volumus, & alias esse causas, per quas malè quis petit, & peiùs appetit officium huiusmodi resignare. Si enim ex pusillanimitate, fortassis vt laborem deponat, vel persecutionem effugiat; aut ex vanitate, quod absit, vt pleniùs vacet otiis, seu liberiùs indulgeat voluptatibus, curam vult aliquis deserere pastoralem, ab ea non meretur absolui; quamuis per huiusmodi vanitatem, tanquam qui mortaliter peccat, ea se reddat indignum: sed satagere debet vt vanitate depositâ satisfaciat de peccato. Aliam verò cedendi causam omninò credimus detestandam, si quis aut à Pontificali velit descendere dignitate, vt gloriam captet humanam, tanquam eligat abiectus esse in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum; vel vt mundanum non amittat fauorem, quem per hypocrisim acquisiuit; siue quòd eius simulatio reuelari iam incipit, siue quòd feruor ipsius ex qualibet causa tepescit, nec vult videri, quod malus fuerit, aut quod fiat: & ideò sub religionis prætextu suam vult contegere prauitatem, vt quasi deserens Martham, amplexetur Mariam, & Liæ fastidiens lippitudinem, Rachelis pulchritudinem concupiscat. Quid autem si propterea velit cedere, quòd tempore prosperitatis, arridente fortuna visus est laudabiliter ministrare, quoniam omnia sibi prosperè succedebant; sed aduersitatis tempore imminente veretur, ne si quolibet casu siniſtra contingant, illius negligentiæ imputentur. Planè si propter hoc petit cedere, nautæ se poterat improuido comparare, qui cùm mari sub tranquillitate iacente cum multo labore nauis exercuerit gubernaculum, ipsam tempore necessitatis deserit, & deuenire patitur in profundum. Illam quoque cedendi causam penitus detestamur, si fortè cedere velit Episcopus, vt alter sibi succedat, vel obtentu pretij, vel affectu carnali, vel vt cùm peior sibi successerit, ipse velut optimus extollatur. Illud autem quasi nefas respuimus, & damnamus, quod Episcopus propter occupationes mundanas, & solicitudines sæculares non valeat sine crimine Pontificale officium exercere; cùm multos sanctos Ecclesia veneretur, qui spiritualia simul, & temporalia ministrarunt. Verumtamen læua debet esse sub capite, & dextera in amplexu. Sed illud te volumus aduertere diligenter, ne fortè per hoc tuæ depositionis propositum effici velis ex illis, de quibus dicitur per Prophetam: Filij Ephrem intendentes arcum, & mittentes sagittas suas, conuersi sunt in die belli; cùm potiùs pro domo Israël murum te debeas opponere ascedentibus ex aduerso: quia iuxta sententiam veritatis, non qui inceperit, sed qui perfecerit, saluus erit: cauens attentè, ne maculam in gloria tua ponas, non solùm apud homines, sed etiam apud Deum, quoniam sub hoc pallio te non poteris occultare, nedum apud Deum, qui renes rimatur, & corda; sed nec etiam apud homines, qui ex verisimilibus coniecturis talia suspicantur. Illudque prudenter attendas, quod iuxta sententiam Sapientis, spiritus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sine intellectu consistunt. Si verò pro tuenda Ecclesiæ libertate difficultatis onus incurrere pertimescis; non ideò deserere debes Præsulatus honorem, considerans diligenter, ne fortè iusto iudicio tenteris ab illo, qui malorum est intentator; vt probetur, vtrum satisfacere velis in eo, in quo deliquisti: qui verò contemnit, aut negligit satisfacere pro delicto, thesaurizat sibi iram in die iræ, cùm reuelabit Dominus abscondita tenebrarum. Ecce quidem admonuimus te, vt te ipsum contempleris, in ipso tuam conscientiam percunctanter agnoscas, ex qua causa cedendi licentiam postulares importunè. Nos enim (nouit Altissimus) ignoramus, quare in cedendi proposito perseueres; quoniam nec infirmitas corporis, nec longæuitas temporis, nec defectus scientiæ, nec malitia plebis, nec personæ irregularitas te reddit ineptum, neque conscientiam sæui criminis te fateris habere. Verùm si propter alias causas cessionem affectes, non est in hoc postulanti fauendum, cùm huiusmodi postulatio videatur non esse discreta. Quoniam, vt id tanquam notissimum omittamus, quod otiositas & voluptas, arma sunt hostis antiqui, ad miseras animas captiuandas; propter laboris angustias, aut persecutionis incursus non debes deserere sponsam tuam, cui te fide media copulasti; sciens quod beati sunt illi, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam cùm probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed dices, quod spiritus, vbi vult, spirat; & nescis, vnde veniat, aut quò vadat: & ideò non est, qui possit vias illius spiritus perscrutari. Qui verò spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quoniam vbi spiritus Dei, ibi libertas. Quare si cedenti tibi licentia ab homine data non fuerit, nihilominus tamen cedes, quia data est tibi cedendi potestas à Deo. Certè desipis, si sic sapis;

nam quomodo ſpiritu Dei aguntur, qui contra ſpiritum Dei agunt ? Si enim vera ſunt, quæ præmiſimus, immò quia indubitanter ſunt vera ; proculdubio contra ſpiritum Dei agit, qui aliquid horum contra veritatem attentat : quoniam ipſe eſt ſpiritus veritatis. Porrò ſi dicas, quod forſan eſt alia latens cauſa, propter quam cedendi voluntas tibi cælitus inſpiratur ; & nos ſic quidem reſpondemus : Tu quomodo ſcis, quod talis inſpiratio ſit cœleſtis ? nonne recolis, quod ille glorioſus Pontifex dixerit, cùm cœpiſſet viribus corporis repentè deſtitui : Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua ; illius exemplum ſecutus, qui dixerat : Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto ; manere autem in carne neceſſarium eſt propter vos. Quia igitur diuerſas tibi cauſas ſuper hac cauſa diſtinximus, & propter quam earum cedere deſideres, ignoramus, te ipſum tibi duximus committendum, vt de propriæ mentis tribunali te iudicans, videas ſi ſic poſſis reſignandi deſiderio ſatisfacere, vt gregis tibi commiſſi curam ſine culpa valeas declinare : ſi enim cedendo proficere appetis tibi ſoli, profectui tuo ſine dubio tantùm ſubtrahis, quantùm quod impendere poteras aliis, non impendis. Quia tunc maiora animæ tuæ lucra conquireres, cùm ſine tua [a] lute ſalutem plurium procurares ; potioris eſt enim meriti ſe cum Deo quemquam l..rifacere, quàm ſalutem propriam quærere ſine illis, quorum ſalus ad eius curam noſcitur pertinere. Quippe ſi quantumcunque virtutum flore refulgeas, & in te non habeas charitatem, nihil comprobaris habere ; ſub quo virtutis prætextu deponere quæris onus ſollicitudinis paſtoralis, quod vix poteſt abſque iactura deſeri charitatis ? Nulla ſiquidem maior poterit eſſe charitas, quàm vt animam ponat quis pro amicis ſuis. Cùm autem propter hanc te deceat animam tuam pro ſubditis tuis ponere, nulla occaſione, dummodo proficere ipſis poſſis, etſi non omnibus, tamen multis, ab eorum regimine te conuenit excuſare. Quoniam ſi laboris cauſam prætendis, exemplum te Apoſtoli ſubleuabit, qui ſuadet tibi laborem huiuſmodi non refugere, dum ſe aſſerit pro communi ſalute plus cæteris laboraſſe. Quia licèt non ſequatur ſemper laborem effectus, nihilominus tamen ipſe labor meritorius eſt apud Deum, iuxta quod legitur : Reddet [b] Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum. Sed eſto, quod multùm hactenus laboraueris, & bonum certamen certaueris, cum eodem Apoſtolo poſſis dicere ; tamen vt corona tibi iuſtitiæ de reliquo reponatur, curſum te decet perfecti operis conſummare : quamtumlibet enim in anguſtiarum laboribus, qui comitantur officium paſtorale, noctes tibi laborioſas enumeras, & tanquam fatigatus ceruus vmbram quietis affectes ; quantumlibet inter viæ calores, & anguſtias, patriæ dilectione traharis, & velut emeritus mercenarius operis tui finem anxius præſtoleris ; expedit tibi tamen virtutem infirmitate perficere, ac pugnam tuam perſeuerantiâ coronare. Scienſque, quod apud extraneum defixeris manum tuam, cùm animas tibi commiſſi gregis in tuam animam ſuſcepiſti, non ſic debes tibi portum quietis appetere, vt nauigantes hactenus tecum filios ſine remigis adiutorio patiaris in hoc mari magno, & ſpatioſo cum timore naufragij fluctuare. Nec putes, quod ideò Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima ſatagebat : quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quoniam illa magis licèt ſit ſecura, iſta tamen magis eſt fructifera : & licèt illa magis ſit ſuauis, iſta tamen magis eſt vtilis ; cùm in fœcunditate ſobolis lippitudo Liæ Rachelis pulchritudini ſit prælata : quamuis ſimul in vnum, & contemplatiuus eſſe valeas, & actiuus, legiſlatoris exemplo, qui nunc aſcendebat in montem, vt ibi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate, nunc verò deſcendebat in caſtra, vt cum vtilitate neceſſitatibus populi prouideret. Quapropter faciliùs indulgetur, vt monachus ad Præſulatum aſcendat, quàm Præſul ad monachatum deſcendat. Monemus ergo f.t. & exhortamur attentiùs, per A. ſ. m. quat. illam vocem Dauidicæ imprecationis abhorrens, tibique formidans eam per effectum operis adaptari, quæ dies impij paucos fieri, vt Epiſcopatum eius alter accipiat, imprecatur ; laborem paſtoralis regiminis non recuſes : iactans in Domino tuum cogitatum, nihil contra voluntatem Altiſſimi ſtatuas de te ipſo, qui cùm te viderit eſſe populo ſuo neceſſarium, fortè graue ferret, cùm ipſum à te contingeret eſſe neglectum ; ac fortaſſis ad pedes ſuos cum Maria ſperneret te recipere, qui ſibi apud te diuertenti ſpreuiſſes cum Martha ſolicitè miniſtrare. Illud quoque te debet fortiùs in miniſtrandi propoſito ſtabilire, quia cùm hactenus in Eccleſia tibi commiſſa laudabiliter miniſtraueris, ſi (quod abſit) alius te cedente minùs vtilis aſſumeretur ad ipſam, profectò non parum ab illa quiete, quam appetis, turbareris, cùm vbi benè tuum exercueris miniſterium, non abſque dolore

lore cerneres inutilis miniſtri defectum : fieretque vt tantùm in contemplationis arce tibi deperiſſe agnoſceres, quantùm Eccleſiæ, cui præſides, non ſine tua confuſione per te ſubtractum eſſe videres. Quia verò tam per te, quàm per nuntios, & litteras tuas, iam nimis in poſtulando cedendi licentiam inſtitiſti, ecce te tibi duximus relinquendum, vt diſtinctis tibi cauſis, propter quas cedere oporteat, vel non cedere; ſi propter aliquam cauſam vtilem, & honeſtam in huiuſmodi propoſito perſeueres, de licentia noſtra cedas : quod tamen graue nobis plurimùm eſſe noueris, & moleſtum; alioquin cedendi licentiam auctoritate Ap. tibi ſcias eſſe penitus interdictam, quoniam etſi pennas habeas, quibus ſatagas in ſolitudinem auolare; ita tamen aſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum. Quod ſi denique tua voluntas te impulerit ad volandum, volumus, & mandamus, vt noſtras litteras in audientia tui Capituli facias recitari.

NOTÆ.

1. a *Calaritan.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 4. De Metropoli Calaritana Sardiniæ iam nonnulla notaui *in cap. finali, de poſtulat. Prælat.*

2. b *Reddet Deus.*] *Sapientiæ cap.* 10. Etſi Caluinus, ac cæteri eiuſdem farinæ negauerint, librum hunc Sapientiæ authenticum eſſe; rectiùs tamen contrarium probarunt D. Clemens *epiſt.* 1. & *lib.* 6. *conſtit. cap.* 29. S. Dionyſius Areopag. *lib. de diuinis nomin. cap.* 4. & *de eccleſiaſt. hierarchia, cap.* 2. Ægeſippus *lib.* 5. *hiſtor. eccleſ.* S. Iuſtinus Martyr *in dialogo cum Triphon.* S. Irenæus *lib.* 5. Clemens Alex. *lib.* 5. *ſtrom. cap.* 6. S. Hyppolitus martyr *in Cantica,* Origenes *homilia* 11. *in Leuit.* Tertullian. *de præſcript. cap.* 7. & alij plures, quos refert Nicolaus Romæus *in effigie Caluini, color.* 62.

COMMENTARIVM.

3. IN præſenti textu refertur epiſtola Innocentij III. quæ reperitur *lib.* 9. *epiſtolarum ipſius, epiſt.* 68. Cùm enim anno 1206. vt in eo refert Spondanus poſt Baronium, Archiepiſcopus Calaritanus enixè petiiſſet ab ipſo cedendi licentiam, ipſe fusè illi reſcribit, & enumerat cauſas ob quas Epiſcopatus renunciatio fieri valet; & inter eas primam recenſet conſcientiam criminis, cuius exemplum præbet Potamius Epiſcopus Bracharenſis, qui cùm tactu fœmineo ſe poluiſſet, in Concilio Tolet. 1. oblato Patribus libello crimen ſuum ſponte confeſſus eſt, ac ſe Epiſcopatu abdicauit, vt refertur in actis ipſius Concilij. Quam cauſam renunciationis explicant Hoſtienſis *in ſumma ad hunc titulum,* & alij relati à Barboſa *in præſenti, n.* 3. Secundam cauſam petit Innocentius ex debilitate corporis, vel ex infirmitate, & ſenectute, itavt negotiorum in dies emergẽtium nimiâ frequentiâ cedens opprimatur; quæ cauſa impulit Synodum Pamphiliæ, vt Euſtachij Metropolitani ſui reſignationem admitteret, in cuius locum ſuffectus eſt Theodorus, vt conſtat ex epiſtola Synodi Epheſinæ ad Synodum Pamphiliæ. Tertiam cauſam renunciationis aſſignat Innocentius propter defectum ſcientiæ, quam probauimus *in cap. cùm in cunctis* 7. *de elect.* Quartam cauſam deducit Innocentius ex malitia plebis, quæ etiam recenſetur *in cap. ſi quis Epiſcopus, cap. ſi quis ordinatus,* 92. *diſt. cap. ad ſupplicationem, hoc tit.* & contingit, cùm nullus fructus ſperatur in populo, vt exponit Benedictus Ephtenus *in vita S. Benedicti, cap.* 3. *num.* 10. & variis exemplis illuſtrari poteſt. Aletius Epiſcopus Armeniæ Eccleſiam ſuam deſeruit ob plebis malitiam, vt refert Theodoretus *lib.* 2. *hiſt. cap.* 31. Refert quoque Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 14. Millen, ſiue Milleſium, quem Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 37. Millam vocat, cuiuſdam oppidi in Perſide Epiſcopum, poſtquam multa perpeſſus fuiſſet, nec Chriſtianam religionem ſuaſiſſet, dira incolis imprecatum diſceſſiſſe è ciuitate : rationem reddit Auguſtinus relatus *in cap. finali* 7. *q.* 1. Etiam cùm viderent ſe gregem indomitum habere, animo & corpore ceſſerunt Martyrius Antiochenus Epiſcopus, teſte Nicephoro Calixto *lib.* 5. *cap.* 10. & Narciſius Hieroſolym Epiſcopus, referente Nicephoro Gregora *lib.* 5. 6. & 7. Nec ſecus apud nouiores Græcos Coſmas, Theodoſius, Arſenius, Gregorius, Athanaſius, & Ioannes Sedè CP. ceſſerunt, ob eandem cauſam, ac Theodoſius, quòd Alexium Imperatorem ab inceſtis nuptiis reuocare non poſſet. Zonaras *in Alexio Comneno.* Et ſanè cùm nemo ad actus inutiles obligetur, non eſt, quod eo in loco Paſtor remanere cogatur, in quo inutilem operam ſit impenſurus: quod procedit cùm nulla ſpes correctionis adeſt, vt ait Innocentius in præſenti, & exponit Franciſcus Hallierius *in vindiciis cenſuræ Pariſ. lib.* 3. *c.* 3. §. 7. *fol.* 307. Etiam malitia plebis præſtat cauſam renunciationi, cum populus pacificè non recipit Prælatum ſuum, *can.* 37. *Apoſtolor.* vt contigit Maximiano Bagaienſi Epiſcopo, qui cùm ex Donatiſtarum ſchiſmate conuerſus ad Eccleſiam populus eum non recepiſſet, ipſe Epiſcopatu ceſſit, vt refert D. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Creſcon. cap.* 43. Huius etiam abdicationis non abſimile exemplum refertur in actis Epheſinæ Synodi, de prædicto Euſtachio Pamphiliæ Metropolitano, qui ob duritiem plebis ab Epiſcopatu ſe abdicauit, verba ſunt : *Vbi à quibuſdam turbatus eſt, in ſolicitudines inexpectatas incidit; & cùm præ multo otio pondus curarum ſibi impendentium ferre non eſſet aſſuetus, nec valeret conuicia inſidiantium repellere, ceſſionis ſuæ obtulit libellum.* Alium exemplum refert Iuſtelus *in notis ad can.* 88. *Eccleſiæ Africanæ.* Tandem aliam cauſam aſſignat Innocentius, propter ſcandalum videlicet, quæ iuris rationi valdè conſona eſt, cùm propter ſcandalum vitandum plura permittantur, quæ aliàs non permitterentur, *cap. cauendum* 10. *quæſt.* 3. *cap. nolite* 11. *quæſt.* 3. *cap. ad aures, de temporib. ordin.* plura cumularunt Becanus *in* 2. 2. *D. Thomæ, tract. de ſcandalo, cap.* 27. Salgado *de retent. bullar. cap.* 4.

CAPVT XI.

[a] Idem *Episcopo Fauentin. in Archiepiscopum* [b] *Rauennat. electo.*

POst [c] translationem tuam ad Ecclesiam Rauennat. cùm dil. fil. Præpositus, Canonici, Abbates, & Primicerij Fauentin. totusque ciuitatis Clerus, sicut per litteras eorundem accepimus, in dilectum fil. I. Presbyterum Canonicum Fauent. liberam eligendi auctoritatem vnanimiter contulissent, ipse sancti Spiritus gratiâ inuocatâ, dil. fil. I. Sancti [d] Fridiani Lucan. Canonicum, olim Episcopum [e] Saxon. in Fauent. Episcopum postulandum elegit circumspectè, qui primò Canonicus, & postea Præpositus in Fauent. Ecclesia fuit laudabiliter conuersatus, ex quo multiplicia sperantur eidem Ecclesiæ commoda profutura. Porrò à dilect. fil. S. Fridiani Priore super hoc requisito, & obtento consensu, Præpositus, & alij supradicti postulationem eandem approbari à nobis humiliter petierunt. Verùm postulationi huiusmodi videbatur Concilij Constantinopol. capitulum primâ facie obuiare, in quo statutum esse dignoscitur, vt quicumque de Pontificali dignitate ad monachi vitam, & pœnitentiæ locum descendebat, nequaquam vlteriùs ad Pontificatum resurgat. Vnde contra dictum Concilium, cùm sit vnum ex [f] quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Euangelia Catholica Ecclesia veneratur, nullatenus videbatur eadem postulatio [g] admitrenda. Cæterùm speciales quidam casus inueniuntur, in quibus prædicto Concilio non obstante, is qui vitam monachalem elegit, licitè rursum potest ad Episcopatum assumi. Si enim quisquam persecutoris rabie sæuiente, vel præpediente inualetudine corporis, cùm proficere nequeat in regimine pastorali, de superioris auctoritate ad monasticam vitam descendat, persecutionis, vel ægritudinis impedimento cessante ad Episcopalem resurgere poterit dignitatem. Item si quis propter litteraturæ defectum, ne tanquam cæcus cæco ducatum præbeat, locum regiminis auctoritate Ap. deferendo, ad otium se contulerit monachalem, ac per exercitium lectionis, scientiæ repererit margaritam, proculdubio poterit denuò vocatus ad Cathedram reascendere pastoralem. Rursus si quis cupiditate parentum, eo tamen penitùs ignorante, fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto Episcopatum ipsum de licentia superioris dimittens, obseruantiam elegerit regularem, etsi ad Episcopatum eundem redire postmodùm nequeat, iuxta canonicas sanctiones; ad alium tamen licitè poterit reassumi. Quamquam autem in his, & consimilibus casibus, is qui Episcopatu dimisso monasticam vitam elegit, resurgere valeat ad officium pastorale; nihil tamen in his casibus contra præscriptum intelligitur Concilium attentari; quod in eo loquitur casu, cùm propter aliquod crimen Episcopatum quis deserens, ad vitam monasticam pœnitentiæ causâ descendit. Vnde quidam in eo casu loqui dixerunt capitulum supradictum, cùm quis pro crimine, de quo conuictus fuerat, vel confessus, ab Episcopali dignitate depositus, in monasterio extitit ad pœnitentiam agendam inclusus; vel cùm aliquis propter grauem crimen, pro quo Episcopatum retinens pœnitentiam dignè agere non valebat, descendendi obtentâ licentiâ vitam monachalem elegit: aliis asserentibus sic intelligendum esse præscriptum capitulum, vt per se resurgere nequeat, id est repetere quasi debitum quod tali modo dimisit, quamquam eligi possit, præsertim si locum tantùm, & non ordinem resignauit. Cùm ergo nobis plenè constare nequiuerit, ob quam causam prædictus I. olim Episcopatui cesserit, cùm in vestris litteris super hoc transmissis eidem hoc solummodo exprimatur, quod nos litteris super sua resignatione receptis, eius propositum in Domino commendantes, quòd temporali honori salutem animæ præponebat, eundem absoluimus ab honore sollicitudinis pastoralis: quamquam per quendam S. Fridiani Canonicum nobis nuperrimè sit suggestum, quod idcirco dictus I. cedendi licentiam postulabat, quòd ad notitiam eius peruenerat, quod quidam parentes ipsius, vt eligeretur in Episcopum, quædam dederant, licèt pauca: f. t. præs. auct. m. quat. super his diligentissimè veritate inquisita, si tibi constiterit, quod propter aliquam ex præmissis causis, seu consimilibus idem I. Episcopatui cesserit memorato, tu auctoritate nostra, sublato cuiuscumque contradictionis & appellationis obstaculo, dummodo necessitas, vel vtilitas id exposcat, licentiam ei tribuas accedendi ad regimen Ecclesiæ Fauent. maximè si veritate subnititur, quod tam præfati Præpositus, & Canonici Fauent. quàm Prior &

Capitulum

Capitulum S. Fridiani nobis ſuis litteris expreſſerunt, quod videlicet dictus I. loco tantummodò ceſſerit, & non ordini, vel etiam dignitati. Tunc enim eſſet vehementiſſimè præſumendum, quod non propter crimen ab ipſo commiſſum, ſed causâ pœnitentiæ peragendæ ad vitam migrauerit regularem, præſertim cùm Ap. Sed. poſt ceſſionem multò minus, quàm antè permiſiſſet eidem tali crimine irretito in Pont. ordine miniſtrare. Alioquin cùm durum nimis exiſteret, contra tam ſolenne Concilium huiuſmodi poſtulationem admittere, Præpoſito & Canonicis memoratis iniungas, vt aliam perſonam idoneam ſibi eligant in Paſtorem.

NOTÆ.

1. a *Idem H.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap. finali.* Fauentia celebris ciuitas eſt Italiæ, in octaua regione: illius meminerunt Appianus *lib. 1. de bello ciuili*, Merulla *in antiquitat. Galliæ Ciſalpin. cap. 3.* Capitolinus *in vita Ælij Imperat.* iam primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopali Cathedrâ fuit decorata, vt eius Eccleſiæ hiſtoriam, & Præſulum ſeriem tradens refert Vghellius *tom. 1. Italiæ ſacræ, fol. 512.* In præſenti reſcribit Innocentius Hubaldo, qui ex Epiſcopo Fauentino fuit in Archiepiſcopum Rauennat. tranſlatus; quam tranſlationem admiſit Innocentius III. anno 1208. vt refert Vghellius *tom. 1. Italiæ, fol. 375.*

b *Rauennat.*] De Eccleſia Rauennatenſi egi *in cap. bonæ 3. de poſtul. Prælat.*

2. c *Tranſlationem.*] Huius textus hiſtoria ex ſcriptoribus illius ſæculi petita ſic ſe habet. Mortuo Theodorico Fauentino Epiſcopo anno Chriſti 1203. Hubaldus in eius locum ſuffectus fuit, qui cùm vix per integrum annum eam Eccleſiam rexiſſet, in Archiepiſcopum Rauennat. poſtulatus fuit: poſt eius tranſlationem, cùm Capitulum, & Clerus Eccleſiæ Fauentinæ de ſubſtituendo Paſtore tractarent, ſuper electione compromiſſum fecere in Ioannem Canonicum ipſius Eccleſiæ: ille virtute compromiſſi elegit Ioachimum Epiſcopum Lunenſem, demùm Canonicum regularem S. Frigidiani, diœceſis Lucanenſis: Innocentius III. huiuſmodi electionem, ſeu poſtulationem non admiſit, immò reprobauit, affirmans ex Concilij Conſtantinopol. decreto non licere eum, qui ex Epiſcopali culmine ad vitam monaſticam ſe tranſtulit, iterum eligere in Epiſcopum, aut Eccleſiæ ſæculari præficere: quare prædicto Hubaldo Fauentino Epiſcopo in præſenti epiſtola reſcribit, vt inquirat, an pœnitentiæ causâ, ſeu potiùs deuotionis gratiâ vitam monaſticam Ioachimus profiteretur. Hactenus noſtri textus caſus; exitus tamen controuerſiæ apud Hiſtoricos non reperitur, facilè tamen ſuadetur, ipſum Ioachimum obtinuiſſe.

d *S. Frigidiani.*] De hac Eccleſia regulari egi *in cap. cùm cauſam 27. de elect.*

3. e *Saxon.*] Legendum eſt *Sarcanenſem*, non *Sartanenſem*, vt legitur in Decretalibus: nec hoc contrarium eſt hiſtoriæ ſuprà relatæ, vbi dixi Ioachimum Epiſcopum fuiſſe Lunenſem; nam idem eſt Epiſcopatus Lunenſis, ac Sarcanenſis, & eius Præſul appellatur Lunenſis, & Sarcanenſis. Luna enim in confinio Liguriæ, in Italia, ampla ciuitas fuit, ex cuius ruderibus, & fragmentis vicinum oppidum Sarcana dictum, eius incolæ conſtruxerunt, & Innocentius III. ob aëris intemperiem in Sarcanenſem vrbem ſe tranſtulit, & inde Epiſcopus, aut Lunenſis ab antiqua ciuitate; aut Sarcanenſis cognominatur. Latiùs huius tranſlationis hiſtoriam refert Vghellius *tom. 1. Italiæ, pag. 893.*

4. f *Ex quatuor.*] Licèt Concilium Conſtantinopolitanum referatur inter quatuor Concilia œcumenica, *cap. ſicut, 9. diſt.* & eius mentio fiat *in cap. quod ſuſpecti 3. quæſt. 5. cap. 2. diſt. 15. cap. 1. diſt. 1.* & aliis auctoritatibus relatis ab Antonio Auguſtino *in epit. lib. 5. tit. 11. & 16.* Tamen canon, cuius mentio fit ab Innocentio in præſenti, non reperitur in prædicto Concilio Conſtantinopolitano: extat tamen in Concilio Conſtantinopol. à Phocio Patriarcha celebrato ſub Ioanne VIII. præſentibus Pontificis Apocriſiariis, in Templo Sapientiæ, cuius tantùm extant tres canones apud Balſamonem, in quorum ſecundo ita cauetur: *Etiamſi hucuſque nonnulli Antiſtites, qui ad monachorum habitum deſcenderant, vt in Epiſcopali faſtigio manerent, vim adhibuerunt; & cùm hoc facerent, neglecti ſunt; ſancta tamen, & vniuerſalis hæc Synodus hanc negligentiam quoque corrigens, & ad ritus eccleſiaſticos hanc inordinatam actionem redigens, ſtatuit, vt ſi quis Epiſcopus, vel aliquis alius ex Pontificali dignitate voluerit ad vitam monaſticam deſcendere, vel pœnitentiæ locum implere, ne ampliùs Antiſtitis dignitatem vſurpet; monachorum enim profeſſio ſubiectionis, & diſcendi cupiditatis rationem habet, non autem doctrinæ, vel Primatus; nec alios paſcere, ſed ipſos paſci profitentur: & ideò, quemadmodum prædictum eſt, decernimus, vt nemo eorum, qui in Epiſcopalem, Paſtorumque catalogum relatus eſt, ad eorum qui paſcuntur, & agunt pœnitentiam, locum ſe demittat. Si quis autem hoc facere auſus fuerit, poſt denunciationem, & declarationem huius editæ ſententiæ ipſe, qui ſe ipſum Epiſcopali gradu priuauit, non amplius ad priorem, quam factis deſpicatui habuit, dignitatem reuertetur.* Hactenus textus, iuxta editionem Balſamonis: aliter habetur apud Gratianum *in cap. hoc nequaquam 7. q. 1.*

5. g *Poſtulatio admittenda.*] Sed licèt difficilis iudicetur à noſtro Innocentio diſpenſatio in Concilij Generalis ſanctione; tamen non negat poſſe in eo Pontificem diſpenſare, quia certum eſt, etiam in prædictis quatuor Conciliis Generalibus Romanum Præſulem diſpenſare poſſe, vt probant Marcus Antonius *lib. 2. inſtit. tit. 6. num. 334.* Sanchez *de matrimon. lib. 2. diſput. 40. numer. 3.* Fragoſo *tom. 2. de regimine, lib. 1. diſput. 1. §. 9. num. 135.* Couarruu. *lib. 2. de matrim. cap. 6. §. 9.* Latè Bruno Chaſſaing. *de priuileg. regul. cap. 1. propoſit. 4.* Nec contrarium docet Zoſimus Pontifex *in cap. contra 25. quæſt. 1.* in illis verbis: *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis poteſt auctoritas.* Nam præterquam in epiſtolis Zoſimi, à quibus ſe tranſcripſiſſe illum textum teſtantur Gratianus, & Ivo Carnot. non reperiuntur prædicta verba; reſpondendum eſt, textum illum eſſe accipiendum de canonibus qui aliquid iuris natu-

ralis, aut diuini continent, in quibus nec Sedes Apostolica dispensare valet : ita textum illum accipiunt Tuschus *littera P. conclus.* 49. *n.*54. Morla *in Emporio, tit.*1. *q.*2. Roa *de iuribus Princip. q.*2. *num.*30. Barbosa *lib.*1. *iuris eccleſiaſt. cap.* 2. *n.*36. Rousselius *in hiſt. iuris Pontif. lib.*1. *cap.*6. *n.* 8. quo etiam modo exponunt textus *in cap. violatores, cap. prima ſedes, cap. quæ ad perpetuum, cap. nulli fas, cap. à ſanctis,* 25. *q.*1. *cap.*3. *de bigamis non ordin.* Vnde cùm in hoc textu agatur de prohibitione iuris ecclesiastici meri, ideò docet Innocentius III. in ea posse Pontificem dispensare.

COMMENTARIVM.

6. EXPONITVR CAP. HOC, 7. Q. 1.

PRo huius textus expositione sciendum est, olim in Ecclesia permissum non fuisse Episcopis gregem suum deserere, & vitam monasticam profiteri, *cap. ſuggeſtum, cap. ſciſcitaris* 47. *cap. ibi adunati* 49. 7. *q.*1. postea tamen illis permissum fuit vitam regularem ambire, *cap. ſicut*, ibi : *Regulari mutatione*, 7. *q.*1. *cap. licèt, de regularib.* docent D. Thomas 2. 2. *q.*185. *art.*2. Sotus *lib.*1. *de iuſtitia, q.*2. *art.*2. Suarez *de religione tom.*3. *lib.*1. *cap.* 20. *num.*2. Parisius *de reſignat. benefic. lib.*1. *q.*3. *num.* 52. Vasquez 3. *p. in* 3. *diſput.* 242. *cap.*7. Dartis *ad* 69. *diſt.* inde dubium fuit ortum, vtrum Episcopus regularem vitam professus, posset ad Ecclesiæ regimen iterum reassumi ? Et non valere in Episcopum eligi, probatur *in d. cap. hoc nequaquam*, 7. *q.* 1. Contrarium tamen, posse scilicet monachum in Episcopum eligi, iam probaui *in cap. cùm monaſterium* 13. *de elect.* Quare pro interpretatione textus *in dict. cap. hoc*, varia adduxerunt Turriscremata, Archidiaconus, & Barbosa *ibi* ; sed illis omissis, discrimen est constituendum inter Episcopum, qui maioris perfectionis gratiâ quietem, & solitudinem monasticam amauit ; & inter eum, qui pœnitentiæ peragendæ causâ detrusus fuit in monasterium. Primus reassumi valet in Episcopum ; secundus verò perpetuò in monasterio manere debet : de quo accipiendus est canon Concilij Constantinop. relatus *in d. cap. hoc.* Quam interpretationem præsenserunt Angelius Præceptor *d. art.*1. in illis verbis : *Si verò aliquis propter culpam sit ab Epiſcopatu depoſitus, & in monaſterium detruſus ad pœnitentiam peragendam, non poteſt iteratò ad Epiſcopatum renocari. Vnde dicitur* 7. *q.*1. *Præcipit ſancta Symodus, vt quicunque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam, & pœnitentiæ deſcenderit locum, nequaquam ad Pontificatum reſurgat.* Innocentius III. *in præſenti*, ibi: *Nihil tamen in his contra præſcriptum intelligitur Concilium attentari, quod in eo loquitur caſu, cùm propter aliquod crimen Epiſcopatum quis deſerens, ad vitam monaſticam pœnitentiæ causâ deſcendit.* Illustrant Gibalinus *de clauſura diſput.* 3. *cap.*2. §.7. *num.*39. Franciscus Hallierius *de hierarch. Eccleſ.* §.4. *in fine, pag.*290.

CAPVT XII.

Idem *in Concilio* [a] *Generali.*

QVidam cedendi licentiam cum instantia postulantes, eâ obtentâ cedere prætermittunt. Sed cùm in postulatione huiusmodi, aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse (quorum neutrum suasionibus aliquorum quærentium quæ sua sunt, seu etiam leuitate qualibet nolumus impedire) eos ad cedendum decernimus compellendos.

NOTÆ.

1. a *Generali.*] Lateranensi videlicet, *cap.*28. de quo egi *in cap.* 1. *de ſumma Trinit.* Etiam reperitur hic textus *in cap.*1. *hoc tit. in* 4. *collect.* vnde iustè refellit Hallierius *de hierarch. Eccleſ. art.*2. *in fine, pag.* 220. Cellotium, qui hunc canonem ex corpore Gratiani expendit, cùm in integro Decreti volumine non reperiatur, nec series temporum Innocentij, & Gratiani id patiatur.

2. b *Propriam.*] Ex his verbis deducit P. Suarez *tom.*8. *de relig. lib.*3. *cap.*16. *num.*7. non tantùm ob causam publicam, verùm etiam ob priuatam, posse R. Pontificem licentiam cedendi Episcopis concedere, quia vinculum matrimonij spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam contracti absolutè iuris diuini non est.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hoc canone talis deducitur assertio : *Qui petiit licentiam cedendi, ex quo illam obtinet, cedere compellitur.* Probant textus *in cap. quàm periculoſum*, 7. *q.*1. *cap. ex tranſmiſſa, cap. in præſentia, hoc tit.* Innocentius noster *lib.*3. *epiſt.*240. *Nec liberum ſit ſuæ voluntatis arbitrium, in ſuperioris iudicium iam tranſlatum ; quia frequenter nobis illuderetur à ſubditis, ſi deambulatoria eſſet ſubiectorum voluntas, ad examen conditionis noſtræ delata.* Iuo Carnotensis *epiſt.*131. ibi : *De preſbytero, qui Eccleſiam, quam regebat, nullâ cogente neceſſitate in manu tua refutauit.* Et ibi : *Iuſtum eſt, vt in iudicio, quod de ſe iudicauit, permaneat.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti Maiolus *de irregul. lib.* 3. *cap.* 6. Suarez *de relig. lib.* 1. *cap.* 16. Petrus Greg. *lib.* 17. *ſyntag. cap.* 17. Ceuallos *communium opin. quæſt.* 283. Bosquetus *ad Innocentium lib.*3. *epiſt.* 140. Lotherius *tom.* 2. *de rebenefic. lib.*3. *cap.*17. *num.*34.

4. RATIO DVBITANDI.

Hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione ; nam in omnibus ferè actibus humanis re integra pœnitentiæ locus est ; vnde vendenti seruum vt manumittatur, ante diem manumissioni præfixum licet pœnitere, *l.*1. *& vlt. C. ſi mancipium, l. mancipia* 8. *C. qui ſine manumiſſione :* & cedenti bona sua, ante eorum venditionem pœnitere licet, *l.*3. *ff. de ceſſione bonor. l.*2. *C. qui bonis cedere.* Nec solùm in his actibus ciuilibus, verùm & in ecclesiasticis pœnitentiæ locus est, vt in casibus decisis *in cap. perpetuò* 7. *cap. nulli* 8. *de elect. lib.* 6. ergo illi etiam, qui petiit licentiam cedendi, ante renunciationem proprij beneficij licet pœnitere. Accedit, nam in Curia Romana, & eius stilo ita obseruari testatur post Mandosium & Ceuallos Lotherius *d. cap.*16. *n.*34.

Augetur

a Alia 9°. 19 n°. 15

Augetur etiam hæc difficultas ex eo, quia renuntiandi facultas semper concessa intelligitur in fauorem illius, qui renunciare cupit, *cap.* 2. *cap. nisi* 10. *hoc tit.* ac proinde nemo renunciare cogitur. D. Gregorius *lib.* 2. *epist.* 41. *ad Anatolium.* Sed cuilibet licet iuri pro se introducto renunciare, *l. penultim. Cod. de pactis*, cum vulgatis: igitur illi, qui petiit licentiam cedendi, licebit pœnitere. Augetur tandem hæc difficultas *ex cap. nisi* 10. *hoc tit.* in illis verbis : *Quia verò in postulando, &c.* in quibus desideratur perseuerantia in renunciatione petita: igitur si pœniteat, non cogetur beneficio renunciare.

5. RATIO DECIDENDI.

Qua dubitandi ratione minimè obstante vera est prædicta assertio, cuius ratio ex eo prouenit, quia variatio maximè in personis ecclesiasticis prohibita est, *cap. cùm autem* 24. *de iurepatron. cap. publicatæ* 58. *de elect.* regula *Mutare, de regul.iuris in* 6. cùm in viro variatio leuitatis nota sit. Seneca *epist.* 35. ibi : *Mutatio voluntatis indicat animum mutare.* Quæ variatio maximè detestabilis est, cùm ex ea sequitur superioris illusio, *cap.* 1. *de appellat. in* 6. *l.* 1. *Cod. de appellat. l. vltima, Cod. ne quid in loco publico.* Vnde qui aliquem postularunt in Prælatum coram superiore, non possunt à postulatione discedere, *cap. bonæ* 4. *de postulat. Prælat.* Vnde cùm in præsenti casu, qui renunciare volebat, iam petiisset licentiam cedendi à superiore, non potest postea cum eius illusione, & decisione pœnitere. Accedit nam aut causa cessionis vera fuit, vel falsa: si vera, renunciare cogendus est, cùm idoneus Ecclesiæ non credatur; si falsa, in pœnam quia eam simulauit, & falsas preces proposuit, priuandus est ipsa Ecclesia, renunciatione ad effectum perducendâ.

6. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obstat difficultas suprà expensa, pro cuius solutione discrimen est constituendum inter eos actus, qui à priuatorum pendent potestate; & inter eos, qui licentiâ, & superioris auctoritate egent, vt celebrentur. In primis variatio permissa est, *dict. l.* 1. *Cod. si mancipium, dict. l.* 3. *de cessione bonorum* : in illis verò, in quibus superioris auctoritas desideratur, ne eius illusio, seu contemptus detur, non ita variatio permittitur: quare cùm ad renunciationem proprij beneficij superioris licentia desideretur, eâ petitâ non licet petenti pœnitere, ne superior, Pontifex videlicet, illudatur. Nec quod de stilo Curiæ expendebamus, aduersatur; quia licèt præsens decisio procedat iure communi attento, & ex stricta iuris ratione; tamen hodie, attentâ communi praxi, licet illi, qui cedendi licentiam petiit, pœnitere, vt testantur Ceuallos, & Lotherius suprà laudati. Nec augmentum ipsius difficultatis refragatur; nam licèt cuilibet permittatur iuri suo renunciare; hoc tamen procedit, nisi ex tali renunciatione superior, qui iam consultus fuerat, illudatur: *cap. finali, hoc titul.* Vndè cùm in præsenti casu sequatur illusio Pontificis, seu Episcopi, cuius licentia enixis precibus impetrata fuit, non admittitur renunciatio etiam iuris proprij. Nec tandem aduersatur *in dict. cap. nisi cùm pridem*; nam in eo refertur, nimis diutiùs Calaritanum Præsulem in impetratione licentiæ ad cedendum permansisse; non tamen ea perseuerantia vt necessaria supponitur, aut desideratur.

7. EXPONITVR CAP. LECTÆ, HOC TIT.

Adhuc superiori assertioni aduersatur textus *in cap. lectæ* 14. *hoc titul.* vbi proponitur Abbatem S. Petri magna ægritudine oppressum monachos suos ab obedientia sibi debita absoluisse, & Episcopum diœcesanum vocasse, vt in eius manibus Abbatiam cederet: postea saniori consilio ductus, cedere noluit; quæstionis fuit coram Honorio III. vtrum retinere possit prædictam Abbatiam, vel cedere esset cogendus? Et respondetur, Abbatem retinere posse prædictam Abbatiam: ex quo textu expressè deducitur, eum qui cedendi licentiam petiit, & pœnituit, cedere non cogi. Pro cuius textus expositione sciendum est, quod licèt ille, qui petiit licentiam cedendi, eâ impetratâ non possit pœnitere; tamen qui adhuc non impetrauit, sed tantùm nuntium misit ad eam impetrandam, posse pœnitere, eâ adhuc non impetratâ; quia non datur eadem ratio illusionis superioris: quare cùm *in dict. cap. lectæ*, tantùm misisset Abbas nuntium ad vocandum Episcopum, vt ab eo licentiam impetraret; rectè asseritur, eâ adhuc non impetratâ, posse pœnitere, & Abbatiam retinere. Iuxta hanc etiam doctrinam accipiendus est textus *in Clement. vnica, de renunciat.* vbi asseritur eum, qui constituit procuratorem ad beneficium renunciandum, posse reuocare tale mandatum; quia cùm adhuc impetrata non fuisset per procuratorem cedendi licentia, rectè pœnitentiæ locus est. Alia quæ ad eius textus interpretationem spectant de scientia reuocationis mandati, adduximus *in cap. gratum, de officio delegati.*

8. EXPONITVR EPISTOLA EPHESINÆ SYNODI.

Secundò aduersatur epistola Synodi Ephesinæ ad Synodum Pamphiliæ, quæ refertur à Balsamone in fine Synodi, vbi traditur, Eustathium Metropolitanum Pamphiliæ libellum renunciationis coram Patribus dedisse; & cùm Theodorus in eius locum esset suffectus, facti pœnituit; & per negligentiam libellum obtulisse asserens, restitui petebat ad suam Ecclesiam. Patres Synodi Ephesinæ rescripserunt Patribus Synodi Pamphiliæ, vt honorem & communionem illi seruarent. Ex qua epistola apertè deducitur eum, qui petiit licentiam cedendi, re etiam non integrâ posse redire ad suam Ecclesiam. Huic difficultati satisfacit Theodorus Balsamon in scholiis ad eam epistolam, asserendo Patres pietate, & misericordiâ ductos, Eustathio honorem, & communionem Episcopi concessisse; non tamen eum restituisse loco, & administrationi, nec hoc factum posse pro lege vniuersali accipi, cùm à Patribus ex œconomiæ, dispensationisque ratione indultum fuerit; nam iuxta ea, quæ hoc commentario adduximus, postquam libellus renunciationis oblatus est, aut cedendi licentia petita, non est locus pœnitentiæ.

CAPVT

CAPVT XIII.

Honorius III. [a] *Maioris Eccleſiæ Sancti Ioannis Decano, & Magiſtro C. Can. Sancti Dionyſij Leodien.*

VEniens ad Sedem Apoſtolicam Ioannes pauper Subdiaconus, in noſtra propoſuit præſentia conſtitutus, quod cùm bonæ memoriæ I. Papa prædeceſſor noſter dil. f. Abbati de [b] Emenrode, [c] Treuer. Diœc. & maioris Eccleſiæ, ac Sancti [d] Pauli Cantoribus Treueren. ſuis dederit litteris in mandatis, vt eidem I. ſi nihil canonicum obuiaret, præbendam in Eccleſia S. Florentij in [e] Confluentia, quam Iacobus Decanus ipſius Eccleſiæ in eius manibus per ſuas litteras reſignauit, ſub. appel. ob. aſſignarent: eodem Ioanne litteras ipſas prædicto Decano, & aliis oſtendente, idem Decanus de reſignatione fortè pœnitens, occultauit litteras ſupradictas: demùm eidem Ioanni præfatis litteris reſtitutis, eas nominatis iudicibus, vt exequerentur mandatum Apoſtolicum, præſentauit; cúmque iidem iudices Apoſtolicum vellent adimplere mandatum, quidam ſe oppoſuerunt Canonici Eccleſiæ memoratæ, dicentes Subdiaconum memoratum renuntiaſſe iuri ſuo, quod ipſi ex ipſis litteris competebat. Dicto igitur Subdiacono hoc negante, iamdicti Canonici teſtes ad hoc probandum aliquos produxerunt, per quos cum videretur probatum, Ioannem ſe gratiæ Capituli commiſiſſe, duo iudicum prædictorum, Cantores videlicet Treueren. ſentialiter decreuerunt, eundem Ioannem non poſſe vti de cætero ipſarum commodo litterarum, pro eo quod idem I. ſic aduerſarij gratiæ ſe commiſit, propter quod viſus eſt renuntiaſſe iuri ſibi ex ipſis litteris competenti. A qua ſententia idem I. appellans, licèt etiam antea quàm appellaſſet, vigiliam Epiphaniæ proximè præteritam terminum ſuæ appellationis præfixit, ad quam cùm idem I. veniret, & nobis, prout ſuperius eſt expreſſum, facti ſeriem enarraret, dil. fil. [f] Petrum de Collemedio, Capellanum noſtrum ſuper hoc ſibi conceſſimus auditorem: ſed cùm eius aduerſarius non veniret per duos menſes, & ampliùs expectatus, nec vllus appareret pro eo ſufficiens reſponſalis, tandem quidam litteras habens ad contradicendum & impetrandum coram eodem comparuit auditore; qui cùm de iure ad tractandam cauſam minùs ſufficiens crederetur, auditori prædicto nobis hæc omnia referenti dedimus in mandatis, vt ſuper hoc aliquos de fratribus conſuleret, & in cauſa procederet iuxta conſilium eorundem: ideò ſæpedictus auditor, habito conſilio dil. fr. n. [g] T. ſanctæ Sabinæ Preſbyteri Cardinalis, ac etiam aliorum, ſententiam prædictorum iudicum ſententialiter iuſtitiâ exigente caſſauit. Nos igitur eiuſdem Capellani ſententiam ratam, & firmam habentes, vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus reuocantes in irritum quidquid inueneritis poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam attentatum, ſententiâ iudicum Treuer. non obſtante, prædictam præbendam ei Subdiacono, niſi aliud canonicum obiectum fuerit, & probatum, quare id non debeat adimpleri, auctoritate Apoſtolica, ſublato appellationis obſtaculo conferatis.

NOTÆ.

a *Maioris Eccleſiæ.*] Ita reſtituenda eſt inſcriptio ex quinta compilatione edita ab Innocentio Cironio, vbi *ſub hoc tit. cap.* 1. reperitur præſens deciſio. De hac Eccleſia S. Dionyſij nonnulla adduxi *in cap. ſignificante, de reſcriptis.* 1.

b *De Emenrode.*] In ſexta collectione Raymundi legitur *de Emento*, ſed falsò; nam hoc monaſterium de Emenrode, aliàs de Clauſtro dictum, eſt in diœceſi Treuerenſi, vt ex Cæſario notat Cironius *in præſenti.* 2.

c *Treuerenſis.*] De hac Eccleſia agemus *cap. ſequenti.*

d *S. Pauli.*] Legendum eſſe *S. Paulini*, iam notauit Cironius *in præſenti.* 3.

e *Confluentia.*] Vrbs celebris inter Coloniam & Moguntiam, à fluminibus ibi confluentibus dicta. Guntherus.

Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem
Seruat aduſque locum.

f *Petrus de Collemedio.*] Quia poſtea fuit Archiepiſcopus Rhotomagenſis, Legatus miſſus in Angliam temporibus Gregorij IX. de quo plura Fratres Sarmat. *tom. 2. Galliæ Chriſt. fol. 586.* Chenu *in ſerie Præſulum Rhotomag. num. 56.* 4.

g *T.*] Thomæ videlicet de Capua, qui creatus fuit Cardinalis ab Innocentio III. vt refert Ciaconius *in eius vita.* 5.

Pro huius textus expoſitione repetenda ſunt quæ adduxi *in cap. ſanè, hoc tit.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Idem *Archiepiſcopo* [a] *Treuerenſi.*

LEctæ coram nobis f. tuæ litteræ continebant, quod Abbas S.[b] Apri Tullen. quem de conuerſationis, & vitæ honeſtate commendas, tibi humiliter eſt [c] confeſſus, quod dum adeò graui ægritudine laboràret, quod de vita deſperaretur ipſius, ad cuiuſdam, tamen æmuli ſui, conſilium, de quo ipſe cùm non crederet æmulum, confidebat, in quorundam monachorum ſuorum præſentia excommunicationis ſententiâ, ſi quam in eorum aliquem protulerat, reuocatâ, eos ab obedientia, in qua ſibi tenebantur, abſoluit, vocato [d] diœceſano Epiſcopo, vt Abbatiam in eius manibus reſignaret; quod tamen, vſus conſilio ſaniori, non fecit, licèt eidem Abbati ſanitati poſtmodùm reſtituto, vniuerſi & ſinguli de conuentu obedientiam & reuerentiam requiſiti ab eodem in Capitulo promiſiſſent. Idem tamen ſuper eo, quod ſic fecerat, dubitans, à te, quid ſuper hoc ſaluti ſuæ conſuleres, poſtulauit: propter quod tu cùm habito ſuper hoc Iuriſperitorum conſilio diuerſi diuerſa ſentirent, noſtrum conſilium, an idem Abbas ex hoc reſignauerit, requiſiſti. Nos tamen ex tali facto dumtaxat eundem Abbatem reſignaſſe ſuo regimini non videmus.

NOTÆ.

1. TREVERIS VBI.

a *Reuerenſi.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. etſi Florens *in præfat. ad hunc librum*, credat Auctorem eſſe huius textus Innoc. III. Treueris, Auguſta Treuerorum dicta, Belgiæ primæ Metropolis, amplitudine, & dignitate, ſed magis Archiepiſcopali Sede, & Electoratu Imperij commendanda, ad Moſellam ſita eſt: celebratur à grauiſſimis Scriptoribus; clariſſimam eam appellauit Imperator Gratianus *in l. 1. C. de Profeſſorib. & Med. lib.* 11. potentiſſimam, & excellentiſſimam Saluianus *lib. 6. de prouidentia*; opulentiſſimam dixit Mela *lib. 3. cap. 2.* Ciſalpinarum vrbium maiorem Zoſimus *lib. 3.* Domicilium Principum Ammianus Marcell. *lib. 15.* cuius Primatus hoc antiquo epigrammate innuitur.

Accipe Primatum poſt Alpes Treuir vbique,
Quem tibi Roma nouâ lege dat & veteri.

Plura de eius origine & amplitudine, nec non Eccleſiæ Primatu congeſſerunt Philippus Berterius *diatrib. 2. cap.* 4. Bucerus *lib. 1. Belgici Romani, cap. 14.* & *lib. 12. cap. 11.* Franciſcus Hallierius *de hierarch. lib. 4. §. 36. pag.* 631. Fratres Sarmat. *tom. 1. Galliæ Chriſt. pag.* 720. Theodorico ſecundo eius Eccleſiæ Archipræſuli miſſa eſt præſens epiſtola, nam ipſe Archidiaconus ipſius Eccleſiæ creatus fuit Archipræſul anno 1214. & eam Eccleſiam rexit vſque ad annum 1242.

2.

b *S. Apri.*] Ita legendum eſt, non S. Petri, vt legitur in ſexta collectione; quod monaſterium eſt Ordinis S. Benedicti in diœceſi Tullenſi, cuius originem referunt Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ Chriſt. fol. 69.*

3

c *Eſt confeſſus.*] Non auriculari, ſeu ſacramentali confeſſione, ſed publicè.

d *Diœceſano Epiſcopo.*] Nam cùm hoc monaſterium parèret Epiſcopo Tullenſi, neceſſariò Epiſcopi licentia petenda erat, vt renunciatio valeret, iuxta tradita ſuprà *in cap. admonet.*

CAPVT XV.

Idem [a] *Agath. &* [b] *Nicen. Epiſcopis, & Archid.*

DIlecti filij conuentûs monaſterij S.[c] Vv. de Deſertis, immediatè ad Rom. Eccleſiam pertinentis, ſuis nobis litteris intimarunt, quod Abbas eorum ſe ſentiens inſufficientem oneri regiminis Abbatiæ, ceſſit in manibus eorundem; ipſique dil. f. G. monachum S.[d] Victoris Maſſilien. elegerunt in Abbatem canonicè, ſupplicantes, vt eorum parcentes laboribus, & expenſis, electionem ipſorum faceremus in illis partibus confirmari. Quum ergo dictus Abbas cedere ſine licentia noſtra nequiuerit, nos tam ceſſionem, quàm electionem prædictas decernentes irritas, & inanes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Abbatem ipſum loco ſuo reſtitui faciatis.

NOTÆ.

1. AGATHA VBI.

a *Agath.*] Integra hæc inſcriptio corrupta eſt in hac ſexta collectione, ſiquidem textus iſte in ea tribuitur Gregorio IX. cùm ſit Honorij III. vt ex quinta compilatione conſtat, vbi *ſub D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. I. Pars I. *hoc tit. c.* 2. refertur hæc deciſio. Agatha perantiqua ciuitas eſt Galliæ, in prouincia Narbonenſi, olim Colonia, cuius meminerunt Strabo *lib.* 4. Plin. *lib. 3. c.* 4. Mela *lib. 2. c.* 4. Ptolomeus *lib. 2. c.* 10. Habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Narbon. cuius Præſul olim ius cudendæ

monetæ habebat, vt refert Bodinus *lib.* 1. *de Rep. cap. vlt.* Thedisio eius Præsuli rescribit in præsenti Pontifex, de quo plura Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 61.

2. b *Nicen.*] Nicea, vel Nicia ciuitas est non longè à radicibus Alpium, à Massilienſibus condita iuxta Cemeliam. Ptolomæus *lib.* 3. *cap.* 1. Habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Ebredunensis, cui vnita fuit Cathedra Cemelienſis, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 3. *Galliæ Christ. fol.* 785. Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib.* 1. *epist.* 53. Antepelicano eius Episcopo in præsenti rescribit Honorius.

c *VV.*] Sancti Vvillelmi videlicet, quod monasterium est Ordinis D. Benedicti, à S. Guillelmo Comite Tolosano constructum anno 804. vt refert Yepes *tom.* 3. *chron. D. Benedicti, dict. anno* 804.

d *S. Victoris.*] Est etiam monasterium hoc ordinis D. Benedicti, propè Massiliam constructum à Ioanne Cassiano Massiliæ Presbytero, posteà ditatum variis priuilegiis Pontificum, & Regum Francorum, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Galliæ Christ. fol.* 930.

COMMENTARIVM.

IN hoc textu deciditur, Abbatem immediatè subiectum R. Pontifici non posse sine eius licentia propriæ Abbatiæ renunciare; quod etiam innuitur *in cap. cùm venerabilis* 7. *de consuetud.* & docent congesti à Barbosa *in præsenti*, Cironius *in* 5. *collect. in hoc textu*, Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbatum, disput.* 13. cuius decisionis ratio prouenit ex sæpè inculcatis *in hoc tit.* nam vt suprà dicebamus, renunciatio fieri debet in manibus illius superioris, ad quem electionis confirmatio spectat; vnde si Abbas non est exemptus, quia eius electio ab Episcopo debet confirmari, non aliter quàm cum Episcopi licentia renunciare valet, *cap. Abbas* 18. *q.* 2. si verò est exemptus, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectus, quia eius confirmatio petenda est à R. Pontifice, ideò tantùm coram eo, aut eius Legato à latere renunciatio fieri potest, *dict. cap. cùm venerabilis, cap. si Abbatem, de elect. in* 6. hoc autem procedit, si iam Abbas non solùm electus, verùm & confirmatus reperitur; si verò tantùm electus, in manibus Capituli, seu eligentium potest renunciare electioni de se factæ. Et hoc casu accipiendi sunt textus *in cap. cùm inter R. de electione, cap.* 2. *de in integrum restitutione.* 3.

TITVLVS X.

De supplenda negligentia Prælatorum.

CAPVT PRIMVM.

Alexander III. *Cistercienſibus.*

STATVIMVS præterea, vt si Episcopus tertiò cum humilitate ac deuotione (sicut conuenit) requisitus substitutos Abbates vestros benedicere fortè renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recusent.

NOTÆ.

1. a *Cistercienſibus.*] Monachis videlicet D. Bernardi, de quibus latè egi *in cap. cùm ordinem* 6. *de rescriptis.* In hoc textu proponitur fragmentum cuiusdam priuilegij prædictis monachis concessi ab Alexandro III. anno 1169. cuius etiam alia pars reperitur *in cap. quia nos* 33. *de appellat.* & alia *in cap. sanè, de excessibus Prælat.* & vt integrum reddamus, ita illud transcribimus *ex tomo* 1. *priuilegiorum ipsius Ordinis*, & ex Illustrissimo Manrique *tom.* 2. *annal. Cisterc. dict. anno* 1169. *cap.* 3. *num.* 4. [Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Alexandro Cistercienſi Abbati, & vniuersis eiusdem Ordinis Coabbatibus, tam præsentibus, quàm futuris, canonicè instituendis in perpetuum. Attendentes quomodo vos à sæcularis vitæ latitudine conuersos, omnipotens & clemens Deus ad angustæ portæ deduxit introitum; & vos tanquam à carne adipem separauit; gaudio gaudemus, & internâ mentis lætitiâ, & exultatione iucunditatis replemur; monentes pariter, & exhortantes, vt solicitâ intentione nitamini in vasis vestris oleum deferre, quatenus cùm media nocte clamor factus fuerit, accensis lampadibus vestris, sponsi mereamini thalamum introire, & iustitiæ beatitudinem recipere, quæ vobis est seruata in cœlis. Quapropter quia vos elegit Dominus in hæreditatem sibi, & à longè de alto respexit paci, & tranquillitati vestræ, quantùm nobis gratia diuina concedit, prospicere cupientes, Apostolicâ vobis auctoritate concedimus, & indulgemus, vt Abbates vestri Ordinis, qui aliquo crimine famâ publicâ respersi, aut publicè conuicti, à Patribus Abbatibus secundùm formam Ordinis commoniti suæ prælationi spontè cedere noluerint, ad Sedem Apostolicam appellandi facultatem non habeant, aut suum reatum per personas aliquas defendendi. Sancimus prætereà, vt si Episcopi tertiò cum humilitate, & deuotione, sicut conuenit, requisiti, substitutos Abbates benedicere fortè renuerint, eisdem Abbatibus liceat nouitios proprios benedicere, & alia, quæ ad illud officium pertinent, exercere, donec Episcopi ipsi duritiam suam recogitent,

recogitent, & Abbates benedicendos benedicere non recuſent. Sanè ſi Epiſcopi aliquid ab Abbatibus præter obedientiam debitam, contra libertatem Ordinis, à prædeceſſoribus noſtris, & nobis indultam, expetierint, liberum ſit eiſdem Abbatibus auctoritate Apoſtolica denegare quod petitur, ne occaſione iſta Ordo ipſe, qui hactenus liber extitit, perpetuæ ſeruitutis laqueo vinciatur. Quod ſi Epiſcopi aliquam propter hoc in perſonas, vel Eccleſias veſtras ſententiam promulgauerint, eandem ſententiam, tanquam contra Apoſtolicæ Sedis indulta prolatam, irritam fore ſancimus.]

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR.

EX hoc fragmento prædicti priuilegij pro lege eccleſiaſtica generali à Gregorio IX. confirmato, communiter Doctores ſequentem deducunt aſſertionem: *Si Epiſcopus tertiò requiſitus benedicere Abbatem ſine cauſa renuerit, ipſe poteſt non acceptâ benedictione monachos benedicere, ordines minores conferre, ac ea omnia, quæ ſui muneris ſunt, obire.* Probatur hæc aſſertio aliis ſimilibus priuilegiis. Primò priuilegio conceſſo ab Eugenio IV. Congregationi S. Iuſtinæ de Padua, quod refert Fr. Emanuel Rodriguez *in collect. bullarum dicti Pontificis, bulla* 11. *num.* 15. Alio conceſſo à Iulio II. monachis, & Abbatibus Oliuetanis, relato *in lib. priuileg. ipſius Congregationis, pag.* 76. Et alio conceſſo à Pio V. Abbatibus Canonic. Regul. quod habetur *in lib. priuilegior. ipſius Ordinis, pag.* 542. Illuſtrant prædictam concluſionem Cochier *de iuriſdict. in exemptos, p.* 4. *q.* 77. *num.* 2. Azor *p.*1. *Inſtit. lib.* 12. *cap.* 20. *q.* 6. Emanuel Rodrigues, Miranda, & alij congeſti à Barboſa *in præſenti*, & *lib.* 1. *iuris eccleſiaſt. cap.* 17. *num.* 46. & *lib.*3. *votorum, voto* 89. & *de poteſt. Epiſcopi* 3. *p. alleg.* 126. *num.*21. Tamburinus *de iure Abbat. tom.*1. *diſput.*12. *quæſit.*3. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri clerico, p.*2. *cap.*34. Germonius *lib.* 3. *de ſacror. immunit. cap.* 8. Buſeus *de ſtatib. hominum, verbo Abbas*, Chopinus *lib.*1. *monaſt. tit.* 1. *num.* 7. Boſquetus *in notis ad Innocent. lib.*1. *epiſt.* 47. Bignonius *in notis ad Marculfum lib.*1. *cap.*5.

3 RATIO DVBITANDI.

Hæc aſſertio ex verbis Alex. III. ab Interpretibus communiter accepta, difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam negligentiam Epiſcopi ſuppleri à Metropolitano, vel Capitulo, tam in his, quæ ſunt iuriſdictionis contentioſæ, quàm Pontificiæ, certum eſt: cùm enim Epiſcopus negligens eſt in iuſtitia ſubditis adminiſtranda, Archiepiſcopus eius negligentiam ſupplet, *cap. per ſingulas* 9. *q.*3. *cap.paſtoralis, de officio Ordin.* vbi dicemus: docet Cæſar *de eccleſiaſt. hierarchia diſput.*5. §. 2. *num.*20. & ſi negligat apponere œconomos in Eccleſiis vacantibus, Archiepiſcopus ſupplet negligentiam, *cap. cùm ſimus* 9. *q.* 3. & ſi negligat conferre beneficia eccleſiaſtica, Archiepiſcopus, vel Capitulum ea conferre valent, *cap.* 1. *hoc tit. lib.*6. *cap.* 2. *cum vulgatis, de conceſſ. præb.* igitur ſimiliter ſi Epiſcopus requiſitus negligens fuerit in benedictione Abbatibus præſtanda, Metropolitanus, vel Capitulum debent eius negligentiam ſupplere, & benedicere Abbates Epiſcopis ſubiectos; non autem debet permitti Abbatibus, adhuc non acceptâ benedictione, minores ordines conferre, aut monachos benedicere. Augetur hæc difficultas ex eo; nam ſicut Epiſcopus electus, & confirmatus, dum conſecratus non eſt, quæ ſunt ordinis exercere non valet vllo prætextu, ex defectu characteris Epiſcopalis, *cap. noſti, cap. tranſmiſſam* 15. *de elect.* ita ſimiliter Abbas legitimè electus, & confirmatus, non tamen benedictus ab Epiſcopo, non poteſt ordines minores conferre, cùm hæc poteſtas non iuriſdictionis, ſed ordinis ſit.

4. DE BENEDICTIONE ABBATVM.

Hac dubitandi ratione non obſtante, defenſanda eſt ſuprà relata aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, iure communi inſpecto, tam Abbates, quàm Abbatiſſas poſt electionem canonicè celebratam, & confirmationem, benedictionem accipere debere à Diœceſano, ſi illi monaſteria ex lege diœceſana ſubſunt, *cap. quamvis*, 68. *diſt.* Carnotenſis *epiſt.* 73. & 88. quod locum habet etiam quoad monaſteria exempta, *cap. ſi iubet, cap. ſi Preſbyter* 26. *q.* 6. vt patet ex priuilegio immunitatis, quod Epiſcopus Ambianenſis cum conſilio ſuorum collegarum conceſſit monaſterio Coruicenſi anno 644. in gratiam Clotharij Regis fundatoris; quippe vniuerſa monaſterij bona eximens ab Epiſcoporum poteſtate, ſibi tamen ac ſucceſſoribus reſeruat ordinationem Abbatis: extat *tom.*1. *Concil. Galliæ*, his verbis: *Cùm Abbas fuerit de ſæculo iſto euocatus, quem vnanimiter Congregatio ipſius monaſterij ex ſemetipſis bonum, & dignum elegerint, datâ auctoritate à præfato Principe, vel eius ſucceſſoribus, à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris abſque vllo commodo ſecundùm ſacros canones ordinetur.* Illuſtrant Hallierius *in vindiciis cap.*7. §. 1. Vvadingus *in notis ad opuſcul. S. Franciſci, tom.*2. *pag.*218. quam benedictionem intra annum petere debent, *Clement.* 1. §. *ſtatuimus, de ſtatu monach.* promiſſione facta R. Pontifici, ſi ſint Abbates exempti; ſi verò Epiſcopo parent, ipſi Epiſcopo, *cap. ne Dei Eccleſia, de ſimonia, cap. olim, de dilationibus in* 5. *collect.* cuius promiſſionis, & iuramenti formam referunt Tamburinus *diſput.*11. *q.*12. Barboſa *dict. voto* 89. Germonius *vbi ſuprà*; & tunc benedictionem accipiunt à proprio Epiſcopo, *cap. cùm inter R. de elect.* niſi priuilegium Pontificium habeant, vt à quocumque Epiſcopo poſſint benedici, vt aliqua priuilegia referens docet Tamburinus *vbi ſuprà, quæſit.*10. hæc autem benedictio poteſt non ſolùm diebus Dominicis, verùm & aliis quibuſcumque feſtiuis conferri, ſeruatis cæremoniis in Ordine Romano in huiuſmodi benedictionibus præſcriptis, de quibus Menardus *in notis ad Sacrament. D. Gregorij, cap.* 322. non tamen debet Abbas, qui ſemel benedictus eſt, ſi ad aliam Abbatiam eligatur, iterum ſolenniter benedici, *Clement. attendentes*, §. *ſtatuimus, de ſtatu monach.* ſicut nec qui benedictionem nuptialem accepit, non poteſt iterum ſecundas nuptias contrahendo benedici, *cap.*1. *cap. vir, de ſecundis nuptiis:* nec qui in pœnitentia ſolenni benedictionem & reconciliationem accepit, poteſt iterum ſolenniter benedici, aut pœnitentiam ſolennem peragere, *cap. quamuis*, 50. *diſt.* Hæc autem benedictio Abbatum habet locum in Abbatibus perpetuis, non temporalibus, ſiue triennalibus, qui nulla benedictione indigent, & ſine ea adminiſtrare res monaſterij valent. Eugenius IV. in bulla Ciſtercienſibus conceſſa anno 1437. ibi: *Vt Abbates triennales, licèt eis munus benedictionis non impendatur, omnibus, & ſingulis honoribus, præeminentiis, prærogatiuis, iuribus, & inſignibus Abbatialibus fungi poſſint.* Docet Bruno Chaſſaing. *de priuilegiis Regul. tract.*7. *cap.*3. *propoſit.*3.

5. De effectibvs hvivs benedictionis.

Secundò sciendum est, quod licèt hæc benedictio Abbatum aliquando dicatur ordinatio, *cap. Abbas*, *cap. Abbatem*, *cap. quàm sit necessarium* 18. *quæst.* 2. & nonnunquam appelletur consecratio, *cap. alienationes* 37. 12. *q.* 2. & etiam manus impositio. Synodus 7. *can.* 14. *Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio, etiam soli vnicuique monasterij Præfecto facere, si ipsi Præfecto ab Episcopo manus est imposita.* Tamen propriè, & verè nec est consecratio, nec ordinatio, sed tantùm oratio, quâ Episcopus Abbatem benedicit, & confirmat. Ioannes Pontifex in priuilegio monachis monasterij S. Gregorij iuxta Constantiam existentibus indulto, ibi: *Ne aliquis eidem monasterio præficiatur, nisi quem communi assensu fratres ibidem Christo sedulò seruientes eligent, electumque benedictionis titulo Episcopus confirmare procuret.* Ivo Carnotensis *epist.* 73. *Quid ergo est disceptandum de benedictione Abbatis, à quocumque Episcopo eam fuerit consecutus? in qua nec sit manus impositio, nec consecratio, sed simplex oratio; in qua accepta, vel non accepta salus subditorum nec minuitur, nec augetur.* Idem *epist.* 88. *Cùm Abbatis benedictio nulla sit sacramenti repetitio.* Notarunt Bignonius *ad Marculfum lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 455. Bosquetus *ad Innocent. lib.* 1. *epist.* 57. Huius autem benedictionis effectus in iure nostro recensentur. Primò Abbates ita benedicti possunt conferre suis subditis ordines minores, *cap. quoniam*, 69. *dist. cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* vbi latè probabimus: deinde possunt baculo, mitrâ, & aliis Episcopalibus ornamentis vti, vt ex ordine Romano probat Sausay *in Panopl. Episcop. lib.* 2. *cap.* 1. Barbosa *dict. voto* 89. *num.* 22. Tamburinus *dicto tom.* 1. *disput.* 21. 23. *&* 24. qui alia de hac benedictione Abbatis adducunt.

6. Ratio decidendi.

Deinde, vt ad rationem præsentis decisionis accedamus sciendum est, negligentiam formalem, quæ est omissio iniusta eius, quod quis facere debet, continere in se culpam, *l. magna* 226. *ff. de v. s.* vbi docent Gentilis, & Fornerius, *l.* 3. *§. si ad diem, ff. de re militari.* Hæc negligentia à Prælatis ecclesiasticis commissa suppletur, aut à iure, aut ab homine. Ab homine, vt *in cap.* 2. *& sequentibus, hoc tit.* A iure, vt *in hoc cap.* 1. vbi si Episcopus requisitus neglexerit Abbates benedicere, à iure eius negligentia suppletur, & pro benedictis habentur, & meritò: nam cùm hæc benedictio à iure ecclesiastico positiuo sit introducta, & ab ipso iure proueniat facultas in ipsis Abbatibus benedicendi monachos, & conferendi minores ordines; inde rectè in casu speciali huius textus cùm negligens est Episcopus in benedicendis Abbatibus, statuitur, posse Abbatem non benedictum monachos benedicere, & alia munia Abbatialia exercere, præcipuè accedente Pontificis priuilegio. Accedit, nam communi Interpretum calculo receptum est, ex delegatione Pontificis posse simplicem sacerdotem quatuor minores ordines conferre. Suarez *de sacr. disput.* 11. *sect.* 3. Hallier. *de sacris electi. p.* 2. *sect.* 5. *cap.* 1. *art.* 3. *§.* 5. Tamburinus *tom.* 2. *de iure Abbatum, disput.* 2. *q.* 1. Barbosa *lib.* 1. *iuris ecclesiast. cap.* 11. *num.* 51. Diana *p.* 8. *tract.* 1. *resolut.* 35. quod & ad gradus Subdiaconatus, & Diaconatus aliqui protraxerunt, quos refert eximius Præceptor D. Franciscus Ramos *in syntag. pro Episcop. Lusitaniæ, proposit.* 4. *§.* 4. *num.* 152. igitur similiter priuilegio Cistercensibus concesso in hoc textu, etiam benedictione ab Episcopo non accepta, quæ simplex tantùm oratio est, poterunt Abbates monachos benedicere, & minores ordines conferre.

7. Dissolvitvr difficvltas.

Nec difficultas suprà adducta aduersatur; nam Metropolitanus tantùm potest supplere negligentiam suffraganei in casibus à iure expressis, vt in iustitiæ administratione, collatione beneficiorum, constitutione œconomi, & aliis, *dict. cap. pastor, cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. at verò cùm negligens est Episcopus in benedicendis Abbatibus, quia à iure suppletur ipsa negligentia, necessarium non est adire Archiepiscopum, vt eam suppleat. Accedit, nam in casibus suprà adductis non est pars, quæ ex iuris dispositione haberi possit pro œconomo, iudice, aut beneficiario; vnde necessarius est recursus ad superiorem, vt inferioris negligentiam suppleat: at in nostro textu est pars specifica, quæ ex iuris dispositione potest supplere negligentiam; Abbas videlicet, qui ob negligentiam habetur ac si benedictionem ab eo accepisset. Nec augmentum difficultatis aduersatur; nam vt suprà dixi, benedictio Abbatis non est ordinatio, neque consecratio, sed tantùm simplex oratio; inde Abbas sacerdos licèt non sit benedictus, potest monachos benedicere, & minores ordines conferre, quia sufficit ordo sacerdotalis, accedente Pontificis delegatione, seu priuilegio.

8. Exponitvr cap. cvm contingat, de ætat. et qvalit.

Primò superiori assertioni obstat textus *in cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* in illis verbis: *Dummodo ipsis ab Episcopo manus impositio facta noscatur.* Ex quibus verbis apertè constat, ita de-mùm Abbates posse minores ordines conferre, si priùs ab Episcopo manus impositionem acceperint: igitur non rectè in hoc textu asseritur, neglecta benedictione Episcopali, posse Abbatem monachos benedicere, & minores ordines conferre. Pro huius textus interpretatione sciendum est, regulariter Abbates posse minores ordines conferre, si benedictionem Episcopalem acceperint; sed hoc procedit cùm nulla datur negligentia Episcopi, qui Abbatem benedicere debebat: at verò si adsit negligentia, tunc ex speciali priuilegio Cistercensibus concesso in hoc textu possunt Abbates non benedicti ordines minores conferre. Qua etiam solutione accipiendus est textus *in cap. quoniam*, 69. *dist.* vbi expressè præscribitur à Patribus 7. Synodi, quod Abbates sint benedicti, vt ordines minores conferre possint: qui canon accipiendus est cùm nulla datur negligentia ex parte Episcopi in Abbate benedicendo, iuxta suprà tradita.

9. Intelligitvr cap. Abbas 2. 18. q. 2.

Secundò aduersatur præsenti assertioni textus *in cap. Abbas* 2. 18. *q.* 2. vbi Gregorius Magnus præcipit, & statuit, ne Abbas in monasterio per Episcopum ordinetur, & ne in eo Episcopus Missas publicas dicere præsumat. Ex quo textu facilè deducitur, Episcopum non debere, nec posse Abbates benedicere, aut eos ordinare, nec huius ordinationis prætextu Missas publicas in monasterio celebrare: igitur non rectè in præsenti textu supponitur, Episcopum debere Abbates benedicere. Accedit, nam si Abbas ab Episcopo esset benedicendus, talis benedictio intra Missarum solennia esset peragenda, vt ex libro ordinis Romani referunt Menardus, & Tamburinus *vbi suprà:* sed tam *in dict. cap. Abbas*, quàm *in cap. Abbatem* 14. *eadem q.* 2. prohibetur Episcopis, ne in monasteriis Missas publicas audeant celebrare: igitur nullo modo Episcopi habent

habent ius benedicendi Abbates. Pro huius difficultatis ſolutione ſciendum eſt, ordinationis verbo varia in iure Pontificio ſignificari: aliquando ordinatio ſumitur, immò & ſæpe ſæpiùs, pro coaptatione in ordinem, & gradum eccleſiaſticum, vt latè probat Hallier. *de ſacris elect. in principio:* plerumque tamen accipitur pro electione, vt pro ipſius textus interpretatione dixi *in cap.* 1. *de elect.* vnde in eo textu prohibetur Epiſcopis, ne in monaſteriis eligant Abbates, ſed potiùs ipſi eligantur à monachis. Poſt electionem autem legitimè celebratam non prohibetur Epiſcopis eos benedicere. Secunda autem pars ipſius textus, vbi D. Gregorius vetat Epiſcopis, ne Miſſas publicas in monaſteriis faciant, procedit in Miſſis per annum celebrandis, ne grauamen inde monaſteriis inferretur, vt ipſe Gregorius expreſſit *in cap. luminoſo, eadem quæſt.* Plura de his Miſſis publicis tradunt Boſquetus *ad Innocent. lib.* 2. *epiſt.* 18. Eſpenceus *in tract. de triplici Miſſa*, Vicecomes *lib.* 1. *de ritibus Miſſæ, volum.* 2. non verò negatur in eo textu, poſſe Epiſcopum intra Miſſarum ſolennia Abbates benedicere.

10. EXPONITVR CAP. CVM OLIM DE DILATIONIBVS IN 5. COMPILAT.

Tertiò præſenti aſſertioni obſtat textus *in cap. cùm olim* 2. *de dilationibus, in* 5. *collect.* vbi Honorius III. Abbati S. Auguſtini Cantuar. in hæc verba ſcribit. [Cum olim inter te tunc electum, & dilectum filium, & Magiſtrum R. nuntium ven. f. n. Cantuarienſis Archiepiſcopi coram fel. mem. Innocentio Papa prædeceſſore noſtro quæſtio verteretur, te firmiter aſſerente, quod ab eodem Archiepiſcopo ſine profeſſionis exactione benedici debeas, ſicut per ſententiam bonæ memoriæ Alexandri Papæ fuerat definitum; & prædicto Magiſtro è contrario affirmante, quod ipſa ſententia per eundem fuerat reuocata, ſicut quarundam litterarum præſcriptione oſtendere nitebatur: idem prædeceſſor noſter ita vtrique parti prouidit, videlicet, quod tibi munus benedictionis impenderet abſque iuris præiudicio Archiepiſcopi memorati, aſſignans vtrique terminum in Concilio tunc proximè futuro; in quo ſi poſſet ſufficienter oſtendere, quod profeſſionem ſibi facere deberes, eam à te ſibi faceret exhiberi, alioquin ab impetitione te abſolueret ipſius. Cùm autem præfati procuratores tui reconuenirent Archiepiſcopum memoratum, ſuper eo videlicet, quod officiales ipſius, te ac conuentum tuum impediunt, quominus poſſitis congregare Synodum, celebrare Capitulum, & iuriſdictionem ſpecialem in ſubditis monaſteriis exercere.] Ex quibus verbis apertè probatur, Abbatem non benedictum propter negligentiam Prælati, à quo benedicendus erat, non poſſe neque Concilium congregare, neque iuriſdictionem in ſubditos exercere: igitur neque eos benedicere valet. Pro cuius textus & difficultatis ſolutione dicendum eſt, Alexandrum III. in præſenti eſſe intelligendum cùm Epiſcopus iniuſtè renuit benedicere Abbates, vt ſic Epiſcopi negligentia ſuppleatur, atque duritia puniatur, vt Alexander in vltimis verbis ait: ſi verò iuſtè Epiſcopus Abbatem benedicere renuat, donec præmiſſâ cauſæ cognitione lis deciſa fuerit, non poteſt Abbas tanquam benedictus munia Abbatialia obire. Vnde cùm *in dict. cap. cùm olim*, Abbas renueret Archiepiſcopo profeſſionem fidei facere, Archiepiſcopus iuſtè renuebat ipſum benedicere, donec priùs in eius manibus fidei faceret profeſſionem: quare cùm ex iuſta cauſa Archiepiſcopus prædictum Abbatem non benediceret, ideò non adfuit negligentia, quæ ſuppleretur, & per conſequens Abbas, tanquam benedictus, non poterat in ſubditos iuriſdictionem exercere.

CAPVT II.

[a] Innocentius III. *R. Epiſcopo S. Andreæ.*

SIcut nobis tua fraternitas intimauit, monachi quidam, & clerici regulares, Eccleſias, quæ ad eorum præſentationem pertinent, in tuo Epiſcopatu habentes, propriis vſibus deputare nituntur, nec ibi volunt ad eas, cùm vacauerint, perſonas vocare: quin potiùs occaſione [b] conceſſionis quorundam Epiſcoporum, vicarios in eis pro ſua inſtituunt, & [c] deſtituunt voluntate, & admiſſos ita [d] penſionibus onerantes, vt nec in Eccleſiis competenter vix poſſint deſeruire in paupertate nimia; nec Epiſcopo in Epiſcopalibus reſpondere; nec [e] hoſpitalitatem, ſicut conuenit, tranſeuntibus impertiri. Nolentes autem, vt ſtatus Eccleſiæ debitus, & antiquus per alicuius violentiam, vel inſolentiam ſubuertatur: mandamus quatenus niſi à iuriſdictione tua exemptæ ſint Eccleſiæ ſupradictæ, prædictos exceſſus ſtudeas rationabiliter emendare; & niſi præfatæ perſonæ infra tempus in Later an. Concil. conſtitutum ad vacantes Eccleſias tibi perſonas idoneas præſentauerint, ex tunc liceat tibi ap. rem. in eiſdem ordinare Rectores, qui eis & præeſſe nouerint, & prodeſſe; ita tamen, quod ex hoc nullum patronis in poſterum præiudicium generetur. Datum Lateran. VII. Cal. Martij, Pont. noſtri anno II.

NOTÆ.

1. a *Innocentius III.*] *Clemens III.* legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. & *in cap. tua* 2. *de temporibus ordin. in eadem collect.* Sed perperam, cùm deciſio hæc auctorem habeat Innocentium III. inter cuius epiſtolas editas à Guillelmo Sirleto reperitur *pag.* 280. ſub hac inſcriptione: *R. Epiſcopo S. Andreæ.* Diœceſis S. Andreæ eſt in Scotia, de qua agemus *in cap.* 6. *de arbitris, cap. nuper* 6. *de donat. inter.*

b *Conceſſionis.*] Quæ ſufficiens non eſt, vt regularis Eccleſia acquirat ius percipiendi fructus ex aliqua Eccleſia regulari, *cap. paſtoralis, de donat. cap. cùm nos, de his quæ fiunt à Prælatis.*

c *Et deſtituunt.*] Cùm inſtitutio & deſtitutio in Eccleſiis etiam regularibus, quæ per clericum ſæcularem reguntur, ad Epiſcopum diœceſanum ſpectent, *cap. 1. de Capellis monach. cap. cùm & plantare*, §. *in Eccleſiis, cap. ſanè, cap. ſtatuendum, de priuileg.*

2. d *Penſionibus.*] Quid indignius? beneficiorum redditus, Eccleſiæ fructus monachi percipiebant; Eccleſiæ verò miniſtri nimia paupertate opprimebantur, contra omne ius naturale, & eccleſiaſticum ſatis repetitum in Concilio Lateran. ſub Alexandro III. *p. 2. cap. 9. 12. & 13.* Lateran. ſub Innocentio III. *can. 32.* ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* vt enim aiebat Carnotenſis relatus à Baronio *tom. 11. annal. anno 1097.* ibi: *Quis patiatur cenſualem Eccleſiam Dei ad vſumfructum altaris alium in otio lucrari, ſeruitij verò onus alium in egeſtate ſentire.* Expreſſiùs Abbas Puriferdenſis *de triplici clauſtralium voto, fol. 9.* ibi: *Vel monachorum Prælati, qui cœnobiis ſuis Eccleſias ſæcularium incorporant, qui auaritiæ facibus ſinum cupiditati laxant, quia dum benefacere poſteritati exiſtimant, multos per occaſionem damnant.* Damnata fuit ſordida Nicephori Focæ Imperatoris rapacitas, qui vacanti Eccleſiæ œconomum ea lege præficiebat, vt cùm is parcè, & tenuiter ex redditibus Eccleſiæ vixiſſet, fructus reſiduos in fiſcum Imperatoris inferre teneretur, vt refert Zonaras *tom. 3. pag. 162.* Rectè ergo Innocentius in præſenti increpat monachos, qui fructus beneficiorum in proprios vſus tranſmittere affectabant.

e *Hoſpitalitatem.*] Quam non ſolùm Epiſcopi exercere tenentur, vt latè probat Barboſa *de poteſt. Epiſcop. 1. p. cap. 9.* verùm & ſacerdotes, aliique fideles. Concilium Gangr. *cap. 12. cap. 1. de empt. & vendit.* plura Benedictus Ephtenus *lib. 11. diſquiſit. monaſt. tom. 2. tract. 1.*

COMMENTARIVM.

IN præſenti proponitur, monachos, & canonicos regulares Eccleſias ad eorum præſentationes ſpectantes propriis vſibus deputaſſe, auaritiâ capti, nec Eccleſiis vacantibus Rectores præſentaſſe; ſed potiùs vicarios temporales, ad libitum amouendos inſtituiſſe, & inſtitutos variis penſionibus oneraſſe, itavt nec Epiſcopis in Epiſcopalibus, videlicet procurationibus, cathedratico, & ſimilibus, reſpondere poſſent, nec hoſpitalitatem debitam exercere: quos exceſſus notarunt, & deteſtarunt Eccleſiaſtici legiſlatores *in cap. de monachis, de præb. cap. cùm ſingula, eod. titulo in 6.* Clementina vnica, *hoc titulo.* Sed hanc primam partem deciſionis, quæ proprium locum vindicat *in cap. de monachis, de præbendis*, ibi exponemus, vt ad ſecundam, videlicet negligentiam monachorum in conferendis beneficiis, quæ propria eſt huius tituli, accedamus. 3.

CAPVT III.

[a] Innocentius III. [b] *Elyenſi, &* [c] *Caſtren. Epiſcopis, & Archid.* [d] *Noruan.*

LIcèt dilecti filij Magiſtri H. Archid. de H. & R. de S. Cademundo ſuper Archidiaconatu de [e] Richemundia litigarint diutiùs coram nobis; tamen poſtmodùm auribus noſtris eſt intimatum, quod neutri eorum de iure competeret, vtpote quia neutri fuerat conceſſus intra tempus in Lateran. Concil. definitum. Ne igitur ius noſtrum negligere videamur, qui alios in ſua iuſtitia confouemus: dil. v. per Ap. ſ. m. quatenus conuocatis eiſdem, vt proponant, ſi quid contrà duxerint proponendum, inquiratis diligentiùs; & ſi vobis conſtiterit Archid. illum vacaſſe per annum, tempore tamen ſemeſtri, quo vel ad Archiepiſcop. vel ad Capitulum donatio pertinebat, non à vacatione, ſed à notitia computato, cùm pro eo quod Eborac. alium non habet ſuperiorem, ex tunc fuerit ad nos donatio deuoluta; vtrique ſuper eo, ſublato ap. ob. ſilentium imponatis, Archidiaconatum ad noſtram ſpectare donationem publicè denunciantes, decernentes irritum & inane, ſi quid in eo quiſquam præſumpſerit poſtmodùm ordinare.

NOTÆ.

1. a *INnocentius III.*] Nec in hac, nec in quarta collectione, vbi *ſub hoc tit. cap. 1.* reperitur præſens deciſio, proponitur cui miſſa ſit; ſed ſi conſulimus alias eius partes, quæ extant *in cap. conſtitutus 30. de teſtibus, cap. penult. de inſtitutionib. cap. poſt electionem 7. de præb. & dignit.* inſcriptio ita reſtituenda eſt. *Innocentius III. Elyenſi, & Ciſtren. Epiſcop. & Archid. Niuern.* Ex ipſis etiam partibus noſtri textus caſus ita reperendus eſt. Archidiacono Richemundiæ Eccleſiæ Eboracenſis in Epiſcopum Elyenſem electo, & confirmato, & ita vacante ipſo Archidiaconatu ex iuris diſpoſitione, de qua *in cap. cùm in cunctis 7. §. cùm verò, de elect.* Gaufridus Archiepiſcopus Eboracenſis ipſum Archidiaconatum contulit Honorio, iuſſitque Capitulo, vt eum reciperet: Capitulum exequi noluit Prælati iuſſum, allegans Cœleſtini III. priuilegium, quo cauebatur, vt dignitatum inſtitutio, & deſtitutio in Eccleſia Eboracenſi ad Decanum & Capitulum ſimul ſpectaret; vnde cùm Archiepiſcopus tantùm commendaret inſtituendum dictum Honorium Capitulo, non verò Decano, illum in Archidiaconum admittere renuerunt; & hac electione Archiepiſcopi pro infecta

infecta habitâ, tranſacto ſemeſtri Concilij Lateran. Capitulum ex iure deuoluto ipſam dignitatem Rogerio conceſſit. Causâ diſceptatâ inter Rogerium, & Honorium coram Innocentio III. Rogerius allegabat, Honorium dignitati renuntiaſſe, & ſic ad ipſum ex electione legitimo tempore à Capitulo celebrata Archidiaconatum ſpectare. Innocentius inſuper habuit renunciationis cauſam, & non plenè inſtructus de lapſu temporis, potiorem eſſe cauſam Honorij iudicauit *in dict. cap. poſt* 7. demùm cùm per vim Rogerius dictum Honorium Archidiaconatu ſpoliaſſet, Honorius aduersùs ipſum egit remedio reſtitutorio coram Epiſcopo, & Decano Linconienſi, iudicibus delegatis; & cùm ſuper productione teſtium admittenda, vel non, cauſa ad ipſum Innocentium III. fuiſſet deuoluta, ipſe ſuper hoc articulo eam commiſit Elyenſi & Ciſtrenſi Epiſcopis, & Archidiacono Niuern. & plenè causâ diſceptatâ coram Innocentio III. ipſe cognoſcens, tam Archipiepiſcopo, quàm Capitulo tempus Concilij Lateran. fuiſſe elapſum, nec Honorium, nec Rogerium ritè inſtitutos fuiſſe declarauit, & per conſequens eius dignitatis collationem ad Sedem Apoſtolicam eſſe deuolutam: quæ pars deciſionis refertur in noſtro textu.

b *Elyenſi.*] De hac Eccleſia egi *in cap. paſtoralis* 11. *de reſcriptis.*

c *Caſtren.*] Legendum exiſtimo Ciceſtren. Ciceſtrenſis enim Eccleſia eſt Epiſcopalis, ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo. 2.

d *Noruan.*] Ita legitur *in d. cap. conſtitutus* 30. ſed legendum puto *Norwicen.* quia in Anglia nulla eſt Eccleſia Noruan. ſed tantùm Norwicenſis, de qua egi *in cap. ſi autem, de reſcriptis.* 3.

e *Richemundiæ.*] Eſt dignitas Eccleſiæ Eborac. de qua Cuiacius *in d. cap. conſtitutus, cap. poſt* 5. & eius mentio fit *in cap. conſtitutus, de teſt. cap. cùm veniſſet, de inſtit.* apud Hobedenum *in Ioanne Matth.* Pariſ. *ad annum* 1255. 4.

CAPVT IV.

a Idem *Magiſtro P. de Caſtro, & R. monach. Fontis Frigidi, Apoſt. Sed. Legato.*

PEr litteras veſtræ diſcretionis accepimus. *Et infrà*: Quod in quibuſdam Eccleſiis legationi veſtræ ſubiectis, quædam beneficia, & dignitates tanto tempore vacaſſent, quod tam Prælati, quàm Capitula ſecundùm tenorem Later. Concil. eſſent iure inſtituendi priuati: qui poſtquam veſter aduentus innotuit, in beneficiis illis perſonas minùs idoneas inſtituere præſumpſerunt. Vnde cùm receperitis conſilium à viris peritis, vt tales inſtitutiones ab his, quorum non intererat, & qui propriâ culpâ iure inſtituendi ſe priuauerant, factas auctoritate Ap. caſſaretis, noſtrum priùs in hoc decreuiſtis conſilium habere. Nos igitur inquiſitioni veſtræ taliter reſpondemus, per A. ſ. m. quatenus ſi beneficia, vel dignitates ipſas noueritis perſonis idoneis aſſignatas, ea de patientia permittatis ab ipſis pacificè poſſideri; alioquin perſonas ipſas amouentes prorſus ab ipſis, eadem perſonis idoneis b auctoritate noſtrâ ſuffulti, non differatis quantò citiùs ordinare.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap. finali*, quæ inſcriptio reponenda, & exponenda eſt ex traditis *in cap. per inquiſitionem, de elect.* 1.

b *Auctoritate noſtra.*] Quando, & quibus Legatis competat ius conferendi beneficia, exponemus *in cap. dilectus, de officio Leg.* 2.

CAPVT V.

Epiſcopo, & a Cantori b Zamoren. & Abbati de c Morerola, diœceſis Zamorenſis.

DIlecto filio noſtro P. tit. S. d Marcelli Preſbytero Card. bonæ memoriæ A. e Theſaurario Salamantin... f Paſchaſij, & Domino g Garciæ Clericorum procuratoribus apud Sedem Apoſtolicam conſtitutis, auditore conceſſo: idem Theſaurarius propoſuit coram eo, quod cùm in h Salamantin. Eccleſia, in qua Cantoris electio ad i Epiſcopum, & Capitulum communiter pertinet, Cantoriâ vacante dictum Capitulum ſæpius Epiſcopum monuiſſet, vt ad celebrandam Cantoris electionem cum eo pariter conueniret: eodem Epiſcopo infra ſemeſtre tempus id facere negligente, Capitulum vti cupiens iure ſuo, in Eccleſiæ memoratæ Capitulo, ſicut eſt moris, ſupradictum Paſchaſium eiuſdem loci Canonicum in Cantorem elegit, ne quid in eiuſdem electionis præiudicium fieret, appellando, quam ſupradictus Theſaurarius

auctoritate petiit Apostolica confirmari, ac electionem, quam vener. frater noster i Compostellanus Archiepiscopus post appellationem huiusmodi, de G. clerico multis criminibus irretito, ac tunc temporis vinculo [k] excommunicationis astricto, minùs canonicè celebrauerat, cassari. Dictus verò Dominicus proposuit ex aduerso, quòd emenso sex mensium spatio, infra quod ad Episcopum, & Capitulum Cantoris electio pertinebat, Decanus, & quidam Canonici Salamantin. Episcopo, Archidiacono, & nonnullis Canonicis, qui præsentes in ciuitate aderant, inconsultis, non consuetâ horâ, vel in Capitulo, iuxta morem, sed in [l] Ecclesia potiùs, quibusdam laicis aduocatis, stantes, & inordinatè nimis eligere præsumpserunt. Et cùm iamdicti Archiepiscopi, qui eosdem propter hoc euocauerat, adire præsentiam noluissent, ipse intelligens eligendi auctoritatem ad se iuxta Lateran. statutum Concilij deuolutam, supradictum G. in Cantorem elegit, & eundem fecit de Cantoria corporaliter inuestiri. Postmodùm autem Decanus, & sui complices nobis, de his mentione non habitâ, suggerendo quod Episcopus, qui monitus sæpiùs infra sex menses eligere noluerat, in Ecclesiæ detrimentum, Cantore, qui ab eodem Decano cum maiori parte Capituli institutus fuerat, spoliato, alium instituerat in Cantorem, ad Decanum, Archidiaconum, & Archipresbyterum [m] Abulen. nostras litteras impetrauit. Quarum auctoritate, cùm supradictus G. ab eisdem fuisset iudicibus euocatus, eisdem inhibuit, nè per dictas litteras procederent contra eum, cùm in eis de sua electione facta per Archiepiscopum nulla mentio haberetur. Et tum propter hoc, tum etiam quia prima citatione ad loca remotâ peremptoriè citatus extiterat; tum etiam quia iudices, quosdam ex electoribus dicti P. consanguinitatis linea contingebant, ad Sed. Apost. appellauit. Sed iudices nihilominus Salamantinam accedentes Ecclesiam, sæpedictum P. in Cantoriæ possessionem [n] causâ rei seruandæ contra iustitiam induxerunt. Cùm igitur super his, & aliis coram eodem Cardin. procuratores ipsi aliquandiu litigassent, & ipse nobis fideliter retulisset, quæ proposita fuerant coram eo; quia nobis constitit à supradicto Decano, & eius sequacibus, post elapsum sex mensium spatium, infra quod Episcopo & Capitulo memoratis, provt communiter spectabât ad eos, procedere ad Cantoris electionem neglexerant, electionem supradicti P. minùs canonicè fuisse celebratam, eandem decreuimus irritam, & inânem, & appellationem ab eodem Decano, & suis fautoribus interpositam, factum Archiepiscopi, ad quem iam erat eligendi auctoritas deuoluta, nequiuisse aliquatenus impedire. Quia verò contra personam ipsius G. quædam obiecta fuerunt, de quibus nobis non potuit fieri plena fides: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus nisi iamdicto G. aliquid canonicum obuiet, electionem de ipso factam, sublato appellationis obstaculo confirmetis: facientes ipsum eiusdem Cantoriæ pacifica possessione gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam compescentes. Quod si non omnes, &c. tu ea, frater Episcope, cum eorum altero, &c. Datum Lateran. v. Cal. Nouemb. [o] anno XIII.

NOTÆ.

a *Cantori.*] Siue Præcentori, cui sæpesæpius litteras à Sede Apostolica mitti, & causas delegari, notaui *in cap. ad aures, de rescriptis.*

1. ZAMORA VBI. b *Zamorensi.*] Ita restituenda est inscriptio huius textus ex ipso regestro epistolarum Innocentij III. edito à Bosqueto, vbi *lib. 1. regest. 13. epist. 157.* reperitur hæc decretalis. Zamora vrbs perantiqua est in veteri Castella, quam nonnulli ex mediæ ætatis scriptoribus dixere Numantiam, quod pluribus recentioribus Hispaniæ historicis non placet, nec topographiæ illius ciuitatis conuenit. Illud tamen absque dubio est, tempore Romanorum nobilem ciuitatem fuisse, à Sarracenis posteà sæpesæpius deuastatam, quam demùm Alphonsus III. Legionensis Rex instaurauit, vt ipsius etymon tradens, refert Rodericus Toletanus *lib. histor. Hisp. cap. 16.* ibi: *Cùm Rex ipse locum ascenderet ad videndum, satelles quidam, qui inter cæteros Regem cum spiculo præcedebat, vaccam nigram dicitur inuenisse, quam volens rusticam applausûs vocabulo delinire, fertur dixisse ZAMORA. Vaccas enim eius coloris Hispani armentarij Moras vocant, vnde Rex Zomoram nomen indidit ciuitati.* Alias huius nominis rationes tradunt Basseus *in chron. anno* 884. Tamayo de Salazar *in martyrolog. Hispan. tom. 5. die 5. Octobris.* Plura de huius ciuitatis dignitate, & antiquitate Ambrosius de Morales *historiæ Hispan. lib. 15. cap. 27. & lib. 16. cap. 18. & 45.* Medina *lib. 1. magnit. Hispan. cap. 82. & lib. 2. cap. 84.* Aldrete *in antiquit. Hispan. lib. 1. cap. 4.* Habuit hæc ciuitas Ecclesiam Cathedralem iam à principio Ecclesiæ, siquidem apud Marcum Maximum anno 520. reperitur Quitanus eius Episcopus; & in Concilio Lucensi celebrato anno 569. fines huius Episcopatus describuntur. Eius Ecclesiæ Prælato D. Petro missa est hæc decisio. Etiam reperitur mentio huius Ecclesiæ *in cap. ad audientiam 34. cap. cùm parati 19. cap. dilecto 69. de appellat. cap. olim 16. de restitut. spoliat.* 2.

c *Morerola.*] Celebre monasterium est in diœcesi Zamorensi, erectum anno 985. à Sancto Atilano & Froylano, sub nomine D. Iacobi de Moreruela: & licèt ex eo anno vsque ad annum

num 1144. in eo habitaſſent monachi Benedictini, anno tamen 1144. datum, & aſſignatum fuit monachis Ciſtercienſibus, & ſub patrocinio B. Mariæ inſtauratum, vt conſtat ex quibuſdam donationibus Regum Hiſpaniæ, quas refert Yepes *chron. D. Benedicti centuria 6. cap. 2. & 3.* ex quibus depromitur, noſtri Innocentij temporibus monaſterium illud regi per monachos Ciſtercienſes.

d *Marcelli.*] Ita legendum eſt, non Marcellini; titulus enim S. Marcelli eſt Preſbyteri Cardinalis, qui ſpectat ad Baſilicam S. Pauli, vt refert Cohelius *in notit. Cardin. cap. 2.*

3. e *Theſaurario.*] Ita Theſaurarius dictus eſt à cuſtodia theſauri Eccleſiæ, quæ ad ipſum ſpectat. Iſidorus *in cap. perlectis, §. ad theſaurarium, 25. diſt.* Græca voce dicitur Cimiliarcha, *l. vlt. §. vlt. C. de bonis auctorit. iudicis.* Inſpecto iure communi theſaurarius tantùm officium in Eccleſia obtinebat, ſed iam ex conſuetudine omnium ferè Eccleſiarum dignitatem obtinet. Plura de officio theſaurarij adducunt Cæſar *de Eccleſ. hierarch. quæſt. 2. præmial. §. 5. num. 4.* Petrus Gregorius *lib. 15. ſyntag. cap. 39. num. 3.* Azor *2. p. inſtit. lib. 3. cap. 16. q. 5.* Barboſa *de Canonicis cap. 8.* & nos aliqua adducemus *in cap. 1. de officio cuſtodis.*

f *Paſchaſij.*] Is fuit electus à Capitulo Salmantino.

g *Garciæ.*] Qui fuit electus ab Archiepiſcopo Compoſtellano.

4. h *Salmantinæ.*] Salmantica dulcis patria noſtra, SALMANTICA VBI. eſt perantiqua ciuitas in veteri Caſtella, in Regno Legionenſi, non ſolùm antiquitate, & ciuium nobilitate admodum clara, verùm & omnium litterarum Gymnaſio, celebrique Academiâ, apud omnes nationes celebratiſſima; adeoque celebris, vt præconiis debitis commendari non valeat. Plura de eius antiquitate, & topographia tradunt Ægidius Gonzalez Regius chronographus *in eius hiſtoria*; & in theatro ipſius Eccleſiæ Tamayo de Salazar *tom. 3. martyrolog. die 13. Maij.* Habuit Eccleſiam Cathedralem à temporibus D. Iacobi, cuius diſcipulus S. Secundus fidem in ea prædicauit. In diuiſione Epiſcopatuum ab Vbamba Rege Gothorum facta, ita cauetur: *Salmantica hæc teneat de Albenia vſque Sotobram, de Ruſſa vſque Siberam.* Eius Eccleſiæ Præſules referunt Gonzalez, & Salazar *vbi ſuprà*, ex quorum catalogis conſtat, Epiſcopum, de quo in hoc textu, fuiſſe Gundiſaluum huius nominis quartum, qui floruit per annum 1210. quo noſtri textus deciſio facta fuit. Alia dabimus *in cap. 18. de cenſibus.*

5. i *Epiſcopo & Capitulo.*] In aliquibus Eccleſiis collatio præbendarum ſpectat ad Capitulum tantùm, in aliis verò ad Capitulum & Epiſcopum ſimul, *cap. 2. ne ſede vacante*, vbi dicemus: vnde in Eccleſia Salmantina electio Cantoris, quem vulgò dicimus *Chantre*, noſtri Innocentij temporibus ſpectabat ad Capitulum, & Epiſcopum ſimul: hodie tamen, ſi in ea Eccleſia dignitas, aut præbenda non in menſibus ordinariis vacat, ſeruatur alternatiua inter Epiſcopum & Capitulum, ita vt conferente Epiſcopo vnam præbendam, in alia datur optio Capitularium, & ſic deinceps turnus ſeruatur.

6. j *Compoſtellanus.*] D. Petrus Suarez, de quo *in cap. ecclesiarum, de auctorit. & vſu pallij*, aliqua adduxi: cùm enim Eccleſia Salmantina eſſet ſuffraganea Emeritenſis, & Metropolis Emeritenſis tranſlata fuiſſet in Compoſtellam, ideò nunc vt ſuffraganea ſubeſt Compoſtellano Archiepiſcopo.

k *Excommunicationis.*] Quæ ſi vera eſſet, impediret eius electionem, *cap. poſtulaſti, de clerico excomm.* probaui *in cap. venerabilem, verbo Excommunicatum, de elect.*

7. l *In Eccleſia.*] De loco & hora electionis canonicæ egi *in cap. in cauſis, de electione.*

m *Abulen.*] Abulenſis ciuitas eſt Hiſpaniæ Citerioris nobilis vrbs, inter Salmanticam, & Segobiam, Epiſcopali Cathedrâ iam à primis Eccleſiæ ſæculis decorata, de cuius origine & magnitudine agunt P. F. Ludouicus de Arz *in hiſtoria ipſius ciuitatis*, Ciancha *in vita S. Secundi, lib. 2. cap. 28.* Ægidius Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ*, Tamayo à Salazar *tom. 1. Martyrol. Hiſp. die 20. menſis Februarij.*

n *Causâ ſeruandæ.*] Cùm in cauſis beneficialibus non poſſit fieri miſſio in poſſeſſionem ex primo decreto, *cap. 1. de eo qui mittitur in poſſeſſ. lib. 6.* vt dicemus *in cap. quoniam, vt lite non conteſt.* ideò in præſenti talis miſſio rei ſeuandæ non admittitur.

o *Anno XIII.*] Qui eſt Chriſti 1210.

COMMENTARIVM.

8. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX his quatuor epiſtolis decretalibus, quæ ferè eandem continent deciſionem & ſententiam, ſequentem deduco diſputandam aſſertionem: *Is ad quem ſpectat collatio beneficiorum, elapſo ſemeſtri illa conferre non valet; & ſi conferat, collatio eſt nullius momenti, niſi ex æquitate ſuſtineatur; eius autem negligentiam ſupplet immediatus ſuperior.* Probant textus *in cap. poſtquam, 50. diſt. cap. obeuntibus, 63. diſt. cap. cùm acceſſiſſent, de conſtit. cap. ne pro defectu 41. cap. vlt. de elect. cap. dilecti 12. cap. multa 28. §. is quoque, de præbend. cap. nulla 2. §. cùm verò, cap. quia 5. cap. poſtulaſtis 15. de conceſſ. præb. cap. propoſuit, de clerico excomm. cap. quam ſit, cap. quamquam, de elect. in 6. cap. vlt. de iurepatron. eodem lib. Clementina vnica, hoc tit.* conſonat lex 8. *tit. 16. partit. 1.* Illuſtrant Rebuffus *in praxi, tit. de deuolutionibus*, Garcia *de beneficiis p. 10. cap. 2.* plures congeſti à Barboſa *in præſenti, & de poteſt. Epiſcop. alleg. 126. num. 80.* quibus addendi ſunt Petrus Gregorius *lib. 19. ſyntagm. cap. 9. & in cap. cùm acceſſiſſent, de conſtit. num. 6.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 28.* Gonzalez *ad regul. 8. gloſſa 3. præmial. num. 4.* Azor *lib. 3. moral. cap. 39.* Lotherius *lib. 2. de re benefic. q. 24.* Boſquetus *ad Innocent. lib. 1. epiſt. 155.* Dartis *de beneficiis cap. 5.* Duarenus *lib. 5. de ſacris elect. cap. 5.* Hallier. *de hierarch. eccleſiaſt. pag. 483.* Lauorus *de elect. cap. 18.* Cironius *in cap. 3. de elect. in 5. compil.* Salgado *de protect. 3. p. cap. 11. num. 3.* Valenſis *de beneficiis lib. 1. tit. 21.* Alteſſerra *in præſenti.*

9. RATIO DVBITANDI.

Sed hæc aſſertio, quæ varias continet partes, diuerſas etiam patitur dubitandi rationes; & primò aduersùs eam partem, in qua deciditur, tempus conceſſum & aſſignatum electionibus eſſe ſemeſtre, & eo elapſo, electionem deuolui ad ſuperiorem, ita inſurgitur. Si electores negligant eligere Epiſcopum, Abbatem, ſeu Prælatum regularem per tres menſes, electio ad ſuperiorem deuoluitur, *cap. poſtquam, 50. diſt. cap. obeuntibus 63. diſt. cap. ne pro defectu, de elect. cap. quam ſit, eod. tit. in 6.* igitur tempus electioni, ſeu collationi beneficiorum, & dignitatum aſſignatum non eſt ſemeſtre, ſed trimeſtre. Secundò aduersùs eam partem, vbi aſſeritur, elapſo ſemeſtri à Concilio

Later.

Later. præscripto, non esse locum pœnitentiæ, nec moram purgari posse, & sic electionem postea factam non sustineri, obstat ea iuris consideratio: nam moræ purgatio admittitur, tam iure Pontificio, quàm Cæsareo. Iure Pontificio in canone per biennium non soluto; si enim soluatur postea, mora purgatur, *cap. potuit, de locato:* in restitutione rei Ecclesiæ iam alienatæ, *cap. si quis Presbyterorum, de rebus Ecclesiæ:* item *in cap. consuluit, de officio delegat.* Iure ciuili notum est, vt *in lege & si post tres, ff. si quis cautionibus, l. sancimus, C. de fideiussorib.* & aliis plurimis congestis à Ferreto *in tract. de mora*, Pichardo *eod. tract. de morę purgatione:* igitur similiter in nostro casu mora purgari poterat, & etiam post lapsum semestre re integrà beneficium conferri valebat. Augetur hæc difficultas *ex cap. litteras, hoc tit.* suprà relato, vbi collatio beneficij facta post tempus semestris elapsum sustinetur: igitur quia mora etiam in præsenti casu purgari potest. Tertiò aduersus eam partem assertionis, vbi docetur negligentiam collatoris suppleri ab immediato superiore, ita insurgitur: æqualiter ius eligendi deuoluitur ad superiorem, cùm tempus statutum à Concilio Lateran. elapsum est, ac quando eligitur persona indigna; quia tunc in pœnam improbæ electionis elector priuatur iure eligendi, & deuoluitur electio ad superiorem, *cap. cùm in cunctis, §. fin.* vbi dixi, *de elect.* docet Valensis *vbi suprà, tit. 20. num. 3.* sed cùm ius eligendi deuoluitur in pœnam improbæ electionis, deuolutio fit ad R. Pontificem, non verò ad immediatum superiorem, *cap. quamquam, de elect. in 6.* igitur similiter in præsenti casu electio non ad proximum superiorem, sed ad Pontificem fieri debet.

10. Revolvtio qv. d.

His difficultatibus minimè obstantibus vera est suprà tradita assertio, ad cuius expositionem, & huius deuolutionis plenam cognitionem aliqua sunt prælibanda. Et primò sciendum est, negligentiam conferendi beneficia, quorum collatio aut iure, aut consuetudine ad inferiores Prælatos spectat, elapso tempore per superiores suppleri, & hoc ius, tam ab scholasticis, quàm forensibus, ius deuolutum, seu deuolutiuum appellari. Nec impropriè; sic enim & Iureconsulti hæreditates, tutelas, bona deuolui dicunt *in l. ad fiscum, ff. rerum amotarum, l. si quis sub conditione, ff. de testam. tutelà, l. pupilli, ff. de solutionib. l. in fraudem, ff. de iure fisci*, & aliis congestis à Brissonio, Caluino, & aliis lexicographis *verbo Deuolui.* Hoc ius etiam politiores caducum appellant, non aliter ac Iurisconsulti caducum legatum, caducam hæreditatem, bona caduca dixerunt *in l. item veniunt 20. ff. de petit. hæredit. l. si quis officium, l. dote, ff. de ritu nupt. l. 3. ff. de his quæ in testam.* obseruauit Duarenus *lib. 5. de sacris eccles. cap. 5.* illustrat more solito magnus Præceptor D. Franciscus Ramos *ad leg. Iuliam, & Papiam, cap. 3.* Hoc igitur ius deuolutiuum datur in omnibus dignitatibus, & beneficiis ecclesiasticis, siue sæcularibus, siue regularibus, *Clement. vnica, hoc tit.* tam in maioribus, Episcopatibus videlicet, Abbatiis, & similibus, quàm in inferioribus, etiam in beneficiis parochialibus, quorum collatio præuio examine fieri debet, iuxta Trident. Concilium *sess. 14. de reform. cap. 18.* in illis enim si detur Episcopi negligentia, ius conferendi ad superiorem spectat. Garcia *de beneficiis d. p. 10. cap. 2. num. 7.* Hoc etiam ius deuolutiuum locum habet in Xenodochiis, hospitalibus, & aliis piis locis, si conferantur in titulum beneficij, iuxta textum *in Clement. contingit, §. qui autem, de relig. dom.* Rebuffus *in praxi, tit. de deuolut.* Garcia *d. cap. 2. num. 8.* Si autem conferantur sine titulo beneficij, vt *in Clement. per litteras, de præb.* quia nullum tempus præfixum est à iure ad eorum prouisionem, deuolutioni locus non est, Gonzalez *dicto §. 4. num. 4.* Idem etiam ius deuolutium datur in Capellaniis collatiuis, vt sunt illæ, quæ cum auctoritate Episcopi eriguntur; in illis enim etiam suppletur negligentia per superiorem. Lara *de capellaniis lib. 2. cap. 1. num. 16.* Nec interest quod Capellaniæ conferantur per electionem, aut præsentationem; si enim præsentatio spectet ad patronum ecclesiasticum, elapso semestri, intra quem tenetur præsentare, deuoluitur ius præsentandi ad Episcopum; & quia in patrono laico quadrimestre tantùm præscriptum est, eo elapso similiter ius præsentandi deuoluitur ad collatorem, *cap. 3. in fine, cap. cùm propter 27. de iurepatron. cap. vnico, §. verùm, eodem tit. in 6.* docent Lambertinus *de iurepatron. lib. 1. p. 1. q. 1. art. 8. & lib. 2. p. 2. q. 1. princip. art. 4.* Spino *in speculo testam. glossa 4. princip. num. 73.* Cabedo *de patron. Regiæ Coronæ, cap. 28. num. 2.* Corrasius *de beneficiis p. 2. cap. 3. num. 12.* & quia iuspatronatus mixtum, ecclesiasticum videlicet, & sæculare, habetur pro ecclesiastico, nisi elapso semestri non deuoluitur collatio ad collatorem.

11. Tempvs semestris vtile.

Secundò sciendum, quod cùm tempus præscriptum à iure aliud sit vtile, aliud continuum, quod vtili opponitur *in l. mariti 29. §. sex, ff. ad leg. Iul. de adult.* continui mentio fit *in l. aduliter 5. C. de adult. in l. finali, C. de temp. in integ. restit. in l. genero 8. versic. 1. ff. de his qui notant. infamia, §. qui autem, Instit. de excusat. tutor. l. finali, C. de dolo, l. 4. ff. de colluss. deteg. l. 3. ff. de vsucap.* vtilis autem mentio fit *in l. in annos, ff. de calumniat. l. sciendum 19. §. tempus, l. cùm lex 55. ff. de ædilitio edicto, l. 1. ff. de iuris & facti ignor. l. 2. ff. quis ordo in bonor. possess.* videamus quomodo accipiatur tempus in præsenti præscriptum, cùm plurimùm interfit, an continuum sit, an vtile: nam illud perpetuò currit, neque excipitur ab eo aliqua dies prætextu festi, aut absentiæ, infirmitatis, aut alterius iusti impedimenti: ab vtili autem excipiuntur dies, quibus iustâ causâ, aut impedimento detentus quis agere non potest, de quibus *in l. 1. ff. de diuersis & temporalib. præscript.* notarunt Cuiacius *lib. 2. obseru. cap. 6.* Sfortia *tract. de in integrum restit. p. 1. q. 19. art. 3.* & tempus continuum ignorantibus currit, *dict. l. genero, versic. 1.* & dicendum est tempus hoc assignatum à Concilio Lateran. esse vtile, non continuum; & non à die vacationis, sed à die scientiæ vacationis computari, *cap. quia diuersitatem, de conces. præbendæ, Clement. vnica, eod. tit.* argumento legis finalis *in fine, ff. quis ordo in bonorum possess.* Docent Lambertinus *de iurepatron. p. 2. q. 1. art. 8. num. 1.* Flores de Mena *lib. 1. q. 4. num. 8.* Barbosa *allegat. 58. num. 7. & alleg. 126. num. 42.* Cùm enim hoc deuolutionis ius sit introductum in pœnam negligentis conferre, vt coerceatur eius negligentia, quæ absque scientia dari non potest, *cap. 2. de constitut. cap. cùm voluntate, de sententia excomm.* rectè asserimus hoc tempus semestris esse vtile, & non computari à die vacationis, sed à die scientiæ. Nec obstat si dicas, in dubio, cùm tempus à iure præfinitum est, non vtile, sed continuum iudicari, *l. nunquam, §. 1. ff. de vsucap. l. 1. §. dies 7. ff. quando*

vtile, ſed continuum iudicari, *l. nunquam*, §. 1. *ff. de vſucap. l.* 1. §. *dies* 7. *ff. quando appellandum, l. capite* 25. *ff. ad leg. Iuliam de adult. l.* 4. *ff. de pœnis, l. vlt.* §. *quotiens, ff. de public. l. Thais* 41. §. *infrà, ff. de fideicommiſſ. libert. l. vlt. C. de dolo l. vlt. C. de tempor. in integ. l. ſeruus* 14. §. *vlt. iuncta l.* 4. §. *ſi Stichus, ff. de ſtatuliberis:* docent Tiraquellus *de retract. gloſſa* 11. §. 1. *num.* 21. Donellus ſibi contrarius *lib.* 5. *comment. cap.* 21. Oſualdus *lib.* 1. *Donelli cap.* 18. *littera. D.* Franciſcus de Amaya *lib.* 1. *obſerv. cap.* 18. *num.* 5. nam licèt in his iuris locis tempus continuum, non verò vtile iudicetur; in aliis tamen iuris vtriuſque teſtimoniis contrarium deciditur, vtile videlicet, non continuum tempus exiſtimari, vt *in l.* 1. §. *annus* 39. *ff. de vi, & vi, l.* 3. *C. de ædilitiis, l. ſciendum*, §. *vlt. ff. de ædilitio edicto, l. ſi cum exceptione* 12. §. *poſt annum, ff. quod metus causâ, l. interdum* 19. *ff. de minoribus, l.* 3. *ff. de calumniatoribus, l.* 2. *ff. quis ordo in bonorum poſſeſſione, l.* 1. *ff. de diuerſis, l.* 3. *in fine, ff. de accuſat. l. ſi hæreditas* 28. *ff. de ſtatuliberis, l. ſi in diem* 46. *ff. de condit. & demonſtr. l. quamdiu* 6. *C. qui admitti, Authentica Niſi, C. de bonis matern. l. vlt. in principio, C. de iure delib. l. in rebus* 30. *C. de iure dot. l.* 1. *C. de annali except. cap. computationi, de appellat. cap.* 1. *de in integr. reſtit. lib.* 6. docet Goueanus *lib.* 1. *variar. cap.* 10. pro quorum textuum conciliatione diſcrimen eſt conſtituendum inter eum caſum, in quo præſcriptum eſt tempus à lege in odium negligentis; & inter eum, in quo præfixum eſt in alicuius gratiam. Primo caſu tempus vtile eſt; ſecundo verò continuum: vnde cùm ſemeſtre in Concilio Lateran. aſſignatum ſit præfixum in odium negligentis, vtile iudicatur, vt poſt claſſicos *in cap. ſtatutum* 3. *de præb. in* 6. docet Barboſa *dict. allegat.* 126. *num.* 44. qui etiam ſatisfacit deciſioni textus *in dict. cap. ſtatutum*, qui ſupradictæ doctrinæ opponi ſolet.

12. HOC TEMPVS NON CVRRIT IMPEDITO.

Deinde circa hoc ſemeſtre ſciendum eſt, non currere impedito, & ſic ob negligentiam inferioris legitimè impediti ius eligendi non deuolui ad ſuperiorem, *cap. ne pro defectu* 41. *cap. finali, de elect. cap.* 1. *hoc tit. in* 6. docent plures relati à Barboſa *in d. cap. quia* 5. & *allegat.* 38. Petrus Gregorius *lib.* 27. *ſyntag. cap.* 9. *num.* 31. & *de elect. cap.* 13. *num.* 12. Flores de Mena *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 6. Salgado *de protect. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 42. Suarez 2. *tomo de relig. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 33. Tamburinus, & alij relati à Hieronymo Garcia *tom.* 2. *polit. regul. fol.* 22. vulgò enim traditum eſt, contra impeditum agere, nec tempus, nec præſcriptionem currere, quia nihil eſt, quod illi imputari valeat, *cap.* 1. *cap. cùm nobis, cap. ex tranſmiſſa, de præſcript. l.* 1. §. *finali, C. de annal. except.* vnde in præſenti caſu, ceſſante cauſa negligentiæ, propter quam inducta fuit priuationis pœna, ceſſare debet Concilij Lateran. diſpoſitio. Vnde nunquam reſtitutio in integrum datur contra lapſum huius termini, quia ſi adeſſet iuſta cauſa reſtitutionis, impediretur curſus ipſius temporis, ſiue ſiſteret, vt conſiderat Gutierrez *lib.* 1. *canonic. q.* 28. *num.* 6. Dixi ſuprà, tempus hoc à die ſcientiæ, ſeu notitiæ computari, quod procedit remotis omnibus impedimentis, tam iuris, quàm facti, quæ de ſemeſtri decomputantur, modò culpa non ſit ordinata ad caſum impedimenti, Pinellus *in authent. niſi tricennale, num.* 46. *Cod. de bonis matern.* Gutierrez *vbi proximè, n.* 8. ſed ex ſe, & ex natura ſua, & à communiter accidentibus ſit ordinata, Barboſa *dict. alleg.* 126. *num.* 49. Menochius *caſu* 182. *num.* 49. Valenzuela *conſilio* 4. *ex num.* 71. Multò magis dicendum erit, tempus hoc non currere, ſi per dolum immediati collatoris factum ſit, quominus inferior non eligeret, *cap. poſtulaſti* 15. *de conceſſ. præb.* vbi Barboſa, & *alleg.* 126. *num.* 84. ne ex culpa ſua commodum reportet, Gonzalez *ad regul.* 8. §. 3. *præmial. ex num.* 38. Menochius *de arbitr. caſu* 182. *num.* 50. Rectè tamen notat Pinellus *vbi ſuprà, num.* 47. in hoc caſu non agi de præſcriptione, cuius effectus eſt tollere ius in futurum; ſed tantùm de ſiſtendo curſu temporis præfiniti ad actum gerendum, vt non currat vt decomputetur, propter impedimentum iuris aut facti: quæ doctrina ortum habuit ex præclaris deciſionibus legis 2. §. *ſi quis in iudicio*, legis 4. §. *illud, ff. ſi quis cautionibus*, legis *qui contractus, ff. de re militari.*

13. IMPVGNATVR TRADITA DOCTRINA.

Sed hæc doctrina impugnatur ſequenti conſideratione; nam impeditus, licèt per ſe eligere non poſſit, poteſt tamen procuratorem conſtituere ad eligendum, *cap. quia propter*, §. *abſentes, de elect.* docent Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbat. diſput.* 5. *quæſt.* 4. Layman *lib.* 4. *ſummæ, tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 4. plures apud Garciam *tom.* 2. *polit. regul. tract.* 9. *difficult.* 2. *dub.* 5. ergo illi imputandum eſt, cur non eligeret. Accedit nam patrono impedito, quominus poſſit eligere, ſeu præſentare, currit tempus à iure præfixum, *cap.* 3. *cap. cùm per te* 27. *de iurepatron.* vbi cùm patronus ob litem conteſtatam ſuper iurepatronatus eſſet impeditus quominus poſſet præſentare, illi currit tempus, & ſuppletur ab Epiſcopo negligentia: igitur impeditis currit tempus ad eligendum aſſignatum. Facit tandem textus *in cap.* 3. *de elect. in* 5. *compilat.* cuius verba, & interpretationem ſuprà adduximus *in cap. finali, de elect.* Sed primæ difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, impedimentum in eligente poſſe oriri ex facto, aut ex iure: ex facto, veluti ex abſentia; ex iure veluti ſi ſit excommunicatus. Vtroque caſu non currit tempus impedito, quando neque per ſe, nec per procuratorem poteſt eligere: ſi autem per ſe, aut per procuratorem eligere valet, currit tempus, quod nos vtique fatemur. Nec augmentum difficultatis refragatur, reſpondendum enim eſt, magnam differentiam verſari inter ius eligendi, & ius præſentandi; nam in iure eligendi non currit tempus legitimè impedito, etiam prætextu litis motæ; quia non poteſt negligens dici is, qui agit, & litigat, *l. contra mores, C. de inofficioſo teſtam. cap. cùm dilectus, de conſuet. cap.* 2. *de in integrum reſtit. cap. ex parte, de arbitris:* probant ordinarij repetentes *in dict. cap.* 3. *de iurepatron.* Aliud autem ſeruatur in iure præſentandi, *d. cap. cùm per te* 27. Ratio differentiæ ex eo prouenit, quia ius eligendi prouenit à iure communi, *cap.* 1. *de elect.* ius verò præſentandi ex mera gratia, *cap. decernimus* 16. *q.* 7. *cap.* 2. *de iurepatron.* contra ſummum ius, de quo *in cap. nouerint* 10. *q.* 1. *cap. omnes* 16. *q.* 1. vnde mirum non eſt, vt faciliùs admittatur ius præſentandi, quod eſt accidentale, quàm ius eligendi, quod eſt naturale, argumento textus *in l.* 3. *ff. de tutelis, l. cius* 34. §. *militiæ, ff. de teſtam. militis*; cùm quælibet res de facili reuertatur ad ſuam naturam, *l. ſi vnus*, §. *pactum, ff. de pactis:* vnde cùm iuſpatronatus inductum ſit contra iuris regulas, ex quibus præſentario

in

in omnibus Eccleſiis ſuæ diœceſis ſpectat ad Epiſcopum, ideò hoc ius faciliùs amittitur, & reuertitur ad ius commune, etiamſi ob litem conteſtatam impeditus ſit patronus. Aliæ etiam rationes expendi poſſunt, quas adducimus *in cap.* 1. *de iurepatron.*

14. DEVOLVTIO FIT IPSO IVRE.

Elapſo prædicto ſemeſtri, quod de momento ad momentum eſt computandum, vt ſtatutum eſt in aliis terminis à iure aſſignatis, vt in decennio ad appellandum præfixo, *cap. cùm dilectus* 32. *de elect. cap. concertationi, de appellat. in* 6. & ad apoſtolos petendos, *cap. ab eo, de appellat.* in menſe aſſignato beneficiis vacantibus in Curia, *cap. ſi autem, de præbendis in* 6. in confirmatione electionis petenda, *cap. cùm ſit, cap. cupientes, de election. in* 6. in duobus menſibus Epiſcopo ægrotanti aſſignatis *in cap.* 1. 5. *quæſt.* 4. in anno ad profeſſionem præſcripto *in cap.* 2. *cap. ſtatuimus, de regul.* & aliis congeſtis à Cironio *ad titul. de præſcript.* Elapſo igitur prædicto ſemeſtri, ſtatim abſque vlla ſententiæ prolatione elector negligens priuatur eligendi facultate, *cap.* 2. *& vlt. hoc tit.* Hoſtienſis *in ſumma huius tituli, num.* 7. vnde electio ab ipſo poſteà facta, nullius momenti eſt, ex generali regula, *Ea quæ fiunt, de regul. iuris in* 6. Barboſa *d. alleg.* 126. *num.* 56. qui huius doctrinæ varias ſubiicit limitationes, inter quas eam ab omnibus receptam inuenio, videlicet, etiam elapſo ſemeſtri poſſe electorem Eccleſiam vnire; quia diuerſum eſt vnire Eccleſiam, ac eam conferre. Rebuffus, Azor, & alij congeſti à Barboſa *vbi ſuprà, num.* 63.

15. HÆC DEVOLVTIO FIT GRADATIM.

Deinceps ſciendum eſt, hoc ius eligendi, quo inferiores priuantur in pœnam negligentiæ, deuolui ad ſuperiorem gradatim, veluti ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſic deinceps vſque ad R. Pontificem: diſtinguendi tamen ſunt in præſenti aliqui caſus. Primus eſt, cùm negligens eſt patronus in præſentatione; tunc enim deuoluitur ius præſentandi ad eum ſuperiorem, cui ius inſtitutionis, ſiue collationis ſpectat, *cap. vnico, de iurepatron. in* 6. Valenſis *dict. tit.* 20. *num.* 8. vnde ſi ad alium, quàm Epiſcopum ſpectet inſtitutio, ad eum deuoluitur ius præſentandi: docent Barboſa *vbi ſuprà, num.* 65. Dartis *de beneficiis cap.* 5. quod procedit ſiue patronus ſit laicus, ſiue clericus, ſeu perſona regularis; ſemper enim ad ordinarium collatorem deuoluitur ius præſentandi, *ex noſtro cap.* 2. *Clement. vnic. hoc tit.* ſed ſi beneficium ſit regulare, & præſentatio ſpectet ad communitatem regularem, deuolutio fit ad ſuperiorem regularem, vt ex dicta Clement. vnica deducunt Petrus Gregorius *lib.* 17. *ſyntagm. cap.* 9. *num.* 8. Barboſa 3. *p. allegat.* 126. *num.* 66. Valenzuela *conſilio* 103. *num.* 42. Secundus caſus euenit, cùm inferior Epiſcopo, non tanquam patronus, ſed aliquo iure ſpeciali, aut priuilegio munitus eligere valet; tunc enim eo negligente, ad Epiſcopum ius eligendi deuoluitur, ſi ille negligens ſubditus ſit; ſi verò exemptus reperiatur, ad R. Pontificem fit deuolutio, ex noſtro *capite licèt*, niſi fortè Epiſcopus non ſuâ, ſed Apoſtolicâ auctoritate procedat, *Clement. vnic. hoc tit.* docet Lotherius *vbi ſuprà, num.* 68. Tertius caſus conſideratur cùm electio competit Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, vt in pluribus Eccleſiis priuilegio, ac conſuetudine introductum eſt; quo caſu negligente Capitulo, electio deuoluitur ad Epiſcopum, qui eſt immediatus ſuperior, *cap. poſtulaſti, de conceſſ. præb.* Nec intereſt, quod etiam Epiſcopus vt Canonicus intereſſe poſſit huiuſmodi electioni; adhuc enim ad ipſum deuoluitur ius eligendi, *ex dict. cap. poſtulaſti*: ſed ſi ad ipſum Epiſcopum, & Capitulum ſimul ſpectet electio, tunc negligente Capitulo deuoluitur electio ad Metropolitanum, non verò ad Epiſcopum; quia cùm eo caſu vnum corpus cenſeatur, negligentia vtrique imputatur, *cap. nouit, de his quæ fiunt à Prælat.* non idem procedit cùm ob ſuſpenſionem, quâ ligati ſunt Canonici ipſius Capituli, eligere non poſſunt, quia tunc electio deuoluitur ad Epiſcopum, *cap. vnico, ne ſede vacante, lib.* 6. Quartus caſus contingit cùm electio ſpectat ad Epiſcopum tantùm; & diſtinguendum eſt, cùm electio ſpectat ad ipſum proprio iure, & cùm ſpectat iure ſingulari. Si proprio, & ordinario iure, eo negligente, ad Capitulum electio deuoluitur, *cap.* 2. *de conceſſ. præb.* ob rationem communionis, quæ inter Epiſcopum, & Capitulum datur, niſi Epiſcopus exemptus ſit, quia tunc ad R. Pontificem ius eligendi deuoluitur: textus expreſſus *in noſtro cap. licet*: ſi autem iure ſpeciali electio ad Epiſcopum ſpectet, eius negligentiam non Capitulum, ſed immmediatus ſuperior ſupplet. Barboſa, Dartis, & Valenſis *vbi proximè*, qui alios caſus proſequuntur.

16. RATIO DECIDENDI.

His ſuppoſitis ratio noſtræ concluſionis ex eo prouenit, ne defectu Paſtoris Eccleſia in ſpiritualibus, & temporalibus graue damnum patiatur. In ſpiritualibus graue damnum patitur, ſi lupus rapax gregem dominicum inuadat; ſi enim Paſtor abſit, incurſionibus variis ſuppoſita eſt Eccleſia, cùm Prælati officium ſit gregem ſibi commiſſum, & omnium vitam explorare, diuina docendo, vt inquit Apoſtolus. In temporalibus ſimiliter, ne Eccleſia damnum ſentiat amiſſione rerum: quare ſex menſes aſſignari fuerunt à Patribus Concilij Lateran. vt quilibet eligeret Prælatum, aliàs negligens iudicaretur; tempus enim ſex menſium ad negligentiam arguendam, & probandam ſolet præſcribi, *cap. ex tua, de clericis non reſid. l.* 1. *C. de dilationib. l. ſancimus, Cod. de appellat.* & quia elapſo prædicto ſemeſtri electores ipſo iure priuati ſunt facultate eligendi, ideò ſi poſteà eligant, nullius momenti eſt electio: & quia eorum negligentia per nullum alium rectiùs poteſt ſuppleri, quàm per immediatum ſuperiorem, *dict. cap. ne pro defectu*; ideò ſtatutum eſt, ſuperiorem immediatum debere eius negligentiam ſupplere, & eo etiam negligente per ſemeſtre tempus, alium immediatum ſuperiorem poſſe conferre beneficia vacantia. Faciunt etiam aliæ rationes adductæ *in cap. ne pro defectu, de elect.*

17. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Neque difficultates ſuprà expenſæ aduerſantur. Non prima, cui ſatisfaciendum eſt ex ſuprà traditis *in cap. ne pro defectu.* Non ſecunda, vbi dicebamus moram purgari poſſe in omnibus obligationibus faciendi. Nam reſpondetur, in noſtro caſu moram emendari non poſſe: tum quia elapſo vltimo momento ſemeſtris, abſque vlla interpellatione electio deuoluta eſt ad ſuperiorem; quare non poteſt per moræ emendationem redire ad negligentem, ne præiudicium ſuperiori irrogetur, cui ratione deuolutionis quæſitum fuit ius eligendi. Tum quia certum iuris principium eſt, quod vbi dies,

dies, & pœna à lege, vel ab homine apponuntur, non admittitur moræ emendatio, sed pœna elapso die statim committitur, *l. ad diem 77. ff. de verborum obligat. l. traiectitiæ 23. ff. de obligat. & act. l. magnam 13. Cod. de contrahenda stipulat. l. 2. Cod. de iure emphyteut.* docent Ferretus, & Pichardus *vbi suprà*. Vnde cùm in nostro casu elapso tempore, pœna priuationis statim sequatur, non potest per moræ emendationem euitari. Nec obstant textus *in dict. cap. litteras*; nam ibi ex dispensatione R. Pontificis sustinetur collatio elapso semestri facta, quæ iuxta iuris rigorem nulla erat. Nec tandem tertia difficultas refragatur: nam quando deuolutio fit ex causa delicti, quia indignus electus est, vel quia non est seruata forma Capituli *quia propter, de elect.* distinguendam est, an omnes, ad quos spectabat electio, peccauerint, an pars tantùm. Si omnes, in Ecclesiis Cathedralibus abrogatâ constitutione textus *in cap. cùm in cunctis*, electio non ad proximum superiorem, sed ad R. Pontificem deuoluitur, *ex dict. cap. quamquam, de elect. in 6.* in inferioribus verò Ecclesiis viget adhuc constitutio textus *in dict. cap. cùm in cunctis*. Secundo verò casu penes eos, qui non peccauerunt, ius eligendi residet, *cap. gratum, de postulat. Prælat.*

Sed adhuc superiori assertioni opponitur textus *in cap. constitutum 22. 7. quæst. 1.* in illis verbis: *Quod si neglexerit, anno expleto interuentor alius tribuatur.* In quibus verbis Patres Concilij Carthag. supponunt, tempus electionibus præscriptum esse annum, non verò semestre, & per negligentiam in eligendo non deuolui ius eligendi ad superiorem. Pro huius textus vera interpretatione sciendum est, in eo agi de interuentoribus, siue intercessoribus, qui olim assignabantur Ecclesiis viduatis, ne detrimentum paterentur, & vt futuri Prælati electionem curarent, à quibus ius commendarum originem sumpsisse, iam docuerunt Renatus Chopinus *lib. 1. monast. tit. 2. num. 6.* Lantdmeter. *de veteri cleric. & monach. lib. 2. cap. 54. in fine*, de eis egi *in cap. ne pro defectu*, in ratione dubitandi, *de elect.* Iubent ergo Patres, & statuunt in eo textu, quod si forsan Ecclesiam vacare contigerit diutiùs, non vltra annum intercessor protrahatur, sed eo remoto, alius apponatur: non tamen negant Patres, per hoc tempus deuolui ius eligendi ad superiorem, sed tantùm supponunt, Ecclesiam diutiùs vacasse. Alia dabimus *in cap. 2. de conces. præb.*

18. INTELLIGITVR TEXTVS IN CAP. CONSTITVTVM 7. q. 1.

TITVLVS XI.

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

CAPVT PRIMVM.

Alexander III. [a] *Bathon. Episcopo.*

SVBDIACONOS [b] autem nulli nisi Romano Pontifici liceat in diebus Dominicis ordinare, quamuis Deo dicatas virgines consecrandi, & minores ordines his diebus habeant licentiam celebrandi. Sabbato quidem Pentecostes non licet alicui sacros ordines celebrare, cùm in sequenti septimana, receptâ Spiritus sancti gratiâ, celebrentur.

NOTÆ.

1. a *Bathonienſi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & post Concilium Lateran. *part. 26. cap. 25.* vbi reperitur hic textus. Bathonienſis diœceſis est in Anglia, cùm enim Londini conuentus Episcoporum celebraretur, decretum ibi est, vt Cathedra Episcopalis ex oppido paruo in ciuitatem Bathoniæ transferretur, & sic ab eo tempore ciuitas Bathoniæ Ecclesiâ Cathedrali decoratur: refert Polydorus Vergilius *lib. 9. histor. Angliæ.* Eius Ecclesiæ Præsuli etiam rescribit noster Alexander *in cap. de illis, & sequenti, de despons. impuber.*

2. b *Subdiaconos.*] Temporibus Alexandri III. iam gradus Subdiaconatus sacer erat, & inter maiores numerabatur, *cap. 1. de clericis coniugat.* dicemus *in cap. à multis, de ætat. & qualit.*

CAPVT II.

Idem [a] *Herforden. Epiſcopo.*

SAnè ſuper eo, quod moris eſſe dixiſti in Eccleſiis quibuſdam [b] Scotiæ, & [c] Gualgæ, in [d] Dedicationibus Eccleſiarum, vel Altarium, extra ieiunia quatuor Temporum clericos ad ſacros Ordines promouere: pru. t. ſignificamus, quod conſuetudo illa, vtpote inſtitutioni eccleſiaſticæ inimica, & deteſtabilis eſt, & penitus improbanda: & niſi multitudo, & antiqua conſuetudo terræ eſſet, taliter ordinati non deberent permitti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Nam apud nos ſic ordinati deponerentur, & ordinantes priuarentur auctoritate ordinandi.

NOTÆ.

a *Herfordenſi.*] Herfordia ciuitas eſt Britanniæ, cuius Præſul ſubeſt, vt ſuffraganeus, Archiepiſcopo Cantuarienſi, vt referunt Polydorus Vergilius *lib.* 1. *hiſtoriæ*, *pag.*8. Carolus à S. Paulo *in geograph. ſacr. pag.* 166. Cuius Eccleſiæ Epiſcopo reſcribit Alexander *in præſenti*, & *in cap. ſequenti*, *in cap. intelleximus*, *de officio delegat. cap.* 1. *de dolo*, *cap. ſignificauit* 48. *de appellat. cap.*2. *de clericis coniugatis*, *cap. ex litteris* 7. *de iurepatron.*

b *Scotiæ.*] Scotia antiqua Caledonia dicta, magnæ Britanniæ pars Borealis eſt: Romanis ſubiectam non fuiſſe ex eo cognoſcitur, quod nulla eius mentio fit in notitia ciuili. Euangelij luce illuſtratatam fuiſſe ſub Cœleſtino Papa teſtantur Proſper Aquitanicus *anno* 434. *in chron.* ibi: *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cœleſtino Palladius*, *& primus Epiſcopus mittitur.* Beda *lib.*1. *hiſt. Angliæ*, *cap.*13. ibi: *Anno Dominicæ Incarnationis vigeſimo quadringenteſimotertio*, *Theodoſij Iunioris anno imperij* 8. *Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes à Pontifice Romanæ Eccleſiæ Cœleſtino primus Epiſcopus mittitur.* Plura de eius prouinciæ origine, & progreſſu tradunt Boëtius Leſleus, & Gregorius Buchananus *in ſuis hiſtoriis Scoticis*, Rogerius *in ..nal. Anglicis*, Guillelmus Candenus *in deſcriptione Scotiæ.* Eccleſia Scotiæ, licèt aliquando ab Eccleſia Romana diuiſa fuerit propter celebritatem Paſchæ, & vſum tonſuræ, vt refert Baronius *anno* 699. tamen ad vnitatem Eccleſiæ iam diu reuocata fuit.

c *Gualgæ.*] Legendum eſt *Vbaliæ.* Vbalia enim eſt tertia pars inſulæ, iuxta vmbilicum Angliæ: habet quatuor ſedes Epiſcopales, vt refert Vergilius *lib.* 1. *hiſtoriæ Angliæ*, *pag.* 8. Inter Vbaliam & Angliam terminum facit Herefordienſis ciuitas; vnde rectè in præſenti caſu commiſſum fuit Epiſcopo Herefordienſi examen conſuetudinis, quæ inualuerat in Scotia, & Vbalia.

d *Dedicationibus.*] Dedicationes Eccleſiarum, quæ communiter Encenia dicuntur, Paulus Diaconus *in Iuſtin.* Nicephorus Calixtus *lib.* 17. *hiſt. cap.* 27. acceptâ voce ab Hebræis, apud quos ſimiles feſtiuitates Encenia dicebantur, de quibus Dartis *in cap.* 1. *de conſecr. diſt.* 1. & altarium, non ſolùm proprio die celebrantur, verùm & quotannis Dedicationis ſolennitas debet celebrari, *cap. ſolennitates* 16. *de conſecr. diſt.* 1. Concilium Moguntin. ſub Carolo Magno, *cap.*36. Colonienſe 3. *part.*9. *cap.*11. & in Martyrologio Gallicano, Romano & Hiſpano paſſim recenſentur Dedicationes Eccleſiarum.

CAPVT III.

[a] Idem *eidem.*

DE eo autem, quod quæſiuit, an liceat extra ieiunia quatuor Temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolytos, aut etiam Subdiaconos promouere: taliter reſpondemus, quod licitum Epiſcopis eſt Dominicis, & aliis feſtiuis diebus vnum, aut [b] duos ad minores ordines promouere: ſed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor Temporibus, aut Sabbato ſancto, vel Sabbato ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquam R. Pontifici, liceat aliquos ordinare.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita etiam habetur in Concilio Lateran. *part.* 26. *cap.* 25. & *in* 2. *collect. ſub hoc tit.*

b *Aut duos.*] Gloſſa in præſenti, quam ſequuntur Sylueſter, & Innocentius in præſenti, exiſtimant non ſolùm duos, verùm plures poſſe ordinari, dummodò non fiant ordinationes generales.

COMMENTARIVM.

EX his tribus deciſionibus ſequentem deducunt communiter Interpretes aſſertionem: *Sacri ordines tantùm quatuor ieiuniorum Temporibus, & Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & Sabbato ſancto conferri poſſunt; minores verò gradus, & virginum conſecrationes diebus Dominicis, & feſtiuis: ſecus ordinatus ſuſpenditur; & qui ordinauit,*

nauit, punitur, non obstante contrariâ consuetudine. Probant textus *in cap. 1. dist. 55. cap. ordinationes, & per totam 75. dist.* Concilium Cabilon. 2. sub Carolo, *cap. 23.* ibi: *Presbyterorum, Diaconorum, & cæterorum graduum inferiorum ordinationes statutis temporibus fieri debere.* Vrbanus II. in Concilio Claromont. *act. 2. ante finem*, ibi: *Ne fiant ordinationes, nisi quatuor certis temporibus, & Sabbato mediante Quadragesima, & tunc protrahatur ieiunium vsque ad Vesperas; & si fieri potest, vsque ad crastinum.* Gregorius II. *ad Clerum & populum Turingiæ*, ibi: *Ordinationes verò Presbyterorum, siue Diaconorum, non nisi quarti, septimi, & decimi mensis ieiuniis; sed & in ingressu quadragesimali, atque medio Vespere Sabbati nouerit celebrandas.* Synodus Romana sub Zacharia, *can. 11.* ibi: *In multis Conciliis hoc statutum est, vt primi, quarti, septimi, & decimi mensis Sacerdotum fieri debeant ordinationes; aliqui enim ex nostris ignorantes annorum seriem, illicitam fecerunt ordinationem.* Zacharias Pontifex *epist. 5. ad Bonifacium*, ante finem: *De ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, cogente necessitate, & paupertate rogantium, non legitimis temporibus, & diebus à te promoueri, &c. Benè nosti, quod sacri canones dicunt, quod aptis temporibus Sacerdotes ordinentur.* Concilium Carthag. 3. *canon. 44.* Rothomag. sub Ioanne, *anno 1072.* Leo Pontifex *epist. 55. & epist. 79. cap. 1. & epist. 87.* Tridentin. *sess. 23. cap. 4.* Consonant lex 13. & 65. *tit. 5. part. 1.* alia iuris testimonia congesserunt Antonius August. *in epit. iuris, lib. 28. tit. 6.* Crespetius *in summa, verbo Ordines.* Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti, & lib. 1. iuris eccles. cap. 33. num. 177. & de potest. Episcop. allegat. 17.* & ad Concil. Tridentin. *dict. cap. 4.* Vazquez *3. part. in 3. disput. 246. cap. 5.* Seuerinus Binius *in notis ad epistol. Calixti*, Bellarminus *tom. 3. tract. de ieiuniis, cap. penult.* Suarez *de censuris disput. 31. sect. 1. num. 30.* Acuña, & I. Dartis *in dict. 75. dist.* Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 4. cap. 2. & de beneficiis cap. 37. numer. 34.* Tamburinus *de iure Abbat. 2. tom. disput. 2. quæst. 17.* Diana *2. part. tract. 15. resolut. 28.* Vighellius *in meth. iuris can. pag. 253.* Gibalinus *de censuris pag. 481.* Garcia *in summa, pag. 88.* Leander *tom. 2. de sacram. disput. 11. per totam.*

4. IMPVGNATVR ASSERTIO VARIIS RATIONIBVS.

Hæc assertio ita illustrata ingentes patitur dubitandi rationes. Prima nascitur ex facto Domini nostri, quod vitæ nostræ debet esse instructio, & exemplar, *cap. significasti 4. de elect.* sed legimus tantùm Dominum nostrum Apostolos sacris ordinibus initiasse quinta feria, nocte videlicet cœnæ maioris hebdomadæ: igitur tantùm ea die Presbyteri, & alij Ecclesiæ ministri ordinari valent. Fulcitur hæc consideratio; nam quia Dominus eo die confecit chrisma, in alio non possunt Episcopi illud consecrare, *cap. presbyteri 94. cap. omni 124. de consecr. dist. 4.* Synodus Meldensis *can. 46.* Basilius Legionensis *de confirm. cap. 3.* Vicecomes *de ritibus confirm. cap. 19.* Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorij, fol. 65.* Igitur similiter, quia Dominus ea nocte sacramentum ordinis, non alio tempore, vel die instituit, nequit in aliis diebus administrari. Secunda ex eo oritur; nam gradus Episcopalis, & quatuor minores, non minùs spectant ad sacramentum ordinis, quàm tres gradus maiores; siue sacri: sed gradus Episcopalis, & quatuor minores quolibet die Dominico conferri possunt, *ex nostro cap. 1. cap. quanto, 75. dist.* docent Salcedo *in praxi, cap. 26.* Bernal. *de Sacrament. disput. 46. sect. 3. num. 18.* Ysambertus *in 3. part. D. Thomæ, de sacram. Ordin. disput. 1. art. 3. num. 6.* Hallier. *vbi suprà, cap. 2. art. 1.* igitur etiam gradus maiores omnibus diebus Dominicis conferri valent. Tertia difficultas insurgit aduersus eam partem deductam *ex cap. 2. hoc tit.* in qua improbatur consuetudo conferendi sacros ordines in diebus festiuis; nam consuetudo Ecclesiæ Orientalis seruatur, & admittitur, quâ introductum est, vt omnibus diebus indistinctè liceat maiores ordines conferre, vt testantur Glossa *in cap. cùm secundùm, hoc tit.* Hallier. *vbi suprà, art. 5.* & consuetudine introduci posse, vt quatuor minores Ordines vno die contra iuris dispositionem conferantur, docetur *in cap. 2. de eo qui furtiuè:* igitur consuetudo Scotiæ, per quam introductum erat, vt in diebus festiuis maiores ordines conferri possent, obseruari debebat. Quartò aduersùs eam partem nostræ conclusionis, deductam *ex cap. 1. hoc tit.* vbi docetur omnibus diebus Dominicis Virgines consecrari posse, obstant textus *in cap. deuotis 20. quæst. 1.* ibi: *Deuotis Deo virginibus, nisi aut Epiphaniarum die, aut in aliis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis sacrum velamen minimè imponatur.* Et *cap. virgines, ead. quæst.* & non sunt consecrandæ nisi in Epiphania, ac in Sabbato Paschæ, & in Apostolorum natalitiis. Ex quibus expressè probatur, non licere omnibus diebus Dominicis virgines consecrare.

5. DE IEIVNIO QVATVOR TEMPORVM.

His difficultatibus minimè obstantibus vera est supradicta assertio: pro cuius expositione primò sciendum est, inter alia ieiunia ab Apostolis, & eorum successoribus in Ecclesia statuta, recenseri ieiunium quatuor temporum, quod ab Apostolica institutione prouenire credimus, cùm nullo œcumenico Concilio statutum reperiatur: de eo agitur *in cap. 1.* vbi loco eorum verborum, *quod ter*, legendum esse, *quater*, iam notauit Baronius *ad annum 226. num. 25.* & *in cap. de ieiunio, cap. statuimus, cum sequentibus, 76. dist. cap. ordinationes, 75. dist.* Concilium Aurelian. *can. 27.* aliàs 29. Gerundense *can. 2.* Cæsaraugust. *can. 2.* Trosleianum *can. 15.* Lemouicense *act. 2.* Damasus *in vita Calixti*, Leo *sermon. 1. de ieiunio*, Isidorus *lib. 1. de diuin. officiis, cap. 37. 38. & 39.* & alij Patres, tam Latini, quàm Græci, relati ab Antonio Augustino *in epit. iuris lib. 21. tit. 19.* Bellarmino *tom. 3. controu. tit. de ieiuniis*, Vinio *in notis ad epistol. Calixti Papæ.* Quod ieiunium à Iudæis iam obumbratum, & obseruatum fuit; siquidem illi ieiunabant quatuor temporibus, quæ incidebant in mensibus quarto, quinto, septimo, & decimo: id est, iuxta interpretationem D. Hieronymi, quæ habetur *in cap. ieiunium, 76. dist.* in menses Iulium, Augustum, Octobrem, & Ianuarium, quia cùm apud eos annus inciperet à mense Aprilis, quartus mensis erat Iulius. In his ergo mensibus ieiunabant Hebræi: quarto, quia Moyses quarto mense tabulas legis fregit, *Exodi cap. 32.* quinto, quia eo mense propter seditionem populi exploratores terræ Promissionis iussi sunt montem non ascendere, *Numer. cap. 34.* deinde quia eo mense à Tito templum subuersum est: septimo quia eo mense occisus est

Goliath, & reliquit Hierusalem dissipari, *Hieremiæ cap.* 52. Decimò tandem, quia tunc Ezechiel in captiuitate positus, audiuit: *Et cunctus populus captiuorum, quinto mense templum est subuersum*, vt habetur *Ezechielis cap.* 33. Igitur ne Iudæis remissiores viderentur Christiani, Ecclesia instituit ieiunium quatuor temporum, per annum diuisum, videlicet verno, æstiuo, autumno, & hiemali. Vernum est in Quadragesima; incipit à quarta feria post quartam feriam Cinerum: hiemale post quartam feriam in tertia hebdomada post diem B. Luciæ: æstiuum post Pentecosten: autumnale in mense septembris. Concilium Claromont. sub Vrbano II. *can.*1. *cap. statuimus*, 75. *dist.* & sic cùm singulæ partes totius anni constent tribus mensibus illius, ita singula temporum ieiunia tres complectuntur dies, quasi singulis mensibus singuli dies ieiunij adscribantur, vt sic quatuor temporum primitias Deo reddamus: exemplo petito à ieiunio Niniuitarum, qui tribus diebus pœnitentiæ ac ieiunio se dederunt. Alias huius ieiunij rationes tradiderunt ex Patrum testimoniis deductas Hallier. *vbi suprà*, *art.*2. §.2. ex Medicis petitas: Viringus *lib.* 5. *de ieiunio*, *cap.* 12. Hæc autem ieiuniorum tempora non eodem modo distribuebantur in omnibus Ecclesiis, referente D. Isidoro *lib.* 1. *de diuinis officiis*, *cap.* 37. Primum ieiunium in die sequenti post Pentecosten, secundum octauo Cal. octobris, tertium Cal. ipsis Nobembris, quartum Cal. Ianuarij fiebant: in aliis etiam Ecclesiis diuersimodè obseruabantur, *cap. constitutum*, 75. *dist.* Et licèt hoc ieiunium à principio fuisset voluntatis, posteà tamen fuit necessitatis: quomodo accipiendi sunt textus *in cap. ieiunium*, 75. *dist.* Concilium Aurelian. *can.* 27. & 29. Turonense 2. *can.* 13. D. Hieronymus *in epist. ad Marcellam*, iunctis Hallierio *vbi suprà*, Bellarm. *tom.*3. *controu. tract. de bonis operib. lib.*2. *cap.* 19. Dartis *in dict.*75. *dist.*

6. DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM.

Secundò sciendum est, primis Ecclesiæ temporibus hæc ordinationum tempora obseruata non fuisse; nec enim Apostoli, Episcopiue ab eis per ciuitates constituti hæc tempora obseruarunt; immò nec summus Pontifex alio mense, quàm Decembri ordines celebrabat. Posteà Simplicius I. & Felix III. mense Februario; Leo III. mense Martio, & sic alij relati ab Hallierio *vbi suprà*, §.3. I. Dartis *in dict.* 75. *dist.* ordinationes fecerunt. Tandem statuta fuerunt tempora quatuor ieiuniorum, Sabbatum ante Dominicam Passionis, & Sabbatum sanctum Paschæ, vt testantur Amalarius *lib.*2. *de officiis*, *cap.*1. Rabanus Maurus *lib.*2. *de instit. cleric. cap.*24. Micrologus *in obseru. cap.*24. & 25. Honorius *in gemma animæ*, *lib.*1. *cap.*155. in his enim tantùm temporibus maiores gradus conferri possunt, minores autem omnibus diebus festiuis, *cap. quod à Patribus*, *cap. final.* 75. *dist.* Quibus tamen diebus, & quâ horâ Ordines conferri debeant, dicemus *in cap. litteras*, *hoc tit.*

7. DE PRIMIS ORDINATI EXTRA TEMPORA.

Tertiò præmittendum est, ordinatum extra prædicta tempora suspendi ab executione ordinis ita recepti, *cap. sanè*, *hoc tit.* vbi depositionis vocem ita interpretatur Glossa, cuius suspensionis dispensatio reseruatur Sedi Apostolicæ *in cap. cùm quidam*, *hoc tit.* sed posteà Gregorius IX. *in cap. consultationi*, *hoc tit.* concessit Episcopis, vt possint dispensare cum huiusmodi ordinatis in exercitio ordinis recepti; non verò vt ad altiorem gradum ascendant. Maiolus *de irregul. lib.*3. *cap.*24. *num.*9. Diana 5. *part. tract.*4. *resolut.* 193. Et licèt iure communi inspecto non constaret apud Interpretes, an hæc suspensio ipso iure incurreretur, tamen post constitutionem Pij II. quæ incipit, *Cùm ex sacrorum*, certum est ita ordinatos suspensionem incurrere ipso iure, & posteà celebrantes irregulares fieri; ait enim Pontifex: *Quod omnes & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima scientia, siue extra tempora à iure statuta, siue ante legitimam ætatem, vel absque litteris dimissoriis ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, à suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint; & si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumant, eo ipso irregularitatem incurrant.* Quæ verba latè exponunt Salcedo *in praxi*, *cap.* 42. Hallier. *vbi suprà*, §. 4. Nauarrus *consilio* 4. *in hoc tit. numer.* 4. Hanc tamen suspensionem non incurrunt religiosi extra tempora ordinati, ob priuilegia illis concessa à Sede Apostolica, vt docent Diana *part.*4. *tract.* 2. *resolut.*31. & 5. *part. tract.* 3. *resolut.* 57. Leander *tract.*6. *de ordin. disput.*41. *quæst.*28. Sed hodie post Concilium Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 8. & *sess.* 25. *de regul. cap.*12. sublata esse prædicta priuilegia, docent Suarez *de legib. cap.* 17. *numer.* 8. Vazquez *dict.* 3. *part. disput.* 246. *cap.* 5. *num.* 50. & *cap.*6. *num.* 58. Hurtado *de ordine difficult.* 23. Etiam qui rescriptum impetrauit à R. Pontifice, vel ab eius Nuntio, quod vulgò dicitur *Extra tempora*, potest tribus diebus festiuis ordines maiores suscipere. Qui tamen dicantur dies festiui, in his, & minoribus ordinibus suscipiendis, exponunt de sacramento Ordinis scribentes.

8. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

His præmissis variæ à Doctoribus assignantur rationes, quare ieiuniorum temporibus, & hebdomada ante Dominicam passionis, ac Sabbato sancto maiores ordines conferantur. Honorius August. *in gemma animæ lib.* 4. *cap.* 155. ita ait: *Ministri Ecclesiæ ideò in quatuor temporibus ordinantur, quatenus sub quatuor Euangeliis Christo, & Ecclesiæ seruire admoneantur. In Quadragesima idcircò ordinantur, vt vitiis marceant: in vere ideo, vt virtutibus floreant: in septimana Spiritus sancti, & in æstate ideò, vt sint spiritu feruentes Domino seruientes: in autumno, & in festo Tabernaculorum ideò, vt mundo moriantur, & cum Christo in virtutibus renascantur.* Alias nostræ conclusionis rationes ex Amalario, & Dionysio refert Hallier. *vbi suprà*, §. 5. quibus ea adiungi potest; nam cùm inter cætera requisita ordinationis illud præcipuum sit, vt conferantur ieiunis, & à ieiunis, & vt præcedant ieiunia vniuersalia, vt sic Deus placatus optet meliores & selectiores in Ecclesia ministros; inde est, quod cùm hæc ieiunia communia non nisi per Quadragesimam, & quatuor tempora per annum obseruentur; ideò in his tantùm temporibus gradus maiores conferri possunt. Et quia minores gradus, virginumque consecrationes, non æqualis dignitatis sunt, siquidem inter gradus sacros non recensentur; ideò in eorum collatione non obseruantur prædicta tempora, sed in quolibet die festiuo conferri possunt. Et quia in eo debet quis puniri,

in

in quo peccauit, *cap. nullus, hoc tit. lib.6.* ideo qui extra tempora à iure præscripta ordines recipit, ab eorum exercitio suspenditur, donec cum eo fuerit misericorditer dispensatum.

9. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant difficultates suprà adductæ, nam licèt verum sit, Dominum nostrum, Apostolos,& eorum successores diuersis temporibus ordines celebrasse; tamen Ecclesia potuit prædicta præfinire tempora: siquidem crescente fidelium numero, & Ecclesiæ pace redditâ, iuxta potestatem legislatiuam, quam Dominus in Ecclesia reliquisse iam probaui in apparatu, potuit sacris ordinationibus prædicta præfinire tempora. Nec quod dicebamus de consecratione Episcopali, aduertatur; nam contrarium verius est, videlicet consecrationem Episcoporum non omnibus diebus festiuis, sed tantùm Dominicis, præcedente ieiunio, posse fieri, *cap.2. 62. dist. cap.1. dist.75.* Leo Pontifex *epist.87.* aliàs 89. *cap.3.* ibi: *Ordinatio Episcopi non passim, sed die legitimo celebretur; nec sibi constare status sui nouerit firmitatem, qui non die Sabbati vespere, quod lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus.* Plura Hallier. *vbi suprà, cap.2. art.1.* Diana *part.12. de consecr. Episcop. resolut.62.* Nec consecratio Episcoporum comprehenditur sub dispositione textus *in nostro cap.1.* quia in ea plerumque procedi solet ex speciali Pontificis rescripto, vt docet Diana *vbi suprà.* Nec obstat tertia difficultas deducta ex vsu, & consuetudine Græcorum, apud quos nullum tempus speciale præscriptum est, sed quouis ordinatio fieri potest, excepto quadragesimali, in quo tantùm diebus Sabbati, aut Dominicis gradus Presbyteratus, & Diaconatus conferri possunt. Ratio est, nam cùm ieiuniorum tempore Missæ sacrificium apud Græcos non celebretur, Concilium Laodicen. *can.48.* & hoc sacrificium requiratur in ordinatione, ideò tempore Quadragesimæ tales gradus conferri non possunt. Alij verò, qui præsanctificato sacrificio administrantur, etiam tempore Quadragesimæ conferri valent; in hoc autem ritu, & aliis ab Ecclesia toleratis, de quibus agemus *in cap. cùm secundum, hoc tit.* dissentiunt Græci à Latinis: quare in hac parte non rectè arguitur de vna Ecclesia ad aliam. Nec etiam obstat textus *in dict. cap. 2. de eo qui furtiuè.* Nam licèt consuetudine legitimè præscriptâ introduci possit, vt quatuor minores gradus vno die simul alicui conferantur, non tamen moribus introduci valet, vt extra tempora statuta maiores gradus conferantur; nam primo casu non ita læditur disciplina ecclesiastica, ac secundo: vnde non ita consuetudo in vno, ac in alio inhibita reperitur.

10. DISSOLVITVR QVARTA DIFFICVLTAS.

Nec tandem aduersatur vltima difficultas, deducta *ex cap. deuotis 20. quæst.1.* pro cuius solutione sciendum est, iuxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, Virgines Deo deuotas, ab Episcopis consecrari, *cap. perlectis, 25. dist.cap. placuit, 75. dist. cap. 1. 29. quæst.3.* Concilium Carthag. 2. *can.3. Ab vniuersis Episcopis dictum est, vt chrismatis confectio, & puellarum consecratio à presbyteris non fiant.* Carthag. 3. *cap.86.* Vormatiense *can. 6.* ibi: *Presbyteris quamuis cum Episcopis plurima mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam nouellis ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint. Consecratio ergo, virginum benedictio, vel vnctio Altaris à Presbyteris minimè fiat.* Sexta Synodus Trullana *can.40.* D. Hieronymus *epist. 8. ad Demetriad.* ibi: *Scio quod ad precationem Pontificis (* id est Episcopi *) flameum virginale sanctum operuerit caput.* Et ad Oceanum *lib.2. epist. 3.* ibi: *Heri catechumenus, hodie Pontifex; vespere in circo, nunc in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.* Expressit, licèt paganus, Ammianus Marcell. *lib.28.* in fine: *Intentas tamen alias virgines christiano ritu cultui diuino sacratas, custodiri intactas, & religioni seruire, solito more, nullo vetante præcepit.* Probant Antonius August. *lib. 4. epit. iur. Pontif. tit.67.* Acuña *in cap. quamuis 4. dist. 68.* Tamburinus *de iure Abbat. tom.1. disput. 22. quæst.6.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 57. num. 51.* Cæsar *de ecclesiast. hierarch. part. 1. disput.6. §. 3. num. 18.* Lantdmeter. *de veteri cleric. lib. 1. part.2. cap.11.* Suarez *tom.4. de relig. tract.9. lib.1. cap.21.* I.Dartis *ad Decretum, in 26. quæst.1.* Et si aliquanquando Presbyteri consecrabant virgines, ex delegatione Episcopi id faciebant. Concilium Carthag. 3. *can.36.* ibi: *Vt Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret.* Quo modo accipiendus est textus *in can. 4. Concily Rhegiens.* Hæc autem Virginum consecratio diebus solennioribus fiebat, *cap. Virgines, dict. cap. denotis 20. quæst. 1.* D. Ambrosius *ad virg. lapsc. cap.5. & in exhortat. ad virgines,* ibi: *Venit dies Paschæ, in orbe toto Baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacræ virgines.* Sequentibus verò sæculis post Gelasium omnibus diebus Dominicis virgines velare permissum fuit, vt ex præsenti textu constat, & posteà generali consuetudine aliis etiam festiuitatibus talis benedictio dari cœpit, vt probant Salcedo *in praxi cap.26.* Barbosa *lib.1. iuris eccles. cap.44. num. 17. & allegat.27. num.54.* Feloaga *in cap.1. de his quæ vi, ratiocinio 5.* Cellotius *de hierarch. lib.6. cap. 11.* Dartis *in dist. 26. quæst. 1.* & plura de hac virginum consecratione, & de flameis, seu velis illis impositis, congesserunt Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. cap. 10.* Cæsar *dict. disput.6. §. 3.* Espenceus *de voto continentiæ lib. 4. cap. 1.* Ephtenus *disquisit. monast. tom. 1. lib. 5. tract. 9. disquisit. 7.* Ambianas *ad Tertul. de velandis virgin. cap. 4. obseru. 1.* Iulius Lauorus *de elect. cap. 24.* Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 45. numer. 24.* Baronius *in martyrol. die 7. May, pag. 195. & anno 57.* Mendoza *lib. 2. Concily Illiber. cap. 20.* Vossius *lib. 3. de vitiis serm. cap.46.* Menardus *ad D. Gregor. Sacram. pag.210.* Feloaga *in cap.1. de his quæ vi,* Hallier. *de sacris elect. 2. part. sect.4. §.6.* & nos nonnulla dabimus *in cap. vidua, de regul.*

11. EXPONITVR CONCILIVM CÆSARAVGVST. 3. CAN. 1.

Sed primò superiori assertioni obstat textus *in can. 1. Concily Cæsarauguſt. 1.* vbi ita Patres sanxerunt: *In sanctum, & satis venerabile Concilium residentibus nunciatum est nobis, eo quòd aliqui Pontifices regulam veritatis prætermittentes, Ecclesias, quæ à fidelibus piâ deuotione construuntur, extrà diebus Dominicis consecrent. Si ergo cùm quisque nostrûm mortalium ad sacerdotale promouetur officium, nullatenus patimur, vt in reliquis diebus, nisi tantùm Dominicis festiuitatibus ij, qui honoris digni habentur officio, in ordine præficiantur ecclesiastico, quantò magis vt deificata sancta templa, quæ ab hominibus fidelibus censentur honorificanda, sine diebus Dominicis prohibeantur consecranda? Cuiusque nos talium præsumptiones Pontificum, non*

solùm sanctorum Patrum cohibere & prohibere sententia, sed propriâ deliberatione censemus: vt nulli penitus Pontificum, in quibuscumque prouinciis constitutis, amodò liceat, præter certis diebus Dominicis, Ecclesias sanctas consecrare. Ex quo canone apertè deducitur, gradum sacerdotij die Dominico extra tempora ieiuniorum conferri posse, contra hucusque tradita. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Patres in eo canone non agere de ordinatione Presbyteri, sed de consecratione Episcopi, quæ in diebus Dominicis olim fiebat: immò & plerumque post acclamationem, & electionem Episcopi sequebatur eius ordinatio proximo die Dominico, *cap. qui in aliquo, versic. sed nec ille, 51. dist. cap. 2. dist. 62. cap. 2. dist. 75.* cuius ritus varias rationes adducunt Amalarius *lib. 2. de eccles. offic. cap. 2.* Honorius Augustod. *in gemma animæ, lib. 1. cap. 189.* Ordo Romanus *tit. quo die consecretur Episcopus:* inter quas ea præcipua est, quia eodem die Apostoli dona Spiritus sancti acceperunt; quare consentaneum Patres Ecclesiæ censuerunt, eodem etiam die dominico Episcopos Apostolorum successores ordinari. Nec huic solutioni obstant ea verba, *ad sacerdotale promouetur officium*; ex quibus constat, in eo canone agi de ordinatione sacerdotis. Nam plerumque in veteribus Ecclesiæ canonibus legimus, Episcopos sacerdotes appellari, & eorum consecratio, promotio ad sacerdotalem dignitatem dicitur. Leo Pontifex *epist. 87. Ordinatio Episcopi non passim, sed die legitimo celebretur, nec sibi constare status sui nouerit firmitatem, qui non die Sabbati vespere, quæ lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus; solùm enim maiores nostri resurrectionis Dominicæ diem honore dignam iudicauere, vt sacerdotes, qui sumuntur hoc die, potissimùm tribuantur.* Et *in dict. cap. qui in aliquo*, dum agitur de Episcopo electo, & ordinato, dicitur, in sacerdotem die Dominico fuisse consecratum.

12. EXPLICATVR ZACHARIAS PONT.

Secundò præsenti assertioni aduersatur Zacharias Pontifex *epist. 12.* aliàs 13. *ad Bonifacium*, quæ incipit, *Benedictus Deus*; vbi post medium ait: *De ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, cogente necessitate, & paupertate rogantium non legitimis temporibus, & diebus à te promoueri, te in offensionem incurrisse insinuasti. Dicimus autem tibi, frater, vt benè nosti, quod sacri canones docent aptis temporibus Sacerdotes ordinandos; attamen in eo, quod à te propter zelum fidei actum est, à Domino Deo nostro indulgentiam postulamus.* Ex quibus verbis depromitur, validè extra tempora gradus maiores, Presbyteri videlicet, & Diaconi conferri. Cui difficultati satisfaciendum est ex illis verbis, *cogente necessitate*, in quibus supponitur Bonifacium ob magnam necessitatem eos in Presbyteros & Diaconos ordinasse, quia alio modo Ecclesiis viduatis consulere non poterat: moris enim fuit primis nascentis Ecclesiæ temporibus, vt cùm aliquis ex laicali statu, vel alio gradu inferiore, in Episcopum eligebatur, ne eius ordinatio protelaretur non seruatis legitimis temporibus, in tribus continuis diebus ordinari, vt de D. Ambrosio refert Paulinus *in eius vita*, qui in singulis diebus singulos gradus, & intra octo dies consecrationem Episcopalem accepit: idem de Raynaldo, & aliis referunt Gregorius Turon. *lib. 6. cap. 9. histor.* Gofridus *lib. 3. epist. 11.* æquius enim Ecclesiæ proceribus videbatur consecrationem Episcopi non protelari, quàm legitima ordinationis tempora expectare. Sequentibus verò sæculis non ita facilè in his temporibus dispensabatur, vt patet *ex cap. dilectionis, 76. dist.* ex Carnot. *epist. 58.* quia vt ait D. Bernardus *tract. de præcept. cap. 5.* ibi: *Vbi necessitas non est, inconuertibilia maneant sanctorum Patrum instituta.*

13. EXPONITVR CAP. IN PAROCHIA 16 Q. 2.

Eadem etiam interpretatione lucem accipit textus *in cap. in Parochia, 16. quæst. 1.* vbi cùm Theodorus Pelagij Consiliarius, ab eo petiisset Rufinum monachum Presbyterum ordinari in Basilica S. Laurentij, quam quondam in sua possessione fundauerat Pontifex, iubet Bono Episcopo, vt in proximo Sabbatho Rufinum Diaconum ordinet, & in dimidia hebdomada ad gradum Presbyteri promoueat. Ex quibus verbis apertè constat, non seruatis ieiuniorum temporibus posse maiores gradus etiam conferri. Cui difficultati facilè satisfaciemus si animaduertamus, iustâ necessitatis causâ motum Pontificem dispensasse, vt extra ieiuniorum tempora posset Rufinus in Presbyterum ordinari; cùm enim Pontifex possit omni tempore maiores gradus conferre, ex nostro cap. 1. ita & dispensare, vt alius Episcopus etiam extra tempora maiores valeat gradus conferre.

Opponi etiam potest Concilium Claromont. sub Vrbano II. celebratum, cuius verba, & interpretationem dabimus *in cap. litteras, hoc tit.*

CAPVT IV.

[a] Alexander III. [b] *Valt.* [c] *Alban. Episcop. Vicario nostro.*

EX tuarum litterarum tenore accepimus, quod N. clericus adeò deliquit, quod si delictum eius publicum esset, ab ordine, quem suscepit, degradaretur, & ampliùs non posset ad superiores ordines promoueri. Verùm quoniam peccatum ipsum occultum & priuatum fore dixisti: f. t. per A. s. m. q. ei condignam pœnitentiam imponas, & ei suadeas, vt parte pœnitentiæ peractâ, ordine suscepto vtatur, & eo contentus existens, ad superiores ordines ampliùs non ascendat. Verumtamen, quia peccatum occultum est, si promoueri voluerit, ei non potes, nec debes ratione aliqua prohibere.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Alexander.*] In sexta collectione Raymundi tantùm legitur *Alexander III.* in prima autem collectione *sub hoc titul. cap. finali*, legitur *Alexander III. Vv. Alban. Episcop.* in Concilio autem Lateran. adduntur ea verba, *Vicario nostro*; ex quibus omnibus inscriptionibus restituo huius textus epigraphen, & eius secunda pars extat *in cap. 3. de eo qui cognouit consanguineam.*

2. b *Valt.*] Valtero, siue Galtero, qui ab Hadriano IV. creatus est Episcopus Cardinalis Albanensis anno 1154. floruit vsque ad annum 1177. fuit Alexandri III. in vrbe Vicarius, vt refert Ioannes Saresbarienses *epist.* 234. *ad Bartholomeum Oxon. Episcopum*, ibi: *Episcopus Albanensis Domini Papæ vices agit in vrbe.* De eo Vghellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ, in Alban. Eccles. num.* 34.

3. c *Alban.*] Albanensis Episcopatus est vnus ex septem Cardinalitiis, quorum Præsules sunt Cardinales Ecclesiæ Romanæ, videlicet Ostiensis, Syluæ Candidæ, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, & Albanus; cùm enim in vrbe antiquitus fuissent constructæ, & ordinatæ Ecclesiæ maiores, in quibus Pontifex per se sacra faceret, ex vicinioribus oppidis, seu ciuitatibus Pontifex accersiuit septem Episcopos, vt per septem hebdomadæ dies diuina officia in eis celebrarent, vt refert Anasthasius Bibliot. in Stephano IV. *Hic constituit, vt omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia S. Saluatoris obseruant, Missarum solennia super Altare B. Petri celebrarentur.* Notarunt Pambinus *de septem Eccles. vrbis, cap.* 1. Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 5.

COMMENTARIVM.

4. Conclvsio refertvr. EX hoc textu, & *ex cap. finali, hoc tit.* qui spectat ad secundam partem huius tituli *de qualit. ordin.* sequens deducitur assertio: *Occultus criminosus, præter homicidam, post pœnitentiam peractam in susceptis ordinibus valet ministrare, & ad superiores ascendere; antea tamen monendus est, ne ministret, & ne promoueatur.* Probant textus *in cap. fin. de furtis, cap. ex tuarum, de purgat. can. cap. ferrum, cap. de his, 50. dist. nouella 6. Iustinian. cap.* 1. Illustrant Alphonsus de Castro *de leg. pœn. lib. 2. cap. vlt.* Couarr. *lib. 3. var. cap. 3. num. 2.* & *in Clement. si furiosus, p. 1. §. 1.* & *2. p. §. 3.* Auila *de irreg. 7. p. disput. 4. dub. 7. concluf.* 1. plures relati à Diana *p. 4. tract. 2. resolut. 93.* Gibalinus *de irregul. cap. 5. confect.* 1. Sausay *in Panopl. p. 1. cap. 6. §. 3.* Hallier. *de sacris elect. lib. 2. cap. 2. art. 1. §. 2.* & *de hierarch. eccles. pag. 272.* Suarez *de censuris disput. 48. sect. 1.* Acuña *in cap. presbyter, §. sed illud, 50. dist.*

5. Ratio decidendi. Hæc assertio valdè dubia redditur sequenti consideratione: nam certum est, irregularitatem non contrahi nisi in casibus à iure expressis, *cap. penult. de sentent. excomm.* sed in nullo iuris loco expressa reperitur irregularitas contra criminosos publicos, & notorios; etiamsi delictum sit eius naturæ, vt depositionem mereatur, exceptis homicidio, iteratione baptismi, susceptione ordinum post contractum matrimonium, vsurpatione ordinum, & violatione censuræ in exercitio alicuius gradus sacri: vnde ob enorme crimen depositione dignum, etiam notorium, non incurri aliquam irregularitatem, defendit Gibalinus *de irregul. cap. 5. con-sect. 6.* igitur licèt in nostro textu esset crimen notorium, & in iudicio deductum, non deberet criminosus arceri ab ordinibus recipiendis. Etiam ea pars assertionis, in qua docetur, criminosum post pœnitentiam peractam posse in susceptis ordinibus ministrare, neque ad altiores gradus ascendere, difficilis redditur eo iuris principio, quo docetur eum, qui in Ecclesia pœnitentiæ caput semel subdiderit, non posse neque in susceptis ministrare, neque ad altiores ordines promoueri, *cap. pœnitentes, 50. dist. cap.* 1. iunctis ibi traditis, *de bigamis non ordin.* igitur non rectè asserimus criminosos etiam post pœnitentiam peractam posse sacris ordinibus initiari.

6. Infamis est irregvlaris. Adhuc tamen defendenda est suprà tradita assertio, pro cuius vera expositione aliqua præmittenda sunt. Et primò sciendum est, ordinandum habere debere bonum populi testimonium, & ab omnibus irreprehensibilem iudicari, iuxta illud Apostoli 1. *ad Timoth. cap. 3. oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Plura tradit Hallierius *de sacris elect. cap. 2. art. 1. §. 1.* Vnde apud omnes liquet, infamem infamiâ iuris, aut facti canonicâ sacris Ordinibus initiari non posse: quare infamia, quæ propter aliquod delictum ipso iure, vel ex iudicis sententia nascitur, impedit promouendum, *cap. qui in aliquo, cap. finali, 51. dist. cap. infames 2. quæst. 6.* Concilium Toletanum 4. *can.* 18. Euaristus *epist.* 3. Ordo enim ecclesiasticus honor est, *cap. vnico, de obligatis ad ratiocin.* ideo infamis ad illum non admittitur, *ex l. vnica, C. de infamibus*, vbi plura D. Franciscus de Amaya; sicut & à militia arcebantur, *l. 4. §. 4. & 7. ff. de re milit. l. 2. §. 3. ff. de his qui notant. infam.* Vnde aliqua delicta, quæ propter eorum enormitatem non inducunt irregularitatem, eam producunt propter infamiam ex eis ortam, vt hæresis, *cap. inter solicitudines, de purgat. canonic.* schisma *cap. 1. de schismaticis:* simonia *cap. sancitum 7. quæst. 1.* vsura *cap. maritum, 33. dist.* publicus concubinatus, & accusatio alicuius delicti pendens, *c. omnipotens, de accusation.* & alia, quæ enumerant Gibalinus *de irregularit. cap. 5. dub. 2. quæst. 3.* Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 33. num. 110.* Maiolus *de irregul. lib. 5. cap. 46.* & damnatum ad triremes, & reuersum, ordinari non posse, probat Marinis *lib. 1. resol. cap. 10.*

7. De delictis occvltis. Secundò sciendum est, esse aliqua delicta, quæ quantumvis occulta irregularitatem inducunt, vt iteratio Baptismi, violatio censuræ, vsus improbus Sacramentorum, & homicidium: qui enim ex culpa Baptismum iterauit illum conferendo, vel suscipiendo, irregularis efficitur, *cap. quos, cap. eos, de consecrat. dist. 4. cap. illo 10. 1. quæst. 7.* plura Antonius August. *lib. 22. tit. 26.* sed licèt Sacramentum Confirmationis, & Ordinis iteratio prohibita sit, *cap. 1. dist. 68. cap. non licet, de consecr. dist. 4. cap. dictum, de consecr. dist. 5.* tamen propter eorum iterationem irregularitas in iure statuta non est. Neque contrarium probat textus *in cap. saluberrimum 1. quæst. 7.* Nam ea verba, *Iterata vnctione*, accipienda sunt de iteratione baptismi, non verò ordinationis, vt contra Hugolinum docet Gibalinus *de irregul. prop. 1. cap. 5.* Magnum autem discrimen vertitur inter irregularitatem, quam incurrit qui ministrauit iterum baptismum, & qui illum recepit: nam irregularitas, quæ contrahitur à rebaptizato, est totalis; quæ verò incurritur à ministro, est partialis, tantùm videlicet quoad

superiores gradus, *cap. 2. de apostatis :* licèt olim etiam à susceptis deponeretur. Concilium Lugdun. relatum à Burchardo *lib. 4. Decreti, cap. 56.* Deinde irregularitas rebaptizati ex occulta etiam iteratione nascitur; rebaptizantis verò tantùm ex publica, *cap. Afros, 98. dist. cap. 2. de Apostatis,* Hurtado, Toletus & alij relati à Gibalino *vbi suprà.* Ex illicita etiam Ordinum susceptione, aut administratione in susceptis, etiam occulta irregularitas nascitur, vt si quis dolo malo non ordinatus Sacramenta administrauerit, *cap. 1. & 2. de clerico ordin.* plura Anton. Augustin. *in epit. lib. 22. tit. 12.* Suarez *de censuris disput. 42. sect. 4.* latè dicemus *in dict. cap. 1.* Ex illicita Ordinum susceptione irregularitas nascitur cùm quis ordinatur per saltum, vel non confirmatus, si furtiuè, aut vna die plures gradus accepit, *cap. vnico, de clerico per saltum, cap. 1. & 2. de eo qui furtiuè,* Hallierius *vbi suprà 2. part. art. 2. sect. 1.* Salcedo *in praxi cap. 24. & 25.* Barb. *de potest. Episcop. allegat. 47.* Ex violatione etiam censuræ irregularitas incurritur, cùm quis censuram violat per actum solennem sibi per censuram prohibitum, vt si Missam celebret maiori excommunicatione ligatus, *cap. 1. cap. si celebrat, de clerico excom. cap. is cui, de sentent. excom. lib. 6.* non autem eam contrahit, si gradum ordinis recipiat, quia in iure expressa non est, sed tantùm suspensio, *cap. 1. de eo qui furtiuè, cap. cùm illorum, de sentent. excom.* tantùm enim hæc irregularitas incurritur per solennem actum maiori excommunicatione ligatis prohibitum, *dict. cap. si celebrat,* vbi latiùs dicemus. Idem affirmandum est in interdicto, *dict. cap. his cui,* siue in celebrante tempore interdicti, non seruatâ formâ capitis *Alma mater, de sentent. excom. lib. 6.* docet latè Gibalinus *dict. cap. 5. consect. 9.* Tandem ex homicidio etiam occulto irregularitatem contrahi, sæpè sæpius in iure nostro decidi-tur *in cap. sicut 5. cap. ad audientiam,* & passim, *de homicidio.* Tridentin. *sess. 14. de reform. cap. 1.*

8. De occvlto criminoso.

Deinde sciendum est, ad irregularitatem incurrendam non sufficere actum interiorem. Couar. *in Clement. si furiosus, 1. p. n. 4.* Auila *de irregularit. 7. part. disput. 2. dub. 1.* nec etiam occultum peccatum, exceptis suprà numeratis. Vnde satis controuersum est apud Interpretes, vtrum per delictum exterius, occultum tamen, per accidens irregularitas contrahatur? Et Glossa *in cap. vlt. hoc tit.* affirmat, non incurri: eam sequuntur Hostiensis, & Cardinalis *ibi :* sed Alfonsus à Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 5.* existimat, quod si delictum sit omnino occultum, irregularitas non contrahitur; si verò ab aliquo sciatur, irregularitatem contrahi. Sed placet eorum sententia, quæ discrimen constituit inter crimina, quæ solùm ratione enormitatis, & notorietatis inducunt irregularitatem; & ea delicta, quibus imposita est irregularitas absque circumstantia enormitatis. In delictis primi generis, qualia sunt adulterium, simonia, furtum, & cætera depositione digna, non incurritur irregularitas, nisi notoria sint: in delictis secundi generis, qualia sunt homicidium, *cap. final. hoc tit.* iteratio Baptismi, improba ordinatio, & violatio censuræ, incurritur irregularitas, quamuis occulta sint, etiam post peractam pœnitentiam, *dict. cap. finali, hoc tit.*

9. Qvomodo tollatvr

Cùm ex vsu Ecclesiæ cognoscatur nullam irregularitatem continere impedimentum perpetuum, sciendum est, semel contractam certis modis cessare, videlicet baptismo, professione religionis, dispensatione, cessatione, & pœnitentiâ. Baptismo tollitur omnis irregularitas (ita lato modo appellamus defectum in infidelitate contractum) quæ ex peccato prouenit, *cap. si quis viduam, 50. dist.* Professione religionis tollitur irregularitas ex defectu natalium prouenientis, *cap. 1. de filiis presbyter.* Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 42. num. 187.* dispensatione eius qui potestatem habet dispensandi omnis tollitur irregularitas, quia nulla est, quæ à iure naturali, vel diuino proueniat: plures congerit Barbosa *ad Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 6.* Nec obstat textus *in cap. 2. de bigamis non ordin.* cuius veram interpretationem ibi dabimus. Cessatione causæ inducentis irregularitatem, tollitur ipsa irregularitas, vt si illigitimè natus legitimus fiat per subsequens matrimonium, aut rescriptum Pontificis, *cap. 1. cap. tanta, cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Pœnitentiâ tolli irregularitatem ortam ex peccato occulto, non enormi, sed mediocri, quod non ex sua natura, sed ex alio capite dignum erat suspensione, aut irregularitate, docet Acuña *in summa, 39. dist. num. 7.*

HÆC IRREGVLARITAS.

Ex quibus apparet vera decidendi ratio nostri textus; cùm enim ordinandus sine crimine, si possit dari, debeat esse; & ideo tot scrutinia in ordinandis, tot approbationes populi, tot examina requirantur, de quibus satis diffusè Hallier. *vbi suprà, dict. sect. 7.* ideò occultus peccator moneri debet, ne promoueatur; sed si velit promoueri, peractâ pœnitentiâ arceri non debet, quia cùm irregularitas non contrahatur nisi in casibus à iure expressis, *cap. penult. de sentent. excomm.* & in iure expressa non sit contra occultos criminosos, ideò promoueri possunt ad maiores ordines, excepto casu homicidij, & aliorum criminum, de quibus supra; quia suâ naturâ annexa est irregularitas, ideò siue publicè, siue occultè perpetrentur, irregularitatem inducunt, & eorum auctores etiam peractâ pœnitentiâ ad altiores gradus non admittuntur; quia sicut certæ sunt causæ, quibus irregularitas contrahitur, ita & præfiniti sunt modi, quibus ea tollitur, inter quos non enumeratur pœnitentia, vt probat Acuña vbi suprà; ideò in peccatis grauioribus pœnitentia non tollit irregularitatem. 10. Ratio decidendi.

Nec obstat prima dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt cùm publicum delictum est, seu notorium, quia in iudicium deductum est, ipsum delictum per se non inducat irregularitatem, tamen propter infamiam, quæ ex publicitate, seu notorietate nascitur, qui illud commisit, ordinari non potest, vt suprà dixi. Quare si in hoc textu delictum fuisset ordine iudiciario probatum, non posset qui illud commisit ordinari: sed quia occultum erat, & pœnitentiâ expiatum, licitè ad sacros ordines admittitur. Nec secunda difficultas aduersatur; nam licèt ille, qui pœnitentiam solennem in Ecclesia fecit, non possit in susceptis ordinibus ministrare, aut ad altiores gradus ascendere, ex tradendis *in cap. 1. de bigamis non ordin.* tamen hoc non procedit in eo, qui pœnitentiam priuatam suscepit; quia ille nullâ infamiâ notatur. Vnde cùm in nostro textu agatur de pœnitentia priuata, rectè docetur, post pœnitentiam peractam posse occultum criminosum ad maiores gradus ascendere. 11. Dissolvitvr difficvltas.

Sed primò superiori assertioni obstat textus *in cap. ad aures, hoc tit.* in illis verbis : *Quod Prælati eorum commissa secreta nouerint.* Ex quibus verbis deducitur, 12. Exponitvr cap.

AD AVRES, HOC TIT.

deducitur, expresè ob occultum delictum posse eum, qui illud perpetrauit, à sacris Ordinibus arceri. Pro cuius textus expositione, & conciliatione cum nostro capite *ex tenore*, Glossa in præsenti, & *in cap. non dicatis* 12. *quæst.* 1. existimat, discrimen esse constituendum inter regulares, qui sacris Ordinibus initiari intendunt, & alios clericos sæculares, qui ad altiores gradus promoueri cupiunt: regulares enim etiam ob delictum occultum à Prælatis suis arceri possunt, ne sacris Ordinibus initientur, quia subditorum peccata, & conscientias rectiùs agnoscunt, quàm Prælati sæculares: vnde textus *in dict. cap. ad aures*, procedit in subditis regularibus; textus verò in præsenti capite, in clericis sæcularibus. Glossam sequitur Hallier. *de sacris elect. pag.* 37. vbi suprà.

13. EXPONITVR CAP. TANTA, DE SIMONIA.

Secundò aduersatur textus *in cap. tanta* 7. *de simonia*, in illis verbis: *Item omnis peccator Missam cantare potest, præter simoniacum.* Ex quibus deducitur, quemlibet peccatorem, siue occultum, siue publicum, à sacro Presbyteratus gradu non arceri, excepto simoniaco: igitur non rectè asserimus, peccatorem publicum, cuius delictum in iudicio deductum est, sacris Ordinibus initiari non posse: & si textus accipiatur, non de ordinando in sacerdotem, sed de clerico Missæ sacrificium celebrante, adhuc difficilis est, cùm certum sit sacerdotem, quem culpæ mortalis reatus tenet, non posse Missæ sacrificium celebrare, *cap. præter*, 32. *dist. cap. in gradibus* 3. *quæst.* 7. *cap. timorem* 25. *de consecrat. dist.* 2. *cap. sicut* 75. 1. *quæst.* 1. *cap. final. de clerico excomm.* Varia pro eius textus interpretatione adduxerunt repetentes ibi; quibus omissis duplici modo difficultati responderi potest, supponendo Pontificem in eo textu non agere de clerico in sacerdotem promouendo, sed de sacerdote in suo gradu ministrante. Primò asserendo, in eo textu tantum affirmari peccatorem, si nil aliud sit, quod illi obest, pœnitentiam agendo posse Missam cantare, id est Missæ sacrificium offerre; simoniacum autem, etiam pœnitentiâ peractâ, non posse Missam celebrare, quia propter simoniæ labem suspensus est, *cap. si quis*, *cap. de hoc*, *cap. per tuas*, *de simonia*: ita illum textum interpretatur Suarez *de censuris disput.* 31. *sect.* 4. *num.* 3. secundò textus ille interpretari potest iuxta tempora Pontificis Deusdedit, illius textus auctoris, asserendo illa verba, *Missam cantare*, non esse accipienda de Presbytero celebrante, vt accipiuntur *in cap. interdicimus* 16. *quæst.* 1. *cap.* 3. *c. dudum* 27. 18. *quæst.* 2. sed de canente in choro. Vnde cùm iuxta antiquam Ecclesiæ disciplinam Sacerdos etiam peractâ pœnitentiâ solenni admitteretur in choro canentium, inter psalmistas, *cap. penult.* 50. *dist.* & ibi reciperet communionem laicam, *cap. si quis* 8. 50. *dist.* Concilium Sardicense sub Iulio I. *cap.* 1. simoniacus tamen, quia vt intrusus in Ecclesia, non poterat communionem laicam suscipere, Baronius *tom.* 3. *anno* 347. & sic nec inter canentes stare poterat, ideò ait Pontifex Deusdedit, omnem peccatorem Missam cantare posse, præter simoniacum. Ita textum illum interpretatur nunquam debitis extollendus laudibus Illustrissimus Præceptor D.D. Martin. Ontiberos *in tract. de sacrament. in genere*, *art.* 6. *num.* 4.

14. EXPONITVR CAP. 2. DE APOSTATIS.

Tertiò aduersatur suprà traditis textus *in cap.* 2. *de apostatis*, in illis verbis: *Si verò occultum est, promoueri poterit.* In qua decisione agitur de quodam Clerico iterante baptismum, ad ordines admittendo, vel non. Et Alexander III. distinguit; vel delictum fuit occultum, vel publicum. Si publicum fuit, non posse ad sacros ordines ascendere, nisi religionem ingrediatur; quia tunc fauore religionis posset cum eo dispensare, plerumque enim monachi pœnitentes post grauia facinora admittebantur ad sacros ordines, qui si in sæculo manerent, sacris ordinibus non initiarentur, vt contra Cellotium probat Franciscus Hallier. *de hierarch. Eccles. pag.* 272. si verò occultum delictum fuit, posse ad sacros ordines ascendere. Ex quo textu expresè constat, occultè reiterantes baptismum, posse ad sacros ordines ascendere; contra ea, quæ suprà diximus. Cui difficultati respondendum est asserendo, in eo textu acolytum, cui permittitur ascendere ad sacros ordines, non iterasse baptismum illum administrando, vel suscipiendo, sed tantùm adfuisse iterationi: vnde cùm ipse nec iterasset, per se illud administrando, nec suscipiendo, sed in persona fratris fuisset iteratus; ideò Alexander III. illi indulsit, vt posset, si occultum delictum fuit, ad maiores ordines ascendere.

15. EXPONITVR TRIDENTINVM SESS. 24. CAP. 1.

Quartò supradictæ assertioni obstat textus *in cap.* 1. *Concilij Tridentini*, *sess.* 14. *de reform.* in illis verbis: *Etiam ob occultum crimen.* Quibus permittitur Episcopis arcere ab Ordinibus criminosos etiam occultos. Quod etiam docetur in principio ipsius sessionis. Igitur non rectè asserimus in præsenti, propter occultum crimen non posse criminosum arceri à sacris ordinibus. Pro huius textus expositione, & conciliatione cum præsenti capite varia adducit Franciscus Hallierius *de sacris elect. pag.* 37. sed superfluò, cùm declaratum sit per sacram Concilij Congregationem, correctam esse decisionem textus in præsenti capite *ex tenore*, per canonem illum, & ampliatam decisionem textus *in cap. ad aures*, *hoc tit.* itavt quod suprà dicebamus de regularibus non admittendis ad ordines, ob delictum etiam occultum, procedat in clericis sæcularibus, vt post Farinacium cum pluribus testatur Barbosa *in remiss. ad Concilium Trident. dict. sess.* 24. *cap.* 1. quare cùm expressa correctio in his iuribus reperiatur, frustra agitur de eorum conciliatione.

16. EXPONITVR CAN. 2. CONCILII NICÆNI.

Tandem præsenti assertioni obstat textus *in can.* 2. *Concily Nicæni*, relatus *in cap. quoniam*, 48. *dist.* in illis verbis: *Si verò procedente tempore aliquod peccatum, quod animæ noceat, inuentum fuerit in ea persona, & conuincitur duobus, vel tribus testibus, cessabit à Clero.* Ex quibus verbis deducitur, quodlibet peccatum animale sufficiens esse vt quis excludatur à sacris Ordinibus. Pro cuius canonis expositione Balsamon in eius notis existimat, peccatum animale in eo canone, seu quod animæ noceat, accipi pro quacumque culpa incompatibili cum diuina gratia. Verùm hæc interpretatio facilè refellitur ex præsenti textu, & adductis per Cabassutium *in notitia Conciliorum*, *pag.* 62. *in eo canone.* Alij textum illum accipiunt de apostata, homicida, fornicatore; quorum peccata olim solebant capitalia, & mortalia appellari: quo in sensu Isidorus *lib.* 2. *de diuinis officiis*, asserit consuetudinem Ecclesiæ hanc esse, vt sordidati peccato mortali ad ordines non promoueantur; & si quis post ordinationem mortalis peccati reus factus sit, non possit sacrum exercere ministerium: & Concilium Valentinum Galliæ sub Damaso *cap.* 4. prohibet ab Episcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu eos, qui se mortali crimine fatentur pollutos. Similiter Concilium Agathense *can.* 32.

decreuit,

decreuit, clericum qui capitale crimen commisit, deponi, & in monasterium coniici. Præterea Patres Concilij Tolet. 4. *can.* 52. sanxerunt, eos qui publicam agentes pœnitentiam mortale delictum publicè confessi sunt, non posse in Clericos ordinari. Verùm omnes canones hi facilè iuxta suprà tradita procedunt in eo, qui delictum publicum capitale admisit, aut ex quo infamiam contraxit. Verùm textus *in dict. can.* 2. *Concilij Nicæn.* ni fallor procedit in eo, qui postquam ordinatus fuit, publicè in luxuriæ peccatum lapsus fuit; ille enim deiiciebatur à Clero, iuxta veteres canones 30. Concilij Illiber. 9. & 10. Concilij Neocæsar. Et licèt in principio ipsius canonis ageretur de neophytis non ordinandis; tamen in eius calce de clerico agitur lapso in peccatum animale deiiciendo à Clero; non verò cooptando, seu ordinando in Clerum.

CAPVT V.

Lucius III. *Archiep.* [a] *Turonensi.*

AD aures nostras peruenit, quod religiosi quidam ad superiores desiderant ordines [b] promoueri, sed Prælati eorum desideriis contradicunt. Tuæ igitur quæstioni taliter respondemus, quod honestius, & tutius est subiectis debitam Præpositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deseruire, quàm cum Præpositorum scandalo graduum appetere dignitatem. Nec est in hac parte subiectorum desiderium confouendum; quoniam esse potest, quod Prælati eorum commissa [c] secreta nouerint, ex quibus constat eis, quod saluâ conscientiâ nequeant sublimari: quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis requiritur regnum.

NOTÆ.

1. TVRONENSIS VRBS VBI.

a *Tvron.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & post Concilium Lateran. *part.* 26. *cap.* 22. Turonensis, seu Turonica ciuitas, est Galliæ, in tertia Lugdunensi prouincia, trans Ligerim sita, de qua plura Fratres Sarmat. *tom.* 1. *Galliæ Christ. fol.* 732. Habet Ecclesiam Metropolitanam D. Gratiano dicatam, iam olim in Archiepiscopalem erectam, vt testantur Hadrianus II. *epist.* 27. *ad Carolum Magnum*, Venantius Fortunatus pluribus ad Gregorium Turon. carminibus, *lib.* 4. & constat ex subscriptione Licinij, vbi se Episcopum scribit Ecclesiæ Turonicæ Metropolis, ex Concilio Venetico celebrato anno 455. Eius Ecclesiæ historiam, & Præsulum seriem scripserunt Andreas Quercetanus, & Chenu. Eius mentio extat in iure nostro *in cap. final. de filiis presbyter. cap. consuluit, de seruis non ordin. cap. de eo 9. cum sequenti, de Ordinar. cap. ex tenore* 11. *de foro compet. cap. dilecti* 8. *de except. cap. ex conqueſt. de restit. spol. cap.* 8. *de præb. cap.* 8. *de simonia*, cum aliis. Huius ergo Ecclesiæ Præsuli Bartholomeo Vindocinensi missa est hæc Decretalis.

b *Promoueri.*] Consonat Cassianus *lib.* 11. *collat. cap.* 14. *Nonnunquam clericatus gradum, & desiderium Presbytery, vel Diaconatus immittit.* Vbi obseruat Gazeus.

2. c *Secreta nouerint.*] Hæc verba difficilia visa sunt Interpretibus; nam si Prælatus subditi secreta in confessione nouerit, non potest vti eâ scientiâ, quia non nouit vt homo, sed vt Deus, *cap.* 2. vbi plura adducemus, *de officio ordin. cap. omnis, §. caueat*, vbi Balboa, *de officio ordin.* Sed hæc verba rectè interpretatur Basilius Legion. *de matrim. lib.* 5. *cap.* 35. vt procedant in scientia extra confessionem, sed secretè habita, quâ vti potest Prælatus: quo modo accipitur etiam textus *in cap. vnico, de clerico per saltum promoto*, & alij adducendi *in dict. cap.* 2. *de officio ordin.*

COMMENTARIVM.

EX præsenti textu sequens communiter deducitur assertio: *Religiosus contra prohibitionem Prælati sui sacris Ordinibus initiari non debet.* Probant textus *in cap. nullus*, 58. *dist. cap. si quis, cap. in parochia, cap. monachi vagantes, cap. monachi à monasterio, cap. cùm pro vtili* 16. *quæst.* 1. *cap. quàm sit, §. nullus* 18. *quæst.* 2. *cap. nullus, de temporib. ordin. lib.* 6. *Clement. ne in agro, in fine, de stat. monach. cap. si religiosus, de elect. lib.* 6. Concilium Lateran. sub Gregorio Magno: *Vt inuito Abbate ad alia monasteria ordinanda, aut ad sacros ordines, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant.* Moguntinum *can.* 48. Mediolan. 5. *tit. de initiandis ordin. sacr.* D. Benedictus *in sua regula, cap.* 60. *Si quis Abbas sibi Presbyterum, aut Diaconum ordinare petierit, de suis eligat, qui dignior sit sacerdotio fungi; ordinatus autem caueat elationem, aut superbiam.* D. Gregorius *lib.* 7. *epist.* 18. *Pariter autem custodiendum est, vt inuito eiusdem monasterij Abbate, aut ad ordinis clericatus officium tolli exinde monachi non debeant.* Concilium Illerd. *can.* 3. plura Antonius August. *in epit. lib.* 9. *tit.* 18. Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti*, quibus addendi sunt Ledesma *tom.* 1. *summæ, de sacram. Ordin. cap.* 8. *concluſ.* 10. Peyrinis *tom.* 1. *priuil. sui ordin. constit.* 2. *Julij II. num.* 22. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *disput.* 7. *quæst.* 26. Gazeus *in notis ad Cassianum, lib.* 11. *collat. cap.* 14. Hallier. *de sacris elect. pag.* 88. & *in vindiciis Parisiens. pag.* 439. & 521. Rousselius *lib.* 1. *histor. iurisd. Pontif. cap.* 5. *num.* 3. Menardus *ad concord. regul.* 1015.

3. CONCLVSIO PROBATVR.

4. RATIO DVBITANDI.

Sed hæc assertio non leuem patitur dubitandi rationem ex sequentibus iuris principiis. Primò, nam monachis ac religiosis licet propria auctoritate arctioris & perfectioris status causâ propriam religionem deserere, & ad strictiorem, atque perfectiorem statum transire, etiam renuente Prælato, ex rationibus traditis ab Innocentio III. *in cap. licèt, de regular.* Sed status sacerdotij perfectior est, quàm monachatus, *cap. alia* 6. 16. *quæst.* 1. ibi: *Alia causa est monachorum, alia clericorum;*

eorum: mihi ante presbyterum sedere non licet; illi si peccauero, licet me tradere Satanæ. Ergo etiam inuitis Prælatis monachi possunt sacris ordinibus initiari. Accedit, nam vt Daniel Parisiensis in sua apologia, *cap.5.* §. 1. ait: *Officium, & vocatio presbyterij est cum instituto & statu monastico connaturaliter coniuncta, & munus sacerdotis cum statu religiosorum suâ naturâ exposcit coniungi.* Igitur à Prælatis regularibus prohiberi non debet id, quod est connaturale cum ipsa professione religiosa. Augetur etiam hæc dubitandi ratio ex eo, nam licèt religiosus virtute obedientiæ promissæ tempore suæ professionis teneatur obedire Prælatis propriis, iuxta tradita ab Ephteno *lib. 6. disquisit. tract. 2. per totum*, Caramuele *in regul. S. Benedicti*, *disput.*50. Tamburino *tom. 3. de iure Abbatum*, *disput. 4. per totam*, & aliis de iure cœnobit. agentibus; tamen id procedit, cùm Prælati præcipiunt res rationi & regulæ monasticæ consonas, non verò si præcipiunt aliquid contra, vel præter regulam. D. Bernardus *de præcepto & disciplina*, *cap. 7.* ibi: *Proinde si professo secundum illam regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundùm regulam, aut etiam quod non sit secundùm ista instituta, verbi causâ Basilij, Augustini, Pachomij; quænam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi? Solùm quippe id à me exigi posse arbitror, quod promisi.* Expressiùs *cap.8. Prælati iussio, seu prohibitio non prætereat terminos professionis; nec vltra extendi potest, nec contrahi; citrà nil me Prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Sed nulla religionis approbatæ regula impedit professos in ea ad sacros ordines ascendere, cùm esset iniqua, vtpote quæ adimeret perfectiorem statum, & impediret gratiam, quæ præstatur in susceptione sacramenti Ordinis: igitur Prælatus non potest prohibere subditis ad sacros ordines ascendere. Accedit tandem, nam non potest dari maior obedientia subditi erga Prælatum, quàm filij erga parentes, cùm hæc potestas proueniat à iure naturali diuino, & positiuo, vt post Sanchez, Fagundez, Tamburinum, & alios in præceptum 4. Decalogi docent Donellus *lib.1. comment. cap.20.* Valentia *tom.3. illustr. tract. 2. cap. 1.* Acacius *de priuilegiis parent. in prolog.* Sed patre renuente filius potest sacris ordinibus initiari, vt probat Fagundez *vbi suprà*, *lib. 4. cap. 4. num. 2.* igitur & renuente Prælato poterit religiosus ad sacros ordines ascendere.

5. OLIM MONACHI LAICI ERANT.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est suprà tradita assertio. Pro cuius expositione præmittendum est, non solùm illos primos monachorum patres, quos Principes propositi monastici appellat D. Hieronymus *epist.3. ad Paulinum*, videlicet Paulum, Antonium, Hilarionem, & Macharium, sacerdotes non fuisse, verùm & primis Ecclesiæ sæculis monasticam vitam amplectentes, expertes fuisse clericatus, nec ad gradus ecclesiasticos ascendere, *cap. nemo 2. cap. monachus 4. cap. alia 6. cap. interdicimus 10. cap. adiicimus 19. 16. quæst. 1.* plura Antonius August. *in epit. iuris lib. 9. tit. 39.* Barbosa *lib.1. iuris eccles. cap. 43. num. 13.* Franciscus Hallier. *in vindiciis censuræ Paris. lib.4. cap.2. per totum*, Gibalinus *de clauss. regul. disquisit. 2. cap. 2. §.3.* Benedictus Ephtenus *in vita S. Benedicti, prolog. 18. §.3.* Cuiacius *in nouella 5. Iustin.* Viuar. *de veteri monach. lib. 2. cap. 10. num. 18.* Quintanaduenas *lib. 3. ecclesiast.* Bignonius *ad Marculfum lib. 1. cap.2.* Michael Rousselius *lib.1. histor. Pont. iurisd. cap.5. num.3.* quare monachi medij erant inter Clerum & populum; vnde Dionysius Areopag. *epist. 8.* ait: *Monachis partes sunt assignatæ, iuxta quas etiam ministrantibus adstant, non ad custodiam, sed vt agnoscant, tam se, quam ordinem suum magis populo præ sacerdotibus propinquare.* Hinc in pœnis distinguebantur, siquidem ex quibus delictis clerici degradabantur, monachi vt laici excommunicabantur, *can. 2. & 8. Concilij Chalcedon.* Ticinense anno 887. ibi: *Laici & monachi perpetuo anathemate feriantur:* notauit Bignonius *dict. lib. 1. cap.2.* Vnde *in cap. à subdiacono 5. 93. dist.* dum præscribitur in Ecclesia ordo hierarchicus, post Ostiarium Abbas recensetur, quia illis sæculis omnibus ecclesiasticis ministris inferiores censebantur monachi, vt probant Corrasius *de sacerdotio lib.6. cap. 6.* Antonius Cuchus *lib.3. instit. tit. de monachis*, *num.38.* Lemaistre *de instit. Episcop. lib.4. cap.5. & 6.* I. Filesacus *in cap. inter 15. §. 5. de officio ordin.* Laurentius Lantdmeter. *de veteri cleric. lib. 2. cap. 1.* Iacobus Gothofredus *in l.22. Cod. Theodos. de Episcop. & cleric.* Basilius Legion. *variar. disput. 1. quæst. 3. cap. 5.* Duarenus *lib. 1. de sacris Eccles. cap. 20.* Frater Iosephus Siguenza *in vita D. Hieronymi lib. 2. discurs.2.* Sequentibus temporibus, quarto videlicet Ecclesiæ sæculo, monachi ad sacerdotium promoueri cœperunt; nam S. Athanasius quamplures monachos sanctitate, & doctrinâ illustres sacris ordinibus initiatos, Episcopos diuersarum Ecclesiarum constituit, quorum ipse Athanasius scribens ad Dracontium monachum, catalogum texit, & refertur in historia tripartita *lib.8. cap. 1.* & in Concilio Nicæno *can. 75.* Apud Turrianum expressa mentio extat monachorum Sacerdotum, ibi: *Si congregatio fidelium alicuius parochiæ elegerit aliquem præstantiorem aliis, doctrinâ, prudentiâ, & fide, ex his, qui ministrant altari, aut ex monachis, id est sacerdotibus monasteriorum.* Et *cap. sanctorum, 70. dist.* Ex quibus auctoritatibus deducit Ephtenus vbi suprà, quarto sæculo Ecclesiæ, iam monachos in sacerdotes promoueri. Sed si verum amamus, potiùs in illis iuris testimoniis de sacerdotibus agitur, qui monasteriis præficiebantur, vt monachis sacramenta administrarent; quod cùm ipsis laboriosum prorsus esset, vnus ex ipsis monachis presbyter ordinari cœpit, qui aliis sacramenta ministraret, *cap. sic viue 26. cap. si clericatus 27. 16. quæst. 1.* Sed monachos iam quarto, & quinto sæculis Ecclesiæ sacris initiatos fuisse ordinibus, rectiùs probatur ex Siricio Papa, qui floruit per annos 384. relato *in cap. monachos 16. quæst. 1.* quare D. Thomas *opusc. 15. contra impug. relig. c.2.* & Gratianus *in 16. quæst. 1.* post canonem *hinc est, §. monachus*, aiunt: *Vsque ad tempora Eusebij, Zosimi, & Siricij monachos clericos non fuisse, ecclesiasticam testari historiam.* Post quod decretum Siricij, relatum *in dict. cap. monachos*, cœperunt monachi sacris Ordinibus initiari: & Imperator Honorius sub Pontificatu Anastasij, & Siricij successoris in hæc verba rescripsit *in leg.32. Cod. Theodos. de Episcop. & cleric. Si quos forte Episcopi deesse sibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectiùs ordinabunt.* Facit D. Augustinus *epist. 76. ad Aurelium*, ibi: *Ex his, qui in monasterio permanent, non nisi probatiores, atque meliores in Clerum assumere solemus.* In Africa enim anno Christi 395. cœperunt monachi Missam celebrare, vt constat ex

Possidio

Possidii *in vita S. Augustini*, *epist.*76. ad Aurelium: *Ex his, qui in monasterio permanent, non nisi probatiores, atque meliores in Clerum assumere solemus.* Et *cap.*11. *Proficientes doctrinâ diuinâ sub Sancto, & cum S. Augustino in monasterio Deo seruientes, Ecclesiæ Hipponensis clerici ordinari cœperunt.* Synod. Constantinop. generalis 6. *act.*3. licèt in ipsa Ecclesia Orientali hæc consuetudo aliquantulum obliterata esset, & tantùm in monasteriis Liturgiam facerent qui iam sacris ordinati vitam monasticam profitebantur. Sic enim colligitur ex Theodoro Balsamone *in cap.*3. *Nomocanonis Phocæ*, vbi ait: *Cùm enim mos esset, vt qui ex laicis sacerdotibus monachi facti fuerant, & ad sacerdotum ministerium priùs adscripti erant, etiam post vitam monasticam in corporis ministeriorum catalogo permanerent, & vnà cum laicis sacerdotibus permanerent, Sanctissimus Dominus noster Michael longam hanc consuetudinem pro nihilo habuit, & statuit vt ex laicis solum sacerdotibus ministeria constarent; monachi autem in suis monasteriis assiderent.*

6. QVID IN ECCLESIA LATINA.

In Ecclesia autem Occidentali iam anno 490. monachos diuina ministeria tractasse probatur ex Pelagio Pontifice I. *epist.*9. *ad Episcop. Lucan.* illis verbis: *Vt si quis etiam de religioso proposito, & disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur.* Concil. Illerd. celebrato anno 510. *can.* 3. *De monachis id obseruari placuit, quod Synodus Agathensis noscitur decreuisse, hoc tantummodò adiiciendo, vt cùm pro Ecclesiæ vtilitate aliquos Episcopus probauerit in clericatus officio promouendos, cum Abbatis voluntate debeant ordinari.* B. Gregor. *lib.*5. *epist.*41. Concil. Tolet. 11. *can.* 3. vbi iubetur, vt monachi in Missarum sacrificiis Episcopi, in cuius ditione consistunt, ritus & cæremonias obseruent. Synod. Meld. *can.* 10. quam Concil. Tolet. authoritatem latè exponit Vicecomes *de antiq. Missæ ritibus*, *volum.*3. *lib.*1. *cap.*7. & cùm paulatim cœpissent Ordinibus initiari, aliquique ignari, & maleuoli hoc admodum reprehensione dignum iudicassent, S. Bonifacius Concilio in Italia celebrato edidit constitutionem, quam refert Gratianus *in cap. sunt nonnulli* 16. *quæst.* 4. quam ex MS. & reconditis codicibus ita emendat Yepes *tom.*1. *chron. D. Benedicti*, *anno* 610. *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, magis zelo amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem, seu absolutionem largiri posse per sacerdotalis officij iniunctam gratiam: sed omninò falluntur; nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar B. Greg. monastico cultu pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui soluendi, & ligandi potestas concessa est. Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius, aliique quamplurimi sanctissimi viri, pretiosorum monachorum habitu fulgentes, nequaquam à quoquam Pontificali officio subarrarentur; neque enim Benedictus monachorum pater & præceptor almificus huius rei aliquo modo fuit interdictor.* Latiùs prosequuntur Yepes *vbi suprà*, Chopinus *lib.*2. *monast. tit.* 3. *num.* 1. Hallierius *de sacris elect. sect.* 1. *cap.* 2. *art.* 2. §. 2. & in vindiciis Paris. *fol.*493. & 521. I. Gothofredus *in dict. l.*32.

7. PROSEQVITVR

Cum iam monachi non solùm fratribus suis sacramenta administrarent, verùm etiam laicis, cœperunt non solùm in monasteriis, verùm etiam in parochiis sæcularibus institui, & ordinari, vt etiam sæcularibus sacramenta administrarent: vndè ad titulum Ecclesiæ, cui præficiebantur, transibant, & monasteria propria deserebant, vt expressè probatur *ex epist.* 61. *D. Hieronymi*, vbi de ordinatione Paulini agens, ita scribit: *Nolle sibi presbyterum tribui, vt monachus tolleretur.* Expressiùs *in epist. ad Rusticum monachum*, ibi: *Cùm ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex ciuitatis in Clerum elegerit, age quæ clerici sunt, & inter clericos sectare meliores.* Clariùs *ex cap. nemo*, *cap. ne pro qualibet* 16. *quæst.*1. ex D. Gregorio *lib.* 7. *epist.* 18. *Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem peruenerit, vlterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat manendi.* Et aliis Patrum testimoniis latè probat Balsamon *in can.* 4. *Synodi Constantinop.* Hallier. *in vindiciis*, *fol.*485. Nec contrarium suadet textus *in cap. de monachis* 3. 16. *quæst.* 1. vbi asseritur, monachos cùm ad clericatus gradus peruenerint, non debere à priori proposito discedere, quia vt Glossa, Archid. & Turriserem. ibi docent, textus ille loquitur de his, quæ sunt substantialia monachatus, vt vota continentiæ, & paupertatis: licèt enim eo tempore monachi sacris initiati extra monasteria degerent, tamen propositum continentiæ, & paupertatis conseruare tenebantur, vt dicemus *in cap.*1. *de testam.*

EADEM TRACTATIO.

Ex his apparet, quare in hoc textu, & suprà citatis statuatur, ne monachi contra voluntatem sui Prælati sacris ordinibus initientur: cùm enim per ordinationem à regulari abstinentia ipso iure absoluerentur, nec ampliùs in monasterio degerent, non sine Abbatis licentia ordinari poterant, vt ab eius potestate subducerentur. Accedit, nam plerumque dæmon decipiebat monachos hac illusione, vt Ordines ambirent: vnde sanctus Pachomius monachorum magnus institutor aiebat, esse admodum bonum, & valde vtile monachis non quærere honorem, vel principatum, vel gloriam, & maximè in cœnobio; addebatque principatus, aut ambitionis clericatus cogitationem, si inciderit in monachos, nec citò extinguatur, facilè corrumpere vniuersum laborem exercitationis, referente Metaphraste in eius vita, *cap.*23. Et S. Basilius monasticæ conuersationi regulam præscribens, *cap.* 23. ait: *Nullam capitaliorem pestem monasteriis irrepere posse, quàm si monachos clericatus ambitio inuadat.* Et S. Cæsarius ex monacho Lirinensi factus Archiepiscopus Arelat. inter monachi virtutes necessariam hanc enumerat, quòd ambitum honoris, vel desiderium clericatus veræ humilitatis amore repudiauit, ac respuit: refertur *tom.*2. *Bibliot.* Expressiùs Moyses Abbas apud Cassianum *collat.* 1. *cap.* 20. ait: *Cùm dæmon desiderare sanctum Clericatus officium, sub prætextu ædificationis multorum, & amore lucri spiritualis instigat, per quod nos ab humilitate propositi huius, ac districtione diuellit; quæ omnia cùm sint nostræ saluti, professionique contraria: tamen velamine quodam misericordiæ, ac religionis obtecta, facilè imperitos, incautosque decipiunt.* Rectè ergo in hoc textu, & aliis suprà citatis statutum est, ne ambientibus monachis sacerdotium illis concedatur, nisi Prælatus, qui eorum conscientiam moderatur, assentiat. Accedit ratio à nostro Pontifice allata, quia videlicet ipse Prælatus nouit aliquod crimen occultum, quod impediat ipsum ordinari, aut cum quo non liceat ipsum sacerdotio mancipari; faciliùs enim ipsi Prælati agnoscunt

8. RATIO DECIDENDI.

cunt impedimenta ſubditorum : vnde hodie ipſi Prælati regulares litteràs dimiſſorias concedunt monachis, vt ad ordines admittantur : latè docent Tambur. *dict. quæſt.* 25. Hallier. *de ſacris*, vbi ſuprà, *cap.* 3.

9. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat dubitandi ratio, quâ dicebamus, licere religioſis, inuitis ſuis Prælatis, ad vitam ſtrictiorem tranſire ; nam id procedit cùm arctior, & ſtrictior modus viuendi adeſt in religione, ad quam transfertur, ac ſeruatur in religione, quam deſerit ; non autem cauſa huius permiſſionis eſt perfectior ſtatus, vt docent Azor *tom.* 1. *moral. lib.* 12. *cap.* 14. *quæſt.* 2. Sanchez *in Decalogum lib.* 7. *cap.* 7. Suarez *tom.* 3. *de relig. cap.* 8. *per totum.* Vnde cùm per ſuſceptionem ſacrorum ordinum arctiorem, ſeu ſtrictiorem monachus non aſſequatur vitam, licèt in perfectiorem ſtatum tranſeat ; ideò irrequiſito, & renuente ſuperiore non licet ad ſacros ordines aſcendere. Nec augmentum deductum ex apologia Danielis aliquid facit, eam enim doctè & apertè refellit Hallier. *in vindiciis*, *pag.* 491. §. 3. quomodo enim monachis poterat eſſe connaturale ſacerdotium, cùm, vt ſuprà probauimus, per tot annos à ſacerdotio repellerentur, vt latè conſiderat Hallier. *vbi proximè*. Nec ſecundum augmentum aduerſatur ; poteſt enim Prælatus imperare religioſis, non ſolùm quæ illi expreſsè profeſſi fuerunt, verùm & illa, quæ tendunt in ordine ad regulam, vel in pœnam alicuius delicti præcipiuntur ; & tunc religioſi tenentur Prælatis obedire, vt pluribus relatis tradit Tamburinus *tom.* 3. *de iure Abbat. diſput.* 4. *quæſt.* 3. *num.* 7. Vnde cùm Prælatus ratione delicti occulti prohibet ſubditis, ne ſacris initientur ordinibus, præcipit in pœnam delicti perpetrati, & ordinatè ad regulæ obſeruantiam ; cùm ea non facilè ſeruaretur, ſi monachi ſacerdotio elati tantùm Preſbyterij principatum ambirent, vt ſuprà ex D. Baſilio, & Cæſario notaui. Inde religioſi ſacerdotium ambientes tenentur ſuis obedire Prælatis, qui illis vt initientur ordinibus, inhibent. Nec vltimum augmentum obſtat ; diuerſa enim ratio prohibitionis eſt in monacho reſpectu Prælati, ac in filio reſpectu patris ; cùm enim in his, quæ ad ſtatum ſpectant, non attendatur patria poteſtas, vt omnes ſuprà laudati docent, inde repugnante etiam patre filius poteſt ſacris ordinibus initiari : accedit, nam rationes prohibitionis, ne monachus renuente Prælato ſacris initietur, non procedunt in filiofamilias ; quare etiam Patre renuente poteſt ad ſacros ordines aſcendere.

10. EXPONITVR CAN. 4. CONCILII CONSTANTINOP.

Primò ſuperiori aſſertioni aduerſatur Concilium Conſtantinop. celebratum in templo SS. Apoſtolorum, *can.* 4. vbi ita cauetur : *Sed ſi Epiſcopus quidem de nullorum monachorum pietate, & vitæ probitate teſtimonium ferens, in aliud monaſterium, ad eius conſtitutionem eos transferre voluerit, vel in domum ſæcularem, ad eorum, qui inhabitant ſalutem, traducere cenſuerit, vel in quouis alio loco præponendos putarit, hoc neque iis, qui ſuſcipiunt, neque ipſis monachis fraudi erit.* Ex quibus verbis, & *ex cap. in Parochia* 16. *quæſt.* 1. expreſsè euincitur, licere Epiſcopis propria voluntate, ſine Prælatorum aſſenſu monachos ordinare, atque eos præficere in parochialibus Eccleſiis pro ſalute populi, & vtilitate parochianorum : igitur non rectè aſſerimus, in ordinatione monachi Prælati licentiam deſiderari. Huius textus interpretatio altiùs repetenda eſt ex veteri Eccleſiæ diſciplina. Sciendum enim eſt, quod poſtquam monachi clero adſcribi cœperunt, & illis permiſſum fuit ſacris initiari, ſolâ Epiſcoporum voluntate abſque Superiorum licentia ad gradus clericatus aſſumptos fuiſſe : dum enim Athanaſius *in epiſt. ad Dracontium*, refert tot monachos à ſe ordinatos fuiſſe, vllam conſenſus Prælati mentionem non facit : & D. Hieronymus dum de ordinatione Ruſtici *in epiſt.* 4. *ad ipſum*, agit, tantùm Epiſcopi poſtulat voluntatem, ibi : *Si Populus, vel Pontifex ciuitatis in Clerum elegerit.* Quibus, & aliis auctoritatibus hanc firmat ſententiam Hallier. *de ſacris elect. dict.* §. 2. *pag.* 88. ſed cùm ex hac facultate ordinandi monachos, & per conſequens ſubtrahendi eos à regulari profeſſione, monaſteriis magna iniuria inferri videretur, conqueri cœperunt, tam Prælati, quàm ipſi monachi : illi quidem poteſtatem ſuam violari, ſubditoſque à ſe eripi ; iſti verò inuitos à religione extrahi, & in quiete ſua turbari. Vnde primò in Concilio Arelat. celebrato anno 455. auditis his querimoniis monachorum inſulæ Lirinenſis, ſtatutum fuit, ne Epiſcopi ex integra eorum familia monachum ordinarent, niſi Abbate petente. Secutum fuit Concilium Agathenſe ſub Symmacho Papa celebratum, vbi quod ſpecialiter Lirinenſi monaſterio indultum fuerat, ad omnia Narbonenſis prouinciæ monaſteria protractum eſt, vt patet ex eius canone relato *in cap. monachi* 33. 16. *quæſt.* 1. mox etiam Concilium Illerd. in prouincia Tarraconenſi celebratum, ſtatuta Arelat. & Agath. approbauit, *can.* 3. in hæc verba : *De monachis verò id obſeruare placuit, quod Arelat. vel Agath. noſcitur decreuiſſe, hoc tantummodo adiiciendo, vt pro Eccleſiæ vtilitate, quos Epiſcopus probauerit, in clericatus officio cum Abbatis licentia debeant ordinari ; ea verò quæ in iure monaſterij de facultatibus offeruntur, nullâ diœceſanâ lege ab Epiſcopis contingantur : ſi autem ex laicis quiſquam a ſe factam Baſilicam conſecrari deſiderat, nequaquam ſub monaſterij ſpecie, vbi congregatio non colligitur, à diœceſana lege audeat ſegregare.* Quæ verba licèt truncata, reperiuntur apud Gratianum *in cap. pro vtilitate*, *cap. ſi ex laicis* 16. *quæſt.* 1. integra autem referunt Loayſa *in Conciliis Hiſpaniæ*, Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti*, *anno* 546. qui textus difficilis eſt in ea parte, in qua Patres affirmant, Conciliis Agathenſi, & Arelat. illud adiicere, videlicet vt ſine Abbatis voluntate monachus ordinari non poſſit ; quod iam in prædictis Conciliis ſtatutum reperiebatur. Hallier. *vbi proximè*, *pag.* 89. Huic difficultati ſatisfacere intendit aſſerendo Patres Concilij Illerd. aſſerere, ſe adiicere Concilio Agathenſi tantùm ſtrictiorem, aut clariorem prohibitionem : ſed verius credo illa verba, *Tantummodo adiiciendum*, eſſe referenda non ad primam textus partem, vbi ſtatuta Concilij Agathenſis, & Arelat. confirmantur ; ſed ad ſecundam partem, quæ incipit ab illis verbis : *Ab ea verò*, &c. quæ non reperiuntur apud Gratianum, nec in dictis Conciliis. Igitur verba textus *in dict. can.* 4. *Concilij Conſtantinop.* & *in dict. cap. in Parochia*, referenda ſunt ad prima illa Eccleſiæ tempora, cùm Epiſcopi inconſultis Prælatis monachos & ordinare, & à monaſteriis ſubtrahere valebant.

Secundò aduerſatur traditæ aſſertioni Gregorius Magnus *lib.* 11. *epiſt.* 10. vbi aſſerit, priuilegium

11. EXPONI-

TVR D. GREGORIVS.

ſpeciale ſe condere Xenodochio Auguſtodunenſi, in hæc verba : *Epiſcopum verò tollendi de eodem loco monachum ad eccleſiaſticum ordinem promouendum, vel pro aliqua quacumque cauſa, ſine conſenſu Abbatis, atque Preſbyteri habere licentiam prohibemus.* Ex quo textu ſic argumentor. Fruſtra precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l.vnica, Cod. de theſaur. lib.*10. ſed priuilegio ſpeciali conceditur monaſterio Auguſt. ne ſine Prælati licentia monachi ad ſacros ordines admittantur: igitur quia iure communi citra voluntatem Prælati monachi ſacris initiari poſſunt ordinibus. Pro cuius textus expoſitione ſciendum eſt, adhuc prædictis Conciliis Agat. & Illerd. ſatis conſultum, proſpectumque non fuiſſe monachis, vt ab Epiſcopis, inuitis Prælatis, Ordinis gratiâ non ſubtraherentur: quare monaſteria ſpecialia priuilegia, tam à ſummo Pontifice, quàm ab Epiſcopis impetrarunt, vt conſtat ex quorundam formulis relatis à Marculfo *lib.*1 *for.cmul.*1.& ibi Bignonio, & ex priuilegio libertatis conceſſo monaſterio Coruienſi à Bertefrido Epiſcopo Ambian. quod refertur *tom.*1. *Concil. Galliæ*, ibi : *Similiter & reliquos gradus clerirorum, minores, ac maiores, quos Abbas iamdicti monaſterij elegerit, ſiue intra, ſiue extra monaſterium, ſine aliqua præmij acceptione conſecrare.* Cùm enim adhuc in hac parte libertas monachorum ſatis ſtatuta non eſſet, ideò neceſſarium fuit in monaſterio Auguſtodun. prædictum Gregorij priuilegium : ſed poſtquam Concilio Lateran. ſub eodem Gregorio celebrato cautum fuit, vt inuito Abbate ad alia monaſteria ordinanda, aut ad ordines ſacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant, non licet Epiſcopis vllos monachos, etiam priuilegium non habentes, inuitis ſuis Prælatis ordinare, vt docet Hallier. *de ſacris elect. vbi proximè*, *fol.*89.

CAPVT VI.

[a] Anicetus Papa *Epiſcopis per Galliam conſtitutis.*

SI Archiepiſcopus obierit, & alius ordinandus Archiepiſcopus fuerit, omnes eiuſdem prouinciæ Epiſcopi ad Sedem [b] Metropolitanam veniant, vt ab omnibus ipſe [c] eligatur, & ordinetur: oportet autem, vt ipſe, qui illis omnibus præeſſe debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur. Reliqui verò comprouinciales Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, cæteris conſentientibus, à tribus iuſſu Archiepiſcopi conſecrari poſſunt Epiſcopis : ſed melius eſt, ſi ipſe cum omnibus eum, qui dignus eſt, elegerit, & cuncti pariter eum conſecrauerint Pontificem. *Et infrà* : Illud autem, quod de Archiepiſcopi conſecratione, & ordinatione prædictum eſt, atque præceptum, videlicet vt omnes ſuffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet.

NOTÆ.

a *Anicetus.*] In ſexta Decretalium collectione, & prima, *ſub hoc tit.de elect. cap.*9. legitur, *Lucius III.* ſed mendosè : auctor enim huius textus eſt Anicetus Pontifex, qui Eccleſiam rexit ex anno 177. vſque ad annum 185. vt referunt Baronius, Corjolanus, & Binius, aliique ſcriptores eccleſiaſtici : ipſe enim ex traditione Apoſtolorum, & doctrina Anacleti Pontificis *epiſt.*2. de qua Turrianus *lib.*5. *pro epiſt. Pont. c.*24. *fol.*583. ſtatuit Archiepiſcopum ab omnibus ſuffraganeis eſſe conſecrandum, Epiſcopum verò à tribus, vt conſtat ex eius epiſtola miſſa ad Epiſcopos Galliæ, quæ extat *tom.* 1. *Concil.* & ex ea tranſcripſerunt noſtrum textum Decretiſtæ, Burchardus *lib.*1. *Decreti, cap.*28. Iuo Carnot. *part.* 5. *Decreti*, *c.*139. Gratianus *in cap. Comprouinciales* 4. 64. *diſt.* & *in cap.*1. 66. *diſt.* 1.

b *Metropolitanam.*] Metropolis enim vocatur, quaſi mater prouinciæ, vt aiunt Imperatores *in l.vnica, Cod. Theodoſ. de Metropoli Beriti* ; vnde miror D.Iſidorum *lib.*7. *originum, cap.*12. relatum à Gratiano *in cap. cleros*, 21. *diſt.* Rabanum Maurum *de inſtit. cleric. cap.*5. affirmaſſe, Metropolitanos à menſura ciuitatis dictos, cùm Metropolis mater prouinciæ appelletur *in l.*4. §. *ingreſſus*, & *in l.*7. *ff.de officio Proconſ.* & colligitur ex epiſtola 2. Anacleti Papæ, *cap.*2. in illis verbis: *Et in capite prouinciarum, vbi dudum Primates legis ſaculi erant.* Et ibi : *Reliquæ verò Metropolitanæ ciuitates, quæ minores iudices habebant, haberent Metropolitanos ſuos, qui prædictis iuſtè obedirent Primatibus, ſicut in legibus ſæculi olim ordinatum erat ; qui non Primatum, ſed aut Metropolitanorum, aut Archiepiſcoporum nomine fruerentur.* Notarunt Henricus Kalteiſen. in oratione habita in Concilio Baſileenſi *de punit. peccator.* Duarenus *lib.*1. *de ſacris Eccleſ. cap.*9. Morinus *lib.*1. *exercit. cap.*1. quod notandum eſt ad intellectum Nicephori Calixti *cap.*52. 2.

c *Eligatur.*] Non ſolùm enim in conſecratione Archiepiſcopi omnes ſuffraganei; & in ordinatione Epiſcopi tres, verùm & in electione cum Clero, & populo omnium conſenſus deſiderabatur. Concilium Nicænum *can.* 4. Synodus Carthag. *can.*3. Syneſius *epiſt.*67. Cyprianus *epiſt.* 68. ibi : *Epiſcopi eiuſdem prouinciæ, proximi quique conueniant, & Epiſcopus eligatur.* P.Marcha *lib.* 6. *concord. cap.* 4. & 5. Sed cùm verbum χειροτονία, quo Patres, & Concilia Eccleſiæ Orientalis vtuntur, ſignificet electionem, & ordinationem, vt ex Græcis Scriptoribus docent Cironius *ad titul. de elect.* Hallier. *de ſacris elect. in principio* ; ideò in verſionibus Latinè factis facilè confunditur electio cum ordinatione. 3.

CAPVT

CAPVT VII.

Ex Concilio [a] *Arelatenſi.*

NEc Epiſcopus ſine Metropolitani permiſſu, nec Epiſcopus Metropolitanus ſine tribus Epiſcopis comprouincialibus præſumat Epiſcopum ordinare, ita vt alij Epiſcopi prouinciales epiſtolis admoneantur, vt ſe ſuo reſponſo conſenſiſſe ſignificent. Quod ſi inter partes aliqua fuerit dubitatio, maiori numero Metropolitanus in electione conſentiat.

NOTÆ.

1. ARELATVM VBI.

a *Relatenſi.*] Arelatum, vulgò *Arles*, ciuitas eſt Galliæ Narbonenſis, ſuper Rodanum flumen, cuius mentio fit *in l. codicillis 34. ff. de vſufruct. legato:* Romagalulla etiam dicta, id eſt Roma parua, vt exponũt Scaliger *in lect.* Auſon. *c.* 24. & 25. In ea Conſtantinus tyrannus fixit ſedem Imperij ſui, eamque deinceps Conſtantinam vocari iuſſit, & vt in ea ſeptem prouinciarum Galliæ agerentur conuentus. Plura de eius amplitudine Sauarus *ad Sidonium lib. 1. epiſt. 11.* & *lib. 3. epiſt. 1.* Briſſonius *de v. ſ. verbo Arelate*, Aloix *in notis ad vitam S. Dionyſij, c. 16.* Iuretus *in notis ad Symmachum, lib. 9. epiſt. 16.* Bucherus *in Belgico-Rom. lib. 8. c. 9.* & nos *in c. 16. de officio delegati.* Iam à primis Eccleſiæ ſæculis Archiepiſcopali Cathedrâ decorata fuit, vt probant Carolus à S. Paulo *in Geograph. ſacr. pag.* 128. Fratres Sarmat. *tom. 1. Galliæ Chriſt.* Eius Præſulis magna auctoritas illis primis ſæculis fuit, vt refert Hallierius *de hierarch. lib. 4. §. 17. pag.* 397. adeò autem dignitatis faſtigio elatus fuit, vt in aliena iura irrueret, præcipuè ordinando Epiſcopos ſine comprouincialium conſenſu, vt conſtat *ex cap. Artaldus 8. q. 3.* & probat Carolus *vbi proximè.* Vnde vt eius cohiberetur audacia, tam in Concil. Arelat. *1. can. 2.* quàm in Arelat. *2. can. 8. & 9.* ſtatutum fuit, ne Archiepiſcopus ſolus, ſed cum duobus aut tribus Epiſcopis aliquem ordinare præſumeret. Ex dicto canone 8. tranſcriptus eſt præſens textus, quem etiam ex eo retulerunt Burchard. *lib. 1. Decreti, c. 27.* Carnot. *p. 5. c. 138.* A. Auguſt. *in 1. collect. ſub tit. de elect. c. 4.* & *in epit. lib. 4. tit. 17. cap. 4.* & Concilium hoc Arelat. incerta ſede iactari notauit Sirmundus *in notis ad ipſum*, vbi Binius docuit tempore Siricij celebratum fuiſſe.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO REPERTVR ET PROBATVR.

EX his duobus canonibus ſequentem deducimus diſputandam aſſertionem: *Archiepiſcopus ab omnibus ſuffraganeis; ſuffraganeus verò à tribus Epiſcopis, Metropolitano iubente, & cæteris comprouincialibus conſentientibus, conſecrari debent.* Quam concluſionem quoad primam partem, videlicet Archiepiſcopos eſſe ab omnibus ſuffraganeis conſecrandos, probant textus *in c. qui in aliquo, in fine, 51. diſt. c. Metropolitano, 63. diſt. c. admoneatur, 65. diſt.* Gratianus *in princip. 77. diſt.* Concil. Arelat. *2. can. 7.* ibi: *Itaque Metropolitanus Epiſcopus à comprouincialibus clericis, vel populis electus, congregatis in vnum omnibus comprouincialibus Epiſcopis ordinetur.* Aurelian. *3. can. 3. Metropolitanus à Metropolitanis omnibus, ſi fieri poteſt, præſentibus comprouincialibus ordinetur.* Emeritenſe *can. 4.* Nicolaus ad conſulta Bulgar. *c. 73.* de Archiepiſcopis ita ait: *Ordinat ipſe deinceps Epiſcopos, qui ſucceſſorem ſuum valeant ordinare.* Concil. Tolet. *4. can. 18.* nouella *131.* Iuſtiniani *de eccleſiaſticis titulis, c. 3.* Exemplis, & auctoritatibus petitis ex hiſtoriis eccleſiaſticis, probat Hallier. *de ſacris elect. cap. 4. art. 2. pag. 715.* Secundam partem aſſertionis, videlicet Archiepiſcopo iubente eſſe conſecrandum Epiſcopum, firmant textus *in c. 1. 61. diſt. c. qui Epiſcopus, 23. diſt. c. qui in aliquo, 51. diſt. c. 1. c. Epiſcopum, c. illud, 64. diſt. cap. 1. 65. diſt. c. 4. 24. diſt.* Bonifacius *epiſt. 3.* circa medium: *Neſcio quem in alia prouincia prætermiſſo Metropolitano contra Patrum regulas ordinaſſe.* Hilarius Papa *epiſt. 1. cap. 1. Nullus præter notitiam, atque conſenſum fratris Aſcanij Metropolitani aliquatenus conſecretur Antiſtes.* Ioannes III. *epiſt. vnica*, circa medium: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non eſſe Epiſcopum, qui minùs quàm à tribus Epiſcopis, auctoritate etiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus.* Concilium Arelat. *2. can. 6. Qui ſine conſcientia Metropol. conſtitutus fuerit Epiſcopus, iuxta magnam Synodum eſſe Epiſcopus non debet.* Aruernenſe *can. 2.* ibi: *Epiſcopatum deſiderans, etiam Metropolitani eiuſdem prouinciæ Pontifex ordinetur.* Aurelian. *2. can. 5. Licèt melius eſſet in ſua Eccleſia fieri, tamen aut ſub præſentia Metropolitani, aut certè cum eius auctoritate intra prouinciam omninò à comprouincialibus ordinetur Epiſcopus.* Turon. *2. can. 9.* Pictauienſe *can. 1. Decreuit ſancta Synodus, vt nullus Epiſcopus accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cuiuſlibet perſonæ laicæ donum Epiſcopatus, ſed Epiſcopus à ſuo Metropolitano.* Et *c. qui Epiſcopus, diſt. 25.* Aliis Conciliorum decretis, & Pontificum epiſtolis firmat Hallier. *vbi ſuprà, pag.* 683. Tertiam partem aſſertionis, videlicet Epiſcopum à tribus comprouincialibus eſſe ordinandum, probant textus *in c. Epiſcopum 1. c. 2. & per totam 64. diſt. c. 2. & per tot. 66. diſt. c. 1. 67. diſt. c. Chorepiſcopi, 68. diſt. c. Epiſcopi 3. 80. diſt. c. Epiſcopo 3. & 4. 7. q. 1.* Anacletus *epiſt. 2. Non minùs quàm à tricus, cæteris conſentientibus, conſecretur.* Concilium Carthag. *2. can. 12. Vt non liceat Epiſcopum niſi à multis ordinari, vel ſi cogat neceſſitas, à tribus.* Regienſe *can. 2. Itaque ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque euacuandam eſſe cenſuimus, in qua prætermiſsâ trium præſentiâ, nec expetitis comprouincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglectâ prorſus nihil, quod Epiſcopum faceret, oſtenſum eſt.* Aurelian. *2. can. 1.* & *4. can. 5.* Theodoſius & Valentinianus in conſtitutione relata à Cuiacio *lib. 15. obſerv. c. 38.* Alia iura adducit Antonius Auguſt. *in epit. iuris Pontif. lib. 4. tit. 17. & 19.* Illuſtrant prædictam aſſertionem Acuña, & I. Dartis *in 64. & 66. diſt.* Boſquetus *ad Innocent. lib. 1. epiſt. 91.* Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. 1. p. diſput. 6. n. 8.* Azor *tom. 2. lib. 3. c. 30.* Vazquez *in opuſcul. de ordine, diſput. 246. cap. 6.* Solorzanus *tom. 2. de iure Ind. lib. 3. c. 6.* Petrus Marcha *lib. 6. concord. c. 2. 5. & 6.* idem, ſeu quiuis auctor eſt *hiſt. Pontif. iuriſd. lib. 2. c. 2.* Sanchez *lib. 7. conſil. dubio 15.* Cironius *ad tit. de elect.* Morinus *lib. 1. exercit. c. 4. 10. & 28.* plures congeſti à Diana *p. 8. tract. 1. reſolut. 31.* & *p. 12. tract. de conſecrat. Epiſcop. per totam*, Fragoſo *de regim. p. 2. lib. 8. diſput. 18. §. 1.* Iuretus

retus *ad epist.*8.*Iuonis*, Hallier.*de sacris elect. sect.*5. *c.*2.*&* 3.*art.*10. *pag.*577.*&* 696. Lantdmeter. *lib.*2. *de veteri monach. c.*97. Turrianus *lib.*2.*pro epist.Pontif.c.*21. Herodius *lib.*1.*Pandect. tit.*4.*c.*4. Balsamon *in can.*12.13.*&* 53. *Synodi Carthag.* Duarenus *lib.*5. *de sacris, c.*1.Vazquez 3.*part.in* 3.*disput.*246.*c.*5.Petrus Greg. *lib.*17.*syntag. c.*14. Bignonius *ad Marculfum lib.*1.*c.*5. Viuar. *ad Flauium Dextrum an.*33. *in fine*, Gibalinus *in synopsi censur. littera E*, *n.*17. Araujo *q.*21.*moral.tract.*2. Villaroël. *tom.*1.*de regim. Ecclesiæ, part.*1.*q.*1.*art.*9.Florens *ad tit.de elect.*

3. RATIO DVBITANDI.

Verùm in præsentem assertionem ita illustratam, pro ratione dubitandi sequentes expendi possunt difficultates. Prima ex eo nascitur, nam secundùm veriorem sententiam, quam statim probabimus, certum est, consecrationem Episcoporum esse gradum Ordinis realiter distinctum ab aliis, spectareque ad Ordinis sacramentum: sed in quolibet gradu huius sacramenti vnus est tantùm minister: ergo similiter in consecratione Archiepiscopi, & Episcopi vnus debet esse minister, qui consecrationem faciat. Accedit, nam lex vetus typus, & figura fuit legis gratiæ, & omnia quæ in lege gratiæ in veritate contingunt, in lege veteri præfigurata fuerunt, vt probaui *in cap.translato, de constit.* sed in lege veteri summus Sacerdos tantùm ab vno ministro consecrabatur, quare legitur Leuitici *cap.*8.Moysem tantùm Aaronem consecrasse: igitur similiter Episcopi, & Archiepiscopi ab vno tantùm ministro sunt consecrandi. Augetur secundò hæc difficultas ex eo; nam si iuxta traditionem Apostolorum, & eorum exemplum tres Episcopi deberent adesse in consecratione Episcopi, consecratio aliter celebrata nulla esset: sed consecratio facta cum minori numero, sustinetur, *can.*1.*Apost.* vbi Balsamon, & Zonaras: D.Clemens *lib.*8.*constit.c.*17. *Ego Simon Chananeus constituo à quot Episcopis debeat ordinari Episcopus, à duobus, aut à tribus; sin verò aliquis ab vno Episcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus est, tum is qui eum ordinauit, deponatur: quod si necessitas coëgerit ab vno ordinari, quòd propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum.* Concilium Regiense *can.*3. *&* 4. Christ. Lupus *in can.* 4. *Concil. Nicæn.* Quæ etiam sententia probatur ex eo, quia plerumque legimus R.Pontificem concessisse, vt ab vno Episcopo consecratio Episcopalis peragatur, vt probat Franciscus Hallierius *de sacris elect.*2.*part.art.*2. §.1. *pag.*588. & dispensatum fuit cum Episcopis Indiar. qui ab vno Episcopo tantùm cum duobus Canonicis mitratis ordinantur, vt refert, & probat Solorzanus *tom.*2.*de iure Ind.lib.*3.*c.*6. *num.*38. Diana *part.*12.*vbi suprà, resolut.*28. igitur non rectè in præsenti asseritur consecrationem Episcopi à tribus Episcopis esse celebrandam. Secunda difficultas insurgit in eam partem assertionis, vbi asseritur Archiepiscopum debere consecrari ab omnibus suffraganeis; nam superior non debet ab inferioribus benedici, aut consecrari, iuxta D. Paulum *ad Hebræos cap.*7.*cap. denique, dist.*21. sed Archiepiscopus est superior suorum suffraganeorum: igitur ab eis non debet consecrari.

4. DE ORDINE EPISCOPATVS.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, ad cuius expositionem scire oportet, Episcopatum & Archiepiscopatum (quos quoad præsentem tractationem pro eodem gradu accipimus, cùm tantùm ratione dignitatis, non verò ordinis distinguantur, vt ex Machado, Villalobos, & Dicastillo defendit Diana *d.p.*12.*resol.*4.) esse ordinem verum, realiter distinctum à presbyteratus gradu, & Sacramentum Ordinis in eo administrari, *can.*68.*&* 69.*Apost. c.Episcopus,*23.*dist. cap.extra,*64.*dist.cap.illud,*77. *dist.cap.*1. *versic. Quod si in hoc,* 32. *dist. c.quæsitum* 5.*de purgat.can.* pluribus relatis defendit Diana *d.p.*12.*resol.*6.*&* 9. Vt de sicut alij gradus huius Sacramenti conferuntur cum debita materia, propria forma, & peculiari ministro; ita gradus Episcopalis habet distinctam formam, propriam materiam, & peculiarem ministrum. Quæ ad materiam & formam huius gradus spectant, vt minus propria huius loci omittimus; videndus est Diana *vbi suprà*, qui latè de materia & forma consecrationis Episcopalis agit: nostrum autem commentarium tantùm ad ministrum huius consecrationis contrahimus. Et vt rem ab origine repetamus, sciendum est, Metropolitanos primis Ecclesiæ sæculis consecrari solere, vel in prouinciali Concilio, à Metropolitanis vicinis; vel à Primate seu Patriarcha, vt iam suprà probaui, & innumeris exemplis illustrat Franciscus Hallierius *de sacris elect. d.art.*1. *pag.*715. qui §.4. *eiusdem art.* latè prosequitur formam obseruatam illis sæculis in conuocandis Episcopis. Et etiam à finitimis Episcopis Metropolitanum consecrari solere, constat ex Concil. Aurel.3.*can.*3.*De Metropolitanorum verò ordinationibus id placuit, vt Metropolitani à Metropolitanis omnibus, si fieri potest, præsentibus comprouincialibus ordinentur.* Et latè probat Hallier. *vbi suprà, pag.*722. A Primatibus etiam, & præcipuè à R.Pontifice, cùm illi Archiepiscopi immediatè parebant, plerumque consecrabantur, vt probat ipse Hallierius *pag.*259. quem transcribere in præsenti in animo non est.

5. AMPLIVS DE CONSECRATIONE EPISCOPI.

Secundò sciendum est, iam à temporibus Apostolorum Episcopos consecrari à propriis Metropolitanis, vel ab Episcopis comprouincialibus de Metropolitani licentia, *can.*23.*&* 25.*Apost.* Concilium Nicænum *can.*4. defuncto enim Episcopo alicuius ciuitatis, Metropolitanus suffraganeis suis notum faciebat diem ordinationis futuri Episcopi, iubebatque vt venirent, aut excusationis litteras mitterent. Synodus Epaunensis *can.*1. Aurelian.2. *can.*1. *Vt nullus Episcoporum admonente Metropolitano Episcopo, nisi certa tædij causâ detentus, ad concilium, vel ordinationem consacerdotis venire penitus vlla excusatione detrectet.* Sardicense *can.*6. Et si ipse Metropolitanus per se Episcopum ordinare non posset, vni ex suffraganeis munus consecrationis delegabat, *cap.quoad sedem, de officio Ordin.* immò etsi ipse adhuc non recepisset pallium, quare consecrare Episcopos, vel Ecclesias per se non poterat, *cap.*1. 100. *dist.cap. quod sicut*, §.*super eo, de elect.* tamen committere valebat consecrationem suffraganeis, *cap. suffraganeis, de elect.* vbi probaui: & si suffraganei non erant in prouincia, aut quia decesserant, aut quia à fide defecerant, finitimi Episcopi consecrationi aderant, *c.si fortè,*65. *dist.* probat Hallierius *vbi suprà, pag.*709. Quod autem diximus, licentiam Metropolitani desiderari, tantùm prouenit ex præcepto; non autem requiritur pro forma ipsius ordinationis: vnde si omittatur Metropolitani consensus, & sine eius licentia à suffraganeis Episcopis consecratio celebretur, valida est, vt docent Th.Sanchez *tom.*2.*consil. lib.*7. *c.*1.*dub.*15. Azor *tom.*2.*instit.lib.*3.*c.*30.*quæst.*2. Diana *d.p.*12.*resol.*35. Nec contrarium probant textus *in c.non debet*, 65.*dist.c.Archiepiscopus*, 66.*dist.* vbi asseritur, consecrationem Episcopi factam sine Metropolitani consensu, nullam esse: procedunt enim

textus

textus illi quantum ad executionem consecrationis Episcopalis, ita vt licèt validè Episcopus consecretur irrequisito Metropolitano, tamen executionem, seu exercitium Ordinis Episcopalis non habeat, vt docuerunt Glossa & Archid. *ibi.* Illud etiam obseruatum inuenio, vt ne pauciores tribus Episcopis consecrationi Episcopali adsint. Cùm enim Iacobus Minor consecratus esset à tribus Apostolis, Petro videlicet, Iacobo Maiore, & Ioanne, vt in præsenti epistola Anacleti refertur, inde acceptum, & obseruatum fuit, vt à tribus saltem Episcopis consecraretur Episcopus. Concilium Carthag. 3. *can.* 39. *Vt non minùs quàm tres Episcopi sufficiant.* Innocent. Papa *ad Victricum Rothomag. Episcopum*, prohibet quemquam consecrari nisi à tribus Episcopis. Synesius item *epist.* 67. *ad Theophilum Alexandrinum*, Siderium contra leges Ecclesiæ perhibet renunciatum Palebiscæ Episcopum, quia à tribus Episcopis non fuerat consecratus. Sed si plures in prouincia reperiri poterant Episcopi, omnes consecrationi noui electi aderant; vnde Cornelium à sedecim Episcopis fuisse consecratum refert D. Cyprianus *epist.* 52. & variis exemplis illustrant Hallierius *vbi supra*, *pag.* 579. Diana *dict. part.* 12. *resol.* 34.

6. RATIO DECIDENDI.

His ita præmissis præsentis assertionis rationes tot sunt, quot illius partes. Et primæ partis, videlicet in consecratione Metropolitani omnes Episcopos suffraganeos adesse debere, illa ratio est, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, ex vulgari iuris regula. Facit sententia Leonis *epist.* 82. aliàs 84. *Qui profuturus est omnibus, eligi debet ab omnibus.* Vnde omnes comprouinciales debent electioni, & consecrationi Archiepiscopi interesse. Secundæ partis conclusionis, scilicet à Metropolitano, seu de eius licentia Episcopum esse consecrandum, ratio est; nam priorum sæculorum in Ecclesia ea disciplina fuit, vt penes quem potestas esset iudicandi, eidem quoque potestas ordinandi competeret, *cap. nullus* 3. *de parochiis.* Inde cùm potestas iudicandi Episcopos illis sæculis penes Metropolitanos esset, *cap. per singulas* 9. *quæst.* 3. ideò ab eis, aut de eorum licentia ordinandi erant. Hodie tamen consecratio Episcoporum non ex Metropolitani iussu, sed Pontificis mandato fit; cùm enim R. Pontifex sibi reseruasset Cathedralium Ecclesiarum collationem, similiter ab eius libito pendere voluit Episcoporum consecrationem: quare eam semper committit Episcopis comprouincialibus, & ideò in initio ipsius consecrationis antiquior ex Episcopis assistentibus interrogat consecrantem, *Habetis mandatum?* Et ipse tunc illud notum facit. Tertiæ, & vltimæ partis conclusionis ratio est, ne res adeò grauis, vt est consecratio Episcopalis, vnius iudicio, cum periculo fidei, committeretur, & ambitioni, ac forsan tyrannidi occasio præstaretur; quam rationem præ oculis habuerunt nonoster Anacletus *dict. epist.* 2. Isidorus *lib.* 2. *de officiis*, *cap.* 5. Patres Concilij Aquisgran. sub Ludouico Pio, *can.* 9. in illis verbis: *Quod Episcopus non ab vno, sed à cunctis consensu, aut præsentia comprouincialium est ordinandus, & non minùs quàm à tribus, cæteris consentientibus, instituente Domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ vnius tyrannica auctoritas moliretur, & regula, vel fides confunderetur credentium.* Siricius Pontifex *epist.* 4. *cap.* 1. *Ne vnus Episcopus Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtiuum beneficium præstitum videatur.* Facit etiam & alia ratio adducta à D. Gregorio *epist. ad Bonif.* ibi: *In ipsis rebus spiritualibus, vt sapienter, & maturè disponantur, exemplum trahere à rebus carnalibus possumus: certè enim dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quique vocantur, vt quia in via iam coniugij præcesserunt, in subsequentis quoque copula gaudio misceantur: cur non ergo & in hac spirituali ordinatione, quà per sacrum ministerium homo Deo coniungitur, tales conuenient, qui vel in profectu ordinati gaudeant, vel pro eius custodia omnipotenti Deo preces pariter fundant.* Rectè ergo constitutum, & obseruatum iam à sæculo Apostolorum vsque ad nostra tempora legimus, vt Episcopi à tribus Episcopis consecrentur.

7. SOLVITVR PRIMVM ARGVMENTVM.

Nec nostram conclusionem euertunt argumenta suprà proposita. Non primum, verum enim est, Episcopatum ordinem esse, & in eo gradu sacramentum conferri, & per consequens vnum tantùm ministrum debere adesse: nec contrarium deciditur ab Anacleto in præsenti. Licèt enim decidatur ab eo, tres adesse debere, non tamen docetur, omnes vt ministros interesse; sed vnus tantùm vt minister, Episcopum consecrat; alij verò vt assistentes, quomodo appellantur in Pontificali Romano. Vnde prouenit, vt consecrator tantùm porrigat librum Euangeliorum, annulum, & baculum, quæ spectant ad materiam huius gradus, iuxta opinionem, quam refert Diana *d. p.* 12. *resol.* 19. licèt omnes Episcopi manus imponant super consecrandum, & formam proferant: *Accipe Spiritum sanctum.* Hæc enim manus impositio actualem cooptationem eius, qui tunc ordinatur in numerum Episcoporum significat; quæ cooptatio cùm fiat nomine Ecclesiæ, non ab vno, sed à tribus celebrari debet, vt ratiocinatur Diana *d. p.* 12. *resol.* 38. Nec primum augmentum huius augmenti, petitum ex exemplo summi Sacerdotis legis veteris, aduersatur; nam illud tantùm euincit, summum Pontificem tantùm ab vno consecrandum esse, quare eius consecrationis Hostiensis Episcopus minister est, vt ex Damaso, & veteri ordine Romano probat Franciscus Hallier. *de sacris elect. pag.* 785. & etiam in consecratione Episcopi vnum ministrum tantùm dari, licèt duo consecrationi adsint, iam suprà probaui. Difficiliorem nodum continet quod expendebamus, asserentes consecrationem Episcopi factam sine tribus Episcopis, validam esse, contra nostrum textum, & Concilium Regiense *can.* 2. vbi ordinationem factam à minori numero Episcoporum, irritam, & vacuam esse decernitur, cui sententiæ adstipulatur Ioannes III. R. P. *epist. vnic. ad Episcopos Galliæ*, vbi intendit probare, ideò Chorepiscoporum ordinationem factam nullam esse, & Pontificalia ab ipsis attentari non posse, quia à paucioribus quàm tribus Episcopis ordinabantur; quibus auctoritatibus moti Bellarminus *lib.* 4. *de notis Ecclesiæ*, *c.* 8. P. Vazquez 3. *p. in* 3. *disput.* 143. *c.* 6. *n.* 3. Bernal. *de sacram. disput.* 49. *sect.* 2. Marquinus *de Ordine, p.* 2. *c.* 12. *n.* 4. Ochagauia *de sacram. disput.* 1. *dub.* 18. *n.* 556. Ysambertus *in* 3. *p. de sacram. Ordin. art.* 1. *propos.* 2. *lt.* defendunt consecrationem Episcoporum à minori numero factam nullam esse, & de substantia ordinationis Episcopalis tres Episcopos desiderari à iure diuino. In hac Interpretum variatione Hallier. *de sacris disput.* 2. *art.* 2. §. 1. *pag.* 582. existimauit, vtramque opinionem esse probabilem, & vtriusque sententiæ fundamentis satisfacere intendit. Ego tamen negatiuæ sententiæ adhæreo, videlicet, nec à iure diuino tres Episcopos desiderari, nec consecrationem à minori numero factam inualidam esse. Eam amplectuntur Sanchez *tom.* 2. *consil.*

consil. lib. 7. c. 1. dub. 15. Auersa *q. 3. sect. 2.* Cæsar *de eccles. hierarch. 1. p. disput. 6. §. 2. num. 8.* Diana *d. p. 12. resol. 29.* Vnde Pontifex ex iusta causa potest dispensare, vt à minori numero consecratio celebretur, vt aliquando factum fuisse referunt Solorzanus *tom. 2. de iure Ind. lib. 3. c. 6. num. 35.* Diana *d. p. 12. resol. 30.* Arauj *suprà*, Cabassutius *in not. Conc. fol. 73.* Nec textus noster, & alij pro affirmatiua sententia expensi refragantur, accipiendi enim sunt de executione, & exercitio, quod consecratus à minori numero non obtinet; nam in ipsa consecratione suspensionem incurrit: frequenter enim in iure nostro asseritur, ordinationem vacuam esse, & irritam, quia quoad effectum, hoc est exercitium gradus accepti, nulla est, *c. qui perfectionem 17. cap. ventum 18. c. Arrianos 73. c. si quis a simoniacis 108. 1. q. 1. c. per illicitam 9. q. 3.* docet Præceptor meus Illustrissimus Valentinus Præsul *de sacram. Ordin. tract. 3. num. 8.* quo modo defendi potest affirmatiua sententia suprà illustrata.

8. SOLVITVR SECVNDVM ARGVMENTVM.

Nec secundum augmentum refragatur; nam negamus Archiepiscopum ante consecrationem Episcopis iam consecratis ratione ordinis maiorem esse; licèt enim post confirmationem maior sit ratione iurisdictionis, quàm antè, quia consecrationem exercere potest, *cap. nosti, cap. transmissam 15. de elect.* tamen ratione ordinis inferior est, & ideò ab illis valet benedici, & consecrari; si enim ab inferioribus consecrari non posset R. Pontifex, à quonam deberet consecrari? & tamen ab Hostiensi Episcopo consecratur, vt suprà probaui: igitur quia inferior ratione consecrationis, licèt superior virtute iurisdictionis, à suffraganeis consecrari valet.

9. EXPONITVR CAP. BONÆ 23. DE ELECT.

Primò superiori assertioni opponitur textus parum notus *in cap. bonæ 23. de elect.* in illis verbis: *Ipsumque ordinauit in presbyterum, & tandem in Archiepiscopum consecrauit.* Ex quibus expressè deprohitur, Cardinalem Prænestinum Episcopum, solùm per se Archiepiscopum Moguntinum consecrasse, nulla comprouincialium Episcoporum expectatâ præsentiâ: igitur in Archiepiscopi consecratione omnes suffraganei Episcopi adesse non debent. Pro huius textus interpretatione sciendum est, variis ex causis, tam electionem, quàm consecrationem Archiepiscoporum, & inferiorum Prælatorum, ad Sedem Apostolicam deuolui, quas refert Hallier. *de sacris elect. pag. 243. cum sequentibus*; inter quas illæ communiter eueniunt, & vt præcipuæ enumerantur, negligentia, discordia, seu dissensio eligentium; in illis enim casibus non solùm electio eorum Prælatorum, verùm & consecratio ad R. Pontificem deuoluitur, vt constat ex D. Gregorio *lib. 2. epist. 34.* vbi Petro Subdiacono Campaniæ rescribit, vt dissentientibus Metropolitanis circa Præsulis electionem, tres ex ipsis ad eum mitteret, vt de electione tractaret, & electum, ac consecratum ad eos mitteret: & D. Gregorium Agrigentinum, dissentientibus Agrigentinis à Summo Pontifice electum, & ordinatum fuisse, refert Surius in eius vita. Quod ius Romanæ Sedis proposuit Ioannes VIII. *epist. 17.* in hæc verba: *Sed quia iuxta nostri ministerij Apostolicum officium, & solicitudinem omnium Dei Ecclesiarum nobis in ipso Apostolorum Principe commissam; iuxta canonicam etiam SS. PP. regulam dicentem, si diuisio Clericorum, vel populi extiterit, & de futuri electione Pontificis contentio fuerit oborta, nullum ex his duobus in throno Episcopali esse aliquatenus consecrandum, sed alterius electionem fieri debere sacerdotis Ecclesiæ proprio destitutæ Rectore, & ob id perturbatæ iura pacis ferentes subuenire debemus.* Illustrat Iuretus *ad Carnot. epist. 2. & 8.* Hanc facultatem eligendi, & consecrandi Episcopos in illis Ecclesiis, vbi electores dissentiebant, plerumque suis Legatis Pontifex committebat, vt variis exemplis probat Hallierius vbi suprà. Vnde cùm *in dict. cap. bonæ*, Cardinalis Prænestinus Apostolicæ Sedis Legatus habuisset in mandatis, vt cassatâ postulatione Episcopi Vormatiensis alium eligeret, ideò potuit per se solum Prælatum eligere, & consecrare.

10. EXPONITVR CAN. 4. CONCIL. EPHESINI.

Secundò præsenti assertioni aduersatur Concilium Ephesinum, vbi *can. 4.* appendicis primæ, cùm agatur de ordinationibus Episcoporum, & Archiepiscoporum Cypri, asseritur ab Episcopis tantùm prouincialibus, irrequisito Patriarcha Antiocheno, à quo iudicabantur, consecrari posse: igitur non desideratur licentia Metropolitani, seu superioris, vt Episcopi consecrentur. Accedit, nam Antiochenus Patriarcha ius habet, vt in prouinciis suis (vt est insula Cypri) Metropolitani, aut Episcopi eo irrequisito non consecrentur, vt constat ex Arabica Nicænorum canonum collectione, vbi *can. 37.* ita legitur: *Si Episcopus Cypri diem suum in hieme obierit, & populi non potuerint propter tempestatem maris mittere Antiochiam, vt Patriarcha Antiochenus eis ordinet Archiepiscopum in locum mortui, debent scribere ad Patriarcham, & petere vt vnus aliquis fiat Archiepiscopus, quem ipsi desiderant.* Obseruarunt Carolus à S. Paulo *in Geograp. sacr. pag. 293.* Hallier. *vbi suprà, pag. 771.* & *de hierarch. pag. 819.* Morinus *lib. 1. exercit. cap. 4.* Pro huius canonis vera expositione sciendum est, Cypros in Concilio Ephesino conatos fuisse eam auctoritatem sibi arrogare, vt à comprouincialibus, irrequisito Patriarcha, Episcopi consecrarentur: proponebant enim tres Episcopos, videlicet Sabinum, Troilum, & Epiphanium à comprouincialibus ordinatos fuisse: expendebant etiam nauigationis pericula, & procellas, cùm si hieme decedebat Archiepiscopus, non nisi cum magno vitæ dispendio Præsules illius insulæ Patriarcham Antiochenum adire possent: addebant etiam quod non à B. Petro, sed à B. Barnaba, cuius corpus vnà cum Euangelio S. Matthæi pectori impositio, & S. Barnabæ manu descripto, in insula repertum fuerat, fidem accepissent: quibus rationibus suadere tentarunt Patribus Concilij Ephesini, à temporibus Apostolorum ordinationes Episcoporum ab insulanis tantùm Prælatis celebrari. His expensis, & allegatis Patres Concilij Ephesini *act. 7.* conditionatum decretum statuerunt in hæc verba: *Quoniam communes morbi maiore egent remedio, eo quod maius damnum afferant, si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis & propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri, qui ad sanctam Synodum accesserunt, habebunt ius suum intactum, & inuiolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis præsunt, secundùm canones SS. PP. & veterem consuetudinem per seipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes.* Vnde constat Patres absolutè non asserere Episcopos, & Archiepiscopos Cypri tantùm à comprouincialibus consecrari posse; sed si veræ essent rationes ab insulanis propositæ, posse irrequisito Antiocheno Patriarcha eligi, & ordinari prædictos Episcopos.

11. EXPONITVR CAP.

Tertiò opponitur textus *in cap. pudenda 23. 34. quæst. 1.* in illis verbis: *Is mos antiquus fuit, vt quia*

præ

PVDENDA 34. Q. 1.

præ longinquitate, vel difficultate itineris ab Apostolica Sede illis onerosum fuerat ordinari, ipsi se inuicem Mediolanensis, & Aquileiensis ordinare Episcopi debuissent. Ex quibus verbis expresè deducitur, consecrationem Episcoporum Mediolanensis & Aquileiensis à R. Pontifice esse faciendam, & in eius defectu ad inuicem seipsos consecrare posse: ergo in consecratione Episcoporum aliorum comprouincialium præsentia non desideratur. Pro cuius textus interpretatione sciendum est, Archiepiscopos olim non solùm à suffraganeis consecrari, verùm & in aliquibus Regnis à Metropolitanis comprouincialibus consecrari solere, vt probat Franciscus Hallierius *vbi suprà*, *pag.* 722. quæ consuetudo consecrandi Archiepiscopos inualuerat in prouinciis Aquileiensi, & Mediolanensi; eorum enim Archipræsules ad inuicem consecrabantur: quæ consuetudo non diutiùs inualuit, siquidem ob schisma in quod Aquileiensis Antistes inciderat, Mediolanenses Archiepiscopi cœperunt iussu R. Pontificis ab aliis Episcopis consecrari, vt constat ex D. Gregorio *lib.* 2. *epist.* 29. & 30. vbi iubet, Constantium in Metropolitanum illius prouinciæ consecrari à Concilio prouinciali; vnde textus *in dict. cap. pudenda*, procedit tempore, quo adhuc consuetudo inualuerat, vt Archiepiscopi Aquileiensis, & Mediolanensis ad inuicem consecrarentur. Docet Hallierius *vbi proximè*, *pag.* 722. Etiam ex suprà traditis interpretari possunt canones 13. & 53. Concilij Cathag. 2. iuncto Balsamone *in eorum scholiis*, canon 5. Concilij Aurelian. 4. canon 8. Concilij Paris. 3. Canon 9. concilij Turon. 2. canon 3. Concilij Emeritensis.

CAPVT VIII.

[a] Vrbanus III. *in registro*, [b] *Pisano Archiepiscopo.*

CVm quidam Episcopi Sardi, [c] sicut nobis est ex tua parte propositum, quibusdam pecuniam, sicut iuramento tenebantur astricti, non soluerint, & quidam Episcopus ipsius terræ in die Dedicationis Ecclesiæ ordines, cùm dies ille ad hoc institutus non fuerit, celebrauerit: quidam [d] etiam iurauerint aliquando, quod fratri, vel sorori, patri, vel matri loqui non debeant, aut quodlibet eis subsidium ministrare; à nobis quid de huiusmodi faciendum sit, tua fraternitas requisiuit. Nos itaque denegare nolentes, quod à nobis charitate suggerente postulare videris: d. t. præsent. litteris respondemus, quod in Episcopos illos, qui suum transgressi sunt iuramentum, est tantò grauiùs vindicandum, quantò maiori præeminent dignitate, & eorum exemplo faciliùs alij potuerunt ad similia prouocari. Episcopum [e] autem, qui die, quo non debuit, celebrauit ordines, canonicâ disciplinâ corrigere, & ordinatos à susceptis ordinibus tamdiu debes reddere expertes, donec apud nos, vel successores nostros restitutionis gratiam consequantur. Illi [f] verò qui iurant non loqui patri, vel matri, vel sorori, vel frarri, aut eis humanitatis subsidium exhibere, absoluendi sunt ab illius obseruantia iuramenti, cùm illicitum sit, & omni contrarium rationi; iniunctâ tamen eis de hoc, quod malè iurauerunt, pœnitentiâ competenti.

NOTÆ.

1. *Vrbanus III.*] Anteà Lambertus dictus, Mediolan. Archiepiscopus, Pontifex electus die 25. Nouembris anno 1185. sedit annum vnum, menses 10. & dies 15. decessit Ferrariæ dolore animi, quem ex calamitate Christianorum habuerat; siquidem eo anno Hierosolyma à Sarracenis capta fuit: hoc breui temporis spatio aliquas scripsit epistolas, quas refert Binius *tom.* 7. *Concil.* ex quibus ferè 30. constitutiones transcripsit Raymund. in hac sexta collectione, inter quas primum locum obtinet præsens decisio, cuius pars alia reperitur *in cap. cum quidam, de iureiurand.* & integra epistola apud Antonium Augustin. *sub eod. tit. cap.* 11. ex quo ita eam restituo.

2. b *Pisano.*] Pisa nobilis, & antiqua ciuitas Tusciæ est, Metropolis Corsicæ, & Sardiniæ; iam Episcopali Cathedrâ decorabatur anno 313. quo Gaudentius eius vrbis Episcopus in Synodo Romæ celebrata sub Melchiade interfuit. Vrbanus II. Pisanos optimè meritos Archiepiscopali dignitate decorauit, illorumque Præsulem, Primatem Corsicæ, atque Sardiniæ declarauit, vt plura de eius Ecclesiæ Primatu adducentes referunt Vghellius *tom.* 3. *Italiæ*, Barbosa *de potest. Episcop. tract.* 3. *cap.* 7. Eiusdem Ecclesiæ mentio fit *in cap. accedens, de procurat. cap. per tuas* 9. *de arbitris, cap. tam litteris* 33. *de testibus, cap. super* 8. *de testibus cogendis, cap. ad nostram* 40. *de iureiur. cap. si diligenti* 17. *de præscript. cap.* 5. *de sentent. excom. in* 5. *collect.* vbi Cironius. Huius Ecclesiæ Præsuli Vualdo Lanfranco dicto, qui Pisanam Ecclesiam rexit ex anno 1174. vsque ad annum 1209. vt refert Vghellius *vbi suprà*, missa est est hæc epistola.

3. c *Sardi.*] Sardiniæ Primas erat Archiepiscopus Pisanus, ex concessione Vrbani II. & confirmatione Alexandri III. Lucij III. & nostri Vrbani in bulla data Veronæ 13. Calend. Nobembris, anno 1186. & Innocentij III. vt probat latè Vghellius *pag.* 478. vnde cùm ad ipsum Pisanum Præsulem, vt Primatem spectasset iurisdictio in Episcopos Sardiniæ, ideo super eorum excessibus ipse consuluit R. Pontificem.

d *Quidam.*] Hæc verba reperiuntur *in cap. cùm quidam* 12. *de iureiurand.* vbi ea exponemus.

e *Episcopum.*] Ab his verbis incipit in sexta collectione præsens decisio, cuius commentarium dedimus *in cap.* 1. *hoc tit.*

f *Illi verò.*] Verba quæ sequuntur extant *in dict. cap. cùm quidam*, §. *illi verò, de iureiurando.*

CAPVT VIII.

Cælestinus III. [a] *Hydrontin. Archiepiscopo.*

CVm secundùm ecclesiasticas regulas, & sanctorum instituta Pontificum, sacri sint ordines in certis temporibus conferendi, quidam Græci Epicopi ritus sui, & consuetudinis obseruantiam in Latinos clericos exercentes, eos ad sacros ordines passim prouehunt, qui non sunt præterquam in quatuor temporibus conferendi. Sanè sicut latoris præsentium I. relatione cognouimus, quod cùm ipse à quodam domino, cui [b] seruierat, & vt in [c] capella sua diuina officia celebraret, cuidam Græco Episcopo foret præsentatus; idem Episcopus [d] Cathamarsen. eum in sacerdotem promouit, quem postmodùm diœcesanus Episcopus ab executione officij, vel suscepti ordinis credidit suspendendum. Quæ vtique consuetudo consuetudini ecclesiasticæ inimica, & detestabilis est, & penitus improbanda: & nisi multitudo, & antiqua consuetudo esset in causa, sic ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare. Nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes auctoritate ordinandi de censura canonum priuarentur. Verùm quia nos plenam de Græcorum obseruantia notitiam habere non possumus, nec est nobis certum, vtrum consuetudo sic se habeat, quod in partibus [e] Calabriæ, vt Latini à Græcis, & Græci à Latinis secundùm alterutrius institutionis obseruantiam ordinentur, & an sit antiquitus obseruatum: f. tuæ, quæ discernere meliùs ista poterit, eiusdem Ioannis iudicium duximus committendum: per Apostolica s. m. & potestatem tibi auctoritate præsentium indulgentes, vt cognita diligentiùs veritate, & obseruantiâ consuetudinis, si qua super his à Latinis clericis recepta est, & hactenus approbata; vel si tibi apparuerit aliter discernere de ipso Ioanne, quod cum salute animæ tuæ poteris cef. ap. diffugio statuere, non moreris, studiosiùs attendens, vtrum reordinandus sit, an sine periculo animæ tuæ in sic recepto ordine debeat celebrare, addito si quid noueris in supplemento ordinis adiungendum. Nolumus autem de cætero commixtiones rituum, & [f] consuetudines ordinum obseruari, nec sumi ab aliis exemplum, si cum isto duxeris misericorditer dispensandum.

NOTÆ.

1. a *Hydrontin.*] In sexta collectione legitur *Hydronensi*, sed rectiùs in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. habetur *Hydrunt.* Hydruntinum enim est ciuitas Calabriæ, vulgò dicta *Otranto*, teste Strabone *lib.* 6. Iam à primis Ecclesiæ sæculis habuit Ecclesiam Cathedralem; Andreas eius Episcopus interfuit Concilio Lateran. sub Martino I. & Petro Hydruntino Episcopo scribit Gregorius Magnus *lib.* 5. *epist.* 21. *indict.* 14. Hodie Archiepiscopali Sede decoratur, & præsentatio ipsius Archipræsulis spectat ad nostrum Catholicum Monarcham, vt refert Barbosa *de potest. Episc. in notit. Episcopat. in Regno Apuliæ.*

2. b *Seruierat.*] Non quia eius seruus esset, aliàs si iure seruitutis in mancipio domini esset, priùs debebat plenè manumitti, & posteà sacris ordinibus initiari. Seruiebat ergo, non seruus erat; aliud enim est seruire, aliud seruum esse: seruiunt homines liberi, vnde aliquem seruire annonæ, dicitur *in l.* 5. §. *negotiatione, ff. de iure immunit.* seruire muneri, *in l. vlt.* §. *Magistrophori, ff. de muner. & honor.* seruus autem à domino possidetur, in cuius dominio est; & si malis hæc verba accipere de seruo iure mancipij possesso, supponendum est priùs Ioannem libertatem plenam accepisse à domino, vt ab eo præsentaretur ad ordines recipiendos, vt *in cap. nullus, de seruis non ordin. cap.* 2. *de condit. appos.* aliàs enim non præmissâ plenâ libertate seruus ordinari non posset, ex tradendis *in cap.* 1. *de seruis non ordin.*

3. c *Capella.*] Non accipias capellam pro oratorio priuato, quia in eo certum est orari posse, Missas autem, vel Officia diuina celebrare non licet, *cap. oratorium, cap. in oratorio*, 43. *dist. cap. sicut, cap. Missam, cap. Vnicuique, de consecr. dist.* 1. plura tradunt Anton. August. *in epit. lib.* 13. *tit.* 4. Magallanus *in epist. ad Timoth. cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 2. Balsamon *in can.* 17. *Synodi.* Zerda *tom.* 1. *in Iudith, cap.* 8. *versu* 5. *pag.* 394. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 23. Vicecomes *de Missæ ritibus volum.* 3. *lib.* 2. *cap.* 22. & 24. Fornerius *lib.* 6. *rerum quotid. cap.* 6. Herodius *lib.* 1. *Pandect. tit.* 2. *cap.* 13. Corjolanus *in breu. anno* 175. Lemaistre *lib.* 2. *de iurib. Eccles. cap.* 4. Capella enim hîc accipitur pro loco Ecclesiæ, vbi nobilis habebat sepulturam propriam: quo modo etiam accipitur *in cap. Capellanus, de feriis, cap.* 1. *de secundis nuptiis.*

d *Cathamar.*] Ita legitur in secunda collectione, sed legendum est *Carpensis.* Carpis enim est ciuitas Orientalis, cuius Episcopatus inter Ecclesias Calabriæ enumeratur ab Innocentio Cironio *lib.* 4. *obseru. cap.* 1.

4. e *Calabriæ.*] Sed statim iuxta rectam prouinciarum geographiam ea nascitur difficultas; nam quomodo inter prouincias à Græcis occupatas enumerat noster Cœlestinus Calabriam, cùm ea prouincia in Occidente sit, & ad Italiæ partem spectet, atque inter eius 17. pronincias enumeretur, vt refert Trebellius Pollio *in Tetrico seniore*, ibi: *Correctorem totius Italiæ fecit, id est Campaniæ,*

niæ, Lucaniæ, Apuliæ, Calabriæ, &c. latè probant Gabriel Barrius *de antiquitate, & ſitu Calabriæ*, Berterus *diatrib. 1. c. 5.* Pancirola *in notit.* inter prouincias Imperij Occidentalis eam enumerat. Pro cuius difficultatis ſolutione ſciendum eſt, prouincias Apuliæ, & Calabriæ, à Græcis occupatas fuiſſe vſque ad annum 1041. & tunc pars illa, magna Græcia dicebatur, parebatque Imperatoribus Orientalibus: prædicto autem anno Nortmanni ſub auſpiciis Arduini Longobardorum Ducis, ſuperato Docliano Græciæ Principe, illis prouinciis potiri cœperunt, vt teſtantur Leo Hoſtienſis *lib. 2. cap.* 68. Demùm anno 1059. Nicolaus II. tam Apuliam, quàm Calabriam in feudum conceſſit Nortmannis, accepto à Roberto Guiſcardo fidelitatis iuramento, vt referunt Corjolanus, & Baronius in dicto anno 1059. Sed licèt Græci à Nortmānis ex his prouinciis pellerentur quantùm ad dominium, non tamen eos omninò expugnarunt; vnde cùm promiſcuè degerent, tam Græci, quàm Latini, vt conſtat *ex cap. cùm olim 6. de cleric. coniug.* & notauit Cironius *in eod. tit.* & Græci ſuos ritus retinerent, magnæ contentiones inter Latinos, & Græcos quotidie oriebantur, præcipuè circa ſacramentum Ordinis adminiſtrandum, ſi Latinus à Græco Epiſcopo, vel è contra, ordinabatur, vt ex hoc textu conſtat, & *ex cap. quoniam, de officio Ordinarij*, vbi latiùs dicemus.

5. f *Conſuetudines Ordinum.*] Diuerſi admodum ritus erant Græcorum, ac Latinorum in collatione Ordinum, quos breuiter ex Euchologio, & Menologio Græcorum referendos duxi. Primò enim minores gradus, videlicet acolyti, exorciſtæ, & oſtiarij ipſi non conferunt, tantùm enim gradus lectoris & pſalmiſtæ adminiſtrant. D. Clemens *lib. 8. conſtit. cap. 22.* canon 4. Synodi 7. forma autem, quæ ſeruatur in ordinatione lectoris, & pſalmiſtæ, præſcribitur in eorum Euchologio, *tit. de ordinat. Lector.* ibi: *Ordinandus igitur ſiſtitur ante Pontificem, ſi ſæcularis eſt, cum veſtimento; ſi verò monachus, cum pallio monachico: & ter à Pontifice caput eius ſigno crucis ſignatur, & tondetur ab illo in modum crucis, dicente: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: aſſiſtentibus ad ſingulas inuocationes acclamantibus, Amen. Deinde à quodam præfecto in clerici normam tondetur, & ſic rurſus Pontifici ſiſtitur; & accepto phenolio* (genus pallij, de quo Meurſius in ſuo Gloſſario) *eum induit, & ter eius caput cruce ſignans, imponit ei manum, & ſic orat: Domine Deus omnipotens, &c. & poſt exclamationem Amen, dat lectori librum Apoſtolicum, & parumper legens accipit à Pontifice pacem. Si verò cantor eſt qui ordinatur, recitat aliquid ex pſalterio.* Deinde maiores gradus Subdiaconatus, Diaconatus, & Preſbyterij abſque vlla manuum vnctione adminiſtrant, vt conſtat *ex cap. 1. hoc. tit. in 3. collect.* & ex forma præſcripta in eorum collatione, quam ex Euchologio refert Menardus *in notis ad librum Sacram. D. Gregorij, pag.* 315. Deinde in conſecratione Epiſcopi non plures Epiſcopi, ſed tantùm vnus manus ſuper caput conſecrandi imponit; & non vtramque, ſed tantùm vnam, vt conſtat ex prædicto Euchologio à Menardo relato, & notauit Diana *part. 12. tract. de conſecrat. Epiſcop. reſolut. 79.* Amplius in Ordinibus conferendis Græci non obſeruant interſtitia, & ſi aliquod temporis ſpatium inter gradus maiores, & minores ab eis præſcribitur, tantùm eſt ſeptem dierum, vt ex D. Gregorio probat Balſamon *in can. 17. Synodi Conſtantinop.* Tandem Græci omni tempore conferunt ſacros ordines, vt probaui *in cap. 1. hoc tit.* & docet Cironius *lib. 4. obſeru. cap. 1.* Sed cùm ex his diuerſis cæremoniis ius diuinum non lædatur, aut eſſentialia ſacramenti Ordinis mutentur, ſancta Romana Eccleſia illam Græcorum conſuetudinem tolerauit, & in Concilio Lateran. generali relato *in cap. quoniam, de officio ordin.* decreuit, vt vbi promiſcuè Latini atque Græci habitant, Epiſcopus Latinus habeat Vicarium Græcum, à quo ſacramenta iuxta ritus ſuos conferantur. Sed licèt Eccleſia permittat Græcis iuxta ritus ſuos à Græcis adminiſtrari ſacramenta, non tamen ſinit, vt promiſcuè Latini à Græcis, & Græci à Latinis ſacramenta ſuſcipiant; immò ſi Latinus à Græco, iuxta ritus ſuos ordinetur, ſuſpenditur ab exercitio gradus accepti, vt docent Azor. *2. part. inſtit. lib. 3. cap. 4. quæſt. 14.* Turrianus *de cenſuris lib. 9. diſput. 61.* Diana *4. part. tract. 2. reſol. 54.* non autem irregularitatem incurrit, vt voluit Maiolus *de irregul. lib. 4. cap. 32.* Alia quæ ſpectant ad hunc textum, dabimus *in cap. 11. hoc tit.*

CAPVT X.

Innocentius III. *Abbati, & Conuentui* [a] *Cariloci.*

EX parte veſtra noſtro fuit Apoſtolatui reſeratum, quod quidam monachus veſter ſe ad [b] nigros monachos transferens, & habitum nigrum ibidem aſſumens, ad ordinem in ipſo habitu eſt promotus. Vnde quia in hoc articulo dubitatis, vtrum in aſſumpto taliter ordine debeat miniſtrare, vobis hoc dubietatis ſcrupulum enodantes, per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus niſi aliud canonicum ei videritis obuiare, ipſum monachum officium ſacerdotis exequi liberè permittatis. Datum Romæ apud S. Petrum.

NOTÆ.

1. a *Cariloci.*] Ita legendum eſt, vt habetur in epiſtolis Innocentij editis à Sirleto *pag.* 105. non *Kariloci*, vt notauit Boſquetus *in notis ad Innocent. lib. 1. epiſt. 2.* & nos pro expoſitione huius inſcriptionis diximus *in c. ex parte 33. de reſcriptis.*

2. b *Ad nigros.*] Licèt primis Eccleſiæ ſæculis monachi nigri dicerentur monachi S. Martini, qui in Gallia habitum nigrum deferebant, Petrus Cluniacenſis *lib. 4. epiſt. 17.* & monachi albi appellarentur Canonici, qui ſub B. Auguſtini regula communem vitam agebant, quia albas veſtes induebant; tamen poſt regulam D. Benedicti

in

in tot monaſteriis Occidentalis Eccleſiæ obſeruatam, monachi Benedictini cœperunt dici nigri, quo modo appellantur in quamplurimis iuris noſtri locis, vt notauit Yepes *tom.1. chron. D. Benedicti, anno 523. cap. 5.* qui adducit titulum Concilij Lateran. celebrati ſub Gregorio Magno, vbi ita legitur: *Decretum Concilij Lateran. de quiete, libertate, atque exemptione nigrorum monacborum.* Et licèt huic titulo fidem non eſſe præſtandam affirmet Benedictus Ephtenus *lib.5. diſquiſit. monaſt. tract. 6. diſquiſit. 3.* illud tamen tam apud ipſum, quàm apud Boſquetum *ad Innoc. lib. 1. epiſt. 122.* liquet, iuris noſtri fragmenta, vbi nigrorum monachorum mentio fit, eſſe accipienda de monachis Benedictinis; vnde præſens textus accipiendus eſt de monacho Ciſtercienſi, qui ad monaſterium D.Benedicti ſe tranſtulit. Alia dabimus *in cap. 10. de decimis.*

COMMENTARIVM.

2. EX hoc textu deducitur, monachum tranſlatum de vna Religione ad aliam, ibique in Preſbyterum ordinatum, iterum ad ſuos reuerſum poſſe miniſtrare in ſacerdotis gradu accepto; quod Abbati Ciſtercienſis monaſterij Cariloci dubium videbatur ex eo, quod de huiuſmodi tranſitu ita D. Bernardus eius parens ſcripſerat *lib. de præcepto, & diſpenſ. cap. 20. Secundò de religioſis à bene ordinatis monaſteriis nullus profeſſorum, nec conſilio, nec arctioris quidem vitæ deſiderio, ſine licentia ſui ſenioris egrediatur; egreſſus tamen ſi meliùs inuenerit, & elegerit, in eo nihilominus iam conſilio non regrediatur ad inferius bonum, quod reliquerat, & contempſerat.* Vnde tranſitum monachorum Ciſtercienſium Prælati apoſtaſiam dicebant, & admiſſionem alterius Abbatis iniuriam iudicabant, vt refert Illuſtriſſimus Manrique *tom.1. annal. Ciſterc. anno 1121.* Inde tanquam apoſtaſiæ crimine notatum Abbas Cariloci monachum, de quo in præſenti textu, repellebat à ſacrificio Miſſæ celebrando. Sed rectè Innocentius III. cùm perpendiſſet non dari apoſtaſiam in tranſitu de Religione ad Religionem, vt pluribus relatis docet Sanchez *lib.6.in Decalog. cap.8. num.8.* quod præcipuè vigebat in monachis nigris, & Benedictinis ad inuicem tranſlatis; olim enim apud eos adeò tranſitus permittebatur, vt abſque nouo nouitiatus anno tranſlatus ad aliud monaſterium vt profeſſus haberetur; inde Innocentius III. rectè decidit, ſi aliud non obſtaret impedimentum, monachum album ad Benedictinos tranſlatum poſſe in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Conſonat idem Innocentius III. *lib.1. epiſt.fol.49.* vbi Abbati S. Benedicti ita ſcribit: *Accedens ad præſentiam noſtram dilectus filius Ioannes monachus veſter, humiliter nobis expoſuit, quod cùm olim in minori conſtitutus ætate ſe ad veſtrum Ordinem tranſtuliſſet, poſtmodùm infirmitate coactus egrediens, ad aliam Religionem, de conſilio ſe tranſtulit ſaniori, in qua omnes ordines ſe aſſerit aſſumpſiſſe. Verùm quia vtrum in illis ordinibus officium ſuum exequi debeat, vos audiuimus dubitare, per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus niſi aliud canonicum impedimentum obſiſtat, eundem monachum in ſuo permittatis officio liberè miniſtrare.* Datum Romæ apud S.Petrum X. Cal. Maij, Pont. noſtri anno 1.

CAPVT XI.

Idem [a] *C. preſbytero Apoſt. Sed. Legato.*

QVoad tranſlationem Pontificis. [b] *Et infrà:* Super eo verò quod nos conſulere voluiſti, quod multi Græcorum clerici conſiſtentes in diœceſibus Latinorum, ab Epiſcopis Græcis non in [c] quatuor temporibus interdum omnes ordines ſimul, nonnunquam partem recipiunt, qui poſtmodùm prohibentur à Latinis Epiſcopis celebrare. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cùm Clericus Græcus Epiſcopo Latino ſubiectus, à Græco Pontifice ordinatur, niſi de mandato, vel licentia ſui Epiſcopi fiat, interdicenda eſt & ordinis executio ſic ſuſcepti, tanquam ab alieno Pontifice ſine mandato, vel licentia ſui Epiſcopi ordinato. Si verò de mandato, vel licentia ſui Præſulis à Græco Pontifice ſecundùm morem Græcorum fuerit ordinatus, licèt culpandus ſit Epiſcopus Latinus qui clericos ſuos à Græco facit Antiſtite ordinari, quamdiu tamen talis mos ab Eccleſia toleratur, impediri non debet ab executione ordinum taliter ſuſceptorum.

NOTÆ.

a *Idem.*] Præſentem epigraphen expoſui *in cap. niſi, de auctoritate & vſu pallij.*

b *Et infrà.*] Supplenda eſt hæc epiſtola *ex cap. quoad tranſlationem, de officio Legati.*

c *Quatuor temporibus.*] In Concilio Lateran.
1. generali, relato *in cap. quoniam, de officio ordin.* Vbi commixtio rituum Græcorum, & Latinorum inhibita fuit, ſtatutumque vt Epiſcopus Latinus haberet Vicarium Græcum, vt Græcis conſuleret, & illis ſacramenta adminiſtraret: quod quàm diſciplinæ eccleſiaſticæ congruum ſit, ibi probauimus.

COMMENTARIVM.

LIcèt *in cap. cùm ſecundùm 9.* & in præſenti præcipua Pontificum Cœleſtini & Innocentij cura fuiſſet inhibere ordinationes fieri à Græcis, & Latinis diuerſis ritibus; tamen cùm ex permiſſione ordinandi Græcum à Latino more Latinorum, & è contrario, accidiſſet vt Græci, vel Latini ſine licentia proprij Epiſcopi ordinarentur; ideò in præſenti ab Innocentio ſtatutum fuit, vt Græcus Latino Epiſcopo ſubiectus, à Græco Epiſcopo tantùm de licentia proprij Epiſcopi ſacris initiaretur ordinibus; vnde ex viſceribus huius deciſionis ſequentem deduco aſſertionem: *Nullus clericus poteſt* 2.

reſt ab alieno Epiſcopo ordinari ſine proprij licentia, aliàs ſuſpenditur ab ordinum exercitio, & qui illum ordinauit, priuatur facultate conferendi illum gradum, in cuius collatione peccauit. Probant textus *in c.illud, cap.de aliena 2.c.ſi quis 3.c.clericos 4. & per totam 71. diſt.cap.2.cap.clericum 2.72.diſt.cap.1.9.q.2.cap. alienum 1.19.q.2.cap.nullus 21.quæſt.2. can.36. Apoſtol. cap.cum 12.hoc tit.cap.nullus, de parochiis, cap.nullus, c.eos, hoc tit.in 6.* Concil. Rom. ſub Gregorio VII. *can.24. ordinati ab alio, quàm à proprio Epiſcopo,non recipiantur.* Siricius Pontifex *epiſt.4.cap.6.Vt de aliena Eccleſia ordinare clericum nullus vſurpet.* Carthag.3. *can.44. In pluribus Synodis decretum eſt, vt nullus Epiſcopus alienum clericum vſurpet ſine ſui Epiſcopi voluntate.* Tolet.14.*can.4. Si quis contra ſtatuta maiorum alienos ordinauerit, qui ordinatus fuerit, ſacerdotis honore priuabitur.* Taurin. *can. 6. Clericum alterius ſecundùm ſtatuta canonum nemo ſuſcipiat, neque ſuæ Eccleſiæ in alio gradu valeat ordinare.* Aruernenſe *can. 10. Ne vllus Epiſcopus alterius clericum contra voluntatem Epiſcopi ſui ſuſcipere audeat.* Aurelian. 3. *can. 5. Nullus clericum, ſeu lectorem alienum, ſine ſui conceſſione Epiſcopi, vel promouere, vel ſibi quibuſlibet conditionibus audeat vindicare.* Brachar. 1. *can. 26. Nullus Epiſcopus Clericum alterius ordinare præſumat, ſicut & antiqui canones vetuerunt.* Tolet.13.*can.11.* Cabilon. *can.13.* Arelat. ſub Carolo, *can.24.*Moguntinum ſub Arnulpho, *can.15.* Trident.*ſeſſ.14. de reform.c.2.* alia innumera Conciliorum ſtatuta, & Pontificum decreta congeſſerunt Antonius Auguſt. *in epit. iuris lib.4. tit.50.& lib.8.tit.15.*Creſpetius *in ſumma,verbo Clericum alienum.* Illuſtrant Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. cap.3.art.1.pag.599. & de hierarch. fol.68.* Rouſſelius *lib.2.hiſt.Pontif.iuriſd.cap.11. num.6.* vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & in dictis iuribus, Vazquez 3. *part.in 3. diſput.243. c.5.* Ægidius Coninch.*diſput.20.de ordin.dub.9.* Acuña, & I. Darris *in d.71.diſt.* Garaña *in cap. nullus, de parochiis*, Cironius *ad tit.de cleric.peregrin.* idem Dartis *de benef. ſect.4. cap.7.* Sanchez *lib.3. conſil.cap.1. dub.20.* D. Michael de Moez *in dict.c.nullus, hoc tit.in 6.* Ferrarius *in opuſc.de litteris, cap. 8.* Turrianus *pro epiſt. Pontif.lib.1.c.9.* Vighellius *in meth.iuris can.pag.311.* Seuerinus Binius,& Corjolanus *in notis ad can.36. Apoſtolor.* Balſamon *in nomocan. tit.1. cap. 26. & in can.10.Synodi 7.& in can.57.Synodi Carthag.* Iuſtel. *in can.55.Eccleſiæ Afric.*Sauſay *in Panop.cleric.1.part. lib.4. cap.6.* Coqueus *in Morneum 1.part. pag.193.* Antonius Auguſt. *in notis ad Hadrianum Pontificem, can.16.tom.5. Concil.* Moraliſtæ congeſti à Leandro *2.part.de ſacram.tract.6. diſput.8.per totam*, Boſquetus *ad Innocent.lib.1. epiſt. 13.* Baſilius *lib.5. de matrim. cap. 13. §.2.* Gibalinus *de cenſuris, in ſynopſi, littera O, num.4.*

3. RATIO DVBITANDI.

Hæc aſſertio ita fulcita, & roborata difficilis redditur ſequenti ratione; nam apud catholicos certum principium eſt, Eccleſiam nihil poſſe mutare, aut ſtatuere circa materiam, formam, aut miniſtrum ſacramenti. Trident. *ſeſſ. 21. de ſacram. c.2.*Baſilius *lib.5.de matrim.c.4.* Etiam apud orthodoxos liquet miniſtrum ſacramenti Ordinis eſſe Epiſcopum indiſtinctè, proprium, ſeu alienum, cùm tempore inſtitutionis huius ſacramenti, & ſequentibus ſæculis non eſſent Epiſcopatus diuiſi, aut eorum fines præſcripti: igitur Eccleſia non potuit ſtatuere, vt tantùm Epiſcopus proprius eſſet miniſter ſacramenti Ordinis,aliàs ſacramentum ab alieno Epiſcopo collatum, nullum, & vacuum eſſet, vt dicitur *in d.cap.ſi quis auſus*, ibi: *Irrita ſit huiuſmodi ordinatio, d.cap.nullus 9.q.2.* ibi: *Nec rata erit,nec vires vllas habebit.* Augetur hæc difficultas ex ratione noſtræ prohibitionis adducta *in d.cap. nullus, de parochiis*, & à Siricio *dict. epiſt.4.* videlicet quia qui iudicare non poteſt, nec ordinare; ſed ſic eſt, quod Archiepiſcopus tempore viſitationis poteſt iudicare ſubditos ſuffraganeorum, *cap. 1. de cenſibus in 6.c.1.de pœnis,eod.lib.* ſed nec tempore viſitationis poteſt Archiepiſcopus ordinare ſubditos ſuffraganeorum, *cap. vt litigantes, de officio ordinarij, lib.6.* Marchinus *de ordine,5.p.c.5. n.8.* Barboſa *lib.1.iuris Eccleſ.c.7.num.22.* Machado *tom.2.ſummæ, lib.4.tract.1.p.7.docum.4. num.6.* igitur nec aſſertio, nec eius ratio ſuprà adducta defendi poteſt.

4. EPISCOPVS EST MINISTER SACRAMENTI ORDINIS.

Adhuc tamen defendenda eſt ſuprà tradita aſſertio, ad cuius expoſitionem aliqua prælibanda ſunt. Et primò ſciendum eſt, Epiſcopum ſolum eſſe ordinarium miniſtrum ſacramenti Ordinis, vt docetur *Actuum Apoſt.c.6.verſ.6. & c.13.verſ.3. & cap.14.verſu 22.* Contra varios Eccleſiæ hoſtes ita definitum eſt in Concilio Nicæno *can.4.* Carthag. 2.*can.12.*Hiſpalenſi 2.*can.5.& 7.*Toletano 8.*can.7.* Regienſi ſub Sixto III. *can.3.* Florentino ſub Eugenio IV. *de ſacrament. §. ſextum ſacramentum,* Trident.*ſeſſ.23.c.4.& can.7.c.1.§.ad Epiſcopum,25. diſt.c.1. & 2.67.diſt.c.quamuis,68.diſt.c.1.de ordinatis ab Epiſcopo.* Sed ex ſanctionibus eccleſiaſticis iam à primis temporibus vſque ad noſtra ſæcula validè & licitè non omnis Epiſcopus confert, ſed ille tantùm, qui proprius eſt, vt ex Conciliis ſuprà relatis conſtat: ſed licèt antiqui Eccleſiæ Patres tantùm vt Epiſcopum proprium agnoſcerent Epiſcopum originis, aut domicilij; tamen ſequentibus ſæculis Epiſcopus proprius ratione beneficij agnitus fuit: quare antequam ad rationem noſtræ concluſionis deueniamus, aliqua de Epiſcopis propriis ratione originis, domicilij, & beneficij prænotanda ſunt. Sed priùs rationem aſſignemus, quare Epiſcopus tantùm dicatur miniſter ordinarius huius ſacramenti in dictis canonibus, & à Dionyſio *lib.6.de eccleſ.hierarch.cap.5.* Hieronymo *epiſt.95. ad Euagrium*, Epiphanio *hæreſi 75.* quos, & alios referunt Bellarminus *tom.1. controu. lib.1. de clericis,cap.3.& tom.3.de ſacram.Ordin. lib.1.c.11.* Vazquez *ad 3.part.tom.3. diſput. 243. per totam:* & præcipua ratio prouenit ab inſtitutione Chriſti Domini, qui Epiſcopos deſignauit miniſtros huius Sacramenti: cui accedit alia relata à Sanctis Patribus ſuprà relatis; quia ſcilicet, vt in Republica politica pertinet ad Rectores officia publica ordinare, & diſtribuere; ita in eccleſiaſtica decet, vt miniſtrorum, & officiorum diſpenſatio ſolis Rectoribus committatur, hoc eſt Epiſcopis, qui Apoſtolorum locum tenent, *cap.in nouo, 21. diſt.c. quanto,de conſuet.* Proſequuntur alias rationes Villaroël *tom.1. regim.eccleſ. p.1. q.1.art.9.* Macedo *de clauib.Petri lib.4.cap.5.fol.570.*

5. DE EPISCOPO ORIGINIS.

Igitur vt promiſſis ſtemus, ſciendum eſt, Epiſcopum proprium quoad ordines conferendos primò eum dici, in cuius diœceſi ordinandus baptizatus eſt, *c.vlt.98.diſt.* Concil.Carthag. 3.*can.44.* probat latè Hallierius *pag.606.* Hodie tamen dicitur Epiſcopus originis non ſolùm ille, in cuius Epiſcopatu baptizatus eſt, verùm & in quo per accidens natus fuit; quia in eo verificatur deciſio Bonifacij VIII.*in c.cùm nullus, de temporib.ordin.* ita docent plures relati à Leandro *diſput.8. q.7. & 8.* Nec ſolùm dicitur Epiſcopus proprius ratione originis, vbi quis natus eſt, verùm & Epiſcopus,in cuius diœceſi parentes nati fuerunt; rectè enim dicitur

dicitur quis ortus eò loci, vbi eius parentes primam lucem habuerunt, *l.adſumptio 6.§. filius,ff. ad municip. l.filius, C.de municipib. lib.10. l.ſi vt propnis, C. de incolis, lib.10.* docet poſt alios Hallier. *art.3. fol.620.*& à ſacra Cardinalium Congregatione declaratum fuiſſe refert Leander *vbi ſuprà, quæſt. 9.* non tamen hoc ius originis extenditur ad vlteriores gradus, ne in infinitum protrahatur origo, vt pluribus relatis reſoluit Leander *quæſt.10.*

6. De Episcopo domicilii.

Etiam Epiſcopus loci, in quo quis habet domicilium, dicitur proprius quoad ordines conferendos, & domiciliarius ab eo valet ordinari. Concil. Arauſic. *can. 8.& 9.cap.cùm nullus, hoc tit. in 6.* vnde licèt quis vltramontanus ſit, in alia prouincia ordinari poterit, ſi in ea domicilium contraxerit, cùm id non reperiatur prohibitum *in cap.1. hoc tit.in 6.* immò primis Eccleſiæ ſæculis id obſeruatum fuiſſe, pluribus exemplis ex hiſtoria eccleſiaſtica petitis probat Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. ſect. 5. cap.3.art.7. pag.623.* ſed quia ſæpè contingit, vt quis ficto, & ſimulato domicilio ab alieno Epiſcopo ordinetur, *c. ſæpè, hoc tit.in 6.* ideò obſeruandum eſt, eum propriè dici domiciliarium alicuius loci, qui in eo degit animo perpetuò ibi manendi; talis enim ſtatim abſque vllo temporis tranſcurſu domicilium contrahit, *l. domicilium 20. ff. ad municip.* latè docent noſter D. Franciſcus de Amaya *in l.ciues, num.99. C.de incolis, lib.10.* Narbona *in l.20.tit.1. lib.4. recopil.* & ſi non conſtet de animo conſtituendi domicilium, ſufficiunt præſumptiones, vt ſi aliquis ſecum transferat maiorem bonorum ſuorum partem, *cap. dilectus, el 2.* & ibi Felinus,*de reſcriptis*; vel ſi ibi domum habitationis causâ in longum tempus conducat. Rota *in nouiſſ. part. 2. deciſ. 150.* aut ſi per decennium in eo loco habitauerit, *dict.l.ciues, C.de incolis, lib.10.* Senatores autem, & officiales Regiæ domus, ac eorum filij, qui comitatui Regio addicti ſunt, poſſunt ordinari ab Epiſcopo Regiæ vrbis; nam etſi non ſint verè ciues, tamen in ea domicilium contrahunt, *l. Senatores 8. C. de incolis, lib. 10.* probat Hallierius *vbi ſuprà, §.8.pag.626.* & ſi contingat, aliquem habere plura domicilia, à quolibet Epiſcopo cuiuſlibet domicilij poterit ordinari, vt reſoluit Leander *vbi ſuprà, cap.12.*

7. De Episcopo proprio ratione beneficii.

Tertius Epiſcopus proprius quoad ordines recipiendos dicitur ille, in cuius diœceſi quis beneficium obtinet, *cap.cùm nullus, hoc tit.lib.6.* docent Lara *de capell. lib.2. cap. 1. num. 16.* Hieronymus Gonzalez *ad regulam 8.Cancell. gloſſa 5. num. 58.* Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. vbi ſuprà, pag.628.* plures congeſti à Leandro *de ſacram.Ordin. dict. diſput.8. quæſt.13.* Quæ doctrina ampliatur vt procedat, ſiue beneficium ſit parochiale, ſiue ſimplex, ſiue Capellania, vt docet Leander *dict.quæſt.13.* ſiue magnum, ſiue exiguum, vt reſoluit Marinis *lib.2. reſol.cap.153.* immò & ſi quis plura beneficia habeat compatibilia in diuerſis diœceſibus, poterit ordinari ab omnibus illis Epiſcopis, in quorum Epiſcopatibus beneficia poſſidet. Hallierius *vbi ſuprà*; non autem poteſt quis ordinari ratione commendæ, etiam perpetuæ, ab eo Epiſcopo, in cuius diœceſi eam habet. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.4.num.4.* nec etiam ſufficit patrimonium, vt quis poſſit ordinari ab eo Epiſcopo, in cuius diœceſi illud obtinet. Leander *vbi ſuprà, quæſt. 18.* Hallierius *vbi proximè*, qui alia dubia moralia in hac parte ſæpiùs emergentia reſoluunt.

8. De poenis ordinantis alienvm clericvm.

Poteſt igitur clericus ordinari à quolibet ex prædictis Epiſcopis, vt ſi ab vna diœceſi originem ducat, in alia domicilium habeat, atque in alia beneficium poſſideat, à quocumque ex illis tribus Epiſcopis poteſt ad ordines promoueri, aut dimiſſorias ab eis accipere, vt ab alieno Epiſcopo ordinetur. Ochagauia *de ſacram. tit. de Ordine, quæſt.6. num.20.* Ægidius Coninch. *eod. tract. diſput. 20. dub. 9.* nam per acquiſitionem domicilij, aut poſſeſſionem adeptam beneficij non amittitur ius originis, vt probat Solorzanus *lib. 1. de iure Ind. cap. 23. num. 51.* Sed ſi clericus ordinandus adierit, elegeritque vnum ex prædictis Epiſcopis ad priores gradus recipiendos, non poterit poſteà variare, & ab alio poſteriores gradus petere ſine licentia prioris Epiſcopi, iuxta Concil. Trident. *ſeſſ.23. de reform. cap.16.* Docent ibi Barboſa, & Marquinus *de Ordine, 5. part. cap.7.n. 14.* & Leander. *vbi proximè.* Sed ſi neglectis tot Eccleſiæ ſanctionibus Epiſcopus alienum ſubditum ordinauerit, ordinatio ipſa ſubſiſtit, *cap. 1.& 2. diſt.68. cap. finali,9.quæſt.2.* Fulbertus Carnotenſ. *epiſt.25.* Marinis *lib.2. reſol. cap.155.* etſi contrarium ſtatuatur in additionibus Capitul. Caroli, *addit.3. cap.37.* in hæc verba: *Sunt in quibuſdam locis Scoti, qui ſe dicunt Epiſcopos eſſe, & multos negligentes abſque licentia dominorum ſuorum, ſiue magiſtrorum preſbyteros & diaconos ordinant: quorum ordinationem quia plerumque in ſimoniacam incidit hæreſim, & multis erroribus ſubiacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes vno conſenſu decreuimus.* Niſi ea verba accipiamus de nullitate quoad exercitium, vt accipiunt ea verba, *irrita ſit huiuſmodi ordinatio, in cap.ſi quis auſus 3.72. diſt.* Vazquez *3. part. in 3. part. diſput. 243. cap. 5.* Ægidius *de ſacram. diſput.20. de ordine, dub.9.* Verùm etſi ordinatio ſuſtineatur, & ita ordinatus fori priuilegio gaudeat, Marinis *dict. cap. 155.* tamen variis pœnis plectuntur, tam ordinator, quàm ordinatus. Iure antiquo ordinatus ab alieno Epiſcopo ſuſpenſionem perpetuam incurrebat. Concilium Nicænum *1.can.16.* Sardicenſe *can.15.* Maguntinum *can.17.* Nannetenſe *can. 7.* immò iuxta Concilium Chalcedon. *can.20.* tam ordinatus, quàm ordinator deponebantur, & ordinatus communione priuabatur, donec à proprio Epiſcopo abſolueretur; & qui ordinauerat,in Concilio prouinciali corripiebatur. Concilium Sardic. *can. 15.* Triburien. *can.28.* Nouiori verò iure ordinatus ſuſpenſionem incurrit gradus illicitè recepti, donec proprio Epiſcopo viſum fuerit: ordinator autem per annum ſuſpenditur à collatione ordinum, *cap.eos,hoc tit.in 6.* Trident. *ſeſſ.14.de reform. cap.4.*& *ſeſſ.23. c.8.* quas pœnas etiam firmarunt ſuis conſtitutionibus Pius II. in conſtitutione quæ incipit, *Cùm ex ſacrorum*, edita 18. Calend.Decemb.anno 1461. Sixtus V.in bulla quæ incipit, *Sanctum & ſalutare.* Pius V. in conſtitutione quæ incipit, *R. Pontifex*, data 14. Octoris, anno 1568. Vrbanus VIII. in bulla quæ incipit, *Secretis*, edita anno 1624. quæ ſuſpenſio incurritur ipſo iure abſque vlla ſententia, vt docent plures, quos refert & ſequitur Leander *dict. diſput.8. quæſt.2.*

9. Variæ limitationes.

Hucuſque tradita aliquas patiuntur limitationes. Prima, ſi prouincia ab hoſtibus occupata ſit, ita vt proprium Epiſcopum non obtineat; eius enim incolæ poſſunt à quolibet Epiſcopo ordinari. Concilium Chalced. *can. 20.* Secunda ſi Epiſcopus proprius in hæreſim lapſus, excommunicatus, aut ſuſpenſus ſit; tunc enim eius ſubditi poſſunt

sunt ab alieno Episcopo sacramenta petere, *cap.2. hoc tit. lib. 6.* docet Sausay *in Panopl. cleric. lib. 4. pag. 176.* Tertia, si laicus in Episcopum eligatur; tunc enim consecrari, & ordinari valet ab alieno Episcopo, vt exemplis probat Hallier. *vbi suprà, pag.612.* Quarta, si quis rogatus ab Episcopo Pontificalia exerceat in aliena diœcesi, potest tunc alienos subditos ordinare, vt probat Bosquetus *ad Innocentium lib. 1. epist. 12.* Quinta si ordinandus familiaris sit per triennium alicuius Episcopi; prætextu enim familiaritatis ab eo ordinari valet. Trident. *sess.23. de reform. c. 9.* quod non procedit in Episcopo titulari, vulgò *de Anillo*; ille enim prætextu familiaritatis alienum subditum ordinare non valet. Trident. *sess.14. de reform.cap.2.* vbi plures adducit Barb. Tandem ab alieno Episcopo de licentia proprij litteris dimissoriis expressa ordinari clericus valet; debet autem licentia præstari in scriptis litteris patentibus. Concil. Carthag. *1.can. 5.* Brachar. *1. can. 26.* Cabilon. *2. can. 41.* Meld. *can.15.* Trident. *sess. 14. de reform.c.2.* Litteræ prædictæ debent esse subscriptæ, & signatæ signo Episcopi, *d.can.26.* Concil. Brachar. certasque litteras, & charecterum notas habere, quas recensebimus *in cap. 1. de cleric. peregr.* appellantur istæ litteræ aliquando commendatitiæ, *cap. significasti, de officio Archid.* vbi de his agemus, Concil. Chalced. *cap. 11.* vbi Balsamon. Frequentiùs dicuntur dimissoriæ *in c.1.dist.72.* in legibus Longobard. *l.2. tit.2.lib.3. Vt nemo alterius clericum sine commendatitia, aut dimissoria littera recipere præsumat*; & aliis Conciliorum decretis congestis ab Hallierio *de sacris elect. pag.658.* Ferrario *de litter. primit. Eccles. lib.1.c.8.* Reuerendæ etiam dicuntur in Concil. Trident. *sess.7. de reform.c.10.* à salutatione, quâ Episcopi se inuicem reuerendos, honoris causâ, vtplurimùm appellant. Prædictæ etiam litteræ continere debent causam excusationis, ob quam non potest Episcopus proprius illi ordines conferre, *c.1. hoc tit. in 6.* & beneficium, ad cuius titulum ordinandus promouetur; & examen eius præcessisse, vt tam ex veteri, quàm nouo iure illustrat, & probat Hallierius *vbi suprà, pag.660.* qui varias formas dimissoriarum refert ex Conciliis Galliæ, & Marculfi formulis.

10. RATIO DECIDENDI.

Huius conclusionis, & prohibitionis, ne videlicet clericus ab alieno Episcopo ordinetur, variæ traduntur rationes. Primam reddunt Patres Concilij Venetici, *can.19.* in illis verbis: *Ne concordiam fraternam iniuria violata contaminet*; *maxima enim occasio violandæ pacis videbatur, si alter Episcopus alienum subditum arriperet, & sacerdotio manciparet.* Quare Patres Concil. Carthag. *1.can.5.* paci id conducere dixerunt, quod Episcopus alienum parochianum non vsurpet. Accedit, quia non leuis iniuria irrogabatur proprio Episcopo, qui subditum erudierat, si ab alio Episcopo eriperetur; nam grauis iniuriæ reus est, qui de fratris Ecclesia id quod est vtilius, aut pretiosius audet vel allicere, vel tenere, vt aiebat S. Leo ad Anastasium *epist.82. & 84.c.9.* Aliam rationem adducunt PP. Synodi Trullanæ *can. 17.* videlicet, quod ex illa vsurpatione alieni subditi clerici inobedientes proprio Prælato redderentur: cui rationi & illa accedit; nam sicut disciplina ecclesiastica confunderetur, si quis terminos alienos vsurparet, alienum subditum iudicando, *c.nullus, de parochiis*; ita & eum ordinando. Vnde canones pro confirmatione præsentis conclusionis adducti æqualiter prohibent alienos subditos iudicare, & eos sacris ordinibus initiare. Tandem; nam proprius Episcopus rectiùs cuncta moderabitur circa mores, & doctrinam subditorum, cùm illi meliùs animi dotes, & indoles eorum innotescant. Rectè ergo tot sacris canonibus, & Pontificum decretis prohibitum est, ne quis clericus ab alieno Episcopo ordinetur sine proprij licentia.

11. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI.

Nec obstat dubitandi ratio suprà perpensa; fatemur enim Ecclesiam statuere nequire, vt gradus ordinis collatus ab Episcopo ministro ordinario sacramenti Ordinis, vacuus, & inanis esset, cùm destrueretur sacramentũ validè collatum: potuit tamen decernere ob rationes suprà adductas, & alias omissas, vt tantùm proprius Episcopus licitè conferret sacramentũ Ordinis, non annullando sacramentum in contrarium collatum. Nec obstat textus *in d.c. si quis 3.c.1.9.q.2.* nam ea verba, *irrita & vacua*, accipienda sunt quoad effectum, & exercitiũ gradus accepti; manet enim suspensus ita ab alieno Episcopo ordinatus: vnde quia caret effectu gradus ita acceptus, dicitur latè vacua ordinatio, vt docent Vasquez *3.p.in 3.disp.243.c.5.n.46.* Ægid. Coninch *de sacram. tract. de Ordin. disp.20. dub.9.* Nec obstat augmentum difficultatis, quo probare intendebamus, rationem illam, eum qui iudicare non potest, ordinare non posse, incongruam esse; quia Archiepiscopus iudicare valet subditos suffraganeorũ, & tamen eos ordinare non potest. Nam respondendũ est, quod licèt iure communi inspecto æqualiter prohibitum sit Archiepiscopis subditos suffraganeorum iudicare, & ordinare, tamen prohibitio iudicandi laxata est, & permissum Archiepiscopis ius dicere subditis suffraganeorum duobus in casibus. Primò tempore visitationis: secundò si ad eos appelatum fuerit: at quoad prohibitionem ordinandi nihil immutatum est, nec Archiepiscopis permittitur subditos suffraganeorum ordinare, vt docet Sausay *d.lib.4. Panopl. cap.6.*

12. EXPONITVR CAP. LVGDVNENS. 9. Q. 2.

Primò superiori assertioni obstat textus *in c. Lugdun.10.9.q.2.* in illis verbis: *Legimus quippe S. Epiphanium Episcopum ex diœcesi S. Ioannis Chrysostomi quosdam clericos ordinasse.* Ex quibus expressè deducitur, posse Episcopum impunè alienos subditos ordinare. Pro cuius textus explicatione varia adducunt Interpretes *ibi:* Archid. existimat, decisionem illam esse correctam, & tantùm continere ius antiquum. Illum sequitur Salcedo *in praxi, c.26.* Aliter Quintilian. Mandosius *ad regul.24. Cancell. q.4.n.12.* textum illum accipit eo casu, in quo clericus ordinatus valdè notus erat Episcopo ordinanti; quo casu existimat alienum subditum impunè posse ab Episcopo ordinari. Sed his sententiis omissis, Simon Maiolus *de irregul. c.2.n.7.* Marchinus de ordine *tract. 1. p. 5.* illum textum accipiunt de alieno Episcopo, qui spe ratihabitionis alienum clericum ordinauit; asserunt enim, & supponunt, posse Episcopũ alienos subditos sacris initiare ordinibus spe tantùm ratihabitionis: quod etiam docet Hallier. *de sacris elect. vbi suprà, pag.612.* Sed hæc opinio, saluâ pace doctissimorum virorũ, sustineri nequit. Verius enim est, nec sub spe ratihabitionis proprij Episcopi posse alienis subditis sacramentum hoc administrari: iura enim nostra, & suprà citata, expressam postulant proprij Episcopi licentiam, vt clericus ab alieno Episcopo ordinetur; quod etiam requiritur *in c. illud, 71.dist. cap.1.9.q.2.c. sæpe, hoc tit. lib.6.* Trident. *sess.14. de reform.c.2.* & eâ ratione id suadetur; nam si spe tantũ ratihabitionis posset alienus Episcopus non subditis ordines cõferre, daretur occasio, vt hoc quæsito colore Episcopi alienos subditos ad ordines promouerent; vnde hanc opinionem, videlicet nec sub spe ratihabitionis licere alienum subditum

ordinare, vt veriorem defendunt plures relati à Sanchez *lib.3.consil.cap.1.dub.20.* Turrianus *de censuris lib.5.disput.64.dub.1.* Barb. *de potest. Episc. alleg.8.num.8.* Marcus Antonius *lib.4.instit.cap.11. num.33.* Gratianus *tom.2.discept. cap.210. num.52.* quare eâ sententiâ omissâ dicendum est, *in d. cap. Lugdun.* ex indulgentia proprij Episcopi ordinatum admitti ad exercitium gradus accepti; nam cùm suspensio, quæ incurritur in hoc casu, tantùm sit ad nutum Episcopi proprij, & quousque illi placuerit eam relaxare, Trident. *sess.23. de reform.cap.8.* ideò *in.d.cap.Lugdun.* accedente proprij Episcopi indulgentiâ suspensio cessat: quo modo accipiendus etiam est textus *in c.Salonitanæ,73.dist.*

13. INTELLIGITVR CONCIL. ARAVSIC.

Secundò obstat textus *in can.9. Concilij Arausic.* 1. in illis verbis: *Si qui autem alienos ciues, aut alibi consistentes ordinauerint, nec ordinati in vllo accusantur, aut ad se eos reuocent, aut ipsi eis impetrent* (lego *imperent*) *cum quibus habitent.* Ex quo canone apertè deducitur, licere alienos subditos ordinare absque eo, quod ordinatus suspensionem incurrat: igitur non rectè asserimus non licere alienos subditos ad ordines promouere. Pro huius canonis interpretatione dicendum est, in eo canone Episcopum proprium ratione domicilij, licèt non proprium ratione originis ordines contulisse; non enim desideratur consensus Episcopi originis, cùm quis ordinatur ab Episcopo proprio domicilij, vt latè probat Hallierius *vbi suprà, pag.* 608. vnde cùm Episcopus proprius ratione domicilij in eo textu ciues ordinasset, nulla suspensio incurritur. Rectè tamen Patres asserunt, Episcopum, qui alienos ciues, id est in alienis ciuitatibus ortos, in clericorum numero recepit, debere eis imperare vbi habitent, aut Episcopo originis mittere, vt ab eo recipiantur in certa Ecclesia, ne vagi, & acephali remaneant. Accedit, nam textus ille loquitur de ciuibus laicis adhuc clericali militiæ non mancipatis, qui primis Ecclesiæ sæculis à quolibet Episcopo etiam non proprio sacris initiari poterant, vt probat Hallier. *vbi suprà, art.2.§.4. pag.*618.

14. EXPONITVR CONCIL. CARTHAG. 3. CAN.49.

Tertiò superiori assertioni aduersatur textus *in Concil. Carthag.3.can.49.* siue *can.22. Concilij Africani*, quem ex Græco in Latinum sermonem vertit Balsamon in hæc verba: *Licere Episcopo Carthaginis vnde velit clericum ordinare. Aurelius dixit Episcopus: Sermonem meum audite fratres; sæpè euenit, vt ecclesiastici Diaconos, vel Presbyteros, vel Episcopos à me petant: ego tamen memor eorum, quæ constituta sunt, illa sequor, vt conueniam Episcopum clerici, qui petitur, & ea illi ostendam, quòd qui sunt cuiusvis Ecclesiæ, eius clericum postulant. Ecce autem in præsentia non contradicunt; ne autem posteà contingat, hoc est, ne mihi aduersentur qui in hoc negotio à me petuntur clerici; quia scitis me multarum Ecclesiarum curam gerere, quemcumque consacerdotum conuenero, cum duobus, vel tribus testibus nostri conclericatus, si non impius, & indeuotus inuentus fuerit, æquum est vestram dilectionem iudicare, quid facere oporteat: ego enim, vt scitis fratres, multarum Ecclesiarum Dei permissu curam gero. Numidius Episcopus dixit: Hæc semper fuit huic throno auctoritas, vt quando vellet, & de quocumque nomine admonita fuerit conuenienter, vniuscuiusque Ecclesiæ desiderio ordinet Episcopum.* Ex quibus verbis manifestè constat, licere Primati Carthag. ex tota Africa ordinare clericos, quos voluerit: igitur absque licentia proprij Episcopi licet alienum subditum ordinare. Pro huius canonis interpretatione sciendum est, non solùm R. Pontificem ex potestate ordinaria, verùm & Patriarchas Antiochenum, Carthaginensem, Constantinopolitanum, Alexandrinum, virtute priuilegij posse ex tota prouincia absque Ordinariorum licentia clericos cooptare, & ordinare, vt probant Cironius *lib.1.obs. cap.12.* Balsam. & Zonaras *in dict. can.59.* Hallier. *vbi suprà, pag.* 651. Iustel. *in notis ad can.55. Ecclesiæ Africanæ:* inde cùm *in d.can.59.* agatur de Patriarcha Carthag. siue de Primate Africæ, ideò asseritur licere Primati vnde velit clericos ordinare.

15. EXPONITVR CAN. 24. CONCIL. ILLIBERIT.

Quartò opponitur textus *in can.24.* Concilij Illiber. relatus *in cap.omnes,98.dist.* vbi docetur, peregrè baptizatos in alienis prouinciis ordinari non posse, eo quod eorum vita minimè cognita est: igitur si sit cognita in aliena prouincia, etiam ab alieno Episcopo ordinari valent. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, in eo textu peregrè baptizatum domicilium, aut beneficium obtinuisse in ea diœcesi, vbi ordines petebat: sed quia eius vita minimè cognita erat, statutum fuit, vt non promoueretur; quod etiam sancitum fuit à Syluestro *in c. nullus*, Damaso *in cap. transmarinos, 98.dist.* igitur Patres Concilij Illiber. accipiendi sunt eo casu, quo peregrè baptizati ad sacros ordines ascendere volunt in loco domicilij, qui olim nisi cum certis cautionibus non ordinabantur, licèt posteà illis permissum esset sacris initiari ordinibus, si litteris quatuor Episcoporum signis signatis eorum vita commendaretur, *d.c.transmarinos, c.1.de cleric.peregr.* docet Mendoza *lib.3.in d.can.24. Concilij Illiberit.*

CAPVT XII.

Idem[a] *Mutinensi Episcopo.*

CVm in distribuendis. *Et infrà:* Meminimus, à nobis fuisse suppliciter postulatum, & clementer indultum, vt quia præfatus A, Ecclesiæ Romanæ Diaconus erat, mandaremus ipsum per Bononiensem Episcopum promoueri.

NOTÆ.

1. a MVtinen.] Mutina vulgò *Modena*, ciuitas propè Apenninos montes sita est; colonia Romanorum fuit, vt refert Liuius *lib.39.* ibi: *Eodem* (inquit) *anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum ciuium sunt deductæ.* Cicero *Philipp.5. Circumsedit Mutinam firmissimam & splendidissimam populi Romani coloniam.* A sæculo quarto Ecclesiæ Episcopali fulget Cathedrâ, quæ cùm olim suffraganea esset Mediolan. & posteà Rauennat. Ecclesiæ subesset, tandem à Gregorio XIII. anno 1585. Bononiensi Metropol. parêre iussa est. Plura de eius antiquitate, & magnitudine tradit Vghell. *tom.2. Italiæ sacræ, in ea Ecclesia.* Eius mentio fit *in cap. à multis, de æt.& qualit.cap.fin. de sponsa duorum, cap. tuas, de vsuris, cap. cùm dilectis 15. de purgat. canonic. cap.2. de procuratoribus, in 5.collect.* Martino Mutinensi Præsuli missa est hæc decisio, quæ etiam reperitur *in cap.4.hoc tit.in 3.collectione.*

COMMEN

COMMENTARIVM.

2. PRo huius textus vera interpretatione aliqua præmittenda sunt. Et primò sciendum est, omnia superiori commentario adducta, de non ordinandis subditis alienis, locum non habere in Romano Pontifice, cuius respectu nemo ex fidelibus alienus subditus dici potest, cùm ipse sit Episcopus, & Patriarcha vniuersalis. Concilium Chalced. in libello Leoni X. oblato; & ideò potest cuiuslibet Episcopi subditum ordinare. Iulius I I. *epist. 2. cap. 6. Vt nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque Episcopi voluntate, vel iudicare; saluatamen in omnibus Apostolicâ auctoritate.* Et *cap. per principalem 1. q. 9. cap. nunc verò 9. q. 3.* quâ auctoritate pollentes, & vtentes diuersi Romanæ Ecclesiæ Præsules plures Romæ degentes sacris initiarunt ordinibus, vt constat *ex cap. in parochia 16. q. 1.* & pluribus exemplis relatis ab Hallierio *de sacris elect. pag. 648.* Secundò etiam obseruandum est, R. Pontificem aliquando ordinare alienos subditos, vt alicui Ecclesiæ vrbis Romanæ inseruiant, vt in exemplis relatis ab Hallierio; aliquando verò tantùm honoris causâ, suffragantibus vndique meritis ipsius promouendi, vt in specie textus *in d. cap. in parochia:* inter eos tamen ordinatos magnum discrimen datur; nam ordinati ad titulum alicuius Ecclesiæ vrbis Romanæ, non possunt discedere ab ea inconsulto R. Pontifice: at verò honoris tantùm gratiâ ordinati, alibi migrare valent, & Episcopis propriis subsunt, *cap. per tuas, de maiorit. & obed.* semper enim præ cæteris clericis in æquali gradu constitutis honorantur, vt ibi Glossa docet, quia inter ipsos priuilegij ratio habenda est: quare primò eorum nomina esse scribenda, qui dignitates iudicio Principis sunt assecuti, docetur *in l. 1. ff. de albo scribendo, cap. placuit, §. Isidorus, 16. dist.* Illud autem omnibus commune est, vt à R. Pontifice initiatus, & in gradum clericalem cooptatus, non possit ab alio Archiepiscopo, vel Episcopo ad vlteriores gradus promoueri, ex præsenti textu, & D. Gregorio *lib. 4. epist. 30. indict. 13.* quod honoris causâ, & ob reuerentiam impositionis manuum Summi Pontificis singulariter constitutum est, ne quis benedictionem super caput illius, quem Pontifex ordinauit, impartiri audeat; si enim ob reuerentiam Episcopo debitam non licet Presbytero Missam celebrare in eo Altari vbi Episcopus eadem die Missæ sacrificium obtulit, *c. vlt. de consecr. dist. 2.* Barb. *lib. 2. de iure eccles. cap. 7.* quantò minùs super Altari viuo, vbi Pontifex Ordinis sacramentum contulit, licebit Episcopo ordinationem facere inconsulto ipso R. Pontifice: cum eius tamen licentia vtique poterit, ex præsenti textu; & si à Pontifice concedatur Episcopo licentia promouendi Subdiaconum à Pontifice ordinatum in Diaconatus gradum, poterit postea ipsum absque noua licentia in Presbyterum ordinare, vt post Henriquez & alios docet Hallierius *vbi suprà, pag. 649.* Nec obstat illa communis difficultas, videlicet illum ordinare non posse eum, quem nec iudicare valet, & è contra, *cap. nullus, de parochiis,* Concilium Mogunt. sub Arnulpho *can. 14.* sed à Pontifice clericum ordinatum Episcopus proprius iudicare valet, quia per ordinationem Pontificis non eximitur ab eius iurisdictione, *cap. per tuas, de maiorit. & obed.* quamvis non nisi pluribus testibus damnari possit, *cap. Præsul 2. q. 4.* igitur & ordinari ab eo valet. Nam respondendum est, clericum ordinatum à R. Pontifice, non esse exemptum à iurisdictione ordinaria, quia per similem ordinationem noluit Pontifex Episcopo diœcesano præiudicare, nisi causa depositione digna sit; quia tunc tantùm R. Pontifex à se ordinatum deponere valet, *ex cap. omnis 1. de regul. iuris,* docet Hallier. *vbi suprà, pag. 650.* Nec etiam obstabit si dicas, præsentem decisionem nihil speciale conuincere erga ordinatum à R. Pontifice; siquidem quilibet clericus ordinatus ab vno Episcopo, videlicet originis, domicilij, aut beneficij, ab alio sine eius licentia ordinari non potest. Concilium Veneticum *can. 10. Episcopi quoque ab aliis Episcopis ordinatos clericos sine permissu eorum, à quibus fuerint ordinati, promouere ad superiores ordines non præsumant.* Nam ea prohibitio non prouenit ex eo, quod ordinatus ab alio Episcopo est, sed quia cùm proprius Episcopus esset, qui eum ordinauit, eo inconsulto ab alio ad altiores ordines promoueri non valet.

CAPVT XIII.

[a] Idem *eidem, & Magistro H. Subdiacono nostro.*

LItteras vestras recepimus super inordinata ordinatione [b] Immolensis electi, quem [c] Bonon. Episcopus præcedenti [d] Sabbato in Diaconum, & sequenti die Dominico (continuato ieiunio) in Presbyterum ordinauit. In quo quantùm vterque deliquerit, euidenter intelligit, qui prudenter attendit. Si enim vtrumque ordinem eodem die conferre illi non licuit, pari non licuit ratione vnum ordinem vno die, & alium in alio (ieiunio continuato) conferri; cùm propter continuationem ieiunij [e] fictione canonica, siue manè diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum, siue vespera Sabbati ad [f] diem Dominicam referatur, profectò manè cum vespera, seu vespera cum manè ad eundem diem pertinere dicetur. Nam si quantùm ad hunc necessitatis articulum pertinet, manè ad eundem diem, & [g] vespera referatur ad alium, cur esset continuatio ieiunij necessaria, cùm & Sabbato ante cœnam, & Dominica ante prandium intelligantur esse ieiunia. Ne autem si factum huiusmodi sub silentio transiremus, id alij licitum reputantes similia facere attentarent, & sic facti peruersitas à posteris traheretur in exemplum; præfatum Episcopum Bonon. vt puniatur in quo deliquit, à collatione ordinis, Diaconi scilicet & Presbyteri; alterum verò ab executione officij sacerdotalis volumus manere suspen-

fos, donec de illis aliter disponamus. Vt igitur mandatum Apostolicum debitum consequatur effectum, per A.s.m. quat. quæ præmissa sunt, faciatis tam ab ipsis Episcopis, quàm per Bonon. & Imolen. diœcesf. [h] publicari.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.5.* pro cuius inscriptionis illustratione repetenda sunt quæ adduxi in textu antecedenti.

b *Imolensis electi.*] Hieronymi videlicet, qui *in cap. dilectus, de rescript.* appellatur tantùm in præsenti electus, quia adhuc non erat confirmatus, nec consecratus.

1. c *Bonon. Episcopus.*] Henricus à Frata, ecclesiasticæ iurisdictionis vindex, qui sanctos Dominicum, & Franciscum Bononiæ excepit: de eo plura Vghellius *in Italia sacra, in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ, pag.*22. cùm adhuc temporibus nostri Innocentij Ecclesia Bononiensis Metropolitan. non esset, vt dixi *in c.dilectus, de rescriptis*, ideò eius Præsul in præsenti tantùm appellatur Episcopus.

d *Sabbato.*] Quo die tantùm maiores ordines conferri possunt, vt probaui *in cap.1. hoc tit.*

2. e *Fictione canonica.*] Licèt dies naturalis computetur ab ortu solis vsque ad eius occasum, vt tradunt Aulus Gellius *lib.3. noct. Attic. cap.2.* Macrobius *lib.5. Saturn. cap.* 3. Censorinus *de die natali, tit. de diebus:* dies tamen ciuilis diuersimodè apud Hebræos ac apud Romanos computabatur; apud Hebræos enim dies festi incipiebant à vespera, & desinebant in vesperam, & sic vesperè, & manè fiebat dies vnus, iuxta illud Geneſis *cap.* 1. *Factum est vesperè & manè dies vnus.* Et iuxta illud Leuitici *cap.* 13. *A vespera in vesperam celebrabritis Sabbata vestra.* Dies verò vulgares incipiebant manè, ac matutino tempore, & computabantur vsque ad manè: quâ adhibitâ distinctione plura sacræ Scripturæ testimonia in concordiam reducit Basilius Pontius *q.1.de agno typic.cap.*8.& 9. Apud Romanos dies ciuilis postquam horarum vsus inualuit, à media nocte, & sequentis noctis media parte finiebatur, *l. more* 8. *ff. de feriis:* dies autem naturalis apud eos à luce vsque ad tenebras computabatur. Vtriusque diei mentio extat *in l. in vsucapione, cum l. sequent. ff. de vsucap. l. qua ætate, ff. qui testam. facere, l. diuus* 25.§. *Lucius, ff.de liber. & posth. l. 1.ff. de manumiss. l.* 3.§. *minorem, ff. de minorib. l. qui bona* 23.*l.bonæ fidei,* §. 1. *ff. de acquir. rer. dom. l. in omnibus* 6. *ff. de oblig. & act.l.*2.§. *cuiusque, ff. de v. s.* de quorum iurium expositione, & diei obseruatione apud Romanos latè agunt Albericus Gentilis *de diuers.temp.appell.cap.5.& 6.* Cotta *in memorab. verbo dies*, Cuiacius *lib.*15. *obs. cap.*32. Ramirez de Prado *in Pentecont. cap.* 23. & ad Martialem *lib.*4.*epigr.*8. vbi Raderus, Narbona *in horograph. hora* 24. In iure etiam nostro dies vulgaris à media nocte vsque ad aliam dimidiam computatur, *c.consuluit, de officio deleg.* licèt quoad treguas legales solis ortus attẽdatur, *c.*1.*de tregua & pace:* quoad festorum verò obseruationem à vespera in vesperam, *c.*1.*de feriis*, vbi dicemus. Videndus est Baronius *anno* 44. *n.* 88. & *anno* 58. *n.*88.

3. f *Eundem diem.*] Quoad ordines enim conferendos, protracto ieiunio diei Sabbati in diem Dominicum, à vespere Sabbati in mane Dominici diei dies vnus præsumitur, & sic ordines conferri possunt die Dominico, si protrahatur ieiunium, *cap. quod à Patribus,* 75. *dist.* Concil. Lemouic. *act.*2. circa finem: *Si tanta multitudo fuit ordinandorum, vt Sabbato non possit omnes Episcopus ordinare, in crastinam Dominicam vsque ad horam sextam continuare potest.* Concilium Claromont. sub Vrbano II. *can.* 24. *Ne fiant ordinationes, nisi in quatuor certis temporibus, & Sabbato, mediante Quadragesima, & tunc protrahatur ieiunium vsque ad vesperas; & si fieri potest, vsque ad crastinum, vt magis appareat in die Dominico Ordines fieri.* Sed vtrum in hoc casu manè diei Dominici protrahatur ad Sabbatum, an verò vespera Sabbati ad Dominicum diem, disputat Franciscus Hallierius *vbi suprà, art.*3. *pag.*871.

g *Et vespera ad alium.*] Olim enim hora ordinationis erat vespera, & ordinationes in vespera inchoabantur; & si multitudo ordinandorum erat, nocturnæ horæ in ordinationibus impendebantur vsque ad manè Dominici diei; quod non sine exemplo, & ratione factum fuisse constat, cùm Apostolorum ordinatio vesperè, immò nocte facta fuisset. *Luc. c.*22. vnde Christi exemplo consentaneum fuit, vt eâ horâ ordinationes celebrarentur. Hoc etiam obseruatum fuit illis primis Ecclesiæ sæculis, propter persecutiones, quas fideles patiebantur; vnde non facilè congregari poterant, nisi illis horis, vt probat Hallier. *vbi suprà, art.* 4. Nec huic solitæ disciplinæ ecclesiasticæ obstat principium illud, quod vulgò traditur, videlicet Sacramentum ordinis debere conferri intra Missarum solennia, *c.*13. *Actuum Apost.* D.Clemens *lib.*8.*constit.cap.*1.75. *dist.c.quod sicut*, §. *super eo, de elect.* probat fusè Hallier. *de sacris elect.cap.5. art.*1.*pag.*968. sed nocte, exceptâ natiuitatis Domini vigilia, Missæ sacrificium non celebratur, *c.nocte, de consecr. dist.*1. igitur nec nocte, nec vespere ordinationes vllo tempore fieri poterant. Nam vt huic difficultati satisfaciamus, sciendum est: olim in Ecclesia fuisse alias Missas matutinas, vespertinas alias. Mentio vespertinarum fit *in cap.conuenit, de consecr.dist.*2. Concil. Aurelian. 3.*can.* 28. Brachar. 1.*can.*10. Gerund. *can.* 3. ibi: *Et in Sabbati vesperè Missa facta finiatur.* Capitul. Caroli *lib.*7. *c.*200. & apud Sozomenum & Nicephorum relatos ab Hallierio *de sacris elect.d.art.*4. & de eis agunt Albaspineus *lib.*1.*obseru.cap.* 14. Claudius Espenceus *in tract.de triplici Missa.* Solebant enim quinto, sexto, & septimo sæculis Ecclesiæ Missarum solennia vesperè celebrari in diebus ieiuniorum, vt ita ea hora offerrentur, quâ soluendum erat ieiunium, vt obseruat Albaspineus *vbi suprà.* Quare alienum non erat à disciplina illius æui, diebus ordinationum, in quibus ieiunabant fideles vespertinas Missas celebrare: quæ consuetudo etsi diutiùs in Ecclesia duraſſet, posteà paulisper inoleuit, tum ob infirmitatem Episcopi ordinantis, tum ob multitudinem ordinandorum, & alias rationes, quas considerat Hallierius *vbi suprà.* Et licèt Missæ vespertinæ improbentur in Concil. *Carthag.* 3. *can.* 39. Afric. *can.* 8. Matiscon. 2. *can.* 6. Laodic. *can.* 50. Trull. *can.*29. in illis tamen canonibus non agitur de his Missis vespertinis diebus ieiuniorum celebratis, sed de illis, quas sacerdotes non ieiuni celebrare intendebant. 4.

h *Publicari.*] Vnde pro lege ecclesiastica hæc Innocentij sententia obseruatur, quia vt diximus in nostro apparatu, sententiæ Principum eorum iussu publicatæ pro legibus habentur: vnde audiendus non est Pater Suarez *de cens. disput.* 31. *sect.* 1. *num.*4. qui negat, ex hoc textu deduci, suspensionem 5.

nem incurrere ordinatum, quia Innocentius in præsenti tantùm consultus in casu speciali respondit, & sic hoc responsum non inducere legem vniuersalem; nam cùm publicatum sit, pro lege vniuersali habetur. Deinde nam si sententia P. Suarez vera esset, nulla huius voluminis Decretalis pro lege vniuersali haberetur, cùm ferè omnes casus speciales R. Pontifici propositos contineant, vt ipsum Suarium refellendo considerat Gibalinus *de censur. in synopsi censurarum, verbo Ordinatus, à num.* 7.

Huic decretali Innocentij III. statim annecti, & coniungi debet textus *in cap. dilectus* 15. *hoc tit.* insuper habito capite *vel non est compos*: tum quia eandem ferè continet decisionem: tum vt debita temporum series in hac compilatione seruetur; textus enim *in dict. cap. dilectus*, auctorem præfert Innocentium III. textus verò *in dict. cap. vel non est*, Honorium III. auctorem habet, qui Innocentij III. successor fuit. Præponendus ergo est textus *in dict. cap. dilectus*, quem integrum, & rediuiuum damus ex epistolis Innocentij III. editis à Bosqueto, vbi *lib.* 1. *regestr.* 13 *epist.*194. ita legitur.

CAPVT XV.

[a] Idem *Laonien. &... Findbaren. Episcopis, & Abbati de* [b] *Magio, Limiricen. Diœcesis.*

Dilectus filius Vv. [c] Ymilicen. Canonicus, nostro dudum Apostolatui reserauit, quod Ymilicen Ecclesiâ suo [d] viduatâ Pastore, [e] Canonici sui de substituendi Pastoris electione tractantes, ipsum vnanimiter elegerunt. Qui cùm esset citra sacros ordines [f] constitutus, ven. frater noster [g] Cassellen. Archiepiscopus Metropolitanus eorum, Episcopo [h] Roffen. mandauit, vt eum vno eodemque die ad tres sacros ordines promoueret; quod cùm ille non ausu proprio, sed de mandato ipsius Archiepiscopi perfeciisset, demùm idem Archiepiscopus requisitus, [i] consecrationis ei munus, huiusmodi ordinationis occasione prætensâ impendere recusauit. Vnde fuit nobis humiliter supplicatum, vt super hoc circa præfatum Vv. dignaremur de benignitate Sedis Apostolicæ dispensare. Maximè cùm ad ordines ita suscipiendos, non ex voluntatis propriæ diceretur festinantia properasse, sed tam de magna necessitate, quàm de vtili prouidentia penè omnium ibi præsentium, se permiserit taliter ordinari, pro eo quod Ecclesiæ Ymilicen. multiplex periculum imminebat, si eiusdem Vv. citra Presbyteratus officium ordinatio differretur. Licèt autem contra normam Ecclesiasticam in facto ipso enormiter fuisset excessum, de misericordia tamen quæ superexaltat iudicio, ven. fratri nostro Armachano Archiepiscopo, &... Episcopo [j] Miden. & dilecto filio Archidiacono Armach. dedisse recolimus in mandatis, vt inquisitâ super præmissis diligentiùs veritate, si rem inuenirent taliter se habere, ac eundem Vv. aliàs idoneum, & vtilem Ecclesiæ Ymilicen. dispensatiuè ipsi tribuerent licentiam consecrandi: & quidquid in hoc per eundem inuenirent Archiepiscopum attentatum, per suas nobis litteras intimarent, vt per eorum relationem certiores effecti, prouidere in eo, sicut esset expediens, curaremus. Ipsi verò vocatis, quos nouerant euocandos, & inuestigatâ pleniùs veritate, depositiones testium productorum vtrimque ad nostram præsentiam transmiserunt. Quibus inspectis intelleximus euidenter, quod celebratâ de prædicto Vv. electione, cùm die sequenti fuisset idem Vv. à supradicto Roffen. Episcopo ad ordinem Subdiaconatus promotus, idem Episcopus Archidiacono, & Canonicis Ymilicen. seorsim vocatis dicens, quod propter turbationem terræ, ac multos maliuolos, qui eidem Vv. insidias præparabant, nolebat ipsum citra Ordinem Presbyteratus relinquere, iuramento firmauit id supradictum Archiepiscopum, tam metu mortis ipsius Vv. quàm propter imminens periculum Ymilicen. Ecclesiæ præcepisse; & quod [k] Officialis eiusdem Archiepiscopi ex parte ipsius Episcopo memorato inhibuit, ne iamdictum Vv. iam in Subdiaconum ordinatum, tunc ad vlteriores ordines promoueret. Cui eodem Episcopo respondente, quòd plus Archiepiscopo, quòd hoc ei ore suo mandauerat, quàm illi crederet in hac parte; extensa super [l] altare manu, per sacrosancta iurauit, quod id mandauerat Archiepiscopus sæpedictus, & sic in Diaconum, & Presbyterum Vv. sæpedictum promouit. Probatum insuper sufficienter inuenimus, quod dictus Archiepiscopus Ioanni Decano de Hely iniunxit, vt præfato Episcopo inhiberet, ne dictum Vv. eo die, quo ad tres ordines promotus extitit, nisi ad Subdiaconatus ordinem promoueret; eidem Vv. nihilominus inhibendo, ne se promoueri vlteriùs pateretur. Verùm cùm idem Decanus ad Ymilicen. Ecclesiam accessisset, tam sæpedicto Episcopo, qui iam

Subdiaconos ordinarat, vocatis his qui erant in Diaconos promouendi, & silentio cunctis indicto, ex parte Dei, ac Archiepiscopi Cassellen. inhibuit, ne iamdictum Vv. ad vlteriores ordines promoueret; quàm præfato Vv. ne se promoueri vlteriùs sustineret. Constitit quoque nobis ex litteris Iudicum prædictorum, quod sæpefatus Episcopus interrogatus in iure respondit, quod Archiepiscopus non mandarat eidem, vt Vv. eodem die ad tres ordines promoueret, sed ex verbis Archiepiscopi eum credidit illud velle: hoc idem etiam dictus Episcopus per suas nobis litteras intimauit. Præterea ex ipsorum Iudicum litteris intelleximus, quod idem Episcopus vltrò iurauit in iure, quod vniuersa, quæ continebantur in eiusdem Vv. attestationibus, vera erant. Ex litteris quoque, tam supradicti Archiepiscopi, quàm Capituli Ecclesiæ Ymilicen. accepimus, quod cùm tam super electione ac ordinatione sæpedicti Vv. quàm etiam super quibusdam eius excessibus in Concilio apud Kelmoelloco celebrato, coram præfato Archiepiscopo inter dictum Vv. & Canonicos quæstio suborta fuisset, & demùm ab vtraque parte ad nostram audientiam appellatum: idem Vv. non expectato termino, quem appellationi suæ duxerat præfigendum, supradictas à nobis litteras veritate tacitâ impetrauit. Cùm igitur ex præmissis nobis constiterit, sæpedictum Roffen. Episcopum in pluribus deliquisse; tum quia sine mandato Archiepiscopi, sicut ipse confessus extitit, ad huiusmodi ordinationem inordinatè processit; tum quia etsi de Archiepiscopi mandato constaret, cùm illi huiusmodi dispensatio à canone minimè sit permissa, quam ad solum R. Pontificem non est dubium pertinere, ipsi obtemperare non debuit in hac parte: tum etiam, quia cum reatu [m] periurij sæpius variauit, iurando priùs, quod Archiepiscopus id præceperat, & postea quod illud non mandauerat, in iudicio confitendo: ipsum de fratrum nostrorum consilio tamdiu ab ordinandi suspendimus potestate, donec nostram meruerit gratiam obtinere. Sæpedictum quoque Vv. per falsitatis suggestionem, & suppressionem etiam veritatis, litteras supradictas à nobis intelleximus extorsisse. Suggessit siquidem nobis, supradictum Archiepiscopum Episcopo memorato mandasse, vt ipsum vno die ad tres ordines promoueret, de quo nobis non extitit facta fides; quinimò contrarium, quod videlicet Archiepiscopus id prohibuerit, fuit manifestè probatum. Nonnulla quoque vera suppressit, quod videlicet tam Episcopo memorato, quàm sibi fuerit ex Archiepiscopi parte prohibitum, ne promoueretur nisi ad Subdiaconatus ordinem illo die; quodque coram Archiepiscopo super electione, ac ordinatione ipsius quæstio mota fuisset, & tam à se ad certum terminum, quàm ab Ymilicen. Canonicis appellatum. Sed nec, sicut asseruit, quod vrgens necessitas Ymilicen. Ecclesiæ id exposceret, demonstrauit. Cùm igitur illa expresserit, & suppresserit, quæ si fuissent tacita, vel expressa, tales litteras [n] minimè dedissemus; per quod apparet ipsum extitisse indignum gratiâ, quam duxeramus ei ex benignitate Apostolica faciendam; & eundem constet nimis præsumptuosè ad supradictos ordines irrepsisse, ab executione Diaconatus, & Presbyteratus ordinum, donec à nobis misericordiam obtinuerit, decreuimus manere suspensum, super electione de ipso ad Ymilicen. Ecclesiam illicitè celebrata, perpetuum illi silentium imponentes. Quia verò præfatum Archiepiscopum circa hæc non inuenimus deliquisse, ipsius innocentiam commendamus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod à nobis est sententialiter diffinitum, faciatis appellatione remota inuiolabiliter obseruari. Quod si non omnes, &c. Duo vestrûm ea, &c. Datum Lateran. Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno XIII.

NOTÆ.

1. a *Laonien.*] In hac sexta collectione legimus *Leton.* in quarta verò legitur *Leomensi*, *& Saberiensi Abbatibus*; sed vbique perperam; legendum enim est *Laonienſi*, vt habetur in regestro Innoc. III. *lib.* 13. *epist.* 194. ex quo restituo litteram huius textus: & inde cognoscitur falsò in hac sexta collectione textum tribui Honorio III. in Hibernia enim inter alios suffraganeos subsunt Archiepiscopo Casilensi Laonienſis, & Findbarensis, seu Fimbariensis, vt referunt Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra, pag.* 170. Bosquetus *in notis ad præsentem epist.* Barbosa *de potest. Episc. in serie Episcop. pag.* 49. Episcopis istarum Ecclesiarum missa est præsens epistola.

2. b *Magio.*] Monasterium hoc, vulgò de Menaloien dictum, est Ordinis Cisterc. de cuius constructione hæc refert Iacob. Vuarchus in cœnobiis Cisterc. Hiberniæ: *Menay antiquitus Magio monasterium Maio fluuio appositum in Comitatu Limericensi, fundatum legitur anno à Christo Domino in salutem misso* 1151. Ipsum refert Manrique *tom.* 2. *annal. anno* 1148. *cap.* 16. *num.* 9.

c *Ymilicen.*] Ymilicensis enim Ecclesia, siue Ymlacensis, est in Hibernia, vt referunt Carolus à S. Paulo *vbi suprà*, *pag.* 84. Bosquetus *in nostra epist.*

d *Viduata.*]

d *Viduata.*] Quando Ecclesia vidua, vel viduata dicatur, dixi *in cap. ne pro defectu, de elect.*

e *Concanonici.*] Nostri Innocentij temporibus electio Episcoporum ad Canonicos, & Capitula Ecclesiarum spectabat, *cap. cùm Ecclesia, de causa possess.* vbi plura Primarius noster Balboa.

f *Constitutus.*] Clericus enim in minoribus ordinibus constitutus, immò adhuc laicus, potest in Episcopum eligi, vt dicemus *in cap. à multis, de ætat. & qualit.*

g *Cassellen.*] In Hibernia sunt quatuor Archiepiscopi, videlicet Armachanus, Dublinensis, Cassellensis, & Tuenensis, vt tradunt Carolus à S. Paulo, & Barbosa *vbi suprà.*

h *Roffen.*] Roffensis, seu Rosiensis Ecclesia, est suffraganea prædicti Archiepiscopi.

i *Consecrationis.*] Ad Archiepiscopum enim spectat consecratio Episcoporum, vt probaui *in cap. si Archiepiscopus, hoc tit.*

j *Miden.*] Midensis Ecclesia etiam est in Hibernia, suffraganea Archiepiscopi Armachani.

k *Officialis.*] Id est Vicarius Episcopi, vt docet Cironius *ad titul. de officio Vicarij*, vbi & nos latè dicemus.

l *Super altare manu.*] De hoc iurandi modo latè agimus *in cap. vlt. de iuram. calumniæ.*

m *Periury.*] Quomodo, & quare pœnâ ordinariâ non puniatur, qui confessus fuit delictum quod tangebat negotium principale, dicemus *in cap. 2. de confessis.*

n *Minimè.*] Vnde ipso iure similes litteræ carent effectu, iuxta adducta *in cap. super 20. de rescriptis.*

COMMENTARIVM.

3 CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX his duabus Decretalibus sequens deducitur disputanda assertio: *Duo sacri ordines non possunt conferri vno die, etiamsi Archiepiscopus dispensauerit; aliàs tam ordinatus, quàm ordinator suspendantur ab exercitio ordinum.* Eam probant textus *in cap. qui ecclesiasticis 2. 36. dist. cap. in singulis 2. & per totam 77. dist. cap. qui in aliquo, 51. dist. cap. 2. de eo qui furtiuè.* Concilium Roman. 1. sub Syluestro, *can. 11.* Nicænum 1. *can. 2.* Sardic. *can. 10.* Arelat. 4. in editione Binij *can. 1. & 2.* Aurelian. 3. *can. 6.* Aurelian. 5. *can. 7.* Brachar. 1. *can. 38.* Barcin. *can. 3.* Synodus 8. Generalis *can. 5.* Trident. *sess. 23. de reform. cap. 11. 13. & 14.* quorum verba infrà dabimus. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti, & de potest. Episcop. allegat. 18. & lib. 1. iuris eccles. cap. 33. §. 1. & ad Tridentin. in dictis locis*, Acuña & I. Dartis *in dict. 77. dist.* Suarez *de censur. disput. 26. sect. 4. & disput. 31. sect. 1. num. 40.* Bosquetus *in notis ad Innoc. in d. epist. 194.* Gibalinus *de cens. in synopsi, verbo Ordines in vno die*, Morinus *lib. 1. exerc. cap. 7.* Hallier. *de sacris elect. sect. 7. cap. 1. art. 6. fol. 879.* Vighellius *in met. iuris can. pag. 247.* Petrus Gregor. *lib. 4. partit. tit. 22. cap. 2.* plures ex Moralistis congesti à Sanchez *tom. 2. consil. lib. 7. cap. 3. dub. 53.* Leander *tom. 2. de Sacram. disput. 11. de sacram. Ordinis, q. 10.*

4. ADDVCVNTVR VARIÆ DIFFICVLTATES.

Hæc assertio plures, & difficiles patitur dubitandi rationes. Prima ex eo nascitur, nam omnes gradus, tam maiores, quàm minores, tendunt ad vnum sacramentum conficiendum, cùm ex illis omnibus constet: sed nihil impedit quominus quis in vno die vnum recipiat sacramentum, vt in aliis sacramentis frequenter contingit: igitur & vno die potest quis omnes gradus ordinationis tendentes ad vnum sacramentum recipere. Augetur hæc difficultas ex eo, nam si quis plures & diuersos gradus maiores non posset vna die recipere, sequeretur, non posse Diaconum recipere Sabbato ordinem, & gradum Presbyteratus; & die Dominico sequenti ordinem, & gradum Episcopatus, cùm sint diuersi gradus, vt dixi *in cap. 6. hoc tit.* sed potest Diaconus gradum Presbyteratus die Sabbati, & gradum Episcopalem die Dominico suscipere, vt probant plures relati à Diana *p. 12. tract. de consecr. Episcop. resolut. 66.* Hallierius *vbi suprà, pag. 881.* igitur potest quis continuato ieiunio die Sabbati, & Dominico sequenti duos gradus maiores, & sacros recipere. Secunda difficultas vertitur circa eam partem, vbi asseritur, Archiepiscopum non posse dispensare, vt quis vno die recipiat duos sacros ordines: nascitur ex eo, nam quoties legislator non reseruat sibi dispensationem in lege prohibitiua, inferioribus Prælatis concessa videtur, *cap. nuper, de sentent. excomm.* argumento textus *in l. nec-non, ff. ex quibus causis maiores:* sed R. Pontifex prohibendo ne vna die quis duos gradus sacros recipiat, sibi non reseruauit dispensationem: ergo Metropolitanis eam concessisse videtur. Tertiò difficilis est tradita assertio, dum in ea affirmatur, Episcopum suspendi à collatione ordinis, in quo peccauit; nam Episcopus conferens perperam ordines, suspenditur à collatione omnium graduum, *cap. ex pœnitentibus 55. 50. dist. cap. si quis Episcopus 43. 1. q. 1. cap. vel non est, hoc tit.* immò & deponitur, *cap. 1. 51. dist. cap. nullus Episcopus, 62. dist. cap. tantis 3. 81. dist.* igitur non rectè asserimus suspensionem partialem incurrere Episcopum malè promouentem clericos. Quarta, & difficilior consideratio prouenit ex eo, nam licèt verum sit duos sacros ordines non posse vno die conferri, & interstitia inter vnum, & alium gradum esse seruanda; id tamen procedit, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas aliud expostulet, iuxta Trident. *dict. sess. 23. cap. 13. & 14.* sed tam in nostro capite litteras, quàm *in cap. dilectus*, necessitas, atque vtilitas Ecclesiæ dabatur; siquidem in vtraque decisione ordinati electi erant in Episcopos Ecclesiarum viduarum: igitur propter vtilitatem ipsarum Ecclesiarum rectè poterant in vna die duos gradus sacros recipere.

5. DE INTERSTITIIS.

His difficultatibus minimè obstantibus vera est suprà tradita assertio, ad cuius veram expositionem sciendum est, iam à primis Ecclesiæ temporibus constitutum fuisse, ne quis eodem die duos gradus sacros reciperet, & vt inter gradum & gradum aliquod tempus elaberetur, quod interstitia sacri canones appellant; licet aliquando ex dispensatione, aut magna Ecclesiæ necessitate duos gradus vna die receptos fuisse legamus. Epiphanium enim eodem die omnes gradus recepisse, refertur in eius vita, *num. 34. tom. 2. operum eius*, & Paulinus Hieronymi frater eodem die ab Epiphanio in Diaconum, & Presbyterum ordinatus est. Epiphanius *in epist. ad Ioannem*, quæ est inter epistolas D. Hieronymi ordine 60. & S. Norbertus eodem die Diaconus, & Presbyter ab Archiepiscopo Cantuar. ordinatus fuit, vt habetur in eius vita, *cap. 3.* apud Surium *die 6. Iunij.* His ergo omissis casibus specialibus in Ecclesia statutum iam retrò pluribus sæculis inuenio, ne in vno, eodemque die naturali, seu ciuili quis duos recipiat gradus sacros, nec vnum, hoc est Subdiaconatus, cum quatuor minoribus, *cap. 2. de eo qui*

fortiùs; immò & varia fuerunt constituta tempora interstitiorum, vt de gradu ad gradum quis possit promoueri.

6. De tempore interstitiorvm.

Non est in animo hîc referre veteres Ecclesiæ sanctiones, ne quis repentè sacerdos, aut Episcopus eligatur, de quibus si Deus vitam, otiumque dederit, agemus *in cap.1. de clerico per saltum:* igitur vt tantùm de interstitiis agamus, pro diuersitate temporum diuersa fuerunt à Patribus statuta. Et licèt primis Ecclesiæ sæculis longiora fuissent, *cap.quicumque, cap.in singulis, cap.si quis,* 77. *dist.* sequentibus verò sæculis ob necessitatem ministrorum, & nostro æuo propter vitæ humanæ breuitatem restricta fuerunt, & breuiora præscripta; annus enim statutus fuit in Concilio Aurel.5. *can.9.* ibi: *Nullus ex laicis absque anni conuersione præmissa Episcopus ordinetur.* Concil. Brachar. *can.* 38. *Ex laico ad gradum sacerdotis nemo veniat, nisi prius anno integro in officio Lectorum, vel Diaconatus disciplinam ecclesiasticam discat.* Quod tempus protractum fuit in Synodo 8. *can.* 5. ibi: *Per omnes gradus ecclesiasticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam transiisse reperiatur, ad Episcopatus honorem euehatur, sicut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, Diaconi tres, Sacerdotium quatuor annos expleat.* Tandem Patres Concilij Trident. postquam statuerunt, vno die duos sacros ordines conferri non posse, nec regularibus prætextu alicuius priuilegij, *sess.* 23. *de reform. cap.*13.ibi: *Duo sacri ordines non in eodem die etiam regularibus conferantur, priuilegiis quibuscumque, atque indultis quibuscumque non obstantibus*; tempora interstitiorum ita præscripserunt, & inter minores gradus tempus obseruandum arbitrio Episcopi reliquerunt; post susceptionem verò vltimi gradus, ad gradum Subdiaconatus vnum annum constituerunt, à Subdiaconatu ad Diaconatum alium, à Diaconatu ad Sacerdotium alium, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud expostulet; sed antequam huius decreti expositionem aggrediamur, rationem nostræ conclusionis perpendamus.

7. Tradivr ratio interstitiorvm.

Triplicem rationem nostræ decisionis, & interstitiorum tradunt Patres in Conciliis suprà relatis. Primam, quia ministerij cuiusque ordinis exacta, & accurata cognitio requiritur; debet enim ordinandus quæ sunt gradus accepti discere, antequam alterius curam suscipiat, ne præpostero ordine priùs sit magister, quàm discipulus. Cœlestinus *epist.2.c.*3. *Cùm ad Episcopatum his gradibus, quibus frequentissimè cautum est, debeas peruenire, vt minoribus initiati officiis ad maiora firmentur; debet enim antè esse discipulus quisquis doctor esse desiderat.* Illustrat hanc rationem ex Hormisda, & D. Gregorio Hallierius *vbi suprà, pag.*899. vnde Sancti Patres eos, qui ex laicis diuina dispositione non seruatis his interstitiis in Episcopos ordinati fuerunt, admodum commendant, eo quod priùs docerent, quàm discerent. D. August. *epist.* 148. *ad Valerium*, D. Ambrosius *lib.*1.*de offic.cap.*1. ibi: *Homines discunt priusquàm doceant, & ab illo accipiunt quod aliis tradunt; quod ne id ipsum quidem mihi accidit, ego enim de tribunalibus, atque administrationis insulis ad sacerdotium raptus docere vos cœpi, quod ipse non didici: itaque factum est, vt priùs docere inciperem, quàm discere.* Nazianz. *orat.*1. Synesius *epist.* 66. Sidonius *lib.*5.*epist.*3. Secunda ratio prouenit ex eo, vt qui ordinandi sunt ad vlteriores gradus, in prioribus disciplinâ ecclesiasticâ imbuantur, & ad normam ecclesiasticæ vitæ mores componant: quam rationem adduxerunt Patres Concilij Brachar. *can.* 38. *Diaconus ecclesiasticam disciplinam discat, & sic per singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat.* Concil. Trident. *d.cap.*11.*vt eo accuratiùs promouendi quantum sit disciplinæ pondus possint edoceri.* Tertia ratio prouenit ex probatione ordinandorum, qui in singulis gradibus debent probari, vt ad superiores ascendant; quam rationem tradiderunt Ioannes VIII. *epist.*199. *Qui in minoribus officiis diu perdurent, & vota eorum, & obsequium comprobentur, vt per tempora à maioribus institutæ comprobati, priùs moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus ad summum sacerdotium postmodùm veniant.* Illustrat Hallierius *vbi suprà, pag.* 900. rectè ergo Ecclesiæ Patres statuerunt, inter gradum, & gradum ordinis certum tempus.

8. Exponitvr tridentinvm.

Sed vt ad Concil. Tridentini sanctionem *in dict. cap.*11. reuertamur, sciendum est, nullum tempus interstitiorum in eo assignari ad minores ordines recipiendos; & licèt interstitia in eis expressè non tollantur, tamen consuetudine iam inualuit, vt omnes minores ordines vna die recipiantur. Syluester *verbo Ordo, el* 2. *num.*7. Etiam *in d.c.*11.*&* 13. permittitur Episcopis propriis, Capitulo Sede vacante, seu eius Vicario, vt ex iustis causis possint in prædictis interstitiis dispensare, veluti ob vtilitatem Ecclesiæ, seu necessitatem, ætatem prouectam ordinandi, arctationem beneficij, studium in aliqua Vniuersitate, quas & alias dispensationis causas prosequuntur Barb. *de potest. Episc. alleg.* 18. Sanchez *lib.*7. *consil. cap.*3. *dub.*54. Leander *de sacram.tom.*2. *de ordine, disp.* 7. *q.* 21. etiam Prælatos regulares virtute suorum priuilegiorum posse cum subditis suis in interstitiis dispensare, probat Bruno Chassaing. *de priuil.regul.p.*2. *cap.*1. *propos.* 4. Leander *q.* 23. & de Capitulo Sede vacante fusè probat Solorzanus *tom.*2.*lib.*3.*cap.*13. Valenzuela *consil.*107. *per totum.* Etiam post prædictam constitutionem Concilij, qui ordinatur non seruatis interstitiis, nullam suspensionem incurrit, licèt peccet mortaliter, quia in re graui transgreditur sacros canones, vt resoluit Barb. *d. alleg.*18. *in fine.*

9. Tradivr ratio decidendi.

Ex quibus prouenit ratio nostræ decisionis, & conclusionis; nam cùm certi temporis spatium sit constitutum, & debeat elabi inter vnum gradum, & alium, vt sic seruatis interstitiis, & temporis intercapedine, ad maiores perueniatur gradus; ideò non potest quis vno die naturali, seu ciuili fictione canonica duos gradus sacros recipere: & quia in eo debet quis puniri in quo deliquit, *cap. final. de tempor. ordin. in* 6. ideò qui vno die duos gradus sacros recipit, suspenditur ab eorum exercitio; Episcopus verò qui ordinauit, à collatione illius gradus, quem improbè contulit. Docet Viuianus *in præsenti*, & suprà laudati pro illustratione conclusionis.

10. Dissolvvntvr difficvltates.

Nec obstant difficultates suprà perpensæ. Non prima, nam licèt omnes gradus sacramenti ordinis tendant ad vnum sacramentum conficiendum; tamen quilibet gradus habet diuersum ministerium, & exercitium: vnde ordinandus probari debet in quolibet gradu antequam ad altiores ascendat, ex rationibus suprà adductis. Nec augmentum huius difficultatis aduersatur; nam licèt non possit ordo Diaconatus conferri Sabbato, gradus verò Presbyteratus die sequenti, *ex nostro cap.litteras*; tamen ordo Sacerdotalis potest recipi Sabbato, & die sequenti ipse Sacerdos in Episcopum ordinari. Discriminis ratio ex eo prouenit, quia primum expressè in iure reperitur prohibitum;

prohibitum ; ſecundum verò non inuenimus vetitum. Accedit, quia dies Sabbati præfixus eſt collationi ſacrorum ordinum ; dies verò Dominica conſecrationi Epiſcopi : quare rectè compatitur, vt quis die Sabbati gradum Preſbyteri recipiat ; die verò Dominica in Epiſcopum conſecretur, vt docet Hallierius *vbi ſuprà*, *pag.* 881. Vnde infertur, quod ſi quis ex diſpenſatione ordinetur Preſbyter die dominico, non poterit eodem die conſecrari Epiſcopus, vt reſoluit Diana *p.* 12. *reſol.* 65. Nec refragatur ſecunda difficultas ; certum enim eſt, Metropolitanum non poſſe diſpenſare in hac iuris prohibitione, ne quis vna die duos ſacros ordines recipiat ; quia cùm hæc prohibitio ſit Pontificia, non poſſunt inferiores in ea diſpenſare, *cap. propoſuit*, *de conceſſ. præb. cap. cùm inferior*, *de maiorit. & obed. cap. ſunt quidam*, *cap. ideò* 25. *q.* 1. Clementina *ne Romani*, *de elect.* Accedit, quia diſpenſatio non eſt ex his, quæ competunt, ſi non prohibeantur ; ſed ex his, quæ non competunt niſi concedantur, vt probat Baſilius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 6. *num.* 4. Nec contrarium probat textus *in d. cap. nuper*, qui non loquitur de diſpenſatione cenſuræ, ſed de eius abſolutione. Differentiæ autem ratio, quare abſolutio, ſi non prohibeatur, etſi non concedatur, inferiori competat, ex eo prouenit, quia abſolutio non eſt contra ius, ſed ſecundùm ius ; quare ſi non prohibeatur, permiſſa intelligitur : contrarium autem procedit in diſpenſatione, quæ cùm ſit relaxatio iuris, niſi inferiori concedatur, non competit. Nec tertia difficultas præſentem concluſionem euertit, quia licèt aliquando Epiſcopus improbè ordines conferens, abſolutè poteſtate ordinandi priuetur, *d. cap. ex pœnitentibus*, *d. cap. ſi qui Epiſcopi*, *cap. vel non eſt*, *hoc tit.* ea iura accipienda ſunt de ordinibus malè acceptis, non verò protrahenda ſunt ad alios gradus, *ex cap. qui eccleſiaſticis* 2. 36. *diſt. ex præſenti cap. litteras* 13. *cap. nullus* 4. *hoc tit. in* 6. Docent Acunia *in d. cap. qui eccleſiaſticis*, Ludouicus Cellotius *lib.* 6. *de hierarch. cap.* 20. §. *vnico*, Hallierius *de ſacris elect. ſect.* 1. *cap.* 1. §. 2. *&* 3. & ſi aliquando talis Epiſcopus deponitur, id procedit ob culpæ grauitatem, iuxta delicti qualitatem. Vndè in hac parte non poteſt argui de vno caſu ad alium, vt docet Morinus *lib.* 2. *exercit. cap.* 7. *&* 8. Nec tandem obſtat vltima difficultas ; licèt enim ob neceſſitatem, aut Eccleſiæ vtilitatem poſſit diſpenſari, vt quis valeat non ſeruatis temporum interſtitiis ad altiores gradus aſcendere ; tamen vt poſſit vna die duos gradus recipere, nulla ex cauſa fieri poteſt, vt Doctores proximè relati conſiderant.

II. EXPONITVR CAP. 2. DE EO QVI FVRTIVÈ.

Adhuc ſuperiori aſſertioni opponi poteſt textus *in cap.* 2. *de eo qui furtiuè*, vbi proponitur quendam vno die quatuor gradus minores, & gradum ſubdiaconatus, iuxta patriæ conſuetudinem recepiſſe ; & conſultus Cæleſtinus III. reſcribit, permittendum eſſe ita ordinato in minoribus ordinibus miniſtrare, non verò in gradu ſubdiaconatus. Ex quo textu apertè conſtat, licere vno die quatuor gradus recipere. Augetur difficultas *ex c. de eo*, *hoc tit. in* 6. vbi ſupponitur, tantùm duos gradus minores poſſe in vna, eademque die conferri. Pro huius difficultatis ſolutione dicendum eſt, Epiſcopum poſſe ex iuſta cauſa quatuor minores ordines vno & eodem die conferre. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. poſt Barboſam docet Dicaſtill. *vbi ſuprà*, *q.* 12. ſed an ſimul cum eis gradus Subdiaconatus conferri poſſit, apud Interpretes non liquet. Negant Maiolus *de irregul. lib.* 1. *cap.* 6. & alij congeſti à Leandro *ſuprà*, *q.* 15. affirmatiuam verò ſententiam defendunt Gutierrez *lib.* 1. *canonic. q.* 26. *n.* 32. Vaſquez 3. *p. in* 3. *p. diſput.* 246. *cap.* 5. *num.* 44. Sed placet media ſententia, videlicet adſtante conſuetudine poſſe Subdiaconatum ſimul cum minoribus gradibus conferri ; ſecus verò ſi talis conſuetudo præſcripta non reperiatur. Nec contrarium probat textus *in d. cap.* 2. vbi etiam adſtante conſuetudine, qui gradum Subdiaconatus cum quatuor ſimul minoribus recepit, ſuſpenditur ab ordinum exercitio ; nam eam ſuſpenſionem non incurrit ita ordinatus, quia ſimul omnes gradus cum ſubdiaconatu accepit, ſed quia furtiuè eos recepit, vt docuit Zipeus *in reſponſis de iure can. ad hunc tit. cap.* 2.

CAPVT. XIV.

Honorius III. *Epiſcopo & Archidiacono* [a] *Legion.*

VEl non eſt compos ſui [b] Oueten. vel nimis à ſe videtur ſcientiam repuliſſe, aut probatur ex malignitate peccaſſe, quòd, vt alia, quæ de ipſo dicuntur, enormia taceamus, M. puerum latorem præſentium xiij. annorum contra ſanctorum canonum inſtituta inordinatè in Diaconum dicitur ordinaſſe, in ludibrium clericalis ordinis ; quod vtique ſi nobis plenè conſtaret, quantumcumque ſimus proniores ad veniam, quàm ad debitam etiam vltionem, taliter hoc caſtigaremus in ipſo, quod ex pœna culpa notoria redderetur, & reuelata eius ignominia efficeret alios in ſimilibus cautiores. Nolentes autem hoc relinquere indiſcuſſum, diſc. v.m. quatenus inquiſitâ ſuper his, & cognitâ veritate, ſi rem inueneritis ita eſſe, prædictum Epiſcopum à collatione ordinum ſub. app. obſt. ſuſpendentes, ipſum, vt eidem M. quem ab executione officij Diaconatus vſque ad ætatem legitimam, in iniuriam ſuſpendimus ordinantis, prouideat in Eccleſia de beneficio competenti, per cenſuras eccleſiaſticas app. poſtp. compellatis.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Legion.*] Legio vrbs nobilis, & antiqua est Hiſpaniæ, quam nonnulli à Mercurio Triſmegiſto Moyſis contemporaneo, omnes à Traiano Imperatore conditam, & conſtructam affirmant. Coloniam fuiſſe Romanorum nemo ignorat, eam à Sarracenis dirutam inſtaurauit Alfonſus V. teſtantibus D. Roderico *lib.5.hiſtoriæ, cap.9.* Ambroſio de Morales *lib.17.chron.cap.35.* Plura de huius nobiliſſimæ ciuitatis magnitudine tradunt Lobera *in hiſtor. ipſius ciuitatis*, Tamayo *in martyrol.Hiſpan.tom.1.die 11. Februarij*, & *tom.2.die 11. Martij*, & *die 23.* vbi tradit Concil. Legion. ex veteribus codicibus nondum editum. Eccleſiam Cathedralem in Legion. ciuitate fuiſſe iam ab anno 250. conſtat ex epiſtola 4. D. Cypriani. Iure antiquo eius Præſul exemptus erat, & R. Pontifici tantùm ſubiectus, vt probat Boſquetus *ad Innocent.lib.1.epiſt.57.* ſeriem & catalogum Præſulum ipſius Eccleſiæ referunt Gul. Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ.* Tamayo *vbi ſuprà.* Hæc deciſio miſſa eſt D. Roderico Aluarez, qui eam rexit ex anno 1217. vſque ad annum 1237. vir ſanctimoniâ, & pietate inſignis, vt eius epitaphium teſtatur; ita enim ſupra eius ſepulchrum legitur: *Sub era 1275.8. Idus Martij, pacis, & pietatis apes, exemplar honeſtatis; hic Rodericus erat Pontificalis honos; hic cibus, & potus fuit, hic veſtis egenis dictus, hic vnus omnia factus erat. O tu Legio à luce cecidiſſe patronum, aut vix, aut nunquam iam paritura parens, &c.* Huic etiam reſcripſit Innocentius *in cap. ſuſcitata, de in integr. reſtit.*

2. b *Ouetenſis.*] Ita legitur in quinta compilatione Honorij III. *ſub tit. de ætat. & qualit. cap.2.* perperam autem in ſexta compilatione habetur, *Conuentrenſis*; nam ſi cauſa præſens committitur Epiſcopo Legion. quomodo caſus contingere poterat in Anglia, vbi Cantuarienſis prouinciæ ſuffraganeus eſt Conuentrenſis Epiſcopatus. Ouetenſis autem ciuitas in Hiſpaniæ montanis perantiqua, & nobilis eſt, in quam tranſlata fuit Cathedra Epiſcopalis Lucenſis, vt plura de eius amplitudine, & antiquitate adducentes referunt Ægidius Gonzalez *in eius theatro.* Tamayo de Salazar *in martyrol. tom.1. die 9. Ianuarij*, & *tom.2. die 1. & 13. Martij*, & *die 13. menſis Octobris.* Noſtri Honorij III. temporibus vſque ad annum 1216. floruit D. Ioannes huius nominis II. qui litem habuit cum Epiſcopis Zamorenſi, & Aurienſi, vt refertur *in cap. olim, el 2. de reſtit. ſpol. cap. cùm ſuper, de re iudicat.* Illi ſucceſſit D. Rodericus II. de quo in præſenti agitur.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Ordinans puerum in Diaconum ſuſpenditur à collatione ordinum, & ordinato tenetur de beneficio prouidendo, licèt ille ſuſpenſus ſit ab ordinum exercitio, vſquedum ad ætatem legitimam perueniat.* Probant textus *in cap. de his 5.28.diſt.cap. vlt.76. diſt.cap.placuit 5. cap. in veteri 77. diſt.cap.placuit 14.20.q.1.cap.quod eſt, 87. diſt. cap.ſuper 33. de præb. cap. vlt. hoc tit.in 6. Clement. graue, de ætat. & qualit.* Concil. Arelat. 3. *can. 1. Nullus Epiſcoporum Diaconum antequam 25. annos impleat, ordinare præſumat.* Et *can. 6. Ne vllus ex laicis ante annualem conuerſionem, vel legitimam ætatem, ideſt 25. annos Diaconus, & 30. Preſbyter ordinetur.* Concil. Narbon. *can. 11.* Trident. *ſeſſ.25.de reform.cap.5. & 6.* Illuſtrant vltra congeſtos à Cenedo *in collect.ad lib.6. Decr.collect.4.* Barboſa *in præſenti*, Ludouicus Creſolius *lib.2. myſtag. cap. 7.* Gutierrez *lib.1. canonic. cap. 26.* Antonius Auguſt. *in epitom.iuris, lib.7.tit 5.* Matolus *de irregul. lib. 1.cap.30.* Acuña & I. Dartis *in cap.placuit, 77. diſt.* Suarez *de cenſur.diſp.31.ſect.1. num.22. & diſput.36.ſect.3.* Vighellius *in meth. iuris can.fol. 247.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 16.* Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 23. q. 1.* Leander *tom. 2. de ſacram.Ordin.diſput.6.q.9.* Ægidius Boſſius *tom. 2. oper. mor. diſput. 20. §. 5. & 6.* Andreas Sauſay *in Panopl.ſacerd.p.2 lib.2.ſect.5.* Georgius Ambianas *ad Tertul. de Monogamia, c.12.obſeru.3.* Gibalin. *de cenſur.in ſynopſi, littera O, n.5.* Petrus Gregor. *lib.4. partit.tit.22.c.2.* Zypeus *in reſponſ.ad hunc tit.reſp.2.*

4. IMPVGNATVR ASSERTIO. Sed in præſentem aſſertionem inſurgi poteſt ex ſequentibus iuris principiis. Et primò quia certum eſt eum, qui ante legitimam ætatem à ſacris canonibus præſcriptam ordinatur, deponi à gradu ſuſcepto, *cap.ſubdiaconus 4. 77. diſt.* ergo non ſuſpenditur tantùm, vt in concluſione aſſeritur. Secundò non minùs notum iuris principium eſt, ob alterius culpam non poſſe clericum ſuſpendi à ſuo gradu, vt probant Suarez *de cenſur.diſput.28.ſect.4. num.3.* Auila, Marius Alterius, & alij congeſti à Gibalino *de cenſur. pag. 137.* ſed in præſenti caſu tantùm culpa adfuit ex parte Epiſcopi, vt ex textus verbis conſtat: ergo ſine culpa propria ante ætatem promotus ſuſpendi non debebat. Tandem Honorius III. ſibi ipſi contrariari videtur, dum docet, ita ordinatum, & malè promotum ante ætatem, ſuſpendi ab ordinum exercitio vſque ad legitimam ætatem, & ſtatim ait illi eſſe beneficium conferendum; nam beneficium datur propter officium, *cap.cùm ſecundùm, de præbendis*; & qui non habet ordinum exercitium, non poteſt obtinere beneficium, *cap.cùm bonæ*, vbi plura Gloſſa *verbo Suſpenſi, de ætat. & qualit.cap. ex litteris, de exceſſibus Prælat.* igitur minùs congruè, & conſequenter Honorius in præſenti affirmat ſuſpenſo vſque ad tempus ſtatim beneficium eſſe conferendum.

5. DE ÆTATE AD ORDINES MINORES. Quibus iuris principiis præiactis minimè obſtantibus vera eſt præſens Honorij deciſio; pro cuius expoſitione ſciendum eſt, ante legitimam ætatem neminem eſſe ordinibus initiandum, iuxta Apoſtoli præceptum 1. *ad Timoth. cap. 5.* vbi præcipit, nemini citò manum imponi: vnde iam à primis Eccleſiæ ſæculis certa ætas præfixa fuit ſingulis gradibus recipiendis, *cap. miramur, 61. diſt.cap. ſubdiaconus 4.77. diſt.cap.quod eſt, 87. diſt.* & quoad tonſuram ſeptem annorum ætas præfinita eſt *in cap. nullus 4. hoc tit.in 6. l.27.tit. 6. part.1.* quem annum infantiam appellarunt PP. *in cap. de his 5.28.diſt.cap. in ſingulis 2.77.diſt.* Docent innumeri congeſti à Narbona *de ætate, anno 7. q.9.* Leandro *vbi ſuprà, diſp.7.q.1.* quæ ætas etiam poſt Concil. Trident. *ſeſſ. 23. de reform. cap. 4. & 11.* deſideratur, dum ibi à Patribus nulla ætas præſcribitur ad tonſuram recipiendam, vt cenſuit ſacra Congregatio apud Piaſecium *in praxi, c.1.n.22.* his verbis: *Congregatio Concilij reſpondit, nullam eſſe à Concilio præſtitutam ætatem tonſuræ, & quatuor minoribus ordinibus; ſed eam attendendam, quæ à ſacris canonibus præſcribitur.* Docet pluribus relatis Ægidius Boſſius *d.tom.2.tit.7. §.6.* Quoad minores autem gradus recipiendos non ita expreſſa, & ſtatuta eſt ætas à iure: aliquando enim 14. anni præſcribuntur, *cap.de his 5.28. diſt.cap.in ſingulis, cap. quicunque, 77. diſt.* Concil. Trident. nullam ætatem præfiniuit,

præfiniuit, ſcientiam linguæ Latinæ tantùm ordinandis expoſtulans; vnde ſunt plures qui affirmant, ſufficere ætatem 7. annorum *in d. cap. nullus*, primæ Tonſuræ præſcriptam. Ita Sotus, Layman, Suarez, & alij, quos laudat, & ſequitur Leander *d. diſput. 6. q. 2.* ſed rectiùs alij affirmant, ætatem duodecim annorum deſiderari: ita plures relati,& ſecuti à Narbona *d.q.9.*Boſſio *ſuprà,n.55.*

6. DE ÆTATE AD MAIORES GRADVS.

Quoad maiores ordinis gradus recipiendos non conueniunt eccleſiaſticæ leges, immò pro diuerſitate temporum varia ætas ſtatuta legitur. Primis temporibus viginti annorum ætas præſcripta fuit, *cap. quicumque 3. 77. diſt. cap. de his*, 28. *diſt. cap. nemo*, 78. *diſt.* licèt per ea etiam tempora Syricius conſtituiſſet, vt expleto 18. anno poſſet quis in Subdiaconum ordinari, *in c. quicumque*, 77.*diſt.* iuxta interpretationem Narbonæ *anno* 22. *q.1.n.* 3. Sequentibus temporibus, Concilij videlicet Viennenſis, ætas 18. annorum præfixa fuit, *Clement. grauem, de ætat. & qualit.* Demùm Concilio Trident. *ſeſſ.23. de reform. cap.12.* expreſsè ſtatutum eſt, vt nullus, etiamſi regularis ſit, ante vigeſimumſecundum annum in Subdiaconum ordinetur; quod decretum hodie obſeruatur, vt pro expoſitione ipſius Concilij docent Narbona *d.q.1.* Boſſius *ſuprà*, §. 5. Leander *vbi proximè*, *quæſt.8.* Circa ætatem Diaconatui recipiendo præſcriptam, aliam iure veteri, aliam iure nouo, aliamque iure nouiſſimo ſtatutam reperio. Iure enim veteri ante 25. ætatis annum non poterat quis ſacro Diaconatus gradu inſigniri, *cap. de his 5. 28. diſt. cap. placuit 5. cap.Epiſcopus 6.77. diſt.cap.nemo 78.diſt. cap.placuit 14. 20. quæſt.1. authentica de ſanctiſſimis Epiſcopis*, §. *Preſbyterum*; cuius conſtitutionis eam reddunt rationem Patres Concil. Toletan. *in cap. in veteri*, 78. *diſt.* quia cùm Diaconi in lege gratiæ ſucceſſerint in locum Leuitarum legis veteris, & Leuitæ apud Hebræos 25. annis miniſtrare inciperent, vt conſtat *Numeror. cap.8. verſ.* 24. ibi: *Hæc eſt lex Leuitarum, à 25. annis, & ſupra ingredientur, vt miniſtrent in tabernaculo fœderis*; pro cuius textus conciliatione cum capite 4. Numeror. etiam plura adducunt Abulenſis *in dict. cap. 8. q.* 24. & Cornelius à Lapide, Menochius *lib.2.de Repub. Hebræor. cap. 1. num.* 12. Eſpenceus *lib.* 4. *de voto contin. cap.* 3. ideò rectè vt Leuitis in omnibus Diaconi exæquarentur, ea ætas præſcripta fuit. Iure autem nouo Concilij Viennenſis ætas 20. annorum Diaconis ordinandis conſtituta fuit, *d. Clement. grauem.* Nouiſſimo iure Concil. Trident. non niſi exiſtenti in 23. anno gradus Diaconatus conferri valet, *ſeſſ.23. de reform.c.12.* notant Barboſ. *lib. 1. iuris eccleſ. cap. 33. num.* 38. Narbona *anno 23.q.1.* Boſſius *vbi ſuprà*, §. 6. Superest vt de ætate præſcripta ad Preſbyteratus gradum agamus,& videamus illa prædicta tria tempora,videlicet iuris veteris, noui, & nouioris. Iure enim antiquo nemo in Preſbyterum ordinari valebat, niſi triginta annos habuiſſet, *cap. Epiſcopus 6.cap. ſi triginta, 77.diſt.cap.ſi quis 1.cap.nemo 2. cap.Preſbyter, 4. cap.ſi triginta 5.78. diſt.* Rationem reddunt Patres Concilij Nicæni *in dict. cap. Preſbyter*, quia videlicet eo anno Dominus noſter baptizatus fuit, & prædicare cœpit: quam rationem iuxta veram hiſtoriam defendunt, & exponunt Baronius *anno* 31. vbi Spondanus *num.* 8. latè Viuar. *ad Flauium Dextrum, anno* 31. *fol.*31. Nouiori iure Concilij Viennenſis *in dict. Clement. grauem*, conſtitutum eſt,vt in Preſbyterum ordinandus debeat habere 24. annos completos,& 25. cœptum: quod Concilij decretum approbauit Synodus Trident. *ſeſſ.23.c.12.* Docent, & plura pro illius decreti expoſitione tradunt Narbona *anno 25.q. 55.* Rufiniacus *lib. 3. conſtit. pag.* 152. Sed circa prædicta tempora aſſignata ſacris ordinibus, an ſufficiat vltimum annum eſſe cœptum,an verò deſideretur eſſe completum, dubium apud Interpretes eſt? Et deſiderari anni complementum, docuerunt Azeuedus *in l.8. tit.20.lib.3.num.17. recopil.* Menochius *de arbitr.lib.2.caſu 427.num.25.* Sed communis, tam Canoniſtarum, quàm Theologorum ſchola docet, ſufficere vltimum annum cœptum eſſe ad ordines recipiendos: ita Nauarrus,Gutierrez, & alij congeſti à Narbona *d.anno 22. quæſt. 1.* Boſſius *d.tom.2.* §. 6. Leander *diſput.6.q.3.* non tamen ſufficit peruenire ad vltimum diem anni præcedentis, niſi totus elapſus ſit, & ſaltem quoad quadrantem horæ attigerit vltimum annum; ita vt verum ſit,eum annum agere, vt contra Narbonam,Boſſium,& Dianam docet Leander *ſuprà,q.7.*

7. DE POENIS ORDINATI ANTE ÆTATEM.

Sed ſi quis ante prædictæ legitimæ ætatis annos ſaltem cœptos ordinetur, licèt characterem,& ſacramentum recipiat, tamen ſuſpenſionem ordinis ſuſcepti incurrit, ex noſtro textu, & aliis ſuprà citatis. Et licèt ex hac deciſione ſuſpenſio non incurreretur ipſo iure, nec in perpetuum duraret, vt docet Gibalinus *in d. ſynopſi, littera O, num.* 5. tamen ex nouioribus Pontificum decretis, videlicet Pij II. Pij V. & Sixti V. ipſo iure incurritur,& in perpetuum durat, donec ab ea abſoluatur; & tam in ſæculares, quàm regulares ante tempus promotos impoſita eſt, vt docent Narbona *d.anno* 22. *q.1.* Araujo *tract.3. q.* 32. Leander *ſuprà, q.9.* & ſi poſt prædictam ſuſpenſionem incurſam ſuſpenſus celebrauerit,irregularitatem contrahit; quod procedit ſi ex mala fide ante legitimam ætatem ordinetur; non verò ſi ex bona fide, exiſtimans ſe habere ætatem legitimam, ordinetur; vtitur enim Pius II. in ſua conſtitutione verbo illo, *præſumpſerit*: vnde cùm in ignorante nulla præſumptio dari valeat, non incurrit aliquam ſuſpenſionem, vt reſoluit cum aliis Leander *diſput.6.q.11.& 12.* vbi hoc protrahit ad eum, qui habuit ignorantiam craſſam, qui etiamſi poſteà ſciuerit ſe legitimam ætatem non habuiſſe, & nihilominus celebrauerit, non incurrit aliquam irregularitatem, vt etiam reſoluunt Boſſius *d.*§.6. Narbona *anno 22.q.1.*

8. RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio ad noſtrum textum; nam cùm ætas 25. annorum à ſacris canonibus ſtatuta eſſet pro Diaconatus gradu recipiendo, grauiter peccauit Epiſcopus Ouetenſis puerum 14.annorum ad illum gradum promouendo; & cùm quis debeat puniri in eo, in quo peccauit, *cap. final.hoc tit.in 6.* Rectè Epiſcopus ſuſpenditur ab Ordinum collatione, cum in eorum adminiſtratione deliquiſſet: ordinatus verò licèt ſacramentum, & characterem recepiſſet, quia tamen legitimam ætatem non habebat, ſuſpenſionem temporalem incurrit,videlicet donec ad legitimam ætatem perueniat; quia valdè indecens eſſet,ſi puer adhuc in Diaconatus gradu miniſtraret; & quia poſt legitimam ætatem miniſtrare poteſt in prædicto gradu ſacro, ad quem nemo promoueri valet, niſi ad titulum beneficij eccleſiaſtici; aliàs qui eum ordinauit, tenetur beneficium præſtare, vel prouidere illi de neceſſariis, *cap. ſanctorum,70.diſt.cap.2.c.cùm ſecundùm,de præbendis*; ideò Honorius III. in præſenti decreuit, Epiſcopum Ouetenſem debere prædicto Diacono malè promoto beneficium conferre, ad cuius titulum ad-

ueniente

ueniente legitima ætate reperiatur ordinatus.

9. DISSOLVVNTVR ARGVMENTA. Nec argumenta suprà aduersùs nostram conclusionem perpensa aduersantur. Non primum deductum *ex cap.* 4. 78 *dist.* nam verbum illud *deponatur*, quo textus vtitur, accipiendum est pro suspensione; plerumque enim in iure hoc depositio confunditur cum suspensione, & è contra, vt constat ex auctoritatibus, & exemplis adductis à Sayro *de censur. lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 3. Suarez *eodem tract. disput.* 30. *sect.* 1. *num.* 11. notauit Gibalinus *eod. tract. pag.* 8. & sic verbum illud, *deponitur*, in eo textu accipitur pro *suspenditur*, vt docuit Suarez *d. sect.* 1. *num.* 12. Nec similiter obstat secunda difficultas; nam licèt causa impulsiua suspensionis ordinati in hoc textu fuisset improba ordinatio ab Episcopo facta; tamen causa finalis fuit defectus ætatis ipsius, cuius ratione ordinari non poterat, & sic quatenus suspensio imponitur ordinato, in ipso est ob defectum ætatis; in ordinante verò ob culpam ipsius, vt post Panormitanum & alios antiquiores in præsenti docet Gibalinus *vbi suprà, in synopsi, pag.* 138. *num.* 7. Nec obstat tertia difficultas adducta ex nostri textus antinomia, dum in principio supponitur, ordinatum suspensum esse, & in fine docetur illi conferendum esse beneficium. Nam respondendum est, suspensionem, de qua in hoc textu, non esse perpetuam, sed temporalem, donec ad legitimam ætatem perueniat: ideò cùm superueniente ætate reperiretur ordinatus sine titulo, rectè Honorius decreuit, ipsi conferendum esse beneficium, vt cessante suspensione habeat Ecclesiam, cui inseruiat, iuxta textum *in d. cap.* 2. *cap. cùm secundùm, de præb.*

10. EXPONITVR CAP. 2. 77. DIST. Sed primò præsenti assertioni aduersatur textus *in cap. in singulis* 2. 77. *dist.* in illis verbis: *Vel Subdiaconus* 14. *annis fiat, & sic ad benedictionem Diaconatus, si meretur, accedat.* Ex quibus verbis expressè deducitur, puerum 14. annum agentem, posse in Subdiaconum, & in Diaconum ordinari: igitur non rectè Honorius III. Episcopum Ouetensem increpat, vt scientiæ canonicæ ignarum, quia puerum 14. annum agentem ordinauit in Diaconum. Glossa in eo textu, *verbo* 14. *annis*, existimat ibi 14. annos non esse computandos à natiuitate ipsius ordinandi, sed ab vltimo anno infantiæ, 7. videlicet, & sic addendo 7. annos infantiæ cum aliis 14. Quam solutionem, vtpotè verbis, & menti textus contrariam, refellit Acuña *ibi.* Aliam adducit Narbona *d. anno* 12. *q.* 1. Quibus omissis dicendum est, textum illum non esse exaudiendum prout habetur in ipso corpore Gratiani, sed prout legitur in aliis exemplaribus, & castigatis codicibus, vbi ita legitur: *Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores vsque ad* 20. *ætatis annum continuata obseruatione perduret; si maior iam, & grandæuus accesserit, ita tamen, vt post baptismum se diuinæ militiæ desideret mancipare, siue inter lectores, siue inter exercitas quinquenio teneatur; exinde acolytus, vel subdiaconus* 4. *annis, & sic ad benedictionem.* Notarunt Anton. Augustin. *in dialog.* 1. Dartis *in eo textu*, & in calce ipsius notatur. Ex qua littera ita transcripta euincitur post 25. annum Diaconum debere ordinari, quod disciplinæ ecclesiasticæ magnoperè illius sæculi congruit, vt iam suprà retuli.

11. EXPONITVR DECRETVM VRBANI II. Secundò suprà traditæ assertioni refragatur Vrbani II. decretum relatum in Concilio apud Melfiam, *cap.* 4. in illis verbis: *Constituimus, vt nemo ante annos* 15. *aut* 14. *Diaconus ordinetur; nemo ante annos* 30. *in Presbyterum consecretur.* Qui textus aperto marte opponitur præsenti decisioni; siquidem in eo expressè permittitur, agentem 14. annum in Presbyterum ordinari. Pro cuius difficultatis solutione restituenda est illius decreti contextura; loco enim eorum verborum 15. aut 14. legendum est 25. aut 24. siquidem mendum irrepsit, & error ex eo; nam cùm ita legeretur his notis: *Nemo ante annos XXIV. Diaconus fiat*; omissa fuit in versione littera *X*, & sic transcriptum, *ante XV. aut XIV.* cùm ita vertendum esset, *ante XXV. aut XXIV.* Leuiter emendauit Anton. Aug. *in epit. iuris, lib.* 7. *tit.* 5. *c.* 2. qui error ex inuersione prædictarum notarum frequenter reperitur in iure. Cuiacius *in l. non putabam* 48. *ff. de condit. & demonst. pro XVI.* coniicit legendum *XIV.* ex lege *si cui legatur* 49. *ff. de legat.* 1. Sic *in l. vlt. C. qui ætate*, pro *LV.* legendum est, *LXX.* & *in l.* 2. *§. post hunc, ff. de origine iuris*, pro 40. legendum 400. & *in l. si quis* 7. *ff. de iurisd.* pro 500. legendum est 50. apud Vitruuium pro *diuisiones* 12. legendum esse 8. iam notauit Fornerius *lib.* 2. *rerum quotid. c.* 2. Rectè igitur asserimus in dicto Decreto Vrbani II. pro 15. aut 14. legendum esse 25. aut 24.

CAPVT XVI.

[a] Gregorius III. *Archiepiscopo* [b] *Baranensi.*

COnsultationi tuæ taliter respondemus, quod eos qui extra tempora statuta sacros ordines receperunt, characterem non est dubium recepisse: quos pro transgressione huiusmodi primò eis pœnitentiâ impositâ competenti, sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare.

NOTÆ.

1. a *Gregorius.*] *De eo egi in cap. final. de constit.* b *Baran.*] Legendum est *Barensi*, vt legitur apud Innocentium III. *lib.* 4. *epist.* 110. Barensis enim ciuitas est in Apulia Metropolitana, cui parent decem suffraganei: eius mentio fit *in cap. cùm bona* 8. *de ætat. & qualit.*

Huius textus commentarium dedimus *in cap.* 1. *hoc tit.*

CAPVT XVII.

[a] Idem.

QVæsitũ est de sacerdotibus, vel aliis [b] clericis qui per reatũ adulterij, periurij, homicidij, vel falsi testimonij bonũ conscientiæ rectę perdiderũt. *Et infrà*: Respõdemus quod si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint,

non

non debent hi (præter reos homicidij) poſt pœnitentiam in iam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis ordinibus impediri ; qui ſi non pœnituerint , monendi ſunt , & ſub interminatione diuini iudicij obteſtandi , vt in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] In hac ſexta Decretalium collectione textus iſte tribuitur Gregorio IX. ſed niſi fallor , aut eſt Clementis III. aut ipſe Gregorius ex Clementis III. deciſione præſentem tranſcripſit: in ſecunda enim collectione , *ſub tit. de ætat. & qualit. cap.* 3. ita legitur. [Ex tuæ fraternitatis conſulto percepimus , te velle à S. A. certitudine edoceri , vtrum ſacerdotes , vel alij in quibuſlibet ſacris ordinibus conſtituti , qui per lapſum carnis reatum adulterij incurrerunt , vel periurij ; vel alij falſi teſtimonij , vel crimine homicidij irretiti bonum rectæ conſcientiæ perdiderunt ; ſi peractâ condignâ pœnitentiâ de commiſſo , in prioribus tolerari , vel ſuffragantibus meritis prouehi valeant ad maiora : ſuper quo fraternitati tuæ reſpondemus, quatenus ſi notoria ſunt crimina, quæ prædiximus , vel ordine iudiciario comprobata, tales reos cenſura ſacrorum canonum , etiam poſt peractam pœnitentiam , non tantùm ad altiores progredi non permittit , verùm etiam iubet gradum priſtinum non tenere. Porrò ſi propoſita crimina contra aliquem notoria non fuerint , vel ordine iudiciario comprobata , monendi ſunt tales, qui eiſdem tenentur obnoxij , & ſub interminatione diuini iudicij obteſtandi , vt in teſtimonium damnationis ſuæ in ſuſcepto ordine non miniſtrent.] Hactenus Clemens III. cuius verba ſi rectè conferantur cum præſenti deciſione , aut ea ipſa ſunt , aut valdè ſimilia.

b *Clericis.*] Ad conſtitutos tantùm in maioribus ordinibus refert Vazquez 3. *part. in* 3. *diſput.* 136. *num.* 29. 2.

TITVLVS XII.

De ſcrutinio in ordine faciendo.

1. SCRVTINIVM dicitur ab ſcrutando. Apuleius *lib.* 1. *metaph.* Scrutinium olim in Eccleſia fiebat in catechumenis baptizandis , *cap. dilectus , de capellis monach. cap. his , de maiorit. & ob.* Concilium Mogunt. ſub Carolo *can.* 4. *Sacramenta itaque baptiſmatis volumus, vt ſicut ſancta veſtra fuit admonitio, ita concorditer , atque vniformiter in ſingulis parochiis ſecundùm Rom. ordinem inter nos celebrentur iugiter, atque conſeruentur , id eſt ſcrutinium ad ordinem baptiſmatis.* De quo ſcrutinio agunt Lindembrogius *in gloſſario legum , verbo Scrutinium* , Zerda *in aduerſariis , cap.* 85. Cironius *ad tit. de baptiſmo* , Cochier *in face hiſtor. cap.* 55. Voſſius *de vitiis ſermon. lib.* 3. *cap.* 47. Creſolius *lib.* 2. *myſtag. cap.* 11. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri cleric. cap.* 21. Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorij , pag.* 135. Fileſacus *de origine paroch. cap.* 6. Scrutinium etiam olim fiebat in ordinatione clericorum : ordinandi enim proponebantur coram clero , & populo , vt bonorum merita publicarentur , vel malorum crimina detegerentur. D. Cyprianus *epiſt.* 33. quod iam primis Eccleſiæ ſæculis obſeruatum fuiſſe conſtat ex Lampridio *in Alex.* ibi : *Aliquos voluiſſet , vel Rectores prouinciis dare , vel Præpoſitos facere , vel procuratores , id eſt rationales , ordinare , nomina eorum proponebat , hortans populum , vt ſi quis quid haberet criminis , probaret manifeſtis rebus ; ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis : dicebatque graue eſſe , cùm id Chriſtiani , & Iudæi facerent in ordinandis ſacerdotibus , non fieri in prouinciarum Rectoribus.* De qua ordinandorum probatione latè agunt Petrus Faber *lib.* 3. *agoniſt. cap.* 28. Sauſay *part.* 1. *Panopl. cleric. lib.* 4. *cap.* 2. Pamelius *in dict. epiſtol.* 33. *D. Cypriani,* Mendoza *lib.* 2. *Concil. Illiberit. cap.* 50. diffusè Hallier. *de ſacris elect. lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 2. & *ſect.* 8. *cap.* 1. *art.* 5. Licèt in hac rubrica polliceri videatur forma prædicti ſcrutinij , tamen caput vnicum, quod ei ſubiectum eſt , tantùm continet , Diaconum dolo vacare , & omnis culpæ exortem eſſe, qui interrogatus , an promouendus ad ſacros ordines dignus ſit, reſpondit dignum eſſe , cùm eum indignum eſſe pro comperto non haberet.

CAPVT I.

a Idem.

EX parte tua fuit propoſitum. b *Et infrà* : Quæſiuiſti per Sed. Ap. edoceri, vt cùm Epiſcopi ad conſecrationes Epiſcoporum ab c Archiepiſcopo ſuo , vel alio euocentur , & ipſi Metropolitano electum offerant conſecrandum , dicentes : Reuerende Pater, poſtulat ſancta Mater Eccleſia hunc electum in Epiſcopum conſecrari ; & interrogante Archiepiſcopo , ſi ſciant illum eſſe dignum , reſpondeant , quod illum ſciunt, & credunt pariter eſſe dignum ; & te in reſponſione huiuſmodi ne offenderes hominem , Deum exiſtimes offendiſſe , quandoque præter , quandoque contra conſcien-

tiam reſpondendo, cùm electi conuerſatio, aut minùs tibi bene cognita, aut penitus ſit ignota; qualiter in huiuſmodi interrogationibus ſaluâ conſcientiâ valeas reſpondere. Ad quod f. t. reſpondemus, quod cùm nos aliquem in [d] Diaconum, vel Preſbyterum promouemus, prior [e] Diaconor. qui nobis aſſiſtit, dicit: Poſtulat [f] ſancta Mater Eccleſia Catholica hunc Subdiaconum, vel Diaconum ad onus Preſbyteratus, vel Diaconatus aſſumi; & nobis interrogantibus, ſi eum cognouit eſſe dignum, idem reſpondet, quod quantùm humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcit, & teſtificatur illum ad huiuſmodi onus officij eſſe dignum. Vnde in tali reſponſione aliquem peccare non credimus, dum hoc modo contra conſcientiam non loquatur; quia non ſimpliciter illum aſſerit eſſe dignum, ſed in quantum humana fragilitas noſſe ſinit: cùm illum, quem indignum eſſe non nouit, dignum debeat [g] æſtimare. Huiuſmodi ergo reſponſione ſecurè poteris vti, niſi fortè de indignitate tibi conſtiterit conſecrandi. Si autem illum indignum eſſe cognoſcis, Metropolitano priùs, quàm ad huiuſmodi ſcrutinium veniatur, ſtudeas [h] nuntiare. Quamuis, vt diximus, nos interrogationem huiuſmodi non in conſecratione [i] Pontificis, ſed in ordinatione Diaconi, vel Presbyteri faciamus.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione *ſub hoc tit. cap. vnico*; non tamen ibi exprimitur cui Prælato reſcribat Innocentius, ſed epigraphe ita reſtituenda eſt: *Innocentius III. Aurienſi Epiſcopo*, vt habetur *lib. 9. epiſt. Innocentij III. epiſt. 33.* vbi extat præſens decretalis, editaque fuit anno 1206. vt eo anno refert Odoricus Raynaldus *num. 33.* De Aurienſi Eccleſia egi *in cap. cùm cauſa, de probat.*

b *Et infrà.*] Alia pars huius decretalis, quæ diuerſam prorſus conſultationem continet, extat *in cap. 1. de temp. ordin. in 3. collect.*

c *Archiepiſcopo tuo.*] Ad conſecrationem ſuffraganei debet Archiepiſcopus conuocare omnes comprouinciales Epiſcopos, vt latè probaui *in cap. ſi Archiepiſcopus, de temporib. ordin.*

d *Diaconum, vel Preſbyterum.*] In his verbis tacitè innuitur, in aliis inferioribus gradibus non eſſe neceſſariam hanc præſentationem ab Archidiacono faciendam; quod probat Hallier. *de ſacris elect. cap. 2. §. 3. pag. 39.*

2. e *Prior Diaconorum.*] In Eccleſia Romana non eſt Archidiaconus, vt notauit Gloſſa *verbo Examinentur, in cap. ad hæc, de offic. Archid.* ſicut neque in Eccleſia Conſtantinop. vt refert Codinus *de officiis cap. 17. num. 39.* vnde in Eccleſia Romana primus Diaconorum eſt, qui repræſentat ordinandos R. Pontifici; in aliis verò Eccleſiis hoc munus proprium eſt Archidiaconi, *cap. 2. cap. Epiſcopus, cap. quando, 24. diſt. cap. nihil, §. Epiſcopi, cap. ad aures, cap. vt noſtrum, de officio Archid. cap. 1. de eo qui furtiuè:* plura Petrus Greg. *lib. 1. part. tit. 13. cap. 5.* Hallier. *vbi ſupra, fol. 47. & 966.* cùm enim ad Archidiaconum ſpectaſſet examen ordinandorum, *cap. vt Archidiaconatus, de officio Archid.* latè Hallier. *vbi ſupra*; ideò ad ipſum ſpectabat præſentatio in hoc ſecundo ſcrutinio. Nec obſtat Concilium Habnetenſe *in can. 3.* relato à Burchardo *lib. 2. Decreti, cap. 23.* in illis verbis: *Vnà cum Archipreſbyteris, qui eos repræſentare debent.* Ex quibus deducitur, hoc munus repræſentandi ordinandos Epiſcopo, non Archidiacono, ſed Archipreſbytero competere. Nam in eo canone agitur de ordinandis illis, qui habitabant in villis & oppidis, non verò in ciuitatibus: & cùm eam poteſtatem, ac iuriſdictionem, quam habebant Archidiaconi in vrbe, haberent Archipreſbyteri in locis ruralibus, vt dicemus *in tit. de officio Archipreſb.* ideò ex illis villis, & oppidis clericos ordinandos repræſentabant Archipreſbyteri, non Archidiaconi.

f *Sancta mater.*] Ita legitur in ipſo Pontificali Romano, *cap. 1. tit. de ordinat. Diaconi & Preſbyteri.* Dicitur autem: *Poſtulat ſancta mater Eccleſia*; vt cognoſcatur, neminem ex humana gratia, vel ex qualibet priuata prece, ſed Eccleſiæ tantùm flagitantis poſtulatione promouendum eſſe, iuxta Concil. Trident. *ſeſſ. 23. de reform. cap. 13.* 3.

g *Debeat æſtimare.*] Immò ſi aliter non nouit indignum, cùm dignus quis præſumatur, niſi teſtibus aliter probetur, *l. 1. §. probatio, Cod. de his qui veniam ætatis, l. ex perſona, Cod. de probat.* Rectè ergo Innocentius III. ac ſecundùm iuris vtriuſque principia affirmat, in dubio quemlibet bonum præſumi, donec contrarium probetur, vt docetur *in cap. ſi quid, diſt. 86. cap. in cunctis 11. quæſt. 3. cap. innocens 22. quæſt. 4. cap. finali, de præſumpt. l. cùm pater 77. §. rogo, ff. de legat. 2. l. ſeruos, l. teſtamento, ff. de manumiſſ. teſtam.* plura Barboſa *de dictionib. verbo Bonus*, Eſcobar *de purit. ſanguinis quæſt. 8. §. 2.* niſi in contrarium præſumptio adſit, vt in legibus proximè citatis. In præſenti autem caſu præſumptio adeſt pro bonitate, ſiquidem ante hoc ſcrutinium tot procedunt examina, tot coram populo publicationes, de quibus latè agit Hallier. *vbi ſupra, dict. art. 1.* vt facilè apparere poſſit indignitas promouendi ad ordines. Vnde cùm in nullo ex his ſcrutiniis contrarium probatum ſit, bonus & dignus ordinandus præſumitur. 4.

h *Nunciare.*] Ne contra conſcientiam eum dignum repræſentando mendacij culpam incurrat, aut delictum occultum pandendo eum publicâ notet infamiâ. 5.

i *Pontificis.*] Quia electus & confirmatus à R. Pontifice dignus eſt; nec poſt tot examina teſtimonium illius ſufficiens, aut neceſſarium cenſetur. 6.

TITVLVS

TITVLVS XIII.

De ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui.

CAPVT I.

Alexander III. [a] *Toletano Archiepiscopo.*

REQVISIVIT à nobis tua fraternitas, vtrum clerici, qui post renunciationem factam à [b] prædecessore tuo ordines susceperunt, in ipsis debeant remanere, aut ad maiores de iure canonum promoueri. Nos igitur, quia nobis non plenariè de veritate constat, non possumus tibi super hoc breuiter respondere. Nam distinguitur, vtrum renunciat loco tantùm, an loco simul & dignitati: nam vbi tantùm loco renunciat, ordines sicut anteà, nisi à summo Pont. vel eius Legato prohibitus fuerit, rogatus ab Episcopo aliquo de ratione poterit conferre. Cùm autem loco Pontificali cedit, & [c] ordini, ibi distinguendum putamus, vtrum sacros contulerit, an minores. Si enim à tali ordines vsque ad [d] Subdiaconatum quis acceperit, quia & huiusmodi ordines quandoque à non Episcopis conferuntur, & in illis deseruire poterit, & ad maiores, si idoneus fuerit, promoueri. Sanè si ab eodem sacros ordines factâ renunciatione scienter quis receperit, quia [e] indignum se fecit, executionem officij non habebit: vbi non scienter, poterit, nisi [f] crassa, & supina fuerit ignorantia, discretus Pontifex dispensare.

NOTÆ.

a *Toletano.*] Ita legitur in hac sexta collectione, & in prima, *sub hoc tit. cap. vnico,* sed perperam, nam casus huius textus non conuenit cum historia Præsulum Ecclesiæ Toletanæ. Temporibus enim Alexandri III. floruerunt Ioannes, & Cerebrunus, qui decesserunt in regimine ipsius Ecclesiæ, nec vllus ex eis Archiepiscopatui renunciauit: vnde non posse defendi hanc inscriptionem, iam notauit Loaysas *in notis ad Concilia Hispaniæ, in decreto Gundemari, pag.*286. Aliter habetur epigraphe huius textus in Concilio Lateran. *part.*26. *cap.*18. vbi legitur: *Toloſano Archiepiscopo*; sed etiam falsò, propter eandem rationem, cùm nemo ex Archiepiscopis Tolosanis, qui temporibus Alexandri III. eam rexerunt, Archiepiscopatui renuntiasset. His ergo lectionibus reiectis legendum est, *Archiepiscopo Colonienſi*, vt in codice MS. Ecclesiæ Toletanæ haberi testatur Loaysas *vbi suprà*; quæ inscriptio magnoperè conuenit historiæ illius Ecclesiæ: Bruno enim III. Præpositus Colonienſis in Archiepiscopum ipsius Ecclesiæ canonicè electus fuit temporibus Alexandri III. qui postquam per tres annos eam Ecclesiam rexit, dignitate se abdicauit, & in cœnobio Veteris Montis vitam monasticam professus fuit: illi successor designatus fuit Adolphus, in quem Archiepiscopatum renunciauerat, vt refert Fr. Petrus Kratepolius *in serie Præsulum Colonienſium.* Vnde inscriptio nostri textus ita restituenda est, *Alexander III. Adolpho Colonienſi Archiepiscopo.*

b *Prædecessore.*] Brunone videlicet Archiepiscopo Colonienſi, de quo suprà.

c *Et ordini.*] Sed si Episcopatus est ordo, & imprimit characterem in anima, vt dixi *in cap. si Archiepiscopus, de temporib. ordin.* quomodo renunciari potest, itavt Episcopus amplius non possit conferre sacros ordines? Sed vt hanc difficultatem effugiamus, dicendum est, verbum illud *ordini,* accipi pro dignitate, vt in verbis antecedentibus, ibi: *Loco simul & dignitati.* Cùm enim Episcopus renuntiat loco, & dignitati, non abdicat à se potestatem characteris, & conferendi validè sacros ordines, vt docent Glossa *verbo Firmitatis, in c.prouidè* 44.*de elect.in* 6.Petrus Greg. *lib.*1.*partit. tit.*1.*c.*2.& *de elect.c.*20. Suarez *de censuris disput.*31. *sect.*1. Barb. *lib.*1.*iuris eccles.c.*33.*n.*13. sed tantùm licitè eos conferre non valet, renuncians enim loco, & dignitati, dimittit iurisdictionem, & officium: vnde Pontifex admittendo ipsam renunciationem, Episcopum priuat executione Episcopalis ordinis, itaut licèt eum pro Episcopo habeat quoad characterem, & potestatem conferendi validè sacros ordines; tamen supponit eum virtute renunciationis priuatum exercitio illius facultatis. Quare Alexander III. hîc docet, ab eo ordinatos ad gradus sacros, suspensos remanere, quia licèt validè sacris initiati sint, non tamen licitè; siquidem ordinati sunt ab eo, qui exercitium Episcopalis ordinis non habebat: plerumque enim qui habet dignitatem, non tamen habet exercitium, seu administrationem, quam quietum & otiosum cingulum appellauit Cassiodorus *lib.*6.*variar. c.*10.11.& 12. & honorariam dixerunt Imperatores *in l.*2. *Cod.vt dignit.ordo, lib.*12.*nouella* 70. principatum inutilem *in l.* 24. *C.de sacrosanctis,* plura eruditissimus vir D. Ioannes de Solorzano *in suo memor.pro Candelaria,* §.12. & 16. Nec obstabit si dicas, dari in vna, eademque Ecclesia duos Episcopos, vnum cum facultate exercendi Pontificalia in actu; alium verò cum potestate, sed sine exercitio, contra ea, quæ docentur *in c.quoniam* 14. *de officio ordin.* Nam licèt hæc difficultas grauis visa sit Petro Gregorio *lib.*1. *partit.*

*partit.tit.*13.*c.*2. facilè dissolui potest, si animaduertamus, Episcopum renunciantem priuari iurisdictione, neque pro Episcopo haberi, & sic vnum tantùm Episcopum cum exercitio Pontificalium dari, vt contingit *in cap.quia* 5. *de elect. cap.*1.*&* 2. *de schismaticis*, & aliis.

c *Subdiaconatum.*] Exclusiuè intelligas, quia iam temporibus Alexandri III. subdiaconatus erat ordo sacer.

3. e *Indignum se fecit.*] His verbis moti, & suffulti Sylvester *verbo Irregularitas*, *quæst.*8. Angelus *eodem verbo*, *n.*31. Toletus *lib.*1.*summæ*, *cap.*71 *n.*2. Nauarrus *in manuali*, *cap.*27.*n.*241. Sayrus *lib.*7.*de censur.c.*10. *num.*27. affirmant irregularem manere ordinatum ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui: mouentur etiam, quia ex similibus verbis inducitur irregularitas *in c.inquisitioni*, *de testibus.* Facit etiam pro eorum sententia Alexander *in præsenti*, dum docet dispensandum esse cum ordinatis ab Episcopo,qui renunciauit Episcopatui: sed cum suspensis non dispensatur, sed potiùs illi absoluuntur, *cap. dilectus*, *cap. vel non est*, *de temp. ordin.* similiter concedit Alexander Episcopo facultatem dispensandi cum ita ordinatis per ignorantiam; sed si tantùm suspensionem incurrissent, Episcopus propria auctoritate poterat eos absoluere, *cap. nuper*, *de sentent. excom.* igitur quia hoc casu irregularitas incurritur. Sed adhuc asserendum est, ordinatum ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, suspensionem, non verò irregularitatem incurrre, vt probant Glossa, & Panormit. *in præsenti*, *num.*6. Flaminius Parisius *lib.*1. *de resignat. benefic. quæst.*17. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.*48. Gibalinus *de irregul. dub.*3. & *de censuris*, *in synopsi*, *pag.* 479. *littera O.* licèt enim verba suprà relata plerumque importent irregularitatem, tamen in præsenti tantùm suspensionem significant, iuxta subiectam materiam; nec verbum *dispensandi*, quo Alexander noster vtitur, aliquid facit; quia quoties suspensio habet rationem pœnæ, & impedimenti potiùs quàm censuræ, tollitur per dispensationem; non verò per absolutionem: suspensio autem, de qua in hoc textu, non modò tollit vsum gradus perperam accepti ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, sed etiam aliorum; vnde est pœna cum impedimento,quæ cum dispensatione tantùm tolli potest, vt docet Gibalinus *de irregul.c.*5.*dub.*3.

4. f *Crassa & supina.*] Quæ dolo ferè æquiparatur, *l.error*, *l.regula*, *ff. de iuris*, *& facti ignor. l.lata*, *ff.de v.s.* plura Doctor Bajo-Arroyo *in cap.*2. *de constit. lib.*6. ignorantia crassa in præsenti specie datur, si Episcopus renunciauit palam in propria ciuitate, non verò si extra, vt si Romæ, aut in Curia renunciauit, & postea reuersus in Ecclesiam ordines celebrauerit; cùm enim in proprio loco non renunciasset,ab eo ordinati iustam ignorantiæ causam habuerunt;vel si post renunciationem proprio loco factam ordinatus existimet Episcopum restitutum esse exercitio Pontificalium; plerumque enim post renunciationem Episcopus restituitur exercitio Pontificalium, vt contingit in casu ex Nicolao Pontifice relato ab Hallier. *vbi suprà*,§.3.*pag.*833.

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur assertio: *Episcopus, qui renunciauit loco tantùm, inuitatus conferre potest omnes gradus ordinis; si verò & digniteti, ordines minores tantùm; ab eo verò sacris initiati suspenduntur, licet si ignoranter receperint, cum eis dispensetur.* Non est ab specie in iure canonico alia decisio, quâ probari possit præsens assertio. Eam tamen illustrant & exponunt vltra congestos à Barbosa hîc, Hallier. *de sacris elect. sect.*5. *part.*2.*c.*5. §.3.*pag.*833. Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.*6. §.3. Petrus Greg. *lib.*1. *partit. tit.*13.*c.*2.*&* 4. Gibalinus *de irregul.c.*5. *dub.*3.*& de censur.in synopsi*, *pag.*479. Ricciulus *lib.*2. *lucubrat. cap.*2.*cum sequentibus.*

6. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO. Hæc assertio, quatenus docet Episcopum, qui renunciauit Episcopatui, posse minores ordines conferre, difficilis redditur ex eo, quod nemo potest subditis alienis gradus ordinis conferre, vt probant latè *in cap. cùm secundùm* 9. *de temp. ordin.* sed Episcopus, qui renunciauit loco, subditos non habet, cùm iurisdictionem amiserit: igitur neque minores ordines conferre valet. Secunda difficultas est aduersus eam partem assertionis, vbi docemur, ordinatum ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, loco & dignitati, siue scienter, siue ignoranter, suspensionem incurrere; nam bonitas, aut malitia ministri non potest impedire sacramenti effectum, cum validè illud administratur, *cap. perfectionem* 1. *quæst.* 1. igitur renunciatio Episcopi non potest impedire exercitium ordinis validè recepti. Augetur hæc difficultas, nam suspensionis censura non potest incurri sine culpa propria, vt ex pluribus docet Gibalinus *de censur. disquisit.* 3. *quæst.* 1. *sect.* 2. igitur qui ignoranter, & per consequens sine culpa ordinatus fuit ab eo, qui renunciauit Episcopatui, non debet ex eo suspensionem incurrere. Augetur etiam hæc consideratio *ex cap.ordinationes* 9. *quæst.* 1. vbi dum agitur de ordinatis ab hæreticis, & de suspensione, quam ipsi incurrerunt, ait textus: *Nisi probare maluerint, se cùm ordinarentur, eos nescire damnatos esse.* Ex quibus verbis aperte deducitur, per ignorantiam ordinatum ab hæreticis characterem, & gradus executionem accipere:igitur similiter per ignorantiam ordinatus ab eo, qui renunciauit Episcopatui, exercitium gradus accepti consequitur.

7. DE RENVNCIANTE EPISCOPATVM. His minimè obstantibus vera est Alexandri decisio, ad cuius expositionem sciendum est, Episcopum renunciare loco, & dignitati, aliquando loco tantùm. Qui renunciauit loco, & dignitati, ampliùs Episcopus non remanet, & perinde habetur ac si Episcopus non fuisset, *cap. temporis*, § *item*, *cap. hoc nequaquam* 7. *quæst.*1. *cap. post translationem*, §. *cùm ergo*, *de renunciat.* Licèt enim character sit indelebilis, *cap. quod quidem* 1. *quæst.*1. *cap. licèt* 32. *quæst.*7. tamen caret eius executione, nec amplius Episcopalibus insignibus vti potest, *dict. cap. post translationem*, immò si ex regulari professione assumptus fuit in Episcopum, post renunciationem loco & dignitati factam, debet redire ad regularem obseruantiam, & claustrum, vt docet Ricciulus *lib.* 2. *lucubr. cap.*12. *&* 13. qui verò renunciauit loco tantùm, dignitate retentâ, verè & propriè Episcopus manet, cùm frequenter reperiantur Episcopi sine loco, vt Episcopi ab hostibus à propriis diœcesibus expulsi, *cap.pastoralis* 7. *quæst.*1. Episcopi titulares, quos vulgò dicimus *de Anillo*, qui promoti sunt in locis ab infidelibus occupatis, de quibus in 6. Synodo Constantinop. vbi de eis ita statuitur: *Quoniam diuersis temporibus Barbaricæ inuasiones fuere, & ex eo plurimæ ciuitates infidelibus subiugatæ, vt ideò non possit eius ciuitatis Præsul, postquam ordinatus fuerit, suum thronum apprehendere, & in eo in sacerdotali constitutione collocari, & sic*

sic pro ea, quæ inualuit consuetudine, ordinationes, & omnia quæ ad Episcopum pertinent, agere, & tractare. Nos honorem ac venerationem sacerdotio seruantes, & Gentilium iniuriam nequaquam ad ecclesiasticorum iurium perniciem exerceri volentes, eis, qui sic ordinati sunt, & propter prædictam causam in suis thronis non sunt constituti, & absque vllo ex ea præiudicio conseruantur, decernimus vt diuersorum clericorum ordinationes canonicè faciant, & præcedentia auctoritate secundùm proprium statum vtantur. Et *cap. inter, §. sicut, de translat. Episcop.* & in Concil. Trident. *sess.* 14. *de reform. c.* 2. latè Ricciulus *lib.* 2. *cap.* 5. & huiusmodi Episcopi licèt locum non habeant, tamen verè Episcopi sunt, vt probant Iacobatius *de Conciliis lib.* 2. *art.* 2. Petrus Gregor. *lib.* 15. *syntagm. cap.* 12. Lotherius *de re benefic. q.* 9. *num.* 67. Vnde possunt Pontificialia exercere, celebrare, & prædicare, vt cauetur *in dict. cap.* 2. Concil. Trident. vocandique sunt ad concilium generale. Canus *de locis lib.* 3. *cap.* 2. si sunt regulares, eximuntur ab obseruantia regulari: Ricciulus *dict. lib.* 2. *cap.* 11. & licèt stricto iure per adeptionem Episcopatus vacent beneficia, iuxta adducta *in cap. cùm in cunctis, §. cùm verò, de elect.* tamen qui hostium iniuriâ caret Episcopatus fructibus, ideò retinet talis Episcopus beneficia, vt docent Parisius *de resign. benefic. lib.* 3. *quæst.* 6. *num.* 49. Ricciulus *dict. lib.* 2. *cap.* 9. tamen omnia iura, quæ loquuntur de Episcopo, habent locum in Episcopo titulari, & eo qui renunciauit loco, vt docet Ricciulus *vbi suprà, cap.* 10.

8. RATIO DECIDENDI.

Ex quibus profluit ratio decidendi ad nostrum textum: nam in primo casu, cùm videlicet Episcopus tantùm renunciat loco, non verò dignitati, quia tantùm dimittit quæ sunt iurisdictionis, vel ordinis, ideò validè, & licitè eos gradus, siue maiores, siue minores inuitatus ab Ordinario conferre potest, vt de Episcopo titulari suprà dixi; qui enim renuntiat loco, potestatem characteris non dimittit, vnde accedente iurisdictione, ex Ordinarij licentia licitè, tam maiores, quàm minores ordines conferre valet. Secundo verò casu, cùm Episcopus renunciat loco & dignitati, quia dimittit omnia iura Episcopalia, maiores ordines conferre non valet; & qui scienter, vel ignoranter ab eo ordinati sunt, suspensionem incurrunt, cùm ordinati sint ab eo, qui exercitium ordinis non habebat: minores autem ordines conferre valent, quia eos gradus etiam conferunt non Episcopi, vt Abbates, *cap. cùm contingat, hoc tit.* Chorepiscopi, Concil. Antiochen. sub Iulio I. *can.* 20. Ancyran. sub Syluestro, *can.* 13. plura sæpelaudatus, semperque laudandus Præceptor D. Franciscus Ramos *in syntagm. pro Episcop. Lusit. proposit.* 4. §. 4. *num.* 15. Rectè ergo Alexander III. in præsenti affirmat, Episcopum renunciantem loco & dignitati simul, tantùm minores ordines conferre posse.

9. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec difficultates in contrarium perpensæ aduersantur. Non prima, cui ex suprà dictis, & traditis à nostro Alexandro III. facilè satisfieri potest, videlicet minores ordines conferri posse ab Episcopo, qui renunciauit loco, & dignitati; quia eos gradus conferre possunt alij, etsi Episcopi non sint, vt Abbates, Chorepiscopi, presbyteri ex delegatione Pontificia: vnde licèt Episcopus renunciet illis, quæ ei competunt vt Episcopo, non indè videtur renuntiasse eis, quæ cum aliis communia sunt: docent Hallierius *vbi suprà, pag.* 832. Gibalinus *de irregul. cap.* 5. *dub.* 3.

Nec obstat secunda difficultas, nam textus *in dict. cap. qui perfectionem*, procedit in aliis sacramentis, vbi non differunt effectus, & exercitium; non tamen procedit in sacramento ordinis, in quo licèt validè administretur, & imprimatur character, non tamen exercitium competit: plerumque enim contingit, vt sacramentum ordinis cum effectu conferatur, & tamen exercitium gradus accepti non detur. Nec obstat augmentum primum huius difficultatis, ex quo dicebamus, sine culpa in hoc casu incurri non posse irregularitatem: omissâ enim eorum sententiâ, qui existimarunt, dispensationem in hoc textu accipi impropriè pro declaratione, quia Episcopus debet declarare ignoranter ordinatum nullam incurrisse suspensionem, quam refert Vega *in cap. a si clerici* 4. §. 1 *num.* 33. *de iudiciis*; dicendum est, quod etsi in præsenti nulla præcesserit culpa ordinati per ignorantiam ab eo qui renunciauit Episcopatui; tamen suspensio vera incurritur, non tamen habet rationem pœnæ, sed tantùm incurritur ob inhabilitatem prouenientem ex parte ordinantis, qui propter renunciationem carebat exercitio Episcopalis ordinis: vnde non ob culpam ordinati, sed ordinantis prohibetur ordinato exercere officium gradus suscepti. Accedit iuris præsumptio; ius enim præsumit aliquam culpam habuisse ordinatum ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, vt docent Vega *vbi suprà, num.* 33. Gibalinus *vbi suprà, de censuris, pag.* 138. Neque etiam refragatur textus *in dict. cap. Ordinationes* 9. *quæst.* 1. nam respondetur, ignorantiam in eo textu excusare ordinatum, illique prodesse ad dispensationem obtinendam, vt in nostro textu deciditur; non tamen vt statim possit celebrare ordinatus ab excommunicato, vt colligitur ex verbis sequentibus, ibi: *Misericorditer suscipi iubemus*; & ibi: *Veniâ dignus habeatur*, vt docent, & interpretantur illum textum Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 6. §. 3. *num.* 15. Præceptor meus Archiep. Valent. *de sacram. Ordinis tract. de ministro, num.* 15.

10. EXPONITVR CONCILIVM EPHESINVM.

Sed suprà traditæ assertioni obstare videtur Concilium Ephesinum *in epist. ad Pium, & Concilium Pamphiliæ*, quæ extat ad calcem ipsius Concilij, vbi cùm agatur de renunciatione, & restitutione Eustacij Metropolitani, ita aiunt Patres: *Quoniam autem aduersùs hominem quietis, & tranquillæ vitæ amatorem, non admodum contendere conueniebat, quin potiùs misereri oportebat hominis senis, qui tamdiu ciuitate, quæ eum produxit, ac patriis ædibus caruisset: æquum esse censuimus, & statuimus, vt absque omni controuersia, & contradictione obtineat, & nomen Episcopatus, & honorem, & communionem; hac tamen conditione, vt neque ordinet ipse, nec verò occupatâ Ecclesiâ officio sacerdotis fungatur ex sua auctoritate, nisi vtique tanquam adiutor assumeretur, vel ei forte permitteretur à fratre & Episcopo collega.* Ex quibus expressè deducitur, Episcopum renunciantem Episcopatui non posse etiam post restitutionem vllos ordines conferre. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, Eusthacium illum Metropolitanum renunciasse non solùm dignitati, verùm & loco, & ita nec minores ordines conferre posse; & licèt restitutus esset quoad nomen & honorem, tamen quia carebat propria diœcesi, ideo aiunt Patres, eum propria auctoritate, absque permissione, seu delegatione proprij Episcopi non posse licitè ordines conferre, aut Pontificale officium exercere.

CAPVT II.

[a] Gregorius IX.

CVm clericis, qui ab excommunicato Episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari.

NOTÆ.

a *Gregorius IX.*] Hanc inscriptionem exposui *in cap. final. de consuetudine.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

QVia in textu antecedenti actum est de ordinatis ignoranter ab eis, qui exercitium characteris Episcopalis non habebant, & de dispensatione cum eis in suspensione contracta; ideò annectit Raymundus hanc Gregorij IX. decisionem de ordinatis ignoranter ab excommunicato, & de dispensatione in suspensione ab eis contracta, & statuit Gregorius IX. *Cum ordinatis ab excommunicatis per ignorantiam Episcopum proprium posse dispensare.* Quod etiam probatur *ex cap. ab excommunicatis 9. quæst. 1. cap. ordinationes, versic. Qui verò, ead. quæst. cap. Daibertum 1. quæst. 7.* Concilium Arelat. *can. 12.* Constantiense *sess. 8. & 15.* septima Synodus *can. 4.* Illustrant D. Thomas *in addit. ad tertiam, quæst. 38. art. 2.* Philibertus *de ordine tract. 12. cap. 15. & 18.* Sanchez *tom. 2. Concil. lib. 7. cap. 1. dub. 18.* Castillo, Trullench, & Diana relati à Leandro *de Sacram. Ordin. disput. 4. quæst. 3.* plures relati à Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 48.* Petrus Greg. *de benefic. cap. 36. num. 24.* Cæsar *de hierarch. disput. 6. §. 3. num. 6.* Sanchez *de de matrim. lib. 3. disput. 22. numer. 33.* Couar. *in cap. alma, 1. part. §. 6. num. 6.* Gibalinus *de censur. disquisit. 7. quæst. 2. sect. 13.* Hallierius *de sacris elect. pag. 825.* Anguianus *lib. 4. de leg. cap. 6. numer. 20.* Suarez *de censur. disput. 11. sect. 2.* Ricciulus *de iure personarum.*

2. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed aduersùs hanc assertionem sequentia opponi possunt. Primò: Maior potestas necessaria est ad ordinandum clericum, quàm ad illum deponendum; & difficilioris exercitij iudicatur potestas ordinandi, quàm deponendi, aut excommunicandi. Concilium Carthag. 1. *can. 11.* Carthag. 2. *can. 10.* Carthag. 3. *can. 8.* Hispalense 2. *can. 6.* aut saltem æqualis: vnde D. Nicolaus *lib. 1. epist. 9.* ordinandi potestatem cum facultate deponendi ita comparauit, vt si hæc deesset, & illa quoque deficeret: sed Episcopi excommunicati nullo modo possunt deponere clericum, aut illum excommunicare, *cap. audiuimus 24. quæst. 1.* docent omnes repetentes *in præsenti:* igitur si Episcopi excommunicati non possunt clericos deponere, nec illos ordinare valebunt. Secundò difficilis est hæc assertio, dum docet, ignoranter ordinatum ab excommunicato, suspensionem incurrere; nam qui obtinet quod est plus, obtinere debet quod est minus, ex vulgari iuris regula: sed ordinatus ab excommunicato characterem gradus accipit, quod est plus; igitur & exercitium debet obtinere, quod est minus. Augetur hæc difficultas ex eo, quod suspensio pœna est, & non potest incurri sine culpa propria, vt superiori commentario probaui: sed in ordinato ignoranter ab excommunicato non potest propria reperiri culpa: igitur ex tali ordinatione suspensionem incurrere non valet.

3. EPISCOPVS, ETSI HÆRETICVS AVT DEPOSITVS, VALIDE CONFERT ORDINES.

Adhuc tamen Gregorij IX. decisio defendenda est, videlicet ab excommunicatis ordinatos verum sacramentum Ordinis recipere, sed gradus accepti exercitio carere propter suspensionem, quam ipso iure incurrunt: & vt eius rationem assignemus, sciendum est, Episcopis consecratis competere ius conferendi sacros ordines tanquam ordinariis ministris, *can. 2. Apost. cap. perlectis, 25. dist. cap. quamuis, 68. dist. cap. non liceat, 92. dist. cap. penult. de præscript.* pluribus auctoritatibus probaui *in cap. quoad translationem, de temp. ordin.* & pluribus auctoritatibus adstruunt Hallier. *de sacris elect. pag. 551.* Philibertus *de ordin. tract. 1. part. 2. cap. 1.* Dicastillo *eod. tract. 6. disput. 1. dub. 16. & 17.* vnde damnandi sunt non solùm Vviclefus, & Armachanus, qui affirmant quemlibet sacerdotem esse ministrum sacramenti Ordinis, vt refert Vvaldensis *de sacram. cap. 6.* verùm & hæretici nostri temporis, qui ausi sunt asserere, etiam laicos posse administrare hoc sacramentum, quos refellit doctè Pater Petauius *de hierarch. eccles. part. 2. per totam.* Nec interest si Episcopus consecratus sit hæreticus, suspensus, interdictus, excommunicatus, aut simoniacus, siue degradatus; immò etsi ab ipsis hæreticis seruatâ Ecclesiæ formâ consecratus sit: adhuc enim omnes isti possunt validè ordines conferre, & administrare, licèt non licitè, *cap. quidam 97.* cum aliis, *1. quæst. 1. cap. ab excommunicatis, cap. ordinationes 9. quæst. 1.* Concil. Constant. *sess. 8. & 15.* sigillatim de vnoquoque agens probat Hallierius *vbi suprà, pag. 789.* Ratio est, nam cùm potestas conferendi ordines competat Episcopis ratione characteris Episcopalis, & illud sit indelebile, ita enim in anima imprimitur, vt nec per hæresim, vel aliud simile delictum possit deleri; inde durante charactere durat potestas conferendi ordines. Accedit nam effectus sacramentorum non pendent à bonitate, vel malitia ministri, *cap. Dominus 87. §. memento, c. non est 89. 1. quæst. 1. cap. Baptismus, de consecr. dist. 4.* Trident. *sess. 7. cap. 9. & 12.* docet D. Thomas *in 4. dist. 25. quæst. 1.* igitur siue Episcopus sit excommunicatus, vel hæreticus, rectè confert gradus ordinis, tam maiores, quàm minores.

4. DE SVSPENSIONE QVÆ INCVRRITVR AB ORDINATIS.

Sed licèt hæc ita vera sint quoad valorem, & effectum graduum, quos conferunt Episcopi hæretici, simoniaci, excommunicati, & suspensi; tamen non procedunt quoad exercitium & executionem prædictorum graduum; siue enim scienter, siue ignoranter clerici à prædictis Episcopis ordines acceperint, executionem, & exercitium, non consequuntur, *cap. 1. 9. quæst. 1.* Innocent. I. *epist. 22. cap. 2.* Synodus apud sanctum Medardum, cuius meminit Nicolaus I. *epist. 47.* Si scienter acceperunt, ea ratione suspensionem incurrunt, quia iustè meretur exercitio priuari, & executione ordinis, qui ab eo, quem Ecclesia à ministerio reiicit,

cit, contra canonum statuta recipere ipsum non reformidat: iustum enim est, vt quem gradum perperam acceperunt, non exerceant. Qui verò ignoranter recepit gradum ordinis ab excommunicato, ideò suspensionem incurrit, quia executionem ordinis, quam Episcopus non habebat, ordinato dare non poterat; eo enim ipso, quod ministri exercitium sui gradus non habeant, alij præstare non possunt, vt docetur *in cap. perfectionem, cap. ventum est* 1. *quæst.* 1. *cap. quomodo, de consecr. dist.* 4.

5. RATIO DECIDENDI.

Ex his iam apparet vera decidendi ratio ad nostrum Gregorium: nam cùm illi, qui ab excommunicatis ordinantur, characterem recipiant, executionem autem gradus non consequantur, quia quantumvis cum ignorantia recipiant, suspensionem incurrunt; ideò necessaria est dispensatio, vt possint in susceptis ordinibus ministrare: & quia Episcopus proprius potest absoluere à simili suspensione, ex traditis *in cap. vel non est, de temp. ordin.* ideò à Gregorio hîc deciditur, Episcopos proprios posse cum eo dispensare, hoc est si ordinatus sit ab excommunicato Episcopo proprio ratione domicilij, ab Episcopo originis, vel beneficij poterit cum eo dispensari; quia æqualiter sunt Episcopi proprij, ac est Episcopus domicilij. Docet Viuianus *in præsenti*: nec obstant ea, quæ in contrarium expendebamus; nam licèt Episcopus excommunicatus non possit clericum excommunicare, aut deponere; potest tamen eum ordinare, quia diuersa est potestas ordinandi, ac deponendi, & ex diuerso capite prouenit: ordinandi enim facultas profluit ab Episcopali charactere, quod est indelebile: facultas autem excommunicandi, aut deponendi, pertinet ad iurisdictionem, quâ Episcopus excommunicatus priuatur, nec eam exercere valet, vt latè dicemus *in cap.* 2. *de except.* Ideò igitur licèt Episcopus excommunicatus possit conferre gradus ordinis clericis, non tamen potest eos deponere, aut excommunicare. Secundæ difficultati satisfaciendum est ex traditis superiori commentario pro solutione rationis dubitandi.

6. EXPONITVR CAP. I. QVÆST. I.

Sed superiùs traditis aduersatur textus *in c.* 1. 9. *quæst.* 1. in illis verbis: *Nos consecrationem nullo modo dicere possumus, quæ fit ab excommunicatis.* Ex quibus apertè cognoscitur, ordinationem ab Episcopo excommunicato nullam esse: igitur non est necessaria dispensatio, cùm inutiliter sacramentum Ordinis collatum sit. Pro cuius textus solutione dicendum est, Gregorium *in dict. cap.* 1. nullo modo affirmare consecrationem ab excommunicato factam nullam esse quoad effectum, & characterem, sed tantùm quoad executionem & exercitium; quia enim eam potestatem ordinis ordinatus à tali Episcopo exercere non valet, ideò dicitur nulla eius consecratio: quo modo accipiendi etiam sunt textus *in cap. in causa* 9. *quæst.* 1. *cap. per illicitam* 25. 1. *quæst.* 7. *cap. ab excommunicatis* 4. *cap. ordinationes* 9. *quæst.* 1. Nicolaus I. *epist.* 9. *Michaeli Imperatori*, in illis verbis: *Nam meritò destructus esse creditur, qui à destructo ædificari sperans, etiamsi qualia bona fortis habuit, nimiæ præsumptionis eius temeritati communicans perdidit: nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter iam noscebatur elisus. Quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui Ecclesiæ vnitatem scindens, ipse iam videbatur omninò deiectus: sicut enim ligatus ligare, & deiectus deiicere non potuit; sic destructus construere, & elisus quemquam ordinare nequiuit; in summo quippe statu sui oportet eum vigore consistere, & firmis initi per omnia casibus, qui alterum vel prosternere, vel conatur statuere; Gregorius enim, qui canonicè, ac synodicè depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam prouehere, vel benedicere, ratio nulla docet.* Docent Suarez *de censur. disput.* 11. *sect.* 2. Hallierius *dict. sect.* 5. *pag.* 824. Anguianus *lib.* 4. *controu. cap.* 6. *num.* 20.

7. EXPONITVR CAP. 2. 9. Q. 2.

Secundò aduersatur textus *in cap. excommunicati* 2. 9. *quæst.* 1. in illis vltimis verbis: *Reiterari necesse est quod minimè probatur esse collatum.* Vbi cùm agatur de ordinatione ab excommunicato celebrata, docetur eam iterandam esse: igitur quia nulla fuit, tam quoad exercitium, quàm quoad characterem. Huic difficultati satisfacere intendit Suarez *de censur. disput.* 11. *sect.* 2. *num.* 5. & 6. asserendo, in eo textu non agi de ordinationibus factis ab Episcopis, sed potiùs à Chorepiscopis, qui facultatem non habebant conferendi maiores ordines. Sed hæc solutio prorsus diuinatoria est, siquidem nulla mentio Chorepiscopi fit in eo textu. Omissâ igitur hac solutione respondendum est, in eo textu agi de ordinationibus factis ab excommunicatis, non seruatâ formâ Ecclesiæ, nec iuxta disciplinam ecclesiasticam; tunc enim huiusmodi ordinationes sunt iterandæ, non quia ab Episcopis excommunicatis celebratæ sunt, sed quia non seruatâ Ecclesiæ formâ factæ fuerunt, vt contingit in sacramento Baptismi, quod licèt à quolibet ministro excommunicato, hæretico, pagano conferri possit, *cap. de Arrianis, cap. à quodam*, cum aliis, *de consecr. dist.* 4. Spondanus *in epit. Baronij, anno* 216. *num.* 1. & *anno* 258. *n.* 4. Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 1. §. 4. Vicecomes *lib.* 1. *de ritib. Baptismi, cap.* 38. Pamelius *ad D. Cyprianum epist.* 73. Magister Illustrissimus Archiepisc. Valent. *de Baptismo art.* 3. *num.* 28. tamen si conferatur non seruatâ Ecclesiæ formâ, reiterari debet, *cap. quos à paganis* 52. *de consecr. dist.* 4. sic etiam ordinatio facta ab excommunicato non seruatâ Ecclesiæ formâ, iterari debet, vt docent Glossa *in dict. cap.* 2. & ibi Turrecremata, Illustrissimus Valentiæ Præsul *de ordin. tract. de ministro, num.* 10. Quâ solutione etiam interpretandi sunt textus *in cap. per illicitam* 25. *cap. Daibertum* 1. *quæst.* 7. *cap. per illicitam* 9. *quæst.* 1. vbi asseritur, ordines ab hæreticis collatos reiterari debere; procedunt enim cùm collati fuerunt non seruatâ Ecclesiæ formâ.

8. INTELLIGITVR CAP. SI CELEBRAT, DE CLERIC. EXCOM.

Tertiò nostræ assertioni opponitur textus *in cap. si celebrat, de clerico excom.* vbi deciditur, excommunicatum validè, & licitè administrare sacramenta: igitur qui ab eo petiit, & accepit sacramentum Ordinis, nullam suspensionem incurrit. Huic difficultati satisfaciendum est asserendo, textum illum procedere in excommunicato minori excommunicatione, qui licèt priuatus sit perceptione sacramentorum passiuâ, non tamen actiuâ. Vndè licitè, & cum effectu potest sacramenta administrare absque eo, quod ordinatus ab eo vllam suspensionem incurrat; quod etiam hodie procedit post extrauagantem *Ad euitanda*, in eo qui ordines recepit ab excommunicato maiori excommunicatione ligato, sed non denunciato, in quo casu abrogatam esse præsentem decisionem, docet Gibalinus *vbi suprà, pag.* 250.

TITVLVS XIV.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] Pictauiensi.

VT[b] Abbates, & [c] Decani, & [d] Præpositi, qui [e] presbyteri non sunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant: qui [f] Archidiaconatus tenent, diaconi fiant; qui[g] Archipresbyteratus, presbyteri, aut honores amittant. Quod si aliqua iusta [h] causa prohibente presbyteri, aut diaconi esse non potuerint, prælationes amittant.

NOTÆ.

1. a *Pictauiensi.*] Concilium hoc Pictauiense primum celebratum fuit in ciuitate Pictauiæ, de qua egi *in cap. super* 20. *de rescriptis*, in causam Philippi Francorum Regis, temporibus Paschalis II. vt referunt Baronius *anno* 1100. *num.* 19. Seuerin. Binius *in notis ad ipsum Concil.* Altesserа *lib.* 10. *rer. Aquit. cap.* 10. Eius canones reperiuntur *tom.* 26. *Conciliorum*, *pag.* 744. & apud Baronium *dict. anno* 1100. ex quo Concilio duos canones, septimum videlicet & octauum transcripsit Raymundus *in præsenti.* Septimus ita habetur in ipso Concilio: *Vt Abbates, Decani, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant.* Canon octauus ita legitur: *Qui Archidiaconatus tenent, diaconi fiant; qui presbyteratus, presbyteri fiant, aut honores amittant. Quod si aliqui iustâ causâ prohibente presbyteri, aut diaconi esse non possint, prælationes amittant.* Ex his duobus canonibus transcriptus est præsens textus, qui etiam reperitur in prima collectione *sub hoc tit. cap.* 1. & illi consonant ferè per eadem verba canon 2. Concilij Narbonensis celebrati anno 1119. editi à Balluzio *ad Marcham lib.* 8. *concord. cap.* 18. ibi: *Nullus etiam in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi diaconus ordinetur.* Lateran. Concil. sub Calixto II. *Nullus in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi diaconus ordinetur.* Londonense 1. *can.* 2. tempore Honorij II. *Nullus in Decanum, nullus in Priorem, nisi presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi diaconus promoueatur.* Londonense 2. *can.* 4. *Nullus in Daconum, nisi presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi diaconus constituatur.*

2. b *Abbates.*] Id est cœnobiorum Prælati, iam enim primis Ecclesiæ sæculis superiores monachorum à Syriaca voce *Abba*, id est pater, tanquam patres monachorum, ita appellantur in quam plurimis Conciliorum canonibus, & regulis diuersarum Religionum, vt latè probant Benedictus Ephtenus *disquisit. monast. tom.* 2. *tract.* 5. *disc.* 1. *per totam*, Tamburinus *de iure Abbatum disput.* 1. *quæst.* 1. Brauo *in notis ad regul. D. Benedicti, cap.* 2. & licèt aliquando Abbates accipiantur pro Prælatis Ecclesiarum regularium, vt latè probat Cæsar *de eccles. hierarch. disput.* 13. §. 2. & sæpius in hoc opere notaui; tamen in præsenti accipiuntur pro Prælatis cœnobiorum, qui iam temporibus præsentis Concilij sacris ordinibus initiabantur, vt ex hoc textu probat Yepes *in chron. D. Benedicti, tom.* 1. *cent.* 1. *cap.* 5. *pag.* 75. sed non pluribus adhinc annis, nam in Synodo Nicæna 2. relata *in cap. quoniam*, 69. *dist.* Abbatibus conceditur lectores creare, dummodo ipsi presbyteri ordinati forent: vnde constat, tempore ipsius Synodi Abbates aliquos, neque paucos, inuentos fuisse sacerdotio minimè insignitos: quare ex eo canone deducit Balsamon *in eius notis*, in Abbates monasteriorum eos constitui posse, qui sacerdotes non sunt, quamuis illi lectores & psalmistas in monasterio suo ordinandi potestatem non habeant: & tempore D. Gregorij constat, Abbates monasteriorum nondum sacerdotes esse consueuisse; tum quòd Abbates in Eclcesiis ordinatos non ampliùs in monasterio potestatem habere decernit, *lib.* 3. *epist.* 11. & *lib.* 6. *epist.* 40. tum quòd tanquam singulare beneficium ab Vrbico Abbate rogatus ipsi concesserit, vt ex ipsius congregatione presbyter ordinaretur, *lib.* 5. *epist.* 44. tum quòd Abbatis de Portu Veneris mentionem faciat, & Diaconum tantùm fuisse significat *lib.* 1. *epist.* 12. & *lib.* 4. *epist.* 5. Nec à tempore præsentis Concilij Pictauiensis vniuersim & semper receptum fuit, vt non nisi sacerdotes ad monasteriorum Abbatialem Præfecturam promoueri deberent; siquidem legimus sequenti sæculo Innocent. III. præcepisse *in cap. tuam*, *hoc tit.* vt monachus, qui regularis disciplinæ restaurandæ studiosus habebatur, alicuius monasterij Abbas fieret; ita videlicet, quod ad sacros ordines non accedat: notauit Franciscus Hallierius *in vindiciis Pariſ. cap.* 3. *lib.* 3. §. 6. *ad finem*, *fol.* 296.

c *Decani.*] De Decanis, & eorum officio egi *in cap.* 2. *de rescriptis*, *cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora*, *de elect.*

d *Præpositi.*] Hæc vox deest in Concilio Pictauiensi, sed adest in omnibus iuris locis, in quibus probatur, & docetur, Prælatos curam animarum habentes, debere in presbyteros ordinari: 3.

nari: & quod dicitur de Abbatibus, & Decanis, procedit etiam in Præpositis, ex eadem ratione; nam Præpositi sunt Prælati, qui præsunt aliis, de quibus D. Paulus *ad Hebræos cap.* 13. ibi: *Mementote Præpositorum vestrorum.* Et *cap.* 17. *Obedite Præpositis vestris.* Hinc qui præsunt Rebus publicis, & ciuitatibus, dicebantur Præpositi, in legibus Vuisigoth. *lib.* 5. *tit.* 5. *cap.* 3. ibi: *Tunc creditur Iudici, vel Præposito ciuitatis.* Et *lib.* 2. *Longobard. tit.* 42. *cap.* 14. Carnotensis *epist.* 365. ibi: *Suggestum est excellentiæ vestræ, quod clerici Carnotensis Ecclesiæ ius Præpositorum suorum minuant.* Hæc dignitas à ciuili politia ad ecclesiasticam translata fuit; & qui primam dignitatem in Ecclesia habent, dicti sunt Præpositi. Gaufridus Vindocinensis *lib.* 1. *epist.* 11. *Dictum est mihi, quod Hugo Præpositus Carnotensis Ecclesiæ.* Carnotensis *epist.* 98. Plura de hac dignitate Ecclesiæ Cathedralis Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 12. §. 5. Barbosa *de dignit. c.* 9. *n.* 14. Tandem ad regulares translata est hæc dignitas; nam qui regit monasterium post Abbatem, dicitur Præpositus. Concil. Aquisgran. *can.* 139. Et quamuis omnes qui præsunt, Præpositi ritè dicantur; vsus tamen obtinuit, eos vocari Præpositos, qui quorumdam Prioratuum curam sub aliis Prælatis gerunt: plura tradunt Bosquetus *ad Innocent. lib.* 1. *epist.* 54. Ephtenus *disquisit. monast. tract.* 6. *disquisit.* 1. Menardus *ad concord. regul. cap.* 27. §. 1. Vnde rectè in præsenti à Raymundo coniunguntur cum Abbatibus, quia ob eamdem rationem, ob quam Abbates ordinari coguntur, & Præpositi ordinati valent: dicemus *in cap. constitutis* 46. *de appellat.*

e *Presbyteri fiant.*] Quod & cautum fuit aliis canonibus suprà relatis, & congestis *in cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora*, *de elect.* quod magna cum ratione constitutum fuit; nam cùm ipsi curam gerant animarum, ordines minores suis subditis conferant, *cap. cùm contingat*, *hoc tit.* quomodo si ordinati non reperiantur, hæc munia obire valebunt? Deinde quia monachis in choro legentibus benedictionem præstant, *cap. hinc est*, §. *superioris* 16. *quæst.* 1. sed qui presbyter non est, solenniter benedicere non valet, *cap. perlectis*, §. *ad presbyterum*, 25. *dist.* nisi expresè permittatur, vt *in can.* 60. *Concil. Aquisgran.* Igitur Abbates necessariò debent in presbyteros ordinari; vnde qui eliguntur ad huiusmodi dignitates, debent habere 25. annos, vt statim possint sacro presbyteratus gradu insigniri, vt contra Vazquez, & Quintanadueñas docent plures congesti à Narbona *de ætat. anno* 25. *quæst.* 57. Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 20. Azor *part.* 1. *moral. cap.* 20. *quæst.* 1. Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 1. *dub.* 19. Iulius Lanorus *lucubr. cap.* 15. *num.* 22. Dartis *de benef. sect.* 4. *num.* 27. Aliqui etiam Abbates non solùm ordinantur, verùm & consecrantur, de quibus egi *in cap.* 1. *de supplenda.* 4.

f *Archidiaconatus.*] De qua dignitate latè agemus *in tit. de officio Archidiaconi.*

g *Archipresbytero.*] De hoc officio nonnulla adducemus *in tit. de officio Archipresbyteri.*

h *Iusta causa.*] Hæc verba difficillima exposui *in cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora*, *de elect.* vbi commentarium huius textus dedimus.

CAPVT II.

Alexand. III. *Cantuar.* [a] *Archiepiscopo.*

EX ratione commissæ tibi dignitatis, & consideratione [b] legationis, ad vniuersas Ecclesias tuæ legationis aciem tuæ sollicitudinis debes extendere; & quæ enormiter, seu contra iustitiam fuerint, pastorali curâ corrigere, & emendare, quatenus de commissis ouibus coram patrefamilias plenam valeas rationem reddere; & tibi pro labore, & sollicitudine tuâ merces copiosa cumuletur in cœlis. Accepimus autem, quod [c] Conuentrensis Episcopus non attendens, quid sacrorum canonum statuta decernant, nec modestiam Pontificalem conseruans, pueris, qui sunt infra decennium constituti, in Archidiaconatu d.f. nostri R. Archidiaconi Cestrensis, Ecclesias plures concessit, quæ non per clericos, sed per laicos dispensantur, & disponuntur. Verùm quoniam hoc ecclesiasticæ vtilitati est inimicum, & rationi contrarium, & ideò non debet aliquatenus tolerari, f. t. per A. s. m. quat. si ita res se habet, prædictum Episcopum super his viua increpatione corripias, & castiges, & clericis idoneis administrationes, & custodiam præscriptarum Ecclesiarum, donec prædicti pueri ad congruam perueniant ætatem, omni occ. & ap. cess. laicis amotis committas, & eidem Episcopo arctiùs prohibeas, ne de cætero Ecclesias, nisi personis, quæ ætatem, & scientiam habeant, regendas concedat; qui si secus egerit, ei debitam pœnam infligas, & institutionem, & concessionem ipsius omnino viribus carere decernas.

NOTÆ.

a *Archiepiscopo.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & post Concilium Lateran. *part.* 25. *cap.* 1. Existimo missam esse B. Thomæ hanc epistolam, de quo, & Ecclesia Cantuar. plura adduxi *in cap.* 2. *de rescriptis.* 1.

b *Legationis.*] B. Thomas Legationis officio fungebatur per totam Angliam, exceptâ prouinciâ Eboracensi, vt refert Baronius *anno* 1167. ex quo Spondanus *num.* 4. quod si antiquiores repetentes in præsenti adnotarent, facilè dissoluerent communem illam difficultatem, quomodo videlicèt Archiepiscopus in causis beneficiorum ad suffraganeos 2.

ſuffraganeos ſpectantibus ſe intromittere poterat, cùm B. Thomas non tanquam Metropolitanus, ſed tanquam Legatus Sedis Apoſt. procederet.

c *Conuentren.*] De hac Eccleſia egi *in dict. cap. 2. de reſcriptis.*

3. d *Pueris.*] Inde tot mala in Eccleſiis aliquando irruperunt, cùm ignari, puerique eligebantur ad Regum nutum, vnde aiebat Carnot. *epiſt. 67.*

Eligimus puerum, puerorumm feſta colentes,
Non noſtrum morem, ſed Regis iuſſa ſequentes.

Et refert Flodoardus *lib. 4. cap. 22.* Oldaricum Aquenſem Epiſcopum Præfectum Eccleſiæ Rhemenſis fuiſſe Vice filij Hugonis Comitis, tunc paruuli. Alia adduxi *in cap. 7. de elect.*

CAPVT III.

Idem [a] *Cantuar. Archiep. & eius* [b] *ſuffraganeis.*

INdecorum eſt admodum, & abſurdum, vt hi debeant Eccleſias regere, qui ſe ipſos gubernare non nouerunt, cùm ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præemineant, & morum fulgeant honeſtate. Nolentes itaque ſuſtinere, vt ad preces, vel inſtantiam aliquorum, ſicut frequenter ſolet in veſtris partibus fieri, paruulis regimen committatur: f. v. per A. ſ. m. quat. nemini infrà XIV. annum conſtituto perſonatum cuiuſlibet Eccleſiæ, aliquorum gratiâ, vel obtentu concedere præſumatis, ſcituri pro certo, quod ſi præcepto noſtro in hac parte contraïre præſumpſeritis, quod inde feceritis, auctoritate noſtra penitus irritabimus, & inobedientiam veſtram grauiter puniemus.

NOTÆ.

1. a *Cantuarienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 4.* & poſt Concil. Lateran. *p. 95. cap. 2.* De Eccleſia Cantuarienſi aliqua adduxi *in cap. 2. de reſcriptis.* 2.

b *Suffraganeis.*] Videlicet Conuentrenſi, & aliis 25. quos referunt Barb. *de poteſt. Epiſc. part. 1. in ſerie Epiſcop.* Carolus à S. Paulo *in Geograph. ſacra, pag. 165.*

CAPVT IV.

[a] Idem.

EAm te decet in ordinandis Eccleſiis tuæ diœceſis curam habere, ne vllus in eis contra decreta, quæ in [b] Lateran. Concilio edidimus, vel etiam contra antiquas ſacrorum canonum ſanctiones clericus ordinetur, ſed tales in ipſis ſatagas ponere, qui commiſſi ſibi gregis curam commodè gerere poſſint, & exemplo boni operis ad virtutes inuitent. Inde eſt, quod præſentibus litteris tibi arctiùs inhibemus, ne perſonas, quæ in Eccleſiis tui Epiſcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipſis inſtituas, vel aliqua occaſione, vel etiam litterarum noſtrarum obtentu inſtitui patiaris, quæ [c] ſcientiâ, moribus, & ætate Concilij non congruant inſtitutis. Sed etiam [d] plures habentes Eccleſias, quæ ex vna non pendeant, tibi liceat appellatione poſtpoſitâ cogere ad vnam ipſarum, quam maluerint, dimittendam, niſi ita fuerint tenues in ſubſtantia, quod proprios ſacerdotes non poſſint conuenienter habere. Illas autem Eccleſias, de quarum patronatu controuerſia fuerit, ſi infra ſex menſes, poſtquam vacauerint, non fuerit quæſtio terminata, licitum tibi ſit de perſona idonea, ſublato appellationis obſtaculo ordinare.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* non tamen conſtat, cui miſſa ſit hæc deciſio; credo tamen miſſam eſſe Epiſcopo Tornac. & alias eius partes reperiri *in c. eam te, de reſcriptis, cap. cæterùm, de iudiciis, cap. eam te, de iurepatron.* ex quibus ita reſtituenda eſt inſcriptio. *Alexander III. Tornac. Epiſcopo.* De hac Eccleſia aliqua adnotaui *in dict. cap. 7. de reſcriptis.*

b *Lateran.*] Relato *in cap. cùm in cunctis, de elect.*

c *Scientia.*] Hanc partem illuſtraui *in dict. cap. cùm in cunctis.*

d *Plures Eccleſias.*] Hæc deciſionis pars aliena eſt à præſenti rubrica; eam latè examinauimus *in cap. de multa 28. de præbendis.* 2.

CAPVT

CAPVT V.

[a] Idem.

PRæterea licèt ad presbyteratum parochialis Ecclesiæ non debeat aliquis, nisi subdiaconus sit ad minus, recipi; dispensatiuè tamen in minoribus ordinibus constituti consueuerunt admitti; dum tamen tales sint, quod infra breue tempus subdiaconatum, diaconatum, & presbyteratum possint recipere.

NOTÆ.

1. [a] *Idem.*] In prima collectione legitur, *idem Exonienſi Epiſcopo*; in Concilio verò Lateran. *pag.* 25. *c.* 5. habetur, *Lexonienſi*, sed vtrobique malè: legendum enim est, *Brixienſi Epiſcopo*, vt legitur *in cap. in litteris 9. de officio deleg. cap. in litteris 5. de reſtit. ſpol.* vbi aliæ partes huius decisionis referuntur, in quibus epigraphe ita concipitur. *Alexander III. Brixienſi Epiſcopo.* Ecclesia autem Brixiensis est in Liguria suffraganea Archiepiscopi Salesburgensis, eiusque mentio extat *in cap. tuæ 5. de procurat. cap. finali, de celebrat. Miſſar. cap. 3. vt lite non conteſt.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR. IN his quatuor decisionibus agitur de prima parte rubricæ, videlicet de ætate præficiendorum Ecclesiis sæcularibus. Ad secundam verò rubricæ partem spectant textus *in cap. penult. & vlt. hoc tit.* ex his ergo quatuor decisionibus sequentem deducimus disputandam assertionem. *Beneficia eccleſiaſtica non ſunt impuberibus conferenda; ſi verò ex diſpenſatione conferantur, interim Eccleſiæ per laicos regi non debent.* Eam probant textus *in cap. pueris, cap. eſtote 1. quæſt. 2. cap. ſicut 21. quæſt. 2. cap. cùm in cunctis 7. cap. dudum 22. cap. cùm nobis, de elect. cap. ſuper ordinata, de præb. cap. ſi eo 9. de reſcriptis in 6. cap. vnico, hoc tit. eod. lib. cap. licèt canon, de præb. eod. lib. Clement. 1. hoc tit.* Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.* Concilium Abrincatense tempore Alexandri III. *can. 1. Pueri ad regimen illarum Eccleſiarum, & ad illa adminiſtranda, in quibus cura eſt animarum, minimè admittantur.* Illustrant plures congesti à Barbosa *in præſenti*, Germonius *de indultis Cardin. §. quibuſvis*, Moneta *de commut. cap. 2. num. 121.* Filliucius *de ſtatu cleric. cap. 5. num. 27.* Azor *part. 2. inſtit. moral. cap. 5. lib. 6. verſ. 5.* Garcia & Riccius apud Barbos. *in Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6.* Petrus Gregor. *lib. 1. part. tit. 28. cap. 27. & de elect. cap. 11. & de beneficiis cap. 37. & de repub. lib. 4. cap. 5. num. 34.* Narbona *de ætat. anno 14. quæſt. 54. cum tribus ſequent.* Vighellius *in meth. iuris can. pag. 241. & 326.* Corrasius *de benef. part. 3. cap. 3.* Valensis *eod. tract. lib. 1. tit. 15.* Dartis *eod. tract. ſect. 4. cap. 5.* Bossius *tom. 2. moral. tit. de ætate ordinandorum*, Leo Pinellus *in cap. 2. de regularib. num. 178.* Dartis *de benefic. ſeſſ. 4. cap. 5.* Theophilus Raynaud. *tom. 12. fol. 164.*

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione; nam in eligendis ad regimen, siue ecclesiasticum, siue politicum, non ætas, sed virtus, & probi mores attendi debent. D. Hieronymus *in orat. ad Paulinum: Non in homine ætas, ſed virtus ſpectanda eſt.* Iulianus *nouella 4. cap. 21. Inter clericos non temporis antiquitas, ſed doctrina, & probitas cuiuſque ſpectanda eſt.* D. Cyprianus *lib. 4. epiſt. 5.* Cicero *Philipp. 4. Perfecta eſt ætas, vbi eſt perfecta virtus*: Cassiodorus *lib. 9. epiſt. 21. Faciens fidem generis, morum pondere, non ætate.* Plura Sauarus *ad Sidon. lib. 9. epiſt. 7. pag. 44.* Cabreros *in vere ſacro-profano, pag. 60.* quod adeò agnouerunt Romani, vt nullam præfinirent ætatem ad magistratus obtinendos. Tacitus *lib. 11. annal. Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cunctiſque ciuium, ſi bonis artibus fiderent licitum petere magiſtratus; ac nec ætas quidem diſtinguebatur, quin prima iuuenta Conſulatum, ac Dictaturam irent.* Vnde ad Tribunatum pupillos admitti, probatur *ex l. vlt. Cod. de teſtam. militis*, & minores, immò infantes in decurionum numerum relatos fuisse, probatur *ex l. penult. §. 1. ff. de decur. l. Lucius 21. §. Imperatores, ff. ad municip. l. 1. §. pro infante, Cod. de munerib. lib. 10. l. quoniam, Cod. Theodoſ. eod. tit.* igitur similiter ad regimen Ecclesiæ minores 14. annis possunt admitti: & si huic considerationi, & rationi non acquiescimus, agamus exemplis, vt probemus & adstruamus impuberes, & iuuenes sceptra, magistratus, dignitatesque, tam ecclesiasticas, quàm sæculares obtinuisse. Salomon enim 12. anno regno potiebatur dum controuersiam decidit inter mulieres, relatam *lib. 3. Regum, cap. 3.* Manasses annorum 12. regnum tenuit, 4. *Reg. cap. 22.* Gordianus Imperatoria dignitate insignitus fuit anno ætatis suæ 11. vt in eo refert Capitolinus. Scipio Africanus dum cuncta gubernaret, obiicienti populo quod iuuenis esset admodum ad honores prouectus, respondit: *Si vos ætatem meam honoribus veſtris anteiſtis, & ego honores veſtros virtute præceſſi.* De Alexandro Seuero refert Herodianus *lib. 6. in fine: Milites Alexandrum Imperatorem conſalutatum in aulam Palatinam deduxerunt adoleſcentulum admodum, & adhuc auiæ præceptis obtemperantem.* De Iulio Ascanio, qui Consulatum gessit in prima adolescentia, ait Cicero *Philipp. 14. Quandoquidem virtute ſuperauit ætatem.* Quod de Germanico dixit Ouidius *lib. 2. cleg. 2.*

Præterit ipſe ſuos animo Germanicus annos.

Plura exempla eorum, qui adhuc in tenera ætate Magistratus obtinuerunt, referunt Cochier *lib. 3. theſauri, cap. 5. & lib. 5. cap. 3.* Bornegerus *ad Tacitum quæſt. 59.* Scipio Amiratus *lib. 11. diſſert. polit. diſſ. 5.* Altamiran. *in l. 1. de filiis offic. cap. 5. pag. 104.* Cabreros *vbi ſuprà, pag. 60.* igitur ad dignitates, & beneficia ecclesiastica, non certa ætas, aut matura, sed virtus, scientia, probique mores attendi debent. Quod cognouit D. Bernardus *epiſt. 42.* post medium. *Quamcumque ætatem Dei gratia præmaturam, ſic nec ſeram; cùm multos videamus iuniorum ſuper ſenes intelligere, moribus*

antiquare

antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur esse, studeant & malitiâ. Malitiâ, inquam, sed non sensu, iuxta admonitionem Apostoli: Nemo contemnat adolescentiam. Meliores bonæ indolis adolescentes inueteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est; & est è regione senectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computata. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Ac si diceret: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Bonus & Hieremias, qui antè sanctificatus, quàm natus; cùm se excusaret de pueritia, nihilominus constitutus est super regna. Bonus quoque Daniel, cuius spiritum suscitauit Deus, vt conuinceret iniqua iudicia, & sanguinem innoxium liberaret. Denique cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. Sicubi huiuscemodi puer senex promotus inuenitur, opus Dei est, his qui tales non sunt mirandum, non imitandum.

4. RATIO DECIDENDI.

Hac dubitandi ratione non obstante vera est suprà tradita assertio, cuius rationem, præmissis, quæ de ætate ad dignitates, & beneficia ecclesiastica necessaria adduxi *in cap. cùm in cunctis, de elect.* adducit Alexander III. *in præsenti cap.* in illis verbis: *Indecorum est, vt hi debeant Ecclesias regere, qui non nouerunt gubernare seipsos.* Quam rationem etiam adduxit, etsi in diuerso casu, Imperator *in l. final. Cod. de legitima tutela*, & *in §. minores, Instit. de excusat. tut.* & Consultus *in l. sic euenit, ff. ad leg. Iul. de adult.* Facit quod Mæcenas Octauiano dicebat, dum suadebat ne minores 18. annorum ad Equestrem dignitatem eligeret: *Cùm enim*, aiebat, *huiusmodi suorum bonorum administratio non concedatur, concedetur Reipublicæ?* Refert Paulus Diaconus *lib. 53. histor.* ideo Romani lege Vilia, de qua Liuus *lib. 40.* & aliis pro diuersitate temporum latis, ætatem præscripserunt ad Magistratus capessendos. Ouidius *lib. 1. Fastor.*

Legibus est ætas vnde petatur honos.

Quò respexit testator *in l. penult. §. vlt. ff. de legat. 3.* clausulâ illâ, *dum per ætatem liceret:* & ad rempublicam administrandam minores 25. annis non eligebant, *l. ad rempublicam, ff. de muner. & honor. l. 2. ff. de iure immunit. l. Lucius 21. §. penult. ff. ad municip.* senesque tantùm ad Senatoriam dignitatem admittebant, *l. vt gradatim, ff. de muner. & honor. l. 2. ff. de albo scrib.* Plura Petrus Gregorius *lib. 47. syntagm. cap. 7.* Cuiacius *lib. 17. obseru. cap. 34.* Iustus Lipsius *ad Tacitum lib. 3. annal.* & nos *in cap. 1. de renunc.* Adquam etiam ætatem legibus præscriptam respexit Latinus Pacatus *in paneg. Trajani*, ibi: *Non in amplissimis Magistratibus adipiscendis, sed in Præturis quoque, & Ædilitatibus capessendis ætas spectata est petitorum; neque post annos comitiali lege annonaria, de qua Festus, præscriptos, festinatis honoribus occupauit.* Facit Seneca pro illustratione huius rationis, dum ait: *Iuuenibus nec animus rebus gerendis connaluit, nec ætas vsum dedit benè suadendi: damnosum admodum Reipublicæ est, si iuuentus ad supremum honorum fastigium promoueatur.* Vnde aiebat Salomon: *Væ terræ cuius Rex puer est.* Et inter alias afflictiones populi, quas comminatur Dominus per Isaiam *cap. 3.* illa est: *Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, & corruet populus.* Et licèt in subscriptionibus textus *in l. 4. Cod. Theodos. de proximis sacrar. dispositionibus. l. 9. & 10. Cod. Theodos. de veteranis*, legantur hæc verba: *Nobilissimo puero*, vel *Nobili puero*; neutiquam pueri ibi accipiuntur pro impuberibus, sed pro filiis Principis, quos vulgò in Hispania dicimus *Infantes:* notauit Antonius Concius *ad l. final. Cod. de relationib.* Accedit & alia ratio specialis præsentis assertionis; nam cùm beneficia singula singulos ordinum gradus habeant annexos, inde qui in Archidiaconum, Canonicum, aut Parochum eligitur, debet eam ætatem habere, in qua ordinis gradum annexum tali beneficio, aut dignitati consequi possit, aliàs priuabitur beneficio obtento, *cap. 1. hoc tit.* probaui *in cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora, de elect.* Alias adducunt rationes Castro *lib. 3. de iusta hæretic. punit. cap. 25.* Thophilus Raynaud. *vbi suprà, pag. 164.* Sed cùm hæc iuris prohibitio tantùm proueniat à iure positiuo, potest R. Pontifex præbendam seu beneficium legitimam ætatem non habenti conferre, vt probant Petrus Greg. *de elect. cap. 13.* Vazquez *de beneficiis cap. 3. §. 2.* immò & infanti septennio minori, vt probant Azor *lib. 8. instit. cap. 5. quæst. 8.* Barbosa *in cap. 2. hoc tit.* vel illi pensionem reseruare, quæ si concedatur ex clausula: *Ex nunc prout ex tunc*; attenditur tempus ordinationis. Barbosa *voto 91. per totum.*

5. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt vitæ probitas, & litterarum peritia magnoperè attendi debeant in promouendo ad regimen, tam ecclesiasticum, quàm ciuile; tamen ætas in eo contemnenda non est, immò supponenda, saltem ea, quæ à legibus est præscripta. Si verò post eam adimpletam inter duos hæsitetur, an ætas prouectior, an virtus spectanda sit? pro virtute, quæ prævalere debet, faciunt rationes, & auctoritates suprà expensæ. Et licèt verum sit, primis cunabulis vrbis Romæ certam ætatem non fuisse præscriptam ad Magistratus capessendos, id tantùm durauit quousque leges latæ fuerunt, quibus certa ætas præscripta fuit, vt refert Liuius *lib. 14.* & ita prædictum Taciti locum accipiunt Petrus Gregor. *lib. 4. de Repub. cap. 5. num. 34.* Scipio Amiratus *dict. discursu 5.* Nec obstat textus *in dict. l. finali, Cod. de testam. militis.* nam omissâ emendatione Reuardi *lib. 4. variar. cap. 8.* & solutionibus traditis à Petro Bellino *de re militari, 7. part. tit. 3. num. 1.* Osualdo *ad Donel. lib. 6. comment. cap. 28. littera C.* Amaya *in l. 1. Cod. si seruus, lib. 10. num. 35.* respondendum est, in eo textu impuberem admissum fuisse ad Tribunatus dignitatem ex dispensatione Principis, qui solebat propter parentum præclara merita eorum filiis etiam impuberibus dignitates concedere, vt refert Suetonius *in Vitellio, cap. 38. Liberi Senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam, latum clauum induere, & Curiæ interesse permisit, militiamque auspicantibus, non Tribunatum modò Legionum, sed & Præfecturas dedit.* Notauit ibi Marcellus Donatus, & ex Plinio, & Vegetio probarunt Lipsius *de militia Romana, lib. 1. dialogo 2.* Corrasius *lib. 5. miscell. cap. 22.* Dorleans *ad Tacitum lib. 3. annal. num. 2. pag. 369.* Bulengerus *lib. 1. de Imperio Rom. cap. 20.* Mastrillus *de Magistrat. lib. 2. cap. 5. num. 77.* indè impuberes, & infantes militare dicuntur *in l. 14. Cod. Theodos. de re milit. l. 5. eod. Codice de domesticis.* Non tamen illi impuberes, quibus Tribunatus largiebatur, per se munera obibant, sed per vicarios, & adiutores illis ex ipso exercitu datos, vt docent Cuiacius *lib. 17. obseruat. cap. 86.* Gutherus *de officiis domus, lib. 3. cap. 9.* Suarez *allegat. 12. num. 20.* Vnde *in dict. l. vlt.* ex Principis indulgentia impubes admissus

missus fuit ad Tribunatum, vt docent Gothofredus *ibi, littera N*, Altamiran. *in l. 1. cap. 7. num. 15. de filiis offic.* Similiter etiam in aliis iuribus suprà adductis non agitur de minoribus Decurionum munera obeuntibus, sed tantùm de illis, qui ea dignitate potiebantur ad ea quæ tantùm honoris, aut lucri erant consequenda, *l. Spurij 6. §. minores, ff. de Decurion.* plura perdoctus D. Franciscus de Amaya *in dict. l. 1. num. 29. Cod. si seruus.* Nec etiam exempla in argumento adducta in contrarium nos mouere debent; non enim inficiamur, dispensationem ætatis ab iis, qui eam possunt concedere, impetrari posse; & ex eorum indulgentia Magistratus, tam ciuiles, quàm ecclesiasticos ante ætatem legitimam iuuenes obtinere posse, *l. quidam 57. ff. de re iudicat. l. si rogatus 20. §. final. ff. de manum. vindicta, l. vnica, §. finali, ff. de officio Consulis.* Plura Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 7. num. 24.* Acurius Ripol. *de regalibus cap. 23.* Amaya *vbi suprà.* Vnde in casibus adductis, & aliis congestis à Petro Gregor. *de elect. cap. 11.* iustè potuerunt minores Magistratus, & alias dignitates obtinere.

Sed superiori assertioni expressè opponitur textus *in cap. ex eo 32. de elect. lib. 6.* vbi agitur de Canonico Ecclesiæ Cathedralis, qui suffragium in electione Episcopi habere intendebat. Et respondetur, quod cùm in pupillari ætate esset constitutus, non poterat suffragium in electione præstare. Ex quo textu manifestè constat, adhuc non habentem 14. annos posse canonicatum obtinere. Cui difficultati, omissâ illâ quæstione, quænam ætas desideretur ad obtinendam præbendam, de qua latè egerunt Barb. *de canonic. cap. 13.* Narbona *de ætate anno 22. quæst. 2.* dicendum est, in eo textu R. Pontificis dispensationem adfuisse, propter quam ante legitimam ætatem potuit pupillus canonicatum obtinere, vt pro eius textus interpretatione docet Dartis *de benef. sect. 4. cap. 5.* & plura pro eius textus interpretatione adducit Narbona *vbi suprà.* Alia, quæ spectant ad hanc decisionem, petenda sunt ex traditis *in cap. cùm in cunctis, in princip.* & *§. finali, de elect.*

6. EXPONITVR CAP. EX EO, DE ELECT. IN 6.

CAPVT VI.

[a] Idem.

QVæris à nobis, quid agendum sit de clericis tuæ iurisdictioni commissis, qui cùm beneficiis ecclesiasticis multis abundent, à te commoniti nolunt ad maiores ordines promoueri, se tale quid secretò commisisse dicentes, quod eos saluâ conscientiâ ordinari non sinit. Cùm igitur super hoc casu videantur sacri canones discordare (cùm quidam dicant eos minimè compellendos, alij verò contrarium asseuerent,) omnis contrarietatis vinculum præsenti paginâ enodamus: Statuentes, vt si prædicti clerici perceptione maiorum ordinum propter occulta sua peccata, se indignos esse fatentur, inferiores in Ecclesia, quorum sit vita probabilis, præferantur eisdem: & nisi fortè illi, qui ordinari pro iamdicta causa recusant, in aliis Ecclesiæ seruitiis valdè vtiles fuerint, auferantur eis beneficia, & aliis canonicè conferantur. Quod si pro sola voluntate renuerint ordinari, & suaserit vtilitas Ecclesiæ, aut necessitas, ipsos (dummodo idonei sint) ad maiores ordines recipiendos, per amissionem locorum, & beneficiorum subtractionem appellatione cessante compellas.

NOTÆ.

1. [a] *Idem.*] Falsò hanc epistolam decretalem tribui Innocentio III. iam notauit Tancredus in fine tertiæ collectionis, vbi testatur se ab ore Innocentij III. accepisse, & audiuisse quasdam decretales ab scholasticis, & compilatoribus sibi tribui, quæ nullo modo ipsius erant; & aliquas referens adducit præsentem decisionem, & textum *in cap. miramur, de seruis non ordinand. cap. de prudentia, de donat. inter.* Verba Tancredi refert Ant. August. post notas ad primam collectionem Decretal. Vnde vt spurium reiecit textum hunc Innocentius Cironius *in notis ad 5. collect. in cap. 8. de constit.* Sed quamuis præsens decisio incertum habeat auctorem, tamen cùm reperiatur compilata in hac sexta collectione, quæ approbata est à Gregorio IX. vt suprà in apparatu dixi; ideò omnem auctoritatem habere asserendum est, tanquam si esset ipsius Gregorij; cùm ea omnia nostra faciamus, quibus nostram impartimur auctoritatem, *cap. 1. de transact.* vbi probaui: & commentarium huius textus dedi *in cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect.* Textus hic etiam reperitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 1.*

CAPVT VII.

Clemens III. *R. Colon* [a] *Canonico.*

AD aures nostras te significante peruenit, quod cùm in arte physica eruditus existas, pluribus iuxta ipsius artis traditiones medicinas cum diligentia tribuisti, licèt pluries in contrarium [b] successerit; & quibus putabas adhibere medelam, me-

dicinis perceptis mortis periculum incurrerunt. Verùm quia, ſicut aſſeris, ad ſacros ordines deſideras promoueri, & ſuper eo nos conſulere voluiſti, breuiter tibi reſpondemus, quod ſi ſuper præmiſſis conſcientia tua te videtur quomodolibet remordere, ad maiores ordines de noſtro conſilio non aſcendas.

NOTÆ.

1. a *Colon.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. Colonia Agrippina dicta, ampliſſima omnium Germaniæ vrbium eſt, Vbiorum olim Metropolis, poſteà Romanorum colonia fuit, in gratiam Agrippinæ appellata Agrippina, vt eius magnitudinem deſcribens tradit Bucelinus *tom. 3. Germaniæ ſacræ, fol.* 60. Eccleſiam Cathedralem habet iam à primis Eccleſiæ temporibus, vt probat Bucherus *in Belgico-Romano, lib.* 17. *cap.* 16. poſteà ſecunda Metropolis Germaniæ facta fuit, cuius topographiam, & limites ipſe refert *lib.*20. *cap.* 5. *in fine.* Huius Eccleſiæ mentio fit *in cap. ex parte* 10. *de arbitris, cap. exhibita* 19. *de iudiciis, cap.* 1. *de corpore vitiatis, in* 5. *compilat.* Eius Eccleſiæ canonico R. miſſa eſt præſens deciſio.

2. b *Succeſſerit.*] Nam vt ait Celſus *in præfat. lib.* 1. relatus à Fileſaco *lib.*1. *ſelect. cap.* 17. arti medicæ non reſpondet plerumque non ſolùm coniectura, ſed nec etiam experientia, ac poſteà veriſſimè ſubdit : *Qui ſecundis aliquando fruſtrà curatus eſt, contrariis ſæpè reſtituitur.* Et *lib.* 7. *In morbis multùm fortuna confert.* Seneca *lib.*6.*de benef. cap.*8. *Multos fortuita ſanant, nec ideo remedia ſunt.* Hildebertus Turonenſis Archiep. *epiſt.*31. *Quartanis plerumque proferunt tempora, quibus non profuit medicina.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR. EX hoc textu communiter talis deducitur aſſertio : *Euentus mortalitatis infirmi non impedit promoueri medicum peritum, ſi conſcientia eum non remordeat.* Quæ aſſertio ſingularis eſt in iure; eam tamen defendunt, & illuſtrant plures congeſti à Barboſa *in præſenti*, & Cenedo *ad Decretales, collectan.* 163. quibus addendi ſunt Turrutetus *diſſert.* 44. *iuridica*, Thomas Sanchez *lib.* 6. *ſummæ, cap.* 14. *numer.* 1. D. Ioannes Suarez *ad legem Aquil. lib.* 3. *cap.* 6. *ſect.*2. Molina *de iuſt. tract.* 3. *diſput.* 75. *numer.* 1. Rodericus Caſtro *lib.* 3. *de Medico polit. cap.* 19. Codron. *lib.* 1. *de chriſtiana medendi rat. cap.* 3. *&* 4. Pichardus *in* §. 7. *Inſtit. de lege Aquil. num.*102. Menchaca *illuſtrium controu. lib.* 1. *cap.* 19. Menochius *de arbitrariis lib.* 2. *centur.* 6. *caſu* 481. Suarez *de cenſur. diſput.* 45. *ſect.*6. *num.*9. Iulius Clarus §. *homicidium, num.* 12. vbi Baiardus *numer.*40. Gibalinus *de irregul. cap.*4. *artic.*1. *propoſ.*2. *conſect.* 11. Mornacius *in l.illicitas*, §.*ſicut, ff.de officio Proconſulis.*

4. RATIO DVBITANDI. Dubitandi ratio huius deciſionis ex eo prouenit; nam qui dat operam rei illicitæ, ſiue adhibeat omnem diligentiam, quam exactiſſimus vir adhiberet, ſiue non, ſemper ſecuto homicidio irregularis manet, *cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti, de homicidio.* Plura Couar. *dict. part.*2. §. 4. Sed clericus in noſtro textu dabat operam rei illicitæ : igitur ſecuto homicidio irregularitatem contraxit. Probatur minor ex eo ; nam clericis, & eccleſiaſticis perſonis prohibitum eſt exercere artem medicam, *cap. tua nos, de homicidio, cap. ſententiam, ne clerici vel monachi.* Plura Sanchez *dict. lib.* 6. *cap.* 24. *num.*13. ergo dabat operam rei illicitæ. Accedit, nam in noſtro textu R. fatebatur ſe dediſſe medicinam ad medelam, & tamen infirmum mortis periculum incurriſſe : ſed in hoc caſu medicus legibus ciuilibus vt homicida punitur, *l.*6. *tit.*2. *lib.* 11. *legum Vviſigothorum*, ibi : *Si quis medicus dum phlebotomiam exercet, ingenuum debilitauerit, C. ſolidos coactos exſoluat : ſi verò mortuus fuerit, continuò propinquis tradendus eſt, vt quod de eo facere voluerint, habeant poteſtatem ; ſi verò ſeruum debilitauerit, aut occiderit, huiuſmodi ſeruum reſtituat.* Tranſcripta reperitur *in l.* 7. *tit.* 2. *lib.* 11. *fori*, vbi propter euentum mortalitatis punitur medicus : ergo & in noſtro textu irregularis debebat declarari R. cuius medelis infirmi occubuerunt.

5. MEDICI QVI DICANTVR. Hac difficultate minimè obſtante vera eſt Clementis III. deciſio, ad cuius expoſitionem ſciendum eſt, medicum à medendo ita dictum, plerumque appellari Phyſicum, vt in hoc textu, & *in cap. magnopere* 5. *cap. ſententiam, ne clerici vel monachi*, & *in lib.* 11. *tit.* 2. *de los phyſicos, l.* 10. *tit.* 9. *part.* 2. & paſſim in iure noſtro, à *phyſi*, quæ eſt ſcientia naturalis : vnde qui medicinæ theoricam ſciunt, Phyſici appellantur ; qui verò profitentur, à praxi medendi, Medici dicuntur. Appellantur etiam medici circuitores, quia circuunt ciuitatem curando ægrotos, *l.ſi duas*, §. *Grammatici, ff. de excuſ. tut.* Seneca *lib.* 6. *de beneficiis.* Epictetus apud Arrianum *lib.* 3. *cap.* 22. Medicum Circumambulantem nominat. Gregorius Nyſſenus *lib.* 1. *aduerſus Eunom.* Medicum Circumforaneum dicit. Parabolani etiam dicuntur *in l. Parabolani, Cod. de Epiſcop. & cleric.* Accipiebantur & olim pro Chirurgis, *l.*4. §. *vlt. ff.ad leg. Corn. de ſicar. l.*1. §. *medicos, ff. de variis, & extraordin. crimin. cap. tua nos, de homicidio.* Plautus *in Menech.*

Ab ægrotis medicus venit,
Obligaſſe ſe dicit Æſculapio crura.

Seneca *epiſt.* 104. *Medicina*, inquit, *ægro, non regio quærenda eſt. Fregit aliquis crus, aut extorſit articulum, non vehiculum, nauemque conſcendit, ſed aduocat medicum, vt fracta pars iungatur, vt luxata in locum reponatur.* Tertullianus *lib.* 2. *aduerſus Marcionem. Quid ſi medicum quidem dicas eſſe debere, ferramenta verò eius accuſes, quòd ſecent, & inurant, & amputent, & contriſtent, quando ſine inſtrumento artis medicus eſſe non poſſit ?* Idem in Scorpiaco : *Eſt planè quaſi ſæuitia medicina, de ſcalpello, deque cauterio, de ſinapis incendio ; non tamen ſecari, inuri, & extendi, morderique idcirco malunt, quia dolores vtiles adfert.* Idem habent Theodoretus *lib.* 6. *de curatione Græcarum affection.* D. Auguſt. *lib.*22. *de ciuit. Dei, cap.* 8. Inde legato medici inſtrumento, non ſolùm collyria, verùm & ferramenta, quibus vtebatur, comprehenduntur. Paulus *lib.*3. *ſentent. tit.*6.

§.*in*

§. *inſtrumento*, *l. cùm de lanionis* 18. §. *inſtrumento*, *ff. de inſtructo*, *vel inſtr.* Illuſtrant Briſſonius *lib.* 2. *ſelect. cap.* 4. Zerda *ad* 3. *Georgic. Virgilij*, *pag.* 455. *num.* 4. Gueuara *in l. illicitas*, §. *ſicut*, *ff. de offic. Præſid.* Varia medicorum genera referunt Mercurial. *lib.* 2. *variar. cap.* 8. Paulus Zacchias *lib.* 6. *qq. medico-leg. tit.* 1. *num.* 6. inter eos enumerant Conſulti obſtetrices, *l.* 1. §. 1. *ff. de variis & extraordin. l. finali*, *Cod. communia de legat.* Notarunt Merillus *lib.* 5. *obſeru. cap.* 21. D. Ioannes Suarez *vbi ſuprà*, *num.* 8. Guillelmus Forner. *lib.* 3. *ſelect. cap.* 29. & *nos in cap.* 4. *de probat.*

6. DE IMPERITIA MEDICI.

Prædicti verò phyſici, ſeu medici morbis adhibendo medelam, peccare poſſunt, & ſic irregularitatem contrahere, vel ex culpa ſua, vel ex imperitia, ſeu ignorantia. Primo modo cùm mala medicamenta adhibent ſcienter, itavt infirmi mors ſequatur; tunc enim non ſolùm vt homicidæ, verùm vt proditores damnantur, *l.* 10. *tit.* 9. *part.* 2. *El medico que à ſabiendas vſo mal de ſu oficio, comete traicion conocida.* Secundo verò caſu, etſi antiquitus ob imperitiam nulla lege medici punirentur, vt teſtantur Caſſiodorus *lib.* 6. *epiſt.* 19. ibi: *Cumque nulla lex eſſet, quæ puniret inſcitiam capitalem, & medicis impunè liceret occidere.* Plinius *lib.* 29. *cap.* 1. in fine: *In hac artium ſchola euenit, vt cuique medicum ſe profeſſum ſtatim credatur, cùm ſit periculum in vllo mendacio maius: non tamen illud intuemur, adeò blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo; nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ; diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortem agunt; medico tantùm occidiſſe impunitas ſumma eſt.* Poſteà tamen etiam pœna capitis in eos ſancita eſt, qui imperitiâ homicidium admiſiſſent; & ita ſi medico per imperitiam quid triſtioris euentus infirmo contigerit, medicus tenetur, *l. qua actione*, 7. §. *Proculus*, *l. idem* 8. *cum l. ſequent.* §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* §. *præterea*, *Inſtit. eod. tit. l.* 9. §. *Celſus*, *ff. de offic. Præſid. l. neceſſariò* 5. §. *finali*, *ff. ad Syllan.* Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 23. §. *vlt.* Conſonant lex 6. & 10. *tit.* 8. & lex 9. *tit.* 15. *partit.* 7. Plura Mornacius *in dict. l. illicitas* 6. *de offic. Præſid.* I. Fileſacus *lib.* 1. *ſelect. cap.* 17. Nec ſolùm lege Aquilia medicus imperitus damnatur, verùm & pro diuerſitate perſonarum diuerſis pœnis afficitur, ſi imperitia medici cauſa fuit mortis liberi hominis: ſi honeſtior medicus eſt, in inſulam deportatur; ſi verò humilior, capite plectitur: iure ſeptempartito *in dict. l.* 6. pœna relegationis conſtituta fuit; poſteà verò puniendos eos eſſe arbitrio iudicis ſtatutum fuit *in dict. l.* 9. *tit.* 15. *partit.* 7. Apud Ægyptios medici puniebantur, qui non ex præceptis ſcientiæ ægrotum curauiſſent, ex lege quam referunt, & explicant Diodorus Siculus *lib.* 1. *cap.* 3. Ariſtoteles *lib.* 3. *polit. cap.* 11. Et meritò hæc imperitia medici ita punitur, cùm imperitia culpæ adnumeretur, *l. imperitia* 132. *ff. de regul. iuris*: qui textus ſi conferatur cum dicta lege *idem* 8. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* quæ eſt eiuſdem Conſulti, & *eod. lib. ad edictum*, vbi de lege Aquilia egerat Gaius *l. qua* 7. *eod. tit.* conſtabit in dicta regula *Imperitia*, agi de imperitia medici; & deciditur, imperitiam culpæ adnumerari: quod iam notarunt Balduinus *de lege Aquil. pag.* 227. D. Ioannes Suarez *eod. tract. vbi ſuprà*, *num.* 2. P. Faber & Iac. Gothof. *in eadem regula.* Si enim imperitia pro crimine habetur in iudice, *l. vlt. ff. de variis & extraordin. crimin.* & ita per imperitiam iudicando litem ſuam faciat, *l.* 4. §. 4. *ff. de obl. & act.* §. 1. *Inſtit. de obligat. quæ ex delicto*, vbi Pichardus, Vulteius, & Binius, Petrus Herodius *lib.* 2. *rerum iudic. cap.* 29. *tit.* 1. Beſoldus *in diſcurſ. polit. diſſert.* 3. Canonherius *in aphoriſm. tom.* 1. *pag.* 491. in aduocato, & aſſeſſore, *l.* 2. *ff. quod quiſque iuris*, *l. vnica*, *Cod. de officio aſſeſſor.* Sauarus *ad Sidonium lib.* 2. *epiſt.* 12. & in quocumque qui circa artem, ſeu exercitium, quod profitetur, imperitè verſatur, ſeu terminos ſuos egreditur, *l.* 1. §. *hæc actio*, *ff. ſi menſor. falſ. mod. dixer. l. ſi quis fundum* 10. §. *Celſus*, *l. item quæritur* 13. §. *ſi gemma*, *ff. locati*, *l. ſi ſeruus* 27. §. *ſi calicem*, & §. *ſi ex plauſtro*, & *fin. l. idem iuris* 8. §. *mulionem*, *ff. ad leg. Aquil.* Petrus Gregor. *lib.* 18. *ſyntagm. cap.* 25. *num.* 6. P. Velleius Gueuara *ad dict. l. illicitas*, §. *ſicuti*, Belluga *in ſpecul. Princip. rubric.* 35. *numer.* 25. Maynerus *in l. culpa eſt* 35. *ff. de regul. iuris*, Carranza *de part. cap.* 16. §. *vnico*, *num.* 37. *cum ſequentib.* & Suarius de Mendoza *ad l. Aquil. lib.* 3. *cap.* 6. *ſect.* 2. *per tot.* quantò ergo magis in medico, qui quod non didicit tam graui multorum periculo profitetur, cuius delictum non debet remanere inultum, *l. illicitas* 6. §. *ſicuti*, *ff. de offic. Præſid.* Quomodo autem hæc imperitia probetur, explicat Paulus Zacchias *dict. quæſt.* 2.

7. PROSEQVVNTVR ALII CASVS.

Etiam vt homicida damnatur medicus in vtroque foro, ſi infirmum deſeruerit poſtquam eum mederi cœpit, *dict.* §. *præterea*, *Inſtitut. de lege Aquil.* vbi plures Pichardus *num.* 98. Scitè Sanctus Zeno Veronenſis Epiſcopus, & martyr *ſerm. de liuore & inuidia*, ibi: *Oſtendere ægro magnitudinem morbi, & per hoc concitare eius ſolicitudinem, ne languoris vim negligat, pars videbitur medicinæ. Verùm ſi in hoc eum reliquerit gradu, nec remediorum oſtenderit viam, nihil aliud eſt quàm ſalutem prodidiſſe languentis.* Ratio eſt, quia ſicut ab initio cuilibet liberum eſt alicuius rei curam ſuſcipere, vel non, *l. inuitus*, *ff. de reg. iuris*, *l. inuitus*, *Cod. de procurat.* ita ſemel ſuſceptam omni diligentiâ ad finem perducere debet: multa enim ab initio ſunt voluntatis, quæ poſteà fiunt neceſſitatis, *l. in commodato* 17. §. *ſicut* 3. *ff. commodati:* nec factum eſſe ſufficit, niſi perduret, *l. ſi pro* 10. §. *verſum* 6. *ff. de in rem verſo*: & nil cenſetur actum, quando aliquid ſupereſt agendum, *l. cùm Syllanianum* 11. *Cod. de his quibus vt ind.* Vbi verba illa, *actum credimus*, &c. tranſcripta videntur ex illis Lucani *lib.* 2. *Sed Cæſar in omnia præceps, nil actum credens, dum quid ſupereſt agendum.* Quare medicus cœptam curam non debet derelinquere, quia mortis cauſam præbere, occidere eſt; vnde reprehenſione dignus non videtur Alexander Magnus, qui Glaſconem medicum cruci affixit, eo quod Epheſtionem infirmum deſeruiſſet, vt quibuſdam ſpectaculis intereſſet, vnde Epheſtio deceſſit. Refert Plutarchus *in vita Alexandri*, & ex eo Zacchias *vbi ſuprà*, qui latè pertractat, quando medicus ſalariatus, vel non, poſſit tempore peſtis infirmos deſerere. Etiam damnatur imperitus medicus, ſi in medendo diligentiam non adhibuit, id eſt iuxta experientiam artis; ſcientia enim medendi experientiis potiùs, quàm artis regulis acquiritur. Ariſtot. *lib.* 1. *metaph. in princip.* ibi: *Medendi licentiam ex obſeruatione ſalubrium floruiſſe, & ab experientia ortam eſſe.* Quintil. *lib.* 6. *inſtit. cap.* 18. vbi ita ait: *Ex obſeruatione ſalubrium, & his contrariorum reperta medicina eſt, & vt quibuſdam placuit, tota conſtat experimentis.* Ex eis, & aliis

Æneas Robertus *lib.1. rer. iudic. cap.5.* Et vt alios peccandi modos in medicis omittamus, quoties ex imperitia, aut incuria medicus culpam mortalem admittit in medendo ægroto, toties secutâ infirmi morte, ita quod ex peritorum medicorum scientia, atquæ curantis conscientia dignosci possit ex ipsa curatione mortem secutam fuisse, toties, inquam, irregularis manet. Quam doctrinam defendit, & pro expositione plurium casuum moralium ampliat, & limitat P. Gibalinus *de irregul. dict. cap.4. consect.11.*

8. RATIO DECIDENDI. Vnde apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm R. in specie nostri textus nullam culpam mortalem incurrisset, quia in arte peritus erat, ibi: *In arte physica eruditus sis*; & iuxta artis traditionem, & experientiam adhibuisset medelam, licèt euentu mors sequeretur, nullam irregularitatem incurrit. Euentus enim non attenditur cùm rectum consilium præcessit. Pulchrè Seneca *lib.4. de beneficiis, cap.33. In arduo est veri exploratio: eamus quò ducit verisimilitudo. Sic serimus, sic nauigamus, sic militamus, sic vxores ducimus, sic liberos tollimus, cùm omnium incertus sit euentus. Ad ea accedimus, de quibus sperandum benè esse credimus. Quis enim pollicetur serenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, marito pudicam vxorem. Sequimur quæ similitudo veri, non quæ veritas trahit.* Sidonius *lib. 4. epist. 6. Atqui absurdum est, si certis audacibus aduersetur, consurgere in querimonias, & inconsultarum dispositionum culpabiles exitus.* Vnde aiebat Poëta.

—— Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Et Quintilianus *lib. 2. instit. cap. 18.* ait: *Ars non est in euentu posita.* Cassiodorus *lib.4. epist.7. Iniquum est enim, vt hominis vitio deputetur, quod eius voluntate non regitur; & illud imputetur periclitanti, vnde rarò datur euadere.* Et si hæc in consilio capiendo ex euentu non existimando; quantò magis in medicinæ exercitio, & ægroto medendo, quo nihil incertius, cùm interdum remedium prosit, interdum non sufficiat. Vnde aiebat Ouidius *lib. 1. de Ponto, in elegia ad Rufinum.*

Non est in medico semper releuetur vt ager,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Vlpianus *in dict. l. illicitas, §. sicuti*, ait: *Sicut medico imputari euentus mortalitatis non debet.* Quod datum est artis incertitudini; non enim medentur medici, vt eleganter ait Arnobius *lib.1. aduersus Gentes*, post medium: *Confisi scientiæ veritate, sed in arte suspicabili positi, & coniecturarum existimationibus nutantes.* Inde ergo in præsenti textu rectè deciditur, R. medicum posse ad altiores gradus ascendere, nec ei obstare euentum mortalitatis aliquorum, quibus ipse iuxta artis traditionem adhibuit medelam. Mirè ad rem Quintilianus *lib.1. instit. cap.18.* prope medium: *Tendit quidem ad victoriam qui dicit; sed cùm benè dixit, etiamsi non vincat, id quod in arte continetur, effecit: nam & gubernator nauis vult saluâ naue in portum peruenire; si tamen tempestate fuerit arreptus, non ideò minùs erit gubernator; dicamque notum illum, dum clauum rectum teneat: & medicus sanitatem ægri petit, si tamen aut valetudinis vi, aut ægri intemperantiâ, aliôve casu summa voti non contingerit, dum ipse omnia secundùm rationem fecerit, medicinæ finem non excedit.* Etiam medicus irregularitatem euadit si languentis ipsius culpâ, dum ea non cauet, quæ à medico prohibita sunt, mors contigerit, *cap. tua nos, de homicidio*: quod præ oculis habentes huius artis professores, pleraque prohibere solere, fortè vt defectum peritiæ, seu culpam semper ægrotanti adscribant, eleganter expressit Arnulphus Lexouiensis *epist.4. ad Henricum Pisanum*, his verbis: *Illud hominum eius quadam austeritate semper notabile, artis suæ reuerentiam solâ seueritatis exhibitione conquirit, & quasi benignitate vilesceret, infamat omnia quæcumque miser patientis appetitus exposcit: vtinam quod ad victualia pertinet, idem nobis vsus, & abstinentia præberet, vt suspicionem communicatio tolleret, & fidem pietas compassionis augeret. Ad hæc defectum imperitiæ suæ, culpæ semper ægrotantis adscribunt, vt ager, & inediâ pareat, & calumniæ contumeliâ crucietur.*

9. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI. Nec aduersatur dubitandi ratio suprà adducta; nam sacerdos in nostro textu, non eo quòd medicinam exercebat, rei illicitæ operam dabat, vt pluribus relatis probat Gibalinus *de irregul. cap. 4. pag. 197.* Quod facilè suadetur si animaduertamus, medicinam olim clericis, ac monachis exercere prohibitum non fuisse: vnde legimus apud D. Bernardum *epist. 67. & 68.* Flauiacensem monachum medicinæ peritum à suo Abbate coactum artem illam exercere: *Abbas*, inquit, *meus habebat me non monachum, sed medicum; cogebat seruire, immò ipse seruiebat per me, non Deo, sed sæculo, quando ne sæcularium maleuolentiam incurreret Principum, mederi me compellebat, etiam tyrannis, raptoribus, excommunicatis.* Et apud Petrum Venerabilem Cluniac. *lib.5. epistol.* extat epistola cuiusdam Roberti monachi scholastici, & medicinæ magistri. Et Isidorus Pelusiota *lib. 3. epist. 71.* meminit Diaconi cuiusdam medici: postea Alexander III. prohibuit regularibus, ne Physicam, aut regulas sæculares discerent, *in cap. ne magnopere, ne clerici vel monachi.* Innocentius III. in Concil. Lateran. *can.* 18. tantùm chirurgiam clericis prohibuit, ibi: *Nullam Chirurgiæ partem Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ ad vstionem, vel ad incisionem inducit.* Postea Honorius III. qui post Clementem III. floruit, non solùm religiosis, verùm & Diaconis, Subdiaconis, & cæteris Clericis prohibuit audire Physicam, aut leges, *in cap. finali, ne clerici, vel monachi*; quod postea confirmauit Bonifacius VIII. *in cap.1. eod. tit. lib. 6.* Brauo *in disput. apol. Med. sect. 3. resol.3.* Vnde cùm temporibus nostri Clementis non esset prohibita professio medicinæ clericis, ideò ex eius exercitio, si adhibitâ diligentiâ medelam clericus præbebat, etsi euentu mors sequeretur, vt in præsenti casu, nullam incurrebat irregularitatem. Nec obstat augmentum deductum *ex dict. l. fori*; nam textus ille intelligendus est de medico, qui per imperitiam perperam medicinam adhibuit, & non iuxta artis præcepta, aut traditiones, vt interpretatur ibi Villadiego. Cùm enim Gothi ex regione Gothiæ, quæ est calidissima, in has Hispaniarum partes frigidas admodùm aduenissent, sanguinis missionem pati sine vitæ dispendio nequibant; vnde in ea lege medico phlebotomiam exercenti in Gothos iustè pœna imponitur.

10. INTELLIGITVR CAP. Sed adhuc obstat textus *in cap. tua nos, de homicidio*, vbi proponitur, quendam monachum in arte chirurgica valdè peritum mulieri laboranti

TVA NOS 19. DE HOMICIDIO.

laboranti gutturis tumore tumorem illum aperuisse, & iuxta artis traditionem expresse illam monuit, ne se vento exponeret, ne si hoc faceret, mortis periculum incurreret: mulier vento se exposuit, vnde post paucos dies decessit. Consultus Innocentius III. respondit, quod etsi non parum monachus ille deliquisset vsurpando officium chirurgi; tamen quia non cupiditatis, sed pietatis causâ illud exercebat, ex misericordia ei permittendum esse in sacris ordinibus ministrare. Ex quo textu expresse colligitur, quod etsi medicus adhibeat omnem diligentiam iuxta artis præcepta, si tamen mors sequatur, non posse eum, nisi præcedente dispensatione, in suscepto ordinis gradu ministrare: igitur etiam in præsenti casu ex dispensatione tantùm poterit ad vlteriores gradus admitti. Cui difficultati communiter respondetur ex suprà traditis, videlicet quod licèt monachus in eo textu omnem diligentiam secundùm artis præceptum adhibuisset; tamen peccauit exercendo artem chirurgicam, præcipuè cum incisione, cuius exercitium monachis prohibitum est, *dict. c. magnopere, cap. fin. ne clerici, vel monachi.* Vnde cùm dedisset operam rei illicitæ, licèt adhibuisset diligentiam, contraxit tamen irregularitatem, *cap. continebatur, cap. dilectus, de homicidio: cap. si quis voluntate, 50. dist.* sed veram interpretationem in eius commentario dabimus.

11. EXPONITVR CAN. 8. SYNODI CONSTANTINOP.

Ex suprà dictis accipit lucem textus *in can. 8. Synodi Constantinop.* apud Balsamonem, in illis verbis: *Quamobrem decreuit S. Synodus, vt si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus castrasse aliquem conuictus fuerit, vel manu propria, vel suo iussu, is depositioni subiiciatur; si sit autem laicus, segregetur, præterquam si morbus, qui alicui accidit, ad eum exsecandum, qui castratus est, coegerit: quemadmodum enim Nicænæ primæ Synodi canon eos, qui morbo exsecti sunt, non punit propter morbum: sic & nos nec sacerdotes, qui ægrotos castrari mandant, condemnamus; nec laicos qui propriis manibus ad castrationem vtuntur, reprehendimus; hoc enim morbi esse medelam, non autem creaturæ insidias fieri, vel opificium iniuriâ affici existimamus.* In quibus prioribus verbis puniuntur non solùm clerici manibus propriis alios castrantes, verùm & mandantes; quia hoc ex iniuria faciebant: in posterioribus verò verbis, cùm medelæ causâ alios castrare iubent, nulla pœna afficiuntur; quia cùm illis temporibus exercitium artis chirurchicæ, & medicæ prohibitum non esset, & causâ medelæ eo remedio vterentur, etiamsi ægri mutilatio sequeretur, irregularitatem non contrahebant, vt docet Balsamon *in notis ad ipsum can.*

12. EXPONITVR L. PECVNIAM 10. DE CONDICT. OB CAVSAM DAT.

Ex traditis suprà pro ratione decidendi, videlicet euentum mortalitatis infirmi non imputari medico iuxta artis traditiones medenti, intelligendus est textus *in l. pecuniam 10. de condictione ob causam datorum*; vbi Imperatores affirmant, pecuniam ob causam datam, causâ non secutâ non culpâ accipientis, sed fortuito casu, minimè repeti posse. Baldus & Cuiacius in eo textu speciem fingunt, & proponunt in eo, qui medico pro curatione infirmi certam pecuniam dedit; quo casu si euentu mors sequatur, si medicus adhibuit medelam iuxta artis peritiam, licèt infirmus decessisset, & per consequens deficeret causa propter quam pecunia data fuit; tamen condictioni locus non est, cùm euentus mortis illi imputari non possit. Ita illum textum accipiunt communiter repetentes ibi. Sed licèt hæc interpretatio communis sit, iuxta aliam hypothesin doctè & subtiliter illum textum accipit sæpiùs laudatus D. D. Iosephus de Retes *lib. 2. opusc. sect. 2. cap. 7. numer. 13.*

CAPVT VIII.

[a] Cœlestinus III.

CVm bon. mem. Clemens Papa prædecessor noster I. Buccar. Melearum (Manum Raofacam) & quosdam alios Barenses clericos vocauisset, vt Bernardo Archidiacono suo, quem grauiter læserant, satisfacerent, & ad ipsius accederent præsentiam responsuri, quia venire iuxta mandatum Apostolicum [b] contempserunt, in eos fecit per [c] Vigilienſem Episcopum suspensionis sententiam promulgari, in qua, sicut dicitur, triennio permanentes, quidam ex ipsis suspensi aliud [d] beneficium ecclesiasticum sunt adepti: & quia vtrum beneficia possint rationabiliter retinere, nos consulere voluisti, significatione tibi præsentium respondemus, quod non licet eis, nec illa, quæ habuerant beneficia, nec ea, quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere. Vnde venerabili fratri nostro [e] Baren. Episcopo dedimus in mandatis, vt eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apostolico beneficiis quæ habent, non differat spoliare, ea tamdiu in suis manibus detenturus, donec quid super his facere debeat, litteras nostras accipiat, & mandatum.

NOTÆ.

a *COElestinus III.*] De quo egi *in cap. 13. de rescriptis*; & ita legitur *in cap. 5. hoc tit. in 2. collect.*

b *Contempserunt.*] De pœna contumaciæ plura Deo annuente adducam *in cap. 1. de iudiciis.*

c *Vigilien.*] Vrbs Vigiliæ, vulgò *Bisegli* dicta, est in Apulia, suffraganea Archiepiscopi Barensis.

d *Aliud beneficium.*] Compatibile videlicet cum primo, aliàs vacaret primum, si secundum non legitimè obtineret, vt docet Gibalinus *de censuris disquisit. 7. quæst. 7. consectario 9. pag. 257.*

e *Barensis.*] Ecclesia Barensis tantùm Episcopalis fuit vsque ad tempora Innocentij III. Est in regno Apuliæ, vt refert Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra, pag. 58.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur conclusio: *Qui steterit per triennium in suspensione, priuatur beneficiis obtentis, & durante suspensione eligi non potest.* Singularis est in iure hæc assertio; probari tamen per argumentum potest *ex cap. cùm dilectus, de consuet. cap. cùm inter R. cap. per inquisitionem, de elect. cap. contingit, de dolo: cap. constitutis, de appellat.* Trident. *sess. 25. de reform. cap. 3. l. 2. tit. 9. part. 1.* Illustrant Lotherius *de re benefic. lib. 3. quæst. 33. num. 91.* Menochius *de arbitr. casu 416.* Bohic. *in cap. cùm dilectus, de consuet.* Balboa *in cap. 1. de iudiciis, num. 77.* vbi omnes Primarij, & noster Fermosinus *quæst. 31.* Garcia *de benefic. 7. part. cap. 13. num. 90.* Riccius *decis. 1961.* Salcedo *in praxi, cap. 116. num. 11.* Ricciulus *de iure pers. lib. 4. cap. 4.* plures Pater Gibalinus *de censur. disquisit. 7. quæst. 7. pag. 259.*

2. RATIO DVBITANDI.

Hæc assertio difficilis admodum redditur ex eo; nam insordescentia in censuris ecclesiasticis non inducit priuationem beneficiorum obtentorum, etiamsi per plurimos annos beneficiarius persistat in censuris, vt docent Glossa *in cap. contingit, verbo Non potest, de dolo & contum.* Couar. *in cap. alma, 1. part. §. 7. num. 10. de sentent. excom.* Rebuffus *in cap. postulasti, notabili 4. num. 108. de cleric. excom.* & pluribus relatis docet Gibalinus *de censur. vbi suprà, fol. 258.* igitur licèt sacerdos per triennium persisteret in suspensionne, priuandus non erat. Deinde etiam illud facit contra nostrum textum; nam qui suspensus est à beneficio in vna Ecclesia, potest aliud assequi in alia, vt probant Suarez *de censuris disput. 27. sect. 1. num. 25.* Gibalinus *vbi suprà, pag. 343.* sed suspensio in nostro textu lata fuit à Vigilensi Episcopo in clericos iam beneficia obtinentes: igitur alia, & diuersa consequi non prohibentur.

3. DE INSORDESCENTIA IN CENSVRIS.

Sed adhuc prædicta assertio defensanda est. Et suppositis, & præmissis quæ de suspensione & eius differentiis adduxi *in cap. cùm inter, de elect.* sciendum est, insordescentiam, & perseuerantiam in censuris ecclesiasticis pro diuersitate delictorum, & censurarum variis modis puniri. Primò insordescens in excommunicatione per annum redditur suspectus de hæresi, *cap. rursùs 11. quæst. 3. cap. cùm contumacia, de hæreticis, lib. 6.* Couar. *in dict. cap. alma, 1. part. §. 7. num. 10.* Salcedo *in praxi, cap. 116.* & si excommunicatio lata fuerat pro certo crimine, ita insordescens pro conuicto habetur. Gonzalez *in regul. 8. glossa 15. num. 106.* Farin. *lib. 1. praxis, quæst. 18. num. 39.* & si excommunicatio lata erat ob hæresim, hæreticus iudicatur. Glossa *verbo Condemnatur, in cap. excommunicamus, de hæreticis:* & licèt cuilibet excommunicato possit Legatus beneficium absolutionis impartiri; tamen post annum elapsum excommunicatus à solo R. Pontifice absolui valet, *cap. quærenti, de officio Legati in 6.* & ipsum insordescentem per annum in excommunicatione, sepultura ecclesiastica priuari posse, docet Gibalinus *de censuris pag. 469.* Aliis pœnis etiam punitur in Concilio Trident. *sess. 25. cap. 3.* & arbitrio iudicis, tam sæcularis, quàm ecclesiastici puniri valet. Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 5. casu 416.* Salcedo *in dict. cap. 16. num. 6.* Tandem hæc insordescentia adeò exosa Patribus Ecclesiæ est, vt impediat absolutionem illam, quæ ex stilo Curiæ apponi solet in rescriptis Pontificiis: docent Nauarrus *in cap. ita, glossa vlt. notabili 11.* Rebuffus *in praxi infor. nouæ prouisionis, vers. Teque absoluentes, num. 10.* Garcia *de benefic. 7. part. cap. 13. num. 61.* Gibalinus *de censur. disquisit. 9. quæst. 1.*

4. SVSPENSVS ELIGI NON POTEST.

Secundò sciendum est, suspensum ab officio absolutè eligi non posse ad noua beneficia, *cap. cùm dilectus, de consuetud. cap. cùm R. cap. per inquisitionem, de elect.* Garcia *de benefic. part. 7. cap. 14. num. 1. & de potest. Episcop. part. 1. tit. 1. c. 3. num. 23.* Diana *part. 5. tract. 9. resol. 10.* Peyrinis, Reginaldus & alij congesti à Garcia *tom. 2. polit. tract. 9. difficult. 4. dub. 5.* Sed si tantùm à fructuum perceptione sit suspensus, eligi potest. Quæ doctrina procedit cùm suspensio inflicta est ob delictum, quod eam pœnam merebatur: si autem suspensus est pro delicto concernente suspensionem beneficij in tali Ecclesia, in alia eligi in beneficiarium potest, *cap. si compromissarius, §. restringitur, de elect. in 6.* & hæc omnia procedunt in suspensione à iure imposita; nam si ab homine sit imposita, suspensus à beneficio in vno Episcopatu, potest obtinere diuersum beneficium in alio, argumento textus *in cap. final. de constit. in 6.* secus si suspensus sit ab officio, quia tunc suspensus est vbique, vt distinguit Bohic. *in dict. cap. cùm dilectus, num. 16.*

5. RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm insordescens in censuris conuictus censeatur eius criminis, ob quod imposita fuit censura, & in præsenti casu per triennium suspensus esset ob delictum, quod si probatum esset, suspensionem delicti induceret; ideò Cœlestinus decreuit ita insordescentem in suspensione per triennium debere beneficiis iam obtentis priuari, & etiam obtinendis; nam cùm actus alicui prohibitus est, principium illius actus prohibitum censetur: hic autem suspensus est clericus à beneficio retinendo: igitur ab acquirendo arcetur. Non tamen electio suspensi est ipso iure nulla, sed irritanda, vt facilè probatur *in dict. cap. per inquisitionem*; & defendunt Garcia *vbi suprà*, Gibalinus *vbi proximè, pag. 343. consect. 5.* Vnde in nostro textu deciditur, suspensum acquirentem noua beneficia illis esse priuandum, quia licèt electio illicitè, tamen validè celebrata fuit.

6. SOLVITVR RATIO DVBITANDI.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius solutione sciendum est, valde controuersum esse inter Interpretes, vtrum insordescentia per se in censuris ecclesiasticis priuet beneficiis iam obtentis? Et communiter reperentes *in cap. quicumque 11. quæst. 3.* in nostro textu, & *in dict. cap. cùm R.* Abbas *in cap. 1. de iudiciis*, Decius *notabili 8.* Beroius *num. 83.* Suarez *de censur. disput. 13. sect. 1. num. 10.* plures congesti à Fermosino *in cap. 1. de iudiciis, quæst. 31.* docent ob dictam insordescentiam in censuris, ita persistentem priuari beneficiis iam obtentis. Sed contrariam sententiam, videlicet non priuari beneficiis, docuerunt Garcia *in dict. cap. 13. de benefic.* Rebuffus *in dict. cap. postulasti, notabili 4. num. 108.* Sed in hoc Interpretum dissidio placet distinctio P. Gibalini *dict. quæst. 7. pag. 259.* qui affirmat, insordescentiam in censuris præcise sumptam non inducere priuationem beneficiorum, neque iudicem posse ita insordescentem ob causam ciuilem, vel criminalem priuare beneficiis. Ratio huius partis ea est, nam nulla reperitur constitutio in iure nostro, quæ hanc priuationem beneficij obtenti inducat, neque natura talis insordescentiæ talem priuationem inducit: sed si censura, aut excommunicationis, aut suspensionis lata est ob crimen, quod ipso iure inducit

cit priuationem beneficiorum, elapso anno priuatur ipso iure beneficiis, quia conuictus præsumitur similis delicti, & per consequens priuatur suo beneficio. Rebuffus *in dict. cap. postulasti, numer.* 113. Couar. *dict.* §. 7. *num.* 10. Ricciulus *dict. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 3. Nec tunc post annum suspensus auditur petens manutentionem in beneficio, quia priuatio hæc non tam ex censura, aut insordescentia, quàm ex crimine, ob quod fuit inflicta censura, prouenit; siquidem talis insordescentia tantùm inducit præsumptam criminis probationem, & sic priuat beneficiis ipso iure. Et si censura fuit tantùm lata ob delictum, quod non inducebat priuationem ipso iure, sed tantùm virtute sententiæ proferendæ, tunc insordescentia per tempus legitimum tantùm operabitur, vt iudex competens possit ipsum excommunicatum, seu suspensum ita insordescentem priuare beneficiis: ita Gibalinus *vbi suprà.*

7. INTELLIGVNTVR VARII TEXTVS.

Ex hac distinctione intelligendi sunt textus, in quibus de insordescentia in censuris agitur. Et primò textus noster; ideò enim suspensi ob insordescentiam priuati fuerunt beneficiis, quia suspensio inflicta fuit ob crimen, quod priuationem beneficiorum à iudice faciendam inducebat, & propter contemptum Sedis Apostolicæ in non comparendo; ideò enim iubet Cœlestinus ipsos beneficiis obtentis priuari. Secundò intelliguntur textus *in cap. rursus, cap. quicumque* 11. *quæst.* 3. quibus probare intendunt Doctores supra citati, insordescentiam per annum inducere priuationem beneficiorum. Nam ibi tantùm deciditur, excommunicatum per annum insordescentem conuictum censeri illius delicti, quo accusabatur; ex temporis enim lapsu resultat contra eum quædam præsumpta criminis probatio, seu confessio: neque in prædictis iuribus agitur de priuatione beneficiorum. Deinde intelligendi sunt textus *in cap. finali, de pœnis in* 6. *cap. cùm contumacia* 7. *de hæreticis in* 6. *cap. excommunicamus*, §. *qui autem, eod. tit.* Ex quibus constat, insordescentem per annum in excommunicatione, suspectum de hæresi iudicari; hæc tamen suspicio leuis est, vt notant Couar. *dict. num.* 10. & Salcedo *dict. cap.* 116. Nec sufficit illa præsumptio, vt quis tanquam hæreticus damnetur, & beneficiis priuetur; sed tantùm vt contra illum, tanquam suspectum de hæresi procedatur, vt docet Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 12. & consequenter propter solam illam præsumptionem non poterit excommunicatus beneficiis priuari. Planè reus sic de hæresi suspectus ad iudicium euocatus, si venire renuerit, & in excommunicatione persistat, tunc suspicio hæresis augetur, cuius ratione pœnâ ordinariâ plectitur, vt docent Couar. *vbi suprà*, Fermosinus *dict. cap.* 1. *de iudiciis, quæst. vlt.* Quomodo autem insordescentia probetur, & annus ad eam inducendam computetur, prosequuntur Gibalinus *vbi suprà, pag.* 258. Ricciulus *dict. lib.* 4. *cap.* 8.

CAPVT IX.

[a] Innocentius III. [b] *Mutinensi Episcopo.*

A multis multotiens an Subdiaconus in Episcopum eligi valeat, hæsitatur. Siquidem [c] Vrbanus primus Papa decreuit, vt nullus in Episcopum, nisi in sacris ordinibus & religiosè viuens inuentus fuerit, eligatur. [d] Sacros, inquit, ordines dicimus [e] Diaconatũ, & [f] Presbyteratum; hos [g] siquidem solos primitiua Ecclesia legitur habuisse: Subdiaconis verò, quia & ipsi [h] ministrant altaribus, opportunitate exigente concedimus in Episcopos eligi; si tamen spectatæ scientiæ, ac religionis existant: quod ipsum non sine R. Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus. In quibus verbis innuitur, quod Vrbanus ad statum primitiuæ Ecclesiæ [i] se referens, in quo Subdiaconatus ordo sacer minimè dicebatur, instituit, vt de Subdiacono, nisi vtilitatis causâ; & tunc etiam de permissione Metropolitani, vel R. Pontificis, non possit electio celebrari. Verum cùm hodie Subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Vrbanus Papa II. sub his verbis expressit: Erubescant impij, & intelligant iudicio sancti Spiritus eos, qui in sacris ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, si castè non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. Et iterum: Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis, & qui vsque ad Subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuit. Et ad similitudinem Diaconi, & Presbyteri Subdiaconus [k] continentiam debet obseruare, sicut est in [l] sexta Synodo constitutum, vt si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, in nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus ordinem faciat. Et B. Gregorius statuisse legatur, vt nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se castè victurum promiserit. Nos volentes sub hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus, vt Subdiaconus liberè valeat in Episcopum eligi, sicut Diaconus, vel Sacerdos.

NOTÆ.

a *Innocentius III.*] Fuit iuris peritissimus, vt refert Cuiacius *in cap. finali, vt lite non contestata*; qui iuris difficiles, & apud Interpretes satis vexatas quæstiones decidit, vt est ardua quæstio in præsenti proposita, vtrum videlicet Subdiaconi possent in Episcopos eligi; & aliæ de quibus *in cap. cùm te, cap. in quadam, de celebrat. Miss. ar. cap. litteras, de restit. spol.* Et hanc epistolam editam

fuisse anno 1207. Pontificatus Innocentij VIII. ex regestro MS. refert Stephanus Ballucius *in notis ad Petrum Marcham*, *lib.*8. *concord. cap.*13.

b *Mutin.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub tit. de temporibus ordin. cap.* 6. vbi eam refert Antonius August. ipseque eius meminit in emendatione Gratiani *lib.*1. *dialog.*8. De Ecclesia Mutinensi aliqua adduxi *in cap. cùm in distribuendis*, *de tempor. ordin.*

2. c *Vrbanus I.*] Hæc Vrbani decisio reperitur *in cap. nullus* 4. 60. *dist.* & tribuitur Vrbano I. ab Innocentio *in præsenti.* Carnotensis autem *part.* 5. *Decreti*, *c.*82.& *lib.*3. *Panorm.cap.*5. desumptam esse ait ex Synodo Beneuentana sub Vrbano III. sed falsò; ea enim decisio deducta est ex Synodo Beuentana sub Vrbano II. & cùm ignotum esset Concilium hoc iis, qui sub Gregorio XIII. emendationi librorum iuris canonici operam dederunt, Concilium Beneuentanum ab Iuone laudatum admonuerunt, intelligendum esse de Synodo Beneuentana, quæ tempore Victoris III. cui Vrbanus II. successit, habita fuit: quod omninò falsum est, siquidem extant acta Concilij Beneuentani ab Vrbano II. celebrati anno 1091. in quibus habetur decretum hoc prout refertur à Gratiano; & Concilium ipsum ex MS.codice Monasterij Ananiensis nouiter edidit Stephanus Ballucius *in additionibus ad Marcham*, *dict. lib.* 8. *cap.*13. & cùm adhuc æuo Innocentij III. hoc est centum, & amplius post Vrbanum annis dubitaretur, an Diaconus in Episcopum eligi posset, præsentem Innocentius edidit decretalem: vnde in præsenti legendum est, *Vrbanus II.* vt etiam notarunt Dartis *in dict.can.*4. 60.*dist.* Gibalinus *de clausura disquit.* 3.*cap.*2. §.2. *num.*7.

3. d *Sacros.*] Id est maiores: gradus enim sacramenti Ordinis diuiduntur in maiores, id est sacros; & minores, videlicet non sacros, *cap. nemo*, 31. *dist. cap. miramur*, *de seruis non ordin. cap.*1. *de filiis presbyt. lib.*6. Trident. *sess.*23.*de reform. cap.*2.*&* 6. non tamen maiores sacri dicuntur, quia eorum tantùm collatio sit sacramentum, vt docuerunt Gratianus *in princip. dist.*21. Sotus *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.*2. *concluf.* 7. Vazquez *in* 3. *part. disput.* 237. quos refellit colendissimus Præceptor D.Hoxiberos *de Ordin.tract.* 1. *num.*37. sed quia specialiori ratione maiores gradus reddunt homines sacratos, *cap. sacratos*, 23. *dist.* maiora enim tractant, & omnia sacratiora pertingunt, vnde gradus sacri dicuntur. Non me latet minores gradus aliquando, & latè minores ordines sacros dici, *ex cap.*1. *dist.*77.

4. e *Diaconatum.*] Quem gradum iam à primis Ecclesiæ temporibus sacrum fuisse, manifestè probant textus *in can.*6. *Actuum Apost.* Synodus Nicæna in editione Pisana *lib.* 3. *cap.* 62. Concil. Neocæsar. *can.* 15. Concil. Rom.2. sub Siluestro, *can.*6. Synodus Trullana *can.* 16. Diaconi enim immediatè ministri sunt sacerdotum, & successerunt in locum Leuitarum, & auxilium, atque adiutorium Sacerdotum ad implementum diuini officij, vt plura de eorum muniis agentes tradunt Rabanus *lib.*1. *instit. cleric. cap.*7. Alcuinus *de diuin. officiis*, *tit.de celebrat. Missar. pag.*67. Baronius *anno* 34. *num.*263. & *anno* 112. *num.*8.*&* 9. Duarenus *lib.*1. *de sacris*, *cap.*25. Seuerinus Binius *in notis ad Fabianum*, Albaspineus *lib.*2. *obseru. c.*26. *&* 27. & *in notis ad can.* 33. *Concilij Illiberit.* & *in can.*2. *Tolet.*1. Espenceus *lib.*1. *digress.cap.*5. Zerda *in aduers. cap.*94. Pamelius *ad epist.* 65. *Cypriani*, Ambr. *ad Tertull. de fuga*, *cap.*11. *obseru.*2. Hallierius *de sacris elect. sect.*8. *cap.*2. §.2. Vicecomes *de ritib. Missæ*, *volum.*3. *lib.*1.*cap.*16. Buseus *de statib. verbo Diaconus*, Gazeus *ad Cassianum*, *collat.*18. *cap.*16.& nos aliqua dedimus in nostro apparatu.

f *Presbyteratum.*] Nemo ambigit iam à primis Ecclesiæ temporibus Presbyteratum gradum sacrum fuisse: constat *ex cap. presbyter*, *cap. Ecclesia*, 23. *dist. cap. cleros*, *vers. Sacerdos*, & *vers. Presbyter*, 21. *dist.* Concil. Aquisgran.sub Stephano V. *can.*8. docent Alcuinus *de diuin.offic.cap.*35. Vazquez *dict.*3. *part.in* 3.*disput.*236.

g *Siquidem solos.*] Licèt enim à primis Ecclesiæ cunabulis gradus Subdiaconatus cognosceretur, vt constat *ex can.*43. *Apost.* Anacleto *epist.*1. D.Cypriano *epist.*24. & aliis auctoritatibus adductis à Rabano *lib.*1. *de instit. cleric. cap.*8. Isidoro *lib.*2. *de diuin. offic. cap.*10. Vazquez *in* 3. *part. dict. disput.*236. *cap.*3. Baronio *anno* 34.*num.*287. & anno 44. *num.* 29. Pamelio ad Diuum Cyprianum *dict. epist.*24. Barb. *lib.*1. *iuris eccles. cap.*37. Aloix *in notis ad vitam S. Ignatij*, *cap.*5. Cæsare *de hierarch. part.*2. *disput.* 10. §.1. Espenceo *lib.*1. *digres. cap.*7. Vicecomite *volum.* 3. *de ritib. Miss. lib.*1. *cap.*24. Tamen quia cùm Subdiaconi ordinabantur, ei manus non imponebant Episcopi, sed tantùm patenam & calicem de manu Episcopi accipiebant, & de manu Archidiaconi vrceolum & manutergium, Concilium Carthag. 4. *can.* 5. neque facultatem attingendi sacra vasa habebant, *cap. non oportet* 23. *dist. cap. ministerium* 23. 93. *dist.* ideò Subdiaconatus primis Ecclesiæ sæculis sacer gradus non credebatur, vt ex præsenti textu constat, & à sacris gradibus Subdiaconatus prorsus alienus erat, *cap. nullus*, 60. *dist.* Vnde Synodus Ancyrana *can.*13. statuit, non licere Chorepiscopis ordinare Presbyteros, aut Diaconos, nihil prohibens de Subdiaconis: immò Synodus Antiochena *can.*10. disertè asserit, Subdiaconos à Chorepiscopis ordinari posse. Docent Balsamon *in dict. can. Concil. Carthag.* Bellarminus *tom.*2.*contron.lib.*1. *de sacram. Ordinis*, *cap.*7. Acuña *in cap. si is qui*, *num.*6. 32. *dist.* & *in dict.* 60. *dist.* Aloix, & Cæsar *vbi suprà*, Cabassutius *in notit. Concil. ad Concil. Carthag.*4. *fol.* 444. & nos *in can.*23. *Concilij Illiberit.*

5. Ex qua doctrina exponendi sunt duo difficiles canones Concilij Laodicen. 21. videlicet & 22. Primus reperitur apud Gratianum *in c.non oportet*, 26.23.*dist.*in hæc verba: *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in sacrarium*, *seu secretarium*, *quod Græci Diaconion appellant*, *ingredi*, *& contingere vasa dominica.* Cui aperto marte opponitur textus *in cap. non liceat* 31. *ead. dist.* vbi ex Concilio Brachar. hæc verba referuntur: *Non liceat cuilibet ex lectoribus sacra vasa portare*, *nec aliis*, *nisi his*, *qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.* Quæ etiam verba referuntur ab Ant. August. *in epit. lib.*7. *tit.*34. & *lib.*16. *tit.*1. Pro quorum canonum concordia sciendum est, secretarium, quod Græci Diaconion appellant, vt notat Baronius *in martyr. die* 8. *Augusti*, primis Ecclesiæ temporibus duplex fuisse: vnum fuit locum separatum à sinistra parte, vbi sacra vasa, & vestimenta seruabantur, & vbi Episcopus pallium sumebat ad celebrandum, & deponebat. Gregorius Magnus *lib.*4. *epist.*11. ibi: *In secretario verò secundùm morem pristinum susceptis ac dimissis Ecclesiæ filiis*, *induere vestra fraternitas pallium debeat*, *atque ad Missarum solemnia ita proficiscì.* Et *lib.*2. *epist.*51. *Scripsit nobis*

6. INTELLIGITVR CAP. NON OPORTET 23. DIST.

bis pallio te non niſi poſt dimiſſos de ſecretario filios Eccleſiæ, & Miſſarum tempore, atque in Letaniis vti ſolennibus. Aliud ſecretarium erat à dextera parte abſidis, vbi poſt communionem deferebantur à Diaconis reliquiæ Euchariſtiæ, quæ ſupererant, ſeruabanturque in vaſis ſacris, vnde ea vacua non erant. D. Clemens *lib.* 8. *conſtit. cap.* 13. *ſub finem:* huius ſecretarij meminit Paulinus *epiſt.* 12. In primum ingredi Subdiaconis non licebat. Auctor *de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ*, apud D. Hieronymum *tom.* 4. *pag. mihi* 83. *Eget in ſede Preſbyter, in altari Leuita, in ſecretario Subdiaconus.* Et vaſa illa dominica contingere valebat. Concil. Carthag. 4. *can.* 5. ibi: *Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non accepit, patenam de manu Epiſcopi, & calicem accipiat vacuum.* Ordo R. *tit. de ordine proceſſionis ad Miſſam*, ibi: *Leuat calicem Archidiacus de manu Subdiaconi, & ponit eum ſuper altare.* Refert Vicecomes *volum.* 4. *de ritib. Miſſ. lib.* 6. *cap.* 4. De quibus vaſis, & de hoc ſecretario accipiuntur textus *in dict. cap. non liceat* 31. *&* 32. In ſecretario verò vbi erant vaſa ſacra cum reliquiis Euchariſtiæ, ingredi Subdiacono non permittebatur, *dict. cap. non oportet* 23. *cap. non oportet* 93. *diſt.* quia Subdiaconus miniſter non erat Sacerdotis, vt Diaconus; ſed tantùm aſſiſtens, *cap. non liceat cuilibet*, 23. *diſt. cap. placuit*, 50. *diſt.* Docent, & plura in hac parte adducunt Balſamon, Zonaras, & Iuſtel. *in dict. can.* 21. *Concilij Laodic.* Vazquez *in* 3. *diſput.* 236. *cap.* 2. *num.* 62. Gibalinus *de clauſura, diſquiſit.* 1. *cap.* 1. §. 3. Sauſay *in Panopl. ſacerd. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. Dartis *in dict. cap. non oportet*, Vicecomes *vbi proximè*, Chopinus *lib.* 2. *de ſacra polit. tit.* 2. *num.* 10. Roſveidius *in monaſt. verbo Secretarium*, Zerda *in Iudith*, *tom.* 1. *cap.* 8. *verſ.* 5. *pag. mihi* 394. & nos *in cap. per veſtras, de donat. inter.*

7. EXPONITVR CAP. MINISTRVM 23. DIST.

Deinde ex ſuprà traditis lucem accipit textus *in can.* 22. eiuſdem Concilij Laodic. relatus *in cap. miniſtrum*, 23. *diſt.* vbi ita cauetur: *Quod non oporteat Subdiaconum orario vti, vel oſtia relinquere.* Vbi perdifficile eſt, quid per orarium accipiatur, & cur Subdiaconis prohibeatur orariis vti. Pro cuius canonis expoſitione ſciendum eſt, omiſſis aliis orarij acceptionibus, de quibus Bulengerus *lib.* 1. *opuſcul. cap.* 38. Lipſius *lib.* 2. *ſelect. cap.* 16. orarium idem ſignificare apud Græcos, quod apud Latinos ſtola, quæ eſt ſacra veſtis longa, licèt non lata, ſignificans myſticum Chriſti iugum: vnde in Conciliorum Canonibus, & SS. PP. decretis orarium accipitur pro ſtola. Concil. Tolet. 4. *can.* 39. ibi: *Oraria duo, nec Epiſcopi, nec Preſbyteri, nec Diaconi induant.* Refertur *in cap. vnum*, 25. *diſt.* & *can.* 27. *Tolet. Concil.* 4. ibi: *Epiſcopus cùm ordinatur, orarium, annulum, & baculum coram altari de manu Epiſcoporum recipiat; Preſbyter orarium, & planetam.* Synodus Rom. ſub Silueſtro *cap.* 6. Docent Rabanus Maurus *lib.* 1. *de inſtit. cleric. cap.* 19. Seuerinus Binius, Balſamon, Zonaras, & Iuſtel. *in dict. can.* 22. *Concil. Laodic.* Durantius *de ritib. Eccleſiæ lib.* 2. *cap.* 9. Dartis *in cap.* 1. *diſt.* 23. Orarium deferebant Epiſcopi, & Preſbyteri, & Diaconi, non autem Subdiaconi. Concilium Brachar. 1. *can.* 9. *Item placuit, vt quia in aliquibus huius prouinciæ Eccleſiis diaconi abſconſis infra tunicam vtuntur orariis, ita vt nihil differre à Subdiacono videantur, de cætero ſuperpoſito ſcapulæ, ſicut licet, vtantur orario.* Synodus Moguntin. celebrata anno 813. *can.* 28. *Preſbyteri ſine intermiſſione vtantur orariis, propter differentiam ſacerdotij dignitatis.* Brachar. 3. *can.* 3. Aurelian. 1. *can.* 21. Cùm enim veſtis ſacra eſſet, & tantùm eam deferre poſſent miniſtri ſacrati, qui immediatè Euchariſtiam contingebant; & Subdiaconi illis temporibus gradum ſacrum non obtinerent; ideo illis prohibetur orarium deferre. Iubetur autem, ne oſtia derelinquant, quia inter alia, quæ Subdiaconis competebant, erat & cuſtodia oſtiorum, vt notant Medina *de continent. lib.* 1. *cap.* 38. *&* 44. Vazquez 3. *part. in* 3. *diſput.* 236. *cap.* 3. *num.* 3. Etiam ex ſuprà dictis intelligendus eſt textus *in cap. placuit, penult.* 50. *diſt.* vbi à Patribus Concilij Toletani ſtatuitur, vt ſi ex pœnitentibus Diaconi ordinati fuerint, inter Subdiaconos tantùm habeantur, & ſacra non contingant: cùm enim illis temporibus Ordo Subdiaconatus ſacer non eſſet, ideò qui ex ſolenniter pœnitentibus Diaconi ordinati fuerant, non in gradu Diaconatus, qui ſacer erat, ſed in Subdiaconatu miniſtrare poterant; dum tamen ſacra non contingant, cùm Subdiaconi ea attingere non poſſint. Proſequitur eius textus interpretationem, & illuſtrationem D. Ioannes Antonius de Otalora, vir omnigenâ litteraturâ ornatiſſimus, *de irregul. ex pœnit. part.* 2. *excurſu* 2.

h *Miniſtrant altaribus.*] Non enim ſolùm Subdiaconi, vt tabularij deſeruiebant Epiſcopis in epiſtolis conſcribendis, & ferendis, cui miniſterio eos olim fuiſſe mancipatos conſtat ex D. Cypriano *epiſt.* 24. verùm tanquam ſuffecti, & ſubrogati in locum Nathinæorum templi Salomonis, qui Leuitis inſeruiebant, 1. *Eſdræ, cap.* 2. *verſ.* 70. *& cap.* 7. *verſ.* 2. *& cap.* 8. *verſ.* 20. Sigonius *de Republ. Hebræor, lib.* 5. *cap.* 7. Menochius *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 10. ita ſubiiciebantur Leuitis, id eſt Diaconis: vnde ſubminiſtri dicebantur, *cap. cleros, verſ. Hypodiaconos*, 21. *diſt.* Itaque ad eos ſpectabat calicem, & patenam ad altare deferre, & miniſtrare vrceolum eum manutergio; quæ ideò tempore ordinationis illis dabantur. Concilium Carthag. 4. *can.* 5. Tolet. 4. *can.* 27. Ad ipſos etiam Subdiaconos ſpectat epiſtolam in Miſſæ ſacrificio legere. Concil. Toletan. 1. *can.* 4. Rhemenſe *can.* 4. Aruernenſe ſub Carolo, *can.* 4. latè docent Eſpenceus, & Cæſar. *vbi ſuprà.* 8.

i *Se referens.*] Eius enim ætate iam Subdiaconatus gradus erat ordo ſacer, vt ex eiuſdem verbis ſtatim relatis conſtat, quæ etiam reperiuntur in Panormia, *lib.* 3. *cap.* 103. & apud Anton. Auguſt. *in emend. Gratiani, lib.* 1. *dialog.* 8.

j *Hodie.*] Iam à temporibus Gregorij Magni gradum Subdiaconi fuiſſe ſacrum, & inter ſacros ordines enumeratum, conſtat *ex cap. ante triennium, diſt.* 31. *cap. nullus*, 38. *diſt. cap. nullus*, 60. *diſt.* & ex D. Iſidoro, qui floruit temporibus ipſius Gregorij, *lib.* 2. *de eccleſiaſt. officiis, cap.* 10. *cap. miramur.* 7. *de ſeruis non ordin. cap. quicumque, verſ. at Diaconi*, 77. *diſt. cap. miniſtri, diſt.* 81.

k *Continentiam obſeruare.*] Antiquitus enim cùm Subdiaconatus ordo ſacer non eſſet, caſtitatis votum annexum non habebat, licèt in noſtra Hiſpania à tempore Concilij Illiberit. exordium habuiſſe votum hoc caſtitatis docuerint Mendoza *lib.* 2. *pro confirm. eod. Concil. cap.* 66. Lantdemeter. *lib.* 2. *de veteri clerico, c.* 80. Boſquetus *ad Innoc. III. lib.* 4. *epiſt.* 148. Cironius *ad tit. de cleric. coniugat.* D Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ, pag.* 71. Cæſar *de Eccleſ. hierarch.* 2. *part. diſput.* 10. §. 1. 2. *&* 3. Barboſa *de iure eccleſ. cap.* 37. *& de poteſt. Epiſcop.* 2. *part. allegat.* 14. *num.* 3. Loayſa *in notis ad Concil. Tolet.* 8. 9.

Tolet. 8. *can.* 5. Gibalinus *de clauſura, diſquiſit.* 3. *cap.*2.§.2. *num.*7. Baſilius Legion. *lib.* 7. *de matrim. cap.* 24. & nos plura dedimus *in d. can. Concil. Illiber.* & *in cap.*1. *de clericis coniugat.*

10. 1 *In ſexta ſynodo.*] Innocentius appellat ſextam Synodum canones Trullanos, quia illi canones vulgò ſub nomine ſextæ Synodi citantur *in cap. placuit*, 16. *diſt.cap.quoniam*, *diſt.*31.*cap.finali*, 93. *diſt. cap.ſi quis Epiſcopus* 37.*q.* 1. *cap. Iacobus*, *de conſecr.diſt.*1. *& alibi*; & de eorum auctoritate latè agunt Turrianus *ſpeciali opuſculo de ſexta Synodo*, Canus *de locis lib.*5. *cap. vlt.* Baſilius *de matrim. in append. cap.* 1. Balſamon *in ſcholiis ipſius Synodi*, Beyerlinch *in theatro*, *tom.*2. *verbo Concilium*, Cabaſſutius *in notit. Concil. in ead. Synodo*, I. Dartis *in diſt.* 15. Mendoza *ad Concil. Illiberit. lib.*2. *cap.* 52. & planè ſunt qui eos floccifaciant, vt Serlogus *in Cantica*, *antiloquio* 5. *ſect.*42. *à num.* 15. Fagundez *in Apologia ſententiæ de eſu ouorum*, *cap.* 37. Corjolanus *in breuiario*, *anno* 691. eos admittunt Suarez 2.*p.in* 3.*p. diſt.*13. *ſect.*2. Salazar *in lib. de conceptione*, *cap.*28.§.4. Delrio *polemic.*1. Pro cuius diſſidij compoſitione ſciendum eſt, in ſexta Synodo ſub Agathone, & temporibus Conſtantini IV. celebrata ad extirpandam hæreſim Monothelitarum, præter actiones decem & octo, & nouem decreta, nullos canones editos fuiſſe; ſed finitâ ea Synodo, poſt quatuor annos ab Epiſcopis Orientalibus canones centum & duo nullis Pontificis Legatis præſentibus editos fuiſſe, vt ipſi Patres Orientales fatentur *in cap. quoniam*, 16. *diſt.* vbi pro *ſuo*, legendum eſt *tuo*; quos canones Orientales fecerunt, vt ritus ſuos ſtabilirent, in quorum multis à R. Eccleſia maximè diſſentiunt; qui cùm per Sed. Ap. approbati non fuerint, dum R. Eccleſiæ contradicunt, minimè ſunt recipiendi; quatenus tamen conſentiunt, perinde habentur, ac ſi in Synodo prouinciali editi eſſent. Nec contrarium probatur *in cap. ſextam* 5.16. *diſt.* nam verba ibi relata non ſunt Hadriani Pont. ſed Taraſij, quæ Hadrianus refert ex ipſius epiſtola, & habentur *in cap.*29. & in 7. Synodo *act.* 2. vbi legitur, *ſex Synodos recipio*, vt docuerunt Mendoza & Dartis *ſuprà.*

COMMENTARIVM.

11. CONCLVSIO PROBATVR. His vtriuſque ſententiæ penſatis argumentis Innocentius decreuit, *Subdiaconum in Epiſcopum eligi poſſe.* Cuius ſententia probari poteſt ex Concilio Trident. *ſeſſ.*22. *de reform. cap.*2. ex bulla Gregorij IV. edita die 15. Maij, anno 1590. Eam illuſtrant plures congeſti à Barboſa *in præſenti*, & ad Concil. Trident. *d. cap.* 2. & *de poteſt. Epiſc.tit.*1.*cap.*5. *num.*4. & *allegat.*1. Fragoſo *de regim. Chriſt. Reip.tit. de Epiſcopo*, *diſput.*8.§.1.*n.* 16. Couarr. *in regula peccatum*, 2.*p.*§.8. *num.*6. Duarenus *lib.*1. *de ſacris Eccleſiæ*, *cap.* 14. Azor *p.* 2. *inſtit. moral. lib.*3. *cap.*28. *num.*7. Acuña & Dartis *in d. cap. nullus*, 60.*diſt.* Bellarm. *tom.*2. *contro. lib.*1. *cap.*2. §. *olim*, Diana *p.*12.*tract.de conſecr. Epiſcop. reſolut.* 53. Hallier. *de ſacris elect. ſect.* 1. *cap.* 1. *art.*4.*pag. mihi* 390.

12. RATIO DVBITANDI. Sed vltra fundamenta adducta ab aſſertoribus contrariæ ſententiæ pro dubitandi ratione, aduersùs hanc Innocentij ſententiam ita inſurgo. Diſciplina eccleſiaſtica omnibus Eccleſiæ ſæculis obſeruata, non patitur vt per ſaltum qui in gradu Subdiaconatus eſt, in Epiſcopum eligatur; immò innumeris iuris noſtri locis cautum eſt, vt in Epiſcopum cooptandus, priùs in minoribus ordinibus, poſteà in gradu Subdiaconatus, demùm in Diaconatus ordine, tandem in Preſbyteri officio probetur; & tunc ſi habilis, vtiliſque reperiatur, in Epiſcopum aſſumatur: conſtat ex auctoritatibus congeſtis à Gratiano *in* 51. *&* 77. *diſt.* Caius Pontifex *in epiſt. ad Felicem*, ibi: *Vt ad ordines eccleſiaſticos ſic aſcendant in Eccleſia, qui ordinari merentur, ideſt ſi quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primò Oſtiarius, deinde Lector, poſteà Exorciſta, inde ſacretur Acolytus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus, & poſteà Preſbyter, & exinde ſi meretur, Epiſcopus ordinetur.* Siricius *epiſt.* 8. 9. 10. *&* 15. pluribus auctoritatibus, & exemplis probant Hallier. *de ſacris elect. pag. mihi* 387. Anton. Auguſt. *lib.* 4. *tit.* 4. Igitur non ſufficit, ſi eligendus in Epiſcopum ſit in gradu Subdiaconatus conſtitutus. E contrario, videlicet adhuc laicum, & nullo gradu maiori aut minori inſignitum, poſſe in Epiſcopum eligi, probatur auctoritatibus & exemplis. Auctoritatibus, primò ex Pontificali Romano, *tit. de conſecrat. Epiſcop.* vbi docetur, vt ſi laici in Epiſcopos eligantur, priùs omnes inferiores ordines ſuſcipiant, antequam conſecrentur. Exemplis probatur petitis ab ipſis Apoſtolis; nam Barnabas, Andreas, & alij adhuc tantùm laici in Epiſcopos fuerunt electi; in actis enim Apoſtolorum non legimus ipſos in Preſbyteros fuiſſe ordinatos, demúmque in Epiſcopos; ſed vnica conſecratione Epiſcopos fuiſſe creatos. Nicolai, Ambroſij, & Seueri exempla refert Gratianus *in cap. Statuimus* 8.§. *his omnibus*, 61. *diſt.* igitur etſi gradum Subdiaconatus quis non ſit adeptus, poteſt in Epiſcopum eligi.

13. INNOCENTII SENTENTIA PROBATVR RATIONE. His & aliis fundamentis contrariæ ſententiæ non obſtantibus vera eſt noſtri Innocentij deciſio, quæ eâ nititur ratione: nam cùm ſacris Eccleſiæ canonibus ſtatutum fuiſſet, ne in Epiſcopum eligeretur, niſi qui in gradu ſacro, videlicet Preſbyteri, vel Diaconi eſſet conſtitutus, *cap.* 3. *&* 4. 29. *diſt. cap. finali*, 60. *diſt.* & æuo noſtri Innocentij iam Subdiaconatus gradus inter ſacros ordines enumeraretur, votumque caſtitatis annexum haberet, *d. cap. erubeſcant*, *cap. nemo*, 32.*diſt. cap. vt nullus*, 38. *diſt.* inde ſublatâ prohibitionis ratione, ceſſauit & ipſa prohibitio; non enim ante Gregorium & Vrbanum II. Subdiaconus in Epiſcopum eligi poterat, quia gradus ſacer Subdiaconatus non erat; ſed temporibus eorum ſacer effectus, & declaratus eſt: igitur non erat ratio, quæ impediret Subdiaconum in Epiſcopum eligi, vt eligebantur Diaconi, & Preſbyteri. Rectè ergo Innocentius III. veterem controuerſiam ſedauit, ſtatuendo Subdiaconum poſſe in Epiſcopum eligi.

14. RESPONDETVR FVNDAMENTIS CONTRARIIS. Nec quæ contra Innocentium expendebamus, obſtant. Diſcrimen enim eſt conſtituendum inter ordinationem Epiſcopi, & eius electionem; licèt enim Subdiaconus in Epiſcopum eligi poſſit, non tamen ordinari valet, cùm ordines eccleſiaſtici gradatim, non per ſaltum ſint aſſequendi: minoribus enim ordinibus initiatus priùs Subdiaconus, demùm Diaconus, tandem Preſbyter ordinari debet, vt dicemus *in cap. vnico*, *de clerico per ſaltum.* Vnde textus compilati *in d.* 77. *diſt.* & alij ſuprà adducti, accipiendi ſunt de ordinatione, & conſecratione Epiſcopi; Innocentij verò noſtri deciſio de eius electione, circa quam non ſunt aliqui gradus ſeruandi. Vtrum verò ſi Subdiaconus per ſaltum in Epiſcopum ordinetur, recipiat characterem

racterem Episcopalem, disputat Marquinus *de Ordine, part. 1. cap. 11. num. 20.* Leander *eod. tract. disput. 1. quæst. 13.* Diana *part. 12. tract. de consecr. Episcop. resolut. 53.* Hallier. *de sacris elect. pag. 392.* qui negatiuam sententiam pluribus auctoribus probat, & sequitur. Nec secundum fundamentum obstat, nam licèt ex Innocentij III. decisione, Concilij Trident. decreto, & Gregorij XIV. bullâ non possent nisi gradu sacro insigniti in Episcopos eligi, tamen postulari valebant, *cap. Ostius, 61. dist.* quia plures qui eligi non possunt, postulantur. Vnde ita postulati fuerunt ex diuina inspiratione Ambrosius, Nicolaus, Seuerus, & alij, quos referunt Maiolus *de irregul. lib. 15. cap. 31. num. 4.* Ojeda *de incompatib. cap. 24. num. 4.* Garcia *de beneficiis part. 1. cap. 2. num. 28.* Nec Apostolorum exempla vera sunt, siquidem illi sacerdotes initiati fuerunt in nocte cœnæ; Episcopi verò creati post ascensionem Domini, & sic iam presbyteri in Episcopos cooptati fuerunt.

15. EXPONITVR CAP. DILECTVS DE TEMPOR. ORDIN.

Adhuc Innocentij sententiæ obstat textus *in cap. dilectus, de temporib. ordin.* in illis verbis: *Qui cùm esset citra sacros ordines constitutus.* Ex quibus apertè constat G. adhuc Subdiaconatus gradu non initiatum in Episcopum fuisse electum: igitur qui adhuc in sacro ordine non est, potest in Episcopum eligi. Cui difficultati satisfaciendum est ex suprà adductis, videlicet asserendo, in eo textu G. non fuisse electum, sed postulatum; & cùm postulari quilibet etiam laicus in Episcopum possit, *dict. cap. Ostius*; ideò in eo textu canonicus tantùm in minoribus constitutus potuit in Episcopum postulari. Nec huic solutioni aduersantur illa verba, *vnanimiter elegerunt*; quia insolens non est in iure nostro, vt verbum *eligere*, accipiatur pro *postulari*, vt *in cap. post translationem, de renunt.* dixi *in cap. 1. de postulat. Prælat.* Vnde verbum illud, *elegerunt*, *in dict. cap. litteras*, accipiendum est pro *postularunt*, vt Glossa & communiter repetentes in eo textu docent. Quo modo intelligendus est textus *in cap. litteras, eod. tit.*

16. INTELLIGITVR CAP. CVM

Secundò aduersatur suprà traditæ assertioni textus *in cap. cùm olim 12. de sentent. & re iudic.* in illis verbis: *Qui nondum ad Diaconatus erat promotus officium.* Ex quibus deducitur, electionem cuiusdam Archidiaconi ideò irritari & annullari posse, quia tempore electionis in Diaconatus gradu constitutus non erat: igitur si in Archidiacono eligendo desideratur Diaconatus gradus; multò magis in Episcopo, & per consequens qui in Subdiaconatus tantùm gradu est constitutus, in Episcopum eligi non potest. Redditur etiam difficilis textus ille *ex cap. præterea, hoc nostro tit.* vbi deciditur, ad regimen animarum assumi posse constitutum tantùm in gradu Subdiaconi: ergo non rectè *in d. c. cùm olim*, desideratur, vt eligendus in Archidiaconum Diaconus sit tempore electionis. Huius difficultatis solutio in promptu est, si animaduertamus, verba suprà relata non continere Pontificis decisionem, sed partis allegationem: nec ea ratione mouetur Pontifex, immò etsi tantùm infra Subdiaconatus gradum esset constitutus, posset in Archidiaconum eligi. OLIM, DE RE IVDICATA.

17. EXPONITVR D. ATHANASIVS APOLOG. 2.

Tertiò aduersus huius textus contexturam expendi possunt litteræ Synodi Hierosolymitanæ apud Athanasium *apolog. 2.* vbi Patres Ecclesiæ Episcopis Arrianis obiiciunt, *quod temerè tentassent eum, qui presbyter non esset, contra antiquam consuetudinem nominare Episcopum* (hæc sunt verba Patrum.) Ex quibus apparet, iam temporibus Athanasij non posse quem in Episcopum eligi iuxta Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, nisi priùs in presbyterum esset initiatus: ergo non rectè asserit Innocentius noster ex antiqua Ecclesiæ disciplina Diaconum potuisse in Episcopum eligi, cùm ibi Patres Catholici Arrianis obiiciant, quod Diaconum in Episcopum nominassent. Huic difficultati respondendum est, Ecclesiæ Patres non increpare Arrianos, quia Diaconum in Episcopum elegissent, sed quia illum per saltum, omisso Presbyteri gradu, in Episcopum ordinassent, & consecrassent: quæ solutio facilè suadetur, si ex Græco sermone rectè in Latinum prædicta verba vertantur; & tunc rectè corripiuntur Arriani Diaconum in Episcopum per saltum ordinantes, vt similiter Patres Concilij Sardicensis reprehendunt Ischyræ ordinationem; quia cùm presbyter non esset, ab Arrianis in Episcopum ordinatus est, apud Theodoretum *lib. 2. histor. cap. 8.* Supponit potiùs, quàm exponit Hallier. *de sacris elect. sect. 1. cap. 1. §. 5. pag. 392.*

CAPVT X.

Idem *tit. S. Crucis Presbytero* [a] *Cardinali.*

TVam in Domino diligentiam commendamus, quam super monasterio sancti Quiricij reformando dignosceris adhibere. Deuotioni tuæ præs. auctoritate m. quat. si non potes eidem monasterio de persona idonea meliùs prouidere, tu monachum illum, quem in litteris tuis de honestate, ac industria commendasti, per quem status eiusdem loci creditur reformandus, nullum prorsus habens respectum ad petitionem illicitam, quam quidam laici faciebant, sed ex tuo duntaxat prouisionis officio instituas in Abbatem: ita videlicet, quod ad sacros ordines non ascendet, cùm instante [b] necessitatis articulo possit in Abbatem assumi etiam in minoribus ordinibus constitutus, & laici memorati non sint consanguinitate, vel affinitate coniuncti monacho memorato, vt ex ipsorum petitione debeat contra eum aliqua sinistra suspicio suboriri.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Cardinali.*] Leoni videlicet, qui ex canonico regulari congregationis S. Frigidiani Cardinalis creatus fuit anno 1200. Eum misit Legatum in Bulgariam Innoc. III. ad coronandum Ioannicum, siue Calojoannem, Principem illius regni, vt ex historicis illius sæculi refert Spondanus *anno* 1204. *num.* 13. Et cùm obiter aliqua monasteria visitasset, accessit ad monasterium S. Quiricij, quod est Ordinis D. Benedicti, & consuluit Innocentium III. super electione Abbatis: quod responsum refertur in præsenti, & reperitur in tertia collectione, *sub titul. de temporib. ordin. cap. vlt.*

2. b *Necessitatis.*] Licèt post Concilium Pictauiense relatum *in cap.* 1. *hoc tit.* Abbates debeant in presbyteros ordinari; tamen si necessitas adsit, poterit non sacerdos eligi, propter necessitatem vrgentem, iuxta pristinum statum, & tempora D. Benedicti, cùm Abbates sacris ordinibus non initiabantur, *ex can.* 14. *&* 15. *septimæ Synodi, cap. Presbyteri, dist.* 24. latè probaui *in cap. ad aures* 5. *de temporib. ordin.* Vnde cùm non repugnet naturæ dignitatis Abbatialis, vt non sacerdos ad eam eligatur; ideò vrgente necessitate potest irregularis in Abbatem eligi.

CAPVT XI.

Rhotomagensi [a] *Archiepiscopo.*

CVm contingat interdum, quod laici ad monasteria conuolantes, à suis Abbatibus tonsurentur, Ap. Sed. oraculum requisisti, an clericatus ordo in tonsura huiusmodi conferatur. Super quo fr. t. t. r. quod cùm in [b] septima Synodo sit statutum, vt Lectores per manus impositionem licentia sit vnicuique Abbati in proprio monasterio solummodo faciendi, dummodo ipsis ab Episcopo secundùm morem præficiendorum Abbatum manus impositio facta noscatur, & constet eum existere sacerdotem; per primam tonsuram à talibus Abbatibus iuxta formam Ecclesiæ datam, clericalis [c] ordo confertur.

2.

NOTÆ.

1. a *Archiepiscopo.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. sed inscriptionem hanc exposui, & litteram integram dedi *in cap. cùm contingat* 26. *de rescriptis.*

b *Septima Synodo.*] Generali videlicet, celebrata anno 787. aduersùs imaginum hostes; nam cùm Constantinus, & Irene vidissent multa mala facta esse in Ecclesia propter imagines, & tres Imperatores prædecessores eas destruxisse, ipsi consilium inierunt de Synodo habenda; quare scripserunt ad Hadrianum Papam, vt in ea præesset, de qua Synodo, & eius actionibus plura adduxerunt Anton. Augustin. *in epit. iuris, lib.* 1. *titul. de Conciliis*, Turrian. *in opusc. pro septima Synodo*, Ioan. Dartis *in* 15. *dist. fol.* 75. Eius canon, qui in præsenti refertur, reperitur *in cap. quoniam*, 69. *dist.* Sed quia aliter habetur apud Gratianum quàm in ipsa Synodo, ex Regia editione Parisiensi textus ita restituendus est. *Quod ordo in sacerdotio versatur, est omnibus manifestum, & sacerdotij munera exactè seruare Deo gratum est. Quoniam ergo videmus nonnullos à pueris cleri tonsuram accipientes, nondum verò acceptâ Episcopi manuum impositione, in congregatione, in suggestu legentes, & id non canonicè facientes, hoc a præsenti canone fieri non permittimus; hoc autem ipsum etiam in monacho seruari: lectores autem tantùm per manuum impositionem licet in proprio monasterio tantùm vnicuique monasterij Præfecto facere, si ipsi Præfecto scilicet ab Episcopo manus est imposita ad Præfecturam Hegumeni, dum sit & ipse Presbyter similiter; & ex antiqua consuetudine Chorepiscopos Episcopi permissu oportet lectores ordinare.*

c *Clericalis ordo.*] His verbis moti plurimi ex Canonistis asserunt, primam Tonsuram esse ordinem, vt docent Gregor. Lopez *in tit.* 16. *part.* 1. Ceuallos *Communium quæst.* 524. *num.* 2. Torreblanca *de magia cap.* 6. & alij congesti à Leandro *tom.* 2. *de sacram., quæst.* 5. Pro quibus etiam faciunt textus *in cap. degradatio* 2. *de pœnis*, ibi: *Vsque ad primam tonsuram, quæ datur in collatione tonsuræ; de pœnis in* 6. textus *in cap. quoniam*, 61. *dist.* in nostro textu relatus, vbi asseritur, tonsuram conferri per manus impositionem: igitur quia est clericalis ordo. Etiam facit, quod tonsuram habenti, competit priuilegium canonis *si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. vt probatur *ex cap.* 1. *de sentent. excom.* Docent Toletus *in summa. lib.* 1. *cap.* 13. Hugolinus *de censuris, tab.* 2. *in cap.* 16. §. 3. *num.* 10. Iulius Clarus *lib.* 5. *sentent. in quæst.* 77. *num.* 4. & etiam ante Concil. Trident. primâ tonsurâ initiatus priuilegio fori fruebatur, ne videlicet conueniretur coram iudice sæculari in ciuilibus, aut criminalibus causis, *cap.* 2. *de foro compet. cap.* 1. *de cleric. coniugat. lib.* 6. Tradunt Couar. *pract. c.* 31. *num.* 5. licèt hodie ex dispositione Concilij Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. ita primâ tonsurâ initiatus priuilegio fori fruatur, si beneficium ecclesiasticum obtineat, aut alicui Ecclesiæ inseruiat de mandato Episcopi; quod & lege Regia apud nos firmatum est, *l.* 1. *&* 8. *tit.* 4. *lib.* 1. *recopil.* Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 18. *num.* 102. Marquinus *de Ordine, tract.* 2. *part.* 1. *cap.* 15. Delbene *de immunit. Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 1. *dubit.* 5. plures Barbos. *de potest. Episcop. allegat.* 12. *&* 13. Ayllon. *ad Gonezium*

zium tit. de delictis, cap. 10. num. 4. Sed adhuc defendendum est, primam tonsuram ordinem non esse, sed præuiam dispositionem ad ordines, vt probatur *ex cap. 6. de vita & honest. cleric. cap. cùm inter 13. de re iudic. can. 51. D. Basily ad Amphiloc.* vbi notat Balsamon. Trident. *sess. 14. de reform. cap. 2.* ibi: *Ad minores ordines, aut ad tonsuram.* Vbi distinguitur tonsura ab ordinibus: & *sess. 23. de reform. cap. 4.* Docent Bellarm. *tom. 1. contro. lib. 1. de clericis, cap. 13.* Petrus Greg. *lib. 16. syntagm. cap. 1. num. 9.* plures congesti à Leandro *vbi suprà, q. 5.* Sausay *in Panopl. cleric. 1. p. cap. 1. num. 1.* Nec contrarium probant verba præsentis textus suprà relata; nam omissis variis interpretationibus traditis à P. Gabriel. Vasquez *3. p. in 3. p. disp. 236. cap. 1.* Marquino *de Ordine, tract. 1. cap. 15. p. 1.* dicendum est, Innocentium III. accipere ordinem clericalem pro statu, quo tonsurati à laicis discernuntur, & segregantur; non verò pro gradu conferente aliquam potestatem mediatam, vel immediatam ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Quomodo etiam accipiendi sunt textus *in cap. cùm Cyprianus 20. q. 1. cap. 1. & finali, de vita & honest. cleric. lib. 6.* vbi primâ tantùm tonsurâ initiati appellatione clericorum veniunt, eo quod ita tonsuratos Ecclesia inter clericos enumerat: vnde illis priuilegia fori, & canonis competunt, vt probant Doctores suprà laudati.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hoc fragmento epistolæ Innocentij III. sequens deducitur assertio: *Abbas benedictus, si Presbyter est, potest conferre primam tonsuram, & quatuor minores gradus.* Probant textus *in cap. quamuis 4. 68. dist. cap. quoniam 69. dist. cap. 1.* iuncta glossa *verbo A non Episcopis*, de ordinatis ab Episcopo, *cap. cùm inter 13. de re iudicata, cap. Abbate, de priuileg. lib. 6.* Concilium Pictauiense celebratum anno 1109. *can. 11. Nullus præter Episcopum coronas benedicere præsumat, exceptis Abbatibus.* Trident. *sess. 23. de reform. cap. 10.* Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti, & de potest. Episcop. allegat. 3. num. 5. & in d. cap. 10. Concil. Trident.* quibus addendi sunt Zonaras, & Balsamon *in d. can. 14. septimæ Synodi*, Bosquetus *in notis ad Innocent. III. lib. 1. epist. 157.* Sausay *in Panopl. cleric. p. 1. lib. 4. cap. 2.* Chopinus *monast. tit. 2. num. 18.* Buscus *de statib. verbo Abbas*, Hallier. *de sacris elect. art. 2. §. 2. cap. 3. pag. 560.* Leander *tom. 2. de sacr. tract. de Ordin. disp. 4. q. 9.* Bruno Chassaing. *de priuileg. regul. tract. 7. cap. 3.* Diana *p. 11. tract. 2. resolut. 17. 30. & 40.* Magnus vir Præceptor D. Franciscus Ramos *in memor. pro Episcop. Lusit. propos. vlt. §. 4.* Marinis *alleg. 112.*

4. RATIO DVBITANDI.

Hæc assertio ex Innocentij decisione deducta difficilis redditur sequenti consideratione: Vulgare iuris nostri principium est, vnumquemque à proprio Episcopo esse ordinandum; Episcopumque esse ministrum ordinarium sacramenti Ordinis, latè probaui *in cap. 2. de ordinatis ab Episcopo:* sed clericalis tonsura, & quatuor minores gradus ad sacramentum Ordinis spectant, eiusque partes sunt, *cap. 1. & per totam 23. dist. cap. in singulis, 77. dist.* ergo tantùm ab Episcopis, non verò ab Abbatibus conferri possunt. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex generali prohibitione textus *in cap. nullus, de temporib. ordin. lib. 6.* in illis verbis: *Nullus Episcopus, vel quiuis alius absque sui superioris licentia diœcesis alienæ clericalem præsumat conferre tonsuram, prout sacris canonibus definitum est.* Igitur Abbates etiam Benedicti sine licentia Episcopi, nec primam possunt conferre tonsuram. Augetur secundò hæc dubitandi ratio; nam frustra precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l. vnica*, cum vulgatis, *C. de thesauris, lib. 10.* sed Abbati S. Benedicti monasterij S. Crucis Burdigalensis Clemens IV. priuilegium concessit, vt possit primam conferre tonsuram, vt testatur se legisse, & vidisse Bruno Chassaing. *d. tract. 7. propos. 1.* igitur quia iure communi Abbatibus non licet primam conferre tonsuram.

5. ABBATES A QVO TEMPORE CONFERANT ORDINES.

Hac difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est tradita assertio, ad cuius expositionem prænotandum est, primis Ecclesiæ temporibus, dum tam Abbates, quàm monachi sacris non initiabantur ordinibus, vt latè dixi *in cap. ad aures, de temporib. ordin.* Abbates neque gradum vllum, neque primam tonsuram nouitiis, seu iam conuersis conferre potuisse. Ante septimam autem Synodum iam legimus Abbates suorum cœnobiorum incolis, non tantùm habitum regularem tradidisse, sed eisdem etiam tonsuram ecclesiasticam contulisse, constat ex Gregorio Turon. *in vitis Patrum, cap. 6.* in illis verbis: *Cúmque ei pater cuiusdam Senatoris filiam quærere vellet, ille assumpto secum vno puerulo monasterium Cremonense expetit, sexto situm ab vrbe milliario, simpliciter Abbatem exorans, vt sibi comam capitis tondere dignaretur: at ille videns prudentiam, atque elegantiam pueri, nomen inquirit, interrogat genus, & patriam: ille verò Gallum se vocitari pronuntiat, ciuem Abernum, Georgij Senatoris filium: quem Abbas vt cognouit de prima stirpe esse progenitum, ait: Bene desideras fili, sed primùm oportet hæc ad patris tui referri notitiam, & si hæc ille voluerit, faciam quæ deposcis. Denique Abbas pro hac causa nuntios mittens ad patrem, interrogauit, quid de puero fieri inberet? At ille parumper contristatus: Primogenitus (inquit) erat mihi, & ideò volui coniugio copulare; sed si eum Dominus ad suum dignatur accire seruitium, illius magis, quàm nostra voluntas fiat; & adiecit: Quidquid vobis infans Deo inspirante suggesserit, adimplete.* Successit septima Synodus, cuius mentio in præsenti fit, & in ea Patres indulserunt Abbatibus facultatem conferendi gradum Lectoratus. Vnde rectè arguens Innocentius in præsenti deducit, & tonsuram eos conferre posse; quam facultatem ampliauit Alexander IV. *in cap. Abbates, de priuileg. lib. 6.* vt non solùm conuersis conferrent tonsuram, verùm & illis, qui ad monasteria conuolarunt, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent. Eandem potestatem suis specialibus priuilegiis concesserunt Gregorius IX. bullâ 23. Iulius II. bullâ 25. Innocentius VIII. bullâ quæ incipit, *Exposuit.* Cœlestinus V. bullâ expeditâ anno 1294. quas refert Bruno Chassaing. *vbi suprà:* sed eam potestatem restrinxerunt Patres Concilij Tridentini *sess. 23. de reform. cap. 10.* vt tantùm regularibus quatuor gradus, & primam tonsuram subditis suis conferre liceret, ibi: *Abbatibus non liceat*

in posterum cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.

6. EXPONITVR TRIDENTINVM. Prædicto Concilij decreto Abbatibus potestas conferendi minores Ordines, non solùm regularibus, verùm & nouitiis *in d. cap. Abbates*, concessa, ibi: *Conuersis, & qui ad illa connolarint*; restricta fuit, itavt hodie tantùm regulariter professis possint Abbates conferre tonsuram, & quatuor minores gradus; non tamen nouitiis, vt docent Hugolinus, Miranda, Marchinus, & alij relati à Barbosa *alleg.* 3. *n.* 8. Tamburino *de iure Abbatum tom.* 2. *disput.* 2. *quæstion.* 27. Diana *tract.* 2. *resolut.* 30. Hallierio *de sacris election. vbi suprà, pag.* 563. Licèt contrarium, videlicet etiam nouitiis posse Abbates conferre minores ordines, defendant Suarez *de religion. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. Layman laudatus, & secutus à Leandro *dict. disp.* 4. *quæst.* 11. Bruno Chassaing. *d. tract.* 7. *propos.* 2. Quod idem dicendum est in alienis subditis, etiam cum litteris dimissoriis proprij Episcopi; non enim illis Abbates etiam benedicti, & habentes ius mitræ, & baculi possunt conferre tonsuram, aut quatuor minores ordines, vt resoluunt plures relati à Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 3. *n.* 10. etsi contrarium non improbabiliter teneant Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 7. Diana 5. *p. tract.* 13. *resol.* 93. Leander *vbi suprà, q.* 3. Bruno *d. propos.* 2. An autem etiam post Trident. quatuor primi Abbates Ordinis Cistercienſis possint Subdiaconatum & Diaconatum conferre, disputant Bruno *vbi suprà*, Diana *p.* 11. *tract.* 2. *resolut.* 40. & plura de potestate Abbatum exemptorum congessit Marinis *lib.* 1. *resol.* 1.

7. ABBATES DEBENT ESSE BENEDICTI. Non autem prædicta septima Synodus, & canones suprà citati omnibus Abbatibus generaliter indulserunt ius conferendi tonsuram, & quatuor minores ordines; sed ita demùm, si sint sacerdotes, & ab Episcopo benedicti, *d. cap.* 1. 69. *dist.* ibi: *Dum sit & ipse Presbyter*: quæ verba licèt aliqui ex Latinis Interpretibus referant ad Episcopum, non verò ad Abbatem; tamen rectè Zonaras & Balsamon ibi animaduertunt, referenda esse illa verba ad Abbatem, qui debet esse Presbyter, vt possit prædictos minores ordines conferre; & post eos ita illum textum accipit Bosquetus *lib.* 1. *ad Innocent. epist.* 125. Etiam desideratur vt Abbates sint benedicti ea benedictionis forma, quam exposuimus *in cap.* 1. *de supplend. neglig.* nisi ob culpam, seu negligentiam Episcopi benedictionem non receperint; tunc enim, & monachos benedicere, & ordines conferre valent; ex traditis *in dict. cap.* 1. & docent Diana *dict. p.* 11. *resolut.* 30. Bruno *dicto tract.* 70. *cap.* 3. *propos.* 3. licèt contrarium defendat Hallierius *dict. pag.* 563. Etiam Abbates illi non benedicti, quibus priuilegio speciali concessum est, vt etsi trienniales sint, possint minores ordines conferre, vt docent Brunus, & Diana *vbi suprà*, *dict. resolut.* 30.

8. RATIO DECIDENDI. Prædictæ conclusionis ratio ea reddi potest; nam cùm alij præter Episcopos possint minores ordines conferre, *cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo*, vbi probaui; & etiam simplices Sacerdotes, ex commissione R. Pontificis, vt ibi dixi, & latè probant Hallier. *de sacris elect.* vbi suprà, *pag.* 67. Macedo *de clauibus Petr. lib.* 4. *cap.* 5. & Abbates, qui sacerdotes sunt, & benedicti, & iurisdictionem quasi Episcopalem exercent in suos subditos, ius mitræ & baculi habeant, vt probant aliis relatis Paz Iordanus *in Theolog. Moral. tom.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 10. *cap.* 14. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 16. Murga *tom.* 1. *tract.* 1. *disquisit.* 4. inde eis rectè concessum est à sacris canonibus in corpus iuris compilatis, & extra existentibus, vt possint primam tonsuram, & quatuor minores conferre ordines suis subditis: & cùm iam in septima Synodo concessum esset conferre quatuor minores ordines, rectè argumentatur Innocentius in præsenti, & statuit primam tonsuram Abbates conferre posse.

9. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec obstat difficultas suprà adducta; nam huius sacramenti, sicut & aliorum, duplex minister datur: alius ordinarius; extraordinarius alius. Minister ordinarius est Episcopus, vt diffinitum est in Concilio Florentino, & nos latiùs probauimus *in cap.* 2. *de ordinatis ab Episcopo*; alius minister extraordinarius est, vt Abbas benedictus, Presbyter ex delegatione, Chorepiscopus; isti enim vt ministri extraordinarij possunt minores ordines, & tonsuram conferre; non verò vt ordinarij, quia collatio ordinaria sacramenti Ordinis tantùm Episcopo competit. Nec augmentum difficultatis deductum ex priuilegio Clementis IV. refragatur, cui satisfieri potest asserendo, priuilegium illud concessum fuisse ad sedandas discordias, quæ contingere poterant ex obseruantia iuris communis, vel priuilegiorum; & necessarium fuisse, quia cùm Abbas ille monasterij S. Crucis ex noua concessione Innocentij VIII. haberet ius deferendi baculum, & mitram, vt cognosceretur iam ita insignitum posse conferre minores ordines, expressa Pontificis concessio necessaria erat, vt docet Bruno *dict. tract.* 7. *propos.* 1.

10. EXPONITVR CAP. CVM INTER, DE RE IVDICATA. Adhuc superiori assertioni obstat textus *in cap. cùm inter* 13. *de re iudic.* in illis verbis: *Præsentatione ad ordines, tonsuratione.* Ex quibus verbis colligitur, Abbatem S. Zenonis Veronensis, eo quod haberet ius quasi Episcopale in Ecclesia S. Proculi, debere clericos sibi subiectos ad sacros ordines, & tonsurationem Episcopo proprio præsentare: igitur Abbas, quantumvis benedictus sit, & habeat ius mitræ, & baculi, vt habebat Abbas S. Zenonis, de quo plura refert Yepes *tom.* 3. *chron. D. Benedicti, pag.* 279. subditis propriis minores ordines conferre non valet. Variis modis difficultatem effugere intendunt antiquiores in eo textu. Hostiensis ibi existimat, tantùm in eo affirmari primam tonsuram clericos Ecclesiæ S. Proculi debere accipere ab Episcopo proprio. Cuiacius existimat, Abbatem S. Zenonis omnes gradus conferre potuisse. Sed omissis his, & aliis sententiis, ex suprà dictis textus ille accipiendus est; nam cùm Abbas, etiam benedictus, non possit ordines maiores subditis conferre; inde Abbas S. Zenonis se tantùm habere ius præsentandi clericos proprios Episcopo, ad ordines recipiendos aiebat. Sed quia primam tonsuram subditis suis, ex suprà dictis conferre poterat, ideò rectè affirmabat se ius habere in tonsuratione: non ait textus, in præsentatione ordinandorum Episcopo facienda quoad tonsuratio-

nem,

nem, ſed abſolutè ſe ius habere in tonſuratione, id eſt in tonſuræ collatione, & in repræſentatione ad ordines, videlicet maiores: non ergo repræſentatio referenda eſt ad tonſuram, ſed ad maiores ordines.

11. INTELLIGITVR CAN. 62. CONCILII AQVISGRAN.

Secundò aduerſatur Concilium Aquiſgran. *can.* 62. in illis verbis: *Vt Abbas, Præpoſitus, vel Decanus, quamvis Preſbyteri non ſint, Lectoribus benedictionem tribuant.* Ex quibus depromitur, Abbates nondum ſacerdotali gradu decoratos, poſſe Lectores ordinare, & benedicere: igitur non rectè in præſenti deciditur, ita demùm Abbates minores ordines conferrre poſſe, ſi Preſbyterali ordine decorati ſint. Pro huius canonis interpretatione dicendum eſt, in eo non agi de ordinatione Lectoris, ſed de benedictione illi præſtanda eo tempore, quo in Eccleſia legebat. Quod vt faciliùs percipiatur, ſciendum eſt, magnum Patriarcham D. Benedictum in ſua regula ſtatuiſſe, vt Lector ab Abbate tempore lectionis benedictionem peteret per ea verba, *Iube Domnè benedicere.* Et in ipſo Concilio, *can.* 67. ſtatuitur, vt Lector ſtando benedictionem petat; huius ritus varias rationes reddit Ephtenus *lib.* 7. *diſquiſit. tract.* 6. *diſquiſit.* 7. noſtræ tamen interpretationi magnoperè congruit ratio tradita à Petro Damiano *lib. de Dominus vobiſcum, cap.* 2. *Lecturus* (inquit) *magnæ humilitatis gratiâ, non à ſacerdote, ſed ab eo cui Sacerdos iuſſerit, ſe poſtulat benedici, dicens: Iube domne benedicere.* Etiam ſciendum eſt, illis primis temporibus Abbates in Preſbyteros non ordinari, vt de Abbatibus Benedictinis probat Ephtenus *in vita S. Benedicti, cap.* 18. Yepes *tom.* 1. *chron. anno* 532. *cap.* 5. vnde in Concilio Aquiſgran. quod ferè celebratum fuit ad ſtatuendam monaſticam diſciplinam illius Ordinis, ſtatutum fuit, vt Abbas etiam non ſacerdos poſſit Lectoribus benedictionem petentibus eam præſtare, vt ſic obſeruaretur regula D. Benedicti. Nec huic interpretationi obſtant textus *in cap. perlectis*, 25. *diſt. cap. denique*, 71. *diſtinct. cap. officium, de officio Archipreſbyteri, cap. Abbates, de priuilegiis in* 6. & aliis congeſtis à Sanſay *in Panopl. cleric. p.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. vbi docetur, benedicere proprium eſſe ſacerdotum, & ideò benedictiones plerumque dici Preſbyterales. Nam textus illi loquuntur de benedictionibus inter Miſſarum ſolennia faciendis; illæ enim niſi à Sacerdotibus impartiri non debent: at verò benedictiones Lectorum, quæ extra Miſſarum ſolennia petuntur, à quolibet Abbate, etiam non ſacerdote, illis temporibus dari poterant. Ephtenus *dict. cap.* 18. §. 11. *per totum.*

12. EXPONITVR CAP. NON OPORTET, 69. DIST.

Tertiò opponitur traditæ aſſertioni textus *in cap. non oportet* 2. 69. *diſtinct.* vbi dum *in cap.* 1. *eiuſdem diſtinct.* cautum fuit, vt liceret Abbatibus gradum Lectoratus conferre, ſtatim hæc annectit verba Gratianus ex Concilio Laodic. *Non oportet exorcizare eos, qui nedum ab Epiſcopis ſunt promoti, neque in Eccleſiis, neque in domibus.* Ex quibus verbis, iuncto Gratiani ſummario *in* 69. *diſt.* expreſsè colligitur, Abbates non poſſe gradum Exorciſtæ conferre, & per conſequens non rectè aſſerimus, Abbates poſſe primam tonſuram & quatuor gradus conferre. Pro huius textus expoſitione ſciendum eſt, primis Eccleſiæ ſæculis non ſolùm clericos, verùm etiam laicos donum eiiciendi dæmones habuiſſe, & ſic exorciſtarum officium vſurpaſſe. Tertullianus *de corona militis, cap.* 11. teſtatur à militibus eiectos fuiſſe Spiritus immundos. *Et quos*, inquit, *interdiu exorciſmis fugauit, noctibus defenſauit.* Et *lib. de idolatr. cap.* 11. docet, parentes ſolitos exorcizare proprios filios: *Quare Conſtantia exorcizauit alumnos ſuos, quibus domum ſuam & cellarium præſtat? Ille quidem ſi excluſerit dæmonem, non ſibi placeat de fide, nec eius inimicum excluſit.* Notarunt Baronius *anno* 56. Dorleans *ad Tacitum lib.* 24. *pag.* 784. Iuſtelus *in notis ad can.* 91. *Eccleſiæ vniuerſ.* Poſteà peculiare, ac diſtinctum munus in Eccleſia fuit eorum, qui in gradum Exorciſtarum cooptati erant, vt docent plura de Exorciſtis afferentes Balſamon *in can.* 26. *Synodi Laodicen.* Ambianas *ad Tertull. in apolog. cap.* 23. *in fine*, Aloix *in vita S. Antheri, cap.* 6. Pamelius *ad epiſt.* 26. *D. Cypriani*, Petrus Gregor. *lib.* 15. *ſyntagm. cap.* 5. Eſpenceus *ad D. Paulum lib.* 1. *digreſ. cap.* 9. Lindembrog. *verbo Exorciſta*, Fileſacus *de magia, pag.* 30. Pancirola *lib.* 2. *variar. cap.* 149. qui de his exorciſtis accipiunt textum *in l.* 1. §. *medicos, ff. de variis & extraord. cognit.* Vnde in dicto canone Concilij Laodic. prohibetur, ne qui ordinatus non eſt ab Epiſcopo, poſſet in Eccleſia, aut domibus exorcizare; non tamen negant Patres à Chorepiſcopis, vel Abbatibus in gradum Exorciſtarum conſtitutos poſſe exorcizare.

CAPVT XII.

[a] Idem *R. Abbati S.* [b] *Martini Laudunen. Præmonſtratenſis Ordinis.*

INtelleximus, quod cùm antequam eſſes aſſumptus ad regimen Abbatiæ, & in [c] monaſterio tuo fueris laudabiliter conuerſatus, ad monaſterium S. [d] Vincentij Laudunen. Nigri [e] Ordinis acceſſiſti. Vbi cùm aliquamdiu in ipſius habitu permanſiſſes, demùm ad cor reuerſus, de [f] Metropolitani, & aliorum Religioſorum conſilio, ad primam domum curauiſti redire. In qua tandem in regularis obſeruantiæ diſciplina taliter Deo, & hominibus placuiſti, quòd pro tuorum exigentiâ meritorum, fratres tui te ſibi præfecerunt vnanimiter in Paſtorem. Quia igitur in ſuſcepto regimine laudabiliter diceris profeciſſe, ne occaſione moræ, quam in prædicto monaſterio protraxiſti, quaſi de ipſa teneram conſcientiam retinendo, in ſuſceptæ adminiſtrationis executione tepeſcas: attendentes quod in [g] canone cautum eſt, ne quis canonicus regularis, niſi (quod abſit) publicè [h] lapſus fuerit, efficiatur [i] monachus; & ſi factus fuerit, ad ordinem canonicum reuertatur, [k] vltimus in choro manendo, [l] cucullam in [m] memoriam delaturus: Diſcretionem tuam monemus attentiùs, & hortamur, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus circa curam gregis tibi commiſſi ſolicitudinem gerere ſtudeas indefeſſam, & taliter ſequentia bona continuare prioribus, quòd dignum exinde poſſis à Deo meritum expectare. Datum Lateran. VII. Kal. Martij, Pontif. noſtri anno tertiodecimo.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita tantùm legitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. & in ſexta; ſed ex epiſtolis Innocentij III. editis à Boſqueto reſtituenda eſt inſcriptio; libro enim primo, *regeſt.* 13. *epiſt.* 4. reperitur hæc deciſio, ex quo eam tranſcribimus.

b *S. Martini.*] Monaſterium hoc eſt Ordinis Præmonſtratenſis, in vrbe Laudunenſi: eius mentio fit *in cap. cùm liberum 6. de ſepultur.* De ordine Præmonſtratenſi egi *in cap. edoceri, de reſcriptis.*

1. c *In monaſterio tuo.*] Licèt religioſi Præmonſtratenſes ſint Canonici regulares, Concil. Chalced. celebratum anno 450. *cap.* 8. Arelat. Moguntin. & alia apud Pennotum *lib.* 2. *hiſtor. canonic. regul. cap.* 18. tamen quia frequenter canonici regulares dicuntur monachi, *cap. relatum, de præbendis, cap. poſt tranſlationem, de renunciat.* notauit latè Pennotus *lib.* 1. *hiſtoriæ, cap.* 38. & *lib.* 2. *cap.* 1. ita eorum clauſtrum monaſterium dicitur, *cap. perniciosam* 18. *q.* 2. Synodus Sueſſionenſis *act.* 7. *can.* 1. ibi: *Vt miniſtri noſtri per ciuitates, & ſingula monaſteria, tam monachorum, quàm canonicorum, ſeu ſanctimonialium.* Ludouicus *in additionibus ad Capitul. lib.* 3. *cap.* 76. *Vt Canonici clerici, qui in ciuitatibus, vel in monaſteriis degunt.* Vnde in præſenti monaſterium accipitur pro clauſtro canonicorum regularium: notauit Boſquetus *in præſenti.*

d *S. Vincentij.*] Apud Laudunenſes enim in Gallia, in eius ciuitatis ſuburbiis eſt monaſterium S. Vincentij Martyris, Ordinis D. Benedicti, quod à Brunchilde conſtructum fuit, vt ex hiſtoricis illius prouinciæ refert Boſquetus *in notis ad Innocent. III. in præſenti.*

e *Nigri Ordinis.*] Id eſt D. Benedicti, vt etiam notaui *in cap. ex parte* 10. *de temporib. ordin.*

f *Metropolitani.*] Rhemenſis videlicet Archiepiſcopi, cui Epiſcopus Laudunenſis, & alij ſeptem Epiſcopi parent vt ſuffraganei in prouincia Belgica ſecunda.

g *In canone.*] Videlicet Vrbani II. cuius verba hîc relata reperiuntur *in cap.* 2. 19. *quæſt.* 3.

h *Publicè lapſus.*] Ideſt in graue crimen. Antiqua enim in Eccleſia conſuetudo fuit, & adhuc temporibus Innocentij III. vigebat, vt clerici lapſi in aliquod graue delictum degradarentur, & in monaſterium pœnitentiæ peragendæ causâ detruderentur. Concilium Epaunenſe *can.* 22. Aurelian. 3. *can.* 7. Tolet. 4. *can.* 28. Tolet. 7. *can.* 3. Tolet. 8. *can.* 3. Cabilon. 2. *can.* 40. *cap. de lapſis*, 50. *diſt. cap. tuæ, de pœnis.* Concilium Lateran. ſub Alexandro III. 1. *p. cap.* 2. & Lateran. ſub Innocentio III. *cap.* 21. plura Gibalinus *de clauſura regul. diſquiſit.* 3. *cap.* 2. §. 2. Lindembrogius *in Gloſſario, verbo Pœnitentiæ peragendæ causâ.* Non tamen ex hac detruſione clerici profitebantur vitam monaſticam, aut religioſi fiebant, ſed tantùm ibi detrudebantur, vt pœnitentiam peragerent, vt probat latè Gibalinus *vbi ſuprà*, §. 3. Vnde textus noſter ita accipiendus eſt, vt canonicis regularibus non permittatur ad religionem tranſire, niſi publicè lapſi in eam detrudantur pœnitentiæ peragendæ causâ. 2

i *Efficiatur monachus.*] Quod etiam prohibetur *in cap.* 1. 19. *q.* 3. & aliis iuris locis congeſtis à Lemaiſtre *lib.* 3. *de monach. cap.* 9. Boſqueto *ad Innoc. lib.* 1. *epiſt.* 4. quod poſteà temperatum fuit, & permiſſum clericis, atque canonicis regularibus cum ſuperioris licentia, *cap. poſt tranſlationem, de renunc.* vbi & nos aliqua adduximus.

k *Vltimus*

3. k *Vltimus in choro.*] Eſt enim genus pœnæ in vltimo loco ſemper ſedere, & manere, *cap. Preſbyter*, 82. *diſt. cap. mandamus* 19. *quæſt.* 3. *cap. magnoperè, ne clerici vel monach.* Vnde de Claudio fertur apud Suetonium *in eo*, *cap.* 9. quod in Senatu ſententiam poſt omnes interrogatus dicebat. Diocaſius *in Caio Caligula.* Vnde Vrbanus II. in pœnam deſertionis vitæ regularis, & tranſitus ad vitam monaſticam, iubet, vt Canonicus vltimo loco in Choro ſedeat.

4. l *Cucullam.*] Cuculla, ſeu cucullus, vt vult Ambroſius Calepinus, variè accipitur, aliquando enim ſignificat veſtem communem, quâ tam chriſtiani, quàm pagani vtebantur, *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de habitu quo vti oportet intra vrbem*, ibi : *Seruos ſanè omnium, quorum tamen dominus ſolicitudine conſtat militiæ non teneri, aut birris vti permitti, aut cucullis.* Vnde Cato *lib.* 2. *de re ruſtica*, ait, cucullam, ſiue cucullionem genus veſtis ruſticanæ, ac vilis fuiſſe : plura Antonius Nebriſſenſis *in Vocabulario*, *verbo Cucullus* : plerumque tamen accipitur pro veſte monachali. Diuus Hieronymus *in præfatione regulæ S. Pachomij*, vbi ait, eius monachis in vſu fuiſſe inter cætera duas cucullas. Ennodius *lib.* 9. *epiſt.* 17. ibi : *Accepi cucullam, qualem debui dirigere religionem profitenti.* Caſſianus *lib.* 1. *de habitu*, *cap.* 4. Concil. Aquiſgran. *can.* 21. Clementina *ne in agro*, §. *cùm autem*, *de ſtatu monach.* Accipitur aliquando pro cappa. Diuus Benedictus *in cap.* 55. *ſuæ regulæ*, cucullam dicit ille, quod nos modò cappam dicimus; & pro caſula accipitur, vt probat, & explicat Ephtenus *lib.* 5. *diſquiſit. tract.* 3. *diſquiſit.* 1. Apud monachos Diui Benedicti cuculla appellatur non ſolùm capitis tegumentum, verùm etiam totius corporis indumentum : in aliis verò monaſteriis cuculla accipitur pro amictu caput, & humeros circumambiente : quatenus tamen differat à flocco, exponunt Yepes *tom.* 1. *chron. Diui Benedicti*, *anno* 495. *cap.* 5. Manrique *tom.* 1. *annal. Ciſterc. anno* 1101. Plura de cucullis monachorum tradunt Ephtenus *vbi ſuprà*, Gazeus, *ad Caſſianum*, *cap. de cucullis*, Boſquetus *in notis ad hanc epiſtol.* Theophilus *tract. de Pileo*, *ſect.* 5. Viuar. *de veteri monachat. lib.* 2. *cap.* 11. §. 2. Adeò igitur cuculla propria erat monachorum, vt canonicis regularibus eius vſus prohibeatur canone 125. Concilij Aquiſgran. celebrati anno 816. ſub Ludouico Pio primo Imperatore, ibi : *Reprehenſibilem, & eccleſiaſtica moderatione dignum apud pleroſque Canonicos comperimus vſum, eo quod contra morem eccleſiaſticum cucullas, quibus ſolis monachis vtendum eſt, induant; cùm vtique illorum habitum vſurpare non debeant, à quorum profeſſione quodammodo diſtant; quia ſicut eis indecens eſt, vt arma militaria modo laicorum geſtent; ita nimium inhoneſtè, & valdè indecorum, vt alterius propoſiti indumenta ſibi imponant.* Notat Gabriel Pennotus *lib.* 1. *hiſtor. canonic. regul. cap.* 26. *numer.* 4. & *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 3. & *cap.* 53. *num.* 11. licèt illis vterentur in ſignum ſeuerioris diſciplinæ Kalendis Nouembris, Durantius *in rationali*, *lib.* 3. *cap.* 17. & paulatim, vt alia à monachis canonici regulares acceperunt, ita cucullam, ſeu cappam deferre conſueuerunt. Lantdmeter. *lib.* 1. *de veteri clerico*, *p.* 3. *cap.* 6. Noſtri tamen Innocentij temporibus canonici nullo modo cucullis vtebantur, vnde in pœnam iniungitur R. vt eam deferat.

5. m *Memoriam.*] *Memorialem cucullam*, legit Gratianus *in dict. cap.* 2. 19. *quæſt.* 3. ſed in ſexta collectione, & in ipſa epiſtola Innocentij, in editione Boſqueti, *memoriam*, legitur : ſed idem eſt ad memoriam deferre cucullam, vel memorialem cucullam; cùm memoriale dicatur, quod ad memoriam conſtitutum eſt; vnde Sabbatum memoriale dicebatur apud Iudæos *Leuitici cap.* 23. in memoriam liberationis Iſaac ab immolatione; quod iam obſeruauit Cironius *lib.* 1. *obſerv. cap.* 19. & *in cap.* 2. *de Apoſtatis*, *in* 5. *collection.* Rodericus enim Canonicus propter reatum ſuum in deſertione propriæ Eccleſiæ, & tranſitus ad monachos, apud quos deferebatur cuculla, iubetur vt deferat cucullam memorialem, id eſt in memoriam tranſgreſſionis præcepti canonici.

Huius textus commentarium dabimus *in cap. licèt*, *de regularibus.*

CAPVT XIII.

[a] Idem.

ACcepimus, te noſtris auribus intimante, quod quidam clerici, qui ad ſacros Ordines ſine titulo ſunt promoti, te ad Eccleſiam Brachar. ſuper beneficiis obtinendis infeſtant: quibus etiam de cunctis redditibus Eccleſiæ tuæ tunc commodè miniſtrari non poſſet, præſertim cùm mandemus eiſdem in Eccleſiis prouideri, qui nec meritis, neque ſcientiâ, aut etiam in parochialibus eccleſiaſtica beneficia promerentur, nedum in Eccleſia Bracharenſi, quorum vita, & ſcientia nobis eſt penitus ignota: de quibus ſi certitudinem haberemus, nec in maioribus Eccleſiis eis, nec in minoribus præciperemus prouideri. Et licèt idoneis in aliis parochialibus Eccleſiis, & in tuis Capellis extra ciuitatem velis iuxta mandatum Apoſtolicum prouidere, cùm omnibus in maiori prouidere non poſſis: ipſi tamen prouiſionem in Eccleſiis eiſdem [b] recipere dedignantur. Iudices quoque, & [c] monitores, ſeu executores, ad quos litteras noſtras deportant, exceptiones tuas legitimas, quas in eorum proponis præſentia, non admittunt. Vnde poſtulabas à nobis, vt tibi prouideremus benigniùs in hac parte. Licèt igitur in ordinationibus clericorum illam tu, ac prædeceſſores tui diligentiam debueritis adhibere, vt minùs idonei non ordinarentur à vobis, ac ideò poſt promotionem eorum exceptionem non poſſis prætendere contra illos, niſi fortè poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos: ex ſuperabundanti tamen quando ſcribere pro talibus nos oportet, facimus in litteris noſtris apponi, vt ſi ordinatus, pro quo ſcribimus, idoneus habeatur, & eccleſiaſtico beneficio non indignus, ei ab ordinatore, vel ſucceſſore ipſius competens beneficium tribuatur; cùm & ſi tecum de iure agere vellemus, te poſſemus meritò ad prouiſionem eorum compellere, quos à te, vel prædeceſſoribus tuis ordinatos fuiſſe conſtaret, & præſertim quod ad obtinendum eccleſiaſticum beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad ordines ſuſcepiſti. Vnde grauiter ſuſtinere non debes, ſed nobis potiùs deuotè inclinare teneris, ſi illos [d] examinari per alios facimus, quos ſine examinatione non credimus ordinatos, antequam ad prouiſionem eorum te compellere velimus. Mandamus igitur, quatenus eis, pro quibus te contigerit recipere noſtra mandata in forma communi, in maiori Eccleſia, vel aliis diœceſis Bracharen. prouidere non tardes: [e] exceptiones autem ſi quas contra tales propoſueris, præcipimus audiendas.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Nec ex hac collectione, neque ex quarta, vbi *ſub hoc tit. cap.* 3. reperitur hæc deciſio, conſtat cui miſſa ſit hæc epiſtola: exiſtimo tamen miſſam eſſe Bracharenſi Archiepiſcopo, & ſic inſcriptionem reſtituendam eſſe in hunc modum: *Innocentius III. Stephano Archiepiſcopo Bracharenſi.* Illis enim temporibus Innocentij III. eius Eccleſiæ ſedem obtinebat Stephanus, inter quem, & Rodericum Archiepiſcopum Toletanum, ſuper Primatu Hiſpaniæ controuerſia mota fuit, *cap. coram, de in integrum reſtitut.* Brachara autem eſt ciuitas valdè antiqua, olim Metropolis Galleciæ; hodie verò Luſitaniæ, de cuius origine, & progreſſu latè agunt Acuña *in hiſtoria ipſius Eccleſiæ*, Tamayo de Salazar *tom.* 1. *Martyr. die* 1. *Februarij*, & *tom.* 2. *die* 12. *Aprilis.*

2. b *Recipere dedignantur.*] Nec tenerentur recipere, ſi per illa verba, *in Eccleſia Cathedrali*, concepta eſſet gratia, *cap. quam, de præbend. lib.* 6. ſicut cùm certus valor beneficij gratiâ taxationis exprimitur, minoris valoris beneficium conferri non valet, *cap. cui de non ſacerdotali, de præb. lib.* 6. aut ſi certus modus vacationis expreſſus ſit, ad alium modum reſcriptum non extenditur, *cap. cùm in illis* 16. §. *cùm autem, eod. tit. & lib.*

c *Monitores.*] De his litteris nonnulla adduxi *in cap. ex inſinuatione* 37. *de reſcriptis.*

3. d *Examinari.*] Cùm enim idoneis, & capacibus tantùm ſint beneficia eccleſiaſtica conferenda, *cap. cauſam quæ, de electione, cap. graue, de præb.* proinde R. Pontifex in litteris, tam expectatiuis, & monitoriis, quàm executorialibus ſemper iubet promouendum ad beneficia examinare, maximè ſi reſcripta concipiantur *in forma dignum*; & in illis litteris tacitè ſubintelligitur clauſula, *ſi impetrans dignus inueniatur, cap. cùm adeò* 17. *de reſcriptis.* Et licèt quilibet idoneus præſumatur, donec contrarium probetur, *cap. vnico, de ſcrutinio, cap.* 2. *de præſumpt.* tamen iſti, qui habent litteras ad beneficia, examinari debent, niſi gradu Licentiaturæ, vel Doctoratus in celebri Vniuerſitate ſint decorati;

decorati ; tunc enim non debent examinari, vt docent Petrus Gregorius *in dict. cap. cùm adeò, num.* 11. Et licèt qui examinatus est ad vnum actum, non debeat iterum ad ipsum examinari ; tamen examinatus ad ordines recipiendos, debet iterum examen subire, vt beneficium, assequi possit, vt omnes repetentes ad hunc textum docent.

4. e *Exceptiones.*] Merus executor litterarum Apostolicarum, an exceptiones admittere possit, dicam latè *in cap. ex parte* 13. *cap. pastoralis, §. quia verò, de officio delegati.*

Ex hoc textu communiter deducitur, ordinatum sine titulo, iustè ab Episcopo, vel eius successore beneficium petere, cuius textus commentarium dabimus *in cap.* 2. *de præbendis*, vbi nostri vespertini Antecessores latè examinant prædictam assertionem. 5.

CAPVT XIV.

Idem *in Concilio* [a] *Generali.*

CVm sit [b] ars artium regimen animarum, districtè præcipimus, vt Episcopi promouendos in sacerdotes diligenter instruant, & informent, vel per seipsos, vel per alios idoneos viros super diuinis officiis, ecclesiasticisque sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare. Quoniam si de cætero rudes, & ignaros ordinare præsumpserint (quod quidem facilè poterit deprehendi) & ordinatores, & ordinatos vltioni graui decernimus subiacere. Sanctius enim est (in ordinatione maximè sacerdotum) paucos bonos, quàm multos malos habere ministros ; quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam dilabuntur.

NOTÆ.

1. a *Generali.*] Ita etiam legitur *in cap.* 4. *sub hoc tit. in* 4. *collect.* De hoc Concilio Lateranensi egi *in cap. nonnulli, de rescriptis.*

b *Ars.*] Facit Carnotens. *epist.* 32. *Cùm ergo sit ars artium, onus onerum, regimen animarum.* 2.

CAPVT XV.

Honorius III. *Archiepiscopo* [a] *Mediolanensi.*

QVamvis multa proposita fuerint contra venerabilem f. n. Episcopum [b] Callien. etsi nihil probatum esset de illis ; quia tamen confessus est coram nobis, se nunquam de Grammatica didicisse, nec etiam legisse Donatum, & per euidentiam facti vsqueadeò de illiteratura, & insufficientia sua constat, quod contra Deum esset, & canonicas sanctiones tantum in Episcopo tolerare defectum : de communi fratrum nostrorum consilio ipsum à Pontificalis executione officij, & administratione Callien. Ecclesiæ duximus penitus amouendum, irritantes si quid nomine ipsius Ecclesiæ, vel de bonis eiusdem de cætero attentabit.

NOTÆ.

1. a *Mediolanensi.*] In sexta collectione legitur *Bremensi*, de qua Ecclesia agemus *in c.* 2. *de sacrament. non iterand.* Sed emendanda est inscriptio ex Innocentio Cironio, qui in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. testatur se legisse in manuscriptis, *Mediolanensi*, de qua Ecclesia aliqua adduxi *in cap. cùm adeò* 17. *de rescriptis.* Igitur præsens decisio missa est Henrico Archiepiscopo Mediolanensi, qui temporibus nostri Honorij III. floruit.

b *Callien.*] *Callienum*, legit Cironius, qui Episcopatus est in Marchia Anchonitana, & immediatè subest R. Pontifici.

COMMENTARIVM.

EX his duabus decisionibus talis deducitur disputanda assertio : *Illiteratus ad ordines, vel regimen animarum assumi non debet ; & si assumatur, deponendus est.* Probant textus *in cap. præcipimus* 10. 34. *dist. cap. qui ecclesiastici* 2. *cap. litteratos,* 36. *dist. cap. ignorantia* 1. *cap. quando* 2. *cap. si in laicis* 3. *cap. quæ ipsi* 5. *cap. omnes* 6. *cap. placuit* 7. *& per totam* 38. *dist. cap. adire*, 25. *dist. cap. vlt.* 49. *dist. cap. non confidat*, 50. *dist. cap.* 1. *dist.* 55. *cap. vilissimum* 45. 1. *quæst.* 1. *cap. miror*, 50. *dist. cap. vilissimum* 15. 1. *quæst.* 1. *cap. conuenientibus*, *cap. licèt ergo* 15. 8. *quæst.* 1. *cap. congregato* 53. *cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora*, *cap. Ecclesia* 57. 2. CONCLVSIO PROBATVR.

Eccleſia 57. *cap. ſi fortè, de elect. cap. inter cætera, de officio Ordin. cap. extirpandæ* 30. *de præbendis, cap. niſi* 10. *verſ. pro defectu, de renuntiat. cap. finali, de temporib. ordin. lib.* 6. *cap. vlt. de præſumpt. in* 2. *collect. cap. vnico, diſt.* 85. Concilium Turon. ſub Carolo, *can.* 2. 3. *&* 17. Rhemenſe *can.* 14. Gregorius VII. *in Concilio Romano: Preſbyteros oportet ſcire canones, alioquin quomodo iudicabunt Eccleſiam ?* Et *can.* 30. *Preſbyteri ſint litterati, aliter enim quomodo erunt magiſtri ?* Aquiſgran. 2. ſub Ludouico, *p.* 1. *cap.* 8. *Doctrina ſacerdotalis ſecundùm cuiuſque qualitatem omnibus ſufficiens debet eſſe.* Et *p.* 2. *can.* 3. *&* 4. Trident. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 4. 11. 13. *&* 14. Nouella 6. Iuſtiniani, *cap.* 4. & nouella 123. *cap.* 22. §. *clericos.* Alia iura congeſſit Anton. Auguſt. *in epit. lib.* 4. *tit.* 36. *&* 59. & *lib.* 6. *tit.* 9. Illuſtrant plures laudati à Barboſ. *in præſenti*, & *lib.* 3. *iuris eccleſ. cap.* 13. *num.* 165. & *de poteſt. Epiſcop.* 2. *p. allegat.* 46. quibus addendi ſunt Iulius Lauorus *de electione cap.* 16. *num.* 15. Catellianus Cotta *in memorab. verbo Abbates*, Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 18. *&* 19. Duarenus *lib.* 4. *de ſacris Eccleſiæ, cap.* 2. Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 2. *cap.* 4. & *in cap. ad audientiam, de reſcriptis.* Flaminius *de reſignat. quæſt.* 3. Petrus Bollo *in œconom. cap.* 1. §. 4. Sauſay *in Panopl. cleric. p.* 1. *lib.* 6. *cap.* 3. §. 4. Gibalinus *de irregul. cap.* 3. *per totum*, Vighellius *in meth. iuris can. pag.* 241. Loayſas *in notis ad lib.* 3. *ſentent. D. Iſidori, cap.* 13. Acuña & Dartis *ad d.* 38. *diſtinct.* & alij adducti *in dict. cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora*, Lotherius *lib.* 3. *de re benefic. quæſt.* 7. *num.* 4. Valenzuela *conſilio* 34. *ex numer.* 46. Carballo *de vna & altera quarta*, 1. *p. ex num.* 46. Barboſa *in cap. finali, de magiſtris.* I. Dartis *de beneficiis ſect.* 4. *cap.* 4. Theophilus Raynaud. *tom.* 12. *tract. Mala è bonis Eccleſiæ, cap.* 6. *ex num.* 17. Silua *in tract. de qualit. Prælat. num.* 125.

3. RATIO DVBITANDI. Sed aduerſus hanc concluſionem, omiſsâ difficultate expensâ *in dict.* §. *inferiora*, ita inſurgo. In Prælatis Eccleſiaſticis potiùs charitas, quàm ſcientia attendi debet, *cap.* 1. *de renunc.* quia *illa ædificat; hæc autem inflat*, vt Apoſtolus ait. Vnde S. Bonifacius Germaniæ Primas, licèt illiteratus, magnos, & vberrimos fructus attulit in ea prouincia: igitur non vſque adeò litterarum peritia in Prælatis Eccleſiaſticis deſideratur, vt abſque ea ordinari, aut regimini Eccleſiarum præfici non poſſint. Accedit, nam cauſa finalis præſentis deciſionis ea adducitur, quia videlicet Callienenſis Epiſcopus Grammaticam neſciebat, neque adhuc legerat Donatum. Quæ difficilis redditur ex eo; nam Epiſcopus ea ſcire debet, quæ populum ſuum docturus eſt; Cœleſtinus Pontifex *in epiſtola Galliarum Epiſcopis miſſa, cap.* 3. *Debet enim antea eſſe diſcipulus, quiſquis doctor eſſe deſiderat, vt poſſit docere quod didicit.* Ioannes Sareſbar. *lib.* 6. *Polycrat. cap.* 7. *Quem enim inuenies, qui ſtrenuè docere poſſit, quod ipſe non didicit ?* Sed Epiſcopi non egent eâ litteraturâ, vt Euangelia populis exponant, *cap. Epiſcopus*, 23. *diſt. cap. ſedulò*, 38. *diſt.* immò Epiſcopi Grammaticam docentes deponuntur, *cap. multa, diſt.* 86. igitur quòd Epiſcopus Callienenſis ignoraſſet Grammaticam, aut Donatum non legiſſet, non erat deponendus. Accedit ſecundò aduersùs illa verba, *Nec etiam legiſſe Donatum*; ea conſideratio, nam Epiſcopus, aliæque perſonæ eccleſiaſticæ, nec Ciceronem Latinitatis parentem, nec etiam alios Gentilium libros legere valent, *cap. Epiſcopus, cap. legimus, cap. ſacerdotes, cap. legant, & per totam* 37. *diſt.* & ſpecialiter de Donato *in cap. vlt. eadem diſtinct.* ſtatuitur à D. Gregorio, ne quis adſtringatur regulis Donati: & ita lectionem librorum Gentilium prohibent D. Iſidorus *cap.* 8. *ſuæ regulæ*, S. Paulinus *epiſt. ad Auſonium.*

Qui corda falſis, atque vanis imbuunt,
Tantumque linguas inſtruunt,
Nihil adferentes ad ſalutem conferens;
Quod veritatem detegat.
Qui enim tenere vel bonum, aut verum queant,
Qui non tenent ſummum caput ?
Veri bonique fomitem & fontem Deum.

S. Baſilius *orat. de libris Gentilium*, D. Auguſtin. *lib.* 1. *confeſſ. cap.* 16. & *ſerm.* 27. *de tempore*, S. Cyrillus *lib.* 3. *de adorat.* Rupertus *ad caput* 8. *Exodi*, Origenes *homilia* 4. *in Exodum:* ex eis probant Cardanus *lib.* 4. *de ſapient.* Catharinus *opuſc. in malos libros*, Gambara *lib. in obſcœnos Poëtas*, Viues *lib.* 2. *de corruptis diſciplinis.* Igitur potiùs laudandus erat Epiſcopus Callienenſis, quàm deponendus ab Epiſcopatu, eo quòd non legiſſet Donatum. Secundò difficilis eſt noſtra aſſertio dum affirmat, clericos iam promotos, aut regimini Eccleſiæ præfectos, ob defectum ſcientiæ eſſe deiiciendos ab ordinibus, aut beneficiis perceptis. Aduerſatur ea ratio; nam ſi deiicerentur, maximè quia ob defectum ſcientiæ ſunt irregulares, & promoueri ad ordines, aut ad beneficia eligi non poſſunt: ſed illiterati ob defectum ſcientiæ nullam contrahunt irregularitatem, vt docent Marquinus *de ordine tract.* 1. *cap.* 1. *p.* 5. *num.* 14. Hugolinus *de irregul. cap.* 3. §. 3. *num.* 1. Maiolus, Suarez, Hurtado, & alij, quos refert, & ſequitur Gibalinus *de irregul. cap.* 3. *in principio:* igitur ſemel promoti deiici non debent. Accedit, nam ſacri canones circa illiteratos promotos ſtatuunt, vt à ſuperioribus erudiantur, & doceantur; non tamen vt deiiciantur, ſeu deponantur. Synodus Romana ſub Eugenio II. & Leone IV. *can.* 4. *Quamquam admonita Doctorum, & ſtatuta Patrum Sacerdotes indoctos prohibeant conſecrari, opportuni temporis moderatione ſi Epiſcopus inueniatur indoctus, à Metropolitano proprio, & deinceps Preſbyteri, Diaconi, vel etiam Subdiaconi à ſuo Epiſcopo, vt doceri poſſint, admoneantur: interim ſubiecti Sacerdotes, & tales clerici ad tempus à celebratione Miſſarum, diuinæ Hoſtiæ, & Officiis ſuſpendantur.* Concilium Narbon. *can.* 11. *Nulli liceat Epiſcoporum ordinare Diaconum, aut Presbyterum litteras ignorantem: ſed ſi qui ordinati fuerint, cogantur diſcere.* Concilium Tolet. 8. *can.* 8. Igitur illiterati ſemel promoti, deponendi, aut eiiciendi à gradu ſuſcepto non ſunt. Franc. Florens *ad tit. de elect.*

Adhuc defendenda eſt præſens aſſertio, cuius rationes non ſunt obſcuræ, ſiue attendatur ipſum munus, ſiue perſona ipſa beneficiarij. Et in primis id planè fert natura rei. Nam committere munus homini, qui peritiâ ad illud obeundum neceſſariâ

4. RATIONES DECISIONIS.

necessariâ destituatur, perinde est ac velle munus invtiliter, vel etiam cum damno exequi, vt argumento ducto à nauclero, seu nauis duce, probat Prosper *lib. 1. de vita contempl. cap. 16.* & ex eo Theophilus *vbi suprà, num. 18.* Quomodo ergo Ecclesiam gubernabit, qui scientiâ destituitur? vt ex variis scripturis in hanc rem disserens ait Petrus Blesensis *epist. 23. Qui nil didicit, aliorum doctor efficitur, & quasi æs sonans, aut cymbalum tinniens, vsurpat prædicantis officium, cùm sit truncus inutilis, & idolum mutum.* Vtinam experientia non plus satis docuisset quantam cladem inuexerit Ecclesiæ imperitia clericorum nescientium obire munus quod susceperunt, vt prosequuntur Castro *lib. 3. de iusta hæretic. punit. cap. 5.* Lessius *de iustitia cap. 34. numer. 54.* Sufficiat laudasse Laurentium Iustin. qui de æui sui beneficiariis *lib. de compunct.* ita aiebat: *Vtinam sibi ipsis mali essent, & aliis conarentur prodesse; vt si non illorum vita imitabilis foret, essent tamen facienda, quæ dixerint. Vtroque prorsus carent, nec vitam, nec scientiam habentes. Sunt omnes ignari, & insci, exceptis paucissimis; & quod deterius est, addiscere non dignantur. Omne tempus doctrinæ deditum se arbitrantur amittere carnis voluptatibus intenti. Potius eligunt vagari quotidie, & confabulari, quàm sacrarum scripturarum se lectioni dare: obliuioni tradentes, quod dicitur: Interroga sacerdotes de lege. Et illud propheticum: Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Quæ verba sunt Malachiæ *cap. 2.* & referuntur *in cap. si Rector, 43. dist. cap. cùm ex eo 34. de elect. in 6. cap. ex iniuncto 12. de hæreticis.* Cùm ergo munus Prælatorum Ecclesiæ sit docere, & contradicentes refellere, vt Diuus Paulus ad Titum scribit, & constat ex pluribus Conciliorum canonibus congestis ab Anton. August. *in epit. lib. 6. tit. 10.* quomodo munus hoc obibunt illiterati, & ignari? Ex parte etiam ipsius beneficiarij necessitas scientiæ suadetur, siquidem si eâ caret, non solùm aliis prodesse nequit, verùm & sibi obest: nam Dominus apud Oseam *cap. 4.* ait: *Quia tu scientiam repulisti, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Ex quo loco necessitatem scientiæ in ministris sacris arguunt Ecclesiæ Patres *in cap. omnes, cap. nulli, 38. dist. cap. nisi cùm pridem, §. pro defectu, de renunc.* Diuus Bernardus *serm. 36. in Cantica*, Philippus Abbas *de scientia cleric. cap. 23.* Carolus Magnus *in epist. ad Bagulfum Fuldensem:* quorum verba refert Theophilus Raynaud. *vbi suprà, num. 21.* Rectè ergo in præsenti decidit, ad beneficia ecclesiastica illiteratos admittendos non esse, & si prorsus illiteratis beneficium conferatur, collationem nullam esse, adeò vt nec Pontifex cum prorsus illiterato ad beneficium possit dispensare: resoluit Dartis *de beneficiis dict. cap. 4.* nam si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt, *cap. ideò, 37. dist. cap. quisquis, 38. dist. dict. cap. si Rector.*

5. De litteratvra ministrorvm Ecclesiæ.

Sufficientem autem litteraturam desideramus in ministris Ecclesiæ, non eminentem requirimus, *dict. cap. nisi, de renunc. cap. cùm nobis, de elect.* & sufficientem scientiam interpretamur, quæ sufficit iis explendis, quæ necessariò incumbunt cuiusque officio & ministerio, vt diffinit Concil. Trident. *sess. 2. de reform. cap. 2.* quare vt sunt distincti gradus in ministris ecclesiasticis, ita non vna in omnibus mensura scientiæ desideratur. Scientia requiritur in Prælato iuxta qualitatem gradus, & Ecclesiæ, cuius regimini præponitur, *cap. Ecclesia 57. de elect.* in Episcopo longè maior requiritur, quàm in inferioribus Prælatis; vnde D. Paulus, dum eligendi in Episcopum dotes recenset, eum doctorem esse, & potentem in doctrina sana, ad redarguendos Ecclesiæ hostes exposcit: & sacri canones id statuunt *cap. qui ecclesiasticis, §. ecce, 36. dist. cap. omnes, 38. dist.* & alij congesti ab Anton. August. *lib. 4. in epit. tit. 32.* & tandem in Concilio Trident. *sess. 22. cap. 2.* constituitur, ne vllus in Episcopum promoueatur, nisi qui in aliqua Vniuersitate studiorum Magister, aut Licentiatus in sacra Theologia, seu iure canonico, aut publico Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Clerici autem scire debent sacras scripturas, & Ecclesiæ canones, *cap. 1. 38. distinct.* Concilium Tolet. 11. *cap. 2.* vbi Loaysas; ne quid faciant, quod Patrum possit regulis obuiare: debent enim esse perfecti in Grammatica, cùm sit fundamentum litterarum, iuxta Cassiodorum *lib. 9. epist. 21. Est Grammatica*, inquit, *magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, antiquorum nos cognoscitur iuuare consiliis.* Debent etiam scire psalmos, vt definitum est *in cap. vnico, distinct. 85.* & in eis pro ordinum diuersitate plus, minusnè scientiæ exigitur: Presbyteri enim, qui in Parochiis ordinantur, debent libellum officialem à suo Episcopo acceptum scire, ad Ecclesias sibi commissas regendas, vt cùm ad Letanias, vel Concilium venerint, Episcopo rationem reddant, qualiter officium sibi commissum adimpleant. Concilium Tolet. 4. *can. 25.* relatum *in cap. 2. 38. dist.* in quo canone difficile est quid per libellum officialem, & per Letanias Patres accipiant, intelligantque. De libro Officiorum Patres loqui existimat Cironius *ad nostrum titulum:* de Manuali Sacramentorum accipiunt textum illum Loaysas *in eius notis*, Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 18.* prout accipitur etiam *in can. 23. Concilij Mogumini*, quem librum supplementum appellant Patres Concilij Tolet. 8. *can. 8.* & nos vulgò *Manual* dicimus. Letanias autem appellant Patres Synodum diœcesanam, quia Synodus ipsa cum Letaniis celebrabatur: vnde affirmant Patres, quod Parochi sciant librum officiorum, vt cùm ad Concilium diœcesanum celebrandum cum Letaniis venerint, officij suscepti Episcopo rationem reddant. Ita illum textum interpretatur I. Dartis *in eius scholiis.* Hodie post Concilium Trident. *sess. 23. de reform. cap. 13.* qui creandus est Presbyter, scire debet, quæ nosse omnibus necessarium est ad salutem, cum his pariter quæ ad administranda populo sacramenta pertinent. Beneficiarij autem aliorum beneficiorum eam litteraturam debent habere, quam ordo beneficio annexus exposcit. Initiandi etiam primâ tonsurâ saltem debent scire legere linguam Latinam. Trident. *dict. sess. 23. cap. 4.* ibi: *Primâ tonsurâ non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta*

dimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant.

6. Dissolvitur difficultas. Nec obstat difficultas suprà adducta ; nam licèt verum sit, charitatem esse attendendam in Prælatis Ecclesiasticis, non tamen ideò negligenda est litterarum scientia : licèt enim aliqua possit supplere charitas, non tamen omnia, quæ scientia præstat. Vnde iuxta textum *in dict. cap.* 1. *de renunciat.* modica scientia iuncta cum magna charitate præstat rectum Prælatum, non autem charitas sola. Nec scientiam requirimus in Prælatis Ecclesiæ, quæ inflat, sed quæ ædificat : quare Sanctus Bernardus *sermone* 36. vtramque distinguit per hæc verba : *Videor* (inquit) *forsan nimius in fugillatione scientiæ, & quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia litterarum. Absit. Non ignoro quantùm Ecclesiæ profuerint, & prosint litterati sui, sive ad refellendos eos qui ex aduerso sunt, sive ad simplices instruendos. Denique legi : Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi sacerdotio. Legi : Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti ; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed & scio vbi legerim : Scientia inflat. Et rursum : Qui apponit scientiam, apponit & dolorem. Vides quia differentia est scientiarum, quando alia inflans, alia contristans est ? Tibi verò velim scire quænam harum videatur vtilior, seu magis necessaria ad salutem. Illáne quæ tumet, an quæ dolet ? Sed non dubito, quin dolentem tumenti præferas ; quia sanitatem, quam tumor simulat, dolor postulat. Qui autem postulat, propinquat saluti ; quoniam qui petit, accipit. Denique qui sanat contritos corde, execratur inflatos.* Nec exemplum deductum à Bonifacio Angliæ Primate in contrarium mouet : nam vt rectè eum ab illa insciriæ calumnia defendat Theophilus Raynaud. *in Oplotheca de calumnia, sect.* 1. *serie* 3. *cap.* 21. probat eum valdè doctum fuisse. Nec augmentum aliud deductum ex eo, quod Episcopus in nostro capite finali deponi non debebat, quia Grammaticam nesciebat ; aut ipse deiiciendus esset, si eam doceret, & sic ad quid necessaria erat scientia, quæ non proficiebat ad doctrinam ? Nam licèt *in dict. cap. cùm multa*, damnetur Episcopus, qui exponebat populo Grammaticam, non ideò eius scientia condemnatur, immò præcipitur, *cap. si quis autem Grammaticam*, 37. *distinct.* latè probat Petrus Gregorius *in cap. ad audientiam, num.* 5. *de rescriptis :* ideò enim corripitur Episcopus *in dict. cap. cùm multa*, quia cùm deberet populo sacram Scripturam exponere, iuxta iura supra congesta, tantùm Grammaticam exponebat, addictus merè illius locutioni, & non sensibus sacræ Scripturæ, vt interpretatur illum textum eruditissimus D. Laurentius Ramirez de Prado *in schediasmate, numer.* 53. Nec etiam augmentum illud, vbi dicebamus Episcopum Gentilium libros legere non debere, & sic neque Donatum, qui fuit merè Grammaticus, & notas scripsit ad Virgilium. Nam satis controuersum est, non solùm inter Doctores, verùm etiam & inter Ecclesiæ Patres, an Gentilium librorum lectio viris ecclesiasticis permittatur ? Affirmant plures relati *in cap. legimus, cap. relatum* 14. 37. *dist.* immò & ipsi Patres in ecclesiasticis legibus decernendis vtuntur eorum auctoritatibus, vt *in cap. Dominus* 87. §. *dixit* 1. *quæst.* 1. *cap. si quid iuri* 13. 27. *distinct. cap. nec mirum* 26. *quæst.* 5. notat Ramirez *vbi suprà, pag.* 25. Negarunt Patres in locis suprà pro argumento difficultatis adductis. Pro quorum iurium antinomia sedanda asserendum est, Prælatis, & personis ecclesiasticis Gentilium libris vti licere, vt quæ vtilia ab illis inuenta sunt, expositioni sacræ Scripturæ deseruiant ; quæ autem aut turpia, aut obscœna dicta sunt, reiiciant, refellantque : legimus enim aliqua, ne negligantur ; legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus ; & sic dum temperata eorum librorum lectione vtimur, sacris canonibus non damnamur, vt plura de libris Gentilium legendis, vel non, tradunt Duarenus *lib.* 4. *de sacris Ecclesiæ, cap.* 3. Claudius Espenceus *integro tract. de legendis Gentilium libris*, Sausay *in Panopl. cleric. pag.* 1. *lib.* 6. *cap.* 3. §. 4. Sauarus *ad Sidonium lib.* 8. *epist.* 4. Anonymus contra Machiauellum *lib.* 2. *de relig. pag.* 165. Cresolius *lib.* 3. *Mystag. cap.* 16. *sect.* 2. Loaysas *in notis ad Diuum Isidorum, lib.* 3. *sentent. cap.* 13. & Decretistæ *in dict. distinct.* 37. Filesacus *lib.* 1. *select. cap. finali*, Cellotius *de hierarch. lib.* 8. *cap.* 18. Theophilus Raynaud. *tom.* 11. *tract. de bonis & malis libris, erothem.* 11. Frater Antonius à Matre Dei *in appendice ad præludia in sacram Script. dub.* 1. *per totum*, & *dubio* 6.

7. Dissolvitur secunda difficultas. Nec aduersatur secunda difficultas, nam pro eius solutione sciendum est, insciriam litterarum in præsenti tractatione dupliciter accipi posse. Primò pro ea, quæ omninò impedit exercitium ordinis, vt si is qui in Lectorem, aut Diaconum ordinandus est, nesciat legere ; aut qui in Exorcistam, exorcismos recitare nequeat. Secundò cùm ignorantia tantùm impedit, ne rectè obeantur munia sacra, appositâ scientiâ, quam sacri canones præscribunt. Prima enim ignorantia impedit ordinandos, & irregularitatem inducit, de qua accipiendi sunt textus *in dict. cap. illiteratos*, 36. *distinct. cap. final. de temporibus ordin. lib.* 6. Secunda autem neutiquam ; ad quam referendi sunt textus *in nostro cap. penult. & vltim.* Non autem *in hoc cap. finali*, tanquam irregularis deiicitur Episcopus Callienensis : sed quia per euidentiam facti constabat de illiteratura, & insufficientia, ob quam ignorantiam deponitur, vt hunc textum interpretatur Gibalinus *dict. cap.* 3. *pag.* 68. Nec augmentum huius secundæ difficultatis obstat, deductum ex Conciliis Narbonensi, & Romano. Nam in illis canonibus agitur de illis, qui licèt essent illiterati, tamen non erant doctrinæ incapaces ; vnde iubentur litteras scire, cùm illis proficere possint : at verò in hoc textu constabat, non solùm de insufficientia, verùm etiam de inhabilitate ad eas discendas. Quare Episcopus deiicitur : in dictis verò canonibus illiterati tantùm suspenduntur.

8. Exponi Sed superiori assertioni opponitur textus *in cap. retulerunt* 86. *de consecrat. distinct.* 4. vbi proponi

TVR CAP. RETVLERVNT, DE CONSECR. DIST. 4.

proponitur ſacerdos parochus linguæ Latinæ penitus ignarus, qui dum puerum baptizaret, dixit: *Baptizo te in nomine Patria, Filia, & Spiritu ſancta.* Conſultus Zacharias Pontifex à Bonifacio Epiſcopo, qui in hoc caſu cenſebat reiterandum eſſe baptiſmum, vt conſtat ex his verbis textus: *Ac per hoc tua reuerenda fraternitas conſiderauit eos rebaptizare*; reſpondit, baptiſmum ab eo ſacerdote collatum reiterari non debere, in ſequentibus prædicti textus verbis: *Sed ſanctiſſime frater, ſi ille qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ loquutionis, infringendo linguam, vt ſuprà fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, vt denuò baptizentur.* Ipſum autem ſacerdotem nec deiecit, aut depoſuit à gradu ſuo: igitur licèt clericus illiteratus ordinetur, non ideò à gradu deiicitur. Cui difficultati primò reſpondendum eſt, ſacerdotem, de quo in eo textu, non fuiſſe parochum, aut Eccleſiæ rectorem, ſed tantùm ſimplicem Preſbyterum, in quo inſcitia tolerabatur in Germania propter nimiam inſcitiam, & litterarum ignorantiam, quæ in illis partibus inualuerat, vt etiam de aliis prouinciis referens docet Salcedo *in praxi, cap.* 21. Vnde cùm Euangelium nouiter prædicaretur à Sancto Bonifacio in ea prouincia litteris inculta, ideò non deiicitur Preſbyter ignarus in eo textu: docet Petrus Gregorius *in cap. ad audientiam, de reſcriptis, numer.* 6. Secundò etiam reſponderi poteſt, principaliter in eo textu non tractari, an Preſbyter illiteratus deiiciendus eſſet, vel non; ſed vtrum baptiſmus ab eo collatus eſſet iterandus, vt liquet ex ipſamet litera textus ſuperiùs allata. Et conſultus Zacharias reſpondit, baptiſmum non eſſe iterandum, cùm non animo introducendi errorem in Eccleſia eſſet collatus: de imperitia autem miniſtri conſultatio non præceſſit, vnde eam partem intactam reliquit Pontifex. Alia adducunt pro eius textus interpretatione Patres Franciſcus Lugo *de ſacram. in genere, cap.* 3. *num.* 28. Ioannes Lugo *eod. tract. diſp.* 2. *ſect.* 6. *ex num.* 108.

9. INTELLIGITVR CAN. 15. CONCILII AVREL.

Secundò ſuprà traditæ aſſertioni obſtat textus *in canone* 15. *Concilij Aurel.* 2. in illis verbis: *Preſbyter, vel Diaconus, ſi nec litteras, vel baptizandi ordinem neſciat, nullatenus ordinetur.* Ex quibus deducitur, in promouendo ad ordinem Preſbyteratus ſufficere, vt baptizandi ordinem ſciat, aut ſi litteras non ignoret, cùm diſiunctiuè apponantur ea verba, *litteras ſciat, vel baptizandi ordinem.* Pro huius canonis expoſitione ſciendum eſt, litteras neſcire diuerſimodè accipi in iure. Plerumque neſcire litteras ſignificat, neſcire legere, ſcribere, ſubſcribere, aut rationes conficere, *l. hac conſultiſſima* 21. ibi: *Quod ſi teſtator literas ignoret, vel ſubſcribere nequeat, octauo ſubſcriptore pro eo adhibito, eadem ſeruari decernimus.* Et *l. finali, Cod. de teſtament.* ibi: *In illis verò locis, in quibus rarò inueniuntur homines literati, per præſentem legem ruſticanis concedimus, antiquam eorum conſuetudinem legis vicem obtinere; ita tamen vt vbi ſcientes literas inuenti fuerint, ſeptem teſtes, quos ad teſtimonium conuocari neceſſe eſt, adhibeantur, & vnuſquiſque pro ſua perſona ſubſcribat.* Sicut è conuerſo in eadem lege literati pro his accipiuntur, qui ſubſcribere ſciunt, ibi: *Si verò vnus, aut duo, vel plures fuerint literati, liceat eis pro ignorantibus literas (præſentibus tamen) ſubſcriptionem ſuam interponere.* Similia reperiuntur *in l. inbemus, l. noſtram, Cod. eod. tit. l. final. §. ſin autem, Cod. de iure deliberandi*, ibi: *Vel ſi ignarus ſit liberarum, vel ſubſcribere præpediatur, ſpeciali tabulario ad hoc ſolùm adhibendo, vt pro eo litteras ſupponat, venerabili ſigno antea manu hæredis præpoſito, teſtibus videlicet adſumendis, qui hæredem cognoſcant, & iubente eo, tabularium pro ſe ſubſcribere, interfuerint.* Et *l. diſcretis, Cod. qui teſtament. leg. ſed ſi* 11. *ff. de inſtit. leg.* 3. *§. item, ff. de accuſation. leg. pater* 93. *§.* 1. *ff. de acquirend. hæredit. authentica Sed nouo, Cod. ſi certum petatur, §. ſimiliter* 8. *de excuſatione tutor. leg. ſi duas* 6. *in fine, ff. eodem titul.* vbi plura cumulant Arnoldus Vinius, Mancius, & alij. Sed propriè neſcire litteras eſt Grammaticam neſcire, vt de Sylla aiebat Iulius Cæſar: *Sylla neſciuit litteras.* Quare litteratura accipitur ſtrictè pro Grammatica *in leg.* 1. *Cod. Theodoſ. de Decanis vrbis Romæ*, iuxta Cuiacium *lib.* 21. *obſernat. cap.* 10. Diomedes Grammaticus *lib.* 2. *artis Grammaticæ*, Lipſius *in Lobiano, lib.* 3. *cap.* 7. ex Apuleio, Quintiliano, & aliis latè illuſtrant Albericus Gentilis *in lectionibus Virgilianis, cap.* 4. Vulteius *diſcept. iuris cap.* 8. Vnde in eo canone dum prohibetur ordinari Preſbyter, vel Diaconus litteras neſciens, idem eſt ac ſi prohibeatur ordinari ignarus linguæ Latinæ; diſiunctiua autem illa, *vel*, accipitur pro coniunctiua, vt ſæpè in iure contingit, *leg. ſæpè, de v. ſ.* Senſus igitur canonis eſt: Preſbyter, vel Diaconus ordinari non valet, qui ignarus eſt linguæ Latinæ, & ordinem baptiſmi neſcit; quia in Sacerdote, & Diacono, qui ſolenniter baptiſmum miniſtrare valent, deſideratur ſcientia ordinis baptizandi. Concil. Tolet. 8. *can.* 8. ibi: *Sine baptizandi perfectè nouerint ſupplementum.* Vnde coniunctim requiritur in promouendo ad gradus Preſbyteri, vel Diaconi, vt linguam Latinam, & ordinem baptizandi ſciant.

10. EXPONITVR CAN. 53. CONCILII CARTHAG. 4.

Tertiò aduerſatur canon 53. Concilij Carthag. 4. in illis verbis: *Omnes clerici, qui ad operandum validi non ſunt, & artificiola, & litteras diſcant.* Ex quibus depromitur, eos tantùm clericos litterarum ſtudio operam dare debere, & eas ſcire, qui ad operandum validi non ſunt: igitur qui ad operandum validi ſunt, aut litteras docere nequeunt, non coguntur eas ſcire. Pro huius canonis interpretatione ſciendum eſt, tempore illius Concilij Maſſilianos hæreticos publicè docuiſſe, contra exemplum, & doctrinam Apoſtolorum, non licere clericis propriis manibus victum quærere, aut aliquam litterarum Facultatem docere; ſed de Dei prouidentia confidentes, de alieno victu, & labore viuere debere. Quem errorem

rem vt refellerent Patres Concilij Carthag. *in can.* 51. ſtatuerunt, vt clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio quæreret victum. Habetur in Decreto *cap. Clericus quantumlibet, diſtinct.* 91. & apud Burchardum *lib.* 2. *cap.* 210. & Ivonem *part.* 2. *Decret. cap.* 285. ita legitur: *Omnes clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola, & literas diſcant.* Et *in can.* 52. *ſequenti*, definiunt PP. prædicti Concilij Carthag. vt clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agriculturâ, abſque detrimento officij ſui præpararet; quod firmatum eſt *in cap.* 1. *de celebrat. Miſſar.* vbi Deo annuente latè dicemus. Eadem docet, iubetque Clemens Papa *lib.* 3. *Conſtit. Apoſtolic. cap. vlt.* adducens Apoſtolorum exempla, & ſpeciatim Pauli tabernaculorum opificis, *Act.* 18. *verſ.* 24. Epiphanius *hæreſi* 80. fidem facit, ſuo tempore pleroſque Sacerdotes ſolitos eſſe propriis manibus operari. Synodus etiam Nicæna 2. *can.* 15. ſimilia ſtatuit, pauperibus clericis exempla Apoſtolorum proponens. Plura ad propoſitum refert Cabaſſutius *in notit. Concil. pag.* 255. *& ſeq.* Tandem *in can.* 53. iubetur, vt artificiola, aut litteras diſcant, quia etſi litteras ſcirent, quæ ordini neceſſariæ erant; non tamen vt Magiſtri in eis diſcipulos imbuere valebant: quare iubetur, vt artificiolum diſcant, vt poſſint manibus operari; aut litteras diſcant, vt poſſint eas docere diſcipulis, & ex eo diſciplinæ exercitio victum quærere.



D.D. EMANVELIS

GONZALEZ TELLEZ

Antiquioris veſpertinæ ſacrorum Canonum Cathedræ in inclyta Academia Salmanticenſi proprietarij Interpretis,

ET IN PINCIANO S. INQVISITIONIS Tribunali Inquiſitoris Apoſtolici;

COMMENTARIORVM IN LIBRVM PRIMVM DECRETALIVM GREGORII IX.

Additis Notis vberioribus ab Hiſtoria & Chorographia,

PARS SECVNDA.

TITVLVS XV.

De ſacra vnctione.

CAPVT I.

[a] Innocentius III.

CVM veniſſet ad Ap. Sed. ven. f. n. [b] Brandicuberen. Epiſcopus, clarâ nobis inſinuatione monſtrauit, quod in conſecratione ſua ſacram non acceperat vnctionem; quoniam apud vos non conſueuere Pontifices, cùm conſecrantur, [c] inungi. Nos ergo, quod illi defuerat, mandauimus in ipſo [d] ſuppleri, facientes caput eius, & manus per ven. f. n. [e] I. Epiſcopum Alban. aſſiſtentibus ei duobus Epiſcopis ſecundùm morem eccleſiaſticum ſacro chriſmate deliniri; hoc enim Catholica tenet Eccleſia, non ſolùm [f] ex præcepto diuino, verùm etiam [g] Apoſtolorum exemplo. In Exodo quoque legitur præcepiſſe Dominum Moyſi, vt Aaron, & filios eius inungeret, quatenus ei ſacerdotio fungerentur. Et Anacletus origine [h] Græcus, qui à B.Petro fuit in Preſbyterum ordinatus, & poſteà in Apoſtolatus officio [i] Clementi ſucceſſit, j tradidit in ordinatione ſua vngendos Epiſcopos more Apoſtolorum, & Moyſi: quia omnis ſanctificatio in Spiritu ſancto conſiſtit, cuius inuiſibilis virtus ſancto eſt Chriſmati permixta. Vnde ſcire te volumus duas eſſe ſpecies vnctionis: exteriorem, quæ materialis eſt, & viſibilis; & interiorem, quæ [k] ſpiritualis eſt, & inuiſibilis. Exteriore viſibiliter inungitur corpus; interiore inuiſibiliter vngitur cor. De prima [l] Iacobus Apoſt. ait: Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, [m] vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum. De [n] ſecunda Iacobus Apoſt. ait: Vos vnctionem, quam accepiſtis, ad ea maneat in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius vos docet de omnibus. Vnctio viſibilis, & exterior ſignum eſt interioris, & inuiſibilis vnctionis; vnctio verò inuiſibilis, & interior, non ſolummodo eſt ſignum, ſed etiam [o] ſacramentum: quia ſi dignè ſumitur, vel agit, vel auget abſque dubio, quod deſignat. Ad exhibendum autem exteriorem, & viſibilem vnctionem, benedicitur [p] oleum, quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum; & conficitur chriſma, quod ex oleo fit, & balſamo myſtica ratione. Per oleum enim nitor [q] conſcientiæ deſignatur, iuxta quod legitur: Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Per [r] balſamum enim exprimitur odor famæ; propter quod dicitur: Sicut balſamum aromatizans odorem dedi. Hoc igitur chriſmate vngi debet [s] Epiſcopus, non tam in corpore, quàm in corde; vt & interius habeat nitorem conſcientiæ, quantùm ad oleum; & exteriùs habeat odorem famæ, quoad proximum. De nitore conſcientiæ dicit Apoſtolus, gloria mea hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ meæ. Nam omnis gloria filiæ Regis ab intus. De odore famæ idem Apoſtolus ait, Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, & aliis ſumus odor vitæ in vitam, & aliis odor mortis in mortem. Debet enim Epiſcopus bonum habere teſtimonium, & ab iis, qui intus ſunt, & ab iis qui foris ſunt, vt cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat: Veni, hoc vnguento caput, & manus Epiſcopi conſecrantur. Per caput enim mens intelligitur, iuxta illud: Vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Per manus opera deſignantur, iuxta illud: Manus meæ diſtillauerunt. Manus igitur vnguntur oleo pietatis, vt Epiſcopus operetur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Caput autem vngitur balſamo charitatis, vt Epiſcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & proximum ſuum ſicut ſeipſum. Caput inungitur, vt oſtendatur illius repræſentare perſonam, de qua dicit Propheta: Sicut vnguentum in capite eius, &c. Caput enim viri Chriſtus;

caput Christi Deus, qui de se dicit: Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me: euangelizare me misit pauperibus. Manus vnguntur Episcopo, vt ostendatur accipere potestatem benedicendi, & consecrandi. Vnde cùm eas consecrator inungit: [t] Consecrare, inquit, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam vnctionem, & nostram benedictionem: vt quemcumque consecrauerint, consecretur, & quoscumque benedixerint, benedicantur in nomine Domini. Vnde in veteri Testamento non solùm [t] vngebatur Sacerdos, sed etiam [v] Rex, & Propheta, sicut in libro Regum Dominus præcepit Heliæ: Vade, & reuertere in domum tuam per desertum in Damascum. Cúmque perueneris illuc, vnges Azael in Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges Regem super Israël. Helisæum autem filium Saphar, qui est de Abel, vnges Prophetam pro te. Sed vbi Iesus Nazarenus, quem vnxit Deus de Spiritu sancto, sicut in actibus Apostolorum legitur; vnctus est oleo præ consortibus suis, qui secundùm Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius Principis; vnctio à capite ad [x] brachium est translata, vt Princeps ex tunc non vngatur in capite, sed in brachio, siue humero, vel in armo, in quibus Principatus congruè designatur, iuxta quod legitur: Factus est Principatus eius super humerum eius, &c. Ad quod etiam significandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant inuitati. In capite verò Pontificis sacramentalis est delinitio conseruata, quia personam capitis in Pontificali officio repræsentat. [y] Refert ergo inter Pontificis, & Principis vnctionem, quia caput Pont. chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur, vt ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis auctoritatem. Quia verò Christus fecit nos in sanguine suo Deo nostro regnum, & sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait: Vos estis genus electum, regale sacerdotium; idcirco in nouo Testamento non solùm Sacerdotes, & Reges vnguntur, sed omnes Christiani [z] bis ante baptismum, sed oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter scapulas; & bis post baptismum, sed chrismate sacro, primùm in [aa] vertice, demùm in [bb] fronte. In pectore namque baptizandus inungitur, vt per sancti Spiritus donum abiiciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia iustus ex fide viuit. Inter scapulas autem baptizandus inungitur, vt per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat; quia fides sine operibus mortua est, vt per fidei sacramentum sit munditia cogitationum. In pectore, vt per operis exercitium sit fortitudo laborum. In scapulis, quatenus fides per dilectionem secundùm Apostolum operetur. In vertice verò baptizatus inungitur, vt sit paratus omni petenti de fide reddere rationem, quia per caput mens intelligitur, iuxta quod legitur: Oculi sapientes in capite eius, cuius superior pars est ratio, & inferior est sensualitas. Vnde benè per verticem, quæ superior est pars capitis, intelligitur ratio, quæ superior pars est mentis. In fronte vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur quod credit. Quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: memor eius, quod Dominus ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego, &c. Ante baptismum ergo vngitur oleo benedicto, & post baptismum chrismate sacro, quia chrisma soli competit christiano; Christus enim à chrismate dicitur, vel potiùs à Christo dicitur chrisma, non secundùm nominis formam, sed secundùm fidei rationem: à Christo verò christiani dicuntur, tanquam vncti deriuentur ab vncto, vt omnes concurrant in odorem vnguenti illius, cuius nomen oleum est effusum. Per frontis chrismationem [cc] manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur: vnde cùm cæteras vnctiones simplex Sacerdos, id est Presbyter, valeat exhibere, hanc non nisi summus [dd] Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarij sunt Episcopi, qui per manus impositionem Spiritum S. dabant, quemadmodum actuum Apostolorum lectio manifestat: Cùm audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem; qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum; nondum enim quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum, cuius aduentus per vnctionis mysterium designatur; quia columba, in qua Spiritus S. super Christum in baptismo descendit, ad vesperam in cataclysmo reuertens, ramum retulit virentis oliuæ. Cuius vtique sacramentum Dauid Propheta prænoscens, exhilarandam

faciem

faciem in oleo prædicauit. Vngitur [ee] præterea ſecundùm Eccleſiæ morem, cùm conſecratur altare, cùm dedicatur templum, cùm benedicitur calix, non ſolùm ex mandato legis diuinæ, verùm etiam exemplo B. Silueſtri, qui cùm conſecrabat altare, illud chriſmate perungebat. Præcepit enim Dominus Moyſi, vt faceret oleum vnctionis, de quo vngeret tabernaculum teſtimonij, & arcam Teſtamenti, menſamque cum vaſis, de quibus etiamſi forſitan dubitaueris, cùm à te fuerimus requiſiti, f. t. pleniùs inſtruemus. Verumtamen vnctionis [ff] ſacramentum aliud quidem efficit, & figurat, tam in nouo, quàm in veteri Teſtamento. Vnde non iudaïzat Eccleſia cùm vnctionis celebrat ſacramentum, ſicut aliqui mentiuntur, qui neque ſcripturas, neque Dei nouere virtutem. Monemus igitur, & exhortamur attentiùs, ac per A. ſ. m. quat. ad mandatum dil. fil. n. tit. S. Crucis Preſbyteri [gg] Card. Ap. Sed. Leg. tu quoque ſacram accipias vnctionem, ne quid tibi deſit ad virtutem ſacramenti; & cùm ſacro fueris chriſmate delinitus, Archiepiſcopos & Epiſcopos tuos ſimiliter vngas, & per eos facias manus ſacerdotum inungi oleo benedicto. Illum de cætero in ordinandis Preſbyteris, & conſecrandis Epiſcopis morem ſeruans, & faciens obſeruari, quem Ap. Sed. obſeruat, quæ diſponente Domino cunctorum fidelium mater eſt & magiſtra. Mittimus autem tibi per Card. prædictum Pontificalia ornamenta, [hh] caligas, & [ii] ſandalia, ji amictum & [kk] albam, [ll] cingulum & ſuccinctorium, [mm] orarium & [nn] manipulum, [oo] tunicam & [pp] dalmaticam, [qq] chirothecas, [rr] annulum, [ss] planetam, & [tt] mitram. [vv] Pallium verò per dil. fil. I. Capellanum noſtrum anteà miſeramus. Et licèt [xx] R. Pont. non vtatur [yy] baculo paſtorali, tum propter [zz] hiſtoriam, tum etiam propter myſticam [aaa] rationem; tu tamen ad ſimilitudinem [bbb] aliorum Pontificum poteris eo vti, quorum omnium rationem idem Card. ſicut à nobis accepit, te poterit edocere.

NOTÆ.

1. a *Innocentius III.*] Nec in hac ſexta, nec in tertia collectione, vbi reperitur præſens textus ſub eodem titulo, proponitur Prælatus, cui miſſa ſit tam diffuſa epiſtola de variis vnctionibus, & earum myſteriis. Sed ſi hiſtoriam huius temporis, & geſta Innocentij III. repetamus, facilè conſtabit, Innocentium in præſenti reſcribere Archiepiſcopo Trinonitano, quem Primatem conſtituerat ipſe Pontifex, & à Leone ſacræ R. Eccleſiæ Cardinale Legato conſecrari fecerat, & Primatem totius Bulgariæ præfecerat. Cùm enim Epiſcopus Brandicuberenſis, vt Legatus Regis Bulgarorum ad vnionem Eccleſiæ Latinæ & Græcæ Romæ veniret, retulit Innocentio tempore ſuæ conſecrationis vnctionem non accepiſſe; ideo reſcripſit Innocentius III. eum vnctionem recipere debere per Ioannem Epiſcopum Albanenſem, aſſiſtentibus aliis duobus Epiſcopis: & huius vnctionis occaſione prædicto Primati exponit varias in Eccleſia vſitatas vnctiones, & earum myſticas rationes, vt referunt latiùs proſequentes huius epiſtolæ hiſtoriam Spondanus poſt Baronium *anno* 1204. *numer.* 12. Boſquetus *in geſtis Innocentij III. fol.* 61. Igitur iuxta ſuprà tradita inſcriptio huius textus ita reſtituenda eſt. *Innocentius III. Trinonitano Primati Bulgariæ.*

2. b *Brandicuberenſis.*] In ſexta collectione Raymundi legitur, Bracharenſis, ſed mendosè, cùm Bracharenſis Eccleſia ſit in Luſitania, vt notaui *in cap. accepimus, de ætat. & qualit.* & in præſenti agatur de improbanda conſuetudine Græcorum, qui vnctionem in conſecratione Epiſcoporum, & ordinatione Preſbyterorum omittebant. Legendum igitur, *Brandicuberenſis*, vt legitur in dicta collectione, & in geſtis Innocentij III. *dict. fol.* 61. Brandicuberenſis Epiſcopus Blaſius dictus, Romæ peruenit anno 4. Pontificatus Innocentij III. vt refert Spondanus *vbi ſuprà, num.* 13.

3. c *Inungi.*] Sed ſi totalis, & ſubſtantialis materia conſecrationis Epiſcopalis eſt vnctio cum chriſmate in capite, & manibus, vt docent Franciſcus Siluius, & Guillelmus Mezurius, quorum ſententiam refert Diana *part.* 12. *tract.* 1. *reſolut.* 13. vel ſaltem partialis, vt voluerunt Medina *de continent. lib.* 1. *cap.* 17. Iſambertus *in* 3. *part. D. Thomæ, tract.* 3. *de ſacram. Ordin. diſput.* 3. *art.* 4. quomodo Græci vnctione non vtebantur, cùm circa materiam, & formam Sacramentorum non poſſit conſuetudo introduci. Huic difficultati facilè ſatisfieri poteſt ſi amplectamur ſententiam eorum, qui aſſeruerunt, materiam conſecrationis Epiſcopalis eſſe impoſitionem manuum, vt probari videtur ex Apoſtolo 1. *ad Timoth. cap.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Preſbyteri.* D. Ambroſio *lib. de ſacerdot. dignit. cap.* 5. D. Hieronymo *in cap.* 51. *Iſaiæ.* Eandem defendunt Vazquez 3. *part. in* 3. *diſput.* 140. *cap.* 5. *num.* 39. Bellarmin. *lib.* 1. *de ſacramentis, cap.* 9. Coninch. *eod. tract. diſput.* 20. *dubit.* 7. *concluſ.* 1. Bernal. *eod. tractat. diſput.* 47. *ſect.* 6. *num.* 14. Diana *part.* 12. *tractat.* 1. *reſolut.* 17. vnde iuxta iſtorum ſententiam, cùm tantùm ad ſolennitatem, non verò ad eſſentiam deſideretur hæc vnctio in conſecratione Epiſcopali, licèt non ritè, tamen validè negligebatur à Græcis, nec eius omiſſio conſecrationem vitiabat. Et ſi adhuc ſuſtineatur contraria ſententia, videlicet vnctionem iſtam Epiſcopalem pertinere ad materiam remotam, ſaltem partialem: reſponderi poteſt, poſſe Eccleſiam Latinam adhibere pro materia ipſam vnctionem; Orientalem verò manus impoſitionem, vel traditionem baculi,

aut librum Euangeliorum. Dominus enim noſter in inſtitutione aliquorum ſacramentorum non ita præfixit materiam, ſicut in inſtitutione aliorum; in aliquibus enim tantùm deſignauit vt materiam traditionem alicuius rei externæ & ſenſibilis, aptæ ad ſignificandos effectus, quos conferebant illa Sacramenta; non tamen deſignauit rem ipſam adhibendam, ſed reliquit iudicio Apoſtolorum, qui inſpecto Eccleſiæ ſtatu eam præfinirent; quod dubium non eſt contigiſſe in Sacramento Ordinis, vbi materia, videlicet traditio librorum, vaſorum, & baculi, non fuit deſignata à Chriſto Domino, poſteà verò à Sanctis Patribus fuit præfinita, vt docent Bernal. *de Sacramentis diſput.47. ſect.1. num.1.* Lugo *eod. tract. lib.1. cap.1. quæſt.7. num.78.* Diana *part.12. tract.1. reſolut.78.* Vnde in conſecratione Epiſcopali potuit Eccleſia Latina præfinire vt materiam vnctionem ſacram; Græca verò licèt non ritè, quia Romanæ iura, & conſuetudines obſeruare debet, validè tamen aliam deſignare, videlicet manus impoſitionem, aut baculi traditionem potuit.

4. d *Suppleri.*] Cùm enim non pars eſſentialis, ſed tantùm ad ſolennitatem ſpectans omitteretur, potuit poſteà ſuppleri abſque vlla iteratione, vt dicemus proximo commentario: debebat tamen hæc vnctio ſuppleri ab ipſis, à quibus fuerat conſecratus, ſicut alij defectus in ordinationibus ſupplentur à miniſtris, qui ordines contulerunt, vt docent Armilla verbo *Ordo, num.* 8. *&* 10. Tabiena *eod. verbo, quæſt.* 10. Innocentius *in cap. Preſbyter, de ſacramentis non iterandis*, Paz Iordanus *tom.1. lib.5. tit.3. num.1.* immò & in ipſo die, in quo conſecratio Epiſcopalis fit, vnctio fieri debet. Syluеſter verbo *Ordo 2. quæſt.5.* Angelus *eod. tract. num.14.* Diana *vbi ſuprà, reſolut.14.* Sed hæc omnia ſupplere potuit Pontificis delegatio, qui vnctionem commiſit Ioanni Albanenſi Epiſcopo.

5. e *F. n. S.*] Ita legitur in tertia collectione, ſed legendum eſt, *F. I.* Ioannes enim patriâ Tuſculanus, à noſtro Innocentio creatus fuit Epiſcopus Albanenſis Cardinalis anno 1199. de quo, & Albanenſi Eccleſia plura Vghellius *tom.1. Italiæ ſacræ, pag.297.*

6. f *Præcepto diuino.*] Docet Innocentius noſter hanc vnctionem in ordinationibus Epiſcoporum ex præcepto diuino prouenire, & ad probandum adducit quod legitur *Exodi cap.* 28. vbi Dominus præcepit Moyſi, vt Aaron, vt filios eius in ſacerdotes vngeret: vnde fluxit apud Hebræos conſuetudo vngendi ſacerdotes, de qua vnctione vltra Theologos poſitiuos *in dict. cap.* 28. *Exodi*, agunt Seldenus *de ſucceſſ. Hebræorum lib.2. cap.9.* P. Menochius *lib.2. de Repub. Hebræorum, cap.5.* Et licèt hoc præceptum legis veteris cæremoniale eſſet, & per conſequens mortiferum; tamen quia non typicum, ſeu præfiguratiuum erat, potuit ab Eccleſia ſuſcitari, ſeu innouari, iuxta tradita *in cap. tranſlato, de conſtit.*

7. g *Apoſtolorum exemplo.*] Non quia ipſi Apoſtoli vnctionem acceperint tempore, quo ordinati, & creati fuerunt Epiſcopi, iuxta veriorem opinionem, licèt alij plures affirment B. Petrum à Domino fuiſſe in Epiſcopum vnctum, & conſecratum, & ipſum alios in Epiſcopos ordinaſſe, quos refert Diana *dict. tract.1. reſol.80.*

8. h *Græcus.*] Patriâ enim Athenienſis erat, Antiocho patre natus, vt referunt Baronius, & Corjolanus *anno* 103. & alij de vitis Pontificum agentes. Clementi ſucceſſit anno 103. licèt aliqui eum confundant cum Cleto, vt notat Baronius *anno* 69.

9. i *Succeſſit Clementi.*] Innocentius III. in præſenti ſequitur opinionem eorum, qui putarunt Clementi ſucceſſiſſe Anacletum, vt Optatus Mileuit. *lib. de ſchiſmate Donat. cap.2.* ibi: *Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus.* Tertull. *lib.3. aduerſus hæreſes, cap.3.* vbi hunc refert Pontificum ordinem: *Primò Petrus & Paulus, ſecundò Linus, tertiò Anacletus, quartò Clemens.* Etſi plures exiſtimauerint Anacleto ſucceſſiſſe Clementem, vt S. Ignatius *in epiſt. ad Mariam*, vulgò *Caſaboliten*, ibi: *Cùm adhuc Romæ eſſes apud Beatum Papam Anacletum, cui nunc ſucceſſit longè Beatiſſimus Clemens, Petri & Pauli ſucceſſor.* Euſebius tam in Chronico, quàm in hiſtoria Eccleſiaſtica, poſt Anacletum Clementem ponit. Epiphanius hæreſi 27. *Epiſcoporum Romanorum ſucceſſio hanc habet ſeriem: Petrus & Paulus, Linus & Cletus, Clemens.* D. Hieronymus *in catalog. ſcriptor. Eccleſiæ, cap.15. Poſt Petrum Romanus Epiſcopus ſecundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametſi plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem.* Euſebius Dexter anno 96. *Per idem tempus S. Anacletus, vel Cletus ſucceſſerat Lino.* E contrà cenſuit D. Auguſt. *epiſt.165. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.* Ex quibus & aliis auctoritatibus etiam probat Aloix *in notis ad vitam S. Irenæi, cap.7.* eundem fuiſſe Pontificem Cletum & Anacletum, non diuerſos.

10. j *Tradidit.*] *Epiſt.2.* vt citatur à Burchardo *lib.1. Decreti, cap.5.* Ivone *part.5. cap.69.* Anſelmo *lib.6. cap.53.* Gratiano *in cap. ordinationes, 75. diſt.*

11. k *Quæ eſt ſpiritualis.*] Omiſsâ aliâ ſpirituali vnctione omnium electorum, iuxta illud Pſalmi 44. relatum ab Apoſtolo ad Hebræos *cap.1. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*; quod cùm intelligatur de Chriſto Domino, qui dicitur vnctus, *actuum Apoſt. cap.10.* gloſſa verbo *Ieſu, in cap.2. de immunit. eccleſ. lib.6.* dubitari nequit, quin per illam vnctionem gratia Spiritus ſancti ſignificetur, quam omnes electi, & veri fideles recipiunt, iuxta D. Ioannem *epiſt.1. cap.1. Sed vos vnctionem habetis.* Omiſſis etiam aliis pluribus vnctionibus, de quibus Fortunatus Scachus *in ſuo Myrothecio.*

12. l *Iacobus Apoſtolus.*] *In epiſt.5.* ibi: *Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Et licèt Lutherus, & alij hæreſiarchæ auctoritatem prædictæ epiſtolæ negauerint, aſſerentes authenticam non eſſe, facilè tamen refelluntur ex Concilio Trident. *ſeſſ.4.* vbi inter canonica ſcripta recenſetur, & probat diſertè Iulianus Petri *in aduerſ.* ibi: *Audiui à Magiſtro meo, & D. Paſchali Toletano Archiepiſcopo dixiſſe S. Leandrum Gregorio epiſtolam canonicam* (quæ ſub nomine S. Iacobi circumfertur) *eſſe Iacobi Maioris; & cùm S. Gregorius Papa legiſſet neſcio quæ apud S. Hieronymum* (quem meritò multùm reuereretur E. S. R.) *quæ legerat etiam ſæpè Leander, ſed intelligebat S. Doctorem eius rei non plenam habuiſſe cognitionem; ſed ſecutus erat quæ legerat apud Euſebium* (cui ille nimis

mis addictus fuit) *S. Gregorium reliquisse fecit in medio, & nunquam vocat illum in epistolæ citatione Iacobum fratrem Domini, aut Minorem, nec Maiorem; sed sæpiùs* (sicut scriptum est) *dicit.* Nec multò post: *D. Bernardus Archiepiscopus Tolet. illustrauit epistolam S. Iacobi, quam probauit compositam esse à S. Iacobo Zebedæi filio; transmissam verò Iudæis conuersis ex duodecim Tribubus dispersis per Hispaniam: deinde Missa Muzurabum S. Iacobi loquitur de Iacobo Zebedæi, & eius dicit esse epistolam canonicam: tandem Missam S. Iacobi inceptam ab eius discipulis auxit Eugenius Euangelio, Epistolaque; post D. Isidorus, & alij, vbi ponuntur nonnullæ epistolæ, quæ Maioris sunt Iacobi, vt semper in Hispaniæ traditione scitum est. Illam incepit perficere S. Melantius Tolet. Archiepisc. Epistolam Honoratus, Pelagius, Audentius, Olympius, Gregorius Toletani Pontifices, tanquam Maioris Iacobi censuerunt habendam, & in multis commentariis insigniter illustrarunt. In chronico verò de Iacobo Maiori, qui duodecim Tribubus in Hispania constitutis, vt docet Sophronius, prædicauit, & epistolam canonicam scripsit, vt docet Isidorus, & ante eum alij celebres scriptores Hispani, quorum fuit eo sæculo communis opinio, vt Missa S. Iacobi, & à S. Isidoro promulgata, à Melatio addita, aucta verò à S. Serrano Asturio, manifestissimè testantur & alij.* Probant, & defendunt vt authenticam epistolam hanc D. Iacobi Sixtus III. Pontifex Maximus *epist. de malis doctr.* quæ extat *tom. 5. Biblioth. veterum Patrum*, Danthes Allegerius *cantu* 20. vbi Christophorus Landinus, Sebastianus Ferra Augustinianus 2. *part. discipl. prædic. fol.* 20. Iacobus Philippus Bergomas *lib.* 8. *supplem. chron. anno* 47. Antonius Honcala Canonicus Abulensis *comment. in Genesim, cap.* 21. Antonius Carraciolus Canonicus regul. *controu.* 1. *de aduentu D. Iacobi, fol.* 132. Didacus Danza *in prolog. comment. in hanc epistolam*, P. Mariana *de aduentu D. Iacobi in Hisp.* & *in scholiis ad eandem epist.* Cornelius à Lapide *in præm. comment. ipsius epistolæ*, Gaspar Sanchez *tract.* 3. *de profectu D. Iacobi*, Puente *lib.* 4. *conuent. vtriusque Monarch. cap.* 18. §. 3. Carrillo *in suis annalib. fol.* 30. Tamayo de Vargas *ad Luitprandum, fol.* 185. idem *in defens. Flauij Dextri, monit.* 8. Bellarminus *tom.* 2. *de sacram. cap.* 1. *de sacrament. Vnctionis:* fusè Viuar. *in comment. ad Flauium Dextrum, anno* 32. *num.* 6. nouissimè Fr. Antonius à Matre Dei *præludio* 1. *de auctorib. sacræ Scripturæ, dub.* 19. §. 5.

m *Vngentes.*] De hac vnctione infirmorum, & eius ministro latè agemus *in cap. quæsiuit* 14. *de verbor. signif.*

n *Secunda.*] Apud ipsum in epistola secunda, de qua vnctione spirituali iam suprà egi.

13. o *Sed etiam Sacramentum.*] Ex his verbis deduci videtur, sacramentum non esse signum visibile, seu sensibile, contra vulgarem sacramenti diffinitionem, & textum *in cap. signum* 33. *de consecrat. dist.* 2. siquidem Innocentius noster scribit, ipsam interiorem, & insensibilem vnctionem esse signum, & sacramentum: ergo cùm illa non sit sensibilis, seu visibilis, deducitur sacramentum sine signo sensibili dari posse. Agnouerunt difficultatem Hostiensis, Abbas, & alij antiquiores in præsenti; quorum solutionibus omissis, vt breuiter satisfaciamus, sciendum est, in sacramentis Ecclesiæ dari, & distingui sacramentum tantùm, rem tantùm, rem & sacramentum simul, *cap. cùm Marthæ*, vbi Abbas Antiquus *num.* 9. *de celebrat. Miss.* Turrecremata *in principio dist.* 1. *de pœnit. num.* 4. Sacramentum tantùm est illud, quod significat, & non significatur ab alio signo, veluti actio externa, & res sensibilis, quæ non sacrant. Res tantùm dicitur, quod significatur, & non significat, qualis est primarius effectus Sacramenti, nempe gratia. Res verò & sacramentum simul est id, quod significatur ab vno, & significat aliud, vt character Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, corpus Christi in Eucharistia, *dict. c. cùm Marthæ, versic. distinguendum.* Quibus suppositis facilè diluitur prædicta difficultas; sacramentum enim debet esse signum sensibile, habito respectu ad id quod est sacramentum tantùm: quod autem docet Innocentius III. in præsenti, intelligitur de eo, quod est res, & sacramentum simul, nempe charactere, qui significatur à Sacramento, & significat gratiam animæ infusam. Hostiensis *hìc, num.* 19. id enim quod dicitur res, & sacramentum simul, non repugnat esse spirituale, & inuisibile, vt considerant Granados *tom.* 4. *controuersia* 3. *tract.* 1. *disput.* 2. *num.* 5. Cano *de sacrament.* 1. *part. ad vltimum argum.* Conradus Kling. *lib.* 4. *loc. comm. cap.* 39. Alia tradit pro expositione prædictorum verborum Turrianus *pro can. Apost. lib.* 1. *cap.* 17. & 18.

p *Oleum.*] Aliud enim est oleum, quod conse- 14.
cratur ad materiam remotam sacramenti extremæ Vnctionis; aliud quod benedicitur ad materiam Confirmationis. Primum quòd conficitur ad sacramentum extremæ Vnctionis, est tantùm oliuarum oleum ab Episcopo benedictum, *cap. finali* 1. *quæst.* 3. *cap. ab infirmis* 26. *quæst.* 7. *cap. non satis, de simonia*, Concilium Florentinum *de vnione Armen. versic. Quintum sacramentum.* Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. Probant Ant. August. *in epit. iuris lib.* 26. *tit.* 1. Bellarm. *dict. tract. de extrema vnct.* Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monacho, cap.* 95. plures ex Moralistis congesti à Leandro *tom.* 1. *de sacrament. de extrema vnct. disput.* 2. *quæst.* 1. Debet esse oleum oliuarum, quia quotiescumque in iure nostro mentio fit vnctionis faciendæ cum oleo, intelligitur oleum oliuarum, ob rationes, quas eruditè congerit Fortunatus Scachus *lib.* 1. *in Myrothecio:* & etiam ab Episcopo debet esse benedictum, quæ benedictio an desideretur ad essentiam sacramenti, disputant Arcudius *de sacrament. lib.* 5. *cap.* 2. plures congesti à Torreblanca *de iure spirituali cap.* 11. Leandro *vbi suprà, quæst.* 3. Secundum verò oleum, quod desideratur in sacramento Confirmationis, & ab Episcopo conficitur, debet esse mixtum cum balsamo, *cap. pastoralis, de sacram. non iter.* Concilium Carthag. 2. *can.* 3. & Carthag. 3. *can.* 36. Brachar. 2. *can.* 4. Plura adducit Basilius *de Confirm. part.* 1. *cap.* 2. *cum quinque sequentibus*, & nos *in cap.* 1. *de sacram. non iterandis.* Discriminis ratio, quare oleum adhibendum in extrema Vnctione tantùm purum desideretur; in Confirmatione verò debeat cum balsamo permisceri, ea traditur ab Altissiodorensi *in summa, lib.* 4. *tract.* 7. nimirum quia balsamum significat bonum famæ odorem. *Ecclesiastici cap.* 4. Quem viuentes tenentur per bona ôpera, & exempla dare, de quo admonentur cùm confirmantur; is verò, qui iam morti proximus est, solùm curam habere debet bonæ conscientiæ, quæ significatur per oleum, vt in nostro textu docetur.

q *Nitor conscientiæ.*] Alias rationes adducunt Scachus *dict. lib.* 1. *Myrot. cap.* 26. Vicecomes *de ritibus Confirm. lib.* 1. *cap.* 23.

r *Per balſamum.*] Plures eius ſignificationes, & huius mixturæ rationes tradit Vicecomes *vbi proximè.*

15. ſ *Vngi debet Epiſcopus.*] Ordo Romanus, vbi de conſecratione Epiſcopi ita legitur : *Mittat chriſma in caput Epiſcopi in modum crucis.* Vnde cognoſcitur prima differentia, quæ verſatur in vnctione Epiſcoporum, & Preſbyterorum : preſbyteri enim oleo catechumenorum tantùm vnguntur in manibus. Pontificale Rom. *de ordinatione Preſbyteri*, ibi : *Pontifex ſedet cum mitra, & depoſitis chirothecis, & annulo Pontificali aſſumpto, ponitur ei gremiale, ſiue mappula ſuper gremium; & ſinguli ordinandi ſucceſſiuè coram eo genua flectunt, & Pontifex cum oleo catechumenorum vnicuique inungit ambas manus ſimul iunctas in modum crucis.* Obſeruat Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. tit. de ritib. pag.* 1024. Epiſcopi verò manus inunguntur chriſmate. Honorius *in gemma animæ, lib.* 1. *cap.* 181. *&* 189. ibi : *Ideò Epiſcopi oleo vnguntur, vt Spiritum ſanctum Apoſtolis datum eſſe doceamur, & vt vita, & doctrina coram hominibus luceant, & eos à vitiis curare ſatagant.* Hallierius *vbi ſuprà, pag.* 1025. Alias rationes congerit Menardus *ad D. Gregorium pag.* 309.

16. t *Conſecrare inquit.*] Hîc confunditur ab Innocentio vnctio Preſbyterorum cum vnctione Epiſcoporum : in Preſbyterorum enim vnctione adhibetur dicta forma, in vnctione verò manuum Epiſcopi illa. *Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & chriſmate ſanctificationis : ſicut vnxit Samuel Dauid in Regem, & Prophetam, ita vngantur & conſecrentur in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Sic in Sacramentali D. Gregorij legitur, & ibi illuſtrat Menardus *pag.* 309. & plura de his vnctionibus congeſſerunt Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. art. de ſacra vnct.* Beyerlinch *in theat. vitæ humanæ, tom.* 7. *verbo Vnctio.*

17. t *Vngebatur Sacerdos.*] Cum hoc tamen diſcrimine, quod Pontifex Maximus vngebatur oleo ſancto in capite ; Sacerdotes verò non vngebantur in capite, ſed tantùm in veſtibus aſpergebantur, partim oleo ſancto, partim ſanguine arietis immolati. Menochius *lib.* 2. *de repub. Hebræorum, cap.* 5. *num.* 21. Vnde Pontifex maximus non lugebat defunctos ; ſacerdotes verò lugere poterant. *Exodi cap.* 29. *verſu* 21.

18. u *Rex.*] Erat tamen apud Hebræos duplex Regum vnctio, priuata, & publica. Priuata fiebat ante ipſam inaugurationem. Publica verò in ipſa auguratione : priuatim vncti fuerunt Saul à Samuele in extrema parte ciuitatis, *lib.* 1. *Regum, cap.* 9. *verſ.* 27. Dauid ab eodem Samuele in domo patris ſui in Bethlehem, 1. *Reg.* 16. *verſ.* 13. Iehu à filio Prophetæ ſeorſim in cubiculo, *lib.* 4. *Reg. cap.* 9. *verſ.* 6. Publicè etiam vncti fuerunt Dauid, Salomon, & Iohacaz, *lib.* 4. *Reg. cap.* 2. *verſ.* 3. ibi : *Tulit populus terræ Iohacaz filium Ioſiæ, & vnxerunt eum, & conſtituerunt eum Regem pro patre ſuo.* Vnde cognoſcitur magnum diſcrimen inter vnctionem Pontificis Maximi, & Regis ; nam Pontifex vngebatur publicè coram populo apud tabernaculum Domini. *Exodi cap.* 29. *verſ.* 4. & *Leuitici* 8. *cap.* 3. Rex verò aliquando priuatim, aliquando publicè, vt ſuprà dixi. Alia etiam differentia inter prædictas vnctiones Regis, & Pontificis conſideratur. Pontifices enim vngebantur oleo ſancto confecto ex myrrha, cinnamomo, calamo, caſia. *Exodi cap.* 29. *verſ.* 7. & *cap.* 30. *verſ.* 23. Reges autem ſimplici oleo vngebantur, vt probat, & defendit Becanus *in analogia, cap.* 16. *quæſt.* 7. licèt contrarium teneat Fortunatus Scachus *Eleochriſmaton Myrothecio* 1. *cap.* 21. *in fine.* Plura de hac vnctione Regum Hebræorum Genebrardus *in pſalmum* 88. Abulenſis *ad* 1. *Reg. cap.* 10. *quæſt.* 1. *& ſequent. &* 1. *Paralipom. cap.* 9. *quæſt.* 2. 3. *&* 4. Serarius *ad* 1. *Reg. cap.* 10. Pineda *de rebus Salomonis lib.* 2. *cap.* 6. Salianus *tom.* 3. *annal. veteris Teſtamenti, anno mundi* 2962. *num.* 80. Ab hac vnctione originem duxit vnctio Imperatorum, & Regum. Vnctionem Imperatorum Romanorum probat, & illuſtrat Gutherus *de iure manium cap.* 5. *lib.* 2. Imperatores Catholici vnctionem recipiunt plerumque ab ipſo R. Pontifice, *cap. venerabilem, de elect.* ibi : *Qui eum inungimus, coronamus, & conſecramus* ; & *cap. intelleximus, de iureiurando, Clement.* 1. *eod. tit.* Caſtaldus *de Imperat. quæſt.* 18. 26. *&* 39. plura Hallier. *de ſacris elect. art. de ſacr. vnct.* §. 3. *&* 4. Imperatorem autem Orientalem à Patriarcha Conſtantinopolitano inungi, refert Codinus *de officiis domus Conſtantinop. cap.* 27. *de coronat. Imperat.* Vbi notauit Grethſerus, & ex ipſo Codino referunt Menardus *ad D. Greg. pag.* 405. Ramirez de Prado *in notis ad Luitprandum anno* 506. *fol.* 299. Et quamuis hanc Regum vnctionem ſibi propriam, & peculiarem eſſe Galliæ Scriptores intendant, vt docent Chopinus *lib.* 2. *de Domanio Franciæ, tit.* 2. *num.* 7. Chaſſaneus *in catalog.* 5. *part. conſiderat.* 30. *&* 31. Guillelmus Benedictus *in cap. Raynuntius, verbo Duas, num.* 77. Caſtaldus *de Imperat. quæſt.* 18. Petrus Greg. *in præludiis optimi Iuriſconſulti, lib.* 1. *cap.* 11. Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. pag.* 1032. Armacanus *in Marte Gallico, lib.* 1. *cap.* 4. 8. *&* 15. qui adducunt fabulam vnctionis Clodouei, quam iam refellerunt, refutaruntque Valdes *de dignit. Regum, cap.* 14. Palmiſotus, ſiue qui auctor non ignobilis eſt inter Vindicias, & Martem Gallicum, *cap.* 8. Tamen pluſquam notum eſt, ab omnibus Regibus eſſe valde vſitatam, vt refert originem huius vnctionis altè repetens Rouſſellius *lib.* 6. *hiſt. Pontif. iuriſdictionis, cap.* 2. Et vt à noſtris catholicis Regibus exordiamur, Regem Vbambam vnctionem accepiſſe, refert Iulianus *in Chronico, in Vbamba*, ibi : *Suſcepit autem glorioſus Dominus Vbamba Regni gubernacula eodem die, quo ille* (ſcilicèt Receſvinctus) *obiit in ſupradicto die* 18. *Kalendis Septembris, dilatâ vnctionis ſolennitate in diem* 14. *Kalendis.* De vnctione Regis Eruigij agitur in Concilio Toletano 12. *c.* 1. ibi : *Seren ſſimus Eruigius Princeps Regni conſcenderit culmen, regnandique per ſacroſanctam vnctionem ſuſceperit poteſtatem.* De Egica Vuitica, & aliis idem referunt Iulianus *vbi ſuprà*, Morales *lib.* 12. *chron. cap.* 41. 53. *&* 57. Et generaliter Reges Gothorum vnctionem accepiſſe in Eccleſia Toletana tempore coronationis, probatur ex exhortatione Patrum Eccleſiæ ad Principes, quam inter Concilia Toletana edidit D. Garſias Loayſa, & *ex l.* 9. *prologi fori*, ibi : *E que beneicen los Principes, e que los ſagran :* vbi notauit Villadiego *num.* 26. & ex traditis à P. Higuera, & Ramirez, & Vargas *ad Luitprandum, vbi ſuprà*, Borello *de præſtantia Regis, cap.* 49. *num.* 83. Loayſa *in notis ad Decretum Gundemari, fol.* 176. & in Concil. Tolet. 9. *fol.* 475. Morales *lib.* 12. *cap.* 41. Madera *de Monarchiæ Hiſpaniæ præſtantia, cap.* 12. §. 6. Valdes *de dignit. Regum Hiſpaniæ, cap.* 14. Tamayo *in martyrol. die* 1. *Iulij*, Auctore arbitrij ſuprà citato *cap.* 18. Poſt ipſos Reges Gothos Alphonſus Rex VIII. inunctus fuit à Ramone

mone Archiepiscopo Compostellano, vt refert Garibai. *lib.* 8. *cap.* 4. *anno* 1135. Item Alphonsus II. inunctus fuit in Ecclesia Burgensi, vt in eius historia refertur *cap.*103. & Alphonsus VII. inunctus fuit in Ecclesia Compostellana à Didaco Ramirez eius Præsule, vt refert Sandoual *in eius historia*, *cap.* 3. *&* 30. Similiter in Regibus Aragoniæ, & Nauarræ vsitatam fuisse hanc vnctionem, ex historicis vtriusque Regni refert Valdes *dict. cap.* 14. Vnde cognoscitur, Reges nostros, vt Reges Castellæ, Aragoniæ, & Nauarræ, iuxta veterem consuetudinem vnctionem recipere posse. Eam tamen vnctionis consuetudinem omiserunt, quia iam iure hæreditario omnes admittuntur, non verò electionis, vt olim creabantur; quam, & alias rationes huius omissionis tradunt Valdes *vbi suprà*, *num.* 15. Palmisotus, siue qui auctor est arbitrij: iure autem conqueritur Argensola *lib.* 1. *annal.* omissum à Monarchis nostris hunc sacrum ritum. De hac Regum vnctione egregiè differit Petrus Damianus *serm.* 70. qui est primus *de dedicat. Ecclesiæ*, ab illis verbis: *Quintum est inunctio Regis.*

19. x *Brachium.*] Licèt hoc antiquitus non semper obseruaretur; Carolum enim Magnum à Capite ad pedes inunctum fuisse, ex Gallicis Scriptoribus referunt Hallierius *de sacris elect. vbi suprà*, *pag.* 1032. Menardus *ad D. Gregorium*, *pag.*403. & de Carolo Caluo in eius Capitulis legitur in ea verba: *Coronet te Dominus. Inunxit eum Hincmarus Archiepiscopus chrismate ad dexteram auriculam, & in fronte vsque ad sinistram auriculam, & in capite.* Ex quo loco etiam constat, Reges aliquando vnctos fuisse chrismate, cùm hodie tantùm oleo catechumenorum vngantur: igitur in brachio, seu armo vnctio fieri debet, cùm pars illa corporis, excepto capite, honorabilior in homine sit, vt ex sacris, & prophanis scritoribus notat Menardus *ad D. Gregorium*, *vbi suprà*, *pag.*405.

20. y *Refert ergo.*] Huic rationi alias adiungunt Pelagius *de planctu Ecclesiæ lib.* 1. *cap.*56. Borellus *de Regis Catholici præstantia*, *cap.* 49. *num.*27. Barbosa *in cap. Valentinianus*, 63. *dist.* & *de potest. Episcop.*2. *part. alleg.*31. Diana *part.*21. *tract.* 1. *resolut.* 88. Illud tamen apud omnes constat, Reges virtute huius sacræ vnctionis quodammodo consecrari, & sacratos manere; immò & in ipsa vnctione ipsos recipere latè sacramentum, docuerunt Petrus Damianus *serm.*75. *de dedicatione*, Archiepiscopus D. Rodericus *lib.*3. *chron. cap.* 1. vbi agens de vnctione Vbambæ Regis Gothorum, ita ait: *Decreuit se Regis nomine imperare; ideo in maiori Ecclesia vrbis Regiæ vnctionis suscepit sacramentum.* Sed propriè non continet sacramentum, vt probant Palmisotus *suprà*, *cap.* 8. Rousselius *lib.*7. *hist. Pont. iurisd. cap.*2. *num.* 4. & *cap.*4. *num.* 5. Fortunatus Scachus *Eleochrism. myrothetico* 2. I. Filesacus *de idololat. cap.* 9. Non tamen virtute huius vnctionis vllus conferrur ordo sacer, aut aliqua potestas spiritualis acquiritur, vt reprehensis Thodoro, & Balsamone *in can.* 12. *Concilij Ancyrani*, & vindiciarum Auctore, docent & illustrant Franciscus Hallierius *de sacris elect. vbi suprà*, *pag.*1034. Boëtius Epon. *tom.*1. *quæst.tit. de regalibus*, *num.* 51. Anonymus, siue Auctor arbitrij suprà citatus *cap.*8. Rousselius *lib.*7. *hist. Pont. cap.*2. *num.*4. & *cap.*4. *num.*5. Fortunatus Scachus *sacrorum Eleochrismatum Myrothecio* 2. *cap.* 1. Filesacus *de idololat. cap.* 9. magnus semper Præceptor D. Franciscus Ramos *in supplicat. pro Episcop. Lusit. propos.*3. §. 1. *in fine*: immò adhuc post sacram vnctionem inter laicos enumerari, probatur ex Synodo Laodicena *can.*10. Trullana *can.* 75. licèt ratione huius vnctionis Regibus pateat aditus ad altare, vt iuxta illud possint Deo dona offerre, *can.*79. *Synodi Trullanæ*; quod aliis laicis non permittitur, *cap.*1. *de vita*, *& honest.* & Reges Galliæ in quibusdam Ecclesiis sui Regni habent Canonicatus, vbi cum Episcopo vt Subdiaconi celebrant, vt referunt Castaldus *de Imperatore cap.*24.*num.*4. Hallierius *vbi suprà*, *pag.*134. Frances *de Ecclesiis Cathedralib. cap.* 5. *num.* 74. Quod ius Regis nostri in Ecclesia Legionensi, & aliis Castellæ probat Valdes *dict. cap.*14. *in fine.* Amplius Imperator post vnctionem receptam potest communicare sub vtraque specie, præcipuè in die Inaugurationis, & in articulo mortis, vt ex bulla Clementis VI. refert Carrier. *tom.*2. *digesti fidei*, *pag.* 645. quæ omnia obtinent Reges potiùs ex priuilegiis sibi specialiter concessis, quàm virtute vnctionis.

z *Bis post baptismum.*] Quem vnctionum ritum probant textus *in cap. ecclesiasticarum*, 11. *dist. cap. deinde*, 70. *de consecr. dist.*4. D. Clemens *lib.* 3. *constit. cap.* 17. ibi: *Baptismus datur in mortem Filij*, *aqua adhibetur pro sepultura*, *oleum pro Spiritu Sancto*, *sigillum crucis pro cruce*, *chrisma confirmatio confessionis est.* Et *lib.* 7. *cap.* 23. ibi: *Vnges eum prius oleo sancto*, *deinde baptizabis aquâ*, *postremò signabis vnguento chrismatis*, *vt sit oleum vnctionis participatio spiritus*, *aqua symbolum mortis*, *vnguentum chrismatis sigillum passionum.* Dionysius *de Eccles. hierarch. cap.*2. Cyprianus *epist.*70. *ad Ianuarium*, Cyrillus Hierosolym. *catechesi* 2. Optatus Meleuit. *contra Parmen. lib.*7. D. Ambrosius *lib.* 1. *de sacris*, *cap.* 2. Damasus Papa *epist.*4. D. August. *serm.* 206. *de tempore*, Isidorus *lib.*2. *de diuin. officiis*, *c.*21. quorum, & aliorum auctoritates referunt Iodocus Coccius *lib.* 4. *thesauri*, *cap.* 9. Turrianus *lib.* 2. *pro epist. Pontificum*, *cap.* 17. 18. *&* 19. Vicecomes *de ritibus baptismi lib.*2. *cap.* 35. *cum sequentib.* Riterursius *in notis ad Saluianum*, *pag.* 87. Cuius vnctionis rationes varias tradunt SS. PP. inter quas ea præcipua est, vt sicut athletæ, seu luctatores olim ante agonem vngi solebant ceromate; ita & Christiani ad spirituale certamen in vita obeundum inungantur; quam expresserunt D. Ambrosius *lib.*1. *de sacram. cap.*5. dum ait: *Venimus ad fontem*, *ingressus es*, *considera quos videris*, *quid loquutus sis considera*, *repete diligenter*, *occurrit tibi Leuita*, *occurrit Presbyter*; *vnctus es quasi athleta Christi*, *quasi luctamen huius sæculi luctaturus.* Cyrillus *catechesi* 3. Illustrant Petrus Faber *lib.* 2. *agonist. cap.* 5. Brissonius *in lege die Dominico*, *Cod. de spectaculis*, *pag.* 138. & 162. *in paruis.* Alias huius vnctionis adducunt rationes Iosephus Vicecomes *lib.*2. *de ritibus baptismi*, *cap.*36. Fr. Ioseph. à S. Maria *de carem. baptism. cap.*19. *&* 20. 21.

aa *In vertice.*] Immò priscis Ecclesiæ temporibus per integrum corpus catechumenus vngebatur, vnde nudus incedebat, vt posset à ministro baptismi vngi, Dionysius *dict. cap.* 2. ibi: *Cùm ei planè vestes ministri detraxerunt*, *tunc sacerdotes sacrum vnctionis oleum offerunt.* Cyrillus *catechesi* 2. *Deinde verò iam exuti*, *exorcizato oleo*, *à summis capillis ad infimos vsque perunctis estis.* Seuerus Alexandrinus *lib. de baptismo. Tunc signat oleo olivæ sacerdos eum*, *qui baptizatur*, *& vngit omnia* 22.

illorum

illorum membra, manus & pedes, & nares eorum: tunc demùm induuntur ſuis veſtimentis. Huius ritus varias rationes aſſignat, & illuſtrat Vicecomes *de ritibus baptiſmi cap.*37. 38. & 40.

23. bb *In fronte.*] Circa hanc vnctionem plerumque SS. PP. & DD. diſſentiunt, eam accipiendo pro vnctione Confirmationis ab Epiſcopo facienda, de qua egi *in cap. quantò, de conſuet.* Verùm vnctio, de qua in præſenti, fit à Preſbytero poſt baptiſmum in formam crucis. D. Auguſt. *ſerm.*1. *ſecundæ partis. Ne dubitares, ne erubeſceres, quando primùm credidiſti, ſignum Chriſti in fronte tanquam in domo pudoris accepiſti; recole frontem tuam, ne ſigna expaueſcas aliena.* Plura de hac vnctione Vicecomes *dict. cap.*40. Menardus *ad librum ſacrament. D. Gregorij, pag.*73. & 143. Sauarus *ad Sidonium lib.* 2. *epiſt.* 12. *pag.* 213. & nos *in dict. cap. quantò.*

24. cc *Manus impoſitio.*] A ritu enim & cæremonia huius vnctionis ſacramentum hoc dicitur manus impoſitio, quia Epiſcopus ſupra confirmandum manus imponit. Concilium Illiberit. *can.*38. Matiſcon 2. *can.* 3. D. Hieronymus *contra Luciferianos*, ibi: *Vt baptizatis poſteà manus imponatur, & ita innocetur Spiritus ſanctus.* Illuſtrant Vicecomes *tom.*2. *de ritibus Confirm. lib.*2. *cap.*2. 3. & 4. Baſilius *de Confirmat. cap.*1. *num.* 6. A materia remota hoc ſacramentum dicitur chriſma, D. Auguſt. *lib.*2. *contra Petilianum, cap.*104. à proxima materia dicitur vnctio. Concilium Laodic. *can.*48. frequenter tamen ab effectu dicitur confirmatio. Hoc enim ſacramentum datur ad corroborandum chriſtianum in fide; vnde Melchiades Pontifex epiſtola decretali ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ait: *Confirmatio armat, & inſtruit nos ad agonem vitæ iſtius.* Quo in ſenſu Confirmatio dicitur in Concilio Arauſic.1. *can.*1. in ſexta Synodo *can.*7. *in cap.*1. *cap. vt ieiunium, de conſecr. diſt.*5. Florentino *de vnione Armenor. verſic. Secundum ſacramentum*, Trident. *ſeſſ.* 7. Plura de inſtitutione, & neceſſitate huius ſacramenti tradunt vltra Moraliſtas, & congeſtos à Baſilio *in tract. de Confirm.* Lemaiſtre *in confutatione Sorbonic. part.*1. *cap finali*, Corjolanus *in Breuiario, anno* 43. *num.* 35. Hallierius *in vindiciis, lib.*2. *cap.*2.

dd *Summus Sacerdos.*] Dixi latè *in cap. quantò, de conſuetudine.*

ee *Vngitur præterea.*] De hac vnctione agemus *in tit. de conſecrat. Eccleſiæ.*

25. ff *Vnctionis ſacramentum.*] His verbis ſatisfacit Innocentius argumento aduerſariorum, qui aſſerebant Eccleſiam non debere vti benedictionibus, quia Iudæi illis vtebantur; ſicut nec ob eandem rationem Eccleſia vtitur circumciſione, aut aliis præceptis cæremonialibus; nam ſicut Eccleſia alias plures cæremonias legis veteris tranſtulit in legem gratiæ, vſumque & collationem Sacramentorum, vt dixi *in cap. tranſlato, de conſtitutionib.* & exemplis probat Hallierius *de ſacris elect. ſect.*8. *de cæremoniis, cap.*1. ita hunc vnctionis ritum in lege veteri ad præfigurandum vſitatum, vſurpauit, & tranſtulit ad veritatem demonſtrandam, quod Eccleſiam facere potuiſſe, iam probaui *dict. cap. tranſlato*, & docet Hallier. *vbi ſuprà, pag.* 1018.

26. gg *Cardinalem.*] Leonem videlicet, qui legatus miſſus fuit in Bulgariam, ſeu Balachiam, vt Calojoannem, ſiue Ioannicum illius nationis Principem diademate Regio coronaret. Ab eo enim Cardinale iuſſit Innocentius Archiepiſcopum inungi, & cum Primatis titulo ipſius Regni ornamenta Pontificalia miſit: referunt Spondanus *anno* 1204. *num.*13. Boſquetus *in geſtis Innocentij III.*

hh *Caligas.*] Licèt caligam propriè eſſe calceamentum militare, affirmet Balduinus *in lib. de calceo antiquo, cap.* 13. verius eſt, eſſe indumentum commune, tam militibus, quàm paganis; tam ſacris, quàm prophanis. De caligis prophanis agunt Cicero *Philippica* 2. *Cum caligis, & lucerna cucurriſti.* Iuuenalis ibi: *Veniam caligatus in agros.* Ioſephus *lib.*7. *de bello Iudaico, cap.*3. refert Iulianum Centurionem caligas creberrimis atque acutis clauis fixas geſtaſſe. De caligis ſacrorum miniſtrorum meminerunt D. Gregorius *lib.*1. *dialog. cap.*4. vbi de quodam Abbate ait: *Ecce vir Dei clauatis calceatus caligis veniebat.* Et *lib.*3. *cap.*20. agens de Stephano ſacerdote refert, *caligas è tibiis traxit.* Caſſianus *lib.*1. *inſtit. cap.*10. de monachis Ægyptiis ait: *Tantummodò caligis ſuos munium pedes.* Etiam dicuntur caligæ compagi, ſiue cambagi: Ordo Romanus *lib. de diuin. officiis, tit. qualiter Epiſcopus in R. Eccleſia ordinetur*, ibi: *Et induant ipſum electum cambagos.* Quo modo accipiuntur *in cap. peruenit* 21. 98. *diſt.* Non autem, vt vulgò creditur, caligæ, ſeu compagi, tantùm pedum tegumenta ſunt, immò potius tibiarum, quæ vſque ad genua protenduntur. Vnde à D. Gregorio appellantur tibiales: illæ autem, licèt coriaceæ vulgò deferrentur, tamen à Regibus, & Epiſcopis ſericeæ, & valdè pretioſæ geſtabantur; quare Surius *in canonizat. S. Eduardi Regis*, refert S. Eduardum iacentem in veſtitu deaurato, calceatum caligis purpureis, & calceamentis pretioſis: & in veteri ordine coronationis Regis Francorum, qui extat *lib.*5. *Decret. Eccleſiæ Gallic. tit. de præparat. inſignium, & ornamentorum Regalium*, legitur: *Præparatis & poſitis ſuper altare coronâ Regiâ, gladio in vagina incluſo, calcaribus aureis, item caligis ſericeis, & hyacintinis.* De caligis Epiſcoporum Innocent.III. *lib.*1. *myſter. Miſſæ, cap.*48. ita ait: *Priùs autem caligis induitur vſque ad genua protenſis, ibique contritis.* Et *ſermone* 3. *de ſignificat. indument.* ibi: *Antequam induantur ſandaliis, veſtiuntur caligis byſſinis, vel lineis, vſque ad genua protenſis.* Alia proſequuntur de his caligis Vicecomes *tom.*4. *de ritib. Miſſæ, lib.*3. *cap.*12. & 13. Sauſay *in Panopl. Epiſcop. lib.* 7. *cap.* 2. & 7. Meurſius *in Gloſſario, verbo Compagi.* 27.

ii *Sandalia.*] De his egi *in cap. finali, de auctorit. & vſu pallij.*

jj *Amictum.*] Amictus apud prophanos ſcriptores, pro veſte, quæ cæteris indumentis ſuperponitur, accipitur. Virgilius *lib.*3. *Æneid.* ibi. 28.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Prudentius, licèt non prophanus, de prophano amictu contra Symmachum ait.

Candidiore toga niueum pietatis amictum
Aſſumere.

Apud eccleſiaſticos verò accipitur pro veſte ſacerdotali communi Epiſcopis, & ſacerdotibus, quæ ſacrificantis humeros lato circumamictu amplectitur. De hac veſte Carolus Magnus *de ritibus veteris Eccleſiæ ab Vuolfango Lazio collectis*, ibi: *Poſt ſandalias in Eccleſiæ veſtimentis ſequitur ſuperhumerale, quod fit ex lino puriſſimo.* Fortunatus *de eccleſiaſticis officiis lib.*2. *cap.*17. ibi: *Amictus eſt primum veſtimentum noſtrum, quo collum vndique cingimus.* Innocentius III. *lib.* 1. *de myſter. Miſſæ, cap.* 10. ibi: *Sex autem ſunt indumenta communia Epiſcopis,*

Episcopis, & Presbyteris ; videlicet amictus, alba, cingulum, stola, manipulus, & planeta, quæ appellatur superhumerale, quia super humeros extenditur. Albinus Flaccus *de diuin. officiis, cap. de singulis vestibus*, ibi : *Habent etiam nunc ministri Ecclesiæ Christi superhumerale, quod amictum vocamus in aliquibus Ecclesiis, supra albam indutum.* Varia de eius materia, forma, & vsu tradunt Vicecomes *tom. 4. de ritib. Missæ, lib. 1. cap. 1. cum sequent.* Sausay *in Panopl. Episcop. lib. 1. cap. 4. pag. 56.* qui probant amictum ex lino esse debere ; nam & Ægyptij Sacerdotes, & reliqui Isidis & Serapidis lineis vestibus vtebantur, vt post alios scriptores refert D. Hieronymus *in cap. 44. Ezechielis.* Ab Ægyptiis edoctus Pythagoras non alio vestitu suos sacerdotes vti voluit : auctor est Iamblicus *lib. 1. de vita Pythagoræ, cap. 21.* & ab ipsis accepisse Hebræos, constat *ex cap. 26. Leuitici :* & Apuleius *apolog. 1. pag. 349.* rationem reddit huius vsus his verbis: *Quod ex lino contextum est, purissimum est rebus diuinis velamentum. Quippe lana, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, iam inde Orphei, & Pythagoræ scitis profanus vestitus : sed mundissima lini seges, inter optimas fruges terræ exorta, non modò indutui, & amictui sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris vsurpatur.* Et *lib. 11. de Asino, pag. 212.* vbi pro linteis iniectum, lego intectum. Illustrat Filesacus *lib. 1. select. cap. 3. ad finem.*

29. kk *Albam.*] Alba vestis est communis, non solùm Episcopis, & Sacerdotibus, verùm etiam aliis ministris ecclesiasticis, *cap. Episcopus Presbyter 11. quæst. 3.* Concilium Narbon. *anno 589. can. 12. Hæc maximè pro Dei timore, & modo disciplinæ canonicæ elegimus custodienda, & tenenda, vt dum Missa celebratur, nullus Presbyter, aut Diaconus absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de altari audeat, nec Diaconus, aut Subdiaconus certè, vel lector, antequam Missa consummetur, albâ se præsumat exuere.* Extra diuina autem officia vti albâ prohibitum est in Concil. Carthag. 4. *can. 41.* Plura de eius vsu apud Iudæos, Gentiles, & Christianos tradunt Vicecomes *dict. tom. 4. lib. 2. cap. 10. cum sequent.* Sausay *in Panopl. Sacerdot. part. 1. lib. 2. cap. 2.* & *in panopl. Episcopali lib. 6. cap. 6.* Bulengerus *lib. 1. opuscul. cap. 34.* P. Gabriel de Henao *de sacrif. Missæ, part. 2. disput. 27. sect. 10.*

30. ll *Cingulum, & succinctorium.* Aliud tamen est cingulum, aliud succinctorium. Cingulum est zona, seu baltheus, quo cingitur Sacerdos, Sacerdotibus veteris legis non ignotum ; immò ab eis ad nostros traditum. Plura de eo adducunt Vicecomes *dict. lib. 2. cap. 13. cum sequent.* Sausay *in Panopl. sacerdot. lib. 3. cap. 4.* Succinctorium verò est vestis propria Episcoporum, primis Ecclesiæ scriptoribus hoc nomine ignota, de qua Nicephorus Constantinop. Episcopus *in epist. ad Leonem III. Symbolum autem mediatricis inter nos dilectionis misimus fraternæ vestræ Beatitudini encolpium aureum, & semicinctia auro variegata.* Innocentius noster, qui eius formam describit *serm. 3. de signif. indumentor.* ibi : *Vnde est, quod inter indumenta Pontificalia adhuc circa renes applicantur linea fœminalia, non tam ad velandam carnis turpitudinem, quæ iam solitis operta est vestimentis, quam propter signum castitatis conseruandæ.* Plura de succinctorio Vicecomes *dicto tom. 4. lib. 3. cap. 16. cum sequentibus.*

mm *Orarium.*] De quo egi *in cap. à multis, de ætate & qualit.*

31. nn *Manipulum.*] Vt cognoscamus quid per manipulum, tam noster Innocentius, quàm sacri Patres accipiant, sciendum est, priscis fidei christianæ, & religionis Sacerdotibus in vsu fuisse, quoties sacra facturi erant, linteum in manu, vel sinu tenere, vt sudorem faciei, oculorum, aut narium humorem defluentem abstergerent ; quod ecclesiastici Patres modò mappulam, aliquando mantile, sæpè sanonam appellant : plura Vicecomes *lib. 2. cap. 33.* In locum tamen huius mappulæ deferri cœpit manipulus. Stephanus Eduensis *de sacrament. altaris cap. 10.* ibi : *Mappula, quâ solent siccari stillicidia oculorum, excitat nos ad vigilandum; manipulus significat hanc mappulam, qui in sinistro brachio collocatur, vt dextra manus expedita sit ad reliquas actiones præstandas.* Rupertus *de diuinis officiis : Manipulus, quem in brachio sinistro gestat Subdiaconus, dextro vacante, vt expeditum sit ad administrandum, illud nobis innuit.* Manipulum deferre non potest, qui non fuerit in Subdiaconum ordinatus. Concilium Pictauiense 2. *cap. 5.* ibi : *Vt nemo monachorum deinceps manipulis vtatur, nisi fuerit Subdiaconus ordinatus.* Plura de manipulo Sausay *in Panopl. sacerdot. lib. 4. per totum*, Vicecomes *dict. lib. 2. cap. 34. & 35.* Bulengerus *lib. 1. opuscul. cap. 42.* Menardus *ad D. Greg. pag. 363.* Sed in hac parte exponendus est textus parum notus *in cap. illud 22. 93. dist.* vbi asseritur tantùm eos, quibus concessum est mappulis vti, eas deferre posse; alios verò nec virtute consuetudinis posse mappulas induere : ergo non rectè asserimus, mappulis, seu manipulis Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos vti posse. Cuius textus difficultas dissoluitur si animaduertamus, quid per mappulas in eo textu accipiatur ? Et omissis sententiis Glossæ, Archidiaconi, & Turrecrematæ *ibi*, dicendum est, D. Gregorium in eo textu agere de mappula, quæ quatuor baculis colligata, ex illis suspensa supra Pontificem deferri solet, quam nos vulgò appellamus *Pallio :* Innocentius noster *lib. 2. de sacrificio Missæ, cap. 7.* Cùm autem huiusmodi mappulæ vsus introductus esset in signum supremæ Pontificiæ potestatis, vsurpari ab aliis inferioribus sine Pontificis licentia non poterat, argumento textus *in cap. cùm non liceat, de præscript.*

oo *Tunicam.*] Tunica licèt lato modo pro dalmatica accepta, communis vestis sit Episcoporum, Presbyterorum, & diaconorum, vt probant Vicecomes *dict. lib. 3. cap. 20.* Sausay *in Panopl. Episcop. lib. 6. c. 3.* tamen si accipiatur pro veste superiori hyacinthina, propria est Episcoporum, à sacerdotibus veteris Testamenti vsitata. Nicephorus Episcopus *in dict. epist. 3. ad Leonem III.* Rupertus *de diuin. officiis lib. 1. cap. 23.* ibi : *Quæ hactenus dicta sunt, Presbyteris, & Episcopis sunt communia ; quæ verò sequuntur, Episcoporum propria : tunicam, quam subter casulam habet Pontifex, in veteri Testamento coloris erat hyacinthini.* Innocentius noster *lib. 1. de myst. Missæ, cap. 10.* De cuius forma, colore, & significatione agunt Vicecomes *vbi suprà, cap. 22. & 23.* Sausay *vbi proximè*, Bulengerus *dict. lib. 1. cap. 31.* 32.

pp *Dalmaticam.*] Dalmatica apud Romanos genus fuit tunicæ manicatæ talaris, albæ, auroque sæpè, aut purpura intertextæ ; quam chiridatam veteres vocant. Eâ qui vtebantur, quia ad instar tunicæ fœmineæ prolixa, & ad talos vsque demissa, manicis etiam brachia vsque ad primores manuum digitos amiciebat, molles, & euirati habebantur. Postea dalmaticæ cùm Senatoriæ & 33.

Regiæ

Regiæ veſtes eſſe cœpiſſent, vti digniores, auguſtioreſque, tranſlatæ ſunt ad ſacros eccleſiaſticos vſus, & formatæ priùs in modum crucis. Alcuinus *cap. quid ſignificent veſtimenta*, Rabanus Maurus *lib. 2. de inſtit. cleric. cap. 20.* Amalarius *lib. 2. cap. 11.* Iſidorus *lib. 19. orig. cap. 22.* Hæc veſtis primis Eccleſiæ ſæculis non omnibus Epiſcopis communis fuit, poſteà Epiſcoporum propria veſtis dicta, tandem diaconis, & ſubdiaconis conceſſa eſt. Vvalfridus Strabo *de rebus Eccleſ. cap. 24.* ibi: *Primò quidem ſacerdotes dalmaticas ante caſularum vſum induebant; poſtea verò cùm caſulis vti cœpiſſent, dalmaticas diaconibus conceſſerunt.* Ipſos autem Pontifices eis vti debere, ex eo clarum eſt, quòd Gregorius, vel alij Romanorum Præſides aliis Epiſcopis earum vſum permiſerunt, aliis interdixerunt; vbi intelligitur, non omnibus tunc fuiſſe conceſſum, quod nunc ferè omnes Epiſcopi, & nonnulli Preſbyterorum ſibi licere exiſtimant, id eſt, vt ſub caſula dalmaticâ veſtiantur. De eius origine & forma nonnulla Vicecomes *dict. lib. 3. cap. 26. 27. & 28.* Sauſay *in Panopl. Epiſcop. lib. 6. cap. 6.* Dartis *ad 23. diſt.*

34. qq *Chirothecas.*] Eas ab Apoſtolis emanaſſe, prodidit Honorius Auguſtodunenſis *in gemma animæ, lib. 1.* ibi: *Chirothecarum vſus ab Apoſtolis eſt traditus.* Ita legendum eſt, non *ab epiſtolis*, vt vulgò legitur. Innocentius III. *lib. 1. de myſter. Miſſæ, cap. 57.* ibi: *Manus operit chirothecis.* Plura de illis Sauſay *in Panopl. Epiſcop. lib. 5. cap. 1.* Vicecomes *dict. lib. 3. cap. 37.* Bulengerus *lib. 1. opuſcul. cap. 4.* Durantius *lib. 3. in ration. diuin. officij, cap. 12.*

35. rr *Annulum.*] Etiam inter ornamenta Epiſcopi enumeratur annulus, *cap. clerici, de vita & honeſt. cleric.* qui traditur tempore conſecrationis in ſignum matrimonij inter ipſum, & Eccleſiam celebrati, iuxta tradita *in cap. illud, de præſumpt.* aut in ſignum poteſtatis adminiſtrandi Sacramenta. Iſidorus *lib. 2. de eccleſ. officiis, cap. 5.* Concilium Aquiſgran. *can. 9.* Beda *in collect. de ſeptem ordin.* Rupertus *lib. 1. de diuin. officiis, cap. 25.* Alias rationes huius annuli ex variis tradit Hallierius *de ſacris elect. pag. 1001. de impoſitione manuum, art. 4.*

36. ſſ *Planetam.*] Vltima veſtis ſacerdotalis eſt planeta, ſiue caſula, communis Epiſcopis, & Preſbyteris. Carnot. *ſermon. 3. de ſignificat. indument.* ibi: *His omnibus indumentis ſupponitur caſula, quæ alio nomine planeta vocatur.* Innocentius noſter *lib. 1. myſter. Miſſæ, cap. 58.* ibi: *Poſtremò ſuper omnes veſtes induit caſulam, ſeu planetam, quæ ſignificat charitatem.* Plura de ea Vicecomes *dict. lib. 2. cap. 26.* Sauſay *in Panopl. lib. 6. cap. 9.*

37. tt *Mitram.*] Omiſſis variis mitræ acceptionibus, tam apud ſacros, quàm prophanos ſcriptores, hîc mitra accipitur pro tegumento capitis proprio Epiſcoporum. Innocentius noſter *vbi ſuprà, lib. 1. cap. 6. Mitra Pontificis vtriuſque Teſtamenti ſcientiam ſignificat; nam duo cornua, duo ſunt Teſtamenta.* De eius nominibus, forma, & ſignificatione agunt Merillus *lib. 3. obſeru. cap. 40.* Vicecomes *lib. 3. cap. 29. cum ſequentib.* Sauſay *in Panopl. Epiſcop. lib. 1. per totum*, Raynaud. ſeu qui auctor eſt tractatus *de Pileo, ſect. 14.* Lælius Biſciola *lib. 17. horarum, cap. 13.* Rouſſelius *lib. 8. hiſt. Pont. iuriſd. cap. finali.*

uu *Pallium.* De eo fusè egi *in tit. de auctorit. & vſu pallij.*

38. xx *Pontifex non vtatur.*] Vndè B. Petrus in marmorea ſtatua, quæ habetur Toloſæ in Eccleſia S. Stephani, licèt Pontificialibus ornamentis indutus, ſine baculo expreſſus eſt. Aliquos tamen Pontifices baculo vſos fuiſſe, videtur probari ex Luitprando *lib. 6. hiſtoriæ*, vbi de Benedicto Antipapa ita refert: *Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam manu geſtabat, Domino Leoni Papæ reddidit.* Reginus *lib. 2. chronicæ*, de ipſo agens, ibi: *Ferulamque paſtorali manu eius abreptam coram omnibus in fruſta confregit.* Sed adhuc crederem, nunquam eos baculo vſos fuiſſe, cùm nec in aliquo Eccleſiæ Concilio id legamus, & fabulam Benedicti refellant DD. infrà citandi.

yy *Baculo paſtorali.*] Signanter expreſſit Innocentius *paſtorali*, ad differentiam aliorum, quibus diuerſæ perſonæ vtuntur. Reges enim plerumque baculis vti probant Petrus Greg. *lib. 5. de Repub. cap. 2. à num. 21.* & *lib. 7. cap. 2. num. 12.* Pancirola *lib. 1. variar. cap. 19.* Opingius *de iure inſignium cap. 2. §. 4. & §. 6. ſect. 5. membro 5.* & monachos baculis vti refert Caſſianus *lib. 1. collat. cap. 9.* Vbi notauit Gazeus. Abbates etiam, quibus conceſſum eſt ius mitræ & baculi, baculum deferre, latè probant Sauſay *in Panopl. Epiſcop.* Benedictus Ephtenus *lib. 5. diſquiſit. tract. 5. diſquiſit. 5.* Alij etiam baculis vtuntur, de quibus eruditiſſimi viri Nouarinus *in ſchediaſmate lib. 1. cap. 38.* Coronel. *ad Gongoram, ſoneto 6.* In præſenti ergo agitur de baculo Epiſcopali, qui aliquando dicitur *Cambuta*, vt probat Menardus *ad D. Gregor. pag. 189.* Baculus enim inſigne eſt Epiſcoporum. Concilium Tolet. 4. *can. 77. Si Epiſcopus eſt, recipiat coram altari orarium, annulum, & baculum.* Vnde in Synodo 8. Conſtantinop. *act. 7.* ingreſſo Phocio Synodum cum baculo, Marinus Legatus S. A. iuſſit auferri baculum, dicens: *Baculum ſignum eſt dignitatis paſtoralis, quod hîc habere non debet, qui lupus eſt, non paſtor.* Quare inueſtitura Epiſcopalis traditur per annulum, & baculum. Gofridus *de inueſtituris laicorum*; & idcò in aliquibus Eccleſiis mos inoleuit, vt defuncto Epiſcopo, baculus ad Regem deferretur, vt ab eo ſucceſſor inueſtituram per baculum reciperet; quem vſum improbauit Innocentius III. *lib. 1. epiſt. 47.* iubens Archiepiſcopo Caſſellenſi, *Vt cùm te, vel aliquem ſuffraganeorum tuorum contigerit mori, baculus paſtoralis, & annulus in Eccleſia remaneant propria, ſub fideli cuſtodia conſtituti, ad ſucceſſoris vſum, cùm Deo fauente conſecrationem acceperit, conſeruandi.* Notauit Boſquetus *ad Innocent. lib. 1. epiſt. 87.* Et ſicut in conſecratione Epiſcopi accipiunt baculum, & annulum, ita in degradatione baculus illis aufertur. Plura de paſtoralis baculi origine, vſu, & ſignificatione adducunt Vicecomes *dict. lib. 3. cap. 41.* Sauſay *in Panopl. Epiſcop. lib. 2.* Iuretus *in notis ad Iuonem, epiſt. 157.* Opingius *vbi ſuprà*, Aloix *in vita S. Aburci, cap. 3.* Stephanus Durantius *de ritibus Eccleſiæ lib. 2. cap. 9. num. 38.* Bulengerus *lib. 1. opuſcul. cap. 32.* Aloiſius Nouarinus *lib. 1. ſchediaſm. ſacr. proph. cap. 28.* Petrus Greg. *lib. 15. ſyntagm. cap. 12. num. 38.* Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. 2. part. ſect. 8. cap. 9. art. 4. §. 2.*

39. EXPONITVR CAP. NVLLVS DE CONSECR. DIST. 2.

Sed difficilis eſt in hac parte textus *in cap. nullus 57. de conſecrat. diſt. 2.* in illis verbis: *Nullus Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus ad ſolennia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire.* Igitur non licèt Epiſcopis deferre baculum. Pro cuius textus expoſitione dicendum eſt, in eo textu non agi de baculo paſtorali, ſed de baculo communi;

40.

communi; & deciditur, cum baculo, & velato capite non licere Epiſcopo, aut ſacerdoti celebrare. Quæ interpretatio colligitur ex eo, quod æqualiter prohibetur Epiſcopo, ac ſacerdoti cum baculo miniſtrare: licèt enim ob infirmitatem liceat aliquando in choro horas canonicas cum baculo recitare, Concilium Aquiſgran. ſub Ludouico *cap.*131. ibi: *Quam non pompaticè, vel inhoneſtè, vel incompoſitè, ſed cum reuerentia Dei, & timore ingrediantur, nec cum baculis in choro, exceptis debilibus.* Tamen Miſſam celebrare cum baculo non licet, vt docet, & alia pro ipſius textus interpretatione adducit litteratiſſimus vir, in ſacra Theologia apprimè doctus, in peritia canonica non malè meritus P. Gabriel de Henao *tom.*2. *de ſacrificio Miſſæ, diſput.*27. *ſect.*3.

41. zz *Propter hiſtoriam.*] Gloſſa in præſenti exiſtimauit hiſtoriam eſſe, quia B.Martialis, qui miſſus fuit à D.Petro in Germaniam cum ſocio quodam ſuo Matthæo, eo mortuo rediit ad D.Petrum, à quo baculum accepit, quo ſocium vitæ reſtituit. Sed hæc hiſtoria præterquam à nullo ex Scriptoribus Eccleſiaſticis refertur, admitti non poteſt, cùm hiſtoriam hîc indicatam expreſſerit noſter Innocentius *lib.*1. *myſter. Miſſæ, cap.*62. in illis verbis: *R. Pontifex virga non vtitur pro eo, quod B.Petrus Apoſtolus baculum ſuum miſit Euchario primo Epiſcopo Treuerenſi, quem vnà cum Valerio, & Materno ad prædicandum Euangelium genti Teutonicæ deſtinauerat; cui ſucceſſit in Epiſcopatu Maternus, qui per baculum S. Petri de morte fuerat ſuſcitatus, quem baculum vſque hodie cum magna reuerentia Teeuerenſis ſeruat Eccleſia.* Sequuntur Innocentium D. Thomas *in* 4. *diſt.*24. *quæſt.*2. *art.*9. Vicecomes *dict. lib.*3. *de ritibus Miſſæ, cap.*42. Hallierius *vbi ſuprà.* Etſi ad primam hiſtoriam hæc verba poſt D. Thom. *in* 4. *diſt.*24. *quæſt.* 3. *ad* 8. *argum.* referant Otho Friſingenſis *lib.*3. *cap.*15. I.Stephanus Valent. *de poteſt. R.P. cap.*8. Falsò autem ex Luitprando *lib.*6. *cap.*11. & Reginone *lib.*2. *chronici*, probant Iuretus *ad epiſt.*157. *Iuonis*, Valentinus *vbi ſuprà*, R.Pontificem olim vſum fuiſſe virga paſtorali, ſeu ferula paſtoritia, vt ipſi nominant, quos refellit veram hiſtoriam à Luitprando traditam referens, & explicans Theophilus Raynaud. *tom.*10. *in tract. de Corona R. Pontificis, cap.*4.

42. aaa *Myſticam rationem.*] Plures hîc afferunt Interpretes. Prima eſt, quia Epiſcopus baculum ab alio accipit. Concilium Aquiſgran. *can.*9. ibi: *Sacerdoti dum conſecratur, datur baculus.* Vnde cùm Pontifex à nullo accipiat iuriſdictionem, non poteſt de manu alicuius baculum accipere. Secunda, quia baculus in ſummitate curuus ſignificat iuriſdictionem Epiſcopi eſſe limitatam; vnde cùm Pontifex non habeat limitatam iuriſdictionem, baculo non vtitur. Has, & alias rationes proſequuntur Hallier. *vbi ſuprà*, Bulengerus 1. *opuſcul. cap.*32. Iuretus *ad Iuonem epiſt.*157. Auctor Romæ Subterraneæ *cap.*29. Hallierius *vbi ſuprà*, *pag.*1005. *de poteſt. Epiſcop. part.*1. *tit.*1. *c.*2. Theophilus *tom.*10. *de Corona R.P. cap.*4.

bbb *Aliorum Pontificum.*] Id eſt Epiſcoporum. Ex his verbis conſtat, Patriarchas, & Epiſcopos Eccleſiæ Orientalis baculos paſtorales deferre, quod etiam ſuadetur ex his, quæ de Photio ex Concilio Conſtantinop. retulimus, quos ab Imperatore accepiſſe refert Hallier. *vbi ſuprà, pag.*1004.

COMMENTARIVM.

43. SENTENTIA HVIVS TEXTVS REFERTVR.

DEcidit ergo Innocentius in hac diffuſa epiſtola, in conſecrationibus Epiſcoporum, & ordinationibus Preſbyterorum Græcos debere eas vnctiones adhibere, quas adhibent Latini. Quæ deciſio ſingularis eſt in iure noſtro. Eam tamen pertractant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. ſect.* 8. *art.* 2. *pag.* 1003. Menardus *ad D. Greg. pag.* 291. *&* 307. & alij in ſuperioribus notis laudati.

44. QVÆDAM DIFFICVLTAS ADDVCITVR.

Sed hæc Innocentij deciſio, dum ſupponit apud Latinos adhiberi vnctionem, tam in conſecratione Epiſcopi, quàm ordinatione Preſbyteri, difficilis redditur ex ea conſideratione. Et primò apud Latinos vnctionem non adhiberi, probatur argumento negatiuo; ſiquidem ſeduli, & antiqui rituum eccleſiaſticorum ſcriptores Eccleſiæ Latinæ, dum ritus adhibendos in ordinationibus Epiſcoporum, & Preſbyterorum recenſent, non meminerunt huius ſacræ vnctionis, vt D.Iſidorus *lib.*2. *de diuinis officiis, cap.*10. Alcuinus *eod. tract. tit. Qualiter Epiſcopus in Romana Curia ordinetur*, Rabanus Maurus *lib.*2. *de inſtit. cleric. cap.*5. Carnotenſis *de excellent. ſacror. ordin.* Similiter Concilia, vbi de his cæremoniis agitur, vt Carthag. 4. *can.* 2. Tolet. 4. *can.* 27. Aquiſgran. ſub Ludouico Pio *lib.*1. *cap.*2. nullam faciunt mentionem huius ordinationis: igitur quia in Eccleſia Latina talis vnctio non adhibetur. Augetur hæc conſideratio *ex cap. præterea Seruatoris, diſt.*33. vbi Nicolaus Pontifex aſſerit, nunquam ſe legiſſe vnctionem adhibitam fuiſſe in conſecratione, ſiue ordinatione Epiſcopi, aut Preſbyteri. Secunda difficultas verſatur circa aliam partem præſentis epiſtolæ, vbi aſſerit Innocentius, in Eccleſia Orientali hanc vnctionem in vſu non fuiſſe, de cætero verò obſeruandam eſſe; nam etiam ante Innocentium noſtrum hanc vnctionem apud Græcos in vſu fuiſſe probatur ex Dionyſio *de Eccleſ. hierarch. cap.* 4. ibi: *Vnguento vtitur Pontifex in omni ferè Pontificio munere.* D. Gregor. Nazianzen. *orat.* 4. *Vnguentum quoque ipſe quoddam habeo (ſed quo ſacerdotes ſolùm & Reges vngantur, vtpotè vario, & exquiſito, & noſtrâ causâ effuſo) magni vnguentarij arte confectum, atque vtinam mihi ſuauem eius odorem Deo offerre contingat.* Etiam probatur ex hiſtoricis Scriptoribus illius nationis, qui referunt in variis Epiſcoporum conſecrationibus adhibitam vnctionem fuiſſe. Nicephorus *lib.* 7. *hiſtoriæ, cap.*40. dum panegyricam orationem in laudem Paulini, & aliorum Præſulum Eccleſiæ Orientalis refert, ita exorditur: *O amici Dei, & ſacerdotes, qui ſacroſancto talari induti, cœleſtis gloriæ coronâ, diuinâ vnctione, & ſacratâ ſancti Spiritus ſtolâ circumueſtiti.* Et *lib.*11. *cap.*56. Moſem ſanctiſſimum Antiſtitem Epiſcopali vnctione acceptâ ordinatum fuiſſe refert Ignatius Taracin. *in eius vita*, Metaphraſtes *in vita S. Ioannis Chryſoſtomi, cap.* 33. relatus à Surio *die* 27. *Ianuarij*, tradit eum ſacro chriſmate conſecratum, & in excelſo loco Eccleſiæ collatum fuiſſe; idem de S. Nicolao ipſe refert in eius vita, *cap.* 13. relatus à Surio *die* 6. *menſis Decembris.* Vnde conſtat in Eccleſia Orientali iam à primis Eccleſiæ ſæculis hanc vnctionem in vſu fuiſſe.

45. De sacra vnctione apvd Latinos.

Ad huius textus expositionem, & difficultatis adductæ solutionem sciendum est, hanc sacram vnctionem apud Latinos in consecrationibus Episcoporum, & ordinationibus Presbyterorum, iam à primis Ecclesiæ sæculis fuisse vsitatam, vt ex Anacleto probatur, cuius meminit Innocentius in præsenti, & nos suprà verba retulimus ex D. Cypriano, si ille auctor est opusculi de operibus Christi cardinalibus, vbi de vnctionibus ecclesiasticis ita ait: *Nec tamen cessantibus his, quæ ritu antiquo inoleuerant, cùm iam in populo christiano circumciso videretur damnabilis, & sacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis mysterium religio christiana contempsit; sed cæteris generali sanctione damnatis, non solùm in Regibus, vel sacerdotibus vnctionis honor permansit, sed in omnem populum catholicum effusa est huius gratiæ plenitudo.* Ex Paciano Barchinonensi Presbytero *epist. 3. ad Sempronianum*, ibi: *Quâ nos consignat vnctus sacerdos.* Leone Magno *serm. 8. de passione Domini*, ibi: *Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio sacerdotum.* Etiam probatur ex veteri Ordine Romano, & aliis sacramentalibus codicibus relatis à Menardo *in notis ad Sacram. D. Gregorij, pag.* 291. *&* 307. Quamplures etiam Scriptores sacrorum rituum Ecclesiæ, huius vnctionis meminerunt, vt Amalarius Fortun. *lib. 2. de diuin. officiis, cap.* 14. Eduensis *de Sacram. Altaris, cap. 9.* Honorius Augustod. *in gemma animæ, lib. 1. cap.* 181. 184. *&* 189. Fulbertus Carnot. *epist.* 20. & alij: ac huius antiquæ vnctionis varias rationes morales, & mysticas tradunt Hallierius *vbi suprà, pag.* 1021. *&* 1023. Sausay *in Panopl. Episcop. lib. 5. cap. 1.*

46. De eadem apvd Græcos.

Etiam sciendum est, apud Græcos visibilem hanc vnctionem in ordinationibus Episcoporum & Presbyterorum nullo modo admissam fuisse, quod duplici argumento probatur; alio affirmatiuo, negatiuo alio. Affirmatiuum deducitur ex præsenti textu, in illis verbis: *Cùm apud vos non consueuerint Pontifices cùm consecrantur, inungi.* Ex Simeone Thessalonicensi *de sacram. seu mysteriis Ecclesiæ, lib.* 8. vbi reprehendit vsum Latinorum in hac vnctione, his verbis: *Retentus Iesus Christus ipse ei chrisma, & manibus, & capiti, &c.* & ex variis Ecclesiasticis Scriptoribus illius nationis, quorum verba ad adstruendam sententiam hanc refert, & expendit Hallierius *vbi suprà, pag.*1009. Argumentum negatiuum deducitur ex Dionysio *lib. 4. de Eccles. Hierarch.* vbi dum agit de ordinationibus Græcorum, nullam huius vnctionis mentionem facit, nec in euchologiis ipsorum sacra hæc vnctio in ordinationibus recensetur, vt notauit Menardus *ad Sacram. D. Gregorij, pag.*322. igitur quia apud Græcos hæc sacra vnctio olim in vsu non erat.

Quibus præmissis ratio præsentis Decretalis ex eo prouenit; nam cùm Romana Ecclesia omnium sit mater, & magistra, *cap. significasti 4. de elect.* vbi probaui; & quæ ab ea statuuntur, ab omnibus debeant obseruari, *cap. 1. de constit.* & consuetudines Ecclesiæ Romanæ ab omnibus sint custodiendæ, ne membra à capite discedant, *cap. nolite 3. cap. hoc vestræ, cap. quis nesciat, dist. 11.* vbi plura Acuña, & Ioannes Dartis, Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 4. cap. 5.* ideò post diffusam de variis vnctionum generibus tractationem, Innocentius tandem concludit, vnctionem visibilem in ordinationibus Episcoporum, & Presbyterorum ab Ecclesia Latina vsitatam, à Græcis etiam obseruari debere, ne vnione facta vtriusque Ecclesiæ (vt nostri Innocentij temporibus facta erat) in hac sacra, & visibili vnctione ab Ecclesia Romana vniuersali dissentiret. Nec difficultas prima in contrarium adducta obstat; nam licèt Scriptores, & Ecclesiæ Patres in ea expensi non meminerint huius vnctionis, parum, aut nihil ex eo euincitur; siquidem alij ipsius sæculi Scriptores illius meminerunt, & tam iuxta Philosophos, quàm Practicos, infirma est auctoritas argumenti negatiui: quare si vnus testis referat factum, & centum omittant, prævalet dispositio vnius. Vnde cùm pro nostra sententia tot adsint Scriptores, qui etiam illis sæculis meminerunt huius vnctionis, illis potiùs, quàm eis, qui ipsam omiserunt, fides præstanda est. Nec obstat augmentum deductum *ex dict. cap. præterea*; nam vt rectè animaduertit Glossa in eo textu, Nicolaus non negat Presbyterorum manus oleo esse inungendas, sed tantùm chrismate non esse liniendas. Vt enim suprà dixi, ea differentia versatur inter vnctionem Presbyteri, & Episcopi, quòd in vnctione Episcopi chrismate vnctio fit; at verò in vnctione Presbyteri, tantùm oleo consecrato. Vnde rectè Nicolaus affirmat, Presbyterorum manus chrismate non esse perungendas. Alia prosequitur Franciscus Hallierius *vbi suprà, pag.*1017. Nec secundum augmentum aduersatur, cui duplici modo satisfieri potest. Primò auctoritates in eo relatas accipiendo de vnctione mystica, non verò de visibili, vt eas explicat Menardus *in notis ad Sacram. D. Greg. pag.* 322. vel ea referendo ad tempus, in quo Ecclesia Constantinopolitana non per Græcum Patriarcham regebatur, sed per Latinum, vt aliquando contigisse probaui *in cap. quantò, de consuet.* vnde cùm eo tempore iuxta vsum, & consuetudinem Ecclesiæ Latinæ sacramentum Ordinis administraretur, ideò apud Scriptores Ecclesiæ Orientalis reperitur mentio huius sacræ vnctionis, vt obseruat Hallierius, *vbi proximè, pag.*1017.

47. Tradi-tvr decidendi ratio, et dissolvi-tvr difficvltas.

TITVLVS

TITVLVS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

CAPVT I.

[a] Innocentius III.

PAstoralis. *Et infrà*: Præterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem [b] Subdiaconatus assumptus: & si Confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus? Ad quod breuiter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum.

NOTÆ.

1. a *Innocentius III.*] Nec in hac, nec in tertia collectione, vbi *sub hoc tit. cap.* 1. reperitur hæc decisio, refertur Episcopus, cui missa sit; sed ex aliis decisionibus, vbi aliæ partes eius proponuntur, restituenda est ita inscriptio. *Innocentius III. Episcopo Helienſi*, vt *in cap. pastoralis, de rescriptis*, vbi extat alia pars huius textus, in cuius notis congessi alia fragmenta, quæ extant in hoc volumine compilata, ex quibus integra epistola restituenda est.

2. b *Subdiaconatus.*] Sed nonne in ordinatione Subdiaconi adhibetur manus impositio? Et certum est, non adhiberi, immò loco manus impositionis pro materia remota huius gradus Subdiaconus accipit patenam, & calicem de manu Episcopi, *cap. Subdiaconatus* 11. *dist.* 13. Concilium Tolet. 4. *can.* 17. Isidorus Hispalensis *lib.* 4. *de officiis, cap.* 14. *cap. quia iuxta* 5. *quæst.* 6. Concil. Florent. *in decreto de vnione Armen.* §. *Sextum Sacramentum.* Probant Diana *part.* 10. *tract.* 15. P. Gabriel Henao *de sacrif. Missæ, disput.* 26. *sect.* 8. Quomodo ergo in præsenti supponitur, Subdiacono manus imponi tempore ordinationis. Quidam neotericus existimabat, textum hunc esse accipiendum cùm gradus Subdiaconatus sacer iam erat post tempora Vrbani II. vt probaui *in cap. à multis, de ætat. & qualit.* Sed etsi verum sit, temporibus Innocentij III. huius textus authoris Subdiaconatus gradum sacrum esse, non tamen inde constat Subdiacono manus imponi. Quare eâ solutione omissâ veriùs dicendum est, in hoc textu pro *Subdiaconatus*, legendum esse *Diaconatus*, vt in variis exemplaribus legi testantur Anton. Augustinus Hostiensis, & Innocentius *in præsenti*, Suarez *de censur. disput.* 41. *sect.* 4. *num.* 12. Vazquez 3. *part. in* 3. *part. disput.* 238. *num.* 154. Granados *contron. tract.* 1. *disput.* 3. Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 10. §. 1. Franciscus Hallierius *de sacris elect. pag.* 434.

CAPVT II.

Honorius III. *Capitulo* [a] *Brehemensi.*

ANobis humiliter quæsiuistis, quid fieri debeat de mortuorum corporibus, qui tempore schismatici, & reprobi [b] Vualdemari, à schismaticis sunt [c] sepulti? Et de indumentis sacerdotalibus, cum quibus; nec-non de altaribus, in quibus degradati Presbyteri celebrarunt. Nos autem inquisitioni vestræ taliter respondemus, quod non credimus ob hoc duntaxat sepultos huiusmodi exhumandos, aut debere indumenta talia iterum benedici, vel reconsecrari altaria supradicta.

NOTÆ.

a *Brehemensi.*] In sexta Decretalium collectione legitur *Archiepiscopo Londonienſi*; in alia, *Correctori Lundunenſi*: sed veram inscriptionem restituit Innocentius Cironius *in* 5. *collect. sub hoc tit. cap. vnico*, ita: *Capitulo Brehemensi.* Brehemensis Ecclesia est in Germania suffraganea Archiepiscopi Colonienſis, vt refert Krantzius *lib.* 2. *Metropoleos, cap.* 19.

b *Vvaldemari.*] Vualdemarus fuit filius Canuti, qui per annos 1206. pro Rege Daniæ se gerebat viuente Valdemaro Regni legitimo successore; & cùm faueret Canuto, in carcerem detrusus fuit, cùm esset Episcopus Sleuicensis, à dicto Rege Vualdemaro; & cùm iussu Innocentij III. à carcere liberatus adhuc non acquiescerer, exulare iussus est ab illis prouinciis, vbi prædicto Regi suspectus erat; & cùm Bononiam peterer, & esset electus in Præsulem Brehemensem ope 1.

Bernardi Saxoniæ Ducis, vt vult Cironius *hîc*, siue Philippi Sueui, vt refert Spondanus *anno* 1206. *num.*5. & Burchardus esset electus Præsul ipsius Ecclesiæ, Vualdemarus excommunicatus fuit ab Innocentio III. quia non acceptâ veniâ Bononiæ properasset. Posteà absolutus fuit, non tamen illi permissum Brehemensem Ecclesiam retinere. Referunt Cironius *in præsenti*, Spondanus *vbi suprà*, Bosquetus *ad Innoc. III. lib.*15. *regestr. epist.*3. De hoc Vualdemaro accipiendus est præsens textus. Hic Vualdemarus schismaticus dicitur, quia adhæsit Philippo Imperatori schismatico.

c *Sepulti.*] Cùm ipsi nec schismatici, nec excommunicati essent, sed fideles, aut clerici, aut laici; aliàs si essent schismatici, exhumari deberent, iuxta textum *in cap. sacris, de sepultur.* & cæmeteria, vbi sepulti erant, reconciliari, *cap. consuluit, de consecrat. Ecclesiæ*, vbi adducemus quæ ad præsentem decisionem spectant. Cùm enim exhumatio, & reconciliatio spectent ad sacramentalia, non verò ad sacramenta, possunt in eis benedictio, & consecratio iterari, *cap. si metum* 19. *cap. vestimenta* 41. *de consecrat. dist.*1. *cap. vnico, de consecrat. Ecclesiæ, lib.*6. 2.

CAPVT III.

Gregorius IX. *Archiepiscopo* [a] *London.*

PResbyter, & Diaconus cùm ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab [b] Apostolis introducto) recipiunt: quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos cautè supplendum quod per errorem extitit prætermissum. [c] Suspensio autem manuum debet fieri, cùm oratio super caput effunditur ordinandi.

NOTÆ.

a *London.*] Alibi legitur *Lugdunensi*, sed legendum est, *Lundensi Archiepiscopo*, vt etiam emendandum docet Cironius *in cap. ad nostram, de probat. in* 5. *collect.* Londonensis enim tantùm est Ecclesia Episcopalis, vt dixi *in cap. cùm olim* 6. *de consuet.* vnde legendum est *Lundensi*, de qua Ecclesia egi *in cap.*2. *de consuetudine.*

1. b *Ab Apostolis.*] Sed hoc difficile admodum videtur; nam vt infrà probauimus, manus impositio materia remota est gradus Presbyteri, & Diaconi, ex diuina institutione: igitur non ab Apostolis manus impositio fuit introducta. Pro huius difficultatis solutione dicendum est, materiam Sacramenti Ordinis in omnibus eius gradibus ex institutione diuina prouenire, & ab Apostolis fuisse præscriptam; nam vt dixi *in cap. vnico de sacra vnctione*, & notant Hallier. *de sacris elect. pag.*441. Diana *part.*11. *tract.*2. *resolut.*78. in aliquibus Sacramentis tempore eorum institutionis tantùm Dominus noster instituit, & præscripsit vt materiam aliquod signum sensibile, per quod posset effectus illius Sacramenti significari; determinationem autem, & eius præfinitionem Apostolis faciendam reliquit. Quod contingit expressiùs in Sacramento Ordinis; nam cùm tempore eius institutionis nondum essent libri ecclesiastici, neque Episcopi consecrati, qui manus imponerent, non potuit Dominus certam præfinire materiam cuiuscumque gradus. Quare cùm Apostoli ex Domini delegatione præfiniuissent, & statuissent manus impositionem esse adhibendam; ideò in præsenti docetur, Apostolos instituisse manus impositionem in collatione graduum Presbyteri, & Diaconi.

2. c *Suspensio autem.*] Ita legitur in aliquibus codicibus, quæ verba si retineantur, accipienda sunt de manus impositione accidentali, quæ non fit tacto capite, sed suspensis tantùm manibus, vt infrà dicemus, & notauit Hallierius *de sacris elect. pag.*488. Si autem loco verbi *suspensio*, legatur *impositio*, illa verba referenda sunt ad manus impositionem essentialem.

COMMENTARIVM.

EX his tribus decisionibus sequens deducitur disputanda assertio. *Si in collatione gradus Presbyteri, vel Diaconi manus impositio fuerit prætermissa, & in confirmatione oleum pro chrismate adhibeatur, non fit reiteratio, sed prætermissum supplebitur.* Probat textus *in cap. vnico, in principio, de sacra vnctione.* Illustrant eam vltra Barbosam, & ab eo congestos in præsenti, Bellarm. *de Sacram. in genere, lib.*2. *cap.*22. Frater Petrus à S. Ioseph. *de sacrament.*2. *part. sect.*3. *disput.* 5. & *disput.* 7. *sect.*3. Hallier. *de sacris elect. sect.* 8. *art.*2. *pag.* 988. Couar. *lib.*1. *variar. cap.* 10. *num.* 4. Basilius Legion. *de confirm. cap.*2. & 3.2. *part.* Barbosa *de iure Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 29. Cæsar *de Eccles. Hierarch. disput.*8. §.8. *num.* 3. & *disput.* 10. §.1. *num.*7. Vighellius *in meth. iuris canon. pag.*411. Gibalinus *de clausura disput.* 3. *cap.* 2. §.2. *num.*9. Suarez *de sacram. disput.*33. *sect.*1. Azor *part.*2. *instit. lib.*5. *cap.*1. Paz Iordanus *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 3. Ioannes Pontius *in casu theologico disput.* 48. *quæst.* 2. *conclus.*8. *num.* 15. Diana *part.*11. *tract.* 1. *resolut.* 50. & 54. 3. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

Sed hæc assertio quoad vtramque partem difficilis redditur ea consideratione. Certum enim principium est inter iuris Pontificij Interpretes, Theologos, & Moralistas, omissis his, quæ ad essentiam Sacramenti desiderantur, Sacramentum esse iterandum; non autem quod omissum fuit, supplendum. Docent Hostiensis *in cap. vnico, de sacra vnctione*, §. *à quo & qualiter fiat*, Butrius *in dict. cap. vnico*, plures Summistæ congesti à Diana *dict. resolut.*50. Sanchez *tom.*2. *consil. lib.*7. *dub.*3. Cùm enim aliquid pro forma actus desideratur, si illud deficiat, actus vitiatur, *c. sanè* 12. *q.*2. *c. reuerà, de consecr. dist.*2. *c. chorepiscopis* 68. *dist. c. final. de condit. apposit.* sed ad essentiam Sacramenti Ordinis desideratur manus impositio Episcopi, vt materia; & similiter ad essentiam Confirmationis, vt materia remota requiritur chrisma, hoc est oleum balsamo mixtum: igitur cùm in præsenti omitterentur essentialia sacramenti Confirmationis, & Ordinis, non debebant ea suppleri, sed integrè sacramenta iterari. 4. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

iterari. Probatur minor quoad primam partem ex D. Clemente *lib.8. conſtit. cap.16.* Concilio Carthag.4. *can.3.* ibi : *Vt non ſolum ab Epiſcopo manus ſuas ſuper eum tenente.* Et *can.4. Vt ſolus Epiſcopus, qui benedicit, manus ſuper caput illius imponat.* Ex *cap. 6. actuum Apoſt.* ibi : *Orantes impoſuerunt ei manus.* Ex D. Paulo 1. *ad Timoth. cap.4.* ibi : *Cum impoſitione manus Preſbyteri.* Et *cap.5. Manus citò nemini impoſueris.* Ex D. Hieronymo *in cap.58. Iſaiæ*, ibi : *Ordinatio non ſolùm ad imprecationem vocis, ſed etiam ad impoſitionem impletur manuum.* D. Ambroſ. *lib. de dignit. ſacerdot.* ibi : *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam ; ſacerdos imponit ſimplicem dexteram, Deus benedicit potente dextera.* Vnde impoſitionem manuum eſſe eſſentialem materiam gradus Preſbyteri, & Diaconi, facilè probatur *ex cap. multi 1. quæſt. 3. cap. Daibertum 1. quæſt.7.* Concilio Nicæno *in can.9.* Antiocheno *can.10. & 17.* Trident. *ſeſſ.14. cap.3.* pluribus SS. PP. & Pontificum teſtimoniis probant Bellarminus *de Sacram. Ordin. lib.1. cap.9. cap. Preſbyter*, §. *quorundam*, 23. *diſt.* Leander *de Sacram. Ordin. diſput.3. quæſt.6. 7. & 8.* Alia minoris pars, videlicet chriſma requiri de eſſentia Sacramenti Confirmationis, & oleum benedictum ſine balſamo non ſufficere, probatur ex Fabiano Papa *epiſt.2.* vbi ait : *Ex diuina inſtitutione prouenire, vt oleum cum balſamo conficiatur.* Et *cap. vnico*, §. *per frontis*, *de ſacra vnctione.* Ex D. Cypriano, ſi ipſe auctor eſt ſermonis de vnctione chriſmatis ; Clemente Romano *lib.7. conſtit. cap.44.* Eugenio IV. *in decreto de ſacramentis*, in hæc verba : *Secundum ſacramentum eſt Confirmatio, cuius materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem bonæ conſcientiæ; & balſamo, quod odorem bonæ famæ ſignificat, per Epiſcopum benedicto.* Docent, & probant Suarez *de Sacramentis diſput.32. ſect.1.* Bellarminus *lib.2. de confirm. cap.8.* Baſilius *eod. tract. part.2. cap.2. & 3.* igitur in præſenti, tam ſacramentum Ordinis, quàm Confirmationis iterandum erat.

5. De sacramentis quæ imprimvnt characterem.

Hac difficultate non obſtante, vera eſt præſens deciſio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, ex ſeptem Sacramentis Eccleſiæ tria, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, characterem imprimere, vt probant Bellarm. *lib.2. de ſacram. in genere*, *cap.18.* Creſpetius *verbo Character*, Layman *de ſacram. cap.7. à num.1.* Valentia *tom.4. diſput.3. quæſt.4. punct.2.* Leander *de ſacram. in genere, diſput.3. quæſt.15.* Vnde reiterari ſemel accepta non poſſunt. Trident. *ſeſſ.7. cap.9.* & Baptiſmum iterari non poſſe, probant canon 40. Apoſt. textus *in cap. hanc regulam 57. 1. quæſt.1. cap. attenditur 32. cap. non licet 107. de conſecrat. diſt.4. cap.2. de Apoſtatis*, Trident. *ſeſſ.14. cap.2. l.1. C. ne ſanctum Baptiſm.* Plura Antonius Auguſt. *in epit. lib.22. tit.26.* Iuſtel. *in cap.27. Eccleſiæ Africanæ*, Albaſpin. *in Optatum, obſerv.9.* Gutierrez *de delictis quæſt.59.* Gibalinus *de irregul.1. part. cap.5.* Sfortia *in Concilij Trident. hiſtoria.* Confirmationis etiam ſacramentum iterari non poſſe probant textus *in cap. dictum eſt*, *cap. de homine*, *de conſecrat. diſt.5.* Concilium Cabilon. 2. *can. 22.* Trident. *dict. cap.9.* D. Gregorius *lib.12. epiſt.31.* Clemens *lib.3. conſtit. cap.16.* alij congeſti à Baſilio *de Confirm. 3. part. cap.1. num.7.* Tandem Ordinis ſacramentum non eſſe iterabile, probatur *ex cap.1. 2. & 5. 68. diſt.* Concil. Tolet.8. *can.7. cap. conſultationi*, *de temporib. ordin.* & aliis Conciliorum decretis, & SS. PP. teſtimoniis, quæ lata manu congerunt Anton. Auguſt. *in epit. iuris Pontif.* *lib.27. tit.34.* Bellarmin. *lib.1. de ordine*, *cap.10.* Marchinus *de ordine tract.1. part.3. cap.4. num.23.* Corjolanus *in Breuiario*, *anno 44.* Hallierius *de ſacris elect. pag.477.* cuius prohibitionis rationem expreſſit D. Cyprianus *de ablutione pedis*, ibi: *Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renouat, nemo ſacro oleo linita iterum linit, aut conſecrat, nemo impoſitioni manuum, vel miniſterio derogat ſacerdotum, quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi euacuari poſſit, quod ille ſanctificat.* Sed licèt hæc Sacramenta non ſint iterabilia ; tamen ſi in eis aliquid omittatur, quod ſaluâ reuerentiâ ſacramenti, & abſque vlla iteratione ſuppleri poſſit, ſupplendum eſt cautè ; quod incautè fuit prætermiſſum, *cap. Spiritus*, §. *ecce 1. quæſt.1.* Debet autem ſuppleri debitis temporibus, vt poſt Summiſtas reſoluit Diana *part.12. tract.1. reſol.50.*

6. De manvs impositione.

Secundò ſciendum eſt, manus impoſitionem variis modis accipi in noſtro iure, & apud SS. PP. Aliquando accipitur pro Confirmationis ſacramento. Concil. Illiber. *can.38.* Matiſcon. 2. *can.3.* D. Cyprianus *epiſt.73.* ex D. Clemente, Vrbano, & aliis probant Baſilius *de confirm. cap.1. num.7.* Vicecomes *de ritibus Confirm. lib.2. cap.2. cum ſequentib.* Hallierius *in vindiciis de ſacram. Confirm.* Plerumque accipitur pro reconciliatione pœnitentis, *cap. pœnitentes*, *cap. de infirmis*, *cap.is qui pœnitentiam*, *& per totam 26. quæſt.6. cap. placuit, cum ſequenti*, 50. *diſt.* Plura Albaſpin. *lib.2. obſerv. cap.31.* ſæpè laudatus D. Ioannes Antonius de Otalora *de irreg. ex pœnit.2. part. excurſu 2. num.5.* Etiam accipitur manus impoſitio pro baptiſmo, vt probant Ambianas *ad Tertull. in Apolog. cap.39. in fine*, Seuerinus Binius *in notis ad decreta Melchiad.* Paſſim pro ordinatione accipitur, vt in auctoritatibus ſuprà congeſtis in ratione dubitandi, & aliis relatis ab Hallierio *de ſacris elect. pag.19. & 430. & 989.* nec impropriè, cùm in ordinatione manus imponatur ab Epiſcopo, iuxta illud Pauli ad Timoth.1. *cap.4. Manus citò nemini impoſueris.* Et primis Eccleſiæ temporibus per manus impoſitionem ordinationem fieri probatur ex Concilio Nicæno *can.19.* Ancyrano *can.10. c. Subdiaconus 23. diſt. cap.1. de ſimonia*, *cap. Epiſcopus 11. quæſt.3.* Probant Corjolanus *anno 44.* Baronius *eod. anno*, Hallier. *de ſacris elect. pag.430.* Duplex autem adhibetur manus impoſitio in ordinatione Preſbyteri, & Diaconi. Alia eſſentialis, vt materia remota, quæ fit ab Epiſcopo cum prolatione formæ : *Accipe Spiritum ſanctum* ; de qua in ſupradictis iuribus agitur. Alia accidentalis, quæ fit ab Epiſcopo, dum ſacras preces recitat, & expandit manus ſuper ordinandum, de qua Hallierius *vbi proximè*, *pag.986.*

7. De chrismate Confirmationis.

Tertiò præmittendum eſt, materiam remotam Sacramenti Confirmationis ex inſtitutione diuina eſſe oleum per Epiſcopum conſecratum, & ex præcepto Eccleſiæ cum balſamo permixtum. Vnde ex inſtitutione diuina ſufficere ad validè adminiſtrandum Confirmationis ſacramentum oleum per Epiſcopum conſecratum ; ad ritè verò conferendum deſiderari ex Eccleſiæ præcepto, vt balſamo ſit permixtum, docent poſt D. Thomam Sotus *in 4. diſt. 1. quæſt.1. art.2.* Nauarrus *in manuali, cap.22. num.8.* Couar. *lib.1. Variar. cap.10. num.4.* Moure *in exam. Tholog. moral. part.3. cap.3. §.3.* Valentia 4. *tom. controu. diſput.5. quæſt.1. part.1.* Hugolinus *de Sacram. Confirm. cap.19.* Barboſa *lib.3. iuris Eccleſ. cap.3.* Dicaſtillo *de ſacrament. tom.1. tract.3. dub.3. num.29.*

8. DEFECTVS QVOMODO SVPPLEATVR.

Quartò obseruandum est circa supplementum eorum, quæ in collatione sacramentorum contingunt, & quæ in illis omittuntur, distinguendum esse inter ea, quæ omittuntur, & de substantia sacramenti desiderantur; & ea quæ accidentalia sunt. Primo casu integrum sacramentum iterandum est, vt si omittatur pars formæ; non enim dicitur iterari quod nullum fuit, *cap. solenniter, de consecr. dist.* 1. docent repetentes *in cap. vnico, de sacra vnct.* Secundo verò casu nullâ Sacramenti iteratione admissâ cautè supplendum est, quod incautè fuit prætermissum. Sanchez *dict. lib.* 7. *consil. dub.* 3. Diana *part.* 11. *tract.* 2. *resolut.* 50. Adhuc etiam discrimen constituendum est inter sacramenta, quæ constant diuersis materiis, & formis, quarum vna non pendet ab alia; vt sacramentum Confirmationis, quod constat ex materia olei, & balsamo: Eucharistiæ, quod conficitur ex pane, & vino: Extremæ vnctionis, quod diuersis vnctionibus administratur: Ordinis, quod diuersis materiis, traditione videlicet vasorum, impositione manuum. Quæ enim tantùm vnicâ materiâ, & formâ administrantur, vt baptismus & pœnitentia, si aliquid in eis omittatur circa materiam, aut formam, totum sacramentum iterandum est; in aliis verò si vna ex materiis omittatur, quæ non dependet ab alia, illa tantùm suppleri debet, non autem totum Sacramentum iterari, vt docent Sanchez, & alij suprà relati.

9. REFERVNTVR VARIÆ INTERPRETATIONES.

His præmissis, atque animaduersis, antequam rationem decisionis afferamus, libet Doctorum interpretationem in præsenti referre, nostramque etiam proponere. Et primò Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 10. *num.* 4. Adrianus, & Paludanus, quos laudat, & sequitur Basilius *de confirm.* 2. *part. cap.* 2. *num.* 17. Diana *part.* 11. *tract.* 1. *resolut.* 84. Hallierius *de sacris elect. pag.* 441. existimant in præsenti Sacramenta Ordinis, & Confirmationis esse denuò conferenda. Sed hæc interpretatio sustineri non potest, quia repugnat litteræ textus *in cap.* 1. ibi: *Non est aliquid iterandum*, *cap.* 3. ibi: *Non est aliquatenus iterandum.* Quibus verbis excluditur non solùm iteratio rituum, verùm & omnium, quæ pro collatione Ordinis, & Confirmationis gesta erant: ergo & vnctio cum oleo in Confirmatione, & traditio vasorum in ordinatione iterari non debent, cùm asserant Innocentius III. & Gregorius IX. non esse aliquid iterandum. Aliter hos textus accipiunt Innocentius, Panormitanus, & Barbosa *in præsenti*, existimantes in his ritibus omissam fuisse manus impositionem accidentalem, non verò essentialem, & sic non iterari manus impositionem essentialem adhibitam, sed tantùm suppleri accidentalem, quæ deerat. Quæ interpretatio adaptari non potest nec decisioni textus *in dict. cap.* 1. nec *in dict. cap.* 3. Non textui *in dict. cap.* 1. quia in eo agitur de supplenda manus impositione, quæ adhibetur in ordinatione Diaconi, ibi: *Ad ordinem diaconatus.* Sed in ordinatione Diaconi tantùm vna essentialis manus impositio adhibetur, non duplex, vt in ordinatione Presbyteri, vt docet Hallierius *vbi suprà*, *pag.* 441. igitur textus *in dict. cap.* 1. accipi non potest de manus impositione accidentali. Etiam adaptari non potest decisioni textus *in dict. cap.* 3. quia licèt loquatur de ordinatione Presbyteri; tamen dum Pontifex affirmat supplendum esse cautè quod per errorem fuerat prætermissum, statim progreditur ad manus impositionem accidentalem, quæ fit expansis manibus: igitur antecedenter Gregorius egerat de manus impositione essentiali.

10. TRADITVR NOSTRA INTERPRETATIO.

His igitur interpretationibus omissis, vera eius textus interpretatio, & ratio, ni fallor, prouenit ex suprà traditis: nam cùm in Sacramento Ordinis in collatione graduum Presbyteri, & Diaconi detur materia diuersa, ab alia non dependens, videlicet traditio vasorum, & impositio manuum, vt probat Hallierius *vbi suprà*, §. 5. *pag.* 435. & nouissimè pluribus relatis Leander; & in Sacramento Confirmationis desideretur oleum vt materia remota, ex institutione diuina; balsamum verò ex præcepto Ecclesiæ, vt suprà probaui: ideò in his Sacramentis vbi dantur diuersæ materiæ, omninóque distinctæ, quarum vna non pendet ab alia, collato sacramento cum vna, alia tantùm debet suppleri, non verò prima iterari. Ideò rectè Innocentius III. & Gregorius IX. decreuerunt in gradibus Presbyteratus, & Diaconatus collatis cum vnica tantùm materia, videlicet traditione vasorum, ipsam iterandam non esse; sed tantùm aliam materiam, videlicet manus impositionem, supplendam cum sua forma partiali, videlicet: *Accipe Spiritum sanctum.* Similiter sacramento Confirmationis collato cum oleo tantùm, ipsa vnctio olei iteranda non est, sed tantùm supplenda vnctio cum balsamo, quæ fuerat prætermissa. Nec inde inferas ex hac diuersitate materiarum diuersa dari Sacramenta; nam Eucharistia, Ordo, & Extrema-vnctio, licèt diuersis constent formis, & partialibus materiis, non ideò plura sunt Sacramenta. Et hæc pro interpretatione vtriusque decisionis adducta defendi possunt, donec alius meliora attulerit, cui libenti animo herbam tradam.

11. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec tunc obstat dubitandi ratio suprà adducta, cuius prima pars ex suprà dictis exposita manet. Nam cùm admittamus, manus impositionem esse essentialem in collatione gradus Presbyteri, & Diaconi, ideò infertur, eam suppleri non posse absque iteratione totius sacramenti. Secunda autem pars illius difficultatis expositione indiget; siquidem ea oppressi supracitati Bellarminus *lib.* 2. *de Confirm. cap.* 8. & 9. Filliucius *de sacram. Confirm. cap.* 1. *quæst.* 5. plures relati à Basilio *cap.* 2. *num.* 5. asseruerunt, oleum cum chrismate esse essentialem materiam; non enim obstant Clementis, Fabiani, & Cypriani testimonia, qui tantùm asserunt, desiderari balsamum permixtum oleo in Confirmatione, quod non negamus; sed id prouenit ex institutione Ecclesiæ, non verò ex præcepto diuino. Nec Eugenij authoritas aduersatur; nam eodem modo accipienda est, iuxta præceptum Ecclesiæ: plerumque enim Eugenius IV. inter materias Sacramentorum recenset, non tantùm illas, quæ ex institutione diuina proueniunt, verùm etiam illas, quæ ex præcepto Ecclesiæ præscriptæ sunt: vnde cùm recenset materiam sacramenti, asserit esse vinum ex vite, cum modicissimæ aquæ permixtione; cùm nemo affirmauerit, ex diuina institutione hanc aquæ permixtionem prouenire à iure diuino, vt dicemus *in cap. cùm Marthæ, de celebrat. Missar.* In Sacramento etiam Pœnitentiæ ipse pro materia recenset satisfactionem, & nemo negat satisfactionem esse tantùm partem integralem; non verò essentialem Sacramenti. Quare similiter in dicto decreto Concilij Florentini mixtionem balsami à iure tantùm ecclesiastico præscriptam, vt necessariam assignat Eugenius IV.

Superiori

12. EXPONITVR CONCIL. TOLET. 8. CAN. 6.

Superiori assertioni opponitur textus *in Concilio Tolet. 8. can. 6.* in illis verbis: *Vt cùm Subdiaconi ordinantur cum vasis ministerij, benedictio eis ab Episcopo detur.* In quo textu apponitur, quosdam Diaconos voluisse contrahere matrimonium post gradum Subdiaconatus acceptum eo prætextu, quod tempore ordinationis suæ simul cum vasis benedictionem ab Episcopo non acceperant; vnde vt omnis excusationis ratio cessaret, iubent Patres deinceps simul cum vasis ipsam benedictionem accipere debere, vt sic posteà matrimonium contrahere non possint. Benedictionem in eo textu pro manus impositione accipi probatur ex Concilio Carthag. 4. *can. 3.* ibi: *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manus super caput illius tenente.* Et *can. 4. Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat.* Et *can. 5. Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat.* Quem canonem exponunt Menardus *ad sacram. D. Greg. fol. 294.* Sausay *in Panopl. sacerd. part. 1. lib. 4. cap. 4.* Turr. *pro explan. Clem. cap. 11.* Tum ex illo textu deducitur, quod si in ordinatione omittatur manus impositio, gradus non confertur; siquidem sine ea ordinatus in Subdiaconum potest matrimonium contrahere: igitur eâ omniâ omissâ, integra gradus collatio iterari debet, non verò tantùm manus impositio suppleri. Huius difficultatis solutio prouenit ex vera interpretatione illorum verborum: *Quia benedictionem à Pontifice se nesciunt recepisse*; vbi benedictio accipitur pro ordinatione. Benedictio enim plerumque significat formam ordinationis, seu ipsam ordinationem. Concil. Altissiodor. *can. 20.* ibi: *Quod si Presbyter, quod nefas est dicere, aut Diaconus, aut Subdiaconus post acceptam benedictionem infantes procreauerit.* Et *can. 21. Non licet Presbytero in vno lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera dormire.* Et *cap. quorundam, 23. dist.* Concil. Hispal. 2. *can. 5.* vbi deciditur, non posse in ordinatione Presbyteri, aut Diaconi Episcopo manus imponente presbyterum benedictionem facere: igitur *in dict. can. 6. Concily Tolet.* benedictionem non accepisse, idem importat, ac ordinatum non fuisse; & sic Subdiaconus intendebat, licere sibi contrahere matrimonium. Sed tunc instabis, quare si verè ordinati erant, asserebant ordinationem à Pontifice non accepisse. Cui instantiæ satisfacit Gibalinus *de clausura disquisit. 3. cap. 2. §. 2.* supponendo, Chorepiscopos olim in Ecclesia minores ordines conferre potuisse, vt probaui *in cap. 2. de ordinatis ab Episcopo*; & doctè, vt solet, illustrat Præceptor D. Franciscus Ramos *in memoriali pro Episcop. Lusit. propos. 4. §. 4.* Vnde cùm in Hispania gradum Subdiaconatus, qui iam illis temporibus sacer erat, vt dixi *in cap. à multis, de tempor. ordin.* de facto conferrent, Subdiaconi ab illis initiati posteà matrimonium contrahebant eo prætextu, quia ab Episcopo benedictionem non acceperant, sed tantùm à Chorepiscopis Presbyteris, qui minores tantùm gradus conferre poterant. Vnde iubent Patres, vt de cætero ab Episcopo benedictionem, id est ordinationem accipiant, vt deinceps tanquam veri Subdiaconi ad nuptias non transeant.

13. INTELLIGITVR CAP. 1. DE CLERICO NON ORDIN.

Secundò aduersatur superiori assertioni textus *in cap. 2. de clerico non ordin.* Vbi proponitur, Diaconum Missas celebrasse; quæstionis fuit, vtrum ad gradum sacerdotij ascendere possit? Et respondit Pontifex, quod cùm manus impositionem adhu non acceperat, & nihilominus sacrificium Missæ celebrauerat, ad gradum sacerdotis ascendere non posse. Ex quo textu deducitur, in gradum Diaconatus constitutum, manus impositionem adhuc non habere: igitur non rectè in nostro capite asseritur, Diacono sine manus impositione ordinato manus esse imponendas; non autem integram ordinationem esse repetendam, cùm in Diaconi gradus collatione manus impositio non desideretur. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, in eo textu non affirmari per collationem gradus Diaconatus Diaconum manûs impositionem non accepisse; sed tantùm Diaconum per ordinationem in illo gradu non accepisse manus impositionem Presbyteri, quæ diuersa est à manus impositione Diaconali. Quæ interpretatio facilè suadetur, si obseruemus cum Francisco Hallierio *de sacris elect. dict. pag. 989.* in collatione gradus Presbyteri vnam tantùm manum ab Episcopo imponi; in ordinatione verò Diaconi duas, iuxta D. Clementem *lib. 8. constit. cap. 16. & 17.* Vnde cùm *in dict. cap. 2.* refertur manum ei non imposuisse, colligitur in eo agi de manus impositione Presbyteri, non verò Diaconi; & iuxta hanc interpretationem rectè Pontificem affirmare Diaconum manûs impositionem non accepisse.

14. EXPONITVR CAP. QVORVNDAM, 23. DIST.

Tertiò etiam opponitur textus *in cap. quorundam, 23. dist.* qui deductus proponitur ex Concilio Toletano, sed falsò; nam tam ipse, quàm textus antecedens transcripti sunt ex Concilio Hispal. 2. *can. 5.* vbi Patres ita decreuerunt: *Quinto iudicio ad cognitionem nostram Amani Egabrensis Diaconi relatu deductum est de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis, quorum dum vnus ad Presbyteratum, duo ad Leuitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse; qui licèt propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus iudicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione præuentus; sed quia iam ille examini diuino relictus, humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potiùs eulogium perceperunt: Decreuimus vt à gradu Sacerdotalis, vel Leuitici ordinis, quem peruersi adepti sunt, depositi, æquo iudicio abutantur. Tales enim meritò iudicati, sunt remouendi, quia prauè inuenti sunt constituti.* Ex quibus constat, Presbyterum, vel Diaconum ordinatum absque benedictione, deiiciendum esse à gradu susceptо: igitur non rectè in præsenti conclusione affirmatur, manus impositionem omissam in susceptione Diaconatus, vel Presbyteratus esse tantùm supplendam; non verò ordinationem esse repetendam. Pro cuius textus interpretatione Glossa ibi, *verbo Amittant*, quam sequitur Turrisremata, existimat in eo textu ordinationem Presbyteri, & Diaconi esse nullam ex defectu benedictionis, & alio modo dici amitti, quod nunquam receptum fuit. Sed hæc solutio conuincitur ex eo, nam benedictio, quæ in eo casu ab Episcopo omissa fuit, non erat essentialis ordinationis; siquidem non significabat manus impositionem, vt *in can. 20. & 21. Concil. Altissiod.* suprà relati; sed accipitur pro oratione, quæ recitatur ab Episcopo post collectionem cuiuslibet gradus, quæ refertur in Sacramentali D. Gregorij,

gorij, *pag.* 235. vbi notauit Hugo Menardus *pag.* 274. Vnde cùm hæc benedictio non sit essentialis ordinationis, sed tantùm cæremonialis, vt probat Hallierius *de sacris elect. sect.* 8. *cap.* 11. *pag.* 1035. ideò benedictio non reiteratur. Deponuntur verò Sacerdos & Leuita *in dict. can.* 5. quia contra instituta sacrorum canonum benedictionem acceperunt à Presbytero, qui ius benedicendi non habebat, vt notat Loaysa *ibi.* Ex supra traditis etiam pro ratione decidendi accipit lucem textus *in cap. vnico, in princip. de sacra vnctione,* cuius historiam, & interpretationem in eius notis dedimus.

TITVLVS XVII.

De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] *Pictauiensi.*

VT filij [b] Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoueantur, nisi [c] aut monachi fiant, aut in congregatione [d] canonica regulariter viuentes: Prælationes verò nullatenus habeant. Sed neque [e] serui, nisi à dominis suis libertate donentur.

NOTÆ.

1. a *Pictauiensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & reperitur textus hic *in can.* 9. *Concilij Pictau.* de quo Concilio nonnulla notaui *in cap.* 1. *de ætat. & qualit.*

b *Filij presbyterorum.*] Geniti videlicet ex concubitu, durante sacerdotio habito, non verò legitimè nati ante susceptionem ordinum.

c *Aut.*] Ex hac disiunctiua, iuncto huius textus summario, in illis verbis: *Illegitimus non ordinatur, nisi vt religiosus fiat*; defendunt Fr. Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 13. *art.* 4. Hieronymus Rodriguez *in compendio regul. quæst.* 76. *num.* 7. defectum natalium purgari per ingressum religionis tantùm, etiam non secutâ professione. Sed necessariam esse professionem in Religione, aut Ecclesia regulari, exprimitur in canonibus, quos Belleforestius ex C.S. Dionysij excerpsisse se testatur, quos ex versione Gallica eiusdem Belleforestij latinè ita donauit Serarius: *Nec filios presbyterorum, aut aliter etiam ex concubinis susceptos liberos ad Presbyteratus gradum prouehi liceret, nisi in aliquo monasterio Religionem professi essent.* Defendunt Sanchez *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 22. Barbosa *in præsenti*, Gibalinus *de irregul. cap.* 6. *conject.* 1. Nec contrarium suadet noster textus; nam etiam retentâ disiunctiuâ, *aut*, quam omitti in Barcinonensi testatur Anton. August. *in notis ad nostrum textum*, dicendum est, disiunctiuam, *aut*, tantùm separare ingressum religionis à professione vitæ regularis in Ecclesia regulari, vt sensus sit, filium illegitimum ordinari non posse, nisi vitam regularem profiteatur, aut in religione, aut in Ecclesia Canonicorum regularium.

d *In congregatione canonica.*] Id est Canonicorum regularium, vt exprimitur *in cap.* 1. 56. *dist.* quarum Ecclesiarum congregationes per diuersas prouincias erectas refert Gabriel Pennotus *lib.* 3. *hist. canonic. regul. per totum.*

e *Serui.*] Hæc verba adiecit Raymundus vt integrum canonem transcriberet; non quia quid commune habeat irregularitas, quæ prouenit ex vinculo personali, vt est seruitus, cum ea quæ prouenit ex defectu natalium. Non tamen me latet aliquando in Ecclesia presbyterorum filios in pœnam incontinentiæ paternæ seruitio Ecclesiæ fuisse mancipatos, vt postea probabimus. Hanc igitur partem in suo proprio rubro *de seruis non ordinandis*, dabimus. 2.

COMMENTARIVM.

EX hoc Concilij Pictauiensis breui, & conciso canone communiter deducitur hæc assertio. *Filij illegitimi non ordinantur, nisi profiteantur Religionem; & tunc in ipsa ad Prælaturas non admittuntur.* Probant eam textus *in cap.* 1. *cap. nisi* 11. *& per totam* 56. *dist. cap. Cenomanensem*, 59. *dist. cap. tali coniugio* 1. *quæst.* 7. *cap. cùm multi* 15. *quæst.* 8. *cap. vlt.* 19. *quæst. vlt. cap. præsens* 20. *quæst.* 3. *cap. cùm inter* 21. *de elect. cap. nisi*, §. *personæ*, *de renunc. cap. proposuit* 3. *cap. quoniam* 10. *iuncta integra, cap. finali, hoc tit. cap. consuluit, de seruis non ordin. cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, cap. accedens* 14. *de purgat. canonica, cap. vnico, hoc tit. lib.* 6. *cap. quod super, hoc tit. in* 1. *collect. cap. eos qui* 1. *quæst.* 4. Concil. Aruernense sub Vrbano II. apud Malmesburg. & Matthæum Parisium, ibi: *Quod filij Presbyterorum & concubinarum ad Presbyteratum non promoueantur, nisi priùs ad religiosam vitam transierint.* Pontifex R. Gregorius VII. in Synodo Romana, *can.* 19. ibi: *Filij Presbyteri non ordinentur.* Concil. Claromont. sub Vrbano II. *can.* 25. *Ne filij Presbyterorum ad Diaconorum, vel Subdiaconorum, aut Canonicorum ordines, vel ad alios honores ecclesiasticos non promoueantur, nisi monachus, vel regularis canonicus fiat.* Concil. Bituric. *can.* 8. *Filij Presbyterorum, siue Diaconorum, siue Subdiaconorum in sacerdotio, vel diaconatu, vel subdiaconatu* 3. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

diaconatu nati nullo modo vlteriùs ad clericatum susci-piantur. Et *can.* 11. *Statutum est, vt Episcopi quando fecerint clericos, audiente populo excommunicent, vt nullus offerat eis ad clericatum filium Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi.* Concilium Lateran. sub Alexandro III. *part.* 19. *cap.* 2. Concilium Nannetense, à quo hanc prohibitionem originem duxisse refert Hildebertus Cenomanensis *epist.* 65. *tom.* 12. *Biblioth. veterum Patrum*, Trident. *sess.* 22. *de reform. cap.* 6. Salesburgense tempore Martini V. *can.* 6. *Nullus illegitimè natus ad aliquem sacrum ordinem, vel beneficium, aut officium curam habens animarum sine dispensatione Sedis Apostolicæ admittatur in aliqua Ecclesia sæculari.* Et *cap.* 2. *hoc tit. in* 2. *collect.* Consonat lex 12. *tit.* 6. *partit.* 1. Alia iuris testimonia congerunt Anton. August. *in epit. iuris lib.* 6. *tit.* 60. & *lib.* 7. *tit.* 21. Iulius Lauorus *de elect. tit.* 4. *cap.* 16. *num.* 24. Illustrant plures congesti à Cenedo ad Decretum, *collectan.* 62. Barbosa *in præsenti*, & in selectis ad textum *in cap. cùm deputari, de iudiciis*, & *de potest. Episcop. allegat.* 45. & *lib.* 1. *iuris eccles. cap.* 33. *num.* 149. & *cap.* 42. *num.* 157. Balsamon *in can.* 33. *sextæ Synodi in Trull.* Chopinus *lib.* 1. *monast. tit.* 3. *num.* 7. Tamburinus *tom.* 1. *de iure Abbatum, disput.* 5. *quæst.* 14. Garcia *tom.* 1. *politiæ regul. tract.* 2. *difficult.* 2. *duda* 8. Petrus Gregor. *lib.* 4. *partit. tit.* 2. *cap.* 1. & *lib.* 1. *de rescriptis, cap.* 27. & *de beneficiis cap.* 35. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monacho, cap.* 16. & 17. Vighellius *in meth. iuris can. fol.* 245. Acuña, & Dartis *in dict.* 56. *dist.* Suarez *de censur. disput.* 50. *sect.* 1. Espenceus *ad D. Paulum lib.* 3. *digress. cap.* 11. Vega *in cap. cùm deputari* 16. *num.* 21. *de iudiciis*, Duarenus *lib.* 4. *de sacris Ecclesiæ, cap.* 5. Sausay *in Panopl. cleric. part.* 1. *lib.* 6. *cap.* 2. §. 1. Gibalinus *de irregul.* 1. *part. cap.* 3. & *cap.* 6. *per totum*, Corrasius *de beneficiis lib.* 3. *cap.* 2. Garcia *eod. tract.* 7. *part. cap.* 2. *num.* 1. Dartis *eod. tract. sect.* 4. *cap.* 2. Loaysa *in can.* 10. *Concilij Tolet.* 9. Diana *part.* 10. *tract.* 9. & *tract.* 13. *resolut.* 39. Zerda *in Iudith tom.* 1. *cap.* 8. *vers.* 15. *pag.* 421. Cresolius *lib.* 2. *myst ag. cap.* 4. Ægidius *de priuileg. honest. art.* 16. *num.* 23. Rufiniacus *lib.* 3. *constit. tit.* 13. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 7. Valensis *de beneficiis lib.* 1. *tit.* 18. Fermosinus *in d. cap. cùm deputari, quæst.* 4. Escobar *de purit. sanguin. quæst.* 4. §. 6. Acacius Ripold. *de priuileg. parentum, priuilegio* 3. *cap.* 2. *num.* 41. Arniseus *tom.* 1. *polit. lib.* 2. *de repud. cap.* 2. *sect.* 13.

4. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Hæc assertio ita auctoritatibus illustrata, iuri & rationi contraria videtur; nam ex adulterio nasci non est culpa eius qui nascitur, sed illius qui generat, *cap. nasci, 56. dist.* & vndecumque homo nascatur, si eum parentum vitia non sectentur, reprehensibilis non est, *cap. vndecumque, eadem dist.* nec parentum iniquitas, sed propria quemque condemnat, *cap. sponsus, cap. Ismaël, ead. dist.* quia delicta parentum filiis non imputantur, *cap. non imputantur* 1. *quæst.* 4. nec deneganda est dignitas ei, qui reatum non admisit, *l. spurij, ff. de decurionibus:* igitur tantùm ob defectum natalium, quia videlicet quis nascitur illegitimus, ideò arceri à sacris ordinibus non debet. Accedit, nam interdum illegitimi Dei gratiâ maculam illegitimitatis adeò repulerunt, vt viri præstantissimi euaserint, magnaque, & præclara munia obierint. Nonnulla exempla refert Gratianus *in cap. Osius, 56. dist.* alia Regum, Consultorum, & aliorum, vt Gratiani, Petri Lombardi, Petri Comestoris, congesserunt Tiraquellus *de nobilit. cap.* 15. *ex num.* 3. Paleotus *de nothis cap.* 55. Alciatus *lib.* 10. *parreg. cap.* 8. Arniseus *tom.* 1. *politic. lib.* 2. *de rebus publicis, cap.* 2. *sectione* 13. Petrus Gregor. *de republ. lib.* 7. *cap.* 8. Duarenus *lib.* 4. *de sacris, cap.* 5. Salazar *in notis ad Gongoram, in fabula Pyrami, pag.* 158. licèt eos ab hac calumnia defendat Raynaud. *in Oplotheca, sect.* 2. *cap.* 3. *serie* 1. Igitur cùm illegitimi ex natalium defectu litteris, virtutibus, aliisque animi dotibus non destituantur, non debent à sacris ordinibus arceri. Ea etiam pars assertionis, vbi affirmatur, per professionem regularem hanc irregularitatis speciem tolli, licèt non quoad Prælaturas regulares, difficilis redditur ex eo: nam per professionem in Religione solenniter emissam non tollitur irregularitas antea contracta, *cap. cùm deputari, de iudiciis, cap.* 2. *de apostatis:* igitur per professionem Religionis irregularitas, quæ prouenit ex defectu natalium, non tollitur. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si hæc irregularitatis species post professionem in religione cessaret, maximè ex eo, quia professio baptismo æquiparatur, vt probant, & illustrant Rosvueidus *in vita S. Athanasij, pag.* 68. Benedictus Ephtenus *lib.* 4. *disquisit. monast. tract.* 8. *disquisit.* 2. & 3. sed per baptismum non tollitur irregularitas, quæ prouenit ex defectu natalium, vt ex pluribus relatis docet Gibalinus *de irregul. cap.* 5. *quæst.* 1. *cum sequentib.* igitur per professionem, quæ latè dicitur Baptismus, non tollitur irregularitas ex defectu prouenientis.

5. DE FILIIS PRESBYTERORVM.

Sed adhuc asserendum est, Presbyterorum filios, & alios illegitimè natos, ad ordines ascendere non valere, nisi in Religione professi sint; & tunc ad Prælaturas non admitti. Ad cuius expositionem sciendum est, omissis variis filiorum diuisionibus, quas referunt Paleotus *in tract. de nothis & spuriis*, Escobar *vbi suprà*, in nostra rubrica agi de filiis Presbyterorum, qui triplici modo considerari possunt. Primò susceptì ante clericatum, ex legitimo matrimonio; & de his filiis legitimis agitur *in cap. præsentium, cap. conquerente, cap. veniens, cap. ex transmissa, cap. ex tua, cap. constitutus, cap. ad extirpanda, cap. ad hæc, cap. Michael, cap. dilectus, hoc tit.* Vbi proponitur prohibitio, ne filij, quantumvis legitimi, succedant patribus in beneficiis ecclesiasticis: quare rubrica nostra in vetustis codicibus concipitur, *de filiis Presbyterorum non ordinandis, nec in paternis Ecclesiis tolerandis.* Et adhuc titulus noster prout iacet in sexta collectione, vtramque prohibitionem, & ordinandi filios illegitimos, & eligendi in beneficiis paternis complectitur, si verbum *ordinare*, referamus non solùm ad promotionem ad ordines, verùm & ad electionem in beneficiis, vt plerumque verbum *electio*, consideratur: probat Hallier. *de sacris elect. cap.* 1. §. 1. Alio modo considerantur filij Presbyterorum, videlicet susceptì extra matrimonium post ordines receptos, de quibus ad ordines non promouendis, nec in beneficiis paternis substituendis agitur *in cap.* 1. *cap.* 2. *cap. cùm decorem, cap. vlt. hoc tit.* Tertiò filij Presbyterorum accipiuntur pro filiis legitimè, licèt illicitè susceptis; cùm videlicet pater post conuersionem vxoris ad religionem Presbyter ordinatur, & postea filios procreauit; nascuntur enim licèt ex copula illicita, legitimi: de his agitur *in cap. litteras, hoc tit.*

6. DE DEFECTV NATALIVM.

Secundò sciendum est, filios illegitimos, vulgò spurios dictos, siue à presbyteris, siue à laicis susceptos,

ſuſceptos, ex defectu natalium ordinari non poſſe, ex noſtro textu, & aliis ſuprà citatis. Quæ prohibitio etiam in lege veteri vigebat, talis enim ſoboles ita exoſa erat, vt vſque ad decimam generationem ab ingreſſu Eccleſiæ arceretur, *cap.* 23. *Duteron.* refertur *in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Philo Iudæus *in Decal. In Sacerdote & hominum genus examinatur, vtrum culpabile.* Nec ſine ratione hæc irregularitatis ſpecies tam in lege veteri, quàm gratiæ ſtatuta fuit. Et omiſſis aliis rationibus traditis à Doctoribus ſuprà relatis, duas tantùm pro præſenti aſſertione adſtruenda in medium adducam. Prima prouenit ex præſumptione incontinentiæ paternæ; ſæpè enim euentus docuit, filios non tantùm corporis ſubſtantiam à parentibus; verùm & genium, affectionem, virtutes, & vitia accipere, & de facili parentum paſſiones in liberis repræſentari. Iulianus Apoſtata *in Miſopog.* ibi: *Nepotes auum generis, vel certè nominis auctorem imitantur; nam quemadmodum in plantis veriſimile eſt diffundi qualitates quamlatiſſimè, ac fortaſſe etiam in totum ſimilia naſci ea quæ gignuntur iis vnde orta ſunt: ſic etiam in hominibus credibile eſt, nepotum mores auitis affines eſſe.* Quod Horatius notauit illo vulgari loco.

Fortes creantur fortibus, & bonis;
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Et Cicero *lib. 6. epiſt. 6. ad Cecinnam*, aſſerit filium imaginem eſſe animi, & corporis patris: & Quintilianus *lib. 5. inſtit. cap.* 10. ait: Quod filij ſimiles parentibus ac maioribus ſuis plerumque creduntur, & nonnunquam ad honeſtè, tupiterque viuendum inde cauſæ fluunt. Adſtipulatur Iuuenalis *ſatyra* 14.

—— *Expectas, vt non ſit adultera, Large,*
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere curſu,
Vt non terdecies reſpiret?

Notumque eſt illud prouerbium apud Græcos: *Mali corui malum ouum*, id eſt ex malis parentibus mali plerumque filij generantur, *cap. ſi gens, 56. diſt.* Plura cumularunt Symanchas *lib. 1. de primogeniis, cap. 11. & lib. 5. de repub. cap. 3. per totum.* Petrus Gregorius *de beneficiis cap. 35.* Eſcobar *de purit. ſanguin. 1. part. quæſt. 1. §. 4.* D. Antonius Feloaga *in l. quiſquis, Cod. ad leg. Iuliam maieſt.* Altamiranus *in l. 1. Cod. de filiis offic.* Tiraquell. *in l. 7. connub. gloſſa 1. part. 7.* Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 27. num. 10.* Hinc Imperat. *in l. quiſquis, Cod. ad leg. Iuliam maieſt.* aiunt: *Filij verò eius paterno deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt hæreditarij criminis exempla metuuntur.* Faciunt Salomon *in cap. 3. Prouerbior.* ibi: *Cùm nequiſſimorum nequiſſimi etiam ſint filij.* Ezechiel *cap. 16. Radix tua & generatio tua de terra Canaan; pater tuus Amorræus, & mater tua Ethea.* Stobæus *ſerm.* 88. *Rectè probum ab improbo non poſſe naſci filium.* Ariſtot. *lib. 1. polit. cap. 4. & lib. 3. cap. 8.* Plura Theophilus *tom. 3. tract. 3. quæſt. 1. art. 3.* Iuſtè ergo filij Preſbyterorum à ſacris arcentur, quoniam creduntur luxuriæ, & incontinentiæ paternæ imitatores futuri. Secunda ratio huius deciſionis prouenit ex eo, vt hoc incontinentiæ paternæ crimen in perſonis eccleſiaſticis radicitùs extirpetur; variis enim pœnis puniuntur tam ipſi, quàm eorum concubinæ, nec non proles ex tali concubinatu ſuſcepta. De pœnis ipſorum ſuo loco agemus, videlicet *in cap. 6. de clericis coniug.* Concubinæ ipſæ vt mancipia iubentur venundari ab Epiſcopis, & earum pretium in pauperes erogari, in Concilio Tolet. 3. *can. 5.* Tolet. 4. *can. 42.* Tolet. 8. *can. 5.* & à Catholico Rege Recharedo iubetur *in l. 18. tit. 4. lib. 3. fori*, vt huiuſmodi mulieres centenis flagellis ſubiiciantur: & cùm magis parentes terreantur in perſonis filiorum, quàm in ſeipſis, *l. iſti quidem 8. ff. quod metus cauſâ, cap. cùm ergo, §. ſed quid 24. quæſt. 3.* conſtitutum fuit, vt filij ſuſcepti ex tali concubinatu, ſerui Eccleſiæ naſcerentur. Concilium Tolet. 9. *can. 10.* relatum *in cap. multa 15. quæſt. 8.* nec parentibus in bonis ſuccedant, *cap. vnico, de ſucceſſ. ab inteſt. in 5. collect.* & ab ordinibus remoueantur, vt ſic diſcant parentes ex illegitima coniunctione non eſſe filios generandos, quos cognoſcunt vulgò ſpernendos, vt ait Imperator *in l. finali, Cod. de naturalibus liberis.* Pulchrè Arnulphus Lexouienſis *epiſt. ad legatos: Non expedit prouinciæ noſtræ, in qua quotidiè tam impudenter impudicitia conualeſcit, filios Preſbyterorum paternis altaribus adhiberi.* Nec noua, aut inſolens eſt pœna dicti Concilij Tolet. cùm ſæpius legamus publicari perſonas ob delictum. Lampridius *in Alexandro Seuero*, ait: *Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari iuſſit.* Illuſtrat Fornerius *lib. 6. rer. quotid. cap. 16. per tot.* Accedit etiam ratio ſcandali, quæ eſt potiſſima præſentis aſſertionis: publicum enim ſcandalum generatur quoties in Eccleſiis ſæcularibus ordinantur, & inſtituuntur illegitimi, cùm eorum nomen inhoneſtum, ac ferè ignominioſum ſit: quare ad officia, muneraque ciuilia non admittuntur, *l. 3. §. ſpurios, l. ſpurij 6. ff. de decurion.* Nec refert quod ad Decurionatum aditus illis pateat, *dict. l. ſpurij 6. l. eos qui 12. ff. de decur.* quoniam nec ex inceſtu natis, nec flagellorum ictibus ſubiectis ad decurionatum via occluditur, *dict. l. eos qui*, cuius rationem licet petere *ex dict. l. 3. §. 2.* vbi Vulpianus ait: *Non ſordidiore ordini, ſi ſpurios vitæ honeſtæ recipiat, cùm ex eius vtilitate ſit ſemper ordinem plenum habere.* Clariùs Calliſtratus *in dict. l. eos qui*, in fine: *Nam paucitas eorum, qui muneribus publicis fungi debeant, neceſſaria, etiam hos ad dignitatem municipalem, ſi facultates habeant, inuitat.* Primùm enim non admittuntur niſi in ſubſidium, ſi ſcilicet non adſit competitor legitimè quæſitus, vt ait Vlpianus: quemadmodum contra legem expreſſam *cap. 23. Deuter.* Iudæi accerſiuerunt Iephten bellicoſum latronem, cùm non haberent penes ſe cuius arti, & viribus ſatis confiderent. *Iudicum cap. 1.* Hinc autem euidenter colligitur, cùm exceptio firmet regulam, quod quando copia fuerit legitimorum competitorum, ſpuriorum omnis ordo regulariter ab honore decurionum exulauerit; deindè verò, quod ſi poſt legitimos admiſſi fuerint, ex eo factum eſt, quòd honorem Decurionum grauarent multa onera, quorum intuitu dixit Vlpianus *in dict. §. 2.* intereſſe Reipublicæ ne is ordo deferatur. Spurij verò licèt ab honoribus arceantur, à muneribus tamen ciuilibus excludi non poſſunt, *l. 1. Cod. de his qui non impleuerunt, lib. 10. l. 1. eod. lib. de infam.* Ratione igitur munerum, non honorum ad Decurionatum euehuntur ſpurij; ita vt hîc honeſtas cedat vtilitati, ſeu vt ait Cicero *3. officior.* vtilitas vincat honeſtatem. Cùm autem hæc neceſſitas circa gradus eccleſiaſticos non detur, rectè ſpurij arcentur ab eis.

Quæ

7. De filiis illegitimis religiosis.

Quæ rationes cùm ceſſent in filiis illegitimis vitam regularem profeſſis, cùm deſit occaſio ſcandali, ſiquidem in Eccleſiis regularibus non ita populi concurſus datur, ac in ſæcularibus, *cap. luminoſo* 18. *quæſt.* 2. nec incontinentiæ crimen poſſet ſuſpicari in eo, qui diſciplinâ, & regulari vitâ exercetur; ideo illis permittitur ad ordines aſcendere: & cùm non leuis ſcandali occaſio daretur, ſi in ipſis regularibus Eccleſiis, vt Prælati præficerentur; ideò in præſenti ſtatuitur, quod licèt illegitimi ad ordines admittantur, ſi vitam regularem profiteantur; excipitur tamen vt Prælati in ipſis regularibus Eccleſiis non præponantur. Hodiè tamen ex ſpecialibus priuilegiis Religionibus conceſſis facilè diſpenſatur à ſuperioribus, vt illegitimi ad Prælaturas admittantur. Priuilegia referunt, & plura dubia moralia in hac parte reſoluunt Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſput.* 5. *quæſt.* 14. Diana *part.* 10. *tract.* 13. *reſolut.* 39. Garcia *tom.* 1. *politicæ*, *vbi ſuprà*. Ex diſpenſatione etiam R. Pontificis poſſunt illegitimi ad maiores ordines aſcendere; immò in Epiſcopos conſecrari, *cap. ex tua*, *cap. Apoſtolica*, *hoc tit.* Etiam ex diſpenſatione Epiſcopi ad minores gradus admitti valent, *cap. naſci*, 56. *diſt. cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. Marinis *lib.* 1. *variar. reſol. cap.* 168. Tondutus Sanlegerius *lib.* 2. *reſol. canonicar. cap.* 8. Immò etiam ad maiores ordines, ſi defectus natalium occultus eſt, vt docent plures relati à Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſolut.* 64. Marchin. *tract.* 1. *de ordine*, *part.* 10. Garcia *dict. difficult.* 2. *dub.* 8. variis ampliationibus, & limitationibus exponit Barboſa *de poteſt. Epiſcopi allegat.* 46. Omittendum etiam non eſt, filios expoſitos pro legitimis haberi quoad ordines, & beneficia, niſi ſanguinis puritas ad ea obtinenda deſideretur. Gibalinus *de irregul.* 2. *part. cap.* 3. Fermoſinus *in cap. cùm deputari*, *quæſt.* 8. *de iudiciis*, & nos *in cap. vnico*, *de infantibus*.

8. Dissolvitvr prima difficvltas.

Nec obſtat prima dubitandi ratio ſuprà adducta; nam certum eſt, primis Eccleſiæ ſæculis irregularitatem ex defectu natalium cognitam non fuiſſe; tantùm enim illi illegitimi arcebantur ab ordinibus, qui prauis moribus & vitiis notati degebant, & tunc ob improbos mores, non verò ob natalium defectum à ſacris remouebantur ordinibus: ad quæ tempora referendæ ſunt auctoritates à Gratiano congeſtæ *in diſt.* 56. Poſt decimum autem ſæculum Vrbanus II. ſtatuit, ne filij preſbyterorum ſacris ordinibus initiarentur, niſi in cœnobiis, aut canoniis regularibus probati fuiſſent conuerſati. Poſteà Patres Concilij Pictauienſis ſub Paſchali II. Vrbani II. ſucceſſore protraxerunt hanc prohibitionem ad filios quoſcumque illegitimos, ſiue ex laicis, ſiue ex preſbyteris procreatos. Hunc Concilij Pictauienſis canonem in præſenti textu relatum firmarunt, confirmaruntque alij Eccleſiæ Præſules ſuprà pro illuſtratione concluſionis expenſi; non autem hanc irregularitatem Vrbanus II. & eius ſucceſſores indixerunt in pœnam alicuius delicti ab illegitimis perpetrati, in quibus nulla adeſt culpa, vt in ratione dubitandi dicebamus, ſed ob defectum natalium: quare hæc irregularitas non ex delicto, ſed ex defectu prouenit. Et ſicut in aliis caſibus abſque vllo delicto tantùm ex defectu irregularitas naſcitur, vt in bigamo, propter defectum ſignificationis ſacramenti; in iudice ad mortem condemnante, propter defectum lenitatis, ob rationes, quas ſuis locis dabimus: ita hæc irregularitas ex defectu natalium abſque vlla ordinandi culpa contrahitur, ex rationibus ſuprà illuſtratis. Nec aliquid faciunt exempla ſpuriorum, qui præclari viri euaſerunt; nam ex felici aliquorum euentu rationabilis præſumptio non eſt deſtruenda. Nec probatur concubitus Dauid, & Berſabée, quia ex eo prodiit Regum prudentiſſimus, & ditiſſimus Salomon: ſicut enim Diogenes in temulentum iuuenem incidens coniecturam de horto veriſimilem faciebat, referente Plutarcho *de educatione pueror.* ita non abſimile eſt, niſi quid obſtiterit, parentum errores, præcipuè in feruore veneris, tranſituros in mores progeniei. Quid enim? an non multi nobilium degenerant, & tamen non definimus probabili coniecturâ paternarum virtutum propagationem, in qua nobilitas conſiſtit, in poſteritate præſumere? Multi mortalium vtuntur expeditiùs ſiniſtra, quàm dextra; nec tamen propterea dextræ prærogatiua detrahitur, vt explicat, & ad hanc rem accommodat Ioannes Scaliger *exercit.* 265.

9. Dissolvitvr secvnda difficvltas.

Nec ſecunda obſtat; nam licèt regularis profeſſio iuſtam præſtet cauſam diſpenſandi in qualibet irregularitate, *cap.* 2. *de apoſtatis*, *cap.* 2. *de cleric. non ordin. cap.* 1. *de eo qui furtiuè*; tamen ipſa profeſſio per ſe nullam tollit irregularitatem, niſi contrarium in iure cauetur ſit. Peyrinis, Palaus & alij relati à Barb. *tom.* 6. *in ſelect. in cap. cùm deputari*, *num.* 6. *de iudiciis*, Gibalinus *de irregul. cap.* 6. *per totum*. Vnde cùm ſtatutum reperiamus in iure, vt irregularitas ex defectu prouenientis tollatur per profeſſionem regularem, eam tantùm tolli docemur: quod Religionis fauore conceſſum fuit ob rationes ſuprà adductas. Et licèt Sixtus V. ſuo motu proprio filios illegitimos ad Religionis ingreſſum inhabiles redderet, eam tamen conſtitutionem Gregorius XIV. anno 1591. ad iuris communis regulas reduxit, vt notant Suarez *de cenſuris diſput* 50. *ſect.* 1. & 5. Azor 1. *part. inſtit. lib.* 12. *cap.* 3. *quæſt.* 8. Quando tamen dicatur quis profeſſus Religionem, vt ad ordines aſcendere valeat, exponunt Tamburinus *vbi ſuprà*, Gibalinus *dict. cap* 6.

10. Exponitvr can. 33. sextæ synodi.

Primò ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in can.* 33. *ſextæ Synodi*, in illis verbis: *Quoniam cognouimus in Armenorum regione eos ſolùm in Cleri ordinem referri, qui ſunt ex genere ſacerdotali, his qui hoc facere aggrediuntur, mores Iudaicos ſequentibus; nonnullos autem eorum etiam non tonſos, ſacros cantores, & diuini templi lectores conſtitui: decernimus, vt deinceps non liceat his qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad eius, cui manus imponitur, genus reſpicere; ſed examinantes an digni ſint, ex poſitis in ſacris canonibus decretis, eos in Cleri catalogum referre, eccleſiaſticè promouere, ſiue ſint ex maioribus ſuis Sacerdotibus, ſiue non, &c.* Ex quibus verbis expreſsè deducitur, ſacerdotum filios, ſicut aliorum, legitimè natos, ad ordines aſcendere poſſe: igitur non rectè aſſerimus, Preſbyterorum filios ſacris ordinibus initiari non poſſe. Pro huius canonis expoſitione primò ſciendum eſt, preſbyterorum filios legitimos naſci poſſe ex legitimo matrimonio, quod ſacerdotium præceſſerat, de quibus filiis accipiendi ſunt textus *in cap.* 2. 3. 4. & 5. *hoc tit. cap. Epiſcopus* 12. *quæſt.* 5. *cap.* 1. *de teſtam. cap. Epiſcopus* 5. *de hæreticis*, Concilium Carthag. 3. *can.* 10. ibi: *Vt filij ſacerdotum, vel clericorum ſpectacula ſæcularia non exhibeant, ſed neque ſpectent.* Canon. 14. eiuſdem Synodi: *Vt Epiſcopi, vel clerici filios ſuos à ſua poteſtate per emancipatio*

emancipationem exire non sinant, nisi de moribus eorum fuerint, & de ætate securi. Etiam apud Græcos ex matrimonio post sacerdotium continuato filij nati legitimi nascebantur, de quibus *in cap. quæsitum 7. de pœnitent. cap. si quis docuerit 14. cum sequenti, 28. dist.* Secundò pro huius canonis interpretatione notandum est, Armenos in ea fuisse opinione, vt neminem admitterent ad sacerdotium, nisi qui natus esset ex matrimonio à presbytero legitimè contracto; ducti exemplo Iudæorum, apud quos tantùm ex Tribu Leuitica descendentes sacerdotes creabantur; & Gentilium, apud quos qui natus erat ex matrimonio per confarreationem à sacerdotibus contracto, sacerdos capiebatur: quem errorem vt Patres damnarent, statuerunt, omnes ad Cleri gradum esse admittendos, siue ex laicis procreati sint, siue à sacerdotibus legitimè susceptis, de quibus accipiendus est textus *in dict. can. 33.*

II. EXPONITVR TEXTVS IN CONCIL. AVRELIAN. I.

Secundò obstat textus *in can. 6. Concilij Aurelian. 1.* in illis verbis: *De ordinationibus clericorum id obseruandum esse decreuimus, vt nullus sæcularium ad clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cum Regis iussione, aut cum iudicis voluntate; itavt filij clericorum, id est patrum, auorum, ac proauorum, quos in supradicto ordine parentum constat obseruationis subiunctos, in Episcoporum potestate, & districtione consistant.* Ex quibus expressè deducitur, sacerdotum filios posse sacris ordinibus initiari, & in eorum ordinationibus non desiderari Principis licentiam. Pro huius canonis interpretatione sciendum est, Concilij Aurelian. 1. tempore in Gallia, non tam iure, quàm propter necessitatem, & hominum penuriam ex bellis vndique grassantibus imminentem, neminem potuisse sacris ordinibus initiari, nisi cum licentia Principis, & literis dimissoriis, quæ Præcepta de clericatu dicebantur. Marculfus *lib. 1. formul. cap. 19.* Rationem huius diplomatis reddit Carolus Magnus apud Anseguisum *lib. 1. cap. 120.* Vbi ita statuit: *De liberis hominibus, qui ad seruitium Dei se tradere volunt, vt priùs hoc non faciant, quàm à nobis licentiam postulent, hoc ideò, quia audiuimus aliquos ex illis non tam causâ deuotionis, quàm pro exercitu, seu alia functione regali fugienda hoc agere: quosdam verò cupiditatis causâ ab his, qui res illorum concupiscunt, circumuentos audiuimus; & hoc ideò fieri prohibemus.* Notarunt Cironius *ad tit. de clericis peregrin.* Bignonius *ad Marculfum dict. lib. 1. cap. 19.* Vnde Patres cùm de ordinationibus laicorum agunt, affirmant licentiam desiderari Principis; & sine Regio diplomate, vel præcepto de clericatu, statim asserunt filios, aut nepotes sacerdotum in Episcoporum potestate consistere; quæ verba de filiis illegitimis, ex matrimonio susceptis ante clericatum, accipienda sunt; illi enim tanquam exempti à laicali potestate, præcepto Regio de clericatu non indigebant.

Etiam opponi possunt textus *in cap. litteras, hoc tit.* iunctis quæ in eius notis adducimus, *cap. innotuit 20. de elect. cap. accedens, de purgat. canon. cap. 2. de corpore vitiatis, cap. cum olim 6. de cleric. coniug.* quorum interpretationem dabimus *in cap. final. hoc tit.*

CAPVT II.

Alexander III. [a] *Linton. electo.*

EX institutione Prioris, & fratrum de Marcellinæ, auribus nostris innotuit, quod R. presbyter [b] tacitâ veritate, quod esset filius sacerdotis, per fraudem à nobis impetrauit, vt in Ecclesia de Bileshi, in qua pater eius ministrauit, capellanus existeret. Quia verò fraus, siue dolus, nulli debet præstare patrocinium: d. t. per A. s. m. quat. infra xi. dies post harum susceptionem litterarum rei veritatem inquiras diligenter; & si tibi constiterit, quod memoratus R. sit in sacerdotio genitus, & quod pater eius in eadem ministrauerit, non obstantibus litteris nostris ipsum exinde omni oc. & ap. cess. amoueas.

NOTÆ.

1. a *Linconiensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & in Concilio Lateran. *part. 19. cap. 3.* De Episcopo Linconiensi egi *in cap. ad aures, de rescriptis.* Alia pars huius textus reperitur *in cap. ex insinuatione, de iurepatron.*

2. b *Tacita.*] Vnde rescriptum ita impetratum nullum erat ipso iure, iuxta ea, quæ dixi *in cap. super litteris, de rescriptis.*

3. c *Et.*] Sæpè pro *aut*, accipitur coniunctiua *&*, vt in præsenti, & *in cap. inter cæteras, de rescriptis:* sufficit enim, aut esse in sacerdotio genitum, aut patrem eius immediatè ministrasse in Ecclesia, vt filius non possit admitti ad beneficium paternum, vt infrà probabimus.

CAPVT III.

[a] Idem.

PRæsentium etiam auctoritate tibi iubemus, vt filios [b] sacerdotum in paternis Ecclesiis ministrare, vel eas qualibet occasione obtinere nullatenus patiaris: sed ipsos ab Ecclesiis, in quibus patres eorum ministrasse noscuntur, cessante appellationis obstaculo studeas penitus amouere.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & in Concilio Lateran. sub Alexandro III. *p.* 19. *cap.* 4. sed nec in prima, nec in hac collectione constat, cui missa sit hæc decisio; sed supplenda est eius inscriptio *ex cap.* 4. *de cleric. coniug. in* 1. *collect.* vbi reperitur prima pars huius textus, & legitur, *Idem Vvigorn. Episcopo. Inter cætera solicitudini tuæ conuenit studiosè, ac diligenter attendere, vt tales in Ecclesiis tuæ gubernationi commissis ministros ad ordines præponas, qui & domum Domini sciant decenter disponere, & populo Dei præesse possint, & prodesse. Peruenit autem ad audientiam nostram, quod quidam in tua diœcesi commorentur, qui se ecclesiasticæ professionis esse fingentes, cùm tamen ecclesiastica beneficia habeant, matrimonia contrahunt, & adepta beneficia nihilominus obtinere contendunt. Alij autem, licèt filij sacerdotum existant, patribus suis, quasi hæreditario iure succedunt, & in his postmodùm instituti ad sacros ordines etiam minùs licitè promouentur. Quod quia indignum est, & sacrorum canonum institutionibus noscitur penitus obuiare: f. t. per A. s. m. quat. illos, qui infra Subdiaconatum matrimonia contraxerunt, suis ab vxoribus nulla ratione permittas diuertere, nisi de communi consensu illi ad religionem transire voluerint, & ibi in Dei seruitio iugiter commorari. Si autem cum vxoribus vixerint, ecclesiastica beneficia, quæ ad illos tantùm, qui assiduè in seruitio Dei persistunt, spectare noscuntur, non debent vllatenus obtinere. Illi verò, qui in Subdiaconatu, vel supra ad matrimonia conuolauerint, mulieres possunt, & debent inuitas, & renitentes relinquere, nec huiusmodi coniunctio, matrimonium, sed contubernium est potiùs nuncupandum.* Igitur inscriptio præsentis textus restituenda est ita: *Idem Episcopo Vvigorn.* De Ecclesia Vvigorn. nonnulla notaui *in cap. nosti* 9. *de elect.*

b *Filios.*] Siue legitimos, siue illegitimos, vt statim dicemus.

CAPVT IV.

Idem [a] *Vvigor. Episcopo.*

COnquerente nobis Milone clerico, auribus nostris innotuit, quod cùm R. Presbyter Ecclesiam Beatæ Mariæ de Vie, tanquam persona diutiùs habuisset, & post mortem eiusdem M. à Richardo Pacesorde domino fundi fuisset præsentatus, R. filius eius Presbyteri in sacerdotio genitus, institutionem ipsius clerici nisus est impedire, & ad habendam eam Ecclesiam modis omnibus, quibus potest, aspirat. Quoniam igitur indignum est, & canonicæ obuiat sanctioni, vt filij debeant patribus succedere in Ecclesiis, nos ad enormitatem istam eradicandam sollicitè volentes, & diligenter intendere: f. t. per A. s. præ. m. quat. si publicum est, & notorium, patrem prædicti R. in præscripta Ecclesia [b] Presbyteratum habuisse; filium eiusdem ibidem ministrare, aut eiusdem Ecclesiæ Presbyteratum habere nullatenus patiaris. Sed si fortè iam institutus est ibi, eum sublato ap. remedio, auctoritate nostra non differas amouere: & memoratum M. si tibi ad ipsam Ecclesiam fuerit præsentatus ab eo, ad quem præsentatio spectare dignoscitur, ibi, dummodo aliàs idoneus sit, contradictione & ap. cess. non postponas recipere, ipsumque facias prædictam quietè possidere Ecclesiam.

NOTÆ.

1. a *Vvigor.*] De hac Ecclesia egi *in cap. nosti, de elect.* Huic etiam Prælato scripsit noster Alexander *in cap. meminimus, de appellat. cap. meminimus, qui clerici, vel vouent.*

b *Personatum.*] Id est certam dignitatem in Ecclesia Cathedrali. Cuiacius *in rubrica de præbendis*; & dixi *in cap. ad aures* 8. *de rescriptis.* 2.

CAPVT V.

Idem [a] *Lundon. Episcopo.*

VEniens ad præsentiam nostram Presbyter lator præsentium, supplici nobis insinuatione proposuit, quod cùm ipsum ad capellam Ecclesiæ S. Laurentij de Nouoburgo, quam ei concessisti, & assignasti, attitulasses, & in eadem in Presbyterum ordinasses, ipsum postea prædicta Ecclesia spoliasti, eo quod pater eius in prædicta Ecclesia ministrauit. Quia verò ad nostrum spectat officium viris ecclesiasticis paterna prouisione consulere: f. t. m. præs. quat. si tibi innotuerit, quod pater eius Presbyter in prædicta Ecclesia ministrauit, quando eam sibi assignasti, ipsam ei, dilatione, & ap. cess. restituas, & in pace dimittas, amoto alio, si quem in eadem instituisti. Verùm si te ignorante, quod pater suus in eadem ministrauerit, ipsam sibi assignasti,

ex quo ad Eccleſiam ipſam eum in Preſbyterum ordinaſti, eam ſibi [b] reſtituas, & donec in alia Eccleſia ei prouideas, vnde honeſtè valeat ſuſtentari, eidem nullum ſuper prædicta Eccleſia grauamen inferas, vel moleſtiam.

NOTÆ.

1. a *Lvndon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 6.* De hac Eccleſia egi *in cap. 2. de conſuet. & cap. 1. de renunc.*

2. b *Reſtituas.*] Licèt aliàs Epiſcopus contra ius ſtatuens, teneatur contra factum venire, *cap. ſi quis Preſbyterorum, de rebus Eccleſiæ*; tamen in præſenti in odium ipſius Epiſcopi iniungitur, ac illi iubetur, vt contra factum proprium, etſi iuri aduerſum, venire non poſſit, vt *in cap. monemus 12. q. 2. cap. diuerſis, de clericis coniug.*

CAPVT VI.

Idem [a] *R. Exon. Epiſcopo.*

PRopoſuit nobis R. præſentium lator, quod cùm ipſe ad Eccleſiam de Salabera à [b] domino fundi fuerit præſentatus, tu curam animarum noluiſti ſibi committere, vel huic rei aſſenſum tuum præſtare, pro eo quod eſſet filius ſacerdotis. Super quo vtique diſcretionem tuam, ſicut dignum eſt, in Domino commendamus, & in Domino prouidentiam tuam gratam gerimus admodum, & acceptam. Cæterùm quia neceſſitatibus eius in laboribus, quos ad nos veniendo ſuſtinuit, interna mentis affectione compatimur, & indignum eſt, vt ipſe poſtquam in Subdiaconum, vt aſſerit, eſt ordinatus, omninò debeat eccleſiaſtici beneficij [c] carere perceptione: diſc. tuam per A. ſ. mon. atque mandamus, quat. aliquem honeſtum Preſbyterum cum aſſenſu eiuſdem clerici infra XL. dies poſt harum ſuſceptionem litterarum, contrad. & ap. ceſſ. inuenire ſtudeas, qui eidem Eccleſiæ deſeruiat, ita quod præfatus R. medietatem omnium beneficiorum prædictæ Eccleſiæ, eidem in ſuo ordine ſeruiendo, diuino intuitu, quoad vixerit, noſtra, & tua auctoritate pacificè debeat [d] obtinere: non enim ſolus Preſbyter Miſſarum ſolennia, vel alia diuina officia poteſt ſine miniſtri [e] ſuffragio celebrare.

NOTÆ.

1. a *Exon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 7.* Exonienſis ciuitas in Regno Angliæ eſt ſuffraganea Archiepiſcopi Cantuar. vulgò *Exoford* dicta, de qua Arnoldus Mylius, Cuiacius *in cap. 1. qui filij ſint legitimi*, Polydorus Vergilius *lib. 1. hiſt. Angliæ.* Eius mentio obuia eſt in hoc volumine.

2. b *A domino fundi.*] Id eſt patrono; inter eos enim modos, quibus iuſpatronatus acquiritur, præcipuus eſt ſi area, funduſve tradatur ad conſtructionem Eccleſiæ: ex hac enim donatione dominus fundi conſequitur iuſpatronatus ipſius Eccleſiæ, *cap. nobis*, vbi latè dicemus, *de iurepatron. cap. piæ mentis, cap. filij 16. q. 7.*

3. c *Carere.*] Cùm nemo poſſit ad ſacros ordines aſcendere, niſi ad titulum certæ Eccleſiæ, *cap. ſanctorum*, 70. *diſt. cap. 2. cap. cùm ſecundùm, de præbendis, cap. accepimus, de ætat. & qualit.*

4. d *Obtinere.*] Integram hanc deciſionem, & æquitate, & gratia Pontificis procedere, iam docuerunt omnes repetentes in præſenti; cùm ſecundùm iuris principia beneficium diuidi non poſſit, ex prohibitione Concilij Turonenſis, de qua *in cap. maioribus, de præbendis.*

5. e *Miniſtri ſuffragio.*] Conſonant textus *in cap. vt quiſquis, de vita & honeſt. cleric.* ibi: *Omnis Preſbyter clericum habeat, vel ſcholarem, qui Epiſtolam, vel Lectionem legat, & ad Miſſam reſpondeat.* Et *cap. 1. de celebrat. Miſſarum*, Concilium Nannetenſe *can.* 30. apud Burchardum *lib. 3. c. 68.* Ivonem *p. 13. cap. 15.* Concilium Treuerenſe *tit. de officio Miſſæ peragendæ.* Alia plura cumulant Vicecomes *volum. 2. lib. 5. de Miſſæ ritibus, cap. 4.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 19. cap. 3.* Lantdmeter. *de veteri clerico lib. 2. cap. 84.* Suarez aduersùs Regem Angliæ *lib. 2. cap. 6.* Claudius Eſpenceus *de Miſſa priuata, & publica*, Corjolanus *in breuiario, anno 175.* Diana *p. 10. tract. 15. reſolut. 16.* Suarez *de Sacramentis, q. 83. diſput. 87. ſect. 1.* Anton. Manchiacenus *3. p. de ſacrificio Miſſæ, cap. 30.* Decretiſtæ *in cap. hoc quoque 61. de conſecrat. diſt. 1.* vnde Eccleſia conſecrari non debet, niſi competenter dotetur, vt ali poſſint parochus, & eius miniſter, *cap. nemo Eccleſiam 9. de conſecrat. diſt. 1. cap. cùm ſicut, de conſecrat. Eccleſiæ, vel altaris.* Plura dubia moralia in hac parte occurrentia circa miniſtrum celebranti aſſiſtentem, reſoluunt Hieronymus Garzia *in ſumma, tract. 3. difficult. 8. dub. 8. puncto 3.* perdoctus, & in diſciplina eccleſiaſtica valdè peritus P. Gabriel de Henao *tom. 1. de ſacrificio Miſſæ, diſp. 14. ſect. 2.*

CAPVT VII.

[a] Idem *Venerabilibus fratribus* [b] *R. Cant. Archiepisc. totius Angliæ* [c] *Primati, & A. S.* [d] *L. & R. Vvigorn. Episcopo.*

EX transmissa nobis conquestione Vv. clerici percepimus, quod ad dilecti filij nostri Abbatis de Castini [e] præsentationem in quoddam Ecclesiæ beneficium de Viuerton. ab eo sibi canonicè concessum, eum in præsenti recipere distulisti, eo quod quidam E. qui pater eius dicebatur, in præfata ministrauit Ecclesia. Præterea ex parte ipsius nobis est insinuatum, quod memorato E. defuncto, media intercessit persona, cui prædictum collatum est beneficium. Inde est, quod f. t. per A. s. m. atque præ. quat. si prædicta constiterint, prænominatum Vvalterium in possessionem ei collati beneficij inducere non differas, omni oc. & ap. cess. non ideò minùs obseruato Apostolici rescripti decreto, quod hîc hæreditariam in Ecclesia Dei destruit successionem, vt canonicam approbet possessionem.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita restituo huius textus epigraphen ex prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 8. & ex Concilio Lateran. *p.* 19. *cap.* 8. vbi præsens decisio reperitur.

b *R.*] Richardo videlicet, successori D. Thomæ, qui Ecclesiam Cantuar. rexit ex anno 1173. vsque ad annum 1183. cuius laudes ex catholicis, & protestantibus Scriptoribus refert Richardus Smitheus *in floribus Ecclesiæ Angliæ, lib.* 7. *cap.* 7. Ipsi plures Alexander III. misit epistolas, quas in hoc Decretalium corpore compilauit Raymundus; ipse enim passim R. Ecclesiam consulebat, vt testatur apud Petrum Blesensem *epist.* 68. his verbis: *Sicut eminentiam Apostolicæ Sedis magistram omnium Ecclesiarum profitemur; sic ab ipsa consilia in ambiguis, in angustiis solatia, responsa in iudiciis expectamus.* 1.

c *Primati.*] De Ecclesia Cantuariensi, & eius Primatia in Anglia, aliqua adduxi *in cap.* 2. *de rescriptis.*

d *L.*] Richardus enim prædictus temporibus Alexandri III. à Rege seniore abire iussus est Romam pro consecratione, vbi ab Alexandro III. Primatum Angliæ, & legationem cum pallio accepit. Parkerus *in eius vita, num.* 39. ita ait: *Erat facili, atque simplici ingenio, multis benignus, ac munificus, liberalis, affabilis, prudensque fuisse dicitur; obsequio tam in Papam, quàm in Regem procliuis: quodque ab Alexandro III. Anagniæ his verbis instituebatur: Tibi* (Richarde) *tuisque successoribus Cantuariensis Ecclesiæ Primatum ita plenè concedimus, sicut à Lanfranco, & Anselmo, aliisque successoribus eorum, quondam Cantuariensibus Archiepiscopis fuisse possessum constat.* Et paulò post: *Archiepiscopus, Primas, & Romanæ Sedis Legatus cum pallio in Angliam rediit.* Baronius *anno* 1174. 2.

e *Præsentationem.*] Sed videbatur in hac specie filium admitti posse ad beneficium paternum immediatè, cùm iuris prohibitio succedendi parentibus in beneficiis, locum non habeat in beneficiis, aut capellaniis iurispatronatus, vbi proximior consanguineus vocatur à testatore, in quibus defuncto patre filius mediatè præsentari potest, *cap. consuluisti* 2. *quæst.* 5. Rochus de Curte *de iurepatron. verbo honorificum, quæst.* 18. Accedit, nam filius, de quo in præsenti, erat ex legitimo matrimonio susceptus, vt post Glossam notant Hostiensis, Ioannes Andreas, Ancharanus, & cæteri antiquiores. Sed respondendum est, in præsenti Alexandrum III. agere de beneficio simpliciter dotato iurispatronatus, absque vlla conditione præsentandi consanguineum proximiorem, in quo post parentem præsentari filius non potest, ne detur successio hæreditaria in beneficio ecclesiastico. 3.

CAPVT VIII.

[a] Iedm *Vvigorn. Episcopo.*

COnstitutus in præsentia nostra G. Clericus præsentium lator, supplici nobis insinuatione monstrauit, quod cùm capellam de Stertona canonicè adeptus fuisset, & eam pluribus annis pacificè possedisset, R. miles ipsum præscripta Ecclesia sine iudicio, & iustitia spoliauerit: cúmque memoratus clericus exinde apud te, frater Coëpiscope, querelam deposuisset, obiectum fuit ei, quod pater suus in præfata Ecclesia ministrauerit, & præfatam capellam nondum potuit rehabere. Quia verò ad nostrum spectat officium, insolentiam laicorum contra viros ecclesiasticos debita seueritate compescere: d. v. per A. s. præ. m. quat. rei veritate diligenter inquisitâ, & cognitâ, si vobis [b] constiterit, quod idem clericus à prædicta capella

fuerit per laicalem potentiam eiectus, & quod pater eius præfatæ capellæ persona, seu [c] perpetuus vicarius non fuerit, licèt in eadem nomine eius G. quandoque ministrauerit, ipsam cum redditibus inde perceptis, amoto alio, si quis eam detinet, d. oc. & ap. ces. restituatis, litteris nostris, si quæ sint impetratæ, veritati & iustitiæ non præiudicantibus: & ipsum, sicut canonicè adeptus fuit, faciatis pacificè possidere.

NOTÆ.

1. a *Dem.*] Ita etiam legitur *in cap.* 8. *hoc tit. in* 1. *collect.* & in Concilio Lateran. *p.* 19. *cap.* 9. De Ecclesia Vvigorn. egi *in cap. nosti* 9. *de elect.*

2. b *Consliterit.*] Immò ante omnia restituendus est, etiamsi opponatur exceptio, quod filius antecessoris est, *cap. ex parte, de testibus*, vbi docet Cuiacius: igitur in præsenti, etiamsi constitisset filium Presbyteri, & antecessoris esse, nihilominus G. restituendus erat. Pro conciliatione huius textus cum dicto capite *ex parte*, vbi in eadem specie contrarium deciditur, discrimen constituendum est inter casum, in quo spoliatus agit interdicto *vnde vi*; & inter eum, in quo agit non solùm iudicio possessorio, verùm & petitorio. Primo casu etiamsi opponatur, spoliatum esse filium antecessoris, nihilominus restituendus est, *d. cap. ex parte*: secundo verò casu exceptio admittitur, quo casu noster textus procedit, vt docet Glossa *in eo, verbo Eiectus.*

c *Perpetuus Vicarius.*] Vicaria perpetua habetur pro beneficio ecclesiastico; secus verò si temporalis sit, vt probaui *in c. postulasti* 27. *de rescriptis.* 3.

CAPVT IX.

Idem [a] *Eboracensi Archiepiscopo.*

EX tua nobis est parte propositum, quod cùm olim ad tuam consultationem super filiis sacerdotum tales à nobis litteras recepisses, vt eos possis in Ecclesiis, quas patres eorum nullo mediante possederant, sustinere, quos probatæ vitæ, & sanæ conuersationis cognosceres, vel quos longo tempore tenuisse constaret: quidam ad iudices litteras impetrauerunt, vt si constaret, eos esse filios sacerdotum, vel clericorum, qui proximò ante eos Ecclesias tenuerunt, super his imponant eis ap. cess. silentium, & Ecclesias illas ipsis assignent, quamvis in eis se ostendere nequeant per Episcopos institutos. Si autem per priores litteras nostras cum aliquibus clericis dispensasti, dispensationem tuam posteriorum [b] litterarum nostrarum intuitu nolumus irritari, sed eam seruari præcipimus illibatam. Alios verò clericos laicæ dominationis intuitu in Ecclesiis parochiali iure subiectis, sine auctoritate Pontificum institui, aut institutos remanere in eis auctoritate Apostolica prohibemus.

NOTÆ.

1. a *Boracensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 9. De Eboracensi Ecclesia aliqua adduxi *in cap.* 4. *de rescriptis.*

b *Litterarum intuitu.*] Quomodo per speciale rescriptum generali non derogetur, expositi *in cap.* 1. *de rescriptis.* 2.

CAPVT X.

Idem [a] *Cantuariensi Archiepiscopo.*

QVoniam sacris canonibus prohibitum est, ne qui hæreditario iure ecclesiastica beneficia possidere præsumant, ne ij, qui in [b] sacerdotio sunt geniti, nisi probatè vixerint in claustro monachorum, vel regularium canonicorum, ad sacros ordines debeant promoueri: vobis præcipimus, quat. si manifestum, & publicum fuerit, patres eorum Ecclesiæ [c] personatus gessisse, filios ab eisdem Ecclesiis, si eas iam adepti sunt, ap. cess. penitus excludatis, nec ad eorum gubernationem vlteriùs assumantur. Nolumus enim, vt propterea causa in iudicium [d] deducatur, vel testes admittantur, cùm hoc manifestum existit.

NOTÆ.

1. a *Cantuarienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 10. Richardo videlicet, de quo & eius suffraganeis egi *in cap.* 2. *de rescriptis.*

b *Sacerdotio sunt geniti.*] Hæc verba illustraui *in cap.* 1. *hoc tit.* 2.

c *Personatus.*] Id est dignitates, seu officia in Ecclesiis Cathedralibus, vt probaui *in cap. ad aures* 8. *de rescriptis.*

d *Deducatur.*]

3. d *Deducatur.*] Hæc exceptio dominij plerumque non admittitur, *l. naturaliter 5. ff. de acquirenda poſſeſſ.* Vulteius *lib. 2. de iudiciis, cap. 7. num. 454.* Hæc verba expoſui, *in cap. 2. de reſcriptis.*

CAPVT XI.

Idem [a] *Cantuarienſi Archiepiſcopo.*

AD extirpandas ſucceſſiones à ſanctis Eccleſiis, ſtudio totius ſolicitudinis debemus intendere, & etiam decet nos ad hoc vigilem curam exhibere, ne circa miniſterium ſuſcepti regiminis videamur minùs diligentes exiſtere, ſi id vitium in Eccleſiis, vel in eccleſiaſticis negotiis, & viris permittimus pullulare. Hinc eſt, quod f. t. per A. ſcripta præ. m. quatenus, ſi qui filij Preſbyterorum prouinciæ tuæ teneant Eccleſias, in quibus patres eorum tanquam perſonæ, vel vicarij, nullâ perſonâ mediâ miniſtrarunt, eos, ſiue geniti ſint in Sacerdotio, ſiue non, ab Eccleſiis ipſis contrad. & app. ceſſ. non differas amouere.

NOTÆ.

[a] IDem.] Ita etiam habetur *in cap. 1. hoc tit. in 2. collect.* quæ inſcriptio exponenda eſt ex traditis *in cap. 2. de reſcriptis.*

CAPVT XII.

Clemens III. [a] *Caſſel. Archiepiſcopo.*

AD hæc ex tua parte auribus noſtris eſt intimatum. *Et infrà* : Quod à nobis fraternitas tua requiſiuit, an à Pontificibus generati valeant ad ſacros ordines promoueri, ſi ſcientiâ fuerint, & morum honeſtate probabiles: ſciat f. t. quod ſi ex legitimo matrimonio ſunt procreati, nec aliud canonicum obuiat, licitè poſſunt in ſacris ordinibus ordinari, & in eiſdem [b] Eccleſiis, in quibus præſunt, vel etiam præfuerunt genitores eorum, beneficium obtinere.

NOTÆ.

1. a CAſſell.] Ita legitur in hac collectione; in ſecunda verò, *ſub hoc tit. cap. 3.* legitur *Caſſian.* ſed perperam vtrobique; legendum enim eſt *Caſſilienſi*: in Hibernia enim ſunt quatuor Archiepiſcopatus, videlicet Armachanus, Dublinenſis, Tuanenſis, & Caſſilienſis, vt refert Carolus à S. Paulo *in Geograph. ſacra, in Hibernia,* Caſſilienſis Archiepiſcopatus erectus fuit in Concilio Hiberniæ celebrato anno 1152. ſub Eugenio III. vt ex hiſtoricis illius prouinciæ refert Cironius *in cap. 3. de conſuet. in 5. collect.* Huius Eccleſiæ mentio fit *in c. 7. de dolo, c. 2. vt lite non conteſt.*

b *Eccleſiis.*] Non tamen eiſdem dignitatibus, vt infrà dicemus.

CAPVT XIII.

[a] Idem.

MIchael Preſbyter de Sancto Germano, tranſmiſsâ nobis conqueſtione monſtrauit, quod cùm Eccleſiam S. I. de corona tuæ diœceſis canonicè ſit adeptus N. filius Antonij, qui proximò ante ipſum Eccleſiæ habuit perſonatum, ad ſe vicariam ipſius aſſerit pertinere. Quia igitur in Eccleſia ſucceſſiones in Prælaturis, & Dignitatibus Eccleſiaſticis, canonicis ſtatutis damnantur: f. t. per Apoſt. ſ. m. quatenus veritate diligentiùs inquiſitâ, ſi tibiconſtiterit N. ipſum filium fuiſſe Antonij, qui eiuſdem Eccleſiæ, ſicut præmiſimus, habuit proximò perſonatum, omni contrad. & ap. ceſſ. ſuper eandem vicariam ſilentium perpetuum ei imponere non poſtponas.

NOTÆ.

[a] IDem.] Nec ex hac collectione, nec ex ſecunda, vbi *ſub hoc tit. cap. 4.* compilatur hæc deciſio, conſtat cui miſſa ſit hæc decretalis.

CAPVT XIV.

[a] Clemens III.

LItteras veſtræ dilectionis accepimus, votum latoris præſentium, & eius originem continentes. Intelleximus ſiquidem, quod in ſacerdotio genitus, de vxore [b] legitima natus, & conceptus, voto laudabili affectauit à pueritia ſeruire, & miniſtrare Domino in officio clericali. Verùm quia in filiis paterna incontinentia modis omnibus propellenda dignoſcitur, & propter cautelam, Preſbyterorum filij à ſacris ordinibus iuxta ſanctionem canonicam remouentur; non expedit, vt ſuper huiuſmodi ita ſupplicantium precibus annuamus, quòd videamur aliis impetrandi ſimilia ſpem aliquam faciliùs impertiri: ſed vt ſuæ poſtulationis affectu, cùm ad Sed. Ap. humiliter acceſſerit, ex toto defraudari ſe non doleat, præſenti ſcripto vobis ſignificamus, quod ſi aliter dignus inuentus fuerit, permittimus ipſum in clericum [c] ordinari, & in eccleſiaſticum beneficium, vnde commodè ſuſtentari valeat, promoueri.

NOTÆ.

1. a *Clemens.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* non tamen hucuſque conſtat, cui miſſa ſit hæc deciſio. De Clemente III. egi *in cap. 12. de reſcriptis.*

2. b *Legitima.*] Id eſt legitimè ducta, à qua conuerſus maritus promotus fuit ad ſacros ordines, & ipſa religionem profeſſa; quo caſu durat vinculum matrimonij: vnde ſi poſteà prolem ſuſceperint, licèt illicitè ſe coniunxerint, naſcitur tamen legitima, *cap. ex publico, de conuerſ. coning.* vbi Deo annuente plura adducemus.

3. c *Ordinari.*] Sed ſi filius Preſbyteri erat, & à Preſbytero procreatus, quomodo poterat ad ſacros Ordines aſcendere, & beneficium obtinere, contra ea, quæ adduximus *in cap. 1. hoc tit.* & dicemus ſequenti commentario? Pro huius difficultatis ſolutione anxiè quærunt Interpretes, vtrum filius hic eſſet legitimus, vel illegitimus? Plures affirmant legitimum eſſe, quia ex legitimo matrimonio natus eſt: plures relati à Sanchez *de matrim. diſp. 38. per totam*, Suarez *de cenſuris diſp. 50. ſect. 2.* Sed aſſerendum eſt, illum quoad Ordines, & beneficia eccleſiaſtica pro illegitimo haberi; quoad hæreditatem verò, & alia temporalia, pro legitimo: vnde cùm irregularitas ex defectu natalium proueniat ex illegitimitate canonica, ideò ſine diſpenſatione iſte promoueri ad Ordines non poterat. Nec nouum eſt, vt quis diuerſis reſpectibus habeatur pro legitimo, & illegitimo, *cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.*

CAPVT XV.

[a] Innocentius III.

CVm decorem domus Dei. *Et infrà*: Filiis canonicorum præbendas in eiſdem Eccleſiis conferri non ſinatis, quarum ſunt Canonici patres eorum, cùm indecorum ſit, vt in altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo vnigenitus Dei filius Æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur.

NOTÆ.

1. a *Innocentius.*] Cui tamen in hac deciſione reſcripſiſſet, non conſtat; eius tamen partes extant *in cap. cùm decorem, de vita & honeſt. clericor. cap. cùm decorem, de clericis coniugatis*, ex quibus ſupplenda eſt hæc inſcriptio.

CAPVT XVI.

Idem *in* [a] *Concilio Generali.*

AD abolendam peſſimam (quæ in pluribus inoleuit Eccleſiis) corruptelam, firmiter inhibemus, ne Canonicorum filij, [b] maximè ſpurij, Canonici ſint in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt patres eorum. Et ſi fuerit contrà præſumptum, decernimus non valere. Qui verò vt tales (vt dictum eſt) [c] canonicare præſumpſerint, à ſuis beneficiis ſuſpendantur.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Concilio.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & reperitur textus hic in Concilio Lateran. sub Innocentio III. celebrato, *can.* 31. De quo Concilio nonnulla notaui *in cap.* 1. *de Summa Trinit.*

2. b *Maximè.*] Id est, *scilicet*, vt post Glossam docuit Cironius *in cap. ad hæc, hoc tit. in* 5. *compil.* Dictio enim hæc, *maximè*, in præsenti non stat ampliatiuè, vel implicatiuè, sed abundat, vt *in l. ea quæ, ff. de rescind. vendit. l. vlt. C. de testam.* dum enim sint filij Canonicorum, siue legitimi, siue illegitimi, in beneficiis parentum institui non possunt.

c *Canonicare.*] Id est in Canonicos institui, sicut dicitur monachari, ideſt monasticam regulam profiteri, vt notaui *in cap. ad nostram* 37. *de elect.* 3.

CAPVT XVII.

Honorius III. *Decano* [a] *Furn.* [b] *Morin. diœc. & Magistro Giliberto Morin. & L. Sancti* [c] *Donatoris in Brugis,* [d] *Tornacen. diœces.*

Dilectus filius G. Præpositus Ecclesiæ S. Mariæ in Brugis, transmissâ nobis petitione monstrauit, quod cùm Virgilius Presbyter Tornacen. diœcesis, quandam præbendam eiusdem Ecclesiæ curam animarum habentem, quam nullo medio habuit pater eius, tam contra Lateran. quàm [c] Generalis Concilij statuta obtineat, in scandalum plurimorum: idem ipsum monuit diligenter, vt resignaret eandem; sed idem asserens, quod bonæ memoriæ [f] Vv. Rhemensis Archiepiscopus, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, dispensauit cum eo, id efficere contradicit; quamquam cum eo non fuerit per R. Pontificem dispensatum. Quocirca disc. v. de vtriusque partis procuratorum assensu mandamus, quatenus partibus conuocatis, & auditis hinc inde propositis, non obstante dispensatione aliqua, quæ à Sede Apostolica non emanauerit, quod canonicum fuerit, app. postp. statuatis.

NOTÆ.

1. a *Vrn.*] Ita restituenda est præsens inscriptio ex quinta compilatione Honorij III. vbi *sub hoc tit. cap. vnico*, reperitur textus hic. Furnensis vrbs est in Belgio, propè Morinum, de qua agit Meyerus *lib.* 8. *&* 10. *annal. Flandriæ.*

2. b *Morin.*] Morinensis diœcesis est in Flandria, vt iam notaui *in cap.* 33. *de elect.* vbi de ea diœcesi egi.

3. c *S. Donatoris.*] Lege *S. Donatiani.* Brugis enim, quæ est ciuitas Flandriæ, erecta fuit Ecclesia Collegialis sub titulo S. Donatiani septimi Episcopi Rhemensis, cuius corpus Brugis translatum est, vt referunt Cironius *in præsenti*, Andreas Sausay *in martyr. Galliæ, die* 14. *Octobris.*

d *Tornacensis.*] De hac Ecclesia aliqua adduxi *in cap. eam te* 7. *de rescriptis.*

e *Generalis.*] De quo *in cap. ad abolendam, hoc tit.*

4. f *Vv.*] Vvido secundus videlicet, Cardinalis Episcopus Prænestinus, Legatus Sedis Apostolicæ, de quo Chenu, & Fratres Sarmat. *in serie Præsulum Ecclesiæ Rhemensis.*

COMMENTARIVM.

5. Conclvsio refertvr et probatvr. Omnes decisiones hucusque transcriptæ ferè eandem continent prohibitionem, & ad Ecclesiæ Anglicanæ Præsules, si vltimam excipias, missæ sunt; quia in Ecclesia Anglicana per hæc tempora corruptela inualuerat, vt absque institutione Episcopi, filij succederent parentibus in beneficiis ecclesiasticis, *cap. ad extirpandas, hoc tit.* ibi: *Tam iniquam consuetudinem de prouincia, sicut debebat, radicitus extirpare vellet.* Arnulphus Episcopus Lexouiensis *in epist. ad Legatos, Albertum, & Theodunum*, ibi: *Non expedit prouinciæ nostræ, in qua quotidie tam imprudenter impudicitia conualescit, filios Presbyterorum paternis altaribus adhiberi.* Anselmus *lib.* 2. *epist.* 33. Ioan. Sarisbar. *epist.* 28. Refert Franciscus Hallierius *de hierarch. iurisd. lib.* 4. §. 3. *pag.* 486. Ex his ergo omnibus decisionibus sequentem deduco assertionem: *Filij, tam legitimi, quàm illegitimi, sine Pontificia dispensatione in præbendis, seu beneficiis paternis mediatè, vel in aliis eiusdem Ecclesiæ institui non debent.* Probant eam textus *in cap. inter cæteras* 4. *de rescriptis, cap. ex parte, de testibus:* Alexander III. post Concilium Lateran. *p.* 49. *cap.* 8. *&* 14. Tridentinum *sess.* 25. *de reform. cap.* 7. Concilium Anvicrense tempore Alexandri III. *cap.* 2. *Item filij sacerdotum non ponantur in Ecclesiis patrum suorum.* Extrauagans Clementis VII. quæ incipit, *Ad canonum conditorem.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti, & de potest. Episc. alleg.* 65. *& in remiss. ad Concil. Trident. dict. cap.* 7. Lotherius *de re benefic. lib.* 2. *q.* 48. *num.* 178. Corrasius *de beneficiis, p.* 3. *cap.* 7. Petrus Greg. *eod. tract. cap.* 35. I. Dartis *eod. tract. sect.* 4. seu *p.* 4. *cap.* 1. *&* 2. Valensis *eod. tract. lib.* 1. *tit.* 18. Duarenus *lib.* 4. *de sacris Ecclesiæ, cap.* 9. Rufiniacus *lib.* 3. *constit. tit.* 13. *cap.* 13. Michaël Rousselius *lib.* 2. *histor. Pontif. iurisd. cap.* 1. Zipeus *ad hunc titulum*, Cironius *in cap. vnico, de successionibus ab intest. in* 5. *compil.* Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 8. Villaroël. *de regim. Eccles. p.* 1. *quæst.* 9. *art.* 6.

Verùm hæc assertio difficilem patitur dubitandi rationem in ea parte, vbi affirmat, filios etiam legitimos ante sacerdotium genitos, non posse in parentum beneficiis succedere; nam nihil tam iuri, & rationi consonum est, moribusque gentium consentaneum, quàm vt filij succedant in officiis, & beneficiis paternis. Iuri; nam filius ex eius dispositione succedit in officio patris, 6. Expendi-tvr ingens difficvltas.

leg. nemini 11. §. 1. *in fine*, *l. petitionem* 13. *C. de aduocatis*, *l. vnicuique* 7. *C. de proximis sacrorum*, *lib.* 12. *l.* 1. *&* 2. *C. de filiis officialium*, *eod. lib.* vbi plura adducit Altamiran. Rationi etiam id consonum esse probat ipse *cap.* 8. *&* 9. ex eo, quia ita merita parentum remunerantur, paupertati filiorum succurritur, & parentum nobilitas in filiis residens, aliorum meritis præfertur. Vsitatum etiam fuisse apud varias nationes, vt filij succederent in dignitatibus, & officiis parentum, probatur primò ex Hebræorum consuetudine, apud quos filij in officiis paternis succedebant, vt referunt Sigonius *de repub. Hebræor. lib.* 7. *cap.* 4. Marquez *in Gubern. Christ. lib.* 2. *cap.* 3. Pizarrus *in vita Ferdinandi*, *cap.* 1. *obseru.* 2. Apud Romanos id obseruatum fuisse probant Pancirola *lib.* 2. *variar. cap.* 8. Amaya *in l. curialibus* 66. *num.* 48. *C. de Decur.* Altamiranus *vbi suprà*, *cap.* 23. Apud Siculos decessorum officia filiis concedi solita tradit Mastrillus *lib.* 1. *de Magistr. cap.* 28. *num.* 3. De Venetis idem probat Osualdus *lib.* 24. *Donelli*, *cap.* 22. *littera R.* Eandem consuetudinem apud Lusitanos inualuisse, tradunt Valascus *consult.* 129. *num.* 13. Mendez de Castro *in praxi Lusit. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 9. Et apud nos hoc obseruatum fuisse, suadetur *ex l.* 10. *tit.* 5. *lib.* 5. *recopil. l.* 10. *tit.* 4. *lib.* 6. *l.* 2. *tit.* 4. *lib.* 7. Nec desunt exempla eorum, qui in eodem beneficio patri suo successerunt. Sic S. Simplicius Archiepiscopus Bituricensis fuit filius Eulodij, & gener Palladij, suorum in Ecclesia Bituricensi antecessorum, de quo Sidonius *lib.* 7. *post epist.* 9. Sic Domnus deposito Paulo Samosatensi hæretico, electus est Patriarcha Antiochenus, cùm esset filius Patriarchæ Demetriani, teste Baronio *anno* 272. Sic S. Barinus præfuit post patrem S. Clodulphum Treuerensem Episcopum, ad quam Ecclesiam ipse Clodulphus fuerat euectus ex Metensi, in qua idem Clodulphus sederat post patrem S. Arnulphum, vt referunt Bion *in martyrol. monast. die* 8. *Iunij*, Honufrius *in Genealog.* Alia exempla refert Dartis *d. cap.* 1. igitur filij legitimè suscepti admitti possunt ad beneficia parentum. Augetur hæc difficultas ex eo; nam si filij, tam legitimi, quàm illegitimi arcerentur à beneficiis paternis, maximè ne successio in officiis ecclesiasticis admittatur, vt communiter docetur in iuribus suprà citatis, & *in cap.* 1. *de præbend.* sed cùm filij instituuntur in beneficiis à parentibus possessis; non ab ipsis, sed ab Episcopo institutionem accipiunt, *cap. ex frequentibus*, *de instit.* à patrono, vel aliis, qui ius eligendi habent, eliguntur, seu præsentantur, *cap. conquerente*, *cap. ex transmissa* 7. *hoc tit.* non à decessore substituuntur, aut designantur: igitur non potest vlla successio hæreditaria suspicari. Tandem aliis exemplis etiam probatur filios in dignitatibus, & officiis, etiam maioribus, parentibus succedere; nam Lambertus Episcopus Leodiensis successorem habuit S. Floribertum eius filium, referente Flodoardo *lib.* 1. *cap.* 10. S. Auitus Episcopus Viennensis filius fuit Isici Episcopi antecessoris: Baronius *anno* 509. Latro filius S. Genebandi Episcopi Laudunensis, successor ipsius fuit in ipsa Ecclesia. Flodoardus *dict. lib.* 1. *cap.* 14. Alia etiam refert exempla Dartis *de beneficiis sect.* 4. *cap.* 1. igitur non rectè asserimus, filios succedere non posse in dignitatibus, & parentum suorum beneficiis.

7. VARIIQVE, Hac difficultate ita fulcitâ non obstante vera est suprà tradita assertio, videlicet Presbyterorum filios, siue legitimos, siue illegitimos, non posse immediatè succedere in beneficiis parentum; pro cuius expositione sequentes casus sunt distinguendi. Primus est filiorum illegitimorum clericorum (quo nomine veniunt & naturales ante clericatum procreati. Garcia *de beneficiis p.* 7. *cap.* 3. *n.* 15.) His ergo filiis prohibetur successio in beneficiis, quæ parentes eorum tenebant: tum quia illegitimi sunt, & per consequens ex defectu natalium incapaces beneficij ecclesiastici, *cap. cùm in cunctis* 7. *in princip. cap. innotuit* 20. *de elect. cap.* 1. *hoc tit.* Tum etiam ob vitandam imaginem futuræ successionis in beneficiis, *cap. ex transmissa* 7. *hoc tit.* Vnde licèt tales filij dispensationem Sedis Apostolicæ meruerint, vt ordinari possint, & obtinere beneficia; non ideò censentur dispensati, vt paterna consequantur. Quintanaduenas *lib.* 2. *ecclesiasticôn*, *num.* 93. quia est hic defectus nominatim exprimendus, vt dispensatione sublatus intelligatur, *cap.* 2. *hoc tit.* & in hac parte magnum discrimen versatur inter ius antiquum, & nouum Clementis VII. nec-non Concilij Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 15. nam iure communi antiquo filij illegitimi clericorum non poterant possidere immediatè beneficium, quod pater obtinuit, nec aliud simile beneficium in eadem Ecclesia, patre viuente, *cap. quoniam* 10. *cap. ad extirpandas* 11. *cap. cùm decorem* 15. *hoc tit.* nisi ex dispensatione Pontificis. Glossa *in cap.* 1. *verbo Tale*, *hoc tit. lib.* 6. at poterant paterna beneficia obtinere, si alius post patrem ea tenuisset, quia imago illa hæreditariæ successionis illi tantùm obstat, vt immediatè patri succedatur, *dict. cap. ex transmissa*. Poterant etiam alia beneficia in ipsa Ecclesia obtinere mortuo patre, argumento à contrario deducto *ex d. cap. cùm decorem*. Itaque his in casibus filij illegitimi dispensati beneficia consequi poterant absque speciali dispensatione præsentis prohibitionis de filiis Presbyterorum non promouendis ad beneficia paterna: at verò post constitutionem Clementis VII. editam anno 1530. quam referunt Gigas *de pensionibus*, *q.* 86. Nauarrus *in cap. si quando*, *de rescriptis*, *except.* 21. *in principio*, non solùm immediata successio, verùm etiam mediata sublata fuit filiis illegitimis clericorum, abrogatâ constitutione Alexandri, de qua *in d. cap. ex transmissa*. Fuit etiam hæc prohibitio prorogata ad beneficia regularia. Tandem Concilio Tridentino *d. cap.* 15. non solùm declarantur inhabiles ad beneficia, quæ parentes tenuerunt, sed ad omnia alia quæcumque, etiam dissimilia, in Ecclesiis paternis constituta; immò & ad pensiones, tam viuo, quàm defuncto patre. Quomodo ea iura componunt Quintanaduenas *lib.* 2. *Ecclesiasticôn*, *num.* 82. Garcia *d. cap.* 3. *per totum*, Duarenus *lib.* 4. *de sacris Eccles. cap.* 5. Ojeda *de incompatibil. benefic. p.* 1. *cap. vlt. num.* 7. Gratianus *tom.* 2. *discept. forens. cap.* 397. *per totum.*

SVS REFERVNTVR.

8. DE FILIIS LEGITIMIS. Alius casus est filiorum legitimorum clericorum, circa quos dicendum est, pariter olim, & nunc excluſos esse à paternis beneficiis, ne detur hæreditariæ successionis imago, *d. cap. ad extirpandas*, cuius gratiam alius quàm Pontifex facere nequit, *cap. dilectus* 27. *hoc tit.* Glossa *in cap.* 1. *eod. tit. lib.* 6. Garcia *d. cap.* 3. *num.* 5. Sed mediatè succedere in eodem beneficio non prohibentur, *d. cap. ex transmissa*; nec etiam prohibentur aliud beneficium simile, aut dissimile in eadem Ecclesia, patre superstite, vel defuncto obtinere, quæ est sententia capitis *ad hæc* 12. *hoc tit.* quia in alterius beneficij

beneficij assecutione hæreditariæ successionis imago non consideratur, nec filios legitimos expellit defectus natalium, aut indecentia, quam ad repellendos illegitimos clericorum filios considerauit Pontifex *in d. cap. cùm decorem*; immò vt alij ad ordines, & alia beneficia idonei sunt, *d. cap. extirpandas*, *cap. litteras* 14. *hoc tit.* sic etiam ad beneficia constituta in Ecclesiis paternis. Nec in hac parte aliquid immutatum est dictis nouis constitutionibus Clementis VII. & Tridentini, quia in eis circa filios legitimos nihil cautum fuit; ideò seruari debet ius antiquum, argumento legis *proximus*, *C. de appellat.* Docent Nauarrus *in cap. si quando*, *de rescriptis*, *in actuario num.* 3. Salcedo *in praxi*, *cap.* 48. *littera A*, Emanuel Rodriguez *in summa*, *tom.* 1. *cap.* 29. *num.* 4. Garcia *d. cap.* 3. *n.* 18.

9. PRIMÆ PARTIS RATIO DECISIVA.

His suppositis præsens assertio quoad primam partem ea nititur ratione, nam si filij illegitimi, nisi regularem vitam professi sint, sacris ordinibus initiari non valent, vt superiori commentario probaui, & per consequens incapaces sunt beneficiorum, vt præcedenti commentario illustrabo; inde si beneficiorum extraneorum incapaces sunt, quantò magis eorum, qui à parentibus possidebantur, cùm si liceret illis in paternis Ecclesiis ministrare, facilè apud fideles refricaretur incontinentiæ paternæ memoria. Quoad secundam partem præsens assertio eam habet rationem, nam cùm in beneficiis ecclesiasticis successio hæreditaria, vel eius imago reprobetur, *can.* 79. *Apostolor. cap. Apostolica*, *& per totam* 8. *q.* 1. *cap. ad hæc*, *de decimis*, *cap. consuluit*, *de iurepatron. cap.* 1. *de præbend.* & cùm filij succedunt in beneficiis parentum, etiam præcedente Episcopi institutione, quædam successionis detur imago, deuolutione beneficij factâ de patre ad filium, labente tempore neglecta Episcopi institutione, ex iure consanguinitatis tantùm delatum beneficium præsumeretur: vnde rectè vt hanc successionis imaginem, aut suspicionem SS. Patres tollerent, tot legibus inhibuerunt, ne filij in beneficia paterna immediatè instituerentur: & quia hæc successionis imago penitus adimitur, cùm inter patrem & filium extranea persona instituitur, quia tunc sanguinis continuatio interrumpitur extraneo mediante, non negarunt Patres filium ad beneficium paternum admitti posse mediante alio possessore, *cap. ex transmissa*, *hoc tit.* Lotherius *vbi suprà*, *num.* 174.

10. TOLLITVR QVÆDAM DIFFICVLTAS.

Nec tunc obstabit si dicas, hac ratione attentâ non minùs arcendos esse patres à beneficiis filiorum, quia vt filios inuitat natura ad successionem parentum, ita turbato mortalitatis ordine patres succedunt filiis, *l. nam & si*, *ff. de inofficioso testam.* & tamen parentes non repelluntur à beneficiis, quæ obtinuerunt filij, siue legitimi, siue illegitimi, vt post Glossam *in cap. Apostolicam*, *verbo Præbendas* 8. *q.* 1. tenent Rebuffus *in praxi*, *tit. de dispensat. super defectu natalium*, *num.* 29. Quintanaduenas *d. lib.* 2. *Eccles. num.* 95. Garcia *d. cap.* 3. *num.* 18. Sed respondendum est, præsentem prohibitionem non extendi ad parentes; tum quia cùm odiosa sit, restringi potiùs debet, quàm ampliari, ex regula *Odia*, *de regul. iuris lib.* 6. tum quia non adeò frequenter succedunt parentes filiis, sicut filij parentibus; tum etiam, quia ius veræ successionis non adeò firmum, certumque est in fauorem parentum circa bona filiorum, ac competit filiis in bonis paternis, *dict. l. nam etsi*: sic etiam dicendum est in ficta successione, ne plus noceat fictio in casu ficto, quàm prodest veritas in casu vero, contra textum *in l. filium quem*, *ff. de liberis & posthumis*; etsi verius crederem cum Garcia *d. cap.* 3. *num.* 31. quod si filius illegitimus sublato per dispensationem impedimento natalium, beneficium obtineat, aliud in eadem Ecclesia patrem obtinere non posse post Concil. Trident. quia ex eo Tridentini decreto colligitur, propter paternam incontinentiam coercendam statui, ne filius, & pater in eadem Ecclesia ministrent; quæ ratio non minùs viget vbi priùs pater, mox filius beneficia obtinuerunt, quàm è conuerso.

11. DEDVCVNTVR VARIÆ ILLATIONES.

Ex hac etiam ratione prouenit, quod cùm nulla successionis imago dari, aut suspicari possit, si filius viuente, vel defuncto patre in Ecclesia non beneficium paternum, sed aliud simile, vel dissimile habeat, tale beneficium obtinere filio permittitur, *cap. ad hoc*, *hoc tit.* quod illegitimis non conceditur, *cap. cùm decorem*, *hoc tit.* Nec contrarium probat textus *in cap. ad abolendam*, in illis verbis: *Filij maximè spurij*, vbi filiis, tam legitimis, quàm illegitimis interdicitur, ne in Ecclesiis sæcularibus, in quibus patres eorum instituti sunt, beneficia consequantur; quia textus ille accipiendus est de illegitimis filiis, non verò de legitimis; dictio enim illa, *maximè*, accipitur pro, *tantùm*, vt plerumque contingit. Docent Barbosa *de dictionib. dict.* 197. Lotherius *vbi suprà*, *num.* 192. nisi verbum illud, *instituantur*, accipiamus pro, *succedant*, vt notauit Cironius *in præsenti*; & tunc absolutè vera est prædicta prohibitio, ne filij, maximè spurij instituantur, id est succedant in Ecclesiis, videlicet in præbendis, vbi patres eorum instituti fuerunt. Quo modo intelligitur textus *in cap.* 2. *hoc tit. in* 2. *collect.* in illis verbis: *Sacerdotum verò filios*, *& maximè in sacerdotio genitos*, *non sinit succedere parentibus consuetudo*, *ne laicis scandalum generetur*. Igitur illud discrimen obseruandum est inter legitimos, & illegitimos filios, quòd filij legitimi viuentibus, aut defunctis parentibus, in ipsis Ecclesiis aliud beneficium obtinere possunt, *d. cap. ad hæc*; illegitimi verò viuente patre, neque dissimile beneficium in ipsa Ecclesia obtinere valent, *cap. conquerente*, *hoc tit.* nec eo mortuo; quod licèt iure communi expressum non esset, hodie statutum reperitur in Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 15. vbi vt paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis longissimè arceatur, constituitur, vt filij illegitimi clericorum, qualecumque beneficium sit, siue magnum, siue paruum, siue simile, siue dissimile, in ipsis Ecclesiis, vbi patres eorum ministrarunt, obtinere non possint. Exponunt illud Concilij decretum Lotherius *vbi suprà*, Valensis de beneficiis *d. tit.* 18. *num.* 9. Ex dictis etiam prouenit, vt cùm pater sine titulo obtinuit aliquod beneficium, vel vt Vicarius temporalis ministrauit, filius cum titulo legitimè potest illud obtinere, cùm cesset suspicio hæreditariæ successionis, quia pater nunquam illud possedit, *cap. constitutus*, *hoc tit.* Et quia hæc prohibitio succedendi in beneficiis parentum statuta, & decreta est tot Pontificum, & Concilij generalis decretis, in quibus alius quàm R. Pontifex dispensare non valet, *cap. proposuit*, *de concess. præb.* ideo neque Legati, neque inferiores Prælati dispensare possunt, vt filij illegitimi, vel legitimi in paternis beneficiis succedant.

12. DISSOLVITVR DV-

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; verum enim est, in aliquibus officiis, & dignitatibus permissum esse filiis succedere parentibus, &

BITANDI RATIO.

& apud varias nationes id obseruatum legimus : illud tamen procedit in officiis & dignitatibus, in quibus successio hæreditaria non prohibetur; at verò in dignitatibus, vel officiis, in quibus successio inhibetur, filij succedere parentibus non possunt, *l.* 1. *C. de muner. & honor. non continuandis inter patrem & filium, lib.* 10. vbi plura D. Franciscus de Amaya : vnde cùm in beneficiis ecclesiasticis tot Ecclesiæ legibus damnata sit non solùm successio, verùm & eius imago, ideò filij legitimi non admittuntur ad beneficia paterna. Nec augmentum difficultatis obstat, quia licèt verum sit, filium legitimum à Patrono præsentatum, ab Episcopo institutum, iure sanguinis, aut successionis non vocari ad beneficium patris; quia tamen datur quædam imago successionis, & scandalum in populo generatur, qui ignarus & negligens, iure tantùm sanguinis beneficium delatum credit; ideò vt hæc imago successionis, & scandali occasio amputentur, PP. inhibuerunt, filios etiam legitimos institui in beneficis parentum. Nec exempla pro augmento difficultatis relata in contrarium nos mouent; nam in illis, & aliis, quæ longum esset recensere, supponenda est Pontificis dispensatio, quâ præcedente, tam legitimi, quàm illegitimi in beneficiis parentum succedere possunt, *cap. finali, hoc tit.* vbi latè id probabimus.

13. EXPONITVR CAP. VENIENS 5. HOC TIT.

Sed suprà traditæ assertioni primò opponitur textus *in cap. veniens* 5. *hoc tit.* vbi deciditur, quod si filius sacerdotis fuerit institutus in ipsa Ecclesia, in qua pater eius proximè ministrauerat, ab ea per ipsum Episcopum amoueri non potest. Ex qua decisione apertè colligitur, filium posse retinere beneficium paternum, cùm ibi decidatur, iam institutum amouendum non esse. Quam difficultatem vt dissoluat Panormit. *ibi, num.* 6. existimat, ideò filium sacerdotis potuisse in ea specie beneficium retinere, quod pater eius immediatè obtinuit, quia beneficium illud simplex erat, quod ex dispensatione Episcopi filius immediati possessoris obtinere potest, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. quæ dispensatio in eo textu supponitur ex eo, quod sciens Episcopus filium sacerdotis esse, & patrem eius immediatè in eo ministrasse, nihilominus eum instituit; vnde cum eo tacitè dispensauit, iuxta tradita à Basilio Legionensi *lib.* 8. *de matrim. cap.* 15. Verùm hæc interpretatio apertè conuincitur ex illis verbis : *Quod cùm illum ad Capellam S. L. quam ei concessisti, in Presbyterum ordinasses.* Ex quibus constat, beneficium curam animarum continere, siquidem possessor in Presbyterum ordinatus fuit. Quare hac solutione omissâ dicendum est, *in d. cap. veniens*, filium Presbyteri beneficium paternum retinuisse ex dispensatione Pontificia, quæ non tam in fauorem possessoris, quàm in odium Episcopi, qui illum spoliauerat, vt alij conferret, introducta est, vt docent pro illius textus interpretatione Philippus Francus, & Geminianus *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6.

14. EXPONITVR CAP. 3. DE PRÆSCRIPT. IN 2. COLLECT.

Secundò aduersatur textus *in cap.* 3. *de præscript. in* 2. *collect.* in illis verbis : *Significauit nobis Vv. clericus de Cothosinori, quod cùm Ecclesiam ipsam canonicè sit adeptus, & per* 30. *annos, & amplius in pace possederit, S. Clericus, qui pluribus beneficiis ecclesiasticis dicitur abundare, ipsum obtentu quarundam litterarum, quas à sanctæ recordationis Alex. Papa prædecessore nostro dicitur impetrasse, eum ea occasione, quòd filius sit illius, qui proximè in eadem Ecclesia ministrauit, trahens in causam, multipliciter inquietare præsumit. Quia igitur iniustum est, & absonum rationi, vt idem Vv. eadem Ecclesia, ex quo in ea per tot tempora dicitur fuisse, debeat tali occasione priuari : disc. v. per A. s. m. quat. si quæ præmissimus, veritate noueritis subnixa, ipsum à memorato clerico talis occasionis obtentu non dimittatis super Ecclesia ipsa aliquatenus molestari, sed faciatis eum, sicut iustum videritis, eam pacificè possidere.* Ex quibus expressè deducitur, filium Sacerdotis obtinere, & possidere posse beneficium paternum : igitur non rectè asserimus, filios arceri à beneficiis parentum suorum. Augetur eius textus difficultas *ex cap. ex parte* 7. *de testibus*, vbi in eadem specie, cùm quis per 30. annos beneficium possederat, & posteà quidam miles ipsum spoliauerat, asseritur, quod si per legitimos testes constiterit ipsum esse filium Presbyteri, à beneficio esse remouendum. Sed pro expositione textus *in d. cap.* 3. dicendum est, in eo textu nullo modo decidi sacerdotis filium in iudicio plenario proprietatis iustitiam obtinere; sed tantùm eum in possessione inquietandum non esse, & iudicem delegatum iuxta iuris principia, & causæ merita procedere debere. Quare si constitisset illis filium sacerdotis esse, & patrem suum proximè ministrasse in ea Ecclesia, ipsum à beneficio esse repellendum; interim verò spoliatum esse restituendum, ex traditis in notis ad textum *in cap. constitutus, hoc tit.*

15. OPPONITVR CAP. 2. DE ARBITRIS.

Tertiò aduersatur textus *in cap.* 2. *de arbitris*, in illis verbis : *Et eodem R. mortuo, M. nepos eius, qui sibi in iamdicta Ecclesia successit, &c.* Ex quibus verbis apertè liquet, nepotem auo suo immediatè in beneficio successisse : sed filiorum appellatione etiam nepotes continentur, *l. iuxta, ff. de v. s.* vbi Fornerius & Gentilis : plura Valascus *lib.* 2. *consultat. consult.* 140. Cabedo *decis.* 140. *num.* 2. igitur si nepos *in d. cap.* 2. admittitur ad beneficium paternum immediatè, & filius etiam admitti valebit. Huic difficultati vt satisfaciant Beroius *in eo textu, num.* 17. Abbas *notab.* 2. Imola *in cap. ex parte, de officio delegati*, Rebuffus *de pacificis, num.* 214. & 276. Mieres *de maiorat. q.* 2. *p.* 2. *num.* 25. & alij relati à Garcia *de beneficiis p.* 7. *cap.* 3. *num.* 23. affirmant prohibitionem nostram succedendi in beneficiis parentum, extendi ex identitate rationis ad nepotes; quare accipiunt textum *in d. cap.* 2. de fratris filio, qui etiam in iure nostro, & apud bonæ notæ authores appellatur nepos, *cap. per tuas, de probat. cap.* 12. *de desponsat. impuber. cap.* 7. *de consanguinit. & affinit. cap.* 1. *quibus modis feudum amittatur.* Vnde cùm nostra prohibitio non procedat in descendentibus ex linea transversali, ideò descendentes ex fratribus possunt post mortem auunculi, seu patrui sui in beneficio immediatè succedere. Sed licèt hæc interpretatio valde probabilis sit, & iuxta eam accipiendi sint textus *in cap. ex parte* 12. *de officio delegati, cap. accedens, de accusat.* tamen iure communi attento necessaria non est hæc lata nepotis acceptio; siquidem verius est, prohibitionem nostram, vt non succedant filij in beneficiis parentum, non extendi ad nepotes, ex principio vulgari, in odiosis videlicet non venire nepotes appellatione filiorum, *l. lege Iulia, ff. de ritu nuptiar. §. hoc capite, l. patri, ff. ad leg. Iul. de adult.* Bartolus *in l. liberorum, ff. de v. s.* Couar. *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 2. nisi de nepotibus expressè caueatur, vt *in cap. quia* 6. *de iurepatron.* Hanc sententiam defendunt Ioannes Andreas, Ancharanus, & alij *in cap. ad extirpandas, hoc tit.* Azor *tom.* 2. *moral.*

moral. lib. 6. cap. 4. q. 15. plures congesti à Barbosa *in d. cap. ad extirpandas.* Hodie tamen contrarium censuit sacra Congregatio Cardinalium, referente Andrea Valense vbi suprà; vnde licèt iure Decretalium nepos admitteretur ad successionem in beneficio paterno; hodie tamen ab eo arcetur. Obstat etiam textus *in cap. inter cæteras 4. de rescriptis*, cuius interpretationem in eius notis adduxi.

CAPVT VLT.

Gregorius IX. [a] *Turon. Archiep.*

NImis in tua prouincia Ecclesiæ deformatur honestas ex eo, quod filij sacerdotum, & alij non legitimè nati, ad dignitates, & personatus, & alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promouentur. Quocirca mandamus, quatenus prædictis personis à personatibus & dignitatibus, & huiusmodi beneficiis prorsus amotis, ea personis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem ipsorum de iure noueris pertinere. Et ne id de cætero præsumatur, districtiùs inhibemus.

NOTÆ.

a *Turon.*] Nuello de Mattefellon, posteà Archiepiscopo Rhemensi. De Ecclesia Turonensi egi *in cap. ad aures, de temporibus ordin.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO PROBATVR AVCTORITATE ET RATIONE.

EX præsenti textu communiter deducitur talis assertio: *Filij illegitimi absque Pontificis dispensatione ad dignitatem, seu beneficium admitti non valent.* Probant eam textus *in can. de incestis 35. q. 3. cap. cùm in cunctis 7. de elect. cap. constitutus, el 2. de appellat.* Concil. Trident. *sess. 23. de reform. cap. 5.* ibi: *De ipsorum ordinandorum natalibus.* Gregorius XI. in bulla quæ incipit, *Etsi à sacris canonibus*, edita anno 1374. & alij congesti *in cap. 1. hoc tit.* Illustrant Suarez *de censuris disput. 50. sect. 5.* Duarenus *lib. 4. de sacris Ecclesiæ, cap. 5.* Petrus Gregorius *de beneficiis cap. 35.* Garcia *eod. tract. 1. p. cap. 5. num. 105. & p. 7. cap. 2.* Lotherius *eod. tract. lib. 2. q. 48. num. 192.* Valensis *eod. tract. lib. 1. tit. 18.* Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 54.* Ægidius *de priuileg. honest. art. 16. num. 23.* Solorzanus *tom. 2.* de iure Indiar. *cap. 20.* Faciunt Ivo Carnotensis *epist. 126.* Damberto Senonensi Archiepiscopo missa. *Certum tamen habeat amantissima vestra paternitas, quia iuramentum quod fecerunt clerici de non recipiendis vulgò natis in concanonicos, vel quibuslibet aliis de extranea familia genitis, me inconsulto fecerunt: sed quia non est meum filios mihi commissos in infamiam detrudere, ne periurium incurrerent, non solùm quod fecerant indulsi, sed etiam apud Dominum Papam pro eis intercessi, vt quod fecerant, approbaret, & decreti sui paginà roboraret.* Stephanus Tornacensis *epist. 99. ad Lucium III. Summum Pontificem*, ibi: *Et quoniam*, inquit, *in Regno Francorum aliquæ Ecclesiæ quadam scrupulosa nobilitate gloriosam, vt æstimant, sibi consuetudinem assumpserunt, ne aliqui, nisi ex licito complexu geniti promoueantur in eis, meritorum, & virtutis excellentiam origini postponentes, prædicto Cancellario superbè potiùs, quam superne titulum natiuitatis obiiciunt, ne vel ad eos accedat, vel inter eos ascendat. Eorum Pater legibus Romanæ Ecclesiæ non subditur, potens, si voluerit, vel eis derogare in partem, vel eas penitus abrogare: soluatur in eo, si placet, Apostolicâ manu vinculum, quod exclusâ virtute natiuitatem includit, vt in paucis Ecclesiis, quæ obseruant, priuilegium mereatur accipere, per quem in Palatio Regis multæ Ecclesiæ priuilegia consequuntur.* Nec ratione destituitur præsens assertio; nam cùm beneficium detur propter officium, *cap. cùm secundùm, de præbend.* & qui officium exercere non potest, beneficium retinere non valeat, *cap. ex litteris, de excessibus Prælat.* ideò illegitimi, qui ab ordinibus arcentur, ex suprà congestis *in cap. 1. hoc tit.* à beneficiis etiam, & dignitatibus remouentur: & cùm hæc prohibitio Concilij generalis sit, *dict. cap. litteras, hoc tit.* & Episcopus non possit dispensare in legibus generalibus Ecclesiæ, vt post alios nouissimè defendit Hurtado *tom. 2. de resid. resolut. 3. subnesol. 11.* ideò in hac prohibitione dispensare non potest, nisi tantùm quoad beneficia simplicia. Pontifex autem, qui est supra omne ius ecclesiasticum, *cap. proposuit, de conces. præb.* potest dispensare cum illegitimis quoad ordines recipiendos: sed cùm quælibet dispensatio sit stricti iuris, ideò dispensatus à Pontifice quoad beneficia, non est dispensatus quoad dignitates, vt docet Valensis *vbi suprà, num. 7.*

2. EXPONITVR CAP. 2. DE CORPORE VITIATIS.

Sed superiori assertioni primò vltra textus suprà expensos *in cap. 1. hoc tit.* opponitur textus *in cap. 2. de corpore vitiatis*, vbi asseritur Archiepiscopum Cantuariensem posse dispensare cum illegitimo vt in Episcopum eligeretur, & consecraretur: igitur illegitimi absque dispensatione Pontificis solummodo ex superioris licentia beneficia, & dignitates obtinere valent. Pro huius textus interpretatione asserendum est, Archiepiscopum Cantuariensem in eius specie dispensare, non propriâ auctoritate, sed ex delegatione Summi Pontificis, vt constat ex illis verbis: *Archiepiscopo dedimus in mandatis, vt pro eo quod canonici filius diceris, in promotione tua ex multa dispensatione procedat.* Vnde non tam ipsum, quàm R. Pontificem credimus cum eo dispensasse. Docet Petrus Greg. *de benef. cap. 35.*

3. INTELLIGITVR CAP. CVM OLIM, DE CLERICIS CONIVG.

Secundò aduersatur textus *in cap. cùm olim 6. de clericis coniug.* vbi proponitur filium Presbyteri in Episcopum Anglorienſem electum fuisse: Archiepiscopus Archerontinus agnouit in confirmatione electionis filium electum esse illegitimum: consuluit Innocentium III. qui rescripsit quod,

quod cùm ritu Græcorum pater eius vxorem retinuisset, ex eo quod Presbyteri filius erat, non debebat Episcopatu priuari. Ex quo textu apparet, filium illegitimum in Episcopum eligi posse: igitur non rectè asserimus, Presbyterorum filios à beneficiis, & dignitatibus ecclesiasticis arceri. Augescit magnopere hæc difficultas si animaduertamus, Ecclesiam Archerontinam esse in Regno Apuliæ in Calabria maiori, & per consequens in Ecclesia Latina, & sic iuxta Latinæ Ecclesiæ ritus, vbi sacerdotes nec ducere, nec retinere vxores valent, accipiendus textus *in dict. cap. cùm olim.* Cui difficultati vt satisfaciamus, sciendum est, apud Græcos, in Orientali videlicet Ecclesia, etiam post sacerdotium Presbyteros vxores proprias retinere, & filios ex eis legitimos procreari, *cap. quæsitum, 7. de pœnit. & remiss.* latè illustrabimus *in dict. cap. cùm olim.* Etiam supponendum est, morem hunc retinendi vxores non solùm apud Orientales viguisse, verùm & apud Occidentales quoque, in illis prouinciis, quæ ditioni Græcorum subiacebant. Vnde cùm pars illa Apuliæ, magna Græcia dicta, subiugata esset à Græcis, qui parte illa Calabriæ potiebantur, vt refert Leo Hostiensis *lib. 2. cap. 68.* & ex eo, & Gregorio VII. notauit Cironius *in parat. ad tit. de cleric. coniug.* Anglorien-sis diœcesis ad Orientalem Ecclesiam spectabat. Quibus suppositis apparet vera mens Pontificis *in dict. c.cùm olim*; ideò enim asserit, filium sacerdotis in Episcopum Anglorienſem electum, confirmandum esse, quia huiusmodi filius ex sacerdote Græco natus erat, & ea Apuliæ pars ritus Græcorum, quibus parebat, obseruabat.

TITVLVS XVIII.

De seruis non ordinandis, & eorum manumissione.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] Toletano.

[b] INSTRVENDI sunt laici præterea, vt sciant, quod nullatenus alio [c] loco manumittere possunt seruos proprios, quos Dominicis castris aggregare [d] decreuerunt, nisi in sacrosancta Ecclesia, ordine prænotato. Quomodo enim clerici extra [e] Ecclesiam libertatem consequi possunt, qui à lege mundana extranei sunt? Et quibus interdicitur, ne ad sæculare iudicium procedant, quomodo sæculari iudicio à iugo seruitutis absoluuntur? Fortasse dicet aliquis: Clericus fieri non permittitur, nisi ante susceptum clericatus officium, [f] ingenuitatis dignitate potiatur. Reuerà verum dicit, & ideo quod infirmari, vel vituperari potest, [g] præcaueri debet. [h] Non solùm autem, qui ad clericatus ordinem promouendi sunt, in Ecclesia manumittendi sunt, verùm etiam ij, quos quisque pro [i] remedio animæ suæ emancipari vult, quia sic scriptum est in [k] pacto Francorum.

NOTÆ.

1. a *Toletano.*] Ita concipitur huius textus inscriptio apud Iuonem *part.6.Decreti, c.129.* Burchardum *lib.2. Decreti, cap.29.in 1. collect. Decretal. cap.1.* sed mendosè, vt existimat Anton. August. *in notis ad primam collect. in dict. cap.1.* in nullo enim ex Conciliis Toletan. reperitur præsens canon; vnde vt falsò relatum ex Concilio Toletano, refert Loaysa in Concil.Tolet.1. Credo tamen canonem hunc esse Concilij Toletani, cuius acta, & canones iniuria temporum perierunt; alia enim Concilia Hispaniæ nostræ vltra collecta à D.Garsia à Loaysa ab historicis referuntur, vt Concilium Tolet. celebratum anno 253. quod refert Padilla *centur.3. cap.7.* aliud Morales *lib. 9. chron. cap.45.* Vnde licèt Concilium ipsum non habeamus, tamen præsens canon ad illud referendus est.

b *Instruendi sunt præterea laici.*] Omissis variis manumissionis formulis apud Romanos vsitatis, quas referunt Cuellar. *in tract. de manumiss.* Cabreros *de metu lib.1. cap.34.* Brissonius *lib.1. select. cap.11.* Fornerius *lib.1. select. cap.5.* Merillus *lib.3. obseru. cap.3.* Cuiacius *lib. 5. obseru. cap.13.* Osualdus *lib.2. comment. cap.12. & 15. littera F.* Reuardus *de authorit. prud. cap.7.* Gothofredus *in l.vnica, §. 5. Cod. de Latina libert.* sciendum est, olim in Hispania, Gallia, Longobardia, & aliis nationibus seruos manumissos fuisse, aut per denarium, aut in Ecclesia, aut per chartam. Per denarium manumittebantur serui hac formâ. Denarius apponebatur in manu serui manumittendi, quem Rex manum serui impellendo, & excutiendo iactabat: huius manumissionis mentio fit apud Petrum Pitheum *ad legem Salicam tit.28.* his verbis: *Seruum iuris vestri manu propriâ, & manu illius excutientes denarium secundùm legem Salicam, liberum* 2.

cum

cum omnibus quæ habet, vel acquiſierit, fecimus. Formulam integram manumiſſionis ex tabulario S. Martini Turonenſis refert Bignonius *ad Marculfum lib. 1. cap. 22.* in hæc verba: *Carolus Imperator Auguſtus, &c. Adalgarius Leuita petiit, vt imperiali more præceptum fieri iuberemus. Decernimus, vt more prædeceſſorum noſtrorum Imperatorum, & Regum à manu ipſius Leuthardi denarius excutiatur, vt à præſenti die idem Leuthardus ſemper, & vbique omnibus locis liberatus valeat vti propriâ poteſtate, abſque alicuius reluctatione, aut contradictione; & quocumque ei libuerit omnibus modis liber, & velut nobili proſapiâ genitus eſſet, liberaliter per noſtram auctoritatem pergat. Hanc præceptionem manu noſtrâ firmauimus, & annulo noſtri Imperij ſigillauimus. Amalbertus Notarius ad vicem Autberti Archicancellarij: data XV. Cal. Iullij anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXVI. indictione V. Imperij Caroli VII.* Aliam refert Lemaiſtre *de iurib. Epiſcop. lib. 3. cap. 8.* in hunc modum: *In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Ludouicus diuinâ fauente gratiâ Rex. Nouerint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet, & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis noſtri, quendam proprium ſeruum noſtrum Iohan nominatum, in præſentia fidelium noſtrorum per excuſſionem denarij de manu illius iuxta legem Salicam in eleemoſynam noſtram liberum dimiſimus, & ab omni iugo ſeruitutis abſoluimus; eius quoque abſolutionem hoc ſcripto firmauimus, quam in omni tempore firmam, inuiolabilemque manſuram eſſe volumus. Præcipientes ergo iubemus, vt ſicuti reliqui manumiſſi, qui per huiuſmodi titulum abſolutionis à Regibus, vel Imperatoribus noſcuntur eſſe relaxati ingenui; ita deinceps memoratus Iohan benè ingenuus, atque ſeruus exiſtat. Et vt iſta ingenuitatis pagina firma, ſtabiliſque conſiſtat, annulo noſtro eam conſignari iuſſimus. Ernuſtus Cancellarius, ad vicem Theotimari Archicapellani recognoui. Datum X I. Cal. Iunij, anno Incarnationis Domini DCCCCVI. indict. I X. anno Regni Domini Ludouici V I I. Actum in Rotuuilla feliciter. Amen.* A quo manumiſſionis ritu manumiſſi denariales dicebantur, & eorum illa conditio erat, vt quamuis liberos hæredes habere poſſint, ipſi verò, aut eorum liberi nullius hæreditatem capere valebant, vt cauetur in Capitularibus Caroli, & Ludouici *lib. 6. cap. 208. Homo denarialis, non antea hæreditare in ſua cognatione poterit, quàm vſque ad tertiam generationem perueniat.* Et *l. 2. titul. 34. lib. 2. legum Longobard. Homo denarialis non habeat hæreditatem in ſua generatione antequam vſque in tertiam generationem non perueniat.* Notat Bignonius *vbi ſuprà.*

3. De manvmissis in Ecclesia.

In Eccleſia manumittebantur ſerui per tabulam, aut chartam hoc modo: Dominus ſeruum manumittendum deferebat ad Eccleſiam, & ibi Epiſcopo, Sacerdoti, aut Archidiacono tradebat; ipſeque illum apprehendebat manu, & altari ſinebat. Tunc Dominus teſtes adiurans, Epiſcopum, Sacerdotem, Diaconum, & reliquos miniſtros manumiſſioni intereſſentes, ſeruum illum liberum eſſe pronunciabat, aut tabulâ libertatis traditâ, eum liberum eſſe aiebat. Cuius formam refert Bignonius *ad Marculfum cap. 23.* in hæc verba: *Ego Fulco Comes Andegauorum, & mea ſoror Ermengardis hunc fidelem noſtrum Benedictum, nobis vinculis ſeruitutis obnoxium ab omni debito ſeruilis conditionis, pro anima patris noſtri Fulconis, & pro remiſſione malefactorum noſtrorum abſoluimus, vt deinceps cum omni fructu ſuo licentia liberali donatus, in quamlibet mundi partem eat, neque cuiquam ſucceſſorum noſtrorum eum ab arbitrio ſuo reuocare liceat.* Et in veteri formula 56. apud ipſum Bignon. ita legitur: *Quod ſecundùm legem Romanam actum eſt, nullatenus reuocetur. Itaque ſub die illo, anno illo Regni Domini noſtri, illius Regis indictione illa, ille vir venerabilis, ille Diaconus teſtatur eis qui tabulis ſubſcriptis manumittere in Eccleſia illa, vindictaque liberare famulum illum ſuum bene ſibi meritum cupiunt, ſecundùm conſtitutionem bonæ memoriæ Conſtantini faciant, legiſque quâ dicitur, vt omnes qui ſub oculis Epiſcoporum, Preſbyterorum, ſeu Diaconorum in Eccleſia manumittuntur, ad ciuitatem pertinere Romanam, & ab Eccleſia defenſantur.* Si autem ore tantùm dominus ſeruum liberum eſſe pronunciabat, Diaconus, ſeu Archidiaconus libertatis chartam conſcribebat, & manumiſſo tradebat, vt paſſim legitur in legibus Vviſigothor. *lib. 5. tit. 7.* & Capitularibus Caroli *lib. 1.* quæ charta priùs recitabatur ſilentio indicto. D. Auguſt. *ſerm. 5.* ex 40. qui nuper prodierunt, ibi: *Seruum tuum manumittendo manuducis in Eccleſiam, fit ſilentium, libellus tuus recitatur, aut fit deſiderij tui proſecutio, dicis te ſeruum manumittere.* Et quia chartam manumiſſi accipiebant, chartularij dicebantur, de quibus intelligitur textus *in can. 20. Concilij Vvormat.* cui titulus eſt, *chartularius qui cum ancilla fornicatur, eam libertate donatam vxorem habere cogatur.* Notauit Cochier *in face hiſtor. cap. 96. pag. 147.* Peragebatur verò manumiſſio in Eccleſia inſuper habitis iniurioſis ſolennitatibus, quæ in manumiſſione vindictæ interuenire ſolebant: quare manumittendo alapa non impingebatur. Gregorius Nazianz. *orat. 3. de reſur. carn.* Seruus, inquit, *bono, & humano præconio atque edicto Eccleſiæ manumittitur, neque tamen alapis fœdè os eius cæditur, plagaque à plaga liberatur: neque quemadmodum in pompa fieri ſolet, in edito, atque ſublimi ſuggeſtu populo oſtentatur, à rubore & contumelia libertatem ſuam exorſus: ſed ita decorè & honeſtè dimittitur, vt notum eſt.* Ex his duobus manumiſſionum modis vſitatior fuit manumiſſio, quæ in Eccleſia fiebat: tum quia, & apud Gentiles in templo Feroniæ Deæ ſerui manumittebantur, vt teſtantur Plutarchus *in Publicola*, Titus Liuius *lib. 2.* tum quia ita manumiſſi ciuitatem Romanam, & plenam libertatem aſſequebantur ex Conſtantini conſtitutione relata *in l. 1. Cod. Theodoſ. de manumiſſis in Eccleſia, l. 1. Cod. de his qui in Eccleſia*; cuius meminerunt Nicephorus Calixtus *lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 16.* vbi de Conſtantino loquens ait: *Libertatem quoque Eccleſiæ lege lata conceſſit, & vt libertate ſacerdotibus teſtibus donati, ciuium Romanorum numero adſcriberentur.* Sozomenus *lib. 1. hiſtor. cap. 9.* Caſſiodorus *lib. 1. hiſt. tripart. cap. 9.* vbi de hac re tres Conſtantini leges refert. Alia apud Baronium videnda ſunt *anno 316. num. 73.* Ex qua conſtitutione, & formulis ſuprà relatis conſtat, manumiſſos in Eccleſia liberos manere, non libertate ſolùm Latinâ, ſed & Quiritiâ, & plenâ, de quibus B. Gregorius *lib. 5. epiſt. 12.* ait: *Vos non tantùm, atque Thomam, famulos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo adiutore deſeruimus, liberos ex hac die, ciueſque Romanos efficimus.* Et apud Gaium *lib. 1. Inſtit. tit. 1. de libertatibus ſeruorum*, §. 2. Verbum *in Eccleſia*, ex chriſtianis moribus irrepſiſſe notauit Samuel Petitus *ad ius Atticum lib. 3. cap. 234.* Ab hoc ergo

ergo nouo Romanorum iure, tam Gothi, quàm Franci manumissionem hanc in Ecclesia faciendam acceperunt, de qua, & eius solennitatibus agunt Guillelmus Fornerius *lib.1. select. cap.4.* Iustelus *in notis ad canones Ecclesiæ vniuers. pag.71.* Cuellar. *de manumiss.2. part. num.86.* I. Gothofredus *in dict.l.1. Cod. Theodos. de manumiss in Ecclesia*, Baldoinus, Binius, & alij Institutarij *in §. multis, Instit. de libertinis.*

4. De aliis manvmissionibvs.

His ita suppositis circa manumissionem eorum seruorum, qui in priuatorum potestate, & dominio erant, nunc agendum est de manumissione seruorum Ecclesiæ: & quia illis primis Ecclesiæ temporibus patrimonium Ecclesiarum prædiis, domibus, nauibus, & seruis constabat, & ex eis aliqui manumittebantur, vt clerici ordinarentur; Patres Concilij Tolet. certam formam præscripserunt seruandam in manumissione illorum, qui sacris ordinibus cooptandi erant, quam ex Concilio nostro referunt Iuo Carnotensis *1. parte Decreti, cap.133.* Burchardus *lib.2. Decreti, cap.32.* ibi: *De clericorum verò seruis est decretum, vt Archiepiscopi per singulas prouincias constituti nostram auctoritatem sequantur; suffraganei verò illorum exemplar penes se habeant, & quandocumque de familia Ecclesiæ aliquis vtilis inuentus ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, & omni Clero, ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remotâ qualibet calliditate, libertatem consequatur, & tunc demùm ad gradus ecclesiasticos promoueatur.* Eam admiserunt Galli, vt constat *ex lib.1. capitul.188.* quam manumissionis formam cùm Patres præscripsissent obseruandam in manumittendis seruis Ecclesiæ, statuerunt deinceps, vt laici instruerentur, vt seruos, quos castris Dominicis aggregare decreuerint, non per denarium, vel alium modum, sed in Ecclesia, iuxta supra præscritam formam, manumitterent, vt clerici fieri possent, & vt hoc statuerent, ni fallor, præsens canon editus fuit, quod & statutum reperio *in dict. lib.1. capitul. Caroli, & Ludouici*, in hæc verba: *De Ecclesiarum verò seruis communi sententiâ decretum est, vt Archiepiscopi per singulas prouincias constituti nostram auctoritatem; suffraganei verò illorum exemplar illius penes se habeant; & quandocumque de familia Ecclesiæ vtilis inuentus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis, ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remotâ qualibet calliditate libertaten consequatur, & tunc demùm ad gradus ecclesiasticos promoueatur. Similiter quoque de his agendum est, quos laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promoueri voluerint. Sed & de his, quos Præpositi Canonicorum, aut monachorum ordinandos expetierint, eadem forma seruanda est.*

c *In alio loco.*] Id est, non in iudicio, seu apud Principem, cum denarij iactatione.

5. d *Aggregari decreuerunt.*] In integra huius canonis contextura, & serie non agitur de seruis donatis, aut traditis Ecclesiæ, vt in dominio eius persisterent; sed de seruis donatis, aut traditis, vt clerici fierent, & sic Dominicis castris aggregabantur, vel pro redemptione peccatorum, vt liberi persisterent, & plenâ ingenuitate fruerentur, vel vt sacris ordinibus initiarentur. De his agitur in verbis suprà relatis: de primis in calce huius textus. In gratiam enim Ecclesiæ, vt clerici fierent, plerumque domini seruos manumittebant, præcipuè cùm serui adeò bonæ indolis erant, vt Ecclesiæ Antistites de illis in Clerum promouendis cogitarent; tunc enim eorum domini illis relaxabant vincula seruitutis, & manumittebant, vt soluti à laico manciparu in castra Dominica, & Christi familiam transirent; quam manumissionem non in alio loco, quàm in Ecclesia faciendam Ecclesiæ Patres statuerunt. Totum probat mirè charta quædam ingenuitatis continens manumissionem apud Vvatonem Diaconum, ex quo transcripsit Lemaistre *lib.3. de iurib. Ecclesiæ, cap.8.* his verbis: *Auctoritas ecclesiastica patenter admonet, insuper & potestas Regia canonicæ religioni adsensum præbet, vt quemcumque ad sacros ordines ex propria familia promouere Ecclesia quæque elegerit, in præsentia Sacerdotum, Canonicorum simul, & nobilium laicorum, & eius, cui subiectus est, manumissio sub libertatis testamento solenniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Engildruda quondam meum famulum nomine Sigimarum sacris ordinibus dignum in præsentia nobilium virorum, liberum ab omni vinculo seruitutis dimitto.* Eam etiam refert Fornerius *lib.1. select. cap.4.* ex qua formula manifestè constat, olim manumitti seruos in Ecclesia iuxta electionem Episcopi, & votum ipsius domini, vt clerici fierent.

e *Extra Ecclesiam.*] Per manumissionem denarialem, videlicet coram Rege. 6.

f *Ingenuitatis.*] Sed quomodo ingenuitatem consequitur libertus, qui natalibus à Principe non est restitutus? Sed duplici modo responderi potest. Primò manumissos in Ecclesia ex constitutione Constantini ingenuitatem consequi, vt ex Nicephoro suprà retuli. Secundò Barbaris vndique Hispaniam, & Galliam occupantibus, libertinitatis, & ingenuitatis iura ab vsu recessisse, & solam manumittentis voluntatem attendi; vnde libertas ab illis ingenuitas appellabatur, & charta libertatis, ingenuitatis charta dicitur in Concilio Aurelian.4. *can.9.* ibi: *Si de seruis Ecclesiæ libertos fecerit Episcopus, in ingenuitate permaneant.* In pluribus legibus etiam Vvisigothorum, & Capitularibus Francorum congestis à Lindembrogio in Glossario, *verbo Charta libertatis.* Nec necessarium est nostrum textum referre ad nouellam nouam Iustiniani, cuius tempora adepti non fuerunt Patres nostri Concilij Toletani. Etiam responderi potest, ingenuitatem hîc accipi pro libertate tantùm, vt *in l.homo 21.ff. de statu hominum, l.cum pacto 40.ff. de liberali causa, l.vlt. C. de patria potest.* Notarunt Goueanus *lib.1. variar. c.37.* Osualdus *lib.2. Donelli, c.10. littera B.*

g *Præcaueri debet.*] Id est vt ante manumissionem, nec clericus, nec sacerdos ordinetur. Temporibus enim huius Concilij spe tantùm, quia serui dati erant, vt manumitterentur, clerici fiebant, vt liquet *ex cap.2.* ibi: *Deinceps, hoc tit.* 7.

h *Non solùm autem.*] Hæc verba, quæ ab Antonio Augustino superioribus annectuntur, & coniunguntur, tanquam ex diuerso canone referuntur à Carnotensi *part.6. Decreti, cap.130.* Burchardo *lib.2. Decreti, cap.29.* Loaysa *in Concilio Tolet.1. pag.57.* 8.

i *Pro remedio animæ suæ.*] Salutis æternæ studio incumbentes antiqui Ecclesiæ fideles, seruos suos manumittebant pro remedio animæ suæ, id est pro redemptione peccatorum suorum, vt ex veteribus manumissionum formulis facilè constat. Marculfus *lib.2. form. cap.32. & 33.* eam refert: *Dilecto suo illi, aut illi. Pro respectu fidei, ac seruitutis, quam mihi famularis pro remissione peccatorum meorum, te ab omni vinculo seruitutis absoluo.* Aliam 9.

refert

refert Incertus author *cap.* 13. *Dum omnipotens Deus nos præcipit in hoc sæculo sanum corpus habere, oportet nobis pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debere, & aliquantulum de peccatis nostris minuendis: vt in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur, seruum iuris mei nomine illum relaxaui ingenuum, ea verò ratione, vt à die præsente sis benè ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus.* Aliam tradit Loaysa *vbi suprà, pag.* 57. & aliam ex saxo Aureliæ ad templi portam inciso Fornerius *lib.* 1. *select. cap.* 4.

10. k *In pacto Francorum.*] Id est in iure, & eorum lege; plerumque enim lex dicitur pactum, & pactum lex, *l. iuris gentium* 7. §. *quinimò, ff. de pactis, l. hanc legem* 22. *l. comprehensum* 60. *ff. de contrahend. empt. l.* 3. *l. final. de lege commissoria.* Brissonius *de v. s. verbo Lex.* Huius legis Francorum verba existimo reperiri *in tit.* 54. *legum Ripuariorum*, ibi: *Hoc etiam iubemus, vt qualiscumque Francus, Ripuarius, seu Tabularius, seruum suum pro animæ suæ remedio, seu pro pretio secundùm legem Romanam liberare voluerit, vt in Ecclesia coram Presbyteris, Diaconibus, seu cuncto Clero, & plebe in manu Episcopi seruum cum tabulis tradat, & Episcopus Archidiaconum iubeat, vt & tabulas secundùm legem Romanam, quâ Ecclesia viuit, & scribere faciat, & tam ipse, quàm omnis procreatio eius liberi permaneant, & sub tuitione Ecclesiæ consistant, vel omnem redditum status, aut seruitium tabularij eorum reddant. Et nullus tabularius denarium ante Regem præsumat iactare. Quod si fecerit, CC. solid. culp. iud. & nihilominus ipse tabularius, & procreatio eius tabularij persistant, & omnes reditus status eorum ad Ecclesiam redeant, & non aliubi, nisi ad Ecclesiam, vbi relaxati sunt, malum teneant. Quod si quis tabularium, seu ecclesiasticum hominem contra Episcopum defensare voluerit, LX. solid. culp. iud. & insuper hominem cum omnibus rebus suæ Ecclesiæ restituat, quia inolitum ducimus, quod Ecclesiis concessimus, iterum ab Ecclesiis reuocare.* Ex hac autem manumissione ita in Ecclesia facta liberti remanebant sub patrocinio, & tuitione Ecclesiæ, magnaque priuilegia assequebantur, quæ referunt Lemaistre *lib.* 2. *de iurib. Episcop. cap.* 3. 8. & 9. Bignonius *vbi suprà*: vnde Orientalis Ecclesia decreuit, vt manumissiones in Ecclesia fierent eo more, quo in Italia celebrabantur, *can.* 64. *Ecclesiæ Africanæ*, ibi: *De manumissionibus, vt in Ecclesia celebrentur, ab Ecclesia poscendum.* Non tamen in omnibus Ecclesiis manumissiones celebrari poterant, sed vbi esset Episcopus, aut sacerdos: quare in monasteriis fieri non poterant. Vnde Gregorius Magnus *lib.* 2. *regestri, epist.* 24. *indict.* 10. concedit cuidam monasterio priuilegium, vt in eius Ecclesia serui manumitti possint, his verbis: *Manumissiones apud te in eadem Ecclesia solenniter celebrari concedimus.*

CAPVT II.

Ex eodem [a] *Concilio.*

DE seruorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscretè [b] promouentur, placuit omnibus cum sacris [c] canonibus concordare. Statutum est, vt nullus Episcoporum deinceps aliquos ad sacros ordines promouere præsumat, nisi priùs à dominis propriis libertatem consecuti fuerint; & si quilibet seruus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis, vel corruptis, aut qualibet calliditate, vel fraude ad gradus ecclesiasticos peruenerit, decretum est, vt deponatur, & dominus eius eum [d] recipiat. Si verò auus, vel pater ab alia patria in aliam migrans in eadem prouincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & vtrum seruus sit, [e] ignotum sit, & postea veniens dominus illius, [f] legibus eum acquisierit, sancitum est, vt si dominus eius libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat: si verò eum catena seruitutis à castris Dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat, quia iuxta sacros [g] canones vilis persona permanens sacerdotij dignitate fungi non potest.

NOTÆ.

1. a *Ex eodem Concilio.*] Videlicet Toletano, ex quo præsentem textum referunt Burchardus *lib.* 2. *Decreti, cap.* 31. Iuo Carnotensis *part.* 6. *decreti, cap.* 132. Anton. Augustin. *in* 1. *collect. sub hoc tit. cap.* 1. Gratianus *in cap. de seruorum,* 54. *dist.* Concilium Lateran. sub Alex. III. *part.* 50. *cap.* 56. Loaysa in Concilio Toletano 1. *can.* 58. sed in vllo ex Conciliis Toletanis hucusque editis hæc verba referuntur: reperiuntur tamen in Capitul. Caroli Magni, *lib.* 1. *capitul.* 88. & in superioris textus notis retuli: quare aut textus iste transcriptus est *ex dict. capitul.* 88. aut ex aliquo Concilio Toletano nondum excuso.

b *Promouentur.*] Nota ex his verbis temporibus Concilij Toletani 1. seruos adhuc non manumissos, spe tantùm manumissionis ad ordines promotos fuisse; quod & in superiori textu obseruaui.

c *Sacris canonibus.*] Videlicet *can.* 82. *Apostol. Serui in Clerum non ordinentur.* Et *can.* 1. Synodi apud Melfiam: *Cauendum est, ne homines seruilis conditionis promoueantur in Clerum.* Et aliis in confirmationem conclusionis adducendis.

d *Eum recipiat.*] Quia per fugam serui dominus non priuatur dominio, neque possessione serui interim dum ab alio non possidetur, *l. serui* 17. §. *final. ff. de furtis,* Giphanius *in l.* 1. §. 14. *ff. de acquir. possess.* Valentia *tom.* 1. *illustrium, tract.* 2. *cap.* 10. In hac tamen specie iure ciuili Romanorum seruus puniendus erat, quia non solùm fugam fecit, verùm & pro libero se gessit, *l.* 2. *ff. de seruis fugitiuis:* in qua parte de fugitiuis seruis obseruandi sunt textus *in l. quæro, l. mora, ff. de verb. obl. l. si libertus, ff. de operis libert. l. arboribus* 12. §. *de illo, vers. Idem, ff. de vsufruct. l. si seruum* 15. *ff. de publiciana, l. Iulianus* 13. §. 1. *ff. de actionibus empti, l. vt tantùm* 14. §. *vlt. ff. de seruo corrupto, l.* 2. *Cod. de petit. hæreditatis,* 2.

l.3. §.sed si homini, ff.de alienatione iudicij, l.4. §.1. ff.de aqua pluuia, l.1.§ vlt. ff.quæ res pignori, Paulus *lib.1.sentent. tit.de seruis fugitiuis*, Papinianus *apud Rufinum in collat. legum Mosaicar. tit.7. de seruis fugitiuis inquirendis, l.seruus 82.ff.de legat.3. l.qui hominem 34.§.& cùm 5. l.fugitiuus 15.ff. de solutionibus, l.1. Cod. de dilat. l.4. §.si quis fugitiuum, ff.de doli except. l.17. §.illud, l.53. §.1. l.ancilla 62. ff.de furtis, l.22.§.fugitiuus, ff.mandati, l.10. 11. & 12. ff. de liberali causa*, iuncto Cuiacio *lib.22. obseru. cap.30. & lib.27.cap.28.* Reuardo *lib.5.variar.c.20.* & de eis agemus *in cap.4.de rerum permut.*

3. e *Ignotum sit.*] Quo casu omnia ab eo gesta vires habent, iuxta legem *Barbarius, ff. de officio Prætor.* & ibi tradita à Iacobo Gothofredo, & Maqueda. Caldeira *lib.2. variar. cap.7.* Roberto *lib.1. animad.cap.18.* Madera *animadu.cap.6.* Salmasio *ad ius Atticum cap.14.* Costano *quæst.iuris cap.11.* Heraldo *lib.vnico emendat. cap.4.* Amaya *in l.2. Cod. si seruus aut libertus, lib.10.* Bronchorst. *centuria 1. assertione 7.* Pancirola *lib.2.variar. cap.13.* Vuisembac. *disput.17.thesi 20.* Perezio *ad tit.Cod.de testam.* notaui *in cap.dudum, de elect.*

4. f *Legibus eum acquisierit.*] Non Romanis; nam iure ciuili Romanorum filius natus ex seruo meo non est in mea potestate, sed liber, si mater erat libera; si verò ancilla, in dominio eius, cuius mater erat, *l.& seruorum 5.§.1. l.lex 24.ff.de statu hominum*, §. *serui, Instit. de iure person.* dicemus latè *in cap.finali, hoc tit.* Legibus ergo Vuisigothorum filius fugitiuus sequebatur conditionem patris, & dominus non solùm patrem fugitiuum, verùm & filium vindicare poterat, *l.16. tit.1. lib.9. legum Vuisigothor. Quia sæpè dum serui dominos suos fugiunt, mentientes se esse ingenuos, mulieribus ingenuis contra legum decreta in coniugio copulantur; ideò huius legis valitura promulgatione decreuimus, vt si quis seruus in fuga positus, vel quibuscunque modis de iure domini sui euagans, ad quemlibet peruenerit, vtrum ingenuum se esse dicat, aut fortasse non dicat, & sub hac occasione ingenuæ mulieri petierit copulari, quidquid de tam inhonesta coniunctione fuerit procreatum, conditionem patris sequatur, vt dum eius dominus aduenerit, non solùm eundem fugitiuum, sed & filios exinde progenitos, omneque eorum peculium suo debeat vindicare dominio.* Vnde noster textus referendus est ad leges patrias Gothorum, non verò ad ius commune.

g *Sacros canones.*] Concilium Triburiense *can.29. Quia non debet vilis persona fungi sacerdotij dignitate.* Et *cap.multos 23. 54. dist.*

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR. Ex his duobus canonibus sequens deducitur assertio: *Serui ante plenam manumissionem ordinari non debent, & fraudulenter ordinati, ignorantibus dominis & Episcopo, deponuntur, & dominis restituuntur.* Probant eam textus *in can.81. Apost. cap. non sidat, 50. dist. cap.1. vers. Vel seruilis, cap. vlt. vers. Qui seruili, 51. dist.cap. nulli, cap.de seruorum, cap.si quis obligatus, cap.de rebus, in fine, cap.ex antiquis, cap.frequens, dist.55.c.qui verò, §.neminem 16. q.1. cap.1. in fine, de filiis presbyteror. cap. de famulis 3.c.eo libentiùs, hoc tit.cap. per venerabilem, vers. Præterea, qui filij sint legitimi.* Synodus apud Melfiam sub Vrbano II.*c.1.Cauendum est, ne homines seruilis conditionis promoueantur in Clerum.* Concilium Aurelian.3.can.25.*Vt nullus seruilibus, colonariisque conditionibus obligatus, iuxta statuta Sedis Apostolicæ ad honores ecclesiasticos admittatur.* Triburiense *c.29.* Bituricense *cap.11. Ne Episcopus seruos ordinet.* Lateran.3. sub Alexandro III. *part. vlt. cap.56.* Sexta Synodus *can.83.* Vvormatiensis *cap.40.* Chalced. *act.4.* Rhemensis *can.45.* Tolet.3. *can.8.* Tolet.4. *can.47. Ingenui clerici, quia serui esse non possunt.* Illiberit. *can.80.* Leo Pontifex *in epist. cap.1. authent. si seruus, C.de Episcopis, & clericis, nouella 9. Leonis, 115. Iuliani, l.18.tit.6.part.1.l.6.tit.22.partita 4. lib.5.c.10. Legum Aleman.lib.1.cap.88.capitul. Caroli Magni.* Alia iuris testimonia congerunt Anton. August. *in epit. lib. 27. tit.19.* Crespetius *in summa, verbo Seruus*, Balsamon *in Nomocan. tit.11. cap.3.* Vighellius *in meth.iuris Pontif. pag.239.* Illustrant vltra congestos à Cenedo *ad Decretum collect.61.* Barbosa *in præsenti, & de potest. Episcop. allegat.10. n.45.* Acuña & Dartis *in 54. dist.* Turrianus *pro canonibus Apost. cap.13.* Petrus Gregorius *lib.4.partit. tit.22. cap.3.* Lantdmeter. *lib.2. de veteri monach. cap.15.* Mendoza *lib.3.Concilij Illiberit.c.83.* Espenceus *lib.2.digress. cap.18.* P.Faber *lib.3. Agonisticon, cap.17.* Lindembrogius *in Glossario legum antiquar. verbo Serui ad sacros*, Zerda *in aduers.cap.134.* Bosquetus *ad Innocent. lib.3.epist.7.* Souchetus *ad epist. Iuonis, epist.14. 132. & 147.* Sirmundus *in notis ad capitul. Caroli, in fine*, Fornerius *lib.6. rerum quotid. c.30.* Sausay *in Panopl.cleric.p.1.lib.1.c.10.& pag.671.* Vvadingus *in notis ad opera D. Francisci, tom.2. pag.236.* Baronius *anno 64. n.40.* Gibalinus *de irregul.c.3.q.5.* Leo Pinellus *in d.c.per venerabilem.*

6. RATIO DVBITANDI. Sed pro dubitandi ratione aduersùs hanc assertionem ita illustratam intendam probare, eam non solùm iuri diuino, verùm & ciuili, & canonico contrariam esse; & probo *ex c.23. Deuteron.* vbi cauetur, vtsi seruus fugerit à domino suo, & ad Israëliticam professionem conuertatur, etiam renuente domino suscipiatur. Et in lege gratiæ expressè disponitur, tam liberos, quàm seruos homines ad Sacramenta Ecclesiæ admitti, nec circa sacramenta dari aliquam acceptionem personarum. Ex quo Apostoli testimonio deducit Pontifex *in c.1.de coniug.seruorum*, seruos inuitis dominis posse matrimonium contrahere: igitur similiter & ad sacros ordines ascendere valent, cùm valeat argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, *c.cum inter, de translat.Episcop.* Iuri etiam ciuili Romanorum prædictam conclusionem aduersari probatur ex eo; nam licèt ius ciuile adeò seruos neglexisset, vt inter quadrupedes enumerasset, *princip. Instit.de lege Aquilia*; in his tamen, quæ ad sacra, & religionem spectant, vt liberos homines agnoscit: vnde licèt nulla actio ex ciuili causa contra eos detur, *l.cum seruo, ff. de reg. iuris*; tamen actio sepulchri violati, quia ad religionem pertinebat, in eas datur, *l.ait Prætor, §.final.ff.de sepulchro violato*; & illis custodia templorum, & monumentorum plerumque commendabatur, *l.Mœuia 44.ff.de manumiss. testam. l.libertis 18. §.cibaria, ff. de alimentis legatis, l.Titio centum, §.Titio, ff.de condit.& demonstrat. l.seruos 35.ff.de liberali causa*; siue vt templa custodirent, vt exponunt Fornerius *lib.3.rerum quotid.c.19.* Barthius *lib.10.aduers.c.10.* Amaya *lib.1. obseru.c.6.* vel vt rosas certis temporibus spargerent, vt exponit Tamayo de Salazar *tom.2.martyr. die 17.Martij.* & in templo Herthi tantùm serui ad sacrificandum admittebãtur, vt ex Tacito refert Elias Schedius *de Diis Germ.c.9.pag.151.* Iuri etiã ecclesiastico repugnare præsentem assertionem suadetur ex eo, nã nullâ præcedente iustâ manumissione seruos Ecclesiæ ab Episcopo ordinari constat ex Concil.Tol.9.*can.* 11.relato *in c.qui ex familiis, 50.dist.* Concil.Emerit. *can.18.*

can. 18. licèt enim Episcopi seruos Ecclesiæ manumittere possint adhibitâ solennitate: quæ præscribitur in alienatione rerum Ecclesiæ; tamen eos sacris ordinibus initiando sine solennitate manumittere possunt: igitur serui absque manumissione ordinari valent. Secundò ea pars assertionis, vbi docetur seruos per dolum & calliditatem ignorantibus dominis ordinatos, deponi debere, & pristinis dominis restitui, difficilis videtur ex eo; nam quælibet rès ignorante domino consecrata, ipsi eam repetenti non redditur, *cap. comperimus* 14. *quæst. vlt.* cum vulgatis: igitur similiter seruus alienus consecratus ignorante domino illi restitui non debet.

7. DE SERVORVM ORDINATIONE.

His difficultatibus minimè obstantibus, vera est præsens decisio, & omni iuri, & rationi consona, atque disciplinæ ecclesiasticæ consentanea. Iam enim à temporibus SS. Apost. apud omnes prohibitum reperitur, ne serui, nisi præmissâ libertate, sacris initientur ordinibus. In nostra Hispania iam id prohibitum fuisse constat ex Concilio Illiberit. Emeritensi, & Toletanis suprà adductis. In Ecclesia Orientali id vetitum fuisse, probatur ex adductis a Balsamone *in Nomocan. dict. tit.* 11. & *ex can.* 83. *sextæ Synodi.* In Ecclesia Gallicana probatur ex Concilio Aurelian. Rhemensi, & Pictauiensi. In Italia ex dicto Concil. Lateran. & aliis suprà relatis. Sed quia in his Conciliorum canonibus, & Pontificum decretis varij proponuntur casus circa ordinandos seruos, vel non, inuitis, aut ignorantibus dominis, eos breuiter, & sigillatim antequam ad rationem nostræ conclusionis perueniamus, percurramus. Primus casus contingit, cùm seruus ordinatur præsente, & consentiente domino suo, & tunc ritè ordinatur, quia dominus sinendo eum castris dominicis aggregari, manumisisse censetur, *cap. si seruus* 20. 54. *dist. authent. si seruus, Cod. de Episcop. & cleric.* argumento textus *in l. sicut* 48. *ff. de operis libert. l.* 3. §. 7. *Cod. eod. tit. l.* 2. §. 1. *ff. ad municip.* vt etiam apud Romanos tacitè libertas seruo data censebatur, si dominus eum sciens, prudensque admitti sinebat ad actum, qui à liberis hominibus tantùm celebrari poterat. Caius *lib.* 1. *Instit. tit.* 1. §. 2. Papinianus *respons. tit.* 43. vnde seruus à domino adoptatus, quia nisi liber adoptari non valebat, Latinam consequebatur libertatem, §. *finali, Instit. de adopt. l. vnica,* §. 10. *Cod. de Latina libert.* vel si domini voluntate seruus mensæ suæ accubuisset, quo casu etiam libertatem Latinam assequebatur. Tertullianus *lib. de resurrect.* ibi: *Atque & vestis alba nitore, & annuli honore, & patroni nomine, Tribu, mensaque honoratur.* Cùm proprium esset seruorum dominis conuiuantibus ministrare, quem casum, seu modum assequendi libertatem, pro expositione Concilij Tolet. 12. *can.* 3. illustrauimus *in c. ad reprimendum* 8. *de offic. ordin.* etiam dominus seruo suo bullam prætextatam imponendo, ancillam matronali veste ornando, libertatem præstabat, vt probat Merillus *lib. obs. cap.* 14. si domini iussu tabulas testamenti signauit, hoc est, vt testis adhibitus fuit; quia cùm alij, quàm liberi in testimonium non vocarentur, Atteius Capito apud Macrobium *lib.* 7. *cap.* 13. *l.* 7. *ff. de testibus, l.* 12. *Cod. eod. tit. nouella* 9. *cap.* 6. *nouella Leonis* 49. ex voluntate domini in libertate morabatur. Quintilianus *declamat.* 330. & 442. si ancilla habitu matronæ incedat, vel seruus togam sumpserit. Quint. *declamat.* 342. *An verò maius in hoc putamus esse momentum, vt circumuerteres mancipium, aut si vna voce liberum esse iusseris, quàm si habitum dederis, stolam dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contingit.* Apertiùs Suetonius *de claris Rhetoribus*, his verbis: *Venalitij cùm Brundusij gregem venalium è naui educerent, formoso, & pretioso puero, quod portitores verebantur, bullam & prætextam togam imposuere, facilè fallaciam celarunt: Romam venitur, res cognita est; petitur puer, quòd domini libertate fuerit liber in libertatem.* Si seruus, vel ancilla domino sciente matrimonium contraxerit, *l. vnica*, §. 1. *Cod. de Latina libert.* Si in numeros militiæ referatur, *l.* 3. §. 6. *Cod. de bonis libert. iuncta l.* 6. & 7. *Cod. qui militare possunt, lib.* 12. Si seruus volente domino vt arbiter electus sit. Quintil. *dict. declamat.* 342. *Iudex inter duos conuenerit, & sententiam tulerit volente domino, liberum esse voluit.* Item si dominus ancillam in concubinatu admiserit, *l. finali, ff. de diuortiis, l.* 121. §. 1. *ff. de verb. obl. l. finali, Cod. communia de manumiss.* Paulus *lib.* 2. *sentent. tit.* 20. Probant Schifordeg. *lib.* 3. *tract.* 25. *quæst.* 2. Donellus *in dict. l.* 121. Othomanus *de v. s. verbo Concubina*, Arias de Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 38. Ita & sinendo ipsum sacris vestibus sacerdotalibus decorari, & ad sacrificandum in altari adhiberi, manumisisse præsumitur, *nouella* 123. *Iuliani, cap.* 26. Secundus proponitur casus, cùm seruus sciente domino, sed renuente, ordinatus est; quo casu si dominus intra annum non repetierit, liber, & clericus manet, *dict. cap. si seruus, nouella Leonis* 10. *l.* 6. *tit.* 2. *part.* 4. sed si dominus velit eum repetere, deponendus est, & domino restituendus, *cap. ex antiquis, cap. quis aut leges,* 54. *dist.*

Tertius casus euenit cùm domino ignorante, & absente seruus ordinatur; & tunc si tantùm minoribus ordinibus initietur, domino traditur, *cap. de seruorum* 6. 54. *dist.* si verò maioribus, distinguendum est, vtrum Episcopus ignarus eius conditionis, an verò sciens illum ordinauerit. Si ignorans fecit, tenetur ordinatus per se vicarium, id est alium seruum eiusdem valoris domino tradere; non autem æstimatur iuxta pecuniariam æstimationem, sed iuxta corporis magnitudinem, vt in veteri charta Alemanica legitur, *tom.* 2. *antiquit. p.* 1. *Si Hacco, qui est in concambio cum Vuichardo, se redimere vult, det aliud mancipium XI. manuum longum.* Refert Lemaistre *lib.* 3. *de iuribus Ecclesiæ, c.* 4. Si autem sciens Episcopus eum ordinauerit, tenetur præstare duos seruos; vel Ecclesiæ, si seruus Ecclesiæ ordinatus erat; vel domino, si in priuati dominio erat, *c. si seruus* 19. 54. *dist. c. si Episcopus* 12. *q.* 2. *c. per venerabilem, qui filij sint legitimi:* quo casu exaudiendus est textus *in c.* 2. *de regul. in integra:* & per anni spatium Missas dicere non valet: Concilium Aurelian. 2. *can.* 25. Petrus Greg. *lib.* 13. *de repub. c.* 16. Et licèt cùm Episcopus rem, vel seruum Ecclesiæ sine solennitate alienauit, teneatur tantundem reddere, *cap. si quis qualibet, c. Episcopus qui mancipium, cap. de libertis* 63. *cum sequenti* 12. *q.* 2. & consecrando alienam rem, teneatur eius æstimationem tantùm domino soluere, *c. comperimus* 14. *q. vlt.* tamen pro seruo ordinato duos præstat proprio domino: cuius discriminis rationem ex eo deducit Turriscremata *in d. c. si Episcopus*, quia in casu ordinationis serui alieni, priuat dominum serui dominio, & iurepatronatus, quem post manumissionem dominus retinere debebat; quare Episcopus duos seruos præstat, vnum pro dominio serui, alium pro iurepatronatus. Sed hac omissâ discriminis ratione, placet illa communis, quæ à Vespertinis Antecessoribus communiter affertur, videlicet in pœnam tam improbæ ordinationis

8. PROSEQVITVR ALIVS CASVS.

statutum

statutum fuisse, vt duos seruos domino redderet: sed si non habet Episcopus seruos, quos reddat, eorum æstimationem soluere cogitur ex nostro textu. Vnde in hac parte notandum est discrimen quod versatur inter vtrumque ius; nam iure ciuili res aliena inscio, vel ignorante domino non potest consecrari, *l. sacra 9. §. 1. ff. de rerum diuis. l. ab agnato 12. ff. de curatore furiosi, l. 3. ff. de litigiosis:* quia cùm per consecrationem eximatur ab vsu, & commercio priuato, *l. verum 63. in fine, ff. pro socio, l. sponsus 5. §. proinde 12. ff. de donat. inter*, Cuiacius *lib. 9. respons. Papin. in l. seruos 35. ff. de liberali causa*; consequens est, vt non possit domino auferri sine eius voluntate. Docet Donellus *lib. 4. comment. cap. 1.* Iure autem canonico aliud obseruatur, quia licèt res aliena consecretur inuito domino, manet tamen consecrata, nec ampliùs vsibus humanis potest deseruire, *cap. comperimus 2. 14. quæst. 6.* regula *Semel, de regulis iuris in 6.*

9. TRADITVR RATIO ASSERTIONIS.

His animaduersis ratio præsentis prohibitionis, ne videlicet seruus ante plenam manumissionem ordinentur, ea redditur à sanctis Patribus, ne videlicet vilescat clericalis ordo, si serui adhuc mancipati dominorum seruitio, sacris altaris ministeriis associentur; diuini enim ministerij dignitas seruilis conditionis vilitate dedecorari non debet, *cap. quicumque, in fine, cap. generalis, 54. dist. lib. 1. Capitular. capitul. 82.* Quæ ratio illustratur ex sequentibus. Primò ex Philosopho *lib. 7. polit. cap. 9.* vbi vetat, ne ad sacerdotium viles personæ admittantur; quod & priscâ Romuli lege cautum fuisse refert Halicarnasseus *lib. 2.* & apud ipsos Romanos virgo Vestalis capi non poterat, cuius parentes, alter, ambóve in seruitute essent. Refert Gellius *lib. 1. noctium, cap. 12.* & in insula Coo, vbi Iunonis sacra fiebant, seruis nec templum ingredi permittebatur, vt refert Athenæus *lib. 6. &* 14. ex Dynosophista, vt ex eo tradit Fornerius *lib. 6. rerum. quotid. cap. 30.* Ob eandem etiam vilitatis rationem apud Romanos ab omni prorsus dignitate, & officio serui arcebantur, nec ad stratoris munus admittebantur, *l. obseruare 4. ff. de officio Proconsulis*, iuncto Goueano *lib. 1. variar. cap. 42.* nec inter athletas ad ludos gymnasticos admittebantur, vt probat P. Faber *lib. 3. agon. cap. 17.* plura doctus noster D. Franciscus de Amaya *in l. 1. Cod. si libertus:* nec orabant, nec testimonij dictionem habebant: Terentius *in Phorm. actu 2. scena 1.* nec capaces erant offerendæ precis, *l. 1. Cod. de precib. Imper.* personam legibus non habebant, vt ait Cassiodorus *lib. 6. variar. cap. 8.* immò & seruos, non homines, sed corpora veteres dicebant, vt notauit Hiernoymus Magius *liu. 1. miscell. cap. 12.* & adeò inter quadrupedes eos Romani enumerabant, vt cùm hominum proprium sit ali, animalium verò pasci, vt probat Cuiacius *in l. super creandis, Cod. de iure fisci*, cùm de seruis Consulti agunt, non eos ali, sed pasci dicunt, *l. pro hærede 20. §. 1. ff. de acquir. hæredit. l. sed si vir 31. §. finali, ff. de donat. inter*: & ita quoad ius ciuile serui personam non habent, *l. quod attinet, ff. de reg. iur.* etsi in contrarium expendi soleant textus *in l. 21. §. 1. ff. ad leg. Falcid. l. vlt. Cod. de vsufructu.* Rectè ergo Ecclesia seruos, quos Gentiles ita abiectos censebant, vt ab officiis, & honoribus eos arcerent, nec pro personis quoad iuris effectus habebant, à clericatus honore, & gradibus ecclesiasticis remouet. Secundò illustratur præsens decisiua ratio ex eo, nam valet argumentum de militia terrestri ad cœlestem, *cap. 1.* vbi notaui, *de renunc.* sed serui arcentur ab omni militia terrestri, *l. ab omni, l. qui status 8. ff. de re milit. l. quædam 14. ff. de pœnis, l. 2. & 3. Cod. qui milit. possunt, lib. 11.* Plinius *lib. 10. epist. 30. & 31.* Alex. ab Alex. *lib. 6. dierum gen. cap. 21.* vbi Tiraquellus, Iustus Lipsius *de militia Romana lib. 1. dialog. 2.* docent Steubechius *in notis ad Vegetium de re militari, lib. 1. cap. 7.* Olanus *lib. 2. Paralip. cap. 12.* Salmut. *ad Pancirol. tom. 1. memorab. tit. 61. in fine*, Leo *de bellico apparatu cap. 19. num. 8.* facit Virgilius *lib. 9. Æneidos.*

—— Quem serua Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Troiam miserat armis.

In qua parte obseruandi sunt textus *in l. 3. §. seruus, Cod. de bonis libert. l. finali, Cod. de libertis*, vbi plura Amaya, *l. si militi 6. ff. de castrensi, l. argentarium 44. §. vlt. ff. de iudiciis, l. qui de libertate 29. ff. de liberali causa, l. eos qui 27. §. vlt. ff. ad legem Corn. de falsis, l. 2. Cod. de tyronibus, lib. 12. l. 8. & 16. eod. tit. in Theodos.* vbi Gothofredus *l. 1. eod. Codice*, quid peculiare debeat ad militiam venire exponit, *l. 3. §. si seruus*, iuncto Gothofredo *ibi, de acquir. possess. l. 3. ff. de officio Præfect. vigil.* Vlpianus *in fragment. tit. de Latinis, §. militia, l. 4. Cod. de Præpositis sacri cubiculi, lib. 12. l. si quis 6. §. sed si quis, ff. de iniusto rupto, l. cùm hic status 32. §. si miles, de donat. inter:* igitur si à militia terrestri serui arcentur, etiam à cœlesti iustè remouentur. Facit & illa ratio iustitiæ, quæ repugnat ordinationi seruorum. Nam vel debent serui ordinati extrahi à dominorum suorum seruitio, vel debent seruire dominis, & Ecclesiæ. Si extrahantur à dominorum seruitio, committitur iniustitia; nam facto alieno non debet quis priuari suo dominio, *l. soluendo, ff. de negotiis gestis, l. nam hoc natura, ff. de condict. indebiti*: quare serui dum in seruitio domini sunt, ordinari nequeunt. S. Leo *epist. 1.* ibi: *Debet esse immunis ab aliis, qui militiæ diuinæ fuerit aggregandus.* Notauit Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cleric. cap. 15.* Vel serui ordinati intendunt manere in seruitio domini, & in Ecclesia, cui adscripti sunt, ministrare, quod admitti non valet, quia nemo potest duplici militiæ inseruire, *l. is quidem 5. Cod. qui militare possunt, l. 1. §. illi qui, Cod. de Præpositis agentium in rebus, l. hac parte 10. Cod. de proxim. sacror. scrin.* Aristot. *lib. 2. polit. cap. 10.* Cassiodorus *lib. 9. epist. 21.* Vbi plura Fornerius. Facit etiam; nam ingenia seruorum plerumque malis moribus corrupta sunt, vt constat *ex l. 3. Cod. de libert. & eorum lib.* ibi: *Nequitia reperitur seruilis ingenij*; vbi notauit Gothofredus: Saluian. *de prouidentia Dei*, ibi: *Vitia ad seruos relegata, eisque adscripta legimus, & animos conseruiles iam per se malos, dominorum nequitiâ fieri peiores.* Tacitus, quem refert Proseus *ad Cassiodorum lib. 3. epist. 43.* ibi: *Suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia seruorum.*

10. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec prima difficultas suprà adducta aduersatur; nam licèt in lege veteri serui ad Israëliticam conuersionem admitterentur, & in lege gratiæ ad sacramenta, sicut aliæ liberæ personæ admittantur; tamen ab ecclesiastici ordinis gardibus arcentur, ex speciali suprà tradita ratione, ne videlicet vilescat clericalis ordo: quæ ratio cùm in matrimonio, & aliis sacramentis non militet, quia post eorum receptionem possunt serui dominis suis debitum præstare famulatum, ad illa admittuntur: ab Ordinis verò sacramento ante plenam manumissionem remouentur, cùm incompati

compatibile sit castris sacris aggregari, & nexui seruitutis mancipatum manere. Nec obstat quod dicebamus, seruos iure ciuili admitti ad Sacerdotium, & alias dignitates; nam certum est, eo iure inspecto tantùm ad ea officia seruos admitti, quæ potiùs oneris, quàm honoris erant, de quibus *in l. 2. ff. rem pupilli, l. Prætor, §. finali, ff. de edendo, l. 3. C. Theodos. de numerariis, l. Thais* 11. §. *Seio, ff. de fideicommiss. libertat.* Et licèt in ordine & hierarchia officiorum ipsorum (quæ enumerat Pignorius de seruorum officiis) possint serui respectu aliorum dignitatem obtinere, quo modo accipit textus *in l. sed & si quid* 15. §. 2. *ff. de vsufructu, l. habitatio*, §. 1. *ff. de ventre in possessionem*; ad sacerdotium tamen, vel similem dignitatem non admittebantur, sed tantùm ad quædam officia, veluti ad custodiam templorum, & vt in monumentis lucernas accenderent, quæ nihil commune habebant cum sacerdotio. Neque quod de seruis Ecclesiæ expendebatur, aduersatur; nam in illis iuris locis, vbi docetur, seruos Ecclesiæ ab Episcopo ordinari; supponenda est manumissio in Ecclesia celebrata, iuxta formam suprà relatam: nec in hac manumissione iusta alienationis causa deerat, sed maxima aderat, necessitas videlicet ministrorum Ecclesiæ. Quare præcedente manumissione rectè poterat seruus Ecclesiæ, sicut priuatorum, ordinari. Nec refragatur secunda difficultas suprà expensa; nam illi satisfaciendum est discrimen constituendo inter res animatas consecratas inuitis, & ignorantibus dominis; & inter res inanimatas. Primo casu res animatæ, vt serui, post depositionem reddi debent pristinis dominis, iuxta distinctionem suprà adductam, quam temporibus SS. Apostolorum cognitam non fuisse, suadetur ex canone 4. Apost. Secundo verò casu tantùm æstimatio, non ipsa res præstari debet. Barbosa *lib. 2. de iure eccles. c. 3. num.* 31. Discriminis ratio ex eo prouenit; nam in rebus inanimatis vlla fraus, vel dolus perpendi non potest; in rebus verò animatis dari valet: vnde ne ex dolo suo commodum consequatur, videlicet ne pristino domino restituatur, ideò deponi debet seruus ita ordinatus, & domino reddi. Accedit, nam in rebus inanimatis, vt sunt vasa sacra, consecratio est in superficie; in animatis verò in ipsa anima, vbi imprimitur character: vnde si res inanimata domino restitueretur, per tactum posset pollui; quod euenire non potest in re animata consecrata, vt docet Suarez *de censur. disput.* 51. *sect.* 3. quem sequitur Gibalinus *de irregul. q. 5. num.* 8.

11. EXPONITVR CAP. FINALE, 54. DIST.

Superiori assertioni primò opponitur textus *in can.* 80. *Concilij Illiberit.* relatus à Gratiano *in cap. final.* 54. *dist.* in illis verbis: *Prohibendum est, vt liberti, quorum patroni in sæculo fuerint, ad Clerum non promoueantur.* Ex quibus apertè constat, non sufficere seruum libertatem consequi à domino, vt possit sacris ordinibus initiari, verùm etiam desiderari, vt eius patronus in sæculo non sit: igitur non rectè asserimus, seruum posse ordinari si à domino manumittatur. Agnouit eius textus difficultatem D. Ferdinandus de Mendoza *in eo can.* 80. & pro eius expositione tres adducit solutiones. In prima asserit, libertum habentem patronum in sæculo, id est superstitem, quia adhuc non decesserat, ordinari non posse, ne adhuc post libertatem, & ordinationem, eum patronus retrahat in seruitutem prætextu ingratitudinis, *ex l. 1. C. de ingratis libertis.* Sed hæc solutio refellitur facilè ex eo; nam sequeretur, seruum manumissum patronum habentem, nunquam posse sacris ordinibus initiari; cuius contrarium probatur *ex cap. de seruorum, 54. dist. cap. 1. & 2. de succeff. ab intestato.* Secundam affert solutionem Mendoza, asserendo in eo textu agi de liberto, cuius patronus in Gentilitate persistebat, nec adhuc baptizatus erat; eius enim libertus ordinari non debebat, ne cum assidua patroni conuersatione libros ecclesiasticos, & vasa sacra illi traderet. Pro cuius solutionis confirmatione illud notandum venit, nouum non esse in iure nostro, Gentiles appellari sæculares, & in sæculo degentes, *cap. si quis ex fratribus, 11. q. 1.* vbi iudices Gentilium dicuntur à Clemente iudices sæculi: obseruauit Cironius *ad titul. de iudiciis.* Sed adhuc hæc solutio non placet, cùm ex prædicto canone manifestè non constet, patronum esse Gentilem. Quare his interpretationibus omissis, tertiam amplector; in ea enim affirmat Mendoza, textum illum accipiendum esse de liberto, non solùm obsequium, verùm & operas patrono præstante; id enim demonstrant verba illa: *Patronus, & libertus, l. 1. l. cùm patronus 22. ff. de operis libert. l. si libertus, ff. de iure patron.* vnde cùm ille qui operas debet patrono, ordinari non valeat, *cap. clericos 7. 54. dist.* Anton. August. *in epit. lib. 27. tit. 27.* & meritò, quia sicut libertus militiæ terrestri nomen dare non potest, *l. operis 43. ff. de operis libert.* ita libertus qui habet patronum in sæculo, idest superstitem, cui operas præstat, ordinari non valet, nisi consentiente patrono; quo casu ingenuus fit, vt contingebat in liberto militiæ nomen dante, sciente patrono. Vlpianus *in fragment. tit. de Latinis, §. militia.* Vnde olim virgo Vestalis capi non poterat è libertinis nata. Diocasius *lib. 55. hist.* ibi: *Quoniam promptè hi, qui planè nobiles erant, filias suas ad Vestale Sacerdotium darent, lege statutum est etiam è libertinis natas non posse capi.* Qua etiam solutione intelligendi sunt textus in Concilio Aurelian. 5. *can. 6.* in illis verbis: *Seruum, qui libertatem à dominis propriis non accepit, aut etiam iam libertum, nullus Episcopus ordinare præsumat.* Ex quibus depromitur, libertum adhuc post libertatem consecutam non posse ordinari ignorante patrono, ex suprà traditis, videlicet quia operas patrono præstabat. Etiam intelligendus est textus in Concilio Bituric. *can.* 11. relato ab Ant. Aug. *in epit. iuris, lib. 26. tit.* 26. in illis verbis: *Vel collibertorum à modo clericus fiat.* In quibus verbis comprehendunt Patres libertos operas patronis præstantes, ex textu *in cap. si quis obligatus 7. 54. dist.* iuncto Castro *in l. vnica, C. de capitat. ciuium, num.* 29.

12. INTELLIGITVR CAP. QVICVMQVE, 54. DIST.

Secundò traditæ assertioni obstat textus *in cap. quicumque, 54. dist.* vbi Patres Concilij Tolet. 4. decreuerunt, vt si serui directâ manumissione, nullo retento obsequio, manumissi sint, & aliud non subsistat impedimentum, possint sacris ordinibus initiari; si verò retento obsequio manumissi sint, quia adhuc dominorum seruituti tenentur obnoxij, ordinari non debent, ne in potestate dominorum sit facere ex clericis seruos. Ex quo canone manifestè colligitur, non sufficere seruum à domino manumitti, vt sacris ordinibus initiari valeat. Pro cuius textus expositione sciendum est, quod licèt post constitutionem Iustiniani relatam *in leg. vnica, §. illo, Cod. de Latina libert.* omnibus seruis manumissis Quiritia, & plena competat libertas, etiamsi domini eos Latinos tantùm facere proposuerint:

tamen cùm Gothi leges Romanas non obseruassent, vt probant Cironius *lib. 5. obseru. cap. 2. & 3.* Osualdus *ad Donel. lib. 1. comment. cap. 16. littera E,* permittebant dominis seruos manumittere, itavt non solùm operas sibi reseruarent, verùm obsequium ita strictum, vt potiùs mutare, quàm tollere in eis seruitium viderentur; & ea conditione manumittentes ius habebant eos reuocandi ad seruitium, non autem poterant eos in mancipium retrahere, si hoc obsequium, seu ius conditionis non reseruassent, *l. 9. tit. 7. lib. 5. legum Vvisigothor.* ibi: *Atque ita per eandem libertatis scripturam definierit, vt in tempore conditæ scripturæ liber ipse, qui est manumissus, permaneat, nihil sibi in eo conditionis reseruans, huiusmodi libertatem reuocare non liceat.* Vbi aliquid conditionis appellatur, quod à Patribus *in dict. cap. quicumque*, dicitur obsequium. Istos seruos ita manumissos Longobardi appellant *Aldios:* & quia hæc seuera manumissionis forma Deo placere non poterat, cuius oculis nihil nisi ex omni parte perfectum, iucundum est; ideò manumissio hoc modo celebrari in Ecclesia non poterat, *l. 5. tit. 35. lib. 2. legum Longobard. Si quis seruum suum, aut ancillam in Ecclesia circa altare amodò liberum, vel liberam dimiserit, sic ei maneat libertas, sicut illi, qui Fulfreal, in quarta manu traditus, & Amundus factus est; nam qui Aldium facere voluerit, non eum ducat in Ecclesia, nisi alio modo faciat, qualiter voluerit, siue per chartam, siue qualiter ei placuerit.* Vnde Patres Concilij Tolet. *in præsenti, cap. 1.* vt istos à sacris ordinibus amouerent, statuerunt, vt serui ordinandi manumitterentur in Ecclesia, ne possint domini tempore manumissionis in eis reseruare prædictum obsequium, seu ius conditionis. Innuerunt, etsi non ita exposuerunt textum *in dict. cap. quicumque*, Merillus *lib. 2. obseru. cap. 9.* Lemaistre *lib. 3. de iurib. Episcop. cap. 8. in fine.*

13. EXPONITVR CAP. VENERABILEM 34. DE PRÆBEND. ET DIGNIT.

Tertiò aduersatur textus *in cap. venerabilem 34. de præb. & dignit.* in illis verbis: *Nisi nobilem, & liberum, & ab vtroque parente illustrem.* Vbi proponitur, in Ecclesia Argentina præbendam vacasse tanto tempore, quod eius collatio per lapsum temporis ad Sedem Apostolicam fuerat deuoluta. Legatus Sedis Apostolicæ cuidam eam contulit; sed cùm Canonici noluissent illum in Canonicum recipere, Legatus petiit à R. Pontifice, vt eam electionem confirmaret: Canonici coram eo proposuerunt, in prædicta Ecclesia esse consuetudinem iam præscriptam, vt nullus reciperetur in Canonicum, nisi qui nobilis, liber, & ab vtroque parente illustris esset: quibus propositis R. Pontifex decreuit electum à Legato admittendum esse ad præbendam, non obstante dicta Ecclesiæ consuetudine, quia apud Deum non est acceptio personarum habenda, nec nobilitas, sed virtus facit idoneum seruitorem. Ex quo textu ita conficitur argumentum: En textum vbi inter alia, quæ à Canonicis opponebantur, illud erat, admittendum ad præbendam debere esse liberum; & tamen ait Pontifex, eam consuetudinem attendendam non esse: igitur innuit Pontifex, seruum ad ordines, & dignitates ecclesiasticas admitti posse. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, ibi non damnari à Pontifice Argentinæ ciuitatis consuetudinem ex eo, quod iuxta eam eligendus in canonicum deberet esse liber, sed eo, quod desideraretur nobilitas ab vtroque parente; liberum enim esse debere ius exposcit, & sic pro ea parte consuetudo non improbaretur, immò confirmaretur, vt consuetudo, seu statutum Carnotensis Ecclesiæ, vbi statutum erat, ne vllus admitteretur ad Clerum, qui manumissus fuisset, aut filius colliberti esset: vnde nouiter electus in Canonicum, tempore stallationis in hunc modum iurabat: *Iuro etiam me obseruaturum auxilio Capituli consuetudinem huius Ecclesiæ, quæ est de non recipiendis in Canonicos, seu clericos de toro manumissis, seu manumissorum filiis.* Quam consuetudinem, & iurandi formam illustrat Souchetus *in notis ad Iuonem, epist. 132.*

14. EXPONITVR CAP. SCISCITATVS, DE RESCRIPTIS.

Rursus obstat nostræ assertioni textus *in cap. sciscitatus, de rescriptis*, in illis verbis: *Aliquorum seruum*; in quibus supponitur Pontificem posse litteras suas mittere clerico in dignitate constituto, qui ex facto reperiatur seruus; cùm certum sit, non posse rescriptum iustitiæ committi, nisi constituto in dignitate ecclesiastica, *cap. statutum, de rescriptis, lib. 6.* sed *in dict. cap. sciscitatus*, supponitur seruo causam commissam fuisse: igitur quia seruus, & gradus Ecclesiastici, & dignitatis expers non est. Cui difficultati respondendum est, iure Decretalium inspecto cuicumque etiam in dignitate non constituto posse causam à Pontifice committi, vt latè probaui *in cap. 7. de rescriptis*; licèt hodie ex decisione Bonifacij VIII. tantùm existentibus in dignitate causæ à Sede Apostolica committantur; quare iure Decretalium euenire poterat, vt seruo causæ comitterentur. Vnde iubet Pontifex, vt eo casu iurisdictionem delegatam non exerceat, vt in eius commentario latè diximus.

15. EXPLICATVR L. QVISQVIS C. DE EPISCOP. ET CLERIC.

Deinceps aduersatur textus *in l. quisquis, Cod. de Episcop. & cleric.* vbi generaliter statuitur, vt quisquis censitus fuerit annotatus, inuito agri domino ad clericatum non admittatur; & si forsan de facto admissus fuerit, dominus poterit in eo vico alium substituere, etiamsi in ruralibus obsequiis manstare velit; & statim adiiciunt ea verba: *Eâ scilicet immunitate indultâ, quæ certæ capitationis Venerandis Ecclesiis relaxatur, nullo extra hanc legem vnquam valituro rescripto.* Ex quo textu apertè constat, non æquale ius statui, ac seruari in seruis colonis, & censitis priuatorum, ac Ecclesiæ; siquidem in eo textu Imperatores statuunt, in colono censito, qui clericus factus est, eo ipso illum excutere capitationis sarcinam, dominumque alium colonum substituere posse; in capitatione verò Ecclesiæ debita nullam immunitatem simili clerico dari: igitur quia serui coloni, & censiti Ecclesiæ, etiamsi ab onere reali non sint immunes, possunt sacris ordinibus initiari, & in Ecclesia ministrare. Pro huius difficilis textus interpretatione primò sciendum est, apud Romanos primis vrbis cunabulis rem rusticam ab omnibus nobilibus, optimisque viris exerceri. Columella *lib. 1. de re rustica*; immò ipsorum Imperatorum manibus agri colebantur, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore. Posteà vilescente ruris disciplina per seruos à dominis in ipsis agris relegatos prædia coli cœperunt, *l. quæsitum 12. §. Alfenus, ff. de instructo, l. ex facto 35. §. rerum, ff. de hæred. instituendis.* Illustrant Brissonius *lib. 2. select. cap. 9.* Lipsius *lib. 2. relect. cap. 15.* Marcellus Donatus *in Suetonium ad Tiberium, cap. 8.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 10.* Gilbertus Poluer. *lib. 5. select. cap. 10.* Posteà triplex agricolarum conditio fluxit, notata *in l. seruos 12. Cod. de agricolis, lib. 11.* quorum alij omninò serui, qui iussu, & fide dominicâ prædia colebant, erant, quibus

quibus semper adhærebant, *l. si quis inquilinos* 112. *ff. de legat.* 1. *l. cùm de lanionis* 18. §. *cùm de villico*, *l. Seiæ* 20. §. 1. *ff. de instructo fundo*, *l.* 3. *l. quemadmodum* 7. *Cod. de agricolis*, *lib.* 11. Alij liberi, qui specialiter coloni appellantur, *l.* 1. *de prædiis Tamiacis*, *lib.* 11. qui capitationem non soluebant, sed dumtaxat certam pensionem domino terræ, à qua discedere non poterant, *l. domini* 5. *l. omnes* 6. & 8. *l. si coloni* 14. *l. litibus* 19. *l. cùm scimus* 21. §. *illud*, *Cod. de agricolis*, *lib.* 11. *l.* 1. *Cod. de colonis Palæstinis*, *lib.* 11. Alij censiti erant, qui censibus, siue libris censualibus simul cum prædiis, quibus adhærebant, describebantur, & censum annuum soluebant; qui census si per capita soluebatur, dicebatur capitatio; si per iugera, iugatio, *l. coloni*, *Cod. in quibus causis*, *l.* 4. *l. cùm scimus*, *Cod. de agric. lib.* 11. Vnde alij dicebantur adscriptitij, tributarij, & censibus obnoxij, *l.* 20. *Cod. de Episc. & Cleric. l. quicumque* 10. *Cod. de re milit. lib.* 12. *l.* 1. *Cod. de tyronibus*, *lib.* 12. *l. omnes* 6. *l. colonos* 18. *Cod. de agricolis*, *lib.* 11. vbi post ordinarios repetentes Antonius Perez, & Cuiacius *ad tit. Cod. de agricolis*, Valasco *de iure emphyt.* 2. *part. quæst.* 37. Connanus *lib.* 2. *comment. cap.* 10. Donellus *lib.* 2. *comment. cap.* 9. vbi Osualdus *littera R.* Petrus Greg. *lib.* 18. *syntagm. cap.* 23. D. Nicolaus de Castro *in l. vnica*, *Cod. de capitatione ciuium*, *lib.* 11. Schiordeg. *ad Fabrum*, *tract.* 26. *lib.* 3. *quæst.* 6. Lemaistre *dict. lib.* 3. *de iuribus Ecclesiæ*, *cap.* 2. & nos de eis agemus *in cap. venientes* 19. *de præscript. cap. indicatum*, *de immunit. Ecclesiæ*. Secundò sciendum est, non solùm seruos, verùm & colonos, prædictisque tributis obnoxios ordinari non posse. Concilium Aurelian. 3. *can.* 25. *Vt nullus seruilibus, colonariisque conditionibus iuxta statuta Sedis Apostolicæ ad honores ecclesiasticos admittatur, nisi priùs aut testimonio, aut per tabulas fuerit absolutus.* Et *cap. si quis obligatus* 7. *dist.* 55. quibus suppositis pro interpretatione textus *in dict. l. quisquis*, D. Nicolaus de Castro *in dict. l. vnica*, *num.* 48. existimat Imperatores in eo textu agere de duplici capitatione, impropria videlicet, & propria. In prima parte de capitatione propria dominis debita agere; in secunda verò de impropria Ecclesiæ præstanda, à qua ipse affirmat immunem non esse censitum in clericum ordinatum. Quæ sententia licèt defendi possit, verius credo, Imperatores in verbis suprà relatis tantùm affirmare censitum in clericum ordinatum posse per substitutum deseruire absque eo, quod exinde vllum præiudicium Ecclesiæ sequatur, iuxta ea quæ dabimus *in cap. indicatum*, *de immunit. Ecclesiæ*.

Etiam præsenti assertioni, dum pro nostris examinanda proponitur, opponi solent textus *in cap.* 2. *de condit. appos.* *cap. per venerabilem, qui filij sint legit. cap. cùm deputari* 16. *de iudiciis, cap.* 5. *de instit.* quorum veram interpretationem dabimus in eorum commentariis.

CAPVT III.

Ex[a] *eodem.*

DE familiis[b] Ecclesiæ constituere Presbyteros, & Diaconos per[c] parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo, & probitas morum commendat; eâ tamen ratione, vt antea manumissi libertatem status sui percipiant, & denuò ad Ecclesiasticos honores succedant: irreligiosum est enim, obligatos existere seruituti, qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. [d] Quidquid autem talibus, aut per libertatem [e] concessum, aut successione extiterit debitum, aut à quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad ius Ecclesiæ, à qua manumissi sunt, oportet post eorum obitum pertinere. His [f] quoque, sicut & [g] cæteris Ecclesiæ libertis, accusandi, vel testificandi aduersùs Ecclesiam aditus intercluditur; ad quos si adspirauerint, non solùm libertatis beneficio careant, sed etiam honoris gradu, quem non dignitate[h] naturæ, sed temporis necessitate promeruerunt.

NOTÆ.

1. a *Eodem.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoctit. cap.* 4. & licèt nullibi exprimatur, ex quo Concilio desumptus sit textus hic, reperitur in canone 74. Concilij Tolet. 4. ex quo textum hunc transcribimus; quod Concilium nationale celebratum fuit temporibus Sisenandi, era 671. vt refert Rodericus Toletanus *lib.* 2. *cap.* 19. & probat Loaysa *in notis ad ipsum Concilium.*

2. b *De familiis Ecclesiæ.*] Ita legitur in hac sexta collectione; & licèt hæc lectio sustineri possit, quia serui propriori voce appellari possunt famuli, Festus Pompeius verbo *Famuli*, Passeratius *in notis ad Catullum*, *de nuptiis Peleï*, *pag.* 49. tamen cùm in editionibus huius Concilij, & castigatis Codicibus legatur *familiis*, emendari debet Raymundi collectio ita: *De familiis Ecclesiæ* Quâ litterâ retentâ ad veram cognitionem huius vocis, *familiæ*, sciendum est, familiam, seu fameliam, apud antiquos scriptores significare seruos etiam venalitios. Festus verbo *Familia*, Suetonius *in Augusto*, *cap.* 42. ibi: *Magna verò quondam sterilitate, ac difficili remedio, cùm venalitias, & Lanestarum familias vrbe expulisset.* Vbi Leuinus Torrentius *pag.* 99. Iureconsulti familiam appellarunt plures personas, præcipuè seruos sub vnius potestate consistentes, *l. pronunciatio* 195. §. *familiæ*, *ff. de v. s. l. final. Cod. eod. tit. l.* 1. §. *familiæ*, *ff. de publicanis*, *l. ædiles*, §. *familiæ*, *ff. de ædilitio edicto.* Docent Tamayo de Salazar *in martyrol. Hispan. die* 20. *Martij*, Silua *de salariis familiæ*, *quæst.* 2. *num.* 2. iuxta quam significationem accipiendus est locus Concilij Lucensis, vbi dum ex diuisione Vbambæ territorium Episcopatus Dumiensis describitur,

ita

ita ait Rex : *Ad Dumium familia ſeruorum ſpectet.* Quæ verba variè accipiunt Loayſas *in notis ad ipſum Concilium Lucenſe, pag.* 153. *num.* 8. Bernardus Brito *part.* 2. *Monarchiæ Luſit. lib.* 6. *cap.* 14. *pag.* 198. Acuña *in hiſtor. Brachar. cap.* 70. *num.* 16. *pag.* 301. Morales *in hiſt. Hiſpan. lib.* 12. *cap.* 50. Tamayo *dict. die* 20. *Martij*; quorum interpretationibus omiſſis, placet ſententia doctiſſimi Patris Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti, centur.* 1. *pag.* 243. qui exiſtimat familiam ſeruorum ibi accipi pro ſeruis deputatis ad agriculturam & ſeruitium Regis Sueuorum, qui in variis oppidis degebant; vnde in aliis editionibus loco illorum verborum, *Familia ſeruorum*; legitur, *Familia Regia:* & ſic Epiſcopatus Dumienſis comprehedebat omnem familiam Regiam, ſeu ſeruorum Regis, qui in pagis degebant. His ſuppoſitis pro expoſitione illius vocis, *familiæ*, nunc pro huius textus expoſitione ſciendum eſt, Eccleſias habere propria patrimonia, ſuaſque facultates, non ſolùm in prædiis, domibus, nauibus, & aliis rebus, de quibus Duarenus *lib.* 2. *de ſacris, cap.* 1. Lemaiſtre *lib.* 3. *de iuribus Epiſcop. cap.* 1. 2. *&* 3. verùm etiam colonos caſatos, & vaſſallos, de quibus Lemaiſtre *vbi ſuprà, cap.* 4. & etiam ſeruos, aut emptos, aut à fidelibus donatos, *cap. Eccleſiarum, cap. etſi, cap. ſi quis Epiſcopus* 12. *quæſt.* 2. *cap. iniuſtum, de rerum permut.* Cochier *in face hiſt. part.* 1. *cap.* 13. & *cap.* 95. *&* 96. qui dicebantur ſerui ex familia Eccleſiæ. Concil. Tolet. 4. *can.* 70. ibi : *Ex familia Eccleſiæ liberos effectos eſſe fateantur.* Et *cap. multos de eccleſiaſtica familia*, 54. *diſt.* Concil. Hiſpal. 2. *can.* 8. vbi agitur de quodam Eliſeo ex familia Agrauienſis Eccleſiæ. De his ergo ſeruis familiæ Eccleſiæ agitur in præſenti canone.

3. c *Per parochias.*] Educabantur ſerui Eccleſiæ eo fine præcipuè, vt ad eccleſiaſtica officia, clericalemque ordinem aſcenderent; ſi enim moribus probis, ſtudiiſque pollebant, ad ſacros ordines aſſumebantur, & parochiis præficiebantur. Concilium Emerit. *can.* 18. vbi iubetur, vt Preſbyteri de Eccleſiæ ſuæ familia clericos ſibi faciant. Concilium Tolet. 9. *can.* 11. Huiuſmodi tamen ſerui, qui in familia Eccleſiæ degebant, ſine cauſa ab Epiſcopis manumitti non poterant, quia cùm per manumiſſionem huiuſmodi ſerui alienarentur; & alienatio rerum Eccleſiæ ſine cauſa non permittatur, *cap. nulli* 5. *de rebus Eccleſiæ*, ea ceſſante manumiſſio nulla eſt, *cap. Abbate* 54. *cap. Epiſcopus* 12. *quæſt.* 2. vbi cauetur, vt Epiſcopus manumittens ſeruum Eccleſiæ ſine cauſa, duos reddat Eccleſiæ; quod procedit ex ſuprà traditis *in cap.* 1. *hoc tit.* Cùm ergo ſeruos ex familiis Eccleſiæ ſine iuſta cauſa non liceret manumittere, Patres Concilij Tolet. in præſenti canone ſanxerunt, iuſtam eſſe manumiſſionis cauſam, vt ſeruus in Preſbyterum, vel Diaconum ordinetur, & per parochias conſtituatur; cùm enim bonum publicum populi chriſtiani in hoc caſu interueniat, vt ipſe dum Preſbyter ordinatur, ſacramenta conferat, vel vt Diaconus in Eccleſia miniſtret, *cap. cleros, verſic. Preſbyter*, & *verſ. Leuita*, 21. *diſt.* meritò inter iuſtas cauſas manumittendi ſeruos Eccleſiæ hanc ſacri Patres ſtatuerunt, vt per parochias ſerui ita ordinati neceſſitate interueniente, Preſbyteri, vel Diaconi officio fungerentur : & in hac parte ſingularis eſt præſens canon, nec vllo iuris teſtimonio ab ſpecie probari poteſt, licèt in eandem ſententiam conſentiant textus *in cap. frequens*, 54. *diſt. cap. eo libentius, hoc tit.*

4. d *Quidquid.*] Ab his verbis incipit ſecunda pars huius textus, vbi Patres Concilij Toletani ſtatuunt, non licere ſeruis Eccleſiæ ſic manumiſſis, quidquid fuerit debitum ſibi, aut quolibet modo collatum, in extraneas perſonas tranſmittere, ſed omnia ad ius Eccleſiæ, à qua manumiſſi ſunt, poſt eorum obitum debent pertinere; quam partem confirmant textus *in cap. Epiſcopus* 68. *cap. ſi quis de ſeruis*, 12. *quæſt.* 2. *c. de rebus*, 54. *diſt.* Concilium Emerit. *can.* 74. Tolet. 9. *can.* 16. Agathenſe *can.* 7. Exornant vltra repetentes in præſenti Baptiſta à S. Blaſio *in tract. de differentiis inter ius canonicum, differentia* 135. Barboſa *in cap.* 2. *de ſucceſſ. ab inteſt.* Hæc tamen pars Concilij Tolet. rectæ peritiæ iuris ciuilis aduerſatur; nam iure ciuili inſpecto, etſi mortuo ab inteſtato liberto nullo ſuo hærede relicto ad hæreditatem vocetur patronus, ſiue legem XII. Tabularum, ſiue Prætoris edictum attendamus, *princip. Inſtit. de ſucceſſ. libert.* immò ex lege Papia, ſi rectè emendauit Cuiacius *lib.* 3. *obſeru. cap.* 13. & *lib.* 17. *cap.* 13. & *lib.* 3. ſub nomine Mercatoris, *contra Robertum lib.* 2. *recep. cap.* 24. & *lib.* 3. *animad. cap.* 25. *ex l. inteſtato* 3. *ff. de ſuis & legitimis, l. virilis, ff. de v.ſ.* quod expreſſiùs ſtatuit Iuſtinianus in quadam Græca conſtitutione, quam ex Baſilicis reſtituit Cuiacius *lib.* 20. *obſeru. cap.* 34. cuius meminit Iuſtinianus *in §. ſed noſtra, Inſtit. de ſucceſſ. libert.* attamen ſi libertus manumiſſus in vita ſine fraude alienabat, aut teſtamento diſponebat, patronus vllum ius ex lege decemvirali ad hæreditatem liberti non habebat, immò impunè prætereiebatur. Vlpianus *tit.* 27. *regul.* §. 1. & *tit.* 19. *in princip.* principium Inſtitutionum *de ſucceſſ. libert.* Poſteà verò ex edicto Prætoris patrono in bonis liberti dimidia pars bonorum conſeruata fuit, conceſsâ à Prætore bonorum poſſeſſione contra tabulas vſque ad portionem ſemiſſariam. Vlpianus *dict. tit.* 29. §. 1. ad quam iuris partem referendi ſunt textus *in l. & quia* 10. ibi : *Et quia plerumque vel à parente, vel à liberto quaſi debitum nobis hæreditas obuenit.* Suetonius *in Nerone, cap.* 23. dum refert Neronem conſtituiſſe, vt de libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dodrans præſtaretur. Quintilianus *in declamat.* cui titulus *Auia teſtis.* Tandem ex lege Papia illud in fauorem patronorum ſtatutum fuit, vt ex bonis liberti centenarij, ſi vnicum filium libertus haberet, in dimidia parte admitteretur; iuxta quam legem intelligendi ſunt textus *in l. debitor* 40. §. 1. *ff. de pignoratitia, l. Latinus* 93. *ff. de legat.* 2. Si autem duos filios habebat, ad virilem partem admittebatur. Vlpianus *in fragm. tit.* 26. §. *poſteà, Inſtit. de ſucceſſ. libert.* Quibus addere licet legem *ſi patronus* 20. *ff. de donat.* legem *ſi libertus, ff. de bonis libert.* iuncta inſcriptione textus *in l. virilis* 145. *ff. v.ſ.* adhibito Cuiacio ibi, *l. ſerui* 43. *l. ex aſſe* 52. *ff. ad leg. Falcid.* iuncto Cuiacio *lib.* 5. *qq. Pauli, in l. ſi patronum* 44. §. *vlt. ff. de bonis libert. l. ſi verò* 64. §. *item, & §. 5. ff. ſoluto matrimonio,* & locum Licini Ruffini *in collat. legum, tit. de legitima ſucceſſ.* Illuſtrant Hothomanus *lib.* 3. *antiquit. cap. antepenult.* Balduinus *de lege Papia, pag.* 120. Cuiacius *lib.* 19. *obſeru. cap.* 31. Coſta *in cap. ſi pater, verbo Inſtitutionem, de teſtam.* Petrus Pitheus *in collat. legum Moſaicarum, tit.* 16. Variis diſtinctionibus iuxta temporum ſeriem libertorum ſucceſſionem, libertarumque exponunt magnus ſemper, ſed in expoſitione

sitione legis Papiæ celebris, Illustrissimus D. Franciscus Ramos del Manzano *ad legem Iuliam, & Papiam, cap. de succeſſ. libert.* perdoctus, omnigenaque eruditione peritus, Cathedrâ, Togâ, & amicitiâ coniunctus D. Petrus de Vlloa & Golfin in assertionibus in maiori nostro Salmanticensi Lycæo pro rostris propositis, vberrimisque notis illustratis, *de succeſſ. libert.* & nos *in cap. 2. de succeſſ. ab inteſt.* igitur præsentis canonis Patres, quatenus affirmant decedente liberto omnia bona sua ad Ecclesiam patronam spectare, iuris peritiæ expresse aduersantur.

5. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Huic difficultati, omissis solutionibus traditis à Glossa, Abbate, & Hostiensi *in præsenti*, respondendum est, quod licèt iure ciuili inspecto, liberti decedentes possint de bonis suis disponere, relictâ portione legitimâ patronis debitâ, exceptis libertabus, quæ quia in perpetua tutela erant patroni, sine ipsius auctoritate testamentum condere non poterant, Vlpianus *in fragm. tit. 20. §. penult.* Cicero *lib. 6. epiſt. 21. ad Trebatium*, Liuius *lib. 49.* ibi: *Quin eò proceſſerat conſuetudine capta, vt poſt patroni mortem, quia nullius in manu erat, tutor, à Tribunis, & Prætore petiti, cùm teſtamentum fecerat, vnum libertum inſtituerat.* Nisi ex lege Papia ius quatuor liberorum haberet, quia tunc exibat à tutela. Vlpianus *tit. fin. §. 3.* Tamen Patres nostri Concilij Toletani loquuntur de liberto filios non habente, qui ex concessione & donatione aliquorum, seu ex successione bona acquisierat; ille enim in gratiam remunerationis libertatis ab Ecclesia accepræ tenebatur ea bona Ecclesiæ relinquere, quia ex legibus Vvisigothorum bona liberti, deficientibus liberis, patronus sibi vindicabat, *lib. 13. tit. 7. lib. 4. legum Vvisigothorum. Si manumiſſus ſine filiis de legitimo matrimonio natis tranſierit, & ei patronus in libertate aliquid donauerit, aut forſan de eius ſeruitio diſceſſerit, & alibi ſe contulerit, omnia ad patronum, vel eius hæredem ſine dubio reuertantur.* Quare iuris testimonia suprà adducta procedunt iure Romanorum attento; præsens verò canon, inspectis legibus Gothorum, apud quos, vt *in cap. 1. hoc tit.* monui, ius Romanorum vsu receptum non erat.

6. EXPONITVR CONCIL. TOLET. 9. CAN. 16.

Sed huic secundæ parti præsentis textus obstat canon 16. Concilij Tolet. 9. in illis verbis: *Libertis Eccleſiæ, eorumque progeniei ex omnibus rebus, quæ de iure Eccleſiæ noſcuntur habere, nihil licebit in extraneum dominum tranſactione quacumque deducere; ſed ſi ex his quælibet vendere fortaſsè voluerint, ſacerdoti eiuſdem Eccleſiæ offerant conuenienter emenda, eorumque pretia, vt eis placuerit, aut diſpenſent, aut habeant. Nam in dominium partis alterius rei ſuæ cenſum nullo modo tranſire permittimus; ſuis autem filiis, vel propinquis, eidem Eccleſiæ, vel ſeruitio, vel patrocinio ſubiugatis, quæcumque vendere, vel donare voluerint, aditus omninò patebit.* Ex quibus aduersùs hanc textus partem duplex nascitur difficultas. Prima, nam libertorum bona ad ius Ecclesiæ spectabant, vt textus ipse innuit, quo modo ea vendere aut distrahere liberti poterant: igitur quia Ecclesia in eis non succedit, aut iure proprio non occupat. Secunda, nam in eo textu tantùm asseritur Ecclesiam succedere in illis tantùm rebus, quas ab Ecclesia obtinuerunt: igitur non rectè in præsenti docetur, in omnibus bonis ipsorum libertorum Ecclesiam succedere. Primæ difficultati respondendum est, venditionem in eo textu non valere, vt Ecclesia priuetur bonis suis, seu ad quæ ius habebat; valet enim venditio, si consulto sacerdote, id est Ecclesiæ Prælato, emenda offeratur, & sic ipsâ commutatione Ecclesia nihil iuris proprij amittit. Secundæ difficultati respondendum est, in eo textu tantùm agi de rebus ad ius Ecclesiæ pertinentibus, seu eius intuitu acquisitis; non tamen Patres negant, ad alia libertorum bona Ecclesiam admitti, si liberti filios non habuerint. Vel canon ille exaudiendus est de libertis, qui filios habebant; quo casu tantùm ad bona intuitu Ecclesiæ acquisita admittitur Ecclesia; non verò ad reliquia aliunde quæsita, aut parta.

7. EXPONITVR CAP. 1. DE SVCCES. AB INTEST.

Etiam aduersatur huic parti textus *in cap. 2. de succeſſ. ad inteſt.* vbi ex Concilio Tributiensi refertur, quod si libertus in Presbyterum ordinatus decesserit, eius peculium in quatuor partes diuidatur, quarum vna Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta parentibus præstetur, nullâ patrono portione assignatâ: ex quo textu expresse deducitur, patronum in bonis liberti prædefuncti nullum ius habere, igitur perperam in præsenti asseritur, Ecclesiam vt patronam in vniuersa bona liberti succedere. Pro cuius textus interpretatione, & conciliatione cum hoc canone, discrimen constituendum est inter priuatum patronum, & Ecclesiam seruum manumittentem, vt sacris ordinibus initietur. Primo casu patronus priuatus in seruo manumisso sacris initiato nullum ius ad eius successionem habet; secundo verò casu Ecclesia habet ius succedendi in bonis ipsius liberti. Discriminis ratio ex eo prouenit; nam priuatus patronus post manumissionem nullum ius, seu obsequium potest retinere in ipso liberto, *cap. quicumque, 54. diſt.* iunctis traditis pro eius interpretatione *in cap. 1. hoc tit.* at Ecclesia retinet integrum iuspatronatus; quare eius virtute potest bona liberti occupare. Docet Baptista à S. Blasio *in dict. tract. de differentiis, pag. 135.* licèt hæc iura aliter componere intendat Barbosa *in d. c. 2. num. 4.* Quare autem peculium *in dict. cap. 2.* in prædictas quatuor partes diuidatur, in eius commentario dicemus.

8.

e *Per libertatem conceſſum.*] Hæc verba possunt referri ad ea bona, quæ ex Ecclesiæ permissu tempore seruitutis, vt peculium serui retinebant. Plerumque enim Ecclesiæ per seruos proprios rure præpositos agros colebant, & fructuum partem, vt peculium serui sibi retinebant, vt probat Lemaistre *de iuribus Epiſcop. lib. 3. cap. 6. circa medium.* Etiam referri possunt ad peculium ipsorum. Et licèt iure ciuili inspecto, seruo manumisso inter vinos, peculium tacitè concessum intelligatur, *l. ſi Sticho 53. ff. de peculio, l. 3. ff. de manumiſſ. l. vnica, Cod. de peculio eorum, qui libert.* licèt non idem contingat in testamento manumisso, *§. peculium 20. Inſtit. de legatis, l. ex parte 35. §. duos, ff. familiæ erciſcundæ, l. fundo 22. §. 1. de fundo inſtructo.* Reatigui 1. *ſelect. cap. 5.* Pancirola 2. *variar. cap. 90.* in qua parte obseruandi sunt textus *in l. 2. §. ſeruus, ff. pro emptore, l. quotiens 29. de contrahenda emptione, l. ſi ſeruus 18. ff. de ſolut. l. final. Cod. de emancip. libert. l. ſi ſerua 39. ff. de iure dotium, l. cùm dominus 19. §. 1. ff. de peculio legato, l. donationes 31. §. pater, ff. de donat. l. penult. ff. de manumiſſis vindicta, l. poſt 6. §. 1. ff. de liberat. legata, l. final. ff. de manumiſſ. quæ ſeruis, &c. l. peculij 4. l. definitio 6. l. ſi ſeruus 17. ff. de peculio, l. ſi per imprudentiam 51. §. 1. ff. de euictionib. l. 2. Cod. qui manumitti non poſſunt, l. peculium 65. ff. de legatis*

gatis 2. l. Offidius 47. l. seruis 99. ff. de legat. 3. l. si peculium 6. ff. de peculio legato, l. si peculium 10. ff. de manumiss. testam. l. Thais 41. §. si Titius, ff. de fideicommiss. libertatib. l. si hæreditas 28. §. 1. ff. de statuliberis. Tamen in seruis Ecclesiæ manumissis peculium specialiter concedi debet, aliàs datum non præsumitur, *cap. de rebus, 54. dist.*

9. f. *His quoque.*] Incipit tertia pars huius canonis, in qua Patres statuunt, seruum ab Ecclesia manumissum accusare, vel testimonium contra eandem dicere non debere, aliàs si fecerit, in seruitutem esse redigendum, & honoris gradu priuandum. Quam partem probant textus *in cap. Episcopus, in fine, 12. quæst. 1. cap. liberti, cap. Diaconi, cap. octaua, cap. Episcopus, §. libertus 12. quæst. 2. cap. liberto 4. quæst. 3. l. sed si hac, §. qui manumittitur, ff. de in ius vocando, l. qui cùm maior 14. ff. de bonis libert. l. alimenta 6. ff. de liberis agnoscendis, l. 3. §. final. cum lege sequenti, ff. de testibus, l. 5. & 11. Cod. eod. tit. l. 2. de libertis & succeff. in Theodos. nouella de libertis & successione eorum, l. 9. 10. 11. & 12. tit. 7. lib. 5. legum Vvisigoth.* edictum Theodorici *cap.* 48. Illustrant Cuiac. *lib.* 10. *obseru. cap.* 33. Reuardus *lib.* 1. *coniect. cap.* 10. Donellus *lib.* 2. *comment. cap.* 17. Pitheus *in collat. legum tit.* 92. Iuretus *ad Symmachum, lib.* 10. *epist.* 41. Magnâ etiam ratione firmatur hæc decisio; nam si libertis priuatis prohibetur testimonium dicere aduersùs dominos, eosque accusare, ex suprà adductis legibus, quantò magis libertis Ecclesiæ hoc inhibendum est, cùm ab ea non solùm beneficium libertatis, verùm & patrocinium, tuitionemque consequantur, *cap. liberti 12. quæst. 2.*

10. Sed difficilis est iuxta suprà dicta textus *in cap. Episcopus 58. 12. quæst. 2.* in illis verbis: *Huiusmodi autem liberto aduersùs Ecclesiam, cuius iuri subiectus existit, accusandi, vel testificandi denegatur licentia: quod si præsumpserit, placet vt stante commutatione in seruitutem propriæ Ecclesiæ reuocetur, cui nocere statuit.* Ex quibus constat, seruum permutatione acquisitum, & ab Episcopo manumissum, non posse accusare, aut testificari contra Ecclesiam, in cuius dominio fuit; & accusantem, seu testimonium dicentem, tradendum esse illi Ecclesiæ, cui nocere præsumpserat: igitur tam libertus proprius, quàm alienus accusare non potest eum, in cuius dominio aliquando fuit, licèt ab eo donum libertatis non acceperit. Difficilis est etiam textus ille, dum docet, seruum manumissum tradendum esse Ecclesiæ, cui nocere præsumpsit, non verò patrono, à quo libertatem accepit. Primæ difficultati satisfaciendum est asserendo seruum, de quo in eo textu, ab Episcopo manumissum esse; sed non posse accusare, aut testimonium dicere, non solùm aduersùs Episcopum, verùm nec contra Ecclesiam eius sponsam, aliàs reuocari in seruitutem. Secundæ difficultati respondendum est, in eo textu redigi in seruitutem Ecclesiæ propriæ; & ea verba, *Cui nocere conatur*, referenda esse ad Ecclesiam propriam, contra quam testimonium dixit.

EXPONITVR CAP. EPISCOPVS 12. Q. 2.

11. Ex suprà traditis lucem accipit textus *in cap. Diaconi 35. 12. quæst. 2.* in illis verbis: *Libertos tamen, quos Sacerdotes, vel Diaconos de Ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus Ecclesiæ prosequi iubemus; quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reuerti seruitium.* In quibus difficile est quid per actus Ecclesiæ Patres Concilij Agath. intelligant, & actus appellatione quid comprehendatur? Sed pro illorum verborum expositione sciendum est, olim Ecclesiam in manumissione seruorum operas à libertis stipulasse, & retinuisse, easque non segniter, & desidiosè libertos impendere debere, cauetur in Concilio Tolet. 4. *can.* 69. vbi iubetur libertis Ecclesiæ, vt negotia Ecclesiæ sibi iniuncta maiori curâ, quâ potuerint, prosequantur. Quod etiam iubetur *in dict. cap. Diaconi*, vbi actus prosequi, nihil aliud importat, nisi promissas operas strenuè, & accuratè exequi, iuxta munus sibi iniunctum, vt probat Lemaistre *lib.* 3. *de iuribus Ecclesiæ, cap.* 10. Vnde Patres Concilij Agath. iubent, vt si actus ipsos Ecclesiæ non prosequantur, in seruitutem reuocentur, quia iuxta suprà tradita serui ab Ecclesia manumissi ex iustis causis in seruitutem reuocari poterant, vt etiam redigebantur antiquitus liberti Ecclesiarum, qui intra annum à consecratione Episcopi chartam libertatis non exhibebant. Concilium Tolet. 4. *can.* 70. *Liberti Ecclesiæ, quia nunquam moritur eorum patrona, à patrocinio eiusdem nunquam discedant; nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreuerunt. Ac ne fortè libertas eorum in futura prole non pateat, ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens sese ab Ecclesiæ patrocinio subtrahat, necesse est, vt tam iidem liberti, quam ab eis progeniti, professionem Episcopo suo faciant, per quam se ex familia Ecclesiæ liberos effectos esse fateantur, eiusque patrimonium non relinquant, sed iuxta virtutem suam obsequium ei, vel obedientiam præbeant.* Quam Ecclesiæ legem temperarunt PP. Concilij Cæsaraugust. 3. *can.* 4. in hæc verba: *Non est dubium, à sanctis Patribus definitum fuisse, vt cùm omnes liberti, qui ab Episcopis ex propriis familiis Ecclesiæ, manumissionis gratiâ titulantur, post decedentis Episcopi obitum, mox ac alius peruenerit Episcopus, infra anni spatium libertates suas repræsentent, quo secundùm canonis sententiam per suas professiones debitam suæ originis conditionem agnoscant. Sed quia ita speciali modo sancta decreuit Synodus, vt si ipsi liberti infra anni spatium superuenienti suo Pontifici chartulas libertatis suæ præsentare neglexerint, protinus eos in pristinam seruitutis redigant conditionem: & licèt illis congruentiùs, satisque luculentiùs retractatum fuerat; hoc tamen à nobis conspicuum perpenditur, quo non solùm & prædia Ecclesiarum debita disponimus, sed etiam & oppressis pium suffragium porrigimus, per quod & cupiditas sacerdotalis frustretur, & imbecillitas pauperum subleuetur. Quia ergo comperimus quosdam Pontifices, potiùs lucra sua ampliare studentes, quàm de mercedis opere Domino placentes, liberos, quos ex familia Ecclesiæ à suis prædecessoribus inueniunt, pro eo quod chartulas libertatis suæ infra consultum tempus non repræsentent, statim eos in propriam seruitutem redigere; vnde hoc pietatis studio generali modo subrogamus beneficium, vt si iidem liberti forsitan ignorauerint ordinem canonum, aut certè (vt adsolet fieri) ad præsentandas libertates suas tepuerint, ipsius Pontificis solicitudo mox ac in Sedem sibi creditam successerit, per Clerum, aut domesticos perquirere procurabit, quos decedentes Episcopi de familiis Ecclesiæ manumissionis gratulauerunt, vt eodem Pontifice præmonente, ipsi liberi chartulas suæ libertatis repræsentent: qualiter nec liberti Ecclesiæ de institutione canonum ignorantes se esse perhibeant, nec Sacerdotis callida voluntas patescat, vnde contra ordinem reducantur manumissi ad originem seruitutis. Quod si Pontifice præmonente contempse*

INTELLIGITVR CAP. DIACONI 12. QVÆST. 2.

contempserint infra anni spatium suas libertates propriæ Sedis Episcopo pandere, licitum sit ei secundùm canonum sanctiones in iure Ecclesiæ suæ reducere seruituros.

12. g *Cæteris Ecclesiæ libertis.*] Ab Ecclesia manumissis, absque eo quod clerici fierent; vel à fidelibus laicis manumissi in Ecclesia pro redemptione animarum suarum, qui licèt à dominis propriis in Ecclesia manumitterentur, tamen quia in Ecclesiis manumittebantur, non liberti dominorum, sed Ecclesiæ fiebant, *tit.* 58. *legum Ripuariorum*, ibi: *Hoc etiam iubemus, vt qualiscumque Francus, Ripuarius, seu tabularius seruum suum pro animæ suo remedio, seu pro pretio secundùm legem Romanam liberare voluerit, vt in Ecclesia coram Presbyteris, Diaconibus, seu cuncto Clero, & plebe, in manu Episcopi seruum eum tabulis tradat, & Episcopus Archidiaconum iubeat, vt det tabulas secundùm legem Romanam, quâ Ecclesia viuit, & scribere faciat, & tam ipse, quàm omnis procreatio eius liberti permaneant, & sub tuitione Ecclesiæ consistant, vel omnem reditum status, aut seruitium tabularij eorum reddant; & nullus tabularius denarium ante Regem præsumat iactare. Quod si fecerit CC. solid. culp. iud. & nihilominus ipse tabularius, & procreatio eius tabularij persistant, & omnes reditus status eorum ad Ecclesiam redeant, & non aliubi, nisi ad Ecclesiam, vbi relaxati sunt, malum teneant.* Vnde si quis eos interficeret, mulctam, quam pro nece hominis pendebat, non domino manumittentis, sed Ecclesiæ, vbi manumissus fuerat, soluebat. Lex Alemanica vnica, *tit.* 17. ibi: *Liberti, qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam libertatem acceperunt, si occidantur*, 80. *solidi soluantur Ecclesiæ, vel filiis eius.* Amplius si ipsi liberti in seruitutem reducuntur ex ingratitudine, vel simili causa, non in seruitutem pristini domini recidebant, sed serui Ecclesiæ, vbi manumissi fuerant, fiebant. Dicta lex Alemanica, *tit.* 18. *Si ancilla dimissa fuerit per chartam, aut in Ecclesia, & postea seruo nupserit, Ecclesiæ ancilla permaneat.* Etiam prædicta nostri textus verba possunt accipi de seruis à domino manumissis extra Ecclesiam ea lege, vt liberti Ecclesiæ manerent, & illi operas præstarent; quod pactum frequenter apponebant tempore manumissionis Ecclesiæ prisci fideles. Ladislaus *lib.* 1. *Decreti, cap.* 3. *Qui autem pro animarum salute liberati, mancipati fuerint vt eo tempore Ecclesiæ seruiant, ipsi nemini, nisi soli presbytero administrent.* Leo Marcianus *lib.* 1. *chronici Cassin. cap.* 10. *Seruos suos, & ancillas omnes priùs per chartulam libertate donauit, atque ita demum liberos cum curtibus propriis, & cæteris, quæ possidere videbantur, in ius monasterij, potestatemque redegit, ea scilicet lege, vt singuli eorum quatuor per menses operas, vbi necesse fuerit, monasterio impendant; res suas atque substantias nulli omninò, nec inter se, vendere, aut donare præsumant, resque illorum, qui sine liberis defuncti essent, in ditione monasterij deuenirent.* De his ergo libertis accipi possunt verba suprà relata.

13. h *Dignitate naturæ.*] Id est gradum honoris, & libertatem non meruerunt tempore natiuitatis, cùm serui nascerentur; sed temporis, & ministerij necessitate, cùm manumissi fuissent eo tempore, quo necessarij erant ad ecclesiastica officia peragenda: seruitus enim dicitur impedimentum naturale ad ordines, non quia seruitus à naturali iure proueniat, sed quia seruis, ex eo quod serui nascuntur, inest impedimentum, ne ad sacros ordines ascendere possint. Notauit Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monacho, cap.* 15. *in principio.*

CAPVT IV.

Ex Concilio apud [a] *Altheum.*

NVllus clericus ad gradum Presbyterij promoueatur, nisi vt scriptum in [b] canonibus habetur. Si enim propter dilectionem Dei quis de seruis suis quemquam elegerit, & docuerit litteras, & libertatem donauerit, & per intercessionem erga Episcopum Presbyterum fecerit; ille autem in superbiam elatus, Missam dominis, & canonicas horas obseruare, & psallere renuerit, & eis iustè obedire, dicens se liberum esse, noluerit; & quasi liberè, cuius vult, homo fiat: hæc sancta Synodus anathematizat, & illum à sancta communione arceri iudicat, donec resipiscat, & domino suo obediat, secundùm canonica præcepta. Sin autem obstinato animo etiam hæc contempserit, accusetur apud Episcopum, qui eum ordinauit, & degradetur, & fiat seruus illius, id est domini sui, sicut natus fuerit. Quisquis verò talem secum habuerit, postquam rem illius prædictam audierit, & domino suo [c] non reddiderit, vel à se non proiecerit, siue Episcopus, siue [d] Comes, siue clericus, siue laicus, anathematis illius societate innodatus pœnam excommunicationis ducet.

NOTÆ.

1. a *Altheum.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. ex qua textum transcribo; in sexta collectione legitur, *apud Alichi*, apud Burchardum *lib.* 1. *Decreti, cap.* 162. & *lib.* 2. *c.* 234. Carnotensem *part.* 6. *Decreti, c.* 302. habetur *apud Altheim:* in nulla tamen Conciliorum editione reperitur huius Synodi mentio, licèt aliqui affirment in Gallia fuisse celebratam, illicque interfuisse Regem Conradum, ex cuius canone 38. transcribit textum hunc Carnotensis *vbi suprà.*

b *Canonibus.*] Relatis *in cap.* 1. *hoc tit.*

c *Domino suo non reddiderit.*] Qui si dolo malo fecerit, tenetur serui corrupti nomine, *l.* 1. §. 2. *l. doli* 5. *cum aliis, ff. de seruo corrupto, l. si cuius* 13.

§.7.ff.de vſufructu, l.eum qui 5. ff.ad legem Flauiam, l.2. Cod. eod. tit. l.1. Cod. ſi mancipium, l.inter 6. ff.ad legem Iul. de adult.

d *Comes.*] Comitis officium, & qualis dignitas ſit, dicemus *in cap.1. de immunit. eccleſ.*

COMMENTARIVM.

3. EX hoc textu communiter deducitur, dominum in ſeruo, quem manumiſit, vt Preſbyter ordinetur, poſſe ſpirituales operas imponere. Ad cuius canonis interpretationem ſciendum eſt, omiſſo Romanorum iure, quo inſpecto ex ſtipulatione tempore manumiſſionis interpoſita liberti patronis ſuis operas præſtabant, *l.1. & per totum ff. de operis libert.* Donellus *lib.7. comment. cap.25.* Valentia *tom.3.illuſtr. tract.3. cap.4.n.26.* Faber *in Papinianea tit.5. princip.2. illat.16.* ad quam operarum præſtationem, & obligationem ſpectant textus *in l.operæ 7. ff.de vſufructu legato, l.adigere 6. §.ſtipulatus, ff.de iurepatron. l.eum qui 30.§.ſi libertus 4.de iureiurando, l.ſi non ſortem, §.libertus, ff.de condict.indeb. l.vlt. ff.ſi libertus ingenuus, l.penult. Cod.de obſequiis,* iuncto Cuiacio *ad eum tit. l.in liberto 77. ff.de ſolution. l.finali, ff.de liberali cauſa, l.certum 6. §.ſi quis abſenti, ff.de confeſſis, l.ſi duo patroni, ff.de iureiurando, l.3.C.eod. tit.l.pro hærede 20.§.ſi quid tamen, ff.de acquir. hæredit. l.ſi quis pro eo 56. ff.de fideiuſſoribus, l.ſi patroni 55. ff. ad Trebell. l.penult. ff.ſi quis à parente, l.& eleganter 7. §.ſeruus pactionis, ff.de dolo, l.ſeruum 36. ff.de manumiſſ. teſtam. l.Stichus, §.ſi hæredi, ff. de ſtatuliberis, l.ſi verò 64.§.1. & §.ſed etſi, ff.ſoluto matrim.* iuncto Fabro *lib.20. coniect.cap.18. l.2.ff.de annuis legatis, l.ſciendum 70.ff.de v. ſ. l.ſi ſeruus 38.ff.de ſtipul. ſeruor. l. ſi filius 33. ff.de fideicom. libert. l.videndum 95.ff.de legat.1. l.dotalem 61. cum duabus ſequent. ff.ſoluto matrim. l.quæſitum 57. ff.de condit. & demonſtr. l.interdum 73. ff.de verb. obl. l.quæſtionis 18. ff. de probat. l.igitur 12. §.ſi operæ, ff.de liberali cauſa, l.ſi cum 9. §.1. ff.de donat. inter, l.cùm ſine 11. ff. de Carbon. edicto, l.ſi iuranero 14. ff.de operis libert. l. penult. de aſſign. libert. l. ſi quis legatum 6. §. vlt. ff.ad leg.Corn. de falſis.* Omiſſis ergo his operarum ſtipulationibus, in Gallia, & noſtra Hiſpania, atque Longobardia iuxta proprias leges patroni tempore manumiſſionis, non ſolùm obſequium, verùm & operas retinebant: aliquando verò plenâ conceſsâ libertate, nullum ius in eis conſeruabant; qui liberti dicebantur Amundi, quaſi exempti ab omni poteſtate: cuius manumiſſionis formam tradit lex Longobardica *tit.35. lib.2.* his verbis: *Qui Sulfreal à ſe extraneum, id eſt Amundum, facere voluerit, ſic debet facere: Tradat eum priùs in manus alterius hominis liberi, & per Garathinx ipſum confirmet, & ille ſecundus tradat eum in manus tertij hominis, & tertius tradat eum in quarti, & ipſe quartus ducat eum in quadriuium, & tingat in Vvadia, & Giſiles ibi ſint.* Cuius legis exotica verba exponit Lemaiſtre *lib.de iurib. eccleſ. cap.8.* Illis verò nullas operas imponebant, quibus libertatem præſtabant, vt clerici fierent ad votum Regis. De primis egi *in cap.1. hoc tit.* de ſecundis, qui apud ipſos Longobardos, *Impantes*, dicuntur, ita habetur *dict.tit.35.l.1. Qui per Impans, id eſt in votum Regis dimittitur, ipſa lege viuat, ſicut qui Amundus factus eſt, & cum eo patronus viuat tanquam cum fratre, ac cum aliis parentibus liberis.*

4. EXPONITVR CAP. 2. DE CONDIT. APPOS.

Licèt ſeruis manumiſſis vt clerici fiant, patroni nequeant operas fabriles, ſeu officiales imponere, vt probaui *in cap.1. hoc tit.* tamen cùm nulla detur indecentiæ ratio, ſi liberti ſacris initiati operas ſpirituales in patronos impendant, ideò patroni ab eis operas ſpirituales ſtipulari poſſunt, vt pro huius textus interpretatione docent Suarez *de cenſur. diſput.51. ſect.3.* Gibalinus *de irregul. cap.3.* D.Antonius de Garaña *in cap. final. de donat.* quas operas vt adſtrictiùs cogantur patroni ſoluere, in præſenti ſtatuitur, vt ſi eas præſtare renuerint, degradentur, & in priſtinam ſeruitutem reuocentur. Sed contrarium probari videtur *in cap.2. de condit. appoſ.* vbi probatur, quendam Diaconum duos ſeruos manumiſiſſe ea lege & conditione, vt monachi fierent (quæ pactio admittitur ex traditis *in cap. final. de pactis*;) aliàs ſeruituti reſtituerentur. Vnus ex eis monaſterium deſeruit, & cum clericis ſe aſſociauit: quæſitum fuit, an ideò reuocandus eſſet ad ſeruitutem? Et reſpondet Gregorius Magnus, curandum eſſe, vt voluntas manumittentis non negligatur, non autem reuocari in ſeruitutem. Ex quo textu colligitur, etiam adiecta conditione reuocandi libertum ad ſeruitutem, iterum ad eam redire non poſſe: igitur non rectè in præſenti aſſeritur, ſeruum manumiſſum ex pacto, vt ſpirituales operas perſolueret, in earum ſolutione ceſſando reuocari in ſeruitutem. Pro huius textus expoſitione dicendum eſt, in eo agi de liberto iam religioni per profeſſionem mancipato, quam ſi deſerere velit, cogendus eſt ad eam redire, & in ea perſiſtere, vt ſic monaſterium non deſeratur, & voluntas manumittentis adimpleatur: in noſtro verò caſu Eccleſiæ acquiſitus non erat, quare ex ſuprà traditis debebat in ſeruitutem reuocari latiùs textum illum exponemus *in cap.19.de ſimonia.*

CAPVT V.

Alexander III. *Archiep.* [a] *Turon.*

CONſuluit. *Et infrà*: Conſ. t. t. reſpond. quod neque [b] ſpurios, neque ſeruos ordinare debes. Et ſi memores, in conſecratione tibi [c] dictum fuit: Vide ne quemlibet ſeruilis conditionis ad ordines promouere præſumas.

NOTÆ.

1. a TVron.] Suſpicor legendum eſſe *Tolet.* vt *in cap. conſuluit 1. de appellat. cap. conſuluit, de Iudæis*, vbi (ni fallor) ſunt aliæ partes huius deciſionis, & authorem habent Alexandrum noſtrum III. Retentâ ergo eâ lectione, *Alexandro III. Archiep. Tolet.* ſciendum eſt, Toletum Hiſpaniæ noſtræ vrbem primariam eſſe, quam ita deſcribit Philippus Ferrar. *in Topograph. Nou. SS. fol.125.col.2.* ſic: *Ad Tagum fluuium circumfluentem, nouæ Caſtellæ caput, ampliſſima Metropolis, vmbilicus Hiſpaniæ, vrbs ampla, & Regia nobiliſſima, cuius Cathedralis Eccleſia maxima, auro, gemmis ornata, auguſtiſſima eſt omnium Eccleſiarum, non modò Hiſpaniæ, ſed & totius orbis ditiſſima, vt anſim affirmare, Archiepiſcopum Toletanum, qui*

Primas

Primæ eſt Hiſpaniæ, tot redditus habere, qui omnes Epiſcoporum Italiæ redditus in vnum collectos ſuperent. Id etiam certum, plus ab Archiepiſcopo Toletano ſolo poſſideri, quàm ab omnibus Epiſcopis Galliæ ſimul acceptis: tanta fuit Regum Hiſpaniæ erga Eccleſias ſuas pietas. Eam conſtructam fuiſſe à Tubale referunt Granados *in ſerm. de dedicat. Eccleſiæ, fol. 7. & 9.* Ortiz *de templis Toleti.* A Chaldæis tradunt Arias Montanus, Garibai. & alij relati à Franc. Piſa *lib. 1. hiſt. Tolet. cap. 3.* Epiſcopum accepiſſe à D. Iacobo Apoſtolo ibi adueniente, latè probant Viuar. *ad Flauium Dextrum, anno 36. num. 137.* D. Didacus Caſtejon *lib. 1. Primatiæ Toleti, part. 1. cap. 6.* Tamayo *in notis ad Dextrum, cap. 13.* Mauro-Caſtella *in hiſtor. D. Iacobi, lib. 1. cap. 20.* Mendez de Silua, Hieronymus Higuera, & alij relati à Quintanaduenas *in Sanctis Tolet. cap. 1.* Eius Eccleſiæ Primatiam latè adſtruemus *in cap. coram, de in integrum reſtit.* Cerebruno igitur eius Eccleſiæ Præſuli miſſa eſt hæc deciſio; ipſe enim temporibus Alexandri III. eam rexit Eccleſiam, vt in catalogo Præſulum Tolet. Eccleſiæ refert Tamayo *tom. 5. martyr. Hiſpan. die 25. Octobris.*

b *Spurios.*] De his egi *in cap. 1. de filiis preſbyter.*

c *Dictum fuit.*] Hæc admonitio repetitur in cæremoniali Ratoldi; in nouiſſimis verò non reperitur. 2.

CAPVT VI.

Innocentius III. [a] *Varienſi Epiſcopo.*

EO libentiùs. *Et infrà*: Adieciſti aliam quæſtionem, an illorum filij, qui Eccleſiæ ſeruili conditione tenentur, traditi à parentibus militiæ [b] clericali cum ſuorum conniuentia dominorum, vt in eadem Eccleſia debeant deſeruire, aſſequentes propterea libertatem, poſt tempus eâ relictâ poſſint ad aliam ſe transferre? In quo credimus diſtinguendum, vtrum eo tenore fuerint [c] manumiſſi, & oblati ordini clericali, quod [d] manumittenti Eccleſiæ dum vixerint, debeant impendere famulatum in [e] obſequiis diuinorum, & tunc transferendi ſe ad aliam eſt eis licentia deneganda: vel manumiſſi extiterint abſolutè, ſicque libertatem habeant ad aliam tranſeundi.

NOTÆ.

1. a *Varienſi.*] Seu Vacienſi, vt legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. vnico.* Vacienſis Epiſcopatus eſt in Vngaria ſuffraganeus Strigonienſis.

2. b *Militiæ clericali.*] *Cap. 1. de vita & honeſt. cleric. lib. 6. cap. 1. de renunc.* vbi aliqua de ratione huius nomenclaturæ dixi.

3. c *Manumiſſi.*] Conditio in manumiſſione poteſt adiici, vt deſeruiat certæ Eccleſiæ, quia talis pactio nullam ſimoniæ labem continet, vt latè probat Anguianus *lib. 4. de legibus, cap. 7.*

4. d *Manumittenti Eccleſiæ.*] Eccleſiam appellat manumittentem Innocent. III. quia in Eccleſia manumittebantur, iuxta dicta *in c. 1. hoc tit.* & ipſa patrona remanebat eorum, vt dixi *in cap. 3. hoc tit.*

e *Obſequiis.*] Frequenter enim olim à deuotis fidelibus ſeruos manumittentibus adiiciebatur ea conditio, vt perpetuò certæ Eccleſiæ operas impenderent; qui liberti poſteà nec à manumittente, nec ab eius hærede quoad iuſpatronatus, ſiue vt operas ſibi præſtarent, compelli poterant, *l. 18. tit. 7. lib. 5. legum Viſigoth.* ibi: *Quoſlibet de quorumcunque libertis, aut ſpecialiter de eccleſiaſticis, dignitas ſublimauit honoris, aut præfixis Sanctorum locis deputauit, vel ordo religionis, vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominum patrocinium reducendi contentione qualibet hæredis.* Si ergo hæc obſeruabantur in liberto laico præſtante operas Eccleſiæ ex oblatione domini; quantò magis ſerui manumiſſi, vt clerici fiant, & miniſtrent in certa Eccleſia, in eius ſeruitio perpetuò debent manere, nec ab ea recedere poſſunt. 5.

CAPVT VII.

[a] Idem.

MIramur non modicum, cùm certum ſit in conſtitutionibus [b] antiquorum, quando ſerui in gradus eccleſiaſticos ordinati, debeant in ſeruitutem, vel non debeant reuocari. *Et infrà*: De ſubdiaconali ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum ſtatutis expreſsè, videtur nobis, quod & is cum diaconali gradu priuilegio gaudet eodem. Nam licèt ſacer ordo non reputaretur in Eccleſia primitiua, tamen à conſtitutione Gregorij, atque [c] Vrbani ſecundùm moderna tempora ſacer gradus eſſe minimè dubitatur.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Textus hic in hac ſexta collectione tribuitur Innocentio III. ſed nec inter eius epiſtolas hucuſque editas, nec in vlla ex collectionibus epiſtolarum ipſius reperitur. De hoc autem textu, & aliis ſex in hoc volumine compilatis ſub nomine Innocentij III. Tancredus, qui notas ſcripſit *ad 3. collect.* in fine ipſius ita lectorem monet in fine operis: *Quidam affectionis ardor ſcholaſticæ me cogit, vt quaſdam Decretales, quas ſub nomine Domini Innocentij III. habent ſcholaſtici, tanquam non ſuas reſpuatis; neque enim in regiſtris eius continentur, neque ab eo editæ comprobantur, ſicut ore ad os ab eo accepi. Quarum vna*

est de seruo in Subdiaconum ordinato, qui priuilegio asseritur eodem gaudere cum clerico. Secunda de Subdiacono eligendo, in qua dicitur, quod ad hoc non vidimus aliquem reprobatum. Tertia de dote, vbi dicitur, quod qui fortè de matrimonio cognouisti, & de dote cognoscere valuisti. Quarta de clericis, qui renuunt ordinari; vbi dicitur, quod eis beneficia auferantur. Quinta de sacramentis extortis, vbi dicitur, quod illi, qui ea præstiterunt, penitus obseruare tenentur. Sic & de quibusdam aliis accipite. Prima prædictarum, quæ incipit, Miramur: secunda, Ex literis: tertia, De prudentia: quarta, Quæris: quinta, Super consultatione: Sexta, Tametsi iuri non repugnat: septima, Penè suaue est. Omnes autem, quæ in hoc opere continentur, in regiſtris eius à primo anno vsque ad duodecimum noueritis contineri. Refert hoc Tancredi testimonium Anton. Augustin. *in prætermissis ad collectionum notas, in fine.* Sed cùm tam præsens decisio, quàm aliæ, quæ à Tancredo indicantur, & à nobis suis locis exponentur, compilatæ reperiantur in hoc Decretalium volumine à Gregorio IX. approbato, ambigendum non est, eas esse authenticas; siquidem licèt de auctore non constet, volumen tamen hoc authenticum est: & sufficit, etsi auctoris incerti fragmentum reperiatur, quod sit in volumine authentico, vt authenticum iudicetur. Probat latè Pater Redanus *in comment. ad Machabæorrum librum, in apparatu.*

b *Antiquorum.*] *Cap. ex antiquis, 54. dist.*

c *Vrbani.*] Vt latè probaui *in cap. à multis, de ætat. & qualit.* 2.

CAPVT FINALE.

Gregorius IX. *Archiep.* [a] *Neapolitano.*

Dilectus filius G. Diaconus proposuit, quod I. miles ea occasione, quòd patrem ipsius [b] hominem seruum esse proponit (licèt mater sua, cuius debet imitari conditionem, & libera esse noscatur) ne promoueatur in Presbyterum, impedire præsumit. Quocirca mandamus, quatenus si tibi constiterit de præmissis, eundem militem ab huiusmodi impedimento cessare compescas.

NOTÆ.

1. a *Neapolitano.*] De origine & amplitudine vrbis Neapolitanæ, latè egi *in cap. 2. de constit.*

b *Hominem.*] In iure Cæsareo homines appellantur procuratores, actores, custodes, emphyteutæ, *l. 2. Cod. de Episcop. & Cleric. l. 4. Cod. de dignit. lib. 12. l. 2. Cod. de conductoribus & procurat. prædior. fiscal. l. final. Cod. vt nullus ex vicaneis:* in libris verò feudalibus homines appellantur vassalli, qui feudum à domino acceperunt, & illi homagium, siue hominium iurarunt. Hothomanus, & alij de verbis feudalibus agentes, verbo *Homo.* In legibus Vvisigoth. & Longobardor. illi homines appellantur, qui sunt seruilis conditionis, *l. 6. tit. 2. lib. 3. l. 18. tit. 1. lib. 9. legum Longobard.* probat Fridericus Lindembrogius *in Glossario legum antiquar. verbo homo.* Qua in significatione homo accipitur in præsenti, & apud Ioannem VIII. R. P. *epist. 299.* Anselmo Episcopo, ibi: *Quidam sceleratus Longobardus nomine N. homo Vvidonis Marchionis.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO PROBATVR. EX hac Gregorij IX. decisione sequens deducitur assertio. *Natus ex libera matre, patre autem seruo, liber nascitur.* Probant eam textus *in cap. final. 32. quæst. 4. cap. licèt 3. de coniugio seruor. cap. vnico, de natis ex libero ventre, l. 5. §. ingenui, l. lex 24. l. Imperator, ff. de statu hominum, l. huiusmodi 84. §. legatum 10. ff. de legat. 1. l. cùm pater 77. §. cùm inter 28. de legat. 2. l. partum, C. de rei vind. l. neque 10. Cod. de probat. l. libertina 9. Cod. de ingen. manumiss. l. 3. Cod. solut. matrim. l. 6. C. de suis & legit. l. auia 28. l. final. Cod. de liberali causa, princip. Instit. de ingenuis.* Vlpianus *in frag. tit. 5. §. ex eiue,* Paulus *lib. 2. sentent. tit. 25.* Consonant de iure Regio textus *in l. 1. tit. 14. partit. 4. l. 2. tit. 21. ead. part.* Illustrant Cuiacius *lib. 4. obseru. cap. 28. & in l. 2. ff. ne de statu defunct.* Faber *in Papian. tit. 4. per totum,* & in rationali ad textus *in l. 25. & 28. ff. de statu hominum,* Carranza *de partu cap. 3. §. 3.* Benitez *in cap. vnico de natis ex libero,* qui plures congerunt, quibus addendi sunt Anton. Faber *lib. 4. coniect. cap. 29.* Sarmientus *lib. 1. select. cap. 5.* noster D. Franciscus de Amaya *in l. 29. & 36. Cod. de Decurionib. & lib. 2. obseru. cap. 6.* Basilius *lib. 11. de matrim. cap. 3.* Leo Pinellus *in cap. per venerabilem, num. 266. qui filij sint legitimi,* Grotius *de iure belli lib. 2. cap. 5. num. 29.* Lælius Mancinus *lib. 1. de triplici iure, cap. 75.* Opingius *de iure insignium, c. 7.* Fornerius *lib. 1. select. cap. 7.* Hunnius *ad Treutlerum volum. 1. disput. 2. thesi 50.* Pichardus *de nobilit. commun. n. 93.* claudat agmen D. Iosephus Fernandez de Retes *tom. 2. opuscul. lib. 8. cap. 5.*

Aduersus hanc assertionem ita illustratam pro dubitandi ratione ita insurgi valet: Licèt enim verum sit, in filiis vulgò quæsitis, & extra matrimonium natis, partum quoad statum matris conditionem sequi; tamen cùm filij legitimi, & ex legitimo matrimonio procreati sunt, non matris, sed patris conditionem sequuntur, *l. cùm legitimæ 19. ff. de statu hominum,* Vlpianus *in fragm. tit. 5. §. ex eiue, l. eos 22. l. exemplo 36. l. nullus 44. Cod. de Decur. lib. 10. l. 1. §. qui ex duobus, ff. ad municip. l. Senatorum 6. l. liberos 10. ff. de Senatoribus,* plura Carranza *dict. cap. 3. §. 3. num. 4.* quod & diuersarum gentium legibus firmatur. In Italia enim, vbi nostri textus casus contigit, proles ex matrimonio suscepta patrem sequebatur, *cap. licèt, de coniugio seruorum.* Apud Saxones idem obseruari constat *ex l. 16. tit. 1. ipsorum.* Apud Vvisigothos *ex l. 3. tit. 11. lib. 3. l. 4. tit. 5. lib. 7. l. 9. tit. 1. lib. 16. legum Vvisigoth.* Apud alias nationes idem obseruari probat Grotius *de iure belli lib. 2. cap. 5. num. 29.* sed in hoc textu agebatur de filio nato ex coniugio, aliàs ob potissimam causam, videlicet quia spurius erat, ordinari non poterat, *cap. consuluit, hoc tit.* igitur si in præsenti agebatur de filio in matrimonio nato, non matris, sed patris conditio attendi debebat. 3. RATIO DVBITANDI.

Pro

Pro huius textus, & eius decisionis plena interpretatione sciendum est, ingenuos homines aut
4. INGENVI QVI SINT. nasci, aut fieri: ingenui nascuntur ex liberta, ingenuáve, *l.& seruorum, ff.de statu hominum, l.cùm pater* 77.§.*cùm inter* 28.*ff.de leg.*2.*l.quod ex libera* 11. *Cod.de operis libert.nouella* 54. *Iustiniani.* Qui nascitur ex libertinis ingenuis, ingenuus nascitur; qui ex libertis Latinis, ingenuus Latinus. Paulus *lib.*4. *sentent. tit.*4. §. *Latina*; & ingenui ita perseuerant, si seruitutis iugum nunquam sint experti, vt docet Harmenopulus *lib.*1. *prompt. tit.*18. Qui enim ex matre libera nati sunt, si postea serui efficiantur, & manumittantur ex vera seruitute, pristinæ ingenuitati non restituuntur, *l.homo liber* 21. *ff. de statu hominum, l.cum pacto* 40. *ff. de liberali causa, l.seruus legatus* 27. §.1. *ff.de adimend. legat.* Donellus *lib.*2. *comment. cap.*11. Paulus Zacchias *tit.*2. *quæst. Medico-legal. quæst.*2. quare ita manumissi excluduntur à successione cognatorum, *l.*1.§. *filio, ff. ad Tertyllian.* Pinellus *lib.*2.*select. cap.*7. *num.*19. quia tunc ex vera seruitute manumissi sunt, & non illis manumissio officit, sed seruitus præcedens, §.*vlt. Inst. de ingenuis.* Quomodo autem vera seruitus liberis hominibus contingat, breuiter videamus? Et primò seruitus contingit captiuitate, *l.*4.*ff. de iustitia & iure, l.adeo* 7. *ff. de acquir. dominio*, Grotius *lib.*3. *de iure belli, cap.*6. dum bellum publicè indictum sit, non autem si à latronibus, vel pyratis, aut in ciuilibus dissensionibus homines liberi capti fuerint; nam tunc liberi manent, *l.hostes, ff. de captiuis*, Cicero *lib.*3. *offic. l.*4. *Cod. de ingenuis manum.* item liber homo, qui sciens, prudensque maior viginti annorum ad pretium participandum se venundari patitur, *l.*1. *ff.& Cod. quibus ad libertatem proclamare:* item ex Senatusconsulto Claudiano mulier, quæ serui amore bacchata alieno seruo se coniunxerit, ancilla manet, *l.Lucius* 27.*ff. depositi, l.vnica, C.de SC. Claudiano, l. vlt. Cod. de seruis fugit.* dicemus infrà *in tit. de coniug. seru.* Item qui tenebantur profiteri censum singulis lustris, si eam professionem omittebant, serui efficiebantur. Vlpianus *in fragm. tit. de tutelis*, §. 11. Cicero pro Cecinna. Item milites, qui ad delectum non respondebant, id est præceptis factis à Duce, siue Imperatore non obtemperabant, tanquam proditores libertatis in seruitutem reuocabantur, *l.*4.§.*grauius, ff.de re milit.* Valerius Maximus *lib.*1. *cap.*3. Lipsius *de militia Roman. ad Polybium, dialogo* 4. Tandem in metallum, latumias, opusve metalli dati, serui olim fiebant atrocitate sententiæ, *l. aut damnum* 8. §. *est pœna* 4. *ff. de pœnis*, tunc scilicet, cùm in perpetuum damnati erant, non si ad tempus; & si ab illo, qui ius dandi habebat, dati erant, *dict. l.*8. §. *in ministerium*, & §. *Præfecti.* Quod in melius mutauit Iustinianus *nouella sua* 22. *cap.* 8. disponens nullum aliàs liberum ex sententia seruum fieri; quæ verba fefellerunt Donellum *lib.* 2. *comment. cap.* 9. vt existimaret, adhuc post prædictam constitutionem libertinæ conditionis homines sententiâ. & supplicio seruos posse fieri: consensit illi Faber *in Iurisprud. tit.*4. *princip.*1. *illat.*8. quamuis *tit.*11. *princip.*6. *illat.*5. *versic. Obseruandum*, de hac re agens silentio disputationem prærerierit. Item id probat Donellus *ex cap.* 9. *dictæ nouellæ*, ibi: *Si verò decretum iudiciale libertum, aut libertam, aut horum filios in seruitutem redigat.* Quibus verbis rem actam putauit Donellus, qui dictam sententiam priùs ab Accursio habuit *in dict. cap.*8. *verbo Benè*

natorum: sed quàm malè, probo sic. Iustinianus id in animum induxit, vt vellet nullâ sententiâ fieri aliàs liberum, seruum, vt sic etiam libertinum comprehenderet: quid enim huic nocitura erat seruitus anteacta? præsertim quia Iustinianus natalibus ingenuis exæquauit libertinos, nouellâ suâ 80. Sensus ergo prædictorum verborum est, libertum, libertámve, seu eorum filios ob ingratitudinem in seruitutem redigi; non verò aliàs ex delicto seruitutem irrogari. Quæ sententia etiam suadetur ex versione Iuliani Patricij *nouellâ sibi* 36. *cap.* 2. vbi enumeratis causis, quibus nuptiæ dissoluuntur per seruitutem, illa, de qua hîc, præteritur: igitur quia hæc non fuit causa detrudendi hominem liberum in seruitutem. Nec multùm pro Donello faciunt illa verba, *si verò, &c.* nam decretum illud non est accipiendum pro pœna capitali, qua libertus sit damnatus in metallum; sed pro sententia reuocante ob ingratitudinem libertos patres, & filios vnà manumissos in seruitutem, vt eleganter probabis ex Iuliano *dict.cap.*2. ibi: *Fortè enim libertini constituti ingrati contra suum patronum extiterunt.* Et ex libris Basilic. 2. *part. tit.*7. *in fine*, ibi: *Si iudicis sententiâ libertum, aut libertam, aut eorum filios propter ingrati animi crimen in suam dominus redegerit seruitutem.*

Si autem ingenui nati non ex vera seruitute, sed ex vmbrata manumissi sint, non officit illis manumissio, & ita ingenui manebunt, vt contingit in filiis sanguinolentis à patre venditis ob nimiam egestatem, *l.*2. *Cod. de patribus qui filios*, Paulus *lib.*1. *sentent. tit.*1. §.1. *l.vnica, Cod. Theodos. de patribus, l.finali, eod. Cod. de alimentis, l.vlt. Cod. de patria potest.* vbi libertas accipitur pro ingenuitate, vt *in l.homo* 21. *ff.de statu hominum, l.cùm pacto* 40. *ff. de liberali causa*, post Reuardum *ad leges XII. Tabul. cap.*3. Goueanum *lib.*1. *variar. cap.*17. notauit Osualdus *ad Donellum lib.*2. *comment. cap.*10. *littera B.* Tales enim filij postea redempti pretio dato ingenui manebant: docent Cuiacius *ad Paulum dict. tit. de tutelis*, Gentilis *de bonis maternis cap.*2. Balduinus *ad leges Romuli, cap.*17. Narbona *de ætate, anno* 1. *quæst.*8. & *anno* 3. *quæst.*2. Petrus Gregorius *lib.*12. *syntagm. cap.*8. Fornerius *in l.*35.*ff.de v.s.* Hunnius *lib.*1. *var. tract.*2. *quæst.*15. Cabreros *de metu lib.*2. *cap.*1. Vviseмb. *disput.*6. *thesi* 9. Acacius *de priuileg. parentum, priuileg.*21. D. Ioannes de Larrea *disput.*9. *num.*10. & 21. Osualdus *lib.*2. *comment. Donelli, cap.*19. Idem contingit in debitoribus ex causa debiti creditoribus addictis, de quibus latè agam *in cap.* 2. *de pignoribus*; isti enim quamuis per addictionem in seruitutem redigerentur, non tamen libertatem, hoc est ingenuitatem, amittebant, *l. vxori* 24. §. *vlt.ff. de vsufructu legato, l.* 4. §. *Stichus, de statuliberis.* Etiam idem est in filiis noxæ deditis, quod olim licuit parentibus. Paulus *lib.*2. *sentent. tit.*31. §. *filius:* posteà enim noxæ datâ æstimatione ingenui manebant. Papinianus apud Licinum Rufinum *tit.*2. *collat. legum Mosaicar.* vbi Pitheus; obseruauit eruditus D.Ioseph de Retes *lib.* 8. *opusc. cap.* 3. & notauit D.Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. lib.*2. *cap.*2. *sect.*3. *num.*36. cuius veteris deditionis vestigium odoratur Cuiacius *lib.*13. *obseru. cap.*9. & *lib.*2.*qq. Papin.in l.sanctio* 41. *ff.de pœnis.*

5. DE INGENVIS MANVMISSIS.

6. QVANDO EX ANCILLA INGENVVS NASCATVR.

Igitur ex libera ingenui nascuntur; ex ancilla verò serui. Theognides Græcus ita ab Vvesembac *vbi suprà*, versus.

Non etenim rosa è squilla oritur, aut hiacynthus;
Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

Nisi in illis tribus casibus à Fabro animaduertis *in Papin. tit.4. princip.1. in fine.* Primus, cùm libertate fideicommissariâ ancillæ relictâ, hæres moram fecit in libertatis præstatione; tunc enim si ancilla filium ediderit, ingenuum parit, *l.1. §. 1. ff. de suis & legit. hæred.* si petita libertas fuit, *l.cùm verò 26. §.apparet, ff. de fideicomm. libert. l.3. Cod. si mancipium ita fuerit,* Cuiacius *ad tit. Cod. ad Orphicianum, & de fideicommissariis libert. l.cùm Syllanianum 11. Cod. de his quæ vt indignis, l.vlt. C. ad Orphicianum,* Cuiacius *tract.7. ad Afric. in l.cùm qui 38. §. qui hominem, ff.de solutionib.* Secundus casus est cùm ventri libertas data est; licèt enim olim, quia ex lege Caninia libertas certis personis dari non poterat, fœtui relinqui libertas nequiret, Cuiacius *ad tit. Cod. de lege Fusia Caninia*; SC. tamen Orphiciano prouisum fuit, vt fœtui dari possit. Paulus *lib.5. sent. tit.14. in princip.* & Iustinianus in sua noua constitutione relata *in l.cùm inter, Cod. de fideicom. libert.* omne dubium sustulit, statuendo, vt ventri tam directa, quàm fideicommissaria libertas relinqui posset. Docent Carranza *de partu cap.2. §.1. illat.9.* Cuellar. *de manumiss. 2. part. num.35.* Narbona *anno 1. quæst.14. & anno 10. quæst.16.* Raguellius, Merillus, & Linglois *in dict. l.cùm inter,* Faber *in Papin. tit.4. princip.3. illat.3.* Tertius casus consideratur in filio captiuæ apud hostes concepto, & nato, qui si cum parentibus, alteróve eorum ad ciuitatem rediret, licèt summo iure ingenuitatem, quam nunquam habuit, recuperare non possit; ex æquitate tamen ingenuus manet, *l.si statulibera 6. §.1. ff.de statuliberis, l.commercio, Cod. de postliminio reuersis, l.1. §.interdum, ff. ad Tertyllianum.* quem casum doctè exponunt D.Iosephus de Retes *lib.6. opusc. cap.9.* Benitez *in dict. cap. vnico, de natis ex libero, num.74.* Huic alius similis casus est, cùm filius nascitur ex captiua redempta ante luitionem; cùm enim redempti status pendeat, ac captiuus iure pignoris apud redemptorem sit, *l.verùm 20. §.vlt. ff. de captiuis, l.qui testamento 20. §. potestatis, ff. qui testamenta, l.2. 5. & 6. Cod. de captiuis, l.qui status 8. ff. de re milit.* Schifordeg. *ad Fabrum lib.3. tract.21. quæstion.7. & 8.* Balduinus *de pignoribus, cap.2.* Faber *in Papin. tit.3. princip.4. illat.3.* benigniùs receptum fuit, vt filius ex ipsa ingenuus nasceretur: probat D.Iosephus de Retes *dict. lib.6. opusc.c.13. num.2.* His alium annectit casum *ex dict. l.6. in princip.de statuliberis,* Benitez *vbi suprà, n.70.* alioque ab Interpretibus excogitatos refert Osualdus *lib. 2. comment. cap. 10. littera D.* Et D. Petrus de Auila Complutensis Professor nouum addit, cùm videlicet filius ex ancilla exsecto ventre nascitur, quem in quæstione de hoc casu speciali edita edisserit.

7. SVFFICIT LIBERTAS IN MATRE.

Nec interest, an pater seruus, vel liber sit, si mater libera reperiatur; quia quoad conditionem, statumque, matris, non patris conditio attenditur, & partus ventrem sequitur, *l.& seruorum 5. §.ingenui, l.Herennius 22.ff.de statu hominum, l.pactum 7. C.de rei vindic. l.placuit 42.ff.de liberali causa, l.nec dicitur 21. Cod. de agricolis, lib.11.* Pichardus *de nobilit. communic. num. 12.* Carranza *vbi suprà,* Amaya *in l.exemplo 36.Cod.de Decur. lib.10.num.18.* subtilissimus D.Ioannes à Gongora à consiliis Iustitiæ & Cameræ iamdiu acclamatissimus Senator, *in l.quidam 19. num. 7. ff. de manumiss. testam.* qui varias rationes huius principij reddunt. Nec desideratur vt filius ingenuus nascatur, quod tribus temporibus, conceptionis videlicet, medij temporis, & partus libera sit; sufficit enim vno ex his temporibus liberam fuisse matrem, ne eius calamitas seruitutis superuenientis noceat fœtui, qui in vtero est: vnde manumissa prægnans matrimonij causâ, si nuptiæ sequantur, filium ingenuum parit, *l. si minor 19. ff.de manumiss. vindicta.* Licèt enim secundùm iuris communis regulas in his, qui ex nuptiis suscipiuntur, conceptionis tempus attendatur, in vulgò quæsitis tempus editionis, *l.Imperator 18. ff.de statu hominum,* Vlpianus *in fragm. tit.5. §. vlt.* & sic natus ex ancilla, quamuis libera, tempore conceptionis, aut medij temporis seruus nascebatur, Caius *lib.1. instit.* tamen cùm super hac re inter Consultos altercaretur, vt docent Hothomanus *lib.4. obseru. cap.14.* Duarenus *ad tit.de statu hominum,* Connanus *lib.2. comment. cap.11. num.5.* Osualdus *lib. 2. Donelli, cap.10. littera E,* D.Petrus Medinilla *in rixis Consultorum, pag. 96.* placuit liberum nasci, *dict. l. & seruorum 5. princip. Instit. de ingenuis,* Paulus *lib.2. sentent. tit.24. in principio.* Docent Olano *lib.4. Paralip. cap.14.* & *lib.5. cap.10.* Vvisembac. *disput.5. num.13.* Reuardus *lib.5. variar. cap.13.* Goueanus *lib.2. variar. cap.11.* Osualdus *vbi suprà, littera E,* Basilius *de matrim. lib.11. cap.3.* Cuiacius *lib.17. qq. Papin. in l.fin. ff. de sententiam passis,* Benitez *in dict. cap. vnico, num.83.* qui laudat Fabrum, & Carranzam, Pichardus *de nobilit.num.93.* Quare textus *in l.3. §.vlt. ff.de suis & legitim.* dum ait, non videri in seruitute conceptum eum, qui ex ea natus est, quæ ante 182. dies, id est, secundùm Græcos, sex menses & duos dies manumissa fuit; non supponit necessarium esse tempus conceptionis, & editionis; tantùm enim vnum sufficit, vt latè pro eius textus interpretatione docet Benitez *vbi suprà, num.90.* Ob eandem etiam rationem subtiliter Triphoninus respondit *in l.Arescusa 16.ff.de statu hom.* in ea specie, cùm Arescusæ libertas relicta est sub conditione, si tres liberos ediderit, & vnum peperit, mox tres, vltimum liberum esse, quia eo tempore, quo quartus natus fuit, iam libera erat, & sufficit illud instans, vt filius liber nascatur: notat Pancirola *lib.2.variar.cap.6.*

8. EXPONVNTER L.5. DE STATV HOM. L. FINAL. DE SENTENT. PASSIS.

Sed huic principio aduersatur textus *in l.5.§.vlt. ff.de statu hominum,* vbi simul proponuntur, & deciduntur casus, cùm filius nascitur ex ancilla, & cùm nascitur ex ea muliere, quæ expulsa à ciuitate filium edidit; & simul asseritur filium liberum nasci, si medio tempore mater libera sit; sed qui ex expulsa à ciuitate nascitur, ex libera nascitur; quia deportatio libertatem non adimit, *l.1. §.8. ff.ad Tertyllian. l.2. §.1. de pœnis, l.deportatus 15. ff.de interdict.* D.Nicolaus Antonius *lib.2. de exilio, cap.12.* ergo. Cui difficultati, omissis solutionibus traditis ab Olano *lib.4. Paralip. cap.14.* & *lib.5.cap.10.* Goueano, qui textum emendat *lib.2. variar. cap.11.* Fabro *lib.20. coniect. cap.1.* Reuardo *lib. 5. variar. cap. 13.* quorum solutiones refert Vvisembachius *disput. 5. num.13.* dicendum est, Marcianum quoad casum ancillæ accipiendum esse de libertate, ita-vt affirmet ex libera natum medio tempore liberum nasci; quoad casum verò expulsæ à ciuitate, de ciuitate Romana, vt videlicet ciuem Romanum pariat, si medio tempore ciuis Romana fuisset. Comparatio igitur vnius casus ad alium non fit circa conditionem seruilem, sed circa qualitatem partus editi, vt quemadmodum filius

liber

liber nascitur ex ea, quæ ancilla concepit, si medio tempore libertatem assequatur, etsi tempore partus iterum in seruitute reperiatur; ita ciuis Romanus nascatur ex ea, quæ tempore conceptionis, & partus expulsa à ciuitate reperitur. Docent D. Nicolaus Antonius *dict. lib. 2. de exilio, cap. 11. num. 8.* D. Iosephus de Retes *lib. 1. de interdictis, cap. 3. in addit. num. 6.* Etiam aduersatur suprà traditis textus *in l. final. ff. de sententiam passis*, vbi deciditur, mulieri, quæ conceperat dum in ciuitate esset, & posteà in metallum damnata esset, tandemque à Principe restituta, humaniùs dici posse cognationis iura restituta videri. Ex quibus verbis liquet, natum ex ea, quæ libera concepit, ex humanitate iura cognationis obtinere: igitur quia non sufficit vnum ex tribus temporibus, & calamitatem matris filio nocere. Præsensit difficultatem Cuiacius *lib. 17. qq. Pauli in ea lege*, qui pro eius solutione affirmat, textum illum referendum esse ad ius antiquum ante constitutionem Antonini, de qua *in l. 4. Cod. de pœnis*; quo inspecto tempus natiuitatis attendebatur. Sed eum refellit Benitez *vbi suprà, numer. 100.* qui ait, Paulum supponere, filium in ea specie liberum nasci; sed propter damnationem matris iura cognationis amisisse, quia fisci ancilla effecta fuit, *l. aut damnum, §. pœna, ff. de pœnis:* vnde licèt beneficio Principis ipsa restituta esset, iura cognationis ex humanitate tantùm filio restituuntur in matrem.

9. DE NATALIBVS RESTITVTIS.

Hactenus egimus de ingenuis natis, nunc ingenuos factos breuiter percurramus. Duobus ergo modis ingenui fiunt beneficio Principis. Primò si à Principe liberti natalibus restituti sint, non propriis, sed illis, in quibus à principio omnes homines fuerunt, qui natales antiqui dicuntur, *l. 1. & 2. ff. de iure aureorum.* Per hanc natalium restitutionem ita libertus ad ingenuitatem perducitur, vt perinde habeatur, ac si nunquam seruitutis iugum sustinuisset, & passus esset, *l. vlt. ff. de natalib. restit. l. Imperialis, §. 1. Cod. de nuptiis, l. 3. §. 1. ff. de bonis libert.* vnde ad eius successionem patronus non admittitur, *l. 2. ff. de natalibus, dicta l. 3. §. 5.* Vnde nisi consentiente patrono libertus à Principe natalibus non restituitur, *l. 3. 4. & vlt. ff. de natalibus:* neque reuerentiam patrono debet, *l. sed si hac 10. §. 3. ff. de in ius vocando*, Pinellus *lib. 2. select. cap. 6. num. 23.* Hoc tamen ius omnibus libertis Latinis, excepto iure patronatus, concessit Iustinianus suâ nouellâ 78. notarunt Cuiacius *lib. 4. obseru. cap. 30.* Bertrandus Maurus *de iure liber. cap. 21. in fine.* Nec obstat textus *in l. libera 6. Cod. de suis & legitim. hæred.* vbi deciditur, natum ex libera, & seruo spurium esse, quamuis posteà patri libertas superueniat, & natalium restitutio: ergo quia natalium restitutio non reddit restitutum plenè ingenuum, aliàs filius eius legitimus nasceretur. Nam respondendum est, in ea specie filium illegitimum manere, quia tempore natiuitatis erat incapax legitimationis, cùm iure Romanorum inter seruum, & liberam personam non detur connubium; vnde non potuit restitui spurius ad illud tempus, in quo incapax erat legitimationis: docet Basilius *lib. 11. de matrim. cap. 3.*

10. DE IVRE AVREORVM ANNVLORVM.

Secundo modo, licèt non perfectè ingenui fiant, ingenuitatis tamen iura nanciscuntur liberti illi, qui ius aureorum annulorum à Principe impetrarunt, *l. 1. & per totum ff. & Cod. de iure aureor. annulor.* tantùm enim illi referebantur in ordinem equestrem, qui deponebant ferreum annulum, & aureum accipiebant. Statius Papinius *lib. 3. siluarum.*

Atque idem in cuneos populos cùm duxit equestres,
Mutauitque genus, leuæ que ignobile ferum
Exuit, & celso natorum æquauit honore.

Quem locum exponit D. Franciscus de Amaya *in l. 2. Cod. si seruus aut libertus, num. 49.* Suetonius *in Iulio, cap. 39. & in Galba cap. 10.* Tacitus *lib. 1. histor. Nec minor gratia Iulio Galbæ liberto, quem annulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant.* Alexander ab Alexandro *lib. 2. dierum Genial. cap. 29.* plura adducunt Amaya *in dict. l. 2.* Tiraquel. *in dict. lib. 2. dierum Genial.* Bulengerus *lib. 7. de Imperat. cap. 14.* Cuiacius *lib. 7. obseru. cap. 14.* Brissonius *ad leg. Iuliam, verbo Viro deprehenso.* Sed cùm iuspatronatus illæsum maneret, quia honor augebatur, non verò conditio mutabatur, *l. falsa 33. §. sed & si, ff. de condit. & demonstr.* ideò reuerentiam patrono præstat talis libertus, *dict. l. sed si hac, §. 3. ff. de in ius vocando:* in adulterio deprehensus occidi potest, *l. si is qui ius 41. ff. ad leg. Iul. de adult.* patrono occiso æquè torturæ subiicitur, sicut alius libertus, *l. idem 11. ff. ad Syllanian.* patronus ei succedit, *l. penult. & vlt. ff. de iure aureor. l. etiam, ff. de bonis libert.* ius enim aureorum annulorum imaginem duntaxat, non statum ingenuitatis præstat, *l. 2. Cod. de iure aureor. l. vnica, Cod. ad leg. Visellam;* & qui illud impetrauit, pro ingenuo habetur, sed non est, *l. vlt. ff. de iure aureor.* Vnde non excusatur à tutela patroni, eiusve filiorum, *l. libertum 14. §. 2. ff. de excusat. tutor.* ab extraneorum verò tutela, quia quoad eos pro ingenuo habetur, excusatur, *l. cùm & ratione 44. §. 1. ff. de excusat. tutor.* & quoad nuptias cum Senatoris filiabus pro ingenuo habetur, *l. vlt. ff. de iure aureor.* Princeps enim hoc ius concedendo, non minuit iuspatronatus; sed quæ sunt iuris publici, concedit, vt contingebat in Latino, cui ius ciuitatis à Principe concedebatur; si enim ignorante patrono illud impetrabat, vt ciuis Romanus vitam agebat; decedebat verò vt libertus Latinus. Vlpianus *in fragm. tit. 3. §. 1. & 2. §. vlt. Instit. de successione libert.* non enim Princeps in patroni dispendium beneficium concedit, *l. 4. Cod. de mancip. liber. l. 1. Cod. Hermogen. de testam.* quare Imperator Commodus ab illis, qui inuitis, vel ignorantibus dominis ius hoc impetrarunt, ademit illud, *l. Diuus, ff. de iure aureor.* in qua parte obseruandi sunt textus *in l. 2. Cod. de bonor. possess. contra tabul. l. 3. §. 2. ff. de bonis, libert. l. 7. ff. vnde cognati, l. vnica, Cod. quando ciuilis actio, l. qui tutelam 28. §. finali, ff. de testam. tut. l. 8. §. sed si 3. ff. de in ius vocando, l. falsa 33. §. 2. ff. de condit. & demonst. l. idem 11. ff. ad Syllanian. l. ingenuum 25. ff. de statu hominum, l. si is qui 42. ff. ad leg. Iul. de adult. l. 1. si ingenuus liber esse, l. libertum 14. §. 2. l. nequaquam 24. l. cùm ex oratione 44. ff. de excusat. tut. l. libertus 14. ff. de tutor. & curat.*

11. EXPONITVR L. 2. C. DE BONORVM POSS. CONTRA TABVLAS.

Solet aduersùs suprà tradita opponi textus *in in l. 2. Cod. de bonorum possess. contra tabulas liberti*, vbi statuitur, patronum liberti muneribus electi ad bonorum possessionem non admitti: igitur nec ad successionem illius liberti, qui ius aureorum annulorum impetrauit, admitti valet. Sed an rectè ita expendatur, lectoris iudicium sit; in eo enim tantùm deciditur, patronum eligentem, & exigentem munera, & operas à liberto, non

admitti ad bonorum poſſeſſionem liberti : quod ex eo prouenit, nam patronus non poteſt à liberto munera, & operas exigere, niſi promiſſas tempore manumiſſionis, *l. opera, ff. de operis libertor.* aut iureiurando poſtea promiſſas, *l. vt iuſiurandum, l. ſed ſi libertinus 37. ff. de operis libert.* & ſi patronus eligat operas, muneráve, videtur renuntiaſſe iuri ſucceſſionis, vt contingit in patre, qui à filio emancipato aliquid accepit, ne eius iudicium inquietaret, *l. 1. §. ſi parens, ff. ſi quis à parente.* Similiter ergo patronus eligendo, & exigendo munenera, & operas, excluditur à ſucceſſione. Donellus *in dict. l. 2.* vbi etiam Cuiacius exiſtimat, patronum elegiſſe operas, quas à liberto conſequi poterat, ab eius hærede, & eo caſu non admittitur ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas. Secundò ſolet opponi textus *in l. 2. ff. de iure aureor. annul.* in illis verbis : *Libertinitatis quoad viuunt.* Ex quibus deducitur, etiam per ius aureorum annulorum ſtatum libertinitatis conſeruari. Sed omiſſa ſolutione Iulij Pacij *centuriâ 6. quæſt. 86.* Fabri *in Papin. tit. 4. princip. 1. illat. 4.* Cuiacij *in l. 1. Cod. ſi ſeruus, aut libert.* dicendum eſt, ſtatum libertinitatis etiam poſt ius aureorum annulorum impetratum, quoad obſequium patrono debitum conſeruari, non verò quoad cætera patronatus iura, *dict. l. ſed ſi hac, §. 3. ff. de in ius vocando.*

12. INGENVOS QVIS FACERE POSSIT.

Natalibus autem reſtituere, aut ius aureorum annulorum concedere tantùm poteſt Princeps, *l. vnica, Cod. ad legem Viſellam*, ibi, *Impetrato à Principe*; *dict. l. ſed ſi hac 10. §. 3. de in ius vocando*, ibi : *Nam Princeps ingenuum facit, l. 1. ff. de natalibus, l. penult. ff. de decurion.* Priuatus enim iura ingenuitatis concedere non valet. Sed in hac re reperitur celebris antinomia textus *in l. eum qui 27. ff. de ſtatu hominum*, cum lege *ſciendum 32. ff. de ritu nuptiarum.* In lege vltima aſſeritur, patronum adoptando libertum, ingenuum facere non poſſe ; at verò *in dict. l. ſciendum 32.* contrarium docetur, videlicet libertinum, qui ſe ingenuo dedit adrogandum in eius familia, iura conſanguinitatis conſequi. Pro huius diſſidij, & antinomiæ Conciliatione ſciendum eſt, libertinum, qui ſe dedit ad adrogandum patrono in eius familia, iura ingenuitatis conſequi, *dict. l. ſciendum* ; extraneæ verò perſonæ ſe dare in adrogationem non poſſe, ne iure ſuo manumiſſor fraudaretur, *l. vlt. ff. de adopt. l. liberto, ff. de bonis libert.* Cuiacius *in dict. l. ſed ſi hac 10.* & ſi conditione ſuâ relatâ ſe dederit in adoptionem, iuſpatronatus integrum, illibatumque remanet, *dict. l. ſed ſi lege, §. patronum, l. 1. §. nepos, ff. ſi quis à parente patrono in arrogationem libertus dari poterat, l. cùm eum 3. l. in adoptione 8. Cod. de adoptionib.* & conſequitur iura ingenuitatis quoad patronum, eiuſque familiam conſequebatur, *dict. l. ſciendum 32. ff. de ritu nuptiarum*, Maſurius Sabinus relatus ab Aulo Gellio *lib. 5. noctium, cap. 19.* ibi : *Libertinos verò ab ingenuis adoptari poſſe Maſurius ſcripſit ; ſed id neque permitti dicit, nec permittendum eſſe vnquam putauit, vt homines libertini ordinis per adoptionem iura ingenuorum inuadant.* Alioquin inquit, ſi iuris antiquitas iſta ſeruetur, etiam ſeruus à domino per Prætorem dari in adoptiouem poteſt. Sineſius *epiſt. 1.* ibi : *Quoad iura verò publica, aliorumve ingenuitatem non conſequitur.* Vnde Senatoris filiam ducere non poteſt, *l. vlt. ff. de ſtatu homin.* Faber *tit. 4. princip. 1. illat. 2.* Petrus Faber. *in l. 207. de reg. iuris.* Briſſonius *de ritu nuptiarum, pag. 136.* iuxta quam diſtinctionem ingenuitatis quoad familiam adoptantis, & quoad iura publica ingenuitatis reſpectu aliorum, accipiendi ſunt prædicti textus.

His animaduerſis ratio noſtræ deciſionis prouenit primò ex vſu, & iure apud varias nationes recepto ; nam apud Hebræos obſeruatum fuiſſe conſtat, vt filij conditionem matris ſequerentur; ſiquidem Iſmaël natus ex Abrahamo & Agar ancilla, ſeruus, non liber, natus fuit: probat Petrus Cuneus *de repub. Hebr. lib. 1. cap. 12.* quod ius, videlicet partum matris conditionem ſequi, legem naturæ appellauit Vlpianus *in l. lex naturæ 24. ff. de ſtatu homin.* ex ea ratione forſan ; quia ſicut ſata, & plantata ſolo cedunt tanquam matri, & mater in ſolidum ſit ; inde & filij vulgò quæſiti, quia incerto patre nati fuerunt, terræ filij dicuntur. Ouidius *lib. 1. metamorph.* ibi.

13. RATIO DECIDENDI.

Iupiter è terra genitum mentitur, vt auctor
deſinat inquiri.

Ita naturâ ipsâ filij ſolum ſequuntur. Apud Romanos hoc pro comperto obſeruari iam ſuprà probaui : cuius doctrinæ rationes varias adducunt Interpretes. Alij eam petunt ex eo, quod mater præſtat materiam corporibus, & ſic & ſtatum. Ariſt. *de generat. animal. lib. 1. cap. 2.* ibi: *Marem, vt quod motus & generationis originem teneat ; fœmina, vt quod materia.* D.Thom. *3. part. quæſt. 31. art. 5.* ibi : *Habet autem hoc naturalis conditio, quod in generatione animalis fœmina materiam miniſtrat.* Aliam reddit Faber *in rationali in dict. l. 5. §. ingenuum*, videlicet certiorem ſtatum demonſtrari, ſi attendatur matris conditio potiùs quàm patris, cùm ſemper mater certa ſit, pater verò incertus, *l. vulgò, ff. de ſtatu hominum, l. filium 6. ff. de his qui ſunt ſui, l. mater 5. ff. de in ius vocando.* Adſtipulatur Ouidius *lib. 5. Metamorph.* ibi:

—— Occidit Aſtreus
Matre Palæſtina, dubio genitore creatus.

Plura tradunt Carranza *de partu cap. 20. quæſt. 4.* Broëus *lib. 10. miſcel. cap. 2.* Alij etiam ex fauore libertatis noſtræ deciſionis rationem deducunt: nam cùm eius ſummus fauor ſit, & mater poſſit liberis prodeſſe pluribus temporibus, conceptionis videlicet, medio tempore, & partus, *dict. l. 5. §. final.* Paulus *lib. 2. ſentent. tit. 25. §. 1. Inſtit. de ingenuis* ; pater autem tantùm tempore conceptionis ; inde matris, non patris attenditur conditio. Alias cumularunt rationes Donellus *lib. 2. comment. cap. 10.* Amaya *in l. 36. Cod. de Decurionib. lib. 10. num. 18.* Benitez latè *in dict. cap. vnico, de natis ex libero ventre.*

14. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat difficultas pro dubitandi ratione ſuprà adducta, pro cuius ſolutione latè diſputant Interpretes, an præſens deciſio locum habeat tam in filiis ſuſceptis in conubio, quàm in vulgò quæſitis. Faber *in Papin. tit. 4. princip. 2.* & Carranza *de partu cap. 3. §. 3. num. 4.* filium eo tantùm caſu matris conditionem ſequi exiſtimant, quando vulgò conceptus eſt, cùm patrem certum non habeat, *l. quia 5. ff. de in ius vocando.* Vlpianus *in fragm. tit. 5.* faciunt lex vltima *de iure deliberandi*, iuncto Cuiacio *ibi, l. 13. 16. & vlt. Cod. de agricolis & cenſitis, lib. 11.* at verò filium in matrimonio ſuſceptum patris conditionem ſequi. Pro illis, & eorum ſententia expenduntur textus *in l. cùm legitimè 19. l. lex naturæ 24. ff. de ſtatu hominum*, qui coniunctim legendi ſunt ; & tunc in eis ſtatuitur, quod cùm dantur legitimæ nuptiæ, filij patris, non matris conditionem ſequuntur : cùm verò

non

non interuenit matrimonium, filij ex naturæ lege ſequuntur conditionem matris, niſi lex ſpecialis aliud inducat: igitur filij ex nuptiis ſuſcepti, licèt iniuſtis, quia inter liberum, & ancillam iure Romanorum non datur connubium, quoad libertatem ſequuntur patris conditionem. Expenditur etiam textus *in l. 2. ff. ne de ſtatu defunctorum*, vbi ſupponitur, propter patris memoriam filiis ſtatus quæſtionem moueri poſſe. Contrariam tamen ſententiam, videlicet filium, tam in coniugio, quàm vulgò ſuſceptum, quoad ſtatum ſequi matris conditionem, docent Amaya *vbi ſuprà*, Sanchez *de matrimonio lib. 7. diſput. 4. num. 8.* Benitez *in dict. cap. vnico, num. 33.* Moez *in principio Inſtit. de ingenuis*; quorum ſententia probatur *ex dict. l. 5. §. 2. ff. de ſtatu hominum*, in illis verbis: *Nec intereſt iuſtis nuptiis concepit, an vulgò*; ex noſtro capite finali, *l. ſi ignorans 3. Cod. ſoluto matrim. l. ſi libera 6. Cod. de ſuis & legitim. hæredib.* quâ opinione retentâ, non obſtat textus *in dict. l. lex naturæ, iuncta l. cùm legitimæ.* Nam omiſſis ſolutionibus traditis à noſtro D. Franciſco de Amaya *in dict. l. 36. Cod. de Decur.* dicendum eſt, in illis iuribus non agi de ſtatu, libertatéve, ſed de conditione deteriore, aut meliore, vt ſi naſcatur filius ex nuptiis Romani ciuis, & peregrinæ, filius ciuis Romanus naſcitur; ſi verò filius vulgò ſuſcipiatur ex peregrino & ciue Romana, ciuis Romanus ſit, quia matrem ſequitur: & ſic non loquuntur Celſus & Vlpianus de conditione patris attendenda, vel non, quoad libertatem, & quoad ſtatum, niſi per errorem nuptiæ cum peregrino celebratæ eſſent. Vlpianus *in fragm. tit. 7.* Difficiliora ſunt verba illa quæ ſequuntur *in dict. l. lex naturæ: Niſi lex ſpeciale aliud inducit.* In quibus ſtatui videtur, lege ſpeciali induci poſſe, vt filius vulgò quæſitus deteriorem patris vel matris conditionem ſequatur; cùm certum ſit in filiis vulgò quæſitis matris tantùm attendi conditionem. Qua difficultate oppreſſus Faber in eius rationali, ea verba Triboniano tribuit. Sed eâ ſolutione omiſsâ, & aliâ traditâ à Corraſio in eo textu, dicendum eſt, ea verba referenda eſſe ad legem Menſiam, quâ cautum erat, vt natus ex peregrino, & ciue Romana deteriorem partem ſequeretur, ſiue pater, ſiue mater in peregrinitate eſſet. Vlpianus *in fragm. tit. 5. §. 8.* Docent Fornerius *lib. 1. ſelect. cap. 6.* Hunnius *ad Treutl. volum. 1. diſput. 2. theſi 15.* quæ lex inducta fuit in odium eorum, qui iniuſta connubia contrahebant; quare non debet eius ſententia ad liberos vulgò quæſitos protrahi, cùm certus pater demonſtrari non poſſit, vt docet D. Ioſephus de Retes *lib. 8. opuſc. cap. 5.* Adriani tamen conſtitutione cautum fuit, vt in prædictâ ſpecie filius ciuis Romanus naſceretur. Videndus eſt Sauarus *in notis ad Sidonium, lib. 5. epiſt. 19. verbo Mulier autem.*

15. INTELLIGITVR C. VLT. 32. QVÆST. 4.

Sed ſuprà traditis aduerſatur textus *in cap. vlt. 32. quæſt. 4.* in illis verbis: *Filij ex libero & ancilla ſeruilis conditionis ſunt; ſemper enim qui naſcitur, deteriorem parentis conditionem ſumit.* Ex qua ratione generali ita à Diuo Iſidoro Hiſpalenſi Præſule adducta facilè conſtat, deteriorem parentis conditionem partum ſequi: igitur ſi pater ſeruus ſit, licèt mater libera reperiatur, filius ſeruus naſcitur. Pro huius textus interpretatione Grotius *de iure belli lib. 2. cap. 5. & cap. 29. in notis*, Benitez *in dict. cap. vnico*, Mancinus *de triplici iure lib. 1. cap. 75.* affirmant D. Iſidorum non ſecundùm ius Romanorum, ſed iuxta leges Vviſigothorum, & Teutonicorum accipiendum eſſe; quia apud prædictas nationes partus deterioris parentis conditionem ſequebatur. Sed ſubtiliùs D. Ioſephus de Retes exiſtimat, ſententiam D. Iſidori, videlicet natum ex libero, & ancilla, ſeruum naſci, iuri conſonam eſſe; rationem verò ab Hiſpaniæ Doctore adductam eſſe referendam ad caſum legis Menſiæ, & eius diſpoſitionem; non verò generaliter eſſe accipiendam: quare iuxta eam verum eſſe, filium deteriorem parentis conditionem ſequi.

16. EXPONITVR L. 2. FF. NE DE STATV DEFVNCT.

Secundò ſuprà traditis aduerſatur textus *in l. 2. ff. ne de ſtatu defunctorum*, vbi aſſeritur, non eſſe libertatis quæſtionem filiis inferendam propter matris, vel patris memoriam poſt quinquennium non retractatam. Ex quo Papiniani reſponſo manifeſtè conſtat, æqualiter ſtatum patris aut matris attendi quoad libertatem filij. Pro cuius textus expoſitione varia adducit noſter Amaya *in dict. l. 36. num. 27. Cod. de Decur.* illis omiſſis Benitez *in dict. cap. vnico, num. 32.* exiſtimat, Papinianum accipiendum iuxta ius antiquum, ante Seueri Imperatoris tempora, ante cuius conſtitutionem filij ex nuptiis ſuſcepti deteriorem partem ſequebantur; quod emendauit Seuerus *in l. Seuerus 9. ff. de cenſibus*, ſtatuens vt filius matris conditionem ſequatur: ſed textum *in dict. l. 2.* referri ad ius antiquum, & etiam textum *in l. 7. Cod. ne de ſtatu defunct. l. principaliter 13. Cod. de liberali cauſa.* Ita Benitez *vbi ſuprà*, & D. Petrus de Velaſco *in rixis Conſultorum, pag. 97.* Sed licèt hæc doctrina defendi poſſit in ſpecie textus *in dict. l. 7. Cod. ne de ſtatu*, & eam amplectatur Cuiacius *lib. 4. reſp. Papin.* tamen vt ipſe Benitez probat vbi ſuprà, *num. 30.* contra Cuiacium, Papinianus floruit temporibus Seueri; vnde textus *in dict. l. 2.* qui eiuſdem Papiniani eſt, non poteſt referri ad ius antiquum ante Seueri tempora. Quare exiſtimo *in dict. l. 2.* vocem *libertatis*, accipi pro *ingenuitate*, vt *in l. cùm pacto 40. ff. de liberali cauſa*; & ſic Papinianum aſſerere, quæſtionem ingenuitatis filiis inferendam non eſſe propter patris, vel matris memoriam; ſi enim ex liberto Latino, vel liberta Latina filius naſcebatur, ingenuus Latinus fiebat, vt ſuprà dixi. Ait ergo Conſultus, *ingenuitatis quæſtionem filiis inferendam non eſſe*, id eſt, an ingenui ciues, an ingenui Latini eſſent, ex eo, quod patris, vel matris Latini memoria poſt quinquennium retractata ſit.

TITVLVS

TITVLVS XIX.

De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

CAPVT VNICVM.

Ex Concilio [a] *Carthag.*

MAgnus Episcopus [c] Augustinus dixit: Quid dilectioni vestræ videtur, [d] procuratores, actores, [e] executores, seu curatores pupillorum, si debeant ordinari? [f] Gratus Episcopus dixit: Si post depositа onera, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent cum laude Dei (si postulati fuerint) honore munerari: si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. [g] Vniuersi dixerunt: Rectè statuit Sanctitas vestra, ideoque ista est nostra sententia.

NOTÆ.

a *Carthag.*] Primo, vt referunt Burchardus *lib.2. Decreti, cap.* 36. Iuo Carnot. *part.6.* 1. *Decreti, cap.* 137. Gratianus *in cap. Magnus*, 54. *dist.* Antonius Augustin. *in cap. vnico, hoc tit. in* 1. *collect.* sed quodnam fuerit hoc Concilium Carthag. & vbi celebratum fuerit, referre oportet. Sciendum autem est, Carthaginem insignem Africæ vrbem fuisse, quam post Troianum bellum à Didone conditam fuisse, testatur Eusebius. Tanta autem eius potentia fuit, vt totâ Africâ cultiori potiretur, vt referunt Strabo & Polybius: à Romanis funditus euersa fuit, & cùm deserta permansisset, tandem à Cæsare instaurata est, vt referunt Strabo *lib.*17. Plinius *lib.5. cap.* 4. Ptolomeus *lib.* 4. *cap.* 3. Iustinianus Vvandalis pulsis Carthaginis dignitatem conseruauit, & noua Præfecti Prætorio sede auxit, *l.* 1. *ff. de officio Præfecti Africæ.* Eius prouincia Proconsularis fuit, vnde Episcopi Proconsulares dicuntur, vt refert Berterius *diatribe* 1. *pag.* 28. & 51. Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra, in Africæ descript.* In ea ciuitate varia fuerunt congregata Concilia, inter quæ primum enumeratur, quod celebratum fuit anno 348. non quia antea alia non fuissent celebrata, sed quia aliis deperditis, illorum quæ extarent, hoc primum probaretur. Congregatum fuit à Grato Carthaginensi Præsule, & in eo de schismaticis Episcopis ad vnitatem Ecclesiæ conuersis 14. canones sanciti fuerunt, qui reperiuntur *tom.* 1. *Concilior.* ex quibus aliqui transcripti sunt in iuris nostri corpore: canon 6. *in cap. credo* 21. *q.*3. canon 8. *in præsenti*, canon 11. *in cap. si quis tumidus* 15. *q.*7. canon 12. *in c.*1. *de pactis.*

b *Magnus.*] Ita appellabatur Episcopus qui præsentem canonem rogauit, & in Concilio proposuit.

c *Augustinus.*] Ita legitur in Decretalibus; in Conciliis autem legitur *Astyagensis*, qui Episcopatus est in ipsa prouincia Carthaginensi.

2. d *Procuratores.*] Plura procuratorum genera sunt, de quibus in præsenti agere in animo non est; nam hîc tantùm agitur de procuratoribus præpositis ad rationes; qui enim olim rationibus præerant, procuratores à rationibus dicebantur. Seneca *epist.* 14. ibi: *Rationes accipit, forum conterit, kalendarium versat, fit ex domino procurator.* Petronius *in satyric. lin.*16. ibi: *Procurator rationes accipiebat.* Clariùs constat ex veteri lapide transcripto à Salas *in notis ad Petronium, d. lin.*16. *pag.*113. ibi:

T. AVRELIO
AVG. LIB.
APRODISIO
PROCVRAT. AVGVST.
A RATIONIB.

Vnde & rationales, procuratoresque dicebantur, vt ex Lampridio notant Cuiacius *lib.* 8. *obseru. cap.*32. Marcellus Donatus *in notis ad Ammianum, cap.*15. *tom.*6. *thesauri critici, pag.*806.

e *Executores.*] *Exactores*, emendat Antonius Augustin. *in notis ad hunc textum, in* 1. *collect.* vt comprehendantur sacrarum largitionum exactores, id est summarum rationales, seu tributorum publicorum susceptores, de quibus *in l.*3. *C. si propter publicas pensitationes, l. exactores* 8. *C. de susceptoribus, lib.*10. qui etiam actores dominici dicuntur *in lib.*4. *Capitul. Caroli, cap.*3. & 41. apud Gregor. Turon. *lib.*9. *cap.*38. Sed licèt hæc lectura incongrua non sit, tamen cùm nullo exemplari fulciatur, aut in aliquo codice reperiatur, retinemus communem lecturam, & executores accipimus pro illis, quos paterfamilias in testamento non solùm filiis tutores dedit, verùm & integræ suæ dispositionis executores nominauit, de quibus *in l. si à pluribus* 107. *ff. de legat.*1 *nouella* 68. *Leonis*, vbi tutores dicuntur executores, & executio pro tuitione, & defensione accipitur *in c.*2. 54. *dist.* notarunt Cironius *hic*, Dartis *in cap. magnus*, 53. *dist.* 3.

f *Gratus Episcopus.*] Qui concilium Carthag. primum hoc congregauit, vt suprà retuli.

g *Vniuersi dixerunt.*] Post rogationem enim legis ecclesiasticæ, si iustè lex rogabatur, omnes ita placitum exprimebant, vt constat ex aliis canonibus huius Concilij, & aliorum etiam Carthaginensium, quos retulerunt, & notis illustrarunt Balsamon, & Iustellus.

COMMEN

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hoc canone talis deducitur assertio: *Ratiociniis obligati, ad sacros ordines admitti nequeunt, nisi depositio onere, & redditis rationibus.* Probant eam textus *in cap. illud, 23. dist. cap. præcipimus, 34. dist. cap. præterea, 51. dist. cap. 1. cap. legem, cap. designata, cap. præterea, cap. finali, 53. dist. cap. tantis, 83. dist. cap. 1. & 2. 21. quæst. 3.* Concilium Tolet. 1. *can. 8. Clericos si qui obligati sunt, vel pro æquatione, vel genere alicuius domus non ordinandos.* Vbi pro *æquatione*, legendum credo *peræquatore*, argumento legis *si peræquatore 3. Cod. de censib. lib. 11.* D. Gregorius *lib. 2. regestr. epist. 61.* approbans in hac parte Mauricij Constitutionem, ibi: *Dominorum pietas sanxit, vt quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad officium ecclesiasticum venire non liceat; quod valde laudauit, euidentissimè sciens, quia qui habitum sæcularem deserens ad ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere.* Quam epistolam doctè explicat Petrus Marcha *lib. 2. concord. Sacerd. & Imper. c. 11.* Synodus septima sub Adriano II. *can. 13. Nullatenus autem habeant potestatem, qui Principum domorum, seu suburbanarum rerum curam gesserint, inter Clerum magnæ Ecclesiæ colligi, vel constitui.* Vrbanus II. in Synodo apud Melfiam, *can. 11. Cauendum est, ne seruilis conditionis, aut curialium officiorum obnoxij ab Episcopis promoueantur in Clerum.* Concilium Tolet. 4. *can. 47. & 8. can. 3.* Innocentius I. *epist. 2. ad Vitricum, cap. 11. Præterea frequenter quidam ex fratribus nostris Curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt, quibus postea maior tristitia cùm de reuocandis eis ab Imperatore aliquid præcipitur, quàm gratia de ascitis nascitur: constat enim eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas à diabolo inuentas esse non dubium est; & ludorum, aut munerum apparatibus aut præesse, aut interesse. Sit certè in exemplum solicitudo & tristitia fratrum, quam sæpè pertulimus Imperatore præsente, cùm pro his sæpiùs rogaremus, quam ipse nobiscum positus cognouisti; quibus non solùm inferiores clerici ex curialibus, verùm etiam iam in Sacerdotio constituti, ingens molestia, vt redderentur, instabat.* Canon 33. collectionis Ferrandi: *Vt clerici, vel ratiocinatores non ordinentur.* Caput *monachos 16. quæst. 1.* iuxta veram lecturam, quam ita ex excusis veteribus codicibus refert Quintanadueñas *lib. 3. ecclesiast. num. 46. Si quos fortè Episcopi deesse sibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectiùs ordinabunt, non obnoxios publicis, priuatisque rationibus, cum inuidia teneant, sed habeant iam priuatos.* Synodus Rhemensis sub Sonacio Episcopo, apud Flodoardum *lib. 2. histor. Rhemensis, cap. 5. Hi verò, quos publicus census expectat, sine permissu Principis, vel Iudicis se ad Religionem sociare non audeant.* Lex *& clerici officiales 4. Cod. de Episcop. & cler.* lex 3. *Cod. Theodos. eod. tit. Cùm constitutio emissa præcipiat nullum deinceps decurionem, vel ex decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum, ad clericorum nomen, obsequiumque confugere, sed eos de cætero in defunctorum duntaxat clericorum loca subrogari, qui fortunâ tenues, neque muneribus ciuilibus teneantur obstricti: cognouimus illos etiam inquietari, quia ante legis promulgationem clericorum se consortio sociauerint. Ideoque præcipimus his ab omni molestia libertatis illos, qui post legem latam obsequia publica declinantes ad clericorum numerum confugerunt, procul ab eo corpore segregatos, Curiæ, ordinibusque restitui, & ciuilibus obsequiis inseruire.* Lex 6. *eod. tit. & Cod. Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus sub specie clericorum à muneribus publicis vacatio deferatur, nec temerè, & citra modum populi clericis connectantur; sed cùm defunctus clericus, ad vicem defuncti alius eligatur, cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, nec ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillimè queat tolerare.* Lex 98. *&* 100. *Cod. Theodos. de Decurion.* lex 7. *eod. Cod. de cohortalibus.* Consonat lex 23. *tit. 6. partit. 1.* vbi Gregorius Lopez. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & *lib. 1. de iure eccles. cap. 33. num. 134.* Antonius August. *in epit. iuris Pontif. lib. 27. tit. 23.* Acuña & Ioannes Dartis *in cap. legem, 51. dist.* Chopinus *lib. 3. sacræ pol. tit. 3.* Iuretus *in notis ad Symmachum lib. 6. epist. 4.* & ad libellum S. Ambrosij *pag. 327.* I. Gothofredus *in l. 49. Cod. Theodos. de Decur.* Albaspineus *lib. 1. obseru. cap. 22.* Gibalinus *tom. 1. de negot. lib. 1. cap. 3. art. 10.* Dartis *in cap. 10. 34. dist.* Petrus Gregor. *lib. 15. syntagm. cap. 16. num. 8.* Lantdemeter. *lib. 2. de veteri monacho, cap. 25.* Vighellius *in meth. iuris can. pag. 238.* Raymundus *lib. 3. summæ, tit. de obligatis ad ratiocinia,* Suarez *de censur. disput. 51. sect. 2.* Bosquetus *ad Innocent. lib. 3. epist. 7.* Quintanadueñas *lib. 3. Ecclesiasticôn, cap. 1. num. 47.* Bignonius *ad Marculfum lib. 1. cap. 19.* Gibalinus *de irregul. cap. 3. quæst. 5. princip. 3.* Langleus *lib. 7. semestrium, cap. 2.* Vvadingus *in notis ad opera D. Francisci, tom. 2. pag. 237.* Mornacius *in l. 4. Cod. de Episcop. & cleric.* Souchetus *in notis ad epistolas Iuonis, epist. 147.* Fornerius *lib. 3. select. cap. 7. per totum,* Sausay *in Panopl. cleric. lib. 1. cap. 10.* Iuretus *ad libellum S. Ambrosij, pag. 327.*

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed aduersùs hanc assertionem ita illustratam pro ratione dubitandi ita insurgo. Si obligati ad ratiocinia, & procuratores rationum, & tutores ordinari non possent, ne Ecclesia infametur, multò magis & post ordinationem, & gradus sacros susceptos, pupillorum tutores, seu rationum procuratores clerici esse non possent ob eandem rationem, *cap. 1. 2. & per totum 21. q. 3.* sed sic est, quod iam promoti ad sacros ordines, pupillorum tutores, & rationum procuratores designari possunt: igitur & ante promotionem ratiociniis obligati, & his ministeriis mancipati, ritè ordinari valebunt. Probatur minor *ex cap. finali, 86. dist. cap. 2. dist. 87.* Alexius Patriarcha C P. in Synodica, quæ *lib. 2. sentent.* extat, his verbis: *Curatores similiter à Metropolitanis dentur, qui Ecclesiis omni adhibita solicitudine cum Episcopis earum prospiciant, & administrationis annuæ rationes exigant. Quod autem hæc à nobis ita definita consentanea sint accuratæ canonum menti, ex ipsis sacris canonibus constat; nam XXV. canon Antiochenæ Synodi, potestatem in res ecclesiasticas Episcopis concedens, quominus eas in vsus suos conuertant, cognatisque suis præbeant, vt hoc modo rationes Ecclesiarum tacitè detrimentum capiant, prohibet; ideoque rationibus ad Synodos prouinciales reddendis obnoxios faciens, decoris explorandi curam iniungit.* Vbi clerici præponuntur vt rationum procuratores es. [illegible]ugetur hæc difficultas ex eo; nam si procuratores, & alij ratiociniis obligati ordinari non possent, maximè propter exercitium,

citium, & ministerium quod obtinent, ex nostro textu, ibi: *Ante libertatem*; multò magis adscriptitij, qui agriculturæ, & glebæ terræ mancipati sunt, *cap.* 1. *dist.* 55. sed isti ad sacros ordines ascendere valent, & sic promoti plenâ libertate fruuntur, *authent. adscriptitios, Cod. de Episcop. & cleric.* igitur similiter rationibus obnoxij ordinari valent.

6. DE CVRIALIBVS NON ORDINANDIS.

Hac tamen difficultate non obstante verum est, obligatos publicis, seu priuatis ratiociniis, nisi depositio onere, & rationibus redditis, ordinari non valere; quâ prohibitione comprehenduntur curiales, qui Curiæ inseruiunt, & illi traditi sunt, vt ciuilia munera procurent, & exequantur, *cap.* 1. 2. *& per totum*, 51. *dist.* licèt apud Romanos inter honores municipales, qui Decurionibus pro meritis cuiusque deferri solebant, sacerdotium enumeraretur, *l.* 21. *Cod. Theodos. de Decurion.* Sidonius *lib.* 5. *epist.* 7. notat Valesius *ad Marcellinum lib.* 28. *pag.* 375. Similiter qui publicis rationibus, seu polyptychis censitus est. Rationes autem publicæ, Polyptycha dicuntur *in l.* 2. *Cod. Theodos. de discussoribus*, vbi quæ in principio Imperatores polyptycha dixerant, in fine ratiocinia publica vocant; quod ibi rectè Anianus interpretatur, & notarunt ex Vegetio *lib.* 2. *de re milit. cap.* 10. Cassiodoro *lib.* 5. *variar. cap.* 14. & veteri Marculfi formula *cap.* 10. Cuiac. *lib.* 4. *obseru. cap.* 27. Bignon. *ad Marculfum dict. cap.* 20. Sausay *in Panopl. cleric. lib.* 1. *cap.* 10. Isti ergo publicis rationibus censiti ordinari non valent, ex iuribus suprà adductis. Vnde in Concilio Aurelian. 1. celebrato temporibus Clodouei Regis statutum fuit, ne quisquam implicatus sæculi negotiis, scilicet publicis rationibus, in Clerum cooptari possit, nisi ab ipso Rege impetratâ licentiâ, aut iudicis sententiâ liber pronuntietur à prædictis rationibus. In Concilio item Rhemensi sub Dagoberto, celebrato anno 630. sancitum fuit, vt qui publico censu tenerentur, religiosi, seu clerici sine permissu Principis, aut sententia iudicis non fierent. A quibus decretis initium habuerunt præcepta de clericatu à Regibus ordinandis dari solita, quorum formam refert Marculfus *lib.* 1. *cap.* 19. Notarunt Bignonius *ibi*, Pitheus *ad tit.* 26. *legis Salicæ.* Qua ratione cùm Ludouicus VI. Stephanum eius Cancellarium, & Comitem Palatinum peteret ab Episcopo Senonensi in Episcopum Parisiensem consecrari, asseruit, & præmonuit ordinatores, ipsum Stephanum ab omni nexu ciuilis administrationis esse liberum; & cùm postea inquietaretur, tanquam ordinatus non redditis rationibus, assertione Regis excusatus fuit, vt constat ex D. Bernardo *epist.* 46. *vsque ad* 50. Quod idem contigisse S. Thomæ Cantuar. Archiepiscopo, probatur ex eius vita, ex Eduardo relata à Surio *die* 29. *Decembris*: cùm enim hac in re nihil proficerent eius aduersarij, aliud tentatum est, vt redderet rationem eorum, quæ tunc, cùm esset Cancellarius, custodienda accepisset, & vt ea expendisset: nec licentiam antè obtinuit, quàm publicè pronunciatum esset, ab eiusmodi liberum eum fore. Nec solùm publicis rationibus obstricti ordinari prohibentur, verùm & priuatis ratiociniis nexi ab ordinibus arcentur ex nostro titulo *de obligat.* veluti procuratores à rationibus, executores, tutores, & similes.

7. RATIO DECIDENDA.

Huius prohibitionis rationes pro diuersitate personarum, quæ in ea comprehenduntur, variæ sunt. curiales enim ideò ordinari prohibentur, quia curialium sordidum genus est, immò & sceleratorum, qui propter aliquod scelus pœnæ loco curialium collegio mancipabantur, vt latè probauimus *in cap. cum non ab homine, de iudiciis.* Vnde sacerdotes grauiter delinquentes, Curiæ seruituri tradebantur, *cap. statuimus* 31. 11. *quæst.* 1. *cap. clericus* 8. 3. *quæst.* 4. *nouella Iustin.* 123. *cap.* 29. Probant I. Dartis *in cap.* 10. 34. *dist.* Turrianus *lib.* 2. *pro canon. Apost. cap.* 14. Alia etiam ratio assignari potest ex eo, quia curiales in ludis & spectaculis populo exhibendis exercebantur, vt probaui *in can.* 2. *Concilij Illiber.* Vnde indecens erat, vt ad sacros ordines, dum Curiæ deseruiebant, admitterentur. Quam rationem expressit Innoc. I. *in dict. epist.* 2. *ad Victricum*, cuius verba suprà retuli, in confirmatione conclusionis. Sed licèt iustæ rationes præsentis assertionis à Doctoribus perpendantur, & expendantur; genuina tamen, & propria ratio petenda est ex eo, quia Curiæ datus, seruus Curiæ fiebat, vnde eam deserere non poterat; immò si propriâ auctoritate deseruisset, à Curia repetebatur, *cap.* 2. *dist.* 53. Plura cumulauit Souchetus *in notis ad epist.* 147. *Iuonis Carnot.* Vnde ne dignitatis obtentu Reipublicæ munera desererentur, rectè à Sanctis Patribus statutum fuit, ne curiales ante libertatem, & rationibus nondum redditis, sacris initiarentur ordinibus: quam rationem innuerunt D. Ambrosius *lib.* 5. *epist.* 31. *contra Symmachum*, Imperatores *in l.* 104. *Cod. Theodos. de Decur.* pulchrè Cassiodorus *lib.* 2. *epist.* 18. *Priscarum legum reuerenda dictat auctoritas, vt nascendo curialis nullo modo possit ab originis suæ muniis discrepare, nec in aliud Reipublicæ officium trahi, qui talis præuentus fuerit sorte nascendi. Quod si eos vel ad honores transire iura vetuerunt, quam videtur esse contrarium, curialem Reipublicæ amissâ turpiter libertate seruire? & vsque ad conditionem peruenisse postremam, quam vocauit antiquitas Minorem Senatum? Nouerit itaque reuerentia vestra, Farsinates municipes collegas suos asseruisse, Ecclesiam vestram irrationabiliter sibi velle defendere. Vnde prouidentia vestra pro integritatis suæ proposito examinatâ veritate discutiat, quæ veniunt in querelam: & si desideria petitorum veritate subsistunt, pro implendis muniis eos ad Curiam suam remeare permittat. Si verò Clero vestro creditis in eis aliquid rationabiliter suffragari, ad nostrum Comitatum instructam personam modis omnibus festinate, quæ aduersariorum debeat intentionibus obuiare. Quod si de negotij qualitate dubitatis, conuenit sacerdotalibus institutis, vt ante controversiam iustitiam magis ipse cognoscat, quàm de iudicio victus abscedat. Talem siquidem non oportet publicè superari, quem amatorem æquitatis conuenit inueniri.* Quam rationem illustrat Albaspineus *lib.* 1. *obseru. cap.* 22.

8. PROSEQVITVR DECISIVA RATIO.

Rationibus publicis, & priuatis obnoxios, & obæratos ideò ordinari non posse existimat Cironius *in parat. ad hunc tit.* quia eorum corpora creditoribus obligata censentur, & quodammodo eorum seruitio mancipata, vt innuunt Patres præsentis Concilij in illis verbis: *Libertatem adeptam.* Vnde cùm serui nisi à dominis manumissi ordinari non possint, *cap.* 1. vbi latè probaui, *de seruis non ordin.* ideò ratiociniis obligatos ad sacros ordines admitti non posse credit perdoctus Cironius. Sed pace tanti viri, hæc ratio sustineri non potest; nam lege Petilia abrogatâ, seu vsu nunquam receptâ, iam pluribus retrò sæculis ante hoc Concil. Carthag. liberi homines neque mancipio,

pio, neque pignoris nexui obligari poterant, vt probabimus *in cap. 2. de pignor.* Neque verba expensa à Cironio libertatem à seruitute important, sed à ratiociniis, & negotiis, vt ex verbis sequentibus facilè constat. Quare eà ratione omissâ vera præsentis assertionis ratio assignatur à SS. PP. in illis verbis huius canonis, *ne infametur Ecclesia.* Cùm enim clericis prohibeatur actorum, procuratorum, tutorumque officiis implicari, *cap. 1. & per totam 21. q. 3.* meritò qui exercent ea officia, nisi illa deseruerint, ordinari prohibentur, ne infametur Ecclesia, cui præsunt. Neque etiam ante rationes redditas ordinari debent, ne iam promoti diuersis litibus vexentur, & à sacris ministeriis distrahantur, vt litibus interfint; præcipuè coram iudice laico, coram quo conueniri possunt pro tutela anteà gesta, vt probat Marinis *lib. 1. resol. cap. 53.* Accedit, nam tutores iudicio tutelæ damnati infames fiunt, *l. furti 6. §. 6. ff. de his qui notant. infamia.* Vnde ne clerici iam promoti directâ tutelæ actione damnati, infamiâ notarentur, iustè prohibitum fuit, ne nisi rationibus redditis ad Ecclesiæ gradum admitterentur. Facit etiam, nam si ante rationes redditas tutores, & actores ordinarentur, potentiores redderentur aduersariis suis, & potiùs litis causâ, quàm deuotionis gratiâ ordinari crederentur; quod etiam in militibus damnatum fuit, *l. 4. §. non omnis, ff. de re milit.* Quare fertur Alexandrum Magnum priùs quàm secerneret quos retenturos esset milites, edixisse, vt ij æs alienum profiterentur, vt auctor est Quintus Curtius *lib. 9.* Illustrant Pancirola *lib. 2. variar. cap. 145.* Desiderius Heraldus *emendat. iuris cap. 22.* Rectè ergo statutum fuit in præsenti canone, vt ante depositionem officiorum, & rationes redditas obligati ad ratiocinia sacris ordinibus non initiarentur. Accedit tandem vsus diuersarum gentium, apud quas obligati ad ratiocinia, illis non redditis ad honores non admittebantur. Iure enim ciuili Romanorum statutum legimus, ne debitores rerum publicarum ad honores admittantur, nisi priùs redditis rationibus, & debitis solutis, *l. rescripto, §. debitores, ff. de muneribus, l. 1. C. de debitor. ciuitatum lib. 10.* quinimmò neque reipublicæ vectigalia conducere poterant, *l. 4. ff. de legation.* Cuiacius *ad tit. C. ne tutor vectigalia.* Et iure ipso ciuili Curiæ obnoxius, si fortè vt onus curiale excuteret, clericus fieret, cogebatur transferre bona sua in alium, qui vices impleret in publico munere subeundo, *l. 49. 99. 115. 121. 123. 172. C. Theodos. de Decur.* etiamsi iam Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi esse meruerint; quo modo legi debere *in l. 173. eod. tit.* notauit Iuretus *ad libellum 2. D. Ambrosij, pag. 327.* Antè etiam Constantinus statuerat *in l. 49. eod. tit.* ita demùm curiales non cogi facultatibus cedere, si vita insignes essent, & totius populi vocibus expeterentur, consentiente Curiâ. Ex constitutione autem Valentiniani *in l. 19. C. Theodos. de Episcop. & cleric.* curialis cum patrimonio habebatur immunis, si decennium in Clericatu impleuerat. Tandem permissum fuit per substitutum Curiæ clericos deseruire, *l. 115. l. 163. C. Theodos. de Decur. l. 3. C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt.* Tempore D. Ambrosij Curiæ obnoxium ad ordines ascendentem patrimonio proprio multari, constat ex *epistola 29. ipsius S. ad Theodos.* & *epist. 31. lib. 5. ad Valentinianum.* Apud Athenienses etiam non licebat debitorem rationibus non redditis publica munia obire. Demosthenes *in orat. contra Androcionem.* Similiter apud Venetos lege probitum fuisse fisci debitoribus Magistratus petere, refert Petrus Beneuent. *lib. 5. hist.* & post eum Langleus *lib. 7. semest. cap. 2.*

Nec obstat iam difficultas suprà adducta, pro cuius solutione discrimen constituendum est inter tutores rationum Ecclesiæ, & tutores miserabilium personarum; & inter tutores testamentarios, & legitimos. Primi non solùm dum rationes Ecclesiæ procurant, & tutelas miserabilium exercent, ordinari possunt; verùm & postquam ordinati sunt, eligi valent in procuratores, & tutores, ex iuribus suprà traditis, & *ex cap. 1. 21. quæst. 3.* Secundi verò ordinari non possunt, ex rationibus suprà traditis. Docent, & ita communiter distinguunt repetentes in hoc textu, & post eos Barbosa *in præsenti*, Gibalinus *de irregul. dict. cap. 3. pag. 108.* Nec augmentum difficultatis aduersatur; nam potiùs verum est, adscriptitios, seu conditionales, quorum personæ obnoxiæ sunt prædiis, ordinari non posse, vt probant Bosquetus *ad Innocent. lib. 1. epist. 37.* Lemaistre *de iuribus Ecclesiæ lib. 3. cap. 8.* & dixi *in cap. 1. de seruis non ordin. num. vlt.* Iustinianus tamen Imperator suâ speciali constitutione permisit adscriptitios sine dominorum voluntate ordinari, dum tamen adhuc post sacerdotium agriculturam sibi iniunctam adimplerent, *authent. Adscriptitios, C. de Episcop. & Cleric.* Quod ius nostrum admisit, dum non per se, sed per vicarios impleretur, *cap. ex antiquis 9. cum sequentibus, 54. dist.* quo casu ab omni iure colonario, seu agriculturæ liberabantur.

9. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Superiori assertioni adhuc opponitur textus *in Clement. ne in agro, §. quia verò, de statu monach.* in illis verbis: *Regulares canonici administrationem aliquam non habentes.* Vbi cùm generalis prohibitio proponatur, ne monachi, & canonici regulares Curias Principum adeant absque speciali Prælatorum licentia, illa exceptio adiicitur, *nisi aliquam administrationem habeant:* igitur Canonici possunt ordinari, & in Canonicos eligi, administrationi & ratiociniis obligati. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu agi de administratione rerum ipsius monasterij, quæ Monachis, & clericis permissa est. Prohibitum enim erat iam à primis Ecclesiæ temporibus monachis, & clericis adire Principis Curiam sine licentia Episcopi, aut Metropolitani. Synodus Antiochena *can. 11.* Sardicensis *can. 7. 8. & 9.* Parisiensis sub Ludouico & Lothario *lib. 3. cap. 14.* Semper tamen excipiebatur causa monasterij, si monachi eam procurabant. Concilium Meldense *can. 57. Monachi, quibus monasteriorum cura commissa non est, passim, & sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo morentur.* Eo enim casu nullam excommunicationem incurrebant canonici regulares, vel monachi Curiam adeuntes, vt docent Suarez *de censuris disput. 23. sect. 5. num. 6.* Sayrus *lib. 5. thesauri, cap. 33. num. 26.* plures relati à Gibalano *de clausura regul. disquisit. 2. cap. 2. §. 3. num. 29.* & *de censuris, in synopsi, pag. 448.* Vnde cùm in eo textu agatur de administratoribus rerum monasterij, ideò supponitur eos & in canonicos eligi, & ad sacros ordines promoueri, & iam promotos ad administrationem, & procurationem rerum monasterij admitti.

10. INTELLIGITVR CLEMENT. NE IN AGRO, §. QVIA VERO, DE STATV MONACH.

Deinde aduersatur textus *in can. 8. Concilij To-*

11.

Exponi- concil. Toletan. 3. can. 8.

let. 3. in illis verbis: *Innuente, atque consentiente Domino piissimo Recaredo Rege, id præcipit sacerdotale Concilium, vt clericorum ex familia fisci nullus audeat à Principe donatos expetere, sed reddito capitis sui tributo, Ecclesiæ Dei, cui sunt alligati, vsquedum viuent, regulariter administrent.* Ex quibus apparet, clericos post suam ordinationem soluere debere tributum capitis sui: ergo publicis rationibus, ac tributis censiti, atque nexi, possunt ad sacros ordines ascendere. Pro cuius textus interpretatione sciendum est, in eo textu agi de seruis fisci, seu familiæ Ecclesiæ, de quibus egi *in cap. 3. de seruis non ordin.* qui cùm fuissent donati ad seruitium Ecclesiæ, etiam ordinati tributa pendebant Ecclesiæ, lege Alemanica *tit. 22. cap. 4. Qualiter serui Ecclesiæ tributa soluere debeant*, in hæc verba: *Serui Ecclesiæ tributa sua legitimè reddant, quindecim siclas de ceruisia, porcum valentem tremisse vno, panum modia duo, pullos quinque, oua viginti. Ancillæ autem opera sine neglecto faciant; serui dimidium sibi, & dimidium in dominico aratiuum reddant; & si super hæc est, sicut serui ecclesiastici, ita faciant, tres dies sibi, & tres in dominico.* Concilium Paris. 3. *can.* 9. Eos ergo seruos ita donatos aliqui expetebant à Rege, vt ordinarentur; quod cùm Rex concederet, & Episcopi ordinarent, ac per consequens Ecclesia eorum seruitio priuaretur; decretum fuit à Patribus, vt ex familia fisci donatos Ecclesiæ nullus in clericos expeteret, neque ordinaret, aliàs tributum ipsi serui soluerent, & in Ecclesiæ seruitio persisterent. Quæ interpretatio suadetur ex summario ipsius canonis, & notatis à Loaysa *in d. can.* 8. & defendi potest, donec alius meliorem non affert. Ipsius Concilij historiam latiùs prosequitur Yepes *in chron. D. Benedicti, anno 589. c. finali.*

TITVLVS XX.

De corpore vitiatis ordinandis, vel non.

CAPVT I.

Alexander III. *Archiep.*[a] *Salernitano.*

DE Presbytero autem[b] Campaniæ, qui duellum sponte obtulit, & oblatum suscepit, & in eo partem digiti amisit: respondemus, quod cùm ipse non perdiderit tantùm de digito, quin sine scandalo possit solenniter celebrare, satis potes post peractam[c] pœnitentiam cum eo[d] misericorditer agere, & permittere ipsum in suo ordine ministrare, licèt eius excessus[e] grauis admodum extitisset.

NOTÆ.

1. a *Aler.*] Ita etiam legitur *in cap. 1. hoc tit.* & post Concilium Lateran. *p. 26. cap. 4.* vbi etiam referuntur aliæ partes huius epistolæ, quæ etiam in hac sexta collectione reperiuntur *in cap. at si clerici 4. de iudicis, cap. 3. de sponsa duorum, cap. Presbyterum 7. de homicidio, cap. 1. de clericis pugnantibus, cap. de cætero, de testibus, cap. de quarta, de præscrip. cap. licèt, de cognat. spirit. cap. de cætero, de accusat.* ex quibus integra redditur epistola Alexandri III. Salernum autem, teste Strabone *lib. 5.* est in Campania, cuius Episcopus Gaudentius subscripsit in Concilio Romano I. sub Symmacho.

2. b *Campaniæ.*] Campania est Regio Italiæ fertilissima, eo quod campestris est, ita dicta: vulgò appellatur *tierra de labor.* De ea Iuuenalis.

Prouida Pompeio dederat Campania febres.

Virgilius 10. *Æneidos*, ibi.

Et Capys hinc nomen Campanæ dicitur vrbi.

Horatius *lib. 1. serm.*

Campanam ob morbum in faciem permulta iocatus.

Vnde cùm præsens casus contigisset in Campania, consultus Alexander III. eius decisionem Archiepiscopo Salernitano rescripsit. Plura de hac prouincia Ant. Sanfelicius monachus *in sua Campania.*

c *Pœnitentiam.*] Priuatam, non solennem, aliàs ministrare non posset, neque ad altiores gradus ascendere, *cap. pœnitentes, 50. dist. cap. 1.* vbi latè dicam, *de bigamis non ordin.*

d *Misericorditer agere.*] Non quia aliquam irregularitatem contraxerat Presbyter Campaniæ ex eo, quod casu pars digiti illi abscissa esset; sed quia graue delictum perpetrauit duellum offerendo, aut acceptando; cùm tot sacris canonibus inhibitum sit omnibus fidelibus, præcipuè ecclesiasticis, duellum offerre, vel oblatum admittere, *cap. 1. de clericis pugnant.* Vnde cùm Presbyter in præsenti duellum oblatum admitteret, dedit operam rei illicitæ, atque ideò partem digiti amittendo, sine dispensatione ad altiores ordines ascendere non poterat, vt pro huius textus interpretatione docet Gibalinus *de irregul. cap. 3. pag. 47.* 3.

e *Grauis admodum.*] Vt apparebit ex dicendis *in d. cap. 1. de clericis pugnantibus.*

CAPVT

CAPVT II.

Idem [a] *Ciſtrenſi electo.*

CVm de tua, & aliorum electione, qui ſunt in quibuſdam [b] Eccleſiis Anglicanis electi, in præſentia noſtra, & fratrum noſtrorum quæſtio mota fuiſſet, & ſingulis veſtris quædam obiicerentur, tibi obiectum eſt, quod in oculo maculam habebas, & quod fueris Canonici filius. Attendentes itaque prudentiam, & honeſtatem tuam, & volentes te noſtræ gratiæ, & dilectionis prærogatiuâ gaudere, venerabili f. n. [c] R. Cant. Archiepiſcopo A. S. L. dedimus in mandatis, vt pro eo, quod Canonici [d] filius diceris, in promotione tua ex multa diſpenſatione procedere non poſtponat. De macula verò, quam in oculo habere diceris, hoc prædicto Archiepiſcopo mandamus, vt [e] de conſilio ſuffraganeorum ſuorum, & præſertim venerabilium fratrum noſtrorum Exonien. & Vvigorn. Epiſcoporum, quod exinde ſibi viſum fuerit, exequetur. Tu itaque eundem Archiepiſcopum, frater requirere ſuper his ſtudeas humiliter, & deuotè; quia nos tibi ex maxima diſpenſatione in hac parte curauimus prouidere, vtpote, qui perſonam tuam ſincera charitate diligimus, & libenter, quantùm ſecundùm Deum poſſumus, ad tuum intendimus commodum, & honorem.

NOTÆ.

1. a *Ciſtren.*] Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.*2. & poſt Concilium Lateran. *p.*40. *cap.* 3. in ſexta collectione legitur *Ciſterc.* ſed legendum eſt *Ciceſtrenſi.* Ciceſtrenſis autem eſt ciuitas Angliæ, vulgò dicta *Chicheter*, Cathedrâ Epiſcopali decorata ab anno 1070. ſuffraganea eſt Archiepiſcopi Cantuar. cuius Eccleſiæ mentio fit *in cap. mandamus, de officio Archid. cap.* 2. *de ſequeſtr. poſſeſſ.* vbi notauit Cironius *in* 5. *compil. cap.*3. *de probat. cap. conſtitutus* 30. *de teſtibus.* Hilario Epiſcopo huius Eccleſiæ electo, adhuc non confirmato, vel conſecrato, miſſa eſt præſens epiſtola.

b *Eccleſiis.*] Sunt enim variæ Eccleſiæ Cathedrales in Anglia, quæ parent Archiepiſcopis Cantuar. & Eborac. quas referunt Candenus & Polydorus Vergilius in hiſtoria Angliæ: Carolus à S. Paulo *in Geograph. ſacra, in magna Britannia.*

c *R.*] Ricardo videlicet, de quo egi *in cap. ex tranſmiſſa* 7. *de filiis Preſbyt.*

2. d *Canonici filius.*] Hanc irregularitatis ſpeciem expoſui *in cap.*1. *de filiis Preſbyt.*

e *Conſilio.*] Quia agebatur de electione, & ordinatione Epiſcopi; nam ſi de ordinatione inferioris miniſtri tractaretur, Epiſcopi tantùm auctoritas ſufficeret, cuius iudicio relinquitur cognitio, quænam deformitas, ſeu debilitas ſufficiat ad inducendam irregularitatem; non vt in ea diſpenſet, quia tantùm Pontifex in ea valet diſpenſare; ſed vt cognoſcat ſi cauſa ſufficiens eſt irregularitatis, vt docent poſt claſſicos in præſenti, Sayrus *de cenſuris cap.* 7. Diana *p.*3. *tract.* 6. *reſolut.* 61. plures relati à Gibalino *de irregul. p.* 3. *pag.* 45.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO REFERTVR

IN his duabus deciſionibus, nec-non *in cap.* 6. *& finali, hoc tit.* agitur de externo corporis vitio, quod inducit irregularitatem, vel non: quare vt ſub vno commentario eos textus exponamus, ſit aſſertio: *Qui parte digiti, aut vngula pollicis caret, vel habet in oculo maculam ſine magna deformitate, ordinari in Preſbyterum, vel Epiſcopum valet; ſecus verò ſi cum deformitate.* Probant eam textus *in cap. præcipimus* 10. 34. *diſt. cap. hinc etenim,* 49. *diſt. cap. non confidat* 59. 50. *diſt. cap. ſi quis pro ægritudine* 9. *cap. lator* 11. *cap. præcepta* 12. *cap. ſi Euangelica* 13. 55. *diſt. cap. cum inter, cap. clerici, cap. vſque adeò,* 33. *diſt. cap. illiteratos,* 36. *diſt. cap.* 1. *&* 2. 7. *q.*1. *cap.* 2. *de clerico ægrot.* Synodus Romana ſub Leone IV. Hincmarus Rhemenſis *epiſt.*1. *ad Aſcanium Tarracon. cap.*4. Concil. Tolet. 18. *can.* 4. *cap.* 1. *hoc tit. in* 5. *compil.* vbi Honorius III. in hæc verba reſcribit: *Poſtulaſti, Magiſtro N. clerico ad noſtram præſentiam deſtinato, vt ſi votis Vltraſiluanenſis Eccleſiæ vellemus annuere ſuper eo, quod ad eandem Vvaradienſem Præpoſitum elegerunt, confirmationem electionis eiuſdem remittere dignaremur. Nos verò f. t. in hoc, & aliis, quantùm cum Deo poſſumus, deferre volentes, præfatum electum ad te cum gratia noſtra duximus remittendum, per Apoſt. ſcripta tibi mandantes, quatenus cùm hoc deferendi tibi cauſâ fecerimus, erga electum ipſum, ſi aliàs eſt idoneus, non obſtante maculâ, quæ in altero ipſius oculo videbatur, ſine difficultate provt ad tuum pertinet officium, exequaris.* Alia iuris teſtimonia congeſſit Antonius Auguſt. *in epit. iuris Pontif. lib.* 4. *tit.* 11. *& lib.* 27. *tit.* 21. Conſonat lex 25. *tit.* 6. *partit.*1. Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti, & de iure eccleſ. lib.*1. *cap.*33. *n.*136. *& de poteſt. Epiſcop. alleg.*10. *num.* 49. *& alleg.* 42. Anaſtaſius Germonius *lib.* 1. *de ſacror. immunit. cap.* 10. *& lib.*3. *cap.* 3. Petrus Gregorius *lib.* 1. *de reſcriptis, c.*36. Acuña & I. Dartis *in* 55. *diſt.* idem Dartis *de beneficiis ſect.*4. *cap.*3. Duarenus *lib.*4. *de ſacris eccleſ. cap.*3. Ludouicus Creſolius *lib.*2. *Myſtag. cap.* 6. Bobadilla *lib.* 1. *polit. cap.* 8. Gibalinus *de irregul. cap.* 3. 1. *p.* Sauſay *in Panopl. cleric. p.*1. *lib.*6. *cap.* 5. §. 2. *pag.* 236. Corraſius *de beneficiis p.*3. *cap.*6. Michaël Rouſſelius *lib.* 1. *hiſt. iuris Pontif. cap.*4. *num.*6.

ET PROBATVR.

Verùm hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti conſideratione. Sicut Deus decorem & pulchritudinem ab intus quærit, iuxta illud pſalmi 44. *Omnis gloria filiæ ab intus*; nec externam

4. RATIO DVBITANDI.

faciem attendit, ſecundùm illud *Cantic. 1. verſ. 4. Nigra ſum, ſed formoſa :* vbi D. Bernardus *ſerm. 2.* ait : *Nigredo felix, quæ parit mentis candorem :* ita Eccleſia in ſacerdotibus, & miniſtris non venuſtatem in facie, vel integritatem in corpore ; ſed animæ cultum, & decorem ex virtutum ſplendore in externis actibus micantem attendere debet, cùm plerumque legamus corpore mutilos, facie deformes, ſanctitudine tamen præclaros, in Eccleſiis præfectos, vberrimos attuliſſe fructus, quorum exempla refert Raynaud. *de calum. ſect. 2. ſerie 3. cap. 25.* ergo licèt in oculo quis maculam habeat, ex qua deformis reddatur, poterit ad ſacros ordines aſcendere, præcipuè quia vbi nulla culpa datur, nulla pœna eſt, *l. ſancimus, C. de pœnis, l. 1. l. ſpurij 6. ff. de Decurion.* & afflicto non eſt danda afflictio, *cap. 1. de clerico ægrotante.* Augetur hæc conſideratio ex eo ; nam non ſolùm qui maculam in oculo habet, verùm & qui oculo caret, ordinari poteſt, *can. 76. Apoſt.* ibi : *Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure exiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficiatur. Non enim mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio animæ.* Ergo non rectè aſſerimus, habentem in oculo maculam ita demùm ordinari poſſe, ſi deformitatem non contineat. Fulcitur etiam præſens dubitandi ratio *ex cap. qui partem 6. 55. diſt.* in illis verbis : *In iſtis verò caſus veniam meruit.* In quibus proponitur, quod ſi caſu clericus partem digiti amiſerit, à ſacerdotio non arcetur, quia caſus veniam meretur : igitur *in cap. vlt. hoc tit.* etſi partem cuiuſlibet digiti amiſerit, & ſcandalum adfuiſſet, poterat in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, & ad maiores aſcendere, quia caſus veniam meruit.

5. De corpore vitiatis.

Quâ dubitandi ratione ſic fulcitâ minimè obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, vitium in homine, aut animi eſſe, aut corporis, *l. 1. §. apud Vinianum, ff. de ædilitio edicto.* Animi, vt furor, *l. ſi cùm dotem 22. §. ſi maritus, ff. ſoluto matrim.* Medicis *de fortuitis caſibus 2. p. q. 5. n. 3.* & peccatum, *in cap. cùm infirmitas, de pœnit. & remiſſ.* latè Cæpolla *in d. l. 1. §. ſciendum.* Vitium corporis, aut eſt in toto corpore, vt febris ; vel in parte, vt cæcitas, & ſimilia, *d. §. ſciendum*, Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 1. caſu 60. num. 17.* Vitium propriè non ad animi, ſed ad corporis defectum, vel paſſionem refertur, *l. ob quæ vitia, §. idem Pomponius, ff. de ædilit. edicto* : de quibus in præſenti titulo agitur. Eſt ergo corporis vitium defectus, qui corpori ineſt, *dict. §. ſed ſciendum* ; & ſi membrorum deformitas, aut diſtorſio ſubſit, eaque ſit perpetua, vitium appellatur, *l. inter 101. verſiculo Verùm, de v. ſ.* cui adde Gellium *lib. 4. noct. cap. 2.* Budeum *in annot. ad Pandectas in dict. l. 1. §. Sed ſciendum*, Alciatum *in d. l. inter, §. verùm.* Dupliciter verò corporis vitium, vel corpore vitiatus quis dicitur ; aut quia mutilatus eſt membro, aut quia debilitatus. Mutilatus eſt, qui penitus membro caret : debilitatus autem, qui membrum habet, ſed inefficax, & ſine effectu, vel vſu, *cap. Preſbyterum, de clerico ægrot. l. non ſolum, ff. de rei vind.* Proſequuntur ſigillatim corporis vitia, quæ inducunt irregularitatem, Maiolus *de irregul. ex cap. 13. vſque ad 26.* Gibalinus *d. cap. 3. 1. p.*

6. Origo huius irregularitatis.

Deinde ſciendum eſt, irregularitatem hanc ob corporis vitium iam in lege veteri ex Dei præcepto ſtatutam reperiri. In Leuitico enim iubet Dominus, vt qui habuerit maculam, non offerat panes Deo ſuo, nec accedat ad miniſterium eius, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo, ſi grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem, &c. Quæ omnia ad myſticum ſenſum exponunt Gregorius Magnus relatus *in cap. 2. diſt. 29.* & *in cap. 1. 49. diſt.* D. Hieronymus *lib. 3. epiſt. 4. ad Fabiolam.* Ob prædictum ergo corporis vitium apud Hebræos à ſacrificiis arcebantur ſacerdotes. Philo Iudæus *de ſacrificiis*, ibi : *Sacrificare nulli ſacerdoti, niſi integro permittitur, cui ne minima quidem inſit labecula.* Ioſephus *lib. 6. de bello Iudaico*, ibi : *Ad altare, templumque accedebant carentes omni vitio.* Non tamen inde inferas, irregularitatem hanc eſſe iuris diuini, cùm omnis irregularitas ſit tantùm impedimentum canonicum, *cap. ſi cui, 34. diſt.* Trident. *ſeſſ. 14. de reform. cap. 7.* ideoque Pontifex in ea valet diſpenſare, *cap. 2. cap. expoſuiſti, cap. finali, hoc tit.* Conformis ergo eſt hæc irregularitas iuri veteri diuino ; non tamen ab eo prouenit, ſed tantùm in eo nititur. Quo modo accipiendus eſt textus *in cap. ſacerdotes, 49. diſt.* Latè hoc legis veteris præceptum illuſtrant Seldenus *de ſucceſſ. Hebræor. lib. 12. cap. 5. per totum* ; Petrus Cuneus *de Repub. Hebræor.* Creſolius *vbi ſuprà*, Theologi poſitiui *in cap. 31. Leuitici*, Nouarinus *in Agno, lib. 5. cap. 8. & 10.* In ipſa etiam qualiquali Gentilium religione à Sacerdotio, & ſacrificando corpore vitiati arcebantur ; apud Romanos enim mutilati, ſiue vt Tacitus ait, corpore multati, ad ſacra non admittebantur. Pulchrè Seneca *lib. 4. controu. 2.* ibi : *Lex, Sacerdos integer ſit. Thomas Metellus Pontifex, cùm arderet templum Veſtæ, dum Palladium rupit, oculos perdidit, ſacerdotium illi negatur.* Et ſtatim : *Sacerdos non integri corporis, quaſi mali ominis res vitanda eſt. Hoc in victimis notatur ; quantò magis in Sacerdotibus poſt Sacerdotium magis obſeruanda debilitas.* Conſentiunt Dionyſius Halicarnaſſeus *lib. 2. cap. 3.* Cælius Rhodigin. *lib. 12. antiquit. cap. 2.* teſtatur etiam Plutarchus *problemate 22.* Augures vlcus habentes, augurandi causâ ſedere prohibitos eſſe. Rationem reddit in illis verbis : *An & hoc ſignum eſt, non oportere, qui morſum aliquem, aut vlcus, & perturbationem in anima haberent, res diuinas tractare ; ſed tum Deorum mentem hominibus prodere, cùm & liquido, & integro animo eſſent ? An illud rationem habet, ſi neque victimam ſanandi vlceris causâ quiſquam adhiberet, nec auibus vlceratis ad auſpicandum vteretur, ea multò magis in ſeipſis ſeruanda exiſtimaſſe, vt ad ea quæ à Diis ſignificarentur, puri, & integri accederent ? Vlcus enim diminutio quædam, & pollutio corporis videtur.* Et Gellius *lib. 1. noctium, cap. 12.* refert, apud Romanos fas non fuiſſe virginem Veſtalem capi, quæ linguâ debili, ſenſúve, auribus diminuta, aliáve corporis parte mutila eſſet. Exiſtimabant enim antiqui ex prauo corpore non argui bonum animum. Stobæus *ſerm. 1.* ibi : *Nec quod deforme eſt, caret ſuſpicione* ; ſicut è contrario ex gratiori aſpectu pulchram virtutem eſſe autumabant, iuxta illud vulgare.

Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus.

Plura ex Philoſophis, Hiſtoricis, & Conſultis referunt, & congerunt Balduinus *in notis ad panegyricum Pacati, pag. 27.* Simon Maiolus *dier. canicul. pag. 888.* Marquez *in Gubernatione Chriſt. lib. 1. cap. 3. §. 2.* Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 8. per totum*, Adrian. Iunius *tom. 1. polit. q. 21.* Petrus Gregor. *lib. 7. de repub. cap. 6.* Tiraquell. *in l. 2. connub. num. 59.*

num. 59. Borellus *lib.* 1. *de Magiſtr. cap.* 3. *à n.* 26. Theophilus Raynaud. *tom.* 4. *de vitiis & virtut. fol.* 554. vnde apud Athenienſes eligendi in Reges egregiam corporis formam obtinere debebant, vt refert & probat Samuel Petitus *ad ius Atticum lib.* 3. *tit.* 2. *pag.* 239. Quod & à Perſis obſeruatum fuiſſe probat Balduinus *vbi ſuprà*, & apud Romanos in militibus eligendis, corporis dotes, præcipuè proceritas, attendebantur, vnde frequens militaris ſtaturæ mentio *in l. quiſquis* 9. *C. Theodoſ. de deſert. l. nunquam* 13. *eod. C. de diuerſis officiis*, *l. penult. eod. C. de veteranis*, *l. filios* 8. *C. de filiis militum*, *l. eorum* 5. *eod. C. de re militari*, *l.* 3. *eod. C. de tyronibus*, ex Lampridio & aliis obſeruarunt Philippus Camerarius *centuria* 2. *cap.* 3. *&* 5. Fornerius *lib.* 5. *rerum quotid. cap.* 19. Steubechius *in notis ad Vegetium de re milit. lib.* 1. *cap.* 5. Gothofredus *ad titul. C. Theodoſ. de tyron.* Sauarus ad Sidonium *lib.* 1. *epiſt.* 2. Etiam in Eccleſia iam ab eius primis ſæculis ſtatutum legimus, vt corpore vitiati, aliquáve parte mutilati, à ſacris ordinibus arceantur, eâ diſtinctione adhibitâ, vt ſi propriâ voluntate, aut culpâ, aliquâ parte corporis, etiam occultâ mutilati reperiantur, ordinari non poſſint; quam partem ſequenti commentario illuſtrabimus: ſi autem abſque culpa propria vitiati corpore reperiantur, duobus caſibus irregulares ſunt. Primò ſi carent corporis parte, aut illam debilem habent, quæ neceſſaria eſt ad miniſtrandum in Eccleſia in gradu ſuſcepto, vel ſuſcipiendo. Secundò ſi membri defectus ita ordinandum deformem reddat, vt ſine ſcandalo miniſtrare non poſſit. Duplex ergo cauſa inducit irregularitatem ob corporis vitium. Prima impoſſibilitas miniſtrandi ob defectum, aut debilitatem membri: ſecunda inſignis deformitas, ob quam ſine populi offenſione miniſtrare non poteſt; quas explicant, & varios caſus quotidie contingentes reſoluunt I. Dartis *de beneficiis*, *d. cap.* 3. Gibalinus & Maiolus *vbi ſuprà*, Paulus Zacchias *lib.* 10. *conſil. cap.* 35.

7. RATIO DECIDENDI.

Ex quibus apparet vera decidendi ratio ad textus *in dict. cap.* 1. 6. *& vlt. hoc tit.* nam cùm ille qui partem digiti amiſit, in ſpecie textus *in d. cap.* 1. ea parte corporis vitiatus eſſet, quæ nec defectum ad celebrandum, neque ſcandalum ex eo, quod miniſtraſſet, poſſit generare, rectè decidit Alexander, in ſuſceptis ordinibus eum miniſtrare poſſe, quia nullam irregularitatem ex tali mutilatione Preſbyter contraxit. Similiter qui tantùm pollicis vngulam auulſam habet, ſed tamen digitum potentem ad frangendam hoſtiam, neque ex ea auulſione aliqua deformitas ſequitur, rectè deciditur *in cap. finali, hoc tit.* poſſe eum ſacris ordinibus initiari. Etiam cùm habens maculam in oculo, non caret facultate celebrandi, neque ideò deformis remanet, non inde incurrit irregularitatem: & ita *in dict. cap.* 2. & in omnibus his caſibus, cùm nec defectus, nec debilitas membri detur, nec aliqua iuris deformitas naſcatur, non incurritur hæc irregularitas ex corporis vitio: inde etiam cùm in ſpecie textus *in dict. cap. expoſuiſti* 11. *hoc tit.* promouendus in Abbatem caruiſſet ſiniſtra manu, & per conſequens parte corporis neceſſaria ad celebrandum, ideò irregularis ob corporis vitium declaratur.

8. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec difficultas ſuprà pro dubitandi ratione adducta aduerſatur; nam licèt Eccleſiæ Patres in miniſtris Eccleſiæ ad ordines promouendos bonæ mentis frugem, indolem probam, aliaſque virtutes præſcripſerint, integritatem etiam corporis, rectè expoſtulant ob rationes ſuprà adductas; neque aliàs corpore vitiati, etſi virtutibus polleant, niſi cum eis Pontifex duxerit diſpenſandum, ordinari poſſunt, vt diſpenſaſſe credimus in caſibus relatis à Theophilo *in Oplothec. de calumnia*, *vbi ſuprà*. Nec primum augmentum ipſius difficultatis refragatur: nam certum eſt, cæcum, id eſt, vtroque oculo, ſeu lumine orbatum, irregularem eſſe ex defectu partis eſſentialis, *cap. hinc enim*, §. *cæcus*, 49. *diſt.* licèt ſi iam promotus viſum amiſerit, poſſit prædicare, abſoluere, & alia ſimilia munia obire, vt de Damo refert Baronius *anno* 731. Similiter vno oculo carens ordinari non poteſt, *cap. finali* 55. *diſt.* reſoluunt Molina, Nauarrus & Silueſter relati à Gibalino *dict. cap.* 3. *conſect* 1. Nec tunc obſtat textus *in dict. can.* 76. *Apoſt.* nam omiſsâ eorum ſententiâ, qui exiſtimarunt, eum canonem apocryphum eſſe, dicendum eſt, oculo priuatum aliunde dignum, in Epiſcopum ordinari poſſe, ex ſpeciali diſpenſatione; quo caſu exaudiendos eſſe Apoſtolos *in d. can.* 76. docet Dartis *de beneficiis cap.* 3. *ſect.* 4. Nec aliud augmentum dubitandi rationis deductum *ex d. cap. qui partem*, refragatur; nam ille textus eſt accipiendus de eo, qui amiſit partem digiti ad celebrandum non neceſſariam, aut cùm ex eius defectu inſignis deformitas non ſequebatur; aliàs enim ſi partem digiti ad fractionem hoſtiæ neceſſariam amiſiſſet, aut partem, cuius defectu ſine populi offenſione celebrare non poterat, ordinari non poſſet, *ex cap.* 1. *& vlt. hoc tit.* licèt ſi eam partem caſu amiſiſſet poſt ordinationem, etiam in aliis eccleſiaſticis officiis poſſet miniſtrare, *cap.* 2. *de cleric. ægrot.* qui ita intelligendus eſt, & conciliandus cum dicto capite *qui partem*.

9. EXPONITVR TEXTVS IN CAN 77. APOSTOL.

Primò huic aſſertioni obſtat textus *in can.* 77. *Apoſt.* in illis verbis: *Qui verò mutus, ſurduſve, & cæcus eſt, Epiſcopus non efficitur, non quia oblæſo corpore eſt, ſed ne eccleſiaſtica impediantur munia.* Ex quibus expreſsè conſtat, mutum, ſurdum, aut cæcum non poſſe in Epiſcopum ordinari, non quia oblæſum corpus habeat, ſed ne impediantur Eccleſiæ munia: igitur quia corporis vitium per ſe non inducit irregularitatem. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, mutum, ſurdum, & cæcum ordinari non poſſe, non quia defectus illi deformitatem inducunt; ſed quia defectum ſenſûs patiuntur ad celebrandum neceſſarij: quaſi dicant Apoſtoli; Surdus, mutus, & cæcus ordinari non poſſunt, non quia oblæſum corpus habeant, id eſt deformes ſint; ſed quia propter defectus viſus, auditus, & loquelæ eccleſiaſtica impediuntur munia. Conſentiunt enim Apoſtoli in irregularitate ex corporis vitio; ſed iuxta ſuprà dicta affirmant, in muto, cæco, & ſurdo, non ex deformitate, ſed ex corporis defectu eam oriri. Hunc tamen canonem ignoratum fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis, docet Rouſſelius *lib.* 1. *hiſt. iuris Pontif. cap.* 4 *num.* 6.

10. EXPONITVR TEXTVS IN CAP COMMVNITER, 33. DIST.

Secundò aduersùs præſentem aſſertionem expendi poteſt textus *in cap. communiter*, 33. *diſtinct.* vbi qui ob infirmitatem corporis in terram cadunt, tranſacto anno ordinari poſſunt. Ex qua deciſione conſtat, corporis vitium non inducere irregularitatem, ſiue deformitas ex eo ſequatur, ſiue defectus inducatur.

Augetur huius textus difficultas *ex cap. maritum, eadem dist.* vbi in ipsa specie contrarium statuitur, videlicet eum, qui aliquando in terram cecidit, ordinari non posse. Pro quorum iurium conciliatione sciendum est, obsessos à dæmonibus, & arreptitios, quos vulgò dæmoniacos appellamus, ordinari non posse, *cap. maritum, cap. clerici,* 33. *dist. can.* 78. *Apost.* Concil. Tolet. 2. *can.* 3. Arausican. *can.* 13. Docent Barbosa *lib.* 1. *iuris eccles. cap.* 33. *num.* 148. & *de potest. Episcop. alleg.* 42. Torreblanca *lib.* 3. *de iure spirit. cap.* 8. Crespetius *in summa, verbo Arreptitij*, Suarez *de censur. disput.* 51. *num.* 94. Corjolanus, Balsamon, & Zonaras *in d. can.* 78. Mendoza *lib.* 2. *Concil. Illiber. cap.* 59. Valenzuela *consil.* 25. *num.* 2. Isti enim insani sunt, & immundi, magnumque scandalum in populo sequeretur, si vexatus à dæmone, ad sacrificandum admitteretur, vt considerat post alios Gibalinus *de irregul. cap.* 3. *consect.* 9. Ab hac tamen vexatione liberati, si in eis nulla arreptio timeatur, arbitrio Episcopi relinquitur, quando possint ad ordines ascendere. Barbosa *d. alleg.* 42. & si post ordines susceptos clerici vexati fuerint, suspenduntur ab exercitio ordinis; posteà tamen liberati, transacto anno ministrare poterunt, *dict. cap. communiter*, qui non Pij Pontificis est, vt vulgò traditur; sed Concilij Tolet. 11. *can.* 13. quia tunc corporis vitium non datur, neque in defectu, neque in deformitate. Neque contrarium probat textus *in d. cap. maritum*, qui falsò tribuitur Gregorio, cùm deductus sit *ex cap.* 22. *libelli, de eccles. hast. dogmatibus*; qui ab aliquibus tribuitur D. Augustino, ab aliis Alcuino, ab aliis tandem Isidoro. Sed verius est esse Gennadij, vt docent D. Thomas *quodlibeto* 12. *art.* 10. Platina *in vita Symmachi*, Strabo *de rebus eccles. hast.* Quibus suppositis, omissâ solutione Gratiani *in cap. finali, vers. Nec enim*, 25. *q.* 1. qui asserit eum, qui aliquando insaniuit, ordinari non posse, dicendum est, textum illum procedere eo casu, quo ex vexatione aliqua infamiæ nota remanebat, aut suspicio offensionis; quo casu etiam liberatus à vexatione, ordinari non potest. Nisi dicatur, textum illum auctoritate canonica destitui, cùm tantum sit Gennadij, vt suprà obseruaui. Nec etiam obstat textus *in cap. clerici*, 33. *dist.* vbi asseritur, quod clerici, qui in adolescentia fuerint à dæmonibus vexati, ad superiorem gradum non promoueantur: igitur qui semel fuit vexatus, & obsessus, etsi posteà liberatus sit, ordinari non valebit. Cui difficultati vt satisfaciant Glossa, & Archidiaconus ibi, asserunt, tantùm in eo textu prohiberi vexatis à dæmonibus ascendere ad maiores gradus; non verò in minoribus ministrare. Sed hæc solutio refellitur ex canone 16. Concilij Arausicani 1. vbi generaliter prohibetur energumenis ad clericalem ordinem ascendere: deinde ex capite 19. Concilij Illiberit. & ex canone 9. & 91. Concilij Carthag. 4. Quare hac solutione omissâ dicendum est, in eo textu non negari, quod si clerici in ipsa adolescentia à vexatione diaboli liberati sint, possunt ad gradus omnes promoueri: tantùm enim cùm consultus fuisset Nicolaus de adolescentibus vexatis afflictione diaboli, respondit ipsos ita in adolescentia vexatos ordinari non posse, videlicet quamdiu vexantur: præpositio enim *in*, si adiungatur ablatiuo, intelligitur intra illud tempus: vnde idem est in anno, quod intra annum, *l. si ita* 41. §. *Labeo, ff. de manumiss. testam.* Barbosa *de dictionibus, dict. In, num.* 21. vnde verba illa, *in adolescentia obsessi*, idem important, ac *intra adolescentiam obsessi*; ita vt si liberati sint, etiam in ipsa adolescentia possunt sacris ordinibus initiari.

CAPVT III.

Clemens III. [a] *Varinen. Episcopo.*

EX parte Bartholomæi monachi, & diaconi petitorium fuit nostro Apostolatui præsentatum, quod cùm ipse in [b] cunabulis sectus fuerit, postmodùm sub [c] regula & Abbate deuotè Deo militans, in Diaconatus ordinem est promotus. Vnde suppliciter petit facultatem sibi à Sed. Ap. indulgeri, vt sit ei licitum in Presbyterum ordinari. Nos verò attendentes, quod secundùm statuta [d] Nicæni Concilij illi ad Diaconatus ordinem accedere prohibeantur; & si etiam in Clero fuerint, cessare debeant, qui se [e] ipsos sani absciderunt, vel affectauerint vt ab aliis abscindantur: non credimus ei aliquod impedimentum afferre, quominus prouehi possit, qui in cunabilis sectus fuerit, quia non videtur hoc eo tempore affectasse, quo iudicium animi non habebat: præsertim cùm canonibus [f] Apostolorum sit manifestè sancitum, quod si eunuchus sit per insidias hominum factus, vel ita natus sit, aut etiam in persecutione sint amputata ei virilia, & dignus sit, fieri Episcopus possit. Cognoscenti itaque tibi de substantia [g] veritatis, si precibus eius noueris veritatem inesse, & aliàs dignus inueniatur, maximè cum diu in ordine perseuerauerit [h] monachali, ipsum in Presbyterum promouendi licentiam auctoritate præsentium indulgemus.

NOTÆ.

a *Varinen.*] Ita etiam legitur *in cap.* 1. *hoc tit. in* 2. *collect.* de qua Ecclesia egi *in cap. eo libentius* 6. *de seruis non ordin.*

b *Cunabulis.*] Cunabula sunt infantiæ panni, & etiam dicuntur panni illi, quibus mortui sepeliendi inuoluuntur; quomodo apud Ioannem CP. Episcopum legitur Lazarum in monumento cunabulis inuolutum fuisse: notat Cuiacius *in cap.* 4. *de despons. impub.* vnde cùm aliquid contingit in primis illis infantiæ annis, dicitur contigisse in cunabulis, *cap. litteras* 4. *de despons. impub.* Quare Bartholomeus, qui in primis infantiæ annis sectus fuit,

fuit, in huius textus ſpecie dicitur ſectus in cunabulis.

c *Sub regula & Abbate.*] Rectè; nam ſine eis non datur vera profeſſio, vt docent Benedictus Haæphtenus *tom.1.diſquiſit.monaſt.lib.4.tract.7.* Stephanus Durantius *qq. iuris q.7. & 9.* Fragoſo *2.p. de regim. Chriſt. Reipub. lib.1. §.9.*

2. d *Nicæni Concilij.*] Primi videlicet, quod celebratum fuit temporibus Silueſtri Pontificis, & Imperatoris Conſtantini in ciuitate Nicæa, vrbe Bithiniæ, anno 325. Præſide Oſio Cordubenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, vt referunt eam Synodum miris extollentes laudibus poſt eius notatores Bucherus *in Belgico-Romano,fol.269.* Pater Serlogus *tom.3. in Cantica, veſtig.29. folio* 194. Cabaſſutius *in notit. Concil.* In eo poſt damnatam hæreſim Arrianam, & alia piè ſtatuta, ſanciti fuerunt varij canones, quos ex Piſano, & Turriano referunt Baronius, Binius, & Corjolanus. Et huic primo canoni occaſionem dedit Leontius Preſbyter, qui accuſatus de incontinentia cum quadam puella, & iuſſus abſtinere ab eius contubernio, ſeipſum caſtrandum præbuit, vt liberiùs cum fœminis commiſceri poſſet; neque ita tamen ſuſpicionem eluere potuit quominus cùm Preſbyter eſſet, deponeretur, vt referunt Socrates *lib. 2. hiſtoriæ, cap. 21. Leontius cùm Preſbyter eſſet, eo dignitatis gradu priuatus eſt, quòd genitalia ſibi exſecuiſſet.* Theodoretus *lib.2. cap.* 24. Athanaſius *in apolog. contra illos qui ſe caſtrauerunt*, D. Baſilius *in opuſcul. de vera virgin.* Qui cùm poſteà Arrianis ſe iunxiſſet, eorùm factione ſub Conſtantio Sedem Antiochenam inuaſit: ex Theodoreto refert Iuſtelus *in notis ad can.1. Concilij Nicæni.*

e *Qui ſe ipſos.*] Verba ſunt canonis primi Concilij Nicæni, quæ etiam referuntur à Carnotenſi *p.6. Decreti, cap.374.* Gratiano *in cap. ſi quis à Medicis 7. 55. diſt.* 3.

f *Apoſtol.*] Can. 20. *Si quis humanâ violentiâ eunuchus factus eſt, aut in perſecutione amputata ei ſunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus eſt, efficitor Epiſcopus.*

g *Veritatem.*] Aliàs litteræ ipſo iure nullæ eſſent, iuxta adducta *in cap. ſuper litteris, de reſcriptis.*

h *Monachali.*] Non quia ingreſſus monaſterij, ſeu profeſſio in eo purgaret hanc irregularitatis ſpeciem; ſed quia ſi verè contracta eſſet, faciliorem redderet diſpenſationem, iuxta adducta *in cap.1. de filiis Preſbyterorum.* 4.

CAPVT IV.

Clemens III. [a] *Rauen. Archiepiſc.*

SIgnificauit nobis R. Archipresbyter ſancti Stephani de Longaſco, quod R. Preſbyter credens ſe obſequium præſtare Deo, ſibi fecit virilia amputari: ſed cùm idem Archipreſbyter ſit ſenectute grauatus, nec [b] relinquere valeat Presbyterum memoratum, nobis humiliter ſupplicauit, vt ei concedere debeamus, ea, quæ præter Miſſam ad ſacerdotem pertinent, [c] miniſtrare. Quocirca mandamus, quat. inquiras diligenter veritatem, & ſi iamdictum Presbyterum aliàs [d] dignum inueneris, ei ſacerdotale miniſterium abſque omni altaris miniſterio, auctoritate noſtra fretus, & [e] tua, provt videris expedire, concedas.

NOTÆ.

1. a *Rauen.*] Ita etiam habetur *in cap.1. de clerico ægrotante, in 2.collect.* ex qua reſtituendus eſt præſens textus. Reſcribit Clemens III. in præſenti Vvidoni Archiepiſcopo Rauennat. qui electus fuit in Præſulem ipſius Eccleſiæ anno 1182. & ſub noſtro Clemente III. Legatus à Latere miſſus bellum ſacrum contra Saracenos nunciauit, & promulgauit, vt refert Vghellius *in Italia ſacra, in Eccleſia Rauennat. num.* 80. De ipſa Eccleſia nonnulla adduxi *in cap. ſi quando 5. de reſcriptis.*

2. b *Relinquere valeat Preſbyterum.*] Vt vicarium ſuum, aut coadiutorem, vt permittitur *in cap.1. & 2. de cleric. ægrot.* vnde præſens textus non impropriè compilatus fuit ſub titulo *de cleric. ægrot. in 2. collect.*

3. c *Miniſtrare.*] Vt baptizare, ſacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis conferre, matrimoniis adeſſe, & alia ſimilia.

d *Dignum.*] Cùm enim per ignorantiam feciſſet, exiſtimans ſe Deo præſtare obſequium, mitiùs cum eo agitur.

e *Tua.*] Gloſſa in præſenti docet, in hoc caſu Epiſcopum poſſe diſpenſare; & rectè. Nam cùm pars abſciſſa eſſet occulta, & abſciſſio abſque culpa contingeret, Epiſcopus diſpenſare valebat. Miranda *in manuali, tom.2. q.8. art.3.* quidquid ſentiat Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 42. *num.* 27. Nec contrarium ſuadent verba præcedentia, *auctoritate noſtra fretus*; nam per ea verba tantùm excitatur iuriſdictio propria Epiſcopi; non noua conceditur, quia quoties aliqua committuntur ordinariis iudicibus, quæ illis competunt, non delegati, ſed ordinarij iudices manent, excitatâ eorum iuriſdictione, vt dicemus *in cap. licèt, cap. graue, de officio ordin.* Michaël Rouſſellius *lib. 1. hiſtoriæ Pontif. iuriſd. cap.* 4. *num.* 5. credit Epiſcopum poſſe diſpenſare cum eunuchis caſu, aut neceſſitate factis; Pontificem cum voluntariis, quia qui ſe abſcidit, creditur ſui homicida. 4.

CAPVT V.

Idem [a] *Parienſi Epiſcopo.*

EX parte dilecti filij Michaëlis Preſbyteri fuit in audientia noſtra propoſitum, quod cùm ſibi ſentiret lepræ periculum imminere, de conſilio medici virilia ſibi fecit [b] abſcindi, vt poſſet à tam grauis infirmitatis vitio liberari: & vt prouideremus ei ſuper executione ſui officij, à nobis humiliter poſtulauit. Quoniam igitur [c] canones Sanctorum Patrum huiuſmodi à ſacri altaris adminiſtratione non prohibent, fr. t. per A. ſ. m. quat. ſi ita ſe rei veritas habet, & memoratus M. eſt aliàs idoneus, vt ſui officij miniſterium exequatur, nullius contradictione, vel ap. ob. auctoritate fretus Ap. liberam ei tribuas facultatem.

NOTÆ.

1. a *Parienſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. quæ inſcriptio ſi retineatur, referenda eſt ad Eccleſiam Parienſem, quæ eſt in Eccleſia Orientali, cuius Epiſcopus Thalaſius ſubſcripſit in Concilio Chalced. ſed in editione epiſtolarum Innocentij III. facta Coloniæ, *folio* 8. legitur *Pariſienſi*, de qua Eccleſia nonnulla adduxi *in cap. final. de reſcriptis.*

2. b *Abſcindi.*] Quæ abſciſſio certiſſimum præſtat remedium lepræ curationi, vt docent Galenus *lib.* 3. *comment. ad lib.* 3. *Hippocratis*, Archigenes *lib.* 13. *cap.* 125. ibi: *Neque enim temerè reperias vllum aliquem caſtratum elephantiaſi laboraſſe.* Rationem tamen, quâ id confirmat Archigenes, refellit Mercurialis *lib.* 3. *var. cap.* 20. addens legitimam rationem, quòd elephantiaſis præcipuè oriatur ex caliditate, & ſiccitate, tum iecoris, tum vniuerſi corporis, quæ cauſa eſt cur lepra in Ægypto ſit admodum familiaris. Cùm ergo eunuchi ſint frigidi & humidi, mirum non eſt, quòd non ſint facilè obnoxij lepræ, alteríve vlli morbo, cuius origo ſit calor & ſiccitas. Et remedium hoc lepræ eſſe valdè vſitatum, conſtat ex Lucretio.

Et grauiter partim metuentes limina lethi,
Viuebant ferro priuati parte virili.

Et Poëta.

Nec-non infelix ferro truncata iuuentus
Atque exſecta virum.

Illuſtrant Theophilus Raynaud. *tom.* 14. *tract. de triplici eunuchiſmo, cap.* 3. *num.* 6. Iuretus *in notis ad epiſt.* 231. *Carnot.*

c *Canones.*] Videlicet canon 20. Apoſtol. *cap. ſi quis in ægritudine, cap. ſi quis à Medicis*, 55. *diſt.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR. IN his tribus deciſionibus agitur de eunuchis natis, vel factis propriâ manu, vel ab hominibus; & vt eas vno commentario complectamur, ſequentem ex eis deducimus aſſertionem: *Qui in cunabulis, aut à Medicis caſtratus, ſeu abſciſſus fuit, ordinari valet; non verò qui propriâ voluntate ab alio, vel à ſe ipſo ſectus eſt, etiamſi ob ſeruandam caſtitatem id fecerit.* Probant eam textus *in can.* 20. 21. & 22. *Apoſt. cap. maritum*, 33. *diſt. cap. finali*, 51. *diſt. cap. ſi quis abſcidit* 4. *cap. hi qui* 5. *cap. qui partem* 6. *cap. ſi quis à Medicis* 7. *cap. ſi quis in ægritudine* 8. *cap. ſi quis in infirmitate, cum ſequenti*, 55. *diſt. cap. tunc* 23. *q.* 5. *cap. qui ſitit* 33. *q.* 5. Concilium Arelat. 2. *can.* 7. *Si qui ſe, carnali vitio repugnare neſcientes, abſcindant, ad Clerum peruenire non poſſunt.* Synodus Conſtantinop. *can.* 8. apud Balſamon. Triburienſe Concil. *can.* 33. Conſonat lex 23. *tit.* 6. *part.* 1. Alia iuris teſtimonia congerit Anton. Auguſt. *in epit. iuris lib.* 4. *tit.* 11. & *lib.* 27. *tit.* 21. Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 42. *num.* 13. & *lib.* 1. *iuris eccleſ. cap.* 33. *num.* 141. Acuña & I. Dartis *in* 55. *diſt.* Amaya *lib.* 3. *obſerv. cap.* 6. *ex num.* 44. Olanus *lib.* 3. *Paralip. cap.* 10. *ex num.* 34. Balſamon *in d. can.* 8. *Synodi Conſtantinop.* & *in Nomocan. Photij*, *tit.* 5. *cap.* 14. & *in can.* 1. *Concil. Nicæni*, Baronius *anno* 230. & 232. *num.* 5. & 253. *num.* 44. Robertus *lib.* 4. *rerum iudic. c.* 10. Theophilus Raynaud. *tom.* 14. *tract. de triplici eunuchiſmo, cap.* 3. §. 6. Claudius Eſpenceus *lib.* 5. *de voto, cap.* 12. Fileſacus *lib.* 1. *ſelect. cap.* 12. Vighellius *in method. iuris can. pag.* 247. Tondutus *reſol. canon. cap.* 9. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 14. & 23. Pamelius *in notis ad D. Cyprianum, epiſt.* 62. Germonius *lib.* 3. *de ſacrorum immunit. cap.* 3. Iuretus *in notis ad Carnot. epiſt.* 83. Ramirez *in Pentecont. cap.* 4. Spondanus *in epit. Baronij*, *anno* 730. *num.* 2. Mendoza *q.* 4. *poſitiua*, Sauſay *in Panopl. cleric.* 1. *p. cap.* 5. §. 8. Seuerinus Binius, Corjolanus, & Zonaras *in d. can.* 20. *Apoſtol.* Paulus Zacchias *lib.* 2. *qq. tit.* 3. *q.* 7. & *lib.* 8. *tit.* 1. *q.* 6. Iuſtelus *in can.* 1. *Concil. Nicæni*, Rouſſellius *in hiſtoria iuriſd. Pontif. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. Corraſius *de beneficiis p.* 3. *cap.* 6. Petrus Herodius *lib.* 1. *Pandect. cap.* 14. Duarenus *lib.* 4. *de ſacris Eccleſiæ, cap.* 3. Gothofredus *in l.* 4. §. *cum, ff. de re milit.* Ferrara *de litteris cap.* 7. plures Moraliſtæ relati à Diana *p.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 11. & *p.* 11. *tract.* 1. *reſol.* 23. Gibalino *de irregul. cap.* 3. *q.* 4. *conſect.* 4. *num.* 12. Chriſt. Lupus *in can.* 1. *Concil. Nicæn.*

4. RATIO DVBITANDI. Sed aduersùs primam partem huius aſſertionis, quatenus in ea docetur ſectum in cunabulis, vel à Medicis eunuchizatum, ad ſacros ordines admitti poſſe, inſurgitur in hunc modum. Eunuchi quomodolibet facti, non debent ad ſacros ordines promoueri, vt *in cap.* 23. *Deuteron.* cautum legimus his verbis: *Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Domini.* Quod & apud Romanos obſeruatum fuiſſe teſtatur Cælius Rhodigin. *lib.* 7. *antiq. lect. cap.* 2. immò M. Sergium orationem in Senatu habuiſſe, vt à ſacris omninò arcerentur, refert Alex. ab Alex. *lib.* 6. *dierum genial. cap.* 14. &

ob

ob illum defectum Metello denegatum fuisse Sacerdotium, constat ex Seneca *in ipso*, & tradit Stuchius *de sacrificiis Gentil. pag.* 68. nec solùm à Sacerdotio, verùm & ab omnibus honoribus & dignitatibus arcebantur eunuchi apud eos; militiæ enim nomen dare non poterant, *l. qui cum vno, ff. de re milit. l.* 8. *C. Theodos. de tyronibus*, Vegetius *lib.* 1. *de re milit. cap.* 7. ad studium litterarum non admittebantur, Lucianus *in Eunucho*, Sauarus *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 8. *verbo Litteris:* quare non modicam inter eos contentionem concitauit Eutropij eunuchi ad Consulatus fastigium euectio. Claudianus *in Eutropio.*

Omnia cessarunt eunucho Consule monstra,
Heu cœli, terræque pudor!

Plura de Eutropio, & eius fine D. Iosephus de Retes *de interdictis lib.* 3. *cap. final.* immò vilissimis ministeriis, & quod nefas est, libidini potentiorum deseruisse, plurima Poëtarum, & historicorum monumenta testantur. Martialis *lib.* 9. *epigr.* 7. Iuuenalis *satyra* 10. & innuit textus *in l.* 3. §. *qui in alio, ff. ad leg. Corn. de sicar.* plura D. Franciscus de Amaya *lib.* 3. *obseru. cap.* 38. & 43. Suarez *ad leg. Aquil. lib.* 2. *cap.* 3. *sect.* 6. igitur si ita eunuchi abiecti sunt, non debent ad sacros ordines admitti, cùm in ordinandis vltra morum honestatem, quædam claritas, vel decentia personæ desideretur. D. Thomas *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. & ex eo docet Suarez *de censur. disput.* 51. *sect.* 3. *n.* 2. Secunda etiam assertionis pars, vbi asseritur abscindentem semetipsum aliqua corporis parte, etiamsi pro seruanda castitate faciat, irregularem esse, non leuem patitur dubitandi rationem ex eo; nam vnicuique licet naturaliter in suum corpus sæuire, *l. sed si* 9. §. *si ipse seruus, ff. de peculio*; quia cùm homo sit vsufructuarius vitæ, & vsufructuarius possit arboris ramos decerpere; ita & homo corporis proprij membra amputare potest, vt in specie ratiocinatur Ioannes Caramuel *in Theolog. fundament. fundam.* 55. §. 9. sed qui iure suo à natura præcipuè concesso vtitur, puniri non debet, *l. si præses* 32. *ff. de pœnis:* igitur qui se abscidit, aut virilia amputauit, nullam exinde irregularitatem contrahit. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam licèt hæc abscissio ex aliis causis contingens iniusta videri possit, tamen ob seruandam castitatem, licitam, permissamque esse probatur auctoritate, & exemplis. Auctoritate sacræ paginæ *Matthæi cap.* 19. ibi: *Beati qui se castrauerunt propter regnum cœlorum.* Et Marci *cap.* 9. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te: & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Exemplis Origenis, qui se castrauit, vt seruaret castitatem, vt refert Eusebius *lib.* 56. Leontij Antiocheni, cui idem accidit, referente Theodoreto *lib.* 2. *historiæ, cap.* 24. duorum monachorum Ægypti, de quibus in vitis Patrum, *dist.* 2. *cap.* 172. quæ refert Zerda *in aduersariis, cap.* 128. *num.* 17. ergo qui se abscidit, aut eunuchizauit, non inde irregularitatem contrahit.

5. De eunuchis et eorum differentiis.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, omissis eunuchorum, spadonum, castratorum, & euiratorum differentiis, quas referunt, & exponunt Pancirola *lib.* 2. *variar. cap.* 275. Balsamon *in can.* 24. *Apost.* Theophilus Raynaud. *tom.* 14. *tract. de triplici eunuchismo, in prælusione*, Paulus Zacchias *lib.* 2. *qq. Medicolegal. tit.* 3. *q.* 7. eunuchorum duo esse genera, natos, & factos, quamvis pauci omninò nascantur cum hoc defectu, vt obseruat apud August. auctor quæstionum ex vtroque Testamento, *q.* 116. sunt tamen aliqui, inter quos Dorotheum Antiochiæ Episcopum fuisse refert Eusebius *lib.* 7. *cap.* 32. per hæc verba: *Dorotheum Primatu Antiochenæ Ecclesiæ insignitum cognouimus. Erat autem naturâ eunuchus, ita ex ipsa natiuitate comparatus.* De quo plura Theophilus *d. tract. de triplici eunuch. cap.* 2. §. 1. Eunuchi facti dicuntur, qui ab hominibus euirati sunt variis ex causis: aut causâ medelæ, iuxta suprà tradita: aut in pœnam delicti admissi, iuxta infrà dicenda, & congesta *in cap. significasti, de homicidio:* aut causâ mercimonij, seu negotiationis. Frequentem olim, & quæstuosam fuisse eunuchorum nundinationem, constat ex Herodoto *lib.* 8. & Lactantio *de opificio Dei, cap.* 13. Quintiliano *lib.* 5. *instit. cap.* 12. qui meminit mangonum, & venalitiorum istorum, qui formæ puerorum excisâ virilitate lenocinabantur, erantque serui eunuchi pretiosiores: quare Vlpianus *in l. ita* 27. §. *& si, ff. ad legem Aquil.* ait: *Si puerum quis castrauerit, & pretiosiorem fecerit, Viuianus scribit, cessare Aquiliam.* Et Iustinianus plurimi æstimat seruos eunuchos, quàm alios, *in l.* 3. *C. communia de legat. l.* 1. §. 6. *C. de communi seruo:* & Constantinus *in l.* 2. *C. de eunuchis*, permittit facultatem emendi, & vendendi eunuchos barbaræ gentis extra Romanum Imperium factos. Causas vt pretiosiores crederentur eunuchi, refert, & illustrat Gibalinus *tom.* 1. *de negot. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 3. Sed cùm hæc abscissio Deo, & naturæ iniuriosa sit, vt eleganter expressit D. Ambrosius *lib.* 5. *in Herab. cap.* 3. *sub finem*, his verbis: *Tollis homini quod natus est, & virum de viro exuis, abscissaque corporis parte, sexum negas, spadonem efficis, vt quod negauit natura in hominibus, impleret audacia.* Tam legibus ciuilibus, quàm ecclesiasticis huiusmodi exsectio, nisi ad vitæ conseruationem, aut in pœnam admissi delicti, prohibita est. Doctores tamen, præcipuè Theologi Moralistæ, disputant, an huiusmodi abscissio ob vocis suauitatem ad concentus sacros, quibus isti euirati passim adhibentur, licita sit? Et Salon 2. 2. *q.* 6. *controu.* 2. Trullench *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 4. Sayrus *lib.* 7. *clauis, cap.* 9. *num.* 38. Mendoza *in lib.* 1. *Regum, cap.* 8. *vers.* 15. *num.* 9. Pasqualigus *decis.* 498. & *in qq. canonic. centur.* 1. *q.* 10. honestam esse hanc euirationem docent, si duo concurrant. Primum, vt pueri qui exsecantur, sui iuris sint, & polleant vsu rationis, atque commoda, incommodáve, quæ inde consequentur, percipiant, & suæ exsectioni consentiant. Secundum, vt sine periculo vitæ fiat exsectio. Verùm contrariam sententiam defendunt alij, quos referunt, & sequuntur Barbosa *in cap. si quis abscideriderit, 55. dist.* Lugo *disput.* 10. *num.* 21. Thomas Hurtado *tom.* 2. *resol.* 38. *num.* 758. Diana 3. *p. tract.* 5. *resol.* 38. & *p.* 6. *tract.* 8. *resol.* 16. Theophilus *vbi suprà, cap.* 4. §. 5. Gibalinus *d. art.* 3. *de negot. num.* 14. & meritò: nam si ad seruandam continentiam, & vitandum damnum spirituale huiusmodi exsectio non permittitur, quantò magis ob vitandam inopiam, aut lucrum temporale captandum prohiberi debet.

6. Ratio primæ partis assertionis.

Quibus animaduersis tradita assertio rationi iuris valdè consona est: nam prima pars, quæ asserit sectum in cunabulis, à Medicis, vel in persecutione, ordinari posse, ea nititur ratione; nam cùm ille nec feciſſet, neque affectasset huiusmodi abscissio-

abscissionem ; & pars abscissa neque deformitatem, neque defectum, aut debilitatem ad celebrandum inducat, non est ratio quare incurratur irregularitatis pœna, vbi nulla culpa adfuit. Creaturam enim Dei refingit, & naturæ insidiatur, qui euirat ; sed naturæ succurrit, nec legi subiicitur, qui propter morbum id facit. Imperator *Leo nouella* 60. *&* 98. ex qua ratione infertur, eum, qui suâ culpâ castrari se passus est absque propria voluntate, irregularitatem non contrahere, licèt contrarium communiter Doctores sentiant : pro cuius ampliationis expositione sciendum est, inter alias pœnas pro varietate delictorum à diuersis gentibus statutas, castrationem ab aliquibus inflictam esse, vt furto *in cap. tuæ*, §. *finali*, *de homicidio* : adulterio *ex lege Iulia de adult.* Brissonius *ad ipsam legem, verbo Viro deprehensio.* D. Laurentius Ramirez *ad Martialem lib.* 2. *epigr.* 60. ad quam pœnam referendus est Plautus *in Milite.*

Vt saluis testibus hodie te mittamus.

Perduellioni : Eusebius *lib.*8. *historiæ.* Apud Francos frequens huius pœnæ mentio reperitur ; nam apud eos seruus, qui quadraginta denarios surripuit, castrari iubetur in lege Salica, *tit.* 13. *de furto*, §. 2. & seruus qui cum ancilla mœchatus fuit, castrari præcipitur *in tit.* 29. *de adult.* eiusdem legis, §. *ancilla* 6. refert Lindembrogius *in Glossario*, *verbo Castrauerit.* Etiam culpâ alicuius similis mutilatio euenire potest, cùm ob accessum ad mulierem quis in morbum incidit absciſſione medendum, aut cùm ob simile peccatum in adulterio deprehensus, à marito mutilatur, vt in casu relato à Couar. *in Clem. si furiosus, de homicidio, in princip. num.* 6. In his ergo, & similibus casibus verius est, irregularitatem non contrahi, cùm nulla absciſſio actiua, nec directè intenta, sed tantùm passiua, & indirectè volita adfuerit. Quis enim dicat furem ob furtum furcâ suspensum se suspendisse, ex eo quod ob culpam propriam suspendatur. Docet, & hanc opinionem defendit Gibalinus *d. cap.* 3. *pag.* 53.

7. RATIO SECVNDÆ PARTIS.

Secundæ partis ratio ea reddi potest ; nam cùm homo non sit dominus membrorum suorum, *l. liber homo*, *ff. ad leg. Aquil.* & talis absciſſio sit occisio partialis illius membri ; sicut nemini licet se occidere, ita nec se mutilare. Et vt propiùs ad decisionem textus *in d. cap. significauit*, accingamur, sciendum est, vtroque iure, tam ciuili, quàm canonico, varias pœnas statutas esse in eos, qui propriâ voluntate se castrauerunt, aut membra mutilarunt. Iure enim Cæsareo illi lege Cornelia de sicariis tenebantur, *l.* 3. §. *idem*, *ff. ad leg. Corn. de sicar.* vbi Adriani rescriptum proponitur, quo statuitur eos, qui hoc crimine arguuntur, lege Cornelia teneri ; quod & proposuit Domitianus, testantibus Suetonio, & Xiphilino *in eodem Apuleio*, *lib.* 8. *de Asino aureo.* Cui gratulatur Martialis *lib.* 6. *epigr.* 2. ibi.

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ ;
Lusus & immeritos exsecuisse viros.
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec spado iam, nec mœchus erit, te Præside, quisquam :
At priùs (ô mores !) & spado mœchus erat.

Et lib. 9. epigr. 7.

Immatura dabant infandas corpora pœnas :
Non tulit Ausonius talia monstra pater.
Idem qui teneris nuper succurrit ephœbis,
Ne faceret steriles sæua libido viros.

Omnique modo eunuchos fieri prohibuit Constantinus *in l.* 1. *C. de eunuchis*, vbi plura Cuiacius, & noster D. Franciscus de Amaya : Brissonius *lib.* 2. *select. cap. final.* Inde apud Iustinum Martyrem *in apolog. ad Antonin.* qui se castrare voluit, priùs à Prælato Ægypti veniam edicti petiit, ibi : *Libellum Felici Præfecto obtulit, petens vt medicum sineret testes suos præcidere : hoc enim sine Præfecti permissu fieri nefas esse, medici, qui illic erant, asseuerabant.* Adde nouellam Iustiniani 142. nouellam Leonis 60. Euagrium *lib.* 4. *cap.* 22. Etiam qui digiti partem sibi absciṅdebant, vt sic militiæ inutiles redderentur, extra ordinem puniebantur, *l.* 4. *C. Theodos. de tyronibus*, *l.* 1. *eod. C. de filiis milit. l.* 4. §. 12. *ff. de re milit.* Eos Murcos Romani appellabant. Ammianus Marcellinus *lib.* 15. vbi notauit Valesius *pag.* 56. De his Innocentius I. *epist. ad Iulium*, ita scribit : *In his clericos scripsisti, quos constituas non habere aliquos murcos.* Notarunt Gothofredus *in d. l.* 4. §. *eum* 12. Iacobus eius filius *in l.* 5. *C. Theodos. de tyronib.* Cuiacius *lib.* 15. *obseru. cap. finali.* A pollicis truncatione eos Itali *poltrones*, dicebant, vt ex D. Francisco *lib.* 1. *opusc. pag.* 94. probarunt Meursius *in exercit. criticis*, *p.* 2. *cap.* 2. *pag.* 67. Cuiacius *d. lib.* 15. *obseru. cap.* 40. Sauarus *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 2. D. Laurentius Ramirez *in notis ad Luitprandum*, *in chron. pag.* 315. Iure nostro canonico, qui se mutilauit, per triennium à communione eiicitur, *can.* 23. *Apost.* vbi Zonaras, & Corjolanus : Menardus *ad D. Gregorium*, *fol.* 255. Iustè ergo deciditur *in d. cap. significauit*, seipsum absciṅdentem, aut eunuchizantem, ordinari non posse, tanquam sui homicidam. Hinc damnandi veniunt sacerdotes Deæ Cybeles, siue matris Deorum, Gallicè *Corybantes* dicti, qui inter nefandas libidines, quas non sine rubore describunt D. Augustin. *lib.* 7. *de ciuit. Dei*, *cap.* 26. Apuleius *lib.* 8. *Milesiarum*, sua membra amputabant, ac se castrabant. Arctaus Medicus relatus à Mercuriale *lib.* 3. *variar. cap.* 15. ibi : *Sunt qui membra sibi ipsis amputant, tanquam Diis propriis ea repetentibus gratam rem piâ cogitatione facturi : atqui insaniæ huiusmodi in opinione duntaxat collocatur : excitantur verò tibiâ, animive oblectatione, aut temulentiâ, aut adstantium exhortationibus, vt maneat huiusmodi furor à Deorum afflatu : quod si incolumes desistant, bono, & pacato animo sunt.* Vnde Martialis *lib.* 3. *epigr.* 63. Gallum appellat castratum more istorum sacerdotum, ibi :

Amisit testes, iam mihi Gallus erit.

Idem obseruari à sacerdotibus Dianæ refert Strabo *lib.* 14. & prodiit D. Hieronymus *in lib.* 1. *aduersus Iouinianum*, ibi : *Hieropbantes Athenienſium vsque hodie cicutæ sorbitione castrari, & postquam in Pontificatum fuerint electi, viros esse desinere.* Idem de sacerdotibus Bellonæ refert Farnabius *ad Senecam*, *in Medeam act.* 1. *vers.* 82. *pag.* 100. quod valdè insanum erat, cùm carnis stimulos non deuitent qui exsecti sunt, vt docent Epictetus *apud Arrianum lib.* 2. *cap.* 20. S. Basilius *sub finem libri de virgin.* plenissimè & disertissimè Augustin. 6. *in Iul. cap.* 5. ac scitè Arnobius *lib.* 5. ridens Deorum consilium de Aty castrando, vt castus inter Deos viueret. *Quasi verò*, inquit, *affecti corporalibus his damnis, fiant languidioris audaciæ, & non quotidie videamus eos, qui sibi demessuerint has partes, maioris petulantiæ fieri ; atque omnibus postpositis & pudoris, & verecundiæ frænis, in obscœnam prorumpere*

rumpere vilitatem, flagitiorum confessione vulgatâ? Immò plerumque spadones, vt S. Hieronymus *lib. in Iouin.* loquitur, in longam, secutamque libidinem exsecabantur. Videndus Brodeus *lib. 4. miscell. cap. 21.* Rectè ergo in præsenti ab ordinibus arcentur qui per eam immanitatem in diuinum opus, ipsumque proinde Deum iniuriam admittunt, vt aiebat D. Chrysostomus *in cap. 5. ad Galatas*, per hæc verba: *Vbi nunc sunt, qui seipsos audent euirare, simul & Apostolicam imprecationem sibi accersentes, & Dei opificium accusantes, & a Manichæis stantes? nam illi quidem aiunt corpus insidiosum esse, malæque materiæ. Hi verò factus suis crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant velut insidians & inimicum.* Alia prosequitur Theophilus Raynaud. *tom. 4. lib. 3. de iure commut. sect. 3. cap. 1. fol. 235.*

8. Dissoluvntvr difficvltates.

Nec obstat prima difficultas deducta *ex cap. 29. Deuteronom*; nam licèt illud ad sensum mysticum referant Beda *ibi*, Theodoretus *q. 25 in Deuteron.* eos tamen refellit Filesacus *lib. 1. select. cap. 11.* qui affirmat in eo textu prohiberi eunuchis ingredi Ecclesiam Dei, hoc est commercium habere cum Hebræis, & ius ducendi puellas Hebræas; quæ prohibitio eâ nitebatur ratione, quia cùm ipsi sperarent Messiam ex progenie propria, & nulla ex eunuchis soboles speraretur; ideo eos neque ad commercium, neque ad connubium admittebant. Neque quod dicebamus de eunuchis arcendis ab honoribus, & dignitatibus, refragatur; nam illud procedit iure ciuili attento, quo à Consiliis & Senatu remouebantur ex ratione communi, quia tertium genus hominum videntur. Lampridius *in vita Alexandri. Alexander Seuerus tertium genus hominum eunuchos esse dicebat, neque videndum, neque in vsu habendum à viris; sed vix a fœminis nobilibus.* Et in fine ita subiungit: *Hoc accedit, quod eunuchos neque in consiliis, neque in ministeriis habuit.* Mamertinus *in panegyrico ad Iulianum apostatam*, ibi: *Eunuchos quasi a consortio generis humani extorres, ab vtroque sexu, aut naturæ origo, aut clades corporis separauit.* Vnde in eos ita acriter inuehitur S. Basilius *epist. 87.* ad Simpliciam hæreticam: *Ignominiosum, ac modis omnibus perniciosum eunuchorum genus; genus hoc, inquam, nec fœmineum, nec masculinum, insaniens in mulieres, inuidiosum, vilis pretij, animo feroci, effœminatum, ventri deditum, auri cupidum, sauum, inconstans, illiberale, quidvis suscipiens, insatiabile, furiosum, & zelotypum, & quod amplius dicendum est, cum ista statim generatione ad ferrum damnatum.* Plura Suidas verbo *Spado*, Beyerlinch *verbo Eunuchus*, Saluagnus *ad Ouidium in Ibin, fol. 251.* vnde Imperatores acriter in Eunomianos spadones exarserunt *in l. 17. C. Theodos. de hæreticis.* Iure verò nostro Pontificio, dum sine voluntate ita nati, aut facti sunt, admittuntur ad Sacerdotium, & alias dignitates, vt auctoritatibus, & exemplis probat Filesacus *d. cap. 11.* Nec secunda difficultas aduersatur, deprompta *ex cap. 19. Matthæi*; nam licèt relata verba in sensu litterali accipientes Origenes, & Leontius (de quo Socrates *lib. 2. histor. cap. 21.* ait: *Leontius cùm Presbyter esset, eo dignitatis gradu priuatus est, quòd genitalia sibi exsecuisset:* & de eo ab Arrianis Antiochenæ Ecclesiæ Præfecto inquit Theodoretus *lib. 2. cap. 24. Antiochiæ verò post Stephanum Ecclesiæ Primatum suscepit Leontius, quem contra Nicæni Concilij decreta adeptus est; nam suâ ipse sibi manu genitalia exsecuerat*; vt suprà retuli) se castrauerint, & eius textus auctoritate moti hæretici Valesiani appellati, non solùm omnes se castrarent, verùm & sectæ professores, vt se castrarent, adigebant, vt referunt Baronius *anno 249. tom. 2.* Castro *aduersùs hæreses, verbo Eunuchos.* Pro eius tamen textus expositione dicendum est, in eo Dominum laudare continentiam obseruantes, qui ob eius amorem spiritualiter se castrauerunt, de quibus ipse Dominus apud Marcum *cap. 16.* ibi: *Hæc dixit Dominus eunuchis, id est continentibus.* Ita textum illum accipiunt, & interpretantur D. Cyprianus *de habitu virgin.* D. Augustinus *de statu virgin. cap. 23.* Abulensis *ibi*, Mendoza *q. 4. positiua*, Bellarminus *lib. 2. contron. tit. de monach. cap. 23.* Neque exempla relata à Patre Zerda contrarium suadent; nam in illis supponenda est diuina inspiratio, quo casu sicut & se occidere, vt latè probabimus *in cap. ex parte 11. de sepulturis*; ita & se mutilare licet, aliàs illi ex castratione ardentiori libidine vexarentur, vt de eunuchis lasciuientibus referunt D. Chrysostomus *in dict. cap. 19. Matthæi*, D. Basilius *de virginibus*, Muretus *lib. 1. variar. cap. 11.* & nos *infrà*. Nec tandem quod dicebamus, licere vnicuique in suum corpus sæuire, *d. l. 9. §. si idem seruus, ff. de peculio*, obstat; nam textus ille communiter accipitur de facto, quia ex facto, tam liberi homines, quàm serui se præcipitare, aut mutilare possunt, vt docet Amescua *de potest. in seipsum lib. 1. cap. 3.* sed veram interpretationem dabimus *in cap. ex parte, de sepulturis.* Et quod dicebamus, hominem vsufructuarium corporis esse, falsum est, vt probat Caramuel *vbi suprà*, Diana *d. p. 11. tract. 1. resol. 23.* Prado *tom. 2. Theolog. moral. cap. 20. q. 5. §. 10.*

9. Exponitvr textvs in can. 5. sextæ Synodi.

Adhuc huic assertioni opponitur textus *in can. 5. sextæ Synodi*, ibi: *Nullus eorum, qui in sacerdotali catalogo recensentur, extra eas, quæ in canone inseruntur, à suspicione alienas personas degens, mulierem possideat, vel ancillam, se nulli reprehensioni affinem ex hoc seruans. Si quis autem quæ a nobis definita sunt, transilierit, deponatur. Hoc ipsum autem eunuchi seruent, vt à vituperatione alieni sint, prouidentes. Qui autem transgrediuntur, si sint quidem clerici, deponantur; si verò laici, segregentur.* Ex quibus verbis ita argumentum conficitur: En textum vbi clerici eunuchi proponuntur: igitur quia abscissio in eunuchis non præstat impedimentum, quominus illi ad sacros ordines admitti possint. Huius textus vera interpretatio ex suprà dictis prouenit. Supponimus enim, eunuchorum tria esse genera. Primos appellari thlibias, qui in cunabulis membra genitalia amiserunt: secundos spadones, qui cum eo defectu nati fuerunt: tertios castratos, qui ferro, causticò, aut alio instrumento secti sunt. Docent Fornerius, Alciatus, & Gentilis *in l. spadonem 128. ff. de v. s.* Theophilus, & alij *in §. spadonem, Instit. de adoption.* Ex his thlibiæ, & spadones ordinari possunt; nam cùm illi sine vlla voluntate secti reperiantur, meritò irregulares non iudicantur; de quibus accipiendi sunt Patres sextæ Synodi *d. can. 5.* & Luitprandus *in legatione ad Nicephorum Phocam*, ibi: *Ipsi vendunt, ipsi emunt; ostia ipsi claudunt, ipsi aperiunt, ipsi dapiferi, ipsi agasones, ipsi capones; sed heu caupones volui scribere! Verùm res ipsa, quæ vera est, veritatem etiam nolentem compulit scribere; dicimus enim, quia capones sunt, id est eunuchi, quod canonicum non est: sunt & caupones, id est tabernarij,*

quod

quod contra canones. Prohibent tamen Patres *in dict. can.* 5. consortium eunuchis sacerdotibus cum mulieribus, vt à vituperatione alieni sint: sciebant enim venerem, atque incredibilem erga mulieres vesaniam illos aspirare, vt latè differit S. Cyrillus apud Suidam, verbo *Spado*, & exemplis probatur relatis ab Apuleio *lib.* 8. *Milesiarum*, quæ sine rubore legi, aut referri nequeunt; quare ea omitto. Illud tamen admiratione dignum est, quod refert D. Basilius *de vera virgin.* videlicet virginem quandam Ecclesiæ canonicam non sine lachrymis retulisse, eunuchum, qui illam deperibat, totum toti affusum, cùm non haberet, quo posset concupiscentiæ suæ satisfacere, dentibus vti solitum, ardentem concubitus rabiem in carne morsibus indicans.

10. INTELLIGITVR D. CLEMENS.

Secundò obstat supradictis D. Clemens *lib.* 2. *constit. cap.* 47. in illis verbis: *Nam si quidam homines, qui à suo ortu superflua membra reliquo corpori adiuncta habent, veluti digitos, vel carnis processus, propter turpitudinem illas eminentias abscindunt, nihilque fit iis indecorum, cùm per artificem naturalem corporis habitum recipiunt*, &c. Ex quibus deducitur, licere vnicuique membra sui corporis abscindere: igitur qui virilia abscidit, non ideò irregularis manet. Pro cuius constitutionis expositione dicendum est, abscissionem membri superflui cuilibet permissam esse, itavt possit quis sine vlla irregularitatis nota abundantem auriculam, vel superfluum digitum amputare, cùm illæ partes monstruosæ corporis non sint; secus verò si membrum necessarium amputasset, *cap. ab exordio*, 35. *dist.* vnde Isaiam partem linguæ superfluam abscidisse, refert Archidiaconus *in cap. scriptum* 8. *quæst.* 1. Diuumque Hieronymum ad rectam Hebraïcæ linguæ pronunciationem superfluitatem dentium limasse, ex variis historicis refert Maiolus *lib.* 1. *de irregul. cap.* 14. vnde cùm *in d. cap.* 47. *D. Clementis*, agatur de membris superfluis, rectè asserit S. P. eorum abscissionem permissam esse.

11. INTELLIGITVR TEXTVS IN CAP. MARITVM, 33. DIST.

Tertiò aduersatur textus *in cap. maritum* 33. *dist.* in illis verbis: *Iusto, vel iniusto timore superatus.* Ex quibus deducitur, tam iniustè se mutilantem, quàm iusto metu superatum, veluti lepræ medendæ causâ, irregularitatem ex ipsa abscissione contrahere. Pro huius textus interpretatione discrimen constituendum est inter eum, qui à Medicis, seu chirurgis fuit sectus; & inter eum, qui ex indignatione seipsum abscidit, iusto, vel iniusto timore superatus. Primo casu nulla irregularitas contrahitur, *d. cap. si quis à Medicis*, *d. cap. si quis in ægritudine*: secundo verò casu cùm ex indignatione, seu manu propria quis mutilatur, in irregularitatem incidit. Ivo Carnot. *epist.* 231. in illis verbis: *De cætero si monachi illius transgressionem, qui se propter epilepsiam curandam eunuchizauit, secundùm rigorem canonum animaduertere vultis, neque ad altiorem gradum promoueri poterit, neque in eo, in quo erat, ordine ministrabit; quod sicut benè nostis, ei non interdiceretur, si sectus esset à Medicis: si enim secundùm Nicænos canones illi ab ecclesiasticis officiis remouentur, qui se abscindunt obtentu seruandæ castitatis; multò magis illi remouendi sunt, qui se eunuchizant causâ curandæ corporalis ægritudinis.* Quo casu procedit textus *in d. cap. maritum.*

12. EXPONITVR TEXTVS IN CAP. QVI IN ALIQVO 51. DIST.

Quartò refragatur textus *in cap. qui in aliquo*, 51. *dist.* in illis verbis: *Qui semetipsos abscinderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minùs habere noscuntur.* Ex quibus expresse liquet, ad sacros ordines promoueri non posse eos, qui se abscinderunt, aut naturalem defectum membrorum patiuntur: igitur spadones, aut in cunabulis secti, siue à Barbaris mutilati, irregulares sunt. Huic difficultati ex suprà dictis satisfaciendum est asserendo, ea verba, *aliquid minus*, exaudienda esse, non de defectu cuiuslibet membri; sed de defectu membri necessarij ad ministrandum, seu ex cuius defectu deformitas sequebatur; tunc enim, licèt sine culpa, ex corporis vitio irregularitas contrahitur, vt superiori commentario probaui.

13. EXPLICITVR CAP. 2. DE CLERICO ÆGROTANTE.

Quintò expendi potest aduersùs hanc conclusionem textus *in cap. 2. de clerico ægrotante*, vbi qui mutilatus fuit per insidias à prædonibus, in susceptis ordinibus non valet ministrare: igitur qui à Medicis, vel per insidias à Barbaris mutilatus est, ad ordines promoueri non potest. Augetur hæc difficultas, nam virgo, quæ per insidias à Barbaris oppressa est, non potest inter virgines consecrari, *cap. illæ autem* 14. 32. *q.* 5. igitur qui per insidias à Barbaris mutilatus est, non potest in Presbyterum consecrari. Primæ difficultati satisfaciendum est asserendo, mutilationem etiam per insidias ex incursione barbarica contingentem, inducere irregularitatem, cùm abscinditur pars essentialis ad ministrandum. Quare cùm *in d. cap.* 2. abscissi essent duo digiti cum medietate palmæ, ideò Presbytero in altari ministrare prohibetur; tunc enim potiùs in impotentiam, quàm in irregularitatem inciditur. Vnde potest talis sacerdos alia munia obire, veluti absoluere, baptizare, & prædicare. Secundæ difficultati eodem modo satisfaciendum est; cùm enim per oppressionem barbaricam mulier virginitatem amiserit corporalem, quam neque Deus restituere potest, *cap. si Paulus* 32. *q.* 5. docent Narbona *anno* 10. *& dimidio*, *q.* 14. Maiolus *tom.* 1. *dierum canic. colloquio* 3. Arellanus *de iuris ratione lib.* 2. *cap.* 4. & cùm virginitas omninò desideretur ad consecrationem fœminæ, *cap. viduas*, *cùm sequenti*, 27. *q.* 1. ideò *in d. cap. illæ* 14. deciditur oppressam per insidias à Barbaris consecrari non posse. Docent Brixiensis *quæst.* 81. Germonius *lib.* 3. *sacrorum*, *cap.* 10. *num.* 13. ipse *in cap. sacris*, *de his quæ vi.* At in nostro casu cùm mutilatus quis est à Barbaris in parte nullo modo necessaria ad ministrandum, non est ratio, quare irregularis iudicetur.

TITVLVS

TITVLVS XXI.

De bigamis non ordinandis.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] *Aurelian.*

VT [b] bigami, [c] pœnitentes, vel repudiatarum [d] mariti ad ſacerdotium non aſcendant.

NOTÆ.

1. a *Aurelianenſi.*] *Can.* 3. legitur etiam apud Papienſem *ſub hoc tit. cap.* 1. *in* 1. *collect.* apud Iuonem tamen *part.* 6. *cap.* 134. Burchardum *lib.* 2. *cap.* 33. Gratianum *in cap.* 2. *diſt.* 55. legitur *can.* 10. cuius varietatis occaſio ex eo prouenit, quòd tam Decretiſtæ, quàm Raymundus in præſenti non tranſcripſerunt verba Concilij, ſed ſententiam tantùm eius, quæ ex vtroque canone collecta videtur: neque enim in canone 3. Concilij Arelat. nec in canone 6. Concilij Aurelian. 3. verba huius textus reperiuntur. In dicto canone 3. Concilij Arelat. 3. ita legitur: *Nullus pœnitentem, nullus bigamum, nullus viduarum maritos in prædictis honoribus audeat ordinare.* In capite 6. Aurelian. 3. ita cauetur: *Ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam profeſſus, aut ſegniori corpore, aut qui publicè aliquando arreptus, ad ſupraſcriptos ordines promoueatur.* Vnde ſententia in hoc textu propoſita citari poteſt, tam ex vno, quàm ex alio canone: credo tamen tam Decretiſtas, quàm Raymundum reſpexiſſe ad canonem 3. Concilij Arelat. 3. in eius ſummario, vbi in editione tam Seuerini Binij, quàm Regia Pariſienſi, ita epitomatur canon: *Vt bigami, pœnitentes, vel repudiatarum mariti ad ſacerdotium non prouehantur.* Quæ ſunt verba in hoc textu compilata.

b *Bigami.*] De quibus agam ſequenti commentario.

2. c *Pœnitentes.*] De quibus non eſt alius locus ita expreſſus in toto hoc Decretalium volumine; quare in præſenti agere ſtatui de hac ſpecie irregularitatis ex pœnitentia prouenientis.

d *Repudiatarum mariti.*] In dicto Concilio Arelat. legitur, *viduarum maritos*; in Aurelianenſi verò, *renuptæ maritos*; ſed in prædicto ſummario legitur, *repudiatarum mariti*, quæ littera retinenda eſt. Et ſcire oportet, etiam appellatione bigamorum comprehendi non ſolùm eos, qui binas contraxerunt nuptias ſucceſſiuè, defunctâ primâ vxore; verùm & qui ſemel contraxerunt matrimonium, ſed cum vidua. Repudiatarum verò mariti illi dicuntur, qui cum electis, & dimiſſis, & diuortio facto repudiatis matrimonium contraxerunt; licèt enim per diuortium ex iuſta cauſa factum apud Romanos matrimonium ſolueretur, *l. ſi non* 35. *ff. de donat. inter*, *l. ſi ex lege* 43. *ff. ad leg. Iul. de adult. l.* 1. *&* 8. *Cod. Theodoſ. de repudiis*; tamen iure canonico diſſoluitur tantùm quoad thorum, non verò quoad vinculum. Vnde ſi quis cum repudiata nuptias contraxerit, de facto vt bigamus habetur, licèt verè non ſit. D. Chryſoſtomus *in epiſt. ad Titum, homilia* 2. ibi: *Impudicos etiam coërcet, nec permitit vt quis cum binis nuptiis ad Eccleſiæ regimen, dignitatemque aſſumatur: qui enim erga eam, quæ repudiata diſceſſit, nullam beneuolentiam ſeruauit, quomodo is bonus Eccleſiæ Præſes erit? quam ille non ſuſtinebit reprehenſionem? Noſtis enim omnes, quod etſi per leges permiſſum ſit ſecundis nuptiis iungi, rem tamen eſſe multæ criminationi obnoxiam. Nullam igitur ſubiectis criminandi occaſionem præbere Eccleſiæ Præſidem vult.* Theodoretus ibidem: *Vt laſciuos cohibeat*, inquit: *Vxoris vir; qui enim nullam ſeruauit beneuolentiam erga eam, quæ diſceſſit, quomodo Eccleſiæ benè præerit? grauiter enim puniuntur ipſæ repudiatæ, & illi, qui cum eis matrimonia contraxerunt.* Concilium Illiber. *can.* 8. *&* 72. De his ergo maritis repudiatarum accipienda ſunt ſuprà relata verba, quo modo etiam illa in aliis iuris locis accipiunt Iuſtelus *in can.* 105. *Eccleſiæ vniuerſal.* Hugo Grotius *de iure belli, lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. *in notis.*

COMMENTARIVM.

EX hoc canone talis depromitur concluſio: *Pœnitentes ſolenniter ad ordines admitti non poſſunt.* Probant eam textus *in cap. maritum*, 33. *diſt. cap. ſi quis Preſbyter, cap. ex pœnitentibus* 55. *cap. quicumque* 56. *cap. ſi verò* 57. *cap. ſi ille* 58. *cap. non confidat* 59. *cap. canones* 60. *cap. confirmandum* 65. *cap. illud* 66. *cap. placuit* 68. *c. hi qui* 69. 50. *diſt. c. final.* 51. *diſt. c. nullus* 2. 55. *diſt. c. non negamus* 3. 61. *diſt.* Concilium Epaunenſe *can.* 3. Agathenſe *can.* 43. Nicænum 1. *can.* 10. Tolet. 4. *can.* 18. *&* 53. Tolet. 10. *can.* 7. *&* 10. Tolet. 13. *can.* 10. Ancyranum *can.* 1. 2. *&* 3. Cabil. 1. *in ſynod. epiſtol.* Innocent. I. *epiſt.* 6. Zoſimus *epiſt.* 1. *c.* 3. Gregorius Magnus *lib.* 2. *regeſtr. epiſt.* 25. Gregorius II. *epiſt.* 3. *ad clerum & plebem Turing.* Gelaſius ad Epiſcopos *Lucaniæ*, *c.* 5. Hormiſdas *epiſt.* 4. *c.* 1. Athanaſius *in epiſt. ad Ruſin. poſt principium*, Hilarius *epiſt.* 1. *c.* 4. Alia iuris teſtimonia congerunt Anton. Auguſt. *in epit. lib.* 4. *tit.* 8. *& lib.* 28. *tit.* 15. Creſpetius *verbo Pœnitentes, vlt.* Illuſtrant vltra laudatos à Barboſa *in præſenti*, & *in dict. cap. ex pœnitentibus*, & *lib.* 1. *iuris eccleſ. cap.* 33. *num.* 116. & *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 43. *num.* 6. P. Gregor. *lib.* 1. *partit. tit.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. & *lib.* 4. *tit.* 22. *cap.* 5. & *lib.* 2. *ſyntagm. cap.* 8. Bellarminus *lib.* 1. *de pœnit. tom.* 2. *contro. cap.* 21. Lantdmerer. *lib.* 2. *de veteri cleric. cap.* 25. *&* 93. Mendoza *lib.* 3.

3. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR.

*pro confirm. Concil. cap.*76. Morinus *lib.*2. *exercit. cap.*22. 23. 24. *&* 25. Albaſpin. *in Optatum obſeru.*6. 7. *&* 8. *&* *lib.*2. *obſeru. cap.*39. Gibalinus *de cenſuris diſq.*3. *cap.*2. §. 7. *&* *diſquiſit.*2. *cap.*3. §. *finali*, *&* *de irregul. cap.*5. *in fine*, *pag.*400. Cironius *ad titul. de pœnit. & remiſſ.* Sauſay *in Panopl. cleric. part.*1. *lib.*3. *pag.*133. Acuña *&* Dartis *in dict. cap. ex pœnitentibus*, *&* *de canonica diſciplina circa pœnitentiam*, *cap.*28. Cabaſſutius *in notit. Concil. in can.* 68. *Carthag.* 4. Stephanus Durantius *quæſt.*33. Fileſacus *in cap.*15. *de officio Ordin. in fine*, Cellotius *de hierarch. lib.*6. *cap.*18. Hallierius *contra ipſum*, *eod. tract. pag.*276. plura eruditè congerens D. Ioannes Antonius de Otalora *de irregul. ex pœnit. excurſu* 1. *cum ſequentibus.*

4. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc aſſertio à iuris ratione prorſus aliena videtur; nam pœnitentia ſolennis in Eccleſia imponebatur pro peccatis grauioribus, publicè, & cum populi Chriſtiani ſcandalo perpetratis, vt ſic quæ publicè commiſſa erant, publicè expiarentur, *cap.*1. *de pœnit. & remiſſ.* ſed ipſa peccata grauiora, vt homicidium, adulterium, & ſimilia, ob quæ pœnitentia imponebatur ſolennis, publicè commiſſa inducebant irregularitatem, *cap. final. de temporib. ordin.* igitur ipſa peccata per ſe, non autem pœnitentiâ ob ea impoſitâ, inducunt irregularitatem. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam ſi pœnitentia ſolennis per ſe irregularitatem induceret, ſimiliter excommunicatio eam produceret in excommunicato, & publico anathemate percuſſo, cùm non minor execratio in Eccleſia fieret cum excommunicato, ac cum ſolenniter pœnitente; nec minor canonica infamia ex vna, quàm ex alia irrogaretur: immò ipſam pœnitentiam ſolennem eſſe quandam excommunicationem, probat Morinus *lib.*2. *exercit. cap.*3. *&* 20. Sed licèt publico anathemate percuſſi durante excommunicatione ordinari non poſſint, vt probaui *in cap.*2. *de ordinatis ab Epiſcopo*; tamen poſt abſolutionem, etſi ob peccatum publicum, vel graue, vt eſt apoſtaſia, infligatur, poteſt apoſtata ad maiores ordines aſcendere, *cap. finali*, *de apoſtatis*, latè probat Gibalinus *de clauſura*, *diſquiſit.* 2. *cap.*3. §.4. igitur ſi excommunicatio poſt abſolutionem non inducit irregularitatem, nec pœnitentia ſolennis poſt reconciliationem debet inducere. Secundò augetur hæc difficultas eâ ſubtili conſideratione; nam ſi pœnitentia ſolennis clericos non dedeceret, & qui ei ſemel in Eccleſia caput ſubdiderunt, ordinari non poſſent, ſequeretur quod Preſbyteri poſt gradus ſuſceptos ſymbolum, & indicium pœnitentiæ ſolennis deferre non poſſent, ne ſuſceptis ordinibus probrum inferrent: ſed poſſunt ſymbolum hoc deferre: igitur & dum peragunt pœnitentiam ſolennem valent ordinari. Probatur minor; nam ſpeciale indicium, & propria teſſera ſolennis pœnitentiæ, eſt capitis attonſio, *cap. in capite*, 50. *diſt.* Concilium Tolet.3. *can.*12. *Quicumque ab Epiſcopo*, *vel Preſbytero*, *ſanus*, *vel infirmus pœnitentiam poſtulat*, *id ante omnia Epiſcopus obſeruet*, *&* *Preſbyter*, *vt ſi eſt vir*, *ſiue ſanus*, *ſiue infirmus*, *priùs eum tondeat*, *&* *ſic pœnitentiam ei tradat*; *ſi verò mulier fuerit*, *non accipiat pœnitentiam*, *niſi priùs mutauerit habitum.* Et ex Agathenſi circa tempora Cœleſtini Papæ I. *can.*15. *Pœnitentes*, ait, *tempore*, *quo pœnitentiam petunt*, *impoſitionem manuum*, *&* *cilicium ſuper caput à Sacerdote*, *ſicut vbique conſtitutum eſt*, *conſequantur: ſi autem comas non depoſuerint*, *aut veſtimenta non mutauerint*, *abiiciantur*, *&c.* Et in Concilio Tolet.4. *can.*54. circa tempora Honorij Papæ I. dicitur: *Quod aliqui pœnitentiam accipientes tondebantur*, *&* *fiebant monachi.* Idemque habetur in Capitularibus *lib.*5. *cap.*52. Hinc verò eſt illud Gregorij Turon. *lib.*6. *cap.*57. *Caput*, ait, *totondit*, *atque pœnitentiam accipiens*, *ſpiritum exhalauit.* Sed tonſura ſemper defertur à clericis, *cap. prohibete* 23. *diſt.* dicemus latè *in cap. ſi quis ex clericis*, *de vita & honeſt.* ergo ſi indicium præcipuum pœnitentiæ ſolennis non dedecet clericos; ita nec officiet illis pœnitentiam ſolennem in Eccleſia peregiſſe.

5. POENITENTES VARIE ACCIPIVNTVR.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obſtante, vera eſt ſuprà tradita aſſertio, cuius rationem vt aſſignemus, ſciendum eſt, pœnitentes variè, & diuerſimodè accipi in iure noſtro. Aliquando dicuntur pœnitentes, qui adhuc ante Baptiſmum, dum in catecheſi ſunt, veteres lapſus anteactæ vitæ agnoſcentes, plangunt, de quibus in Concilio Illiberit. *can.*62. vbi D. Ferdinandus de Mendoza: Vicecomes *de ritibus Baptiſmi lib.*3. *cap.*3. Albaſpineus *lib.*2. *obſeru. cap.*1. *&* 2. Lantdmeter. *lib.*2. *de veteri monach. cap.*6. Ambianas *ad Tertull. de pudicitia*, *cap.*20. *obſeru.*3. Sed de his præſens prohibitio non loquitur; illi enim maiori impedimento ab ordinibus arcentur, quia videlicet baptizati non ſunt. Alij pœnitentes reperiuntur, qui ita vulgò appellantur, quia accedunt ad ſacramentum pœnitentiæ, vt præterita mala plangant, & plangenda iterum non committant, atque pro eis debitam ſatisfactionem ſuſtineant, de quibus *in cap.*2. *de officio ordin. cap. omnis*, *de pœnit. & remiſſ.* latè Moraliſtæ *in tractatu de ſacramento pœnitentiæ.* De quibus neque Patres in præſenti exaudiendi ſunt, cùm ipſi preſbyteri quotidie in eo pœnitentiæ gradu conſiſtant, vt debitè, & deuotè ad ſacrificandum accedant. Alij denique ſunt pœnitentes publici, qui quia publicè peccarunt, publicè etiam corripi, & pœnitere debent, de quibus *in cap.*1. *de pœnit. & remiſſ. cap. quæſitum*, *eod. tit. cap. final.*26. *quæſt.*6. ſed neque de illis præſens textus agit; nam ſi publica pœnitentia ſacerdotibus, dum in ipſo ſacerdotij gradu ſunt, imponi poteſt, *cap. ſi quis preſbyter* 17. *cap. preſbyter* 28. 30. *diſt. cap. ſi quis Epiſcopus* 13. 81. *diſt. cap. preſbyteris* 8. 27. *diſt. cap. ſi quis ſacerdos* 9. 30. *quæſt.*1. *cap. ſacerdos*, *de pœnit. diſt.*1. multò magis ex ipſis pœnitentibus publicè poterunt in Clerum cooptari. Accedunt aliæ plures differentiæ, quæ inter vtramque pœnitentiam, publicam, & ſolennem verſantur, quas doctè proſequitur D. Ioannes de Otalora *vbi ſuprà.* Tandem alij ſunt pœnitentes ſolennes, qui publicè, & ſolenniter in Eccleſia peccatorum ſuorum pœnitentiam peragunt, quæ ſolennis pœnitentia variis ritibus, & cæremoniis in Eccleſia ex veteri diſciplina imponebatur, vt conſtat *ex cap. in capite*, 50. *diſt.* de quibus latè agunt Fileſacus *in opuſc. de Quadrag. pag.* 469. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 93. Baſilius *in opuſc. de impedimentis matrim. cap.* 35. Aloayſas *in notis ad Concil. Tolet.* 6. *can.* 6. Souchetus *in notis ad epiſt.* 228. *Ivonis*, Corjolanus *in notis ad Concil. Auxitanum*, *pag.* 94. *in additionibus ad ſummam*, Gibalinus *de clauſura monach. diſquiſit.* 3. *cap.*2. §.2. Menardus *ad D. Greg. pag.* 223. *&* 231. Barthius *lib.*4. *aduerſ. cap.*57. Cironius *lib.*1. *obſeru. cap.*6. Ambianas *ad Tertull. de pudicitia*, Dartis *vbi ſuprà.*

Ex

6. De ritibvs solennis poenitentiæ.

Ex ipsis autem cæremoniis in pœnitentia solenni vsitatis, eas tantùm referam, quæ nostræ conclusionis rationi decisiuæ viam prosternunt, & parant. Hæc igitur pœnitentia solennis primis Ecclesiæ temporibus non solùm pro grauioribus, verùm & pro leuioribus culpis iniungebatur. D. Cyprianus *epist.* 47. *In minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agitur iusto tempore, & exomologesis fit inspectâ vitâ eius, qui agit pœnitentiam; cùm neque ad communionem venire quis possit, nisi priùs illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita.* Latè probat Pamelius *ad Tertull. de pœnit. c.* 9. *n.* 53. Sed posteà frigescente fidelium deuotione tantùm grauissimis criminibus populum turbantibus, scandalumque generantibus imponi consueuit, vt pro homicidio, apostasia, & aliis similibus, *cap. placuit* 68. *versic. cùm verò, cap. final.* 50. *dist. cap. admonere* 8. *cap. latorem* 15. 33. *quæst.* 2. *cap. falsas* 6. *de pœnit. dist.* 5. Cùm enim ex perpetratione delicti populus scandalizaretur, ex pœnitentia solenniter peracta ædificari debebat, *cap. si peccauerit* 19. 2. *quæst.* 1. ibi: *Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* Et *cap. ego, de consecr. dist.* 2. *cap.* 1. *de pœnit. & remiss.* Huius pœnitentiæ solennitas versabatur circa habitum, locum, & pœnas, quibus tempore pœnitentiæ pœnitentes afficiebantur. Circa habitum notum est, saccum, ciliciumque eos deferre, capite tonso, *c. pœnitentes* 63. 50. *dist.* Concil. Tolet. 6. *can.* 7. Docent suprà laudati, & Buseus *de statibus hominum, tit. de pœnitentium statu*, Petauius *in notis ad Synesium, in diatribe de pœnit.*

7. De gradibvs poenitentiæ.

Circa locum varia obseruabantur pro diuersitate graduum: per quatuor enim gradus ita pœnitentes perueniebant ad communionem Ecclesiæ, iuxta veriorem sententiam, quam amplectuntur Bellarminus *lib.* 1. *de pœnit. c.* 22. Morinus *lib.* 2. *exercit. c.* 1. Alpaspineus *lib.* 2. *obseru. cap.* 22. *&* 25. Lantdmeter. & Gibalinus *vbi suprà*, quos sigillatim percurramus. Primus gradus à Latinis appellatur fletus, à Græcis προσκλαυσις; pœnitentes enim ab Ecclesia eiiciebantur formâ præscriptâ *in d. cap. in capite*, in vestibulo eius, vbi pauperes conuenire solebant, eleemosynam collecturi. D. Gregorius Thaumaturgus in hæc verba: *Fletus, seu luctus est extra portam oratorij, vbi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro se precentur.* Refert Zerda *in aduersariis, cap.* 130. *l.* 18. *tit.* 4. *partit.* 1. *E deben morar à la puerta de la Yglesia toda la Quaresma en cabañuelas.* Ex Tertulliano, & aliis notarunt Lantdmeter. *dict. cap.* 60. Gregorius Ambianas *de pudicitia cap.* 13. *obs.* 3. vbi quia lachrymas effundebant fideles Ecclesiam ingredientes orantes, vt pro illis precarentur, locus ille Fletus dicebatur. Post tempus ibi à sacris canonibus præscriptum iam elapsum, pœnitentes Ecclesiam ingrediebantur, & in secundo gradu consistebant, à Græcis dicto ἀκρόασις; à Latinis ferula, seu auditio, à quo gradu & ipsi Audientes dicebantur. Gregorius Thaumaturgus *in epist. canonica, cap. finali*, ibi: *Auditio est intra portam, in porticu, vbi oportet eum, qui peccauit, stare vsque ad catechumenos, & illinc egredi audientes.* Balsamon *in can.* 11. *Concilij Nicæni*, ibi: *Cum catechumenis concionibus tantum intererant.* Concilium Arausic. *can.* 11. *&* 12. obseruat Cironius *lib.* 1. *obseru. cap.* 6. Dartis *dict. tract. de pœnit. cap.* 24. Sequebatur demùm tertius gradus, dictus substractio, humiliatio, vel prostratio; Græcè ὑπόπλωσις. Prostrationis enim verbo vtendum potius videtur *ex cap.* 17. *dist.* 30. vbi de pœnitentibus dicitur: *Non prosternant se in oratione.* In eo gradu consistentes subtrahebantur à communione altaris, & tantùm cum catechumenis orationibus vacabant, atque humilibus ministeriis. Concilium Nicænum *can.* 11. 12. *&* 13. Ancyranum *can.* 4. Basilius *ad Amphiloch. can.* 56. Thaumaturgus vbi suprà: *Subiectio autem, seu prostratio est, vt intra templi portam stans cum catechumenis egrediatur.* In eoque primam manus impositionem accipiebant. Tandem ad quartum gradum perueniebant, quem Latini consistentiam, Græci verò σύστασιν appellabant, vbi aderant integro Missæ sacrificio, & post manus impositionem, & & reconciliationem sine oblatione communicabant. Concil. Nicænum *can.* 11. Ancyranum *can.* 5. *Quotquot autem ascenderunt templa cum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducauerunt flentes, si compleuerint pœnitentiam triennis temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem.* Etiam locus ille Ecclesiæ dicebatur absis, *cap. finali* 26. *quæst.* 6. & erat pars Ecclesiæ gradibus eminens, ad instar tribunæ; cuius verbi explicationem prosequuntur Cælius Rhodigin. *lib.* 18. *antiq. lect. cap.* 10. Turnebus *lib.* 18. *aduers. cap.* 22. Cuiacius *lib.* 10. *obseru. cap.* 17. Lindembrogius *in Glossario legum antiq. verbo Absis*: Pater Zerda *in aduers. cap.* 24. Rosvueidus *ad vitas Patrum, in Onomast. verbo Absis*; & *in notis ad D. Paulinum, epist.* 12. *pag.* 150. Bulengerus *lib.* 1. *opusc. cap.* 20. Gazeus *ad Cassianum lib.* 6. *collat.* 24. Illustrissimus Zerda *in Iudith tom.* 1. *cap.* 8. *vers.* 21. *pag.* 433. Horum omnium graduum mentio extat apud D. Basilium *in epist. ad Amphilochium, can.* 22. 56. 57. 58. 64. 66. 75. *&* 77. in illis ergo gradibus pœnitentes lachrymas effundebant, manus impositionem, & reconciliationem accipiebant, aliasque pœnas proprias, & peculiares sustinebant aliis pœnitentibus non communes.

8. Ratio decidendi.

Quibus ita animaduersis iam facilè cognoscitur præsentis assertionis ratio; ideò enim pœnitentes in Ecclesia solenniter prohibentur ad sacros ordines ascendere, ob infamiam videlicet canonicam, quâ notabantur, tum ratione loci, in quo per gradus degebant; tum ratione pœnarum, quas illi sustinebant: nec disciplina canonica patitur eos ad ordines aspirare; quis enim patiatur luctum extra Ecclesiam peragentem, & infimum vix inter christianos locum occupantem, celsiorem deinde Presbyteri dignitatem obtinere? Quis de facili credat in secundo pœnitentiæ gradu persistentem, & ita sacras addiscentem scripturas, iure posse Doctoris sibi nomen vsurpare, & doctrinæ gratiam populo subministrare, qui nuper prima fidei rudimenta didicerat. Ablegatur quoque tertius pœnitentiæ gradus, contusionibus destinatus, substractionibus mancipatus, & tandem omnibus humilitatis exercitiis comparatus: & vt ait D. Ambrosius *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 9. Quis enim quem paulò antè vidit iacentem, veneretur Antistitem? præferens memorandi criminis labem, non habet lucidam sacerdotij dignitatem: *cap. non negamus* 3. 61. *dist.* Deinde si Sacerdotis officium est omnipotentis Dei iram erga populum precibus ac suis orationibus placare, misericordiamque impetrare, *cap. finali*, 36. *dist. cap. si laicus* 7. 31. *dist. cap. is qui*, 21. *quæst.* 3. quomodo qui paulò antè lachrymis, & eiulatu fideles orabat, vt pro eo precarentur, deinde ipse vt mediator Dei & populi, pro ipsis ad orandum, & Deum placandum admitti poterat? Quartus

tus denique gradus huiusmodi peccatorum impedit ordinationem; indecorum namque est, eum Eucharistiæ sacramentum populo exhibere, quem ab eius perceptione Ecclesia relegauit, vt ratiocinatur Albaspineus *lib.2.obseru.c.34.* qui alias prosequitur rationes ex solennitate & ritibus pœnitentiæ petitas. Inde etiam clericis lapsis manus non imponitur. Optatus Meliuitanus *lib.2.Multis notum est, & probatum, persecutionis tempore aliquos Episcopos inertiâ à confessione Dei delapsos thurificasse; & tamen nullus eorum, qui euaserant, aut manum lapsis imposuit, aut vt genua figerent, imperauit.* D. August. *lib.1.contra Donatistas, de Baptismo cap.1. Ordinatis cùm à schismate ad Ecclesiam redeunt, non imponitur manus inter laicos.*

9. DISSOLVVNTVR ARGVMENTA. Nec obstant difficultates suprà expensæ. Non prima, deducta *ex cap.fin.de temporib.ordin.* nam verum non est, adulterium, periurium, & similia delicta per se inducere irregularitatem; immò ea perpetrantes, post pœnitentiam priuatam, vel publicam peractam ordinari possunt, nisi iudiciario ordine notoria sint, vt dixi *in d.c.finali:* at verò si pro delictis ipsis, aut leuioribus pœnitentia solennis imponatur, non ipsa peccata per se, sed pœnitentia solennis inducit irregularitatem, ex rationibus suprà expensis. Nec eius augmentum deductum ab exemplo excommunicationis, & eius exæquatione cum pœnitentia solenni, obstat, quia non militat eadem ratio scandali, & publicæ offensionis in excommunicato post absolutionem, ac in solenniter pœnitente post reconciliationem; non enim excommunicatus habitum mutabat, nec in illis quatuor gradibus consistebat, sed pœnas diuersas patiebatur; immò & si ob schisma excommunicatus absoluebatur, sine vlla manus impositione vnitati fidelium reconciliabatur; vnde cessante ratione scandali, & infamiæ canonicæ, cessat ratio irregularitatis. Aliter huic difficultati satisfacere intendit Albaspineus *ad Optatum obseru.7.*

8. INTELLIGITVR CAP. SI VERO, 50. DIST. Primò suprà traditis obstat textus *in c.si verò, 50. dist.* in illis verbis: *Si verò quis ægritudinis languore depressus pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & postmodùm reconualescens, caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis, vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.* Ex quibus expressè deducitur, eos, qui pœnitentiam solennem in Ecclesia fecerunt, aut facere cœperunt, licèt aduersâ valetudine capti fuerint, reconciliatos posse ad sacros ordines ascendere: ergo quia per pœnitentiam solennem nulla incurritur irregularitas. Pro huius canonis expositione aliqua prænotanda sunt. Primò præmittendum est, primis Ecclesiæ sæculis pœnitentiam solennem non solùm fieri à peccatoribus, & grauissimis culpis implicatis; verùm & ab aliis fidelibus, qui nulla manifesta crimina admiserunt, sed tantùm humilitatis gratiâ peccatores se esse prædicabant: docet Gibalinus *de clausura, d.disquisit.3.c.2.§.7. pag.410.* Secundò etiam obseruandum est, pœnitentes solennes tempore pœnitentiæ solennis aduersâ valetudine captos, itaut de eorum salute dubitaretur, Ecclesiæ reconciliari, *c.qui recedunt 26. q.6.* & viaticum, hoc est absolutionem, & pœnitentiæ sacramentum eos recipere; ita enim viaticum accipitur in eo textu, & *in cap.si quis de corpore, eadem 26.q.6.c.in primo 2.q.1.c.virginibus 27.quæst.1.c.2.de raptoribus.* Concil. Nicæno *can.13.* Carthag.4.*can.77.& 78.* Matiscon.1.*can.12.* Tolet.12.*can.2.* Illiber. *can.37.* Notant Albaspineus *in Concilio Arausic. can.3.* Bosquetus *ad Innocent.lib.1.epist.149.* Zerda *in aduers. c.138.n.7.* Menardus *ad D.Gregor.pag.234.* Eucharistia etiam illis dabatur; sed si posteà conualuissent, communioni Ecclesiæ non restituebantur. Concilium Carthag.4. *can.78.* ibi: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.* Concilium Tolet.1. *can.18.cap.hi qui 52. 50.dist.* Concilium Vasense 1.*can.2.* Docent Cellotius *de hierarch. lib.6.cap.21.§.vnico,* D.Ioannes de Otalora *vbi suprà, 2.p.cap.1.pag.112.* Etiam sciendum est, ipsum pœnitentem solennem post viaticum acceptum superuiuentem, restitui pristino gradui, vt pœnitentiæ caput subderet, id est in gradu substractionis, & aliis manûs impositionem acciperet, vt ea verba interpretatur Filesacus *in c.15. de officio ordin.* probant textus *in d.c.qui recedunt.* Concil. Carthag.4. *can.78.* Concil.Nicæn. *can.13.* Epaunense *can.36.* Arelat.2. *can.12.* Tolet.11. *can.11.* vbi Loaysa, Mendoza *lib.3. Concil. Illiberit. can.19.* Corjolanus *in notis ad can.1. Concil.Illiber.* Quod obseruabatur, si ipsi pœnitentes vitiis detinebantur obnoxij; non verò si spontè tantùm se peccatores prædicantes, in Ecclesia pœnitentiam efflagitarent, seu exposcerent; ipsi enim non cogebantur ad pristinum gradum redire, aut pœnitentiæ caput subdere. Quibus animaduersis facilè cognoscitur verus sensus prædicti canonis Concilij Gerundensis; loquuntur enim Patres de eo, qui se peccatorem prædicando, petierat ab Episcopo pœnitentiam, qui aduersâ valetudine captus, viaticum recepit; sed cùm vitiis non detineretur obnoxius, noluit caput pœnitentiæ subdere in Ecclesia, id est, ad pristinum gradum redeundo, in gradu substractionis, & aliis manûs impositionem recipere; qui cùm voluisset militiæ cœlesti nomen dare, rectè Patres decreuerunt, ipsum ordinari posse, si caput pœnitentiæ in Ecclesia non subdidisset, & si non detineretur vitiis obnoxius, quia tunc cogeretur pœnitentiam perficere; cùm enim ex deuotione tantùm pœnitentiam petiisset, non notatur infamiâ canonicâ, argumento textus *in l.1.§.6.vers. denique, ff.de postulando, l.ictus 22.ff.de his qui notantur infamiâ.* Quæ solutio mirè probatur, & illustratur ex Concilio Tolet. 13. *can.* 10. Docent Gibalinus *vbi suprà, pag.410.* Otalora *vbi proximè, p.2.excursu 2.*

II. EXPONITVR CAP. PLACVIT, 50. DIST. Secundò aduersatur textus *in cap. placuit 68.50. dist.* vbi agitur de illis, qui in Ecclesia pro homicidio, aut diuersis criminibus peregerunt solennem pœnitentiam; & tamen affirmant Patres Concilij Tolet. admitti eos ad gradus Hostiarij, & Lectoris; & si forsan in diaconatus gradu constituti solenniter in Ecclesia reconciliati fuerunt, concedunt, vt non in ipso gradu, sed in subdiaconatus debeant ministrare. Ex quo canone duplex aduersùs nostram conclusionem insurgit difficultas. Prima, quatenus in eo textu permittitur solenniter pœnitentibus ad gradus ecclesiasticos ascendere: igitur verum non est, pœnitentes solenniter ad gradus ecclesiasticos non admitti. Secunda nascitur ex eo, nam sicut solenniter pœnitentes ordinari non possunt, ita iam promotis manus imponi solenniter non potest, *cap. illud 55. dist.* igitur non rectè supponitur in eo textu, Diaconum solenniter in Ecclesia caput pœnitentiæ subdidisse. Primæ difficultati satisfaciendum est asserendo, quod licèt pœnitentes solenniter prohibeantur ad sacros ordines ascendere; tamen ad minores, præcipuè si necessitas cogat, admitti; immo & si iam initiatus minoribus ordinibus pœnitentiam

nitentiam ſolennem peregerit, permittitur illi in gradu ſuſcepto miniſtrare. Concil. Aurelian. 3. *can.6. Si quis clericus vexatus fuerit à dæmonio, decem annos pœniteat, & inter audientes ſtet, & ad ſacros ordines non adducatur. Si benè egerit, & per Dei gratiam liberatus fuerit, ſit in reliquis officiis eccleſiaſticis.* D. Auguſt. relatus à Carnotenſe *part.* 15. *Decreti, cap.*39. in hæc verba: *Qui ſub gradu cecidit, poſt pœnitentiam contentus ſit baptizare, communionem dare infirmis, & altario tantummodò miniſtrare.* Eccleſiæ ergo interdum vtilitas, aut miniſtrorum neceſſitas priſcam ſeueritatem remiſit, & ſolenniter pœnitentes in minoribus tantùm ordinibus miniſtrare permiſit, aut eos ad gradus illos admiſit, vt probat Dartis *vbi ſuprà.* Vnde *in dict. cap. placuit*, permittitur illis, qui ſolennem pœnitentiam peregerunt, miniſtrare in minoribus, retento Subdiaconatus gradu; quia illis temporibus ſacer gradus non erat Subdiaconatus, vt latè probaui *in cap. à multis, de atat. & qualit.* Secundæ difficultati reſpondendum eſt, verum eſſe, Diaconum non poſſe ſolenniter in Eccleſia reconciliari, niſi degradatus ſit: quo caſu exaudiendi ſunt Patres *in dict. cap. placuit:* ideò enim ibi Diaconus ſolennem pœnitentiam peregit, quia retento tantùm honore, à Diaconatus officio depoſitus fuit, vt latè probat ex exponit D. Ioannes Antonius de Otalora *dict.*2. *part. excurſu* 2.

12. INTELLIGITVR CAP. QVI RECEDVNT, 26. Q. 6.

Tertiò ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in c.qui recedunt* 7. 26. *quæſt.6.* in illis verbis: *Clericis quoque deſiderantibus pœnitentia non eſt deneganda.* Ex quibus manifeſtè conſtat, clericis pœnitentiam ſolennem iniungi poſſe: ergo ſi poſt ordinationem clerici pœnitentiam ſolennem ſubire poſſunt, multò magis antè, eam peragendo, irregularitatem nullam contrahunt. Huic difficultati politioris litteraturæ Interpretes variis modis ſatisfacere intendunt. Albaſpineus *lib.*2. *obſeru. cap.*34. exiſtimat in eo textu agi de clericis iam depoſitis, & degradatis, qui ad ſtatum laicalem redacti pœnitentiam ſolennem in Eccleſiis facere poterant. Alio modo ipſe in notis ad illum canonem ea verba interpretatur; affirmat enim, ibi pœnitentiam poſſe concedi clericis eam petentibus, dum tamen ex humilitate deuotionis gratiâ nulla graui culpâ irretiti eam peterent, peccatores ſe eſſe prædicantes; tunc enim affirmat ipſe, neque reſpectu ordinandorum aliquam inducere irregularitatem, nec ordinatis eſſe denegandam. Sed hæc ſolutio conuincitur ex ſuprà traditis pro interpretatione textus *in cap. ſi verò*, 50. *diſt.* vbi diximus, eum qui ex deuotione pœnitentiam poſtulauit, poſſe ordinari, ſi pœnitentiæ caput in Eccleſia non ſubdidiſſet, id eſt, ſi manus impoſitionem non recepiſſet: igitur quia nec deuotionis causâ pœnitentiam ſolennem per omnes gradus peragenti licet ad ſacros ordines aſcendere, neque iam ordinatis eam petentibus poteſt iniungi. Cellotius *de hierarch. eccleſ. lib.6.c.*19. exiſtimat in eo textu tractari de clericis in minoribus ordinibus conſtitutis, videlicet Hoſtiariis, Pſalmiſtis, Acolytis, & Lectoribus, quibus efflagitantibus pœnitentiam ſolennē non eſſe denegandam docet. Sed his interpretationibus omiſſis exiſtimo, textum illum eſſe accipiendum de pœnitentia publica, non verò de ſolenni; licèt enim clericis pœnitentia ſolennis iniungi non poſſit, *cap. confirmandum*, 65. *c.illud* 66. *cum ſequenti*, 50. *diſt. l.*19. *tit.*4. *partit.*1. tamen publica pœnitentia illis imponi valet, *c.de his* 34. *c.benè valet*, 50. *diſt.* vnde clericis pœnitentiam publicam petentibus non eſſe denegandam, rectè affirmant Patres *in eod.can.* Notauit iam Boſquetus *in notis ad Innocent. III. lib.*1. *regeſtr.*13. *epiſt.*80. Nec huic ſolutioni obſtabit, ſi dicas, in principio ipſius textus agi de pœnitentia ſolenni, & per conſequens in calce ipſius de ea tractari, præcipuè cùm dictio illa, *quoque*, quandam continuationem inducat materiæ antecedentis cum ſequenti, *l.*1. §. 6. *verſ. denique, ff. de his qui notantur infamiâ, l. verbo vitius, l. locus, l. interdum, ff. de v. ſ. l. ſeruum quoque, ff. de procurat.* vnde eſſe repetitiuam, & implicatiuam eiuſdem ſenſus cum præcedenti, docet Barboſa *de dictionibus, dictione* 333. nam præterquam quod dictio illa non reperitur in ipſo Concilio Arauſic. ea verba, *Clericis quoque, &c.* non ſunt eiuſdem canonis, ac eſt textus *in dict. cap. qui recedunt*; immò ad diuerſum canonem ſpectant, videlicet ad canonem 4. eiuſdem Concilij, vbi legitur: *Pœnitentiam deſiderantibus etiam clericis, non negandam.* Vnde neque ratione continuationis materiæ, neque ex dictione illa, *quoque*, quæ deeſt in Concilio, verba ſuprà relata accipi debent de pœnitentia ſolenni, ſed publica.

13. EXPONITVR CAP. QVÆSITVM, DE POENITENTIIS.

Eadem ſolutione accipiendus eſt textus *in c. quæſitum, de pœnit. & remiſſ.* vbi cùm agatur de preſbytero, qui filium in lectulo oppreſſit, ſtatuitur, vt ſi ſtudiosè, aut nimiâ ignorantiâ tale delictum perpetrauit, deponatur; & ſi publicè peccauit, publicè pœniteat. Ex quo textu expreſsè conſtat, clericis pœnitentiam iniungi poſſe. Sed accipiendus eſt textus ille de publica pœnitentia; licèt enim Hoſtienſis *ad eund. tit. num.*55. Lantdmeter. *d. lib.*2. *de veteri clerico, cap.*93. Maiolus *lib.*3. *de irregul. c.*2. *num.*6. Cironius *ad eundem titul.* exiſtimauerint clericis, niſi poſt degradationem, imponi non poſſe pœnitentiam publicam; contrarium tamen ſuadent textus *in cap. ſacerdos, de pœnit. diſt.*2. *c.de his* 34. *c.benè*, 50. *diſt.* & ita docent Gloſſa *in dict. c. quæſitum*, Turriſcremata *in cap. final.*82. *diſt.* Bellarminus *tom.*2. *controu. lib.*1. *de pœnit. cap.*21. Gregorius Lopez *in dict. l.*19. *tit.*3. *part.*1. Neque pro contraria ſententia facit textus *in c. final.*82. *diſt.* illis verbis: *Neque enim debet ſacerdos publicè pœnitere, ſicut laicus.* Nam ea verba ita exaudienda ſunt, *publicè pœnitere*, id eſt ſolenniter; quo modo laici pœnitere ſolebant, eò enim modo clerici ad pœnitentiam non admittuntur. Qua etiam ſolutione accipiendi ſunt textus *in cap. final.*30. *diſt. cap. confirmandum, cap. alienum, cap. quia* 16. 50. *diſt. c. ſi quis ſacerdos* 30. *quæſt.*1. vt etiam docuit Mendoza *lib.*3. *Concilij Illiberit. cap.*76.

14. EXPONITVR CAP. PRESBYTER, 48. DIST.

Etiam ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in c. Preſbyter* 28. *diſt.* in illis verbis: *Et ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.* Ex quibus deducitur, clericum ob adulterium debere ab Eccleſia abiici, & inter laicos pœnitentiam peragere: igitur quia clericis poteſt imponi pœnitentia ſolennis, & per conſequens ipſi etiam pœnitentes ſolennes poterunt ordinari. Pro huius textus expoſitione Mendoza *d. lib.*3. *cap.*76. dum latè agit de communione laica, de qua nonnulla adduxi *in cap.*2. *de elect.* affirmat, preſbyterum adulterium perpetrantem, non ad pœnitentiam ſolennem redigi, ſed ad communionem laicam, videlicet vt extra cancellos cum laicis abiiciatur, aut more eorum communicet. Quæ interpretatio repugnat illis verbis, *Extra Eccleſiam abiici:* igitur non ſolùm extra cancellos. Deinde repugnat etiam illis verbis, *Ad pœnitentiam redigatur:* igitur non tantùm ad communionem. Quare dicendum autumabam, textum illum poſſe accipi de publica pœnitentia, ad quam certum eſt preſbyteros redigi poſſe, vt etiam

ſuprà probaui, vel retinendo editionem primam ipſius canonis latinè factam, vbi loco illorum verborum, *ad pœnitentiam inter laicos*; legitur, *ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi*: vbi nulla mentio fit illorum verborum, *extra Eccleſiam inter laicos*: vel aliam Gentiani Herberti, vbi legit, *penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur*. Quæ verba nec pœnitentiam ſolennem, neque communionem laicam important, ſed tantùm pœnitentiam, quam ſæpe ſæpiùs in iure noſtro ſacri canones clericis iniungunt.

15. INTELLIGITVR CAP. QVICVMQVE, 50. DIST.

Rurſus obſtat textus *in cap. quicumque* 56. 50. *diſt.* vbi pœnitenti ſolenniter, qui irrepſit in militiam ſacram, & ordinatus fuit, permittitur in gradu ſuſcepto miniſtrare: igitur quia licitè, abſque vllo irregularitatis impedimento, pœnitens ſolenniter ordinari valet. Augetur hæc difficultas ex eo, nam certum eſt, pœnitentem ſolennem de facto irruentem in caſtra dominica, deponi debere, *cap. ex pœnitentibus* 55. 50. *diſt.* & Epiſcopum ipſum ordinantem, facultate conferendi illum gradum, in cuius collatione peccauit, priuari. Sed in eo textu, neque ordinatus deponitur, neque ordinator punitur: igitur, &c. Pro huius textus expoſitione ſciendum eſt, pœnitentem ſolenniter non poſſe ad ſacros ordines aſcendere, minoribus tamen ex diſpenſatione Epiſcopi initiari poſſe, *cap. placuit* 68. 50. *diſt.* immò ex diſpenſatione Pontificis ad maiores promoueri poſſe docent Syluester verbo *Pœnitentia*, *num.* 3. Salcedo *in praxi*, *cap.* 28. Acuña *in dict. cap. placuit.* Vnde textus *in dict. cap. quicumque*, poteſt accipi vel de initiato tantùm minoribus ordinibus, vel de ordinato in maioribus, ſed ex diſpenſatione Pontificis in eo gradu permanente. Secundæ difficultati reſpondetur in eo textu, Siricium non negare ordinantem puniendum eſſe, niſi ignoranter ordinem contuliſſet, vt docet Turrecremata *in dict. cap. ex pœnitentibus*: ſed quia de ordinato tantum agebatur, ideo omiſſa fuit pœna ordinantis.

CAPVT II.

Lucius III. [a] *Spoletan. Archiepiſcopo.*

SVper eo, quod à nobis tua fraternitas requiſiuit, quid faciendum ſit de bigamis? Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ordinatores eorum poteſtate, & officio [b] ordinandi; & ordinati, ſi ad [c] ſacros ordines fuerint promoti, eis debent ordinibus ideò priuari, quia in bigamis [d] contra Apoſtolum diſpenſari non licet, vt debeant ad ſacros ordines promoueri; vel in eiſdem, ſi promoti fuerint, poſſint aliquatenus remanere. In ordinatore autem poteſt diſpenſatio adhiberi, vt ordinandi poteſtate, & officio non priuetur.

NOTÆ.

1. [a] *Spoletano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. & *in cap. de ſimoniacè* 22. *de ſimonia*, *cap.* 1. *de conſang. & affin. in* 1. *collect.* vbi extant aliæ partes huius Decretalis. Sed hæc inſcriptio retineri non poteſt, cùm Spoletana ciuitas Metropolis non ſit, neque eius Eccleſiæ Præſul Archiepiſcopali fulgeat dignitate: vnde cùm illi ſcribitur, tantùm appellatur Epiſcopus, *cap. olim* 20. *de cenſibus*, *cap. ſignificaſti* 6. *de eo qui duxit in matrimonium*, *cap. ſuam*, *de pœnis*: quare cùm hîc Archiepiſcopo reſcribat Lucius III. non poteſt accipi de Spoletano Præſule. Nec etiam retineri poteſt lectio illa *Spalenſi*, ſeu *Hiſpalenſi*, quam retinet Antonius Auguſt. *in notis ad hunc textum*, *in* 1. *collect.* qui exiſtimat Archiepiſcopo Hiſpalenſi miſſam eſſe hanc deciſionem. Nam certum eſt, ab anno 718. vſque ad annum 1249. inclytam ciuitatem Hiſpalenſem poſſeſſam fuiſſe à Mauris, vt refert Tamayo de Salazar *tom.* 2. *martyrol. die* 11. *Maij*: eo enim anno recuperata fuit à S. Rege D. Ferdinando. Vnde temporibus Lucij III. cùm eſſet à Mauris poſſeſſa, Prælato deſtituebatur. Nec etiam legi poteſt *Valentino*, vt Gloſſa Marginalis emendat; nam Valentina ciuitas in Gallia tantùm eſt Epiſcopalis, vt in eius hiſtoria refert Chenu: Hiſpanica verò ciuitas Valentiæ erecta fuit in Archiepiſcopalem anno 1492. vt refert Tamayo *tom.* 3. *martyrol. die* 7. *Maij*, *pag.* 107. Legendum ergo exiſtimo, *Spalatenſi Archiepiſcopo.* Spalatenſis autem Eccleſia eſt in Sclauonia, quæ vulgò dicitur Spalatra, habuitque 12. Epiſcopos ſuffraganeos, quos refert Barboſa *in notitia Epiſcop. pag.* 46.

b *Ordinandi.*] Id eſt conferendi eos gradus, in quorum collatione peccarunt, vt dixi *in cap. litteras*, *cap. dilectus*, *de temporibus ordin.* 2.

c *Sacros.*] Etiam Subdiaconatum poſt tempora Gregorij Magni & Vrbani II. vt dixi *in cap. à multis*, *de ætat. & qualit.*

d *Contra Apoſtolum.*] 1. *ad Timoth. cap.* 3. ibi: *Vnius vxoris virum.* Et *ad Titum cap.* 1. *Diaconi ſint vnius vxoris viri.* Ex quibus Apoſtoli teſtimoniis hanc irregularitatis ſpeciem contra Lutherum, & alios probat Bellarminus *tom.* 1. *controu lib.* 1. *de clericis*, *cap.* 25. 3.

CAPVT III.

[a] Cœleſtinus III.

QVod [b] de his etiam, de quibus non dubitas, & quid de his ipſis ſeruari debeat, plurimùm agnouiſti, Ap. Sed. reſponſa requiris, tantò fraternitatem tuam magis in Domino commendamus, quantò in iis, quæ ſacrorum canonum inſtitutionibus

bus ſunt expreſſa, noſtrâ auctoritate procedere deſideras, & diſponis. Sanè requiſiuit à nobis tua fraternitas, vtrum qui ſe confitetur in latæ ſententiæ canonem incidiſſe, nec ad hoc poteſt induci, vt ad Sed. Ap. veniat, abſoluendus ſit ab Epiſcopo, vel etiam à ſimplici Preſbytero abſolutionis poſſit, vel debeat beneficium promereri? Et vtrum Preſbyteris bigamis, & viduarum maritis, eorum vxoribus viam vniuerſæ carnis ingreſſis, Miſſarum liceat ſolennia celebrare? Verùm licèt quid de his obſeruari debeat, ſacris canonibus ſit diffinitum; hoc tamen tuæ fraternitati ad præſens duximus reſpondendum, quod is, qui ſe aſſerit in canonem latæ ſententiæ incidiſſe, non niſi per Sed. Ap. abſolutionis poteſt beneficium promereri, niſi fortè in mortis ſit articulo conſtitutus, vel paupertate, vel infirmitate, vel ſenectute tantâ grauetur, quod ad Eccleſiam Romanam laborem ſubire non valeat veniendi, vel ob hoc ab alio impedimento canonico retrahatur. Cæterùm ab his forma ſacramenti exigi conſueuit, vt reſumptis viribus, & opportunitate conceſsâ, Rom. Eccleſiam in perſona propria debeant viſitare. De [c] bigamis [d] Preſbyteris, & viduarum maritis idem omninò ſentimus, vt nec viuentibns vxoribus, nec defunctis ad diuinorum debeant celebrationem admitti, maximè cùm doctrinæ ſit [e] Apoſtoli, & inſtitutionibus Eccleſiæ alienum.

NOTÆ.

1. a *Coeleſtinus III.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. final.* Sed non conſtat, cui miſſa ſit hæc deciſio; eius tamen prima pars, vbi proponitur conſultatio, reperitur *in cap. quod de his 26. de ſentent. excom.* ex quo, iunctâ eius integrâ, quæ reperitur in prima collectione, *ſub eod. tit. cap. 15.* ita reſtituendus eſt textus iſte.

b *Quod de his.*] Huius primæ partis commentarium dabimus *in cap. 26. de ſentent. excom.*

c *De bigamis.*] Id eſt illis, qui cum duabus ſucceſſiuè matrimonium contraxerunt.

d *Preſbyteris.*] Id eſt, qui intendebant in preſbyteros ordinari; cùm enim nuptias contraxerunt, laici erant.

e *Apoſtoli.*] Locis citatis ſuprà *in cap. 2.*

CAPVT IV.

Innocentius III. [a] *Vratizlauienſi Epiſcopo.*

NVper à nobis tua fraternitas requiſiuit, quid ſit de illis [b] laicis ſentiendum, qui clericos violenter, ſine læſione tamen, in cuſtodia detinent publica, vel priuata, vel etiam detrudunt in vincula, vtrum in canonem ſententiæ latæ incidant, vt ipſo facto ſint vinculo excommunicationis innodati, ſicut illi, qui manus in clericos iniiciunt temerè violentas? Et vtrum qui nominatim excommunicatis ſcienter communicant, abſolui ab excommunicatione poſſint per confeſſionem à ſimplici Sacerdote, vel Epiſcopi, ſeu Archipreſbyteri ſit ab eis abſolutio expetenda? Et ſi poſt actam pœnitentiam cum illis valeas diſpenſare, qui etſi [c] bigami de iure non ſunt, de facto ſaltem bigami nominantur, eo quod in ſacris ordinibus conſtituti more nuptiali, ſecundas in contubernium ſibi mulierculas adiunxerunt. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter duximus ex ordine reſpondendum, quod in primo conſultationis articulo non credimus laicos pœnam excommunicationis euadere, quamuis eorum factum corporalis læſio non fuerit ſubſecuta; citra quam violentiam ſæpiùs circa clericos nequiter perpetratur. In ſecunda verò quæſtione credimus diſtinguendum, an is qui nominatim excommunicato ſcienter communicat in crimine, communicet criminoſo, ei conſilium impendendo, auxilium, vel fauorem, aut aliàs in oratione, vel oſculo, vel orando ſecum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo cùm talis & communicet crimini, & participet criminoſo, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum dilinquere, qui damnauit, ab eo, vel eius ſuperiore meritò delicti tunc erit abſolutio requirenda, cùm iuxta canonicas ſanctiones, facientes, & conſentientes par pœna conſtringat. In ſecundo verò caſu à ſuo Epiſcopo, vel proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere. Quamuis enim & tunc non iudicis, ſed iuris ſententiâ excommunicato communicans ſit ligatus; quia tamen conditor canonum ſolutionem eius ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi. Is autem, qui iuxta primum modum excommunicato communicat, cum iuramento debet abſolui. Qui verò iuxta ſecundum modum illi participat, reconciliari poterit ſine iuratoria cautione. Verùm ſi difficile

sit ex aliqua iusta causa, quod ad ipsum excommunicatorem absoluendus accedat, concedimus indulgendo, vt præstitâ iuxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, à suo absoluatur Episcopo, vel proprio Sacerdote. Tertius, & vltimus inquisitionis articulus videbatur habere non modicùm quæstionis; quoniam cùm in matrimoniis non iuris affectus, sed animi destinatio attendatur, vnde illum comitatur infamia, qui duas simul habet [e] vxores, quod partim ad factum conuenit retorqueri: sicut & quod in [f] canone legitur de Presbytero, qui non legalibus nuptiis detinetur; eadem censurâ tales inter bigamos videntur reputandi: licèt obuiet ex aduerso, quod opinioni sit veritas præferenda, & quod iuxta præmissa, qui nullam vxorem habuit, foret bigamus reputandus: quod contingeret si quis de facto contraheret cum diuersis, quibus de iure non posset matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quod cum huiusmodi clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas sibi mulieres matrimonialiter coniunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licèt in veritate bigami non existant; non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Datum Lateran. XVII. Cal. Iunij.

NOTÆ.

a *Vratizlauienſi.*] In hac sexta collectione legitur *Ratisbonenſi*; in tertia verò, *ſub hoc tit. cap.* 1. legitur *Vtilamenſi*; sed inscriptionem, & litteram restituo ex epistolis Innocentij III. Coloniæ editis, & correctis à Cardinale Sirleto. De Ecclesia Vratizlauiensi nonnulla adduxi *in cap.* 27. *de reſcriptis*, & ex præsenti epigraphe restituenda est inscriptio textus *in cap. nuper* 29. *de ſentent. excomm.* vbi extat alia pars præsentis textus.

b *De illis laicis.*] Hæc verba spectant ad textum *in cap. nuper, de ſentent. excomm.*

c *Qui etſi bigami.*] In his verbis proponitur consultatio casus præsentis textus.

d *Secundas.*] Ante sacerdotium enim primas contraxerant nuptias, & cùm illi defunctis vxoribus ordinati essent, ad secundas nuptias, licèt inualidas, migrarunt.

e *Habet vxores.*] *L. eum qui, Cod. ad legem Iul. de adult.* latè dicemus *in cap. vnico, de ſponſa duorum.*

f *Canone.*] Videlicet 26. sextæ Synodi in Trullo, *in cap. preſbyterum* 16. 28. *diſt.*

CAPVT V.

Idem [a] *Meten. Epiſcopo.*

DEbitum pastoralis officij. *Et infrà.* Secundus autem tuæ dubitationis articulus continebat, an is, qui mulierem ab alio viro traductam, sed non cognitam, sibi matrimonialiter copulauit, valeat ad sacerdotium promoueri. Licèt autem is, qui ab alio viro relictam duxit in coniugem, siue cognita fuerit ab illo, siue incognita manserit, videatur duxisse viduam in vxorem, cuius vir erat mortuus, cùm duxit eandem; sicut & ille bigamus esse videtur, qui cum duabus legitimè contraxit vxoribus, siue alteram, siue neutram cognouerit; quia vir extitit duarum vxorum. Nos tamen f. t. ita duximus respondendum, quod cùm duo sint in coniugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & iustam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo; reliquum verò designat [b] conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & sanctam Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Euangelista testatur: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: profectò coniugium illud, quod non est [c] commixtione corporis consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum, iuxta quod Paulus exponens illud quod dixerat protoplastus: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; & propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; statim subiungit: Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo, & Ecclesia. Cùm ergo propter sacramenti defectum inhibitum sit, ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros ordines promoueri, quoniam nec illa est vnica vnici, nec iste vnus vnius: profectò vbi deficit inter huiusmodi coniuges commixtio corporum, non deest istiusmodi signaculum sacramenti. Vnde is, qui mulierem ab alio ductam, sed minimè cognitam, duxit in coniugem, quia nec illa, nec ipse carnem suam diuisit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit ad sacerdotium promoueri.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Metensi.*] Metensis ciuitas antiqua in Galliarum prouincia primæ Belgicæ est, hodie *Mets* dicta, sedes Occidentalis veterum Franciæ Regum, vt refert Yepes *tom. 2. chron. D. Benedicti, anno 631. c. vlt.* Ecclesiam habet Cathedralem D. Stephano dicatam, suffraganeam Archiepiscopi Treuerensis, cuius Præsuli Conradò dicto missa est hæc decisio, quæ etiam reperitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & eius prima pars extat *in cap. debitum, de baptismo.*

2. b *Conformitatem, quæ consistit in carne.*] Vt exponit Basilius *de matrim. lib. 1. cap. 11.*

c *Commixtione corporis.*] Vnde aiebat D. Augustus. *Non est dubium, eam milierem ad matrimonium non pertinere, cum qua commixtio sanguinis non docetur fuisse.* Refert Gratianus *in cap. non est 26. 27. quæst. 1.* & Leo Papa *in cap. cùm societas 27. quæst. 1.* ibi: *Cùm societas nuptiarum ita à principio sit instituta, vt præter commixtionem sexuum non habeant inter se nuptiæ coniunctionis Christi, & Ecclesiæ sacramentum, non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium.* Exponunt Basilius *de matrim. lib. 1. cap. 6.* Couar. *de matrim. 2. part. cap. 4.* Germonius *lib. 2. animadu. cap. 2.* Valensis *ad titulum de sponsalibus, §. 5.* Bellarminus *tom. 1. controu. lib. 2. de monachis, cap. 38.*

d *Inter Christum & Ecclesiam.*] Quod matrimonium omnibus in sensibus exponit, & illustrat fusè P. Theophilus *tom. 2. sect. 5. cap. 1. fol. 410.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. CVm in omnibus his decisionibus vnica proponatur bigamiæ materia; ideò sub vnico commentario eas comprehendere, & exponere decreui. Sit ergo conclusio: *Bigami, & qui in sacris constituti, matrimonium contraxerunt, ordinari non debent, neque cum eis licet dispensare.* Quam probant textus *in can. 27. Apostol. cap. 2.* & *3. 26. dist. cap. nemo 12. 31. dist. cap. si quis post acceptum, cap. communiter 3. cap. maritum, cap. laici 6. 33. dist. cap. curandum 9. cap. præcipimus 10. 34. dist. cap. non confidat, cap. si quis viduam, cap. quicumque, cap. ex pœnitentibus, 50. dist. cap. qui in aliquo 5. dist. 51. cap. omnium 1. 52. dist. cap. nullus 2. 55. dist. cap. in singulis 2. cap. quicumque 3. dist. 77. cap. quisquis 5. 84. dist. cap. final. 18. quæst. 3. can. 16. 17.* & *19. Apostol. cap. quomodo 28. quæst. 3. cap. aperiant 31. quæst. 1. cap. tam litteris 33. de testibus,* Concilium Agath. *can. 1.* & *43.* Tarracon. *can. 2. Ne secundæ vxoris, aut renuptæ maritus Presbyter, aut Diaconus ordinetur.* Aurelian. 4. *can. 10. Si quis Episcoporum sciens bigamum, aut internuptæ maritum, ad officium Leuiticæ dignitatis, siue Presbyteri, contra ius canonum promouere præsumpserit, sciat se vnius anni spatio ab omni officio sacerdotij esse suspensum.* Hispalense 2. *can. 4.* ibi: *Viduarum mariti non ordinentur Diaconi.* Arelat. 2. *can. 26. De his, quos clericatui ipsa vitæ gratia suggesserit, si fortè in internupta, & duplicatæ matrimonia inciderint, non vltra subdiaconatum ecclesiasticas capiant dignitates.* Arausicanum 1. *can. 25. De idoneis autem, probatisque viris, quos clericatui alligare ipsa vitæ gratia suggerit, si forte inciderint in duplicata matrimonia, vt non vltra subdiaconatum ecclesiasticas capiant dignitates.* Trident. *sess. 23. cap. 17.* D. Ambrosius *lib. 10. epist. 82.* Hilarius *epist. 1.* Leo I. *epist. 87.* Siricus in Synodo Rom. 4. *cap. 5. Is qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad Clerum.* Zacharias in Synodo R. *can. 11. Interdicimus, vt nullus Episcopus audeat iuxta sanctorum canonum statuta quemlibet clericum bigamum, aut qui viduam duxerit vxorem, ad sacros ordines promouere.* Alia innumera Conciliorum, Pontificumque decreta cumulant Anton. Augustus. *in epit. iuris lib. 4. tit. 7.* & *8.* & *lib. 28. tit. 13.* Crespetius *in summa, verbo bigamus;* Iodocus Coccius *lib. 8. thesauri fidei, art. 7.* Burchardus *lib. 1. Decreti, cap. 5.* & *173.* & *lib. 2. cap. 33.* & *38.* Illustrant suis commentariis plures congesti à Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 49.* & *50.* & *lib. 1. iuris eccles. cap. 33. num. 66.* quibus addendi sunt Suarez *de censuris disput. 49. sect. 1.* Transmiera *de polyg. quæst. 1.* & *5.* Germonius *lib. 1. de sacrorum immunit. cap. 5. num. 10.* Baronius *anno 58.* vbi Spondanus *num. 12.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri monacho, cap. 74.* Basilius Legion. *quæst. 3. scholast. cap. 8. pag. 171.* Vighellius *in methodo iuris can. pag. 242.* & *243.* Sanctus Raymundus *lib. 3. summæ, tit. 2.* Bellarm. *lib. 1. de clericis, cap. 23.* Espenceus *lib. 2. de viduitate, cap. 1. cum sequentibus,* Messana *ad D. Hieronymum, verbo Bigamia,* Balsamon & Corjolanus *in can. 15.* & *17. Apostol.* idem Balsamon *in supplement. ad Concilium Nicænum, pag. 1119.* idem Corjolanus *in can. 7. Concilij Arelat. sub Siluestro,* Tondutus *resol. canonic. cap. 5. §. 5.* Ambianas *ad Tertul. de exhortat. castit. cap. 7. obseru. 2.* Duarenus *lib. 1. de sacris Ecclesiæ, cap. 8.* Iustel. *in notis ad canones Ecclesiæ, pag. 191.* Sausay *in Panopl. cleric. part. 1. lib. 6. cap. 2. §. 5.* Gibalinus *de irregul. cap. 3.* & *4.* Rousselius *lib. 1. histor. iurisd. Pontif. cap. 4. num. 12.* Bartholomeus Sanchez *in cap. miror, 50. dist.* Acuña *in cap. 2.* & *3. 26. dist. cap. nemo 12. 32. dist.* & *in dict. cap. maritum, 33. dist.* Dartis ibi, & *in 34. dist.* Sauarus *ad Sidonium, in concione, pag. 451.* & *lib. 7. epist. 9.* Mercetius *lib. 2. opinionum, cap. 22.* Corrasius *de beneficiis, 4. p. cap. 3.* Filesacus *lib. 2. select. de vxore, cap. 8.* Dartis *de benef. sect. 4. cap. 6.* Marinis *lib. 1. resol. cap. 38.* Turrianus *lib. 1. pro canon. Apost. cap. 1.*

4. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO. Sed aduersùs hanc assertionem insurgi potest sequentibus considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam secundas nuptias contrahere, vel viduam in vxorem ducere, semper Ecclesia permisit, ac probauit; immò contrarium asserentes, vt hæreticos damnauit. Variis Ecclesiæ legibus firmat, & confirmat Bellarminus *lib. vnico de matrim. cap. 9.* & eas nos adducemus *in cap. vlt. de secundis nuptiis:* igitur qui binas nuptias contraxit, aut cum vidua semel, non debet puniri pœnâ irregularitatis. Similiter etiam ille, qui cum vnica, sed corrupta, contraxit, adeò à iure nostro laudatur, vt exinde remissionem eum consequi peccatorum statuatur *in cap. inter opera, de sponsalibus:* ergo si ex hoc facto præmium meretur; non debet affici irregularitatis pœnâ. Secunda difficultas ex eo prouenit; nam irregularitas ex bigamia prouenies, inducta est à iure positiuo ecclesiastico, vt statim probabo: sed Pontifex in his omnibus, quæ prouenium à iure ecclesiastico, dispensare valet, *cap. post electionem, de concess. præb.* igitur & in hac irregularitatis specie tanquam à iure positiuo proueniente Pontifex dispensare valet. Tertia tandem consideratio insurgit aduersùs vltimam conclusionis partem, & ex eo prouenit; nam si ille, qui susceptis iam sacris ordinibus de facto matrimonium contraxit cum vnica, & virgine, non possit ad altiores gradus ascendere, *cap. quot-*

quot

quot 27. *quæſt.* 1. quia vno, eodemque tempore multiplicauit matrimonia, aliud ſpirituale, aliud carnale; nec poſſet ille ſacris ordinibus initiari, qui poſt contractum matrimonium, & conſummatum, poſt conuerſionem vxoris Religionem profeſſæ ordinatur, cùm maneat adhuc vinculum matrimonij carnalis: ſed iſte poteſt ad ſacros ordines aſcendere, coniungendo vno tempore duo matrimonia, carnale, & ſpirituale, *cap. ſanè, cap. coniugatus, & per totum tit. de conuerſ. coniugat.* igitur è contrario, qui gradu ſubdiaconi initiatur, & matrimonium de facto cum virgine contraxit, licèt intenderet duplicare matrimonia, vt bigamus non debet ab altiori gradu remoueri.

5. BIGAMVS QVIS.

Quibus difficultatibus minimè obſtantibus, vera eſt ſuprà tradita aſſertio, ad cuius expoſitionem, & totius bigamiæ materiæ plenam cognitionem, primò ſciendum eſt, eos qui duo matrimonia contraxerunt, quos binubos appellant Iuſtinianus *in nouella* 22. *de nuptiis, cap.* 28. Caſſiodorus *lib.* 8. *tripartitæ, cap.* 39. *in fine*, communiter ab Interpretibus appellari bigamos à bigamia, quæ vox propriè ſignificat binas nuptias, *cap. aperiant* 11. 31. *quæſt.* 1. compoſita ex voce Latina *bis*, detracta per apoſtrophen vltimâ litterâ *ſ*, & à Græca voce *Gamos*, quæ ſignificat vxorem. Suidas, & Henricus Stephanus verbo *Gamus*. Hinc Agamus dicitur, qui eſt ſine vxore. Homerus Iliade 3. *Vtinam*, ait, *ſine vxore, agamus fuiſſes*. Et Monogamus appellatur vir vnius vxoris. Tertull. *de Monogamia, in principio*. Hoc modo accepta bigamia, & vt eccleſiaſticæ leges eam complectuntur, diffinitur, vt ſit *Irregularitas ex defectu ſacramenti prouenies*, vt *in cap. acutiùs*, 26. *diſt.* Eam ita compoſuerunt, & expoſuerunt Couar. *in Clement. ſi furioſus*, 1. *p.* §. 2. *n.* 1. Hoſtienſis *in ſumma huius tituli*, Tranſmiera *de polygm. quæſt.* 2.

6. DE ORIGINE BIGAMIÆ.

Secundò circa originem, & principium huius irregularitatis ſciendum eſt, non à lege naturæ petendum eſſe, vt volebat Ioannes Andreas *ad titul. de bigamis, lib.* 6. & innuit Tertullianus *de exhort. caſtit.* nam in lege naturæ Sacerdotes non diſtinguebantur à laicis, vt docet Gratianus *in ſumma*, 21. *diſt.* & ſacrificium offerentes plures duxerunt vxores. Abraham enim, qui ſacrificium obtulit; & Iacob, qui cum primogenitura ſacerdotium obtinuit, duas habuerunt vxores, vt ex ſacra Pagina refert Gratianus *in principio*, & *in cap. obiiciuntur* 32. *quæſt.* 4. notat Abulenſis *in Geneſim cap.* 11. *quæſt.* 19. Nec etiam originem habet à lege veteri ſcripta, vt exiſtimauit Couarruuias *d.* §. 2. *num.* 1. Moyſes enim, qui ſacerdotio functus fuit, *cap.* 2. 22. *diſt.* duas habuit vxores, *Exodi cap.* 28. *verſ.* 18. refert Albertinus *de agnoſcendis aſſertionib. catholicis q.* 23. *num.* 25. Ioiadam etiam ſacerdotem duas vxores habuiſſe, conſtat *ex lib.* 2. *Paralip. cap.* 24. licèt non me lateat, aliquos Eccleſiæ legiſlatores ad probandam hanc irregularitatis ſpeciem adduxiſſe caput 21. Leuitici, vt Siricius *epiſt.* 1. *cap.* 8. Leo I. *epiſt.* 1. *ad Epiſcop. per Campaniam conſtit. cap.* 2. Cæleſtinus I. *epiſt.* 2. *cap.* 6. Innocentius I. *epiſt.* 4. *ad Felicem, cap.* 2. & alij relati ab Anton. Auguſt. *vbi ſuprà*. Licèt ergo in lege veteri hæc irregularitas non vigeret; nam ex ea tantùm ex vna Tribu admittebantur ad Sacerdotium, *Numer. cap.* 3. vnde non poterat reſtringi ad monogamos; tamen cùm Apoſtoli in his, quæ ad inſtitutionem morum ſpectare iudicabant, non ſolùm à Chriſto inſtituta, & in lege vereri obſeruata; verùm alia conſtituerint, vt ſic noſtra iuſtitia plus abundaret, quàm Phariſæorum, & Scribarum, iuxta allata à D. Matthæo, & animaduerſa à Tertulliano *de monogamia cap.* 7. & lege veteri cautum eſſet, ne Sacerdotes denuò nuberent, & ne ſummus Pontifex viduam, vel aliàs corruptam vxorem duceret, *Leuitici cap.* 21. *Ezechielis cap.* 44. latè docet Seldenus *de ſucceſſ. Hebræor. lib.* 7. *cap.* 2. ideò Paulus, & cæteri Apoſtoli ſtatuerunt, quia eo æuo non facilè reperiri poterant Chriſtiani cœlibes ſacerdotio idonei, eos ſaltem ex viduis aſſumi, qui vnius dumtaxat fuiſſent vxoris viri. D. Paulus *ad Timoth. cap.* 3. & *ad Titum cap.* 1. *can.* 15. 17. & 19. *Apoſtol.* quam prohibitionem amplexi fuerunt Eccleſiæ Patres, Siricius, Hilarius, & alij in Concilio Nicæno, & aliis ſequentibus ſæculis celebratis, vt ex iuribus ſuprà adductis pro confirmatione concluſionis conſtat.

7. HÆC IRREGVLARITAS NON EST IVRIS DIVINI.

Non tamen inde deducitur, hanc bigamiæ irregularitatem prouenire à iure diuino, vt voluerunt Franciſcus Turrianus *lib.* 1. *aduerſus Magdeburg. cap.* 1. Sotinus *in cap. ad audientiam, num.* 2. *de homicidio*. Contrarium enim certum eſt, videlicet tantùm à iure eccleſiaſtico prouenire, vt poſt D. Thomam *in* 4. *diſt.* 29. *art.* 1. docent plures, tam Theologi, quàm Canoniſtæ, quos referunt Sayrus *lib.* 6. *de cenſur. cap.* 3. *num.* 20. Barboſa *dict. allegat.* 49. Gibalinus *de irregul.* 2. *part. cap.* 3. Non enim omnia, quæ Apoſtoli ſtatuerunt, & promulgarunt, iuris diuini ſunt; dupliciter enim Apoſtoli in promulgandis Eccleſiæ legibus procedebant, aut tanquam promulgatores Euangelij, & tunc ius diuinum conſtituebant; aut tanquam Prælati, & Eccleſiæ Paſtores, & tunc ſanciebant ius poſitiuum, vt reſoluit Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 3. *art.* 1. quare interdum D. Paulus præmonebat, ſe, non autem Dominum id præcipere, vt 1. *ad Corinth. cap.* 7. Hanc igitur prohibitionem Apoſtoli, non tanquam Euangelij promulgatores, verùm tanquam Prælati, & Paſtores Eccleſiæ, ad rectum eius regimen ſtatuerunt. Hanc irregularitatis ſpeciem non ſolùm apud Latinos, verùm apud Græcos obſeruatam inuenio; licèt enim apud eos permittatur vxoratis ad ſacros ordines aſcendere, id tantùm monogamis licet, & defunctis ſuis vxoribus non licet cum aliis matrimonium contrahere, vt docet Sauſay *in d. Panopl.* §. 5. Et licèt D. Paulus in prædictis locis tantùm bigamum verum, id eſt duarum vxorum virum, prohiberet in Epiſcopum, & Diaconum ordinari; tamen Eccleſia eam prohibitionem porrexit ad alios gradus ſacros, Preſbyteratum videlicet, & Subdiaconatum, necnon ad bigamos interpretatiuos, *can.* 16. *Apoſtol.* D. Ambroſius & Innocentius *vbi ſuprà*, Concilium Nicænum *vbi proximè*, notauit Suarez *de cenſuris diſput.* 49. *ſect.* 2. *num.* 5.

8. BIGAMIÆ DIVISIO.

Tertiò circa bigamiæ diuiſionem ſciendum eſt, communiter à Doctoribus triplicem ſpeciem aſſignari. Prima dicitur vera, ſecunda interpretatiua, tertia ſimilitudinaria: ita docent Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 83. Sayrus *lib.* 6. *de cenſuris, cap.* 4. *num.* 3. Couar. *in Clement. ſi furioſus*, 1. *part.* §. 2. *num.* 2. de quibus ſigillatim agamus. Vera bigamia dicitur, quando quis duas vxores ſucceſſiuè legitimè duxit, eaſque carnali copulâ cognouit, *cap. acutiùs, cap. deinde, cap. qui ſine*, 20. *diſt.* quam expreſſit D. Paulus *loco citato*, quem de hac bigamia contra Lutherum, & Magdeburg. accipiunt plures ex ſacris Patribus, relati à Bellarmino *tom.* 1. *contro. lib.* 1. *de clericis, cap.* 23. Turrianus *lib.* 1. *pro defenſ. canonum, cap.* 2. requiritur autem ad eam incurrendam commixtio carnalis in vtroque matrimonio,

monio, *cap.debitum*, *hoc tit.* non autem sufficit ea contrahere, & consummare præpostero ordine, vt ex Moralistis resoluit Gibalinus *de irregul. vbi suprà*, *pag.*75. Interpretatiua bigamia ita appellatur, quia cum vera partim conuenit, partim ab ea distat; & ex communi Interpretum sententia tribus modis contrahitur. Primò cùm quis vnicam, sed viduam, à priorique marito cognitam vxorem duxit, *cap. si quis viduam*, *cap. præcipimus*, *dist.* 34. *cap. si quis viduam*, 50. *dist. cap. quisquis*, *dist.*84. tale enim matrimonium non habet similitudinem matrimonij celebrati à Christo cum Ecclesia, qui accepit virginem, & intactam. Secundò bigamiam interpretatiuam inducunt Interpretes eo casu, quo vxor adulterium perpetrauit, & postea à marito cognita fuit. Couarr. *vbi suprà*: sed huiusmodi virum, non vt bigamum, sed tanquam canonicâ infamiâ notatum arceri ab ordinibus, latè post Sayrum probat Gibalinus *vbi suprà*, *pag.*87. qui eadem ratione reiicit à bigamorum numero eos, qui duxerunt vxores iam ab alio cognitas. Neque pro communi sententia faciunt textus *in cap.si cuius*, *cap.si laici*, 34.*dist.* quibus satisfacit latè ipse Gibalinus asserendo, in eis non affirmari maritos, quorum vxores adulterium perpetrarunt, esse bigamos; sed esse irregulares. Quæ irregularitas non ex bigamia, sed ex infamia nascitur. Eodem modo refellenda est communis opinio, quæ affirmat, bigamiam etiam interpretatiuam incurri, cùm quis plura contraxit matrimonia, sed inualidè, ob impedimentum dirimens; aut post vnum validum, aliud inualidum; tunc enim bigamiam interpretatiuam incurri, Couar. & alij suprà citati docent. Sed cùm hoc casu detur potiùs delictum, quàm defectus significationis Sacramenti, idem de eo iudicandum est, ac de illo, qui cum vxore simul concubinam habuit, cuius irregularitas ex delicto, non ex bigamia prouenit: quo modo accipit canonem 18. Apost. Gibalinus *vbi suprà*, *pag.*93.

9. De bigamia similitvdinaria.

Tertia species bigamiæ appellatur ab Interpretibus similitudinaria, & dari eam existimant, cùm quis in sacris ordinibus constitutus, aut voto solenni castitatis adstrictus, de facto ducit vxorem, eamque cognoscit affectu maritali. Ita Garcia *de benef.*7.*part. cap.*6. plures relati à Barbosa *dict. alleg.* 49. qui pro sua opinione expendunt textum *in cap.quotquot* 27. *quæst.*2. *cap.*1. *qui clerici vel vouentes*, *cap. nuper*, *cap. debitum*, *hoc tit.* Sed hanc speciem bigamiæ dari rectiùs negarunt Basilius Legionensis *quæst.*3. *scholastica*, *cap.*9.*pag.*171. Gibalinus *dict.cap.*3.*propos.*4. arcentur enim isti ab ordinibus, non ob sacramenti defectum, qui in bigamo reperitur; sed in pœnam delicti, propter affectum, opere subsecuto, vt ait Innocentius *in cap.final. hoc tit.* & probatur *ex cap.*1. *cap. sanè*, *de clericis coniugatis.* Concilio Aurelian. 1. *cap.*23. ibi: *In monasterio conuersus*, *si pellici postea*, *vel vxori fuerit sociatus*, *scilicet prænaricationis reus*, *nunquam ecclesiastici gradus effectum sortiatur.* Concil. Tolet. 2.*can.* 1. ibi: *Cauendum tamen est*, *nequando suæ sponsionis immemores*, *ad terrenas nuptias*, *& concubitus vltrò redeant: quod si fortè fecerint*, *tanquam sacrilegi habeantur alieni.* Nec contrarium probat textus *in dict.cap. quotquot* 27.*quæst.*2. qui deductus est ex Concilio Ancyrano, cuius canones approbati fuerunt in sexta Synodo *can.* 2. Concil. Brachar.2.vbi obseruauit Loaysa. Nam ille textus tantùm affirmat præuaricantes à castitate promissa, & professa, pœnis bigamorum plecti, & inter bigamos haberi. Ex quo canone non deducitur, propriè bigamos ipsos esse, præcipuè cùm in eo agatur æqualiter de viris, ac de fœminis: quis autem dixit fœminas bigamiam similitudinariam incurrere posse? Docent, & plura circa illius textus interpretationem tradiderunt Basilius *lib.* 7. *de matrim.cap.*15. *num.*6. & *dict.quæst.*3.*cap.*9. Gibalinus *dicta propos.*2. Bellarminus *lib.*2.*de monachis*, *c.*33. Couarr. *in Clement. si furiosus*, 1.*part. cap.*2. Sanchez *lib.*7.*de matrim.disput.*81. Similiter accipiendi sunt textus *in dict.cap.nuper*, *cap.final.hoc tit.* Innocentius enim ibi tantùm affirmat, vxores ducentes post ordines sacros receptos, vt bigamos puniri, non quia bigami sint; sed quia delictum perpetrarunt pœnis bigamorum vindicatum.

10. Traditvr ratio decidendi.

His sic animaduersis pro origine, & diuisione irregularitatis bigamiæ, succedit constitutionis ratio, quæ duplex considerari valet; alia moralis, mystica alia. Moralis prouenit ex suspicione incontinentiæ; qui enim secundas contraxit nuptias, suspectus est de incontinentia: *authent. qui relictam*, *Cod. de indicta viduitate*; & qui ducit viduam, rem fecit inhonestam, *l.hæc conditio*, *ff. de condit.& demonst.* propter affectionem ad copulam, quâ attentâ secundum coniugium dicitur fornicatio, *cap.hac ratione* 9.31. *quæst.*1. adulterium, apud D.August. relatum à Petro Herodio *lib.*3. *Pandect. tit.*13. *cap.*2. macula, in Concilio Valentino Galliæ, *cap.*1. sed qui de incontinentia suspectus est, ordinari non debet, *cap.*1.56. *dist.* iunctâ eius ratione illustratâ à Tiraquello *in l.*7. *connub.num.*5. igitur rectè qui nuptias contraxit, ob prædictam suspicionis rationem irregularis iudicatur. Accedit vsus diuersarum gentium, apud quos bigami in duplicata matrimonia incidentes, ad sacrificandum non admittebantur, vt de Ægyptis refert D. Hieronymus *epist.*11.*ad Geruntium*, ibi: *Hyerophanta apud Athenas euiratur*, *& æterna debilitate fit castus: Flamen vnius vxoris ad sacerdotium admittitur: Flaminica quoque vnius mariti eligitur vxor*: *ad Tauri Ægyptij sacra semel maritus assumitur. Legant antequam religio nostra fulgeret in mundo*, *vnicubas semper habuisse inter matronas decus*; *per illas Fortunæ muliebri sacra fieri solitum nullum Sacerdotem digamum*, *nullum Flaminem bimaritum*; *immò nec bigamus pudicitiæ*, *& Fortunæ muliebris simul arcana attingere poterat.* De Athenienfibus idem probat Alex. ab Alex *lib.* 4. *dierum genial. cap.* 8. ex eo, & aliis Espenceus *de continent. lib.*2. *cap.* 11. De Romanis Plutarchus *problem.pag.*29. apud quos Pontifici Maximo non licuisse iteratò nubere, auctor est Tertullianus *lib.*1. *ad vxorem*, *cap.*6. & luculenter *de monogamia cap.finali*, ibi: *Idolis & monogamia*, *& viduitas apparent*; *Fortunæ muliebri coronam non imponit*, *nisi vniuira*; *sicut nec matri Matutæ: Pontifex Maximus & Flaminica nubunt semel.* Festus Pompeius: *Pudicitiæ signum in foro est*, *ibi Æmiliana ædes est Herculis*; *eam quidam Fortunam esse existimant*; *item in via Latina ad millarium quartum Fortunè muliebris nefas est attingi*, *nisi ab ea*, *quæ semel nupsit.* Nec solùm apud Romanos monogamus tantùm in Flaminem admittebatur, verùm & Vestalis vniuira esse debebat, vt refert Aulus Gellius *lib.*10.*noctium*, *cap.*15. Et ex lege duodecim Tabul. fœminæ, quæ vno contentæ matrimonio erant, coronâ pudicitiæ honorabantur, vt probat D. Gothof. *ad leges duodecim Tabul. tit.*17. & illustrabimus *in cap.finali*, *de secundis nuptiis.* Mystica ratio prouenit ex defectu sacramenti, quam innuunt textus *in cap.*2.26. *dist.cap.* 2.*vers.sed fortassè*, 72. *dist.* D. Ambrosius

*lib.*1.

lib.1. de officiis, cap. final. cap.debitum, hoc tit. qui enim patitur in ſacramentis defectum, non poteſt ſacramenta miniſtrare, *c.qui perfectionem 1.quæſt.1.* Sed qui cum duabus contraxit matrimonium, aut cum vidua, patitur in ſacramento defectum; non enim poteſt tale matrimonium, vt aſſeritur *in dict. cap.debitum*, ſignificare vnionem Chriſti cum Eccleſia, quæ fuit vnius cum vna, iuxta illud *Cantic. cap.6. Vna eſt columba mea*: igitur cùm bigamus patiatur defectum in ſacramento, iuſtè arcetur ab Ordinis ſacramento. Proſequitur huius rationis illuſtrationem P. Gregor. *lib. 16. ſyntagm. cap. 10. num.8.* & eam contra hæreticorum argutiolas defendit Bellarminus *dict.cap 23.de clericis.*

II. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obſtant difficultates ſuprà expenſæ. Non prima; hæc enim irregularitas non ideò inducta eſt ab Eccleſia, quia ſecundæ nuptiæ contineant in ſe peccatum, aut ob delictum; ſed propter defectum ſignificationis. D. Auguſt. *de bono coniugali cap.18. Non abſurdè viſum eſt, eum qui exceſſit vxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam ſacramenti amiſiſſe, non ad ductæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.* Vnde licèt in contrahente ſecundas nuptias, aut ſemel cum vidua, non detur delictum; datur tamen defectus, qui impedit ipſum bigamum ad ordines aſcendere. Nec ſecunda difficultas refragatur, quia vt ſuprà probaui, hæc irregularitas non prouenit à iure diuino, ſed à iure eccleſiaſtico; ideoque poteſt R. Pontifex cum bigamo quoad maiores ordines diſpenſare; Epiſcopus verò quoad minores, *cap. lector, 34.diſt.* Probant Iacobatius *de Conciliis lib.7. art.7.pag.499.* Couarr. *in dict. Clement. dict.1. part. §.2.* Sanchez *lib.7.de matrim.diſput.86. num.6.* Suarez *de cenſuris diſput.49.ſect.6. num.1.* Nec contrarium probant textus *in cap.2. cap. nuper, hoc tit.* in illis verbis: *Non licet diſpenſare.* Nam ea verba non important impoſſibilitatem, ſed difficultatem, vt ſenſus ſit, non expedit, ſeu non facilè licet cum bigamis diſpenſare: non autem negant Lucius III.& Innocentius III. ex iuſta cauſa licere cum bigamis diſpenſare, vt prædicta verba poſt alios accipiunt Acuña, & Dartis *in dict. cap. lector*, Gibalinus *de irregul. dict. cap.6.* Nec vltima difficultas obſtat, cui facilè ex ſuprà dictis reſpondetur; nam cùm ille, qui poſt votum caſtitatis ſolenniter emiſſum matrimonium contraxit, irregularis fiat ob delictum perpetratum in voti violatione, quod crimen cùm non committatur ab eo, qui ex diſpoſitione iuris conuertitur ad religionem, vel ſacerdotium, eius vxore ſimiliter religionem profeſsà; ideò ille irregularitatem contrahit, non autem iſte, qui nec delictum admiſit, nec defectum alicuius ſacramenti patitur.

12. EXPONVNTVR VARIA IVRA.

Sed ſuperiori aſſertioni primò opponitur textus in Concilio Aurelian. 3. *can. 6.* adductus in illis verbis: *Ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus in diaconum promoueatur.* Concil. Aurel. 4. *can. 10. Si quis Epiſcoporum ſciens, aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium Leuiticæ dignitatis, ſiue Preſbyterij, contra ius canonicum promouere præſumpſerit, nouerit ſe vnius anni ſpatio ab omni officio Sacerdotij eſſe ſuſpenſum.* Concil.Tolet.1.*can.3. Vt Lector viduam accipiens, amplius nihil ſit, ſed ſemper Lector habeatur.* Ex quibus iuribus apertè conſtat, bigamos ad minores ordines admitti. Igitur non rectè aſſerimus, bigamos vt irregulares ab omnibus gradibus ſacramenti Ordinis arceri. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, bigamum arceri non ſolùm à maioribus, verùm à minoribus ordinibus, *cap.maritum 33. diſt. cap. ex pœnitentibus, 50. diſt. cap. præcipimus, cap. agnoſcimus, 34.diſt. cap. non confidat, 50.diſt.* Concilium Tullenſe *can. 3. Vt laicus, qui duxerit viduam, ad clerum non admittatur:* docet Sauſay *in Panopl.cleric. vbi ſuprà, pag. 243.* Vnde bigamus inhabilis eſt cuiuſlibet beneficij. Rebuffus *in praxi, tit. de pacificis, num. 193.* Auila *de cenſuris part. 7. diſput. 8. dub.1.* Flaminius *lib.4.de reſignat.cap.4.num.17.* poteſt tamen Epiſcopus quoad minores ordines cùm eo diſpenſare, *cap.lector, 34.diſt.* Barboſa *dict. alleg. 49.* Neque canones ſuprà relati refragantur; nam in eis agitur de iam promotis, & de facto ordinatis, quibus prohibetur ad Diaconatus gradum aſcendere; illis tamen permittitur in gradu ſuſcepto miniſtrare, aut Lectoratus, vt *in d.can.10.Concilij Tolet.* aut in Subdiaconatus, vt in Concilio Hiſpal. 2. *can.4.* non quia ad eos gradus permittatur aſcendere; ſed quia in minoribus miniſtrare illis licet. Concil. Tolet. 1.*can.4. Subdiaconus autem defuncta vxore, ſi vxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter Oſtiarios, & Lectores, ita vt Euangelium, & Epiſtolam non legat.* Quæ verba falsò tribuuntur Martino Papæ à Gratiano *in cap. Subdiaconus, 34.diſt.* Et licèt aliquando tantùm bigamis prohibeatur ad ſacros ordines aſcendere, vt in Synodo Rom. ſub Hilario, anno 466.celebrata, *can.2.Cauendum ergo in primis eſt, ne ad ſacros gradus quiſquam qui vxorem non virginem duxit, aſpiret.* Non tamen ideò permittitur illis ad minores gradus aſcendere.

13. EXPONITVR CAP. 15. 28. Q. 3.

Secundò aduerſatur textus *in cap.1. 28. quæſt.3.* cuius pars extat *in cap.vnico, 26. diſt.* vbi D.Hieronymus affirmat, eum qui duas vxores habuit, vnam ante baptiſmum, & aliam pòſt, ad ordines promoueri poſſe: igitur regulariter indiſtinctè verum non eſt, bigamum ab eccleſiaſticis gradibus arceri. Pro huius textus expoſitione examinanda eſt illa celebris, non ſolùm apud Interpretes, verùm apud Sanctos Patres vexata quæſtio, vtrum videlicet, qui ante baptiſmun cum vidua contraxit matrimonium, aut cum duabus, vel cum vna antea, & poſteà cum alia, bigamus ſit? Et pro negatiua ſententia D.Hieronymi faciunt Gennadius Maſſilienſis *de eccleſ.dogmat. cap.72.* ibi: *Maritum duarum poſt baptiſmum matronarum, clericum non ordinandum.* Et textus *in cap.1.& 2.33. diſt.* & illæ iuris rationes. Prima, nam homicidium commiſſum ante baptiſmum, non inducit irregularitatem, *cap.1.& 4.51.diſt.* non enim D. Paulo obſtitit conſenſus in necem S.Stephani, *Actor. cap. 7.* vt ad Sacerdotium aſcenderet, *cap.quod die 5. 75. diſt.* Deinde quia hæc bigamiæ irregularitas prouenit à iure poſitiuo: ſed conſtitutio iuris poſitiui non ligat infidelem ante baptiſmum, *cap.gaudemus 8. de diuortiis*; quia iuxta Apoſtolum: *De his qui foris ſunt, quid ad nos?* Sententia verò affirmatiua, videlicet ex matrimonio contracto ante baptiſmum cum vidua, vel vno ante baptiſmum celebrato, alio poſt baptiſmum contracto, bigamiæ irregularitatem contrahi, expreſsè docetur à D. Ambroſio *in cap.penult.26.diſt.* & ſtatuitur ad Innocentio I. *in cap.3.26. diſt.in cap.ſi quis 13.34.diſt.* in Concilio Valentino Galliæ *cap.1.* ibi: *Neminem de digamis, aut internuptarum maritis ordinari clericos poſſe; nec requirendum, vtrumne initiati ſacramentis diuinis, an Gentiles, ac ſe infelici ſortis neceſſitate maculauerint.* Tenent eam Caſtro *lib.2. de lege pœnali, cap.14.* Baronius *tom.5. anno Chriſti 405.* Sayrus, Hugolinus,

Hugolinus, & alij relati à Gibalino *vbi suprà :* & faciunt pro ea rationes adductæ *in cap.2.3.& 4.26. dist. cap.2. 28. q.3.* & ea præcipua. Nam hæc irregularitas contrahitur ex defectu significationis sacramenti : sed per baptismum peccata, non defectus, tolluntur, vt latè probat Anton. August. *in epit. iuris lib. 22. tit. 14.* Et hac opinione retentâ, non obstant contrariæ fundamenta. Non primum deductum *ex d.cap.1.26. dist.* nam D. Hieronymus in hac parte discessit à communi sententia ; non tamen ideò hæreticus dici potuit, cùm non pertinaciter contra Ecclesiæ communem sententiam eam propugnasset, vt contigit D. Cypriano asserenti, ab hæreticis baptizatos rebaptizandos esse, *cap. si quis 70.1.q.1.* notant Castro *verbo Baptismus, hæresi 6.* Baronius *tom. 3. anno Christi 314.* Nec etiam obstat textus *in cap.1. 33. dist.* obseruo enim illius canonis duplicem esse versionem ; in ea enim, quæ est Gentiani Herberti, & probat Anton. August. *in epit. iuris lib.4. tit.7.cap.1.* legitur : *Qui post sanctum Baptisma duobus coniugiis fuerit implicitus* ; iuxta quam litteram nulla est difficultas, quia supponit vtrumque coniugium contractum fuisse post baptismum : in veteri tamen editione, quæ extat 2. *tom. Concil. Sixti V.* & probant Zonaras *in eo can.* & Coccius *vbi suprà*, legitur : *Si quis post baptismum fuerit secundis nuptiis implicitus* ; iuxta quam lecturam fauere videtur opinioni D. Hieronymi. Sed tunc respondet Bellarminus *d.lib.1. de clericis, cap.11. obiect. 6.* Apostolos illis primis temporibus ob hominum penuriam dispensasse cum illis, qui ante baptismum plures vxores acceperant ; deinde docet Pater Suarez *de censuris disput. 49. sect. 6.* in eo canone non desiderari, vt vtrumque matrimonium post baptismum contraheretur ; sed tantùm vt post baptismum quis inueniatur secundis nuptiis implicitus ; quod verum est etiamsi ante baptismum vnum, post baptismum aliud contraxit matrimonium. Quo modo etiam accipiendi sunt textus *in cap.2.33.dist.* Gennadius in verbis suprà relatis, quæ reperiuntur *in d.cap.2.33. dist.* Nec in eis potest deduci argumentum à contrario sensu, quia illud non procedit quoties absurdum sequitur, *cap. Ioseph, de V. S. l. conuenticula, C. de Episcop. & clericis.* Neque quod dicebamus de effectu Baptismi aduersatur ; nam illud procedit in irregularitate, quæ ex delicto prouenit ; nam cùm per baptismum non solùm peccatum, verùm eius vestigium tollatur, Antonius August. *vbi suprà, d. tit. 14.* irregularitas ex delicto prouenies cessat : at verò irregularitas ex bigamia prouenies, ex defectu, non verò ex delicto nascitur, vt suprà dixi : vnde non tollitur per Baptismum. Nec vltima ratio contrariæ sententiæ obstat, quia vt rectè satisfaciunt Sayrus suprà, *c.3.n.25.* Couarr. *in d. Clement. p.1.§.2. n.5.* lex Pontificia non ligat ipsos bigamos infideles, dum in infidelitate sunt, sed postquam per regenerationem Baptismi intra Ecclesiæ gremium constituuntur ; quo casu iam legibus ecclesiasticis tenentur.

CAPVT VI.

[a] *Archiepiscopo* [b] *Lunden. Apost. Sed. Legato.*

QVia circa minima, & maxima frequenter humanus deficit intellectus, prudentis est quærere vbi scrupulus dubitationis occurrit. Sanè postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, si Presbyteri successiuè duas concubinas habentes, bigami censeantur, vt cum eis tanquam cum irregularibus, quoad executionem sui officij nequeas dispensare ? Et si Presbyterorum filij sint indifferenter ad sacros ordines promouendi ? Et vtrum Sacerdotes Sueciæ in publicis debeas tolerare coniugiis, qui super hoc se asserunt cuiusdam Summi Pontificis priuilegio communitos. Ad quæ sic duximus respondendum, quod cùm Sacerdotes prædicti, siue vno, siue diuersis temporibus plures habuerint concubinas, irregularitatem non incurrerint bigamiæ, cum eis tanquam simplici [c] fornicatione notatis, quoad executionem sacerdotalis officij poteris dispensare, si viuere curauerint continenter. De Presbyterorum verò filiis, tam ex decreto [d] Vrbani Papæ II. quàm ex Concilio colligitur [e] Pictauiensi, quod ad sacros non sunt ordines promouendi, nisi aut in cœnobiis, aut in canonia regulari religiosè fuerint conuersati. De Presbyteris autem Sueciæ certum non possumus dare responsum, nisi viderimus priuilegium, quod prætendunt. [f] Quæsiuisti prætereà, vtrum in canonem incidant laici sententiæ promulgatæ, qui Sacerdotes, aut alios clericos in manifesto furto comprehensos contrectauerint violenter, si citra violentiam nequeant comprehendi ? Et si clericus, quem vehementer præsumis esse falsarium, ad tuam præsentiam citatus legitimè venire contemnens, citra excommunicationis sententiam ad iudicium per violentiam trahi possit ? Ad hæc taliter respondemus, quod in neutro casuum prædictorum sententia excommunicationis incurritur, dummodo mandatum interueniat Prælatorum, quorum tales clerici sunt iurisdictioni subiecti : cùm hoc non ipsi laici, sed illi potiùs, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur : nec ampliùs laicorum violentia extendatur, quàm defensio, seu rebellio exegerit clericorum. [g] Subsequenter etiam quæsiuisti, vtrum monachi omnium Sanctorum priuilegium bonæ memoriæ E. prædecessoris tui super Episcopalibus decimis retinendis indultum, extendere valeant ad possessiones postmodùm acquisitas, & in posterum acquirendas. Super quo tale damus tuæ fraternitati responsum, quod si decimarum illarum remissio facta extitit secundùm canonicas sanctiones, prædecessor tuus indefinitè decimas episcopales monasterio remittendo, cùm nihil exceperit, & poterat excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec

debeat vna, eademque ſubſtantia diuerſo iure cenſeri, intellexiſſe videtur non ſolùm de decimis poſſeſſionum illius temporis, ſed futuri.[h] Sanè quia contingit interdum, quod nullo accuſatore publicè comparente, qui matrimonium impetat iam contractum, ad te priuata quorundam aſſertio defert conſanguinitatis, vel affinitatis impedimentum, an ſub ſilentio præterire, an ad denominationem iumentalium, vt tuis verbis vtamur, procedere debeas, quæſiuiſti? Ad hoc ſic breuiter reſpondemus, quod ſi perſonæ graues, quibus fides ſit meritò adhibenda, tuæ fraternitati denuntient, quod hi, qui matrimonio ſunt coniuncti, ſe propinquitate contingant, etiamſi nullus manifeſtus appareat accuſator, ex tuo procedere potes officio, vt veritate ſolicitè inquiſitâ, quod poſtulauerit iuris ordo decernas, maximè ſi ex tali copula ſcandalum ſit ſubortum. Porrò de nobili viro N. pro cuius diſpenſatione, indulgentia ſcilicet remanendi cum ea, quæ ipſum quinto gradu conſanguinitatis contingit, à Sede Apoſtolica obtinenda, falſa nobis cauſa fuerat allegata, proles videlicet; cùm tamen ante diſpenſationem obtentam vnica filia, quam habebat, viam fuerit vniuerſæ carnis ingreſſa, provt tua conſultatio continebat, diſſimulare poteris, vt maneat in copula ſic contracta, cùm ex ſeparatione, ſicut aſſeris, graue videas ſcandalum imminere. Tu denique frater Archiepiſcope ſuper teipſo. Datum Signiæ. Non. Octobr. Pont. N. anno xvi.

NOTÆ.

1. a *Archiepiſcopo.*] Abſaloni videlicet Lundenſi Præſuli, qui variis legationibus Apoſtolicæ Sedis perfunctus, pluribuſque rebus præclarè in ipſa ciuitate foriſque peractis, quieuit in pace anno 1201. quo anno plura de eo adducit Spondanus *num.* 4.

2. b *Lundenſi.*] Ita emendanda, & reſtituenda eſt hæc inſcriptio ex epiſtolis editis à Boſqueto, vbi *lib.* 4. *regeſtr.* 16. *epiſt.* 118. reperitur integra noſtra epiſtola, quæ in partes ſecata reperitur in hoc volumine in præſenti, & *in cap. quia circa, de conſanguinit. cap. quia circa, de priuileg.* De Eccleſia Lundenſi egi *in cap.* 2. *de conſuetudine.*

3. c *Simplici fornicatione.*] Ex his verbis deduci videtur, lapſum carnis in Sacerdote tantum ſimplicem fornicationem eſſe, non autem continere circunſtantiam mutantem ſpeciem, aut notabiliter intra eam aggrauantem; quod & docuerunt Cardinalis *in Clement. ad noſtram, verſ.* 7. *de hæreticis*, Bermondus *de publicis concubinis*, §. *alios non publicos*, *num.* 12. Iulius Clarus §. *fornicatio, num.* 18. Auendaño *in l.* 9. *Tauri, gloſſa* 10. *num.* 10. Gutierrez *in practicis lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 44. & alij, quos dabimus *in cap.* 4. *de cognat. ſpiritual.* Sed contrarium, immò huiuſmodi acceſſum clerici etiam ad ſolutam, non eſſe ſimplex peccatum, ſed circunſtantiam continere neceſſariò in confeſſione explicandam, docent omnes Summiſtæ de circunſtantiis peccatorum agentes. Neque contrarium probat textus noſter in verbis ſuprà relatis; nam acceſſus ad concubinam dicitur ſimplex fornicatio, non ad excludendam malitiam, & peccati grauitatem, ſed factâ comparatione cum matrimonio ad inducendam bigamiam. Vt enim diſtinguatur hic acceſſus à copula maritali, appellatur ſimplex fornicatio. Ita hæc verba acceperunt Suarez *tom.* 2. *lib.* 2. *de religione, cap.* 6. *num.* 12. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 27. *num.* 20. & 21. Azor *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 13. *cap.* 12. *q.* 6. Acuña *in cap. Preſbyter*, 28. *diſt.* Balboa *in cap.* 5. *de iureiurando, c.* 29. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 15. *n.* 9.

d *Vrbani.*] De quo *in cap.* 1. 56. *diſt.*

e *Pictauienſ.*] De quo *in cap.* 1. *de filiis Preſbyterorum.*

f *Quæſiuiſti.*] Hæc pars epiſtolæ reperitur *in cap. vt fame*, §. *laici*, *de ſentent. excom.* cuius textus inſcriptio ex præſenti emendanda eſt.

g *Subſequenter.*] Hæc verba extant *in cap. quia circa, de priuileg.*

h *Sanè.*] Incipit deciſio textus *in cap. ſanè, de conſanguin. & affin.* quæ ſupplenda eſt ex præſenti epiſtola.

COMMENTARIVM.

EX verbis compilatis à Raymundo in præſenti omnes repetentes deducunt, habentes plures concubinas, bigamos ex eo non eſſe; nam cùm bigamia proueniat ex defectu ſignificationis ſacramenti, & in eis nullum detur matrimonium, rectè aſſeritur, ipſos bigamiæ irregularitatem non contrahere. Nec contrarium probant textus *in cap. ſi quis poſt acceptum*, *cap. laici* 34. *diſt.* vbi aſſeritur, eum qui poſt vxorem concubinam habuit, ordinari non poſſe. Nam omiſsâ ſolutione Baſilij Legion. *lib.* 7. *de matrim. cap.* 53. qui aſſerit concubinam ibi accipi pro vxore iniuſtè ducta, vt aliquando in iure noſtro accipitur, vt *in cap. is qui non habet*, *cap. chriſtiano*, 34. *diſt.* vnde cùm ſecutum fuiſſet ſecundum matrimonium, ideò bigamum eum fieri: dicendum eſt, tam *in dict. cap. ſi quis poſt acceptum* 33. *diſt.* quàm *in cap. ſi laici*, 34. *diſt.* non affirmari eum, qui poſt vxorem habuit concubinam, eſſe bigamum; ſed eſſe irregularem, quæ irregularitas non ex defectu ſacramenti, ſed potiùs ex delicto naſcitur. Quare licèt pœnis bigamorum puniantur, qui vxores habentes, concubinas retinent; non tamen ideò bigami cenſendi ſunt. Quomodo etiam intelliguntur textus in Concilio Gerundenſi *can.* 8. *Si quis de laicis poſt vxorem, aliam cuiuſcumque conditionis cognouerit mulierem, in Clero nullatenus admittatur.* Concilium Aurelian. 3. *can.* 9. *authent. de ſanctiſſimis Epiſcopis, cap.* 12. *collat.* 9. 4.

Sed huic deciſioni expreſsè aduerſatur textus *in c.* 2. 33. *diſt.* cuius verba ita refert Rabanus Maurus *lib.* 4. *de vniuerſo, cap.* 10. *Maritus duarum poſt Baptiſmum matronarum clericus, non eſt ordinandus, neque is, qui vnam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit; nec ille qui viduam, & repudiatam, vel meretricem.* Ex quibus expreſsè conſtat, eum qui habuit concubinam, aut meretricem duxit vxorem, non poſſe ad gradus ſacros aſcendere, tanquam bigamum: igitur multò magis, qui plures habuit concubinas. Cui difficultati variis modis ſatisfacere intendit Suarez *de cenſur. diſput.* 48. *ſect.* 3. *num.* 7. cuius ſolutionibus omiſſis ex ſuprà 5. INTELLIGITVR CAP 2. 33. DIST.

suprà traditis respondendum est, in eo textu concubinam habentem ordinari non posse, aut meretricem ducentem; non quia verè bigamus sit, aut propter defectum significationis; sed propter delictum, ex eo, quod concubinam habuit, perpetratum.

CAPVT VLT.

[a] Idem.

A nobis fuit. *Et infrà*: Ille autem, qui in Subdiaconatus ordine constitutus, de facto tantùm (quia de iure non potuit) duxit viduam in vxorem, profectò bigamus non existit: sed nec viduæ potest in veritate dici maritus, cùm inter ipsum, & illam non fuerit vinculum maritale contractum: cum eo tamen contra doctrinam Apostoli, tanquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter sacramenti defectum, sed adfectum intentionis cum opere subsecuto.

NOTÆ.

a IDem.] Textus iste non reperitur in aliqua ex collectionibus, neque in epistolis Innocentij III. Quare existimo textum hunc esse Gregorij IX. cuius decisiones vltimo loco compilantur in hoc Decretalium volumine.

TITVLVS XXII.
De Clericis peregrinis.

CAPVT I.

Alexander III. *Cenoman.* [a] *Episcopo.*

TVA nos duxit fraternitas consulendos, quid agendum sit de clericis, qui in remotis regionibus ordinati, litteras eorum ostendunt, à quibus sibi proponunt manus impositas, & incertum est, vtrum eorum sigilla sint, quæ repræsentant. Tuæ igitur consultationi significatione præsentium indulgemus, tutius esse, vt in his statuta Patrum veterum obseruentur, quàm nouum aliquid statuatur. Statutum est autem de transmarinis, vt ad minùs quinque Episcoporum super ordinatione sua testimonio muniantur. Quod in aliis, qui similiter sunt incogniti, credimus obseruandum. Ita tamen, vt in suspensione aliquo tempore habeantur, in quo videntes pleniùs de ipsorum actibus instruantur. Sed de inferioribus ordinibus oportuit inquiri; quia posset contingere, vt aliquibus prætermissis, saltum feciſſent. His autem peractis, si digni inuenti fuerint, circa eos poterit dispensari.

NOTÆ.

a EPiscopo.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. vnico*, & post Concil. Lateran. *p.* 26. *cap.* 20. id est Guillelmo, qui Alexandri III. temporibus præerat Ecclesiæ Cenomanensi, vt referunt Chenu, & Fratres Sarmat. in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ. Alia etiam pars huius Decretalis extat *in cap. ad hæc, de testam.*

CAPVT II.

Innocentius III. [a] *Constantinop. Patriarchæ.*

INter quatuor animalia. *Et infrà*: Consuluit nos insuper tua fraternitas, vtrum clericos ad te sine suorum ordinatorum litteris venientes, & offerentes præstare corporaliter iuramentum, quod sint in quovis ecclesiasticorum ordinum constituti, debeas ad superiores ordines [b] promouere. Nos igitur consultationi tuæ taliter respondemus, quod nisi de ipsorum ordinatione canonica, per idonea tibi constiterit argumenta, eos nec in illis suscipere, nec ad maiores debes ordines [c] promouere, præsertim antequam eorum conuersatio fuerit approbata.

NOTÆ.

1. a *Constantinop.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & *in cap. inter, de maiorit. & obed. cap. inter, de cleric. non resid. cap. inter, de relig. domib.* vbi extant aliæ partes huius epistolæ. De hac Patriarchali Ecclesia egi *in cap. quantò, de consuet.* & integram hanc epistolam transcribo ex gestis Innoc. III. *fol.* 107. vbi ita habetur.

Inter quatuor animalia, quæ in medio sedis, & in eius circuitu describuntur, facies aquilæ ab Ezechiele desuper ipsorum quatuor memoratur: quoniam inter quatuor Patriarchales Ecclesias, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quæ per animalia supradicta significantur, quas Apostolica Sedes in medio habens, quasi filias amplectitur spirituales, cui eodem sunt circuitu quasi famulæ obsequentes, ipsa Constantinopolitana post Apostolicam Sedem excellentiâ præeminet dignitatis, ad cuius exaltationem tantò libentiùs aspiramus, quantò ad ipsum honorabilius membrum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ arctiùs amplexantes, ipsius auxilio temporibus istis eandem amplius noscimus indigere, ac tuas, qui eodem Domino disponente præesse dignosceris, petitiones libentiùs promouere disponimus, quibus non repugnat honestas, nec aliis præiudicium generatur: cùm à nobis iniuriarum actio non debeat exoriri, à quibus iura, tanquam à fonte ad cæteros deriuantur. Licèt igitur in quantum possumus tuo velimus honori deferre, ac tuas preces effectui mancipare, petitionem tamen illam nequimus exaudire, quâ postulasti à nobis, vt donationes Ecclesiarum, & benefactorum à dilecto filio P. tituli Sancti Marcelli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, te præsente, ac penitus inconsulto, cùm nimiam multitudinem Ecclesiarum contulit, easque iure perpetuo absque tuo consensu, & Capituli maioris Ecclesiæ tradidit possidendas, dignaremur auctoritate Apostolica irritare: quoniam idem Legatus per suas litteras nobis intimauit, quod quandam Ecclesiam, postquam à nobis litteras legationis accepit in Constantinopolitano Imperio exercendæ, quibusdam Ecclesiis, & locis Hierosolymitanæ prouinciæ contulit, quibus eædem Ecclesiæ ad custodiam fuerant assignatæ, vt licèt sic subueniretur vtrimque necessitatibus Terræ sanctæ, cùm quasdam quibusdam aliis locis religiosis, quorum nuntij ad vocationem charissimi in Christo filij B. Constantinopolitani Imperatoris Illustris illuc accesserant, assignauit, quosdam clericos, inspectâ vtilitate, quæ de ipsorum institutione poterat prouenire, in quibusdam Ecclesiis procurans clericos ordinare. Verùm quia visum est ei, quod ordinata per ipsum intenderis immutare post recessum eius, præcedentibus dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, & multis de Clero, ac etiam temetipso, omnia quæ per ipsum fuerant ordinata Sedis Apostolicæ protectioni supponere, ne ipsorum aliquod immutares, ad nostram audientiam appellauit, à tunc instanti passagio vsque ad annum suæ terminum appellationi præfigens. Cùm igitur rationabilem terminum dictus Legatus appellationi præfixit, quam emisit, qui ex tam rationabili causa, videlicet obedientiæ bonæ, & obsequio Terræ sanctæ, vsque ad biennium ipsum potuit prorogasse, appellatione pendente, iuxta canonicas, & legitimas sanctiones, sicut tua fraternitas non ignorat, in ipsius absentia non debuit eorum aliquid immutari: præsertim cùm præsumi valeant ritè facta, donec in contrarium probaretur; & id fieri sine illorum præiudicio non valeret, quibus dictæ Ecclesiæ, seu beneficia auctoritate Apostolicæ Sedis collata; cùm nec citati fuerint, nec absentes per contumaciam, seu conuicti, sed penitus indefensi. Si quas verò de ipsis nos duxerimus aliquibus confirmandas, iuxta communem formam id noueris faciendum, videlicet sicut ea iustè possident, & quietè. Super eo verò mirari non debes, sicut idem Legatus asserit, quòd ipse te præsente, ac inconsulto Ecclesias, & beneficia contulit memorata, cùm & tu ipse multò maiora, Ecclesiam videlicet Sanctæ Sophiæ, quæ caput Patriarchatus existit, nec-non Archiepiscopatus, & Episcopatus, ipso præsente, & inrequisito penitus, qui vices nostras gerebat, ibidem curaueris ordinare. Quamuis ergo tuam propter præmissa petitionem iuxta tuum desiderium nequimus exaudire, tuo tamen quantùm cum nostra possumus honestate volentes honori deferre, fraternitati tuæ duximus concedendum, vt ij, qui Ecclesias illas, seu beneficia possident, obedientiam tibi debitam exhibeant, & deuotam: nisi fortè aliqua illarum Ecclesiarum in captione regiæ ciuitatis à iurisdictione Patriarchæ legitimè fuisset exempta. Subsequentem verò petitionem, quâ Ecclesias illas tibi subiici postulabas, quæ priusquam Constantinopolitana ciuitas caperetur, Constantinopolitano Patriarchæ minimè respondebant, duplici ratione non duximus admittendam: iuris namque ratio postulauit, vt in illorum præiudicium, quibus eædem Ecclesiæ subiectæ, nihil ordinaremus de ipsis. Cùm verò citati sint, nec conuicti, nec per contumaciam se absentent, id etiam modò fieri prouidentia dissuasit: ne Pisani ac Veneti, aliique quamplures apud Constantinopolim huiusmodi habentes Ecclesias, contra Imperium prouocarentur hoc tempore, qui sunt alliciendi potiùs blandimentis, donec illud soliditate immobilius roboretur. Quòd si ius tuum contra illos prosequendum duxeris tempore opportuno, faciemus auctore Domino super ipsis iustitiæ plenitudinem exhiberi. Super obedientiam verò, quam vt tibi faceremus impendi ab Archiepiscopo, & Episcopis regni Cypri similiter postulasti, ferè idem quod præcedenti petitioni duximus respondendum; cùm & ipsi ante tuam extiterint promotionem exempti, cùm videlicet Constantinopolitana Ecclesia erat inobediens, & rebellis, etiam in eorum absentia circa statum ipsorum non debere aliquid immutari: iustitiam enim non negabimus tibi cùm duxeris postulandam. Præterea ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod quidam Episcoporum rectè commoniti, tibi obedire contemnunt; qui tamen episcopales redditus percipere nec desistunt: quidam verò ex eis ab Episcopatibus fugiunt, ne valeant commoneri, per sex menses, vel amplius suam diœcesim deserentes; vnde nobis suppliciter exorasti, vt super hoc tibi salubriter consulentes, qualiter circa illos, & ipsorum diœceses procedere debeas, deuotioni tuæ scribere dignaremur. Nos igitur attendentes, quòd per nouitatem mutationis Imperij, & nouitatum euentus sit cum maturitate plurima procedendum, fraternitati

tuæ

tuæ taliter reſpondemus, vt illos non ſemel, ſed ſæpè, videlicet primò, ſecundò, & tertiò citare procures, & cùm parêre noluerint, ſed in ſua duxerint contumacia perſiſtendum, vt ſi fortè ſe appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infrà tempus legitimum proſequantur, ipſos per ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias ad tuam obedientiam venire compellas: omninò ſi nec ſic ipſorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius B. tituli Sanctæ Suſannæ Preſbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ab Epiſcopatus adminiſtratione remoueat, & quibus præſunt Eccleſiis, de perſonis idoneis vnà tecum faciat prouideri: ſed in eos degradationis ſententiam non promulget, vt cum eis miſericorditer fiducialiùs agi poſſit. In Eccleſiis autem illorum qui ſe fraudulenter abſentant, ne ad ipſos citatio valeat peruenire, tuæ citationis edictum facias publicari: & ſi nec ſic curauerint obedire, ſed contrà vltra ſex menſes Eccleſias ſuas deſeruerint, vt iuxta canonicas ſanctiones eis meritò debeant ſpoliari, contra eos quoque, ſicut præſcriptum eſt, procedatur. Cùm verò Legatus ad propria remearit, tibi, quamdiu nobis, & ſucceſſoribus noſtris placuerit, perſonaliter duximus concedendum, vt contra præfatos rebelles præſcripto modo procedas tanquam à Sede Apoſtolica delegatus. Tua inſuper fraternitas poſtulauit, vt cùm in partibus illis nimia ſit Epiſcopatuum multitudo, illos, cùm nimis ſint tenues, ad paucitatem redigere tibi concedere dignaremur. Nos autem ita duximus prouidendum, vt id cùm neceſſitas, vel vtilitas poſtulauerit, per præfatum Legatum, quamdiu in partibus illis extiterit, tuo non accedente conſilio, valeat adimpleri, ita videlicet, vt Epiſcopatus nec minuat, ſed illi quem fecerit ad vnam Eccleſiam ordinari, aliquot tales Eccleſias, ſi viderit expedire, committat, quatenus ſi fortè pro ipſius neceſſitate de ipſis fuerit aliter ordinandum, quod factum eſt, faciliùs valeat immutari. Legato verò ad propria redeunte, tu, ſi neceſſe fuerit, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, tanquam delegatus à nobis, facias illud idem. Poſtulaſti poſtmodùm per Sedem Apoſtolicam edoceri, qualiter Epiſcopatus illos debeas ordinare, etiam in quibus permixti ſunt Græci pariter & Latini; & quos debeas præficere in eiſdem. Ad quod fraternitati tuæ breuiter reſpondemus, quod in illis Eccleſiis, in quibus ſunt ſolummodò Græci, Græcos debeas Epiſcopos ordinare, ſi tales valeas reperire, qui nobis, & tibi deuoti, & fideles exiſtant, & à te conſecrationem velint recipere humiliter & deuotè. In illis verò, in quibus cum Latinis Græci ſunt mixti, Latinos præficias, & præferas ipſis Græcis. Cæterùm nobis humiliter ſupplicaſti, vt de noſtra tibi permiſſione liceret conſtitutos, & conſtituendos in eccleſiaſticis dignitatibus, baculis, mitris, annulis, & ſandaliis inſignire, ac diſpenſare cum illis, qui omiſſis minoribus, maiores ordines recipere præſumpſerunt. Nos ergo perſonaliter volentes tibi facere gratiam ſpecialem, auctoritate tibi præſentium indulgemus, quatenus illis concedas inſignia ſupradicta, quibus ſecundùm morem Apoſtolicæ Sedis poſſunt honeſtè concedi: ac cum illis ſuper omiſſione prædictorum minorum ordinum auctoritate noſtra diſpenſes, quibus litteratum ſcientia, & morum grauitas ſuffragantur, iniuncta priùs illis pœnitentiâ competenti. Conſuluit nos inſuper fraternitas tua, vtrum clericos ad te ſine ſuorum ordinatorum litteris venientes, & offerentes præſtare corporaliter iuramentum, quod ſint in quouis eccleſiaſticorum ordinum conſtituti, debeas ad ſuperiores ordines promouere. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod niſi de ipſorum ordinatione canonica per idonea tibi conſtiterit argumenta, eos nec in illis ſuſcipere, nec ad maiores debes ordines promouere: præſertim antequam eorum conuerſatio fuerit approbata. Edoceri quoque de ſacrificiorum, & aliorum ſacramentorum ritu per Sedem Apoſtolicam poſtulaſti, vtrum debeas Græcos admittere, vt ea exerceant more ſuo, vel compellere ad ritum potiùs Latinorum. Ad quod fraternitati tuæ, breuiter reſpondemus, vt eos tamdiu in ſuo ritu ſuſtineas, ſi per te reuocari non poſſunt, donec ſuper hoc Apoſtolica Sedes maturiori conſilio aliud duxerit ſtatuendum. De clericis autem, qui Eccleſias, vel præbendas ſibi conceſſas abſque iuſta, & neceſſaria cauſa, tuo præſertim non accedente conſenſu, in hac deſerunt nouitate, hoc tibi duximus reſcribendum, quod poſtquam congruo tempore fuerint expectati, niſi redierint ad illas, poſſint eis iuſtè priuari, dummodo non ſint impedimento detenti. De monaſteriis quoque Græcorum in ſæculares canonicos conuertendis, fraternitati tuæ breuiter reſpondemus, quod quandiu Ordines per regulares viros, ſiue Græcos, ſiue Latinos, remanere poterunt, ordinata non ſunt ad ſæculares clericos transferenda. Sed ſi regulares defuerint, propter eorum defectum ſæculares clerici poterunt ordinari. Præterea nobis humiliter ſupplicaſti, vt cùm difficile ſit tuæ iuriſdictioni ſubiectis pro ſingulis quæſtionibus ad Sedem Apoſtolicam laborare, ſuper appellationibus modum imponere dignaremur. Cùm igitur ſanctæ recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter duxerit ſtatuendum, vt ſi fortè ſuper rebus modicis, quæ in ſumma decem marcharum ſubſiſtunt, in Archiepiſcoporum & Epiſcoporum auditorio quæſtio ventiletur, & alia partium litigantium deluſoriè putauerit prouocandum, tunc eius appellatione contemptâ, ſi tamen ibidem idonei poterunt inueniri, in eorum præſentia iurgium ſopiatur: Nos attendentes, quod nimis diſpendioſum eſſet, & graue, propter multa maris, & terræ diſcrimina ſubditos tuos pro ſingulis querelis Sedem Apoſtolicam adire: fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta indulgemus, quod in cauſis illis, quæ in tuo debent auditorio pertractari, ſi aliqua partium ad Sedem Apoſtolicam prouocauerit, & res ſuper qua quæſtio vertitur, ſummam neque exceſſerit prætaxatam, non obſtante appellationis obiectu, iuſtitiâ mediante procedas, vel partes compellas in aliquos compromittere, qui appellatione remotâ cauſam audiant, & debito fine decidant: illud idem facturus de leuioribus cauſis, præſertim inter perſonas, quæ cùm ſint merè ſpirituales, ciuilem non continent quæſtionem. Venetos autem habitatores Regiæ ciuitatis ad ſoluendum decimas perſonis, & Eccleſiis Conſtantinopoli exiſtentibus, quibus de iure debent, per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione remotâ compellas, non obſtante conſuetudine, quam habitatores Venetiarum obſeruant, vt videlicet in morte dumtaxat deciment illa quæ acquiſiuerunt in vita, ne hoc prætextu Eccleſia Conſtantinopolitana ſuo

fraudetur iure, si forsan ij, qui longo tempore Constantinopoli habitarunt, circa finem vitæ suæ Venetias reuertantur. Verùm in his, & in aliis cum discretione ac maturitate procedas, impetum & facilitatem euitans; quoniam in huiusmodi sanius est de tarditate aliqua, quàm de velocitate nimia reprehendi.

b *Promouere.*] Quando Episcopus alienus possit non subditum sacris ordinibus initiare, exposui *in cap.* 11. *de temp. ordin.*

CAPVT III.

Idem *Patriarchæ* [a] *Hierosolymit.*

TVæ f. discretio postulauit per Sedem Apost. edoceri, vtrum clericos illos, qui ad partes Hierosolymitanas sine commendatitiis litteris veniunt, permittere debeas celebrare diuina; cùm plerique eorum, de quorum canonica ordinatione non constat, statim vt veniunt, præsumunt non expetitâ licentiâ celebrare. *Et infrà*: Nos autem tuam in Domino solicitudinem commendantes, super primo articulo f. t. respondemus, quod nisi legitimè tibi constiterit, siue per litteras, siue per testes de illorum ordinatione canonica, qui penitus sunt incogniti, non debes ipsos permittere tuis plebibus celebrare. Sed si forsan eorum aliqui secretò ex deuotione celebrare voluerint, poteris sustinere.

NOTÆ.

1. a *Hierosolym.*] Cùm in hac ciuitate maxima redemptionis nostræ mysteria perfecta essent, & in ea religio christianæ fidei cœpisset promulgari, ideò magnis laudibus eam extollunt D. Hieronymus *in Isaiam cap.* 2. ibi: *In Hierusalem primùm fundata Ecclesia, totius orbis Ecclesias seminauit.* D. August. *in psalmum* 147. ibi: *Remissio peccatorum in Christi nomine prædicatur: vbi prædicatur? per omnes gentes: vnde incipit? ab Hierusalem: communica huic Ecclesiæ; quare litigamus? cœpit enim hæc Ecclesia ab Hierusalem ista terrena, vt gaudeat de Deo in illa Hierusalem cælesti: ab hac enim incipit, in illa terminat: in illa tota Ecclesia erit, ab ista exordium fidei sumpsit.* Sed hac præclara ciuitate funditus euersâ, vt Dominus prædixerat apud Matthæum *cap.* 23. quæ nunc adest, eadem non est cum illa prima iam euersa, vt refert Nicolaus I. *ad consulta Bulgaror. cap.* 92. *Hierosolymitanus autem Præsul, licèt & ipse Patriarcha dicatur, & secundùm antiquam consuetudinem, ac Nicænam Synodum honorandus sit, saluâ tamen Metropoli propriâ dignitate: sed & in eadem sancta, & magna Synodo nequaquam Hierosolymitanus, sed Æliæ Episcopus dicitur: nam vera Hierusalem tantùm in cælis est, quæ est mater nostra; illa verò Hierusalem terrestris, secundùm quod Dominus prædixit, adeò funditus ab Imperio Romano destructa est, vt in ea nec lapis suprà lapidem sit derelictus.* Et ab Ælio Hadriano vrbs illa Ælia vocitari cœpit. Posteà ipse Ælię Episcopus irrepsit in Patriacham totius Cæsareæ, vt iuxta seriem temporum plura adducentes de origine huius Patriarchatus tradunt Paulus à S. Carolo *in Geograph. sacra*, Franciscus Hallierius *de hierarch. lib.* 4. *art.* 4. Angelus Petrica *de appellat. disput.* 4. & nos alia dabimus *in cap. nouit, de his quæ fiunt à Prælatis*, & *in cap. antiqua, de priuileg.* Alberto huius Ecclesiæ Patriarchæ missa est præsens epistola, vt testatur Spondanus *tom.* 1. *in continuat. Baronij, anno* 1203. *num.* 5.

COMMENTARIVM.

2. EX his tribus decisionibus sequens deducitur disputanda assertio: *Clerici peregrini non admittuntur ad celebrandum, etiamsi iurauerint se clericos esse, nisi ordinatio eorum litteris commendatitiis probetur, quinque Episcoporum sigillis signatis, si sint transmarini.* Eam probant textus *in cap. Primates* 6. *cap. extraneo* 7. *cap. hoc tamen* 8. *cap. vlt.* 71. *dist. cap. Ecclesiis, in fine*, 68. *dist. cap. clericum* 2. 72. *dist. cap.* 1. & 2. 73. *dist. cap. nullus, cap. Afros, cap. transmarinos*, 98. *dist. cap. duæ sunt* 19. *q.* 2. *cap. monachum* 20. *q.* 4. *cap.* 1. 21. *q.* 2. *cap. non oportet* 36. *de consecrat. dist.* 5. *can.* 12. & 33. *Apost.* Concil. Roman. sub Gregorio VII. *can.* 23. *Presbyteri, vel diaconi, qui de alio Episcopo ad alium transeunt; vel quicumque clerici, sine commendatitiis litteris à suo Episcopo non recipiantur.* Meldense *can.* 50. *Presbyteri, vel quilibet clerici in alterius parochiam sine formata non recipiantur, nec retineantur, neque etiam ministrare sinantur.* Et *can.* 51. *Qui cum senioribus de aliis prouinciis ad nostras parochias veniunt sine formata, ministrare non permittantur.* Carthag. 1. *can.* 7. *Statuat fraternitas vestra, vt vnusquisque clericus, vel laicus non communicet in aliena plebe sine litteris Episcopi sui.* Sardicense *can.* 9. Carthag. 3. *can.* 3. & 8. Andegau. *can.* 2. Arelat. 1. *can.* 9. Meliuit. *can.* 20. Turonense *can.* 12. Anglicanum *can.* 5. Francoford. *can.* 26. Trident. *sess.* 23. *cap.* 16. Concilium Salceburgense *anno* 1386. *Firmiter inhibemus, ne Presbyteri peregrini, vel ignoti ad Missarum solennia celebranda in publico admittantur, nisi per litteras testimoniales, vel canonicè de ipsorum ordinatione Ecclesiarum Prælatis, & Rectoribus fiat fides.* Concilium Frisingense celebratum anno 1440. *can.* 1. *Mandamus vniuersis nostræ diœcesis Prælatis, ne de cætero aliquem alienæ diœcesis, seu ignotum, etiam peregrinum, se pro Presbytero, seu in sacris constituto gerentem, ad ipsorum consortium, sacramentorum, seu sacramentalium administrationem, vel aliàs ad regimen quoquo modo admittant*, Tolet. tempore Sixti IV. anno 1478. habitum, *can.* 4. Colonienſe anno 1536. *p.* 1. *can.* 31. Limense *can.* 22. *cap. fraternitati* 5. *de clericis non resid. l.* 22. *C. de Episcop. & clericis.* Alia iuris testimonia congerunt Anton. August. *in epit. iuris Pontif. lib.* 6. *tit.* 58. & *lib.* 7. *tit.* 12. & *lib.* 8. *tit.* 30. Crespetius *in summa, verbo Clerici peregrini*, & *Clerici vagamundi.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *de potest. Episcop.*

CONCLVSIO PROBATVR.

cop. alleg. 21. Cuiacius *in nouella 6. Iuſtiniani*, & *ad tit. de cleric. non reſid.* Sauarus *in notis ad Sidonium, lib. 7. epiſt. 2.* Pater Henao *tom. 3. de ſacrificio Miſſæ, diſput. 28. ſect. 40. num.* 808. Boſquetus *in notis ad Innocentium III. lib. 2. epiſt.* 8. Mendoza *lib. 2. Concilij Illiber. cap.* 50. & *lib. 3. cap.* 41. Acuña *in cap. acquieſcamus* 2. 42. *diſt.* ipſe & l. Dartis *ad* 71. 72. & 98. *diſt.* Balſamon *d. can. 33. Apoſt.* & *in can.* 168. *Synodi Carthag.* Suarez *de cenſuris diſput. 25. ſect. 2.* Morinus *lib. 1. exercit. cap.* 24. & *lib. 2. cap.* 5. Albaſpineus *in notis ad Optatum Meliuit. pag.* 134. & *lib. 1. obſeru. cap.* 3. P. Gregor. *lib. 2. partit. tit. 9. cap.* 8. Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cleric. cap.* 87. Vighellius *in method. iuris can. pag.* 240. & 268. Cironius *ad tit. de cleric. non reſid.* & *lib. 1. obſeru. cap.* 6. Corjolanus *in Breuiar. anno* 132. & *in can.* 14. *Apoſt.* Zipeus *ad tit. de elect. num.* 13. Souchetus *in notis ad Ivonem, epiſt.* 4. Turrianus *in explanat. Clementis, cap.* 57. Iuſtelus *ad canones Eccleſiæ vniuerſ. pag.* 183. & 231. Lemaiſtre *lib. 2. de monach. cap. 1.* Vicecomes *de ritibus Miſſæ, volum. 3. lib. 2. cap.* 25. Ferrarius *de litteris primitiuæ Eccleſiæ, lib. 1. cap.* 8. Baſilius Legion. *quæſt. 2. ſcholaſt. cap. 2. in can.* 22. *Concilij Altiſſiod.* Chriſt. Lupus *in can.* 11. & 13. *Concil. Chalced.*

3. IMPVGNATVR TRADITR ASSERTIO.

Sed in hanc concluſionem ſic inſurgo. Qui ritè & validè ordinatus eſt, tam in diœceſi, in qua promotus eſt, quàm in alia qualibet celebrare poteſt, cùm hæc facultas non ex poteſtate iuriſdictionis, ſed characteris proueniat, & character ſemper, & vbique maneat: igitur qui in ſacerdotem ordinatus eſt, tam in propria Eccleſia, quàm in aliena celebrare poteſt. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam ſi litteræ commendatitiæ deſiderarentur in clerico peregrino, maximè vt conſtaret de eius ordinatione, ne qui ordinati non ſunt, ſe ingerant ſacris altaris miniſteriis: ſed ad hoc probandum ſufficiunt litteræ ſigillo vnius Epiſcopi munitæ; ſiquidem litteræ proprij Epiſcopi plenam inducunt probationem, *cap. poſt ceſſionem* 7. *de probat. cap. peruenit* 2. *de fideiuſſor. cap.* 2. *de fide inſtrum.* igitur fruſtra deſiderantur ſigilla quinque Epiſcoporum, vt litteræ commendatitiæ à clericis peregrinis adductæ, ordinationis ſuæ fidem faciant. Augetur ſecundò hæc difficultas ex eo, nam inter alias probationum ſpecies iuramentum enumeratur, *cap.* 2. *de probat. l. final.* §. *licentia*, *C. de iure deliberandi*; & legitimam, propriamque probationem inducere, docet Gloſſa *in cap. ſtatutum*, §. *cùm verò*, *de reſcrip. cap. final. de his quæ vi*: igitur ſi peregrinus iurauit ſe legitimè eſſe ordinatum, quia legitimè conſtat eſſe ordinatum, admitti debet ad celebrandum.

4. DE LITTERIS FORMATIS.

Quâ difficultate ita fulcitâ minimè obſtante, vera eſt ſuprà adducta aſſertio, ad cuius expoſitionem, & interpretationem præſentis rubricæ, quæ ita concipitur in prima collectione, *De clericis peregrinis, & eis ſine litteris non recipiendis*: ſciendum eſt, iam à temporibus Concilij Nicæni primi non licuiſſe Epiſcopis, Preſbyteris, & aliis clericis inferioribus, nec-non & laicis peregrè proficiſci, & in aliena parochia admitti ſine litteris formatis, commendatitiis, ſeu dimiſſoriis, *cap. extraneo*, 71. *diſt. cap. non oportet*, *de conſecrat. diſt.* 5. Concil. Cabil. 2. *can.* 44. & 45. notauit Sauarus ad Sidonium *lib. 2. epiſt.* 5. Quarum litterarum vſum vt pleniùs cognoſcamus, obſeruandum eſt, inter alias litterarum ſpecies primis Eccleſiæ ſæculis ad varia eccleſiaſtica negotia vſu receptas, de quibus Baronius *anno* 142. *num.* 6. Cironius *in præſenti*, & *ad titul. de clericis non reſid.* Lindembrogius *in Gloſſario*, *verbo Epiſtolæ*, Ferrarius *ſpeciali libro de antiquæ Eccleſiæ epiſt. genere*, primum locum obtinuiſſe litteras illas, quæ peregrinis dabantur, quæ dicuntur Canonicæ, ſeu Formatæ, & ab effectu Communicatoriæ, Dimiſſoriæ, Commendatitiæ, & Pacificæ. Ferrarius *vbi ſuprà*, *lib. 1. cap. 6.* Canonicæ appellabantur litteræ iſtæ à Græcis, à Latinis verò formatæ, videlicet quia conceptæ erant, & ſcriptæ iuxta certam formam à ſacris canonibus præſcriptam; Synodus Laodicæna *can.* 4. ibi: *Non oportet miniſtrum altaris, vel etiam clericum, ſine canonicis litteris, id eſt formata, aliquò proficiſci.* Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad finem Concilij Chalced. ibi: *Ne igitur in faciendis epiſtolis canonicis, quas mos Latinus formatas appellat.* Notant Zonaras *in can. 42. Synodi Laodic.* ibi: *Idcirco canonicæ appellantur, quia iuxta canones factæ ſunt.* Sirmundus, & Sauarus *in notis ad Sidon. lib. 6. epiſt.* 8. Baronius, & Ferrarius *vbi ſuprà*, Loayſas *in can. 7. Concil. Hiſpal.* 2. Cuiacius *in d. cap. fraternitati 5. de clericis non reſid.* Rodulphus *in libello de litteris canon. cap.* 3. Hurtado *de martyrio per peſtem, reſolut.* 34. *ſect.* 4. Boſquetus *lib.* 1. *ad Innocent. III. epiſt.* 50. Corjolanus *in Breuiario*, *anno* 132. Cironius *lib. 2. obſeru. cap. 6.* Baſilius *q.* 2. *ſcholaſt. in can.* 2. *Concilij Altiſſiod.* Dartis *ad* 72. *diſt.*

5. DE FORMA IPSARVM LITTERARVM.

Forma autem prædictarum litterarum præſcripta fuit in Concilio Nicæno 1. vt Atticus Conſtantinop. Epiſcopus teſtatur in fine dicti Concilij Chalced. ibi: *Hoc à Patribus trecentis decem & octo Nicææ congregatis ſaluberrimè inuentum eſt, & conſtitutum, vt formatæ epiſtolæ hanc calculationis, ſeu ſupputationis habeant rationem, id eſt, vt aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris, Filij, & Spiritus ſancti, &c.* Et licèt aliquod Concilij Nicæni fragmentum non reperiatur in editione ipſius, tam à Piſano, quàm Turriano facta; tamen cùm certum ſit ex octoginta canonibus, quos Patres ſtatuerunt, tantùm 20. ſtare, alios verò Arrianorum induſtriâ periiſſe, & cum eis periit canon litteris formatis formam præſcribens, vt latè probat Ferrarius *vbi ſuprà*, *cap.* 4. Sed licèt hic Concilij Nicæni canon periiſſet, tamen ex dicta epiſtola Attici, nec-non ex veteribus formulis, quas ſtatim dabimus, conſtat in eis ſequentia accuratè eſſe obſeruanda. Primum, vt prima elementa Græca Patris, Filij, & Spiritus ſancti, hoc eſt π. υ. α. exprimantur. Secundum, vt apponatur littera prima Apoſtoli Petri, videlicet Π. Tertium requirit primam litteram nominis Epiſcopi litteras mittentis. Quartum ſecundam litteram eius, ad quem mittebatur. Quintum tertiam litteram illius, qui litteras deferebat. Sextum quartam litteram loci, ex quo formatæ litteræ ſcribebantur. Tandem dictionem, *Amen.* Hos characteres in vnum collectos, in vnumque diſtributos ad finem cuiuſque epiſtolæ, tanquam numerorum notas exponit Atticus Epiſcopus vbi ſuprà, in hæc verba: *Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epiſtolis canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo Nicææ congregatis ſaluberrimè inuentum eſt, & conſtitutum, vt*

formatæ epistolæ hanc calculationis, seu supputationis habeant rationem: id est, vt assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris, Filij, & Spiritus sancti, hoc est π. υ. α. quæ elementa, & octogenarium, & quadrigentesimum, & primum significant numerum: Petri quoque Apostoli prima littera, id est Π, *quæ numerum octoginta significat: eius quoque qui scripsit epistolam prima littera; cui scribitur secunda littera; accipientis tertia littera; ciuitatis quoque, de qua scribitur, quarta; & indictionis, quæcumque est eiusdem temporis, idemque fuit numerus, assumatur: atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ, vt diximus, numerum exprimunt, in vnum ductis, vnam, quæcumque fuerit collecta, summam epistola teneat. Hanc qui suscepit, omni cum cautela requirat expressè. Addat prætereà separatim in epistola nonagenarium, & nonum numerum, qui secundùm Græca elementa significat, Valete in Domino.* Istarum litterarum formam, & exemplar tradit Carnotensis *6.p. Decreti,cap.*434. & 435. Aliam formam exarauit Burchardus *lib.*2. *Decreti, cap.* 227. à quo transcripsit Gratianus *in cap. in nomine*, 73. *dist.* & alia earum exemplaria tradunt Zerda *in aduers. cap.* 8. Marculfus *in veteribus formulis, cap.* 12. Sirmondus *tom.*2. *Concil. Galliæ, pag.* 663. Souchetus *ad epistolam* 4. *Ivonis*, Marchinus *de ordine, tract.* 1. *p.* 6. *cap.* 1. *num.* 6. Quas veteres formulas explicant, & exponunt Dartis *in dist.* 73. Cironius *lib.* 2. *obseru. cap.* 6. Malvenda *de Antichristo, lib.*8.*cap.*1.

6. De litteris commvnicatoriis.

Suprà relatæ litteræ, videlicet formatæ, seu canonicæ, vt genus, continent sub se tanquam species, communicatorias, dimissorias, commendatitias, & pacificas, quæ ad diuersos effectus, & variis ex causis peregrinis dabantur, de quibus sigillatim agamus. Communicatorias litteras deferebant christiani, tam clerici, quàm laici, vt per eas se christianos, & communione Ecclesiæ participes ostenderent, & vt liceret cum aliis fidelibus in Ecclesia, & officiis ecclesiasticis communicare, à qua communionis participatione communicatoriæ ipsæ litteræ dicebantur.Concil. Carthag. 1. *can.* 7. Agath. *can.* 52. Illiber. *can.* 25. cuius verba relata *in cap. omnis qui*, 98. *dist.* exponit Hurtado *de martyrio,resol.* 34. *sect.* 4. Per communicatorias ergo litteras peregrini consequebantur ius communionis cum aliis fidelibus. Concilium Arelat. 1. *can.* 9. aliàs qui eas non deferebant, tantùm ad victum pietatis causâ admittebantur; à precibus verò ecclesiasticis, & sacramentorum communione arcebantur, vt docet Baronius *anno* 400. & 407. Inde clerici primis Ecclesiæ temporibus ob aliqua scelera damnati priuabantur Ecclesiæ communione, illis tantùm communione peregrinâ concessâ, id est eo modo, quo tribuebatur peregrinis sine communicatoriis litteris peregrinantibus. Concilium Agath. *can.*5. Illerdense *can.* 16. Regiense *can.* 3. *cap. contumaces*, 40. *dist.* Quomodo peregrinam communionem in illis, & aliis iuris locis accipiunt Spondanus *in d. anno* 400. *Baronij, num.*11. Albaspineus *lib.*1. *obseru. cap.*3. *per totum*, licèt Cellotius *de hierarch. lib.* 6. *cap.* 16. §. 2. Vasquez 3. *p. in* 3. *disput.* 217. *num.* 36. Gibalinus *de censuris pag.*32. P. Gabriel de Henao *tom.* 3. *de sacrificio Missæ*, aliter accipiant communionem peregrinam.

7. De litteris dimissoriis.

Sequuntur litteræ dimissoriæ, quæ clericis duplici ex causa dabantur. Primâ vt possint licitè & impunè ab alieno Episcopo ordinari, de quibus *in cap. significasti, de officio Archidiaconi.* Secunda, vt clerici peregrini iam ordinati à propriis Episcopis, in alienis diœcesibus celebrare possent. Balsamon *in can.*15. *Apost.* ibi: *Nota quod non solùm commendatitiis litteris clerico opus est volenti in aliena diœcesi agere, & quæ sunt clerici exercere; sed etiam dimissoriis litteris Episcopi, qui eum fecit clericum; nisi enim huiusmodi litteras ostendat, prohibetur ab operatione.* Et *in can.*108. *Synodi Carthag.* ibi: *Nota, quod qui sine commendatitiis, & dimissoriis litteris in aliena regione sacrificant, erunt excommunicati, id est, prohibebuntur celebrare.* Ferrarius *vbi suprà, lib.* 1. *cap.* 8. Etiam prædictas litteras accipiebant, qui in alienæ Ecclesiæ catalogum referri, alterique Clero connumerari cupiebant. Synodus sexta in Trullo, *can.* 17. vbi ita aiunt Patres: Quoniam diuersarum Ecclesiarum Clerici à propriis, in quibus sunt ordinati, Ecclesiis, ad alios Episcopos se contulerunt, & sine proprij Episcopi sententia in alienis Ecclesiis constituti sunt, statuimus, vt à mense Ianuario præteritæ indictionis nullus omninò clericus, in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprij Episcopi scripta dimissoria, in alienæ Ecclesiæ catalogum referri, vbi notauit Balsamon. Etiam Episcopis longiùs peregrinantibus dimissoriæ litteræ à Primate dabantur, *can.* 28. *Synodi Carthag.* 3. vbi notauit Zonaras, & Ferrarius *vbi suprà, lib.*1. *cap.*8. *in fine.*

8. De litteris commendatitiis.

Sed iam ad litteras commendatitias peruenimus, de quibus *in hoc cap. tua*, agitur. Illæ enim tam clericis, quàm laicis tribuebantur, licèt diuersis ex causis; clericis enim ad eorum ordinationem comprobandam, vt sic possent vbique Missas celebrare. Matthæus Blastares *in can.*33. *Apost.* vbi ait: *Commendatoriæ quædam sunt, quæ clericis ad alteram ciuitatem transeuntibus dantur ab Episcopis, qui ipsos elegerunt, notificantes ipsorum sacerdotij gradum.* Passim notauit Balsamon *in can.* 11. *Synodi Chalced.* & *in can.* 33. *Apostol.* & *in can.*17. *sextæ Synodi:* Ferrarius *vbi suprà, lib.*1.*cap.*9. Dabantur etiam laicis litteræ istæ, vt illis muniti, & commendati,vbique à Catholicis benigno susciperentur hospitio. D. Clemens, siue qui auctor est constitutionum Apostolicarum, *lib.*2. *cap.* 58. ibi: *Si aliquis frater, aut soror aduenerit, qui commendatitias afferant, accedat Diaconus, & inquirat an fideles sint, an ecclesiastici, an hæresi quapiam contaminati.* Nazianzenus *orat.*1. *in Iulianum*, ibi: *Simulque humanitatem, atque benignitatem erga pauperes adiungere, tum in aliis rebus, tum in commendatitiis epistolis sitam, quibus eos, qui inopiâ premuntur, ex gente ad gentem transmittimus.* Ex Sozomeno, Nicephoro & aliis probat Ferrarius *d. lib.* 1. *cap.*9. Laicis etiam peregrinis ignotis, & alicuius criminis suspectis dabantur litteræ commendatitiæ, vt omnibus innotesceret, eos aut iniustè accusatos, aut pœnis iam solutis fuisse absolutos. De his D. Paulus *epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 3. ait: *Numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?* Vbi Theophylactus hæc verba subiungit: *Num igitur dicat aliquis, quod oporteat nos epistolas commendatitias adferre ad vos, vt per ipsas vobis manifestemur; aut rursum ex vobis ad alios.* Concil. Chalced. *can.*11. cuius verba, & interpretationem infrà dabimus.

9. De litteris pacificis.

Tandem pacificæ litteræ sunt, quæ dabantur confugientibus ad Ecclesiam,siue clericis, siue laicis, etiam seruis, pro quibus Episcopi intercedebant, vt illis miseris personis pax daretur.

D.Athanasius

D. Athanasius *epist. ad solitariam vitam agentes*, ibi: *Erat in Ecclesia profunda, & admirabilis pax, inuicem vndecumque Athanasio scribentibus, iisdemque ab Athanasio pacis & tranquillitatis litteras accipientibus.* Matthæus Blastares *ad can.* 33. *Apost.* ibi: *Pacificæ litteræ dictæ fuerunt, quòd tales litteras clerico præferente, ad quem vadit, fieri non liceat; vt infringantur vincula, quæ ad pacem diuinæ charitatis coniungunt.* De eis in Concilio Chalced. *can.* 11. ita legitur: *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, & epistolis, seu pacificis ecclesiasticis viam ingredi statuimus.* Quem ita interpretatur Zonaras ibi: *Qui igitur quoquo modo præsidio indigebant, iis litteræ ab Episcopis tradebantur, opem, auxiliumque afferentes: & pacificæ vocabantur, quasi pacem conciliantes iis, qui ob Principum iracundiam, vel potentiorum libidinem iniquo iudicio damnabantur.* Prosequitur alia Ferrarius *d. lib.* 1. *cap.* 10. licèt aliter eas litteras accipiat Ferrarius *pro epist. Pontif. lib.* 3. *cap.* 4.

10. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

His ita suppositis, & animaduersis pro plena litterarum cognitione, ratio suprà dictæ conclusionis ex eo prouenit; nam cùm communicatione fidelium vniuersæ compaginentur Ecclesiæ, & ad hanc communionem necessarium sit, ne hæresi, vel apostasiâ ab Ecclesia segregati, à catholicis catholicos eos esse credentibus, in communionem recipiantur, aut ne laici, & profani homines se initiatos sacris ordinibus mentientes, in Ecclesia celebrarent, statutum fuit, ne sine illis litteris peregrini ad communicandum, & celebrandum in Ecclesia admitterentur; erant enim huiusmodi litteræ veluti argumenta, & tesseræ sinceræ fidei, vt Optatus ait *lib.* 2. *contra Parmen.* ibi: *Cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat.* Et quia hoc genus litterarum à Patribus inuentum fuit, ne fraus in Ecclesia daretur, vt ait Baronius *anno* 325. *num.* 166. ideò litteræ, quæ peregrinis transmarinis dantur, debent quinque Episcoporum sigillis signari, & muniri; si verò intra prouinciam peregrinantibus concedebantur, tantùm proprium Episcopi sigillum desiderabatur, & secretò, si nullum scandalum oriri poterat, si aliter constasset de ordinatione, sacris initiari ministrare poterant.

11. DE TRIBVENTIBVS PRÆDICTAS LITTERAS.

Suprà relatas autem litteras non omnes peregrinantibus dare poterant, sed illi tantùm, quibus à sacris canonibus concessum erat; si enim Episcopi peregrè extra propriam prouinciam proficiscebantur, Primas illius prouinciæ litteras tribuebat, *can.* 26. *Synodi Carthag.* ibi: *Episcopi trans mare non peregrinentur, nisi cum decreto primæ Cathedræ proprij vniuscuiusque regionis Episcopi, hoc est, nisi ab ipso Primate acceperint eam, quæ dicitur dimissoria formata.* Notarunt Balsamon *in eo canone* 26. *Concilij Carthag.* Morinus *lib.* 1. *exercit. cap.* 24. Phocius *in Nomocan. tit. de parochiis, cap.* 2. immò aliquando ipsi Principes sæculares litteras exarabant, & proficiscendi licentiam concedebant. Gregorius Magnus *lib.* 1. *indict.* 9. *epist.* 16. ibi: *Pro qua re imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi, & Serenissimi rerum Domini iussionem ad B. Petri Apostoli limina cum iis sequacibus venire te volumus.* Nicolaus I. *epist.* 33. quem refert Bosquetus *vbi suprà*, *pag.* 103. Ne enim ex huiusmodi peregrinationibus proditioni prouinciarum locus esset, hoc in Anglia obseruatum fuisse refert Bosquetus *ad Innocent. III. lib.* 2. *epist.* 8. Si autem clerici, aut laici profecturi erant, Episcopi proprij litteras concedebant. Concilium Meliuit. 2. sub Innocentio I. *can.* 20. *Placuit, vt quicumque Clericus propter necessitatem suam alicubi ad Comitatum ire voluerit, formatam ab Episcopo suo accipiat. cap. extraneo* 71. *cap. non oportet, de consecrat. dist.* 5. Circa Chorepiscopos autem, de quibus agemus *in cap.* 1. *de priuileg.* diuersum ius pro varietate temporum obseruatum legimus. Primis enim Ecclesiæ temporibus eas dare poterant. Concilium Antioch. *can.* 2. aliàs 8. ibi: *Presbyteri, qui sunt in agris, & canonicas epistolas dare possunt, ad solos tantùm vicinos Episcopos litteras destinabunt. Chorepiscopi autem, qui sunt irreprehensibiles, dare possunt pacificas generales epistolas.* Hæc tamen facultas postea illis adempta fuit, *cap. quamvis*, ibi: *Nec formatas epistolas cuicumque mittere*, 68. *dist.* Concilium Hispal. 2. *can.* 7. vbi notarunt Loaysa, Mendoza *d. lib.* 2. *Concil. Illiberit. can.* 50. Basilius *d. q.* 2. licèt ea iura aliter componat Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 7. *in fine, pag.* 271. Inferiores verò Prælati, etiam Abbates monasterij, vel martyriis præpositi, litteras commendatitias dare nequibant. Concil. Aurel. 2. *can.* 7. & 13. ibi: *Abbates martyrarij, vel recusi, & Presbyteri epistolas dare non præsumant.* Concilium Turon. 2. *can.* 6. *Vt nullus clericorum, vel laicorum epistolia facere præsumat.*

12. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Neque obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt ordinatus in vna diœcesi, quoad omnes ordinatus sit; tamen quia de eius ordinatione non constat, ideò debet afferre secum litteras commendatitias Episcopi sigillo signatas, ne aliàs ignotus in aliena diœcesi non ordinatus celebrare audeat. Neque augmentum primum ipsius difficultatis aduersatur; discrimen enim constituendum est inter proficiscentes intra regionem propriam, aut vltra mare. Primo casu sufficit sigillum proprium Episcopi; secundo verò requiritur, vt litteræ commendatitiæ signatæ sint quinque Episcoporum sigillis, propter loci distantiam, & falsitatis suspicionem: vnde etiam in praxi obtinuit, vt in instrumentis vltramarinis vltra proprij notarij sigillum aliorum etiam subscriptiones apponantur, quibus constet, notarium conficientem instrumentum, verè tabellionem esse. Neque secundum augmentum aduersatur; nam potiùs certum est, iuramentum non esse probationis speciem, vt ex capite *inter quatuor*, *cap. tuæ*, *hoc tit.* resoluunt Primarij Academiæ nostræ *in rubrica de probat.* vbi & nos latiùs dicemus. Quare etsi iuramento affirmet clericus peregrinus se ordinatum esse in aliena diœcesi; tamen nisi afferat litteras commendatitias, quibus de ipsius ordinatione constet, admittendus non est ad celebrandum.

13. INTELLIGITVR TEXTVS IN CAP. 11. CONCILII CHALCED.

Sed superiori assertioni obstat textus *in can.* 11. *Concilij Chalced.* in illis verbis: *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, cum epistolis, seu pacificis ecclesiasticis solis viam ingredi statuimus, & non cum commendatitiis; quoniam litteras commendatitias his solis personis, quæ sunt suspectæ, præberi oportet.* Ex quibus verbis deducitur, commendatitias litteras illis peregrinis tantùm concedi, qui suspecti erant in fide: ergo qui honesti, & non suspecti de aliquo crimine reperiuntur, commendatitiis non egent, & absque eis in aliena diœcesi admitti valent. Pro huius difficultatis solutione, & vt veram eius textus interpretationem assequamur, eius vera lectio restituenda est; in ea enim nec Latini, neque Græci scriptores conueniunt. Antiqui τυὶς ἐστιν ἐν πολλ.

ita

ita interpretantur: *Personis honoratioribus.* Vnde *tom.3. Conciliorum*, ille canon ita summatur: *Commendatitias litteras honoratioribus tantummodò personis præstare conuenit.* Hanc antiquam versionem amplectuntur Burchardus *lib.2. Decreti, cap.* 143. Carnot. 6. *p. Decreti, cap.* 216. Neoterici autem Græci ita ea verba vertunt: *Personis suspectis.* Ita Dionysius Exiguus, & Gentianus Herbertus: quâ lectione retentâ ex ea deducit Blastares *ad can.*33. *Apost.* quod commendatoriæ epistolæ sunt, quæ clericis ad alteram ciuitatem transeuntibus dantur ab Episcopis, qui ipsos elegerunt, commendantes, siue notificantes vel ipsorum sacerdotij gradum, vel quod sanam fidem colunt; aut accusatione contra ipsos ortâ, vel calumniâ, quæ frustra redarguta fuerit, integritatem aduersâ sententiâ testificantes, & quod innocentes existunt. Zonaras *in ipsum can.*11. Etiam accipiunt commendatitias, qui vocati in iudicio, se à culpa immunes ostenderint, quibus, & ei, ad quem missi sunt, commendantur. Hac igitur litterâ retentâ Herberti, Balsamonis, & Zonaræ, dicendum est, in eo textu non agi de illis commendatitiis litteris, quæ dabãtur clericis tantùm, vt possent vbique celebrare; sed de illis litteris commendatitiis datis ignotis, & de crimine suspectis, vt omnibus innotescerer, eos iniustè accusatos esse, aut iam pœnam luisse. D. Paulus, Theophylactus, & alij suprà relati. Vnde rectè aiunt Patres Concilij Chalced. pauperibus pacificas tantùm litteras dari oportere; commendatitias autem illis, qui suspecti erant de aliquo crimine. Ita interpretatur canonem illum Ferrarius *vbi suprà*, *lib.1.cap.9. pag.*73. licèt alio modo eum accipiant Albaspineus *in notis ad ipsum canon.* Bosquetus *ad Innocentium III. lib.3. epist.* 50. Cellotius *de Eccles. Hierarch.cap.*16.§.2.*pag.*486.

14. EXPONITVR CAP. EXTRANEO, 71. DIST.

Secundò aduersatur præsenti assertioni textus *in can.*13. *Concil. Chalced.* relatus *in c. extraneo*, 71. *dist.* in illis verbis: *Extraneo clerico, & lectori extra diœcesim suam sine commendatitiis litteris proprij Episcopi nusquam penitus liceat ministrare.* Ex quibus deducitur, psalmistis, & ostiariis peregrinis permitti sine litteris commendatitiis ministrare in suis gradibus; siquidem tantùm clericis, & lectoribus ibi prohibetur sine literis commendatitiis ministrare. Huic difficultati vt satisfaciat Cuiacius *in nouella* 3. *Iustin.* & *in cap.* 5. *de clericis non resid.* reprehendit Gratianum, quia *in d. cap. extraneo*, legit: *Clerico, & lectori*; cùm legendum esset, *clerico ignoto.* Facit pro hac sententia Zonaras, qui in ipso textu Græco legit *Agnostotes*, id est, ignotos; non verò, *Anagnostas*; id est, lectores. Quam etiam literam retinet Iustelus *in notis ad canones Ecclesiæ vniuersalis*, *pag.* 183. & 231. vnde ait Cuiacius, textum *in d. cap. extraneo*, indistinctè accipiendum esse de omnibus clericis ignotis, seu extraneis non admittendis sine litteris commendatitiis. Sed adhuc retentâ Gratiani lectione responderi potest, speciali ratione Patres mentionem fecisse lectoris, & non alterius gradus; quia videlicet illis temporibus ambigebatur, vtrum lectores clerici essent, ad hoc vt formatis litteris egerent ad ministrandum in suo gradu, vt colligitur *ex lib. 6. epist. Sidonij*, *epist.*8. ibi: *Et quia nomen eiusdem lectoris nuper albus accepit, agnoscetis profecturo ciui me epistolam clerico debuisse formatam.* Et *lib. 7. epist. 2. Nam dum solùm mercatoris prætendit officium, litteras meas ad formatæ vicem, scilicet vt lector, elicuit.* Vnde vt demonstrarent Patres, lectores vt alios clericos debere commendatitias deferre, expressè meminerunt *lectoris*, non verò alterius gradus. Præsensit Balsamon *in can. 6. eiusdem Synodi*, ibi: *Quoniam autem dicunt nonnulli, canonem accipi de solis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, non autem de lectoribus, eo quod per manus impositionem non ordinentur, & ideò posse eos ex vrbe in vrbem transire, etiam sine Episcopali scriptura dimissoria, & commendatitia; dicimus etiam lectores esse clericos, & habere Antistitis manus impositionem, eam scilicet, quæ per Antistitis manus fit.* Eum sequuntur Sauarus *in notis ad Sidonium*, *d. epist.* 8. Cironius *ad titulum de clericis non resid.* Quare non rectè ex eo textu deducitur, psalmistis, & ostiariis licere sine litteris commendatitiis peregrè proficisci, cùm etiam laicis id prohibitum reperiatur *in cap. non oportet*, *de consecrat. dist.* 5.

15. INTELLIGITVR CAP. 20. CONCILII ARELAT.

Tertiò aduersatur textus *in can.* 20. *Concilij Arelat.* 1. in illis verbis: *Vt peregrino Episcopo locus sacrificandi detur.* Ex quibus manifestè depromitur, peregrinis absque vllis litteris commendatitiis licere in aliena Ecclesia sacrificium offerre: igitur non rectè asserimus, absque litteris commendatitiis non posse celebrare. Pro huius difficilis canonis expositione sciendum est, olim Episcopo etiam peregrinanti cum litteris commendatitiis non licuisse in aliena Ecclesia celebrare, etiamsi ab alieno populo accersitus esset, *can.* 13. *Concily. Neocæsar.* nisi priuilegio id illi concessum esset, vt aliquibus indultum fuisse refert Cironius *in præsenti*; vel nisi ex magna causa, ad maius bonum, & lucrum illius plebis; & tunc ex multorum Episcoporum iudicio, *can.* 14. *Apost.* quare vt licitè celebrarent, & prædicarent, inuitabantur ab Episcopis illius Ecclesiæ, vbi vt peregrini accedebant. D. Clemens *lib. 2. constit. cap.* 58. ibi: *Rogabis eum Episcope, vt sermonem habeat ad populum docendi causâ; deinde committes ei, vt offerat Eucharistiam.* Quam consuetudinem variis exemplis, & historiis illustrant Baronius *anno* 46. vbi Spondanus *num.* 4. Corjolanus *in Breuiario*, *anno* 47. Tandem in Concilio Carthag. 4. *can.*33. relato *in cap. Episcopi* 7. *q.* 1. statutum fuit, vt Episcopi, & clerici peregrini ad sacrificandum inuitarentur: quam Ecclesiæ consuetudinem cùm agnoscerent Patres Concilij Arelat. *in dict. cap.*20. statuerunt, vt Episcopo peregrino locus sacrificandi daretur; non tamen inde deducitur, ignotis peregrinis absque litteris commendatitiis licitum esse in aliena diœcesi celebrare.

16. EXPONITVR CAN. 56. CONCILII BRACHAR.

Quartò opponitur textus *in can.* 56. *Concilij Brachar.* 2. in illis verbis: *Forasticis Presbyteris præsente Episcopo, vel Presbytero ciuitatis offerre non liceat, neque ministrare in populo, nisi illis absentibus.* Ex quibus deducitur, absentibus Episcopo & Presbytero, clericis exteris, & peregrinis licere absque vllis litteris commendatitiis in aliena Ecclesia ministrare: forastici enim accipiuntur pro exteris in eodem canone, vt *in can.* 37. eiusdem Concilij, vbi notauit Loaysa. Pro huius canonis vera expositione sciendum est, vltra Archipresbyterum Vrbanum, qui olim in vrbe superior erat omnibus Presbyteris, fuisse etiam antiquitus in minoribus oppidis alios Presbyteros constitutos, qui in minoribus titulis, id est Ecclesiis eorum locorum ministrarent, de quibus agitur *in cap. finali*, 95. *dist. cap. finali*, *de officio Archipresb.* notarunt Bosquetus *ad Innocent. III. in lib.*1.

lib. 1. *epist.* 136. Balsamon *in notis ad can.* 13. *Concilij Neocæsar.* Morinus *lib.* 1. *exercit. cap.* 11. illi autem in vrbe diuina officia celebrare non poterant, ne confunderetur disciplina ecclesiastica, & contemnerentur Episcopus, & Presbyter vrbanus, qui poterant solenniter in Ecclesiis vrbanis celebrare, vt docet Balsamon *vbi suprà.* Vnde *in d. can.* 56. statuitur, vt præsentibus Episcopo & Presbytero ciuitatis, forastici Presbyteri, id est regionarij, qui præpositi erant ad sacramenta administranda in minoribus oppidis, intra vrbem non possint solenniter diuina officia celebrare, ne confunderetur ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, aut disciplinæ. Illis verò absentibus, quia nulla confusio oriebatur, Missam celebrare poterant. Nulla autem litterarum formatarum mentio fit in eo canone, quia Presbyteri illi non erant peregrini, nec alienæ diœcesis; sed ipsius Episcopatus, & ab Episcopo ciuitatis sacris ordinibus initiati, in illisque oppidis præfecti, ac præpositi; vnde non egebant prædictis litteris formatis.

CAPVT IV.

Honorius III. *Episcopo* [a] *Regino.*

TE nobis proponente didicimus, quod quidam Prælati tuæ iurisdictionis, in Ecclesiis sibi [b] commissis sine conscientia, & consensu tuo clericos de alienis Episcopatibus [c] instituere non verentur. Attendentes igitur id eis nullâ ratione licere, cùm sit honestati contrarium, & à sanctorum Patrum institutionibus alienum, ad exemplar felicis record. [d] Alex. Papæ prædecessoris nostri, auctoritate tibi Ap. indulgemus, vt si qui clerici de [e] alienis Episcopatibus in Ecclesiis tuæ iurisdictionis, sine conscientia, & assensu tuo sunt, vel fuerint in posterum instituti, tibi liceat eos ex auctoritate nostra app. postp. remouere, nisi aliquos ex his ex dispensatione in eisdem Ecclesiis duxeris retinendos.

NOTÆ.

1. a *Regino.*] Ita legendum est, non *Regienſi*, vt vulgò legitur; nam Regiensis Ecclesia est Archiepiscopalis, vt probabimus *in cap.* 22. *de officio delegati.* Regium Lepidi est antiqua ciuitas Æmiliæ, ita dicta, vt à Regio Galliæ secerneretur. Eius meminerunt Plinius, Festus, Marcellinus, & alij relati ab Vghellio *in hist. huius Ecclesiæ, tom.* 2. *Italiæ sacræ.* Iam ab anno 60. orbis reparati Episcopalem Ecclesiam habet Deiparæ Virgini Mariæ dicatam. Primis suis temporibus Mediolan. parebat Archiepiscopo, postea Rauennatensi, tandem temporibus Gregorij XIII. Bononiensis Ecclesiæ suffraganea facta est. Huius ergo Ecclesiæ Præsuli Nicolao dicto, qui eam rexit vsque ad annum 1244. missa est hæc decisio, quæ reperitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. vnico.*

2. b *In Ecclesiis sibi commissis.*] Sunt enim in ipsa diœcesi Reginensi plures Ecclesiæ non ignobilium oppidorum, quæ per Archipresbyteros gubernantur, vt Ecclesia de Thoano, de Moncillena, de Prato, & similes, quarum Prælati ab Episcopo eliguntur, & præponuntur, de quibus, & aliis Plebanis, & Archidiaconis ipsius Ecclesiæ in præsenti agitur.

3. c *Instituere.*] Institutionis verbum generale est, & aliquando significat ordinationem, *cap. nullus, cum sequenti*, 60. *dist.* interdum inuestituram, seu missionem in possessionem præbendæ, *cap. ad hæc, cap. vt nostrum, de officio Archidiac.* plerumque electionem, seu collationem præbendæ, aut beneficij, *cap. cùm venisset, de institutionibus, cap. cùm ex iniuncto, de hæreticis:* qua in significatione hîc accipitur, vt docet Cironius *in notis ad hunc textum.*

d *Alexandri.*] Tertij videlicet, de quo egi *in cap.* 1. *hoc tit.*

e *Alienis.*] Alieni dicuntur, qui non sunt ex propria diœcesi, *cap.* 1. *dist.* 71. *can.* 21. Concilij Illiberit. ibi: *Ex aliena Cathedra.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO PROBATVR.

COmmuniter ex hoc textu sequens deducitur assertio: *Peregrini & alienigenæ, inscio Episcopo in alienis Episcopatibus ad beneficia admitti non debent.* Eam probant textus *in cap. in nomine Domini*, 23. *dist. cap. obitum*, 61. *dist. cap.* 1. *& per totam* 72. *dist. cap. Afros*, 98. *dist. cap. oportebat, cap. nullus*, 79. *dist. cap. quàm sit*, 18. *q.* 2. *cap. neminem*, 70. *dist. cap. bonæ, el* 2. *de postulat. Prælat. cap. constitutis* 46. *de appellat. cap. quoniam, de officio Ordin. cap. fundamenta*, §. *dignè, de elect. lib.* 6. Cœlestinus Papa I. *epist.* 4. *ad Galliæ Episcopos*, ibi: *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitate ipsius clerici, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod euenire non credimus, poterit reperiri.* Et statim: *Nec emeritis in suis Ecclesiis clericis peregrini, & extranei, & qui antè ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene de suorum ciuium merentur testimonium, præponantur.* Leo I. *epist.* 88. *&* 100. Concilium Valentinum 3. celebratum anno 855. *can.* 7. ibi: *Vt in clero, aut in diœcesi certè ipsa, vel si opus sit, in vicinia ipsius, probata persona quæratur, & eligatur.* Iulius Pontifex *in Apolog.* 2. *pro Athanasio*, vbi reprobat Gregorij Cappadocis electionem in Episcopum Alexandrinum, quòd nec Alexandriæ baptizatus, neque cognitus esset. Refert Baronius *anno* 141. *tom.* 5. *pag.* 517. Consonant de iure patrio textus *in l.* 15. *tit.* 13. *partit.* 1. *l.* 18. *tit.* 3. *l.* 8. *l.* 22. *tit.* 2. *lib.* 1. *ordinament. l.* 14. 18. *&* 25. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.* Illustrant Azor *tom.* 2. *instit. lib.* 6. *cap.* 4. *q.* 20. Mastrillus *de Magistrat. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 30. Selua *de benef. p.* 3. *q.* 26. Corrasius *eod. tract.* 3. *p. cap.* 5. *num.* 12. Petrus Gregorius *eod. tract. cap.* 87. *num.* 17. *& lib.* 47. *syntagm. cap.* 10. *num.* 13. Cenedus *q.* 8. Gregorius Lopez, Didacus Perez, & Azeuedo *in dictis legibus Regni*, plures laudati à Thoma Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *consil. cap.* 1. *dub.* 8.

dub. 8. Salgado *de supplicat. ad Sanctiſſimum, p.* 1. *cap.*4. *num.*28. & *de Regia protect.*1.*p. cap.*1.*num.*2. Solorzano *tom.*2. *de Iure Indiar.lib.*2. *cap.*19. *n.*25. & *lib.*4.*cap.*4.*num.*50. Valenzuela *conſil.*34.& 105. Salcedo *de lege polit. lib.*2. *cap.* 15. Acuña *in cap. nullus,*72. *diſt.* Boſquetus *ad Innocent.lib.*2.*epiſt.*13. Idumay *lib.* 13. *ad ipſum, epiſt.* 18. Oſualdus *ad Donellum lib.*18.*cap.*2. *littera L.* Schifordeg. *tom.*2. *ad Anton. Fabrum, tract.vlt.* Seſſe *tom.*2.*deciſ.*167. Boſſius *tom.* 2. *moral. tit.*7. §.2. Arellanus *lib.*3. *antinom.* 3. Nauarrete *diſcurſu* 17. Betancurs *in ſuo diſcurſu polit.* Valenſis *de benefic.lib.*1.*tit.*25. Prado *tom.*2. *Theol. mor.cap.*19.*q.*6. §.4. Barboſa *voto* 33. *per totum*, Petrus Marcha *lib.* 4. *concord. Sacerd. & Imperij, cap.* 9. & *lib.* 8. *cap.* 13. Alteſſerra *lib.* 5. *diſſert. cap.*19.

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed pro dubitandi ratione aduersùs præſentem aſſertionem inſurgi poteſt ſequenti conſideratione. Apud Deum, & in eius Eccleſia non eſt acceptio perſonarum habenda, *cap... Deuteron.* Apoſtolus *ad Rom.cap.*2.*cap. venerabile, de præb.* quia in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptus eſt Deo, nec Sanctuarium Dei conuenit iure hæreditario poſſideri, vt ait D. Iacobus *epiſt. canonic. cap.* 2. dum enim litterati, & bonis moribus imbuti, eccleſiaſticiſque officiis apti ſint, debent ad dignitates,& beneficia eccleſiaſtica admitti,etiamſi alienigenæ, & peregrini ſint; nam vt Dominus apud Pſalmiſtam ait pſalmo 88. *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Igitur etſi peregrini eſſent in ſpecie huius textus inſtituiti in Eccleſiis Reginenſibus, non debebant ideò remoueri. Accedit, nam rectæ politicæ gubernationi expedit potiùs alienigenas, quàm proprios incolas, & ciues admitti ad dignitates, & officia publica, ex ratione quam reddit IC. Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.*12. his verbis: *In ea prouincia, vbi quis originem ducit, officium fiſcale adminiſtrare prohibetur, ne aut gratioſus, aut calumnioſus apud ſuos eſſe videatur.* Vnde apud Romanos lege cautum fuit, ne quis in propria prouincia publica officia obtineret, *l. nullis, C. de officiis Rector. prouinc. l. nullus, C. de diuerſ. officiis, lib.*11. *l.*4. *C. Theodoſ. de executor. & exactoribus.* Quod primùm conſtitutum fuit ab Antonino, vt tradit Xiphilinus: poſteà ab Anaſtaſio conſtitutione Græcâ, quæ deſideratur ſub rubrica Codicis, *Vt nulli patriæ ſuæ adminiſtratio permittatur:* & à Grataino, Valente, & Theodoſio *in l. finali, Cod. de crim. ſacrileg.* niſi ex Imperatoris liberalitate, *dict. l. finali.* Notauit Gothofredus *in l.* 3. *ff. de officio Aſſeſſorum.* Et apud nos nemo in propria ciuitate Magiſtratum obtinere valet, *l.* 4. *tit.* 3. *lib.* 3. *Recopil.* latè probant Bobadilla *lib.* 1. *polit. cap.*12.*num.*25. D. Ioannes à Solorzano *lib.* 4. *de iure Indiar. cap.*4. *num.* 48. ex politicis Nauarrete, & Betancurs *vbi ſuprà*, Scipio Amiratus *in diſſert. ad Tacitum, lib.* 11. *cap.* 6. Forſterus *ad ipſum,pag.*131. Adrianus Iunius *tom.*1. *polit. q.* 5. igitur non rectè in præſenti ſtatuitur, alienigenas, extraneoſque non eſſe inſtituendos in beneficiis eccleſiaſticis.

4. ORIGO PRÆSENTIS PROHIBITIONIS.

Quâ difficultate non obſtante vera eſt præſens aſſertio, omnique iuri, & rationi conſona. Pro cuius expoſitione ſciendum eſt, omiſsâ illâ à politicis ſatis vexatâ quæſtione, vtrum exteris, & aduenis Imperia,Regna, publicaque gubernacula ſint committenda? quam latè examinant Politici, Scipio Amiratus, Forſterus, & Iunius *vbi proximè*, Scombornerius *lib.*2. *polit. cap.*5. Bernegerus *ad Tacitum,q.* 159. & 160. Adam Contzen. *lib.*9.*polit.cap.*8. Petrus Greg. *lib.*4. *de repub. cap.*5. *num.* 22. Stephanus Garonius *de Senatorib. lib.* 1. *tit.*4. *cap.* 2. vt ad dignitates, & beneficia eccleſiaſtica noſtri commentarij contrahamus vela, iam à temporibus Cœleſtini I. *in dict.cap.*2. relato *in cap. nullus*, 61. *diſt.* conſtitutum eſt, ne peregrini clerici, & extranei propriis ciuibus præponerentur, quod & firmarunt alij Eccleſiæ Præſules *in d.cap. hortamur*, & aliis iuribus ſuprà citatis. Expreſſiùs Innocentius III. *in cap. bonæ* 4. *de poſtulat. Prælat.* in illis verbis: *Quia verò de perſonis illius regni plenam notitiam non habebamus, ideoque non poteramus ſaluâ conſcientiâ noſtrâ eidem Eccleſiæ in alia perſona, quæ de Regno Vngariæ originem duceret, congruè prouidere, nec vellemus ei præficere alienum.* Sed quia adhuc exteri, & alienigenæ,diſpenſante Epiſcopo, id eſt doctrinam & mores eorum approbante, ad dignitates, & beneficia eccleſiaſtica admittebantur, vt liquet ex canonibus 71. diſtinctionis, cùm tantùm ex honeſtate, & congruentia prohibitum eſſet peregrinos, & exteros in beneficiis eccleſiaſticis indigenis & oriundis præferri; ideò ſingulæ nationes curarunt ſpeciali lege ſibi cauere, & à Sede Apoſt. priuilegium impetrare, vt tantùm oriundi ex ea natione ad beneficia eccleſiaſtica admitterentur.

5. DE PROGRESSV APVD VARIAS GENTES.

Primò in Hiſpania noſtra Henricus IV. Caſtellæ Rex, iam expulſis Saracenis à maiori eius ditionis parte, Sixto I V. Pontifici propoſuit, vt tantùm naturales, originariique poſſint in ſuis Regnis ad beneficia eccleſiaſtica admitti. Cui petitioni R. Pontifex annuens, & antiquorum veſtigiis inhærens, conſtituit, ne in regnis Caſtellæ exteri, alienigenæque; ſed tantùm Regnicolæ in beneficiis eccleſiaſticis inſtituerentur, vt conſtat *ex l.* 18. *&* 19. *tit.*3. *lib.*2. *ordin. l.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.* Referunt Mariana *lib.* 14. *de rebus Hiſpaniæ, cap.* 16. Sanchez *d. lib.*2. *cap.*1. *dub.* 8. Ceuallos *commun. opin. q.* 897. *num.* 347. Salgado *dict. cap.* 4. *num.* 26. Poſteà idem ſuis legibus roborarunt Catholici Reges anno 1473. & anno 1523. & ſuâ pragmaticâ inuictiſſimus Carolus V. tandemque idem ſtatuit vigilantiſſimus Philippus II. anno 1560. vt conſtat *ex l.* 14. 16. *&* 17. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.* Quando autem dicatur quis regnicola, & quomodo naturalitas conſequatur, aut Principis priuilegio, aut diuturnâ habitatione, diſputant Valenzuela *vbi ſuprà*, Solorzanus *dict. cap.*29. *num.* 43. D. Franciſcus de Amaya *in l. ciues* 8. *num.* 33. *Cod. de incolis,lib.*10. Carleual *de iudiciis tom.*1. *q.*2. *diſput.*2. *num.* 68. Gutierrez *conſil.*7. *num.*7. Mieres *de maiorat.* 1. *p. quæſt.* 51. *num.* 86. Auendaño *de exequend. mandatis lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. Azeuedo *in l.* 19. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil.* Garcia *de beneficiis* 7. *p. cap.*9. *num.*31. Narbona *in l.* 20. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopil. gloſſa* 6. *num.* 159. Carranza *de partu, cap.*4. *ex num.*52. Hoc idem obſeruari in Siciliæ prouinciis refert Abbas D. Rochus Pirro *tom.*1. *Siciliæ ſacræ, in Eccleſia Meſſanenſi, anno* 1418. In Anglia idem olim obſeruatum fuiſſe, conſtat ex eleganti epiſtola Eduardi III. Regis Angl. ad Clement. VI. quam refert Alteſſerra *ad tit. de poſtul. Prælat.* In Gallia idem obſeruari, teſtis eſt Matthæus Pariſ. *anno Chriſti* 1245. vbi de Innocentio I V. ait: *Eodem tempore, cùm vellet Dominus Papa quibuſdam præbendis Eccleſiæ Lugdunenſis*

Lugdunenſis vacantibus quoſdam alienigenas conſanguineos, vel affines ſuos, inconſulto Capitulo introducere, reſtiterunt ei in facie Canonici Lugdunenſes, comminantes, & cum iuramento obteſtantes, quod ſi tales apud Lugdunum apparerent, non poſſent eos vel Archiepiſcopus, vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur. Quam Galliæ praxim probant Dadinus Alteſſerra *de Ducibus lib. 2. cap. 7.* Rebuffus *in praxi, tit. de idiomate, gloſſa* 1. Bodinus *lib. 1. de repub. cap. 6. num. 61.* Chopinus *lib. 3. de Domanio Franciæ.* In Vngaria *dict. cap. bonæ* 4. In Bœmia, & Polonia idem refert Schifordeg. *tract. vlt. quæſt. 4.* In Regno Aragoniæ Calixtus Ramirez *de legibus Regiis*, §. 26. *num. 64.* In Luſitania Cabedo *de patronatu Regio cap. 27.* Pereyra *de manu Regia tomo 2. cap. 64. numer. 30.* Acuña *in cap. neminem*, 70. *diſt. num. 9.* In Regno Valentiæ Seſſe *tom. 2. deciſ. 167.* Apud Neapolitanos, Maſſillienſes, & Venetos idem refert Maſtrillus *dict. c. 7. ex num. 60.*

6. TRADITVR RATIO HVIVS PROHIBITIONIS.

Ex his conſtat, totius chriſtiani ferè orbis legibus, & moribus ſtatutum, obſeruatumque eſſe, vt eccleſiaſtica beneficia non poſſint aliis conferri, quàm iis, qui ex eodem regno, vel prouincia, vbi beneficium vacare contigerit, oriundi ſint; immò in aliquibus prouinciis, non ſolùm ex eodem Regno, verùm ex eadem diœceſi, vbi beneficia ſita ſunt, debent inſtitui: quâ de cauſa ſimilia beneficia patrimonialia ſolent appellari, nec ſine ratione hoc apud tot gentes obſeruatum eſſe credi poteſt. Omiſſis enim variis traditis à Salcedo *vbi ſuprà*, Schifordegero *dict. tract. vlt.* ea præcipuè conſiderari valet, quæ reſpicit commoda, quæ ſequuntur ex indigenarum, & incolarum prælatione; & incommoda, quæ proueniunt ex alienigenarum, & extraneorum inſtitutione. Prima enim vtilitas conſideratur in dilectione promiſcua Prælati & populi; magis enim oriundi à populis amantur, & viciſſim populum ſibi commiſſum diligunt, quàm exteri: vnde ex D. Thoma ita reſoluit Zapata *de iuſtitia c. 8. num. 4.* & propter amorem, quem originarius habet erga propriam Eccleſiam, debet in eius adminiſtratione præfici, quamuis alij poſſint abſolutè digniores reperiri. Deinde peritia idiomatis, quæ magnoperè neceſſaria eſt in Prælatis, vt muneri ſuo ſatisfacere poſſint, *cap. quoniam, de officio ordin.* Faciliùs, inquit D. Auguſt. *in lib. 19. de ciuitate Dei*, animalia diuerſi generis ſibi ſociantur, quàm diuerſæ linguæ eiuſdem ſpeciei. Diuerſitas linguæ hominem ab homine alienat; vnde inter ſigna maioris iræ Dei in populum, illa eſt apud Hieremiam imprecatio, *c. 5. Adducam ſuper vos gentem de longinquo, cuius linguam intelligere non poſſitis.* Ideò *in l. Diuus, ff. de tutor.* ſtatuitur, vt tutela detur oriundo ex loco pupilli. Incommoda etiam, & grauiſſima ſequuntur, ſi exteri, & alienigenæ præficiantur beneficiis. Primum, quia decimas, & ſtipendia percipiunt ex bonis ab alienis parentibus quæſitis, & auctis, & alienorum laborum fructibus fruuntur, contra ea, quæ docentur *in l. Præſes, Cod. de ſeruitutibus*, & doctè ſcripſit Caſſiodorus *lib. 1. epiſt. 34.* ibi: *Copia frumentorum prouinciæ debet primùm prodeſſe, cui naſcitur, quia iuſtius eſt, vt incolis propria fœcunditas ſeruiat, quam peregrinis commerciis ſtudioſæ cupiditatis exhauriat.* Aliud non leue incommodum ſequitur, ſi naturales teneantur pati alienigenum Præſulem, & ab eo regantur, quod vt extremum malorum comminatur Dominus *Deuteron. cap. 28. verſ. 43.* his verbis: *Aduena, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritque ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior: ipſe fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei: ipſe in caput, tu eris in caudam.* Accedit publica vtilitas, ne externus in Regno prouideatur, propter ſuſpicionem proditionis; facilè enim Regni arcana reuelabunt. Gomezius Toletanus *in vita Cardinalis Gimeni*, vbi ex ſententia Ducis Naxeræ ita ait: *Nequaquam Reipub. conuenire hominem alieniſſimum prouinciæ prouentibus in noſtrorum caput armari, vnde proculdubio motus pernicioſi erant emerſuri.* Illuſtrat nunquam ſatis laudatus D. Franciſcus Ramos *in aureo ſuo ſyntagm. pro Epiſcop. Luſit. propoſ. 2. num. 9.* Facit ratio inſignis adducta à cicerone *in orat. pro Cornelio Balbo*, de ſacris ex Græcia Romam illatis, quæ tamen fas non erat eum attingere, qui ciuis non eſſet, aut fœderatus, vel ſpeciali lege latâ ciuitatis Romanæ iura adeptus, ibi: *Maiores noſtri ſacra pro ciuibus ciuem facere voluerunt, vt Deos immortales ſcientiâ peregrinâ, & externâ mente, domeſticâ, & ciuili precarentur.* Facit lex *in Eccleſiis 11. Cod. de Epiſcop. & cleric.* vbi agitur de vicanis clericis ex eodem vico præcisè eligendis; quam illuſtrat Gothofredus *in l. 33. Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & clericis*; & lex *eſt verum 13. Cod. de incolis, lib. 10.* His, & aliis rationibus moti nonnulli Patres in Concilio Trident. congregati propoſuerunt, vt omnia eccleſiaſtica beneficia cuiuſcumque diœceſis tantùm diœceſanis conferrerentur, vt refert Soto *lib. 3. de iuſtitia, quæſt. 6. art. 2. ante 10. concluſ.* Inde cognoſcitur, iuſtè in ſupremo Caſtellæ Senatu retineri bullas, vbi alicui extero beneficium in Regnis Caſtellæ confertur, cùm credatur per ſurreptionem, aut obreptionem tales litteras fuiſſe impetratas à R. Pontifice, qui non facilè vult mutare naturam beneficiorum, & prædeceſſorum decretis, ac legibus derogare, vt docent iuſtitiam prædictæ retentionis illuſtrantes Salgado *in ſupplic. cap. 4.* Salcedo *de lege politica, cap. 15. & 16.* Bruno Chaſſaing. *de priuileg. cap. 1. propoſ. 10.*

7. SOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat difficultas ſuprà adducta, cui ſatisfaciendum eſt aſſerendo, acceptionem perſonarum non eſſe habendam, dum datur eadem ratio in ipſis perſonis: at ſi militat diuerſa ratio, diuerſum ius eſt ſtatuendum, *cap. de multa 28. in fine*, vbi Abbas, *de præbendis:* in præſenti autem caſu militat diuerſa ratio inter indigenas, & alienigenas; quia illi ſunt aptiores, vt ſuprà probaui: vnde extraneis, & peregrinis meritò præferuntur. Nec augmentum difficultatis aduerſatur; nam aliud eſt conferre officia, & Magiſtratus ſæculares regnicolis; aliud verò conferre officia ipſa incolis, & vicinis propriæ ciuitatis, vbi Magiſtratus iuriſdictionem, & imperium exercere debet: hoc prohibitum eſt dictis legibus, & lege 11. *tit. 18. partit. 1. l. 10. tit. 2. l. 4. tit. 3. lib. 3. Recopil.* non verò regnicolis prohibitum eſt extra loca ſui domicilij eas dignitates obtinere, vt probant Bobadilla, & Solorzano *vbi ſuprà.*

8. EXPONITVR CAP. AD DECOREM, DE INSTIT.

Sed huic aſſertioni apertè opponitur textus *in cap. ad decorem 5. de inſtitutionibus*, vbi ab

Innocentio III. corripitur Patriarcha Constantinop. eo quod ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas non admitteret clericos ex omni genere, sed tantùm Venetos; & illi præcipit, vt eligat clericos vndecumque originem duxerint, dummodo sint idonei: ergo alienigenæ, & exteri ad beneficia ecclesiastica admitti possunt. Augetur hæc difficultas *ex cap. scriptum* 40. *de elect.* vbi cùm agatur de electione Patriarchæ CP. iubetur, vt de meritis electi, & postulati inquiratur, & an apud Venetos ortus sit: igitur non rectè *in dict. cap. ad decorem*, reprehenditur Patriarcha CP. ex eo quod Venetos tantùm ad dignitates ecclesiasticas admitteret. Pro conciliatione, & expositione horum iurium aliqua ferè obliterata historiæ illius temporis vestigia repetenda sunt; sciendum enim est, Constantinopoli obsessâ, & occupatâ anno 1204. (cuius cladis historiam refert latè Besoldus *in eodem anno*,) iunctis Gallorum, Venetorumque copiis, totius exercitus consensu conuentum pactum fuisse, vt si Imperator CP. ex Francis crearetur, Venetis Patriarchatus deferretur, ne penes vnam gentem vtraque dignitas remaneret. Balduinus itaque ex Francis summâ concordiâ Imperator renunciatus fuit, & Thomas Maurocenus ex Venetis Patriarcha vrbis designatus fuit, qui statim profectus ad R. Pontificem, ab Innocentio III. confirmatus fuit, vt refert Besoldus vbi suprà, *pag.* 236. Vnde iuxta dictam conuentionem iubet Innocentius III. *in dict. cap. scriptum*, vt in electione Patriarchæ CP. inquiratur, an Venetiis natus esset; sed cùm prædictus Thomas voluisset protrahere prædictam conuentionem ad alias dignitates, & officia ecclesiastica, iure optimo Innocentius prohibuit, ne tantùm ex Venetis ad ea eligerentur, scriptâ ad Legatos suos epistolâ, cuius pars extat *in dict. cap. ad decorem*, & aliam refert ex MS. Codice Tolosano Philippus Berterius *diatrib.* 2. *cap.* 3. in hæc verba: *Quod si de cætero solos Venetos in Ecclesia S. Sophiæ Canonicos instituëris, aut ad hoc operam impenderis, vt semper in eadem Ecclesia sit Venetus Patriarcha, nullâ deinceps ratione poteris excusari: nec illud obserues, vt neminem Archiepiscopum præter Venetum in tota facias Romania.* Et alibi ait: *Solos Venetos, vel subiacentes eis, in Ecclesia tua promoues, Francos, & alios probos viros alterius nationis promouere contemnens; volumus vt ab huiusmodi reuoceris abusu.* Ex quibus literis ad Patriarcham CP. missis, & *ex dict. cap. ad decorem*, facilè constat, à Patriarcha CP. ad beneficia ecclesiastica non admitti Francos, & alios etiam subiectos Imperatori CP. sed tantùm Venetos admisisse, quod rationi & conuentioni inter Venetos, & Gallos initæ contrarium erat. Alia adducunt pro eius textus interpretatione Luna & Arellanus *dict. antinomia* 3. Bossius *dict.* §. 2. *num.* 55. Garcia *de beneficiis*, 7. *part. cap.* 9. Sed ni fallor hæc est vera illius textus interpretatio.

9. INTELLIGITVR CAP. SIGNIFICASTI DE IVREPATRON.

Secundò opponi solet huic assertioni textus *in cap. significasti* 18. *de iurepatron.* vbi docetur, Episcopum posse in Ecclesia, vbi habet iuspatronatus, clericum alienæ diœcesis instituere: igitur exteri & peregrini ad beneficia ecclesiastica in aliena diœcesi eligi valent. Pro huius textus expositione Lambertinus *de iurepatron. part.* 1. *lib.* 2. *art.* 24. *quæst.* 7. *pag.* 64. Ioannes Nicolaus *eod. tract. lib.* 2. *num.* 197. existimant, specialiter Episcopo permissum esse virtute iurispatronatus, etiam extraneos clericos præsentare, & instituere, ex textu diserto *in cap. si quis Episcoporum* 16. *quæst.* 3. vnde cùm textus *in dict. cap. significasti*, procedat in Episcopo, qui clericum præsentauit in aliena diœcesi, ideò huiusmodi præsentatio sustinetur. Alia prosequitur pro huius textus interpretatione Lambertinus *vbi suprà*, & nos Deo annuente in eius commentario ea examinabimus.

TITVLVS XXIII.

De officio Archidiaconi.

CAPVT I.

Ex libro [a] *Romani Ordinis.*

VT [b] Archidiaconus post Episcopum sciat se [c] vicarium eius esse in omnibus, & omnem curam in Clero, tam in vrbe positorum, quàm eorum, qui per parochias habitare noscuntur, ad se pertinere, siue de eorum conuersatione, siue honore, & restauratione Ecclesiarum, siue doctrina ecclesiasticorum virorum, vel cæterarum rerum studio: & delinquentium rationem coram Deo redditurus est, & vt de tertio in tertium annum, si Episcopus non potest, parochiam vniuersam [d] circumeat, & cuncta, quæ emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi [e] corrigat.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Romani Ordinis.*] Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. ſed nec in veteri Ordine Romano nuper excuſo, nec in tomo de diuinis officiis, nec in Bibliotheca veterum PP. verba huius textus reperiuntur, ſed tantummodo ea leguntur: *Obſeruandum autem eſt, ſeptem eſſe regiones vrbis Romæ, ſingulas regiones ſingulos Diaconos regionarios habere, & vniuſcuiuſque regionis acolytos per manum Subdiaconi regionarij Diacono regionis ſuæ officij causâ ſubditos eſſe; hos omnes ei, qui vicarius eſt Pontificis, obedire, ſeruato vnicuique per eum propry gradus miniſteriali ordine.* Sed hæc verborum contextura profectò antiquam Eccleſiæ diſciplinam redolet; quæ verò hîc leguntur, recentiorem Eccleſiæ vſum exhibent: vnde exiſtimabat Franciſcus Hallierius *lib.* 4. *de hierarchic. iuriſdict. art.* 4. *pag.* 871. verba relata eſſe veteris Ordinis Romani; quæ verò in hoc textu tranſcripta leguntur, addita fuiſſe ab aliquo ex Romanis Pontificibus, iuxta recentiorem Eccleſiæ vſum; & ea verba, vt ex veteri Romano Ordine tranſcripſit Papienſis in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. à quo accepit Raymundus, & *in hoc cap.* 1. retulit ſub eadem inſcriptione. Vt autem tempus, auctorem, & hiſtoriam huius libri Ordinis Romani, ex quo etiam citantur textus *in cap. vnico, de officio Primicerij, cap.* 1. *de officio cuſtodis*, comprehendamus, libet tranſcribere quæ Melchior Hittorpius lectori ſcripſit in principio libri de diuinis officiis, vbi ita de Ordine Romano præfatur. [Quemadmodum, quo ſit auctore conſcriptus hic libellus, difficile dictu fuerit, ita antiquiſſimum eſſe, argumenta non ſunt longè petenda. Et mihi quidem aliquando viſum, à magiſtris Romanæ Eccleſiæ tum eſſe conſcriptum, cùm Stephano Pontifice, & Pipino primùm, deinde Carolo Magno procurante, diuina officia Romana cum Romano cantu in Galliam ſunt introducta. Quod eſſe horum ætate, atque item operâ factum, Hidvinus Abbas S. Dionyſij, Vualafridus, Sigebertus in chronicis, & ex hoc Leopoldus Babembergenſis Epiſcopus, & alij item auctores ſunt. Veriſimile enim eſt, vt hoc facere poſſent, quod eis imperabatur, deſcriptum libellum eſſe, & illis traditum, qui formulas omnes diuina officia peragendi complecteretur. Et Antiphonarios quidem Romanos ad hoc allatos, & miſſos in Franciam, Amalarius noſter teſtis locuples eſt, qui in prologo ad librum de ordine Antiphonarij, ſe à Ludouico Pio Aug. ad Gregorium Pontificem Legatum miſſum eſſe, vt ab eo Antiphonarios acciperet, commemorat; & reſponſum retuliſſe à Pontifice, ſe quos mitteret, nullos habere: ſed qui illic aliquando fuiſſent, perlatos eſſe in Franciam, cùm nomine Imperatoris Vvala eò legatione functus eſſet. Idemque mihi de Sacramentario D. Gregorij videtur dicendum. In his enim libris, Sacramentario, inquam, Antiphonario, & Ordine Romano, ipſa diuina officia quemadmodum priſci Romani ea peregerunt, continentur, vt diuinis officiis ex Romanæ Eccleſiæ more in vſum apud Francos ſeu Gallos traductis, & ab eis receptis, hos habere ipſos oportuerit, ſicut habuiſſe ſatis conſtat. Etenim Albinus, qui in tempus huius in Gallia mutationis incidit, Sacramentarium, atque Antiphonarium citaſſe inuenitur, & Ordinem Romanum exprofeſsò interpretatus eſt, cuius tamen, niſi vno tantùm in loco, non meminit nominatim. Amalarius verò noſter ad Antiphonarium, & Sacramentarium collimat ſemper, atque ea ſe diuina officia explicare velle, quæ his libris contineantur, diſertis verbis profitetur: Mihi, inquiens, peccatori groſſa res data eſt potiùs ad indagandum, quàm exponendum, id eſt, de officio, quod continetur in Sacramentario, & Antiphonario. Et ſicut Sacramentarij, atque Antiphonarij perſæpe meminit, ita Ordinem Romanum in ore multùm, & ſæpe habet, eumque diligenter explicat. Quod vbi faciat nominatim, locos aliquot à nobis excerptos ſubiiciemus, vt conferre hos cum ipſo ordine quis poſſit, & ſunt hi: Libri primi capite vndecimo, duodecimo, decimo-tertio, decimo quarto, decimo-quinto, decimo-ſeptimo, vigeſimo-ſeptimo, trigeſimo, trigeſimo-primo. Libri tertij capite quinto, decimo-octauo, vigeſimo-ſeptimo, trigeſimo-primo. Libri quarti capite vigeſimo-tertio, multique alij, non ſolùm in his libris, verùm etiam in ordine Antiphonarij. Ex quibus à Gallis hunc quoque libellum cum cæteris, Antiphonario, & Sacramentario, tum acceptum eſſe, cùm Romana officia ſuſceperunt, ſicut colligi poteſt; ita quod eo tempore, & eorum quoque in gratiam ſcriptus ſit, quamuis eſſe veriſimile videatur, nondum hinc tamen liquet. Quinimmò nobis quædam Amalarij auctoritas perſuaſit, vt antiquiorem multò eſſe, non leui coniecturâ ducti opinemur. Qui capite 21. libri quarti de quadam diei Paraſceues conſuetudine ſic refert: Nec-non etiam altitudo ſignorum, quæ fiebat per vaſa ærea, deponitur; & lignorum ſonus vſquequaque humilior æris ſono, neceſſariò pulſatur, vt conueniat populus ad Eccleſiam. Poteſt, inquit, & in hoc humilior vſus Eccleſiæ Romanæ deſignari antiquis temporibus quàm nunc ſit, & præcipuè tunc, quando latitabat per cryptas, propter perſecutores. Nam adhuc iunior Roma, quæ antiquis temporibus ſub vno Domino cum antiqua Roma regebatur, vſum lignorum tenet, non propter æris penuriam, ſed propter vetuſtatem. Quo loco ſubindicat, quod ligneis ſignis ſuo illo tempore Romani non vterentur. Ordo Romanus autem: Feriâ quintâ, inquit, maioris hebdomadæ, eadem nocte ſurgunt ad vigilias horâ noctis octauâ, & tangitur campanæ ſignum, ſicut aliis diebus, & poſt hæc non tangitur ad Matutinũ, niſi in nocte ſancti Paſchæ. Et de Paraſceues die: In nocte Paraſceues temporariè, id eſt, mediâ nocte, paruum ligneum ſignum ſonetur, &c. Qui loci ſatis indicant, vſos ligneis ſignis Romanos tum fuiſſe, cùm libellus hic eſt ſcriptus. Iam aliam item conſuetudinem ſuâ ætate in vſu eſſe deſiiſſe, quæ aliquando in vſu ſecundùm hunc libellum fuiſſet, capite 15. libri primi commemorat. Itaque non abſurdè, opinor, ratiocinabimur, non eo tempore primùm ſcriptum, ſed longè etiam antiquiorem eſſe: quippe cùm nonnulla in eo deſcripta, & explicata tunc exoleuiſſe, & ſecus eſſe obſeruata intelligantur, quamuis cætera adhuc in vſu permanſiſſent. Id autem per contrariam conſuetudinem ſæpè euenit, vt res à priſcis aliter obſeruari ſolitæ, in deſuetudinem apud poſteros veniant, qui præſentia intuentur, eiſque contenti ferè ſunt, parum admodum ſoliciti de præteritis. Nec-dum tamen de auctore liquet, quem cùm non prodant Interpretes, qui tamen Sacramentarij, & Antiphonarij D. Gregorium; Lectionarij D. Hieronymum auctores nominant, videntur mihi illi ipſi quiſnam fuerit, cognitum non habuiſſe, & nos idcircò etiã in eo inquirẽdo fruſtrà laborare, maximè cùm de antiquitate, atque auctoritate ſatis conſtet, quam hi Auctores, atque Interpre-

tes facilè conciliare illi possunt. Videturque mihi quod de nostris Ordinariis, hoc idem de Romano hoc Ordine esse dicendum, qui cùm auctoritatem quique in sua Ecclesia obtineant, quo auctore tamen scripti sint, nemo facilè dixerit, sicut nullius etiam nomen ferè præferunt. Sed satis est publica his, quâ approbati sint, & in vsum susceptì, auctoritas. Sic fuisse eum vel per primos officiorum ordinatores publicâ auctoritate conscriptum, vt secundùm eum diuina officia celebrarentur; vel ex vsu, qui tum obtinebat, ab alio aliquo collectum, & approbatum publicè, breuiter, secundùm eius præscriptum diuina tum officia peracta. Verumtamen coniecturam nostram proferemus: Gelasianus ille canon sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quo præscribitur qui, quóve tempore scripturæ libri sint per annum legendi in ecclesiastico officio, per Ordinem Romanum sparsus habetur. Atque ipse Ordo post explicatum Missæ ordinem, sic quoque incipit. In Christi nomine. Incipit ordo Catholicorum librorum, qui in Ecclesia Romana ponuntur ad legendum. Et exemplar mihi vnum fuit, in quo eodem ordine, quo sunt in ipso Gelasij canone ante reliquum ordinem, simul, & non quemadmodũ in reliquis codicibus, sparsim ea haberentur. Gelasium autem diuinorum quoque officiorum ordinatorem fuisse, Sacramentorum præfationes, orationes item conscripsisse, in eius vita legitur, & quod de Gregorio commemorant Scriptores, satis arguit, scilicet quod is Gelasianum codicem emendarit, & in commodum ordinem digesserit, superflua resecarit, & in vnius libelli formam coarctarit, cui, Libri Sacramentorum, titulum fecerit. Vt vel ab eo, vel eius auctoritate conscriptum esse, cuius in eo is canon, quem diximus, integer habetur, fortè colligi possit. Sed coniectura hæc tantummodò est, cui quantùm tribuere velis, tuum sit arbitrium. Nos de auctore non amplius soliciti erimus, quibus Albini, Amalarij, Micrologi, aliorumque, qui suis eum commentariis sunt dignati, ad eius antiquitatem, auctoritatemque contestandam sufficit testimonium. Porrò nostrâ hac ætate doctissimus vir, & antiquitatis non solùm vetustæ Romanæ, verùm Christianæ quoque, & Ecclesiasticæ, omnisque historiæ diligentissimus inuestigator Onuphrius Panuinius, in libello, quem de interpretatione multarum vocum ecclesiasticarum hoc anno in lucem emisit, hunc se quoque habuisse significat, & in his vocibus, Patres diaconiæ, Subdiaconus oblationarius, Schola cantorum, Archiparaphonista, Nomenclator, mentionem facit nominatim. Ex quo obscurarum vocum explicatio, quæ hîc occurrent, repeti potest. Vnum adiiciemus, videri nobis ordinem Romanum interpolatum esse, & ex Albino quidem, cuius hîc multa inuenimus, aut si hoc non sit, Albinum multa ex eo exscripsisse. Sed alterum illud mihi magis probatur, eiusque meæ sententiæ rationes proferre possem. Sed quemadmodum tribus eum libris MSS. inuenimus, ita exhibuimus, nihil neque addentes, neque resecantes, ne tibi præiudicaremus, & tuum tibi iudicium integrum constaret.] Quare credo, Ordinem Romanum additum, immutatumque fuisse à Bernoldo Presbytero Constantiensi, qui floruit sub Henrico Imperatore, quibusdam detractis, & additis iuxta vsum, quem tempore suo in Ecclesia agnoscebat, vt etiam docuit Hugo Menardus *in præfatione ad librum Sacrament. D. Gregorij, ad finem.*

2. b *Vt Archidiaconus.*] Antequam officia, iurisdictionem, & potestatem Archidiaconorum referam, tam ex prisco, quàm recentiori Pontificio iure, pro expositione decisionum, quas Raymundus sub hoc titulo compilauit, aliqua circa nomen, originem, & progressum huius officij, seu dignitatis prælibanda duxi. In primis sciendum est, post Christi in cælos ascensionem, Apostolos ex 72. discipulis septem diaconos elegisse, & ordinasse, vt refertur *Actuum Apost. cap.* 6. & confirmant D. Cyprianus *epist.* 64. ibi: *Diaconos post ascensum Domini Apostoli sibi constituerunt, sui, & Ecclesiæ ministros.* Isidorus *lib.* 2. *de diuinis officiis, cap.* 8. quem numerum retinens Euaristus *epist.* 1. relatâ *in cap. Diaconi* 11. *dist.* 93. statuit, vt in vnaquaque ciuitate septem Diaconi instituerentur; quod & confirmatum fuit canone 15. Synodi Neocæsar. Et cùm vrbs Romana post incendium Neronis septem tantùm regiones contineret, Tacitus: *In regiones quatuordecim Roma diuiditur, quarum quatuor integræ manebant, tres solo deiectæ, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera, & semiusta:* ideò Fabianus septem illos diaconos per eas regiones diuisit, vt non solùm altari ministrarent, verùm & fidelibus subuenirent de ecclesiasticis facultatibus, & fidelium oblationibus. Hinc regiones illæ dictæ fuerunt Diaconiæ; & Diaconi appellati regionarij. D. Gregorius *lib.* 9. *epist.* 24. & *lib.* 4. *epist.* 44. Posteà Cardinales Diaconi dicti fuerunt, *cap. à Subdiacono*, 93. *dist.* quia cardini & custodiæ vnius tituli mancipati fuerunt, vt eorum historiam referens tradit Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 7. Hunc septenarium numerum diaconorum longo tempore in Ecclesia duraſſe, tradunt Panuinus *de septem vrbis Ecclesiis, cap.* 3. Ciaconius *de vitis Cardin. tom.* 1. *pag.* 43. posteà tamen cùm tanto oneri numerus iste sufficere non posset, alij septem constituti fuerunt, vt vni Episcopo prædicanti adessent, iuxta dictum Euaristi decretum relatum *in dict. cap. Diaconi*, qui testimoniales dicebantur; alij vt Pontifici celebranti ministrarent, tam in Palatio, quàm in Basilica: quare interdum Palatini, interdum Basilicarij appellabantur; alij stationibus, & litaniis præponebantur, qui dicti fuerunt stationarij; alij denique vt mensis communibus ministrarent, egenorum, viduarumque necessitatibus consulerent, *can.* 16. *Sextæ Synodi*, quem iniustè vt apocryphum reiiciunt Corjolanus, & Seuerinus *in eius notis*, Baronius *anno* 34. *num.* 143. Rousselius *lib.* 2. *histor. Pontif. iurisdict. cap.* 11. *num.* 2. Diaconorum nonnulla ministeria recensuimus in apparatu ad hæc commentaria.

3. ARCHIDIACONVS QVIS.

Quorum diaconorum antiquior, priorque dictus fuit Archidiaconus, id est Princeps diaconorum, *cap. vnico, de scrutinio in ordine*; quod nomen iam à temporibus Concilij Nicæni vsitatum legimus canone 58. ipsius, iuxta Pisanam editionem. Secundi ordinis Antistes appellatur à Sidonio *lib.* 4. *epist.* 11. & 25. notat Bulengerus *de Imper. Rom. lib.* 8. *cap.* 48. Primis Ecclesiæ temporibus, cùm Presbyteri tantùm sacris Ecclesiæ ministeriis, & orationi vacarent, quæcumque ad Ecclesiæ ornatum pertinebant, Archidiaconus disponebat, lites, iurgiaque componebat, & omnium negotiorum, rerumque Ecclesiæ procurator, & administrator erat, *can.* 57. *Synodi Laodicænæ.* Prudentius *in hymno S. Laurentij*, notauit Sauarus *ad Sidonium dict. epist.* 25. Adeò eorum dignitas primis Ecclesiæ sæculis aucta fuit, vt diuitiarum, quas administrabant, potentiâ freti, clientelâ diaconorum, & aliorum ministrorum, quibus

quibus imperitabant, & assiduo Episcoporum, in quorum comitatu versabantur, fauore intumescentes, cœperunt primas sedes occupare, & non solùm presbyteris anteferri, *cap. legimus*, 93. *dist.* verùm & Episcopis anteponi, & sibi populum segregare, & regere, *cap. diaconos*, 93. *dist.* Concil. Illiberit. *can.* 77. Synodus Antiochena *can.* 5. latè probaui *in cap. statuimus* 15. *de maiorit. & obed.* Eorum autem audaciam à variis Patribus reprehensam, Conciliorumque decretis cohibitam, tandem consuetudine, & demùm lege approbatam, in legitimam & ordinariam potestatem paulatim transiisse, in hoc titulo passim notauimus.

4. c *Vicarium.*] *Cap. perlectis*, 25. *dist. cap.* 2. & 7. *hoc tit. nouella Maiorani de curial. Iustinian.* 123. *cap.* 3. Altesserra *lib.* 1. *dissert. cap.* 11. Licèt enim iure ordinario, & primis Ecclesiæ cunabulis Archidiaconus tantùm minister esset, *c.* 4. & 5. *hoc tit.* sicut olim consuetudine Chorepiscopi erant vicarij Episcoporum, *lib.* 6. *Capitul. Caroli*, *cap.* 119. *lib.* 7. *cap.* 310. 328. & 329. ita Archidiaconi ex consuetudine effecti fuerunt vicarij Episcoporum: quare eos vicarios natos appellant Sbrozius de officio vicarij *lib.* 1. *quæst.* 36. *num.* 10. Narbona *de appellat. à vicario*, *part.* 1. *num.* 22. Barbosa 3. *part. alleg.* 54. & *de dignit. cap.* 5. *num.* 34. & absente Episcopo ipsum vt vicarium debere administrare Episcoporum, pluribus relatis docet Barbosa *vbi suprà*, *num.* 35. & probatur *ex cap. litteras* 13. iunctâ eius epigraphe, *de restit. spol.* licèt contrarium defendat Cironius *ad hunc titulum.*

d *Circumeat.*] *Cap. mandamus*, *hoc tit. cap. cùm Apostolus* 6. *cap. procurationes* 23. *de censibus*, Synod. Laodic. *can.* 57. *cap. dictum est*, 94. *dist.* Concil. Aquisgran. 2. *can.* 4. vbi eorum visitantium auaritia cohibetur. Lateran. sub Alex. III. *part.* 1. *cap.* 4. vbi de comitatu Archidiaconi visitantis agitur. Concil. Oxoniense in Anglia sub Innocent. *can.* 4. Moguntinum sub Othone Cardin. *can.* 7. *cap. dudum* 54. *de elect.* Crespetius *in summa*, *verbo Archidiaconus* 2. vnde *in cap. non debere*, 80. *dist.* dicuntur circuitores, quæ verba exponunt Crespolius *lib.* 4. *myst. ag. cap.* 19. *sect.* 4. Iustelus *in notis ad canones Ecclesiæ vniuers. in dict. can.* 57. *Synodi Neocæs.* Hanc tamen facultatem non habent Archidiaconi ratione propriæ iurisdictionis, sed quia primis illis temporibus visitatio ab Episcopo illis commendabatur, & postea consuetudine hoc ius visitandi acquisierunt; quod expressè probatur ex Concilio Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. in illis verbis: *Vbi hactenus visitationem exercere legitimè consueuerunt.* Quomodo intelligendum esse hunc textum iam docuit Sarmiento *lib.* 3. *select. c. vlt.*

5. e *Corrigat.*] *Cap.* 7. & 9. *hoc tit. c. clericis* 7. *de vita & honest. cleric.* an verò Archidiaconus habeat iurisdictionem cum imperio, dicam *in c.* 5. *hoc tit.*

CAPVT II.

Ex Concilio [a] *Toletano.*

OFficium verò Archidiaconi est Euangelium, quando voluerit, legere, vel alicui de [b] Diaconis præcipere: & quando Episcopus Missam canit, ad iussionem illius induant se [c] Leuitæ vestimentis sacris, qualiter cum Pontifice ad Missam [d] procedant: omnem querimoniam, seu causam, vel iustitiam presbyterorum, vel diaconorum, vel subdiaconorum ipse debet deliberare, [e] ordinare, & facere. Ideò verò strenuus, prouidus, cautus, vicem sui Episcopi agens, Episcopatus totius curam habeat, & omne ecclesiasticum officium prouidendo, [f] lectiones, aut responsoria in matrice Ecclesia dare debet, & auscultare. Et interim, vt nullus Euangelium, aut Epistolam, aut responsorium, vel quamlibet in Ecclesia lectionem legat, vel cantet, donec ante ipsum legat, vel cantet, & auscultetur: [g] acolytos quoque ipse ordinet, quis eorum candelabra, quis thuribulum deferre, quisve [h] minorum in Ecclesia aliqua officia agere debeat.

NOTÆ.

1. a *Toletano.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. sed in nullo ex Conciliis Toletanis hucusque aditis reperiuntur hæc verba, quare aut alicuius Concilij fragmentum hîc refertur, quod temporis iniuriâ periit; aut falsò textus iste tribuitur Concilio Toletano, præcipuè cùm pleraque eius verba reperiantur apud D. Isidorum *in epist. ad Leufredum*, vbi ita ait: *Archidiaconus imperat Subdiaconis, & Leuitis, ad quem ista pertinent ministeria, ordinatio vestiendi altaris à Leuiticis, cura incensi, & sacrificij necessaria solutio, quis Leuitarum ad populum Euangelium legat, quis preces dicat, seu responsoria in Dominicis diebus, aut solennitatibus decantet: sollicitudo quoque parœciarum, & ordinatio, & iurgia ad eius pertinent curam: pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggerat sacerdoti; ipse inquirit parœcias cum iussione Episcopi, &c.* Reperiuntur *in c. perlectis* 25. *dist.*

b *Diaconis.*] Inter ministeria enim diaconorum præcipuum est Euangelium in Ecclesia legere. Concilium Rhemense *can.* 5. Vasense sub Leone I. *can.* 4. *d. c. perlectis*, §. *ad diaconum.* Fortunatus *lib.* 2. *de eccles. iast. cap.* 12. & 18.

c *Leuitæ.*] Id est Subdiaconi, *cap. cleros* 21. *dist. dict. cap. perlectis*, 25. *dist.*

d *Procedant.*] Dixi suprà *cap.* 1. ex constitutione Euaristi, septem diaconos debere adesse Episcopo celebranti.

e *Ordinare.*] Vt probabimus *in c.* 5. *hoc tit.*

f *Lectiones.*] Legebat enim lector extra Missæ 2. sacrificium, Euangelium, & alias lectiones sacras, tam veteris, quàm noui Testamenti; non autem psalmos vulgares, aut ab idiotis compositos, *can.* 59. *Synodi Laodic.* vt notant Baronius *anno* 60. Crespolius *lib.* 3. *myst. ag. c.* 27. & proprium hoc erat lectorum officium, *c. cleros*, *vers. Lectores*, *c. lector* 23. *dist. cap. perlectis*, *vers. ad lectores*, 25. *dist.* licèt in Ecclesia Africana Euangelium etiam in Missarum

ſolennis legerent. Concilium Carthag.4. & 8. docet Baronius *anno* 253. *num.*14. Plura de his lectionibus, & lectoris officio Anton. Auguſt. *lib.*4. *tit.*3. Iodocus Coccius *lib.*5. *theſauri*, *art.*5. Petrus Gregor. *lib.*5. *ſyntagm. cap.*4. Ambianas *ad Tertul. de fuga*, *cap.*11. *obſeru.*2. Menardus *ad D. Gregorium*, *pag.*274.

3. g *Acolytos.*] Acolyti græcè, latinè ceroferarij dicuntur. D. Iſidorus *lib.*7. *originum*, *cap.*12. *Acolyti græcè, latinè ceroferarij dicuntur à deportandis cereis, quando Euangelium legendum eſt, aut ſacrificium offerendum; tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad fugandas tenebras, cùm ſol eo tempore rutilet; ſed ad ſignum latitiæ demonſtrandum.* Eorum officium duplex erat: primum deferre cereos accenſos in ſacrificio Miſſæ; aliud miniſtrare vinum & aquam in vrceolis, & thuribulum cum incenſo, *d. c. cleros verſ. Acolytos*, *cap. perlectis*, *verſ. Ad acolyti*, *c. pacolytus*, 23. *diſt.* latè proſequuntur P. Gregorius *lib.* 5. *ſyntagm. cap.*6. Claudius Eſpenceus *lib.*1. *digreſſ. cap.*8. Zerda *in aduerſar. cap.*94. Mendoza *lib.*3. *Concilij Illiberit. cap.*7. Vicecomes *volum.*3. *de ritibus Miſſæ*, *lib.*1. *cap.*25. Baronius *anno* 44. *num.*79. & *anno* 58. *num.*70. & *anno* 254. *num.*70. & *anno* 255. *num.*12. & *anno* 260. *num.*5.

h *Minorum.*] Videlicet cuſtodis, ſacriſtæ, & ſimilium.

CAPVT III.

Gregorius *Honorato Archidiacono* [a] *Salonitano.*

Ea, quæ contra vos, tu, & [b] Epiſcopus tuus contraria direxiſtis ſcripta agnoſcentes, doluimus, eo quod inter vos nihil charitas recognoſcit. Verumtamen te in officio ordinis tui adminiſtrare præcipimus, & ſi illic poteſt ſuperante gratiâ cauſa veſtri ſcandali definiri, multùm credimus veſtræ animæ acquiſiuiſſe. Sin verò ita diſcordia inter vos partes ſuas armauit, vt in timore ſcandali voluntas veſtra debeat remanere, tu ad noſtram audientiam indeſinenter occurre, & Epiſcopus tuus pro ſe dirigat, quam elegerit, perſonam inſtructam, vt omnibus ſubtili ratione perpenſis, conſtituere quæ viſa fuerint, partibus debeamus. Scire verò te volumus, quod à te omnia diſtrictè quæſituri ſumus, ſi non ea, quæ vel propriæ Eccleſiæ, vel quæ de diuerſis Eccleſiis [c] cimelia ſunt collecta ſub omni nunc ſolicitudine, & fide ſeruentur. Quod ſi quid ex eis, vel [d] negligentiâ, vel cuiuſquam fraude deperierit, tu in hoc reatu conſtringeris, qui per Archidiaconatus ordinem [e] cuſtodiæ eiuſdem Eccleſiæ arctiùs implicaris.

NOTÆ.

a *Salonit.*] Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.*1. & reperitur hic textus *lib.*1. *epiſt. Gregorij*, *epiſt.*10. ex qua ita reſtituitur eius integra. Salona vrbs Dalmaciæ eſt, olim capta ab Aſinio Pollione, à qua filium ſuum Saloninum appellauit: habuit iam olim Eccleſiam Cathedralem, cuius Epiſcopi Glicerij mentio fit ab Euagrio *lib.*2. *cap.*16.

1. b *Et Epiſcopus tuus.*] Natalis videlicet, cuius mentio obuia eſt in his Gregorij epiſtolis. Varia fuerunt diſſidia orta temporibus Gregorij Magni inter Salonitanum Natalem Epiſcopum, & Honoratum eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconum, quæ adeò excreuerunt, quod Natalis intenderet per vim ipſum Honoratum in Preſbyterum ordinare, vt ſic officio & dignitate Archidiaconi priuaret (illis enim temporibus tantùm à Diaconis Archidiaconatus dignitas obtineri, & retineri poterat, & per promotionem in gradum preſbyterij, amittebatur prædicta dignitas, vt ex D. Leone *epiſt.*56. 57. & 58. defendit Hallierius *de iuriſdict. lib.*4. *art.*2. *pag.*864. licèt contrarium defendat Sauarus *ad Sidonii mlib.*4. *epiſt.*11. & 25.) Natalem tamen ita intendentem ordinare Honoratum reprehendit Gregorius noſter relatus *in cap.*2.74. *diſt.* & etiam ſcribit ipſi Honorato *in c. Honoratus*, *eadem diſt.* Principium autem huius diſſidij ex eo refert Gloſſa *in dict. cap.*2. quòd Honoratus noluiſſet tradere ipſi Epiſcopo vaſa ſacra, quæ conſanguineis ſuis largiri volebat: quare ita accuratè commendat Gregorius noſter ipſi Honorato cuſtodiam theſauri ipſius Eccleſiæ Salonitanæ. Et quia hæc cura olim Archidiacono competebat, ideo hoc fragmentum præſentis epiſtolæ Papienſis compilauit ſub hoc titulo.

c *Cimelia.*] Ita legendum eſt, à græca voce *Keimelion*, quæ ſignificat omne id, quod reſeruatur, & cuſtodiendum reconditur, vt pro huius textus emendatione docuit Gerardus Voſſius *lib.*2. *de vitiis ſermon. cap.*1. Cimelia autem in præſenti ſignificant vaſa ſacra, & pretioſa, & etiam oblationes Eccleſiæ: vnde cimelinum dicitur locus, in quo oblationes reconduntur, quæ à fidelibus offeruntur, *cap. cùm inter*, *de v. ſ.* & cimeliarcha dicitur cuſtos cimelij, *l. final. Cod. de bonis authorit. iudicis*, *l. iubemus*, *Cod. de ſacroſanctis*, *l. litibus* 20. *Cod. de agricolis*, *lib.*11. *nouella* 74. *Iuliani.* Notant Roſvueidus *ad S. Ioannem Eleemoſynar. pag.* 208. Zerda *in aduerſ. c.*169. *n.*4. Cironius *in* 5. *collect. in d. c. cùm inter*, Tiraquell. *ad Alex. lib.*2. *cap.*2. 2.

d *Negligentia.*] Quæ ſumma culpa lata eſt; minor verò culpa leuis, de quibus culpæ & negligentiæ ſpeciebus agemus *in cap.* 2. *de depoſito.*

e *Cuſtodiæ.*] Eiuſdem cimelij videlicet. Licèt enim primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopus Præfectus eſſe Ærarij, & oblationes diſpenſaret, Iuſtinus Martyr *apolog.*2. tamen Epiſcopi ſucceſſu temporis grauioribus negotiis occupati, eccleſiaſticæ pecuniæ curam & cuſtodiam Diaconis commiſerunt. Origenes *homilia* 25. *in Matthæum*, ibi: *Diaconi, qui non benè tractant eccleſiaſticarum* 3.

pecu

pecuniarum mensas, & semper de his fraudant, & ipsas, quas dispensant, non secundùm iustitiam dispensant, & diuites fiunt de rebus pauperum; ipsi sunt nummularij pecuniarum, mensas habentes, quas Christus euertit. Notat Lemaistre *lib.1. de iuribus Ecclesiæ, cap.17.*

CAPVT IV.

Alexander III. [a] *Elienſi Archidiacono.*

CVm satis sit absurdum, & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum, vt Archidiaconus auctoritate propriâ debeat cuilibet Ecclesiarum curam committere, ægrè nimis ferimus, quòd tu sine mandato Episcopi tui personis curam animarum commitis. Quoniam igitur obtentu alicuius consuetudinis non debes contra Sanctorum Patrum institutiones venire, & quod ad tuum non spectat officium, tibi vendicare; ideo mandamus, vt nemini de cætero sine licentia, & mandato Episcopi curam animarum committere præsumas.

NOTÆ.

a *Elienſi.*] Ita etiam habetur *in cap. 4. hoc tit. in 1. collect. & in cap. 3. de instit.* & post Concilium Lateran. *part. 26. sub Alexandro III.* De Elienſi Ecclesia egi *in cap. postulasti, de rescriptis.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO DEDVCTVR ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, id est non præstat collationem authorizabilem beneficiorum, non obstante quacumque consuetudine.* Probant eam textus *in cap. nullus 11. 16. quæst. 7. cap. nosti, de elect. cap. super eo, de officio deleg. cap. ex tua, de filiis presbyt. cap. cùm ex iniuncto, in fine, de hæret. cap. 3. de excessibus Prælat. cap. ex frequentibus, cap. cùm veniſſet, de instit.* Concil. Later. *part. 24. cap. 1.* ibi: *Archidiaconi nihil præsumant, vel in Ecclesiis instituere, aut destituere sine auctoritate, & consensu Episcopi: quod si facere præsumpserint, liberum sit Episcopo institutiones penitus irritare, & taliter institutos remouere ab Ecclesia, contradictione, vel appellatione non obstante.* Et *cap. 2. de instit. in 1. compil.* vbi Alexander III. Lundonienſi Episcopo ita scribit: *Ad aures nostras moueris peruenisse, quod quidam Archidiaconi, te inconsulto, contra consuetudinem Ecclesiæ tibi commissæ personas instituunt in Ecclesiis, & sic in Ecclesiis, vel earum portionibus nunc filios, nunc alias personas, & vicarios instituere non verentur. Volentes itaque pro nostri officij debito in irritum deducere quod contra iuris ordinem attentatur, auctoritate Apostolicâ tibi duximus indulgendum, vt si iidem Archidiaconi post prohibitionem tuam ipsis inde factam, instituerunt sine mandato, & auctoritate tua aliquos in Ecclesiis, in quibus patres eorum proximò ministrare noscuntur, aut personas alias, vel vicarios, cùm idem sit canonicæ sanctioni contrarium, liberum tibi sit nullius contrad. vel ap. obst. institutiones huiusmodi penitus irritare, & taliter institutos ab Ecclesiis remouere.* Et *cap. 3. eod. tit. in ead. collect. Cùm satis sit absurdum, & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum, vt Archidiaconi auctoritate propriâ debeant cuilibet curam Ecclesiarum committere, ægrè nimis ferimus, quod tu sine mandato Episcopi tui personis curam animarum committis. Quoniam igitur obtentu alicuius consuetudinis non debes Sanctorum Patrum institutiones transgredi, & quod ad tuum non spectat officium, vendicare; ideò mandamus, vt nemini de cætero sine licentia, & mandato Episcopi tui curam animarum committere præsumas.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti, & de potest. Episcop. alleg. 72. num. 185. & lib. 1. iuris eccles. cap. 24.* Petrus Greg. *in cap. conquerente, de officio ordin. cap. 8. & lib. 3. partit. tit. 2. cap. 5. & de beneficiis cap. 7. & lib. 15. syntag. iuris vniu. cap. 20.* Ant. Augustin. *in epit. iuris, lib. 7. tit. 33.* Lambert. *de iurepatron. lib. 2. cap. 3. art. 3.* Panormit. *in cap. dudum, 54. num. 35. de elect.* Glossa *verbo Consuetudine, in extrauag. execrab. de præb.* Tamburinus *de iure Abbat. 3. part. disput. 9. quæst. 2.* Balboa *in cap. cùm Bertoldus, de re iudicata, num. 13.* Cironius *ad titul. de instit.* Lotherius *de re benef. lib... cap. 22.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 20.* Suarez *de censur. disput. 7. sect. 2. num. 7.* Valensis *de benef. lib. 2. tit. 14.* Gibalinus *de censur. disquisit. 9. quæst. 3. pag. 411.*

2. RATIO DVBITANDI.

Sed aduersùs hanc assertionem fic pro dubitandi ratione insurgo. Institutio in beneficiis ecclesiasticis ex iuris communis dispositione spectat ad Episcopum, vel eius vicarium, *cap. 3. de instit. cap. vlt. de officio Vicarij, lib. 6.* Sed Archidiaconus est vicarius natiuus Episcopi, *cap. 1. & 2. cap. ad hæc, hoc tit.* vbi non solùm asseritur Archidiaconum vices Episcopi gerere, verùm cùm referuntur quæ ad officium Archidiaconi spectant, illa proponuntur verba: *Institutio corporalis, tam super beneficiis, quàm dignitatibus ad ipsum debeat pertinere.* Igitur non rectè asserimus, Archidiaconum non posse institutionem authorizabilem in beneficiis præstare. Augetur hæc difficultas ex eo, nam licèt iure ordinario hæc instituendi facultas Archidiacono non competeret, tamen suffragante consuetudine non est ratio, quare illam instituendi potestatem non consequatur, vt probatur ex sequentibus. Primò ex eo, nam institutio hæc beneficiorum inter iura Episcopalia recensetur, *cap. conquerente, de officio ordin.* vbi Petrus Greg. *cap. 8.* Sed iura Episcopalia ab inferioribus præscribi possunt, *cap. de quarta, de præscript.* latè probat Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 27. per totam.* Igitur & institutio beneficiorum potest consuetudine, aut præscriptione adquiri. Secundò *ex cap. auditis, cap. cùm olim 18. de præscript.* vbi expressè deciditur, potestatem instituendi in beneficiis ecclesiasticis præscriptione adquiri posse: igitur Archidiaconus in hoc textu virtute consuetudinis institutionem dare poterat, atque animarum curam committere.

3. De variis institutionibvs.

Hac hubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius interpretatione sciendum est, beneficium ecclesiasticum non posse obtineri sine institutione canonica, *cap.* 1. cum ibi adductis à Pechio, *de regul. iuris in* 6. & hanc institutionem triplicem esse; aliam collatiuam, corporalem aliam, & aliam authorizabilem, vt docent Glossa *in dict. regula Beneficium*, Cironius *in tit. de instit.* Petrus Greg. *vbi suprà, dict.cap.*8. Institutio collatiua est, quæ sumitur pro titulo ipsius beneficij, & hæc ad Episcopum tantùm pertinet iure communi, *cap. ex frequentibus, de instit. cap. nullus* 16. *quæst.*7. *cap. cùm vos, de officio ordin. cap. regendam* 10. *quæst.*1. *cap.*1. *de instit. lib.*6. *cap.*4. *cum sequent. de iurepatron. l.* 2. *tit.* 16. *part.* 1. iunctis adductis à Selua *de beneficiis* 2. *part. cap.*1. Valensi *eod. tract. lib.* 1. *tit.* 5. Institutio corporalis dicitur illa, quæ significat inuestituram, & traditionem nudæ possessionis, daturque postquam collatum est beneficium: & hæc institutio fit ab Archidiacono, illique competit ex iuris dispositione, *cap. ad hæc, cap. vt nostrum, hoc tit. cap. si pluribus*, 63. *dist. dict. cap. perlectis, vers. ad Archidiaconum*, 25. *dist. l.* 4. *tit.* 6. *part.* 1. Hostiensis *in summa huius tituli*, §. *quid sit eius officium*, Abbas *in cap. dudum, el* 1. *de elect.* Couar. *lib.* 3. *variar. cap.*16. *vers. Tertius casus*, Balboa *in cap. cùm Bertoldus, num.*15. *de re iudic.* Nec contrarium probat textus *in cap. licèt Episcopus, de præbendis in* 6. vbi probari videtur, missionem hanc in possessionem ad Episcopum pertinere. Nam respondendum est ex doctrina Balboæ *in dict.cap. cùm Bertoldus, num.*15. ibi institutionem accipi pro collatione; aut si textus accipiatur de institutione corporali, eum procedere attentâ consuetudine, per quam Archidiaconi iam hoc ius inuestituræ amiserunt, vt docet etiam Barbosa *de dignit. cap.* 5. *num.* 30. Nec etiam contrarium suadetur *in cap. proposuit* 8. *de clerico excomm.* in illis verbis: *Sæpedictum Magistrum inuestituræ suæ tempore à præfato Episcopo extitisse excommunicatum.* Nam ea verba non important ab Episcopo inuestituram accepisse, sed tantùm ab Episcopo esse excommunicatum, inuestituram autem ab Archidiacono accepisse, iuxta suprà dicta. Tandem institutio authorizabilis est illa, per quam Episcopus alicui committit animarum curam, postquam collatio facta est ab illo, qui ius conferendi beneficium habuit, vel ex consuetudine, vel ex priuilegio; & hæc ad solum Episcopum pertinet; nam ille, cui commissa est parochialis Ecclesia, non habet potestatem conferendi sacramenta, & administrandi cum cura, nisi Episcopi licentia, mediante hac institutione, detur, *cap. in Lateranensi, de præb. cap. vnico, de capellis monach. in* 6. De qua institutione authorizabili accipiunt præsentem decisionem omnes repetentes, & alij relati à Barb. *in præsenti, num.*16. Petrus Greg. *in dict.cap.conquerente, cap.*8. D. D. Antonius de Garaña *in cap. ex frequentibus, de instit. num.*8. & accipiendi sunt textus *in cap.*2. *de ætat. & qualit. cap.*54. *de elect.*

4. De consvetvdine circa institvtionem.

Inter has institutionum species illa celebris consideratur differentia, quod institutio collatiua, tam præscriptione, quàm consuetudine acquiri valet ab inferioribus Prælatis, *cap. cùm venissent, de instit. cap.*2. *de excessibus Prælat. cap. auditis, cap. cùm olim, de præscrip. cap. referente, de præbend.* Institutio verò authorizabilis neque præscriptione, neque consuetudine ab inferioribus Prælatis quæri potest, ex hoc textu, & *cap. vnico, de capellis monach. lib.*6. iunctis traditis à Balboa *suprà, num.*17. Barbosa *de potest.Episcop.alleg.*77. *num.*12. Cuius differentiæ ratio ex eo prouenit, nam curam animarum committere, Episcopis reseruatum est in gratiam eorum, & ratione ordinis Episcopalis, *cap. nullus* 16. *quæst.*7. Trident. *sess.*24. *de reform. cap.*18. Accedit nam institutione authorizabili agitur de auctoritate publica Episcopo competente; præscriptio autem, seu consuetudo contra publicam Ecclesiæ auctoritatem non admittitur, *l. præscriptionem, Cod. de operib. publicis*, probaui *in cap.* 1. *de consuet.* Vnde institutio authorizabilis præscriptione, aut consuetudine ab inferioribus Prælatis adquiri non potest, secus verò institutio collatiua.

5. Vera hvius textvs interpretatio.

Ex quibus iam apparet vera huius decisionis interpretatio, circa quam varia adduxerunt Interpretes *in præsenti.* Glossa hîc, & *in dict. cap. cùm Bertoldus*, accipit hunc textum de consuetudine legitimè non præscripta, nec adhuc completa: quæ interpretatio refellitur ex illis generalibus verbis, *Obtentu alicuius consuetudinis*; quæ consuetudinem etiam legitimè introductam prorsus excludunt. Alij existimarunt, hunc textum accipiendum esse de præscriptione absque titulo & bona fide, & sic in eo rectè negari, ad acquirendum ius institutionis consuetudinem sufficere: ita Baldus *de præscript. part.* 5. *quæst.*11. *num.*6. Gilkenius *eod. tract. part.* 3. *cap.* 10. *num.* 10. Sed his omissis verius dicendum est, Alexandrum III. in præsenti tantùm eam consuetudinem improbare, per quam Archidiaconus intendebat nomine proprio, & sine mandato Episcopi, aut eius nomine ius instituendi authorizabiliter habere, vt patet ex illis verbis: *Sine mandato Episcopi*; non autem eam consuetudinem damnare, per quam Archidiaconus intenderet instituere in beneficiis nomine, & vice Episcopi, tanquam eius vicarius, cui aliquando Episcopus eam instituendi facultatem commisit; tunc enim consuetudine potest ille acquirere ius instituendi in beneficiis, tanquam vicarius Episcopi. Textus disertus *in cap. cùm venissent, de institutionibus.* Docent Barb. *dict. alleg.* 127. *num.*13. Tamburinus *dict. disput.*9. *quæst.*2.

6. Dissolvitvr dvbitandi ratio.

Quâ interpretatione retentâ non obstat dubitandi ratio suprà adducta; verum enim est, Archidiaconum esse vicarium natum Episcopi; non tamen æquè certum est, vicario Episcopi competere ius instituendi in beneficiis; non enim illi competit, nisi specialiter Episcopus institutendi facultatem illi committat, *cap. finali de officio vicarij, lib.*6. Quo modo accipiendi sunt textus *in dict. c. ex frequentibus, de instit. cap. statutum* 3. *de præbendis, lib.*6. quod etiam in Archidiacono procedit, videlicet eum cum licentia & mandato Episcopi posse institutionem etiam authorizabilem facere, vt ex nostri textus verbis, ibi: *Licentia, & mandato Episcopi*, à contrario sensu deducitur. Neque textus *in dict. cap. ad hæc*, contrarium probat, quia vt suprà dixi, loquitur de institutione corporali, non verò authorizabili. Nec augmentum dubitandi rationis refragatur; licèt enim præscriptione, aut consuetudine aliqua quæ spectant ad legem diœcesaneam, acquiri possint, tamen non omnia, præcipuè quæ graue præiudicium Ecclesiæ inferunt, aut specialiter ad Episcopum spectant: vnde cùm institutio authorizabilis proprio, & peculiari iure ad Episcopum spectet, ideò præscriptione, aut consuetudine adquiri non potest. Nec textus *in dict. cap. cùm olim, cap. auditis*

ditis, refragantur; nam loquuntur de institutione collatiua, non verò authorizabili, quæ consuetudine, aut præscriptione adquiri non potest.

7. EXPONITVR CAP. 2. DE ARBITRIS.

Sed suprà relatæ assertioni primò obstat textus *in cap. non sine 2. de arbitris*, in illis verbis: *Per manum Archidiaconi*; & ibi: *Capellanus institutus fuisset.* Ex quibus deducitur, Archidiaconum potuisse instituere ipsum R. propriâ auctoritate: igitur Archidiacono competit institutio authorizabilis in beneficiis. Huic difficultati communiter satisfaciunt Interpretes affirmando institutionem capellani, de qua ibi, ab Episcopo factam fuisse, ad præsentationem tamen Archidiaconi, qui aliàs erat Ecclesiæ patronus; & in hunc sensum accipiunt illa verba: *Per manum Archidiaconi*; id est, ad præsentationem. Sed quia ius præsentandi ad Archidiaconum pertinebat, tantùm necessarius fuit Episcopi consensus, vt ipsum capellanum institueret, sicut in aliis præsentationibus factis à patronis similibus, necessarius est, *cap. decernimus 16. quæst. 7.* plura Lambertinus *de iurepatron. lib. 1. part. 1. quæst. 9.* Gutierrez *quæst. 3. & 4.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de simonia, cap. 28. num. 1.* Ita accipiunt præsentem decisionem Beroius *notabili 1.* Antoninus *num. 6.* Cardinalis *num. 5.* & plures, quos refert, & sequitur Barb. *num. 2.* Verùm hæc interpretatio ex pluribus corruit. Primò, quia repugnat expressè verbis textus, ibi: *Ordinauit*; & ibi: *Institutus per manus*; ordinare enim propriè significat instituere, *cap. super eo, de officio delegati*: & institutio per manus amplius denotat, quàm præsentationem, *cap. post electionem, versic. Cùm igitur, de conces. præb.* nec si textus integra attentè perpendatur, inuenietur aliquod verbum, quod præsentationem demonstret. Secundò, & fortiùs refellitur prædicta interpretatio ex eo, nam patronus solùm potest præsentare capellanum, quando beneficium vacat, *dict. cap. decernimus 16. quæst. 7.* cùm autem capellanus instituitur, Ecclesia non vacat, *cap. extirpandæ 30. de præb. §. qui verò*, vbi Glossa *verbo Per precum*, Selua *de beneficiis part. 4. quæst. 4.* igitur cùm Ecclesia non vacasset, præsentationi locus esse non poterat. Quare hac solutione omissâ, veriùs dicendum est, textum illum procedere in institutione collatiua, quæ licet iure communi attento Archidiaconis non competat, tamen virtute consuetudinis ad eos spectare valet, vt suprà probaui. Vnde rectè in eo textu ratione consuetudinis potuit institutio collatiua ad Archidiaconum spectare. Quâ solutione etiam accipiendus est textus *in cap. 2. hoc tit. in 5. collect.* vbi ita Honorius III. statuit: *Quid ad Archidiaconi spectet officium in epistola B. Isidori, & ordinis Romani statutis, necnon & constitutionibus aliis inuenitur expressum; vnde non sine ratione miramur, quod cùm dil. f. Magister Vvido Archidiaconus Ecclesiæ tuæ, occupatus Cancellariæ nostræ seruitiis, in Archidiaconatu suo personaliter ministrare non possit, ac propter hoc commiserit dilectis filiis Vulterano Capitulo vices suas, tu, sicut eodem accepimus conquerente, cùm examinatio, præsentatio, ac installatio clericorum, siuè de beneficiis, siue de dignitatibus hîc agatur, pertineat ad eundem, eodem, ac procuratoribus suis irrequisitis, omninò ipsos instituis pro tua arbitrio voluntatis, aliàs super officio suo grauis eidem & iniuriosus existens. Vt igitur quod per se ipsum modò non potest, per alios liberè prosequatur, f. t. p. A. sc. m. quatenus procuratores ipsius in iis, quæ iure scripto, vel approbatâ consuetudine, ad sui Archidiaconatus officium spectare noscuntur, benevolo studeas fauore fouere, attentiùs prouisurus, vt eos in præmissis, & aliis ad officium suum spectantibus non impedias, nec patiaris, quantum in te fuerit, ab aliis impediri.*

8. INTELLIGITVR CAP. CVM BERTOLDVS DE RE IVDICATA.

Deinde opponi potest textus *in cap. cùm Bertoldus 18. de re iudicata*, in illis verbis: *Archidiacono ad supradictam Ecclesiam.* Ex quibus depromitur, Archidiacono tam institutionem corporalem, quàm collatiuam in beneficio ecclesiastico competere: igitur quia Archidiacono ex iuris communis dispositione competit institutio in beneficiis. Cui difficultati satisfaciendum est ex communi doctrina Baldi, & Butrij in eo textu, quos sequuntur Balboa *ibi, num. 13.* Garaña *in cap. 3. de instit.* qui asserunt, prædictum textum in prima parte procedere in institutione corporali, quæ ad ipsum iure communi spectat, *dict. cap. vt nostrum, hoc tit. cap. cùm veniisset, de instit.* de qua etiam accipiendus est textus *in cap. super eo 15. de officio deleg.* In secunda verò parte locum habere in institutione collatiua, aut ex consensu, & licentia Episcopi facienda; non verò quia eam iure proprio facere possit Archidiaconus.

9. EXPENDITVR CAP. REFERENTE, DE PRÆBENDIS.

Rursus obstat textus *in cap. referente 7. de præb. & dignit.* vbi expressè docetur, Archidiaconum habere potestatem instituendi, & destituendi clericos: igitur quia omnis institutio in beneficiis ad Archiaconum spectat. Pro cuius textus solutione Glossa & alij communiter affirmant, Archidiaconum ibi virtute consuetudinis potuisse instituere, & destituere, iuxta suprà dicta. Sed câ solutione omissâ, verius dicendum est, in eo textu Archidiaconum, non tanquam Archidiaconum, sed vt vicarium Episcopi clericum instituisse, & destituisse: quod expressè colligitur ex eo, quia ab eius sententia, non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum appellatur, quod innuit eandem esse iurisdictionem Archidiaconi, & Episcopi, quod iam obseruauit Cironius *lib. 2. obseru. cap. 8.* Vnde cùm ex præsenti textu, accedente Episcopi licentia possit Archidiaconus omnem institutionem facere, rectè in eo textu asseritur, ad eum spectasse institutionem in illo beneficio.

CAPVT V.

Alexander III. [a] *Vvigorn. Episcopo.*

ARchidiaconis de ecclesiastica institutione non videtur licere, nisi auctoritas Episcoporum, & consensus accesserit, in aliquos sententiam promulgare.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Vvigorn.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.5.* vbi adiicitur, hæc verba spectare ad textum *in cap. causam quæ vertitur*; qui textus reperitur in hoc volumine, *sub tit. de iudiciis*, *in cap. causam* 9. licèt falsò ille tribuatur Clementi, cùm sit nostri Alexandri in epistola missa R. Vvigornienſi Episcopo, vt refertur post Concilium Lateran. sub Alexandro *part.3 6.cap.3.* & dicemus *in dict.cap.causam :* vnde præsens epigraphe ita restitui debet : *Alexander III. R. Vvigornienſi Episcopo, & Abbati de Eueſam.* De Ecclesia Vvigorn. egi *in cap. nosti*, *de elect.* Monasterium verò de Eueſam est ordinis D. Benedicti in ipsa diœceſi Vvigorn. vt docet Cuiacius *in dict. cap. causam.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR. EX hoc textu talis deducitur assertio : *Archidiaconus de iure communi non potest sententiam excommunicationis proferre.* Probant eam textus *in cap. visis 16.quæst.2. cap. nullus 16. quæst.7. cap.corripiantur 24.quæst.3. cap. si quis*, §. *Archidiaconus, cum cap. sequenti*, 94. *dist. cap. vlt.hoc tit.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *de iure eccles. lib.1. cap.24.* & *de dignit. cap.5 num.29.* Antonius Chucus *lib.10. instit. cap. final.* Petrus Greg. *lib.5.partit.tit.2. cap.5.* Glossa *verb. De consuet. in extrauag. Execrebalis*, *de præb.* Cæsar *de hierarch. Eccles. disp. 11. §.1. num. final.* Vighellius *in meth. iuris can. pag. 255.* Hallier. *de iurisd. hierarch. pagin. 390. & 873.* Fragoso *de regim. Christ. Reip. lib.3.p.2. disput.8. §.2. num.20.* Marius Alterius *de censur. lib.3. disput. 7. cap. 1.* Hurtado *eod. tract. disp.2. quæst.16.* Cironius *ad hunc titul.* & *in cap.1. de noui operis nunciat. in quinta compil.*

3. RATIO DVBITANDI. Sed præsens assertio impugnari potest sequenti consideratione. Archidiaconus est Vicarius Episcopi, *cap.1. cap. ad hæc, hoc tit.* Sed Vicarius Episcopi, vt ordinarius iudex, potest sententiam excommunicationis proferre, *cap.2. de consuet. lib.6. cap. Romana, de appellat. eod.lib.* iunctis traditis à Gibalino *de censur. disquisit. 3. quæst.3.1. part. propositionis :* igitur & Archidiaconus excommunicare valet. Augetur hæc difficultas ex eo ; nam Archidiaconus habet ratione suæ dignitatis curam animarum, *cap. cùm in cunctis 7. §. inferiora*, *de elect.* vnde potest non solùm inferiores in ordine, vt subdiaconos, lectores, ostiarios; verùm & maiores, vt presbyteros, ob excessus ab eis commissos punire, *cap. clerici*, *de vita & honest. cleric.* Gregorius VII. in Concilio Rom. *can.* 4. ibi : *Si criminosus fuerit aliquis presbyter, in præsentia Episcopi, vel Archidiaconi diiudicetur.* Concilium Antiochenum *can.* 20. *Si presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus post acceptam benedictionem infantes procreauerit, & Archipresbyter hoc Episcopo, aut Archidiacono non intimauerit, integro anno non communicet.* Et *can.*43. Matiscon.1. *can.*8. Metense *can.*3. Cabil. 2.*can.*15. Similiter & valet in causis ciuilibus iurisdictionem exercere, *cap. litteras* 15. iunctâ eius epigraphe, *de officio ordin. cap.2. ne Prælati vices suas*, *cap. præsentata* 50. *de testibus.* Sed nisi iurisdictionem, & coërcitionem cum excommunicandi facultate haberet, non posset prædictam curam exercere, *cap.1.* iunctis ibi traditis, *de officio deleg.* igitur Archidiaconus iure proprio virtute dignitatis potest excommunicationis sententiam proferre. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex eo, quia Archidiaconus ratione iurisdictionis maior est presbyteris, & aliis Ecclesiæ ministris, *cap. 1. de officio Archipresbyteri*, *cap. 1. de officio custodis* : sed presbyteri parochi facultatem habent excommunicandi, *cap. nemo 2.quæst.1. cap.2.* vbi dicemus, *de officio ordin.* immò & laici fideles, *cap. tam sacerdotes* 14. 24. *quæst. 3. l.3. §.1. Cod. de summa Trinit. l. 5. vers. si quis*, *Cod. de sacrosanct. Eccles. authent. credentes*, *Cod. de hæret.* Vnde Rex Bermundus in priuilegio concesso Bellico de Aureolis, relato ab Otalora *de nobilit. cap.6. in fine*, ita cauit : *Vt consanguinei mei, vel extranei, tam filij, quàm nepotes, qui contra factum meum venerint, iram Regiam patiantur, & sententiam excommunicationis.* Et in præcepto Regis Dagoberti relato à Bignonio *in notis ad Marculfum, cap.1. pag.* 433. legitur : *Si quis hæc non obseruauerit, & hic, & in futuro anathema sit.* Igitur si presbyteri, & laici, qui nullam iurisdictionem ecclesiasticam obtinent, possunt sententiam excommunicationis proferre, multò magis & Archidiaconi, qui vltra dignitatem, quam obtinent, iurisdictionem cum mixto imperio habent, eam proferre valent.

4. RATIO DECIDENDI. Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens Alexandri III. decisio, quæ auctoritatibus suprà relatis vallatur, & ea ratione fulcitur ; nam cùm dignitas Archidiaconatus primis Ecclesiæ sæculis tantùm esset ministerium, non verò contineret officium cum iurisdictione, licèt posteà Archidiaconorum elatione, & intumescentiâ illi aliqua sibi vsurparent, & etiam iurisdictionem in presbyteros, & alios Ecclesiæ ministros ; & potestas clauium non ratione ministerij, sed officij obtenti cum iurisdictione in Ecclesia competat, quare excommunicatio dicitur mucro dignitatis Episcopalis, *cap. viris 16. quæst.7.* inde prouenit, vt Archidiaconus ratione propriæ dignitatis sententiam excommunicationis proferre non possit, nisi consuetudine talem iurisdictionem sibi acquisierit ; tunc enim sicut alia ratione consuetudinis Archidiaconus exercere valet, ita & excommunicandi potestatem acquirere poterit.

5. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec obstat difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta ; nam licèt Archidiaconus vicarius Episcopi sit, non inde deducitur, posse iure proprio sententiam excommunicationis proferre, sed tantùm vices Episcopi gerendo, eius nomine posse eum excommunicare, quod in præsenti textu non negatur. Nec aduersatur augmentum primum ipsius difficultatis, in quo dicebamus, Archidiaconum ratione curæ animarum potestatem clauium habere. Nam respondendum est, Archidiaconum posse habere curam animarum duplici modo, aut concessione Episcopi, aut virtute consuetudinis ; quibus in casibus accipiendus est textus *in dict. cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora.* Primo casu certum est ex præsenti textu, in illis verbis, *Nisi auctoritate Episcoporum*, posse Archidiaconum sententiam excommunicationis proferre. Secundò etiam verum est, quod si consuetudine acquiratur iurisdictio, acquiritur simul excommunicandi potestas, vt infrà dicemus : inde cùm Archidiaconus iure proprio non habeat curam animarum, non poterit ratione dignitatis tantùm sententiam excommunicationis proferre. Nec secundum augmentum difficultatis aduersatur, quia licèt Archidiaconus maior sit presbyteris parochis, *dict. cap.1. de officio Archipresbyteri* ; tamen cùm ipsi parochi

rochi habeant curam animarum, quam non obtinent Archidiaconi, eius ratione possunt subditos excommunicare, *dict. cap. 2. de officio ordin.* vbi latiùs dicemus. Nec etiam aduersatur textus *in dict. cap. tam sacerdotes*; nam in eo non affirmatur, omnes fideles laicos posse censuris ecclesiasticis vti, sed tantùm posse peccatores arguere, & increpare, vt sic à legitimo iudice segregentur ab Ecclesiæ communione iuxta correctionis fraternæ modum, de quo *in cap. nouit, de iudiciis.* Et cùm in priuilegiis Principum legitur, eorum violatores esse excommunicatos, excommunicatio non accipitur propriè pro censura ecclesiastica, sed tantùm pro execratione; & quadam anathematizatione: aut si pro censura propriè accipitur, non eam imponunt, aut infligunt ipsi Principes sæcurares, sed tantùm Prælati ecclesiastici, qui simul cum eis subscribunt in ipsis priuilegiis, vt ex eorum subscriptionibus constat.

6. EXPONITVR CAP. REFERENTE 7. DE PRÆBENDIS.

Superiori assertioni obstat textus *in cap. referente 7. de præb. & dignit.* in illis verbis: *Vinculo excommunicationis adstrinxit.* Ex quibus constat, Archidiaconum Rhemensem sententiam excommunicationis pronuntiasse contra quendam presbyterum eiusdem diœcesis: igitur quia Archidiaconus virtute propriæ iurisdictionis sententiam excommunicationis proferre valet. Pro cuius textus interpretatione sciendum est, quod licèt iure communi inspecto Archidiaconi non possint excommunicationis sententiam proferre, aut similem censuram promulgare; tamen ex consuetudine plerique Archidiaconi hanc potestatem sibi vindicarunt, vt de Archidiacono Senonensi refertur *in cap. finali, hoc tit.* & *in cap. significantibus 2. de noui operis nunciat.* De Rhemensi *in cap. Romana, de appellat. in 6.* de Rhotomag. *in cap. venerabili 7. de sentent. excomm. in 6.* de Conuentrensi *in cap. licèt 3. de pœnis*, de aliis *in cap. reprehensibilis, de appellat.* iunctâ eius integrâ. Cùm enim præcipua munia huius dignitatis ex consuetudine prouenerint, atque per lapsum temporis introducta sint, potiùsque Archidiaconi illa vsurpauerint, quàm ius illis concesserit, & inter alia plures iurisdictionem occupauerint, & per consequens vi tantùm consuetudinis excommunicandi facultatem sibi acquisierint; cùm etiam per consuetudinem iurisdictio acquiratur, *cap. licèt*, cum vulgatis, *de foro compet.* & ob iurisdictionem ecclesiasticam in foro contentioso competat excommunicandi potestas, Gibalinus *de censuris disquisit. 3. quæst. 2. in fine*; ideò Archidiaconi, qui per consuetudinem acquisierunt iurisdictionem spiritualem, contentiosam simul & excommunicandi facultatem nacti fuerunt, vt docent Cæsar *in dict. disput. 12. §. 1.* Barb. *de dignit. dict. cap. 5.* Quâ consuetudine præmissâ, & suppositâ, intelligendi sunt textus *in dict. cap. referente 7. dict. cap. significantibus 2. dict. cap. Romana, dict. cap. licèt 3. dict. cap. reprehensibilis, dict. cap. venerabilibus 7. cap. 1. de eo qui furtiuè, cap. 1. de feriis, in 2. collect.* in illis verbis: *Significantibus nobis viris religiosis fratribus Cistrensis Ordinis accepimus, quod cum eorum famuli, & mercenarij in quibusdam diebus, quos alij solennes habent, laborant, Archid. Decani, & Presbyteri, de quorum parochiis sunt, in eos sententiam excommunicationis propter hoc intentare præsumunt. Quoniam igitur super hoc non debent tantâ pœnâ multari, f. 1. per A. s. m. quat. omnibus Archidiaconis, Decanis, Presbyteris vestræ iurisdictionis arctiùs prohibere curetis, ne in famulos, vel mercenarios prædictorum fratrum, pro eo quod ipsi, & iidem fratres diebus illis laborant, quas alij solennes habent, vel excommunicationis, vel interdicti sententiam ferre præsumant; si verò contra prohibitionem vestram venerint, & sententiam eorum ap. rem. denuntietis irritam, & inanem, & ipsos pro transgressione non differatis ecclesiastica seueritate punire.*

CAPVT VI.

Idem *Episcopo* [a] *Conuentrensi & Abbati* [b] *Cistren.*

MAndamus, vt ex nostra, & vestra parte prohibeatur Archidiaconus R. Cistren. clericos, siue [c] laicos, qui pro suis excessibus puniendi sunt, pecuniariâ pœnâ multare, seu in examine ignis, vel aquæ, à quolibet viro, vel muliere aliqua extorquere præsumat, aut pro annua, & indebita exactione pecuniæ personas suspendere, vel Ecclesias interdicere: nec ad Ecclesias sui Archidiaconatus visitandas, nisi semel in anno accedat, nisi fortè talis causa emerserit, propter quam ipsum oporteat præfatas Ecclesias sæpius [d] visitare: & cum ea moderantia hominum, & equitaturarum, quod qui in eis morantur, exinde non debeant meritò querelari. Si autem contra inhibitionem vestram venire præsumpserit, ecclesiasticâ seueritate eum percellatis, omni oc. & ap. cess. & sententiam ipsam vsque ad dignam satisfactionem faciatis inuiolabiliter obseruari, ita quod in vos, & illos hoc non cogamur diutiùs vindicare.

NOTÆ.

1. a *Conuentrensi.*] Ita etiam habetur *in cap. 4. de pœnis, in 1. collect.* & post Concil. Lateran. sub Alex. III. *part. 2. cap. 3.* ex quibus locis ita restituo hunc textum. De Ecclesia Conuentrensi egi *in cap. 2. de rescriptis.*

b *Cistrensi.*] Monasterium Cistrense, de Cestria dictum, est Ordinis D. Benedicti, in Normannia, London. diœcesis, quod primus Leofricus Comes Cistrensis ædificauit, & semel collapsum Hugo etiam Comes restaurauit, vt ex scriptoribus illius prouinciæ refert Cironius *in notis ad textum in cap. dilectus, de sequestratione possess. in 5. compil.*

c *Clericos, siue laicos.*] Similes excessus in Archidiacono

3.

chidiacono Conuentrenſi reprehendit Alexander III. *in cap. licèt 3. de pœnis*, vbi quæ ad primam partem huius textus ſpectant, diſputabimus.

4. d *Sæpius viſitare.*] Quia ad Archidiaconum ſpectat diœceſis viſitatio, vt dixi *in cap. 1. hoc tit.* non tamen ideò poteſt ſæpe ſæpius, ſed ſemel tantùm in anno viſitare, *cap. cùm venerabilis, de cenſibus*, vbi quæ ſpectant ad viſitationem, & modum, latè illuſtrabimus.

CAPVT VII.

Innocentius [a] III.

AD hoc nos Dominus, &c. Sanè conſuluit nos tuæ fraternitatis deuotio, quid ad officium Archidiaconi debeat pertinere, & in quibus per ipſum cura Epiſcopalis ſolicitudinis debeat releuari? Et nos, provt [b] poſſumus, reſpondemus. Archidiaconus ſecundùm [c] ſtatuta B. [d] Iſidori imperat Sacerdotibus, & Leuitis. Parochiarum [e] ſolicitudo, & earum [f] ordinatio ad ipſum pertinet, & audire debet [g] iurgia ſingulorum. [h] Archipreſbyteri, qui Decani à plebibus nuncupantur, eius iuriſdictioni ſe nouerint ſubiacere. Secundum verò [i] Romani Ordinis conſtitutum, maior poſt Epiſcopum, & ipſius Epiſcopi vicarius reperitur: omnem verò ſolicitudinem & curam, tam in clericis, quàm in Eccleſiis eorum, provt melius ſecundùm Deum poterit impendendo; cùm ſuper his ſit redditurus in diſtricti examinis iudicio rationem. Item in j epiſtola B. Clementis Papæ pr.n. [k] oculus Epiſcopi Archidiaconus appellatur, vt loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet, niſi adeò ardua fuerint negotia, quod abſque maioris præſentia nequeant terminari. In quadam verò noſtra [l] conſtitutione nos iam alia vice meminimus expreſſiſſe, quod inſtitutio corporalis, tam ſuper beneficiis, quàm etiam dignitatibus, ad ipſum debeat pertinere: examinatio etiam clericorum, ſi fuerint ad ſacros ordines promouendi; & hoc idem in collationibus beneficiorum credimus obſeruandum, vt qui beneficiis eccleſiaſticis præficiendi fuerint, à ſuo priùs examinentur Archidiacono, & per ipſum poſtmodùm Epiſcopo p ræſententur. Subſequenter poſteà quæſiuiſti, vtrum Decani [m] rurales, qui pro tempore ſtatuuntur, ad mandatum tuum ſolum, vel [n] Archidiaconi, vel etiam vtriuſque inſtitui debeant, vel deſtitui, ſi fuerint amouendi? Ad hoc breuiter reſpondemus, quod cùm iuxta Imperialis ſanctionis auctoritatem, quod omnes rangit, ab omnibus comprobari debeat, cùm commune eorum exerceat Decanus officium, communiter eſt eligendus, vel etiam amouendus.

NOTÆ.

a *INnocentius III.*] In quarta collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* etiam tribuitur hæc epiſtola Innocentio III. cui miſſa ſit non conſtat; nec inter epiſtolas ipſius Innocentij emendatas à Guillelmo Sirleto, nec inter editas à Boſqueto reperitur hæc epiſtola: ex dicta tamen collectione ita reſtituitur.

1. b *Provt poſſumus.*] Cùm enim circa officium, & iuriſdictionem Archidiaconi tantùm reperiantur auctoritates D. Iſidori, & Ordinis Romani, & quamplurima in illis non comprehenſa Archidiaconi ſibi arrogauerint, & vſurpauerint, vt *in cap. 1. hoc tit.* dixi, ideò Innocentius reſpondet conſultationi factæ iuxta illa duo teſtimonia, quod & Honorius eius ſucceſſor fecit *in cap. 2. hoc tit.* cuius verba retulimus *in cap. cùm ſatis, hoc tit.*

c *Statuta.*] Relata à Gratiano *in cap. perlectis, 25. diſt.* vbi refertur epiſtola D. Iſidori miſſa ad Epiſcopum Leudifredum, quæ etiam reperitur inter opera eiuſdem eximij Doctoris, edita operâ & ſtudio D. Garſiæ à Loayſa *tom. 2. pag. 391.*

d *Iſidori.*] Iſidorus Præſul Hiſpalenſis, Hiſpaniæ Doctor, Catholicæ fidei magiſter, floruit temporibus Recharedi Regis Gothorum, à quo mortuo Leandro, in eius locum ſuffectus eſt, & à Gregorio Magno confirmatus. Eius laudes, animique dotes latè proſequuntur Quintanaduenas in Sanctorum Hiſpalenſium hiſtoria, *pag. 247.* Antonius Neubricenſis *in vita ipſius Sancti*, plures Hiſpanici ſcriptores congeſti à Tamayo de Salazar *tom. 2. martyrol. Hiſpan. die 4. Aprilis.*

e *Solicitudo.*] Vacantium enim Eccleſiarum cuſtodia ad Archidiaconum ſpectat, *cap. ſi in plebibus, 63. diſt. cap. bonæ 51. de appellat.*

f *Ordinatio.*] Id eſt Clericorum ad Eccleſias vacantes præſentatio; debet enim Archidiaconus præſentare clericos ab Epiſcopo ordinandos, *dict. cap. ſi in plebibus, cap. cùm dilectus 28. de iurepatron. cap. vt noſtrum, hoc tit.*

g *Iurgia.*] Vt dixi *in cap. 5. hoc tit.*

h *Archipreſbyteri.*] Hæc verba exponemus *in cap. 1. de officio Archipreſbyteri.*

i *Romani Ordinis.*] De hoc libro nonnulla retuli *in cap. 1. hoc tit.*

j *Epiſtola.*] Ad Iacobum fratrem miſſa, de cuius auctoritate latè agit Viuar. *ad Flauium Dextrum, anno 37. num. 6.* & nos *in cap. vnico, de ſacra vnct.*

k *Oculus Epiſcopi.*] Recta comparatio; nam oculus pro præſtantiore parte corporis accipitur, & quæ aliis præeſt. D. Auguſt. *in pſalmum 87.* Vnde R.P. dicitur oculus vniuerſi corporis Eccleſiæ, vt 2.

probat

probat P. Serlogus *tom. 3. in Cantic. cap. 4. vestig. 28. sect. vnica, pag. 148.* inde Archidiaconus dicitur oculus Episcopi, cùm rectè gerit quæ sui officij sunt: si verò rectè non gerat, clauus Episcopi dicitur. Mirè ad rem Fulbertus Carnotensis *epist. 34.* ibi: *Inter quos, videlicet aduersarios, vnus est nomine Lysardus, olim quidem Archidiaconus, qui cùm esse deberet oculus Episcopi sui, dispensator pauperum, cathechisator insipientium, apostatauit ab omnibus his, & factus est Episcopo suo quasi clauus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris insipientibus: quia superba & contumeliosa maledicta in Episcopum suum iaculans, serenitatem speculationis eius turbat, decimas, & oblationes altarium, stipem videlicet pauperum, suo Episcopo inconsulto, sæculari militiæ tradit.*

l *Constitutione.*] De qua *in cap. vt nostrum, hoc tit.* vbi dicemus.

m *Rurales.*] Id est Archipresbyteri, *cap. 1. & per totum, de officio Archipresbyteri.*

n *Vel Archidiaconi.*] De consuetudine, vt dixi *in cap. cùm satis, hoc tit.*

CAPVT VIII.

[a] Idem *Taruisino Episcopo.*

SIgnificasti nobis per litteras tuas, quod quidam clerici tuæ diœcesis, licèt ecclesiastica beneficia sint adepti, [b] comam nutriunt; qui etiam incedunt in habitu laicali: [c] laici quoque adscribi volentes militiæ clericali, cùm à te promoueri non possint, cum litteris Archidiaconi tui ad Episcopos vicinos accedunt, & ab eis se faciunt ordinari. Volentes igitur huiusmodi excessibus obuiare, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus clericos, qui comam nutriunt, & incedunt in habitu laicali, nisi ad commonitionem tuam deposuerint comam, & clericalem seruauerint, tam in vestibus, quàm in aliis honestatem, vsque ad correctionem idoneam à beneficiorum suorum perceptione, sublato appellationis obstaculo, nostrâ, & tuâ fretus auctoritate suspendas: interdicas autem Archidiacono tuo, ne sine licentia, & auctoritate tua concedat suas litteras promouendis: & eis etiam districtè prohibeas, ne ad ordines taliter audeant conuolare. Quod si contra prohibitionem tuam venire præsumpserint, executionem eis ordinum susceptorum taliter interdicas. Datum Later. xv. Cal. Octob.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita restituenda est hæc inscriptio ex epistolis Innocentij III. emendatis à Guillelmo Sirleto *lib. 2. epistol. fol. 378.* Etiam reperitur hic textus in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* sed diminutus, vt in hac sexta collectione: quare ex prædicto Codice epistolarum eam restituo. De Taruisina Diœcesi egi *in capite 7. de constit.*

b *Comam.*] Quod clericis prohibitum est, *cap. si quis ex clericis 4. cap. clericis 5. cap. clericus 7. de vita & honest. cleric.*

c *Laici.*] Quod alienum est à clericali gradu, *cap. clerici 15.* vbi latè dicemus, *de vita & honest. cleric.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO REPERTVR ET PROBATVR.

EX verbis à Raymundo compilatis in hac sexta collectione, hæc communiter deducitur assertio. *Archidiaconus non dat litteras commendatitias.* Probant eam textus *in cap. quamuis, 69. dist. cap. cùm nullus, cap. 3. de tempor. ordin.* Concilium Trident. *sess. 24. de reform. cap. 11.* Colonienſe *part. 1. cap. 29. Prohibemus, ne officiales nostri litteras dimissorias, quæ vulgò licentiatoriæ ordinandi vocantur, alicui temerè concedant.* Moguntinum celebratum anno 1549. *cap. 84.* Illustrant Hallier. *de sacris elect. cap. 3. art. 11. §. 4. pag. 669. & pag. 672.* Leander *de sacrament. tom. 2. de ordine, disput. 10. tract. 6. quæst. 4.* Narbona *de appellat. à Vicario, cap. 1. num. 197.* Ferrarius *de antiquis Ecclesiæ litteris, cap. 8.* Flores de Mena *lib. 3 quæst. 4.*

Sed hæc assertio difficilis valdè redditur sequenti consideratione; nam facultas concedendi commendatitias litteras, seu dimissorias, non prouenit à potestate ordinis, sed iurisdictionis: vnde Episcopus electus, confirmatus, licèt non consecratus, potest prædictas litteras concedere, *cap. nosti 9. cap. transmissam 15. de electione, cap. absentia, eod. tit. in 6.* vbi Glossa *verbo Confirmetur.* Similiter Archiepiscopus ante pallij receptionem, licèt ordines conferre non possit, litteras dimissorias dare valet, *cap. suffraganeis, de elect.* Docent Henriquez, Toletus, & Bonacina laudati à Leandro *dict. tract. de ordin. dict. disput. 10. quæst. 1.* Similiter Vicarius Episcopi licèt ordines conferre non possit, litteras tamen dimissorias dare valet: & Capitulum Sede vacante, si beneficium est arctatum. Trident. *sess. 7. de reform. cap. 10.* Sed Archidiaconus iurisdictionem obtinet in clericos, tam in maioribus, quàm minoribus ordinibus constitutos, vt sæpè sæpiùs dixi *in hoc tit.* & eos Episcopo repræsentat, vt ab eo ordinentur, *cap. ad hoc, hoc tit.* igitur potest litteris suis dimissoriis eos alieno Episcopo præsentare, vt ab eo ordinentur. Augetur hæc difficultas ex testimonio Flodoardi veteris historici Ecclesiæ Rhemensis, *lib. 3. cap. 8.* vbi refert Heluirum presbyterum Rhemensem ordinatum fuisse à Lupo Catalaunensi Episcopo, eo quod Archidiaconus Rhemensis cum aliis comministris, tam canonicis, quàm monachis, hanc illi obtulisset: ex quo expressè constat, Archidiaconum Rhemensem potuisse litteras commendatitias clericis concedere ad ordines recipiendos ab alieno Episcopo.

2. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

3. De litteris commendatitiis.

Hac dubitandi ratione non obstante vera est nostri Innocentij III. decisio, pro cuius expositione sciendum est, inter alias litteras iam à primis Ecclesiæ temporibus vsu receptas, de quibus egi *in cap.1. de clericis peregrin.* etiam enumerari commendatitias, dimissorias, seu reuerendas, quibus nominibus significantur litteræ illæ, quibus proprij subditi reuerenter dimittuntur, & commendantur alieno Episcopo, vt ab eo ordinentur, *cap.3. 77. dist.* Concil. Chalced. *can.20. cap.1. 72. dist. can.15. & 33. Apost.* probaui *in cap. quoad translationem, de tempor. ordin.* latè illustrat Hallier. *de sacris elect. dict. cap.3. art.10. per totum.* Circa eas verò sequentia examinanda sunt, tam ex veteri, quàm nouo iure, à quibus videlicet concedi possint, quibus dari valeant, & quænam earum forma à iure præscripta sit.

4. Qvi eas concedere possint.

Certum est, concedere litteras dimissorias, seu vt vulgò dicitur, reuerendas, eorum proprium esse, quibus competit ordines conferre, ex regula, *Potest quis, de regul. iuris in 6.* vnde sicut potest Episcopus domicilij, originis, & beneficij ordines conferre; ita & litteras dimissorias dare. Ex vna enim potestate alia infertur, & deducitur: quare Abbates ius mitræ, & baculi habentes, quia minores ordines possunt conferre suis subditis, *cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* dimissorias litteras conferre poterunt tantùm ad minores ordines, non ad maiores, vt docent Flores de Mena *vbi suprà*, Tamburinus, Diana, & alij relati à Leandro *dict. disput.10. quæst.7. & 8.* Similiter Vicarij Episcoporum, Archidiaconi, Archipresbyteri, & similes, qui appellatione Vicariorum continentur, cùm ordines conferre non possint, nec prædictas litteras dimissorias concedere valent, nisi de speciali mandato Episcopi, vel eo in remotis partibus agente, *cap. cùm nullus, de tempor. ordin. lib.6.* Leander *vbi suprà, quæst.3.* Et licèt Glossa *in eo cap. verbo Remotis*, intendat probare remotum illum tantùm dici, qui extra prouinciam, aut vltra montes degit; tamen rectiùs resoluit Hallier. *vbi suprà, pag.672.* hoc arbitrio Episcopi relinqui: circa Capitulum verò sede vacante varia pro diuersitate temporum statuta, & obseruata reperiuntur. A primis enim Ecclesiæ sæculis vsque ad tempora Concilij Trident. Capitulis Ecclesiarum Cathedralium concessum erat vicinum Episcopum, vel quem maluissent, adsciscere, vocare, & inuitare, vt in ipsa diœcesi Pastore destituta sacros ordines conferret, aut clericos ordinandos dimittere, & commendare alienis Episcopis, *cap. his quæ, de maiorit. & obed. cap. si Episcopus, cum sequenti, de supplend. neglig. lib.6.* Concilium Antiochenum *can.6.* plura Bosquetus *ad Innocentium III. lib.1. epist.13.* Possevinus *de potest. Capituli 1. part. quæst.1.num.3.* post tempora tamen Concilij Trident. & eius decretum, *sess.7. de reform. cap.10. & sess.10. de reform. cap.23.* illud ius antiquum abrogatum fuit, nouiterque statutum, ne sede vacante Capitulum litteras commendatitias concedere possit, nisi alicuius beneficij arctati occasione: circa cuius constitutionis explicationem plura cumularunt Barbosa *in eius remiss.* Hallierius *pag.671.* Leander *vbi suprà, quæst.4.*

5. De personis, qvibvs dimissoriæ dantvr.

Sequitur secunda inspectio de personis, quibus concedi debent prædictæ litteræ commendatitiæ, seu dimissoriæ. Et primò sciendum est, tantùm eas concedi postulanti, & efflagitanti, *cap.1.* in illis verbis: *Nisi ab ipso postulatus, & priùs examinatus à propriis Episcopis litteras concedentibus.* Trident. *sess.23. de reform. cap.3.* in illis verbis: *Non aliter quàm iam probatos, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant, nisi ob iustam causam ipsum examinandum ordinanti committant, quod ex iustis causis fieri permittitur.* Concilium Senon. celebratum anno 1528. *in decretis morum, cap. 5.* ibi: *Et quamuis*, inquit, *Episcopus originis, beneficij, aut domicilij non solùm ad ordines promouere, sed etiam litteras dimissorias ad ipsos ordines concedere possit; iniungimus tamen suffraganeis nostris, vt si quando litteras dimissorias ad sacros ordines indulgere voluerint, ne indigni assumantur, obseruent ordinem, qui sequitur, videlicet quod volentes impetrare litteras dimissorias, accedant ad diœcesanos, qui super præmissis ætate, litteraturâ, moribus, beneficio, seu patrimonio inquirant, seruentque diligenter prædictas solennitates perinde, ac si in propria diœcesi ordinare vellent: at tunc sic examinato concedantur litteræ dimissoriæ, remittaturque ita examinatus cum litteris ipsis, in quibus etiam declaretur prædicta solennitas sic obseruata, fiatque mentio expressa de beneficio, aut patrimonio, vt Episcopus, ad quem se confert ordinandus, eum sine scrupulo promouere, & ordinare possit. Quod si propter infirmitatem, aut aliam causam rationabilem is, qui litteras dimissorias obtinere cupit, non possit commodè accedere ad suum Episcopum, tunc remittatur super ætate, litteratura, ac moribus, vt priùs, examinandus ad Episcopum, cui litteræ dimissoriæ præstabuntur, inseratur que in iis litteris dimissoriis clausula (Super quo conscientiam tuam oneramus:) prouiso tamen, quod nunquam concedantur litteræ dimissoriæ, nisi illi, qui habuerit beneficium, aut patrimonium prætaxati valoris.* An autem cùm dimittitur, & commendatur ordinandus iam examinatus, iterum possit examinari ab ordinatore, pertractat Hallierius *de sacris elect. 1. part. de examin. ordin. cap.1.*

6. De forma dimissoriarvm.

Quoad formam prædictarum litterarum, & quæ in eis spectentur, & requirantur, sciendum est primò, in ipsis litteris inseri debere causam propter quam proprius Episcopus dimittit ipsum alij ordinandum, *cap.1. de tempor.ordin. lib.6.* Trident. *sess.7. de reform. cap.11. & sess.23. cap.3.* docet Barbosa *de potest. Episcopi alleg.7. num.20.* Secundò in eis exprimi debere Episcopum, cui committitur, nisi generaliter ita dimittatur, vt à quocumque Episcopo Catholico ordinari valeat, iuxta textum *in cap. veniens, de præscript.* ibi: *Vt à quocumque Antistite ritè, & catholicè promoto, & gratiam, & communionem S. Sedis Apostolicæ habente.* Apponi tamen solet clausula illa: *Clerum, ac populum habente*; vt adimatur facultas ordinandi Episcopis titularibus, & propriam sedem non habentibus, quorum potestatem restringere magnoperè intendunt PP. Concilij Trident. *dicta sess.14. de reform. cap.2.* & vt cuncta comprehendamus, quæ in litteris dimissoriis complecti solent, vnum, aut aliud exemplar earum referamus. Et omissis relatis *tomo 2. Concilior. Galliæ*, in antiquis formulis, iuxta priscum Ecclesiæ morem, ita legitur in veteri formula ab Hallierio edita vbi suprà, *pag.664. Durandus Dei gratiâ Aruernorum Episcopus, Rodulpho excellentissimo Turonensi Archiepiscopo. Quod in terra felicius, vel beatius in cœlo comperiat dilectio vestra, quod hic præsens Subdiaconus, quem manu propria consecrauimus, misericorditer formatam*

à

à nobis expetiit epistolam, & omnem auctoritatem canonicam, sicut inter dantem, & accipientem fieri oportet: quatenus hac auctoritate securus, iure vestræ ditioni subiici valeret. Cuius petitionibus annuentes, mittimus nobilitati vestræ hanc epistolam canonicâ institutione formatam, vt quem sanctitatis à modo custodiæ rogando committimus, cum libera nostra concessione ad quodcumque officium, seu ad quemcumque gradum visum fuerit, promoueatis, & omnem quam erga eum hactenus potestatem nobis licuit exercere, sit vobis licitum. Et vt nullus in vestro animo scrupulus hæsitationis remaneat, ea signa quæ SS. PP. in Nicæno Concilio statuêre in eiusmodi epistolis scribendis, in primis, & vltimis annotauimus. Aliud iuxta vsum quotidianum refert Barb. *post tractatum de officio, & potestate Episcopi.*

7. RATIO DECIDENDI. Quibus ita præmissis apparet iam vera decidendi ratio huius textus; nam cùm litteras dimissorias illi tantùm dare possint, qui ordines conferre valent, ex regula, *Potest quis, de regul. iuris lib. 6.* & Archidiaconus ordines conferre non possit, ex defectu potestatis conferendi ordines; ideò neque litteras dimissorias ordinandis dare valet, sed si alicui eas concesserint, & earum ratione ordinati fuerint, characterem quidem recipiunt, executionem autem ordinis improbè recepti non habebunt, vt contingit in aliis malè promotis, de quibus egi *in cap. dilectus, de tempor. ordin.*

8. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS. Nec difficultas suprà adducta aduersatur; nam licèt Archiepiscopi ante pallij receptionem; Episcopi confirmati ante consecrationem, possint dimissorias concedere; non tamen ordines conferre; eam enim potestatem non obtinent Ordinarij per se, sed per accidens, & ratione iurisdictionis, quam in actu obtinent; & facultatis ordinis, quam in habitu habent: vnde possunt dimissorias dare, quæ cùm cessent in Archidiacono, ideo ipse prædictas litteras concedere non potest. Nec augmentum difficultatis aduersatur; nam omnia suprà dicta procedunt, & locum habent iure communi attento: cæterùm si consuetudine introductum sit, vt Archidiaconi, Archipresbyterive commendatitias dare possint, licitè eas concedere valent. Glossa *verbo Litteras*, in præsenti, & *in cap. cùm nullus, verbo Inductum, de tempor. ordin. lib. 6.* quam consuetudinem viguisse in Ecclesia Rhemensi, testatur Hallier. *vbi suprà, pag. 669.* Vnde iuxta consuetudinem ipsius Ecclesiæ Rhemensis accipit ipse prædictam Flodoardi authoritatem.

CAPVT IX.

Idem [a] *N. Mediolanensi Archiepiscopo.*

VT [b] nostrum prodeat de Dei vultu iudicium, & oculi nostri videant æquitatem, viâ regiâ debemus incedere, nec ad sinistram omninò, nec ad dexteram declinare: ita magnum iudicantes, vt paruum; quia non est apud Deum acceptio personarum. Ad audientiam sanè nostram multorum relatione peruenerat, quod Cancellaria Mediolanensis Ecclesiæ vacauerat vltra annum: vnde secundùm Lateran. Concilij statuta, ad nos ipsius erat donatio deuoluta. Volentes autem tibi solitâ benignitate deferre, rogauimus te attentius, & mandauimus, vt Cancellariam ipsam dilecto F. Henr. de Settara Subd. nostro, Mediolanensis Ecclesiæ Canonico, benè apud te merito, & ad hoc officium obtinendum idoneo, benignè conferres: & si post receptionem litterarum nostrarum quidquam de ipsa Cancellaria contra ius acquisitum nobis ex Lateranen. decreto statueres, decernebamus illud irritum, & inane. Tu verò litteris nostris receptis, diceris respondisse, sicut ex publico declaratur authentico, quod Cancellariam ipsam alteri non contuleras, quia propter grauamina debitorum prouentus ipsius tibi erant plurimùm necessarij: litteris tamen nostris apertis, earumque tenore perspecto, respondere in crastino, quod crederes respondendum. Porrò, sicut ex alio comperimus instrumento, postquam mandati nostri audiuisti tenorem, variatâ locutione dixisti, quod Cancellariam ipsam non poteras iuxta mandatum nostrum præfacto Subd. nostro conferre; quia reseruatis tibi prouentibus, eandem Cancellariam decem mensibus iam elapsis Henr. de Lamp. concesseras. Cumque nobis huiusmodi responsionum varietas ex scriptis innotuisset authenticis, etsi secundùm Apost. omnem inobedientiam prompti simus vlcisci, adhuc tamen tibi deferre volentes, cui & in minori officio constituti, & promoti, sicut Domino placuit, ad maiora, in multis, & magnis detulimus, tibi dedimus in [c] mandatis, vt ad præsentiam nostram procuratorem idoneum destinares, qui tuo nomine legitimè nobis ostenderet, quod dictam Cancel. personæ idoneæ modo canonico, tempore tibi competente donasses: dictus quoque H. de Lampun. cui dicebatur facta donatio, si vellet, ad præsentiam nostram accederet, suam iustitiam defensurus. Venientes igitur ad Apostolatus nostri præsentiam dilecti filij G. procurator tuus, & sæpedictus H. super varietate responsionum nitebantur te multipliciter excusare, licèt publicis instrumentis fides non facilè derogetur, & secundùm rerum naturam vix potuisset sufficienter ostendi, quod aliud respondisses. Produxerunt autem in nostra præsentia duos testes, qui iurati dixerunt, quod in Ianuario nuper præterito fuit annus, ex quo Mediolanen. Cancellarius debitum

vniuerſæ carnis exſoluit, & in ſequenti Maio, cùm conſanguinei Henr. de Lampun. frequenter apud te, ac vehementer inſtarent, vt Cancellariam ipſi conferres, te reſpondente, quod Cancellariæ prouentibus carere non poſſes; ad multam tamen inſtantiam eſt obtentum, vt Cancellariæ tibi retineres prouentus, & ius ipſius præfato conferres Henr. Quatuor ergo præſentibus, inter quos duo teſtes memorati fuerunt, in ſecretiore Palatij tui Camera eundem H. ſecundùm tenorem præſcriptum de Cancellaria inueſtiſti per librum, & recepiſti fidelitatem ab eo, prohibens vniuerſis, ne verbum iſtud cuiquam reuelarent. Adiecit autem vnus teſtium prædictorum, quod poſtquam ad te mandatum noſtrum peruenerat, & ipſe H. iam Bononiâ rediiſſet, tu ei ſolenniter, & publicè tradidiſti ſe vidente ſigillum, mandans ei, vt Cancellarij officium exerceret: quod & alter teſtis aſſeruit de auditu, & idem procurator tuus, quod verum crederet eſſe, reſpondit. Henr. quoque confeſſus eſt factum, ſed ſolennitatem facti negabat. Quia ergo poſt interdictum noſtrum ei præſumpſiſti tradere bullam, cùm traditionem ipſam ſaltem debuiſſes differre, donec noſtrum conſuleres beneplacitum: dilectis filiis I. Archidiac. & O. Lento Canonico Mediolanenſi dedimus in mandatis, vt ſi etiam poſt ſecundum mandatum, per quod totius cognitionem negotij ad noſtrum iudicium reuocauimus, id ipſum cognoſcerent attentatum, traditionem ſigilli decernerent irritam, & inanem: inhibentes Henr. ne quomodolibet eo vti præſumeret, cùm plus ſit Rom. Pontificem ad ſe aliquod euocare negotium, quàm quemquam ad eum ſuper aliquo negotio prouocare. Tolerabamus autem ad tempus, vt negotij merita nobis plenius innoteſcerent, inueſtituram, quæ dicebatur in occulto facta fuiſſe per librum, licèt eccleſiaſtica beneficia non ſint donatione clandeſtinâ conferenda, teſte veritate, quæ dicit: Qui malè agit, odit lucem. Cæterùm quia Cancellariæ officium memoratæ ſpirituale, vel annexum ſpirituali proponebatur exiſtere, cùm Cancellarius ex officio ſuo multa facere debeat, quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, ac per hoc ſub tenore præſcripto dicebatur non debuiſſe conferri, cùm ab omni ſpecie mala præcipiat Apoſtolus abſtinere: quia etiam præfatus Henr. de Lamp. licèt receptus ſit in fratrem ad vacaturam præbendam, ordinarius tamen aſſerebatur non eſſe, ac per hoc Cancellariam ſibi non debuiſſe conferri, quæ de iure, vel conſuetudine ordinario tantùm debet committi: cùm nec Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſed Mediolanenſis Eccleſiæ Cancellarius eſſe ſcribatur, nec vacante ſede Cancellarij perdat officium; nam nec ipſum ſigillum ſubſtituto Pontifice variatur: inquiſitionem horum duximus prænominatis I. Archid. & O. Lento Canonico Mediolanenſi committendam, per Apoſt. ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus omni contradictione, & ap. ceſſante, Deum habentes præ oculis, gratiâ, & timore poſtpoſitis, ſine perſonarum acceptione inquirerent ſuper præmiſſis diligentiſſimè veritatem: & ne veritas celaretur, teſtes, qui eis nominarentur, ſi ſe gratiâ, vel timore ſubtrahant, per cenſuram eccleſ. compellerent perhibere teſtimonium veritati, & quod ſuper omnibus inuenirent, ſub litterarum ſuarum teſtimonio ad Sedem Apoſtolicam deſtinarent: vt per inquiſitionem ipſorum ſufficienter inſtructi, negotium ipſum meliùs decidere valeremus. Ipſi verò mandatum Apoſtolicum fideliter exequentes, conuocatis Mediolanenſis Eccleſiæ ordinariis, & per pœnam excommunicationis compulſis dicere ſub iuriſiurandi religione de facto Cancellariæ, quia nouerant ſuper præmiſſis articulis veritatem, atteſtationes ſuas redactas in ſcriptis, & ſigillo munitas ad noſtram præſentiam tranſmiſerunt. Interdixerunt etiam eidem H. adminiſtrationem ſigilli, ſicut ex litteris eorum accepimus, iuxta formam mandati noſtri, de Conſilio ſapientum. Cumque ſæpedictus H. de Lamp. cum patre ſuo Rogerio propter hoc noſtro ſe conſpectui præſentaſſet, copiam allegandi pro ſe liberam ac benignam in communi conceſſimus auditorio: qui per aduocatum propoſuit, quòd delegati prædicti ſine inquiſitione ſpoliauerunt eum executione ſigilli, contra noſtri mandati tenorem, cùm ipſius ſigilli traditio non fuerit facta poſt ſecundum mandatum; & ideò primo loco reſtitutionem ſibi fieri poſtulabat. Formam verò conceſſionis nitebatur multipliciter excuſare, proponens quod in retentione fructuum ſimoniaca prauitas nullatenus interceſſit; tum quia officium Cancellariæ nec eſt ſpirituale, nec annexum ſpirituali; quia licèt Cancellarius quædam agat, quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, ſicut ex atteſtationibus liquet, ea tamen non agit ex officio Cancellarij, ſed de mandato Archiepiſcopi, ſicut ex dictis teſtium comprobatur: tum etiam, quia nihil emit, aut vendidit, cùm ſimonia deſcribatur eſſe ſtudioſa cupiditas vendendi, vel emendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum,

xum ; præsertim cùm tu ante traditionem separaueris fructus, & ita quod tuum erat, tibi retinuisti, non accipiens alienum. Se quoque ad obtinendam Cancellariam proponebat idoneum, cùm de mandato Rom. Pont. sit Mediol. Ecclesiæ Canonicus institutus, vocem habens in Capitulo, & locum in choro ; & tanquam verus, & plenus Canonicus,in tractatibus, & contractibus ipsius Ecclesiæ admittatur. Nec obstat, quod integram præbendam non habet, cùm, sicut per dicta testium est probatum, Archidiaconatus eiusdem Ecclesiæ, de quo nullatenus dubitatur, quin sit dignitas, & officium spirituale, quandoque fuerit concessus ei, qui præbendam integram non habebat. Quod autem à sexaginta annis, iuxta quorundam testimonium, concessus fuit tantùm ordinario præbendato de numero viginti Canonicorum, qui propriè Ordinarij appellantur, sibi nocere non poterat; cùm per hoc nullum sit tibi præiudicium generatum, quin ei, qui de numero viginti non esset, præsertim Canonico, eandem Cancellariam potuisses conferre. Allegabat insuper, quod etsi pactio de retinendis ad tempus prouentibus interueniisset, quod ipse tamen negabat,inter te, ac parentes ipsius, ipse tamen de prædicta Cancellaria purè fuit, & simpliciter inuestitus, & ideo talis pactio sibi non debet obesse, cùm parentes nihil tibi pro eo dederint, vel promiserint. Præterea proponebat, quod cùm nullus debeat sine accusatore damnari, nec aliquid circa negotium istud actum sit in forma iudicij, depositiones testium non poterant sibi præiudicium generare. Quia verò per hanc vltimam allegationem personam nostram tangere videbatur, dignum duximus causam commissæ inquisitionis, & ordinem pleniùs explicare, ne quis quomodolibet suspicetur, quod nos in hoc negotio perperam processerimus, præsertim cùm ratio assignanda debeat esse posteris profutura. Cùm enim iuris sit explorati, quod actore non probante, is qui conuenitur, etsi nihil præstiterit, debet absolui, videri poterat, quod nos tibi, qui conueniebaris à nobis, malitiosè, vel indiscretè onus probationis super tribus præmissis articulis imposuimus, videlicet, vt ostenderes, quod prædictam Cancellariam personæ idoneæ, modo canonico, & tempore tibi competenti donasses. Porrò cùm donatio fuisset occulta, & ideò suspicione non careat, & elapso iam anno nullus omninò Cancellarius appareret, non immeritò credebatur, quod secundùm Lateranen. statuta Concilij ad nos esset ipsius Cancellariæ donatio deuoluta, & ideo sine culpa potuissemus ipsam conferre : quoniam etsi locum Dei teneamus in terris, non tamen de occultis possumus diuinare. Quod ergo contra illud, quod primâ facie iustè præsumebatur pro nobis, præsertim cùm responderis prima vice, quod Cancellariam alicui non contuleras, facultatem tibi pro te probandi concessimus, non fuit grauamen, sed gratia; nec ex malitia, sed ex benignitate processit. Quod etiam de modo canonico fidem nobis fieri mandauimus, tu causam præstitisti mandato ; quia sæpe nobis per litteras intimasti, & tandem probasti per testes, quod retentis tibi prouentibus, officium concesseras memoratum : ex quo non immeritò contra talem concessionem fuimus suspicati, cùm & proponeretur apertè, quod illud ei personæ commiseras, cui secundùm consuetudinem Mediolanensis Ecclesiæ non debuerat aliquo modo committi. Et ideò nos non tam ex plenitudine potestatis, quàm ex officij debito, quia possumus, & debemus de subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem, te maximè causam, & occasionem præstante, inquisitionem commisimus faciendam. Omnibus ergo diligenter auditis, quæcumque fuerunt in nostro auditorio proponenda, deliberauimus cum fratribus nostris, & in ipsa deliberatione te in tribus præcipuè comperimus fuisse culpabilem : circa contrarietatem responsi, quia non solùm nobis, qui (licèt immeriti) Iesu Christi locum tenemus, sed ne cuiquam debuisses ex certa scientia contraria respondere : circa carnalitatem animi, quia non affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti ecclesiasticum officium in persona magis idonea dispensare : & circa inhonestatem facti, quia non licuit ex pactione, vel conuentione quacumque, sub modo, vel tenore præscripto concedere nudum officium, & tibi retinere prouentus, cùm & in Lateran. Concilio sit prohibitum, ne quis conferendo ecclesiasticum beneficium, partem prouentuum suis vsibus retinere præsumat: & alibi cautum reperiatur in canone, quod ecclesiastica beneficia debent sine diminutione conferri. Vnde credimus distinguendum, vtrum qui dat spirituale beneficium, prouentus ipsius ante donationem percipiat : nam si prouentus ante donationem non percipit, non est dubium intercedere simoniacam prauitatem. Si verò ante donationem percipit ipse prouentus, credimus etiam distinguendum, vtrum ante donationem constituat, vt ipsi prouentus retineantur ad tempus

pro causa iusta, & necessaria; an conueniat cum eo, qui accipit beneficium, seu cum mediatore quocumque, vt officio illi concesso, retineat ipse sibi prouentus. Primum enim membrum credimus esse licitum; secundum autem dicimus non licere, ne viam aperiamus his, qui prauitatem suam satagunt palliare. Quia verò maiorum excessus maiori debent seueritate puniri, cùm iuxta diuinæ legis oraculum, si sacerdos qui est vnctus, peccauerit, faciet delinquere populum; quod inhonestè super retentione prouentuum præsumpsisti, de communi fratrum nostrorum consilio irritauimus, & in pœnam præsumptionis huiusmodi, vt in eo puniaris, in quo peccaueras, à collatione dignitatis, vel ecclesiastici beneficij, quod ad tuam donationem in tua primò vacabit Ecclesia, censuimus suspendendum. Cæterùm quia diuinâ docente scripturâ didicimus, quod melior est sapiens viro forti, & qui dominantur animo, expugnatore vrbium; quantumcunque voluerimus, aut vellemus, si saluâ possemus iustitiâ, contra quam non iudicamus nos posse, cùm simus in sede iustitiæ constituti, præfatam Cancellariam prædicto Subd. nostro conferri, sæpedictum tamen H. de Lamp. non inuenimus ita culpabilem, vt eum exigente iustitiâ, ipsa Cancellaria priuare possemus: cùm etsi parentes eius ex simplicitate deliquerint, nihil tamen pro ea dantes, aut etiam promittentes, ipse tamen inuestituram Cancellariæ, sicut verus Canonicus, & cui ratione canonicatus de iure non poterat opponi defectus, sine pactione qualibet, & conuentione recepit: nec etiam fuit sufficienter probatum, quod Cancellarius ex officio suo faciat spiritualia memorata, cùm ea potiùs de iure communi ad Archid. spectent officium; [c] repræsentare videlicet ordinandos Episcopo, & illos examinare, ponere Abbates, [f] & Abbatissas in sede: quæ cùm probatum sit per aliquos testium, Cancellarium facere de mandato Archiepiscopi, de speciali potiùs, quàm de generali mandato videtur intelligi. Verùm quod delegati præscripti scripserunt se interdixisse illi officium Cancellarij, secundùm Apostolici formam mandati, de consilio sapientum, cùm ab eis super hoc appellatum non fuerit, nec aliquid contrà probatum, de rigore iuris, ex quo præsumitur legitimè factum, potuissemus illud decernere obseruandum: sed misericordiâ, quæ superexaltat iudicium, nos induxit, vt quod in contemptum nostrum creditur esse factum, de benignitate Sedis Apostolicæ remittamus, cum ad pœnam illi sufficiat, quod propter hoc secundò ad Sedem Apostolicam laborauit. Datum Perusij IX. Octobris.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam habetur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. non tamen constat ex his collectionibus, cui missa sit hæc epistola. Ex epistolis tamen correctis à Guillelmo Sirleto constat, missam esse N. Archiepiscopo Mediolanensi, ex quibus ita præsentem decisionem restituo. De Mediolanensi Ecclesia egi *in cap.* 27. *de rescriptis.*

b *Vt nostrum.*] Hæc priora verba reperiuntur *in cap. vnico, vt ecclesiastica officia.*

c *Dedimus in mandatis.*] Hæc verba extant *in cap. vt nostrum, de appellat.*

d *Cancellarius.*] De eius officio egi *in cap. ecclesia* 48. *de elect.*

e *Repræsentare.*] Iuxta formam, quam retuli *in cap. vnico, de scrutinio in ordine.*

2. f *Abbates, & Abbatissas.*] *Cap.* 2. *hoc tit. in quinta collectione*; quod installare appellabant sacri canones, *cap. significante, de appell. cap. ne Dei, de simonia.* Sicut enim Archidiaconis competit possessionem beneficiorum sæcularium tradere post collationem ab Episcopo factam, *cap.* 5. *hoc tit.* ita in regularibus dignitatibus, Abbatiis videlicet, illi competit Abbates, & Abbatissas in sede ponere, siue installare, cuius installationis causâ aliquid recipere Archidiaconi non possunt. Innocentius noster *lib.* 2. *regestr.* 14. *epist.* 46. ibi: *Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate præsentium inhibemus, ne pro consequenda benedictione, vel installatione Abbatissæ monasterij vestri, quæ benedicenda pro tempore fuerit; consecrationibus altarium, vel Ecclesiarum, siue pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico Sacramento, diœcesanus Episcopus, vel Archidiaconus loci sub obtentu consuetudinis, vel quolibet modo alio quidquam exigere, vel extorquere præsumat: sed hæc omnia gratis, & sine prauitate qualibet vobis impendant.* Et *epist.* 143. ibi: *Cùm ex iniuncto nobis Apostolatus officio Ecclesiarum omnium solicitudinem gerere teneamur, ea corrigere nos oportet, quæ interdum contra sacrorum canonum sanctiones in eis per ipsarum ministros improuidè attentantur. Sanè ad audientiam nostram vobis referentibus est datum, quod cùm Abbatem vestrum contingit de nouo in sede, prout moris est, collocari, Archidiaconus Parisiens. pro installatione ipsius centum solidos Parisiens. monetæ à vobis nititur extorquere, huiusmodi exactionem in ius annuum conuertendo. Quia igitur talis exactio est rationi contraria, & sanctorum Patrum institutionibus inimica, ne id de cætero attentetur, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus. Nulli ergo, &c. Vsque nostræ inhibitionis infringere, &c. Si quis autem, &c. vsque incursurum.*

CAPVT

CAPVT X.

Honorius III. *Abbati* [a] *Arremar. Trecen. diœc. & Archid. & Decano S. Stephani Trecen.*

Dilecto filio. *Et infrà* : Ad petitionem Archidiaconi [b] Senon. conquerentis, quod Abbas, & Conuentus monasterij Sancti [c] Petri Viui Senon. [d] procurationem annuam, & quædam alia, ratione sui Archidiaconatus ad ipsum spectantia, exhibere sibi contra iustitiam denegabant, Abbati Sancti [e] Crispini, & collegæ eius dedimus in mandatis, vt audirent causam huiusmodi, & fine debito terminarent. Coram quibus petiit dictus Archidiaconus, vt cùm idem monasterium intra metas sui Archidiaconatus sit situm, ei præfati Abbas, & monachi obedirent in his quæ pertinent ad [f] iurisdictionem, reconciliationem, & visitationem, ad ius, vt dicebat, Archidiaconale spectantes; videlicet vt coram ipso conquerentibus responderent, ac starent iuri, & iustas eius sententias obseruarent, citati venirent ad eius præsentiam, & eius mandata honesta, & facta secundùm Deum de correctione excessuum, & aliis, quæ Archidiaconi solent, & possent rationabiliter iniungere, aduituri, & saluâ suâ regulâ, & Abbatis sui debitâ obedientiâ seruaturi. Petiit insuper ne de cætero facerent aliquos de Senon. [g] bailliuia, eo [h] prætermisso, coram Officiali Senon. Archiepiscopi conueniri, asserens illos priùs debere conueniri sub ipso, quàm coram Officiali prædicto, specialibus ipsius Archiepiscopi, & [i] hominum, ac familiæ suæ causis duntaxat exceptis. Lite igitur super præmissis coram præfatis iudicibus legitimè contestatâ, & auditis ab eisdem hinc inde propositis, iidem iudices de vtriusque partis assensu causam ipsam ad examem Apostolicum remiserunt. Ipsis ergo Abbate, & Archidiacono in nostra præsentia constitutis, nos attendentes eorum consuetudines esse super Archidiaconi iurisdictione diuersas, cùm in hoc casu nesciremus consuetudinem, quâ in Abbatiis Senonensib. Ordinis præfati monasterij vtitur Archidiaconus Senon. finalem habere nequiuimus in huiusmodi quæstione processum. Volentes autem vt eidem quæstioni finis debitus imponatur, causam ipsam vobis de ipsius Abbatis, & procuratoris alterius partis assensu duximus committendam. Ideóque discr. v. m. quatenus per maiores Ecclesiæ Senon. Canonicos, qui habere debent de huiusmodi consuetudine notitiam pleniorem, super his veritatem solicitè inquiratis; & nisi vobis infra tres menses post primæ citationis edictum constiterit per eosdem, præfatum Archidiaconum, vel prædecessores ipsius de pacifica sic obtenta consuetudine iurisdictionem aliquam in ipso monasterio, vel in huiusmodi Abbatiis hactenus habuisse, præfatum monasterium ab eius petitione penitus absoluatis, perpetuum super hoc ipsi Archidiacono silentium imponentes. Si verò per eosdem Canonicos vobis constiterit, ipsum Archidiaconum, vel eius prædecessores, de sic obtenta consuetudine hactenus habuisse iurisdictionem aliquam in ipso monasterio, vel in aliis huiusmodi Abbatiis, ea dumtaxat adiudicantes eidem in monasterio supradicto, quæ ipsum, vel prædecessores suos in monasterio ipso, vel in eisdem Abbatiis constiterit habuisse, super aliis perpetuum ei silentium imponatis, in prædictis omnibus sub. app. ob. processuri.

NOTÆ.

a *Arremarensi.*] Ita legitur in quinta collectione Honorij III. edita ab Innocentio Cironio; non autem legendum est *Ariminensi*, vt legitur in hac sexta collectione. In diœcesi enim Trecensi est monasterium Arremarense, Ordinis D. Benedicti, de quo P. Sirmundus ad Petrum Cellensem *lib. 2. epist. 2.* ita dictum ab Arremaro presbytero eius auctore, vt referunt Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ Christ. fol.* 78. Etiam dicitur S. Petri in Derno, eo quod antiquitùs in Deruensi silua eius collocata fuissent fundamenta. Iacobo eius Abbati, qui floruit in eo monasterio ex anno 1229. vsque ad annum 1238. rescribit Honorius in præsenti. 1.

b *Archidiaconi Senonensis.*] Cuius magna auctoritas est in diœcesi Senonensi, tam in Ecclesiis sæcularibus, & earum Præfectos; quàm in Ecclesiis regularibus, & earum Prælatos, vt constat ex decreto Gregorij XI. quod transcribo ex Renato Chopino *lib. 1. de sacra politia, tit. fin. num. 16.* Vt lectori innotescat huius Archidiaconi ampla iurisdictio. [Gregorius Episcopus, &c. Dilectis filiis S. Genouefæ Parisien. & S. Columbæ prope Senones monasteriorum Abbatibus, ac Decano S. Agricoli Auenionen. &c. Sanè nuper pro parte dilecti filij M. Nicolai de Veris, Archidiaconi Senonen. Capellani nostri nobis expositio, quod dudum inter venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Antissiodoren, & dictum 2.

ctum Archidiaconum, super eo, quod Archidiaconus asserebat, quod ad eum ratione sui Archidiaconatus Senonen. & ad Archidiaconum Senonensem, qui est pro tempore, Archiepiscopum Senonensem, nec-non prædictum, & alios Episcopos prouinciæ Senonen. nec non Abbates monasteriorum in dicto Archidiaconatu consistentium in primo aduentu eorum in suis Ecclesiis, & monasteriis installare, & in sedibus suis ponere de antiqua, & approbata, & hactenus pacificè obseruata consuetudine pleno iure pertinet, & à quolibet ipsius prouinciæ Episcopo sic installato ratione installationis huiusmodi vnam auri, & duo Canonici Senonen. quos idem Archidiaconus capere debet, & qui cum eodem Archidiacono pro installationibus huiusmodi accedere habent, duas argenti marchas, vnà cum expensis factis per eosdem Archidiaconum & Canonicos in eundo, & redeundo percipere debent: præfatus verò Antissiodoren. Episcopus contrarium affirmabat, orta erat materia quæstionis. Nos qui dum eramus in minoribus constituti, dictum Archidiaconatum per multos annos tenuimus, & de ipsius iuribus eramus plenariè informati, ad instantiam ipsius Archidiaconi dilecto filio nostro Roberto Basilicæ duodecim Apostolorum presbytero Cardinali viuæ vocis oraculo commisimus, vt contra quoscumque Episcopos dictæ prouinciæ, qui deinceps recusarent se per dictum Archidiaconum, vel eius vicarium installari, summariè procederet. Qui quidem Cardinalis virtute commissionis prædictæ in negotio huiusmodi ad nonnullos actus dicitur processisse. Postmodùm verò dilectus filius Ioannes tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis volens partes prædictas ad concordiam amicabiliter reuocare, quasdam informationes de ipsius Archidiaconatus iuribus, & super præmissis aliis per fideles, & fide dignas personas de partium consensu fieri fecit: quas nobis nuper sigillatas transmisit, nosque illis receptis, ipsas per eundem Robertum Cardinalem aperiri, inspici, & examinari fecimus diligenter. Cùm autem idem Robertus Cardinalis nobis nuper fideliter retulerit, se informationem huiusmodi vidisse, & per eam reperisse, quod nonnulli dictorum Episcoporum per aliquos Archidiaconos ipsius Ecclesiæ, qui fuerunt pro tempore, vel eorum vicarios in suis Ecclesiis installati, dictique Archidiaconi in pacifica possessione installandi Episcopos antedictos extiterint, & marchas huiusmodi Episcopi persoluerint. Nosque etiam toto tempore, quo dictum Archidiaconatum tenuimus, in pacifica possessione installationum, & iurium huiusmodi fuerimus: & propterea nolumus ipsum Archidiaconnm super iuribus huiusmodi aliquatenus molestari. Nos volentes eundem Nicolaum Archidiaconum, quem multis virtuosis meritis familiari experientiâ nouimus insigniri, paternâ beneuolentiâ confoueri, auctoritate Apostolicâ per alias nostras litteras declarauimus, præfatum Nicolaum Archidiaconum, & eius successores Archidiaconos Senonenses, vel eorum vicarios pacificâ possessione Archiepiscopum ac Episcopos, & Abbates prædictos installandi, cum receptione marcharum prædictarum, & aliorum quorumcumque, vti & gaudere debere, ac in ea ipsos manutenendos fore, & manuteneri debere: iure tamen proprietatis installationum, & receptionis marcharum, & iurium prædictorum duntaxat illi, vel illis, ad quos pertinet, reseruato, & omnibus semper saluo. Districtiùs inhibentes eisdem Archiepiscopo, Episcopis, & Abbatibus, ne in suas Ecclesias, & monasteria, in nouo ipsorum aduentu absque installatione huiusmodi aliquatenus intrare, aut aliquid contra tenorem declarationis nostræ huiusmodi attentare præsumant, &c. Quocirca discretioni vestræ mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrûm, &c. Datum Auenione 8. Cal. Nobemb. Pontif. N. Anno 3.]

c *S. Petri Viui.*] Hoc monasterium Ordinis D. Benedicti est iuxta ciuitatem Senonensem, celebre, ac vetustissimum, structum in vico Viuo à Virgine Teudechilde, & amplis prædiis, ac ædificiis ditatum, vt post Odorannum monachum, & Robertum referunt Fratres Sarmat. *tom. 4. Galliæ, fol. 724.* Vldaricus vt Abbas illi præerat tempore Honorij III.

d *Procurationem.*] Cùm enim Archidiacono competat ius visitandi proprium territorium, *cap. 1. cap. mandamus, hoc tit.* vbi dixi, necessariò procurationes ratione huius muneris illi solui debent, *cap. cùm Apostolus, cap. sopitæ, cap. cùm venerabilis, de censibus.*

e *S. Crispini.*] Ordinis D. Benedicti, quod extat in diœcesi Suessionensi.

f *Iurisdictionem.*] A quo tempore monasteria exempta sint à lege iurisdictionali, tam Episcoporum, quàm inferiorum Prælatorum, latè exponimus *in cap. graue, cap. licèt, de officio Ordinarij.*

g *Bailliuia.*] Id est districtu, regione, aut territorio: vox enim *Bailliuia*, barbara est, à qua iustitiarij, seu iudices ipsius ditionis, Bailliui dicuntur *in cap. quoniam 3. de immunit. Eccles. lib. 6. lib. 2. feudorum, tit. 54.* Notant Vossius *lib. 1. de vitiis serm. cap. 1.* Hothomanus, & alij *de verbis feudalibus, verbo Baillinus*: inde etiam Baillij dicuntur defensores, & tutores in legibus Neapol. *lib. 2. tit. 7. & lib. 3. tit. 27. & lib. 1. epist. 242. Innocentij III.* notarunt Cironius *in præsenti*, Lindembrogius *in Glossario, verbo Balliuus.*

h *Prætermisso.*] Archidiaconus enim Senonensis, non vt vicarius Archiepiscopi, sed iure proprio, priuilegio, aut consuetudine introducto intendebat propriam iurisdictionem sibi competere: vnde ab eo ad Archiepiscopum, non ad Episcopum appellatur, vt de Rhemensi Archidiacono etiam docetur *in cap. referente 7. de præbendis, cap. Romana, §. 1. de appellat. lib. 6.* notauit Cironius *in præsenti*, & *lib. 2. obseru. cap. 8.*

i *Hominium.*] Homines, qui dicantur in iure, exposui *in cap finali, de seruis non ordin.* 3.

j *Familia suæ.*] Ex his verbis deducunt Abbas & classici repetentes in præsenti, plures congesti à Barbosa *in collect. ad hunc textum*, Fermosinus *in cap. cùm contingat, q. 10. & 12. de foro compet.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 97. & 4 part. tract. 1. resol. 30.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 3. cap. 8.* Carleual *de iudiciis tom. 1. q. 6. disput. 2. sect. 3. num. 427. & 509.* innumeri congesti à Diana *6. part. tract. 2. resol. 1.* Frances *de competentiis quæst. 100. per totam*, familiares Episcoporum, etiam laicos, tantùm prætextu familiaritatis exemptos esse à iurisdictione sæculari, tam in ciuilibus, quàm criminalibus causis: mouentur etiam ex textu *in cap. Ecclesiarum 69. 12. q. 2. l. 1. l. 2. §. 1. C. de Episcop. & cleric. cap. 1. de pœnis in 6.* & Concilio Trident. *sess. 14. de reform. cap. 5. vers. Familiaribus:* & ita decisum fuisse per sacram Congregationem Cardinalium refert Barbosa *lib. 1. de iure eccles. c. 39. §. 4. à num. 34.* & receptum in Aragonia

Aragonia teſtatur Cenedo *qq. canonic. quæſt.* 4. *num.*26. idem in Luſitania obſeruatum fuiſſe teſtatur Pereyra *de manu Regia tom.*1.*q.*10. *num.*30. Verùm contrariam ſententiam, videlicet familiam laicalem Epiſcoporum ſubeſſe iudicibus ſæcularibus, neque exemptam eſſe à iuriſdictione ſæculari, docuerunt Gaſpar Antonius Theſaurus *qq. forenſ.* 9.78. Ceuallos *de cognitione per viam violentiæ*, 2. *p. quæſt.*58.*num.*9. Pereyra *vbi ſuprà*, Felicianus Vega *in cap.*2.*de foro compet.num.*22. Anſaldus *de iuriſd.*2. *part. tit.*11. *c.*5. *num.*151. Cutellius 2.*part. controu. fol.*183. Marinis *alleg.*75.ſibi contrarius, dum *lib.*1. *reſol.*117. pluribus laudatis contrarium tenuit: P. Suarez aduersùs Regem Angliæ *lib.*4. *c.*29. *num.*9. qui pro hac ſententia ſequentia iuris fundamenta expendunt. Primum affert Anſaldus *vbi ſuprà*, ex eo, quod in Concilio Florentiæ celebrato anno 1517. *ſub tit.de foro compet.* vbi de hac exemptione agitur, nulla familiarium Epiſcopi mentio fit. Secundò expendit Suarez Concilium Trident. *ſeſſ.*23.*de reform.cap* 9. vbi ſtatuitur, vt nullus primâ tonſurâ initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, fori priuilegio gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat: igitur laici familiares Epiſcoporum, qui nec primâ tonſurâ ſunt initiati, nec beneficium eccleſiaſticum obtinent, fori priuilegio non gaudent. Tandem expendunt argumentum, etſi negatiuum, videlicet nullo canone, aut iuris decreto priuilegium hoc exemptionis familiæ Epiſcopi conceſſum eſſe: quod vt faciliùs cognoſcatur, expendendi, exponendique ſunt textus pro contraria ſententia adducti: & primò præſens Honorij decretalis, cuius ſpeciem ſi referamus, liquidò conſtabit, nihil de præſenti quæſtione in ea Honorium decernere. Caſus eſt: Archidiaconus Senonenſis, qui non erat vicarius Archiepiſcopi, ſed ordinariam, peculiaremque iuriſdictionem habebat in diſtrictu ſui Archidiaconatus, cùm appellaretur ab eo ad tribunal Archiepiſcopi, cùm aliter de iure communi obſeruetur, *cap.Romana*, §.1. *de appellat. in* 6. vt contra Cuiacium notauit Cironius *lib.*2. *obſ.cap.*8. coram Romano Pontifice querelam propoſuit contra Abbatem, & Conuentum Ordinis S.Benedicti S.Petri Viui, quatenus ipſi Archidiacono denegarent procurationes, & alia iura, quæ ad ſuam dignitatem ſpectare dicebat: hæc petebat, ſimul obedientiam in his, quæ pertinent ad iuriſdictionem, viſitationem, & alia ad ius Archidiaconale attinentia, videlicet, vt ſi rei eſſent, citarenturque per Archidiaconum, venirent, ſtarent iuri, & iuſtas eius ſententias implerent; ſi actores eſſent, & vellent conuenire aliquos de balliuia, & diſtrictu Archidiaconatus Senonenſis, vt actionem proponerent coram ipſomet Archidiacono, aut eius vicario; non verò eo prætermiſſo, coram Archiepiſcopo, aut Vicario Senonenſi; nam dicebat, primam inſtantiam in homines ſui diſtrictus, ad ſuam dignitatem pertinere, exceptis dumtaxat cauſis ſpecialibus ipſius Archiepiſcopi, & cauſis hominum Archiepiſcopi, & familiæ eius, quas in prima etiam inſtantia Archidiaconus fatebatur ad Archiepiſcopi tribunal pertinere. Mirum eſſet qualiter contra laicos etiam diſtrictûs Archidiaconalis poſſet competens iudex eſſe eccleſiaſticus. Sed ab hac difficultate nos liberat textus *in c.ſi clericus laicum, de foro compet.* in finalibus verbis, docens id effici poſſe conſuetudine: de facto ergo, aut de iure ex facto quæſito agebat Archidiaconus. Et Pontifex Honorius III. quibuſdam iudicibus delegatis dedit in mandatis, vt partibus auditis, viſiſque Archidiaconi probationibus, appellatione remotâ cauſam finè debito terminarent. Nam deciſio Pontificis nihil aliud continet, quod de iure ſit. Relatio Archidiaconi fuit cauſam Archiepiſcopi ipſius, & ſuorum familiarium etiam in diſtrictu ſui Archidiaconatus exiſtentium, priuatiuè in prima inſtantia ad tribunal Archiepiſcopale pertinere. Cur pertinerent, nec textus, nec querelans aperiunt. Ex hac ergo partis relatione in caſu ſpeciali emiſſa, & de Archiepiſcopo ſilente, nec litigante, inferre volunt, tanquam iure deciſum, familiares Epiſcoporum ad ipſorum forum, tribunalque pertinere, tam in criminalibus, quàm in ciuilibus, vt trepidus, & breuiter admodum notauit Panormit.*n.*5. & de familia Cardinalium Oldradus *conſilio* 292.*n.*5.

Nec etiam hoc exemptionis priuilegium continetur *in d.c.Eccleſiarum, d.l.*1. & 2. in quibus ſerui Eccleſiarum, coloni perpetui ipſarum, item adſcriptitij gaudent eadem immunitate, quâ gaudent Eccleſiæ ipſæ. Sed quilibet perſpiciet hæc diſſimilia eſſe; quia iſti homines ſunt portio patrimonij ipſius Eccleſiæ, vt prædia, quibus adſcripti ſunt: ergo vt eccleſiaſtica bona debent iiſdem prærogatiuis frui, ac reliqua, vt apud nos explicatiſſimè exponit textus *in l.*56.*tit.*6.*part.*1.*l.*32.*ſtili*, vbi videndi ſunt Gregorius, & D. Chriſtophorus de Paz. Non itaque valet argumentum: A muneribus ſordidis immunes ſunt ſerui, coloni perpetui, & adſcriptitij Eccleſiæ, vt res ipſius: ergo & Epiſcoporum familiares, alioquin liberæ conditionis; immò licèt ſerui ſint, ſequuntur forum eccleſiaſticum, exempti à ſæculari. Quia de foro nullum illic verbum, vt vidit poſt alios Theſaurus Iunior *q.*78.*forenſi, n.*5.*lib.*3. Iacobus Gothofredus *in l.*8.*C.Theodoſ.de Epiſcop.& cleric.* & alij relati à Barboſa *in d. l.*1.& 2.*C.de Epiſcop.& cleric.* Parum etiam faciunt textus *in l.aſſumptio* 6.§.*vlt.l. filij libertorum* 22.*l.qui manumiſit* 27.*ff.ad municipal. l.*2.*C.de municip.& origin.lib.*10. in quibus ſerui à dominis manumiſſi ſequuntur patronorum domicilium, & forum; neque enim poteſt inde argumentum deduci ad familiares; illi enim noui homines ideò forum manumiſſoris ſequuntur, quia aliud non habent: familiares verò habent ſuum proprium, quod minimè amiſerunt. Rurſus illud forum libertorum non eſt priuilegiarium, ſed natiuum; hoc verò priuilegiarium foret, proprio dimiſſo. Et reliqua, quæ ad excluſionem paritatis faciunt adducunt, Paz *in d.l.*32. *ſtili, n.*24. Parexa *dict.tit.*2.*reſol.*6.*ex num.*364. 4.

Nec ad rem etiam pertinet textus *in c.*1. *de pœnis, in* 6. in quo Epiſcopis conceditur notio, & iuriſdictio in eos, qui iniurias, & contumelias ingerunt in iporum familiares, qui in viſitationibus eos comitantur. Hic enim caſus, vt verbis Gaſparis Theſauri vtar *d. q.*78. controuerſus eſt; non enim loquitur de familiaribus Epiſcoporum, qui delinquunt; ſed de his, qui patiuntur iniurias. Rurſus & ratio ſpecialis eſt; cùm enim patiamur iniurias non ſolùm per noſmetipſos, ſed etiam per filios noſtros, eoſque, quos in poteſtate noſtra habemus quomodolibet, & quadamtenus, veluti nurum, vxorem, & ſimiles, qui ſub clientela noſtra ſunt, *l.*1.& 2.*ff.de iniuriis*, §.*patimur* 2.§.*ſeruis* 3. *Inſtit.eod.tit* congruũ fuit dignitati, & ſecuritati Epiſcoporum viſitantium ipſis permittere punitionem iniuriоſorum in ſuos familiares. Nec multum etiam prodeſt nouiſſima Tridentini deciſio *ſeſſ.*14. *de reform.c.inſuper* 5.*verſ.Familiaribus*; in quo Patres loquentes de cauſis ciuilibus, in quibus ad auertendas violentias manifeſtas ſolet à Summo Pontifice dari conſeruator, ſtatuunt, vt auxilio conſeruatoris 5.

non

non vtantur familiares eorum, quibus datur, nisi duo dumtaxat sint, & continuâ ipsorum commensalitate gaudeant. Nam hic textus potiùs derogat, quàm concedit: inducta verò ad vnum effectum, non debent contrarium operari, *l. legata inutiliter, de ordin. legat.* Rursus non loquitur de foro aut iurisdictione, quia neutrum horum cadit sub conseruatoris potestate, *cap.1. & vlt. de officio deleg. in 6.* nimis ergo à iuris ratione deuiat qui sic arguit: Familiares eorum, quibus datur conseruator, non fruuntur conseruatoriæ beneficio, nisi duo dumtaxat, & hi perpetui commensales: igitur familia laïca Episcoporum gaudet ipsorum priuilegio. Nam canon Concilij potiùs prospicit commensalibus, ne ab aliis patiantur iniurias, quàm eos eximit, si delicta commiserint, à suo foro sæculari.

6. Denique non maioris roboris sunt monitoria, responsa Congregationis, & mandatæ litteræ ab Auditore Cameræ Apostolicæ, quæ refert Diana *d.6.p. tract.2.* Nam expeditæ in causa Comitis D. Alphonsi Gonzagæ Archiepiscopi Rhodiensis de immunitate suæ familiæ, quamtumvis titularis Episcopus esset, parum nos vrgent, cùm nesciamus an Mantuæ degeret, an in Regno, an in terris Ecclesiæ subiectis in temporalibus: quare ex illis efficax argumentum ad nostrum Regnum desumi non potest. Præterquam quod Episcopus Villaroël. *d.1.p.q.2.art.3. ex num.38.* vbi de hac re agit, non multùm his instrumentis fidit, aut confidit, quia non sunt extracta in forma authentica, iuxta dispositionem Vrbani VIII. S.P. qui de hoc cauit, ne apocrypha, & incerta euulgarentur ab Auctoribus, vel nimis credulis, vel nimis sententiæ adhærentibus. Emissæ verò ad Regnum Siciliæ anno 1636. cum aliis multò antiquioribus de anno 1460. quæ Regiæ sunt, & à Prorege Siciliæ expeditæ, quamuis prætexant (saltem posteriores) iuris assistentiam, quam Auctores huius sententiæ negant; tamen principale fundamentum consuetudinis inueteratæ, & immemorialis afferunt ad illud Regnum: igitur allegari non poterunt in aliis, in quibus talis non vigeat consuetudo, quod obseruandum est ad consilium 77. & 88. Marij Giurbæ Siculi, & ad consuetudines Lusitaniæ, & Aragoniæ, quas suprà expendebamus. In hoc regno non adest consuetudo similis, videlicet vt familia Episcopi gaudeat priuilegio fori; immò contrarium cautum est per diplomata & schedulam datam ad vtramque Cancellariam: mentio horum diplomatum extat in ordine Cancellariæ Granatensis, *tit.7. schedula 6.* & Cancellariæ Pincianiæ *lib.1.tit.2.* & *lib.3.tit.10.* & *in remissionibus ad Compil. sub tit.1. lib.4.*

7. Sed vt solida agnosco fundamenta huius sententiæ negatiuæ, ita reputo debilia, immò respuo quæ adducunt Auctores sententiæ affirmatiuæ. Non argumentum Ansaldi ex Concilio Florentino; nam negatiuum est, & parum adstringit, quia si laïci familiares Episcopi gauderent hoc priuilegio fori, non ex sua persona, sed ex persona Episcopi gauderent, quasi ipsius instrumenta: quare si iuris ratio non deesset, cum dominis suis inclusi viderentur. Nec etiam argumentum P. Suarez aliquid probat, siquidem dum ait iuxta Trident. *dict. cap. 6.* desiderari, vt quis gaudeat priuilegio fori, quod sit tonsuratus, & beneficium habeat, non rectè elicitur consequentia: Igitur laici familiares Episcopi non gaudent eo priuilegio. Alioquin nec nouitij, nec conuersi religionum gauderent priuilegio fori ecclesiastici. Mens ergo Concilij est, clericos, qui vt clerici, & ratione clericatus volunt gaudere fori priuilegio, debere suffultos esse qualitatibus ibi expressis; nihil verò de aliis disponit, qui ex diuersis rationibus prætendunt forum ecclesiasticum; ideò negatiua non apponitur verbo *gaudent*, sed verbo *clericus*, quod restringit in ratione sui significatus, vt rectè contra Moscosum docuit Diana *dict. 6.p.tract.2.resol.8.*

8. Iam ergo videamus, quid in hac quæstione tenendum sit; & certè si numerum Auctorum asserentium familiam Episcopi gaudere priuilegio fori, attendamus, verior est affirmatiua sententia; si verò fundamenta ipsa libremus trutinâ veritatis, illam fundamento carere agnoscemus, cùm nec præsens textus, nec alij pro ea adducti eam probent, vt agnouerunt Thesaurus, & Ansaldus suprà, Culterius *in codice legum Sicularum ad leges Martini, c.2.n.6.* & ita in hac quæstione indecisus manet Bobadilla *lib.2.polit.cap.17.num.97.*

9. Huic quæstioni proxima est alia nostris temporibus sæpiùs disceptata circa familiares Sanctæ Inquisitionis, nec-non & ipsorum Inquisitorum, an videlicet exempti sint à iurisdictione sæculari; quam vt radicitùs, & pleniùs resoluamus, supponendum est, sæculares omnes potestatibus sæcularibus subditos esse, iuxta ea, quæ adducimus *in c. omnis, de censibus*, nisi legitimâ præscriptione, vel iusto priuilegio ab habente potestatem concesso expempti sint, *c. cùm persona 7. de priuileg. in 6.* quod ad rem illustrat Parexa *de vniuersa instrum. edit.1. tom.tit.2.resol.6. num.34.* Fundat quippe Rex iurisdictionem suam in omnes sæculares sui Regni, *l.1. de origine iuris, l.1.2.& 3.tit.1.lib.4. compil.* vbi Azeuedo. Didacus Perez *in l.2.tit.1. lib.3.ordinam.* Villadiego *in l.2.prologi fori iudic.ex n.2.* Auiles *in capitulo 1. Prætor.* Auendaño *de exequendis 1. part.cap.1.* Couar. *pract.1.num.9.* Solorzanus *tom.2. lib.4.cap.3.num.30.* Parexa *dict.tit.2.resol.6.num.37.* Franciscus Ansaldus *de iurisd.2. part.tit.11.cap.5.ex num.137.* Marius Cutellus *ad leges Martini, tit.de iurisdict. Inquisit. compet. prout Episcopis, num.16. & 17. pag. mihi 352.*

DE FAMILIARIBVS SANCTÆ INQVISITIONIS.

10. Priuilegio, aut præscriptioni similis apud nos est decisio Aulæ, quam dicimus Competentiarum; quia schedulâ Regiâ, quâ tribunal illud erectum fuit anno 1625.c.8. sancitum fuit, vs quidquid hac in re fuerit decisum, in omnibus similibus casibus ius faciat, cuius verba (nam schedulam ipsam non vidi,) refert Parexa *dict.resol.6. num.313.* & commemorat Cutellus *vbi proximè, num.6.pag.344.* Quamuis alioquin exemplis iudicandum non sit, neque inspiciendum quid Romæ actum sit, sed quid fieri debeat, *l. licet 8. de officio Præsid. l. nemo, C. de sentent.& interloquut.* quam paremiam illustrat D. Valenz. *consil.69.n.212.* Valet ergo potiùs contrarium illud axioma: Sic inueni Senatum censuisse, *l. filius 14. in fine princip. ff. ad leg. Corn. de falsis.* Cùm enim illi Senatores amplissimi specialissimè vice Regia componant Tribunalia de iurisdictione contendentia, quidquid cognoscentes decernunt, legem esse constat, *l.1. de constit. Princip. §. sed quod Principi, Instit. de iure naturali, gent.& ciuili, l. vlt. C. de legibus.* Sed vt hoc libentissimè fatemur, ita & negamus assensum iudicis sæcularis, vel totius aulæ criminalium quæstionum vllum præiudicium afferre posse Regio Fiscali, aut iurisdictioni, cuius administrationem, non dissipationem gerunt, vt ad rem docent Boërius *in addition. ad Ioannem de Montaigne de auctorit. magni Consilij, num.148.* Menochius *consil.902. ex num.79. vsque ad finem*, Valenzuela *consilio vlt. num.91. cum seqq.* & fatetur

fatetur Paramus *responso* 2. apud Cutellum, *pag.* 374. *num.* 27. & multi alij penes ipsos.

11. De priuilegio iustè concesso, id est ab habente potestatem, vt de Summo Pontifice dicamus quod ex iure, & Theologia est, eâ, quæ Catholicum Ecclesiæ Romanæ filium decet modestiâ, distinguendæ sunt terræ in temporalibus Ecclesiæ subiectæ, ab his quæ tantùm subiectæ sunt in spiritualibus, vt *in cap. per venerabilem* 13. *qui filij sint legit.* In illis cùm vtraque gaudeat potestate, poterit quos voluerit à sæculari potestate eximere, & ecclesiasticæ subiicere, vt pro explicatione textus *in cap.* 2. *de foro compet.* notauit Morla *in emporio, tit.* 2. *in præludiis, num.* 140. Carolus de Grassis eum sequutus *de effectibus clericat. effectu* 1. *n.* 131. *versic. Sed Petrus.* In his verò ipse Incocentius III. fatetur *in cap. nouit* 13. *de iudiciis*, non esse suæ intentionis, vel in minimo derogare Regiæ potestati, aut iurisdictioni. D. Bernardus *lib.* 1. *de considerat. ad Eugenium, cap.* 6. *Ergo*, inquit, *in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has accepistis claues Regni Cœlorum; prænaricatores vtique excluſuri, non possessores.* D. Thomas *de regim. Princip. lib.* 1. *cap.* 10. *&* 19. Vnde ex pura gratia, & ex ratione merè politica non potest Summus Pontifex laicos à sæculari iurisdictione eximere, vt laici sunt, & ecclesiasticæ subiicere: alioquin diceremus absurdum, quod posset Pontifex spoliare Reges subditis, & eos suæ addicere iurisdictioni. Ita sentiunt eximius Pater Franciscus Suarez *aduersùs Regem Angliæ lib.* 3. *c.* 5. *n.* 8. Magister Basil. Pontius *de matrim. lib.* 5. *c.* 12. *§. vnic. per tot* cum aliis Barbosa *voto* 55. *n.* 10. Cutel. *ad leges Sicul. Mart. tit. de iurisd. Inquisit. compet. ex regia concessione.* Senseratque pridem Innoc. *in cap.* 2. *de maior. & obed.* & post eum Greg. *in l.* 1. *tit.* 7. *partit.* 1. *glossa vlt.* Ceual. *de cognit. per viam viol. quæst.* 52. *ex num.* 12. *vsque ad fin.* Bobad. *lib.* 2. *polit. cap.* 18. *num.* 214. & alij.

Dixi, non posse eximere laicos ex ratione merè politica, & vt laici sunt; quod duplex assertum signanter, & sigillatim exponendum est. Quia ex ratione spirituali, prout ad spiritualia concernit, negari non debet potestas hæc Summo Pontifici; hoc enim valet indirecta potestas super temporalibus, quæ est consequens directæ super spiritualibus; quia vt arguit Angelicus Præceptor 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *ad* 3. cui concessus est finis, concessa pariter intelliguntur quæ ad finem tendunt directò, *iuncta l.* 2. *de iurisd.* idem D. Thomas *d. lib.* 1. *de regim. Princip. c.* 19. *In quo casu*, inquit, *vt ex verbis Domini suprà inductis est manifestum, videlicèt pro bono statu vniuersalis Ecclesiæ, videtur vicarius Christi habere plenitudinem potestatis.* Quoties ergo Pontifex non potest assequi finem sibi intentum boni spiritualis, absque eo quod manum extendat ad temporalia, rectè illa potest ordinare, & sibi subordinare, iuxta effatum diuinum *Ieremiæ c.* 1. *Posui te super gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas, & ædifices, & plantes.* Quod sæpè, & cum bonorum laude feciſse manifestum est *ex c. alius* 15. *q.* 1. *c. nouit* 13. *de iudiciis, c. intellecto* 29. *de iureiurando, c. licet vniuersis, de voto, c. grandi, de supplend. neglig. Prælat. in* 6. *extrauag. vnam sanctam, de maiorit.* & aliis multis exemplis, quæ sedulò & eruditè adducit Magnus Præceptor meus D. Ramos *de Episcopat. Lusit. propos.* 4. *à principio.* Ideò hanc opinionem ne-dum communem, sed catholicam appellare possumus, quam defendunt Bellarm. *de R. Pontif. toto lib.* 5. Suarez *aduersùs Reg. Angliæ lib.* 3. *cap.* 22. *&* 23. Molina *de iustitia & iure tract.* 1. *disp.* 29. Basil. *d. lib.* 5. *c.* 12. *n.* 10. latissimè Solorzanus *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 22. *& duobus seqq.* & Carenas *de officio Inquisit. p.* 1. *tit.* 5. *de Summo Pontif. §.* 5. *de potest. summi Pontif. in temporal.* Ansaldus *de iurisd.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 5. *ex n.* 145. Salcedo *de lege polit. lib.* 1. *c.* 6. *ex num.* 19. Et licèt Ioannes Maior, Okam, & alij veteres Galli, vterque Barclaius, & Rogerus Vvidrinctonus apologias contra hanc potestatem ediderint, eas parum curamus, vt alibi ex- 12.
profesò dicemus.

Ex quo Auctores nostri disputant, vtrum Summus Pontifex eximere potuerit à iurisdictione sæculari officiales, notarios, familiares, & ministros sancti Officij, qui ex munere illi incumbunt, & præstò sunt ad obsequendum eius mandatis in rebus fidei? Habemus canonem Concilij Vienneusis *in Clement.* 2. *§. vlt. de hæret.* quo duo sanciuntur, aut supponuntur: nempe officiales in officio delinquentes, ab Inquisitoribus esse puniendos; item ne habeant officiales ad executionem suorum mandatorum, nisi necessarios, qui se conferant ad sua cum Inquisitoribus ipsis officia exequenda. Et bullam Ioannis XXII. quæ iubet omnem excessum amputari hac in re. Quæ quidem constitutiones apertè enunciant, hac de re prouisionem, vtpote adeò spiritualem, ad curam Sanctæ Sedis spectare; ergo si sibi benè visum sit, poterit de personis, foroque familiarium ministrorum decernere, etiam per modum gratificationis, & priuilegij, vt magis videatur remunerare: esse quippe dignos fauoribus, & priuilegiis, qui rebus fidei incumbunt & eius tutelæ præstò sunt, quilibet per se perspicere potest, notauitque Iacobus Simancas *de Catholicis instit. c.* 41. *n.* 13. pertinere quippe videntur ad defensionem fidei, non tantùm Inquisitores, sed ministri, per quos officium peragunt, & sine quibus nullo modo illud exequi possent, *c. vt officium, de hæret. in* 6. Ex quibus potuisse summos Pontifices eximere ministros à sæculari iurisdictione, post Eimericum, & Paramum notauit Narbona *in concord. familiar. glossa* 1. *ex num.* 3. D. Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 24. *ex n.* 59. Carenas *d.* 1. *p. tit.* 15. *§.* 5. Carleual. 1. *tom. de iudic. disput.* 2. *q.* 6. *sect.* 6. *à princip.* Villadiego *c.* 5. *§.* 20. *suæ polit.* Heuia *in curia*, 3. *p. §.* 1. *n.* 15. nouissimè Thomas Delbene *de officio Inquisit. tom.* 2. *dubit.* 195. *sect.* 16. Maximè consentientibus Principibus sæcularibus, de quorum iurisdictionis præiudicio tractatur: quo in sensu & ipsi Principes concessisse iurisdictionem censentur, argumento *ex l. conficiuntur* 8. *§.* 1. *ff. de iure codicillor.* ex quo probatur, dare censeri, qui cùm posset adimere, non adimit; & ex constitutione *tanta, de veteri iure enucleando, c. vlt. de confirm. vtili, vel inutili:* qui textus probant nostra reputari, quibus nostram auctoritatem impartimur, vt considerauit ad rem Marius Cutellus *ad leges Siculas, in legib. Martini, pag.* 370. *n.* 23. Alij verò censent, forum hoc priuilegiarium sancti Officij familiaribus indultum esse ex mera Principum sæcularium concessione, cùm negent eos ad negotium fidei pertinere, nisi per quandam analogiam, & abusiuè: ideò in Etruria eos illo non gaudere ex defectu Principalis indulti, docet Ansaldus *d.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 6. quod etiam mordicùs defendit Basilius *d. lib.* 5. *c.* 12. *ex n.* 12. Ex qua differentia & aliæ fluunt; nam Paramus negauit, potuisse Principem limitare, & ad casus restringere hanc iurisdictionem; in quem se inuexit Basilius: quasi Princeps iure, meritoque coërcere potuerit iurisdictionē, quam ipse indulserit. Cui doctrinæ consequens est alia, quam contra Narbonam defendit Parexa *d. tit.* 2. *resol.* 6. *ex n.* 85. *vsque ad* 93. familiares nempe in casibus exceptis in concordia non exui propter

delictum

delictum foro Inquisitorum; sed potiùs relinqui in proprio suo, & natiuo, quod est sæculare, ex quo in illis casibus deficit priuilegium. Ego neque audebo dicere concessionem hanc merè laicam esse, cùm cernam familiarium officium è re fidei esse, nec minimum instrumentum censeri sanctissimi Tribunalis ad pleraque munia, quæ necessariò quotidie obeunt contra apostatas, & alios fidei hostes: nec per consequens damnabo concordiam sapientissimè à nostris Regibus excogitatam pro suis Regnis. Dicam tamen locum fuisse concordato ex mente Pontificum, & ex Regnorum vtilitatibus. Cùm enim excessiuus esset familiarium numerus, oportuit ordinatione aliqua præfiniri, quod pridem consuluerat Simancas *dict. cap.* 41. *num.* 13. Deinde cùm homines spe impunitatis, & remissioris pœnæ fiant audaces ad grauissima perpetranda delicta, congruit, vt quædam exciperentur, in quibus miti, & priuilegiario foro non gauderent, ne sub prætextu concessi priuilegij, vel flagitiorum crescat auctoritas, vel publica vacillet vtilitas, vt dicitur *in l.* 2. *C. de priuileg. scholarum, lib.* 12. omnis enim abusus hac in re contra intentionem Summi Pontificis, & Principis est. Notant ad rem Salcedus *ad Bernard. Diaz, c.* 150. *à num.* 23. *pag. mihi* 508. Carenas *d.* 1. *p. tit.* 15. §. 4. Marius Cutellus *ad leges Martini, pag.* 346. *n.* 19. *&* 20. Quod longiusculè notasse non nocet. Obseruanda enim sunt in quibuscumque Regnis concordata. In nostro habemus legem 18. *tit.* 1. *lib.* 4. *nouissimæ compilationis*, quam per viginti & tria glossemata illustrauit Narbona. Indiani suam habent concordiæ schedulam, quam ad litteram refert, & illustrat D. Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 24. in qua concubinatus crimen exceptum intelligitur, quod in nostra expressum non est. De aliis Regnis consuli possunt Marius Cutellus *ad leges Martini, in Codice legum Sicularum, sub tit. de iurisd. Inquisit. in sæculares*, Gratianus *discept.* 340. Carleual. *d. tom.* 1. *disput.* 2. *q.* 6 *sect.* 6. Marius Giurba *consil.* 96. *ex num.* 27. *& seqq.* Cancer. 2. *p. cap.* 2. *de iurisd. ex n.* 33. Ansaldus *de iurisd.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 6. Fermosinus *in cap. cùm contingat* 13. *de foro comp. q.* 11. & alij innumeri penes ipsos, in quibus recensendis non immoror.

13. Notabo tamen alios casus exceptos in concordia non comprehensos, in quibus foro Inquisitionis non gaudent ex nouis legibus. Primò *ex leg. vlt. tit.* 1. *lib.* 1. *nouissimæ compil.* vanè iurantes à quocumque sæculari iudice puniri possunt. Et *in l.* 61. *tit.* 18. *lib.* 6. *eiusdem compil.* non gaudent foro priuilegiario in crimine extrahendi monetam argenteam à Regno, & introducendi æream. Et *in l.* 17. *tit.* 23. *lib.* 8. *compil.* nudantur etiam eodem foro, qui gestant breues igneas machinas, quas *pistolas, carrabinas*, & aliis nominibus vocamus. De crimine concubinatus dubito, cùm quodlibet concordatum intra suas metas, regionesque contineri debeat.

14. De familiaribus itaque Inquisitorum, id est de eorum famulis commensalibus ampliùs disquirendum est, quia de his in nostra concordia, provt hodiè extat compilata, nec verbum quidem, aut vola inuenitur. Narbona *glossa* 1. *&* 22. *à princip.* summo nixu contendit, gaudere foro veros Inquisitorum commensales. Verùm quia Narbona *dictâ glossâ* 22. *n.* 5. & Fermosinus *n.* 2. quædam verba pro disertis expendunt diplomatis inuictissimi Caroli V. ad Cancellariam Granatensem emissi anno 1518. è re me facturum existimo, si omnia præcedentia diplomata vsque ad concordiam in medium protulero, breui, planoque sensu donauero, quæ extant *lib.* 1. *tit.* 1. *fol.* 11. *ordinationum Pintianæ Cancell.* in cuius folij reuerso ita statuitur: *Y en quanto à las causas y negocios de los familiares de la Inquisicion, y en todo lo tocante à ello, se ha de tener, è guardar la orden, è forma que esta dada por las cedulas, y prouisiones Reales, que sobre ello fueron proueidas, cuyo tenor se pone aqui por la orden y tiempo que se libraron; è son las siguientes*, &c.

Omissâ, quæ primò occurrit, datâ Burgis 17. Martij anno 1508. quæ ad institutum non spectat, memoranda est prædicta Caroli V. schedula data Cæsaraugustæ 15. Iulij anno 1508. ad Cancellariam Granatensem, & Correctorem Giennensem, in qua declaratur, gaudere foro Inquisitionis, *Los officiales, y ministros de el sancto Officio de la Inquisicion de la Ciudad de Iaen, y su distrito, è sus criados, è familiares, è los criados, è familiares de los Inquisidores.* Et quia perturbabãtur in exercitio prædictæ iurisdictionis: *Loqual diz que es contra los priuilegios, è exenciones, y immunidades del dicho sancto Officio, è redunda en impedimento de el*; statuit: *Que de alli adelante en las dichas causas criminales, que tocaren à los susodichos officiales, y familiares, è à qualesquiera de ellos*, ne immisceantur, sed ad Inquisitores remittant. In hoc rescripto primò notandum est, ad vnum Correctorem remitti, & ad Aulam criminalium quæstionum Cancellariæ Granatensis; non tamen ideò minùs generale censendum est, quia datum ad vnum Præsidem, ad omnes datum censetur, ex theorica textus *in l. relegatorum* 7. §. *interdicere*, vbi magistraliter Bartolus, *de interdictis, & relegat.* Est quoque illud notandum, rescripta ex mente Principis robur, valoremque obtinere, & contra, aut præter eius voluntatem emissa, viribus euacuari, *l. vlt. C. de precibus Imperat. offerend. l. vniuersa* 7. *C. de diuersis rescriptis, l.* 2. *C. de petit. sublat. lib.* 10. *cap. super litteris, de rescriptis, cum similibus.* Constat verò ex illis verbis: *Lo qual diz que es contra los priuilegios*; Carolum non ex proprio motu concessisse quid noui, sed solùm confirmare, & roborare voluisse, quod audiebat iam concessum, vel sibi referabatur, *cap. in parte, el primero, de rescriptis.* Marta *de clausulis* 2. *p. clauf.* 71. Menochius *consil.* 103. *num.* 22. Mascardus *concluf.* 1210. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. glossa* 9. *in annotat. n.* 229. Azeuedo *in l.* 4. *num.* 2. *&* 3. *tit.* 26. *lib.* 8. *compil.* illa enim verba, *diz que*, correspondent clausulæ, *provt asseris*, siue, *provt asseritur*, quæ supponit certitudinem in narratione à parte facta, ad cuius instantiam impetratur rescriptum. Barbosa *clausula* 116. *& clausula vlt.* q od ad sequentia notandum est.

15.

Schedula, quæ sequitur, est secunda iussio Monsonij Aragonum, 9. Octobris 1542. emissa ad vtramque Cancellariam in confirmationem prioris, in qua ita: *Vereis, cumplireis, y guardareis la dicha cedula, è guardandola, è cumpliendola, no vos entrometais de aqui adelante en conocer de las causas criminales, que tocaren à los officiales, è familiares de las Inquisiciones de nuestros Reynos.* Non loquitur secunda iussio de familiaribus Inquisitorum, in quo à præcedenti distat: quod pro Regia iurisdictione facit; nam ex duabus iussionibus pari potestate pollentibus nouissimæ cautio attenditur, *l. non est nouum* 26. *cum duabus seqq. de legibus, l. quod traditum* 87. *cum seq. l. non ad ea* 89. *de condit. & demonstr.* quæ in casu occurrenti fortiter expendi potest. Pro se dicunt Inquisitores, secundam iussionem præcipere, vt videatur, & obseruetur prima: ergo non intendit in aliqno derogare eius obseruantiæ, aut cautioni, *cap. dilecta* 4. *de confirm. vtili, vel inutili*, cùm sit, insitque relatum in referente

16.

ferente cum omnibus ſuis qualitatibus, vt habet axioma 201. Barboſæ.

17. Succedit ſchedula data in hac ciuitate Valliſoletana 15. Maij 1545. per quam ambæ ſchedulæ præcedentes ſuſpenſæ fuerunt, tanquam per errorem, & contra formam emiſſæ: igitur deinceps allegari non poſſent, niſi ad vſum redactæ ſint nouiori conſtitutione; quia quod ſuſpenſum eſt, valore euacuatur, *l. is damnum* 169. §. 1. *ff. de regulis iuris, cap. dilecta* 8. *de confirm. vtili, vel inutili.* Vnde Narbona, & Fermoſinus ad hanc quæſtionem decidendam afferentes verba ſchedulæ Cæſarauguſtanæ, nihil attulerunt, niſi probauerint, ius illud de familiaribus Inquiſitorum ſopitum, ſuſpenſumque per hanc ſchedulam, ſuſcitatum fuiſſe per concordiam.

A qua ſuſpenſione cùm Inquiſitores ſupplicaſſent, cum ſancto Tribunali concordia ſumpta fuit, & diplomate Regio confirmata *in l.* 18. aliàs 20. *tit.* 1. *lib.* 4. *comp.* per quam cauſarum criminalium cognitio contra familiares, & alios miniſtros Inquiſitionis commiſſa fuit Inquiſitoribus, præſtituto gaudentium numero, exceptis atrocioribus, quæ ibi recenſentur: & ciuilium reſeruata fuit ſæcularibus iudicibus, de qua ampliùs dicere ſuperſedeo, cùm exactè illuſtrata ſit à Narbona. Fuit data Matriti 10. Martij 1553. in qua ad præſentem, quæſtionem hæc verba notanda ſunt: *Alzando, è quitando quanto à lo no expreſſado, è conſentido en eſte dicho aſſiento, è capitulos, el effecto de todas las dichas cedulas en lo tocante à las cauſas, è negocios de los familiares.* Ecce præcedentium ſchedularum expreſſam derogationem: *E quedando en todo lo demas en ſu fuerza, è vigor.* Ecce confirmationem. Nunc Inquiſitores ſic arguunt. Concordia loquitur tantùm de familiaribus Inquiſitionis, quorum reſpectu ſumitur: ergo nihil diſponit de familiaribus Inquiſitorum, *l. ſi de certa* 28. *C. de tranſact.* cum ſimilibus: atqui in ſchedula Cæſarauguſtana expreſsè forum priuilegiarium his conceſſum fuit, nec vllâ aliâ expreſsè ademptum inuenitur, immò potiùs generali confirmatione in concordia comprehenſum: igitur indiſtinctè gaudere debent foro, vt gaudent officiales. Per contrarium Fiſcalis Regius ſic tuetur ſuam, immò regiam iuriſdictionem. Si hoc argumentum probat, multùm probat, cùm probet indiſtinctè, & ſine caſuum limitatione familiares Inquiſitorum eo foro gaudere inſtar notariorum, & officialium ſecreti, pluſquam familiares, & notarios Inquiſitionis ipſius, quibus forum limitatum eſt: ſed abſurdum eſt, plus fauoris indultum eſſe familiaribus Inquiſitorum, quàm Inquiſitionis ipſius: ergo ideò in concordia de ipſis actum non eſt, quia nec de illis cogitatum fuit inter concordantes. Deinde negari non poteſt eſſe ambiguitatem in reſcriptis; nam ſchedulæ Cæſarauguſtanæ de famulis Inquiſitorum loquuntur: ſchedula verò Monſonij tantùm loquitur expreſsè de familiaribus Inquiſitionis. Vtraque ſuſpenſa fuit per Valliſoletanam, & ſuper hoc concordia ſumpta fuit, remanentibus in ſuo robore *las dichas cedulas*, in quibus verbis ambiguitas eſt, vt quilibet agnoſcere poterit: ſed quoties ambiguitas in reſcriptis reperitur, poſteriori ſtandum eſt, *cap. vlt. de reſcriptis*, quod ad rem pertinet, & quod ibi notat Panormitanus poſt Barrol. *in l. ſed poſteriores, ff. de legibus*, vbi A. Faber: alios adducit Menochius *lib.* 3. *conſil.* 227. *num.* 166. qui optimè loquitur. Addendus eſt Donellus *lib.* 1. *comment. c.* 12. ergo cùm poſterius de familiaribus Inquiſitionis loquatur, ad illud facienda eſt prædicta relatio, maximè quia vt certum agnoſcamus, illa verba: *Quedando en lo demas en ſu fuerza, y vigor*, referuntur ad id, quod proximius eſt, ſcilicet vt in caſibus non exceptis circa familiares, ſeruetur quod pridem circa forum ſtatutum erat, vt ſpectent ad forum Inquiſitionis. De famulis verò Inquiſitorum, nec quæſtio incidebat, nec fiebat concordia, nec ſuper hac re inuenitur Tribunalium querimonia: ergo relatio facienda eſt ad proximè dicta, & ad propoſitam quæſtionem intra ſuos terminos, non ad diuerſos. Ex quibus inſtantiis deducitur, attentâ concordiâ, rem dubiam eſſe. Sed videamus quatenus praxis, vſuſque dubium ſuſtulerit? Et pro ſententia, quam tuemur, facit ſchedula prudentiſſimi Philippi II. miſſa Proregi Valentiæ die 19. Martij anno 1562. in qua cùm familiares cuiuſdam Inquiſitoris à Prorege carceri mancipatos iuſſiſſet ad Tribunal Inquiſitionis remitti, hæc adiecit verba: *Y ſi ſus criados hizieren alguna coſa, que os parezca no conuiene al ſeruicio de Dios, y mio, vos con el cuidado que ſoleis, me dareis auiſo de ello, paraque yo lo mande proueer.* Eam refert Dionyſius Portocarrero *in competentia Maioricenſi, n.* 57. Tandem hæc ſententia expreſſa eſt in concordia Sicula facta anno 1597. vbi §. 16. ita cauetur: *Los criados de los Inquiſidores y officiales de la Inquiſicion, que fueren continuos commenſales, y que actualmente los ſiruieren, lleuando ſu ſalario y racion, gozen del priuilegio del ſancto Officio.* In cuius concordiæ confirmationem ſæpiùs declaratum fuiſſe in aula Competentiarum, videlicet familiares Inquiſitorum, & officialium in Regno Siciliæ gaudere priuilegio ſuorum dominorum, refert Baſilic. *deciſione* 17. *crimin. pert totam*, & in ipſa Aula deciſa fuit quædam cauſa huius Pinciani Tribunalis anno 1649. nam cùm Antonius Fernandez familiaris Receptoris ip. ſius Tribunalis pro homicidio in ipſa vrbe perpetrato carceri fuiſſet mancipatus per Prætorem ipſius ciuitatis, cauſa remiſſa fuit Inquiſitoribus ipſius Tribunalis: vnde iuxta ſchedulam Regiam ſupra expenſam, & à Parexa adductam, quæſtio hæc videtur deciſa, itavt amplius in dubium reuocari nequeat.

Sententiam hanc, quam tuemur, probant & de- 18.
fendunt, aliis relatis, Narbona *in dict. concordia, gloſſa* 1. & 22. *à principio*, Epiſcopus Fermoſinus *in cap. cùm contingat, quæſt.* 11. *de foro compet.* Cutellus *in dict.* §. 16. *concordiæ Siciliæ*, Baſilico *dict. quæſt.* 17. *crimin. per totam*, perdoctus vir D. Chriſtophorus de Moſcoſo, & Cordoua *in iuris allegat.* quam typis mandauit, cùm munus Fiſcalis ſupremi Conſilij gereret contra quoſdam familiares Cardinalis Moſcoſo. Contrariam autem ſententiam tuetur Anſaldus *de iuriſdict. dict. cap.* 6. ſed leui motus fundamento; ait enim, æquum non eſſe, vt delictorum punitio proprio domino committatur, contra deciſionem textus *in l. qui iuriſdictioni* 10. *ff. de iuriſdict.* nam agnoſco hoc argumentum militare in Epiſcopos volentes ius dicere in ſuos familiares; non verò in Inquiſitores, cùm tres, quatuorve reperiantur in Tribunali vno, in quo cauſa agitari poteſt excluſo delinquentis domino per alios, vt conſiderauit Narbona *in concord. gloſſa* 1. *ex num.* 65. maximè *num.* 71. Nec maioris ponderis eſt, familiares Equitum Ordinum militarium fori dominorum priuilegio non gaudere, vt cauetur in ordinationibus Valliſolet. *lib.* 1. *tit.* 1. *fol.* 7. & circa familiares ſcholaſticorum expreſsè

cautum eſt *in l.* 18. §. 7. *tit.* 7. *lib.* 1. *recopil.* & notauit Eſcobar *de Pontif. iuriſd. cap.* 37. nam diſcriminis magna ratio verſatur inter familiares Inquiſitorum, ac Officialium; & familiares Equitum, ac Scholarium; tum à ſanctitate miniſterij petita, tum à Regiis ſchedulis ſuprà relatis, quibus hæc exemptio à iuriſdictione ſæculari conceſſa eſt; quæ cùm non dentur circa alios familiares Equitum & Scholarium, non valet argumentum de aliis ad alios.

TITVLVS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] *Toletano.*

VT [b] Archipresbyter ſciat ſe ſubeſſe [c] Archidiacono, & eius præceptis omnibus, vel præceptionibus, ſicut Epiſcopi ſui, obedire debet, & quod ſpecialiter ad eius miniſterium pertinet, ſuper omnes Presbyteros in ordine poſitos [d] curam agere, & aſſiduè in Eccleſia ſtare: & quando Epiſcopi ſui abſentia eſſe contigerit, ipſe ad vicem eius [e] Miſſarum ſolennia celebret, & [f] collectam dicat, aut cui ipſe iniunxerit.

NOTÆ.

1. [a] *Toletano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. & in decreto Ivonis *p.* 6. *cap.* 20. & Burchardi *lib.* 3. *cap.* 50. & hæc verba Concilio Toletano tribuuntur *in cap. ad hæc* 7. *de officio Archidiaconi:* à Gratiano tamen *in cap. perlectis, verſ. Vt Archipreſbyter*, tranſcribuntur ex epiſtola D. Iſidori miſſa ad Leufridum Epiſcopum. Sed in nullo ex Conciliis Toletanis nuper excuſis, & hucuſque editis reperiuntur hæc verba. Et licèt textus *in d. cap. perlectis*, reperiatur in ea epiſtola D. Iſidori, tamen hæc verba à Gratiano relata non inueniuntur. Et D. Garcia à Loayſa, qui huius inclyti Doctoris opera ex variis MSS. codicibus edidit, in notis ad ipſam epiſtolam obſeruat, hæc verba non reperiri in antiquis codicibus. Et non eſſe ipſius Doctoris, probatur ex eo; nam poſtquam S. Doctor omnium ordinum officia, & miniſteria recenſuit, hæc ſubiunxit verba: *Hi ſunt ordines, & miniſteria Clericorum, quæ tamen auctoritate Pontificali in Archidiaconi cura, ac theſaurarij ſolicitudine diuiduntur.* Vnde inordinatè procederet Sanctus, ſi poſt hæc verba de officio Archipreſbyteri ageret: quare exiſtimo in hoc textu proponi canonem alicuius Concilij Toletani nondum editi, aut cuius acta iniuriâ temporum perierunt, & ex eo hæc verba irrepſiſſe inter opera D. Iſidori; quod etiam notauit Hallierius *de hierarch. iuriſd. lib.* 4. *art.* 3.

2. b *Archipreſbyter.*] Sicut Princeps Epiſcoporum dicitur Archiepiſcopus; & Diaconorum Archidiaconus; ita primus, & princeps Preſbyterorum appellatur Archipreſbyter, id eſt, qui præeſt aliis Preſbyteris. Licèt enim vbi plebs numeroſa non erat, olim vnus Preſbyter tantùm præponeretur, qui vulgò parochus dicebatur; tamen vbi plebs numeroſa erat, tunc plures Preſbyteri præponebantur; & qui illis præerat, Archipreſbyter dicebatur. Concilium Epaunenſe *can.* 80. Agathenſe *can.* 54. Et quia plerumque decem Preſbyteris præponebatur, Decanus dicebatur, *c. in capite*, 50. *diſt. cap.* 7. *de officio Archidiac.* Iuſtinianus eum appellat primum Preſbyterum *in l. repetita* 41. *C. de Epiſc. & cleric.* principalem Preſbyterum *in nouella* 123. Preſbyteri iſti, qui ſucceſſerunt in locum Chorepiſcoporum, vt docet Cironius in præſenti, debent eſſe preſbyterali gradu decorati, *cap.* 2. *diſt.* 60. *cap.* 1. *de ætat. & qualit.* & ſunt vicarij Epiſcoporum: vnde in qualibet Eccleſia Cathedrali debet eſſe vnus Archipreſbyter. Concil. Emerit. *can.* 10. *Statuimus, vt ſinguli noſtrùm Cathedralibus Eccleſiis Archipreſbyterum, Archidiaconum, & Primicerium habere debeamus.* Vltra ea munera, quæ in hoc titulo Archipreſbyteri commendantur, alia etiam ſpectant ad ipſos, vel iure ordinario, vel ratione conſuetudinis. Iure ordinario, vt ſimul cum Archidiacono bona Eccleſiæ adminiſtrare. Concil. Brachar. *can.* 25. *De qua parte, ſiue Archipreſbyter, ſiue Archidiaconus illam adminiſtrans, Epiſcopo faciat rationem.* Pauperum etiam curam habere, *cap. Epiſcopus* 7. *diſt.* 88. iuriſdictionem non ſolùm in clericos, verùm interdum in ſæculares exercere, *cap. final.* iuncta inſcriptione, *de conſtit. c. dilectis* 55. *de appellat. cap.* 2. *ne Prælati vices ſuas.* Concil. Altiſſiod. *can.* 41. *Si quis ex ſæcularibus inſtitutionem, aut commonitionem Archipreſbyteri ſui contumaciâ faciente audire diſtulerit, tamdiu à limitibus ſanctæ Eccleſiæ habeatur extraneus, quamdiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere ſtuduerit, inſuper multam, quam glorioſiſſimus Rex Dominus præcepto ſuo inſtituit, ſuſtineat.* Conſuetudine interdum ad Archipreſbyteros ſpectat inſtitutio in capellis poſt præſentationem patroni, *cap. ſuper eo*, 15. *de officio deleg.* cognitio cauſarum matrimonialium, *cap. ex litteris, de conſanguin. & affinit.* licèt hodie matrimoniis aſſiſtere non poſſint, vt defendit Baſilius Legion. *lib.* 5. *de matrim. c.* 12. *n.* 6. Alia plura proſequuntur circa Archipreſbyteros Barboſa *de dignit. c.* 6. & *lib.* 2. *iuris Eccleſ. cap.* 25. Vigliellius *in methodo iuris can. pag.* 355. Azor. 2. *p. inſtit. lib.* 3. *c.* 15. Petrus Greg. *lib.* 15. *ſyntagm. c.* 21. & *lib.* 1. *partit. tit.* 22. *c.* 5. Cuiac. *in cap. ex parte* 8. *de clericis non reſident.* Manrique *de præcedentiis q.* 6. Alteſſerra *lib.* 1. *diſſert. cap.* 16.

c *Subeſſe*

3. c *Subesse Archidiacono.*] *Dicto cap. perlectis, cap. ad hæc, vers. Archipresbyteri, de officio Archidiac.* Sed hoc sacris canonibus, & rationi contrarium esse facilè probatur ex Concilio Emerit. *can.* 10. in illis verbis: *Communi deliberatione sancimus, vt nos omnes Episcopi infra nostram prouinciam constituti in Cathedralibus nostris Ecclesiis, singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerum habere debeamus. Sanctus quippe est ordo, & à nobis per omnia obseruandus*, &c. *cap. dictum*, 94. *dist.* vbi priùs enumerantur Archipresbyteri, quàm Archidiaconi. Rationi etiam opponitur hæc sententia; nam æquum est, vt maior in ordine, potior sit in dignitate, *cap. statuimus* 15. *de maiorit. & obed.* vnde Presbyteros Diaconis antestare, docetur *in cap. legimus, cap. dominus*, 93. *dist.* & iniustum atque absurdum est, inferiorem in superiorem posse iurisdictionem exercere, *cap. cùm inferior, de maiorit. & obed.* Vt huic difficultati satisfaciant Duarenus *lib.* 1. *de sacris, cap.* 9. Legaufre *in præsenti*, Cuiacius *in dict. cap. ex parte*, affirmant, Archidiaconum esse Archipresbytero maiorem ratione iurisdictionis; ordinis verò ratione Archipresbyterum maiorem esse, nec hoc absurdum esse, cùm diuersis respectibus possit quis esse inferior, & superior alio, *l.* 1. *C. de officio vicarij.* Sed licèt hæc communis distinctio vera sit, & amplecti debeat pro expositione textus *in cap. vnico, de officio Primicerij*; tamen placet nunc sententia Hallierij *de hierarch. iurisd. d. lib.* 4. *art.* 3. *pag.* 585. qui existimat, in Hispania consuetudine fuisse introductum, vt Archidiaconi præessent Archipresbyteris, & sic non proprio iure, sed inter alia, quæ consuetudine, aut audaciâ sibi arripuerunt & acquisierunt, hanc etiam iurisdictionem supra Archipresbyteros vsurpasse: quæ sententia facilè suadetur, si obseruetur, textus nostros, & *in d. cap. ad hæc*, & etiam *in d. cap. perlectis*, deductos esse ex Conciliis Hispaniæ nostræ, vt etiam suprà notaui.

4. d *Curam.*] Habet enim Archipresbyter curam animarum cum iurisdictione, *cap. finali, cap. officium, hoc tit. cap. cùm olim* 13. *de re iudic.* vnde rescripta Apostolica ipsis dirigi solent, *cap. eam te* 7. *cum sequenti, de rescriptis*, & in ipsa Ecclesia principali vrbana, seu rurali, potest matrimonio assistere, aut alij licentiam assistendi concedere; non tamen in aliis minoribus parochiis, vt alij Presbyteri sacramenta administrent, vt docet Basilius Legion. *lib.* 5. *de matrim. cap.* 12. *num.* 7.

e *Missarum solennia.*] Missas publicas tantùm Archiepiscopi, & Episcopi in suis Ecclesiis celebrare poterant, vt probant Vicecomes *volum.* 2. *de ritibus Missæ, lib.* 5. *cap.* 2. Claudius Espenceus *de Missa publica & priuata*, Bosquetus *ad Innocent. lib.* 2. *epist.* 18. & illis absentibus Archipresbyteri eas celebrabant, vt probaui *in cap.* 1. *de clericis peregrinis, num. vlt.* 5.

f *Collectam.*] Licèt collecta cùm de diuinis officiis agitur, plerumque accipiatur pro ipso diuino officio, D. Hieronymus *in epitaphio Paulæ*, ibi: *Quo signo vocabantur ad collectam*: ipse in regula S. Pachomij, *art.* 107. *Sex orationes facient vespertinas, iuxta exemplum maioris collectæ*: & *art.* 121. *Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros eius, & aget pœnitentiam publicè in collecta*: notauit Menardus *ad D. Gregorium pag.* 42. tamen in præsenti, & propriè significat orationem, quæ in fine cuiuslibet horæ canonicæ dicitur. Concilium Agath. *can.* 30. *Quia conuenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, sicut vbique fit, vt post antiphonas, collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur, & hymni matutini, vel vespertini decantentur diebus omnibus, & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum, & Missarum, post hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione mittatur.* Concilium Carthag. 3. *can.* 23. Meliuit. *can.* 12. talis enim oratio ideò collecta dicebatur, quia in eam cuncta populi vota colligebantur. Docent & notant Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri clerico, cap.* 81. Hæphtenus *lib.* 7. *disquisit. monast. tract.* 8. *disq.* 4. Durantius *in rationali lib.* 4. *cap.* 15. 6.

CAPVT II.

Leo [a] Papa.

MInisterium Archipresbyteri in eo constituitur, vt diligenti curâ prouideat mysterium [b] Sacerdotum Cardinalium, qui persolennissimum debent agere officium in communicatione corporis, & sanguinis D. N. I. Christi, itavt vicissim eos sibimet succurrere faciat, quatenus à sacro-sancto die Dominico incipiendo, per omnes horas canonicas indeclinabiliter perseuerent, vt opus Dei dignè & sanctè perficiatur ab eo, cui committitur. Verens sententiam illius sapientissimi, vbi dicitur: Maledictus homo, qui negligenter facit opera Dei. Prouideat etiam Archipresbyter [d] vitam sacerdotum Cardinalium, præceptis sui obtemperando Episcopi, ne aliquando cedant, aut [e] scurrilitate torpeant: & reminiscantur quod labia sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Si Episcopus defuerit, exceptis his, quæ prohibita sunt, Archipresbyter prouideat cuncta, quæ in sacerdotum ministerio perfici debeant, [f] fontes benedicere, [g] infirmos oleo perungere, pœnitentem infirmum [h] consulto Episcopo reconciliare, [i] pœnitentiam cunctis aliis sacerdotibus, quæ ad purgationem animarum pertinet, iniungere, in præcipuis festiuitatibus, aut ipse celebrationem Missæ [j] solenniter adimpleat, aut ad oris sui iussionem, cui committitur, veneranter peragat.

NOTÆ.

a *Leo Papa.*] Similiter legitur *in cap. 2. ſub hoc tit. in 1. collect.* ſed ex nulla ex eis conſtat cuius Pontificis huius nominis ſit præſens deciſio: eam Anton. Aug. tribuit Leoni IX. in notis ad primam collectionem.

1. b *Sacerdotum Cardinalium.*] Cardinales in hoc textu non accipiuntur pro Cardinalibus eminentiſſimis vrbis Romæ, de quibus plura adduxerunt Buſeus *de ſtatibus hominum, verbo Cardinales*, Ciaconius *in hiſt. Cardin.* Cohelius *in notit. Cardinalatus*, Serlogus *tom. 3. in Cantica, pag.* 495. Lotherius *de re benef. lib. 3. q. 27. num. 50.* Rouſſelius *lib. 2. hiſtor. iuriſd. Pontif.* Spondanus *in continuat. Baronij, anno* 1440. *num.* 28. Chokier *in face hiſtor. cap.* 89. Barboſa *lib. 1. iuris eccleſ. tit. de Cardin.* & nos *in cap. 2. de clericis non reſid.* ſed pro ſacerdotibus principalioribus Eccleſiarum baptiſmalium, de quibus exaudiendi ſunt textus *in cap. fraternitatem, 71. diſt. cap. Præſul 2. q. 5. cap. à ſubdiacono, 93. diſt. cap. paſtoralis 7. q. 1. cap. relatio 21. q. 1.* Volaterranus *in Antropolog. lib. 22. in vita Innocentij IV. pag. 255.* in illis verbis: *Cardinalium nomen ab initio epitheti honorationis appellatio fuit; nam alibi clericum Cardinalem, & canonicum Cardinalem legimus, id eſt præcipuum, & principalem.* Docent Vuolfangus Lazius *lib. 2. Reip. Rom. cap. 2.* Petrus Greg. *lib. 15. ſyntagm. cap. 4. num. 1.* Lælius Cæchus *de Repub. Eccleſ. cap. 2.* Cæſar *de Eccleſ. hierarch. diſput. 2. §. 1. num. 9.* vnde obſeruatur in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus, vt præcipui, principaleſque Canonici Cardinales appellentur, vt de Eccleſiis Rauennat. Mediolan. & Neapolit. ex Mandoſio, & aliis notauit Cohelius *vbi ſuprà, cap. 2.* Apud nos etiam in celebri Eccleſia Compoſtellana ſunt dignitates, quæ appellantur Cardinalitiæ, ex conceſſione Paſchalis, temporibus Alphonſi VII. Caſtellæ Regis, & D. Didaci Gelmirez, cui conceſſit Pontifex, vt Cardinales ſeptem in Eccleſia ſuos, Preſbyteros, ſeu Diaconos, tales conſtitueret, qui dignè valerent commiſſa ſibi eccleſiaſtici regiminis onera ſuſtinere, vt poſt alios referunt Ægidius Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ, cap. 9.* Couar. *in theſauro, verbo Cardenal.* Nec ſolùm in Eccleſiis vrbicariis, verùm etiam in ſuburbicariis, & ruralibus Preſbyteri Cardinales conſtituebantur, vt ſacramenta adminiſtrarent. D. Gregorius *lib. 1. regeſtr. epiſt. 15. ad Balbinum Epiſcopum Roſellanum*, præcepit in Populonenſi Eccleſia vnum Cardinalem Preſbyterum conſtitui, & in parochiis præfatæ Eccleſiæ tres Preſbyteros. Idem *lib. 11. epiſt. 32. ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum*, ſtatuit, vt Coſmas quidam in Eccleſia Syracuſana, in qua ordinatus Subdiaconus, Preſbyter Cardinalis conſtituatur. Meminit Preſbyterorum Cardinalium in Conſtantinopolitana Eccleſia Nicolaus I. R. Pont. *in epiſt. ad Michaëlem Imp. Bizant.* lecta in Synodo 8. ſeu 9. Conſtantinopol. Hildebertus Cenoman. ſeu Turon. *in excerptionib.* notat Fileſacus *de origine Paræciarum, cap. 3.*

2. c *Die Dominico.*] Per ſingulos enim dies debebant Preſbyteri adeſſe Epiſcopo miniſtranti. Clemens *lib. 2. conſtit. Apoſt. cap. 61. In eius medio ſit Epiſcopi ſedes, ad cuius vtrumque latus conſideant Preſbyteri, & Diaconi aſſiſtant ſuccincti, & expediti.* Et Anacletus R. P. *epiſt. 1. In ſolennioribus diebus, aut ſeptem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur; & ſubdiaconos, & reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimentis in fronte, & à tergo, & Preſbyteri è regione, dextra, lævaque, contrito corde, & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent vultu.* Notat Vicecomes *de ritibus Miſſæ volum. 3. lib. 1. cap. 21.*

d *Vitam ſacerdotum.*] Vnde in Concilio Altiſſiodor. *can. 20.* ita cauetur: *Quod ſi Preſbyter (quod nefas eſt dicere) aut Diaconus, aut Subdiaconus poſt acceptam benedictionem infantes procreauerit, aut adulterium commiſerit, & Archipreſbyter hoc Epiſcopo non intimauerit, integro anno non communicet.*

e *Scurrilitate.*] Quæ non ſolùm in clericis damnatur, *cap. 1. de vita & honeſt. cleric. lib. 6.* verùm in omnibus laicis fidelibus, vt probat latè Anonymus *in Machiauellum lib. 1. pag. 59.*

f *Fontes benedicere.*] Non ad aquam piacularem referas, quam nos vulgò benedictam appellamus, licèt eius benedictio propria ſacerdotis ſit, & quolibet die Dominico fieri debeat, *cap. aquam, de conſecr. diſt. 2.* latè plura de aqua benedicta adducentes docent Marſilius *ſpeciali tract. de aqua benedicta*, Sauſay *in Panopl. ſacerd. lib. 2. cap. 6. §. 2.* Hæc enim verba accipienda ſunt de benedictione fontis baptiſmalis, ſiue aquæ in baptiſterio ad baptiſmum præparatæ: certum enim eſt, fontem baptiſmalem aquâ plenum priùs benedici à Preſbytero, quàm baptiſmus cum ea adminiſtretur, quod iam à primis Eccleſiæ temporibus obſeruatum fuiſſe legimus apud D. Clementem Romanum *lib. 7. conſtit. cap. 43.* ibi: *Deinde venit ad aquam, benedicit, & glorificat Sacerdos Dominum Deum omnipotentem.* D. Cyprianum *epiſt. 7.* ad Ianuarium: *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam priùs à ſacerdote, vt poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Et tunc dicebatur fontem benedici. Paulinus Nolanus *epiſt. 12. ad Seuerum*, ibi: 3.

Hic reparandarum generator fons animarum,
Viuum diuino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cœlo deſcendit Spiritus amnem,
Cœleſtique ſacras fonte maritat aquas.
Concipit vnda Deum, ſanctamque liquoribus almis,
Edit ab æterno ſemine progeniem.

Hanc fontis benedictionem in Baptiſmo ſolenni faciebat Epiſcopus. Vvolfangus Lazius *de veter. Eccleſ. ritib.* vbi ait: *His expletis procedit Pontifex ad fontes benedicendos cum omni Clero.* Victor Vticenſis *lib. 2. de perſecut. Vandal.* ibi: *Hic viſitatur à domino, prædiciturque ei nocte per viſum; dies enim Epiphaniorum illuceſcebat: Surge, vade ad ſeruum meum Eugenium Epiſcopum, & dices ei, quia ego te ad illum direxi, & illâ horâ, quâ benedicit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur.* Notauit Vicecomes *de ritibus Baptiſmi lib. 1. cap. 14. cum ſequentibus.*

g *Infirmos oleo perungere.*] Id eſt Sacramentum Extremæ vnctionis illis adminiſtrare, de quo aliqua prælibaui *in cap. vnico, de ſacra vnct.* Illud tantùm in præſenti notandum eſt, Sacerdotes huius ſacramenti ordinarios miniſtros eſſe. D. Iacobus *epiſtol. 5.* vbi de hoc Sacramento diſſerens ait: *Inducat Preſbyteros.* Quæ verba reperiuntur *in cap. illud, 95. diſt. cap. vnico, de ſacra vnct. cap. quæſiuit, 14. de verb. ſignif.* Trident. *ſeſſ. 14. de hoc ſacramento, cap. 3.* & *can. vlt.* Concilium Cabilon. ſub Carolo *can. 48.* Faciunt textus *in cap. Preſbyteros, diſt. 95. cap. Preſbyteri 123.* 4.

cap.

cap. ab omni 124. *de consecr. dist.* 4. *cap. ab infirmis* 27. *q.*1. plura dabimus *in cap.*25. *de v. s.* vnde in hoc textu inter ea, quæ competunt Presbyteris, vt Presbyteris, enumeratur administratio vnctionis infirmorum.

5. h *Consulto Episcopo.*] In præsenti agit Leo de eo, qui pœnitentiam solennem in Ecclesia faciebat, circa cuius formam, & ritus vltra obseruata *in cap.*1. *de bigamis non ordin.* sciendum est, reconciliationem eorum, qui solenni pœnitentiæ caput in Ecclesia subdiderunt, competere iure proprio Episcopis, & non aliis inferioribus Prælatis. Concilium Nicænum *can.*13.*cap. cùm aliquis* 108. *q.*3. Concil. Hispal. 2. *can.* 13. Meldense *can.* 41. Triburiense *can.*31. Carthag. 2. *can.* 3. plura Albaspineus *lib.*2. *obseru.cap.*32. *&* 33. Cironius *ad titul. de pœnit.* Mendoza *lib.*2. *Concil. Illiber. c.* 64. vbi & nos. Filesacus *in cap. inter* 15. *§.* 6. *de officio ordinarij.* Morinus *lib.*2. *exercit. cap.* 7. Ambianas *ad Tertull. cap.*18. *obseru.*2. nec etiam ipsos pœnitentes ægritudine oppressos Presbyteri reconciliare poterant, nisi consulto Episcopo, *cap. Aurelius* 26. *q.* 6. ibi: *Si Episcopus absens fuerit, vtique Presbyter debet consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare.* Concilium Brachar. 2. *can.*82. *Qui in exitu mortis sunt, & desiderant accipere sacramentum,cum consideratione, & approbatione Episcopi accipere debent.* De qua reconciliatione exaudiendus est Leo *in præsenti.* Videndus Altesserra *lib.*2. *dissert. cap.*8.

6. i *Pœnitentiam.*] Non solennem, quam Presbyteri facere nequeunt, vt probaui *in cap.*1. *de bigamis non ordin.* sed priuatam, & sacramentalem: cùm enim Presbyteri Archipresbytero subsint, ab eo accipiebant ob peccata sua dignam pœnitentiam. Concil. Turon. 2. *can.* 20. *Illi verò Archipresbyteri, qui talem cautelam super iuniores suos habere noluerint, & non eos habuerint, studio distringendi ab Episcopo suo in ciuitate, retrudantur in cella.*

j *Solenniter impleat.*] Vt dixi *in cap.*1. *circa finem, hoc tit.*

CAPVT III.

[a] Idem.

OFficium Archipresbyteri de [b] vrbe constat, quando ibi Præsul defuerit, vice eius officium [c] inchoare,benedictiones [d] Presbyterales in Ecclesia dare,Missam, quando voluerit, cantare,vel cui de sacerdotibus iusserit. Quando verò Episcopus Missam cantat,debet præcipere sacerdotibus, vt induant se [e] vestibus sacris, qualiter ad Missam procedant. Debet enim præcipere custodi Ecclesiæ, vt in sacrario [f] Eucharistia Christi propter infirmos non desit. Debet infirmis prouidere, & prouidendo præcipere sacerdotibus,ne fortè sine confessione, vel [g] confirmatione corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi moriantur: confessiones verò peccatorum eorum,qui à foris veniunt,[h] recipere cum omnibus sacerdotibus, & exinde per iussionem Pontificis magnam debet illis adhibere curam. Ad Christianos quoque [i] faciendos,& baptizandos infantes, & ad succurrendum omnia à sacerdotibus, per iussionem illius faciant.

NOTÆ.

a *Idem.*] Similiter etiam legitur in prima collectione, *in hoc tit. cap.* 3. sub eadem tamen incertitudine, cùm non constet cuius Pontificis huius nominis sit, licèt Leoni IX. eam tribuat Anton. Augustin. *in notis ad primam collect. in hoc textu.*

1. b *De vrbe.*] Archipresbyteri enim, alij sunt in vrbe, id est in Ecclesiis vrbanis constituti; alij in singulis plebibus, quæ plures habent parochias, præfecti, qui dicuntur Archirurales. De primis agitur *in cap.* 1. *&* 2. *hoc tit. cap. final. de constit. cap. super* 15. *de officio deleg. cap. dilectus* 55. *de appellat.* Concil. Emerit. *can.* 10. De ruralibus *in c.si in plebibus,*63.*dist. c. final. hoc tit.c.cùm inter* 13. *de re iudicata:* latiùs eorum differentias prosequitur Filesacus de origine Parœciarum *cap.*3.

c *Officium inchoare.*] Non tamen confundendo se cum Cantore, vt animaduertit Barbosa *de dignit. cap.* 6.

2. d *Benedictiones Presbyterales.*] Præstandas in matutinis, & aliis horis canonicis. Exponit Glossa, quam sequuntur Hostiensis, & Butrius. Sed, ni fallor, perperam; nam benedictiones, quæ dabantur in his horis canonicis recitandis, etiam Presbyterali gradu non decorati dare poterant, vt probat Benedictus Haæphtenus *in vita S. Benedicti,prolegom.*18.§.11. licèt hanc solennem benedictionem tantùm Presbyterum dare posse statuat Alex. IV. *in cap. Abbates, de priuileg. lib.*6. Existimo ergo in præsenti agi de benedictionibus, quæ dabantur populo Missæ Sacrificio assistenti, de quibus *in cap. Missas, de consecr. dist.*5. Eas absente Episcopo Sacerdos dabat, *cap. cùm ad celebrandas*, ibi: *Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus non antè discedat, quàm Missæ solennitas compleatur; & vbi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.* Licèt eam benedictionem, quam Episcopi, dum ad Ecclesiam procedunt Pontificio apparatu, vel occurrenti, vel confluenti populo dare consueuerunt, illis etiam absentibus Presbyteri dare non possint: quo modo accipio canonem 47. Concilij Agath. in illis verbis: *Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere Presbytero penitus non licebit.* Plura cumulat de hac benedictione in Ecclesia præstanda, dum populus Missæ sacrificio adest, Sausay *in Panopl. sacerd. p.*2.*lib.*1.*cap.*7. Altesserra *lib.*6. *dissert.cap.*9.

e *Vestibus sacris.*] Vt assistant Episcopo celebranti, iuxta veterem Ecclesiæ morem, quem probaui *in cap. antecedenti.*

f *Eucharistia.*] *Cap.* 1. *de custodia Eucharistiæ*, vbi latiùs dicemus.

g *Confirmatione.*] Sicut ab effectu,quia post primam gratiam per baptismum collatam,sacramentũ 3. chrismatis

chrismatis confirmat, ideoque dicitur Confirmatio, *cap. vt ieiuniis, de consecr. dist. 5.* notat Basilius *de Confirm. p. 1. cap. 1.* ita quia Eucharistia supponit gratiam primam sacramenti pœnitentiæ, & eam auget, & confirmat, dicitur confirmatio in præsenti.

h *Recipere.*] Non tamen absoluere; nam à tempore S. Dionysij, quo parochiæ distinctæ fuerunt, *cap. Ecclesias 13. q. 1.* non licuit alieno sacerdoti parochianum alienum absoluere, aut ad pœnitentiam, seu alia sacramenta admittere, *cap. placuit, de pœnit. dist. 6. cap. nullus, de parochiis, cap. omnis, de pœnit.* vbi notauit Balboa *num. 22.* Tantùm ergo eos recipiebant, vt Episcopo præsentarent, à quo pœnitentia solennis iniungenda erat, *cap. in capite, 50. dist.* in illis verbis: *Adesse debent Decani* (id est Archipresbyteri,) *parochiarum, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersationem, & pœnitentiam diligenter inquirere debent.*

i *Faciendos.*] Siue in eorum catechesi, siue in collatione Baptismi.

CAPVT IV.

[a] Ioannes IX. *Ex Synodo Rauennæ habita.*

VT [b] singulæ plebes [c] Archipresbyterum habeant. Propter assiduam erga populum Dei curam, singulis plebibus Archipresbyteros esse volumus, qui non solùm imperiti vulgi solicitudinem gerant, verùm etiam eorum [d] Presbyterorum, qui per [e] minores titulos habitant, vitam iugi circunspectione custodiant, & quâ vnusquisque industriâ diuinum opus exerceat, [f] Episcopo suo renuntient: nec obtendat Episcopus non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: quia etsi valde idoneus sit, decet tamen, vt partiatur onera sua: & sicut ipsi [g] matrici præest, ita Archipresbyteri præsint plebibus, vt in nullo titubet ecclesiastica solicitudo. [h] Cuncta tamen ad Episcopum referant, nec aliquid contra decretum eius ordinare præsumant.

NOTÆ.

1. a *Ioannes IX.*] Ita legendum est, non *idem*, vt legitur in Decretalibus, & in prima collectione, *sub hoc tit. cap. vlt.* anno enim 904. Rauennæ (de qua vrbe egi *in cap. si quando 5. de rescriptis,*) celebratum fuit Concilium assistentibus septuagintaquatuor Episcopis, præsente Lamberto Imperatore, in quo plura ad morum reformationem, & disciplinam ecclesiasticam adstruendam, nonnullaque statuta fuerunt, quæ referunt Baronius *tom. 10. in prædicto anno*, Corjolanus *in breuiario*, & reperiuntur eius acta in Conciliis nuper editis *tom. 24. sub tit. Concilij Anonymi*, de quo Concilio hæc refert Sigebertus *in chron. anno 309. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quem Stephanus Papa deposuerat, Synodum 74. Episcoporum præsentibus Francorum Archiepiscopis, & Rege apud Rauennam statuit; & coram eo combusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.* In ipsa ergo Synodo *can. 12.* reperiuntur verba huius textus. Alteserra *lib. 6. dissert. cap. 8.* credit præsentem canonem transcriptum fuisse ex canone 13. Concilij Regiaticin.

2. b *Singulæ plebes.*] Id est parochiæ; parochia enim plebs vocatur. Concil. Africanum *can. 87.* & Meliuitanum *can. 21.* ibi: *Placuit, vt quicumque Episcopi plebes, quas ad suam Cathedram existimant pertinere, non ita repetant.* Parisiense *1. can. 25. Comperimus quorundam Episcoporum ministros non solum in Presbyteris, sed etiam in plebibus parochiæ suæ, id est diœceseos, auaritiam potius exercere.* Regiense *can. 3.* Concilium Nannet. *can. 4. Cùm sacerdos viderit aliquem infirmari in sua plebe.* Filesacus *de origine Paræciarum, cap. 2.*

c *Archipresbyterum.*] Ruralem, in hoc enim textu agitur de ruralibus, seu foraneis Presbyteris, de quibus *in cap. si in plebibus, 63. dist. c. cùm inter 13. de re iudic. Clement. 2.* ibi: *Foraneo, de rescriptis.*

d *Presbyterorum.*] Id est parochorum ipsarum Ecclesiarum; parochi enim rurales, seu foranei, dicuntur Presbyteri. Concil. Emerit. *can. 9.* & Carthag. *can. 36. Presbyteri, qui per diœceses Ecclesias regunt.* Vasense *can. 3.* Vvormat. *can. 60.* Trosleianum *can. 6.* & illi Presbyteri plebium inde Plebani appellantur, *cap. cùm olim, de præscript.* Filesacus *d. cap. 3.* 3.

e *Per minores titulos.*] Ecclesias appellari titulos, satis notum est, *cap. Sanctorum, 70. dist. cap. 2. de præbendis*, vbi Deo annuente plura adducemus. Illud in præsenti notandum est, Ecclesias Cathedrales appellari maiores titulos; parochias verò, siue vrbanas, siue rurales, dici minores titulos. Concilium Turon. Sub Carolo Magno, *can. 14. De titulo minori ad maiorem migrare nulli Presbytero licitum sit, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est.* Concilium Ticinense sub Ludouico II. *Tollenda est enim prauа omnino consuetudo, quæ in quibusdam locis oriri cœpit, quia nonnulli Archipresbyteri, vel aliorum titulorum custodes, fruges, vel aliarum Ecclesiarum redditus ad proprias domos abducunt.* Mogunt. sub Rabano *can. 9. Nec Episcopo liceat matricis Ecclesiæ, nec Presbytero rem tituli sui vsurpare.* Notant Bosquetus *ad Innocentium III. lib. 1. epist. 136.* Filesacus *d. cap. 2.* 4.

f *Episcopo suo renunciet.*] Concilium Altissiod. *can. 20. & 41.* cuius verba suprà retuli *in cap. 1. hoc tit.*

g *Matrici.*] Licèt Matrix Ecclesia aliquando dicatur, quæ capellam subditam habet, *cap. 3. de Ecclesiis ædificandis*; propriè tamen Ecclesia Cathedralis Matrix appellatur, *cap. non habenti, 50. 12. q. 2. cap. ex parte 2. de rescriptis. Clement. 1.* vbi glossa, *verbo Matricem, de sentent. excomm.* Synodus Africana *can. 90.* in illis verbis: *Si matricibus Cathedris Episcopus negligens fuerit.* Vrbanus I. *epist. vnic. Cæperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere.* Notant Bosquetus 5.

quetus *in dict. epist.* 136. Filesacus *vbi supra, pag.* 545.

6. h *Cuncta.*] Ex grauioribus videlicet causis, *cap. nullus*, 16. *quæst.* 7. leuiora enim negotia ab ipso, vt vicario foraneo, expediri possunt, *cap. Episcopus* 7. *dist.* 88. Concil. Altissiod. *can.* 4. Anton. August. *in epitom. lib.* 6. *tit.* 61. Docent de officio Archipresbyteri agentes Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 12. §. 2. Barbosa *de dignit. c.* 5. & *lib.* 2. *iuris eccles. cap.* 25. Azor 2. *p. instit. lib.* 3. *cap.* 15. Petrus Greg. *lib.* 15. *syntagm. c.* 21. & *lib.* 5. *partit. tit.* 2. *c. final.* Ferro Manrique *de præced. q.* 6.

TITVLVS XXV.

De officio Primicerij.

CAPVT I.

Idem *in libro* [a] *Romani Ordinis.*

VT [b] Primicerius sciat se esse sub [c] Archid. sicut & Archipresbyter, & ad eius curam specialiter pertinere, vt præsit in docendo diaconis, vel reliquis gradibus ecclesiasticis in ordine positis, vt ipse disciplinæ, & custodiæ insistat, sicut pro animabus eorum coram Deo rationem est redditurus: & vt ipse diaconis donet [d] lectiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent, & de singulis studium habeat, vt in quacumque re capacem sensum habuerit, absque vlla vacet negligentia, aut à quo ipse iusserit, instruantur.

NOTÆ.

a *Romani Ordinis.*] De huius libri origine, & authoritate latè egi *in cap.* 1. *de officio Archid.*

1. b *Primicerius.*] Nomen hoc, vt volunt Cuiacius *ad tit. C. de Primicerio*, Brissonius *de v. s. verbo Primicerius*, Suidas, & Meursius *verbo Primicerius*, est simplex, non compositum, significans primum in dignitate, & officio: vnde D. Petrus Apostol. primò dicitur Primicerius Apostolorum, Baldericus Archiepisc. Dolensis *in histor. Hierosolym.* D. Stephanus Protomartyr Primicerius Martyrum. D. Augustinus *serm.* 21. Apud Romanos primus mensorum dicebatur Primicerius, *l.* 1. *C. de mensoribus*, *lib.* 12. primus fabricæ, Primicerius fabricensium, *l.* 2. *C. de fabricensibus*, *eod. lib.* primus scholarum, Primicerius scholarum, *in l.* 2. *C. de primil. schol. lib.* 12. primus iudicum, Primicerius iudicum, *in cap. Ecclesia, de constit.*

Alij existimant, compositum esse ex *primo*, & *cera*, quasi Primicerius sit antesignanus cuiuslibet dignitatis in prima cera, & à capite laterculi scriptus. Ita Loaysa *ad Concil. Tolet.* 8. Petrus Greg. *lib.* 2. *partit. tit.* 9. *cap.* 5. & *lib.* 15. *syntagm. cap.* 22. Platina *verbo Primicerius*, Meursius *in Glossario*, *eodem verbo*, Cuiacius & Gothofredus *in l. vnic. C. de Primic. lib.* 12. Pancirola *in not. Imp. Orient. cap.* 1. & 2. quâ ratione veteres cuiusque scholæ, collegij, seu corporis Primicerium, Secundicerium, & sic deinceps dixerunt, *l.* 2. & *vlt. C. de domesticis*, *l.* 1. & *per totum C. de Primicerio*, & aliis congestis à Pancirola *lib.* 1. *variar. cap.* 85. D. Hieronymus *in chron. Iouinianus ex Primicerio domesticorum Imperator est factus.* Ammianus Marcellinus *lib.* 18. Cassiodorus *lib.* 6. *variar. cap.*.. *Notarium te nostrum esse censemus, vt ordine decurso militiæ, ad Primiceriatus feliciter peruenias summitatem.* Cùm enim antiquitus scriberetur in tabulis ceratis pugillaribus, vnde apud Consultos dicuntur primæ, & secundæ ceræ testamenti, Paulus *lib.* 5. *sententiarum*, *princip. Inst. de pupillari*, notarunt Pancirola *lib.* 2. *variar. cap.* 28. Lælius Biscola *lib.* 8. *horarum successiu. cap.* 12. inde qui primus in matriculam, seu ceram clericorum scriptus est, dicitur Primicerius, *cap. cùm accessissent*, *de constit. cap. ex litteris* 29. *de officio deleg. cap. perlectis*, *vers. Ad Primicerium*, 25. *dist.* Barb. *lib.* 1. *iuris Eccles. cap.* 28. Et in nostra florentissima Salmanticensi Academia, qui primus ex corpore claustri aliis per annum præest, primusque habetur, Primicerius dicitur: ille habet peculiare officium, cui dum inseruirem per annum 1658. opusculum edidi de officio Primicerij.

c *Sub Archidiac.*] Hæc verba exposui *in cap.* 1. *de officio Archipresbyteri.*

d *Lectiones.*] Officium enim diuinum iam à 2. primis Ecclesiæ temporibus constat non solùm psalmis, hymnis, collectis, verùm & lectionibus, tam per horas matutinas, vesperrinas, quàm nocturnas recitandis. Concil. Matiscon. 2. *can.* 1. *cap. Clericus*, *cap. Eleuterius*, 91. *dist.* Amalarius Fortun. *de ordine antiphon. cap.* 4. Rodulphus Tungrensis *de canonum obseru. cap.* 13. plura Francolinus *de horis canonicis*, *cap.* 1. dicemus *in cap.* 1. *de celebr. Missar.* vnde venit exponendus difficilis canon 9. Concilij Tolet. 1. in illis verbis: *Nulla professa, vel vidua absente Episcopo, vel Presbytero, in domo sua antiphonas cum confessore, vel seruo suo faciat. Lucernarium verò, nisi in Ecclesia, non legatur; aut si legatur in villa, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.* In quibus non solùm perdifficile est, quid per confessorem in eo textu intelligatur, & quare caueant PP. ne vlla vidua, vel professa absente Episcopo, vel Diacono antiphonas faciat; verùm & quid per lucer-

narium in eo significetur; & quare nisi præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono legi non possit. Pro interpretatione priorum verborum, omissis variis confessorum acceptionibus, quas prosequitur, & illustrat doctè P. Gibalinus *de clausura regul. disquisit. 1. cap. 9. §. 1. num. 7.* sciendum est, confessarios appellari cantores, & psalmistas, qui sunt in inferiori Clericorum gradu. Concilium Carthag. 4. *can.* 11. Tolet. 1. *can.* 6. *Itemque puella Dei nec familiaritatem habeat cum confessore.* Latè probant Menardus *ad D. Greg. pag.* 61. Gibalinus *vbi suprà, num.* 9. Isti confessores, seu psalmistæ, viduis professis, & virginibus non solùm intra septa monasterij, verùm & in propriis ædibus docebant ordinem, & modum recitandi diuinum officium: vt autem PP. infandum abusum tollerent recitandi antiphonas in domibus priuatis, & nimiam familiaritatem mulierum cum ipsis confessoribus, prohibent vt nulla vidua, seu professa, absente Episcopo, Presbytero, vel Diacono antiphonas faciat cum confessore suo, hoc est orationes antiphonatim alternantibus choris recitent. Secundæ partis ipsius canonis interpretatio prouenit ex vera expositione verbi *lucernarij.* Lucernarium ergo ibi accipitur pro vespertino officio, & ita appellabatur, quia lucernæ accendebantur tunc in Ecclesia, vt latè probant Gazeus *in notis ad Cassianum lib. 3. cap. 3.* Loaysa *in notis ad ipsum canonem 9.* & quia post vespertinum officium Episcopi, & Presbyteri, atque ipsis absentibus, Diaconus sacras exponebat scripturas, Nicephorus *lib. 12. historiæ, cap. 34. In Cypro, & Cæsarea Cappadocum, in Sabbato, & Dominico die vesperi, & post lucernarum accensionem Episcopi, & Presbyteri sacras scripturas populis exponunt.* Cùm ergo precationibus lucernariis adiungeretur lectio, & interpretatio scripturarum, ideò statuunt Patres, vt lucernarium nisi in Ecclesia non legatur; vel si legatur in villa, fiat præsente Episcopo, Presbytero, vel Diacono, vt aliquis ex eis possit vespertino officio adesse, & sacras scripturas exponere. Docent Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cleric. c. 61. in fine*, Gibalinus *d. §. 1.* licèt aliter textum illum accipiat Hallier. *de hierarch. iurisd. lib. 3. art. 2. §. 4.*

COMMENTARIVM.

AD huius textus veram interpretationem præmittendum est, in Ecclesia iam à primis eius temporibus in vsu fuisse cantum, seu psalmodiam, tam in sacrificio Missæ, quàm in horis canonicis, vt latè probant Lantdmeter. *lib. 2. de veteri monacho, cap. 63.* Pamelius *ad D. Cyprianum de Orat. Dominica, num. 6.* Corjolanus *in breuiario, anno 367. & 555.* Mendoza *q. 3. positiua.* Et licèt primis temporibus vltra clericos, cantores fuissent deputati, vt in Ecclesia psallerent, Concil. Carthag. 4. *can. 10.* Laodic. *can. 15.* sexta Synodus *can. 75.* plura Gibalin. *de clausura disquis. 1. cap. 9. §. 1.* postea tamen psallentes, seu psalmistæ ex subdiaconis, & aliis minoribus ordinibus assumebantur. Concil. Brachar. 1. *can. 29.* D. Greg. *lib. 4. regestr. epist. 38.* Menardus *ad D. Gregor. pag. 368.* & ex illis schola cantorum, seu psallentium instituta fuit in qualibet Ecclesia Cathedrali, & etiam regulari, vt plura de his scholis adducentes tradunt Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cleric. cap. 12.* Cironius *in præsenti*, Gibalinus *vbi suprà*, & *disquisit. 1. cap. 2. §. 11.* Rosvueidus *ad vitas Patrum, in onomast. verbo Schola*, Herrera *lib. 1. del origen. del officio diuino, cap. 15.* Huic scholæ præerat, lectiones, ordinem, modumque psallendi statuebat, assignabatque Primicerius, *cap. perlectis, §. ad Primicerium, 25. dist.* aliàs dictus Præcentor, *cap. cleros, 21. dist.* cui parebat succentor; quia ab eo instituebatur, de quo *in cap. inter 11. de excessibus Prælat.* Primiceriatus iuxta diuersas Ecclesiarum consuetudines, vel est tantùm officium, *cap. cùm accessissent, de constit. cap. significauit, el 2. de homicidio:* vel dignitas, *cap. cùm olim 6. de consuetudine.* Obseruarunt Primicerij officium prosequentes, Cironius *ad tit. de præb.* Barb. *lib. 1. iuris eccles. cap. 28. & de dignit. cap. 7.* Tuschus *littera P. conclus. 650.* P. Greg. *lib. 15. syntagm. cap. 22. & lib. 2. partit. tit. 9. cap. 5.* Acuña *in dict. cap. perlectis*, Cæsar *de eccles. hier. disput. 12. §. 3.*

TITVLVS XXVI.

De officio Sacristæ.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] Toletano.

NT sciat se [b] Sacrista subiectum Archidiacono, & ad eius curam pertinere custodiam [c] sacrorum vasorum, [d] vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiæ, nec-non quæ ad [e] luminaria pertinent, siue in [f] cera, siue oleo.

NOTÆ.

NOTÆ.

a *Toletano.*] Ita etiam citatur hic textus in prima collectione, *ſub hoc tit.* & ab Ivone Carnot. *p.6. Decreti, cap.20.* ſed in nullo ex Conciliis Toletanis reperitur: quare exiſtimo in præſenti referri fragmentum alicuius Concilij Toletani nondum editi, vt etiam notaui *in cap. 1. de officio Archipreſb. cap.1. de ſeruis non ordin.*

1. b *Sacriſta.*] Sicut locus, in quo vaſa ſacra, ſacræ veſtes, & ſimilia eccleſiaſtica miniſteria ſeruantur, ſacrarium dicitur, *l. ſacra 9. ff. de rer. diuiſ.* ita qui earum curam, cuſtodiamque habet, dicitur ſacriſta, *l.6. tit.6. part.1.* vt notant Cæſar *de Eccleſ. hierarch. q.2. proœmial. §.5. num.2.* Petrus Gregor. *lib. 15. ſyntagm. cap. 39. num. 70.* & quia totius theſauri curam habet eccleſiaſtici, vt in hoc textu docetur, etiam appellatur theſaurarius, *cap. perlectis, §. ad theſaurarium, 25. diſt. cap. cùm noſtri, de conceſſ. præb.* Innocentius III. *lib.1. regeſtri, epiſt.57.* & Iuſtinianus eum appellat cuſtodem vaſorum *in l. ſancimus 21. C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, Cemeliarcham *in l. vlt. §. final. C. de rebus authoritate iudiciis*, ex ratione tradita *in cap. ea 3. verſ. Cemelij, de officio Archid.* Et licèt propter dictam curam, & cuſtodiam tantùm officium in Eccleſia obtineret; poſteà tamen tam conſuetudine, quàm ſtatutis diuerſarum Eccleſiarum dignitate præfulget; vnde tanquam dignitate prædito cauſarum cognitionem conſueuit R. Pontifex illi delegare, *cap. cùm olim 32. in fine, de officio deleg. cap. ex tenore 11. de foro compet.* Sacriſtæ officium, & miniſteria proſequuntur Cæſar *d. §. 5.* Barb. *de dignit. cap. 7.* & *lib. 10. iuris eccleſ. cap. 27.* Narbona *de ætate, anno 8. q.5.*

2. c *Sacrorum vaſorum.*] Vt calicis, patenæ, thuribuli, candelabri, & ſimilium: & licèt primis Eccleſiæ temporibus vaſa ſacra tantùm fuiſſent vitrea, aut lignea; tamen iam à temporibus Zephirini & Vrbani I. argentea tantùm in vſu ſunt, *cap. vaſa, cap. vt calix 45. de conſecr. diſt. 1.* plura tam circa materiam, quàm formam eorum tradunt Couar. *lib. 4. variar. cap. 22.* Acuña *in cap. ridiculum, diſt. 12.* Baronius *anno 216.* & *in martyrol. die 7. Auguſti*, Corjolanus *in breuiario, anno 103.* Suarez *de ſacram. q.83. art.3. ſect.7.* Alciatus *lib.7. parerg. cap. 24.* Vicecomes *de ritibus Miſſæ, volum. 4. lib.6. cap. 5. & 9.* Sauſay *in Panopl. ſacerd. p.1. lib.8. cap.4.* Seuerinus Binius *in notis ad Zepherinum*, Caſſanate *in notis ad Lactantium, lib.2. cap.4.* Antonius Monchiacenus *de ſacrificio Miſſæ, lib.3. cap. 6.* P. Gabriel de Henao *tom. 2. de ſacrificio Miſſæ, diſput. 26. per totam*, & nos *in cap. 1. de pignoribus.*

d *Veſtimentorum.*] De quibus nonnulla adduxi *in cap. vnico, de ſacra vnct.*

e *Luminaria.*] *Cap. 1. de officio cuſtodis*, vbi dicam.

f *Cera, ſiue oleo.*] His duabus materiis ad luminaria vti poſſe, latè probant Stuchius *de ſacrificiis, pag.55.* Catellianus Cotta *verbo Cereum*, Dorleans *ad Tacitum lib.1. pag.56.* tam in templis Chriſtianorum, quàm Gentilium.

COMMENTARIVM.

3. EX hoc textu deducunt communiter repetentes, & de officio Sacriſtæ agentes, ad Sacriſtam ſpectare cuſtodiam vaſorum, veſtimentorum, & luminarium. Sed contrarium nonnulla iuris teſtimonia probare videntur. Et primò id ſuadetur *ex cap. acolytus, 23. diſt.* in illis verbis: *Eccleſiæ luminaria.* Ex quibus conſtat, ad acolytum ſpectare ratione proprij gradus cuſtodiam luminarium: igitur non comperit ſacriſtæ ratione proprij officij, vt in præſenti docetur. Pro cuius textus interpretatione diſcrimen eſt conſtituendum inter officium cuſtodiendi ipſa luminaria, & miniſterium ſeruandi oleum, & ceram ad ea accendenda; & inter deferre ipſa luminaria in Eccleſia, cùm legitur Euangelium, aut horæ canonicæ recitantur: cuſtodia ſpectat ad Sacriſtam, vt in præſenti textu docetur; ipſa verò delatio, & præparatio luminarium ad acolytum pertinet, *cap. perlectis, verſ. ad acolytum, 25. diſt. cap. cleros, verſ. acolytus, 20. diſt.* Docent, & plura de acolyti officio adducunt Petrus Greg. *lib. 15. ſyntagm. cap. 6.* Eſpenceus *ad D. Paulum lib. 1. digreſſ. cap. 6.* Zerda *in aduerſ. cap.94.* Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 6.* Menardus *ad D. Greg. pag. 272.* Vicecomes *de ritibus Miſſæ, volum. 3. lib.1. cap.25.* Secundò obſtat textus *in cap. 3. Concilij Metenſis*, in illis verbis: *Cuncti Preſbyteri, vt libros, & ſacerdotalia veſtimenta ſuo Epiſcopo in proxima Synodo oſtendant.* Ex quibus conſtare videtur, potiùs ad Preſbyteros, quàm ad ſacriſtam ſpectare cuſtodiam veſtimentorum, & librorum Eccleſiæ. Pro cuius canonis ſolutione dicendum eſt, quod licèt in eo probetur, Preſbyteros oſtendere debere libros eccleſiaſticos, & veſtimenta ſacra Epiſcopo ad Synodum venienti; non tamen inde rectè deduci, ad eos cuſtodiam pertinere; ſacriſta enim ea cuſtodit, ſed Preſbyteri Epiſcopo viſitanti oſtendunt. Theodulphus ad Preſbyteros Aurelian. *cap. 4.* in illis verbis: *Quando more ſolito ad Preſbyterum conuenitis, veſtimenta, & libros, & vaſa ſancta, cum quibus veſtrum miniſterium, & iniunctum officium peragatis.* Refert Anton. Auguſt. *in epit. iuris lib. 17. tit.7. c.25.* Tertiò obſtat textus *in cap. oſtiarius, 23. diſt.* in illis verbis: *Pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.* Ex quibus colligitur, ad oſtiarium ſpectare cuſtodiam vaſorum, & veſtimentorum Eccleſiæ: igitur hoc officium non eſt proprium ſacriſtæ. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, oſtiariis tempore ſuæ ordinationis tradi Eccleſiæ claues, vt cuſtodiant Eccleſiam, & res in ea exiſtentes, præcipuè vt præſint ianuis, ne ſinant in Eccleſia ingredi communione Eccleſiæ priuatos, & eos, quibus fas non eſt adire ſacra; vnde ianitores dicuntur, *cap. nemo, de conſecr. diſt. 1.* Concil. Laodic. *can. 22. & 43.* plura Vicecomes *vbi ſuprà*, Petrus Greg. *lib.15. ſyntagm. c.30.* non tamen oſtiarij gradus ratione habent cuſtodiam eorum, quæ in ſacrario, ſeu diaconio continentur; quia hæc ad ſacriſtam ſpectant, ex ſuprà traditis. Tandem opponitur textus *in Concil. Tolet.* celebrato anno 12. Recharedi Regis, *can. 2.* in illis verbis: *Certè ſi minor eſt cenſus, oſtiarius à ſacerdote ſit electus, qui nitorem infrà ſinus S. Eccleſiæ faciat, qui & ſanctarum reliquiarum luminaria omni ſubſequenti nocte accendant.* Ex quibus deducitur, curam luminarium ad oſtiarium pertinere: igitur non ad ſacriſtam. Sed reſpondendum eſt, ad oſtiarium ſpectare accendere ipſa luminaria, & ante reliquias ponere, non verò cuſtodire earum materiam, videlicet oleum, ſeu ceram, quarum rerum cuſtodia ad ſacriſtam ſpectat, vt in hoc textu docetur.

TITVLVS

TITVLVS XXVII.

De officio Custodis.

CAPVT I.

Ex[a] *libro Romani Ordinis.*

[b] CVSTOS Ecclesiæ, cui ea, quæ [c] Ecclesiæ competunt, custodienda committuntur, oportet vt sui Archid. iussioni in cunctis obediat; in canonicis horis signa [d] tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono iubente ab eo pulsentur; pallia, vel [e] linteamenta altaris, seu cuncta [f] vtensilia Ecclesiæ indesinenter custodiat; [g] lampades, & lanternas in accendendo, seu in extinguendo peruigil existat, ne aut supra modum lucendo oleum depereat, aut minùs [h] lucendo obscurior sit Ecclesia; sed omnia cum discretione agantur, quæ noscitur mater omnium virtutum esse. Si verò is minùs idoneus ad hoc peragendum extiterit, ab Archidiacono coerceatur, vt se [i] emendet. Si autem indomitus permanserit, Archidiaconus Episcopo denunciando prouideat, vt indecente electo, aptus domui Dei constituatur minister, vt omnia in laudem Dei fiant.

NOTÆ.

1. a *EX libro.*] De hoc libro, & eius authoritate legi *in cap. 1. de officio Archid.*

b *Custos.*] Qui res, aut personas seruant, custodiuntve, dicuntur custodes, *l. 3. ff. de administr. tutor.* Vnde qui Ecclesias, earumque res custodiunt, rectè custodes appellantur. Sicut & apud Gentiles, qui templa custodiebant, custodes dicebantur, *l. seruos 12. ff. de aliment. legat. l. seruos 35. ff. de liberali causa, l. annua 20. ff. de annuis legatis:* quorum frequens mentio apud Iustinum *epist. ad Diognetum*, Cyprianum *epist. ad Demetrianum*, Arnobium *lib. 6. aduersus gentes*, quos refert Iacobus Gothofredus *in l. 1. C. Theodos. de fide catholica.* Dicebantur etiam ab ædibus custodiendis æditui. Gellius *lib. 12. noctium, cap. 10.* Demsterus *ad Rosinum lib. 3. antiquit. cap. 30.* sicut & à basilicis ipsi custodes basilicantes dicuntur *cap. perlectis, 25. dist.* plerumque tamen custodes, *cap. cùm dilecta, de rescriptis.*

2. c *Ecclesiæ.*] Isti enim ministri Ecclesiam ipsam, non verò Deum, Dominumque nostrum custodiunt, vt Gentilium æditui faciebant, qui præponebantur vt Deos ipsos custodirent, quos reprehendit Iustinus Martyr *apolog. 2. Deos*, inquit, *vt adorent, fingere dicitis, ac mutare, & fanorum, in quibus dedicantur, tales custodes, tutelareſque statuere: nec intelligitis nefas esse, & intelligere, & fateri homines Deorum esse custodes.* Arnobius *lib. 2. aduersus gentes, post medium*, ait: *Si apertum vobis, & liquidum, & in signorum visceribus Deos viuere, atque habitare cœlestes cursus sub validissimis clauibus custoditis.* Et paulò inferiùs: *Ac ne fortè fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, ædituis mille protegitis, ac excubitoribus mille, cur canes in Capitoliis pascitis? cur anseribus victum, alimoniamque præbetis.* Quos & damnasse videtur D. Cyprianus *in libello contra Demetrianum*, in illis verbis: *Vltio vestra defendit, quomodo & clausos, ne pereat tutela vestra, custodit; pudet Deos colere, quos ipse defendis; pudeat de illis tutelam sperare, quos ipse tueris.* Existimabant enim Gentiles, Deos custodiâ suâ egere. Symmachus *lib. 1. epist. 40.* ibi: *Conuenientes Sacerdotes, vt in custodiam ciuium publico obsequio traderemus Deorum curam; fortassis Deos ita custodiebant, ne aut fugientes eos deserent, & in aliam ciuitatem migrarent, ab aliis ciuibus euocati.* Cuius euocationis vestigia extant *in l. sacra 9. §. 2. ff. de rerum diuisione*, vbi Gothofredus *littera G. l. cùm loca 36. ff. de religiosis:* notant Alciatus *in l. pupillus, §. vrbs, ff. de v. s.* Germonius *de sacror. immunit. lib. 2. cap. 15.* Iulius Cæsar Scaliger *lib. 3. de Poëticis, cap. 103.* Custodes ergo de quibus in hoc titulo, Ecclesiam, omniaque, quæ illi competunt, custodire debent, vt eorum vsum repetens probat Baronius *anno 34. num. 287. & anno 109. num. 28.* non autem Deum, vt faciebant custodes templorum Gentilium.

d *Tintinnabulorum.*] Licèt in lege veteri populus ad sacrificia conuocaretur tubâ, iuxta præceptum Moysi datum *Numer. cap. 11.* ibi: *Fac tibi duas tubas argenteas*; & *cap. 23. Deuteron.* & Gentiles ad sua sacra tibiis & tympanis euocarentur, vt latè probat Gutherus *lib. 2. de iure Pontif. c. 14.* tamen in Ecclesia pro temporum varietate diuersis signis datis fideles ad synaxim, & Missæ sacrificium conuocabantur; sæuientibus enim persecutionibus, & fidelibus quasi obsessis, signum publicè non dabatur, sed per cursorem fideles conuocabantur, vt constat ex D. Ignatio *epist. 11. ad Polycarpum:* referunt Baronius *anno 58. n. 102.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri monacho, cap. 64.* & quia cursoris officium proprium erat diaconi, vel lectoris, Ignatius *epist. 23. ad Heronem diaconum*, cui ita scribit: *Synaxim ne negligas omnes nominatim inquirere:* ideò etiam pace redditâ Ecclesiæ adhuc Archidiacono tanquam primo diaconorum competit, si non immediatè, mediatè 3.

diatè saltem per custodem populum conuocare ad diuina officia. Posteà in Ecclesia persecutionum procellis cessantibus signum dari cœpit sonitu lignorum, præcipuè in Ecclesia Orientali, & inter monachos. Metaphrastes *in vita S. Theodosij*, ibi: *Monachi autem quidam ex monasterio propinquorum, qui morbo laborabant, cum nos vidissent accedentes, lignum, quod conuocat ad Ecclesiam, pulsabant ante horam consuetam, & synaxim significabant fratribus.* Et in vita S. Chrysostomi: *Cùm rursus vidisset tam diligentem, & tam seriam collocutionem, lignum verò iam pulsatum vocaret ad congregationem.* In aliis etiam prouinciis voce *Alleluya*, decantatâ, fideles ad Missam, & horas canonicas vocabantur, D. Hieronymus *epist.* 27. ad Eustochium: *Post alleluya cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli recedere licitum erat.* Notarunt Rosvueidus *in vitis PP. in onomast. verbo Signo dato*, Gazeus *in notis ad Cassianum, in regula S. Pachomij, pag.* 1079. Iam ab anno 600. ære pulsato fideles conuocari cœperunt ad Missæ sacrificium, & diuina officia, vt ex nostro textu constat, qui deductus est ex libro Romani Ordinis composito sexto sæculo Ecclesiæ, & ex ipso libro, *tit. de Sabbato sancto*, in illis verbis: *Campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad Missam.* A quo tempore campanas in Ecclesia in vsu esse cœpisse verius est, quidquid de earum inuentione adducant Vergilius *de inuentione rerum, lib. 6. cap.* 12. Lantdmeter. *d. lib. 2. cap.* 64. Grethserus *lib.* 1. *ad Codinum, cap.* 11. Magallanus *ad D. Paulum in epist. ad Titum, cap. 2. sect.* 4. Maiolus *dierum canicul. verbo Metalla*, Barbosa *lib. 2. voto* 102. Suarez *in defens. fidei, lib. 2. cap.* 16. Herrera *in origine diuini officij, lib.* 1. *cap.* 7. & 8. & licèt earum vsum hæretici improbis suis latratibus impugnare intendant, doctè eos refellunt Suarez *vbi suprà*, Bellarminus *in apolog. aduersus Regem Angliæ, cap.* 8. Iodocus Coccius *tom. 2. thesauri, lib. 3. art. 6.*

4. e *Pallia, vel linteamina.*] Aliud est pallium, aliud verò linteamen; pallium enim est tegumentum altaris. Iustinianus Comes *in epist. ad Hormisdam Pontificem*, ibi: *Duo pallia serica ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum direximus.* Anastasius Bibliothec. *in vita Hormisdæ*, vbi dum refert alia ornamenta, quæ ad Missæ apparatum pertinent, ait: *Pallia olofera, blatea cum tabulis auro tectis, de chlamyde, vel de stola Imperiali.* Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 7. cap.* 9. Linteamen verò est corporale, ita dictum, quia debet esse ex lino contextum, *cap. consultò* 46. *de consecr. dist.* 10. Concil. Rhemense relatum à Burchardo *lib. 3. Decreti, cap.* 98. his verbis: *Corporale, super quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo, & purissimo linteo sit.* Damasus in Syluestro Pontifice: *Constituit vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto consecraretur, nisi tantum in lino ex terra procreato.* Plura de corporali, & eius forma Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 7. cap.* 1. Ferrandus *lib.* 1. *disquisit. reliq. lib.* 1. *cap.* 1. *sect.* 6. P. Gabriel de Henao *tom. 2. de sacrificio Missæ, disput. 25. sect.* 1.

5. f *Vtensilia.*] Consonat textus *in cap. 2. hoc tit.* Aduersatur tamen textus *in cap. vnico, de officio sacristæ*, vbi asseritur, ad curam sacristæ pertinere custodiam sacrorum vasorum, & vestimentorum: igitur non ad custodis officium pertinet vtensilia, & vestimenta Ecclesiæ seruare. Glossa in præsenti affirmat, hæc iura esse exaudienda iuxta diuersas Ecclesiarum consuetudines, ita vt aliquando ad sacristæ officium, quandoque ad custodis curam spectet custodia vestimentorum. Sed rectiùs Hostiensis in præsenti, & Butrius *in d. cap. vnico, de officio sacristæ*, existimant, ad sacristam spectare custodiam thesauri, & vestimentorum pretiosorum Ecclesiæ; ad custodem verò curam vestium vtensilium, quæ necessariæ sunt ad vsum quotidianum, & diuina officia, vt facilè probatur ex prædictis verbis, *vtensilia*, &c. & *ex d. cap. vnico*, vbi totius thesauri ecclesiastici cura sacristæ committitur.

g *Lampades, & lucernas accendendo.*] *Cap. nemo, de consecr. dist.* 1. Concil. Aquisgran. *can.* 131. ibi: *Custodes Ecclesiæ cum omni diligentia luminaria ad horas canonicas prouideant.* Anton. August. *in epit. iuris, lib.* 17. *tit.* 9. nec in præsenti præscribitur, an per diem tantùm, an per noctem luminaria in Ecclesia accendi debeant; quia non solùm ad nocturnas, verùm & ad diurnas horas accendi solent. D. Hieronymus *in epist. ad Riparium*, in illis verbis: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accendi luminaria iam sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Docent, & plura de perantiquo vsu lucernarum in Ecclesia congerunt Baronius *anno* 34. & *anno* 58. *num.* 70. & *anno* 233. *n.* 2. Loaysas *in notis ad Concil. Brachar. 2. can. 2.* Dorleans *ad Tacitum lib.* 1. *pag.* 55. Baronius *anno* 58. vbi Spondanus *num.* 24. Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 7. cap.* 24. Roa *lib. 2. singular. cap.* 15. *cum tribus sequentibus*, Maiolus *dierum canicul. verbo Ignis*, Zerda *in aduers. cap.* 33. & 92. Mendoza *lib.* 3. *Concilij Illiber. cap. 2.* Lantdmeter. *de veteri clerico lib. 2. cap.* 78. Ambianas *ad Tertull. de fuga, cap.* 14. *obsern. 2.* & *de exhortat. cap.* 13. *obsern.* 1. & *deidololatria cap.* 15. *obsern. 2.* Pinto *in Cantica lib.* 1. *cap. 2. vers.* 11 *num.* 161. Bulengerus *lib. 2. opuscul. cap.* 11. Cresolius *lib.* 3. *mystagog. cap.* 21. *sect.* 3. Serlogus *tom. 2. in Cantica, vestig.* 13. *sect. vnica.* Anton. Monchiacenus 3. *p. de sacrificio Missæ, cap.* 10. Carrier. *tom. 2. thesauri fidei, pag.* 611. Iodocus Coccius *lib. 6. thesauri, art.* 13. Cochier *in face histor. 2. p. cap.* 1. 5. 8. & 18. plura Bouius *in Roma Subterranea, lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 18. & nos *in cap. final. de celebrat. Missar.* Sed Vigilantius, & alij huius vsus cereorum impugnatores expendunt difficilem locum Lactantij *lib. 6. diuin. instit. cap. 2.* in illis verbis: *Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori, & datori luminis, candelarum, ac cereorum lumen offert pro munere? Aliud verò ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed (vt ait Poëta) liquidum, atque clarum, mentis scilicet.* Et paulo inferiùs: *Illorum autem Dij, quia terreni sunt, egent luminibus, ne in tenebris sint, quorum cultores, quia cœleste nihil sapiunt, etiam religiones, quibus deseruiunt, ad terram reuocant.* Ex quibus improbari videtur pius Ecclesiæ lucernarum vsus. Sed Antonius Raudensis Theologus, qui errores Lactantij correxit, hunc primum inter errores libri 6. notat, & non improbaliter. Sed Isæus Cæsanete *in notis ad ipsum, c. 2.* affirmat Lactantium non improbare vsum lucernarum, seu luminarium Deo gratissimum, omnibusque litteris commendatum; sed eos increpare, qui in Ecclesia luminaria accendunt eâ fide, vt credant Deum in tenebris agere, vel luminibus indigere; quos meritò Lactantius damnat. Quæ interpretatio suaderetur ex prioribus verbis ipsius capitis 2. ibi: *Mactant igitur opimas, & pingues hostias Deo, quasi esurienti; profundunt vina tanquam sitienti; accendunt lumina velut in tenebris agenti.* Difficile etiam, & meritò 6.

in

in hac parte omnibus videtur Concilium Illiberit. *can.* 34. in illis verbis : *Cereos per diem placuit in cæmeterio non incendi ; inquietandi enim non sunt sanctorum spiritus : qui hæc non obseruauerint, arceanturab Ecclesia communione.* In cuius expositione libenter immorarer, nisi actum agerem ; plura enim iam in eius notis dedi, & præoccuparunt Mendoza, & Albaspineus *in eo canone*, Basilius de Leon *variar. disput. q. 2. scholast. cap.* 1. Bouius *in Roma subterranea, tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *cum seqq.* Spondanus *de cæmeteriis, p.* 3. *lib.* 1. *cap.* 20. Corjolanus *in notis ad ipsum canonem*, Ramirez de Prado *ad S. Orencium, pag.* 43. Salmut. *ad Panciol. lib.* 2. *voto* 103. *num.* 59. nouissimè Præceptor D. Iosephus de Retes *lib.* 8 *opuscul. cap.* 17.

h *Minùs lucendo.*] Æquè enim peccatur, si exceditur modus, in quo est plus, ac in eo, quod est minùs, *cap. qui in aliquo*, 51. *dist. cap. disciplina*, 45. *dist. l. respiciendum, ff. de pœnis :* plura de prudentia adhibenda in negotiis tradit Solorzanus *de iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 69.

i *Emendet.*] Quia hæc omnia, quæ Custodi mediatè competunt, ad Archidiaconum immediatè spectant ; vnde extrauagans Ioannis XXII. licèt de Archidiacono tantùm loquatur, sub titulo tamen de officio custodis proponitur.

7. j *Canonicis horis.*] Certis enim horis diei, ac noctis campanæ pulsantur. Primò tempore sacrificij Missæ, & horarum canonicarum, *cap. solent, de consecr. dist.* 1. *cap.* 2. *hoc tit. cap. Ioannes, de homicidio :* cùm eleuatur hostia in Missa solenni, vt probat Stephanus Cantuar. Episcopus in sua constitutione relata à Cironio *in cap.* 1. *de celebrat. Missar.* in hæc verba : *In eleuatione corporis Christi pulsentur campanæ, vt populares, qui celebrationi Missarum non valent quotidie interesse, vbicumque fuerint, siue in agris, siue in domibus, flectant genua, indulgentias concessas à pluribus Episcopis habituri.* Concilium Tarrac. anno 1406. ibi : *Vt temporibus generalis interdicti, & cessationis diuinorum, quando corpus Christi eleuatur in qualibet Ecclesia, maius cymbalum in corporis Christi tribus vicibus, & aliis tribus vicibus in sanguinis eiusdem eleuationibus pulsetur, vt populus huiusmodi signo admonitus oret genu flexo, & indulgentias acquirere valeat.* Item cùm viaticum, seu corpus Domini ad infirmos defertur. Cardinalis Sabinensis A. S. L. in Concilio Illerd. anno 1219. celebrato, ibi : *Sacra Eucharistia ad infirmos cum campana honorificè deportetur.* Item horâ meridianâ, ex constitutione Calixti III. vt fideles eos iuuarent orationibus, qui contra Turcas dimicabant. Item vespere horâ salutationis Angelicæ : in receptione Episcoporum, & etiam Abbatum iura Episcopalia habentium, *cap. final. de causa possess. in* 5. *collect.* Item ad fugandas tempestates, vt probat Hieronymus Magius *lib.* 3. *miscel. cap.* 14. In obitu defunctorum. Beda *lib.* 4. *historiæ, cap.* 23. *Audiui notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari, vel conuocari solebant, cùm quis de hoc sæculo fuisset euocatus.* Quod & apud Gentiles obseruatum inuenio, apud quos si quis è vita excessisset, æra, campanæve pulsabantur, vt vetus Theochristi scholiastes habet, eo quod is sonus credebatur esse purus, & auertens spectra, & dæmonum ludibria. Notauit Nouarinus *lib.* 1. *schediasm. cap.* 27. Item & pulsantur campanæ ad alios actus humanos exercendos, quos referunt Carrier. *tom.* 2. *thesaurâ fidei, pag.* 618. Kochier *in face histor. centur.* 2. *cap.* 48. Barbosa *tom.* 2. *voto* 102. Ripa *de nocturno tempore, cap.* 5. Narbona *in horographia, num.* 140. & nos alia de campanis dabimus *in cap. patentibus, de priuil.*

CAPVT II.

Ex Concilio [a] *Toletano.*

CVstos verò solicitus debet esse de omni [b] ornamento Ecclesiæ, & [c] luminariis, siue [d] incenso : nec-non [e] panem, & vinum omni tempore ad Missam præparatum debet habere. Debet etiam per singulas canonicas horas signum ex consensu Archidiaconi sonare, vt [f] oblationes, vel decimas, vel eleemosynas cum eiusdem consensu, absente Episcopo, inter fratres diuidat. In his tribus Ecclesiæ columnis, vt sancta sanxit Synodus, consistere debet alma mater Ecclesia, vt ad hoc opus tales ordinentur, quales plus [g] meliores, & sanctiores esse viderint, vt nulla negligentia in sancta Dei Ecclesia esse videatur. Hi tres, Archidiaconus, Archipresbyter, Custos, prouidi simul iuncti, vno animo peragant, & perfectè, & non sit inuidia, nec zelus inter illos.

NOTÆ.

1. a *Toletano.*] Ita etiam habetur *in cap.* 2. *hoc tit. in* 1. *collect.* Sed non constat ex quo Concilio textus hic transcriptus sit : quare esse fragmentum alicuius Concilij nondum editi existimo ; quod etiam notaui *in cap.* 1. *de officio sacristæ, cap.* 1. *de officio Archipresbyteri.*

b *Ornamento.*] De quo aliqua retuli *in cap. vnico, de sacra vnct.*

c *Luminariis.*] De quibus *in cap. antecedenti.*

2. d *Incenso.*] Peculiaris ritus iam à temporibus Apostolorum in Ecclesia obseruatus fuit suffitus aromatum in diuinis officiis, *can.* 4. *Apost.* in illis verbis : *Præterea licitum non esto aliud quidpiam admouere ad altare, quàm oleum in candelabrum, & incensum oblationis tempore.* Quem ritum Apostoli à Iudæis acceperunt : apud eos enim valdè in vsu erat, ex præcepto Moysi dato, incensi oblatio, & thurificatio, *cap.* 3. *Exodi : Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis Setim.* Et Dominus apud Malachiam *cap.* 1. ait : *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Vbi LXX. vertunt, *incensum*

incensum offertur mihi. Et textus Arabicus exprimit, *incensa.* Hanc igitur thurificationem, seu suffitum incensi Apostoli, & eorum successores sacro altaris ministerio adiunxerunt, vt constat ex variis Liturgiis. Ex Liturgia B.Petri,in illis verbis: *Sicut Zachariæ suffitum thymiamatis suscepisti, sic de manibus nostris peccatorum hanc suscipe thurificationem in odorem suauitatis.* Ex Missa B.Iacobi, ibi: *Præsentem hunc ex nobis inutilibus seruis tuis suffitum recipe in odorem suauitatis.* Ex Dionysio, & Euagrio probat Carrier. *tom.2. thesauri fidei, de thurificat. pag.612.* Plura de incenso, & huius ritus mysticis rationibus tradunt Anton. Monchiacenus *de sacrificio Missæ 3. part. cap.11.* Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib.6. cap.35.* Cresollius *lib.4. mystag. cap.8.* Ambianas *ad Tertull. cap.3. obseru.2.* Stuchius *de sacrificio Gentil. fol.51.* Cochier *in face hist.cap.59.* Altesserra *de Ducibus, cap.17.*

3. e *Panem & vinum.*] Panem azymum, & vinum vitis, in quibus consistit materia remota Sacramenti Eucharistiæ, vt latè probabo *in cap. fin. de celeb. Missar.*

f *Oblationes, vel eleemosynas.*] Ante diuisionem enim bonorum Ecclesiæ à S. Simplicio factam *in cap. quatuor, cap. de redditibus 12. quæst.2.* omnia Ecclesiæ bona, videlicet oblationes, eleemosynæ, & decimæ communia erant, & in communi possidebantur ab Episcopo, clericis, & pauperibus; & ab Episcopo iuxta cuiuslibet ex fidelibus necessitatem distribuebantur, *cap. final.16. q.1. cap. scimus 9. cap. nolo 10. cap. habebat 17. cap. res Ecclesiæ 26. 12. quæst.1.* ad quæ tempora referenda sunt prædicta verba huius textus.

g *Meliores & sanctiores.*] An dignior semper præferendus sit digno, latè disputabimus *in c.graue 29. de præb.* Interim videndi sunt Garcia *de benefic.7. part.cap.16.* Manrique *de different. vtriusque fori, quæst.48.* Velasco *de priuileg. paup. part.1. q.7.* Zapata *integro tract. de iustit. distribut.* Bobadilla *lib.1. polit. cap.3. num.77.* Diana *part.1. tract.4. resol.34.* Escobar *de vtroque foro, art.5. §.11.* Petrus Bollo *in œconom. cap.1. §.5.* Barbosa *de officio Parochi lib.1. cap.2. & in cap.19. de elect.* Maresco tus *variar. cap.53.* Hieronymus Garcia *tom.2. polit. regul. tract.9. difficult.3. dub.4.* vbi plures ex moralistis cumulat. 4.

TITVLVS XXVIII.

De officio Vicarij.

CAPVT I.

Alexander III. [a] *Norvicen. Episcopo, & G. Archid.*

AD audientiam nostram peruenit, quod Vg. presbyter monachos de [b] Ramescia,& Thomam clericum suum petendo vicariam [c] suam Ecclesiæ de Burnelia, à qua [d] xx. annis retrocessit, in diuersis posteà Ecclesiis [e] personatum adeptus, multipliciter vexare, ac fatigare præsumit. Quia igitur non est canonicum, vt qui curam animarum in diuersis habet Ecclesiis, vicarius fiat in alienis: d. v. per A. s. præ. m. quat. rei veritate plenius inquisitâ, si ita esse noueritis, prædictum presbyterum à petitione supradictæ vicariæ desistere, ap. & oc. rem. districtiùs compellatis, non obstantibus litteris, si quas tacitâ [f] veritate per nuntium à nobis impetrauit. Extirpari etenim debent, quæ de [g] auaritiæ radice procedunt, & canonum contraria sunt rationi, vel sanctioni.

NOTÆ.

1. a *Norvic.*] Similiter legitur in prima collectione, *sub hoc tit.cap.2.* & post Concil. Lateran. sub Alexandro III. *part.30. cap.5.* ex quibus codicibus ita restituo hanc decisionem. De Ecclesia Norvicensi aliqua adduxi *in cap. si autem 9. de rescriptis.*

b *Ramescia.*] Legendum est, *Ramissia*; cœnobium enim hoc est Ordinis D. Benedicti, constructum ab Osualdo Eboracensi Archiepiscopo,vt testatur Vergilius *lib.7.historiæ Angliæ, pag.176.*

2. c *Vicariam suam Ecclesiæ.*] Vbi monachi habent Ecclesias parochiales sibi subiectas, non potest aliquis eorum præfici, aut præponi curæ animarum, & Ecclesiæ administrationi; sed clerici sæculares, tanquam vicarij præficiendi sunt, ex voluntate monachorum, & institutione Episcopi, *cap.1.de capellis monach. cap. monachi, de statu monachor.* Docent Bosquetus *in notis ad Innoc.lib.1.epist.7. & 138.* Iuretus *ad epistol. 69. Ivonis*, Solorzanus *tom.2. de iure Indiar. lib.3. cap.16. num.35.* Trullench *de Vicariis, cap.2.* vnde in Ecclesia de Burnel, quæ subiecta erat monachis Benedictinis, clericus sæcularis vt Vicarius constituendus erat, qui fidelibus sacramenta administraret.

d *XX.annis.*] Licèt enim absens, & non residens in proprio beneficio priuari ipso debeat, tamen ipso iure illud non amittit, sed monendus priùs est, & per sententiam beneficio priuandus, *cap.2.cap.ex tuæ, cap. vlt.de clericis non resid. cap.extirpandæ, §.quia verò, de præb.* plura tradunt Lotherius *de re benef. lib.3. quæst.27.* Petrus Greg. *lib.4. partit. tit.7. cap.4.* Hurtado *de resident. tom.1. resol.2. fol.156.* Vnde licèt in hac specie per 20. annos Vicarius abesset; tamen quia neque monitus, neque sententiâ priuatus erat, ideò Vicariam adhuc retinebat. 3.

e *Personatum.*] De personatu egi *in cap. ad aures, de rescriptis.*

f *Tacitâ veritate.*] Quæ litteræ ipso iure nullæ sunt, vt probaui *in cap. super litteris, de rescriptis.*

g *Auaritiæ.*] *Cap. auaritiæ, de præbendis.*

CAPVT II.

Idem [a] *Helienſi Epiſcopo.*

VEniens ad nos P. Rector Eccleſiæ de Geſtan. ſuâ nobis inſinuatione propoſuit, quòd ipſe Ioanni de Feſcam, qui multos habet eccleſiaſticos redditus, & vicarias in Eccleſiis pluribus, vicariam de Geſtan. ſub annua trium [b] marcarum penſione conceſſit, cùm redditus illius vicariæ quatuor marcas valeant annuatim. Licèt autem in ipſius vicariæ conceſſione quædam decima fuiſſet excepta, nihilominus tamen memoratus Ioannes præfatum P. contra religionem fidei ſuæ, quâ ſe contra conceſſionem ipſam promiſerat aliquando non venturum, ſuper prædicta decima coram venerabili fratre noſtro Norvuicenſi Epiſcopo per litteras noſtras traxit in cauſam: & cùm in prædicta cauſa P. vincere non poſſet, ab alio iudice pro ſua voluntate fecit eum citari. Quoniam ergo ſuſtinere nolumus, nec debemus, vt idem P. inhibitâ vexatione grauetur, Fraternitati tuæ, &c. quatenus partibus conuocatis, diligentiùs inquiras veritatem: & ſi tibi conſtiterit, quod prædicta decima fuiſſet excepta, memoratum clericum ab impetitione præfati Ioannis, contradictione, & appellatione ceſſante, auctoritate Apoſtolica fretus abſoluas. Si verò quicquam in detrimentum iuris ipſius P. factum eſt, poſtquam iter arripuit ad noſtram præſentiam veniendi, id contradictione, & appellatione ceſſante corrigas, & ad ſtatum illum reducas, quo in tempore aggreſſi itineris noſcitur extitiſſe. Cæterùm ſi memoratus clericus in aliis Eccleſiis vicarias habeat, vel eccleſiaſticos redditus, de quibus poſſit ſuſtentari, à vicaria præſcriptæ Eccleſiæ de Geſtan. confirmationis noſtræ litteris non obſtantibus, appellatione ceſſante remoueas, & eandem Eccleſiam reſtituere eidem P. non poſtponas, dummodo velit, & debeat in preſbyterum ordinari, & per ſemetipſum in eadem Eccleſia Domino deſeruire. Prouideas autem attentiùs, ne in Epiſcopatu tuo patiaris quemlibet plures vicarias habere. Quia cùm Vicarij teneantur Eccleſiis, & propriis perſonis deſeruire, alienum eſt ab ordine iuris, vt vicariam habeat quis præter vnam.

NOTÆ.

a *Helienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. & poſt Concilium Lateran. *p.* 39. *cap.* 6. ſed vtrobique diminutè, cùm tantùm vltima verba huius deciſionis compilarentur: conſultationem verò, & integram deciſionem ita reſtituo *ex dict. Concil. Lateran. part.* 39. *cap.* 5. De Eccleſia Helienſi egi *in cap. poſtulaſti, de reſcriptis.*

b *Marcarum.*] De marcarum valore apud Anglos aliqua notaui *in c. cùm pridem, de pactis.*

COMMENTARIVM.

I. CONCLVSIO TRADITVR.

EX his duabus Alexandri III. deciſionibus ſequens deducitur diſputanda aſſertio: *Nemo poteſt habere duas vicarias eodem tempore, vel vnam ſimul cum alio beneficio curam animarum habente.* Ab ſpecie tantùm probatur ex Clementina vnica, *hoc tit.* per argumentum probari poteſt ex omnibus illis iuris canonici ſanctionibus, quibus prohibetur, & damnatur pluralitas beneficiorum, quas congerunt veſpertini Anteceſſores noſtri *in cap. de multa* 28. *de præb.* vbi & nos plura cumulabimus. Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti, & lib.* 3. *iuris eccleſ. cap.* 6. *num.* 22. Rufiniacus *lib.* 3. *conſtit. tit.* 10. *cap.* 10. Ojeda *de incompatibilit.* 1. *part. cap.* 15. *per totum*, Ioannes Nicolaus *de incompatibilit. benefic. num.* 22. Gonzalez *ad regulam* 8. *Cancell. gloſſa* 5. §. 3. *per totum*, Trullench *de officio parochi, tit. de Vicariis, dubit.* 2. & 4. Cuiacius *in rubrica de præb. & dignit.*

2. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed aduersùs hanc aſſertionem inſurgi poteſt ſequenti iuris conſideratione. Qui Vicariam habet, nihil proprium obtinet, cùm omne ius ratione beneficij competens reſideat penes Rectorem: vnde Vicarius ius perſonatus, vel beneficij ſibi vindicare non poteſt, *cap. illud, de exceſſibus Prælat.* Gonzalez *ad regul.* 8. *vbi ſuprà, num.* 23. Vitalinis *in Clement. vnica, de officio Vicarij*, Trullench *vbi ſuprà, dubit.* 3. Facit Caſſiodorus *lib.* 6. *variar. cap.* 3. in illis verbis: *Vices agentium mos eſt ſic indicum voluntatibus obedire, vt ſuas non habeant dignitates: ſplendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago illis videtur veritatis, quæ proprij non habet iura fulgoris.* Igitur ſi Vicarius veri Rectoris nihil proprium habet, poterit retinere aliud beneficium, etiam parochiale, ſimul cum Vicaria, aut duas ſimul Vicarias. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam qui beneficium parochiale habet iure proprio, poteſt aliud in commendam retinere, & in vtraque Eccleſia curam animarum habere, *c. qui plures* 32. 1. *q.* 1. *cap. penult. & vlt.* 21. *q.* 1. igitur ſi poteſt quis vnam Eccleſiam proprio iure, aliam in commendam retinere, poterit vnam vt propriam, aliam vt vicariam poſſidere, cùm nulla poſſit aſſignari commoda differentiæ ratio inter Vicariam, & commendam. Fulcitur præterea hæc difficultas *ex Clement. vnica, hoc tit.*

vbi

vbi Clemens V. nouiter in Concilio Viennenſi ſtatuit, vt de cætero prohibitio pluralitatis beneficiorum tot ſacris canonibus firmata extendatur ad Vicarias Eccleſiarum: igitur adhuc Alexandri temporibus hæc prohibitio circa Vicarias non dabatur, aliàs fruſtrà, & ſuperfluò Clemens V. prædictam prohibitionis ampliationem nouiter ſtatueret.

3. VICARIVS ALIQVANDO DICITVR SVCCESSOR.

Hac dubitandi ratione non obſtante vera eſt ſupradicta aſſertio, ad cuius expoſitionem ſciendum eſt, Vicarium eum dici, qui alterius vicem obit. Bechamus *de originibus linguæ Latinæ, verbo Vices:* & aliquando Vicarius dicitur, qui alicui ſuccedit in dignitate, ſeu officio. Horatius *lib. 3. od. 24.* ibi:

Nec cultura placet longior annuâ,
Defunctumque laboribus
Æquali recreat ſorte vicarius.

Vbi notarunt Lambinus, & Torrentius, Horatium innuere Getas ad colendos agros ſingulis annis alternatiuè alios aliis ſuccedere. Marcus Tullius *orat. 5. in Verrem*, ibi: *Vnum & quinquaginta aratores ita video deiectos, vt his ne vicarij quidem ſucceſſerint.* Quo in ſenſu Pontifex appellari ſolet D. Petri Vicarius, cùm eius ſucceſſor ſit; Vicarius autem Chriſti, vt *in c. ego Ludouicus, 63. diſt. c. nos quales 1. q. 1. c. quoties 1. q. 7.* Concilium Epheſinum *cap. 16.* vbi Legatus Pontificis ita præfatur: *D. Petri ordinarius ſucceſſor, & Vicarius ſanctus, beatiſſimuſque Papa, & Epiſcopus noſter Cæleſtinus, nos ſuos pro ſe quaſi Vicarios ad hanc Synodum miſit.* Concilium Ticinenſe ſub Ioanne VIII. *In Eccleſia Romana Apoſtolorum viget ſucceſſio, & Romani Pontifices Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli Vicarij ſunt.* Arnulphus Lexouienſis *in epiſt. ad Alex. de promotione ſua.* D. Cyprianus *epiſt. 67.* In his enim, & aliis auctoritatibus Pontifex appellatur Vicarius D. Petri, non quia eo inferior ſit; ſed quia eius ſucceſſor exiſtit, vt latè probant Suarez contra Regem Angliæ *lib. 3. c. 12. & 15.* Duvallius *de Rom. Pontif. p. 2. q. 7.* Diana *p. 12. reſol. 1. miſcel.* licèt hanc loquutionem impropriam eſſe exiſtiment Paulus Lop. *de ſedium Patriarch. erectione c. 15.* Caſtillo *in 4. ſentent. tom. 2. diſput. 15. q. 4. n. 23.* Baronius *tom. 9. anno 740.* Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 17.* Theophilus *tom. 10. in aurea corona R. P. verbo Vicarius Petri.*

4. PROPRIE' DICITVR ALTERIVS VICES GERENS.

Plerumque tamen Vicarius in vtroque iure appellatur ille, qui alterius vices gerit, & in eius locum ſuffectus eſt, *l. Vicarius, ff. de legationibus,* Cuiacius *lib. 1. qq. Papin. in l. 5. ff. de officio Proconſulis.* Aliquando dicitur deputatus, ſeu commiſſarius, *c. inſinuante, de officio deleg. c. dilectus, de appell. Clementina etſi principalis, de reſcriptis.* Aliquando Officialis, *c. quamquam, de vſuris in 6.* Zerda *in aduerſ. c. 73. n. 18. c. vlt. hoc tit. eod. lib.* Vices gerens, *c. 2. de regul. c. 3. de inſtit.* Locumtenens, *c. præcipimus, 94. diſt.* Subſtitutus *Clement. 1. & 2. de hæreticis:* Suffectus, *l. 2. §. poſt hanc, de origine iuris, cap. quædam,* ibi: *Suffecti Conſules; diſt. 2.* In iure ciuili paſſim obuia eſt Vicariorum mentio, ſiquidem Præfecti, & alij Magiſtratus ſuos habebant Vicarios, per quos impediti poſſent ſuum munus adimplere, *l. 1. & per totum ff. de officio Vicarij, l. 1. C. de proximis ſacror. ſcrin. lib. 12. l. 3. C. Theodoſ. de ſponſalibus,* iuncta inſcriptione, *l. 3. eod. Cod. de famoſis libellis.* Pulchram Vicarij conſtituendi formam tradit Caſſiodorus *lib. 3. variar. c. 16.* in hæc verba: *Hinc eſt, quod præſenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante ſubiectas, Vicarium te Præfectorum noſtra mittit auctoritas: vnde perpende qualia de te videamur habere indicia, quando ad illos populos mittere regendos, quos noſtris laudibus ſpeciali-*

ter credimus acquiſitos, chara eſt Principi gloria, & neceſſe eſt de illis ampliùs eſſe ſolicitum, vnde ſibi triumphorum veniſſe ſentit augmentum, &c.

In iure etiam noſtro Pontificio non minùs frequens eſt Vicariorum officium; nam vt à ſummo gradu incipiamus, R. Pontifex eſt Vicarius Chriſti Domini, *c. quantò, c. inter, de tranſlat. Epiſcopi, c. vbi periculum, §. cæterum, de elect. in 6.* Concilium Florentinum in illis verbis: *Definimus Pont. Romanum ſucceſſorem eſſe D. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput.* Pluribus illuſtrat Diana *d. p. 12. reſol. 1. miſcel.* Patriarchæ etiam, Archiepiſcopi, & Epiſcopi etiam dicuntur Vicarij Pontificis, vt probant Selua *de benef. 2. p. q. 1. n. 2.* Gonzalez *d. gloſſa 5. §. 3. n. 6.* & ipſi alios Vicarios habent; vel natos, vt Archidiaconos, & Archipreſbyteros, *cap. 1. de officio Archid. c. vt ſingulæ, de officio Archipreſbyteri;* vel datos, & à ſe conſtitutos, vrbanos, vel foraneos, de quibus *in cap. 2. de conſuet. lib. 6. c. penult. de noui operis nunciat.* & alibi paſſim. Plura de illis Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg. 54.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 4.* Ferro Manrique *de præced. q. 52.* etiam Parochi, & plebani ſuos Vicarios habere ſolent, de quibus *in c. 1. 2. 3. 4. & fin. hoc tit.* Si enim illi neceſſariis cauſis impediantur, quominus officiis ſuis poſſint intereſſe, Vicarios idoneos conſtituere valent, *c. extirpandæ, §. quia verò, de præb. c. peruenit, de appellat. c. cùm ex eo, de elect. in 6.* licèt indiſtinctè parochis conſtituere Vicarios iam prohibuerit Innocentius III. in Concilio Lateran. generali, *cap. 32.*

5. DE VARIIS VICARIIS.

Vicarij conſtituuntur vel ad iuriſdictionem exercendam, vel ad diuina officia in Eccleſia celebranda. De primis agemus *in cap. ſua, hoc tit.* de ſecundis nunc tractationem aggrediamur. Sciendum ergo eſt, ad diuina miniſteria peragenda, & curam animarum exercendam, Vicarios conſtitui pluribus ex cauſis. Prima, ſi monachi obtineant Eccleſias ſæculares; nam cùm illi non poſſint ſacramenta parochianis adminiſtrare, debet Vicarius conſtitui præſentatione ipſorum, & inſtitutione Epiſcopi, *cap. 1. de capellis monach.* vt ſuprà probaui. Deinde quoties Eccleſia parochialis alteri Eccleſiæ, vniuerſitati, collegio, ſeu loco pio annexa, & vnita reperitur, debet conſtitui Vicarius, *c. extirpandæ, §. quia verò, de præb.* Deinceps quoties ob numeroſum populum capella nouiter conſtruitur, præficitur illi Vicarius perpetuus, *c. ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis.* Trident. *ſeſſ. 21. de reform. cap. 4.* Rurſus Vicarius conſtituitur quando quis habet duas Eccleſias principaliter vnitas; tunc enim cùm Rector non poſſit vtrique inſeruire, vicarium in vna apponere debet, *cap. 1 ne ſede vacante, cap. & temporis 16. q. 1.* Vlteriùs quotiens variis negotiis Rector ipſe ita tenetur, & impeditur, vt inſeruire non poſſit, veluti ob peregrinationem in terram ſanctam, aut ad limina Apoſtolorum, *cap. vlt. de voto,* ob abſentiam cauſâ ſtudiorum cum licentia Epiſcopi, *c. relatum, de clericis non reſid.* propter aduerſam valetudinem, *cap. 1. de clerico ægrot.* ob diuerſitatem idiomatis in plebe, *cap. quoniam 5. de officio ordin.* concionis habendæ gratiâ ad populum, *cap. inter cætera, eod. tit. cap. quod Dei 5. de ſtatu monach.* cùm Rector Eccleſiæ remouetur à loco, *cap. ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis,* vel in monaſterium ſe transfert, & in probationis anno verſatur, *cap. de monachis, de præb.* aut maius diuini cultus incrementum ſperatur, *cap. illud 15. cap. nihil 7. q. 1.* Proſequuntur alios caſus Gonzalez *dict. §. 3.* Azor *2. part. inſtit. lib. 3. cap. 1. in fine.*

6. EX QVIBVS CAVSIS VICARII CONSTITVANTVR.

7. VICARII ALII PERPETVI, TEMPORALES ALII.

Ex his Vicariis tot ex causis constituendis tres priores perpetui sunt, & in perpetuum eliguntur cum debita reddituum assignatione, ad congruam sustentationem, *dict.cap. extirpandæ*, §.*quia*: cæteri verò tantùm ad tempus constituuntur; vnde inter eos plures, magnæque differentiæ versantur. Prima, quòd Vicarij perpetui tantùm instituí, & destitui ab Episcopo possunt, nec sine eius auctoritate curæ animarum præponi, aut ab ea deiici valent, *dict. cap.*1. *de capellis monach. cap.*3. *hoc tit.* temporales verò tantùm voluntate, & ex nutu constituentis eliguntur, & pendent. Trullench. *dict. tract.de Vicariis*, *dub.*5. Secunda, quia perpetui Vicarij obtinent Vicariam, & ipsa Vicaria est beneficium ecclesiasticum, *cap. postulasti*, *de rescriptis*, *cap. ad hæc*, *hoc tit. cap. perpetuus*, *de fide instrum. Clement. vnica*, *hoc tit.* & habent verum titulum, *d.c.ad hæc.* Vicaria autem temporalis non est beneficium, *c.peruenit,el 2.de appellat.c.cùm ex eo*, *de elect.in 6.extrauag.execrabilis*, vbi Glossa *verbo Temporalis*, *de præb.* Vnde ad titulum Vicariæ temporalis non potest quis sacris ordinibus initiari, nec in ea habet locum regula 8.Cancellariæ. Nec alia in Vicaria temporali militant, quæ procedunt in Vicariis perpetuis, vt docet Trullench *de Vicar. dub.*7.

8. RATIO DECIDENDI.

Ex his prouenit vera ratio decidendi huius textus; nam cùm Vicaria perpetua sit beneficium, vt suprà probaui, & nemo possit duo beneficia curata simul obtinere, *cap. ad hæc*, *cap. de multa*, cum vulgatis, *de præb.* ideò nequit obtineri Vicaria cum beneficio parochiali, aut duplex Vicaria: quæ enim de beneficiis in iure nostro constituta sunt, in Vicariis perpetuis æqualiter procedunt; vnde sicut litteræ impetratæ à beneficium habente, nullæ sunt ipso iure, *cap.ad aures*, *cap.si proponente* 44. *de rescriptis*; ita & impetratæ ab obtinente Vicariam, *cap.postulasti*, *de rescriptis*: & sicut filius non potest obtinere beneficium in Ecclesia vbi pater illud possidet, ita nec Vicariam perpetuam, *cap. constitutus* 8. *cap.ad extirpandas* 11. *cap.Michaël*, *de filiis presbyter.* Et sicut beneficium obtinens ad eius titulum ritè ordinatur, *cap.*2. *cap.cùm secundùm*, *de præb.* ita & retinens Vicariam perpetuam, vt ex Cæsare, Selua, & aliis resoluit Barb. *lib.*3. *iuris Eccles.cap.*6. *num.*24. Et sicut obtinens beneficium parochiale tenetur intra annum in presbyterum ordinari, *cap.licèt*, *de elect.in* 6. ita & obtinens Vicariam tenetur gradus sacros suscipere, *cap.vlt. hoc tit.* Tandemque omnia, quæ dicuntur de beneficiis parochialibus, procedunt etiam in Vicariis perpetuis, vt latè docent Rebuffus *de vicariis perpetuis*, *in praxi*, *num.*14. Ojeda *de incompatibilit. p.*1. *cap.*14. Gonzalez *d.*§.3. *num.*21. Garcia *de benefic. part.*1. *cap.* 2. *n.*93. nam huiusmodi vicarij habent beneficium curatum; vnde sicut nemo valet obtinere duo beneficia curata, ita nec duas Vicarias.

9. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec refragatur difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta, quæ enim in ea expendebamus, procedunt, & locum habent in Vicaria temporali, quæ proprium ius Vicario non tribuit, nec titulum beneficij; tradita verò assertio habet locum in Vicaria perpetua, quæ beneficium est. Nec primum augmentum difficultatis aduersatur, cui eodem etiam modo satisfaciendum est; commenda enim non est beneficium, *cap. qui plenè* 32. 1. *q.*1. Ojeda *vbi suprà*, 2. *part. cap.*4. nec commendatarius est verè Rector, sed tantùm custos, *cap. constitutum* 22. 7. *quæst.*1. Vnde mirum non est, vt possit quis beneficium simul & commendam obtinere, non autem beneficium, & Vicariam perpetuam. Nec vltimum augmentum obstat, deductum ex dicta Clement. vnica, *hoc tit.* nam licèt Alexandri III. temporibus iam vigeret prohibitio, ne quis Vicariam simul, & beneficium parochiale possit obtinere; tamen per assecutionem Vicariæ perpetuæ parochus ipso iure non priuabatur beneficio; aut è contra per assecutionem beneficij non priuabatur Vicaria: quare vt hæc pœna priuationis ipso iure contingens iam in obtinentibus duo beneficia, statuta *in cap.de multa*, *de præb.* protraheretur, & locum haberet in Vicariis, necessaria fuit constitutio Concilij Viennensis, non vt prædicta prohibitio induceretur, sed vt pœna extenderetur ad Vicarias.

CAPVT III.

Idem *Vvintonienſi Epiſcopo.*

AD[b] hæc, si persona alicuius Ecclesiæ Vicario, quem in eadem Ecclesia instituit, de assensu, & auctoritate diœcesani[c] Episcopi certam assignauerit portionem, is qui[d] personâ illâ defunctâ, in personatum illius substituitur Ecclesiæ, non potest ab Ecclesia eundem Vicarium[e] remouere, vel assignatam sibi minuere[f] portionem, nisi aliquid committat, propter quod per iudicem in Vicaria, vel beneficio sit condemnandus.

NOTÆ.

1. a *Vvintonienſi.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *sub hoc tit.cap.*4. & post Concilium Lateran. sub Alexandro III. *part.*7.*cap.*8. De Ecclesia Vvintonienſi aliqua prænotaui *in cap. cæterùm* 3. *de rescriptis.*

2. b *Ad hæc.*] Principium huius textus reperitur, ni fallor, *in c.quamuis*, *de officio deleg.* qui textus eiusdem Pontificis est, & eidem Episcopo in eo rescribitur.

3. c *Epiſcopi.*] Eius enim auctoritate instituí, & destitui debet Vicarius perpetuus, vt dixi superiori commentario.

4. d *Perſona.*] Id est Parochus, seu clericus maior eiusdem Ecclesiæ, vt notaui *in cap. ad aures* 8. *de rescriptis.*

e *Remouere.*] Quia cùm Vicaria detur in titulum perpetuum beneficij, non potest remoueri Vicarius mortuo Rectore, sine causa, *cap.*2.*de supplend. neglig.* Gonzalez *d.*§.3. *n.*12. non tamen inde infertur, huiusmodi Vicarium esse Rectorem; tantùm enim Vicarius, Presbyterve Rectoris appellatur, *cap.vlt. hoc tit.cap. extirpandæ*, §.*quia verò*, *de præb. cap. ad audientiam*, *de Ecclesiis ædificandis*, Trullench. *d.tract.de Vicariis*, *cap.vlt.dub.*3. 5.

f *Portionem.*] Quæ assignari debet Vicario, *cap. extirpandæ*, §.*quia verò*, *c.de monachis*, *de præb. Clem.*1. *de iurepatron.* aliàs habet ius ad decimas, & fructus beneficij vsque ad congruam sustentationem. Suarez *de relig.lib.*3.*c.*24.*n.*4. sed si assignata illi portio sit, nullum ius habet ad fructus beneficij. Trullench. *de Vicariis*, *dicto c.vlt.dubio* 4. 6.

CAPVT

CAPVT IV.

Idem [a] *Norvicenſi Epiſcopo.*

CLericos in preſbyteratu, vel in aliis [b] inferioribus ordinibus conſtitutos, in Vicariis Eccleſiarum, quas adepti ſunt, ſubſtituere non permittas; cùm id ſit ſatis abſonum, & abſurdum, & rationi contrarium.

NOTÆ.

1. a *Norvicenſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.5.* & poſt Concilium Lateran. *part.39. cap.3.* & *in cap. ſignificaſti, de officio delegat.* & *in cap. illud 6. de exceſſibus Prælat.* vbi extant aliæ partes huius deciſionis. De Eccleſia Norvicenſi aliqua adduxi *in cap. ſi autem 9. de reſcriptis.*

2. b *Inferioribus.*] Qui tenentur infra annum ſuſcipere gradum preſbyteratus. *Clement. vnica, hoc tit.* plura adduxi *in cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect.*

COMMENTARIVM.

3. EXponitvr cap. 1. hoc tit. in 6.

EX hoc textu apertè conſtat, Vicarios perpetuos alios Vicarios ſubſtituere poſſe, quod contrarium videtur deciſioni textus *in c.1. hoc tit. lib.6.* vbi ſupponitur, Vicarium Epiſcopi alium Vicarium deſignare non poſſe. Pro cuius conciliatione dicendum eſt, verum eſſe, Vicarios perpetuos, alios æquè perpetuos ſubſtituere non poſſe; temporales tamen ad tempus breue deſignare valere, quo caſu exaudiendus eſt textus *in d.cap.1. hoc tit.* Docent Petrus Greg. *lib.5. partit. tit.2. c.3.* Azor *tom.2. inſtit. lib.3. c.6. q.30.* Trullench *de Vicariis d.c. vlt. dub.4. in fine.*

CAPVT V.

Innocentius III. *Abbati* [a] *S. Eugenij, & Plebano S. Petri.*

SVâ nobis. *Et infrà*: [b] Nos igitur Vicarij litteras æſtimantes per [c] ſurreptionem obtentas, quoniam iuriſdictio Vicarij, quem R. Pontifex in vrbe relinquit, non extenditur extra illam, niſi ei ſpecialiter ſit conceſſum: præſertim cùm ipſe moratur in ſua prouincia ſpeciali, videlicet inter [d] Capuanam prouinciam, & Piſanam: mandamus quatenus quicquid occaſione litterarum illarum actum eſt, in irritum reuocetis.

NOTÆ.

1. a *S. Eugenij.*] In tertia collectione, *ſub hoc tit. c.1.* etiam ita legitur. Monaſteriũ autem S. Eugenij eſt ordinis D. Benedicti, in diœceſi Lucanenſi, vt refert Tambur. *in ſerie Abbatiarũ, verbo Lucanenſe.*

b *Et infrà.*] Integra huius textus nec reperitur in epiſtolis Innocentij III. à Sirleto emendatis, nec in epiſtolis editis à Boſqueto, nec in vlla ex collectionibus extat; eius tamen caſum rectè referunt Gloſſa, & Abbas *in præſenti.*

c *Surreptionem.*] Surreptio, & obreptio quando reſcripta iuſtitiæ, aut gratiæ ipſo iure vitient, latè diſputaui *in c. ſuper litteris, 20. de reſcriptis.*

d *Capuam.*] De ciuitatibus Capuana, & Piſana, earumque ſitu aliqua adduxi *in c. cùm inter 18. de electione, cap.8. de temporibus ordin.*

COMMENTARIVM.

2. Conclvsio refertvr, et probatvr.

EX hoc fragmento Innocentij III. epiſtolæ deducunt communiter repetentes, Vicarium R. Pontificis in vrbe, non extra eam, iuriſdictionem obtinere. Et poſt eos ita docuerunt Petrus Greg. *lib.5. part. tit.2. c.3.* Azor *lib.5. inſtit.2. p. cap.39.*

3. Impvgnatvr præ-dicta assertio.

Sed hæc communis aſſertio difficilem patitur dubitandi rationem; nam Vicarius quoad iuriſdictionem omnia ea poteſt, quæ ſpectant ad iuriſdictionem illius, cuius vices gerit, *c. final. 93. diſt. c.1. 94. diſt. l.1. C. de officio eius qui vices.* Cicero *6. in Verrem: Succedam ego Vicarius tuo muneri.* Plura Scipio Gentilis *lib.2. de iuriſd. c.9.* ſed nemo ambigit, R. Pontificem extra Vrbem per vniuerſum orbem iuriſdictionem habere: igitur & eius Vicarius etiam extra Vrbem eam exercere valebit. Accedit, nam iuriſdictio Vicarij Pontificis ſucceſſit, & ſuffecta eſt in locum Præfecti vrbis, vt colligitur ex Caſſiodoro *lib.6. variar. c.15.* in illis verbis: *Tu autem Vicarius diceris, & tua priuilegia non relinquis, quando propria eſt iuriſdictio, quæ datur à Principe. Habes enim cum Præfectis aliquam portionem, partes apud te ſub Prætoriana aduocatione conſligunt, vice ſacrâ ſententiam dicis, &c.* Sed iuriſdictio Præfecti Vrbis extendebatur extra vrbem vſque ad centeſimum lapidem, *l.1. §. initio, ff. de offic. Præfecti vrbis:* igitur & Vicarij Pontificis iuriſdictio extendi debet. Accedit ſecundò, nam conceſsâ iuriſdictione ciuitatis, aut caſtri, conceſſa intelligitur iuriſdictio in omni territorio, vt probant Bobadilla *lib.2. polit. cap.16. n.70.* pluribus relatis D. Franciſcus de Amaya *in l.2. C. de bonis vacantib. n.20.* Vnde interdictâ ciuitate, ſuburbia etiam interdicto ſubiecta cenſentur, *cap. ſi ciuitas, de ſentent. excom. lib.6.* docet Petr. Greg. *lib.4 p. tit.17. c.4.* Stphan. Coſta *in d.c ſi ciuitas*, Morinus *lib.1. exercit. c.30.* Gibal *de cenſuris diſquiſit.4. q.6.* igitur ſi Vicarius Pontificis habet iuriſdictionem intra Vrbem, etiam extra eam habere debet.

4. De Vicariorvm ivrisdictione.

Quâ dubitandi ratione minimè obſtante, vera eſt præſens deciſio, in qua agitur de iuriſdictione vicarij; in omnibus autem aliis agitur de officio vicarij quoad eccleſiaſtica miniſteria. Et vt iuriſdictionem vicariorum agnoſcamus, ſciendum eſt, valdè controuerſum eſſe apud iuris Interpretes, vtrum, vicarij Epiſcoporum, ſeu aliorum, & Proprætores vicariam, an delegatam obtineant iuriſdictionem? In qua quæſtione ipſos delegatam iuriſdictionem habere, poſt Gloſſam *in cap. vt debitus honor, verbo Abſque, de appellat.*, & *in cap.2. verbo ſtatuitur, ne Prælati vices ſuas*, tenuerunt Gofredus *in ſumma, hoc noſtro titul. num.2.* Alex. *in rubrica de officio ordin. num.24.* Germonius *lib.1. animad. cap.16.* &

de indultis Cardin. §. *ibi*, *num.* 43. Petrus Greg. *in cap. conquerente*, *cap.* 11. *num.* 22. *de officio ordin.* Nituntur sequentibus fundamentis. Primò, qui vice alterius fungitur, nihil proprium habet, vt suprà *in cap.* 1. *hoc tit.* dixi: sed Vicarij, & Proprætores vices Episcoporum & Prætorum obtinent, *cap. Romanæ*, *de appellat. in* 6. ergo quia delegatam, non ordinariam habent iurisdictionem: præcipuè, nam Episcopos, & Prætores ordinariam iurisdictionem habere, certum est, *cap.* 1. *cap. cùm Episcopi* 7. *de officio ordin.* sed si eorum Vicarij haberent ordinariam iurisdictionem, sequeretur vnam, eandemque in solidum penes duos esse, quod absurdum est, cùm dominium cuiuslibet rei (à quo facilè ad iurisdictionem arguitur, *l. qui furere* 10. *ff. de statu hominum*, Glossa verbo *Iurgia*, *in cap. perlectis*, 25. *dist.*) penes duos in solidum esse non possit, *l.* 3. §. *ex contrario*, *ff. de acquir. possess. l. sicut certo*, §. *si duobus*, *ff. commodati.* Secundò si iurisdictio Vicariorum, & Proprætorum esset ordinaria, haberet effectus ordinariæ, videlicet esset perpetua, nec morte, aut reuocatione Episcopi, aut Prætoris finiretur, vt non finitur ordinaria, *cap. Legatus* 2. *de officio Legati*, *in* 6. *l. more* 5. *ff. de iurisdict.* plura Petrus Greg. *lib.* 47. *syntagm. cap.* 32. Menochius *lib.* 1. *de arbitr. cap.* 69. Morla *vbi suprà*, *num.* 104. Barbosa *in l. quia tale* 14. *num.* 84 *ff. soluto matrimonio*: sed Vicariorum iurisdictio finitur morte Episcopi, *cap.* 1. *de officio Vicarij in* 6. Glossa, & omnes *in Clement.* 2. *de rescriptis*, Sbrozius *de officio vicarij lib.* 3. *quæst.* 44. ergo quia est iurisdictio delegata, non ordinaria, vt latè probant Marcus Anton. *lib.* 2. *instit. tit.* 8. *num.* 135. Sanchez *lib* 3. *de matrim. disput.* 30. *num.* 11. Hugolinus *de potest. Episcopi lib.* 1. *quæst.* 4. §. 6. *num.* 4. Facit etiam quod Vicarij non possunt alij potestatem Vicarij committere, *cap. clericos*, vbi Hostiensis, *de officio Vicarij*, quod delegatos potiùs, quàm ordinarios, significat, *l.* 1. *ff. de officio eius*: nec possunt beneficia vacantia conferre, vt Episcopus potest, *cap. vlt. de officio Vicarij*, *lib.* 6. Germonius *vbi suprà*, *num.* 85. ergo non ordinariam, sed delegatam iurisdictionem habent.

5. CONTRARIA SENTENTIA DEFENDITVR.

Contrariam sententiam, videlicet vicarios Episcoporum, & Proprætores iurisdictionem ordinariam obtinere, defendunt quamplures ex antiquioribus, quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disput.* 29. *quæst.* 1. Garcia *de beneficiis* 5. *part. cap.* 8. *num.* 21. Narbona *de appellat. à Vicario*, *num.* 28. Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 54. *num.* 26. & *ad tit. de officio Vicarij in* 6. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 13. Basilius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 1. Solorzanus *de iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3. Quorum sententia probatur ex eo, quia Vicarij iurisdictionem habent, non ratione delegationis, sed officij, quod obtinent, *cap.* 2. ibi: *Per commissionem officij*, *hoc tit. in* 6. *cap. cùm nullus*, ibi: *Ipsius officium*, *de tempor. ordin. eod. lib.* & sic non ab Episcopo, vel à Prætore, qui eos eligunt, sed à lege accipiunt iurisdictionem. Couar. *pract. quæst.* 4. *num.* 4. sed cùm iurisdictio datur à lege cum districtu, est ordinaria, *l.* 1. *ff. de iurisd.* igitur iurisdictio Vicariorum, & Proprætorum potiùs ordinaria, quàm delegata est; acquirunt enim eam immediatione virtutis à lege, licèt eam accipiant immediatione suppositi ab Episcopo, vel Prætore, vt contingit in humana generatione: nam vitam accipimus à Deo immediatione virtutis; à generante verò immediatione suppositi: quare dixit Philosophus: Deus (seu vt alij vertunt) sol, & homo generant hominem; ille immediatione virtutis; iste immediatione suppositi. Videndus Vargas *de iurisdict. Episcop. ad medium.* Idem contingit in Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, qui immediatione virtutis accipiunt iurisdictionem à Pontifice; immediatione verò suppositi ab Inquisitore Generali, qui eos eligit. Hac sententia retentâ non obstant contraria fundamenta. Non primum: nam licèt Vicarij aliorum vices gerant, & sustineant; non tamen inde rectè infertur, eos non ordinariam, sed delegatam exercere iurisdictionem, quod sequenti exemplo apertè probatur: nam Legati, tam missi, quàm nati, Pontificis vices gerunt, *cap.* 1. *de officio Legati*; & tamen ordinariam obtinent iurisdictionem, *dict. cap.* 1. *& per totum*, *de officio Legati*. Similiter Archidiaconi vices Episcoporum gerunt, & tamen non delegatam, sed ordinariam exercent iurisdictionem, *cap. vlt. eod. tit.* vbi probaui: igitur licèt Vicarij aliorum vices gerant, non idcò delegatam obtinent iurisdictionem, sed ordinariam. Nec obstat quod dicebamus, Episcopum, & eius Vicarium eandem exercere iurisdictionem, & per consequens vnam ordinariam; aliam verò ab eo delegatam obtinere debere; nam non eodem modo obtinent iurisdictionem Episcopus, & eius Vicarius; nam Episcopi, & Prætores eam exercent principaliter; Vicarij verò accessoriè, & dependenter: vnde prouenit, vt eorum iurisdictio finiatur morte, aut renunciatione ipsius Prætoris, seu Episcopi; quia licèt Vicarij, & Proprætoris iurisdictio ordinaria sit, & immediatè à lege proueniat; tamen ab illis exercetur mediata voluntate Episcopi, aut Prætoris; vnde ea cessante per mortem, aut reuocationem, necessariò debet cessare ipsa iurisdictio. Nec aliud augmentum difficultatis refragatur; nam licèt Vicarius non possit alium Vicarium constituere, & sic Vicarius, licèt ordinarius, alium æqualiter ordinarium constituere non possit, hoc non obstat; neque enim ex natura iurisdictionis ordinariæ prouenit collatio beneficiorum: quare Vicarius etiamsi sit ordinarius, eam non habet. Ita adductis fundamentis, & aliis satisfaciunt Sanchez, & Narbona *vbi suprà*, qui obseruant, hanc sententiam veram esse in Vicariis generalibus, non verò in foraneis, seu constitutis in locis priuatis ad negotia particularia; in illis enim vera est contraria sententia, videlicet Vicarios iurisdictionem delegatam habere. Quatenus autem Vicarius Episcopi præcedat Archidiaconum in choro, explicat Valenzuela *consilio* 101. *tom.* 2.

6. DE VICARIO PONTIFICIS.

Hæc procedunt in Vicariis Episcoporum, & aliorum Prælatorum; sed vt ad præsentem decisionem propiùs accedamus, sciendum est, Rom. Pontificem habere vicarium in ipsa ciuitate, cui committit suam iurisdictionem in his, quæ intra vrbem sunt, & extra vsque ad quadraginta milliaria; habetque iurisdictionem tanquam Episcopus, & alia specialia exercet ex concessionibus Romanorum Pontificum, vt docent Vestrius *lib.* 2. *praxis*, *cap.* 16. *de Vicario vrbis*, Flaminius *de resig. lib.* 7. *cap.* 24. Petrus Gregorius *lib.* 47. *syntagm. cap.* 35. *num.* 8. Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 55. Huius Vicarij mentio extat in epigraphe textus *in cap. dilectus*, *de excessibus Prælat. cap. is cui*, *de elect. lib.* 6. & licèt olim Episcopi Torcilanensis, Burgi sancti Sepulchri, & similes eligerentur in Vicarios, vt ex bullis Pauli II. & III. probat Cohelius *vbi suprà*; hodie tamen tantùm Romanæ Ecclesiæ Cardinalis eligitur in Vicarium. Cohelius

dict.

dict. cap. 55. Barbosa *in summa, verbo Vicarius.* Etiam solet R. Pontifex, dum ab vrbe discedit, Vicarium in vrbe, seu Legatum relinquere, de quo agitur in præsenti textu; illeque habet iurisdictionem tantùm intra vrbem, nisi aliter eam R. Pontifex demandauerit, vt ex bulla Clementis VIII. probat Cohelius *vbi suprà*, qui recensèt, & refert catalogum Cardinalium, qui huiusmodi officium obtinuerunt, & alia specialia, quæ ad Vicarij Pontificis officium spectant.

7. RATIO DECIDENDI. Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm Vicarius Pontificis iurisdictionem, quam exercet in vrbe, habeat ex delegatione, & commissione R. Pontificis, debet iuxta formam ipsius delegationis eum exercere, *cap. cùm dilecta, de rescriptis, cap. porrò, de priuileg.* Vnde cùm Vicarius à Pontifice designatus, dum ipse extra Vrbem proficiscitur, tantùm constituatur vt intra vrbem iurisdictionem exerceat, rectè deciditur in præsenti, Vicarium ab Innocentio III. designatum non potuisse extra vrbem ius dicere, seu iurisdictionem exercere.

8. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec obstat difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta; nam quod in ea expendebamus, verum est, & locum habet regulariter in Vicariis absolutè constitutis, quibus Iudex commisit vices suas, qui regulariter possunt omnia ea exercere, quæ iudex, qui vices concessit, obire valet. Nec quod dicebamus de Præfecto vrbis, in cuius locum successit Vicarius Pontificis, aduersatur; quia licèt admittamus, Vicarium Pontificis suffectum fuisse in locum Præfecti vrbis; non tamen in omnibus subrogatus fuit: quare non per omnia exæquatur officium R. Pontificis iurisdictioni Præfecti Vrbis. Nec aliud augmentum ipsius difficultatis, deductum *ex dict. cap. si ciuitas*, refragatur; quia textus ille procedit cùm ille, qui habet iurisdictionem intra, & extra vrbem, ciuitatem suppositi interdicto; tunc enim non solùm ipsa ciuitas, verùm & ipsius suburbia interdicta censentur: at verò in specie præsentis textus Vicarius Pontificis tantùm intra vrbem, non extrà, iurisdictionem obtinebat.

CAPVT VI.

Honorius III. *Episcopo Vvigorn.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quòd quidam in Ecclesiis, quibus [b] perpetuas obtinent vicarias, debitam residentiam facere, ac in presbyteros promoueri contemnunt. Nolentes igitur abusum huiusmodi, sicuti nec debemus, æquanimiter sustinere, f. t. m. quatenus perpetuos Vicarios, vt in Ecclesiis, in quibus Vicarias obtinent, [c] resideant, vt tenentur, & se in [d] presbyteros, vt eorum cura exigit, faciant promoueri, per subtractionem prouentuum Vicariarum ipsorum app. rem. compellas.

NOTÆ.

1. [a] *Vvigorn.*] De hac Ecclesia aliqua notaui *in cap. nosti 9. de electione.* Textum hunc ex quinta collectione Honorij III. edita ab Innocentio Cironio ita restituo.

2. b *Perpetuos.*] De quibus Vicariis egi *in cap. 1. hoc tit.*

3. c *Resideant.*] Vt alij, qui beneficia obtinent in titulum, iuxta textum *in cap. fraternitati, de clericis non resid.* vbi præsentem textus partem illustrauimus.

4. d *In presbyteros.*] Tanquam beneficium parochiale habentes, *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect.* vbi commentarium huius textus reperies.

TITVLVS XXIX.

De officio, & potestate Iudicis delegati.

CAPVT I.

Alexander III. [a] *Lundon. Episcopo.*

QVia [b] quæsitum est à nobis ex parte tua, quid faciendum sit de [c] potestatibus, quæ cùm præcipimus alicui [d] iustitiam exhiberi, de his, quos diligunt, aut tueri volunt, minis, [e] aut terroribus suis conquerentes, silere compellunt, & sic mandatum nostrum eluditur. Id tibi respondemus, [f] quod sicut agentes, [g] & consentientes pari pœnâ Scripturæ testimonio puniuntur: sic tam eos, qui trahuntur in [h] causam, quàm principales eorum fautores, si eos manifestè cognouetis iustitiam impedire, censurâ ecclesiasticâ [i] poteris coërcere.

NOTÆ.

1. a *Lvndon.*] Ita legendum eſt, vt etiam legitur poſt Concilium Lateran. ſub Alex III. *p.7. cap.* 2. & in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.*2. De Eccleſia autem Lundonienſi in Anglia, vulgò *Londres* dicta, plura adduxi *in cap. cùm olim 6. de conſuetudine*, vbi notaui, Epiſcopo Lundon. plures, variaſque cauſas noſtrum Alexandrum delegaſſe, quod apertè conſtat *ex cap.*3.*cap. cauſam* 17. *hoc tit. cap.*3. *de dolo & contumacia*, *cap.* 4. *de reſtit. ſpol. cap. cauſa*, *qui filij ſint legitimi*, & aliis pluribus: vnde ipſe conſuluit frequenter Alexandrum III. præcipuè, an liceret aliquas ex his cauſis aliis ſubdelegare, *cap.*3.*hoc tit. cap.*1. *hoc tit. in* 1. *collect.* vbi ita illi reſcribit Alexander: *Cùm tibi ſit de benignitate Sedis Apoſtolicæ indultum, vt cauſas, quas de mandato noſtro ſuſcipis terminandas, liceat tibi perſonis aliis, vni, vel pluribus delegare; ſed ab his, quibus cauſa per te fuerit commiſſa, fas ſit litigantibus appellare; & ſi eadem cauſa tibi fuerit a nobis commiſſa ap. rem. accidit interdum, ſicut tu aſſeris, quod cauſam, quam tibi commiſimus ap. poſtpoſitâ terminandam, aliorum experientiæ committis audiendam, & appellationem alter litigantium ad tuam, alter ad noſtram audientiam interponat. Conſult. t. t. reſpondemus, quod ei appellationi, quæ ad nos interponitur, eſt omninò deferendum, licèt fuerit ap. remotâ commiſſa.*

2. b *Quæſitum eſt.*] Frequenter enim iudices delegati ſuper negotiis, & cauſis ſibi commiſſis conſulunt ipſos delegantes, *l.ſolent* 6. §. *legati*, *ff. de officio Proconſulis*, ſicut Magiſtratus Principes, à quibus deſignati ſunt, *l.* 1. *ff. de appellat. l.*1. *ff. de ventre inſpiciendo*, *l. non diſtinguemus* 32. §. *cùm quid, de reſcriptis*, *l. verum* 11. §. *ex facto*, *ff. de minoribus*, *l. licèt* 77. *de legat.* 1. *l.licet* 23. *de vſufructu legato.* Plura congerunt Briſſonius *de formulis lib.*3. *pag.*329. Donellus *lib.* 1. *comment. cap.*9. Cuiacius *ad Digeſta in l.licèt* 23. *ff. de vſufructu legato.*

c *Poteſtatibus.*] Poteſtatis verbum varias habet acceptiones, *l. poteſtatis*, vbi plura congerunt 3. Gentilis & Fornerius, *ff.de V. S.* Briſſonius, Caluinus, & alij Lexicographi *verbo Poteſtas*: in præſenti accipitur pro Magiſtratibus populi, ſeu ciuitatis, vt plerumque ſumitur in vtroque iure, & apud bonæ notæ Interpretes, *cap. qui reſiſtit* 97. *cap. final. de iudiciis*, *cap. omnis anima*, *de cenſibus*, *cap. per veſtras*, *de donat. inter*, *cap. cùm inter*, *cap. ex parte*, *de conſuetudine*, *cap. quia nos*, §. 1. *de homicidio*, *l.*1 *ff. quod quiſque iuris*, *l.vlt. ff. quod metus causâ*, Ammian. Marcell. *lib.* 30. *Ære graui mercati publicas poteſtates.* Suetonius *in Iulio*, *cap.*20. *Quoad poteſtatem abiret.* Plinius *lib.* 29. *cap.*4. *Mites facere dominos*, *poteſtateſque exorabiles.* Sidonius *lib.*1. *epiſt.*8. *Vigilant fures*, *dormiunt poteſtates.* Saluianus *lib.*1. *de prouid. Diues poteſtas pauperem facit eſſe Rempublicam.* Vbi Rhiterurſius *pag.*10.

4. d *Iuſtitiam exhiberi.*] Clauſula hæc vſitatiſſima eſt in reſcriptis Apoſtolicis, *cap.*1.*&* 2. *de mutuis petitionibus*, *cap. inter* 8. *de maiorit. & obed.cap. licèt* 10.*cap.ex tenore* 11.*cap. ex parte* 15. *de foro compet. cap. qualiter* 17. *de iudiciis*, *cap. cùm veniſſent*, *de teſtibus*, cuius clauſulæ varios effectus referunt in præſenti Barb. *num.* 7. Decius *num.* 2. Beroius *num.*9. Valaſco *de iure emphyt. quæſt.*6.*num.*15. Barboſa *de clauſulis*, *clauſula* 76.

5. e *Minis, ac terroribus.*] Ex his verbis deducunt in præſenti Abbas *n.*3. Beroius *n.* 11. inducimetum iuſtum cadentem in conſtantem virum ex minis & terroribus Principis; ſed non ſatis commodè, & extra rem: videndi tamen ſunt Sanchez *lib.*4.*de matrim. diſput.*6. *num.*4. Baſilius *lib.*4. *cap.*5. *num.* 6. Barboſa *lib.*1. *voto*1. Feloaga *in cap.* 1. *de his*, *quæ vi.*

f *Quod ſicut.*] Non ſunt hæc verba referenda 6. ad rationem deciſiuam huius textus, quare videlicet impedientes iuriſdictionem delegatam poſſunt coërceri ab ipſo iudice delegato: ſed referri debent ad eam partem, vbi Pontifex exæquat eos qui iuriſdictionem impediunt, cum illis, qui nominatim deſignati ſunt in ipſo reſcripto; vt ſicut ipſi expreſſi in reſcripro impedientes iuriſdictionem, poſſunt per iudicem delegatum puniri; ita ſimiliter eorum fautores & poteſtates impediendo vſum iuriſdictionis delegatæ, valent coërceri per ipſum delegatum.

g *Agentes, & conſentientes.*] Huic D. Pauli 7. teſtimonio *in epiſt.*1.*ad Rom.verſ.*12. conſentiunt, & adſtipulantur textus *in cap. facientes* 3. 86. *diſt. cap. noſtrum* 10. *quæſt.*1. *cap. ſicut* 6. §.*illi autem*, *de homicidio*, *cap. felicis* 5.§.*cùm autem*, *verſ.Illud*, *de pœnis in* 6. *Clement.*1. *eod. tit. l.*1. §. *pœna* 2. *Cod. de raptu virgin. l.*14.§. *œconomos*, vbi Gloſſa, *Cod. de ſacroſ. Eccleſ. cap.error*, 63. *diſt. cap. negligere* 54.3. *quæſt.*1. *cap. nuper*, *verſ. in primo*, *cap. quantæ*, *de ſentent. excom.* Facit Quintilianus *declamat.* 255. ibi: *Hoc naturâ ſimile eſt*, *facere ſcelus*, *& probare.* Illuſtrant hoc axioma Barboſa *in axiomate*, *verbo Agentes.* Sed contrarium, immò grauiorem pœnam conſentientibus, quàm facientibus eſſe irrogandam, probari videtur *in c.tanta* 24. 86.*diſt.cap. qui alia* 32.2.*quæſt.*3.*c. qui conſentit* 100.11. *quæſt.*3. immò aliquando leuiorem imponi, ſuadetur *ex cap.ſicut* 6.§. *illi etiam*, *de homicidio*, *l.*2. *ff. ad legem Pompeiam.* Quæ iura vt componant Bohic. Hoſtienſis, & Viuianus *in præſenti*, Farinacius *in praxi*, 4.*part. quæſt.*129. *num.* 32. Sahagun *in hoc textu*, *num.*4. Nathen. *in iuſt. vulner. pag.* 83. varia adducunt. Sed illis omiſſis, admiſsâ ſententiâ Gloſſæ hîc, quam omnes veſpertini Anteceſſores noſtræ Academiæ ſequuntur, quatuor diſtinguendi ſunt modi conſentiendi delictis. Primus eſt, qui ex negligentia prouenit, cùm enim quis poſſit crimen vitare, & excludere, idque facere omiſit, mitiùs punitur, quàm peccati reus, & auctor, *cap. quidquid* 101.1. *quæſt.*1. licèt enim ex vinculo charitatis teneamur non ſolùm damnum non inferre, ſed ab alio inferendum vitare, *cap. delicta* 6. *verſ. Et quidem*, *de ſentent. excom. lib.*6. *dict. cap. negligere*, *dict. cap. error*, *dict. cap. facientes*; & ſic non minùs peccet, qui reatum admiſit, quàm qui non vitauit, *cap. paſce*, 86. *diſt.* dicemus *in cap.* 2. *de hæreticis*: vnde excommunicationem incurrit, qui cùm poſſit impedire manus iniectionem in clericos, eam non vitauit, *cap. quantò*, *de ſentent. excomm.* etſi contrarium teneat Marinis *lib.*1. *reſol. cap.*111. tamen ex vinculo iuſtitiæ non tenetur quis damnum vitare, *l.metum* 9. §. 1. *verſ. Sed licèt*, *ff. de eo quod metus*, *l.in delictis* 5.§.1 *ff.de noxalibus*, *l.penult.* § 1. *ff. de donat.* Paulus *lib.*2. *ſentent. tit.* 7. §. 5. Vnde in foro exteriori mitiùs punitur conſentiens, quàm reus principalis, niſi perſona, quæ potuit vitare, ſit Magiſtratus, cui ex officio competit delicta populi cohibere, aliàs pari pœnâ punitur. Gutierrez *lib.*2. *canonic.cap.*6. *num.*104. Farinacius *de hæreſi*, *quæſt.*112. Suarez *de cenſuris diſput.*6. *ſect.*2. Genuenſis *practicab. q.*67. Quo modo accipiendi ſunt textus *in l.ſcientia* 45 *ff. ad leg. Aquil. l.* 3. *l.*4. §. 1. *ff. de noxalibus*, *l.fundus*33.

dus 83. *ff. locati.* Nec contrarium probat textus *in cap. quidquid* 101. 1. *quæſt.* 1. vbi Prælatus, qui non prohibuit delictum à ſubdito perpetratum, mitiori plectitur pœnâ. Quia pro eius textus expoſitione diſcrimen conſtituendum eſt inter ſuperiorem ſcientem ſubditum perpetrare delictum, illudque non prohibentem; & inter iudicem delictum eſſe commiſſum ſcientem, & illud non vindicantem. Primo caſu pari pœnâ plectitur, ex ſuprà traditis; ſecundo verò mitiori, *cap. final.* 18. *diſt.* quo caſu procedit textus *in dict. cap. quidquid* 101.

8. Prosequvntvr alii casvs.

Secundus caſus eſt cùm delicto perpetrando non ſolùm quis annuit, verùm & illud conſulit. Circa quem ſciendum eſt, quod aut quis conſuluit delictum illi, qui aliàs perpetraturus illud non erat; aut illi, qui abſque tali conſilio erat perpetraturus. Primo caſu æquali pœnâ ac delinquens tenetur, quia cooperari & opem ferre videtur, *l. qui à ſeruo* 36. *l. in furti* 56. §. *conſilium* 3. *ff. de furtis, l. non ſolùm*, §. *Atilicinius*, *ff. de iniuriis*, *l.* 1. §. *incidit* 13. *ff. ad Turpil. cap. ſignificaſti*, *cap. ſicut*, §. *clericus*, *de homicidio.* Secundo verò caſu non æquali, ſed mitiori pœna eſt plectendus, *dict. cap. felicis*, *verſ. illud*, *de pœnis in* 6. §. *interdum* 11. *Inſtit. de obligat. quæ ex delict.* Quam diſtinctionem ſequuntur, & amplectuntur Pichardus, Binius, & alij Inſtitutarij *dict.* §. *interdum*, Couar. *in Clement. ſi furioſus*, 2. *part.* §. 2. *num.* 1. P. Faber *in l. conſilij* 47. *ff. de regul. iuris*, Plaza *de delictis lib.* 1. *cap.* 17. Gibalinus *de irregul. cap.* 43. & *de cenſuris diſquiſit.* 5. *quæſt.* 3. Nec huic iuris principio aduerſatur textus *in l.* 1. §. *ſed vtrum*, *ff. de ſeruo corrupto*, vbi indiſtinctè conſulens tenetur. Nam reſpondendum eſt, in eo textu nullam diſtinctionem adhiberi inter conſulentem ſeruo fugam, aliàs fugienti; & inter conſulentem non fugitiuo; quia neutro caſu æqualis pœna imponitur ſeruo fugienti, ac illum corrumpenti; ſiquidem pœna ſerui eſt corporalis, *l. ſi fugitiuus*, *Cod. de ſeruis fugitiuis*; conſulens verò fugam, in duplum tenetur, *l.* 1. *in princip. ff. de ſeruo corrupto.* Vt tamen homines magis terreantur à ſeruorum corruptione, æqualiter punitur corrumpens ſeruum aliàs fugitiuum, ac conſulens fugam non fugienti. Tertius caſus conſentiendi delicto contingit, cùm non ſolùm quis conſentit delicto, verùm auxilium, opemque fert: quo caſu æquali pœnâ ordinariâ coërcetur, *l. vulgaris* 21. §. *ſi duo*, *ff. de furtis*, *l. item* 11. §. 1. & §. *ſi plures* 4. *l. ita* 51. §. *vlt. ff. ad legem Aquil. l. verum* 6. *cum ſequenti*, *ff. ad leg. Pomp. de parric. l. raptores* 43. *ff. ad leg. Corn. de ſicar. l. penult. ff. ad leg. Iul. repet.* Ad quem caſum referendi ſunt textus noſter, & lex finalis, *Cod. de maleficiis*, & alij, in quibus docetur, agentes & conſentientes pari pœnâ eſſe puniendos. Docent Farinacius *vbi ſuprà, quæſt.* 130. Menochius *lib.* 1. *de arbitr. caſu* 344. Quartus modus conſentiendi delicto contingit cùm poſt illud commiſſum quis auctoritatem interpoſuit, illud approbando, & defendendo. Quo caſu procedunt textus *in cap. aliorum* 24. *quæſt.* 2. *cap. qui conſentit* 11. *quæſt.* 3. Docent Menochius, & Farinacius *vbi ſuprà.*

9. h *Cauſa.*] Quare cauſa, quæ ad cognitionem Epiſcopi proprio iure ſpectat, illi aliquando committatur, & delegetur, diſputant in præſenti omnes ferè claſſici. Nos tamen eam iuris quæſtionem variis diſtinctionibus abſolutam dabimus *in cap. licèt*, *de officio Ordinarij.*

h *Diſtrictione eccleſiaſtica.*] Id eſt excommunicatione, ſuſpenſione, & ſimilibus cenſuris, vt ſtatim dicemus.

COMMENTARIVM.

10. Conclvsio refertvr et probatvr.

EX hoc textu communiter deducitur ſequens aſſertio: *Iudices delegati virtute ſuæ iuriſdictionis poſſunt coërcere non ſolùm reos contumaces, verum & quoſlibet alios ſuæ iuriſdictionis vſum impedientes.* Probant eam textus *in cap. de cauſis* 4. §. 1. *cap. præterea* 5. *cap. ſignificaſti* 7. *cap. ſanè* 11. *cap. paſtoralis* 28. *cap. ex litteris* 29. *hoc tit. cap. cùm cauſa* 9. *de in integrum reſtit. c. tam ex litteris* 33. *cap. conſtitutis* 45. *de teſtibus*, *cap. paſtoralis*, §. 1. *de officio Ordinarij*, *cap. conquerente* 7. *de reſtit. ſpol. cap. litteras* 14. *de præſcript. cap. de prudentia, de donat. inter*, *cap. pro illorum* 22. *de præbendis*, *cap. vt officium* 12. §. *compeſcendi*, *de hæreticis*, *lib.* 6. Trident. *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 5. Conſonant lex 70. *tit.* 8. 4. *partit.* 3. lex 17. *tit. ead. partit.* lex *ſancimus* 15. *C. de iudiciis.* Illuſtrant vltra ordinarios in præſenti, & relatos à Barboſa *hîc*, *num.* 2. Riminaldus, & Sahagun *in dict. cap.* 1. Tiberius Decianus 4. *part. praxis*, *cap.* 25. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 21. *num.* 82. Petrus Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 5. *cap.* 7. Couar. *in cap. alma*, 1. *part.* §. 11. *num.* 1. & 2. Morla *in emporio, tit.* 2. *quæſt.* 21. Anguianus *de legibus lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 25. Caniſius *in dict. cap. præterea*, latè Acuña *in cap. ſi quis* 2. 94. *diſt.* Binius *de iuriſd. cap. vlt.* Fragoſo *de regim. tom.* 2. *lib.* 4. *diſput.* 11. *num.* 1.

11. Impvgnatvr tradita assertio.

Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequentibus difficultatibus. Prima naſcitur ex eo, nam ſi delegatus poſſet reos contumaces pœnis coërcere, vt in dictis iuribus docetur, poſſet illis mulctam dicere, *l. vnica*, *ff. ſi quis ius dicenti*: ſed delegatus non poteſt illi mulctam dicere, vt probat Barboſa *in l.* 2. §. *vlt. num.* 86. *ff. de iudiciis*: ergo delegatus non poteſt reos contumaces coërcere. Secunda difficultas naſcitur ex natura iuriſdictionis delegatæ; notum enim eſt, iuriſdictionem delegatam eſſe odioſam, cùm per eam iuriſdictio ordinaria reſtringatur, *cap. ad hæc* 10. *de reſcriptis*, *l. litigatores* 11. *ff. depoſiti*: quare non eſt amplianda, aut extendenda vltra cauſas in ipſa nominatim comprehenſas, *cap. cùm dilecta* 22. *de reſcriptis*, *c. cùm olim* 32. *hoc tit.* nec ad alias perſonas præter deſignatas in ipſo reſcripto, *cap. paſtoralis* 14. §. *quoniam*, *cap. Rodulphus* 35. *cap. ſignificaſti* 36. *de reſcriptis*, *cap. cauſam*, *cap. P. & G. hoc tit.* Sed cauſa contumaciæ, & perſonæ impedientis iuriſdictionem delegatam, non fuit comprehenſa in ipſa delegatione: ergo delegatus non poteſt protrahere iuriſdictionem ſuam ad alias cauſas, vel perſonas. Tertia etiam naſcitur ex eo; nam fruſtrà precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l. vnica*, *C. de theſauris*, *lib.* 10. & ſuperfluò exprimitur in aliquo inſtrumento, quod ex natura rei venit, argumento textus *in cap. ſi is* 30. *de priuileg. l. ſi quando* 109. *de legat.* 1. ſed in reſcriptis plerumque conceditur iuriſdictio delegata cum ea clauſula: *Contradictores cenſurâ eccleſiaſticâ compeſcentes*, *dict. cap. pro illorum*, *dict. cap. vt officium*, §. *compeſcendi*, Barboſa *de clauſulis*, *clauſula* 33. igitur quia talis facultas compeſcendi impedientes, & contradictores, ex natura iuriſdictionis delegatæ non veniebat. Tandem quarta difficultas non leuis, ex eo prouenit; nam certum eſt, neminem in cauſa propria iudicem eſſe poſſe, vulgaribus iuribus *in l. vnica*, *C. ne quis in ſua*, *l. qui iuriſdictionem*, *ff. de iuriſd. l. Iulianus*, *ff. de iudiciis*, *cap.*

cap. dilectus 11. *de pœnis, cap. nulla* 4. *quæst.* 4. *cap. viduam* 2. *quæst.* 6. Gothofredus *in l. vnica, Cod. Theodos. ne in sua causa.* Vnde iudices ecclesiastici pro iniuria sibi illata excommunicationis sententiam proferre non possunt, *cap. inter querelas* 25. 23. *quæst.* 4. Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 9. *cap.* 8. ergo iudices delegati impedientes suam iurisdictionem coërcere non possunt, ne in propria causa ius sibi dicant.

12. DE OFFICIO ET POTESTATE LEGATI.

His iuris considerationibus minimè obstantibus, sciendum est, in præsenti titulo agi non solùm de officio, verùm & de potestate iudicis delegati, quæ diuersa sunt; nam aliqua spectant ad iudicem delegatum ratione potestatis, alia, quæ ratione officij facere tenetur; non enim synonyma sunt officium, & potestas in præsenti rubrica, vt existimarunt Decius, & Abbas *in ea*; sed diuersa significant, vt animaduertit Germonius *in præsenti rubrica*: officium enim refertur ad ea, quæ delegatus, vt delegatus, facere debet; potestas verò ad ea, quæ facere potest virtute iurisdictionis; & hæc est propria acceptio verborum officij, & potestatis in hac rubrica. Et licèt iuxta rubri seriem priùs Compilatores Decretalium, quæ spectant ad officium Delegati, mox quæ ratione potestatis ipsi exequi possunt, compilare deberent; tamen permixtim, & turbato ordine, quæ sunt officij, & potestatis recensent. Ad secundam partem, videlicet ad ea, quæ possunt exequi à delegatis, spectat hæc prima decisio, in qua statuitur, iudices delegatos posse non solùm coërcete reos contumaces in delegatione expressos, verùm & impedientes vsum suæ iurisdictionis. Sed vt ordinatè procedamus, saltem breuiter recensеamus, quæ ratione officij delegatus facere tenetur.

13. DE OFFICIO DELEGATI.

Primò delegatus iudex debet recipere litteras commissionis, & iurisdictionem acceptare; antea enim non potest in ea procedere, etsi sciat eam sibi commissam esse, & litteras iam expeditas esse; debent enim præsentari priùs, *cap. super eo* 12. *de appellat.* plures congerit Salgado *de protect. Regia, part.* 4. *cap.* 6. Garcia *de beneficiis part.* 6. *cap.* 2. *num.* 7. & tunc delegatus debet iurisdictionem acceptare, vt post Baldum, & Castrensem docet Salgado *vbi suprà*, etiam debet delegatus statim iurare, se in causa processurum secundùm veritatem, sacrorumque canonum statuta, *l. rem* 14. *Cod. de iudiciis, authent. de defensoribus*, §. *iurandum*; plura Barbosa *in dict. l. rem*, vbi Giphanius: posteà debet ipsas litteras delegationis coram ordinario iudice edere, *cap. cùm in iure* 33. *hoc tit.* tunc copiâ factâ partibus rescripti delegationis, eas citare, & iubere coram se comparere debet, *cap. præterea* 5. *hoc tit.* formam suæ delegationis diligenter seruando, *cap. venerabilis* 37. *hoc tit. cap. cùm dilecta* 22. *cap. Rodulphus* 35. *de rescriptis.* Debet etiam delegatus iuris ordinem seruare, exceptiones admittendo rationabiles, *cap. causam quæ, de rescriptis, cap. ex parte* 13. *hoc tit.* nisi aliter in litteris delegationis comprehendatur; cùm enim nullum aliud habeat officium, nisi ex litteris suæ delegationis comprehensum, illud debet delegatus diligenter custodire, argumento textus *in l. diligenter, ff. mandati*; & sic exceptiones admittere potest rationabiles, non enim Apostolica Sedes prohibendo exceptiones admittere, intendit omnes reiicere; nam quæ legitimæ sunt, & rationabiles, non solent rescripto Principis reiici, *l.* 2. *Cod. de precibus*, ne ius proprium auferatur à reo, aut via præcludatur, vt docent Osualdus *ad Donel. lib.* 22. *cap.* 9. *littera* E, plures Barbosa *in dict. cap. ex parte.* Nec contrarium probant textus *in cap. lator* 2. *quæst.* 7. *c. placuit* 21. *quæst.* 2. *cap. si homo* 27. *quæst.* 1. ex quibus Glossa *in dict. cap. ex parte*, intendit probare, exceptiones omnes reiici solere à R. Pontifice. Nam omissâ solutione Petri Gregorij *in cap. eam te* 7. *de rescriptis, num.* 3. qui affirmat Pontificem *in dict. cap. ex parte*, oblitum decisionum Prædecessorum suorum, asseruisse nunquam Sedem Apostolicam consueuisse omnes exceptiones reiicere in iudicio: dicendum est, in dictis iuribus agi de causis criminalibus, in quibus suâ naturâ exceptiones, seu dilationes non admittebantur, & sic delegando Pontifex causam reiectis exceptionibus, nihil contra ius delegauit.

14. DELEGATVS QVIS.

Et vt agnoscamus quis iudex delegatus sit, sciendum est, quod licèt iudicis delegati nomen ambiguum sit, conueniatque tam illis, quibus sola notio committitur, *l. vnica, Cod. qui pro sua iurisd. l.* 5. *Cod. de iudiciis*; & illis, quibus mandatur, & delegatur iurisdictio, *l.* 1. *ff. de damno infecto*; tamen ij inter se valdè differunt. Primò in eo, quod iudex datus solùm habet cognoscendi facultatem, non verò iurisdictionem, sed tantùm notionem, *l.* 5. *l. à Diuo Pio* 15. *ff. de re iudic.* exequi verò sententiam nequit, *l.* 2. *Cod. de iurisd.* nisi ex concessione Magistratus, iuxta textum ita intelligendum *in l. finali, Cod. de iudiciis*: at delectus eam exequi valet, vt dicemus infrà *in cap.* 7. Secundò differunt in eo, quod iudex datus alium iudicem dare nequit, quia hoc licet tantùm habenti iurisdictionem. Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 8. P. Barbosa *in l. cùm Prætor* 12. §. *is quoque, ff. de iudiciis, l. legatus* 12. *ff. de officio Proconsul.* Datio enim iudicis effectus iurisdictionis est, *l.* 1. *ff. de iurisd.* Deinde differunt, quia à sententia iudicis delegati non appellatur ad delegantem, sed ad superiorem delegantis, *l.* 1. §. *si quis, versic. denique, l. Imperatores* 21. §. 1. *ff. de appell. l. finali, ff. quis, & à quo appelletur, l. vnica, Cod. qui pro sua iurisd. l.* 32. §. *hæc, Cod. de appell.* à iudice verò dato ad dantem appellatur; quia datus iudex, eius qui dedit, non exercet iurisdictionem. Aliud quippe est iurisdictionem mandare, quam qui volens suscipit, vicem eius subit; aliud dare iudicem, quod munus tanquam publicum inuitus suscipit, *l. finali*, §. *iudicandi, ff. de muner.* & sic suscepto tali munere ex iure publico, tanquam suum habet, *l. quippe* 78. *ff. de iudiciis*: vnde à dato ad dantem appellatur. Cuiacius *lib.* 1. *qq. Papin. in l.* 5. *de officio Proconsulis*, & *lib.* 7. *obseru. cap.* 22. Donellus *lib.* 28. *comment. cap.* 7. vbi Osualdus *littera B.* Morla *in emporio, tit.* 2. *num.* 90. ex quo fit, morte mandantis finiri iurisdictionem delegati, *cap. gratum*, vbi dicemus, *hoc tit.* quod in iudice dato non procedit, quia iure proprio, non alieno notionem habet. Osualdus *lib.* 17. *Donelli, cap.* 26. *littera F.*

15. QVÆ COMPETANT DELEGATO.

Secundò prælibandum est, mandatâ iurisdictione, ea omnia commissa censeri, quæ necessaria sunt ad illius exercitium, *l.* 2. *ff. de iurisdict. l. ad rem* 36. *l. ad legata* 62. *ff. de procurat. l. quidam* 57. *verſ. Princeps, ff. de re iudic.* & vt rectè possit talis iurisdictio exerceri, *cap. præterea* 5. *cap. significasti*, 7. *cap. prudentiam*, §. *final. cap. suspicionis* 39. *hoc tit.* Gentilis *lib.* 2. *de iurisdict. cap.* 23. Matheacius *in dict. l.* 2. vbi Goueanus. Cùm enim delegatus personam delegantis repræsentet, & mandatam iurisdictionem suscipiat, suscipit sicut ipse habebat

bebat iure Magistratus, *l. final. ff. de officio eius.* Vnde Vlpianus *in l.* 1. §. *an autem* 4. *ff. de suspectis tutor.* affirmat, mandatâ iurisdictione omne iuris dicendi officium transire: ergo delegatus potest partes citare, *cap. de illis* 4. §. 1. *hoc tit.* & contumaces punire, *dict. cap. præterea*, *dict. cap. suspicionis.* Circa pœnas autem, quas ipse imponere potest, distinguendum est, an iure communi pœnæ sint constitutæ; tunc enim infligendæ sunt, *dict. cap. de causis*, §. 1. si non sint statutæ, arbitrio ipsius relinquitur pœnam infligere, & tunc non solùm excommunicationis sententiam, verùm interdicti, aut suspensionis pro qualitate delicti potest irrogare ex hoc capite 1. in illis verbis: *Districtione ecclesiasticâ*, iuncto capite *quærenti* 20. *de V. S.* licèt Riminaldus *in dict. cap.* 1. existimauerit, delegatum solùm excommunicationem proferre posse, motus decisione textus *in dict. cap. pro illorum* 22. *de præb.* Sed fallitur; nam licèt in eo textu referatur, delegatum sententiam excommunicationis protuliſſe contra impedientes iurisdictionem, non inde infertur, procedere non potuisse per suspensionem, aut interdictum. Circa pœnam priuationis beneficij dubium est. Et delegatum posse, aut partem contumacem, aut impedientem iurisdictionis vsum priuare beneficio, docent Innocentius *in hoc cap.* 1. Decius *ibi, num.* 24. Felinus *in cap. quia diuersitatem* 5. *num.* 14. *de concess. præb.* Pro quibus facit textus *in dict. cap. quia diuersitatem*, ibi: *Delegatus sententiam priuationis beneficij protulit.* Sed contrariam sententiam vt communem, & veriorem amplectuntur plures relati à Menochio *de arbitris, casu* 433. *num.* 4. Quæ sententia probatur ex eo, nam cùm pœna priuationis beneficij sit magna, non nisi ex graui causa debet imponi, *cap. inuentum* 38. 16. *quæst.* 7. neque ab eo ea potest imponi, qui tantùm habet modicam coërcitionem, vt est delegatus, *l. final. ff. de officio eius*, latè Gentilis *lib.* 2. *de iurisdict. cap.* 5. & 6. Nec obstat textus *in dict. cap. quia diuersitatem*, qui procedit ex speciali delegatione Romani Pontificis, cuius virtute potuit delegatus priuare beneficio impedientes suam iurisdictionem, vt docent Imola *ibi*, *num.* 7. Decius *num.* 94. *in hoc cap.* 1.

16. AMPLIATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Hucusque tradita ampliantur, vt procedant cùm delegatus eget auxilio brachij sæcularis; potest enim illud implorare ad coërcendos impedientes vsum suæ iurisdictionis, sicut alij iudices ordinarij, *cap. administratores*, ibi: *Quoties ab ipsis ecclesiasticis viris conuenti fuerint.* Quibus verbis, tam ordinarij, quàm delegati comprehenduntur, *cap. qualis* 44. ibi: *Vt omnibus præbeatis auxilium*, 23. *quæst.* 5. Accedit, nam delegatus maior est quocumque ordinario, *cap. sanè* 11. *hoc tit.* Sed quilibet iudex ordinarius potest auxilium brachij sæcularis implorare, *cap.* 1. *cap. quoniam*, *de officio ordinarij*: igitur & delegatus. Defendunt hanc opinionem innumeri congesti à Barbosa *de Episcop. potest. alleg.* 106. *num.* 39. Moneta *de conseruat. cap.* 8. *num.* 260. D. Iosephus Vela *in dict. cap.* 1. *de officio ordinarij*, *num.* 20. Fermosinus *in cap. cùm non ab homine*, *quæst.* 35. *num.* 5. *de iudiciis.* Nec contrarium probat textus *in cap. vt officium*, §. *compescendi*, *de hæreticis*, *lib.* 6. quo moti Redin. *de Maiestate Principis*, *verbo Non solùm armis*, *num.* 158. Pereyra *de manu Regia*, 2. *part. quæst.* 52. *num.* 13. Marquesanus *de commissionibus* 1. *part. cap.* 5. *num.* 149. existimarunt, iudices delegatos non posse implorare auxilium brachij sæcularis; nam licèt in eo textu Inquisitoribus concedatur vt possint implorare auxilium brachij sæcularis, non ideò aliis delegatis hoc denegatur, nec speciali ratione nititur textus ille: quare aliis iudicibus delegatis idem ius concessum creditur. Ampliatur etiam prædicta doctrina, vt procedat, tam in delegato inferioris, quàm Principis; nam cùm iudex delegatus delegantis personam repræsentet, & eius iurisdictione, & potestate vtatur, atque ex eius persona æstimanda sit iurisdictio, Osualdus *ad Donellum lib.* 17. *cap.* 8. *littera L.* Alciatus *in rubrica de officio eius*, *num.* 25. & iudex ordinarius possit impedientes iurisdictionis suæ vsum punire, *l.* 1 *ff. si quis ius dicenti*, iuncto Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 16. ita delegatus inferioris potest punire impedientes suam iurisdictionem, vt docent in præsenti Decius *num.* 82. Mantua *num.* 52. alij congesti à Menochio *dict. casu* 438. Fragoso *dict. disput.* 11. *num.* 1.

17. TRADVNTVR VARIÆ DECIDENDI RATIONES.

Præsentis decisionis Alexandri III. varias reddunt rationes Interpretes suprà relati. Aliqui existimant, ideò iudices delegatos posse contra impedientes iurisdictionis vsum procedere, quia agentes & consentientes pari pœnâ puniendi sunt ex hoc textu, & suprà traditis. Sed hæc ratio non conuenit præsenti decisioni, nec vt decisiua traditur à nostro Alexandro in præsenti, vt iam suprà dixi: licèt enim verum sit, agentes, & consentientes pari pœnâ puniendos esse, non tamen inde infertur, puniri debere à iudice delegato, cùm possint plecti & coërceri à iudice ordinario. Hac ratione omissâ Glossa in præsenti, *verbo Impedire*, Hostiensis, Ioannes Andreas, & ferè omnes antiquiores, quos sequitur P. Gregor. *lib.* 22. *syntagm. cap.* 12. rationem petunt ex principio textus *in l.* 2. *ff. de iurisdictione*, *cap. præterea* 5. *hoc tit.* & aliis suprà adductis, quibus probatur, concessâ alicui iurisdictione, omnia ad illius vsum, & exercitium concessa præsumi: quare & mandata creditur iurisdictio non solùm in partes sponte comparentes, verùm & in contumaces, & impedientes vsum iurisdictionis. Sed hæc ratio tantùm probat, posse iudicem delegatum procedere contra impedientes iurisdictionem eo casu, quo aliter iurisdictio exerceri non valeat: sed certum est, posse delegatum procedere, & punire non solùm partes contumaces, verùm & alios eorum præceptis non parentes, etiamsi ex eo iurisdictionis vsus non impediatur, vt probant in præsenti Panormit. Beroius, & Mantua: igitur prædicta ratio indistinctè vera non est. His omissis Beroius, & Butrius *in præsenti*, Menochius *de arbitrariis casu* 74. *num.* 38. Petrus Gregor. *lib.* 42. *syntagm. cap.* 4. existimarunt, rationem huius decisionis prouenire ex eo principio, quo docetur, delinquentes ratione delicti sortiri forum ipsius iudicis, in cuius territorio delictum perpetrarunt, *cap. cùm contingat*, *cap. postulasti*, *cap. finali*, *de foro compet. cap.* 1. *de raptorib. l.* 7. §. *finali*, *ff. de accusat.* probant latè Donellus *lib.* 15. *comment. cap.* 18. Carleual. *de iudiciis tom.* 1. *disput.* 2, *quæst.* 1. *sect.* 3. Sed qui aut vocatus non venit, aut iurisdictionem delegati impedit, graue committit delictum, *cap. quatuor* 78. *cap. quisquis* 11. *quæst.* 3. igitur ratione ipsius delicti impedientes iurisdictionem possunt puniri ab ipso iudice delegato. Sed adhuc hæc ratio nostris antecessoribus non placuit, & meritò; nam licèt principium illud verum sit, videlicet delinquentem sortiri forum ratione delicti, procedit, & habet locum in foro iudicis ordinarij,

vbi

vbi iudex habet territorium : sed iudex delegatus non habet territorium, *l. vlt. Cod. vbi, & apud quem*, vbi Bart. *num.* 11. Barbosa *in l. cùm Prætor, in principio, num.* 11. *ff. de iudiciis*; & sic non potest forum sortiri coram eo.

18. ASSIGNATVR VERA RATIO.

Ex suprà dictis eruenda est ratio nostræ conclusionis; cum enim delegatus contra partes in delegatione comprehensas, aut impedientes vsum iurisdictionis procedit, id ex tacita delegantis voluntate facit; potest enim delegatus omnia ea facere, quæ ad commodiorem, & feliciorem vsum iurisdictionis desiderantur; vnde delegatus absoluit actorem ab alio excommunicatum, si iudex, qui eum excommunicauit, non absoluat, vt possit comparere in iudicio, *cap. prudentiam* 21. §. *sexta, hoc tit.* absoluit etiam testes, vt coram se testimonium dicant, *cap. veniens* 38. *de testibus*, & ipsos falsum testimonium dicentes plectit, vt pro interpretatione legis *nulla, Cod. de testibus*, notauerunt Couar. *practic. cap.* 18. *num.* 8. Fachineus *lib.* 9. *controu. cap.* 70. quod & in pedaneis iudicibus probat Græca constitutio, quam ex Basilicis restituit Cuiacius *lib.* 13. *obseru. cap.* 38. etiam delegatus cogit subdelegatum suscipere, & acceptare iurisdictionem, *cap. pastoralis* 28. *in principio, hoc tit.* item compellit arbitros in causas recusationis, seu electos in vnam sententiam conuenire, *cap. suspicionis* 39. *hoc tit.* cogit similiter iudicem ordinarium, vt exequatur sententiam à se prolatam, *cap. significasti* 7. *hoc tit.* Quæ omnia delegatus facere potest ad faciliorem expeditionem iurisdictionis sibi commissæ, & ne illusoria reddatur Principis delegatio, vt constat *ex cap. in litteris, hoc tit.* in illis verbis : *Cùm huiusmodi demandata iurisdictio deluforia videatur, si delegatus huiusmodi coërcitionem aliquam non haberet; hoc tit. c. bonæ* 4. *de postulat. Prælat. l. si Prætor* 77. *ff. de iudiciis, l. fin. ff. ne quid in loco :* vnde ne illusorium reddatur huiusmodi delegationis rescriptum, deciditur in hoc textu, posse delegatum reos contumaces, & alios impedientes vsum iurisdictionis punire, & debitis pœnis eorum contumaciam compescere.

19. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant difficultates suprà adductæ. Non prima, pro cuius solutione illa iuris quæstio examinanda est, vtrum videlicet iudex delegatus, qui potest impedientes vsum iurisdictionis coërcere, possit etiam illis mulctam dicere? Negant citati in ratione dubitandi, & P. Barb. *l.* 2. §. *final. ff. de iudiciis, num.* 64. moti eo fundamento, quia illi tantùm mulctam dicere possunt, qui iure publico iudicium exercent, *l.* 1. §. *vlt. ff. de iudiciis*, aut illi, quibus iudicatio data est, *l. aliud* 131. §. 1. *ff. de v. s.* Quæ omnia tantùm conueniunt ordinariis Magistratibus. Cuiacius *in dict. l. aliud :* igitur delegati mulctam dicere non possunt. Sed contrariam sententiam, immò delegatos Principis saltem multam dicere posse, defendunt Alciatus *in dict. l. aliud*, §. 1. *num.* 10. Valascus, & alij relati à Barbosa *in dict. l.* 2. §. *final. num.* 91. tum quia delegati in causa sibi commissa maiores sunt quocumque ordinario, *cap. sanè* 11. *hoc tit.* igitur sicut ordinarius Magistratus mulctam dicere potest, ita etiam delegatus dicere valet; tum propter generalem decisionem textus *in cap. pastoralis*, 28. §. *vlt.* vbi notauit Glossa *verbo Puniat, hoc tit.* Alij mediam viam elegerunt, existimantes iure ciuili verum esse, delegatos non habere ius dicendi mulctam præterquam in officialem sibi subditum, qui in officio deliquit; iure autem canonico delegato competere ius dicendi mulctam : docent Castrensis, & Decius *in dict. l.* 2. §. 1. *de iudiciis*. In hoc Interpretum dissidio vt veram sententiam proponamus, sciendum est, mulctam esse quandam pœnam pecuniariam, Sabinâ voce ita dictam, vt docent Varro *lib.* 4. *de lingua Latina*, & *lib.* 19. *de re rustica*, Aulus Gellius *lib.* 11. *noctium, cap.* 1. & ex eis notauit Goueanus *in l.* 2. *ff. de iurisd.* Licèt enim Romæ antequam signaretur, cuderetur que moneta, in pecoribus delicta perpetrantes mulctarentur, duabus videlicet ouibus in delictis leuioribus; in grauioribus verò triginta, nec vltra excedere iudici permitteretur, Festus Pompeius *verbo Multa*, Plinius *lib.* 18. *historia, cap.* 3. ex eis, & aliis docent Petrus Gregorius *lib.* 31. *syntagm. cap.* 3. Barbosa *dict. l.* 2. *num.* 83. Brissonius *lib.* 1. *select. cap.* 34. postquam tamen pecunia cudi cœpit, prædicta pecudum mulcta ita æstimata fuit, vt singulæ oues denis assibus; boues verò centum æstimarentur; quâ æstimatione factâ delinquentes mulctabantur in pecunia; ita tamen, vt mulcta non excederet quantitatem trium millium, & viginti assium, vt ex Petro Crinito *lib.* 25. *de honesta disciplina*, docent Brissonius *dict. cap.* 34. Bodinus *lib.* 3. *de repub. cap.* 3. quæ æstimatio iuxta probabiliorem sententiam, quam docet Brissonius *vbi suprà*, facta fuit lege Tarpeia, postquam mulcta pœna pecuniaria esse cœpit; vnde Consultus *in dict. l. aliud*, §. 1. ait, mulctam hodie esse pœnam pecuniariam. Nouiori iure hæc potestas mulctandi extensa fuit ad maiorem quantitatem, *l. final. Cod. de modo mulctarum, l. certa ratione* 5. *Cod. quando prouocare:* illis tamen differentiis adhuc obseruatis inter pœnam & multam. Prima, pœna ignominiam affert, *l. non potest* 63. *ff. de furtis, l. Diuus, ff. de iniuriis*; mulcta damnum famæ non irrogat, *l.* 1. *Cod. de modo multarum* : secundò, pœna fisco adiicitur, aut in publico infertur, *l. penult. Cod. eod. tit.* Molina *de primog. cap.* 25. *num.* 20. pœna verò pecuniaria aduersario, aut eius hæredi adiudicatur, *l. omnes* 26. *l. constit.* 33. *de O. & A. l. vlt. ff. de furtis:* pœna à lege diffinita mutari non potest, *l. seruos, in fine, Cod. ad legem Iuliam de vi, cap. de causis* 4. §. 1. vbi plura dicemus, *hoc tit.* multa ex arbitrio iudicantis pendet, *l. si qua* 244. *ff. de V. S.* à pœna prouocatio non datur : à mulcta appellare licet, *dict. l. si qua*, vbi notant Gentilis, & Fornerius.

20. QVI MVLTAM DICERE POSSVNT.

Deinde obseruandum est, quod licèt primis Reipublicæ Romanæ temporibus sine iussu populi non liceret Magistratibus mulctam dicere, Cicero *lib.* 3. *de legibus*, in illis verbis : *Magistratus inobedientem ciuem multâ, verberibus, vinculis ne coërceto, ni par, maiorve potestas prohibuisset, ad quos prouocatio esto; cùm Magistratus iudicasset, irrogasseve per populum, multæ certatio esto.* Postea tamen multæ dicendæ potestas Consulibus data fuit, vt docet Cuiacius *in d. l. aliud*, §. 1. Prætoribus, *l.* 2. *ff. si quis in ius vocatus, l.* 1. §. 1. *de ventre*, Ædilibus, & aliis Magistratibus Romanis : Dionysius Halicarn. *lib.* 10. Procuratori Cæsaris adempta fuit talis potestas, *l.* 2. *Cod. de modo multarum*, plura Pantoja *in l.* 1. *pag.* 5. *de aleatoribus :* & Duumviris, vt contra Cuiacium defendit Gentilis *lib.* 1. *de iurisd. cap.* 7. Etiam iure nostro canonico iudicibus ordinariis competit ius mulctæ dicendæ, *cap. si vos* 23. *quæst.* 5. *cap. dilectus* 18. *de officio Ordinarij, cap. in Archiep. de raptoribus, c. olim, de iniuriis.* Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 3. dum tamen in proprios vsus non conuertant, *cap. irrefragibili* 13. §. *vlt. de officio Ordinarij, cap. licèt* 3. *de pœnis*, Fi-

lesacus

lesacus *in cap.* 1. §. 8. *de officio Ordinarij.* Tandem etiam delegati iudices mulctam dicere possunt, nam cùm hæc potestas Magistratibus iure Magistratus ob mixtum imperium competat, delegati, in quos transeunt omnia, quæ iure Magistratus ordinariis iudicibus competunt, mulctam dicere poterunt, vt contumaces, aut impedientes vsum iurisdictionis coërceant, vt defendit Menochius *de arbitrit. casu* 348. *n.*24. Quod etiam iure ciuili procedit, obsoletis iam illis legibus antiquis.

21. PROSEQVITVR EADEM SOLVTIO.

Nec obstat secunda difficultas; nam licèt verum sit, iurisdictionem delegatam, vtpote odiosam, strictè esse interpretandam, nec prorogandam de persona ad personam; tamen in præsenti specie, non virtute prorogationis delegatus procedit contra impedientes vsum iurisdictionis, sed ex tacita delegatione, ob rationem suprà adductam. Nec tertia difficultas aduersatur; nam licèt iuxta suprà tradita, ex tacita delegatione delegatis competat iurisdictio in impedientes iurisdictionis vsum, & frequenter adiiciatur in litteris delegationis clausula illa: *Contradictores ecclesiasticâ censurâ coërcendo*, vt tollatur omne dubium, quod dari poterat, vt docet Vela *in cap.* 1. *de officio Ordinarij*, 2. *part. num.* 231. licèt quæ tacitè insunt, si exprimantur, nihil operentur, *cap. ex parte*, *cap. mandatum*, *de rescriptis*, *cap. significasti* 4. *de elect. l. hæc verba*, *ff. de legatis* 1. tamen nouum non est, vt impetretur quod tacitè venit, & iure communi conceditur, *cap. in causis* 7. §. *licèt*, *de procurat.* Docent Rebuffus *ad leges Gallia*, *tit. de restit. art.* 1. *glossa* 1. *n.* 12. Amescua *de potest. in seipsum lib.* 2. *c.* 23. *n.* 6. Nec tandem vltima difficultas refragatur, pro cuius solutione discrimen est constituendum inter eum casum, in quo iniuria est irrogata iudici, tanquam Magistratui, & publicâ auctoritate fungenti; & inter eum, in quo iudici iniuria irrogatur tanquam priuato. Primo casu certum est, iudicem posse vindicare iniuriam sibi irrogatam, *c. Guilisarius* 23. *q.* 4. *c. tua*, *vt lite non contestata*, *l.* 2. *ff. si quis in ius vocatus.* Quo casu procedunt textus *in cap. si quis ab ea* 2. *quæst.* 7. *c. venerabilem* 34. §. *eos*, *de elect. cap. Romana*, *de pœnis lib.* 6. *Clement.* 1. *de foro compet.* & præsens textus; quia tale delictum respicit publicam auctoritatem, cùm commissum sit circa vsum iurisdictionis: secundo verò casu, cùm lædatur tantùm priuata persona, non ipse iudex, sed eius superior est adeundus, ne vnus, idemque accusatoris, & iudicis officium sustineat, *cap.* 1. 4. *quæst.* 4. & ne quis in propria causa ius sibi dicat, contra textus *in l. qui iurisdictioni* 15. *ff. de iurisd. l. Iulianus* 17. *ff. de iudiciis*, *l. penult. ff. de receptis*, *l. vnica*, *Cod. ne quis in sua causa.* Quo casu procedunt textus *in cap. inter querelas* 27. 23. *quæst.* 4. iuncto Archidiacono *ibi*, *cap. irrefragabili*, §. *cæterùm*, *de officio Ordin.* vbi pro delicto commisso in contemptum Episcopi Metropolitanus procedit, *cap. dilectus*, *de pœnis*, qui loquitur in iudice delegato, vt ex eius integra constat. Docent, & latè prosequuntur hoc discrimen Narbona *in l.* 20. *glossa* 18. *tit.* 4. *lib.* 1. *recopil.* Petrus Gregor. *lib.* 4. *partit. tit.* 9. *cap.* 8. Guazinus *in defens. reorum*, *defens.* 1. *cap.* 18.

22. EXPONITVR CAP. QVISQVIS 2. 9. 6.

Primò superiori assertioni opponitur textus *in cap. quisquis* 29. 2. *quæst.* 6. vbi *in can.* 24. *Concilij Meluit.* statuitur, vt si iudicibus delegatis partes parêre noluerint, det litteras primæ Sedis Episcopus, id est Primas, *cap. prima Sedis* 3. 99. *dist.* vt nullus illis communicet, donec obediant; quæ pœna, seu communionis priuatio, frequens erat illis primis Ecclesiæ sæculis, *cap. placuit*, *cap. si Episcopus*, *cap. si quis Episcopus*, 18. *dist. cap. vlt.* 58. *dist. cap. in loco* 5. *quæst.* 4. *cap. Episcopi* 11. *quæst.* 3. *cap. vlt.* 6. *quæstion.* 2. notarunt Suarez *de censuris disput.* 24. *sect.* 1. *num.* 2. Morinus *lib.* 2. *exercit. cap.* 18. Ex quo canone expressè constat, iudices delegatos non posse partes contumaces coërcere, sed ad Primatem delegantem esse recurrendum: igitur quia delegati non habent potestatem coërcendi contumaces. Difficultatem agnouerunt Turriscremata, & Archid. *ibi*, qui affirmant, in eo textu iudices delegatos causam ad Primates retulisse, quia sciebant partes nullo modo velle obtemperare suis mandatis; quare ne excommunicatione inflictâ, & neglectâ scandalum oriretur, auxilium Primatis imploraſſe. Alij existimarunt, PP. Concilij in eo canone non negare, iudices etiam delegatos posse contumaces coërcere virtute delegationis, & ipsum etiam Primatem, tanquam ordinarium, posse partes communione priuare. Tandem alij textum ipsum accipiunt de arbitris, seu iudicibus datis. Quibus solutionibus omissis dicendum est, *in dict. cap. quisquis*, non agi de iudicibus delegatis, vt existimauit Glossa; sed de iudicibus electis, & electitiis, ex consensu partium susceptis, de quibus *in cap. à iudicibus*, *cap. sanè* 2. *quæst.* 6. *cap. sanè*, *de foro compet. cap.* 1. *de arbitris*, & aliis relatis ab Antonio August. *in epit. iuris lib.* 29. *tit.* 19. Ciron. *ad titulum de officio ordin.* & *lib.* 2. *obseruat. cap.* 2. isti enim iudices cùm lis vertebatur inter duos Episcopos, dabantur à Primate ex ipsorum consensu, qui non habebant iurisdictionem propriam, aut delegatam, sed tantùm ex consensu partium: quare in eos excommunicationem proferre non poterant. Quæ solutio suadetur ex integra ipsius canonis, vbi in principio agitur de illis Episcopis, qui negligunt curam Ecclesiarum ad suam Cathedram pertinentium, iubenturque, vt similia facere non audeant, & si per sex menses neglexerint, qui potuerint eas Ecclesias lucrari, accipiant. Hæc pars reperitur *in cap. placuit* 15. 5. *quæst.* 3. de cuius conciliatione cum capite 1. *de præscript.* videndi sunt Cuiacius *in eo textu*, Germonius *lib.* 1. *animadu. cap. vlt.* Ampliùs statuerunt Patres, vt si Episcopi sint diuersarum parochiarum, ille Primas det iudices, in cuius prouincia est locus, de quo contenditur, & vt à sententia illorum non appelletur. Hæc pars extat *in cap. à iudicibus* 2. *quæst.* 6. & statim sequuntur verba relata *in dict. cap. quia:* ex quibus omnibus deducitur, agi de prædictis iudicibus electis, non verò de delegatis.

23. INTELLIGITVR L. VNICA, FF. SI QVIS IVS DICENTI.

Secundò aduersatur textus *in l. vnica*, *ff. si quis ius dicenti non obtemp.* in illis verbis: *Omnibus Magistratibus*, *non Duumviris*, *secundum ius potestatis suæ concessum est iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio.* Ex quibus expressè depromitur, non omnibus, quibus mandatur, seu committitur iurisdictio, concedi eo ipso iurisdictionem, seu facultatem animaduertendi in contumaces, & impedientes iurisdictionis vsum. Huius textus difficultas subtiliorum Interpretum ingenia torsit; quare aliqui emendandam litteram iudicarunt, & loco illorum verborum, *non tamen*, legendum esse, *non tantùm*: ita Glossa, & antiquiores *ibi*. Sed eos refellunt Ant. Aug. *lib.* 3. *emend. c.* 6. *in fine*, Gentilis *lib.* 1. *de iurisd. c.* 7. Alij existimant, Duumviros non posse pœnali iudicio defendere iurisdictionem, quia eam non habebant: ita docent Carol.

Sigonius *de antiquo iure Rom. cap.*18. Alex. ab Alex. *lib.*3. *dierum*, *cap.*16. Bodinus *lib.*1. *de repub. cap.*6. *num.*54. Gentilis *lib.*2. *de iurisd. cap.*2. Duarenus *de iurisd. cap.* 4. Sed prorsus contrarium, immò iurisdictionem ipsos habere, probatur *ex dict. l.vnica*, ibi: *Iurisdictionem suam*; & *ex l.incola* 29. *ff. ad municip. l.magistratus* 12. *ff. de iurisd. l.*1. *Cod. de mancip. liber.* Vnde eos habuisse tribunal, deducitur *ex l. die* 4. §.*duas*, *iuncto* §. *hoc autem*, *ff.de damno infecto*, *l.*1. *ff.de albo scrib.* & quia affine erat, & coniunctum ius dicere iurisdictioni, ideò illos iudicare vsque ad certam quantitatem posse, docetur *in l.inter* 28. *ff.ad municip.* Paul. *lib.*5. *sentent. tit.*5. *in princip.* quod ex antiqua quadam inscriptione probat D.Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. cap.*2. *sect.*5. *num.*42. Alij tandem existimant, iurisdictionem habere, non autem mixtum imperium, quod in modica coërcitione consistit, & sic pœnali iudicio eam defendere non posse. Ita Merillus *lib.*2. *obseru. cap.*15. vbi ex hoc textu intendit probare, dari iurisdictionem sine vllo imperio. Sed hæc solutio facilè conuincitur ex eo, quia Duumviri mixtum etiam imperium habebant, *dict. l. ea quæ* 26. §. 1. potèrant enim sententiam suam exequi pignoribus captis, *l. quemadmodum* 27. §. *magistratus* 7. *ff. ad leg. Aquil.* & in seruos omnibus modis animaduertere, *l.magistratibus* 12. *l.si priuatus* 17. §.1. *ff.qui & à quibus*, *l si quis vxori* 52. §.*si fugitiuum* 12. *ff.de furtis*; mulctam dicere, Cuiacius *in dict. l.aliud* 131. immò ad flagellorum pœnam peruenire poterant, *l.item* 15. §.*vnde* 39. *ff.de iniuriis*: igitur quia mixtum imperium obtinebant. Tandem Anton. Faber *in dict. l. vnica*, existimat, quod licèt Duumviri iurisdictionem cum mixto imperio obtinerent, non tamen amplam eos coërcitionem habere, vt alij Magistratus, sed tantùm limitatam, & sic pœnali iudicio defendere non posse. Nec nouum est, vt certis pœnis possint iudices imperium exercere, non autem aliis, vt *in cap. dilecta, de maiorit. & obed. cap. cùm contingat* 13. *de foro compet.*

24. TRADITVR VERA SOLVTIO.

His tamen omissis solutionibus dicendum est, Duumviros esse Magistratus municipales in municipiis existentes, in quibus quia aliquando quatuor erant, Quatuorviri etiam dicebantur, vt constat ex epigraphe textus *in l.*1. *de solutione deb. ciuit. lib.*12. & ex quadam inscriptione relata à Roderico Caro *lib.*1. *antiquit. Hispal. c.*20. *pag.*17. Duumviri eligebantur ex ordine Decurionum, *l.licèt* 3. §.*vlt. ff.de peculio*, *l.honores* 7. §. *is qui*, *de Decurion.* à Præside confirmabantur, *l.si quos* 59. *Cod. eod. tit. lib.*10. quorum dignitas magna erat; quare Principes Reipublicæ appellantur *in l. spadonem* 15. §.*si ciuitatis*, *ff. de excusat. tutor.* durabat ea per annum, *l. qui ergo*, *ff.ad municip. l. ad Magistratus* 18. *ff. de Decurion.* Concilium Illiber. *can.*56. *Magistratum eo anno, quo agit Duumviratum.* De cuius expositione post Mendozam *ibi*, nos latè egimus. Hodie apud nos possunt comparari iudicibus, quos dicimus, *Alcaldes ordinarios*: diuersi erant à defensoribus ciuitatum, qui hodie appellantur *Sesmeros.* Illi enim eligebantur à Præside, *l.* 2. *Cod. de defensorib. ciuit.* Donellus *lib.*17. *comment. cap.*8. vbi Osualdus *littera X*, Cuiacius *lib.*3. *obseru. cap.* 14. habebant iurisdictionem, & mixtum imperium: vices Consulum in municipiis gerebant, & sic pro consulibus accipiuntur *in l.quidam* 30. *ff. de acquir. hæredit.* Nec tunc obstat dicta lex vnica, *ff. si quis ius dicenti*; nam illa verba, *pœnali iudicio*, accipienda sunt pro actione pœnali, quam dictare Magistratus municipales non poterunt; id enim proprium erat Magistratuum populi Romani, *l.*2. §.*demùm*, *ff. de origine iuris*, *l.cùm Prætor* 12. §.1. *ff. de iudiciis.* Nec nouum est, vt iudicium accipiatur pro actione, *l.*1. *ff. de his qui deiecerunt*, *l.*3. *ff.de sepulchro violato*, & in eo textu ita accipit Cuiacius *ibi*: quare licèt eo modo non possint iurisdictionem defendere, aliis tamen modis posse non negatur. Docet Præceptor D.Franciscus Ramos relatus à D.Ioanne Suarez *ad leg. Aquil. vbi suprà.*

Tertiò obstat textus *in l.*3. §.1. *ff.ne quis eum qui in ius vocatus est*, vbi asseritur, eximentem, seu extrahentem reum ad iudicem pedaneum vocatum, pœnâ illius edicti non teneri. Quem textum ita expendo: Pedanei iudices similes sunt iudicibus delegatis, vt censet Anianus *ad Paulum lib.*5. *sentent. tit.*38. & pedanei sunt iudices, quibus mandata est iurisdictio, vt docet Charondas *de iurisd. num.*4. qui adducit legem *si quis* 38. §. *iudices*, *de pœnis*: sed pedanei non possunt coërcere impedientes suam iurisdictionem, nec eximentes in ius vocatos pœnâ illius edicti: igitur nec delegati in eos animaduertere valent. Tota huius textus difficultas consistit in vera cognitione iudicum pedaneorum. Et sciendum est, iudices pedaneos eos dici, qui tribunal ascendere non poterant, immò in subselliis imis ad pedes Prætoris sedebant. Budeus *in l.vlt.* §.*iudicandi*, *ff.de muneribus & honorib.* Cuiacius *in nouella* 82. Gentilis *lib.*2. *de iurisdict.cap.*8. Osualdus *lib.*17. *Donelli*, *cap.*2. *littera I.* Eorum iudicum duplex genus erat. Primum eorum, qui pedanei iudices dicebantur, Magistratus inferiores, qui non habebant tribunal, vt tribuni plebis, & alij. Osualdus *vbi suprà*: isti neque in ius vocationem, neque apprehensionem habebant, vt tradit Aulus Gellius *lib.*3. *noctium, cap.* 20. Secundum genus eorum erat, qui in quinque decurias selecti, admissique erant ad munus iudicandi, qui iudices dati, & pedanei dicebantur, quia ad pedes Prætoris sedebant, de quibus *in l.*3. §.1. *l.*4. *ff. de tutor. l.si quis* 38. §. *iudices*, *ff.de pœnis*, *l.*1. §.*item*, *ff. depositi*, *l.sancimus*, 15. *Cod. de iudiciis*, isti iurisdictionem non habebant, sed tantùm notionem, *l.ait Prætor* 5. *ff.de re iudicata*, *l.penult. ff.de confessis*: vnde cùm edictum, *ne quis eum*, propositum esset contra eos, qui in ius vocatos vi eripuerunt, *l.* 1. *ff. eod. tit.* ius autem accipiatur pro tribunali, *l. ius* 11. *ff. de iustitia & iure*: inde eximentes vocatos à pedaneis iudicibus, non tenentur eo edicto, quia pedanei neque vocare in ius, seu tribunal poterant. Docent Eguinarius Varo, & Faber *in eo textu*, Osualdus *ad Donel. lib.*23. *comment. cap.*2. *littera L*, quæ solutio probatur eo principio: nam damnati calumniæ causâ in iure, id est coram Prætore pro tribunali sedente, postulare nequeunt, *l.*1. §.*ait Prætor*, *ff.de postul.* & tamen vt non possint coram pedaneo iudice postulare, SC. speciali opus fuit, *dict. l.*1. §.*item*, vbi Faber notauit: igitur quia idem non est coram iudice pedaneo postulare, ac coram Prætore.

25. EXPONITVR L.3 §.1. FF. NE QVIS EVM.

Eodem modo, & de eisdem iudicibus datis exaudiendus est Iustinianus *in nouella* 53. *cap.* 4. in illis verbis: *Si verò non administrat (id est Magistratus non est) sed datus sit à quodam iudice, siue ex sacra forma, aut iussione, aut etiam ab aliquo administratore, ad illum renunciare,*

26. EXPLICATVR NOVELLA 53. CAP.4.

renunciare, à quo datus eſt, vt deducatur ab illo, ne cauſa maneat vndique deſolata. Ex quibus expreſsè conſtat, quod ſi reus, poſtquam iuramento promiſit iudicio ſiſti, non ſteterit, ſed à ciuitate aufugerit, tunc datus iudex non poteſt eum citare, aut contumacem punire; ſed ad ſuperiorem, qui eum iudicem deſignauit, referat: igitur delegatus contumacem punire non poteſt. Ab hac difficultate facilè expediri poſſunt, qui amplectuntur quorundam opinionem, exiſtimantium, tantùm delegatum Principis poſſe citare per edicta, quia huiuſmodi citatio eſt nimis odioſa, & exorbitans à iure communi. Ita docuerunt Vantius *de nullitatibus ex defectu citationis*, *num.*125. Scaccia *de iudiciis lib.*1. *cap.* 34. *n.*3. & alij relati ad Oſualdo *lib.* 23. *comment. cap.* 2. *littera H*, quorum ſententia in edictis affigendis vera eſt, & probatur ex authentico *Qui ſemel*, *Cod. quomodo & quando*; non autem in citatione, quæ fit per ſcripturam, quæ omnibus delegatis permittitur. Hac ergo ſententiâ omiſsâ, quæ verbis relatis neque congruit, neque adaptatur, dicendum eſt, *in dict. cap.*4. agi de iudice pedaneo, qui cauſæ tantùm notionem, non verò iuriſdictionem habeat, qui cùm inſeruiat formulæ ei præſcriptæ, *l. cum fideicommiſſis* 7. *ff. de confeſſis*; docent Polletus *lib.*3. *hiſtoriæ fori*, *cap.* 15. Goueanus *in l. de iuriſd. num.*3. Morla *in emporio*, *tit. de iuriſd. num.*83. Duarenus *ad tit. de iudiciis*, *cap. de iudicibus datis*, & *lib.*1. *diſput. cap.*53. Reuardus *pro Tribun. cap.*11. inde tales pedanei iudices dati ad cauſæ diſceptationem non poterant reos abſentes requirere, & punire, cùm talis iuriſdictio mandata non eſſet: permittebatur autem prædictis iudicibus teſtes humilioris conditionis quæſtioni ſubiicere, *nouella* 90. *Iuſtiniani*, vbi Cuiacius notauit.

27. INTELLIGITVR L. PROPERANDVM, C. DE IVDICIIS.

Quartò aduerſatur ſuperiori aſſertioni textus *in l. properandum* 14. *§. ſic autem* 3. in illis verbis: *Siue per relationem ad maiorem iudicem hoc referatur.* Ex quibus deducitur, Magiſtratibus minoribus (quales ſunt iudices delegati, *l.* 2. *Cod. de pedaneis*,) non licere impedimentum iuriſdictionis ſuæ remouere, ſed potiùs cauſam referendam eſſe ad ſuperiorem: igitur delegatus non poteſt impedientes coërcere, aut tollere impedimenta ſuæ iuriſdictionis. Cui difficultati reſpondendum eſt, Iuſtinianum in eo textu non agere de iudice delegato, ſed de ordinario; & quia quilibet iudex, ſiue ordinarius, ſiue delegatus, non poteſt exequi ſententiam ſuam extra territorium, quia extra illud ius dicenti impunè non paretur, *l. final. ff. de iuriſdictione*, Couar. *lib.*3. *variar. cap. vlt. n.*8. quia in alieno territorio nulla iuriſdictio eſt, *l. argentarium* 45. *§.*1. *ff. de iudiciis*, *l. cùm vna* 12. *§.*1. *ff. de rebus authorit. iud.* debet iudex ſententiam proferens litteras ſuas mittere, vulgò *requiſitorias*, ad iudicem loci, vbi ſententia exequenda eſt, ſiue æqualis, ſiue maior, minorve ſit, vt ſententiam ipſe exequatur, *l. à Diuo Pio* 15. *in princip. &* §.1. vbi Gothofredus *littera B*, Oſualdus *lib.*27. *Donelli*, *cap.*3. *littera S.* Parexa *de inſtrum. edit. part.*1. *tit.*1. *reſol.*8. & nos plura de his litteris adducemus *in cap. poſtulaſti* 14. *de foro compet.* vnde quia *in dict. §. ſin autem*, bona, in quorum poſſeſſionem mittendus erat actor, exiſtebant in alieno territorio, iubet iuſtinianus, vt ſi iudex non poteſt pro ſua iuriſdictione ſententiam exequi, referat cauſam ad ſuperiorem, & maiores Magiſtratus, vt per eos actor mittatur in poſſeſſionem. Ita illum textum expoſuerunt Caſtrenſis *ibi*, *num.*4. Iaſon *num.*2. Menochius *de arbitr. lib.*1. *quæſt.*74. *num.*29. Carleual *de iudiciis diſput.*2. *num.*17.

28. OPPONITVR CAP. 1. DE TESTIBVS COGENDIS.

Adhuc ſuprà traditæ aſſertioni obſtat textus *in cap.*1. *de teſtibus cogendis*, vbi cùm certa cauſa matrimonialis eſſet delegata, & teſtes odio, vel gratiâ ſe ſubtraherent à teſtimonio perhibendo, non ipſi iudices delegati cogunt eos teſtimonium dicere, ſed iudex ordinarius, cui reſcribit Pontifex, vt ipſos compellat coram delegatis teſtimonium dicere: ergo quia iudex delegatus non poteſt per ſe omnia obire, quæ neceſſaria ſunt ad cauſæ delegatæ expeditionem. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, in ſpecie textus *in dict. cap.*1. non ideò Pontificem reſcripſiſſe iudici ordinario, vt cogeret teſtes teſtimonium dicere, quia delegati id facere nequibant; ſed potiùs, quia in illis partibus magis timebatur iuriſdictio ordinaria, & faciliùs compelli poterant teſtes teſtimonium perhibere per iudicem ordinarium, quàm per delegatum, vt in eo textu docuit Præceptor Hontiberos *num.*25.

CAPVT II.

Idem [a] *Bonon. Epiſcopo.*

[b] SAnè ſi à nobis ſuper aliqua cauſa litteræ impetrantur, & aliæ poſtea (non factâ mentione priorum literarum,) litteræ opponuntur, ſi iudicibus innotuerit, donec Romanum Pontificem conſulant, & ſuam exinde cognoſcant pleniùs voluntatem, [c] executioni ſuperſedeant vtrarumque, ne pro varietate litterarum, cauſarum fines valeant impediri.

NOTÆ.

1. a *Bononienſi.*] Ita legitur in hac ſexta compilatione; in prima autem, *ſub hoc tit. cap.*3. ſcribitur, *Eboracenſi Epiſcopo*; ſed perperam in vtraque: Eboracenſis enim Eccleſia eſt Metropolis Angliæ, vt probaui *in cap. inter, de reſcriptis.* Legendum ergo eſt: *Eborac. Archiepiſcopo*, vt legitur poſt Concilium Lateran. ſub Alexandro *part.*7. *c.*3. & *part.*41. *cap.*7. Quæ correctio ſuadetur ex eo, quia in dicta prima collectione, dum huius textus verba compilantur, refertur in epigraphe, textum hunc eſſe partem capitis *inter cætera*, hoc eſt (ita exiſtimo) capitis *inter cætera*, *de reſcriptis*; capitis *inter cætera*, *de re iudicata*: quæ deciſiones auctorem præſeferunt Alex. III. in epiſtola miſſa Eboracenſi Archiepiſcopo: igitur præſens deciſio, vt earum pars, eidem Archiepiſcopo miſſa fuit.

b *Sanè.*] In priori enim parte huius textus quæſtio deciſa fuit, quæ reperitur *in dicto c. inter cætera.*

2. c *Executioni.*] Ex hoc verbo varia deducunt classici repetentes in præsenti. Hostiensis *num.*1. Ioannes Andreas *num.*4. Imola *num.*1. Antonius *num.*3. *&* 5. Panormit. *num.*1. Felinus *num.*2. existimant executionem hîc accipi pro causæ cognitione, per quam peruenitur ad sententiam, vt *in cap. significasti, cum sequenti, hoc tit.* etiam Decius *dict.num.*7. Anton. *dict.num.*5. docent omnes iudices delegatos rectè appellari executores, quia ius partium exequuntur, vt *in cap. si quis contra* 4. *de foro compet.* Felinus etiam *num.*2. Decius *num.*8. notant, omnem causæ cognitionem lato modo dici executionem, quia delegati, de quibus in hoc textu, nondum cœperant in causa procedere, & tamen dicitur eos in executione supersedere. Rectiùs tamen in præsenti probant Imola *num.*1. Anton. *num.*3. quemlibet executorem appellari iudicem delegatum, quatenus exequitur ius partis, & ad finem perducit, argumento textus *in cap. pastoralis* 28. §. *quia verò, hoc tit. cap. si quis contra* 4. *de foro competenti.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO RETERTVR. EX præsenti decisione sequentem deducunt Interpretes disputandam assertionem. *Si diuersæ litteræ, seu contrariæ, sub eadem data impetrentur, in vtriusque rescripti executione supersedendum est, donec R. Pontifex consulatur.* Consonant ex iure nostro Regio textus *in l.*36. *tit.*18. *part.*3. Illustrant eam vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Anguianus *lib.*1. *de legibus, controu.*4. Acuña *in cap.*2. 94. *dist.* Basilius *de matrim lib.*3. *cap.*17. §.2. *num.*14. Arellanus *lib.*1. *antinom. cap.*1.

4. IMPVGNATVR PRÆDICTA ASSERTIO. Sed hæc assertio vt contraria iuris principiis, sustineri non valet; nam rescripta, de quibus in præsenti agitur, adeò ambigua, & incerta erant in data, vt nullo modo cognosci posset, quod prius, aut posterius impetratum esset: sed tunc neutrum debet valere, cùm incertitudo omnes vitiet humanos actus, vt tutelam, *l.duo sunt* 30. *ff. de testam. tutela, l.tutor* 20. *Cod. eod. tit.* hæredis institutionem, *l.quoties* 9. §. *si quis nomen, l. in tempus* 62. §. *quotiens, ff. de hær. lib. instituend.* legata non solùm ratione personarum incerta, §. *incertis, Instit. de legat. l.*3. §. *si quis duobus, ff. de adimendis legatis, l. si ita fuerit* 11. *l. si quis pluribus* 18. *ff. de rebus dubiis, l. cùm ex pluribus* 31. *ff. de manumiss. testam. l.*9. *tit.*9. *partit.*6. sed etiam incerta ratione rei legatæ, *l. si dominus* 71. *ff. de legat.*3. & tandem omnem testamentariam dispositionem incertam vitiari, probant textus *in l.* 2. *ff. de his quæ pro non scriptis*; possessionis apprehensionem, *l. triticum* 94. *l. ita stipulatus* 115. *de V.O. l.*3. §. *incertam, ff. de acquir. possess.* salarij pollicitationem, *l. mutua* 56. §. *salarium, ff. mandati, l. salarium* 17. *Cod. eod. tit.* suffragia eligentium, *cap.*2. *de elect. in* 6. tandemque ipsa rescripta, *cap. ad hæc* 10. *de rescriptis:* igitur rescripta in hoc textu nullius sunt momenti. Secundò etiam aduersus hanc decisionem insurgi potest ex eo, quia in rescriptis non tempus datæ, sed præsentationis attenditur, *cap. vt debitus* 39. *de appell.* sed in hoc textu constabat de præsentatione, vt patet ex illis verbis: *Et alia postea, non facta mentione prioris opponuntur:* igitur prætextu ambiguitatis & incertitudinis necesse non erat R. Pontificem consulere.

5. RATIO DECIDENDI. Adhuc vt iuri consona, & rationi consentanea defendenda est Alexandri decisio, cuius ratio redditur ab ipso Alexandro in calce textus, ibi: *Ne pro varietate litterarum, causarum finis valeat impediri.* Iuris enim vtriusque magna cura fuit, ne lites immortales fierent, sed celeriter finirentur, & partes diutiùs non vexarentur, *cap. finem, de dolo & contumacia, cap.*2. *de re iudicata, l. properandum, C. de iudiciis:* sed si iudices delegati variis litteris sub diuersa forma impetratis procederent, lites fierent immortales, propter ipsarum litterarum ambiguitatem: igitur æquius est, in causæ executione supersedere, quàm cum graui temporis dispendio in causa procedere. Et quia in dubiis, quæ emergunt circa rescripta, aut priuilegia, consulendus est qui ea concessit, tanquam legitimus interpres, *cap. si quando* 5. *de rescriptis, cap. si qua* 8. *hoc titul. cap. cùm venissent, de iudiciis, cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. ordinarij, lib.* 6. ideò rectè in præsenti decidit, Pontificem consulendum esse, & interim in litterarum executione supersedendum. Nec huic decisiuæ rationi obstabit si dicas, diutiùs remorari litis exitum, si superior consulatur propter loci distantiam, & curiæ perplexitates, quam si ipsi delegati in causæ executione procedant. Nam respondeo ex consultatione superioris impediri, & suspendi iudicium ad tempus breue; ex cognitione autem delegatorum diutiùs causam protrahi; siquidem priùs ipsi iudices de iurisdictione contendunt, variisque modis litem inuoluunt, partes diuersis sumptibus vexant, & tandem legitimus iudex executionem inchoat: vnde celerius remedium est Principem rescribentem consulere, quàm causæ executionem à delegatis properari.

6. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec prima difficultas suprà pro dubitandi ratione expensa aduersatur; licèt enim verum sit, incertitudinem vitiare omnes actus humanos; tamen cùm non incertitudo, sed ambiguitas datur, & illa potest tolli, vt dispositio effectum sortiatur, admittenda interpretatio est, *leg. semper* 56. *l. ea quæ* 178. §. *in re dubia, ff. de regul. iuris, l. cùm in testamento* 24. *ff. de rebus dubiis.* Quò spectant textus *in l. Paula* 27. §. *Pomponius, ff. de legat.*3. *l. ex hac scriptura* 16. *Cod. de donat. l. non sine ratione, Cod. de bonis quæ lib.* latè prosequuntur Primarij nostri Lycæi D. Ioannes de Leon. *in l. in ambiguo, ff. de rebus dubiis*, D. Martinus de Bonilla in supremo Castellæ Senatu Regius Consiliarius, nunc Abulensis Ecclesiæ Præsul, *in hoc textu.* Vnde cùm in præsenti non incertitudo, sed ambiguitas daretur ex diuersarum litterarum impetratione sub eadem data; & curandum sit, vt omnis ambiguitas tollatur, vt dispositio potiùs valeat, quàm pereat; ideò R. Pontifex in præsenti casu consulitur, & rescripta sustinentur. Nec etiam aduersantur textus *in dict. cap. ad hæc, de rescriptis, cap.*2. *de elect.* nam præterquam quod in eis non ambiguitas, sed incertitudo datur, specialis ratio militat in eis, ne superior consulatur, *in dict. cap. ad hæc* 10. & rescripta viribus carent, vt fraus & calumnia litigantium puniatur, qui malitiosè, vt iudices sibi coniunctos, & aduersæ parti contrarios eligerent, rescripta impetrarunt absque ipsorum iudicum designatione: quare consultatio superioris non adhibetur, sed litteræ ipsæ tanquam dolo impetratæ nullæ sunt. Etiam *in d. c.*2. incerta suffragij præstatio nulla est, quia qui votum præstat, purum, magnoque consilio, & iudicio perpensum præstare debet, vt ibi notant Dominicus, & Ancharanus. Nec secunda difficultas deducta *ex d. c. vt debitus, de appellat.* cuius interpretationem adduximus *in c. cæterùm, de rescriptis, num. vlt.* aduersatur.

Adhuc

7. INTELLIGITVR CAP. SI DVOBVS 14. DE RESCRIPTIS, LIB. 6.

Adhuc ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in cap. ſi duobus* 14. *de reſcriptis*, *lib.6.* in cuius deciſione diuerſa reſcripta à diuerſis inpetrata proponuntur ad vnum beneficium ſub eadem data; & R. Pontifex in hac ambiguitate non conſulitur, immò potiùs iubetur, vt quia tempus datæ attendi non poteſt, tempus præſentationis inſpiciatur: & ſi in ea ambo concurrant, locus ſit gratificationi: igitur in concurſu diuerſarum litterarum non eſt conſulendus Princeps, qui reſcripſit; ſed tempus præſentationis eſt attendendum. Pro huius textus expoſitione diſcrimen eſt conſtituendum inter litteras gratiæ, & iuſtitiæ; in litteris enim gratiæ ad beneficia conceſſis attenditur tempus præſentationis, quia Principis gratia latè interpretatur, vt ſic habeat effectum, ex regula *Debet*, *de regul. iuris lib.6.* reſcripta autem iuſtitiæ ſtrictiùs interpretantur. Quare ſi non conſtet de earum prioritate, non attenditur præſentatio; & ſi cum litteris gratiæ ambo concurrant in præſentatione, deciditur in eo textu, locum eſſe gratificationi, quia gratia præbendæ facienda erat per Ordinarium, ad quem aliàs de iure competebat ipſius collatio, vt Pontifex in illis verbis, *ad quos, vt præmittitur, ſpectabat Canonicorum receptio*, oſtendit: quare ambiguitatis litterarum declaratio ad ipſum ordinarium collatorem ex Pontificis delegatione pertinet; atque ita in Canonicum receptus, auctoritate Apoſtolicâ, potiùs quàm ordinariâ receptus creditur, argumento textus *in c. cùm aliquibus*, *de reſcriptis lib.6. l. vnum* 67. *§. ſi de Falcidia*, *de legatis* 2.

8. EXPONITVR CAP. CÆTERVM, DE RESCRIPTIS.

Implacabilem antimoniam omnes claſſici repetentes, & ſuprà laudati agnoſcunt inter præſentem deciſionem, & textum *in cap. cæterùm* 3. *de reſcriptis*; in eo enim deciditur, in concurſu diuerſarum litterarum, ſecundo loco impetratas, non factâ mentione priorum, ipſo iure nullas eſſe: igitur non rectè in præſenti deciditur, in diuerſarum litterarum ambiguitate conſulendum eſſe R. Pontificem. Pro huius antinomiæ conciliatione varia adduxerunt antiquiores, quorum ſolutionibus omiſſis, iam anteceſſoribus noſtris placuit ea interpretatio, videlicet textum *in dict. cap. cæterùm*, procedere quando diuerſa reſcripta fuerunt impetrata diuerſis temporibus; quo caſu notiſſimum iuris principium eſt, poſterius vires non habere, niſi factâ prioris mentione; quia ſubreptitium creditur, *cap. ſi autem*, *cap. plerumque*, *de reſcriptis.* Tum quia ex prioritate prælatio inducitur, *cap.* 1. *de maiorit. & obed.* quæ quidem prioritas deprehenditur ex data non ſolùm diei, verùm horæ, aut momenti; & hæc prioritas probari poteſt aut ipſis litteris, aut teſtibus, iuxta tradita per Gloſſam *verbo Si non appareat*, *de reſcriptis lib.6.* Menochium *de arbitr. caſu* 48. *per totum*: at verò præſens textus procedit quando non conſtat de prioritate; quo caſu meritò conſtitutum eſt, vtriuſque reſcripti executioni ſuperſedendum, donec Princeps conſulatur, ne pro varietate litterarum cauſæ exitus proteletur. Ita Cardinal. Decius, Panormitan. *hîc*, Barbatia *num.* 18. Imola *num.* 1. Petrus Greg. *lib.5. part. cap.6.* Gambara *lib.2. de officio delegati*, *num.* 217. Nec contrarium probat præſens textus, primò in illis verbis, *non factâ mentione*; quomodo enim in ſecundo reſcripto prioris mentio fieri poterat, ſi eiuſdem datæ eſſent? Quia reſpondetur, non repugnare reſcripta eſſe eiuſdem datæ; & tamen fuiſſe diuerſæ impetrationis; nam ſi eodem die vtrumque reſcriptum impetratum eſſet, non tamen conſtaret, an eadem horâ, cùm diuerſis potuiſſent impetrari, inde ambiguitas naſceretur. Secundò in illis verbis, *non factâ mentione priorum litterarum*: ex quibus euincitur, vtraſque litteras non fuiſſe eiuſdem datæ, cùm non poſſit dici, *poſteà*, ſine temporis intercapedine, vt docent Gloſſa *verbo Noua*, *in l. pacta* 72. *ff. de contrahenda empt.* Barb. *de dictionibus*, *verbo Poſtea*: vel *priùs*, niſi poſterius aliquid ſequatur. Barboſa *verbo Priùs.* Quia reſpondendum eſt cum Hoſtienſi in præſenti, illa verba eſſe referenda non ad litterarum impetrationem, ſed ad ipſarum præſentationem; quia quamuis eſſent eiuſdem datæ, aliæ tamen priùs, & aliæ poſteriùs fuerunt præſentatæ. Etiam dici poteſt, reſcripta in præſenti ſpecie eiuſdem datæ eſſe, ſed aliud priùs ſignatum, plumbatumque parti fuiſſe expeditum. Ponamus v. g. vnum manè, aliud veſperè in datariæ Parco maiori, ſeu minori fuiſſe expeditum. Ita Ancharanus *hîc*, *num.* 1. Imola *num.* 13. Antonius *num.* 7. Decius etiam *num.* 11. prædicta verba refert ad partis allegationem, non verò ad Pontificis deciſionem.

9. TRADITVR NOVA INTERPRETATIO.

Sed licèt hæc ſolutio vera ſit, tamen peculiarem aliam ſubtiliter excogitauit magnus ille Præceptor, Vniuerſitatis noſtræ peritiæ canonicæ Primarius D. D. Ioannes Altamirano, in vtroque iure apprimè doctus. In hoc textu, *num.* 27. ait eximius Doctor, textum *in dict. cap. cæterùm*, procedere in illis iudicibus delegatis, quibus cognitio, & cauſæ deciſio committitur, vt conſtat ex illis: *Priores iudices ad deciſionem cauſæ poſſent procedere*; at verò Alexandrum in præſenti exaudiendum eſſe de illis iudicibus, quibus non cauſæ cognitio, ſed executio tantùm mandatur, vt patet ex illis verbis: *Executioni ſuperſedeant*; & apertiùs ex ſummario huius textus, prout habetur poſt Concilium Lateran. *vbi ſuprà*, vbi ita habetur: *Quod pro varietate litterarum in executione iudicibus eſt ſuperſedendum.* Magnum autem diſcrimen vertitur inter vnum caſum, & alterum; nam quando iudicibus, vt *in dict. cap. cæterùm*, committitur cognitio, & cauſæ deciſio, ſi poſteà aliæ litteræ impetrentur, in quibus priorum mentio non fiat, ex rationibus traditis *in dict. cap. cæterùm*, ſubreptitiæ ſunt, & nullæ; & quia priores iudices cognoſcere valent, an ſua ſit iuriſdictio, & qualibet oppoſitâ exceptione cauſam definire, *l. ſi quis* 5. *ff. de iudiciis*, ſi poſt primum reſcriptum aliud partes impetrauerint, in quo prioris mentio non fiat, poſſunt pronunciare ſibi competere iuriſdictionem, & reiectis poſterioribus litteris, vt ſubreptitiis, in cognitione, & deciſione cauſæ procedere, vt ait Alexander *in dict. cap. cæterùm*: at verò quando executio tantùm mandatur, vt in hoc textu, quia tunc voluntas tantùm attenditur eius, qui iuſſit executionem fieri, ſi poſt priores litteras aliæ appareant, non factâ priorum mentione, quibus contrarium præcipiatur, nec priores iudices exequi poſſunt, quod ſibi litteris mandatur, quia adeſt in contrarium poſterior voluntas eius, qui mandauit executionem fieri; nec poſteriores, quia in illis priorum mentio non habetur, & ſic reuocatæ non creduntur. In concurſu ergo huius voluntatis contrariæ præcipit Alexander in præſenti, vt iudices in executione ſuperſedeant, donec R. Pontifex conſulatur. Quæ ſolutio ſuadetur *ex cap. ſi quando*, iunctis ibi traditis, *de reſcriptis*,

& ex verbis quæ ſequuntur poſt hunc textum *dict. part.* 7. poſt Concilium Lateran. *cap.* 3. ex quibus conſtat, quod in mandatis ad exequendum, ſi quid contrarium appareat, vel ex alio reſcripto, vt in hoc caſu; vel præſumpto, vt in locis proximè adductis, R. Pontifex conſulitur, vt ſuam plenius explicet voluntatem.

CAPVT III.

Idem [a] *London. Epiſcopo.*

SI pro [b] debilitate tua, vel pro aliqua [c] graui neceſſitate tractandis cauſis, quæ tibi ab Apoſtolica Sede committuntur, adeſſe non poteris, liberum tibi ſit aliis [d] perſonis idoneis, & diſcretis vices tuas committere, ita quod ſi res tanti eſt, te [e] conſulere debeant, niſi fortè [f] cauſæ ita graues ſunt, quod ſine præſentia tua non poſſint omninò terminari.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. & poſt Concilium Lateran. ſub Alexandro III. *cap.* 5. Ad huius inſcriptionis expoſitionem repetenda ſunt quæ adduxi *in cap.* 1. *hoc tit.*

1. b *Pro debilitate.*] Corporis videlicet; quamuis enim debilitas ab ægritudine ſecernatur *in tit. de clerico ægrotante, vel debilitato*, vbi dictio, *vel*, tanquam diſiunctiua ponitur inter diuerſa, vt ex pluribus notauit Barboſa *de dictionib. verbo Vel*; tamen in præſenti debilitas non differt ab ægritudine, vt probatur *ex cap. quoad* 10. ibi: *Si aliqua infirmitate*; *cap. inter* 15. ibi: *Vel invaletudines corporales*; *de officio iudicis ordin. cap. ſi quis tutelam* 8. *Valetudinarij ſunt, vel debilitate confecti*, *de teſtibus, l.* 2. §. *ſi quis iudicio, ff. ſi quis cautionibus*, & rectiùs probatur ex hoc textu, prout legitur in aliquibus codicibus, vbi habetur, *Si pro infirmitate*, vt iam notauit Anton. Auguſt. *in notis ad* 1. *collect. ad hunc textum.* Sed tunc obſtare videtur; nam debilitas, ſeu corporis infirmitas, non impedit iudicium animi, *l.* 2. §. *corporis, ff. de vacatione munerum, cap.* 1. *de renunc.* quare in articulo mortis conſtitutus poteſt teſtamentum condere, *l. quoniam, l. iubemus, Cod. de teſtamentis*; & alios actus humanos celebrare, vt probat Decius *hîc, num.* 4. igitur debilitas corporis non eſt ſufficiens cauſa, propter quam poſſit delegatus R. Pontificis, alteriuſve Principis ſubdelegare. Huic difficultati ſatisfaciunt hîc Decius *num.* 4. Ioannes Andreas, & Siculus, quod quamuis in cognitione, & cauſarum deciſione agatur de iudicio animi, & intellectus, etiam corporis labor adeſt: quare in hoc textu delegatus ex cauſa infirmitatis, ſeu debilitatis, cauſam ſubdelegare poterat, vt indicant illa verba: *Intereſſe non poteris.*

2. c *Graui.*] Videlicet iuſta, & honeſta, veluti propter publica munera, vel nimia negotia, vt de iudice ordinario cauetur *in l.* 2. *Cod. de pedaneis iudicibus, cap. inter* 15. *de officio Ordin.* & regulariter quænam ſit cauſa grauis, relinquitur arbitrio iudicis, vt communiter repetentes docent in præſenti.

d *Perſonis.*] Hinc manifeſtè conſtat, vnum delegatum Principis non ſolùm alij, verùm duobus, aut tribus poſſe cauſam ſibi commiſſam ſubdelegare; quia in præſenti vnus tantùm erat delegatus, videlicet Epiſcopus Londonienſis, & aſſeritur eum poſſe aliis perſonis cauſam ſubdelegare: quod etiam probatur *ex cap. cùm te* 18. *hoc tit.* vbi notarunt Innocentius *num.* 1. Panormitanus *n.* 2. *c. ſuper* 27. *in principio, hoc tit.* & procedit ex ratione textus *in cap. prudentiam* 21. *in principio, verſic. Illa quippe, hoc tit.* iunctâ ratione textus *in cap. ſuper* 20. *de reſcriptis.* Ampliùs & ipſe delegatus, ſi habet coniudicem, poteſt, aut coniudici, aut extraneæ perſonæ vices ſuas committere, *cap. quamuis* 6. *cap. cauſa* 22. *c. ſuper* 17. §. *ſi verò, c. licèt* 30. *hoc tit. cap.* 24. *de in integrum reſtit.*

3. e *Conſulere debeant.*] Hæc verba non leuem continent difficultatem; nam delegatus cauſam ſubdelegando ſibi commiſſam, à ſe abdicauit in totum iuriſdictionem, *cap. ſuper, verſ. in alium transfert, cap. venerabili, hoc tit. cap. iudex, verſ. Si in totum commiſerit, hoc tit. lib.* 6. igitur poſt delegationem nullo modo conſulendus eſt ipſe delegatus, tanquam extraneus à cauſa. Cui difficultati reſpondendum eſt, delegatum poſſe ita cauſam ſubdelegare, vt ſubdelegatus teneatur eius conſilium requirere; & tunc neceſſariò ipſe conſulendus eſt, aliàs ſententia prolata nullius momenti erit, tanquam lata contra formam mandati, *cap. cùm dilecta* 22. *de reſcriptis.* Accedit quia poſt delegationem conſuli valet iudex delegatus, tanquam vir prudens, & doctus, vt poſt Gloſſam in præſenti, *verbo Conſulere*, docent Innocentius *numer.* 1. Cardin. *num.* 4. Decius *num.* 5. Felinus *n.* 9. Imola *num.* 10. Butrius *num.* 12. Riminaldus *n.* 4. Sahagun *num.* 20.

4. f *Cauſæ ita graues.*] Ex his verbis deducunt in præſenti Innocentius *num.* 5. Hoſtienſis *num.* 7. Ioannes Andreas *num.* 12. Baldus *num.* 1. & 11. Felinus *num.* 2. Panormit. *num.* 4. Mandoſius *num.* 19. cauſas graues non poſſe per delegatum Pontificis ſubdelegari, quia grauia negotia debet per ſe, non per procuratorem tractare, argumento legis *in pecuniariis* 26. *Cod. de procurat.* in his enim cauſis, vt innuit Alexander III. non ſufficit delegati conſilium, ſed eius præſentia deſideratur, hoc eſt, vt per ſe omnia audiat, & cognoſcat, iuxta authenticam *ad hæc, Cod. de iudiciis, c. ſuper* 27. *verſ. Intentionis, hoc tit.* Sed contrarium, nimirum omnes cauſas, etiam graues, poſſe ſubdelegare, docent Decius *hic, num.* 13. Alciatus *lib.* 2. *monomach. Angeli, cap.* 7. Nec aliud probat Alexander *in præſenti*, non enim Pontifex affirmat ſimpliciter omnes cauſas, etiam graues, ſubdelegari non poſſe, ſed grauiores tantùm excipit, vt indicant illa verba: *Niſi fortè cauſa ita graues ſint*: vbi particula, *ita*, adauget ſignificatum verbi *graues*, argumento capitis quantò 3. *de iudiciis, c. Oſius* 2. *de elect.* Quæ autem cauſa grauior dicatur, iudicis arbitrio relinquitur.

COMMEN

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur aſſertio : *Iudex delegatus Principis, cauſam ſibi commiſſam aliis ſubdelegare poteſt.* Probant textus *in cap. quamuis 6. verſ. Aliꝰ vices ſuas poſſe committere ; cap. ſuper 27. in principio*, & §. *ſi verò*, & §. *duo ſunt*, *cap. paſtoralis 28. in princip. cap. licèt 30. verſ. Si verò ; cap. venerabilis 37. verſ. Vices ſuas, hoc tit. cap. ſi duo 3. cap. quamuis 6. cap. ſi delegatus 7. cap. ſi is cui 10. verſ. Subdelegauit, cap. ſi à ſubdelegato 14. verſ. Vices ſuas, hoc tit. lib. 6. cap. cùm cauſa 32. verſ. Niſi delegatus, de appell. cap. ſtatutum 12. §. in nullo, de reſcriptis, lib. 6. Clement. 1. hoc tit. Clement. 1. §. 1. de hæret. l. à iudice 5. verſ. niſi, Cod. de iudiciis, l. vnica, verſ. hoc teneat, Cod. qui pro ſua iuriſd. l. fin. Cod. vbi, & apud quem.* Conſonat textus *in l. 19. tit. 4. partit. 3.* Illuſtrant plures congeſti à Barboſa *in præſenti*, & *de poteſt. Epiſcop. alleg. 166. num. 44.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſput. 31. num. 2.* Fachineus *lib. 1. controu. cap. 46.* & *lib. 11. cap. 92.* & *97.* Donellus *lib. 17. comment. cap. 8.* vbi Oſualdus *littera H*, Bacconius *lib. 6. declarationum, cap. 48. num. 11.* P. Faber *in l. nemo 70. ff. de regul. iuris*, Quintanadueñas *lib. 2. de iuriſd. cap. vlt.* Cuiacius, & Giphanius *in dict. l. à iudice*, idem *lib. 12. obſeru. cap. 2.* & *lib. 1. reſponſ. Papin. in l. filius 9. ff. de legationibus*, Petrus Greg. *lib. 47. ſyntagm. cap. 49.* & *lib. 5. partit. tit. 5. cap. 4.* Baſilius *de matrim. lib. 5. cap. 26.* Moneta *de commut. cap. 8. num. 562.* Salmaſius *ad ius Atticum cap. 18.* Caniſius, Riminaldus, & Sahagun *in præſenti*, Vulteius *de iudiciis lib. 1. cap. 4. num. 63.* Gentilis *de iuriſd. cap. 28. lib. 3.* Germonius *lib. 1. animad. cap. 8.* Balboa *in cap. cùm Bertoldus, num. 22. de re iudic.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. cap. 4. num. 26.* & *lib. 3. cap. 4. num. 44.* Alciatus *lib. 2. monomach. Angeli, cap. 5. 6.* & *7.* Abruzo *ad leg. 1. ff. de officio eius, quæſt. 6. cum ſeq.* Bronchorſt. *enantioph. centuria 1. aſſert. 21.* Deſiderius Heraldus *lib. vnico emendat. cap. 8.*

6. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Hæc concluſio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti iuris conſideratione. Qui habent iuriſdictionem alieno beneficio, eam delegare non poſſunt, *l. more l.* & *quia, ff. de iuriſd.* ſed iudices tam delegati ab inferioribus, quàm à Principe, nullam propriam habent, ſed eius qui mandauit, iuriſdictione vtuntur, *l.* & *ſi Prætor*, ibi : *Partibus eius fungens, ff. de officio eius, l. ſolet 16.* ibi : *Fungitur vice eius, qui mandauit, ff. de iuriſd.* Vnde dicuntur iudices extraordinarij, *l. 2. Cod. de dilationibus*, quæ extat *in cap. inducia*, §. *ſpatium 3. quæſt. 3. cap. quoniam*, vbi Gloſſa, *verbo Extraordinario, de probat.* notarunt Menochius *lib. 2. de præſumpt. cap. 15. num. 15.* Oſualdus *ad Donellum lib. 17. comment. cap. 18. littera A :* igitur ſubdelegare non poſſunt etiam delegati Principis. Augetur hæc difficultas primò ex eo, nam in delegatione eligitur induſtria ipſius perſonæ, ſicut in aliis commiſſionibus contingit, *l. inter 31. ff. de ſolutionibus :* ſed vbi eligitur induſtria perſonæ, delegatus non poteſt cauſam aliis committere, *cap. fin.* §. *finali, hoc tit.* igitur delegati etiam Principis non poſſunt ſubdelegare. Secundò augetur hæc difficultas ex prioribus verbis noſtri textus : *Si pro debilitate, vel qualibet alia graui cauſa.* Ex quibus facilè deducitur, indiſtinctè, & abſque iuſta cauſa non licere etiam delegato Pontificis cauſas ſibi co mmiſſas aliis ſubdelegare. Tertiò fulcitur hæc difficultas ex eo, nam conſeruatores iudices delegati ſunt Sedis Apoſtolicæ, *cap. 1. hoc tit. in 6.* ſed illi non poſſunt cauſas ſibi commiſſas aliis demandare, *cap. vlt. verſ. vices, hoc tit. lib. 6.* docent Petrus Greg. *lib. 47. ſyntagm. cap. 22.* Quintanadueñas *de iuriſdict. cap. vlt. num. 7.* Moneta *de conſeruat. cap. 7. num. 53.* igitur delegati Principis ſubdelegare non poſſunt. Tandem roboratur hæc difficultas ex eo, quia regulariter cui aliquid mandatum eſt, poteſt illud alij commitere, *l. neque 11. ff. de procurat. l. ita 5.* §. *1. ff. de adminiſtr. tutor.* igitur aut omnes delegati poſſunt ſubdelegare, aut nullus.

7. QVI DELEGARE POSSVNT.

Vt clariùs percipiatur præſentis deciſionis ratio, aliqua prælibanda ſunt ; & primò ſciendum eſt, aliis cauſas committere poſſe in primis Principes, quia cùm ſint domini iuriſdictionis, poſſunt eius exercitium aliis committere : iſti delegati dicuntur diuini iudices, *l. omnes 12. Cod. de iudiciis, l. conſtitutio 5. Cod. de fructibus*, & *litium expenſis*; ſacri cognitores, *l. vlt. Cod. vbi* ; Senatores principalis diſceptationis imaginem habentes, *in l. eos, Cod. de appellat.* vice ſacra iudicantes, *l. 16. Cod. Theodoſ. eod. tit.* Etiam delegare poſſunt Legati, *cap. vlt. §. vlt. hoc tit. cap. vlt. de officio Legati* ; iuriſdictionem enim ordinariam habent, *cap. 2. de officio Legati, in 6.* Archiepiſcopi in illis caſibus, in quibus in ſubditos iuriſdictionem habent, *cap. paſtoralis 11. de officio Ordinarij* : Epiſcopi, & eorum Vicarij, qui eam etiam obtinent, *cap. 1. eod. tit.* Prætores *l. ſolent 16. ff. de iuriſd.* Proconſules *l. Legati 13. ff. de officio Proconſulis*; Præſides *l. 3.* & *4. ff. de officio Præſidis* ; Magiſtri negotiationum, *l. final. Cod. de iuriſd.* Et iure noſtro Hiſpano iudices, quos dicimus *Meneſtrales*, videlicet creati ab his, qui miniſteria in republica exercent, de quibus *in l. 1.* & *2. tit. 4. partit. 3.* Auendaño *de exequendis 1. part. cap. 1. num. 29.* Prior, & Conſules Mercatorum, *l. vnica, tit. 13. lib. 3. recopil.* Protomedici Regis in caſibus expreſſis *in l. 2. tit. 26. lib. 3. recopil.* & vt vno verbo complectar, omnes iuriſdictionem ordinariam habentes, eam committere poſſunt, *l. more 5. l. eum qui 13. ff. de iuriſd. l. cùm Prætor 12. ff. de iudiciis.* Docent Morla *in emporio, tit. 2. de iuriſd. quæſt. 15. à num. 2.* Donel. *lib. 17. comment. cap. 8.* vbi Oſualdus *litera M*, Goueanus *in dict. l. more :* cùm enim iuriſdictionem habeant proprio iure, eam aliis delegare valent, non à ſe abdicando, quam abdicare non poſſunt, *l. penult. ff. de officio Præſidis :* tum quia Magiſtratum ſuſcipere, non eſt voluntatis, ſed neceſſitatis, *l. cui muneris, 12. ff. de muneribus* ; ita & nec repudiare, ſeu abdicare voluntatis eſt, *dict. l. penult. de officio Præſidis*: tum quia iudices ordinarij non ſunt domini iuriſdictionis, ſicut aliarum rerum proprij patrimonij ; & ſic eam aliis delegando, non creduntur à ſe abdicaſſe, ſed eam retinere iure ſummæ poteſtatis, vt docent Gentilis *lib. 1. de iuriſd. cap. 26.* Anton. Faber *in l. ſolet 16. ff. de iuriſd.* Donellus *dict. cap. 8.* & ibi Oſualdus *littera C.* Excipiendi tamen ſunt ab hac generali regula iudices appellationis conſiſtorialis, qui licèt iuriſdictionem ordinariam habeant, tamen non poſſunt eam delegare. Auendañus, Azeuedus, & Gutierrez congeſti à Bobadilla *lib. 3. polit. c. 8. n. 27.*

8. PROPONITVR QVÆDAM DIFFICVLTAS.

Sed aduersùs ſuprà dicta inſurgi poteſt *ex l. cùm Prætor, §. 1. ff. de iudiciis, l. final. verſ. dato iudice, ff. quis & à quo*, vbi docetur, illis tantùm Magiſtratibus competere ius dandi iudices, quibus lege ſpeciali, Senatuſconſulto, Principiſve conſtitutione

conceſſum eſt, aut more introductum: quare hoc edictum quoad facultatem dandi iudices eſt permiſſorium, vt docent Goueanus *lib. 2. de iuriſd. num.16.* Fulgoſius *in dict.l. cùm Prætor*: igitur non omnes, qui iuriſdictionem proprio iure habent, eam mandare poſſunt, ſiue Magiſtratus maiores ſint, ſiue minores. Pro huius difficultatis ſolutione ſciendum eſt, verum eſſe, eos iudices dare poſſe, quibus lege, aut Senatuſconſulto, Principiſve conſtitutione conceſſum eſt, aut moribus ea facultas competit. Et primò iudices dare poſſunt Principes, *l.minor* 18.§. *ſed ſi minor* 4.*ff. de minoribus.* Docet Briſſonius *lib. 3. de formulis, pag.* 416. Deinde Prætor, cuius proprium erat iudices dare, *dict.l.Prætor* 12. Cicero *lib.3. de legibus: Qui de eis iudicet, iudicaréve iubeat, Prætor eſto.* Quæ verba in Prætoris creatione proferebantur. Deinde Magiſtratus populi Romani iudices dare poterant, quia moribus introductum fuerat, *dict. l. cùm Prætor* 12.§.1.Vult.*lib.1.de iudiciis, cap.4.n.68.* Conſules,*l.1.§.ſi quis* 3.*ff.de appellat.l.à Diuo Pio* 15. iuncta inſcriptione, *ff.de re iudicata, l.ſi cui* 5.*ff.de condit.& demonſtr.* Quæſtor, *l.3.* iunctâ epigraphe, *ff.de iuriſd.* Præfectus vrbis, vel Prætorij, *l.1. in princip.ff.quis & à quo appelletur, l.vlt.ff.de officio Præfecti.* Docent Hothomanus *lib.4.obſ.cap.3.* Marcus Lyclama *lib.1.membran. ecloga* 10.§.1. Legatus Cæſaris, *l.legatus* 20.*ff. de accuſat.* Præſides prouinciarum, *l.ex conſenſu* 23.§.1.*ff. de appellat. l.1. C.de pedaneis:* & tandem omnes Magiſtratus Populi Romani, cuiuſcumque ordinis, *l.vlt. ff. quis & à quo, dict.l.cùm Prætor* 12. cæteriquè populi Romani Magiſtratus: docet Cuiacius *ibi*, Donellus *lib.17. comment. cap.*8. licèt ea verba ad Magiſtratus tantùm maiores contrahant Fulgoſius *vbi ſuprà*, Alciatus *in l.imperium, num.* 11.*ff.de iuriſd.* Corraſius *in l.1. num.*36.*ff. de iuriſd.* & cùm moribus non comprehenderentur Proconſules, & eorum Legati, neceſſaria fuit lex Proconſularis, quâ illis permitteretur iudices dare, *dict. l.cùm Prætor*, §.1. obſeruant Duarenus *ad titulum de iudiciis,C.de iudicibus datis*, Donellus *lib.* 17. *cap.*23. Goueanus *in l.1.de iuriſd.num.*1. Merillus *lib.1.variantium ex Cuiacio, cap.*19.

9. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Quibus animaduerſis dicendum eſt, aliud eſſe iudices dare; aliud verò iuriſdictionem mandare. Iudices dare tantùm illi poſſunt, qui lege, Senatuſconſulto, Principiſve conſtitutione, aut moribus facultatem dandi eos habent: iuriſdictionem autem mandare illi poſſunt, qui eam iure proprio obtinent. Diſcriminis ratio, ni fallor, ex eo prouenit; nam iudices dati, licèt iuſſi, per ſe iuriſdictionem exercent; & qui eos conſtituunt, notionem auctoritate publica in illos transferunt; vnde poſſunt eos compellere notionem ſuſcipere. Quare neceſſaria fuit lex, aut ſimilis conſtitutio, vt quis poſſit iudices dare: at iudices delegati, quibus mandatur iuriſdictio, nihil proprium habent; ideò virtute iuriſdictionis ordinariæ omnes eam mandare poſſunt, cùm nullam iuriſdictionem auctoritate publica ſuffultam transferant: vnde *in d.l.more*, docetur, omnes poſſe mandare iuriſdictionem, qui eam ſuo iure habent. Nec tunc obſtat textus *in l.imperium, in fine, ff.de iuriſd.* vbi docetur, proprium iuriſdictionis eſſe iudices dare poſſe: igitur omnes Magiſtratus iuriſdictionem habentes, qui eam mandare poſſunt, iudices dare valent. Quia omiſſis ſolutionibus traditis à Barboſa *in dict.l.cùm Prætor*, §.1.*num.*275. Scipione *lib.2. de iuriſd.cap.*10. Vulteio *lib.1 de iudiciis, c.4. n.*68. Gouean. *in dict. l.1. de iuriſd. num.*20. Donel. *dict. lib.17.cap.*23. Dicendum eſt cum Oſualdo *d. c.*23. *littera A.* dare iudicem, actum eſſe iuriſdictionis, quia iudicem dando, iudiciumque conſtituendo Prætor ius dicit: vnde naſcitur, iudicem dare, ex iuriſdictione prouenire, non quia omnibus habentibus iuriſdictionem hæc facultas competat; ſed ſicut alij actus iuriſdictionis ſunt, ita & iudicis datio; quia cùm iudex datur, iuriſdictio exercetur.

10. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

His animaduerſis in aſſignanda ratione præſentis deciſionis non conſentiunt Interpretes; nunc placet eorum ſententia, qui affirmant, ideò Principis delegatum poſſe ſubdelegare, quia ipſe delegatus pro Magiſtratu habetur, vnde tanquam Magiſtratus ſibi aſſumit aſſeſſores, nouella 60. Iuſtiniani; habet apparitores, *l.penult.C.de fructibus, & litium*, & vice Principis iudicat, *l.3.C. vbi Senatores, l. fin. Cod. de mandat. Princip.* immò maior eſt quocumque iudice ordinario, *cap. ſanè, & 2. hoc tit. cap. paſtoralis* 11.§.*præterea, de officio Ordin.cap. ſtuduiſti*, vbi Gloſſa *verbo Confirmare, de officio Legati*: ſed quilibet iudex ordinarius, qui iuriſdictionem habet, poteſt eam demandare, vt ſuprà probaui: igitur ſimiliter delegatus Principis, qui iuriſdictionem habet à Principe, qui eſt viua lex, *authent. de Conſulibus*, §.*vlt.* Ita docent Caſtrenſis & Iaſon *d.l.à iudice, C.de iudiciis*, Bartolus *in l. legatum 6.ff.de officio Proconſulis.* Quæ ratio licèt per ſe non poſſit inducere facultatem ſubdelegandi in delegatis Principum; tamen cùm hac ratione ſuggerente lex conceſſiſſet delegato Principis facultatem ſubdelegandi, *cap.paſtoralis* 28.ibi: *Cùm delegato à Principe iuriſdictio dandi iudicem ſit à lege conceſſa:* & *c.vlt.* ibi: *Cùm delegato à Principe id concedatur à iure:* & cùm cui lex, aut Principis conſtitutio permiſit iudicem dare, liceat mandare iuriſdictionem,*d.l.cùm Prætor* 12.§.1.delegatus Principis, quia lex ſpecialiter ei conceſſit,ſubdelegare poteſt.

11. DISSOLVITVR RATIO DVBITANDI.

Non obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam licèt delegati Principum, vt delegati inferiorum, alieno beneficio iuriſdictionem obtineant; tamen delegato Principis lex permiſit, non autem delegato inferioris Magiſtratus. Nec primum augmentum refragatur; licèt enim delegatus Principis poſſet ſubdelegare, hoc tamen procedit vbi verè mandatur iuriſdictio; non tamen ſi nudum miniſterium committatur, *d.c.vlt.§.vlt.hoc tit.* nam cùm nudum miniſterium committitur, licèt delegatus aliquo modo dici poſſit, cui alium repræſentat; tamen verè delegatus non eſt, cùm non habeat iuriſdictionem: oportet enim, vt valeat delegatus Principis ſubdelegare, quod ſubdelegatio verbis, aut menti delegantis non refragetur; nam ſi tacitè, vel expreſsè repugnet, non poterit delegatus etiam Principis alij vices ſuas committere, veluti ſi ex natura cauſæ delegatæ, aut ex verbis, vel mente delegantis induſtria delegati præeligatur,*c.is cui* 12.*hoc tit. lib.* 6. vel ſi cauſa delegetur cum clauſula, *conſcientiam tuam oneramus.* Barb.*de clauſulis, clauſ.*24. *n.*8.Fragoſo *tom.1.Chriſt.reipub.lib.1. diſp.*10. *n.*24. Nec huic ſolutioni obſtat textus *in c.final. de officio ordin.* vbi in eadem ſpecie,cùm nudum tantùm miniſterium committitur Epiſcopo, abſolutionis videlicet, poteſt alteri ſubdelegare; nam cùm aliquid committitur in perpetuum ratione dignitatis, quâ quis fulget, conſtituitur ordinarius, non delegatus iudex: vnde cùm *in d. c.final.* commiſſum ſit Epiſcopis in perpetuum ratione dignitatis abſoluere in caſibus ibi præſcriptis, poteſt Epiſcopus,tanquam ordinarius

ordinarius alij vices suas committere. Quo modo prædictum textum cum capite finali, *hoc tit.* conciliari docent Barbosa *de potest. Episcopi alleg.* 35. *num.* 17. Moneta *de commut. cap.* 5. Amaya *in l. nullus* 60. *num.* 15. *C. de decurion. lib.* 10.

12. AD SVBDELEGANDVM AN DESIDERETVR CAVSA.

Nec secundum augmentum rationis dubitandi obstat, cuius solutio pendet ex illa satis vexata quæstione, vtrum videlicet delegatus Principis possit subdelegare absque causa infirmitatis, videlicet absentiæ, vel similis? In qua quæstione affirmatiuam partem tenuerunt Glossa in præsenti, *verbo Si pro debilitate*, Decius *n.* 12. Hostiensis *in c. pastoralis, hoc tit.* Menochius *de arbitrariis lib.* 2. *centur.* 1. *casu* 60. pro quibus faciunt nonnulla iuris testimonia. Primò textus *in hoc c.* 3. in illis verbis: *Si pro debilitate, vel alia graui causa.* Quæ verba ita conditionaliter prolata (particula enim *si*, importat conditionem, *l. quibus* 40. §. *quidam Titio, ff. de condit. & demonstr. l.* 1. §. *si quis simpliciter, ff. de V. O.*) inducunt necessitatem: igitur absque iusta causâ subdelegatio non sustinetur. Faciunt textus *in c. pastoralis* 28. in illis verbis: *Exigente necessitate*; *c. venerabilis* 37. in illis: *Corporis infirmitate grauati.* Quæ verba cùm per ablatiuum absolutum concipiantur, inducunt conditionem, *l. Mœuius*, *l. à testatore* 109. *ff. de condit. & demonstr.* igitur nisi ex graui infirmitate, aut necessitate non licebit Principis delegato subdelegare. Faciunt etiam pro prædicta sententia duæ iuris rationes. Prima, nam iudices ordinarij, quibus competit facultas delegandi, ita demùm possunt causas committere, si iustâ causâ impediti sint iudicare, *c. quoad sedem* 10. *de officio ordin.* videlicet aduersa valetudine, aut nimiâ negotiorum occupatione, *c. inter* 15. *de officio ordin. l.* 2. *C. de pedaneis iudicibus*: igitur similiter delegati Principis, qui à lege habent subdelegandi facultatem, tunc subdelegare poterunt, cùm iustâ causâ impediti fuerint iudicare. Secunda ex eo prouenit; nam hæc facultas subdelegandi concessa est delegatis Principis, tanquam exorbitans à regulis iuris communis, *dict. l. more*, *dict. l. & quia*: igitur illo tantùm casu debet admitti, cùm adest iusta causa, vel infirmitatis, vel necessitatis.

13. NEGATIVA SENTENTIA DEFENDITVR.

Contrariam sententiam, videlicet iustam causam non esse necessariam ad subdelegandum, docuerunt Glossa *in c. pastoralis, in principio, de officio Ordin.* Iason *in l. à iudice, C. de iudiciis, n.* 11. Basilius *de matrim. lib.* 5. *c.* 27. Cuiacius *in præsenti*, & Sahagun *n.* 15. quorum sententia probatur *ex c.* 27. *in princip. c. quoniam, hoc tit. c. cùm causa* 62. *de appellat.* vbi indistinctè docetur, iudices delegatos posse subdelegare: igitur siue iustâ causâ, siue non, subdelegare possunt delegati Principis. Deinde quia iudex delegatus iudici ordinario æquiparatur, vt suprà probaui: sed iudex ordinarius absque vlla causa potest mandare iurisdictionem, *d. l. more*, Couar. *lib.* 3. *variar. c.* 2. *n.* 3. igitur & delegatus Principis. Hac sententiâ retentâ non obstant contrariæ fudamenta. Non primum deductum ex hoc textu, cui vt satisfaciant Decius *n.* 10. *Panormitan. n.* 8. Varia adducunt. Quibus omissis dicendum est pro huius textus interpretatione, & textus *in d. c. pastoralis* 28. *c. venerabili* 37. *c. quoad sedem* 10. in illis iuris locis iustam debilitatis causam, vel similem non desiderari ad validitatem subdelegationis, sed ad honestatem, & ipsius iustitiam; non tamen quia si prætermittatur, subdelegatio nulla sit, argumento textus *in l. ad testium*, § *si quis testibus, ff. de testam.* Vt autem honesta sit talis subdelegatio, debet adesse iusta causa, quia iniustum, ac inhonestum est, cùm quis possit munus sibi iniunctum exequi, alij committere exequendum, argumento textus *in c. prudentiam* 21. §. *adiicimus, hoc tit.* Docet Basilius *in dict. cap.* 27. *num.* 5.

Nec obstat aliud augmentum rationis dubitandi, petitum ex exemplo Iudicum Conseruatorum, qui etsi delegati Pontificis sint, non possunt subdelegare; quia id specialiter procedit ex ea ratione, vt potestas eorum restringatur, & quantò minùs fieri possit, iurisdictio ordinaria lædatur: quare conseruatores delegare non possunt, nisi duobus in casibus: primò si in litteris suæ deputationis id expressè concedatur; secundò si tantùm conseruatores committant citationem, aut examen testium, *c. vlt.* §. *vices, hoc tit. in* 6. Quæ subdelegatio ita demùm vices habebit, si fiat intra fines diœcesis suæ, & etiam committatur personis illis, quæ aliàs in Conseruatores eligi poterant, *d.* §. *vices*, vbi docet Barbosa *n.* 6. latè Moneta *de conseru. c.* 7. Nec tandem vltimum augmentum aduersatur; nam licèt Glossa *in d. l. quia, vers. Vel dic*, & *in d. l. à iudice, verbo Non debet*, Decius *in d. l. more, n.* 34. Cuiacius *lib.* 1. *qq. Papin. in l.* 5. *ff. de officio Proconsulis*, Azeuedus *in rubrica tit.* 9. *lib.* 3. *recopil. n.* 19. existimauerint iudicem delegatum etiam inferioris Magistratus posse subdelegare, exemplo procuratoris & tutoris, qui aliis vices suas committere possunt, *l. quod* 8. *l. neque* 11. *ff. de procurat. l. si procurator* 8. *ff. mandati, l. ita autem* 5. §. 1. *ff. de administr. tutor.* Tamen eorum sententia defendi non potest; non enim idem ius versatur in procuratore, aut tutore, ac in iudice delegato, vt probant Morla *in emporio, tit.* 2. *de iurisd. q.* 15. *n.* 8. Basilius *d. c.* 26. *n.* 8. procurator enim per litis contestationem efficitur dominus litis, *l. ante litem* 11. *ff. de procurat.* non verò fit iudex delegatus efficitur dominus iurisdictionis; vnde tanquam non dominus, subdelegare non potest. Hodie tamen iure nostro Regio contrarium obseruatur *ex l.* 19. *tit.* 4. *part.* 3. vbi notauit Gregorius Lopez.

14. DISSOLVVNTVR ALIÆ DIFFICVLTATES.

Primò superiori assertioni aduersatur textus *in authent. ad hæc, C. de iudiciis*, vbi deciditur, iudices delegatos Principis tantùm litis contestationem Consiliarios committere posse, ita vt valeant, reseruatâ sibi sententiâ, cæteras litis partes delegare: igitur delegati Principis non possunt causæ sibi commissæ cognitionem aliis demandare. Pro cuius textus expositione plura tradiderunt Glossa ibi, *verbo Delegatus.* Quintanadueñas *de iurisd. c. fin. n.* 19. Vaconius *lib.* 9. *declarationum, c.* 83. Donellus *lib.* 17. *comment. c.* 22. vbi Osualdus *litera N*, Barb. *in d. l. cùm Prætor, n.* 341. Sed illis omissis dicendum est, Imperatorem *in d. authen. adhæc, in principio*, agere de administratoribus, & eorum assessoribus, qui iudicare debebant iuxta præscriptam formam in nouella *Vt defuncti funera*, §. *illud, collatione* 6. Vnde ipsi administratores causas absolutè tractandas assessoribus committere nequibant: alia verò pars ipsius authenticæ, *ex vers. delegatus*, quæ loquitur de delegato Principis, procedit inspecto iure ciuili maiori, quo attento non potest delegatus Principis reseruatâ sibi sententiâ causam committere examinandam, quod iure Pontificio receptum non est, immò principium, medium, aut finis potest delegari, *c. super, hoc tit.* & in hac parte apertum dissidium datur inter ius canonicum, & ciuile, quod iam agnouerunt Glossa *verbo Principum, in d. cap. super*, Maranta *de ordine iudic. 4. p. dist.* 5. *n.* 42. Gilkenius, & Cuiacius *in d. authent. ad hæc*, Sahagun *in præsenti.*

15. EXPONITVR AVTHENTICA AD HÆC, C. DE IVDICIIS.

Secundò opponitur textus *in l. legatus* 12. *ff. de officio Proconsulis*: ex quo iuxta litteram affirmatiuam, quam vt veriorem amplectuntur Anton. August. *lib.* 1. *emend. cap.* 3. Couar. *lib.* 3. *variar. cap.* 20. *num.* 10.

16. EXPONITVR L. LEGATVS, DE OFFICIO PROCONSVLIS.

n. 10. Corrasius *ibi*, vbi deducitur, Legatum Proconsulis dare iudices posse: sed illi delegatam, atque mandatum obtinent iurisdictionem, *l. obseruare* 4. §. *vlt. l. solet* 6. §. *sicut, l. legati* 13. *ff. de officio Proconsulis*: igitur delegati etiam inferiorum Magistratuum possunt causas sibi commissas subdelegare. Cui difficultati communiter respondetur, textum illum specialiter procedere in Proconsule, cui lex specialiter permisit iudices dare, *d. l. cùm Prætor* 12. §. 1. Ita tenent Corrasius, & Zasius *in d. l. legatus* 12. Germonius *lib.* 1. *animad. c.* 8. Sed licèt hæc doctrina vera sit quoad facultatem dandi iudices à Legatis Proconsulis; quoad facultatem tamen delegandi, seu mandandi iurisdictionem non fuit necessaria lex specialis: quare rectiùs Fulgosius *in d. l. Legatus*, Alciatus *in rubrica de officio Ordin. n.* 6. & *lib.* 2. *paradox. c.* 5. affirmant, nihil speciale statutum reperiri in Legato Proconsulis quoad hanc partem; quia ipse iure communi potest mandare iurisdictionem. Ratio est, quia legatus Proconsulis non est delegatus, sed ordinarius iudex; & postquam Proconsul mandauit illi iurisdictionem, ad instar Vicarij Episcopi iurisdictionem obtinet ordinariam. Docent *num.* 11. Cuiacius *lib.* 7. *obseru. cap.* 21. Goueа-Albericus *in dict. l. solent.* Couar. *lib.* 3. *var. cap. vlt.* nus *in l.* 1. *de iurisd.* & *lib.* 1. *variar. cap.* 6. Quæ sententia probatur *ex l. lega:* 13. *ff. de officio Proconsulis, l. cognitio* 4. *vers. Cùm propriam, de officio eius, c.* 2. *de officio Legati, lib.* 6. Faciunt etiam rubricæ, tam *in ff.* quàm *in C.* de officio Proconsulis, & Legati, de apparitoribus Proconsulis & Legati, *lib.* 12. Vnde plura illis Legatis conceduntur, quæ delegatis non competunt: ipsi enim tutores dare possunt, *l.* 1. *ff. de tutor. & curat.* cùm talis potestas mandatâ iurisdictione non transeat, *l. nec mandante* 8. *ff. de tutor. & curat.* apud ipsos serui manumittuntur, *l. apud* 17. §. 1. *ff. de manumiss. vind.* cùm authoritas præstanda in manumissione mandatâ iurisdictione non transeat, *l.* 2. *ff. de officio eius*: multam dicere possunt, *l.* 2. *vers. etsi, ff. quis & à quo*, quam dicere non possunt qui iurisdictionem propriam non habent, *l.* 1. §. 1. *ff. eod. tit.* notarunt Cuiacius *lib.* 1. *obseru. c.* 1. & *lib.* 15. *c.* 19. Robertus *lib.* 1. *rerum iudic. c.* 21. Hothomanus *lib.* 13. *obseru. c.* 1. Vnde licèt Legati Proconsulis, quia à Proconsule designantur, alienam videantur exercere iurisdictionem, iuxta Iulij Cæsaris sententiam *lib.* 2. *comment.* vbi ait non se ignorare, quod est officium Legati, qui fiduciariam operam obtinet; tamen potiùs quasi ordinarij sunt, & tertium genus constituunt inter ordinarios, & delegatos: quare possunt causas subdelegare: docent Fachineus *lib.* 1. *controu. c.* 45. Gentilis *lib.* 2. *de iurisdictione, cap.* 10. *per totum.*

Idy doux Blanco cap. 3. n° 6

17. EXPONITVR CAP. CVM BERTOLDVS 18. DE RE IVDIC.

Tertiò suprà traditæ assertioni opponitur textus *in cap. cùm Bertoldus* 18. *de re iudic.* in illis verbis: *Committentibus aliis vices suas ipsi subdelegati testes super prædicto articulo receperunt.* Ex quibus apertè constat, alios, quàm delegatos Principis, posse subdelegare causas sibi commissas. Cui difficultati vt satisfaciant Glossa *ibi*, *verbo committentibus*, Hostiensis *in summa huius tituli, n.* 2. §. 1. Auendaño *de exequend. mand. cap.* 1. *n.* 16. existimant, in eo textu delegatum potuisse subdelegare, quia iam lis contestata erat; & sic exemplo procuratoris potuisse causam subdelegare. Sed hæc solutio facilè ex suprà traditis refellitur: aliter Baldus & Angelus *ibi*, Vantius *de nullit. tit. ex defectu iurisdict. n.* 24. satisfaciunt asserendo, textum *in d. c. cùm Bertoldus*, procedere in delegato Legati à Latere, qui ad instar delegati Pontificis potest subdelegare. Sed hæc solutio refellitur à Felino *ibi*, *num.* 16. quia non satis liquet, delegatum Legati à latere subdelegandi potestatem habere; & si hoc admitteretur, non constat *in cap. cùm Bertoldus*, agi de delegato Legati à Latere: quare Felinus *ibi*, *num.* 6. & alij relati à Couar. *dict. cap.* 20. *circa finem*, quos sequuntur Germonius *lib.* 1. *animad. cap.* 8. Euerardus Bronchorst. *centur.* 2. *assert.* 44. solutionem huius difficultatis aliunde petunt; supponunt enim, quod licèt delegatus inferioris Magistratus non possit causam sibi commissam subdelegare, potest tamen aliquam eius partem committere, *Clement.* 1. *hoc tit.* docet Bartolus *in d. l. more*, *num.* 11. Licèt contrarium defendant Fachineus *lib.* 1. *controu. cap.* 16. alij relati à Barbosa *in dict. l. cùm Prætor*, *num.* 111. quare cùm *in dict. cap. cùm Bertoldus*, vnus articulus, videlicet testium examen, committeretur, subdelegatio vires habuit: sed licèt verum sit, delegatum inferioris à Principe posse delegare illum cognitionis articulum, qui tantùm rudum factum contineat, non autem qui iurisdictionis vsum exigat, iuxta textum ita accipiendum *in cap. super* 27. *vers. Nos, hoc tit.* docent Barbosa suprà, *num.* 121. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 32. *num.* 10. tamen *in dict. cùm Bertoldus*, non vnus articulus, sed integra causa commissa fuit, vt ex textu constat, & probat Couar. *dict. cap.* 20. *num. fin.* Quare his, & aliis solutionibus omissis, verior est interpretatio eorum, qui affirmant, subdelegationem in eo textu non valuisse; sed quia causa iam delata erat ad Sedem Apostolicam, vbi de meritis causæ principalis, non verò de validitate, aut nullitate subdelegationis agebatur; tantùm super principali negotio decisio emanauit, & in prædictis verbis tantùm refertur casus contingentia; non autem subdelegatio probatur. Ita docent Couar. *vbi suprà*, Morla *dict. tit.* 2. *quæst.* 15. Sahagun *in præsenti*, *num.* 17. Balboa *in dict. cap.* 2. *num.* 22.

18. EXPLICATVR CAP. VT COMMISSI 12. DE HÆRET. LIB. 6.

Quartò suprà traditis obstat textus *in cap. vt commissi* 12. *de hæret. lib.* 6. vbi speciali priuilegio conceditur à Bonifacio VIII. Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt possint subdelegare citationes ad sententias proferendas; quod etiam expressè conceditur ab Alexandro IV. in quadam constitutione relata à Peña *in notis ad Directorium Inquisit.* 3. *part. quæst.* 3. ex quibus ita aduersùs supra dicta insurgitur: Inquisitores sunt iudices delegati R. Pontificis, *cap. ne aliquid, cap. per hoc, de hæreticis, lib.* 6. sed eis tantùm permittitur subdelegare citationem: igitur, quia integra causæ cognitio à delegato Principis non potest subdelegari. Augetur hæc difficultas ex Clementina 1. ibi, *Substitutis*, Clementina 2. *de hæret.* vbi innuitur, posse Inquisitores totam causæ cognitionem committere. Pro huius difficultatis solutione sciendum est, Inquisitores hæreticæ prauitatis ad cognitionem causarum fidei designatos iurisdictionem ordinariam in suis territoriis habere, licèt vices gerant R. Pontificis, à quo eliguntur, vel ex eius commissione à supremo Inquisitore, vt docent Molina *de iustitia tomo* 6. *disput.* 28. *num.* 1. Ludouicus Paramus *de origine Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 2. etsi disputent Parexa *de instrum edit.* 1. *part. tit.* 2. *resol.* 5. *num.* 12. Salgado *de supplicat.* 2. *part. cap.* 33. *num.* 80. Torreblanca *de iure spirit. lib.* 15. *cap.* 3. & *de magia lib.* 3. *cap.* 5. Narbona *in l.* 20. *tit.* 1. *lib.* 4. *recopil. glossa* 22. Diana 4. *part. tract.* 8. *resol.* 1. Escobar *de purit. sang.* 1. *part. quæst.* 6. §. 2. *num.* 25. Thomas Delbene *tom.* 2. *de Officio Inquisit.* Fermosinus *in iuris allegat. pro hac iurisdictione.* Licèt olim cùm hæc tribunalia erecta non erant, sed ad vnam, vel aliam causam in diuersis

prouin

prouinciis Inquiſitores mittebantur vt iudices delegati, cumulatiuè cum Epiſcopis contra hæreticos procederent, ad quæ tempora referendi ſunt textus *in cap. ne aliquis* 10. *cap. vt officium*, *cap. vt commiſſi*, *cap. per hoc* 17. *de hæret. lib.* 6. licèt talis iuriſdictio fidei fauore morte Pontificis non finiretur, *dict. cap. ne aliquis*. Docent Simanchas *de catholicis tit.* 44. *num.* 13. Illuſtriſſimus Manrique *tom.* 1. *annal. Ciſterc. anno* 204. *cap.* 3. *num.* 8. Salgado *de ſupplicat.* 2. *part. cap.* 33. *num.* 8. Eſcobar *de Pontificia iuriſd.* 1. *part. cap.* 6. §. 2. *num.* 25. Parexa *de inſtrum. edit. tit.* 2. *reſol.* 5. Etiam ſciendum eſt, temporibus Alexandri IV. & Bonifacij VIII. propter hæreticorum malitiam, & qualitates hæreſium ſatis arduum ac difficile fuiſſe huiuſmodi Inquiſitorum officium: vnde eorum induſtria adeò præeligebatur, vt tantùm per ſe, non verò per ſubdelegatos procedere poſſent, neque cauſæ cognitionem delegare valerent, exceptâ citatione partium, aut ſententiarum denunciatione, tanquam exigui præiudicij. Et licèt in dicta Decretali Alexandri IV. concederetur facultas ſubdelegandi examen teſtium, tamen Bonifacius VIII. *in dict. cap. vt commiſſi*, hanc omiſit, vtpote articulum non parui momenti: ſed cùm poſteà Inquiſitorum officium diutiùs viguiſſet, & variæ Pontificum, & Conciliorum conſtitutiones ad exercitium huius iuriſdictionis emanaſſent, non ita ardua hæc cauſarum cognitio iudicari cœpit: quare permiſſum fuit Inquiſitoribus integram cauſæ cognitionem ſubdelegare tanquam iudicibus ordinariis, vel vt alij volunt, delegatis Pontificis. Narbona *in l.* 20. *tit.* 1. *lib.* 4. *recopil. gloſſa* 22. *numer.* 79. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 1. & 18. Carena *de officio Inquiſit. part.* 1. *tit.* 5. §. 11.

19. INTELLIGITVR L. 1. §. 1 FF. QVIS ET A QVO.

Tandem opponitur textus *in l.* 1. §. 1. *ff. quis, & à quo appelletur*, in illis verbis: *Ab eo, cui quis mandauit iuriſdictionem, non ipſe prouocatur; nam generaliter is erit prouocandus ab eo, cui mandata eſt iuriſdictio, qui prouocaretur ab eo, qui mandauit iuriſdictionem.* Ex quibus, iunctis Accurſio, & Gothofredo *ibi*, deducitur, à iudice ſubdelegato, cui delegatus mandauit iuriſdictionem, non ipſum delegatum, ſed ſuperiorem eſſe adeundum: igitur quia delegatus poteſt ſubdelegare, etiamſi ſit inferioris Magiſtratus. Difficilis etiam eſt textus ille, dum docet, à ſubdelegato appellandum non eſſe ad delegatum, ſed ad eius ſuperiorem; cùm certum ſit, à ſubdelegato Principis appellandum eſſe ad ipſum delegatum, non verò ad ſuperiorem, *cap. delegatus* 7. *hoc tit. in* 6. igitur non rectè ibi docetur, ad delegatum non eſſe appellandum. Huic difficultati vt ſatisfaciant Gloſſa *verbo Delegatus*, *in cap. cùm cauſa* 62. *de appellat.* Accurſius *verbo Non debet*, *in l. à iudice*, *Cod. de iudiciis*, affirmant, quod licèt delegatus inferioris non poſſit ſubdelegare; hoc tamen limitatur in delegato ad vniuerſitatem cauſarum; illum enim poſſe vnam, vel aliam cauſam ſubdelegare, ſupponunt. Sed contrariam ſententiam, videlicet nec delegatum ad vniuerſitatem cauſarum ſubdelegare poſſe, docuerunt *in dict. l. more*, *gloſſa* 2. Bartolus *num.* 1. Baſilius *dict. cap.* 26. *num.* 9. Quintanadueñas *de iuriſd. lib.* 2. *num.* 3. & rectè; nam ratio quæ impedit ſubdelegare delegatum particularem, videlicet iuriſdictionis defectum, æquè militat in delegato ad vniuerſitatem cauſarum; licèt hodie vſu, & praxi contraria ſententia recepta ſit, vt teſtatur Quintanadueñas *dict. l.* 2. *num.* 2. Reſpondendum eſt ergo primæ difficultati aſſerendo, textum *in dict. §.* 1. procedere in iudice ordinario, qui mandauit iuriſdictionem; vel in delegato Principis, qui poteſt ſubdelegare; ſupponendi enim ſunt in eo textu termini habiles, in quibus videlicet iuriſdictio poſſit demandari.

20. PROSEQVITVR INTERPRETATIO.

Pro ſecundæ difficultatis ſolutione examinandum eſt, vtrum videlicet cùm delegatus Principis cauſam committit, & ſubdelegatus ſententiam profert, ab eo appellandum ſit ad delegatum; an verò ad ſuperiorem? Et ad ipſum delegatum eſſe prouocandum, ſuadetur *ex dict. cap. ſi delegatus* 7. & docuerunt Petrus Greg. *lib.* 5. *part. tit.* 5. *cap.* 8. *num.* 2. Molina *de iuſtitia tract.* 5. *diſput.* 21. *num.* 5. Barboſa *in dict. l. cùm Prætor* 12. *num.* 217. Scaccia *de appellat. quæſt.* 7. *num.* 63. Contrarium tamen, immò primum delegantem eſſe adeundum, probatur *ex dict. l.* 1. §. 1. *quis & à quo*, *l.* 1. §. *ſi quis*, *l. Imperatores* 21. *ff. de appellat. l. præcipimus* 32. *Cod. eod. tit. l. vnica in fine*, *Cod. qui pro ſua iuriſd. l. fin. in fine*, *Cod. de iudiciis*: tenent plures congeſti à Fachineo *lib.* 1. *controu. cap.* 78. Oſualdus *ad Donellum lib.* 28. *comment. cap.* 7. *littera B.* Pro huius diſſidij conciliatione duo caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt cùm cauſa commiſſa fuit ſimpliciter, & abſolutè, nullâ factâ reſeruatione ab ipſo delegato; tunc enim certum eſt, non ad delegatum, ſed ad delegantem eſſe appellandum, cùm delegatus omnem iuriſdictionis vſum à ſe abdicaſſet, & in ſubdelegatum tranſtuliſſet, *cap. ſuper* 27. §. 1. *hoc tit.* vbi Caniſius. Secundus caſus euenit, cùm delegatus Principis committendo cauſam ſibi aliquod ius reſeruauit, veluti exequendi facultatem, cuius ratione iterum cauſæ cognitionem repetere poſſit; tunc enim ipſe eſt adeundus, qui aliquem vſum iuriſdictionis retinuit: quo caſu procedit textus *in dict. cap. ſi delegatus*, vbi notauit Barboſa. Sunt etiam aliqui caſus, in quibus etiam reſeruatione factâ non appellatur ad delegatum, vt ſi cauſa tribus commiſſa ſit, & vnus ſubdelegauerit, ſubdelegatuſque cum duobus aliis ſententiam dixerit; tunc enim ad delegatum non appellatur, *cap. ſi duo* 10. *hoc tit. in* 6. nam ſi à coniudice ad coniudicem appellaretur, ad parem prouocaretur, contra principium textus *in l.* 1. §. *ſi quis in appellatione*, *ff. de appellat.* quod faciliùs procedit cùm vnus ex delegatis cauſam committit conſocio, & coniudici ſuo, *dict. cap. ſuper*, § *ſi verò*. Alius caſus eſt, cùm delegatus impeditus eſt; ne enim cauſarum exitus protrahatur, ad Pontificem appellatur, *cap. ſi à ſubdelegato* 14. *hoc tit. in* 6. Vltimus caſus eſt, cùm apud iudicem delegatum iuriſdictio in dubium vertitur; tunc enim ad delegatum non appellatur, quia licèt regulariter ad ipſum iudicem ſpectet cognitio, vtrum iuriſdictio ſua ſit, nec-ne, *l ſi quis ex aliena* 5. *ff. de iudiciis*; hoc tamen in præſenti non procedit, ne interpoſitâ appellatione appellans videatur conſentire in iudicem, quem reiicere intendit, Barboſa *in dict. cap. ſi delegatus*, *num.* 2. latiùs dicemus infrà, *in cap.* 27.

CAPVT

CAPVT IV.

Idem *Vvillelmo* [a] *Car. electo.*

DE cauſis, quæ in certum terminum dicendæ committuntur, hoc tuam volumus conditionem tenere, quod niſi dies ab Apoſtolico præfixus, de communi conſenſu partium prorogetur, eo tranſacto mandatum exſpirat.

NOTÆ.

a *Car.*] In prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* & poſt Concilium Lateran. *part. 7. cap. 6.* legitur: *Idem Vvillelmo Can. electo:* & Anton. Auguſt. *in notis ad hunc textum*, exiſtimat legendum eſſe, *Cantuarienſi.* Sed perperam, quia temporibus Alexandri III. tantùm S. Thomas, & Richardus floruerunt in Eccleſia Cantuar. quare legendum exiſtimo, *Carnotenſi*; quia poſt Ioannem Sariſbarienſem, & Petrum electus fuit Vvillelmus temporibus Alexandri III. vnde reſtituenda eſt ita inſcriptio: *Idem Vvillelmo Car. electo.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu communiter ab Interpretibus ſequens deducitur aſſertio: *Si cauſa committitur intra certum tempus terminanda, eo elapſo finitur delegata iuriſdictio, niſi partes terminum prorogauerint.* Probant eam textus *in cap. ex litteris, cap. conſuluit 24. cap. conſultationibus*, iunctâ integrâ, *hoc tit. cap. ſuper eo 12. §. fin. de appell. cap. venerabilis 6. de iudiciis, l. 2. §. ſi & iudex, ff. eod. tit.* Illuſtrant plures congeſti à Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Oſualdus *ad Donellum lib. 17. comment. cap. 10. littera P.* Vvlteius *in l. 1. Cod. de officio eius, num. 81.* Petrus Gregor. *lib. 5. partit. tit. 5. cap. final. tit. 14. cap. 7. & lib. 47. ſyntagm. cap. 22.* Gentilis *de iuriſd. lib. 2. cap. 29.* Arnoldus Vinius *eod. tract. cap. 6. & lib. 1. ſelect. quæſt. 4.* Baſilius *lib. 5. de matrim. cap. 2.* Boſquetus *ad Innocent. III. lib. 3. epiſt. 123.* Cuiacius *lib. 1. qq. Papin. in l. 3. ff. de receptis.* Fermoſinus *in cap. venerabili, quæſt. 6. de iudiciis*, Sahagun *in præſenti*, Morla *in emporio, tit. de iuriſd. quæſt. 21.* Quintanadueñas *de iuriſdictionis prorogatione, num. 1.*

2. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed in hanc Alexandri deciſionem pro ratione dubitandi ita inſurgi poteſt. Iuriſdictio delegata per litis conteſtationem perpetuatur, *cap. gratum, cap. relatum, hoc tit.* igitur etiam elapſo termino in delegatione aſſignato non exſpirat iuriſdictio delegata, quæ iam per conteſtationem perpetua erat. Augetur hæc difficultas primò ex eo, nam iudex delegatus maior eſt quocumque iudice ordinario, *cap. ſanè 11. hoc tit.* ſed iure noſtro Pontificio inſpecto, etſi tempus iudici ordinario ad finem inſtantiæ aſſignatum exceſſerit, adhuc iuriſdictio non finitur, immò cognoſcere valet: igitur idem dicendum eſt in iudice delegato. Probatur antecedens, nam iudici ordinario aſſignatum eſt triennium ad finem inſtantiæ, *l. properandum, Cod. de iudiciis, l. 3. Cod. vt intra certum tempus.* Docent Fornerius *lib. 3. quotid. cap. 1.* Reuardus *lib. 4. variar. cap. 14.* Didacus Perez *in lib. 3. tit. 1. [illegible]n.* Hodie verò biennium, Trident. *ſeſſ. 24. de [illegible]m. cap. 20.* & cauſa criminalis olim finienda erat intra annum, *l. 2. Cod. Theodoſ. ad leg. Corn. de falſis:* poſt Iuſtinianum verò intra biennium, *l. 1. Cod. vt intra certum tempus.* Sed etiam elapſo triennio non exſpirat iuriſdictio, *cap. penult. de iudiciis, cap. final. de probat. cap. cùm olim, de priuileg.* Docent plures laudati à Perez *vbi ſupra*, Narbona *in l. 59. gloſſa 1. tit. 4. lib. 2. recop.* Paz *in praxi, tit. de inſtantia, num. 11.* Ergo. Augetur ſecundò, nam ſi elapſo tempore exſpiraret iuriſdictio, ſequeretur non poſſe partes poſteà iuriſdictionem prorogare, cùm priuatorum conuentio non habenti iuriſdictionem tribuere non poſſit, *l. 1. l. priuatorum, Cod. de iuriſd.* cùm etſi prorogetur tempore habili, effectus confertur in tempus inhabile: ſed poteſt prorogari iuriſdictio à partibus vltra tempus in delegatione præſcriptum, *cap. P. & G. hoc tit.* igitur quia non finitur iuriſdictio in commiſſione aſſignata. Secundò aduersùs eam partem, vbi docetur, prorogatione partium extendi iuriſdictionem, ſic argumentor. Quæ proueniunt à natura actus, per partes mutari non poſſunt, *l. cùm precario 12. ff. de precario.* Pichardus *in §. 1. Inſtit. de donat. num. 8.* ſed natura iuriſdictionis delegatæ eſt ſtricta, *cap. ad aures 8. cap. ad hæc 10. cap. ſedes 15. cap. cùm dilecta 22. de reſcriptis:* igitur prorogari per partes non poteſt. Accedit nam ſi poſſet prorogari iuriſdictio per partes quoad tempus, poſſet prorogari quoad perſonas, cùm valeat argumentum de tempore ad perſonas, *l. plures 38. ff. de vulgari, l. nonnunquam 72. ff. de iudiciis*; ſed reſpectu perſonarum non datur prorogatio iuriſdictionis, *dict. cap. P. & G. hoc tit.* igitur nec ratione temporis poterit iuriſdictio prorogari.

3. DE DELEGATIONE AD CERTVM TEMPVS.

Quibus difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt prædicta aſſertio, ad cuius rectam interpretationem primò obſeruandum eſt, iuriſdictionem delegatam aliquando committi erga certas perſonas, *dict. cap. P. & G. hoc tit.* aliquando ad certas cauſas, *cap. ex conqueſtione, de reſtit. ſpol.* nonnunquam ad certum locum, *cap. tua nobis, de officio Vicarij*; ſæpè ſæpiùs ad certum tempus, vt in præſenti textu, & aliis ſuprà relatis: & cùm omnia comprehenſa in reſcripto delegationis ſint diligenter obſeruanda, *dict. cap. cùm dilecta*; idcò nec ad perſonas in reſcripto non expreſſas, nec ad alias cauſas, nec extra locum deſignatum, nec vltra tempus præſcriptum iuriſdictio delegata extenditur, *cap. Rodulphus, cap. ſignificauit, de reſcriptis, cap. P. & G. hoc tit.* Quod præcipuè procedit, & obſeruandum eſt in temporis præfinitione; illud enim in delegatione præſcribitur, vt finis litibus imponatur, & partes labore, ſumptibus, & expenſis non vexentur, quæ vtriuſque iuris conditorum omni tempore cura fuit, *l. properandum 11. Cod. de iudiciis, l. ſi quis iuſurandum, Cod. de rebus creditis, princip. Inſtit. de pœna temerè litig. cap. finem litibus, de dolo & contum.*

Vnde

Vnde Suetonius in Veſpaſiano, *cap.* 10. refert ipſum curaſſe, vt centumviralia iudicia, quibus peragendis vix litigatorum vita ſuffectura videbatur, ad breuiſſimum terminum redigerentur: & Iuſtinianus poſt alias conſtitutiones tandem ſtatuit, vt in cauſis criminalibus, quæ ante ipſius tempora anno concludebantur, *l. reus* 7. *ff. de muner. & honor. l. cùm in præterito*, *C. Theodoſ. ad leg. Corn. de falſis* (quod *ſtatutum tempus* dixit Tribonianus *in l.* 1. *Cod. vt intra certum tempus*, cùm antea ſcriptum eſſet *anni tempus*, vt Codex Theodoſianus oſtendit,) biennio finirentur; ciuiles autem triennio, *dict. l. properandum*, *Cod. de iudiciis*, *l.* 3. *Cod. vt intra certum tempus*, cuius conſtitutionis meminit Innocentius III. *lib.* 1. *regeſtr.* 13. *epiſt.* 1. in illis verbis : *Cùm enim ſecundùm iuris ciuilis authoritatem in illis etiam caſibus, in quibus ſolennis ordo iudiciarius obſeruatur, in crimiaali cauſa vltra biennium à conteſtatione litis non ſit eius inſtantia protrahenda.* Et licèt Reuardus *lib.* 4. *variar. cap.* 14. exiſtimet iam hoc tempus ante Iuſtinianum fuiſſe præfinitum, motus auctoritate Sidonij *lib.* 8. *epiſtol.* 6. ibi : *Per ipſum ferè tempus, vt decemviraliter loquar, lex de præſcriptione triennij fuerat proquiritata* ; tamen fallitur. Nam in caſtigatis codicibus ipſius Sidonij legitur, *tricennij* ; & Sidonius agit de præſcriptione tricennali, non verò de hac conſtitutione triennij ad finem inſtantiæ, vt iam notarunt Sauarus *ad ipſum*, Fornerius *lib.* 3. *rerum quotid. cap.* 1. Et ſi ſciſſciteris, quare in criminalibus cauſis breuius tempus ſtatutum fuiſſet, quàm in ciuilibus, cùm contrarium videbatur obſeruandum, ſiquidem quantò grauiores ſunt cauſæ criminales, tantò longior, & maturior debet eſſe earum diſcuſſio, argumento legis 1. §. *ſed ſi quis*, *ff. de Carbon. edicto*, *cap. vbi periculum* 3. *de electione in* 6. & vt Poëta aiebat : *Nulla vnquam de morte hominis ſera cunctatio eſt.* Reſpondeo, omiſſo Cuiacio *lib.* 27. *obſeru. cap.* 23. qui aſſerit difficiliores, obſcurioreſque eſſe cauſas ciuiles, & ideò longius tempus ad eas decidendas aſſignari ; quod cùm durior ſit conditio eorum, qui in reatu, & carceribus detinentur, ne per longum tempus cauſâ protractâ diutiùs vexarentur, & ſitu carceris, & ſquallore conficerentur, vt aiunt Imperatores *in leg. Rectores*, *Cod. de pœnis* ; ideò breuius tempus ſtatutum fuit in cauſis criminalibus decidendis, vt ſic reos puniendos velox pœna ſubduceret, aut liberandos diuturna cuſtodia non maceraret, *l.* 1. *&* 5. *C. de cuſtodia reorum.* Quod autem tempus pro qualibet inſtantia ſtatutum ſit, inferiùs dicemus *num. vlt.*

4. IVRISDICTIO DELEGATA POTEST PROROGARI.

Secundò præmittendum eſt, iuriſdictionem, tam ordinariam, quàm delegatam, eſſe prorogabilem ; cùm enim prorogatio ſit iuriſdictionis extenſio, vbi fuerit iuriſdictio, dari poterit & prorogatio, niſi à iure prohibita reperiatur. Sed quia præſentis inſtituti eſt ea, quæ ad iuriſdictionem delegatam ſpectant, proſequi, tantùm de prorogatione iuriſdictionis delegatæ in præſenti agemus : prorogationem autem iuriſdictionis ordinariæ exponemus *in cap. ſignificaſti* 18. *de foro comp.* interim videndi ſunt Oſualdus *lib.* 17. *Donelli*, *cap.* 10. *littera P.* Didacus Perez *in l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 4. *Ordin.* Vinius *lib.* 1. *ſelect. cap.* 4. *& de iuriſdictione cap.* 10. *de prorogat.* Morla *in emporio*, *tit.* 2. *de iuriſd. quæſt.* 21. Petrus Barb. *in l.* 1. *art.* 1. *n.* 20. *ff. de iudiciis* Cabedo *tom.* 1. *decìſ.* 12. Vulteius *in l.* 1. *n.* 44. *C. de iuriſd.* fusè Carleual. *de iudiciis diſp.* 2. *quæſt.* 8. *ſect.* 2. igitur vt ad prorogationem iuriſdictionis delegatæ diſputationem contrahamus, præmittenda priùs ſunt requiſita prorogationis. Varia enim deſiderantur ad prorogationem iuriſdictionis delegatæ. Primò ex parte iudicis ſpectatur, vt adhuc iudex ſit ; nam priuati iuriſdictio, quæ nulla eſt, neque prorogari, neque protrahi debet, *l.* 1. *verſ. Cuiuſvis*, *l. ſi conuenerit* 18. §. *ſi conuenerit*, *ff. de iudiciis*, *cap.* 1. *verſ. Apud alios*, *cap. ſignificaſti*, *de foro compet. cap. P. & G. hoc tit.* Sahagun *in præſenti*, *cap.* 4. Quintanaduenas *de prorogat. iuriſdict. num.* 9. Secundò deſideratur ex parte litigantium, vt vtraque pars conſentiat in protogationem, ex hoc textu in illis verbis, *de communi conſenſu*, vt *in dict. l. ſi conuenerit* 18. Quintanaduenas *vbi ſuprà*, Ripol. *de iuriſdict. cap.* 1. *num.* 398. quod enim omnes tangit, debet ab omnibus approbari, regulâ *Quod omnes*, *de reg. iur. lib.* 6. vnde ob eandem rationem & iudicis delegati voluntas expectatur. Tertiò deſideratur, vt iuriſdictio prorogetur ſub eadem forma, & ſpecie iuriſdictionis, hoc eſt, quod prorogetur iuriſdictio eo modo, quo delegatus eam obtinebat, videlicet vt ſi ciuilis erat iuriſdictio, ad ciuilem cauſam prorogetur ; non verò ad criminalem, *l. ſolemus* 61. §. *latrunculator*, *ff. de iudiciis* : ſi cauſa feudalis commiſſa ſit, ad ſimilem prorogetur, vt poſt Felinum *in præſenti*, *num.* 2. docent Gutierrez *de iuram. lib.* 1. *cap.* 49. *num.* 8. Vulteius *in l.* 1. *Cod. de iuriſd. n.* 108. & *in l.* 5. *n.* 10. & *lib.* 1. *de iudiciiis*, *c.* 4. *num.* 174.

5. PROROGATIO AD QVÆ EXTENDATVR.

Prorogatio hæc iuriſdictionis delegatæ quatuor modis contingere valet, videlicet de re ad rem (ſub quo modo complectimur de cauſa ad cauſam, de quantitate ad quantitatem) de loco ad locum, de tempore ad tempus, de perſona ad perſonam. Docent Claſſici reperentes *in præſenti*, & *in cap. P. & G. hoc tit.* Vinius *de iuriſd. cap.* 10. *&* 11. De re ad rem poteſt iuriſdictio delegata progari, dum cauſa, ad quam prorogatur, ſit eiuſdem naturæ, *cap. cùm olim* 32. *hoc tit.* quod & in iudice ordinario procedit, *l. de qua re* 74. §. 1. *ff. de iudiciis*, *l. inter* 18. *ff. ad municip.* Docent Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 3. *ordin.* Sahagun *in præſenti*, *num.* 24. Morla *dict. quæſt.* 21. *num.* 2. circa prorogationem de loco ad locum certum eſt, eam admitti in iuriſdictione delegata, *cap. ſtatutum* 11. §. *in nullo*, *de reſcriptis*, *lib.* 6. Docent vltra ordinarios *in dict. cap. P. & G.* Maranta *de ordine iudiciorum* 4. *p. diſt.* 12. *à num.* 4. Quintaduenas *num.* 5. Boſquetus *ad Innocent. lib.* 3. *epiſt.* 123. Circa iudicem ordinarium magna controuerſia eſt : negant Bartolus *in l.* 2. *ff. de iudiciis*, *num. final. l.* 1. *Cod. de iuriſd. num.* 1. Arnoldus Vinius *lib.* 1. *ſelect. c.* 4. ad cuius reſolutionem videndus eſt Carleual. *vbi ſuprà*. De tempore ad tempus etiam admittitur prorogatio ex hoc textu & ſuprà citatis ; dum tamen adhuc perſiſtat iuriſdictio delegata : nam ſi iam temporis lapſu exſpirauit, tunc prorogari non poteſt. Tandem de perſona ad perſonam licèt in iudice ordinario admittatur prorogatio, *l.* 1. *ff. de iudiciis*, *cap. ſignificaſti* 18. *de foro compet.* de quo accipiendus eſt textus *in dict. l.* 1. *Cod. de iuriſd.* tamen in delegato certum eſt, non admitti, *cap. cùm olim* 32. *cap. P. & G. de officio delegati*, Duarenus *de iuriſd. cap.* 2. Bocerus *eod. tract. cap.* 7. *n.* 20. Vinius *de iuriſd. cap.* 10. Vulteius *in l.* 1. *Cod. de iuriſdict. n.* 81. Cuius diſcriminis rationem in ſolutione vltimæ difficultatis aſſignabimus.

6. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant dubitandi rationes suprà adductæ: nam licèt iurisdictio delegata per litis contestationem perpetuetur, & iurisdictio quælibet suâ naturâ perpetua credatur; hoc tamen procedit, nisi in delegatione tempus adiiciatur; tunc enim temporis adiectione efficitur temporalis, & sic elapso tempore assignato ex expressa delegantis voluntate, finitur iurisdictio delegata. Basilius *de matrim. lib. 5. cap. 25. num. 2.* Nec primum augmentum huius difficultatis refragatur; nam licèt iure ciuili inspecto triennij lapsu exspiret instantia iudicis ordinarij, *d. l. properandum*, cum similibus; tamen iure nostro Pontificio huiusmodi triennij lapsu non finitur instantia, *cap. cùm olim, vers. Iudices, de priuileg. cap. final. de probat.* Docent Didacus Perez, Narbona, & Paz *vbi suprà*, Cironius *in d. cap. venerabilis:* vnde adhuc post triennium potest iudex ecclesiasticus sententiam proferre, licèt hodie post Concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 20.* elapso biennio partes possint adire superiorem propter negligentiam ordinarij, vt latè pro explicatione ipsius textus docent Anguianus *lib. 1. de legibus, cap. 17. n. 29.* Franciscus Valens *in concord. iuris, tit. 2. de constit. q. 3. sect. 2.* vbi hoc discrimen in vtroque iure agnoscit, & acriter defendit. Nec secundum augmentum aduersatur; licèt enim partes priuato iurisdictionem dare non possint; tamen iudicis iurisdictionem prorogare valent, quia nihil de nouo illis præstant, sed tantùm iurisdictionem concessam extendunt ad longum tempus: quod ex tacita delegantis voluntate faciunt; nam cùm assignatur à delegato tempus, iam ex iuris dispositione inest illa conditio, nisi à partibus prorogetur: quare litigatores tempus prorogando vtuntur facultate à iure permissâ, & iuxta voluntatem delegantis. Vnde eadem iurisdictio erit prorogata, ac fuit delegata, argumento legis *sed si momento, ff. de precario:* quare in prorogatione repetitæ censentur omnes clausulæ à delegante adiectæ, vt resoluunt Iason *in l. 1. §. & post operis, ff. de noui operis nunt.* Felinus *in cap. 2. num. 34. de sponsalibus.* Nec etiam obstat secunda dubitandi ratio suprà adducta; verum enim est, iurisdictionem delegatam strictam esse, & odiosam, ideoque restringendam; sed non inde rectè infertur, eius prorogationem, quæ ex natura ipsius iurisdictionis delegatæ, & tacito iure prouenit, admitti; licèt enim ad omissa, & non expressa in rescripto delegationis extendi iurisdictio non possit, *d. cap. Rodulphus, dict. cap. signauit, de rescriptis*; tamen ad tempus prorogari potest, ex ratione suprà adducta. Nec eius difficultatis augmentum obstat; nam valet argumentum de tempore ad personas, quando contrarium in iure expressum non reperitur, vt in hoc casu, in quo expressum inuenitur, prorogari posse iurisdictionem de tempore ad tempus, ex nostro textu, & similibus; non autem de persona ad personam, *d. cap. P. & G.* Cuius differentiæ ratio in eo consistit; nam faciliùs quid augetur, & prorogatur, quàm de nouo conceditur, *l. 2. §. 1. ff. de iudiciis, l. quod si dubitet, ff. de acquir. hæred.* vnde ad tempus potest iurisdictio prorogari, quia extenditur; ad personas verò non prorogatur, quia in eas de nouo creatur, & præiudicatur ordinario, à cuius iurisdictione illæ subtrahuntur virtute prorogationis: & tunc verum est, priuatorum consensum illum iudicem facere non posse, qui aliàs iudex non est.

7. EXPONITVR CAP. VENERABILI, DE IVDICIIS.

Adhuc tamen superiori assertioni obstat textus *in cap. venerabili 20. de iudiciis*, vbi proponitur, causam disceptari inter Simeonem Archiep. Rauennatensem ex vna parte, & communitatem Coruiensem ex altera; & cùm causa commissa esset Magistro Tancredo Bononiensi, ipsa vniuersitas Coruiensis proposuit triennium esse transactum, & sic iudicem delegatum ampliùs in ea causa procedere non posse, quia lapsu triennij in delegatione assignati exspirauerat eius iurisdictio. Consultus fuit Honorius III. qui anno 1224. die 15. Kalendis Februarij rescripsit, iudicem delegatum posse in cognitione causæ procedere, quia causa commissa fuerat anno 1221. Ex qua Honorij decisione expressè deducitur, lapsu temporis non finiri iurisdictionem delegatam. Pro huius textus interpretatione dicendum est, in eo non tractari de delegatione cum temporis præfinitione facta, sed de iurisdictione indefinitè mandata: sed quia iure Cæsareo triennium assignatum est ad instantiam finiendam, existimabat vniuersitas Coruiensis, etiam iure Pontificio lapsu triennij exspirare instantiam, & sic proponebant iurisdictionem iudicis delegati cessasse per lapsum triennij. Honorius autem, tum quia dolosè & per cauillationes, atque subterfugia triennium elapsum erat, quo casu per transcursum triennij non cessat instantia, *l. arbitrio 18. §. dolo, ff. de dolo*, Harmenopulus *lib. 1. prompt. tit. 4.* tum quia iure Pontificio, vt suprà diximus, instantia non periit triennio, statuit, adhuc iudicem delegatum posse in causa procedere. Ita illum textum exposuerunt Cironius in quinta compilatione, *ad ipsum*, Couar. *in cap. quamuis, 2. p. §. 2. de pactis in 6.* Basilius *lib. 5. de matrim. cap. 25.* Anguianus *lib. 3. de legibus, cap. 17. per totum.* Alia dabimus *in cap. 2. de re iudicata.*

8. INTELLIGITVR CAP. CONSVLVIT 24. HOC TIT.

Ex suprà traditis accipit lucem textus *in cap. consuluit 24. hoc tit.* vbi iudex delegatus cum certa temporis præfinitione, intra quod causam terminaret, terminum peremptorium partibus assignauit ad comparendum, vt sententiam audirent; & cùm vna ex partibus contumaciter abesset, quæsitum fuit ab Innocentio, vtrum denuò esset citanda. Cui quæstioni Innocentius III. sub distinctione respondet, videlicet, vt si iurisdictio delegata duret post terminum peremptorium, ex æquitate posse illum expectare, & gratiâ factâ iterum citare; si verò in die assignata partibus exspiret iurisdictio, & hora competente pars citata non comparuerit, posse delegatum aut publicationem testium facere, aut sententiam proferre. Ex qua decisione colligitur, iurisdictionem delegatam finiri elapso termino, intra quem possit iudex sententiam proferre; nam etsi tempus assignatum integrè elapsum non esset, cùm tamen sententia nocte proferri non possit, ideò si pars citata horâ competenti non comparuerit, ne lapsu temporis iurisdictio exspiret, potest sententiam proferre parte non comparente. Alia, quæ ad huius textus illustrationem spectant, petenda sunt ex eius notis.

§.

§.

ILlis etiam, qui pro cauſis tibi commiſſis ad citationem tuam venire, aut tuo ſuper his iudicio parêre [a] neglexerunt, ſi tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna canonibus exprimatur, eam infligas, alioquin ipſos pro delicti qualitate, & cauſæ, ſecundùm tuum arbitrium punias.

NOTÆ.

a NEglexerunt.] De quibus plura adduxi *in cap. 1. hoc tit.*

COMMENTARIVM.

CONCLVSIO PROBATVR. 1. EX hoc §. communiter deducitur ſequens aſſertio: *Vbi certa pœna à iure ſtatuta eſt in delictis, illa debet à delegato imponi; vbi verò expreſſa non eſt, arbitrio iudicis infligitur.* Primam partem huius aſſertionis probant textus *in cap. licèt 3. de pœnis, cap. cognouimus, §. vlt. 16. q. 6. cap. non afferenda 24. q. 1. cap. vlt. §. accuſatorum 2. q. 3. cap. in memoriam 3. verſ. vt licèt 19. diſt. cap. ſi quem 8. verſ. Pœnam 2. q. 3. cap. fin. de tranſact. l. 1. §. calumniat, ff. ad Turpil. l. proſpexit, ff. qui & à quibus, l. Diui 27. §. ſed id, l. reſpiciendum, l. aut facta 16. in fine, ff. de pœnis, l. ſi opere, verſ. Pœnam, Cod. eod. tit. l. 3. C. ne ſanctum Baptiſma.* Secundam concluſionis partem firmant textus *in cap. ſicut 6. de homicidio, cap. aut facta, §. 1. de pœnit. diſt. 1. l. 4. §. penult. ff. de incend. & ruina.* Illuſtrant plures congeſti à Cenedo *ad Decretales collect. 46.* Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Couar. *lib. 2. variar. cap. 9. num. 8.* Sarmiento *de reddit. p. 1. cap. 2. num. 9.* Sahagun *in præſenti*, Morla *emporio, tit. de legibus, quæſt. 10.* Anguianus *lib. 2. controu. cap. 5.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 10.* Fragoſo *de regim. p. 1. lib. 4. diſput. 11.* Vighellius *in method. iuris can. pag. 44.* Petrus Gregor. *lib. 4. partit. tit. 15. cap. 3.* Grotius *in floribus ſparſ. ad titul. ff. de pœnis*, Antonius Matthæus *tom. 2. de crimin. pag. 871.* innumeros referens Carleual *in addit. ad primam partem de iudiciis, diſput. 15.*

IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO. 2. Sed in contrarium plura vtriuſque iuris teſtimonia proclamant, aſſerentia, etiam in pœnis à lege præſcriptis locum eſſe iudicis arbitrio, & adhuc licere illius ſententiam mollire, *l. quid ergo, §. pœna, ff. de his qui notantur, l. & ſi ſucceſſor, C. ex quibus cauſis infam. l. hodie 13. l. aut facta, ff. de pœnis, l. ad tempus, de Decurion. l. ordine, in principio, ff. ad municip. cap. tempora, §. de his 26. q. 7. cap. in actione 83. cum ſequent. de pœnit. diſt. 1. l. 4. tit. 22. partit. 3. l. 6. tit. 6. partit. 7.* Faciunt D. Auguſt. *epiſt. 158.* ibi: *Soleo enim audire, in poteſtate eſſe iudicis mollire ſententiam, & mitiùs vindicare, quàm iubent leges.* Plinius *lib. 6. epiſt. 9.* ibi: *Cepio cùm putaret licere Senatui, ſicut licet & mitigare leges, & intendere, non ſine ratione veniam dedit facto vetito quidem, ſed neceſſitate.* Igitur licèt pœna certa aduerſus impedientem iuriſdictionem ſtatuta ſit, poteſt minui, augeríve à iudice delegato. Secundò difficilis eſt præſens deciſio, in qua agitur de contumace non comparente coram iudice delegato, ex eo; nam aduersùs eùm certæ ſtatutæ ſunt pœnæ, vt miſſio in poſſeſſionem, rei ſequeſtratio, & excommunicatio, *l. 1. ff. ſi quis ius dicenti, l. conſentaneum 8. Cod. quomodo, & quando, cap. 1. & 2. cap. provt 4. de dolo & contumacia, cap. 1. & 2. de eo qui mittitur, cap. quoniam, vt lite non conteſtata:* igitur diſtinctio ab Alexandro facta, vtrum pœna eſſet ſtatuta à iure, vel non, conſultationi non adaptatur, cùm in præſenti ſpecie certa pœna ſtatuta reperiatur.

DE POENIS A IVRE STATVTIS. 3. Quibus difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt Alexandri deciſio, videlicet pœnam à iure ſtatutam pro quolibet delicto, ipſam à iudice irrogandam eſſe; ſi autem nulla ſtatuta reperiatur, arbitrio iudicis relinqui, quænam imponenda ſit. Ad cuius expoſitionem ſciendum eſt, nullam eſſe rempublicam ritè, legitiméque ordinatam, vbi non ſint præmia iuſtis, & probis hominibus decreta, & pœnæ dyſcolis, & facinoroſis ſtatutæ, vt poſt criminaliſtas Farinacium videlicet, Canteram, Iulium clarum, Plazam, Gutierrez, Caballo, Guazinum, & Tiberium Decianum, docent Vela *de delictis cap. 1.* Gibalinus *tom. 2. de negotiat. lib. 6. cap. 2. art. 3.* Antonius Matthæus *p. 1. de crimin. cap. 1.* Grotius *de iure belli lib. 2. cap. 20. per totum*, plures ex politicis congerens Doctiſſimus vir D. Ioannes de Solorzano *emblem. 73.* Inter ea enim, quæ natura dictat, nihil rectius, iuſtiuſque eſt, quàm vt qui malum facit, malum ferat. Lactantius *de ira Dei, cap. 17. Non exiguo falluntur errore, qui cenſuram, ſiue humanam, ſiue diuinam, acerbitatis, & malitiæ nomine infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœnâ.* Et Plato aiebat: *Nec Deorum, nec hominum quiſquam hoc dixerit, iniuſtè agenti non luendam pœnam.* Quare pœna diffinitur, *Malum paſſionis ob malum actionis.* Plura Grotius *dict. cap. 20.* vbi doctè diſputat, an pœnarum conſtitutio pertineat ad iuſtitiam aſſignatricem, an verò ad expletricem. Cauſa autem pœnæ ſanciendæ, eſt improborum emendatio, & bonorum formidatio. D. Iſidorus relatus *in cap. 1. 4. diſt.* ibi: *Factæ ſunt autem leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia; ſed in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocendi cupiditas.* Quem locum explicat Diuus Thomas 1. 2. *quæſt. 95. art. 1. verſ. Sed contra.* Pœnarum ergo comminatio ſancita fuit à Legumlatoribus, tanquam medium magis efficax; non verò tanquam medium magis concupitum, aut magis optatum. Vellent enim potiùs homines bonos, immò optimos facere propoſitione præmiorum, quàm à malo eos retrahere pœnarum metu; ſed quia quod optant, non poſſunt aſſequi per illud medium, ideò ad hoc deſcendunt neceſſitate adacti, vt philoſophatur Plato *lib. 9. de legibus*; cui meritò adiungenda ſunt verba Decretalium extrauagantis Ioannis XXII. inter ſuas, quæ eſt prima *ſub tit. de pœnis*, lata contra homines Marchiæ Anchonitanæ; & alia

alia eiusdem inter communes, quæ est vnica, *sub eod. tit. de pœnis*, in depositione Vgonis Gerardi Episcopi Cartucensis; quarum verba essent referenda, nisi essent nimis prolixa. Quod votum etiam eleganter ostendunt Cætares *in l. vlt. C. de statuis & imaginibus*, & Pontifex *in Clement. vlt. de pœnis*. Quare præmium, & pœna, quasi poli sunt huius cœli politici, & bases huius firmissimæ columnæ. Audiamus Solonem apud Tullium *lib. vnic. epist. ad Brutum, epist.* 15. *Nec solùm*, inquit, *vt Solonis dictum vsurpem, qui & sapiens vnus fuit ex septem, & legum scriptor solus ex septem: is Rempublicam duabus rebus contineri dixit, præmio, & pœna.* De quo argumento etiam adiungendus est Arist. *lib.* 3. *Ethicor. cap.* 1. *&* 5. quod latè versant nuperi politici, pro quorum numero vnus solus sufficiat vir litterariâ gazâ ditissimus noster Solorzanus *emblem.* 78. addique possunt Stephanus Nathen. 1. *p. de iustit. vulner. tit.* 3. *ferè per totum*, Fortunius Garcia *in tract. de vlt. fine, in oratione præfixa operi*, Velleius de Gueuara *ad l.* 1. *ff. de iustitia, lib.* 5. *ex num.* 4. & alij, qui tanquam passim obuij in re protrita superfluò referrentur.

4. MODVS IN POENIS ATTENDITVR.

Sed etsi omne ius, rectaque ratio poscant, vt pœna à sontibus exigatur, nocentesque pœnas luant; tamen ipsa iura efflagitant, vt noxæ sit æqua punitio, cum delictoque pœna commensuretur, atque æqualitas inter pœnam, & culpam detur; vnde inter alias Deuteronomij leges illa legitur, *cap.* 25. *Pro mensura delicti erit plagarum & modus.* Et in ipso Dei iudicio seruari testatur D. Ioannes *in sua Apocal. cap.* 18. ibi: *Quantùm glorificauit se, & in deliciis suis, date illi tormentum & luctum.* De qua æqualitate Horatius *lib.* 1. *satyra* 3. agit dum ait.

Ponderibus, modulisque suis ratio vtitur, ac res,
Vt quæque est, ita suppliciis delicta coërcet.

Et infer ùs *eadem satyra*, ibi:

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas;
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Et Ouidius *in Tristibus* deprecabatur.

Tutius exilium, pauloque quietius oro,
Vt par delicto sit mea pœna suo.

Plura iuris, & bonæ notæ authorum testimonia adducunt Velasco *in axiom. littera P.* Menochius *lib.* 1. *de arbitr. quæst.* 90. Menchaca *illustrium cap.* 8. *num.* 5. Grotius *de iure belli dict. lib.* 2. *cap.* 20. Solorzanus *dict. emblem.* 73. Bernegerus *ad Tacitum, quæst.* 61. Vt ergo hæc æqualitas à Magistratibus in pœnis infligendis seruetur, iuris vtriusque conditores singulas singulis delictis imposuerunt, vt constat ex pœnitentiali Romano, & *tot. lib.* 5. *huius voluminis*, & vltima ferè Digestorum parte, vbi pro varietate delictorum diuersæ statuuntur pœnæ, quas doctè, & nouiter exponit, & illustrat Antonius Matthæus *de pœnis delictorum:* sed quia non omnia delicta cum suis circunstantiis æquè considerari valent, & æstimari, aliquando pœna eorum arbitrio iudicis relinquitur, vt ipse pro suo arbitrio disponat.

5. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

His præmissis ratio primæ partis decisionis ex eo prouenit; nam inferior non potest superioris legem immutare, aut corrigere, *cap. cùm inferior* 21. *de maiorit. & obed.* vnde cùm lex, quæ superior est quocumque Magistratu, aliquam pœnam irrogat, eam iudex mutare minuendo, vel augendo non debet, *cap. iudicet* 3. *quæst.* 6. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundùm leges pronunciat, *cap. de libellis*, 20. *dist. authent. de iudicibus, collat.* 6. §. *non oportet.* Iudex non debet esse clementior lege scripta, *nouella* 82. *Iustiniani de iudicibus*, §. *vt autem.* Quò spectat quod ex Papiniano refert Marcianus *in l.* 1. *ff. ad Turpil.* facti quæstionem esse in arbitrio iudicantis; pœnæ autem persecutionem reseruari legis auctoritati. Cui coniungenda est lex 15. *ff. ad municip.* vnde solent Imperatores iudicibus minari, si pœnas lege præscriptas molliuerint, vt *in l.* 8. *C. Theodos. de appellat. l.* 8. *Cod. ad leg. Iul. de vi publ.* hinc *in l.* 65. *Cod. Theodos. de hæret.* dicitur: *Nulli iudicum licere delatum ad se crimen minori, aut nulli coërcitioni mandare, nisi ipse velit pati, quod aliis dissimulando concessit.* Faciunt Symmachus *epist. extrem. lib. vlt. Alia est conditio Magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores: alia dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere.* D. August. *in epist.* 158. *ad Marcell. Soleo enim audire, in potestate esse iudicis mollire sententiam, & mitiùs vindicare quàm leges.* Quæ verba de illis legibus, quæ ad terrorem scriptæ reperiuntur, accipit Gothofredus *in d. l.* 65. Accedit & illa ratio; nam lex nullo affectu mouetur; non itascitur, non odit, nullâ ambitione ducitur; diligit omnes, pariterque omnibus indulget, vt considerat Gregor. Lopez *in l.* 8. *tit.* 1. *partit.* 1. Quæ omnia contraria reperiuntur in iudice: quare rectè in præsenti deciditur, iudicem delegatum non posse pœnas à iure stabilitas immutare; nonnunquam tamen mitior pœna ex iuris dispositione à iudice statuitur, vt si reus ad Ecclesiam aufugerit; tunc enim mitiùs punitur, *cap. inter, vers. Ne inde, de immunit. eccles.* vel si reus pecuniariâ pœnâ damnandus, non sit soluendo, tunc arbitrariâ pœnâ corporali plectitur, *cap. finem* 5. §. *& si soluendo, ff. de dolo, & contum.* Secundæ partis præsentis assertionis ratio ex eo nascitur, quia cui iurisdictio mandata est, ea omnia concessa intelliguntur, quæ ad eius iurisdictionem spectant, *l.* 2. *ff. de iurisd.* latè probaui *in cap.* 1. *hoc tit.* sed si inobedientes, & contumaces, aduersùs quos certa pœna à iure statuta non est, punire non possit delegatus, illusoria redderetur eius iurisdictio: igitur vt eam exequi valeat, rectè in præsenti deciditur, arbitrariam pœnam eo casu iudicem delegatum imponere posse.

6. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obstat prima difficultas suprà adducta ex variis vtriusque iuris testimoniis, quibus moti, & fulti Decius *in præsenti, num.* 19. Tiraquel. *de pœnis temper. in præfat. num.* 17. Couar. *lib.* 2. *variar. cap.* 9. *num.* 8. existimarunt, iudicem ex iusta causa posse pœnam à iure statutam mutare. Sed pro huius difficultatis solutione discrimen constituendum est inter eum casum, in quo ex iusta, & rationabili causa iudex auget, minuitve pœnam à iure statutam; & inter eum, in quo sine iusta causa mutare intendit. Primo casu rectè pœnæ mutatio fit; secundo verò neutiquam, vt docent Morla *in emporio, tit. de legibus, quæst.* 10. Anguianus *eodem tract. lib.* 2. *controu.* 5. Fragoso *dict. disput.* 11. licèt contrarium, immò nullâ etiam causâ suggerente iudicem posse pœnam mutare, defendat Mendoza *lib.* 1. *de pactis, cap.* 3. *num.* 30. Hæc autem distinctio procedit quando iudex ante

sententiam,

ſententiam, nempe in illius prolatione pœnam mutauerit; ſecus verò ſi poſt ſententiam prolatam, *l. 5. tit. 13. lib. 2. fori, l. 3. tit. 22. part. 3. l. 11. tit. 6. lib. 3. l. 14. tit. 26. lib. 8. recopil.* Nec contrarium probat textus *in l. 4. tit. 22. part. 3.* quam de pœnis arbitrariis accipiunt Greg. Lopez *ibi*, Morla *d. q. 10. num. 9.* qui alios plures referunt. Nec ſecunda difficultas aduerſatur, cui ſatisfacit Abbas in præſenti, *num. 12.* aſſerendo, miſſionem in poſſeſſionem non eſſe pœnam, ſed iuris remedium, vt contumax in iudicio compareat: quare aduersùs eum aliam pœnam eſſe imponendam. Sed hæc ſolutio reiicitur à Decio & Sahagun *in præſenti.* Quare eâ, & aliis traditis à Beroio, Hoſtienſe, & Felino *in præſenti*, omiſſis, dicendum eſt, in hoc textu deciſi caſum ſpecialem, in quo ob qualitatem negotij, aut perſonarum pœna certa ſtatuta non eſt, ibi: *Si tale fuerit negotium*, &c. vt ſi aliquis à delegato vocatus vt teſtimonium ferat, nolit comparere; in hoc enim caſu, & ſimili, cùm certa pœna in iure non ſit ſtatuta, delegatus, cui conceſſa ſunt omnia ad cauſæ commiſſæ expeditionem, pœnam arbitrariam imponere debet. Docent, atque ita noſtrum textum accipiunt Menochius *de arbitr. q. 96. num. 20.* plures relati à Cenedo *ad Decretales collect. 46.* Anguianus *dict. cap. 5.*

7. EXPONITVR CAP. INQVISITIONIS, DE ACCVSAT.

Adhuc ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in cap. inquiſitionis 21. de accuſat.* vbi cùm cauſa, ſeu negotium inquiſitionis committeretur certis iudicibus delegatis, & conſtaret, delictum perpetratum depoſitione dignum eſſe, quæſitum fuit, vtrum depoſitionis pœna illi eſſet infligenda? Et conſultus Innocentius III. reſpondet ſecundùm perſonæ merita, & exceſſus qualitatem poſſe iudices pœnam moderari. Ex qua deciſione expreſsè deducitur, iudices delegatos poſſe pœnam à iure ſtatutam minuere, & mutare. Pro cuius textus interpretatione dicendum eſt, Alexandrum III. in præſenti agere de iudicio ordinario, vbi ad petitionem partis proceditur; at verò Innocentius III. *in d. cap. inquiſitionis*, loquitur in iudicio extraordinario inquiſitionis, in quo non pœna ordinaria; ſed extraordinaria imponitur, vt docent Maranta *de ordine iudic. diſt. 10. num. 6.* Anguianus *d. lib. 2. controu. cap. 5. num. 34.* vnde *in dict. cap. inquiſitionis*, non pœna ordinaria depoſitionis, ſed extraordinaria imponitur. Cui diſtinctioni opponi ſolent textus *in cap. qualiter, de accuſat. cap. 2. de confeſſis, cap. final. de celebr. Miſſar. cap. ex litteris, de exceſſib. Prælat.* quorum interpretationes dabimus in commentario textus *in d. cap. inquiſitionis.* Interim videndi ſunt Acuña *in cap. Petro 4. 47. diſt.* Fachineus *lib. 9. controu. cap. 15.* Beroius *in d. cap. qualiter, num. 53.* Anguianus *d. lib. 2. de legibus, cap. 6.*

8. INTELLIGITVR CAP. IN ARCHIEPISCOPATV, DE RAPTORIBVS.

Secundò aduerſatur textus *in cap. in Archiep. de raptoribus*, vbi Alexander III. reſcribit Panormitano Archiepiſcopo, vt in cauſa criminali contra Saracenos mulieres Chriſtianas, & pueros rapientes, & eis abutentes procederet; ita tamen vt in ea cauſa ſibi commiſſa à Rege Siciliæ, non imponeret pœnam ordinariam mortis, ſed tantùm pecuniariam, & flagella, dum ad effuſionem ſanguinis non peruueniretur: igitur quia delegatus iudex pœnam ordinariam à iure ſtatutam mutare poteſt. Cui difficultati, omiſsâ ſolutione relatâ, & reiectâ ab Anguiano *d. lib. 2. controu. cap. 5. num. 42.* dicendum eſt cum ipſo, *num. 44.* pœnam ordinariam in eo caſu eſſe vltimum ſupplicium, & ſic effuſionem ſanguinis continere, quam iudices eccleſiaſtici imponere non valent, *cap. ſententiam, cum vulgatis, ne clerici vel monachi*: quare iudex delegatus in eo textu non poterat pœnam ordinariam imponere, ſed tantùm extraordinariam, per quam ad effuſionem ſanguinis non peruueniretur.

CAPVT V.

Idem *Archiepiſcopo* [a] *Senonenſi.*

PRæterea ſuper hoc, quod nos conſulere voluiſti, vtrum liceat iudici delegato, non ordinario, ſine litteris commiſſoriis exigere contumacem, vt veniat; vel damnare, ſi non venerit: hoc tibi præſentium auctoritate innoteſcat, quod poſtquam ei cauſa, licèt ſimpliciter, delegatur, ſatis poteſt noſtra auctoritate partes compellere, & etiam contumaces ſeueritate eccleſiaſticâ coërcere, etiamſi litteræ commiſſionis id non contineant, aut partes mandatum non habeant, vt accedant; quia ex eo, quod cauſa ſibi committitur ſuper his omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem.

NOTÆ.

a *Senon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 6.* & poſt Concilium Lateran. *p. 7. cap. 7.* De Eccleſia Senonenſi plura adduxi *in cap. 1. de reſcriptis*, vbi eſt alia pars huius textus, ex cuius notis petenda ſunt, quæ ad hanc inſcriptionem ſpectant: & commentarium huius textus inuenies *in cap. 1. hoc tit.*

CAPVT VI.

Idem [a] *Vvinton. Episcopo.*

QVamuis simus multiplicitate negotiorum impliciti, & grauibus, diuersisque solicitudinibus occupati; nos tamen cogit, præter commune debitum, tua fraterna charitas, & dilectio, quâ personam tuam diligimus, tuis consultationibus respondere, ne videamur indiscussa relinquere, quæ nobis enodanda tua voluit discretio præsentare. Innotescat autem solicitudini tuæ, quod iudex à nobis delegatus causam sibi commissam potest aliis [b] delegare, aut totam audiendam, & terminandam; aut etiam, vt allegationes audiant, & rationes, & attestationes recipiant, & sententias sibi seruent, vel vt horum aliquid tantummodo faciant, iuxta voluntatem, & beneplacitum delegantis; quamquam non possit eandem causam alij [c] appellatione postpositâ delegare, etsi sibi sit appellatione remotâ commissa. Si verò duobus causa committitur, etiamsi non [d] apponatur, vt vnus sine altero in ea procedat; nihilominus vnus ex ipsis, siue suo coniudici, siue alij vices suas in hac parte committere potest.

NOTÆ.

1. a *Vvinton.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. & post Concil. Lateran. *p.* 7. *cap.* 8. De Ecclesia Vvinton. aliqua adduxi *in cap. cæterùm* 3. *de rescriptis.*

2. b *Potest alij delegare.*] Iuxta adducta *in cap. si pro debilitate* 3. *hoc tit.* vbi hanc partem latè exposui.

c *Appellatione.*] Vt probabo *in cap. super* 27. *hoc tit.*

d *Si non apponatur.*] Clausulam, *quod si non omnes*, & quæ ad hunc textum spectant adduxi *in cap. sciscitatus, de rescriptis.* 3.

CAPVT VII.

Idem [a] *Norvvic. Episcopo.*

SIgnificasti nobis per litteras tuas, quod interdum à iudice delegatò frustrà super aliqua causa fertur sententia, cùm ordinarius iudex eam ad mandatum ipsius nolit executioni mandare, vel aliis resistentibus effectui mancipari non possit. Super hoc autem consult. t. taliter respondemus, quod si iudex ordinarius ad mandatum iudicis à nobis delegati non vult, aut non potest, aliis resistentibus, sententiam ab eo latam effectui mancipare; delegatus iudex eam auctoritate sibi commissâ potest executioni mandare, & si qui sibi restiterint, eos ecclesiasticâ sententiâ coërcere.

NOTÆ.

a *Norvvic.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 9. & post Concilium Lateran. *p.* 7. *cap.* 11. De Norvvicensi Ecclesia aliqua obseruaui *in cap. si quando* 5. *de rescriptis.* Alia pars huius textus refertur *in cap. significasti, de iurepatron.*

COMMENTARIVM.

I. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu classici repetentes ita sequentem deducunt assertionem: *Delegatus Pontificis exequitur sententiam suam, quam exequi non potest, aut non vult ille, cui eam exequendam commiserat.* Probant eam textus *in cap. in litteris* 9. ibi: *Per se, aut per alium executioni mandauit.* Et *cap. quærenti* 26. *Sed vsque ad integrum annum iurisdictionem sibi commissam ad exequendam sententiam valeat exercere.* Et *cap. pastoralis* 28. §. *præterea*, ibi: *Vt interim executio sententiæ suspendatur*; §. *quia verò, in principio, cap. ex litteris* 29. ibi: *Ad executionem sententiæ*; *hoc tit. cap. pastoralis* 11. §. *præterea, de officio Ordinarij, cap. cùm veniſſet, de eo qui mittitur*, vbi refertur, iudicem delegatum pro exequenda sententia misisse actorem in possessionem: *cap. is cui* 12. *hoc tit. lib.* 6. *l. si reus* 75. vbi Glossa *verbo Præsens, de procurat. l. vlt. C. vbi & apud quem, authent. de exhibendis reis*, §. *si verò, collat.* 5. Consonat lex 19. *tit.* 4. *part.* 3. Defendunt, & illustrant vltra congestos à Barb. *in collect. & select. ad hunc textum*, Sahagun *in præsenti*, Menochius *de arbitr. lib.* 1. *casu* 74. *num* 49. *&* 50. Morla *in emporio, tit. de iurisd. 2. p. q.* 17. Arellanus *lib.* 1. *antinom.* 8. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 83. Vighellius *in meth. iuris Pontif. pag.* 28. Petrus Greg. *lib.* 5. *part. tit.* 5. *cap.* 7. Moneta *de commut. cap.* 5. *num.* 542. Hothomanus *illustrium q.* 28. Mancinus *lib.* 1. *Genial. cap.* 90. Bronchorst. *centur.* 1. *assert.* 14. & *centur.* 4. *assert.* 13. Osualdus *ad Donell. lib.* 17. *cap.* 8. *duplici littera S.* Vega *in cap. si quis* 4. *num.* 25. *de foro comp.* vbi etiam Fermosinus *q.* 1. & *in cap. cæterùm, eod. tit. q.* 24. Fragoso *de regimine p.* 1. *lib.* 1. *disput.* 10. *num.* 126.

num. 126. Pichardus *in manuductionibus ad praxim*, 2. *p.* §. 4. *num.* 13. Cauallerius *in cap. fanè* 4. *de foro compet. num.* 99. P. Mendo *in bullam, disput.* 37. *q.* 4. *num.* 35.

2. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione. Iurisdictio delegata prolatione sententiæ finitur, *cap. in litteris* 9. vbi dicemus, *hoc tit.* & iudex delegatus sententiâ dictâ functus est officio suo, itavt postea nec eam corrigere, aut mutare possit, *ex l. iudex* 55. *ff. de re iudicata*, vbi Castrensis *in principio*, Alexander *num.* 12. igitur iudex delegatus non potest exequi sententiam à se dictam, cùm iam eius officium exspirasset, & sententiæ executio spectet ad mixtum imperium, videlicet iurisdictionem cum modica coërcitione. Accedit, nam illi possunt sententiam exequi, qui proprio iure obtinent iurisdictionem, *l. à Diuo Pio* 15. *ff. de re iudicata*, in illis verbis: *Magistratus populi Romani, vt iudicum à se datorum, vel arbitrorum sententias exequantur.* Sed iudices delegati nullam habent iurisdictionem proprio iure, sed alieno beneficio: igitur sententiam à se prolatam exequi non possunt. Secundò difficilis est præsens decisio, dum in ea docetur, posse iudices delegatos exequi sententias à se prolatas, cùm iudex ordinarius requisitus, aut non potest, aut non vult eas exequi; nam iudex delegatus potest cogere iudicem ordinarium, vt suam exequatur sententiam, *cap. in litteris* 9. *cap. quærenti* 26. *cap. pastoralis* 28. §. *quia verò, hoc tit.* igitur non rectè in præsenti docetur, iudicem ordinarium excusari posse à sententiæ executione.

3. DE EXECVTIONE SENTENTIÆ.

Vt his, & aliis difficultatibus satisfaciamus, & quid iure Cæsareo, Canonico, & Regio statutum sit circa executionem sententiæ à delegato prolatæ, videamus, sciendum est, sententiam (postquam transacta est in rem iudicatam) exequendam esse, vt sic ad effectum perducatur, *l.* 2. *C. de executione sententiæ*, *l. si causa*, *C. de transactionib. l. properandum*, §. *sin autem*, *C. de iudiciis*; siue, vt ait Consultus *in l. à Diuo Pio*, §. 1. *ff. de re iudicata*, ad finem persequatur: notant Cuiacius *ad titul. C. de executione*, Vulteius *lib.* 3. *de iudiciis*, *cap.* 13. aliàs frustrà sententia proferretur, vt finis litibus imponeretur, nisi executioni mandaretur, quare rem iudicatam paratam habere executionem, vt instrumentum guarentigium, probatur *ex l.* 2. 3. *&* 45. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.* vbi notauit Azeuedus, *l.* 4. *&* 5. *tit.* 8. *lib.* 3. *ordinam.* vbi Didacus Perez: plura Rodericus Suarez *in l. post rem, ff. de re iudic.* Cancerius *lib.* 3. *variar. cap.* 17. Parladorius *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* §. 1. Rodriguez *de executione sententiæ*, Euia, & Villadiego laudati à Carleual. *de iudiciis tom.* 2. *tit.* 2. *disput.* 8. *num.* 2. Nec interest, an sententia lata sit à iudice ordinario, an verò à delegato, dum ab ea appellatum non sit; quia si appellatum fuerit, exequi non debet, *l.* 2. *l. in eos* 16. *l. à Proconsulibus* 19. *l. præcipimus*, §. 3. *C. de appell.* nisi sententia absolutoria dicta sit, quæ absque vllo facto hominis exequitur, cùm nullâ indigeat traditione, *l. si interme*, *l. ex sextante*, §. *Latinus*, *ff. de re iudicata.* Docent Salgado *de Regia protect.* 4. *p. cap.* 1. *à num.* 98. Cabreros *de metu, lib.* 2. *cap.* 28. Valenzuela *consil.* 68. *num.* 13. *&* 72. Olea *de cessione iurium tit.* 3. *q.* 11. *num.* 12.

4. QVI SENTENTIAS

Secundò præmittendum est, priuatam personam etiam victricem in causa, non posse sententiam exequi propriâ auctoritate, *l. miles* 6. §. 2. *ff. de iudic.* nisi iudex competens illi permiserit in possessionem ingredi, *l. dotis* 9. *C. soluto matrim.* vel si condemnatus consentiat, vt qui obtinuit, sententiam exequatur, *l. pignoris*, *C. de pignorib.* aut si periculum est in mora, Zasius *in d. l. à Diuo Pio*, *num.* 5. Iudex ergo debet sententiam executioni mandare, sed non semper ipse, qui eam protulit. Iure enim ciuili, à quo, vt vetustiore, incipiendum est, cùm essent varia iudicum genera, alij enim dicebantur Magistratus maiores populi Romani, alij minores Potestates; alij etiam Magistratus maiores vrbis, alij minores, vt Tribuni, Ædibiles, & similes, de quibus Osualdus *lib.* 17. *comment. cap.* 7. *littera R.* Gentilis *lib.* 2. *de iurisdict. cap.* 7. *&* 8. Suarez *ad leg. Aquil. lib.* 1. *cap.* 2. *sect.* 5. Pancirola *in tract. de Magistrat.* Brissonius *de v. s.* alij enim erant iudices dati à Prætore, vel Magistratibus, qui ius dandi eos habebant; alij erant delegati, quibus cognitio causæ committebatur, *l.* 1. §. *qui mandata*, *ff. de officio eius.* Inter eos autem magnum dabatur discrimen, quoad potestatem exequendi sententias à se prolatas; quia Magistratus populi Romani, tam maiores, quàm minores, pro sua iurisdictione sententias à se dictas exequebantur, *l. si coactam* 32. *C. de transaction. l.* 2. *&* 3. *C. si in causam iudicati pignus:* iudices verò dati executionem suarum sententiarum non habebant, sed illi Magistratus, qui eos dederant, exequi debebant, *l. ait Prætor* 5. *l. à Diuo Pio* 15. *in princip. ff. de re iud. authent. de exhibendis reis*, §. *si verò* 4. *collat.* 4. Docent Donellus, Duarenus, & Zasius, & Gabriel Henriquez *in d. l. à D. Pio*, Osualdus *lib.* 17. *c.* 21. *littera D. & G.* Vulteius *in l.* 23. *C. de iurisd. num.* 14. & *lib.* 3. *de indic. cap.* 13. *ex num.* 7. Gentilis *lib.* 1. *de iurisd. cap.* 15. & *lib.* 2. *cap.* 27. *&* 30. Goueanus *in l.* 6. *ff. de iurisd.* Polletus *lib.* 6. *hist. fori*, *cap.* 16. & alij suprà citati. Cuius discriminis ratio perspicua ex suprà dictis est; nam cùm executio sententiæ spectet ad imperium, saltem illud, quod mixtum est, cum iurisdictione coniunctum, Magistratus omnes habentes prædictum imperium, poterunt sententias exequi, vt Magistratus populi Romani, tam maiores, quàm minores: at verò iudices dati, qui tantùm notionem habebant, non autem vllum imperium, ex defectu ipsius, hoc est coërcitionis necessariæ ad executionem rei iudicatæ, sententiam exequi non poterant; sed Magistratus populi Romani, qui eos dederunt, exequebantur, *d. l. à Diuo Pio:* vbi licèt proponatur rescriptum D. Pij, non tamen nouum ius continet, sed vetus confirmat, vt iam notarunt Duarenus *ibi*, Vulteius *d. cap.* 13. *de iudiciis*, *num.* 3.

EXEQVANTVR.

5. DE IVDICIBVS DELEGATIS.

Hæc de iudicibus datis, & Magistratibus ordinariis: circa delegatos verò magna apud iuris vtriusque Interpretes est hæsitatio. Exequi eos non posse sententiam à se dictatam, docuerunt ex Legistis *in d. l. à Diuo Pio*, Cumanus *in principio*, Iason *num.* 3. *&* 6. Alex. *num.* 3. Alciatus *lib.* 2. *paradox. cap.* 4. *num.* 3. alij relati à Gabriele Henriquez *in d. l. à Diuo Pio:* ex Canonistis *in d. cap. fanè* 4. *de foro compet.* Abbas *num.* 36. Felinus *num. final*, plures congesti à Sahagun *in præsenti, num.* 10. Cironius *ad nostrum titul.* qui vltra ea, quæ suprà pro ratione dubitandi adduximus, expendunt textum *in l. ea quæ* 26. §. 1. *ff. ad municip.* vbi apertè asseritur, Magistratibus municipalibus non licere in possessionem mittere causâ rei seruandæ: quam ita expendunt. Executio sententiæ

frequenter fit per missionem in possessionem : sed potestas mittendi in possessionem iure speciali competit Magistratibus maioribus, vt in eo textu docetur ; & ea quæ competunt iure speciali, mandatâ iurisdictione non transeunt, *l. 1. ff. de officio eius :* igitur delegatus, qui non habet prædictam potestatem, exequi sententiam à se dictam non valet. Inter hanc sententiam, & affirmatiuam, quam defendimus, mediam elegerunt Fulgosius *in d.l. à Diuo Pio, num.2.* Gofredus, Casaneus, & Valensis *ad nostrum titulum*, Menochius *d. casu 74. num. 5.* videlicèt iudices delegatos ab inferioribus Magistratibus exequi non posse sententias à se prolatas ; iudices verò delegatos à Principe, posse ; & ad eos referenda esse ea iura, in quibus docetur, delegatos posse exequi sententias à se prolatas. Sed hæc media sententia admitti non potest in iudicibus delegatis, licèt quoad iudices datos eam amplectantur vt veram Cuiacius *lib.12. obs. cap.1.* Osualdus *lib. 27. Donelli, cap. 3. littera H*, Gentilis *de iurisd. lib.3. cap.8. & 27.* ea ratione suffulti ; nam sententiam suam ille exequi potest, qui iurisdictionem habet : sed iudex datus à Principe eam habet, siquidem iudicem dare potest, *l. à iudice 12. C. de iudiciis, l. vnica, C. qui pro sua iurisd.* qui actus, videlicet iudicem dare, ad iurisdictionem spectat, non ad notionem, *l.1. in fine, l. imperium 3. ff. de iurisd.* igitur qui habet iurisdictionem à Principe, suam sententiam exequi valet.

6. RATIO DECIDENDI. Affirmatiuam sententiam, quam ex nostro textu depromptam suprà auctoritatibus probauimus, firmant suprà laudati Interpretes eâ potissimâ ratione ; nam excutio sententiæ admixtum imperium referri solet, vt docent Henriquez *in d. l. à Diuo Pio, num. 36.* Osualdus *ad Donell. lib. 17. cap. 8. littera I.* quia tamen mixtum imperium ita adiunctum est iurisdictioni, vt ab ea non separetur, *l. imperium 3. ff. de iurisd.* ideò delegatus, qui habet iurisdictionem, & simul mixtum imperium, ius habet exequendi sententiam. Deinde nam executio sententiæ fit virtute actionis iudicati, quæ ex sententia proficiscitur, *l. ait Prætor 4. §. 1. & fin. l. ait Prætor 5. in principio, l. miles 6. §. penult. & vlt. ff. de re iudic. l. hoc iure 86. ff. de solutionibus, l. si procurator 28. ff. de procurat.* Gentilis *lib. 1. de iurisd. cap. 31.* igitur sicut alia, quæ spectant ad iurisdictionis vsum, & exercitium mandatâ iurisdictione concessa intelliguntur, ita & potestas exequendi sententiam concessa præsumitur. Hoc faciliùs procedit iure nostro inspecto, quo non solùm mixtum imperium, verùm & merum delegari valet, vt infrà probabimus : vnde siue ratione meri, seu mixti imperij sententiam à se prolatam exequi valet per se, aut eius executionem iudici ordinario committere.

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec obstant quæ pro dubitandi ratione suprà expendebamus. Non principium iuris deductum *ex cap. in litteris, hoc tit. l. iudex, ff. de re iudicata* ; nam licèt iurisdictio delegata exspiret sententiâ prolatâ ; non tamen indè infertur, sententiam exequi non posse, quia iudex, siue ordinarius, siue delegatus, etiam prolatâ sententiâ potest de ipsius nullitate cognoscere, & nouam dicere, *l.1. C. de sentent. l. si pro se 6. C. quomodo, & quando, l. 4. C. de accusat.* Docent Menochius *de arbit. lib. 1. q. 67. num.2.* Morla *d. tit. 2. q. 27. num. 28.* Ampliùs & Prætor, & Præses, qui sententiam protulerunt, possunt aduersùs eam in integrum restitutionem concedere, *l. Præses 42. ff. de minoribus.* Nec contrarium probat textus *in d. l. iudex*, qui intelligendus est de iudicibus datis, non verò de delegatis : iudices enim dati semel dictâ sententiâ, cùm eius executionem non haberent, statim iudices esse desinebant, adeò vt si nulliter, & inualidè iudicassent, nouum iudicium à Prætore impetrandum esset, nec ipsi nouam sententiam proferre poterant, *l. in sententiis 59. §. vlt. ff. de reg. iuris l. si vt proponis 4. C. quomodo & quando :* quam decisionem licèt aliqui ex antiquioribus accepissent de iudicibus delegatis, veriùs iuxta communem recentiorum Interpretum placitum est accipienda de iudicibus datis : qui cùm in vsu esse desiissent temporibus Triboniani Pandectarum compilatoris, ad iudices generaliter sumptos ipse eam protraxit, vt iam notauit colendissimus Præceptor D. Iosephus de Retes *in d. l. à Diuo Pio, in principio, num. 27.* Nec etiam contrarium probat textus *in d. cap. in litteris*, cuius interpretationem in eius notis dabimus. Neque augmentum difficultatis deductum *ex d. l. à Diuo Pio*, aduersatur ; nam falsum est, illum tantùm iudicem posse exequi sententiam, qui iurisdictionem proprio iure habet ; siquidem omnes, qui habent iurisdictionem, & per consequens mixtum imperium, sententias suas executioni mandare possunt. Nec contrarium probat dicta lex *à D. Pio :* nam textus ille loquitur de iudicibus datis, non verò de delegatis, vt constat ex illis verbis : *Iudicum à se datorum* ; & iam obseruauit Gabriel Henriquez *in eo textu :* illi enim cùm notionem tantùm, non iurisdictionem haberent, sententiam exequi non poterant.

8. INTELLIGITVR PRÆSENS TEXTVS. Nec aduersatur secunda difficultas deducta ex illis verbis nostri textus : *Aut non vult, aut non potest* ; nam pro eius solutione sciendum est, non semper eum sententiam exequi, qui illam protulit, sed interdum per alium executioni mandari, aut implorato auxilio, de quo remedio agemus *in cap. 1. de officio ordinarij*, vel mandatâ eius executione, *l. & si Prætor 3. ff. de officio eius*, aut vt plerumque olim contingebat, alius iudex dabatur ad iudicandum, alius verò ad exequendam sententiam, *l. vlt. C. de iudiciis*, quam ita accipiunt Gentilis *lib. 2. de iurisd. cap. 30.* Cuiacius *lib. 9. obseru. cap. 23.* Duarenus *in d. l. à Diuo Pio* ; quo casu qui ad exequendum dabantur, aut iudices dicebantur, *d.l. à D. Pio, §. si post 6.* aut executores, *l. executionem 7. C. de execut. rei iudicat.* seu arbitri ad exequendum, *l. penult. C. de confessis :* ideò nonnunquam delegatus per se sententiam exequitur, aliquando ordinario executionem committit, *cap. pastoralis 28. §. quia verò, hoc tit.* Carleual *d. tom. 2. disput. 7. num.1.* quo casu iudices delegati cogere possunt ordinarium Magistratum, vt sententiam exequatur, *cap. in litteris 9. cap. quærenti 26. cap. pastoralis 28. §. quia verò, hoc tit.* Nec contrarium suadet textus noster in verbis suprà relatis, quibus varias interpretationes adduxerunt Interpretes. Arellanus *lib.1. antinom. 8.* existimat cum aliis, tunc iudicem delegatum posse sententiam exequi, quando aliàs iudex est ordinarius ratione officij ; non verò si sit priuata persona, quia tunc non potest sententiam à se prolatam exequi, sed iudici ordinario eius executionem debet committere ; quia ipse, cùm non sit ordinarius, non habet territorium : & si eo casu nolit iudex ordinarius requisitus sententiam proferre, tunc ait iudicem delegatum, etiam priuatam personam, posse eam executioni mandare.

Sed

Sed hæc interpretatio ex ſuprà dictis facilè refellitur; ſiquidem delegatus quilibet, ſiue territorium, ſiue tantùm iuriſdictionem ſibi commiſſam habeat, exequi poteſt ſuam ſententiam, & cogere ordinarium iudicem, vt eam exequatur. Lælius Mancinus *cent. 1. Genial. cap. 90.* tranſcriptus, & ſecutus à Barboſa *tom. 6. in præſenti*, nouiter exiſtimat, textum hunc eſſe accipiendum de iudice ordinario, in quo dubitabatur, an velit, nolitve exequi delegati ſententiam: quo caſu delegatum ipſum debere eam exequi. Quod ſi apertè conſtiterit, iudicem ordinarium nolle ſententiam exequi, iudicem delegatum poſſe eum compellere, vt eam exequatur.

9. EIVS VERA INTERPRETATIO TRADITVR.

Sed his, & aliis ſolutionibus omiſſis exiſtimo, in ſuprà relatis verbis, nec doceri, nec ſupponi iudicem ordinarium renuentem exequi ſententiam à ſe prolatam, à delegato cogi non poſſe; in præſenti enim textu Alexander III. conſultus fuit à Noruicenſi Epiſcopo, vtrum delegatus, qui iuſſit iudici ordinario, vt exequeretur ſententiam à ſe prolatam, & iudex ordinarius renuit eam exequi; delegatus autem nolit ipſum cogere ad exequendum, forteſſis quia ex iuſta cauſa excuſabatur, poſſit reaſſumere ſententiæ executionem, & eam exequi: exiſtimabat Noruicenſis Antiſtes, hoc illi non licere; quia eam iam commiſit, & ſententiâ prolatâ, atque eius executione mandatâ, functus erat officio ſuo, *cap. in litteris 9. hoc tit.* Sed hac ratione inſuper habitâ, contrarium reſpondet Alexander, videlicet iudicem delegatum poſſe reaſſumere executionem ordinario mandatam, & per ſe exequi, quia per commiſſionem executionis ſine effectu, non exſpirat iudicis delegati iuriſdictio, quod expreſſiùs Vvintonienſi Epiſcopo reſcripſit ipſe Alexander in hæc verba: *Sententiam à delegato iudice latam, ſi ad mandatum ipſius iudicis delegati Epiſcopus executioni mandare neglexerit, is qui ex delegatione R. Pontificis ſententiam tulit, eam executioni mandandi plenam, & liberam habeat facultatem.* Quæ verba reperiuntur poſt Concil. Lateran. ſub ipſo Alexandro, *p. 7. cap. 10.* & in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 8.* vnde in præſenti non dubitabatur, vtrum iudex delegatus poſſit cogere iudicem ordinarium exequi ſententiam à ſe prolatam; ſed vtrum eius executione commiſsâ ordinario, & ab eo neglectâ, poſſit iterum reaſſumi à iudice delegato. Innuerunt hanc interpretationem Beroius *num. 15.* Panormitanus *hîc*, *num. 6.*

10. EXPONITVR L. EA QVÆ, ff. AD MVNICIP.

Nec contrariæ ſententiæ eorum, qui negarunt iudicem delegatum poſſe exequi ſententiam, fauet textus *in d. l. ea quæ 26. §. 1. ff. ad municip.* quam ſuprà expendebamus; nam certo certius eſt, iudicem delegatum pro ſuæ ſententiæ executione poſſe mittere actorem in poſſeſſionem, *cap. cùm veniſſet, de eo qui mittitur:* quia miſſio in poſſeſſionem ſpectat ad mixtum imperium. Gentilis *lib. 1. de iuriſd. cap. 24.* quod probatur *ex l. 2. l. damnum 4. §. Diuus 3. ff. de damno infecto*, vbi docetur, Duumviros poſſe mittere in poſſeſſionem, mandatâ illis hac poteſtate à Prætore: vnde deducitur, miſſionem in poſſeſſionem delegari poſſe. Nec obſtat dicta lex *ea quæ 26.* nam omiſsâ diſtinctione Goueani *in d. l. iubere, ff. de iuriſd.* illi facilè ſatisfacere poteſt, qui admittit ſententiam eorum, qui exiſtimarunt, Magiſtratus municipales, de quibus agitur *in d. l. ea quæ*, non habuiſſe iuriſdictionem; ſed tantùm notionem, & ſic ex defectu iuriſdictionis coniunctæ cum mixto imperio, eos non potuiſſe in poſſeſſionem mittere. Ita docuerunt Bodinus *lib. 1. de repub. cap. 6. n. 54.* Gentilis *lib. 2. de iuriſd. cap. 2.* Duarenus *de iuriſd. cap. 4.* & *lib. 1. diſput. cap. 53.* Anton. Auguſt. *lib. 4. emendat. cap. 6.* Sed hæc ſententia refellitur *ex l. 1.* à contrario ſenſu, *ff. ſi quis ius dicenti.* Quare pro vera illius textus interpretatione dicendum eſt, Magiſtratum municipalem iuriſdictionem habere coniunctam cum imperio aliquo, ſed non cum magno, vt habebant Magiſtratus prouinciales, Proconſules videlicet, Præfecti Auguſtales, & ſimiles: imperium enim eorum limitatum erat pro modo iuriſdictionis ad certum genus cauſarum; quare non omnia ea exequi poterant, quæ magis ad imperium ſpectabant; quorum exempla proponuntur *in d. l. ea quæ 26. l. iubere 4. ff. de iuriſd.* Docent Oſualdus *ad Donellum lib. 17. comment. cap. 7. littera R.* Gentilis *lib. 2. de iuriſd. cap. 7.* Suarez *ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2. ſect. 5.* nec inde rectè infertur, iudices delegatos non poſſe ſententiam exequi, cùm illi habeant iuriſdictionem coniunctam cum imperio.

11. INTELLIGITVR CAP. SI QVIS 4. DE FORO COMPET.

Adhuc ſupradictæ aſſertioni opponitur textus *in cap. ſi quis contra 4. de foro compet.* vbi à Gregorio Magno ſtatuitur, vt ſi quis contra clericum actionem velit intentare, adeat eius Epiſcopum; & ſi talis Epiſcopus fuerit vt ſuſpectus recuſatus, detur executor, id eſt iudex delegatus; quem ſi actor recuſauerit ab Epiſcopo, eſt alius deputandus, qui partes cogat ex mutuo conſenſu iudices eligere, à quibus ab Epiſcopo iudicatum executioni mandetur. Ex qua deciſione Gloſſa, & antiquiores ibi deducunt, iudicem delegatum non poſſe ſuam ſententiam exequi, ſed ad eius executionem adeundum eſſe iudicem delegantem. Pro huius difficultatis ſolutione varia adduxerunt Gloſſa ibi, *verbo Ipſius ſolicitudine:* Vega *in eo textu.* Quibus omiſſis dicendum eſt, Gregorium in ea ſpecie non agere de iudicibus delegatis, ſed potiùs de arbitris iuris electis in cauſa ſuſpicionis, de quibus *in cap. ſuſpicionis 29. hoc tit.* iubetur enim in eo textu, vt eorum ſententia exequatur, vel ab Epiſcopo iam vt ſuſpecto remoto, vel ab ipſo defenſore Corſicæ, à quo partes cogendæ erant arbitros eligere, vt in integra illius textus legitur: etiam notauit Cuiacius *ibi*, qui accipit illa verba, *lege ſeruatâ*, de lege *à D. Pio, ff. de re iudicata*, quæ formam executionibus præſcripſit. Eum ſequitur Vulteius *lib. 3. de iudiciis, cap. 13. num. 20.* Cùm ergo ibi non agatur de delegatis cum iuriſdictione, ſed tantùm de arbitris, meritò aſſeritur, Epiſcopum vt ordinarium debere exequi ſententiam à ſe prolatam. Eodem ferè modo intelligendus eſt textus *in cap. quiſquis 19. 2. q. 6.* vbi Gloſſa, & Archidiaconus docent, agi de delegato inferioris, non verò de delegato Pontificis; & delegatum inferioris non poſſe ſententiam exequi. Nam textus ille non loquiur de iudicibus delegatis, ſed de arbitris electis, & electitiis, qui ex conſenſu partium à Primate dabantur, & ab ipſo eorum ſententia executioni mandanda erat: & ſi adhuc admitteremus, textus *in d. cap. ſi quis 4.* & *in d. cap. quiſquis 19.* procedere in iudicibus delegatis, reſponderi poteſt, eſſe exaudiendos de illis iudicibus delegatis, quibus cauſæ cognitio cum prolatione ſententiæ committebatur, exceptâ executione; iſti enim non poſſunt ſententiam exequi, *cap. ſuper 27. hoc tit. l. 1. C. ſi contra ius, l. 19. tit. 4. part. 3.* quia cùm fines delegationis diligenter ſint ſeruandi, *cap. cùm dilecta,*

dilecta, de rescriptis; ideò sicut ille, cui commissa est tantùm causæ cognitio, vel litis exordium, vt *in cap. super* 27. §. *intentionis*, *cap. pastoralis* 28. §. *item*; aut examen testium, vt *in cap. cùm te* 18. *hoc tit.* non potest ad vlteriora procedere; ita delegatus ad sententiæ prolationem, non potest eam exequi ex defectu commissionis; & in hoc casu iudex delegatus non habet facultatem exequendi sententiam à se dictam. Docent Vulteius *de iudiciis d.c.*13.*n.*19.Gentilis *lib.*2.*de iurisd.c.*30.*&* 31.

CAPVT VIII.

[a] Idem.

SI quando clerici coram iudice delegato Prælatos Ecclesiarum super Ecclesiis, quas tenent, in causam traxerint, & coram eodem iudice [b] transactione, vel alio modo Ecclesias obtinuerint, in quibus certum sit eos institutionem canonicam nullatenus habuisse, nec possessionem etiam corporalem; iudex ordinarius non debet delegati iudicis mandato [c] resistere violenter, sed apud ipsum instare debet, vt differat illos in possessionem mittere, donec rei veritas nobis innotescat.

NOTÆ.

1. a *Dem.*] Et eidem, vt legitur post Concilium Lateran. sub Alexandro III. 7. *p. cap.* 12. plura enim rescripta pro diuersitate causarum misit noster Alexander Notuicensi Episcopo, vt iam notaui *in cap. si autem* 9. *de rescriptis.*

b *Transactione.*] Id est amicabili compositione, vt *in c. super eo*, *de transact.* vbi plura adduxi. 2.

c *Resistere.*] Quæ ad huius textus interpretationem spectant, dabimus *in cap. pastoralis*, 28. §. *quia verò*, *hoc tit.* 3.

CAPVT IX.

Idem [a] *Brixienſi Episcopo.*

IN litteris, quas tua nobis destinauit fraternitas, quæstiones [b] quasdam inseruisti, super quibus solutionem tibi à nobis postulasti exhiberi; quarum quidem vna est, scilicet vsque ad quod tempus iudex delegatus se possit interponere, vt stetur iudicatæ rei, vel transactioni. Super quo consultationi tuæ taliter respondemus, quod ex quo iudex delegatus per se, aut per alium, si potuerit, sententiam executioni mandauit, vel præcepit mandari, eius auctoritas, & iurisdictio cessat, quia semel suo officio est functus.

NOTÆ.

1. a *Brixienſi.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. *p.*13.*cap.*16. De hac Ecclesia nonnulla adduxi *in cap. tuæ*, *de procurat.*

2. b *Quasdam.*] De quibus *in cap.*5. *&* 6. *de restit. spol. cap. in litteris* 8. *de officio Ordin. in* 1.*collect. cap. in litteris* 4. *de raptoribus*, *cap. super illa* 4. *de secundis nuptiis*, in quibus malè legitur, *Exonienſi*; cùm legendum *sit Brixienſi*, vt in præsenti legitur; siquidem decisiones illæ sunt partes huius textus.

COMMENTARIVM.

3. INter alios modos, quibus finitur iurisdictio delegata, causæ finis, & sententiæ prolatio enumerantur: prolatione enim sententiæ, & eâ executioni cum effectu mandatâ, exspirat iurisdictio delegata, *cap. quærenti* 26. *cap. venerabilis* 37. *hoc tit.* vel enim ab ipsa sententia iudicis delegati appellatum fuit, vel non fuit prouocatum: si appellatum non fuit, transit sententia in rem iudicatam, *cap. cùm inter*, *de re iud.* & tunc potest per se sententiam exequi, *cap. significasti*, *hoc tit.* & ad huiusmodi executionem habet annum, *dict. cap. quærenti*: & si voluerit ordinario mandare sententiæ executionem, eo vtiliter exequente, exspirat delegati iurisdictio, *d. cap. venerabilis*, quo casu procedit præsens textus: sed si ordinario renuente ex iusta causa delegatus voluerit reassumere sententiæ executionem, poterit eam executioni mandare, & interim durat iurisdictio, vt iam notaui *in d. cap. significasti*; quia sententia prolata, dum executioni non mandatur cum effectu, dicta non creditur, vt exspiret iurisdictio delegata: eâ autem executioni mandatâ, exspirat iurisdictio mandata, & sic iudex quilibet ordinarius posteaquam sententiam protulit, non potest eam mutare, *l. iudex*, iuxta vulgarem intellectum legis *conquerebatur* 62. *ff. de re iudicat.* licèt illi permittatur, si quod dubium, aut quid minùs expressè dictum est in sententia, eam explicare intra 24. horas, *l. Paulus* 42.*ff. de re iudicat.* variis exemplis illustrat Pichardus *in manuduct. ad praxim*, 2.*p.* §. 3. *num.* 12. Ita delegatus, postquam sententiam dixit, functus est officio suo, ita vt nec illam mutare possit, Acacius Ripol. *variar. q.*21.*num.*440. Gutierrez *lib.*2. *canonic. cap.*2. *n.*18. nec potest cognoscere de nullitate sententiæ, licèt si contra formam delegationis pronunciet, possit iterum sententiam dicere, *cap. cùm dilecta*, *de*

de rescriptis; ideò non potest concedere restitutionem aduersùs sententiam propriam. Carleual *de iudiciis tom.* 1. *disput.* 7. *num.* 29. & si sententiâ interlocutoriâ pronunciauit se iurisdictionem non habere, ampliùs in ipsa causa procedere nequit, *cap. significantibus* 38. *hoc tit.* Docet Salgado *de protect. Regia* 3. *p. cap.* 8. *num.* 49. Aduersùs sententiam tamen interlocutoriam à se prolatam rectè beneficium restitutionis concedere valet, vt resoluit Fragoso *de regim. Christ. Reipub.* 2. *p. disp.* §. 2.

CAPVT X.

Idem *Abbati S.*[a] *Albani.*

COnsultationibus singulorum ex ministerio susceptæ seruitutis cogimur respondere, vt si quid dubietatis, vel quæstionis in mente alicuius emerserit, ab Ecclesia Romana soluatur, quæ inter alias, Domino disponente, meruit obtinere principatum. Quæsitum est à nobis siquidem, vtrum si aliquis Ecclesiâ, vel [b] possessione qualibet se assueuerans absque iudicio, & causa rationabili spoliatum, à nobis ad iudicem litteras obtinet, vt infra certum tempus restituatur sibi possessio, si constiterit iudici eum esse spoliatum, qualiter possessio ei debeat restitui; cùm is, qui tenet Ecclesiam, vel possessionem, quam ipse requirit, antequam de litteris ipsis aliqua mentio fieret, studiorum, vel peregrinationis, vel aliâ huiusmodi causâ se absentauerit, nec infrà præfixum tempus iudici possit suam præsentiam exhibere. Super quo vtique consultationi tuæ taliter respondemus, quod nec potest, nec debet restitutionem habere, quamuis paratus sit coram iudice delegato testibus idoneis possessionem, & deiectionem suam probare, nisi is, qui possidet, se per [c] contumaciam absentasset; si etiam iudex vsque ad reditum eius, qui possidet, terminum prorogauerit: [d] exspirat enim iurisdictio sua, quia sine consensu vtriusque non licet iudici terminum prorogare aliquatenus præfixum à delegatore.

NOTÆ.

1. a *S. Albani.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 15. & post Concilium Lateran. *p.* 7. *cap.* 17. & *in cap. consultationibus* 4. *de donat. cap. consult. de iurepatron.* vbi referuntur secunda & tertia pars huius decretalis; non autem legendum est, *S. Albini*, vt habetur in hac sexta collectione. Monasterium hoc S. Albani est Ordinis D. Benedicti in diœcesi Cantuariensi, cuius originem refert Yepes *tom.* 3. *chron. D. Benedicti*, *pag.* 318.

2. b *Possessionem.*] Interdicta enim, & remedia possessoria tantùm competunt possessoribus deiectis, *l.* 1. §. *deiicitur* 9. *ff. hoc tit.* docent latè Menochius *de recup. in præludiis*, *num.* 1. & *remedio* 1. *num.* 9. & 10. Osualdus *ad Donellum lib.* 15. *cap.* 31. *littera C.* Valenzuela *consil.* 71. *num.* 14. vnde colono non datur, *dict. l.* 1. §. *denique* 10. quia non possidet, *l. non solùm* 33. §. 1. *ff. de vsucap. l.* 1. *Cod. communia de vsucap.* vsufructuario autem datur, *l.* 3. §. *vnde vi* 13. *ff. de vi & vi*; quia licèt ipsam rem non possideat, *l. naturaliter* 12. *ff. de acquir. poss.* tamen quasi possidet ratione vsusfructus, cuius quasi possessionis ratione competunt ei interdicta possessoria, *l. vlt. ff. vti possidetis*, *l.* 1. §. *vti videmur*, *ff. de itinere*, *actuque*. Docent Menochius *dict. remedio*, *ex num.* 79. Osualdus *dict. cap.* 31. *littera D.* Anton. Gomez *in l.* 45. *Tauri*, *num.* 191. D. Garaña *in cap. in litteris*, *num.* 9. vbi Fermosinus *q.* 1. *ex num.* 14. *de restit. spol.* vnde deiectus debet probare possessionem, & deiectionem ab ipsa, vt interdicto possessorio vti possit, *l.* 1. §. *interdictum*, *ff. de vi & vi*: quo modo accipit textus *in cap. olim*, *de restit. spol. cap. licèt causam*, *de probat. cap. suborta*, *de re iudicata*, Fachineus *lib.* 8. *controu. cap.* 10.

c *Per contumacem.*] Quo casu quomodo procedendum sit, latè dicemus *in cap.* 1. *&* 2. *de dolo & contumacia.* 3.

d *Exspirat enim iurisdictio.*] Vt latè probaui *in cap. de causis* 4. *hoc tit.* vbi commentarium huius textus dedimus. 4.

CAPVT XI.

Idem[a] *Carnotensi Episcopo.*

SAnè quia nos in primis consulere voluisti, qualiter à nobis iudex delegatus Episcopum, qui ei non subest, ad aliquid faciendum, vel dandum compellere debeat, cùm causam, quæ inter Episcopum, & laicum, vel clericum vertitur, de mandato nostro suscepit: id tuæ quæstioni duximus respondendum, quod iudex à nobis delegatus vices nostras gerit; vnde in causa illa superior est, & maior illis, quorum

quorum cauſam ſuſcipit terminandam. Ideo ſi Epiſcopus, vel alia [b] perſona, quæ non ſit de iuriſdictione illius, in cauſa, quam ei delegamus, rebellis, ac contumax fuerit, ſecundùm qualitatem, vel quantitatem facti poterit vel [c] interdicti, vel ſuſpenſionis ſententiâ à iudice delegato compelli. Itaque iudex ſecundùm negotij qualitatem temperatè procedens, Epiſcopo vel ingreſſum Eccleſiarum, vel ſacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad iuriſdictionem ſuam pertinet, ſpecialiter interdicto ſupponat.

NOTÆ.

1. a *Arnotenſi.*] Ita legitur *in cap. 16. hoc tit. in 1. collect.* & poſt Concil. Lateran. *p. 7 cap. 20.* & *in cap. quæſtioni, de appell.* Carnutum Belgiæ caput, ciuitas eſt in regione media totius Galliæ ſita, cuius meminerunt Cæſar *lib. 6. cap. 4.* Sulpitius *dialog. 3.* Paulinus *lib. 4. in vita S. Martini:* habet Eccleſiam Cathedralem, cuius mentio fit *in cap. 28. de iudiciis, cap. 28. de iure patron. cap. 23.* & *24. de V.S.* Eius Epiſcopo Ioanni Sariſbarienſi miſſa eſt præſens deciſio, de quo plura adduxerunt Fratres Sarmat. *tom. 2. Galliæ Chriſtianæ, fol.* 490. & nonnulla de ipſo Comitatu Carnotenſi in Gallia non ignobili, congeſſi *in cap...*

2. b *Vel alia perſona.*] Iuxta ea quæ dixi *in cap. 1. hoc tit.*

c *Interdicti, vel ſuſpenſionis.*] Contra contumaces enim, & impedientes vſum ſuæ iuriſdictionis, poteſt iudex delegatus procedere per cenſuras excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis, vt probaui *in cap. 1. hoc tit.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR. EX hoc textu vt commune axioma deducitur, *Iudicem delegatum eſſe maiorem quocumque ordinario in cauſa ſibi commiſſa.* Quod probant textus *in cap. 2. de officio Legati, cap. ſignificaſti, cap. paſtoralis, §. quia verò, hoc tit. cap. paſtoralis, §. præterea, de officio Ordin.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, Corraſius *lib. 3. miſcel. cap. 19.* Anguianus *lib. 3. de legib. cap. 33. per totum.* Fachineus *lib. 12. controu. cap. 84.* Barboſ. *lib. 2. voto 53. n. 13.* Carena *de officio Inquiſit. p. 1. tit. 5. §. 7.* Abruz. *ad leg. 1. ff. de officio eius, q. 1.*

4. RATIO DVBITANDI. Sed hoc axioma, licèt ita communiter receptum, difficile tamen videtur ex ea conſideratione; nam ideò delegatus dignior iudicatur, & maior quocumque ordinario, à noſtro Alexandro; quia ipſius Pontificis delegantis perſonam repræſentat: ſed æqualiter iudices ordinarij ſuſtinent, & repræſentant perſonam Principis, à quo eliguntur, aut confirmantur, *cap. ita Dominus 19. diſt. cap. mandata, de præſumpt.* & ipſi ordinarij amplam iuriſdictionem obtinent in ſuis territoriis, *cap. cùm Epiſcopus, de officio Ordin. lib. 6. l. more, l. & quia, ff. de iuriſd.* vnde poſſunt ſupplere negligentiam ipſius iudicis delegati, *cap. ſignificauit, de officio ordin.* atque contra ipſum procedere, vt probat Anguianus *dict. cap. 33. num. 12.* igitur quia iudex delegatus non eſt maior quocumque ordinario. Fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam quælibet cauſa naturalis accidentali præfertur, *l. 3. ff. de tutelis:* ſed iuriſdictio ordinaria eſt naturalis; delegata verò accidentalis: igitur potiùs iudex ordinarius præferendus eſt delegato, quàm è contra: & ſi daremus vtramque iuriſdictionem eſſe eiuſdem naturæ, non debebat præferri delegatus, ſiquidem cui aliquod miniſterium demandatur, non præfertur, ſed exæquatur illis, qui ſimile miniſterium exercent, *l. 2. C. vt dignit. ordo, l. 2. C. de Comitib. rei milit. lib. 12.*

5. DELEGATVS IVDEX QVIS. Hac difficultate minimè obſtante vera eſt præſens deciſio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, quinam dicantur iudices delegati, & qui ordinarij appellentur, vt inter eos prærogatiuam agnoſcamus. Et omiſſis variis diffinitionibus traditis in hac rubrica à Panormit. *num. 1.* Decio *num. 14.* Sahagun *num. 15.* Petro Greg. *lib. 27. ſyntagm. cap. 22. num. 2.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæſt. 12.* P. Barb. *in l. cùm Prætor 12. §. 1. num. 2. ff. de iudiciis*, Parexa *de inſtrum. edit. tit. 2. reſol. 5.* illa vt receptior placuit Anteceſſoribus noſtris, quæ ait: *Delegatus eſt perſona, cui cauſæ cognitio committitur, nihil proprium habens, ſed delegantis perſonam repræſentans.* Quæ diffinitio colligitur ex hoc textu, *ex l. 1. §. qui mandatam, ff. de officio eius.* Ponitur in ea, *perſona*, loco generis; aliæ enim ſunt perſonæ, quæ licèt cauſæ cognitionem habeant, iudices tamen delegati non ſunt: illa verba, *committitur cognitio, vel executio*, adhibentur, vt cognoſcatur delegari poſſe non ſolùm principium, & medium, verùm & finem cauſæ, *cap. ſuper 27. §. intentionis, hoc tit.* Principium, cùm tantum citatio, vel litis conteſtatio committitur, *dict. §. intentionis*, ibi: *Litis exordium*; *cap. paſtoralis 28. §. item, hoc tit.* Medium, cùm examen teſtium totius cauſæ, ſeu cognitio negotij vſque ad ſententiam demandatur, *d. cap. ſuper, §. nos, cap. iuſtè 18. hoc tit.* Finis, cùm diffinitiua ſententia, cauſâ iam examinatâ, delegatur, *d. cap. ſuper, §. verùm.* Reliqua diffinitionis verba ponuntur loco differentiæ, vt demonſtretur, iudices delegatos valdè differre ab ordinariis, & vicariis, qui ordinariâ iuriſdictione fruuntur, & propriâ, cùm delegati nihil proprium habeant, *cap. 1. 94. diſt. cap. præterea 5. hoc tit. d. l. 1. §. qui mandatam*, ibi: *Nihil proprium habens*; ſed eius, qui mandauit, iuriſdictione vtuntur, *l. etſi Prætor*, ibi: *Partibus eius fungens, ff. de officio eius, l. ſolet 16.* ibi: *Fungitur vice eius, qui mandauit, ff. de iuriſd.* Vnde dicuntur iudices extraordinarij, *l. 2. C. de dilationibus, cap. inducias*, §. *ſpatium 3. q. 3. cap. quoniam*, vbi Gloſſa *verbo Extraordinario, de probat.* notarunt Menochius *lib. 2. de præſumpt. cap. 15. num. 15.* Oſualdus *ad Donellum lib. 17. cap. 18. littera A.*

6. OPPONVNTVR VARII TEXTVS. Sed contrarium, immò iudices delegatos proprio iure iuriſdictionem habere, probari videtur *ex l. 1. §. qui mandatam, verſ. Verius enim, ff. de officio eius:* vbi probatur eum, cui mandata eſt iuriſdictio, habere eam vt propriam. Sed pro eius textus ſolutione ſciendum eſt, in eius principio Papinianum generalem in eo textu regulam conſtituiſſe, quam *in verſ. verius eſt*, exponit, vt ſcilicet vſus iuriſdictionis, qui more maiorum competit, transferatur, non ſic imperium, quod lege competit, cuius vſus ad alium transferri non poteſt. Ex qua ſententia non ſequitur, tranſire in delegatum iuriſdictionem ordinariam, ſed potiùs mandatam,

mandatam, vt docent Gloſſa, & Matheacius *ibi.* Verum enim eſt, vſum iuriſdictionis transferri, non verò ipſam iuriſdictionem, quomodo etiam accipiendus eſt textus *in cap. in litteris 9. hoc tit.* vbi ſi attenditur proprietas vocis *eius*, quæ proprietatem ſignificat, *l. locum 2. §. 1. ff. de religioſis*, probari videtur, delegatum proprium quid habere; nam in eo textu, & ſimilibus huius tituli, vſus iuriſdictionis latè dicitur iuriſdictio ipſa; & in eo ſenſu, quia delegatus habet vſum iuriſdictionis, aliquando dicitur habere iuriſdictionem ipſam. Etiam ſuprà dictis opponi ſolet textus *in l. cognitio 4. ff. de officio eius*, in illis verbis: *Cùm propriam iuriſdictionem legatis tuis dederis.* Ex quibus deducitur, legatos, quibus mandatur iuriſdictio, eam proprio iure habere. Sed vt huic difficultati ſatisfaciamus, examinanda eſt illa ſatis vexata quæſtio, vtrum videlicet Legati Proconſulis, quibus iuriſdictionem demandarunt Proconſules, habeant eam vt propriam, an vt delegatam? Et eam habere vt delegatam, ſuaderi videtur *ex l. cùm Prætor 12. §. 1. ff. de iudiciis*, *l. ſolent 6. verſ. ſicut, ff. de officio eius*, ex celebri loco Iulij Cæſaris *lib. 2. comment.* vbi ait: Non ſe ignorare, quod eſt officium Legati, qui fiduciariam operam obtinet. Hanc tenent opinionem P. Barb. *in dict. l. cùm Prætor, num. 178.* Oſualdus *lib. 17. Donelli, cap. 8. triplici littera N.* Sed contrariam ſententiam, immò proprio iure iuriſdictionem habere, docuerunt Anton. Faber *in dict. l. cùm Prætor*, P. Faber *in l. nemo 70. ff. de reg. iuris.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 20. num. 11.* Cuiacius *lib. 7. obſ. cap. 21.* quorum ſententia probatur *ex l. 2. ff. quis, & à quo appelletur*, vbi probatur, à Legato ad Proconſulem appellari, ad quem ſi mandatam iuriſdictionem exerceret, appellari non poſſet, *l. 1. §. 1. ff. eod. tit.* Facit textus *in l. 1. §. 1. ff. de tutor. & curatorib.* vbi ipſe tutores dat, cùm hæc poteſtas mandatâ iuriſdictione non tranſeat, *l. nec mandante 8. ff. de tutor.* Tandem faciunt alia, quæ expendebamus *in cap. 1. hoc tit.* pro interpretatione textus *in l. legatus*; quæ repetenda ſunt pro huius quæſtionis expoſitione.

7. DELEGATVS REPRÆSENTAT DELEGANTEM.

Diximus tandem in diffinitione: *Delegantis perſonam repræſentans.* Vt cognoſcatur, iudices delegatos repræſentare iudices delegantes, quorum iuriſdictione, & poteſtate vtuntur: vnde deducitur, ex perſona delegantis æſtimandam eſſe iuriſdictionem delegati, vt in præſenti docet Alexander: & ipſum vt delegantem honorandum eſſe docent Oſualdus *lib. 17. Donel. cap. 8. littera L.* Alciatus *in rubrica de officio eius, numer. 25.* & ſimiliter exceptiones, quæ opponi poterant deleganti, obſtare etiam delegato, *cap. 1. de officio Vicarij, lib. 6.* niſi ſit ſpecialis, ſeu perſonalis exceptio, quæ delegato non obiicitur, *cap. ſi quis 4. de foro compet.* vbi Cuiacius, Scaccia *de appell. quæſt. 7. num. 42.* Moneta *de commut. cap. 8. num. 610.* licet in delegationibus extraiudicialibus debitoribus factis aliud obſeruetur; exceptio enim, quamuis realis, quæ deleganti obſtabat, delegato non poteſt opponi, *l. ſi quis 12. l. doli 19. ff. de nouat.* ratio diſcriminis redditur *in dict. l. ſi quis 12.* quia videlicet cùm hæc delegatio celebretur nouatione factâ, & interpoſitâ ſtipulatione, remittere videtur exceptionem is, qui denuo promittit. Circa caſum autem textus *in dict. l. ſi quis 12.* obſeruandi ſunt textus *in l. fideiuſſor 16. ff. de fideiuſſor. l. 2. §. idem, ff. de eo quod certo loco, l. qui alij 12. ff. de operis libert.* in delegatione verò, de qua in hoc titulo agitur, cùm nulla nouatione intercedente iuriſdictio committatur, committitur vt erat apud delegantem, cuius perſonam delegatus repræſentat, vt in hoc textu docetur. Quæ omnia procedunt in delegato hominis, non verò in delegato legis, cui lex ipſa cauſam committit, vt *in cap. irrefragabili 13. §. cæterùm, de officio Ordin. cap. vnico, de clerico ægrot. lib. 6. cap. ad audientiam, de hæret.* lex enim, aut Senatuſconſultum plerumque delegat, *l. excipiuntur 14. ff. ad Syllan. l. 1. ff. de damno infecto*: notat Scipio Gentilis *lib. 3. de iuriſd. cap. 25.*

8. DE IVDICE ORDINARIO.

Iudex ordinarius ille dicitur, qui propriam habet iuriſdictionem, aut iure, aut conſuetudine, *l. more 5. l. & quia, ff. de iuriſd. cap. conquerente, de officio ordin.* Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 1.* Docent plures laudati à Barboſa *in rubrica de officio ordin.* vnde cùm iure proprio, non alicuius perſonam repræſentans, iudex ordinarius iuriſdictionem obtineat, differt valdè à iudice delegato, qui nihil proprium habet, ſed tantùm delegantis perſonam repræſentat: aliquando tamen contingit, vt ordinarius ſimul ſit delegatus, cùm videlicet illi committitur cauſa, cuius cognitio iure ordinario ad ipſum non ſpectabat; quem caſum latè diſputabimus *in cap. licèt, de officio Ordinarij.*

9. TRADITVS RATIO DECIDENDI.

Ex quibus facilè cognoſcitur maioritas, & præexcellentia iudicis delegati Pontificis ſupra omnem ordinarium, quæ etiam redditur à noſtro Alexandro in illis verbis: *Iudex à nobis delegatus vices noſtras gerit.* Nam cùm iudex delegatus ipſum delegantem repræſentet, cuius vices gerit, & iuriſdictionem exercet in cauſa ſibi commiſſa; & delegantis iuriſdictio ſit ſupra omnem iuriſdictionem ordinariam, neceſſariò & ipſius delegatus in cauſa ſibi commiſſa, in qua vices ipſius delegantis gerit, maior erit quocumque ordinario, cùm geſta per ipſum delegatum, per Pontificem geſta credantur, *cap. ſi cui 12. de præb. lib. 6.* Gloſſa *2. in fine, in cap. in litteris, de reſcriptis.* Vnde quia abſurdum, & indecorum erat, vt ſimplices clerici à Sede Romana delegati, in cauſis ſibi commiſſis maiores conſtituerentur Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ſtatutum fuit à Bonifacio VIII. *in cap. ſtatutum, hoc tit. lib. 6.* ne cauſa delegetur niſi habenti dignitatem, vel Canonicatum in Eccleſia, aliàs geſta à delegato inualida ſint. Docent plura ad huius textus interpretationem adducentes, Tondutus *reſol. canonic. cap. 77. & 87.* Petrus Gregor. *lib. 1. de reſcriptis, cap. 53.* Barb. *de canonicis cap. 19. & in remiſſ. ad Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 10.*

10. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat difficultas ſuprà pro dubitandi ratione perpenſa, quâ moti Barbatia, Alciatus, Iacobus de Nigris, & Corraſius, quos refert Anguianus *dict. libro 3. de legibus, cap. 33.* exiſtimarunt diſcrimen eſſe conſtituendum inter delegatum Principis, & delegatum inferioris, vt delegatus Principis maior ſit quocumque ordinario; non ita delegatus inferioris Magiſtratus. Sed hæc diſtinctio ſuſtineri non poteſt, ſiquidem tam delegatus inferioris Magiſtratus, quàm Principis gerunt vices delegantis: igitur etiam delegatus inferioris Magiſtratus maior eſt quocumque ordinario, cui præeſt ipſe Magiſtratus, qui delegauit. Aliter Beroius interpretatur noſtram Alexandri deciſionem; aſſerit enim, delegatum

esse maiorem illis ordinariis, quorum causam suscipit terminandam, id est illis, ad quorum iurisdictionem causa commissa spectat, iuxta illa verba nostri textus: *Quorum causam suscepit terminandam.* Quæ verba accipit ipse Berous, non vt emolumentum, & vtilitas ipsius actionis ad Episcopum spectaret, sed quia causa delegata ad eius iurisdictionem pertinebat. Sed etiam hæc interpretatio admitti non valet, cùm repugnet contexturæ huius textus. Primò quia Alexander in præsenti regulam generalem, & eius rationem assignat in illis verbis: *Delegatus vices nostras gerit*; vnde in causa illa superior est, & maior illis, quorum causam suscepit terminandam. Deinde quia in huius textus specie vtilitas actionis ad ipsum Episcopum spectabat, vt ex eius verbis constat: quare Beroij sententia sustineri non potest, etsi non inficier, ex præsenti decisione non rectè probari, omnibus Ordinariis maiorem esse iudicem delegatum, etiam in causa sibi commissa. Sed iuxta alia iuris testimonia, & rationes suprà perpensas, defendenda est suprà tradita assertio. Nec tunc obstat prædicta dubitandi ratio; nam licèt iudices ordinarij repræsentent ipsum Principem superiorem, atque eius vices gerant; longè tamen aliter delegati delegantis personam sustinent: siquidem iudices ordinarij propter officium, aut dignitatem mediante Principis electione iurisdictionem obtinent; delegati verò specialiter, propter specialem commissionem ipsius delegantis: vnde maiori specialitatis ratione ipsius delegantis personam repræsentant, & vices gerunt. Nec obstat textus *in dict. cap. significauit, de officio ordinarij*, vbi docetur, iudicem ordinarium posse supplere iurisdictionem iudicis delegati. Nam specialiter textus ille procedit, quatenus ad extirpanda peccata possit iudex ordinarius supplere negligentiam iudicis delegati, vt docet Anguianus *dict. cap.* 33. & nos dicemus in eius textus commentario. Nec quod dicebamus, videlicet iurisdictionem delegatam esse accidentalem, & per consequens non esse præferendam ei, quæ est naturalis, obstat; quoniam hoc argumentum, quod expendit Riminaldus *in rubrica ff. de officio eius*; procedit, & locum habet, quando causa naturalis, & accidentalis tendunt ad eundem effectum; secus autem quando inuicem pugnant; tunc enim natura rei alterata esse dicitur, & prævalet causa accidentalis, *l.* 15. §. *ad bestias, ff. de postul.* vnde in concursu iurisdictionis delegatæ, & ordinariæ circa eandem causam prævalet delegata, quæ ordinariæ derogat, & in eius præiudicium conceditur.

CAPVT XXII.

Idem [a] *Eboracensi Archiep. & Episcopo Conuentrensi.*

EX parte N. capellani nobis innotuit, quod cùm ad te, [b] frater Conuentren. litteras nostras impetrauit, vt ei Archidiaconatum, quem in Ecclesia primò vacare contigerit, assignares; R. aduersarius eius ad te, frater Eboracen. litteras, sicut dicitur, impetrauit, nullâ de prioribus habitâ mentione; vt si [c] auunculus suus Archidiaconatum, quem habebat in ea Ecclesia, vellet omninò dimittere, ipsum ei faceres [d] assignari. Quoniam igitur, si memores fuissemus, nos præfato N. litteras nostras, sicut prædiximus, direxisse, pro aduersario nullatenus scripsissemus, nolentes litteras nostras, quas pro eodem N. misimus, occasione hac effectu carere: f. t. per A. s. præ. m. quat. præscriptum Conuentrensem commoneas, vt præfato N. Archidiaconatum Ecclesiæ suæ, si vacat, iuxta promissum suum assignet, non obstantibus litteris, quæ ab aduersario eius postmodùm fuerint impetratæ tacitâ veritate.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Similiter legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 17. & post Concilium Lateran. *part.* 7. *cap.* 21. De Eboracensi, & Conuentrensi Ecclesiis aliqua adduxi *in cap.* 2. *cap. inter cæteras, de rescriptis.*

2. b *Frater.*] Ita appellantur Episcopi, & Prælati Ecclesiastici, cùm R. Pontifex illis rescribit, *cap. quàm graui, de crimine falsi.*

c *Auunculus.*] Nepos, siue ex patruo, siue ex filio admitti potest ad beneficium patrui, vel aui, vt probaui *in cap.* 5. *de filiis presbyt. num. final.* 3.

d *Assignari.*] Resignatio in fauorem tertij quando admitti possit ab Episcopo, latè dixi *in cap.* 4. *de pactis*; & quæ ad hunc textum spectant, reperies *in cap.* 1. *de rescriptis, num. final.* 4.

CAPVT XIII.

Idem [a] *Eboracensi Archiepiscopo.*

EX parte tua quæsitum est à nobis, vtrum cùm causam aliquam sub certa forma committimus, iudices delegati formam sibi commissam ita debeant sequi, quod rationabiles exceptiones non admittant. Super quo taliter respondemus, quod etsi aliquando iudici expediat formam sibi statutam seruare; debet tamen rationabiles exceptiones

exceptiones admittere, & in cauſa iuxta iuris æquitatem procedere, niſi exprimatur in litteris noſtris, quod nullæ debeant exceptiones admitti: quod nec nos, nec anteceſſores noſtros vnquam credimus expreſſiſſe.

NOTÆ.

1. a *Boracenſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 18. & poſt Concilium Later. *part.* 42. *cap.* 1. De Eccleſia Eboracenſi latè egi *in cap.* 4. *de reſcriptis.*

COMMENTARIVM.

2. PRæſens deciſio ſpectat ad primam huius rubricæ partem, in qua agitur de officio delegati. Ad delegatum enim ſpectat ratione proprij officij partes iubere coram ſe comparere, *cap. præterea* 5. *hoc tit.* formam ſuæ delegationis diligenter ſeruando, *cap. venerabilis* 37. *hoc tit. cap. cùm dilecta* 22. *cap. Rodulphus* 35. *de reſcriptis.* Debet etiam delegatus ratione officij iuris ordinem ſeruare, exceptiones iuſtas, & rationabiles admittendo, *cap. cauſam quæ, de reſcriptis*; & omnes, niſi aliter in litteris delegationis comprehendatur: cùm enim nullum aliud habeat officium, niſi in litteris delegationis præſcriptum, illud debet diligenter cuſtodire, argumento textus *in l. diligenter, ff. mandati*; & tunc exceptiones tantùm admittere poteſt rationabiles; non enim Apoſtolica Sedes inhibendo exceptiones admittere, intendit omnes reiicere; nam quæ legitimæ ſunt, & rationabiles, non ſolent reſcripto Principis reiici, *l.* 2. *C. de precibus*, ne ius proprium auferatur à reo, aut via defenſionis ei præcludatur, vt docent Oſualdus *ad Donel. lib.* 22. *c.* 9. *littera E.* plures relati à barboſa *in præſenti.* Nec contrarium probant textus *in c. lator* 2. *q.* 7. *c. placuit* 21. *q.* 2. *c. ſi homo* 27. *q.* 1. Ex quibus Gloſſa *in præſenti, verbo Credimus*, intendit probare, exceptiones omnes reiici ſolere à R. Pontifice. Nam omiſsâ ſolutione Petr. Gregorij *in c. eam te* 7. *de reſcriptis*, *n.* 3. qui affirmat noſtrum Alexandrum in præſenti oblitum deciſionum prædeceſſorum ſuorum aſſeruiſſe, nunquam Sedem Apoſtolicam cenſuiſſe exceptiones reiicere in iudicio; dicendum eſt, in dictis decretis agi de cauſis criminalibus, in quibus ſuâ naturâ exceptiones, ſeu dilationes facilè reiiciuntur: vnde R. Pontifex potuit eas committere reiectis exceptionibus.

CAPVT XIV.

Idem *Abbati, & Conuentui maioris* a *monaſterij.*

QVoniam Abbas b Leiceſtriæ, qui priùs ſuſcepto mandato noſtro partibus diem ad agendum præfixit, præhabito conſilio prudentum, Abbatem c Leiceſtriæ de nouo ſubſtitutum iudici d præmortuo, porrecto illi mandato, quia ſub expreſſis nominibus locorum, & non perſonarum, commiſſio litterarum à nobis emanauit, ſibi ſocium in cauſæ cognitionem adiunxit, ideò nos ſententiam eorum, ſicut rationabiliter lata eſt, ratam, & firmam habemus.

NOTÆ.

1. a *Maioris monaſterij.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 19. & poſt Concil. Lateran. *part.* 46. *cap.* 4. Maius monaſterium eſt in Gallia, in ciuitate Turon. D. Martino Turonenſi dicatum ob eius amplitudinem: & quia alia minora monaſteria propè illud conſtructa, illi ſubdita erant, dictum fuit Monaſterium maius, vt plura de ipſius monaſterij origine, & progreſſu adducentes tradunt Yepes *tom.* 1. *Chron. D. Benedicti, centur.* 1. *cap.* 2. Renatus Chopinus *lib.* 2. *monaſt. tit.* 1. *n.* 11. Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Galliæ, fol.* 589. Mentio huius monaſterij fit *in cap. dilectus*, vt lite pendente, *c. inter, de exceſſibus Prælat.* apud Carnot. *epiſt.* 4. vbi notauit Souchetus; & *epiſt.* 108. vbi plura adduxit Iuretus. Bernardo Abbati huius monaſterij miſſa eſt præſens deciſio, quæ tam in prima, quàm in ſexta collectione caret prima parte. Reſtituenda tamen eſt ex dicto Concilio Lateran. *part.* 46. *c.* 4. vbi ita habetur: [Iam pridem, ſicut benè meminimus, receptâ querelâ veſtrâ de Ceſtriæ capella de Herdelei, quam ad Eccleſiam veſtram de Eſtun aſſeueraſtis iure parochiali ſpectare, & contra iuſtitiam detinebant, cauſam ipſam Abbatibus Leiceſtriæ, & Lilleshullæ commiſimus terminandam: ita quidem, quòd ſi vterque intereſſe non poſſet, alter nihilominus, adſcitis ſibi diſcretis, & honeſtis hominibus, in negotij executione procederet. Accidit autem inopinato rerum euentu, ſicut ex litteris tuis, & fratrum veſtrorum, fili Abbas, intelleximus, quod antequam partes in iudicio apparuiſſent, Abbas vnius loci, Lilleshull. ſcilicet, de præſenti vita migrauit, cui vir alter in breui prudens, & religioſus ſucceſſit. Deinde Abbas Leiceſtriæ, qui priùs mandato noſtro partibus diem ad agendum præfixit, habitoque conſilio virorum prudentium, & iuris peritorum, Abbatem Lilleshull. de nouo ſubſtitutum, porrecto illi mandato noſtro, quia ſub expreſſis nominibus locorum, & non perſonarum, commiſſio litterarum à nobis emanauit, ſibi ſocium adiunxit: & ſicut ex litteris eorumdem accepimus, cùm vtraque pars legitimè citata ſæpiùs in eorum præſentia conſiſteret, auditis rationibus, & allegationibus hinc inde productis, & teſtibus idoneis, & eiſdem de non tacenda veritate iuratis, eaque diligenter inquiſitâ, & cognitâ, cùm de iure matricis Eccleſiæ de Eſtun eis plenariè conſtaret, accepto multorum virorum legitimorum, & approbatorum, tam laicorum, quàm clericorum teſtimonio, prædictam capellam de Herdelei Eccleſiæ de Eſtun prudentium virorum conſilio adiudicauerunt. Venerabilis etiam frater noſter Vvigorum Epiſcopus, qui tunc præſens aderat, eorum ſententiam executioni mandauit, & monachos tuos, fili Abbas, qui ibi

aderant, & te quoque fili H. procuratorem negotij in præscripta Ecclesia, quæ in eiusdem Episcopi diœcesi consistit, in corporalem per officiales suos possessionem introduxit. Quia igitur lites, siue controuersiæ, quæ concordiâ, vel iudicio finiuntur, in recidiuæ contentionis scrupulum non debent iterum aliquatenus redigi, præsentis scripti patrocinio eam vobis confirmamus, &c.

2. b *Cestriæ.*] Cestria ciuitas est in Anglia propè Londinensem, olim Episcopalis Cathedra, ex ciuitate Lichfeldriæ ibi translata; sed postèà in Conuentriam mutata, & demùm ad pristinam Sedem restituta, vt refert Cironius *in cap. dilectus, de sequestrat. possess.* Huius ciuitatis meminit Alexander *in præsenti.*

c *Leicestriæ.*] Monasteria Leicestriæ, & Lilleshullæ, de quibus in præsenti, sunt Canonicorum regularium D. Augustini in Anglia, in Comitatu Salopiæ, vt refert Pennotus *in hist. canonic. regul. lib. 2. cap. 37.* in ipso Comitatu.

d *Iudice præmortuo.*] Hæc verba expossui *in cap. sciscitatus, de rescriptis.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu communiter sequens deducitur assertio: *Morte delegati exspirat iurisdictio delegata, nisi intuitu dignitatis mandata sit; quia tunc ad successorem in dignitate transit.* Probant eam textus *in c. dudum 27. 18. q. 2. cap. pastoralis, §. præterea, de officio Ordinarij, cap. si gratiosè 5. de rescriptis, lib. 6. c. si is qui, hoc tit. eod. lib.* Consonat lex 47. *tit. 18. part. 3.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *de canonicis cap. 3. n. 11.* Sahagun, & Canisius in hoc textu, Petrus Greg. *lib. 5. partit. tit. 5. cap. 3.* Moneta *de commut. cap. 8. numer. 114.* Couar. *in cap. requisisti 15. de testam.* Bajo Arroyo *in cap. fin. de procurat. lib. 6. n. 56.*

4. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO. Sed auersùs hanc assertionem insurgi potest sequentibus rationibus. Prima ex eo nascitur, nam certum est, mandatum extingui non solùm morte mandantis, verùm etiam mandatarij, *l. inter 26. l. si quid aliud 27. §. morte, ff. mandati, l. mandatum 15. Cod. eod. tit.* cum aliis infrà citandis: igitur morte iudicis delegati, etiam expresso dignitatis nomine, finitur mandata iurisdictio. Accedit, nam si expressio dignitatis faceret vt mandata iurisdictio transiret ad successorem, transiret aduersùs successorem partis, contra quam sub nomine dignitatis rescriptum impetratum fuit: sed aduersùs eius successorem in hac specie non transit iurisdictio delegata, *cap. significauit 36. de rescriptis*, vbi alia adduxi: igitur nec prætextu dignitatis expressæ iurisdictio delegata transit ad successorem in dignitate ipsius delegati. Augetur secundò hæc difficultas, nam si ea quæ intuitu dignitatis conceduntur, transirent ad successorem in dignitate, sequeretur vt iuramentum fidelitatis factum R. Pontifici, & vt Pontifici, non deberet eius successori iterùm fieri; sed debet iterari in persona successoris, *cap. ego 4. de iureiur.* vbi Balboa *num. 16.* igitur nec iurisdictio delegata, quæ expresso dignitatis nomine conceditur, ad successorem in dignitate transit. Augetur tertiò hæc difficultas sequenti ratiocinio. Mortuo Episcopo eius Capitulum succedit in omnem ipsius iurisdictionem ordinariam, *cap. his quæ 11. cap. olim 14. de maiorit. & obedient. cap. 1. eod. tit. in 6. cap. ad abolendam 3.* vbi Glossa *verbo Sede vacante, cap. penult. & fin. de supplend. neglig. eod. lib. cap. 1. de institut. in 6. Clement. 1. §. de hæreticis.* Trident. *sess. 23. de reform. cap. 10. & sess. 24. cap. 6.* Sed si iurisdictio mandata sit Episcopo etiam sub nomine dignitatis, Capitulum eo defuncto non succedit in iurisdictione delegata, vt defendunt in præsenti Abbas, Felinus, Mantua, & Beroius, Azeuedus *ad Curiam Pisanam lib. 1. cap. 8. numer. 12.* Sbrozius *de officio Vicarij lib. 1. cap. 16. num. 1. & lib. 2. cap. 135. numer. 4.* igitur quia iurisdictio delegata sub nomine dignitatis concessa ad successorem non transit.

5. RATIO DECIDENDI. Hac difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est Alexandri decisio, videlicet, iurisdictionem alicui mandatam sub nomine dignitatis, non finiri morte ipsius delegati, sed ad eius successorem transire: cuius decisionis rationes varias afferunt DD. *suprà citati.* Aliqui rationem petunt ex illis verbis huius textus: *Quia sub expressis nominibus*, &c. sed in eis vera ratio non assignatur, immò differentia constituitur inter delegationem factam sub nomine dignitatis, & factam sub nomine proprio. Quare eâ omissâ placet communis ratio à repetentibus in præsenti adducta, videlicèt priuatam personam decedere, dignitatem autem nunquam mori, *càp. si gratiosè 5. de rescriptis in 6. cap. liberti 65. 12. quæstion. 2. cap. requisisti 15. de testam.* Vnde iudex delegatus sub nomine dignitatis continuatur in successore, nec præsumitur decessisse. Quod non procedit in persona priuata, cùm indiuidua quotidiè pereant, *l. si quis in fundo 14. ff. de legat. 1.* Vnde credi non potest, ipsum delegatum viuere, cùm facto ipso decessisset; & ea quæ sunt facti, fingi non possint, *l. in bello 12. §. facti, ff. de captiuis.* Docent in præsenti Viuianus, Sahagun, & Canisius, Petrus Pechius *in regula Priuilegia, de regul. iuris lib. 6.* in cuius rationis confirmationem expendi solet textus *in l. quod Principi 56. ff. de legat. 2.* vbi docetur, quod si Principi legatum relictum sit, & decedat antequam dies legati veniat, legatum successori debetur, quod in aliis legatariis particularibus non procedit; nam si decedant antequam dies legati cedat, non transmittunt legata ad hæredes, *l. si post diem 5. ff. quando dies legati:* cuius specialitatis ratio non prouenit ex eo, quod Princeps solutus sit lege Papia, *l. Princeps*, iuncta inscriptione, *ff. de legibus:* sicut legibus Glicià, & Falcidià, *l. Papinianus 8. §. Imperator, ff. de inofficioso testament. l. 4. Cod. ad leg. Falcid.* vt docent Cuiacius *lib. 15. obseruat. cap. 30.* Pancirola *lib. 2. variar. cap. 5.* Madera *animadu. cap. 35. numer. 2. & 4.* Merillus *lib. 2. obseru. cap. 19.* Parexa *in otio quadrimestri, 2. part. numer. 3.* sed potiùs ex eo, quod legatum Principi relictum magis dignitati, quàm personæ relictum creditur, vt docet Gothofredus *in dict. l. quod Principi.* Quod etiam procedit in legatariis particularibus, si nomine dignitatis legatum relinquatur, vt sacerdoti, *l. annua, §. 1. ff. de annuis legat.* vbi Cuiacius, *l. sancimus 46. §. fin. l. vlt. Cod. de Episcop. & cleric.* Nec contrarium suadet textus *in l. si Augustæ 37. ff. de legat. 2.* vbi contrarium docetur in legato relicto Augustæ, videlicet quod si ipsa decedat ante

cessionem

ceſſionem legati, ad ſucceſſorem illud non tranſmittit; & tamen ipſam Auguſtam eiuſdem priuilegiis frui, quibus Princeps vtitur, docetur *in dict. l. Principes* 31. *l. fiſcus* 6. *ff. de iure fiſci*, *l. bonæ* 3. *Cod. de quadrien. præſcript.* Nam diſcriminis ratio ex eo prouenit, quod mortuâ Auguſtâ, alia non eligatur, aut ſuccedat in eius locum; poteſt enim contingere, vt Imperator aliam non ducat in vxorem; & ſi ducat, non ſucceſſionis iure ducitur: quod totum contrarium contingit in Principe, cui ſucceſſor neceſſariò datur, aut hæreditario iure, aut electione, iuxta leges aut conſuetudines Imperij.

6. ILLVSTRATVR PRÆDICTA RATIO.

Etiam pro illuſtratione, & confirmatione prædictæ deciſiuæ rationis adduci ſolet exemplum deductum ex priuilegio; licèt enim priuilegium perſonale, id eſt perſonæ conceſſum, extinguatur cum ipſa perſona, nec ad eius hæredem tranſeat, *l. priuilegia* 196. *ff. de reg. iuris*, *cap. priuilegia*, *eod. tit. in* 6. ſi tamen concedatur alicui dignitati, vel communitati, ex adducta ratione, videlicet quia dignitas nunquam moritur, perpetuum priuilegium eſt, & ad ſucceſſores in dignitate tranſmittitur, *l. forma* 4. §. *quidquam*, *Cod. de cenſibus*, *l. maximarum*, *Cod. de excuſat. muner. lib.* 10. Nec contrarium docetur *in l. ſordidorum* 13. *Cod. eod. tit.* dum in ea deciditur, priuilegia excuſationum munerum alicui intuitu dignitatis conceſſa non tranſire ad ſucceſſorem in dignitate; nam omiſsâ ſolutione Accurſij in eo textu, qui exiſtimat ibi agi de hærede, ad quem priuilegium nunquam tranſit, dicendum eſt, Imperatores tractare de priuilegio dato, ſeu conceſſo alicui contemplatione dignitatis; ſed eo animo, vt ad ſucceſſorem in ea non tranſiret, vt conſtat ex illis verbis: *Neque enim poteſt eſſe perpetuum, quod non rebus, ſed perſonis, contemplatione dignitatis, atque militiæ indulſiſſe conſtat.* Facit etiam pro prædicta deciſiua ratione, quod communiter traditur de executoribus teſtamentorum, aut commiſſariis ad teſtamentum condendum; licèt enim morte eorum finiatur officium, *cap.* 2. §. *final. de teſtam. lib.* 6. Petr. Pecchius *de teſtam. coniug. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 13. tamen ſi ſub nomine dignitatis quis ſit datus executor, aut nominatus commiſſarius, & electa non ſit perſonæ induſtria, ſucceſſor in dignitate poteſt exequi munus ſibi iniunctum, vt docent Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 27. *num.* 29. Carpio *de executoribus lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 16.

7. EXPONITVR CAP. I. DE OFFICIO VICARII, IN 6.

Nec huic rationi præſentis deciſionis ita receptæ, & illuſtratæ obſtat textus *in cap.* 1. *de officio Vicarij*, *lib.* 6. vbi excommunicatio prolata in Vicarium Epiſcopi, tanquam in Vicarium, non tranſit in ſucceſſorem in officio ipſo, vel dignitate: igitur quia quæ geruntur ſub nomine dignitatis, ad ſucceſſorem in ea non tranſeunt. Augetur difficultas ipſius textus *ex cap. aduerſus* 7. *de immunit. Eccleſ.* vbi excommunicatio prolata in Magiſtratum ſæcularem imponentem tributa Eccleſiæ, ſeu perſonis eccleſiaſticis, tranſit in ſucceſſorem ipſius Magiſtratus. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, certum eſſe, ſucceſſorem in dignitate non ligari excommunicatione, quâ ligatus erat eius anteceſſor, *dict. cap.* 1. *de officio Vicarij*; quia vnuſquiſque ex ſuo delicto ſorti ſubiicitur, nec alieni criminis quis ſucceſſor conſtituitur, *l. crimen* 26. *ff. de pœnis*: quia iuxta Caſſiodorum *lib.* 2. *variar. cap.* 11. quodcumque delictum ſuos ſequitur auctores; quod procedit niſi ſucceſſor ipſe in ipſa dignitate particeps ſit ſceleris; tunc enim ratione proprij reatus eadem ligatur cenſurâ, *cap.* 1. *in fine*, *vt lite non conteſt.* vt contingit in ſpecie textus *in dict. cap. aduerſus*; iudex enim ſæcularis particeps erat delicti, quia non ſatisfaciebat perſonis eccleſiaſticis ob grauamen illatum ab anteceſſore; vnde ratione proprij criminis in excommunicationem incidit anteceſſori inflictam. Docet Gloſſa *in dict. cap. aduerſus*, *verbo ſucceſſorem.*

8. EXPLICATVR TRADITA ASSERTIO.

Manet ergo, iuriſdictionem delegatam mandatam iudici ſub nomine dignitatis, tranſire in ſucceſſorem eiuſdem dignitatis: quæ aſſertio accipienda eſt, ſi non ſit electa perſonæ induſtria; tunc enim etiam ad ſucceſſorem in dignitate non tranſit, *cap. fin.* §. *fin. hoc tit.* Caniſius *in præſenti*; etſi iuriſdictio mandata ſit tantùm ſub nomine dignitatis, vt Petro Epiſcopo Salmantino; tunc enim eius morte finitur iuriſdictio, nec ad ſucceſſorem in Sede tranſit: nam quoties perſona exprimitur, perſonalis eſt commiſſio; quoties verò dignitas, realis: ita poſt alios Germonius *de indultis Cardin.* §. *Hieronymo*, *num.* 49. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 22. niſi alia ſit voluntas delegantis. Vnde infertur, cauſam commiſſam Vicario Epiſcopi, mortuo eo, vel reuocato, non tranſire in eius ſucceſſorem. Abbas *in præſenti*, *numer.* 10. Gambara *de officio Legati lib.* 8. *num.* 97. & *lib.* 9. *cap.* 35. talis enim iuriſdictio mandata Vicario vt Vicario, commiſſa videtur habitâ contemplatione officij, quod exercet. Flores de Mena *lib.* 1. *variar. cap.* 4. licèt contrariam opinionem teneant in præſenti Felinus *num.* 7. Decius *num.* 9. Beroius *num.* 11. Mantua *num.* 32. Riccius *in praxi*, *deciſ.* 615. Hoc tamen procedit in Vicario Epiſcopi ſucceſſore alterius; non verò idem dicendum eſt in Vicario Capituli Sede vacante; in eum enim non tranſit iuriſdictio delegata Vicario Epiſcopi, vt docet Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 54. *num.* 142. Similiter ſi cauſa commiſſa ſit iudici ſynodali ex his, qui eliguntur in Synodo diœceſana, ex diſpoſitione Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 10. & ipſe iudex decedat poſtquam in cauſa procedere cœpit, qui eligitur ſynodalis iudex ab Epiſcopo, non ſuccedit in cauſa commiſſa iudici ſynodali, quia talis delegatio potiùs perſonalis, quàm realis iudicatur: quare reſignatâ ipſâ dignitate, ſeu præbendâ, cuius ratione iudex ſynodalis electus fuit, adhuc poteſt procedere in cauſa, vt cenſuit ſacra Congregatio, referente Farinacio *in dict. c.* 10. *Concil. Trident.* & docent Flaminius *de reſign. lib.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 14. Ceuallos *communium quæſt.* 667. *num.* 10.

9. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obſtant dubitandi rationes ſuprà adductæ. Non prima; nam licèt verum ſit, morte mandatarij finiri mandatum, in præſenti tamen caſu non decedit mandatarius, ſiquidem dignitas nunquam moritur: vnde non eſt ratio quare iuriſdictio mandata exſpiret. Nec primum augmentum deductum *ex dict. cap. ſignificauit*, *de reſcriptis*, obſtat; nam diſcrimen eſt conſtituendum inter reſcriptum impetratum contra aliquem ob debita contracta intuitu, & ratione dignitatis; & inter reſcriptum impetratum contra conſtitutum in dignitate ob debita perſonalia: primo caſu reſcriptum tranſit contra ſucceſſorem, *c. cùm dilecti* 17. *de foro compet.* ſecundo verò caſu ſucceſſor in

dignitate non tenetur ſoluere debita perſonalia contracta ab anteceſſore, *cap.1. de ſolut.* quo caſu procedit textus *in dict. cap. ſignificauit* 36. nam ibi Comes perſonalis debiti ratione conueniebatur, vnde ſoror eius in Comitatu ſuccedens, ratione ipſius debiti, ex reſcripto impetrato contra fratrem conueniri non valet. Docent Gloſſa prima *in eo textu*, & Abbas *num.*4. Nec obſtat augmentum ſecundum deductum *ex dict. cap. ego*, *de iureiur.* nam pro eius ſolutione ſciendum eſt, iurantem obedientiam, vel fidelitatem alicui ratione dignitatis, & eius nomine, non teneri iurare eius ſucceſſoribus, quia omnibus obſtrictus manet, *cap. veritatis* 14. *de dolo & contum.* Couar. *in cap. requiſiti*, *num.*2. *de teſtam.* & *in cap. quamuis*, 1. *part.* §. 5. *num.*4. Suarez *de relig. tom.*2. *lib.*2. *cap.*34. perdoctus, & ſæpè laudatus Præceptor D. Franciſcus Ramos *in memorial. pro Epiſcop. Luſit. propoſ.*5. *num.* 164. ſi verò iuratum ſit alicui Prælato ſub nomine proprio, etiam expreſsâ dignitate, tunc iurandum eſt etiam eius ſucceſſori, *dict. cap. ego*, quem hoc caſu accipit Balboa *ibi*, *num.* 16. ſic etiam qui promiſit mandato, ſeu præcepto iudicis ſtare, tenetur etiam præcepto ſucceſſoris parêre; quia non tam ratione perſonæ, quàm dignitatis, & officij promiſſum videtur, vt rectè docet Couar. *in dict. cap. requiſiti*, *num.*10. Cui doctrinæ non refragatur textus *in l. penult. ff. iudicatum ſolui*, vbi qui promiſit iudicatum à iudice ſoluere, non tenetur virtute eius ſtipulationis ſoluere, quod à iudice appellationis iudicatum fuit; nam omiſſis ſolutionibus traditis ab Heringio *de fideiuſſorib. cap.* 20. §.20. Riccio 4. *part. collect.* 851. Couar. *dict. num.* 10. Oſuald. *ad Donell. lib.* 18. *cap.*14. *littera T.* dicendum eſt, in eo textu promiſſorem non teneri ſoluere iudicatum à iudice, ad quem fuerat appellatum, quia tantùm promiſit ſe ſoluturum, quod Sempronius iudicaſſet; quo caſu non tenetur ſoluere, quod ab alio, quàm Sempronio iudicatum eſt, *l. ſi à iudice* 64. §. 1. *ff. de iudiciis*, *l.* 3. *in princip. ff. iudicatum ſolui.* Nec obſtat vltimum augmentum difficultatis; verum enim eſt, Capitulum Sede vacante non ſuccedere in iuriſdictione delegata Epiſcopi, licèt ſuccedat in ordinaria. Ratio differentiæ eſt, quia ordinaria competit Epiſcopo iure proprio; at verò delegata iure ſpeciali. Vnde Capitulum cùm non ſuccedat in his, quæ ſpeciali iure competunt Epiſcopo, *cap. verum* 7. *de foro compet.* vbi Abbas *num.*8. *cap.*2. *ne ſede vacante*; ideò non ſuccedit in iuriſdictione delegata: quamuis enim ſubrogatum ſapiat naturam ſubrogati, *l. ſi eum* 10. §. *qui iniuriarum*, *ff. ſi quis cautionibus*, *l. ſi donare* 36. §. *ſi ſponſus*, *ff. de donat. inter*; id tamen procedit in omnibus, quæ ordinario iure competunt; non verò in his, quæ per accidens, vt *in l. item veniunt*, §. *cùm prædiximus* 4. *ff. de petit. hæred.* de cuius conciliatione cum lege *hæc actio* 13. §.1. *ff. de ſeruo corrupto*, videndi ſunt Gothofredus *ibi*, *littera D*, Ant. Faber *in dict. l. item veniunt.* Vnde cùm iuriſdictio delegata Epiſcopo non principaliter, ſed per accidens in eo reperiatur; licèt Capitulum ſuccedat in ordinaria & principali; non tamen ſuccedit in delegata accidentali: ſed ſi è contrario mandata ſit iuriſdictio Capitulo Sede Vacante, & vacare deſinat, electo Prælato; tunc iuriſdictio tranſit in Epiſcopum, ex textu ab ſpecie *in cap. eam te* 7. *de reſcriptis.* Ratio diſcriminis eſt, quia cùm cauſa committitur Capitulo Sede Vacante, committitur vt ordinario, cùm ibi non ſit aliqua perſona, aut dignitas, cuius contemplatione commiſſa credatur; ideò cùm omnis iuriſdictio ordinaria competens Capitulo tranſeat in Epiſcopum, etiam delegata ad eum tranſmittitur: at cùm cauſa committitur Epiſcopo, quia non tanquam Ordinario, ſed tanquam Epiſcopo demandatur, non tranſit in Capitulum.

CAPVT XV.

[a] Idem.

SVper eo verò, quod ſubiungere voluiſti, ſi de præſentatione preſbyteri inter aliquos quæſtione ſubortâ, cauſam contigerit delegari alicui ſub hac forma, vt ſi conſtiterit ius, de quo agitur, ad alterutram partem pertinere, ad præſentationem eius de perſona idonea [b] ordinet Eccleſiam appellatione remotâ, an liceat delegato iudici, inſcio Diœceſano Epiſcopo, Archidiacono, vel Archipresbytero reclamante, præſentatum ſibi clericum [c] in poſſeſſionem Eccleſiæ mittere, præſertim ſi ignotus fuerit præſentatus, aut minùs idoneus: aut ſi Archipresbyter, aut Archidiaconus, vel Epiſcopus, ad quem inſtitutio [d] pertinet, [e] appellauerit, vtrum eorum appellationibus ſit deferendum. Hoc tuam volumus diſcretionem tenere, quod licèt quæſtionem, quæ de præſentatione vertitur ap. rem. committamus alicui terminandam, non tamen noſtræ eſt intentionis diœceſano Epiſcopo, Archidiacono, vel Archipreſbytero [f] præiudicium generare. Ideoque præſentandus eſt illi, qui inſtituendus fuerit: & tenebit eorum appellatio, ſi videntes iuri ſuo detrahi, duxerunt appellandum; quia non eſt illis, ſed partibus, inter quas cauſa commiſſa eſt, ap. remedium intercluſum.

NOTÆ.

1. a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 20. & poſt Concil. Lateran. ſub Alexandro III. *p.* 47. *cap.* 3. ſed ſupplenda eſt vera inſcriptio *ex cap. tua nos*, *de clericis peregrin.* vbi eſt alia pars huius textus, & legendum: *Alexander III. Epiſcopo Cenoman.* in cuius notis aliqua adduxi de Eccleſia Cenoman.

b *Ordinet*

2. b *Ordinet Eccleſiam.*] Licèt verbum *Ordinare*, plerumque accipiatur pro *eligere*, ſeu *inſtituere*, vt probat Hallierius *de ſacris electt. cap.* 4. in præſenti tamen accipitur pro deſignare, ſeu confirmare, vt causâ diſceptatâ inter patronos, iudex delegatus vnius præſentationem confirmet, & ab eo præſentatum inſtituere faciat, vt *in cap. ſignificauerunt, de except. cap. ad probandum, de re iudicata.*

3. c *In poſſeſſionem Eccleſiæ.*] Ipſum præſentatum inſtituendo: licèt enim iudex ad quem appellatum eſt ab Epiſcopo, qui inſtitutionem facere negligit, poſſit ipſum præſentatum inſtituere, vt probat Lotherius *de re benef. lib. 2. cap. 13. num.* 70. & ſuadetur *ex Clement. auditor, de reſcriptis*; tamen iudex delegatus, cui commiſſa eſt cauſæ beneficialis cognitio, non debet ideò inſtituere præſentatum à patrono legitimo, ſed ſolùm iubere, ſeu declarare, ipſum eſſe inſtituendum, vt docent Perez de Lara *de capellan. & anniuerſ. lib. 2. cap. 11. num.* 15. Aloyſ. Ric. *in collect. deciſ. part. 5. collect.* 1598. Lotherius *vbi ſuprà*, Barb. *lib. 3. voto* 126. *num.* 203. Vnde delegatus in præſenti licèt poſſit cognoſcere de iure præſentandi inter patronos, non tamen poteſt ab eis præſentatum inſtituere.

4. d *Inſtitutio pertinet.*] Corporalis videlicet, ſeu miſſio in poſſeſſionem, quæ ad Archidiaconum iure communi ſpectat, vt probaui *in cap.* 4. *de officio Archidiac.*

5. e *Appellauerint.*] Ex hoc textu omnes in eo repetentes deducunt, etiam commiſsâ causâ appellatione remotâ, tertium appellare poſſe, quod & docuerunt Couarr. *practic. quæſt.* 15. *ex num.* 5. Balboa *in cap. ſuper* 17. *de appellat.* Sed ſi verum amamus, hoc principium neutiquam deducitur ex hoc textu; nam Archidiaconus, Epiſcopus, ſeu Archipreſbyter in præſenti caſu non appellauerant tanquam tertij, propter ius alienum, ſed ratione iuris proprij; ſiquidem iudex delegatus ſe ingerebat inſtitutioni, quæ ad eos ſpectabat; vnde non à ſententia inter patronos dicta appellarunt, ſed ab inſtitutione, quam ipſe delegatus facere intendebat.

f *Præiudicium.*] Generalis enim conceſſio Principis intelligitur facta ſine præiudicio tertij priuati, ſeu communitatis, *l. 2. §. meritò, ff. ne quid in loco publ. l. iubemus* 1. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l. finali, C. ſi contra ius, l. ſed cùm* 12. *ff. ad Trebell. l. penult. & vlt. ff. de natal. reſtit. l. 3. C. vnde vi, l. 4. C. de emancip. liber. l. reſcripta* 7. *C. de precib. Imp. offer. l. ſi teſtamentum, Cod. de teſtam. l.* 31. *&* 32. *tit.* 18. *part. 3. l. 1. & 2. tit.* 12. *lib. 3. ordin. l. 1. & 2. tit.* 10. *lib. 5. recopil.* Cuius beneficia omnibus prodeſſe, nulli verò debent nocere, vt in variis ſpeciebus probant textus *in l. 2. C. de precibus Imper. l. ex facto* 43. *ff. de vulgari*, & aliis. Probant Caſtillo *tom. 2. controu. cap.* 28. Azeuedo *in l. 14. tit. 3. lib. 1. recopil. num.* 39. Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. cap.* 26. *num.* 62. Molina *de primog. lib. 2. cap. 1. num.* 13. Peregrinus *de iure fiſci lib. 1. tit. 3. num.* 21. Didacus Perez *in l. 1. gloſſa 1. verſic. Præterea, tit. 5. lib. 3. Ordin.* Carleual *de iudiciis tom. 1. diſput. 2. num.* 629. Amaya *lib. 1. obſeru. cap. 1. num.* 31. *& in l. vnic. Cod. de pœnis fiſcal. lib.* 10. *num.* 79. Larrea *deciſ. Granat. diſp.* 8. *& alleg.* 115. *&* 119. Salgado *de retent. bullar. lib. 1. cap.* 7. Nec iuris ratio patitur alterum in alterius perniciem auctoritate Principis abuti, *l. 3. C. de reſcind. vendit. l. vlt. C. ſentent. reſcind. non poſſe, l. cauſas* 16. *C. de tranſact. l. ſi donationem 5. C. de reuoc. donat. l. 1. C. de his qui veniam æt.* Fornerius *lib. 5. rerum quotid. cap.* 26. Si tamen Princeps de damno tertij certioratus per ſupplicationem, iuxta tradita *in cap. ſi quando, de reſcriptis*, & cum cauſæ cognitione iterum ſuper eadem re reſcribit, exequendum eſt reſcriptum, *dict. l. 2. §. ſi quis à Principe* 16. quem illuſtrat Fornerius *vbi ſuprà*; citra enim periculum contumaciæ, & animi rebellis in rebus merè politicis non licet ſubditis ſcrupulosè inquirere in præcepta, inſſiones, & diplomata Regia, quando à Principe iam certiorato emanant: & hîc valet illud Terentij Clementis apud Tacitum *lib. 5. annal.* quamuis aliâ mente dictum: *Tibi ſummum rerum iudicium Diui dedere, nobis obſequij gloria relicta eſt.* Quam partem exponit ſecurè, & eleganter Marquez *lib. 2. Gubern. cap.* 10. 6.

CAPVT XVI.

Idem [a] Alexand. III. [b] *Arelat.* [c] *Archiepiſcopo.*

CAuſa matrimonij, quæ inter Ermengard. mulierem, & Blaſium agitari dignoſcitur, venerabilibus fratribus noſtris [d] Foroiul. & [e] Vapincen. Epiſcopis meminimus commiſiſſe. Quibus vtique in vnum conuenientibus, eandemque mulierem, ſicut accepimus, viro reſtitui mandantibus, vir mulierem cruciatibus, & flagellis adeò affecit, quod inuita & coacta, inter ſe, & virum eſſe confeſſa eſt parentelam. Sicque factum eſt, quòd ad iudicium vnius illorum mulierem ipſam dimiſit, quæ filios ſuos quinque dicit ex eo genuiſſe, & quatuordecim annis ſecum ſine quæſtione aliqua permanſiſſe. Vnde quoniam matrimonium in Eccleſia Dei adeò magnum ſacramentum probetur eſſe, quod ſine rationabili & euidenti cauſa diſſolui non debeat, præſertim cùm non ab homine, ſed à Deo ſit inſtitutum: diſcretioni veſtræ per A. ſ. mandamus, quatenus huius rei veritatem diligenter, & ſubtiliter inquiratis: & ſi inueneritis, quod præfatus B. prædictam mulierem ad iudicium ſolummodò vnius prædictorum Epiſcoporum à ſe ſeparaſſet, quia cùm duobus cauſa committitur, ſententia vnius non tenet, ipſum conſtanter commoneatis, & diſtrictè compellatis, vt mulierem ſicut vxorem ſuam, & appellatione remotâ benignè [f] recipiat, & maritali affectu pertractet. Quod ſi facere fortè contempſerit, eum, & ſuper-

inductam, appellatione ceſſante, excommunicationis vinculo perſtringatis. Si qui tamen apparuerint, qui poſtquam ab eo recepta fuerit, matrimonium eorum velint, & legitimè poſſint impetere, partibus ante vos conuocatis, cauſam audiatis, & eam fine canonico, appellatione remotâ, terminetis, illâ maturitate & circunſpectione adhibitâ, quam in tanto negotio conuenit adhiberi. Quod ſi ambo, &c.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] In prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 21. & in hac ſexta tantùm legitur *idem*; ſed epigraphen, & litteram textus ita reſtituo ex ipſa epiſtola Alex. III. *lib.* 12. *regeſtr.* quæ reperitur poſt Concil. Lateran. ſub ipſo celebratum, *part.* 50. *cap.* 26.

2. b *Arelat.*] Arelatenſis ciuitas, vulgò *Arles* dicta, ſuper Rhodanum flumen in Gallia, eſt ſexta Legionis colonia à Nerone deducta, vt Suetonius in eo teſtatur, quam eleganter deſcripſerunt Auſonius *ibi:*

Arelas, quam Naruo Martius & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis,
Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis,
Vt mediam facias nauali ponte plateam,
Per quem Romani commercia ſuſcipis orbis,
Nec cohibes, populoſque alios, & mœnia ditas,
Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato.

Caſſiodorus *lib.* 8. *variar. Arelate ciuitas ſupra Rhodanum poſita, quæ in Orientis proſpectum tabulatum pontem per nuncupati fluminis dorſa tranſmittit.* Eam paruam Romam appellat Sidonius *lib.* 3. *epiſt.* 1. eius mentio fit *in l. codicillis, ff. de vſufructu legat. l. ſupplices, Cod. vt lite pendente.* Plura de ipſa ciuitate adducunt Scaliger *in lection. Auſon.* Iuretus *ad Symmachum lib.* 9. *epiſt.* 16. Bucherus *in Belgico Rom. lib.* 8. *cap.* 9. Papirius Maſon. *in deſcript. Galliæ, pag.* 483. In ea vrbe ab initio tantùm Epiſcopalis Cathedra fuit, licèt Præſuli ius pallij conceſſum legamus *in cap. in Galliarum* 25. *quæſt.* 2. poſteà in Archiepiſcopalem erecta fuit; vnde eius Prælato ſub nomine Archiepiſcopi reſcribitur in præſenti, & *in cap. cùm apud* 23. *de ſponſal. cap.* 3. *de baptiſmo, cap. cùm dilecti* 18. *de accuſat.* Inde illa vexata controuerſia ſuper Primatu Galliæ inter ipſum, & Viennenſem Præſulem, *cap. Artaldus* 8. *quæſt.* 3. Eam referunt Baronius *anno* 445. *num.* 11. & 450. *num.* 52. Hallierius *de hierarch. iuriſd. lib.* 4. *art.* 4. §. 43. *cum ſequent.* alia dedimus *in cap.* 5. *de temporib. ordin.*

c *Archiepiſcopo.*] Bernardo videlicet, qui ex Caſſinenſi monaſterio, cùm eius Abbas eſſet, in Arelatenſem Præſulem electus fuit, & poſtea creatus Cardinalis tituli S. Mariæ in Via Lata, vt refert Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ.* 3.

d *Foroiulien.*] Forumiulium colonia Octauianorum, quæ Pacenſis dicitur à Plinio *lib.* 3. *cap.* 4. eſt in Gallia Narbonenſi, vt refert Strabo *lib.* 3. & ex eo, & aliis referunt Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Chriſt. fol.* 586. Habet Eccleſiam Cathedralem, cuius Epiſcopus vtramque poteſtatem, ſpiritualem videlicet, & temporalem in ea exercet. Aliqua de ea Eccleſia adducit Carolus à S. Paulo *in Geograph. ſacra, pag.* 155. 4.

e *Vapincen.*] Vapincenſis vrbs, vulgò dicta *Gap*, eſt in Gallia, in prouincia Narbonenſi: habet Eccleſiam Cathedralem Deiparæ Virgini dicatam, cuius Epiſcopus vnicus ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Aquenſis, vt referunt Fratres Sarmat. *tom.* 3. *Galliæ Chriſt. fol.* 1022. 5.

f *Recipiat.*] Priùs enim, & ante omnia vxor reſtituenda eſt, & tunc cauſa matrimonij diſceptari debet, *cap.* 1. *& 3. de ordine cognit. c. ex conqueſtione, de reſtit. ſpol.* niſi probatio conſanguinitatis in continenti offerretur; tunc enim ſi periculum inceſtus daretur, reſtituenda non eſſet vxor, *cap. litteras, de reſtit. ſpol.* latè exponemus *in cap.* 1. *de ordine cognit.* 6.

Ex hoc textu communiter deducitur, commiſſâ cauſâ duobus iudicibus delegatis, vnum abſque alio in ea procedere non poſſe: quod & probant textus *in cap. prudentiam* 27. *cap. vno, hoc tit.* quam partem expoſui *in cap. ſciſcitatus, de reſcriptis.* 7.

CAPVT VII.

Idem [a] *Oxonenſi, & Vvintonien. Epiſcopo, & Abbati* [b] *Herfor.*

CAuſam, quæ inter F. & R. de natiuitate Agathæ vertitur, vobis fratres Epiſcopi, & [c] Londou. Epiſcopo commiſimus terminandam. Verùm quoniam idem F. præfatum Londouen. Epiſcopum habet ſuſpectum, pro eo quod dominus eſt prædicti F. ipſum amouendum, & te, fili Abbas, loco ipſius duximus [d] ſubrogandum.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita etiam legitur *in cap.* 2. *qui filij ſint legitimi*, in prima collectione: integram epiſtolam dabimus *in cap.* 4. *qui filij ſint legitimi.* De Oxonenſi Eccleſia egi *in cap. propoſuit* 6. *de filiis preſbyt.* de Vvintonienſi *in cap. cæterùm, de reſcriptis.*

1. b *Herfor.*] Legendum eſt *Fordenſi.* Forda enim eſt in Anglia, in Comitatu Deuonienſi; de quo monaſterio ita legitur in indice ſacrarum ædium Angliæ. [Fordæ in Comitatu Deuoniæ, titulo S. Mariæ fundatrix Adelica filia Balduini de Ochmanton, monachi albi Ciſtercienſis. Eius Abbati miſſa eſt deciſio textus *in cap. ex litteris* 7. *de iurepatron.* aliqua de eo tradit Manrique *anno* 1113. *cap.* 9. *num.* 5.

c *Lond.*] De Epiſcopo Lond. egi *in cap.* 1. *de renunciat.*

d *Subrogandum.*] Statim ſequuntur verba, quæ reperiuntur *in cap. cauſam* 12. *qui filij ſint legitimi, cap.* 3. *de dolo & contum.* ex quibus ita huius textus caſus repetendus eſt. Duo fratres erant in Anglia, ex quorum vno Agatha, licèt adulterina, 2.

terina, susceptа erat, quæ alium etiam filium susceperat: altero fratre ab intestato defuncto, controuersia super eorum bonis mota fuit, & cùm vnus ea vi occupasset, Alexander III. Oxoniensi, Londinensi, & Vvintonien. Episcopis rescripsit *in dict. cap. causam, el* 2. vt antequam de hæreditate & natalibus prædictæ Agathæ cognoscerent, possessorem restituerent bonis spoliatum. Sed cùm hanc delegationem ægrè tulisset Henricus II. Angliæ Rex, quia spolij, & possessionis causam ad suum iudicium spectare intendebat, Alexander Regi causam possessionis remisit *in dict. cap. causam* 7. & natalium causam, seu status prædictæ Agathæ supradictis Episcopis commisit. Sed quia vnus ex litigatoribus homo beneficiarius erat Episcopi London. eo remoto, causam commisit Episcopis Oxonienſi, & Vvintonienſi, & Abbati Fordensi, sub hac formula, vt si illis constitisset Agatham ex adulterio natam esse, declararent eius filium illegitimum nepotem esse: adiecit etiam, vt absente vno ex litigatoribus, possent in causa procedere, si modò eum legitimè euocarent seruato iudiciorum ordine: quæ pars reperitur *in dict. cap.* 3. *de dolo, & contum.*

Ex hoc textu probatur, causam suspicionis, seu recusationis in iudice dari, si probetur vnum ex litigatoribus esse subiectum iudici delegato: quod, & quæ spectant ad recusationem iudicum delegatorum, disputabimus *in cap. suspicionis, hoc tit.*

CAPVT XVIII.

a Idem.

CVm te consulente, &c. *Et infrà*: Item super causa, quæ tibi ex nostra delegatione committitur, si à [b] personis ecclesiasticis, vna, vel [c] pluribus, quibus, vt parcas laboribus partium, & expensis, cognitionem ipsius causæ, & testium examinationem, sententiâ tibi reseruatâ, committas, appellatio fuerit interposita, huiusmodi ap. intuitu causam ipsam indefinitam relinquere non teneris.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. Vbi Alexandro III. tribuitur hæc decisio. Sed ni fallor, perperam; nam huius textus auctor est Lucius III. in epistola missa Cantuar. Archiepiscopo, vt constat *ex cap.* 1. *de officio Ordinary*, in secunda in collectione, vbi ita inscriptio proponitur: *Lucius III. Cantuar. Archiep.* & statim sequitur pars huius textus, quæ deest in præsenti, & ita habetur: *Cùm te consulente postulas edoceri, vtrum ad te pertineat sententias in causis, quas iudices in tua prouincia delegati à nobis protulerint, confirmare, licèt de causis nihil in tua præsentia sit tractatum. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod sententiam ipsam, nisi velis, non teneris confirmare, sed id tibi ex officij debito imminere, vt si ad mandatum eorundem iudicum sententia non possit executioni mandari, eis præstes auxilium, & fauorem, & ipsam etiam, si noueris rationabiliter latam, poteris confirmare.* Vnde cùm textus hic auctorem habeat Lucium III. necessariò sequitur, causam commissam fuisse Balduino, qui temporibus Lucij III. Cantuariensem regebat Ecclesiam, cuius laudes, & vitam latè prosequitur Richardus Smitheus *in serie Archiepisc. Cantuar. lib.* 2. *cap.* 8.

2. b *Personis ecclesiasticis.*] Ex his verbis plures repetentes in præsenti deducunt, iurisdictionem ecclesiasticam tantùm ecclesiasticis personis esse esse committendam, non verò laicis, quod etiam videtur probari *ex cap. in noua* 16. *quæst.* 7. Alij etiam discrimen constituunt inter causas merè temporales, & ciuiles; & inter causas ecclesiasticas, & criminales. Priores affirmant, posse etiam delegari laicis, posteriores verò tantùm ecclesiasticis personis committi posse: ita post Glossam *in præsenti*, Abbas, Decius, Felinus, & alij. Contrarium tamen, immò indistinctè omnes causas, tam spirituales, quàm temporales, ad iudicium Ecclesiæ pertinentes, posse non solùm à R. Pontifice, verùm & ab Episcopis laicis demandari, defendit Anguianus *lib.* 2. *de legibus, cap.* 25. *per totum.* Sed vt certa ab incertis separemus, primò dicendum est, R. Pontificem posse iurisdictionem etiam laicis delegare, immò & fœminis, *cap. Menam* 2. *quæst.* 4. & olim minoribus in ordinibus, & Ecclesiæ ministeriis constitutis frequenter committebat, vt scholastico *in cap.* 4. *de transl. Episcop.* Cantori *in cap. ex parte* 12. *de constit. cap. cùm olim* 12. *de re iudicata*: quod correxit, & emendauit Bonifacius VIII. *in cap. statutum* 8. *de rescriptis*, vbi statuit, vt tantùm personis dignitatem, & præbendam ecclesiasticam habentibus iurisdictio ecclesiastica delegari possit. Quæ Bonifacij constitutio duplici nititur ratione. Prima, quia creditur huiusmodi personas in dignitatibus constitutas scientiam iuris, causarumque peritiam habere, *cap. Metrop.* 63. *dist. authent. de defensorib. ciuitat.* §. *nos igitur*: quare iuxta hanc præsumptionem causæ rectiùs illis, quàm priuatis personis demandantur. Secunda ratio prouenit ex auctoritate iudiciorum; decet enim, ne à priuatis hominibus, sed ab illis, qui dignitate præfulgent, iudicia exerceantur, vt ex Cicerone, & Dione probat Gentilis *lib.* 2. *de iurisd. cap.* 13. Si autem Pontifex adhuc post hanc Bonifacij constitutionem causam commiserit simplici clerico cum clausula, *Ex certa scientia*, sustinetur delegatio, vt probat Barb. *de clausulis, clausula* 59. Circa Episcopos autem, & alios inferiores Prælatos dicendum est, iurisdictionem suam delegare posse etiam simplici Clerico, *cap. cùm Episcopi* 6. *de officio ordin. lib.* 6. quia cùm Episcopus propter propinquitatem exactiorem delegati notitiam habeat, necessarium non est recurrere ad præsumptionem, quæ ex dignitate nascitur. Laicis verò iurisdictionem demandare non possunt, tum propter prohibitionem generalem textus *in cap. decernimus, de iudiciis*; tum quia recentioribus Pontificum decretis prohibitum illis est, ne vicarios sacris ordinibus non initiatos eligere, & constituere possint.

Refert

Refert Barbosa *in summa*, *verbo Vicarius Generalis*, *num.* 1.

c *Pluribus.*] Delegatus enim Principis potest non solùm vni, verùm etiam pluribus causam subdelegare, vt probaui *in cap.* 3. *hoc tit.* ex cuius commentario petenda sunt quæ ad huius textus interpretationem spectant.

CAPVT XIX.

Idem [a] Lucius III. *Cant.* [b] *Archiep. & eius* [c] *Suffraganeis.*

RElatum est ex parte vestra, quod licèt in commissionibus à sanctæ recordationis Alexandro Papa tertio prædecessore nostro factis fuerit appellationis remedium amotum; altera tamen partium, siue lis fuerit contestata, siue non, exspirasse mandatum morte mandatoris allegat. Ideoque negotiis omnibus postpositis, in suspenso mandatum Apostolicum expectatis. Nos igitur consultationibus vestris præsentium auctoritate respondemus, quod si lis contestata fuerit ante obitum prædecessoris nostri, mandatum in morte mandatoris nullatenus exspirauit. Si verò ante litem contestatam decessit, non est in eo casu à iudicibus, quos delegauerat, ex delegatione huiusmodi procedendum, etiamsi ab eis minimè fuerit appellatum. Poterit ergo in eo casu appellatione cessante procedi, in quo ante mortem mandatoris lis fuerit per conquestionem, & responsionem partium contestata. Vbi autem mors mandatoris, lite contestatâ, præcessit, penitùs subsistatur, siue fuerit, siue non fuerit appellationis obstaculum interiectum.

NOTÆ.

1. a *Lucius.*] Ita habetur *in cap.* 22. *hoc tit. in* 1. *collect.* & post Concilium Lateran. *part.* 7. *cap.* 22. ex quo ita litteram huius textus restituo.

b *Archiepiscopo.*] Balduino videlicet, de quo *in cap. antecedenti.*

2. c *Suffraganeis.*] Quos referunt Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra*, *pag.* 166. Barbosa *part.* 1. *de potest. Episcop. in notitia Episcoporum.*

CAPVT XX.

Vrbanus III. *de* [a] *Vellebec. & de Olsestan. Abbatibus.*

GRatum gerimus, & acceptum, quod in negotiis vestræ discretioni commissis debitam curam impenditis, & in iis, quæ dubitationem faciunt, pro grauitate officij vestri censuram Sedis Apostolicæ postulatis. Sanè consuluit nos deuotio vestra, an ante obitum delegantis proposito citationis edicto, lite verò post mortem contestatâ, delegatus iudex nihilominus debeat in causa procedere: & vtrum is intelligatur ap. renuntiasse, qui eâ interpositâ, ad producendos testes inducias postulauit; & demùm productioni, & allegationi renuntians, attestationes petit solenniter publicari: sicut hoc totum circa decessum bonæ memoriæ prædecessoris nostri [b] Lucij Papæ, qui vos iudices [c] delegauerat, sub examine vestro asseritis contigisse. Nos autem inquisitioni vestræ taliter respondemus, quod in casu priori, cùm citatione facta negotium sit quasi cœptum, & maximè si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest, & debet in causa procedi, tenebitque quod iustitiâ fuerit præuiâ, iudiciali tramite diffinitum. In secundo verò casu videtur ab appellatione recessum, si secundùm ea, quæ præmissa sunt, eum, qui appellauerit, constiterit processisse.

NOTÆ.

a *Vellebec.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. finali*, & post Concil. Lateran. *pag.* 48. *cap.* 3. sed falsò; legendum enim est, *Abbatibus de Bello Becco*, *& Oselboston.* Quæ monasteria sunt Ordinis Cistercienſis in diœcesi Rothomag, quorum mentio fit *in cap. cùm venisset, de testibus*, *cap. cùm causa* 62. *de appellat.* & aliqua de eis adducit Illustrissimus Manrique *tom.* 2. *annal. Cisterc. anno* 1148. *cap.* 15. *num.* 1.

b *Lucij.*] Tertij videlicet, qui decessit Veronæ 7. Kalendis Decembris anno 1176. cui successit vnanimi omnium Cardinalium suffragio Vrbanus III. vt refert Baronius *in eo anno.*

c *Delegauerat.*] Quæ causa refertur *in cap. cùm venisset, de testibus.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX his duabus decisionibus Lucij & Vrbani deducitur in vtroque iure satis recepta assertio: *Morte videlicet delegantis finiri iurisdictionem delegatam, re integrâ.* Quam probant textus *in cap. principa li*

principali 15. *dist.* 63. *cap. quamuis*, *cap. licèt* 30. *hoc tit. cap. quotiens* 6. *cum sequenti*, *cap. cùm plures*, *versic. de iurisdictione*, *cap. finali*, §. *officium*, *hoc titulo in* 6. *cap. cùm venissent* 25. §. *mandamus*, *de testibus*, *Clement. finali*, *de procurat. l.* 4. *ff. qui satisdare*, *l. vlt. de pœnis*, *nouella* 134. *l.* 1. *l. & quia*, *ff. de iurisd.* Faciunt textus *in l. inter* 26. §. *si quis alicui*, & §. *morte*, *ff. mandati*, *l. mandatum* 15. *Cod. eod. tit. l. quæsitum*, §. *Iulianus*, *ff. qui & à quibus*, *l. eius qui* 41. §. *nam & si*, *ff. de reb. cred. l. final. ff. de solut. l.* 2. §. *sed si quis*, *ff. de nouat. l. cùm pater* 29. §. *Mœuio*, *ff. de legat.* 2. §. *rectè*, *Instit. mandati*, *l.* 12. *&* 22. *tit.* 4. *l.* 33. *tit.* 5. *partit.* 3. quibus probatur, mandatum morte mandantis finiri. Illustrant post antiquiores, & congestos à Barbos. in præsenti, Morla *de iurisd. quæst.* 1. *numero* 92. Acuña *in dict. cap. principali*, Cuiacius *qq. Papinian. in l.* 5. *ff. de officio Proconsulis*, Moneta *de commut. cap.* 8. *num.* 859. Castillo *lib.* 2. *controu. cap.* 29. Solorzanus *lib.* 3. *de iure Indiar. cap.* 26. Valensis *de beneficiis tit.* 26. Petrus Gregor. *de rescriptis cap.* 3. Germonius *lib.* 1. *animadu. cap.* 7. Luna & Arellanus *lib.* 1. *singul. antinom.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 28. *num.* 30. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 7. *à num.* 23. Abruzo *in lectura ad leg.* 1. *de officio eius*, *quæst.* 9. Tapia *tom.* 1. *Catenæ moral. lib.* 4. *quæst.* 22. Sahagun, & Otero *in præsenti*, Paz *in l.* 1. *stili*, Basilius *de matrimon. lib.* 5. *cap.* 23. Goueanus *in l.* 6. *ff. de iurisd.* Gentilis *lib.* 2. *eod. tract. c.* 29. Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 6. Couar. *lib.* 3. *var. c.* 15. Narbona *de appellat. à vicario*, 1. *part. num.* 72. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 63. Acacius Ripol. *variar. cap.* 1. *num.* 433. Vega *in rubrica de foro compet. num.* 18.

2. IMPVGNATVR VARIIS RATIONIBVS.

Sed hæc assertio ita illustrata ingentes patitur dubitandi rationes. Prima nascitur ex eo, nam valet argumentum de mandato extraiudiciali ad actus priuatos, ad mandatum iurisdictionale, quo iurisdictio delegatur, *l. & quia*, ibi: *Sicut in reliquis casibus*, *ff. de iurisd.* sed mandatum ad actus priuatos non finitur morte mandantis, etiam re integrâ, vt probant textus *in l. fundi* 6. §. *final. ff. de acquir. possess. l. si interim* 11. §. *si vxor*, *ff. de donat. inter*, *l. si quis* 17. §. *si impubes*, *ff. de institoria*: igitur similiter iurisdictio delegata non finitur morte delegantis. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam si iurisdictio delegata, seu mandata, morte delegantis finiretur, etiam iurisdictio data morte dantis cessaret, cùm tam vna, quàm alia pendeat ab aliena voluntate: sed iudicis dati notio, seu iurisdictio non finitur morte dantis, *l. venditor*, §. 1. *ff. de iudiciis*: igitur nec iurisdictio mandata morte mandantis finitur. Fulcitur secundò hæc difficultas ex eo, quia si iurisdictio delegata morte delegantis finiretur, sequeretur, iurisdictionem subdelegantis finiri etiam morte delegati, cùm ab ipso subdelegatio pendeat: sed sic est, quod iurisdictio subdelegata non exspirat morte subdelegantis, vt probat Goueanus *in l.* 2. *ff. de iurisdict. num.* 94. igitur nec iurisdictio delegata morte delegantis finitur. Secundò aduersùs secundam partem huius assertionis, vbi asseritur, re non integrâ iurisdictionem delegatam non finiri, insurgi potest ex eodem principio, videlicet, valere argumentum de mandato ad actus priuatos ad mandatum iurisdictionis: sed mandatum ad actus priuatos finitur morte mandantis, etiam re cœptâ, & non integrâ, *l. cùm plures* 60. §. *mandaui*, *ff. locati*: igitur & mandatum delegatæ iurisdictionis.

3. PRESENTIA QVANDO DICATVR.

Quibus difficultatibus non obstantibus, verum est, iurisdictionem delegatam finiri morte eius, qui delegauit, si adhuc res integra est: si verò iam cœpta sit, durare etiam post mortem delegantis: quando autem dicatur res integra, vt iurisdictio delegata duret, difficile valde est, propter expressam antinomiam, quæ reperitur inter Lucium, & Vrbanum III. in præsentibus decisionibus. In textu enim *in cap. relatum*, docetur, iurisdictionem delegatam durare adhuc post mortem delegantis, si iam lis contestata sit: at verò si ante litis contestationem ille, qui delegauit, decesserit, iurisdictionem finiri: in textu verò *in cap. gratum*, sequenti, Vrbanus III. expressè docet, citationem sufficere ad perpetuandam iurisdictionem, absque eo, quod lis contestata ante delegantis obitum fuisset. His contrariis decisionibus DD. perplexi non consentiunt in eo, vtrum videlicet litis contestatio necessaria sit ad perpetuandam iurisdictionem. Plures repetentes *in d. cap. gratum*, negarunt: pro quorum opinione faciunt etiam textus *in cap.* 1. *hoc tit. in* 5. *collect.* in illis verbis: *Proponens nihilominus*, *quod mandatum huiusmodi exspirauerat mortuo mandatore*, *licèt etiam iam à nobis tres citationes*, *vel quatuor emanassent*: *vos tamen admissis huiusmodi exceptionibus friuolis*, *in ipso negotio procedere distulistis. Nos ergo de discretione vestra non modicùm admirantes*, *cùm per præcedentia etiam subsequentia intelligantur*, *licèt ex scriptoris vitio*, *vel occupatione prædictum O*, *fuerit omissum*, *satis vobis potuit de mandatoris intentione constare*, *nec eius mandatum per ipsius obitum exspirauerat*, *eo quod res integra iam non erat.* Ex quibus constat, per citationem tantùm perpetuari iurisdictionem: textus *in cap. final. de officio legati*, in illis verbis: *Cùm istorum iurisdictio exspiret*, *si ante illorum discessum*, *quorum citatio non præcessit.* Et *cap. licèt* 31. *hoc tit.* ibi: *Vti non cœperit*, *cap. quamuis* 6. *Vsus extitit*, *hoc titul. cap. cùm plures*, ibi: *Negotium inchoate*, *hoc tit. in* 6. vbi negotium cœptum dicitur, si eo quis vti cœpit: igitur per solam citationem tantùm negotium cœptum dicitur. Accedunt varij effectus, qui proueniunt ex sola citatione; per eam enim causæ præuentio datur, *cap. proposuisti* 19. *de foro competent. l. si quis postea quam*, *ff. de iudiciis*, Tondutus *de præuentione*, *cap.* 1. litis pendentia inducitur, *Clement.* 2. *vt lite pendent.* per eam lis inchoatur, §. *fin. Instit. de pœna temerè litig. cap. quoniam* 11. *de probat.* Docent Alciatus *lib.* 2. *disput. cap.* 24. Binius *lib.* 1. *select. quæst.* 5. Hanc opinionem defendunt *in dict. leg. & quia*, Alexander *num.* 30. Socinus *numer.* 75. Iason *num.* 57. Orosius *numero* 26. & in praxi hanc sententiam communiter receptam esse docent Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *disput.* 28. *num.* 10. Castillo *tom.* 2. *controuers. cap.* 29. *num.* 5. Moneta *de commut. vltim. cap.* 8. *num.* 11. *&* 20. Vela *tom.* 2. *dissert.* 4. *num.* 54. Barbos. *in hoc cap. gratum*, *num.* 3.

4. CONTRARIA SENTENTIA TVETVR.

Sed contrariam sententiam, videlicet necessariam esse litis contestationem ad perpetuandam iurisdictionem delegatam, docuerunt Otero *in dict. cap. gratum*, *numero* 4. Germonius *lib.* 1. *animadu. cap.* 5. Arellanus *lib.* 1. *antinom.* 9. Didacus Perez *in proœmial. lib.* 1. *tit.* 1. *Ordin.* Vega *in rubrica de iudiciis*, *num.* 47. plures congesti à Vela *dict. dissert.* 40. *num.* 50. Pro quibus faciunt

faciunt textus *in cap. forus, de V. S. cap. super* 27. *hoc tit. cap. ex parte* 30. *de V.S.* textus expressus *in l.*21. *tit.* 4. *partit.* 3. & ea iuris ratio; nam vt officium procuratoris perpetuetur, requiritur litis contestatio, *l. ante litem* 16. *ff. de procurat.* igitur etiam ad perpetuandam iurisdictionem desideratur litis contestatio. Faciunt etiam textus *in l. ante litem* 16. *ff. de procurat. l. si conuenerit, ff. de iurisd.* vbi non dicitur iudicium cœptum antequam iudex adeatur, id est lis contestetur. Amplius, nam vt iurisdictio perpetuetur, desideratur vt iudicium cœptum sit, *l. & quia, ff. de iurisd.* sed per solam citationem iudicium cœptum non dicitur, vt docetur *in dict. cap. gratum:* igitur litis contestatio desideratur. Deinceps quia iudicium à litis contestatione incipit, Gaillus *lib.*1. *practic. cap.*74. Goueanus *in dict. l. & quia*, Cuiacius *lib.*9. *obseru. cap.* 21. Vaconius *lib.*6. *declarat. cap.* 89. Faber *in l. si bonæ* 49. *ff. de petit. hæred.* Gratianus *tom.*1. *discept. cap.*2. *num.*33. & *cap.*26. *num.*29. Frances *de compet. quæst.*5. *num.*1. Hac sententiâ à iuris ratione vt veriore retentâ, licèt contraria vsu & praxi recepta sit, non obstant contrariæ opinionis fundamenta. Non primum deductum *ex dict. cap. gratum*, cui decisioni varias assignarunt interpretationes suprà relati iuris Interpretes; plures enim existimant, per textum *in dict. cap. gratum*, corrigi decisionem textus *in dict. cap. relatum.* Ita Panormit. Decius, & Felinus *in eod. textu*, & alij laudati à Vela *dict. num.*51. Aliter Glossa *in dict. cap. relatum*, existimat, textum illum procedere iure ciuili attento; quo inspecto à litis contestatione iudicium incipit: at verò textum *in dict. cap. gratum*, procedere de iure canonico, quo attento à citatione iudicium incipit, *cap. vnic. de litis contest.* Felinus *in dict. cap. gratum*, *num.*3. Imola *num. etiam* 3. quos laudat, & sequitur Vega *in rubrica de iudiciis*, *num.* 47. existimant textum *in dict. cap. relatum*, procedere iuxta decisionem textus *in dict. cap. gratum*; & sic vnam decisionem suppleri per aliam. Germonius *dict. lib.*1. *animad. cap.*5. Otero *in dict. cap. gratum*, *num.* 38. putant discrimen esse constituendum inter eum casum, in quo iudex delegatus ignorauit mortem delegantis; & inter eum, in quo sciuit. Si ignorauit, sufficere citationem affirmant, *ex dict. cap. gratum:* si verò sciuit, necessariam esse litis contestationem, *ex dict. cap. relatum.* Sed his, & aliis interpretationibus omissis traditis à Vela *vbi suprà*, *num.* 60. dicendum est *in dict. cap. gratum*, non agi de simplici citatione, sed potiùs de citatione per edictum peremptorium, & trinam citationem, quæ inducit litis contestationem; si non veram, saltem fictam, *l. consentaneum* 8. *authent. qui semel*, *Cod. quomodo & quando*, *cap. quoniam*, §. *porrò*, *vt lite non contest.* Vnde cùm lis sit contestata per citationem peremptoriam, licèt non apertè, vt *in dict. cap. gratum*, docetur; saltem interpretatiuè per eam citationem peremptoriam perpetuatur iurisdictio delegata. Quæ interpretatio deducitur *ex dict. cap. gratum*, in illis verbis: *citationis edicto*, *dict. cap.*1. *hoc tit. in* 5. *compil. Tres citationes*, *vel quatuor emanassent. dict. l.* 35. *partitæ: Por emplazamiento.* Cuius citationis ratione perpetuatur iurisdictio delegata, vt docet Otero suprà, *num.* 39. Nec obstat textus *in dict. cap. fin. de officio Legati*, *in* 6. nam eius textus decisio procedit in Legato Pontificis; ille enim æquiparatur Proconsuli, *cap.* 2. *eod. tit. & lib.* Vnde sicut ille recedendo à prouincia retinebat iurisdictionem voluntariam, ita legatus Pontificis per solam citationem iurisdictionem acquirebat. Nec obstant similiter textus tertio loco pro contraria sententia adducti; nam debent accipi ita vt negotium cœptum dicatur per litis contestationem; non autem per citationem simplicem, sed per peremptoriam, ex qua ficta inducitur litis contestatio. Nec tandem obstat, simplicem citationem varios producere effectus; nam licèt illud verum sit, non tamen inde rectè infertur, sufficere citationem ad perpetuandam iurisdictionem, ad quam litis contestatio vera, vel ficta desideratur, vt docet Vela *vbi suprà.*

5. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Igitur re integrâ, id est lite non contestatâ, aut verè, aut interpretatiuè, morte delegantis exspirat iurisdictio delegata; negotio autem iam cœpto iurisdictio durat. Cuius conclusionis rationem antiquiores ferè omnes ex eo reddunt, quia cùm iurisdictio delegata pendeat à delegantis voluntate, *l.*1. §. *qui mandata*, *l. etsi Prætor*, *ff. de officio eius*, & per mortem cesset voluntas, *l.*4. *ff. locati*, *l. non solùm*, §. *morte*, *ff. de noui operis nunc. l. centesimis* 46. §. *fin. ff. de V. & O.* ideò per mortem finitur iurisdictio delegata; siquidem cessat delegantis voluntas, à qua pendet. Ita post antiquiores repetentes *in præsenti*, Couar. *lib.* 3. *variar. cap.*15. *num.*4. Richardus *in* §. *rectè*, *num.*8. *Instit. mandati*, Morla *dict. tit.*2. *num.*92. quam rationem etiam ad mandatum ad negotia extendunt Hothomanus *lib.* 2. *amicab. cap.* 38. Donellus *in l.* 15. *Cod. mandati*, Osualdus *ad Donell. lib.* 16. *comment. cap.* 23. *littera B.* Sed hæc ratio refellitur ex eo, quia màndatum vt finiatur, exposcit voluntatis reuocationem, vt probat Pinellus *lib.* 2. *select. cap.*6. sed quoties desideratur reuocatio voluntatis, non sufficit mors, quæ tantùm inducit voluntatis cessationem, non reuocationem, *l. Lucius*, *ff. de donat. l. cùm precario* 12. §. 1. *ff. de precario:* igitur non per mortem tantùm censetur reuocata iurisdictio delegata. Cui difficultati licèt satisfacere intendat Basilius *lib.* 5. *de matrim. cap.* 23. vbi interpretatur textum *in dict. l. Lucius*; tamen non rectè satisfacit. Quare illa ratio verior est huius conclusionis, quæ ex natura mandatæ iurisdictionis prouenit; cùm enim quodlibet mandatum morte finiatur, ex iuribus suprà citatis, naturâ ipsius ita exigente; & iurisdictio delegata mandetur, *l.* 1. *ff. de officio eius*, eodem modo ac mandatum finiri debet. Accedit, nam licèt iurisdictio delegata alicui mandetur, non tamen statim transfunditur in delegatum, donec ab eo acceptetur, *cap. quamuis*, *hoc tit.* Salgado *de Regia protect.*4. *part. cap.* 6. sed potiùs remanet penes ipsum delegantem. Vnde sicut iurisdictio, quam ipse habet propriam in habitu, & actu, eius morte finitur; ita & delegata, quam retinet; nec potest conseruari in delegato, ne plus iuris sit in causato, quàm in causante, *l. si viua matre*, *Cod. de bonis matern.* cùm resoluto iure dantis, resoluatur & ius accipientis, *l. lex* 31. *ff. de pignorib.* radice enim extinctâ, id quod ex ea prouenit, extingui necesse est, *l. corruptionem*, *Cod. de vsufructu:* nec interest an delegatus Principis sit, an inferioris. Sanchez *dict. disput.* 28. *num.* 33. Basilius *dict. cap.* 28. nec etiam refert, an ad vniuersitatem causarum, siue ad negotium particulare delegatus sit; cùm enim adhuc non acquisierit iurisdictionem, eam conseruare non potest: ampliùs etsi partes consentiant, iudex

delegatus

delegatus non potest in causa procedere; nam cùm nullam acquisierit iurisdictionem per vsum, non est iurisdictio, quæ prorogetur à partibus. Nec contrarium probat textus *in cap. cùm venisset* 25. in illis verbis: *Cùm postea egerit*: vbi probari videtur, sustineri sententiam à delegato prolatam post mortem delegantis ex consensu partium; nam ibi sententia sustinetur, quia res non erat integra tempore mortis delegantis, quod manifestè liquet ex nostro capite *gratum*, vbi refertur casus *in d. cap. cùm venisset*, propositus: è contrario verò, si iam sit negotium cœptum per litis contestationem, mortuo delegante iurisdictionem retinet delegatus; quod etiam contingit in mandato extraiudiciali, in quo si mandatario aliquid abesse cœpit, & res per consequens integra non sit, durat mandatum, *l. inter* 26. *cùm lege sequenti*, §. *morte*, *ff. mandati*; quo modo accipiendi sunt textus *in l. si decesserit* 4. *ff. qui satisdare*, *l. furti* 6. §. *illud*, *ff. de his*, *qui notantur infamiâ*, *l. si procurator* 15. *ff. de procurat.* vbi per cautionem præstitam iudicatum solui, res iam cœpta erat: omissis traditis à Fabro *lib.* 17. *coniect. cap.* 16. *l. nam & Seruius*, §. *si inuito*, *ff. de negotiis gestis*; Pinello *d. lib.* 2. *select. cap.* 6.

6. AMPLIATVR TRADITA ASSERTIO.

Adeò verum est, morte delegantis finiri iurisdictionem delegatam, vt si plures causæ commissæ sint iudici delegato in vno rescripto, & vna causa ab alia non pendeat, etiam re cœptâ in vna, non perpetuatur iurisdictio in alia; si verò vna ab alia pendeat, per contestationem vnius perpetuatur iurisdictio in alia; quia sub vna specifica delegatione continentur. Glossa *in cap. licèt*, *hoc tit. verbo Res integra*, vbi Panormit. *num.* 5. Faciunt textus *in l. iure dicimus* 19. *ff. de v. s. l. Papinianus*, *ff. de minoribus*, *l. fin. ff. de calumniatorib.* Similiter si causa commissa sit pluribus iudicibus, & vnus causam attingat, & de ea cognoscere cœperit, morte delegantis non finitur iurisdictio, *cap. cùm plures*, *in fine*, *hoc tit. in* 6. Ratio est, quia cùm pluribus causa committitur cum clausula, *quod si non omnes*, iurisdictio vnica, & indiuidua creditur, & in indiuiduis perpetuatio vnius aliis prodest, *l. si vna est via*, *ff. de seruit. rustic.* Docent *in dict. cap. cùm plures*, Dominicus *num.* 10. Francus *num.* 4. Si verò causa committitur pluribus delegatis simpliciter, non adiectâ clausulâ, *quod si non omnes*, etiamsi vnus de causa cognoscat, quoad alios non est perpetuata iurisdictio, *cap. causam matrimonij*, *cap. prudentiam* 21. *hoc tit.*

7. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec obstat prima difficultas suprà adducta; certum enim est, mandatum morte mandantis finiri re integra, nisi mandatum contineat rem necessariam, vt *in l. si procuratorio* 31. *ff. de procurat. l.* 1. *Cod. de O. & A.* iuncto Cuiacio *lib.* 2. *obseru. cap.* 31. vel si in rem ipsam mandatarij mandatum collatum sit, *l. illam*, *Cod. de donat.* aut nisi fauor dotis interueniat, vt *in l. si ego* 9. §. *si res*, *ff. de iure dotium*; quam ita accipit Amaya *lib.* 2. *obs. cap.* 4. aut nisi post mortem collatum sit, *l. & si quis* 12. §. *si cui funeris*, *ff. de religiosis & sumptibus*, *l. vlt. ff. de solut.* Cuiacius *in l.* 3. *Cod. mandati*, & *lib.* 1. *obs. cap.* 38. Merillus *variant. ex Cuiacio lib.* 3. *cap.* 29. & *different. cap.* 22. Donellus *lib.* 16. *comment. cap.* 23. vbi Osualdus *littera C.* licèt mandatum post mortem conferri posse, nèruosè defendant Hothomanus *lib.* 2. *amicab. cap.* 38. Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 6. *per totum.* Nec obstant textus suprà expensi, non textus *in d. l. fundi*, §. *item*, *ff. de acquir. possess.* cui aliqui satisfaciunt asserendo, eum procedere in mandato rei necessariæ, quod morte non finitur, vt suprà dixi. Sed hæc solutio facilè refellitur ex eo; nam si mandatum, de quo in eo textu, esset rei necessariæ, non ambigeretur, an ignarus, an sciens mandatum exequeretur: sed hoc dubitatur: igitur quia non loquitur textus de mandato necessario. Dicendum ergo est, in primo casu illius textus, ideò possessionem acquiri, quia ignarus eam tradidit; in secundo verò casu, quia scientibus mandantis hæredibus rem similiter tradidit; & qui scit, & non prohibet, mandasse intelligitur. Docent alia plura adducentes Madera *animad. cap.* 21. *num.* 7. Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 6. *num.* 42. Arias de Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 43. Fornerius *lib.* 3. *select. cap.* 3. Neque etiam obstat textus *in l. si interim* 11. §. *si vxor*, *de donat. inter*: cui respondendum est asserendo, ibi mandatum ex natura donationis inter virum & vxorem post mortem conferri, vt res donata tradatur tempore habili: quare morte non soluitur, vt contingit in aliis mandatis, siue iudicialibus, siue extraiudicialibus. Nec tandem obstat textus *in l. si quis mancipiis* 17. §. *si impubes*, *ff. de institoria actione*; nam licèt morte testatoris, qui habetur loco domini, finiatur mandatum speciale, *l. si per epistolam* 50. *ff. de acquir. hered.* mandatum tamen generale non extinguitur propter vtilitatem promiscui vsus, licèt non idem procedat in proposito pecuniæ credendæ, de quo *in l. eius qui in prouincia*, *ff. de rebus creditis*, ad cuius explicationem videndi sunt Donellus, & Cuiacius *ibi*, Moez *obseru. cap.* 4. Santaloria *interpretat.* 5. Valentia *tom.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. D. Didacus Serna *exercit.* 1.

8. RESPONDETVR ALIIS DIFFICVLTATIBVS.

Nec obstat primum augmentum deductum *ex l. venditor*, §. 1. *ff. de iudiciis*, pro cuius expositione sciendum est, magnopere differre iudices delegatos à iudicibus datis; nam ampliorem iurisdictionem habent iudices delegati, quàm dati, vt agnouit Quintanadueñas *lib.* 2. *de iurisd. num.* 2. iudices enim dati tantùm habent notionem, *l. ait Prætor* 5. *ff. de re iudicata*, *l. penult. ff. de confess.* delegati verò iurisdictionem, *cap. in litteris* 9. ibi: *Eius iurisdictio*; *cap. fin.* ibi: *Iurisdictio istorum*; *hoc tit.* Delegati possunt exequi sententias suas, vt probaui *in cap. significasti*, *hoc tit.* iudices verò dati eas exequi non possunt, *l. à D. Pio* 15. *ff. de re iudic.* Præterea iurisdictio mandatur vel vniuersa, vel eius pars, *l. solet* 16. *ff. de officio Proconsulis*, cum sequenti: sed iudex datur vni tantùm liti; vnde specialiter iudex dicitur *in l. Præses* 5. *ff. de officio Proconsulis*, *l. fin. ff. de officio Prætoris*, iuncta lege *Prætor* 4. *ff. de tutorib.* Ab eo, cui mandatur iurisdictio, prouocatur maior iudex eo, qui mandauit, *l.* 1. §. *vlt. ff. quis & à quo appell.* at verò à iudice dato prouocatur qui dedit, *l.* 1. *in principio*, *l. fin. ff. quis & à quo.* Is cui delegata est iurisdictio, habet eam vicariam, & alienam; secus iudex datus. Tandem iurisdictio mandata soluitur morte mandantis; data verò non finitur morte dantis, *dict. l. venditor.* Docent Cuiacius *lib.* 1. *qq. Papin. in l. fin. ff. de officio Proconsulis*; Osualdus *lib.* 17. *Donelli*, *cap.* 23. *littera A.* Ratio autem discriminis, quare iurisdictio delegata morte finiatur; notio verò morte dantis non exspiret, non prouenit ex fauore litigantium, vt existimauit Donellus *lib.* 17. *comment. cap. vlt.* sed ex eo, quia in iudice delegato

lis non conteſtatur penes ipſum delegantem; in dato verò lis conteſtabatur apud ipſum Prætorem, vt docent P. Faber *lib.1. ſemeſtr. cap.* 24. Reuardus *pro Tribunal. cap.* 11. Faber *in l. poſt litem* 17. *ff. de procurat.* exceptiones enim coram Prætore proponebantur, *l. ſi quis* 7. *ff. de except. l. ſi quis diem* 9. *C. eod. tit.* quod fieri abſque litis conteſtatione non poterat. Nec obſtat vltimum augmentum rationis dubitandi, petitum ex exemplo Legati Proconſulis; quia verum eſt, iuriſdictionem Legati Proconſulis non finiri morte ipſius Proconſulis. Ratio eſt, quia eius iuriſdictio potiùs ordinaria, quàm delegata creditur, vt probaui *in cap.* 1. *hoc tit.* Nec tandem obſtat, quod dicebamus, iuriſdictionem ſubdelegati non finiri morte delegantis, quia iuriſdictio ſubdelegata ſemper conſideratur propria delegantis: quare perſona ſubdelegantis non attenditur, niſi in caſu ſpeciali textus *in cap. licèt, hoc tit.* Docet pluribus relatis Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 54. Nec obſtat ſecunda difficultas deducta *ex l. cùm plures* 60. §. *mandaui, ff. locati*; nam ibi re cœptâ, ſeu non integrâ, non reuocatur mandatum, vt à contractu diſcedatur, ſed vt conductoris dolus æquitate ipſius vindicetur.

9. EXPONITVR PRÆSENS CAPVT GRATVM.

Primò ſuperiori aſſertioni opponitur textus præſens *in cap. gratum*, in illis verbis: *Maximè ſi delegatus non ſit certus de obitu delegantis.* Ex quibus communiter Doctores deducunt, iuriſdictionem delegatam non finiri morte delegantis, niſi delegatus ſciat delegantem iam deceſſiſſe: igitur mors ipſa delegantis non inducit iuriſdictionis ceſſationem. Cui difficultati vt ſatisfaciamus, examinanda eſt illa celebris quæſtio, vtrum videlicet geſta à delegato ignorante mortem mandantis, valida ſint? Et pro negatiua ſententia faciunt textus *in d. cap. gratum*, in verbis ſuprà relatis, iunctis illis ſequentibus: *Negotium ſit quaſi cœptum.* Ex quibus deducitur, vltra ignorantiam delegati deſiderari vt negotium ſit quaſi cœptum: & textus *in cap. fin. de procurat. lib.*6. vbi matrimonium contractum à mandatario ignaro mortis mandantis, nullum eſt. Faciunt etiam ſuprà tradita, videlicet iuriſdictionem delegatam ipſo iure finiri morte delegantis, *cap. licèt*, ibi: *Morte mandantis exſpirauit, hoc tit. cap. ſi cui nulla, de præb. lib.* 6. ibi: *Exſpirat omninò.* Sed ignorantia non poteſt tribuere iuriſdictionem delegato, quam ipſe non habet, *l. ſi per errorem* 15. *ff. de iuriſd.* igitur ignorantia mortis delegantis non reddit actus validos aliàs inualidos, cùm in his, quæ ipſo iure fiunt, nihil operetur ignorantia, *l. etiam inuiti* 32. *ff. de acquir. hæred. l. ſi à furioſo* 23. *ff. de O. & A.* vnde mandatum procuratoris, etſi procurator ignoret mortem domini, finitur, *l. eius qui, final. ff. de reb. credit. l. quæſitum* 15. §. *fin. ff. de manumiſſ. vindict.* Tenent hanc ſententiam Gloſſa *in d. cap. gratum, verbo Maximè*, Quintanaduenas *vbi ſuprà, num.* 15. Otero *in d. cap. gratum, num.*50.

10. CONTRARIA SENTENTIA REFERTVR.

Contrariam ſententiam affirmatiuam, videlicet geſta à delegante ignaro mortis mandantis, valere, probatur ſequentibus fundamentis. Primò, nam mandatum morte, aut reuocatione non finitur, niſi mortis, aut reuocationis notitia habeatur à delegato, *cap. ex parte* 33. *de reſcriptis, l. ſi mandaſſem* 15. *ff. mandati, l.*1. §. 2. *ff. quod iuſſu, l.* 4. *ff. de manum. vind.* quare ſi mandatarius exequatur mandatum, habet actionem mandati vtilem, *l. inter* 26. *ff. mandati.* Quo caſu accipiuntur textus *in l.* 2. *&* 5. *ff. de auro & arg. legat.* vnde qui ſoluit illi, qui ignorat reuocatum eſſe mandatum, liberatur, *l. ſi quis ſeruo, ff. de ſolut.* vt latiùs dicemus *in cap. mandato, de procurat.* Facit etiam pro hac ſententia textus *in cap. audita* 4. *de reſtit. ſpol.* vbi iuriſdictio delegati non creditur reuocata per ſecundum reſcriptum, donec habeatur illius notitia. Hanc ſententiam docuerunt Innocentius *in d. cap. licèt*, Albericus *in l. ſi facto, ff. de officio Præſid. num.*1. quos ſequitur Sanchez *dict. diſput.* 28. *de matrim. num.* 4. Sed pro iſtarum opinionum concordia dicendum eſt, ſtrictâ iuris ratione attentâ delegatam iuriſdictionem, imò quodlibet mandatum finiri morte mandantis, ſeu delegantis; ſed ex quadam æquitate, geſta ab eo, qui communiter iudex putabatur, ſuſtinentur, *cap. ad probandum, de re iudic. l. Barbarius, ff. de officio Præſidis, l.* 2. *C. de ſentent. & interlocutor.* vbi geſta ab ipſo delegato, ſeu mandatario, valere, & defendi docetur: vnde prima ſententia ſuprà adducta procedit inſpecto iuris rigore; ſecunda verò attentâ æquitate, quæ poſtulat, ne partes diutiùs litibus vexentur, vt latè proſequitur Baſilius *lib.* 5. *de matrim. cap.* 23. Nec aliud probant textus pro affirmatiua ſententia expenſi. Non textus *in d. cap. ex parte* 33. *de reſcript.* quia in eius ſpecie iudex habebat iuriſdictionem proprio iure; vnde licèt procurator reuocatus eſſet propter iudiciorum authoritatem, ne ea illuſoria redderentur, ſtatutum fuit, geſta ab eis in iudicio valere. Nec etiam obſtat textus *in d. l. ſi mandatum* 15. nam in eius ſpecie agitur de excuſando eo, qui ignarus reuocationis adimpleuit mandatum, ne damno afficeretur ex eo, quod bona fide illud adimpleuit, vt docent Morla *in emporio, tit. de iuriſd. num.*101. Arias de Meſa *lib.*3. *variar. cap.* 43. Nec etiam obſtat lex 1. *ff. quod iuſſu*; quia in eo textu deſideratur certioratio, non vt mandatum reuocetur, ſed vt mandator tranſgreſſor mandati iudicetur; & ne pater reuocans mandatum præiudicet contrahentibus cum filio. Tandem non obſtat lex 4. *ff. de manum. vindict.* cuius conciliatio cum lege *quæſitum* 15. *ff. qui & à quibus*, obuia eſt apud Inſtitutionum Interpretes *in* §. *rectè, Inſtit. mandati*, & Pinellum *lib.*2. *ſelect. cap.*6.

11. EXPONITVR CLEMENT. FINAL. DE PROCVRAT.

Secundò ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in Clement. fin. de procurat.* vbi mandatum procuratoris datum ad reſignandum beneficium, morte mandantis, etiam re cœptâ, & re non integrâ exſpirat: igitur iuriſdictio delegata etiam re non integrâ finitur morte delegantis. Pro huius textus interpretatione ſciendum eſt, plerumque conſtitui procuratorem ad reſignandum beneficium proprium, *Clement.* 1. *de renunc.* docent latè P. Greg. *de beneficiis, cap.* 28. Valenſis *eod. tract. lib.* 3. *tit.* 26. quod mandatum ad reſignandum finitur per mortem mandantis, non ſolùm cùm res integra eſt, verùm etſi cœpta; nam cùm morte mandantis beneficium vacet, *cap. ſuſceptum, de reſcriptis, lib.* 6. per conſequens & mandatum circa illud præſtitum finitur etiam quoad cœpta, quia ius ad illud beneficium penes ſucceſſorem mandantis non reſidet. Docent alia adducentes pro interpretatione ipſius textus, Oſualdus *ad Donellum lib.*18. *cap.* 12. *duplici littera D.* Sanchez *d. diſput.* 28. *num.* 42. Fachineus *lib.* 5. *controu. cap.*10. Baſilius *lib.*8. *de matrim. cap.* 19. Bajo Arroyo *in cap. final. num.*50. *de procurat.*

Tertiò

12. INTELLIGITVR CAP. SVPER 9. HOC TIT. IN 6.

Tertiò aduerſatur textus *in cap. ſi ſuper gratia 9. hoc tit. lib. 6.* vbi agitur de iudicibus executoribus datis à Sede Apoſt. & deciditur, eorum officium ſuper gratia facta à R. Pontifice non finiri eius morte: igitur quia iuriſdictio delegata etiam re integra morte delegantis non finitur. Cui difficultati ex communi omnium Interpretum placito reſpondeo, ſpecialiter rextum illum procedere in poteſtate data executoribus ſuper gratiæ executione, quæ per obitum concedentis, & re integra non exſpirat, quia ſequitur naturam ipſius gratiæ: quemadmodum enim gratia ipſa etiam re integrâ non finitur morte; ita etiam facultas data ad eius executionem. Illud enim diſcrimen inter reſcripta gratiæ, & iuſtitiæ vulgò notatur, videlicet reſcripta iuſtitiæ exſpirare morte delegantis; reſcripta verò gratiæ nullo modo morte concedentis finiri. Docent plures congeſti à Cenedo *in collect. ad Sextum, collect.* 1. Morla *in empor. tit. de iuriſd. num.* 107. beneficium enim Principis debet eſſe perpetuum, *cap. debet, de R. I. in 6.* vnde dimiſſoriæ conceſſæ ad ordines recipiendos, morte Epiſcopi, qui eas dedit, non exſpirant. Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 7. *num.* 231. nec ſimiliter Epiſcopi morte finitur poteſtas data ad audiendas confeſſiones. Sanchez *d. diſput.* 28. *num.* 7. Suarez *de pœnit. diſput.* 26. *ſect.* 3. *num.* 7. nec etiam facultas celebrandi in oratorio finitur morte Pontificis concedentis. Salas *de legibus diſp.* 20. *ſect.* 17. *num.* 125. Gutierrez *de matrim. cap.* 125. *num.* 22. & alia ſimilia, quæ proſequuntur Sanchez *vbi ſuprà*, Fragoſo *de regimin. Chriſt. Reipub. p.* 2. *lib.* 4. *diſput.* 10. §. 2. *num.* 36. Nec huic ſolutioni obſtat textus *in cap. ſi cui nulla, de præb. lib.* 6. vbi executio gratiæ delegata exſpirat morte delegantis. Nam omiſſis ſolutionibus traditis à Gloſſa *ibi*, Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 7. *num.* 4. Fachineo, & Baſilio *vbi ſuprà*, Barboſa *in hoc cap. relatum, num.* 4. qui communiter diſcrimen conſtituunt inter gratiam factam, & faciendam, quos refellunt Morla *in emp. d. num.* 17. Otero *in d. cap. relatum, num.* 22. dicendum eſt, in eo textu non agi de litteris gratiam continentibus; nam textus ille loquitur de litteris, per quas datur Ordinario facultas concedendi beneficium certæ perſonæ, quod aliàs propter reſeruationem, vel ſimilem cauſam conferre non poterat; quarum litterarum mentio fit *in cap. cùm aliquibus, de reſcriptis in 6.* vnde cùm reſpectu executoris non contineret gratiam, cùm non poſſit alienæ perſonæ niſi in reſcripto expreſſæ conferre, nec gratiam illius, cui beneficium conferendum erat, quia nullum ius illi acquiſitum erat, ex nullo capite reſcriptum illud gratiæ dici poterat. Docent Morla *dict. num.* 107. Bajo-Arroyo *vbi ſuprà, num.* 28. Otero *num.* 93. Garcia *de beneficiis p.* 6. *cap.* 2. *num.* 305. Alia circa illius textus explicationem adducunt Baſilius *dict. cap.* 19. *de matrim. num.* 1. P. Mendo *in bullam diſput.* 1. *cap.* 6. *num.* 48. & *diſput.* 2. *cap.* 5. *num.* 28.

13. PROSEQVITVR IPSA INTERPRETATIO.

Sed pro exactiori expoſitione textus *in d. cap. ſi ſuper*, aſſignanda eſt ratio differentiæ, quæ verſatur inter mandatum iuſtitiæ, & gratiæ. Et quidem Hoſtienſis *in cap. conſtitutus* 19. *de reſcriptis, num.* 2. eam adducit, nempe quod in litteris gratioſis ex ſola impetratione ius impetranti acquiritur; vnde in eis tantùm operatur impetratio, quantùm in litteris iuſtitiæ citatio, argumento ex capite *Capitulum, de reſcriptis, cap. ex parte, de officio deleg.* Sed hac Hoſtienſis ratione omiſsâ, veriùs dicendum eſt, ſtrictâ iuris ratione attentâ, in vtriſque litteris, tam gratiæ, quàm iuſtitiæ mandatum morte mandantis finiri; verumtamen contra hoc ſtrictum ius iure ſingulari & æquitate receptum fuiſſe, vt principium illud non procederet in mandatis ſpecialem gratiam continentibus: quæ ratio apertè colligitur *ex d. c. ſi ſuper*, ibi: *Æquum eſſe cenſemus*; *cap. ſi cui* 36. *de præb. lib.* 6. ibi: *decet*; iunctâ regulâ *Decet, de reg. iuris lib.* 6. *cap. magnæ, de voto.* Huius autem æquitatis inducendæ ratio, ſi qua aſſignari poteſt, maximè illa eſt, quia in mandatis & reſcriptis iuſtitiæ concedens principaliter intendit facere actum ſecundùm ius commune, & eius regulas ordinarias: at verò in gratia cùm ſemper intendatur aliquid extraordinarium, non ſecundum, ſed præter, vel contra ius commune, & eius regulas; meritò præter, immò & contra illas accipitur conceſſio, & durat, ita vt morte concedentis non exſpiret. Deinde quia licèt litteræ iuſtitiæ (quæ facilè, & abſque magnis laboribus ac ſumptibus ſolent obtineri) exſpirent re integra, mortuo concedente; nihilominus tamen impetrans à ſucceſſore id ipſum facilè obtinebit; vel ſaltem illi ſupereſt ordinarium iuris communis remedium, quod ſufficit ad conſequendam iuſtitiam, quæ per mandatum, ſeu reſcriptum intendebatur, iuxta quam doctrinam procedit textus *in cap. finali, verſic. Officium, hoc tit. lib.* 6. at verò ſi gratia præter, vel contra ius commune cum magno labore, & diſpendio obtenta exſpiraret re integrâ morte concedentis, graue præiudicium inferretur impetranti, quòd non facilè à ſucceſſore eius, qui gratiam conceſſit, nec per viam iuris communis aſſequeretur id, quod defunctus liberaliter conceſſerat. Facit etiam, nam gratiam concedens valdè optat vt perpetuò maneat, & in omnem euentum ſuum conſequatur effectum, *cap.* 1. *de donat.* ac proinde propter huiuſmodi enixam voluntatem veroſimiliter creditur intendere, ne ipſius morte exſpiret, quin immò & poſt illam maneat: quæ voluntas mandantis ſufficit, vt poſt mortem protrahatur mandatum, *l. ſi verò* 12. §. *finali, cum l. ſequenti, ff. mandati*; quam explicat Cuiacius *lib.* 1. *obſeru. cap.* 38. *l. cùm pater* 77. §. *filius, ff. de legat.* 2. Docent in ſpecie Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 14. *num.* 15. Tiraquel. *de priuileg. pia cauſa, priuil.* 82. *num.* 132. Cùm ergo mandatum gratiæ non exſpiret morte concedentis, dubium erat, an iuriſdictio executori gratiæ delegata morte delegantis exſpiraret? Et conſultus Bonifacius VIII. *in d. cap. ſi ſuper*, decreuit ſimile mandatum non exſpirare; quod profectò prædictâ æquitatis ratione motus contra iuris rationem nouiter reſpondit, vt agnouerunt Garcia *de beneficiis 6. p. cap.* 2. §. 3. *per totum*, Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 28. *num* 43. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. gloſſa* 12. *num.* 34. Cenedo *canonic. quæſt.* 38. *num.* 19. & *collect.* 1. *ad lib. Sext.* Nec obſtabit ſi dicas, Bonifacium non conſtituere ius nouum ex ipſa ratione, quam ipſe adducit *in verſic. Quam*, ibi: *Velut gratia prædictæ acceſſorium ſequi naturam congruit principalis.* Quæ regula eſt iuris antiqui ſatis repetita *in cap. de prudentia, de donat. inter, cap. ſi diligenti, de foro compet.* regula *Acceſſorium, de regul. iuris in 6. l. cùm principalis, l. nihil dolo,* §. *Cùm principalis, ff. de reg. iuris, l. non dubium, Cod. de legibus*; nam reſpondendum eſt, regulam illam antiquam non obtinere in præſenti caſu, quia in contrarium ſtabat

Vt Meneſes in cap. decet de reg. iur. lib. 6.

alia ratio, quæ generalem hanc regulam impediebat, videlicet morte mandantis mandatum exspirare. Nec etiam obstabit si instes, Bonifacium *in d. cap. si super*, asserere gratiam à Sede Apostolica emanasse; sed delegatio facta sub nomine dignitatis non exspirat, etiamsi decedat ille, qui concessit, *cap. quoniam* 14. vbi probaui, *hoc tit. cap. si gratiosè 5. de rescriptis*: ergo ex alio capite in ea specie iurisdictio executori gratiæ concessa morte concedentis non exspirabat. Nam respondeo discrimen constituendo inter terminum, in quem resoluitur delegatio, hoc est ex parte termini, cui delegatio fit, vt *in d. cap. quoniam* 14. *cap. si gratiosè*: & inter illum, qui delegat; quia hoc casu nihil interest, an delegatio facta sit sub nomine personæ, an sub nomine dignitatis: quocumque enim modo delegatio fiat, si fuerit iustitiæ, expirabit morte; si gratiæ, durabit. Accedit, nam in specie textus *in d. c. si super*, etsi gratia facta fuisset à Sede Apostolica, tamen delegatio executionis ab ipso R. Pontifice processit, & ita tantùm iure singulari sustinetur delegatio executionis gratiæ.

CAPVT XXI.

[a] Cœlestinus III.

PRudentiam tuam. [b] *Et infrà*: Quinto loco supplicas informari, vtrum cùm tribus causa committitur, ita, quod si omnes interesse nequiuerint, duo eam nihilominus exequantur: si reus à duobus tantùm fuerit conuocatus, venire necessariò teneatur? Et si citatus à pluribus, coram duobus comparuerit, tertio nec veniente per se, vel per litteras (vt solet fieri) excusante, an duo præsentes in causa possint procedere, & eam sententiæ calculo terminare? In hoc casu taliter respondemus, quod cùm aliquis delegatorum iudicum, per certum nuntium, vel excusatorem litteratoriè destinatum non ostenderit se interesse non posse, vel aliàs de eodem canonicè constare non poterit, residui procedere ad causæ cognitionem non debent: quod si processerint, nihil reputabuntur egisse. Illa quippe fuit antiqua Sedis Apostolicæ prouisio, vt huiusmodi causarum recognitiones duobus, quàm vni; tribus, quàm duobus libentiùs delegaret, cùm (sicut canones adtestantur) integrum sit iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Mandati siquidem excedere fines probaretur, si quis citra formam rescripti accepti præsumeret iudicare. §. Adiicimus etiam, quod vbi fuerit in commissione adpositum, vt si omnes interesse nequiuerint, duo eam nihilominus exequantur; si aliquis ex ipsis cùm possit, noluerit interesse, duo nihilominus in causa procedant, licèt ille tertius grauissimè sit arguendus pro eo, quod mandatum Apostolicum exequi subterfugiat, aut contemnat. Idem quoque per omnia dicimus obseruandum in causa, quæ committitur duobus, eo adposito, vt si ambo interesse nequiuerint, alter nihilominus exequatur. §. Sexta nobis proposita ex parte tua quæstio continebat, quod cùm aliquibus iudicibus causa committitur, & quandoque contingit, quod reus actori obiicit, quod stare non potest in iudicio, vtpote vinculo [c] excommunicationis adstrictus, si reus non velit statim eum probare excommunicatum, siue non possit; an actor nihilominus audiri debeat, donec super eo, quod obiicitur, rei veritas fuerit patefacta? Hanc dubitationem taliter remouemus, quod si ille, qui tale quid obiicit, statim, vel intra terminum competentem non probauerit legitimè quod intendit, actor permitti debet, vt sine offendiculo quolibet audiatur. Cæterùm, si vel ex confessione actoris, vel alio quolibet modo legitimè constiterit, esse actorem vinculo excommunicationis adstrictum, à iudicibus [d] delegatis secundùm formam Ecclesiæ valet absolui, ita vt si propter aliam iustam causam, & euidentem ab ordinario iudice, vel delegato excommunicatus fuerit, ad excommunicatorem debet absoluendus [e] remitti: qui si malitiam adhibuerit, delegati iudices id ritu ecclesiastico liberè exequantur, dummodo non sit tale genus excommunicationis illius, cuius absolutio Sedi Apost. reseruetur. Explorati siquidem iuris existit, vt delegatis iudicibus, quibus principale committitur, & accessorium committatur. §. Si verò ab his fuerit præstito iuramento, quod stabit mandato Ecclesiæ, absolutus: rursus interrogas, an coram eisdem delegatis, vel ordinario, à quo excommunicatus extitit, teneatur super eadem causa, pro qua excommunicatus fuerat, respondere, & quorum debeat iudicio, vel mandato stare? In quo casu taliter respondemus, quod coram ipsis excommunicatoribus super illa causa, pro qua fuerat excommunicatus, stare debet, & eorum seruare mandatum, nisi specialiter fuerit illud aliis iudicibus à Sed. Apost. delegatum. Quod si excommunicatores malitiosè distulerint, tunc delegati eandem iurisdictionem, quam in principali, & accessorio exercebunt.

NOTÆ.

NOTÆ.

a *Cœlestinus III.*] Supplendum est, *Rhotomag. Decano*, ex capite *prudentiam*, vnico *de mutuis petit. in 2. collect.* vbi est alia pars huius textus. De Rhotomag. Eccleſia egi *in cap. cùm contingat 24. de rescriptis.* De Decano, & eius officio aliqua notaui *in cap. 2. eod. tit. de rescriptis.*

b *Et infrà.*] Cùm Alanus Decanus Rhotomag. consuluisset Cœlestinum III. super diuersis iuris quæstionibus, sigillatim suo ordine Pontifex respondit. Ad primam *in cap. 2. de mutuis petit.* ad secundam *in cap. secundo, de appellat.* ad tertiam *in cap. tertio, de probat.* ad quartam *in cap. prætereà, el 2. de transact.* ad quintam in hoc textu, in principio: ad sextam *in §. sexta, huius textus*, ad vltimam *in cap. 2. de causa possess.* Et quia ipse Decanus Romæ decesserat, Capitulo Rhotomag. Cœlestinus rescribit *in cap. bonæ 3. de confirm. vtili.* Ex quibus omnibus partibus restituenda est integra epistola Cœlestini: & quæ ad principium huius textus spectant, petenda sunt ex commentario textus *in cap. sciscitatus, de rescriptis.*

c *Excommunicationis adstrictus.*] Maiori enim excommunicatione ligatus non potest in iudicio agere, licèt cogatur conuentus respondere, vt latè dicemus *in cap. à nobis, 2. de except.* quomodo autem excommunicatus possit in præsenti impetrare rescriptum, exposui *in cap. dilectus 26. de rescriptis, & in cap. ab excommunicato, eod. tit.*

d *Iudicibus delegatis.*] Quia non solùm potest quis absolui à sententia lata ab homine, ab eo qui eam protulit; verùm & ab eius superiore, aut delegato, vt exponunt Suarez *de censur. disput. 7. sect. 2. n. 2.* Gibalinus *eod. tract. disquisit. 9. q. 3. 2. p.*

e *Remitti.*] Hoc textu mouentur aliqui ex repetentibus *in cap. 1. hoc tit.* vt existiment, tunc posse iudicem delegatum impedientes vsum iurisdictionis punire, aut de accessoriis cognoscere, quando alio modo iurisdictio delegata expediri nequit: sed vt in eius textus commentario probaui, potest iudex delegatus, etiamsi alio modo iurisdictionem exercere possit, de accessoriis cognoscere, & impedientes suam iurisdictionem punire: vltra negotium enim principale sibi commissum duplex genus causarum mandatum censetur; primum earum, quæ à iurisdictione delegata dependent, & ex ea proficiscuntur, vt contingit in causa executionis sententiæ, *cap. significasti 7. cap. quærenti, hoc tit.* in coactione subdelegati, vt iurisdictionem acceptet, *cap. pastoralis 18. in principio, hoc tit.* in quæstione dotis, quæ in causa matrimoniali incidit, *cap. de prudentia, de donat. inter.* Secundum genus est earum, quæ licèt non oriantur ab ipsa causa delegata, exitum tamen ipsius remorantur, vt contingit in specie huius textus, & *in cap. veniens 38. de testibus.* Inter hæc autem duo causarum genera illud discrimen versatur, quod vbi à quæstione principali aliæ controuersiæ oriuntur, & pendent, potest delegatus cognoscere de eis, etiamsi necessariæ non sint ad exitum causæ principalis, vt *in d. cap. de prudentia*, & similibus; quia cum principali causa simul mandatæ intelliguntur: at vbi nouæ quæstiones proponuntur, quæ à delegata iurisdictione non proficiscuntur, non potest aliter de eis cognoscere, quàm si impediant vsum iurisdictionis delegatæ, vt in hoc §. contingit; quia non intelliguntur mandatæ, nisi quatenus cognitio illarum est necessaria ad exitum causæ principalis, *l. 2. ff. de iurisdictione*, vbi Alciatus *num. 4.*

CAPVT XXII.

N. [a] *Regin. Archiepiscopo, & N. Episcopo* [b] *Cephaluden.*

CVm causa, quæ vertitur inter venerabiles fratres nostros N. Montis [c] Regalis, & N. [d] Rossanen. Archiepiscopos super quibusdam decimis ven. fratribus nostris N. [e] Panormit. & N. [f] Capuan. Archiepiscopis, & tibi, frater Regin. commissa fuisset à nobis fine canonico terminanda, prædictus Archiepiscopus Montis Regalis, sicut ex litteris eius accepimus, ad primam prædictorum Panormitan. & Capuan. Archiepiscoporum citationem accessit, in quorum præsentia constitutus excipiendo proposuit, quod pro duabus causis non deberet eorum stare iudicio: tum videlicet quia causa ipsa fuerat tribus delegata, & ab illis duobus tantùm, te, frater Regin. præsente, inconsulto, & inscio, nec vices tuas eis super hoc committente, fuerat ad iudicium euocatus: tum etiam quia ante ipsorum citationem pro eadem causa nuncium suum ad Apost. Sed. transmiserat: in quo decretalem felicis mem. [g] Alexandri Papæ III. prædecessoris nostri sibi affirmabat apertiùs suffragari. At verò iidem Archiepiscopi exceptiones ipsius nolentes admittere, contra eum vt responderet, interlocutoriam sententiam protulerunt: propter quod idem Archiepiscopus sentiens se grauari, Sedem Apost. appellauit. Nos igitur prædictorum inquisitionem, & decisionem canonicam vestræ discretionis examini committentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis ad præsentiam vestram, qui fuerint euocandi, & inquisitâ super præmissis diligentiùs veritate, si vobis constiterit prædictos Archiepiscopos exceptiones prædictas nullatenus admisisse, non obstante eo, quod per ipsos factum est, decimas ipsas, quibus prædictus Montis Regalis Archiepiscopus se, postquam nuncij sui propter hoc ad Sed. Apost. accesserunt, asserit spoliatum, cùm easdem, tam sibi, quàm Eccleſiæ suæ à Sede Apost. fuisse asserat confirmatas, siue per laicalem potentiam, siue etiam per eosdem iudices factum sit, cum fructibus inde perceptis, sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo, restitui faciatis

faciatis: audientes postmodùm quantùm de iure poteritis, si quid fuerit quæstionis, & appellatione remotâ fine debito decidentes. Datum Lateran. Calend. Nouembris.

NOTÆ.

1. a *Regin.*] Ita legitur in hac sexta collectione, & in epistolis Innocentij III. emendatis à Guillelmo Sirleto, *pag.* 195. ex qua epistola ita hunc textum restituo. Regium vrbs equidem longè nobilissima, & vetustissima, totius Calabriæ Metropolis est, vtpotè prima ciuitas Calabriæ, immò totius Italiæ, Româ exceptâ. Eius situm, initium, & amplitudinem latè refert Gabriel Barrius *lib.* 3. *de antiquit. & situ Calabriæ.* In principio Christi fidem ab ipsis SS. Apostolis Petro & Paulo accepit, à quorum tempore Ecclesiam Cathedralem obtinet, Stephano primo eius Episcopo à D. Paulo ordinato, vt refert Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra, pag.* 59. Ipsa ciuitas aliquando à Patriarchatu Romano aulsa fuit, & Constantinopolitano Metropolis nomine subiecta, vt refert ipse Carolus à S. Paulo *vbi suprà, pag.* 39. Huius Ecclesiæ Præsuli Guillelmo missa est præsens decisio, cui simul cum Bartholomeo Panormit. Archiep. & Matthæo Capuano eadem causa iam delegata fuerat ab ipso Innocentio, vt infrà dicemus.

2. b *Cephaluden.*] Cephaleris vetus Siciliæ ciuitas est, in præruptæ rupis olim vertice sita, cuius frequens mentio est apud Ptolomeum *lib.* 3. Plinium *lib.* 3. *cap.* 8. Melam *lib.* 2. Ciceronem 4. *in Verrem:* Ecclesiam Cathedralem obtinuit iam ante Saracenorum inuasionem, vt ex Niceta refert D. Rochus Pirro *tom.* 3. *Siciliæ, notit.* 5. & licèt iniuriâ temporum ad exiguum oppidum ipsa ciuitas redacta fuisset; tamen Rogerius primus Siciliæ Rex eam instaurauit: cuius reparationis causam referunt Facelus *decad.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. Baronius *tom.* 11. *anno* 1130. Huius Ecclesiæ Præsuli Ioanni Cicala, cognomento Venero, missa est hæc epistola, vt testatur D. Rochus Pirro *d. notitia* 5. *anno* 1205.

3. c *Regalis.*] Mons regalis vrbs est Siciliæ, in prouincia Panormitana, vbi veteres Siciliæ Reges ad leuandas curas secedebant: eius descriptionem, & historiam latè prosequitur Aloisius Lellus *in libello de Montis Regalensis Ecclesia.* Eius Episcopus parebat olim Archiepiscopo Panormit. donec Lucius III. in Metropolitanam eam Ecclesiam erexit, cuius erectionis diploma refert D. Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ, notit.* 3. Cùm tempore Innocentij III. per annum 1198. eam Ecclesiam regeret Carus monachus Cistercienſis, lis oborta fuit inter ipsum, & Rossanensem Archiepiscopum: eam causam Innocentius III. delegauit primò Bartholomeo Panor. Guillelmo Regien. & Matthæo Capuano Archiepiscopis. Et cùm duo in causa procederent prætermisso Regien. Archiepiscopo, conquesti fuerunt Archiepiscopi Regien. & Montis Regalis litteris suis ad Innocentium missis, quas pro huius textus vera interpretatione libet transcribere ex epistolis Innocentij III. correctis à Sirleto, vbi *folio* 194. ita legitur.

Litteræ Regien. Archiep. ad Dominum Papam.

Excellentissimo Domino, & Beatissimo Patri suo Domino Innocentio Dei gratiâ sacrosanctæ Romanæ Sedis reuerendissimo summo Pontifici: G. humilis, & indignus Ecclesiæ Regin. minister salutem, & debitæ perpetuam deuotionis obedientiam. Placuit Beatitudini vestræ causam, quæ vertitur inter venerabiles montis Regalis, & & Rossanen. Archiepiscopos, mihi vestro deuoto clerico, vnà cum reuerendis fratribus Panormit. & Capuan. Archiepiscopis per litteras vestræ Sanctitatis committere: quibus debitâ reuerentiâ, & honore susceptis, non multò post susceptionem earum me per aliquot dies languor aliquantulus, non sine meorum exigentia meritorum inuasit; nec tamen vt inde mandatum vestrum minùs posset perfici, vel adimpleri, cùm tam nos, quàm & partes præsentes omnes Panor. fuerimus: & si meis sociis oneroſum videretur forsitan expectare, quamdiu mei apponeret diuina clementia misereri; & nequiuissem tunc pro instanti debilitate corporis cum ipsis ad hoc exequendum personaliter interesse: vox tamen, & sensus mihi nunquam per Dei gratiam defuit, quin possemus deliberatione mutua iuxta mandatum nostrum diligenti examine causam ipsam inquirere, ac fine debito terminare. Verùm iamdicti mei socij infrà illud ægritudinis meæ spatiolum pro eorum voluntatis arbitrio meam super hoc, & eorum sibi solicitudinem vendicantes, me ignaro, & inconsulto in causam ipsam, secundùm quod eorum dictauit consilium, processerunt. Et ne fortè in his, quæ paruitati meæ ab Apostolicæ Sanctitatis Eminentia iniunguntur, in conspectu mei Domini palliata falsitas sub veritatis specie offeratur, processum ipsius causæ secundùm quod ad diligentem inquisitionem meam certâ quorundam, qui interfuerant, approbatæ opinionis virorum, & veridicâ relatione mihi licuit experiri, Paternitati vestræ duxi præsentis textu paginulæ intimandum. Hinc est, quod cùm præfati mei socij prænominato Montis Regalis Archiepiscopo ex officio delegationis iniungerent, vt ad hoc, quod sibi ab Archiepiscopo Rossanen. obiicitur, pleniùs responderet: & idem Archiepiscopus pro duabus causis non debere se diceret eorum inde stare iudicio; tum videlicet, quia causa ipsa tribus fuerat delegata, & ab illis duobus tantùm, me præsente, inconsulto, & inscio, nec vice meâ super hoc eis commissâ, citatus fuerat ad iudicium: tum etiam quia ante ipsorum citationem pro eadem causa nuncium suum ad pedes vestræ Sanctitatis transmiserat; in quo decretalis Domini Alexandri sibi apertiùs dignoscitur suffragari. Ipsi eius assertiones nullatenus attendentes, iterum sine mei notitia contra eum vt responderet, sententiam protulerunt. In quibus omnibus prædictus Archiepiscopus grauari se sentiens, ad vestræ Beatitudinis audientiam appellauit. Erit igitur, si placet, vestri fontis scientiæ, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, super his iuxta summum vestræ immensæ discretionis arbitrium prouidere.

Litteræ Archiepiscopi, & Conuentus Montis Regalis ad Dominum Papam.

Sanctissimo Patri, & totius fidei Christianæ magistro, Domino Innocentio, Ca. Montis Regalis humilis Minister, eiusdemque Ecclesiæ vniuersus

uerſus Conuentus pedum oſculum, & quod poteſt peccatorum oratio. Placuit Beatitudini veſtræ cauſam, quæ vertitur inter Roſſanen. Archiepiſcopum, & Eccleſiam noſtram, immò veſtram, iudicibus delegatis committere, videlicet Panormitan. Regin. & Capuan. Archiepiſcopis fine debito terminandam. Vnde nos in omnibus, & ſuper omnia mandatis Apoſtolicis parêre cupientes, ad primam duorum tantùm citationis vocem acceſſimus, exceptiones noſtras (ſicut iuris eſt) peremptorias opponentes, videlicet quod nuncios noſtros ſpecialiter pro hac eadem cauſa ante citationem ad pedes Sanctitatis veſtræ tranſmiſeramus. Elapſis poſtmodùm tribus, aut quatuor diebus, à Panormitan. & Capuan. tantùm Archiepiſcopis, ſicut priùs citati, ne veſtram videremur contemnere Maieſtatem, eorumque conſpectui præſentati; quia primam exceptionem noſtram friuolam iudicabant, aliam exceptionem non minùs peremptoriam adiecimus, & obiecimus; quia cùm cauſa fuiſſet à Sanctitate veſtra tribus iudicibus delegata, præſente tertio, & irrequiſito, videlicet domino Regin. nobis etiam abſentibus, & ignaris, exceptiones noſtras inutiles iudicantes, pronunciauerunt aduerſæ parti nos reſpondere teneri. Vnde ob tam euidentes, & ſuſpicionis, & grauaminis cauſas ad Sed. Apoſt. appellauimus, quæ mater eſt, & ſubſidium omnium oppreſſorum, cùm in omnibus his appellatione opus non eſſet. Nam prima cauſa eſt, quia nuncij noſtri ante citationem iter arripuerant ad ad vos veniendi. Secunda, quia præſente tertio, & ignaro, & citauerunt, & decretalem Alexandri, quæ loquitur in hunc modum, friuolam iudicarunt. Cæterùm cùm aliquam cauſam contigerit tibi appellatione remotâ commiſſam fuiſſe, & aduerſa pars poſt factam citationem iter arripuit ad Sedem Apoſtolicam veniendi, non minimâ poteris in negotij cognitione ſecundùm iuris formam procedere: quod vtique ſi ante citationem iter inceperit, non eſt vtique obſeruandum. Sed quod deterius eſt, nobis neſcientibus, & irrequiſitis, pronunciauerunt præmiſſas exceptiones nullius fore momenti. Vnde proſtrati ad pedes Sanctitatis veſtræ petimus plus affectu, quàm voce, plus deuotione, quàm verbo, vt Eccleſiam noſtram, quæ veſtra ſpecialis eſt, nullis patiamini perturbationibus concuti, nec æmulorum noſtrorum, quaſi luporum morſibus lacerari. Valeat Sanctitas veſtra.] Vnde Innocentius iterum cauſam commiſit ipſi Archiepiſcopo Regienſi, & Cephaleritano.

d *Roſſanen.*] Roſſanum ciuitas vetuſta eſt Calabriæ, ab Oenotriis condita, cuius ſitum, & propugnaculum refert Gabriel Barrius *in antiquitat. & ſitu Calabriæ, lib. 5. in principio.* Habet Eccleſiam Cathedralem Metropolitanam.

e *N. Panormit.*] Bartholomeo videlicet. De Panormitana Eccleſia plura adduxi *in cap. 4. de elect.*

f *N. Capuano.*] Matthæo videlicet. De Eccleſia Capuana aliqua notaui *in cap. cùm inter 18. de elect.*

g *Alexandri.*] De qua *in cap. ad hæc, de appell.* vbi iuſtitiam huius exceptionis examinabimus. Quæ ad huius textus interpretationem ſpectant, petenda ſunt ex commentario textus *in cap. ſciſcitatus, de reſcriptis.*

CAPVT XXIII.

dem *Conuentui de* [a] *Conchis.*

CVm ſuper Abbatia monaſterij veſtri inter vos, & S. quondam Abbatem olim fuiſſet quæſtio diutiùs agitata, partibus tandem ad noſtram præſentiam accedentibus dilectum filium noſtrum H. ſancti Euſtachij Diac. Card. dedimus auditorem: in cuius præſentia pro ipſo S. taliter fuit allegatum, quod cùm dilectus filius noſter I. tit. ſanctæ Pudentianæ Preſb. Card. tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus intraſſet Normanniam, & ſuper ſtatu ipſius Abbatiæ cum Abbate, ac Fratribus inquiſitionem habuerit diligentem, nihil reprehenſione dignum inuenit ibidem, ſicut ex litteris bonæ memoriæ C. [b] Papæ prædeceſſoris noſtri euidenter apparet: quibus ipſius Card. confeſſio eſt inſerta. Eo verò poſtmodùm ab ipſo monaſterio recedente, litteræ ipſius ad dilectos filios N. Toarcen. Abbatem, & N. Priorem Sanctæ Barbaræ fraudulenter obtentæ fuerunt ſuper inquiſitione Abbatis, & totius monaſterij facienda, nullâ datâ inquiſitoribus poteſtate in Abbatem aliquid ſtatuendi, quemadmodum ex teſtimonio eiuſdem Card. colligitur euidenter. Prædictis ergo inquiſitoribus accedentibus ad monaſterium memoratum, & volentibus fines mandati excedere in facienda inquiſitione iuris ordine non ſeruato, idem Abbas antequam inquiſitio ſortiretur effectum, Sed. Ap. appellauit: & quamuis iter arripuiſſet ad Rom. Eccleſiam veniendi, dicti tamen inquiſitores nec appellationi rationabiliter interpoſitæ, neque ipſius abſentiæ, vel excuſationibus aliquibus deferentes, deſtitutionis in eum ſententiam contra iuris ordinem promulgarunt: licèt non pronunciandi poteſtas eis eſſet conceſſa, ſicut ex multorum Prælatorum litteris liquidò declaratur. Memorato igitur Abbate ad dicti prædeceſſoris noſtri præſentiam accedente, poſtquam de inordinata deſtitutione ſua eum reddidit certiorem, omnibus irritatis, quæ contra iuris ordinem à dictis inquiſitoribus fuerant ordinata, eundem Abbatem ſententiâ ſuâ reſtituit, executione ſola ven. fratri noſtro Epiſcopo, & dilectis filiis L. & H. Archidiac. Ebroicen. demandatâ.

Die verò à ſolo Epiſcopo partibus aſſignatâ, & ad terminum vtraque partium veniente, cùm expectaret Abbas reſtitutionem fieri ſibi ſecundùm Apoſtolici mandati tenorem, eam non potuit obtinere: quin potiùs precibus, minis, & terroribus eum Epiſcopus inducere laborauit, vt in ipſum non ſuper reſtitutione facienda, quod erat principale negotium, compromitteret, ſed ſuper executione tantummodò differenda. Et quoniam pars aduerſa cum armis illuc acceſſerat, & multitudine armatorum, factum eſt, quod in dictum Epiſcop. ſicut præmiſſum eſt, compromiſit, fide in [c] manu ipſius præſtitâ, & reſtitutionis litteris depoſitis apud Deum, non tradendis parti aduerſæ, ſed diligenter ſeruandis, & reſtituendis ſibi tempore opportuno. Ipſe verò Epiſcopus contra id, quod promiſerat, venire non metuens, aduerſariis Abbatis litteras reſtituit memoratas: ſicque compromiſſo ex parte ipſius Epiſcopi, & aduerſariorum pariter violato, monachi bonæ memoriæ Mel. tit. Sanctorum Ioannis, & Pauli Preſbyteri Card. tunc Apoſt. Sed. Legati præſentiam adeuntes, ad I. quondam Rothomagen. Decanum ſuper grauamine compromiſſi commiſſionis litteras impetrarunt. Ad cuius primam citationem monachus à dicto Abbate tranſmiſſus captus fuit ab aduerſariis, & vinculis ferreis mancipatus. Ad ſecundam verò citationem idem Abbas accedens per oppreſſionem coactus fuit compromittere in Decanum; non ſuper Abbatia, de qua ſub eo nulla quæſtio vertebatur; ſed pro quibuſdam [d] bladi redditibus minuendis. Parte autem altera ſuper compromiſſo ſeruando fidem, ſicut conuenerat, non ſeruante, dictum S. iterum oportuit ad Sedem Apoſt. laborare; vbi à nobis tam ſuper principali, quàm incidenti etiam quæſtione ad venerab. frat. noſt. Lexouien. Epiſcopum, & dilectum filium Abbatem Vallis Richer. litteras impetrauit, vt ſuper his, quæ à nobis fuerant intimata, ſtuderent elicere veritatem: & ſtatuerent, quod ſecundùm Deum viderent rationabiliter ſtatuendum, iuris ordine per omnia obſeruato: ita quod alter ſine altero adeſſe nolente, vel etiam non valente, mandatum Apoſtolicum impleret, mentione factâ in litteris ipſis de fide violenter (ſicut idem S. aſſerebat) extortâ, & non ſuper monaſterio abiurando, ſed reſtitutione (vt dictum eſt) tantummodò differenda: ne his omiſſis, tacitâ veritate commiſſio videretur obtenta. Partibus verò coram delegatis iudicibus conſtitutis, pars illius, quem dixit intruſum, præfatum Epiſcopum duabus de cauſis ſibi dixit eſſe ſuſpectum: tum quia ſuper Eccl. quadam cauſam habebat cum monaſterio memorato: tum etiam quia ipſum à Romana Curia redeuntem ad pacis oſculum non admiſit, vnde neque coram illis, neque coram illorum altero iuri ſtare voluit: quamvis nihil diceret in Abbatem, ſed appellans fruſtratoriè ſe contumaciter abſentauit. Verùm dicti executores appellationi, quæ nulla fuerat, minimè deferentes, habito multorum prudentium virorum conſilio, ſententiam à dicto prædeceſſore noſtro prolatam executioni mandarunt, reſtituentes prædicto S. Abbatiam, & præfato intruſo perpetuum ſilentium imponentes. Cúmque ad eorum ex parte Apoſtolica iuſſionem diœceſanus Epiſcopus ſæpiùs requiſitus ipſum S. in corporalem poſſeſſionem inducere recuſaret, id exequendum quibuſdam diaconibus mandauerunt; qui nedum admiſſi non fuerunt, verùm per monachos, & fautores eorum afflicti verberibus, carcerali ſunt cuſtodiæ mancipati. Quapropter in intruſum, monachos, & fautores eorum à delegatis fuit ſecundùm Apoſtolici mandati tenorem excommunicationis ſententia promulgata. Sed ob hoc intruſus, & monachi non dimiſerunt diuina officia celebrare: qui etiam ipſo intruſo defuncto alium excommunicatum eligere præſumpſerunt, ſicut ex delegatorum litteris perpenditur euidenter. Cúmque nec ſic poſſent ad frugem melioris vitæ reduci, ſæpedictus S. iter arripuit ad Sed. Apoſt. veniendi. Sed prævenientes eum nuncij monachorum, de benedictionis munere illi, quem elegerant, impendendo, fradulenter litteras impetrarunt: quas ad partes ſuas miſerunt feſtinantiùs, quàm deberent. Petebat itaque dictus S. monachos ipſos, qui cuidam prædeceſſorum ſuorum amputare linguam, & oculos eruere præſumpſerunt: in alium ſedentem ad menſam cum gladiis, & fuſtibus impetum facientes, alium ſolum in Eccleſia dimittentes, Miſſam celebrare paratum, animaduerſione condignâ puniri, & poſſeſſionem Abbatiæ plenariè ſibi reſtitui, ſicut à dicto prædeceſſore noſtro ſtatutum fuerat, & à delegatis poſteà iudicibus ordinatum; intruſo qui poſt latam in eum ſententiam excommunicationis aſſumptus fuerat, per ſilentium perpetuum condemnato. Cæterùm pro vobis ita fuit propoſitum ex aduerſo, quod cùm præfatus I. Cardinalis in partibus illis legationis officio fungeretur, & cauſam ipſam ſuper dilapidatione ipſius S. & incontinentia pariter præfatis Abbati Toarnen. & Priori ſanctæ Barbaræ commiſerit

terminan

terminandam, ipſi cognitâ veritate, & ordine iuris per omnia obſeruato, in eum depoſitionis ſententiam protulerunt: quæ à dicto prædeceſſore noſtro fuit poſteà confirmata. Ipſe autem S. eidem prædeceſſori noſtro, quod Abbatiâ ipsâ iuſtè ſpoliatus fuerit, intimauit; præfato Cardinale etiam aſſerente, non fuiſſe intentionis ſuæ, quod ad depoſitionem Abbatis procederent iudices delegati; quamuis & hoc eſſet eis commiſſum, ſicut in eorundem litteris reperitur. Vnde ſæpedictus prædeceſſor noſter eum non reſtituit alterâ parte abſente, ſed reſtituendum mandauit Epiſcopo, & Archidiacono memoratis: quia tacitum eis fuerat, quod præfatus Cardinalis dictis Abbati, & Priori deponendi etiam conceſſerit facultatem. Conuenientibus igitur partibus ad diem, & locum ſibi à delegatis Sedis Apoſtolicæ aſſignatum, dictus S. in manu Epiſcopi, quod eius ſuper cauſa ipſa ſtaret arbitrio, fide data firmauit: qui partes ipſas vt ad ea, quæ pacis ſunt, intenderent, monuit diligenter: inter quas talis compoſitio interceſſit, vt dictus S. in perpetuum cederet Abbatiæ, quam ceſſionem ratam delegati iudices habuerunt: & idem S. ſicut in delegatorum litteris continetur, iuramento firmauit, ſe illam firmiter ſeruaturum. Et cùm ſuper reſtitutione ſua duplices litteras eiuſdem prorſus continentiæ impetraſſet, factâ compoſitione, quam ſæpedictus prædeceſſor noſter poſteà confirmauit, alteras reſignauit, alteras retinuit fraudulenter. Proceſſu verò temporis compoſitione ab eo aliquamdiu obſeruatâ, per iamdictum M. Card. I. quondam Rhotomagen. Decano eandem fecit cauſam committi: fuitque in eius præſentia, & venerabilis fratris noſtri Rhotomagen. Archiepiſcopi prima compoſitio innouata, vbi præfatus S. Abbatiam denuò abiurauit: & quod compoſitionem ipſam deinceps obſeruaret, corporaliter præſtitit iuramentum, ſicut in ipſius Rhotomagen. Archiep. litteris continetur, & multis poſſet teſtibus approbari. Fuerunt autem iſta coram Rhotomagen. facta, & eâ præcipuè ratione, quoniam Prioratus, quem ipſe S. debuit obtinere, in Rhotomagen. erat diœceſi conſtitutus: quem cùm per biennium detinens inhoneſtè viuendo ferè omnia conſumpſiſſet, ad alia bona monaſterij ſe violenter extendit. Et tandem ad præſentiam noſtram accedens, & quædam de præmiſſis exprimens, alia verò reticens, ad præfatos Lexouien. Epiſcopum, & Abbatem Vallis Richer. noſtras litteras reportauit, vt diligenter inquirerent de omnibus veritatem, & ſtatuerent quod iuſtitiâ poſtularet. Ipſe verò partibus ad ſe citatis, quamuis Epiſcopus pro memoratis cauſis, & quoniam R. Abbati reſpondit, quod ſi poſſet, ſibi noceret; eſſet alteri parti ſuſpectus, & ab eo fuerit recuſatus, velletque coram coniudice, qui ſuſpectus non erat, vel coram arbitris electis à partibus id probare, dicto Abbate Vallis Richer. admittere hoc nolente, ante ingreſſum cauſæ fuit ab aliis duobus poſtmodùm appellatum; ipſi nihilominus eundem S. reſtituendum ſententialiter decreuerunt, aduerſario eius ſuper Abbatia perpetuum ſilentium imponentes. Cùm igitur quæ præmiſſa ſunt, & alia quædam prædictus Cardinalis nobis, & fratribus noſtris prudenter, & fideliter retuliſſet, quia conſtitit nobis per litteras iudicum prædictorum Epiſcopi, & Archidiac. Ebroicen. quibus ſuper reſtitutione ipſius S. à dicto prædeceſſore noſtro fuerat cauſa commiſſa, de vtriuſque partis aſſenſu compoſitionem ſub eo tenore factam fuiſſe: quod Prioratus S. Stephani cum omnibus pertinentiis ſuis, & alia quædam ſibi conceſſa fuerunt, dum viueret, poſſidenda, & ipſe à lite ſpontaneâ voluntate receſſit; & inſtrumenta ſua fracto ſigillo, quo vſus fuerat, in manibus eorum iudicum reſignauit: & quod Abbatiam abiurauerit memoratam, ex litteris iamdicti Rhotomagen. Archiepiſc. perpendimus euidenter. Nolentes igitur per nos, qui punimus periuria, viam periuriis aperiri, cùm & ipſe recipiendo compoſitionem huiuſmodi renuntiauit Abbatiæ; communicato fratrum noſtrorum conſilio ab impetitione ipſius S. vos & monaſterium veſtrum abſoluimus, perpetuum ei ſuper quæſtione ipſa ſilentium imponentes, non obſtante quod factum eſt ab vltimis delegatis; cùm ex his appareat euidenter, ipſos (vt de aliis taceamus,) ſi eis de præmiſſis conſtitit, minùs legitimè proceſſiſſe: reſtituentes illum, qui non habebat ius aliquod repetendi. Et quamuis ſolus Abbas antequam appellaretur ab eo, iuxta [c] formam litterarum noſtrarum procedere potuiſſet; quia tamen ex eo, quod cum ipſo Epiſcopo interlocutus eſt, appellationem non tenuiſſe de iure ſine ipſo, dum poſſet, & valeret negotio intereſſe, per conſequentiam conf ſſus eſt, ſe non poſſe mandatum Apoſtolicum adimplere: nec ſuæ intentionis extitit, vt ſine coniudice ſuo aliquid diffi-

niret,

niret, & cum eo, qui iam iudex esse desierat, aliquid super præmisso negotio ritè disponere non valebat, voluntate, ac potestate sibi mutuò aduersantibus, cùm noluerit quod potuit; & quod voluit, adimplere nequiuit, quod à duobus factum fuit, effectum de iure non potuit obtinere. Nulli ergo, &c. Datum Lateran. idibus Aprilis.

NOTÆ.

1. a *Onchis.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*2. & in epistolis ipsius Pontificis Coloniæ editis, & à Cardinali Sirleto correctis, *fol.*296. Monasterium hoc S. Petri de Conchis, aliàs de Castillion dictum, est Ordinis D. Benedicti, in diœcesi Ebroicensi constructum à Rogerio nobili Barone Normanniæ, vt refert Ordericus *lib.* 3. *histor.* in hæc verba: *Igitur Rogerius de Thœnio cœnobium Castillionis, alias de Conchis construxit, vbi Gilbertus Abbas vir magnæ honestatis, & sapientiæ laudabiliter floruit.* Ex eo, & Roberto de Monte referunt Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Galliæ Christ. fol.* 290. Huic monasterio missa est præsens epistola, quam ex dicto Codice Sirleti integram restituo.

b *C. Papæ.*] Cœlestini videlicet.

c *Fide in manu.*] De fide per manum præstita nonnulla adducemus *in cap.*3. *de his quæ vi.*

d *Bladi.*] Bladus, seu bladum, semen designat, & fructus arborum; præcipuè tamen frumentum, ac quidquid in area teritur. Oueden. anno 1198. *Et videnda sunt in Reguardo noua essarta, & vetera imbladata post vltimum Reguardum, & quo blado, vel legumine imbladata sunt: noua autem sarta erunt in manu Regis: si vetera sarta imbladata sunt de frumento, vel siligine, vnaquæque acra dabit XII. denarios de illa vestitura.* Notat Gerardus Vossius *de vitiis sermonum lib.*2.*cap.*3. *& cap.* 24. 2.

e *Formam.*] Quia adiecta erat clausula, *quod si non omnes*, de qua latè egi *in cap. sciscitatus, de rescriptis*, ex cuius commentario petenda sunt quæ ad interpretationem huius textus spectant. 3.

CAPVT XXIV.

Idem *Archiepiscopo* [a] *Toletano.*

COnsuluit nos tuæ f. prudentia, vtrum cùm ad recipiendos testes, depositiones publicandas eorum, vel sententiam proferendam peremptoriè citasses partes, & eorum altera se contumaciter absentat die datâ, an circa vltimam saltem partem diei sit in negotio procedendum, vel in diem expectandum potiùs subsequentem; & si expectaueris, vtrum contumax iterum sit citandus, cùm non fuerit die partibus assignatâ processum. Nos autem credimus distinguendum, vtrum iurisdictio duret post terminum [b] peremptorium, an exspiret in illo? Si durat in diem alteram, æquitate suadente poteris expectare, nec erit pars contumax peremptorio elapso citanda, nisi gratiam ei fecerit benignitas iudicantis: si autem exspiret, nisi partes, maximè cum id nouerint, se tibi præsentauerint eâ [c] horâ, quâ congruè possis procedere ad exequendum id, propter quod eis legitimè terminum peremptorium assignasti, ex tunc exequi poteris, quod intendis, ne frustra iudicialis instantia euanescat. Nec ecclesiasticum verò iudicium exerceatur in tenebris, quia iuxta testimonium veritatis, qui malè agit, odit lucem: licèt etiam secundùm consuetudinem, & constitutiones legitimas more [d] Romano dies à medietate noctis incipiat, & in media nocte desinat subsequentis: vnde, quod in duabus [e] dimidiatis noctibus agitur, perinde sanxit habendum legalis auctoritas, ac si qualibet parte lucis agatur. Nos tamen eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere, quod incumbit. Porrò discretus iudex in assignatione peremptorij non debet iurisdictionem suam, nisi adeò necessitas exigat, coarctare.

NOTÆ.

1. a *Toletano.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*3. legitur *Episcopo Torlecan.* in epistolis autem Innocentij III. editis à Sirleto, & Bosqueto non reperitur præsens epistola: quare retinendam existimo inscriptionem huius sextæ collectionis, quæ habet, *Archiepiscopo Toletano:* & si inscriptio tertiæ collectionis placeat, emendanda est ita: *Episcopo Torcellensi.* Torcellum enim est insula non procul distans à Venetiis, vbi translata fuit Sedes Episcopalis ab antiqua vrbe Altino ab Hunnis euersa: eius mentio fit in epigraphe textus *in cap. in causa, de causa possess.* Retentâ igitur lectione, *Archiepiscopo Toletano*, præsens epistola missa fuit D. Roderico Ximenez, qui temporibus Innocentij III. eam regebat Ecclesiam. De Primatu ipsius Ecclesiæ aliqua prælibauimus *in cap. coram, de in integrum restit.* & de origine, & dignitate ipsius Ecclesiæ nonnulla adduxi *in cap.*5. *de seruis non ordinandis.*

b *Peremptorium.*] Id est tribus citationibus, aut vna pro tribus: quibus elapsis pars citata constituitur in contumacia vera, aut præsumpta, *l. ad* 2.

peremptо

rium 68. *ff. de iudiciis*, *l. contumacia* 53. §. 1. *ff. de re iudic. l. Diuus* 7. *ff. de in integrum reſtit. l. ex conſenſu* 23. §. *final. ff. de appellat. l.* 3. *C. quomodo & quando*, Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 5. *verſ. trinis litteris*, *l.* 2. §. *Senatu*, *l. Arrianus*, §. *vlt. ff. de iure fiſci*, *cap. nullus*, *cap. nemo* 11. *q.* 3. *cap. ſacro*, *de ſentent. excomm.* Docent Cuiacius *lib.* 29. *obſeru. cap.* 11. & *in c.* 1. *de cohabit. cleric.* Vulteius *diſcept. cap.* 2. Paz *in praxi, tom.* 2. *cap. vnico*, Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 9. *lib.* 3. *ordin.* nec poſteà noua citatio deſideratur, vt in hoc textu docetur. Nec contrarium probat textus *in l. ad peremptorium* 68. *ff. de iudiciis*, vbi poſt tria edicta peremptorium deſideratur, vt quis contumax conſtituatur, & vt talis damnetur; nam pro huius textus ſolutione ſciendum eſt, quod apud Romanos reo in ius vocato, & die dicto non veniente, quia adhuc ipſe non erat contumax, ſed tantùm abſens dicebatur, actor petebat à Magiſtratu, vt qui extra iudicium vocatus erat, in iudicio per præconem citaretur: tunc Magiſtratus aduerſarium euocabat edictis, litteris, vel denunciationibus voce præconis, *l. penult. ff. de in integrum reſtit.* Suetonius *in Titum*, ibi: *Citatus pro tribunali voce præconis conuitiatorem rapi iuſſit in carcerem.* Gellius *lib.* 11. *noctium*, *cap.* 1. Edicta etiam in publico loco affigebantur, vt ad rei notitiam citatio perueniret, *l.* 1. §. *item cùm ex edicto*, *ff. quæ ſententia:* litteræ autem mittebantur per præconem, *l. Senatus* 15. §. *Diuus*, *l. Arianus*, *ff. de iure fiſci*, *l.* 1. *C. de aſſertione tollenda*, Robertus *lib.* 3. *ſentent. cap.* 7. denunciationibus vocabatur reus, cùm per executores, aut præconem illi denunciationes fiebant; quoad citationis verò effectum nihil intererat, an per edicta, per litteras, ſeu denunciationem reus vocaretur: & primò dabatur vnum edictum, poſteà aliud, demùm tertium; & ſi iudici videbatur, aliud peremptorium, quia in arbitrio iudicantis erat nouum edictum concedere, *l. nonnunquam*, *ff. de iudiciis:* plerumque tamen Prætor tria edicta tantùm concedebat. Cuiacius ad Paulum *in dict.* §. *trinis*. De his tribus citationibus accipiendus eſt Hermogenianus *in l. contumacia* 53. §. 1. *ff. de re iudicata*. Docent Duarenus *lib.* 1. *diſput. cap.* 7. Vulteius *diſcept. iuris cap.* 2. & *lib.* 2. *de iudiciis*, *cap.* 6. *num.* 5. Reuardus *pro tribun. cap.* 3. Robertus *lib.* 3. *ſentent. cap.* 17. Quintanaduenas *lib.* 1. *de iuriſd. tit.* 4. P. Faber *in l. & ſi nihil*, *ff. de R. I.* Goueanus *lib.* 1. *variar. cap.* 47. Nec ſuprà dictis etiam obſtat textus *in l. conſentaneum* 8. *C. quomodo & quando*, vbi poſt tres denunciationes noua citatio deſideratur, vt reus contumax iudicetur; nam pro eius ſolutione, & conciliatione cum lege *edictum* 55. *ff. de iudiciis*, dicendum eſt, loco illius dictionis, *ter*, legendum eſſe, *iterum*, vt vult Cuiacius *lib.* 18. *obſeru. cap.* 30. quem ſequitur Pichardus *in* §. *in ſumma*, *Inſtit. de interdictis*, *cap.* 2. *num.* 59. vel legendum eſt, *item*, vt vult Donellus *lib.* 17. *comment. cap. final.* nos hæc latiùs proſequemur *in cap.* 1. *&* 2. *de dolo & contum.* vnde cognoſcitur, Innocentium in præſenti iuxta iuris principia decreuiſſe iudicem delegatum poſt tria edicta non debere ipſum reum expectare, niſi velit ex gratia & benignitate nouam citationem facere.

3. c *Eâ horâ.*] Licèt in aliquibus iuris articulis expleatur tempus ſtatim atque primùm inſtans vltimi diei attingitur, vt ad faciendum teſtamentum, vbi pubes ſtatim cenſetur, qui tetigit primum inſtans vltimi diei, *l. à qua* 5. *ff. qui teſtam.* in ætate ad manumittendum præſcripta, *l.* 1. *ff. de manumiſſ.* & ſimilibus; tamen in aliis actibus de momento ad momentum tempus computatur, & niſi expletum ſit vltimum diei inſtans, tempus adimpletum non creditur, vt *in l.* 3. §. *minorem*, *ff. de minoribus*, *l. qui filium* 74. §. *Fabius*, *ff. ad Trebell. l. maiores* 3. *ff. de iure immunit. l. in vſucapione* 15. *ff. de diuerſis & tempor. l.* 6. *ff. de vſucap.* Docent Mercerius *lib.* 2. *opin. cap.* 4. Ludouicus Carondas *lib.* 3. *veroſimil. cap.* 17. Connanus *lib.* 3. *comment. cap.* 12. Genua *in conciliat. legum*, *pag.* 467. Pancirola *lib.* 3. *variar. cap.* 9. Oſualdus *ad Donellum lib.* 5. *cap.* 19. *littera E.* Salmut. *in notis ad memorab. Pancir. lib.* 2. *tit.* 10.

d *More Romano.*] Verba ſunt textus *in l. more*, *ff. de feriis*, vbi Paulus non agit de die naturali, ſed de ciuili; dupliciter enim dies conſiderari valet; vel naturaliter, vel ciuiliter. Naturaliter conſideratur ab ortu ſolis vſque ad eius occaſum; & ita prima hora diei erit prima hora ortus ſolis; prima hora noctis, hora occaſus ſolis, dum tenebræ incipiunt. Docent Macrobius *lib.* 5. *Saturn. cap.* 3. Gellius *lib.* 3. *noctium*, *cap.* 2. Cenſorinus *de die natali:* quo modo computatur dies *in cap.* 1. *de tregua & pace*, ab ortu ſolis vſque ad eius occaſum, *cap. quod à patribus* 75. *diſt. cap. de eſu*, *de conſecr. diſt.* 2. Ciuiliter autem dies pro diuerſitate nationum diuerſimodè computatur: apud Babylonios, & Athenienſes à meridie: apud Hebræos à veſpere: apud Romanos verò à media nocte, vt refertur *in dict. l. more*, & in præſenti: quam diei compta tionem ſacerdotibus Romanis tribuit Plinius *lib.* 2. *cap.* 77. eius rationem reddit Plutarchus *problem.* 82. quia videlicet mediâ nocte ſol eſt in infimo cœlo, & eius infimo puncto, vnde vergere ad nos incipit, & ad hemiſphærium noſtrum aſcendere. Eam illuſtrant Cotta *in memorab. verbo Dies*, Cuiacius *obſeru. lib.* 15. *cap.* 32. Baſilius de Leon *in quæſtione ſcholaſt. de Agno typico*, *cap.* 8. *&* 9. Gentilis *de tempor. appell. cap.* 5. Garronus *in theat. tit. de Kalendariis*, Narbona *in horograph. in Antel. num.* 2. & *hora* 24. *num.* 2. Cuiacius *de diuerſ. præſcript. cap.* 2. Fabrottus *de iuſto partu, fol.* 15. 4.

e *Dimidiatis noctibus.*] Hæc verba difficillima viſa ſunt, & meritò, Scipioni Gentili *lib.* 2. *de iuriſd. cap.* 29. in eis enim Innocentius affirmat, apud Romanos quidquid duabus dimidiatis noctibus fiebat, perinde valere, ac ſi qualibet hora lucis factum eſſet, cùm certum ſit iure ciuili attento, ſententiam nocte proferri non poſſe; quod cautum legimus *in ll. duodecim Tabular.* his verbis: *Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Ex Gellio *lib.* 17. *noctium*, *cap.* 2. & Varrone *de ling. Latin. lib.* 6. refert Gothofredus *in quatuor fontibus*, *tabula* 1. quod & probatur *ex l.* 2. §. *& quia*, *ff. de origine iuris*, *l.* 1. §. *quod igitur* 8. *ff. quando appellandum ſit*, nouella 82. *Sedebant continuò, nec tunc mox meridiè & veſperè audientes cauſas.* Et *l.* 1. *C. Theodoſ. de officiis iudicum ciuilium*, *l. ne quidam*, *C. de officio Rector. prouinc.* Polletus *lib.* 1. *hiſtoriæ fori*, *cap.* 11. ibi: *Quamquam Senatuſconſulto*, *quæ facta eſſent poſt diem ſolis clauſum, irrita, & nulla omninò eſſent.* Et *lib.* 5. *cap.* 13. *in fine*, vbi notauit Broideus; ad quam iuris Romani ſanctionem referendi ſunt Petronius *in ſatyrico: Aduocati iamque nocturni:* Horatius *lib.* 1. *epiſt.* 7.

Cauſiſque

—— Canſiſque Philippus agendis,
Clarus ab officiis octauam circiter horam
Dum redit.

Seneca *de ira lib. 3. cap. 18. Quid tam inauditum, quàm nocturnum ſupplicium?* Notarunt Sauarus ad Sidonium *lib. 1. epiſt. 2. verbo Reliquum mane.* Dionyſius Gothofredus *in notis ad leg. 12. Tabul. lib. 2. & in l. 20. C. de tranſact.* Mornacius *in d. l. 2. §. & quia*, Cironius *ad titul. de præſcript.* Bignonius *ad Marculfum lib. 1. formul. cap. 37.* Grotius *in floribus, in d. l. 2. §. & quia*, Balduinus *ad leges 12. Tabul. cap. 47.* Scipio Almiratus *lib. 4. polit. diſſert. 10.* Narbona *in horograph. in Antelog. num. 4. & hora 1. num. 87.* P. Herodius *lib. 2. Pandect. tit. de Senatorib. cap. 1.* Guazinus *defenſ. 35. cap. 9.* Stephanus Garonius *de Senator. lib. 1. tit. 4. cap. 11.* Vnde *in l. 2. §. 1. ff. de V. S.* ait Paulus, cuiuſcumque diei maiorem partem, ſeptem horarum primarum eſſe, non ſupremarum; ideò videlicet, quia in priori parte diei iudicia exerceri valent, non verò in poſteriori, in qua Magiſtratus ius non dicebant. Quæ ſententia faciliùs ex eo textu percipietur, ſi obſeruemus, eius inſcriptionem eſſe Pauli ad edictum, vbi agebat de iudiciis, & Magiſtratibus. Notarunt Cuiacius, Alciatus, Fornerius, & Gentilis *in d. l. 2. §. 1.* idem Gentilis *de variis & temp. appell. cap. 6.* Ramirez de Prado *ad Martialem lib. 4. epigr. 8. & in Pentecont. cap. 25.* Samuël Petitus *ad ius Atticum lib. 4. tit. 4.* Seruius ad illud Virgilij *lib. 8. Æneid.*

Melior quoniam pars apta diei.

Igitur non rectè Innocentius in præſenti affirmat, apud Romanos geſta dimidiatis noctibus perinde valere, ac ſi qualibet lucis parte peracta eſſent. Huic difficultati vt ſatisfaciamus dicendum eſt, Innocentij ſententiam generaliter, & abſolutè accipiendam non eſſe, ſed referri debere ad teſtamentum, quod nocte ſignari poteſt, *l. ad teſtium 12. §. poſſe, ff. qui teſtamenta*; ad tranſactionem, quæ nocte celebrari velet, *l. non minorem, C. de tranſactionib.* & ſimiles actus, quos enumerat Ripa *de nocturno tempore*: non verò ad ſententiam, quæ ex ſuprà traditis nocte proferri non poterat; & ſic contrahenda eſt Innocentij ſententia ad alios actus, exceptâ ſententiâ.

Quæ ad huius textus interpretationem ſpectant, dedimus *in cap. de cauſis 4. in principio, hoc tit.*

CAPVT XXV.

Idem *Abbati de* [a] *Bordelia, & Priori S.* [b] *Sepulchri.*

INſinuante dil. fil. R. Rectore ſancti Albati, ad audientiam noſtri Apoſtolatus peruenit, quod cùm olim cauſam quæ ſuper iure parochiali inter ipſum, & Thomam Rectorem capellæ ſancti I. de Glouernia [c] Vvigorn. diœc. vertebatur, ven. f. n. Vvigornien. Epiſcopo, & coniudicibus eius à nobis obtinuit delegari, poſtmodùm licèt fuerit in eadem quæſtione proceſſum, tractu temporis, antequam ad diffinitiuæ ſententiæ calculum veniretur, idem Epiſcopus ipſum R. in ſuum familiarem admiſit, ſine quo ſecundi duo iudices, ſecundùm quod in noſtris litteris [d] mandabatur, in cauſa procedere non valebant: & alter ipſorum [e] officialis eſt Epiſcopi ſupradicti, propter quod aduerſæ parti poterat ſuſpectus haberi. Vnde cùm ex cauſa huiuſmodi, tam Epiſcopus, quàm officialis prædictus, vtpote quos idem R. iudices poſtularat, & ipſe familiaris eorum poſtmodùm eſt effectus, ab aduerſa parte poſſent meritò [f] recuſari, deciſionem ipſius cauſæ veſtræ petit diſc. committi. Quocirca f. t. per A. ſ. m. quat. ſi eſt ita, niſi poſtquam eius familiaris eſt effectus, litigare [g] conſenſerit coram illo, in cauſa ipſa ſecundùm priorum continentiam litterarum, ratione præuiâ, rem. ap. obſt. procedere non tardetis. Alioquin partes ad priorum iudicum reuertantur examen.

NOTÆ.

1. a *Ordelia.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 4.* Aliqui accipiunt Bordeliam pro monaſterio de Bordalio, quod eſt Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Miſnenſi, de quo aliqua adducit Illuſtriſſimus Manrique *annal. Ciſterc. anno 1165. cap. 4.* ſed non rectè, cùm cauſa, quæ in hoc textu refertur, contigiſſet in Anglia, in Vvigornienſi prouincia: vnde eius cognitio committi non debebat Abbati de Bordelia exiſtenti in Miſnenſi diœceſi, quæ eſt in Campania: vnde exiſtimo, monaſterium hoc eſſe in Anglia, antea dictum Brandomenſe; quod tranſlatum fuit ob varias hoſtium incurſiones in Caſtrum, quod dicitur de Bordeile, cuius monaſterij meminit Gaufredus in chronica Anglorum, *p. 2. cap. 11.* Reperitur in noua bibliotheca edita à Philippo Labeo *tom. 2. pag. 334.*

b *Priori S. Sepulchri.*] Anno 1174. in Anglia Henricus eius inſulæ Rex fundauit ordinem Equitum Chriſti S. Sepulchri: cùm enim viſitaſſet Sepulchrum Chriſti Domini, & milites illud cuſtodientes, eorumque inſtitutum magnoperè laudaſſet, in Regno ſuo illum etiam Ordinem inſtituit ſub eodem titulo S. Sepulchri: illum confirmauit Alexander III. & miris laudibus extollit Innocentius III. *in cap. inter dilectos, de donat.* Sed cùm iam hic Ordo penè interiiſſet, ab Innocentio VIII. militiæ S. Ioannis adunatus eſt, vt refert Volaterranus *lib. 21. antropologiæ, de Ordinibus Militaribus*, P. Mendo *eod. tract. diſput. 1. q. 2. §. 7.* Renatus Chopinus *lib. 2. ſacræ pol. tit. 5. num. 5.*

c *Vvigorn.*] De hac Eccleſia aliqua notaui *in cap. noſti 9. de electione.*

d *Mandabatur.*] Quia ſimpliciter, & ſine clauſula, *Quod ſi non omnes*, cauſa commiſſa erat.

e *Officialis*

3. e *Officialis eſt Epiſcopi.*] Ex his verbis rectè probatur, ob iuſtam cauſam ſuſpicionis Epiſcopi eius Vicarium recuſari poſſe: quod docuerunt in præſenti Innocentius *num.* 1. Abbas *num.* 2. & 3. Felinus *num.* 1. Maranta *in ſpeculo*, 6. *part. actu* 2. *princip. num.* 28. Rebuffus *in praxi, tit. de forma Vicarij, num.* 190. pluribus relatis Narbona *de appell. à Vicario, numer.* 132. & rectè, non quia idem tribunal ſit Epiſcopi, & eius Vicarij, *cap.* 2. *de conſuet. lib.* 6. Quæ ratio in præſenti ceſſat, cùm ambo procedunt in cauſa vt iudices delegati: ſed quia humani moris eſt illum vereri, cuius iudicio, & voluntate nunc erigimur, nunc deprimimur, *cap.* 1. 16. *quæſt.* 2. vnde cùm Vicarius Epiſcopum, à quo fuit creatus, ſiue electus, timere poſſit, quod illum pro libito reuocet; ideò iuſta Epiſcopi ſuſcipio recuſationi Vicarij legitimam cauſam præbet, vt conſiderat Ripa *in cap.* 1. *num.* 44. *de iudiciis*; facit etiam textus *in cap.* 2. *de eo qui mittitur.* Contrariam tamen ſententiam, immò ſuſpicionem Epiſcopi ad recuſationem Vicarij non ſufficere, tenuerunt Baldus *in l. vnica, num.* 4. *Cod. ſi quacumque præditus poteſtate*, Bobadilla *lib.* 1. *polit. cap.* 12. *num.* 39. Surdus *conſil.* 50. *num.* 36. qui expendunt pro ſua ſententia textum *in dict. l. vnica, Cod. ſi quacumque*, in illis verbis: *Si ille, qui in prouincia officium adminiſtrat, nuptias mulieris, aut virginis tentauerit; & ipſa, & parentes eius liberantur iuriſdictione ipſius iudicis, qui abutitur ad eliciendas nuptias: cætera verò negotia, tam criminalia, quàm ciuilia, Vicario competant.* Ex quibus deducit Accurſius ibi, ob ſuſpicionem Præfecti eius Vicarium recuſari non poſſe. Sed vt rectè probat Germonius *lib.* 2. *animadu. cap.* 21. Vicarij Præfecti, licèt vice Præfecti iudicarent, tamen iuriſdictionem ordinariam per ſe obtinebant, *l.* 1. §. 2. *ff. de legat.* 3. ibi: *A Præfectis verò Prætoris, vel eo qui vice Præfecti ex mandatis Principis cognoſcit.* Et *l. vlt. Cod. de modo multarum*, ibi: *Qui vice noſtra adminiſtrationis gubernacula ſuſceperunt.* Quod expreſſiùs conſtat ex formula creationis ipſius Vicarij, relata *in l.* 1. *Cod. de officio Vicarij*, ibi: *Sacræ cognitionis habeat poteſtatem, & iuriſdictionis noſtræ ſoleat repræſentare reuerentiam.* Et à Caſſiodoro *lib.* 6. *epiſt.* 3. *Tu autem Vicarius diceris, & tua priuilegia non relinquis, quando propria eſt iuriſdictio, quæ datur à Principe; habes enim cum Præfectis aliquam portionem, & vice ſacra ſententiam dicis.* Vnde licèt Præfectus inter eas perſonas, inter quas nuptias attentauit, iuriſdictionem exercere non poſſit; tamen Vicarius exercere eam valet, quia æqualem iure ordinario obtinet, vt docet Cuiacius *ad titulum Cod. de officio Vicarij.*

f *Recuſari.*] Partis familiaritas cum iudice iuſtam præbet recuſationi cauſam, vt probant Couar. *quæſt.* 26. Langleus *lib.* 2. *ſemeſt. cap.* 1. Carraſco *ad leges recopil. tit. de recuſat. iudicum*, & nos *in cap.* 1. *de officio iudicis.*

g *Conſenſerit.*] Sed videbatur exceptionem recuſationis, vtpotè dilatoriam, opponendam eſſe ante litis conteſtationem; ſiquidem certum eſt, recuſationem eſſe dilatoriam exceptionem, *cap. inter* 4. *de re iudic.* ſed exceptiones dilatoriæ ante litis conteſtationem ſunt opponendæ, *l. nemo, Cod. de iuriſd. omnium iudicum*; quia per litis conteſtationem cenſetur in iudicem conſenſiſſe, *l. apertiſſimis* 16. *Cod. de iudiciis, authent. offeratur, Cod. de litis conteſt. cap. cùm ſpeciali, de appell.* Sed id procedit cùm litis conteſtatio orta erat recuſationis causâ; ſed ſi poſtea emerſit, aut eam opponens iuret ad ſuam notitiam poſt litis conteſtationem peruenisſe, tunc etiam poſt litis ingreſſum opponi valet, *cap. paſtoralis* 4. *de except. cap. ex conqueſtione, de reſtit. ſpol.* quo caſu procedit noſter textus, vt docent Couar. *dict. quæſt.* 26. *num.* 2. Vulteius *in dict. l.* 4. *Cod. de iuriſd. num.* 36. Cuiacius *in l. apertiſſimis* 16. *C. de iudiciis*, Oſualdus *ad Donellum lib.* 17. *cap.* 25. *littera O*, Fermoſinus *in cap. ſi quis contra, de foro compet. quæſtion.* 9. alia de cauſis recuſationum, tam in iudiciis ordinariis, quàm delegatis, dabimus *in cap. ſuſpicionis, hoc tit.* 4.

CAPVT XXVI.

Idem *Priori* [a] *S. Fridiani.*

QVærenti, quid per cenſuram eccleſiaſticam. *Et infrà*: Si verò delegatus à nobis excommunicet illum, qui rei iudicatæ parêre contemnit, licèt aliquibus videatur, quod ſuo ſit [b] functus officio, vt vlteriorem non habeat ex delegata ſibi iuriſdictione proceſſum; alij autem dicant, quod iuriſdictio eius duret, donec ſententiæ pareatur, vt interim abſoluere poſſit parêre volentem: nos [c] tamen per æquitatis ſemitam incedentes, præſentium auctoritate ſtatuimus, vt delegatus à nobis, non ſolùm vſque ad quadrimeſtre tempus, quod ad ſoluendum debitum à [d] lege reo conceditur; ſed vſque ad integrum annum iuriſdictionem ſibi commiſſam ad exequendum ſententiam valeat exercere, ſicut obſeruatur in illo, qui ante litis conteſtationem [e] contumax inuenitur.

NOTÆ.

1. a *Fridiani.*] Lucanenſis, vt legitur *in cap. quærenti, de V. S.* vbi eſt alia pars huius deciſionis; & textus hic reperitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 5. De Eccleſia S. Fridiani, ſeu Frigidiani, quæ eſt Canonicorum Regul. plura adduximus *in cap. cùm cauſam, de elect.*

b *Functus officio.*] Moti auctoritate textus *in cap. in litteris* 9. *hoc tit. l. iudex poſteaquam, ff. de iudiciis*; ſed non rectè, vt probaui *in cap. ſignificaſti* 7. *hoc tit.* 2.

c *Nos tamen.*] Præſentis deciſionis meminit Innocentius noſter *lib.* 1. *epiſt.* 1. *regeſtr.* 13. in illis verbis: *Et nos quoque conſulti, quamdiu delegatus*, &c. vbi notauit Boſquetus. 3.

4. d *A lege reo conceditur.*] Lege videlicet noua Imperatoris Iustiniani; lege enim duodecim Tabul. triginta dies dabantur debitoribus condemnatis ad conquirendam pecuniam, & soluendam, his verbis lege conceptâ. *Æris confessi, rebusque iure iudicatis triginta dies iusti sunto.* Referunt Gellius *lib.* 20. *noctium Attic. cap.* 1. Dionysius Gothofred. *ad leges duodecim Tabul. lib.* 2. *tit.* 20. §. 27. Iacobus eius filius *in quatuor fontibus, Tabula* 3. Quod si intra hoc tempus legitimum iudicato satis non faceret, permittebatur creditori manum in eum iniicere, in carceremque detrudere, vt sic aliquis misericordiâ ductus pro eo satisfaceret; tenebatur tamen illi actor alimenta præstare, *l. victum* 34. *ff. de re iudicata*; quam de his alimentis accipiunt Fornerius *lib.* 1. *select. cap.* 6. Gentilis *de alimentis, cap.* 6. quod si nullus esset, qui pro eo solueret, aut ipse cum actore de debito non paciscebatur, tribus nundinis singulis nouem diebus præconizabatur, vtrum esset aliquis, qui pro eo solueret. Tandem si post 60. dies nemo esset, qui debiti periculum susciperet, licebat actori trans Tyberim vendere, aut capite punire; & si plures creditores essent, in partes debitoris corpus secabatur; de quo veteri iure, seu potiùs iniuria, nisi ad terrorem magis, quàm vsum scriptum esset, præter innumeros congestos ab Osualdo *ad Donellum lib.* 27. *comment. cap.* 3. *duplici littera H.* videndi sunt Fornerius *lib.* 1. *select. cap.* 6. Pichardus *in* §. *cum eo* 40. *ex num.* 7. *de actionibus*, Couar. *lib.* 2. *variar. cap.* 1. Robertus *lib.* 2. *rerum iudicat. cap.* 6. Reuardus *ad leges duodecim Tabul. cap.* 8. *&* 9. Balduinus *eod. tract. cap.* 48. Carleual. *de iudiciis tom.* 2. *tit.* 3. *disp.* 1. *num.* 5. Hothomanus *lib.* 3. *antiquit. ad finem*, Andreas Schotus *lib.* 2. *obseru. human. cap.* 34. Petrus Gregor. *lib.* 22. *syntagm. cap.* 6. *num.* 5. Sed abrogato nouis legibus, moribusque inhumano sectionis iure, & addictionis, *l. ob æs* 12. *C. de O. & A. l. qui filio* 6. *Cod. quæ res pignori*, lege Iulia de cessione bonorum tempus iudicatis præscriptum protractum fuit ad duos menses, *l.* 1. *Cod. Theodos. de vsuris rei iudic.* Harmenopulus *in promptuario, lib.* 1. *tit.* 4. & *lib.* 3. *tit.* 5. Hothomanus, & Antonius Augustinus *in dict. l. Iulia:* nec eo termino durante debitor vexari poterat, aut eius fideiussor conueniri, *l. intra* 7. *ff. de re iudic.* nec vsurarum cursus dabatur, fructus autem restituebantur, *l.* 3. *in princip. ff. de vsuris.* De hoc tempore exaudiendi sunt textus *in l. si duo* 16. §. *ait*, *l. promissor* 21. *ff. de constit. pecun. l. si cum* 14. *ff. de eo quod metus causâ*, *l.* 2. *l. debitoribus*, *ff. de re iudicata:* notat Fornerius *lib.* 2. *select. cap.* 15. & si eo tempore elapso, iudicato debito non satisfaciebat, bona eius sub hasta vendebantur, *princip. Instit. de succeff. ab intest. l.* 4. *Cod. qui bonis cedere*; & si bona credito soluendo non erant, debitor coniiciebatur in publicum carcerem, donec integrum debitum solueret, vt probant textus ita accipiendi *in l.* 1. §. *penult. in fine*, *Cod. qui bonis cedere*, *l. si pro aliquo* 21. §. 1. *ff. ad Velleianum*, *l. fin.* §. *fin. ff. quæ in fraudem credit. l. si vitium* 34. *ff. de iudic. iuncta l. verbo* 4. *ff. de v. s.* quas ad rem expendit Hothomanus *illustrium quæst.* 26. Tandem constitutione Iustiniani *in l.* 2. *&* 3. *Cod. de vsuris rei iudic.* hoc tempus bimestre iudicatis concessum protractum fuit ad quatuor menses; de quo quadrimestri accipiendi sunt præsens textus, & *in cap. quoad consultationem, de re iudicata*, vbi latiùs dicemus: & plura de hoc quadrimestri adducunt Leothardus *de vsuris, quæst.* 21. *in principio*, Velascus *de priuil. pauper. quæst.* 44. *num.* 6. Faber *lib.* 7. *coniect. cap.* 2. Guillelmus Masius *lib.* 1. *singul. opin. cap.* 20.

5. e *Contumax inuenitur.*] Qui ob contumaciam excommunicatur, *cap.* 1. *de iudiciis*; & si compareat, & absoluatur, potest delegatus in causa sibi commissa procedere, nec ideò exspirat iurisdictio delegata, quia sententiam excommunicationis in contumacem protulit, cùm per eam negotio finis non imponeretur.

Commentarium huius textus dedi suprà *in cap. significasti.*

CAPVT XXVII.

Idem *Cantuar.*[a] *Archiep.*

SVper quæstionum articulis, de quibus nos consulere voluisti, f. t. taliter respondemus, quod per constitutionem nostram[b] consultationi bon. mem. Alex. Papæ II. præd. n. nullatenus derogatur; sed illa per istam exponitur, immò in ista veriùs, quæ in illa fuerant prætermissa,[c] supplentur. Ipse namque respondit, quod si super causa, quæ alicui ex Apostolica delegatione committitur, à personis ecclesiasticis, vna vel pluribus, quibus delegatus, vt parcat laboribus, & expensis, causæ cognitionem ipsius, & testium examinationem, sententiâ sibi reseruatâ committit, appellatio fuerit interposita, huiusmodi appellationis intuitu causam indefinitam relinquere non tenetur. Nos[d] autem statuimus, quod licèt is, cui causa committitur ap. rem. non possit eam aliis sine prouocationis obstaculo delegare; si tamen delegatus à nobis, vt iudex quicumque, non tam cognitorem, quàm executorem ad aliquem certum articulum quempiam deputauerit, ab eo, nisi modum excedat, non liceat appellari, dummodo de partium deputetur, vel recipiatur assensu. Quod si delegatus à nobis, vel litis exordium, vel causæ finem, nedum totum negotium ei duxerit committendum, ab ipso, tanquam à iudice licitè prouocetur, cùm & lis ante iudicem debeat contestari, & causa per iudicem diffiniri. Intentionis ergo nostræ fuit, sicut ex tenore constitutionis præmissæ potest liquidò deprehendi, quod vt iudicialis auctoritas liberiùs valeat exerceri, delegatus à nobis licitè possit, & principium, & finem, & medium causæ sibi

commissæ

commiſſæ, non ſolùm coniunctim, ſed & diuiſim alij delegare, non obſtante quod dicitur, quod iudex debet cognoſcere per ſeipſum in principio, in medio, & in fine; cùm antequam ferat ſententiam, vniuerſa, quæ acta ſunt in iudicio, inueſtigare debeat diligenter. Verùm cùm totam cauſam committit alicui, vel principium, aut finem ipſius, ab eo, tanquam à iudice poteſt licitè prouocari. Cùm autem alicui media tantùm committit, ab ipſo, tanquam ab auditore prouocari poteſt, niſi mandati fines excedat, vel meritò ſit ſuſpectus. Vnde ne valeat recuſari, prouidè ſtatuimus, vt de partium detur, vel recipiatur aſſenſu. Porrò cùm delegatus à nobis iuriſdictionem ſuam in alium transfert totam, ſi fuerit appellandum, non ad eum, ſed ad nos appellari debet; cùm autem aliquid ſibi de iuriſdictione reſeruat, ſi cauſa ei ap. rem. ſit commiſſa, non ad nos, ſed ad eum de iure poterit appellari. Vnde ſi forſitan appelletur ab eo, cui media quæque committit, ſiue cognitor, aut executor dicatur, vel quod melius eſt, auditor, pro eo quod vel mandati fines excedat, vel meritò ſit ſuſpectus; nihilominus tamen delegatus à nobis, iuxta conſultationem præmiſſam, cauſam poterit diffinire, vt parcat laboribus partium, & expenſis. Eum verò, quem delegatus à nobis deputauerat auditorem, neutra partium poterit recuſare, niſi coram eo iuſtam recuſationis cauſam oſtendat. Si [c] verò duo ſunt à Principe delegati, & vnus committit vices ſuas alteri, ille nec poteſt ap. rem. procedere, nec cauſam alij delegare; quamuis in commiſſione facta duobus contineatur expreſſum, vt ap. rem. procedere alter poſſit ſine reliquo, ſi non poſſunt ambo pariter intereſſe; quia quod poteſt ex ſola iuriſdictione ſibi à Principe delegata, non poteſt cum iuriſdictione ſibi à condelegato commiſſa. Vnde ſi ab eo fuerit appellatum, licèt aliquibus fuerit viſum, quod ad delegatum etiam valeat appellari; nobis tamen videtur, quod ad primum duntaxat appellandum eſt delegantem, propter rationem ſuperiùs aſſignatam. Eius ergo appellatio, de quo fraternitas tua nobis ſcripſit, ſi noſtræ conſultationis occaſione ad noſtram audientiam appellauit, pro eo, quod delegatus à nobis reſeruatâ ſibi diffinitiuâ ſententiâ audientiam cauſæ commiſit quibuſdam, qui de ipſius aſſenſu nec dati ſunt, nec recepti, niſi contra eos iuſtam recuſationis cauſam oſtenderit, vel paratus fuerit oſtendere coram iudice delegato, non debuit impedire, quominùs procederent auditores, qui etiamſi tanquam ſuſpecti fuiſſent meritò recuſati; delegatus tamen à nobis nihilominus potuiſſet ſublato appellationis diffugio cauſam ipſam iudicialiter expedire. Quod ſi iuſtam recuſationis cauſam noluit admittere delegatus, ſed coram ſuſpectis eum audiri cogebat, à tali grauamine licitè potuit ad noſtram audientiam appellare: quodque poſt appellationem huiuſmodi eſt præſumptum, iudicari debet irritum, & inane.

NOTÆ.

1. a *Archiepiſcopo.*] Ita etiam habetur in tertia collectione. *ſub hoc tit. cap. 6.* Stephano videlicet Langton, Archiepiſcopo 43. Eccleſiæ Cantuar. de quo Vveſtmonaſterienſis anno 1207. ita ſcribit: *Innocentius III. Perſuaſit monachis Cantuarienſibus, vt eligerent Magiſtrum Stephanum de Langton, natione Anglicum, virum profundi pectoris, elegantem corpore, moribus præclectum, aptum & ſufficientem in quantum hominis eſt.* Plura de eo Richardus Smitheus *in floribus Angliæ, lib. 7. cap. 11.* De Eccleſia Cantuarienſi plura adduxi *in cap. 2. de reſcriptis.*

b *Conſultationi.*] Quæ extat *in cap. cùm te conſulente 18. hoc tit.*

2. c *Supplentur.*] Quod in iure noſtro nouum non eſt, ſicut ſupplentur textus *in c. ſi qua mulier 6. 31. quæſt. 1. ex cap. 1. de diuortiis, cap. quamquam, de cenſibus in 6. ex cap. fin. de vita & honeſt. cleric.* textus *in cap. cùm non ab homine, de iudiciis, ex cap. vt fame 35. de ſententia excom. cap. in ciuitate 6. de vſuris, ex cap. nauiganti, eod. tit. cap. ex parte de regular. ex Clement. vnica, eod. tit. cap. 2. de regular. ex cap. puella 20. quæſt. 2.* textus *in cap. Eccleſiis 20. de conſecr. diſt. 1. ex cap. final. de conſecratione Eccleſiæ:* textus *in cap. qui communicauerit, cum cap. excommunicato 11. quæſt. 3.* & alij plures, quos congerunt Morla *in emporio, tit. de legibus, quæſt. 21. num. 25.* Altamirano *in rubrica C. de filiis officialium, cap. 1. num. 15.* quia inſolens non eſt, quod priores leges ad poſteriores trahantur, & è conuerſo, *l. non eſt nouum 26. l. ideò, l. poſteriores, ff. de legib.* & vt anteriora decreta cum ſequentibus comparentur, vt ſic per apertiora obſcuriora exponantur, argumento legis *qui filiabus 17. & l. ſi ſeruus 50. ff. de legat. 1.* notarunt Donellus *lib. 9. comment. cap. 14.* P. Herodius *rer. iudicat. lib. 10. tit. 13. cap. 8.* Diodorus Tuldenus *de iuriſprud. extemp. lib. 1. cap. 3.* Georgius Schombornerius *polit. lib. 3. cap. 8.* Valenzuela *conſil. 131. num. 5.* Solorzanus pulchrarum artium apud Hiſpanos vindex, grauiorum litterarum columen, ingens noſtratibus gloria, *de iure Indiar. tom. 2. lib. 2. c. 19. n. 30.*

3. d *Nos autem.*] In præſenti deciſione Innocentius III. exponit decretalem Alexandri III. relatam *in cap. cùm te conſulente, hoc tit.* & docet, à iudice ſubdelegato appellandum eſſe ad ipſum ſubdelegantem, ſi non integra cauſæ cognitio commiſſa ſit; ſi verò diffinitio ipſius cauſæ ſubdelegata ſit, ad priorem delegantem appellandum eſſe; cuius diſcriminis rationem ſtatim exponemus.

4. e *Si verò duo ſint.*] Clauſulam enim, *appellatione remotâ*, tantùm ſupremi iudices apponere poſſunt, *l. 1. in fine, ff. à quibus appellare non licet, cap. paſtoralis, §. præterea, verſic. appellat, hoc tit.*

cap. pastoralis 53. *de appell.* Docent de clausula, *appellatione remotâ*, agentes laudati *in cap.* 1. *de rescriptis, verbo Appellatione remotâ.* Vnde delegatus etiam Principis non potest causam subdelegare cum prædicta clausula, nisi in casu speciali, de quo *in cap. pastoralis* 28. §. *final. hoc titulo.*

COMMENTARIVM.

5. A IVDICE DELEGATO AD QVEM APPELLETVR.

PRo huius textus expositione sciendum est, communiter Doctores asserere, à iudice delegato semper appellandum esse ad eum, qui delegauit, *l.*1. *in princip. l. fin. ff. quis & à quo, l. vnica, in fine, Cod. qui pro sua iurisd. l. præcipimus* 32. *versic. Et si, Cod. hoc tit. authent. de iudicibus,* §. *illo, in fine, collat.* 6. *cap. ab arbitris* 11. *de officio delegati in* 6. vt latè probant Scaccia *de appell. quæst.* 8. *à n.* 14. Gaillus *lib.* 1. *practic. cap.* 121. *num.* 2. Verùm hæc doctrina in delegatis Principum vera est, cùm ab iis semper ad Principem delegantem appellandum sit, siue iudices tantùm dati sint, siue eisdem iurisdictio à Principe mandata fuerit. Scaccia *dict. quæst.* 8. *n.* 15. & 20. Tuschus *practic. littera A. conclus.* 352. *n.* 55. & quamuis Principis delegatus ipsum repræsenter, eiusque iurisdictione fungatur, *cap. sanè, el* 2. *hoc tit.* qua de causa ad ipsum appellari non posse videbatur; quia tamen Princeps superior manet ex vi supremæ potestatis quam habet, quæ semper reseruata intelligitur, & quam licèt maximè velit priuato concedere, nequit, Bartolus *in l. prohibere,* §. *planè, ff. quod vi aut clam,* Baldus *in l.* 1. *num.* 6. *ff. de officio Præfecti,* vbi Belluga *in speculo Principum, rubrica de Curia, num.* 9. vnde præscribi non posse, ne ad Principem appelletur, docuerunt Baldus *in authent. quas actiones, num.* 4. *C. de sacrosanct. Eccles.* Auendañus *de exequend. mand. lib.* 1. *c.* 1. *num.* 11. Valascus *de iure emphyteut. quæst.* 8. *n.* 30. ideo rectè fit, vt ad eundem Principem appellatio etiam ab eiusdem delegato interponatur. Nec contrarium probat textus *in authent. de appell.* §. *vltim. versic. Si autem, collat.* 4. relata *in c. anteriorem* 28. §. *illo* 2. *quæst.* 6. nam textus ille referendus est ad ius antiquum, quod iam hodie abrogatum est, vt docuerunt Bartolus *in l.* 1. §. *si quis, num.* 9. *ff. de appellat.* & *in l. præcipimus* 32. *C. eod.* Scaccia *d. quæst.* 8. *n.* 12. & 15. cæterùm si communis doctrina accipiatur de delegatis inferiorum, stricta iuris ratione attentâ, admitti non debet, tametsi in praxi obseruetur; quinimmò discrimen adhibendum est inter iudices datos, & eos, quibus iurisdictio mandata est, vt scilicet à iudice dato semper appellandum sit ad iudicem dantem, iuxta textus ita accipiendos *in l.* 1. *in princip. ff. quis & à quo, l. vlt. C. de iudiciis, l.* 1. §. *si quis, versic. denique, l. Imperatores* 21. *in princip. ff. de appel. l. præcipimus* 32. *versic. Hoc si appellatio, C. eod. tit. l. vnica, C. qui pro sua iurisd.* à iudice verò, cui mandata est iurisdictio, ille omisso medio prouocatur, ad quem appellaretur ab eo, qui mandauit iurisdictionem, id est superior immediatus iurisdictionis mandantis, iuxta textum ita intelligendum *in d. l.* 1. *ff. quis & à quo.* Discriminis huius ratio ex eo prouenit, nam iudex datus solùm à dante recipit notionem, seu iudicandi munus; non verò iurisdictionem, *l. ait Prætor* 5. *l. à Diuo Pio* 15. *in princip. l. iudex,* 55. *ff. de re iudic. l. vlt. Cod. vbi & apud quem.* Vnde cùm ille, qui eum dedit, semper superior maneat, rectè ad illum, tanquam ad immediatum superiorem appellatur; iudex verò, cui mandatur iurisdictio, mandantis iurisdictione vtitur, & illius vices gerit, *l.* 1. §. *qui mandatam, l.* 3. *ff. de officio eius, l. solet* 16. *ff. de iurisd.* vnde cùm vterque iuris censurâ eadem persona intelligatur, sententia à delegato prolata, ab ipso mandante lata videtur, & ita non ipse, sed eius superior erit prouocandus, ne de pari ad parem appellatio interponatur, exemplo Vicarij & Episcopi, *cap.* 2. *de consuet. lib.* 6. Docent Accursius *in dict. l.* 1. *num.* 5. vbi Socinus *num.* 8. Alciatus *in rubrica de officio ordin. num.* 13. & *lib.* 2. *paradox. cap.* 5. *num.* 2. Duarenus *ad tit. de iurisd. cap.* 8. *num. finali,* Donellus *lib.* 28. *comment. cap.* 7. *in princip.* Cuiacius *in d. l.* 1. §. 1. & *lib.* 7. *obseru. cap.* 21. Fachineus *lib.* 1. *controu. cap.* 28. Barbosa *in l. cùm Prætor,* §. 1. *à num.* 214. *ff. de iudiciis,* Osualdus *lib.* 17. *comment. Donelli, cap.* 13. *littera D.*

6. EXPONITVR L. 1. FF. QVIS ET A QVO.

Huic tamen differentiæ obiici solet textus *in l.* 2. *ff. quis & à quo,* vbi docetur, à Legato Proconsulis prouocandum esse ad Proconsulem; & nihilominus Legatus ab ipso Proconsule mandatam habet iurisdictionem, *l. cùm Prætor* 12. §. 1. *versic. Hi quoque, ff. de iudiciis, l. Legati* 13. *ff. de officio Proconsulis.* Vnde apertè videtur euerti superior distinctio inter iudices datos, & eos quibus mandata est iurisdictio. Cui difficultati omissis variis solutionibus adductis ab Osualdo *lib.* 28. *comment. c.* 7. *littera B,* Gilkenio *in l.* 1. *à n.* 15. *C. qui pro sua iurisd.* Cæsare Costa *lib.* 2. *ambiguit. c.* 8. Goueano *lib.* 1. *variar. c.* 46. dicendum est cum Cuiacio *lib.* 7. *obseru. c.* 2. & *lib.* 2. *Pauli ad edictum, in l. & quia, ff. de iurisd.* & *in l.* 1. §. *si quis, ff. de appell.* ideò *in d. l.* 2. à Legato Proconsulis appellationem interponi ad Proconsulem, quia licèt ab eo mandata sit iurisdictio Legato; tamen postquam mandata est, ille propriam iurisdictionem habet, *l. cognitio* 4. *ff. de officio eius, l. legati* 13. *ff. de officio Proconsulis*; & ideò iudices dare potest, *l. Legatus* 12. *ff. eod. tit. dict. l. cùm Prætor,* §. 1. *versic. Hic quoque.* Quod iure singulari in Legato Proconsulis admissum esse docet Goueanus *de iurisd. num.* 12. Hothomanus *lib.* 3. *obseru. cap.* 4. Fachineus *lib.* 1. *controu. cap.* 49. & alij laudati ab Osualdo *lib.* 17. *comment. Donelli, cap.* 23. *littera C.* etsi aliter exponant Donellus *ibi*, Duarenus *in apolog. de iurisd. num.* 13. Vnde Legatus Proconsulis ordinarius, non delegatus iudex est, vt docent Albericus *in l. solent, ff. de officio Proconsul.* Bellonus *lib.* 3. *supput. cap.* 10. quæ & alia singularia in Legato Proconsulis obseruari notauit Osualdus *lib.* 17. *Donelli, cap.* 8. *triplici littera N,* etsi ipse aliter textum *in dict. l.* 2. *exponat*: ac proinde cùm propria iurisdictione Legatus vtatur, potiusque sua, quàm vice Proconsulis ius dicat, rectè ab eo ad Proconsulem, tanquam ad alium appellatio interponitur. Quæ interpretatio ex eo firmari potest, quod iuxta iuris regulas ad eum appellandum est per litigatores, qui aliàs ab ipso iudice dubitante consulendus est, *l. eum quem* 79. §. 1. *ff. de iudiciis.* Illustrat Rodulphus Fornerius *lib.* 5. *rerum quotid. cap.* 11. sed Legatus de iure dubitans, Proconsulem consulere debebat, *l. solent, vers. Legatos, ff. de officio Proconsul.* ergo & ad eum appellandum est. Quæ ratio euincit, vt non solùm circa multæ dictionem, de qua *in dict. l.* 2. sed & circa alia ad Proconsulem deferenda sit appellatio, etsi Plautius *in rubr. de officio eius*, citatus ab Osualdo *dict. cap.* 8. accipiat textum *in dict. l.* 2. specialiter de multæ dictione.

7. PROSEQVITVR PRÆDICTA DISTINCTIO.

Ex quibus deducitur, superius discrimen inter iudices datos, & eos, quibus mandata est iurisdictio, firmissimâ iuris ratione subniti. Sed adhuc superest remouendus quidam scrupulus; videlicet quod cùm iurisdictio dupliciter mandari soleat, aut

aut omnis videlicet, aut ſpecies vna, *l. ſolet 16. cum ſequent. ff. de iuriſd.* quæri poteſt, an vtroque caſu is, cui mandata eſt iuriſdictio, fungatur vice eius, qui mandauit, an ſuâ? Et quidam perdocti viri noſtræ Academiæ exiſtimarunt, multùm intereſſe, an generaliter, an ſpecialiter iuriſdictio mandata ſit. Primo caſu affirmant, quod cùm is, cui mandatur generaliter iuriſdictio, mandantis vices gerat, & vnum, idemque tribunal vtriuſque intelligatur, tunc appellatio iure ad eum, qui mandauit, interponitur; quo in caſu accipiunt textum *in l. 1. §. 1. ff. quis & à quo.* Secundo verò caſu cùm iuriſdictio mandatur reſpectu certæ cauſæ, tunc cùm mandatarius intelligatur delegatus, & iuriſdictio ſic mandata ſimilis ſit delegatæ, ad iudicem delegantem debet appellatio deferri, iuxta textum ita intelligendum *in l. vnica, Cod. qui pro ſua iuriſd.* Docent Angelus, Salicetus, Bartolus, & Caſtrenſis *in dict. l. 1. §. 1.* pluribus relatis Gilkenius *in dict. l. vnica, num. 9.* Hæc tamen ſententia admitti non poteſt, quia verius eſt, eum cui mandata eſt iuriſdictio, ſiue omnis, ſiue pars, fungi vice eius, qui mandauit, non ſuâ, vt apertis verbis docetur *in dict. l. ſolet 16. ff. de iuriſd.* iuxta litteram Florentinam, ibi: *Et is, cui mandata eſt iuriſdictio*; quam tuetur Rodulphus *lib. 2. rerum quotid. cap. 3.* inde cùm vtroque caſu mandatarius fungatur vice mandantis, non ad mandantem, ſed ad eius ſuperiorem appellatur, iuxta textum *in dict. l. 1. §. 1.* cuius verba ibi: *Nam generaliter*, &c. ſatis vtrumque caſum complectuntur. Docent in ſpecie Ioannes Faber *in princip. Inſtit. de vulgari*, Barboſa *in dict. l. cùm Prætor, num. 221. ff. de iudiciis*, Socinus *in dict. l. 1. §. 1.* Nec tunc obſtat præſens textus *in §. porrò*, ibi: *Iuriſdictionem ſuam in alium transfert totam.* Et ibi: *Cùm autem ſibi aliquid de iuriſdictione reſeruatur.* Quibus verbis apertè videtur ſignificari, opus eſſe totam iuriſdictionem transferre, vt ad ſuperiorem, non ad mandantem appelletur; quod ſanè maximè pugnat cum his, quæ proximè dicebamus *ex dict. l. ſolet*, videlicet nihil intereſſe, an tota iuriſdictio, an ſpecies vna mandata ſit. Nam reſpondendum eſt cum Socino *vbi ſuprà*, mandatâ certâ aliquâ ſpecie iuriſdictionis, totam iuriſdictionem quoad illam ſpeciem mandatam videri, & reſpectu illius ſpeciei nihil ſibi mandantem de iuriſdictione reſeruaſſe, ac proinde in his terminis optimè verba præſentis §. *porrò*, procedere.

8 EXPLICATVR ADDVCTA DISTINCTIO.

Planè ſuperior differentia inter iudices datos, & eos, quibus mandata eſt iuriſdictio, dumtaxat locum habet in delegatis inferiorum: vnde prouenit, ordinarios Magiſtratus, ſiue eccleſiaſticos, ſiue ſæculares, in caſibus, quibus de iure vices ſuas committere poſſunt, multùm intereſſe, an ſimpliciter ad cauſam iudices dederint, an iuriſdictionem mandauerint. Primo caſu, quia tunc aliquid de iuriſdictione reſeruare cenſentur, & ad eos appellatio interponetur; ſecundo verò caſu, quia nihil ſibi retinere videntur, non ad eos, ſed ad ſuperiores appellabitur, iuxta textus *in l. 1. in princip. & §. 1. ff. quis & à quo, l. vlt. de iudiciis, l. 1. §. ſi quis, l. Imperatores 21. ff. hoc tit.* qui apertè de iudicibus datis ab inferioribus loquuntur. Cæterùm prædicta differentia non eſt producenda ad delegatos Principum, cùm ſemper ab his ad Principem appelletur, *l. eos, Cod. hoc tit.*

9. INTELLIGITVR PRÆSENS TEXTVS

Ex qua differentia ita explicata eruenda eſt vera ratio præſentis deciſionis, in qua Pontifex decidit, multùm referre, an delegatus totam iuriſdictionem tranſtulerit, an aliquid ſibi de iuriſdictione reſeruauerit? Vt primo caſu ad ſuperiorem; ſecundo verò caſu ad eum appelletur: quod etiam docetur *in cap. ſi delegatus 7. verſic. eum, hoc tit. in 6.* quæ Pontificis diſtinctio à ſuperiori differentia fluit, apertiuſque conſtabit, ſi expendamus, quod quoties delegatus ſubdelegando cauſam aliquam, vel etiam plures (nihil enim intereſt, quod iudex detur ratione vnius cauſæ, vel plurium, *l. vlt. Cod. vbi, & apud quem,*) aliquid ſibi de iuriſdictione reſeruat, iudicem tantùm dare videtur, in quem ſolùm iudicandi munus transfert: vnde rectè ab eo ipſe tanquam ſuperior prouocatur, *dict. l. 1. in princip. ff. quis & à quo.* Si verò ipſe delegatus, ſiue in pluribus cauſis, ſiue in vna iuriſdictionem transfert, rectè dicitur totam iuriſdictionem mandaſſe; ac proinde non ad ipſum, qui vel idem, vel æqualis cum ſubdelegato iuris cenſurâ intelligitur; ſed ad ſuperiorem appellabitur, iuxta dictam legem 1. §. 1. *ff. quis & à quo*; & ita præſens deciſio etiam in foro ciuili ſeruanda eſt, cùm apertè ab eius principiis deducatur, vt docent Imola, & Francus *in cap. dilectis 66. num. 30. de appell.* Socinus *in dict. l. 1. §. 1.* Barboſa *in dict. l. cùm Prætor, §. 1. num. 217. de iudiciis*, Scaccia *de appell. quæſt. 8. num. 32.* etſi adhuc in hac parte vtrumque ius differre docuerint Gloſſa *verbo Ad eum*, in præſenti, Bartolus *in dict. l. 1. §. 1. num. 1.* Fachineus *lib. 1. controu. cap. 78.* Verùm quo dilucidiùs hæc Pontificis diſtinctio comprehendatur, exponendum eſt, quando delegatus videatur aliquid de iuriſdictione reſeruaſſe, vt ſic ad eum appelletur. Et ſanè Pontifex *in dict. cap. ſi delegatus, verſiculo Ad eum*, huius rei duo exempla nominatim adducit, & alterum ſubobſcurè. Primum eſt, cùm delegatus vices ſuas committit, donec talem commiſſionem reuocet; quod ſic accipio, vt delegatus, ſiue pro parte, ſiue in totum vices ſuas committat, virtute huius clauſulæ videatur aliquid de iuriſdictione reſeruare; ideoque ad eum appellatio tunc interponetur. Ratio eſt, quod cùm reuocandi poteſtas ad iuriſdictionem pertineat, *l. iudicium ſoluitur, ff. de iudiciis*, delegatus eo ipſo quod hanc poteſtatem retinuit, aliquid de iuriſdictione reſeruaſſe, nemo eſt qui dubitet, vt docuerunt *in dict. cap. ſi delegatus*, Francus *num. 6.* Dominicus *num. 9.* Scaccia *d. q. 8. num. 35.* quorum doctrina non tantùm procedit in appellationibus ante ſententiam diffinitiuam, verùm etiam in appellationibus poſt diffinitiuam, vt apertè probat textus *in dict. cap. ſi delegatus, in fine*, ibi: *Etiamſi poſt ſententiam*; quæ verba non ad proximè immediata, ſed ad hunc caſum referenda ſunt, vt benè notant Francus *num. 7. in fine*, Dominicus *num. 9.* Secundum exemplum eſt, cùm delegatus executionem ſententiæ tantùm ſibi reſeruat; nam etſi hac in re diſſentiant Tancredus, Innocentius, & Bernardus, vt refert Gloſſa *in præſenti, verbo Transfert, verſic. Sed nunquid*; horum tamen opinio ſublata eſt per Bonifacium VIII. *in dict. cap. ſi delegatus, verſic. Ad eum*, ibi: *Vel qui executionem ſententiæ tantùm.* Quibus verbis docet, poſſe delegatum totam cauſam committere, executione tantùm ſententiæ ſibi reſeruatâ; quod negabat Tancredus: cuius reſeruationis virtute cùm aliquid de iuriſdictione ſibi retineat, ideò ad eum appellandum eſſe, contra Innocentium, & Bernardum. Cuius ſententiæ ratio eſt; nam vbi delegatus totam cauſam committit, reſeruatâ executione ſententiæ, dicitur retinere delegatam iuriſdictionem, ob quam ſententiam exequi poteſt, *c. ſignificaſti 7.*

cap. in litteris 9. hoc tit. vt perinde mirum non sit, locum esse regulæ, de qua in præsenti, § *porrò, versic. Cùm autem.* Docent in præsenti Abbas *numer.3.* Barbatia *num.17.* Francus & Dominicus *vbi suprà*, Tuschus *littera A. conclus. 352. num.42.* Scaccia *dict. quæst.8. num.35.* qui satisfacit fundamentis Tancredi, & Innocentij. Illud tamen notandum est, contrarium respondendum esse, si delegatus post sententiam à se latam, à qua appellatum non fuit, eius executionem alteri simpliciter commisit, non adiectâ clausulâ, *Donec reuocet*; nam si à subdelegato appelletur, ponè quia suspectus erat, vel quia in modo executionis excessit, ex præsenti textu in principio versiculi: *Nos autem, & §. verùm*; tunc non ad delegatum, sed ad eius superiorem appellabitur. Docent Dominicus *in dict. cap. si delegatus, num.11.* Francus *num.6.* etsi ibi aliter teneat Ancharanus *num.4.* qui docet, huic sententiæ locum non esse appellatione interpositâ intra annum; tunc enim ad delegantem putat appellandum, motus *ex cap. quærenti, hoc tit.* vbi apertè docetur, iurisdictionem delegati circa executionem sententiæ vsque ad annum durare. Hæc tamen Ancharani sententia admitti nequit, quia verius est hac in re multùm interesse, an delegatus executionem sententiæ alteri simpliciter commiserit, an non commiserit. Primo casu virtute mandati iurisdictio cessat, & exspirat, etiamsi sit intra annum, iuxta textum sic explicandum *in cap. si delegatus 9. hoc tit.* Secundo verò casu, si delegatus adhuc sit intra annum, iurisdictionem habet quoad iudicatum faciendum, iuxta textum *in dict. cap. quærenti*, qui sic conciliandus est cum dicto capite *in litteris.* Tertium exemplum est, quod subobscurè ponitur *in dict. cap. si delegatus, versic. Ad eum*, in illis verbis: *Aut quidquid illud de iurisdictione sibi reseruet.* Pro quorum expositione Doctores exemplum adhibent, cùm delegatus aliquid de medio causæ, veluti litis contestationem, vel testium examen, siue aliud sibi retinuit; & tunc ad eum esse appellandum existimant, dummodo tantùm appelletur antequam actus hi per delegatum expediantur; secus si postea, quia tunc non ipse, sed superior pronocabitur. Cuius sententiæ ratio est, quia vt ritè ad delegatum appelletur, necessaria est reseruatio iurisdictionis ex præsenti §. *porrò*: hæc autem in præsenti specie non cernitur, quousque actus illi expediantur; posteà verò omnino cessat, argumento textus *in dict. cap. in litteris.* Docent Felinus *in præsenti, num.13. versiculo fallit quartò*, Dominicus *in dict. cap. si delegatus, num.9. versic. Sed pone*, & ibi Francus *num.7.* Scaccia *dict. quæst.8. num.40.* Nec huic sententiæ rectè obiicies posteriora verba dicti capitis *si delegatus*, ibi: *Etsi post sententiam fuerit appellandum*; quia verba immediatè iuncta præcedentibus, ibi: *Aut quidquid aliud*; satis indicant, quod etsi appelletur post actus expeditos, sicut post sententiam, ad delegatum esse appellandum, quasi sufficiat ab initio reseruasse: quo argumento mouetur in contrarium Ancharanus *ibi, num.3.* quia respondendum est, illa verba, *etiamsi post sententiam*, non coniungi immediatè præcedentibus, quia repugnat ratio suprà adducta; sed referenda esse ad eum casum, quem Pontifex proposuit circa subdelegationem factam cum clausula, *donec reuocetur.* Nec nouum est, quod interdum verba non ad ea, quæ immediatè procedunt; sed ad remotiora, iuxta materiam subiectam referantur, vt docet Bartolus *in l. talis 30. §. vlt. num.3. ff. de legat. 1.*

Planè etsi regulariter à subdelegato in totum ad delegatum appelletur, tres tamen sunt excipiendi singulares casus, in quibus à subdelegato non appellatur ad delegatum, sed eius superiorem. Primus est, quem proponit Bonifacius *in cap. si duo 3. de officio delegati, in 6.* vbi si tres iudices delegatos Pontifex constituat ad vnam causam decidendam, & duo ex iis aliis non in totum vices suas commiserint, ipsique subdelegati cum altero tertio delegato, qui non subdelegauit, in causa procedant, & ab omnibus, delegato scilicet, & subdelegatis, simul appelletur; in hac specie ait Pontifex, non ad delegatos, sed ad primum delegantem esse appellandum: quæ Pontificis sententia eâ ratione nititur, quòd etsi inspectâ personâ subdelegatorum videretur potiùs appellandum ad delegatos, tamen ex præsenti §. *porrò*, potiùs attenditur persona vnius delegati, vt respectu illius ad Pontificem delegantem appelletur, idque ex duabus causis procedit. Prima, quia iurisdictio delegata est dignior subdelegatâ, *cap. sanè 11. hoc tit.* & quoties in vna causa concurrunt plures iudices diuersa iurisdictione fungentes, illa, quæ dignior est, præfertur quoad appellationem, *l. præcipimus 32. in fine, versic. Eodem, Cod. de appell.* idemque obseruatur quando in vna, eademque persona concurrit iurisdictio delegata, & subdelegata, iuxta præsentem textum *in §. si verò*: quod & suadetur argumento capitis *quod in dubiis, de consecrat. Ecclesiæ, c.1. eod. tit. in 6.* cum aliis citatis à Tiraquello *de retractu §.1. glossa 7. num.82.* Secunda prouenit ex eo, quia aliàs in absurdum laberemur, vt ab æquali delegato ad æquales coniudices appellaretur, iuxta regulam legis 1. §. *si quis, ff. de appell.* Docet Scaccia *de appell. q.8. n.39.* vnde in praxi adnotare libet, quod quotiens in vna causa concurrunt ordinarius, & delegatus iudex, appellatio non ad superiorem ordinarij, sed ratione dignioris iurisdictionis delegatæ ad delegantem est interponenda, vt exemplis variis probant Alexander *lib.6. consilio 2. per totum*, Abbas *in præsenti*, §. *si verò, num.5.* Tuschus *littera A. conclus.352. num.33.* Gratianus *tom.1. discept.c.100. num.50.* Secundus casus proponitur *in cap. si à subdelegato 14. hoc tit. lib.6.* vbi si à subdelegato appelletur ex eo, quod non admittit exceptiones concludentes defectum iurisdictionis in delegato subdelegante, tunc non ad ipsum delegatum, qui iurisdictionem habere negatur, sed ad primum delegantem appellatur, ne aliàs appellans appellando ad eundem, quem iurisdictione fungi negat, contraria in iudicio deducere videatur, contra textum *in cap. solicitudinem 54. in fine, de appell.* Explicant post antiquiores Molina *de iust. tract.5. disput.21. num.6.* Scaccia *de appell. quæst.7. num.68.* Tertius casus singularis proponitur *in cap. si is cui 10. hoc tit. lib.6.* vbi docetur, quod si delegatus sit excommunicatus, aut aliter impeditus à subdelegato, non ad ipsum, sed ad Pontificem appellandum est; quem casum exponunt Quintanadueñas *lib.2. de iurisd. tit. de subdelegatione, num.31.* Molina *de iustit. tract.5. disput.21. num.6.* Suarez *de censuris disput. 14. sect.1. num.1.* Maranta *tit. de appellat. num.75.* Gaillus *lib.1. obseru. cap.19. num.2.* Scaccia *dict. quæst.7. num.37.* Nec obstat textus *in cap. 1. de supplenda negl. lib.6.* vbi docetur, excommunicato Episcopo ipsius iurisdictionem ad Archiepiscopum non deuolui, licèt immediatus superior sit: vnde similiter videbatur dicendum, iudice delegato excommunicato

10. EXPONVNTVR CERTI CASVS.

nicato iuriſdictionem non deuolui ad primum delegantem, nec proinde ad eum appellandum eſſe. Nam omiſsâ ſolutione Gloſſæ ibi, *verbo Culpis*, dicendum eſt, ideò *in dict. cap.* 1. Epiſcopo excommunicato iuriſdictionem ad Archiepiſcopum non transferri, quia id non inuenitur à iure conceſſum, vt in eodem textu dicitur, iunctâ regulâ capitis *paſtoralis*, *in principio*, *de officio ordin.* tradit Panormit. *in cap. ſi quis contra*, *num.* 40. *de foro compet.* quæ ratio non viget in delegato reſpectu delegantis, ſed potiùs contraria: vnde verè dubitari poteſt, an ſicut à ſubdelegato appellatur ad Pontificem, delegato excommunicato, *ex dict. cap. ſi is cui*; ita ſimiliter Epiſcopo excommunicato, qui ab inferioribus erat prouocandus, iuxta caput 3. §. 1. *hoc tit. in 6.* debeat appellatio ad Archiepiſcopum interponi. Et ſanè verius eſt, in hoc caſu non ad Archiepiſcopum, ſed ad Pontificem eſſe appellandum. Nec obſtat quod ſuperior immediatus eſt impeditus; quo caſu ad ſuperiorem ſequentem appellatur, *dict. cap. ſi is cui*; nam in propoſita ſpecie Archiepiſcopus non immediatus ſuperior intelligi debet, cùm ad eum propter excommunicationem Epiſcopi iuriſdictio non transferatur, *dict. cap.* 1. *de ſupplend.* Docet Gloſſa *ibi*, *verbo Ipſius*, *in fine*, & *in cap.* 1. *de officio Vicarij*, *in 6.* etſi contrarium teneat Ancharanus *in dict. cap. ſi is cui.*

CAPVT XXVIII.

Idem [a] *Epiſcopo Helienſi.*

PAſtoralis officij diligentia, & ſolicitudo, quam geris circa executionem mandatorum noſtrorum, & zelus rectitudinis tuæ nos inuitant, vt quamuis ſimus multiplicibus negotiorum occupationibus præpediti, eis tamen ad horam ſubtrahimus noſmetipſos, in qua tuis intendamus conſultationibus reſponſuri. Conſuluit etenim nos tuæ f. diſcr. vtrum ſi delegatus à Principe cauſam ſibi commiſſam alij voluerit delegare, nolentem delegationem ſuſcipere, ad ipſam ſuſcipiendam valeat coarctare. Ad quod tibi de f. n. conſilio taliter duximus reſpondendum, quod cùm delegato à Principe iuriſdictio dandi iudicem ſit à lege [b] conceſſa, dummodo ipſe exonerare ſeipſum malitiosè non quærat, poteſt compellere renuentem, eo quod iuriſdictio illa nullius videretur eſſe momenti, ſi coërcitionem [c] aliquam non haberet. Debet tamen delegatus prædictus ſolicitè prouidere, vt ſi perſonis ſuperioribus exigente neceſſitate negotium duxerit delegandum, in coarctationibus inferendis dignitati deferat, & perſonæ. Subſequenter etiam quæſiuiſtis, vtrum cui voluerit delegatus, ſi viderit expedire, poſſit iniungere, vt ad ſuam præſentiam citet partes, & eis, ſi obedire contempſerint, pœnam infligere pro contemptu. Ad quod f. t. breuiter reſpondemus, quod cùm totum negotium poſſit alij committere, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum, citationis officium poteſt cuilibet, diſcretione præuiâ, demandare, ac punire meritò contemptorem. *Et infrà.*

NOTÆ.

a *Helienſi.*] Ita etiam habetur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 7. Ad huius textus inſcriptionem & integram repetenda ſunt quæ adduxi *in cap. paſtoralis*, *de reſcriptis.*

b *A lege conceſſa.*] Ideoque delegatus Principis poteſt ſubdelegare, vt probaui *in cap.* 3. *in ratione decidendi*, *hoc tit.*

1. c *Si coërcitionem aliquam.*] *L. vlt. ff. de officio eius*, id eſt iuriſdictio priuato mandari non poteſt, niſi ſimul aliquod imperium, ſeu modica coërcitio transferatur in delegatum, quia aliàs inutilis & ſuperuacua eſſet iuriſdictio delegata, ſi delegatus contumaces, & impedientes iuriſdictionis vſum coërcere non poſſet, vt exponunt hæc verba Merillus *lib.* 2. *obſerv. cap.* 15. Gentilis *lib.* 1. *de iuriſd. cap.* 15. Sed vt quid per coërcitionem Interpretes in præſenti accipiant, & an merum imperium, & mixtum iure canonico delegari valeant, aliqua ſunt prælibanda.

2. MERVM IMPERIVM DELEGARI

Licèt mixtum imperium iure ciuili delegari poſſit, cauſæ tamen, quæ meri imperij ſunt, demandari non valent, *l.* 1. *ff. de officio eius*, *l. ſolent* 6. *ff. de officio Proconſulis*; ex quibus deducta eſt regula textus *in l. nemo* 70. *ff. de R. I. l.* 2. *Cod. de pedaneis iudicibus*, *l.* 18. *tit.* 4. *partit.* 3. Docent Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 8. Iacobus Gothofredus *in dict. l. nemo*, Goueanus *lib.* 1. *de iuriſd. num.* 30. Bronchorſt. *centur.* 1. *aſſert.* 16. *cum duab. ſeqq.* Gentilis *eod. tract. lib.* 3. *cap.* 25. Morla *in empor. eod. tit. quæſt.* 17. Binius *eod. tract. cap.* 3. Sed antequam ad huius ſententiæ expoſitionem procedamus, ſciendum eſt, quid merum imperium ſit, quidve mixtum. Merum igitur imperium eſt poteſtas animaduertendi in facinoroſos gladio, vel aliâ coërcitione graui, *dict. l. ſolent* 6. conſiſtitque in executione ſententiæ capitalis, & poteſtas appellatur, *l. imperium* 3. *ff. de iuriſd.* Docent Petrus Faber *lib.* 1. *ſemeſtr. cap.* 3. Fachineus *lib.* 9. *controu. cap.* 94. & *lib.* 13. *cap.* 2. Gentilis *lib.* 3. *de iuriſd. cap.* 3. Goueanus *eod. tract. lib.* 1. *ex num.* 30. Pichardus *in* §. *præiudiciales*, *Inſtit. de actionibus*, Binius *lib.* 1. *ſelect. quæſt.* 3. & *de iuriſd. lib.* 1. *cap.* 1. Dicitur hoc imperium merum, non quia ſummum ſit, ſed quia non cohæret ordinariæ iuriſdictioni; immò illi imperio opponitur, quod iuriſdictioni cohæret, *l.* 1. §. *vlt. ff. de officio eius*, Gothofredus *in dict. l. nemo*, Duarenus *lib.* 1. *diſput. cap.* 53. ſicut ius gentium merum dicitur, quod nihil à ciuili participiat, *l. bona* 31. *ff. depoſiti*, mera conditio dandi, vel faciendi, quæ tan-

NON POTEST.

tùm in dando, vel faciendo consistit, *l. cùm seruus* 82. *ff. de condit. & demonstrat.* mera donatio, id est pura, *l. Aquilius* 27. *ff. de donationibus.* Diffinitur per gladij potestatem, non materialiter, quasi merum imperium sit, vbi gladio tantùm Magistratus animaduertere potest; sed à symbolo, quia meri imperij symbolum olim gladius erat, sicut ciuilis iurisdictionis hasta. D. Cyprianus *epist.* 2. *Et inter togas pace receptâ forum litibus mugit insanum; hasta illic, & gladius, & carnifex, præsto est vngula effodiens.* Vnde hæc potestas dicitur gladij, *dict. l. nemo* 70. *l. solet* 6. *l. illicitas, §. vniuersas, ff. de officio Præsidis.* Lampridius *in Alexandrum*, ibi: *Honores gladij nunquam vendi passus est, dicens: Necesse est, qui emit, vendat; ego non patior mercatores potestatum.* Et *l. Prætor* 7. *§. quid ergo, ff. de iniuriis:* notat Reuardus *in dict. l. nemo.* Accedit, nam in grauioribus criminibus nulla alia vsitatior pœna fuit, quàm gladij, *l. aut damnum* 8. *§.* 1. *ff. de pœnis, l. cùm vir* 31. *Cod. ad leg. Iuliam de adult. l. quisquis* 12. *Cod. ad leg. Iul. maiest.* Obseruant P. Faber *in dict. l. nemo* 70. & *lib.* 1. *semestr. cap.* 4. Osualdus *ad Donellum dict. cap.* 8. *littera F.* Etiam diffinitur merum imperium per verbum animaduertendi, quo Consulti vtuntur ad summum supplicium denotandum, *l. si quid erit* 11. *ff. de officio Proconsul. l.* 1. *§. fin. l. vlt. ff. de officio eius.* Huius imperij gradus recensetur, & illustrat Gentilis *lib.* 3. *de iurisd. cap.* 3. *per totum.*

3. MIXTVM IMPERIVM QVID.

Mixtum imperium est potestas cohærens cum iurisdictione, comparata ad eam tuendam, atque exercendam; inest enim in ipsa iurisdictione potestas modicæ coërcitionis, quæ vertitur in sententiis exequendis, seu ciuilibus, seu criminalibus, vt docent Gentilis *lib.* 1. *de iurisdict. cap.* 4. *&* 5. Merillus *lib.* 1. *variant. ex Cuiacio, cap.* 3. Donellus *dict. cap.* 8. vbi Osualdus *littera F*, Binius *lib.* 1. *select. quæst.* 3. Matheacius *in dict. l. imperium*, Quintanaduenas *de iurisd. tit.* 7. licèt alias diffinitiones adducant Alciatus *lib.* 1. *paradox. cap.* 8. Corrasius *lib.* 3. *miscel. cap.* 17. Duarenus *lib.* 1. *disput. cap.* 53. Cuiacius *lib.* 11. *obseru. cap.* 30. Faber *lib.* 4. *coniect. cap.* 4. Binius *de iurisd. cap.* 7. nec audiendi sunt Eguinarius Varo *in l. vlt. ff. de officio eius*, Bocerus *de iurisd. cap.* 4. qui duplex constituunt mixtum imperium, quos refellunt Bachouius *ad Treutlerum, cap. de mixto imperio*, Binius *lib.* 1. *select. cap.* 3. modica coërcitio appellatur *in l. vlt. ff. de officio eius*, & differt valde à mero imperio, quia licèt in mero insit notio, & qualisqualis causæ cognitio, quæ sententiam præcedere debet, inest vt minùs principalis, vt inseruiat imperio, ne aliàs sine notione imperium tyrannicum esset. Osualdus *ad Donellum dict. cap.* 8. *duplicata littera V.* in mixto verò imperio ipsa notio, seu causæ cognitio per se principalis est, aliterque attenditur, cui inseruit ius coërcendi, & exequendi sententias; concesso enim iure dicendi sententiam, ea omnia concessa intelliguntur sine quibus dici, & exequi non potest, *l.* 2. *ff. de iurisd.* Vnde quia in mero imperio præcedit imperium, vt principale merum dicitur. Marcus Lyclama *lib.* 5. *membran. eclog.* 1. in mixto autem, quia imperium inest, & deseruit; principalis autem est iurisdictio, mixtum imperium appellatur, quasi imperio, id est modica coërcitione, & notione constans. Ansaldus *de iurisdictione tit.* 11. *cap.* 30. *num.* 36. Vtriusque imperij effectus sigillatim recensent Scipio Gentilis *de iurisd. vbi suprà*, Merillus *dict. cap.* 3. Treutlerus *volum.* 1. *thesi* 3. *disput.* 3. vbi Bachouius, & Hunnius, Faber *lib.* 4. *coniect. cap.* 3.

4. QVIBVS COMPETAT VTRVMQVE IMPERIVM.

Mixtum imperium obtinent Magistratus iure Magistratus, & illi quibus ea committuntur, quæ iure Magistratus habentur; competit enim hoc imperium, non quia aliquâ lege speciali certis Magistratibus concedatur; sed quia ratione iurisdictionis, quam obtinent, ad eos spectat, *dict. l.* 1. *ff. de officio eius*; licèt illud imperium tantùm maiorum Magistratuum esse, *ex l. obligationes* 27. *ff. de O. & A.* intendant probare Iacobus Gutherus *lib.* 1. *de officiis domus, cap.* 2. *&* 3. Merum autem imperium illis competit, quibus lex, Senatusconsultum, aut Princeps concesserunt, *l.* 1. *ff. de officio eius, l. aliud est fraus, ff. de V. S.* nec interest, an sint Magistratus, an priuatæ personæ; personis enim priuatis lex solet concedere merum imperium; frequenter enim Populus Romanus temporibus Reipublicæ liberæ personis priuatis, quæ Quæstores dicebantur, coërcitionem delictorum publicorum mandabat. Eorum mentio reperitur *in l.* 2. *§. & quia, ff. de orig. iuris:* de eis Gentilis *lib.* 3. *de iurisd. cap.* 19. Posteà temporibus Lucij Cornelij Syllæ Dictatoris, cognitio capitalium criminum Prætoribus data fuit singulis singulorum delictorum; vnus enim Prætor cognoscebat de sicariis, alius de parricidis, alius de falsis, *dict. l.* 2. *§. capta.* Notant Duarenus *lib.* 1. *de iurisd. cap.* 53. Binius *eod. tract. cap.* 2. *num.* 5. Gentilis *vbi suprà, cap.* 19. Postquam autem lege Regia omnis potestas in Principem translata est, Princeps ipse merum imperium obtinebat, vt ex Tacito probat Gentilis *dict. lib.* 3. *de iurisd. cap.* 20. sed Cæsares hoc imperium exceptis quibusdam personis, de quorum causis ipsi tantùm, vel Senatus agnoscebant, cum hac distinctione Prætoribus, Præsidibus, Præfectis concesserunt. Intra vrbem in seruos vltimo etiam supplicio afficiendos ius datum fuit Præfecto vigilum, *l. penult. ff. de condict. caus. dat.* de cuius expositione latè agunt Faber *ibi*, Fornerius *lib.* 1. *select. cap.* 15. Cuiacius *lib.* 9. *obseru. cap.* 37. in liberos homines Præfecto vrbis, tam intra, quàm extra vrbem, vsque ad centesimum lapidem, *l.* 1. *ff. de officio Præfecti vrbis, l.* 1. *§. generaliter, ff. de pœnis:* ad quem referendi sunt textus *in l.* 1. *ff. de effractoribus, l. nam salutem, l. vlt. ff. de officio Præfecti vigilum, l. sacularij, ff. de extraordin. crimin. l. inter* 6. *§.* 1. *ff. de interdictis & releg.* ratione cuius imperij ipse Præfectus ius deportandi habebat, *l.* 1. *§. relegandi, ff. de officio Præfecti vrbis:* noster D. Franciscus de Amaya *in l.* 2. *Cod. de bonis vacant. lib.* 10. & iure gladij vti poterat, *l. quoniam, Cod. ad leg. Flauiam:* docet Eguinarius Varo *in dict. l.* 1. *ff. de officio Præfect. Vrb.* licèt contrarium teneat Goueanus *in l.* 3. *num.* 24. *ff. de iurisd.* immò si quid acriter puniendum erat, ad Præfectum Vrbis, vel ad Prætorem reus mittebatur plectendus, *l. final. ff. de officio Præfecti Vigil. l.* 1. *§. cùm patronus, ff. de officio Præf. vrbis.* Cui principio opponi solet textus *in l. si quis* 35. *ff. de iniuriis*, ad cuius expositionem videndi sunt Goueanus *in dict. l.* 3. Faber *lib.* 4. *coniect. c.* 8. extra vrbem Præsidibus Prouinciarum, & Proconsulibus data fuit facultas exercendi merum imperium, *l. illicitas, §. qui diuersas, ff. de officio Præsidis, dict. l. sacularij* 7. Licèt tamen Præsides ratione huius meri imperij ius gladij haberent, tamen non obtinebant ius deportandi, *dict. l. inter* 6. *§.* 1. *l.* 1. *§. deportato, ff. de legat.* 3. cuius discriminis varias rationes adducunt Gilkenius *de præscript.*

3. part. cap. 6. num. 23. Faber *in iuriſprud. tit.* 16. *princip.* 1. *illat.* 3. Oſualdus *ad Donellum d. cap.* 8. *duplici littera Q.* Sed illis omiſſis placet ratio ipſius Fabri *tit.* 11. *princip.* 4. videlicet, hoc procedere, quia lex conceſſit gladij poteſtatem, non autem ius deportandi; & in hac materia iuriſdictionis & imperij non valet argumentum de maiori ad minus, neque de æquali ad æquale. Vnde ſicut Proconſules, qui merum imperium habebant, ius deportandi non obtinebant, *l. iter* 6. *l. relegatorum* 7. *ff. de interdictis*, *l. ſi quis fortè* 6. *de pœnis*, ita & Præſides. Sequuntur eam rationem Gentilis *de iuriſd. dict. cap.* 20. D. Ioſephus de Retes *lib.* 1. *de interdict. cap.* 2. licèt aliam, neſcio an ita veram, ſicut illuſtratam, reddat D. Nicolaus Antonius *de exilio lib.* 2. *cap.* 29.

5. CAVSÆ MERI IMPERII DELEGARI NON POSSVNT.

His ſuppoſitis pro vera cognitione meri, & mixti imperij, affirmandum eſt, cauſas meri imperij delegari non poſſe; mixti verò demandari valere: cuius diſcriminis ratio ex eo prouenit, nam cauſæ mixti imperij Magiſtratibus competunt iure proprio. Gentilis *de iuriſdict. lib.* 2. *cap.* 25. *per totum*, Duarenus *eod. tract. cap.* 7. Morla *eod. titulo, quæſt.* 16. Fachineus *lib.* 9. *contro. cap.* 98. & *lib.* 11. *cap.* 96. D. Gabriel Henriquez *in l. à Diuo Pio, num.* 16. *ff. de re iudic.* Pichardus *in* §. 1. *cap.* 4. *numero* 176. *Inſtit. de interdictis.* Cauſæ verò meri imperij iure ſpeciali, & conceſſione legis, vt ſuprà probaui, competunt; vnde merum imperium eſt indelegabile: quam rationem tradiderunt Fachineus *lib.* 42. *contro. cap.* 91. Cuiacius & Faber *in dict. l.* 1. *ff. de officio eius.* Inde deducitur, miſſionem in poſſeſſionem ex primo, vel ſecundo decreto, ex titulis *Vt in poſſeſſionem legatorum*, *Si ventris nomine*, *De damno infecto*, quibus Prætor permittit poſſidere, aut rem detinere, *l. poſtquam* 5. §. *Imperator*, *ff. vt in poſſeſſionem*, *l. de bonis*, §. *fin. ff. de Carboniano*, delegari poſſe, *l.* 4. §. *vlt. ff. de officio eius*, *l.* 4. §. *ſi intra*, *ff. de damno infecto*, *cap. ſi quando* 8. *hoc tit. cap. penult. de eo qui mittitur in poſſeſſ.* quia huiuſmodi miſſio ad mixtum imperium pertinet, *l.* 3. §. *mixtum*, *ff. de iuriſd.* Nec obſtat textus *in l. iubere*, *ff. de iuriſd.* ex cuius verbis probatur, miſſionem in poſſeſſionem magis imperij eſſe, quàm iuriſdictionis: ergo ſi quæ ſunt imperij, delegari non poſſunt, nec miſſio in poſſeſſionem mandari valet. Pro huius textus interpretatione varia adducit Genua *in conciliat. legum, pag.* 7. *in paruis*; quibus omiſſis Binius *lib.* 1. *ſelect. cap.* 3. exiſtimat, verba illa, *magis imperij*, non eſſe referenda ad merum, vel mixtum imperium, ſed ad iuriſdictionem excellentiorem, & eminentiorem; vel vt Goueanus in ea docet, magis imperioſam, quàm iuridicam, vt ſenſus ſit, iubere cauere prætoriâ ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, eminentioris iuriſdictionis eſſe, & in ea maiorum Magiſtratuum iuriſdictionem cognoſci; minores enim Magiſtratus municipales, licèt imperium mixtum cum iuriſdictione habeant, *l. vlt.* §. 1. *ff. de officio eius*, *l.* 2. *ff. de iuriſdict.* tamen quæ ſunt excellentioris iuriſdictionis exercere non valent, *l. ea quæ* 26. *ff. ad municip.* Vnde quia Magiſtratus cauere iubent prætoriâ ſtipulatione, & mittunt in poſſeſſionem, talis miſſio excellentioris eſt iuriſdictionis. Sed hæc ſolutio Arnoldi Binij conuincitur *ex l. imperium*, §. *mixtum*, *ff. de iuriſdict.* in illis verbis: Mixtum eſt imperium, cui etiam iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Ex quibus expreſsè deducitur, miſſionem in poſſeſſionem potiùs ad imperium, quàm ad iuriſdictionem ſpectare. Non me latet, aliquos eius textus litteram ita emendaſſe, *Mixtum imperium eſt, cui etiam iuriſdictio ineſt, quòd in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit iuriſdictio: iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia:* Ita legit Hothomanus *lib.* 7. *obſeru. cap.* 16. Aliter ſatisfaciunt Faber *lib.* 4. *coniectur. cap.* 4. Goueanus *ibi, num.* 34. quibus omiſſis dicendum eſt, verba illa, *magis imperij*, accipienda eſſe poſitiuè magis quàm comparatiuè, ita vt miſſio in poſſeſſionem ſit mixti imperij; ſed cùm mixtum imperium conſtet iuriſdictione, & imperio, potiùs ad imperium, quàm ad iuriſdictionem ſpectare: vt ſic Conſultus non neget, hanc miſſionem in poſſeſſionem ad mixtum imperium ſpectare, vt probat Merillus *lib.* 1. *variar. ex Cuiacio, cap.* 4. & *lib.* 3. *obſeru. cap.* 37.

6. EXPONVNTVR VARIA IVRA.

Sed huic principio, videlicet cauſas meri imperij non poſſe delegari, opponi ſolent aliqua iuris teſtimonia, quæ breuiter ſunt exponenda; & primò textus *in l. ſolent* 6. *ff. de officio Proconſulis*, vbi docetur, cognitionem cuſtodiarum, id eſt carcerum, *l. militis* 12. *ff. de publicis iudiciis*, iunctis notatis à Turnebo *lib.* 1. *aduerſ. cap.* 8. Vviſembachio *diſput.* 4. *de V. S.* mandari poſſe: igitur quia cauſæ meri imperij delegari valent. Nam reſpondetur, in eo textu extraordinarium delegationis genus contineri; nam Proconſules Legatis ſuis committunt cauſarum, & cuſtodiarum cognitionem iure ſingulari, *l. vnica*, *ff. de officio Proconſulis*: vnde cùm illis ſpecialiter hoc permiſſum reperiatur, ad alios Magiſtratus merum imperium habentes hæc facultas extendi non poteſt. Docet Oſualdus *ad Donellum dict. cap.* 8. *littera D.* Secundò opponi ſolet textus *in l. Gracchus*, *Cod. ad leg. Iul. de adult.* vbi ſupponitur, patrem poſſe iubere filio proprio occidere adulterum. Nam iuſſus paternus in eo textu meram executionem, merumque factum continet, non aliquam gladij poteſtatem, vt docet Fachineus *lib.* 12. *contro. cap.* 91. nec ibi pater tanquam iudex, ſed tanquam priuatus, cui lex permiſit occidere adulterum, iubet filio eum occidere. Tertiò expendi ſolet textus *in l.* 1. §. *huic rei*, *ff. de officio eius*, vbi aſſeritur, Prætorem abſentem poſſe delegare cognitionem criminis contra legem Iuliam de vi, & per conſequens merum imperium demandare; nam pro ipſius textus expoſitione aliqui exiſtimarunt, iure ſingulari receptum eſſe in ſpecie legis Iuliæ de vi, vt cognitio huius criminis demandari poſſit. Sed verius eſt, hucuſque tradita eam continere exceptionem, videlicet cauſas meri imperij poſſe delegari, ſi Magiſtratus abfuerit; nec hæc facultas reſtringenda eſt ad caſum legis Iuliæ de vi, ſed etiam ad alios protrahenda, vt probatur *ex l.* 1. §. *ſi quis autem*, *ff. ad Turpil. l.* 2. *Cod. de pedaneis iudicibus*, *l. ex conſenſu* 23. §. 1. *ff. de appell. l. non valet*, *in princip. ff. ad leg. Flauiam.* Docent Gentilis *lib.* 3. *de iuriſd. cap.* 28. Oſualdus *ad Donel. dict. cap.* 8. *triplici littera D.* Binius *de iuriſd. cap.* 3.

7. IVRE CANONICO AN MERVM IMPERIVM DELEGETVR?

Ex hucuſque traditis conſtat, iure Cæſareo inſpecto cauſas meri imperij delegari non poſſe, mixti verò demandari valere. Sed vtrum hoc etiam procedat iure Pontificio attento, celebris quæſtio eſt? Negant hoc obſeruari diſcrimen, immò omne cognoſcibile eſſe delegabile, docuerunt Gloſſa *in cap. quoad ſedem*, *verbo Committere*, *de officio ordin* P. Gregor. *lib.* 47. *ſyntagm. cap.* 22. Cenedus *collect. 6. ad ſextum*, Innocentius Cironius *in hoc tit.* Salgado *de protect. Regia*, 2. *part. cap.* 4. *num.* 119.

Pro

Pro qua opinione expendi ſolent textus *in dict. cap. quoad ſedem*, *cap. aqua*, *de conſecr. Eccleſ. cap. in Archiepiſcopatu*, *de raptor. cap.2. de officio Vicarij*, *in 6. cap. vlt. ne clerici vel monachi*, *eod. lib. Clement.1. §.1.verſ. Verùm*, *de hæreticis.* Facit etiam pro hac ſententia illa iuris vtriuſque differentiæ ratio; nam cauſæ meri imperij iure ciuili inſpecto competunt Magiſtratibus, non proprio iure, ſed ſpeciali conceſſione legis, aut Senatuſconſulti; ideò mandari non poſſunt, *dict. l. 1. ff. de officio eius*: ſed Magiſtratibus eccleſiaſticis competit merum imperium, non ſpeciali conceſſione, ſed proprio iure, ratione proprij officij, & dignitatis, vt Epiſcopis, qui cùm in locum Apoſtolorum ſucceſſerint, *cap. vlt. 68. diſt.* Trident. *ſeſſ. 23. de reform. cap.4.* in quibuſcumque cauſis totius diœceſis, exceptis nonnullis Pontifici reſeruatis, habent iuriſdictionem ordinariam, *cap. 1. cap. conquerente*, vbi dicemus, *de officio Ordinarij*: quare licèt Magiſtratus ciuiles non poſſint delegare merum imperium, tamen eccleſiaſtici poſſunt, quia in his viget ratio textus *in l. more*, *ff. de iuriſd.* Contrariam ſententiam, videlicet iure Pontificio inſpecto non poſſe cauſas meri imperij delegari, docuerunt Menochius *lib. 10. de arbitr. caſu 29.* Couar. *lib.3. variar. cap.10. num.10.* Binius *de iuriſd. cap.3.* Sed adhuc defendenda eſt prima ſententia, ſcilicet cauſas meri imperij delegari iure canonico poſſe, licèt nonnulla iura ex his, quæ pro ea ſententia Interpretes adducunt, parum, aut nihil probent; textus enim *in dict. cap. quoad ſedem*, & *in cap. aqua*, loquuntur non de delegatione, ſed de commiſſione conſecrationis Epiſcopi, Eccleſiæ, vel Altaris. Textus etiam *in dict. cap. in Archiepiſcopatu*, licèt procedat in mero imperio delegato, ſeu mandato, loquitur in Principe delegante, in quo dubium non eſt, facultatem delegandi tam merum, quàm mixtum imperium, reſidere. Etiam textus *in dict. cap. 2. de officio Vicarij*, loquitur in Vicario Epiſcopi, qui non delegatam, ſed ordinariam habet iuriſdictionem, vt dixi ſuprà *in cap. 1. hoc tit.* Nec etiam facit pro hac ſententia, quam defendimus, textus *in cap.vlt.ne clerici, vel monachi*, *dict. Clement.1.* ſi verè perpendantur. Ratio autem ſuprà allata euidens eſt: quare illius vi potiùs quàm iuris auctoritate motus huic adhæreo ſententiæ.

8. De delegato svbdelegante.

Huic quæſtioni alia conſequens eſt, vtrum videlicet delegati Principis, qui iuxta ſupra tradita *in cap.3. hoc tit.* poſſunt ſubdelegare, valeant ſimiliter cauſas meri imperij ſibi commiſſas aliis demandare? In qua quæſtione negatiuam ſententiam defendunt Alexander *in l.1. ff. de officio eius*, *num.* 84. Iulius Clarus *in praxi*, §. *fin. quæſt.41. num.3.* Alciatus *in dict. cap. quoad ſedem*, *num.54. verſic. quartò fallit.* Menochius *dict.quæſt.54.num.2.* pro quibus faciunt ſequentia argumenta. Primò, nam lex canonica, quæ delegato Pontificis concedit ſubdelegandi facultatem, loquitur ſimpliciter, & indiſtinctè, nec nominatim permittit ſubdelegare cauſas meri imperij, *dict. cap. paſtoralis* 28. vbi approbatur lex *à iudice*, *Cod. de iudiciis*: igitur accipienda eſt iuxta iuris principia, in illis videlicet cauſis, quæ ſuâ naturâ ſunt delegabiles. Secundò, nam in cauſis meri imperij delegatis à Principe præſumitur electa induſtria perſonæ, ipſius videlicet delegati, *l. vlt. ff. de officio Præfecti Prætorij*: ſed vbi eligitur induſtria delegati, ipſe aliis ſubdelegare cauſam non poteſt, *cap. vlt. §. vlt. hoc tit.* igitur cauſæ meri imperij non poſſunt ſubdelegari à delegato Principis. Accedit, nam quælibet cauſa meri imperij inter arduas, & graues enumeratur: ſed cauſam arduam delegatus Pontificis non poteſt ſubdelegare, *cap. 3. verſ. niſi*, *hoc tit.* igitur delegatus ſubdelegare cauſas meri imperij non poteſt. Contrariam tamen ſententiam, quam vt veriorem amplectimur, videlicet cauſas meri imperij ſubdelegari poſſe, defendunt Gilkenius *in l.vlt. Cod. qui pro ſua iuriſd.* Bartol. *in l. 1. num.10. ff.de officio eius*, Maranta *de ordine iudic.4. part. diſt.5. num.63.* cauſæ enim meri imperij, licèt iure ciuili ſint indelegabiles, tamen ſi à Principe mandentur, manent delegabiles, vt contingit in re alienari prohibita, quæ ſi ſemel alienata ſit, poterit poſtea iterùm alienari, *l. pater* 38. §. *quindecim libertis*, *ff. de legat.* 3. Ioannes Schotus *in l. filius* 114.§. *Diui*, *ff.de legat.1.* Gomez *in l.70. Tauri*, *num.* 24. Molina *de primog. lib.4. cap.1. num.31.* Gamma *deciſ.* 387. facitque pro hac ſententia textus, iunctâ eius ratione, *in cap.vlt. §.vlt. hoc tit.* vbi deciditur, delegatum Pontificis, cui permittitur crucem prædicare, diſpenſare, & à cenſuris abſoluere, non poſſe ſubdelegare, quia nudum miniſterium tantùm illi commiſſum eſt: igitur ſi iuriſdictio illi committeretur, poſſet eam ſubdelegare; & tamen ibi agitur de cauſis meri imperij: nam iure hoc canonico, dum pœna ſanguinis irrogari non poteſt, *cap. ſententiam*, *ne clerici vel monachi*, merum imperium conſiſtit in excommunicatione, vt docent Longoballius *in l.imperium*, 3. *part. ff.de iuriſd.* plures relati à Barboſa *in cap. 1. hoc tit. num.* 13. morti enim hæc grauis pœna æquiparatur, *cap. per venerabilem*, *qui filij ſint legitimi*; & exilio. Alexander I. *epiſt.1.* probat eruditus D. Nicolaus Antonius *lib. 1. de exilio*, *cap. 7. num. 11. & cap.13. num.14.* eo laudato colendiſſimus Præceptor D. Franciſcus Ramos *in ſyntagm. pro Epiſcop.Luſit. propoſ.3. §.2.num.29.* & abſolutio à delictis ſpectat etiam ad merum imperium, vt latè probat Gentilis *de iuriſd. cap. 5.* igitur ſi non nudum miniſterium, ſed iuriſdictio cum imperio committeretur, poſſet ſubdelegari.

9. Hæc secvnda opinio defendi tvr.

Hac igitur ſecundâ opinione retentâ, non obſtant contrariæ ſententiæ fundamenta. Non primum; nam iure canonico, vt ſuprà probaui, omnes cauſæ, tam mixti, quàm meri imperij, ſunt delegabiles; vnde lex, quæ generaliter permittit delegatis Pontificis ſubdelegare, comprehendit cauſas meri imperj, tanquam delegabiles, cùm eas non excludat, ex regula textus *in cap. quia circa 22. de priuileg. l. de pretio 10.ff.de publicanis.* Nec ſecundum fundamentum aduerſatur; verius enim eſt, in delegatione cauſarum, etiam meri imperij, niſi alicuius cauſæ grauitas expoſtulet, non eſſe ſemper electam perſonæ induſtriam, vt notant Abbas Siculus *in cap. 3. hoc tit.num.* 28. vbi Decius *num.* 4. & ſic delegatum ſubdelegare eas poſſe. Nec refert, quod huiuſmodi cauſæ graues ſint; nam vt *in cap.3.hoc tit.* dixi, delegatus Principis poteſt etiam cauſas graues ſubdelegare. Ex quibus iam apparet, præſentem Innocentij deciſionem iuris principiis conſonam eſſe; nam cùm mandata iuriſdictione merum imperium transferatur, & per conſequens modica coërcitio; rectè aſſerit Innocentius, poſſe delegatum ſubdelegatum cogere iuriſdictionem acceptare, & contumaces punire pœnis à iure ſtatutis: quam partem latiùs expoſuimus *in cap.1.hoc tit.*

§. Præterea

§.

PRætereà poſtulaſti per Sed. Apoſt. edoceri, ſi cùm à ſententia lata litterarum auctoritate noſtrarum, in quibus appellatio eſt inhibita, fuerit appellatum, & litteræ poſt appellationem ad iudices alios emanauerint, ad mandatum poſteriorum iudicum executio ſententiæ à prioribus delegata debeat retardari, vt priores iudices ipſam, nec per ſe, nec per alios exequantur. Nos autem inquiſitioni tuæ ſic duximus reſpondendum, quod cùm nos appellationis cauſam ex certa ſcientia iudicibus committimus aliis cognoſcendam, appellationem videmur recipere, ac iuriſdictionem priorum iudicum reuocare, vt interim executio ſententiæ ſuſpendatur, dònec appellationis merita pleniùs ſint diſcuſſa. *Et infrà.* §. Quia verò ſæpè contingit, quod executio ſententiæ Ordinario demandatur, Sed. duxiſti Ap. conſulendam, vtrum ſi Ordinarius ipſam iniuſtam eſſe cognouerit, debeat eam executioni demandare, an ſit ei potiùs ſubſiſtendum. Attendentes itaque, quod non cognitio, ſed executio tantùm demandatur eidem, inquiſitioni tuæ taliter duximus reſpondendum, quòd cùm Ordinarius teneatur obſequi, etſi ſciat illam ſententiam iniuſtam, exequi nihilominus tenetur eandem, niſi apud iudicem poſſit efficere, vt ab hoc onere ipſum abſoluat. *Et infrà.*

COMMENTARIVM.

1. DE ORDINARIO EXEQVENTE SENTENTIAM DELEGATI.

IN his §§. deciditur, immò ſupponitur, iudicem delegatum poſſe per ſe aut, per Ordinarium exequi ſententiam à ſe prolatam; quam partem iam expoſui *in cap. ſignificaſti* 7. *hoc tit.* In præſenti verò illud diſputandum venit, vtrum videlicet iudex Ordinarius, cui delegatus iniunxit ſententiæ executionem, teneatur eam exequi, etſi ſciat iniuſtam eſſe; an verò poſſit de eius iniuſtitia cognoſcere, aut ſaltem reſpondere, non liquere ſententiam exequi? In qua quæſtione affirmatiuam ſententiam expreſsè decidit Innocentius *in præſenti*, & docuerunt Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 1. *num.* 4. Anguianus *de legibus lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 44. Petrus Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 5. *cap.* 4. Moneta *de commut. cap.* 5. *num.* 542. Vulteius *de iudiciis lib.* 1. *cap.* 13. *in fine*, Maranta *diſput.* 1. *per totam*; Hothomanus *illuſtrium quæſt.* 28. Morla *in empor. tit.* 2. *quæſt.* 9. Mancinus *centur.* 9. *cap.* 90. Balboa *in cap. de cætero* 5. *de re iudicata, num.* 34. Carleual *tom.* 1. *de iudiciis, diſput.* 2. *quæſt.* 7. *ſect.* 1. Gentilis *de iuriſd. lib.* 2. *cap. vlt.* Salgado *de protect. Regia* 4. *part. cap.* 7. *num.* 15. Pro quibus etiam faciunt textus *in l. ſi Prætor* 75. *ff. de iudiciis*, *l. aduerſus* 6. *C. ſi aduerſùs rem iudicatum*, *l. executorem* 8. *C. de executione rei iudicatæ*: & ea ratio; nam delegatus in cauſa ſibi commiſſa maior eſt quocumque ordinario, *cap. ſanè* 11. *hoc tit.* ſed ſententiis maiorum acquieſcendum eſt, nec licet inferioribus de viribus, & iuſtitia ſuperioris iudicare, *dict. l. aduerſus*: igitur iudex ordinarius vt inferior non poteſt cognoſcere de iuſtitia, aut iniuſtitia ſententiæ à delegato probatæ. Alias adducit rationes Maranta *vbi ſuprà*, *diſput.* 1.

2. NEGATIVA SENTENTIA PROBATVR.

Negatiua ſententia non leuioribus nititur iuris fundamentis. Primò, quia hæc executio ſententiæ iniuſtæ intrinſecè eſt mala, cùm iniuſtitiam contineat: igitur nullo modo ad eam eſt perueniendum, *ex cap. inquiſitioni, de ſetent. excomm.* vbi qui ſciebat matrimonium nullum contraxiſſe, non tenetur ſub excommunicatione ſibi inflicta cohabitare cum coniuge, quia cum ipſa cohabitare erat intrinſecè malum. Deinde nam Magiſtratui aliquid præcipienti contra ius poteſt reſiſti vt priuato, *l. prohibitum* 5. *l. defenſionis* 7. *C. de iure fiſci*, *lib.* 10. *l. omnes, de Decurionibus*, *eod. lib. l. hi quidem*, *Cod. qui militare poſſunt*, *lib.* 12. & Magiſtratus dum exequitur ſententiam iniuſtam, violentiam infert, *l. plerique* 18. *ff. de in ius vocando*: vnde *in cap. conquerente*, *de reſtit. ſpol.* docetur, quod ſi iudex priuet aliquem poſſeſſione, iniuſtè ſpolium committit, *l. vlt. Cod. ſi per vim*: ergo iudex ordinarius non tenetur exequi ſententiam iniuſtam. Deinceps, nam iniuſto mandato ſuperioris non eſt parendum, & obtemperandum, *cap. ſi quando* 5. *de reſcriptis*: textus *in cap. ſolicitudinem* 54. *de appell.* vt iniuſtum eſt, cui non tenebatur ſubditus obedire: igitur licèt ordinarius ſit inferior reſpectu delegati, non tenetur, nec valet exequi ſententiam iniuſtam. Rurſus quia delegatus Pontificis ipſum repræſentat: ſed iniuſto Pontificis præcepto non eſt parendum, immò in eius executione delegatus ſuperſedere debet, donec Pontifex conſulatur, *dict. cap. ſi quando* 5. igitur ſimiliter præcepto delegati iniuſto parendum non eſt. His moti rationibus Bronchorſt. *enantioph. centur.* 4. *aſſert.* 13. Cochier *lib.* 2. *de repub. inſtit. cap.* 12. auſi ſunt aſſerere, præſentem Innocentij deciſionem rationi contrariam, & æquitati aduerſam eſſe: ſed eorum erga Sedem Apoſtolicam irreuerentiam facilè omnes ex prædictis operibus agnoſcunt.

3. ALII SVNT MERI, ALII MIXTI EXECVTORES.

Sed adhuc defendenda eſt affirmatiua ſententia, quæ in præſenti §. expreſsè probatur, pro cuius explicatione ſciendum eſt, ſententiarum executores in duplici eſſe differentia; alij enim ſunt meri, alij mixti executores. Meri dicuntur, quibus merum factum tantùm commiſſum eſt, velut traditio poſſeſſionis, *l. ſicut proponis*, *l. executorem*, *Cod. de executione rei iudicatæ*. Parladorius *lib.* 2. *rerum quotid. cap. finali*, §. 3. Rodriguez *de executione cap.* 2. *num.* 38. Executores mixti ſunt, qui dantur ad rem iudicatam exequendam cum aliqua cauſæ cognitione, *l. etſi cognitio*, *Cod. ſi contra ius*, *cap. de cætero* 5. *de re iudicata*, Gregorius Lopez *in l.* 52. *tit.* 18. *part.* 3. Henriquez *in l. à Diuo Pio*, § *ſententiam, num.* 2. *ff. de re iudic.* inter quos magnum eſt diſcrimen; nam meri executores cognitionem non habent earum exceptionum, quæ executionem impediunt; mixti verò eam cognitionem habent, vnde poterunt admittere exceptiones,

quæ

quæ ipſam cognitionem impediunt ; non verò quæ directò reſpiciunt ſententiam , vt pluribus relatis docent Carleual. *de iudiciis tom. 2. tit. 7. diſp. 17.* Salgado *de Regia protect. 4. p. cap. 7. num. 15.* Vnde ſi coram executore opponitur iudicatum non eſſe , non admittitur talis exceptio , *l. cùm fideicommiſſum 7. ff. de confeſſis , l. 15. tit. 11. l. 13. tit. 22. partit. 3.* Rodriguez *de executione dict. cap. 2. num. 40.* Si verò opponitur exceptio inuentarij, ſolutionis , pacti conuenti , aut beneficij , ne quis conueniatur vltra quàm facere poteſt , admitti debent , *dict. l. cùm fideicommiſſum* ; omnes enim iſtæ exceptiones admittendæ ſunt ab executore , vt eam Magiſtratui referat , qui illum executorem deſignauit , *dict. cap. de cætero* , niſi executor datus ſit cum clauſula, *Nullis admiſſis exceptionibus* ; tunc enim nec prædictas exceptiones admittere poteſt. Hodie tamen nullus exceptiones admittere valet, niſi expreſſas *in l. 1. tit. 21. lib. 4. recopil.* vt docent plura de exceptionibus admittendis , vel non , adducentes Balboa *in dict. cap. de cætero* , Rodriguez *de execut. dict. cap. 2.* Vulteius *de iudic. lib. 3. cap. 3.* Garcia *de expenſis cap. 26. num. 15.* Pichardus *in manuduct. 2. part. §. 4. num. 21.* Gentilis *de iuriſd. lib. 2. cap. vlt.*

4. INIVSTITIA SENTENTIÆ QVOMODO COGNOSCATVR.

Secundò ſciendum eſt , tribus modis euenire poſſe , vt executor ſententiæ eius iniuſtitiam agnoſcat ; primò ſi cognouit iniuſtam eſſe in confeſſione ſacramentali ; quo caſu perinde habetur, ac ſi eam non nouiſſet , *cap. 2. de officio ordinarij.* Secundò ſi cognouit per actum extraiudicialem, vt priuata perſona. Tertiò ſi vt iudex , ex propoſitis & allegatis in ipſo proceſſu. Couar. *lib. 1. variar. cap. 1.* Ex his tantùm iudex vti poteſt eâ ſcientiâ , quæ ex actis , & probationibus prouenit ; ſecundùm conſcientiam autem propriam nemo iudicare valet , vt probant plures congeſti ab Oſualdo *lib. 26. ad Donellum , cap. 3. littera B.* Bronchorſt. *enantioph. centur. 1. aſſert. 14.* vbi expendit textum *in l. ſi inſcriptione 8. ff. finium regundorum, l. vnica , Cod. vt quæ deſunt aduocatis , l. 3. §. eiuſdem , ff. de teſtibus , l. illicitas , §. veritas , ff. de officio Præſidis , cap. 1. de re iudicata , lib. 6.* Vbi de ſcientia ex actis , & probationibus habita agitur , non verò de conſcientia priuata. Quibus ſuppoſitis præſens Innocentij deciſio procedit cùm executor merus eſt , & habet conſcientiam iniuſtæ ſententiæ ex ſcientia priuata , cùm ipſe nullam habeat cognitionem in ipſa executione , qui omninò tenetur exequi ſententiam prolatam à iudice delegato , cùm etſi ſententia iniuſta ſit , propter ius partis ; non tamen iniuſta eſt ſecundùm allegata & probata in ipſa lite : ſi verò notoriè iniuſta ſit ſecundùm acta , & formam proceſſus , tunc ordinarius exequi eam non tenetur , cùm æqualiter iniuſta ſit , tam reſpectu ordinarij , quàm iudicis delegati : quod etiam procedit in mandato ſuperioris notoriè iniuſto ; illi enim parêre ſubditus non tenetur , quia omni iure iniuſtitiam continet ; quo caſu procedunt textus pro contraria ſententia adducti ; & tunc etiam iudex exequendo ſententiam iniuſtam vim infert ; quo modo accipiunt præſentem deciſionem Anguianus , Rodriguez , Balboa , & Carleual *vbi ſuprà* , omiſſis traditis à Sahagun *in dict. cap. ſi quando , num. 2.* ~~*ibi n° 3*~~

5. EXPONITVR CAP 2. DE CRIMINE FALSI.

Sed primò præſenti deciſioni opponitur textus *in cap. 2. de crimine falſi* , vbi Lucius III. ratum habet iudicium Epiſcopi Vvigorn. qui noluit exequi ſententiam iniuſtam ex eo , quia per falſas litteras prolata erat : igitur cui committitur executio ſententiæ , ſi cognouit iniuſtam eſſe , non tenetur eam executioni mandare. Huic difficultati vt ſatisfaciat Gloſſa *ibi , verbo Condemnandus* , & *in Clement. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ.* affirmat , in ea ſpecie Epiſcopum in executione ſententiæ non procedere , quia falſæ litteræ iuriſdictionem non tribuunt, ideoque in eo textu ex defectu iuriſdictionis ſententiam nullam eſſe , & Epiſcopum exceptionem falſitatis admittere debere. Sed hæc ſolutio refellitur ; nam textus ille loquitur de ſententia lata ex falſis inſtrumentis , non verò ex falſo delegationis reſcripto : quare hac ſolutione omiſsâ reſpondendum eſt , executorem poſſe admittere exceptionem , per quam contenditur iudicatum non eſſe, aut per falſas litteras iudicatum fuiſſe ; quia poſt rem iudicatam quæri poteſt , an iudicatum ſit , *l. poſt rem , ff. de re iudicata* , Carleual *tom. 2. diſput. 6. num. 29.* & hac exceptione admiſſa , debere cauſam ad ſuperiorem remittere , vt docent Anguianus *lib. 1. de legib. cap. 5. num. 63.* Balboa *in dict. cap. de cætero , num. 33.*

6. INTELLIGITVR CAP. DICENTI 25. Q. 2.

Deinde aduerſatur textus *in cap. dicenti , §. etſi cognitio 25. quæſt. 2.* Vbi docetur , quod ſi non cognitio , ſed executio negotij commiſſa ſit , poteſt executor veritatem precum examinare , vt ſi fraus reperiatur , de integro negotio cognoſcat: igitur ille , cui executio ſententiæ commiſſa eſt, poteſt cognoſcere de eius iuſtitia , ſeu iniuſtitia, & per conſequens non tenetur exequi ſententiam iniuſtam. Augetur eius textus difficultas *ex cap. de cætero , de re iudicata* , vbi in eadem ſpecie contrarium deciditur. Huic difficultati vt ſatisfaciam, obſeruo , textum *in dict. §. etſi cognitio* , tranſcriptum fuiſſe à Gratiano *ex l. 4. Cod. ſi contra ius* ; & eam Imperatoris deciſionem aperte pugnare *cum dict. cap. de cætero* , immò per illum textum derogatam eſſe , vbi notauit Cuiacius. Inſpecto ergo iure Codicis licèt merus executor , neque vt arbiter , neque vt iudex poſſit cognoſcere de cauſa principali , *l. ſicut proponis 6. Cod. de executione rei iudicatæ* ; mixtus tamen executor de veritate precum cognoſcebat : & ſi fraus reperiebatur , tunc etiam de negotio principali cognoſcebat , *dict. l. 4. Cod. ſi contra ius.* Alexander tamen III. cùm hoc obſeruari agnoſceret *in dict. cap. de cætero* , ſtatuit , vt de veritate precum executor tantùm cognoſceret , vt ſi fraus in eis reperiretur , ſummo Pontifici negotium referret. Id enim denotant verba illa , *de cætero* , quaſi aliud , immò contrarium olim obſeruaretur , vt docent pro ipſius textus interpretatione Cuiacius & Balboa *in dict. cap. de cætero* , Vulteius *de iudiciis lib. 3. cap. 3.*

7. EXPONITVR CAP. SI QVANDO 8. HOC TIT.

Rurſus opponitur textus huic deciſioni *in cap. ſi quando 8. hoc tit.* in illis verbis : *Ordinarius iudex non debet iudicis delegati mandato reſiſtere violenter, ſed apud ipſum inſtare , vt deſiſtat eos in poſſeſſionem mittere , donec nobis rei veritas innoteſcat.* Ex quibus deducitur , iudicem ordinarium non teneri iniuſtam delegati ſententiam exequi. Etiam difficilis eſt textus ille , dum docet , iudicem delegatum ad cauſæ cognitionem deſignatum , poſſe tranſactiones partium admittere , cùm certum ſit iuriſdictionem delegatam eſſe ſtrictam , & non extendi ad tranſactiones , ſeu ſimiles litis compoſitiones , *l. 4. §. ſi ex conuentione , ff. de re iudicata, l. 2. Cod. de executione rei iudic.* Primæ difficultati, omiſſis ſolutionibus traditis à Decio *ibi , num. 1.* Abbate *num. 1.* Sahagun *num. 6.* dicendum eſt, quod licèt ordinarius iudex teneatur exequi delegati ſententiam , tamen poſſe ab ipſo petere , vt

ſuper

ſuperſedeatur in cauſæ executione, donec veritas innoteſcat, vt in fine noſtri §. *Quia verò*, docetur. Secundæ difficultati etiam reſpondendum eſt, in eo textu iudicem delegatum datum fuiſſe, vt in iudicio, vel concordia cauſam diffiniret, vt plerumque delegati dari ſolent, *cap. finali, de tranſactionibus, cap. querelam, de ſimonia:* vnde delegatus in ea ſpecie potuit confirmare, & exequi tranſactionem à partibus factam.

§.

CVm autem ſæpe contingat, ad diem, quam iudex delegatus à nobis [a] partibus aſſignauit, eorum alterâ procurante, vt negotium prorogetur, iudicem ipſum à [b] Rege, vel Archiepiſcopo euocari: nos peruerſorum volentes malignitatibus obuiare, decernimus, vt ſi delegato conſtiterit hoc fuiſſe alicuius partis malitiâ procuratum, ipſam puniat [c] animaduerſione condignâ, & ne aliquod lucrum ex huiuſmodi fraude reportet, perſonæ neutri parti ſuſpectæ, quantùm ad diem illum [d] committat ipſum negotium audiendum: quæ in ipſo, ap. rem. procedat, niſi fortè partes ipſæ conſenſerint negotium prorogari.

NOTÆ.

a *Partibus aſſignauit.*] Aut ad teſtes recipiendos, aut ad ſententiam proferendam, vt probaui *in cap. conſuluit, hoc tit.*

b *Rege.*] Poteſt enim Rex Epiſcopos vocare, ad eiuſque vocationem venire tenentur, *c. ſi Epiſcopus*, 18. *diſt. cap. de rebus* 12. *quæſt.* 2. *cap. cùm parati* 19. *de appell. l.* 15. *tit.* 13. *partita* 2. *l.* 13. *tit.* 3. *lib.* 4. *recopil.* vbi docet Azeuedus.

c *Animaduerſione condignâ.*] Sed quare etiam contra ipſum Principem, & Archiepiſcopum impedientes iuriſdictionis vſum non procedit delegatus virtute delegationis, vt *in cap.* 1. *&* 7. *hoc tit.* probaui? Sed reſpondetur, verum eſſe, contra impedientes iuriſdictionem delegatam, poſſe delegatum procedere, ſi ſcienter, & dolosè eius turbauerint exercitium; non verò ſi iure proprio vtentes, abſque dolo, vel fraude vſum iuriſdictionis delegatæ impediant; tunc enim à delegato puniri non valent, vt contingit *in præſenti* §. licèt enim per vocationem Principis impedita videatur iuriſdictio delegata, non tamen fraudulenter, aut malitiosè; culpam enim tantùm contraxit vnus ex litigatoribus, qui procurauit delegatum iudicem à Principe, vel Archiepiſcopo euocari ad diem, quam ipſe iudex delegatus partibus aſſignauerat, vt coram ipſo comparerent ad procedendum in cauſa, eo animo, vt negotium diutiùs prorogaretur; & ideò Innocentius in præſenti decreuit, vt ſi delegato conſtiterit hanc dilationem à parte fuiſſe procuratam, ne poſſit die ſtatutâ in cauſa procedere, animaduerſione condignâ pars puniatur; malitia enim ſupponitur in affectata vocatione, ne ex huiuſmodi fraude commodum conſequatur, *cap. ſedes, cap. plerumque, cap. ſignificante, qui matrimonia accuſare, l. ſi a fundo, ff. de re iudicata.* 1.

d *Committat.*] Iuxta facultatem à lege ſibi conceſſam, vt probaui *in cap.* 5. *hoc tit.* & tunc ſubdelegatus procedit appellatione remota, non auctoritate ſubdelegantis, quia delegatus etiam Principis cum clauſula, *appellatione remotâ*, ſubdelegare non poteſt; ſed auctoritate Pontificis, *cap. ſuper quæſtionum*, §. *ſi verò*, & §. *nos autem, hoc tit.* quod indulget Pontifex in odium partis abſentiam iudicis delegati procurantis, vt *in cap. cùm R. hoc tit.* quemadmodum ipſe Pontifex poterat adiectâ eâ clauſulâ cauſam committere, *cap.* 2. *de mutuis petitionibus, cap. inter cæteras, de re iudic. cap. ſecundò requiris, cap. poſtremò, c. paſtoralis, de appell.* Oſualdus *lib.* 28. *Donelli, cap.* 6. *littera X.* Couar. *practic. q.* 23. *num.* 6. Pichardus *in manuduct.* 4. *p. c.* 7. *num.* 7. latè probaui *in cap.* 1. *de reſcriptis.* 2.

CAPVT XXIX.

Idem *Abbati S. Hilarij, & Magiſtro G. Canon.* [b] *Teruiſino.*

EX litteris Patriarchæ Granden. accepimus, quod cùm dil. fil. [c] Granden. [d] Primicerius, & [c] Plebanus S. Sophiæ de Venetiis, quibus cauſa, quæ inter clericos S. Iuſtinæ, & A. Preſbyterum, ſuper eo, quod idem Preſbyter clericum ſe ipſius Eccleſiæ aſſerebat, agitari dignoſcitur, à nobis fuerat delegata, mandaſſent eidem, vt memoratos clericos, qui per Archipreſbyterum [f] Paduanum, ad quem fuerat ſuper eodem negotio quoddam reſcriptum obtentum, in quo, ſicut aſſeritur, de prioribus litteris mentio non fiebat, denunciati fuerunt excommunicationis vinculo ſubiacere, niſi prædictum Preſbyterum in ſocium reciperent, & in fratrem, idem Patriarcha denunciaret anathematis vinculo non ligatos: ipſe nolens eiſdem iudicibus in hac parte parêre, qui noſtra fungebantur auctoritate, maximè cùm ven. f. n. [g] Caſtell. Epiſcopus ipſis ſuper hoc parendum non duxerit requiſitus, clericis S. Mariæ Formoſæ mandatum ſupradictorum iudicum per ſuas litteras nuntiauit, quas dil. fil. n. Archid. Caſtell. Plebanus eiuſdem Eccleſiæ legi publicè coram populo non

permiſit. *Et infrà* : Vnde conſiderans idem Patriarcha Archidiaconum ipſum per tantarum iniuriarum exceſſum non ſe tantummodò, ſed etiam Granden. Eccleſiam, immò nos ipſos grauiter offendiſſe, tam ipſum Archidiaconum, quàm prædictam Eccleſiam eccleſiaſtico ſuppoſuit [h] interdicto. *Et infrà.* Cùm igitur ſuper præmiſſis, & aliis vtriuſque partis per procuratores fuiſſet coram dil. fil. I. ſanctorum Coſmæ & Damiani Diac. Card. quem auditorem dedimus eiſdem, diutiùs litigatum, & ipſe nobis, quæ audierat, fideliter retuliſſet, quia nobis conſtare non potuit, an per litteras, quæ ad Paduan. Archiep. impetratæ dicuntur, cùm nobis oſtenſæ non fuerint, reuocatæ fuerint litteræ ad prædictos Primicerium, & Plebanum obtentæ: cauſam ipſam veſtro duximus examini committendam, per A. ſ. m. quatenus niſi vobis conſtiterit, quod litteræ, quæ ſecundo loco ad Archipreſbyterum Paduan. impetratæ dicuntur, de prioribus litteris ad Primicerium Granden. & Plebanum S. Sophiæ obtentis expreſſam fecerint mentionem, vt per ſecundas primæ appareant litteræ reuocatæ, cùm primos iudices auctoritate litterarum noſtrarum iuriſdictionem non ſit dubium habuiſſe, quam potuerunt poſtmodùm Patriarchæ quoad executionem ſuæ ſententiæ demandare, ex qua coërcitionem etiam idem Patriarcha receperat; cùm huiuſmodi demandata iuriſdictio deluſoria videretur, ſi ſubdelegatus huiuſmodi coërcitionem [i] aliquam non haberet, interdicti ſententiam ab eodem Patriarcha in ſupradictum Archidiac. promulgatam, pro eo quod ipſe Patriarchæ prædicti executionem impediens, eius litteras legi in publicum non permiſit, tamdiu faciatis inuiolabiliter obſeruari, donec eidem Patriarchæ de iniuriis irrogatis ſufficienter fuerit ſatisfactum. Si verò conſtiterit, primas litteras per ſecundas legitimè reuocatas, cùm appareat primos iudices iuriſdictionem nullam penitus habuiſſe, & ita conſtet per conſequentiam Patriarcham ipſum non recepiſſe iuriſdictionem, vel coërcitionem aliquam ab eiſdem; prædictam interdicti ſententiam ab eodem Patriarcha prolatam denuntietis irritam, & inanem.

NOTÆ.

a S. *Hilarij.*] Ordinis D. Benedicti; Venetiis enim ſunt monaſteria S. Georgij, & S. Hilarij, cuius Abbati miſſa eſt præſens deciſio.

1. b *Teruiſino.*] Ita legitur in hac ſexta collectione. De Eccleſia Teruiſina aliqua adduxi *in c.1. de conſtitutionibus.*

c *Grandenſe.*] Grandenſis ciuitas fuit prope Venetias, paludibus & flumine circunſcripta, in qua Epiſcopus Grandenſis reſidebat, qui erat Patriarcha totius Iſtriæ; ſed propter eius ciuitatis intemperiem Nicolaus V. anno 1441. tranſtulit Patriarchalem Sedem in inclytam Venetiarum vrbem, cuius Præſul antea Caſtellanus Epiſcopus dicebatur ab inſula Caſtellana, quæ Caſtriolibolus dicebatur. Hic Patriarcha eſt ex minoribus, vt etiam eſt Aquileienſis. Eius mentio fit *in cap. vnico, de eo qui mittitur in poſſeſſ. cap. conſtitutis* 23. *de appell. cap. erubeſcant* 32. *diſt. cap. dilecti* 13. *de maiorit. & obed. cap. finali, de cauſa poſſeſſ.* Pro huius autem Patriarchatus origine repetenda, ſciendum eſt, Gothorum Reges Epiſcopos Italici Regni Patriarcharum nomine decoraſſe, vt conſtat ex Atalarici Regis epiſtola ad Ioannem Papam, apud Caſſiodorum *lib.* 9. Occupatâ enim ab Imperatoribus Conſtantinopoli, Iſtriæ & Venetiæ prouinciæ parte maritimâ, Aquileienſis Epiſcopatus diuiſus fuit, & Gradij, quæ eſt maris Venetici inſula, conſtitutus fuit Candidianus Epiſcopus anno 605. qui Patriarcha Gradenſis, ſiue nouæ Aquileiæ dictus eſt. Sopito tandem ſchiſmate Aquileienſis Patriarcha nomen, & locum ſuum retinuit ea lege, vt Gradenſis quoque dignitate ſuâ non excideret. Verùm illi tantùm nomine Patriarchæ erant, vſquedum priuilegiis Romanæ Eccleſiæ illis indultum fuit, vt præ cæteris Italiæ Archiepiſcopis Primatus honore fruerentur: quod priuilegium Leo VIII. Rodoaldo Aquileienſi Præſuli conceſſit *anno* 980. in litteris, quas refert Ioannes Candidus *lib.* 4. Proſequuntur huius Patriarchatus progreſſum Cuiacius *in cap.* 3. *de foro compet.* Cironius *in cap. vnico, de eo qui mittitur, in* 5. *compil.* Philippus Berterius *diatribe* 2. *pag.* 131. Barboſa *lib.* 1. *iuris eccleſ. cap.* 6.

d *Primicerius.*] De huius officio, & dignitate egi *in cap. vnico, de officio Primicerij.*

e *Plebanus.*] Quis dicatur, notaui *in cap.* 1. *de officio Archiep.*

f *Paduanum.*] Paduana ciuitas Venetorum eſt, cuius circuitus per ſeptem millia paſſuum extenditur: eius amplitudinem, & gymnaſium deſcribit Iuſtinianus *lib.* 6. *hiſtor. Venet. pag.* 102. in ea nati fuerunt Titus Liuius, Valerius Flaccus, Voluſius poëta, & Paulus Iuriſconſultus. 2.

g *Caſtellæ Epiſcopus.*] Epiſcopus Caſtrioliboli dicebatur olim Epiſcopus Caſtellanus; in eam enim vrbem tempore Adriani Pontificis tranſlata fuit ex Venetiis Sedes Epiſcopalis, vt probat Cironius *in dict. cap. vnico, de eo qui mittitur.* 3.

h *Interdicto.*] Delegatus enim iudex poteſt excommunicationem, interdictum, & ſimiles cenſuras imponere, vt probaui *in cap.* 1. *hoc tit.* 4.

i *Aliquam non haberet.*] *Cap. paſtoralis* 28. *hoc tit.* vbi hæc verba expoſui. 5.

Ex hoc textu duplex aſſertio deduci ſolet à repetentibus. Prima videlicet, *Per ſecundum reſcriptum non ceſſare primum, niſi eius fiat expreſſa mentio*; quam examinaui *in cap. cæterùm* 3. *de reſcriptis.* Secunda, *iudicem delegatum poſſe coërcere impedientes vſum ſuæ iuriſdictionis*; quam illuſtraui latè *in cap.* 1. *hoc tit.* 6.

CAPVT XXX.

Idem *Epiſcopo* [a] *Pictau.*

LIcèt vndique confluentium negotiorum multiplicitas copioſa noſtrum animum ad curas varias impellere non deſiſtat: ſ. tamen tua, quam ſincera complectimur in Domino charitate, ſolicitudinem ad tempus deponere compulit, quam in exequendis aliis ex debito paſtoralis officij gerebamus, atque tuam dubitationem Apoſtolico certificare reſponſo. Cùm igitur à nobis duxeris requirendum, ſi cauſam aliquam [b] tribus iudicibus delegamus, in noſtris apponi litteris illam clauſulam facientes, Quod ſi non [c] omnes his exequendis poteritis intereſſe, duo veſtrûm eam nihilominus exequantur; & vnus poſtquam commiſerit cuidam ex aliis vices ſuas, de medio ſit ſublatus, tertius vt ſuſpectus meritò recuſetur; an collega ſuperſtes ſuo nomine, ac defuncti poſſit negotium diffinire. Inquiſitioni tuæ t. reſpondemus, quod ſi iuriſdictione à ſuo ſibi collega delegatâ, eo viuente vti non inceperit, quia mandatum huiuſmodi re integrâ morte mandatoris exſpirauit, non habet ſolus officium iudicandi: ſi verò ante mortem illius iuriſdictione vti cœperit taliter demandata, vices ſuas, & illius poterit adimplere.

NOTÆ.

1. a *Pictau.*] Mauricio videlicet, antea Epiſcopo Nannetenſi. De Pictauienſi Eccleſia nonnulla prænotaui *in cap. ſuper 20. de reſcriptis.*

2. b *Tribus iudicibus.*] Ita textum reſtituimus ex tertia collectione, *cap. 9. huius tituli.* Cùm enim Epiſcopo Pictauienſi, & Petragoricenſi, & Arnaldo Archidiacono ipſius Eccleſiæ correctio monaſterij Cadunienſis commiſſa eſſet, cuius delegationis litteræ reperiuntur in epiſtolis Innocentij III. à Sirleto recognitis, *pag.* 68. & Mauricius conſuluiſſet Innocentium ipſum, an ſi vnus ex prædictis tribus iudicibus recuſetur, alij duo ſuperſtites in cauſa procedere poſſint, illi reſcribit Innocentius III. in præſenti.

c *Quod ſi non omnes.*] Huius clauſulæ vim, & poteſtatem expoſui *in cap. ſciſcitatus, de reſcriptis*; & huius textus commentarium dedi *in cap. gratum, hoc tit.* n. 6. fo. 685 3.

CAPVT XXXI.

Idem *Epiſcopo* [a] *Baiocen.*

CVm in iure peritus. *Et infrà*: Prætereà quæſiuiſti, cùm tibi ab aliquo ſub hac forma mandatur: Auctoritate quâ fungor, iniungo, vt talem denunties excommunicationis ſententiæ ſubiacere; ac tibi ſuper mandato Apoſtolico hæſitanti ab aliquo non ſit facta fides, an mandatum huiuſmodi exequi tenearis? Super quo huiuſmodi tibi damus reſponſum, quod niſi de mandato Sed. Ap. certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur.

NOTÆ.

a *Baiocenſi.*] Præſentem inſcriptionem expoſui *in cap. cùm in iure peritus, de elect.* vbi eſt alia pars huius deciſionis.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO PROBATVR. EX hoc textu ſequens deducitur aſſertio: *Iudex delegatus ante omnia debet delegationem probare litteris commiſſionis coram Ordinario exhibitis.* Probant hanc aſſertionem textus *in cap. cùm contingat 24. de reſcriptis, cap. 2. de dilationib. cap. cùm à nobis 28 de teſtibus, cap. porrò 7.* iunctâ Gloſsâ *verbo Inſcriptione, de priuileg. cap. illud, de clerico excom. extrauag. 1. de elect. l. vnica, Cod. de mandat. Principum, l. prohibitum 5. verſ. Tunc enim, Cod. de iure fiſci, lib. 10. authent. de collatorib. collat. 9. §. eos*, ibi: *Eos autem, qui in prouincias pro quibuſcumque publicis exactionibus diriguntur, non aliter in-*

choare exactionem, niſi priùs prouinciali iudicio inſinuauerint impoſitas ſibi de hoc iuſſiones, vt exſoluentes fiſcalia tributa, nulli pro his periculo, aut damno ſubiiciantur: hoc ipſo & ſuper priuatis negotiis obſeruando. Et *l. probatorias 9. Cod. de iudic. lib. 12.* In Baſilicis *lib. 2. tit. 6. cap. 18.* ita legitur: *Si quis cum quolibet ſecreto veniat dicens, ſine ſcripto a Principe mandatum, ei fides non adhibeatur, cuiuſcumqae dignitatis ſit, qui id aſſerit.* Conſonant lex 1. *tit. 17. lib. 1. fori*, lex vltima, *tit. 27. lib. 9. recopil.* plures Rotæ deciſiones, quas cumulat Peña *tom. 1. deciſ. 416.* Garcia *de benef. part. 7. cap. 2. num. 16.* Illuſtrant plures relati à Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Narbona *in l. 60. tit. 4. lib. 2. recopil.* Salgado *de protect. Regia 4. part. cap. 6. num. 42.* & *de retentione bullarum cap. 30. §. 4. num. 11.* Sanchez *tom. 1. conſil. lib. 3. cap. vnico, dub. 27.* & *de matrim. lib. 8. diſput. 117. num. 17.* Oſualdus *ad Donellum lib. 17. cap. 3. triplici littera FFF.* Felicianus Vega *in rubrica de foro compet. num. 17.* Lancellottus *de attentatis*

lib. 2. cap. 4. num. 166. Fragoſo *de regimine Chriſtianæ Reipub. 2. part. lib. 4. diſput. 11. §. 2. num. 17.* Petrus Greg. *lib. 5. partit. tit. 5. cap. 1.* Valenzuela *conſil. 125. num. 19.* Rodericus Suarez *alleg. 14.* Gutierrez *lib. 2. canonic. q. 17. num. 3.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 20. n. 22.* Parexa *lib. 2. de inſtrument. edit. reſol. 1. & 2.* Manrique *de differentiis vtriuſque fori, cap. 160. per totum*, Chriſtineus *tom. 1. deciſ. 61.* Frances *in paſtor. regul. p. 2. q. 3.*

2. RATIO DVBITANDI.

Sed hæc aſſertio difficilis eſt ſequenti iuris conſideratione; nam iudici delegato gerenti vices delegantis indiſtinctè parendum eſt, *cap. paſtoralis, §. quia verò, hoc tit.* dum enim ſententiam delegatus profert, non ſuâ, ſed delegantis auctoritate eam proferre expreſsè fatetur: igitur etſi non exhibeat reſcriptum delegationis, procedere in cauſæ cognitione valet, & ſententiam proferre; quippe ſententiâ ſemel dictâ, præſumitur ritè eſſe prolatam, *c. in præſentia*, vbi Butrius, *de renunciatione.* Augetur hæc difficultas primò ex eo; nam iudices delegati illi à R. Pontifice deſignantur, qui aliqua dignitate præfulgent, *cap. ſtatutum, de reſcriptis lib. 6.* ſed depoſitioni, aut teſtimonio illius, qui dignitatem obtinet, fides adhibetur, *c. 1. 8. q. 3.* ergo delegatus aſſerens ſe iuriſdictionem habere, non tenetur exhibere ipſas litteras commiſſionis. Secundò fulcitur hæc difficultas ex illo principio, nam Proconſules, & Præſides prouinciarum ſtatim ac ingreſſi ſunt prouincias, nullâ editione litterarum factâ, poſſunt iuriſdictionem exercere, *l. 1. l. meminiſſe 10. ff. de officio Proconſulis:* igitur delegati ſimiliter non exhibitâ ſuâ commiſſione poſſunt iuriſdictionem exercere.

3. RATIO DECIDENDI.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, videlicet iudicem delegatum priùs, & ante omnia debere litteras ſuæ commiſſionis coram ordinario iudice præſentare: quæ aſſertio etiam procedit in iudicibus conſeruatoribus non habentibus iuriſdictionem in iure expreſſam, qui delegatorum appellatione veniunt. Moneta *de conſeruat. cap. 1. num. 8.* Molina *de iuſtitia tom. 6. tract. 5. diſput. 29. num. 1.* Narbona *in dict. l. 60. gloſſa vnica, ex num. 71.* vnde ſcholaſticus noſter Salmantinus, cùm habeat iuriſdictionem in iure expreſſam, non tenetur eam coram Ordinario edere. Etiam Legati miſſi, quos vulgò *Nuncios* dicimus, tenentur ſuæ legationis litteras oſtendere, vt latè probat Parexa *dict. tract. 1. tit. 2. reſol. 2. per totam*; non tamen inſtructiones Principum Legatos exhibere teneri probat Car. Paſchalis *in ſuo Legato, cap. 52.* Et generaliter omnes delegati, ſiue eccleſiaſtici, ſiue ſæculares, executores tam meri, quàm mixti, antequam iuriſdictionem exerceant, ſeu officium, debent ſuæ commiſſionis litteras coram Ordinario præſentare, vt probant Narbona, & Parexa *vbi ſuprà*, Salgado *de protect. 4. part. cap. 3. num. 16.* Cuius doctrinæ, & aſſertionis ratio ex eo prouenit, nam cùm in quolibet territorio præſumptio ſit pro iudice ordinario, *cap. ſicut, de re iudicata*, nullus alius creditur iudex in ipſa ditione: quare delegatus debet probare ſuam iuriſdictionem litteris delegationis editis; iuriſdictio enim delegata, ſeu eius commiſſio eſt quid facti; quare non præſumitur, niſi probetur, *l. quæcumque 13. §. vlt. ff. de publiciana, l. ſi emancipati, Cod. de probat. l. aſſeueratio, Cod. de non numer. pecun.* Menochius *lib. 6. de præſumpt. præſumpt. 14.* Mantica *de coniect. tit. 1. num. 14.* & ipſa iuriſdictio eſt certa qualitas, quæ homini à natura non ineſt, ſed poteſt competere vni, aut alteri; quare ante omnia probanda eſt. Maſcardus *de probat. concluſ. 946. num. 3.* Pacianus *eod. tract. cap. 43. num. 35.* Nec ſufficit ſola iudicis aſſeueratio, *cap. cùm à nobis 28. de teſtibus*; vnde in praxi obtinuit, vt omnes iudices delegati copiam faciant ſuæ delegationis, dum partes coram ſe faciunt comparere, vt poſt Oſualdum *lib. 17. Donelli, cap. 8. littera E*, docet Parexa *vbi ſuprà.* Hæc autem probatio iuriſdictionis delegatæ debet fieri per ipſas litteras commiſſionis, cùm ſcriptura ſit præcipuus, & principalis modus probandi iuriſdictionem, *cap. lectis, 63. diſt. l. Lucius, §. Sempronio, de legat. 3.* Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 20. num. 22.* Narbona *in dict. l. 60. gloſſa vnica, num. 15.* quod adeò verum eſt, vt per teſtes probari non poſſit. Gloſſa *in l. vnica, Cod. de mandatis Principum:* nec etiam per iuramentum, niſi litteræ delegationis non adſint, quia tunc aut per iuramentum, aut per teſtes delegatio probari valet, *c. ſignificauit, §. 1. de teſtibus, cap. cùm olim, de priuileg.* reſoluit, variiſque ampliationibus, & limitationibus exponit Narbona *vbi ſuprà.* Vnde iure ciuili ſecretis mandatis Principum, ſi ſcripta non proferrentur, fides non adhibebatur, *l. 1. C. de mand. Princip.* quapropter etiam Palatini cum litteris publicis debebant mitti Comiti rerum priuatarum, *l. 2. C. de collat. fund. fiſcal.* Cæſarianis capere bona, quæ ad fiſcum ſpectabant, non aliter quàm Principalibus litteris exhibitis licebat, *l. 5. C. de iure fiſci.* Sed vt doctè obſeruauit Cuiacius *lib. 12. obſeru. c. 31.* excipiebantur mandata, quibus quis iudex certus dabatur, vel iudici collega adiungebatur, vel acta edi, vel litem celeriter finiri iubebatur. Hæc enim mandata, licèt ſolummodò ex ore Principis iudices acceperint, vel ex relatione Quæſtoris palatij, vel ex aliquo Referendariorum, firma abſque litteris erant; dum tamen in ſuis ſententiis id ita iudices exprimerent, ſe non ſcripto, ſed ſecretò accepiſſe, prout cauetur nouellis *Iuſtin. 113. & 124. cap. 4.* etſi dubitet Gutherus *lib. 1. de officiis domus, cap. 33.*

4. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat difficultas ſuprà expenſa pro dubitandi ratione; licèt enim iudici delegato ſententiam proferenti parendum ſit, id tamen procedit cùm conſtat, eum iudicem eſſe; illi enim aſſerenti ſibi fuiſſe mandatam iuriſdictionem non creditur. Rota apud Farinacium *in poſthumis, deciſ. 6. & 9.* etiamſi affirmet, ſe ſententiam proferre auctoritate Apoſtolica, cùm vnico teſti aſſerenti ſuam eſſe iuriſdictionem, non credatur; *cap. cùm à nobis 28. de teſtibus:* plura Salgado *d. c. 30. §. 4. num. 9.* nam etſi ante litterarum editionem iudex delegatus iuriſdictionem obtineat, non tamen eius exercitium, *cap. ſuper eo 2. de appell.* Lotherius *de re benefic. lib. 1. cap. 40. num. 26.* Fragoſo *dict. §. 2. num. 21.* Nec obſtat, quod dicebamus, ſententiam ſemel prolatam, ritè dictam credi; nam id procedit quoad ſolennitates neceſſarias ipſius ſententiæ, non autem quoad iuriſdictionem ipſius iudicis, vt Butrius, & Abbas notant *in præſenti.* Nec obſtat etiam primum augmentum; nam vt ſuprà dixi, certum eſt, iudici delegato aſſerenti ſe iudicem eſſe, non credi. Nec contrarium probat textus *in dict. cap. 1. 8. quæſt. 3.* nam loquitur in actibus extraiudicialibus, in quibus aliquando fides adhibetur vnico teſti propter magnam dignitatem, quâ præfulget. Nec obſtat vltimum augmentum dubitandi rationis; nam iudices ordinarij non tenentur

ſuam

suam iurisdictionem litteris probare, cùm præsumptio sit pro ipsis, & habeant fundatam iurisdictionem in iure, vt probat Parexa *dict. resolut. 4. per totam*: vnde cùm Proconsules, Præsidesque habeant iurisdictionem ordinariam, *l. si alienam 7. §. vlt. ff. de officio Proconsul. l. 4. ff. de officio Præsidis*, Donellus *lib. 17. comment. cap. 8.* vbi Osualdus *littera I*, Cuiacius *lib. 20. obseruat. cap. 37.* ideò ipsi non tenentur suæ iurisdictionis litteras exhibere, aut se iudices esse probare. Quod hodie procedit in Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, cùm iurisdictionem ordinariam exerceant, vt *in cap. 3. num. 18 hoc tit.* probaui; illi enim non tenentur iurisdictionis litteras Ordinario exhibere, licèt contrarium ex Eymerico, & Narbona resoluat Barbosa *tom. 6. in select. ad hunc textum.*

5. EXPONITVR CAP. 3. 97. DIST.

Adhuc superiori assertioni opponitur textus *in cap. nobilissimis 3. 97. dist.* in illis verbis: *Licèt nullam epistolam iuxta consuetudinem nostro Pontifici detulisset.* Ex quibus facilè depromitur, delegatum absque vllis litteris suæ delegationis admittendum esse, nec necessariam esse earum exhibitionem. Pro cuius textus expositione antiquiores ferè omnes in præsenti affirmant, textum illum procedere in Legato Sedis Apostolicæ, qui iudex ordinarius est, *cap. 2. de officio Legati in 6.* ibi: *Ordinarios reputantes.* Postquam enim Legatus designatus est à Pontifice, consequitur ipsâ legatione ordinariam iurisdictionem à iure ipso, *cap. quoad translationem, de officio Legati*; ex quo legationis officio, & non auctoritate Apostolicâ, sed suâ vtuntur, *cap. si Apostolicæ*, ibi: *Auctoritate suæ legationis, de præb. lib. 6.* Docent Gutierrez *lib. 1. canonic. quæst. 11. num. 4.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 28. num. 8.* Azor *tom. 2. instit. lib. 5. cap. 28. quæst. 5.* nisi suæ legationis finem excedat aliqua exercendo, quæ speciali egent commissione; quo casu accipiendi sunt textus *in cap. hi qui 12. de præbendis, lib. 6.* vt post Glossam *ibi, verbo Specialiter*, docet Moneta *de commut. cap. 7. num. 40.* & textus *in cap. decreto 11. 2. quæst. 6.* iunctis Barbosa *in rubrica de officio Legati, numer. 60.* Cæsare *de Eccles. Hierarch. disput. 3. §. 2.* & textus *in cap. litteris 39. de rescriptis.* Vnde affirmant Classici in præsenti, Legatum non teneri litteras legationis exhibere, quia ordinarius est. Sed hac solutio facilè refellitur; nam Legati missi etiam tenentur litteras suæ legationis ostendere, aliàs illis non creditur, vt in Nuncio Hispaniæ nostræ probat Parexa *dict. tit. 2. resol. 2.* quia licèt sint iudices ordinarij, non tamen sunt naturales, sed superinducti, & odiosi, cùm in præiudicium ordinariorum in prouincia sibi commissa morentur. Garcia *de beneficiis, 5. part. cap. 3. num. 9.* proinde litteras suæ legationis exhibere tenentur. Hac igitur interpretatione omissâ, vt difficultati adductæ satisfaciamus, sciendum est, inter alias exceptiones, quas præsens decisio patitur, & referunt Parexa & Narbona *vbi suprà*, eam præcipuam esse, vt videlicet præsens decisio locum non habeat in Cardinali iudice delegato, cui ob excellentiam dignitatis, quâ fulget, credendum est, etsi litteras suæ delegationis non ostendat, delegatioque ipsa non tendat in alterius præiudicium, vt docent quamplures congesti ab Acuña *in dict. cap. nobilissimis*, Parexa *dict. titul. 2. n. 55. & 56.* vnde cùm textus *in dict. cap. nobilissimis*, loquatur de Cardinali Ecclesiæ Romanæ; ideò etiam non exhibitis litteris suæ delegationis illi fides adhibetur.

6. EXPONITVR CAP. 2. DE DILATIONIBVS.

Secundò præsenti assertioni aduersatur textus *in cap. 2. de dilationibus*, vbi refertur, iudicem delegatum in causa sibi commissa processisse, tenorem rescripti delegationis litteris ipsis de comparendo datis inserendo; & cùm pars citata hoc modo comparere noluisset, R. Pontifex decreuit iudicem delegatum vlteriùs in causa procedere debere, nullâ litterarum suæ delegationis exhibitione factâ. Ex quo textu sequens conficitur argumentum. Delegatus debet suæ delegationis litteras iudici ordinario, in cuius territorio iurisdictionem delegatam exercere intendit, intimare, *extrauag. 1. de elect.* Docent Bobadilla *dict. cap. 20. polit. num. 21.* Villadiego *eod. tract. cap. 5. §. 40.* Narbona *in dict. l. 6. num. 51.* & etiam debet ipsas litteras parti exhibere, nec sufficit tabellionem fidem facere, se eas legisse, *authent. qui semel*, ibi: *Iudicique insinuasti, & per eum adhuc cognitis*; *Cod. quomodo & quando.* Sed in eo textu neque iudici, neque parti fuerunt litteræ delegationis originaliter exhibitæ, & tamen iudex delegatus in causa procedit: igitur verum non est, quod asserimus, videlicet iudicem delegatum teneri ante omnia suæ delegationis copiam facere. Cui difficultati vt satisfaciamus, supponendum est, in ea specie iudicem delegatum litteras suæ delegationis iudici Ordinario intimasse, parti verò, licèt non ipsum rescriptum, eius copiam in litteris citatoriis inseruisse; quod sufficit dum pars citata non petiit litteras originaliter sibi monstrari, vt docet Narbona *vbi suprà, numero 37.* Vnde cùm pars à iudice delegato in ius vocata in eo textu contumaciter abfuisset, nec periisset litteras sibi originaliter exhiberi, ideò iudex delegatus potuit in causa procedere absque noua litterarum suæ delegationis editione.

7. EXPONITVR CAP. PRÆTEREA, HOC TIT.

Tertiò opponitur textus *in cap. præterea 5. hoc titul.* in illis verbis: *Aut partes mandatum non habent, vt accedant.* Ex quibus deducitur, delegatum posse iubere coram se comparere partes, etiamsi litteras delegationis non exhibeant: igitur non rectè asserimus, iudicem delegatum ante omnia debere suæ delegationis litteras exhibere. Sed textus iste ita accipiendus est, & interpretandus, vt mandatum speciale ad citationem faciendam exhibere necessarium non sit, quandoquidem cum causæ cognitione iurisdictione mandata, id mandatum tacitè creditur, vt absque mandato speciali possit partes ad comparendum citare; tunc tamen mandatum speciale ad citandum desideratur, cùm partes à delegato iubentur personaliter comparere, *cap. 1. de iudiciis in 6.* nam iuris formam, quam vsus procuratorum admisit, ipse mutare non potest absque speciali Pontificis concessione: sed cùm citatio fit, vt pars per se, aut per procuratorem compareat, sufficit copiam facere delegatæ iurisdictionis ad causæ cognitionem, licèt specialis non sit ad citandum.

8. INTELLIGITVR L. SI QVIS 5. FF. DE IVDICIIS.

Ex traditis suprà pro ratione huius decisionis lucem accipit textus *in l. si quis ex alieno 5. ff. de iudiciis*; vbi probatur, priuilegiatum ad reuocandum forum, vel domum, in ius vocatum, teneri comparere coram iudice vocante, & suum priuilegium allegare, atque ostendere. Quod Vlpiani responsum prædictâ nitur ratione; nam cùm priuilegia in facto consistant, & iudex

ordinarius fundatam habeat iurisdictionem contra quoslibet sui territorij, meritò tenetur priuilegiatus ostendere suum priuilegium, vt docent Amorinus, & P. Barbosa in eo textu. Tuschus *littera P. conclus.* 753. Et licèt textum illum aliqui accipiant tantùm de priuilegiis extra ius existentibus, non verò intra corpus iuris clausis; in his enim asserunt necessarium non esse ea allegare, cùm priuilegia notoria sint: ita Mascardus *de probat. conclus.* 1109. *num.* 4. Rebuffus *in authent. habita, priuileg.* 154. *num.* 267. *Cod. ne filius pro patre:* eorum tamen sententia vera non est; licèt enim qui habet priuilegium intra corpus iuris clausum, non teneatur illud probare; allegare tamen cogitur, *l. si adulterij* 38. *§. si iniustum, ff. ad leg. Iul. de adult.* vnde Legatus, qui habet priuilegium reuocandi domum, si conueniatur tempore legationis ex antè gestis, *l.* 2. *§. Legatis, cum aliis, ff. de iudiciis*, tenetur priuilegium hoc allegare, *dict. l. si quis aliena, l. vlt. Cod. de exceptionibus.* Docent Cuiacius *ad Digesta, in dict. l.* 2. *§. Legatis*, Felinus *in cap. cùm ordinem, num.* 11. *de rescriptis*, Fermosinus *in cap. finali, quæst.* 28. *de foro compet.* Omnes igitur priuilegium habentes reuocandi domum, tenentur illud allegare, quia cùm in facto consistat, non præsumitur, nisi probetur.

CAPVT XXXII.

Idem [a] *Parisiensi, & [b] Trecen. Episcopis, & Abbati [c] S. Genouefæ.*

CVm olim dil. fil. Abbas, & Conuentus [d] Vviresaliacen. suâ nobis conquestione monstrasset, quod nobilis vir P. Comes Altissiodor. quoddam stagnum, [e] molendinum, & domum in terra eorum construere nitebatur, in ipsorum præiudicium, & grauamen, ven. f. n. [f] Episcopo, & dilecto f. [g] Thesaurario Niuern. [h] commisimus causam ipsam, in quorum præsentia partibus constitutis, sicut per litteras eorumdem accepimus, lite super petitionibus Ecclesiæ contestatâ, receptis vtrimque testibus, & attestationibus publicatis, cùm super dictis testium inter partes fuisset postmodùm disputatum, tandem pars Comitis proposuit coram eis, quod de damnis in nemoribus, & rebus aliis datis, super quibus testes deponere videbantur, cognoscere non debebant; cùm in rescripto nostro nulla de damnis mentio haberetur. Ad quod inter alia fuit ex aduerso responsum, quod cùm super omnibus articulis, de quibus testes deposuerant, lis fuisset solenniter contestata, de ipsis cognoscere, ac pronuntiare iudices tenebantur. Ad hoc pars Comitis replicauit, quod etsi super damnis à procuratore suo lis fuerit contestata, ei tamen ex hoc non potuerit præiudicium generari; cùm ad hoc procurator datus non fuerit, sed ad illam dumtaxat causam, quæ fuerat in litteris commissionis expressa, super castro videlicet, stagno, & molendino: ad hoc parte alterâ respondente, quod procuratoris factum Comes vlteriùs impugnare non poterat, quod vsque post publicationem testium minimè duxerat reuocandum. Iudices autem super hinc inde propositis, habito consilio discretorum [i] interlocuti sunt, quod super damnis datis à Comite, ad eos cognitio pertinebat: quo audito Comes ad *i* appellationis beneficium conuolauit. Vnde ipsum iudices reuocarunt, & nec per se, nec per responsalem idoneum comparentem excommunicationis vinculo adstrinxerunt. *Et infrà*: Quia verò super damnis datis [k] antequam lis fuerit contestata, nequaquam ad dictos iudices cognitio pertinebat, cùm in rescripto nostro nulla de ipsis mentio haberetur; nec ad ipsos potuerit iurisdictio prorogari, cùm procurator ad illa intelligatur solummodò constitutus, quæ in commissionis litteris inueniuntur expressa; & postquam Comes publicatis attestationibus intellexit super illis depositum fuisse, protinus contradixit: Nos eosdem iudices pronuntiauimus minùs iustè interlocutos fuisse, ac sæpedictum Comitem, qui ob hoc ad ap. beneficium conuolauit, excommunicationis sententiâ non fuisse ligatum.

NOTÆ.

a *Parisiensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 11. Guillelmo videlicet III. qui ex Ecclesia Aruernensi translatus fuit in Parisiensem, & decessit anno 1248. De Eccl sia Parisiensi iam egi *in cap. ex litteris, de constit.*

b *Trecensi.*] Nicolao videlicet, qui electus fuit in Præsulem ipsius Ecclesiæ anno 1223. vt referunt Chenu *in serie Præsulum Trecens.* Fratres Sarmat. *tom.* 3. *Galliæ Christ.* De Ecclesia Trecensi nonnulla notaui *in cap. cùm omnes* 6. *de constit.*

c *S. Genouefæ.*] In ciuitate Parisiensi est celebre monasterium Canonicorum regularium D. Augustini, dictum S. Genouefæ: anno enim 1147. Eugenio III. Parisiis existente, Canonici regulares I.

gulares S. Victoris in ipsa Ecclesia auctoritate Pontificis, & Regis Galliæ fuerunt constituti, vt regularem vitam ibi profiterentur. Historiam, & huius translationis causam referunt Surius *die 6. Aprilis*, Pennotus *lib. 2. histor. canonic. regul. cap.* 33. §. 17. Huius monasterij mentio fit *in cap. P. & G. hoc tit. cap. ex tua, de apostatis, cap. ex parte, de V. S. cap. olim* 17. *de restit. spol. cap. ex parte, de voto, cap. licet, de præb. cap. dilecti, de foro compet.* De iurisdictione Abbatis huius monasterij agemus infrà *in cap. P. & G.*

d *Vviresaliacen.*] In hac sexta collectione legitur *Virgiliacen.* sed vtrobique malè; legendum est *Vecceliacensis*, quod monasterium Canonicorum regularium B. Magdalenæ dicatum construxerunt Comes Gerardus, & eius vxor Berta, vt constat ex chronico ipsius monasterij, quod reperitur *tom. 1. nouæ Bibliot.* nuper editæ à Philippo Labeo; & eius monasterij meminit Innocentius III. *lib. 2. regestr. 14. epist. 26. & 27.* & de eo agit Renatus Chopinus *lib. 2. sacræ pol. tit. 5. num. 4.*

e *Molendinum.*] Quod Comes construere non poterat in præiudicium monachorum, generali iuris principio, quia omne quod solo ædificatur, solo cedit, §. *cùm in suo, Instit. de rerum diuis.* & etiam speciali, quia videlicet in loco communi non potest quis molendinum ædificare in præiudicium tertij, vt probat Anton. Gomez *in l. 46. Tauri.*

f *Episcopo.*] Rodulpho videlicet, de cuius electione egi *in cap. congregato, de elect.*

g *Thesaurario.*] Nam cùm Thesaurarius habeat in Ecclesia dignitatem, plerumque legimus causarum cognitionem illi committi, *cap. ex tenore, de foro compet. cap. significauit, de conuers. coniug.*

2. h *Commisimus.*] Inde constat, Abbatem, seu conuentum conquestum fuisse coram R. Pontifice, & eius iudicibus delegatis de Comite Altissiodor. quod difficile videtur, cùm potiùs coram iudice forensi & sæculari conueniendus esset, quàm coram iudice ecclesiastico, ex vulgari regula, quæ dictat, actorem forum rei sequi debere, *l. 2. l. in criminali 5. Cod. de iurisd. omnium iudic. l. vlt. Cod. vbi in rem actio, l. 3. Cod. vbi causa status, l. 4. Cod. Theodos. de iurisd.* nouella Marciani *lib. 3. tit. 1. cap. neminem 3. quæst. 6. cap. cùm sit generale, de foro compet.* vbi plura dicemus: igitur Comes Altissiodor. in præsenti coram iudice sæculari, & forensi; non verò coram ecclesiastico conueniendus erat. Sunt qui putent huius difficultatis dissoluendæ gratiâ in hoc textu supponendum esse, consuetudinem viguisse in Comitatu Altissiodor. vt Abbates, & aliæ personæ ecclesiasticæ etiam laicos super rebus propriis, vel Ecclesiæ possent coram iudice ecclesiastico conuenire, vt de aliis prouinciis refertur *in cap. clericus laicum, de foro compet.* Sed cùm de hac consuetudine non constet, rectiùs dicendum est, huius textus casum referendum esse ad regulas iuris nostri, quibus cauetur, vt cùm de violentia in rebus Ecclesiæ agitur, sæcularis trahi possit ad iudicium ecclesiasticum, *cap. nulli 3. cum sequentibus, 12. quæst. 2. cap. conquestus 16. cap. cùm sit generale, de foro compet.* quia cùm latè sacrilegium perpetretur in huiusmodi inuasione, *cap. 2. de priuileg.* Trident. *sess. 22. de reform. cap. 11.* docent Bossius *in praxi, tit. de sacrilegis, num. 7.* Decianus *eod. tract. lib. 6. cap. 30.* Salcedo *in praxi cap. 87.* inde ratione huius inuasionis potuit Comes Altissiodor. conueniri in iudicio ecclesiastico: nisi dicamus Comitem Altissiodor. superiorem non agnoscere in temporalibus, ideóque necessariò ratione damni illati in rebus monasterij conueniendum esse coram R. Pontifice, ex regula textus *in cap. nouit, de iudiciis*, quo modo etiam Primarij nostri accipiunt textum *in cap. 2. de ordine cognit.*

i *Interlocuti.*] Interlocutio enim dicitur quasi 3.
interim locutio, id est interim dum pronunciat iudex sententiam diffinitiuam, eamque exequitur, *l. quod iussit* 14. iunctâ tertiâ parte rubricæ, *ff. de sententia & re iudicata & interlocutionibus:* post Duarenum ad eum titulum docent Osualdus *lib. 17. ad Donellum, cap. 1. littera B.* Treutlerus *volum. 2. select. thesi 1. disput. 23. littera D.* Valentia *lib. 2. illustr. tract. 2. num. 4.* Pichardus *in manuduct. 2. part. §. 3.* aliquando tamen accipitur interlocutio pro admonitione, vt *in l. testamento 38. ff. de fideicommiss. libertatib.* iunctis traditis à D. Francisco de Amaya *lib. 3. obseru. cap. 7. num. 5.* D. Ioseph. de Retes *lib. 4. opuscul. in l. nec fideicommiss. 36. num. 4. ff. de legat. 3.* immò & pro sententia diffinitiua comminatoria, vt *in l. 3. §. 1. ff. de officio Præfect. vigil.* in præsenti autem interlocutio accipitur pro sententia interlocutoria.

j *Appellationis.*] Licèt enim iure ciuili ab in- 4.
terlocutione appellari non possit, *l. apertissimis 16. Cod. de iudiciis, l. ante sententiam 7. Cod. quorum appellationes, l. 2. ff. de appell.* tamen eo iure, & nostro canonico à sententia interlocutoria vim diffinitiuæ habente rectè appellatur, *l. exceptis 23. cum l. sequenti, Cod. Theodos. quorum appellat. Clement. vltima de appell.* vel si interlocutio damnum irreparabile contineat, *l. 2. ff. de appell.* plures referens docet Barbosa *ad Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 20.* & nos latiùs prosequemur *in cap. super 12. de appellat.*

k *Antequam.*] Rectè Innocentius signanter 5.
dixit ante litis contestationem; nam cùm quæritur de iurisdictione iudicis delegati circa damna à parte illata in rebus rescripto comprehensis, quæ ipsarum diminutionem continent, *l. 3. ff. de damno infecto, l. si is cui 71. ff. de furtis*, duo damnorum genera distinguenda sunt: alia enim ante litem contestatam proueniunt, alia post contestationem emergunt. De damnis datis ante litis contestationem non potest delegatus cognoscere, nisi ei fuerit talis iurisdictio mandata, vel à partibus, aut ipsorum procuratoribus ad id speciale mandatum habentibus fuerit prorogata iurisdictio principalis: circa damna verò post litem contestatam emergentia aliud obseruatur; nam de illis rectè iudex delegatus cognoscit. Docent Innocentius hîc, *num. 2.* Bellamera *num. 3.* Petrus Barb. *l. 1. numer. 222. ff. de iudiciis.* Huius discriminis ratio ex eo prouenit, nam damna ante litis contestationem data iure actionis æquè principaliter petuntur; quapropter delegatus, cui commissa est causa principalis, non potest super illis procedere; quæ verò emergunt post litis contestationem, veniunt cum ipsa causa, argumento textus *in l. non solùm 13. ff. de rei vindicat.* & cùm ad officium iudicis spectet super damnis post iudicium susceptum subsecutis sententiam dicere, *l. ædiles 25. §. item sciendum, ff. de ædilitio edicto*; ideò delegatus super eis etiam pronunciare valet, cùm illi omnia concessa intelligantur, quæ ex causa commissa pendent, & oriuntur, *cap. 1.* vbi plura adduxi, *hoc tit.* Rectè ergo Innocentius in præsenti adiecit ea

verba: *Quia verò super damnis datis antequam lis fuerit contestata, &c.* innuens aliud obseruari, si damna sint data post litem contestatam. Nec huic doctrinæ, & interpretationi aduersatur textus *in l. non potest, ff. de iudiciis*, vbi docetur non venire in iudicium, quod post ipsum acceptum contingit. Nam eius textus sententia accipienda est in his, quæ principaliter veniunt, & petuntur; non verò in his, quæ veniunt per consequentiam, & ab ipsa causa principali oriuntur, vt post Accursium ibi docent Donellus *lib. 17. comment. cap. 14.* Gomez *lib. 2. variar. cap. 11. num. 25.* Bronchorst. *centur. 1. assert. 67.* sed si prorogatio in huius textus specie à partibus ipsis, aut procuratoribus conceditur cum mandato speciali, iudex delegatus etiam de damnis datis ante litis ingressum cognoscere potest, vt dixi *in cap. de causis 4. hoc tit.*

CAPVT XXXIII.

Idem [a] *Senon. Archiepiscopo.*

CVm olim Magister S. & B. Archidiaconatum, & Præposituram ad inuicem commutassent. *Et* [b] *infrà.* Verùm dictus B. delegatis nostris non deferens, immò veriùs deleganti, sigilla violauit illorum, & scripta, quæ nobis fuerant præsentanda, non erubuit aperire. Qui postmodùm in nostra præsentia constitutus, aduersario præsente in excusationem suam proposuit, quod iudices perperam processerant contra ipsum, cùm acta in scriptis minùs fideliter redegissent. Vnde timens, ne litteras portaret [c] Vriæ, illorum scripta [d] aperuit, & quod suspicatus fuerat, adinuenit. Sanè si quod expediret, meliùs notauisset; vel non recepisset scripta suspecta, vel recepta nobis fideliter præsentasset, & ostendisset causam suspicionis propositæ coram nobis. Prætereà cùm non conquereretur de iudice, quem ei proprio motu concessimus, sed de illo potiùs, quem ipse duxerat eligendum; & iudices suas nobis per eum litteras destinassent, de ipso pariter conquerentes, verbis ipsius fidem non duximus adhibendam. Sed vt in hoc saltem puniretur, in quo peccauerat contra acta iudicum, quæ temerè violarat, ipsum (sicut nec debuimus) noluimus exaudire, ne videretur dolus suus ei patrocinium adtulisse.

NOTÆ.

1. a *Senonensi.*] Petro videlicet de Corbelio, de cuius electione agitur *in cap. 1. de postulat. Prælat.* De Ecclesia Senonensi plura adduxi *in cap. 1. de rescriptis.*

b *Et infrà.*] Textus iste supplendus est *ex cap. cùm olim, de rerum permut.* prout iacet sub eodem titulo in tertia collectione, vbi ita legitur: [Cùm olim ad nostram audientiam peruenissent, quod dilectus f. Magister S. & B. Archidiaconatum, & Præposituram ad inuicem permutassent, Magistri eiusdem obtentu causam super hoc bonæ mem. Mascen. Episcopo duximus delegandam. Cùmque idem B. ad nostram postmodùm præsentiam accessisset, vt negotium sine suspicione procederet, obtentu ipsius, dil. f. Abbatem Cluniacen. eidem Episcopo duximus adiungendum. Verùm cùm propter Abbatis absentiam non fuisset à delegatis ipsis pariter in causa processum, vtraque partium nostro se conspectui præsentauit, & audientiam obtinuit coram nobis: quod licèt prædictus Magister ab initio sponte fuit de permutatione confessus, idem tamen B. eam inficiabatur omninò, assertiuè proponens, quod & ipse Præposituram sine contradictione qualibet resignarat, & post liberam resignationem prædicti Magistri Archidiac. fuerat assecutus, licèt Magister ipse proponeret ex aduerso, ipsum secum diutiùs de permutatione tractasse, & compleuisse eandem in manibus ven. f. n. Eduen. Episcopi, quam tractarant. Verùm sæpedictus B. delegatis nostris non deferens, immò veriùs deleganti, sigilla violauit illorum, & scripta, quæ nobis fuerant præsentanda, non erubuit aperire. Cæterùm constitutus in præsentia nostra, aduersario suo præsente, in excusationem propriam proposuit coram nobis, quod iudices perperam processerant contra ipsum, cùm acta in scriptis minùs fideliter redegissent. Vnde timens ne litteras portaret Vriæ, scripta illorum aperuit, & quod suspicatus fuerat, adinuenit. Sanè si quid expediret, meliùs notasset, vel non recepisset scripta suspecta, vel recepta nobis fideliter præsentasset, & ostendisset causam suspicionis propositæ coram nobis. Prætereà cùm non conquereretur de iudice, quem ei proprio motu concessimus; sed de illo potiùs, quem ipse duxerat eligendum, & iudices suas nobis per eum litteras destinassent, de ipso conquerentes, verbis ipsius fidem non duximus adhibendam. Sed vt in eo saltem puniretur, in quo peccarat, contra acta iudicum, quæ temerè violauerat, ipsum sicut nec debuimus, sic noluimus exaudire, ne videretur dolus suus ei patrocinium attulisse. Cùm ergo nobis tum per publicam famam, tum per validam præsumptionem, & probationem etiam manifestam constaret, quod suum præstiterit permutationi consensum; prædictus autem Magister suum publicè fateretur errorem, & hunc Præposituræ, & illum Archidiaconatu curauimus spoliare, super hoc diffinitiuam contra eos sententiam proferentes.]

c *Vriæ.*] Notissima cunctis est historia hæc sacra libri 2. Regum, *cap. 11.*

d *Scripta aperuit.*] In quo grauiter deliquit; 2.
præter peccatum enim lethale, quod committit, qui alterius epistolas aperit, vt probat Fr. Hieronymus Garcia *tom. 2. polit. regul.* graue scelus vtroque iure vindicatum, atque detestatum admittit, *l. 2. ff. ad legem Corn. de falsis, l. eum qui 13. §. si epistola, ff. de furtis, cap. ad audientiam, de crimine falsi;*

falſi ; notaque eſt querela Ciceronis *Philipp.* 2. qui quòd eius litteras aperuiſſet, palamque omnibus legiſſet, vocat eum humanitatis omnis expertem. Idem deinde Apuleius queritur *apolog.* 2. *pro ſeipſo*, Seneca *lib.* 2. *controu. cap.* 23. Plutarchus *in Sertorio.* Præclarum verò exemplum refert Herodianus *lib.* 4. *de Macrino*, vbi oſtendit, nulli vnquam communicandas eſſe litteras priùs quàm nos ipſi legerimus. Plura de huius criminis grauitate, & pœnis congeſſerunt vltra relatos à Barboſa *in præſenti*, Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 5. *numero* 29. *&* 30. Molina *de iuſtitia tractat.* 4. *diſput.* 36. Nicolaus de Paſſeribus *de ſcriptura priuata lib.* 3. *quæſt.* 12. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 38. Mornacius *in l. ſi quis teſtamentum*, §. 1. *ff. ad legem Aquil.* Cabreros *lib.* 2. *de metu, cap.* 30. *num.* 110.

CAPVT XXXIV.

Idem *Alberto Capellano S. Mariæ de Porta Rauennate* [a] *Bonon.*

COram dil. f. n. M. ſancti Theodori Diac. Card. quem tibi, & dil. f. Hug. nuntio, & clerico S. [b] Agathæ, aduerſario tuo, qui cum inſtrumentis eiuſdem Eccleſiæ, ſed abſque [c] litteris de ratihabitione ad Ap. Sed. acceſſerat, ſed de rato cauerat fideiuſſoria cautione, auditorem conceſſimus, in cuius præſentia conſtitutus proponere curauiſti, quod cùm olim quidam in parochia S. Mariæ poſt ap. interpoſitam ad Ap. Sed. in honorem Beatæ Agathæ domum, & Eccleſiam conſtruxiſſet, bon. mem. [d] Alexander Papa prædec. noſter cauſam ſuper hoc T. Abbati S. [e] Stephani, & T. Priori S. Victoris commiſit fine debito terminandam, qui auditis quæ fuerunt hinc inde propoſita, & rationibus partium diligenter inſpectis, pro Eccleſia S. Mariæ diffinitiuam ſententiam protulerunt, quæ per fel. rec. [f] Lucium, [g] Gregorium, & [h] Clementem prædeceſſores noſtros fuit poſtmodùm confirmata. Verùm Capellanus S. Agathæ ſententiæ parêre contemnens, & parochianos S. Mariæ ad eccleſiaſtica ſacramenta recepit, & ſuſpenſus diuina præſumpſit officia [i] celebrare. Cúmque ſuper eadem cauſa coram ven. f. n. H. [j] Ferran. Epiſcopo ferè per annum fuiſſet à partibus diſceptatum, productis teſtibus coram eo, pars Eccleſiæ ſanctæ Agathæ horum veritate ſuppreſsâ, dil. f. Magiſtrum Lanfrancum Bononien. Canonicum obtinuit eidem Epiſcopo in cauſæ deciſione adiungi. Sed cùm idem Magiſter cauſæ intereſſe non poſſet, prædictus Epiſcopus, cui per ſequentes litteras impetratas tertiò mandabatur, vt ſi ambo intereſſe non poſſent mandatis Ap. exequendis, ea ipſe nihilominus adimpleret ; atteſtationibus publicatis, & rationibus pleniùs intellectis, prædictam ſententiam confirmauit, Capellano S. Agathæ ſub pœna excommunicationis iniungens, vt nullum parochianorum tuorum infra certos terminos commorantium, ad officia diuina, vel eccleſiaſtica reciperet ſacramenta. Ad hoc dictus Hugolinus ex aduerſo reſpondit, quod cùm olim Archipreſbyter de Paſtino à prædicto Alex. præd. n. indulgentiam impetrauit, vt in vico Caſtellionis, in quo ſuperexcreuerat populi [k] multitudo, Eccleſiam de nouo fundaret : vnde tunc Bononien. Epiſcopus de mandato eiuſdem prædeceſſoris noſtri, & [l] locum ſignauit, & primarium lapidem benedixit, & in fundamento ſecundùm conſuetudinem collocauit, & ſic capellam in eodem loco conſtructam cum tota parochia, quam vſque hodie habet Eccleſia de Paſtino, per xx. annos iuſtè poſſedit, quam fel. rec. C. PP. præd. n. eis ſuis litteris confirmauit, & nos ſub noſtra protectione recepimus conſtitutam nobis ab eodem Archipreſbytero cenſualem. Vnde olim quidam canonicus regularis ab Archipreſbytero de Paſtino, vt diuina in eadem celebraret officia deputatus, præter auctoritatem Archipreſbyteri, & Capituli de Paſtino coram prædicto Abbate S. Stephani, & Priore S. Victoris, ab illis citatus apparuit; ſed coram eis iudicium non ſubiuit, immò ab ipſis tanquam de ratione ſuſpectis, quia prædictam ſibi voluerant parochiam vindicare, ad noſtram duxit audientiam appellandum. Iidem autem iudices non dubitantes mandati fines excedere, tam ſuper nouo, quàm veteri populo ſententiam protulerunt, cùm ſecundùm tenorem litterarum directarum ad eos, non potuiſſent niſi de veteri iudicare. Poſtmodùm verò memoratus canonicus contra voluntatem, immò prohibitionem Archipresbyteri ſui, coram Ferrarien. comparens, ſub eo aliquantulum litigauit. Sed tandem comperto, quod vniuerſi familiares eius ei eſſent aduerſi, prædictum Magiſtrum ei fecit adiungi ; qui cùm vices ſuas alij delegaſſet, Epiſcopus admittere noluit [m] delegatum,

[m] delegatum, ſed poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam, ſolus in cauſæ cognitione proceſſit. Vnde contra primam ſententiam allegabat, quod de commiſſione ad primos iudices impetrata ad Archipresbyteri notitiam nihil peruenit, quod iudices poſt appellationem legitimè interpoſitam proceſſerunt, & quia fines mandati fuerint in proceſſu tranſgreſſi. Contra ſecundam verò ſimiliter proponebant, quod canonicus regularis, qui coram Ferrarien. Epiſcopo litigauit, non ſolùm fuerat procurator datus ad cauſam, ſed etiam contra prohibitionem Archibresbyteri liti ſe præſumpſerat immiſcere, & quod Ferrarien. ſolus proceſſerat, cùm non ei ſoli cauſa fuerat delegata; & collega eius, etſi cauſæ nequiuerat intereſſe, alij tamen commiſerit vices ſuas; & quod poſt appellationem etiam ad nos interpoſitam, idem Ferrarien. pro Eccleſia S. Mariæ ſententiam promulgauit. Ad hæc autem pars altera replicabat, quod prædicta ſtare non poterant, cùm credi non debeat, quod à iudicibus illis pars appellauerit aduerſa, ad quos nec ſciuerat, nec audiuerat commiſſionis litteras emanaſſe. Præterea cùm in litteris commiſſionis appellationis fuiſſet obſtaculum partibus intercluſum, appellationi poſtmodùm interpoſitæ non fuerat deferendum. Inſuper cùm, ſicut aduerſarius fuit in iure confeſſus, etſi pars eius, quaſi vt proſequeretur appellationem, litteras impetraret, nec tamen illis fuerat vſa, pro eodem haberi debebat, ac ſi non fuerit proſecuta. Vnde ſententia iam tranſierat in rei iudicatæ auctoritatem, etiamſi contra ius litigantis prolata fuiſſet. Cùm autem nec litteræ commiſſionis ad iudices primos obtentæ præſententur in iure, nec aliter legitimè demonſtretur formam mandati iudices exceſſiſſe, pro ſententia eſt potiùs præſumendum. Quod dicitur ex aduerſo, quod canonicus ille non fuit procurator, non nocet, cùm ipſe litem coram Ferrarien. Epiſcopo conteſtando, factus fuerat dominus litis, qui generalis ab ipſius fundatione Eccleſiæ procurator fuerat, & ſic agebat, & contrahebat, ac ſi verè capellæ dominus extitiſſet, præſertim cùm in cauſam non tam Eccleſiæ nomine, quàm proprio traheretur, vtpote qui parochianos adiudicatos Eccleſiæ S. Mariæ ad diuina recipiebat officia, & exhibebat eis eccleſiaſtica ſacramenta. Præterea cùm ad Archipresbyteri notitiam peruenisſet, cauſam ipſam fuiſſe Ferrarien. Epiſcopo delegatam, ſi per Canonicum illum nolebat ſubire iudicium, ad agendam cauſam debuerat alium deſtinare: quod cùm non fecerit, eius eſt negligentiæ imputandum, immò malitiæ potiùs, qui ſic commiſſionem noſtram niſus fuerit eneruare. Item Ferrarien. ſolus procedere potuit, cùm primò coram eo lis fuerit conteſtata, & teſtes ad cauſam producti; & in vltimæ commiſſionis litteris fuiſſet inſertum, quod ſi non ambo intereſſe poſſent exequendis mandatis Apoſtolicis, prædictus Epiſcopus ea nihilominus exequi procuraret: quod non intelligitur, vt ſi per ſe, vel per alios intereſſe non poſſet, quia id rarò, vel nunquam contingeret; ſed ſi non poſſet perſonaliter intereſſe. Appellationi ergo interpoſitæ ob cauſas prædictas, cùm cauſæ ſufficientes non erant, aliquatenus non erat deferendum. Idem igitur Card. auditis his, & aliis, quæ fuerant hinc inde propoſita, latam ab eodem Ferrarien. Epiſcopo ſententiam, de mandato Ap. confirmauit, & aduerſæ parti ſuper hoc perpetuum duxit ſilentium imponendum. Nos ergo quod ab eo factum eſt, auct. Apoſt. confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

NOTÆ.

a *Bonon.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de parochiis, cap.* 1. Henrico videlicet, qui ipſam Eccleſiam rexit per 27. annos. De Eccleſia Bononienſi plura adduxi *in cap.* 1.

b *S. Agathæ.*] De hac Eccleſia nonnulla adduxi *in cap. querelam* 24. *de elect.*

c *Litteris.*] Hæc verba expoſui *in cap.* 1. *de procurat.*

d *S. Stephani, & Victoris.*] Sunt Eccleſiæ canonicorum regularium, vt refert Vghellius *tom.* 2. *Italiæ ſacræ, in ipſa Eccleſia.*

e *Alexander.*] Tertius videlicet.

f *Lucium.*] Tertium.

g *Gregorium.*] Octauum.

g *Clementem.*] Tertium.

i *Celebrare.*] In quo grauiter deliquit, vt Deo volente dicemus *in cap. ſi celebrat, de clerico excommunicato.*

j *H. Ferrarienſis.*] Hugonis videlicet. De Eccleſia ipſa Ferrarienſi egi *in cap. cùm M. de conſtit.*

k *Populi multitudo.*] Quæ eſt iuſta cauſa ædificandi nouam Eccleſiam, *cap. ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis.*

l *Locum ſignauit.*] In conſtructione enim nouæ Eccleſiæ Epiſcopus proprius locum conſignat, *cap.* 1. *de religioſis domibus*, D. Hieronymus *in vita Hilarionis*, ibi: *Mira Domini gratia, non poteſt adire, paſſi ſunt, quam futuræ Eccleſiæ lineam mitteret, & in eo loco crucem affixit.* Nouella 67. Iuſtiniani, *cap.* 1. Iulianus anteceſſor *conſtit.* 61. *cap.* 205. in illis verbis: *Nullus audeat ædificare Eccleſiam, vel Oratorium antequam ciuitatis Epiſcopus veniat, & votum faciens ſanctiſſimam crucem infixerit, publice* 1.

in

in eodem loco procedens, & rem omnibus manifestam faciens. Ex Euchologio Græcorum notarunt Menardus *ad D. Gregorium, pag.* 195. Filesacus *in cap. quanto, de officio ordin.* & nos illustrabimus *in titulo de Ecclesiis ædificandis.*

2. m *Noluit delegatum.*] Tota huius decisionis difficultas in his verbis continetur, quæ verba reperiuntur in hac sexta collectione, & in tertia sub titulo *de parochiis, cap.* 1. Ex illis enim deducitur, delegatum Pontificis non posse subdelegare, cùm habet collegam in ipsa causa, neque collegam teneri admittere ipsum subdelegatum. Sed huius textus interpretationem iam dedimus *in cap. sciscitatus, de rescriptis.*

CAPVT XXXV.

Idem *Præposito S. Dominici,* [a] *Subdiacono nostro.*

CVm [b] R. canonicus Ianuen. causam pecuniariam, quæ inter ipsum ex vna parte, ac P. ciuem Ianuen. ex altera vertitur, tibi obtinuerit delegari, & idem ciuis propter multas & graues inimicitias ciuitatis suæ in tua nequeat præsentia comparere, sicut ex ipsius, & dil. fil. Consulum Ianuen. insinuatione nobis innotuit: d.t per A.s. m. quatenus supradicto R. huiusmodi optione relictâ, vt exceptis Canonicis Ianuen. quos, cùm sint eius socij, meritò habet pars aduersa [c] suspectos, in ciuitate, vel diœc. Ian. in qua multi sunt, sicut pro certo tenemus, viri prouidi, iudicem eligat, coram quo quæstio terminetur, cui auctoritate præsentium districtè præcipias, vt eandem causam iuxta rescripti ad te obtenti [d] tenorem ap. rem. fine debito terminare procuret.

NOTÆ.

a *Subdiacono nostro.*] Qui præbendam & dignitatem habebat in Ecclesia Ianuensi. Ianuensis, siue vt alij volunt, Genuensis, ciuitas sita est in prouincia Italiæ iuxta mare, vbi incipit Apennius mons: aliquando appellatur Ianua, aliquando Genua, vt notarunt Voterus *in orbis relatione*, Netricensis, & Vvillelmus, & Petrus Bizarrus eius Scriptores, Marisotus *lib.* 1. *orbis maritimi, cap.* 33. Iacobus Bracelius *de claris Genuensibus.* Dicitur Genua à genu, quia habet tanquam genu recuruum à latere maris; vel à Genuo Saturni filio, qui fertur eam condidisse. Ianuam alij appellant eo quòd à Iano Italorum Rege conditam dicunt, vel quia ianua totius Italiæ est. Huius inclytæ ciuitatis Episcopalem Sedem in Metropolitanam erexit Innocentius II. vt constat ex eius actis in illis verbis: [Genuensem verò Episcopum à subiectione Mediolanensis Archiepiscopi emancipauit, & specialem de nouo Metropolitanum Sedis Apostolicæ Episcopum constituit, cui Bobiensem Episcopum, & Portiniacensem Abbatem, quem creauit Episcopum, obedire præcepit.] Refert Bosquetus *ad Innocentium lib.* 3. *epist.* 158. Huius Ecclesiæ mentio fit *in cap. illud, de præsumpt. cap. per vestras, de donat. inter*; & de Canonicis ipsius agitur in præsenti textu, qui etiam reperitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2.

b *R.*] Rodericus, de quo forsan *in cap. per vestras, de donat. inter.*

c *Suspectos.*] Familiaritas enim cum iudice iustam præstat causam recusationis, vt latè probaui *in cap.* 1. *de officio iudicis.*

d *Obtenti tenorem.*] Vnde procedit appellatione remotâ, quia auctoritate Pontificis procedebat, aliàs delegatus subdelegare non potest cum clausula, *appellatione remotâ*, vt supra dixi *in cap.* 3. *hoc tit.*

CAPVT XXXVI.

Idem [a] *Rothomagen. Episcopo.*

CVm contingat interdum, quod laici. *Et infrà*: Insuper requisiti sumus, cùm quis conqueritur, in se à suo Episcopo post appellationem ad nos legitimè interpositam, vel aliàs iniustè excommunicationis sententiam promulgatam; & nos iudicibus damus in [b] mandatis, vt si est ita, iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium illi impendant, vel eandem sententiam denuntient esse nullam; ac Episcopus paratus sit probare se in illum, antequam vocem appellationis emitteret, vel aliàs iustè huiusmodi sententiam protulisse, an probationibus non admissis liceat iudicibus excommunicatum absoluere, vel denuntiare sententiam esse nullam? Ad quod t.r. quod cùm quis conqueritur se post appell. ad nos legitimè interpositam excommunicatione fuisse innodatum, semper vtriusque partis probationes sunt admittendæ [c] antequam ad decernendum super hoc aliquid procedatur, per quas denique apparebit, an absolutione indigeat conquerens, vel denuntiandus sit potiùs non ligatus. In eo verò casu, cùm excommunicatum quis se asserit iniustè, vix, vel nunquam est eius (antequam absolutus fuerit) [d] probatio admittenda, nisi tunc tantum, cùm asserit, in excommunicationis sententia intolerabilem errorem fuisse patenter expressum: ad quod probandum admittitur

mittitur [d] antequam absolutionis gratiam consequatur. Verùm si proponat se simpliciter excommunicatum iniustè, ac Episcopus ad probandum, quod iustè ipsum excommunicauit, suas postulet probationes admitti, non est ante absolutionem ipsius aliquatenus audiendus, cùm etsi pro certo constaret rationabiliter in illum excommunicationis sententiam promulgatam, nihilominus esset ei absolutio impendenda humiliter postulanti: & ideò in hoc casu illum credimus iuxta formam Ecclesiæ protinus absoluendum, vtsic demùm probationibus vtriusque partis admissis, vtrum iustè, vel iniustè ligatus fuerit, decernatur.

NOTÆ.

a *Othomag.*] Mauricio videlicet. De Ecclesia Rothomag. egi *in cap.* 1. *de postul. Prał.* Huius textus integram & historiam retuli *in cap. cùm contingat, de rescriptis.*

b *Dedimus in mandatis.*] Excommunicatus quando possit impetrare rescripta iustitiæ, aut gratiæ, latè exposui *in cap. ab excommunicato, de rescriptis.*

c *Antequam.*] Vtrum Metropolitanus, ad quem appellatum est, possit ante omnia absoluere appellantem, disputat latè Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.5. num.23.* & Barbosa *de potest. Episcopi alleg.*123.

d *Probatio.*] Excommunicatus in præsenti auditur etiam agens, quia circa causam ipsam excommunicationis in iudicio comparebat; quo casu excommunicatus auditur. Docet Felicianus de Vega *in cap. intelleximus, num.*103. *de iudiciis.*

CAPVT XXXVII.

Honorius III. [a] *Menassen.* & [b] *Regien. Archiepiscopis.*

ROgatus olim à vobis, & ff. nostris charissimis in Christo fil. [c] n. [d] Fredericus Romanorum Imperator & [e] semper augustus, & Rex Siciliæ, vt restitueret ven. f. n. [f] Cephalud. Episcopum, quem spoliauerat Ecclesia, & aliis bonis suis, se id liberè facturum viuâ voce promisit: vnde per scripta nostra (hic incipit hoc caput in veteri editione) ven. f. n. Archiepiscopo [g] Cusentin. nostris dedimus litteris in mandatis, vt ven. f. n. Cephalud. Episcopum restitui faceret ad Episcopatum, & alia, quibus fuerat indebitè spoliatus: quo restituto plenariè, & corporalem, ac pacificam possessionem adepto, si videret quod idem Episcopus meritò esset, provt nobis suggestum fuerat, de dilapidatione suspectus, virum prouidum, & honestum prouideret coadiutorem eidem, sine cuius consilio nihil eorum faceret, quæ ad administrationem pertinent temporalem, quousque veritate compertâ duceremus aliter prouidendum: interim omne alienationis genus vtrique auctoritate nostra districtiùs [h] interdicentes. Porrò idem Archiepiscopus infirmitate corporis [i] grauatus, commisit in huiusmodi negotio vices suas primò Abbati S. i Spiritus de Panormo, ac demùm [k] Thesaurario Cusentin. quorum processus nobis exhibitos de fratrum nostrorum consilio cassauimus, iustitiâ exigente; quòd videlicet Abbas contra mandati nostri tenorem ad inquirendum, vtrum de dilapidatione suspectus esset Episcopus, eo non restituto, processit; & Episcopus ipse, cùm iam suo [l] functus esset officio, dicto Abbati committendo in integrum vices suas, huiusmodi negotium dicto Thesaurario non potuit demandare.

NOTÆ.

a *Messanen.*] Berardo videlicet, quem alij Bernardum, alij Bercium appellant; ipse enim Berardus monachus Ordinis S. Benedicti, electus fuit Messanensis Antistes temporibus Cœlestini III. illique posteà Innocentius III. ius deferendi pallium concessit. Eius vitam, & gesta refert D. Rochus Pirro *tom.2. Siciliæ sacræ, in Ecclesia Messanensi, pag.*329. De Ecclesia Messanensi aliqua adduxi *in cap.*1. *de consuet.*

b *Regien.*] Lando videlicet, qui temporibus Honorij III. Ecclesiam Regiensem gubernabat. De Regiensi Ecclesia nonnulla notaui *in cap. cùm causa* 22. *de officio delegati.* Textus iste diminutus reperitur in sexta Raymundi collectione: ex quinta autem edita ab Innocentio Cironio ita restituendus, & supplendus est.

c *Filius.*] Ita appellatur Princeps sæcularis; ecclesiasticus verò, frater nominatur, *cap. quàm graui*, vbi plura dabimus, *de crimine falsi.*

d *Fredericus.*] Secundus Imperator huius nominis, filius Imperatoris Henrici V. nepos Frederici I. cuius tutela commissa fuit Innocentio III. vt referunt Spondanus *in continuat. Baronij, anno* 1211. qui decessit anno 1250. die 9. Decembris. Eius gesta post Siculos Scriptores refert D. Rochus Pirro *tom.*1. *Siciliæ sacræ, in eius vita.*

e *Semper Augustus.*] Id est fortunatus: præcipuus titulus Imperatorum, *proœm. Instit.* ibi: *Semper Augustus.* Iam enim à temporibus Octauiani, qui primus ita dictus fuit, Suetonius *in Augusto cap.*7. Dio *lib.*43. Pausanias *in Laconicis*, Ouidius *lib.*1. *Fastorum*, ibi:

Et tuus Augusto nomine dictus auo;

Omnes Imperatores deinde dicti fuerunt Augusti, vt latè probant Institutarij *in d. proœmio.* Nec solùm in electionibus, & coronationibus Gentilium Imperatorum ipsi acclamabantur semper Augusti; verùm etiam Christiani Imperatores renunciati ita acclamabantur, vt probant Ferrarius *de veter. acclam. lib.7. cap.5.* & 6. Pancirola *lib.*1. *variar. c.*2.

f *Cephalud.*

f *Cephalud. Epiſcop.*] Harduinum ſcilicet II. qui ipſius Eccleſiæ Præſul deſignatus fuit anno 1217. De Eccleſia Cephalud. plura adduxi *in cap. cùm cauſa* 22. *hoc tit.*

g *Cuſentin.*] Lucæ videlicet. Cuſentina Metropolis Calabriæ eſt, cuius ſuffraganeos refert Barboſa *in ſerie Epiſcop. in ipſa Eccleſia.*

h *Interdicentes.*] Licèt nemo priuandus ſit poſſeſſione ante ſententiam, *cap. volumus* 16. *q.* 4. ſpecialiter tamen fauore Eccleſiæ ſtatutum eſt, vt Prælatus inquiſitus de dilapidatione bonorum ipſius, inquiſitione pendente ſuſpendatur ab adminiſtratione, *cap. fin.* 3 *q.* 2. *cap. licèt Heli, de ſimonia*, niſi ſufficienter caueat, *cap. quod ſicut, de elect.* Semper tamen illi alienatio interdicitur, *cap. fin.* §. *fin. de accuſat.* Docent Marcus Antonius Genuen. *q.* 575. *practic.* Salcedo *in praxi, cap.* 71.

i *Grauatus commiſit.*] Et ſic non ſolùm validè, quia delegatus Principis erat, verùm & licitè, quia aduersâ valetudine captus, cauſæ cognitioni intereſſe nequibat, vt dixi *in cap.* 3. *hoc tit.*

j *Abbati S. Spiritus.*] Ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Panormitana.

2. k *Theſaurario.*] Bartholomeo videlicet theſaurario Cuſentino, qui poſtea in cauſa proceſſit.

l *Functus officio.*] Licèt iuriſdictio delegata reuocatione delegantis finiatur, ſeu ceſſet, *cap. in cauſis* 30. *de elect. cap. quamuis* 6. *hoc tit. lib.* 6. vbi plures Barboſa, *l. iudicium ſoluitur, ff. de iudiciis*, Vega *in cap. cauſam* 18. *num.* 23. *ff. de iudiciis*, ſicut quodlibet aliud mandatum ad negotia reuocatione finitur, *l. ſi verò* 12. §. *ſi mandauero, ff. mandati, l.* 3. *C. eod. tit. l. ante litem, ff. de procurat.* latè illuſtrabimus *in cap. mandato, de procurat.* tamen ſi cauſa integra non eſt, videlicet quia iudex delegatus vti iam cœpit iuriſdictione, reuocari non valet, *d. cap. quamvis* 6. Quo caſu exaudiendus eſt præſens textus, vt etiam contingit in alio quolibet mandato extraiudiciali, *dict. l. ante litem, l. ſi poſt* 17. *ff. de procurat.*

COMMENTARIVM.

3. HVius textus vera hiſtoria repetenda eſt ex Facello, Pirro, & aliis Siculis Scriptoribus, apud quos ita ſe habet. Harduinus II. Cephaludenſis Epiſcopus bonis ſpoliatus, & ab Eccleſia pulſus, in exilium miſſus fuit à Frederico II. Siciliæ Rege iam Romano Imperatore, ex eo, quod dilapidaſſet bona ipſius Eccleſiæ, non quia ſineret vt ipſe Fredericus duo porphyretica ſepulchra in Panormitanam Eccleſiam tranſtuliſſet, vt exiſtimauit ex Facello Cironius *in præſenti*; iam enim temporibus Ioannis anteceſſoris ipſius Harduini Fredericus abſolutus fuit eâ conditione adiectâ, vt Eccleſia Panormitana ſublatos ſarcophagos porphyreticos retineret, & certum feudum Eccleſiæ Cephaludenſi ſolueret, vt refert Facellus *lib.* 9. *decade* 1. *cap.* 3. Prætextu ergo dilapidationis Epiſcopus ab Eccleſia pulſus Romam adiit, & coram Honorio III. & conſiſtorio DD. Cardinalium ſuæ relegationis cauſam propoſuit. Honorius Lucæ Archiepiſcopo Cuſentino cauſam delegauit, dato diplomate 11. Kalend. Aprilis anno 7. Pontif. ſalutis 1224. vt Epiſcopum Harduinum reſtitueret, & propter ſuſpicionem dilapidationis coadiutorem illi aſſignaret: Archiepiſcopus verò Cuſentinus ægritudine præpeditus cauſam ipſam ſubdelegauit primò Abbati S. Spiritus; ſecundò Bartholomeo Theſaurario Cuſentino: & cùm in cauſa procederent, eorum proceſſus fuit irritatus; tum quia Abbas fines delegationis exceſſit inquirendo ſuper dilapidatione bonorum; tum quia cauſa ſemel commiſſa ab Archiepiſcopo Cuſentino Abbati S. Spiritus, non potuit poſteà committi prædicto Theſauratio: quare Apoſtolicâ auctoritate ex noua delegatione ipſe Archiepiſcopus Cuſentinus prædictum Bartholomeum Theſaurarium Cuſentinum in Siciliam tranſmiſit, qui adſcito ſibi aſſeſſore Iucundo Abbate Panorm. Eremitarum cauſam agitauit. Harduinus petebat ſibi reſtitui ciuitatem Cephaludi, & Pollinæ per Secretum Regium, quæ iuris erant Epiſcopalis; item ablata ab Epiſcopo, & Eccleſia per adminiſtros laicos, ſcilicet pecora, vinum, pecuniam, argentum, tonnariam, Eccleſias Politij, Colliſani, decimas Miſtrectæ, Calatabuturi, Hatteriæ, caſtellum Cephaludi, quod eſt domanium Eccleſiæ, nauigium quod abſtulit Secretus; item & damna, quæ paſſus fuerat, quòd captus in vrbe oportuit ſe redimere à Romanis 800. vnciis auri; expenſas quoque factas cùm adiit, & rediit à Romana Curia tempore tribulationis, quo fuit à Frederic. relegatus in exilium; item & redditus omnes, quos receperant Cephaludenſes Caſtellani à promotione ſua vſque ad hanc diem, id eſt poſt ſeptem annos, & ampliùs. His auditis Apoſtolicus delegatus Drepanum ad Imperatorem acceſſit, eumque de reſtitutione alloquitur. Imperator verò omnia, quæ iudicis decreto deberet, ſe reſtituturum promiſit, ſuumque procuratorem pro re agenda Notarium Henricum conſtituit: is aduerſus Epiſcopum proponebat, quod bona Eccleſiæ dilapidaſſet, nihilque in vtilitatem Eccleſiæ expendiſſet, cùm ſeptem per annos pluſquam 70. millia tarenos percepiſſet; & quod alienaſſet poſſeſſiones Eccleſiæ, & domos contuliſſet Chriſtiano, & Leoni affinibus ſuis, molendinum cuidam Marino, tenumentum Roſcellæ dediſſet fratribus Montis Virginis. Contrà verò Epiſcopus partes ſuas tuebatur, quòd domos Epiſcopales reparauit, Eccleſiam Cathedralem cœperat reparare, Caſtellum Pollinæ à domanio Eccleſiæ alienatum redemit tarenis 800. multa Eccleſiæ ornamenta feciſſet, fecit molendina, reparauitque molendinum Roccellæ, acquiſiuit Eccleſiam ſanctæ Mariæ Roccellæ, reuocauit tenimenta, & caſalia S. Luciæ de Syracuſa, alienata à ſuis prædeceſſoribus; Miſtrectum quoque, Capititium, & Camaratam, & Calatabuturum, & molendinum in Calatabuturo & Scillato; & quod oportuit ire in Alemaniam (ante annum 1224. Imperatore ibi tunc degente, ſuffectus fuit Siciliæ Præſes Petrus Archiepiſcopus Panormit.) Viterbium, Romam, & in Apuliam ad D. PP. & Imper. pro iuribus Eccleſiæ tempore belli occupatis à militibus, & alienatis. Tandem delegatus iudex conſilio habito cum Iucundo Abbate, & F. Bonifacio monachis S. I. Eremit. Fratre Leone, & Priore Caſtri Ioannis aſſeſſoribus, eodem anno, menſe Decembris XII. ind. hanc protulit ſententiam. Vt fructus, & pecuniæ Epiſcopo reſtituerentur; in reliquis ab Epiſcopo prætenſis abſolueretur Imperator. Quæ ad huius textus commentarium ſpectant, adduxi *in cap. ſi pro debilitate* 3. *cap. in litteris* 9. *hoc titulo.*

CAPVT XXXVIII.

Gregorius IX. *S. Præcentori, & Magistro N. Canon.*[a] *Ambian.*

SIgnificantibus M. muliere, & I. nato eius, nos noueritis accepisse, quod cùm nobilis mulier Iuliana[b] vidua mentiens se pauperem, contra eos super tertis, & rebus aliis ad iudices nostras litteras impetrasset, iidem coram eis excipiendo proponere curauerunt, quod cùm dictæ litteræ suggesto mendacio impetratæ fuissent, cùm prædicta Iul. (quæ nobilis est, & diues) pauperem se dixisset in eis, coram ipsis (nisi requisito priùs domino, sub cuius iurisdictione ipsi consistunt, & coram quo parati erant eidem exhibere iustitiæ complementum,) non debebant de iure per tales litteras conueniri. Vnde dicti iudices interloquendo pronunciarunt, se per easdem litteras procedere non[c] debere. *Et infrà*: Demùm fuit à partibus in quosdam, tanquam in arbitros, taliter compromissum, quod si intra terminum in compromisso expressum causam non definirent, partes ad eorundem iudicum redirent examen. Verùm arbitris causam intra terminum negligentibus[d] terminare, dicti iudices iurisdictionem per formam compromissi huiusmodi resumpserunt: à quibus iidem se sentientes grauari, quod super his, super quibus ab eis fuerant absoluti, litigare compellebant eosdem, ad nostram audientiam appellarunt. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, reuocetis in irritum.

NOTÆ.

1. a *Ambian.*] Ambianensis ciuitas est in Gallia Belgica, de qua Armoricus *secundo Philippidos*, ita ait:

Sic Regio, quæ lata patet Veromanica tota
Ambianensis huius pariter cum Santerienſi,
Vbertate soli Regi cessere Philippo.

Habet Ecclesiam Cathedralem D. Mariæ dicatam, cuius Præsulum seriem refert Chenu in ea. Huius Ecclesiæ S. Præcentori, & N. Canonico causa huius textus commissa est.

b *Vidua.*] Quæ etsi diues esset, negligente iudice sæculari poterat debitores suos coram iudice ecclesiastico conuenire, *cap. ex transmissa*, vbi latè probabimus, *de foro competenti.*

c *Non debere.*] Et sic functi erant officio suo, quare non poterant absque noua delegatione causæ cognitionem reassumere: docet Salgado *de Regia protect. 3. p. cap. 8. num. 49.*

2. d *Terminare.*] Compromissum à litigatoribus potest fieri cum præfinitione temporis, aut sine temporis adiectione; si fiat absque vlla temporis præfinitione, finitur elapso triennio; quod iam iure communi statutum fuisse testatur lex 233. stili, & sancitur *in l. 27. tit. 4. partit. 3.* Cùm enim arbitria redacta sint ad instar iudiciorum, *l. 1. ff. de receptis*, & instantia iudicis triennio finiatur, *l. properandum, C. de iudiciis*, latè docet Anguianus *lib. 2. de legibus, c. 10.* & nos diximus *in cap. de causis 4. hoc tit.* inde arbitrorum potestas finitur similiter triennio à die acceptati compromissi computando. Docent Greg. Lopez *in l. 27. part.* Paz *in d. l. 233. styli.* Azeuedus *in l. 4. tit. 21. lib. 4. recopil.* Sed si cum præfinitione temporis, intra quod arbitrium dicatur, compromissum fiat, si intra illud tempus sententia non proferatur, compromissum finitur, *l. si cùm dies 22. l. arbitrio 50. ff. de receptis*, *l. 27. tit. 4. partit. l. 4. tit. 21. lib. 4. recopil.* Azeuedus *vbi supra*: sed cùm hoc tempus prorogari possit, in hac temporis prorogatione, seu restrictione Consulti vtuntur his verbis, *prolato, perlato, relato, repetito die*; quæ inter se valdè differunt; dies enim prolatus est in longiorem productus, prorogatusve, *l. arbiter 33. l. Labeo 25. §. 1. ff. de receptis.* Seneca *in Hercule Furente.*

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli iussu cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.

Prælatus dies dicitur, id est antelatus, antepositus: quam prælati diei acceptionem habemus *in l. si à debitore, ff. ad leg. Corn. de falsis, l. 1. § editione, ff. de edendo.* Relatus autem dies dicitur de futuro longiori in proximiorem reuocatus, id est anticipatus, *d. l. arbiter 33.* Festus *verbo Referre.* Cuiacius *lib. 1. quæst. Papin.* Repetitus dies dicitur ex præterito in præsens petitus, & assumptus, *l. repetito, ff. de fide instrum. l. 1. §. 7. & 8. ff. de itinere, actuque, l. si finita, §. item videamus, ff. de damno infecto.*

3. TEMPVS COMPROMISSI A QVIBVS PROROGITVR.

His suppositis quæstio apud iuris Interpretes est, an arbitri per se, vel ipsi tantùm compromittentes possint diem in compromisso adiectum prorogare, seu referre. Et quoad arbitros certum est, non posse proferre, vel referre diem inuitis compromittentibus, *l. non distinguemus 32. §. de eo, l. arbiter 50. ff. de receptis:* est enim hoc nouum compromissum, vnde sicut in primo consensus partium desideratur, ita & in hoc secundo. Sed si in ipso compromisso caueatur, vt dies proferri possit, tunc inuitis etiam ipsis compromittentibus poterit dies ab arbitro prorogari, *l. Labeo 23. §. hæc, l. diem 27. §. 5. l. non distinguemus, §. vlt. ff. de receptis.* Nec opus est, vt sententiâ in scriptis prolatâ dies prorogetur, quia per nuncium tantùm prorogari valet, *d. l. diem 27.* Quæ enim consensum nudum postulant, per epistolam, vel per nuncium expediri possunt, *l. 1. §. vlt. ff. de contrahenda empt.* sed si in compromisso cautum sit, vt arbitri possint diem proferre, non poterunt illum referre, *l. arbiter 33. ff. de receptis*; quia inuitis compromittentibus non licet arbitris compromissi formam mutare, *l. sed si in seruum 9. §. penult. & vlt. iuncta l. verò 12. §. 1. ff. de solutionibus.* Vnde inuitis litigatoribus non licet arbitris diem referre. Nec tunc obstat textus *in l. non distinguemus 32. §. dies, ff. hoc tit.* in illis verbis: *Dies compromissi proferri potest, non cùm ex conuentione, sed cùm iussu arbitri*

arbitri eam proferri necesse est, ne pœna committatur. Vbi supponi videtur, non sufficere partium conuentionem tempore compromissi factam, vt arbiter possit diem proferre. Nam in eo textu agitur de pœna committenda à litigatore, qui post conuentionem in compromisso factam, vt liceret diem proferre, contradixit, ne arbiter ea lege vteretur: & asserit consultus, quod si post conuentionem antequam necesse sit diem proferre, eam protulerit, vnusque ex litigatoribus contradixerit, non committitur pœna; sed si contradixerit postquam cùm ampliori termino opus esset, arbiter prorogauit, tunc committitur pœna ab eo, & parti applicatur; & si ambo contradixerint, non committitur pœna, quia non est cui applicetur, *l. arbiter* 40. *ff. de receptis:* cùm enim par sit delictum, non potest alter ab altero pœnam petere. Similiter etiam compromittentes per se non possunt diem in compromisso præscriptum prorogare inuito arbitro, vt arbiter cogatur sententiam dicere; eo autem consentiente, poterunt diem proferre, *l. Pomponius* 13. §. *vlt. l. & si* 16. *in fine, l. quid tamen*, §. 5. *ff. de receptis.* Similiter etiam vnus ex compromittentibus non potest sine alio compromissi diem prorogare, *l. arbiter* 33. *ff. de receptis*, Cuiacius *lib.* 13. *Pauli ad edictum, in l. quo casu* 12. *ff. eod. tit.* Sicut enim vna pars sine alia non potest prorogare iurisdictionem iudicis, vt sic aduersarium ad incompetentem iudicem, vel peregrinum trahat, *l.* 5. *ff. de officio Proconsulis, l.* 1. *ff. de officio eius*, nec ex Principis quidem rescripto, *l.* 9. *C. Theodos. de iurisd. l.* 2. *C. de dilationibus*, Symmachus *lib.* 10. *epist.* 52. ita similiter nec arbitri potestatem prorogare valet vnus ex litigatoribus sine alio, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, contra regulam *non debet* 74 *ff. de reg. iuris:* quæ si coniungatur cum dicta lege *arbiter* 33. quæ est eiusdem Papiniani *lib.* 1. pertinet ad præsentem speciem prorogationis temporis compromissi, vt animaduertunt Cuiacius *in d. l. arbiter*, Gothofredus *in dict. regula* 74.

Ex his apparet huius textus vera interpretatio; nam cùm compromissum factum esset cum temporis præfinitione, & tempus elapsum esset, exspirauit potestas arbitrorum: non possunt autem iudices delegati reassumere iurisdictionem, quam semel amiserunt interloquendo iurisdictionem ad se non pertinere; quia prorogatio iurisdictionis delegatæ tunc admittitur, cùm vera iurisdictio delegata est, vt dixi *in cap. de causis, hoc tit.* aliàs partes iurisdictionem dare non possunt eam non habenti; si autem iudices delegati haberent iurisdictionem in habitu, licèt in actu renunciarent, ex consensu partium reassumere possent, vt docet Vela *tom.* 2. *differt.* 41. *num.* 63. 4.

CAPVT XXXIX.

[a] Idem.

[b] SVspicionis causâ contra iudicem assignatâ, non ipse (qui forsan prouocatus obesset) sed [c] arbitri potiùs, coram quibus probatio est facienda, & ad quos omnia, quæ ad hunc articulum faciunt, pertinere noscuntur, possunt ad hoc terminum assignare. Ab ipso quoque iudice (cui sicut iurisdictio, sic & cætera sine quibus explicari non potest, intelliguntur esse [d] commissa) iidem vt conueniant, si discordes fuerint, in vnam sententiam, vel tertium concorditer aduocent, cum quo [e] duo, vel alter eorum id faciat, sunt cogendi, ne huiusmodi occasione principale negotium plus debito prorogetur.

NOTÆ.

a *Idem.*] Gregorius videlicet IX. qui à nemine consultus in præsenti praxin proponit obseruandam in recusatione iudicum delegatorum.

1. b *Suspicionis.*] Recusationis causas varias enumerant Couar. *practic. quæst.* 26. Paz *in praxi, tom.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 25. Maranta *de ordine iudic. tit. de appell. n.* 17. Petrus Gregorius *lib.* 49. *syntagm. cap.* 3. Carrasco *ad leges recopil. tit. de causis recusat.* Sesse *tom.* 4. *decis.* 415. *&* 416. Carleual *tom.* 2. *de iudiciis disp.* 5. Acacius Ripol. *de iurisd. cap.* 2. Guazinus *in defensione reorum, defens.* 1. *cap.* 19. & eas nos prosequemur *in cap. cùm speciale* 61. *de appellat.*

2. c *Arbitri.*] Iuris videlicet, qui non tam partium voluntate, quàm iuris dispositione eliguntur, vt de causis recusationis cognoscant, *cap. secundò requiris* 41. §. *tertio, cap. cùm speciali* 61. *de appell. cap. si quis contra, de foro compet. cap.* 2. *de ordine cognit. in* 5. *compil. cap. ab arbitris, de officio deleg. in* 6. *cap.* 12. *de appell. eod. lib. l. finali, C. de iudiciis:* de quibus agunt Cuiacius *in d. l. finali*, Balboa *in d. cap. cùm speciali*, vbi etiam Cuiacius, Morla *in emporio tit. de iurisd. num.* 173. Moneta *de commut. cap.* 8. *num.* 610. Vulteius *de iudiciis lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 237. Sanchez *tom.* 2. *consil. lib.* 6. *cap.* 8. *dubio* 3. *num.* 21. Molina *lib.* 6. *de iustit. disput.* 31. Osualdus *lib.* 17. *comment. cap.* 25. *littera T*, Sesse *tom.* 1. *decis.* 41. *&* 113. Non autem recusatione oppositâ finitur iurisdictio delegata, sed suspenditur, *cap. si iudex* 5. *de officio deleg. lib.* 6. Ratio est, quia recusato iudice non officium, sed administratio, aut exercitium iudici adimitur, vt in præsenti docetur. Quod etiam procedit quando qui delegauit, re adhuc integrâ in excommunicationem incidit, *cap. si bis* 10. *hoc tit. lib.* 6. tunc enim non exspirat iurisdictio delegata, sed tantùm suspenditur, *cap. ad probandum, de re iudicata.* Docent Orosius *in l. & quia, de iurisd. num.* 40. Quintanadueñas *de iurisd. deleg. num.* 21.

d *Esse commissa.*] Vt latè probaui suprà *in cap.* 1. 3.

e *Duo vel alter.*] Hanc partem fusè illustrabimus *in cap.* 1. *de arbitris:* ex quo commentario, & adducendis *in cap.* 4. *de foro compet. cap. cùm speciali, de appell.* quæ huc spectant, petenda sunt.

CAPVT XL.

Idem *Abbati S.*[a] *Genouefæ.*

P. & G. per litteras Apoſtolicas conquerentibus coram te de Epiſcopo[b] London. quòd conceſſum ab eis[c] mutuum promiſſo[d] loco, & [e] termino non perſoluit: pendente iudicio I. laicus, qui in [f] quantitate quadam eiſdem mercatoribus tenebatur, ſe in tuam iuriſdictionem (ſicut adſerit) voluit prorogare: vt ſi intra terminum conſtitutum prædictam non ſolueret quantitatem, excommunicationis, & interdicti ſententias in perſonam, & terram eius promulgares. Quas huiuſmodi occaſione à te latas, decernimus non valere; cùm etſi aliàs iuriſdictioni[g] præeſſe dicaris, quia in dictum I. nullam iuriſdictionem habebas, iuriſdictionis prorogatio nulla noſcitur extitiſſe, cùm huiuſmodi delegata iuriſdictio ad alias perſonas nequeat prorogari.

NOTÆ.

a S. *Genouefæ.*] De hoc monaſterio egi *in cap. cùm olim* 32. *hoc tit.*

b *London.*] Legendum eſt *Laudunen.* vt in Gloſſa marginali emendatur. His temporibus regebat Eccleſiam Laudunenſem Guillelmus de Gerirnis, vt referunt Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ*, & Fratres Sarmat. *tom.* 2. *Galliæ Chriſt. fol.* 596.

c *Mutuum.*] Non exprimit Pontifex, an pecuniæ, fru menti, olei, vini, vel alterius ſpeciei mutuum eſſet celebratum; non enim in pecunia tantùm, verùm in omnibus rebus, quæ functionem recipiunt, & quæ pondere, numero, menſuráve conſtant, mutuum conſiſtit, *l. mutuum* 2. *ff. de rebus creditis*, vbi docuerunt Federicus Scotus, Matheacius, Donellus, & Barclaius, Mancinus *lib.* 1. *Genial. cap.* 24. *&* 153. Gibalinus *de vſuris tom.* 1. *cap.* 2. *&* 3. Salmaſius *ad ius Atticum cap.* 6. Deſiderius Heraldus *lib. vnic. emend. cap.* 15. Vulteius *diſcept. cap.* 15. Hermoſilla *in l.* 2. *tit.* 1. *partit.* 5. 1.

d *Loco.*] Non ſolùm in obligationibus adiiciuntur dies, & conditio, verùm & locus apponi ſolet, in quo res debita ſoluatur, *l.* 1. *& per totum ff. de eo quod certo loco*, *l. eum qui* 41. §. *quotiens*, *l. interdum* 73. *l. continuus* 135. §. *cùm ita*, *ff. de V. O. l. hæres*, §. *final. ff. de iudiciis*, *l. pecuniam* 15. *ff. de compenſationibus*, *l.* 2. §. *ſi quis ius*, *ff. ſi quis cautionibus*, §. *loca*, *Inſtit. de oblig.* Donellus *lib.* 26. *comment. cap.* 23. & *ad tit. ff. de eo quod certo*, vbi Ægidius Hortenſius. Et licèt dies in obligatione adiiciatur tantùm gratiâ debitoris, locus tamen plerumque adiicitur vtriuſque, creditoris, & debitoris gratiâ, propter promiſcuas vtilitates, quæ ſingulis adeſſe poſſunt, *l.* 1. *&* 2. §. *vlt. cum ſeqq. ff. de eo quod certo:* vnde locus à debitore renunciari non poteſt inuito creditore; dies verò renunciari valet, quia ſui causâ ſtatutus eſt, *l. eum qui Kalendis*, §. *vlt. ff. de V. O. l. quod in diem*, *l. cùm tempus*, *ff. de reg. iuris.* Non ergo qui certo loco promiſit, in alio ſoluere poteſt, *l.* 2. §. 2. *l. is qui* 9. *ff. de eo quod certo*, *l. qui Romæ* 122. *ff. de V. O. l. fideiuſſor.* 16. §. 1. *ff. de fideiuſſor. l.* 9. *C. de ſolut.* Nec contrarium probat textus *in l. continuus*, §. *cùm ita*, *ff. de V. O.* cui ſatisfaciunt Donellus *ibi*, Faber *lib.* 2. *coniect. cap.* 1. Nec etiam vt ſoluat alio loco, quàm deſtinato ſolutioni, à creditore cogi valet, *l.* 1. *ff. de eo quod certo*, *dict. l. hæres*, §. *illud*, *l. ſi duo* 16. §. 1. *de conſtit. pecun. l.* 3. *ff. de rebus authorit. iudicis*, *l. quæro* 100. *ff. de ſolutionibus*, *l.* 37. *tit.* 2. *partit.* 3. Docent communiter repetentes, Donellus & Hortenſius *in d. l.* 1. *ff. de eo quod certo*, & *in l. vnica*, *C. vbi conueniatur qui certo loco*, P. Barb. *in d. l. hæres* 19. §. *illud*, Carleual *de iudiciis tom.* 1. *tit.* 1. *diſput.* 2. *ex num.* 284. ſortiturque in eo caſu debitor duplex forum: vnum ratione domicilij, *d. l. hæres*, §. *vlt.* aliud ratione loci adiecti; per talem enim adiectionem quaſi contractum in eo loco creditur, *l. vinum* 22. *ff. de rebus creditis*, *l.* 3. *ff. de rebus authorit. iudicis*, *l. contraxiſſe* 21. *ff. de O. & A. l.* 8. *tit.* 3. *lib.* 4. *recopil.* Docent Couar. *practic. cap.* 20. *num.* 3. Gutierrez *de iuramento* 3. *p. q.* 16. Laſſarte *de decima vendit. cap.* 4. *num.* 10. vnde cùm ratione contractus retento etiam foro domicilij quis forum ſortiatur, *cap. vlt. de foro compet. cap. vnico*, §. *contrahentes*, *eod. tit. in* 6. ideò in loco domicilij, & loco ſolutioni deſtinato conueniri poteſt. Vnde Epiſcopus Laudunenſis in præſenti ſpecie, aut Lauduni ratione domicilij, aut in loco ſolutioni deſtinato poterat conueniri, vt in ſimili ſpecie docetur *in cap. dilecti* 17. *de foro compet.* vbi quæ ad actionem arbitrariam ſpectant, pro expoſitione tituli *de eo quod certo loco*, latiùs proſequemur. 2.

e *Termino.*] Etiam tempus plerumque in obligationibus adiicitur, quare aiebat non extra rem ex Epicteto Arrianus: *Non ſufficit, vt debeatur pecunia, datam eſſe mutuam*; id eſt non ſufficit inſpicere mutui contractum, ſed eius qualitates, locum videlicet, & tempus. Tempus autem adiicitur in contractibus dupliei modo. Primo, vt eo adueniente res præſtetur, nec antea, licèt d. beatur, peti poſſit, exempli gratiâ: *In diem B. Ioannis dare ſpondes?* vel, *In diem B. Petri pecunia mutuo accepta reddenda eſt.* Secundo modo, vt eo adueniente deberi deſinat, vt in hoc caſu: *Centum quolibet menſe dare ſpondes vſque ad Kalendas Martias?* adueniente eo tempore, licèt non ipſo iure, ope tamen exceptionis tollitur obligatio, *l. obligationum* 44. §. 1. *ff. de O. & A.* Ad primum tempus referenda eſt præſens deciſio, in cuius ſpecie pecunia mutuò accepta ſtatim debebatur, ſed pendente termino ſolutioni aſſignato peti à mercatoribus non poterat; quod enim in diem certum promittitur, ſtatim debetur, licèt ante diem peti non poſſit, *d. l. obligationum* 44. §. 1. *l. centeſimis* 46. *ff. de V. O. l.* 3. §. *vlt. cum ſequenti*, *ff. de conſtit. pecun. l.* 2. *verſic. Etiam datur*, *Cod. eod. tit.* docent Ripol. *in l.* 1. *ff. de condit. & demonſtrat.* Coſta *lib.* 1. *ſelect. cap.* 19. *&* 20. Gomez *lib.* 2. *variar. cap.* 11. *ex num.* 21. Duarenus 3.

de

de O. & A. cap. 4. Lara *de Capellaniis lib.* 1. *cap.* 9. Poteſt autem anteà ſoluere debitor, quia plerumque tempus eius fauore adiicitur, *l. cùm tempus, l. veluti* 27. §. 1. *l. continuus* 132. §. *cùm te, ff. de V. O.* Docent Menchaca *de ſucceſſ. creat.* §. 7. *n.* 19. Gentilis *lib.* 1. *de donat. cap.* 31. ſed ſi aduenientè tempore debitum ſolutum non ſit, ſtatim peti poteſt, & debitor in mora conſtituitur, & aduersùs eum agi poteſt in quantum creditoris interfuit pecuniam mutuam ſuo tempore fuiſſe ſolutam, aut quia aliquid amiſit, aut lucri deceſſit, *l. vinum* 22. *ff. de rebus creditis, l. vlt. ff. de condict. tritic. l. hominem* 37. *ff. mandati, l. ſi Kalendis* 11. *ff. de re iudic. l. qui fundum, ff. de V. O.* Nobilis autem differentia verſatur inter hanc obligationem ad certum diem, & inter puram; nam ex obligatione pura debitor non conſtituitur in mora ante interpellationem; vnde vſuræ, aut aliquod lucrum interceptum peti non poſſunt, *l. videamus* 38. §. *ſi actiones, ff. de V. O.* at in obligatione in diem facta, de qua in hoc textu, elapſo die ſtatim debitor conſtituitur in mora, cùm dies ipſa interpellet pro homine, *l. pecuniæ* 9. *ff. de O. & A. l. ad diem* 77. *ff. de V. O. cap. potuit, de locato.* Vnde deducitur, actionem arbitrariam duplici ex cauſa mercatores in præſenti ſpecie intendere poſſe aduersùs Epiſcopum Laudunenſem. Prima, ratione loci adiecti, propter quam actio naſcitur arbitraria, vt latè illuſtrabo *in cap. dilecti, de foro compet.* Secunda, propter tempus adiectum; ſicut enim adiectio loci inducit actionem arbitrariam, ita temporis adiectio, vt defendit Cuiacius 8. *ad Africanum, in l. centum, ff. de eo quod certo:* licèt contrarium defendant Fulgoſius, Donellus, & Faber *in d. l. quod Epheſi, ff. eod. tit.* quos mirè, & doctè in concordiam reducit D. Ioſephus de Retes *de ſtipul. pœnali, tract.* 4. *num.* 12.

f *Quantitatem.*] Non debitam ab Epiſcopo, ſed à ſeipſo, conſtituit ſe ſoluturum quantitatem, quam iam debebat certo die; poteſt enim quis conſtituere quod debet citeriori, aut longiori die, *l. ſed & ſi* 4. *ff. de conſtit. pecunia.*

g *Iuriſdictioni præeſſe.*] Delegatæ videlicet. Abbas enim S. Genouefæ eſt Decanus, & Cancellarius Lutetianæ Pariſienſis Vniuerſitatis, *cap. ex parte*, iuncta inſcriptione, *de V. S.* habet iura Epiſcopalia in parochia S. Stephani Lutetiæ, *cap. olim, el* 2. *de reſtit. ſpol.* eſt Conſeruator quamplurium Religionum, quarum catalogum refert Renatus Chopinus *lib.* 2. *de ſacra polit. tit.* 2. *pag.* 294. vnde vt Æteſiarchæ Pariſienſi miſſæ ſunt ei quamplures cauſæ, vt videre eſt *in cap. licèt, de præb. cap. ex litterarum, de apoſtatis*, & aliis. Eius iuriſdictio confirmata eſt decreto Pariſienſis Senatus, quod refert Chopinus *lib.* 2. *monaſt. pag.* 254. ſed exinde tantùm euincitur, iuriſdictionem delegatam ipſum habere; Conſeruatores enim iudices delegati ſunt, *cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. probaui *in cap.* 3. *hoc tit.* Vnde huius Abbatis, vt delegati, iuriſdictio prorogari non poterat vltra perſonas comprehenſas in ipſa delegatione. 4.

Ex hoc textu communiter deducitur, iuriſdictionem delegatam non extendi vltra perſonas in reſcripto deſignatas: quam concluſionem latè expoſui *in cap. ſignificauit, de reſcriptis.* Etiam deduci ſolet, iuriſdictionem delegatam non eſſe prorogabilem: quam partem expoſui *in cap. de cauſis* 4. *hoc titulo.* 5.

CAPVT XLI.

[a] Idem.

CVm vigeſimum annum peregeris, dari potuiſti in ætate huiuſmodi delegatus. Cæterùm conſtituto intra ætatem eandem (niſi partes ſcienter conſentirent in eum, qui annum XVIII. tranſcendiſſet,) facta delegatio ab alio, quàm à Principe, non teneret.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO PROBATVR.

a *Idem.*] Gregorius videlicet IX. qui pro expoſitione, & declaratione textus *in l. quidam* 57. *ff. de re iudicata*, præſentem edidit conſtitutionem, vt iam notarunt Sarnenſis *in cap. ſtatutum, num.* 26. *de reſcriptis in* 6. Mandoſius *de ætate cap.* 5. Petrus Barboſa *in l. cùm Prætor*, §. *final. num.* 109. *ff. de iudiciis*, & vt eam faciliùs comprehendamus, ſequentem proponimus diſputandam aſſertionem: *Minor* 20. *annis à quocumque iudex delegatus deſignari poteſt: & maior* 18. *ſi partes conſentiant; minor verò* 18. *annis nullo modo, niſi à Principe, delegatus dari valet.* Non eſt ſimilis deciſio in iure noſtro, quâ probari poſſit hæc aſſertio. Eam tamen illuſtrant Ludouicus Gomez *in cap. ſtatutum, num.* 26. *de reſcriptis lib.* 6. Mandoſius *de ætate minor. cap.* 5. *num.* 88. Zaſius *lib.* 2. *ſingularium, cap.* 22. Petrus Barboſa *vbi ſupra, num.* 90. Moneta *de conſeruat. cap.* 5. *num.* 159. Narbona *de ætate anno* 20. *quæſt.* 2. Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 24. Langleus, *lib.* 4. *ſemeſtrium, cap.* 15. Petrus Gregorius *lib.* 1. *de reſcriptis, cap.* 22. Segura *in direct. iudic.* 1. *p. cap.* 1. *per totum*, Sbrozius *de Vicario Epiſcopi, lib.* 1. *q.* 35. & alij infrà referendi.

Sed hæc Gregorij deciſio iuris vtriuſque principiis aduerſari videtur; conſtat enim certam ætatem ſingulis publicis muneribus eſſe præſcriptam, infra quam ea adire non datur, *l. honor* 14. §. *gerendorum, ff. de munerib. & honorib. l. penult. ff. de legat.* 3. Petrus Herodius *lib.* 10. *rerum iudic. tit.* 13. *cap.* 8. circa quam ætatem variæ olim fuerunt rogatæ leges, vt conſtat ex Dione Caſſio *lib.* 52. Suetonio *in Auguſt. cap.* 32. Ouidio *in Faſtis*, ibi: 2. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Iura dabat populo ſenior: finitaque certis
Legibus eſt ætas, vnde petatur honos.

Celebriſque inter eas fuit lex Annaria, cuiuſque Magiſtratus ineundi tempus definiens, de qua Cicero *Philip.* 5. his verbis: *Legibus annualibus maiores noſtri cùm grandiorem ætatem ad Conſulatum conſtituebant, adoleſcentiæ temeritatem verebantur.* Liuius *lib.* 25. *cap.* 2. & *lib.* 40. *cap.* 44. plura de

de ipsa lege Annaria Cuiacius *lib.* 17. *obseru. cap.* 34. Donatus *in dilucid. ad Lampridium in Alex. Seuero, tom.* 6. *thesauri crit.* Borellus *de Magistr. lib.* 1. *cap.* 6. Osualdus *lib.* 17. *comment. cap.* 24. *littera L.* His legibus ad Consulatum capessendum ætas 43. annorum præscripta fuit, Cicero *vbi suprà*, Alex. ab Alex. *lib.* 3. *Genial. cap.* 3. Ad Præturam 40. anni, Rosinus *lib.* 8. *antiquit. cap.* 5. Gutherus *de comitiis Romanorum lib.* 1. *cap.* 3. Ad Ædilitatem 37. Broideus *ad Polletum lib.* 2. *historiæ fori*, *cap.* 7. & *lib.* 5. *cap.* 8. Ad Quæsturam etiam 37. Sigonius *de antiquo iure Roman. cap.* 2. Robortellus *in disput. de grad. honorum:* & ad ius dicendum 30. Suetonius *in Vitel. cap.* 32. plures referens doctissimus Solorzanus *de iuribus honorariis, num.* 357. Sequentibus verò temporibus ad Magistratum gerendum, in quo Reipublicæ administratio continebatur, ante 25. ætatis annum iuuenes non admittebantur, si prouincialis Magistratus esset, *l.* 2. *ff. de minoribus*, *l. non tantùm*, §. 1. *ff. de Decurion. l. ad Rempublicam* 8. *de muner. & honor.* adeò vt Decurio minor 25. annis à Principe creatus, licèt Decurionatus munere decoraretur, ad suffragium tamen ferendum in Curia non admittebatur quousque 25. annum attigerit, *l. spurij* 6. §. *minores*, *l. penult.* §. 1. *ff. de Decurion.* Cuiacius *lib.* 1. *respons. Papin. in d. l. spurij*, §. *minores:* at verò Romanæ Reipub. Magistratus etiam minoribus 25. annis solebant à Principe, vel Republica concedi, *l. vnica*, §. *vlt. ff. de officio Consulis*, *l. si rogatus* 20. §. *vlt. ff. de manumiss. vindict.* & cùm concedebantur, concedentis auctoritas supplebat ætatem, & consequenter sententiam pronunciandi ius habebant, *d. l. quidam* 57. *l.* 5. *tit.* 4. *p.* 3. Legibus autem nostri Regni ordinarius iudex maior debet esse 20. annis; delegatus autem poterit eligi maior 18. annis, *l.* 5. *tit.* 4. *partit.* 3. Denique constitutum est, vt iudex nemo esse possit, qui non fuerit 26. annis maior, & per 10. annos in scholis publicis studiis iuris ciuilis, & canonici operam dederit, & in Regni legibus fuerit versatus, *l.* 2. *tit.* 9. *lib.* 3. *nouæ recopil.* vbi Azeuedus, Anton. Gomez *in l.* 2. *Tauri*, qui plures cumulant auctores: igitur non rectè asserimus, minorem 18. annis à Principe delegatum dari posse. Augetur hæc difficultas ex eo; nam vt iudex delegatus aliquis designetur, debet obtinere dignitatem ecclesiasticam, *cap. statutum*, *de rescriptis*, *lib.* 6. sed ad dignitatem ecclesiasticam maior ætas desideratur, veluti ad Episcopatum 30. anni, *cap. cùm in cunctis*, *de elect.* ad Archidiaconatum, seu alias dignitates curam animarum habentes 25. ad Abbatias, & & Prioratus etiam 25. *Clement. ne in agro*, §. *cæterùm*, *de statu monach.* ad inferiora verò officia & beneficia ea ætas, intra quam valeat possessor in Presbyterum ordinari, *d. cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora*, vbi latè diximus: igitur qui est infra 20. annum, iudex delegatus dari non potest. Secundò difficilis etiam est præsens assertio, vbi docetur, ex consensu partium iudicem dari posse eum, qui 18. annos obtinet; nam arbitri non possunt eligi, nisi qui 20. annum habent, *l. cùm lege* 41. *ff. de receptis*, in illis verbis: *Nemini licere minorem* 20. *annis compromissarium iudicem eligere.* Ante ætatem enim 20. annorum faciles sunt lapsus in malum, & aliæ improbæ commotiones, de quibus Sidonius *lib.* 7. *epist.* 2. D. Hieronymus *epist.* 2. *ad Nepotianum*, Cassiodorus *lib.* 1. *epist.* 1. igitur qui tantùm 18. annos sunt adepti, non possunt in arbitros, seu delegatos ex consensu partium eligi.

3. RATIO DECIDENDI.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens Gregorij IX. decisio, cuius ratio ex eo prouenit; nam cùm temporibus nostri Gregorij maiores 20. annis iudices ordinarij eligi possent, vt latè probant Bronchorst. *d. assert.* 65. P. Barbosa *in l. cùm Prætor* 12. §. *fin. num.* 48. *ff. de iudiciis*, meritò etiam habens 20. annos potest à quolibet ordinario Magistratu iudex delegatus designari: infra ætatem etiam pubertatis plenæ potest à Principe in delegatum eligi, quia cùm Princeps agnoscit ætatis defectum, & nihilominus in delegatum eligit, creditur cum eo dispensasse. Ludouicus Gomez *in d. cap. statutum*, *n.* 17. Monera *de conseruat. cap.* 5. *num.* 159. Barbosa *vbi supra.* Si tamen in minorem 20. annis partes consentiant, vt ab inferiore Magistratu iudex detur, valebit delegatio, *ex d. l. quidam consulebant*, confirmata hac Gregorij decisione; nam cum consensu partium adest similiter auctoritas delegantis, quæ supplet defectum ætatis consentientibus ipsis litigatoribus. Quare singula, quæ non prodessent, videlicet delegatio iudicis, aut consensus partium, coniuncta iuuant, inducuntque iustitiam ipsius delegationis, vt docent P. Barbosa, & Mandosius *vbi suprà.*

4. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstat prima difficultas suprà adducta; nam omissâ illâ satis vexatâ quæstione, quænam videlicet ætas iure Pandectarum desideraretur ad iudicandum? quam latè examinant vltra suprà relatos Goueanus *in l.* 2. *ff. de iurisd.* Mastrillus *de Magistr. lib.* 2. *cap.* 5. Cuiacius *in l.* 1. *C. qui ætate*, *lib.* 10. Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 24. Narbona *de ætate*, *anno* 25. *q.* 31. dicendum est, in præsenti non agi de iudice ordinario, sed delegato; vnde licèt daremus ætatem 25. annorum desiderari in iudice ordinario, non tamen inde infertur, idem obseruandum esse in iudice delegato. Nec augmentum ipsius difficultatis refragatur; nam illud procedit attento iure nouo Bonifacij VIII. post cuius decisionem delegatus, aut conseruator eius ætatis esse debet, quam requirit qualitas illa tribuens habilitatem ad delegati, vel conseruatoris munus; vt si quis delegatus, aut conseruator detur, quia Abbas, Archidiaconus, aut obtinens personatum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiali, eam ætatem debet habere, quæ ad Abbatiam, Archidiaconatum, talemve personatum desideratur, vt latiùs prosequitur Moneta *d. cap.* 5. *de conseruatorib. num.* 155. Nec tertia difficultas refragatur, pro cuius solutione sciendum est, valde controuersum esse apud Interpretes, quænam ætas in arbitris præfinita sit? Aliqui existimant, arbitrum debere esse maiorem 18. annis: ita Glossa *in præsenti*, Blancus *de compromissis q.* 2. *num.* 22. Anton. Gomez *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 55. Menochius *de arbitrariis lib.* 2. *centuria* 6. *casu* 540. *num.* 40. Caldas Pereyra *in l. si curatorem*, *verbo hunc contractum*, *num.* 44. *C. de in integrum restit.* & dicunt communem Viuius *lib.* 2. *commun. opin. opin.* 506. Goueanus *in l.* 2. *ff. de iurisd. num.* 8. P. Faber *in l.* 2. *ff. de regul. iuris*, alij congesti ab Osualdo *lib.* 17. *comment. cap.* 24. *littera G.* pro qua opinione expendunt primò præsentem decisionem, secundò textum *in l. cùm lege* 41. *ff. de receptis*, vbi asseritur, lege Iulia iudiciaria cautum fuisse, ne minor 20. annis cogeretur arbitrium suscipere: igitur si velit compromissum acceptare, valet. Tertiò & illud argumentum adducunt,

ducunt, nam qui iudices dari possunt, & arbitri recipi valent: sed maiores 18. annis, licèt minores 20. iudices esse possunt, *l. quidam 57. ff. de re iudicata*, *l. vnica, ff. de officio Consulis*, *l. Prætor 12. versic. Natura, ff. de iudiciis*, vbi naturâ tantùm impuberes iudicare prohibentur, *l. 1. §. 3. ff. de postulando*; vbi maior 17. annis potest de iure respondere: igitur & arbiter designari valet. Sed arbitrum debere eligi eum, qui vigesimum annum obtineat, docuerunt P. Gregor. *lib. 47. syntagm. cap. 9. num. 16.* Donellus *lib. 17. comment. cap. 24.* & *in d. l. quidam*, Mastrillus *de Magistr. lib. 2. cap. 3. num. 2.* Quam opinionem iure communi inspecto veriorem reor: nec eâ retentâ obstant prioris sententiæ fundamenta. Non præsens decisio, quæ procedit in iudice delegato ex consensu partium designato, non verò in arbitro ex mero consensu partium electo: vnde cùm in iudice delegato cum consensu partium concurrat auctoritas delegantis, ideò habens 18. annos potest delegatus creari; at verò in arbitro nulla auctoritas dantis, sed tantùm partium consensus adest, ideoque minor 20. annis in arbitrum eligi non valet. Quo modo etiam accipiendi sunt textus *in l. 4. tit. 5. partit. 3. l. 4. tit. 15. lib. 2. ordin.* Nec etiam facit pro contraria opinione textus *in d. l. cùm lege 41.* argumento à contrario deducto, quod ex eo textu deduci non valet; nam si Callistratus docet, minorem 20. annis cogi non posse arbitrium dicere, expressè supponit, arbitrium suscipere non valere, cùm ex edicto Prætoris omnes arbitri ex consensu partium electi possent cogi arbitrium dicere, *l. non distinguemus*, cum suis §. §. *ff. de arbitris*: igitur si non potest cogi, nec eligi valet, vt docet Bronchorst. *centuria 1. assert. 65.* omissis aliis solutionibus traditis à Fabro *in eius textus rationali*, Osualdo *lib. 17. ad Donellum, cap. 24. littera G.* Vulteio *de iudiciis, cap. 1. num. 100.* Narbona *de ætate, anno 35. q. 33.* Hodie tamen cùm ætas 26. annorum ad iudicandum præfinita sit, *l. 2. tit. 9. lib. 3. recopil.* abrogatis, seu expositis *l. 5. tit. 4. part. 3. l. 3. tit. 9. lib. 3. recopil.* crederem arbitros etiam 25. aut 26. annos habere debere, quod & docet Narbona *anno 25. q. 33.* Nec tandem facit pro alia sententia textus *in d. l. quidam*; nam in eo sententia prolata à minore 20. annis sustinetur ex dispensatione Principis, qui potest in ætate Magistratuum dispensare, vt suprà probaui, & docent Vulteius *de iudiciis lib. 1. cap. 1. num. 99.* Altamirano *in l. 1. Cod. de filiis official. cap. 4. num. 9.* Amaya *in l. 2. C. si seruus aut liber, ex num. 29.*

CAPVT XLII.

Idem.

VNo [a] delegatorum, vel [b] arbitrorum (sicut proponis) rebus humanis exempto, eorum officium exspirauit. Nisi aliud in [c] delegatione, aut compromisso fuisset expressum.

NOTÆ.

1. [a] *Delegatorum.*] Vno enim ex iudicibus delegatis defuncto, aliorum exspirat etiam iurisdictio, vt docent Vighellius *in meth. iuris can. pag. 211.* P. Gregor. *in cap. sciscitatus, de rescriptis*, Matienzo *in l. 12. glossa 1. tit. 4. lib. 5. recopil.* Farinacius *in fragment. 2. p. verbo iudex, num. 773.* quam partem exposui *in cap. sciscitatus, de rescriptis, cap. quoniam 14. hoc tit.* & explicat Castillo *lib. 5. controu. cap. 130. num. 7.*

2. [b] *Arbitrorum.*] Arbitrorum morte, & compromittentium finiri compromissum, probabimus *in cap. finali, de arbitris.* Non idem procedit defuncto vno ex executoribus datis ad testamentum faciendum, vel exequendum, vt pro interpretatione textus *in cap. finali*, §. *sanè, de testam. lib. 6.* docent Carpio *de execut. lib. 3. cap. 2. per totum.* Barbosa *voto 59.*

[c] *Delegatione.*] Adiectâ videlicet clausulâ, quod si non omnes, quam illustraui *in dict. cap. sciscitatus.*

CAPVT FINAL.

[a] Idem.

QVoniam Apostolica Sedes intendit prouidere negotiis, & non personis, quibus eadem committuntur, si iudex tertius, licèt ex officio nostro, vel de adsensu partium pro communi à nobis datus eisdem, alij delegauerit vices suas (cùm delegato à Principe id concedatur à iure) delegatio valebit ipsius. Idem quoque dicendum est, cùm mandatur Episcopo, vt cum altero suorum coniudicum mandatum Apostolicum exequatur: & tunc sine subdelegato ab ipso Episcopo reliqui duo procedere non valebunt. §. Is autem, cui iniungitur, vt personaliter negotium exequatur, potest (dummodo partes consentiant) hoc aliis delegare. Præterquàm si inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de Prælatis, vel aliis ministris prouideri mandaremus: cùm in his omnibus casibus industriam, & fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur. §. Cæterùm (saluâ Legatorum Sed. Apost. auctoritate,) nulli, cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absoluere aliquos,

dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare; quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur in hac parte.

NOTÆ.

1. a *Dem.*] Gregorius IX. videlicet, qui à nemine consultus, sed motu proprio præsentem edidit constitutionem, vt explicaret potestatem delegandi, seu subdelegandi, c m mandata est iurisdictio, aut nudum ministerium commissum: quam potestatem exposui *in cap. 3. hoc tit.* & pro conciliatione præsentis textus cum capite finali, *de officio Ordinarij*, repetenda sunt adducta in commentario dicti capitis finalis.

TITVLVS XXX.

De officio Legati.

CAPVT I.

Alexander III. [a] *Vniuersis Suffraganeis* [b] *Cantuar. Ecclesiæ.*

CVM non ignoretis, venerabilem fratrem nostrum Cantuar. Archiepiscop. vobis non solùm Metropolitani, sed etiam [c] legationis iure præesse; mirabile satis est, quod quidam vestrûm, sicut audiuimus, asseuerare præsumunt, quod idem Archiepiscopus nullam causam de Episcopatibus vestris, siue Metropoleos, siue legationis iure audire debeat, nisi per [d] appellationem perferatur ad ipsum. Sanè licèt Metropolico iure audire non debeat causam de Episcopatibus vestris, nisi ad eum per ap. deferatur; tamen legationis obtentu vniuersas ecclesiasticas causas de ipsis Episcopatibus, quæ per ap. vel querimoniam aliquorum proueniunt ad audientiam suam, audire potest, & debet, sicut qui in prouincia sua vices nostras gerere comprobatur. Mandamus itaque, & præcipimus, vt causas, quæ de Episcopatibus vestris ad eundem Archiepiscopum perferuntur, eius iudicio relinquatis, nec quemlibet clericum, vel laicum vestræ iurisdictionis deterrere, vel impedire tentetis, quominus causam ad præfatum Archiepisc. si voluerit, possit transferre.

NOTÆ.

a *VNiuersis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. vnico*, videlicet 23. Episcopis, qui vt suffraganei parent Archiepiscopo Cantuarienſi, quorum sedes referunt Candenus *in Republica Angliæ*, Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra*, Barbosa *p. 1. de potest. Episcop. in notitia Episcop.*

b *Cantuarienſis.*] De huius Ecclesiæ origine, & amplitudine aliqua adduxi *in cap. 2. de rescriptis.*

1. c *Legationis.*] Inter alia Cantuarienſium Præsulum priuilegia non minimum olim fuit ius Legatorum; illi enim Legati nati Sedis Apostolicæ erant: ita enim scribit Ioannes Papa XII. in litteris ad S. Dunstanum Archiepiscopum Cantuarien. apud Malmesb. *lib. 1. Pontif. pag. 212. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more anteceſſorum tuorum vices Apoſtolicæ Sedis exercere conuenit, ita tibi ad plenum confirmamus, ſicut B. Auguſtinum, eiuſque ſucceſſores præfatæ Eccleſiæ Pontifices habuiſſe dignoſcitur.* Vnde Candenus *in ſua Brit. p. 239.* aliàs 296. *Cantuarienſes Archiepiſcopi erant Legati Pontificis Romani, & (vt Vrbanus ſecundus aiebat) velut alterius orbis Patriarchæ: & Godwinus in vita Theobaldi Archiepiſcopi pallium accepit Romæ ab Innocentio ſecundo, à quo etiam titulo donatus eſt Legati nati, qui ab omnibus ſucceſſoribus iam inde ſemper retentus eſt.* Et priùs in vita Rodulphi Archiepiscopi: *Rodulphus Sedi Cantuarienſi priuilegium antiquitùs conceſſum aſſeruit, vt illius Eccleſiæ Archiepiſcopi Sedis Apoſtolicæ Legati nati perpetuò haberentur.* Parker. *in antiquit. p. 25. Pontifices Romani Cantuarienſes Archiepiſcopos, vt ſuos Legatos nominabant, vt auctoritatem, quam iure ſuo obtinebant, à Sede Romana ſumere viderentur.*

d *Appellationem.*] *Cap. per ſingulas 1. 9. q. 3. cap. dilecti, cap. cùm cauſam, cap. ſolicitudinem, de appell. cap. Romana, eod. tit. in 6. cap. per tuas, de ſententia excommun. cap. venerabilibus, eod. tit. in 6. cap. 1. de foro compet. eod. lib.* Docent latè Balboa *in cap. 1. de foro compet.* Hallierius *de hierarch. iuriſd. lib. 4. art. 3. §. 1.* & nos plura dabimus *in cap. paſtoralis, de officio Ordinarij.*

COMMENTARIVM.

EX hoc textu talis deducitur assertio. *Legatus Pontificis in prouincia ſuæ legationis etiam per ſimplicem querelam adiri poteſt.* Probant eam textus *in* 2. CONCLVSIO PROBATVR.

in cap. cùm inter, iunctâ integrâ, *cap. cùm venerabilis 7. de consuet. cap. 2. hoc tit. in 6. cap. officij 38. de elect. cap. veniens, de V. S. cap. si Abbatem, de elect. lib. 6.* Illustrant vltra relatos à Barbosa *in præsenti*, & *lib. 1. iuris eccles. cap. 5. num. 75.* Petrus Greg. *lib. 5. partit. tit. 3. cap. 2.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disput. 3. §. 2. num. 3.* Sahagun *ad hunc titulum, num. 7.* Coruinus *lib. 1. aphorism. tit. 20.* Fragoso *de regim. Christ. reipubl. p. 2. lib. 4. disp. 10. §. 5.* Morinus *lib. 1. exercit. cap. 21.* Morla *de iurisd. tit. 2. num. 105.* Gambara *de officio Legati lib. 8. num. 7.* Canisius *in summa huius tituli*, Lælius Cæcus *de repub. tit. de statu Legati, num. 3.* Zerola *in praxi, verbo Legatus*; Azor *Instit. moral. 2. p. lib. 5. cap. 28.* Filesacus *in cap. duo 9. de officio Ordinarij.*

3. Impvgnatvr hæc assertio.

Sed aduersùs hanc assertionem insurgi potest sequenti consideratione. Ecclesiasticus ordo confunditur, si sua vnicuique iurisdictio non seruetur, & ab Ordinario auferatur primæ instantiæ cognitio. Leo Pontifex X. in constitutione lata in Concilio Lateran. anno 1515. in illis verbis: *Et cùm ecclesiasticus ordo confundatur, si sua vnicuique iurisdictio non seruetur, Ordinariorum iurisdictioni quantùm cum Deo possumus fauere, ac litibus celeriùs finem imponi, & litigantium immoderatis sumptibus, & expensis parci satagentes, statuimus, & ordinamus, quod singulæ causæ, tam spirituales, quàm ciuiles, & mixtæ, forum ecclesiasticum quomodolibet concernentes, in prima instantia extra Romanam Curiam, & in partibus coram Ordinariis locorum duntaxat cognosci, & terminari valeant.* Vnde PP. Concilij Trident. *sess. 24. de reform. cap. 20.* ita statuerunt: *Legati quoque etiam de latere, Nuncij, Gubernatores Ecclesiastici, aut alij quarumcumque facultatum vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumant, sed nec etiam contra clericos, aliasve personas ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito.* Quare in omnibus causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus coram loci Ordinario primam instantiam tractandam, & finiendam esse docent innumeri congesti à Barbosa *in d. cap. 20. Concil. Trident.* Salgado *de retent. bullarum 2. p. cap. 3.* igitur Archiepiscopus Cantuariensis, quantumvis Legatus natus Sedis Apostolicæ, non potest per viam querelæ adiri, cùm per consequens prima instantia tollatur ab Ordinariis suffraganeis. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam Legati Sedis Apostolicæ exæquati sunt Legatis Proconsulum, *cap. 2. hoc tit. lib. 6.* sed Legati Proconsulum, immò & ipsi Proconsules intra Vrbem tantùm voluntariam, non contentiosam exercere poterant iurisdictionem, *l. 2. in principio, ff. de officio Proconsulis:* igitur & Legati Sedis Apostolicæ iurisdictionem contentiosam exercere non possunt.

4. De legatorvm origine.

Hac difficultate non obstante vera est præsens decisio, ad cuius expositionem primò præmittendum est, Legatum à legando, immò & legendo dictum esse, quasi priùs lectus & electus, vt publicum negotium peregrè, & auctoritate publica agat, & pertractet. Occurrunt enim plerumque negotia, quæ nisi per Legatos expediri nequeunt, vt sunt quæ cum absentibus agenda, & pertractanda veniunt; nam litterarum ministerio cuncta committere, & earum fidei, periculosum esset; nec possunt calamo peragi, quæ exploranda magis, quàm tractanda sunt, & mutuo, præsentique colloquio egent: quare Legati officium iam olim in vsu apud varias nationes fuisse legimus ad expedienda publica belli, aut pacis negotia. Mittuntur autem Legati à Principe ad Principem, *l. finali, ff. de Legationibus*; à Rebuspublicis ad Respublicas, *l. 1. ff. eodem, l. 1. C. eod. tit.* qui dicebantur Legati cùm adiectione talis prouinciæ, vt Legatus Ciliciæ, *in l. testium 3. vers. Ideoque, ff. de testibus:* Legatus Lugdunensis, *l. spadonem 15. §. si quis 17. ff. de excusat. tutor.* Aquitaniæ *in l. 12. ff. de custodia reorum:* Galliæ *in l. 2. ff. de iure immunit.* Numidiæ *in l. nam 7. ff. de legat. præstandis.* Et illi negotia publica cum exteris gentibus disceptabant, vt Belisarius eos descripsit apud Procopium *lib. 2. belli Persici*; non tamen vllam iurisdictionem exercebant: cum iurisdictione autem suos Legatos mittebant Proconsules, & Præsides, de quibus *in tit. ff. de officio Proconsul. l. 2. C. de apparitoribus, lib. 12. l. 1. ff. de officio Præsidis*, qui dicebantur Legati Proconsulis, & Præsidis, *l. non est 7. ff. de manum. vindict. l. moris 9. §. 2. ff. de pœnis*; quibus maximè conueniunt Legati nati, seu missi cum iurisdictione, de quibus in præsenti titulo agemus, vt iam notauit Petrus Marcha *lib. 5. concord. Sacerd. & Imper. cap. 1. & 2.* Inferiores ad Principem Legatos propriè non mittunt, nec huiusmodi Legati potiuntur priuilegiis, & prærogatiuis aliorum Legatorum supremorum Principum, de quibus *in l. finali, ff. de legationibus, l. sanctum 8. de diuis. rerum, l. lege Iulia 7. §. finali, ff. ad leg. Iul. de vi public. l. 2. §. fuit post eos, versic. Deinde, ff. de origine iuris, cap. ius gentium 7. 1. dist. l. 9. tit. 25. partit. 7. l. 25. tit. 18. partit. 3. l. vnica, tit. 8. lib. 6. recopil.* in quibus Legatorum personæ sanctæ dicuntur, quia nullo modo lædi possunt, aut violari, vt probant Duarenus *lib. 1. disp. cap. 37.* Emanuël Suarez *lib. 1. obseru. cap. 10. & 15.* Petrus Faber *lib. 2. semestr. cap. 1.* Durantius Casellius *lib. 1. variar. cap. 1.* Marquez *in Gubernat. Christ. lib. 1. cap. 27. & lib. 2. cap. 37.* D. Ioannes à Solorzano *tom. 1. de iure Indiar. lib. 2. cap. 20. num. 27.* Immò subditorum Legati illis tantùm priuilegiis fruuntur, quæ illis à Principe conceduntur, de quibus *in titulis ff. & C. de legationibus, l. 2. §. Legatis, cum sequentibus, l. si quis 8. l. non aliàs 24. cum seq. vsque ad leg. 28. l. cùm furiosus 39. §. finali, l. si vxor 42. ff. de iudiciis, l. eum qui 5. §. 1. ff. de constit. pecun. l. si Legatus 30. ff. ad Trebel. l. finali, §. Legati 12. ff. de muner. & honor. l. Legato, ff. de vacat. muner. l. 2. C. de muner. & honor. lib. 10. l. hos 12. ff. de accusat. l. Titio 36. ff. ad municip. l. Legatis 8 ff. ex quibus causis, l. tutor 35. §. finali, ff. de iureiur.* plura de his Legatis publicis, & eorum legationum iuribus congesserunt relati à Solorzano *d. num. 27.* quibus addendi sunt Brissonius *de formulis pag. 276.* Scombornerius *lib. 3. polit. cap. 28.* Clagmarius *de iure Imperij, lib. 1. cap. 18.* Besoldus *tom. 3. polit. dissert. de Legatis, eorumque iure*, Burgensis *centuria 1. obseru. 96.* Petrus Herodius *lib. 10. rerum iudic. tit. 15. cap. 3. 18. & 22.* Zipeus *de Senatoribus lib. 4. cap. 28.* Arnisæus *de iure maiest. lib. 2. cap. 5. num. 16.* Grotius *de iure belli lib. 2 cap. 18. §. 2.* Dorleans *ad Tacitum 3. annal. pag. 430.* Scribanius *in polit. lib. 1. cap. 26.* Giurba *consil. 69.* Amaya *in l. 2. num. 30. C. de muner. & honorib. lib. 10.* magnus, & doctus semper D. Franciscus Ramos *in memorial. pro Episcop. Lusit. propos. 1. §. 2. ex num. 74.*

5. De legatis sedis Apostolicæ.

Etiam in Ecclesia iam ab eius primis sæculis magna fuit auctoritas Legatorum, quidquid impij hæretici impuris vocibus eorum nomen irridentes,

dentes, detrahere intendant. In Conciliis enim plerumque generalibus Romanus Pontifex, qui nimiis occupationibus implicatus, & ob loci distantiam, cùm occupatâ maiore Italiæ parte à Barbaris necessariò Concilia œcumenica in Oriente celebrabantur, cùm per se præesse non posset, Legatos suos mittebat, vt eius nomine illis præessent, vt in Conciliis Nicæno, Ephesino, Chalced. & aliis contigit, de quibus Legatis egit Crespetius *in summa*, *verbo Legatus*, & plenè, ac eruditè Petrus Marcha *lib. 5. concord. Sacerd. & Imper. cap. 2. cum sequent.* Legatorum autem Sedis Apostolicæ tria sunt genera, *cap. 1. hoc tit. lib. 6.* Alij sunt Legati à Latere dicti, *cap. decreto*, *cap. si quis Episcopus 2. q. 6.* siue à facie, vt vocat Balsamon *scholio 1. ad Synodum sextam in Trul.* Laterales eos appellat Ivo Carnot. *epist. 109.* quia à latere Pontificis mittuntur, vt ait Leo Pontifex *epist. 14. ad Faustum*, in illis verbis: *Cùm propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentauit, de latere meo mitterem, qui defensioni veritatis assisteret.* Quia enim ex collegio Cardinalium Legati eliguntur, qui ad latus Pontificis sunt, sicut *in l. iurisperitos 30. ff. de excusat. tutor.* dicuntur circa latus Principis agere, qui in eius comitatu sunt: & apud Possidium *in vita S. Augustini*, de iudice Africæ ab Honorio Imperatore dato ita legitur: *Propter quod perficiendum etiam de suo latere Tribunum, & Notarium Marcellinum ad Africam iudicem miserat*; inde Cardinales Legati à Latere dicuntur, *cap. volentes 8. de officio ordin. lib. 6. cap. si Abbatem 36. de elect. eod. lib.* quia Cardinales de corpore ipsius Pontificis, & ad latus eius sunt, *cap. quisquis 6. q. 1. Clement. felicis*, *de pœnis.* Non tamen olim necessarium erat, vt Legati à Latere Cardinalitiâ dignitate præfulgerent, vt probat Iuretus *in notis ad epist. 260.* Ivonis. Alij sunt Legati nati, ita appellati, quia cum ipsa dignitate, quam obtinent, ipso iure Legatorum officium nanciscuntur, quales sunt Archiepiscopus Cantuariensis, vt suprà probaui, Eboracensis *cap. 6. de iudiciis*, *cap. 1. de appellat. cap. 1. vt lite pendente*, Bituricensis *cap. vlt. de maiorit. & obed. cap. exposuit*, *de dilation.* Rhemensis, *cap. per venerabilem*, §. *verùm*, *qui filij sint legitimi*, *cap. penult. de filiis Presbyter. cap. cùm Bertoldus*, *de re iudicata*, Chopinus *de sacra polit. lib. 2. tit. 6. num. 2.* Non tamen omnes, qui pallij honorem à R. Pontifice consequuntur, ideò Legati creantur, vt aliqui existimarunt. Licèt enim pallij honor illis concedatur, non ideò legationis officium nanciscuntur, vt probat doctus Cironius *lib. 1. obseru. cap. 7.* Tandem alij sunt Legati missi; illi videlicet, qui cùm sint à latere Pontificis, neque nascuntur Legati; tamen in aliquam prouinciam mittuntur ob eorum industriam, & rerum peritiam, de quibus *in cap. mandata*, *de præsumpt. cap. cùm dilecti*, *de accusat.* Mitti autem possunt vt Legati illi, qui in ecclesiastica dignitate sunt constituti, etiamsi subdiaconali tantùm gradu sint insigniti, *cap. 1. 94. dist.* Prosequuntur horum Legatorum dignitatem, & prærogatiuam Parisius *de resign. benef. lib. 7. q. 13. n. 1.* Garcia *de beneficiis 5. p. cap. 3. num. 3.* Speculator *p. 1. tit. de Legato*, Moneta *de conseru. cap. 4. num. 24.* Ferro Manrique *de præcedent. q. 29.* Villaroël. *tom. 1. regiminis eccles. cap. 4. art. 6.*

6. De officio Legati. Deinde sciendum est, prædictorum Legatorum non esse æqualem iurisdictionem, seu auctoritatem; quædam enim specialiter competunt alicui ex eis, quæ aliis denegantur. Communia omnibus hæc sunt. Primum, vt omnibus æquè honor debeatur sub pœnis statutis in extrauaganti vnica, *de consuet.* Secundum, vt omnes in prouinciis sibi commissis noxia euellant, salutaria inducant, & promoueant, *d. cap. mandata*, *de præsump. cap. 2. hoc tit. lib. 6.* Tertium, vt omnium æqualiter legatio reuocari possit tacitè, vel expressè, *cap. 2. hoc tit. cap. pastoralis 14. §. quoniam*, *de rescriptis.* Quartum, vt in quacumque causa ad R. Pontificem perlata ampliùs procedere non possint, *cap. licèt 5. hoc tit.* Singulorum autem propria, & specialia sunt, quæ sequuntur. Primò proprium est Legatorum à latere absoluere quoscumque excommunicatos propter violentam manuum iniectionem in clericos, *cap. excommunicatus 9. hoc tit.* Secundum, beneficia vacantia in sua prouincia conferre, etiamsi præsentatio ad patronum clericum spectet, *cap. dilectus 6. hoc tit. cap. 1. eod. tit. lib. 6.* Tertium, quando Legati à latere perueniunt, seu accedunt ad prouinciam, in qua degunt missi, aut nati, eorum suspenditur iurisdictio, *cap. volentes*, *hoc tit. cap. antiqua 23. §. Dominicæ*, *de priuileg.* Quartum, Legati à Latere cognoscunt etiam de causis exemptorum, *cap. si Abbatem*, *de elect. lib. 6. cap. 1. hoc tit. eod. lib. cap. 1. de V. S. in 6.* Quintum, Legati de Latere deferunt per totam suam prouinciam crucem, & ipsam vrbem ingredientes sub baldachino recipiuntur; cæteri verò tantùm ascendunt equum album, deferunt calcaria inaurata, & vestes rubeas, *cap. antiqua*, *de priuileg.* Tandem in procurationibus recipiendis distant valdè Legati à latere ab aliis Legatis; nam Legati à latere recipiunt suas procurationes etiam extra prouinciam, *cap. cùm instantia*, *cap. procurationes*, *de censibus.* Legati etiam nati aliquid speciale obtinent aliis Legatis non commune, videlicet vt diuturnior sit eorum potestas; natorum enim legatio quia adhæret beneficio, tamdiu durat, quamdiu Legati illud possident, *d. cap. antiqua*; aliorum verò legatio personis tantùm cohæret, & elapso tempore illi præfixo, exspirat, *cap. 4. hoc tit.* morte autem Pontificis non finitur, quia non tam ab eo, quàm ab ipsa Sede Apostolica, aut Cardinalium collegio missi intelliguntur, *cap. 2. hoc tit. in 6. cap. si gratiosè*, *de rescriptis*, *eod. lib.* Legati etiam missi illud proprium habent Legatis natis non commune, vt videlicet aliqua leuiora, etiam in sua legatione non expressa, in sua prouincia expedire possint, *cap. mandato 6. de præsumpt. cap. cùm dilecti 18. de accusat. cap. excommunicatis 9. hoc tit.* nati autem nihil possunt sibi vindicare vltra specialiter eis in legatione commissa, *cap. 1. hoc tit. lib. 6.* Alias inter prædictos Legatos prosequuntur differentias Lælius Cæcus *de repub. Christian. tit. de Legato*, Speculator, Marcus Antonius, & Gambara *eod. tract.*

7. Ratio decidendi. His præmissis ratio præsentis decisionis ex eo prouenit; nam cùm Legati Apostolici in prouinciis sibi commissis non delegati, sed ordinarij iudices sint, *cap. 2. Ordinarios reputantes*, *hoc tit. lib. 6.* ipsa legatione consequuntur propriam, & ordinariam iurisdictionem, *cap. quoad translationem*, ex quo legationis officio non Apostolicâ delegatâ, sed suâ vtuntur iurisdictione in negotiis sibi commissis, *cap. si Apostolicæ*, ibi: *Auctoritate suæ legationis*, *cap. si qui*, *de præbendis lib. 6.* licèt enim ad vnam prouinciam mittantur, & videantur habere mandatam iurisdictionem; tamen cùm ipse Princeps Ecclesiæ sit, qui eos designat cum absoluta potestate, non delegati, sed ordinarij sunt,

vt

vt docent Cæsar *de Eccles. hierarch. d. disp.* 3. §. 2. Sahagun *ad hunc titulum*, *n.* 12. igitur si sunt ordinarij in prouinciis sibi designatis, rectè possunt in causarum cognitione etiam per viam querelæ quoad primam instantiam adiri, & cum ordinariis ipsius prouinciæ concurrere, itavt si causa ab eis præuenta nõ sit, rectè possint Legati de ea cognoscere, quia sunt etiam iudices ordinarij illius prouinciæ, vt docẽt Sahagun, & Sebastian. Cæsar *vbi proximè*.

8. Dissolvitvr dvbitandi ratio.

Nec difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta obstat, procedit enim inspecto nouiori iure Concilij Trident. & Leoninæ constitutionis; licèt enim iure communi inspecto ex nostro textu, & iuribus suprà citatis possit prima instantia tolli, & auferri; hodie tamen nullo modo alius quàm ordinarius iudex causæ potest adiri per modum querelæ in prima instantia. Et quia circa Legatos, vtpote ordinarios, posset adhuc dubitari, expressè *in d. cap.* 20. *Concilij Trident.* statutum fuit, ne etiam Legati possint auferre primam instantiam Episcopis: vnde per eam constitutionem correctam esse præsentem decisionem, omnes in præsenti notarunt. Nec augmentum difficultatis aduersatur; nam licèt Proconsul extra suam prouinciam non possit contentiosam, sed tantùm voluntariam exercere iurisdictionem; tamen intra prouinciam propriam omnem ordinariam iurisdictionem exercet, & ita Legati Sedis Apostolicæ, qui dictis Proconsulibus æquiparantur, intra prouinciam suæ legationis iure cõmuni attento eam exercere valebant.

9. Exponitvr cap. pervenit 11. q. 1.

Superiori assertioni primò opponitur textus *in cap. peruenit* 11. *q.* 1. vbi proponitur, quod si clericus cum clerico causam habuerit, & voluerit illum conuenire coram Episcopo, debere coram eo actionem proponere, non autem coram defensore Siciliæ Legato Sedis Apostolicæ in ea prouincia misso; quia nisi vnicuique Episcopo iurisdictio seruetur, ecclesiasticus ordo confunditur. Ex quo textu facilè deducitur, Legatum missum à Sede Apost. per viam querelæ adiri non posse; siquidem coram defensore Siciliæ Legato Sedis Apost. clericus debitorem suum conuenire non valet. Huius textus vera interpretatio prouenit ex cognitione dignitatis, seu officij defensoris Siciliæ. Et sciendum est, temporibus Gregorij Magni ab ipso missos fuisse in Siciliam duos diaconos, vel subdiaconos, vt patrimonium Ecclesiæ Romanæ administrarent, curarentque, & frumentum ex ea prouincia in vrbem exportarent. Constat ex D. Gregorio *lib.* 1. *epist.* 1. & 70. Ad ipsos etiam defensores spectabant causæ, negotiaque eorum Episcoporum, qui intra fines ipsius prouinciæ degebant: idem *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 39. non autem illi defensores erant Legati Sedis Apostolicæ, sed tantùm ministri præpositi supradictis negotiis. De hoc defensore Siciliæ plura tradit D Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ sacræ, pag.* 67. & nos aliqua adduximus *in cap. vnico, de syndico, cap.* 1. *de fide instrum.* Dadin. Alteser. *dissert. iuris can. c.* 5. *per totum.* Vnde cùm textus *in d. c. peruenit*, non loquatur de Legato Sedis Apostolicæ, rectè asseritur, eum neglecto Episcopo non posse adiri: cùm cuiuslibet causæ prima instantia debeat coram loci ordinario disceptari: docet Cæsar *d.* §. 2. *n.* 3.

10. Intelligitvr cap. cvm in Ecclesia, de appell.

Secundò aduersatur suprà traditis textus *in cap. in Ecclesia* 38. *de appell.* vbi proponitur, clericos Linconiensis diœcesis (quæ suffraganea est Cantuariensis,) causam agitasse coram ipso Linconiensi: & cùm altera ex partibus ad Archiepiscopum Cantuariensem appellasset, quæsitum fuit à nostro Alexandro III. vtrum Archiepiscopus virtute prouocationis posset de causa cognoscere? Et affirmat Alexander III. non aliter eum posse in causæ cognitione procedere, quàm si ex iusta causa fuisset prouocatum; non autem si appellatio friuola erat, vt post Glossam ibi supponit, potiùs quàm exponit Cuiacius. Ex quo textu deducitur, Legatum natum Cantuariensem Archiepiscopum, de quo in præsenti, non aliter adiri posse à subditis suffraganeorum, quàm per viam iustæ appellationis, non autem per modum simplicis querelæ. Huic difficultati duplici modo satisfieri posse existimauit Panormitanus *ibi, n.* 4. Primò asserendo, verum esse, Legatum Sedis Apost. adiri posse per viam simplicis querelæ, aut appellationis iustæ; non autem per appellationem friuolam, & iniustam, quia frustratoria appellatio non deuoluit causam ad superiorem, *cap. cùm appellationibus, de appellat. in* 6. vnde cùm in eo textu non per simplicem querelam, sed per viam appellationis iniustæ Archiepiscopus fuisset prouocatus, non potuit de causa cognoscere. Quod etiam euenit in R. Pontifice, qui licèt iure communi inspecto posset per viam simplicis querelæ adiri, tamen iniustè ad ipsum appellari non potest. Secundò satisfacit ipse Panormitanus asserendo, Legatum posse adiri per simplicem querelam, quando causa non est cœpta, & contestata coram Ordinario; tunc enim Legatus neglecto Ordinario in ea procedere non potest, vt probat Couar. *practic. q.* 9. *n.* 3. cùm enim ipsi Legatus, & Episcopus ordinarij sint, vt suprà probaui, inter eos præuentioni locus est, *c. si à Sede* 31. *de procurat. lib.* 6. & qui cœpit de causa cognoscere, debet eam debito fine terminare, *c. proposuisti, de foro compet.* Docent in præsenti Abbas *n.* 3. Gambara *de officio Legati lib.* 8. *n.* 13. Sahagun *de officio Legati n.* 11. vnde cùm *in d. c. cùm in Ecclesia*, causa contestata fuisset corã Episcopo Linconiensi, non potuit Archiepiscopus nisi iustè ad ipsum fuisset prouocatũ, in causa procedere.

CAPVT II.

Cœlestinus III. *Magistro* [a] *Columbo.*

STuduisti à nobis quærere, vtrum de causa, quam alicui delegamus, alius, qui sit generalis in prouincia Legatus, vel ante cognitionem, vel posteà valeat cognoscere, & commissionis nostræ processum, quem iudici delegato transmittimus, valeat taliter impedire. Hanc itaque dubitationem de animo tuo amputare volentes, respondemus: quod cùm mandatum speciale deroget [b] generali, Legatus commissionem alij, vel aliis factam specialiter non debet, nec potest impedire: vbi etiamsi secundùm formam expressam nostri mandati sententia fuerit promulgata, non poterit ipse Legatus, nisi super hoc mandatum speciale receperit, eam quolibet modo irritare. Ipsam tamen, si rationabiliter lata fuerit, confirmare valet, & executioni mandare.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Magistro Columbo.*] Ita legitur *sub hoc tit. cap. vnico, in 2. collect.* non autem apparet cuius nationis, seu prouinciæ esset Magister Columbus. Credo tamen natione Anglum esse, præsentique decisioni ansam dedisse quæstiones agitatas inter Elienſem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum, & Vvalterum Archiepiscopum Rothomagensem, iudicem delegatum in illis partibus, quarum meminit Baronius *anno* 1191.

2. b *Derogat generali.*] Vt in simili causa respondit Innocentius *lib. 1. epist. regestr. 1.* vbi notauit Bosquetus, nosque plura adduximus *in cap. 1. de rescriptis.* Hanc tamen regulam non procedere quando concurrunt duo mandata in vna persona, docet Noguerol. *allegat. 7. num. 42.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR. EX hoc textu communiter deducitur talis assertio: *De causa specialiter à Pontifice delegata Legatus cognoscere non potest, nec per viam querelæ in prima instantia, aut appellationis in secunda, nisi vt eam confirmet.* Quæ conclusio probari potest *ex cap. sanè 11. cap. pastoralis, §. præterea, cap. significasti, de officio delegati, cap. penult. in fine, de purg. canonic.* Consonat lex 5. *titul. 5. part. 1.* Illustrant Lælius Cæcus *de repub. tit. de statu Legati, num. 4. vers. 11.* Barbosa *lib. 1. iuris Eccles. cap. 5. num. 81.* Mandosius *de inhibit. q. 5.* Petrus Gregor. *lib. 5. partit. tit. 3. cap. 3.* Anguianus *lib. 3. de legibus, cap. 33. num. 33. & 36.* Fachineus *lib. 12. controu. cap. 85.* Tondutus *de præuent. p. 2. cap. 7. num. 9.* Antonius Cuchus *lib. 1. instit. tit. 5. de legatis,* Fragoso *tom. 1. Christ. Reipub. disput. 10. §. 2. num. 8.* Gambara *de officio Legati lib. 8. num. 99.* Moneta *de commut. c. 5. num. 193. & cap. 6. num. 264.* Narbona *de appell. à vicario, q. 1. num. 152.* Illustrissimus Manrique *annal. Cisterc. anno 1204. cap. 3. num. 3.*

4. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO. Sed hæc assertio ita illustrata difficilis admodum redditur sequentibus considerationibus. Prima ex eo nascitur; nam quoties inter duos iudices ambigitur, vter ex eis iudicaturus sit, si æquales sunt, simul de causa cognoscere, & sententiam proferre debent, *cap. pastoralis, de rescriptis*; si verò alter eorum maior sit, ille causam terminabit, *cap. si duobus 7. de appell. l. contra pupillum, §. vlt. ff. de re iudic.* pluribus relatis docet Anguianus *d. lib. 3. cap. 33. num. 2.* sed in concursu iudicis delegati, & Legati Sedis Apostolicæ, inficiari non potest, tam ratione dignitatis, quàm iurisdictionis maiorem esse Legatum, vt docent Chassaneus, Legaufre, & Coruinus in præsenti rubrica: igitur Legatus etiam de causa alij delegata cognoscere valet. Augetur hæc difficultas; nam si delegatus in causæ cognitione procedit, quia gerit vices Pontificis, illumque repræsentat, *cap. sanè 11. de officio delegati*, etiam Legatus gerit vices Pontificis, vt superiori commentario probaui, & iurisdictionem ordinariam exercet in prouincia sibi assignata, *cap. 2. hoc tit. in 6.* igitur in concursu delegati etiam quoad primam instantiam præferendus est. Secunda militat difficultas contra eam assertionis partem, vbi affirmatur, per viam appellationis quoad reuocationem sententiæ prolatæ non posse Legatum de causa alij specialiter delegata cognoscere, sed tantùm ad eius confirmationem; & nascitur ex eo, nam si Episcopus vicarium suum generalem in diœcesi habeat, & causam specialem committat alicui iudici suo delegato, ab hoc iudice delegato ad ipsum vicarium generalem appellatur, vt docent *in cap. 2. de consuet. in 6.* Philippus Francus *num. 8.* Geminianus *num. 7.* Ancharanus *num. 2.* Narbona *p. 1. num. 142.* quod & in Archiepiscopatu Toletano faciliùs procedit, vbi à Vicariis generalibus appellatur ad consilium ipsius Archiepiscopi, vt probat latè Barbosa *in d. cap. 2. de consuet.* igitur similiter à delegato Pontificis in causa speciali ad eius Legatum vicarium generalem in ea prouincia appellari poterit. Augetur hæc difficultas, nam correlatiuorum eadem est ratio, & disciplina, *l. final. ff. de acceptil. l. si quis seruus, C. de furtis:* & qui potest condemnare, potest & absoluere, *cap. verbum, de pœnit. dist. 1. l. 3. ff. de re iudicat.* plura Barbosa *axiomat. 1. & 61.* igitur si Legatus potest cognoscere de sententia à delegato prolata, vt eam confirmet, poterit cognoscere vt eam infirmet.

5. TRADITVR RATIO DECISIVA. Adhuc tamen defendenda est præsens Clementis decisio, cuius ratio ex eo prouenit; cùm enim R. Pontifex aliquam causam specialiter committit iudici delegato, eius cognitionem subtrahit à Legati iurisdictione; quia licèt Legatus vt ordinarius generalem cognitionem illius causæ haberet virtute legationis, & mandati generalis; tamen cùm mandatum speciale deroget generali, vt latè probaui *in cap. 1. de rescriptis*; ideò Legatus tanquam incompetens iudex de ea cognoscere non valet, cùm iam ipsa causa priuatiuè ad iudicem delegatum spectet. Accedit, nam in causa vbi Pontifex manus apposuit, aliquis Legatus intromittere se non valet, vt aliis relatis docet Barbosa *lib. 1. de iure eccles. cap. 5. & de officio Legati n. 82.* Sed Pontifex causam specialiter delegando, manus specialiter in ea apponit: igitur Legatus eius cognitioni se intromittere non valet. Sunt tamen casus, in quibus Legatus potest de causa specialiter delegata cognoscere, vt si ille, qui rescriptum impetrauit, priusquàm illo vtatur, aduersarium coram Legato conueniat; tunc enim virtute præuentionis in ea causa Legatus procedere valet. Tondutus *de præuent. d. cap. 7. n. 11.* Item agnoscere Legatus valet, si causa antiqua ab eo decisa iterum suscitetur, vt docet idem Tondutus *vbi suprà, num. 10.*

6. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS. Nec difficultates suprà adductæ aduersantur. Non prima; nam negamus Legatum maiorem esse iudice delegato in causa illi specialiter commissa; immò certum est, in ea iudicem delegatum omnibus iudicibus ordinariis maiorem esse, *cap. sanè, de officio delegati*, iunctis ibi traditis. Vnde ex adductis suprà pro ratione decidendi deducitur, iudicem delegatum, vt maiorem, in causa sibi specialiter demandata procedere posse, licèt quoad alia Legatus eo maior sit. Nec obstat secunda difficultas; nam magna differentia versatur inter casum in ea expensum, videlicet cùm iudex delegatus ab Episcopo sententiam profert, quo casu ad vicarium Episcopi potest appellari; & speciem in præsenti decisione propositam, vbi delegatus Pontificis sententiam profert, quo casu ad eius Legatum appellari non potest. Differentiæ ratio in eo consistit, nam vicarij Episcopi, & ipsius idem est tribunal, *cap. 2. de consuetud. lib. 6.* vnde si appelletur ad vicarium, perinde est ac si appelletur ad Episcopum; at verò Legati, & Pontificis non est idem tribunal, seu iudicium; siquidem à Legato appellatur ad Pontificem, vt passim *in hoc tit.* docetur. Deinde quia delegatus in causa

causa sibi commissa maior est quocumque Legato; delegatus verò Episcopi non est maior eius Vicario, vt docet Narbona *dict. quæst. 1. de appell. à Vicario, num. 152.* Vnde potest appellari à sententia delegati Episcopi ad eius Vicarium. Nec augmentum huius difficultatis refragatur; nam confirmatio sententiæ à delegato prolatæ, quæ Legato in præsenti permittitur, non est iudicialis, seu authorizabilis cum causæ cognitione, sed tantùm collaudatio, seu commendatio ipsius sententiæ, vt post Glossam *in præsenti*, docent Abbas, Butrius, & Zabarella.

7. EXPONITVR CAP. AD PETITIONEM, DE APPELL.

Superiori assertioni primò aduersatur textus *in cap. ad petitionem 22. de accusat.* vbi refertur, causam electionis Abbatis Coruiensis certis iudicibus fuisse delegatam, & Cardinalem Legatum à latere Romanæ Ecclesiæ lite iam contestata coram delegatis, in ea processisse vsque ad sententiam diffinitiuam, per quam ipsum Abbatem Abbatiâ spoliauit. Cùm Abbas conquestus esset coram Innocentio III. & proposuisset prædictum Legatum in causa iam iudicibus demandata procedere non valuisse, & ipsum iam recusatum sententiam dixisse; Innocentius sententiam à Legato prolatam confirmauit, Abbatem Abbatiâ prædictâ priuando. Ex qua Innocentij decisione ita aduersùs nostrum Clementem insurgo. Si Legatus non posset de causa specialiter iudicibus delegata cognoscere, in ea specie Pontifex irritaret omnia gesta à Legato, tanquam ab incompetenti iudice, & iuris ordine non seruato, ipsumque Abbatem iniustè spoliatum restitueret, iuxta tradita à Pereyra *de manu Regia tom. 1. c. 4. n. 7.* Sed Innocentius potiùs confirmauit gesta ab ipso Cardinali Legato, quàm irritauit: igitur quia Legati possunt cognoscere de causa etiam iudicibus specialiter commissa. Difficultatem agnouerunt Glossa *in eo textu, verbo Restituendus*, & *verbo Prouidimus*, Innocentius & Anania *n. 2.* qui vt ab ea se expediant, docent, Innocentij sententiam solâ plenitudine potestatis niti, & Principem posse iudicare solâ veritate attentâ, omisso iudiciorum ordine. Sed ab his recedendum est, cùm non facilè credendum sit, Pontificem voluisse iuris ordinem relaxare, atque ex absoluta potestate in causa illa procedere. Minusque exaudiendus est Butrius in eo textu, dum docet, sententiam Pontificis iustificari ex actis gestis ante recusationem; quia hæc sententia manifestam continet diuinationem, & conuincitur ex suprà traditis, quia per præuentionem factam à iudicibus delegatis incompetens effectus fuit. Quare his solutionibus omissis dicendum est, Innocentium III. in eo textu iustè, & legitimè confirmasse priuationis sententiam à Legato prolatam, iuxta regulam textus *in c. in causis 19. de re iudicata*; quia in instantia appellationis coram ipso Pontifice fides facta fuit criminum, quæ coram Legato obiecta, & probata fuerant contra Abbatem spoliatum, vt patet ex versiculo, *Cùm igitur*, eiusdem textus: vnde non imponitur pœna priuationis, neque confirmatur electio secundi Abbatis propter acta gesta prætermisso iudiciorum ordine, sed propter acta legitimè ordinata in appellationis instantia: quæ praxis recepta est ex traditis à Bartolo *in l. vt quærebatur, in fine, ff. de re iudicata.* Valasco *in praxi partit. c. 39. num. 74.* Vnde non rectè ex eo textu deducitur, Legatum posse de causa aliis delegata cognoscere.

8. EXPLICATVR CAP.

Secundò opponitur suprà traditis textus *in c. per hoc 17. de hæret. lib. 6.* vbi deciditur, in causis fidei iudicibus sanctæ Inquisitionis specialiter à Pontifice commissis, etiam iudices ordinarios procedere: igitur Legati, etiam tanquam ordinarij, possunt cognoscere de causis aliis iudicibus specialiter delegatis. Pro huius difficultatis solutione sciendum est, olim antequam sanctæ Inquisitionis tribunalia erecta essent, Episcopos vt Ordinarios iudices contra hæreticam prauitatem in subditos, aduersùs exemptos vt delegatos processisse, *c. ad abolendam, de hæreticis*: latè probat Filesacus *in c. 1. §. 5. & 6. de officio ordinarij*, & nos *in c. 13. de hæreticis.* Postea tamen ob varias Episcoporum curas hæc causarum fidei cognitio delegari cœpit certis iudicibus, iurisdictione illis concessâ, non priuatiuè, sed cumulatiuè cum ipsis ordinariis, itaut Inquisitores per se, Episcopi etiam seorsim, & separatim possent reos ipsos capere, custodiæ mancipare, & contra illos inquirere. *Clement. 1. de hæret. extrauag. ex eo, eod. tit.* Docent latè Eymericus *in direct. inquisit. 3. p. q. 51.* vbi Peña *comment. 100.* Farinacius *de hæresi q. 186.* Carolo Palao *in opere morali, tract. 4. disput. 8. punct. 13.* ad quæ tempora referendus est textus *in d. c. per hoc 17.* vt docent Sahagun *in c. 1. de rescriptis, n. 40.* Anfaldus *de iurisd. 2. p. tit. 2. §. vnic.* Illustrissimus Manrique *annal. Cisterc. anno 1204. c. 3. n. 8.* Vnde cùm per delegationem illam causarum fidei non subtraheretur earum cognitio ab Ordinariis, sed cumulatiuè concederetur, ideò Legati neglectis Ordinariis poterant in causa procedere. Hodie tamen licèt illius textus praxis recepta sit in aliis tribunalibus; in Hispania tamen, & Lusitania contrarium obseruatur: tantùm enim Inquisitores capiunt reos in causis fidei, & contra eos inquirunt; immò si aliqua acta sint confecta ab Episcopis, tenentur ea transmittere Inquisitoribus, vt referunt Molina *de iustitia tom. 6. disput. 28. num. 13.* Carena *de officio Inquisit. part. 1. tit. 4. §. 3.* Tempore tamen sententiæ proferendæ adest ordinarius ipsius rei, aut si certum ordinarium non habet, ille in cuius diœcesi captus fuit, & suffragium præstat diffinitiuum in ipsa causa, vt quotidie vsitatum vidi in hoc Pinciano Tribunali.

PER HC 17. DE HÆRET. LIB. 6.

9. INTELLIGITVR CAP SIGNIFICASTI, DE OFFICIO ORDIN.

Tertiò aduersatur textus *in cap. significauit 6. de officio ordinarij*, vbi proponitur, in causa consanguinitatis certis iudicibus commissa, licere Ordinario eius cognitioni se ingerere, & absolutos ab ipsis iudicibus delegatis excommunicare: igitur licebit etiam Legatis Sedis Apostolicæ immiscere se cognitioni illius causæ, quæ iudicibus delegatis iam commissa erat. Pro cuius difficultatis solutione repetentes, & Filesacus in eo textu, Abbas Siculus, & Cardinalis in præsenti affirmant, quod licèt Legati, aut Episcopi non possent de causa specialiter delegata cognoscere; tamen eos posse supplere negligentiam, & punire dolum ipsius delegati; ideoque in eo textu ordinarium non iure proprio, sed vt negligentiam iudicis delegati suppleret, in causa processisse. Sed hanc doctrinam ita generaliter traditam refellit Anguianus *de legibus dict. lib. 3. cap. 33.* quare eâ solutione omissâ verius dicendum est, textum illum specialiter procedere in casu ibi proposito, cùm videlicet absolutio à delegatis facta in perniciem animarum vergebat, quarum salus curæ & solicitudini Episcoporum commissa erat: quare in ea specie potuit Ordinarius supplere malitiam, & negligentiam ipsius delegati. Ita textum illum accipiunt Anguianus *vbi suprà, num. 43.* Balboa *in cap. cùm non ab homine, num. 19. de iudiciis.*

CAPVT III.

[a] Innocentius III. *tit. S. Laurentij in Lucina Presbytero Card. Sed. Apost. Legato.*

NIsi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus, & habemus, iustum motum animi nostri temperaret, pœna docente cognoscere, quantùm excesseris, qui spretis canonicis sanctionibus, & consuetudine generali, motu proprio præsumpsisti Troianum Episcopum à Troiana Ecclesia ad Panormitanam de facto transferre.

NOTÆ.

a INnocentius III.] Huius textus integram, & veram historiam retuli *in cap. nisi specialis, de renunc.* vbi extat alia pars huius epistolæ, & commentarium dedi *in cap. 1. de translat. Episcopi.*

CAPVT IV.

[a] Idem *eidem.*

QVod translationem Pontificis de Troiano Episcopatu ad Panormit. Metropolim à te factam ratam nolumus habere, zelus vtique rectitudinis, non amaritudinis nos induxit; quia licèt in Regno Siciliæ generalis sit tibi commissa legatio, ad ea tamen sine speciali mandato non debuisti manus extendere, quæ in signum singularis priuilegij sunt Summo Pontifici reseruata: tamen etsi quædam ex his, quæ de speciali concessione sæpè fuere Legatis indulta, vt illorum videlicet absolutio, qui propter sacrilegas manuum iniectiones in clericos incidunt in canonem sententiæ promulgatæ, videantur ex ipso legationis officio iam [b] licere Legatis; an existimas quia vices nostras tanquam Legato tibi commisimus exequendas, quod [c] Panormitanæ Ecclesiæ posses subiicere Messanen. vt illam isti præficeres, concesso sibi priuilegio Primatiæ? An putas ex eadem causa tibi licere duos Episcopatus vnire, vel vnum diuidere sine licentia speciali? Non ergo in eius odium, vel adiniuriam tuam reputes esse factum, cùm etiam felicis mem. Alexander Papa prædecessor noster quasi simile fecerit obuiando præsumptioni Legati, quem in Hispania destinarat, volenti simile attentare.

NOTÆ.

a IDem.] Etiam huius textus inscriptionem exposui *in d.c nisi, de auctoritate, & vsu pallij.*

b *Licere Legatis.*] Vt dicemus infrà *in cap. excommunicauimus.*

I. c *Panormitanæ Ecclesiæ.*] Hæc epistola in his verbis valdè difficilis visa est Siculis Scriptoribus. Sed vt historia faciliùs perpendatur, libet facti seriem ex Abbate D. Rocho Pirro repetere, qui ita ait. [Hæc epistola graui controuersiæ inter recentiores Auctores ansam dedit; vbi enim nos legimus: *An existimas, quòd Panormitanæ Ecclesiam posses subiicere Messanensem?* legendum alij malunt: *An existimas, quòd Panormitanam Ecclesiam posses subiicere Messanensi?* Immò in aliquot Decretalium Gregorij IX. exemplaribus ita reperies; sed occasionem diuersis, immò oppositis sanè sententiis præbuit vetus editio; nam in vetustissimis omnibus codicibus, & in aliquot etiam postremæ editionis non omnes sunt appositæ litteræ nonnullarum vocum, sed nomina in compendium redacta, & breuitatis causâ, vt fit, decurtata, paucis characteribus exprimuntur eâ formâ, quam subiicio: *An existimas quod Panormi. Ecclesiam posses subiicere Messan.* vbi vox *Panormi.* non est primus, vt fortè cuipiam videtur, eius nominis casus, sed compendium est per apocopen vocis *Panormitanæ.* Id apertissimè suadet ipsa Pontificiæ orationis consecutio, & colligatio: ecce enim quam subiiciat Pontifex eiusdem periodi partem, *Vt illam isti præficeres.* Age verò, quis vel primoribus (vt aiunt) labiis Latini sermonis attigit latices, cui non constet in hac postrema periodi parte pronomen, *illam,* mentis oculis subiicere, quod longiùs distat substantiuum, Panormitanam scilicet Ecclesiam; aliud verò pronomen *isti,* Messanensem Ecclesiam in memoriam reuocare? Qui aliter velit, is profectò potiùs dicendus erit ineptus, quàm vt ineptam Pontificis locutionem asseramus; sin verò hæc ita sint, vt altera periodi pars primæ cohæreat, *Panormitanæ* certè legendum erit, de qua scilicet dicitur, quòd illam præficere voluerit; alioqui turpiter in vna, & eadem periodo opposita concludens, Panormitanam Ecclesiam Messanensi subiectam, & Panormitanam Ecclesiam Messanensi prælatam dixisset Pontifex. Quod si nonnulli legisse hactenus videntur *Panormitanam*, id inde factum est, quòd dictionem illam, *Panormi*, non aduertentes vocis esse compendium, primum eius nominis casum esse crediderint, vel quòd sublatus esset apex, qui syllepsis huiusmodi vtplurimùm est index, vel

quòd

quòd per errorem Typographi in mediam periodum irrepsisse existimauerint, cùm absque eo rectè primo aspectu videretur constare sententia: traxit fortè etiam ad errorem propinquitas illa dictionis *Ecclesiam*, cui proximum rati sunt consentire debere nomen, rem penitus non perpendentes: cæterùm facilè vnus deinde codex errorem hausit ab alio: quæ etiam causa fuit, vt iutis Interpretes plerique in eum locum ea ratione præbeant quæstioni argumentum, perinde quasi Panormitanam Ecclesiam Messanensi Legatus subdidisset; ipsi enim cùm in eo toti sint, an suo iure Legatus aliquam Ecclesiam alteri subiicere queat, neglexisse videntur, an in litteris Pontificis diceretur, quòd Messanensis Ecclesia infra Panormitanam, vel quòd contrà, Panormitana infra Messanensem constituta sit: ad rem enim, quam ipsi ibi pertractant, perinde est quoquo tandem modo id acciderit: & quamquam aduerterint plerique, legendum esse, *Panormitanæ*; quod nos sentimus; prudentiæ tamen fuit, cùm lectorum commodo consulentes quæstionis argumentum nihil inuerterunt, sed in eo, quâ ratione fuerat ab aliis constitutum, versati sunt: molestiam certè exhibuissent lectoribus, qui recentiores scriptores cum veteribus committunt, si vel leuiter ab antiquis recessissent Interpretes noui. Si ergo quæramus, an Cencius Messanensem Ecclesiam Panormitanæ; an Panormitanam Messanensi subdiderit, non ab Iurisconsulris petenda sunt suffragia, qui quod ad historiam spectat, alij ab aliis accepere, parum soliciti, quonam modo se res habuerit: sed oratio ipsa Innocentij, & totius epistolæ tenor, ac consecutio; scriptores item, qui illa, vnde hæc pendent, enarrant, consulendi sunt. Cencius Legatus in Siciliam cum exercitu Pontificis iussu venerat Marcoualdum Siculo imperio inhiantem profligaturus; Fridericum puerum, ne Regno deiiceretur à perduelle, venerat defensurus: testis est ipse Innocentius *in ep.* 210. *lib.* 2. quam refert Bzouius *ad annum* 1199. *num.* 12. Cùm idem ergo Cencio, & Gualterio esset hostis, iidemque regni fines in eiusdem Friderici Regis fide continendi essent, mutuam profectò hominum gratiam, necessitudinemque præpositus labor, eademque studia conciliarunt. Erat Gualterius Friderico consanguinitate propinquus; tutelæ ab Innocentio demandatæ onus libens susceperat; à Marcoualdi perfidia quàm longissimè abhorreret, re ipsa ostenderat: quid ergo Legato Cencio in Friderici defensione commodius vnquam potuit accidere, quàm tanti viri totius Siciliæ, & Apuliæ Cancellarij ad Marcoualdum debellandum gratiâ vti, ac amicitiâ? In quas ille difficultates bellorum incidisset, si alterum aduersùs se, tantumque hostem adsciuisset? Quantam Pontificis incurrisset offensionem, si ab Friderici fide Gualterium auertisset? Immò verò adeò Cencius Gualterij gratiam inire studuit, nouisque in dies amoris significationibus hominis beneuolentiam demereri, vt illum è Troiano Episcopo, neque expectatâ Pontificis facultate, Panormitanum fecerit Archiepiscopum. Iam verò erat per hæc tempora Messanensis Antistes Berardus, quem Bonfiglius Bertium vocat: is verò fuit in primis Marcoualdo addictissimus, adeò vt Messanâ Romam contenderit ab Cœlestino Pontifice pro illo deprecaturus. In ecclesiasticam item excommunicationis, & suspensionis pœnam incidisse, Marcoualdi partium sectatoribus intentatam, liquet ex epistola 60. Innoc. *lib.* 5. cuius meminit Bzouius. Age iam, æquum hîc lectorem velim. In animum quis vnquam inducat, Cencium Legatum cùm Gualterij operâ, industriaque indigeret, cùm hominis gratiam sibi, maximè collato Archiepiscopatu, conciliare studuit, Panormitanam Ecclesiam de ipso Friderico benemeritam, cui Gualterium nuper præfecerat, Ecclesiæ alteri voluisse subiicere, ac Messanensi præsertim, vbi plurimi Marcoualdo sese adiunxerant perduelli, vbi Berardus esset Antistes, tam egregius illius fautor, vt Pontificia læsus anathemata exsorberet potiùs, quàm à cœptis desisteret? Adeo-ne præuaricatus est Legatus in grauissima, quam præ manibus habebat, causa à Pontifice demandata? Non-ne meritò in proditionis suspicionem veniisset Cencius, qui Friderici consanguineum, tutorem, defensorem egregium premens, eos, qui in hostium partibus censerentur, euexisset ad fastigium dignitatum? Quàm ergo acriter, quàm vehementer, quàm impotenter in Cencium inueheretur Innocentius, si Regnum Siculum, si Fridericum puerum eo facinore vidisset in discrimen adductum? Orationem hic cohibeam, ne declamare videar; sed illud paucis adiiciam, epistolæ clausulam meæ causæ maximè adstipulari; hæc enim ibi lego. *Non in eius odium, vel ad iniuriam tui reputes esse factum, sed vt priuilegium Petri maneat inconcussum.* Eam hîc amouet suspicionem Pontifex, noluisse se, quæ gessisset Legatus, rata habere, eius Gualterij, de quo ad calcem vsque epistolæ egerat, odio ductum. Atqui nulla futura fuisset odij suspicio in Innocentio, si Gualterium Panormitanum Præsulem Messanensi subdidisset Cencius, eique rei non annueret Pontifex; sed gratiam potiùs illius iniuisset Innocentius, si ab ea illum potestate exemisset. Totius ergo (vt dicebam) epistolæ tenor atque connexio requirit, vt in hanc formam Innocentij verba proferantur: *An existimas, quia vices nostras tanquam Legato tibi commisimus exequendas, quod Panormit. Ecclesiam posses subiicere Messanensem, vt illam isti præficeres.* Ex quibus nihil est, quòd admodum gaudeant Messanenses Bonfligius, & Piccolus, aliique. Percepit fortassis animo quispiam me illuc in præsentia collimare, vt Messanensem Ecclesiam subiectam quoque Panormitanæ fuisse ostendam; sed aliò me vocat studium veritatis. Vt ergo quod sentio, in medium proferam; nihil Panorminanos aio, me iudice, pro suæ Ecclesiæ prærogatiua; ex hac epistola nihil Messanenses pro sua posse repetere; cùm enim rescripsisset Cencius, Gualterium in Panormitana Cathedra pro Legati, quâ fungebatur, auctoritate constituisse, rationem illam perstringere, atque elidere conatur Pontifex suis in litteris. An fortè, inquit, quòd nostras vices tibi demandauerimus, & legationis iura dederimus, poteris etiam vnam Ecclesiam alteri subiicere, Episcopatum vnum in duos partiri, vel duos in vnum vnire? Huius verò dicti hæc certissima est sententia, quam explicare non pigeat. Licèt Cenci, in mea sis legatione, liquet profectò, te Ecclesiam quampiam, verbi causâ Messanensem Panormitanæ subiicere haud posse; constat planè duos per te Legatum Episcopatus coalescere, vel vnum in partes seiungi haud posse: haud absimili igitur ratione, quamquam Legationem meam in Sicilia obeas, haud licuit tibi Episcopum ex vna in alteram transferre Ecclesiam; pleraque enim sunt, quæ peculiarem desiderent à Pontifice potestatem, nec cum Legationis iure eorum facultas demandatur. Vt igitur ex iis Innocentij verbis nemo

id eliciat, quod duos coniunxerit Episcopatus, vel vnum seiunxerit Cencius; ita planè nec quampiam Ecclesiam alterius suffraganeam constitutam. Hæc verò interpretatio ita sine obice fluit, ni fallor, vt si eam initio proposuissem, haud dubium sit, quin omnibus arrisisset. Quâ de causa ab eo labore supersedere fortè poteramus, dum ostendimus legendum esse *Panormitanæ*, non *Panormitanam*, in Innocentij litteris. Volui tamen eam statuere disceptationem, vt hanc libentiùs Messanenses meam amplecterentur sententiam; nimirum, quia nisi illis placeat, id ipsis discrimen impendet, vt Messanensem Ecclesiam subiectam olim à Legato, siue iure, siue iniuriâ, Panormitanæ fuisse concedant; si enim hæc verba non ad exempli gratiam afferrentur à Pontifice, sed rem à Legato gestam declarent, euincunt profectò collatam olim Panormitanæ Cathedræ potestatem à Legato in Messanensem Ecclesiam; cùm tamen ipse integram germanamque periodum Innocentij non tam restituerim, quàm ostenderim, plaudente ipsâ epistolâ, historicis, & (quæ humanæ mentis domina est) ratione. Cùm ergo acquiescere nollet Innocentius, vt in Panormitana Ecclesia sederet Archiepiscopus Gualterius, de quo hactenus, Castinensis illi traditur Præsulatus, quod suadet epistola Innocentij, quâ vtitur Lellus 2. *part.* §. 82. *fol.* 46.] Hactenus D. Rochus Pirro. Quæ ad huius textus interpretationem, & commentarium spectant, adduxi *in cap. 1. de translat. Episcopi*, & prosequuntur Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 3. cap. 5.* Frances *de Eccles. Cathed. cap. 3. ex num. 24.*

CAPVT V.

Idem [a] *Barentin. Episcopo, & Marsican. Capellano, & Subdiacono nostro.*

LIcèt [b] Tran. Canonici ab initio dissensissent, tandem tamen omnes vnanimiter consenserunt, dil. f. G. fratrem [c] Cassin. Abbatis in Archiepiscopum eligentes, cuius electionem ven. f. n. [d] P. [e] Portuen. Episcopus, tunc Sed. Ap. Legatus [f] examinari præcepit, & examinationem redactam scriptis fecit sigillis dilecti filij Archidiaconi, & Magistri Petrach. muniri, cum suo quoque sigillo ad Sed. Ap. transmittendam: litteras quoque suas nobis pro fratre dicti Cassin. Abbatis deprecatorias destinauit, quas cum decreto electionis omnium Canonicorum subscriptionibus roborato, nec-non & litteris [g] suffraganeorum, & [h] populi, tres de Canonicis Tranen. Ecclesiæ ab vniuerso Capitulo destinati nobis humiliter præsentarunt, petentes electionem canonicam de persona idonea celebratam, auctoritate Apostolica confirmari. [i] Nos autem ad maiorem cautelam à præfatis Canonicis iuramentum recepimus, non à nobis exactum, sed ab illis oblatum; & factum electionis, sicut est moris, & iuris, examinauimus diligenter. Iterum verò nuncius præfati Cassin. Abbatis suas nobis litteras præsentauit, grauem contra iamdictum Legatum querimoniam continentes, quòd postquam electionem examinauerat, & eam ad nostræ deliberationis examen transtulerat, nuntiis iam directis eandem electionem malitiosè nimis [k] examinare præsumpsit. Vnde petebat per viros idoneos suspicione carentes de ipso facto inquiri. Cúmque præfatus superueniisset Episcopus, & ea, quæ gesta sunt, intellexissemus ab ipso, de consilio fratrum nostrorum examinationem secundam, tanquam à non suo iudice factam, postquam negotium ad nostrum fuerat translatum examen, censuimus irritam & inanem.

NOTÆ.

1. a *Barentin.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* in sexta autem collectione legitur, *Bonon.* sed perperam, cùm causa, quæ in præsenti textu refertur, contigisset in prouincia Apuliæ, Bononiensis autem Ecclesia sit in prouincia Æmiliæ, vnde committi eius cognitio non poterat Bononiensi Præsuli. Legendum ergo est, *Barriensi Episcopo.* Barrium enim, vulgò *Barri*, est ciuitas Episcopalis in Apulia, iuxta Tranensem ciuitatem, cuius Episcopus Concordius appellatus subscripsit Cœcilio Romano celebrato sub Hilario, vt refert Carolus à S. Paulo *in Geogr. sacra, pag. 58.* Huius ergo Ecclesiæ Præsuli, & M. Capellano, & Subdiacono Romanæ Ecclesiæ delegauit Innoc. præsentem causam electionis Tranensis Archiepiscopi.

b *Tran.*] Tranum, vulgò *Trani*, est vrbs Apuliæ, cuius Episcopus Eutychius subscripsit Concilio Romano 3. sub Symmacho. Est Ecclesia Metropolitana, habetque tres Ecclesias suffraganeas.

c *Cassin. Abbatis.*] Petri videlicet II. qui 2. posteà ab Innocentio III. creatus fuit Presbyter Cardinalis: fuit ordine 64. Abbas amplissimi, & per illustris monasterij Cassin. vt referunt plura adducentes de situ, & magnitudine Cassinensis monasterij Yepes *tom. 1. chron. D. Benedicti, anno 529. c. 4.* Coronel. *in notis ad Gongoram, tom. 3. pag. 430.*

d *P.*] Petrus Galocia Portuensis Episcopus, creatus Cardinalis à Clemente III. mense Septembri, anno 1190. qui decessit temporibus nostri Innocentij anno 1211. vt refert Vghellius *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ, tom. 3. Italiæ sacræ.*

e *Portuensis.*] Ciuitas Portuensis non longè ab Ostia est ad Tyberis dexteram: distat ab Vrbe Romana per 18. milliaria; secundam Episcopalem Cathedram obtinet Pontifici immediatè subiectam, cuius Præsul Senatoriâ purpurâ decoratus in Basilica Lateranensi feriâ 3. sacra peragit, vt refert Vghellius *vbi suprà.*

f *Exami*

f *Examinari.*] Iuxta ea, quæ latè adduxi *in cap. poſtquam, de elect.*

g *Suffraganeorum.*] Qui electioni, & ordinationi ipſius Archiepiſcopi, tanquam Metropolitani intereſſe debebant, vt probaui *in cap. ſi Archiepiſcopus, de temporib. Ordin.*

h *Populi.*] Supplicantis, non eligentis, vt expoſui *in cap. 2. de elect.*

i *Confirmari.*] Poſt electionem enim legitimè celebratam ſequitur Pontificis confirmatio, vt probaui *in dict. cap. ſignificaſti, de elect.*

k *Examinare.*] Id eſt nouum ſcrutinium facere; examen enim in præſenti accipitur pro ſcrutinio, vt iam notauit Cironius *ad tit. de ſcrut. in ordin. faciendo.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu talis depromitur concluſio: *Facta relatione ſuperiori, iudex, qui retulit, aliquid innouare eâ pendente non poteſt.* Probant textus *in cap. 1. verſic. Nam ſi tale, 20. diſt. cap. nomen preſbyteri 2. quæſt. 1. cap. viduum, in fine 2. quæſt. 6. cap. multùm ſtupeo 3. quæſt. 6. c. denique 6. quæſt. 3. cap. bona 4. §. nec obſtat, de poſtulat. Prælat. cap. dudum 22. cap. cùm in veteri 51. de elect. cap. Eccleſia 4. vt lite pendente, cap. intimaſti 68. de appell. l. inter 6. §. 1. ff. de interdictis & relegatis, l. ex illo 13. Cod. de appell. l. 2. Cod. de relationibus, l. 2. Cod. Theodoſ. eod. tit. l. 2. Cod. vt lite pendente*, iuncto Merillo *lib. 2. obſeru. cap. 7.* Conſonat de iure Regio lex 35. *tit. 3. lib. 1. recopil.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barb. *in præſenti*, & *lib. 1. iuris eccleſ. cap. 5. num. 83.* Speculator *part. 2. lib. 2. tit. de relationib. §. 5.* Vantius *de nullit. tit. ex defectu ſententiæ, num. 143.* Lancelotus *de attentatis 2. part. cap. 8. per totum*, Maranta *de ordine iudic. actu 2. vltimæ partis, num. 10.* Narbona *in dict. l. 35. gloſſa 6.* Donellus *lib. 28. comment. cap. 7.* Cironius *lib. 2. obſeru. cap. 16.* Gutherus *lib. 1. de officiis domus, cap. 27.* D. Nicolaus Antonius *de exilio lib. 2. cap. 27.* in fine, Briſſonius *lib. 3. de formulis*, Salgado *de protect. 1. part. cap. 7. num. 7.* Petrus Gregorius *lib. 5. partit. tit. 14. cap. 2.* Hunnius *in encyclop. part. 2. tit. 35.*

4. RATIO DVBITANDI.

Sed aduersùs hanc aſſertionem communiter à repentibus ex hoc textu deductam inſurgi poteſt ſequenti iuris conſideratione. Actus extraiudiciales non inducunt attentata, nec ſuſpendunt iuriſdictionem iudicis ordinarij; vnde appellatio, quæ in iudicio interpoſita inducit attentata, *cap. 1. cum vulgatis, de appellat.* ſi extra iudicium interponatur, effectum ſuſpenſiuum non operatur, immò eâ non obſtante iudex à quo validè in cauſa procedit, *dict. cap. 1. cap. conſtitutus*, *el 2. de appellat.* Docent Lancellottus *de attentatis 2. part. cap. 12. limit. 3.* Salgado *de protect. 2. part. cap. 13. per totum*, Moneta *de commut. cap. 8. num. 583.* & *de conſeruat. cap. 9. quæſt. 2.* Sed relatio, quæ Pontifici facta fuit in præſenti, extraiudicialis erat, ſiquidem Legatus extra iudicium retulit ſtatum electionis Prælati Tranenſis: igitur per eam non fuit ſuſpenſa iuriſdictio ipſius Legati. Augetur hæc difficultas ſequenti ratiocinio; nam ſi relatione facta ſuperiori non liceret aliquid innouare, ſequeretur, quod nec partes eâ pendente poſſent appellare: ſed prouocare valent, *l. 1. §. 1. ff. de appellat.* igitur quia per relationem non ſuſpenditur ſtatus cauſæ relatæ. Facit etiam contra præſentem aſſertionem textus *in l. 9. tit. 14. lib. 4. recopil.* vbi ſtatuitur, quod quando Princeps iubet Magiſtratui inferiori, vt ſtatum alicuius cauſæ referat, non proinde in eius cognitione ſuperſedere debet, niſi ſpecialiter ſuſpenſio illi iniungatur: igitur quia per relationem non ſuſpenditur cauſæ cognitio.

5. RELATIO QVID.

Hac difficultate minimè obſtante vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, relationem apud Vopiſcum, Dionem, Suetonium, Tacitum, hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, accipi pro oratione in Senatu habita à Principe Conſulibus, quibus datum erat ius cogendi Senatum, dum rem in Senatu decernendam proponebant. Tacitus *lib. 2. annal.* de qua relatione accipiendum eſt quod refert Vopiſcus *in Probo*, videlicet, Principibus ius tertiæ relationis datum fuiſſe: & apud Capitolinum *in Pertinace*, Imperatorem Pertinacem ius quartæ relationis obtinuiſſe; Suetonium *in Auguſto, c. 58.* M. Adhuc Cæſarem ius quintæ relationis adeptum fuiſſe: quæ hiſtoriæ Auguſtæ teſtimonia exponunt poſt Caſaubonem, Salmaſium, & alios hiſtoriæ Auguſtæ Scholiaſtas Gutherus *lib. 1. de officiis domus Auguſt. cap. 41.* Bulengerus *lib. 1. de Imper. cap. 15.* Cironius *lib. 2. obſeru. cap. vlt.* In præſenti autem relatio accipitur pro conſultatione facta inferiori ad ſuperiorem. Relatio enim, & conſultatio perinde ſe habent, ac continens & contentum, & promiſcuè accipiuntur in Digeſtis & Codice, tam Iuſtin. quàm Theodoſ. de relationibus, & conſultationibus. Quas relationes ad Principes mittebant Præſides proninciarum, & ipſi Præfecti Prætorio, quando dubiæ litis occaſio id exigebat. Quem relationum morem à Plinio ſecundo cùm ad ordinandam Bithiniam, & Pontum à Trajano Principe miſſus eſſet, frequenter vſurpatum fuiſſe legimus *lib. 10. epiſt. ipſius.* Relatio igitur fit à minori Magiſtratu ad ſuperiorem, quoties ſententiam ferre non audens, cauſam ſuperiori refert. Non per omnia relatio appellationi ſimilis eſt, nec in omnibus ab ea differt. Similis eſt appellationi, quia ſicut appellatione pendente nihil innouari valet, *cap. 1. cum vulgatis, de appell.* ita relatione factâ Principi, vel ſuperiori, nihil eſt innouandum ex hoc textu, & aliis ſuprà adductis. Differt autem relatio ab appellatione primò in eo, quod appellatio interponitur à partibus, relatio verò fit à iudice, *l. 2. Cod. de officio Vicarij*, ibi: *Relationes iudicum libenter audiuimus.* Secundò appellatio tantùm interponitur poſt ſententiam, *l. vlt. C. de ſententt. & interl. cum l. vlt. Cod. quorum appellationes.* Symmachus *lib. 10. epiſt. 29. Verecundè potius, quàm iure ſuſcepi prouocationem, non ſtante ſententiâ.* Relatio autem fit ante ſententiam, *cap. intimaſti, de appell.* & poſtea antequam executioni mandetur, *l. 10. & 34. Cod. de appell. in Theodoſ.* maximè in publicis & extraordinariis iudiciis: cuius relationis exemplum habemus in actis Apoſt. *cap. 25.* cùm Paulus ſeruatus eſſet Cæſaris cognitioni, quem appellauerat. Agrippa Paulum audire concupiuit, iubente Feſto adductus eſt Paulus, ibi: *Cum Agrippa, & Berenice in auditorium introiſſent cum Tribunis, & viris principalibus ciuitatis, iubente Feſto adductus eſt Paulus. Et dixit Feſtus: Agrippa Rex, & omnes qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, videtis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Hieroſolymis, petentes & acclamantes, non oportere eum viuere amplius: ego verò comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Ipſo autem hoc appellante ad Auguſtum, iudicaui mittere. De quo quid certum ſcribam domino, non habeo: propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te Rex Agrippa, vt interrogatione facta, habeam quid ſcribam.*

bam. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare. Deinde pluries relatio fieri potest, *l.* 37. *Cod. Theodos. de appell.* appellatio autem in eadem causa tertiò non est admittenda, *cap. sua, de appell.* notauit Cironius *dict. lib.*2. *obs. cap.*16. in appellatione cognoscit, & pronuntiat iudex ad quem appellatur; ad relationem rescribit Princeps, seu Quæstor sacri Palatij, *l. iubemus, Cod. de appell. l.*34. *eod. tit. in Theodos.* quò spectant Symmachus *lib.*10. *epist.*62. *Post crebras cognitiones, & rescripta ad relationem numerosa.* Possidius *in vita S. Augustini, cap.*12. *Cùm ingratus ad piissimum Principem prouocasset, ab Imperatore relationi debitum est responsum solutum, & consequutum præceptum.* Notauit Iuretus ad Symmachum *lib.*10. *epist.*53.

6. De causis relationis.

Secundò sciendum est, relationem ita plenam & integram faciendam esse, vt quid rescribat Princeps, ambigi non possit, *l. ne causas* 15. *dict. l. iubemus* 34. *Cod. de appell.* Symmachus *lib.* 2. *epist.*30. & *lib.*10. *epist.*45. & 53. & post Constantini constitutionem acta ipsius relationis debent partibus exhiberi, vt si relatio minùs plenè facta sit, vel contraria alicui ex partibus videatur, liberum ei sit refutatorias preces adiungere, *authent. nouo iure, Cod. de relationib. l.*1. & 8. *C. Theodos. de appell.* & *lib.*22. *obs. cap.*33. iudex enim relationem dubiorum per sententiam sæpiùs promittebat, *l.*2. *Cod. Theodos. de relat.* vbi legendum est: *Relatione promissâ*, non *præmissâ*; vt vulgò legitur, contra fidem Codicis Theodos. vnde illa deprompta est; quo modo etiam emendauit Symmachus *lib.*10. *epist.*53. in illis verbis: *Post præmissam relationem*; Iuretus *in notis ad ipsum*, & notauit Gutherus *lib.*1. *de officiis domus, cap.*28. aliàs enim si iudex exemplum litterarum relationis litigatori non edebat, & contra eum rescribebatur, prouocare poterat, *l.*1. *ff. de appell.* vbi ait Vlpianus: *Quid enim si Præses consulendo mentitus sit, & pars docuerit vel falsa, vel non ita se habere quæ scripta sunt.* Merillus *lib.*2. *obs. cap.*7. Relationum vsus frequens apud veteres fuit in causis dubiis, magnique momenti, *l.*8. *Cod. Theodos. de defensorib. ciuit.* aut ad tollendam iuris dubitationem, aut propter publicam disciplinam. Huius exemplum habemus in lege Constantini, quâ iubet, vt prouinciarum Præsides, si quis potentiorum extiterit insolentior, & ipsi vindicare non possint, aut examinare, aut pronunciare de eius nomine, ad Principem, aut certè ad Præfecturæ Prætorianæ scientiam referant, quo prouideatur qualiter publicæ disciplinæ, & læsis tenuioribus consulatur. Est alia relationis species apud Symmachum *lib.*10. *epist.* 54. facta à Præfecto Vrbi Senatus nomine, vt restitueretur ara Victoriæ, priuilegiisque Vestalium, & prædiis templorum Paganorum, contra quam D. Ambrosius libellos, seu preces supplices scripsit: posteà tamen Imperator Iustinianus vsum relationum sustulit, vt litium breuitati consuleret, *in nouella* 195.

7. De vsv relationvm in Ecclesia.

In Ecclesia etiam vsum relationum inualuisse iam à primis eius sæculis, constat ex Innocentio I. *in epist. ad Aurel. Carthag. Episcopum*, ibi: *Restituit cum Apostolicæ Sedis ad relationem duplicis Synodi iudicatis.* Et *epist.*91. & 96. inter epistolas D. Augustini: *Vestris relationibus respondentes rescripsimus.* Et ex litteris ipsius Pontificis ad Concil. Meliuit. quæ reperiuntur *dict. epist.*91. *Fiant enim necesse est cautiores, cùm inuentores malorum ad duplicis relationem Synodi, sententiæ nostræ statutis viderint ab ecclesiastica communione seiunctos.* Et in epistola ad Exuperium Episcopum Tolos. *Dilectio tua institutum secuta prudentum, ad Sedem Apostolicam referre maluit quid de rebus dubiis custodire, deberet, quam vsurpatione præsumptâ, quæ sibi videretur de singulis obtinere.* Siricio in epistola ad Hincmarum Tarracon. *Ad Romanam Ecclesiam, vtpote ad caput tui corporis, retulisti.* Ex Leone I. in epistola ad Episcopos prouinciæ Viennensis: *Nobiscum itaque fraternitas vestra recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reuerentia, à vestræ etiam prouinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam; & per diuersarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia.* Vetustissimum extat similis relationis exemplum apud D. Cyprianum *lib.*4. *epist.*55. quod refert, & explicat Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imperij, lib.*1. *cap.*10. vbi eundem morem ex variis Conciliis Orientis, & Occidentis probat. Idem vsus relationum adstruitur ex epistola Synodi Sardicensis ad Iulium, apud Hilarium: *Optimum, & valdè congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque prouinciis referant sacerdotes.* Quare *lib.*2. *huius voluminis*, titulus 28. concipitur *de appellationibus, recusationibus, & relationibus.* Ad quam vltimam rubricæ partem, videlicet de relationibus, spectat textus *in cap. intimasti* 68. *eodem titulo.* Relationes suprà recensitæ tribus ex causis potissimùm fieri solent, quas enumerant Maranta *in speculo, part.*6. *art.*6. *num.*4. Lancellottus *dict.*2. *part. de attentatis, cap.* 8. Prima est, quoties iudex ante sententiam in causa ciuili, siue criminali, quoties de iure dubitat, Principi eam refert, *dict. l.*1. *Cod. de relationibus, l. eum qui*, §. *iudicibus, ff. de iudiciis.* Secundò relatio fit ex necessitate, cùm Princeps committit causam iudici, facultate delegata tantùm procedendi vsque ad conclusionem causæ, cum expressa inhibitione proferendi sententiam; tunc enim causam instructam tenetur delegatus Principi referre iuxta formam commissionis: ad quem casum referendi sunt textus *in cap. cùm olim, de testibus, cap. finali, de appell.* Tertia causa relationis adest cùm fit ex natura ipsius negotij, quia illius decisio ad superiorem spectat, *cap. vt debitus, cap. vt nostrum, de appell. cap. maiores, de baptismo:* & de hac relationis causa accipienda est præsens decisio, cùm confirmatio Episcoporum spectet ad Pontificem, iuxta adducta *in cap. postquam, de elect.* Legatus enim in præsenti post examinatam electionis causam, eam retulit Innocentio III. vt electio ab eo confirmaretur, vel infirmaretur.

8. Ratio decidendi.

Quibus ita animaduersis ratio huius decisionis ex eo prouenit, nam per relationem superiori factam, sicut per appellationem, causæ cognitio deuoluitur ad superiorem, itavt iurisdictio iudicis referentis suspendatur, *l. ad Principem* 22. *ff. de appellat.* post relationem enim conquiescit iudicis referentis officium, *l. ex illo, Cod. de appellat.* Vnde omnia, quæ postea exercentur, tanquam ab incompetente, siue non habente iurisdictionis vsum, nulla sunt ipso iure, vt iuxta hunc textum ibi, *inanem*, defendit Narbona *in dict. l.* 35. *glossa* 6. *num.*5. sicut enim attentata appellatione pendente sunt nulla, *cap.*1. cum aliis, *de appell.* ita & gesta factâ relatione antequam Princeps rescribat, ipso iure non subsistunt, Lancellotus *dict. cap.*8. Maranta *dict. art.*3. qui variis ampliationibus, & limitationibus adductis hanc exponunt doctrinam.

Nec

9. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obstat difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta ; nam negamus relationem esse actum extraiudicialem ; immò iudicialem esse probatur. Siquidem à iudice fit , consentientibus partibus , quibus relationis exemplum exhibetur , vt si minùs plenè , aut verè facta sit , suos libellos offerant refutatorios. Deinde quia relatio appellationi æquiparatur ; vnde titulus *de appellat.* in vtroque iure concipitur *de appellat.* recusationibus,& relationibus : igitur sicut appellatio, & recusatio sunt actus iudiciales , ita & relatio, quæ illis adiungitur. Nec augmentum primum difficultatis aduersatur , pro cuius expositione , & textus *in dict. l.* 1. §.1. vera interpretatione , varij distinguendi sunt casus. Primus est , cùm relatione pendente partes aliquid innouarunt , & illud non irritatur , quia relatio , quoad iudicem referentem , non quoad partes , inducit attentata , vt docet Lancellotus *dict. cap.* 8. *numer.* 2. Secundus est , cùm relatione pendente iudex referens sententiam dixit ; possunt enim partes ab ea appellare , *l.* 1. *Cod. de relat.* licèt enim à sententia nulla , vt est sententia prolata pendente relatione , non sit necesse appellare , *l.* 1. *& per totum ff. quæ sententiæ sine appell. l.* 1 *. Cod. quando appellare* ; tamen appellatio , si interponatur, valet , & subsistit , *cap. cùm olim , cap. significantibus, de officio delegati , c. exhibita, de iudiciis, cap. significauerunt , de exceptionibus , cap. dilecto,de appell. l. si expressim , ff. eod. tit.* propter effectum deuolutionis , & alios , quos considerat Narbona suprà, *num.* 9. & hoc casu procedit textus *in dict. l.* 1. *Cod. de relationibus.* Tertius casus euenit cùm relatio Principi fit , ipseque Princeps rescribit , & partes appellationem interponunt ; & hoc casu distinguendum est ius Pandectarum à noua constitutione Imperatoris Constantini : iure enim Pandectarum prouocari poterat à rescripto Principis , quod relationem Magistratuum sequebatur , *dict. l.* 1. §. 1. *ff. de appell.* Post constitutionem tamen Constantini relatam *in l.* 1. *Cod. Theodos. de appell.* quâ iubetur , vt relationis exemplum partibus tradatur, vt intra quinque dies, si relatio veritati causæ non conueniat , suas preces refutatorias offerant ; si transactis his diebus relatio Principi missa sit , à rescripto causam decidente nec prouocari , nec supplicari potest , *l.* 6. *Cod. Theodos. de appell. l.* 2. *Cod. Theodos. vt lite pendente.* Docet , & ita exponit Merillus *lib.* 2. *obseru. cap.* 7. Nec obstat vltimum augmentum ; procedit enim textus *in dict. l.* 9. *recopil.* in relatione petita à Principe , non verò facta à Magistratu ex consensu partium , & exemplo relationis illis exhibito ; tunc enim nisi expressè causæ cognitio à Principe inhibeatur, non suspenditur eius iurisdictio.

10. EXPONITVR CAP. CONSTITVTIS, DE APPELLAT.

Adhuc superiori assertioni obstat textus *in cap. constitutis* 45. *de appell.* vbi in ipsa specie præsentis decisionis , cùm quædam causa electionis per modum appellationis esset ad summum Pontificem deuoluta , Legatus à latere pendente appellatione, non solùm validè , verùm etiam licitè in causa processit , & electionem examinauit : igitur quia licèt per appellationem aut relationem suspendatur iurisdictio iudicis à quo , non tamen inhibetur examen electionis canonicæ. Huic difficultati vt satisfaciant Glossa *verbo Delegauit*, & antiquiores , varias adducunt solutiones , ex quibus illa nunc placet , quæ affirmat , textum illum procedere in appellatione , cui partes facilè renunciare solent , *cap. inter solicitudinem,de appell.* quare cùm partes in eius textus specie consensissent , vt Legatus post appellationem iterum causam examinaret , rectè docetur , Legatum potuisse in causa procedere partibus consentientibus , & appellationem renuntiantibus. Docet Moneta *de commut. vltim. cap.* 8. *num.* 588.

CAPVT VI.

Idem *S. Apri , & S. Leonis* [a] *Abbatibus , & Magistro R. Archidiacono* [b] *Tullen.*

Dilectus f. R. [c] Meten. Canonicus nobis humiliter intimauit , quod cùm ven. f. n. [d] Prænestinus Episcopus Ap. Sed. Leg. Ecclesiam sancti Tradonis eidem ad resignationem proprij Pastoris in [e] manibus eius factam [f] liberaliter [g] contuliſſet , dil. f. R. Meten. Archidiac. ad quem illius Ecclesiæ præsentatio pertinebat , asserens, quod eodem inconsulto conferri non potuit à Legato , donationi eius minùs rationabiliter se opponens , Canonicum ipsum super eadem Ecclesia indebitè molestare præsumpsit. Cùm igitur plus iuris habeat in concessione Prælatus , quàm in præsentatione patronus , nec præiudicetur Prælato , si quando per Ap. Sed. Legatum, eo inconsulto , Ecclesia concedatur : dis. v. per A. s. m. quat. dictum Archidiac. vt ab eius super hoc indebita molestatione desistat , mon. præm. per cens. ecclesiasticam ap. rem. cogatis.

NOTÆ.

1. a *Abbatibus.*] Ita etiam legitur in tertia collectione , *sub hoc tit. cap.* 4. Monasterium S. Leonis est ordinis D. Augustini in vrbe Tullensi , de quo fratres Sarmat. *tom.* 4. *Gall. Christ. fol.* 559. Monasterium etiam S. Apri est ordinis D. Benedicti in eadem diœcesi , de quo iidem fratres Sarmat. *dict. tom.* 4. *fol.* 69.

b *Tullenſis.*] De Tullensi Ecclesia nonnulla notaui *in cap. cùm accessissent, de constit.*

c *Metenſis.*] De Metensi Ecclesia egi *in cap. debitum , de bigamis.*

d *Prænestinus Episcopus.*] De quo non pauca retuli *in cap. dudum, de elect.*

e *In manibus eius.*] Legati videlicet ; nam resignatio debet fieri in manibus superioris , ideoque potest fieri coram Legato à latere, *cap. delibe-* 2.

ratione 3. hoc tit. lib. 6. Docent repetentes *in cap. si Abbatem, de electionibus, lib. 6.* Gambara *de officio Legati lib. 6. num. 163.* Flaminius *de resign. lib. 7. quæst. 13. num. 15.*

f *Liberaliter.*] Id est sine vlla pensionis reseruatione in fauorem certæ personæ; tunc enim sicut talis resignatio facta in manibus ordinarij non valet, *cap. finali, de pactis, cap. ex parte, de officio delegati:* ita facta coram Legato non subsistit. Docent Gambara *vbi suprà*, Rebuffus *de resignat. num. 5.* Flaminius *vbi proximè, num. 17.*

g *Contulisset.*] Cùm sciret esse canonicum, aliàs si canonicus inscio Legato beneficium impetraret, eius collatio nulla esset, *cap. fin. de officio Legati in 6.* Iam pro expositione Clementinæ 2. de officio Ordinarij dixi *in cap. si proponente, de rescriptis.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR.

a SEquens conclusio communiter deducitur ab Interpretibus ex hoc textu. *Legatus à latere confert beneficia vacantia in sua prouincia, quamuis eorum præsentatio spectet ad patronum ecclesiasticum.* Probant eam textus *in cap. litteras, de supplend. neglig. cap. 1. cap. præsenti 3. cap. deliberatione, cap. finali, hoc titul. lib. 6. cap. si a sede 31. de præb. eod. lib. cap. cùm dilectus 28. de iurepatron. cap. venerabilem, de præbendis, cap. sua, de confirmat. vtili.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *lib. 1. iuris ecclesiast. cap. 5. num. 54.* Cæsar *de eccles. hierarch. disput. 3. §. 2.* Vighellius *in method. iuris can. pag. 289.* Renatus Chopinus *lib. 2. de sacra polit. tit. 6.* Couarruuias *practic. quæst. 36.* Azor *tom. 2. instit. mor. lib. 5. cap. 29.* Lambertinus *de iurepatron. lib. 2. part. 3. quæst. 8. art. 1.* Dartis *de beneficiis sect. 3. cap. 4.* Garcia *eod. tract. 5. part. cap. 3.* Corrasius *simili tract. part. 2. cap. 3.* Duarenus *lib. 3. de sacris, cap. 3.* Moneta *de commut. cap. 10. num. 321.* Tondutus *tom. 1. resol. canonic. cap. 2. §. 6.* Gambara *de officio Legati, lib. 3. per totum*, Fragoso *de regim. Christ. Reip. part. 2. lib. 4. disput. 1. §. 4. per totum*, P. Gregorius *lib. 5. partit. tit. 3. cap. 2.* Valensis *de beneficiis lib. 1. tit. 8.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. c. 4. n. 14.* Moëz *in c. 1. hoc tit. lib. 6.*

4. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed aduersùs hanc assertionem ita pro ratione dubitandi insurgi valet; nam cum Episcopo ordinario collatore beneficiorum tantùm concurrit Pontifex, non verò eius Legatus, qui per legationis officium vocatur ad partem solicitudinis, non verò in plenitudinem potestatis, *cap. multùm 2. quæst. 6.* igitur Legatus, quantumvis à Latere, non potest conferre beneficia vacantia in sua prouincia. Augetur hæc difficultas ex eo, nam Legatus non potest beneficium conferre in præiudicium tertij, *cap. dilectus 28. de iurepatron.* sed conferendo beneficia vacantia in prouincia suæ legationis, præcipuè si sint iurispatronatus ecclesiastici, præiudicium irrogatur Episcopo, & patrono: igitur nullo modo Legatus à Latere beneficia intra prouinciam suam vacantia conferre valet. Accedit, nam si vera esset ratio ab Innocentio in præsenti assignata illis verbis: *Quia plus iuris habet in concessione Prælatus, quàm in præsentatione patronus*; sequeretur Legatum etiam conferre posse beneficia iurispatronatus laicalis, cùm militet eadem ratio: sed non potest ea conferre cùm ad laicum spectat præsentatio, *dict. cap. dilectus 28.* igitur nec beneficia iurispatronatus ecclesiastici conferre valet.

Hac difficultate ita fulcitâ minimè obstante, vera est præsens Innocentij decisio, ad cuius expositionem, præmissis Legatorum generibus, de quibus *in cap. 1. hoc tit.* egi, sciendum est, Legatum à latere posse conferre beneficia vacantia in sua prouincia, vbi Legationis officium exercet, etiamsi ad Sedem Apostolicam ob negligentiam Ordinariorum sint deuoluta, *cap. penult. de præb. & dignit.* Gambara *dict. lib. 3. de officio Legati, num. 263.* quare aduersùs Legatum non currit semestre assignatum in Concilio Lateran. quia cùm etsi Ordinarius negligens sit, potest postea iure deuoluto illud conferre; ideò Concilij Lateranensis tempus non habet locum in Legato. Ampliatur etiam hæc Legatorum potestas, vt procedat etiam in beneficiis, quorum collatio spectat ad exemptos, quia eorum etiam ordinarius est, *cap. si Abbatem, de elect.* Docent Antonius Cuchus *lib. 5. instit. tit. de Legato, num. 68.* Selua *de beneficiis 3. p. quæst. 66.* Corrasius *eod. tract. cap. 3. num. 4.* Similiter etiam procedit hæc Legatorum facultas, si beneficij collatio ad patronum ecclesiasticum spectet, vt ex hoc textu docent Gigas *de pensionib. quæst. 24. num. 1.* Lambertinus *de iurepatron. 1. part. lib. 1. art. 6. num. 4.* qui etiam resoluunt, in hac specie non desiderari expressam iurispatronatus derogationem. Hæc etiam beneficia, quæ Legatus potest conferre, ea vacatura suæ collationi reseruare valet, *cap. præsenti, hoc tit. lib. 6.* etiam in fauorem & gratiam alicuius certi clerici, *cap. cùm dilectus, de iurepatron.* non tamen illa conferre, aut illi aliquod ius ad rem dare, *cap. dilectus, de præbendis*; hoc enim tantùm R. Pontifex facere valet, *cap. detestanda, de concess. præb. cap. præsenti, de officio delegati, lib. 6.* nec item beneficium vacaturum promittere; nam licèt id ei permissum videatur *in cap. accedens, de concess. præb.* tamen *in cap. 2. eod. tit.* huiusmodi permissio declaratur nullius momenti, & contra Concilium Lateran. cuius diffinitionem non magis relaxare potest Legatus, quàm cæteri ordinarij: in eadem etiam Ecclesia pendente vna reseruatione, aliam facere non potest, *cap. præsenti, §. fin.* in diuersis verò Ecclesiis plures reseruationes facere valet. Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 5. num. 55.* Cæsar & Fragoso *vbi suprà.*

5. LEGATVS QVÆ CONFERAT BENEFICIA.

6. LEGATVS QVÆ BENEFICIA NON CONFERAT.

Legati etiam à Latere non possunt confere Ecclesias Cathedrales, vel Regulares, seu ipsarum Cathedralium maiores post Pontificalem dignitates electiuas, *cap. deliberatione, hoc tit. lib. 6.* Dartis *dict. cap. 4. de beneficiis*, Valensis *dict. tit. 8.* nec etiam conferre possunt beneficia reseruata à R. Pontifice, *cap. licèt, de præb. lib. 6.* licèt eis concessa sit facultas conferendi beneficia qualitercumque vacantia; quia in reseruatis R. Pontifici non possunt se ingerere. Similiter licèt habeant potestatem conferendi beneficia etiam reseruata, non possunt conferre beneficia vacantia in Curia, nisi specialiter, & expressè id eis concedatur, *cap. 2. de præb. in 6.* Nec etiam conferre possunt beneficia litigiosa, *cap. 1. & 2. vt lite pendente, lib. 6.* nec etiam beneficia ad Episcopum deuoluta ex negligentia Prælati regularis exempti, quæ Episcopus confert auctoritate Apostolica, *Clement. 1. de supplenda neglig.* cùm enim eo casu Episcopus conferat beneficium vt delegatus Pontificis, non potest Legatus se intromittere, *cap. studuisti, hoc tit.* Selua *de beneficiis part. 3. quæst. 66.* Fragoso *vbi suprà, num. 56.* Similiter nec beneficia conferre valet iurispatronatus laicorum, patrono inuito, nisi ad Episcopum per negligentiam patroni deuoluta sint,

sint, *cap. cùm dilectus* 10. *de iurepatron.* nec etiam si eorum collatio sit iurispatronatus laicorum, & clericorum simul. Docent *in dict. cap. dilectus*, Abbas, & Calderinus, ne ex societate clericorum laicis præiudicetur, argumento textus *in l. si communem, ff. quemadmodum seruitutes, cap.* 1. *de iurepatron. lib.*6. Aliud dicendum est in beneficiis iurispatronatus laicorum ex præscriptione, vel priuilegio, vt probat Valensis *lib.*1. *de beneficiis, tit.*4. *num.*16. etiam beneficium de iure vacans, si de facto retinetur possessio, quamuis conferri possit, *cap. licèt, de præb.in* 6. possessio tamen tradi non valet: quo modo intelligitur textus *in cap. cùm nostris, de concessione præbendæ*: vbi tanquam subreptiua huiusmodi collatio iudicatur. Circa Vicarias perpetuas, postquam placuit beneficiorum appellatione comprehendi, concurrit Legatus cum Ordinario in eis conferendis, & inter illos locus est præuentioni, *cap. si à Sede, de præbendis in* 6. Garcia *de beneficiis* 5. *part. cap.*3.

7. DE ALIIS LEGATIS. Legati verò missi, vel nati nullam habent iure Legationis facultatem conferendi beneficia, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *cap. si à sede* 31. *de præb. eod.lib.* Ratio est, quia Episcopi habent fundatam iurisdictionem iure communi quoad collationem beneficiorum, *cap.* 3. *de instit. cap. quia* 5. *de concess. præb. cap.*3. *de relig. domibus*: quare magnum illis sequeretur præiudicium, si Legati nati possent beneficia conferre. Nec obstabit si dicas, eandem rationem præiudicij adesse in Legatis à Latere, qui beneficia conferre valent, vt proximè probaui; nam talis facultas concessa fuit Legatis à latere propter eorum amplam dignitatem, & prærogatiuam dignitatis Cardinalitiæ; & quia ipsi rarò, & nisi magnis ex causis in prouinciis mittuntur; quod in aliis Legatis non consideratur: Hoc autem procedit, nisi specialiter illis sit indulta, *cap.*1. *hoc tit. lib.*6. *cap. litteras, de supplend. negligentia*; aut nisi sint missi cum potestate, seu auctoritate Legati à latere: illi enim absque alia speciali facultate possunt conferre, quæ Legati à latere conferre solent. Gigas *de pensionib. quæst.*6. *num.*19. Garcia 5. *part. cap.* 3. Sed quia hæc facultas in Nunciis etiam missis cum potestate Legati à latere solet restringi ad certum beneficiorum genus, & ad beneficia certi valoris, ideò tempore collationis inspici debet, & in actis exhiberi facultas ipsa. Illud tamen in praxi obseruatum sæpiùs vidi, vt in æstimando valore ipsius beneficij non computentur distributiones, seu anniuersaria, quæ vulgò in nostra diœcesi Salmantina appellantur *Obenciones de clerecia*, vt prosequuntur Garcia *dict.* 5. *part. cap.* 3. *de beneficiis*, Valensis *dict. tit.* 8.

8. RATIO DECIDENDI. Ex quibus iam apparet vera decidendi ratio huius decisiouis, quæ ex eo prouenit; nam cùm Legati à latere gerant vices R. Pontificis in prouinciis sibi designatis cum amplitudine potestatis, quam alij Legati non habent, vt *in cap.* 1. *hoc tit.* probaui: ideò sicut R. Pontifex potest conferre quæcumque beneficia, ita & Legatus à latere ratione legationis sibi commissæ potest conferre beneficia vacantia in sua prouincia. Neque interest, quod eorum collatio spectet ad personam ecclesiasticam ratione dignitatis ecclesiasticæ, quam obtinet; nam adhuc ea conferre potest. Ratio est, quia cùm sit ordinarius Legatus à latere in ea Ecclesia, cuius ratione clericus exercet iuspatronatus, quid mirum, vt Legatus tanquam superior possit conferre ea. Accedit, nam similia beneficia, quorum collatio spectat ad Episcopum ratione Episcopatus Legatus conferre valet: igitur similiter & illa conferre potest, quorum collatio spectat ad clericum ratione iurispatronatus ecclesiastici. Crederem tamen, quod si ad clericum spectet collatio beneficij ratione iurispatronatus hæreditarij, vel alio modo acquisiti, dum non Ecclesiæ causâ competat, tunc non posse Legatum conferre tale beneficium; tum ne deterioris conditionis sit clericus, quàm laicus; tum quia præsens textus procedit casu, in quo iuspatronatus spectabat ad clericum, Archidiaconum videlicet ratione propriæ dignitatis: non verò idem dicendum esset, si competeret ratione proprij patrimonij.

9. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS. Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt satis controuersum sit apud Interpretes, an Legatus à latere in sua prouincia conferat beneficia vacantia iure ordinario, an iure speciali? & iure speciali ea conferre docuerint Duarenus *dict. cap.*3. *de sacris Ecclesiæ*, Corrasius *dict.* 2. *part. de beneficiis, cap.* 3. Selua *eod. tract. dict.*2. *part. num.*34. alij relati à Garcia *dict.part.*3. *num.*8. tamen contraria sententia verior est, videlicet competere iure ordinario vt Legato à Latere; in his enim, quæ iure legationis illi competunt, ordinarius dicitur, *cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. sed collatio beneficiorum pertinet ratione legationis ipso iure absque speciali concessione: igitur vt ordinarius collator confert beneficia in sua prouincia vacantia. Ita tenent Garcia *dict. cap.*3. *num* 8. Fragoso *dict.* §. 3. *num.* 6. vnde virtute legationis poterit in præiudicium Episcopi tanquam superior beneficia conferre. Nec augmentum difficultatis aduersatur; nam præsens decisio accipienda est iuxta casum in ea propositum, iuris videlicet patronatus ecclesiastici, non verò laicalis; nam in præiudicium patroni laici Legatus beneficia conferre non valet.

10. EXPONITVR CAP. 1. DE APPEL. Sed superiori assertioni opponitur textus *in cap.*1. *de appell.* vbi deciditur, Archiepiscopum Eboracensem A. S. Legatum non potuisse conferre beneficium vacans in sua prouincia, collationemque ab eo factam esse irritandam: igitur quia Legati non possunt conferre beneficia vacantia in sua prouincia. Huius difficultatis solutio ex suprà dictis facilè depromitur; diximus enim Legatum tantùm à latere posse conferre beneficia vacantia in sua prouincia, non autem Legatum natum, vel missum; quia in hac parte æqualis non est eorum auctoritas: vnde cùm Archiepiscopus Eboracensis sit Legatus tantùm natus, vt *in cap.* 1. *hoc tit.* probaui, ideo non potest conferre beneficium etiam vacans in sua prouincia.

11. INTELLIGITVR CAP LITTERAS 4. DE SVPPLEND. NEGLIG. Secundò aduersatur textus *in cap. litteras* 4. *de supplend. neglig.* vbi proponitur, beneficia tanto tempore vacasse, vt eorum collatio deuoluta esset ad R. Pontificem: & cùm Legati Sedis Apostolicæ ordinarij collatores beneficia vacantia contulissent, consultus fuit Innocentius III. vtrum videlicet possessores sustinendi essent in possessione ipsorum, an verò Legati ea conferre possent? Et respondit Innocentius III. possessores, si aliàs digni sint, sustinendos esse in beneficiorum possessione, aliàs Legatos auctoritate Apostolica conferre ea posse. Ex quo Innocentij III. decreto duplex insurgit difficultas. Prima, nam si iam collatio beneficij erat deuoluta ad R. Pontificem, atque Legatus, tanquam ex iure deuoluto conferre poterat,

poterat, *cap. penult. de præbendis*; quo modo ſuſtinetur collatio ab Ordinario poſteà facta. Secunda, ſi Legatus confert beneficia vacantia in ſua prouincia iure proprio, & ordinario, quomodo in eo textu aſſeritur, auctoritate Apoſtolica conferre debere, præcipuè cùm illa, quæ ratione legationis exercentur, auctoritate Apoſtolicâ peracta non dicantur, *cap. hi qui*, vbi Gloſſa, & Francus *num. 5. cap. ſi apoſtolicæ, de præbendis & dignit. lib. 6.* Primæ difficultati ſatisfaciendum eſt ex verbis ipſius textus, ibi: *De patientia permittatis ab ipſis pacificè poſſideri.* In quibus innuitur, in eo textu collationem beneficij potiùs ex pietate & miſericordia tolerari, quàm ex iuris ſtricti principiis defendi, quod iam in eo textu notauimus. Secundæ difficultati reſpondetur, in eo textu non agi de Legato à Latere, ſed de Legato miſſo, qui iure proprio, & auctoritate ordinaria nunquam beneficia confert, niſi ex ſpeciali delegatione illi concedatur: vnde rectè ait Innocentius III. in eo textu auctoritate Apoſtolica illi indulgeri, vt ſi poſſeſſores beneficiorum idonei non reperiantur, poſſint ea auctoritate Apoſtolicâ conferri.

12. Deinceps ſuprà traditis opponi poteſt noua Clementis IV. deciſio relata *in cap. deliberatione 4. §. prohibemus, hoc tit. in 6.* vbi Clemens IV. prohibet, ne Legatus in genere, aut in ſpecie cuicumque concedat facultatem conferendi beneficia, quæ pendente legatione aliqui duxerint in eius manibus liberè reſignare, eâ adiectâ ratione, quia fraus fieret Concilio Lateranenſi inhibenti collationem beneficij vacaturi. Quæ Clementis deciſio vt ſuperflua reiicienda venit; ſiquidem, vt ſuprà diximus, licèt Legatus poſſit reſeruare beneficia vacatura, nequit tamen ea conferre; quod & apertè probatur, ſi rectè perpendatur deciſio textus *in cap. conſtitutis, de conceſſ. præb.* Pro huius textus interpretatione aliqui exiſtimarunt, inſpecto iure Decretalium potuiſſe Legatum à Latere collationem beneficij etiam vacaturi aliis committere; quorum opinioni aſſentiri non poſſum, cùm *in dict. cap. conſtitutis*, expreſsè contrarium ſtatuatur: quare exiſtimo, nouam prohibitionem Clementis IV. non eò reſpicere, vt auferat poteſtatem Legatis committendi collationem beneficiorum, quæ nondum vacarunt; hoc enim iam iure Decretalium prohibitum erat. Sed noua prohibitio illius textus eò tendit, vt Concilium Lateranenſe, quod loquebatur tantùm in caſum mortis, videlicet cùm beneficium vacaſſet per mortem, traheretur ad caſum, in quo beneficia liberè reſignantur, quia huiuſmodi commiſſione conferendi beneficium vacaturum fraus fiebat Concilio Lateranenſi: vnde ſicut Innocentius III. *in dict. cap. conſtitutis*, protraxit Concilij Lateranenſis prohibitionem ad caſum, in quo beneficiorum prouiſio committitur, ita Clemens IV. ipſam Innocentij deciſionem protraxit ad caſum, in quo committeretur collatio beneficij vacaturi per reſignationem; ne, quamuis remotiſſimè, fraus fieret Concilio, vt latiùs proſequemur *in dict. cap. conſtitutis* 11.

EXPONITVR CAP. 4. §. PROHIBEMVS, HOC TIT. IN 6.

CAPVT VII.

Idem [a] *Illuſtri Regi Francorum.*

[b] NOuit ille, qui nihil ignorat, quod Regiæ ſublimitati. *Et infrà*: Nuper autem primò dil. f. M. & Vvalt. milites, & poſtmodùm dil. f. Magiſtrum F. Decanum Aurel. cum litteris tuis benignè recepimus, & curauimus multipliciter honorare, ſicut per ipſos poterit pleniùs tuæ Serenitati patere. Ipſi autem in noſtra, & f. n. præſentia conſtituti contra eundem [c] Card. ex parte tua querimoninam intenderunt, videlicet quod cùm tibi eſſet certâ ratione [d] ſuſpectus, poſt [e] ap. ad nos interpoſitam extra [f] fines regni Francorum in terram tuam interdicti ſententiam promulgauit; qui etiam in animam tuam promiſerunt, & obtulerunt iurare, quod tu coram [g] Legatis & delegatis noſtris ſuper hoc negotio ſtabis iuri; & quod propter huiuſmodi negotium nec per nos, nec per alium fueris ex parte noſtra citatus, vt iuri parêres, prædictam petens ſententiam, receptâ huiuſmodi [h] cautione iuratoriâ, relaxari. Cæterùm ad ea, quæ contra Card. obiecerunt, & eis reſpondimus, & tuæ magnificentiæ reſpondemus, quod etſi fines regni Francorum exierat, nondum tamen fuerat terminos ſuæ legationis egreſſus, cùm non ſolùm in regno Francorum, ſed in [i] Vien. Lugdun. & Biſuntun. prouinciis iniunctam ſibi à nobis legationis ſolicitudinem ſuſcepiſſet.

NOTÆ.

1. [a] *Illuſtri.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* quo modo reſcribi ſolet Principibus ſæcularibus, vt Imperatori Conſtantin. *in cap. ſolitæ 6. de maior. & ob.* Illuſtri Regi Caſtellæ *in cap. 1. de reſtit. ſpol. in 5. compil. extrauag. vnica, de Iudæis.* Illuſtri Regi Aragonis *in cap. quantò 18. de iureiurando.* Illuſtri Regi Franciæ *in præſenti*, & *in cap. tuam 3. de ordin. cognit.* & *in extrauag. meruit, de priuileg. inter communes*: Illuſtri Regi Cypri *in cap. penult. de confirm. vtili*, Regi Angliæ *in cap. quantò 3. de iudiciis.* Regi Vngariæ *in cap. intellecto 33. de iureiurand.* Regi Luſitaniæ *in cap. ex ſpeciali, de Iudæis*; notarunt Cenedus *ad Decretal. collect. 109. num. 1.* Baſſeus *in chron. Hiſpan. cap. 18.* cuius tituli, & nomenclaturæ rationem reddunt, & illuſtrant Valdes *de dignit. Regum Hiſpan. cap. 13.* Iuretus *ad Symmachum, lib. 10. epiſt. 37.*

b *Nouit.*] Huius textus deciſionem, partem eſſe epiſtolæ noſtri Innocentij III. relatæ *in cap. nouit, de iudiciis*, & ad eundem caſum pacis fractæ inter Philippum Regem Galliæ, & Angliæ Regem 2.

Regem pertinere, Cuiacius, & Anton. Auguſt. *in dict. cap. nouit*, & alij non inferioris notæ Interpretes exiſtimarunt, aſſerentes, occaſione pacis ruptæ cum Ioanne Angliæ Rege Innocentium III. in Franciæ prouincias Petrum S. Mariæ in Via Lata Diaconum Card. Legatum à Latere miſiſſe, & duas ſcripſiſſe epiſtolas; vnam ad Epiſcopos Galliæ *in dict. cap. nouit*; aliam ad ipſum Philippum relatam *in hoc textu*, & *in cap. nouit, de appell.* cuius aliam partem eadem face hiſtoriæ illuſtrandam, relatam *in cap. ſicut* 29. *de iureiurando*, notauit magnus vir D. Franciſcus Ramos *in memor. ad Alex. VII. pro Epiſcop. Luſit. propoſ.* 4. §. 1. *num.* 47. Sed ni fallor cauſa huius deciſionis diuerſa eſt ab argumento, & hiſtoria textus *in dict. cap. nouit, de iudiciis*: exiſtimo enim interdictum, cuius mentio fit in hoc textu, fuiſſe interdictum appoſitum ob repudiatam vxorem ab ipſo Philippo, de quo egi *in cap.* 1. *verbo Exulare, de poſtul.* Illud enim prolatum fuit à Cardinali Legato in ciuitate Viennenſi, vt in noſtro textu innuitur, & probatur ex duabus epiſtolis noſtri Innocentij editis à Sirleto *pag.* 169. his verbis: [Quantò ampliùs de honeſtate tua, diſcretione pariter, & litteratura confidimus, tantò fiducialiùs ea tibi committimus exequenda, quæ Apoſtolicæ Sedis honorem reſpiciunt, & communem vtilitatem populi chriſtiani. Cùm itaque de fratrum noſtrorum conſilio ad reformandem inter chariſſimos in Chriſto f. n. Ph. Francorum, & R. Anglorum Reges Illuſtres plenæ pacis concordiam, vel treguas ſaltem vſque ad quinquennium ſtatuendas duxerimus inter cætera deſtinandum, diſcretioni tuæ auctoritate præſentium indulgemus, vt ſi quos viros eccleſiaſticos, Archiepiſcopos, vel Epiſcopos, vel minoris viros ordinis in regno Anglorũ eſſe cognoueris, quorum tractatui pacis ſit conlium opportunum, eos ad te conuoces, & per diſtrictionem Eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit, noſtra fretus auctoritate venire compellas. Nulli ergo, &c.]

[Scripſimus chariſſimo in Chriſto f. n. Ph. Illuſtri Regi Francorum, vt ea, quam ſuperduxit contra Eccleſiæ interdictum, à ſuo ſeparata conſortio, chariſſimam in Chriſto f. n. Francorum Reginam Illuſtrem vxorem ſuam in gratiam recipiat coniugalem, & debito pertractet affectu. Vt autem mandatum noſtrum ſuper hoc meliùs, & expeditiùs compleatur, diſcretioni tuæ auctoritate præſentium indulgemus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, & diſtrictè præcipientes, vt niſi dictus Rex infra menſem poſt commonitionem tuam prædictam Reginam in gratiam receperit coniugalem, & honore debito pertractarit, ex tunc totam terram eius appellatione poſtpoſitâ ſubijcias interdicto, ita quod præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias morientium, nullum in ea diuinum officium celebretur: & ven. f. noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis noſtris Abbatibus, Prioribus, & vniuerſis Eccleſiarum Prælatis conſtitutis in terra eius in virtute Spiritus ſancti diſtrictè præcipimus, vt cùm in terram Regis eiuſdem interdicti ſententiam promulgaueris, eam ap. rem. ſecundùm prædictam formam obſeruent, & per ſuas faciant prouincias, diœceſes, & Eccleſias obſeruari. Nulli ergo, &c.] Scriptum eſt ſuper hoc Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & vniuerſis Eccleſiæ Prælatis in terra Regis Franciæ conſtitutis. Cùm enim Philippus vt ſuſpectum recuſaſſet ipſum Cardinalem Legatum, atque à ſententia interdicti appellaſſet, atque etiam propoſuiſſet prædictum Cardinalem fines Regni Franciæ egreſſum interdictum promulgaſſe, & ſic ſine iuriſdictione, cùm prouinciam legationis exceſſiſſet: conſultus Innocentius per Legatos miſſos à Philipo, & in hoc textu relatos, primæ quæſtioni reſponſum dedit in epiſtola relata *in dict. cap. nouit, de appell.* ſecundæ verò in hoc textu.

c *Cardinalem.*] Petrum videlicet Diaconum Cardinalem tituli S. Mariæ in Via Lata.

d *Suſpectus.*] Ad hanc partem ſpectat textus *in cap. nouit, de appell.*

e *Poſt appellationem.*] Cùm enim prædictus Cardinalis apud Senonas Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Concilium congregaſſet, vt contra ipſum Philippum procederet, & interdictum in Regno Franciæ apponeret, Philippus per nuncios ſuos ad Sedem Apoſtolicam appellauit, vt refert Spondamus *in continuat. Baronij, anno* 1198. *numero* 9. 3.

f *Fines Regni Francorum.*] Pro diuerſitate temporum diuerſi fuerunt huius Regni fines; dum enim Galli Romanis parebant, in ſex prouincias Regnum diuidebatur, vt eius ævi, & ſequentium hiſtoriam, & geographicam deſcriptionem referens tradit Hothomanus *in Franco-Gallia, cap.* 1. 2. *&* 3.

g *Legatis, & delegatis noſtris.*] Qui varij fuerunt; nam Petrus Cardinalis, de quo in præſenti, miſſus fuit, vt iam cœptum negotium diuortij proſequeretur; fuerant enim antea iudices dati in hac cauſa Octauianus Epiſcopus Oſtienſis, & Ioannes preſbyter Cardinalis, vt refert Spondanus *vbi ſuprà, anno* 1201. *num.* 1.

h *Cautione iuratoria.*] Sub qua relaxanda erat interdicti ſententiâ, *cap. quâ fronte, de appell. cap. ex parte* 23. *de v. ſ.* Vnde rectè petebat in hac parte Philippus interdicti ſententiam relaxari.

i *Vien. Lugdun. Biſunt.*] Prouinciæ iſtæ tempore Innocentij III. erant Galliæ, non tamen ſpectabant ad Regnum Francorum, vt conſtat ex eius Regni deſcriptione tradita à Doctore *pag.* 80. Vnde cùm in Viennenſi ciuitate Legatus ſententiam interdicti promulgaſſet, intendebat Philippus eum extra Franciæ prouincias, & per conſequens extra legationis terminos ſententiam dixiſſe.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu communiter deducitur, *Legatum cui commiſſa eſt legatio in diuerſis prouinciis, poſſe in vna cognoſcere de cauſis emergentibus in alia; poſtea tamen quàm terminos prouinciæ ſibi commiſſæ egreſſus fuerit, non poſſe exercere iuriſdictionem.* Ita vltra ordinarios in præſenti ex hoc textu docuerunt Moneta *de commut. vltim. volunt. cap.* 5. *num.* 226. Couar. *lib.* 3. *variar. cap.* 20. Gonzalez *in regul.* 8. *gloſſa* 22. Barboſa *lib.* 1. *iuris eccleſ. cap.* 5. *num.* 76. Azor 2 *part. inſtit. lib.* 5. *cap.* 27. *quæſt.* 4. Fragoſo *de regim. Chriſt. reipub. diſput.* 10. §. 2. *num.* 37. Gambara *de officio Legati extra prouinciam, num.* 2. *&* 3. Nam licèt non poſſit iudex extra prouinciam ius dicere, *l.* 3. *ff. de officio Præſidis, l. vlt. ff. de iuriſd.* tamen Legatus diuerſarum prouinciarum ordinariam in omnibus prouinciis ſibi aſſignatis habet iuriſdictionem, *cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. Sed ordinarius iudex in quolibet loco ſuæ iuriſdictionis poteſt cauſas alterius loci decidere, 4.

dere, ac terminare, *cap. cùm Episcopus, de officio Ordin. lib.6.* igitur Legatus in qualibet prouincia suæ legationis potest exercere iurisdictionem contentiosam, etiam quoad res, seu personas existentes in alia prouincia: sed si iam excessit prouincias suæ legationis, non potest aliquam iurisdictionem contentiosam exercere. Neque obstabit, si instes, Legatum Proconsuli æquiparari, *cap.2. hoc tit.lib.6.* sed Proconsul tantùm deponit imperium, dum ingreditur vrbem Romanam, *l.vlt.ff.de officio Proconsulis:* igitur similiter licèt Legatus excesserit terminos suæ prouinciæ, dum tamen non ingrediatur Romanam ciuitatem, non deponit imperium, aut iurisdictionem. Nam respondendum est, etiam Proconsulem iam egressum terminos prouinciæ suæ iurisdictionem contentiosam exercere non posse, nec contrarium probat textus *in dict. l. vlt.* nam omissis emendationibus Fabri & Gothofredi *in eo*, Hothomani *lib.4.obseru. cap.22.* dicendum est, Proconsulem in ingressu vrbis deponere imperium, id est iurisdictionem voluntariam, quam etiam extra prouinciam exercere poterat, vt interpretatur Cuiacius *in nouella 95. Iustin.* vel insignia, & ornamenta dignitatis Proconsularis, vt vult Osualdus *lib. 17. comment. Donelli, cap. 9. littera E:* iurisdictionem autem contentiosam ex quo excessit terminos suæ prouinciæ certum est exercere non posse.

CAPVT VIII.

Gregorius IX. [a] *Patriarchæ* [b] *Hierosolym.*

VOlentes. *Et infrà*: Fraternitati tuæ legationis officium in prouincia tua duximus committendum; ita tamen, quod si Legatum ad partes illas de latere nostro contigerit destinari, executionem ipsius officij, quamdiu Legatus ipse ibi fuerit, pro Sed. Apost. reuerentia omninò dimittas.

NOTÆ.

1. a *Patriarchæ.*] Geraldo videlicet; ipse enim mortuo Rodulpho electus fuit in Patriarcham Hierosolym. & confirmatus à Gregorio IX. anno 1227. vt ex Scriptoribus Orientalibus refert Spondanus *in continuat. Baronij, prædicto anno, num.7.* Besoldus *in hist. Hierosolym.*

b *Hierosolym.*] Amplitudinem, & principium huius Ecclesiæ retuli *in cap.3. de clericis peregrin.*

COMMENTARIVM.

IN hoc textu deciditur, præsente Legato à Latere officium Legati missi, seu nati cessare, nec huiusmodi Legatos insigniis vti posse. Quod & deciditur *in c.antiqua, §.dominicæ, de priuileg.* Docent Barbosa *lib.1.iuris Eccles.c.5.n.19.* Fragoso *de regim.* vbi suprà, *disput.10.§.1.n.7.* Cuius doctrinæ ratio prouenit ex præexcellentia Legati à Latere, qui alios quoscumque Legatos præcedit, vt latè docet Manrique *de præcedent.q.29. per totam.* 2.

CAPVT IX.

Idem.

EXcommunicatis pro iniectione manuum violenta, Ecclesiæ Romanæ Legati, qui de ipsius latere non mittuntur, extra prouinciam sibi commissam, vel ibidem, si huiusmodi manuum iniectores illuc contingat aliunde accedere; & qui Ecclesiarum suarum prætextu legationis sibi vindicant dignitatem, etiam subditis (quamuis in prouincia sua existentes) beneficium absolutionis impartiri non possunt, nisi de speciali gratia illis, & sibi amplius à Sede Apostolica concedatur.

a *Idem.*] Greg. videlicet IX. qui motu proprio præsentem edidit constitutionem à nemine consultus, vt de ipso Gregorio iam notaui *in cap. fin. de consuetudine.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO PROBATVR. EX hac constitutione talis deducitur assertio: *Legati nati non absoluunt excommunicatos ob iniectionem manuum in clericos, etiam in sua prouincia: Legati missi similiter non absoluunt ipsos extra suam prouinciam, aut venientes ad eam ex aliena: Legati à Latere omnes, & vbicumque absoluunt.* Probant hanc conclusionem textus *in cap. quoad translationem, hoc tit. cap. ea noscitur 13. cap. ad eminentiam 22. cap. quamuis 58. de sentent. excomm.* Illustrant Gambara *de officio Legati lib. 12. per totum*, plures congesti à Barbosa *in præsenti, lib.1. iuris eccles. cap. 5. num. 27.* Moneta *de commut. cap. 5. num. 236.* Suarez *de censur. disput.22. sect.1.num.60.* Graffis *in decisionibus lib.2. cap. 49. num.58.* Fragoso *de regim. disput. 10. §.2. num.23.* Gibalinus *in synopsi censur. pag.466.* Garcia *in summa, tract. 1. difficult. 3. dub.2. puncto 5.* Cæsar *de eccles. hierarch. disput.3.§.2.*

2. TRADITVR DVBITANDI RATIO. Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti iuris consideratione. Excommunicatio, quæ incurritur ob violentam manuum iniectionem in clericum, R. Pontifici est reseruata, nec alius quàm ipse ab ea absoluere potest, *cap. si quis suadente 17.quæst.4.* & si Legatus à latere tanquam eius vices gerens ab ea absoluit, etiam Legati nati, seu missi, qui etiam dicuntur Vicarij R. Pontificis, *cap. finali, 93. dist.* Cæsar *vbi supra §. 1. num. 11.*

num. 11. absoluere possent: igitur aut omnes Legati à prædicta excommunicatione absoluere valent, aut nullus. Augetur hæc difficultas ex eo, quia si Legatus à Latere posset quoscumque excommunicatos, & vbicumque absoluere, posset etiam quoscumque, & vbicumque excommunicare, cùm ille possit absoluere, qui & ligare: sed Legati alienos subditos, & extra suam prouinciam existentes excommunicare non possunt, vt sæpe sæpiùs *in hoc tit.* probaui: igitur neque eos absoluere.

3. De canone Si quis svadente.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, cuius rationem vt percipiamus sciendum est, ob dignitatem clericalis status, & reuerentiam, quæ clericis debetur, in Concilio Lateran. sub Innocentio II. celebrato, & in Concilio Rhemensi tempore Eugenij congregato anno 1148. *can.* 13. statutum fuisse, vt si quis suadente diabolo tanti sacrilegij reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum manus violentas iniecerit, anathema sit, ita vt nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur. Referunt Concilij Rhemensis verba Baronius *anno* 1148. Manrique *annal. Cisterc. tom.* 3. *anno* 1148. *cap.* 4. quem canonem firmarunt Romanæ Ecclesiæ Præsules *in cap.* 1. *cap. non dubium* 5. *cap. parochianus* 9. *cap. ex tenore* 10. *cap. cùm non ab homine* 14. *cap. tua* 19. *cap. contingit, de sentent. excomm. cap. eos* 22. *cap. cùm quis* 23. *eod. tit. lib.* 6. & aliis iuris locis congestis ab Antonio August. *in epit. iuris lib.* 37. *tit.* 58. Crespetio *in summa, verbo Clerici non cedendi.* Illustrant hoc priuilegium canonis Pineda 3. *part. Monach. Eccles. lib.* 20. *cap.* 16. §. 5. Petrus Gregor. *lib.* 4. *partit. cap.* 10. & *lib.* 16. *syntagm. cap.* 1. *num.* 35. Suarez *de censur. disput.* 22. *sect.* 1. *cap.* 4. Sarmiento *in defens. libelli de reddit. eccles. part.* 1. §. 3. *monit.* 55. plures congesti à Cenedo *in collect. ad decretum, collect.* 24. Barbosa *in dict. cap. si quis suadente,* Petrus Gregorius *lib.* 2. *partit. tit.* 9. *cap.* 10. & *tit.* 16. *cap.* 11. Fragoso *de regim. Christ. Reipub.* 2. *part. lib.* 1. *disput.* 2. Delbene *de immunit. eccles. tom.* 1. *quæst.* 2. *dubit.* 4. Scortia *in selectis epist.* 29. *select.* 69. Gibalinus, & Garcia *locis suprà citatis*, Diana *part.* 9. *tract.* 4. Nos tamen tria tantùm in præsenti examinabimus, videlicet personas, quæ hoc priuilegio fruuntur, aut in excommunicationem incidunt; ex qua iniectione excommunicatio incurratur; & qui possint ab ea absoluere.

4. De personis in canone comprehensis.

Quoad primum, illis verbis, *Si quis*, omnes personæ vtriusque sexus, tam sæculares, quàm ecclesiasticæ, dum iudicium integrum rationis habeant, comprehenduntur, *cap.* 1. *cap. mulieres* 60. *cap. porro* 7. *cap. ex tenore* 10. *cap. veritatis* 24. *cap. cùm illorum* 32. *cap. de monialibus* 37. *cap. fin. de sentent. excomm.* Docent latè Gibalinus, & Diana *vbi suprà.* Deinde quoad personas, quæ hoc priuilegio canonis gaudent, certum est, omnes clericos, siue in maioribus, siue in minoribus ordinibus constitutos, immò tonsuram tantùm habentes, hoc canonis priuilegio frui, quia in clericorum numero, & collegio recensentur, *cap. cleros, cap. psalmista,* 21. *dist. cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* Nec interest, an coniugati sint, dum deferant habitum clericalem, & alicui Ecclesiæ inseruiant, iuxta textum *in cap. vnico, de clericis coniugat. lib.* 6. Concilium Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 6. Monachorum etiam appellatione, qui hoc priuilegio fruuntur, veniunt religiosi vtriusque sexus, tam professi, quàm nouitij, nec-non etiam conuersi, & canonici regulares, *cap. monachi* 2. *cap. parochianum* 9. *cap. cùm illorum* 32. *cum sequent. de sentent. excommunic. cap. religiosi* 21. §. *vnico, eodem titul. in* 6. pluribus relatis docet Garcia *vbi suprà.* Etiam monachi bigami hoc priuilegio fruuntur, quia bigamia tollit priuilegium clericale, non verò regulare, vt cum aliis resoluit Gibalinus *vbi suprà.* Fratres etiam Tertiarij Ordinis SS. Francisci, & Dominici, nec-non Eremitæ, si superiorem habeant, & in commni vitam agant, hoc priuilegio fruuntur, vt docent Rodriguez *tom.* 2. *qq. regul. quæst.* 65. *artic.* 5. Layman. *lib.* 1. *summæ, tract.* 5. 2. *part. cap.* 5. *num.* 4. Non tamen hoc priuilegio gaudent clerici incorrigibiles, tonsuræ deferrores, sine veste clericali incedentes, grauissimis sceleribus implicati, *cap. in audientia* 25. *cap. perpendimus, cap. contingit, de sentent. excommunic.* Nec etiam gaudent clerici goliardi, ioculatores, carnifices, ter moniti vt similia exercitia deserant, *cap. vnico, de vita & honest. clericor. lib.* 6.

5. De iniectione manvvm.

Ipsa manuum iniectio vt excommunicatio incurratur, debet esse violenta, & iniuriosa, vt occisio, vulneratio, mutilatio, percussio, quocumque modo, aut instrumento fiat, siue manu, pede, ense, fuste, loris, aut etiam veneno occultè propinato, vt latè resoluit Diana *dict. tract.* 4. Nec solùm si manu propria percussio sequatur, excommunicatio incurritur, verùm & si ab alio, dum quis mandauit, aut ratam habuit percussionem, *cap. dilecto* 6. *cap. cùm quis* 23. *de sentent. excom. lib.* 6. *cap. mulieres* 6. §. *fin. cap. quantò* 47. *de sentent. excomm.* debet autem ipsa percussio esse grauis, itaut sufficiens iudicetur ad peccatum lethale perpetrandum, sine quo excommunicatio maior incurri non valet, *cap. nemo, cap. nullus* 11. *quæst.* 3. non autem incurritur hæc censura sequentibus casibus. Primò cùm quis clericum cum propria vxore, matre, filia, vel sorore solum cum sola in loco suspecto inuenit, *cap. si verò* 3. *de sentent. excommunic.* si non dolo, vel fraude ipsum percusserit, illum euocando, vt resoluunt Diana *dict. tract.* 4. *resol.* 2. Barbosa *in dict. cap. si verò, num.* 7. Gibalinus *vbi suprà, pag.* 465. Similiter nec in excommunicationem incidit ille, qui clericum percussit, cùm aliter se defendere non posset, vt resoluunt Sayrus, & Philiarchus relati à Gibalino *vbi suprà.* Similiter etiam in excommunicationem non incidunt, qui percutiunt clericum habitu laicali incedentem, *cap. si verò, de sentent. excommunic.* Nec qui clericum quouis ordine insignitum ratione officij, coërcitionisve intra modum sine iniuria verberant, aut percutiunt, argumento textus *in cap. vniuersitatis* 24. *cap. cùm voluntate* 54. §. *finali, de sentent. excommunic.* nec illi, qui eiiciunt excommunicatum ab Ecclesia, nec illi, qui se, suaque defendendo clericum percutiunt, *cap. si verò* 3. *cap. ex tenore* 10. *de sentent. excomm.* Prosequuntur alios casus Diana, & Gibalinus *vbi suprà.*

6. De absolvtione ab hac censvra.

Supereſt vt de absolutione huius excommunicationis agamus. Et eam petendam esse à summo Pontifice personaliter, non per procuratorem, deciditur *in dict. cap. si quis suadente,* & aliis suprà citatis. Posteà tamen illa permissa fuit Legatis,

tis, iuxta distinctionem traditam in hoc textu; & Episcopis certis in casibus. Primò si percussio sit leuis, ex qua licèt peccatum lethale daretur, mutilatio tamen leuis secuta fuit, *cap. peruenit* 17. *de sentent.excomm.extrauag.perlectis*, Ioannis XXII. Docent, & resoluunt, quando leuis percussio dicatur, Molina *de iustitia tom.*4. *disput.*57. *num.*1. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.*41. *num.*2. Item si impuberes sunt, qui manus violentas iniecerunt, ab Episcopo, etiam post pubertatem, absolui valent, *cap.*1.*cap. quamuis*, *cap.fin.de sentent. excomm.* Similiter absoluere potest Episcopus mulieres cuiuscumque conditionis, etiam ob enormem percussionem, cùm periculum illis sit peregrè proficisci, & se virorum cœtibus immiscere, *c.mulieres*, *cap.ea noscitur*, præcipuè si sint moniales, *c.de monialibus*, *de sentent.excom.* Item absoluere possunt seruos, & filiosfamilias, quando pater, & dominus percussioni non consenserunt, *d.cap. mulieres*, *cap.relatum* 37. *de sentent. excomm.* etiam infirmos valetudinarios, dum primò iuramento promiserint, quod pristinæ saluti restituti, personaliter à Pontifice eam requirent, *cap.quandiu* 26. *cap.quamuis* 58. *de sentent. excomm.* Etiam ab Episcopo absolui possunt pauperes ita inopiâ laborantes, vt Romam adire non possint, *dict.cap.ea noscitur*, *cap. quamuis.* Clerici etiam vnius collegij sub eodem tecto degentes, ab Episcopo absolui possunt, si percussio grauis non sit, *cap.quoniam* 9.*de vita & honest.cleric.* immò si religiosi eius cœnobij in hanc censuram inciderint, à proprio Prælato absolui valent, *cap. monachi* 2. *cap. cùm illorum* 32. *de sentent. excom.* nisi percussio enormis sit, *cap. canonica*, *eod. tit.* Monachi autem, qui religiosum alterius monasterij, seu ordinis percusserint, debent absolui à proprio Prælato, indictâ satisfactione coram Prælato ipsius percussi, *dict.cap. cùm illorum*; & si clericum sæcularem percusserint leuiter, ab Episcopo absolui debent, *cap. religiosi*, *eod. tit. lib.*6. Hæc omnia procedunt regulariter, & iure communi attento: si verò periculum mortis immineat, quia tunc nulla datur reseruatio peccati, aut censuræ, quilibet absolui poterit à censura à quolibet sacerdote, cum obligatione sistendi coram R.Pontifice, si conualuerit, *dict. cap. ea noscitur*, *cap.quod de his*, *de sentent.excom.* Aut si alia priuilegia habeant Religiosi, quibus standum est. Etiam post Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.*6. si percussio occulta fuit, & difficilis est aditus ad R. Pontificem, Episcopus potest absoluere. Tandemque Bullam Cruciatam habentes, eius virtute semel in vita; & si iterùm in excommunicationem inciderint, aliam Bullam assumentes possunt absolui, vt docent Rodriguez *in Bullam*,§.11. *numero* 2. Pater Mendo *eodem tractatu*, *disput.* 24. *numero* 48.

Quibus ita præmissis ratio huius decisionis ex eo prouenit; nam cùm ab excommunicatione ob percussionem clerici illi absoluere possint, quibus iure absolutiopermissa est; & Legato à Latere permissum sit ab hac excommunicatione absoluere, non à consuetudine, vt existimauit Speculator *tit. de Legato*, §.*superest*; sed à iure ipso, *in d.c.ad eminentiam*, *dict. c.quod translationem*, vt docet Fragoso: ideò quoscumque excommunicatos ob dictam percussionem vbicumque absoluere valent; quia illis sine vlla prouinciæ taxatione hæc absoluendi facultas data est. Vnde deducitur à contrario, excommunicatos ob iniectionem manuum in Episcopos, aut Cardinales, absoluere non posse, quia huiusmodi censura R. Pontifici tantùm est reseruata, *cap. felicis*, *de pœnis lib.*6. *Clement.* 1. *eod. tit.* Similiter Legati missi, cùm non æquali polleant dignitate, ac Legati à Latere, tantùm subditos suos absoluere possunt, non aliundè venientes, ne legationis formam sibi præfixam excedere videantur, *cap. sanè*, *de priuileg.* Legari autem nati prædictos excommunicatos absoluere nequeunt, quia illis concessum non est, ea ratione, ne contemneretur priuilegium prædicti canonis *si quis suadente*, cùm eorum subditi clericos percutientes facilè pro absolutione illos adire possint. 7. RATIO DECIDENDI.

Nec obstat difficultas suprà adducta, cui facilè ex suprà traditis fit satis; nam licèt in iure Pontificio reseruata sit absolutio excommunicationis ob iniectionem manuum incursæ R. Pontifici; tamen in eodem iure concessa est facultas absoluendi Legatis à latere, & natis, cum suprà tradita distinctione: non tamen omnibus Legatis hæc facultas competit, quia eorum potestas æqualis non est, vt probaui *in cap.*1. *hoc tit.* Nec augmentum difficultatis refragatur; nam magnum discrimen versatur inter facultatem excommunicandi, & potestatem absoluendi in foro interno; quia ad excommunicationem infligendam necessaria est causæ cognitio, & iudex pro tribunali sedere debet, *cap. si quem*, §.*si quis* 2. *quæst.* 3. *cap. inducia* 3. *quæst.*3. quæ in alieno territorio obiri nequeunt, *cap. Episcopum* 9. *quæst.* 2. absolutio autem, quæ in foro interno conceditur, neque causæ cognitionem, neque iudicialem actum petit, vnde Legatus vbicumque potest prædictos excommunicatos absoluere; non autem extra prouinciam in alienos subditos excommunicationem proferre, vt docet Moneta *de commut. cap.*5. *num.*237. 8. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

CAPVT X.

Idem.

NEmini dubium esse volumus, quin Legatorum Sed. Apost. [a] statuta edita in prouincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, licèt eandem postmodùm sint egressi. Secus autem si causas duxerint [b] delegandas aliquibus, cùm iurisdictio istorum exspiret, si ante illorum discessum horum [c] citatio non præcessit.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Statuta.*] Legati enim statuta facere possunt in sua prouincia, vt alij, qui iurisdictionem ordinariam habent, de quibus egi *in cap. cùm Ecclesia, de constit.* & sunt perpetua, quatenus suæ legationis iurisdictioni conueniunt, vt accipiunt præsentem textum Cironius *ad hunc tit.* Suarez *de legib. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 5. Tapia *tom.* 1. *catenæ mor. lib.* 4. *quæst.* 5. *art.* 1.

b *Delegandas.*] Legati enim possunt causas committere, & delegare, vt probaui *in cap.* 3. *de officio delegati.* 2.

c *Citatio.*] Iuxta ea, quæ adduxi *in cap. gratum, de officio deleg.* ex cuius commentario huius textus interpretatio petenda est. 3.

TITVLVS XXXI.

De officio iudicis ordinarij.

CAPVT I.

Ex [a] *Synodo Ioannis Papæ.*

PErnicioſa. *Et infrà* : Habeant igitur Epiſcopi [b] ſingularum vrbium in ſuis diœceſibus liberam poteſtatem adulteria, & ſcelera [c] inquirere, vlciſci, & iudicare ſecundùm quod [d] canones cenſent, abſque impedimento alicuius. Et cùm opus fuerit, [e] publicum conuocent auxilium, non ad præiudicandum, ſed potiùs ad ea, quæ Deo ſunt placita, proſequendum.

NOTÆ.

1. a *EX Synodo.*] Trecaſenſi, ſeu Trecenſi. Ioannes enim VIII. R. P. anno Domini 872. apud Trecas in Gallia Synodum celebrauit, vbi plura ad fidem pertinentia, & non pauca ad reformationem morum ſpectantia ſtatuta fuerunt, vt in eo referunt Corjolanus, & Iacobus Sirmundus, Baronius *in eo anno*, Fileſacus *in præſenti.* Verba huius textus non reperiuntur inter canones editos à Sirmundo in capitularibus Caroli; extant tamen in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. & *ſub tit. de adulteriis, cap.* 4.

b *Singularum vrbium.*] Non enim poſſunt eſſe duo Epiſcopi in vna ciuitate, ſed ſinguli in ſingulis præeſſe debent, vt latè probabimus *in cap. quoniam, hoc tit.*

2. c *Inquirere.*] Non enim ſolùm poteſt Epiſcopus per accuſationem, aut denunciationem in ſubditos animaduertere, verùm & per inquiſitionem procedere, *cap. qualiter*, vbi latiùs inquiſitionis modum illuſtrabimus, *de accuſationibus.* Ad Epiſcoporum enim officium primò, & principaliter pertinet ſubditorum exceſſus inquirere, corrigere, & punire; eſt enim Epiſcopus Græcè idem ac obſeruator, ſeu ſpeculator; quo ſenſu appellantur Epiſcopi ab Arcadio *in l. munerum*, §. *item Epiſcopi, ff. de muner. & honor.* qui præerant pani, & cæteris rebus venalibus, vt obſeruarunt Cuiacius *lib.* 27. *obſeru. cap.* 29. Duarenus *lib.* 1. *de ſacris Eccleſiæ, cap.* 7. quaſi Epiſcoporum officium ſit ſubditorum mores corrigere, & ſpeculari: quò reſpicit Concilium Aquileienſe primum temporibus Clementis Papæ VIII. celebratum, *tit. de reſidentia Epiſcoporum*, in illis verbis: *Epiſcopos autem, quos in ſpecula Dominus conſtituit, vt gladium venientem perſpicientes, tuba canerent, & populos monerent, ne ſanguis pereuntium de manibus eorum exquiratur; aut etiam quia Epiſcopus idem eſt atque ſuperintendens, quaſi intendere debeat ſupra gregem ſuum, vt ſubditorum mores corrigat & emendet:* vt probat Concilium Londinenſe auctoritate Othonis L. S. A. pro reformanda Eccleſia Anglicana tempore Gregorij IX. celebratum, in illis verbis: *Quod ad venerabiles Patres Archiepiſcopos, & Epiſcopos incumbat ex officio faciendum, nomen dignitatis eorum, quod eſt Epiſcopus, id eſt ſuperintendens, exprimit euidenter. Intendere quippe habent ſupra gregem ſuum iuxta verbum euangelicum, & mox circumeant prætereà diœceſes ſuas temporibus opportunis, corrigendo, & reformando.* D. Iſidorus relatus *in cap. cleros*, §. *Epiſcopatus*, 21. *diſt.* de quo grauiter Epiſcopos monet Clemens Papa I. *epiſt.* 1. *ad Iacobum fratrem, colum.* 6. Ioannes Papa III. *epiſt.* 1. Quare ad Epiſcopos ſpectat punitio delinquentium, vt conſtat *ex can.* 22. *collect. Adriani Papæ*, qui perperam citatur ex Synodo Romana à Gratiano *in cap. ſi quis Epiſcopus* 2. *quæſt.* 7. vt obſeruat Antonius Auguſtinus *in notis ad dictum can.* 22. & probant textus *in cap. viſis* 16. *q.* 2. *c. finali, de officio Archipreſb. c. cùm ex iniuncto, de hæreticis.* Docuerunt Alciatus *in præſenti*, Germonius *lib.* 1. *animadu. cap.* 9. Fileſacus *in præſenti.*

d *Canones.*] Aliqui, & communiter repetentes in præſenti hæc verba accipiunt, vt videlicet Epiſcopi in inquiſitione debeant ſeruare formam canonum, & ab ea non recedere, iuxta ea quæ adduximus *in cap.* 1. *de conſtitut.* Sed veriùs, ni fallor, exiſtimo, hæc verba eſſe referenda ad canones illos, in quibus facultas inquirendi, & puniendi adulteria, & ſimilia ſcelera eccleſiaſtica, vel mixti fori, datur Epiſcopis, quos infrà referam: ita vt ſenſus ſit huius canonis, quod Epiſcopi, vt canones anteriores cenſent, & ſtatuunt, debent inquirere, punire, & vindicare adulteria, & ſimilia delicta. 3.

e *Publicum.*] Aliàs iudicium ſæculare. Innocentius III. *lib.* 1. *epiſt. regeſtr.* 13. ſæculare intendebat brachium inuocare, *cap. quoniam, hoc tit.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO PROBATVR.

VT commodiùs, rectiusque decisio percipiatur, sub duplici conclusione eam examinare duxi. Sit prima conclusio: *Episcopi in suis diœcesibus adulteria, & alia crimina possunt inquirere, & punire.* Quam conclusionem ita generaliter conceptam probant textus *in cap. scitote 2. quæst. 3. c. per singulas 9. quæst. 3. cap. irrefragabili 13. in principio, cap. conquerente 16.* ibi, *Correctionem, hoc tit. cap. qualiter 24. de accusat. cap. cùm Episcopus 7. hoc tit. in 6. Clement. 1. eod. tit.* Concilium apud Palatium Vernis sub Pipino, *can. 3. Vnusquisque Episcoporum potestatem in sua parochia, tam de clero, quam de regularibus, & sæcularibus ad corrigendum, & emendandum secundùm ordinem canonicum, spiritualem, &c.* Concilium Arelatense sub Carolo, *can. 26.* Concilium Meldense *can. 13.* Pistense *can. 4.* Tolet. 1. *can. 11.* Trident. *sess. 6. de reform. cap. 1. & 3. & sess. 14. cap. 1. & 4. & sess. 24. cap. 8.* Specialiter autem aliqua specialia crimina Episcopum corrigere posse, probant sequentia iuris testimonia. Primò idolatriam, & paganismum, *l. 19. Cod. Theodos. de paganis.* Concilium Carthag. 5. *can. 13.* Africanum *can. 51.* Synodus Francica sub Carolo, quæ reperitur *lib. 5. Capitul. cap. 2.* Concilium Aurelian. 3. *can. 28.* Secundò adulterium, & incestum. Carolus Magnus *lib. 6. Capitul. 314. Præcipimus vt iuxta decreta canonum, adulteria, & incestuosa matrimonia, quæ sunt illegitima, prohibeantur, & Episcoporum iudicio emendentur.* Moguntinum sub Carolo, *cap. 53.* & sub Rabano *cap. 28.* repetitum *lib. 5. capitul. cap. 98. Vt Episcopi incestuosos pariter inuestigare studeant, omninò præcipimus.* Aurel. 3. *can. 10.* Blasphemiam, & apostasiam. Concilium Tolet. 4. *can. 63. & 69.* Tolet. 12. *can. 9.* Lenocinium, *l. Imperatores 12. Cod. de episcop. audientia.* Alia prosequitur Filesacus *in præsenti.* Illustrant prædictam sententiam vltra laudatos à Barbosa in præsenti, & à Vela *in relect. ad hunc textum*, Anastasius Germonius *lib. 1. animadu. cap. 9.* Petrus Gregor. *in cap. conquerente, cap. 9. hoc tit.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disput. 6. § 4.* Beroius *in dict. cap. qualiter, num. 19. de accusat.* Fachineus *lib. 1. controu. cap. 34.* Michaël Rousselius *lib. 6. historiæ Pontif. iurisd. cap. 2.* Franciscus Hallierius *de hierarch. iurisd. pag. 419. & in vindiciis pag. 211.* Petrus Herodius *lib. 1. Pandect. tit. 6. cap. 11.* Anguianus *lib. 2. de legib. cap. 18.* plures congesti à Barbos. *6. tom. ad hunc textum*, Petauius *de hierarch. iurisd. cap. 11.*

5. RATIO DVBITANDI.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam Episcopi nomen potiùs curæ, & solicitudinis, quàm potestatis, aut iurisdictionis est. D. Isidorus *lib. 7. etymolog. cap. 12. versic. Episcopus.* D. August. *lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 19.* vnde apud Gentiles, qui curam carnis venalis ad quotidianum vsum habebant, Episcopi dicebantur, *l. munerum 18. §. Hirenarcha, ff. de munerib. & honor.* igitur si tantùm curæ, & solicitudini sunt præfecti, non debent animaduertere in facinorosos, & ea exercere, quæ magis iurisdictionis sunt, quàm officij, vt deducebat Tertullianus *de pudicitia*, vbi Episcopum Romanum alloquens ita ait: *Quod si disciplinæ solius officia sortitus est, neque imperio possidere, sed ministerio quis, aut quantus est, indulgere.* Augetur hæc dubitandi ratio sequenti consideratione. Si Episcopi possent inquirere, & punire scelera, tam à laicis, quàm clericis perpetrata, haberent potestatem coactiuam, & coërcitiuam: sed eam non habent: igitur non possunt animaduertere in facinorosos. Probatur minor, nã coactio opponitur voluntario; sed tamen quis voluntarius & spontaneus suscipit pœnitentiam ab Episcopo inflictam, nec inuitus quis cogitur eam suscipere, vt probant Marsilius de Padua, & Antonius de Dominicis relati à Petauio *vbi suprà, pag. 20.* igitur Episcopi non possunt animaduertere in facinorosos. Augetur secundò hæc difficultas; nam si Episcopi virtute potestatis coërcitiuæ possint delicta in sua diœcesi admissa iudicare, possent ea punire, aut pœnâ corporali inflictâ, aut mulctâ indictâ: sed non possunt pœnam corporalem infligere, *cap. sententiam, ne clerici, vel monachi*; nec pecuniariam pœnam indicere, *cap. licèt 3. de pœnis*: igitur Episcopus non potest punire delicta à laicis, vel clericis perpetrata.

6. DE IVRISDICTIONE EPISCOPI.

Hac tamen difficultate non obstante vera est præsens decisio, ad cuius expositionem sciendum est, Episcopos in suis diœcesibus habere iurisdictionem ordinariam ab ipso Christo Domino immediatè concessam, coniunctam cum potestate ordinis, vt probant Suarez *de pœnit. disput. 25. sect. 1.* Caietanus *de potest. Papæ, cap. 3.* Canus *de locis lib. 6. cap. 8.* Cæsar *dict. disput. 6. §. 4. num. 1.* cùm enim teneantur curare supernaturalia, vt iuxta legem euangelicam subditi viuant, necessariò iurisdictionem ordinariam debent habere ad prædictum finem consequendum, argumento textus *in cap. præterea, de officio delegati, l. 2. ff. de de iurisd.* latè & doctè firmant Victoria *in relect. de Papæ potestate*, Valenzuela *contra Venetos 5. part. num. 227.* Michaël Rousselius *lib. 4. historiæ Pontif. iurisd. per totum* contra Salmasium, Antonium de Dominicis, Marsilium de Padua, & alios nostri æui hæreticos defendit Petauius *lib. 3. de hierarch. eccles. cap. 11. cum sequentibus*, Hallier. *eod. tract. pag. 421.* & in vindiciis *pag. 211.* quâ iurisdictionem, tam circa causas ciuiles, quàm criminales, iam à primis Ecclesiæ temporibus ipsi Episcopi exercuerunt. In causis ciuilibus probatur ex Concilio Carthag. 3. *can. 9.* vbi refertur priuatorum Christianorum causas Apostolum ad Ecclesias deferri, & ibi terminari præcepisse; præceptum autem ipsum Apostoli extat *epist. 1. ad Corinth. cap. 6.* vbi ita ratiocinatur: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis & sæcularia.* Concil. Meliuit. *can. 74.* Nec solùm illis temporibus inter clericos, ecclesiasticasque personas ius dicebant, verùm & inter ipsos laicos etiam iudicabant; nam pij quidem Principes adeò fauebant iurisdictioni ecclesiasticæ, vt & laicos à laicis coram Episcopis in ius vocari, & conueniri decreuerint, *l. 1. C. Theodos. de Episcop. audient.* Vnde de Diuo Augustino legitur apud Baronium *anno 398.* causas omnes inter laicos etiam emergentes terminasse: ex eo refert Erasmus Cochier *in face histor. lib. 2. cap. 90.* Hanc etiam iurisdictionem sequentibus sæculis Episcopos exercuisse apud Gothos, constat *ex l. 19. tit. 1. lib. 2. legum Vvisigoth.* ex Cassiodoro *lib. 3. epistol. 37.* apud Gallos *ex lib. 7. capitul. 107.* & aliis auctoribus congestis à Filesaco *in præsenti, §. 17.* & à nobis *in cap. 2. de iudiciis.* Sed iam ad iurisdictionem criminalem transeamus.

7. DE IVRISDICTIONE CRIMINALI.

Iurisdictionem etiam ordinariam Episcopos habere circa flagitia, & scelera perpetrata vindicanda, probatur ex Apostolo 1. *ad Corinth. cap. 5.* vbi Corinthium ob incestas nuptias cum nouerca celebratas condemnauit, ibi: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam*

iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est. Quem locum latè expendit Petauius *vbi suprà, cap.* 11. Pelagius II. *in epist. ad vniuersos Episcopos Galliæ*, ibi: *Refutandi sunt etiam raptores, fures, sacrilegi, adulteri.* Concilium Suessionense sub Carolo Pipino, ibi: *Vnusquisque Episcopus in sua parochia solicitudinem habeat, vt populus Christianus paganismum non faciat.* Quæ verba repetita sunt *lib.* 5. *capitul. cap.* 2. & aliis innumeris iuris nostri locis. Item ex vsu potestatis circa vindicanda scelera, quorum exemplis referta sunt veterum Conciliorum acta & decreta, historici, annaliumque libri, & probabimus *in cap.* 3. *de re iudic.* Ex quibus omnibus euidens est, Episcopum tanquam Iudicem, & Magistratum ordinarium suum forum, ac iurisdictionem ordinariam obtinere, atque ex sacrorum canonum præscripto ius suum exercere, hoc est iubere quæ facienda sunt, vetare contraria, lites, controuersiasque decidere, ac denique pro delictorum modo, & qualitate pœnas infligere. Potest enim delinquentes iubere verberari, *cap.* 1. *de calum. cap. in Archiepiscopatu, de raptorib.* dum ad effusionem sanguinis non perueniatur, *cap. nullus* 6. 11. *quæst.* 1. in exilium mittere, *cap.* 2. *de clerico excomm. cap. nouimus, de V. S.* in carcerem detrudere, *dict. cap. nouimus, dict. c. nullis, cap. contra* 26. *quæst.* 5. *cap.* 2. *de adulteriis.* Episcopus enim sicut forum, ita & carcerem habet, *dict. cap. clericus, cap. quamuis, de pœnis lib.* 6. docet Cironius *lib.* 2. *obseru. cap.* 5. & saiones: Concilium Emerit. *can.* 8. id est apparitores, seu iustitiæ ministros; ita enim temporibus Gothorum ministri, quos nunc dicimus *Alguaciles*, appellabantur, *d. l.* 17. *tit.* 1. *lib.* 2. *legum Vvisigothor.* notat ibi Villadiego, & Loaysa *in Concilio Tolet.* 9. & *lib.* 3. *q.* 31. & dicemus *in cap. pastoralis, de homicidio.* Quomodo autem pro diuersitate delictorum hodie possint Episcopi procedere in carceratione laicorum, exponunt Salgado *de Regia protect. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 210. Barbosa *de potest. Episcopi, alleg.* 107. *num.* 8. & *voto* 92. Amaya *in l. nemo, Cod. de exactoribus tributorum, lib.* 10. *num.* 35. Larrea *decis.* 1. *Granat. num.* 2. plures congesti à Vela *in præsenti, num.* 118. Gutierrez *lib.* 1. *practic. quæst.* 6. & *lib.* 3. *quæst.* 31. & doctè probat Iosephus Stephanus Valentinus *lib.* 1. *de potest. coact. R. Pontificis, per totum.*

8. De variis delictis.

Secundò sciendum est, scelera, seu delicta in triplici esse differentia; alia enim sunt merè ecclesiastica, alia sæcularia merè, alia merè mixta, tam ecclesiastica, quàm sæcularia, vt innumeris congestis docent Pereyra 2. *part. de manu Regia, cap.* 56. Vela *in præsenti, num.* 17. Merè ecclesiastica sunt, quæ tantùm à iure ecclesiastico sunt prohibita, & tangunt tantùm res ecclesiasticas, spiritualesve, vt crimen hæresis, *cap. vt inquisitionis, § prohibemus, de hæret. lib.* 6. Simonia, *cap.* 1. *& per totam* 1. *quæst.* 1. Merè sæcularia sunt, quæ lege ciuili vetita reperiuntur, & versantur tantùm circa res prophanas, & à sæcularibus perpetrantur, vt delatio armorum, *l.* 9. *tit.* 6. *recopil.* exportatio mercium extra Regnum, *l.* 1. *& ferè per totum tit.* 18. *lib.* 6. *recopil.* furtum, homicidium, & alia. Mixta sunt, quæ tam à iure ecclesiastico, quàm ciuili prohibentur, vel ratione subiecti, aut personæ delinquentis possunt esse sæcularia, aut ecclesiastica: & hæc mixta dicuntur, vt adulterium, sacrilegium, concubinatus, vsura, sortilegium, periurium, nefandum crimen, blasphemia; in his enim tam iudex ecclesiasticus, quàm sæcularis cognoscere valent, & locus est præuentioni, *cap. cùm sit generale, de foro compet.* Docent latè Vela *in præsenti*, Larrea *decis.* 1. *Granat.* & præfertur præuentio realis præuentioni verbali. Barb. *lib.* 3. *voto* 92.

Quibus sic constitutis ratio nostræ decisionis ex eo prouenit, nam cùm Episcopi habeant iurisdictionem ordinariam in ordine ad finem supernaturalem consequendum, scandalumque tollendum, possunt vt ordinarij delicta merè ecclesiastica, tam in laicis, quàm in clericis punire, & inquirere. Similiter delicta mixti fori, cùm sint à iudice ecclesiastico vetita, & spirituales res attingant. Vnde cùm adulterium sit delictum mixti fori, potest puniri tam ab Episcopo in clerico, quàm in laico: & sic noster textus, dum docet Episcopum tanquam ordinarium iudicem posse adulterium, & alia scelera inquirere, & punire, accipiendus est de delictis ecclesiasticis, aut mixti fori; ea enim vindicare potest Episcopus tanquam ordinarius, vt latè prosequuntur Filesacus, Viuianus, & Vela *in nostro textu.* 9. Ratio decidendi.

Nec obstat ratio dubitandi suprà adducta, quâ moti Catharus *in nefando illo libello de fœnore trapesitico*, Salmasius *in suis dissertationibus, fol.* 435. ausi sunt asserere, Episcopos neque dignitatem, neque iurisdictionem habere, sed tantùm curam & solicitudinem. Eos doctè refellit Petauius *lib.* 3. *de hierarch. cap.* 11. qui latè probat, Episcopi nomen esse dignitatis, & iurisdictionis; siquidem significat, & demonstrat Magistratum forum, carcerem, & iustitiæ ministros habentem; quæ omnia probant habere iurisdictionem, & dignitatem: videndus est ipse Petauius *ex dict. cap.* 11. *vsque ad vlt.* vbi *cap.* 12. monet Tertull. dum scriberet de statu pudicitiæ, fuisse lapsum iam in hæresim, & sic in Episcopos, & Ecclesiæ ministros passim in eo tractatu inuehi. Nec augmentum primum huius dubitandi rationis obstat, quâ fulti Marsilius, & Antonius de Dominicis asseruerunt, in Ecclesia non dari iurisdictionem ordinariam: sed eos eruditè refellit, & conuincit Franciscus Hallier. *de hierarch. fol.* 421. & illi argumento respondet negando, Ecclesiam non posse infligere pœnas ob scelera perpetrata, nisi in voluntariè eas subeuntes; nam contrarium apertè liquet ex toto iure nostro, vbi pœna degradationis, depositionis, excommunicationis, carceris, exilij, & similes referuntur, quas Ecclesia in contumaces, & emendari renuentes infligere potest, vt ipse Hallierius probat *in vindiciis, fol.* 211. Nec tandem obstat vltimum augmentum; Episcopi enim possunt imponere pœnas corporales, vt verberum, *cap.* 1. *de calum. cap. in Archiepiscopatu, de raptorib.* exilij, *dict. cap.* 2. *de clerico excommunic.* dum tamen ad effusionem sanguinis non perueniatur; tunc enim tradi debet iam condemnatus iurisdictioni sæculari, vt eam pœnam exequatur. Similiter pœnam pecuniariam, seu multam dicere possunt, *cap. statuimus* 16. *quæst.* 1. *cap. postulasti, de Iudæis*, dum non ex auaritiæ causa procedat, vt *in dict. cap. licet, de pœnis*, docetur. 10. Dissolvitur dubitandi ratio.

Sed prædictæ assertioni obstat textus *in cap. de benedicto* 32. *quæstion.* 1. in illis verbis: *Ad Lucium defensorem in Apulia.* Vbi cùm agatur de crimine adulterij puniendo ab ecclesiasticis iudicibus, iubetur, vt iudex ecclesiasticus adulterum mittat ad Præfectum prouinciæ puniendum: igitur quia iudices ecclesiastici non possunt punire adulteros, aliàs ad quid desideratur, vt ad Præfectum Prouinciæ 11. Exponitur cap. de benedicto 32. q. 4.

eum mittat puniendum? Cuius textus auctoritate motus Alciatus *in præsenti*, existimat iudicem laicum cognoscere posse de adulterio, non autem ecclesiasticum; & nostrum textum accipi de Episcopo, qui potest punire adulterium pœnitentiâ salutari, non verò pœnâ ordinariâ. Sed audiendus ipse non est; nam cùm adulterij crimen mixti fori sit, vt suprà dixi, non solùm contra clericos adulteros, vt notum est *ex cap. si Imperator, 96. dist.* verùm etiam contra laicos procedere potest, *cap. sacerdotibus 11. quæst. 1. cap. significasti, de foro compet. cap. intelleximus, de adulteriis.* Probat Germonius *lib. 1. animad. cap. 9.* Nec textus *in dict. cap. de benedicto*, pro sententia Alciati facit; nam vt suprà dixi, licèt Episcopi possint punire delicta, & adulterium, hoc intelligitur de pœnitentia salutari, non verò de pœna ordinaria, hoc est corporali, dum per eam proceditur ad effusionem sanguinis, *dict. cap. sententiam, ne clerici, vel monachi.* Vnde cùm ex Iustiniani constitutione *in l. quamuis, Cod. de adulteriis*, pœna adulterij esset capitalis, ideo Pelagius, qui illius Imperatoris tempore floruit, iubet adulterum esse mittendum ad iudicem sæcularem: & cùm decaluatio non esset pœna sanguinis, sed tantùm ignominiæ; ideò iubet Pontifex adulterum decaluatum ad Lucium Apuliæ prouinciæ Defensorem mitti, vt ipse in eum capitaliter animaduerteret. Ita illum textum interpretatur Germonius *dict. cap. 9.*

12. Intelligitvr avthent. de sanct. episcop. §. si vero.

Secundò superiori assertioni opponitur textus *in authent. de sanctissimis Episc. §. si verò crimen, collat. 9.* ex quo deducitur, in crimine ecclesiastico, & à clerico perpetrato, Episcopum non posse procedere, & illum punire, sed reum mittere debere ad iudicem sæcularem, vt ab eo delictum vlciscatur: igitur quia Episcopus non potest inquirere, & animaduertere delicta, etiam in personas ecclesiasticas. Cui difficultati vt satisfaciamus, sciendum est, Iustinianum in eo textu agere de clerico ob enorme scelus tradendo iudici sæculari, vt ab eo puniatur; cùm enim clericus debeat priùs degradari à proprio Episcopo, & tunc tradendus sit iudici sæculari; ideò Iustinianus in eo §. asserit, clericum ab Episcopo esse gradu & honore deiiciendum, & tunc iudici sæculari esse tradendum, vt ab ipso puniatur; quia cùm in eo casu pœna sanguinis sit infligenda, quam Ecclesia non imponit, *cap. sententiam, ne clerici, vel monachi*; ideò necessariò tradendus est iudici sæculari, non quia Ecclesia delicta punire non possit; sed quia post degradationem nihil vltra facere valet, *dict. cap. cùm non ab homine.* Docet Agia *de exhibendis auxiliis, cap. 21. per totum.*

13. Probatvr secvndæ partis assertio.

Secundæ partis huius textus assertio est: *Episcopi, cùm opus fuerit, possunt auxilium brachij sæcularis implorare.* Quam conclusionem probant textus *in cap. si quis pecuniam 9. 79. dist. cap. nos, cap. bene, 96. dist. c. 1. 97. dist. cap. petimus 19. 11. quæst. 1. cap. Maximianus, cap. ab Imperatoribus 23. quæst. 3. cap. quoniam 14. hoc tit. cap. postulasti 21. de homicidio, cap. 2. verf. Per temporalem, de maledicis, cap. vlt. in fine, de excessibus Prælat. cap. vnico, §. vlt. de statu regul. lib. 6. cap. vt officium 11. §. denique, de hæreticis, cap. dilecto 6. de sentent. excomm. eod. lib. cap. prudens 4. cap. Principes 20. cap. administratores 26. cap. de iudicibus, cum sequenti, 23. quæst. 3.* Concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 8. & sess. 25. de regul. cap. 5.* Synodus Turonensis *can. 41. Quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam à tam praua consuetudine coërceri, qui per salutifera sacerdotum monita non fuerunt reuocati.* Innocent. III. *lib. 1. regestr. 13. epist. 1. l. Episcopali 8. Cod. de Episcop. audient.* consonant de iure nostro lex 56. & 58. *tit. 6. partit. 1.* lex 14. & 15. *tit. 1. lib. 4. recopil.* De iure Francorum *lib. 7. capitul. cap. 310. Vt ea, quæ in sua diœcesi Episcopi per se, suosque corrigere, & emendare nequiuerint, coram reliquis Episcopis ad corrigendum insinuent, vel Regi vindicare non tardent; vt qui ecclesiasticis regulis inobediens apparuerit, per potestates exteras compescatur.* Illustrant innumeri congesti à Vela *in nostro textu, 2. part. num. 1.* quos transcripsit Barbosa *in select. ad nostrum textum, tom. 6. num. 5.* quibus addendi sunt Filesacus *in nostro textu, §. 12. & §. vlt.* Bosquetus *in notis ad Innocentium lib. 1. regestr. 12. epist. 1. verbo sæculari.* Azeuedo *in l. 14. tit. 1. lib. 4. recopil.* Phœbo *tom. 2. decis. 125.* Petrus Herodius *lib. 1. Pandect. tit. 6. cap. 11.* Amaya *in l. 2. Cod. de exactoribus tribut. lib. 10.* Fermosinus *in cap. cùm non ab homine, q. 23. de iudiciis*, Martha *de iurisd. part. 1. cap. 29.* Vega *in cap. causam 9. de iudiciis, num. 163.* Narbona *in l. 59. tit. 4. lib. 2. recopil. glossa 2.* plures congerens D. Ioannes de Larrea *decis. Granat. 125.* Vicus *ad leges Sardiniæ, tit. 7. quæst. 2.*

14. Impvgnatvr hæc assertio.

Sed hæc assertio vrgeri potest sequenti consideratione; nam non minùs perfecta, atque efficax est Ecclesiæ potestas, quàm sæcularis; immò vt longè excellentior commendatur *in cap. solitæ, de maiorit. & obed. extrauag. vnam sanctam, eod. tit. de maiorit. & obed.* ergo per se absque noua brachij sæcularis inuocatione potest delicta punire, & sententias exequi, absque eo quod indigeat potestate sæculari. Augetur hæc difficultas, nam si implorari posset auxilium brachij sæcularis, sequeretur in executione sententiæ in causa ecclesiastica de scelere merè ecclesiastico prolata iudicem sæcularem se intromittere posse, & de eis cognoscere, cùm non aliter teneatur auxilium præstare, quàm sibi exhibito, & examinato processu, *cap. administratores 26. 23. quæst. 5. nouella 123. cap. 21.* plures refert Vela *in præsenti, num. 35.* igitur ne iudex sæcularis immisceatur cognitioni causæ ecclesiasticæ, non debet inuocari auxilium brachij sæcularis. Accedit, nam sicut Episcopus est iudex ordinarius, vt suprà probaui, ita Magistratus sæcularis obtinet iurisdictionem ordinariam: sed par in parem non habet imperium, *l. ad Magistratus 4. ff. de receptis, cap. innotuit 20. de elect.* igitur non potest iudex ecclesiasticus compellere iudicem sæcularem, vt illi auxilium præstet.

15. Avxilivm promiscve præstatvr.

Adhuc defendenda est suprà tradita assertio ex secunda parte huius textus deducta, videlicet Episcopum posse implorare brachij sæcularis auxilium; ita enim appellatur hoc imperium, cùm à iudice sæculari imperratur, *in cap. quoniam 14. hoc tit. cap. finali, de excessibus Prælat.* Trident. *vbi suprà.* Dicitur etiam publicum auxilium *in hoc cap. 1.* & potestas temporalis *in cap. 2. de maledicis, l. 8. Cod. de Episcop. audient.* quod auxilium iure communi cognitum fuit, vt constat *ex l. Episcopali 8. Cod. de Episcop. audient.* quam etiam restituit Sirmundus *in appendice Codicis Theodosiani, cap. 18.* & iure antiquo ecclesiastico fuisse vsitatum, constat ex Synodo Antiochena *can. 5.* probat Baronius *anno 272. num. 18.* Circa eius vsum illud primò obseruandum est, iudicem ecclesiasticum, tam ordinarium, quàm delegatum, posse illud implorare, vt ex receptiori Interpretum sententia resoluunt Parexa *de instrument. edit. resol. 8. num. 2.* Vela *in hoc textu, 2. part.* qui *à num. 10.* latè hanc opinio

opinionem examinat, & contrariæ fundamentis satisfacit. Nec solùm iudices ecclesiastici sæcularium iudicum, verùm & sæculares iudices ecclesiastici auxilium implorare etiam possunt per litteras deprecatorias, seu requisitorias, vt resoluit Vela *vbi proximè*, *num.* 63.

16. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Huius secundæ partis decisionis ratio ex eo prouenit, quia vtraque potestas, ecclesiastica videlicet, & sæcularis, ad inuicem se iuuare debent, *cap. fin. de excessibus Prælat. lib. 6. cap. dilecto 6. de sentent. excomm. eod. lib.* vt ita sententiæ in causis ciuilibus ad effectum perducantur, & delicta vlciscantur, *cap. cùm ad verum, 96. dist. cap. Princeps 23. quæst. 5.* & quod vni deest, suppletur per alium, vt in aliis rebus contingit, depingente Alciato *emblem.* 106. his versibus.

Loripedem sublatum humeris fert numine captus,
Et socij hæc oculis munera retribuunt.

Plerumque enim nec potestas ecclesiastica per se sufficit, nec sæcularis per se valet delicta vindicare, *cap. 2. de maledicis*; quo casu debent se ad inuicem iuuare, vt ea quæ Deo placita sunt, assequantur, *cap. administratores, 23. quæst. 5.* ne sic illusoria reddatur Magistratuum, siue sæcularium, siue ecclesiasticorum potestas, iuxta legem *Prætor 25. ff. de iudiciis.* Accedit, nam iurisdictione alicui concessâ, omnia intelliguntur esse mandata, sine quibus talis iurisdictio exerceri non valet, *cap. 1. cap. præterea 5. de officio delegati, l. 2. ff. de iurisd.* igitur Episcopus virtute iurisdictionis suæ ordinariæ potest implorare auxilium brachij sæcularis, cùm absque eo non possit suam iurisdictionem exequi, & sententiam ad effectum perducere.

17. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta; libenter enim agnoscimus, pleniorem, & perfectiorem esse Ecclesiæ potestatem; tamen per accidens aliquando contingit, propter malitiam, & proteruiam reorum, quod Ecclesia in delicto vlciscendo vlteriùs non progrediatur, sed brachij sæcularis auxilio vtatur, tanquam remedio magis congruo: nec inde arguitur defectus aut impotentia in iudice ecclesiastico, aut eius iurisdictione. Nec primum augmentum difficultatis refragatur, cui vt satisfaciamus, examinanda est illa celebris quæstio, vtrum videlicet iudex ecclesiasticus requirens, & inuocans auxilium iudicis sæcularis, teneatur illi acta processus, meritaque causæ exhibere, vt iudex sæcularis agnoscat sententiæ iustitiam? In qua quæstione triplex reperitur sententia. Prima affirmat, iudicem auxilium innocantem edere teneri acta processus coram iudice auxilium impartiente. Ita docuerunt communiter Legistæ, quos refert, & sequitur Alciatus *in præsenti*, Parladorius *lib. 2. rerum quotid. cap. fin. 2. part. §. 2.* Cancerius *lib. 3. variar. cap. 18. num. 3.* Azeuedo *in l. 15. tit. 1. lib. 1. recopil.* Molineus *lib. 1. de brachio sæculari, cap. 7. n. 2.* Anguianus *de legib. lib. 3. cap. 31.* Carleual *de iudiciis disput. 2. quæst. 7. ex num. 76.* plures alij congesti à Parexa *vbi suprà, num. 12.* Secunda sententia negat, iudicem auxilium impartientem petere posse acta processus, seu causæ merita. Eam tenent plures relati ab Agia *de exhibendis auxiliis, conclus. 3. fundam. 27.* Martha *de iurisd. lib. 1. cap. 51.* Caualcanus *de brachio Regio 4. part. num. 260.* Monera *de conseruat. cap 8. num. 262.* Diana *part. 1. tract. 2. resol. 108.* & alij apud Velam in hoc textu, *2. part. num. 42.* Tertia sententia est eorum, qui existimant, discrimen esse constituendum inter causas ciuiles, & criminales. In ciuilibus affirmant necessariam non esse iustificationem requisitionis; secus verò in criminalibus, seu delictis mixti fori. Ita Salcedo *in praxi, cap. 160. num. 13.* Bucharonius *de differentiis, differ. 209. num. 2. & 3.* Pro concordia istarum opinionum, & vt verior sententia percipiatur, discrimen est constituendum inter causas, in quibus sæcularis Magistratus ab ecclesiastico in auxilium vocatur; & inter illas, quarum cognitio spectat etiam ad iudicem sæcularem; si enim auxilium imploretur super causa spirituali merâ, aut ecclesiasticâ, vel super captura clerici, quarum cognitio ex defectu capacitatis ad iudicem sæcularem nullo modo spectare valet, tunc iudex ipse non valet cognoscere de iustificatione requisitoriæ, seu inuocationis auxilij; sed statim tenetur exequi sententiam ab Ecclesiastico iudice prolatam: quod discrimen colligitur *ex cap. vt inquisitionis 18. §. prohibemus, de hæret. in 6.* Vbi in causa hæresis, quæ omninò spiritualis, ecclesiasticaque est, non potest iudex sæcularis requisitus de meritis, aut iustificatione requisitoriæ cognoscere. Notat Pichardus *in manuduct. 2. part. §. 4. num. 40.* licèt tamen constare non debeat de iustificatione requisitoriæ, tamen debet illi constare de sententia prolata, aut præcepto dato authenticè, vt docent Carleual *de iudiciis disput. 2. à num. 772.* Cancerius *lib. 3. variar. cap. 19. num. 3. & 4.* Vnde si iudex sæcularis inuocetur cùm clericus degradatus est, ad pœnam corporalem illi infligendam, licèt non de iustificatione degradationis, tamen de facto ipsius cognoscere valet, vt sciat quam pœnam clerico degradato imponere debeat, vt ex authentica *de sanct. ssimis, cap. 21. §. 1.* docent Bernardus Diaz *in praxi, cap. 134.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 17. num. 175.* Carleual *dict. disput. 2. num. 173.* In causis verò, quarum cognitio spectat etiam ad iudicem sæcularem, vt si agatur de delicto mixti fori, tunc potest iudex sæcularis cognoscere de iustificatione requisitoriæ, nec aliter cogitur auxilium præstare, vt docet Carleual. *vbi proximè, num. 772.* Marinis *lib. 1. resolut. cap. 204.* Parexa *de instrumentorum editione, tit. 2. resol. 8. num. 24.*

18. DISSOLVITVR AVGMENTVM DIFFICVLTATIS.

Nec secundum augmentum dubitandi rationis refragatur; verum enim est, auxilium iudicis inuocare posse non solùm iudicem æqualem, vel inferiorem superioris, sed & superiorem inferioris, vt scribentes de litteris requisitoriis, quos congerit Vela *in præsenti, 2. part. num. 69.* latè probant: quare iudex ecclesiasticus potest litteras requisitorias mittere iudici sæculari, aut vt æquali, aut vt inferiori; & ipse tunc tenetur auxilium præstare, ex iuribus suprà pro illustratione conclusionis citatis. Sed si renuat auxilium impartiri, vtrum ecclesiasticis censuris posset illum cogere, dubitant Interpretes. Et posse illum compellere per censuras ecclesiasticas, docent Salcedo *in praxi, cap. 150. ex num. 9. & 20.* Carleual. *d. num. 776.* Vulteius *de iudiciis lib. 3. cap. 13. num. 49.* plures relati à Vela *2. part. num. 71.* Alij docent adeundum esse iudicem superiorem, vt compellat ipsum iudicem requisitum auxilium præstare. Ita docent Barbosa *in l. hæres absens 19. §. 1. num. 97. ff. de iudiciis*, Azeuedo *in dict. l. 15. recopil. num. 32.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 17. num. 130.* pro quibus facit textus *in cap. cùm quidam 5. de except. lib. 6.* Sed ex suprà dicta distinctione hoc Interpretum dissidium componendum est; aut enim inuocatur auxilium iudicis sæcularis in re merè ecclesiastica, cuius cognitio ad iudicem sæcularem nō pertinet;

aut inuocatur ſuper cauſa mixti fori. Primo caſu certum eſt, iudicem eccleſiaſticum cenſuris poſſe cogere Magiſtratum ſæcularem ad auxilium impartiendum: ſecundo verò caſu adeundum eſſe iudicem ſuperiorem ipſius ſæcularis iudicis, vt per eum cogatur auxilium præſtare. Ita reſoluit Vela tam in prima, quàm in ſecunda lectura ad prædictum verſiculum, *num.*4. in ſecunda *num.*25.

19. INTELLIGITVR CONCILIVM MELDENSE CAN.71.

Sed contra ſuperiorem aſſertionem expendo difficilem Concilij Meldenſis canonem 71. in illis verbis: *Vt auctoritatem ſigillo Regio roboratam modo tractatoriæ Chriſtianiſſimus Princeps ſingulis donet Epiſcopis, quam quiſque Epiſcoporum penes ſe habeat; & quando ei neceſſe fuerit, per eandem auctoritatem Reipublicæ miniſtros conueniat, vt ipſe in quibuſcumque ciuili indigeat adiutorio, Reipublicæ miniſtris concurrentibus ſub imo diuinum poſſit ritè peragere miniſterium.* Ex quibus deducitur apertè, Epiſcopos per ſe non poſſe auxilium brachij ſæcularis inuocare, ſed ad hoc egere litteris tractatoriis Principis, vt earum virtute poſſit inuocare prædictum auxilium: igitur non rectè aſſerimus, Epiſcopos ratione propriæ iuriſdictionis poſſe implorare auxilium brachij ſæcularis, cùm fruſtra precibus impetretur, quod iure communi conceditur, vulgaris textus *in l. vnica, Cod. de theſauris, lib.*10. Cui difficultati ſatisfieri poſſe exiſtimo retentâ ſententiâ Fileſaci, qui in præſenti, §. vltimo exiſtimat, textum hunc eſſe accipiendum de auxilio brachij ſæcularis, ex ſuprà dictis. Cùm enim iudex ſæcularis renuit auxilium præſtare iudici eccleſiaſtico in caſu mixti fori, tunc adeundus eſt ſuperior, qui ipſum compellat auxilium præſtare; ideo in eo textu docetur, & ſtatuitur, vt Epiſcopus reſcriptum habeat, quo conuenire poſſit Magiſtratum ſæcularem, vt quoties opus eſſet, auxilium illi præſtaret, ſiue adiutorium, vt *in dict. can.* 71. legitur. Sed ſi verum amamus, in eo textu nullo modo agitur de auxilio brachij ſæcularis; quare vt verum eius ſenſum aſſequamur, ſciendum eſt, tractatorias litteras nec in iure Pontificio, & ciuili eſſe incognitas; eſt enim *in Cod. Theodoſ.* titulus *de tractatoriis & ſtatuis*: ex quo emendandus eſt titulus 51. libri 12. Codicis Iuſtin. vbi mendosè legitur, *detractoriis, atque ſtatutis*, vt iam notarunt Cuiacius *ad eundem titulum*. Briſſonius *de V. S. verbo Tractatoria*, Iuretus *ad Symmachum lib. 9. epiſt.*23. Zerda *in aduerſ. cap.*92. *num.*17. Tractatoriæ autem ſunt diplomata, quæ dantur miſſis, vel euocatis à Principe, vt curſu publico vti poſſint, quem alioquin abſque diplomate vſurpari fas non erat, adſcriptis etiam locis, quibus ſumptu publico ali deberent; commeatus enim in itinere præſtandus diffiniri his litteris ſolebat, vt ex epiſtola Conſtantini ad Lucium miſſa docent Fileſacus *in hoc cap.*1. §.20. Ferrarius *lib.*2. *de litteris primit. Eccleſ. cap.*1. De his etiam litteris mentio fit in Capitular. Caroli Magni, *lib.*4. *capitul.*30. vbi ita legitur: *Si quis litteras noſtras deſpexerit, id eſt tractatoriam, quæ propter miſſos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco vbi prædictos miſſos ſuſcipere debeat, tamdiù reſideat, & de ſuis rebus legationes illuc venientes recipiat, quouſque animo noſtro ſatisfactum habeat. Qui verò epiſtolam noſtram quocumque modo deſpexerit, iuſſu noſtro ad palatium veniat, & iuxta voluntatem noſtram congruam ſtultitiæ ſuæ caſtigationem accipiat: & ſi homo liber, vel miniſterianus Comitis hoc fecerit, honorem qualemcumque habuerit, ſiue beneficium, amittat; & ſi ſeruus fuerit, ad palum vapuletur, & caput eius tondeatur.* Tractatoriæ epiſtolæ formam referunt Cuiacius *vbi ſuprà*, Baronius *tom.* 3. *anno* 314. *num.*44. Bignonius *lib.* 1. *formul. cap.*11. in hunc modum: *Ille Rex omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apoſtolicum virum illum, nec-non & inluſtrum virum illum partibus illis legationis causâ direximus, ideò iubemus, vt locis conuenientibus eiſdem à vobis euectio ſimul, & humanitas miniſtretur, hoc eſt veredos, ſeu parauereDos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos, ceruiſiæ modios tantos, laridi libras tantas, carnis libras tantas, porcos tantos, verueces tantos, agnellos tantos, vaccas tantas, aſinos tantos, pullos tantos, oua tanta, olei libras tantas, mellis tant. aceti tant. cumil. tant. piperis tant. coſti tant. gariofli tant. ſpici tant. cinnamomi tant. grani maſticæ tant. dactylas tant. pictacias tant. amandolas tant. cereorum lib. tant. ſalis tant. olerum, leguminum carra tanta, faculas tantas, itemque victum ad cauallos eorum, fœni carra tant. ſuffuſi modios tant. Hæc omnia diebus tam ad ambulandum, quàm ad nos in Dei nomine reuertendum, vnuſquiſque veſtrûm locis conſuetudinariis eiſdem miniſtrare, & adimplere procuretis, qualiter nec moram habeant, nec iniuriam perferant, ſi gratiam noſtram optatis habere.* In iure autem noſtro, & apud eccleſiaſticos ſcriptores tractatoriæ litteræ accipiuntur pro litteris, quibus quod de aliqua re geſtum eſt, Epiſcopi alios certiores reddunt. Baronius *tom.* 1. *anno* 142. illis plerumque vtebatur Eccleſia in conuocandis Epiſcopis ad Concilium, vt ex eiſdem litteris proficiſcentes ab aliis benignè reciperentur. D. Auguſt. poſt collationem cum Donatiſtis, *c.*24. ſicut etiam ſi à Primate ſuo per tractatoriam fuerint euocati. Concilium Africanum *can.*57. notat Iuſtelus *ad can.*89. *Eccleſiæ Africanæ.* Ipſi etiam Epiſcopi aliquando excuſationem aduentus litteris tractatoriis Concilio proponebant, *cap. placuit, diſt.*18. Ferrarius *dict. lib.*2. *de litteris, cap.*2. Vnde reſtituendus eſt locus Concilij Carthag. 5. *can.*10. & legendum: *Excuſationes ſuas in tractatoria ſubſcribant*; vbi vulgò legitur, *tractatoria.* Et apud Gratianum *in d. cap. placuit,* 18. *diſt.* altero mendo cuditur: *Excuſationes ſuas litteratoriæ conſcribant.* Gothofredus *ad titul. C. Theodoſ. de tractatoriis.* Etiam Epiſcopis ad Synodum venientibus prædictas litteras tractatorias euectiouis causâ illis concedebant, vt probatur ex edicto Conſtantini ad Ablauium PP. quo aduenientibus ad Concilium Arelatenſe Epiſcopis litteras tractatorias dari iubet his verbis: *Iniungendum tuæ ſolertiæ duxi, vt mox ac litteras meas acceperis, tam Cecilianum ſupradictum cum aliquibus ex his, quos ipſe delegerit; ſed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum, & prouinciis ſingulis quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putauerint eligendos; ſed etiam & aliquos ex his, qui contra eundem Cecilianum diſſentiunt, datâ euectione publicâ per Africam, & Mauritaniam, inde ad Hiſpanias breui tractatu facias nauigare; & inde nihilominus huiuſmodi his in ſingulis Epiſcopis ſingulas tractatorias tribuas, vt ipſi ad ſupradictum locum intra diem Kalend. Auguſt. poſſint peruenire.* Vnde, ni fallor, ſenſus prædicti canonis 71. facilè percipitur; in eo enim Patres petierunt à Chriſtianiſſimo Principe, vt litteras ſigillo Regio roboratas more tractatoriæ Epiſcopis concederet, vt per eas Præfectos, Comites, alioſque Reipublicæ miniſtros conuenirent, vt illis

adiuto

adiutorium, id est euectionem, præstarent, vt diuinum ministerium, hoc est, visitationem, & similia Episcopalia munia facilè obire possent.

CAPVT II.

Alexander [a] III. [b] *Norvicensi Episcopo.*

SI sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicuius criminis, vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, nisi ordine iudicario quis probare possit, non debet eum nominatim redarguere, sed indeterminatè, sicut dixit Christus: Vnus vestrûm me traditurus est. Si verò ille, cui damnum illatum est, petierit iustitiam, potest excommunicare auctorem damni, licèt ei confessus sit; sed tamen non potest nominatim eum remouere à communione, licèt sciat eum esse reum; quia non vt iudex scit, sed vt Deus: sed eum debet admonere, ne se ingerat, quia nec Christus Iudam à communione remouit.

NOTÆ.

a *Alexander III.*] In prima collectione, *sub hoc tit. c. 6.* & in hac sexta compilatione legitur Eugenius II. sed perperam: restituenda enim est vera huius textus inscriptio ex Concilio Lateran. *p. 5 o. c. 5 5.* vbi *Alexander III.* legitur.

b *Norvicensi Episcopo.*] De Ecclesia Norvicensi, & eius Præsulibus aliqua adduxi *in cap. 4. de officio Vicarij.*

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Sacerdos, qui nouit peccatum secretò, aut in confessione, non potest nominatim peccatorem communione priuare, sed generaliter potest excommunicare delicti reum.* Probant textus *in cap. placuit, c. si tantum 6. q. 2. cap. sacerdos, de pœnit. dist. 6. cap. omnis, §. caueant, de pœnit. & remiss. cap. dilectus, de excessib. Prælat. cap. erubescant 2. q. 1. c. pleniùs 2. q. 7. cap. de forma 2. q. 5. cap. nemo 14. de simonia.* Concil. African. sub Bonifacio *can. 99.* Vasense *1. can. 7.* Agath. *can. 8.* Moguntinum *4. can. 29.* Clemens VIII. in motu proprio de casuum reseruatione pro regularibus concesso die 26. Maij anno 1594. Alia iuris testimonia congerit Crespetius *in summa, verbo confessio sacramentalis.* Consonat de iure nostro Legio lex 35. *tit. 4. partit. 1.* Illustrant Suarez *de censuris disput. 67. art. 3. & 4. sect. 6.* Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 5. c. 2.* Martha *de iurisd. p. 2. cap. 14.* Lantdmeter. *de veteri clerico lib. 2. cap. 94.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disp. 8. §. 5.* Balboa *in dict. cap. omnis, §. caueant,* Pereyra *de manu Regia p. 1. cap. 10.* Parexa *de instrum. edit. tit. 8. resol. 3. num. 40.* Dartis *in tract. de pœnit. cap. de sigillo.* Torreblanca *de iure spirituali lib. 14. cap. 12.* Balsamon *in can. 133. Synodi Carthag.* Filesacus *in præsenti,* Delrio *lib. 6. Magiæ, cap. 1. sect. 2.* plures congerit Leander *de pœnit. disp. 10. q. 2.* Gibalinus *de censuris disquisit. 2. quæst. 6. consectario 1.* Onuphrius Panuinus *integr. tract. de sigillo,* Diana *p. 11. tract. 8. resol. 50.* Zipeus *lib. 5. consul. 1. & 2.* Macedo *de clauibus Petri lib. 4. cap. 10.*

2. TRADITVR DVBITANDI RATIO.

Sed aduersus hanc assertionem insurgi valet sequenti iuris consideratione; nam de qua re iudex cognoscit, de ea iudicare valet, *l. de qua re 74. ff. de iudiciis, cap. iudicantem 30. quæst. 5. cap. 1. §. oportet, de pœnit. dist. 6.* sed sacerdos potest cognoscere de peccatis sibi secretò confessis, ex hoc textu: igitur & ipsum pœnitentem iudicare valet, à communione eum repellendo, præcipuè cùm iudex debeat iuxta propriam conscientiam sententiam ferre, *capit. 2. de re iudic. lib. 6. Clement. 1. §. verò, de hæreticis.* Augetur hæc difficultas; nam sacerdos ea, quæ iudiciario ordine nouit, punire valet tanquam iudex: sed quæ in auriculari confessione audiuit Sacerdos, iudiciario ordine nouit; siquidem vt iudex in pœnitentiæ iudicio adest, *cap. verbum, de pœnit. dist. 1. Trident. sess. 14. cap. 5.* & 6. igitur si vt iudex cognoscit, vt talis potest pœnitentem communione priuare. Augetur secundò hæc difficultas; nam si sacerdos punire non posset ea delicta, quæ secretò & occultè nouit, sequeretur, nec Ecclesiam posse suis legibus ea vindicare, cùm PP. Ecclesiæ leges proferentes iudicent, *cap. erit, cap. priuilegia, versic. officia, 3. dist.* sed Ecclesia potest punire ea delicta, quæ iudiciario ordine probari non valent, vt hæreticum, & apostatam etiam occultos, *cap. excommunicamus, de hæreticis, cap. tua 3. de apostatis:* igitur similiter sacerdos potest à communione repellere peccatorem etiam occultum, ob delictum, quod in confessione nouit, etiamsi iudiciario ordine probari non possit.

3. DE SIGILLO CONFESSIONIS.

Quâ difficultate minimè obstante vera est præsens decisio, quam vt faciliùs percipiamus, omissâ Ioannis Filesaci interpretatione, qui contendit Alexandrum III. esse exaudiendum de publica viciorum reprehensione, & peccantium increpatione, quas præsertim inter concionandum præstant Ordinarij, cùm nulla concionis, aut concionatoris mentio in huius textus serie reperiatur; sciendum est, celandæ confessionis auricularis, & delicti patefacti in ea iam diu in Ecclesia summam religionem fuisse, quam PP. sigillum appellarunt. D. Thomas *in supplement. quæst. 11. art. 3.* probant ex canonistis Lantdmeter. *lib. 2. de veteri monacho, cap. 94.* Dartis *de pœnit. cap. 16.* ex Theologis Sotus *de secreto, membro 3. quæst. 3.* Caietanus *in 3. partem, quæst. 87. artic. 2.* & rectè, magnaque cum proprietate; sigillum enim pro silentio, aut secreto commendato nulli reuelando plerumque accipitur, vt apud Danielem *cap. 12. versic. 4.* vbi legitur: *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.* Quæ verba exponens Aretas Episcopus Cæsareæ Cappadociæ *in Apocalypsin c. 3.* ait: *Signatum esse librum in eo capite affirmari, vt significetur liberum non esse dicere quæ in eo scripta sunt.* Hinc apud Constantinum Porphirogenitam in corographia legitur: *Fecit sigillum semper commendandus, ac celebrandus Rex*; id est, vt interpretatur Bulengerus *lib. 3. de Imperat. cap. 9. ad finem*, fecit edictum

ctum suo sigillo signatum, vt silentium, & secretum ab ipso commendaretur. Faciunt lex 1. §. *fin.* lex *sed ipsius*, ff. *quemadmodum testamenta.* Vnde quia in confessione delicta patefacta tegenda sunt, ideò dicuntur sub sigillo tradita, & secretum ipsum sigillum appellatur. D. Bernardus *serm. 3. de S. Andrea. Videat sacerdos, ne de his vnquam, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem.* Alphonsus noster *in l. 35. tit. 4. partit. 1.* his verbis: *E assi es la confession como el sello de puridad, que guarda lo que es escrito dentro en la carta, que no lo pueda ninguno saber.*

4. Obligatio sigilli omni iure nititvr.

Hæc autem sigilli obligatio non solùm à iure ecclesiastico positiuo prouenit, verùm etiam naturali, diuino, & ciuili nititur, vt ex D. Thoma, & aliis probat Leander *dict. disp. 10. quæst. 2.* Iure naturali fundatur, dum eo iure attento tenemur secreta nobis commissa fideliter seruare, *c. qui ambulat, 55. dist.* & non facere, quæ nobis fieri nolumus, *cap. 1. dist. 1. cap. cùm omnes, de constit.* vbi illustraui: igitur cùm nemo velit famam propriam, suique rectam opinionem, quæ æqualiter ac vita æstimatur, *l. iusta, ff. de manumiss. vindict.* immò & sæpiùs illi præfertur, *l. si adulterium, ff. ad leg. Iul.* amittere, non debet detegendo alterius peccatum eius opinionem lacessere, vt ratiocinatur Vincentius Carrocius *de reuelat. confessionis, num. 17.* Accedunt Senecæ & Quintiliani auctoritates; ille enim *epist. 89.* ait: *Sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Vre, inquit, occide, non prodam, sed quo magis secreta quæret dolor, hic illa altiùs condet.* Iste *declamat. 19.* ait: *Non prodere secretum, primam fuisse sapientiam in priscis illis morum, mentiúmque rectoribus.* Hinc valde laudati fuerunt Hispani à Iustino *lib. vlt.* quòd sæpè tormentis pro silentio rerum creditarum immortui, adeò illis taciturnitatis maior cura, quàm vitæ fuit: & è contra valdè increpantur, qui arcana publicarunt. Horatius *lib. 1. satyr. 4.*

——— *Commissa tacere,*
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Ouidius *lib. 2. de arte.*

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra grauis culpa tacenda loqui.

Inde apud Persas grauiùs punitur lingua, quàm vllum peccatum, referente Quinto Curtio *lib. 4.* Plura adducunt de tegendo secreto Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 5.* Solorzanus *emblem. 47.* Iure etiam diuino statutam esse hanc sigilli obligationem, probatur; nam cùm ab ipso iure proueniat confessio peccatorum, *cap. ad abolendam, de hæreticis*, Trident. *sess. 14. c. 5.* sequitur obligationem sigilli ab eodem iure prouenire, tanquam medium necessarium ad assecutionem illius finis, ne aliàs fieret exosa, & nimis grauis hominibus confessio: docet Soto *in 4. disp. 18. q. 4.* quare licèt hæc sigilli obligatio non sit de necessitate sacramenti, tamen est de præcepto, vt cum aliis defendit Leander *vbi supra, quæst. 3.* Tandem iure ciuili, tam Romanorum, quàm nostro Hispano nititur dictum præceptum, cùm eo indicta sit obligatio in genere seruandi secretum, & per consequens etiam in confessione, *l. 1. §. si quis tabulas, ff. depositi, l. si quis testamentum, §. 1. ff. ad leg. Aquil. l. si quis aliquid, §. qui diuini, ff. quando & quibus 4. lib. 10. l. 2. Cod. de alimentis pupillo præstandis,* ab specie probat textus *in d. l. 25. tit. 4. part. 1.*

5. Adeò hæc obligatio sigilli obstringit sacerdotes ad celanda, & non detegenda peccata in confessione patefacta, vt non solùm verbis, verùm & signis, aut alio quouis modo reuelatio eorum inhibeatur, *dict. cap. omnis, §. caueant, dict. l. 35. Por palabra, ni por señal, ni por otra manera ninguna.* Hæc obligatio est perpetua, etiam post mortem ipsius pœnitentis. Carrocius *dict. quæst. 16.* & illa arctiori vinculo obstringit confessarium, quàm votum, aut iuramentum. D. Thomas *in 4. dist. 21. q. 11. art. 1.* nec Ecclesia potest vllo modo in hac obligatione dispensare, nec si Reipublicæ totius salus, aut Ecclesiæ vertatur. Gigas *de crim. læsæ Maiest. tit. qui accusare, q. 18.* Tiberius Decianus *tom. 2. tract. crimin. lib. 7. cap. 34.* Carrocius *vbi supra, quæst. 7. num. 2.* nec etiam si huiusmodi reuelatio prodesset ad impediendum matrimonium ob impedimentum, quod in confessione sacerdos nouit, vt probari potest *ex cap. tua nos 26. de sponsal.* iunctâ Glossâ *ibi, verbo Qualiter*, & tenent Basilius *lib. 5. de matrimon. cap. 35. per totum*, Leander vbi suprà, *quæst. 77.* nec etiam ad saluandum fœtum defunctæ matris emortuæ potest confessarius violare sigillum confessionis, vt resoluit Posseuinus *de officio Curati, de Baptismo cap. 6. quæst. 8.* quem sequitur Leander *vbi suprà, quæst. 6.* Nec solum peccatum confessum iam commissum sacerdos reuelare non potest, verùm nec committendum. Sotus *de secreto, memb. 3. q. 4. dub. 1.* Caietanus *tom. 1. opusc. tract. 21. quæst. 1.* licèt contrariam sententiam tueantur nonnulli congesti à Leandro *vbi suprà, q. 13.* Qui autem neglectis tot Ecclesiæ legibus, & contemptis iuris naturalis, diuini, & ciuilis principiis sigillum hoc violauerit formaliter, grauiter peccat, & in eum variæ pœnæ iure nostro statutæ reperiuntur. Prima est depositio perpetua, & peregrinatio, *in cap. sacerdos, de pœnit. dist. 6.* quæ peregrinationis pœna posteà mutata fuit in detrusionem in monasterium pœnitentiæ peragendæ causâ, *cap. omnis, §. caueant, de pœnit. & remiss.* Secunda excommunicatio, *can. 133. Concil. Carthag.* vbi Balsamon, Petrus Greg. *lib. 4. partit. tit. 5. cap. 2.* Aloix *in vita S. Quadrati, cap. 5.* quas & alias pœnas non ipso iure incurrit sacerdos simul ac sigillum violauit; sed tantùm postquam conuictus est per testes, aut confessus: vllam tamen irregularitatis notam ex eo non incurrit, vt contra Maiolum defendunt pluribus relatis Diana *p. 3. tract. 4. resol. 53.* Leander *vbi suprà, q. vlt.* Prædictas etiam pœnas euadunt confessarij, qui in confessione patefacta reuelarunt ex licentia ipsius pœnitentis, *c. significasti 5. de adulteriis*: pluribus congestis docet Cenedo *ad decretum, in dict. cap. si sacerdos*; vel qui reuelarunt peccatum publicè confessum, vt olim fieri solebat. Trident. *sess. 14. cap. 5.* vel si pœnitens dolosè ad confessionem accedit, non animo recipiendi sacramentum; tunc enim cùm talis confessio non sit sacramentum, sed calumnia, detegi potest, & si simulatus pœnitens hæreticus sit, vt talis accusari. Simanchas *de catholicis cap. 42. n. 5.* Alios casus prosequitur Leander *d. disp. 10. per tot.*

De pœnis sigillvm violantis.

6. Traditvr decidendi ratio.

Ex suprà traditis facilè colligitur decidendi ratio ad nostrum textum; nam cùm sacerdos non possit vti scientiâ habitâ in confessione, quam non vt homo, sed vt Deus habet, neque quoad ipsum pœnitentem, neque quoad alios, adeò vt non possit sacerdos ob peccatum, quod in confessione nouit, illi beneficium, aut suffragium ad ipsum denegare, nec eum remouere ab officio, quod exercet, vt post Lugum, & Dianam docet Leander *vbi suprà, q. 65.* & confirmauit Clemens VIII. in sua constitutione, quam refert Hurtado *resolut. mora l.*

moral. resol. 32. §. 3. igitur neque communione ipsum priuare valet, quia inde confunderetur pœnitens, fieretque odiosa confessio. Vnde neque debet eum à communione segregare, etiamsi nouerit excommunicatum esse: publicè tamen, & indistinctè potest tale peccatum arguere, & increpare, aut excommunicationem infligere aduersùs eum, qui simile peccatum perpetrauerit, vt in hoc textu docetur. Cui adiungenda est epistola 156. Ivonis Carnot. in illis verbis: *Ob eandem etiam rationem ne infametur occultus peccator, est danda communio illi, etsi secretò nouit ordinarius illum peccatorem.* Latè Illustrant Suarez *d. sect.* 3. *&* 4. Theophilus Raynaud. *tom.* 16. *in heterocl. spirit. punct.* 4. *fol.* 70. vnde infertur, Prælatum non posse amouere subditum ab officio propter peccatum in confessione sibi notum, aut suffragium illi negare in electione ad dignitatem, vel officium, vt probat P. Andreas Mendo *in statera opinionum probab. differt.* 10. *quæst.* 8. *&* 19. Nec etiam prætextu litterarum, quas monitorias dicimus, teneri sacerdotem declarare ea, quæ in confessione nouit, resoluit Parexa *de instrument. edit.* 2. *part. tit.* 8. *resol.* 3.

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; verum enim est, sacerdotem ordinarium iudicem posse cognoscère de peccatis sibi secretò, aut in confessione detectis, præcedente accusatione, aut denunciatione; non tamen inde colligitur, per se, & propria scientiâ motum posse ipsum peccatorem communione priuare. Quare textus *in d. l. de qua re*, procedit in eodem genere iudicij, videlicet vt iudex, de qua re cognouit in foro exteriori, in eodem etiam foro sententiam proferat; non verò de qua re cognouit in foro interiori, & sacramentali, in foro externo ius dicat. Vnde in præsenti specie ob scientiam tantùm habitam in confessione non potest sacerdos pœnitentem communione priuare. Nec augmentum difficultatis refragatur; nam certum est, sacerdotem in pœnitentiæ sacramento peccata scire vt Deum, non vt hominem, vt in hoc textu docetur, & in iure Græco *lib. 6. in responsis Petri Chartularij S. Sophiæ Constantinop.* vnde eâ scientiâ ad actus humanos exercendos vti non potest. Nec contrarium probant textus in ipso augmento difficultatis adducti; nam licèt verum sit, sacerdotem iudicem esse sacramentalem, absolutionemque ab ipso impartitam esse sententiam, nihilominus cùm non per se, sed tanquam Dei minister hanc iurisdictionem exerceat, vt latè probat Cæsar *de eccles. hierarch. disp.* 8. §. 5. *n.* 11. propriè non iudex, sed minister dicitur in collatione ipsius sacramenti. Vnde de his sacerdotibus aiunt PP. Concilij Trident. *sess.* 14. *c.* 6. *Absolutio sacerdotis alieni est beneficij dispensatio.* Dicuntur tamen iudices fori interni, vt etiam appellantur latè iudices, qui executores sunt alterius iurisdictionis, *l. etsi non cognitio, C. si contra ius, c. si super gratia, de officio Legati, lib.* 6. Vnde rectè in hoc textu docetur, sacerdotem non vt hominem virtute humanæ potestatis, sed vt Deum ratione diuinæ virtutis peccata confessa cognoscere; nam vt ait D. Paulus *ad Rom. cap.* 8. In confessione Deus est qui iustificat: & *in c. multi* 1. *q.* 1. hoc ministerium dicitur diuina virtus. Nec tandem obstat vltimum augmentum; nam leges ecclesiasticæ, dum prohibent, puniuntque delicta occulta, indistinctè, non specificè, peccatum vnius vlciscuntur, monendo ne committatur, & commissa vindicantur pœnis ipsis sacris canonibus indictis.

8. EXPONITVR CAP. PLACVIT.

Superiori assertioni primò opponitur textus in Concilio Africano *can.* 90. in illis verbis: *Secretè tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet.* Quæ desunt *in c. placuit* 6. *q.* 2. vbi alia verba ipsius canonis referuntur. Ex quibus deducitur, posse Episcopum propter peccatum occultè confessum negare communionem secretò, non autem publicè: igitur ob delictum occultè in confessione notum, potest communio denegari. Huius textus auctoritate moti Angelus *verbo Eucharistia* 3 §. 20. Tabiena *verbo Communio*, §. 53. Victoria *in summa, num.* 86. Ledesma 1. *p. summæ, lib.* 4. *q.* 21. *art.* 6. *dub.* 3. plures Theologi congesti à Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 16. *q.* 1. Turrecrem. *in d. c. si sacerdos, de pœnit. dist.* 6. *art.* 1. *n.* 10. *ad primum*, existimant, posse sacerdotem communione priuare occultè eum, cui peccatum in confessione patefactum fuit. Sed eorum sententia rectè refellitur à Suario *d. sect.* 3. *disp.* 67. & conuincitur ex præsenti decisione, vbi asseritur, neque occultè, neque publicè posse negare communionem illi, cuius delictum cognitum fuit in confessione; licèt enim cùm occultè negatur communio, non frangatur sigillum quoad alios, violatur tamen quoad ipsum pœnitentem, & vtitur confessarius scientiâ habitâ in confessione ad negandam communionem; quod ex suprà dictis facere non potest. Nec contrarium statuunt PP. Concilij Africani *in d. can.* 90. nam exaudiendi non sunt de confessione auriculari, seu sacramentali; sed de confessione secretò facta extraiudicialiter Episcopo, vt docent Suarez *d. sect.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 16. *q.* 2. *num.* 2. tunc enim cùm ipse peccator occultus sit, licèt non publicè, vt in præsenti textu docetur, occultè tamen negari potest ei communio cùm nulla sequatur illi infamia, nec vllum frangatur sigillum, vt defendit Suarez *vbi suprà, sect.* 3. *per totam*: quare textus noster, dum simul & vno verborum ictu prohibet denegationem communionis peccatori occulto, & illi cuius peccatum notum fuit in confessione sacramentali, accipiendus est de denegatione publica: nam occulta denegatio tantùm inhibetur in eo, cuius peccatum notum fuit in confessione sacramentali; non verò in eo, qui occultè peccauit: nam illi occultè potest negari communio.

9. INTELLIGITVR CAP. 1. DE CLERICO PER SALTVM, CVM ALIIS.

Eadem etiam solutione accipiendus est textus *in cap.* 1. *de clerico per saltum promoto*, in illis verbis: *Ipse tibi quoque secretò confessus est.* Vbi Episcopus vtitur scientiâ habitâ in confessione ad clericum suspendendum, ne in Ecclesia ministraret. Qui textus si accipiatur de confessione sacramentali, difficilis est, nisi supponatur, licentiam ipsius pœnitentis præcessisse, vt possit Episcopus consulere R. Pontificem: quare ex suprà dictis rectiùs dicendum existimo, textum illum non procedere in confessione sacramentali, & auriculari; sed de secreta extraiudiciali, ex qua non prouenit obligatio arctissima sigilli; siquidem vbi sacramentum non adest, præceptum hoc sigilli cessat, vt resoluunt plures relati à Cenedo *in d. cap. si sacerdos, n.* 4. Eodem etiam modo intelligitur textus *in cap. lectæ* 14. *de renunc.* in illis verbis: *Humiliter est confessus*; non sacramentaliter videlicet, sed extraiudicialiter, secretò, Episcopo vt Episcopo, non vt confessori. Eadem etiam solutione accipiendus est textus *in cap. innotuit.* 20. *de elect.* in illis verbis: *Tibi secreta confessione monstrauit*; extraiudiciali scilicet occultâ, non verò auriculari, aut sacramentali.

10. EXPONITVR CAP. AD AVRES 5. DE TEMPOR. ORDIN.

Deinde superiori assertioni obstat textus *in c. ad aures, de tempor. ordin.* in illis verbis: *Quod Prælati eorum commissa secreta nouerint.* Ex quibus deducitur, quod si monachus voluerit ad sacros ordines ascendere,

aſcendere, Prælatus autem eius in confeſſione aliquod impedimentum nouit, propter quod promoueri non valeat, debet illum arcere ab ordinibus: igitur ob peccatum notum in confeſſione poteſt ſacerdos, aut Prælatus ordinarius ſubditum remouere à ſuſceptione ſacramentorum,& per conſequens communione priuare. Difficultatem agnouit Ludouicus Beja *lib.2.caſuum*, *caſu* 32. qui exiſtimat, in eo textu iuſtè Prælatum denegare facultatem ſubdito aſcendendi ad ſacros ordines, quia cùm ad ipſam licentiam concedendam nullo iure teneatur Prælatus, poteſt ob ſcientiam habitam in confeſſione illam denegare : at cùm in ſpecie huius textus ſacerdos teneatur ex iuſtitia communionem parocho concedere, ideo non poteſt ob ſcientiam in confeſſione habitam illum communione priuare. Sed hæc ſolutio refellitur ex ſuprà traditis ; diximus enim, Prælatum non poſſe vti ſcientiâ habitâ in confeſſione, etiam quoad regimen ſui monaſterij, nec remouere electum, aut impedire eligendum, vt latè probat Diana *p.11. tract. 5. reſol.* 15. quare eâ ſolutione omiſsâ veriùs dicendum eſt, in eo textu non agi de confeſſione ſacramentali, ex qua obligatio ſigilli proueniat, ſed de confeſſione ſecreta, & occulta Prælato facta, in qua ipſe nouit peccatum occultè, & ſecretò, non verò ſub ſigillo : vnde eâ notitiâ vti poteſt ad inhibendum illi, ne ad ſacros ordines aſcendat, vt rectum illum interpretatur Baſilius *de matrim. lib.5. cap.35. num.3.* & nos aliqua in eius commentario adduximus.

CAPVT III.

Idem [a] *Flor. Epiſcopo.*

CVm ab Eccleſiarum [h] Prælatis eccleſiaſtica ſententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet,& firma conſiſtere,& vſque ad dignam ſatisfactionem inuiolabiliter obſeruari. Quapropter d. v. per A. ſ. m. quat. ſi quando dilectus filius noſter [c] Lan. [d] plebanus S. Pancratij de Lucar in clericos, vel laicos parochianos ſuos [e] interdicti, vel excommunicationis ſententiam rationabiliter tulerit, ipſam facias inuiolabiliter [f] obſeruari, & eam ſine [g] congrua ſatisfactione, & abſque conſcientia eiuſdem plebani nullatenus relaxetis.

NOTÆ.

a *Epiſcopo.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit.cap.3.* & poſt Concilium Lateran. *p.31.cap.1.* Miſſa eſt præſens deciſio Petro eius nominis II. Præſuli Florentino, cuius vitam, & acta refert Vghellius *tom. 3. Italiæ, in ſerie Præſulum Florent. num.* 24. & nos de ipſa Eccleſia aliqua prælibauimus *in c.cùm dilectus 32.de elect.*

b *Prælatis.*] Hinc colligitur parochos dici etiam Prælatos, quod etiam ſuadetur *ex cap. 4. de clerico ægrotant. cap.1.de eo qui furtiuè, cap.7.de exceſſibus Prælat.* vnde præſens rubrica in prima collectione concipitur, *de officio Prælati, & iudicis ordinarij*, vt comprehendantur etiam parochi. Plura Hallierius *in vindiciis lib.4. ferè per totum.*

c *Lan.*] Landulphus videlicet.

d *Plebanus.*] Id eſt parochus, qui ita etiam appellatur *in cap. 1. de officio Archipreſbyteri :* quod plerumque vſurpatum legimus in Conciliis, & actis Eccleſiæ Florentinæ, vt videre eſt apud Vghellium *vbi ſuprà, in Eccleſia Florentina.*

1. e *Interdicti, vel excommunicationis.*] Ex his verbis facilè depromitur, parochos iure ordinario poteſtatem habere proferendi cenſuras : quod etiam probatur *ex cap. antecedenti*, vbi ſupponitur, parochum poſſe fideles ſibi ſubditos communione priuare,& *ex c.1.de eo qui furtiuè*, vbi aſſeritur, parochos poſſe ſub interminatione anathematis prohibere eum, qui furtiuè ordinem ſuſcepit, in gradu ſuſcepto miniſtrare: & ex nouella 115. Iuliani Anteceſſoris, edita à Petro Pitheo *pag.* 441. in illis verbis : *Nemo Epiſcopus, nemo Preſbyter excommunicet aliquem antequam cauſa probetur, propter quam eccleſiaſtici canones hoc iubent.* Et *c.nemo 1.q.6. cap. alia cauſa* 16. *q.1.c. Menam* 2.*q.*6. vbi Gloſſa, & *lib.6. capitul.Caroli, c.*224. vbi docetur, non ſolùm Epiſcopos, verùm & parochos facultatem habere proferendi cenſuras. Et *lib.7.Capitul.*128. deciditur, vt excommunicatus à ſacerdote, quamdiu in excommunicatione eſt, non poſſit accuſare Epiſcopos, aut maiores natu. Et Odo Pariſienſis Epiſcopus in ſuis ſynodicis conſtitutionibus, *c.de matrim.* admonet parochos, vt prohibeat per excommunicationem laicis ſortilegia. Docent, & defendunt hanc doctrinam, videlicet parochum iure proprio poſſe cenſuras proferre, Fileſacus *in præſenti gloſſa, in c.per ſingulas 9.q.3.& in c.miramur* 24. *q.*1. Ioannes Andreas & Hoſtienſis *in c.2.hoc tit.* pro quibus facit & illa ratio ; nam illi, cui competit poteſtas ſpiritualis ad arcenda,& vitanda peccata, debet competere coërcitio ſpiritualis, quæ per cenſuras eccleſiaſticas exercetur, aliàs illuſoria redderetur huiuſmodi, *c.ex litteris, de officio delegati*, argumento textus *in l. vlt.ff. de officio eius :* ſed parochis competit poteſtas prohibendi, & coërcendi illicita in propriis parochianis, *c. adiicimus,§.caue, c. generaliter, in fine.16. q.1.c.2. de parochiis, c.vlt.de pœnit.diſt.6.c.nullus Epiſcoporum* 15. *q.*4. igitur illis etiam competit poteſtas proferendi cenſuras.

2. CONTRARIA SENTENTIA PROBATVR.

Contrariam ſententiam, videlicet parochum beneficium parochiale habentem non poſſe iure proprio ſententiam excommunicationis proferre, defendunt Cæſar *de eccleſ. hierarch. diſp.*8. §.6. *n.*14. Suarez *de cenſur.diſp.2.ſect.2.n.*10.& *diſp.*18.*ſect.*1. *n.*3. Marius Alterius *eod.tract.lib.3.diſp.7.c.*3. Sayrus *lib.1.eod.tract. c.6.n.*21. Vazquez *in opuſculis de excomm.dub.*17. *n.*1. Bonacina, Villalobos, Palao, & alij congeſti à Leandro *de cenſuris diſp.2.q.*17. Frechilla *de excom.artic.1. ſecundæ partis, n.9.* Gibalinus *de cenſuris diſquiſit. 3.ſecundæ propoſ. quæſt.2.* Garcia *tom.2.polit.regul. difficult.3.dub. 1,n.*1. qui vnico, ſed validiſſimo nituntur fundamento, videlicet, cenſuras proferri non poſſe niſi ab eo, qui iuriſdictionem habet in foro exteriori,& poteſt cum ſtrepitu iudiciali de cauſis cognoſcere, *c.quærenti, de V.S.c.Archidiaconus, de officio Archidiac. c. 1. de ſentent. excom. lib.6.* docet Gibalinus *vbi proximè*: ſed parochi nullam habent iuriſdictionem in foro exteriori contentioſo, ſed ſolùm in foro interno, *c. de perſona*, vbi Gloſſa *verbo Non ab alio*, 11. *q.*1. igitur Parochus vt iudex ordinarius non poteſt iure proprio ſententiam

sententiam proferre. Quâ sententiâ vt veriori retentâ, non obstant contrariæ opinionis fundamenta: & primò non obstat præsens textus cum capite antecedenti; nam licèt parochus iure proprio, vt parochus non habeat ordinariam potestatem proferendi censuras, potest tamen eam iurisdictionem acquirere priuilegio, aut consuetudine, *cap. duo, hoc tit. cap. cùm contingat* 13. vbi Glossa *verbo Consuetudine, de foro compet. cap.* 4. iunctâ glossâ *verbo Consuetudinem, de arbitris.* Ab specie est textus *in extrauag. ex speciali, versic. Nec-non, de præbend.* vnde supponendum est, in hoc textu, & antecedenti iurisdictionem contentiosam in foro exteriori parochos habuisse, & ratione illius iurisdictionis potuisse excommunicationem proferre. Quæ interpretatio colligitur ex illis verbis huius textus: *In malefactores promulgatur.* Quæ supponunt iurisdictionem in proferente. Similiter *ex d. cap.* 2. ex illis verbis: *Petierit institiam*; quæ innuunt tribunal erectum parochum habuisse, de quo in eo textu agebatur. Eodem etiam modo accipiendi sunt textus *in d. c. nemo*, ibi: *Nisi probatâ causâ*; & *in dicto cap. alia*, vt docet Cæsar *d.* §. 6. *num.* 20. Nec etiam obstat ratio pro contraria opinione adducta; nam tantùm euincit, parochum habentem iurisdictionem in foro interiori, posse in eo pœnitentiam iniungere, & alia, quæ ad illum spectant, peragere; attamen cognoscere iudiciario ordine, exigere tribunal, & sententiam proferre non potest; quia ea non spectant ad ipsum, neque illi virtute ordinis, & beneficij parochialis competunt, vt probat Cæsar *vbi suprà, d.* §. 6.

3. f *Obseruari.*] Hæc verba non leuem continent difficultatem, cùm certum sit, sententiam excommunicationis ab homine prolatam non solùm à proferente, & eius successore, verùm & ab eius superiore relaxari posse, *cap. nuper* 29. ibi: *Ab eo, vel eius superiore*, & *cap. per tuas, de sentent. excomm. cap. venerab.* 7. §. *porrò, versic. si verò, eod. tit. lib.* 6. *cap. si quis à proprio, cap. Episcopus* 11. *q.* 3. docet Gibalinus *de censur. disquisit.* 9. 2. *p. q.* 3. vnde ab Archidiacono excommunicatum, vel à parocho, posse absolui ab Episcopo tanquam eius superiore, docent Couar. *in cap. alma*, 1. *p.* §. 12. *num.* 3. Angelus *verbo Excommunicatio* 4. *num.* 1. Suarez *de censuris disp.* 7. *sect.* 2. *n.* 12. Aula, Sayrus, & Hugolinus, quos refert, & sequitur Leander *de censur. disp.* 7. *q.* 18. ergo Episcopus potest absoluere excommunicatum à parocho, cui consuetudine, aut priuilegio competebat ius proferendi censuras. Pro huius difficultatis solutione dicendum est, superiorem absoluere posse à censura lata ab inferiore, quando lata est generaliter in eos, qui tale fecerint, vel non: item quando superior cognoscit in gradu appellationis, vt latè dicemus *in cap. ad reprimendam, hoc tit.* Sententiam verò latam specialiter in aliquem à parocho, non posse ab Episcopo relaxari, quia licèt cumulatiuam habeat iurisdictionem, tamen causa præuenta fuit à parocho, à quo debet finem accipere, *ex l. vbi cœptum, ff. de iudiciis*: quare si in specie huius textus Episcopus de facto excommunicationem à parocho inflictam relaxaret, nullius momenti absolutio esset, vt docet Couar. *in d. cap. alma*, §. 12. Nec obstant textus *in d. cap. nuper*, cum similibus; nam accipiendi sunt de sententia excommunicationis lata à canone, vel ab homine generaliter, aut eo casu, quo superior per viam appellationis cognoscit; tunc enim validè absolutionem præstare valet.

g *Congrua satisfactione.*] Satisfactio enim per se non inducit absolutionem: quare adhuc post satisfactionem præmissam excommunicatus debet absolui, *cap. cùm desideres* 15. *cap. à nobis* 28. *de sentent. excommun. cap. ad aures* 24. *de simonia, cap. quamquam, in fine, de censibus lib.* 6. *Clement.* 1. *de decimis, Clement.* 2. *de hæreticis, cap. cùm inter R. de elect. cap. ex litteris* 39. *de officio deleg.* vbi plures Barbosa *num.* 14. immò etsi ipsa excommunicatio inflicta sit donec satisfeceris, adhuc satisfactione præmissâ excommunicatus eget absolutione, *cap.* 1. *de iudiciis.* Docent plures congesti à Balboa *in d. cap.* 1. *de iudiciis, num.* 6. Garaña *num.* 13. Vega *num.* 92. Fermosino ibi, *q.* 29. Otero etiam ibi, *n.* 83. Leandro *de censuris disput.* 11. *q.* 5. Ratio huius illationis est, nam per excommunicationem inducitur vinculum, quod perpetuò durat, donec soluatur; & sicut culpa est causa pœnæ, adhuc sublatâ culpâ, pœna durare potest, vt considerat Marius Alterius *lib.* 4. *de excomm. disput.* 4. *q.* 1. ita etiam sublatâ culpâ, seu contumaciâ per satisfactionem, remanet excommunicatio donec relaxetur per absolutionem: & similiter cùm excommunicatio est prolata, *donec satisfeceris*, tantùm ea clausula exprimit, quod tacitè inest à iure, videlicet excommunicatum præstitâ satisfactione communioni Ecclesiæ restituendum esse, *cap. ex litteris, de constit.* igitur quoad absolutionem nihil operatur. Hæc doctrina illustri miraculo comprobari potest relato à Patre Fray Ludouico de Granada 2. *p. introduct. ad Symbol. cap.* 27. §. 7. Illescas 2. *p. hist. Pont. lib.* 6. *cap.* 14. Raynaud. 1. *p. de monitoriis, cap.* 4. *quæst.* 3. Licèt contrariam sententiam, immò satisfactione præmissâ excommunicatum non indigere absolutione, doceant Alciatus *cap.* 1. *de iudiciis, num.* 10. Couar. sibi non constans, *in cap. alma*, 1. *p.* §. 11. *num.* 5. Glossa, & Imola *in verbo Donec, in d. Clement.* 1. *de decimis*; qui expendunt pro sua opinione textum *in d. cap. fin.* & exemplum suspensionis, & interdicti: quæ censuræ cessante contumacia, & præmissa satisfactione absque noua absolutione relaxantur, *cap. si qui sunt, cap. si quis amodò*, 81. *dist. cap. si quis deinceps* 16. *q.* 7. *cap. bonæ, de stat. & qualit. cap. non est vobis, de sponsalibus.* Docent Suarez *de censuris disput.* 7. *sect.* 1. *num.* 12. Marius Alterius *de excomm. disput.* 1. *cap.* 1. Expendunt etiam principium textus *in l. Imperator, ff. de postul.* videlicet prohibitum ab aliquo actu ad tempus, eo elapso restitutum videri: & etiam nullam esse præscriptam formam verborum ad infligendam excommunicationem; sed qualiacumque verba sufficere, dummodo apta sint ad exprimendam excommunicantis intentionem, colligitur *ex cap. fin.* 3. *q.* 4. *cap. penult. de sentent. excomm.* igitur neque ad absolutionem erunt necessaria, argumento legis *Arrianus, ff. de O. & A.* & sic per ipsam satisfactionem consequitur absolutionem. Sed his, & aliis huius sententiæ fundamentis facilè fit satis ex traditis *in cap. ex litteris, de constit.* & adductis à Balboa, Vega, & Otero *in d. cap.* 1. *de iudiciis*, nouissimè defendit Altesserra *lib.* 1. *dissert. cap.* 4. 4.

CAPVT IV.

Idem [a] *Cantuar. Archiep. & eius Suffraganeis.*

CVm vos plerumque oporteat [b] ordinationem Ecclesiarum differre, pro eo,quod quandoque personæ vobis minùs idoneæ præsentantur,aut interdum inter vos & præsentatores personarum alia de causa dissensio emerserit,prouidendum est vobis,ne occasione huius dissensionis, & scandali interim fructus illarum Ecclesiarum depereant,aut eis in spiritualibus grauia proueniant detrimenta. Inde est,quod f. v. per A.s. præ. m. quat. si quando in illis vacantibus Ecclesiis, in quibus ecclesiastica persona præsentationem non habet,vel quia personæ minùs idoneæ vobis præsentantur,vel alia de causa de iure personas non poteritis instituere in Ecclesiis,ap. cess. ponatis œconomos,qui debeant Ecclesiarum fructus percipere, & eos aut in personarum vtilitatem expendere,aut futuris personis eos fideliter reseruare.

Dijtom 3. fol. 765 n. 13.

NOTÆ.

a *Cantuar.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. & post Concilium Lateran. *p.* 1. *cap.* 21. & præsentem inscriptionem exposui *in cap.* 2. *de rescriptis.*

b *Ordinationem.*] Id est collationem, *cap. super eo, de officio deleg.* vbi notaui.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO TRADITVR; ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur conclusio. *Si ordinatio Prælati Ecclesiæ, etiam iuris patronatus, ex iusta causa differtur, debet Episcopus in ea constituere œconomum,qui fructus percipiat,& successori reseruet.* Probant eam textus *in cap. hæ huius, c.non liceat* 43. *cap. charitatem* 45.*cap.de laicis* 46.*cap. illud* 47.*cap. non liceat* 48.12.*q.*2.*cap. sicubi* 6.12.*q.*5. *cap. redditus* 75. *dist.* Concil. Chalced. *can.*25. Concil. Rauennat. sub Ioanne XXII. *rubric.*1.Regiense *can.*5. Trosleianum *can.*14.*&* 35. Valentinum Hispaniæ *can.* 2. Illerdense *can.*16. Aurel. 2.*can.*6. Tolet. 9. *can.*9. Lateran.sub Innocentio III.*can.* 4. quorum verba refert Antonius August. *in epit. iuris*, *lib.*4. *tit.* 8. quibus adde nouellam 7. Emanuelis Commeni,*l.*11.*tit.*15.*part.*1.Concilium Trident.*sess.*24. *de reform.cap.*16. Illustrant Petrus Greg. *lib.*2. *partit.tit.*9.*cap.*5.& *lib.*25. *syntagm.c.*4. *n.*1. Duarenus *lib.*1. *de sacris Eccles.c.*19. *in princip.* Suarez *tom.*1. *de relig.lib.*4.*de simonia, cap.*29.*n.*8. Cironius *ad titul. ne sede vacante, in princip.*Cæsar *de Eccles. Hierarch.q.*2.*præmial.* §.5. *n.*10. Bosquetus *ad Innocentium lib.*2.*epist.*42.Corrasius *de sacerdotio,p.*1.*cap.*2. *num.*9. Cabedus *de patron. Regio, cap.* 25. Lambertinus *de iurepatron. lib.*2.2.*p. art.*9.*q.*1. Filesacus *in præsenti*, plures relati à Solorzano *tom.*2.*de iure Indiar.lib.*3.*cap.*12. Salgado *de Regia protect.*3. *p. c.*2. *num.* 51. Lara *de Capellaniis lib.*2. *cap.*9. *à num.*37. Garcia *de beneficiis p.*8.*cap.*2.*num.*8. Barbosa *de potest.Episcop.alleg.*72.*n.*17. Petrus Marcha *lib.*8.*concord.c.*18.Christ. Lupus *in can.* 25. *Concil. Chalced.*

2. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed pro dubitandi ratione intendam probare, præsentem Alexandri decisionem superfluam esse, nec disciplinæ ecclesiasticæ satis congruam: aut enim Ecclesia,quæ vacabat in huius textus specie, erat Cathedralis,vel inferior,parochialis videlicet. Si Cathedralis,ad eius Capitulum sede vacante iurisdictio,& fructuum custodia spectat,*cap.quoniam,* 75.*dist. c. non licet* 12.*q.*5.*cap.fin.de supplenda negligl. lib.*6.*Clement.ne in agro,*§.*si quis autem, de statu regul.* Trident.*sess.*24. *de reform.cap.*16. Si Ecclesia parochialis, siue patronum habeat ecclesiasticum, siue laicum,eius custodia ad patronum spectat,*cap.filiis, cap.decernimus,cap.rationis ordo* 16.*q.*7.*c.præterea* 27. *de iurepatron.c. bonæ memoriæ,de apell.* igitur non est necessaria œconomi constitutio ad custodiam reddituum ipsius Ecclesiæ, & per consequens superflua est hæc Alexandri decretalis. Secundò difficilis est ipsa decisio dum œconomi constitutionem fieri statuit eo casu,quo Ecclesia pastore destituitur ob dissidium, seu litem inter patronos; quo casu iam aliis remediis iure Pontificio statutis prospectum erat: igitur minùs necessaria videtur hæc Alexandri constitutio. Probatur antecedens; nam cùm ob dissidium patronorum Prælatus in Ecclesia non præsentatur,Episcopus debet Ecclesiam ipsam claudere,& signare, iubereque ne sacrificia Missarum in ea celebrentur, donec patroni consentiant in præsentatione,*cap.*2.*cap.quoniam* 3.*de iurepatron. cap.si verò* 12.*cap. eam te* 22.*cap. cùm propter, de iurepatron.* igitur nullo casu necessaria est hæc constitutio œconomi in præsenti ab Alexandro stabilita.Tertiò minùs consona ecclesiasticis sanctionibus videtur hæc decisio,dum in ea docetur, fructus Ecclesiæ vacantis reseruari futuro successori; nam iuris principium certum est,Ecclesiâ vacante, fructus perceptos ad ipsam viduatam,non verò ad successorem spectare. Textus disertus *in c. præsenti, de officio Ordin. lib.*6.*cap.quia sæpè, de elect. eod. lib.* quæ vel in vtilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris debent successoribus reseruari; quæ iura alternatiuè concepta ab Interpretibus ita accipiuntur,vt dimidia pars fructuum Ecclesiæ vacantis fabricæ Ecclesiæ viduatæ; alia verò dimidia successori reseruetur, argumento textus *in l. si pater* 40.*ff. de hæred. instit.l.si filio* 7.*ff. vt legatorum nomine,*iunctis traditis à Langleo *lib.*5. *semestr. c.*4. Muñoz de Escobar *de ratiociniis c.*9. *à n.* 6. Osualdo *lib.* 26. *Donelli, cap.* 2. *littera B.* Heringio *de de fideiussor.cap.*6.*n.*87. quam diuisionem approbauit Alphonsus Castellæ Rex in priuilegio Asturicensi Ecclesiæ concesso anno 1255. quod refert Ægidius Gonzalez *in theat. Eccles.Oueten.pag.*41. ibi: *La mitad de ellos sea para el Cabildo; la otra mitad paraque el Obispo, que entrare, ponga su casa.* Igitur non rectè in præsenti docetur,œconomum fructus Ecclesiæ vacantis debere futuro Prælato reseruare.

Quâ dubitandi ratione minimè obstante vera est præsens decisio,pro cuius expositione sciendum 9. DE CVSTODIA VA-

est,

CANTIVM ECCLESIARVM.

est,olim vacante Sede Episcopali vnum ex prouincialibus Episcopis à Metropolitano eligi, qui Ecclesiam vacantem regeret,quem veteres interessorem vocabant, *c.constitutum* 7.q.7.Concilium Carthag. 5.*can.* 8. D. Ambrosius *epist.* 44. *Commendo tibi,fili, Ecclesiam,quæ est ad forum Cornelij, quo eam de proximo intervisus frequentiùs, donec ei ordinetur Episcopus.* In Italia etiam ad regendam Ecclesiam vacantem Pontifex visitatorem mittebat,vt constat *ex cap. Presbyteri* 24. *dist.cap.obitum,cum seq.*61.*dist. cap. charitatem* 12.*q.*2.*cap.cùm nobis,de elect.cap.si in plebibus,* 63.*dist.cap.bonæ* 51. *de appell.* posteà consuetudine,seu potiùs corruptelâ inualuit, vt custodia omnium Ecclesiarum vacantium in potestate Regum esset,omnesque redditus Episcopatuum,& Abbatiarum in fiscum redigerentur. Flodoardus *in calce histor. Rhemensis,* Rigordus *anno Christi* 1190. *Si fortè contigerit Sedem Episcopalem, vel aliquam Abbatiam Regalem vacare,Regina & Archiepiscopus tamdiu regalia in manu sua teneant, donec electus consecratus sit, vel benedictus.* Eodem iure in Ecclesias vacantes insurrexere Angliæ Reges: referunt Guillelmus Ruffus *in chron. anno* 1089. Matthæus Paris. *anno Christi* 1089. Vergilius *lib.* 10. *histor. Angliæ,* Guillelmus Brito *lib.*8. *Philipp.* ibi:

Nam Rex Anglorum ius vsurpauerat illud
Vsque modò, vt solus Pastores ipse crearet;
Nam quoties Pastore carens Prælatica Sedes,
Ciuili letho, naturalíve vacasset,
Protinus Ecclesiæ bona cuncta vacantis ab ipso
Vsurpata suos conuertebantur in vsus;
Sicque Dei sponsã viduans quantùm ipse volebat,
Cogebat placito sibi demùm nubere sponso.

In Oriente Imperatores etiam CP. occasione arreptâ ex frequenti tumultu ob electionem Episcoporum,vacantium Ecclesiarum fructus, & electionem Episcoporum sibi rapuerunt,submisso ex suis œconomo.Cuius impij facti primarius auctor memoratur Nicephorus Phocas,teste Zonara *tom.* 3. *annal. Imperator ex hoc sumptâ occasione, & omni auctoritate designandi Episcopos sibi vindicatâ, edixit ne quisquam iniussu suo in vllam Ecclesiam mitteretur. Mortuo igitur Episcopo, regium ministrum in Ecclesiam vacantem mittebat,quo sumptus necessarios parcè faciente, ipse reliqua sibi vindicabat.*Exinde non aliena est coniectura, ius creandi Magnum Oeconomum Patriarchalis Ecclesiæ, quo faciliùs vacantis redditus assequerentur, in se transtulisse eosdem Imperatores,quod Patriarchę demùm restituit Isaacius Comnenus, auctore eodem Zonara *in Isaac. Comneno*, ibi: *Prætereà in Patriarchæ gratiam etiam ecclesiasticarum rerum procurationem Ecclesiæ attribuit; nam cùm ad id vsque tempus, & magnus œconomus,& vasorum custos ab Imperatore designari soleret, vtrumque id munus Patriarchæ potestati subiecit,amotâ publicâ auctoritate.*Nec manus abstinuit fiscus à vacantibus Ecclesiis vsque ad nouellam 7. Emanuelis Comneni,quam refert Balsamon *in can.*35.*sextæ Synodi Trull.* Quam etiam vacantium Ecclesiarum custodiam vsurpasse Duces,ac Comites nonnullos Galliæ, & Britanniæ, probat Dadinus Altesserra *lib.*2.*de Ducibus*, *cap.*8.

4. RATIO DECIDENDI.

Deinde sciendum est, Ecclesiam semper abhorruisse similem custodiam vacantium Ecclesiarum, eamque prohibuisse; nam eius impatiens Formosus Pontifex litteras dedit ad Fulconem Archiepiscopum, sanciens, vt enarrat Flodoardus *lib.*4. *hist. Rhemens. cap.* 2. *Auctoritate B. Petri, vt nemo Regum, nullus Antistium, nemo quilibet christianus, decedente Rhemorum Episcopo, ipsum Episcopatum, vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, præter ipsius ciuitatis Episcopum,& eandem Metropolim: non vltra constitutionem canonicam sine regulis ecclesiasticis conueniente Pastore manere cogat,neque aliter ibidem Episcopum, nisi vt sacri canones iubent, constitui faciat.* Hinc diræ excommunicationes sancitæ in laicos vacantium Ecclesiarum direptores,*in cap.de laicis* 2.*cap. prætereà, de iurepatron. cap. in quibusdam, de pœnis, cap. generali, de elect.* & varia fuerunt à sanctis Patribus edita statuta,vt nemo ausus sit bona vacantium Ecclesiarum occupare,sed vt futuro seruentur Episcopo. Primò enim in Concilio Rauennat. sub Ioanne XII. *can.* 11. ita cauetur: *Quia sceleſtissima consuetudo inoleuit, vt obeunte sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis Episcopo ipsum Patriarchium deprædari soleat, & non solùm in eodem sancto Patriarchio, sed etiam per totam ciuitatem, & suburbana eius talis habetur præsumptio,nec-non quia & id multùm hactenus neglectum est, adeò vt omnia Episcopia eadem patiantur, vniuscuiusque Ecclesiæ obeunte Pontifice: quod ne vlteriùs præsumatur omnimodis interdicitur.* Et *cap. non liceat* 43.*cap. illud* 47.12.*q.*2. Concil. Regiense *c.*5. *Ne quis ad Ecclesiam, quæ Episcopum perdidit, nisi vicinæ Ecclesiæ Episcopus exequiarum tempore accedat,qui curam Ecclesiæ districtè gerat.* Aurel.2.*can.*6. *Vt Episcopus,qui ad sepeliendum Episcopum venerit, euocatis Presbyteris in vnam domum Ecclesiæ res Ecclesiæ habeat descriptas, qui idoneis personis custodiendas sub integra diligentia derelinquat, vt res Ecclesiæ vllorum improbitate non pereant.* Alia adducunt iuris testimonia Anton. Augustin. *d. tit.*83. Bosquetus *ad Innocent.d.epist.*42. Petrus Marcha *lib.*8. *cap.*18. & nos *in cap. bonæ,* 51 *de appell.* Hæc,& alia vestigia prædecessorum suorum sequutus Alexander III. in præsenti curauit,ne Ecclesiâ vacante aliqua ex causa in temporalibus,& spiritualibus eius cura negligatur; statuitque,vt deinceps Episcopus in Ecclesia vacante præficiat œconomum,qui redditus Ecclesiæ percipiat, & futuro seruet successori: quæ constitutio eâ nititur ratione, nam cùm omnes Basilicæ propriæ diœcesis ita in Ordinariorum potestate existant,vt omnimoda earum administratio ad Episcopum spectet, *cap. cùm debitum* 1. *q.* 1. *cap. omnes, cap. quoniam* 16. *q.*7. ipse debet consulere,& prouidere Ecclesiis vacantibus,œconomos in eis constituendo,quia ad ipsum spectat vacantis Ecclesiæ custodia, ad quem pertinet ipsius Prælati institutio. Baldus *in cap. bonæ, de appell. num.* 5. Cabedus *de patron.Regio, cap.*25. Solorzanus *dict. cap.*12. *num.*3. vnde si ad alium spectet institutio, ipse, non verò Episcopus debet œconomum constituere in ea Ecclesia vacante, vt repetentes in præsenti animaduertunt. Altesserra *lib.* 2. *differt. cap.*3. Christ. Lupus *vbi suprà.*

5. OECONOMI OFFICIVM QVALE.

Sed vt œconomi officium, & institutionem perpendamus, sciendum est, in vnaquaque Ecclesia Metropolitanum, vel Episcopum debere eligere vnum œconomum,qui iuxta ipsius arbitrium res Ecclesiæ administret, & dispenset, *cap. quoniam* 21. *distinct. cap. in noua* 22.16. *quæst.* 7. olim illum eligebant Metropolitani, & Episcopi quilibet in sua Ecclesia, Concilium Nicænum 2. *can.* 11. *cap.* 5. *&* 6. 89. *dist.* Balsamon *in nomocan. Photij, tit.* 10. *cap.* 1. & Episcopo negligente, Metropolitanus eligebat, *cap. cùm simus* 9. *quæst.* 3. eo autem sciente absque eius voluntate œconomus eligi poterat. Concilium Meldense *can.* 47. *Vt nemo viuente Episcopo Ecclesiam illius, aut res ad eam pertinentes inuadere,*

aut dominari præsumat, neque sub voluntaria cleri ac populi electionis obtentu præter voluntatem Episcopi quisquam quacumque seculari potestate præditus, quasi œconomum constituat. Plura P. Marcha *lib.* 8. *concord. cap.* 18. Dartis *ad* 89. *dist.* Nec solùm clerici, verùm etiam laici olim œconomi constituebantur, donec Concilio Chalced. cautum fuit, vt ampliùs nullus, nisi à clero œconomus eligeretur. Idem in Hispania cautum fuit. Concil. Tolet. 4. *can.* 47. Hispal. 2. *can.* 9. relato *in cap. in noua*, 16. *q.* 7. quod & firmauit Gregor. *in d. cap.* 5. *dist.* 89. & insuper cautum fuit *in cap.* 6. *ead. dist.* ne Episcopus consanguinitate propinquum in œconomum eligeret. Notarunt Balsamon *in can.* 26. *Concilij Chalced.* Quintanaduenas *lib.* 2. *eccles. num.* 20. Anguianus *lib.* 2. *de legibus, cap.* 23. *num.* 48. Stephanus Durantius *d. q.* 19. nec solùm in Ecclesiis Cathedralibus, verùm in inferioribus etiam regularibus œconomi constitui cœperunt, *cap. quoniam, d. cap. cùm simus, cap. Imperatorem, de iuram. calumniæ:* iam notaui *in cap.* 1. *de postul. cap. vnico de syndico*, qui hodie apud nos dicuntur, *Maiordomos.* Oeconomi officium est administrare res Ecclesiæ, & curam bonorum ipsius gerere, *can.* 4. 5. & 6. 89. *dist.* disertè expressit Isidorus Hispalensis Præsul *in epist. missa ad Ludifredum Cordubensem Episcopum*, ibi: *Ad œconomum pertinet reparatio Basilicarum, atque constructio, actiones Ecclesiæ in iudiciis, vel in proferendo, vel in respondendo, tributi quoque acceptio, & rationes eorum, quæ inferuntur, cura & agrorum, & cultura vinearum, causa possessionum, & seruitialium, stipendia clericorum, viduarum, & deuotarum pauperum, dispensatio vestimenti, & victus domesticorum clericorum, seruitialium quoque, & artificum.* Vnde Iustinianus *in l. iubemus, C. de sacrosanct. Eccles.* & *in l. omnis* 33. §. *hoc nihilominus, C. de Episcop. & cleric.* iubet vt œconomi rationes reddant singulis annis suæ administrationis. Alia plura de his œconomis adducunt Filesacus *in præsenti*, Cæsar *de Eccles. Hierarch. q.* 2. *præm.* §. 5. Dartis *in dist.* 89. Meursius *in Gloss. verbo Oeconomus.*

6. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS,

Non obstat prima difficultas suprà expensa, cui vt satisfaciant Repetentes in præsenti, affirmant, Alexandrum III. in illis verbis: *In quibus ecclesiastica persona præsentationem non habet*; accipiendum esse de Ecclesia, quæ habet patronum laicum, ad quem Ecclesiæ vacantis custodia non spectat; & ideò diœcesanum Episcopum debere proponere, & constituere œconomum, per quem redditus, & prouentus Ecclesiæ viduatæ seruentur. Ita Innocentius *in præsenti*, *n.* 1. Abbas *num.* 4. Rochus de Curte *de iurepatron. verbo Honorificum*, *n.* 57. Sed hæc solutio refellitur expressè ex iuribus suprà citatis, videlicet ex dicto capite *filiis, d. cap. bona*, vbi permittitur etiam laicis custodia vacantis Ecclesiæ. Quare pro vera solutione, & explicatione illorum verborum, in quibus de ecclesiastica persona, dicendum est, aliud diuersum ius procedere in œconomis constituendis, circa quos distinguendum est: aut enim œconomi ad agendum, & respondendum in iudicio constituuntur, aut ad dispensationem & administrationem rerum Ecclesiæ deputantur, vel tantùm ad curam Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus. De primis œconomis, qui directò, & principaliter ad agendum, vel defendendum in iudicio constituuntur, non est accipiendus hic textus, vt patet ex eius verbis: *Ponatis œconomum, qui debeat fructus percipere.* Quamvis enim in consequentiam huius administrationis possint illi in iudicio patrimonium Ecclesiæ defendere, & res iniustè alienatas ad Ecclesiæ dominium reuocare, cùm dicantur legitimi Ecclesiæ defensores, *c.* 1. ibi: *Legitimo caruit defensore, de rebus Eccles. lib.* 6. *Clement.* 2. *eod. tit.* non tamen sunt principaliter designati ad agendum, & respondendum in iudicio: quare accipiendus est præsens textus de secundis œconomis, qui ad Ecclesiæ bonorum, fructuumque perceptionem, & conseruationem deputantur, vt docet Glossa *in præsenti.* Quare licèt ad patronum laicum spectet custodia vacantis Ecclesiæ, videlicet eius protectio, & defensio in iudicio; tamen cùm non possit ex dicta prohibitione Concilij Chalced. *d. can.* 23. constitui œconomus ad administrationem ipsius Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm temporalibus; ideò cùm Ecclesia est iurispatronatus laicalis, Episcopus debet constituere œconomũ ecclesiasticum, qui eam regat, atque eius redditus successori seruet: quæ œconomi designatio cum patronus ecclesiasticus est, non desideratur, quia ipse per se est capax omnis custodiæ, & regiminis ipsius Ecclesiæ. Consuetudine tamen introduci valet, vt custodia rerum Ecclesiæ vacantis quoad fructuũ administrationem possit ad laicum pertinere, vt docent Lambertin. *de iurepatron. lib.* 2. *p.* 2. *q.* 1. *princip. art.* 29. *n.* 12. Viuianus *eod. tract. p.* 2. *lib.* 7. *c.* 8. *n.* 2. vnde in Hispania nostra, tum ob consuetudinem prescriptam, tum quia magnus noster Monarcha est patronus Ecclesiarum Cathedralium, potest etiam laicus designari, & constitui ad administrationem fructuum Ecclesiæ vacantis, vt docent Greg. Lopez *in l.* 18. *tit.* 5. *part.* 1. Palacios Rubios *in tract. de beneficiis vacant. in Curia*, §. 10. Valenzuela *consilio* 196. *n.* 94. Solorzanus *d. cap.* 12. *ferè per totum.* Christ. Lupus *vbi suprà.*

7. RESPONDETVR SECVNDÆ DIFFICVLTATI.

Nec obstat secunda difficultas, quæ bimembris est. Primæ enim eius parti respondendum est, verum esse eo casu, in quo inter patronos alicuius Ecclesiæ lis disceptatur super præsentatione, Episcopum posse Ecclesiam claudere, & Missarum solennia interdicere donec patroni in eligendo consentiant, *d. c.* 3. *de iurepatron.* sed hoc procedit cùm lis vertitur inter patronos, aut patroni hæredes; præsens verò textus procedit cùm lis tractatur inter patronum, & Episcopum, ad quem spectat collatio, & institutio: quo casu non potest Episcopus Missarum solennia interdicere, aut eligere Capellanum, etiam elapso semestri. Discriminis ratio ex eo prouenit, nam in hoc secundo casu, si Episcopus ob dissidiũ cum patrono posset eligere, semper lites protraheret, & discordias armaret cum patronis etiam legitimis, vt sic elapso semestri capellanum præsentare posset: quæ ratio cessat in primo casu; ideò in eo potest Episcopus ob moram, & negligentiam patroni clericum præsentare, & instituere. Secundæ parti difficultatis facilè ex supradictis respondetur. Nec tandem obstat vltima difficultas, pro cuius solutione sciendum est, satis controuersum esse apud Interpretes, ad quem spectent fructus Ecclesiæ vacantis. Aliqui enim affirmant, futuro successori reseruari debere, moti hoc textu, & Clement. *statuũ, de elect. extrauag. suscepti, in princip. vers. Itaque, eod. tit.* Ita docuerunt Panuinus *de officio Capituli Sede vacant. p.* 1. *princip. q.* 1. *n.* 1. Couar. *in cap. relatum, n.* 3. *de testam.* Redoanus *de spoliis, q.* 1. *n.* 20. & *q.* 5. *n.* 3. Azor *tom.* 2. *instit. lib.* 8. *cap.* 4. *pag.* 965. Garcia *de beneficiis*, 2. *p. cap.* 5. *num.* 89. Valenzuela *d. consil.* 94. *num.* 60. Contraria tamen sententia, videlicet fructus vacantis Ecclesiæ diuidendos esse inter eius fabricam, & successorem, probatur ex iuribus suprà adductis, & præsenti decisione, si rectè perpendan

perpendatur. Michaël Rouſſellius *lib. 5. hiſtor. cap. 1. & 3.* ait, bona ab Epiſcopo relicta, & intuitu Eccleſiæ acquiſita, Eccleſiæ viduatæ reſeruari in eius vtilitatem conuertenda; fructus verò Sede Epiſcopali vacante perceptos futuro Epiſcopo reſeruari. Iuxta quam diſtinctionem accipit textus *in cap. ſæpè, 40. diſt. d. Clement. ſtatutum, de elect.* Concilium Illerd. *can. 16.* Sed circa hanc diuiſionem fructuum inter ſucceſſorem in Epiſcopatu, aut beneficio, & prædeceſſorem, omiſsâ Gloſsâ *in cap. præſenti, de officio ordin. lib. 6.* quæ diſtinguit inter beneficia, quæ habent adminiſtrationem, & quæ non habent, vt fructus priorum pro rata inter ſucceſſorem, & prædeceſſorem diuidantur; cæterorum verò fructus, quæ adminiſtrationem non habent, pertineant ad ſucceſſorem, ſi nondum percepti ſint: omiſsâ etiam ſententiâ Nauarri *in apolog. de credit. q. 2. monito 13.* qui exiſtimauit, omnes fructus pendentes ad ſucceſſorem ſpectare, quem ſequuti fuerunt Gutierrez *lib. 1. canonic. c. 33.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg. 117. num. 6.* dicendum eſt, pro rata anni omnes fructus pendentes cuiuſcumque beneficij diuidendos eſſe inter hæredes defuncti, & ſucceſſorem, vt docent Sarmiento *de redditibus 4. p. cap. 6.* Couar. *lib. 1. variar. c. 15. num. 12.* Auendaño *reſponſo 5. num. 5.* Molina *lib. 3. de primogen. cap. 11. num. 4.* Valaſcus *de partit. c. 36. ex num. 9.* Caſtillo *de vſufructu cap. 79.* Eſcobar *de ratiociniis tom. 2. comput. 20.* Molina *de inſtit. 3. tom. diſput. 635.* Garcia *de beneficiis 2. p. cap. 5. ex n. 94.* Parladorius *differ. 120. §. 1.* Baptiſta Coſta *de ratione ratæ, q. 29.* eleganter, vt ſolet, Æneas Robertus *lib. 3. rerum iudicat. cap. 4. verſic. Tertia opinio.* Quod procedit ſiue per obitum, reſignationem, aut alio quouis modo beneficium vacauerit; quo modo accipiendum eſt quod dicitur, fructus obuenientes tempore vacantis Eccleſiæ, debere impendi in Eccleſiarum vtilitatem, vel reſeruari ſucceſſoribus, *cap. quia ſæpè 40. de elect. lib. 6. cap. præſenti, de officio Ordin. eod. lib. Clement. Statutum, de elect.* iuxta diuerſas Eccleſiarum conſuetudines, nempe vt non tam fructus percepti poſt vacationem reſeruentur, ſed & pro rata fructus, quos ipſe non lucrifecit prædeceſſor. Solorzanus *2. tom. de iure Indiar. lib. 3. cap. 5. ex num. 45.* Noguerol. *alleg. 26. art. 5.* quæ doctrina vera eſt in beneficiis, tam reſpectu anteceſſoris, quàm ſucceſſoris; fallit verò in Epiſcopatibus reſpectu ſucceſſoris, quippe Camera Apoſtolica percipit fructus Eccleſiæ vacantis, ex conſtitutionibus Pauli III. Iulij III. Pauli IV. & Pij V. quatum meminit Barboſa *voto 101.* & ita in Hiſpania fructus non pertinent ad ſucceſſorem, niſi ex die gratiæ à Pontifice factæ: cuius Hiſpanæ praxis teſtes ſunt Garcia *d. cap. 5.* Solorzanus *lib. 4. polit. cap. 11.* Marinis *lib. 1. reſol. cap. 152.* idemque obſeruari in Eccleſiis Siciliæ, refert D. Rochus Pirro *tom. 2. Sicilia ſacra, in notitia Eccleſiæ Melit. fol. 617.* licèt aliud obſeruetur in Gallia, vt ex veteri, & nouo Eccleſiæ Gallicanæ iure refert Petrus Marcha *lib. 8. concord. cap. 18.* Immò & in Epiſcopatibus noui orbis, vt referunt Valenzuela, & Solorzanus *vbi ſupra.*

8. INTELLIGITVR CAP. VLT. VT LITE PENDENT. LIB. 6.

Adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in cap. vlt. vt lite pendente, lib. 6.* vbi ſtatuitur, lite pendente ſuper beneficio interim neque eligi, neque præſentari quemquam poſſe, neque aliquid innouari: igitur neque eius adminiſtrationi œconomus præfici valet. Cui difficultati reſpondendum eſt, verum eſſe, lite pendente ſuper iure eligendi, vel præſentandi in aliqua Eccleſia, aliquid innouari non poſſe in præiudicium litis pendentis, & ipſorum litigatorum, *cap. 1. & 3. vt lite pendente, lib. 6.* Couar. *practic. q. 13. in princip. & q. 36. n. 7.* aliquid verò innouari poteſt vbi ad faciliorem expeditionem, & proprij muneris legitimam executionem deſideratur, prout eſt œconomi conſtitutio, argumento capitis *cùm teneamur 17. de appell.* Couar. *practic. q. 23. n. 1.* & cùm ex hac œconomi conſtitutione præiudicium patrono non irrogetur, ſed conſulatur Eccleſiæ, & eius redditibus; ideò Epiſcopus etiam lite pendente poteſt œconomum in Eccleſia vacante conſtituere.

9. EXPONITVR CAP. EA QVÆ, DE OFFICIO ARCHID.

Etiam expendi poteſt aduersùs hanc aſſertionem textus *in cap. ea quæ, de officio Archid.* vbi deciditur, vacante Eccleſia Cathedrali curam totius cimelij ad Archidiaconum ſpectare, cuius negligentia valdè damnatur in eo textu: igitur vacante Eccleſiâ, etiamſi Paſtoris electio differatur, non eſt neceſſaria œconomi conſtitutio. Pro cuius textus ſolutione dicendum eſt, quod ſicut Epiſcopo competit conſtitutio œconomi, & cuſtodia Eccleſiæ illius, in qua ius inſtituendi habet, ita & Archidiaconus in Eccleſiis inferioribus, in quibus inſtitutio ad eum ſpectat, poteſt deſignare œconomum Eccleſiæ vacanti, quia cuſtodia ipſius ad eum pertinet: de quibus Eccleſiis agitur *in d. cap. ea quæ, cap. 3. cap. cùm veniſſem, de inſtit.* & ideò *in dict. cap. ea quæ,* docetur, curam rerum in cimelio exiſtentium ad Archidiaconum ſpectare, quia ſupponitur in ea Eccleſia Archidiacono ius inſtitutionis competere.

CAPVT V.

Idem [a] *Cantuar. Archiepiſcopo.*

EX parte tua nobis conſtanti aſſertione propoſitum eſt, quod interdum quidam pro certis cauſis excommunicati Sedem Apoſtolicam viſitant, & reticentes cauſas, pro quibus ſunt vinculo excommunicationis aſtricti, de abſolutione litteras deferunt, continentes, eos ad Apoſtolicam Sedem acceſſiſſe, & auditis confeſſionibus ſuis abſolutionis beneficium meruiſſe. Vnde quia nos conſulere voluiſti, vtrum illa abſolutio teneat, ſi occultatis exceſſibus, pro quibus excommunicati fuerant, abſolutionis beneficium meruerunt, ſiue excommunicationis cauſam aliam prætendentes. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi ita tibi conſtiterit, eos cogere debes eccleſiaſticâ cenſurâ, cum litteris tuis rei veritatem continentibus ad Apoſtolicam Sedem redire. Sì verò id tibi non conſtiterit, & eos ſuſpectos habueris, quòd non fuerint veritatem confeſſi, ipſos [b] compellere debes, quod exinde coram te rei veritatem confeſſi fuerint, [c] purgationem præſtare.

NOTÆ.

1. a *Idem Cantuar.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. post Concilium autem Lateran. *p.* 31. *cap.* 1. legitur, *Exoniensi Episcopo*; quæcumque tamen inscriptio retineatur, constat præsentem epistolam missam fuisse Præsuli Anglicano.

2. b *Compellere.*] Hinc deducitur, excommunicatum ex vna causa, posse ex alia etiam excommunicari. Docent, ex explicant Suarez *de censur. disput. 5. sect. 2. num. 6.* Sayrus *eod. tract. lib. 1. cap. 10. num. 1.* Couar. Layman, & Villalobos relati à Gibalino *de censuris disquisit. 5. q. 4.* & exposui *in cap....*

c *Purgationem.*] Quando, & quomodo indicenda sit purgatio, dicemus *in cap. 1. de purgat. canonica.*

Ex hoc textu communiter deducitur, absolutionem à censuris impetratam per subreptionem, aut obreptionem, non valere: quod etiam probatur *ex cap. cùm causa, cap. officij, de sentent. excomm. cap. post 7. de fide instrument. cap. super 5. de cohabitat. clericor.* conclusionem examinaui *in cap. super 20. de rescriptis*, vbi exposui, *cap. quia circa, de consanguinit. cap. ex parte, de priuileg. can. 72. Concily Africani.* 3.

CAPVT VI.

[a] Cœlestinus III.

SIgnificauit nobis tua f. quod quidam de parochianis tuis, cùm pro illicita consanguinitatis, vel affinitatis copula excommunicatione notantur, ad iudices remotiores ab Apostolica Sede litteras [b] impetrarunt commissionis, per quas cùm ab excommunicatione fuerint absoluti, quia dicti delegati ad locum, vbi testes consanguinitatis, vel affinitatis produci valeant, non accedunt, aut aliquos pro eorum receptione [c] transmittunt, in prænominata [d] nefariæ coniunctionis copula remanent, vt causa debitum non sortiatur effectum. Vnde postulasti à nobis, quid tibi sit in tali articulo faciendum. Cùm itaque dolus suus alicui patrocinari non debeat, nec etiam pro malitia, vel desidia iudicis delegati debeat quis ad remanendum in copula coniunctionis iniquæ suffragium inuenire: t. f. tale damus in hac consultatione responsum, quod quotiens ea, quæ prædiximus, in tua diœcesi euenire contingat, licitè potes taliter absolutos in pristinam excommunicationis [e] sententiam reuocare, ipsosque tamdiu eadem sententiâ tenere ligatos, donec causa in [f] receptione testium, & in aliis legitimum incipiat habere progressum, vel aliud exinde suscipias ab Apostolica Sede mandatum.

NOTÆ.

1. a *Coelestinus.*] Neque ex hac, neque ex secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* vbi reperitur hæc decisio, constat cui missa sit. De ipso verò Cœlestino aliqua notaui *in cap. sciscitatus, de rescriptis.* Aliæ tamen partes huius decretalis reperiuntur *in cap. 6. & 7. de testib. cogendis.*

2. b *Impetrarunt.*] Quando excommunicati litteras, tam iustitiæ, quàm gratiæ impetrare possint, exposui *in cap. ab excommunicato, de rescriptis.*

c *Transmittunt.*] Quando iudex teneatur accedere ad locum vbi testes degunt, dicemus, Deo annuente, *in cap. si quis testium, de testibus.* 3.

d *Nefariæ.*] Id est incestuosæ coniunctionis; non verò nefaria propriè coniunctio erat, sed à grauitate delicti nefaria dicitur, vt *in cap. dolentes, de celebrat. Missarum.* 4.

e *Sententiam reuocare.*] Hæc verba exposui *in cap. studuisti, de officio Legati.*

f *Receptione.* Post absolutionem videlicet, aliàs excommunicati non possent esse in iudicio, *cap. intelleximus, de iudiciis, cap. 2. de exceptionibus.* 5.

CAPVT VII.

Innoc. III. [a] *Auscitano Archiepiscopo.*

QVantò deuotio religiosorum virorum studiosiùs mandatis diuinis inhæret, & Creatori suo placere per opera sanctæ conuersationis intendit; tantò humani generis inimicus ad seductionem eorum suæ fraudis malignitate laborat, & variis modis eis præstat materiam excedendi, & animas eorum inextricabili laqueo nititur irretire. Ad audientiam siquidem nostram noueris peruenisse, quod monachi, [b] canonici regulares, & alij in tua prouincia constituti, cùm deberent potiùs in claustro, iuxta regularia constituta, diuinis obsequiis vigilare, de [c] obedientiis, & redditibus, quorum curam gesserunt, pecuniâ congregatâ, claustrum abhorrentes, per curias Principum, & potentum discurrere non verentur, & muneribus suis illorum sibi gratiam,

tiam, & fauorem acquirunt, ac de ipsorum familiaritate confisi, in conuentu suo graues dissensiones commouent, & cæterorum humilitatem in spiritu arrogantiæ contemnentes, mandatis Prælatorum suorum inobedientes, contumaces existunt, & contra illorum prohibitionem sæcularium negotiorum solicitudinibus se immergunt. Quoniam igitur propter hoc ordo Religionis non modicùm eneruatur, f. t. per A. s. m. quàt. quoscumque tales inueneris, nisi ad commonitionem tuam resipuerint, vt [d] proprium suum in manibus Prælatorum suorum sine difficultate resignent, conuertendum in vtilitatem domus, secundùm Abbatis consilium, & regularem vitam obseruent, si [e] Prælati eorum post tuam commonitionem id exequi negligenter omiserint, per [f] suspensionem officij, & beneficij ap. rem. compellas. Dat. Lat. XIV. Cal. April.

NOTÆ.

1. a *Vscitano.*] Ita legitur etiam in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in epistolis Innocentij III. editis, & castigatis à Sirleto, *lib.* 1. *epist.* 80. *fol.* 38. Auxitani, siue Auscitani, vt volunt Strabo, & Ptolomeus, sunt populi in Aquitania. Pomponius Mela *de situ orbis*, ibi: *Aquitanorum clarissimi sunt Ausci; ipsi autem Auxitani sunt in Vasconia Aquitanica, qui ius Latij à Romanis obtinuerunt, testante eodem Strabone.* Ipsa autem Auscitana ciuitas iam olim habuit Ecclesiam Cathedralem, in quam Metropolis Elusana translata fuit, vt refert Arnaldus Oienat. *in notitia vtriusque Vasconiæ, lib.* 3. *cap.* 8. licèt aliter sentiat Bosquetus *ad Innocent. lib.* 2. *regestr.* 14. *epist.* 32. Mentio fit huius Ecclesiæ *in cap.* 1. *de tregua & pace, in* 5. *collect.* eius Præsuli Bernardo dicto missa est præsens epistola, quam postea *lib.* 2. *regestr.* 14. *epist.* 32. admonuit, vt cùm suscepto muneri esset impar, Episcopatui renunciaret. Et tandem *lib.* 4. *regestr.* 16. *epist.* 5. certis Episcopis, & iudicibus inquisitionem commisit super eius excessibus.

b *Monachis, & Canonicis.*] Sunt enim in ea Metropoli varia monasteria, tam D. Benedicti, quàm Bernardi, nec non plures Ecclesiæ canonicorum regul. Ordinis Præmonstratensis, quas refert Tamburinus *in serie Abbatiarum, in Auscitana Metropoli.*

2. c *Obedientiis.*] Omissis obedientiæ variis acceptionibus, de quibus repetentes ad rubricam *de maiorit. & obed.* obedientiæ in præsenti accipiuntur pro monasteriis inferioribus, quæ maiori monasterio parent; à qua subiectione Prioratus ipsi, & Abbatiæ nomen accipiunt, & obedientiæ appellantur; & qui præpositus illis est, obediens dicitur. Ivo Carnot. *epist.* 163. *De monacho illo, quem iuramento constrinxistis, ne vltra illam administraret obedientiam.* Greg. VII. *lib.* 6. *epist.* 21. *Obedientias, cæteraque beneficia sine communi consensu fratrum acquisierat.* Ipsique obedientiarij, qui in eis præponebantur, administrabant fructus, & prouentus ipsius obedientiæ. *Clement.* 1. *de supplend. neglig. cap. cùm singula, de præbendis, lib.* 6. & nulli prædictæ obedientiæ conferri poterant, nisi expressè professo ipsum Ordinem monachalem. *Clement. ne in agro*, §. *sanè, de statu monach.* De his obedientiis agitur *in cap. suborta* 21. *de re iudicata, cap. monachi, de statu monach.* aliqua notarunt Cironius *ad titul. de maiorit. & obed.* & *ad titul. de feudis*, Paulus Idumay *in notis ad Innocent. lib.* 2. *epist.* 29. *regestr.* 14. vbi & Bosquetus, Iuretus *ad Ivonem, dicta epist.* 163.

3. d *Proprium*] Quod magnopere à sacris canonibus prohibitum est; siquidem religiosi emittentes paupertatis votum, nihil omni modo possidere valent, *cap. super, cap. cùm ad monasterium, cap. monachi*, §. *quia verò, de statu monach.* plura Conciliorum decreta, & Sanctorum PP. testimonia congerunt Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri clerico, cap.* 11. Lemaistre *de instit. Episcop. lib.* 1. *per totum*, Mendoza *q.* 8. *scholast.* Iodocus Coccius *lib.* 4. *thesaur. art.* 3. Bellarminus *lib.* 2. *de monachis, cap.* 20. Iuretus *ad epist.* 57. *Ivonis.* Sed difficilis videtur hæc Innocentij epistola, dum supponit, peculium à monachis possessum, & acquisitum debere in manibus Prælati resignari; nam *in dict. cap. cùm ad monasterium*, postquam ipse Innocentius sub obtestatione diuini iudicij prohibuit monachis proprium possidere, statuit, vt si peculium apud aliquem reperiatur tempore mortis, cum ipso monacho proprietario in sterquilinio sepeliatur: igitur non rectè in præsenti affirmatur, peculium à monacho congregatum, & acquisitum, in vtilitatem monasterij esse conuertendum. Pro cuius difficultatis solutione discrimen est constituendum inter res acquisitas à monacho ex administratione, & occasione ipsius monasterij, & aliunde quæsitas. Res intuitu monasterij acquisitæ, siue in vita, siue in morte penes ipsum reperiantur, lucro monasterij cedunt; res verò aliunde quæsitæ, Abbati, & per consequens monasterio acquiruntur, *cap. Abbates* 18. *q.* 2. *l. Deo, C. de Episcop. & Cleric.* Petrus Gregor. *lib.* 1. *partit. tit.* 26. *cap.* 4. Azor *tom.* 1. *instit. lib.* 12. *cap.* 10. sed si tempore mortis res ipsæ reperiantur penes monachum, sepeliuntur cum ipso in sterquilinio, vt alij ita terreantur, & proprium peculium vllo modo non retineant.

4. e *Prælati eorum.*] Hæc verba ad Episcopos diœcesanos esse referenda, existimarunt Hostiensis, Anania, & Butrius *in præsenti*: sed rectiùs Ioannes Andreas, & alij antiquiores existimarunt, ea verba esse referenda ad Abbates, seu Priores ipsorum monachorum; ita vt sensus huius clausulæ sit, Archiepiscopum debere admonere ipsos Abbates, vt retrahant monachos vagabundos, & illis negligentibus prædictos monachos retrahere, Episcopis diœcesanis iubere debere, vt eos retrahant ad propria claustra; & tandem ipsis Episcopis negligentibus, Archiepiscopus per se omnium negligentiam suppleat.

5. f *Suspensionem officij & beneficij.*] Eadem etiam hæsitatio est circa hæc verba apud Interpretes in præsenti, an videlicet hæc verba referenda sint ad Prælatos regulares, an verò ad Episcopos diœcesanos. Sed verior est eorum sententia, quæ affirmat, hæc verba esse referenda ad Prælatos regulares, qui ob negligentiam in retrahendis monachis vagabundis suspendendi sunt ab officio, & beneficio. Nec insolens est in iure nostro, vt

Prælati regulares pro ſuis ſceleribus officio, & beneficio ſuſpendantur, *cap. dilectus, el 2. de ſimonia, cap. monachi, de ſtatu monach.* Beneficium autem hîc accipitur pro ipſa obedientia, vt iam ex epiſtola Gregorij VII. probaui.

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR.

EX hac epiſtola ſequens deducitur aſſertio: *Monachi, ſeu Canonici regulares, non debent relicto clauſtro adire Principum curias; quod ſi fecerint, à Prælato ſunt reuocandi, & eo negligente, Epiſcopus retrahet ipſos ad monaſterium.* Probant textus *in cap. placuit* 8. *cap. interdicimus, cap. iuxta, cap. qui verè, cap. monachi* 16. *q.* 1. *cap. quàm ſit, cap. nullus, cap. Abbates, cap. monaſteria* 18. *q.* 2. *cap. monachum* 20. *q.* 4. *cap. ſi quis* 5. 91. *diſt. cap. mulieres* 2. *in fine, de iudiciis lib.* 6. *cap.* 1. §. *penult. de ſtatu monach. eod. lib. Clement.* 1. §. *quia verò, eod. tit.* Concilium Meldenſe *can.* 57. *Monachi, quibus monaſteriorum cura commiſſa non eſt, paſſim, & ſine auctoritate Palatium ne adeant, neque in eo morentur.* Concil. Pariſ. ſub Ludouico *lib.* 3. *cap.* 14. *Illud à veſtra pietate ſuppliciter flagitamus, vt monachi, & Preſbyteri, nec-non & clerici, qui poſtpoſitâ auctoritate canonicâ Palatium adeunt, & veſtris ſacris auribus importuniſſimam moleſtiam inferunt, veſtra auctoritate, & poteſtate deterreantur, ne hoc facere præſumant; quoniam in eiuſmodi facto, & vigor eccleſiaſticus contemnitur, & religio, & profeſſio monaſtica vilior efficitur.* Et *lib.* 1. *cap.* 36. *Multi eccleſiaſticæ regulæ ſubiecti, propoſiti, & loci ſui deſertores effecti, paſſim quocunque eis voluntas ſuaſerit, poſthabitâ auctoritate canonicâ, pergunt, & non ſolùm ab aliis Epiſcopis, & Abbatibus, verùm etiam à Comitibus, & nonnullis aliis nobilibus viris recipiuntur; quod quantum & à diuina & canonica auctoritate diſcordet, in promptu eſt; quod ne vlterius fiat, ab Epiſcopis, & cæteris eccleſiaſticis Prælatis præſtandum.* Synodus Antioch. *can.* 11. Sardic. *can.* 7. 8. 9. & 11. Aquiſgran. 1. *can.* 73. & 2. ſub Ludouico *p.* 4. *cap.* 23. *Poſtulandum eſt de monachis, vt & ipſi in publicis locis ſine ratione decenti diſcurrere prohibeantur, quia hoc à propoſito ipſorum procul abſiſtit: fieri etiam poteſt, vt quidam illorum perpetrato ſcelere in monaſterio, cauſam vagandi potiùs eligant, quam regularibus diſciplinis ſubiacere.* Hæc & alia iuris teſtimonia congerunt Decretiſtæ, Burchardus *lib.* 2. *ex cap.* 141. Carnotenſis *lib.* 3. *tit.* 16. Anſelmus *lib.* 5. *tit.* 54. Antonius Auguſt. *in epit. lib.* 9. *tit.* 41. Illuſtrant vltra relatos à Barboſa *in præſenti*, & *lib.* 1. *iuris eccleſ. cap.* 43. *num.* 106. & *de poteſt. Epiſcop.* 3 *p. alleg.* 103. Fileſacus *in præſenti*, Boſquetus *in notis ad Innoc. lib.* 1. *epiſt.* 5. Mendoza *lib.* 2. *pro confirm. Concil. cap.* 30. Germonius *lib.* 3. *de ſacror. immunit. cap.* 4. Stephanus Durantius *q.* 7. Renatus Chopinus *lib.* 1. *monaſt. tit.* 1. Tamburinus *de iure Abbat. diſput.* 14. *quæſit.* 10. Delbene *tom.* 1. *de immunit. cap.* 14. Cironius *ad titul. de ſtatu monach.* plures referens Gibalinus *de clauſura, diſquiſit.* 2. *cap.* 2. §. 3. *num.* 29. & *de cenſuris in ſynopſi, pag.* 448.

7. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Hæc aſſertio ita illuſtrata impugnari valet duplici iuris conſideratione. Prima naſcitur ex dicto canone 57. Concilij Meldenſis ſuprà relato, & dicta Clementina 1. §. *quia verò*; ex quibus deducitur, monachos adminiſtrationem aliquam habentes poſſe extra clauſtra monaſterij degere, Curiaſque Principum adire: ſed monachi, de quibus in præſenti agit Innocentius, obedientiis, id eſt monaſterij adminiſtrationibus, vt ſuprà expoſui, præpoſiti erant: igitur impunè poterant extra clauſtra vagari, & Curias Principum adire. Secunda difficultas naſcitur ex eo, nam aut hæc Innocentij deciſio referenda eſt ad ius antiquum, aut ad ſæcula ipſius Innocentij: ſi ad ius antiquum referatur, conſtat eo attento, omnia monaſteria, vniuerſaſque Baſilicas lege diœceſana parêre Epiſcopis propriis, *cap. omnes* 16. *q.* 1. *cap. monaſteria* 18. *q.* 2. vnde monachi è monaſterio exire ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi non poterant, & ad eius libitum de vno monaſterio in alium transferebantur. Synodus Conſtantinop. 1. *can.* 4. Trull. *can.* 40. Concil. Mogunt. *can.* 12. vbi iubetur, ne Abbates, ſeu monachi ad placita ſæcularia exeant ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi. Si ad ius nouum Innocentij conſtitutio referatur, conſtat Innocentij æuo iam monaſteria exempta fuiſſe ab Epiſcoporum iuriſdictione, *cap. licèt, cap. graue, hoc tit.* vbi latè probabimus, Fileſacus *in præſenti*: igitur ſi ad ius antiquum præſens conſtitutio referatur, ſuperuacuò deſideratur Prælati regularis negligentia in reuocandis monachis vagabundis; ſiquidem è monaſterio exire, aut placita ſæcularia adire inſcio Epiſcopo non poterant. Si ad ius nouum referatur, apparet nec datâ negligentiâ ex parte Prælati regularis Epiſcopum eſſe iudicem ordinarium, cùm ab eius iuriſdictione iam monachi exempti eſſent: igitur nullo modo ſuſtineri poteſt præſens Innocentij deciſio.

8. DE MONACHORVM CLAVSVRA.

His tamen dubitandi rationibus minimè obſtantibus, vera eſt præſens deciſio, iurique, ac diſciplinæ eccleſiaſticæ valde congrua: ad cuius illuſtrationem ſciendum eſt, nihil turpius in regulari vita conſiderari, & dari poſſe, quàm monachos per vrbes, & caſtella diſcurrentes, vt ait D. Bernardus *ſerm.* 36. *inter paruos, pag.* 619. vnde D. Hieronymus *in epiſt. ad Ruſticum*, acriter reprehendit monachos crebriùs in vrbe, quàm in cellula degentes, aitque: *Simulare inter fratres verecundiam, qui in plateis vrbis colliduntur.* Et à D. Chryſoſtomo monachos circumforaneos, & per vrbis plateas curſitantes grauiter reprehendi ſolere teſtatur Nicephorus *lib.* 13. *hiſtoriæ, cap.* 9. & Imperatores *in l.* 1. & 2. *C. Theodoſ. de monachis*, & *in l.* 29. *C. de Epiſcop. & cleric.* prohibent monachis ciuitates circuire, ſed deſerta loca, & vaſtas ſolitudines incolere iubentur. Diuuſque Antonius aiebat, quod quemadmodum piſces terræ tactu, & ſiccitate tabeſiunt, ſic etiam monachorum gloriam ad vrbes accedendo fœdari. Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 3. & ab eo accipiens Eugenius Papa *in cap. placuit* 8. 16. *q.* 1. ait, quod ſicut piſcis ſine aqua caret vitâ, ita ſine monaſterio monachus: quare omni æuo PP. Eccleſiæ apprimè interdixerunt monachis clauſtra deſerere, & ciuitates circuire. Concilio enim Turon. 2. *can.* 16. cauetur: *Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi.* Et in Concil. Tarracon. tempore Hormiſdæ *can.* 11. legitur: *Monachi monaſterio foras egredientes, ne aliquod miniſterium eccleſiaſticum præſumant agere, prohibemus, niſi fortè cum Abbatis imperio.* Synodo Roman. ſub Leone IV. ſtatuitur, ne monachi à monaſteriorum clauſuris abſque Abbatis, vel qui ab eo eſt conſtitutus, licentia ad quodlibet opus exercendum egredi præſumant. In Synodo etiam Trullana *can.* 46. poſtquam prohibetur ſanctimonialibus ex monaſterio exire, de monachis ita cauetur: *Sed & viris, qui vitam monaſticam*

nasticam prosequuntur vrgente necessitate, & ipsi cum benedictione eius, cui regimen creditum est, procedant. Nec etiam prætextu peregrinationis monachis exitus è monasterio permittitur. Synodus Vern. in Palatio Verny celebrata regnante Pipino, *cap.* 10. *Vt monachi, qui veraciter regulariter viuunt ad R. Sedem, vel alicubi vagari non permittantur, nisi Abbatis sui obedientiam exerceant, vel etiam gratiâ adeundi placita secularia.* Concil. Mogunt. 1. sub Carolo Magno, *can.* 12. Rhemense sub eodem Principe, anno 813. *cap.* 25. *Vt monachi, & canonici pleniter consilium habeant, qualiter Deo militare, animasque eorum melius valeant custodire, ne propter aliquam necessitatem, occasionem quærant vagandi.* Concilium Aquisgran. *can.* 134. Trosleian. *can.* 3. Trident. *sess.* 25. *de regul. c.* 4. plura Renatus Chopinus *dict. tit.* 2. *monast. n.* 6. Gibalinus *d. disquisit.* 2. *cap.* 2. vnde intelligendus est textus *in cap. iuxta* 16. *q.* 1. vbi statuit Alexander II. vt iuxta Chalced. Concilij tenorem monachis iuxta S. Benedicti normam viuentibus, exitus è monasterio non permittatur. Concilio autem Chalced. *can.* 4. iubetur, monachos propria monasteria relinquentes, grauiter esse puniendos, nisi fuerit de Episcopi ciuitatis licentia; in quo textu difficile est, quod tantùm monachis Benedictinis prohibeatur egressus è monasterio, cùm Concilium Chalced. celebratum fuisset anno 451. natus verò D. Benedictus fuit anno 480. Vnde nullo modo temporibus Concilij Chalced. monachi aliqui degebant sub regula S. Benedicti. Sed Alexander II. ita accipiendus est, vt PP. Concilij Chalced. nullo modo loquerentur de monachis Benedictinis, qui adhuc instituti non erant; sed itavt iuxta Concilium Chalced. clausura omnibus monachis iniungatur, ad similitudinem eorum, qui sub regula D. Benedicti degunt, id est, quod sicut prædicationis causâ monachis D. Benedicti permittitur egressus extra claustra; ita & aliis permittatur. Docet Gibalinus *d. disquisit.* 2. *cap.* 2. §. 3.

9. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Sed cùm neglectis tot Ecclesiæ legibus adhuc monachi prætextu suarum obedientiarum, seu administrationum Curias Principum facilè adirent, inflicta fuit excommunicatio in huiusmodi monachos vagabundos. *Clement.* 1. §. *quia verò, de statu monach.* cuius interpretationem latiùs prosequuntur Suarez, Sayrus & Gibalinus *vbi suprà:* & si Abbates, seu Prælati regulares negligentes essent in reuocandis monachis ad monasterium, statuit Innocentius III. vt ipsius Prælati negligentiam suppleat Episcopus, quia vt vitetur peccatum negligente delinquentis iudice, immediatus ordinarius iudex debet eius negligentiam supplere, *cap. significauit, hoc tit.* & licèt monachi exempti sint ab Ordinariorum potestate; sunt tamen casus, in quibus possunt Episcopi punire ipsos, vt docet Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 105. inter quos præcipuè recensetur negligentia Prælati proprij. Vnde rectè statuit Innocentius, negligentibus Prælatis regularibus, Episcopum, vel Archiepiscopum posse reuocare, & retrahere monachos vagabundos.

10. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obstant difficultates suprà adductæ: non prima deducta *ex can.* 57. *Concilij Meldensis*; nam licèt verum sit, monachos ratione administrationis sibi commissæ posse Curias Principum adire ex licentia sui Superioris, *c. cùm deputari, de iudicibus*; in præsentis tamen textus specie licèt obedientias, seu ministrationes haberent, non tamen earum ratione, aut accedente superioris licentiâ Curias Principum adibant, immò fructus, & prouentus monasterij dissipabant, & illis abutentes in improbos vsus consumebant, vt ex huius textus serie facilè constat. Nec secunda difficultas refragatur; nam omissâ quæstione, à quo tempore monachorum exemptio in Ecclesia cœpisset, quam prosequitur Filesacus *in præsenti*, & nos disputabimus *in cap. licèt, hoc tit.* constat præsentem Innocentij decisionem referendam esse ad tempus, in quo prædicta exemptio iam in vsu erat; sed eâ non obstante propter negligentiam Prælati Episcopus monachos vagabundos corrigere, ac retrahere valet, sicut & in aliis casibus aduersus eos procedere potest, quos congerit Cochier *integro tract. de iurisd. in exemptos.*

11. EXPONITVR TEXTVS IN CAP QVIDAM 16. Q. 1.

Sed adhuc superiori assertioni primò opponitur textus *in cap. quidam monachi* 16. *q.* 1. vbi refertur, quosdam monachos absque Abbatis licentia, & Episcopi ad Regiam ciuitatem Constantinopolitanam accessisse, varioque seminasse errores, ac perturbationes induxisse: quæstionis fuit, quomodo, & per quos essent reuocandi ad claustra monasterij? Et respondent Patres Concilij Chalced. quod per proprium Abbatem sunt retrahendi, & eo negligente, per defensorem ciuitatis ad propria claustra esse reuocandos. Ex quo textu expresè colligitur, negligentiam proprij Prælati non per Episcopum, aut Archiepiscopum, sed per defensorem ciuitatis esse supplendam. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, textum *in d. c. quidam*, accipiendum esse de defensore ciuitatis, qui præbendo auxilium Episcopo monachum poterat ad claustrũ reuocare, vt docet Salgado *de Regia protect.* 1. *p. c.* 1. *n.* 112. in eo enim textu monachi vagi excommunicati iam erant ab Episcopo: vnde cùm alia remedia non suppeterent, per defensorem ciuitatis, implorato eius auxilio compescendi erant, & retrahendi: quo modo etiam accipitur textus legum Longobard. *lib.* 3. *tit.* 8. vbi asseritur, quod si regulares non secundùm regularem professionem degant, & emendari nequiuerint à suis Prælatis, Principi nuncietur, non ex eo quia iudex sæcularis posset supplere negligentiam Abbatis, vel Episcopi; sed quia eius auxilium implorari debet, cùm iam disciplinæ ecclesiasticæ rigor eos non compescit.

12. EXPONITVR CONCIL. VERN. CAN. 10.

Secundò aduersatur textus in Concilio Vernensi, *can.* 10. vbi PP. ita statuerunt: *Vt monachi, qui veraciter regulariter viuunt, ad R. Sedem, vel alicubi vagari non permittantur, nisi obedientiam Abbatis sui exerceant; & si talis causa euenerit, quod absit, quod ille Abbas sic remissus, vel negligens inueniatur, vt in manus laicorum ipsum monasterium veniat, & hoc Episcopus emendare non potuerit, & aliquì tales monachi ibidem fuerint, qui propter Deum de ipso monasterio migrare velint, propter eorũ animas saluandas, hi per consensum Episcopi licentiam habeant, qualiter eorũ animæ possint saluari.* Ex quo expresè deducitur, quod etsi concurrat negligentia Abbatis, & Episcopi, Archiepiscopus non potest eam supplere, & monachos vagabundos retrahere, vt in hoc textu deciditur. Pro cuius canonis expositione sciendum est, temporibus Caroli Magni adeò monasteria subiecta fuisse Episcopis, & Principibus sæcularibus, vt non solùm ab eis visitarentur, verùm si quid ab eis actum erat contra regulam, emendaretur. Concil. Mogunt. *can.* 20. *Dignum, ac necessarium est, vt missi per quæque loca directi simul cum Episcopis vniuscuiusque diœcesis perspiciant loca monasteriorum, canonicorum pariter, & monachorum, similiter & puellarum.* Et *lib.* 4. *Capitul. c.* 78. & *lib.* 1. *cap.* 122. *Vt missi per singulas ciuitates, & monasteria virorum, & puellarum, quomodo, & qualiter in domibus Ecclesiarum, & ornamentis*

mentis Ecclesiæ emendatæ, & restauratæ esse videntur,& diligenter inquirant de conuersatione singulorum. Latè probat Filesacus *in præsenti*, §.4. vnde *in d.can.*10.*Concilij Vern.* ideò non puniuntur monachi vagabundi, quia ipsius monasterij visitatio ad Episcopum,& Principem spectabat; & si monasterium occupatum erat à laicis, & monachi vt saluti animarum suarum consulerent,voluissent è monasterio discedere cum litteris dimissoriis proprij Episcopi, hoc facere poterant,quia monachi subiecti erant Episcopo,vt iam probaui.

13. EXPONITVR CAN. 23. CONCILII ALTISSIODOR.

Tertiò opponi potest canon 13. Concilij Altissiodor.in illis verbis: *Si monachus in monasterio adulterium commiserit, aut peculiare habere præsumpserit,aut furtum fecerit,& hoc Abbas per se non emendauerit, aut Episcopo, aut Archidiacono non intimauerit, ad pœnitentiam agendam in alio monasterio retrudatur.* Ex quibus deducitur, negligentiam Abbatis non suppleri ab Episcopo, vel Archiepiscopo,sed tantùm ipsum Abbatem ob omissam vindictam in monachum, detrudendum esse in monasterium.Cuius canonis solutio facilis est,si animaduertamus, in eo Patres tantùm agere de puniendo Abbate negligente in regulari disciplina; non tamen negare Patres, Episcopum posse supplere ipsius Abbatis negligentiam, monachum adulterij reum puniendo, vt in hoc textu docetur.

14. EXPONITVR CAN. 57. CONCIL. MELDENSIS.

Ex his deducitur vera interpretatio ad difficile Concilij Meldensis decretum relatum canone 57. his verbis: *Vt monachi, quibus monasteriorum cura commissa non est, passim, & sine auctoritate Palatium non adeant,nec in eo immorentur,vel vbi,& vbi discurrere ac peruagari præsumant; sed si tales quilibet fuerint, vt vtiles, & necessarij Ecclesiæ ac Principi reperiantur,cum auctoritate Episcopi canonicè,ac religiosè pergant.Sin autem in monasteriis suis,sicut canonica,& regularis docet institutio,religiosè resideant: quos etiam nec Episcopus,nec Abbas, vel quilibet alius veredariorum more in missaticis instanter transmittat; quia per quosdam illorum contra canonicam auctoritatem,& ecclesiastica,& ciuilia perturbantur negotia:nec sub prætextu obedientiæ diutiùs villicationibus inseruiant, sed regulariter obedientiam in vicissitudine sua peragentes, secum, vt de S. Benedicto legitur, in monasterio habitent, atque seipsos recolligant. Hæc autem transgredientes, siue Prælati in fauendo, siue subditi in obtinendo, excommunicentur.* Ex quibus apertè deducitur, non Abbatis, seu Prælati regularis licentiam; sed Episcopi desiderari,vt monachi à clausiro discedentes adire possint Curiam Principis: igitur quia nullâ datâ negligentiâ proprij Prælati potest Episcopus retrahere, seu reuocare monachum vagabundum. Cui difficultati respondendum est, PP. Concilij Meldensis exaudiendos esse eo tempore, quo monachi adhuc erant sub iurisdictione Episcopi proprij, videlicet loci, vbi monasterium situm erat. Licèt enim temporibus Concilij Meldensis in aliis prouinciis monachi exempti essent à lege diœcesana; tamen in Gallia hæc subiectio diutiùs permansit, adeò vt Episcopi omnia in monasteriis pro arbitrio disponerent.Concilium Mogunt.*dict. can.*12. Concil. Ticinense *can.*14. Synodus Augustana celebrata anno 952.*can.*6. *Oportet etiam Episcopum, in cuius diœcesi cœnobium situm est,monachorum prouidentiam gerere, & si aliquid correctione dignum repererit,corrigere festinet.* Vnde cùm prædictum Concilium Meldense celebratum esset anno 825. vt probaui *in c.*1.*de constit.*quo tempore adhuc monachi subiecti erant Episcopo; rectè docetur à Patribus absque Episcopi licentia non licere monachis Principum Palatia,& Curias adire. Sed antequam hinc abeamus, exponenda sunt verba illa: *Veredariorum more in missaticis instanter transmittat.* Quibus statuitur,non permitti Episcopis,& Abbatibus monachos veredariorum more transmittere. Pro quorum interpretatione sciendum est, veredarios appellari nuncios, qui aut pedibus, aut equis huc atque illuc discurrunt,*l.*50.*C.Theodos.de cursu publico*,vbi I.Gothofredus;qui primò diuiduntur in veredarios publicos,& priuatos.Priuati sunt,qui in negotiis priuatis ad quæstum proprium vias commeant, litterasque ex mandato priuatorum celeriter deferunt, quos vulgò dicimus *Correos,ò postas de las veinte*: publici sunt, qui non nisi epistolas Regias ad publica negotia deferunt. De his agitur *in l.*17.*&* 50.*C.Theod. de cursu publico*; & probant Iulius Firmius,& Matheus.*lib.*3.*c.*13.*Ac Regum nuncios,veredariosque reddent.* Priscus auctor in historia Seruatij Episcopi Tungrorum: *Illicò ergo procedunt vniuersali Principum decreto veredarij veloces.* D.Hieronym. *in lib. Esther,c.*8. *Egressi sunt veredarij celeres nuncios perferentes.* Secundò diuiduntur in veredarios pedites,& equites; alij enim cursum publicum pedibus peragebant, alij verò equis: eorum meminerunt Symmachus *lib.*7. *epist.*14. *Cùm veredarij deesset occasio, priuato homini reddenda scripta commisit.* Cassiodor. *lib.*6. *epist.*6. *Veredariorum quin etiam opportunam velocitatem.* Quorum status semper in cursu est.Historia tripartit. *lib.*5.*c.*49. *Missus est veredarius,qui hæc velociter adimpleret.*Plura de ipsis Bulengerus *lib.*4.*de Imperio,cap.*22. Gutherus *lib.*2.*de officiis domus, cap.*14. Sauarus *ad Sidonium lib.*5.*epist.*7. *verbo Veredarij*, Iuretus *ad Symmachum lib.*7. *epist.*14. D.Ioannes de Larrea *alleg.*50. *n.*18. Quibus suppositis pro veredariorum cognitione, sequitur vt cognoscamus,quid missatici appellatione veniat.Et sciendum est,missaticum apud Gallos appellari locum, tractumque, cui præest missus à Principe.Constitutio Caroli Calui *tit.*12.apud Siluacum: *Vt vnusquisque missus in suo missatico prouisionem habeat, vt si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit,aut ibi consistens, aut commanens rapinas fecerit.* Et capite sequenti: *Vt missi in illorum missaticis curam habeant,ne homines nostri vicinos minores,aut maiores deprædentur.*Et *lib.*3.*Capitul. tit.* 17. *Vnusquisque suo missatico maximam habeat curam ad prouidendum,& ordinandum,ac disponendum secundùm voluntatem Dei.* Et *Capitul.* 80. *Vt missi nostri diligenter inquirant, & describere faciant vnusquisque in suo missatico,quid vnusquisque de beneficio habeat,vel quot homines cautos.*Plura de his Lindembrogius *in Glossario legum antiquarum verbo Missatici.* Vossius *de vitiis sermon.eod. verbo.*Quibus suppositis sensus prædicti canonis est, ne Abbas, aut Episcopus,qui possunt monachis facultatem concedere adeundi palatia,& Curiam Principum,ipsos vt veredarios mittant ad missos Dominicos existentes in missaticis; cùm non deceat monachos veredariorum officium. Tandem statuunt PP. in eo canone, ne sub prætextu obedientiæ villicationibus diutiùs inseruiant,sed regulariter obedientiam in vicissitudine sua peragant. Quibus verbis prohibetur,ne rurali operi,aut administrationi monachi operam dantes diuagentur extra monasterium prætextu obedientiæ,sed potiùs in monasteriis degant,iuxta SS.PP.instituta,& D.Benedicti regulã.

15. EXPONITVR L. QVI IN MONASTERIIS,

Rursus ex suprà traditis exponendus est textus *in l.qui in monasteriis* 29.*C.de Episcop. & cleric.* vbi Imperatores Leo,& Anthemius prohibent monachis, ne exeant è monasterio animo diuagandi in vrbe

vrbe Antiochena,& similibus,nisi apocrisiarij sint, & apocriseon causâ exire cogantur.Quod Imperatorum responsum mirè conuenit cum suprà traditis.Tantùm in ea parte difficultatem continet,quatenus apocriseon causâ permittit monachis curias Principum adire. Cui difficultati respondendum est,omissis variis apocrisiarij acceptionibus, quas retuli *in cap.4.de elect.*& congessit P.Marcha *lib.5. concord. cap.16.* asserendo,apocrisiarios plerumque appellari eos, qui negotia sui cœnobij, aut Ecclesiæ curant. Iustinianus *nouell.6. Apocrisiarij vocantur, qui sanctissimarum Ecclesiarum negotia curant.* Hincmarus *epist.3.cap.13.* probant variis testimoniis Rosveidus *in Onomast.verbo Apocrisiarius,* Turturetus *in Sacello,cap.3.*Vnde cùm in eo textu monachi apocrisiarij accipiantur pro his,qui negotia monasterij curabant, ideò illis permittitur extra claustra degere, & curias Principum adire. Docet Gibalinus *de clausura regul. disquisit. 2. cap. 1. §. 1.*

CAPVT VIII.

[a] *Rothomag. Archiep.* & [b] *Suffraganeis eius.*

AD reprimendam malitiam peruersorum [c] pœnæ certæ sunt in canonibus constitutæ, quas sicut latas à vobis interdum in subditos vultis inuiolabiles obseruari; ita latas [d] ab aliis debetis inuiolabiles obseruare. Inde est,quod vniu. v. per A.s.m.quat. [e] sententias,quas ven.f.n. [f] Lexonien. Episcopus duxerit in subditos suos canonicè promulgandas, & vos ipsi seruetis,& à vestris subditis faciatis inuiolabiliter obseruari.Tu verò,frater, cùm excommunicationis sententia per [g] appellationis non suspendatur obiectum: si quis excommunicatus ab ipso de iniusta tibi fuerit excommunicatione conquestus,ad ipsum ei quasi Coëpiscopo deferens, absoluendum secundùm Ecclesiæ formam remittas. Quod si fortè noluerit illum absoluere,tu receptâ iuratoriâ cautione,absolutionis ei munus poteris exhibere; ita tamen,quod nisi tibi legitimè constiterit,eum contra iustitiam excommunicatum fuisse, ex debito sibi iuramento præcipias, vt super eo, de quo fuerit excommunicatione notatus,eidem Episcopo satisfaciat competenter. Quod si facere fortè contempserit, eum in excommunicationis sententiam ap. rem. reducere non omittas. Datum, &c. Cal. Iunij.

NOTÆ.

1. a *Rothomag.*] Ita legitur in tertia collectione, *cap.2.* & in ipsis epistolis Innocentij correctis à Sirleto,*pag.* 103. De hac Ecclesia Rothomag.aliqua adduxi *in cap. cùm contigat,de rescriptis.*

2. b *Suffraganeis.*] Baiocensi videlicet,Lexouiensi, Ebroicensi, Abrienensi, Sagiensi, Constantiensi Episcopis, qui parent Metropolitano Rothomagensi,vt referunt Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacra*, Barbosa *in notit. Episcop.*

3. c *Pœnæ certæ sunt in canonibus constitutæ.*] Quas longum foret recensere. Eas cumularunt Plaza,D. Ioannes Vela,Farinacius,Gutierrez in suis tractatibus de delictis, & eorum pœnis. Pichardus *in manuduct.ad praxim,3.p.ex littera A.* In sacris enim canonibus pro varietate, & grauitate delictorum variæ fuerunt tam in foro externo, quàm interno statutæ pœnæ.Aut degradatio videlicet,aut suspensio, aut depositio imponitur, vt constat ex quampluribus canonibus congestis ab Antonio Aug. *in epit. iuris Pontif. ex lib. 34. vsque ad 40.* Quoad pœnam verò pro delictis commissis imponendam, quam Patres Concil. Trident. satisfactionem appellant in sacramento pœnitentiæ,olim in arbitrio erat Episcopi,ad quem specialiter spectabat pœnitentiam imponere pœnitentibus in Ecclesia conuenientibus, peccataque sua specialiter detegentibus. Concil. Ancyr. *can.5.* Aurelian.4.*can.*8. Carthag. Synodus *can.46.* vbi Balsamon notauit. Sed cùm crescente fidelium peccantium numero Episcopus non sufficeret pœnitentiis imponendis,reseruatâ Episcopis pœnitentiæ solennis impositione, facultas imponendi pœnitentiam priuatam Presbyteris data fuit, qui ex eo pœnitentiarij dicti fuerunt; & in singulis Ecclesiis creatus fuit vnus sacerdos ad illud ministerium. Socrates *lib.5. historiæ, c.19.* latè probant Filesacus *in cap. inter 15.§.4. hoc tit.* Anton. Aug. *in præfat. ad pœnitentialia.* Isti Presbyteri pœnitentias imponebant pro arbitrio suo, *cap. Deus qui 8. dist. c. quæsitum 7. de pœnit.& remiss.cap. tempora 2.26.q.7.* Synodus Metensis celebrata anno 854. *cap.10.* Posteà tamen ex diuersis Ecclesiæ canonibus collecti fuerunt canones,quos posteri appellarunt pœnitentiales, & ipsam collectionem pœnitentialia dixerunt,de quibus pro distinctione Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis eorum auctores & formam referentes plura adducunt Anton. Aug. *in præfat. ad pœnit.* Filesacus *in d.cap.15.§.1.*Anguianus *lib.2.de legibus,cap.3.* Sausay *in Panopl.sacerdot.p.1. lib.7. §.25.* Hodie tamen omnes pœnitentias arbitrarias esse probat Barbosa *in d.cap.quæsitum,* & *in cap. tempora,num.7.*

4. d *Ab aliis.*] Episcopis videlicet, vel iudicibus æqualis auctoritatis; vox enim *aliis,* est repetitiua similium, vt probant textus *in authent. si fugitiui, C. de seruis fugitiuis, authent. ex testam. C. de collat.* vbi omnes repetentes notant illa verba, *aliorum datorum,* esse referenda ad donationes ob causam, de quibus in principio egerat Imperator.

e *Sententias quas.*] Ex his verbis,& illis,quæ sequuntur,*Excommunicationis sententia,* probatur, excommunicationem sententiam esse,quod latè illustrat Gibalinus *de censuris disquisit.1.q.4.*

f *N. Lexon.*] Videlicet Ioannes de Humeto, Præsul Lexoniensis.De ea Ecclesia agemus *in c.2.*

5. g *Per appellationis.*] Appellatio enim à sententia excommunicationis interposita tantùm operatur effectum deuolutiuum, non verò suspensiuum, *cap.pastoralis,* §.1. vbi latiùs trademus,*de appell.*Interim videndi sunt Cuiacius *in cap. cùm inter,de exceptionibus*, Gutierrez *lib.1. canonic. cap.1.* Suarez

de

de censuris disput. 13. *sect.*2. Amaya *lib.* 2. *obseru. c.* 15. Mancinus *Genialium c.*45. Salgado *de protect. Regia,*2.*p.c.*8. Gibalinus *de censuris disquisit.*6.*q.*3.

6. Vt propriam huius textus conclusionem deducamus, primò supponendus est eius verus, & genuinus sensus. Illa enim verba, *ab aliis recipiantur ad communionem,* duplicem sensum habere possunt. Primus est, vt à propriis Episcopis excommunicati ab aliis euitentur; quasi statuat Innocentius, vt in vna diœcesi excommmunicatus, vbique terrarum pro excommunicato habeatur, & tanquam à communione pulsus, ab omnibus fidelibus euitetur. Olim enim Episcopi nomina eorum, quos communione priuabant, non tantùm vicinis Episcopis nuntiabant, verùm & longè distantibus, vt ab illis vitarentur, si forsan illuc accederent, vt probat D. August. *lib.*3. *contra litteras Petil. cap.* 3. in illis verbis: *Cuius scilicet Splidonis in Gallia damnationem ad nos à fratribus nostris missam collega noster apud Constantinum publicè legendam proposuit.* Hac ipsa ex causa decreto Concilij Atuernensis, referente Ivone Carnot. *epist.*76. *sub finem,* constitutum est, vt excommunicatus ab vno Episcopo, à vicinis item Episcopis excommunicetur. Idem *epist.*179. *in fine,* post interpellatam Adelam Comitissam pro Ecclesiæ quiete & indemnitate, subdit: *Quod si hæc omnia contempseritis, sciatis quia Ecclesia corde contrito, & humiliato, ascitis sibi omnibus Ecclesiis subiectis, quotidie ante corpus & sanguinem Domini, & Sanctorum patrocinia clamorem faciet* (idest excommunicationem proferet) *aduersùs omnes huius mali patratores, & consentaneos; & ad hoc ipsum ex debito omnes vicinos Episcopos cum Ecclesiis sibi subiectis inuitabit.* Etiam in iure cautum legimus, vt charta anathematis pro foribus Ecclesiæ, tanquam programma appendatur, *cap. cura* 11.*q.*3. *cap. ad Parochianos, de sentent. excom. extrauag. ad certitudinem, eod. tit.* illustrat Ricciulus *lib.*4. *de iure person. cap.*62. & apud Græcos anathemata publicè in columna proponi, ex Socrate probat Theophilus *tomo* 14. *de litteris monit.c.*7.

Alter sensus eorum verborum, *ad communionem non recipiantur,* esse potest, id est, absoluantur; quasi ab Innocentio statuatur, vt excommunicatus ab vno Episcopo non absoluatur ab alio, nisi ab eo, à quo excommunicatur: qui proprius, genuinusque sensus est huius textus, si conferatur cum verbis sequentibus, vbi de absolutione agitur; & cum canone 31. Apost. & *cap. sententia* 11.*q.*3. vbi eisdem verbis vtuntur Patres, vt statuant, absolutionem excommunicationis ab eo esse præstandam, à quo prolata fuit sententia.

COMMENTARIVM.

7. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

IVxta quem verum sensum deducitur hæc assertio: *Ab vno Episcopo excommunicatus, ab aliis est vitandus, & Archiepiscopus per querelam aditus non absoluit, nisi primo remittat.* Probant textus *in cap. si quis à proprio* 11.*q.*1. *cap. ex frequentibus, de instit. cap. per tuas, de sentent. excomm.* Concilium Sardic. *can.*13. aliàs 16. *Osius Episcopus Cordubensis dixit: Hoc quoque omnibus placeat, vt siue Diaconus, siue Presbyter à proprio Episcopo fuerit communione priuatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & scierit ille, ad quem confugit, eum ab Episcopo fuisse excommunicatum, non oportet, vt ei communionem indulgeat.* Lateran. sub Calixto II. *can.*9. *A suis Episcopis excommunicatos ab aliis Episcopis, Abbatibus, & clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus.* Synodus Antiochena *can.*6. *Vt qui excommunicatus à proprio Episcopo, ab eodem soluatur.* Can. 53. Concil. Illiberit. *Placuit cunctis, vt ab eo Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit: quod si aliquis Episcopus præsumpserit illum admittere, illo adhuc minimè sciente, vel consentiente, à quo communione priuatus fuerat, sciat se huiusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstaturum.* Vbi notat Mendoza, Patres asserere hoc cunctis placuisse. Arelat. 2. circa tempora Nicæni *can.*8. Cathag. 2. *can.*8. Arausic. *can.*11. Cæsaraugust. *can.*5. Turon. 2. *can.*8. Lugdun. 1. *can.*3. Nicænum *can.*5. Epaunense *can.* 28. Parisiense 3. *can.*7. Tauritan. *can.*7. Altissiod. *can.*39. Aquisgran. 1. *can.* 42. 51. & 72. Valentinum sub Lothario Rege *can.*15. Lateran. sub Alexand. III. *can.*21. Regiaticinum *can.*11. Romanum 1. sub Nicolao I. Lemouic. *act.*2. *colum.n.*5. & 7. Melficanum sub Vrbano II. *can.*15. London. sub Honorio III. *can.*8. Mogunt. sub Paulo III. *can.* 104. Siricius Pontifex *epist. ad Episcopos per Africam,* Innocentius I. *epist. decret.*7. *c.*7. Nicolaus I. *epist.*7.9.46. & 98. Ioannes P. VIII. *epist.*9. & 72. *circa finem.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & *de potest. Episcop. alleg.*126. *num.*22. Filesacus *in præsenti,* Suarez *de censuris disput.*7. *sect.*2. Cæsar *de eccles. hierarch. disput.* 5. §.2. Mendoza *lib.*2. *Concilij Illiberit. lib.*3. *cap.*31. Gibalinus *de censuris disquisit.*9.*q.*3. *prop.*1. Frechilla *de excomm.*4.*p.art.*1. Morinus *lib.*2. *exercit. cap.*28.

8. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed pro dubitandi ratione aduersùs primam partem huius conclusionis, vbi asseritur, excommunicatum ab ipso iudice, à quo excommunicatus fuit, non ab alio Episcopo, vel superiore esse absoluendum, ita insurgo. Aut excommunicatio lata est ab homine, aut à iure: neutro casu desideratur absolutio eius, qui excommunicationis sententiam protulit: igitur non rectè asseritur, iudicem ipsum, non alium, posse excommunicationem relaxare. Maior patet; minor autem probatur. Nam si excõmunicatio lata est ab homine, eius superior potest sententiam ab eo prolatam relaxare, *cap. nuper* 29. §. *in primo,* ibi: *Ab eo, vel eius superiore.* Et *cap. per tuas, de sentent. excomm. c. venerabilibus,* §. *porrò,* & §. *si verò, eod. tit. lib.*6. Si à lege, etiam inferiores ab ea absoluere possunt, *c. nuper, §. in secundo, c. prudentiam* 21. §. *sexta, de officio deleg.* Docent Couar. *cap. alma,* 1.*p.*§.12.*n.*4. Nauarrus *in manual. c.* 27. *n.*39. igitur necessariò non est adeundus qui excommunicationem protulit. Accedit, nam si alij Coëpiscopi, aut iudices excommunicationem ab alio latam non possent absoluere, sequeretur excommunicatum in excommunicatione perpetuò mansurum esse; siquidem qui excommunicationis sententiam protulit, eam relaxare non potest, quia iudex posteaquam sententiam protulit, functus est officio suo, *l. iudex, ff. de re iudicata, cap. in litteris 9. de officio deleg.* igitur alius, siue æqualis, siue superior, debet ipsum excommunicatum absoluere. Secundò aduersùs aliam assertionis partem, vbi docetur, excommunicatum conquestum coram Archiepiscopo de iniustitia excommunicationis, remittendum esse ad Episcopum, qui eum communione priuauit, vt ab ipso absoluatur, insurgit illud iuris principium, quo docetur, Archiepiscopum, coram quo excommunicatus conquestus est de iniustitia excommunicationis, posse per se illum absoluere, *d. c. per tuas, de sentent. excomm. c.*1. §. *sanè, de censib. lib.*6. *c. irrefragabili,* §. *cæterùm, hoc tit.* igitur non rectè asseritur, ipsũ excommunicatum remittendum esse ad proprium Episcopũ, vt ab eo absoluatur. Augetur hęc difficultas ex eo, quia si in huius textus specie Archiepiscopus

pus aditus fuit per viam appellationis, vt in illis verbis, *Per appellationis non suspendatur obiectum*, innuitur, Archiepiscopus directe poterat absoluere excommunicatum; nam licèt appellatio interposita in causa excommunicationis non operetur effectum suspensiuum, vt ex hoc textu constat; operatur tamen effectum deuolutiuum, vt probant Abbas *hîc*, *n.*9. & cæteri ordinarij: igitur Archiepiscopus per se vt iudex competens poterat absoluere ipsum excommunicatum.

9. DE EXCOMMVNICATIONE A IVRE LATA.

His difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens Innocentij decisio, ad cuius expositionem sciendum est, excommunicationem dupliciter considerari posse, videlicet vel à iure inflictam, vel ab homine prolatam. In excommunicatione à iure inflicta quilibet Episcopus, aut parochus proprius potest eam relaxare, si absolutio superioti reseruata non sit, *c.nuper, de sentent.excom.* nec interest, an lege generali, speciali, vel synodali excommunicatio inflicta sit, vt docent Couar. *in c.alma*, 1.*p.*§.12.*n.*4. Marius Alterius *de censur.lib.*4.*disput.*3. Suarez *eod. tract.disp.*7.*sect.*5.*n.*21. Appellatione Episcopi veniunt omnes habentes iurisdictionem episcopalem; appellatione verò parochi sacerdotes illi, qui præpositi sunt administrationi Sacramentorum, illi enim à qualibet censura non reseruata absoluere possunt, vt docent cum D.Thoma *in* 4.*dist.*18.*q.*2. *art.*5. Maior *ibi*, *dubio* 3. Gabriel *quæst.*3.*art.*3. Soto *dist.*22.*q.*2.*ad secundum*, *concluf.*3. Caietanus *verbo Absolutio*, *n.*4. licèt contrarium teneat Couar. *vbi suprà*, 2.*part.*§.12. Paludanus *in* 4.*dist.*18.*q.*5.*art.*1. Sayrus *lib.*7.*thesauri*, *c.*19.*n.fin.* qui affirmant, noviori iure denegatam esse hanc facultatem absoluendi parochis, *ex Clement.*1.*de priuileg.extrauag.*1. *eod.tit.* Sed si rectè eas constitutiones perpendamus, in illis non agitur de parochis, sed de religiosis priuilegia habentibus, vt iam notauit Gibalinus *dict. disquisit.*9. *pag.*410.

10. DE EXCOMMVNICATIONE AB HOMINE PROLATA.

Circa excommunicationem ab homine discrimen est constituendum inter excommunicationem generalem, seu generaliter prolatam; & particularem, in specialem subditum pronunciatam. A generali censura omnis ille potest absoluere, qui ab excommunicatione à iure inflicta absoluere valet, *cap.ex frequentibus*, *de instit. cap. græue*, *de præbendis.* Docent Couar. *vbi suprà*, §.12. *num.*4. Soto *in* 4. *dist.*22. *quæst.*3.*art.*3. Auila *de censuris* 2.*part. cap.*7. *dissput.*1.*dubio* 8. Hurtado *de excom. difficult.*6. Layman *in summa lib.*1.*tract.*5. *c.*7.*n.*3. plures congesti à Gibalino *vbi suprà*, *pag.*411.*n.*10. cùm enim censura ab homine generaliter lata habeatur pro statuto, aut constitutione; & à censuris statuto, aut constitutione generali latis absoluat quilibet Episcopus, parochusve, vt suprà probaui; ideò & à censura generaliter lata ab homine quilibet Episcopus, parochusve absoluere valet; à sententia verò excommunicationis specialiter ab homine prolata absoluere potest, qui eam protulit, eius successor, superiorve, aut iudex delegatus: illis exceptis, nullus alius absoluere potest, etiamsi æquali præfulgeat dignitate, *cap.verbum*, *de pœnit.dist.*1. Sed licèt hoc iuris principium certum sit, aliquas patitur exceptiones. Prima est, si excommunicationis inflictæ absolutionem iudex sibi reseruauerit, vt contingit in incendiario, qui ob sceleris grauitatem excommunicatione innodatur, & eius absolutio R.Pontifici est reseruata, *cap.tua nos*, *de sentent. excomm.* docet Leander *de censur. disput.* 17. *quæst.*16. Secunda proponitur *in cap.quærenti*, *de officio deleg.* vbi si delegatus proferat excommunicationis sententiam, eamque intra annum non relaxauerit, elapso anno ab ea absoluere non potest, quia functus est officio suo, *cap.in litteris* 9. *eodem tit.* vbi notaui: quoad superiorem etiam procedit dicta sententia; nam cùm per appellationem ab excommunicatione interpositam iurisdictio ad superiorem deuoluatur, *cap.si à iudice*, *de appell.lib.*6. ideò habet facultatem relaxandi huiusmodi censuram; interim autem etiam inferior, qui excommunicationem protulit, potest eam relaxare, quia potest tollere grauamen illud, à quo fuit prouocatum, *cap. cùm cessante* 60. *de appell.* quoad successorem etiam iudicis, qui sententiam protulit, aperta sunt iuris testimonia *in can.*39. *Apostol. can.* 47. inter canones Arabicos; *can.*5. inter Græcanicos, vt latè probaui *in cap.*9. *de officio deleg.* igitur sicut ipse, qui sententiam excommunicationis protulit, potest absoluere, ita & eius delegatus. Leander *dict. disp.*17. *quæst.*17. & 18.

11. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex his manifestè apparet, nullum alium æquilem auctoritatem habentem posse absoluere ab excommunicatione ab homine specialiter prolata, quod iam à temporibus Apostolorum cautum in uenio: canone enim 31. Apost. ita cauetur: *Si quis Presbyter, aut Diaconus segregatus fuerit, hunc non licere ab aliis recipi, sed ab eo, qui segregauerat, nisi fortè obierit Episcopus, qui illum segregasse cognoscitur.* Qui canon citatur in Concilio Nicæno *cans.*5. *De his, qui excommunicantur, siue clerici, siue laici, ab Episcopis per suas quasque prouincias seruetur & ista sententia secundùm canonem; vt qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur.* Vbi verba illa, *secundùm canonem*, referenda sunt ad prædictum canonem Apostol. Accesserunt Concilium Illiberit. *can.*53. Arelat.1. *can.*16. & alia SS. PP. decreta suprà adducta. Cyrillus Alexandrinus *in epist. ad Episcopos Libyæ*, vbi notauit Balsamon. Ivo Carnot. *epist.* 60. 76. & 194. vbi conqueritur de Hugone Archiep. Lugdun. eo quod sacrilegos à se, suisque Coëpiscopis excommunicatos communioni restituerat. Cuius prohibitionis ratio ex eo petenda est, quia vt inquit Aristoteles *lib.*2. *œcon.* ægrè fert vnusquisque suo honore priuari. Vnde ad conseruandam Episcoporum auctoritatem, quæ vilesceret, si facta ab vno, ab alio infecta redderentur, rectè constitutum est, vt ab vno excommunicatus, ab alio non absoluatur; oportuit enim ordinem politiæ seruari, qui facilè confunderetur, nisi firmis & immobilibus cuncta essent distincta limitibus. Vnde factum est, vt terminos territorij fixos, & immobiles habuerit olim vetustas, & venerabiles, sacrosque appellaret, vt prodit Ouidius *lib.*2. *Fastorum.*

—— Solito celebretur honore
Separat indicio qui Deus arua suo:
Termini, siue lapis, siue æs defossus in agro,
Stipes ad antiquis tu quoque numen habes.

Et Iuuenalis *satyra* 6.

Improbus aut campum mihi si vicinus ademit,
Aut sacrum effodit medio de limite saxum.

Alia plura congerit Brissonius *lib.*1. *de formulis*, *pag.*48. inde etiam quia confusis terminis totius politiæ ordo confunderetur, iurisdictionis, & territorij causam publicam esse leges voluerunt. vt probant textus *in l.publicè*, *ff.de iudiciis*, *l.filius*, *ff.de his qui sunt sui.* Quare rectè Innocentius III. in præsenti decidit, ne iudex iurisdictionem alienam inuaderet, non posse ab vno excommunicatum, ab alio iudice absolui.

12. AMPLIATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Igitur ille, qui excommunicationem protulit, eam relaxare debet, nisi à superiore impedimentum apponatur. Quæ conclusio ampliatur itavt procedat etiamsi iudex, qui excommunicationis sententiam protulit, sacerdos non reperiatur, quamuis contrarium tenuerint Syluester *in summa, verbo Absolutio* 3.§.1. Hostiensis *in summa, tit. de sentent. excom.* §. *quis possit absoluere*: & *in cap. à nobis, el* 2. *eod. tit.* & alij congesti à Leandro *de censur. disp.* 17. *q.* 4. moti auctoritate textus *in c. canonica*, in illis verbis: *Presbyter esse debet*, & *c. nuper*, ibi: *Sacerdos, de sentent. excom.* Ille enim, qui sententiam protulit, tantùm primâ tonsurâ initiatus potest ita excommunicatum absoluere, non solùm vt compareat in iudicio, communicetque cum aliis fidelibus, verùm vt fruatur Ecclesiæ suffragiis. Defendunt Couar. Nauarrus, Suarez, Sayrus, Hurtado, & alij congesti à Leandro *d. q.* 4. cùm enim hæc absolutio non sit sacramentalis, non est ratio cur affirmemus esse necessarium gradum Presbyteratus in iudice absoluente, sed tantùm iurisdictionem desiderari, vt probat textus *in c. transmissa, de elect.* Nec contrarium probat textus *in d. c. si canonica*; ideò enim in eo desideratur ordo sacerdotalis, quia agitur de peccato R. Pontifici reseruato, cuius ratione excommunicatio incursa erat; à culpa autem nisi presbyter absoluere non potest. Ita docent Couar. & Hurtado *vbi suprà*. Nec textus *in d. c. nuper*; in quo non agitur de excommunicatione ab homine inflicta, sed de censura à iure statuta. Amplius quia in eo textu tantùm affirmatur, parochum posse ab ea excommunicatione absoluere; vnde etsi accipiatur textus de excommunicatione ab homine lata, non negat Pontifex alium etiam non sacerdotem ab ea absoluere non valere.

13. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec suprà adductæ difficultates aduersantur. Non prima, cui facilè ex suprà traditis respondetur asserendo, verum esse superiorem eius, qui sententiam protulit, posse ab ea absoluere, ex ratione suprà adducta; textum verò *in d. c. nuper*, cum aliis, procedere in excommunicatione à iure inflicta, ab ea enim omnes absoluere possunt, vt suprà probaui. Nec augmentum huius difficultatis deductum *ex d. l. iudex* 55. *ff. de re iudicata*, refragatur: pro cuius vera interpretatione repetenda sunt, quæ adduxi *in c. in litteris, de officio delegati*. Difficilior est secunda dubitandi ratio propter iurium expressam antinomiam, sed pro ea sedanda, omissis solutionibus traditis à Glossa *in præsenti, verbo Conquestus*, Abbate *n.* 3. & *in cap. ab excommunicato, n.* 12. *de rescriptis*, Innocentio *hîc, n.* 4. Franco *in d. c. venerabilibus*, §. *sanè, n.* 3. Barbosa *in præsenti*, & *alleg.* 126. *n.* 22. Frechilla *vbi suprà*, *n.* 3. aliqui casus distinguendi sunt. Primus est cùm subditus suffraganei conqueritur coram Metropolitano de iniustitia excommunicationis; quia videlicet Episcopus ex officio, & non ad partis petitionem ipsum excommunicauit; tunc enim Archiepiscopus, siue per appellationem, siue per querelam aditus, potest ipsum absoluere, *d. c. venerabilibus, in principio, vers. Attamen.* Ratio huius principij est, quia in causis suffraganeorum, qualis est hæc, *c. sacro, de sentent. excomm.* Archiepiscopus competens iudex est, siue per appellationem, siue per simplicem querelam adeatur, *cap. per singulas* 9. *q.* 3. quo casu procedere præsentem textum in illis verbis: *Eidem Episcopo satisfaciat*; docet Cæsar *de Eccles. Hierarch. d. disp.* 5. §. 2. *n.* 24. Secundus casus consideratur, cùm causa, ob quam inflicta fuit excommunicatio, vertitur inter subditos suffraganeorum, & à sententiæ iniustitia appellatum est ad Archiepiscopum; tunc enim licèt quoad effectum suspensiuum appellatio nihil operetur, quoad deuolutiuum tamen effectum sortitur: vnde Metropolitanus fit competens, & de iniustitia excommunicationis cognoscere valet, *c. duo simul, c. pastoralis, hoc tit. d. cap. venerabilibus, in principio.* Et si excommunicatio, à qua appellatum fuit, iuxta acta processus recta videtur, non potest absoluere, sed debet excommunicatum absoluendum remittere ad proprium iudicem primæ instantiæ, *dict. c. sacro*, ibi: *Ad excommunicatorem remittat*; *cap. per tuas, de sent. excom. c. venerabilibus*, §. *sanè*: ad quem casum refert præsentem decisionem Frechilla *vbi suprà*, *n.* 4. Ratio est, quia si dum constat de sententiæ iustitia, Archiepiscopus absolueret, iniuriâ afficeretur iudex suffraganeus, *c. seruetur* 11. *q.* 3. Debet ergo excommunicatus remitti vt absoluatur, atque vt Archiepiscopus possit de causa cognoscere; antea enim in ea procedere non valet, *c. cùm contingat, vers. Antequam, de officio deleg. d. c. per tuas*, nisi in duobus casibus. Primò, si periculum est in mora, secundò si malitiosè Episcopus suffraganeus denegat absolutionis beneficium, *d. c. per tuas, d. c. sacro*, §. *sanè*. Tertius casus est, cùm apud Merropolitanum notoriè constat de iniustitia excommunicationis; tunc enim ipse potest absoluere, *d. c. venerabilibus*, §. *sanè, vers. Si verò, c.* 1. *vers. Notoria, de censibus lib.* 6. sed si dubitetur, an iusta, vel iniusta sit excommunicatio à suffraganeo lata, tunc secundùm iuris scrupulositatem potest Metropolitanus illum absoluere, *d. c. per tuas, vers. quod si, d. c. venerabilibus, vers. Quod si dubitetur*: sed secundum humanitatem, & debitum honestatis Archiepiscopus debet remittere ipsum absoluendum excommunicatori, *d. c. per tuas*, ex ratione textus *in cap. quibus Episcopi* 11. *q.* 3. Docent Cæsar *de eccles. hierarch. vbi suprà, num.* 28. Viuianus *in præsenti.*

14. EXPONITVR CONCILIVM TOLET. 12. CAN. 3.

Suprà traditis aduersatur difficilis canon 3. Concilij Tolet. 12. in illis verbis: *Vidimus nonnullos, & fleuimus, ex numero culpatorum receptos in gratiam Principum, extorres extitisse à collegio Sacerdotum. Ab eis ergo nulla se abstinebit sacerdotum communione: sed quos Regia potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos sacerdotum, & populorum conuentus suscipere in ecclesiasticam communionem debebit*; vt *quod iam principalis pietas habet acceptum, neque à sacerdotibus Dei habeatur extraneum.* Quæ verba transcripta leguntur *lib.* 7. *Capitul. c.* 383. quare ex Capitularibus ea citat Carnotensis *epist.* 62. & 172. Ex quibus expressè constat, non solùm ab aliis Episcopis absolui posse excommunicatum ab vno, verùm & Principem sæcularem excommunicatum mensæ suæ adhibendo, absolutionis donum illi impartiri. Pro cuius canonis expositione Cironius *ad titul. de sentent. excom.* Fornerius *lib.* 3. *select. cap.* 13. Iuretus *in notis ad epist.* 62. *Ivonis*, Filesacus *de idololatr. c.* 4. existimarunt Regibus, supremisque Monarchis illud priuilegium fuisse concessum, vt ex qualibet culpa excommunicati absoluti crederentur, si Regia Maiestas eos in gratiam receperit, aut cum eis communicauerit: quod vt adstruat Iuretus expendit epistolam Anselmi Cantuar. Archiep. vbi Ernulpho Priori ita scribit: *Audistis quibus ex præcepto Apostolici communicare non possum sine animæ meæ periculo, quorum communionem Regi communicans, dum ipse eis communicat, vitare non valeo. Hic consideret aliquis quid facere possim cùm veniam ad Regem coronandũ, & Missam celebrabo, & ipsi circa me erunt. Certè illos expellere nequeo; cum illis orare non audeo; Regi subtrahere*

solitum

ſolitum officium non debeo, quoniam Domnus Papa & illi concedit: & mihi, vt faciam, ſi præſens ſum, præcipit. Si mihi dicitur, vt domi maneam, ad Curiam non eam, & ſic alia bona officij mei faciens, à communione malorum abſtineam, conqueretur Rex cum omnibus Epiſcopis & Principibus ſuis, &c. Vnde aiunt, rectè *in dict.can.* 12. ſtatui, vt quos Regia benignitas ad communionem acceperit, non repellant Eccleſiæ miniſtri, quia facto ipſo cenſentur abſoluti, vt ob ſimilem etiam honoris rationem excommunicatus ad oſculum pedum Pontificis admiſſus, abſolutus creditur, *c.cùm olim* 12. *de priuileg.* notat Hoſtienſis *in c.venerabili* 34. *verbo recognouit, de elect.* Eſt enim oſculum reconciliationis argumentum. Artemid. *lib.2.de ſomnis, cap.*2. Sidonius *lib.4.epiſt.*23. *Deus magne! quàm lætus orietur tibi dies, mihi nuncius, animus illi, cùm paternis pedibus affuſus, ex illo ore læſo, ore terribili conuitium expectans, oſculum exceperit.* Similiter ſi R.Pontifex alicui reſcribit cum ſalutatione, niſi per ſubreptionem impetretur reſcriptum, excommunicatio relaxatur, *c.ſi aliquando* 41. *de ſentent.excom.* vbi Gloſſa *verbo Salutationi.* Vnde cùm Pontifex abſoluere nequit, apponit clauſulam illam ſine ſalutatione. Obſeruauit Cironius *lib.2.obſeru.c.*14. Nec incongruè PP.dicti Concilij Tolet.inter alia adeptæ gratiæ, & communionis ſigna recenſent menſæ Regali accubitum; nam apud omnes gentes maximi honoris fuit menſæ Regali admoueri. De Hebræis conſtat *ex lib.*1. *Regum*, vbi refertur honoris causâ Saulem Dauidem qualibet prima die Lunæ menſæ ſuæ adhibuiſſe; quod & ipſum Dauidem cum Alphiboſet tertio Saulis filio fe ciſſe refertur *lib.2.Regum, c.*19. Apud Chaldæos etiam idem obſeruatum fuiſſe conſtat *ex lib.*4.*Regum, c.*25. & de Romanis probatur ex Statio Papinio *lib.*4. *ſiluarum, in epulo Domitiani*, Suetonio *in Veſpeſiano, cap.*9. quare apud eos tribuni ſcholarum diuinis epulis adhibebantur, *l.vnica, C.de Comitibus, & Tribunis.* Schol. Ammianus Marcel. *lib.*15. *Vt ſpectabilis colebatur, & intimus facilitate aditus, honoréque menſæ Regalis antepoſitus, aliis etiam ſecretiùs de rerum ſumma conſultabatur.* Vnde apud eos dominus ſeruo proprio accumbendi ſuis epulis facultatem præſtando libertatem concedebat. Caius *lib.*1.*inſtit.* probaui *in c.*1.*de ſeruis non ordin.* Apud Macedonios idem vſitatum fuiſſe teſtatur Quintus Curtius *lib.*8. *Præcipuus honor habebatur, quòd licebat ſedentibus veſci cũ Rege.* De Spartanis ita ait Plutarchus *in Lycurgo. Apud Spartanos electo neceſſariorum quiſque cœnam apponens dicebat, Hac te menſa ciuitas honorat.* De Gothis idem teſtatur Paulus Diaconus *lib.*1.*cap.*23. *Apud Gothos honorificum menſæ Regiæ adhiberi.* Sic etiam finxerunt Poëtæ argumentum eſſe adeptæ diuinitatis, ſi Deus, vel Dea aliquem conuiuio excepiſſet, iuxta Poëtam ibi:

—— Tu ſceptra Iouemque
Concilias, tu das epulis accumbere Diuûm.

Illuſtrant Sauarus *ad Sidonium lib.*1. *epiſt.*11. Illuſtr.D.Franciſcus Ramos *pro Epiſcop. Luſit. propoſ.*1.*circa finem, num.*93. Verùm hæc eruditorum virorum ſententia non placet; nam nunquam legimus ſimile priuilegium Regibus conceſſum, vt quos ipſi ad communionem admitterent, Prælati Eccleſiæ abſolutos à cenſuris haberent: quare canon ille tantùm accipiendus eſt de illis excommunicatis, qui pacem læſerant, ſtatumque patriæ turbauerant, aut.infenſo animo in Regem fuerant. Quâ de cauſa anathemate proſcripti ab Eccleſia erant, iuxta Concil. Tolet.4. *can.*75. Quorum criminum venia Regibus ipſis reſeruata erat. Concil. Tolet.5, *can.*8. *In omnibus, quæ præmiſimus, poteſtatem indulgentiæ in culpis delinquentium Principi reſeruamus.* Vnde ſi ex his cauſis excommunicati indulgentiam Regis promeruiſſent, non erat ratio, quare per Epiſcopos à communione arcerentur. Facit caſus Prætextati Rothomag. Epiſcopi, qui cùm à Chilperico Rege delatus inter reos læſæ Maieſtatis apud Synodum Pariſienſem anno 577. crimen confeſſus eſſet, à communione ſecluſus fuit per hæc verba: *Quia Regis gratiam non habes, ideò nec noſtrâ charitate vti poteris priuſquam Regis indulgentiam merearis.* Poſt aliquot annos à Rege Guntheramno ſuſceptus, & conuiuio eius adſcitus, ad vrbem ſuam regreſſus eſt, nullo ſynodi iudicio habito. Refert Greg.Turon. *lib.*7. *cap.*16. Quo modo acceperunt prædictum canonem 3. P.Marcha *lib.*4. *concord. c.*14. Theophilus Raynaud. *de litteris monit.tom.*14. *c.*2.*fol.*403. Seldenus *lib.*1.*de Synedriis, cap.*10.

CAPVT IX.

Idem *Tyren.* [a] *Archiepiſcopo.*

DVo ſimul, conſultationem ſcilicet, & querimoniam vnica tuæ fraternitatis petitio continebat, per quam de venerabili fratre noſtro Hieroſolymitano [b] Patriarcha querebaris, clericos tuos tecum iniuſtè grauari, qui eos ſpreto tuo iudicio, coram quo parati ſunt de ſe querentibus iuſtitiam exhibere, licèt ad eum per appellationem cauſa minimè deferatur, coram ſe reſpondere compellit: & vtrum ad id poſſint de iure compelli, per noſtras poſtulabas litteras edoceri. Volentes igitur tibi ſuper grauaminibus prouidere prædictis, & conſultationibus tuis, quod canones ſanciunt, reſpondere; cùm ſit in canonibus diffinitum, [c] Primates, vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantùm canones ſacri concedunt, & priſca conſuetudo illis contulit ab antiquo, itavt ſecundùm [d] Nicænas regulas ſua priuilegia ſeruentur Eccleſiis, præterquam ſi Apoſtolica Sedes aliquam Eccleſiam, vel Rectorem ipſius quolibet ſpeciali priuilegio decreuerit honorare: de fratrum noſtrorum conſilio reſpondemus, quod quamdiu clerici tui [e] coram te voluerint ſtare iuri, compelli non debent iudicium eiuſdem Patriarchæ ſubire, niſi cauſa forſitan per appellationem ad eius audientiam perferatur, aut (quod non credimus) aliquid ei à Sede Ap. ſit indultum. Datum Lateran. Nonis Ianuarij.

NOTÆ.

1. a *Tyrenſi.*] In ſexta collectione, legitur *Turonenſi*, ſed perperam, cùm cauſa, quæ in præſenti proponitur, contigiſſet in Patriarchatu Hieroſolymitano: legendum ergo eſt *Tyrenſi*, vt habetur in epiſtolis Innocentij III. emendatis à Iacobo Sirleto, *pag.*249. quo modo etiam emendanda eſt inſcriptio textus *in c.2.de Apoſtatis.* Tyrenſis prouincia ſplendidiſſima eſt in Syria, Romanorum colonia, *l.1.& 4.ff.de cenſibus.* Metropolis Conſularis dicitur in Concilio Chalced. *can.*4. illic: *Poſt Conſulatum Flauij Zenonis,& Poſthumiani, ſub die 5. Kalendarum Martiarum in colonia Tyro, clariſſima Metropoli Conſulari.* Eſt Archiepiſcopalis ciuitas, vt probat Berterius *diatribe 1. pag.*41. licèt enim in octaua Synodo Exarchi nomine appelletur Tyrenſis Præſul, ideò contigit, quia eo tempore diem vltimũ clauſerat Antiochenus Patriarcha, vt in prima actione ipſius Synodi refertur, & iterim Tyrenſis Archiepiſcopus Primatis dignitate fulgebat, vt notat Berterius *diatribe 2. pag.*153.

b *Patriarcha.*] De quo nonulla adduxi *in cap.3.de clericis peregrinis.*

2. c *Primates & Patriarchæ.*] Olim dignitates iſtæ tantùm nomine, non verò re diſtinctæ, aut diuerſæ erant; idem enim appellabatur Patriarcha, ac Primas, *cap.1. 99.diſt.* Patriarchæ & Primates, diuerſorum ſunt nominum, ſed eiuſdem officij. Concil. Chalced. *can.9.lib.7.* Capitul. Carol. *capitul.*63. 241. *&* 324. Vnde qui appellabatur Patriarcha, ſtatim Primas dicebatur, *cap.conqueſtus,c.nec 9.q.3.* Docent plura adducentes Fileſacus *in præſenti,*§.9. Germonius *lib.2.de ſacrorum immunit.c.5.n.*27. Cæſar *de Eccleſ. hierarch.diſp.*4.§.1. Dartis *in d.99.diſt.* Loayſas *in can.* 8. *Concilij Tolet.*13. qui etiam notant Metropolitanum dici plerumque Primatem.

d *Nicænas regulas.*] Relatas *in cap. mos antiquus*, 65. *diſt.* quem textum expoſui *in cap.1. de tranſlat. Epiſcopi*, *cap. antiqua, de priuilegiis.*

3. e *Coram te voluerint.*] Ex his verbis facilè deducitur, quod ſi ſubditi Archiepiſcoporum noluerint coram Metropolitanis litigare, ſed potiùs in Patriarchas conſenſerint, quod tunc etiam in prima inſtantia poterit Patriarcha de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum cognoſcere; quod difficile redditur ex deciſione textus *in c.1.de foro compet.* & illo iuris principio, quo inhibetur clericis & eccleſiaſticis perſonis iudicis non ſui iuriſdictionem prorogare, ne confundatur ordo hierarchicus, *c.1. 9.q.2.c.Epiſcopus,eadem q.* textus diſertus *in c.ſignificaſti, de foro compet.* Sed pro iſtorum verborum, quæ ambiguitatem continent, interpretatione dicendum eſt, temporibus Innocentij III. & iure Decretalium inſpecto certum eſſe, clericum non poſſe prorogare iuriſdictionem iudicis non ſui, niſi conſentiente proprio Epiſcopo, *d.c.1.d.c.ſignificaſti.* At verò circa prorogationem Archiepiſcopi, Patriarchæve ex propria voluntate nõ ita prohibitionem fuiſſe apertam, quia tunc non prorogatur iuriſdictio extranei iudicis, ſed ſuperioris, *c.non liceat 3. q.6.* Vnde neceſſaria fuit deciſio textus *in d.c.1. de foro compet.* vt etiam ex conſenſu partium iuriſdictio Archiepiſcopi, tanquam extranei iudicis in prima inſtantia iudicij prorogari non poſſit: vnde cùm ſatis apertè non liqueret, temporibus Innocentij III. vtrum talis iuriſdictio Archiepiſcopi prorogari poſſit; ideò prædicta verba ita ambigua appoſuit Innocentius, vt iam obſeruauit Cæſar *dict. diſput.5.*§.2. *num.*15.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

EX hac Innocentij epiſtola talis deducitur communiter diſputanda aſſertio: *De cauſis ſubditorum ſuffraganeorum Archiepiſcopi, ſeu Primates cognoſcere nequeunt, niſi per appellationis modum, aut ratione conſuetudinis, aut priuilegij iuriſdictionem obtineant.* Probant eam textus *in cap.nullus 9.q.2.c.conqueſtus*, & per totam *9.q.3.c.1.& vlt.*18. *q.2.c.ſcitote 6.q.3.cap.1.de foro compet.lib.6. cap.1.hoc tit.eodem lib.c.1.de officio Vicarij, eod.lib.c.1.de ſupplend.neglig. in 6.cap.3.de appell.eod.lib. cap.1.de pœnis,eod. lib.c.1. de pœnit.eod. lib.cap. non videtur, hoc tit.in 5. collect.* apud Cironium. Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & *lib.1.iuris eccleſ.p.7.n.*51. Cæſar *de eccleſ. hierarch. diſp.5.* §.2. Franciſcus Hallierius *de hierarch.iuriſd.lib.4.c.1.pag.*582. Petrus Greg. *lib.*15. *ſyntagm.cap.5.* Fileſacus *in præſenti*, Ioannes Dartis *in diſt.9.quæſt.3.& 99. diſt.* Germonius *de ſacrorum immunit.lib.1.cap.7.n.*51. Paulus Idumay *in notis ad Innocent.III. lib.2.epiſt.*45. Balboa *in c.1.de foro compet.n.*25. Couar. *practic. q.*10.*n.*6. Didacus Perez *in l.*13.*tit.*4. *lib.*3. *Ordin.* Paz *in praxi, tom.*2. *prælud.*1. *num.*3. Lotherius *lib.*1.*de re benefic. q.*22. Villaroël. *tom.*1. *regim.eccleſiaſt. q.*4.*art.*2. Marinis *lib.*1. *reſol. c.*19. Abruzo *in lecturis ad leg.*1 *ff.de iudiciis, q.*34.

5. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed aduersùs hanc Innocentij deciſionem pro dubitandi ratione primò ſic argumentor. Archiepiſcopus in tota ſua prouincia, & Primas in vniuerſo ſuo Primatu abſolutam obtinent iuriſdictionem, *can.*34. *Apoſt. Epiſcopi ſuum Primatem, & caput agnoſcant, nihilque eminens ſine eius voluntate faciant, præterquam quæ ad parœcias, & vicos ſuos pertinent.* Et *c.per ſingulos* 1.& 2.*9.q.*3. Concil. Pariſ. ſub Ludouico *lib.*1.*c.*17. *Si quiſquam imminente nimia neceſſitate inconſulto Primate prouinciæ, aut certè maiore vrgente neceſſitate, non adhibitis teſtibus vicinis Epiſcopis res Eccleſiæ diſtrahere tentauerit, ita canonico iudicio percellatur, aut amiſſo honore reus Deo & Concilio teneatur.* Alia adducit Antonius Aug. *in epit. iuris Pontif. lib.4.tit.*56. igitur non ſolùm in caſibus appellationis, conſuetudinis, ſeu priuilegij, verùm in omnibus poſſunt Archiepiſcopi, & Primates de cauſis ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum cognoſcere. Augetur hæc difficultas ex illo vulgari iuris dicterio, quo docetur, ſi vinco vincentem te, à fortiori vincam te, *l.de acceſſionibus* 14. *verſic. Nam qui me potior, ff.de diuerſis & tempor. c.auctoritate 7. de conceſſ. præb.lib.6.* ſed Patriarcha habet iuriſdictionem in Archiepiſcopos, Archiepiſcopi in Epiſcopos, *d.c.*1.& 2.*9. q* 3. igitur à fortiori ipſi habebunt iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum ſuorum. Augetur tandem hæc dubitandi ratio ex eo, quia Primates, & Archiepiſcopi ſunt conſtituti in maioribus ciuitatibus, vbi temporibus Imperij Romanorum præerant Præfecti, Proconſules, & cæteri Magiſtratus maiores, vt infrà dicemus: ſed iſti Magiſtratus plenariam in ſuis prouinciis habebant iuriſdictionem circa omnes ſuarũ prouinciarum ſubditos, *l.*1.*C.de offi. Præfecti vrb.l.vlt.verſ.Ita tamen, C. de iuriſd.l.*1.§.*cura carnis, l.2.ff.de offic.Præfecti vrbis:* igitur ſimiliter Patriarchæ, & Archiepiſcopi omnimodam habent iuriſdictionem in ſubditos ſuæ prouinciæ. Secundò etiam difficilis videtur hæc aſſertio, quatenus affirmat, conſuetudine introduci poſſe, vt Patriarcha, & Archiepiſcopus extra caſus à iure expreſſos poſſint exercere iuriſdictionem, in ſubditos ſuffraganeorum; nam conſuetudo ſacris canonibus contraria non admittitur, immò improbatur, *cap. cùm venerabilis 7. de conſuetudine,*

cap.1.

cap. 1. circa finem, de his quæ fiunt à maiori parte, cap. 2. de temporib. ordin. cap. ex frequentibus, de instit. Sed hæc consuetudo repugnat sacris canonibus, qui tantùm certis casibus iurisdictionem concedunt Archiepiscopis in causis subditorum suffraganeorum: igitur non debet admitti. Vnde in terminis huius decisionis consuetudo damnatur *in cap. 2. de pœnit. & remiss. lib. 6. in cap. 1. § 1. de foro compet. lib. 6.* in illis verbis: *Nisi aliud in his tribus de consuetudine obtineat.* Vbi per argumentum ab speciali probatur, in aliis casibus consuetudinem non admitti.

6. De IVRISDICTIONE PATRIARCHARVM.

Adhuc tamen defensanda est præsens Innocentij decisio, ad cuius expositionem, & veram interpretationem præsentis textus sciendum est, quod cùm Christus Dominus omnes suas oues pascendas, earumque curam Petro commendasset, *extrauag. vnam sanctam, de maiorit. & obed.* & fidelium grex multùm excresceret, *cap. in nouo, 21. dist.* D. Petrus necessarium duxit, cùm non posset per singulas prouincias discurrere, eas diuidere, *cap. 10. cap. in illis, 80. dist.* Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios inferiores Prælatos per diuersa loca dispersos constituere, *cap. 1. 99. dist.* de quorum munere, & officio videndus est Petrus Greg. *lib. 15. syntagm. cap. 5. cum sequent.* Finis autem, & scopus huius diuisionis fuit, vt omnia ordinatè, & in Ecclesiæ ædificationem sine confusione fierent, ita diuisâ Ecclesiæ curâ, *cap. mandata, de præsumpt.* Sed quia confusio cum magno spiritualis Reipublicæ malo facilè oriretur, nisi Ecclesiæ Prælati intra cancellos curæ sibi commissæ continerentur; ideò conueniens visum est vnicuique in sua diœcesi priuatiuam iurisdictionem concedere, ita vt altera literius clericum neque ordinare, neque diiudicare præsumat, *cap. nullus alterius, cap. nullus Primas, cap. nullus Episcoporum, cap. Episcopum 9. quæst. 2. cap. per singulas 2. cap. si autem, cap. nullus 9. quæst. 3.* & è contra etiam clericis interdictum est, relictis propriis Episcopis aliorum iudicia expetere, aut pati, *cap. non liceat 3. quæst. 6.* quia clerici à propriis Episcopis, non ab alienis debent iudicari, *cap. scitote 6. quæst. 3.* quâ de causa licèt consensus priuatorum sufficiens sit ad prorogandam alterius iurisdictionem, etiamsi proprij iudicis consensus non accedat, *l. 1. ff. de iudiciis, l. ille à quo, §. tempestiuum, ff. ad Trebell. l. si conuenerit 18. ff. de iurisdict.* attamen clerici non possunt coram aliis iudicibus etiam ecclesiasticis conueniri, nisi interueniente proprij Episcopi consensu, ne confundatur ecclesiastica iurisdictio, *cap. 1. cap. significasti, de foro compet.* Et quia iurisdictio ecclesiastica priuatiuè concessa est, quæ est verior ratio, omissis aliis traditis à Bartolo *in l. 1. num. 1. & 2. ff. de iudiciis*, Abbate *dict. cap. significasti, num. 7. ad finem*, Iasone *in l. 1. § & post, num. 11. de noui operis nunt.* Vantio *de nullitat. tit. quibus modis sententia nulla, num. 78.* Barbosa *in l. 1. art. 3. n. 195. ff. de iudiciis.* Dicemus latiùs *in d. c. 1. de foro compet.* Vnde sæpè sæpiùs sacris canonibus cautum legimus, ne Episcopus, vel superior alienum subditum condemnare, vel absoluere præsumat.

7. De ORIGINE PATRIARCHARVM.

Deinde sciendum est, diuisionem Ecclesiarum Patriarchalium, & Metropolitanarum factam fuisse iuxta diuisionem prouinciarum, quam iam Romani ante tempora Constantini obseruauerant in constituendis maioribus Magistratibus, & sacerdotibus, *cap. 1. 99. dist.* Cùm enim Apostoli agnouissent in eas prouinciarum partes esse Primates sæculares, & Archiflamines fuisse, ac iudiciariam potestatem ipsos exercere, itaut quia Princes propter loci distantiam facilè adiri non poterat, commorantes per prouincias pro oppressionibus, & iniustitiis sibi illatis ad eos appellarent, Apostoli in proprium vsum Ecclesiæ, & iurisdictionis ecclesiasticæ prædictam diuisionem amplexi, & secuti fuerunt, & in ipsis prouinciarum capitibus Patriarchas, seu Primates apposuerunt. Docent Filesacus *in præsenti*, Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 6. & de potest. Episcop. c. 7.* Cæsar *de eccles. Hierarch. disput. 5. § 1.* Morinus *lib. 1. exercit. cap. 1. & 2.* Viuat. *ad Flauium Dextrum anno 105.* Meursius *in Glossario, verbo Patriarcha.* Fragoso *de regim. Christ. Reipub. lib. 7. disput. 16. § 1.* Acuña *de Primatu Ecclesiæ Brachar. can. 6.* Balsamon *in can. 6. Concilij Nicæni*, Berterius *diatribe 2. per totam*, Casaubonus *ad Vopiscum, pag. 249* Hallierius *de sacris elect. sect. 5. 2. p. cap. 4. art. 3. § 3.* Carrier. *tom. 2. Digesti fidei, pag. 631.* de quorum Patriarcharum numero, & distinctione plura Deo volente dabimus *in cap. antiqua, de priuilegiis.* Deinde etiam cùm agnouissent Apostoli in diuisione imperij fuisse etiam Metropolitanas ciuitates, quæ minores iudices habebant illis Magistratibus, qui in prouinciarum capite erant constituti, etiam constituerunt in illis ciuitatibus Matricibus Archiepiscopos, seu Metropolitanos, qui Primatibus subessent, & aliis inferioribus, videlicet Episcopis, præessent, *cap. 2. 99. dist.* Docent Cæsar *dict. disput. 5. § 1.* Filesacus *in præsenti, § 14.* Barbosa *dict. lib. 1. iuris eccles. c. 7.* Germonius *lib. 3. de sacrorum immunit. cap. 7.*

8. De IVRISDICTIONE EORVM.

His præmissis circa originem Patriarcharum, & Archiepiscoporum, eorũ iurisdictio obseruanda est. Et scire oportet, Patriarchas, seu Primates, præesse omnibus Archiepiscopis & Episcopis sui Patriarchatus, licèt diuerso modo; respectu enim Archiepiscoporum in omnibus causis; respectu verò Episcoporum in certis, ex præsenti decisione. Erga Archiepiscopos illis concedunt pallium, & iuramentum fidelitatis accipiunt, *c. antiqua, de priuil.* deinde in causis ipsorum etiam in prima instantia habent iurisdictionem ordinariam, *cap. si clericus 11. q. 1.* & à sententiis ab ipsis prolatis ad Patriarcham appellatur, *dict. cap. antiqua.* In causis etiam suffraganeorum ab Archiepiscopis decisis appellatur ad Patriarcham, *cap. si inter 6. quæst. 4. dict. cap. antiqua*, plura Hallierius *de hierarch. iurisd. lib. 4. pag. 838.* Habet etiam Primas facultatem ordinandi ipsos Archiepiscopos sibi subiectos, vt de Patriarcha Alexandrino refertur *in epist. Synodica Concilij Nicæni*, apud Theodoretum *lib. 1. cap. 9.* Cassiodorum *lib. 2. tripart. c. 12.* De Antiocheno constat *ex can. 6. Concilij Nicæni*, iuncta expositione Innocentij I. *epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum Præsulem*; cuius verba refert Clemens *epist. 1.* post medium: *Episcoporum iudicia, & maiora Ecclesiarum iudicia ad Primates, vel Patriarchas sunt deferenda.* Anacletus *epist. 2. c. 4. Ad Primates, vel Patriarchas post Sedem Apostolicam summa negotia conueniant.* Stephanus Pontifex *epist. 9. cap. 5.* ad Patriarchas, & Primates Episcoporum negotia, saluâ in omnibus Apostolicâ auctoritate, sunt referenda. Patriarcha etiam supplet negligentiam Metropolitani, *cap. cùm simus 9. q. 3.* & vacante ipsa sede debet œconomum constituere, & curare, vt res Ecclesiæ custodiantur, *c. cùm vos, cap. præsenti, hoc tit.* Tandem in conuocandis Conciliis, & statuenda disciplina ecclesiastica habet omnem auctoritatem, vt probat Hallier. *vbi suprà*, vtiturque insigniis propriis, vexillum crucis deferendo etiam extra suam prouinciam,

cap. antiqua, de priuilegiis. Alia munia, & officia Patriarcharum referunt Cæsar *vbi suprà, disput.4.* §.4. Hallierius *vbi proximè*, & alij suprà congesti de Patriarchis & eorum dignitate agentes.

9. ARCHIEPISCOPORVM IVRISDICTIO.

Archiepiscopi etiam in proprios suffraganeos non inferiorem obtinent auctoritatem; habent enim ordinariam iurisdictionem in Episcopos ipsius prouinciæ, *cap.1. & 2. 99. dist. cap. per singulas 9. quæst.3.* quare & vicarium suffraganei posse carceri mancipare, probat Marinis *lib.1. resolut. cap.28.* Dicunturque eidem Suffraganei metropolitana lege subiecti, *c.pastoralis, in principio, de offic. ordin.* olim quidem in Synodo prouinciali de eorum causis cognoscebant, *cap. saluo, cap. Archiepiscopus 9. quæst.3. cap. placuit 2. quæst.6. cap. si inter 6. quæst.4. cap. si clericus 11. quæst.1.* Hallierius *de hierarch. iurisd. lib.4. pag. 497.* Hodie ciuiles tantùm causas definire valent. Possunt etiam Metropolitani Concilium prouinciale celebrare irrequisito Primate, *c.si quis Episcopus, 97.dist.c.1.18. dist.* & conuocare Episcopos, qui etiam renuentes venire coguntur, *can.31. & 38. Apostol.* Concilium Nicænum 1. *can.* 5. Antiochenum *can.20.* Chalced. *can.19.* Arelat.2. *can.18.* Agath. *can.35.* Tarracon. *can.13.* Tolet.2. *can.vlt.* Tolet.4. *can.5.* Aurelian.2. *can.2.* tertium *can.1.* quartum *can.36.* quintum *can.* 38. Turon. 2. *can.* 1. Matiscon.2. *can.20.* Epaunense *can.1.* Trullanum *can.8.* & in ipso Concilio testes designare, qui in futura Synodo referant ea, quæ reformatione digna iudicentur, iuxta textum *in c.Episcopus in Synodo, 35.q.6.* & Episcopos in eo delinquentes punire, quorum iudices ordinarij sunt. Clem. *epist.1.* Anacletus *epist.4. ante finem,* Anicetus *epist.1.* Hyginus *epist.1.* Callixtus *epist.2.* Lucius *epist.vnic.* Concilium Antiochenum *can.* 9. *&* 14. Nicænum *can.54.* Carthag.3. *can.5.* Tolet.3. *can.20.* Matiscon. 2. *can.9.* Aurel.5. *can.17. cap.1.* §. *final. hoc tit. in 6.* Debent etiam Archiepiscopi ordinare omnes Episcopos comprouinciales, vt probaui *in cap.si Archiepiscopus, de temporib. ordin.* quo tempore illis debent promittere obedientiam, & reuerentiam. Concilium Vern. sub Pipino *can.3.* Meld. *can.31.* Tullense *can.9.* atque Episcopis proficiscentibus extra prouinciam litteras commendatitias dare, Concilium Antioch. *can.2.* Carthag. 2. *can.28.* Aquisgran. *can.77.* Tandemque maiores & difficiliores causas, quas Episcopi decidere non valent, ad Archiepiscopum referre. Concil. Mogunt. celebratum anno 740. *num.6.* & omnia, quæ ad rectum prouinciæ regimen spectant, Archiepiscopi disponere valent, *can.34.* aliàs 35. Apost. Concilium Nicænum *can.61.* Antioch. *can.9.*

10. DE SVBDITIS SVFFRAGANEORVM.

Nec solùm in ipsos Suffraganeos, verùm etiam in eorum subditos Archiepiscopi iurisdictionem exercent in certis casibus à iure expressis, & aliis consuetudine, aut priuilegio introductis, vt in præsenti textu docetur. Primus casus est, cùm querela coram Archiepiscopo proponitur à subdito suffraganei contra ipsum Episcopum. Concil. Sardic. *can.14.* Carthag.6. *can.6.* Afric.2. *can.101.* Aurelian.5. *can.7.* Tolet.3. *can.20.* Tolet.7. *can.3.* Tolet.9. *can.1.* Tolet. 13. *can.1.* Synodus 8. Generalis *can.26.* Secundus est, cùm per appellationem interpositam à sententia ab Episcopo prolata prouocatur Archiepiscopus, *c.ad reprimendam 8. hoc tit. cap. dilectis, cap. causam, cap. solicitudinem, de appell. cap. per tuas, de sent. excom. cap.1. de foro compet. lib.6. cap. Romana, de appell. eod. lib. cap. vt litigantes, hoc tit. in 6. cap. venerabilibus, de sent. excom. eod. lib.* quarum causarum ratione solent Archiepiscopi habere tribunal erectum in aliqua diœcesi ex comprouincialibus. Tertius casus euenit cùm negligentes sunt suffraganei in administratione iustitiæ subditis propriis; tunc enim eorum negligentiam Archiepiscopus supplere debet. Synodus Nicæna 2. *can.11.* Tolet.8. *can.8.* & Tolet.11. *can.2.* Innocent.III. *lib.1. epist.* in Codice Coloniæ edito à Sirleto *folio* 88. Vnde negligente Episcopo in constitutione œconomi, illum Archiepiscopus constituit, *cap. cùm simus 9. quæst.3.* & eo negligente circa collationem beneficiorum, simul cum Capitulo Archiepiscopus confert, *cap. licèt, cap. finali, de supplend. negligent.* & eo negligente absoluere excommunicatum, Archiepiscopus illum absoluit, *cap. ad reprimendam, hoc tit.* vbi dixi nisi negligentia excusabilis sit, vt in specie textus *in cap.1. & 3. de supplend neglig.* vel nisi actus, qui desideratur, pro forma desideretur; tunc enim negligentia Episcopi non potest suppleri per Archiepiscopum, *cap. penult.* vbi Glossa *verbo Mandantibus, de re iudicata lib.6.* iuxta quam limitationem accipiendus est textus *in cap. nullus, de iurepatron.* iuncto Cæsare *de Eccles. Hierarch. dict. disp.5.* §.2. *num.23.* Quartus casus contingit, cùm Archiepiscopus visitat suam prouinciam, quam visitare tenetur, *cap. cùm ex officij, de præscript. cap. cum nuper, de censibus, cap.1. eod. tit. lib.6.* in ipso enim actu visitationis potest Archiepiscopus animaduertere in subditos suffraganeorum, nullâ etiam datâ negligentiâ in ipsis suffraganeis, *dict. cap.1. de censibus*; licèt hodie non possint Archiepiscopi visitare prouinciam, nisi ex causa in Concilio prouinciali approbata. In aliis etiam casibus specialibus potest Archiepiscopus in subditos suffraganeorum animaduertere, vt si hæresis per suam prouinciam grassari incipiat, *cap.3.* §. *adiicimus, cap. excommunicamus, de hæreticis*; vel vt simoniæ vitium extirpent, *cap. dilectus, el 2. de simonia*; vel vt vitetur ignorantia diuini iuris. Concilium Tolet.8. *can.8.* Tolet.11. *can.2.* Arelat. sub Carolo, *can.8.* Item possunt animaduertere in eos, qui aliquid ex bonis Episcopi decedentis expilauerint, aut celauerint. Concil. Valent. Hispaniæ *can.3.* Tolet.9. *can.7.* Trosleian. *can.14.* item compescere quæstuarios illegitimos per suam prouinciam, *cap. tuarum, de priuileg.* Debet etiam Archiepiscopus, cùm opus fuerit, auctoritatem præstare alienationi rerum ecclesiasticarum, *cap. dudum, de rebus Ecclesiæ, cap.2. de transactionibus.* Item cùm constat de nimia negligentia suorum suffraganeorum in obeundis muneribus, ad quæ ratione ordinis, vel lege iurisdictionis, aut diœcesana tenetur; quia tunc iurisdictio ad Archiepiscopum deuoluitur, *cap. Romana,* §. *sanè, de censibus, lib.6. cap. Romana, de pœnis, eod. lib. l.11. tit.5. partit.1.* Prosequuntur alios casus Paz *in praxi, 2. tom. prælud.2. num.14.* Gratianus *lib.1. discept. cap.169.* Solorzanus *tom.2. de iure Indiar. lib.3. cap.7. num.33.*

11. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus ita præmissis ratio huius decisionis ex eo prouenit, nam cùm confundatur ecclesiasticus ordo, si vnicuique propria non seruetur iurisdictio, *cap. peruenit 11. q.3.* iunctis traditis in commentario antecedenti; & bono publico, salutique animarum maximè expediat, ne in Ecclesia alienus subditus ab extraneo iudicetur Prælato; non enim æquè benè per alienos, ac per proprios iudices subditis consulitur; & Patriarchis, atque Archiepiscopis certis tantùm in casibus permissum

sum sit de causis Suffraganeorum cognoscere; ideò in aliis procedere non possunt, ne, vt dixi, confundatur ordo hierarchicus, & disciplina ecclesiastica contemnatur; nam causæ omnes quoad primam instantiam coram Ordinariis locorum tractandæ sunt. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 20.* vbi plures Barbosa, Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 1.* Salgado *de supplic. 2. part. ferè per totam.* Vnde non possunt Primates, seu Archiepiscopi compellere subditos suffraganeorum ad suscipiendam iurisdictionem delegatam, *cap. pastoralis, hoc tit.* nec etiam ipsos subditos suffraganeorum ad testimonium perhibendum cogere, vt latè probat Hallierius *de hierarch. iurisd.* vbi suprà, *pag. 500.* nisi contrarium consuetudine, aut priuilegio introductum reperiatur; cùm enim consuetudine, aut priuilegio acquiratur iurisdictio, *cap. cùm contingat, de foro compet. cap. 1. eod. tit. in 6. cap. consuetudinis 3. de consuet. lib. 6.* ideò si consuetudine, aut priuilegio Archiepiscopi vtantur, possunt vltra casus suprà enumeratos de causis subditorum suffraganeorum cognoscere.

12. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec obstat prima difficultas pro dubitandi ratione perpensa; verum enim est, Primatem in toto suo Primatu, Archiepiscopum in propria prouincia habere iurisdictionem in habitu, non verò in actu immediatè, nisi in casibus suprà enumeratis, consuetudine, aut priuilegio introductis; habent enim Archiepiscopi potestatem in vniuersa prouincia, sed non in particulares ipsius prouinciæ, qui subsunt iurisdictioni priuatæ immediatè suffraganeorum. Nec etiam aduersatur primum augmentum prædictæ difficultatis, quia licèt certum sit, quod si vinco vincentem te, à fortiori vinco te; illud principium procedit vbi militat eadem ratio, & iuris absurdum sequitur, vt docent Paz *vbi suprà, prælud. 1. num. 17.* Petrus Greg. *in cap. conquerente, cap. 12. num. 12. hoc tit.* licèt enim Episcopi pareant Archiscopis, non tamen subditi Episcoporum sunt in eorum potestate eodem genere iurisdictionis, propter eius distinctionem, quam suprà exposui: neque vllum sequitur absurdum ex eo, quòd Archiepiscopus habeat iurisdictionem Metropoliticam in tota prouincia, non autem obtineat Episcopalem in subditos suffraganeorum; sicut nec est absurdum, vt subditus mei subditi subditus meus non sit, ex ratione legis Modestinus *105. ff. de V.S.* Vulgare enim iuris dicterium suprà adductum habet locum in eodem genere potestatis, non verò in diuerso: vnde diœcesani subsunt Episcopo Episcopali iurisdictione; Episcopi verò proprio Metropolitano Archiepiscopali; ideò non sequitur subditos Episcoporum parêre Archiepiscopis eodem genere subiectionis, seu potestatis. Nec obstat vltimum augmentum ipsius difficultatis; nam licèt Apostoli, & eorum successores à Romana politia, & Magistratuum diuisione magna in parte mutuassent formam constituendi Primates, Archiepiscopos, & Episcopos; non tamen in omnibus, & per omnia secuti fuerunt modum, & formam Romanæ Reipublicæ, vt probat latè Filesacus *in præsenti*, §. 2. Vnde non valet argumentum à iurisdictione Magistratuum populi Romani ad nostros Magistratus ecclesiasticos iure ecclesiastico institutos.

13. RESPONDETVR SECVNDÆ DIFFICVLTATI.

Neque aduersatur secunda difficultas suprà adducta, cui vt satisfaciat Cæsar *de eccles. hierarch. disput. 5. §. 2.* existimat, discrimen esse constituendum inter consuetudinem illam, quâ iurisdictio protrahitur vltra casus à iure expressos; & inter eam, per quam in casu appellationis, & cæteris, qui iure ordinario ad Archiepiscopum spectant, protrahitur iurisdictio vltra illos casus: in prima parte consuetudinem non admitti, *cap. cùm satis, de officio Archidiac.* quia per talem consuetudinem offenduntur regulæ SS. PP. de quibus *in cap. nullus 9. quæst. 2. cap. 1. 2. & per totam 9. quæst. 3.* in secunda verò distinctionis parte consuetudinem admitti, & eo casu procedere textus *in cap. 1. de foro compet. lib. 9. cap. vt litigantes, hoc tit. eod. lib.* Sed hæc distinctio conuincitur ex eo, nam in casibus, in quibus Archiepiscopus iurisdictionem exercet in subditos suffraganeorum, frustra consuetudo desideratur: igitur si consuetudo aliquid operatur circa iurisdictionem Archiepiscopi in prædictos subditos, maximè circa casus, in quibus ius non permittit Archiepiscopum cognoscere: quare hac solutione omissâ dicendum est, consuetudinem, seu priuilegium posse iurisdictionem tribuere Archiepiscopis extra casus, in quibus ius illis concedit iurisdictionem in subditos suffraganeorum, cùm consuetudo possit præstare iurisdictionem eam non habenti, *cap. conquestus 9. quæst. 3. dict. cap. cùm contingat, cap. dilecti, de arbitris, cap. irrefragabilis, §. excepti. hoc tit.* Couar. *in regula possessor, 2. part. §. 3. num. 1.* Nauarrus *in cap. placuit, num. 31. de pœnit. dist. 7.* Auiles *in capitulis Prætorum, verbo Nostrum, num. 7.* Paz *in praxi, tom. 2. prælud. 2. num. 55.* Nec tunc obstat difficultas suprà adducta; certum enim est, consuetudinem sacris canonibus contrariam, irrationabilem præsumi; interim tamen si hæc præsumptio cesset propter iustam causam, quæ de nouo emergat, iusta, & legitima censebitur, quamuis directè contraria sit sacris canonibus; quia cùm leges Pontificiæ humanæ sint, pro varietate temporum mutantur, *cap. non debet, de consanguinit. & affinit. cap. vltr. de consuet.* Vnde consuetudine legitimè præscriptâ poterit Archiepiscopus extra casus à iure expressos de causis subditorum suffraganeorum cognoscere, quod facilè euincit textus præsens in illis verbis: *Et prisca illis consuetudo contulit, cap. 5. de foro compet. lib. 6. cap. & quod dicitur, hoc tit. in 5. collectione*, in quibus potiùs approbatur hæc consuetudo, quàm reiicitur.

14. EXPONITVR CAP. 3. DE FORO COMPET.

Sed adhuc superiori assertioni aduersatur textus *in c. sanè 3. de foro compet.* vbi statuitur à Patribus Concilij Africani, vt si duo Episcopi diuersarum prouinciarum inter se litem habuerint, ille Primas det iudices, in cuius territorio est locus, de quo contenditur. Ex quo breui canone duplex aduersùs suprà tradita insurgit difficultas. Prima, videlicet, quomodo causa Episcoporum disceptetur coram Primate, omisso Metropolitani iudicio, contra præsentem decisionem. Secundò si Primas illius prouinciæ, vbi est locus, de quo contenditur, iudex competens est, & de causa cognouit; quare tantùm dat iudices, non autem sententiam definitiuam in ipsa causa profert, contra textum in lege *cùm Prætor 12. ff. de iudiciis.* Pro cuius textus solutione Cæsar *de Eccles. Hierarch. disp. 4. §. 4. & disp. 5. §. 2.* affirmat, textum illum procedere in secunda instantia, cùm videlicet appellatum est à sententia Archiepiscopi; tunc enim quia gradatim ad ipsum Primatem appellatur, de causa iure cognoscit; ideo autem eum iudices dare, quia cùm essent in diuersis, longinquisque prouinciis, commodè adire non poterant ipsum Patriarcham, sed cum magno salutis, & expensarum dispendio.

Sed hæc ſolutio nullo modo conuenit verbis, & menti ipſius textus; ſiquidem in eò potiùs de prima, quàm ſecunda inſtantia agitur. Quare hac omiſsâ ſolutione, veriùs dicendum eſt, in eo textu agi de prouinciis Eccleſiæ Africanæ, vbi ad iuſtas, rationabileſque cauſas in vſu fuerunt certi iudices electi, ſeu electitij, qui à Primate ex partium conſenſu dabantur, de quibus *in cap.* 1. *de arbitris*, vbi latè dicemus; vt enim appellationibus via præcluderetur, in quibus proſequendis Africani infeſti admodum, & moleſti erant; vt prouocandi occaſio vitaretur ſtatutum fuit à Patribus Eccleſiæ Africanæ, vt ſi diuerſarum prouinciarum Epiſcopi cauſam inter ſe habuerint, Primas ille det iudices, in cuius prouincia eſt locus, de quo contenditur, à quibus appellare non licebat, *cap. à iudicibus* 2. *quæſt.* 6. Cironius *lib.* 2. *obſeru. cap.* 2. Anton. Capella *ad appell. Eccleſiæ Afric. cap.* 4. De ipſis etiam iudicibus accipiendus eſt textus *in cap.* 1. 4. *quæſt.* 5. qui aliàs difficilem valdè reddit

15. noſtri Innocentij deciſionem.

Secundò aduerſatur ſuperiori aſſertioni textus *in can.* 138. *Concilij Africani*, in illis verbis: *Decreta Nicæna, ſiue inferioris gradus clericos, ſiue ipſos Epiſcopos Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt.* Ex quibus apertè deducitur, Archiepiſcopos, omiſſis ſuffraganeis, poſſe eorum ſubditos iudicare, & condemnare: igitur quia Archiepiſcopi de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum cognoſcere valent. Huic difficultati duplici modo ſatisfieri poteſt. Primò aſſerendo, textum illum exaudiendum eſſe de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum in ſecunda inſtantia. Secundò aſſerendo, textum illum procedere in Eccleſia Africana, in qua depoſitiones clericorum reſeruatæ erant Metropolitanis, vt ex epiſtola 226. D. Auguſtini probat Hallierius *lib.* 4. *de iuriſd. hierarch.* §. 4. *pag.* 487. vnde ſenſus prædicti canonis erit, cognitionem criminis depoſitione digni Metropolitanis ſacros canones commiſiſſe.

EXPLICATVR CAN. 138. CONCILII AFRICANI.

Obſtat etiam textus *in cap. ex frequentibus, de inſtitutionibus*: cuius interpretationem in eius notis dabimus.

CAPVT X.

N. [a] *Turonen. Archiepiſcopo.*

QVod [b] Sed. Apoſt. conſulis ſuper iis, quæ dubia tibi exiſtunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde fraternitas videtur meritò commendanda; cùm lex diuinæ [c] conſtitutionis eandem Sedem totius poſuerit orbis terrarum [d] magiſtram: vt quidquid dubitatur ab aliquo, ab ea tandem eius ratio requiratur. Nos ſiquidem decreuiſti prouidè conſulendos, vtrum ſi fortè aliquâ infirmitate, vel aliâ iuſtâ de causâ detentus aliquem ſuffraganeorum tuorum conſecrare non poſſes, alicui Coepiſcoporum tuorum vices tuas licitum committere tibi eſſet; & vtrum electus, qui pro conſecratione inſtaret, ab eo, cui vices tuas taliter commiſiſſes, deberet licitè conſecrari. In quo tale damus conſult. t. reſponſum, quod in tali articulo conſtituto, & tuas vices, vt dictum eſt, tibi committere licet, & conſecrandus munus debet ab eo conſecrationis accipere, cui eas duxeris committendas, dummodo [e] catholicus habeatur, & impedimentum ex ſubtractione gratiæ [f] Sed. Apoſt. non obſiſtat. Datum Lateran. XVI. Kal. Iunij.

NOTÆ.

1. a *Tvron.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. & in epiſtolis Innocentij III. correctis à Sirleto, *pag.* 441. De Turonenſi Eccleſia aliqua notaui *in cap. ad aures* 8. *de temporib. ordin.* Hæc deciſio miſſa eſt Iuello de Matefellon Archiepiſco Turonenſi, qui in ea Eccleſia floruit temporibus noſtri Innocentij.

2. b *Quod ſedem.*] Ita etiam exorditur Pontifex *in cap. quod ſedem, de decimis, cap. quod ſedem, de regularibus, cap. quod ſedem, de frigidis.*

3. c *Conſtitutionis.*] Quando videlicet Chriſtus Dominus dixit B. Petro apud Matthæum *c.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et apud Lucam *cap.* 22. *Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Vnde nihil vſitatius omni æuo in Eccleſia, quàm vt ſi quid fidei, religioníve congruum eſſet ſtatuendum, ambiguumve decidendum, Apoſtolica Sedes conſuleretur. B. Leo *epiſt.* 89. ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ. *Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui reuerentia à veſtræ etiam prouinciæ Sacerdotibus (id eſt Epiſcopis,) innumeris relationibus eſſe conſultam, & pro diuerſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe iudicia.*

d *Magiſtram.*] Vt probaui *in cap.* 1. *in fine, de ſumma Trinitate.*

e *Catholicus.*] Catholici nomen cœpit in Eccleſia, cùm hæreſes pullularunt; nam vt diſtinguerentur baptizati retinentes veram, & orthodoxam fidem, ab illis, qui in hæreſim aliquando lapſi, aut relapſi fuerant, Catholici dicebantur, vt ſic certâ quaſi teſſerâ fidei puri fideles ab adulterinis ſecernerentur: ſed ſtatim & ipſi hæretici illud nomen vſurparunt. Lactantius *lib.* 4. *de vera ſapientia, in fine: Singuli quique cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant.* D. Auguſt. *epiſt.* 68. *Vnde cœperunt Chriſtiani vti his nominibus, Catholici Chriſtiani.* Concilium Laodic. *can.* 31. Agat. *can.* 67. *Ne quis hæreticis filias ſuas in matrimonium det, niſi hi ſe chriſtianos catholicos futuros eſſe profiteantur.* Concilium Carthag. 3. *can.* 3. *Vt Epiſcopi, vel clerici in eos, qui catholici chriſtiani non ſunt, id eſt, qui ſunt hæretici, licèt conſanguinei fuerint, aliquid rerum ſuarum* 4.

suarum nec per donationem, nec per testamentum conferant. Concilium African. *can.* 3. *Vt Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi non ordinentur priùs quàm omnes, qui sunt in domo eorum, Christianos Catholicos fecerint.* Carthag. 4. *can.* 43. *l.* 2. *Cod. Theodos. de fide Catholica.* Plura adducit Filesacus *in præsenti*, §. 5. Vnde Episcopus Catholicus in præsenti accipitur pro Orthodoxo hæresi non maculato. De antiquitate cognominis Catholici in Magnis Hispaniæ nostræ Monarchis videndi sunt Sahabedra *in Corona Gothica, cap.* 15. Valdes *de dignit. Regum Hispaniæ.*

f *Gratiæ Sedis Apostolicæ.*] Id est, non sit schismaticus, aut excommunicatus; illi enim 5. non possunt ordines conferre, vt probaui *in cap.* 2. *de sacram. non iterand. cap. cùm bonæ, de ætat. & qualit.* Ex hoc textu deducitur, ex commissione, & delegatione Archiepiscopi posse suffraganeum consecrare Coëpiscopum; quod quomodo procedat, exposui *in cap. si Episcopus, de temporib. ordin. cap. suffraganeis* 11. *de elect.* Illud tantùm in præsenti notandum venit, Archiepiscopum committentem consecrationem Episcopi, debere eam delegare Coëpiscopo antiquiori ipsius prouinciæ. Consonat Leo Magnus *epist.* 89. *ad Episcopos Viennensis prouinciæ*, vbi asserit, committendam esse consecrationem Episcopo illi, qui cæteros sacerdotij, id est antiquitate Episcopatus præcellit.

CAPVT XI.

Idem *Episcopo Helienſi.*

PAstoralis officij. *Et infrà*: Ex parte tua fuit insuper requisitum, vtrum si aliqua causa fuerit ad Archiepiscopum per appellationem delata, possit eandem iure ordinariæ potestatis suffraganei sui subdito delegare, vel animaduertere in eundem, si causam renuerit suscipere delegatam. Ad quod vtique respondemus, quod Archiepiscopus ipsum ad suscipiendam delegationem huiusmodi compellere nequit [b] inuitum; cùm in eum, exceptis [c] quibusdam certis articulis, nullam habeat potestatem, licèt Episcopus suus eidem sit [d] Metropoliticâ lege subiectus. *Et infrà.*

NOTÆ.

a *Helienſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. Ad huius inscriptionis expositionem repetenda sunt quæ adduxi *in cap. Pastoralis, de rescriptis.*

1. b *Nequit inuitum.*] Sed quare si Archiepiscopus potest delegare, & causam suffraganeo committere, non potest compellere ipsum suffraganeum iurisdictionem acceptare; cùm omnis delegatus, qui potest subdelegare, possit simul subdelegatum compellere iurisdictionem acceptare, *cap. Pastoralis*, vbi est alia pars huius textus, *de officio delegati.* Sed respondendum est, *in dict. cap. pastoralis* 28. agi de delegato Principis subdelegante; in præsenti verò decisione de Archiepiscopo, ad quem prouocatum fuerat, inter quos magna est differentia. Delegatus enim, cùm in causa sibi commissa maior sit quocumque Ordinario, *cap. sanè, de officio delegati, cap. finali,* 39. *dist. cap.* 1. 94. *dist.* si alij ipsam causam subdelegauerit, potest eum compellere iurisdictionem acceptare, *dict. cap. Pastoralis*, facit lex *Prætor*, §. *qui autem, ff. de vacatione munerum, l. fin.* §. *iudicando, ff. de muner. & honor.* iunctis traditis à Petro Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 5. *cap.* 4. Moneta *de commut. cap.* 8. *num.* 561. Archiepiscopus verò nequit subditum suffraganei sui inuitum cogere acceptare iurisdictionem delegatam. Ratio est, quia Archiepiscopus in subditos suffraganei, nisi in certis casibus iurisdictionem non habet, vt superiori commentario probaui; & cùm casus iste non enumeretur inter eos, quos suprà retuli; ideò Archiepiscopus licèt possit causam ad se per appellationem deuolutam subdito suffraganei delegare, & committere; tamen ipsum renuentem iurisdictionem acceptare, compellere nequit.

c *Quibusdam articulis.*] Quos recensui & exposui superiori commentario. Et ex hoc textu deducit Tapia *tom.* 1. *caten. moral. lib.* 4. *q.* 26. *art.* 2. Metropolitanum non posse dispensare in legibus, vel præceptis Suffraganeorum. 2.

d *Metropolitana lege.*] Quæ circa varia versatur, adeò vt Episcopi de rebus grauioribus absque conscientia Metropolitani nihil disponere possint, vt latè probant Filesacus *in præsenti*, §. 1. *Cæsar dict. disp.* 5. §. 2. Anton. Augustin. *in epitom. iuris Pontif.* 3.

§.

PRæterea postulasti, an alicui liceat sine speciali mandato Apost. Sed. delegato, qui reum propter contumaciam manifestam excommunicationis vinculo innodauit, vel petitorem causâ rei seruandæ in possessionem petitorum induxit, rebus humanis exempto, eidem volenti iuri parêre, absolutionis beneficium impertiri, vel possessionem restituere intra annum, sufficienti receptâ primitus cautione. Ad quod vtique dicimus, quod cùm delegatus, quantum ad illud sit maior ordinario, sine mandato summi Pont. excommunicatus ab huiusmodi delegato non potest per alium, præterquam in mortis articulo, absolutionis gratiam obtinere, nisi forsan delegatus talis extiterit, cui alius [b] succedat in onere, ac honore; nec per alium, quàm per summum

mum Pontif. recuperare poterit possessionem amissam. Verumtamen ne alius post annum verus efficiatur [c] possessor, coram Ordinario, vel si eius copiam habere nequiuerit, coram publicis, & honestis personis, vt quasi præscriptionem interrumpant annalem, offerre, ac præstare, quod iuri parebit, poterit cautionem, vt sic post annum recuperare possessionem per [d] Sed. Apost. mereatur.

NOTÆ.

[a] *Maior Ordinario.*] *Cap. sanè*, vbi latè hoc principium exposui, *de officio deleg.*

1. [b] *Cui alius succedat.*] Factâ videlicet delegatione sub nomine dignitatis, vt latè probaui *in cap. quoniam* 14. *de officio deleg.* & hoc casu Capitulum quod succedit Prælato in iurisdictione ordinaria, non succedit in hac delegata. Panuinus *de potest. Capitul. part.* 1. *quæst.* 10. Sbrozius *de officio Vicary lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 1. & *lib.* 2. *quæst.* 135. *num.* 4. Barbosa *lib.* 1. *iuris eccles. cap.* 32. *num.* 58. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *cap.* 13. *à num.* 4. Botiller. *de succes. cap.* 2. *theorem.* 64. *num.* 6.

2. [c] *Efficiatur possessor.*] Hæc verba latè illustrabimus *in cap. quoniam, vt lite non contest.* vbi de primo, & secundo decreto commentarium dabimus.

3. [d] *Per Sedem Apostolicam.*] Hinc deducunt DD. quod causa, quæ semel delata est ad Curiam, non exit à Curia, nisi specialiter committatur: probant plures relati à Barbosa *in præsenti, num.* 12. & 13. Valascus *consult.* 105. *num.* 102.

CAPVT XII.

Idem *Archiepiscopo* [a] *Senon.*

LIcèt in corrigendis excessibus iuxta canonicas sanctiones appellationis sit diffugium [b] intercluſum, & ideo ven. f. noster [c] Parisien. Episcopus à nobis recepit in mandatis, vt tam circa monachos, & alios viros religiosos, quàm etiam clericos [d] sæculares suæ iurisdictioni subiectos, qui multa grauia committere proponuntur, quæ cedunt non solùm in animarum dispendium, sed etiam scandalum plurimorum, inquirat & corrigat ap. [e] rem. quæ viderit corrigenda, statuens ad reformationem eorum, quod regulare fuerit, & honestum: quia tamen intentionis nostræ nec fuit, nec esse debuit iurisdictioni tuæ per mandatum huiusmodi derogare, auctoritate præsentium duximus declarandum, quod si forsitan in inquisitionibus ab eodem Episcopo non tanquam delegato, sed tanquam ordinario faciendis, aliquis casus emerserit, in quo licitum sit ad Sedem Metropoliticam appellare, prædicti occasione mandati auctoritati tuæ, quominus ad te, tanquam ad Metropol. appellare valeat, nolumus aliquatenus derogare. Tu tamen nec impedias per te ipsum, nec per alios facias impediri, quominus idem Episcopus in corrigendis excessibus subditorum officij sui debitum exequatur; & si forsan in casu concesso ad te fuerit appellatum, in appellationis causa prudenter, & iustè procedas.

NOTÆ.

[a] *Senonensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 6. De Ecclesia Senonensi aliqua notaui *in cap.* 1. *de rescriptis.* Hæc epistola missa est Petro de Corbelio Senonensi Præsuli, de cuius postulatione extat epistola decretalis Innocentij III. *in cap.* 2. *de postulat. Prælat.*

[b] *Intercluſum.*] Vt in sequenti commentario latè probabimus.

[c] *Parisiensis Episcopus.*] Guillelmus de Castro videlicet, primò Altissiodorensis Episcopus, qui fuit magnus ecclesiasticæ libertatis vindex, vt refert Chenu in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ.

[d] *Sæculares.*] Apositè ita appellantur, vt distinguantur à regularibus, cum quibus coniunguntur.

[e] *Appellatione remotâ.*] Vim & effectum huius clausulæ adduxi *in cap.* 1. *de rescriptis.*

COMMENTARIVM.

1. EX hac epistola decretali talis deducitur assertio: *Iudex ordinarius, cui causa committitur, cuius cognitio ad ipsum iure communi spectabat, non ideò efficitur delegatus, sed tantum eius iurisdictio excitatur.* Probant textus *in cap. significasti* 4. *de corpore vitiatis, cap. cùm aliquibus* 4. *de rescriptis, lib.* 6. *l. sæpè* 8. *ff. de officio Præsidis.* Consonat lex 4. *tit.* 6. *lib.* 2. *recopil.* Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti*, & *de potest. Episcopi, alleg.* 92. *per totam*, Parladorius *lib.* 2. *rerum quotid. part.* 3. *cap. fin.* §. 3. Ludouicus de Auendaño *de syndicatu num.* 20. Moneta *de commut. vltim. volunt. cap.* 7. *num.* 4. Filesacus *in præsenti*, Auiles *in Capitulis Prætorum, cap.* 9. Glossa *verbo Communio, num.* 2. Tiberius Decianus *tom.* 1. *tract. crimin. lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 16. Heuia *in Curia Philippica*, 1. *part. cap.* 2. §. 4. Salgado *de protect. part.* 4. *cap.* 3. *num.* 107. Sahagun, & omnes vespertini nostri Antecessores *in cap.* 1. *de officio delegati.* Noguerol. *alleg.* 15. *num.* 7. Ansaldus *consilio* 36. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR.

2. Sed in hanc assertionem insurgi potest sequenti iuris consideratione: Frustra precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l. vnica, cum vulgasis, Cod. de thesauris, lib.* 10. igitur si iam iudici ordinario, vt ordinario, competebat potestas corrigendi subditos proprios, frustrà noua delegatio TRADITVR RATIO DVBITANDI.

gatio desideratur, vt eos in præsenti specie corrigere valeret. Secundò aduersùs hanc assertionem sic argumentor. Certum iuris principium est, quod quoties iudici ordinario causa committitur, cuius cognitio ad ipsum in totum, aut pro parte non spectabat, ex ordinario fit delegatus, & tanquam delegatus procedit, *cap. ad abolendum*, §. *vlt. de hæreticis*, *cap. hi qui* 12. *de præb. lib. 6. cap.* 1. §. *vlt. de statu regul. eod. lib. Clement.* 2. *de statu monach. Clement.* 1. *de supplend. neglig. cap. ad hæc*, *cap. patentibus*, *cap. tua*, *de priuilegiis*. Docent Fachineus *lib.* 1. *controu. cap.* 45. Garcia *de beneficiis* 5. *part. cap.* 7. *num.* 48. sed in præsenti textu commissa fuit Episcopo Parisiensi correctio in regulares, in quos iurisdictionem ordinariam non habebat, siquidem religiosi iam à temporibus Gregorij Magni exempti fuerant à iurisdictione, & lege diœcesana, *cap. nullum*, *cap. Abbates*, §. 1. 18. *quæst.* 2. *cap. quàm*, *cap. luminosos*, *ead. q. cap. quantò*, vbi plura Filesacus, *hoc tit.* igitur saltem quoad regulares Episcopus Parisiensis, non ordinarius, sed delegatus iudex erat. Augetur hæc difficultas ex eo, nam quoties iurisdictio ordinaria per delegationem alteratur, aut mutatur, quia augetur, vel minuitur, aut aliqua clausula adiicitur, veluti vt sine strepitu iudiciario procedatur, vel appellatione remotâ, ordinarius iudex fit delegatus, *cap.* 1. iuxta communem interpretationem, *de officio delegati*, Parladorius *dict. cap. fin.* §. 3. sed in præsenti casu correctio commissa fuit Episcopo Parisiensi cum clausula, *Appellatione remotâ*, vt ex textus serie constat: ergo non ordinarius, sed delegatus iudex manet.

3. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

His difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, cuius ratio prouenit ex eo; nam cùm Episcopo Parisiensi competeret iure proprio iurisdictio in subditos, *cap.* 1. *cap. conquerente*, *cap. irrefragabili*, *hoc tit.* si ea correctio per rescriptum Apostolicum committatur, non alteratur iurisdictio, sed excitatur, ne Archiepiscopo præiudicium fieret; si enim iurisdictio delegata maneat, appellandum est in casibus, in quibus à correctione appellari potest, quos referam commentario sequenti, ad Archiepiscopum immediatum superiorem, *cap. si duo*, *hoc tit.* si autem tanquam à delegato appelletur, ad summum Pontificem appellatio interponenda est, *cap. super*, §. *porrò*, *de officio delegati*: sed Pontifex per rescriptum non vult alteri præiudicium inferre, nisi id specialiter exprimat, *cap. ex tuarum*, *de auctoritate & vsu pallij*. Rectè ergo in præsenti Innocentius decreuit per rescriptum missum Parisiensi Archiepiscopo, cui correctio in subditos, tam sæculares, quàm regulares iniungebatur, non concedi nouam iurisdictionem delegatam, sed tantùm ordinariam excitari. Docent Viuianus & Filesacus *in præsenti*, Barbosa *vbi suprà*, *alleg.* 92. Ludouicus de Auendaño *suprà*, qui notat in præsenti specie iudicem esse syndicandum, quia vt ordinarius procedit, non verò vt delegatus. Inde Noguerol. *dict. alleg.* 15. docet iudicem ordinarium, cui committitur executio sententiæ, non fieri delegatum, sed proprio iure eam exequi.

4. DISSOLVITVR PRIMA DVBITANDI RATIO.

Nec obstat prima dubitandi ratio suprà adducta; nam rescriptum, de quo in præsenti specie, non superuacuum, immò valde vtile erat respectu clericorum, tam sæcularium, quàm regularium, ad accipiendam & excitandam iurisdictionem ordinariam, vt diligentior, & vigilantior redderetur Parisiensis Episcopus, atque exactè munus correctionis adimpleret, *cap. graue*, *hoc tit. dict. cap. cùm aliquibus*, *vers. Si verò*. Respectu regularium admodum necessarium esse constat, quia illi exempti erant à iurisdictione ordinaria: vnde nisi virtute delegationis Apostolicæ non poterat Ordinarius Parisiensis eos corrigere, aut in ipsos animaduertere, vt infrà dicemus. Nec secunda difficultas aduersatur, cui communiter repetentes in præsenti satisfaciunt asserendo, Episcopum Parisiensem in præsenti casu iudicem ordinarium fuisse, tam clericorum sæcularium, quàm regularium, propter crimina grauiora ab eis perpetrata, depositione digna; & per viam inquisitionis contra omnes procedere posse, *ex cap. si quis Abbas*, *cap. Abbatem*, *cap. nouimus*, *cap. monasteria* 18. *quæst.* 2. *cap. accedens*, 50. *dist. cap. de persona* 11. *quæst.* 1. cùm depositio quam grauiora crimina mereantur, & exposcunt, non nisi per Episcopum irrogari possit, *cap. felix*, *cap. Episcopus* 15. *quæst.* 7. & in hoc sensu in ipsis iuris locis, & aliis cauetur, omnes monachos propriis Episcopis parêre debere. Docent plures laudati à Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 105. licèt in modicis delictis à proprio Abbate, vel Priore, cui subiacent in his, quæ ad regulæ, & professionis obseruantiam spectant, corrigendi sint, vt probant textus ita accipiendi *in cap. quantò*, *hoc tit. cap. fin. de statu monach. dict. cap. Abbates*. Docent Petrus Greg. *in cap. conquerente*, *cap.* 11. *num.* 6. Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *disput.* 15. *quæst.* 1. & 2.

§. HVIVS TEXTVS VERA INTERPRETATIO.

Sed licèt prædicta doctrina vera sit, difficultatem tamen non dissoluit: quare eâ omissâ iamdiu existimaui alio modo prædictæ difficultati satisfieri posse supponendo, quod quando causa committitur iudici, cui iure ordinario eius cognitio competebat, sed priuilegiis exempta erat ab eius iurisdictione; tunc per nouam delegationem excitatur pristina iurisdictio, & iudex non delegatus, sed ordinarius manet, vt probatur exemplis adductis *in Clement.* 1. *de testam. Clement.* 1. *de sepultur. Trident. sess.* 5. *de reform. cap.* 6. & 7. facilè enim quælibet res redit ad suam naturam, argumento textus *in l. si fine* 20. *ff. depositi*, iunctis traditis à Cuiacio *lib.* 22. *obseru. cap.* 30. Vnde cùm iure communi inspecto Episcopus Parisiensis, sicut quilibet Ordinarius, haberet fundatam iurisdictionem in monachos propriæ diœcesis, *cap. Abbates*, *cap. monasteria* 18. *quæst.* 2. plura Germonius *de sacrorum immunit. lib.* 3. *cap.* 4. Bosquetus *ad Innocentium lib.* 1. *epist.* 7. Licèt iam à temporibus Gregorij Magni exempti essent variis priuilegiis, vt infrà dicemus *in cap. graue*, *hoc tit.* ideò per nouam delegationem excitatur antiqua iurisdictio, & ordinario iure corrigit Episcopus excessus regularium. Nec augmentum huius secundæ difficultatis obstat; respondendum enim est fatendo principium in eo expensum procedere cùm appellatio remittitur in causa, quæ suâ naturâ appellationem recipiebat: cùm causa correctionis, de qua in hoc textu agitur, respuat appellationem, *cap. ad nostram*, *cap. reprehensibilis*, *cap. cùm speciali*, §. *cæterùm*, *de appell.* vt sequenti commentario probabimus, nisi in correctione iudex modum excedat, *cap. de priore* 31. *de appellat.* inde in præsenti decisione clausula, *appellatione remotâ*, non mutat iurisdictionis naturam, quia ipso iure tacitè inest, sed quia Parisiensis Episcopus modum correctionis excesserat inquirendo delicta, super quibus nulla præcesserat infamia, iuxta textum *in cap. cùm oporteat*, §. *Inquisitores*, *cap. qualiter*, *in fine*, *de accusat. cap. licèt*

de

de simonia, Sanchez. *lib. 6. consil. cap.* 8. *dub.* 1. ideò ab Episcopo Parisiensi potuit appellatio interponi ad Archiepiscopum Senonensem.

6. EXPONITVR CAP. GRAVE, HOC TIT.

Primò huic decisioni aduersatur textus *in cap. graue* 19. *hoc tit.* vbi cùm per litteras Apostolicas commissa fuisset, & iniuncta correctio subditorum Archiepiscopo Suano, ipse contra monachos de Orbitello Cistercienſis Ordinis processerat: consultus fuit Gregorius IX. qui rescripsit, prædictum Archiepiscopum non posse virtute delegationis in monachos animaduertere, quia vt ordinarius tantùm ad correctionem procedebat: igitur similiter in præsenti specie tantùm clericos sæculares, non verò regulares Parisiensis Episcopus corrigere poterat. Verùm huius textus mens, & genuina ratio ex suprà traditis facilè percipitur; in eius enim specie tantùm commissa fuit correctio clericorum suæ diœcesis, quæ aliàs ad eius iurisdictionem spectabat, *cap.* 1. 8. *quæst.* 2. *cap.* 1. *cap. visis* 16. *quæst.* 2. *cap.* 1. *cap. conquerente*, *hoc tit.* & ita cùm mandata fuisset iurisdictio, quæ iure proprio illi competebat, non creatur delegatus, sed tantùm excitatâ iurisdictione procedit in causa correctionis: nec virtute iurisdictionis mandatæ potest contra exemptos procedere, vt docent Panormitanus, & Butrius *in cap.* 1. *de officio deleg. num.* 5. Parladorius *vbi suprà*, Moneta *de commut. dict. cap.* 7. *num.* 12. Vnde cùm correctio commissa tantùm fuisset in subditos clericos, vt constat ex illis verbis, *super correctione clericorum*, ideò non potest in religiosos animaduertere.

7. INTELLIGITVR CAP. CVM ALIQVIBVS 4. DE RESCRIPTIS IN 6.

Secundò ex suprà adductis lucem accipit textus *in cap. cùm aliquibus* 4. *de rescriptis*, *lib.* 6. vbi Bonifacius VIII. decreuit, quod si Pontifex Episcopo iusserit, vt aliquem in canonicum recipiat, si aliàs ad eum collatio præbendarum in ipsa Ecclesia non spectat, qui in canonicum recipitur, auctoritate Apostolicâ receptus videtur; si verò præbendarum collatio ad ipsum pertinebat, non Apostolicâ, sed Episcopi recipientis auctoritate cooptatus videtur. Quæ decisio difficilis videtur ex eo, quod in omni casu, siue canonicorum receptio ad Episcopum spectet, vel non, dicendum erat, in receptione canonici procedere non ordinaria, sed delegata auctoritate; quia cùm ad eum collatio non spectat ex vi rescripti Apostolici, nouam assequitur potestatem, quam vt Episcopus non habebat; cùm verò ad eum spectat receptio ex huiusmodi mandato, minuitur eius ordinaria iurisdictio; quia licèt Episcopus præbendam vacantem conferre possit, immò debeat, *cap. relatum, de præbend. cap.* 2. §. *cùm verò*, *cap. relatum* 3. *de conceſſ. præb.* non tamen illi, pro quo Pontifex rescripserat, cui ex vi mandati Apostolici præcisè tenetur Episcopus conferre illam præbendam; & per consequens facultas conferendi præbendam coarctata videtur: quare cùm iurisdictioni ordinariæ in hac parte detractum sit, non propriâ, sed Apostolicâ auctoritate Episcopus præbendam conferre videtur. Vt ab hac difficultate liberemur asserendum est, in eo textu agi de Ecclesia Cathedrali, in qua certus, & præscriptus erat canonicorum numerus priuilegio, vel statuto à R. Pontifice confirmato; simulque mandatum Apostolicum Episcopo directum recipiendi aliquem in canonicum vltra numerum præscriptum, non obstante quocumque statuto eiusdem Ecclesiæ: vnde quæstio vertebatur, vtrum ita in canonicum receptus auctoritate Apostolicâ, vel Episcopi recipientis videatur cooptatus; quod valdè refert. Nam si auctoritate Apostolica recipitur, præfertur in præbendæ assecutione aliis quibuscumque alterius auctoritate receptis, *cap. hi qui* 12. *de præb. lib.* 16. & sub fœdere distinctionis eam quæstionem Bonifacius absoluit, videlicet, quod si Canonicorum receptio ad Episcopum non spectabat, Apostolica auctoritate receptus videatur, quia virtute rescripti nouam recipit Episcopus auctoritatem, quam aliàs non habebat: si verò ad Episcopum pertinebat talis receptio, ordinaria auctoritate censetur receptus. Quandoque enim præbendarum collatio ad solum pertinet Episcopum, vel Capitulum tantùm, vel Episcopum & Capitulum simul, *cap. cùm in Ecclesia, de elect. cap.* 1. *ne sede vacante, lib.* 6. facit textus *in cap. finali, de regularibus, eod. lib.* & meritò, nam per litteras Apostolicas non fuit ei præceptum, vt certam personam in Canonicum reciperet; ita enim eius minueretur potestas ordinaria; sed vt aliquem, quem vellet in Canonicum reciperet vltra numerum, non obstante Ecclesiæ statuto; & ita per huiusmodi rescriptum receptio Canonici non inducitur, sed impedimentum statuti remouetur, quo sublato Episcopus proprio iure aliquem in Canonicum recipit: cùm enim quis habet potestatem sopitam, & ligatam aliquo impedimento, licèt aliquis tertius obstaculum tollat, actus qui geritur, sumit effectum à prima causa, non ab illo, qui impedimentum amouit; quod sequenti exemplo confirmo. Nam si quis ligatus pedibus, & manibus, ab alio soluatur, & ita solutus scribat, vel ambulet, licèt hoc faciat ministerio soluentis, ipse tamen operatur, non dissoluens; ita in præsenti casu ligata erat, & præpedita Episcopi potestas statuto Ecclesiæ, & sublato eo impedimento litteris Apostolicis, Episcopus Canonicum recepit auctoritate propriâ, vt docent in eo textu Geminianus *num.* 6. Ancharanus *num.* 4.

8. INTELLIGITVR CAP. HI QVI, DE PRÆBENDIS LIB. 6.

Sed adhuc supradictæ interpretationi opponi potest textus *in cap. hi qui* 12. *de præbendis*, *lib.* 6. vbi statuitur, eum qui ad mandatum Legati, vel alterius auctoritate Apostolica fungentis sibi in hac parte specialiter concessâ recipitur in Canonicum, auctoritate Apostolica semper receptum videri: igitur similiter *in dict. cap.* 4. §. *si verò*, *de rescriptis lib.* 6. auctoritate Apostolica in Canonicum semper receptus creditur. Huic difficultati respondendum est *in dict.* §. *si verò*, simpliciter mandatum fuisse Episcopo, vt aliquem in Canonicum reciperet vltra numerum in Ecclesia statutum; quo casu potiùs eius potestas ordinaria excitatur, quàm noua & delegata creatur: sed *in dict. cap. hi qui*, Legato commissum specialiter fuisse, vt auctoritate Apostolica conferret præbendam; & ideò mirum non est, vt Apostolica, & non ordinaria auctoritate Canonicus reciperetur, cùm clausula illa; *Auctoritate Apostolicâ*, mutet naturam potestatis ordinariæ, vt ex vltimis verbis textus *in dict. cap. cùm aliquibus*, colligitur. Vel etiam responderi potest, textum *in dict. cap. hi qui*, procedere cùm Legato fuit iniunctum, vt recipere faceret impetrantem; quia tunc cùm non sit in Legati dispositione, qui nullam prorsus habet facultatem, conferendi præbendam, per specialem commissionem fit delegatus, nouamque facultatem assequitur, quam antea non habebat, *dict. c. cùm aliquibus.* Docet Menochius *lib.* 2. *de præsumpt. præsumpt.* 16. *num.* 29. & *lib.* 1. *de arbitr. quæst.* 1. *num.* 7. Vel denique dici potest, textum illum procedere in casu, quo super certa persona recipienda rescribitur; quia

quia tunc mutatur ordinaria potestas, siquidem aufertur libera collatio illius beneficij, vnde nihil mirum, si fiat delegatus; & ab eo receptus, auctoritate Apostolica receptus dicitur, vt docet Moneta *d.c.7.n.5.* Rursus superiori assertioni non leuiter refragatur textus *in c.significauit 4. de corpore vitiatis*, vbi asseritur, in irregularitate ex corporis vitio proueniente posse Episcopum dispensare auctoritate Apostolica, & etiam suâ, vt illa verba probant: *Auctoritate nostrâ fretus, & tuâ.* Ex quibus non dubiè colligitur, posse in eadem persona, & delegatam, & ordinariam iurisdictionem concurrere, itavt si Pontifex iudici ordinario causam committat, & propriâ & mandatâ iurisdictione vti possit: igitur etsi mandetur causa, cuius cognitio ad Episcopũ spectabat, non solùm propriâ iurisdictione excitatâ, verùm & Apostolicâ procedere potest. Pro huius textus solutione ita distinguendum est. Aut iudici ordinario causam proprio iure ad eum spectantem committit adiectâ clausulâ, *auctoritate Apostolicâ*; aut nullâ eius clausulæ factâ mentione: primo casu vt delegatum eum procedere; secundo verò tanquam ordinarium tantùm, excitatâ eius iurisdictione: vnde euenire nequit, vt in vna, eademque persona simul existat ordinaria, & delegata iurisdictio; siquidem per specialem causæ delegationem mens Pontificis delegantis exprimitur, volentis ordinariæ iurisdictioni tanquam generali derogare, *c.studuisti, de officio legati, c. Pastoralis, §. præterea, hoc tit.* Nec contrariũ suadet textus *in d.c.significauit*; nam omissâ solutione Glossæ *in eo textu, verbo Officium*, & verbo *nostra*, asserentis irregularitatem, de qua in eo textu, tolli posse ab Episcopo quoad officium sacerdotale, veluti baptizandi, pœnitentiam iniungendi, & faciẽdi alia similia, quæ solis sacerdotibus sunt concessa, *cap. adiicimus 16.q. 1. c.constat, de consecr. dist. 4.* à Romano verò Pontifice quoad altaris ministeriũ, quod in Missæ sacrificio consistit, aliqui existimant, irregularitatem ex vitio corporis prouenientem, quantumvis initium à iusta causa habuerit, veluti si quis credens se obsequium præstare Deo, virilia sibi fecerit amputari, non ab alio, quàm à Romano Pontifice posse tolli, siue ad officium sacerdotale, siue ad altaris ministerium exercendum, *c. illiteratos 36. dist. c. non confidat, 50. dist.* Innocent. *in d. c.significauit, num. fin.* Couar. *in Clement. si furiosus, in princip. n.7. de homicid.* vnde illa verba, *Auctoritate nostrâ fretus, & tuâ*; non sunt accipienda ita, vt tam ab auctoritate propria, quàm delegata possit Episcopus in ea irregularitate dispensare; sed potiùs ita, vt dispenset auctoritate Apostolica, ac per consequens suâ sibi specialiter commissâ, & delegatâ, electâ ad hoc eius personæ industriâ, itavt non possit aliis ipsam dispensationem committere, *c.final. §.final. de offic.deleg.* & in hoc sensu affirmatur, in eo textu Episcopum auctoritate propriâ, & Apostolicâ dispensare. Docent Panormit. *ibi, n.27.* Couar. *d.n.7.* Sed veriùs dicendum est *in d.c.significasti*, Episcopum dispensare posse cum irregulari ob corporis vitium auctoritate propriâ, quia vitium erat occultum; attamen quia præcesserant Summi Pontificis consultatio, & responsum, ideò in eo textu affirmatur Episcopum auctoritate propria, & Apostolica dispensare debere.

CAPVT XIII.

Idem *in Concilio* [a] *Generali.*

IRrefragabili constitutione sancimus, vt Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus, maximè clericorum, & reformandos mores, prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Vt autem correctionis, & reformationis officium liberè valeant exercere, decernimus, vt executionem ipsius nulla consuetudo valeat impedire, nisi formam excesserint in talibus obseruandam: excessus tamen Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, qui consueuerunt corrigi per Capitulum, per ipsum in illis Ecclesiis, quæ talem hactenus consuetudinem habuerint, ad commonitionem, & iussionem Episcopi corrigantur intra terminum competentem ab eo præfigendum, alioquin ex tunc Episcopus Deum habens præ oculis ipsos, vt animarum cura requirit, per cens.eccl. corrigere non postponat.

NOTÆ.

[a] *Generali.*] Ita etiam habetur in quarta collectione, *sub hoc tit. c.1.* Concilium hoc Lateran. generale celebratum fuit sub Innocent. III. vt iam retuli *in c.nonnulli 27. de reseriptis.* In canone 7. eiusdem Conc. reperiuntur huius textus verba.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX præsenti canone sequens deducitur assertio: *Prælati subditos proprios corrigunt appellatione remotâ, vel consuetudine contrariâ non obstante.* Probant eam textus *in c.ad nostram, c.reprehensibilis, cap. cùm speciali, de appell. c.relatum 7. ne cler. vel monachi, c.quod consultationem, de re iud. c. de priore, de appell.* Trid. *sess.25. de regul. cap.4.* Consonat lex 40. *tit. 5. lib.2. recopil.* Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti*, & *lib.1. voto 4.* & *de potest. Episc. alleg.23. n.36.* quibus addendi sunt Th. Sanchez *lib.6. in Decal. c.3. n.111.* Scaccia *de appell. q.17. limit.26. n.8.* Lancel. *de attentat.2. p.cap.12. limit.18. n.6.* plures congesti à Valenzuela *consil.43. n.118.* & *119.* Salgado *de Regia protect.1. p.c.3. n.10.* Fragoso *de regim. part.1. lib.8. disp.24. §.9. n.152.* Salcedo *de lege polit. lib.1. c.12. n.85.* Gibalinus *de clausura regul.2. p.c.2. §.3. consect.5.* P. Greg. *lib.5. partit. tit.15. c.2. littera N.* Pichard. *in manud. 4. p. præcepto 14.* Bruno Chassaing. *de priuil. regul. tract.3. c.2. propos.5. per tot.* Fermos. *in c.nouit, q.50. de iudic.* Altesserra *hic.*

2. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Hæc assertio impugnari potest sequentibus iuris ratiociniis. Primum nascitur ex eo, nam appellationis remedium inuentum est ad oppressorum defensionem, & vt eis succurratur, *c.omnis oppressus 2. q.6. l.1. & per tot. ff. de appell.* igitur oppresso in correctione non debet denegari appellationis remedium, cùm plerumque per eam grauetur, *cap.licet, hoc tit.* argumento textus *in c.super quæstionum, §.nos autem, de officio deleg. c. quod consultationem, de re iudic. c.consuluit, c.nouit, de appell.* Augetur hæc difficultas ex eo, quia vbi agitur de conseruanda ecclesiastica disciplina, & vt subditi à delictis resipiscãt,

tractatur correctionis causa præcipua; hæc est enim finis censuræ, vt subditi ab excessibus cohibeantur: sed vbi agitur de ecclesiastica disciplina, admittitur appellatio, quoties oppressus propter grauamen duxit appellandum, *cap. reprehensibilis, vers. Nec subiecti, iuncto versic. Si verò, cap. cùm speciali, §. porrò, de appell.* igitur in causa correctionis admittitur appellatio. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam certum est, quod omnis censura principaliter respicit correctionem, iuxtà D. Paulum *ad Corinth. cap. 5. Tradidi eum Satanæ, vt spiritus eius saluus fieret:* & *c. 1. de sentent. excomm.* & tamen à sententia excommunicationis admittitur appellatio, *cap. per tuas 40. de sentent. excomm. cap. venerabilis 7. eod. tit. lib. 6.* igitur in correctione appellationi locus est. Tertiò fulcitur hæc difficultas in hunc modum: aut in huiusmodi causis correctionis appellatio reiicitur, quia neque vera, neque præsumpta causa appellandi proponitur; vel eâ adhuc adstante appellatio remouetur. Primo casu nihil speciale statuitur circa causas correctionis, siquidem in aliis cæteris causis appellatio friuola absque iusta causa interposita reiicitur, *cap. cùm appellationibus, de appellat. lib. 6.* Secundo verò casu suggerente iusta causa in omnibus causis etiam correctionis appellationi legitimè interpositæ deferendum est, *cap. licet 12. hoc tit.* igitur in causa correctionis appellatio admittitur. Secundò difficilis est illa conclusionis pars, vbi docetur, consuetudine præscribi non posse, vt Prælatus corrigere nequeat excessus subditorum; primò enim ita insurgo: illud potest consuetudine introduci, quod priuilegio concedi valet, *cap. super, §. præterea, de V. S. l. 3. §. ductus aquæ, ff. de aqua quotidiana:* sed sic est, quod priuilegium Pontificium potest eximere subditum Episcopi ab eius correctione, *cap. penult.* iunctâ Glossâ vltimâ, *hoc tit.* igitur & consuetudo. Deinde, nam multò magis potens est consuetudo, quàm priuata præscriptio, iuxta vulgò tradita per Doctores *in cap. consuetudo 1. dist.* sed priuata præscriptio potest eximere subditum à correctione Episcopi, *cap. cùm ex officij 26. versic. Nos igitur, cap. cùm olim, de præscript.* igitur & consuetudine hoc ipsum introduci potest. Tandem augetur hæc difficultas ex eo, quia si appellatio iure communi in causis correctionis non admitteretur, frustra cõcederentur tot priuilegia à Romana Sede religionibus, vt in causa correctionis regularis non liceat appellare, quæ refert Bruno *d. propos. 5.* igitur si conceduntur, est quia iure cõmunilicet appellare.

3. DE CORRECTIONE CLERICORVM.

His tamen difficultatibus non obstantibus verum est, Episcopum debere corrigere excessus suorum clericorum, vt latè probaui *in cap. 1. hoc tit.* & si clerici ex Capitulo Ecclesiæ Cathedralis sint, & correctio spectat ad Capitulum, eo negligente, excessus corrigit Episcopus; & cùm agit ad emendationem morum alicuius Canonici, etiam iure communi attento debet procedere cum Capituli consensu, *cap. 3. de consuet. cap. Episcopus, cap. felix, cap. si autem 15. quæst. 7. cap. scitote 6. quæst. 3. cap. nouit, de his quæ fiunt à Prælat.* pluribus relatis defendunt Sarauia *de iurisdict. adiunct. quæst. 1. per totam*, Solorzanus *tom. 2. de iure Ind. lib. 3. c. 14. n. 57.* Hodiè verò ex dispositione Concilij Trident. *sess. 6 de reform. cap. 4. & 25.* debet Episcopus procedere contra Capitulares cum consilio adiunctorum; cùm autem Episcopus ad correctionem procedit, appellatio non admittitur quoad effectum suspensiuum; quoad deuolutiuum verò appellationi locus est, *cap. licèt*, ibi: *Diffugium, hoc tit. d. c. ad nostram.* Pro qua sententia facit efficax ratio; nam in omni causa, & quoad vtrumque effectum appellatio censetur concessa, nisi expressè reperiatur prohibita, quod satis constat ex regula text. *in l. in maioribus 20. Cod. de appell. cap. omnis 2. quæst. 6.* Couar. *practic. quæst. 23. num. 4.* sed in præsenti textu, & aliis suprà expensis appellatio tantùm reperitur inhibita quoad effectum suspensiuum: igitur quoad effectum deuolutiuum appellatio necessariò admittenda est. Facit Concil. Trident. *sess. 24. de reform. c. 10.* in illis verbis: *Executionem quoquo modo impediat, aut suspendat:* quasi Patres solummodo intendant inhibere illam appellationem, quæ executionem impediat, aut suspendat; non verò eam, quæ tantùm ad superiorem causam deuoluit. Idem etiam innuitur in eodem Concilio, *sess. 13. cap. 1. vers. In causis.* Hæc tamen conclusio procedit, dummodo in correctione modus non excedatur; tunc enim non solùm quoad deuolutiuum, verùm & quoad suspensiuum effectum admittitur appellatio, ex hoc textu, *versic. Nisi forsan in talibus*, & *c. licet*, ibi: *Aliquis casus emerserit.* Faciunt etiam textus *in cap. ei qui appellat, vers. Ab executore*, vbi Glossa *verbo Non potest, cap. nouit 43.* iunctâ Glossâ *verbo Modum, de appell.* quo modo accipiendi sunt textus *in cap. cùm speciali, §. porrò, vers. Ab excessu, cap. reprehensibilis 26.* vbi Glossa, *verbo Competens, eod. tit. de appell. cap. vniuersitas 24. vers. Nobis autem, de sentent. excomm.* Docent plures relati à Salgado *vbi suprà.* Quin immò etsi adhuc non detur excessus; si tamen probabiliter timeatur, à futuro grauamine admittitur appellatio quoad vtrumque effectum, argumento textus *in cap. 1. de dilationib. cap. consuluit 18. cap. bonæ 51. in princip. de appell.*

4. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Præsentis decisionis ratio ea communiter traditur ab Interpretibus; ideò videlicet appellationem non admitti à correctione, quia huiusmodi correctio & emendatio subdito inflicta ob excessus à se commissos, habet rationem pœnæ respectu talis excessus: sed à pœna non admittitur appellatio, *l. si qua pœna 244. ff. de V. S.* M. Tul. *de lege Agraria orat. 2. Datur cognitio sine consilio, pœna sine prouocatione, animaduersio sine auxilio.* Illustrant Fornerius, & Gentilis *in d. l. 244.* igitur neque à correctione admittitur appellatio. Ratio autem quare à pœna prouocare non liceat, triplex à Doctoribus assignatur. Prima, quia lex pœnalis lata est à legislatore, qui superiorem non recognoscit; vnde sicut neque ab ipso legislatore, ita neque à lege admittitur appellatio, iuxta textus *in l. 1. ff. de appell. l. 2. vers. Exactis, ff. de origine iuris.* Secunda ratio redditur, quia lex alicui damnum non infert, cùm pro communi omnium bono lata sit, vnde ab omnibus est obseruanda, *cap. erit autem 4. dist. cap. 1. de constit.* ac proinde nullus potest appellare, cùm deficiat grauamen, *dict. cap. omnis.* Tertia tandem ratio assignatur à Paulo *in dict. l. si qua pœna*, in illis verbis: *Simul atque reus conuictus proponitur eius maleficij, cui pœna à lege est inflicta, statim illa debetur.* Tacitè enim delinquens obligatur, & quasi consentit pœnæ à lege impositæ. Secundæ partis huius assertionis ratio redditur à Patribus Concilij Lateran. in præsenti, videlicet quia appellationis remedium non ideò est inuentum, vt alicui à religionis, & ordinis obseruantia debeat in sua nequitia patrocinari. Facit etiam textus *in c. speciali, §. porrò, de appell.* iunctis traditis à Bruno Chassaing. & Gibal. *vbi suprà:* & cùm consuetudo sacris canonibus contraria, & quæ inuitat ad peccandum per impunitatem delicti, vt corruptela reiiciatur à Sanctis Patribus, *c. 1. & vlt.* vbi plura de consuetudine dedi;

di; ideò consuetudo, per quam subditi eximuntur à correctione subditorum, in præsenti improbatur.

5. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec prima difficultas suprà adducta obstat; licèt enim omnibus oppressis liceat prouocare, tamen in causis correctionis non admittitur appellatio, quia nulla datur oppressio: & licèt rarò contingat vt subditus innocens corrigatur, potiùs expedit, vt vnus patiatur, quàm totius ecclesiasticæ disciplinæ neruus disrumpatur, præcipuè quia si modus in correctione excedatur, apellatio admittitur. Nec obstat augmentum deductum *ex dict. cap. reprehensibilis, versic. Si verò*; quia in eo appellationi locus est propter excessum in correctionis modo; & tunc iuxta suprà tradita appellatio etiam à correctione admittitur: quod & hodie post tot priuilegia religionibus concessa in hac parte obseruari, docent Gibalinus, & Bruno Chassaing. *vbi supra.* Nec secundum augmentum difficultatis obstat, in quo dicebamus appellationem admitti à sententia excommunicationis. Nam respondendum est, tunc appellationem admitti quoad effectum deuolutiuum, non verò quoad suspensiuum, quod ex natura ipsius censuræ prouenit, *cap. licèt*, vbi Glossa *hoc tit. cap. Pastoralis* 53. §. *verùm, de appell.* & si excommunicatio prolata adhuc non sit, appellatio vtrumque effectum operatur, etiam in casu correctionis; quia cùm huiusmodi pœna sit adeò grauis, vt nulla reperiatur in Ecclesia maior, *cap. corripiantur* 24. *quæst.* 3. oportuit appellationem admitti ab ea quoad omnes effectus. Nec tertium augmentum difficultatis refragatur; magnum enim discrimen versatur inter appellationem à correctione interpositam, & inter prouocationem ab alia qualibet causa. In appellatione à correctione, etsi iusta causa exprimatur, si tamen propter excessum in modo grauamen non sequitur, appellatio quoad vtrumque effectum non admittitur; in alia verò qualibet appellatione dum adest iusta causa, appellatio vtrumque effectum operatur. Nec tandem vltimum augmentum obstat; nam respondetur, priuilegia non semper aliquid nouum continere, sed maioris expressionis, & explicationis gratiâ concedi, vt probat Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 37. *num. vlt.* Deinde in hoc casu aliquid nouum continent priuilegia; nam iure communi, vt suprà inculcaui, licebat à correctione appellare, si excessus in eius modo daretur: post prædicta verò priuilegia non licet, nisi excessus manifestus sit, vt probant Thomas Sanchez *tom.* 2. *summæ, lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 20. Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 11. Bruno Chassaing. *dict. propos.* 5.

6. RESPONDETVR SECVNDÆ DIFFICVLTATI.

Nec etiam obstat secunda difficultas, verum enim est, correctionis modum nulla consuetudine tolli posse. Ratio est, quia huiusmodi bonum adeò disciplinæ ecclesiasticæ conuenit, vt nullâ causâ valeat impediri, vt Patres in præsenti docent, & in Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 10. *propè finem*, fulciturque ea ratione, quia præceptum correctionis diuinum est, iuxta caput 18. Matthæi, ibi: *Corripe eum*; de quo *in c. si peccauerit* 2. *quæst.* 1. *cap. nouit, de iudiciis.* Vnde nec consuetudine, aut humanâ lege tolli potest, *c. sunt quidam* 25. *quæst.* 1. *cap. fin. de consuet.* Nec contrarium probat difficultas suprà adducta, pro cuius solutione, & vera interpretatione huius textus *in princip.* & §. *excessus*, dicendum est, consuetudinem, de qua in præsenti textu, dupliciter posse considerari, vel quatenus est totaliter impeditiua correctionis, vel quatenus est translatiua huius potestatis in alium, ita quod correctionem non impediat, sed corrigendi potestatem ab vno iudice auferat, & in alium transferat. Inter vtramque illud discrimen cognoscitur, quod prior, vt irrationabilis, est inualida, neque ex vlla causa licita reddi potest: posterior verò datâ iustâ causâ legitima potest introduci, & defendi. Ratio discriminis est, quia in totum impedire bonum correctionis, est directè offendere salutem spiritualem animarum, & finem ecclesiasticæ potestatis, quæ potissimùm intendit benè, beateque viuendum esse. D. Thomas *lib.* 1. *de regim. Princip. cap.* 14. Glossa 2. *in cap. cùm contingat* 28. *de iureiurando.* Nauarrus *in cap. nouit, notab.* 3. *de iudiciis*; cùm bonum correctionis non solùm lege humana, verùm & diuina Ecclesiæ Prælatis circa proprias oues sit acriter iniunctum, vt in principio huius textus docetur: vnde consequens est, nihil posse ab humana potestate statui, quo tale bonum in totum impediatur: quæ causa cùm prorsus deficiat in consuetudine, quam vocant Doctores translatiuam, nihil obstat quominus admittatur; quin immò aliquando expediet de vno in alium Prælatum huiusmodi correctionis munus transferri, quippe qui faciliùs, & diligentiùs illud exequatur: vnde textus hic in principio accipiendus est de consuetudine impeditiua correctionis *in vers. Excessus*, non de illa quæ impedit, sed solùm transfert correctionem Canonicorum in Capitulum. Quæ interpretatio communis est Antonij *hîc*, *num.* 16. Baldi *num.* 2. Abbatis *in fine principij.* Pro qua etiam expendi possunt verba illius textus, *correctionem impedire*, quasi præsens prohibitio solummodò feratur in eam consuetudinem, quæ fuerit impeditiua correctionis. Faciunt etiam illa verba dicti §. *Excessus: Qui consueuerunt corrigi*; quæ tantùm important consuetudinem translatiuam. Denique expendi potest pro hac sententia exemplum præscriptionis; præscriptio enim translatiua correctionis admittitur, licèt non admittatur impeditiua, *cap. cùm ex officiis, de præscript.* igitur similiter consuetudo translatiua admittitur. Nec huic solutioni refragatur vniuersalis illa negatiua huius textus: *Nulla consuetudo*; quæ omnem prorsùs reiiciunt consuetudinem contrariam; intelligenda enim sunt illa verba quoad effectum, quem sequentia demonstrant, ibi: *Valeant impedire*, iuxta textum *in l. hæc scriptura* 30. §. *vlt. ff. de legat.* 2. *cap. mandato* 6. *cap. scribam* 9. *de præsumpt.* Similiter etiam cùm priuilegio quis eximitur à iurisdictione alicuius, & alterius potestati subiicitur, non impeditur correctio, sed transfertur. Nec obstat augmentum vltimum difficultatis, argumento deducto à præscriptione; omissâ enim quæstione, vtrum priuata præscriptio eosdem effectus habeat, ac consuetudo, quam disputant Doctores *in cap. si diligenti, de præscript.* Barbosa *de præscript.* 1. *part. quæst. vlt. num.* 5. Rebuffus *tom.* 3. *ad leges Galliæ, tit. de consuet. num.* 26. Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num.* 8. Connanus *lib.* 1. *comment. cap.* 10. eodem modo satisfaciendum est, videlicet, vt si præscribatur exemptio vt correctio omnimodè negligatur, non admittatur similis præscriptio: quo modo in amicitiam reduci debet textus *in dict. cap. cùm ex officiis*, cum textibus *in cap. olim, cap. cùm personæ, de priuileg. cap. olim, de censibus, cap. ex frequentibus, de instit.*

7. EXPONITVR CAP. DE PRIORE, DE APPELL.

Superiori assertioni primò aduersatur textus *in cap. de priore* 31. *de appell.* ex quo expressè deducitur, in causa correctionis appellationem admitti, & prouocantem mittendum esse ad Sedem Apostolicam, vt eam prosequatur: igitur quia in causa

correctionis appellationi locus. Pro cuius textus expositione Glossa *ibi*, *verbo Appellationem*, affirmat, appellationem ibi admissam fuisse, quia Prælatus modum excesserat in correctione; & tunc iuxta suprà tradita appellationi locus est. Glossæ sententiam sequuntur omnes repetentes *ibi*, & plures congesti à Salgado *de protect. dict. 1. part. cap.25.* Suarez *tom.4. de relig. lib.2. cap.11.* Barb. *lib.2.voto 67.* Gibalinus *d.disquisit.5. §.3.sect.5.* Balboa *in cap. ad nostram, de appell.* Sed licèt hæc doctrina vera sit, tamen non conuenit decisioni textus *in dict. cap.de priore*; siquidem ex eius contextura non liquet, ibi peccatum fuisse in excessu, aut agi de causa correctionis: quare alij existimarunt, textum illum nullatenus esse accipiendum de appellatione prout est iuris remedium, quo potestas inferioris suspenditur, & negotium ad superiorem deuoluitur; sed de accusatione Prælati, itavt verbum illud, *appellauit*, accipiatur pro, *accusauit*; quia plerumque appellare ponitur pro accusare, vt constat *ex l. is qui prior 29. ff. de iudiciis*, ibi: *Qui prior appellauit*, id est, qui prior accusauit, aut in iudicio egit, vt exponunt Faber & Gothofredus *ibi*. Sed neque hæc interpretatio admitti potest; tum quia rubricæ non conuenit; tum quia si Pontifex ageret de accusatione, quâ canonicus Priorem ad Sedem Apostolicam appellabat, quamuis Prior accusatus non comparuisset apud Pontificem, non erat ob eam causam cum litteris veritatem continentibus ad Sedem Apostolicam mittendus, sed vt verè contumax iudicandus, & condemnandus erat, vt *in cap. veritatis 8. de dolo & contum.* quare his solutionibus omissis faciliùs textus ille intelligendus est iuxta rubricam sub qua iacet de appellatione vera interposita, non tamen de causa correctionis; sed de ea, quæ interponitur ab enormitatibus, & excessibus, quos Prior committebat; sicut plerumque appellatio interponitur à futuro grauamine *in cap. consulit, cap. bonæ, de appell.* cui appellationi cùm Prior deferre noluisset, iustè mittitur puniendus ad Sedem Apostolicam cum litteris veritatem continentibus, vt probat Glossa vltima *ibi*.

8. INTELLIGITVR CAP. NOS DE PVRGAT. CANONICA.

Deinde aduersatur textus *in cap. nos inter 6. de purg. canon.* vbi deciditur, quòd si Episcopus subditum suum corrigens ipsi purgationem iniungat, potest subditus ab hac sententia appellare: igitur quia in causa correctionis admittitur appellatio. Cui difficultati communiter respondetur, textum illum procedere cùm subditus habuit iustam causam appellandi, veluti quia Episcopus modum in correctione excesserat, vel alio modo grauabat, iuxta textum *in cap. licèt, hoc tit.* Ita textum illum accipiunt Glossa vltima *ibidem*, Abbas *in eo textu*, Simanchas *de catholicis, tit.56. n.25.* Verùm hæc interpretatio facilè refellitur ex eo, quia etsi attentè legatur textûs series, non constat excessum ibi commissum fuisse ab Episcopo; quare hac omissâ solutione placet interpretatio Glossæ *in cap. licèt, hoc tit.* quæ affirmat, textum illum non esse accipiendum de correctione, sed de purgatione canonica propter delictum iuncta, in qua deficiens vt conuictus punitur pœnâ ordinariâ, *cap. cùm P. versic. Deficiente, de purgat. canonic.* Ratio huius sententiæ licèt à Glossa non assignetur, ea est, videlicet quia causa, ob quam indicebatur purgatio canonica, non erat notoria; siquidem iniungebatur purgatio: vnde cùm notoria non esset, rectè potuit appellari à grauamine illato.

§.

CÆterùm si canonici absque manifesta, & rationabili causa (maximè in contemptum Episcopi) cessauerint à [a] diuinis, Episcopus si voluerit nihilominùs celebret in Ecclesia Cathedrali, & [b] Metropolitanus ad querelam ipsius, tanquam super hoc delegatus à nobis, taliter eos per cens. eccles. cognitâ veritate castiget, quod [c] pœnæ metu talia de cætero non præsumant.

NOTÆ.

a *Diuinis officiis.*] Vt in definitione cessationis apponitur.

b *Metropolitanus.*] Id est Archiepiscopus, qui per appellationem, aut viam querelæ adiri potest, vt latè probaui *in cap. duo, cap. pastoralis, hoc tit.*

1. c *Metu pœnæ.*] Hic est finis, & vtilitas pœnarum, videlicet vt malefici emendentur, & alij deterreantur, *l.bona fides 31. ff.depositi, l. vlt. Cod. de Episcop. & Cleric. Vt metu pœnæ eos, qui ad peccandum procliues sunt, à peccando arceamus: & l.7. §.fin. ff. de pœnis, l. 1. §. 1. ff. de iustitia & iure.* Plutarchus *in vita Solonis: Sunt hæc duo quasi elementa quædam virtutum; nam & præmij spes ad optima quæque studia promptiores, & pœnæ metus ad actiones prauas tardiores facit.* Boëtius *lib. 4. de consolat. pros. 4. Corrigi vltione prauos mores, & ad rectum supplicij terrore deduci, cæteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi.* Plura Rittershusius *in notis ad Saluianum de prouident. pag. 34.* Legislatores enim optantes homines facere bonos, æquos, & ab illicitis abhorrentes, commination pœnarum, & propositione præmiorum vsi fuerunt; nam vbi malos præmia sequuntur, haud facilè quisquam gratuitò bonus est: verba sunt Philippi *in orat. contra Lepidum*, apud Salustium *in fragm. ex lib.1. Histor.* Nam

> —— *Tantò maior famæ sitis est, quàm*
> *Virtutis: quis enim virtutem amplectitur ipsam*
> *Præmia si tollas?*

Vt prudentissimè dixit Iuuenalis *satyra 10.* Sed quia multi adeò in vitia proni sunt, vt citiùs præmiis virtuti propositis carerent, quàm eam sequerentur, quam contra naturam, asperam, trucem & impenetrabilem haberent, despiciunt, & auersantur, necessaria fuit pœnarum comminatio, vt metu perculsi à vitiis abstineant, quia moribus ducti, nunquam virtutem amplecterentur, vt desinant saltem mali esse, qui nolunt esse boni. Liceat hîc vsurpare illud Horatij.

> *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima*
> *Stultitiâ caruisse.*

Itaque primò, & principaliter ius intendit homines bonos facere; quod si assequi non possit, ad minus satagit ne mali sint; idcircò primi legislatores ad pœnas malefactis imponendas, quàm ad proponenda

proponenda præmia magis intentos fuisse forsan notari potest, quia faciliùs societas humana inter nos vsquequaque bonos conseruatur, quàm inter malos, ne damnemus auctores ab omni sæculo probatissimos, qui hanc ferendarum legum præcipuam rationem fuisse tradiderunt. Abbas Serenus *collat.* 8. *cap.* 25. apud Ioannem Cassianum: *Deus hominem creans omnem naturaliter ei scientiam legis inseruit, quæ si fuisset ab homine secundùm propositum Domini, vt cœperat, custodita, non vtique necessarium fuisset aliam dari, quæ per litteram posteà promulgata est. Erat enim superfluum extrinsecùs offerri remedium, quod adhuc intrinsecus vigebat insertum: sed quia hæc, vt diximus, penitus iam fuerat corrupta libertate vsque peccandi, velut huius exactor, ac vindex, & vt ipsis scripturæ verbis eloquar, adiutrix adposita est Mosaïcæ legis seuera districtio, vt vel metu pœnæ præsentis non penitus bonum scientiæ naturalis extingueretur.* Concinit D. Hieronymus *in epist. ad Galat. D. Pauli, cap.* 3. ad illa verba: *Lex pædagogus noster fuit in Christo*; quem affert Alardus Gazeus, sed non potest omitti. Sic ait: *Pædagogus paruulis assignatur, vt lasciuiens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, & ad maiores Philosophiæ, & regendæ Reipublicæ disciplinas metu pœnæ coërcita præparatur.* Ecce sub allegoria primæ ætatis reddit causam S. Doctor, propter quam lex populo Hebraïco data fuit. Certiora hæc sunt, sed nec desunt in idem tendentia testimonia Gentilium, qui causas naturales solerti speculatione indagarunt. Primo loco aduocandus est Polybius in suo doctissimo initio libri 6. historiarum, vbi in narrando exordio Monarchiæ, de iusto & iniusto præmio & pœna eleganter edisserit. Breuiùs, sed grauiter Tacitus *lib.* 3. *annal. Vetustissimi*, ait, *mortalium nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna, aut coërcitionibus agebant, nec præmiis opus erat, cùm honesta suopte ingenio peterentur, & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur: at postquam exui æqualitas, & pro modestia, ac pudore ambitio, & vis incedebat, prouenere dominationes.* Poëtæ etiam præluserunt, ex quibus Titus Lucretius Carus doctissimè.

Res itaque ad summam facem, turbasque redibat,
Imperiumque sibi summatim quisque petebat;
Inde Magistratuum partem docuere creare,
Iuraque constituêre vt vellent legibus vti;
Nam genus humanum defessum vi colere agunt;
Ex inimicitiis languebat, quo magis ipsum
Sponte sua cecidit sub leges, arctaque iura.
Acriùs ex ira; quod enim se quisque parabat
Vlcisci, quàm nunc conc[illegible]sum est legibus æquis:
Pertæsum est homines hanc ob rem vi colere æuum,
Vnde metus maculat pœnarum præmia vitæ.

Quæ omnia sacra, prophanaque illustrant, comprobant, & mirificè tuentur sententiam Gratiani *in princip.* 4. *dist.* vbi sic inquit: *Causa constitutionis legum est humanam coërcere audaciam, & nocendi facultatem refrænare.* Adducitque ex nostro S. Doctore S. Isidoro Hispalensi hunc textum: *Factæ sunt autem leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas.* Vtitur & exponit hoc testimonium D. Thom. 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 1. *versic. sed contrà:* notaui iam *in apparatu*, & *in cap.* 4. *de elect.*

COMMENTARIVM.

EX hoc §. deducunt communiter Interpretes: *Quod si canonici sine manifesta, & rationabili causa cessant à diuinis, Episcopus cessationem seruare non cogitur, & Metropolitanus vt delegatus Pontificis de cessationis causa cognoscet.* Quæ conclusio singularis in iure est. Eam tamen illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Cæsar *de eccles. hierarch.* 1. *part. disput.* 5. §. 2. *num.* 30. Gibalinus *de censur. disquisit... pag.* 109. *n.* 9. & *pag.* 380. Moneta *de commut. vltim. cap.* 3. *num.* 4. Barb. *alleg.* 92. omnes Classici *in cap. si canonici, hoc titulo, lib.* 6. 2. CONCLVSIO PROBATVR.

Sed hæc communis assertio impugnari potest sequentibus iuris principiis. Primum est: Capitulum etiam præsente Episcopo potest interdictum, & cessationem à diuinis in Ecclesia apponere, *cap. dilecti, de appell. cap. ex parte, el* 1. *de V. S. cap. si canonici, hoc tit. lib.* 6. sed sententia legitimi iudicis, siue iusta, siue iniusta, est tenenda, *cap. sententia Pastoris* 11. *quæst.* 3. iunctis traditis à Castro *de lege pœnali lib.* 1. *pag.* 35. *littera E*, Couar. *in cap. alma, 1. part.* §. 7. *num.* 10. Mancino *controuers. dissert.* 15. *cap.* 15. Balboa *in cap.* 1. *de re iudic. num.* 36. Grethsero *de immunit. eccles. pag.* 353. Petr. Greg. *lib.* 4. *partit. tit.* 16. *cap.* 1. Magallano *in D. Paulum, ad Timoth. cap.* 1. *sect.* 8. *art.* 4. in dubio enim pro iudice præsumptio extat, *cap. in præsentia, de renunc.* Gamma *decis.* 37. *num.* 1. igitur Episcopus tenetur seruare cessationem à diuinis indictam à Canonicis, etsi ex causa iniusta. Secundò alia pars huius decisionis, quæ in præsenti specie Metropolitano, vt delegato Sedis Apostolicæ cognitionem causæ competere affirmat, difficilis redditur ex eo, quia Episcoporum querelæ, eorumque negotia iure proprio, & ordinaria iurisdictione ad Archiepiscopum spectant, *cap.* 1. *cap. in illis*, 80. *dist. cap. duo, hoc tit.* igitur in præsenti casu ad Archiepiscopum vt ordinarium, non vt delegatum causæ cognitio spectabat. 3. RATIO DVBITANDI.

Adhuc tamen defensanda est præsens Concilij Lateran. decisio, ad cuius expositionem sciendum est, cessationem à diuinis, de qua Patres in præsenti agunt, esse suspensionem diuinorum officiorum, & organorum Ecclesiæ in aliquem locum decretam. Ita Siluester, & alij Summistæ *verbo Cessatio à diuinis.* Maiolus *de irregul. lib.* 3. *cap.* 20. *in fine*, Couar. *in cap. alma*, 2. *part.* §. 2. Suarez *de censuris disput.* 39. *sect.* 1. Alterius *eod. tract. disput.* 2. *cap.* 1. Auila *de cessatione à diuinis, disput.* 1. Gibalinus *de censur. disquisit.* 1. *pag.* 11. Et licèt in pluribus conueniat hæc censura cum interdicto, immò aliquando confundatur, vt *in cap. dilecti* 55. *de appellat.* tamen in aliis quamplurimis differt. Primò quia cessatio à diuinis propriè non est censura, vt interdictum, vt defendunt Suarez *de censur. disput.* 39. *sect.* 1. Gibalinus *vbi suprà, pag.* 11. Secundò quia nec in casibus exceptis *in cap. alma mater, de sentent. excom. lib.* 6. licet tempore cessationis diuina officia celebrare, vt resoluit Gibalinus vbi proximè, *pag.* 375. Tertiò quia tempore cessationis à diuinis tantùm Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici administrari possunt, & semel in hebdomada gratiâ conficiendi corpus Christi Missam celebrare licet, *cap. permittimus, de sentent. excom.* docet Gibalinus *vbi suprà, pag.* 377. Differt etiam cessatio ab interdicto in aliis quampluribus casibus, quos congerunt Auila *vbi* 4. CESSATIO A DIVINIS QVID, ET A QVIBVS IMPONATVR.

suprà, dubio vlt. Sayrus *de censur. lib.5. cap.17.* Hurtado *de cessat. à diuinis, difficult.* 1. Cessationem à diuinis apponere possunt omnes illi, qui & interdictum indicere valent. Sotus *in* 4. *dist.*22. *quæst.*3. *art.*2. Couar. *in dict. cap. alma,*2. *part.* §.2. *num.*6. vt iudices ordinarij, videlicet Episcopi, *cap. cùm inter, de consuet. cap. transmissa, de elect. cap. auditis, de præscript. cap. cùm & plantare,* §.1. *cap. Episcopum,de priuileg.* Magistri Scholarum, vt probat Escobar *de Pontificia iurisd. cap.*22. §.8. iudices delegati, *cap. sanè, cap. ex litteris, de officio deleg.* Capitulum Sede vacante, quia succedit in omnem iurisdictionem Episcopi, *cap.*2.*ne sede vacante, cap. penult. & vlt. de supplend. neglig. lib.*6. Trident. *sess.*24. *de reform. cap.*16. Canonici etiam Ecclesiarum Cathedralium, si priuilegio,aut consuetudine iurisdictionem obtineant, possunt interdictum, & cessationem à diuinis indicere, *cap. dilecti* 55. *de appell. dict. cap. cùm inter, de consuetud. cap. ex parte, el* 1. *de V.S. cap. si canonici, cap. quamuis, hoc tit. lib.*6. *Clement.* 1. *de sentent. excomm. cap. statutum, eod. tit. in* 6. sed sicut inspecte iure communi Episcopus sine Capituli consensu grauiora Ecclesiæ negotia peragere non poterat, *cap. nouit* 4. *cap. ea noscitur* 6. *cap. tua* 8. *de his quæ fiunt à Prælat.* nec cessationem à diuinis indicere, *cap.*1. *de excessibus Prælat.* ita similiter iure communi attento Capitulum sine assensu Episcopi interdictum, aut cessationem apponere nequibat, *cap.*2. *de his quæ fiunt à maiori parte,* Gibalinus *vbi suprà, pag.*109. *num.*9. inter Episcopum autem ordinarium iudicem, & Capitulum cùm iurisdictionem habet, illud discrimen notandum est, quod in Episcopo cessationem à diuinis indicente tantùm desideratur iusta, & rationabilis causa; in Capitulo verò Ecclesiæ Cathedralis manifesta simul, & rationabilis causa requiritur, vt constat ex hoc textu, in illis verbis: *Absque manifesta, & rationabili causa*; in quibus ius speciale statuitur, cùm regulariter in omnibus Prælatis, & in quibuscumque actibus gerendis ad illorum iustitiam tantùm desideretur rationabilis causa, non verò manifesta; idque satis innuit Bonifacius VIII. *in dict. cap. quamuis*, in illis verbis: *A prædecessoribus nostris manauerint instituta*; vbi alias præscribit conditiones Pontifex, quas Canonici obseruare debent in imponenda cessatione à diuinis; quas etiam illustrant Sayrus & Alterius *vbi suprà*, Gibalinus *vbi proximè, pagina* 380.

Quibus animaduersis apparet iam vera ratio huius decisionis; nam licet Canonici in huius textus specie haberent virtute priuilegij, aut consuetudinis facultatem ferendi sententiam cessationis à diuinis; tamen cùm exinde non leuis sequatur diuini cultus diminutio, non ob quamlibet causam, sed ob manifestam, & grauem debebant cessationem apponere, aliàs si sine manifesta causa cessationem indixerint, non tenetur Episcopus eam obseruare, immò nec alius quilibet tenetur parêre huiusmodi sententiæ, cùm Canonici tantùm cessationem à diuinis apponere possint ob grauem, & manifestam causam. Debet etiam Archiepiscopus Canonicos iniustè à diuinis officiis cessantes punire, non vt ordinarius iudex, sed vt delegatus Pontificis; quia vt ordinarius,in Canonicos, & alios Suffraganeos Episcopi tantùm in certis casibus potest animaduertere, & de eorum causis cognoscere, *cap. duo, cap. pastoralis, hoc tit.* vnde tantùm vt delegatus potest aduersùs eos procedere. Cæsar *de eccles. hierarch. disput.*5. §.2. *numer.*30. Nec obstat iam prima difficultas suprà adducta *ex cap. sententia* 11. *quæst.*3. procedit enim textus ille cùm sententia proiata est à legitimo iudice, seruatis conditionibus, & requisitis à iure præscriptis; tunc enim licèt de iniustitia sententiæ dubitetur, seruanda est, *dict. cap. sententia:* at verò præsens textus procedit cùm Canonici sententiam cessationis protulerunt absque iusta, & manifesta causa, & per consequens non seruatis conditionibus à iure præscriptis; tunc enim quia sententia ex defectu iurisdictionis nulla est, Episcopus eam seruare non tenetur. Nec secunda difficultas refragatur; licèt enim Archiepiscopus iudex competens sit in causa, quæ inter Episcopum, & Canonicos disceptatur, tamen in præsenti casu vlla lis inter Episcopum & Canonicos non vertebatur, nec Episcopus conquerebatur de iniustitia sententiæ tantùm, verùm de ipsis Canonicis: vnde tantùm Innocentius, & PP. Concilij constituunt Archiepiscopum delegatum, vt animaduertat in ipsos Canonicos iniustè cessantes à diuinis, vt patet ex illis verbis: *Per censuram ecclesiasticam, cognitâ veritate castiget*; quia cùm vt ordinarius eos punire non possit, ex suprà traditis, vt delegatus in eos animaduertere valet; & hoc casu Archiepiscopus manet delegatus iuris, vt dixi *in cap.*1. *cap. cùm in iure, de officio delegati.*

5. PROBATVR PRÆSENS DECISIO.

§.

PRouideant itaque diligenter Ecclesiarum Prælati, vt hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ, vel grauamen aliud non conuertant; sed istud studiosè ac fideliter exequantur, si canonicam velint effugere vltionem, quoniam super his Sed. Apost. auctore Domino attentissimè vigilabit.

COMMENTARIVM.

1. RATIO DECIDENDI.

EX hoc §. communiter deducitur, Prælatos in correctione subditorum cauere debere à pœnis pecuniariis, & aliis grauaminibus subditis non inferendis. Quod axioma, & auctoritate, & ratione probatur. Auctoritate textus *in cap. vt clericorum, de vita & honest. cleric. cap. si lapis,*50. *dist. cap. pauper* 11. *quæst.*3. *cap. licet* 3. *de pœnis.* Concil. Colon. *constit.* 8. Aurelian.2. *can.*3. Cabilon. sub Carolo *can.*18. Turon. sub Alexand. III. *canon.* 7. Lateran. sub ipso *part.*2. *cap.* 1. Illustrant Alfaro *de officio Fiscalis glossa* 9. *num.* 9. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 107. Couarr. *lib.*2. *variar. cap.* 9. Salcedo *in praxi, cap.* 142. Daniel de Nobilibus *in selectis controu. disput.* 30. *num.*66. Solorzanus *de iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.*7. *nu-ro* 76. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.*109. *in fine*, Petrus Gregor. *lib.*4. *partit. tit.*15. *cap.*1. Filesacus *in præsenti*, plures congesti à Diana *p.*10. *tract.*8.

tract. 8. *resol.* 1. Rationi etiam valdè consona est hæc decisio; nam si ad quæstum pecuniæ Prælati in correctione tantùm intenderent, violaretur auro iustitia, nullamque reus pertimesceret pœnam, quam scit posse pecuniâ redimere, *dict. cap. si pauper.* Deinde quia si Prælati his pœnis pecuniariis assiduè vterentur, potiùs propter quæstum, quàm propter emendationem eas imposuisse præsumerentur, *cap. licèt 3. de pœnis:* vnde rectè in præsenti à Patribus statuitur, procul abesse debere Episcopum à quæstu pecuniæ in pœnis infligendis, & simul grauamen vllum eis inferre non debere, cùm pœnæ sint commensurandæ delicto, vt probaui *in cap. 4. §. illi, de officio delegati.*

2. IMPVGNATVR. Sed contrarium, immò iudices ecclesiasticos in correctione subditorum, puniendisque delictis debere pœnis pecuniariis vti, adstruunt aliqua iuris nostri testimonia, præcipuè textus *in cap. quoniam 8. dist. cap. si quis contumax 20. 17. quæst. 4. cap. quid ergo 23. quæst. 5. cap. statuimus 16. quæst. 1. cap. qui subdiaconum 17. quæst. 4. cap. dilectus 18. hoc tit. cap. ad audientiam 13. de præscript. cap. olim, de iniuriis, cap. in Archiepiscopatu, de raptoribus, cap. postulasti, de Iudæis, cap. ex parte, de V. S. cap. venerabilibus 7. §. denique, de sentent. excomm.* Concil. Illiber. *can. 5. Qui in Quadragesima ante Pascha cognouerit vxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, vnum annum pœniteat, aut pretium, videlicet 25. solidorum, ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus diuidat.* Quod & praxis quotidiana testatur, quam referunt Farinacius *tom. 1. praxis crimin. quæst. 19. num. 41.* Barbosa *de potest. Episcop. dict. alleg. 107.* plures relati à Diana *dict. resol. 1.* Pro concordia, & conciliatione huius §. cum prædictis iuris locis dicendum est, verum esse, iudices etiam ecclesiasticos posse pœnas pecuniarias indicere pro emendatione delictorum, præcipuè in illis prouinciis, vbi magis facinorosi terrentur mulctæ indictione, quàm aliis pœnis; eam tamen debere applicare piis locis, aut pauperibus, non autem in proprios vsus conuertere, vt omnis auaritiæ suspicio euitetur. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 3.* Nec tantùm mulctam dicere possunt ecclesiasticis personis, verùm & à laicis peccantibus pecuniam extorquere possunt, *cap. si quis contumax.* Vnde PP. in præsenti non inhibent pœnas pecuniarias in correctione subditorum imponere, sed ad quæstum in proprios vsus conuertere, vt latè docet Diana *dict. tract. 9. per totum*; & nos dicemus *in cap. 3. de pœnis* & docet Alcesserra *differt. iuris can. lib. 1. cap. 2.*

CAPVT XIV.

Idem *in* a *eodem.*

QVoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem, atque dicec. permixti sunt populi diuersarum [b] linguarum, habentes sub vna fide [c] varios ritus, & mores; districtè præcipimus, vt [d] Pontifices huius ciuitatis, siue dicec. eisdem prouideant viros [e] idoneos, qui secundùm diuersitates rituum, & [f] linguarum diuina officia illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos [g] verbo pariter, & exemplo. [h] Prohibemus autem omninò, ne vna, eadémque ciuitas, sine dicec. diuersos Pontifices habeat; tanquam vnum corpus diuersa capita, quasi monstrum. Sed si propter præscriptas causas vrgens necessitas postulauerit, Pontifex loci [i] Catholicum Præsulem nationibus illis conformem prouidâ deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens, & subiectus. Vnde si quis aliter se [j] ingesserit, excommunicationis se nouerit mucrone percussum: & si nec sic resiperit, ab omni ministerio ecclesiastico deponendum, adhibito, si necesse fuerit, brachio [k] sæculari ad tantam insolentiam repellendam.

NOTÆ.

1. a *In eodem.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* vbi præsens decisio desumpta proponitur *ex cap. 9. Concilij Lateran.* sub Innocent. III. celebrati. Sed antequam eius expositionem ingrediamur, huius constitutionis causa, seu historia repetenda est. Anno enim 1204. Vrbe Constantinop. captâ à Latinis, Balduinus Comes Flandriæ in ea Imperator renunciatus, & coronatus fuit. Thomas verò Maurocenus Patriarcha Constantinopolitanus electus, ac consecratus fuit, in aliisque ciuitatibus Imperij Orientalis Episcopi Latini præfecti fuerunt, vt ex Villarduino, & Altissiodorensi refert Spondanus *in continuat. Baronij, in prædicto anno*; & nos aliqua adduximus *in cap. scriptum 40. de elect.* inde contigit, quod simul in eisdem oppidis, & parochiis permixtim Latini & Græci habitarent; & cùm Græci iuxta ritus proprios Ecclesiæ Orientalis vellent sibi sacramenta administrari; Latini verò à suis Episcopis iuxta Ecclesiæ Latinæ ritus sacramenta sibi conferri peterent, Innocentius vt Græcis, & Latinis consuleret in Concilio Lateran. edidit præsentem constitutionem, quâ statuit, vt Episcopi eligerent parochos idoneos iuxta linguam eorum, quibus sacramenta administranda erant; & si necessitas postulasset, alium Episcopum vt vicarium assumerent, vt per eum sacramenta conferrentur; ita tamen, vt in vna ciuitate duo Episcopi non constituerentur.

b *Diuersarum linguarum.*] Licèt in exordio orbis apud omnes gentes vnica tantùm lingua nota esset, Hebræa videlicet; erat enim tunc in vniuersa terra sermo vnus, *Genesis cap. 11. vers. 1.* posteà tamen variæ gentes diuersis linguis vti cœperunt, vt narrant Theologi positiui *in dict. c. 11. Genesis*, Ælias Schedius *de Diis Gentium, cap. 10. per totum*, Aldrete *in origine linguæ Castellanæ, in princip.* Albericus Gentilis *in opusculo de linguarum mixtura*, Bzouius *de signis Ecclesiæ, lib. 6. c. 5.* Solorzanus *tom. 2. lib. 1. c. 24.* Germonius *pro merid. sess. 1.* 2.

3. c *Varios ritus.*] Isti sunt Græci, qui licèt veram, ac Catholicam religionem profiteantur, diuersos tamen ritus in collatione sacramentorum, & in sacrificio Missæ obseruant, vt iam notaui *in cap. cùm secundum, de temporib. ordin.* & de eis specialem edidit librum Arcudius. Seruandi autem sunt huiusmodi diuersi ritus, dum ecclesiasticæ disciplinæ, Ecclesiæque legibus contrarij non sint, aliàs neutiquam permitti possunt, *cap. finali, de Baptismo.*

d *Pontifices.*] Id est Episcopi, vt iam sæpe sæpiùs in hoc opere notaui, præcipuè *in cap.1. de postulatione Prælat.*

4. e *Viros idoneos.*] In lingua videlicet, seu idiomate illorum, quos cælesti pabulo alere debent; necessarium enim est, vt qui Ecclesiæ regimini præficitur, intelligat linguam subditorum, ipsique eum percipiant, tum ob administrationem Sacramentorum, tum ob prædicationem verbi Dei in Ecclesia, iuxta illud Apostoli *ad Corinth. cap.14. Data est nobis lingua ad interpretandum.* Et ibi: *Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus.* Qua auctoritate nititur regula Cancellariæ de idiomate, vt pro eius expositione iam notarunt Ludouicus Gomez, & Mandosius. Didacus Perez *in l.14. tit.3. ordin.* Salcedo *in praxi, cap.57. à num.7.* vnde rectè in præsenti statuitur, vt in populis, vbi degunt fideles diuersi idiomatis, viri idonei, id est linguarum periti, eligantur ad Sacramenta administranda. Illustrant Frances *de Ecclesiis Cathedral. cap.6.num.175.* Solorzanus *tom.2. lib.3. cap.15.num.76.*

5. f *Linguarum.*] Licèt enim leges, & constitutiones ecclesiasticæ promulgari debeant idiomate illorum, ad quos diriguntur, *Clement. ne in agro, §.sanè, de statu monach.* ibi: *Propter iuniores, & rudes vulgariter exponatur*; & *authent. de non alienandis, aut permutandis rebus Ecclesiæ, §. nos igitur*, ibi: *Hanc proposuimus, & non paterna voce legem concepimus, sed hac communi, & Græca, vt omnibus sit nota, propter facilem interpretationem*: quia Princeps subditos legibus dirigere, non illaqueare intendit, *cap. de iudice 2.27. quæst.1.* vnde si lex mittenda, dirigendaque est ad Orientales Græcis verbis est concipienda, *cap. in nomine*, ibi: *Hanc ergo epistolam hinc indè Græcis litteris munire decreuimus*; & *cap. sanctissimo, 74. dist.* plura tradit Franciscus Valens *in concordia iuris, 2. part. pag. 375.* & ea quæ à populis recitari debent, vernaculâ linguâ sunt proponenda, Concil. Turon. 3. sub Carolo, in illis verbis: *Vt easdem homilias quisque apertè transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theostricam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur*; quem canonem doctè exponit Bernardus Aldrete *in origine linguæ Castell. cap.12. circa finem*; tamen Sacramenta, & Missarum solennia non sunt celebranda vulgari linguâ, vt probant Bellarminus *tom.2. controu. lib.2. de sacram. cap.31.* Carrier. *tom.2. Digesti fidei, pag.541.* & nos *in cap.12. de hæreticis.* Vnde præsens textus non ita accipiendus est, vt in eo permittant PP. Sacramenta & Missarum solennia vulgari linguâ celebrare, sed vt apud Latinos Latino sermone, apud Græcos Græco, non vulgari, sed eo quo ipsi in liturgiis vtuntur, celebrarentur.

g *Verbo pariter.*] Iuxta Trident. *sess.24. de reform. cap.7.* ibi: *Vt parochi explicent linguâ vernaculâ, si opus sit, sacramentorum vim & vsum, & salutis monita eadem linguâ vernaculâ singulis diebus festis, & solennioribus explanent.*

h *Prohibemus autem.*] Hanc eandem prohibitionem sanxerunt PP. & Ecclesiæ Proceres *in cap. in singulis 2. versic. in singulis*, 80. *dist. cap. si quis* 8.1. *quæst. 7. cap. in apibus 7. quæst.1. cap. sicut* 19. 16. *quæst.7.* Hilarius *epist.1. cap.4. Præcipiendum est, ne duo simul sint in vna Ecclesia sacerdotes.* Idem *epist.3. ad Ascanium Episcopum*, ibi: *Ne vnius Ecclesiæ duo esse permittantur Antistites.* Concil. Cabil. *1.can.4. Duo in vna ciuitate penitus vno tempore neque ordinentur, neque habeantur Episcopi.* Nicænum 1. *can.8.* Damasus *epist. 4. ad Corepiscopos.* Illustrant suis commentariis Acuña *in dict. cap. illis*, Filesacus *in præsenti*, Anton. August. *in epit. lib.4. tit.23.* Lemaistre *de instit. Episcop. lib.2. cap.5.* & *de iuribus Eccles. lib.2. cap.12.* Cironius *ad tit. de clericis ægrot.* Iustelus *in notis ad can.10. Concilij Nicæni*, Hallierius *de instit. Episcop. pag.51.* Diana *part.12. tract.1. resol.73. per totam.* Mendoza *lib.1. Concil. Illiberit. cap.1. pag.11.* Iulius Lauorus *de elect. cap.1.* Barbosa *de potest. Episcop. tit.1. cap.3.* Dartis *ad Decretum, in dict.80. dist.* Azor *tom.2. instit. lib.4. cap.12.* Sanderus *de visibili monarch. lib. 3. cap. 9.* Petrus Gregorius *lib.5. de Repub. cap. 3. & 4.* Solorzanus *de iure Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 21. num. 58.* Baronius *anno 45. num. 14.* & *anno 58. num. 3.* & *anno 69. num. 35.* & *anno 109. num. 55.* & *anno 254. num.70.* Turrianus *lib.2. pro epistol. Pontif. cap. 16.* & *lib.5. cap.10.* Vazquez *3. part. in 3. disput. 141. cap.1. num.8.* Christ. Lup. *ad can.6. Concil. Nicæn.*

6. DVO EPISCOPI NON DANTVR IN VNA DIOECESI.

Contrarium tamen, immò in vna diœcesi duos Antistites præesse posse, probatur sequentibus fundamentis. Primò, nam Apostoli veri, propriique Episcopi, in quorum locum Episcopi ordinati fuerunt, etiam post prouinciarum diuisionem, in vna ciuitate non vnus tantùm verus Præsul, verùm & plures diuina officia, atque sacramenta celebrabant, administrabantque: in ciuitate enim Hierosolymitana, vbi Iacobus proprius Episcopus constitutus fuit, reliqui etiam Apostoli curam animarum gerebant, vt refertur *Actuum Apost. cap.6. & 15.* Et in vrbe Antiochena postquam D. Petrus Cathedram erexit, Diui Paulus, & Barnabas cum eo erant, *Actuum cap.13.* igitur similiter Episcopi, vt eorum successores, & vitæ sectatores, plures possunt constitui in vno Episcopatu. Accedit vsus Ecclesiæ; nam plures Episcopos iam olim in vna Ecclesia ordinatos legimus *in cap. non autem 7. quæst. 1. cap. penult. 21. quæst.1.* & in Hispania nostra est peruetusta, & celebris in Asturiis ciuitas Ouetum dicta, quæ communiter ab antiquis appellabatur ciuitas Episcoporum: igitur quia in vna ciuitate ordinari possunt plures Episcopi. Fulcitur secundò hæc difficultas ex eo, quia illi possunt, & debent vt Pastores constitui in singulis ciuitatibus, per quos rectiùs, & faciliùs, tam in spiritualibus, quàm temporalibus saluti fidelium consuli possit: sest multò meliùs per duos, quàm per vnum necessitatibus fidelium prouidebitur, argumento capitis *prudentiam 21. versic. Ille quippe, de officio deleg.* igitur duo possunt, immò debent ordinari Episcopi in qualibet ciuitate. Tertiò augetur hæc difficultas ex eo, nam si duo Episcopi non possent esse in vna diœcesi, maximè ne iurisdictio vnius territorij penes duos resideret: sed iurisdictio ordinaria, aut delegata, in vna, eademque ciuitate potest esse penes duos, *l.nulli 3. ff. quod cuiusque vniuers. l.duo ex tribus, ff. de re iudic. l.1. ff. de ædilitio edicto, c.licet 30. de officio deleg. c.vlt. de re iudic.* igitur non est ratio, quare duo Episcopi in vna diœcesi ordinari non possint.

7. CONTRARIVM PROBATVR.

His

8. PROBATVR HÆC PROHIBITIO RATIONE.

His tamen iuris fundamentis in contrarium iactis non obstantibus, vera est præsens prohibitio, quæ iam à temporibus Apostolorum viguit, vt constat *ex cap. in illis*, 80. *dist.* Et licèt tantùm iuris positiui sit, rationi tamen naturali valde consonat, vt Pontifex in præsenti ait, in illis verbis: *Tanquam vnum corpus diuersa capita, quasi monstrum.* Potestas enim cuiuslibet communitatis, seu corporis ficti, ad similitudinem corporis naturalis introducta est, vt constat ex æquiparatione, quâ vtitur Apostolus *ad Roman. c.* 12. *Ita vnum corpus sumus in Christo.* Sed in corpore naturali verum tantùm reperitur caput, cui omnia membra subsunt: igitur similiter in ficto mystico vnum tantùm corpus dari valet, cui alia membra pareant, ne in corpore morali spirituali monstrum detur. Ita exponunt prædicta verba Abbas *in præsenti*, *n.* 4. Antonius *n.* 7. Cardinalis *n.* 1. & latè illustrat Theophilus *tom.* 10. *tract. de bicipiti Ecclesia*, *puncto* 2. Vnde D. Hieronymus eleganter ait *in cap. in apibus* 41. 7. *q.* 1. *In apibus Princeps vnus est, grues vnam sequuntur ordine litterario; Imperator vnus; Iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, duos fratres simul habere Reges non potuit; & parricidio dedicatur. In Rebecca vtero Esaü, & Iacob bella gesserunt: singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.* Quare inter tres regnandi, & gubernandi modos, monarchicum videlicet, aristocraticum, & democraticum, optimum esse monarchicum, cùm videlicet vnus tantùm præsit, docuerunt Couar. *in regula Peccatum*, 2. *part.* §. 9. Turrecremata *lib.* 2. *summæ*, *cap.* 3. Azor *tom.* 2. *moral. lib.* 4. *cap.* 12. Sanderus *de visibili monarch. lib.* 3. *cap.* 9. Bellarminus *lib.* 1. *de Rom. Pontif. cap.* 1. Simanchas *de repub. lib.* 3. *cap.* 2. & 3. Petrus Gregorius *eod. tract. lib.* 5. *cap.* 3. & 4. & *lib.* 3. *cap.* 12. plures congesti à Solorzano *tom.* 1. *de iure Indiar. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 58. Rectè ergo in præsenti constitutione statuitur, in vna diœcesi vnum tantùm Episcopum ordinari debere. Accedit ratio matrimonij spiritualis, quod contrahitur inter Episcopum, & Ecclesiam, *cap. inter*, *de translat. Episcop.* si enim in matrimonio carnali vnus tantùm debet copulari cum vna, *cap.* 1. *de sponsa duorum*, etiam in matrimonio spirituali idem obseruandum est, vt vnus videlicet Antistes cum vnica Ecclesia matrimonium celebret.

9. SOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant argumenta, quæ in contrarium expendebamus. Non primum petitum ex exemplo Apostolorum; nam licèt in ciuitatibus Hierosolymitana, & Antiochena, vbi iam præfecti erant Diui Iacobus & Petrus, alij etiam Apostoli essent, & diuina officia celebrarent, tamen ea munia non exequebantur vt Episcopi propriæ ciuitatis, nec æquali iure, aut auctoritate; solus enim vt Episcopus ille administrabat, qui in ea ordinatus & præfectus erat; alij verò tantùm vt sacerdotes, aut coadiutores administrabant, vt latè probat Hallierius *de instit. Episcop. pag.* 55. Nec augmentum deductum *ex dict. cap. non autem* 7. *quæst.* 1. *cap. penult.* 21. *q.* 1. obstat; in illis enim, & aliis auctoritatibus congestis à Gratiano in eisdem quæstionibus, dantur duo Episcopi in eadem Ecclesia, non æquè principaliter, sed vnus vt Episcopus, alter verò vt vicarius, seu coadiutor. Nec quod dicebamus de Ecclesia Ouetensi refragatur; non enim ita appellatur ab historiæ Hispanæ scriptoribus, quia eius cathedrã plures simul Episcopi rexissent, sed quia illa asylum fuit, & receptaculum plurium Episcoporum; cùm enim Hispania inuaderetur, occupareturque ab Africanis, omnes in Austuriarum partes confugientes Episcopi propriis sedibus pulsi, Ecclesiisque spoliati, in ciuitatem Ouetensem migrarunt, & recepti fuerunt, vt referunt Archiepiscopus Toletanus *lib.* 5. *historiæ*, *cap.* 17. Vaseus *in chron. anno* 877. inde Ouetum dicta fuit ciuitas Episcoporum, quia in ea plures Episcopi diuiso territorio vitam agebant. Leuiorem difficultatem continet principium deductum *ex dict. cap. prudentiam*; illud enim procedit cùm aliàs nullum sequebatur absurdum ex eo, quod iurisdictio penes duos resideret, vt sequebatur in præsenti prohibitione; videlicet vt vna Ecclesia à duobus sponsis, & Prælatis regeretur. Nec tandem vltimum fundamentum aduersatur; non enim ea ratio potissima est præsentis prohibitionis, ne videlicet iurisdictio penes duos resideat, sed potiùs ratio polyuiriæ spiritualis, & vt vitetur monstrum, vnum videlicet corpus cum diuersis capitibus. Vnde licèt iurisdictio posset esse penes plures, Ecclesia tamen à duobus Prælatis regi non valet.

10. EXPONVNTVR SVBSCRIPTIONES CONCIL. TOLET. 3.

Sed adhuc præsenti prohibitioni aduersantur nonnullæ Episcoporum subscriptiones, quæ reperiuntur in Concilio Tolet. 3. vbi pro Ecclesia Portucalensi subscribunt in hunc modum *num.* 27. *Constantius Portucalensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.* Et *n.* 51. *Argiouitus Portucalensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.* Et *n.* 6. *Nitigesius Episcopus de ciuitate Luci subscripsi.* Et *n.* 47. *Vecilla Lucensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.* Et *num.* 17. *Neufila Tudensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.* Et *num.* 49. *Gardingus Tudensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.* Et *num.* 43. & sequenti: *Iulianus Torsanæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi: Froiselus item ibi Episcopus subscripsi.* Ex quibus subscriptionibus apertè constat, in pluribus Ecclesiis duos præfuisse Episcopos, & vt veros Prælatos Concilio interfuisse. Triplici modo prædictas subscriptiones accipere intendit Lemaistre *de iuribus Ecclesiæ lib.* 2. *c.* 12. primò asserendo in eisdem Ecclesiis contigisse duos adesse Episcopos, quia videlicet vnus ætate fessus, aduersaque valetudine captus, alius in eius adiutorem, ad leuamen & subsidium ipsius eligebatur. Sed licèt hic casus in vna, aut altera Ecclesia euenire possit, non tamen vno eodemque tempore in tot Ecclesiis credi potest contigisse, vt Episcopi aut senectute grauati, aut infirmitate occupati coadiutores haberent, itavt in suis Ecclesiis diuina officia ministrare non possent; Concilio tamen Toleti celebrato interesse valerent. Secundò difficultatem ipse effugere intendit asserendo, non plures vnius Ecclesiæ Episcopos fuisse, sed potiùs diuersarum Ecclesiarum, eiusdem tamen nominis: sed si diuisionem Episcopatuum iam à temporibus Vuambæ in Hispania obseruatam percurramus, Vaseumque, Ambrosium à Morales, & alios Hispanicarum rerum vigilantissimos scriptores attentè legamus, nullo modo duas ciuitates Tudenses, Portucalenses, Detorsanas inueniemus. Quare his solutionibus omissis verior est tertia interpretatio ipsius Nicolai à Lemaistre, quæ deducitur ex historia Hispaniæ nostræ illius æui. Sciendum enim est, Leouigildum Gothorum Regem Ariana tabe infectum Catholicos Episcopos suis sedibus spoliasse, atque in eorum locum alios Arrianæ perfidiæ sectatores substituisse: sed eo defuncto Catholicus Rex Recharedus abiuratâ hæresi Arriana, piâ tam ipsius, quàm Leandri Episcopi Hispalensis solicitudine tota gens Gothica, quæ ferè vniuersa hæresi Arrij

infecta

infecta erat, eam abiurauit, & Episcopos Catholicos exulantes in propriis sedibus restituit; cúmque Concilium Toletanum nationale congregari faceret, vt omnes tam ecclesiastici, quàm sæculares hæresim abiurarent, quod Concilium miris encomiis extollunt D.Greg. *lib.* 1. *epist.* 41. Isidorus *in chronico Gothor. era* 635. historici scriptores Baronius *anno* 591. Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti, pag.*368. cùm,inquam,in ipso Concilio Episcopi Arriani hæresim abiurarent, fidemque Catholicam amplecterentur, iniquum visum fuit Patribus eos dignitate Episcopali priuare, immò statuerunt, vt ipsi gradum retinerent, & remanerent in diœcesi vt socij; ita tamen, vt vno defuncto alius superuiuens solus remaneret. Referunt ex historicis Hispaniæ Mendoza *lib.* 1. *Concilij Illiberit. cap.*1. *pag.* 11. Lemaistre *dict. lib.*2. *cap.* 12. Scholano *lib.* 2. *historiæ Valentiæ, cap.* 11. Vnde liquidò patet in dicto Concilio Tolet.3. pro vna Ecclesia duos Episcopos subscribere; vnum Catholicum; ex hæresi conuersum alterum, quia ambo vt socij in regimine ipsius Ecclesiæ permanserunt.

II. INTELLIGITVR CAP.1. DE PAROCHIIS.

Simili etiam historiæ ecclesiasticæ obseruatione accipiendus est textus *in cap.* 1. *de parochiis*, vbi à Patribus Concilij Africani statuitur, quod si aliquis Episcopus ex Donatistis ad catholicam vnitatem conuersus fuerit, diœcesis diuidatur inter ipsum & Catholicum Episcopum, qui eam regebat, ita vt vnus diuidat, & alter eligat: ex quo textu facilè deducitur, in vna Ecclesia duos Episcopos consecrari posse. Sed pro eius interpretatione sciendum est, in Africa tempore Donatistarum in collationibus habitis ab Episcopis Catholicis cum ipsis Donatistis, visum fuisse proponere, vt si in collatione à Donatistis conuincerentur, dignitate Episcopali priuarentur; si autem contrarium contigisset, videlicet Donatistas argumentis Catholicorum superari, ipsi gradum, & dignitarem retinerent, & pacis causâ duo permitterentur Episcopi in vna diœcesi, ita vt altero defuncto, superstes solus Episcopus remaneret: refert D. August. *in breuiculo collationis*, *in princip. cap.*5. quod pactum & alibi in Ecclesia oblatum fuisse à Catholicis referunt Socrates *lib.*5. *historiæ*, *cap.*5. Sozomenus *lib.*7. *cap.* 3. Nicephorus *lib.* 17. *cap.*3. immò & aliquando Catholici pro lucrandis hæreticis propriis sedibus cesserunt, itavt nec ipsi, nec hæretici conuersi propriam sedem retinerent, sed tertius eligeretur. D. August. *in lib. de gestis cum Emerito*, vbi ad finem ita ait: *Quod si fortè populi Christiani singulis delectantur Episcopis, & duorum consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, vtrique de medio discedamus, & Ecclesiis singulis, damnatâ schismatis causâ, in vnitate pacifica constitutis, ab his singulis in Ecclesiis, singulis annuentibus vnitati factæ per loca necessaria singuli constituantur Episcopi. Augustinus Episcopus dixit: Dicam charitati vestræ, & commemorem rem dulcissimam, & suauissimam, quam Domino adiuuante sumus experti, cum ante ipsam collationem inter nos aliqui fratres de hac re colloquerentur, quia pro pace Christi Episcopi debent esse, aut debent non esse; quod vobis fatendum est: circunspicientes omnes fratres, & coëpiscopos nostros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere; & de hac humilitate Domino sacrificare: dicebamus, vt fieri solet; ille potest, ille non potest; ille consentit hoc, ille non tolerat, loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum minimè videre poteramus. Quando autem ventum est, vt hoc palam fieret in Concilio vniuersorum tam frequenti penè trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, vt parati essent Episcopatum pro Christi vnitate deponere, & non perdere, sed Deo tutiùs commendare: duo ibi vix inuenti sunt, quibus displiceret; vnus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberiùs ausus est; alter voluntatem suam tacito vultu significauit, sed posteaquam illum senem liberiùs hoc dicentem obruit omnium fraterna correctio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutauit.* Hac ergo de causa in specie textus *in dict. cap.*1. *de parochiis*, vno eodemque tempore reperiuntur duo Episcopi ipsius Ecclesiæ, non tamen vt perpetuò duo existant Episcopi, immò potiùs altero vita functo, superstes tantùm remanebit in Cathedra Episcopali.

12. EXPONITVR CAP. NON AVTEM 17.7. Q.1.

Secundò præsentis textus prohibitionem impugnare videtur textus *in cap. non autem* 12.7. *quæst.* 1. in illis verbis: *Nouo more prouectus, sed ita consecratus, vt non succederet in Cathedra Episcopo, sed accederet.* Ex quibus verbis constat, in Ecclesia Hipponensi vno eodemque tempore D. Augustinum, & Valerium Episcopos ordinatos fuisse: igitur quia eodem tempore possunt duo Episcopi in vna diœcesi constitui. Huic difficultati vt satisfaciant Glossa *hic*, Abbas *num.*4. affirmant, ex dispensatione summi Pontificis D. Augustinum viuente, & consentiente Valerio Præfectum fuisse eidem Ecclesiæ; supponunt enim R. Pontificem posse dispensare, vt in vna Ecclesia sint duo Episcopi. Quæ doctrina licèt in se vera sit, vt defendit Diana *cap.* 12. *tract.* 1. *resol.*73. non tamen conuenit decisioni illius textus, & eius historiæ; siquidem Possidius *in vita D. August. colum.*4. refert D. Augustinum accessisse Valerio de facto contra iuris prohibitionem. Hac solutione omissâ, Glossa *in dict. cap. non autem*, *in fine*, affirmat Augustinum datum fuisse Vicarium Valerio, non tamen æquè principalitet ordinatum fuisse Episcopum. Sed nec hæc solutio placet, refellitur enim ex illis verbis: *Nouo more prouectus*; & ibi, *coëpiscopus datus.* Quare hac solutione omissâ Archidiaconus in eo textu, *num.* 1. asserit, Augustinum & Valerium penitus ignorasse prohibitionem Concilij Nicæni de duobus Episcopis non eligendis in vna diœcesi eodem tempore; & ideo prætextu ignorantiæ, tam Valerium, quàm Augustinum excusari. Sed licèt verum sit, tunc temporis D. Augustinum ignorasse canones Concilij Nicæni, vt ipse fatetur, dum ait *epist.*110. *Viuente adhuc Patre meo, & sene Valerio Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno vetitum fuisse nesciebam*; vnde refert Possidius *in ipsius vita*, *cap.*8. quod cùm Episcopus esset, fecit sæpiùs recitare canones Concilij Nicæni, operamque dedit, vt in Concilio Carthag. 3.*can.*3. statueretur, vt cùm clerici, vel Episcopi ordinantur, decreta Conciliorum eis ab ordinatoribus recitarentur. Cæterùm hæc ignorantia solùm arguit vtrumque excusatum fuisse à culpa, non tamen euincit idcò electionem secundam D. Augustini validam reddi, cum ignorantia possit excusare à culpa, & pœna, non tamen actum aliàs inualidum, validum reddere, regulâ *Ignorantia*, *de reg. iuris in* 6. Docent Castro *de lege pœnali lib.* 2. *cap.* 12. Couar. *in regul. peccatum*, 2.*part.* §. 8. *num.* 9. His ergo solutionibus omissis respondendum est, præsentem prohibitionem

hibitionem hucusque illustratam non procedere eo casu, quo eidem Episcopatui coëpiscopus datur propter ipsius Episcopi senectutem, aut ægritudinem, similéve impedimentum, propter quod Episcopus muneri sibi iuncto satisfacere nequit; tunc enim cùm Episcopus senior pastorale munus non exerceat, sed tantùm eius coadiutor sit, non dicitur in effectu in vna Ecclesia dari duos Episcopos, sed vnum alteri subordinatum; quod nullum continet absurdum. Synodus Arausic. *can.* 29. *Si post omnia occurrerit imbecillitas fragilitatis humanæ, vt si quis Episcopus per infirmitatem, debilitatemve aliquam in hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit, ea quæ non nisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua presbyteros agere permittat, sed Episcopum euocet, cui hoc, quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat. Episcopum illum vicinæ alicuius diœceseos esse, non est ambigendum, itavt coadiutoris officium ad tempus exerceat.* Quo modo accipiendum est quod B. Ambrosius scribit *epist.* 79. Episcopo Basso datum fuisse Senecionem in consortium regendæ Ecclesiæ; non enim obstat alium esse Episcopum, alium verò eius Vicarium, quia vt ait Seneca *epist.* 103. non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes: quare cùm Valerio iam seni Augustinus vt coadiutor datus esset, ritè in Episcopum consecrari potuit, licèt nouo more, quia similis coadiutorum electio vsu recepta non erat, sicut posteà in vsum venit, vt constat *ex cap. qualiter, cap. quamuis* 7. *quæst.* 1. Docent Mendoza *dict. lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 13. Diana *dict. resol.* 73. Acuña *in dict. cap.* 2. 78. *dist.*

i *Catholicum Præsulem.*] Vel vicinum, vt contingit cùm vacat Ecclesia, quæ commendatur vicino Episcopo, *cap. ratio, cap. illud* 21. *quæst.* 1. vel ex illis Episcopis, qui certam sedem non habent, sed absque propria Cathedra ordinantur; isti enim vocati ab Episcopis localibus administrare possunt. Concil. Vernen. *can.* 3. [De Episcopis vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus de ordinatione eorum, qualis fuit, placuit iuxta instituta Sanctorum Patrum, vt in alterius parochia ministrare, nec vllam administrationem facere debeant sine iussione Episcopi, cuius parochia est.] Ipsorum Episcoporum obuia mentio est in Concilio Vvormatiensi *can.* 62. Carthag. 3. *can.* 20. Valentino Hispaniæ *can.* 6. & aliis congestis à Filesaco *in cap. quod sedem* 10. §. 3. *hoc tit.* 13.

j *Ingesserit.*] Id est, si quis clericus non idoneus se immiscuerit regimini ipsius Ecclesiæ, ipso facto excommunicationem incurrat, vt exponunt Bonacina *de censuris disp.* 2. *quæst.* 4. *sub finem.* Filliucius *tract.* 14. *cap.* 7. *quæst.* 2. Castro Palao *in opere moral. disput.* 3. *punct.* 32. *num.* 1. non enim hæc excommunicatio latæ sententiæ fertur tantùm in Episcopos, qui se ingesserint administrationi Ecclesiarum in his diœcesibus, vbi linguarum mixtura datur, vt volebant Nauarrus *in manuali, cap.* 27. *num.* 114. Barbosa *dict. alleg.* 50. *num.* 170. sed contra omnes clericos non idoneos, qui administrationi sacramentorum in his Ecclesiis se ingesserunt, vt docet Gibalinus *in synopi censurar. pag.* 454. 14.

k *Brachio. sæcular.*] De hac inuocatione plura adduxi *in cap.* 1. *hoc tit.*

CAPVT XV.

Idem *in* [a] *eodem.*

INter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaximè sibi noscitur necessarium; quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur: eo quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Vnde cùm sæpè contingat, quod Episcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias, ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omninò, nec de cætero tolerandum, per se ipsos non sufficiunt ministrare verbum Dei, maximè per amplas diœceses, & diffusas: generali constitutione sancimus, vt Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum adsumant, potentes in opere, ac sermone; qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cùm per se idem nequiuerint, solicitè visitantes, eas verbo ædificent & exemplo; quibus ipsi, cùm indiguerint, necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Vnde præcipimus, tam in [b] Cathedralibus, quàm in aliis conuentualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadiutores, & cooperatores habere, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis hoc adimplere neglexerit, districtæ subiaceat vltioni.

NOTÆ.

a *IN eodem.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & textus iste reperitur *in dict. Concilio Lateran. can.* 10. 1.

b *In Cathedralibus.*] Apertiùs hoc statuitur in Concil. Trident. *sess.* 5. *de reform. cap.* 1. & *sess.* 24. *cap.* 8. vbi præcipitur, vt in Ecclesiis Cathedralibus instituantur, & dirigantur duæ præbendæ; altera Theologalis, vt sacra Scriptura exponatur; alia Pœnitentiaria, ad pœnitentias iniungendas, audiendasque confessiones: de quarum præbendarum institutione, atque collatione plura adducunt Barbosa *de Canonicis cap.* 26. & 27. Narbona *de ætate, anno* 40. *quæst.* 1. Frances *in pastorali interno, voto* 10.

COMMEN

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc canone talis deducitur assertio: *Episcopis incumbit officium prædicandi; sed si iustis causis impediantur quominus tale munus exequi valeant, eligere debent viros idoneos ad verbum Dei fidelibus prædicandum.* Probant textus *in cap. nullum* 6. 88. *dist. cap. non licet* 3. 92. *dist. cap. quod Dei timorem, de statu monach.* Synodus 6. Generalis *can.* 19. Synodus 7. *can.* 2. Aquisgran. 2. *can.* 11. *Dignum duximus, vt vnusquisque Episcoporum studeat ministros suos pro modulo possibilitatis benè instruere, vt si fortè contigerit aliquem Episcoporum tardiloquentem esse, aut in infirmitate aliqua impeditum, habeat tamen ministrum doctum, qui eius vice pabula verbi diuini populo administrare possit.* Valentinum 3. in Gallia, *can.* 22. Mogunt. 1. sub Carolo *can.* 25. *Si fortè Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus, aut aliqua alia causa exigente non valuerit, nunquam tamen diebus Dominicis, aut festiuitatibus desit, qui Verbum Dei prædicet, iuxta quod intelligere vulgus possit.* Et *cap. Episcopi* 43. *distinct. cap. porrò* 7. *quæst.* 1. Concil. Tolet. 11. *can.* 2. & 5. Meldense sub Carolo *cap.* 35. *Vt quisque Episcopus talem iuxta se pro viribus habere decertet, qui iuxta sinceriſſimum, & puriſſimum sensum Catholicorum Patrum de fide & obseruatione mandatorum Dei, seu de prædicationis doctrina presbyteros plebium assiduè instruat, & informet.* Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 4. *l.* 6. *Cod. de Episcopal. audient.* Capitul. Caroli *lib.* 1. *capit.* 109. *Episcopos monemus, vt siue per se, siue per vicarios pabulum verbi diuini sedulò populis annuntient.* Illustrant omnes congesti à Barbosa *in præsenti*; & *lib.* 1. *iuris eccles. capit.* 13. & in Trident. *dict. cap.* 4. & *in selectis ad textum in cap. adiicimus* 16. *quæst.* 1. & *de officio parochi lib.* 1. *cap.* 14. quibus addendi sunt Hallierius *de hierarch. eccles. pag.* 65. Diana *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 1. Ferrarius *de ritibus concionandi, lib.* 2. *per totum*, Petrus Greg. *lib.* 1. *partit. tit.* 22. *cap.* 4. Petrus Bollo *in œconom. can. class.* 3. *cap.* 1. §. 1. 2. & 3. Lantdmeter. *lib.* 6. *de veteri clerico, cap.* 67. Lemaistre *lib.* 4. *de instit. Episcop. cap.* 5. & 6. Crespetius *in summa, verbo Prædicatio*, Cæsar *de eccles. hierarch. disput.* 8. §. 9. Villaroël. *part.* 1. *regim. eccles. quæst.* 7. *art.* 7. Vighellius *in method. iuris canon. pag.* 402. Sausay *in Panopl. Sacerd. lib.* 4. *per totum*, Acuña *in dict. cap. non liceat*, Espenceus *lib.* 2. *digress. cap.* 2. Loaysa *in can.* 2. *Concilij Tolet.* 11. Narbona *de ætate, anno* 30. *quæst.* 8. Aloix *in notis ad vitam S. Aburci, cap.* 3. Cresolius *lib.* 3. *mystag. cap.* 45. *sect.* 5. Zipeus *ad hunc tit.* Petrus Herodius *lib.* 1. *pandect. tit.* 6. *cap.* 11. Turrianus *in explanat. Clementis lib.* 8. *cap.* 32. Filesacus *in præsenti*, Iulius Lauorus *var. lucubr. tit.* 5. Altesserra *lib.* 2. *dissert. cap.* 6. & *lib.* 6. *cap.* 6.

3. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed hæc assertio ita iuris testimoniis firmata, & auctorum suffragiis illustrata difficilis valdè redditur sequenti consideratione. Concionandi officium omnibus fidelibus commune est: igitur non proprium & peculiare est Episcoporum, itavt ipsi tantùm, aut ab eo designati illud obire possint. Probatur antecedens, nam presbyteris competere prædicandi officium satis constat ex Concilio Vasensi 2. *can.* 2. in illis verbis: *Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non solum in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem.* Synodus Arelat. sub Carolo *can.* 10. *De prædicatione prouidimus pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi, vt non solùm in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parochiis presbyteri ad populum verbum faciant, & benè viuere studeant.* Diaconis etiam competere hoc munus, deducitur *ex dict. can.* 2. *Concilij Vasensis* 2. illic: *Si presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, Sanctorum PP. homiliæ à diaconibus recitentur; si enim digni sunt diaconi, quæ Christus in Euangeliis loquutus est, legere; quare indigni iudicentur Sactorum PP. prohibitiones publicè recitare.* Probant Ferrarius *dict. lib.* 2. *de ritibus concion. cap.* 2. Benedictus Haæphtenus *in vita S. Benedicti, prolog.* 18. §. 13. Claudius Espenceus *lib.* 1. *digress. cap.* 6. Tandem laicum etiam publicè prædicare posse, probatur *ex cap. mulier*, 23. *dist. Laicus autem præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat.* Facit Tertul. *in apolog. cap.* 39. *Cogimur*, inquit, *ad litterarum diuinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut recognoscere: certè fidem sanctis vocibus pauimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus.* Igitur si presbyteri, diaconi, & laici verbum Dei prædicare valent, necessaria non est Episcopi delegatio, vt tantùm idonei viri ab eo designati ad concionandum admittantur. Augetur hæc difficultas primò *ex cap. secundùm*, 19. *dist.* in illis verbis: *A Deo autem non quæritur quis, & qualis prædicet; sed quid prædicet.* Ex quibus depromitur, curandum non esse, quis prædicet, sed quid prædicetur: igitur omnes indistinctè ad hoc munus admittendi sunt. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, quia cui competit officium prædicandi, illud aliis committere non valet, *cap. fin. §. fin. de officio deleg.* igitur si Episcoporum proprium munus est prædicare, id aliis demandare non possunt.

4. EPISCOPI MVNVS PRÆCIPVVM, PRÆDICATIO.

Quâ difficultate ita vallatâ non obstante, vera est præsens constitutio, ad cuius illustrationem prælibandum est, præcipuum Episcoporum munus esse fidelibus verbum Dei prædicare, vt declarauit Trident. Synodus *sess.* 5. *cap.* 4. & *sess.* 24. *cap.* 4. in illis verbis: *Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est.* Illud non tantùm facti canones in Episcopo commendarunt, verùm & Christus Dominus, qui mittens Apostolos veros Episcopos in vniuersum mundum, hoc præceptum illis iniunxit apud Matthæum *cap.* 28. *vers.* 19. *Euntes docete omnes gentes.* Et apud Marcum *cap.* 16. *vers.* 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: ideò Apostolus inter alias Episcopi dotes prædicationem enumerat; dum enim suum Timotheum instruit in Episcopali officio, ita ait: *Attende lectioni doctrinæ, prædica verbum, insta opportunè, importunè*, &c. Et *epist.* 2. *ad Timoth. cap.* 4. Sanctus Clemens Beati Petri ex asse hæres *lib.* 2. *constit. cap.* 30. ait: *Episcopus verbi minister est, scientiæ custos, & magister.* Plura SS. PP. testimonia pro temporum varietate digesta tradit Andreas Sausay *dict. lib.* 4. *Panopl. art.* 1. *per totum*, & illustrant Nicolaus Herbonius Ordinis Minorum *paradoxa* 2. *contra Nouatores*, Michaël à Medina *lib.* 3. *de recta in Deum fide, cap.* 13.

Barbosa

Barbosa *alleg. 76. num. 1.* Theophilus Raynaud. *tom. 15. in heterocl. spirituali, punct. 10. fol. 270.* Iacobus Gothofredus *in l. 25. Cod. Theodos. de Episc. & cleric.* Frances *de Ecclesiis Cathedral. cap. 18. per totum*, Aloix *in notis ad vitam S. Aburci, cap. 3.* quare vt proprius minister prædicationis potest per totam suam diœcesim, tam in Ecclesiis sæcularibus, quàm regularibus publicè prædicare, immò olim Episcopi peregrinantes inuitabantur in alienis Ecclesiis, vt prædicarent. D. Clemens *lib. 2. constit. cap. 62.* vbi ait: *Vt Episcopus diœcesanus roget Episcopum peregrinum, vt sermonem habeat ad populum.* Et in Concilio Carthag. 4. *can. 36.* id pro lege statuitur. Idem docent Baronius *anno 246.* & ibi Spondanus *num. 4.* Euaristus etiam Pontifex pro hoc munere dignè obeundo constituit, vt Episcopo prædicanti septem diaconi adessent; cuius constitutionis varias adducit rationes Baronius *anno 112.* Hinc ad Episcopum spectat proprio iure examinare, & approbare ministros prædicationis, & alia quæ ad hoc munus spectant, diffinire.

5. PRESBYTERIS ETIAM COMPETIT.

Presbyteris etiam curam animarum habentibus incumbit populo sacram concionem certis diebus habere. Concil. Vasense 2. *can. 2.* Aquisgran. *vbi suprà*, Trident. *sess. 5. de reform. cap. 2.* Origenes *homil. 1. in Psalmum 37.* circa medium, vbi vsum & praxin referens ait: *Episcopi atque Presbyteri erudiunt nos, & erudientes adhibent correctionem.* Ex D. Cypriano, Chrysostomo, Gregorio & aliis Ecclesiæ Patribus probant Sausay *dict. lib. 4. art. 2.* Lantdmeter. *d. lib. 2. c. 67.* Barbosa *de officio parochi, d. cap. 14.* Baronius *anno 264. n. 5.* Henricus Kalteisin *in orat. habita in Concilio Basileensi de libera prædicat. verbi Dei:* adeò autem illis competit hoc prædicandi officium, vt nulla expectatâ Episcopi licentiâ prædicare possint, quod alij Presbyteri curæ animarum non præpositi facere nequeunt, nisi ab Episcopis eis permittatur, vt ex vsu vtriusque Ecclesiæ, Occidentalis & Orientalis probat Theophilus Raynaud. *tom. 16. in Heterocl. spirit. punct. 10. fol. 270.* In Ecclesia Africana munus hoc nunquam delegatum fuisse Presbyteris, constat ex Possidio *in vita B. August. c. 5.* ibi: *Eidem Presbytero potestatem dedit coram se in Ecclesia Euangelium prædicandi, contra vsum quidem, & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum.* Notauit Nouarinus *lib. 7. schediasm. c. 3.* Similiter diaconi ex licentia Episcopi possunt in Ecclesia publicè prædicare, *cap. perlectis 25. dist. cap. in sanctas*, ibi: *Ad prædicationis officium, 92. dist.* & in actis Apost. *cap. 7.* refertur D. Stephanum prædicasse, & *cap. 8. vers. 5.* traditur Philippum diaconum descendentem in ciuitatem Samariæ Christum illis prædicasse: & Ioannes diaconus *lib. 1. de vita S. Gregorij, cap. 41.* refert ipsum Gregorium Leuitam verbum ad plebem habuisse: & D. Augustinus de S. Vincente ait, semen Apostolicæ prædicationis per eum pluribus disseminatum: quod etiam probatur ex modo, quo gestant diaconi stolam; & fuit expressum in Concilio Tolet. 4. *cap. 39.* sic: *Vnum orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat.* Brachar. 1. *can. 47.* Docent Cæsar *de eccles. hierarch. disput. 9. § 2. num. 8.* Benedictus Haæphtenus *disquisit. monast. prologom. 18. §. 3.* Nec contrarium probat textus *in cap. adiicimus, 16. quæst. 1.* vbi asseritur, prædicandi munus tantùm ad sacerdotes pertinere. Nam respondendum est, textum illum procedere iure proprio ratione officij; tunc enim verum est, tantùm Presbyteris competere officium prædicandi: at verò ex commissione Episcopi, aut parochi etiam diaconi prædicare possunt, vt docent pro illius textus solutione Turriscremata *ibi*, Vasquez 3. *p. in 3. disput. 236. cap. 8. num. 89.* Cæsar *d. §. 2. num. 9.*

6. DE LAICIS PRÆDICANTIBVS.

Alij verò, qui in sacris Ordinibus constituti non sunt, prædicare nequeunt, immò si ausi fuerint concionem in Ecclesia publicè habere, excommunicationem incurrunt, *cap. cùm excommunicato, cap. excommunicamus 13. §. quia verò, de hæret. lib. 6.* Vnde ait D. Paulus *ad Rom. cap. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Non tamen inde admittenda est opinio Caietani *in D. Thom. 3. p. q. 64. art. 6. vers. Hanc doctrinam*, asserentis, officium prædicandi iure diuino solis sacris ordinibus esse annexum. Verum enim est, hanc prohibitionem esse tantùm iuris humani, & ideò Episcopos posse ex iusta causa constitutis in minoribus ordinibus facultatem prædicandi concedere viris litteris, & virtute pollentibus, vt resoluunt Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 13. num. 19.* Narbona *de stat. anno 30. q. 8.* Prædicare enim non est actus ordinis sacri, ex iure diuino, vt docent Sayrus *in floribus, tit. de temporibus ordin. discursu 2.* Hugolinus *de potest. Episcop. cap. 42. §. 2. num. 10.* & sic prædicationem non spectare ad hierarchiam ecclesiasticam, neque hoc munus esse hierarchicum, contra Cellotium resoluit Hallierius *de hierarch. iurisd. pag. 65.* igitur laïcis prohibitum est prædicare, *cap. mulier, 23. dist. cap. mulier, de consecr. dist. 4. cap. sicut, cap. cùm ex iniuncto, de hæreticis lib. 6.* Leo I. *epist. 62. ad Maximum Antiochenum, cap. 26.* ibi: *Illud dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui sunt domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi, & prædicandi audeat vindicare, siue sit ille monachus, siue sit laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur.* Sexta Synodus *can. 64. Quod non oportet laicum publicè disputare, vel docere docendi auctoritatem ex eo sibi vindicatam, sed ordini à Domino tradito cedere.* Laïcis enim disputare mysteria fidei, aut ea pertractare non licet, *d. cap. cùm ex iniuncto, cap. 2. §. inhibemus, de hæret. lib. 6.* Concil. Carthag. 4. *can. 8.* plurà adducunt Acuña *in cap. mandatis, 43. dist.* Azor 1. *tom. instit. lib. 8. cap. 26.* Bernegerus *in Tacitum quæst. 154.* Franciscus Valens *in concordia iuris, pag. 248.* Petrus Greg. *lib. 2. partit. tit. 8. cap. 5.* Mornacius *in l. 1. C. de summa Trinit.* sed in prædicatione tractantur, & disputantur fidei arcana; vnde conciones ipsæ, tractatus, & disputationes appellantur à Sanctis Patribus congestis à Ferrario *de ritib. concionandi lib. 1. cap. 1. cum sequentib.* igitur laïci in Ecclesia prædicare nequeunt.

7. DE MONACHIS.

Et quia primis Ecclesiæ temporibus monachi laïci tantùm erant, nec ad sacros ordines ascendebant, vt probaui *in cap. intelleximus, de stat. & qualit.* & sæpiùs præmonui; ideò nec illis prædicare permittebatur. Leo *d. epist. 64.* nec monachis, *cap. monachus 4. cum sequenti, 16. q. 1. cap. 1. de capell. monach. cap. vnico, §. personæ, de relig. domib. lib. 6.* Ferrarius *d. lib. 2. cap. 5.* sed quia iam à temporibus illis, à quibus sacris ordinibus initiari cœperunt, etiam hoc prædicationis officium exercere illis permissum fuit, *cap. sunt nonnulli, §. fin. cum sequent. 16. q. 1.* immò & ipsis prædicantibus magna priuilegia à Romano Pontifice concessa fuerunt, *extrauag. cunctas, de priuileg.* Ea refert Bruno Chassaing. *de priuileg. regul. tract. 6.*

tract. 6. cap. 2. propos. 1. debent autem ipsi concionatores priùs ab Episcopo examinari. Trident. *sess. 20. cap. 2.* Concil. Lateran. sub Leone, ibi : *Sacro approbante Concilio statuimus , & ordinamus , vt nullus , tam clericus sacularis , quàm cuiusque etiam Mendicantium ordinis regularis , aut quis alius , ad quem facultas prædicandi , tam de iure , quàm de consuetudine , vel priuilegio , aut aliàs pertinet , ad huiusmodi officium exercendum admittatur , nisi priùs per superiorem suum respectiuè diligenter examinatus.* Sed vltra hoc superiorum examen , vtrum teneantur monachi aliud subire coram Episcopo , itavt sine eius approbatione , & licentia monachis hodie etiam virtute suorum priuilegiorum prædicare non permittatur ? disputant Interpretes. Negat Brunus Chassaing. *dict. tract. 6. cap. 3. & 4.* affirmant autem Barbosa *dict. cap. 13. num. 16.* Diana *p. 11. tract. 2. resol. 1.* Sed in hoc Interpretum dissidio placet media sententia , quam tradunt Portel. *in dubiis regul. verbo Prædicatio , num. 1.* Lezana *in summa quæst. regul. tom. 3. verbo Concionari , num. 6.* Araujo *tract. 3. quæst. 30. per totam :* asserunt enim religiosos virtute suorum priuilegiorum non teneri subire examen coram Episcopo ; ab eo tamen virtute approtionis proprij Superioris debere licentiam petere ad concionandum ; & eâ petitâ , quamvis non obtentâ , sed iniustè denegatâ , posse prædicare in propriis monasteriis , non verò in Ecclesiis sæcularibus , vbi desideratur licentia Episcopi , vel Parochi. Quæ doctrina valdè consona est Concilij Trident. dispositioni , & Vrbani VIII. declarationi in bulla , quæ incipit : *Aliàs à nobis emanarunt.* Posse tamen Episcopum prædicantes scandalosè suspendere ad tempus, vel in perpetuum, omnes proximè relati resoluunt.

8. DECIDENDI RATIO. Quibus animaduersis , & omissis quæ de prædicatione latè tradiderunt Iulius Lanorus *dict. tit. 5.* Ferrarius *integro lib. de ritibus concionandi* , Sausay *in Panopl. sacerd. lib. 4. per totum* , ratio huius decisionis ex eo prouenit ; licèt enim præcipuum Episcopi munus sit in Ecclesia prædicare , tamen cùm iusta impedimenti causa excuset quemquam ab eo munere , quod aliàs necessariò obire debebat , *cap. Ordinarij , §. quod si , hoc tit. lib. 6.* si legitimè impeditus sit Episcopus , potest alij committere hoc officium , vt propter aduersam valetudinem , aut nimias occupationes , vt iam ante Concil. hoc Lateran. exposuerant PP. Concilij Mogunt. *cap. 25. Si fortè Episcopus non fuerit in domo sua , aut infirmus est , nunquam tamen desit diebus Dominicis , aut festiuitatibus , qui verbum Dei prædicet.* Aquisgran. *2. can. 11. Si fortè contigerit aliquem Episcopum tardiloquentem esse , aut infirmitate aliqua impeditum , habeat tamen aliquem ministrum doctum , qui eius vice pabula verbi diuini populo administrare possit.* Vbi adiicitur linguæ impedimentum , quod cùm agnouisset Valerius Hipponensis Episcopus , facultatem concessit D. Augustino postea eius successori prædicandi ; quia ipse cùm esset Græcus , minùs commodè Latino populo prædicare valebat. Refert Possidius *in vita D. Augustini , cap. 5.* & ex eo refert Lantdmeter. *dict. cap. 64.* Etiam Valerius Cæsaraugustanus Episcopus propter linguæ impedimentum officium hoc prædicationis Vincentio Archidiacono suo delegauit, vt refertur in breuiario Romano , in actis S. Vincentij , *die 22. Ianuarij.* Aliæ etiam iustæ causæ considerari possunt , propter quas Episcopus ab hoc munere excusetur : vnde rectè Innocentius in præsenti canone Concilij Lateran. decreuit , vt si Episcopi per se in Ecclesia prædicare non potuerint , munus hoc exequendum committant viris litteratis , & virtute pollentibus , qui vt facilè reperiri possint , statuit Pontifex , vt in singulis Ecclesiis , tam Cathedralibus , quam Regularibus , eligantur personæ , quæ debitè , & competenter , si opus fuerit , hoc munus adimplere valeant.

9. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec difficultas suprà adducta aduersatur ; potiùs enim verum est , non omnes prædicare posse iure proprio , sed ex delegatione , vt suprà probaui *ex cap. adiicimus 16. quæst. 1.* ex D. Paulo *ad Rom. cap. 10.* Quomodo prædicabunt , nisi mittantur ? Nec obstat , Presbyteros , & Diaconos posse in Ecclesia publicè prædicare ; nam illi ratione curæ animarum sibi commissæ ; isti verò ex delegatione Episcopi tantùm prædicare possunt , licèt in Ecclesia Alexandrina denegatam fuisse hanc facultatem prædicandi Presbyteris referat Sozomenus *lib. 7. histor. cap. 199.* quod contigisse credo post lapsum impij Arrij ; ipse enim erat Presbyter Alexandrinus , cùm lapsus fuit in hæresim : quare ob similis lapsus timorem aliis Presbyteris permissum non fuit prædicare. Nec obstat Concilium Vasense in illis verbis suprà relatis : *Verbum faciendi deremus Presbyteris potestatem.* Ex quibus deducitur , in Concilio Vasensi celebrato anno 529. datam fuisse Presbyteris prædicandi potestatem : igitur quia non iure proprio Presbyteris competit facultas prædicandi. Nam pro huius textus interpretatione dicendum est , iam ante tempora Concilij Vasensis Presbyteros parochos ratione proprij officij potuisse in propria parochia prædicare , vt suprà probaui ; sed in Phocensi prouincia , vbi celebrata fuit hæc Synodus Vasensis , Præside Cæsario Metropolitano Arelatensi , in vsu erat, vt tantùm Presbyteri ciuitatenses , vtpote maioris auctoritatis , & scientiæ , tantùm prædicarent ; rusticani verò in ruralibus Ecclesiis præfecti verbum facere populo non poterant : istis ergo concessum fuit à Patribus , vt sicut parochi ciuitatenses , ita & ipsi in suis pagis prædicare possint. Ita textum illum interpretatur Sausay *dict. lib. 4. Panopl. sacerd. cap. 4.* Similiter etiam diaconi ex commissione Episcopi possunt prædicare , licèt non proprio iure , vt docet Cæsar *dict. §. 2.* Nec obstat concionatorem debere habere 30. annos , exemplo Domini nostri , qui anno eo prædicauit , *cap. Presbyter 78. dist. Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur , quamvis sit probabilis vitæ ; sed seruet vsque ad præfinitum tempus : Dominus noster Iesus Christus trigesimo anno baptizatus est , & tunc prædicauit.* Petrus Bungus *de mysteriis Numerorum , num. 30. paulò post principium* , his verbis : *Ezechiel anno trigesimo videns visiones Domini iuxta fluuium Chonar , prophetiæ dona promeruit , vt ipse 1. c. testatur.* Quem locum exponens Gregorius Pontifex : *Vt ostendatur* , inquit , *cuius auctoritatis sit , Ezechiel in prædicatione ætatis solidæ fuisse describitur. Hoc quip regulare est omnibus Prophetis. Nec contra hæc quispiam mouere debet , quod Ieremias , & Daniel prophetiæ*

spiritum

ſpiritum adhuc pueri perceperint ; quia miracula in exemplum operationis trahenda nequaquam ſunt : omnipotens enim Deus & linguas infantium facit diſertas , & ex ore infantium & lactentium perficit laudem. Aliud ſiquidem eſt , quod nos doctrinæ diſcimus vſu , aliud quod de miraculo ſcimus. Porrò quis vnquam in hunc modum ſanctior prodiit Ioanne Baptiſta? Neque hic tamen delegatam ſibi à Deo prouinciam obire ſuſtinuit , niſi eoſdem cum Chriſto ſuo impleſſet ætatis annos ; tunc enim in deſerto incepit prædicare baptiſmum pœnitentiæ , & Domini præparare vias , vt amorum maturitas , & virile decus , barba , officio auctoritatem conciliaret. Chriſtus enim Deus , & homo , in quo omnes theſauri ſapientiæ , & ſcientiæ abſcondiți , & qui ab initio , quo hominem induit , magno omnium hominum ſtupore , ſumma quæque miracula edere potuiſſet , deſtitit tamen , donec trigeſimus appeteret annus ; & tunc incepit ſigna facere , & docere ; nec priùs inclaruit , atque in hominum lucem prodiit , quàm hunc ætatis annum attigiſſet , legitimum ſcilicet , & maturum tempus oſtendens ætatis his , qui omne tempus , atque omnem ætatem , vel ad ſacerdotium , vel ad docendum putant opportunum , &c. Narbona *anno* 30. *de ætat. quæſt.* 8. Sed diaconi in 23. anno conſtituti ordinantur , vt iam probaui *in tit. de ætat. & qualit.* igitur diaconi nec ex delegatione prædicare valent. Huic difficultati , omiſſis ſolutionibus Auguſtini Barboſæ *lib.* 1. *de iure eccleſ. cap.* 25. *num.* 27. Narbonæ *dict. quæſt.* 8. *num.* 6. qui affirmant , textum *in cap. perlectis , verſ. ad diaconum* , & alia iura ſuprà adducta , quibus docetur diaconum in Eccleſia prædicare poſſe , accipienda eſſe non de prædicatione verbi Dei , ſed potiùs de recitatione Euangelij ; dicendum eſt , diaconos poſſe ex commiſſione Epiſcopi in Eccleſia publicè prædicare , dum legitimam ætatem obtineant ; olim videlicet 30. annos , poſteà ſequentibus canonibus 25. tantùm deſiderabantur : & quia hodie certa ætas non obſeruatur , poteſt Epiſcopus diacono , qui tantùm ætatem ad ſuum ordinis gradum requiſitam habeat , licentiam concedere prædicandi.

10. EXPONITVR D. CLEMENS.

Sed exponendus eſt in hac parte difficilis locus D. Clementis *lib.* 6. *conſtit. Apoſt. cap.*7. ibi : *Quando verò Philippus Coapoſtolus noſter Dei munere , & Spiritus ſancti operatione miracula ſanitatum in Samaria faciebat , itavt Samaritani admiratione commoti ad fidem Dei , & Filij eius venerint , eiuſque nomine baptizarentur , &c.* Quibus verbis probatur , Philippum , qui duntaxat diaconus erat , eo tempore munus prædicationis obiiſſe : igitur quia etiam primis Eccleſiæ temporibus hoc munus proprium non fuit Epiſcoporum. Cui difficultati reſpondet ipſe Clemens *lib.* 8. *conſtit.* his verbis : *Quod verò nonnulli Philippum diaconum , & Ananiam fidelem fratrem accuſant , quòd ille quidem eunuchum baptizauit , hic verò me Paulum , non intelligunt quod dicemus nos. Dicimus enim , neminem dignitatem ſacri ordinis ſumere , ſed vel à Deo accipere , vt Melchiſedec , & Iob ; aut à Pontifice , vt Aaron à Moyſe : itaque & Philippus , & Ananias non ſe ipſos elegerunt , ſed à Chriſto Pontifice , & Deo , cum quo nemo comparari poteſt , electi ſunt.* Cæterùm illud ſatis perplexum eſt , quod Clemens appellat Philippum Coapoſtolum , cùm diaconum potiùs dicere debuiſſet ; non enim fuit Apoſtolus ex duodecim Philippus hic , qui deſcendit in Samariam ; quod ex eo perſpici poteſt, quod vt refertur in actis Apoſtol. *cap.* 8. cùm eſſet perſecutio magna in Eccleſia Hieroſolymitana , diſperſi ſunt omnes per regiones Iudææ , & Samariæ , præter Apoſtolos ; erat autem cum illis diſperſus Philippus , qui Simonem in Samaria catechizauit , & eunuchum baptizauit. Præterea ſi Apoſtolus fuiſſet , habuiſſet poteſtatem dandi Spiritum ſanctum , ſicut cæteri Apoſtoli , quam tamen non habebat , vt notauit Iſidorus Peluſiota *in epiſt. ad Agigantium :* appellatus ergo eſt Apoſtolus , tanquam miſſus ad Euangelium ; vnde Euangeliſta dictus eſt in actis Apoſt. *cap.* 21. Omnes autem Euangeliſtæ , & miſſi prædicare Euangelium , Apoſtoli vocantur , vt conſtat ex Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 25. ibi : *Viſus eſt poſt hæc vndecim , deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus , deinde viſus eſt Iacobo , deinde viſus eſt Apoſtolis omnibus.*

11. RESPONDETVR AVGMENTO DIFFICVLTATIS.

Nec etiam obſtat , quod de laïcis expendebamus , videlicet eos prædicare poſſe , *ex d. cap. mulier , in fine* , & Tertulliani auctoritate ; licèt enim laïci non poſſint hodie in Eccleſia prædicare , olim tamen inficiari non poteſt , primis Eccleſiæ temporibus , ſæuientibus perſecutionibus , pace adhuc Eccleſiæ non reddità , Epiſcopos permiſiſſe laïcis prædicare , vt notarunt Zonaras , & Balſamon *in can.* 64. *ſextæ Synodi* , & probatur exemplo relato à Nicephoro Calixto *lib.* 5. *hiſtoriæ , Eccleſ. cap.* 14. vbi ait : *Cùm Cæſareæ degeret* (Origenes) *Epiſcopi Palatini legatione quoque ad eum miſsâ ei permiſere , vt de ſacris litteris doceret , & publicè eas in Eccleſia interpretaretur , quamvis nondum Preſbyteri honorem eſſet aſſecutus.* Probat Ferrarius *dict. lib.* 2. *de ritu concionandi , cap.* 6. vnde *in dict. cap. mulier* , tantùm innuitur , ex licentia Epiſcopi iuxta priſcum Eccleſiæ vſum poſſe laïcos prædicare. Nec obſtat Tertulliani auctoritas ſuprà relata ; non enim loquitur Septimius de prædicatione in Eccleſia facienda , ſed potiùs de diſputatione particulari extra Eccleſiam habità. Nec etiam aduerſatur textus *in dict. cap.* 2. 19. *diſt.* loquitur enim Pontifex ibi de illis , quibus ex officio competit munus prædicandi ; in illis enim non attenditur quales ſint , dum tamen quod prædicatur , rectum , laudabileque ſit , vt docet Gloſſa *ibi* , quam ſequuntur Archidiaconus , & Turriſcremata. Tandem non obſtat textus *in dict. cap. fin.* §. *fin. de officio deleg.* Pro cuius interpretatione diſcrimen conſtituendum eſt inter illum , cui competit proprio & ordinario iure munus prædicandi , vt Epiſcopo ; & inter eum , cui hoc miniſterium delegatum , & commiſſum eſt , electâ ipſius perſonæ induſtriâ. Primus poteſt ob iuſtas excuſationis cauſas in hoc textu , & ſuprà relatas , aliis committere prædicandi officium : ſecundus verò neutiquam valet illud ſubdelegare , cùm electa fuiſſet eius perſonæ induſtria , vt iam notaui *in cap.* 3. *de officio deleg.*

12. EXPLICATVR D. CLEMENS.

Sed ſuprà traditis obſtare videtur D. Clemens *lib.* 2. *conſtit. Apoſt. cap.*57. vbi dum Sanctus agit de Epiſcopis , & Preſbyteris , ait : *Deinde hortentur populum Preſbyteri , non omnes ſimul , ſed ſingulariter , & poſtremus eorum Epiſcopus.* Ergo ius , poteſtaſque prædicandi , præcipuè Presbyteris , non Epiſcopis data eſt. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt , S. Clementem , dum poſt exhortationem Preſbyterorum iubet poſtremum omnium exhortari Epiſcopum , non ideò voluiſſe primam prædicationis partem Preſbyteris

concedere, postremam verò Episcopis; sed potiùs, licèt subobscurè, constituere, primas partes esse Episcoporum, Presbyterorum postremas. Quod exemplum adductum à Clemente satis adstruit; inquit enim, Episcopum similem esse gubernatori nauis; & sic eum loqui debere in Ecclesia, quemadmodum gubernator nauis in naui. Hic autem post aliorum sermones, ac sententias de eo, quid ortâ tempestate faciendum esse videatur in naui, postremus sententiam suam dicit improbando, aut reprobando aliorum iudicia, cui tandem parêre oportet: nec aliter Episcopus, qui Gubernator est Ecclesiæ, loqui debet, non quasi obtinens postremas partes, sed quasi omnium primus, postquam Presbyteri dixerint, ipse approbare, aut reprobare illorum dicta quasi superior debet. Illud etiam, licèt leuiusculum, non pudet adnotare, simile, seu exemplum gubernatoris nauis adductum à Clemente, esse commodissimum: Ecclesia enim nauis est; quare Ecclesiæ materiales sunt oblongæ instar nauis. Vnde idem Clemens *in cap.* 57. iubet fabricari ad modum nauis versùs Orientem, vt ipsa forma ædificij admoneat, esse nos in mundo tanquam in mari, quod fluctibus & tempestatibus assiduè agitatur, quod nauigari oportet ab his, qui ad portum salutis peruenire volunt. Exponunt Cresolius *lib.* 1. *Mystag. c.* 11. *& 25. sect. vlt.* Aldrete *in antiquitat. Hispan. lib.* 2. *cap.* 12. & nos latiùs illustrabimus *in tit. de Ecclesiis ædificandis.*

CAPVT XVI.

Honorius III. *Episcopo* [a] *Assisiensi.*

COnquerente [b] œconomo monasterij S. Benedicti montis [c] Sublasij, nobis innotuit, quod tu iuribus Episcopalibus non contentus, quæ in Ecclesiis, seu [d] Capellis eiusdem monasterij debebas habere, à quibusdam earum procurationem exigis, quas ad dandam procurationem minimè sufficere proponebat, petens vt iure tuo contentus existens, à molestatione dictarum Ecclesiarum super cæteris desisteres: postulans etiam, quod ad omnem litis materiam in posterum amputandam, specificares quæ ratione iuris [e] Episcopalis in eisdem Ecclesiis tibi competerent. Quibusdam iuribus Episcopalibus specificatis, hinc inde lis fuit super præmissis legitimè contestata. Nos autem inspectis probationibus vtrimque receptis, & quæ ab vtraque parte fuere proposita pleniùs intellectis, decernimus, vt in Ecclesiis, seu Capellis ad dictum [f] monasterium in diœcesi Assisiensi spectantibus habeas canonicam [g] obedientiam, subiectionem, reuerentiam, [h] institutionem, & destitutionem, [i] correctionem, ac reformationem, censuram ecclesiasticam, iurisdictionem quoque causarum omnium ad forum Ecclesiæ de iure spectantium, [j] pœnitentias, & [k] sacramentorum omnium, quæ ab Episcopo recipienda sunt, collationem, synodum, & [l] synodatici, seu cathedratici nomine duos [m] solidos Lucensis monetæ, quartam [n] decimationum, ac [o] mortuariorum, [p] visitationem quoque annuam: ita quod cùm ad eas visitandas accesseris, non ampliùs procurationis nomine requiras ab eis, nisi quartam, quam pensatis facultatibus earundem moderatè potuerint exhibere, nec plus cæteris Capellis eiusdem diœcesis in procuratione vllatenus onerentur: & Ecclesiam S. Pauli de Assisia à procurationis onere penitus releuamus. Tu autem his iuribus in præfatis Ecclesiis contentus existens, non ampliùs ab eis exigas præter moderatum auxilium, quod iuxta formam Lateranensis Concilij, si manifesta, & [r] rationabilis causa extiterit, cum charitate est postulandum, sicut ab aliis Ecclesiis eiusdem diœcesis pro necessitate temporis sustinemus.

NOTÆ.

1. a *Sisiensi.*] Ita legendum est, vt habetur in quinta collectione edita ab Innocentio Cironio. Assisium antiqua ciuitas est in vmbria, à fluuio Assis ita dicta. Romanorum municipium fuit, sub quorum imperio tandiu fuit, quandiu Romanæ Ecclesiæ Constantinus Magnus liberaliter eam donauit: deinde Longobardorum barbara gens eam occupauit, atque in Ducatu Spoletano eam numerauit: deinceps verò R. Pontifices eam recuperarunt. Fidem Catholicam iam à temporibus Fabiani Pontificis, qui Rufinum eius primum Episcopum illuc miserat, & Episcopum ordinauerat, amplexa est. Hæc celebris ciuitas duo illa paupertatis portenta, Beatum videlicet Franciscum, & B. Clarum orbi dedit, vt magnis laudibus eam vrbem extollentes referunt Vuadingus *tom.* 1. *annal. frat. Minor.* Vghellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ, in Assisiensi Ecclesia.* Huius Ecclesiæ Præsuli Vidoni appellato missa est præsens decisio; siquidem ipse electus fuit anno 1204. & decessit in exordio Pontificatus Gregorij IX. Ad huius Præsulis genua humili sacco prouolutus magnus Franciscus de Assis illam nunquam satis decantatam renunciationem fecit, vt referunt Vuadingus & Vghellius *vbi proximè.*

b *Oeconomo.*] De œconomi officio aliqua adduxi *in cap.* 4. *hoc tit.* & nonulla referam *in cap. vnico, de syndico.*

c *Sublasij.*] Ita legendum existimat Petrus Greg. *in præsenti*, qui confundit hoc monasterium cum celebri monasterio Cassinensi; sed eum suppresso nomine

nomine refellit Cironius *in hoc textu*, qui legendum existimat *Sublasi*. Sed existimo legendum esse *Subaxis*, quod monasterium est Ordinis Cisterciensis D. Benedicto dicatum, in diœcesi Assisiensi, vt refert Tamburin. *in serie Abbat. verbo Assisien.*

d *Capellis.*] De quibus agemus *in cap.* 1. *de capellis monach.*

e *Iuris Episcopalis.*] Episcopo alia competunt ex lege diœcesana, alia ex lege iurisdictionali. Ex lege diœcesana spectant ad Episcopum omnia, quæ capit; ex lege iurisdictionali, omnia quæ gerit, & administrat, vt notat Cironius *ad hunc tit. in fine.*

f *Monasterium.*] Quod exemptum non erat.

g *Obedientiam.*] Quam omnes Episcopo præstare debent, *c.* 2. vbi dicemus, *de maiorit. & obed.* & ipsi Abbates tempore installationis præstant iuramentum obedientiæ Episcopis diœcesanis, *cap. ne Dei* 43. *de simonia.* Plura tradunt Bosquetus *ad Innoc. lib.* 1. *epist.* 57. *in fine*, & *lib.* 2. *epist.* 45. Iuretus *ad Ivonem epist.* 73. & nos *in cap. ne Dei, de simonia.*

h *Institutionem.*] Tam in beneficiis, quàm capellis ipsius monasterij, etiamsi electio ad monachos spectet, *cap.* 1. *de capellis monach.* ex ratione generali, quia videlicet institutio, & destitutio cuiuslibet beneficij ecclesiastici, ad Episcopum spectat iure ordinario, vt probaui *in cap. cùm satis, de officio Archid.*

i *Correctionem.*] Tam in clericis, & laicis, vt probaui *in c.* 1. *hoc tit.* quàm in monachis non exemptis, vt infrà illustrabimus *in cap. graue, hoc tit.*

j *Pœnitentias.*] Ad Episcopum enim spectat pœnitentias iniungere, vt probaui *in cap.* 8. *hoc tit.*

k *Sacrorum.*] Confirmationis videlicet, & ordinis, vt probaui *in cap. quantò, de consuet. cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo.*

2. l *Synodatici, seu cathedratici.*] Ex his verbis deducitur, idem esse cathedraticum, & synodaticum, eandemque pensitationem cathedratici & synodatici nomine præstari, licèt diuersis nominibus appelletur. Ita docent Petrus Greg. *in præsenti, c.* 15. Filesacus etiam *in præsenti*, Cironius *ad titul. de censibus*, Chopinus *lib.* 2. *sacræ polit. tit.* 7. *n.* 2. Hallierius *de sacris elect. sect.* 7. *art.* 7. Bosquetus *ad Innoc. lib.* 1. *epist.* 20. Barb. *lib.* 3. *iuris eccles. cap.* 20. *n.* 1. licèt contrarium teneat Lemaistre *lib.* 2. *de iuribus Episcop. cap.* 7. *in principio.* Sed refellendus ipse est, cùm nullum adducat pro sua opinione iuris testimonium, & pro communi sententia sint quamplura infrà referenda. Cathedraticum ergo est vectigal certum, quod veluti tributi nomine Ecclesiæ matrici præstatur in honorem Cathedræ Episcopalis, *cap. placuit, cap. inter cætera* 10. *q.* 3. *cap. pastoralis, cap. cùm olim, de censibus*, Bosquetus *in notis ad Innocent. d. lib.* 1. *epist.* 26. Lemaistre *dict. cap.* 2. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.* 3. *c.* 22. *num.* 39. quod successisse in locum quartæ decimarum, & oblationum, quam Episcopi percipiebant ex diuisione bonorum facta à S. Simplicio, *in cap. videntes, cap. quatuor, cap. de reddit. ibus* 12. *q.* 2. existimat Filesacus *in præsenti.* Sed absque ratione, cùm in præsenti textu enumerentur vt diuersa inter iura Episcopalia cathedraticum, quarta decimarum, & mortuariorum: sed quia hoc vectigal soluebatur ab Abbatibus quotannis ad synodum venientibus, dicebatur etiam synodaticum, *cap. olim, de censibus*; quia in synodis præstabatur illis anni duobus temporibus, quibus synodus congregari debebat. Concil. Altissiod. *can.* 7. *Vt medio Maio omnes Presbyteri ad synodum in ciuitatem veniant, & Kalendis Nouembris omnes Abbates ad Concilium conueniant.* Et quia plerumque post Pascha Synodus congregabatur, hæc præstatio dicebatur Paschalis, *cap.* 15. *de simonia, in* 1. *collect.* notat Cironius *ad titul. de censib.* & quia hæc pensitatio cathedratici, & synodatici incerta erat, ideò Patres Concilij Bracharensis 2. *can.* 2. relati *in d. cap. placuit*, eam taxarunt his verbis: *Præter honorem cathedræ, id est duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat.* Quam taxationem probarunt Pelagius *in epist. ad Crescon ium*, Gelasius *in epist. ad Fabianum Episcopum*, Patres Concilij Tolet. 7. *can.* 4. & Honorius *in præsenti.* Cathedraticum etiam aliquando accipitur pro illa pecunia, quæ ab Episcopis soluebatur Patriarchæ, seu Metropolitano tempore consecrationis, quod appellatur introna sticum; quia præstatur, eo quòd in throno ponitur Episcopus, nouella 123. Iustin. *cap.* 3. eius meminerunt Lemaistre *vbi suprà, cap.* 3. Hallier. *de sacris elect. sect.* 7. *art.* 7. Bosquetus *ad Innocent. lib.* 2. *epist.* 45. Filesacus *in præsenti*, §. 3. Parexa *in cap.* 1. *de censibus.*

m *Duos solidos.*] Solidi frequens mentio est, tam 3. in iure nostro, quàm Cæsareo: in nostro *in cap. si quis contumax* 17. *q.* 4. *cap. illud, cap. inter* 10. *q.* 3. *c. olim, de censibus*: in Cæsareo *in l. si verò, ff. de his qui deiecerunt, l. sancimus, C. de donat. l. iubemus* 2. *C. de erogatione militaris annonæ, lib.* 12. *l.* 1. § *hoc autem, ff. de seruis fugitiuis, l.* 42. *ff. de ædilitio edicto, l.* 34. *ff. de iure fisci, l.* 3. *C. de Episcop. & cleric.* Solidum autem dictum est perfectius præ cæteris monetæ genus, nempe purissimi auri obryzi. Eius valor nec vnus semper fuit. Apud Romanos erat sextula vnciæ auri, id est ex vna auri vncia sex solidi conflabantur, & 72. libram faciebant, *l. quotiescumque, C. de Susceptorib. Præpositis, & Arcar. lib.* 12. Isidorus *lib.* 16. *etymolog. c.* 14. Harmenopulus *lib.* 3. *epit. tit.* 7. Budeus *lib.* 5. *de asse*, Alciatus *lib.* 3. *disp.* 9. Couar. *de veterum numismatum coll. cap.* 3. Aliquando etiam ex vna auri vncia cudebantur septem solidi, & tunc 80. libram coæquabant, *l.* 1. *C. de ponder. in Theodos.* Apud Gallos aliquando solidum 12. denarios continebat, vt constat *ex lib.* 5. *Capitul. cap.* 3. ibi: *De vnaquaque casata solidus, id est duodecim denarij, ad Ecclesiam vel monasterium reddantur.* Modò apud ipsos 40. denarios pendebat, *lib.* 4. *tit.* 75. Apud Venetos solidi argentei sunt, *cap. in causa, de causa possessionis*, vbi notauit Cironius *in* 5. *collect.* apud Longobardos quilibet solidus æstimatur 40. denariis, *l.* 1. *de quantit. solidi, in iure Longobardorum*, notauit Lindembrog. *in Glossario legum antiqu. verbo Solidus.*

n *Quartam decimationum.*] Licèt iure communi 4. inspecto post diuisionem parochiarum, & bonorum Ecclesiæ, decimæ illis parochiis debeantur, à quibus fideles sacramenta recipiunt, *c. decimas, cap. si quis laicus* 16. *q.* 1. *cap. fin. de parochiis, cap. à nobis, cap. quamuis, cap. cùm contingat, cap. cùm in tua, cap. Apostolicæ, de decimis.* Suarez *tom.* 4. *de relig. tit. de decim. c.* 21. Barb. *de officio parochi, cap.* 8. §. 2. Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *n.* 5. Hunnius *in encyclop. tit. de decimis, cap.* 4. Tamen ipsi parochi, qui decimas percipiebant, quartam earum partem Episcopis propriis præstabant, *cap. quoniam* 13. *c. nullum, de decimis, cap. concesso* 26. 12. *q.* 2. Episcopi enim olim habebant plenam decimarum dispositionem, *cap.* 1. 16. *q.* 7. vnde post diuisionem parochiarum quartam decimarum partem retinuerunt, vt docent Barb. *vbi suprà*, §. 2. *n.* 17. Basilius *de matrim. c.* 13. §. 3. Valenzuela *consil.* 26. In Gallia portio ista erat quarta pars decimarum. Concil. Aurel. 1. *can.* 15. in Hispania verò erat tertia. Concil.

Tolet. 4. *can.* 33. Tolet. 9. *can.* 6. Nec contrarium probat textus *in can.* 14. *Concil. Aurel.* 1. vbi docetur, Episcopum dimidiam partem decimarum sibi vindicare; nam textus ille accipiendus est de decimis, & oblationibus propriæ Ecclesiæ Cathedralis, ex quibus non quartam partem, vt ex aliis Ecclesiarum parochialium; sed dimidiam Episcopus exigebat.

o *Mortuariorum.*] De hac quarta Deo volente latè agemus *in cap. officij, cap. finali, de testamentis.* De hac quarta, & aliis debitis Episcopo agit Altesserra *lib.* 4. *dissert. cap.* 3.

p *Visitationem.*] De visitatione, & procurationibus eius tempore debitis, suo in loco agemus, videlicet *in cap. procurationes, cap. cùm Apostolus, de censibus.*

5. q *Non amplius.*] Vnde ab his capellis, seu monasteriis Episcopus exigere non poterat eulogias, quas à propriis Presbyteris accipere solebat, de quibus in Concilio Meldensi sub Carolo Caluo *can.* 45 [Debet Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruissimo visitare, & venerari suos Episcopos.] Leo IV. *epist.* 2. *ad Episcopos Britanniæ*, ibi: *De eulogiis ad sacra Concilia deferendis nihil inuenimus à maioribus terminatum, sed sicut vnicuique Presbytero placuerit; nam si constitutum fuerit, illo in tempore benedictiones afferri, forsan minùs libenter ad synodos occurrent, & magis venire detrectabunt; quæ, vt arbitror, non sunt rationabiliter requirendæ, nec vltrò delatæ respuendæ.* Neque etiam petere poterant à monachis inquisitiones Regias, id est quandam pecuniæ collationem, quam Episcopi accipiebant, vt Regibus darent; quarum inquisitionum Regiarum exemplum extat apud Aymonium *lib.* 5. *historiæ, cap.* 35. *Exegitque vnusquisque Episcopus de Presbyteris suæ parochiæ, secundùm quod possibile erat, vt à quo plurimùm quinque solidos, à quo minimùm quatuor denarios Episcopi de singulis Presbyteris acciperent, & nunciis dominicis redderent.* Et cùm apud Gothos Episcopi vt amplam pecuniæ quantitatem Regi erogarent, à Parochis, & aliis Presbyteris requirerent eam, & exigerent, Rex Egica libello oblato in Concilio Tolet. 16. à Patribus petiit, ne huiusmodi inquisitiones Regiæ fierent, in hæc verba: *Hoc honorificentia vestra promulgare curabit, vt nemo Episcoporum pro Regiis inquisitionibus exhibendis parochialium Ecclesiarum iura contingat, neque quæsumque exinde inquisitiones, aut euectiones exigere audeat; sed de prædiis suarum sedium Regio culmini solita perquisitionum obsequia deferat, nihilque de rebus earundem Parochiarum Ecclesiarum cuiuspiam stipendij causâ dare præsumat.* Quo libello lecto Patres in canone 5. ipsius Concilij statuerunt, nihil esse sumendum à Parochis prætextu Regiarum inquisitionum.

r *Et rationabilis causa.*] Verba sunt textus *in cap. cùm Apostolus, de censibus*, vbi materiam charitatiui subsidij dabimus. Interim videndi sunt Remigius de Goni *de charit. subsid.* Barbosa *lib.* 3. *iuris eccles. cap.* 21. Lemaistre *dict. lib.* 3. *de iuribus Episcop. cap.* 3. Petrus Greg. *in præsenti, cap. vlt.* qui ad huius textus commentarium adeundus est.

CAPVT XVII.

Idem *Abbati, & Conuentui* [a] *S. Remig.*

VT iuxta illius supremi post Christum Pastoris edictum, pastor forma factus gregis ex animo dignoscitur, non dominandi libidine, sed amore rectè gerendi, debet illum salubriter visitare: sic excessus delinquentium quantùm potest corripiens, ne reuelet; sic increpans, ne confundat; quia cùm iuxta Sapientis edictum secretò sit arguendus amicus, amicitiæ legem violare videtur, si è contrà palam arguat exprobrando. Attendentes igitur, quod indecens est, vt ven. f. n. Rhemensi Archiepiscopo in vos, vel monasterium vestrum visitationis officium exercente sæculares intersint, per quos possit in [b] claustro dissolutionis materia prouenire, cùm nequaquam benè in claustris [c] inducantur: auctoritate præsentium firmiter inhibemus, vt nullos de cætero sæculares in [d] capitulum, nisi duos, [e] vel tres Canonicos de Canonicis Ecclesiæ suæ, in decenti habitu, viris aliis, quotquot expedire viderit, religiosis adiunctis, secum visitationis tempore introducat.

NOTÆ.

1. a *S. Remig.*] Est celebre Archimonasterium, ita appellatum, Diuo Remigio Galliæ Apostolo dicatum, in ipsa vrbe Rhem. Flod. *lib.* 2. *cap.* 32. quod cùm primùm esset Canonicorum Regularium, postea monachis Diui Benedicti traditum fuit. Eius Ecclesia non tam reædificata, quàm amplificata fuit anno 105. & Leo IX. eam consecrauit, & concessit Archiepiscopo, & Canonicis Rhemensibus certis anni diebus Missam celebrare in altari Diui Remigij, in sua Bulla, quam refert Yepes *tomo* 4. *chron. Diui Benedicti, centuria* 4. *anno* 852. *cap.* 3. in hæc verba: [Leo Episcopus seruus seruorum Dei, Hincmaro Abbati, & omni congregationi monachorum Diui Remigij, &c. Ex debito nostri Apostolatus post aliquas Ecclesias, quas zelo charitatis succensus visitaui, &c. ad hanc Ecclesiam B. Remigij dedicandam, de ecclesiasticis etiam causis tractaturus, & definiturus aduenì, &c. Hac igitur dedicatâ Ecclesiâ placuit huic idonea, & laudabilia Apostolicæ authoritatis, & nostræ visitationis relinquere monimenta. Deliberamus itaque, & coram hac Synodo promulgamus, vt hæc Ecclesia hoc priuilegium nostræ auctoritatis supra cæteras Franciæ Ecclesias habeat, quatenus nulla ecclesiastici ordinis, magna, vel parua persona in hoc altari, quod consecrauimus, Missam celebrare præsumat, nisi Rhemorum Archiepiscopus, & huius

huius loci Abbas, & cui ipse licentiam concedet: permissâ eadem licentiâ Canonicis Rhemensis Ecclesiæ bis in anno, in Pascha scilicet, & in Rogationibus, & septem Presbyteris ad hoc officium deputatis, quos & scientia ornet, & morum grauitas, & vitæ probitas commendet. Præterea quia hæc Ecclesia ab iniquis peruersoribus, &c.] Hoc monasterium amplis donationibus ditarunt, & magnis priuilegiis decorarunt, tam summi Ecclesiæ Præsules, quàm Galliæ Monarchæ, vt patet ex Bullis, & priuilegiis compilatis à Yepes *in dicta centuria* 4. Huius ergo monasterij Abbati Petro missa est præsens decisio, quæ etiam reperitur in quinta compilatione Honorij III. apud Cironium.

2. b *Claustro.*] Pars illa cœnobij, seu habitationis Monachorum, quæ claustrum appellatur, iam in primis monachorum cœnobiis vsitata fuit: eius mentio reperitur in antiquis Monachorum regulis; & in Concil. Turon. 3. *cap.* 24. accuratè cauetur, vt Abbates solicitè prouideant suis Canonicis, vt habeant claustra, & dormitoria. Idem sanxerunt PP. Concilij Trosleiacensis *can.* 3. & in Concilio Aquisgran. 2. 2. *parte, cap.* 15. iubetur, vt in monasteriis, tam monachorum, quàm monialium claustra ædificentur: illustrat, & claustri partes topographicè, & tropologicè exponit Benedictus Haæpthenus *tomo* 1. *disquisit. monast. tractatu* 3. *disquisit.* 2. Vsus claustri varius, multiplexque fuit apud priscos cœnobitas: aliquando lectioni deseruiebat, ibique sacræ Scripturæ exponebantur. Concilium Meldense *can.* 53. *Tam sani, quàm infirmi canonicè vestiantur, atque in claustris horis congruis degant, & sub custodia canonica lectionibus, & cæteris diuinæ institutionis insistant officiis.* In eo mandata superiorum exaudiebant. Concilium Mogunt. *can.* 9. vbi de claustro, & eius vsu PP. aiunt; *& audiant quod eis imperetur.* Etiam ad confabulandum certis horis deseruiebat, vt ex Lanfranco, & Petro venerabili refert Gibalinus *de clausura monach. disquisit.* 1. §. 2. & 4.

3. c *Inducantur.*] Licèt enim aliqua lege ecclesiastica non reperiatur interdictum sæcularibus monachorum claustra adire, tamen iusta rectam monasticam disciplinam, & vt silentium in eis seruetur, obseruatum semper inuenio, ne passim, & sine delectu personarum, absque iusta necessitatis causa laïci interiora monasterij ingrederentur: quare D. Isidorus *cap.* 22. *suæ regulæ*, nullum intra monasterium ingredi permittit, nisi ea lege, vt deinceps nunquam pedem efferret. Idem præscripserunt alij regularum monasticharum conditores, instituendo ianitores, & hospitia prope ipsa monasteria, vt hospites aduenientes ibi reciperentur, ne vlla ingrediendi, el auscultandi secreti monasterij daretur occasio. Concilium Cæsaraugust. *can.* 3. [Sanctorum Patrum decreuit sententia, ne monasteria diuersoria sæcularium fiant. Vnde quia nouimus, quosdam Abbates, quibus regulariter cura regendarum animarum commissa est, dum quasi patrono affatu aditum sæcularibus in monasteriis attribuunt, diuersas insolentias monachis ibi Deo deseruientibus ingerere, dum & eorum operationem, quos diuinæ pietati placituros alacri curiositate exhibent, deprehendunt; & vitam, & mores illorum quadam mentis pernicie infaustè detrahendo, deturpare non desinunt; & iterum, quod pessimum est, dum extraneis passim commorandi aditus infra claustra monasterij confertur, graue inolescit vitium monachorum, quo & vitam suam per lucra mundialia sectantes degenerant, & se à proprio cœnobio voluptuosa fœditate dissociant: quæ res ad hoc nostrorum paterna pietate demulcet animos, vt ea constituamus, quæ & sanctis animabus iuuaminis solamen impendant, & præsumptiones sæcularium remoueant. Quamobrem placuit vniuerso cœtui nostro hoc statuere, vel potiùs definire, vt nullus abinceps sæcularium, seu potestatiuè, seu etiam vel ex permissu Abbatis, vel cuiuslibet monachorum, infra claustra monasteriorum hospitandi, vel commorandi habeat receptaculum: excepto quos vita probabiles, egenos, aut paupertate depressos inspectio præuiderit Abbatis, quos & suscipere beneuolâ voluntate in monasteriis, & alendos eleemosynis modis omnibus sinimus. De reliquis autem personis sæcularibus (sicut iam superiùs à nobis est præmissum) nullum penitus patimur infra claustra monasteriorum hospitandi habere receptaculum. Cæterùm si secretius, aut sequestratim à monasterio, ad id quod constructum pro superuenientibus domicilium patuerit, ibi eos suscipere Abbates, vel monachos oportebit, quatenus & vita eorum remotis sæculi conturbationibus in omni opere deifico probabilis inueniatur, & nullius vanissimis distractionibus dehonestentur: aut certè (quod inhonestum est) ne per talium susceptiones dissolutionem incurrant, & à bono proposito vitam suam extorrem efficiant.] De his hospitiis plura Gibalinus *dicto cap.* 2. §. 9.

4. d *In Capitulum.*] Capitulum est certus locus monasterij, vbi monachi conueniunt, aut lectioni spirituali operam dantes, aut correctionem monasticam accipientes. Concilium Aquisgran. *can.* 69. & 70. *Vt ad capitulum primitus martyrologium legatur.* Amalarius *lib.* 4. *de officiis eccles. cap.* 2. *Mos inoleuit, vt per monasteria Deo deuota legatur lectio in Capitulo.* Vnde locus ita dictus, aut quia quotidie vnum capitulum regulæ ibi legebatur, cuius moris meminit Fuldensis *lib.* 3. *cap.* 12. *Quam mane, quando in vnum conuenimus, & capitulum de regula coram fratribus legebatur.* Smaragdus in præfatione *in dial. Monach. Et quia mos est monachorum, vt regulam B. Benedicti ad capitulum legant quotidie matutinum, volumus, vt iste libellus ad eorum capitulum legatur vespertinum: vel quia in capitulo culparum fit proclamatio, & correctio, & accusato pœnitentia iniungitur, indeque monacho capitulum fit, aut ille capitulum accipit, locus aliàs anonymus capitulum dicitur.* Probat Benedictus Haæpthenus *lib.* 8. *disquisit. tract.* 1. Illud tamen liquidò constat, eo in loco conuenire solitos monachos, ad correptionem defectuum, & culparum: latè illustrat Haæpthenus *dicta propos.* 1. vbi latè de hac correptione, & modo in ea obseruando pro institutione Prælatorum agit. Cùm ergo capitulum in monasterio sit locus proprius correctionis, ideò Episcopus visitans monasterium, in quo iurisdictionem habet, debet monachos corrigere, & visitare in capitulo, vt hîc supponitur.

5. e *Duos, aut tres.*] *Cap. de cætero, cap. ad audientiam, de clericis non resid.* ita enim habent legitimum numerum ad formandum iudicium visitationis, iuxta illud Ioannis *cap.* 8. *In ore duorum, vel trium*, &c. Vnde etiam in visitatione Ecclesiarum sæcularium debet Episcopus procedere cum certo canonicorum numero. Extrauagant. 1. inter communes, *hoc titulo.* Trident. *sessione* 24. *de reform. cap.* 3. Etiam in visitatione monialium.

Clementina *Attendentes*, *de ſtatu monach.* non tamen debet ſecum deducere laicos in viſitatione regularium, vt in præſenti docetur, ne laici ingrediantur intra ſepta monaſterij, præcipuè in loco ſanctiori. Vnde D. Bernardus *epiſt.* 78. gratulatur Sugerio Abbati B. Dionyſij, quia laicos in monaſterio non admitteret, ibi: *Iam nullus ſæcularibus in domum Dei patet aditus, nullus ad ſancta curioſis acceſſus, nulla iam cum ocioſis confabulatio permiſcetur.* Deinde quia ſi ſæculares admitterentur cum Archiepiſcopo viſitante, eſſent cenſores diſciplinæ monaſticæ, & perfectionis religioſæ: quis autem, quæ in viſitatione peraguntur, referat ad laïcos, quorum vita ita diſtat à religioſa, ſicut cœlum à terra. Pulchrè vtriuſque vitæ diſſimilitudinem deſcribit Anaſtaſius Nicænus *lib. quæſtionum in ſacram Script. p. 2. q. 5.* his verbis: *Quæ rectè peraguntur à ſæcularibus, ſunt delicta monachorum. Sunt autem quæ geruntur à ſæcularibus diuitiæ, gloria, & potentia, & deliciæ, & caro rectè curata, & liberi, & familia, ad quæ cùm peruenerit monachus, illicò moritur: quæ autem à monacho rectè geruntur, ſunt nihil poſſidere, ignobilitas, imbecillitas, continentia, afflictio, & ſimilia.* Rectè ergo in præſenti deciditur, Præſulem viſitantem monachos non debere ſecum deducere laïcas perſonas.

CAPVT XVIII.

Idem *Epiſcopo* [a] *Briocen. & Abbati* [b] *Sagenio.*

Dilectus filius Abbas monaſterij [d] Rothonenſis Venet. diœceſis expoſuit coram nobis, quod [c] tertia pars emendarum, quas homines [f] quinque parochiarum, quæ ſui conuentus ſunt vſibus deputatæ, pro ſuis exceſſibus ſoluere compelluntur, ad ſuum ſpectat monaſterium ab antiquo; & quod inter ipſos homines ortâ eccleſiaſticâ quæſtione, citatio ad eundem, ſed examinatio, & deciſio quæſtionis ad ven. f. n. Venet. Epiſcopum, & ipſum Abbatem pertinent in communi. Cúmque felicis memoriæ Innocentius Papa prædeceſſor noſter, conquerente ipſo Abbate, quòd præfatus Epiſcopus ſuper hoc inquietabat eundem, vobis de aſſenſu partium dederit in mandatis, vt vocatis partibus, & auditis hinc inde propoſitis, cauſam remitteretis ad ipſum ſufficienter inſtructam, dictus Epiſcopus proceſſum noſtrum diutiùs impediuit occaſione cuiuſdam ſententiæ, quæ ſuper quibuſdam Eccleſiis quoad legem diœceſis extitit promulgata pro eodem. Vnde præfatus Abbas nobis humiliter ſuplicauit, vt cùm citatio, cauſarum examinatio, & deciſio, ac emendæ ad legem iuriſdictionis pertinere noſcantur, non ſineremus ſententiæ memoratæ prætextu negotij proceſſum vlteriùs impediri. Cùm ergo prædicta proculdubio de lege iuriſdictionis exiſtant, diſcr. v. m. quatenus huiuſmodi ſententiâ non obſtante procedatis in negotio ipſo iuxta traditam vobis formam.

NOTÆ.

1. a *Briocenſi.*] In ſexta collectione Decretalium legitur *Baiocenſi*, *& Archidiacon. Rothom.* in quinta autem collectione edita ab Innocentio Cironio ita habetur: *Epiſcopo Briocenſi, & Abbati de Sugenio, & Archidiacono Recomenſi.* Ego autem ita legendum exiſtimabam, *Epiſcopo Briocenſi, & Abbati S. Sergij, & Archidiacono* [c] *Redonenſi.* Hæc enim inſcriptio, & textus hiſtoriæ, & prouinciæ topographiæ, vbi ſitum eſt monaſterium Rothonenſe, aptiùs congruit. Ciuitas enim Briocenſis, ſiue Briocopolis, eſt in prouincia Turonenſi, ſuffraganea Archiepiſcopi Turonenſis, cui etiam paret Venetenſis: dicta eſt Briocenſis à ſancto Brioco primo eius Epiſcopo, qui & ciuitati, & diœceſi nomen dedit. Huius Eccleſiæ præſuli Silueſtro dicto miſſa eſt hæc deciſio, de quo aliqua tradit Chenu in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ.

2. b *S. Sergij.*] Monaſterium hoc S. Sergij eſt Ordinis Diui Auguſtini, vt teſtatur Tamburinus *in ſerie Abbatiarum, verbo Andegauenſis:* etiam in eadem diœceſi eſt monaſterium ſanctorum Sergij & Bachi martyrum, Ordinis Diui Benedicti, de quo plura adduxerunt Fratres Sarmathani *tomo* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 820. ſed, ni fallor, de Abbate S. Sergij in præſenti agitur.

c *Redonen.*] Redonenſis etiam Eccleſia eſt ſuffraganea Archiepiſcopi Turonenſis, ſedes Parlamenti Britiniæ Armoricæ, prope ipſam ciuitatem Venetenſem: quare aliquando ex Eccleſia Redonenſi eligitur Epiſcopus Venetenſis, vt aſſumptus fuit Guethnocus per annos 1177. vt refert Chenu *in ſerie Præſulum Veneten. num.* 45. Legendum igitur eſt, *Redonenſi*, non *Recomenſi*, vt vult Cironius; nuſquam enim legi in prouincia Turonenſi eſſe aliquam villam, ſeu Eccleſiam Recomenſem. 3.

d *Rothonenſis.*] Ita legendum eſt, non *Rothomagenſis*, vt legitur in hac ſexta Decretalium collectione. Eſt enim monaſterium hoc S. Saluatoris Rothonenſe, in diœceſi Venetenſi, Ordinis Diui Benedicti, conſtructum à Beato Comboyono, qui illud conſtruxit anno 825. Cuius monaſterij Abbati reſcripſit Innocentius *in cap. cùm veniſſet, de in integrum reſtit.* vbi agitur de ipſius exemptione à iuriſdictione Venetenſis Præſulis; & apud Innocentium III. *lib.* 1. *regeſtr.* 14. *epiſt.* 7. vbi notauit Boſquetus. De Michaële eius Abbate in præſenti agitur, & plura de ipſius monaſterij origine, & amplitudine congeſſerunt Fratres Sarmathani *tomo* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 802. 4.

e *Tertia pars emendarum.*] Emenda eſt pœna pecuniaria, quæ ob delictum perpetratum imponitur: differt à multa in eo, quod multa applicatur Iudici, 5.

Iudici, aut Principis Fiſco; emenda verò parti. Speculum Saxonicum *lib. 1. art. 53. Et in aliis omnibus, quandocumque pars aduerſa emendam, id eſt ſatisfactionem acquiſierit ſuper emendante, iudex etiam multam obtinebit.* Innocentius III. *lib. 1. epiſt. 8. Ob reuerentiam noſtram condemnare emendam paratus erat:* notarunt Lindembrogius *in Gloſſario legum antiquarum, verbo Emenda.* Voſſius *de vitiis ſerm. lib. 3. cap. 11. verbo Emendam.* Emenda tribuitur parti læſæ; & ſi non ſit pars læſa, Eccleſiæ, cuius Parochianus læſus erat, *cap. 2. de pœnis*, Petrus Greg. *lib. 4. partit. tit. 13. cap. finali, lib. 4.* Capitul. Caroli *cap. 15.* Bignonius *in notis ad Marculphum, pag. 491. & 570.* Conſuetudine tamen introductum erat, vt in Eccleſia Broicenſi tertia pars emendarum ad monaſterium Rothonenſe ſpectaret, vt in huius textus ſerie allegabatur.

6. f *Quinque Parochiarum.*] Sex autem Parochiales Eccleſias ſibi ſubiectas obtinebat monaſterium de Rothon. ſi ipſa Eccleſia, vbi conſtructum erat monaſterium, enumeretur: eas refert Innocentius III. in dicta epiſtola 7. ibi: *Tibi à ſex Eccleſiis monaſterij præſtarentur, quarum vnam perciperes in parochiali Eccleſia de Rothon. aliam in Eccleſia de ſancto Godoalo, aliam in Eccleſia de Bani, ac aliam in Eccleſia de Langon; ita videlicet, quod Abbas, & Priores Eccleſiarum ipſarum tres partes, & capellani quartam partem in procurationibus ipſis ponant, & à duabus Eccleſiis, ſcilicet de Brim. & Sancti Petri de Rothon. quatuor ſolidos pro ſingulis procurationibus ad ſubleuationem ſuam recipiant Capellani.*

7. g *Cuiuſdam ſententiæ.*] Quæ extat in dicta epiſtola 7. in illis verbis: *Monaſterium ſæpedictum in capite liberum, & à tua iuriſdictione prorſus exemptum: decernentes Parochiales Eccleſias eius, quæ minimè probantur exemptæ, tibi diœceſana lege ſubiectas, ven. fratri noſtro Archiepiſcopo Turonenſi, & dilecto filio Abbati Salmurienſi, Andegauenſis diœceſis, & Magiſtro ſcholarum Andegauen. noſtris dantes litteris in mandatis, vt quod a nobis eſt ſententialiter definitum, faciant appellatione remotâ firmiter obſeruari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quia verò ipſæ Parochiales Eccleſiæ in procuratione ab antedictis Epiſcopis prætaxata, nimis, ſicut aſſeritur, aggrauantur, ipſis iniunximus, vt ſi conſtaret eiſdem procurationem ipſam prædictis Eccleſiis exiſtere oneroſam, niſi tu ab ipſis commonitus ad æquum volueris condeſcendere moderamen, ipſi penſatis facultatibus earundem procurent eam, ſublato appellationis obſtaculo, moderari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ definitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc, &c. vſque incurſurum. Datum Lateran. 3. nonas Martij, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.*

COMMENTARIVM.

8. PRo huius textus expoſitione eius vera hiſtoria repetenda eſt. Sciendum igitur eſt, inter Epiſcopum Venetenſem, & monaſterium Rothonenſe acriter fuiſſe diſceptatum circa ſubiectionem quarundam Eccleſiarum ad ipſum monaſterium pertinentium quoad legem diœceſanam, inſtitutionem videlicet capellanorum in eis, ius exigendi procurationes, & viſitandi: cuius controuerſiæ deciſio primò commiſſa fuit Sancti Georgij, & Sergij Abbatibus, vt conſtat *ex cap. cùm veniſſet, de in integrum reſtit. cap. cùm veniſſet, de cenſibus.* Poſtea compromiſſum fecerunt in Epiſcopos Briocenſem & Nannetenſem, à quorum ſententia appellatum fuit ad Cardinalem G. tituli S. Mariæ in Porticu: tandem Innoc. III. declarauit, prædictas parochias quoad legem diœceſanam parêre Epiſcopo Venetenſi, & illius ſententiæ exequtionem commiſit Archiepiſcopo Turon. Abbati Salmurienſi, & Magiſtro Schol. Andegauenſi. Huius ſententiæ prætextu Epiſcopus intendebat etiam quoad legem iuriſdictionalem ei parêre debere, quia lex diœceſana comprehendit ſub ſe legem iuriſdictionalem, *cap. auditis, de præſcript.* Concilium Illerdenſe *can. 3.* vbi diœceſana lex comprehendit iuriſdictionem, quam Epiſcopi habent in omnibus baſilicis conſtructis in propriis territoriis. Sed Honorius III. in præſenti contrarium decreuit, & rectè; quia licèt in lata ſignificatione, & acceptione lex diœceſana comprehendat legem iuriſdictionalem; propriè tamen, & ſtrictè eam non complectitur, quia alia eſt lex diœceſana, alia iuriſdictionalis, vt ſupponitur *in cap. conquerente, hoc titulo.* Vnde cùm res iudicata in vna re, non inducat iudicatum in alia, *l. ſæpe, ff. de re iudicata, cap. ſuborta, cap. fin. hoc titulo*; ideo etiam poſt ſententiam prolatam in fauorem Epiſcopi quoad legem diœceſanam, poteſt quoad legem iuriſdictionalem tractari, quia diuerſa res eſt: quo modo etiam accipiendi ſunt textus *in lege habebat 13. ff. de inſtit. act. l. 1. §. quæſitum, ff. quando actio de pecul. l. 42. ff. de liber. cauſa.*

9. LEX DIOECESANA QVID.

Supereſt tantùm vt exponamus, quid per legem diœceſanam, quid verò per iuriſdictionalem intelligamus in præſenti, & in iuribus ſuprà citatis, vbi vtriuſque legis mentio fit. Et Gloſſa in præſenti, quam ſequuntur Immola hîc, Cironius *in paratitl. huius tituli*, exiſtimant, omnia ea, quæ in dando, ſeu faciendo conſiſtunt, ſpectare ad legem iuriſdictionis, vt ius viſitandi, correctio morum, ſacramentorum collatio, & ſimilia, quæ recenſentur *in dicto cap. conquerente*, à principio vſque ad verſic. *Synodum.* Illa verò, quæ in recipiendo conſiſtunt, ſpectare ad legem diœceſanam, vt percipere cathedraticum, ſynodaticum, procurationes, &c. Eos ſequitur Bruno Chaſſaing. *de priuilegiis Regul. p. 2. cap. 1.* vbi ait, paſcere, ad ea, quæ ſunt iuriſdictionis ſpectare: paſci verò ad legem diœceſanam. Sed hæc diſtinctio præterquam quod nullo iuris teſtimonio firmatur, refellitur ex eo, nam obedientia, & reuerentia Epiſcopis debitæ conſiſtunt in recipiendo, & nihilominus ſpectant ad legem iuriſdictionis, *cap. dilecta, cap. his quæ, de maiorit. & obed.* igitur prædicta diſtinctio vera non eſt. Omiſſis igitur hac, & aliis duabus ſententiis, quas refert & refellit Cæſar *de eccleſiaſt. Hierarch. 1. p. diſput. 6. §. vltimo*, & aliâ traditâ ab Azorio *2. p. inſtit. moral. lib. 3. cap. 32.* dicendum eſt, legem in præſenti textu, & aliis ſuprà citatis accipi pro ratione, itavt illa, quæ ſpectant ad Epiſcopum ratione iuriſdictionis Epiſcopalis, dicantur pertinere ex lege iuriſdictionali; & ſic ſimiliter ex lege diœceſana, quæ ratione diœceſis ſpectant ad Epiſcopum: igitur ad Epiſcopos alia pertinent ex eo tantùm, quod ſunt Epiſcopi; alia etiam ex eo, quia habent diœceſim. Ea pertinent ſolùm quia ſunt Epiſcopi, quæ iure diuino tanquam ſucceſſoribus Apoſtolorum competunt, vt iuriſdictio, morum correctio, ſacramentorum collatio. Alia verò ad

ipſos

ipsos pertinent, quia habent propriam diœcesim, vt quarta decimarum, & mortuariorum, cathedraticum, synodaticum, & similia, quæ etsi fuerint Episcopi consecrati (vt olim plures erant sine sede) percipere non possunt; quia ea diœcesis præstat. Hæc ergo ex lege diœcesana, id est ratione diœcesis debentur. Alia verò ex lege iurisdictionis, ratione videlicet illius competunt; & hoc modo accipiendus est præsens textus, dum in eo Honorius discrimen constituit inter legem diœcesanam, & iurisdictionalem: quod negare ausus est Butrius contra hanc expressam decretalem.

CAPVT XIX.

Gregorius IX. *Episcopo* [a] *Suanensi.*

GRaue gerimus, quod cùm in Ecclesiam Sanctæ Mariæ de [b] Orbitello, & quasdam alias existentes in tua diœcesi, ad monasterium S. [c] Anastasij de Vrbe [d] spectantes, nullam iurisdictionem habeas ordinariam, aut etiam delegatam, occasione litterarum nostrarum, quas super correctione clericorum tibi transmisimus, in eas interdicti, ac in clericos earundem suspensionis sententias promulgasti, quamquam Abbas eiusdem monasterij eos corrigere sit [e] paratus. *Et infrà:* Mandamus quatenus si est ita, prudenter corrigens per teipsum, quæ minùs prouidè attentasti, prædictas sententias sine difficultate relaxes, alioquin dilecto fil. S. Iusti, & Albaren. Abbatibus, & Archipresbytero S. Ioannis Montis Alti Tuscanen. Suanen. & Castren. diœcesis nostris damus litteris in mandatis, vt ipsi ex tunc eadem sententias authoritate nostra studeant relaxare. Datum Lateran. decimosexto Kalendas Martij, Pont. nostri [f] anno quarto.

NOTÆ.

1. a *Vanensi.*] Ita legitur in hac Raymundi collectione, & rectè. Suanensis ciuitas sita est in Hetruria ad Albim fluuium, prouinciæ maritimæ Senensis, in eminentiori colle, ob triste, atque insalubre cœlum ab hominibus prope deserta; hodie ad magnorum Hetruriæ Ducum ditionem spectat: Cathedrali Ecclesiâ condecoratur ab anno 980. vt refert Vghellius *tomo* 2. *Italiæ sacræ, in ipsa Ecclesia Suanensi.* Huius Ecclesiæ Episcopo Gualerino dicto missa est præsens decisio, quam ex C. Vaticano Regestri Gregorij IX. *pag.* 52. refert Vghellius *vbi suprà*; ex quo & ego ita restituo.

2. b *De Orbitello.*] Oppidum de Orbitello, siue vt alij legunt, de Orbetillo, cum sua Ecclesia parochiali rurali parebat Episcopo Suanensi, vsque-dum Carolus Magnus Imperator, Leoque tertius Pontifex Maximus, illud tribuerunt monasterio Sanctorum Vincentij, & Anastasij prope vrbem, ad Aquas Saluias, vt refert Vghellius *in dicta Suanensi Ecclesia, in principio,* qui illud non vulgare ex Onuphrio refert, oppidum Orbitelli, olim Cosanorum Rempublicam fuisse, quod & arguit vetus lapis, qui adhuc in Orbitelli foro hisce verbis prostat legentibus.

IMP. CÆS. M. ANTONINO
GORDIANO P. P.
AVG. PONT. II.
P. P.
RESPVBLICA COSANORVM,
DEVOTA NVMINI,
MAIESTATIQ. IPSIVS
D. D.

3. c *S. Anastasij de Vrbe.*] Monasterium hoc SS. Vincentij, & Anastasij, ad tres etiam Fontes nuncupatur, ex totidem fontibus ibidem ebullientibus, in locis, quæ Apostoli Pauli præcisum caput tribus, vt fertur, saltibus sacrauit. Huius monasterij originem, & constructorem refert Onuphrius Pambinus, & ex eo illustrissimus Manrique *tomo* 1. *annalium Cisterc. anno* 1140. *cap.* 8. *numero* 5. in hæc verba: *Ecclesiam, & monasterium ad Aquas Saluias primus construxit Honorius Papa circa annum salutis D. C. XXV. in massa, quæ iuris monasterij Sancti Pauli erat. In qua basilica recondidit caput S. Anastasij monachi, à Persis martyrio coronati, cùm Heraclius Imperator id cum corpore, quod in basilica S. Pauli conditum fuit, Romam transmisisset. Celebris autem erat locus iste ob decem millium martyrum ibidem occisorum, & dormientium memoriam.* Hoc monasterium cum Ecclesia Leo III. à fundamentis restituit, & monachos in eo collocauit. Carolus verò Magnus Imperator illud amplissimo patrimonio dotauit; siquidem ei duodecim oppida in maritima Etruria agri nunc Senensis, donauit, scilicet Orbitellum, Caparbium, Ansidoniam, Gilium, Montem Argentarium, Altrecostam, Aquapitem, Montem Acutum, Serpenam, Marsilianum, Sciapilascium, &c. ad monachorum sustentationem: quæ oppida etiam nunc iuris eiusdem monasterij existunt. Senensibus tamen beneficiario iure à superioribus Pontificibus concessa. Hoc monasterium monachis ferè destitutum Innocentius II. Papa circiter annum Christi M. CXL. S. Bernardo Magno Abbati Clareuallensi donauit. Hoc monasterium immediatè subiectum est Sedi Apostolicæ cum Ecclesiis illi annexis.

4. d *Spectantes.*] Immediatè enim Sedi Apostolicæ subiectum est.

e *Paratus.*] Vt de facto correxit, sententias excommunicationis, & suspensionis in eos proferendo, vt constat ex epistola ipsius Gregorij IX.

rij IX. missa Abbati, & Conuentui S. Anastasij de Vrbe, quam ex C. Vaticano refert Vghellius *vbi suprà*, in hæc verba: *Cùm causam, quæ inter vos ex parte vna, & Priorem, & Capitulum Sanctæ Mariæ de Orbitello, ex altera, super obseruandis sententiis excommunicationis in Priorem, suspensionis in clericos, & interdicti in præfatam Ecclesiam, à te, fili Abbas, prolatis, & quibusdam aliis articulis vertitur, dilecto filio nostro B. tituli sanctæ Pudentianæ Presbytero, Cardinali commiserimus audiendam.*

f *Anno* 4.] Idest anno Christi 1230.

COMMENTARIVM.

7. CONCLVSIO ILLVSTRATVR. EX hac decretali sequens elicitur conclusio: *Per rescriptum, quo Pontifex iubet iudici ordinario, vt corrigat clericos suæ diœcesis, non datur ei iurisdictio super exemptos.* Probat textus *in cap. licèt, hoc titulo.* Illustrant Parladorius *lib. 3. rerum quotid. cap. fin. parte 2. §. 3.* Tondutus *tomo 1. resol. cap. 41. & 42.* Rousselius *lib. 4. historiæ, cap. 5. num. 5.* Hallierius *in vindiciis pag. 527.* Barb. *de potest. Episc. 3. part. alleg. 92.* Moneta *de commut. cap. 7. num. 4.* Heuia *in Curia Philippica, tit. 4. cap. 1. num. 4.* Filesacus *in præsenti*, Bruno Chassaing. *de priuileg. Regul. tract. 2. propos. 3. cap. 2.* & alij adducti *in dicto cap. licèt, hoc titulo.*

8. TRADITVR DVBITANDI RATIO. Sed hæc Gregorij IX. decisio valde difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam certum, est clericos sæculares inseruientes in Ecclesiis regularibus, aut monasterio aliquo subiectis, esse sub dispositione Episcopi Diœcesani, itavt eius institutio, & destitutio ad Episcopum spectent, *cap. 1. de capellis monach.* ipsique Presbyteri tenentur lege diœcesana Episcopo subsidia præstare, *cap. 2. de supplenda neglig. cap. de monachis, de præbendis:* sed in præsenti specie clerici, in quorum correctionem intendebat Episcopus, erant sæculares, atque in Ecclesiis parochialibus monasterio subiectis sacramenta administrabant: igitur eorum correctio ad Episcopum vt ordinarium pertinebat. Fulcitur hæc dubitandi ratio primò ex eo; nam licèt Episcopus vt ordinarius, non posset prædictos clericos corrigere; tamen in ipsos vt delegatus iurisdictionem habebat, siquidem rescripto speciali illi correctio clericorum mandata fuit; quæ delegatio quoad subditos proprios superflua erat; cùm iam in eos potestatem ordinariam haberet: igitur ne rescriptum Pontificis superfluum, & illusorium reddatur, debet protrahi ad clericos exemptos, constituendo Episcopum iudicem delegatum in eorum causis, & correctione, vt *in cap. ad abolendam, de hæreticis*, & aliis congestis *in dicto cap. licèt, hoc titulo.* Augetur secundò hæc difficultas ex vltimis verbis huius textus, vbi Gregorius IX. iubet Episcopo Suanensi, vt relaxet sententias interdicti, & suspensionis latas in prædictos clericos, aliàs alij iudices eas reuocent: quæ verba supponunt, sententias prolatas fuisse ab Episcopo iurisdictionem habente; siquidem si inualidæ essent, nullæ declararentur, non autem iuberetur Episcopo eas relaxare, sed potiùs nullas declarare, *cap. cùm contingat 36. de officio deleg. cap. per tuas, de sent. excom. cap. cùm dilectus*, ibi: *Iudicetis illas sententias non tenere*; de religiosis domibus: igitur Episcopus in præsenti, aut tanquam ordinarius, siue vt delegatus, iurisdictionem in clericos aliàs exemptos habebat.

9. DE MONACHORVM SVBIECTIONE. Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens Gregorij IX. decisio: pro cuius expositione sciendum est, iam ab eo tempore, quo in Ecclesia Dei monachorum ordo florere cœpit, & legibus, reguliſque componi, ac ordinari, variaque hinc illinc monasteria exstrui cœpta, Episcoporum correctioni ac curæ monachos subiectos fuisse, adeò vt eorum quoque regulæ, & constitutiones non nisi ab Episcopis locorum, in quibus monasteria erant, probarentur, vt latè fundat Franciscus Hallierius *in vindiciis lib. 4. cap. 4.* imò in Concilio Agathensi *can. 27.* cautum fuit, *ne monasterium nouum, nisi Episcopo aut permittente, aut approbante, vllus accipere, aut fundare præsumat*; quod & firmatum fuit nouella 5. Iustin. *cap. 1.* & in Concilio Chalcedon. *can. 6.* cautum legimus, vt omnia monasteria in Episcopi essent potestate; concessumque Episcopis, vt quas vellent monachis præfigerent regulas: quare Diuus Augustinus Hipponensis Episcopus suæ diœceseos monachis regulam præscripsit, quæ postea absque vlla noua approbatione summi Pontificis Africam, & inde Occidentem vniuersum peruagata est, vt refert Possidius *in vita sancti Augustini.* Sic monasterij Lirinensis regula approbata legitur in Concilio Arelat. 3. etsi postea hæc authoritas approbandi monachorum instituta Romano Pontifici fuerit reseruata, vt latiùs dicemus *in cap. finali, de religiosis domibus.* Parebant ergo iam à primis Ecclesiæ sæculis omnia monasteria illis Episcopis, in quorum diœcesibus sita, constructáve erant. Et Episcopos vt ordinarios Prælatos, monachos iudicare consueuisse, constat *ex cap. peruenit 9. cap. qui verè omnes 16. q. 1. cap. de religiosis, cap. de monachis, cap. nullus, cap. si quis 15. cap. Abbates 16. cap. monasteria, cum sequentibus, 18. quæst. 1.* & aliis congestis à Iacobo Gothofredro *in l. 32. Cod. Theodos. de Episc. & cleric.* Michaël Rousselius. *lib. 4. historiæ Pontif. iurisd. cap. 7.* Francisco Hallierio *in vindiciis, dict. lib. 4. cap. 4. per totum*, & expressè cauetur in Concil. Chalcedon. *can. 4.* his verbis: *Qui verè, & sincerè singularem sectantur vitam, competenter honorentur; quoniam verò quidam vtentes habitu monachali ecclesiastica negotia, Conciliaque coniurbant, circumeuntes indifferenter vrbes, nec-non & monasteria sibi instituere tentantes: placuit nullum quidem vsquam ædificare, aut constituere monasterium, vel oratorij domum, præter conscientiam Episcopi. Monachos verò per vnamquamque ciuitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo ieiunio, & orationi, in locis, in quibus renunciauerunt sæculo, permanentes; nec ecclesiasticis verò, nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes, nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo ciuitatis, &c. Verumtamen Episcopum ciuitatis conuenit competentem monasteriorum curam gerere.* Etiam respectu virginum, & sanctimonialium Episcopos eandem curam habuisse, constat *ex lib. 2. & 3. constitut. Apostolic. Dini Clementis*, & ex Concilio

cilio Carthag. 3. *can.* 33. vbi ſtatuitur, vt ſacræ virgines cùm à parentibus ſegregantur, à quibus cuſtodiebantur, vel priuatæ fuerint Epiſcopi prouidentia, vel Preſbyteri, vbi Epiſcopus abſens eſt, in monaſterio virginum, vel grauioribus fœminis commendentur: & *can.* 25. *Vt clerici, vel continentes ad virgines, vel viduas, niſi iuſſu, aut permiſſu Epiſcoporum, aut Preſbyterorum non accedant.* Carthaginenſi 4. *can.* 97. ibi: *Vt qui religioſis fœminis præponendus eſt, ab Epiſcopo loci probetur.* Et ibi: *Ad reatum Epiſcopi pertinet, vel Preſbyteri, qui Parochiæ præeſt, ſi ſuſtentandæ vitæ præſentis causâ adoleſcentiores viduæ, vel ſanctimoniales clericorum familiaritatibus ſubiiciantur.* Latiùs probabimus *in cap. monaſteria* 8. *de vita & honeſt. cleric.* Quam ſubiectionem omnimodam monachorum erga proprios Epiſcopos, vt monaſticæ diſciplinæ congruam agnouerunt, & laudarunt; imò de exemptione monachorum conqueruntur perdocti, & pij viri, præcipuè D. Bernardus *lib.* 3. *de conſideratione, cap.* 4. 8. 9. 10. & *epiſt.* 42. *ſub finem*, & *epiſt.* 179. *&* 180. Petrus Bleſenſis *epiſt.* 68. *&* 90. Iuo Carnot. *epiſt.*65. Ioannes Sareſbar. *lib.*7. *Polycrat. cap.* 19. *&* 21. & *epiſt.* 95. ibi: *Qui regi velint, perpauci ſunt, cùm quiſque, vt emancipetur à iugo rectoris proprij, totis viribus quærat. Priuilegio ſiquidem Apoſtolico, aut Regio præcepto plurimi tuti ſunt, ne iudicibus ſuis obtemperent, ne iuſtitiam faciant, ne legi Dei ſubiecti ſint. Non reprehendo clementiam Apoſtolicæ Sedis, ſed hanc indulgentiam eius, Eccleſiæ Dei non arbitror expedire. Nihil tale in illa glorioſa familia Chriſti legimus, licèt & in illis contentio facta ſit, quis eorum videretur maior. Nullam emancipationem huiuſmodi ab Apoſtolis factam meminimus, licèt Paulum, & Barnabam audierimus ab inuicem diſceſſiſſe. Nullam in illa ſuperna ciuitate, quæ ſurſum eſt mater noſtra, contradictionis materiam credimus; ſed nec hîc eſſe debere, niſi vrgentiſſima ratio flagitet.* Plura adducunt Germonius *lib.* 3. *de ſacrorum immunit. cap.* 4. Boſquetus *in notis ad Innocentium lib.* 1. *epiſt.* 7. Mendoza *lib.* 2. *Concilij Illiber. cap.* 30. Bignonius *in notis ad Marculfum, pag.* 419. Ant. Auguſt. *in epit. iuris Pont. lib.* 4. *tit.* 60. *&* 61. & *lib.* 9. *tit.* 26. *&* 41. Creſpetius *in ſumma, verbo Abbas*, Stephanus Durantius *quæſt.* 7. Petrus Greg. *lib.* 1. *partit. tit.* 26. *cap.* 4. Azor 1. *tomo Inſtit. lib.* 12. *cap.* 10. Scortia *in ſelectis epit.* 128. *theorem.*341. Pennotus *hiſtoriæ canonic. Regul. lib.* 1. *cap.* 1. Barb. *lib.* 2. *iuris eccleſ. cap.* 12. *numero* 21. & *de poteſt. Epiſc. alleg.* 105, *numero* 3. Fileſacus *in cap.* 8. *hoc titulo*, Duarenus *lib.* 1. *de ſacris eccleſ. cap.* 20. latè Bruno Chaſſaing. *de priuilegiis Regul. tractatu* 2. *propoſ.* 1. *cum ſequentibus.* Gibalin. *tom.* 2. *ſcient. can. lib.*7. *cap.* 9. *quæſt.* 3. Franc. Florens *in diſſert. ſel. ad cap. auditis, de præſcript. cap.* 1. Quæ ſubiectio legibus diuerſarum Eccleſiarum ſtatuta, & obſeruata legitur. In Orientali enim Eccleſia adeò Monachi Epiſcopo parebant, vt inſcio Epiſcopo nullus regulam monaſticam profiteri poſſet. Concilium Nicænum 1. *can.* 14. ex Arabico; Trullanum *can.* 40. *&* 41. In Eccleſia Africana nullus monachus monaſterio præfici poterat ſine Epiſcopi conſenſu, vt probat Fileſacus *dicto cap.*8. *hoc titulo.* In noſtra Hiſpania nullus monaſticam vitam profiteri poterat, niſi approbante Epiſcopo. Concilium Tolet. 2. *can.* 1. nec diuina officia alio ritu celebrari in monaſteriis poterant, quàm eo, qui præſcriptus erat ab Epiſcopo. Concil. Tolet. 11. *can.* 3. in Gallicana Eccleſia omnimodam obedientiam, & reuerentiam Abbates, & monachi ſuis Epiſcopis præſtabant. Concil. Aurelian. 2. *can.* 21. Cabilon. 1. *can.* 15. nec ſine litteris commendatitiis Epicoporum peregrè proficiſci valebant. Concil. Aurelian. 2. *canon.* 13. vbi loco illorum verborum, *Abbates martyriarij, recluſi, vel Preſbyteri Apoſtolica dare non præſumant*; legendum eſt, *Abbates matricularij*, vt iam emendauit Fileſacus *in cap.* 8. §. 3. *hoc titulo*: & in Concilio Vernenſi *can.* 3. generaliter ſtatuitur, vt vnuſquiſque Epiſcoporum poteſtatem habeat in ſua Parochia tam de Clero, quàm de regularibus, vel ſæcularibus ad corrigendum, vel emendandum. Ipſa etiam monaſteria Epiſcopi viſitabant, vt ſi quid contra diſciplinam eccleſiaſticam, vel monaſticam admiſſum eſſet, emendaretur. Concilium Vernenſe *can.* 20. Epaunenſe *can.* 19. ibi: *Abbas ſi in culpa reperiatur, aut fraude, & Innocentem ſe aſſerens, ab Epiſcopo ſuo accipere noluerit correctionem, ad Metropolitanum iudicium deducatur.* Proſequitur alia plura huius ſubiectionis veſtigia pro diuerſitate prouinciarum, & Eccleſiarum Fileſacus *in dicto cap.*8. *hoc tit.* Sed cùm Epiſcopi monachos ſibi ſubiectos ſeuerè, & irrationabiliter tractarent, variiſque vexationibus, & grauaminibus opprimerent, Gregorius Magnus *in Concil. Lateran.* cui ipſe interfuit, ſtatuit, Epiſcopos Cathedras ſuas in monaſteriis collocare, vel quamlibet poteſtatem habere imperandi, vel aliquam ordinationem, quamvis leuiſſimam, faciendi, niſi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi ſemper maneant in Abbatum ſuorum poteſtate; nec vllus Epiſcopus vltrò præſumat de redditibus, vel rebus, vel curis monachorum, vel de cellis, vel de villis, quæ ad eos pertinent, quocumque modo qualibet exquiſitione minuere. Cuius conſtitutionis verba reperiuntur *in cap.* 5. 18. *quæſt.* 2. Et hæc fuit prima monachorum exemptio, licèt contrarium teneat Barboſa *dicta alleg.* 105. *num.* 12. & *de iure eccleſ. dicto cap.*12. *numero* 24. etiam huius exemptionis aliud exemplum monaſterij ſancti Medardi Sueſſionenſis extat apud ipſum Gregorium *lib.* 11. *epiſt.* etſi ipſum ſuſpectum credat Petrus Marcha *lib.* 3. *concordiæ, cap.* 16. & etiam monaſterij Claſſenſis meminit idem S. Gregor. *lib.* 7. *epiſt.* 18. proſequuntur alias ſucceſſorum ipſius Gregorij exemptiones pro temporum diſtinctione, & varietate Rouſſelius *lib.* 4. *hiſtoriæ Pontif. iuriſdiction. cap.* 5. *num.* 5. Hallierius *vbi ſuprà.* Huius autem conſtitutionis Gregorij æqualis praxis non fuit in omnibus prouinciis. In Italia enim à tempore prædictæ exemptionis Epiſcopi remoti fuerunt à iuriſdictione in monachos. In Hiſpania verò & Gallia diutiùs durauit prædicta ſubiectio. Quare in Concil. Tolet. 4. *canon.* 50. *&* 52. ſtatutum legimus, *vt Religioſi propriæ regionis* (lege *Religionis*) *qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur, ſiue eis, qui per diuerſa loca vagi feruntur, ab Epiſcopis, in quorum conuentu commorari*

morari noſcuntur, licentia eorum coèrceatur. In Gallia etiam in ſynodo Regiaticina *can.* 14. ita cautum reperitur. [Placuit ſanctæ Synodo, vt ab Epiſcopis primùm eorum (monaſteriorum) ſtatus recuperationis ſumat exordium, & omnia monaſteria, quæ in Epiſcoporum ſunt poteſtate, protinus reſtaurentur.] Cuius illuſtrationem proſequitur Fileſacus *dict. cap.* 8. §. 3. Neceſſaria ergo fuerunt in his prouinciis priuilegia conceſſa à diuerſis Pontificibus congregationibus Religionum, quæ per indicem referunt Barboſa, *dict. allegat.* 105. & *de iure eccleſ. dict. cap.* 12. Bruno Chaſſaing. *dict. cap.* 2. imò nonnulli Epiſcopi huiuſmodi iuriſdictione ſe abdicarunt, vt patet ex Marculfi forma *lib.* 1. Flodoardo *lib.* 3. *cap.* 27. Pluraque etiam Cœnobia directò ab eadem Sede Apoſtolica ſe ab Epiſcoporum eximi poteſtate petierunt: quod vt ab initio ex nimia Antiſticum in monachos ſæuitia ortum eſt, vt Gregorius VII. *lib.* 2. *epiſt.* 69. teſtatur; ita negari non poteſt, multos libertatis obtentu fugitaſſe diſciplinam. Etiam Principes ſæculares exemptionem monachis conceſſiſſe legimus, ita vt Pontifex eos eximeret ab Epiſcopali iuriſdictione. Rex verò quoad temporalia, vt quietè poſſiderent quidquid illis oblatum, & datum eſſet; & fiſcus remitteret quodcumque ius ab illis præſumere poſſet, vt veteres hiſtorici referunt. Aimoinus *lib.* 5. *cap.* 1. Flodoardus *lib.* 2. *cap.* 11. & 17. Gregorius Turonenſis *lib.* 3. *cap.* 23. & *lib.* 10. *cap.* 7. Carnot. *epiſt.* 193. & explicant Petrus Marcha *lib.* 3. *concord. cap.* 16. Rouſſelius, ſeu idem Marcha *dict. cap.* 3. *lib.* 1. *hiſtor. Pontif. iuriſdict.*

10. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus animaduerſis apparet ratio huius deciſionis; nam cùm monachi S. Anaſtaſij, de quibus in præſenti agitur, exempti eſſent ab omni iuriſdictione Epiſcopali, & immediatè ſubiecti Romanæ Eccleſiæ, vt ſuprà dixi, cum ſuis Eccleſiis ad ipſum monaſterium ex donatione Pontificis pertinentibus; ideò etiamſi committeretur à Pontifice correctio exceſſuum Epiſcopo Suanenſi in clericos ſuæ diœceſis, non ideo poterat corrigere clericos ſubiectos prædicto monaſterio. Non tanquam ordinarius, quia illi exempti erant à lege & iuriſdictione Epiſcopali, vt probat Cochier *dicta parte* 4. *quæſt.* 37. Non vt delegatus, quia per dictam commiſſionem non intendit Pontifex derogare priuilegiis exemptorum, niſi de eis expreſſam mentionem faciat, vt probat Cochier *vbi ſuprà, part.* 2. *quæſt.* 3. per huiuſmodi enim delegationem tantùm excitatur iuriſdictio ordinaria, non verò mutatur, vt latè probaui *in cap. licèt, hoc tit.* Rectè ergo ſicut ordinarius eos tanquam exemptos corrigere non poterat, nec adhuc excitata iurtſdictione corrigere valebat, cùm per reſcriptum generale Pontificium non ſit ſublatum priuilegium particulare exemptionis; manet enim Epiſcopus tantùm vt Ordinarius, excitatâ ſua iuriſdictione. Vnde nullo modo poteſt animaduertere in prædictos clericos: docent & illuſtrant Moneta *dict. cap.* 7. *num.* 12. Barb. *dicta alleg.* 92.

11. RESPONDETVR DVBITANDI RATIONI.

Nec obſtat difficultas ſuprà adducta *ex cap.* 1. *de capellis monach. cap. de monachis, de præbendis* Pro illius enim ſolutione duo caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt, cùm Eccleſiæ ſpectant ad monaſterium iure proprio, quia illi ſubiectæ ſunt iure proprio, vbi clerici vt vicarij præficiuntur. Secundus eſt, cùm Eccleſiæ non parent monaſterio, ſed tantùm monaſterium iuſpatronatus in eis habet. Primo caſu Abbas, & monaſterium conſtituunt in ipſis Eccleſiis clericum vicarium ad ipſorum nutum amouendum; & illi non parent Epiſcopo, nec illi aliquam procurationem, aut cathedraticum præſtant, *cap. cùm dilectus, de religioſis domibus, Clement.* 1. *de exceſſibus Prælat. Clem. ne in agro*, §. *cæterùm, de ſtatu monach.* Secundo verò caſu clerici præſentati ad regimen ipſarum Eccleſiarum accipiunt inſtitutionem ab Epiſcopis. Vnde ab eo deſtitui, corrigi, viſitarique poſſunt, *cap. paſtoralis, de donationibus, cap. cùm & plantare*, §. *in Eccleſiis, de priuilegiis, cap. cùm inter, de V. S.* quo caſu procedunt textus *in dict. cap.* 1. *de capellis Mon. dict. cap. de monachis*: docent Garcia *de beneficiis, parte* 11. *cap.* 7. Flores de Mena *lib.* 1. *variar. cap.* 10. Vnde cùm in hoc textu agatur de Eccleſiis parochialibus ruralibus, quæ proprio iure ad monaſterium ſpectabant, ideo clerici vt vicarij in eis conſtituti, non ſunt ſub iuriſdictione Epiſcopi. Nec obſtat augmentum huius difficultatis; licèt enim de præſenti demandetur Epiſcopo correctio in clericos ſuæ diœceſis, quæ iure communi illi competebat; non tamen ideo ſuperflua eſt, aut inutilis hæc delegatio; prodeſt enim ad excitandam iuriſdictionem, & vt diligentiùs correctionis officium adimpleat ipſe Ordinarius, vt plerumque in iure contingit *in cap. licèt, hoc titulo*, & aliis ibi adductis. Vnde cùm excitetur iuriſdictio, non autem mutetur, ſeu alteretur; ideo manet tantùm ordinarius, non verò delegatus. Difficilius eſt ſecundum difficultatis augmentum, cui vt ſatisfaciat Gloſſa *verbo Relaxes*, aſſerit in hoc textu clericos inſeruientes Eccleſiis de Orbitello, non fuiſſe exemptos à iuriſdictione Epiſcopali, imò potiùs Epiſcopo paruiſſe, & ideo ſententias in eos prolatas vires habuiſſe. Sed hæc ſolutio repugnat verbis ipſius deciſionis, ibi: *Nullam iuriſdictionem habeat ordinariam, aut delegatam.* Repugnatque textus hiſtoriæ ſuprà relatæ. Quare hac ſolutione omiſsâ, placet alia ſolutio ipſius Gloſſæ, dum aſſerit, verbum illud *relaxes*, in hoc textu non ſtrictè, & propriè accipiendum eſſe; ſed latè, quaſi iubeat Pontifex, ſententiam interdicti, & excommunicationis nullam declarari: quomodo etiam hoc verbum *relaxare*, pro nullum declarare, & de facto abſoluere, accipitur *in cap. dilecti* 40. vbi notauit Gloſſa vltima *de teſtamentis, cap. Odoardus, de ſolutionibus, cap. audiuimus* 24. *quæſt.* 1. nec inſolens eſt in iure, vt verba *reſcindere, relaxare, & irritare*, accipiantur pro nullum declarare, vt *in cap. cùm quidam* 12. *de iureiur. cap. non ſolùm, de appellat. in* 6. *cap. ſi qua de rebus*, 12. *quæſt.* 2. *l. in fraudem*, §. *à debitore, ff. quæ in fraudem creditor. l. is qui* 15. *l. ſi duo* 16. *ff. de legatis præſtandis, l. maximum, Cod. de liberis præteritis, l. vt liberis* 17. *Cod. de collat.* notarunt communiter Primarij *in l. inter cætera, ff. de liberis, & poſth.* Bajo-Aroyo *in cap. Quintauallis, numero* 74. *de iureiur.* Vnde licèt ſententia in hoc textu data nulla eſſet, vt probat Cochier *vbi ſuprà, part.* 2. *quæſt.* 40. tamen nulla declarari debet ab ipſo Epiſcopo, vt in præſenti iubet Gregorius.

12. EXPONITVR CAP. 2. DE SENT. EXCOM.

Adhuc ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in cap. monachi* 2. *de ſement. excommunic.* in

illis verbis, *prouidentia diœcesani Episcopi est adhibenda*; quæ etiam reperiuntur *in cap. cùm illorum, cap. canonica, eodem titulo.* Ex quibus deducitur, monachorum etiam exemptorum correctionem Episcopo competere. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, textum illum procedere datâ ignorantiâ ex parte proprij Prælati; tunc enim eius negligentiam supplebat Ordinarius, antequam tam ampla priuilegia exemptionis regularibus concederentur. Concilium Altissiodoren. *can.23. Si monachus in monasterio adulterium commiserit, aut peculiare, seu proprium habere præsumpserit, aut furtum fecerit, & hoc Abbas per se non emendauerit, aut Episcopo, aut Archidiacono non intimauerit, ad pœnitentiam peragendam in alio monasterio detrudatur.* Latè probaui *in cap. quanto 7. hoc titulo.* Cùm ergo *in dicto cap. monachi*, Abbas negligens esset, ideo Episcopi prouidentia desideratur, vt docet Germonius *lib. 3. de sacrorum immunitate, cap.4. numer.27.*

13. Secundò etiam opponitur textus *in cap. 1. de V. S. lib.6.* vbi Legatus, qui est iudex ordinarius, & ordinariam obtinet iurisdictionem, cognoscit de causis exemptorum: igitur quilibet Ordinarius, quoad correctionem habet iurisdictionem in exemptos. Pro cuius textus interpretatione dicendum est, in eius specie Legatum cognoscere de causis exemptorum, non vt ordinarium, sed vt Legatum, qui summum Pontificem repræsentat. Vnde sicut summus Pontifex, qui est superior exemptorum, *cap. cùm tempore 5. de arbitris*, cognoscere potest de eorum causis; ita & eius Legatus, qui ipsum repræsentat. Ad hanc etiam partem, exemptionem videlicet Regularium à iurisdictione ordinaria, spectant, & expendi possunt textus *in cap. fin. de statu monach. cap. de regul. cap. fin. de simonia, cap. inter monasterium, cap. suborta, de re indic. cap. fin. de successionibus ab intestato, cap. 2. de capellis monach. cap. cùm olim, de præscript. cap.6. & 7. de exceptionibus, cap. ad hæc, cap. cùm ex iniuncto, de priuilegiis, cap.1. eod. tit. in 6. Clem.2. eod. tit. Clem.1. de sent. excomm.*

INTELLIGITVR CAP.1. DE V.S. IN 6.

CAPVT FINAL.

[a] Idem.

HIs, quibus ex officio in certis casibus competit illos absoluere, qui pro [b] violenta manuum iniectione incidunt in canonem sententiæ promulgatæ, licet aliis huiusmodi absolutionem committere, cùm viderint expedire.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Gregorius videlicet, qui motu proprio, à nemine consultus præsentem edidit constitutionem, quod in ipso iam notaui *in cap. fin. de constit.*

b *Pro violenta.*] De hac censura pro violenta manuum iniectione incursa latè egi *in cap. excommunicatis, cap. nemini, de officio Legati.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO ILLVSTRATVR. EX hoc textu communiter deducitur, *Iudicem ordinarium, cui ex officio competit facultas absoluendi, absolutionem aliis delegare posse.* Quam conclusionem firmant textus *in cap. cùm Episcopus, hoc tit. lib.6. cap. inter cæteras, hoc tit.* & alij congesti *in cap.3. de officio delegati*, quibus probatur, iudicem ordinarium posse iurisdictionem propriam aliis committere. Illustrant vltra communiter repetentes in præsenti, Syluester *in summa, verbo Delegatus 1. quæst. 8.* Couar. *lib.3. variar. cap. 20. num.6.* Henriquez *lib.13. de excommunic. cap.24. num. 2.* Angelus *verbo Excommunicatio 5.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp.40. numero 14. & in præcepta Decalogi lib. 2. cap.10. num.23.* Azor *lib.1. instit. tit.8. cap. 10. quæst.11.* Barbos. *1. parte de potest Episcop. alleg. 35. numer. 14. & 3. parte, alleg. 92. num. 18.* Basilius *de matrim. lib.5. cap. 31. num. 8.* Morla *in emporio, tit.2. num.88.* Fachineus *lib.12. controu. cap.95.* Quintanaduenas *de iurisdict.* Moneta *de commut. vltim. volunt. cap.5. num.557.*

3. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO. Sed hæc assertio ita communiter deducta difficilis redditur sequentibus iuris principiis. Primum notissimum est, videlicet ea, quæ competunt iure speciali, aliis delegari non posse, vt latè probaui *in cap.3. de officio deleg.* & in præsenti specie probat ipse Gregorius IX. *in cap. fin. §. finali, de officio deleg.* Sed absolutio ab excommunicatione ob violentam manuum iniectionem in clericos, ordinariis iure speciali competit; siquidem in ipso canone *si quis suadente*, tantùm Romano Pontifici reseruatur: igitur hæc facultas absoluendi ab Ordinariis delegari non potest. Secundum iuris principium non minùs notum est, delegari non posse simplex ministerium alicui commissum, cùm eius personæ industria electa est, *dict. cap. vlt. de officio deleg.* nec etiam delegatum Pontificis illud posse subdelegare, vt probaui *in dict. cap.3. de offic. deleg.* sed cùm absolutio ab excommunicatione alicui competit, non iurisdictionem, sed certum ministerium obtinet, *cap. si is cui, de officio deleg. lib.6.* igitur non potest delegari similis absolutio. Augetur hæc difficultas ex eo, quia si Episcopus posset absolutionem, seu dispensationem in delictis, seu à censuris aliis delegare, frustra adiiceretur cùm Episcopo conceditur hæc dispensatio, vt per se, vel per vicarium suum absoluere, vel dispensare possit, vt signanter adiicitur in Concilio Trident. *sess. 24. de reform. cap. 6.* vbi conceditur Episcopo, vt per se, vel per vicarium possit in omnibus irregularitatibus occultis, exceptâ proueniente ex homicidio, dispensare: igitur quia Episcopus iure ordinario non potest committere absolutionem excommunicationis sibi competentem.

4. TRADITVR RATIO DECIDENDI. His difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens Gregorij constitutio, cuius ratio prouenit ex eo, nam iurisdictio, quæ non personæ, sed dignitati competit, ordinaria, non verò deleg ata

delegata eſt, vt probant in præſenti Baldus *num. vnico*, Immola *in fine*, Couar. *lib.3.variar. cap.20. num.6.* Barb. *part.2. de poteſt. Epiſcop. alleg.35. num.15.* tunc enim iuriſdictio dignitati potiùs quàm perſonæ cohæret; & cùm in futurum Prælatum ſimul cum dignitate tranſeat, non poteſt dici electam fuiſſe perſonæ induſtriam, vt notarunt Menochius *lib.1. de arbitr. quæſt.64. num.17.* Sanchez *lib.2. de matrim. diſp.40. num.17.* Baſilius Legion. *eod. tract. lib.5. cap.31. num.8.* quare cùm facultas abſoluendi à cenſuris conceſſa officio, ſeu dignitati in perpetuum ordinaria ſit, alteri demandari valet more cuiuſlibet ordinariæ iuriſdictionis, *l. more, ff. de iuriſdict. l.cognitio, §.cùm propriam, ff. de offic. eius, cap. cùm Epiſcopus, hoc tit. in 6.* Vnde cùm poteſtas abſoluendi ab excommunicatione ob violentam manuum iniectionem in clericum, à Sede Apoſtolica Epiſcopis perpetuò certis in caſibus conceſſa ſit, vt probaui *in dict. cap. excommunicatis, de officio Legati*, rectè Gregorius in præſenti affirmat, licere eis hanc poteſtatem alteri demandare, quia non perſonis, ſed dignitati Epiſcopali talis facultas conceſſa fuit. Latiùs proſequuntur Barb. *vbi ſuprà, num.17.* Sanchez *dict. diſp.40.*

5. VARIÆ ILLATIONES. Ex qua vera ratione huius conſtitutionis infertur primò, Abbates, & alios Regularium Prælatos, quibus ratione dignitatis, ſeu officij competit facultas abſoluendi monachos ſe inuicem leuiter percutientes, *ex cap. cùm illorum 31. de ſententia excommunic.* poſſe alteri huiuſmodi poteſtatem committere, vt docent Bonacina 1. *tomo diſp.2. de excommunic. quæſt.4. puncto 5. numero 11.* Etiam infertur, Epiſcopum poſſe in caſibus, in quibus illi permittitur diſpenſare in irregularitate, iuxta Trident. *ſeſſ.24. de reform. cap.6.* eandem facultatem aliis committere, cùm hæc poteſtas Epiſcopali dignitati, non verò perſonæ commiſſa ſit. Sanchez *vbi ſuprà*, Bonacina *vbi proximè, num.10.* Deinceps colligitur, poſſe Epiſcopum poteſtatem quam habet diſpenſandi in impedimentis dirimentibus matrimonium, cùm facilis aditus non eſt ad R. Pontificem, aliis committere ex eadem ratione, & etiam poteſtatem delegare diſpenſandi in feſtiuitatibus & ieiuniis, cùm Epiſcopus in eis diſpenſare valet, vt reſoluunt Couar. *lib.3. variar. cap.20. num.6.* Sanchez *lib.2. de matrim. diſp.40. num.14.* Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg.35. num.5.* Etiam ex eadem ratione deducitur, poteſtatem, quam habet Epiſcopus, diſpenſandi in omnibus impedimentis non dirimentibus matrimonium, excepto caſtitatis voto, poſſe eam aliis committere. Barb. *vbi ſuprà, numer.2.* Hugolinus *de poteſt. Epiſcop. cap.60. §.3.* Sanchez *lib.7.de matrimonio, diſp.17. num.15.* Bonacina *de impedimentis matrim. puncto 15. num.3.* Ex eadem etiam ratione poterit committere, & aliis delegare facultatem diſpenſandi in impedimento affinitatis ſuperueniente inter coniuges ex copula habita cum conſanguineo alterius coniugis, in quo diſpenſare poteſt Epiſcopus, *cap.1. de eo, qui cognouit conſang.* reſoluunt Thomas Sanchez *lib.8. de matrim. diſput.12. num.16.* Barb. *ſuprà, num.8.* Bonacina *num.5.*

6. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS. Nec obſtat prima difficultas ſuprà adducta, in qua expendebamus, ea quæ competunt iure ſpeciali, delegari non poſſe, & per conſequens nec facultatem abſoluendi à cenſuris, de quibus in hoc textu. Nam principium illud procedit in his, quæ ſpecialiter competunt ratione perſonæ, & propriæ induſtriæ, vt probaui *in cap.3. de officio delegati*: at verò facultas abſoluendi à cenſuris, de quibus in præſenti, iure ordinario Epiſcopis ratione Epiſcopalis dignitatis competit. Vnde ſicut alia, quæ ſuprà enumeraui, Epiſcopus committere valet, ita & hanc abſolutionem. Nec etiam ſecunda difficultas aduerſatur, deducta *ex cap. finali, §.fin. de offic. deleg.* nam textus ille procedit in iudice delegato, cui prædicare crucem, abſoluere, vel excommunicare committitur; ille enim hæc miniſteria aliis ſubdelegare non poteſt, quia eius perſonæ induſtria electa eſt. At Gregorius in præſenti loquitur de iudice ordinario, cui ratione dignitatis competit abſolutio à cenſuris, in quo electa non eſt induſtria perſonæ, vnde aliis prædictam abſolutionem committere poteſt. Nec tandem refragatur Concilium Trid. *in dicta ſeſſ. 24. de refor. cap. 6.* quia licèt in eo ſpecialiter caueatur, Epiſcopum per ſe, vel per vicarium poſſe diſpenſare in irregularitate certis in caſibus; non tamen negant Patres aliis eandem facultatem committere poſſe: nec ex eo decreto euincitur, etiam non adiectâ eâ clauſulâ, *per ſe, vel per vicarium*, Epiſcopum non poſſe prædictam diſpenſandi facultatem Vicario delegare, vt docet Sanchez *dicta diſp.40. num.17.*

TITVLVS XXXII.

De officio iudicis.

CAPVT I.

[a] Honorius III. [b] *Archiepiſcopo Sancti* [c] *Leonardi, & Sancti Benedicti Abbati Salernitan.*

EX litteris veſtris [d] accepimus, quod cùm cauſam, quæ inter dilectos filios Abbatem, & conuentum Foſſæ [e] Nouæ ex [f] parte vna; & Abbatem, & conuentum monaſterij [g] Cauen. Salernit. diœceſis ex altera, ſuper quibuſdam poſſeſſionibus mo-

nasterij Sancti Petri de [h] Amalphia, quas bonæ memoriæ frater Silueſter monachus Foſſæ Nouæ, cùm idem monaſterium Sancti Petri viſitaſſet, eiſdem Abbati, & conuentui Cauen. vendidit, in eiuſdem monaſterij Sancti Petri præiudicium, & grauamen, vobis duximus committendam: quia partibus in veſtra præſentia conſtitutis pars dicti monaſterij S. Petri propoſuit, quod aliquem de ciuitate Salernit. habere non poterat [i] aduocatum, veſtrum ſuper hoc [k] officium implorando, tu frater Archiepiſcope eidem de Magiſtro R. Capuda, [l] Aquenſi Theſaurario, [m] clerico tuo, ad exhibendum in cauſa ipſa patrocinium [n] prouidiſti: verùm frater S. Prior Sanctæ Mariæ de Dompno, Cauen. monachus [o] pro monaſterio ſuo propoſuit, quod id in præiudicium eiuſdem monaſterij factum fuerat, eo quod dictus R. clericus, & domeſticus tuus erat. Nos igitur deciſionem negotij nolentes friuolis exceptionibus impediri, cauſam ipſam ad vos duximus remittendam, per Apoſt. v. ſ. mandantes, quatenus exceptione huiuſmodi non obſtante, in negotio ipſo ſub. app. obſt. ſine moræ diſpendio, ratione præuiâ procedatis iuxta priorum continentiam litterarum. Et quia inſtrumenta monaſterij Sancti Petri, quæ ipſis dictus S. eiuſdem venditionis tempore tradidit, Abbas & conuentus Cauen. malitiosè occultare dicuntur, ipſos, vt ea vobis [p] exhibeant, monitione præmiſsâ per cenſuras eccleſiaſticas, ſicut iuſtum fuerit, app. poſtpoſitâ compellatis.

NOTÆ.

1. a *Honorius.*] De quo egi *in cap. penult. de conſtitutionibus.* Præſens deciſio reperitur *in cap. vnico, de poſtuland. in 5. collectione:* ſed rectiùs compilatur ſub titulo noſtro de officio iudicis; nam in eo agitur de officio iudicis, quod exercetur in aſſignatione aduocati.

2. b *Archiepiſcopo.*] Ita legitur in hac ſexta collectione, ſed non rectè; legendum enim eſt, *Archiepiſcopo Salernitano, & Abbati Sancti Leonardi*, vt ex vetuſtiſſimis codicibus emendauit Cironius in præſenti: Archiepiſcopatus Salernitanus eſt in Regno Neapolis, in Salerno, à Lothario I. creatus anno 851. vt retuli *in cap. 1. de corpore vitiatis.*

3. c *Sancti Leonardi.*] Monaſterium hoc percelebre eſt in Apulia, Ordinis Diui Benedicti, vt refert Tamburinus *in ſerie Abbat. verbo Salernum.*

4. d *Accepimus.*] Honorius tertius conſultus fuit à iudicibus delegatis circa exceptionem oppoſitam. Plerumque enim tam iudices ordinarij, quàm delegati ſuper articulis contingentibus conſulunt Romanum Pontificem, vt probatur *ex cap. in litteris, cap. conſultationibus, cap. ex litteris, de offic. delegat.* & quoties de iure nimium hæſitatur, Princeps conſulendus eſt, *cap. intimaſti* 68. *de appellat.* Euariſtus Papa *epiſt. 1. l. Diuus* 14. *ff. de officio Proconſ. l. vltima, ff. quando appellandum, l. 1. & 3. Cod. de relationibus.*

5. e *Foſſæ nouæ.*] Monaſterium nobiliſſimum Foſſæ Nouæ Ordinis Ciſtercienſis, eſt in diœceſi Terracinenſi conſtructum à Comitibus Aquitanicis, de quo Claudius Robert. *in catal. Abbat. Clar.* ibi: *Eſt autem Foſſa Noua monaſterium diœceſis Terracinenſis in Italia, fundatum anno MCXXXV. vbi nonnulli volunt fuiſſe forum Apij, de quo in actib. Apoſtol.* De eo plura tradit Illuſtr. Manriq. *tomo 1. annal. Ciſterc. anno 1135. cap. 9. numero 7.*

6. f *Ex parte vna.*] Abbates litigabant ſine mandato monachorum; nam illi rectè in iudicio adeſſe poſſunt per ſe abſque vllo mandato monaſterij, *cap. cauſam 9. de iudiciis, cap. auditis 15. de præſcription. cap. 2. de ordin. cognit. cap. olim 17. de reſtit. ſpoliator. cap. dilectus*, 18. *de officio Ordinarij, cap. auditis, de in integ. reſtit. cap. accepimus, de fide inſtrum. cap. cùm veniſſet 3. de eo, qui mittit.* ex ratione adducta *in cap. edoceri, de reſcript.* quia videlicet Abbates ex officio tenentur negotia monaſterij procurare, licèt alios actus abſque licentia monaſterij exercere non valeant, *cap. contingit 3. de tranſact. cap. ea noſcitur, de his, quæ fiunt à Prælatis.* Barboſ. *in dicto cap. edoceri.* Supponendum etiam eſt in noſtro textu, Abbates non per ſe, ſed per ſyndicum in iudicium comparuiſſe; quia monachi ab ſtrepitu iudiciali debent ſemoueri, *cap. vnico, de ſyndico:* nec contrarium probat noſter Honorius, dum affirmat, inter Abbates cauſam agitari; intelligendus enim eſt, mediâ ſyndici perſonâ, quo modo etiam intelliguntur textus *in cap. 2. cap. ſuſcitata, de in integ. reſtit. cap. inſuper 6. de teſtib. cap. dilectus 2. de capell. monachor. cap. cùm olim, de priuileg.* iunctis traditis à Barboſa *lib. 1. iuris Eccleſiæ, cap. 36. num. fin.* Oſuald. *ad Donell. lib. 18. comment. cap. 12. litt. X.* Boſqueto *ad Innocentium III. lib. 2. epiſt. 105. & 122.*

7. g *Cauenſis.*] Monaſterium Cauenſe eſt in ciuitate Cauenſi Campaniæ, Ordinis Diui Benedicti, conſtructum anno ML. vt refert Yepes *tomo 3. chron. Diui Benedicti, in dicto anno ML.*

8. h *Amalphia.*] Monaſterium Sancti Petri de Amalphia, Ordinis Ciſtercienſis, parebat quoad ſpiritualia, & temporalia monaſterio Foſſæ Nouæ: vnde Abbas Foſſæ Nouæ potuit illud viſitare, negotiaque eius procurare, tam in iudicio, quàm extra, *cap. ex tranſmiſſa, de præſcriptionibus, cap. præterea 10. de tranſactionibus, cap. inter dilectos, de donat.* & res vnius monaſterij in aliud transferre, *cap. 1. de rebus Eccleſ.* ſicut Epiſcopus poteſt procurare quaſlibet res Eccleſiæ ſuæ diœceſis, *cap. neganda 10. quæſt. 1. cap. inter 16. quæſt. 3. cap. fin. de ſucceſſ. ab inteſtat.*

9. i *Aduocatum.*] Ideſt patronum, ſeu defenſorem, quem nos vulgò dicimus *Letrado*; non enim aduocatus accipitur in præſenti pro eo, qui iudicis officio fungebatur primis Eccleſiæ ſæculis, de quo Balſamon *in can. 78. Chalc. Concil.* Cuiac. *in conſtit. 2. Federici, lib. 5. feudor.* nec pro aduocato Eccleſiæ patrono, de quo *in cap. præterea, cap. cùm autem, cap. quia, de iurepatron.* vbi Cironius, & nos plura dabimus.

k *Officium*

10. k *Officium implorando.*] Hæc clauſula vulgò, & vtiliter libellis adiicitur : apud nos ita concipitur : *Et officio de v.m. imploro* ; cuius virtute licèt aliàs iudex nec teneatur, nec poſſit impartiri officium ſuum ad vtilitatem priuatam, *cap. 1. vt lite non conteſt. cap. bonæ 1. de poſtul. Prælat. l. 4. §. hoc autem, ff. de damno infect.* docet latè Caſtillo *de alimentis cap. 21.* poteſt tamen officium ſuum in vtilitatem priuatam impartire, vt in hac ſpecie, quia tunc tale officium ſuccedit loco actionis. Azeued. & alij apud Gundiſaluum de Paz *in praxi, tomo 1. temp. 4. num. 36.* Heuiam *in Curia Philip. §. libello 11. num. 14.*

11. l *Aquenſis.*] Aquenſis eſt ciuitas apud Gallos dicta Aix, cuius meminerunt Antoninus *in itiner.* Scaliger *lib. 1. lectionum Auſon. cap. 6.* quam hoc ſanè nomine Aquas appellari memorant, ab aquis calidis, quæ eò loci ſcaturiebant : habet Eccleſiam Cathedralem Deiparæ Virgini dicatam, cuius originem, & amplitudinem, ac Præſulum ſeriem referunt fratres Sarmathani *tomo 2. Galliæ Chriſt. fol. 187.* Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ.*

12. m *Clerico.*] Licèt prohibitum ſit clericis Aduocatorum officio fungi, *cap. 1. & 2. de poſtulando* ; tamen illud procedit in iudicio ſæculari : at verò in eccleſiaſtico, & pro miſerabilibus perſonis, in iudicio patrocinium præſtare valent, *can. 28. Synod. Carthag. cap. 1. de vita & honeſtate, in 5. compil. cap. veniens 38. de teſtib. cap. ex tenore, de foro competent.* Concil. Emeritan. *can. 11.* latè dicemus *in dict. cap. 1. de poſtul.*

13. n *Prouidiſti.*] Sed ſtatim agnoſcitur ea difficultas ; nam vt ex epigraphe notauimus, duo fuerunt iudices delegati à Pontifice deſignati in præſenti : ſed quoties ſunt duo iudices dati, vnus ſine alio in cauſa procedere non poteſt, *cap. cauſam, de officio delegat. cap. veniens, de renunciat.* Anguian. *de legib. lib. 2. cap. 25.* Moneta *de commut. cap. 8. num. 13.* igitur Archiepiſcopus ſolus non poterat aduocatum aſſignare, nec in cauſa procedere. Huic difficultati vt ſatisfaciat Cardinalis in præſenti caſu affirmat, iudices delegatos in præſenti datos fuiſſe cum clauſula, *quod ſi non omnes* ; vnde virtute huius clauſulæ vnus ſine alio in cauſa procedere poterat, iuxta tradita à nobis *in cap. ſciſcitatus, de reſcriptis.* Sed hæc interpretatio diuinationis vitio laborat, ſiquidem ex textu non conſtat, prædictam clauſulam in reſcripto adiectam fuiſſe : quare hac ſolutione omiſsâ veriùs dicendum eſt, ideo Archiepiſcopum in præſenei tantùm deſignaſſe aduocatùm, quia ipſe tantùm iudex, & ſuperior erat ipſius Roderici, qui tantùm compellere poterat ipſum, vt ſuſciperet aduocati munus : Abbas verò ſancti Leonardi eius ſuperior non erat, vnde illum aduocatum deſignare non valebat.

14. o *Pro monaſterio.*] Monachus enim cum mandato ſuperioris poteſt negotia monaſterij in iudicio per ſe, aut per procuratorem tractare, vt dicemus *in cap. vnic. de ſyndico.*

15. p *Exhibeant.*] Hæc deciſionis pars difficilis videtur ex eo ; nam reus nullo iure tenetur edere inſtrumenta actori ad fundandam, & probandam ſuam intentionem, *cap. 1. de reprobat. l. qui accuſare, Cod. de edendo, l. nimis, Cod. de teſtib. l. cogi, ff. de petit. hæreditat.* plura Barb. *in dict. cap. 1. tom. 6.* Parexa *de inſtrum. edit. tit. 5. reſolut. 3.* Ergo monaſterium Cauenſe in hac ſpecie non tenebatur edere inſtrumenta monachis Sancti Petri. Huic difficultati reſpondendum eſt, prædictam regulam, & vtriuſque iuris principium limitari, cùm inſtrumenta non ſunt rei, ſed actoris, vel amborum, quoad proprietatem, communia : tunc enim reus cogitur edere inſtrumenta actori, *cap. G. Perpetuus, cap. contingit, de fide inſtrum. l. non eſt nouum, cum ſequenti, ff. de edendo, l. ſi quæ, ff. familiæ erciſcund.* Barboſa *dict. tom. 6. in dict. cap. 1.* Vnde cùm in hac ſpecie inſtrumenta eſſent monaſterij Sancti Petri, iuſtè monachi Cauenſes compelluntur illa exhibere.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu ſequens deducitur communiter diſputanda aſſertio : *Ad officium iudicis pertinet aduocatum parti aſſignare, & poteſt nominare domeſticum.* Eam probant textus *in cap. infames, verſ. ſi verò 3. quæſt. 7. cap. 1. vt lite non conteſt. cap. ſi annum 3. de iudiciis in 6. l. 1. §. ait Prætor, ff. de poſtuland. l. prouidendum, Cod. eodem tit. l. illicitas, §. ne potentiores, ff. de offic. Præſid. l. nec quidquam, §. fin. ff. de offic. Proconſ. l. 6. tit. 6. part. 3.* illuſtrant vltra congeſtos à Barboſ. *in præſenti*, Petrus Gregorius *lib. 5. partit. tit. 7. cap. 2.* Cironius *in præſenti*, Ianus Langleus *lib. 1. ſemeſtr. cap. 1.* Mancius *de aduocat. num. 2.* Paz *in lege 19. ſtyli*, doctè Guibertus Coſtanus *quæſt. cap. 10.* Carraſco *ad leges recopilat. num. 33.* 16. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

Hæc aſſertio, quæ duplicem continet partem, duplicem etiam patitur dubitandi rationem. Et primò aduersùs eam partem, vbi aſſeritur iudicem ex officio debere aduocatum parti aſſignare, ea inſurgit ratio ; nam poteſt litigator, imò tenetur per ſeipſum, non per aduocatum cauſam in iudicio proponere, & tractare, *cap. paſtoralis, de iudiciis, cap. 1. eodem tit. in 6. l. 23. tit. 1. partit. 3.* Didacus Perez *in l. 8. gloſſa 1. tit. 3. lib. 2. ordin.* igitur non tenetur iudex ex officio parti aduocatum aſſignare. Accedit, nam ſi aduocatus à iudice aſſignaretur, poſſet compelli ab eo patrocinium præſtare : ſed compelli nequit, vt docet Corraſ. *vbi ſuprà*, & probatur exemplo procuratoris, qui compelli non poteſt aliquem defendere, *l. filius, §. inuitus, ff. de procurator. l. inuitus, Cod. eodem tit. l. 2. §. ſi plures, ff. de curator. bonis dand.* Donel. *lib. 18. comment. cap. 13. & 16.* igitur in hac parte nullum eſt iudicis officium. Secunda in ſecundam partem, vbi aſſeritur aduocatum domeſticum prætextu familiaritatis recuſari non poſſe, ex eo prouenit, nam creditur facilè iudicem illius in partem proniorem eſſe futurum, cum quo vſus, & commenſalitas intercellerit ; cùm inde magnum amicitiæ vinculum oriri nemini dubium ſit. Eſt enim, inquit Cicero *in Lælio*, non mediocre amicitiæ condimentum ſermonum, vitæque communio : & quotidianâ conſuetudine familiaritatem ſic augeri, vt ea nihil eſſe poſſit coniunctius, ipſe prodit *lib. 18. epiſtol.* Vnde temporibus Auguſti iudicibus, qui quotannis eligebantur, prohibitum fuit, ne eo anno in domum alicuius, qui cauſam in iudicio haberet, ingrederentur, referente Dione Caſſio *libr. 54. in Auguſt.* ergo aduocatus domeſticus iudicis, vt ſuſpectus recuſari valet. Accedit, nam ex quibus cauſis iudex recuſari valet, ex eiſdem procurator remoueri poteſt, *l. ante litem, cum duab. ſequent. ff. de procurat.* 17. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Vulteius *de iudiciis lib. 2. cap. 2. num. 114.* Sed cùm iudex familiaris est vnius ex partibus, recusari potest, *cap. accusatores 3. quæst. 5. c. insinuante, cap. cùm R. de offic. delegat.* igitur & aduocatus. Tandem nam testis domesticus, vt suspectus reiici potest, *cap. fin. 4. quæst. 4.* sed aduocatus testis est facti, & iuris, *cap. pastoralis, de iudiciis, l. quisquis, C. de postuland.* igitur Rodericus vt domesticus iudicis recusari poterat.

18. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

His rationibus minimè obstantibus defensanda est suprà tradita assertio; quæ iam authoritatibus vallata, etiam rationibus fulcitur. Primæ enim partis ratio ex eo prouenit, nam frequenter euenit ob potentiam aduersarij alteram partem patrocinio aduocati carere, & tunc æquissimum est, vt aduocatus à iudice parti assignetur, ne iudex patiatur inferiorem à potentiori iniuriâ affici, *l. illicitas, §. ne potentiores, ff. de officio Præsid.* si enim à iudice non assignaretur aduocatus parti, ipsa indefensa à potentiori aduersario opprimeretur, *l. nec quidquam, §. obseruare, ff. de offic. Proconsul.* Vnde apud Romanos magna cura erat, vt nemini aduocatus defuisset: quam ob rem cùm Cicero causam Murenæ aduersùs Sulpitium familiarem suum peroraret, ab ipso conquestus, ita respondit: *Etenim si me tua familiaritas ab hac causa remouisset, & si hoc quidem quinto Hortensio & M. Crasso clarissimis viris, si item cæteris, à quibus intelligo tuam gratiam magni æstimari, accidisset, in ea ciuitate Consul designatus non haberer, in qua nemini vnquam infirmo maiores nostri patronum deesse voluerunt.* Eò etiam pertinent plures casus, in quibus aduocati à iudicibus designati fuerunt. Plinius enim iunior à Senatu seipsum aduocatum datum fuisse Prouincialibus Afris aduersùs Priscum testatur *lib. 2. epist.* item Legatis Bœticæ contra Maram, idem refert *lib. 10. ad Tacitum.* Rectè ergo in præsenti asseritur, ad iudicis officium spectare parti aduocatum non habenti illum assignare, & aduocatum posse à iudice compelli patrocinium litiganti præstare: constat *ex l. prouidendum 7. vers. Si quis verò, ff. de postul. l. 16. & 24. tit. 16. lib. 2. recopilationis:* probat primarius noster Richardus *in §. si tutor, num. 7. de inoffic. testam.* Secunda etiam pars nostræ assertionis ratione non destituitur; nam licèt cùm pars familiaris est iudicis, iudex recusari valeat, *cap. accusatores 3. quæst. 5. cap. insinuante, de offic. delegati, l. apertissimi, Cod. de iudiciis*, plura Petrus Gregorius *lib... syntagm. cap. 3. num. 6.* Balboa *in cap. cùm speciali, de appellat.* non tamen si aduocatus est familiaris, quia non æqualis suspicio est in eo, ac in parte, cùm causa, quæ disceptatur, non sit ipsius aduocati, nec ipse litiget, sed tantùm parti litiganti patrocinium præstet, argumento legis *qui cùm maior, §. patroni, ff. de bonis libert.* Pichardus *in manuduct. §. 10. num. 1.* quare rectè in præsenti deciditur, iustam non esse recusationis causam, si aduocatus familiaris sit, aut domesticus iudicis: docet Langleus *lib. 2. semestr. cap. 1.*

19. SOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant argumenta suprà adducta. Non primum deductum ex dicto capite *Postoralis*; procedit enim principium illud in facto ipso proponendo coram iudice; illud enim per se referre, & narrare debet actor; ius tamen, quod ex facto procedit, proponi, & allegari debet per aduocatum, *c. cùm causa 62. de appellationibus.* Nec obstat augmentum difficultatis; nam certum est, aduocatum à iudice parti assignatum, compelli posse patrocinium præstare, nisi assignetur contra fratrem, aut similem personam sanguine coniunctam, *l. humanitatis, Cod. de excusat. tutor.* vel si negotium ad se pertineat, *l. interdum, ff. de rei vind.* aut si litem improbam suscipere iubeatur, *l. rem, §. patroni, Cod. de iudiciis*; & aliis casibus mirâ eruditione illustratis à Langleo *lib. 1. semestr. cap. 1.* & ad praxim adductis à Carrasco *ad leges recopil. num. 33.* Sed cùm in nostro casu aduocatus non designaretur contra personam coniunctam; ideo compelli poterat monasterio patrocinium præstare. Nec obstat, quod de procuratore dicebamus: iure enim ciuili aduocatus magnoperè distat in hac parte à procuratore; nam procurator non ita necessarius est, ac aduocatus. Accedit, quia procurator mandato constituitur: sed mandatum suscipere nemo cogitur, *l. si mandauero 22. §. vltimo, ff. mandati:* vnde procurator inuitus nemo constituitur. Nec secundum argumentum obstat, quæ enim in eo expendebamus, procedunt in parte, quæ familiaris est ipsius iudicis; aut in teste: non verò locum habent in aduocato; testis enim deponit iuxta factum, & illi fides adhibetur, *cap. 2. de consuetudine*; aduocatus verò testis iuris est, nec illi creditur, nisi quantum de iure probat, *l. ab ea parte, ff. de probationibus.* Docent Hostiensis, & Butrius *in præsenti:* vnde aduocatus non recusatur ob easdem causas ac testis.

20. EXPONITVR CAP. PROVT 4. DE DOLO.

Primò superiori assertioni aduersatur textus *in cap. prout 4. de dolo & contumacia:* vbi cùm disceptaretur causa super quibusdam decimis, & reus aliquandiu contumaciter abfuisset, & deinde cautionem iuratoriam præstitisset, iudicioque sisti promisisset certo die, cùm comparuisset, noluit respondere, ea ratione, quia aduocatum non habebat, nec inuenire poterat. Quæsitum fuit, an ex eo legitimè excusatus esset? Vrbanus III. decreuit, illum non excusari à contumacia: ex quo decreto expressè constat, parti aduocatum non habenti succurrendum, aut consulendum non esse illum assignando, imò ad vlteriora esse procedendum. Augetur difficultas hac *ex cap. 1. vt lite non constat.* vbi parti asserenti se non inuenire aduocatum, induciæ præstantur, vt illum reperire valeat, nec interim contumax iudicatur: quod etiam probatur *ex l. si ab hostibus, §. vlt. l. ait Prætor, §. vlt. ff. ex quibus causis maiores, l. 1. Cod. de dilationibus:* igitur non rectè decreuit Vrbanus III. contumacem iudicari eum, qui aduocatum non habuit. Pro huius textus interpretatione dicendum est, in ea specie aduocatum parti non assignari, quia iam illum habebat; illum autem non expectari, quia ex dolo, & malitia abfuerat; & tunc nec ipse aduocatus expectatur, nec parti induciæ conceduntur: vnde in quibusdam libris rubrica illa, sub qua iacet textus *in dicto cap. prout 4.* ita concipitur. *De dolo & contumacia alterius partis punienda, & de aduocato non expectando*, vt referunt Cuiacius *in dict. cap. prout 4.* Antonius Augustinus *in notis ad eam rubric. in prima collect.* Si verò non ex malicia reus proponeret se aduocatum non habere, induciæ concederentur, aut aduocatus illi assignaretur; non tamen ex eo, quod aduocatus absit, & sententia proferatur, ideo irritabitur, *l. velamento, Cod. de postuland. l. 1. Cod. de repudiand. bonor. possess.* nisi causa fisci sit, iuxta textum *in l. si fiscus, ff. de iure fisci, l. vltima, Cod. de aduocat. fisci.*

Secundò

21. INTELLIGITR CAP. EX INSINVATIONE DE, APPELLAT.

Secundò aduersùs suprà traditam conclusionem expenditur textus *in cap. ex insinuatione 50. de appellation.* vbi inter Canonicos ex parte vna, & Camerarium ex parte alia lis vertebatur coram iudice ordinario. Camerarius ab eius sententia appellauit ad Romanum Pontificem iudex ipse, qui causæ illius fauebat, ex eo quod eius aduocatus commensalis erat, terminum præscripsit, intra quem partes Romæ comparerent, causamque disceptarent, & eâ finitâ reuerterentur: quæsitum fuit, vtrum iudex ordinarius iuxta, vel contra ius procederet? Et respondetur, iniustè eum terminum præscripsisse; & causa commissa fuit certis iudicibus delegatis. Ex qua facti serie facilè depromitur, iudicem suspectum esse ex eo, quod aduocatus commensalis erat; siquidem ab eo causa auocatur, & aliis iudicibus committitur: igitur etiam in nostra specie iusta recusationis causa erat nimia familiaritas ipsius aduocati cum iudice. Pro huius difficultatis solutione dicendum est, exceptionem illam commensalitatis aduocati reiectam fuisse à Romano Pontif. nec eam causam dedisse appellationi, aut delegationi; ideo enim causa commissa fuit iudicibus delegatis, quia quotiens ex iusta causa prouocatum est à iudice, non est illa causa remittenda, secus verò si iniustè & à nullo grauamine appellatum sit, *cap. cùm in Ecclesia, cap. accepta, de appellation.* Vnde cùm *in dicto cap. ex insinuatione*, appellatum fuisset ex iusta causa, non debuit negotium iterum ad ipsum remitti, sed potiùs diuersis iudicibus committi; quo modo intelligitur textus *in cap. 6. de appellation. in 5. compilat.* in illis verbis: [Significauerunt nobis ven. f. Episcopus, & dil. f. Decanus, & Capitulum Belvacen. quod Magister I. Siluanecten. Rothomagen. Canonicus, olim pro assequenda in Ecclesia Belvacensi præbenda nostras ad bonæ memoriæ Episcopum Parisien. & eius collegas litteras executorias impetrauit; cúmque iidem partes ad suam præsentiam conuocassent, pars prædictorum Episcopi, & Capituli recusarunt ipsum Parisien. Episcopum, vt suspectum, pro eo, quod aduocatum partis alterius clericum, & commensalem suum contra eos in causa eadem, eis reclamantibus admittebat, cùm dixisset publicè, sicut erant parati sufficienter probare, se scire firmiter, tanquam qui in tractatu ipsius negotij fuerat coram ipso Episcopo, qualiter res esset huiusmodi processura: atque ad cognoscendum de causa suspicionis huiusmodi arbitros petierunt; quos quia ipsi iudices denegauerunt eisdem, pro parte ipsorum fuit ad nostram audientiam appellatum. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, reuocato in statum debitum quidquid post appellationem huiusmodi inueneritis temerè attentatum, in causa iuxta priorum continentiam litterarum app. remotâ, ratione præuiâ procedatis.]

22. EXPONITVR CAP. INSINVANTE, DE OFFIC. DELEG.

Tertiò aduersatur traditæ assertioni textus *in cap. insinuante 25. de officio delegati*; vbi cùm controuersia verteretur inter quemdam Rectorum, & Thomasium super iure parochiali, causa fuit commissa Episcopo Vvigornien si, eius vicario, seu officiali, & coniudici, cum clausula, *quod si non omnes.* Lite contestata, & testibus iam receptis, prædictus Episcopus Rectorem in suum familiarem admisit, vnde Thomas exceptionem dilatoriam recusationis proposuit; nam cùm de nouo emersisset, potuit eam post litem contestatam apponere, *c. pastoralis 4. de exceptionibus, l. Iulianus 17. ff. de iudiciis.* Osualdus *lib. 17. ad Donel. cap. 2. littera O.* petiitque vt causa aliis iudicibus committeretur. Romanus Pontif. aliis iudicibus eam commisit terminandam. Ex quo Pontificis decreto deducitur, non solùm recusari potuisse Episcopum prætextu familiaritatis cum litigatore, verùm & eius vicarium, seu officialem: igitur in nostro textu iusta causa recusationis erat, si aduocatus iudex familiaris, & domesticus erat. Accedit, nam recusato iudice ordinario, eius Vicarius de causis, tam ciuilibus, quàm criminalibus cognoscere potest, *l. vnic. Cod. si quacumque præditus*: igitur in eo textu etiam recusato Episcopo eius familiaris in causa procedere valebat. Huic difficultati vt satisfaciant antiquiores in eo textu, affirmant Episcopum Vvigornien sem iustè recusari ob partis familiaritatem; quia sicut testis familiaris, ita iudex recusari potest, *c. accusatores 3. q. 5. cap. in litteris, de testibus*; iudex enim, qui quolibet modo fauet vni parti, recusari valet, *c. super 27. §. si verò, cap. suspicionis, de offic. delegat.* Officialem verò iam vt suspectum in eo textu recusari, quia creditur facilè ab ipso Episcopo peruerti posse, cùm moris humani sit illum vereri, cuius iudicio, & voluntate nunc erigimur, nunc deprimimur, *cap. 1. 16. quæst. 2.* Vnde cùm præsumeretur, vicarium in eo textu obsequij ratione ad Episcopi placitum trahi posse, iustè ob suspicionem Episcopi ipse recusatur, vt pluribus relatis docet Narbona *de appellation. à Vicario, part. 1. num. 135.* Nec obstat textus *in dicta l. vnic.* Cui respondendum est, eum specialiter procedere in Vicario Præfecti Prætorio, cui dirigitur constitutio illa. Vicarius enim Præfecti Prætorio mittebatur in prouincias cum propria iurisdictione, non ab ipso Præfecto, sed à Principe data, *l. 1. §. 2. ff. de legat. 3. l. 1. Cod. de officio Vicarij, l. vltima, Cod. de modo multar.* quare cùm proprio iure iurisdictionem haberet, cessat ratio obsequij erga Præfectum. Vnde ex causa suspicionis Præfecti non recusatur Vicarius. Docent Germon. *lib. 2. animaduers. cap. 21.* Narbona *vbi supra, num. 129.* Quam differentiam inter Vicarium Præfecti, & alios pulchrè describit Cassiodor. *lib. 6. epist. 3.* ibi: *Vices agentium mos est sic iudicum voluntatibus obedire, vt suas non habeant dignitates: splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprij non habent iura fulgoris. Tu autem Vicarius iure diceris, & tua priuilegia non relinquis, quando propria est iurisdictio, quæ datur à Principe: habes enim Præfecti aliquam portionem, & vice sacrâ sententiam dicis.*

Ex suprà traditis exponendus est textus *in cap. causam 17. de offic. delegat.* cuius aliæ partes extant *in cap. 3. de dolo, cap. causam 4. cap. causam 7. qui filij sint legit.* vbi proponitur, eam causam natalium commissam fuisse Episcopis Londinen si, Exonien si, & Vvinton. sed vnus ex litigatoribus proposuit collitigatorem suum domesticum esse, & familiarem Episcopi Londonien sis; vnde eum vt suspectum remoueri petebat. Alexand. III. consultus in eius locum substituit, & subrogauit Abbatem Fordensem ex rationibus suprà adductis; quia licèt aduocatus ex eo, quod familiaris sit iudicis, non possit recusari; attamen si aliquis ex litigatoribus commensalis sit ipsius iudicis, recusari iudex valet, vt suprà sæpesæpius inculcaui, ex qua etiam ratione, & simili modo exponendus est textus *in cap. accedens 2.* vt lite non contestatâ.

23. EXPONVNTVR CAP. CAVSA, DE OFFIC. DELEG. CAP. 2. VT LITE NON CONTEST.

CAPVT II.

Gregorius a IX.

IVdicis officium vbicumque pro actione proponitur, veluti cùm restitutio in integrum principaliter postulatur, litis contestationem exposcit; aliàs ante, & post ingressum causæ potest ad hoc sine litis contestatione haberi recursus.

NOTÆ.

a *Gregorius.*] Qui præsentem constitutionem motu proprio edidit.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR.

CVm plerumque in vtroque iure, tam ciuili, quàm canonico legamus, officium iudicis in his, quæ ad eius officium spectant, versari: in iure ciuili, vt prouideat circa ea, quæ in iudicio emergunt, *l. ædiles*, §. *item*, *ff. de ædilitio edicto*, vt iubeat præstare quantùm reuerà debetur, *l.* 4. §. *item quæritur*, *ff. de doli except.* circa aquam publicam arcendam, *l. supra*, §. *officium*, *ff. de aqua pluuia:* in rei vindicatione, *l. officium*, *ff. de rei vindicat.* circa æstimationem iniuriæ, *l. sed non* 16. *ff. de iniuriis*; circa præstationes faciendas, *l. fideiussor* 45. *ff. de fideiussor.* ne defunctorum corpora insepulta detineantur, *l. nec corpora* 38. *ff. de religios.* vt ligna in testamentis recognoscantur, *l.* 4. *ff. quemadmodum testament.* vt iubeat cautionem præstari, *l. si domus* 21. §. 1. *de legat.* 1. & alia, de quibus *in l. Mœuia* 44. *ff. de manum. testam. l. si maritus*, *ff. de fundo dotal. l. seruus* 34. §. *vlt. ff. de statuliber. l. Diuus* 22. §. *vlt. ff. de vsu & habitat.* & congestis à Brisson. & Caluino *verbo Officium iudicis:* in nostro etiam iure imploratur officium iudicis, vt aduocatum parti nominet, *cap.* 1. *hoc tit.* beneficium restitutionis concedat, *cap.* 1. *de in integrum restit.* locum tutum partibus ad comparendum assignet, *cap. ex parte*, *de appellation.* iuramentum relaxet, *cap.* 1. *de iureiur.* electionem confirmet, *cap. postquam*, *de election.* delicta inquirat, *cap. qualiter*, *de accusation.* & puniat, *cap. ad nostram*, *de iureiur.* In his ergo, & aliis casibus Gregorius nonus regulam generalem assignauit, vt cognosceretur, quando necessaria sit litis contestatio, vt iudicis officium imploretur, vel non; & sequenti vtitur distinctione. Vel officium iudicis pro actione proponitur: vel cùm alia actio competit iudicis officium imploratur. Primo casu necessaria est litis contestatio; in secundo verò in ingressu litis, & postea sine litis contestatione proponi potest. Ex qua breui sententia sequentem deducunt Doctores assertionem: *Cum imploratur officium iudicis nobile, loco actionis sit litis contestatio; si verò mercenarium, ante, & post litis contestationem implorari potest.* Probant textus *in cap. cùm dilectus* 2. *de purgat. canonic. cap. cùm olim, de testibus, cap. significante* 69. *de appellation. cap. accedens* 2. *vt lite non contest. iuncto cap. consultationibus* 10. *de officio delegati, l. Papinianus*, §. *vltim. l. quod si minor*, §. *vlt. ff. de minorib.* Illustrant Baldus, Hostiensis, & alij communiter repetentes ad hunc textum Mauritius *de in integr. restit. cap.* 136. Sfortia *eod. tract. part.* 1. *quæst.* 35. *art.* 6. Sichardus *in l.* 3. *Cod. de in integr. restit.* Donel. *lib.* 21. *comment. cap. vltim.* Vulteius *de iudiciis libro* 2. *cap.* 4. *numero* 479.

2. INPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Hæc assertio impugnatur sequentibus rationibus. Prima militat aduersùs eam partem, vbi asseritur, officium iudicis non posse implorari absque litis contestatione, cùm actio deest; nam si imploratur officium iudicis, non potest deesse actio; siquidem ipsum officium iudicis pro actione accipitur, *l. si quis stipulatus* 43. *ff. ex quibus caus. manum. l.* 1. §. 2. *de Prætor. stipul.* Vulteius *lib.* 2. *de iudiciis*, *cap.* 4. *num.* 12. ergo semper desideratur litis contestatio. Secunda ratio dubitandi militat contra exemplum à Gregorio nostro adductum, restitutionis videlicet in integrum; nam restitutio in integrum non per modum actionis in iudicio proponitur, cùm actio non sit, *l. in causa*, *l. quod si minor*, §. *vlt. ff. de minor.* Arnold. Vin. *lib.* 1. *select. quæst.* 10. in modum exceptionis apponitur plerumque, vt *in cap. causam*, *de in integr. restit. l. nec non* 28. §. *exemplo*, *ff. ex quibus caus. manum.* Docent Faber *in l. in causa*, *ff. de minor.* Osualdus *lib.* 21. *comment. Donelli*, *cap.* 4. *littera G.* ergo non rectè hîc asseritur actionis modo in iudicio proponi, & ideo necessariam esse litis contestationem. Tertia difficultas militat contra eam partem, in qua asseritur, ante, & post litis ingressum officium mercenarium iudicis posse implorari; nam litis contestatio fundamentum, & lapis angularis iudicij est, & substantia ordinis iudiciarij, *cap. dudum*, *de election. cap. cùm causa, de appellat. cap. super quæstionum*, *de officio delegat.* sine qua omnia vitiantur, & ante eam non lis, sed controuersia dicitur, *l. sed si* 25. §. *si ante* 7. *ff. de petit. hæredit.* & actorem non petere, sed velle petere, scripsit Paulus *in l. amplius* 15. *ff. rem ratum:* quod etiam refertur *in cap. ex parte*, *de verb. signif.* igitur nunquam vtiliter sine litis contestatione officium iudicis implorari valet.

3. OFFICIVM QVID SIT.

His difficultatibus non obstantibus vera est suprà tradita assertio. Pro cuius expositione sciendum est, verbum *officium*, esse generale, omneque ministerium comprehendere, *l. legatis* 65. §. *si ex officio*, *ff. de legat.* 3. Cuiac. *lib.* 9. *obseruat. cap.* 17. Quandoque ad rem refertur, *l.* 1. *ff. de regul. iur.* aliquando ad loca, vbi officia exercentur, *l. eum* 17. *ff. de in ius vocando*, *l. si fideiussor*, *ff. qui satisdare cogant. l. Sempronia* 72. *ff. de furtis*, *l.* 4. §. *proficisci*, *ff de officio proconsul.* Magis propriè ad homines refertur, idque significat, quod cuique competit, vel ex honestate, vel ex necessitate, vel ex munere, vt *in l.* 2. *ff. de regul. iur. l.* 2. §. 1. & 2. *ff. de his*, *quibus vt indig.* Hæc officia cùm à iudicibus exerceantur, ipsi latè appellantur officia, *l. illicitas*, §. *nec tenuit*, *ff. de officio Præsidis*, & ministri officiales, *l. Præsidis* 34. *ff. de rebus credit. l. penult. ff. de bonis damnat.* officium iudicis in varias species diuiditur à Doctoribus, vt in merum & mixtum à Vulteio *lib.* 2. *de iudic. cap.* 4. *num.* 40. Vinio, Mancio & Pichard. *in rubric. Instit. de officio iudic.*

iudic. in noſtro textu diuiditur in nobile, & mercenarium; quam diuiſionem licèt reiiciant Vaconius à Vacuna *lib.6. declarat. cap.78.num.11.* Corraſ. *lib.7.miſcellan.c.9.* eam tamen amplectuntur Pichard. & omnes Inſtitutarij *vbi ſuprà.* Et vt eam exponamus, ſciendum eſt, officium iudicis nobile appellari, quod iudex iuris authoritate exercet, cùm ad inſtantiam partis illud impartitur, non deſeruiens alicui actioni, ſed ipſum iudicis officium pro actione proponitur, veluti quando concedit in integrum reſtitutionem, vel cùm officium impartitur illi, qui ſtricto iure nullam habet actionem, ſed ſolùm ex æquo, & bono, vt *in l. qui per collationem* 49.§.1. *ff. de actione empti*, *l. centum* 8. *ff. de eo, quod certo loco*, *l.quæro* 54. *ff. locati*; vel cùm imploratur officium ab eo, qui cum alio nullam habet controuerſiam, ſed petit aliquid, quod eius interſit, veluti reſtitutionem famæ, honoris, ſeu natalium. Docet Doctor Olea *de ceſſion. iur. tit.* 3. *quæſt.*8. *num.* 46. Mercenarium autem iudicis officium eſt, quod actioni in iudicio propoſitæ deſeruit, & tunc officium iudicis idem eſt, quod actio, *l.inquilino*, *ff. de damn. infect. l.non* 40. *de iudiciis*, *l.idem* 10. §.2. *ff. mandati*, *l.Ædiles* 25. §. 8. *l. item* 30. *l.* 1. *cum l. ſequenti*, *l. bouem* 43. § *aliquando*, *ff.de ædilitio edicto*; nam iudex actione in iudicium deducta officium exercet ad normam, & menſuram actionis, vel in ea inſtituendi, interrogationibus faciendis, probationibus recipiendis, vel vſuris, fructibuſque æſtimandis: quidquid autem tunc iudex interloquitur, fieri dicitur ex officio iudicis mercenario, *l. ædiles* 25. §. *item*, *ff. de ædilit. edict.* & ſententiâ prolatâ iudex functus dicitur officio ſuo mercenario, *l.iudex* 55. *ff. de iudiciis.* Alia etiam, quæ ad officium mercenarium ſpectant, tradunt Zaphius, & Orozius *in l.*1. *ff. de iuriſdict.* Pichard. *in l.*3. *C. ex quib. cauſ. maior.* Stephanus Pomeranus *lib.*1. *de iudiciis*, *num.*42. Bocerus *de iuriſdict. quæſt.*3. Valenzuel. *conſil.*86. *num.*56.

4. OFFICIVM IVDICIS NON EST ACTIO.

Secundò ſciendum eſt, officium iudicis implorari, cùm deeſt actio, qua vt ordinario remedio ius ſuum actor proſequatur, *l.hæreditas*, *ff. de petit. hæredit. l. Quintus* 7. *ff.de annuis legat.* & tunc loco actionis ſuccedit officium iudicis, licèt naturam actionis non habeat. Azo *in rubr. Inſt. de offic. iud.* Giphanius *in l. actionis* 37. *ff. de obligat. & action.* Vnde licèt actio ex iure ſtricto naſcatur, officium tamen iudicis ex æquitate prouenit. Oſuald. *lib.*19. *ad Donel. cap.* 1. *litera P.* Nec contrarium probant textus *in l. actionis* 34. *l. pecuniæ* 178. §. *actionis*, *ff.de verb. ſignif.* vbi aſſeritur, actionis verbo contineri perſequutiones extraordinarias: igitur & officium iudicis, vt extraordinarium appellatione actionis continetur. Nam reſpondendum eſt, perſequutiones extraordinarias in illis textibus appellari eas, quæ olim dabantur ſine certa verborum formula, de quibus *in l.*1. *ff. ſi menſor falſum modum*: docet Vulteius *diſcept. cap.*1.

5. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus profluit ratio decidend ad hunc textum; nam ſi officium iudicis nobile cùm implo-ratur, ſuccedit loco actionis, iudicialis ordo debet obſeruari, & litis conteſtatio fieri, cùm in iudiciis ordinariis deſideretur litis conteſtatio, *cap.*1. *de litis conteſtat.* at verò cùm iudicis officium mercenarium imploratur, non eſt neceſſaria litis conteſtatio, ſed antea, vel poſtea præſtari poteſt; quia tunc imploratur contra partem, & poſt litem cum ea in principali cauſa conteſtatam: quæ conteſtatio principalis extenditur ad acceſſoria; & ideo tunc officium iudicis mercenarium non poſcit litis conteſtationem ſpecialem, vt contingit in exceptionibus peremptoriis, quæ ante, & poſt litis conteſtationem opponi poſſunt. Docent Viuianus *in rationali*, & Hoſtienſis *in præſenti.*

6. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obſtant dubitandi rationes ſuprà adductæ. Non prima, cui ſatisfactum iam eſt ex differentia adducta inter officium iudicis nobile, & mercenarium. Nec ſecunda aduerſatur; fatemur enim reſtitutionis beneficium iure actionis non peti, ſed tantùm ad illud aſſequendum implorari iudicis officium; nam cùm Prætor reſtituionem pollicetur ex aliquo capite, non ait, ſe actionem daturum, ſed animaduerſurum, *l. quod ſi minor* 24. §. *vlt. ff. de minor.* Notauit Vinius *lib.* 1. *ſelect. quæſt.* 10. Nec contrarium ſuadet noſter textus; tantùm enim Gregorius affirmat, tunc loco actionis officium iudicis implorari: ergo quia non eſt propriè actio. Deinde nam officium iudicis eſt ſubſidiarium remedium, daturque cùm aliud non competit, *l.in cauſa* 13. *ff. de minor.* Gentilis *lib.*2. *de iuriſdiction.cap.*22. Donel. *lib.*21.*comment.cap.*4. Nec obſtat textus *in l.in cauſa* 16. in illis verbis, *alia actio*; in quibus ſupponi videtur, reſtitutionis remedium iure actionis competere. Nam reſpondetur, quod licèt plerumque particula, *alius*, vel, *alia*, ſit repetitiua ſimilium, *l.quidam*, *ff.de rebus dubiis*, *l.ſi fugitiui*, *Cod. de ſeruis fugit. authentica teſtamenta*, *C. de teſtament.* Sanchez *de matrim. lib.*3. *diſput.*20. *num.*2. tamen non ſemper eſt ſimilitudinis; & cùm coniecturæ adſunt in contrarium, repetitiua non eſt, *l.*1. §.*debitum*, *de conſtit. pecun. authentic. qui ſemel*, *Cod. quomodo*, *& quando*, *cap. Nouatianus* 2.*quæſt.*1.Barboſ. *de diction.verbo Alius.* Vnde cùm *in dict. l. in cauſa*, conſultus ſtatim appellet reſtitutionem remedium extraordinarium, rectè dicimus particulam *aliam*, in eo textu non importare ſimilitudinem inter actionem, & reſtitutionem. Nec vltima difficultas refragatur, nam verum eſt, officium iudicis ante, & poſt litis conteſtationem implorari poſſe: poſt, quia cùm lis ſit conteſtata ſuper negotio principali, non eſt neceſſaria noua litis conteſtatio: antea, quia cùm non procedatur iure ordinario in hoc caſu, ſed extraordinario, ſufficit, vt poſtea libello exhibito pars citetur, & per conſequens lis conteſtetur.

7. EXPONITVR CAP. SIGNIFICANTE, DE APPELLAT.

Primò ſuperiori aſſertioni aduerſatur textus *in c.ſignificante* 69.*de appellat.* vbi proponitur, Decanum, & Canonicos Eccleſiæ Magduni, quæ eſt canonicorum regularium in prouincia Turonenſi, aſſeruiſſe ius habere, vt in ſuis tantùm ſtallis, menſiſque, ſeu macellis carnifices carnes venderent. Epiſcopus Aurelian. negabat hoc ius Canonicis competere: aſſumptis iudicibus ex conſenſu vtriuſque partis, Epiſcopus alibi, quàm in prædictis ſtallis carnem vendere permiſit. Canonici officium iudicum implorando petebant, vt clauſis Epiſcopi officinis omnia in priſtinum ſtatum reſtituerentur: Epiſcopus opponebat non poſſe iudices illos ante diem conſtitutum ex conſenſu vtriuſque partis, & ante litem conteſtatam ea de re cognoſcere. Et quia iudices neglectâ hac exceptione in cauſa proceſſere, Epiſcopus appellauit ad Roman. Pontif. & Gregorius nonus reſcripſit, legitimè appellatum eſſe. Hactenus facti ſeries; ex qua conſtat, officium iudicis mercenarium implorari non poſſe ante litis ingreſſum: ergo non rectè aſſerimus in præſenti, officium iudicis mercenarium implorari poſſe ante, & poſt litis conteſtationem,

ſtationem. Huic difficultati vt ſatisfaciat Gloſſa *in dict. cap. ſignificante*, *verbo Super his*, aſſerit diſcrimen verſari inter noſtrum textum, & eamdem deciſionem; quia textus noſter procedit in iudice ordinario: textus verò *in dict. cap. ſignificante*, in iudice delegato. Sed hæc Gloſſæ ſolutio conuincitur ex illis verbis abſolutis, & generalibus noſtri textus, *iudicis officium*; quæ iunctâ ſententiâ Butrij in præſenti, æqualiter ſunt accipienda de iudice ordinario, ac de delegato: quare eâ omiſsâ rectiùs dicendum eſt cùm eadem Gloſſa, quod in eo textu officium iudicis implorabatur tempore, quo nullum officium iudicis erat; ſiquidem certum tempus aſſignatum fuit, intra quod partes comparerent: quare interim officium iudicis conquieſcit, *l. ſi verò*, *Cod. de dilation.* Vnde in ea ſpecie non erat iudicis officium quod imploraretur.

8. INTELLIGITVR CAP. ACCEDENS, VT LITE NON CONTEST.

Secundò opponitur textus *in cap. accedens 2. vt lite non conteſt.* vbi proponitur, controuerſiam agitari inter Archiepiſcopum Tyrenſem ex parte vna, & Plebanum, ideſt, Parochum Eccleſiæ ſancti Marci ex altera. Plebanus enim ſuis finibus non contentus cuiuſdam Eccleſiæ Tyrenſis adminiſtrationem vſurpauit; vnde dictus Archiepiſcopus coram Berytenſi Prælato, & aliis iudicibus delegatis beneficium reſtitutionis poſtulauit. Plebanus priùs contumax comparuit, & inducias petiuit; & promittens iudicio ſiſti, abfuit; vnaque parte præſente, Archiepiſcopus remedio reſtitutorio agebat. Plebanus verò nihil reſpondebat, imo ad Sedem Apoſtolicam appellauit, ea causâ adiectâ, quod Berytenſis Epiſcopus, & alius coniudex ſuſpecti videbantur, quia ſuffraganei erant partis aduerſæ, Archiepiſcopi videlicet Tyrenſis: iudices nihilominus in cauſa proceſſerunt, & reſtitutionem Epiſcopo conceſſerunt. Causâ ad Innocentium tertium delatâ, ipſe ſententiam irritauit ex eo, quia ante litem conteſtatam ſententiam ferre non potuit; & cauſam commiſit aliis iudicibus. Ex qua ſpecie magnæ oriuntur difficultates. Prima, nam ſi vtraque parte præſente officium iudicis, ſeu beneficium reſtitutionis fuit imploratum, lis fuit conteſtata, & tamen non ſufficit: igitur litis conteſtatio non eſt ſufficiens, vt imploretur iudicis officium. Secunda, nam etſi pars Plenani contumaciter abfuerat, iuſtè beneficium reſtitutionis concedi potuit, *l. in cauſa* 13. *ff. de minor.* causâ enim cognitâ, & præſentibus aduerſariis, vel ſi per contumaciam abſint, in integrum reſtitutiones perpendendæ ſunt: igitur etſi *in dict. cap. accedens*, abfuerat Plebanus, beneficium reſtitutionis concedi potuit. Tertia ex eo naſcitur, quia ſuſpicionis cauſa allegata omni veritate carebat; ſiquidem Berytus æqualiter Metropolis erat ac Tyrus, *l. vnica, Cod. de Metropoli Beryto*, vbi Cuiac. Berterius *diatrib. 1. cap. 2.* ergo cauſa ſuſpicionis falſa erat. Quas difficultates, ſicut nemo agnouit, ita nec diſſoluit; pro earum tamen ſolutione exiſtimo, in eo textu imploratum non fuiſſe officium iudicis ad concedendum reſtitutionis beneficium; ſed tantùm actum fuiſſe beneficio reſtitutorio, vt poſſeſſio ablata reſtitueretur, ad quam neceſſaria erat litis conteſtatio: & cùm nunquam fuiſſet conteſtata propter partis contumaciam, non potuit ſententia diffinitiua proferri, vt ipſe Innocentius fatetur. Secundæ difficultati reſpondendum eſt, iura in ea adducta procedere, quando partes iniuſtè abfuerant, & contumaciter; quæ pro præſentibus habentur, *authentic. quæ in prouincia, Cod. vbi de criminib. nouell. de iudiciis*, §. *appellationes.* At in hoc textu ob iuſtam cauſam, videlicet iudicum ſuſpicionem, pars abfuerat, & ſic contumax non præſumitur. Vt tertiæ difficultati ſatisfaciamus, ſciendum eſt, non ſemper in eadem ciuitate ius Metropoliticum obſeruari quoad regimen Eccleſiæ, ac quoad forum ciuile; non enim iuxta nouam formam Imperatoris alicui prouinciæ datam mutatur ſtatus dignitatum eccleſiaſticarum, vt ex Baſilio & Innocentio probat Cuiac. *in dict. l. vnica, Cod. de Metropoli Beryto.* Vnde quoad forum ciuile Berytus Metropolis erat; quoad regimen verò Eccleſiæ ſuffraganea Archiepiſcopi Tyrenſis: quia tantùm Epiſcopali Cathedrâ decorabatur, vt docent Berterius *dict. cap. 2.* P. Marcha *lib. 2. concord. cap. 8. num. 1.* Quare Plebanus iuſtam recuſationis cauſam propoſuit, videlicet iudicem delegatum eſſe ſuffraganeum partis, vt docet Germonius *lib. 1. animaduerſ. cap. 10.*

9. De hoc etiam officio iudicis, tam nobili, quàm mercenario exaudiendi ſunt textus *in l. planè 38. de petit. hæredit.* iuncto Cuiac. ibi *lib. 2. reſponſor. Papin.* & *lib. 22. obſeru. cap. 33. in fin. l. vltima, Cod. de petit. hæredit. l. & qui 9. l. ſi vendidero 80.* §. *ſi Titius 5. ff. de furtis*, iunctis Cuiac. ibi *lib. 2. reſponſ. Papin.* & Fabro *lib. 4. coniect. cap. 1. l. 1. Cod. ſi minor ſe ab hæreditat. l. ſi reus 73. in fine, ff. de procurator, l. 1. aliàs 2. Cod. de duobus reis*, iuncto Fabro *lib. 11. coniect. cap. 17. l. 2.* §. *idem Iulianus, l. centum, ff. de eo, quod certo loco, l. 2. Cod. de non numerata*, iuncto Acoſta *in l. ſi ex cautione*, §. *officium iudicis, Cod. eodem tit. l. 3. ff. de alienat. iudicij, l. Prætor 15. ff. de noxalib. l. ſi alius 7.* §. *belliſſimè 3. ff. quod vi, aut clam, l. inquilino 33. l. cùm poſtulaſſent 44.* vbi plura Cuiac. *ff. de damno infecto, l. non quiſquis 40. ff. de iudiciis, l. ſi nauis 62. ff. de rer. vend. l. 10.* §. *ſi ex fundo, ff. mandati, l. Ædiles 25.* §. *item 8. l. item 3.* §. *1. l. quod ſi 31.* §. *ſed hoc, l. bouem 43.* §. *aliquando, ff. de Ædilit. edict.*

TITVLVS

TITVLVS XXXIII.

De maioritate & obedientia.

CAPVT I.

[a] Gregorius *Augustino Episcopo Anglorum.*

CVm certum sit, pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reseruari: nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere, vt in spiritualis operis studio ex remuneratione valeant multipliciùs insudare. Et quia noua Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente, & te laborante perducta est, vsum tibi [b] pallij in ea ad sola Missarum solennia agenda concedimus, ita vt per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ ditioni subiaceant; quatenus Londoniensis Episcopus ciuitatis semper in posterum à Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & Apostolica, cui auctore Deo deseruio, Sede percipiat. Ad [c] Eboracensem verò ciuitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse iudicauerimus ordinandum: itavt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, vt Metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere Domino fauente proponimus; quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subiacere. Post obitum verò tuum ita Episcopis, quos ordinauerit, præsit, vt [d] Londonienſis Episcopi nullo modo ditioni subiaceat. Sit verò inter Londoniæ, & Eboracæ ciuitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur, qui priùs fuerit ordinatus. Communi autem consilio, & concordi actione quæcumque erunt pro Christi zelo agenda, disponant, vnanimiter recta sentiant, & ea, quæ senserint, non sibimet discrepando perficiant. Tua ergo fraternitas non solùm eos Episcopos, quos ordinauerit, nec eos tantummodo, qui per Eboracensem Episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat Domino Deo nostro authore subiectos, quatenus ex vita, & lingua tuæ sanctitatis, & rectè credendi, & bene viuendi formam percipiant, atque officium suum fide, ac moribus pro sequentes, ad cælestia, cùm Dominus voluerit, regna pertingant.

NOTÆ.

1. a *Gregorius.*] Ita legitur apud ipsum Gregorium *lib.* 12. *epist.* 15. & post Concilium Lateran. sub Alexand. III. *part.* 44. *cap.* 1. & *in cap.* 1. *sub hoc tit. in* 1. *collect.* Cùm enim Anglia ad fidem conuersa esset prædicatione magni Augustini monachi Benedictini anno 597. vt referunt Beda *lib.* 2. *historiæ Angliæ*, *cap.* 1. & *cap.* 25. & 26. Candenus *in sua Britannia*, *pag.* 104. ibi: *Augustinus, quem vulgò Anglorum Apostolum dicunt, huc missus à Gregorio Magno, sublatis ethnicæ impietatis portentis, felicissimo successu in Anglorum animis Christum inhærendo ad christianam fidem conuertit.* Et in suis resíduis *pag.* 364. *Augustinus primus prædicauit Christum genti Anglorum.* Baleus *cent.* 1. *cap.* 73. *Et Helbertus omnium Anglorum primus à Gregorio primo Romano Pontifice Romanæ Religionis dogmata per Augustinum recepit.* Et *cent.* 14. *cap.* 1. *Augustinus à Gregorio primo ad Anglos Saxones Papisticis traditionibus initiandos Apostolus primus mittitur.* Latè ex scriptoribus illius Regni refert Richardus Smitheus *lib.* 1. *in florib. Angliæ*, *cap.* 2. Inde S. Augustinus vocatur Genitor, & Apostolus Anglorum, vt probat contra Protestantes idem Smitheus *cap.* 3. *cum sequentibus vsque ad* 24. Cùm ergo consuluisset B. Gregorium Diuus Augustinus variis super rebus spectantibus ad regimen ipsius prouinciæ, & præcedentiis inter Londonienſem, & Eboracensem Præsules, in præsenti illi rescribit Gregorius, cuius epistolam integram damus ex eius regiſtro; & cùm eam non perlegissent antiquiores, plura pertractarunt prorsus aliena à mente Pontificis.

b *Pallij.*] De cuius vsu, origine & forma egi *in cap.* 1. *de authorit. & vsu Pallij.*

c *Eboracensem.*] De qua Ecclesia aliqua adduxi *in cap.* 4. *de rescriptis.*

d *Londonienſis.*] Londinum præcipua, & antiquior Metropolis Britanniæ est: ab Ammiano Marcerllino dicitur Augusta, *lib.* 27. & 28. Metropolis Orientalium Saxonum appellatur à Beda *lib.* 2. *histor. Angliæ*, *cap.* 7. 2.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. EX hac epistola, siue eius fragmento, provt extat in hac sexta Decretalium collectione, generale axioma deducunt Interpretes: *Prius ordinatus, maior & prior habendus est.* Illud probant textus *in cap. Episcopus*, 17. *dist. cap. placuit*, 18. *dist. cap. quando* 8. *dist.* 44. *cap. Episcoporum* 5. *dist.* 74. *cap. finali, dist.* 75. *cap. finali*, 89. *dist. cap. factus* 5. 7. *quæst.* 1. *cap. duobus* 51. 27. *quæst.* 2. *cap. laicis* 16. *quæst.* 7. *cap. finali, de constit. cap. dudum* 1. *de elect.* Concilium Nicænum *canone* 18. Brachar. 1. *canone* 24. *Conseruato Metropolitani Episcopi primatu cæteri Episcoporum, secundùm suæ ordinationis tempus alius alij sedendi deferat locum.* Toletanum 4. *can.* 3. Synodus 6. *can.* 7. Carthag. 4. *can.* 87. & 90. Concil. African. *can.* 53. & 56. Meliuitanum *can.* 13. & 14. Diuus Gregor. *lib.* 7. *epist.* 114. Leo *epist.* 15. Gelasius *epist.* 1. *cap.* 15. Lucius *in epist. ad Episcopos Occident.* Hincmarus *epist.* 6. *cap.* 16. Faciunt textus *in l.* 1. *ff. de albo scribendo, l. vnica, Cod. de Consulibus, lib.* 12. *l.* 1. *Cod. de Præfectis, lib.* 1. *l.* 1. *Cod. de præpositis sacri cubiculi, lib.* 12. *l.* 2. *Cod. de Primicerio, eod. lib. l.* 4. *Cod. de priuileg. eorum, eod. lib. l.* 3. *Cod. de tyronibus, eod. lib. l. vltima, ff. de fide instrum. l. honores* 7. *ff. de decurionibus, l. binos* 10. *Cod. de aduocat.* 1. *l. nemo* 8. *Cod. de aduocat.* 2. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & *de potest. Episcopi part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 8. *num.* 65. & *in select. ad textum in cap. cùm olim, de consuet.* & *in cap. est ordo* 33. *quæst.* 5. & *in remiss. ad Tridentinum, sess.* 2. *num.* 6. Langleus *lib.* 7. *semestr. cap.* 7. & 8. Amaia *in l. finali, Cod. de decurionibus, lib.* 10. Goldastius *lib.* 1. *de meiorat. cap.* 17. *num.* 3. Sauarus ad Sidonium *lib.* 1. *epist.* 11. Nouarius *de grauamin. tomo* 2. *grauam.* 153. Limineus *de iure pub. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 67. Valenzuela *consil.* 34. Petrus Gregorius *lib.* 4. *de repub. cap.* 10. Iustel. *in can.* 86. *Ecclesiæ African.* Fornerius *lib.* 2. *selectar. cap.* 21. Contelorius *de præcedentiis, cap.* 4. Ferto Manrique *eod. tract. quæst.* 1. Langleus *lib.* 2. *semestr. cap.* 7. 8. & 9. Gratian. *disceptat. forens. cap.* 298. & 492. Tamburinus *tomo* 3. *de iure Abbat. disput.* 5. *quæst.* 11. Valenzuela *tomo* 1. *consil.* 34. *num.* 32. Hermosilla *in* 5. *part. glos.* 2. *prolog. num.* 4. Grotius *lib.* 2. *de iure belli, cap.* 5. *num.* 21. Æneas Siluius *in hist. Concilij Basil.* Altamiran. *de filiis official. cap.* 9. *num.* 2. & *cap.* 11. *num.* 1. Ioannes Dartis *in decretum*, 15. *dist. pag.* 34. Renatus Chopinus *lib.* 1. *sacræ politiæ, tit. vlt. num.* 13. Filesacus *in cap. quoad Sedem, de officio Ordin.* §. 4. Cabedo *tomo* 1. *decis.* 3. *cum sequentibus.* Hallierius *de Hierarch. Ecclesiast. pag.* 675. Valdes *de dignitate Regis Hispan. cap.* 5. & 6. Gonzalez *variar. cap.* 14. Tamayo de Bargas *en sus nouedades, noued.* 6. Escobar *de Regia & Pontif. iurisdict. cap.* 2. *num.* 117. Sahabedra *in chron. Goth. pag.* 308. Chenu *in serie Episcopor. Dolensium, in principio.* Peña *tomo* 1. *decis.* 311. *Rotæ*, & 583.

4. TRADITVR RATIO DVBITANDI. Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur ex sequentibus considerationibus. Prima nascitur ex eo; nam sicut apud Deum, ita nec in Ecclesia acceptio personarum debet dari, *c. cùm decorem, de instit. c.* 1. *de coniugio seruor. cap. nullus* 4. *q.* 4. & merita sunt inspicienda potiùs, quàm temporum antiquitas, vt ait Diuus Gregorius *lib.* 6. *epist.* 29. non loca, vel ordines Creatori nostro nos faciunt proximiores, sed nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt: & *cap. sicut excellentiam* 23. *q.* 4. legitur, quod apud Deum non locus elegantior, sed vitæ comprobatur melioratio; nec ex eo, quod priùs ordinatus quis sit, melior haberi debet. Nam vt ait imperator *in l. nemo, Cod. de officio Magistri militum: Is gradu cæteros antecellat, quem labor prolixus, & stipendia meliora fecerint anteire.* Expressiùs Quintilianus ibi: *Qui pulcherrimè decertauerit, is coronandus, & victor proclamandus, tametsi postremus in arenam descenderit.* Igitur non rectè in præsenti ex temporis antiquitate maioritas defertur. Augetur hæc difficultas ex eo, quia si verum esset, antiquiorem iuniori esse præferendum, sequeretur, in omnibus illum potiori iure gaudere debere; sed plerumque antiquior, nec potior, nec prior habetur, vt contingit in pignore, *l. interdum, ff. qui potiores, l. creditor* 25. *ff. de rebus creditis:* in libertate, *l. si quis habens* 24. *ff. qui, & à quibus, l. si is qui* 55. *ff. de hæredibus instituendis:* in venditione, *l. quoties, Cod. de R. V.* in electione ad beneficium, *cap. illud, de iurepatron.* ergo non semper qui prior est tempore, potior est in loco, & in iure. Secundò prorsus aliena videtur à disciplina ecclesiastica & modestia clericorum præsens quæstio; nam non locus sanctificat hominem, sed homo locum, *cap. non loca, cap. multi, cap. nos, cap. illud, cap. quælibet*, 40. *dist.* & vt Plutarchus ait *in lib. de conuiuio septem Sapientum*, non curandum est, quo loco, aut post quos collocemur; sed vt quibus adsidemus, cùm his nobis bene conueniat. Plura Valdes *de dignitate Regum, in proœmio:* non ergo nostri textus quæstio admittenda erat, ne de contendentibus dici possit, quod de Pharisæis ait Dominus apud Diuum Marcum *cap.* 23. *Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.* Accedit, nam si maioritas attendenda esset, non ex antiquitate temporis, sed ex dignitatis præstantia esset æstimanda, *cap. à subdiacono*, 93. *dist. cap. cùm olim, de consuetudine, cap. statuimus, hoc tit.* igitur non rectè in nostro textu ex tempore maioritas consideratur.

5. ORDO DIGNITATVM COMMENDATVR. His dubitandi rationibus minimè obstantibus, vera est Gregorij decisio. Pro cuius expositione sciendum est, eam esse humanarum rerum conditionem, vt vix sine certo ordine subsistere possint; vt enim confusio euitetur, ita ordo seruari debet, vt quisque, quæ sibi conueniunt, agnoscat, & alieno non se immiscеat gradu, *cap. vlt. dist.* 89. *cap. pium* 45. *de penitent. dist.* 3. & D. Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 14. iubet omnia decenter, & secundùm ordinem fieri. Et Horatius in arte poëtica ait, singula quæque locum teneant sortita decenter.

Omnis res floret, quam iustus dirigit ordo,
Omne sed euertit reprobus ordo bonum.

Vnde in magna Cælorum, & Astrorum machina ordo seruatur. Apuleius *de mundo*, Manilius *lib.* 5. *Astrorum*, Plin. *in panegyr. ad Traianum.* Et sicut in Ecclesia triumphante ordo hierarchicus seruatur, *cap.* 1. *cap. ad hoc*, 89. *dist.* Gregor. noster *lib.* 4. *epist.* 52. ita in militante, quæ ad instar illius regitur, custodiri debet, *dict. cap. ad hæc*, 89. *dist.* & ordo seruari debet in multis, sed præcipuè in publicis negotiis, in deferendis honoribus, in disponendis cœtibus, in dicenda sententia, aut subscribendo, *l. vt gradatim, ff. de muner.* Platea, & Lucas de Peña *in l.* 1. *Cod. vt dignitatum ordo, lib.* 12. Cùm ergo ordinem in Ecclesia seruari magnopere sit necessarium, inde maioritas, seu prærogatiua consideratur, quâ quis cæteris inferioribus maiori

honore

honore est afficiendus. Maioritas autem consideratur, & æstimatur ex variis causis, veluti ordine, iurisdictione, antiquitate, priuilegio, ordinantis prærogatiua. Ex ordine, vt qui sunt in maioribus ordinibus, præferantur illis, qui sunt in minoribus gradibus, *cap. à subdiacono, 93. dist. cap. statuimus*, vbi dicemus, *hoc titul.* Propter iurisdictionem, aut potestatem maioritatem obtinent Archiepiscopus, Episcopus, Archidiaconus, Archipresbyter, *cap. olim, dist. 95. cap. 1. de offic. Archipresb. cap. vnico, de officio Primicer.* de qua maioritate agemus *in cap. solitæ, cap. quod super, hoc titul.* Ex temporis antiquitate maioritas nascitur, ita vt qui priùs ordinatus est, cæteris paribus, is in eodem gradu potior sit, *l. 2. Cod. de Præfect. Prætor.* ibi: *Sit igitur sedes prior antè prouectis, locus conspectior, decernendique facultas antiquior, cui est splendor adepti magistratus vetustior.* Et *l. 1. Cod. de Præpositi. sacri cubicul.* ibi: *Vt in sedibus & in confessu is ordo seruetur, quem ordo prouectionis ostenderit; cùm manifestè decretum sit, eum esse potiorem qui præcesserit, vel illum subsequi, quem recentius probauerit examen.* Isti ratione temporis potiores dicuntur maiores in nostro textu, *in can. 10. septimæ Synodi*, in legibus Longobardor. *tit. 8.* in legibus Burgund. *tit. 38. cap. 1.* & aliis relatis à Cironio *ad hunc titul.* & primum locum obtinent, tam in publicis actibus, quàm priuatis, in sedendo, loquendo, & ambulando. Concil. Arelatens. *in præfat.* Concil. Chartag. *can. 89.* Vnde in canone 92. ipsius Concilij apud Balsamon. statuitur, vt qui ordinantur, ab his, qui eos consecrant, epistolas accipiant Consulem, & diem continentes, vt antiquitas discerni posset. Propter priuilegium maior habetur ille, cuius personam, sedemve Pontificis specialis concessio prætulerit, veluti Patriarcha Constantinopolitanus Alexandrino, Alexandrinus Antiocheno, Antiochenus Hierosolymitano maior est, *cap. antiqua 23. de priuileg.* Bellarminus *lib. 2. de Rom. P. cap. 15. 17. & 18.* Tandem ob prærogatiuam ordinantis ille cæteris in eodem gradu constitutis præfertur, qui à Pontifice ordinatus est, *cap. vlt. dist. 17. cap. fin. 75. dist. cap. per tuas, hoc tit. cap. hi qui, de præbend. in 6.*

6. TRADITVR RATIO DECISIONIS.

Antiquiorem posteriùs ordinatis præferri, rationi consentaneum est; nam qui prior dignitatem, vel officium assequutus est, dignior præsumitur, licet ætate iunior sit, *cap. fin. 17. dist. l. 1. ff. de albo scribendo.* Tiraquellus *de primogeniis quæst. 19.* Hermosilla *dict. glossa 2. numero 4.* & semper qui prior est tempore, potior est iure, *cap. qui prior 54. de regul. iur. in 6.* Sines. *epist. 172. Inuerecundum est vnum resistere multis, iuniorem senioribus, iis qui consumpserunt totam vitam in sacerdotio, eum qui nondum anno superiore rem attigerat.* Leo I. P. R. *epist. 89. Æquum est, nec vlli de fratribus videtur fieri iniuria, si his, qui vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito in suis prouinciis à sacerdotibus cæteris honor deferatur.* Vnde apud omnes primò in Senatu cooptati potiorem gradum habuerunt in actibus, tam publicis, quàm priuatis. Apud Romanos enim inter Consules ille maior habebatur, qui priùs Consulatum in vrbe obtinuisset, *l. nemo, ff. de Consulibus:* ex Tacito & Cicerone probat Langleus *lib. 2. semestr. cap. 7.* In Ecclesia adeo antiquitas temporis attenditur, vt si Abbates, aut Clerici vt Legati Episcoporum mittantur ad Concilium ad subscribendum, posterioribus Episcopis præferuntur, vt constat ex Conciliis Epaunensi, Aurelian. 2. Cabilon. Et ne lis de tempore consecrationis moueretur, vt suprà dixi, in Concilio Meliuitan. *can. 14.* African. *can. 56.* Carthagin. *can. 92. l. sancimus 29. Cod. de Episcopali audient.* cautum est, vt dies, Consulque in litteris consecrationis apponatur: & in ipsis Conciliis iuniores antiquiores Episcopos honoris causâ Patres appellabant. Concil. Carthag. *can. 58.* apud Balsamon. Nec antiquitas temporis attendebatur tantùm in subscribendo, verùm in sedendo. D. Gregor. *lib. 7. epist. 112.* ad Syagrium Episcopum: [Episcopos secundùm ordinationis suæ tempus, siue ad considendum in Concilio, siue ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua loca attendere decernimus, & suorum sibi prærogatiuam ordinum vindicare.] Et apud nos Consiliarij, & Officiales Regis, qui primò adepti fuerunt possessionem officij, præferuntur posterioribus, etsi priùs electi essent, vt pluribus relatis docet Valenzuela *consil. 34. numer. 36.* & priùs obtinens gratiam ad beneficium, præfertur illi, qui postea eam impetrauit, *cap. duobus, cap. tibi, de rescriptis in 6. cap. si à Sede, de præbend. eod. lib.* & Canonicus priùs in Ecclesia receptus præcedit alios, etiam anteriores in gratia Gratianus *in additionibus ad decisionem. Marchiæ 16. numer. 1. & 2.* Rectè igitur, & iuxta ecclesiasticam disciplinam statuit Gregor. in præsenti, ex antiquitate temporis maioritatem esse æstimandam: vtrum verò in sedendo antiquior à dextris, an verò à sinistris sedere debeat? disputant Rousselius *lib. 3. histor. iuris Pontificij, cap. 2.* Baronius *anno CCCXVI.* Vinius *in notis ad Concil. Nicænum.* Sherlogus *tomo 2. in Cantic. vestigat. 19. sect. 9.* & *vestigat. 21. sect. 1.* Anton. Neubricensis *in quinquagena, cap. 39.* Lælius Biscola *tomo 2. horarum successiu. lib. 11. cap. 5.* Sauarus ad Sydonium *lib. 1. epistol. 11. verbo Sinistra*, Mendoza *in Viridario, lib. 5. problem. 5.* & locum medium communiter honoratiorem æstimari, constat ex Cassiodoro *in Psalm. 54. Priùs muros dixit, vt cunctos concluderet: nunc dicit & medium ciuitatis, designans nobilissimos, & primates, qui honorabiles videri volunt semper in medio constituti.* Virgil. 9. *Æneid.*

——— *Medio dux agmine Turnus.*

Vbi Donatus ait: *Potestas maior in medio esse solet.* Probat Sauarus *ad Sydon. lib. 4. epist. 20. verbo Pedes*, ibi: *Et ipse medius incessit.*

7. DISSOLVVNTVR DVBITANDI RATIONES.

Nec obstant difficultates suprà expensæ. Non prima, cui facilè ex supradictis respondetur, asserendo, quod licèt acceptio personarum non sit habenda, tamen vt confusio euitetur, ordo seruandus est; in eo autem non merita æstimantur, vt probauimus, & statuit Iulianus Patricius *nouella 4. §. 21.* in illis verbis: *Inter clericos non temporis antiquitas, sed doctrina, & probitas cuiusque spectanda est.* Nam potiùs antiquitatem attendimus, quia faciliùs tempus computatur, quàm merita dignoscuntur, iuxta textum *in cap. vnic. vt ecclesiast. benefic. cap. 1. de clandest. desp.* Diuersum tamen apud Deum obseruatur, qui abscondita nouit, *cap. nouit, de*

de offic. Leg. cap. nouit, *de appellat.* apud quem non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur: nec consideratur quis antiquior, sed quis iustior, *dict. cap. non loca*, *cap. multi*, 40. *distinct.* Nec augmentum difficultatis refragatur; quia licèt vera sit vtriusque iuris regula, videlicet, qui prior est tempore, potior est iure, de qua *in dicto cap. qui prior*, *l. qui balneum*, *l. potior*, *ff. qui potiores*, *l. si fundum*, *Cod. eod.* tamen aliquas patitur exceptiones, de quibus in suprà citatis iuribus agitur, vbi priores tempore, ob specialem rationem potiores in iure non sunt. Videndi sunt Tuschus *littera P. conclus.* 465. plures relati à Barbos. *axiom.* 168. Nec secunda difficultas obstat; nam non est improbanda quæstio super maioritate, etiam in ecclesiasticis personis, dum de ipsa iure, iusteque contendatur, vt latè probant Valdes *de dignitat. Reg. in proœmio*, Besold. *dissert. iuris Polit. cap.* 3. *numer.* 7. Moldenus *de nobilitat. cap.* 1. *numer.* 55. Auctor Fecialis, siue iuris inter Gentes, *cap.* 2. *sect.* 4. *per tot.* Abulens. *in Matthæum*, *quæst.* 23. 45. & 47. Larrea *allegat.* 51. *fiscal.* Solorzanus *de præced.* §. 3. *numer.* 20. Ramirez de Prado *in allegation. de præcedent. numer.* 2. Nec aduersatur argumentum deductum *ex dict. cap. statuimus*; nam nostra assertio procedit cæteris paribus, cùm maioritas contenditur inter æquali gradu pollentes; non verò si vnus maiori dignitate decoretur, vt *in dict. cap. statuimus*, *dict. cap. à subdiacono*; vt si Episcopus contendat cum presbytero, Presbyter cum Diacono: tunc enim etsi ille, qui maior ordine est, posteriùs ordinatus fuerit, præferendus est.

8. EXPONITVR CAP. CVM OLIM DE CONSVET.

Sed superiori assertioni primò opponitur textus *in cap. cùm olim 6. de consuetudin.* vbi cùm Episcopus Londonensis petiisset à R. P. vt sibi liceret Præcentoris dignitatem in ea Ecclesia instituere (non enim potest Episcopus nouam statuere dignitatem in Ecclesia sine Pontificis consensu, *cap.* 5. *dist.* 22. cùm exinde aliæ minuantur, *cap. nullus*, *dist.* 99. Azor *tomo* 2. *institut. lib.* 6. *cap.* 30. *quæst.* 10.) Innocentius tertius id concessit, dum sine læsione institui possit, illumque locum in sessionibus, & processionibus haberet, quem similes Præcentores in aliis Ecclesiis obtinerent. Cùm igitur Episcopus Præcentorem instituisset, ille nouiter electus in præiudicium Decani, & aliorum maioritatem in ipsa Ecclesia sibi vindicabat eo prætextu, quòd diuersæ essent Ecclesiarum consuetudines. Decanus verò, & alij antiquiores Canonici causam proposuerunt coram R. P. qui Episcopo Helienſi rescripsit, vt ipsum Præcentorem compelleret ea dignitate manere contentum, quæ ex consuetudine rationabili illi competit. Ex qua textus serie deducitur, non attendi ad maioritatem tempus ordinationis, sed quid consuetudine obseruetur: igitur non rectè asseritur, semper maiorem, potioremque haberi eum, qui priùs ordinatus est. Pro huius textus expositione sciendum est, quod licèt prioritas, maioritasque æstimetur ex causis, & principijs suprà adductis; id tamen procedit, nisi contrarium consuetudine introductum sit. In præcedentiis enim totum facere consuetudinem docuerunt Contelorius *vbi suprà num.* 6. Gratian. *discept. cap.* 198. & 492. & 877. Barbosa *in selectis in dict. cap. cùm olim 6.* Salgado *de protect. Regia*, 2. *part. cap.* 9. *num.* 18. Escobar *de Regia, & Pontif. iurisd. cap.* 24. *num.* 99. Castillo *de tertiis cap.* 41. *num.* 64. D. Ioannes de Solorzan. *in allegat. pro præcedent. Concily Indiar. num.* 31. & 55. Vnde rectè *in dict. cap. cùm olim*, cùm de præcedentiis agatur, inspiciendam esse consuetudinem Innocentius decreuit; & quia in propria Ecclesia non erat prescripta, vicinarum Ecclesiarum attenditur consuetudo, iuxta textum *in cap. super eo*, *de censib. cap. de his* 12. *dist. cap. fin. de sponsa duorum.* Vnde in aliquibus Ecclesiis Gallicanis non obseruari prioritatem ex tempore, sed plerumque confundi, ex diuersis Conciliis, & eorum subscriptionibus notauit Hallier. *de iurisdict. Hierarchic. lib.* 4. §. 74. *pag.* 677.

9. INTELLIGITVR CAP. CVM OMNES, DE CONSTIT.

Secundò superiori assertioni opponitur textus *in cap. cùm omnes 6. de constitut.* vbi proponitur, Canonicos Ecclesiæ Trecensis propriis inhiantes commodis statutum fecisse, vt ipsi, tam præsentes, quàm absentes fructus suarum præbendarum suos facerent: item cùm vineæ quibusdam præbendis annexæ essent, vt ipsi dum viuerent, eas possiderent; pars verò decedentium ad successores non transiret, sed inter eos diuideretur. Consultus Innocentius tertius in hac Canonicorum inæqualitate rescripsit, quod cùm omnes vnum corpus simus in Christo, non debent seniores iunioribus, aut iuniores senioribus inuidere; sed omnes, qui in vna Ecclesia vni Domino famulantur, pari gaudent libertate, & antiquos Canonicos iunioribus esse coæquandos. Ex qua decisione colligitur, in Ecclesia ratione temporis maioritatem, & prærogatiuam non adquiri; sed omnes coæquandos esse, & pari gaudere debere loco. Huic difficultati respondendum est, nostri textus decisionem locum habere in sedendo, subscribendo, & similibus actibus; non verò in perceptione fructuum; ampliores enim, & maiores percipere non debent seniores, quàm iuniores; quia cùm æquale sit Ecclesiæ seruitium, æquales debent Lucrari prouentus; & quia omnes in Ecclesia vnum corpus constituunt, diuerso iure censeri non debent, *cap. cùm M. de constitut. cap. cùm in tua* 30. *de decim. cap. quia circa* 22. *de priuileg. cap. cognoscimus* 12. *quæstion.* 2. Vnde cùm *in dict. cap. cùm omnes*, statutum non circa locum in sedendo, aut subscribendo fieret, sed circa maiores, & pinguiores fructus percipiendos; ideo Innocentius illud irritauit. Nec huic solutioni aduersatur textus *in cap. statuimus*, *hoc titul.* vbi maiores potiores habentur, etiam respectu fructuum præbendarum. Nam sciendum est in aliquibus Ecclesiis fructus præbendarum non esse præbendis assignatos, sed potiùs ex communi mensa vnicuique portionem præstari, *cap. ex parte*, *de concessione præbendæ*: in aliis verò præbendas distinctas esse, & vnicuique certam fructuum partem assignatam reperiri, vt *in dict. capit. cùm omnes.* Quo casu si portiones distinctæ non sunt, ille potior erit in portione consequenda, qui maior est ordine; & inter æquales gradu, qui antiquior est, *dict. cap. statuimus*, vbi agitur de his præbendis, vt post Glossam, & antiquiores ibi docet Petrus Gregor. *in cap. final. de constitut.* Ac cùm *in dict. cap.*

cap. cùm omnes, distinctæ essent præbendæ, & fructus diuisi fuissent, omnes Canonici coæquantur absque eo, quod maior habeatur, qui priùs ordinatus fuit.

10. EXPONITVR LEX VNICVIQVE, C. DE PROXIMIS, LIB. 12.

Tertiò aduersatur Valentiniani, & Marciani constitutio relata *in l. vnicuique 7. Cod. de proxim. sacror. scrin. lib. 12.* in illis verbis: *Vt nemini penitus liceat, cùm sit posterior tempore, locum præcedentis ambire; nisi fortè ab eo, qui tempore vincitur, laborum comparatione superetur, vt quindecim primatum eiusdem scriniij testimonio cum sacramenti religione subnixus præcedentibus dignior iudicetur.* Ex qua apertè deducitur, non temporis diuturnitatem, sed merita ad prioritatem attendi debere. Pro huius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu agi de subrogatione collegæ per mortem proximi præcedentis, in qua nulla antiquitatis ratio habetur, vt quis locum superiorem ascendat, *l. vnic. Cod. de collegiat. lib. 11. l. penult. Cod. de commerciis.* Symmachus *libr. 1. epist. 26.* Vnde in ea potiùs laborum, quàm temporis ratio habetur, vt docet Fornerius *lib. 2. selectar. cap. 21.*

11. EXPONITVR CAP. 1. DE PAROCHIIS.

Quartò opponitur textus *in cap. 1. de Parochiis*, vbi agitur de Episcopis ab hæresi Donatistarum ad fidem catholicam reuersis, cùm iam alij in eorum locum suffecti, & consecrati essent; quæriturque, quo modo recipiendi sint à Catholicis? Et cùm iam Melchiades P. ita resipiscentibus indulsisset, vt honorem, & dignitatem retinerent, & duo essent Episcopi collegæ, itavt vno defuncto, alij plebs committeretur regenda, D. Augustin. *in breuiculo collat. cap. 5.* in Concilio Africano Patres id confirmarunt, vt refert Spondan. *anno 401. num. 5.* Sed quia aliquæ lites inde emergebant, tandem constitutum fuit in Concilio Africano, *can. 85.* quod si Episcopus ex Donatistis ad fidem reuersus fuerit, ita inter ipsum, & nouiter ordinatum populus diuidatur, vt ille diuidat, qui antiquior est in Episcopatu; iunior autem eligat. Ex quo textu expressè cognoscitur, attribui iuniori maioritatem, siquidem ipse eligit, cùm plus sit eligere, quàm diuidere, *l. sancimus, §. ne autem, Cod. de donat. l. 2. Cod. de metat. lib. 11.* igitur inter duos Episcopos antiquior maior non habetur, nec potior. Huic difficultati respondendum est, omissâ solutione Hostiensis, Butrij, & Acharani, qui asseruerunt ibi maiorem esse Episcopum ratione administrationis, non verò temporis consecrationis: omissâ etiam sententiâ eorum, qui existimarunt, non dari prærogatiuam maioris in diuidendo, vel minoris in eligendo, vt sunt Tiraquel. *de primogeniis, quæst. 60. num. 10.* Lucas de Peña *in l. 2. Cod. de exactor. lib. 12.* est asserendum, quod licèt stricto iuris rigore, qui ex Donatistis conuertebatur ad fidem catholicam, priuandus esset Episcopatu, tamen ex æquitate vt collega retinebatur, factâ diuisione, vt in textu refertur: minor autem eligit, & maior diuidit, quia hæc forma diuisionis, vt æquissima, multorum populorum vsu, ac variorum auctorum testimoniis comprobata reperitur, *dict. l. 2. Cod. de metat. l. vnic. Cod. de his, qui se deferunt.* Cuius diuisionis æquitatem commendauit D. Ambros. *lib. 1. de Abrahamo, cap. 3. Firmior*, inquit, *diuidat, & infirmior eligat, ne habeat, quid conqueratur: electionis enim suæ partem non poterit calumniare; non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi: nec diuisor grauatur, nam quo prudentior, & cautior, vt nec in diuisione circumscribatur, nec in electione fraudetur.* Obseruarunt Tiraquel. *vbi suprà, num. 40.* Gratian. *disceptat. cap. 160. num. 18.* Pineda *lib. 2. monachor. cap. 2. §. 1.* Guillelmus Fornerius *lib. 5. rer. quotid. cap. 22.* Stephanus Durantius *quæst. 37.* Bronchorst. *miscel. cent. 1. assert. 53.* Mancinus *lib. 2. de triplici iure, cap. 10.*

CAPVT II.

[a] Idem.

SI quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abiiciatur. In libro Regum legitur: Qui non obedierit Principi, morte moriatur. Et in Concilio Agathensi, quod anathematizetur.

NOTÆ.

1. [a] IDEM.] Gregorius videlicet, cui priora verba nostri textus, *si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abiiciatur*, tribuunt Buchardus *lib. 15. Decreti, cap. 14.* Carnotens. *part. 16. Decreti, cap. 15.* Papiensis *in 1. collect. sub hoc titul. cap. 3.* Sed hæc verba non reperiuntur in operibus D. Gregor. *in expositio. lib. Regum.* Hæc etiam verba tribuuntur Concilio Toletano à Burchardo *lib. 15. decreti, cap. 13.* Carnot. *part. 16. cap. 24.* Sed in nullo ex Conciliis Toletanis editis reperiuntur, imò nec in Concilio Agathensi, vt hîc legitur: quare crediderim, primos Decretistas ex sententiis tam Gregorij Magni, quàm Concilij Toletani quinti, præsentem deprompsisse sententiam non autem ipsa verba transcripsisse, vt fecerunt in loco libri Regum, quem citant; non enim in aliquo ex libris Regum similia verba reperiuntur: sententia autem deduci potest ex libro 1. Regum, *cap. 14.* vt iam notauit eximius Præceptor DD. Franciscus Ramos *in suo Syntagm. pro Episcopatib. pro pos. 2. num. 82.*

CAPVT III.

[a] Leo Papa *Anastasio* [b] *Thessalonicensi Episcopo.*

LEgebatur in litteris tuis, quod frater [c] Atticus [d] chartulam de obedientiæ [e] sponsione conscripserat, in qua signum prodebatur iniuriæ: non enim necessarium fuerat, vt obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarij aduentus officio comprobarat.

NOTÆ.

a *Leo.*] Primus videlicet, Magnus cognomi-
1. natus, patriâ Tuscus, electus in R. Pontificem anno CDXL. eo tempore, quo Attila Italiam inuadens, Aquileiam obsessit, vt referunt Baronius, Corjolanus, & alij de vitis Pontificum scribentes: inter alia opera S. Leonis reperiuntur epistolæ decretales 110. quas cum notis edidit clarissimus vir Gerardus Bossius, & recenset Ludouicus à S. Carolo *in Bibliot. Pontif. littera G.* Præsens textus reperitur in epistola 84. missa Anastasio Thessalonicensi Episcopo, quam ex editione prædicta Gerardi Bossij licet transcribere, quæ ita se habet. [Quoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, proprium sequutus exemplum vices mei moderaminis delegaui: vt curam, quam vniuersis Ecclesiis principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares,& longinquis ab Apostolica Sede prouinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes: quia de continenti, opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus, vel tuo studio componeres, vel nostro iudicio reseruares. Nam cùm maiora negotia, & difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id, quod mensuram tuam excederet, deuiandi. Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus, vt commendatas tibi Christi Ecclesias, per exhortationem charitatis, ad salubritatem obedientiæ prouocares. Quia etsi plerumque existant inter negligentes, vel desides fratres, quæ oporteat maiori authoritate curari; sic tamen est adhibenda correctio, vt semper sit salua dilectio. Vnde & Beatus Apostolus Paulus ad ecclesiasticum regimen Timotheum imbuens, dicit *Seniorem ne increpaueris; sed obserua vt patrem; iuuenes vt fratres; anus vt matres; iuuenculas vt sorores, in omni castitate.* Quæ moderatio si quibuscumque inferioribus membris ex Apostolica institutione debetur, quantò magis fratribus & Coëpiscopis nostris sine offensione reddenda est? Et licèt nonnunquam accidant, quæ in sacerdotalibus sint reprehendenda personis, plus tamen erga corrigenda agat beneuolentia, quàm seueritas: plus cohortatio, quàm commotio: plus charitas, quàm potestas. Sed qui quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi, facilè ab hac lege discernuntur: & dum dominari magis quàm consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Quod vt necesse habeamus ita dicere, non de paruo animi dolore procedit. Me ipsum enim quodam modo in culpa sentio, cùm te à traditis tibi regulis immodicè deuiasse cognosco. Qui si tuæ existimationis parum diligens eras, meæ saltem famæ parcere debueras, ne quæ tuo tantùm facta sunt animo, nostro viderentur gesta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas nostras, omniaque ad tuos missa maiores Apostolicæ Sedis Præsulum scripta percurrat, & vel à me, vel à præcessoribus meis inueniet ordinatum, quod à te cognouimus esse præsumptum. Venit namque ad nos cum Episcopis prouinciæ suæ frater noster Atticus, veteris Epiri Metropolitanus Antistes, & de indignissima afflictione, quam pertulit, lachrymabili actione conquestus est coram adstantibus Diaconibus tuis, qui querelis fidelibus nihil contrà referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monstrabant. Legebatur quoque in litteris tuis, quas iidem Diaconi detulerunt, quod frater Atticus Thessalonicam venisset, quodque consensum suum etiam scripturæ professione signasset, vt de illo non aliud à nobis intelligi posset, quàm proprij arbitrij, & spontaneæ deuotionis fuisse, quod venerat, quod chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat; in cuius tamen chartulæ mentione signum prodebatur iniuriæ. Non enim necessarium fuerat, vt obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarij aduentus probarat officio.]

b *Thessalonicensi.*] Ciuitas est florentissima
2. Macedoniæ, Daciæ Metropolis, Illyrici caput, emporium maximum, quod mercatores ex omnibus nationibus frequentant: hodie dicitur Psalonich, de qua plura Abraham Ortelius, Ptolomeus, Plinius, & Strabo relati à Gruthero *fol. 539. num. 9.* Berterius *diatribe 1. cap. 2.* Tamayo *in Martyrol. die 15. Maij*, Pancirola *in notitia Imperij. Oriental. cap. 72.* quæ quidem Metropolis erat Macedoniæ, vt tradit Strabo. Vnde Thessalonicensis Præsulis authoritas, & dignitas magna erat in Macedoniam. Cæterùm iudiciorum ecclesiasticorum ab eo, eiusque Synodo Macedonica retractationes, quemadmodum & cæteræ maiores causæ Romæ coram summo Pontif. peragebantur, etiam post Illyrici Orientalis adiunctionem factam Imperio Orientali, vt constat ex duabus epistolis Innocentij Primi datis anno 415. ad Rufum Thessalonicensem, & cæteros Macedoniæ Episcopos. Verùm Imperator Theodosius Primus quæstiones Orientales canonicas iussit ad Sedem Constantinop. referri constitutione lata anno 471. quam refert, & explicat Petrus Marcha *lib. 3.*

Sacerdotij,

Sacerdotij, *& Imp.* motus ex eo, quia Synodus Sardicenſis eum modum in retractationibus iudiciorum præſcripſiſſet, vt ſi Romanus Pontifex reſtaurandam cognitionem duceret, id fieret intra prouinciam, delegatâ Sedis Apoſtolicæ vice alicui ex latere ſuo. Vnde cùm Præſul Conſtantinop. eſſet Vicarius Pontificis, vt probaui *in cap. quantò, de conſuet.* & ſtatim dicemus; ad illum eſſe appellandum cenſebat Imperator. Verùm Eccleſia improbauit eam conſtitutionem, & vt Theodoſij deſiderio in partem ſatisfaceret, Bonifacius R. P. vices ſuas mandauit Theſſalonicenſi Epiſcopo per vniuerſum Illyricum Orientale, & ita Theſſalonicenſis Præſul ab antiquis temporibus vices Sedis Apoſtolicæ gerebat, vt Leo in principio huius epiſtolæ ait ibi: *Quoniam ſicut prædeceſſores mei, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum ſequutus exemplum vices mei moderaminis delegaui.* Vnde lucem accipit canon 20. Concilij Sardicenſis in illis verbis: *Petrus Epiſcopus dixit: Non ignoratis quanta, & qualis ſit Theſſalonica ciuitas: ſæpè ad eam veniunt ex aliis regionibus Preſbyteri, & Diaconi, & non ſunt contenti breui tempore, ſed reſident ibi, aut certè vix ad ſua redire coguntur. Vniuerſi dixerunt, ea iura, quæ conſtituta ſunt circa Epiſcopos, & circa has perſonas, obſeruari debent.* Nam cùm in Theſſalonica reſideret Vicarius Romani P. in Oriente, nihil mirum, quod Theſſalonicam ex vniuerſa Græcia Epiſcopi, & clerici confluerent, vt notarunt Seuerinus Binius *in notis ad ipſum canonem*, Bellarminus *lib. 2. de Roman. P. cap. 2.* Anaſtaſius ergo Epiſcopus mandatâ ſibi à Leone poteſtate abutens, multa contra ſacrorum canonum ſtatuta faciebat in electionibus Metropolitanorum, & Epiſcoporum, de quibus eum grauiter reprehendit Leo *in cap. 1.* huius epiſtolæ; cuius reprehenſionis fragmentum extat *in cap. multùm ſtupeo 3. quæſt. 6.* cúmque de eo conquereretur Atticus veteris Epiri Metropolitanus, & quod ſibi debita iura non ſeruabat, *in cap. 2.* eiuſdem epiſtolæ etiam ipſum monet, vt iura ſeruaret Metropolitanis; cuius fragmentum extat *in cap. igitur 25. quæſt. 2.* & etiam alia obſeruanda in electione Metropolitani præſcribit *in cap. Metropolitano, 63. diſt.* quia ſimiles electiones ipſe tanquam Legatus Sedis Apoſtolicæ confirmare debebat, vt conſtat ex præſenti epiſtola, & alia Simplicij Pontificis, & alia Bonifacij ad Eulalium Alexandrinum: notauit Pamelius *in notis ad Diuum Cyprianum, epiſt. 68. num. 16. in fine.* In præſenti epiſtola prædeceſſores, ſeu maiores Leonis ſunt Pontifices poſteriores Innocentio primo, ſub quo Rufus ſolam Macedonicam Prouinciam regebat iure Metropolitico. Huius autem iure prærogatiuæ Vicarij Theſſalonicenſem Præſulem vſum fuiſſe iam per annum 431. fusè probat Petrus Marca *in diſſert. de Primatu Lugdunenſi*, quæ extat tomo 26. Conciliorum: poſtea à Iuſtiniano imminuta fuit hæc Theſſalonicenſis Eccleſiæ authoritas, adiunctis aliquot prouinciis ad conflandum Iuſtinianeæ Archiepiſcopatum. Deinde penitus abolita eſt poſtquam à Leone Iſauro in odium fidei vindicatæ à Summis Pontificibus Gregorio II. & III. Illyrici prouinciæ, Siciliæ & Calabriæ auulſæ ſunt à Patriarchatu Romano, & Conſtantinop. Sedi tributæ; tunc enim intra fines tantùm Macedoniæ reſtricta fuit hæc Præſulis authoritas.

c *Atticus.*] Iſte Præſul erat Epiri veteris; nam in Macedonia, & Illyrico Orientali duplex eſt Epirus; vetus & noua, quarum deſcriptionem tradunt Berterius *diatrib. 1. cap. 4. in fin.* Carolus à S. Paulo *in Geographia ſacra, pag. 193.* Et licèt eſſet Archiepiſcopus, tamen obedientiam præſtare debebat Primati Macedoniæ, Archiepiſcopo videlicet Theſſalonicenſi.

d *Chartulam.*] Id eſt ſcripturam; ſæpe enim in Conciliis, & legibus antiquis ſcriptura charta dicitur, vt probat Lindembrogius *in Gloſſar. leg. antiquar. verbo Charta.*

e *Sponſione.*] Quid ſit ſponſio, dixi *in cap. tranſlato, de conſtitution.* & textum hunc expoſui *in cap. ſignificaſti, de election.*

CAPVT IV.

[a] Clemens Papa tertius.

OMnes Principes terræ, & cæteros homines Epiſcopis obedire Beatus Petrus præcipiebat.

NOTÆ.

a *Clemens.*] Ita legitur in hac collectione; in prima autem *ſub hoc tit. cap. 1.* & apud Burchardum *lib. 1. decreti, cap. 124.* Carnotenſem *part. 5. decreti, cap. 124.* tantùm legitur *Clemens.* Sed cùm hæc verba reperiantur in epiſtola 1. D. Clementis primi ad Iacobum fratrem Domini miſſa, non eſt ratio cur Clementi tertio tribuatur, ſed Clementi primo: Clemens enim primus ſcripſit varias epiſtolas, & octo libros conſtitutionum, aliaque innumera opera edidit, quæ recenſet Ludouicus à S. Carolo *in bibliotheca Pontif. in ipſo Clement. I.*

CAPVT V.

Innocentius III. [a] *Herbipolen.*

ILlud Dominus in Beato Petro. *Et infrà*: ven. f. n. quondam Hidenſin. Epiſcopus Imp. aulæ Cancellarius, non attendens quia multa ſunt, quæ præter ſpecialem auctoritatem Ap. Sed. de iure non poſſent, nec deberent impunè ab aliquibus atten-

tari, vtpote ceſſiones, & tranſlationes Epiſcoporum, & alia, quæ nota ſunt vobis, non ſolùm non obtentâ licentiâ noſtrâ,ſed nec etiam poſtulatâ,Eccleſiâ Hildeſemen. relictâ Herbipolen. Eccleſiam occupauit. *Et infrà* : Munitiones autem,& oppida Herbipolen. Eccleſiæ in vtilitatem illius ſe aſſeruit tenuiſſe, ne ſi ad alienas manus forſitan deueniſſet, non eſſet qui eam poſtmodùm liberaſſet. Sed cùm ſpiritualia ſint temporalibus digniora, & obedientia melior ſit, quàm victimæ, & auſcultare magis, quàm adipem arietum offerre, non debuerat idem Epiſcopus pro temporali commodo Herbipolen. Eccleſiæ, notam incurrere inobedientiæ, & Apoſtolicis iuſſionibus contraïre.

NOTÆ.

a HErbipolen.] Ita legitur *in cap.* 1. *hoc tit. in* 3. *collect.* & *in cap. illud, de clerico excommun.* huius autem textus hiſtoria petenda eſt ex traditis *in cap.* 3. *&* 4. *de tranſlat. Epiſcopor.*

1.

CAPVT VI.

Idem [a] *Illuſtri Conſtantinopol.* [b] *Imperatori.*

SOlitæ benignitatis affectu recepimus litteras, quas per dilectum fil. Archidiaconum Dyrrachij, virum prouidum & fidelem Imperialis nobis Excellentia deſtinauit; per quas intelleximus,quod litteræ,quas per dilectum filium Capellanum noſtrum tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum, tibi tranſmiſimus, Imperio tuo præſentatæ fuerant, & perlectæ. Mirata eſt autem Imperialis ſublimitas, ſicut per eaſdem nobis litteras intimaſti, quòd niſi fuimus aliquantulum increpare, licèt non increpandi animo, ſed affectu potiùs commonendi, quæ ſcripſimus, meminerimus nos ſcripſiſſe. Huic autem tuæ admirationi non cauſam, ſed occaſionem præbuit, ſicut ex eiſdem coniecimus litteris, quòd legiſti [c] Beatum Petrum Principem Apoſtolorum ſic ſcripſiſſe : Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Volens enim, de quo nos rationabiliùs admiramur, Imperatoria Celſitudo per hoc, & alia, quæ induxit, Imperium Sacerdotio dignitate, & poteſtate præferre, ex auctoritate præmiſſa voluit triplex trahere argumentum. Primum ex eo, quod legitur, Subditi eſtote : ſecundum ex eo, quod ſequitur, Regi tanquam præcellenti: tertium ex eo, quod eſt adiectum ſubſequenter, Ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Per primnm ſubeſſe Sacerdotium, per ſecundum Imperium præeminere,per tertium Imperatorem tam in Sacerdotes,quàm laicos iuriſdictionem, imò etiam gladij poteſtatem accepiſſe. Cùm enim & boni quidam Sacerdotes, & quidam eorum malefactores exiſtant; is, qui ſecundùm Apoſtolum gladium portat, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum,in malefacientes Preſbyteros, & eorum exceſſus præſumptos, vltore poteſt gladio vindicare; cùm inter Preſbyteros, & alios Apoſtolus non diſtinguat. Verùm ſi & perſonam loquentis, & eorum,ad quos loquebatur, ac vſum loquutionis diligentiùs attendiſſes ſcribentis, non expreſſiſſes taliter intellectum : ſcribit enim Apoſtolus ſubditis ſuis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat. Si enim per id, quod dixit, Subiecti eſtote, ſacerdotio imponere voluit iugum ſubiectionis, & eis prælationis auctoritatem conferre, quibus eos ſubiectos eſſe commonebat, ſequeretur ex hoc, quod & ſeruus quilibet in ſacerdotes imperium accepiſſet, cùm dicatur, Omni humanæ creaturæ. Quod autem ſequitur,Regi tanquam præcellenti, non negamus quoniam præcellat in temporalibus Imperator illis duntaxat, qui ab eo recipiunt temporalia : ſed Pontifex in ſpiritualibus antecellit, quæ tantò ſunt temporalibus digniora, quantò corpori eſt anima præferenda. Licèt nec ſimpliciter dictum fuit, Subiecti eſtote ; ſed additum fuit, Propter Deum : nec purè ſcriptum ſit, Regi præcellenti ; ſed impoſitum forſan non ſine cauſa ſit, Tanquam. Quod autem ſequitur, Ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; intelligendum non eſt, quod Rex, vel Imperator ſuper omnes, & bonos, & malos gladij poteſtatem acceperit; ſed in eos ſolummodo, qui nitentes gladio, eius ſunt iuriſdictioni commiſſi,iuxta quod Veritas ait: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Non enim poteſt, aut debet quiſquam ſeruum alterius iudicare ; cùm ſeruus ſuo domino ſecundùm Apoſtolum ſtet, aut cadat. Ad id etiam induxiſti, quod licet

Moyſes,

Moyſes, & Aaron ſecundùm carnem fratres extiterint, Moyſes tamen Princeps populi, Aaron ſacerdotij poteſtate præerat; & Ieſus ſucceſſor ipſius imperium in ſacerdotes accepit. Dauid quoque Rex Abiathar Pontifici præeminebat. Cæterùm licèt Moyſes dux populi fuerit, fuit etiam & Sacerdos, qui Aaron in Sacerdotem inunxit, cui Propheta ſacerdotium recognoſcens: Moyſes, inquit, & Aaron [d] in ſacerdotibus eius. Quæ verò de Ieſu Benjamin ad commendandam prælationem eius reſcripſiſti, magis ſecundùm ſpiritum, quàm litteram debent intelligi; quia ſecundum Apoſtolum, littera occidit, ſpiritus autem viuificat, pro eo quod ipſe veri IESV ſignum expreſſit, qui populum ſuum in terra promiſſionis induxit. Dauid etiam quamuis diadema Regium obtineret, Abiathar Sacerdoti, non tam ex dignitate Regia, quàm authoritate Prophetica imperabat. Verùm quidquid olim fuerit in veteri Teſtamento, nunc aliud eſt in nouo, ex quo Chriſtus factus eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; qui ſe non vt Rex, ſed Sacerdos in ara crucis hoſtiam obtulit Deo Patri, per quam genus redemit humanum; circa illum præcipuè, qui ſucceſſor eſt Apoſtoli Petri, ſed & Vicarus Ieſu Chriſti. Potuiſſes autem prærogatiuam ſacerdotij ab eo intelligere, quod eſt dictum non à quolibet, ſed à Deo; non Regi, ſed Sacerdoti; nec de Regia ſtirpe, ſed Sacerdotali proſapia: de ſacerdotibus verò, qui erant in Anathoth: Ecce [e] conſtitui te ſuper gentes, & Regna, vt euellas, & diſſipes, ædifices, & plantes. Dictum eſt & in lege diuina: Diis non detrahes, & Principem populi tui non maledices: quæ Sacerdotes Regibus anteponens, iſtos Deos, & illos Principes appellauit. Præterea noſſe debueras, quod fecit Deus duo luminaria in firmamento cœli; luminare maius, vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti: vtrumque magnum, ſed alterum maius; quia nomine cœli præſignatur Eccleſia, iuxta quod Veritas ait: Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui ſummo mane conduxit operarios in vineam ſuam. Per diem verò ſpiritualis accipitur, & per noctem carnalis, ſecundum Propheticum teſtimonium: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Ad firmamentum cœli igitur, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus magna luminaria, ideſt duas magnas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas: ſed illa quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, maior eſt; quæ verò carnalibus, minor eſt, vt quanta eſt inter ſolem, & lunam; tanta inter Pontifices, & Reges cognoſcatur [f] differentia. Hoc autem ſi prudenter attenderet Imperatoria Celſitudo, non faceret, aut permitteret venerabilem fratrem noſtrum Patriarcham [g] Conſtantinopolitanum, magnum quidem & honorabile membrum Eccleſiæ, iuxta ſcabellum pedum ſuorum [h] ſiniſtrâ parte ſedere, cùm alij Reges, & Principes Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuis, ſicut debent, reuerenter [i] aſſurgant, & eis iuxta ſe honorabilem ſedem aſſignent. Nam & piiſſimus [k] Conſtantinus quantùm honoris exhibuerit ſacerdotibus, tua, ſicut credimus, prudentia non ignorat. Nos autem etſi non increpando ſcripſerimus, potuiſſemus tamen rationabiliùs increpare; cùm Beatus Apoſtolus Paulus Epiſcopum inſtruens, ad Timotheum ſcripſiſſe legatur: Prædica, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Non enim os noſtrum debet eſſe ligatum, ſed patêre debet ad omnes, ne ſecundùm Prophetam ſimus canes muti, non valentes latrare. Vnde correctio noſtra non debuit eſſe moleſta, ſed magis accepta; quia pater filium, quem diligit, corripit; & Deus, quos amat, arguit, & caſtigat. Debitum igitur officij Paſtoralis exequimur, cùm obſecramus, arguimus, increpamus, & non ſolùm alios, ſed Imperatores, & Reges opportunè ad ea ſtudemus inducere, quæ Dominicæ ſunt placita voluntati. Nobis enim in Beato Petro ſunt oues Chriſti commiſſæ, dicente Domino: Paſce oues meas; non diſtinguens inter has oues, & alienas; vt alienum à ſuo demonſtraret ouili, qui Petrum, & ſucceſſores ipſius, Magiſtros non recognoſceret, & Paſtores, vt illud tanquam notiſſimum omittamus, quod Dominus inquit ad Petrum; & in Petro dixit ad ſucceſſores ipſius: Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Nihil excipiens, qui dixit, Quodcumque. Verùm his diuitiùs non inſtiſtemus, ne vel contendere videamur, vel in huiuſmodi delectari; cùm ſi gloriari expediat, non in honore, non in magnitudine, ſed in ſolicitudine ſit potiùs gloriandum, cùm & Apoſtolus in infirmitatibus glorietur. Nouimus enim ſcriptum: Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur. Et iterum: Quantò maio res, humilia te in omnibus. Et alibi: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: propter quod exaltationem noſtram in humiliatione ponimus, & humilitatem exaltationem

maximam reputamus. Verùm etiam ſeruos, non ſolùm Dei, ſed & [1] ſeruorum Dei nos eſſe ſcribimus, & fatemur; & tam ſapientibus, quàm inſipientibus debitores. Vtrum autem Imperatoriam Excellentiam ad bonum & vtile per litteras noſtras duxerimus inuitandam? vtrum iuſta tibi ſuggeſſerimus, & honeſta, tua Celſtitudo diſcernat, cùm non niſi ad vnitatem Eccleſiæ, ac terræ Hieroſolymitanæ ſubſidium nos te meminerimus inuitaſſe. Inſpiret igitur menti tuæ is, qui vbi vult ſpirat, & qui habet corda Principum in manu ſua, vt conſiliis noſtris, & monitis acquieſcas, & id agas, quod ad honorem diuini nominis, chriſtianæ religionis augmentum, & ſalutem animæ tuæ meritò debeat prouenire. Nos autem quidquid tu egeris, quod expedire viderimus, gratum habebimus. Vtinam autem illum egregium prædeceſſorem tuum inclytæ recordationis [m] Manuelem Imperatorem ſatageres in deuotione Sedis Apoſtolicæ verbis, & operibus meliùs imitari, vt per eius auxilium, & conſilium, ſicut illi, ſic tibi, & Imperio tuo meliùs proueniret, ſaltem amodò ſupplens, quod hactenus neglexiſti. Prædictus autem Archidiaconus, quod à nobis audiuit radio Excellentiæ tuæ fideliter poterit intimare.

NOTÆ.

1. a *Illuſtri.*] De titulo Illuſtris, Imperatoribus ſæpiùs à Pontifice dato, aliqua notaui *in cap. nobis, de officio Legat.*

2. b *Imperatori.*] Alexio videlicet Comneno, qui Orientale obtinuit imperium ex anno 1080. vſque ad annum 1098. vt eius geſta latè referens tradit Beſold. *in hiſtor. Conſtantinop.* Ex Byzantinæ hiſtoriæ ſcriptoribus in dicto anno huius textus repetenda eſt hiſtoria, & ex Bzouio, & Spondano *in continuat. Baronij, anno* 1089. ex & geſtis Innocentij tertij relatis à Boſqueto *in notis ad Innocentium III.* Innocentius III. enim dignitatis Pontificiæ, & libertatis eccleſiaſticæ vindex litteras ſuas per Ioannem Capellanum ſuum ad Ioannem Camatherum Patriarcham Conſtatinop. & Alexium Imperatorem miſit, tam pro ſubſidio Terræ Sanctæ, quàm vt prædictum Patriarcham ad vnionem vtriuſque Eccleſiæ, Latinæ & Grecæ curandam exhortaretur, quas ex Sirleto, *lib.* 1. *epiſtolar. Innocentij, pag.*172. libet tranſcribere.

Illuſtri Conſtantinopolitano Imperatori.

[Imperialis Eccellentiæ magnitudo, ſi ſe coram eo humiliauerit, qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit; & ſuper eo ſui ſtabile erit Imperij fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt ipſe Ieſus; & ſuper quo ipſe Dominus noſter naſcentis Eccleſiæ poſuit fundamentum: Super hanc petram (inquit) ædificabo Eccleſiam meam: exaltabitur, & eleuabitur, quoniam omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur, ſecundùm teſtimonium Veritatis: & firmabitur, & non flectetur: quoniam ædificium, quod ſuper hoc fundamentum conſiſtit, nec caſum timet, nec ad machinas formidat hoſtiles. Vt autem firmiùs, & fortiùs Imperium tuum in huius fundamenti firmitate perſiſtat, oportet vt Deum vniuerſis tuis affectibus anteponas, & ſponſam eius Rom. Eccleſiam, cuius ipſe fundamentum, & fundator exiſtit, præcipuè venereris; vt dum in dilectione ſponſi, & ſponſæ perſtiteris vnitate, ex nulla parte Celſitudinis tuæ ſublimitas quatiatur. Verùm, non vt ad detractionem, ſed tuam potiùs correctionem loquamur, miramur non modicùm: murmurat etiam aduersùm te populus Chriſtianus, imò ipſe Ieſus, vbi ille te increpat: Hoſpes fui, & non collegiſti me: infirmus, & non viſitaſti me: in carcere, & non veniſti ad me. Cùm enim, peccatis noſtris exigentibus, venerint gentes in hæreditatem Domini, & coinquinauerint templum ſanctum eius, imò & ipſum Ieſum Chriſtum quodammodo captiuauerint, lignum ſanctæ Crucis, in qua ſalus mundi pependit, & deleuit chirographum mortis: in qua etiam Apoſtolus ſe aſſerit gloriari: Mihi abſit, inquiens, gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: nec Chriſto exuli ſubuenire, nec ad liberationem terræ natiuitatis ipſius intendere hactenus, ſicut debueras, curauiſti: cùm tam ex vicinitate locorum, quàm abundantia diuitiarum tuarum, & potentia, quâ inimicos Crucis munere diuino præcellis, id potueris commodiùs, & expeditiùs aliis Principibus adimplere. Eſt etiam aliud, propter quod ſolum aduersùs te, immò etiam aduersùs Romanam Eccleſiam, quæ id hactenus, quaſi ſub diſſimulatione tranſiuit, murmurat Populus Chriſtianus. Cùm enim Dominus noſter vnam ſibi ſponſam elegerit, non habentem maculam, nec rugam, iuxta quod in Canticis proteſtatur: Vna eſt, inquiens, dilecta mea, ſponſa mea, columba mea: & in Euangelio dicit: Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile, & vnus Paſtor. Cùm etiam inconſutilis tunica Chriſti diuiſa non fuerit, & in Symbolo contineatur expreſsè: Credo vnam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam; Græcorum populi ab vnitate Apoſtolicæ Sedis, & Romanæ Eccleſiæ recedentes, quæ diſponente Domino cunctorum fidelium mater eſt, & magiſtra, ſibi aliam Eccleſiam confinxerunt; ſi tamen, quæ præter vnam eſt, Eccleſia ſit dicenda. Vt igitur in vtroque prædictorum murmur ſileat populi Chriſtiani, immò vt Chriſtum tibi reddas propitium, Celſitudinem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remiſſionem iniungimus peccatorum, quatenus poſtpoſitis aliis ſolicitudinibus, vtiliter, ac potenter aſſurgas in adiutorium Ieſu Chriſti, & ad terram ipſam, quam ipſe proprio ſanguine comparauit, de qua in Pſalmo habetur: Homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Et alibi: Deus Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ; liberandam de manibus paganorum, & reſtituendam priſtinæ libertati, vt in ea nomen Domini glorificetur in ſæcula: ſicut tantus Princeps manum extendas, & exercitum dirigas copioſum, ſperans in eo, qui eſt ſpes omnium, qui non deſerit ſperantes in ſe, quod paganorum multitudinem à facie tui exercitus

citus effugabit. Nos enim remiſſionis, & protectionis, quam propter hoc aliis Principibus Chriſtianis indulſimus, te volumus eſſe participem, dummodo ad ſuccurſum terræ ſanctæ potenter aſſurgas. Studeas etiam, imò ſicut potes, efficias, vt Græcorum Eccleſia redeat ad Sedis Apoſtolicæ vnitatem, & ad matrem filia reuertatur, vt oues Chriſti ab vno paſtore regantur, ſicut ei mandatur à Domino: Diligis me Simon Petre? paſce oues meas: vt & ſub vno capite cuncta membra corpori connectantur, illo videlicet, cui Dominus ait: Tu vocaberis Cephas, quod caput interpretatur. Alioquin quantumcunque nobis moleſtum exiſteret Serenitatem tuam in aliquo moleſtare, non poſſemus vlteriùs ſub diſſimulatione tranſire, quin noſtrum exequeremur officium, cùm per Dei miſericordiam tempus accepimus iuſtitiam iudicandi. Inſpiret autem animo tuo ille, qui vbi vult, ſpirat, vt ad honorem, & ſalutem tuam, & exaltationem Eccleſiæ, tanquam deuotus filius paternam exhortationem admittas: præſentans nobis materiam, immo cauſam, quòd ad honorem, & profectum Imperatoriæ Celſitudinis, ſicut in propoſito gerimus, efficaciter intendere debeamus. Mittimus autem ad tuæ Sublimitatis præſentiam dilectos filios A. Subdiaconum, & Capellanum noſtrum, Apoſtolicæ Sedis legatum; & A. Cameræ noſtræ Notarium, familiares noſtros, quos ſuæ probitatis, & honeſtatis obtentu ſyncere charitatis brachiis amplexamur, in his, quæ tecum tractanda ſint, ſeu etiam ſtatuenda, pari præditos poteſtate; qui tecum ſuper prædictis & aliis quæ tibi ex parte noſtra proponentur, & nobis ex parte tua fuere propoſita, tractent, & ſtatuant quæ ad honorem Eccleſiæ ac profectum Imperij pertinuerint; quibus & Serenitatem tuam fidem indubitatam volumus adhibere. Licèt enim maiores ad te poſſemus nuntios deſtinare, iſtos tamen ad hoc elegimus, vt dum minùs quæ ſua ſunt, quæſierint, communi profectui, Eccleſiæ ſcilicet, & Imperij, ſolicitè magis, & diligenter inſiſtant; quos Serenitati tuæ propenſiùs commendamus, rogantes attentiùs, vt eos honorificè, ac benignè recipias, & ſicut decet magnificum Principem, ſine dilatione remittas, vt operemur dum tempus habemus. Ad hæc dilectos filios Ildeb. & Ioannem Georgij nuntios tuos benignè recepimus, quorum fidem, & prudentiam noſtro tibi teſtimonio commendamus ſuper his, quæ ipſis ab Imperiali Magnificentia commiſſa fuerant exequenda.

N. Patriarchæ Conſtantinopol.

4. Reprobatâ quondam, propter ingratitudinis vitium perfidiâ Iudæorum, & oblato Synagogæ (quia non cognouit tempus viſitationis ſuæ,) libello repudij, vnam ſibi Eccleſiam ex Gentibus congregatam, non habentem maculam, nec rugam Dominus noſter elegit, iuxta quod legitur in Canticis Canticor. Vna eſt electa mea, ſponſa mea, immaculata mea. Ipſe quoque Dominus Ieſus Chriſtus vnum eſſe ouile ouium, vnum Paſtorem, in Euangelio proteſtatur: & in Apoſtolorum Symbolo vnam eſſe Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam fides Catholica profitetur. Hanc autem ipſe Dominus Ieſus Chriſtus in ſeipſo lapide angulari fundauit, & eius magiſterium Apoſtolorum Principi B. Petro, cui (licèt inſufficientes) in Apoſtolatus ſucceſſimus dignitate, conceſſit: Tu es (inquiens) Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et paulò poſt ſubdidit: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et etiam curam ouium ſuarum, eodem verbo tertiò repetito commiſit dicens: Paſce oues meas. Et quod eius fides nunquam deficeret, ſe oraſſe fatetur loquens ad eum in Euangelio: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficeret fides tua; & conuerſus aliquando confirma fratres tuos. Præterea licèt vniuerſis Apoſtolis dixerit in communi: Accipite Spiritum ſanctum, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; ad eum tamen verbo vtitur ſpeciali dicens: Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Hoc autem Græcorum Populus non attendens, aliam ſibi confinxit Eccleſiam; ſi tamen, quæ præter vnam eſt, Eccleſia ſit dicenda; & ab Apoſtolicæ Sedis vnitate receſſit, nec conſtitutionem Domini, nec Petri magiſterium imitatus, & inconſutilem veſtem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum veſtium diuiſione pepercit, ſcindere vſque hodie (licèt fruſtrà) conatur, non attendens quod vna tantùm extitit arca, intra quam ſub vno rectore quicumque fuerunt, leguntur in cataclyſmo ſaluati; qui autem extra ipſam inuenti ſunt, omnes in diluuio perierunt. Quia igitur id in ſcandalum noſtrum, & fidei Chriſtianæ redundat diſpendium, nec iam poſſumus vitare clamores Eccleſiæ generalis, quæ nos, & prædeceſſores noſtros negligentiæ, ac tarditatis redarguit, monemus frat. tuam, & exhortamur in Domino, per Apoſtolica ſcripta madantes, quatenus omnimodam ſolicitudinem, & efficacem operam interponas, vt Græcorum vniuerſitas redeat ad Eccleſiæ vnitatem, & ad matrem filia reuertatur, & fiat iuxta verbum Domini, vnum ouile, & vnus Paſtor; alioquin non poſſemus vlteriùs, &c. vt ſupra vſque ad verbum *inſpiret*. Cæterùm cùm peccatis noſtris exigentibus, rebus, &c. in eundem modum vſque ad verba, *in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Miramur quod chariſſimus in Chriſto filius noſter N. Conſtantinopolitanus Imperator illuſtris, nec exuli Chriſto ſubuenit, nec liberationem terræ natiuitatis ipſius, in qua Deus Rex noſter ante ſæcula ſalutem dignatus eſt operari (ſicut debuerat) intendere hactenus procurauit. Cùm tam ex vicinitate locorum, &c. vſque ad verbum *adimplere*. Cùm igitur tertæ ſanctæ, in qua pedes Chriſti ſteterunt, totis deſideremus affectibus ſubueniri: fraternitatem tuam rogamus attentiùs, & exhortamur in Domino, quatenus præfatum Imperatorem monere ſtudeas, & inducere diligenter, vt ad ſuccurſum eius potenter intendat.]

5. PROSEQVITVR HISTORIA. Ipſe Alexius Imperator Innocentio reſcripſit litteris per Fr. Archidiaconum delatis, ſe mirari, quòd in litteris, tam ad ſe, quàm ad Patriarcham miſſis, aſſeueraſſet Eccleſiam Romanam vniuerſalem, atque omnium maiorem eſſe; illiſque etiam ipſum Imperatorem increpaſſe, cùm iuxta doctrinam B. Petri, omnes Regibus obedire teneantur, & Imperium Sacerdotio præeſſe; & ſic Imperatorem habere iuriſdictionem, tam in laicos, quàm in clericos: quibus litteris ſatisfacere intendens noſter Innocentius præſenti epiſtolâ, in primis ait, ſe non animo increpandi, ſed affectu commonendi ſcripſiſſe prædictas litteras. Secundò exponit D. Petri auctoritatem,

&

& variis ſacræ Scripturæ locis probare intendit ſuperioritatem, & præexcellentiam Sacerdotij ſupra Reges, & ſæculares Monarchas; tandemque ipſum Imperatorem arguit, eo quod Conſtantinopolitanum Patriarcham iuxta ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtra parte ſedere faceret, cùm alij Reges Archiepiſcopis, & Epiſcopis reuerenter aſſurgant. Hæc omnia in integra recenſentur in geſtis ipſius Innocentij, & in tertia collectio Decretalium, *ſub hoc tit. cap* 2. ex quibus ita reſtituo præſentem epiſtolam.

c *Beatum Petrum.*] *Epiſt.* 1. *cap.* 1. cuius verba referuntur *in cap. quàm magnum* 11. *quæſt.* 1. *cap. omnis, hoc tit.*

6. d *Aaron in ſacerdotibus eius.*] Vbi gloſſa ordinaria ait, nota quod Moyſes ſacerdos dicitur, qui etſi non hoſtias, tamen vota obtulit Deo, & pro populo ſupplicauit. Etiam reſponderi poteſt auctoritati, & argumento Imperatoris, verum non eſſe, quod Moyſes ſimpliciter maior fuiſſet Aaron, quoniam ſicut Moyſes in aliquo maior fuit Aaron, è conuerſo in aliis Aaron maior fuit Moyſe, in cuius ſignum, & comprobationem, quando in ſacra pagina ſimul proponuntur, aliquando præponitur Moyſes, vt in dicto Pſalmo 127. ibi: *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius*; aliquando præponitur Aaron, vt *Exodi cap.* 6. ibi: *Iſte eſt Aaron & Moyſes.* Vbi notauit Lyra, & poſt eum Turriſcremata *lib.* 1. *ſum. cap.* 92. *in fin.*

7. e *Conſtitui te ſuper gentes.*] Ex quibus verbis rectè probatur, ſuprema Pontificis poteſtas, vt docet Solorzanus *tomo* 1. *de iure Indiar. lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 29. & *cap.* 28. *numer.* 114.

8. f *Differentia cognoſcatur.*] Hanc comparationem Solis, & Lunæ deprompſit Innoc. III. ex Berengoſio Abbate, qui ſexcentis abhinc annis prudenter inſtituit, quo pacto ſit inſtituenda, ne ad pernicien ſæcularis poteſtatis trahi poſſit. *Sciendum eſt* (inquit Berengoſius Abbas ſermone de myſterio ligni Dominici, in Bibliotech. Patrum) *quod nec catholicæ fidei, nec chriſtianæ contrarium eſt legi, ſi ad honorem Regni, & Sacerdotij Rex Pontifici, & Pontifex obediat Regi. Iſti ſunt enim, qui ex antiquo, diuinitatis diſpenſatione bifariâ, in firmamento Eccleſiæ, quaſi duo magna conuenere luminaria; quatenus in his, quæ ſunt ſæculi, & in his quæ ſunt Dei, luminare minus nocti, & luminare maius debeat præeſſe diei: & non immeritò duobus illis luminaribus poterunt comparari, quæ cæteris ſideribus videntur principari; quia ſicut in firmamento cœli eiſdem luminaribus nulla ſtellarum creatura claritate videtur eximior; ſic in firmamento Eccleſiæ duabus his perſonis ordine, & dignitate nulla poteſt eſſe ſublimior.* Eleganter Berengoſius vim comparationis in eo conſtituit, quod hæc duo ſidera cæteris videantur principari. Hoc eſt enim quod è placitis veterum Aſtrologorum docuerunt Ptolomeus, & Sextus Empyricus, Solem, & Lunam vt Principes cæterorum imperium exercere. Quò tendit locutio Geneſeos, quæ in principatum, ſeu dominium diei, & noctis, hæc ſidera creata oſtendit. Aliam viam inſtituit Metrophanes Smyrnæ Metropolita in octaua Synodo, cùm Baſilium Imperatorem coram Concilio alloquens, Patriarcharum auctoritatem commendauit ex duobus illis ſideribus comparatione ducta abſque iniuria Imperatoriæ poteſtatis, quæ etſi nullum in ea ſimilitudine locum obtineat, ipſo etiam Lunæ fulgore Patriarchis tributo; tamen aliunde detrimentum illud cumulatiſſimè compenſatur, cùm nouum iubar Princeps eſſe dicitur, cuius ſplendore cætera Patriarcharum ſidera luſtrentur. Hæc ſunt verba Metrophanis: *Sol iuſtitiæ, & immenſæ ſol potentiæ, & Dominus noſter, qui fecit duo luminaria magna; maius vt præeſſet diei, minus, vt præeſſet nocti: iis in firmamento collocatis, poſuit & alia quædam luminaria magna in firmamento Eccleſiæ, rectos nempe vertices Patriarcharum ad vniuerſum terrarum orbem illuſtrandum, vt præſint diei, & nocti, & lucem diuidant à tenebris; hoc eſt, diuidant, ac ſeparent facientes opera lucis, & tenebrarum. Hæc igitur magna luminaria, religioſiſſime Princeps, perinde ac in magna domo multas facies, ita in tua vrbe congregaſti, teque ipſum clarius iubar, ac tuum Imperium illuſtrius, & Chriſti Eccleſiam ſpendidiorem reddidiſti. Quinimò tuâ præſentiâ, veluti luminare aliquod ingens ſanctæ huic, & œcumenicæ Synodo exortum, dicta hæc, viſaque lumina multò fulgentiora effeciſti.* Hæc comparatio ſolis, & lunæ accipienda non eſt, vt eam accipiunt Abbas, & communiter repetentes in præſenti, videlicet, vt quemadmodum luna mutuam accipit claritatem à ſole, quaſi à fonte totius lucis, teſte D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 47. *art.* 5. & *quæſt.* 58. *articulo* 6. *in corpore*: ſic etiam politica poteſtas, & ciuilis ab Eccleſiaſtica, ſiue ſpirituali accipiat, ſeu mutuetur lucem: comparatio enim in eo tenet, vt ſicut ſol tanquam luminare maius ſuperat lumen lunæ, ſeu luminare minus; ita Sacerdotium ſuperat Imperium, vt ex verbis præſentis textus facilè colligitur, & notarunt Anguianus *lib.* 2. *de legibus, cap.* 1. *num.* 27. Baronius anno 1.

g *Conſtantinop.*] De quo egi *in cap. quantò,* 9.
de conſuet.

h *Siniſtra parte.*] Quæ eſt deterior. Lipſius 10.
lib. 2. *elect. cap.* 2. licet in ſacris actionibus pro honoratiori habeatur, vt probat Sauarus *ad Sidonium lib.* 1. *epiſt.* 11.

i *Aſſurgunt.*] Vt fecit inuictiſſimus Caro- 11.
lus quintus, qui Cardinalem ad ſe venientem aſſurgendo excepit. Et Ferdinandus III. Cardinalem inter ſe & Ludouicum Galliæ Regem ſedere fecit, vt refert Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 16. *priuileg.* 10. Eſt enim honoris ſpecies ſalutanti aſſurgere, vnde commendatur authoritas Præfecti Prætorio, cui à Principe aſſurgebatur. Caſſiodor. *lib.* 1. *variar. cap.* 20. ex eo notauit Gutherus *de officiis domus Auguſt. lib.* 2. *cap.* 1. *in fine*, & probat Chaſſaneus *in catal. Gloriæ mundi, part.* 1. *conſid.* 3. *verſic. tertia eſt.*

k *Conſtantinus.*] In Concilio enim Nicæ- 12.
no tantâ cum reuerentiâ adfuit Conſtantinus, vt non priùs in parua ſella aurea ſedere voluerit, quàm Epiſcopi ſibi licentiam innuiſſent, vt referunt Euſebius *lib.* 3. *de vita Conſtant. cap.* 10. Socrat. *lib.* 1. *cap.* 5. Theodor. *lib.* 1. *cap.* 7. Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 18. ex eis Baronius *anno* 325. Vbi Spondan. *num.* 17.

l *Seruorum Dei.*] Vt in proœmio Decretalium, 13.
ibi: *Seruus ſeruorum Dei.* Quem loquendi morem alij D. Gregorio tribuunt, alij verò Gregorio IX. eius tamen rationem in noſtro textu adductam illuſtrant Petrus Gregor. *in dict. proœmio, num.* 18.

Germonius

Germonius *de indult. Cardin. verbo Seruus seruorum.*

m *Manuelem.*] Ita legitur in gestis Innoc. III. ex quibus hæc vltima verba transcripsi; vnde constat, hanc epistolam scriptam esse Alexio Imperatori, licèt Blondus *lib. 6. decad. 2.* Sabellicus *decad. 1. lib. 8.* relati & sequuti à Pancirol. *lib. 2. variar. cap. 288.* existiment, missam esse hanc epistolam Balduino, & in præsenti agi de Thoma Mauroceno Patriarcha Constantinopolitano.

COMMENTARIVM.

14. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR.

EX his quinque decisionibus sequentem disputandam deducimus assertionem : *Omnes, tam clerici, quàm laici, etiam Principes, tenentur obedire Episcopis diœcesanis.* Probant hanc conclusionem textus *in cap. 2. dist. 10. cap. duo qui, cap. à subdiacono, 93. distinct. cap. si autem 12. 11. quæst. 3. cap. 1. 18. quæst. 2. cap. cùm ex debito, cap. cùm non liceat, de præscriptionib. l. Episcopale, Cod. de Episcop. audientia, l. 4. Cod. de summa Trinit.* D. Clemens *lib. 2. constitut. cap. 37.* & *epist. 3.* ibi : *Sacerdotes, & reliqui sacræ Ecclesiæ ministri, omnesque plebes Episcopos suos diligere debent, & eorum præceptis obedire.* Symmachus Papa *in apolog. ad Anastas. Imperatorem*, vbi eum ita alloquitur : *Tu, si Christianus Princeps es, qualiscumque Præsulis Apostolici debes vocem patientur audire.* Gelasius Papa *in epist. ad ipsum*, ibi : *Licèt præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis.* D. Ignatius *epist. ad Trall.* de Episcopis agens ita ait: *Qui istis inobediens fuerit, hic sine Deo omnino erit.* D. Cyprianus *epist. 3.* D. Basilius *in constit. monastic. cap. 20. & 23.* Zacharias *epist. 1. ad Pipinum*, Nazianzenus *oratione ad ciues*, ibi: *An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque Imperio meo, ac throno lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque gerimus ; addo etiam præstantius, & perfectius.* Ignatius *epist. ad Philadelphos*, ibi : *Præfecti obediant Cæsari ; Præfectis autem milites ; Diaconi quoque Sacerdotibus, & Sacerdotes simul & Diaconi, & reliquus Clerus, omnisque populus, milites quoque, & Præfecti, & Cæsar obtemperent Episcopo.* D. Chrysostomus *homilia 83. in Matthæum*, Concil. Matiscon. 1. *can. 10.* Tridentinum *sess. 23. de reform.* & *sessione 25. capite 27.* Alia plura Conciliorum decreta, & Sanctorum Patrum testimonia cumularunt Turriscremata *lib. 1. summæ, capite 74.* & *lib. 2. ex cap. 41.* Ayala *de traditionib. ecclesiastic. lib. 3. circa fin.* Sanderus *de visibil. monarch. lib. 1. & 2.* Suarez *in defens. fidei, lib. 3. cap. 7. & 31.* Corjolanus *in Breuiario, anno 731.* Hallier. *de iurisdict. pag. 403.* Illustrant prædictam conclusionem Roa *de iurib. Princip. quæstion. 2. numer. 17.* Azor *2. part. institut. lib. 3. cap. 49. in fine*, Barbosa *de potestate Episcop. allegat. 43. num. 23.* Menochius *lib. 2. de arbit. casu 365.* Suarez *de legib. lib. 1. cap. 4. & 5.* Petrus Gregor. *in cap. conquerente, cap. 5. de offic. Ordin.* & *lib. 5. partit. titul. 2. capit. 2.* & *lib. 7. cap. 1. & 2.* Garcia *in summa, tractatu 1. difficult. 1. dub. 15.* Sauarus *ad Sidonium lib. 7. epist. 17.* Herodius *lib. 1. Pandectar. tit. 4.* Spondanus *de cæmeter. 3. part. lib. 4. cap. 6.* & alij congesti à Barbosa *in præsenti*, & *de potest Episcop. part. 1. tit. 2. glossa 1. num. 4.* Ioannes Cabassutius *in can. 83. Synodi 6.*

15. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo : In orbe vnum debet esse caput, cui membra obediant, *cap. in apibus 7. quæst. 1.* sed illud est Imperator, cui obedire sacræ, & profanæ iubent auctoritates. Scripturæ sacræ ; vt Apostolus ad Romanos, relatus *in cap. omnis anima, de censib.* & *ad Timoth. capit 1. & 3.* & *ad Titum cap. 3.* Diuus Clemens *lib. 7. constit. Apostolic. cap. 17. can. 84. Apostolor.* quæ sacra testimonia ita acceperunt Patres relati *in cap. Iulianus 94. cap. qui resistit 98. cum sequentib. 11. quæst. 3. cap. magnum 28. 11. quæstion. 1.* Concil. Parisiense sub Ludouico, & Lothario *lib. 2. capit. 8.* Meldense sub Sergio, *cap. 2.* Turon. sub Carolo *can. 1.* Aquisgran. sub Gregorio IV. *partit. 1. cap. 12.* Quod etiam ad Principes tyrannos ampliari doctè, vt solet, probat eximius vir D. Franciscus Ramos *in suo syntagm. pro Episcopat. Lusit. pag. 18.* Magna enim est dignitas Regia. Plutarch. *lib. de doctrin. Princip.* vbi Principes simulacra Dei esse administrantis vniuersa affirmat. Tacitus *lib. 3. annal.* ait Principes instar Deorum esse. Seneca *lib. 3. de clementia, in fin.* Deorum vice fungi in terris. Ergo Episcopi Imperatori, non verò econtrà Imperator Episcopis obedientiam præstare debent. Augetur etiam hæc dubitandi ratio ex facto Salomonis Regis relato *lib. 3. Regum, cap. 2.* nam cùm Rex esset, Abiathar summum Sacerdotem deposuit, constituitque ipsius loco Sadoch ; vnde cognoscitur præcellentia Regalis sceptri supra Sacerdotium, etiam in lege veteri. Augetur tandem hæc difficultas *ex cap. nos si incompetenter 2. quæst. 7.* vbi Leo Pontifex fatetur, quod si ipse aliquid incompetenter gessit, per Ludouicum Regem esse iudicandum : igitur quia Summus Pontifex, & per consequens Cæteri Prælati ecclesiastici subsunt Imperatori. Secundò in eam partem nostræ assertionis, vbi docetur omnes clericos teneri suis Episcopis obedientiam præstare, etiam insurgo. Illi tantùm, qui curam animarum habent, præstant iuramentum obedientiæ, & fidelitatis Episcopo, *cap. legebatur*, vbi repetentes, *hoc titul. cap. ego, cap. nullus 5. de iurerand.* igitur non omnes absolutè tenentur præstare obedientiam Episcopo.

16. DE PRÆSTANTIA SACERDÒTII.

His tamen difficultatibus minimè obstantibus, vera est suprà adducta assertio, ad cuius expositionem sciendum est, duo esse, quibus principaliter orbis regitur, authoritatem videlicet sacram Pontificis, & Imperatoriam Celsitudinem, *cap. duo 10. dist. 96.* Carolus Magnus *lib. 5. cap. 167. Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in Sacerdotalem videlicet, & Regalem, sicut à sanctis Patribus traditum accepimus, diuisum esse nouimus*, &c. Idem ait Lupus Ferrarienſis *epistol. 81. ad Amulum* ; & Diuus Bernardus *ad in Eugenium PP. de considerat. lib. 4.* & Iuo *epist. 195.* Elegantissimè Elricus monachus *lib. 1. de vita S. German.* & Gutherus *Ligurini lib. 6. sub medium.* Notant Martha *de iurisdict. part. 1. capit. 52. num. 19.* Sanderus *de Monarchia lib. 2. capit. 4.* Prior Principatus res sacras administrat; posterior profanas curat : prior pro fine habet æternam felicitatem ; posterior pacem temporalem. Vnde ex fine, & effectu præstantiam spiritualis

ritualis Principatus deducit D. Clemens *lib.* 2. *constit. cap.* 34. ibi: *Ergo amplius dicendum est, plus hic accipiat, quàm olim ille accipiebat; siquidem olim militaria tantùm administrabat, bello, & pace ad custodiam corporis susceptis; hic verò sacerdotium ad Dei honorem administrat, dum pericula ab anima, & corpore propulset: quantò ergo anima corpora præstantior, tantò est Sacerdotium Regno excellentius; ligat enim aut soluit supplicio, vel remissione dignos: quocirca Episcopum oportet vt patrem diligere, vt Regem metuere.* Plura de præstantia Sacerdotij & Ecclesiastici Principatus tradunt Suarez *dict. cap.* 7. Petrus Gregor. *lib.* 7. *de Repub. capit.* 2. Hallier. *de Hierarchica iurisdict. pag.* 403. Rousselius *lib.* 6. *histor. capit.* 1. *num.* 1. Valenzuela *contra Venetos, part.* 4. *ex numero* 45. & *historia cap.* 1. *num.* 75. Quam præstantiam etiam apud Hebræos receptam, latè illustrant Dorleans *ad Tacitum lib.* 3. *pag.* 347. Vnde eminentior est ecclesiastica iurisdictio sæculari, *cap. duo sunt* 19. 96. *dist.* quia quamuis eandem originem sortiantur, & circa eandem materiam operentur, hoc est vitiorum coërcitionem, & virtutum augmentum; nihilominus diuersos fines intendunt, atque habet vtraque materiam magis sibi propriam. Pastoralis officij cura dirigit se ad salutem animarum componendam; Regale fastigium ad vitam ciuilem ordinandam. Quantò igitur maius est obiectum, digniorque materia Pontificalis solicitudinis, tantò excellentior est sedes Sacerdotij Regali Maiestate.

17. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Ex hac Principatus ecclesiastici præstantia prouenit, vt Imperator, cæterique Principes sæculares obedientiam præstare teneantur in spiritualibus Pontifici, & Episcopis, à quibus sacramenta suscipiunt. Cùm enim superior sit Principatus spiritualis sæculari, debet illi cedere. Sic enim antiquissimus Ignatius Apostolorum discipulus ad Philadelphos scripsit: *Principes obediant Cæsari, milites Principibus: at Diaconi Presbyteris: Cæsari Præfecti, Presbyteris Diaconus; & reliquus Clerus vnà cum populo vniuerso, militibus, Principibus, & Cæsare ipsi Episcopo pareant; Episcopus Christo, vt Christus Patri obediuit.* Venustè ad rem D. Ambrosius *de dignitat. sacerdot. capit.* 2. ibi: *Honor, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cùm videas Regum colla, & Principum submitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se committi.* Plura Spondanus *de cæmeteriis lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 6. & si Principes, & populi optimates tenentur suis Episcopis obedire, quantò magis clerici, & laici propriæ diœcesis tenebuntur illis obedientiam, & reuetentiam præstare, vt latè probat Garcia *in summa*, vbi suprà.

18. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS. Nec obstat difficultas suprà adducta; nam licèt verum sit, Principes & omnes alios teneri parère Episcopis, & ministris Ecclesiæ in spiritualibus, tamen in temporalibus parendum esse Principibus & ministris sæcularibus, rectè probatur ex supradictis auctoritatibus, & aliis congestis à Bellarmino *tomo primo controuers. titul.* 6. *de clericis, cap.* 28. Molin. *de iustit. tomo* 1. *disput.* 31. Valasco *consult.* 100. nec vllum inconueniens est, vt quoad temporalia pareant Principibus, qui quoad spiritualia illis præsunt. Nec secunda difficultas refragatur; nam licèt clerici curam animarum non habentes obedientiam præstare teneantur Episcopis, non tamen tenentur eam iurare, nisi sint suspecti de inobedientia, *capit. cùm in Ecclesiis, hoc titul.* vel si ea sit loci consuetudo, vt clerici obedientiam promittant, *cap. cùm clerici, de verbor. signific.* curam autem animarum habentes iuramento promittunt obedientiam, & fidelitatem, propter periculum, quod imminet, vt latè docet Balboa *in dict. cap. nullus* 5. *de iureiur.* & nos diximus *in cap.* 4. *de electione.* Nec obstat factum Salomonis, cui respondent Bellarminus *lib.* 2. *de Roman. Pontif. cap. vltimo*, Suarez *vbi suprà*, potestatem sacerdotij in lege veteri non spiritualem fuisse, sed temporalem. Et si fateamur etiam in lege veteri ordinem sacerdotij esse Regali potestate maiorem, facilè etiam dici potest, Salomonem non tanquam Regem, sed tanquam executorem diuinæ iustitiæ deposuisse sacerdotem. Nec tandem obstat textus *in cap. nos incompetenter* 2. *quæst.* 7. nam Imperator non iurisdictione propria potuit iudicare Pontificem, sed quia ipse Pontifex humilitatis causâ se subiecit Imperatori, quod facere potuit, ex lege *est receptum* 14. *ff. de iurisdictione*, & sic ex delegata iurisdictione potuit de causa Leonis cognoscere.

19. EXPONITVR CAP. SATAGENDVM 24. Q. 1. Superiori assertioni obstat textus *in cap. satagendum* 10. 25. *quæst.* 1. in illis verbis: *Obsequium confessionis nostræ legibus, & Regibus ministremus; quibus etiam nos esse subditos sacræ Scripturæ præcipiunt.* Ex quibus verbis deducitur, etiam Pontificem parère Principibus sæcularibus: igitur Principes non subsunt Episcopis, aut Pontifici. Pro cuius textus solutione dicendum est, Pelagium Pontificem agere de subiectione quoad temporalia præstanda; quam testimonia sacræ Scripturæ suprà relata adstruunt; non verò quoad spiritualia: ait enim Pelagius, se confessionem, & fidei professionem à se subscriptam Childeberto de ea dubitanti mittere: quod fecit Pelagius ad submouendam suspicionem apud Childebertum ortam, licèt ad eam faciendam non teneretur: sicut multoties legimus Pontifices se subiecisse iudicio Imperatorum ad remouendam suspicionem, & sedandum scandalum, vt *in cap. in Synodo*, 63. *dist. cap. nos incompetenter* 2. *quæst.* 7. dicemus latè *in cap.* 2. *de iudiciis:* vbi plura adducunt Vega, Primarius noster Doctor Garaña, & D. Nicolaus de Fermosino Astoricensis Ecclesiæ Præsul.

CAPVT

CAPVT VII.

Idem *Episcopo* [a] *Florentino.*

PEr tuas nobis litteras intimasti, quod cùm aliqui Ecclesiæ Rom. subdiaconi prælationes in tua diœcesi assequuntur, pro quibus tibi debent obedientiam exhibere, si quando exigente iustitiâ te contigerit exercere in primis ecclesiasticam disciplinam, illi subdiaconatus priuilegium allegantes, ad ea se asserant non teneri ad executionem sententiæ: ac per huiusmodi subdiaconatus officium ab obedientia, quâ tibi tenentur ratione obtenti beneficij, sint exempti. Super quo postulasti per Sedis Apostolicæ oraculum edoceri, vtrum quis per ordinem Subdiaconatus à [b] Romano Pontifice susceptum à debita tibi reuerentia subtrahatur. Ad quod breuiter respondemus, quod etsi decens sit, quod illis [c] quantùm conuenit, à te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas Apostolica collatione ipsius ordinis honorauit, per eam tamen ab obedientia, quam aliàs tibi debent, minimè [d] absoluuntur.

NOTÆ.

1. a *Florent.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. de qua Ecclesia Florentina, & Prælato, cui missa est præsens decisio, egi *in cap. cùm Ecclesia* 31. *de elect.*

2. b *Romano Pontifice.*] Licèt enim quilibet clericus debeat ad sacros ordines promoueri à proprio Episcopo, vt probaui *in cap.* 2. *de ordinatis ab Episcopo*; tamen Rom. Pontifex, cùm sit vniuersalis Episcopus Episcoporum, potest quemcumque Parochianum ordinare, & ex quacumque diœcesi constituere tam Presbyteros, quàm subdiaconos, *cap. per principalem* 9. *quæst.* 3. Iulius I. *epist.* 2. *cap.* 6. ibi: *Vt nullius Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque Episcopi voluntate, vel iudicare; saltuâ tamen in omnibus Apostolicâ authoritate.* Ea tamen iurisdictione rarò, aut nunquam vti Pontificem testatur Stephanus relatus à Gratiano *in cap. ne verò* 9. *quæst.* 3. Alieni parochiani, aut ordinabantur à Romano Pontifice, vt alicui Ecclesiæ vrbis Romæ præficerentur, vt in exemplis relatis ab Hallierio *de sacr. elect. pag.* 648. aut honoris causâ illustribus viris ita postulantibus, vt dum Pelagius ordinauit Rufinum, vt in parochia S. Laurentij administraret, de quo *in cap. in parochia* 16. *quæst.* 1. & in casu nostri textus, vbi subdiaconus ex Florentina diœcesi ordinatus fuit ab Innocentio III.

c *Quantum conuenit.*] Aliquibus enim prærogatiuis in iure expressis fruuntur à Romano Pontifice ordinati. Prima, quòd si in Diaconos, aut Subdiaconos sint ordinati, non possunt ad altiorem gradum promoueri, nisi à Rom. Pontif. aut de eius licentia, *cap. cùm in distribuendis, de temporibus ordinationum.* Secunda, ipsi ordinati à Rom. Pontifice non possunt nisi magno testium numero conuinci, & condemnari, *cap. Præsul*, 2. *quæst.* 4. Tertia, vt inter alios ministros eiusdem gradus ipsi præferantur, vt ex nostro textu docent Hallier. *vbi suprà, pag.* 650. Gonzalez *in regul.* 8. §. 3. *procemial. num.* 114. Quarta, vt ab Episcopo deponi non possint. Barbosa *in præsenti*: facit principium illud, eum posse iudicare, qui & ordinare valet, *cap. nullus, de parochiis.* Calixtus II. *cap.* 8. Sixtus II. *epist.* 2. *cap.* 12. Iulius primus *epist.* 1. *cap.* 6. Sed licèt huius honoris habitâ ratione Episcopus debeat litem instructam ad Romanum Pontificem mittere, vt illum deponat, quem ordinauit; tamen ex stricta iuris ratione depositio ab Episcopo in eum prolata defendi potest, vt docet Hallier. *vbi suprà.* 3.

d *Absoluuntur.*] Non enim creditur Pontificem suo priuilegio velle detrahere iuri tertij, aut eum grauare; & sic ab obedientia Episcopo debita ordinatum per ordinationem absoluisse non creditur Pontifex. 4.

CAPVT VIII.

[a] Idem *Constantinopolitano Patriarchæ.*

INter quatuor animalia, quæ in medio sedis, & circuitu eius describuntur ab Ezechiele, facies aquilæ super ipsarum quatuor memoratur: quia inter quatuor Patriarchales Ecclesias, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quæ per animalia supradicta significantur, quas Ap. Sedes in medio habens, quasi filias amplectitur spirituales, cui eædem quasi in circuitu famulæ obsequentes, ipsa Constantinopol. post Ap. Sedem excellentia præeminet dignitatis, ad cuius exaltationem tanto libentiùs aspiramus, quantò ipsam honorabilius membrum sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ arctiùs amplexantes, ipsius auxilio temporibus istis eandem ampliùs noscimus indigere, ac tuas, qui Domino disponente præesse dignoscis, petitiones libentiùs promouere

promouere disponimus, quibus non repugnat honestas, nec aliis præiudicium generatur, cùm à nobis iniuriarum actio non debeat exoriri, à quibus iura, tanquam à fonte, ad cæteros deriuantur. *Et infrà*: Tibi duximus respondendum concedendo, vt hi, qui Ecclesias suas, seu beneficia possident, obedientiam tibi exhibeant, nisi fortè aliqua illarum Ecclesiarum antè captionem Regiæ ciuitatis à iurisdictione Patriarchæ legitimè fuisset exempta. Subsequentem verò petitionem contra Ecclesias, quas tibi subiici postulabas, quæ priùs quàm Constantinopolis ciuitas [b] caperetur, Constanti Patriarchæ minimè respondebant, duplici ratione non duximus admittendam. Iuris namque ratio postulat, vt in eorum præiudicium, quibus eædem Ecclesiæ sunt subiectæ, nihil ordinemus de ipsis, cùm nec [c] citati sint, nec conuicti, nec per contumaciam se absentent. *Et infrà*: Super obedientia verò, quam vt tibi impendi faceremus ab Archiepiscopo, & Episcopis [d] Regni Cypri similiter postulasti, ferè idem duximus respondendum, cùm & ipsi ante tuam promotionem fuerint exempti, quando videlicet Constantinopolis Ecclesia erat inobediens, & rebellis; & in eorum absentia circa statum eorum non debuerimus aliquid immutare: iustitiam tamen non negabimus tibi, cùm eam duxeris postulandam.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. de hoc Patriarcha, & huius textus inscriptione egi *in cap. cùm inter, de clericis peregrinis*, vbi est alia pars huius textus.

b *Caperetur.*] Quando Constantinopolis obsessa capta fuerit à Latinis, retuli *in cap. quoniam* 14. *de officio Ordinarij.*

3. c *Citati sint.*] Citationem enim, seu in ius vocationem, nec Principem tollere posse, probatur *ex cap.* 1. *de causa possessionis, Clementina Pastoralis*, §. *cæterùm, de re iudicata*; post plures docet Osualdus *ad Donel. lib.* 23. *cap.* 2. *littera A.* & nos plura Deo volente dabimus *in cap.* 1. *de causa possessionis.*

4. d *Regni Cypri.*] Cyprus olim parebat Patriarchæ Antiocheno, cùm pars Syriæ Cyprus esset, vt probant Bosquetus *lib.* 2. *epist. Innocentij III. epist.* 82. Carolus à Sancto Paulo *in geograph. sacra, fol.* 293. notaui *in cap.* 7. *de temporibus ordin. num. penult.* Propter periculum tamen nauigationis, quod in ea insula magnum erat, *can.* 37. *Synodi Nicæni*, ex Arabica editione, *nouella* 50. *Iustiniani*, Patriarcha plura omiserat, remiserat-que; vnde paulatim Cyprus libertatem vindicauit, tandem eam in Concilio Ephesino assequutus fuit, vt refert Nicephorus Calixtus *lib.* 16. *historiæ, cap.* 37. sed cùm aliquot pòst annis Metropolitanus Cypri à Cypro pulsus esset, & in nouam Iustinianopolim Helespónti se contulisset, ea in vrbe suam libertatem retinuit, licèt non plenam, *can.* 39. *sextæ Synodi*, vbi Balsamon. Demùm excusso à Cypro Barbaro dominationis iugo, Metropolitanus Cypri pristinum ius libertatis assequutus fuit, vt refert Berterius *diatrib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 157. Quare rectè iuxta horum temporum distinctionem Innocentius in præsenti affirmat, Cypri Metropolitanum obedientiam non præstare Patriarchæ Constantinopol. qui Metropoliticum, seu Patriarchicum ius habere intendebat, & sic obedientiam illi præstandam esse affirmat, vt *ex cap. ad decorem* 5. *de instit.* quod ex nostro textu, & suprà relatis lucem accipit.

CAPVT IX.

[a] Idem.

QVod super his. *Et infrà:* Abbates, & Sacerdotes diœcesana lege tibi subditos, qui ad tuam Synodum venire contemnunt (dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obuiet institutis) per [b] cens. eccles. ad Synodum ipsam venire compellas, & debitam tibi [c] obedientiam & reuerentiam exhibere.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam habetur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. nullibi tamen constat, cui missa sit hæc decisio; credo tamen in ea proponi aliam partem decisionis textus *in cap. quod super* 7. *de fide instrum.* & *cap. quod super* 8. *de voto*, ex quorum inscriptionibus restituenda est præsens in hunc modum: *Innocentius III. Cantuariensi Archiepiscopo:* de qua Ecclesia egi *in cap.* 2. *de rescriptis.*

b *Censuram.*] Idest excommunicationem, & 2. suspensionem, *cap. quærenti, de verborum significatione.*

c *Obedientiam, & reuerentiam.*] Iuxta tex- 3. tum *in cap. conquerente, de offic. Ordinar.*

COMMEN

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO ILLVSTRATVR. EX hoc textu talis deducitur assertio : *Abbates, & sacerdotes, qui sunt diœcesana lege Episcopo subiecti, debent ad Synodum vocati venire.* Probant textus *in cap. annis*, 18. *dist. cap. fin. de causa possessionis.* Concilium Mogunt. sub Rabano *can.* 16. Concilium Altissiod. *can.* 7. *Vt medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant, & Kalendis Nouembris omnes Abbates ad Concilium conueniant.* Concilium Liptinense sub Childerico anno 743. celebratum : *Vt Presbyter semper in Quadragesima rationem, & ordinem ministerij sui, siue de baptismo, siue de fide catholica, siue de precibus, & ordine Missarum ipsi Episcopo reddant, & ostendant.* Ludouicus *in capitul. Aquisgran. lib.* 1. *c.* 99. *Vt dicendi gratiâ alio, non Quadragesimæ tempore, Presbyteri ad ciuitatem vocentur.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *de potest. Episcop. allegat.* 93. & *in Tridentinum sess.* 24. *de reformat. cap.* 2. Petrus Gregor. *in cap. conquerente, & cap.* 14. *de offic. Ordinar.* Duarenus *lib.* 1. *de sacris Ecclesiæ, cap.* 11. Bosquetus *ad Innocentium lib.* 3. *epist.* 4. & *lib.* 1. *epist.* 91. Tamburinus *de iure Abbat. tomo* 1. *disp.* 24. *q.* 3. Acuña *in dict. cap. alienis*, Dartis *in* 15. *dist. fol.* 52. Lemaistre *lib.* 2. *de iurib. Episcopor. cap.* 3. Iacobatius *de Conciliis lib.* 2. *art.* 2. Gregorius Lopez *in l.* 11. *tit.* 5. *part.* 1.

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed contrarium expressè probant textus *in cap. Episcopus* 11. 18. *distinct.* in illis verbis : *Episcopi non debent cogere Abbatem ad Synodum ire, nisi aliqua rationabilis causa existat :* Quæ verba ex Synodo Turonensi citat Gratianus post textum *in cap. fin.* 18. *quæst.* 2. & textum *in cap. nimis, de excessib. Prælator.* vbi docetur, monachos neutiquam teneri ad Synodum venire diœcesanam : ergo non rectè hîc deciditur, Abbates, & Sacerdotes sæculares cogi ad Synodum venire.

6. DE DIFFERENTIIS CONCILIORVM. Pro explicatione nostri textus, & conciliatione cum prædictis auctoritatibus, sciendum est, Conciliorum quatuor genera esse (vt latiùs dicemus *in cap. sicut olim, de accusationib.*) alia videlicet sunt œcumenica, generalia, seu vniuersalia ; alia nationalia ; prouincialia alia ; demùm diœcesana alia. Generalia, seu Oecumenica, dicuntur, quæ ex Præsulibus totius orbis per Rom. Pontificem conuocatis congregantur, *cap. multis* 5. *cap. Concilia* 6. 17. *dist. cap. dudum* 9. 3. *quæst.* 6. de quibus, & eorum vtilitate agunt latè Bellarminus *integro lib. de Conciliis*, Iacobatius *eod. tract.* Corjolanus *in summa Concilij, in proœmio.* Nationalia autem Concilia sunt, quæ à Primatibus, seu Patriarchis conuocantur ex cunctis Metropolitanis, & Episcopis sui Primatus, de quibus in Synodo 8. Constantinopolit. *can.* 17. Prouincialia sunt, quæ à Metropolitanis, seu Archiepiscopis, ex Episcopis, & aliis Prælatis congregantur, de quibus *in tota* 18. *dist.* & nos plura adducemus *in cap. sicut, de accusat.* Diœcesana Concilia sunt, quæ vulgò Synodos Episcopales dicimus, de quibus *in cap.* 2. *dist.* 18. *cap. sicut olim, de accusat.* Concilium Vernense *can.* 8. Dicuntur etiam Concilia ciuilia ab Heliano *epist.* 13. ad Carolum Caluum : *Sed nunc melius feceritis, si quod in Concilio ciuili apud suum Episcopum perperam gestum est, in prouinciali Synodo apud vos rationabiliter, & apud fratrem nostrum Hincmarum Archiepiscopum cassaretur.* Meritò autem ciuilia appellantur ; nam sicut iura propria ciuitatis cuiusque dicuntur iura ciuilia, *l. ius* 6. *ff. de iustitia, & iur.* §. *ius ciuile, Instituta de iure natur.* Cuiacius *lib.* 10. *responsor. Papin. in leg. Antiochensium, ff. de priuileg. credit.* & ciuilitatem pro iure ciuili dixit Tribunus *in actibus Apost. cap.* 22. *versu* 28. & bellum ciuile, quod inter ciues geritur, D. Isidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 1. ita Concilium ciuile dicimus, quod in sua ciuitate Episcopus congregat.

7. DE SYNODIS DIOECESANIS. Synodos autem istas duplici causâ, & tempore quotannis celebrari solere reperio. Primò, tempore quadragesimali, ad instruendos Presbyteros in ecclesiastica disciplina. Concilium Liptinense *vbi suprà.* Sed cùm occasione Synodi diœcesanæ Presbyteri à cura gregis sibi commissæ distraherentur, PP. Concilij Aquisgran. *in dict. can.* 99. statuerunt, vt non Quadragesimæ tempore, sed alio Presbyteri ad Synodos vocarentur. Secundò Episcopi Synodum diœcesanam mense Octobris congregabant pro reformatione morum, & coërcendis Sacerdotibus, Abbatibus, & aliis clericis, si collapsa erat disciplina sacrorum Canonum, vt sæpiùs legitur *in* 18. *dist.* In his autem Synodis Episcopi nihil poterant statuere contra ius commune, & quod canonicis obuiaret institutis, vt in præsenti textu docetur, & *in cap. finali, de officio Archipresb. Clement. ne Romani, de electione*, docet pluribus relatis Acuña *in* 18. *dist.* circa causas etiam grauiores aliquid statuere in ipsis synodis permissum non est, veluti circa causas fidei, sacramentorum, & similes ; quia earum cognitio iudicio Ecclesiæ vniuersalis, & Rom. Pontificis reseruata est, *cap. maiores, de baptismo.* Nec contrarium probat textus *in cap. ad abolendam, de hæreticis*, vbi hæretici condemnantur, & iudicantur in Concilio prouinciali, vel Synodo diœcesana. Nam respondetur, in eo textu non statui, Concilium prouinciale, seu diœcesanum, posse definire aliquid circa fidem ; sed tantùm affirmari, quod potest iudicare, an aliquis inciderit in hæresim, vel non ; quod & Episcopus per se tanquam Ordinarius Inquisitor facere poterat, *cap. si accusatus, de hæreticis in* 6. docent Bellarminus & Acuña *vbi suprà*, Filesacus *in cap.* 1. *de officio Ordin.* & nos *in eod. cap.* notabimus. Circa alias verò causas etiam graues poterit Episcopus in simili Synodo statuta facere, etiam præter ius, idest in casibus, quibus iure communi cautum aliquid, aut statutum non est. Barbosa *dict. allegat.* 93. Nec tunc obstat textus *in cap.* 2. *de locato*, vbi statuta synodalia clerici seruare non tenentur : ergo Episcopus in Synodo sua diœcesana nihil contra, vel præter ius statuere potest. Quia huic decisioni respondendum est, ibi Episcopum statuisse contra ius commune ; nam cùm iure communi attento quilibet sacerdos habeat liberam facultatem locandi fructus sui beneficij, Episcopus statuendo contrarium, ne possit eos locare, contra ius commune statuit, & sic tale statutum non sustinetur, nisi clerici adessent, & consentirent ; tunc enim quia renunciasse videntur iuri suo, ideo simile statutum sustinetur : ad synodum autem diœcesanam

venire tenentur, & vocandi sunt Presbyteri parochias habentes, Archipresbyteri rurales, Abbates, & alij expressi in Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 2. & si venire contempserint, censurâ ecclesiasticâ sunt percellendi, sicut alij, qui ad Concilium generale, vel prouinciale venire contemnunt, *cap. Episcopi*, *cap. Episcopus*, 18. *dist.* vnde rectè in præsenti docet Innocentius Sacerdotes, & Abbates teneri ad Synodum venire, aliàs censuris ecclesiasticis esse percellendos.

8. EXPONVNTVR TEXTVS SVPRA EXPENSI. Nec tunc obstat textus *in d. cap. fin.* 18. *cap. fin.* 28. *q.* 2. Pro quorum conciliatione cum hoc textu discrimen est constituendum inter Abbates, qui monasteriis præfecti habent populum, vel Ecclesiam cum cura animarum; isti enim debent ad Synodum venire, cùm ratione populi subiecti sint lege diœcesana Episcopo, vt alij Plebani sæculares, *cap. dilectus*, *de officio Ordin.* & inter Abbates, qui populum non habent; illi enim non tenentur ad Synodum venire, vt in dicto Concilio Turonensi statutum est. Etiam Abbates exempti non tenentur ad Synodum venire, *cap. nimis*, *de excessib. Prælator.* & si habent capellas sibi subiectas, non ipsi, sed capellani ad Synodum venire coguntur: docent Petrus Gregor. *in dict. cap. conquerente*, *cap.* 14. Tamburinus *dict. disp.* 24. *quæst.* 5. vnde noster textus accipiendus est casu, quo Abbates non erant exempti, sed habebant Ecclesias parochiales, quarum ratione lege diœcesana tenebantur obedientiam, & reuerentiam Episcopo præstare, vt in vltimis verbis docetur: illi enim iuxta suprà dicta tenentur ad Synodum venire; textus verò suprà citati procedunt in Abbatibus, qui nec obedientiam, aut reuerentiam Episcopo præstabant.

9. EXPONITVR CAN. 7. CONCIL. ALTISSIOD. Sed adhuc expositione eget textus *in can.* 7. *Concil. Altissiodorens.* in illis verbis: *Vt omnes Presbyteri ad Synodum conueniant, & Kalendis Nouembris omnes Abbates ad Concilium conueniant.* Ex quibus expressè deducitur, ad vnam, eandemque Synodum non debere accedere Abbates, & sacerdotes: igitur non rectè in præsenti deciditur, simul, & æqualiter Abbates, & sacerdotes ad synodum accedere cogi. Pro huius canonis expositione sciendum est, Synodum diœcesanam non semel, sed bis congregari solere in anno, *can.* 38. *Apost.* Anacletus *epist.* 1. Concilium Nicænum primum *can.* 1. Agathense *can.* 71. *cap. peruenit* 6. *cap. de Conciliis*, 18. *dist.* Concil. Toletan. 3. *can.* 18. ibi: *Quod si propter loci longitudinem itineris non potuerint bis in anno celebrari, saltem semel celebrentur.* Turonense 2. *can.* 1. Regiense *can.* 4. Arausic. 1. *can.* 18. docent Souchetus *in notis ad Carnotensem*, *dict. epist.* 61. In prima Synodo tantùm de instruendis sacerdotibus in theologicis præceptis, & disciplina ecclesiastica, non verò de correctione morum tractabatur: in secunda verò agebatur de morum correctione, *cap. propter* 18. *distinct.* vnde in prima Abbates adesse non cogebantur; in secunda verò vocati venire tenebantur.

CAPVT X.

Idem *Sancti* [a] *Stephani*, *& Sancti* [b] *Proculi Abbat. Bononien.*

CVm in Ecclesiis sancti [c] Victoris, & Sancti Ioannis de Monte. *Et infrà*: Nos igitur ad reformationem earumdem Ecclesiarum, quæ peccatis exigentibus, & in temporalibus diminutæ, & in spiritualibus sunt multipliciter collapsæ, diligenti solicitudine intendentes, vniuersis Canonicis dedimus firmiter in præceptis, vt Priori suo in his, quæ ad Deum pertinent, obediant. Cúmque omnes, quatuor dumtaxat exceptis, se parêre velle eius monitis, & præceptis concorditer respondissent, prædicti quatuor se contra Priorem in superbiam erigentes, licèt de obedientia suo Priori præstanda præstitissent [d] corporaliter iuramentum, tamen exhibiti iuramenti, & districtæ præceptionis immemores, suo Priori per omnia restiterunt; & cùm pro contumacia sua nequiuissent ad debitam obedientiam reuocari, dictus Prior in eos, dictante iustitiâ, [e] excommunicationis sententiam promulgauit. Cùm igitur præfati Canonici ad Sed. Ap. accessissent, per scripturas authenticas ex multorum Prælatorum testimonio effecti de ipsorum contumacia certiores, recepto secundùm formam Ecclesiæ ab eis corporaliter iuramento, ipsis fecimus absolutionis beneficium impendi, præcipentes eis sub debito [f] iuramenti, vt ad claustrum suum, de quo exierant, redeuntes, Priori suo secundùm Deum deuotè, ac humiliter obedirent. Nolentes igitur, quod iidem Canonici tam effrenatâ deinceps libertate vagentur, disc. v. per Ap. s. m. quat. nostrâ freti authoritate præfatos Canonicos, vt ad Prioris sui obedientiam reuertantur, sublato cuiusvis ap. diffugio, per cens. eccl. compellatis; & ne de sua possint contumacia gloriari, cogatis eos, si videritis expedire, vt iuramentum, quod de parendo mandatis Prioris, quod pro absolutionis beneficio impendendo superbè negauerant, humiliter præstent, alioquin eos de fratrum ipsorum consortio penitus [g] excludatis.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Sancti Stephani.*] Ita legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. monasterium autem Sancti Stephani est Ordinis S. Benedicti in ciuitate Bononiensi, retrò centum annis ante Cassinense monasterium ædificatum à Sancto Petronio Episcopo, & Patrono ciuitatis Bononiæ, cuius amplitudinem refert Yepes *tomo 6. chronic. D. Benedicti, pag.* 391.

2. b *Sancti Proculi.*] Monasterium etiam sancti Proculi est eiusdem Ordinis D. Benedicti, vt testantur Vghellius *in Italia sacra, tomo* 2. *in Ecclesia Bononiensi.* Huius etiam Ecclesiæ mentio fit *in cap. dilectus, de rescriptis.*

3. c *Sancti Victoris, & Sancti Ioannis de Monte.*] Ecclesia hæc est Canonicorum Regularium Ordinis D. Augustini, in monte Oliueto nuncupata: constructa fuit à S. Petronio Episcopo Bononiensi, vt refert Sigonius de Episcopis Bononiensibus *lib.* 1. *in actib. ipsius*, & ex eo Pennotus *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 3. *historiæ canonicorum regularium.* Ecclesia etiam Sancti Victoris Canonicorum Regularium eiusdem ferè antiquitatis est, vt de ea plura referens tradit Pennotus *vbi suprà:* istæ Ecclesiæ postea vnitæ fuerunt variis ex causis, quas refert Pennotus *vbi suprà, lib.* 3. *cap.* 14. *per totum.*

4. d *Corporaliter iuramentum.*] De hac forma iuramenti plura adducam *in cap. fin. de iurament. calumn.*

5. e *Excommunicationis sententiæ.*] Ex hoc textu facilè deducitur, Priorem Ecclesiæ regularis posse excommunicare subditos, suspendere, & interdicere; quod etiam probatur *ex cap. sicut, de simonia:* & Abbatibus regularibus iam à temporibus Primitiuæ Ecclesiæ idem permissum esse, docet Benedictus Hæpthenus *lib.* 8. *disquisit. monastic. cap.* 1. *&* 2. Suarez *de censuris disput.* 2. *sect.* 2. *n.* 8. Gibalinus *eod. tract. disquisit.* 3. *q.* 3.

6. f *Debito iuramenti.*] Licèt periuri ad nouum iuramentum præstandum non admittantur, *cap. paruuli* 14. 22. *q.* 5. Farinacius *de testibus q.* 56. *art.* 5. Iulius Clarus §. *periurium, verbo Repellatur*; tamen cùm iuramentum necessarium est, & illis in onus iniunctum, iurare coguntur. Butrius hîc *num.* 18. Sanchez *lib.* 3. *summæ, cap.* 3. *num.* 4.

7. g *Excludatis.*] Hæc est vltima, & grauissima pœna Regularium, eiectio videlicet è monasterio, cùm monachi sunt incorrigibiles. Eam in suis regulis statuerunt Macharius ibi: *Qui nec sic se emendauerit, extraneus habeatur.* Et *numero* 28. ibi: *Si fuerit aliquis tam durus, tam alienus à timore Domini, vt tot castigationibus, & tot remissionibus non emendetur, proiiciatur à monasterio.* Pachomius *art.* 84. Sanctus Benedictus *cap.* 28. *de incorrigibilibus:* hanc pœnam approbarunt Patres Concilij Aquisgran. *can.* 134. *Postremò*, inquiunt, *si inemendabiles, & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira serpant contagia, necesse est, vt à caterorum societate, vtpote oues morbidæ, secreti, antè per sententiam Episcopi deducantur, vt ab eo canonica auctoritate publicè damnentur.* Innocentius III: *in cap. cùm ad monasterium*, Honorius III. *in cap. fin. de statu monachorum*, Alexander III. relatus *in cap. relatum* 7. *nec clerici, vel monachi.* Congregatio Concilij Vrbani VIII. iussu edita his verbis: *Vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis. Verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus quibuscumque in religionibus, & ordinibus, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis; verùm etiam vnius anni spatio probetur in carceribus: proindeque vnaquæque religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia; elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre separari tandem possit, sed in ipsomet Capitulo generali tantùm, de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendorum in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus: tunc que non nisi instructo secundùm eorum stylum, & constitutiones processu, & planè probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum præscriptum.* Plura de hac eiectionis pœna tradunt Hæpthenus *lib.* 8. *disquisit. monast. disquisit.* 7. Gibalinus *de clausur. disquisit.* 2. *cap.* 4. §. 8. Tamburinus *de iure Abbatum tomo* 3. *disp.* 8. *quæst.* 7. Hurtad. *p.* 2. *de congr. lib. vltimo, resol.* 1. & nos *in cap. finali, de regul.*

CAPVT XI.

Honorius III. [a] *Dilecto fr.* [b] *G. Presbyt. Card. & Capitulo Ecclesiæ S. Laurentij in* [c] *Damaso.*

HIs, quæ pro Ecclesia S. Laurentij in Damaso ex parte tua; & Capellanis tibi subiectis ex altera, super [d] scrutinio, manuali obedientiâ, correctione, interdicto, & excommunicatione, aliisque articulis fuere coram nobis proposita, diligenter auditis, sententiando decreuimus, vt earumdem capellarum Presbyteri, & clerici Cardinali, qui nunc est in ipsa Ecclesia, & qui pro tempore fuerit, manualem [e] obedientiam, & reuerentiam, & honorificentiam omnem exhibeant; & ad Ecclesiam ipsam pro scrutinio, baptismo, & capitulo celebrandis conueniant temporibus consuetis, correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, & excommunicationis, & interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, & Ecclesias eorundem, inuiolabiliter obseruantes. [f] Quando autem Ecclesia ipsa Cardinali vacabit, Capellani, & clerici memorati

nihilominus eidem Ecclesiæ reuerenter exhibeant omnia supradicta, eo dumtaxat excepto, quod de correctione, excommunicatione, & suspensione ipsorum pro bono pacis, nostræ prouidentiæ reseruamus.

NOTÆ.

1. a *Honorius tertius.*] In quinta collectione ita legitur: in sexta verò habetur, *Honorius tertius G. Presbytero Cardinali, & Capitulo S. Laurentij in Damaso:* sed ex vtraque vera inscriptio ita restituenda est: *dilecto filio G. Presbytero Cardinali, & Capitulo S. Laurentij in Damaso:* emendandum enim est *filio*, non *fratri*; nam licèt cùm Pontifex scribit simul Cardinalibus Episcopis, & Presbyteris, eos fratres appellet, *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, cap. in Genesi, in fine, de election. cap. 1. de offic. Legati, in 6. extranagant. Execrabilis*, §. *nos, de præbendis*, docet Antonius Augustinus *in emendat. Grat. dial. 5.* tamen cùm Presbyteris Cardinalibus tantùm scribit, non fratres, sed filios eos appellat, *cap. Raynaldus*, ibi: *Dilectus fil. noster, de testam. cap. 1. de supplenda neglig.* notarunt post alios Anast. Germon. *de indultis Cardin. §. dilecto, num. 22.* Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 4. num. 6.* & nos *in cap. quàm graui, de crimine falsi.* Quare cùm in præsenti Honorius rescribat Cardinali, qui tantùm Presbyter erat, filium, non fratrem appellare debebat.

2. b *G.*] Gallo videlicet, qui creatus fuit Cardinalis ab Innocentio III. & ab Honorio tertio titulo S. Laurentij adscriptus fuit, vt ex Onuphrio, & aliis notauit Ciron. *in præsenti*, & refert Ciaconius *in eius vita.* Titulus S. Laurentij est Presbyteri Cardinalis, & spectat ad Basilicam Patriarchalem S. Petri, vt refert Cohelius *in notit. Cardin. cap. 6.*

3. c *In Damaso.*] Ecclesia Sancti Laurentij ita dicta est, quia à Pontif. Damaso constructa, & dicata fuit, variisque reliquiis, vasibus, & ornamentis dotata: eam collapsam Cardinalis Biarius reædificauit, & in Ecclesiam Collegialem erexit. Huius Ecclesiæ Capitulo rescripsit Honorius *in præsenti.*

4. d *Scrutinio.*] Dictum ab scrutando scrutinium, quia perscrutandum erat in iis, qui accedebant ad Sacramenta, vtrum admittendi essent, vel non. In duobus Sacramentis scrutinium obseruari legimus; in Ordine videlicet, *cap. vnico, de scrutinio in Ordine*, de quo in præsenti non agitur, quia cùm Petrus Gallus tantùm esset Presbyter Cardinalis, ordines conferre non valebat. Scrutinium etiam olim adhibebatur in Baptismo. Postquam enim catechumeni nomen suum dederant, dum in catechesi persistebant, per quadragesimam septem scrutinia fiebant antequam ad baptismum admitterentur. Albinus Flaccus *de Diuinis officiis cap. 19. de baptism. Nec hoc omittendum est, quod Romani infra quadragesimam sex scrutinia celebrant, & hodie septimum.* Concilium Mogunt. 2. *can. 3. Sacramenta itaque baptismatis volumus vt iugiter, & concorditer conferuentur, ideſt scrutinium ad ordinem baptismatis, sicut in decretis Leonis Papæ in duobus continetur capitulis.* Rupertus Abbas *lib. 4 de Diuinis officiis, cap. 18. Ergo fere nouem Ecclesiæ celebrantur initia, quæ appellantur scrutinia. Scrutinia verò dicuntur ab scrutando, quia perscrutandum erat in his, qui accedebant, ne qua radix amaritudinis subesset.* Plura de hoc scrutinio congesserunt Cellotius *lib. 6. de hierarch. cap. 25. §. 1.* Ios. Vicecomes *de rit. bapt. lib. 3. cap. 21. cum sequent.* Cironius *in parat. ad tit. de baptismo*, Lindembrogius *in glossario legum antiquar. verbo Scrutinium*, Kochier *in face histor. cap. 55.* Zerda *in aduers. cap. 85.* Hug. Menard. *in notis ad Sacrament. D. Gregorij, fol. 138.* Et cùm hoc scrutinium fieret ab eo, qui Ecclesiæ præerat, vbi baptismus solenniter administrandus erat, *cap. dilectus, de capellis monach.* ideo Presbyter Cardinalis, qui in Ecclesia S. Laurentij debebat ipsum solenniter ministrare, iustè asserebat scrutinium ab eo esse faciendum, eiusque capellanum ad aliud procedere non posse; sed in eo & aliis, quæ ad regimen ipsius Ecclesiæ spectabant, illi parêre debebat.

e *Obedientiam.*] Ideſt ministerium, & administrationem, vt ait Innoc. III. *lib. 1. epist. 281.* & hîc exponit Cironius. 5.

f *Quando autem.*] Hanc textus partem exponemus *in cap. cùm olim, hoc tit.*

COMMENTARIVM.

EX hac decisione communiter, & rectè colligitur, Presbyteros Cardinales habere in suis titulis, siue Ecclesiis, omnem iurisdictionem; & capellanos ipsarum illis debere obedientiam præstare; ita enim vltra ordinarios, & congestos à Barbosa in præsenti, docent Cironius *in notis ad hunc textum*, Germonius *de indultis Cardin. §. tam ratione*, Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 4. num. 33.* Cohelius *in notit. Cardin. cap. 16. princ. 14.* Lotherius *de re benef. lib. 1. q. 8. & 16.* Ad eius tamen expositionem sciendum est, Cardinales dictos fuisse à cardine, quia sicut ostium regitur per cardinem, ita Ecclesia per Collegium, & Senatum Cardinalium. Anacletus *in cap. sacrosancta, 22. dist.* Illustrant Lælius Zecchus *de Republ. Eccles. p. 2.* Petrus Gregorius *lib. 5. Syntag. cap. 4.* Pater Serlogus *tomo 3. in Cantica, pag. 495.* Kochier *in face histor. centur. 2. cap. 57.* Buseus *de statibus hominum, verbo Cardinalium*; & eorum dignitatem à iure diuino originem duxisse innuit Innocentius *in dicto cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi*; quem ita accipit Eugenius IV. *in constitutione 5. §. 4.* Cuius verba refert Cohelius *vbi suprà, cap. 1.* & dicemus *in cap. 2. de clericis non resid.* Illud autem in comperto est, iam primis Ecclesiæ temporibus Cardinalium mentionem reperiri, vt in Concilio Rom. à B. Sylueſtro celebrato anno 324. referente Baronio *tomo 3. anal. eod. anno*, & in Concilio Nicæno relato *in cap. Præsul 2. q. 4.* notarunt Baronius *anno 1540.* Rousselius *lib. 2. histor. Pontif. iurisd. c. 10.* Deinde sciendum est, numerum Cardinalium pro temporum varietate diuersum fuisse: aliquando enim septuagintaduo, viginti, & triginta fuere, donec constitutione Sixti V. relata in bullario *tomo 2. constit. 50. §. 4.* statutum fuit, vt vltra septuaginta non eligerentur. Pontificem tamen posse in hac constitutione dispensare, iam notarunt Mandosius, Lælius Zecchus, & alij relati à Cohelio *vbi suprà, cap. 3.* Cardinalium ordo triplex est, Episcoporum videlicet, Presbyterorum, & Diaconorum. Episcopi Cardinales instituti fuerunt vt septem diebus hebdomadæ sacra facerent, vt refert Anast. Bibliothec. *in vita Stephani*, ibi: *Hic constituit, vt omni die Dominico à septem Episcopis* 6.

copis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia S. Saluatoris obseruant, Missarum solennia super altare Beati Petri celebrarentur. Isti autem septem Episcopi designati fuerunt, Ostiensis, Syluæ Candidæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Albanus, Tusculanus; quorum titulos, & officia refert Cohelius *vbi suprà, cap.* 5. Presbyteri Cardinales instituti fuerunt, vt in Ecclesiis, & suis titulis sacramenta administrarent: eorum titulos pro diuersitate temporum institutos refert Cohelius *vbi suprà, cap.* 6. Diaconi Cardinales designati fuerunt, vt viduis, pupillis, & aliis fidelibus egenis ex Christianorum eleemosynis per regiones subuenirent: & quia vrbs Romæ post Neronis incendium septem Regionibus constabat, ideò septem Diaconi ibi præpositi Regionarij dicti fuerunt, non tamen sacramenta illi administrare poterant, *cap. Diaconi, 93. dist.* de quibus varia congessit Cohelius *vbi suprà, cap.* 7. Presbyteri verò Cardinales, non solùm sacramenta administrare valebant, verùm & omnem iurisdictionem in suis titulis exercebant, vt in hoc textu docetur, & probatur ex constitutione Ioannis VIII. relata à Baronio *tomo* 10. *anno* 882. Possunt etiam conferre beneficia vacantia in ipsis Ecclesiis. Lotherius *vbi suprà, q.* 8. *&* 16. plura Barbosa *de iure eccles. lib.* 1. *cap.* 4. charitatiuum subsidium petere ab ipsis capellanis titulorum valent. Bellentinus *de charit. subsid. q.* 3. *per totam*; tandemque omnem iurisdictionem Episcopalem, exceptâ ordinis potestate, in eis obtinent, vt Cohelius, Germonius, & Barbosa *vbi proximè* docent. Vnde rectè in præsenti textu Honorius III. statuit, Canonicos, & Capellanos Ecclesiæ tituli S. Laurentij obedientiam, & reuerentiam, tam in scrutinio, quàm in correctione Presbytero Cardinali tituli ipsius Ecclesiæ præstare debere.

CAPVT XII.

[a] Idem *Abbati de Lapide Sancti Michaëlis Halberstad. diœc.*

Dilecta in Christo filia [b] Abbatissa Quidliburgen. transmissâ nobis petitione monstrauit, quod cùm ipsa plerumque [c] canonicas suas, & [d] clericos suæ iurisdictioni subiectos propter inobedientias, & culpas eorum ab officio, & beneficio suspendat, & iidem confisi ex eo, quod eadem Abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem huiusmodi non obseruant, propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti. Quocirca disc. t. m. quatenus dictas canonicas, & clericos, vt Abbatissæ præfatæ obedientiam & reuerentiam debitam impendentes, eius salubria monita, & mandata obseruent, monitione præmissâ per censuras ecclesiasticas, appellatione remotâ, compellas.

NOTÆ.

1. a *Abbati.*] Ita legitur in quinta collectione, Honorij III. apud Innocentium Cironium: In sexta autem legitur, *Abbati S. Michaëlis Abradensis diœcesis:* sed vtrobique mendosè; legendum enim est, *Abricensi:* Abribantum enim, siue Abricensis diœcesis est suffraganea Rhotomag. In ea diœcesi S. Auberto eius Episcopo cùm apparuisset Archangelus Michaël, in eius honorem in loco, qui vulgò *Tumba* vocatur, Ecclesiam construxit, vt refert Chenu *in serie Præsulum Abricensium:* ibi postea ædificatum fuit monasterium Ordinis D. Benedicti, de quo plura Yepes *in chronic. D. Benedicti, tomo* 5. *anno* 709. *in fin.* huius monasterij Abbati missa est præsens decisio, vt iam notauit Renatus Chopinus *lib.* 1. *sacræ politiæ, tit.* 7. *num.* 17.

2. b *Abbatissa.*] Dicitur superior, quæ præest sanctimonialiabus, siue virginibus Deo dicatis: sicut enim à voce Syriaca *Abba*, hoc est pater, dicitur superior monachorum Abbas, vt probaui *in cap.* 1. *de ætate, & qualitate:* ita mater monialium, licèt non omni cum proprietate, dicitur Abbatissa: non autem appellatur Virginum maxima, vt sacra à profanis distinguantur: virginum enim Vestalium mater dicebatur Virgo maxima. Sueton. *in Domitian. cap.* 8. ibi: *Mox Corneliam virginum maximam absolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam, atque conuictam defodi imperauit.* Et *in Cæsare, cap.* 83. ibi: *Demandaueratque virgini Vestali maximæ.* Lampridius *in Heliogabalo*, ibi: *Quamuis virgo maxima falsò monstrauerat.* Carolus Sigonius *de antiquo iure Rom. cap.* 19. refert Numam quatuor virgines Vestales instituisse cum Vestalium maxima. D. Ambrosius *in epistola ad Valentiniam.* Marcellus Donatus *in Sueton. ad August. cap.* 100. Ne ergo sacra miscerentur profanis, ita vt confunderentur sacræ virgines cum Vestalibus, Sanctimonialium superiores Abbatissæ dictæ fuerunt: notauit Vossius *de vitiis sermonum lib.* 1. *cap.* 6.

3. c *Liburgense.*] Ita legendum esse existimauit Cironius *in præsenti*; sed non rectè, potiùs enim legendum est, *Brundicensis*, quod monasterium in Germania construxit S. Meinulphus temporibus Ludouici Regis Galliæ, vt refert Surius *in eius vita*; & ita emendandum esse hunc textum existimauit Hallier. *de sacris election. sect.* 4. *cap.* 1. §. 7.

4. d *Canonicas.*] Canonicarum mentio obuia est apud Scriptores Flandriæ, & Germaniæ; in eis enim prouinciis frequenter monasteria Canonicarum construebantur; in quibus obseruabatur regula D. Augustini, aut D. Benedicti, vt referunt Pennotus *lib.* 2. *hist. canonic. regul.* Yepes *in chron. D. Benedicti, tomo* 2. *anno* 647. aliquando in eis virgines includebantur, non tantùm vt monasticam vitam profiterentur, verùm vt postea à parentibus nuptiis traderentur: vnde hæc monasteria vulgò dicebantur *de Canonissas y Damiselas.* Yepes *vbi suprà*, & *tomo* 5. *anno* 994. In his monasteriis Abbatissa non solùm potestatem habebat in ipsas canonicas, verùm etiam in clericos, &

capellanos ipsarum, vt probatur ex libro Prouinciale omnium Ecclesiarum appellato, adducto ab Yepes *d. tom.* 5. ibi: *Pro parte dilectæ in Christo filiæ Abbatissæ monasterij Torensis, Ordinis S. Benedicti, Leodiensis diœcesis, in quo etiam præter dilectas in Christo filias inibi canonissas ipsa dumtaxat Abbatissa dictum Ordinem expresè profiteri consueuit, & aliqui seculares clerici canonicatus, & præbendas ibidem obtinentes, ac Capitulum insimul facientes, fore noscuntur.* Istis etiam canonicis aliquando assignabantur præbendæ Ecclesiarum Cathedralium in alimoniam, & sustentationem ipsarum: Concilium Rhemense sub Eugenio III. *can.* 4. ibi: *Sanctimoniales, & mulieres, quæ canonicæ vocantur, in claustro assiduè permanentes, communi refectorio, & dormitorio sint contentæ; & relictis præbendis aliis, propriis necessitatibus earum de communi prouideatur.* Notarunt Bosquetus *ad Innocentium III. epist.* 138. Istarum etiam canonissarum mentio extat *in cap. fin.* 12. *q.* 5. *cap. perniciosam* 18. *q.* 2. Concilio Cabilon. 2. sub Carolo, *can.* 53. nouella Iustiniani 59. plura de illis Germonius *lib.* 2. *de sacror. immunit. cap.* 8. *num.* 20. Hallierius *d.* §. 9. *pag.* 512. Gibalin. *de clausur. disq.* 1. *cap.* 3. §. 2. *consect.* 4. & Acuña *in cap. relatum*, 81. *dist.* Drekerus *lib.* 1. *dissertat.* 13. Tondutus 2. *p. resolution. canon. cap.* 3. §. 4. Filesacus *in cap. irrefragabili* 13. §. 5. *de offic. ordin.* Bibliotheca Præmonstratensis *tomo* 1. *lib.* 1. *sect.* 16.

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur conclusio: *Abbatissa subditos excommunicare non potest; suspendere autem ab officio, & beneficio valet, si sibi obedientiam, & reuerentiam non præstent.* Probant textus *in cap. noua, de pœnitentiis, & remissionibus, cap. de monialibus, de sententia excommunicat.* Consonat de iure Regio lex 26. *tit.* 3. *part.* 1. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Cæsar *de ecclesiastic. hierarch.* §. 2. *num.* 26. Suarez *tomo* 5. *de censuris, disp.* 2. *sect.* 3. *num.* 5. Hugolin. *eod. tract. tabula* 2. *cap.* 2. §. 7. Anguianus *lib.* 2. *de legib. cap.* 24. *num.* 21. Diana 5. *p. tract.* 9. *resolut.* 16. & 8. *parte, tract.* 1. *resolut.* 39. Victoria *relect.* 2. *de potest. Eccles. q.* 2. *num.* 3. Fragoso *de regimine, tomo* 1. *in introduct.* §. 2. *num.* 20. & latiùs *tomo* 2. *lib.* 11. *disput.* 24. §. 6. *num.* 6. Turrecremata *lib.* 1. *summæ, cap.* 96. *num.* 10. Chopinus *lib.* 1. *monast. tit.* 2. *num.* 5. Turrianus *lib.* 8. *pro explanat. Clementis, cap.* 19. Bruno Chassaing. *de priuileg. regul. tract.* 3. *cap.* 4. *propositione* 1. P. Gregor. *lib.* 7. *de repub. cap.* 11. *num.* 12. Bosquetus *ad Innocentium lib.* 1. *epist.* 124. Tamburinus plures referens *de iure Abbatissar. disp.* 7. *q.* 4. & *disp.* 32. *per totam*, Marcus Antonius *lib.* 3. *instit. tit.* 3. *num. fin.* Baron. *anno* 173. *num.* 39. & 174. *num.* 10. & 175. *n.* 25. Germonius *lib.* 3. *de sacr. immunit. cap.* 10. *ad finem.*

6. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed aduersùs hanc conclusionem sic argumentor: Fœminæ incapaces sunt ratione sexus, iurisdictionis, *l. cùm Prætor*, §. *moribus*, *ff. de iudiciis*, *l. fœminæ*, *ff. de reg. iur.* vbi plura P. Faber, & Gothofred. *cap. mulierem*, 33. *q.* 5. Donel. *lib.* 17. *comm. cap.* 24. Cuiac. *lib.* 13. *obseru. cap.* 23. dicemus *in cap. dilecti, de arbitris*; quia consilium earum fragile est, *l. si pater, C. de sponsalibus.* Aristotel. *lib.* 1. *politic. cap. vltimo*, plura Tiraquel. *l.* 1. *connubial. num.* 65. Sunt etiam vindictæ cupidæ. D. Chrysost. *in homil. de decollat. D. Ioannis*, Iuuenal. *satyr.* 13. ibi:

——*Vindictâ*
Nemo magis gaudet quàm fœmina.

Suntque valde crudeles. Chrysostom. *dict. homil.* ibi: *Ego quidem existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri crudeli.* Tibullus ibi:

Ferarum omnium immitior fœmina.
Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen!

Menander Græcus ait: Qualis leenæ, est mulieris crudelitas. Virgilius *lib.* 4. *Æneid.* ibi:

Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere: non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patrisque epulandum apponere mensis.

Vnde in omnibus ferè prouinciis, à dignitatibus iurisdictionem annexam habentibus arcentur, vt probant Arnisæus *tomo* 1. *Polit. lib.* 2. *de repub. cap.* 2. *sect.* 8. Bernegerus *in Tacitum q.* 192. P. Menochius *lib.* 1. *polit. cap.* 5. Salcedo *de regim. Principum lib.* 4. *cap.* 6. *dist.* 14. Marquez *in suo gubernator. cap.* 31. §. 2. igitur non rectè in præsenti docetur, Abbatissam habere iurisdictionem in clericos, & canonissas, posseque eos suspendere. Augetur hæc difficultas ex eo, nam si Abbatissa posset suspendere clericos, & canonicas suas, posset eos excommunicare, siquidem interdictum, & suspensio æqualiter censuræ sunt ac excommunicatio, *cap. quærenti, de verb. signif.* & qui non potest excommunicare, nec interdictum apponere, *cap. quæsiuit* 2. *de his, quæ fiunt à maiori:* igitur si Abbatissa potest clericos interdicere, & suspendere, poterit etiam excommunicare; aut si excommunicare eos non valet, nec interdicere, aut suspendere, argumento textus *in cap. cùm contingat, de foro competenti.*

7. POTESTAS CLAVIVM FOEMINIS NON COMPETIT.

Hac dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, ad cuius expositionem sciendum est, eos tantùm potestatem clauium habere, quibus Dominus noster concessit; constat autem concessisse Apostolis, & eorum successoribus: & licèt Beata Virgo Maria dignior fuisset vniuersis Apostolis, & eorum successoribus, non tamen illi, sed Apostolis tradidit Dominus claues Regni cœlorum, *cap. noua, de pœnitent.* Vnde fœminæ nullo modo possunt clauium potestatem habere, vel ecclesiasticam iurisdictionem exercere, *d. cap. noua*; & si antiqua Ecclesiæ Concilia, veterumque Patrum responsa consulamus, inueniemus fœmineum sexum arctissimis limitibus constringi circa ecclesiastica officia, & ministeria. D. Clemens *lib.* 3. *const. cap.* 6. ait: *Non permittimus mulieres in Ecclesia docere, sed tantùm orare, & magistros audire.* PP. Concilij Carthaginensis 4. *can.* 99. prohibent mulieribus, quamuis doctrinâ, & castitate præfulgentibus, sacra ministeria tractare: & Concilio Nannet. *can.* 19. ita cauetur: *Cùm Apostolus dicat: Mulieres in Ecclesia taceant; non enim eis permittitur loqui: turpe est enim mulierem loqui in Ecclesia.* Concilio Laodiceno *can.* 4. ibi: *Non oportet mulieres ingredi ad altare.* In Clementina 1. de religiosis domibus prohibetur illis disputare de fide. Alia prosequuntur Hallierius *de sacris elect. pag.* 510. Ambianus *ad Tertul. de velandis virginibus, cap.* 9. *obseruat.* 1. Vnde nec ex Summi Pontificis speciali commissione posse fœminam potestatem clauium exercere, docent Cæsar *vbi suprà*, §. 2. licèt quamplures Theologi, & Canonistæ contrarium docuerint, quos sequitur Tamburinus *d. disp.* 32. *q.* 4.

Secundò

8. FOEMINÆ HABENT ALIQVALEM POTESTATEM.

Secundò sciendum, & præmittendum est, Abbatissas in suas moniales, & alias personas monasterio subiectas, siue viros, siue fœminas, tam clericos, quàm laicos, habere, & exercere quandam potestatem, vt eas moneant, & corrigant, adeo vt in Concilio Cabilonensi secundo sub Carolo, *can.* 54. asseratur, Abbatissas in conspectu Dei rationem reddituras de ipsis monialibus: & in Concilio Turon. 2. *can.* 30. iubetur, vt ipsas custodire, & seruare quantâ potuerint vigilantiâ decertent; sicut enim Abbas præest monachis ad rectam gubernationem, ita Abbatissa monialibus: hæc autem potestas non solùm œconomica est, vt matrumfamilias, cuius ratione tenentur victum, & vestitum illis præstare: Concilium Cabilon. 2. *can.* 54. & 58. Turon. 2. *can.* 26. Rhemense 2. *can.* 33. Aquisgran. 2. sub Ludouico *part.* 5. *cap.* 2. verùm & ratione finis, & obiecti in spiritualibus quodammodo iurisdictionem obtinent: possunt enim Abbatissæ sub obedientiæ præcepto monachis iubere actus humanos: & si contrà fecerint, pro rei qualitate, aut lethaliter, aut venialiter peccabunt. Tamburinus *d. disp.* 32. *q.* 1. Fragoso *d. disput.* 24. §. 6. *num.* 9. Pax Iordanus *tomo* 1. *lucubrationum*, *lib.* 5. *tit.* 4. & *tomo* 2. *lib.* 10. *tit.* 13. Leander *de censuris tract.* 1. *disput.* 2. *q.* 31. P. Mendo *de Ordin. Milit. disquisit.* 7. *q.* 4. *num.* 46. fusè probat amicus noster Fr. Michaël Fuentes Cistercienſis Ordinis nunc Generalis, & in Academia Salmanticensi sacræ Theologiæ vespertinus Antecessor, *in discursu morali iuridico pro Abbatissa Burgensi de las Guelgas.* Possunt etiam moniales recipere ad professionem. Chopinus *lib.* 2. *monast. tit.* 2. *num.* 5. dispensare cum eis in ieiuniis, & esu carnis: Tamburinus *vbi suprà*, *q.* 8. & olim licentiam dare poterant egrediendi è monasterio: Synodus Trullana *can.* 46. vbi PP. permittunt ascetícam vitam ducentibus, vt si necessitas ineuitabilis postulet, exeant cum benedictione, & cura Præpositæ. Concilium Cabilon 2. *can.* 62. vbi egressus monialibus interdicitur, nisi fortè pro aliqua causa, necessitate vrgente, & Abbatissa eas mittente; licet hodie eam licentiam dare non possint, vt cum communi Interpretum sententia docet Gibalinus *de clausura disquisit.* 1. *cap.* 4. §. 5. Etiam beneficia conferre possunt, & clericos instituere institutione collatiua, non autem institutione authorizabili; & ita institutos beneficiis priuare. Tamburinus *dict. disp.* 32. *quæst.* 12. & etiam constituere beneficiarios, & approbare confessarios per Presbyterum à se deputatum, vt de Abbatissa Regalis monasterij de las Guelgas de Burgos, docent Fr. Manuel Rodriguez *tomo* 2. *qq. regul. quæst.* 44. *act.* 3. Flores de Mena *lib.* 1. *var. quæst.* 20. Leander *de sacr. tomo* 1. *tit.* 5. *disput.* 11. *quæst.* 46. Mendo *de Ordinibus Militarib. disp.* 7. *quæst.* 1. *num.* 46. Manrique *annal. anno* 1287. *cap.* 9. *num.* 2.

9. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam prouenit vera huius decisionis ratio. Cùm enim Abbatissa virtute potestatis, quam habet in Canonicas, & Capellanos monasterij, & clericos monasterio subiectos, possit eos iudicare, meritò suspendere, & interdicere valet; sed cùm potestas excommunicandi sit clauium Ecclesiæ, atque eius incapax sit fœmina ratione sexus, ideo nec dictos capellanos, nec moniales, siue canonicas excommunicare poterit, vt docent Viuianus, & Barbosa *in præsenti.* Accedit, nam nouum non est in iure, vt mulier ratione dignitatis quâ pollet, habeat iurisdictionem, vt *in cap. significauerunt*, *de rescriptis*, *cap. dilecti*, *de arbitris*; non tamen potestate excommunicandi ex ea vti posse, cùm hæc facultas à potestate clauium descendat: ergo rectè licèt in hoc textu ratione dignitatis iurisdictionem Abbatissa habeat; non tamen ideo potest excommunicationis sententiam proferre.

10. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà perpensa; verum enim est, mulieres à iudicandi munere arceri ob sexus fragilitatem, & quia deceptionis faciles sunt, *l.* 2. §. *penult. ff. ad Velleian. l. si mulier*, *C. eod.* Ouidius:

Vt corpus tenerum, mens sic infirma puellis;
Fortius ingenium suspicor esse viris.

Vnde Ambrosius *lib.* 7. *contra Gentes*, aiebat: *Spectata est in mulieribus sexus, sensuumque fragilitas, quæ eas sine iniuria à publicis muneribus excipit, maximè a iudiciali officio.* Non me latet, Romæ Imperatorem Heliogabalum Senatum mulierum in colle Quirinali introduxisse; sed cùm omnia Senatusconsulta de matronali veste, & ornatu rogarentur, meritò sublatus fuit, vt referunt Lampridius *in Heliogabalo*, Flauius Vopiscus *in Aurelio*, Plutarchus *in compendio Numæ, & Lycurgi.* Iudicare ergo fœminæ nequeunt, nisi ratione dignitatis, quam obtinent, vt latè dicemus *in cap. dilecti*, *de arbitris.* Vnde in præsenti ratione dignitatis Abbatialis potest Abbatissa iurisdictionem exercere inter moniales, & clericos monasterio subiectos. Nec augmentum difficultatis aduersatur, cui satisfaciunt Suarez *vbi suprà*, *num.* 6. & Hugolinus §. 7. dicendo Honorium in præsenti non approbare suspensionem latam ab Abbatissa, immò potiùs iubere iudici delegato, vt exequeretur monita Abbatissæ, non autem vt ipsa per se interdictum apponeret, sed ad eius petitionem iudex delegatus. Suarium, & Hugolinum sequuntur Cæsar *de ecclesiast. hierarch. d.* §. 2. Barbos. *hic*, *in fin.* Hallier. *vbi suprà*, *pag.* 518. Sed rectiùs responderi potest, interdictum, & suspensionem in hoc textu non importare censuram ecclesiasticam, sed lato modo accipi pro simplici quadam prohibitione facti, potiùs quàm iuris, quâ Presbyteris prohibetur in suis beneficiis, aut capellaniis ad tempus deseruire. Ita docent plures relati à Barbosa *hic*, *n.* 5. Tamburinus *d. disp.* 32. *q.* 5. Diana *part.* 8. *tractatu* 1. *resolut.* 39.

11. INTELLIGITVR CAP. DILECTA, DE EXCESSIBVS PRÆLAT.

Sed superiori assertioni obstat textus *in cap. dilecta*, *de excessibus Prælatorum*, vbi Abbatissa Iotrensis Ecclesiæ comparuit coram Rom. Pontifice, & proposuit, quod clerici, qui sub ipsius potestate erant, habere sigillum intendebant, cùm antiquitus illud habere non consueuissent, nec Capitulum proprium obtinebant, vt sic sigillo vti possent: quibus propositis coram Honorio III. ipse Archidiacono Suessionensi rescripsit, vt si constaret eos sigillum antiquitus non habuisse, nullo modo permitteret sigillum fabricare. Ex quo textu expresè constat, Abbatissam nullam iurisdictionem habere in clericos monasterio subiectos; siquidem Abbatissa Iotrensis non poterat in eos animaduertere, aut eos suspendere; sed ipsa Abbatissa de clericorum excessibus conquesta fuit coram Rom. Pontifice: igitur quia nullam iurisdictionem habet Abbatissa, etiam ratione dignitatis, in eos. Huic difficultati respondendum est, quod licèt Abbatissa

tissa possit suspendere clericos, & suas moniales; tamen si negotium, quod tractatur, spectat ad ipsam Abbatissam, quia nemo in causa propria iudex esse potest, *l. vnica, C. ne quis in sua causa*, cum aliis adductis ab Osuald. *lib. 17. ad Donellum, cap. 1. littera C.* debet superiorem adire. Vnde cùm *in dict. cap. dilecta*, intenderent clerici sigillum habere, & sic iurisdictionem obtinere, Abbatissa verò assereret ad eam iurisdictionem spectare; ideò non ipsa poterat in causa procedere, sed iudex competens adeundus erat.

CAPVT XIII.

Gregorius IX. *Patriarchæ* [a] *Grandensi.*

Dilecti filij Archiepiscopi, & Capitulum Castellan. suam ad nos querimoniam detulerunt, quod cùm à [b] Castellan. Episcopo exigeres iuramentum præter formam canonicam, quam cæteri Suffraganei Metropolitanis suis consueuere præstare, iidem conspicientes ex hoc Ecclesiæ suæ [c] præiudicium generari, ad Sedem Apostol. appellarunt. *Et infrà*: Cùm igitur non deceat alij te fecisse, quod ab alio fieri tibi nolles, mandamus, quatenus contentus formâ canonicâ, quam nos à Coëpiscopis nostris nobis immediatè subiectis recipimus, nihil amplius à Castellan. Episcopo obtentu alicuius consuetudinis exigas prætextu præstiti iuramenti, sciens nos eundem Episcopum ab huiusmodi iuramento, quoad alios articulos absoluisse, vel denuntiasse potiùs, non teneri.

NOTÆ.

1. a *Grandensi.*] De hoc Patriarcha egi *in cap. ex litteris, de officio deleg.*

b *Castellan.*] Idest Veneticum; vna enim ex sex Regionibus Venetiarum olim dicebatur Castrum Oliboli, & posteà vna voce Castello appellatur; in quam Ecclesiam translata fuit anno 774. Cathedra Episcopalis Venetiarum, & eius Præsul dicebatur Episcopus Olibolensis vsque ad annum 1091. in quo Episcopus Henricus Contarenus titulum assumpsit Episcopi Castellani: & sic iam temporibus Gregorij noni dicebatur Episcopus Castellanus in præsenti textu, & *in cap. inter, de causa possess.*

c *Præiudicium.*] His enim temporibus electio 2.
Episcoporum ad Capitulum spectabat; confirmatio verò ad Metropolitanum: vnde in præsenti casu Capituli, & Canonicorum intererat, ne Episcopus proprius grauaretur immodicè in obedientia Metropolitano præstanda, vt docet Balboa *in cap. nullus 4. num. 13. de iureiur.* huius textus commentarium dedi *in cap. significasti 5. de electione.*

CAPVT XIV.

Idem [a] *Priori fratrum Prædicatorum, & Archid.* [b] *Rhegin.*

CVm olim causa. [c] *Et infrà*: Quocirca mandamus, quatenus licèt conuentus monasterij S. [d] Saluatoris Messanensis sint ipso iure hac vice eligendi potestate [e] priuati; de gratia tamen eligendi seu postulandi detis ipsis auctoritate nostra liberam facultatem, mandantes eisdem, vt cùm Ecclesia [f] Messan. vacet ad præsens, electionem suam confirmandam, provt de iure fuerit, vel etiam infirmandam, præsentent Capitulo Messanen.

NOTÆ.

1. a *Priori.*] In Messanensi diœcesi est cœnobium B. Dominici Ordinis Prædicatorum, in colle Tyronis, operâ Reynaldi socij B. Dominici constructum, quod postea variis in locis translatum fuit, vt refert D. Rochus Pirro *tomo 1. Siciliæ sacræ, in Collegiis Ecclesiæ Messanensis, pag. 391.*

b *Rhegin.*] De hac Ecclesia plura adduxi *in cap. Venerabilis, de officio delegat.*

c *Et infrà.*] Huius textus integrâ caremus, quæ non modicam lucem huic decisioni præstaret.

2. d *Sancti Saluatoris.*] Ordinis D. Basilij, quod monasterium celebre est in Messanensi diœcesi: eius Abbas dicitur Archimandrita; idest Abbatum maximus. Rogerius enim primus Siciliæ, & Calabriæ Comes, Messanâ à Sarracenis ereptâ, monasterium illud constructit, & sub patrocinio S. Saluatoris dicauit. Rogerius eius filius illud ampliauit, & Archiepiscopo Messanensi illud subiecit. Temporibus autem Gregorij IX. obedientiam, & reuerentiam Episcopo præstabat, censumque persoluebat, donec à prædicta diœcesana iurisdictione exemptum fuit, & R. Pontifici immediatè subiectum à Sixto quarto in Bulla, cuius verba refert Dom. Rochus Pirro *tomo 3. Sicilia sacra*, vbi plura de origine, progressu, & dignitate huius Archimandritæ adducit.

e *Priuati.*] Quia elegerunt indignum, iuxta 3.
adducta *in cap. cum in cunctis, §. vlt. de elect.*

vnde

vnde ob renunciationem Abbatiæ factam à Machario diutiùs ipsa dignitas vacauit, vsquedum suffectus fuit in eius locum Henchinius anno 1275. vt refert Pirro *vbi suprà*.

4. f *Messan.*] Decesserat enim Berardus, seu Bernardus, cui successit Landon. vt refert Pirro *tomo* 1. *Siciliæ sacræ, pag.* 332. De hac Ecclesia Messanensi egi *in cap. Messana, de electione.*

Ex hoc textu communiter deducunt Interpretes, Capitulum Sede vacante posse infirmare, & confirmare electiones: quam doctrinam disputabimus *in cap.* 2. *ne Sede vacante, cap. simul* 33. *de simonia*, vbi proprius locus est eius assertionis. 5.

CAPVT XV.

[a] Idem *Archipresbytero Sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe.*

STatuimus, vt Presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium, & sic de reliquis, obtineant ordinatim, etiamsi posteriùs admittantur. Et qui maior est ordine, etiamsi postea sit receptus, etiam in portione percipienda potiorem esse volumus, ac minores facere seruitia consueta.

NOTÆ.

a IDem.] Huius textus epigraphen illustraui *in cap. fin. de constitution.* vbi interpretatio, seu limitatio præsentis constitutionis traditur.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR. EX hac decisione communiter talis deducitur assertio: *Qui maior est ordine, licèt posterior in Ecclesia receptus, præfertur inferiori in gradu, qui illi præstare debet debita seruitia.* Probant textus *in cap. non oportet*, 65. *dist. cap. fin.* 89. *dist. cap. non oportet, cap. à Subdiacono*, 93. *distinct. cap. cùm olim, de consuetudine.* Synodus Romana sub Syluestro *can.* 7. Concilium Nicænum in editione 1. *can.* 18. in 2. *can.* 14. in Pisana *can.* 16. Concilium Andegau. *can.* 3. Arelatense 1. *can.* 14. Carthagin. 4. *can.* 34. *cap. peruenit, dist.* 94. *cap. vltimo, dist.* 75. *cap. Diaconos* 13. 95. *distinct.* Arelat. 2. *can.* 15. *l. semper, ff. de iure immunit. l.* 1. *&* 2. *ff. de albo scrib. l. vlt. C. de tyron. lib.* 12. *l.* 1. *& per totum Cod. vt dignitatum ordo, lib.* 12. Illustrant vltra congestos à Barbosa hîc, Crespetius *in summa, verbo Ordo*, Antonius August. *in epitom. iuris lib.* 7. *tit.* 8. & *lib.* 8. *tit.* 7. Petrus Gregor. *in cap. vlt. de constitut.* Balsamon *in can.* 18. *Concilij Nicæni*, & *in can.* 7. *sextæ Synodi*, Sauarus *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 12. *verbo Si mihi standi locum*, Hæpthen. *in vita S. Benedicti, prologom.* 18. §. 12. Æneas Siluius *in hist. Concilij Basileens.* Grotius *lib.* 2. *de iure belli, cap.* 5. *numer.* 21. Rota apud Dianam *part.* 11. *pag.* 549. Baronius *anno* 402. vbi Spondanus *num.* 12. Acuña *in dict. cap. à subdiacono*, & *de Primatu Ecclesiæ Brachar. cap.* 7. Duaren. *lib.* 1. *de sacris Eccles. cap.* 14. Chassaneus *in catal. pag.* 12. *consil.* 99. Azeuedus *in leg.* 77. *tit.* 5. *lib.* 2. *recopil.* Tiraquel. *de primog. in præfat. numer.* 152. Gratian. *disceptat. cap.* 106. *num.* 3. Seuerinus Binius *in notis ad Synodum Roman.* 2. *sub Syluestro, littera E.* Baronius *anno* 325. *num.* 20. D. Ioannes de Larrea *allegat.* 51. *& seq. num.* 8. Valenzuela *consil.* 34.

2. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed licèt hæc assertio ita illustrata vera sit, difficilis tamen redditur sequentibus considerationibus: & prima nascitur ex principio huius textus, ibi: *Statuimus*; vbi ius nouum statui videtur iuxta proprietatem verbi, *statuimus*, quod ius nouum importat, *cap. statuimus, de offic. legati, lib.* 6. *cap. cùm litigantes, de offic. Ordin. eod. lib. Clementin. vlt. de rescriptis*: nam plurimis retrò sæculis statutum inuenio, vt Presbyteri primum, Diaconi secundum, subdiaconi tertium, & sic reliqui inferiores obtineant gradus, *dict. cap. à subdiacono*, cum aliis suprà citatis: igitur non rectè asserit Gregorius in præsenti, nouiter statuere, vt prior in dignitate inferioribus, seu posterioribus præferatur. Secundò aduersùs eam partem, vbi docetur, maiorem in gradu in portione percipienda potiorem esse debere, obstat; nam in hoc textu tam Presbyteri, quàm Diaconi, simul erant canonici Ecclesiæ Sanctæ Mariæ: sed canonici, qui in vna Ecclesia deseruiunt, æqualiter debent stipendia percipere, *cap. cùm omnes, cap. cùm M. de constitution.* igitur Presbyteri non debent esse potiores Diaconis in portione recipienda. Tertiò aduersus vltimam partem assertionis, dum in ea affirmatur, inferiores in gradu maioribus debere præstare seruitia consueta, obstat; nam Presbyteri ab inferioribus non debent aliqua munera exigere, seu tributa petere. Concilium Trosleianum *can.* 6. ergo nulla seruitia inferiores in superiori gradu constitutis præstare coguntur. Tandem difficilis redditur hæc assertio *ex cap.* 1. & ibi adductis, *hoc tit.* vbi docetur, priùs receptum omnibus antea admissis præferendum esse: ergo absque vlla distinctione gradus, siue Presbyteri, siue Diaconi recepti sint, maioritas ex temporis antiquitate, non verò ex gradu, seu ordine æstimanda est.

3. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Quibus considerationibus minimè obstantibus defendenda est suprà tradita assertio, cuius ratio, præmissis quæ adduxi *in cap.* 1. *hoc tit.* ex eo nascitur; nam quemadmodum in Triumphante Ecclesia ordo hierarchicus seruatur, & maior in gradu minorem antecellit, Dionysius *de Ecclesiast. hierarch. cap.* 5. D. Thomas 1. *part. quæstion.* 103. *art.* 2. Durantius *lib.* 2. *de ritib. cap.* 31. ita in Ecclesia militante, vbi ordo hierarchicus ad similitudinem cœlestis introductus est, debet etiam prioritas seruari, vt maior gradu minorem antecellat. Accedit, nam quid magis rationi consentaneum, quàm vt qui maiori pollet dignitate, primum locum obtineat: quod Imperatores variis legibus sanxerunt, pœnas refractariis

fractariis indicendo, *l.* 1. *&* 2. *C. Theodoſ. vt dignitat. ordo ſeruetur.* Carolus Magnus *lib.* 2. *capitular.* 290. Alexius Comnenus *in nouella*, apud Balſamon. *in can.* 18. *Concilij Nicæni:* plura Sauarus *ad Sidonium lib.* 1. *epiſt.* 11. *verbo Si mihi ſtandi locum*, Hermoſilla *in* 5. *part. gloſſ.* 2. *num.* 4. Valenzuela *conſilio* 34. *num.* 32. Gratianus, & D. Ioannes de Larrea *vbi ſuprà.* vnde cùm Preſbyter maior ſit in gradu, quàm Diaconus, & Diaconus ſubdiacono; ideo rectè deciditur præferendum eſſe ordine maiorem minori, non tantùm in ambulando, & ſedendo, verùm & ſuffragio præſtando. In rogandis verò ſententiis in Conciliis, aut Senatu non idem mos in omnibus prouinciis reperitur; aliquando enim prior in ordine vltimus ſententiam dicit; aliquando verò primus, vt refert Bernegerus *in Tacitum quæſt.* 58. *per totam.* Cùm ergo ſemper potiores, præſtantioreſque ſint, qui maiori dignitate, aut honore decorantur; ideo etiam in portione capienda, & obſequio illis præſtando, maiores habentur. Accedit, nam ideo Epiſcopus in Eccleſia ſublimiorem ſedem obtinet, Concilium Carthag. 4. *can.* 35. *Vt Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat: & cap. Epiſcopus* 10. 95. *diſt.* Plura Lantdmeter. *de veteri mon. cap.* 60. Vicecomes *de antiquis Miſſæ ritibus, lib.* 2. *cap.* 43. Baronius *anno* 45. *num.* 11. Eſcobar *de reg. cap.* 24. *num.* 91.

4. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec aduerſatur prima difficultas ſuprà adducta, quam intactam omnes repetentes in præſenti reliquerunt: vt autem illi ſatisfaciam, obſeruo circa ſubdiaconos, & reliquos in inferioribus gradibus conſtitutos, quin Diaconis, & Preſbyteris obedientiam, & reuerentiam præſtarent, nullam vnquam in Eccleſia controuerſiam extitiſſe: de Diaconis verò legimus ſæpe in ſeſſionibus, & aliis actibus Preſbyteris eſſe potiores, & prioritatem vindicare intendiſſe: de Diaconis vrbis Romæ conſtat ex traditis à Baronio *anno* 402. *num.* 45. de Diaconis Eccleſiæ Gallicanæ idem refert Seuerinus Binius *in notis ad Concilium Andegau. can.* 3. huius præſumptionis, & arrepti honoris occaſio ex eo proueniebat; nam cùm Diaconis rerum Eccleſiæ adminiſtratio commiſſa eſſet, *cap.* 1. 2. *quæſt.* 1. *cap. in ſancta,* 92. *diſt.* illuſtrat Duarenus *lib.* 1. *de ſacris, cap.* 12. & vbique maiori in obſequio, quàm Preſbyteri haberentur, ea de cauſa aduersùs Preſbyteros inſurrexerunt, adeo vt apud Gregorium *epiſt.* 14. 15. *&* 16. legamus, Honoratum Archidiaconum Salonitanum conqueſtum eſſe apud eum, eo quòd peteret illum in Preſbyterum; fatebaturque capite minui, & degradari; non aliâ ratione, niſi quia Diaconi maiori honore propter bonorum adminiſtrationem ſibi commiſſam à populo proſequebantur, quod ex D. Auguſtino & Hieronymo probat Binius in notis *ad Concilium Carthagin.* 4. *can.* 34. Nec ſolùm in Preſbyteros, ſed etiam in Epiſcopos Diaconos inſurrexiſſe legimus in epiſtolis D. Cypriani ad Rogatianum *lib.* 3. *epiſt.* 9. apud Pamelium *epiſt.* 65. cui titulus eſt, *de ſuperbo Diacono:* ſed quia Preſbyterorum melior cauſa erat, improbaque Diaconorum ſuperbia, dum Preſbyteri primum locum ſibi ratione dignitatis debitum vſurpare intendebant, vtpote quia non tam ratione maioris gradus, ſed Romanæ Eccleſiæ conſuetudine hoc habebant, vt conſtat ex D. Hieronymo *epiſt.* 58. *ad Euagrium*, ibi: *Cæterùm etiam in Eccleſia Romæ Preſbyteri ſedent, & ſtant Diaconi; licèt paulatim increbeſcentibus vitiis inter Preſbyteros, abſente Epiſcopo ſedere Diaconum viderim.* Huius elationis reprimendæ gratiâ varia Conciliorum decreta emanarunt. Primum in Concilio Romano ſub Syluestro I. relato *in cap. à ſubdiacono*; & in Concilio Nicæno *in cap. peruenit*; & Concilio Laodicen. *in cap. non oportet*, 93. *diſtinct.* Concilio Andegauenſi ſub Leone I. *cap.* 3. & aliis congeſtis ab Antonio Auguſtino *in epit. iuris lib.* 6. *tit.* 24. & *lib.* 7. *tit.* 2. *&* 8. Benedict. Hæptheno *lib.* 3. *diſquiſit. monaſt. tract.* 4. *diſquiſit.* 3. Hallierio *de Hierarch. eccleſ. pag.* 857. Duareno *lib.* 1. *de ſacris, cap.* 12. Baronio *anno* 325. *numer.* 21. quæ controuerſia iam deciſa, & ſopita, iterum ſuſcitata fuit temporibus Gregorij IX. Diaconi enim Eccleſiæ Sanctæ Mariæ intendebant ex eo, quod priùs recepti erant in Eccleſia, debere præferri Preſbyteris poſteà admiſſis: quod Gregorius IX. reprobauit ſtatuens, vt maior in ordine, licèt poſterior in receptione, præferatur antiquioribus, ſed gradu inferioribus; quia temporis prioritas quoad præcedentiam attenditur inter æquales eiuſdem gradus, non verò inter maiorem, & inferiorem gradus obtinentes conſideratur.

5. EXPONITVR AVTHORITAS LIBRI PONTIFICALIS.

Ex ſuprà traditis antequam ad vlteriora procedamus, exponenda eſt quædam authoritas libri Pontificalis Damaſi (de cuius libri authoritate agunt Baronius *anno* 65. *num.* 30. Turrianus *lib.* 5. *pro epiſtolis Pontificiis, cap.* 20. *pag.* 440.) in vita S. Anaſtaſij primi, vbi inter alia geſta, & decreta ipſius Pontificis, illud etiam ſtatutum reperitur: *Hic conſtituit, vt quotieſcunque ſancta Euangelia recitarentur, ſacerdotes non ſederent, ſed curui ſtarent.* In quibus illud perdifficile videtur, quomodo videlicet hoc Anaſtaſium ſtatuiſſe feratur, cùm iam illud conſtituiſſet D. Clemens *lib.* 2. *conſtit. cap.* 61. non ſolùm in Sacerdotibus & Diaconis, verùm & in laïcis, ibi: *Cùm Euangelium legitur, omnes Preſbyteri, Diaconi, & laici aſſurgunt cum magno ſilentio.* Et etiam in Epiſcopis: Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *epiſt.* 103. his verbis: *Nam cùm ipſe verus Paſtor prædicandi Euangelij apertionem accedit, tunc demum Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit.* Vnde Sozomenus *lib.* 9. *tripart. cap.* 39. damnat morem Alexandrinum, apud quos præter communem morem non ſurgit Epiſcopus. Exornant Rabanus Maurus *lib.* 1. *de inſtitut. clericor. cap.* 33. Alcuinus *de diuinis officiis, cap.* 4. Durantius *de ritibus lib.* 2. *cap.* 23. Sed ex ſuprà traditis lucem accipit Pontificalis authoritas, præcipuè ſi prænotemus ex D. Auguſtino *in quæſt. veteris, & noui Teſtamenti, quæſt.* 201. ex D. Hieronymo *in epiſt. ad Euagrium*, Baronio *anno* 402. *num.* 45. tempore Anaſtaſij I. inter Preſbyteros, & Diaconos grauem controuerſiam ortam fuiſſe, cùm Diaconi ſupercilio elati Preſbyteros ſpernerent; vnde Preſbyteri in eoſdem inſurrexerunt, atque ex conſuetudinis Romanæ Eccleſiæ præſcripto, ipſis ſedentibus, eos ſtare debere contendebant; & in tantùm creuit, atque progreſſa eſt controuerſia, vt cùm ſtantes Diaconi coram populo legerent Euangelium, Preſbyteri miniſtrantes à ſedibus non exurgerent. Anaſtaſius ergo ſimilem exceſſum deteſtandum, atque emendandum eſſe putauit, ſtatuens,

ſtatuens, vt quoties Euangelia recitarentur, Preſbyteri non ſederent, ſed curui ſtarent: ita Baronius *vbi ſuprà*, Seuerinus Binius *in notis ad vitam Anaſtaſij tomo* 1. *Concil. pag.* 555. Marianus Schot. & Platina *in vita Anaſtaſij*, Durandus *de ritib. lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 17. Corjolanus in Breuiario, *anno* 401.

6. DISSOLVNTVR ALIÆ DIFFICVLTATES. Nec aliæ difficultates ſuprà expenſæ obſtant: non prima & ſecunda, quibus ſatisfaciendum eſt ex traditis *in c.* 1. *hoc tit.* pro huius textus expoſitione: non tertia, cui reſpondendum eſt ex ſuprà traditis, videlicet in hoc textu Greg. IX. agere de ſeruitiis, ſiue obſequiis obedientiam tantam, & reuerentiam reſpicientibus; non verò de aliis extraordinariis, ſiue ordinariis penſitationibus, quas inferiores ſuperioribus præſtare non tenentur. Nec vltima difficultas refragatur; procedit enim textus *in dict. cap.* 1. *hoc tit.* inter æquales ordine, habentes eundem gradum, vt inter duos Preſbyteros, vel Diaconos, inter quos antiquior præfertur, potiorque habetur, vt dixi *in dict. cap.* 1.

7. EXPONITVR CAP. NON OPORTET, 93. DIST. Primò ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in can.* 20. *Concilij Laodiceni*, relatus à Gratiano *in cap. non oportet*, 93. *diſt.* in illis verbis: *Quoniam non oportet Diaconum ſedere ante Preſbyterum, ſed ex iuſſione Preſbyteri ſedeat. Similiter autem honorificetur & Diaconus à miniſtris inferioribus, & omnibus clericis.* Priora verba magnopere conſonant ſuprà traditis; poſteriora verò valde difficilia ſunt, cùm per illa, *Et omnibus clericis*; nonniſi Preſbyteros ſignificari, ex eo colligatur, quia de aliis iam Patres ſtatuerunt in illis verbis, *à miniſtris inferioribus*, quibus reliqui inferiores gradus ſignificantur: ergo vel dicendum eſt abundare verba, *& omnibus clericis*, aut illis comprehendi Preſbyteros. In hac difficultate enodanda, nec ducem, nec ductorem habeo; & miror Seuerinum Binium, qui non inelegantes notas ſcripſit ad canones ipſius Concilij, hunc prætermiſiſſe; quod etiam fecit Chriſtophorus Iuſtelus. Sed duplici interpretatione præſens canon donabitur. Prima ex alia verſione, vbi ita legitur: *Similiter autem à Diaconis honor habeatur ab obſequentibus* (id eſt, à ſubdiaconis) *& omnibus clericis*: ita legitur apud Gratianum *in dict. cap. non oportet.* Quâ lectione admiſsâ, nulla remanet difficultas; ſed tamen apud Iſidorum, Gentian. Herbertum, Iuſtelum, & Balſamonem, qui ex textu Græco in Latinum ſermonem canones tranſcripſerunt, legitur, vt ſuprà retuli: igitur retentâ eâ verſione difficilis non erit interpretatio, ſi obſeruemus, præter clericos eſſe etiam in Eccleſia miniſtros inferiores, vt conſtat *ex c. nullus* 2. *de foro competenti*, in illis verbis: *Nullus iudicum, nec Preſbyterum, nec Diaconum, aut clericum vllum, aut minores Eccleſiæ*: in quo textu non me latet, per minores Eccleſiæ aliquos accipere clericos in minoribus ordinibus conſtitutos, vt ait Gutierrez 1. *part. de iurament. cap.* 17. *n.* 12. Cuiacius in eo textu ea verba emendat, & legit, *Iuniores*; & non inelegantes, vt ibi dicemus. Nunc placet interpretatio Morlæ *tomo* 2. *in præludiis, numer.* 110. qui accipit ea verba de illis miniſtris inferioribus Eccleſiæ, qui ordinibus initiati non erant, attamen Eccleſiæ deſeruiebant, de quibus Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. quæſt.* 2. *procemiali*, §. 3. Cùm ergo miniſtri illi extra Eccleſiam eſſent, *cap. per exemptionem, de priuilegiis in* 6. verba Concilij Laodiceni ad eos ſunt referenda; priora verò ad miniſtros minoribus ordinibus initiatos.

8. EXPONITVR CONCIL. TOLET. RELAT. IN CAP. NVLLI, 93. DIST. Secundò ſupetiori aſſertioni obſtat textus *in Concil. Toletan.* 4. *can.* 39. relato *in cap. nulli*, 93. *diſt.* in illis verbis: *Nonnulli Diaconi in tantam erumpunt ſuperbiam, vt ſe Preſbyteris anteponant, atque in primo choro ipſi priores ſtare præſumant, Preſbyteris in ſecundo choro conſtitutis: ergo vt ſublimiores ſibi Preſbyteros agnoſcant, tam hi, quàm illi in vtroque choro conſiſtant.* In prima parte diſertè probant traditam aſſertionem Patres Concilij: in ſecunda verò difficile eſt quod ſtatuitur, in vno, eodemque choro debere ſedere tam Preſbyteros, quàm Diaconos; cùm ſublimiores debeant eſſe Preſbyteri, & ex ipſius canonis deciſione, & ex noſtro textu præcipuum locum habere debeant. Loayſas diligentiſſimus Conciliorum coaceruator, *in notis ad illum canonem*, rectè ſupponit, Eccleſiam olim, ſeu templum diuidi in ſtationes, & choros, vt in ea fideles pro diuerſitate ſexuum, & graduum conſiſterent, *cap.* 1. *de vita, & honeſt. clericorum*, vbi probauimus notarunt Amalarius *lib.* 3. *de eccleſiaſt. offic.* Rabanus Maurus *lib.* 1. *de inſt. clericor. cap.* 33. Durantius *de ritibus lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 1. vnde Diaconi ſuperbiâ elati intendebant ſe Preſbyteris anteponere, & in primo choro ſedere, in ſecundo Preſbyteris ſedentibus, quod PP. Concilij vetuerunt: notat etiam ipſe in nota marginali ea verba, *tam hi, quàm illi in vtroque choro conſiſtant*; non ita in omnibus codicibus legi; apud Gratianum enim *in dict. cap. nonnulli*, non legitur *in vtroque choro*, ſed *in vnoquoque ordine.* Animaduertit etiam ipſe in MSS. codicibus Eccleſiæ Toletanæ, & Bibliothecæ Regiæ D. Laurentij legi *in vtroque choro*; & in codice Lucenſi, qui omnes Hiſpaniæ antiquitate ſuperat, operâ Artulphi Michaëlis compoſito, obmiſſa dictione *choro*, legitur *in vtroque*; quam litteram, vtpote antiquiorem, repoſuerunt emendatores Gratiani. Sed ſi vulgarem lectionem retineamus, difficultas viget; conſtat enim ſublimiores Preſbyteros non manere ex eo, quod in vtroque choro, vel in vtroque conſiſtant; retentâ enim Lucenſi litterâ ab Aloayſa ſequutâ, circa difficultatis prædictæ ſolutionem exiſtimo, ideo Patres Concilij Toletani ſtatuere, vt tam Diaconi, quàm Preſbyteri in vtroque choro conſiſtant, vt ſublimiores ſibi Preſbyteros agnoſcant, quia cùm ſacris canonibus ſtatutum eſſet, vt quando Preſbyteri & Diaconi ſimul ſunt, Preſbyteri ordine ſeſſionis Diaconis præferantur, vt conſtat ex iuribus ſuprà citatis, & congeſtis ab Ant. Auguſt. *in epit. iuris lib.* 6. *tit.* 24. & *lib.* 7. *titul.* 8. Hallierio *de hierarch. iuriſd. fol.* 857. hoc vt effugerent Diaconi, diuerſum chorum à Preſbyteris conſtituere volebant, atque in primo choro ipſi priores ſedere præſumebant. Statuerunt ergo PP. Concilij Toletani, vt tam Preſbyteri, quàm Diaconi in vtroque choro conſiſtant, qui quando ſimul fuerint in vno choro, Preſbyteri priorem locum debent habere, iuxta diſciplinam eccleſiaſticam. Rectè ergo PP. ſanxerunt, *in vtroque choro conſiſtant, vt ſic Diaconi ſublimiores preſbyteros eſſe cognoſcant, quibus obedire debent*; vt refert, & probat Baron. *anno* 109. *n.* 27. & 112. *n.* 7.

9. EXPLICATVR CAN. 7. SYNODI 6. Deinceps opponitur textus *in can.* 7. *ſextæ Synodi*, in illis verbis: *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia, & licentia fultos ante Preſbyteros ſedere; ſtatuimus vt Diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt, in quouis ſit officio eccleſiaſtico, ante Preſbyterum ne ſedeat, præterquam ſi propriy Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens adſit in alia ciuitate ſuper aliquo capite; tunc enim vt locum illius implens honorabitur.* Cuius canonis pars reperitur *in cap. finali*, 93. *diſt.* Ex quibus verbis deducitur, nonnun-

quam Diaconos Presbyteris anteferri : igitur quia non semper, qui maior est in ordine, potior est in gradu. Pro cuius textus interpretatione sciendum est, aliquando minores in gradu ratione dignitatis, quam obtinent, aut personæ, cuius vices gerunt, antiquioribus anteferri, vt contingit in Legatis missis ad Concilium ; licèt enim minori ordine, aut inferiori dignitate polleant, tamen præferuntur aliis maioribus ordinibus insignitis. In Concilio enim Ephesino post Patriarchas ante omnes Metropolitanos subscripsit Thessalonicensis Episcopus, quia vt Vicarius Pontificis aderat. Alia plura exempla congerunt Balsamon *in dict. can.*7. Hallier. *de eccles. ast. hierarch. lib.*4. §.4. *pag.*561. & 76. *pag.*679. & passim contingit in Episcopo celebrante, qui honoratiori loco sedet, quàm Metropolitanus ; & in Canonico, qui omnes dignitates præcedit, vt probant Acuña *de Primatu Eccles. Brachar. cap.*7. Gamma *decision.*1. *num.*3. Vnde in Concilio Emeritensi *can.*5. cauetur, ne Diaconi vt Vicarij Episcoporum in Concilio adsint, quia non possunt inter Presbyteros à tergo Episcoporum sedere : ita aiunt PP. *Iuxta canonicum ordinem, tempore, quo Concilium per Metropolitani voluntatem, & Regiam iussionem electum fuerit agere, omnes confinitimos Episcopos in vnum oportet adesse, nec pro tali re quælibet causa opponi debet ad excusationem : quod si contigerit aliquem de fratribus retineri ab infirmitate, qualiter non possit venire, aut per Regiam iussionem iniunctum acceperit aliquid agere, vt sit, per quod non possit Concilio interesse, quidquid tale acciderit, Metropolitano suo fideliter intimet cuncta per suam epistolam manu suâ subscriptam, vt postmodùm appareat quænam causa excusationem faciat aliquam : ad suam tamen personam non aliter, nisi aut Archipresbyterum suum diriget, aut si Archipresbytero impossibilitas fuerit, Presbyterum vtilem, cuius dignitas cum prudentia pateat, possitque à tergo Episcoporum inter Presbyteros sedere, & quæque in eo Concilio fuerint apta, scire, & subscribere ; iniustum enim hoc accepit cœtus noster, vt quisquam Episcoporum Diaconum ad suam personam dirigat ; hic enim quia Presbyteris iunior esse videtur, sedere cum Episcopis in Concilio nulla ratione permittitur. Quemcùmque ergo ex Presbyteris dirigere elegerit, instructum per informationem dirigat, vt ratio poscit, atque cum eo mandatarium suum iuxta legis ordinem munitum : vt si a quolibet contra eundem Episcopum in Concilio fuerit suggestum, ab eo, quem direxerit, qui petit, accipiat responsum ; & iustitia, quæ fuerit ordinata, nullam postmodùm dilationem habeat.* Vnde *in dict. can.*6. *septimæ Synodi*, Diaconi Presbyteris præferuntur quando Patriarchæ, vel Metropolitani, seu Episcopi vices gerunt. Docuerunt Lantdmeter. *dict. cap.*260. Claud. Espenceus *ad D. Paulum lib.*1. *digressionum, cap.*4. Mich. Rousset. *lib.*2. *hist. Pontif. iurisd. cap.*11. Filesacus *in cap. quod Sedem,* §.4. *de offic. Ordin.*

10. EXPONITVR REGVLA DIVI BENEDICTI.

Tandem suprà traditæ assertioni obstat regula D.Benedicti *cap.* 60. vbi magnus Patriarcha ita statuit : *Si quis de ordine sacerdotum monasterio se suscipi rogauerit, non quidem ei citiùs assentiatur ; tamen si omnino perstiterit in hac petitione, sciat se omnem regulæ disciplinam seruaturum, & mox concedatur ei, tamen post Abbatem, stare.* Ex quibus verbis depromitur, Abbatem clericali ordine non decoratum (vt erant illis temporibus omnes Abbates) præcedere sacerdotem : igitur, qui maior est gradu, non est prior, aut potior respectu inferiorum. Aliqui hac difficultate oppressi existimarunt, Abbatem, de quo D. Benedictus *in dict. cap.*60. agit, esse sacerdotem : sed eos refellit Hæphtenus *in vita S. Benedicti, prolog.* 18. §.12. qui prædictæ difficultati satisfacit asserendo, Presbyterum ordine maiorem, post Abbatem stare ; quia Abbas licèt ordine inferior, authoritate tamen, & iurisdictione superior erat. Vnde Presbyteri Religionem ingredientes Abbatibus postponebantur, licèt de S.Pachomio apud Metaphrastem *cap.*23. legamus : *Si quando contigisset aliquem clericum ad ipsum venire, qui cum eo esse volebat, propter dignitatem quidem ex regula ecclesiastica ei subiicebatur Pachomius : ille verò cùm rursus ex regulis exercitationis fratrum fuisset imitator, se sua sponte supra modum studebat demittere, humilemque reddere.* Quare licèt Sacerdos regulam D.Benedicti professus ordine maior esset, tamen quia inferior erat ratione dignitatis, & iurisdictionis, rectè statuit D.Benedictus Abbatem illi esse præferendum. Docet Hæphtenus *vbi suprà, dicto* §.12.

CAPVT XVI.

Idem *Archiepiscopo* [a] *Colocensi.*

[b] CVm inferior superiorem soluere nequeat, vel ligare, sed superior inferiorem liget [c] regulariter, & absoluat, & satis absonum videatur, vt filius [d] potestatem habeat in parentem : miramur quod cùm tu [e] monasterium de Cheur, constitutum in Firmiensi Archidiaconatu tuæ diœcesis, in Ecclesiam erexeris [f] Cathedralem, Archidiaconus Firmien. in tantam prorupit temeritatis audaciam, vt in Episcopum ibi consecratum, & Ecclesiam suam iurisdictionem exercere præsumat. *Et infrà* : Mandamus, quatenus præfato Archidiacono, à cuius iurisdictione dictum Episcopum denuntiamus exemptum, id districtè studeas inhibere. Prouiso vt si ex hoc Archidiaconi Firmien. iura læduntur, in diœcesi tua (vbi expedire videris) absque alieni iuris præiudicio recompensationem illi facias congruentem.

NOTÆ.

1. a *Colocensi.*] Ita legendum est, non *Colocensi*, vt falsò in glossa marginali emendatur. De Ecclesia Colocensi nonnulla adduxi *in cap. bonæ, de postulat. Prælat.*

b *Cùm inferior.*] Consonant textus *in cap. cùm inferior* 4. 21. *dist. cap. fin. de offic. Archipresb. c. solita,* 2. *hoc*

hoc titulo, Clement. 2. de elect. l. non est receptum 14. *ff. de iurisdict. l. ille à quo, §. tempestiuum, ff. ad Trebell. l. 5. tit. 15. partit.* 1. vbi Gregorius Lopez, Prado *tom.* 1. *Theologiæ Mor. cap.* 4. *de legibus, quæst.* 3. nec inferior potest in maiorem Magistratum ius dicere, *l. nam Magistratus* 4. *ff. de receptis.* Vnde Iulius Cæsar carceri detrusit Nouium Nigrum Quæstorem, quia passus esset apud se compellari ipsum Cæsarem in causa coniurationis Catilinæ. Suetonius *in Cæsare, cap.* 17. & eo quòd compellare apud se maiorem potestatem passus esset. Ex eo notauit sæpiùs laudatus Præceptor D. Iosephus de Retes *lib.* 8. *opusculor. cap.* 9.

3. c *Regulariter.*] Rectè, & signanter ait Pontifex, *regulariter*; propter aliquos casus, in quibus hæc regula limitatur, quos enumerant hîc antiquiores, & Barbos. *axiom.* 1. *num.* 4. Nec obstat Lex vnica, *ff. de offic. Prætoris*, vbi Consultus ait, Præfectum Prætorio eo priuilegio frui, ne eius sententiam minores Magistratus retractare possent. Vnde deducitur, necessarium fuisse priuilegium, ne Magistratus minores contra sententiam Præfecti Prætorij restituere possint: igitur quia semoto priuilegio contrarium procedebat; & tamen reliqui Magistratus inferiores sunt ipsi Præfecto Prætorio; nam cùm Præfectus suffectus fuerit in locum Magistri Equitum, quem constat fuisse secundum à Dictatore, *l.* 2. *§. post originem*, & *§. exactis, ff. de origine iuris*; vnde ab ipsius sententia denegatur appellatio *in l. Præfecti, ff. de minorib.* ideo maior erat: igitur quia inferior in superiorem iurisdictionem exercere valet. Quâ difficultate oppressus Faber *in ration. ipsius textus*, existimauit, verba illa, *alio priuilegio*, accipienda esse, idest, *iure communi.* Sed hæc interpretatio, quàm aliena à veritate sit, manifestè liquet: quare verius dicendum est, quod quamuis Præfectus Prætorij institutus fuisset ad similitudinem Magistri Equitum, non tamen cum eadem dignitate & iurisdictione, sed modica, quæ postea Imperatorum priuilegiis aucta fuit, adeo vt cæteros Magistratus superaret, vt constat ex ipsa lege vnica, & probat Gutherus *de officiis domus, lib.* 2. *cap.* 1. inter quæ priuilegia & illud concessum fuit, ne videlicet ab eius sententiis appellari posset, *d. l. Præfecti*; & ne minores Magistratus contra eas restituere possent. De officio ipsius Præfecti agit Gutherus *lib.* 2. *de officiis domus, cap.* 1.

4. d *Potestatem habeat in parentem.*] Priuatam videlicet, & domesticam, non verò publicam; nam filius vt Magistratus, iudexque patri iubere, & imperare potest; quia quoad hoc pro patrefamilias habetur, *l. ille, à quo* 13. *§. fin. cum l. sequenti, ff. ad Trebellian.* licèt enim nemo in re sua iudex esse possit, & causæ patris videantur causæ filij, cùm adhuc viuentibus parentibus ipsi quodammodo domini substantiæ paternæ iudicentur, *l. in suis* 11. *ff. de liber. & posthum. §.* 2. *Instit. de hæred. qualit.* & pro vna, eademque persona habeantur pater, & filius, *l. vlt. Cod. de impuberum, & aliis substit.* tamen quia in his, quæ publici iuris sunt, non attenditur patria potestas, *l. filius, ff. de his qui sunt sui*; ideo filius, licèt inuito litigatore, ius dicere in causa patris non possit, *l. qui iurisdictioni, ff. de iurisdictione*: tamen iudex ex consensu patris dari valet, *l. in priuatis, ff. de iudiciis*; & similiter ex compromisso arbiter suscipitur. Duarenus *ad tit. de receptis arbitris, columna* 1. exempla memoranda refert Gellius *lib.* 3. *noctium, c.* 2. notarunt Caldeira *lib.* 2. *variar. c.* 8. Merillus *lib.* 1. *variantiam ex Cuiac. c.* 10. *&* 15. Donellus *lib.* 17. *comment. c.* 25.

e *Monasterium de Cheur.*] Cœnobium hoc situm in Firmiensi Archidiaconatu, est in Vngaria in prouincia Colocensi, de quo Chopinus *lib.* 1. *de sacra polit. tit.* 4. *num.* 9. 5.

f *Cathedralem.*] Non tamen inde monachi eiiciebantur, aut regularis obseruantia deserebatur; Abbas enim remanebat Episcopus, & ipsi Monachi Canonici, *cap. causam, de iudiciis*: quod vsitatum fuisse præcipuè in Anglia, probat Yepes *tom.* 2. *chronic. D. Benedicti, fol.* 382. & *tom.* 4. *fol.* 46. & *tomo* 5. *fol.* 242. & nos illustrabimus *in d. c. causam*: aliquando etiam & monasteria monialium erecta legimus in Ecclesias Cathedrales apud Innocentium III. *lib.* 4. *regestr.* 16. *epist.* 66. 6.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu deducitur communiter talis assertio: *Si Ecclesia sita in aliquo Archidiaconatu erigitur in Cathedralem, eximitur à iurisdictione Archidiaconi.* Non est similis decisio in iure nostro, quâ probari possit hæc assertio; eam tamen illustrant Rebuffus *in praxi, tit. de erect. Eccles. in Cathedral. num.* 1. Moneta *de commutat. cap.* 11. *n.* 278. Renatus Chopinus *vbi suprà*, Azor 2. *part. Instit. lib.* 5. *cap.* 29. *quæst.* 25. & *lib.* 6. *cap.* 30. *quæst.* 2. Garcia *de benefic. part.* 12. *cap.* 5. *num.* 1. Barbosa plures referens *in cap.* 1. *ne sede vacante.* 7. CONCLVSIO ADDVCITVR.

Sed pro dubitandi ratione primò aduersùs nostrum Gregorium ita insurgo: cùm aliqua Ecclesia aut mutatur, aut erigitur in Cathedralem, ius ipsius Prælati illæsum manet, nec mutari debet cum proprij Prælati præiudicio, *cap. cùm olim* 6. *de consuetudine, cap. quia monasterium* 2. *de religiosis domibus*; iniustum enim est ex facto erigentis Ecclesiam iura Prælati proprij violari, cùm ex facto alterius quis iure proprio non priuetur, *l.* 2. *§. meritò*, & *§. si quis à Principe, ff. ne quid in loco public. l. nec auus, Cod. de emancip. liber.* igitur iura Archidiaconi Firmiensis ex erectione noua Ecclesiæ Cathedralis ab Archiepiscopo Colocensi facta immutari non poterant. Secundò præsens decisio impugnatur ex eo principio, quo docemur, Ecclesiam Cathedralem neminem erigere posse, nisi Romanum Pontificem, *c. felix*, cum sequenti, 16. *quæst.* 1. *cap.* 1. 22. *dist. cap.* 1. *ne sede vacante*, aut Concilium Prouinciale cum consensu illius Prælati, in cuius territorio erigitur, *can.* 98. *Eccles. African.* ibi: *Placuit illi, vt plebes, quæ vnquam Episcopos proprios habuerunt, nisi ex Concilio plenario vniuscuiusque prouinciæ, & Primatis, atque consensu eius, ad cuius diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant.* Igitur in præsenti Archiepiscopus Colocensis per se, & sine consensu Archidiaconi Firmiens. in cuius Archidiaconatu erigebatur, erigere non poterat Ecclesiam Cathedralem. 8. ADDVCITVR DVBITANDI RATIO.

Sed his difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens decisio, cuius ratio traditur à nostro Gregorio in illis verbis: *Cùm inferior superiorem soluere nequeat, vel ligare*; quia inferior in superiorem iurisdictionem non habet, & cùm Episcopus ratione ordinis, & iurisdictionis maior sit Archidiacono, *cap. ad hæc, de officio Archid.* ideo si Ecclesia, quæ antea parebat Archidiacono, in Cathedralem nouiter erigatur; quia per talem erectionem maiorem consequitur dignitatem, & potiorem Præsulem; ideo non manet sub iurisdictione antiqua Archidiaconi, cùm absurdum esset eum in Episcopum superiorem Prælatum iurisdictionem exercere, eumque ligare; nam inferior 9. EXPENDITVR RATIO DECIDENDI.

non potest infringere factum superioris, *l. minor, ff. de minor.* probat Solorzan. *tom. 2. lib. 3. c. 9. n. 21.*

10. Dissolvitur dubitandi ratio. Nec obstat prima difficultas suprà adducta; nam in præsenti casu non fit deterior conditio Archidiaconi ex erectione monasterij in Ecclesiam Cathedralem; nam in vltimis verbis nostri textus præcauetur, & deciditur, compensationem competentem fieri debere, si aliqua in parte Archidiaconus lædatur: vnde non poterat conqueri Firmiensis Archidiaconus ex eo, quod aliquâ iniuriâ afficeretur, vel damnum illi irrogarogaretur. Nec secunda difficultas refragatur. Pro cuius expositione sciendum est, nouam Episcopalis, siue Cathedralis erectionem Ecclesiæ ad Rom. Pontificem spectare *ex dict. cap. 1. ne sede vacante.* Gregorius VII. *lib. 2. epist. 55. Quod solus Romanus Pontifex dicatur vniuersalis, &c. quod illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contra diuitem Episcopatum diuidere, & inopes vnire.* D. Bernardus *epistol. 151.* vbi de R. P. ita ait: *Potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus; potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare.* Et *l. 2. tit. 10. partit. 1.* plura Garcia *de nobilitate 5. part. cap. 1. num. 1.* Valenzuela *consil. 7. num. 161.* & *consilio 73. num. 29.* Barbos. *de dignitate cap. 2.* Solorzanus *de iure Indiar. lib. 3. cap. 4. num. 1.* Alteserra *de Ducibus, cap. 14.* Aliquando tamen Primas cum Episcopis sui Primatus poterat Ecclesiam Cathedralem nouam erigere, ex dicto canone Concilij Africani: regulariter tamen hæc facultas tantùm competit Romano Pontifici cum assensu Regis, in cuius ciuitate noua Episcopalis Cathedra erigitur. Innocentius III. *lib. 1. epist. ad Guillelmum Cardinalem*, Filesacus *in cap. quanto 7. §. 6. de offic. ordin.* & nos *in cap. 1. de priuilegiis.* Ipse tamen Romanus Præsul plerumque committit Archiepiscopis, vt iustè examinatâ causâ nouam erigant Ecclesiam Cathedralem, vt Archiepiscopo Toletano D. Petro de Mendoza concessum fuisse ab Alexandro tertio, vt videlicet erigeret Ecclesias Granatensem, & Almerienſem, refert Salazar de Mendoza *lib. 1. de gestis Cardinalis, cap. 64. & 70.* & Bonifacio per totam Germaniam concessit Gregorius relatus *in cap. 1. 16. quæst. 1.* & nostris Regibus Hispaniæ concessum esse, vt in Regnis Indiarum possint erigere Ecclesias Cathedrales, vbi illis æquum visum fuerit, tradit Solorzanus *vbi suprà:* quare in præsenti casu supponendum est, licentiam Gregorij non præcessisse, aut facultatem erigendi Ecclesiam Cathedralem Archiepiscopo Colocensi commissam esse.

11. Exponitur cap. ad audientiam de eccles. ædific. Sed superiori assertioni obstat textus *in cap. ad audientiam 5. de Ecclesiis ædificandis*, vbi cùm agatur de erectione, seu mutatione Ecclesiæ sæcularis, seu regularis, asserit Vrbanus tertius, hanc electionem non esse faciendam, nisi consentiente Episcopo, cui prædicta Ecclesia suberat. Ex qua decisione expressè constat, Ecclesiam regularem non posse erigi, & mutari in sæcularem, irrequisito Præsule, cui suberat: igitur & in præsenti, irrequisito Archidiacono Firmiensi, non poterat Ecclesia regularis, quæ illi parebat, erigi in sæcularem, & Cathedralem. Huic difficultatio, missâ illâ quæstione, vtrum videlicet Ecclesia sæcularis tantùm ex consensu Episcopi absque Pontificis licentia possit in regularem transferri, de qua latè agunt Moneta vbi suprà, *dicto cap. 11. num. 329.* Azor *vbi proximè, part. 2. quæst. 2.* dicendum est, in eo textu desiderari voluntatem, & consensum Episcopi, quia ex mutatione Ecclesiæ sæcularis in regularem, non ita diuinus cultus augebatur, vt in nostro casu contingit; nec erat locus vbi compensatio daretur, vt in præsenti specie: quare irrequisito Archidiacono potuit Ecclesia Regularis in Cathedralem erigi; at verò *in dict. cap. ad audientiam*, cùm omnia hæc cessent, rectè asserit Vrbanus tertius, irrequisito Prælato non posse regularem Ecclesiam in sæcularem mutari: docent Moneta *vbi suprà*, Barbosa *ad Concilium Trident. sess. 21. de reform. cap. 4.*

CAPVT XVII.

Idem [a] *Lemouic. Archidiac. & Priori Sanctæ* [b] *Radegundis Pictauiensis.*

HVmilis doctrina Magistri. *Et infrà*: Mandamus, quatenus Prælatorum Burdegalen. prouinciæ in ea præsentium, & Cathedralium Capitulorum eiusdem, necnon & Bituricen. Capituli, super prouisione, quam inter Bituricen. & Burdegalen. Archiepiscopos in causa Primatiæ duximus faciendam, requiratis assensum, quo habito, prouidentiam nostram solenniter publicetis. Si qui verò consensum præstare noluerint, vos supersedentes publicationi prædictæ, districtè præcipiatis eisdem, vt personaliter, si prælati fuerint, vel si alij, per procuratores idoneos, nostro se conspectui repræsentent, prosecuturi coram nobis ius, si quod habere contendunt, & satisfacturi parti alteri, si succubuerint, in expensis.

NOTÆ.

1. a *Lemouic.*] Lemouix antiquissima Galliæ ciuitas est in Prouincia Bituricensi, vulgò *Limoges*, à Lemouico Rege constructa ad Vigennam fluuium, teste Ptolomeo *lib. 2. cap. 7.* cuius populi inter Aquitanos collocantur à Cæsare, & Strabone, & Sidonio *lib. 7. epist. 6.* quos referunt fratres Sarmathani *tomo 2. Galliæ Christianæ, fol. 630.* Habet Ecclesiam Cathedralem iam à primis Ecclesiæ temporibus; siquidem per annum septuagesimum iam eius Ecclesiæ Præsul legitur Sanctus Martialis, vt refert Gregor. Turon. *lib. 1. historiæ, cap. 30.* Eius Ecclesiæ progressum, & Præsulum seriem referunt Chenu *in Chronol. Galliæ*, Fratres Sarmathani *vbi suprà.*

2. b *Priori Sanctæ Radegundis.*] Prioratus iste Sanctæ Radegundis non est regularis, sed sæcularis, vt refert Chopinus *lib. 1. de sacra polit. tit. 1. num. 17.*

COMMEN

COMMENTARIVM.

3. VT præsens exponatur decisio, & percipiatur Gregorij mens, sciendum est, iam diu magnam controuersiam fuisse agitatam inter Patriarchas Bituricensem, ac Burdegalensem super Primatiæ iure, vtroque illud ius sibi vindicante; cùm enim Bituriges, qui locantur in Aquitania, duplices sint, cognomentoque distincti, Plinius *lib.4. cap.19.* videlicet Bituriges Auaricenses, qui & Biturices appellantur; & Bituriges Burdegalenses, Viuesci dicti, non Villici, vt voluit Cuiacius *in cap.vlt.de dilat.* & notauit Idumay *ad Innocentium III. lib.4. epist.45. fol.223.* Alteserra *lib.1. rer. Aquit. cap.11.* & *lib. 4. cap.4.* inde occasio controuersiæ orta super Primatu Aquitaniæ inter ipsos Metropolitanos. Et pro Archiepiscopo Bituricensi sequentia faciebant: primò textus *in cap. conquestus 9. q.3.* vbi Nicolaus P. per annum 858. Bituricensem Archiepiscopum Patriarcham appellat: secundò quia retrò antè, per annum scilicet 630. fuisse Sulpitium trigesimumprimum Præsulem Patriarcham Bituricensem, refertur apud Canisium *tomo 5. antiquarum lectionum, in epist. Desider. ad Bernardum Guidonem, in vita Pauli Episcopi*, vbi de Pipini aduentu in Aquitaniam ait: *Veniens Lemouicas, muros eius destruxit, in inde ius Primatiæ Bituricas transtulit.* Facit etiam Otho Frisingensis *lib.6.cap.3.* qui circa annum 1130. scripsit, & ita ait: *Tribus his Galliæ prouinciis tres Primates præesse volunt; Belgicæ Treuerensem, Aquitaniæ Bituricensem, tertiæ Lugdunensem.* Deinde asserebat Bituricensis Præsul, Bituriges Viuiscos Biturigum Cuborum fuisse coloniam. Strabo *lib.4.* & cùm Aquitania triplex fuisset, primæ Metropoli, quæ Biturix dicebatur, necessariò aliæ vt Primati suo parêre debebant, *cap. nulli, cap. prouinciarum, dist.99.* Tandem Boërius *de authorit. magni Consilij, num.52. & 53.* asserit, Bituricensem tantùm Archiepiscopum Patriarcham, Primatemque totius Aquitaniæ iure vocari. Alia fundamenta adducit P. Marcha *de Primatu Lugdunensi, num.52.* Non leuiora expendebat fundamenta Burdegalensis Præsul pro prædicto Primatu. Primò enim allegabat, acta Concilij Tullensis relata *tom.3. Conciliorum Galliæ, pag.173.* cùm enim Regimundus Comes conquereretur de Stephano Comite, eo quod ipse cum illius filia in vxorem ducta cohabitare detrectaret, cùm vterque Comes Aquitanus esset, decretum fuit à Patribus, vt Archiepiscopi comprouinciales cum suis suffraganeis de causa cognoscerent; quâ de re Hincmarus Synodi nomine ita scripsit: *Qua de re sancta Synodus vos, qui Primas Sedium Regni Aquitanici estis, ad hanc causam diffiniendam cum Coëpiscopis vestris, & Principibus, & terræ illius primioribus eligere studuit; quorum diffinitioni, sine suo periculo, & excommunicationis innectione, quisquis obtemperare distulerit, euadere non valebit.* Ex quo textu constat, in Aquitania, non Bituricensem tantùm Patriarcham reperiri, sed plures Primates. Secundò expendebat in Concilio Aurelianensi 1. Agathensi, & Matisconensi 2. priùs ipsum, quàm Bituricensem Archiepiscopum subscripsisse: igitur quia ille Primas erat Aquitaniæ. Alia adducunt pro iure Burdegalens. Præsulis Idumay *vbi suprà*, Paschalis & Franciscus de la Brousse *de Primatu Aquitaniæ.* Sed si verum amamus, tantùm adstruunt, duos fuisse in Aquitania Primates, non tamen probant Burdegalensem in Bituricensem ius Primatus habere.

4. PROSEQVITVR CONTROVERSIÆ EXITVS.

Sequitur exitus, & finis præsentis controuersiæ, vt iam ad præsentem Gregorij decisionem perueniamus. Et primò, hæc controuersia decisa, & sopita videbatur Eugenij tertij bullâ editâ anno 1145. quâ Primatus Bituricensi Ecclesiæ deferebatur per hæc verba. [Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Petro Bituricensi Archiepiscopo, eiusque successoribus canonicè substituendis I.N.P.P.M. Officij nostri nos hortatur authoritas pro Ecclesiarum statu paternam solicitudinem gerere, & earum quieti, ac paci, auxiliante Domino, salubriter prouidere. Iustum namque est, vt dignitatem Ecclesiæ, vel personis Apostolicæ Sedis liberalitate concessam, nos quoque authore Deo firmam, & inuiolabilem conseruemus. Tuam ergo, frater in Christo chariſſime Petre Archiepiscope, deuotionem circa nos, & circa Sanctam Romanam Ecclesiam, cuius specialis filius es, & in qua sacros ordines suscepisse dignosceris, attendentes, nobilem Bituricensem Ecclesiam, cui Deo authore præsides, sub B.Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Præsentis itaque priuilegij paginâ confirmamus, vt super duas prouincias, videlicet super ipsam Bituricensem, & super Burdegalensem, Primatum obtineas, sicut hactenus obtinuisse dignosceris. Diœceses verò illas, quæ intra eandem prouinciam Bituricensem sitæ sunt, in tua, tuorumque successorum potestate, ac subiectione persistere constituimus, videlicet Claromontensem, Lemouicensem, Ruthenensem, Albigensem, Cadurcensem, & Mimatensem: & ipsarum ciuitatum Episcopi ipsam Bituricensem Ecclesiam matrem & magistram recognoscant, atque tibi, tuisque successoribus, tanquam proprio Metropolitano, obedientiam ac reuerentiam humiliter exhibeant. Porrò tibi, tuisque successoribus vsum pallij confirmamus, atque ad maiorem reuerentiam per supradictas prouincias vexillum Dominicæ Crucis ante vos deferri concedimus, sicut etiam antiqua prædecessorum vestrorum consuetudo obtinuit. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum iustè & canonicè possides, aut in futurum liberalitate Regum, & largitione Principum, oblatione fidelium, &c. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam, vel personam tuam temerè perturbare, aut possessiones, seu bona vestra auferre, vel ablata retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conseruentur vestris, & pauperum Christi vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ authoritate. Si qua verò in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona huius nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertióve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Datum trans Tyberim per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Cardi

Cardinalis, & Cancellarij, idibus Martij, indictione 9. Incarnationis Dominicæ anno 1145. Pontificatus noſtri Domini Eugenij III. PP. anno 2.] Hanc deciſionem firmarunt Alexander III. idibus Februarij anno 1164. Adrianus IV. anno 1154. Lucius III. anno 1183. Clemens III. anno 1188. Cœleſtinus III. anno 1192. Eorum diplomata refert Robertus in indice Bituricenſium Præſulum. Vnde cùm temporibus Innocentij III. Simon de Soliaco Archiepiſcopus Bituricenſis Concilium prouinciale congregaſſet, Guillelmus tunc Archiepiſcopus Burdegal. vocatus venire noluit; quare eum excommunicauit, & Metropolitico iure ſuſpendit: ipſe ad Innocentium III. appellauit, & lite pendente Philipus II. Rex Galliæ ſcripſit Pontifici pro iure Primatus Bituricenſ. in hæc verba, quæ refert Chenu vbi ſuprà, *fol.63.* [Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino Innocentio Dei gratiâ Summo Pontifici. Philipus eadem gratiâ Francorum Rex ſalutem, & debitam in Chriſto reuerentiam. Eccleſia Bituricenſis, licèt ſit tenuis in facultatibus, inter alias tamen Regni noſtri Eccleſias exiſtit nobilior, cùm (ſicut veſtra penitus nouit Paternitas) Primatiæ obtineat dignitatem, cuius honorem noſtrum, & regni noſtri proprium reputamus. Cùm igitur Burdegalenſis Archiepiſcopus prædeceſſorum ſuorum non ſequens veſtigia ſe adeo obedientem, & deuotum Eccleſiæ Bituricenſi exhibere non velit, ſicut iidem prædeceſſores eius feciſſe noſcuntur, paternitatem veſtram cum quanta poſſumus deuotione rogamus, quatenus ius Bituricenſis Eccleſiæ intuitu Dei, & precum noſtrarum obtentu conſeruare velitis, nec ſuſtineatis, quod tantus honor regni noſtri circa hæc in aliquo minuatur, cùm ſola Bituricenſis Eccleſia in toto regno noſtro Patriarchatus obtineat dignitatem, in cuius diminutione (quod Deus auertat) nobis, & regno noſtro non mediocriter reputaremus eſſe detractum. Actum Pariſiis, anno Domini 1210. Menſe Maio.] Innocentius III. Burdegalenſem Archiepiſcopum condemnauit, & ſuſpenſionem in eum latam confirmauit *epiſt.45. lib.3.* ibi: [Innocentius, &c. Bituricenſi Archiepiſcopo S. &c. Diligenter auditis, & perſpicaciter intellectis, quæ tu, & d. f. Amaneus Procurator ven. fratris noſtri Burdegalenſis Archiepiſcopi coram nobis proponere voluiſti ſuper ſententia, quam authoritate Primatiæ in eundem Archiepiſcopum promulgaſti, ſuſpendo ipſum ab officio Metropolitanæ dignitatis, pro eo quod ad tuum vocatus Concilium, accedere non curauit, nec pro ſe aliquem idoneum deſtinare: de communi fratrum noſtrorum conſilio ſententiam ipſam ratam habemus, & vſque ad ſatisfactionem idoneam præcipimus obſeruari; hoc ad cautelam expreſſo, quod lis coram nobis non de Primatia, ſed de ſententia extitit ventilata. Nulli ergo, &c. Datum Lateran. 16. Kal. Iunij, Pontif. noſtri anno 15.] Et *epiſt.* 128. ſuper iure ipſius Primatiæ cauſam commiſit Abbati S. Florentij Salmurienſ. *lib.4. epiſt.64.* & demùm ſententiam ſuſpenſionis à Bituricenſ. latam relaxari iuſſit, cautione præſtitâ à Burdegalenſi parendi mandatis Bituricenſis Præſulis, *dict. lib.4. epiſt. 65.* Sed adhuc non acquieuerunt prædicti Archiepiſcopi: quare iterum ſuſcitatâ controuerſiâ temporibus Honorij III. ab eo fuiſſe confirmatam ſententiam Innocentij III. referunt Stephanus Nouiomenſis *in epiſt. ad Honorium III.* Spondanus *in continuatione Baronij, tomo 1. anno 1226. num.4.* & demùm Gregorij noſtri temporibus Burdegalenſ. Archiepiſcopum variis dilationibus vſum fuiſſe, conſtat ex *cap.vlt. de dilation. cap. vlt. de dolo, & contumacia.* Tandem ipſe Gregorius anno 1240. hanc controuerſiam compoſuit ſtatuens, vt Archiepiſcopus Bituricenſis de ſeptennio in ſeptennium Prouinciam Burdegalenſem per quinquaginta dies viſitaret, & procurationes reciperet. Huius deciſionis mentio fit in hoc textu, dum in eo iubetur, vt priùs quàm talis ſententia prouiſionalis publicetur, Prælatorum Burdegalenſis Prouinciæ, & Bituricenſis requiratur aſſenſus. Sed licèt Gerardus Archiepiſcopus Burdegal. obtemperaſſet huic ſententiæ, ſeu concordiæ, tamen eius ſucceſſores valde renuerunt: quare Clem.V. ita reſcripſit: [Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Arnaldo electo Burdegalenſi, eiuſque ſucceſſoribus Archiepiſcopis Burdegalenſibus, qui pro tempore fuerint in perpetuum. In ſupremæ ſolio poteſtatis diſponente Domino conſtituti, de vniuerſis orbis Eccleſiis, quarum cura nobis imminet generalis, quantùm nobis ex alto permittitur, cogitamus, ad ea feruentibus ſtudiis intendentes, per quæ tranquillitatis commiſſa poſſimus eiſdem, ſubmotis quibuſlibet ſcandalorum turbinibus, procurare: ſed ad Burdegalenſem Eccleſiam, quæ dudum nos habuit primò filium, ſuis nos educans vberibus; ſecundò ſponſum, noſtro commiſſa regimini, ac demùm Patrem, ac Dominum recognoſcit, cùm de ipſa ſimus ad ſummi Apoſtolatus officium gratiâ diuinâ vocati, eo propenſiùs inclinationis intuitum vertimus, quo ſpecialis dilectionis affectum præmiſſorum conſideratione gerimus ad eandem. Dudum ſiquidem occaſione Primatiæ, quam olim contendebant Bituricenſes Archiepiſcopi in Burdegalenſem Prouinciam ſe habere, grauis inter eos, & Archiepiſcopos Burdegalenſes, qui pro tempore fuerunt, exorta extitit materia quæſtionis, ex qua deciſiones quamplurimæ, ſcandala grauia, multaque pericula prouenerunt. Sanè felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter intendens huic morbo ſalubriter prouidere, quandam ſuper huiuſmodi quæſtione ordinationem dicitur edidiſſe: & licèt prædicta ordinatio Eccleſiæ, Ciuitati, Diœceſi, ac prouinciæ Burdegalenſi præiudicialis non modicùm fuerit, ac etiam oneroſa (provt facti euidentia manifeſtat) quia tamen Bituricenſes Archiepiſcopi, qui fuerunt pro tempore, ordinationem non ſeruarunt eandem; quinimò in multis pro ſuæ voluntatis libito violantes, iuriſdictionem, contra illius tenorem, ſibi indebitam vſurparunt, ex quibus in illis partibus homicidia, fractiones Eccleſiarum, ſacrilegia, commotiones populorum, & multa alia animarum, & corporum pericula retrò actis temporibus ſunt ſequuta. Tempore inſuper, quo ipſam regebamus Eccleſiam Burdegalenſem, graues, & periculoſæ deciſiones etiam prouenerunt. Propter quæ Archiepiſcopi Bituricenſes præfati, eiuſdem ordinationis debent carere commodo, cùm eam minimè duxerint obſeruandam. Nos, qui dudum ante ſuſceptum à nobis ſummi Apoſtolatus officium dictæ Burdegalenſi Eccleſiæ præſidentes, diſſenſiones, ſcandala, & pericula prædicta palpauimus; attendentes quod per huiuſmodi ordinationem nihil vtilitatis accreſcit eidem Bituricenſi Eccleſiæ; ſed ſibi, & Burdegalenſi Eccleſiæ memoratæ iactura non modica prouenit ex eadem, & provt veriſimiliter æſtimamus,

peiora

pecora poſſent in poſterum prouenire ; ac propterea non indignè volentes prædictas Eccleſias ab huiuſmodi oppreſſionibus , ſcandalis , & grauaminibus , ex prædictis prouenientibus præſeruare, ac eas in pacis , & tranquillitatis pulchritudine confouere , dictaſque Eccleſiam , ciuitatem , ac prouinciam Burdegalenſem fauoris Apoſtolici , ac priuilegij ſpecialis in hac parte præſidio communire : Te & ſucceſſores tuos Burdegalenſes Archiepiſcopos , qui pro tempore fuerint , Eccleſiam , ciuitatem videlicet , & prouinciam Burdegalenſem prædictas , & quaſcumque perſonas, tam eccleſiaſticas , quàm ſæculares , tibi , vel tuæ dictæ Eccleſiæ immediatè , aut alio mediante ſubiectas , aut aliàs degentes in eis , omni iure Primatiæ , & cuiuſcumque ſuperioritatis, omnique iuriſdictione , & poteſtate venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Bituricenſis , & ſucceſſorum ſuorum , qui pro tempore fuerint , ſuorumque Decani , & Capituli Eccleſiæ Bituricenſis , ſi in te , ſucceſſores tuos , Eccleſiam , ciuitatem , diœceſim , Prouinciam Burdegalenſes , & præfatas perſonas præfati Archiepiſcopus , Decanus , & Capitulum , & Eccleſia Bituricenſis huiuſmodi Primatiæ, vel ſuperioritatis intuitu poteſtatem, vel iuriſdictionem aliquam obtineant,vel obtinere poſſint quacumque de cauſa , etiam Sede Bituricenſi vacante , tam circa articulos in eadem ordinatione contentos , quàm circa alios omnes , per quos Archiepiſcopus , Decanus , Capitulum , & Eccleſia Bituricenſis prædicti viderentur in te , ſucceſſores tuos , Eccleſiam , ciuitatem , Diœceſim , Prouinciam Burdegalenſes , & præfatas perſonas aliquam poteſtatem , ſuperioritatem , aut iuriſdictionem habere , authoritate Apoſtolica , ac de poteſtatis plenitudine prorſus eximimus , & penitus liberamus. Eadem ſtatuentes authoritate , quod tu , ſucceſſores tui , Eccleſia , Ciuitas , Diœceſis , & Prouincia Burdegalenſis , ac perſonæ prædictæ Archiepiſcopo , Decano , Capitulo , & Eccleſiæ Bituricenſi antedictis deinceps nequaquam in aliquo teneamini : ac diſtrictiùs inhibentes , ne idem Archiepiſcopus Bituricenſis, vel eius ſucceſſores , ſeu Decanus , & Capitulum Bituricenſe , communiter , vel diuiſim , etiam Sede Bituricenſi vacante , in te , vel ſucceſſores tuos , ſeu in Eccleſiam , Ciuitatem , Diœceſim , ac Prouinciam Burdegalenſem , vel perſonas prædictas , iuriſdictionem aliquam huiuſmodi iuris Primatiæ , vel ſuperioritatis , aut etiam dictæ ordinationis , vel aliàs , ſibi vindicare , vel exercere quoquo modo præſumant. Nos enim ex nunc irritum decernimus , & inane , ſi ſecus ſuper his ab Archiepiſcopo Bituricenſi , vel eius ſucceſſoribus , Decano , vel Capitulo Bituricenſi antedictis , communiter , vel diuiſim, aut quibuſvis aliis,occaſione præmiſsâ contigerit acceptari. Non obſtantibus ordinatione prædicta , ſeu quibuſcumque proceſſibus ſuper hoc habitis , conſuetudinibus contrariis , compoſitionibus factis , & ſententiis promulgatis. Aut quibuſlibet litteris conſeruatoriis , vel aliis quibuſcumque à noſtris prædeceſſoribus Romanis Pontificibus, vel eorum Legatis impetratis, & indulgentiis , ac priuilegiis Apoſtolicis , de quibus, quorumque totis tenoribus etiam de verbo ad verbum debeat in litteris noſtris fieri mentio ſpecialis. Præmiſſa enim omnia , & ſingula , quantùm poſſunt obeſſe præſenti exceptioni , liberationi, ſtatuto , inhibitioni , & conſtitutioni , vel aliis ſupradictis caſſamus , irritamus , & caſſata,& irrita nuntiamus , & nullam penitus habere volumus roboris firmitatem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis , ac liberationis , ſtatuti , inhibitionis , nunciationis , & voluntatis infringere , vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri , & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Lugduni ſexto Kal. Dec. Pontific. noſtri anno primo.] Idem decreuit pro protectione Eccleſiæ Burdegalenſis Ludouicus Pius Francorum Rex , in hæc verba : [In nomine Dei , & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti , Ludouicus diuinâ ordinante prouidentiâ Imperator Auguſtus. Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quid conferimus beneficij , & neceſſitates eccleſiaſticas ad petitiones ſacerdotum noſtrorum releuamus , vnanime id nobis , & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam , & ad æternam felicitatem obtinendam profuturum liquidò credimus. Nouerit interea ſagacitas , ſeu vtilitas omnium fidelium , tam præſentium, quàm futurorum , quod vir venerabilis Sicharius Burdegalenſis Archiepiſcopus , adiens noſtram præſentiam detulit obtutibus noſtris immunitatem Domini & genitoris noſtri Karoli bonæ memoriæ Sereniſſimi Auguſti. In qua continebatur , qualiter ipſam Sedem , quæ eſt in honorem ſancti Andreæ , & Sancti Iacobi Apoſtolorum , cum monaſteriis ſibi ſubiectis, quæ dicuntur Bladia , quod eſt in honorem ſancti Romani conſtitutum , vbi ipſe ſanctus pro tempore requieſcit , ſitum in eodem pago Burdegalenſi ſuper fluuium Garumnam ; necnon & ſancti Seuerini , vbi etiam requieſcit ipſe , conſtructum in ſuburbio ipſius ciuitatis , cum omnibus appendiciis , & aſſentiis eorum , quæ non ſolùm idem genitor noſter , verùm etiam prædeceſſores eius Reges, ipſamque Sedem ſub vno nomine , & defenſione cum cellulis ſibi ſubiectis , & rebus, vel hominibus ad ſe pertinentibus , vel aſpicientibus conſiſtere feciſſent : & eorum immunitate,& authoritatibus ab inquietudine iudiciariæ poteſtatis eadem munita , atque defenſa fuiſſet Eccleſia. Sed pro eius firmitate poſtulauit à nobis præfatus Sicharius Archiepiſcopus , vt Patrum , ſeu prædeceſſorum noſtrorum Regum morem ſequentes, huiuſmodi noſtræ immunitatis præceptum ob amorem Dei , & reuerentiam ipſius ſancti loci, circa ipſam Eccleſiam fieri cenſeremus. Cuius petitioni libenter aſſenſum præbuimus. Et hoc noſtræ authoritatis præceptum circa ipſam Eccleſiam,immunitatis , atque authoritatis gratiâ , pro diuini cultus amore ,& animæ noſtræ remedio fieri decreuimus. Per quam præcipimus , atque iubemus , vt nullus iudex publicus , vel quilibet ex iudiciaria poteſtate , aut vllus ex fidelibus noſtris, tam præſentibus , quàm futuris , in Eccleſias , aut agros , ſeu reliquas poſſeſſiones , quas moderno tempore in quibuſque pagis , vel territoriis intra ditionem Imperij noſtri iuſtè , & legaliter memorata tenet Eccleſia , vel ea deinceps in iura ipſius Eccleſiæ diuina pietas voluerit augere , ad cauſas audiendas , vel freda aut tributa exigenda , aut fideiuſſores tollendos , aut homines ipſius Eccleſiæ , tam ingenuos , quàm ſeruos , ſuper terram ipſius permanentes, iniuſtè diſtringendos , nec vllas redemptionis , aut illicitas occaſiones requirendas , noſtris , nec futuris temporibus ingredi audeat , nec ea , quæ ſuprà memorata ſunt , exi-

gere præſumat. Sed liceat memorato Præſuli, & cuilibet ſucceſſori res prædictæ Eccleſiæ, cum cellulis ſibi ſubiectis, & rebus, vel hominibus ad ſe aſpicientibus, vel pertinentibus, immunitatis noſtræ defenſione, remotâ totius iudiciariæ poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate noſtra, & coniugis, & prolis, ſeu etiam totius Imperij à Deo nobis collati, & eius clementiſſimâ miſeratione per immenſum conſeruandi, vnà cum clero, & populo ſibi ſubiecto, Dei immenſam clementiam iugiter exorare. Et quidquid de præfatis rebus Eccleſiæ ius fiſci exigere poterit, totum nos perpetuâ renunciatione conceſſimus Eccleſiæ iſti, vt perennibus temporibus in alimoniam pauperum, & ſtipendia clericorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hanc itaque authoritatem, vt pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus noſtris diligentiùs conſeruetur, manu noſtrâ ſubter firmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus.] Et tandem Ioannes VIII. ita ſcripſit, referente Paſchali vbi ſuprà, *cap.* 10. [Petitionem veſtram filiorum chariſſime, quam non obneganda, ſed dudum diſpenſando diſtulimus, nunc nos ad votum noſtrum, ob id vel maximè, Chriſto præduce, perduxiſſe gaudemus, quod & gloriam veſtram perſeuerantem teſtificatricem cognouimus, & prouincialium Præſulum conſentaneas probationes probauimus, & Legatorum noſtrorum ſubtiliſſimas diſquiſitiones aduertimus: quocirca licèt nos multis canonicis teſtimoniis prouocati, petitionem veſtræ deuotionis implere (magnoperè) moliremur, & ſolius maieſtatis veſtræ teſtimonio ſuper exterminio Burdegalenſis prouinciæ minimè cunctaremur; tamen pietatis veſtræ teſtimonio comprouincialium quoque Præſulum litteras onuenire, ſicuti rebamur, nuper cognouimus, ſecundùm pietatis veſtræ religioſiſſimum libitum Burdegalenſis diœceſis Epiſcopum, fratrem ſcilicet noſtrum Frotharium, in Bituricenſem Eccleſiam Cardinalem fieri decernentes, Metropolitanæ dignitatis priuilegio iteratò munire curauimus. Et ſtudij veſtri ſolertiam, quo ſemper idoneos Eccleſiæ viros quadam naturalis ingenij nobilitate deligitis, admirantes, congruas litteras his, quorum intereſt, ex authoritate Sedis noſtræ direximus, atque magnanimitatem veſtram, quam iſtius religioſi negotij circa nos incentricem cognouimus, eam nihilominus executricem fore, nec immeritò, delegamus. Quatenus propter Deum, cuius Filij pretioſo ſanguine tota per mundum redempta conſiſtit Eccleſia, ſic iſtius neceſſariæ diſpenſationis inſtituta cuſtodiat, vt à paternis regulis conſtitutis in parte altera, nunquam omnino diſcedat. Præterea quod filiolitatis veſtræ petit induſtria, vt quorum ſuggeſtionibus veſtra ſit dilatata petitio, detegamus: omnino ſciatis, quia nos, licèt indigni ſimus, tamen quia per conſequentiam priorum noſtrorum Pontificum matura cogimur eſſe iudicia, cauſam tantæ deliberationis ideo non facile tunc deliberandam credidimus, ne diffiniuiſſe, quod Deus conuerterit, minùs ordinabiliter videremur. At poſtquam Deus omnipotens petitionem Serenitatis veſtræ Comprouincialium Præſulum teſtimonio decorauit, imò teſtimonia Præſulum, pietatis veſtræ ſuffragio confirmauit: Nos & religioſam petitionem veſtram compleuimus, & ſuggeſtionibus fratrum, Coëpiſcoporumque noſtrorum manus porreximus, & Eccleſiæ Dei tantis neceſſitatibus conſulentes, de theſauro Pontificalis pectoris ita vobis protulimus, vt à doctrinis deuiaſſe veteribus nullo modo videamur. Data, vt ſuprà.] Nec prætermittendum eſt, quod non tantùm Iſidorus, ſed etiam chronicon, quod ſuprà laudauimus, Græco nominis ſono, Burdegalin ſemper efferant. Quod de Græca Aquitaniæ origine ſuprà diximus ex Hieronymo, id ipſum tuetur ipſe quæſtionibus ſuis in Geneſim, cuius verbis huic controuerſiæ finem imponemus. [Legamus, inquit, Varronis de antiquitatibus libros, & Sinnij Capitonis, & Græcum Phlegonta, cæteroſque eruditiſſimos viros, & videbimus penè omnes inſulas, & totius orbis littora, terraſque mari vicinas Græcis accolis occupatas, qui, vt ſuprà diximus, ab Amano, & Tauro montibus omnia maritima loca vſque ad Occeanum poſſedere Britannicum. An fortè poſtea à Romanis, vti nos conjiciebamus, inditum? Nam & illi ciuitatibus, quas victoriis ſuis, aut coloniis, aut beneficiis illuſtraſſent, noua ad libitum nomina imponere amabant. Ita ſua facta habent nomina, ſicut & ciuitates, quas etiam interire notiſſimum eſt. Cæterùm ſi communio nominis coloniæ argumentum eſt, erunt Toloſani Nemauſenſium filij, vel patres; vtrique enim Volcæ ſunt; & Rhemenſes Treuerorum; nam vtrique Belgæ. Fortiùs enim argumentum ducitur ex gentis nomine quàm ex diuiſione Prouinciarum.] Quæ litterarum exemplaria refert Paſchalis *vbi ſuprà:* & hæc iuris Primatus Bituricenſis vera hiſtoria.

5. VERA TEXTVS INTERPRETATIO.

His ſuppoſitis pro huius controuerſiæ progreſſu, & exitu facilè percipitur huius textus ſententia: præcepit enim Gregorius IX. requirendum eſſe conſilium Epiſcoporum comprouincialium Burdegalenſis prouinciæ; quia cùm ageretur de eorum ſubiectione, & vt Archiepiſcopo Bituricenſi viſitanti procurationes præſtarent, iuxta textum *in cap. cùm ex officij, de præſcriptionibus, cap. conquerente, de officio Ordinarij, cap. ſopitæ, de cenſibus*; non ſolùm Archiepiſcopi, verùm & ſuffraganeorum conſenſus deſiderabatur in prædicta concordia, compoſitionéve, ſeu ſententia prouiſionali, vt latiùs proſequuntur repetentes hîc.

TITVLVS

TITVLVS XXXIV.

De treuga, & pace.

CAPVT I.

Alexander III. *in Concilio* [a] *Lateranensi.*

TReugas à quarta [b] post [c] occasum solis vsque ad secundam feriam in ortu solis; ab Aduentu Domini vsque ad octauas [d] Epiphaniæ; & à [e] Septuagesima vsque ad octauas Paschæ, ab omnibus inuiolabiliter obseruari præcipimus: si quis autem treugam frangere præsumpserit, [f] post tertiam admonitionem, si non satisfecerit, suus Episcopus sententiam excommunicationis dictet in eum, & scriptam vicinis Episcopis adnunciet; quorum nullus [g] excommunicatum in communione recipiat, imò [h] scriptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumpserit, ordinis sui periculo [i] subiaceat. Et quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur, præcipimus, vt Episcopi ad solum Deum, & ad salutem Populi habentes respectum, omni trepidatione sepositâ ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium, & auxilium præbeant, nec hoc alicuius amore, vel odio permittant. Quod si quis in hoc opere tepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.

NOTÆ.

1. a *Lateranensi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in Concilio ipso Lateranensi *cap.*21.De Concilio Lateran. celebrato sub Alexandro III. egi *in cap.cùm in cunctis* 7. *de electione.*

2. b *Quartâ feriâ.*] Idest die Mercurij; iam enim à primis Ecclesiæ temporibus obseruatum in Ecclesia fuit, vt dies hebdomadæ feriæ nomine designarentur. Tertullianus aduersùs *psychicos cap.*2. & 14. Breuiarium Romanum *in Festo Sancti Syluestri*, ibi: *Reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, vt iam antè in Ecclesia vocari cœperunt, appellari voluit.* Quo significaretur quotidie clericos abiectâ cæterarum rerum curâ, vni Deo prorsus vacare debere; sicut enim veteres à feriendis victimis dies ferias appellabant, Festus Pompeius *verbo Feriæ*, ita Ecclesiæ PP. dies sacerdotibus festos, ferias dixerunt. Accedit alia ratio adductà à Baronio *anno* 58. *num.* 87. & ibi Spondano *num.* 34. quam nos illustrauimus *in cap.* 1. *de feriis*, & Vicecomes *de ritibus Missæ fol.* 3. *lib.* 3. *cap.*10.

3. c *Occasum solis.*] Dies enim naturalis computatur à solis ortu vsque ad occasum, *cap. quod à patribus* 75.*cap. de esu, de consecratione dist.*2. hinc Plato naturalem diem ita diffiniuit. *Dies est ab ortu solis ad occasum.* Plura adduxi *in cap. litteras, de temporibus ordin.*

4. d *Epiphaniæ.*] Dies videlicet sexta mensis Ianuarij, quâ aduentus Regum celebratur, tam à Latinis, quàm Græcis, vt probat Baronius *in Martyrol. in dict. die* 6. de cuius celebritate pro illustratione textus *in l.* 2. *Cod. de feriis*, videndus est Pater Herrera *de origin. Officij diuin. lib.* 2. *cap.* 24. & nos aliqua dabimus *in cap. fin. de feriis.*

5. e *A Septuagesima.*] Quo die olim ieiunium quadragesimale incipiebat, vt docent Albinus Flaccus *de diuinis officiis, cap. de Septuagesima*, Binius in vita Thelesphori, Couar. *lib.*4. *variar. cap.*20. Azor 1. *tomo Inst.lib.*2. *cap.* 12. *quæst.*2. & nos probabimus *in cap. capellanus, de feriis.*

f *Tertiam.*] Tertia enim monitio desideratur ad excommunicationem proferendam, *cap. sacro*, vbi latè dicam, *de sententia excommunicationis.*

6. g *Excommunicatum.*] Pacis seu treugæ Dominicæ violatores in excommunicationem incidebant, & ad resarciendum damnum laicis tenebantur; & Episcopi diœcesani, ac Comitis hæc erat cognitio, cæterorumque Baronum: & si similes violatores ab vtraque potestate proscriptos, & contumaces occidi contingeret à quoquam priuato zelo iustitiæ, non homicidij pœnâ canonicâ, & ordinariâ, sed leuiori, & remissiori satisfactione culpam illam diluendam docet Vrbanus II. relatus à Gratiano *in cap. excommunicatorum* 23. *quæst.*5. qui de hoc solo genere excommunicatorum intelligendus est, non autem de omnibus excommunicatis, vt quidam malè crediderunt.Facit lex 16. *tit.*26. *partit.*2.

7. h *Et scriptam.*] Non quia ad validitatem sententiæ desideretur, vt in scriptis sententia proferatur, voce enim prolata vires habet: *cap. si quis cum clerico* 11. *quæst.* 1. *cap. Albericus* 43. *de testib. authent. breuissimas, Cod.de sententiis ex periculo*; licèt post Concilium Lugdunense relatum *in in cap. cùm medicinalis, de sententia excommunication. lib.* 6. desideretur pro forma, vt in scriptis proferatur; olim tamen desiderabatur scriptura, vt constaret vicinis Episcopis de excommunicatione, & excommunicatos reiicerent, repellerentque à communione; nam ab vno Episcopo excommunicatus ab omnibus vitandus est, *cap. curæ* 20. *cap. seruetur* 73. 11. *quæst.* 3. Vrbanus II.

in

in Synodo apud Melphiam, *cap.* 15. ibi: *A ſuis Epiſcopis excommunicatos ab aliis recipi magnopere prohibemus.* Plura Antonius Auguſtinus *in epit. iuris Pontific. lib.* 32. *tit.* 4. Et cùm Epiſcopi excommunicatos ab aliis non recipiebant, confirmaſſe ſententiam excommunicationis dicebantur. Innocentius II. *cap.* 9. ibi: *Epiſcoporum nullus excommunicatum in iudicio ſuſcipiat, imò ſcripto ſententiam quiſque confirmet.* A quo accepit hanc deciſionis partem Noſter Alexander. Concilium apud Vernis Palatium *cap.* 5. ibi: *Quam excommunicationem debebit idem Epiſcopus ſeniori illius notam facere, & omnibus ſuis Epiſcopis, ne eum recipiant vſque ad ſatisfactionem.*

8. i *Subiaceat.*]Vt deciſum eſt pluribus Conciliorum decretis congeſtis ab Antonio Auguſtino *dict. lib.* 32. *tit.* 4. Epiſcopus proprius quinam dicatur, expoſui *in cap. quoad tranſlationem, de temporib. ordin.*

9. Pro huius textus vera interpretatione ſciendum eſt, bella priuata, quæ pondere, & pudore legum olim comprimebantur, mediâ ætate per Longobardiam, & Galliam graſſata fuiſſe, cùm in illis & aliis prouinciis quiſque ſuam, ſuorumve iniuriam non in iure coram iudice, ſed ferro, manuque perſequebatur, adeò vt his inimicitiis, quas *Faidas* vulgus vocabat, leges Longobardorum, & Capitularia Galliæ modum præſcriberent, vt plura de faidis adducentes docent Frider. Lindembr. *in gloſſario legum antiq. verbo Faida*, Ioannes Voſſius *de vitiis ſermonis lib.* 2. *cap.* 6. Sirmundus *in notis ad capitular.* Sed ingraueſcente in dies morbo, cùm cædibus, deprædationibus, & incendiis Reſpublica fœdiſſimè vaſtaretur, Eccleſia his abuſibus proſpicere curauit, non in totum extincto illo nefario bellorum priuatorum vſu, ſed repreſſo per inducias, quæ aliquot diebus homines otioſos à cædibus redderent, ſub nomine treugæ Domini, diebus videlicet in præſenti relatis, & in aliis Conciliis pro illuſtratione concluſionis adducendis, ea lege, vt in eis nemo ab inimico vltionem exigeret, nemo prædaretur, nec etiam à fideiuſſore pignus tolleret: narrat Rodulfus Glaber *lib.* 5. *cap.* 1. Bella hæc priuata nec legibus probata erant, nec omnino damnata; imò ſi prouocatio, vel, vt illius ſæculi verbo vtar, ſi diffidatio præceſſiſſet, pro iure conſtituto habebantur; ita vt in aduerſarium cæde, prædis, & incendiis graſſari liceret, vt referunt Carnot. *epiſt.* 173. Federicus apud Abbatem Vrſpergenſem, Conradus *in cap.* 10. *Bullæ Aureæ.* Decretæ autem fuerunt inducíæ huiuſmodi non ſolùm ab Epiſcopis, ſed à Proceribus cuiuſque diœceſeos, vt diſertè docent Glaber, & Carnot. *ſuprà*, & patet ex treugæ iſtius conſtitutione, quæ lata eſt in Anglia, & Normannia, ex conſenſu Epiſcoporum, & Baronum à Guillelmo I. R. apud Ordericum Vitalem; & à Raymundo Berengario Comite Barcinonenſi anno 1060. Illud etiam obſeruandum eſt, pacem & treugam dici hanc à beliis priuatis feriationem in præſenti rubrica, eo quod ratione clericorum, omnium peregrinorum, mercatorum, agricolarum cum bobus aratoriis, dominarum cum ſociis ſuis inermibus, mulierum omnium, rerum ad clericos, monachoſque pertinentium, & molendinorum pax iſta omni tempore indulta eſſet; ratione cæterorum treugæ tantùm, ideſt inducíæ aliquot dierum: ideo textus huius tituli iuxta ordinem rubricæ primus ad treugam, ſecundus ad pacem ſpectant. Totum hoc mirè illuſtratur ex litteris Guillelmi L. S. A. Epiſcopi Auſcitani, quibus pacem & treugam poſt Concilium Rom. indixit anno 1102. quas edidit Petrus Marcha in hiſtoria Bearnenſi, ex quo eas tranſcribo. [Cùm ex officij noſtri debito teneamur vniuerſis fidelibus curæ noſtræ commiſſis ſalubri diſpoſitione prouidere, nunc præſertim vrgente Apoſtolici mandati authoritate, ad quem ſpectat totius populi profectibus inuigilare, oportet nos ſuper bono pacis & treugæ Dei ſubditis noſtris propenſiorem curam impendere. Inde eſt, quod iuxta ſtatuta generalis Concilij Romæ nuper celebrati pacem & treugam Dei in prouincia noſtra ex parte Dei, & Domini Papæ, & noſtra ab omnibus inconcuſsè, & inuiolabiliter præcipimus obſeruari. Forma pacis, & treugæ Dei talis eſt: Treugas à quarta feria poſt occaſum ſolis vſque ad ſecundam feriam poſt ortum ſolis, & ab Aduentu Domini vſque ad octauas Paſchæ ab omnibus inuiolabiliter obſeruari præcipimus. Si quis autem treugam violare tentauerit, poſt commonitionem factam, ſi non ſatisfecerit, Princeps ſuus, & Epiſcopus, cum Clero & populo cogant eum iniuriam pacis ſatisfacere, ad arbitrium Epiſcopi & Principis ſui, & aliorum vicinorum Baronum. Quod ſi Principes, ſeu Barones, vel populus diſſimulauerint, tam Principes, quàm Barones excommunicentur, & tota terra eorum interdicto ſubiiciatur, omni priuilegio perſonæ & Eccleſiæ ceſſante. His verò temporibus, & omnibus feſtis Beatæ Mariæ cum præcedenti die, & ſubſequenti, ſancti quoque Ioannis Baptiſtæ, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & à vigilia Pentecoſtes vſque ad octauas, & omnium Sanctorum Feſto omnia pacem, & ſecuritatem habebunt. Omni verò tempore perpetua pace, & ſecuritate gaudebunt Canonici, Monachi, Preſbyteri, Clerici, & omnes religioſæ perſonæ, conuerſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes, & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & quæ ſemen portant ad agrum; dominæ cum ſociis inermibus, & omnes fœminæ, & omnes res clericorum & religioſorum vbique, & molendina: Principibus autem & Dominis terrarum iura ſua & conſuetudines non contradicimus, in terris ſuis Eccleſiæ ſaluitatem habeant 30. paſſuum circumcirca: Monaſteria verò 60. Hæc verò vt firmiùs obſeruentur, Comites, Vicecomites, Barones, vniuerſum quoque Clerum in præſentia Epiſcoporum; populum in præſentia clericorum à ſeptem annis, & ſupra iusjurandum præſtare præcipimus. Forma iuramenti talis eſt: Iurabunt ſe pacem, & treugam Dei iuxta præſcriptum tenorem obſeruaturos, & violatores pacis, & treugæ Dei perſecuturos, & quod de rapina nihil ſcienter ement. Quod ſi quis huic decreto contraïre tentauerit in non iurando, vel in non perſequendo, ſeu in conductitias gentes, vel raptores tenendo, aut fauendo, vel rapinam emendo, Princeps illius terræ, & tota eius terra, niſi debitam vindictam exequatur, omni interdicto, & excommunicationi ſubiiciatur, omni priuilegio perſonarum, & Eccleſiæ ceſſante. Excommunicati non ſalutentur, non tondeantur capita eis, non abluantur in mappa, non comedant, nec ad aliam communionem eccleſiaſticam recipiantur, præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias in fine. Princeps autem, & cuncti fideles noſtris obedientes mandatis, qui bonum pacis ope, & conſilio ſuo fouerint, & præſertim contra conductitias & peſtilentes gentes, ſi

in

in vera pœnitentia in hoc Dei seruitio decesserint, authoritate Dei, & Domini Papæ, & Ecclesiæ vniuersalis, omnium peccatorum suorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ se non dubitent habituros. Cæteros verò, qui contra eos arma susceperint, & ad Episcoporum, siue aliorum Prælatorum consilium ad eos decertauerint expugnandos, biennium de iniuncta pœnitentia relaxamus; aut si longiorem ibi moram habuerint, Episcoporum discretioni, quibus huius rei cura fuerit iniuncta, committimus, vt ad eorum arbitrium maior eis indulgentia tribuatur: illos autem, qui admonitioni Episcoporum in huiusmodi parêre contempserint, à perceptione corporis, & sanguinis Domini iubemus fieri alienos. Episcopi verò, siue Presbyteri, qui talibus fortiter non restiterint, officij sui suspensione mulctentur, donec Apostolicæ Sedis misericordiam obtinuerint.] Ipse etiam Petrus Marcha *in notis ad can.* 1. *Concilij Claromont.* dedit Alexandri tertij epistolam nondum excusam, in qua Pontifex pacem in omni tempore, nullâ dierum, nec personarum adhibitâ distinctione, constitutam in Ruthenensi diœcesi ab Episcopo, & Comite ex sententia totius Cleri, & Procerum illius prouinciæ, confirmat per hæc verba: [Quotiens ea, quæ ad pacem pertinent, postulantur à Sede Apostolica confirmari, tanto super his benigniorem assensum nos conuenit adhibere, quanto ex bono pacis plura commoda, & gratiora singulis proueniunt incrementa. Ex quodam siquidem rescripto à tua nobis fraternitate transmisso ad audientiam nostram peruenit, quod tu habito Concilio Abbatum, Præpositorum, & Archidiaconorum tuorum, & Baronum terræ, cum nobili viro fratre tuo Comite Ruthenæ, huiusmodi pacem, & concordiam statuisti, quod omnes res mobiles, & immobiles, & omnes homines, tam clerici, quàm laici, in omni tempore sint sub ea pace securi, nec vlli liceat præter armatos milites, & clientes, quælibet arma ferre, nisi milites enses solummodo, & clientes singulos baculos ferant, qui pacis, sicut cæteri, debent securitate gaudere. Et præter eos, qui hanc pacem, sicut statuta est, noluerint firmare, & inuiolabiliter obseruare, sicut de his, qui publicè periurant, vel fidem mentiuntur, pro manifesto debito, seu pro cognita fideiussione, de rebus eorum pignorandis licentia non denegetur, vobis tamen exceptis. Ad eiusmodi verò pacis, & securitatis sustentationem, & defensionem statutum est, vt Abbates, Archidiaconi, Archipresbyteri, monachi, Priores, & omnes clerici, qui proprias Ecclesias regunt, milites quoque, & mercatores, atque burgenses, qui facultatibus abundauerint, & omnes etiam homines, tam clerici, quàm laici, qui habuerint par boum, seu aliorum animalium, cum quibus arare possint; siue amplius habuerint, summarium equum scilicet, vel equam, mulum, vel mulam, quæ ad portanda onera locent, duodecim denarios Ruthenenses, siue alios tantumdem valentes donent. Cùm verò habuerint ouile ouium, dent pro eo sex denarios eiusdem monetæ, vel alios æquiualentes. Totidem autem dabunt qui habent vnum bouem tantùm, vel aliud animal, cum quo valeant arare, siue asinum, quæ possint locare. Clientes verò, & artifices, scilicet fabri, sartores, pellicarij, & omnes operarij, aut sex, vel octo, seu duodecim denarios secundùm suorum capellanorum arbitrium dabunt. Verùm si pater cum filiis, seu fratres, siue consanguinei fuerint, qui nondum sunt inuicem separati, nec sunt res eorum diuisæ, vnus pro omnibus dabit, alioqui soluat vnusquisque pro se. Commune autem istud per singulas parochias debet reddi cum scripto vnius parochianorum, quem Capellanus cum consilio sui Archipresbyteri, & voluntate suorum parochianorum elegerit, & in die statuta ab ipso parochiano, & cum eodem scripto ad Ruthenensem Ecclesiam deferatur. Quisquis autem res suas amiserit, postquam commune, sicut prædictum est, soluerit, in integrum restituatur; si tamen certam personam, quæ res sibi ablatas habeat, vel locum vbi sint, poterit demonstrare; sin autem minimè. Si verò inimicos villas, vel oppida deprædari, vel diruere fortè contigerit, res quidem mobiles emendabuntur de communi; sed damna rerum immobilium non restituentur, nisi quantum à malefactoribus poterit recuperari. Clerici verò, qui proprias Ecclesias non habent, nisi par boum habuerint, non cogantur dare, si nolint; sed non dato communi, si fortè res suas perdiderint, eis nequaquam emendabuntur. Additum est in prædicta pace, vt capellani Ecclesiarum, & omnes laïci à quatuordecim annis & supra, pacem, & commune firmare debeant, & obseruare. Qui verò in hoc obedire contempserint, debent ab Ecclesiæ liminibus coërceri, & ab omni pace fieri alieni. Ecclesiæ quoque parochiarum, in quibus violatores pacis habitauerint, à diuinis vacent officiis, donec ipsi ad emendationem venire cogantur. Quam siquidem pacis institutionem, quemadmodum à vobis facta est, & rescripto authentico roborata, firmam, & ratam habemus, & eam authoritate Apostolica confirmamus, & præsentium scripto communimus, statuentes, vt nulli hominum liceat hanc paginam costræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contrariare. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omniporentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli se nouerit incursurum. Datum Verulis secundo idus Maij, Pontificatus nostri anno secundo.] Vnde facilè percipitur verus sensus præsentis canonis, & sequentis: sed iuxta communem Interpretum expositionem vtriusque commentarium dabimus.

COMMENTARIVM.

10. COMMVNIS CONCLVSIO PROBATVR.

EX hoc textu communiter Doctores sequentem deducunt assertionem: *Ab aduentu Domini vsque ad Epiphaniam; à Septuagesima vsque ad octauam Paschæ treugæ sunt obseruandæ: & eas violantes excommunicandi sunt.* Priorem partem probant textus in canone 2. Concilij Troiani celebrati anno 1093. Concilium Tulugiense celebratum anno 1045. Narbonense anno 1054. quorum verba refert Stephanus Balluuius *in additionibus ad Petrum Marcham lib.* 4. *concord. cap.* 14. Secundam partem probant textus *in cap. placuit, cap. præcipimus, cap. perlatum* 90. *dist. cap. illi* 14. *quæst.* 3. *cap. nouit, de iudiciis, cap. sicut* 29. *de iureiur. cap. super* 26. §. *cùm autem, de verb. sign. cap.* 1. *&* 2. *hoc tit. in* 5. *collect.* Gregorius VII. in Synodo Romana *canon.* 14. ibi: *Pax Dei ab omnibus teneatur, & quicumque in pace prædam fecerit, vel aliter fregerit, vnde præda facta, vel ad quod conducta fuerit, excommunicentur.* Vrbanus II. in Concilio Claromont. *can.* 4. aliàs 5. ibi: *Sub pœna excommunicationis firmiter præcipimus, treugam Dei, sicut in Lateranensi*

Concilio

Concilio ſtatutum eſt, ſtudiosè obſeruari, videlicet à Septuageſima vſque ad octauas Paſchæ, & ab aduentu Domini vſque ad octauas Epiphaniæ. Calixtus II. in Concilio Rom. *cap.*13. *Si quis treugam diffregerit, vſque tertiò ad ſatisfactionem ab Epiſcopo admoneatur; quod ſi nec tertiò ſatisfacere contenderit, Epiſcopus vel cum Metropolitano Concilio, aut cum duobus, aut vno vicinorum Epiſcoporum in rebellem anathematis ſententiam dictet, & per ſcriptum Epiſcopis circumquaque denuntiet.* Innocentius II. in Concilio Romano *can.* 9. Concilium Oxonienſe ſub Honorio III. *can.* 2. Maguntinum primum ſub Leone IV. *can.* 5. Conſonant de iure Regio textus *in l.*61. *tit.*6. *part.*1. *l.*1. *tit.*12. *part.*7. *l.*41. *ſtyli*, *l.*1. *tit.*9. *lib.* 8. *recopil.* Illuſtrant vltra ordinarios repetentes ad hunc textum, & relatos à Barboſa *in præſenti*, Vega *in cap. nouit*, *de iudiciis*, *num.* 18. Albericus Gentilis *de iure belli lib.* 7. *cap.* 2. Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 8. *lib.*4. *ordinament.* Hugo Grotius *de iure belli lib.* 2. *cap.*20. Antonius Auguſtin. *lib.*17. *in epitome iuris Pontific. tit.* 37. & *lib.*37. *tit.* 46. Petrus Gregorius *lib.*3. *partition.tit.*1. *cap.*5. Cancerius *tomo* 2.*variar. cap.* 11. *de treuga*, *& pace*, Martha *de iuriſdict. part.* 1. *cap.* 41. Villadiego *in l.* 9. *prologi fori*, *num.*9. Cironius *in* 5. *compil. ad hunc tit.* Molina, & Valentia relati à Becano *de bello quæſt.*17.*cap.*25. Ricciulus *lib.*6. *lucubr. cap.* 23. P. Marcha *in notis ad canon.* 2. *Concilij Claromontani*, *tomo* 26. *Concil. ad finem*, *fol.* 899. & *lib.*4. *concordiæ*, *cap.*14.

II. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed aduersùs hanc aſſertionem ſequentes inſurgunt difficultates. Prima ex eo prouenit, nam aut bellum, quod geritur, iuſtum eſt, aut iniuſtum: ſi iniuſtum eſt, nullo tempore eſt gerendum, *cap. Iulianus* 1. *quæſt.*3. *cap.* 1. *&* 2.23. *quæſt.* 2. docent Becanus *in tract. de bello*, *quæſt.* 1. Bellarmin. *tomo* 2. *controuerſ. lib.*3. *cap.* 14. Martha *de iuriſdict. part.*1. *cap.*40. Onoſander *in ſtrategic. lib.* 3. *cap.*3. iuſti, & iniuſti belli cauſas recenſentes docent Gentilis *de iure belli lib.* 1. *cap.* 5. Grotius *in eod. tract. lib.* 1. *cap.*2. D. Mathias Guerra *in cap. Dominus* 23.*quæſt.*2. Si iuſtum eſt bellum, omni tempore dimicandum eſt, nec vllo die ceſſare oportet, *cap. nulla*, 18. *quæſt. vlt.* cùm per bellum iuſtum intendatur pax, & ſalus Reipublicæ, tam politicæ, quàm ſpiritualis, *cap. nulli*, *verſ. Pacem*, in illis verbis: *Non enim*, *inquit Dominus*, *pax quæritur*, *vt bellum exerceatur*; *ſed bellum geritur*, *vt pax adquiratur.* Et *cap.illi*, *cap.viros*, *eadem cauſa & quæſtione.* D.Thomas 2.2.*quæſt.*40.*art.*3. *ad tertium*, eleganter Victoria *in relectione de iure belli*, *num.*13. *&* 15. *verſicul. Probatur*, Marquez *in ſuo Gubernatore*, *lib.*2.*cap.*35. Vnde exercitia, quæ ad diſciplinam militarem pertinent, diebus feſtis licita ſunt, *l. Diuus*, *ff. de feriis*, Macrobius *lib.* 1. *Saturn. cap.*16. Ad rem ſanè militarem nihil attinere notat Varro, vtrum feſtus, vel nefaſtus dies ſit: igitur non rectè in præſenti docetur tantùm temporibus Aduentus, & Septuageſimæ eſſe pacem obſeruandam. Secundò non ſolùm difficilis videtur hæc deciſio, verùm & nulla ex defectu iuriſdictionis; etenim belli indicendi, gerendique poteſtas omni iure Regibus competit; quare in ſuprà traditæ treugæ Dominicæ promulgatione iura Principum conceptis verbis excipiebantur, vt patet ex indictione pacis & treugæ Guillelmi ſuprà relata: & poteſtas ſpiritualis diſtincta eſt à temporali, *cap. quoniam* 8. *diſt.* 10. *cap. ſolitæ*, *de maiorit. & obed.* & cauſa belli, ſeu pacis fractæ, tanquam temporalis, ad iudices ſæculares tantùm ſpectat, ex vulgari textu *in cap. per venerabilem*, *qui filij ſint legitimi*, *cap. duo ſunt*, 96. *diſt.* Ergo Pontifex, & Epiſcopi in Concilio Lateran. aliquid ſtatuere non poterant circa bellum, ſeu tempus, intra quod exercendum, vel non erat.

12. TREVGA QVID SIT.

His tamen difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt Concilij Lateranenſis conſtitutio, pro cuius illuſtratione aliqua præmittenda ſunt. Et primò ſciendum eſt, quid treugæ, & pacis appellatione veniat. Et treugam vocem barbaram eſſe, idemque ſignificare, quod apud Latinos inducia, iam notarunt Voſſius *de vitiis ſerm. lib.* 1. *cap.* 8. *verb. Treuga*, Villadiego *in dict. l.* 9. *fori*, *num.*8. Cancerius *vbi ſuprà:* quare huius vocis mentio nec apud Latinos, nec in legibus Romanorum extat; ſed apud exteros ſcriptores, & in legibus Longobardor. vt *in l.*38. *tit.*9.*lib.*1. ibi: *Intra treugam*, *aut poſt datum oſculum pacis.* Et *lib.*2. *tit.* 24. treugæ non ſunt minùs quàm ſolidi 300. Turpinus *in vita Caroli Magni*, *cap.*12. *Itaque datis treugis inter ſe*, *aggreſſus eſt Argiolandum cum ſuis exercitibus.* Et capite ſequenti: *Treugâ datâ eundi*, *& redeundi.* Flodoardus in chronico: *Treugæ*, *vel inducia belli inter Regem Ludouicum*, *& Hugonem Principem*, *vſque ad Synodi tempus*, *Othone Rege mediante diſponuntur.* Fulbertus Carnotenſis *epiſt.* 93. *Velim autem ſuadere tibi*, *ſi poſſim*, *ne dimittas propter iram*, *quæ Dei iuſtitiam non operatur*, *quin Epiſcopo tuo treugam des.* Alias exterorum ſcriptorum authoritates congerunt Lindembrogius *in gloſſario*, *verbo Treuga*, Voſſius *vbi ſuprà.* Hac voce barbara vſi fuerunt Alexander III. *in præſenti*, Nicolaus Primus *in epiſt. ad omnes Epiſcopos*, & Imperator Federicus *de pace conſtantiæ*, accipiendo treugam pro inducia; & ab hac voce *Treuga*, poſteriores Græci turbam dixere. Codinus *de officiis domus*, *cap.*14. §.12. & Galli treuiam appellarunt. Carnotenſis *epiſt.* 90. ibi: *Quia treuia Dei non eſt communi lege ſancita.* Itali tregam dicunt. Lindembrogius *vbi ſuprà*, & nos vulgari Hiſpaniſmo treguam vocamus, *l.*1. *tit.*12. *partit.*7. *Tregua es vn aſſeguramiento que ſe dan los fijos de algo entreſi vnos à otros*, *deſpues que ſon deſafiados*, *que no ſe fagan mal en los cuerpos*, *ni en los aueres*, *quanto la tregua durare*: *è ha lugar la tregua mientras la diſcordia*, *è enemiſtad dura entre los omes.* Et *l.*41. *ſtyli*, *l.* 1. *tit.*8. *lib.* 4. *ordin. l.* 1. *tit.*9. *lib.*8. *recopil.* licèt huius vocis aliam etymologiam adducat Couarru. *in theſaur. verb. Treuga.*

13. PAX QVATENVS DIFFERAT A TREVGA.

Pax dicta eſt à pactione, per quam ſecuritas vtrique populo datur, *l.*1.§.1. *ff. de pactis.* Gellius *lib.*1. *noctium*, *cap.* 25. Feſtus Pompeius *verb. Pacem*; pax enim pactionibus fit, vt probaui *in cap.*1. *de pactis*: Magnum autem diſcrimen verſatur inter treugam, & pacem, quod ex vtriuſque diffinitione maximè colligitur: treuga enim eſt ſecuritas præſtita perſonis diſcordiâ nondum finitâ; pax verò eſt ſecuritas rebus, & perſonis præſtita diſcordiæ finem imponens: & ita pax dicitur diſcordiæ finis *in cap. nouit*, *de iudiciis.* Vnde fit, vt treuga importet ſecuritatem ad tempus, pax verò in perpetuum. Plutarchus *de bello Peloponnenſi*, ibi: *Pacem*, *fœduſque petierunt*, *inducias in triginta annos impetrarunt.* Gloſſa *dict. cap. ſignificauit.* Hoſtienſis & Gothofredus *in præſenti*, Felinus *num.*6. Iaſo *in l. cùm proponis*, *num.*6. *Cod. de pactis:* licèt Marcus Varro relatus ab Aulo Gellio *lib.* 1. *noctium*, *cap.* 25. confundat pacem cum induciis. Gellius ita ait: Duobus modis M. Varro in libro humanarum, qui eſt de bello, & pace, inducias

quid

quid sit, diffinit: *Inducia*, inquit, *sunt pax castrensis paucorum dierum.* Item alio in loco: *Inducia*, inquit, *sunt belli feria.* Sed lepidè magis, atque iucundè breuis vtraque definitio, quàm plena, aut proba esse videtur. Nam nec pax est inducia; bellum enim manet, sed pugna cessat. Similiter sensit Donatus *ad Terentium in Eunucho, actu* 1. *scena* 1. ibi: *Inducia sunt pax in paucos dies, vel quòd in diebus dentur, vel quòd in dies ocium præbeant.* Aliquando tamen legimus treugas, seu inducias vsque ad centum annos fuisse protractas, vt refert Liuius *lib.* 7. *de Vrbe: Veientibus inducia centum annorum præscribuntur.* Et aliquando pax pro treugis, seu induciis ponitur, *cap. illi* 25. 24. *quæst.* 3. Virgilius *lib.* 11. *Æneid.* Plura de pace Besold. *tom.* 3. *politic. dissert. de pace, pacisque iure.*

14. TREVGÆ DVPLICES SVNT.

Deinde præmittendum est, treugam, & pacem, de quibus in præsenti, in duplici esse differentia; alia enim est legalis, seu canonica; alia conuentionalis. Legalis est statuta à lege, seu canone certis temporibus, de quibus *in hoc cap.* 1. & iuribus suprà citatis: conuentionalis est, quæ mutuo partium consensu inducitur, *cap. nouit, de iudiciis, l. postliminium* 19. §. 1. *ff. de captiuis.* Eam inire possunt Principes, cùm ad ipsius maiestatem ius belli, pacisque inundæ spectat, *l.* 3. *ff. ad leg. Iuliam Maiest. l. vnica, Cod. vt armorum vsus.* Arnisæus *de Maiestate, cap.* 5. *de potest. armorum.* Inducias verò, seu treugas, Duces belli contrahunt virtute mandati specialis Principis, aut Senatus, vt latè contra Duarenum defendunt Gentilis *lib.* 2. *de iure belli, cap.* 10. Arnoldus Vinius *de pactis, cap.* 2. *num.* 5. & tunc non solùm ipsi, verùm & Senatus obseruare eas tenentur; aliæ verò minores potestates, bellumque gerentes, pacem pacisci, aut de bello transigere nequaquam possunt, argumento textus *in l. mandata* 60. *ff. de procurator. l. Lucius* 46. §. *fin. ff. de administrat. tutor.* quippe dumtaxat creditur commissum bellum gerere. Belli autem gerendi pars non est bellum finire, vt rectè ratiocinatur Grotius *dict. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 7. Valentia *tom.* 1. *illustr. tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 14. Vinius *dict. tract. de pact. cap.* 2. *num.* 5. post Bartolum, Duarenum, & alios *in l. conuentio, num.* 5. *ff. de pactis.* At inducias dare his, nempe, quos oppugnant, aut obsessos tenent, & quantùm ad se, suasque copias attinet, suadere aliqua necessitate, veluti cadauerum sepeliendorum causâ, rectè possunt, iuxta ipsum Grotium *num.* 8. Vinium, & Valentiam *suprà*, Bobadillam *lib.* 3. *polit. cap.* 13. *num.* 19. non autem possunt longas inducias concedere, vt contra Accursium, & Bartolum optimè sentit Duarenus *vbi suprà.* In hoc genere conuentionum distant pacta inducierum, aut pacis, à fœderibus, nam pacta circa inducias, aut pacem fiunt postquam bellum est publicatum; fœdera autem ex tribus causis fiunt. Prima cùm à victoribus victis dicuntur: secunda cùm pares bello in amicitiam deueniunt: tertia cùm illi, qui antea inter se hostes non fuerant, ineunt inter se fœdus, *l. non dubito* 7. *ff. de captiuis*; quæ tamen inter se, non tam formâ (quippe quæ ferè in facto conuentionum consistit,) quàm occasione, seu causa impulsiua differre videntur. Plura de his conuentionibus pacis, fœderis, & treugarum causâ factis, adducunt de iure belli agentes Ayala *lib.* 1. *de iure belli, cap.* 7. *per totum*, Hugo Grotius *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 15. & *lib.* 3. *cap.* 20. Petrus Herodius *lib.* 3. *Pandect. titul.* 5. *de pact. public. cap.* 1. 2. & 3. Brissonius *lib.* 4. *de formulis*, Siluius Clarus *de legibus, pag.* 378. Kochier *lib.* 2. *thesaur. pol. capit.* 11. & 12. Onosander. *in Strateg. lib.* 3. *cap.* 4. Alb. Gentilis *de iure belli cap.* 13. Bernegerus *in Tacitum, quæstion.* 201. Forsterus *ad ipsum, pag.* 48. Cuiacius *lib.* 11. *obs. cap.* 23. Desider. Heradus contra Salmasium *libr.* 1. *cap.* 3. *numer.* 13. & *cap.* 4. *per totum*, Palmisotus *in suo arbitro*, Arnoldus Vinius *de pactis cap.* 2. Petrus Faber *lib.* 1. *semestr. cap.* 7. Madera *animaduers. cap.* 8. Iacobus Gothofred. *eod. tract. cap.* 2. Gibalinus *de vsufructu cap.* 16. & 17. D. Iosephus de Retes *lib.* 6. *opusc. cap.* 4. *numer.* 3.

15. TREVGÆ SERVANDÆ SVNT.

Rursus sciendum est, inducias, seu treugas semel initas, esse seruandas ab vtroque populo, ex iure naturali, & gentium, *cap. noli existimare* 23. *quæst.* 1. *Fides*, ait ibi Diuus Augustinus, *quando promittitur, etiam hosti seruanda est.* Quintil. *declam.* 343. *Fides supremum rerum humanarum vinculum est; sacra fides inter hostes.* Cicer. *lib.* 8. *de offic. sub finem*, pluribus Attilij Reguli factum, cuius meminit lex *postliminium* 5. §. *fin. ff. de captiuis*, extollens: *Est*, inquit, *ius bellicum, fidesque iurisiurandi cum hoste seruanda.* Et paulò inferiùs: *Fœderibus etiam cum hoste deuinciur fides.* Cui consentiunt plura, quæ ex Sancto Ambrosio, Silio Italio, Xenophonte, Pausania, Socrate, & aliis accuratè congerunt Hugo Grotius *lib.* 3. *de iure belli, cap.* 19. Petrus Fab. *lib.* 1. *semestr. cap.* 7. Couar. *in* 4. 2. *part. cap.* 3. §. 4. *numer.* 13. & alij, quos refert Solorzan. *de iur. Indiar. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 50. & conuenit de iure nostro Regio lex 19. *titul.* 26. lex vltima, *tit.* 29. *part.* 2. lex 2. *tit.* 16. *partit.* 7. lex 1. *tit.* 8. *lib.* 9. *recopil.* licèt enim dolo fallere hostem, laudabile sit, & ipse dolus bonus dicatur, *l.* 1. §. *non fuit* 3. *ff. de dolo*, quò & referenda est lex *nihil interest* 26. *ff. de captiuis*; id tamen ita admittendum est, si fides data non fallatur, aut iura violentur, vt probant Osualdus *ad Donel. lib.* 15. *comment. cap.* 40. *littera C.* Arnold. Vinius *de pact. cap.* 3. & confirmat ius nostrum Septem-partitum *in l.* 2. *titul.* 16. *part.* 7. Nec interest, quod conuentio pacis causâ facta nuda sit, quia pacta publica non indigent fomento verborum, *l. conuentionum* 5. *ff. de pactis*, Iaso *in l. iuris* 7. §. *sed cùm nulla, ff. de pactis:* nec callidâ, aut malitiosâ interpretatione paciscentes frustrari debent, vt ille apud Ciceron. *lib.* 1. *de officiis*, qui post pactum inducierum pro 30. diebus, nocte depopulabatur agros, eam versutiæ, & solertiæ suæ causam reddens, quòd dierum essent pactæ, non noctium induciæ. Nihil igitur innouari debet securitate pendente, neque quoad res, nec quoad personas, vt docent fusè Gentilis *lib.* 2. *de iure belli, cap.* 13. Grotius *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 26. & *lib.* 3. *cap.* 21. Si enim in re priuata graue est fidem fallere, *l.* 1. *ff. de constit. pecun. cap. noli* 23. *quæst.* 1. *cap. innocens* 22. *quæst.* 4. quantò magis in fide publicè data in ipsis induciis. Hanc fidei seruandæ constantiam variis exemplis probat Kochier *libr.* 2. *thesauri, cap.* 12. quibus addenda sunt alia adducta à Valerio Maximo

Maximo *lib.1. cap.1.* Horatio *lib.3. carmin. od. 5.* Seneca *de prouidentia epist. 99.* Gellio *lib.6. noctium, cap.4.* & si quis ausu temerario inducias, seu treugas rumpere, seu violare præsumpserit, variis pœnis punitur secundùm diuersitatem nationum. Apud Romanos enim, qui pacem, aut inducias frangebat, hostibus dedebatur: qua de causa Brutulus Papius Samnis Romanis deditus fuit, vt testis est Liuius *lib.9.* & ex eo referunt Valentia *lib. 1. illustr. tract. 3. cap. 6.* Grotius *lib. 2. de iure belli, cap. 21. num. 4.* D. Iosephus de Retes *lib. 6. opusculor. cap. 1. numer. 7.* apud Longobardos triginta solidis mulctabatur, *l. 2. tit 24. legum Longobardor.* quæ pœna apud eos vulgò *fredum* dicitur, ideſt violatæ pacis pœna, vt explicant Bignonius *ad Marculf. lib.1. cap. 3.* Lindembrogius *in glossario, verb. Fredum,* Vossius *de vitiis sermonum lib.2. cap.7.* Iure Hispano pœna frangentis treugam, est si persona humilis sit, mors ignominiosa, vt aleuosia, & amissio dimidij patrimonij; si nobilis est, vt possit reptari, *l. 2. titul. 12. partit. 7. l. 1. tit.8. lib. 4. ordin. l.1. titul. 9. lib.8. recopil.* Docent Gregorius Lopez *in dict. l.1. partit.* Perez *in dict. l.1. ordin.* Paz *in l.41.styli.* Iure etiam nostro canonico ita pacem frangentes excommunicandi sunt, ex nostro textu, & similibus.

16. FIDEM FRANGENTI AN FIDES SERVANDA.

Antea tamen quàm hinc abeamus, examinanda est illa celebris quæstio, vtrum videlicet frangenti pacem, & violanti treugam, fides pactionis seruanda sit, an statim pax, seu inducie dissoluantur? Et frangenti fidem, fidem non esse seruandam, docuerunt Baldus *in l. cùm proponas, Cod. de pactis, num. 1.* Decius ibi, *numer. 7.* Alexander *num. 3.* Iaso *num. 6.* Abbas *in præsenti, numer. 3.* Glossa *in cap. cùm inter R. de election.* Bellamera *hîc, num. 1.* & alij innumeri, quos referunt Didacus Perez *in dict. l. 1.* Iulius Clarus *lib. 5. sententiar. §. fin. quæst. 47. numer. 6.* qui pro sua sententia expendunt textum *in dict. l. cùm proponas, l. si conuenerit, ff. pro socio, cap. peruenit 3. de iureiur.* Contrariam tamen sententiam, videlicet treugam conuentionalem ex vna parte violatam, ab alia esse seruandam, docet Felinus *in cap. peruenit, num. 2. de iureiurand.* plures congesti in additionibus Abbatis ibi, *littera A*, Paz *in dict. l.41. styli, numer. 17.* qui adducunt pro sua sententia textum *in cap. fin. 11. quæst. 3.* & eam rationem, nam treuga conuentionalis sapit naturam contractus nominati: sed contractus nominati ea est natura, vt altera parte non adimplente, non exinde rescindatur contractus, sed tantùm altera pars agat ad implementum, *l. venditi actio, Cod. de actionibus empti:* igitur similiter treuga rupta ab vna parte, ipsa violari non debet, sed altera pars ad eius implementum agere. Deinde nam in his conuentionibus, quæ tendunt circa factum, tacita illa inest conditio, si ex altera parte adimpleatur, argumento textus *in cap. potuit, de locato, l. quæro, §. inter, ff. eod titul.* & in hoc casu docet Grotius *lib. 3. de iure belli, cap. 19. num. 19. & 20.* igitur conditione non adimpletâ ab vna parte, alia non tenetur adimplere. Alij mediam sequuntur sententiam, & discrimen constituunt inter pacem, & inducias; & asserunt, ruptâ pace ab vna parte, aliam non teneri eam seruare; violatis verò induciis, aliam partem teneri eas obseruare. Rationem discriminis ex eo petunt, videlicet quia induciæ, cùm sint temporales, aduenientе earum tempore, poterit pars offensa & læsa vindictam sumere, vt contingit in iudice temporali, qui durante officio non conuenitur; quia finito tempore conueniri valet, *l. pars litterarum, ff. de iudic. l. principali 6. Cod. si certum petat.* pax verò perpetua est: vnde cùm non sit spes vltionis, nisi pace ruptâ, ideo violata ab vna parte, ab alia non est seruanda. Sed omissis his sententiis, alia distinctio adhibenda est inter eum casum, in quo induciæ initæ violantur facto priuato, aut facto publico. Primo casu induciæ non dissoluuntur; secundo verò rumpuntur, & statim absque noua belli indictione arma sumi possunt, vt docent Grotius *lib.3. de iure belli, cap.21. num.11. & 13.* dicemus *in cap. peruenit 3. de iureiur.* quæ distinctio iure nostro Hispano probatur *ex dict. l.41. styli*, quam latè explicat Paz ibi, *num.18.*

17. TRADITVR RATIO DECLINANDI.

Quibus præmissis apparet ratio præsentis decisionis, quæ ex eo prouenit; nam cùm tempora in hoc textu præscripta feriata sint, propter eorum sacratiora mysteria, & in quibus homines ieiunio, & orationi vacare debent, quare in his diebus ab omni forensi controuersia vacare iubetur *in cap. conquestos 5. de feriis*; & similiter à benedictionibus nuptiarum cessandum est, *cap. capellanus, eod. tit.* ideo in præsenti Concilio, & aliis suprà citatis statutum fuit, vt diebus præscriptis treugæ seruentur, nec liceat bellum indictum, aut iam cœptum exercere. Accedit pro huius rationis illustratione exemplum Iudæorum, & Gentilium, apud quos diebus suis feriatis, sacrificiisque dicatis fas non erat pugnare, aut in bello dimicare, vt ex Iudæis refert Xiphilinus; & ex Romanis Diocasius *cap.37.* & de Græcis narrat Cretensis *lib.4. de bello Troiano*, in festo Apollinis Trimbeij inter Troianos, & Græcos requiem pugnandi per treugam fuisse interpositam, vtroque exercitu sacrificiis insistente, vtrefert Theophilus Raynaud. *tomo 17. tract. de reli gioso loricato, appod. nona.* Rectè ergo in præsenti statuitur, vt tempore Aduentus, Septuagesimæ, & Paschæ treugæ obseruentur, vt fideles his diebus ieiuniis, & orationibus vacent. Sed cùm ad legis valorem desideretur, vt à subditis recipiatur, *cap. in istis, §. lege, distinct. 4. authentic. quibus modis natural. §. fin.* & hæc Concilij Lateranensis constitutio non sit vsu recepta, vt testantur Innocentius, & omnes ferè repetentes in præsenti, Couarru. *lib. 2. variar. cap 16. num. 6.* Valentia, Pasqualigus, Layman, & alij relati à Leandro *de obseruat. dierum festor. disp.4.* Becanus *in opusculo de bello, cap.25. quæst.17.* Molina *de iustit. disput. 111.* Barbosa *in præsenti, num.9.* ideo non obseruatur, nec in vsu est præsens Concilij constitutio.

18. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec obstat prima difficultas suprà adducta, cui vt satisfaciant repetentes hîc, & Suarez *de relig. lib. 2. cap. 28. num. 8.* plures relati à Ricciulo *lib. 6. lucubrationum, cap. 26.* accipiunt præsentem decisionem de bello iusto, vel iniusto, quando non adest vlla pugnandi necessitas, à quibus non multùm differt Baronius *anno 1034. num.6. & 7.* Sed hac, & aliis omissis sententiis, Cironius *in paratit. ad hunc titul.* nouam interpretationem præbet asserendo, textum nostrum,

&

& Patres in eo non agere de bello publico iusto, aut iniusto; sed de duello ad priuatas contentiones diffiniendas. Supponit doctus vir, apud Longobardos valde in vsu fuisse discordias priuatorum ferro, & duello diffinire, *l.1. tit. 9. legum Longobard.* Vnde PP. Concilij Later. in præsenti inhibendo, ne certis temporibus liceat dimicare, tantùm prohibuere duellum offerre, vel oblatum suscipere; & sic de duello, non de bello sunt exaudiendi. Pro sua sententia adducit Cironius Concilium Suessionense 2. *can.7. &* 8. compilatum à Patre Sirmundo inter capitularia Caroli, *pag.90.* & textum *in cap. placita 5. quæst.4.* vbi iubetur, ne Dominicis diebus, & temporibus in præsenti textu præscriptis placita, & iudicia priuata exerceantur. Etiam coniecturam suæ sententiæ deducit ex eo, quod in Concilio Lateranensi, vbi reperitur præsens textus, *can.* 21. in canone 20. antecedenti, relato *in cap. vnico, de torneamentis*, agebatur de istis duellis; & cùm statim canone sequenti inhibeant certis temporibus militare, accipiendi sunt de prædictis duellis, non verò de bello publicè indicto. Sed hæc perdocti viri solutio sustineri nequit; nam Ecclesia nunquam expressè permisit duellum, seu monomachiam, tam feriatis, quàm non feriatis temporibus; imò repetitis canonibus illud prohibuit, vt latè probauimus *in cap.1. de cler. pugn. in duello.* Sed si præsens canon acciperetur de duello, sequeretur aliis temporibus vltra præscripta in præsenti canone, duellum permitti: ergo nullo modo in præsenti agitur de duello. Hac igitur sententiâ omissâ, verius dicendum est, iuxta suprà tradita, in præsenti agi de bellis priuatis, quæ olim nec legibus probata erant, nec omninò improbata reperiebantur, vt iam probaui, & docuit Petrus Marcha *lib.4. concord. Sacerd. & Imp. cap.14.* à quibus bellorum iniuriis abstinendum esse diebus in præsenti canone relatis PP. Concilij Lateran. statuerunt.

19. DISSOLVITVR SECVNDA DIFFICVLTAS.

Nec obstat secunda difficultas, quia certum est, Ecclesiam posse in laicos etiam animaduertere, vt rupta pacis fœdera reformentur, *cap. nouit 13. de iudiciis*, ibi: *Præcipuè cùm contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis.* Et *cap. sicut 29. de iureiur. cap. super 26. §. cùm autem, de verb. significat. cap. ad Apostolica 2. de re iudicata, in Sexto:* plura Theophilus *tom.17. de religioso loricato, in princip.* Cùm enim Ecclesia iurisdictionem etiam temporalem habeat in ordine ad finem supernaturalem, *cap. nouit, de iudiciis, cap. per venerabilem, qui filij sunt legitimi*, plura Balboa & Vega *in dict. cap. nouit*; & maximè ad prædictum finem assequendum pax conducat, siquidem honestatem affert, Dei, ac Regum gratiam conciliat, superbiam excludit, auaritiam repellit, charitatem auget, & omnium animos ad præcepta diuina excipienda excitat, aliosque plures effectus operatur, quos congerunt Baldus *in extrauaganti de pace Constantiæ*, Petrus Gregor. *in proœmio Decretalium*; vnde pacis causâ plura in iure nostro permittuntur, quæ aliàs vetantur, vt iuramentum, quod die Dominico præstari non potest, die Dominico ob pacem licitè adhibetur, *c. de feriis*; pactum, quod in beneficiis ecclesiasticis damnatur, pacis causâ admittitur, *cap. nisi, de præbend. cap. fin. de rer. permutat.* Iustè ergo Ecclesiæ Patres possunt aduersùs pacis violatores procedere. Docet Zypeus *in hiatu Cassani obstruct. lib.2. cap.1. & lib.3. cap.2.*

20. EXPONITVR CAP. SIGNIFICAVIT, DE IVDÆIS.

Primò superiori assertioni opponitur textus *in cap. significauit, de Iudæis, & Sarracenis, versic. vltim.* vbi cùm agatur de eo, qui iurauit se non delaturum merces ad Sarracenos, nisi pace inter ipsos & Christianos initâ, quæsitum fuit, vtrum treugarum tempore possit absque periurij reatu merces deferre ad Sarracenos? Et R. P. respondet, ipsum in excommunicationem & periurium incidere deferendo merces prohibitas. Ex quo decreto ita insurgo: Si treugarum tempore pugnandum non esset, vt in præsenti textu docetur, liceret inter ipsos populos, inter quos treugæ statutæ sunt, negotiari, & merces ab vno in alium exportare: sed non licet, vt ex illo textu constat: igitur quia adhuc treugarum tempore securitas non datur, nec quiescere licet ab strepitu armorum. Cui difficultati satisfaciendum est ex suprà traditis *numero* 4. nam cùm magna sit differentia inter treugam, & pacem, siquidem treuga tantùm præstat securitatem ad tempus; pax verò in perpetuum; ideo qui iurauit se non delaturum merces ad hostes, nisi pace data, non potest deferre eas tempore treugæ; quia etsi treuga non sit pax, tamen pro tempore, quo durat, securitatem præstat, vt pro eius textus interpretatione docuerunt ibi Ioannes Andreas, & Hostiensis. Nauarrus *notabili 1. num.4.*

21. EXPLICATVR CAN. 3 CONCILII ARELAT. 1.

Secundò præsenti assertioni obstat textus difficilis, & parum notus *in can. 3. Concilij Arelatens. primi*, in illis verbis: *De his, qui arma proiiciunt in pace, placuit abstinere eos à communione.* Vbi Patres expressè statuunt, adhuc tempore pacis arma non esse proiicienda sub excommunicationis pœna: igitur adhuc pace initâ, & factâ dimicandum est. Pro huius canonis vera expositione sciendum est, fidelibus christianis in bello iusto militare licitum esse, *cap. noli, cap. quid culpatur 4. cap. militare 5. 23. quæstion. 5.* pluribus sanctorum Patrum testimoniis probant Becanus *de bello, quæst. 3.* Victoria *in relect. de iure belli*, Bellarminus *tomo 1. controu. lib.3. de laicis, cap.4.* Gentilis *de iure belli lib.1. cap. 5.* Grotius *eod. tractat. lib.1. cap.2.* Cenedus *ad Decretum, collectanea 59.* Marquez *in Gubern. Christ. lib. 2. cap. 35.* Martinez de Prado *tom. 1. Theolog. Moral. cap. 15. quæst. 3.* Ioannes Dartis *in cap. 1. quæst.10.* Iustelus *ad can. Eccles. vniuers. fol. 148.* Quare primis Ecclesiæ temporibus adhuc sub Imperatoribus Gentilibus & apostatis Christiani militiæ nomen dabant. D. Ambrosius relatus *in cap. Iulianus 94. 11. quæst.3.* Constat ex Eusebio *lib. 5. cap.5.* Tertulliano *in apolog. cap. 42. & de corona militis cap. 1.* & militaris iuramenti à Christianis militibus præstari soliti, meminit Vegetius *lib. 2. de re milit.* eiusque formulam refert his verbis: *Iurant per Deum Christum, & sanctum Spiritum, & per Maiestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est, & colenda.* Aliqui tamen ex fidelibus, persecutionibus cessantibus, paceque Ecclesiæ datâ temporibus Constantini existimabant, non licere arma sumere, & militare. Tertullianus *de corona milit. cap.11. Christianum salua Religione militare non posse existimauit.* Refert Baronius *anno 201. numer.17. & anno 246. num. 4.* Quare vt adhuc pace Ecclesiæ redditâ, Christiani non desererent militiam, nec abducerentur à castris, PP. statuerunt *in dict. can.3.* tempore pacis Ecclesiæ fideles non debere proiicere arma, & deserere militiam, quam illæsa fide conseruare poterant: verbum

bum enim illud, *pace*, non est referendum ad pacem initam inter hostes, seu populos dimicantes; sed ad pacem Ecclesiæ datam per Principes Christianos, cessantibus iam persequutionum procellis, vt accipitur apud Cyprianum *epist.* 10. ibi: *Quando ipsa mater nostra Ecclesia pacem de misericordia Domini prior sumpserit.* Et de lapsis, ibi: *Disciplinam pax longa corruperat.* Vnde sensus prædicti canonis est, adhuc post pacem Ecclesiæ datam ab Imperatoribus Christianis, eo prætextu fideles non debere arma proiicere. Ita prædictum canonem accipiunt Albaspineus *in notis ad ipsum*, Grotius *lib.* 1. *de iure belli, cap.* 12. *in fin.*

Tertiò opponitur textus *in cap. quod non est licitum* 4. *de regul. iur.* vbi docetur, Machabæos ex præcepto diuino Sabbathum teneri seruare, & ipsos licitè pugnasse in ipso Sabbatho: igitur his diebus, quibus orationi, & Dei cultui vacandum est, treugæ non obseruantur, sed dimicare licet. Pro huius textus interpretatione sciendum est, Machabæos, vtpote diem Sabbathi custodientes, non pugnasse in ipso die, vnde aliquando plurimi ab Essenis occisi fuerunt; quia putabant pollui Sabbathum ex pugna, *lib.* 1. *Machabæor. cap.* 1. *vers.* 32. ibi: *Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt aduersus eos prælium in die Sabbathorum.* Et *vers.* 34. ibi: *Dixerunt, non exibimus, nec faciemus verbum Regis, vt polluamus diem Sabbathorum.* Et *vers.* 38. *Et intulerunt illi bellum Sabbathis, & mortui sunt ipsi, & vxores eorum, & filij eorum.* Sed cùm postea cogitassent, & cognouissent bellum esse defensiuum, & necessitatem extremam vrgere, decreuerunt pugnare etiam die Sabbathi. Ita *vers.* 41. *Et cogitauerunt in die illa dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus aduersùs eum, & non moriamur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.* Quod cùm fecissent, necessitate extrema vrgente, non peccarunt; quia necessitas facit licitum, quod aliàs est illicitum, *cap. consilium, de obseruat. ieiunior. cap. si propter, de furtis, cap. exiuit, vers. Nec quidquam, de verb. signif. in* 6. D. Bernardus *lib. de præcepto & dispensat.* Necessitas non habet legem: Dionysius Halicarnasseus *lib.* 6. *in oration. Agrip.* Necessitati vel Dij coguntur cedere. Vnde in huius textus expositione ait D. Thomas: Non fuit ibi violatio Sabbathi, nec dispensatio, sed omnimoda eius obseruatio; quia licitum & iustum est, etiam Sabbatho fieri charitatis officia; & isti mouebantur charitate, & zelo legis. Ipsum sequitur Redanus *in dict. cap.* 2. *vers.* 41. *num.* 122. & plura de hoc Machabæorum facto adducunt Abulensis *in Exodum, cap.* 20. *quæst.* 35. *ad* 5. *pag.* 340. Tirinus *tom.* 2. *in Exod. cap.* 35. *pag.* 42. Ferrarius & Gaspar Sanchez *in dict. cap.* 2. *Machabæorum*, Cornelius *in Deuteronomium, cap.* 5. *vers.* 14. Eusebius *in lib. stromatum sacræ Scriptur. strom.* 10. *cap.* 13. *pag.* 263. Valentia *tomo* 3. *controuers. quæst.* 16. *quæsito* 5. Mathias Felix *in elucid. Decalogi, cap.* 1. *pag.* 333. Leander *de obseruat. festor. disp.* 4. *quæstion.* 39.

22. INTELLIGITVR CAP. QVOD NON EST, DE REG. IVR.

Etiam opponi potest supradictæ assertioni textus *in can.* 12. *Concilij Nicæni*, ibi: *Quicumque vocati per gratiam primùm quidem ardorem, fidemque suam ostenderunt, & cingulum militiæ deposuerunt, postea verò vt canes ad suum vomitum reuersi sunt, ita vt aliqui & pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent; hi decem annis iaceant post triennij auditionis tempus.* Ex quibus deduci videtur, Christianis post fidem susceptam non licere illo tempore militiæ nomen dare: igitur nec temporibus in præsenti textu designatis, neque aliis licet Christianis pugnare. Huic difficultati vt satisfaciamus, omissis aliis eiusdem canonis difficultatibus, quibus satisfaciunt Balsamon, Zonaras, & Iustelus *ibi*; sciendum est, milites, de quibus in eo canone, Licinij temporibus militiæ nomen dantes, vt cingulum acciperent, Diis sacrificasse, aliàs militiâ exui. Eusebius *de Licinio*, ibi: *Milites militiâ exuebat, nisi Diis sacrificare vellent.* Sulpitius Seuerus: *Sanè tum Licinius, qui aduersùs Constantium de Imperio certauit, milites suos litare præceperat, abnuentes militiâ eiiciebat.* Etiam iuramentum, seu sacramentum militare præstabant per ipsos Deos Gentilium. Vnde magna idololatriæ, & apostasiæ occasio in milita Christiano aderat: quare his, qui semel conscientiâ puncti, cingulum abiecerant, reditus ad militiam non patebat, nisi per fidei Christianæ abnegationem; vnde plurimi his temporibus, & sub Diacletiano, aliisque Ethnicis Imperatoribus militiam abiecerunt, & martyrium sustinuerunt, ne idolis sacrificarent: & sic Christianis absolutè prohibitum non est militiæ nomen dare, sed tantùm militare cum idololatria, vt illis temporibus contingebat. Ita illum textum accipiunt, & interpretantur Albaspineus in eius notis, Grotius *de iure belli lib.* 1. *cap.* 2. *numer.* 9. Dartis *in* 51. *dist.* Christ. Lupus *ad eundem can.*

23. EXPONITVR CAN. 12. CONCILII NICÆNI.

CAPVT II.

[a] Idem *in eodem.*

[b] INnouamus autem, vt Presbyteri, Monachi, [c] conuersi, [d] peregrini, [e] mercatores, [f] rustici, euntes, & redeuntes, & in [g] agricultura existentes, & [h] animalia, quibus arant, & quæ semina portant ad agrum, congruâ securitate lætentur: [i] nec quisquam alicubi nouas pedagiorum exactiones, sine consensu, & authoritate Regum, & Principum statuere aliquo modo præsumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non destiterit, donec satisfaciat, communione careat christianâ.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *cap.* 2. & *in Panormia lib.* 8. *cap.* 197. id eſt Alexander III. in eodem Concilio Lateranenſi, vbi *cap.* 22. verba huius textus reperiuntur.

2. b *Innouamus.*] Rectè, nam ferè per eadem verba idem conſtituerat Innocentius II. in Synodo Romana, *can.* 9. & Eugenius III. in Concilio Rhemenſi, *can.* 11. & alij, quorum teſtimonia infrà dabimus.

3. c *Conuerſi.*] Tempore Concilij Lateranenſis conuerſi erant in monaſteriis, qui curæ domeſticæ vacabant, quos hodie dicimus *Legos*, qui cùm ad ſacros ordines non aſcenderent, tantùm ad vitam monaſticam conuertebantur. Concilium Aurelian. 1. *can.* 13. *Monachus in Monaſterio conuerſus.* Turon. 2. *can.* 16. *Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint.* Plura de his conuerſis Hæphtenus *diſquiſit. monaſt. in vita S. Benedicti lib.* 3. *tract.* 1. *diſquiſit.* 8. Durantius *quæſt.* 6. Gibalinus *de clauſura, diſquiſit.* 3. *cap.* 2. *num.* 42. Bignonius *ad Marculfum lib.* 2. 38. *cap.* Primarius noſter D. Ioannes Parexa *in cap. in præſentia, num.* 6. *de probationibus*, vbi & nos nonnulla dabimus.

4. d *Peregrini.*] Qui limina Apoſtolorum, Compoſtellam, vel alia ſimilia loca adeunt, qui inter miſerabiles perſonas enumerantur, vt latè probat Velaſco *tomo* 3. *de priuileg. pauper. quæſt.* 14. Vnde ab Eccleſia defenduntur, *cap. Romipetas* 23. *cap. illi* 24. *quæſt.* 3. & iudicem proprium habent, *l.* 2. §. *eſt aliquod, ff. de origin. iur. l.* 32. *tit.* 2. *partit.* 6. plura dicemus *in cap. vnico, de clericis peregrinantibus.*

5. e *Mercatores.*] Qui etiam inter miſerabiles perſonas enumerantur. Straccha *de mercator. part.* 1. *num.* 38. Martha *de iuriſdiction. part.* 2. *cap.* 21. *numer.* 5. Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 3. *ordin.* Carraſco *de caſibus Curiæ, num.* 59. Velaſcus *vbi ſuprà, quæſt.* 14. *num.* 9.

6. f *Ruſtici.*] Qui prædia ruſtica habitant, à quibus dicuntur ruſticani, *l.* 1. *Cod. ne ruſticani:* ruſtica mancipia, *l.* 25. §. *teſtator, ff. de alimentis:* ruſtica familia *l.* 65. *ff. de legat.* 2. *l.* 12. §. *Trebatius, ff. de inſtruct. vel inſtrument.* qui priuilegiis miſerabilium perſonarum fruuntur. Velaſcus *de priuilegiis pauperum, tom.* 3. *quæſtion.* 13.

7. g *Agricultura.*] Quam magnæ æſtimationis apud veteres fuiſſe conſtat ex traditis à Carolo Sigonio *de antiquo iure Rom. lib.* 6. *cap.* 6. Alexand. ab Alexandr. *lib.* 3. *dierum genial. cap.* 11. Plinio *lib.* 19. *natural. hiſtor. cap.* 1. 2. & 3. & aliis relatis ab Adamo Contzen. *lib.* 8. *polit. cap.* 11. Conrad. Ereſvak. *in dialo. de re ruſtica, lib.* 1. *à princip.* Chopin. *de priuileg. ruſtic. lib.* 1. *per totum*, Tiraquel. *de nobilit. cap.* 32. Alfonſo de Herrera *in prolog. ad opus ſuum de agricult.* Philippo Camerar. *horar. ſucceſſ. centuria* 1. *cap.* 5. Turnebo *lib.* 27. *aduerſ. cap.* 16. P. Gregorio *lib.* 4. *de republic. cap.* 8. Solorzano *tomo* 2. *de iure Ind. lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 14. Borrel. *tomo* 2. *deciſ. titul.* 32. *numer.* 40. Quare Ægyptij quaſi rem ſacram agriculturam colebant, & inde poſt ſacerdotes agricolas magnis honoribus proſequebantur, vt probat Marcus Antonius Petilius *in Exarchis, lib.* 6. *cap.* 16. *per totum:* & ideo agricolis ſemper ob agriculturæ ſtudium, vtilitatemque varia conceſſa ſunt priuilegia, cùm ex eius conſeruatione publicæ vtilitatis fauor conſideretur, *l. quicumque* 7. ibi: *Vt id conſenſu omnium fiat, quod omnibus profuturum eſt*; & *l. qui agros* 8. ibi: *Ad priuatum pariter, publicumque compendium excolere*; *Cod. de omni agro, lib.* 11. *l.* 2. *de nundinis.* Plura de agriculturæ laudibus congerunt Alexander ab Alexand. *lib.* 3. *dier. genialium, cap.* 11. vbi plura Tiraquellus: idem *de nobilitat. cap.* 32. Chaſſaneus *in catalogo gloriæ, part.* 11. *conſiderat.* 37. Pettus Gregorius *lib.* 18. *ſyntagm. cap.* 23. Lipſius *centur.* 1. *miſcel. epiſtol.* 11. Bobadilla *lib.* 3. *politicæ, cap.* 3. *num.* 61. & *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 1. Camerarius *vbi ſuprà*, Parladorius *in ſeſquicent. different.* 79. §. 1. Collantes *in fauorem rei frumentariæ, per tres libros:* Ignatius de el Villar *in ſylua reſponſor. cap.* 16. *per totum.* Narbona *in* 3. *recopil. ad legem* 25. *tit.* 41. *lib.* 4. *recopil.* Chopinus *de priuilegiis ruſticor.* Velaſco *vbi ſuprà, tomo* 3. *quæſt.* 13.

8. h *Animalia.*] Videlicet boues aratorij, & alia ruſtica ad agriculturam deſtinata, quæ vlla ex cauſa ab executoribus in cauſam pignoris capi non poſſunt ſub capitali pœna, ex conſtitutione Conſtantini, ſi credimus Breuiario Alarici *in l.* 1. *Cod. Theodoſ. de pignorib.* aut ſub arbitraria pœna, vt ſtatuitur *in l. executores, Cod. quæ res pignori, l.* 3. *titul.* 27. *partit.* 3. *l.* 43. *titul.* 4. *lib.* 3. *recopil.* nec ex partium conuentione pignori dari poſſunt, *l. pignorum* 3. *Cod. quæ res pignor. nouella* 7. *Iuſtin.* nec illata in prædio vrbano tacitè obligata cenſentur, *l.* 4. *tit.* 13. *part.* 5. etſi alia bona deficiant, vt exprimitur *in l.* 5. & 6. *titul.* 17. *lib.* 5. *recopil.* ne inſtrumentis ſublatis agricultura turbetur, & tributorum illatio retardetur, *dict. l. executores, iuncta authent. executores, Cod. quæ res pignor.* explicant poſt claſſicos in his locis, & relatos ab Oſualdo ad Donellum *lib.* 17. *cap.* 3. *littera P.* Cuiacius *ad titul. Cod. quæ res pignori*, & *lib.* 4. *obſeruationum cap.* 20. Gothofredus *in dict. l.* 1. *Cod. Theodoſ.* Donellus *de pignorib. cap.* 8. Balduin. *eod. tract. cap.* 12. Gilbertus Regius *lib.* 2. *Enantioph. capit.* 20. Petrus Gregorius *lib.* 22. *ſyntagm. cap.* 9. *num.* 10. Rodriguez *de execution. cap.* 5. *num.* 62. Azeuedus *in l.* 7. *titul.* 11. *lib.* 4. *recopil.* Gutierrez *lib.* 4. *practic. quæſt.* 12. *num.* 10. Collantes, Narbona, & Pichardus *vbi ſuprà*, Camillus Borellus, & plures ex practicis relatis à Velaſco *quæſtion.* 13. *num.* 36. Ob eandem rationem alia etiam ſpecialiter ſunt conſtituta in fauorem agricolarum, veluti ab eodem Conſtantino ſtatutum legitur, vt ad vſum equorum curſualium, quos hodie *poſtas* dicimus, ne boues aratorij (addo & mulas) & cætera animalia aratoria, etiam deficientibus his, qui curſui publico deſtinati ſunt, agricolis abſtrahantur, *l.* 1. *Cod. Thodoſ. de curſu public. iuncta l.* 2. *Cod. ne ruſticani, lib.* 11. notat Cuiacius *lib.* 4. *obſeruat. cap.* 20. & apud Athenienſes expreſsâ lege cautum erat, ne etiam ſacrificij cauſâ boues mactarentur. Ælianus *variæ hiſtor. lib.* 9. *cap.* 14. ita ait: *Bouem aratorem, qui iugum trahit, vel cum aratro, vel cum plauſtro, ne mactes; quoniam ille etiam agricola eſt, & humano generi laborum ſocius.* Ex eo, & aliis tradit Samuel petitus *ad ius Atticum lib.* 5. *titul.* 2. illucque reſpexit Ouidius *lib. Faſtorum.*

A boue succincti cultros remouete ministri;
Bos arat, ignauum sacrificate suem.

Et *lib.*15. *Metamor.* Festus Pomp. *verbo Panibus:* illustrat Fornerius *lib.*1. *rerum quotid. cap.*28. Et apud Hebræos *Exodi cap.*22. & à Iustiniano in legibus Georgicis, rei rusticæ furta propriis, & grauioribus pœnis punita fuisse, probat Petrus Gregorius *dict. lib.*37. *cap.*4. & apud nos furta huiusmodi restituuntur, *con once doblado*, vt statutum est *in l.*5. *tit.* 17. *lib.*5. *recopil.* & occidentem bouem pœnâ capitali puniri tradunt Marcus Varro *lib.*2. *cap.*5. *A boue antiqui manus ita abstineri voluerunt, vt capitis sanxerint pœnam in eos, qui illum occidissent.* Plinius *lib.*9. *natur. hist. cap.*45. ibi: *Tantæ apud priores curæ, vt sit inter exempla damnatus à Populo Romano die dicta, qui occiderat bouem.* Quæ autem dicantur rustica animalia, exponunt Borellus *in summa, tit.*32. *num.*444. Collantes *dict. lib.*1. *cap.*4.

i *Nec quisquam.*] Hanc partem exponemus *in cap. innouamus, de censibus.*

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

IN hoc textu agitur de pace in bello priuato, iuxta tradita proximo commentario: sed iuxta communem reperentium placitum ex hoc Concilij Lateranensis canone talis deducitur assertio: *Presbyteri, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, & rustici plenâ gaudent securitate tempore belli.* Probant Nicolaus Papa primus in epistola ad omnes Episcopos: *Tempore pacis, seu treugæ nulla nocumenta aratoribus, vel peregrinis inferantur.* Concilium Rom. sub Innocent. II. *canone* 9. Rhemense sub Eugenio III. *can.* 11. *Præcipimus quoque, vt presbyteri, clerici, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, euntes, & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia, cum quibus arant, & oues omni tempore sint securi. Si quis autem hoc nostrum statutum violare præsumpserit, Episcopus, in cuius parochia fuerit, omni tepiditate sepositâ canonicam de ipso iustitiam faciat.* Referunt hunc canonem Baronius *tom.*3. *anno* 1148. Manrique *tomo* 2. *annal. Cisterc. in prædicto anno, cap.* 4. *cap. reprehensibilis* 23. *quæstion.*8. *cap. si quis Romipetas, cap. paternarum* 24. *quæstion.* 3. Concil. Lateran. 1. sub Calixto II. *Paternarum traditionum exemplis commoniti pastoralis officij debitum persoluentes Ecclesias cum bonis suis, tam personis, quàm possessionibus, clericos videlicet, ac monachos, eorumque conuersos, aratores quoque cum suis nihilominus rebus, quas ferunt, tutos, & sine molestia esse statuimus.* Lateran. sub Alexand. III. *cap. vlt.* Claromontanum sub Vrbano II. apud Ordericum Vitalem *lib.* 9. Lateran. sub Paschali II. vbi post ipsum Concilium Guillelmus II. Episcopus Auxitanus ita pacem ex mandato Sedis Apostolicæ publicauit: *Omni tempore perpetuâ pace, & securitate gaudebunt canonici, monachi, presbyteri, clerici, omnesque religiosæ personæ, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes, & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia, quibus arant, domini cum sociis suis in omnibus, & omnes fœminæ, & omnes res religiosorum & clericorum, vbicunque sint.* Refert Citonius *in notis ad caput* 1. *hoc titulo, in* 5. *compil.* Nec quisquam miretur eandem sanctionem iisdem verbis toties repetitam; nam insolens non est, easdem constitutiones iisdem prope verbis inculcatas reperire, vt apparet *ex l.* 1. *de authoritate præstanda, l. nec tutores, Cod. de contrahenda stipulat. l. ex conuentione* 11. *Cod. de pactis, l.* 1. *Cod. sine censu, vel reliquiis, l. si de vi* 37. *ff. de iudiciis, l. qui cœtu* 5. §. 1. *ff. ad legem Iul. de vi public. l. legem* 10. *Cod. de pactis, l.* 1. *Cod. de pactis conuentis.* Notauit Fornerius *lib.* 1. *rerum quotid. cap.*17. Consonant de iure Regio lex 71. *titul.* 6. *partit.* 1. lex 1. *titul.* 24. *ead. partit.* lex 4. *titul.* 16. *part.*2. lex 2. *titul.* 24. *lib.* 1. *fori*, lex 1. *titul.* 9. *lib.* 1. *ordin.* lex 1. *titul.* 12. *lib.* 1. *recopil.* lex 41. *titul.* 6. *lib.* 3. lex 25. *titul.* 13. *lib.* 8. Illustrant vltra congestos à Barbos. *in præsenti*, Gregorius Lopez *in dictis legibus partit.* Didacus Perez *in dict. l. ordin.* Albericus Gentilis *lib.* 2. *de iure belli, cap.* 22. Grotius *eod. tract. lib.* 3. *cap.* 11. Cironius *ad titul. de voto, in cap.* 1. *hoc tit. in* 5. *compil.* Antonius Augustinus *in epit. lib.* 18. *titul.*8. Camerarius *hor. succesiiu. cent.*1. *cap.*5. Bobadilla *lib.*1. *politicæ, cap.*13. *num.*96. Velascus *de priuileg. pauper.*3. *part. quæst.*13. *&* 15. Cabreros *de metu lib.*2. *cap.*23. *num.*30. P. Gregor. *lib.* 18. *syntagm. cap.*5. *num.*2. Delbene *de immunit. tomo* 1. *cap.*2. *dubitat.*7.

10. IMPVGNATVR PRÆSENS ASSERTIO.

Sed aduersùs hanc assertionem ita insurgi valet. Aut hæc decisio procedit in securitate ab hostibus præstanda; & tunc certum est, à iure gentium (quod alij ius naturale secundarium appellant) prouenire, vt capti ab hostibus in bello iusto efficiantur capientium, nullo discrimine personarum adhibito, vtrum videlicet sint mercatores, an peregrini, an agricolæ, an personæ Deo dicatæ, *l. ex hoc* 5. *ff. de iustitia, & iure, l. hostes* 24. *ff. de verb. signif. l.*3. §. 1. *ff. eod. tit.* §. 2. *Inst. de iure personar.* §. *si ab hostibus, Inst. quibus modis soluitur patria potest.* vbi Institutarij Vinius, Mancius & alij, & post eos perdoctus D. Iosephus de Retes *lib.* 6. *opusc. cap.* 8. *num.*1. Igitur clerici, & aliæ personæ enumeratæ in hoc canone, tempore belli non gaudent plena libertate. Similiter ex eodem iure prouenit, capta ab hostibus statim nostra fieri, *l.*1. §.1. *ff. de adquir. possess.* Nec interest animalia sint, *l.* 2. §.2. *ff. de captiuis*, an bona immobilia, *l.*1. §. *insula, ff. de fluminibus, l. in agris* 22. *ff. de adquirend. rer. dominio, l.* 1. §. *insula, ff. de flumin.* Donel. *lib.*4. *comment. cap.*2. subtilissimus noster primarius D. Melchior de Valentia *tom.*1. *illustr. tract.*2. *cap.*5. Osualdus *lib.*8. *comment. Donelli, cap.*11. *littera F.* Faber *lib.* 10. *coniectur. cap.*11. Connanus *lib.*3. *comment. cap.*3. Ayala *de iure, & officiis belli, lib.*1. *cap.* 5. *num.* 88. Grotius *lib.* 3. *eod. tract. cap.*9. *num.*3. Cuiac. *lib.*26. *obseruat. cap.*2. Menchaca *lib.*1. *illustr. cap.*9. Lessius *de iustit. lib.*2. *cap.*4. *&* 5. etiam loca religiosa, & Diis dicata, *l. cùm loca* 36. *ff. de religios.* igitur animalia, & alia bona rusticorum, Presbyterorum, & similium iure gentium capientium fiunt. Aut loquitur noster textus de securitate præstanda à propriis, & tunc non rectè consulitur patriæ, si in eius communi periculo, quod tempore belli datur, in tranquillitate, & pace, ac securitate, etsi sint presbyteri, monachi, mercatores, aut rustici, degant, vt aiunt pulchrè ad rem Sidonius *lib.* 3. *epist.*9. ibi: (videtur loqui cum patribus nostri Concilij) *Parum in commune consulitis, & cùm in concilio conuenitis, non tam curæ est publicis mederi periculis, quam priuatis studere fortunis.* Plinius *lib.*7. *epist.*18. *Oportet priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre, multoque diligentiùs muneri*

suo

ſuo conſulere, quàm facultatibus. Latè illuſtrabimus Deo volente *in cap. 2. de immunitate Eccleſiar.* Ergo nec quoad patriam, nec quoad hoſtes iuri & rationi congruit, vt perſonæ & res in hoc textu enumeratæ tempore belli plenâ ſecuritate lætentur.

11. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Adhuc vt rationi, & omni iuri conſona defenſanda eſt præſens aſſertio, quæ poteſt interpretari vel de ſecuritate ab hoſtibus præſtanda, vel de immunitate à propriis, & ipſa patria concedenda. Quoad ſecuritatem ab hoſtibus præſtandam, ratio deciſionis ex eo prouenit; nam ius belli tantùm exercendum eſt in eos, qui arma ſumunt. Liuius *lib.* 28. ibi: *Iure belli in armatos, pugnanteſque vtendum eſt.* Ioſephus *lib.* 12. *antiquitat. cap.* 3. ait: *Æquum eſſe, vt in pugna pœnas dent, qui arma ceperunt: inſontibus non nocendum.* Igitur clerici, & aliæ perſonæ in hoc textu recenſitæ, quæ ab exercitio armorum arcentur, *cap. fin. de cleric. coniug.* plenâ ſecuritate gaudere debent, nec in eos iure belli irrui licet; quod obſeruatum inuenio apud varias gentes. Philiſthæi enim cùm contra Iudæos dimicabant, neutiquam nocebant collegio Prophetarum, vt legitur *lib.* 1. *Samuel. cap.* 10. *verſ.* 5. & 10. & *c.* 19. *verſ.* 18. & apud Ieremiam *cap. vlt. verſ.* 16. legitur Nabizardum ducem Nabuchodonoſor debellaſſe Regem Iuda, tantumque agricolas, & vinitores in pace reliquiſſe. De Cretenſibus narrat Plutarchus, quod cùm bellis inteſtinis colliderentur, omni noxa in ſacerdotes abſtinuerunt. Seruius *ad Virgil. lib.* 7. *Æneïdos*, ibi: *Nam eum defendebat ab illo, ſi non ætas, ſaltem religio ſacerdotis.* De Græcis referunt Diodorus Siculus in excerptis Perreſianis. Strabo *lib.* 8. narrat olim tota Græcia armis feruente Eleos tanquam Ioui ſacros, in alta pace vixiſſe. Gothos laudat Procopius *lib.* 2. *de bello Gothico*, quia Romam ingredientes ſacerdotibus D. Petri, & Pauli pepercerant. Ob eandem rationem monachi, mercatores, & peregrini ſecuritatem etiam obtinuerunt. De Indis etiam Diodorus Siculus *lib.* 1. *Bibliothec.* refert: *Ita in præliis quidem hoſtes alij alios interficiunt; agricolas relinquunt intactos, tanquam in commune vtiles.* De Corinthiis, & Megarenſibus refert Plutarchus, quod nemo agricolas vllo afficiebat malo; & Cyrus Rex Aſſyriorum apud Xenophontem *de Cyri inſtit. cap.* 5. aiebat, ſe paratum eſſe eos, qui agros colerent, illæſos, indemneſque ſinere. De celebri illo Beliſario duce refert Suidas *verbo Beliſarius*, quod agricolis ita parcebat, vt eo duce nulli eorum vis illata fuerit, & de prouidentia, quâ in agricultores vtebatur, hæc refert Procopius *lib.* 3. *de bello Gothico*: *Erga agricultores, agreſteſque homines tanta hic indulgentiâ, ac prouidentiâ vtebatur, vt Beliſario ductante exercitum nullam hi vim paterentur, ſed inſperatò potiùs opulenti, & diuites reddebantur, vt qui crebrò aduentantibus copiis maiori omnia in victum pretio venditarent. Segetes inſuper, dum in agris matureſcerent, diligentiùs tuebatur, ne fortè equorum greges eas deuorarent: arborumque maturos fructus, frugeſque cæteras inuitis dominis ſuos attingere prohibebat.* Rectè ergo PP. Concilij Lateranenſis ſtatuerunt, tempore belli plenâ ſecuritate gaudere debere ſupra relatas perſonas; nam eorum vita ab armorum ſtrepitu aliena eſt, & iniuſtè ab hoſtibus læderentur; & ſi arbores ipſæ frugiferæ cædi vetantur in bello, qui frugiferi plus quàm relatæ perſonæ conſiderari valent, vt argumentatur Bodinus *lib.* 2. *de Monolatr.*

Si præſentem deciſionem accipias (vt ſentio, accipioque) de ſecuritate præſtanda à propriis, magna cum ratione PP. in præſenti decreuerunt, perſonas ſuprà enumeratas tempore belli plenâ debere frui ſecuritate; nam Preſbyteri, clerici, monachi, peregrini immunes ſunt à gabellis, indictionibus, & ſuperindictionibus, vt Deo annuente latè dicemus *in cap. non minus, cap. aduerſus, de immunit. Eccleſiar.* igitur & à tributis, muneribuſque militiæ occaſione iniunctis debent eſſe immunes. Quoad mercatores etiam, & agricolas notum eſt, pluribus priuilegiis iuuari, vt referunt Renatus Chopinus *de priuilegiis ruſtic.* Straccha *de mercatura, part.* 1. *num.* 38. Collantes, & alij ſuprà in notis laudati; publicè enim intereſt eſſe in Repub. qui agros colant, & mercaturam exerceant. Vnde ſinendi non ſunt agriculturam deſerere, & militiæ nomen dare. Caſſiodorus *lib.* 12. *var. epiſt.* 5. *Arripiant ferrum, ſed vnde agros excolant; ſumant cuſpides, boum ſtimulos, non furoris.* Quare tempore belli non ſolùm noua tributa imponi illis non debent, verùm & ſi qua antiqua vectigalia pendebant, ſoluere non tenentur. Mirè ad rem Cicero pro lege Manil. ibi: *Cùm hoſtium copiæ non longiùs abſint, etiamſi irruptio nulla facta ſit, tamen pecora relinquuntur, agricolturæ deſeruntur, mercatorum nauigatio conquieſcit; ita neque ex portu, nec ex decimis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt.* Rectè ergo in noſtro textu illis ſecuritas conceditur belli tempore, vt ſic ſua exercitia non deſerant, & Reſpublica magnoperè lædatur. Proſequitur Gentilis *dict. lib.* 2. *de iure belli, cap.* 12.

12. PROSEQVITVR EADEM RATIO.

Nec tunc aduerſatur dubitandi ratio ſuprà adducta; nam licèt verum ſit, captos in bello iuſto ſeruos fieri capientium, & ab hoſtibus capta ſtatim iure gentium noſtra fieri, ex iuribus ſuprà adductis, cum quibus in hac parte obſeruandi ſunt textus *in l. ſi pactionem* 44. §. 2. *ff. de bonis libertorum, l. penult.* §. *vlt. ff. de donation.* iuncto Fornerio *lib.* 4. *rerum quotidian. cap.* 12. *l. ſeruus* 16. *ff. de interrogation.* iuncto Præceptore D. Ioſepho de Retes *lib.* 6. *opuſc. cap.* 10. *num.* 7. *l.* 1. *Cod. de re militari, lib.* 12. adhibito ipſo *dict. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 8. *l. ſi cùm quis* 41. §. *vlt. ff. de furtis, l.* 4. *ff. de ſepulchro violato, l. vlt. ff. de legation.* iuncto ipſo D. Ioſepho de Retes *dict. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 8. *l.* 1. *Cod. de gladiatoribus, lib.* 11. *l. Diuus* 31. *ff. de iure fiſci*, iuncto Oſualdo *ad Donel. lib.* 4. *cap.* 21. *littera F. l. Lucius* 11. *ff. de euiction.* iunctis Amaya *lib.* 1. *obſeru. cap.* 1. & *ad l. vnde, Cod. de fundis limitrophis*, Merillo *lib.* 1. *obſeruat. cap.* 6. *l. ſi fundus* 33. *ff. locati*, iuncto Merillo *lib.* 1. *variantium ex Cuiac. cap.* 26. & *dict. lib.* 2. *obſeru. cap.* 6. *l. item* 15. §. *item ſi fortè, ff. de R. V.* iunctis Amaya *vbi ſuprà*, Emanuele Suarez *lib.* 1. *obſeru. cap.* 2. Hunnio *ad Treutlerum vol.* 1. *diſp.* 6. *quæſt.* 8. *l. item* 22. §. *fin. ff. famil. erciſc. l.* 1. §. *ſi pater* 12. *ff. ad Syllanian.* iuncto Santaloria *interpret.* 11. *l. iuſto* 44. §. *etſi poſſeſſionis, ff. de vſucapionib.* iuncto Pinello *lib.* 2. *ſelectar. cap.* 3. *num.* 39. illud tamen procedit, cùm bellum geritur inter infideles, non verò ſi inter chriſtianos; nam tunc nulla ſeruitus inter eos datur: quare licèt ruſtici, mercatores, aut peregrini ab hoſtibus capiantur, ſerui non fiunt: res verò eorum capientibus non adquiruntur, quia plenam ſecuritatem ex hoc textu, & ſimilibus obtinent. Nec alia pars dubitandi rationis aduerſatur; nam in ea adducta procedunt, cùm ob priuatam cauſam publica negligitur; non verò cùm ob publicam

13. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

alia æquè publica, & forsan maior insuper habetur, vt in nostro textu, in quo ratio religionis in clericis, & monachis; ratio publicæ vtilitaris in rusticis, & mercatoribus facit, vt illis concedatur tempore belli plena securitas.

14. EXPONITVR CAP. PERVENIT DE IMMVNIT. ECCLES.

Sed superiori assertioni opponitur textus *in cap. peruenit, de immunit. Ecclesiar.* vbi proponitur, tempore belli teneri omnes indistinctè ad custodiam murorum ciuitatis, siue clerici, siue monachi sint: igitur tempore belli prædictæ personæ non gaudent plena securitate. Pro huius difficultatis expositione sciendum est, quod licèt verum sit, ecclesiasticas personas tempore belli plenâ securitate gaudere, nec teneri ad omnia realia, & personalia; tamen cùm adest necessitas, & bonum commune versatur, poterunt compelli militantibus adesse, & vigilare, ac custodire ipsam ciuitatem obsessam; quia tunc obsidionis tempore imminet commune periculum, vt docent Menchaca *lib.1. vsufr. cap.6.* Auiles *in capitulis Prætorum, verb. Den orden.* Diana *tomo 1. tract.2.resol.76.* Gibalinus *de irregular. cap. 4. fol. 255.* Germonius *lib.3. sacror. cap.12. num.22.* Delbene *de immunit. tomo 2. cap.9. dubitat. 2.* quo casu accipiendus est textus *in dict. cap. peruenit*, vt in eius commentario latè dicemus.

TITVLVS XXXV.

De pactis.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] Carthaginensi.

ANtigonius Episcopus [b] Maduren. [c] dixit: Grauem iniuriam patior, & credo dolere sanctitatem vestram contumeliam meam, & computare communem iniuriam. Optantius cùm se repræsentaret, pactum mecum habuit, & diuisimus plebes. Manuscriptiones nostræ tenentur [d] epitacia. Contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & vsurpat populos, vt illum patrem, me vitricum nominent. Gratus Episcopus dixit: Factum hoc dolendum est, vt in se alliciat populorum imperitorum animas, contra disciplinam, & contra euangelicam traditionem, contra pacis placita. Nam si ibi id posse contingere arbitraretur, nunquam profectò in fratrem aliquis deliquisset. Vnde aut inita pacta suam obtineant firmitatem, [d] aut [f] conuentus, si se non cohibuerit, ecclesiasticam sentiat disciplinam. Vniuersi dixerunt: Pax seruetur, pacta custodiantur.

NOTÆ.

1. a *Carthaginensi.*] Vulgò legitur *Africano*, sed non rectè; legendum enim est *Carthaginensi*, *can.* 12. vt notauit Anton. Augustin. *in notis ad cap. 1. hoc tit. in 1. collect.* Concilium hoc Carthaginense primum appellatum, non quia alia antea celebrata non fuissent in Prouincia Cathaginensi, sed quia aliis deperditis, illorum, quæ extarent, hoc primum, antiquissimumque erat, celebratum fuit Carthagine sub Iulio Primo Pontif. anno 348. in eo schismaticis Episcopis deturbatis, & populis ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem compaginatis, Gratus Episcopus Carthaginensis varia partibus proposuit circa vnitatem, & pacem Ecclesiæ. In eo fuerunt quatuordecim canones sanciti, quorum duodecimus refertur in præsenti, & in prima collectione, *sub hoc tit. cap.1. & tomo 1. Conciliorum.* Referunt huius Concilij historiam Baronius *tomo 3. anno* 348. Corjolanus *in Breuiario, eod. anno.*

2. b *Maduren.*] in aliis codicibus legitur *Matirensis*, in aliis *Marcinensis*; sed credo legendum esse *Marsulensis.* Marsula enim Ecclesia est in prouincia Proconsulari Africæ. Legi etiam potest *Madaurensis*, quia Madaurus ciuitas etiam est in eadem prouincia, vt tradit Carolus à sancto Paulo *in chronograph. sacr.*

c *Dixit.*] Eadem forma actorum in consistorio Imperatorum legitur *in l.5. & 8. C. Theodos. de fide instrum. l. proximè, ff. de his, quæ in testament. l. penult. de authorit. tut. l. 1. Cod. de veteraneis, lib. 12. l. creditor, ff. ad legem Iul. de vi priu. l. extat, ff. de eo quod metus, l. 1. Cod. de sentent. passis, l.2. Cod. de excusation. mun. lib.10.* quod notarunt Pancir. *lib.1. var. cap.38.* Gutherus *de officiis domus lib.1. cap.24.* Vallesius *in notis ad Marcel. pag.* 171. facit lex *nec honore, Cod. de Episc. & Cleric.* 3.

d *Epitacia.*] Antonius Augustin. *in notis ad hunc text.* legit *Pittacia.* Pittacium autem, siue Pyctacium, est panni frustulum; & per similitudinem frustulum aliquod membranaceum, aut chartaceum, vbi aliquid scribitur. Zacharias Pontifex *epist. 142. ad Bonifacium*, ibi: *Continebant enim capitula in pyctacio ab eis proposito.* Strabo *in fin. rerum Vuetinselium*, ibi: *Emendare dignamini quidquid in hoc pyctatio censura vestra aptum deliberabit.* Lampridius *in vita Alexandri Seueri.* Vnde inter munera Ecclesiæ Constantinopolit. à Curopolat. recensetur Protonotarius, cuius munus ita describit: *Protonotarius ostium est, & aditus ad Exocatacelos, præsitque* 4.

que pittaciis conficiendis. In quem locum notauit Grethserus *cap.* 6. ex aliis docent Rosvueidus *in Onomastico, ad vitas PP. verb. Pyctacium.* Gaspar Barthius *lib.* 12. *aduersarior. cap.* 1. pyctacium dictum est à verbo Græco πύτ|χειν, cuius reperitur mentio *in cap. si quis Papa*, 79. *distinct. cap. pyctacium*, 30. *quæst.* 3. *l. susceptorum* 10. *l. actuarij* 16. *Cod. Theodos. de erogation. militar. annon. l. expleto* 16. *Cod. Iustin. eod. tit. l. parère, Cod. de sentent. ex periculo:* & instrumentum, in quo recensebantur species annonariæ militibus erogandæ, dicitur pyctacium *in l.* 11. *Cod. Theodos. de erogat. milit. annon. l.* 13. *&* 16. *eodem, l.* 29. *Cod. de petit. & vltrò datis.*

5. e *Aut.*] Hæc alternatiua non supponit, pactum non esse obseruandum, sed tantùm comminationem continet, vt si pacta non custodiantur, ad eorum obseruationem à iudice compellantur, vt iam notauit Lælius Mancinus *lib.* 1. *genial. cap.* 60.

6. f *Conuentus.*] Etsi in finibus statuendis diœcesibus in omnibus prouinciis Legislatores ecclesiastici curauerint certos limites statuere; tamen plerumque eandem partitionem Episcopi conuentionibus firmabant, vt ex hoc textu notat Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monacho, capit.* 70.

COMMENTARIVM.

7. EX PACTO NVDO AN DETVR ACTIO. EX hoc textu, præcipuè ex illis verbis: *Pax seruetur, pacta custodiantur*, deducunt communiter Interpretes, *Ex pacto nudo iure canonico actionem dari, & ipsam nudam conuentionem non solùm exceptionem, verùm & efficacem actionem producere.* Ita docent Baldus, Butrius, Hostiensi, Zabarella *in præsenti*, Antonius Gomez *lib.* 2. *variar. cap.* 9. *num.* 2. Madera *animaduers. cap.* 9. Azeuedus *in l.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *recopil.* Gregor. Lopez *in l.* 3. *verb. Qualquier, tit.* 16. *cap.* 5. Gutierrez *de iurament. part.* 1. *cap.* 34. plures alij relati à Cenedo *collectan.* 31. *ad Decretales, num.* 5. Didacus Perez *in l.* 3. *tit.* 8. *lib.* 3. *ordinam.* Bocerus *tit.* 1. *class.* 2. *disputat.* 1. Socinus *regul.* 8. Canisius *in præsenti*, Cironius *ad hunc tit.* Arnold. Vinius *de pactis cap.* 7. Cabreros *lib.* 2. *de metu, cap.* 11. *num.* 21. Besoldus *in delibat. iuris*, & *lib.* 2. *Pandect. tit. de pactis*, Castillo *de alimentis, cap.* 22. Ioannes Paulus Nellus *in additionibus ad ipsum, cap.* 17. Pro quorum communi sententia primò facit textus præsens in illis verbis: *Conuentus pacta custodiantur.* Vbi generaliter iubetur, conuentiones, & pacta custodiri. Secundò facit textus *in cap. qualiter* 3. *hoc tit.* in illis verbis: *Studiosè agendum est, vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Igitur nuda etiam promissio adimplenda est. Tertiò facit ea consideratio, nam ius nostrum canonicum inter simplicem loquelam, & iuramentum nullum agnoscit discrimen, *cap. iuramenti* 12. 22. *quæst.* 5. *cap. peruenit, de fideiuss or.* Grotius *de iure belli lib.* 2. *cap.* 13. sed ex pacto nudo, iuramento accedente, nascitur actio, *cap. cùm contingat*, 28. *de iureiur. cap. licèt, eod. tit. in* 6. *cap. quamuis, de pactis, eod. lib.* Gutierrez *vbi suprà*, Barbos. *lib.* 3. *vot.* 76. igitur & ex pacto nudo nascitur actio. Quartò fulcitur hæc *sententia ex cap.* 1. *de iudiciis*, vbi Quodvultdeus ob nudam promissionem comparendi in iudicio cogitur comparere: igitur quia iure canonico pactum nudum efficax est ad producendam actionem. Quintò firmatur dicta sententia, quia ius canonicum semper æquum, & bonum amplectitur, *cap. dilecti, de iudiciis:* sed nihil æquitati magis consentaneum est, quàm pacta seruari, *l.* 1. *ff. de pactis, l.* 1. *ff. de constit. pecun.* & graue peccatum est fidem fallere; siquidem, vt ait Quintilianus *lib.* 2. *instit. cap.* 29. *Supremum rerum humanarum vinculum est.* Vnde ius canonicum, quod principaliter respicit forum animæ, & iustitiam internam, *cap. nouit* 13. *de iudiciis, cap. finali, de præscript.* debet pacta etiam nuda efficaciter approbare: igitur pactum etiam nudum iure canonico actionem producit. Adstruitur sextò ex textu *in cap.* 1. *de probation.* vbi pacta nuda inita inter Imperatorem, & Regem Gothorum, obseruari iubentur à Gregorio Magno: igitur quia pactum nudum, iure Pontificio inspecto, efficax est, & producit actionem. Tandem idem suadetur *ex cap. ex rescripto, de iureiur. cap. cùm inter R. de electione, cap. quicumque 66.* 12. *quæst.* 2. *cap. quia Ioannes* 12. *quæst.* 5. *cap. indicante, de testamentis.* qui expenduntur pro dicta sententia à suis sectatoribus.

8. NEGATIVA SENTENTIA PROBATVR. Sed hac communi sententiâ reiectâ melioris notæ Interpretes docuerunt iamdiu, ex pacto nudo, nec iure ciuili, nec canonico actionem oriri: ita tenuerunt Connanus *lib.* 5. *comment. cap.* 3. *num.* 5. Couar. *in cap. quamuis pactum*, 2. *part.* §. 4. *num.* 12. Morla *in empor. part.* 1. *tit.* 3. *quæst.* 2. Germonius *lib.* 1. *animaduers. cap.* 4. Mendoza *de pactis quæst.* 9. Boëtius Epon. *lib.* 1. *de iure sacro, num.* 109. Fachineus *lib.* 7. *controuers. cap.* 100. Cuiacius *in cap.* 2. *de sponsal.* Faber *in l. ait Prætor*, §. *seruabo, ff. de pactis*, Alciatus *lib.* 5. *paradoxor. cap.* 3. Osualdus *ad Donel. lib.* 12. *comment. cap.* 9. *littera A*, Ferretus *in l. iuris gentium*, §. *igitur nulla, ff. de pactis*, Fab. *in dict. l.* 7. §. *ait Prætor*, Pacius *in dict. l.* 7. §. *sed cùm nulla.* Pro quorum sententia sequentia faciunt. Primò, nam si ex pacto nudo actio efficax iure canonico competeret, iudicis officium ad pacti obseruantiam non esset necessarium, *l. qui per collusionem* 49. §. 1. *ff. de action. empti*: sed vt pactum nudum obseruetur iure canonico, officium iudicis competit, *cap. fin. de foro competenti, lib.* 6. igitur quia ex ipso pacto non nascitur efficax actio. Deinceps, nam à iure ciuili non est recedendum, nisi adsit expressa decisio canonica contrarium statuens, *cap.* 1. *&* 2. *de noui operis nunciatione*; cùm correctio facilè admittenda non sit, *cap. cùm expediat, de electione lib.* 6. sed in iure nostro neutiquam reperitur expressè pactum nudum actionem producere, non obstante iuris ciuilis dispositione: igitur iuri ciuili, quo inspecto ex pacto nudo actio non nascitur, standum est, præcipuè cùm actiones à iure ciuili proficiscantur, *l.* 2. §. *deinde, ff. de origin. iuris*, Institutarij *in rubrica de Actionibus.* Rursus, nam si ex pacto nudo oriretur actio, remedium extraordinarium necessarium non esset, vt pactum obseruaretur. Sed ad pacti nudi obseruantiam denunciatione euangelica, quæ est remedium extraordinarium, vtimur, *ex cap. nouit, de iudiciis*: igitur quia ex pacto nudo actio non nascitur. Facit etiam textus *in cap. si cautio* 4. *de fide instrument.* qui videtur transcriptus *ex l. cùm de indebito* 25. §. *vltim. de probation.* vbi instrumentum factum sine expressione causæ non nocet debitori, nisi creditor debitorem prouocauerit;

uerit: igitur quia ex nuda voluntate efficax actio non nascitur. Facit etiam iuris canonici scopus, qui eò tendit, vt peccata inhibeat, & homines ad vitam perducat spiritualem, *cap. fin. de præscription.* sed peccatum perfidiæ committit, qui placita non seruat. D. Thomas *secunda secundæ quæst.* 110. *art.* 3. Ergo, &c.

9. PACTI ETYMON. In hoc Interpretum dissidio, vt præsentis canonis verum sensum percipi amus, sciendum est, pactum (omisso Accursio *in l.* 1. §. 1. *ff. hoc tit. verb. Pactum*, qui existimauit pactum dictum fuisse à percussione palmarum, motus tum *ex l.* 1. *ff. de censib.* vbi fœdus pacti dicitur: tum ex eo, quod passim obtinuit, vt videlicet qui pascicerentur, mutuò sibi, veluti in symbolum datæ fidei, porrigerent manus: vnde in antiquis nummis in pacis symbolum videntur duæ manus coniunctæ, & inter illas Mercurij caducæum, vt obseruat Orosius *in dict. l.* 1. §. 1.) esse ita appellatum à pactione; vnde etiam pacis nomen originem ducit. Vlpianus *in l.* 1. §. 1. *ff. hoc tit.* Cui consentiunt Festus Pompeius *verbo Pax*, Cassiodor. *in psalmo* 121. iuxta veriorem lectionem, quam retinet Sauarus *ad Sidon. lib.* 9. *epist.* 5. Isidorus *lib.* 8. *orig. cap.* 1. licèt alij existiment, pactum non à pactione, sed à pace dictum fuisse, moti authoritate Isidori relata *in cap. pactum* 11. *de V. S.* Ita docuerunt Connanus *lib.* 5. *comment. cap.* 1. *num.* 8. Orosius *vbi proximè*, Charondas *lib.* 1. *verisim. cap.* 4. Alij, quos refert, & sequitur Mendoza *de pactis lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 1. qui rectè sentiunt, Vlpianum tam pacti, quàm pacis etymon non ex Grammaticorum regulis, sed ex Stoicorum more relato à D. Isidoro *lib.* 10. *etymol. in princ.* deduxisse, pactum & pacem à pactione ducunt; quia pactio antecedit pactum, & pacem; est enim nomen quod propriè dicitur, cùm fit; pactum autem, & pax postquam est factum: quem morem sequutus fuit ipse Vlpian. in tradenda iustitiæ etymologia *in l.* 1. *ff. de iustitia.* Vbi notarunt Concius *lib.* 2. *lection. cap.* 6. Iulius Pacius *in dict. l.* 1. §. 1. Sed si verum amamus, apud Romanos pactum, pax, & pactio à verbo antiquo *paco*, originem ducunt, quod idem valebat ac paciscor, à quo olim non pactionem, sed pacionem dicebant antiqui. Festus verbo *Pax:* & *in ll. XII. Tabul.* legebatur: *Si membrum rupsit, ni cum eo pacit, talio esto*; vt ex Festo *verb. Talionis*, & Gellio *lib.* 20. *noctium*, *cap.* 20. restituit Gothofredus *in quatuor fontibus*, *tab.* 7. & notarunt Reuard. *ad ll.* 12. *Tabul. cap.* 25. Antonius August. *ad easd. ll. cap.* 33. Balduin. *simil. tract. cap.* 61. vel potius, vt vult Connan. *dict. num.* 8. pactum, & pactio originem ducunt à verbo pago, iuxta Ciceron. *in* 2. *ad Herennium: Ex pacto ius, & si quid inter se pepigerunt.* Et *in* 12. *Tabulis*, ex ipsius testimonio, *Rem vbi pagunt, oratione pagunt.* Quæ verba rectiùs restituit Gothofredus suprà *in not. ad tabul.* 1. ita: *Rem vti pacunto, rato pacunto.*

10. PACTI DIFFINITIO. Secundò sciendum est, quod iuxta Vlpian. *in l.* 3. *ff. de pollicit.* pactum est duorum consensus, atque conuentio. Consentit ipse *in l.* 1. §. 2. *ff. hoc tit.* dum ait: *Pactio est duorum, pluriúmve in idem placitum consensus.* Adstipulantur Isidorus *in dict. cap. pactum*, Cicero *lib.* 2. *de inuention.* Exponunt Morla, Mendoza, Butigela, & Arnoldus Vinius *de pactis cap.* 1. Hothoman. *de pactis cap.* 1. Treutler. *selectar. disput. thesi* 1. *volum.* 1. *disp.* 6. Cuiac. Duarenus, & Anton. Fab. *ad titul. ff. de pactis*, Hunnius, & Bachouius *ad Treutl. vbi suprà*, Fornerius *lib.* 5. *rer. quotid. cap.* 14. Quâ diffinitione genericè sumptâ comprehenduntur omnes contractus, conuentionesve; siquidem nullus est contractus à iure approbatus, qui non contineat duorum consensum, *l. si me* 33. *ff. de reb. cred. l.* 1. §. *si stipulanti*, *ff. de V. O.* Vnde pactum, prout genus est, aliquando accipitur pro contractu: sic societas pactum dicitur *in l. duo* 71. *ff. pro socio.* Et pactum arrhale *in l.* 3. *Cod. de action. empti*, pro contractu arrhali, vel arrhabonico. Et *in l. contractus*, *C. desi de instrum.* pactus dicitur, qui emptionem verè contraxit: & *in l. si vnus* 27. §. *pactus* 2. *ff. hoc titul.* pactum asseritur proficere ad nouum contractum, hoc est pactum nouum contractum fieri; quo modo & pactorum appellatione contractus intelliguntur *in l. traditionibus*, *Cod. hoc titul.* & *l. omnium* 3. *ff. de vsufruct.* & pactum pro omni contractu, siue conuentione accepisse Videtur Cicero *in partit. circa fin. Scriptorum*, ait, *priuatum aliud est, publicum aliud: publicum lex, senatusconsultum, fœdus: priuatum tabulæ, pactum, conuentum, stipulatio.* Et author Rhetor. ad Herennium, *lib.* 2. *Ex pacto ius venit, si quid inter se pepigerunt, si quid inter aliquos conuenit.* Consentitque Reuardus *lib.* 2. *variar. cap.* 1. Cuiacius sibi contrarius *lib.* 11. *obseru. cap.* 17. Carondas *dict. lib.* 1. *verisim. cap.* 4. Donel. id exactè disputans contra Duarenum *in rubric. Cod. hoc titul. à num.* 3. Connanus, & Morla *vbi suprà*. Arnold. Vinius *dict. tract. de pactis*, *cap.* 1. *num.* 6. ac profectò etiam *in dict. l.* 1. §. 2. *hoc titul.* fuisse Vlpiani mentem, vt pactum genericè acceptum definiret, suadetur ex subiecta ab eodem Vlpiano conuentionum diuisione *in dict. l.* 1. §. 1. *l. conuentionum* 5. & *l. legitima* 6. *cum sequenti*, *ff. hoc titul.* Si autem in specie accipiatur pactum, tantùm continet eam conuentionem, quæ adhuc nomen sortita non est: quod vt Doctores exponant, pacta diuidunt inter nuda & (confícto vocabulo à barbaris) vestita, à quibus libenter quærerem, cur similiter voluntatem, & alia non diuiserunt inter nuda, & vestita; siquidem nudæ voluntatis mentio fit *in l.* 1. *ff. de testam. milit. l. rem legatam* 28. *ff. de adimend. legatis*; nudi consensus *in l. quod certum*, *ff. locati*; nudæ proprietatis *in l. videamus* 1. *ff. de vsuris*; nudi vsus *in l.* 1. *ff. de vsu*, *& habit.* nudæ possessionis *in l. stipulatio*, §. *si quis*, *de V. O.* nudæ indulgentiæ *in l.* 1. *ff. vnde cognati*; quibus nihil absurdius dici posse notarunt Duaren. *in dict. l. iuris gentium*, §. *igitur*, *ff. de pactis*, Corasius *lib.* 1. *miscel. cap.* 1. Quare commodior diuisio est, quæ pacta diuidit inter legitima, & nuda. Legitima sunt, quæ à iure ciuili approbata inueniuntur, & causam producendæ obligationis habent, & nomen, vt emptio, locatio, & similia, quæ recensere, nimis otiosum est. Nuda verò pacta sunt, quæ tantùm stant in puris terminis conuentionis, nec habent in se negotium aliquod, vt definit Vlpian. *in l. solent*, *ff. de præscriptis verbis*, *dict. l. iuris gentium*, §. *sed cùm nulla.* Quibus nulla subest causa præter conuentionem (iuxta veriorem lectionem,) præsidio legis destituta, quæ placiti fine stant, *l. si tibi* 27. *Cod. locati*; per metaphoram nuda dicta, quia simplicia, & sine iuribus sunt: quo modo Iuuenalis nudam senectutem dixit *satyra* 7.

Tepsichorem odit facunda, & nuda senectus.

Et Horatius veritatem nudam pro simplici.

Incorrupta fides, nudaque veritas.

Pacta enim nuda consensu dicuntur: quo in vsu iuris accipitur nudus consensus, nuda proprietas, nudus

nudus vsus, nuda cogitatio, *l. 1. ff. de rer. permut. l. filius*, §. *Diui*, *ff. de legatis 1. l. 2. ff. quibus modis vsufr. l. nuda*, *ff. de donation. l. 3. ff. de adimendis*, *l. 1.* §. *hanc*, *ff. depositi*, *l. 1. ff. de vsu & habit. l. præsenti*, *Cod. de his, qui ad Ecclesiam:* igitur nudum pactum illud dicitur, quod nec in proprium nomen contractus transit, nec ei accedit aliqua causa. Duæ itaque notæ sunt, quibus nuda pactio distiguitur ab aliis conuentionibus, quæ actionem pariunt. Prima est, quia in suo generali nomine conuentionis stat, neque transit in proprium nomen certi contractus, sicut emptio, & similes conuentiones nominatæ. Secunda nota est, quia causam nullam habet præter conuentionem: hoc est, confirmata non est datione, aut facto vnius ex pacisscentibus, vt actionem producat, sicut euenit in conuentionibus innominatis post implementum: proponunt & exponunt post Bartolum, Fulgosium, & Cuiacium *in d. l. iuris gentium*, idem *lib. 2. obser. c. 15.* Donellus *lib. 12. comment. c. 9.* Brissonius *de V. S. verb. Nuda pactio.* Mantua *de tacitis lib. 1. tit. 6. n. 1.* Madera *animadu. c. 9.* Vinius *de pactis c. 5. & 6.* plerumque dicitur pactum conuentum, *l. si vnus* 27. §. *pactus* 2. §. *pacta* 4. *l. contra* 28. *ff. hoc tit. l. 4. ff. de pignorib. l. pacta* 42. *ff. de contrah. empt.* & aliis congestis à Brissonio *verb. Pactum.* Vnde refellitur Mendoza *lib. 3. de pactis*, *cap. 11. num. 4.* qui existimat, nunquam in iure pactum conuentum accipi pro nudo pacto, sed pro conuentione contractui adiecta, cui consentit Pancirol. *lib. 2. variar. cap. 17.* Nudæ autem pactionis nomen ex reipsa natum est; quoniam simplex, & nuda conuentio est merum placitum, causâ, & nomine nudum: quemadmodum alibi emptiones, & pignora nudo consensu contrahi dicuntur, hoc est, consensu solo, *l. 1.* §. *item emptio*, *ff. de rer. permut. l. prout* 80. *ff. de solution. l. 1 ff. de pignorat. action.* Norant, & exemplis illustrant post Duarenum, Eguinarium, & Pacium *in dict. l. iuris gentium* 7. Corras. *lib. 1. miscellan. cap. 1.* Hothomanus *disp. de pactis*, *cap. 1. num 6.* Morla *lib. 3. de pactis*, *tit. 21.* Merillus *lib. 1. ex Cuiac. cap. 9.* Petrus Gregor. *lib. 21. syntagm. cap. 6.* Marcus Aurel. Galban. *de vsufr. cap. 16.* aliquando tamen latè pactum nudum accipitur pro contractu, vt *in l. traditionibus* 20. *Cod. de pactis*, exposuerunt Donel. & Giphanius, Brissonius *de V. S. verb. Pactum nudum*, Pacius *in d. l. 7.* §. *sed cùm nulla.*

II. PACTVM NVDVM NON PRODVCIT ACTIONEM.

Certum est, pactum nudum, prout expositum manet, iure ciuili nullam actionem producere, ideſt, inefficax est ad agendum: *d. l. iuris gentium 7.* §. *sed cùm nulla*, *l. diuisionis* 45. *ff. de pactis*, *l. legem* 10. *l. in bonæ fidei* 13. *Cod. de pactis*, *l. nuda*, *Cod. de contrah. stipulat. l. si tibi* 27. *Cod. locati*, *l. diuisionem* 15. *Cod. famil. ercisc. l. solent* 15. *ff. præscript. verb. l. 1. ff. de rer. permut. l. ex placito*, *Cod. eod. tit. l. quod si locus* 11. *ff. de religios. l. 1. Cod. de pactis conuentis*, *l. 2. Cod. de exception. nouel. 12. Leonis*, Paulus *lib. 2. sentent. tit. 14. in fine*, latè docent Morla, Mendoza, Madera, Vinius, & Galban. *vbi suprà*, Bronchorst. *cent. 1. assert. 39.* Parlador. *lib. 2. rer. quotid. cap. 3. num. 7.* Donellus *lib. 19. comment. cap. 2.* vbi Osualdus *littera A.* Duaren. *ad titulum de pactis*, *in l. 1.* Cuiac. *lib. 3. quæst. Pauli*, *in l. lecta* 40. *ff. de reb. credit.* & *lib. 10. quæst. Papin. in l. pacta*, *ff. de contrah. empt.* & *lib. 11. quæst. Pap. in l. in omnibus* 41. *ff. de iudiciis:* pulchrè, & hinc explicandus Seneca *lib. 5. de beneficiis*, *cap. 21.* ibi: *Quæ lex ad id præstandum nos, quod promittimus, obligat? Nulla. Queram tamen cum eo, & fidem datam, nec seruatam indignabor.* Non est exaudiendus Seneca, cùm dicit nullam legem obligare nos ad obseruantiam pactorum, de nullo iure, etiam naturali; sed de nulla lege ciuili Romanorum; secundùm quos pacta conuenta, si nuda erant, ex parte debitoris proficiebant ad excipiendum; ex parte verò actoris non producebant actionem, nec efficaciter obligatoria fuerunt; & in hoc sensu à Prætore custodiebantur, vt dicitur *in dict. l. 7.* §. *ait Prator*; recesserunt enim Romani in hac parte à iuris naturalis vinculo, non illud improbantes, sed non approbantes; & relinquentes in sua naturali vi, negatiuè se habendo, non tribuendo eis efficaciam ciuilem, vt docent Fortunius Garcia *in lege 1. ff. de pactis*, *fol. 66.* Madera *lib. 2. animad. cap. 10.* Mendoza *de pactis lib. 3. ep. 9. num. 5.* Connanus *lib. 1. comment. cap. 6. num. 12.* Sed in ratione huius principij assignanda anxiè laborant Interpretes; frequentiori tamen calculo ea recipitur, videlicet, ideo ex pacto nudo actionem non oriri, quia qui pacisscitur in nudo pacto, creditur ex animo non deliberato, & magis ioci & iactantiæ causâ, quàm voluntate se obligandi promittere, argumento textus *in l. sciendum* 19. §. *ea autem*, *ff. de ædilit. edict.* Sed ea refellitur à Morla *dict. quæst. 1. de pactis.* Quare eâ omissâ vera ratio est, quia noluerunt Legislatores, vt tot essent causæ obligandi, ne aliàs nimiâ facilitate homines temerè obligarentur, atque dum effuso sermone se iactant, in sui promptum periculum inciderent; si enim ex omnibus conuentionibus iure & iudicio agere liceret, nullus esset finis, aut modus controuersiarum, & litium, cùm infinitæ sint pactiones, & promissiones, quæ inter homines fiunt: incommodum enim, & graue nimis, veteres existimarunt Reipublicæ futurum, si patrimonia Romanorum, quibus in bello, & pace Respublica sustentabatur, passim sine causa pactionibus minuerentur, atque omnes ciues facilè litibus implicarentur; nihil enim perniciosius Reipublicæ, quàm copiosa litium seges, vt dicemus *in cap. finem*, *de dolo & contum.* Quam rationem illustrant Duaren. *de pactis cap. 1.* & *lib. 2. disput. cap. 8.* Cuiac. *lib. 10. obseru. cap. 30.* & *lib. 20. cap. 14.* idem, & Donel. *in l. 10. Cod. de pactis*, Forcatul. *in neciomant. dial. 69. & 97.* Treutlerus *dict. disp. 6. thes. 1.* Petrus Gregor. *dict. lib. 21. syntagm. cap. 6.* Corras. *lib. 1. miscell. cap. 1.* Pichardus *in* §. *actionum*, *quæst. 27. de actionib.* Faber *in l. 1. ff. hoc tit.* Duarenus *in dict. l. 1. & 7. ff. hoc tit.* alij congesti ab Osualdo *lib. 12. Donel. cap. 9. littera E.*

12. EXCEPTIONES PRÆDICTÆ REGVLÆ.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus ex conuentione, seu pacto nudo actio nascitur. Primus est in pactis legitimis, quæ scilicet cùm sui naturâ nuda essent, & inefficacia, quia causâ, & nomine carebant, postea lege speciali, aut SC. confirmata sunt, vt actionem producerent, *l. legitima 6. ff. de pactis*; quorum exempla varia refert Mendoza *lib. 2. de pactis*, *cap. 20.* sed vt alia omittam, primum reperitur iure veteri in conuentione de futuro matrimonio, siue sponsalibus; quæ quamuis olim per stipulationem celebrari moris esset, postea tamen adeo legibus firmata fuerunt, vt etiam nudâ promissione futurarum nuptiarum promissor efficaciter obligaretur, *l. 2. 3. & 4. ff. de sponsalibus.* Illustrant Cuiac. *ad tit. Cod. de sponsal.* Antonius Hothom. *de ritu nuptiar. in princ.* Franciscus Hothomanus *de Sponsalibus*, *cap. 1.* Duaren. *eod. tract. cap. 1. & 2.* Aliud exemplum extat *in l. quamuis* 8. §. *si cùm essent* 14. *ff. ad Velleian.* iunctis Mendoza *dict. cap. 10. num. 8.* Cuiac. *tract. 4. ad African. in l. tu-*

tor 19. *ff. ad Velleian* , & *lib* 26. *obſeruation. cap.* 27. Hothom. *lib.* 5. *obſeruation. cap.* 23. Prætor etiam pactum de tradendo pignore fouet datâ actione honorariâ , *l. ſi tibi* 17. §. *de pignore, ff. de pact. iuncta l. maior* 13. *Cod. de pignor.* quamuis alioquin pignus non contrahatur niſi traditione rei , *l.* 1. *ff. de O. & A.* §. *creditor* , *Inſtit. quibus modis re contrahitur oblig.* item pollicitatio facta reipublicæ ad honorem , obligatoria eſt , *l.* 1. *& 3. ff. de pollicit.* vel ſi ex pollicitatione opus cœptum eſt , conſummari debet , vt ibidem dicitur. Iuſtinianus etiam *in l. ſi quis argentum* 35. *Cod. de donationibus*, pactum , vel promiſſionem nudam de donando, data actione confirmauit. Alios caſus referunt authores *in l. legitima, Cod. de pactis.* Quare Imperator *in l. nuda, Cod. de contrahenda ſtipul.* expreſsè docuit, non ſemper iura permittere Romanorum , vt ex nuda pollicitatione quis conueniatur : ergo aliquando permiſerunt, vt poſt Accurſium obſeruauit Cuiac. *lib.* 19. *obſeru. cap.* 32. etſi verba illa *non ſemper*, inſipidè Triboniano aſſigner Giphanius *in dict. l.* 5. Sunt etiam iure nouo legitimi pacti exempla. Primum *in l. ad exactionem, Cod. de dotis promiſſ.* iuncto Fabro *lib.* 12. *coniect. cap.* 15. Secundum *in l. etiam , ff. de vſuris.* Alia exceptio eſt , ſi pactum fuerit appoſitum in continenti in aliquo contractu ; quia tunc habetur tanquam pars ipſius contractus , *dict. l. iuris gentium* 7. §. *quinimò* , *ff. de pactis :* quo modo intelliguntur textus *in l. fundi* 29. *ff. de contrah. emption. l.* 4. §. *vlt. ff. de pactis* , *l. ſi ita* 35. §. *Seia* , *ff. de V. O. l. lecta* 40. *ff. de reb. cred. l. venditor* 13. *ff. communia prædior. l. ſi ſterilis* 21. §. *ſi tibi* , *ff. de action. empti* , *l. Publia* 26. §. 1. *ff. depoſiti* , *l. legem* 9. *l. cùm res* 22. *Cod. de donation. l. auia* 6. *Cod. de iure dotium* , *l. hæreditatem* 28. *Cod. de donation.* iuncto noſtri Lycæi communi Præceptore D. Ioſepho de Retes *lib.* 2. *opuſc. ſect.* 4. *cap.* 1. Alia exceptio eſt in nuda promiſſione in iudicio facta ; quo caſu procedit textus *in l. eum, ff. de in ius vocando* , de quo Loriotus *de pactis* , *axiom.* 56. Aliæ etiam exceptiones dantur prædictæ regulæ in pactis in iudicio factis , aut firmatis ex ſubiècta pœnæ ſtipulatione ; ex quibus exponendi ſunt textus *in l. fin. Cod. ad legem Falcid. l. periculi* 5. §. 1. *ff. de nautico fœnore* , *l. inter* 26. §. *conuenit* , *ff. de pactis dotal. l. naturalis* 10. *ff. de O. & A. l. fragmenti* , *Cod. de vſuris, l. ſalarium* 7. *ff. mandati* , *l. ſtatuas* 41. *ff. de adquir. rer. dom. l. atqui in natura* 19. *ff. de negotiis geſtis* , *l. & eleganter* 7. §. *Seruius* , *ff. de dolo, l. ſi mulier* 21. §. *ſi dos* , *ff. quod metus causâ* , *l.* 2. *Cod. de euiction. l.* 1. *Cod. ſoluto matrim. l.* 4. *ff. de pignor. l. iuſto* 44. §. *non mutat* , *ff. de vſucap. l. ſpadonum* 15. §. 1. *ff. de excuſation. aut l. eadem* 9. §. 1. *ff. de duobus reis, l.* 3. §. *quinimò* , *ff. de condict. causâ datâ* , *l. Paulus* 47. §. *patroni filius* , *ff. de bonis libertor. l. pacto* 14. *Cod. de pactis, l. ſi conuenerit* 18. *ff. de iuriſdict. l. ſi fundus* 16. §. *vlt. ff. de pignor. l.* 1. *in fin. ff. qui potiores* , *l. miles* 11. *ff. ad legem Iuliam de adulter. l. quod ſi nolit* , §. *illud, ff. de petition. hæreditat. l.* 3. *Cod. de ædilit. action. l.* 7. *mandati* , *l.* 4. *ff. de pignor.* iuncto Fabro *lib.* 19. *coniect. cap.* 6. *l.* 4. *Cod. de pactis conuentis* , iunctis Fabro *eod. lib. cap.* 17. Coſta *in l. ſi ex cautione* , *Cod. de non numer. pecun. l.* 18. *ff. de iuriſdict. l. penult. Cod. de pactis* , iuncto Cuiacio *tract.* 7. *ad Afric. in dict. l.* 18. *l. ſi fundus* 16. §. *vlt. l. Titius* 34. *ff. de pignor.* iuncto Fabro *decade* 21. *errore* 2. *l.* 1. *ff. qui potiores* , iuncto Cuiacio *ibi* , & *lib.* 10. *qq. Papin. in l.* 72. *de contrah. empt. l.* 9. §. 1. *de duobus reis* , vbi Cuiacius *lib.* 27. *qq. Papin. l. pacto* 5. *de tranſact.* vbi Cuiacius *lib.* 1. *diſſinit. Papin. l.* 7. *verſiculo Proinde* , *l.* 8. *ff. de eo , quod metus*, iuncto Cuiacio *ad Papin. de adulteriis, in l.* 11. *in principio* , *ff. de adult. l.* 31. §. 18. *ff. de ædilit. edict. l.* 56. §. *ſi nummos* , *ff. de fideiuſſ. l. quod ſi* 11. *de religioſis* , *l. vlt. Cod. ad leg. Falcid. l. quod venditor* 37. *de dolo malo.*

Et cùm prædicta ratio, ob quam pactum iure ciuili actionem non producit , videlicet vt ſit litium & controuerſiarum finis , etiam militet iure canonico , *cap. finem* , *de dolo* , *& contumacia* , *cap. iuris gentium* 2. *de re iudic.* hac de cauſa , ſicut iure ciuili , ita & canonico ex pacto nudo actionem non oriri verius exiſtimo. Nec contrariæ ſententiæ fundamenta obſtant. Non primum deductum *ex hoc cap.* 1. in illis generalibus verbis : *Pax ſeruetur* , *pacta cuſtodiantur.* Ex quibus deducunt communiter repetentes , ex pacto nudo actionem oriri ; ſed quàm ſine ratione , manifeſtè conſtat; nam eiſdem generalibus verbis vtitur Prætor *in l. iuris gentium* , §. *ait Prætor* , *ff. de Pactis* , ibi: *Pacta ſeruabo* ; & etiam refert Imperator *l. vlt. Cod. de pactis :* quæ verbà communiter accipiuntur exceptione datâ , niſi pacta legitima ſint ; quo caſu actione datâ Prætor tuetur ea : omiſſis traditis à Vaconio *lib.* 1. *declarat. cap.* 21. & *lib.* 5. *cap.* 63. Morla *in empor.* 1. *part. tit.* 3. *quæſt.* 1. Carond. *lib.* 1. *veriſim. cap.* 19. Forcatul. *dial.* 69. Oſuald. *ad Donel. lib.* 12. *cap.* 9. *littera B.* Sed vt rebus altiori ſtudio perpenſis veram huius textus interpretationem aſſequamur , omiſsâ Aretini ſententiâ *in* §. *in perſona* , *Inſt. de action.* aſſerentis verba illa : *Pacta cuſtodiantur*; ita eſſe accipienda, vt ſi ſint legitima , & efficaciter actione conceſsâ cuſtodiantur, ſi ſit tantùm nudâ exceptione oppoſitâ, dicendum eſt, ſuppoſitâ præſentis textus ſerie ſuprà *n.* 1. relatâ , nullo modo in ea pactum fuiſſe nudum, ſed obligationem litterarum fuiſſe contractam ; ex qua actionem dari notum eſt *ex l. non figura, ff. de obl. & action. l. ſi peculium* 4. *ff. de peculio, l. ſi verò* , §. *ſi poſt* , *ff. mandati* , *l. nomen* 33. *l. qui filiam* 26. *ff. de legat.* 3. *l.* 2. *ff. de proxenetis* , *l.* 2. *Cod. arbitrium tutelæ* , *cap. pactum* , *de verb. ſignif.* Seneca *lib.* 3. *de benefic.* ibi : *Vtinam perſuadere poſſemus , vt pecunias creditas tantùm abolentibus acciperent ; vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaſſet , & nec pacta conuenta impreſſis ſignis cuſtodirentur.* Cicero *lib.* 4. *epiſt. ad Atticum. Hæc pactio non verbis , ſed nominibus , & præſcriptionibus multorum tabulis facta dicitur.* Cuiac. *lib.* 12. *obſeruat. cap.* 24. Salmaſius *lib.* 1. *de vſuris , capit.* 6. quamuis nullam obligationem litterarum dari defendant Giphanius *in l.* 17. *Cod. de fide inſtrum.* Bachouius *in not. ad Treutler. volum.* 1. *diſput.* 20. *theſ.* 2. *littera B.* Hothom. *ad tit. de litterar. obligation.* Vnde cùm in noſtro textu pactum in ſcripturam redactum fuiſſet , vt conſtat ex illis verbis : *Manuſcriptiones noſtræ pactacia tenent* ; ideo ex hoc pacto actio naſcitur. Alia etiam de cauſa pactum inter Epiſcopos initum in hoc textu actionem producit ; nam tale pactum fuit diuiſionis Epiſcopatuum : & licèt pactum diuiſionis nudum ſit , *l. diuiſionis* 45. *ff. de pactis* ; tamen ipſa diuiſio actionem producit , & ſimilis eſt contractui , *l.* 1. *Cod. communia vtriuſque iudicij.* Vnde plerumque ab hæredibus , vel aliis communionem habentibus diuiſio fit ; quo caſu ſi ſolùm fecerunt pactum de diuidendo , hoc non proficit ad agendum , *dict. l. diuiſionis* 45. *l. ſi diuiſionem*

13. PACTVM NVDVM NEC IVRI CANONICO PRODVCIT ACTIONEM.

sionem 15. *C. eod. tit.* Synopsis Basilic. *lib.* 35. *tit.* 28. & *lib.* 42. *tit.* 3. Si verò quis ingressus est possessionem rei diuisæ, proficit ad excipiendum, siue excludendum alium socium, *l. cùm proponas* 21. *C. de pactis*, *l. diuisionis* 15. *ff. famil. erciscund.* Quod si ex parte sua impleuit, vel vterque traditione hinc inde factâ, confirmatur pactum, & nascitur ex negotio, idest ex permutane, actio præscriptis verbis: quoniam rebus inuicem traditis actio nascitur, vt in specie probant textus *in l. cùm pater* 77. §. *hæredes* 18. *ff. de legat.* 2. iunctis lege *his consequenter* 18. §. *idem*, lege *si filia* 20. §. *si pars*, lege *qua parte* 32. lege vltima, *ff. famil. erciscund.* lege *si familiæ* 14. lege *licèt* 23. *C. eod. tit.* lege *fratres* 7. *C. commun. vtriusque iudicij.* Vt autem olim pactum diuisionis statim firmum maneret, stipulatio adhibenda erat, *d. l. si fratres*, *l. tale pactum* 40. §. *post diuisionem*, *ff. hoc tit. l. qui Romæ* 122. §. *vlt. ff. de V. O.* vbi Classici, Cuiacius *lib.* 2. *respons. Papin. in l. finali*, *ff. familiæ erciscund.* inde apparet in præsenti casu Episcopo competere aduersus alium Episcopum actionem præscriptis verbis, vt seruentur conuentiones, & pacta.

14. INTELLIGITVR CAP 3. HOC TIT.

Nec etiam facit pro communi sententia textus *in cap. qualiter* 3. *hoc tit.* qui deductus est ex D. Gregorio *lib.* 8. *epist.* 38. cui vt satisfaciant aliqui, existimarunt, in eo textu promissionem fuisse legitimam stipulationem legitimis verbis factam; quia verbum *promissio*, supponit omnia fuisse legitimè acta: & quando scriptum reperitur, aliquem promisisse, præsumitur efficax stipulatio. Paulus *lib.* 5. *sentent. titul.* 7. §. *verborum*, *leg.* 230. *leg. Titia* 134. §. *pen. leg.* 5. §. *satis*, *ff. de verb. oblig. leg. pluribus* 12. *Cod. de fideiussor.* §. *fin. Institut. de fideiussor.* Docent Barbosa *in leg.* 1. 3. *p. num.* 46. *ff. soluto matrim.* Duaren. Cuiac. & Donel. *in dict. l. secundum* 30. Azeuedus *in leg.* 2. *num.* 13. *tit.* 16. *lib.* 5. *recop.* Mascard. *de probat.* 3. *p. conclus.* 1135. *& sequent.* Costa *in l. si ex cautione*, *C. de non numerat.* Verùm licèt hæc solutio attento dumtaxat verborum cortice probabilis sit, si tamen eius integra consulatur, admitti non potest: quare eâ omissâ, Morla *dict. quæst.* 2. *de pactis*, *numero* 14. existimat, in eo textu non agi de pacto nudo, sed de pacto præstandi aliquid, quod iustum, & æquum erat: omissâ etiam solutione Mendozæ *d. cap.* 9. *num.* 33. qui adductâ integrâ illius textus docet, in prima parte ipsius promissionem fuisse factam illius rei, ad quam quis tenebatur, & tunc dari actionem, cùm ex tali promissione, vt efficaci, actio oriatur, *l.* 1. *ff. de constit. pecun.* in secunda verò parte promissionem fuisse iuramento firmatam; in his ergo solutionibus refellendis non immoror, sed illis omissis dicendum existimo, in eo textu non decidi, pacta conuenta esse adimplenda actione præstitâ, sed tantùm iudicem studiosè curare debere, vt promissa adimpleantur, aut officio interposito, vt *in cap. fin. de foro competenti*, *lib.* 6. aut denunciatione Euangelica, vt *in cap. nouit*, *de iudiciis*, quia promissa adimpleri prouenit ex natura immutabilis iustitiæ, *Prouerb. cap.* 5. *vers.* 1. vnde promissio vinculum appellatur, *cap.* 30. *Numer. vers.* 4. Plura Grotius *de iure belli lib.* 2. *cap.* 11. inde licèt ad promissionem nudam adimplendam promissor lege, hoc est actione, non obstringatur, Seneca *lib.* 5. *de beneficiis*, *cap.* 10. ibi: *Quæ lex ad id præstandum nos, quod aliquid promisimus, obligat?* tamen cùm ex natura, & æquitate promissor teneatur, studiosè curare debet iudex ecclesiasticus, vt promissa adimpleantur.

15. EXPONITVR CAP. IVRAMENTI, 22. Q. 5.

Nec etiam pro communi sententia rectè expenditur textus *in cap. iuramenti* 22. *quæst.* 5. nam textus ille dum asserit, inter iuramentum & simplicem loquelam non esse differentiam, intelligendus est quoad reatum; siue enim simpliciter quis falsum dicat, siue iuratus, lethaliter peccat; quia sicut in iuramento nulla conuenit esse perfidia, ita quoque in verbis nullum debet esse mendacium, quia vtrumque diuino iudicio damnatum reperitur. Elegans locus, licèt authoris Gentilis, Ciceronis videlicet, in oratione pro Roscio Comœdo: *Quæ pœna à Diis immortalibus periurio, hæc etiam mendacio constituta est; non enim ex pactione verborum comprehenditur, sed ex perfidia & malitia, per quam insidiæ tenduntur. Aliqui Dij immortales hominibus irasci, & succensere consueuerunt.* Vnde iuramentum, & fides interposita coæquantur, *cap. ad aures*, *de his, quæ vi*; videlicet non in totum quoad rationem obligantem, sed saltem quoad implendi obligationem; non enim in genere, sed in qualitate obligationis est differentia. Panormit. *in proœmio Decretal. num.* 25. Couarr. *in cap. quamuis*, 1. *p.* §. 2. *num.* 4. licèt grauiùs peccet periurus, quàm mendax; quia istè tantùm homines, ille etiam Deum fallere conatur: perperam ergo glossa ibi deducit, generaliter non dari discrimen inter pactum iuratum, & nudum; siquidem contrarium esse verum, facilè suadetur ex eo; nam depositio testium facta absque iuramento, fidem non obtinet, *cap. nuper* 51. *de testib.* renunciatio hæreditatis paternæ sine iuramento vires non habet, *cap. quamuis pactum*, *de pactis lib.* 6. alienatio rei dotalis absque iuramento non subsistit, *cap. cùm contingat*, *de iureiurand. cap. licèt mulieres*, *eod. tit. lib.* 6. obligatio vsurarum ob iuramenti religionem sustinetur, *cap. debitores*, *de iureiur.* Vnde licèt ex promissione iurata efficax actio oriatur, *l. licèt*, *ff. de liberali causa*, *l. vt iurisiurandi*, *ff. de operis libertor.* Mendoza *lib.* 1. *de pactis*, *cap.* 4. *num.* 16. non ita ex promissione nuda, etiam iuramento firmata, vt probant Cuiac. *lib.* 15. *quæst. Pauli*, *in l. si quis pro eo* 56. *ff. de fideiussor.* Donel. *lib.* 24. *cap.* 8. vbi Osuald. *littera A.* Duaren. *ad tit. de iureiur. cap.* 1. Corrasius *in leg. admonendi* 31. *ff. de iureiur. numer.* 12. Fachineus *lib.* 3. *controuers. cap.* 12.

16. EXPENDITVR CAP. 1. DE IVDICIIS.

Nec etiam nostræ sententiæ aduersatur textus *in cap.* 1. *de iudiciis*, cui vt satisfaciat Morla *in empor. tit. de iurisdict. numer.* 117. asserit, in eo textu non nudam promissionem, sed solennem stipulationem intercessisse, vt constat ex illis verbis: *Interrogatus promiserat*; & sic meritò actione præstita compelli Quodvultdeum in iudicio comparere. Sed hæc solutio ex eo conuincitur; nam stipulatio alteri per alterum facta non subsistit, neque per liberam personam alteri facta obligatio, & per consequens actio quæri potest, *leg. stipulatio* 38. §. *alteri*, *l. inter* 83. *ff. de V. O.* sed Quodvultdeus in ea specie interrogatus non fuit ab aduersario, sed ab alio: igitur actio ex ea stipulatione dari non poterat. Decius ibi, *n.* 18. & communiter repetentes in eo textu docent, ex pacto nudo iure canonico, licèt

licèt non ciuili, actionem oriri. Sed hæc distinctio refellitur ex suprà dictis. His ergo, & aliis sententiis omissis dicendum est ex suprà adductis, quod licèt ex pacto nudo actio non oriatur; illud tamen non procedit, quando quis in iudicio, & apud eius acta comparere, vel quid præstare promittit; tunc enim ne simul parti & iudici illudere videatur, ex eo actio datur, *l. cùm pro quo, ff. de in ius vocando:* quod eo exemplo firmatur, nam mulier, quæ SC. Velleiani beneficio renuntiare non potest, *l. si mulier 22. C. ad Velleian.* Donel. *d. lib. 12. comment. cap. 32.* si renunciationem in iudicio faciat, illa sustinetur, *l. fin. §. fin. ff. ad Velleian.* docent Antonius Gomez *lib. 2. variar. cap. 13. num. 18.* Couarr. *in cap. quamuis pactum, 2. part. §. 3. numer. 4. de pactis in 6.*

17. EXPONVNTVR ALII TEXTVS.

Nec quod de æquitate canonica expendebatur ab assertoribus contrariæ sententiæ, obstat; nam licèt verum sit, æquum esse, vt pacta nuda seruentur; tamen non omnia, quæ habent æquitatem naturalem, debent adimpleri, & exequi concessâ actione: quare licèt pactum nudum æquitate canonica subnixum adimpleri, & custodiri debeat, non tamen ideo actio concedenda est, siquidem aliis iuris remediis paciscentes cogi possunt pacta seruare. Nec etiam pro contraria sententia facit textus *in cap. 1. de probation.* nam pactum, de quo ibi, inter Iustinianum Imperatorem, & Athanagildum Regem Gothorum conuentum, causâ pacis initum, quod referunt Valdes *de dignitat. Regum lib. 3. cap. 18.* Mariana *lib. 5. histor. cap. 9.* Saabedra *in Corona Gothica, in vita Recaredi, cap. 15.* non fuit nudum, siquidem pacis causâ, & publicè conuentum fuit; vnde ex eo actio oriebatur, iuxta textum *in l. conuentionum 5. l. legitima 7. ff. de pactis.* Oroscius, & Duaren. *in d. l. conuentionum*, Connanus *lib. 5. comment. cap. 1. num. 20.* Deinde quia pacta debent interpretari iuxta communem contrahendi formam, argumento textus *in l. quod si nolit, §. quod si assidua, ff. de ædilit. edict.* ex communi autem vsu conueniendi rectè dicemus *in dict. cap. 1.* pacta solenni stipulatione fuisse firmata; nam in nouissima parte pactorum frequenter stipulatio apponi solet, vt si non ex pacto, saltem ex stipulatione agere liceat, *l. iuris gentium 7. §. quod ferè, ff. de pactis, l. pacto conuento, ff. de transaction. l. duo, ff. pro socio, l. Titia, §. vlt. l. pluribus, ff. de V. O. l. potens, C. de pactis.* Accedit, quia tradi solet, omnes conuentiones inter Principes factas efficaciter ipsos obligare, quasi voluntariè se subiiciant coactioni, vt plus roboris habeat simplex illorum pactio, quàm aliorum iurata promissio. Duaren. *in dict. l. conuentionum.* Nec etiam obstat textus *in dict. cap. ex rescripto, de iureiurand.* vbi monachi, qui tanquam sæculo mortui, & voluntate carentes, non possunt ciuiliter obligari, *cap. nolo, cap. non dicatis, 12. q. 1. cap. monachi, cap. placuit, 16. quæst. 1.* actione concessa conueniuntur: igitur quia ex nuda pactione efficax actio nascitur, vt ex eo textu deducunt, & docent Butrius, & Hostiensis *in eo.* Sed hac reiectâ sententiâ veriùs dicendum est, Monachos efficaciter obligari posse præcedente Abbatis licentiâ, *cap. quod 4. de fideiussor. cap. monachi 16. q. 1. cap. ex parte, de postul.* præcipuè si vtilitas monasterij adest. Vnde cùm *in d. cap. ex rescripto*, monachi ex consensu Abbatis, & in vtilitatem monasterij obligationem contraxissent, rectè ex ea datur actio, præcipuè cùm etiam interueniisset iuramentum, quod per se actionem producebat.

18. EXPONITVR CAP. QVICVMQVE 12. Q. 2.

Difficilius est Concilij Toletani 4. decretum relatum *in cap. quicumque, 12. q. 2.* in illis verbis: *Quicumque Episcopi suffragio cuiuslibet aliquid ecclesiasticæ vtilitatis prouideri, & pro ea quodcumque commodum in remunerationem promiserint, promissi solutione eos exsoluere oportere, ita vt ad Concilium Prouinciale deducta eorum conniuentia confirmetur; quia sicut Paulus ait: Dignus est operarius mercedem suam accipere.* Vbi ex nuda pactione efficaciter paciscentes obligantur, vt ex eo textu deducunt Glossa *verb. Promiserunt*, & Turrecremat. ibi. Sed si quid proprij ingenij est, dicendum existimo, textum illum procedere in promissione aduocato, vel suffragatori Ecclesiæ facta remunerationis gratiâ, ob obsequium in Ecclesia impensum: hac de causa producit actionem per solennem sponsionem, vt probat in specie textus *in l. 1. C. de suffrag.* cuius verba cùm hanc solutionem mirè confirment, transcribam: *Si qui desideria sua explicare cupientes, ferri sibi à quoquam suffragium postulauerint, & ob referendam vicem se sponsione constrinxerint, promissa restituant, cùm ea, quæ optauerint, consequantur: si artibus moras nectant, ad solutionem debiti coarctandi sunt.* Corrigit, & exponit Gothofred. *in ea lege*, quæ extat in Codice Theodosiano sub titulo *Si certum petatur*, & *de suffragiis.* Tandem obseruo, suffragium in eo textu dici pretium empti officij, honestiori nomine, quasi suffragandi causâ Principi solueretur; quo modo accipitur *in l. 25. Cod. Theodos. de decurionibus, leg. finali, §. finali, Cod. de silentiariis, lib. 12. nouella 6. quomodo oporteat Episc. §. & hæc: nouella 8. vt indices sine quoquo suffragio:* notarunt Alciatus *lib. 2. paradox. cap. 14.* Duarenus *lib. 2. disput. cap. 20.* Osualdus *lib. 18. Donelli, cap. 11. littera P.* Filesacus *lib. 1. select. cap. 15.* Pancirola *lib. 2. variar. cap. 198.* Olim enim permissum erat intercessoribus in aula gratiosis, promittere aliquid ob dignitatem consequendam; quæ promissio fiebat per solennem stipulationem, seu sponsionem: quod idem significat *in dict. leg. vnica*, vt notarunt Cuiacius *lib. 15. obseru. cap. 22.* Duarenus *ad tit. sol. matrim. de sponsalib. quæstion. 1.* Fortunius Garcia *in leg. legitima 6. de pactis, numer. 33.* vnde cùm *in dict. cap. quicumque*, ex vna parte conuentio adimpleta esset in Ecclesiæ vtilitatem, iustè PP. decreuerunt, vt promissum adimpleatur, cùm ea sit natura conuentionis *Facio vt des*, quod altero faciente, alter cogitur dare, *leg. naturalis 5. §. 2. l. solent 15. ff. præscriptis verbis:* docet D. Iosephus de Retes *lib. 2. opusc. cap. 11. sect. 1.* Suffragium ergo *in d. cap. quicumque*, accipitur pro patrocinio, aut auxilio alicuius rei assequendæ gratiâ, vt *in d. l. vnic. C. de suffrag.* apud Lampridium *in Alexandro*, ibi: *Quod cùm factum esset, & Tharinus suffragium promisisset, dixissetque se quædam Imperatori dixisse, cùm nihil dixisset.* Et *in cap. ecclesiasticis 67. eadem causa, & quæstione.* Vnde rectè decreuerunt Patres, vt promissum præstetur illi, cuius suffragio Ecclesia aliquid adquisiuit: sed quia eo tempore Episcopi aliquid de patrimonio Ecclesiæ, inconsulto Prouinciali Concilio alienare non poterant; ideo in eo textu iubetur, vt ad Concilium Prouinciale negotium deferatur, vt ab eo confirmetur.

Nec

19. EXPONITVR CAP. INDICANTE, DE TESTAMENTIS.

Nec assertoribus contratiæ sententiæ fauet Pontifex *in cap. indicante, de testam.* vbi legata relicta nudis verbis iubet Pontifex soluere, quæ tanquam ex imperfecta voluntate iure ciuili non debebantur, *l. si ex imperfecto, ff. de legat. 3. l. hac consultissima, §. ex imperfecto, C. de testam.* Nam respondendum est, legata in eo textu deberi tanquam fideicommissa, vt *in l. vlt. C. de fideicommiss.* quia ex ea lege iam eo tempore similia legata præstabantur; legata enim *in d. cap. indicante*, relicta fuerunt sine scriptura, testibus, vel alia solennitate, nudis verbis tantùm hæredem damnando, vt legata præstaret; quæ verba nuda dixit D. Gregorius ad differentiam voluntatis solennis, quæ cum scriptura, testibus, & aliis solennitatibus conficitur: ita illum textum accipiunt antiquiores repetentes, & Barbosa in eo. Etiam pro contraria sententia expendi solet textus *in cap. relatum, de præbend.* vbi proponitur, Archiepiscopum Cantuariensem Magistrum Ioannem in Canonicum instituisse, & in fratrem, illique promisisse præbendam proximè vacaturam: cùm præbenda vacaret, & Archiepiscopus eam Ioanni conferre renuisset, consultus Alexander III. iussit illi, vt promissum adimpleret, præbendam Ioanni conferendo: igitur nuda promissio, ac solennis vires habet. Huic difficultati satisfaciendum est dicendo, nudam promissionem, seu pollicitationem actionem producere, & vires habere, quando facta est de re; quam ipse promissor alias tenebatur præstare. Vnde cùm ex iuris dispositione, qui in Canonicum aliquem accepit, & in fratrem, teneatur illi præbendam assignare, *cap. consultationibus, de donation.* Moneta *de commut. cap. 11. num. 474.* Sanchez *in præcepta lib. 7. cap. 29.* meritò in eo textu deciditur, Archiepiscopum teneri adimplere promissum, cùm etiam absque promissione teneretur eam conferre: docet Cuiac. *in eo textu.*

Manet ergo ex suprà traditis, iure nostro canonico ex pacto nudo actionem non oriri, contra communem antiquorum opinionem; non autem inde inficiabimur, promittentem etiam verbis nudis teneri ex eodem iure promissa adimplere aliis iuris remediis, vt officio iudicis interposito, *cap. fin. de foro compet. in 6.* denunciatione Euangelicâ, *cap. nouit, de iudiciis*; non autem actione concessâ. Hodie tamen iure nostro Regio *ex l. 3. tit. 8. lib. 3. ordinam.* quæ est lex 2. *tit. 16. lib. 5. recopil.* quomodocumque quis promiserit, efficaciter obligatur: docent pro illius textus interpretatione Didacus Perez *in d. l. 3. ordinam.* Matienzo, & Azeuedo *in d. l. 2.* Parladot. *lib. 2. quotid. cap. 3.* Anton. Gomez *lib. 2. variar. cap. 9. num. 3.* Gutierrez *lib. 4. practic. quæst. 68. vbi suprà, §. 4.* Azeued. & Matienzo *in d. l. 2.* Molina *lib. 4. de primogen. cap. 2. art. 60.* Castillo *vbi supra.* 20.

CAPVT II.

Gregorius [a] Magnus.

QVotiens in [b] conuentionibus quibusdam noster expectatur assensus, ne in dubium veniant, quæ geruntur, ratio ea pro securitate partium debet habita solidare. Proinde cognoscentes quid inter dilectionem tuam, & [c] Fantinum Defensorem nostrum, ac Rectorem patrimonij partium [d] Panhormitanarum conuenerit de portionibus tibi competentibus in Massalenas, & [e] Samanteria in Prouincia [f] Siciliæ, & in territorio Panhormitano, & domo in Panhormitana ciuitate sita, quam Ecclesiæ nostræ dudum titulo [g] donationis obtuleras, nostrum his accommodamus assensum, atque omnia, sicut inter vos gesta sunt, per huius tuitionis paginam confirmamus, nec quidquam eorum à nobis, successoribusque nostris deduci in irritum profitemur: quia valde ecclesiasticæ est moderationi conueniens, vt quæ ordinata fuerint, vel decisa, nullâ in posterum debeant refragatione turbari.

NOTÆ.

1. a *Gregorius Magnus.*] Addendum est *Proiectæ illustri*, vt habetur in ipsis epistolis Gregorij, in quibus *lib. 7. indict. 2. epist. 61.* reperitur præsens textus; & ita legendum esse, iam notauit Antonius Augustinus *in notis ad primam collectionem, in hoc tit.* Proiecta præclara, ac nobilis persona erat in Sicilia; quare sub titulo *Illustris*, illi rescribit Gregorius noster, vt passim etiam legitur in aliis ipsius epistolis, conspicuis, ac præclaris personis missis.

2. b *Conuentionibus.*] Seu pactis, vt sic comprehendantur omnes contractus nominati, & innominati, pacta nuda & legitima: conuentio enim nomen generale est, omnes species pactorum, & contractuum complectens, vt dixi *in cap. 1. hoc tit.*

3. c *Fantinum.*] De quo in epistola antecedenti, *D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. I. Pars II. & *lib. 8. epist. 29.* & *lib. 10. epist. 4.* & aliis pluribus. De officio Defensoris in Ecclesia vsitato aliqua adducam *in cap. 1. de postulando.*

d *Partium Panhormitanarum.*] Tota enim Sicilia iam ab illis temporibus, in quibus Romani eam occuparunt, in duas partes diuidebatur, in Syracusanam videlicet ex Syracusanis; & Panormitanam ex Panormitanis. Cicero *action. 2. in Verrem*, ait: *Sicilia Quæstores vtriusque prouinciæ obtinet.* Refert Thomas Facellus *de reb. Siculis lib. 1. cap. 3.* & *lib. 4. cap. 1.* & *lib. 8. cap. vnico.* Hanc diuisionem etiam Ecclesia admisit, *cap. Catanensis, dist. 62.* ibi: *Vt nos in prouincia illa in Syracusanis partibus.* Gregorius noster *lib. 12. epist. 30.* sic Petrum subdiaconum alloquitur: *In Panormitana autem parte loci seruatorem tui me sufficit elegisse, & videre volo, quod ipse in Syracusana parte prouideris.* Et *lib. 10. epistol. 45. indict. 5.* Quare Ecclesia Romana 4.

duos Legatos mittebat in Siciliam, alium Syracusas, alium Panormum, vt constat ex Gregorio nostro *lib. 7. indict. 1. epist. 59. & 85. & lib. 5. epist. 20.* notauit D. Rochus Pirrho *in notit. Siciliæ, in Eccles. Panormit. pag. 55.*

5. e *Massalenas, & Samantaria.*] Sunt prædia, quæ certam pensionem soluebant: apud Gallos mansi dicebantur, *cap. 1. de censibus*, vbi dicemus. Massarum, seu massalenarum mentio fit apud Cassiodorum *lib. 12. variar. epist. 3.* ibi: *Quapropter ex Regia iussione singulos conductores massarum, & possessores validos admonete, vt nullam contrahant in concertatione barbariem.* Et apud nostrum Gregor. passim, præcipuè *lib. 1. epist. 42. indict. 9.* vbi legitur Ecclesiam Romanam in Sicilia plures massas habuisse: & *lib. 11. epist. 22. & lib. 10. epist. 49.* In legibus Longobard. *lib. 1. tit. 8. & 29. tit. 11. l. 3. tit. 32. & in cap. 3. de censibus:* notarunt D. Rochus Pirro *vbi suprà, pag. 70.* Lindembrogius *verb. Masserias*, Lemaistre *lib. 3. de iuribus Episcop. cap. 4.* Zerda *in aduers. cap. 87. num. 12.* Iuretus *ad Symmachum lib. 10. epist. 41.* Massa aliquando accipitur pro solidis debitis fisco in massam redactis, *l. 5. C. de Suscept. Præpos. & Arcariis, l. 2. 12. & 13. eodem tit. in Theodos. l. 7. C. de Palatin. sacrar. largit.* plerumque pro possessione, seu fundo; inde Gessiana Massa in Anthemij nouella *de bonis vacantibus:* Massa Veternensis apud Ammian. Marcellin. *lib. 14.* Massa Largia apud D. Gregorium *lib. 6. epist. 37.* Massalenas *epist. 81. & 104.* Massa diœcesium dicitur in Concilio Carthagin. 3. *can. 46.* In eodem etiam D. Gregor. *lib. 12. epist. 20.* vbi legitur *de iure quodam Patricij*, legendum est *Massis:* hinc Massarij accipiuntur pro colonis agrorum à Rothario Longobardorum Rege *in edicto cap. 47.* & apud Petrum de Vineis Massarij dicuntur, qui villis præficiebantur, *lib. 3. epist. 66.*

6. f *Prouincia Siciliæ.*] Ad differentiam prouinciæ Panormitanæ.

g *Titulo donationis.*] Ideſt causâ; titulus enim à tuendo dicitur, teste Varrone; vnde olim milites tituli dicebantur, quia patriam tuebantur. Festus Pompeius *verb. Titulus*; larè Deo volente illustrabo *in cap. 2. de præbend.* Vnde titulus est causa, quæ defendit possessorem in detentione ipsius; quare interrogatus cur rem possideat? respondet, quia emi, quia donatum accepi, aliàs improba possessio est, *l. improba 7. Cod. de adquir. possess.* iniusta, *leg. nullo 24. Cod. de rei vindic.* qui enim sine titulo rem possidet, interrogatus cur possideat? respondet, quia possideo, *leg. nec vllam 13. §. 1. ff. de petit. hæredit. l. 2. C. eod. tit.*

COMMENTARIVM.

7. CONCLVSIO PROBATVR. EX hac Gregorij epistola talis deducitur assertio: *Permutatio rei Ecclesiæ inualida per ratihabitionem superioris firmatur.* Probant textus *in cap. 1. de transactionibus, cap. 2. de clandestin. desponsat. cap. cùm nos 3. de his, quæ fiunt à Prælatis, cap. vlt. 16. quæstion. 1. cap. si qua de rebus, 12. quæst. 2. cap. cura, de iurepatronat. l. si fundus, §. si nescio, ff. de pignor. l. 5. §. sed si mutua, ff. de in rem verso, l. si quis mihi bona, §. si iusserim, ff. de adquirend. hæredit.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Castillo *tom. 5. controuers. cap. 89. num. 113.* Suarez *de legibus lib. 8. cap. 18.* Riccius *in praxi, ex decisione 24. vsque ad 103.* Redoanus *de rebus Ecclesiæ, quæstion. 32. & 44.* Molina *de iustitia disp. 468.*

8. PROPONVNTVR VARIÆ DIFFICVLTATES. Sed hæc communis assertio non leues patitur dubitandi rationes; prima enim insurgit ex eo, nam nullo Pontificis assensu conuentionem ex causa permutationis à Fantino defensore Ecclesiæ Romanæ in partibus Panormitanæ Prouinciæ egere, ex eo probatur; nam huiusmodi defensores procuratores sunt Ecclesiæ cum libera administratione; sed procuratores cum libera administratione possunt distrahere res, vendere, & permutare absque nouo domini consensu, *l. qua ratione, §. non solùm, ff. de adquir. possess. l. procurator 58. ff. de procurator, l. libera 48. ff. de peculio, l. si conuenerit 18. ff. de pignorat. l. vltim. ff. de nouationibus, cap. ad agendum 4. de procurator. lib. 6.* Arnold. Vinius *lib. 1. selectar. cap. 11.* Valeron *de transact. tit. 4. quæst. 5.* licèt contrarium obseruetur in procuratore bonorum, *l. procurator 63. ff. de procurator. l. procuratorem 16. Cod. eod. tit.* docent Faber, & Gothofred. *in dict. leg. procurator 58.* Barbosa *in l. cùm autem, §. transgrediamur, ff. soluto matrim.* Pacius *cent. 2. quæst. 47.* In procuratore agnoscunt prædictum discrimen, licèt in marito dissentiant, Donel. *lib. 4. comment. cap. 15.* Cuiac. *lib. 6. Digest. Modestini in dict. leg. procurator 63.* Faber *lib. 16. coniectur. cap. 22.* igitur permutatio à defensore facta in præsenti casu absque vllo Pontificis assensu vires obtinebat. Secunda difficultas ex eo nascitur; nam si desideraretur assensus Pontificis, maximè ad alienationis solennitatem, & vt Pontifex authoritatem illi præstaret, vt regulariter in alienationibus rerum ecclesiasticarum desideratur. Sed quotiens alicuius authoritas ad alienationis valorem desideratur, debet interponi tempore contractus, & ex postfacto superueniens nihil operatur, *l. obligari 9. §. tutor 5. ff. de author. tutor. §. tutor, Inst. eod. tit.* ergo ratihabitio Pontificis in præsenti non poterat validam reddere alienationem à principio invalidam. Tertiò in præsentem assertionem insurgi potest ex textu *in cap. non liceat Papæ 12. quæst. 2.* vbi Symmachus Pontifex statuit, ne liceat Papæ res Ecclesiæ alienare: igitur nec ex authoritate Pontificis licet res Ecclesiæ alienare, & per consequens in præsenti specie permutatio nec ex consensu Pontificis sustineri poterat.

9. RES ECCLESIÆ ALIENARI NON POSSVNT. His tamen difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens decisio, ad cuius expositionem sciendum est, iam à quarto Ecclesiæ sæculo prohibitum fuisse res Ecclesiæ alienare absque consensu Primatis, & Episcoporum comprouincialium; retro enim tribus sæculis prohibitio hæc alienationis rerum Ecclesiæ non vigebat; siquidem Episcopi curam earum habebant, & pro necessitatibus dispensabant, *cap. præcipimus, cap. videntes 16. 12. quæst. 1. cap. quisquis 12. quæst. 2.* plura congerunt Antonius Augustin. *in epitome iuris lib. 4. tit. 80.* Turrianus *lib. 1. pro canonibus, cap. 14.* Seuerinus *in can. 39. Apostolor.* Robertus *lib. 2. rer. indicatar. cap. 2.* sed cùm hæc nimia solennitas Ecclesiæ patrimonio damnum attulisset, siquidem ex defectu consensus Primatis, & Episcoporum alienationes, quæ plerumque ipsis Ecclesiis vtiles sunt, *l. iubemus 14. §. sanè, C. de sacros. Eccles.* omittebantur, & negligebantur;

hæc

hæc ſolennitas immutata fuit in Concilio Carthaginenſ. 4. *can.* 32. relato *in cap.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælat.* & loco conſenſus Primatis, & Epiſcoporum, collaudatio, ſeu approbatio ſacerdotum præſcripta fuit: & licèt hic canon Carthaginenſis à Gratiano tribuatur Leoni I. *in cap. ſine* 12. *q.* 2. & à Raymundo Gregorio IX. *in d. cap.* 1. *de his quæ fiunt*; tamen vt iam notarunt Vinius *in not. ad Concil. Valent.* 1. *tomo Concil. pag.* 209. Anton. Auguſt. *in emend. Gratiani, lib.* 1. *dial.* 14. propriùs eſt dicti Concilij Carthag. 4. Hanc interdictionem ſuis ſæculis, & legibus firmarunt, varias pœnas aduersùs alienatores rerum Eccleſiæ ſanciendo, Leo primus *in cap. ſicut* 52. 12. *quæſt.* 2. Symmachus in Synodo Romana relata *in cap. non licet* 12. *q.* 2. & in epiſtola relata *in cap. poſſeſſiones* 16. *q.* 1. Patres Concilij Agathenſ. in canonibus relatis à Gratiano *in cap.* 1. 10. *q.* 2. *cap. ſtatuimus* 31. cum quatuor ſequentibus, *cap. Epiſcopus* 19. *cap. terrulas* 53. 12. *q.* 2. *cap. ſi Epiſcopus* 12. *quæſt.* 5. *cap. in venditionibus* 40. 17. *q.* 4. *cap. clerici* 16. *q.* 3. & poſt alios Gregor. noſter idem ſtatuit, aliaque neceſſaria ad reſcindendas alienationes contrà factas decreuit, vt conſtat *ex lib.* 1. *epiſt.* 66. & *lib.* 3. *epiſt.* 16. *lib.* 8. *epiſt.* 58. & *lib.* 10. *epiſt.* 33. & eius æuo, ſexto videlicet Eccleſiæ ſæculo, idem ſancitum fuit in Concilio Hiſpal. 1. *can.* 1. Toletan. 1. *can.* 1. & aliis, quæ iuxta ſeriem temporum digeſta proponemus in titulo *de reb. Eccleſiæ.*

10. PERMVTATIO EST ALIENATIO.

Secundò ſciendum eſt, inter alias alienationis ſpecies à ſacris canonibus interdictas, commutationem, ſeu permutationem enumerari, *cap. ſine* 52. 12. *q.* 2. *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælatis, cap.* 2. *de rer. permut. authent. de non alienand.* §. *nos igitur*: plura Redoanus *de rebus Eccleſiæ, cap.* 2. in permutatione enim negotium agitur, vt res pro re tradatur, *l.* 1. *ff. de rer. permut. l. naturalis* 5. §. 1. *ff. præſcript. verb.* ſiue ſpecies pro ſpecie, ſiue genus pro genere detur, vt docent Pinellus *in rubric. de reſcind. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. inter dominos contribuitur, aut inter eos, qui dominorum loco habentur; ſi autem res aliena tradatur, nulla eſt permutatio, *d. l.* 1. §. *ideoque*, *ff. de rer. permut.* Merillus *lib.* 1. *ex Cuiac. cap.* 29. & *lib.* 2. *cap.* 13. vnde Rector cùm ſit tantùm diſpenſator, non verò dominus rerum ſuæ Eccleſiæ, *cap.* 1. 10. *quæſt.* 2. *cap.* 2. *de donat. dict. cap. ſine exceptione*, non poteſt permutare res Eccleſiæ cum aliis abſque debita & præſcripta ſolennitate. Nec obſtat authentica *ſed & permutare*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* vbi cauetur, poſſe Imperatorem res proprias cum Eccleſiæ rebus permutare. Quia hæc conſtitutio accipienda eſt intra iuris tramites, videlicet adhibitâ debitâ ſolennitate. Illud tantum ſpeciale continet prædicta conſtitutio, videlicet vt voluntas Principis habeatur pro iuſta cauſa; & eâ intercedente cum ſolennitate à iure noſtro præſcripta, permutatio vires habeat, iuxta textum *in cap.* 2. §. *hoc ius* 10. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *de rer. permutat.*

11. ALIENATIO IPSO IVRE SVBSISTIT.

Tertiò ſciendum eſt, alienationem rerum Eccleſiæ à Rectore, ſeu Prælato factam ſine debita ſolennitate, nullius momenti eſſe, remque ita alienatam, cum fructibus eſſe reſtituendam Eccleſiæ, *cap. quiſquis* 19. *cap. quidquid* 30. *cap. alienationis* 37. *cap. ſine* 52. 12. *quæſt.* 2. *dict. cap.* 1. *de his, quæ fiunt*, ex ratione textus *in cap. Vulteranæ*, ibi: *Quia contra conſtituta Synodi ab Epiſcopis prædia alienari nullo potuerunt commento*; 12. *quæſtion.* 2. Vnde competit Eccleſiæ vindicatio ipſius rei cum fructibus, *dict. cap. non licet*, *cap. ſi quis* 6. *de reb. Eccleſiæ*, Redoanus *dict. tractat. de reb. Eccleſiæ*, *quæſtion.* 22. *num.* 38. Menochius *de arbitr. caſ.* 172. *num.* 8. Azor 2. *tom. moral. lib.* 9. *cap.* 1. *quæſt.* 8. Caſtillo *de vſufruct. cap.* 54. *numer.* 8. Riccius *in praxi, deciſion.* 8. Sed cùm hæc alienatio nulla ſit fauore ipſius Eccleſiæ, vt eius bona conſeruentur, iuxta textum ita communiter acceptum *in cap. ſi qua* 42. 12. *quæſt.* 2. poteſt Eccleſia approbare ipſam alienationem, conſenſum præſtando illi, qui ex iure debebat alienationi conſentire; vnde in arbitrio erit Eccleſiæ alienationem ratam habere, vel nullam dicere, vt probatur *ex cap. Apoſtolos* 13. *verſ. Quiſquis*, *cap. precariæ* 44. 12. *quæſt.* 2. vbi ſupponitur, neceſſariam eſſe contractus reſciſſionem, vt res Eccleſiæ alienata reſtituatur; nam reſciſſio ibi non ad iuris effectus, ſed potiùs ad factum referri debet; quaſi alienatio, quæ de facto præceſſit, de facto quoque reuocetur, vt etiam accipitur *in cap. non ſolùm* 7. *de appellation. in* 6. *l. ſi dolo* 5. *C. de R. V.* docent Redoanus *vbi proximè*, *q.* 77. *cap.* 1. *num.* 16. Couarruuias *practicar. cap.* 28. *num.* 10. Gutierrez *lib.* 2. *q.* 22. *num.* 9. Surdus *de aliment. tit.* 8. *priuil.* 56. *n.* 8. Mantica *lib.* 4. *de tacitis*, *tit.* 7. *num.* 53. Cancerius *lib.* 1. *variar. cap.* 13. *num.* 86. Arias de Meſa *lib.* 1. *var. cap.* 27.

12. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex his iam apparet vera ratio huius deciſionis. Cùm enim Fantinus permutationem rerum Eccleſiæ cum Proiecta celebraret inconſulto R. P. ad quem vt Epiſcopum vrbis Romæ ſpectabat conſenſum præſtare huic alienationi, nulla fuit talis commutatio, ex defectu ſolennitatis: ſed licèt à principio vires non haberet, tamen vim ex poſtfacto conſenſu Pontificis obtinuit: & cùm in alienationibus rerum Eccleſiæ ſufficiat ratihabitio, ex ſuprà traditis, & adductis à Redoano *d. q.* 32. rectè decidit in præſenti Gregorius, per conſenſum ſuperuenientem validam reddi alienationem à principio inualidam, ex regula *Ratihabitionem*, *de regulis iuris in* 6. Cùm enim Pontifex poſſet à principio alienationi conſentire, potuit poſtea conſentiendo inualidam validam reddere; & ſi alia ſolennitas deſideraretur, conſenſus Pontificis omnia ſuppleret, cùm ipſe dominus ſit rerum Eccleſiæ, ex ſuprà traditis.

13. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obſtat prima difficultas ſuprà adducta, verum enim eſt, Procuratorem non cum generali, ſed cum libera adminiſtratione conſtitutum, res domini diſtrahere poſſe, ſi modò faciat ex bona fide, *l. creditor* 60. §. *Lucius*, *ff. mandati*, *l. qui fundum* 7. §. *ſi tutor*, *ff. pro emptore*; ſed defenſores Eccleſiæ Romanæ in Siciliam miſſi non erant Procuratores cum libera, ſed cum generali adminiſtratione, & facultate mittendi frumentum, & alias penſitationes Eccleſiæ Romanæ debitas; non autem habebant liberam facultatem diſtrahendi frumentum, vel Eccleſiæ poſſeſſiones. Indè Fantinus Defenſor in Siciliam miſſus non potuit aliquam ex Maſſariis ex cauſa permutationis alienare. Nec ſecunda difficultas refragatur; nam omiſsâ illâ quæſtione, vtrum auctoritas tutoris interuenire debeat in ipſo negotio; an verò eo perfecto ſtatim ſequi poſſit, quam pro illuſtratione textus *in l. ſi quis mihi* 25. §. *iuſſu*, *ff. de adquir. heredit.* examinant Donel. *lib.* 3. *comm. cap.* 13. Faber *in Papinian. tit.* 12. *princ.* 6. *illat.* 32. Hothoman.

thoman. *lib.* 1. *amic. cap.* 3. Cuiac. *lib.* 13. *obseru. cap.* 31. dicendum est, magnum discrimen versari inter authoritatem tutoris, quæ desideratur in alienatione rerum pupillarium; & consensum superioris, qui accedere debet alienationi rerum Ecclesiæ. Authoritas tutoris requiritur in ipso negotio, vt suppleat defectum iudicij in pupillo; consensus autem Prælati desideratur in alienatione tantùm ad solennitatem; vnde postea superueniens habetur ac si à principio adfuisset; consensus enim potest alienationem præcedere, aut subsequi, *d. l. si quis mihi* 25. §. *iussum*, *l.* 3. *ff. rem ratam haberi*: authoritas autem desideratur in ipso negotio, *d. l.* 9. §. *tutor*, *ff. de authorit. tutor.*

14. EXPONITVR CAP. NON LICEAT, 12. q. 2.

Nec obstat textus *in cap. non liceat Papæ* 12. *q.* 2. suprà expensus, pro cuius interpretatione plerumque animaduertitur, tam nomen Papæ, quàm Pontificis, commune olim fuisse omnibus Episcopis; & sic passim Pontifex pro Episcopo accipitur apud Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, & alios Ecclesiæ Patres, vt plura notantes docent Petrus Gregor. *lib.* 15. *syntagm. cap.* 2. *num.* 13. Baronius *anno* 165. *num.* 4. Mendoza *lib.* 2. *pro confirm. Concilior. cap.* 32. Sauarus *ad Sidonium lib.* 6. *epist.* 1. *verb. Papa*: Ambianas *ad Tertul. de pudic. cap.* 13. *obseru.* 1. & nos *in cap.* 2. *de postulat. Prælat.* Vnde aiunt Archidiaconus & Turrecrem. *in d. cap. non licet*, nomine Papæ Episcopum significari, & comprehendi. Sed hæc solutio refellitur ex vltimis verbis ipsius textus, vbi docetur, eam decisionem, tantùm ad Romanam Ecclesiam spectare: quare dicendum est, Symmachum eius textus authorem esse accipiendum de ipso Pontifice, qui licèt possit potestate absolutâ omnia Ecclesiæ bona quomodocumque distrahere, vt docet Redoanus *d. q.* 44. *&* 45. tamen secundùm leges ecclesiasticas, quibus quoad vim directiuam ligatur ipse Pontifex, vt probabimus *in cap.* 1. *de probationibus*, non potest sine causa eas alienare, aut alienationi consentire; si tamen consensum præstiterit, recta erit alienatio, *cap. ad audientiam* 12. *de præscrip. cap. per tuas*, *de donation.* & innuitur *in extrauag. Ambitiosæ*, *de rebus Ecclesiæ*, vt contingit in alienatione rerum minoris ex rescripto Principis, sine decreto facta, *l.* 2. *C. quando decreto non est opus.* Peccare autem lethaliter ipsum R. P. sine causa alienationi consensum præstando, docent Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 18. *à numero* 6. In nostro autem casu iusta causa alienationis præcesserat à defensore examinata; quare validè, & licitè potuit Gregorius tali permutationi consentire.

15. OPPONVNTVR VARII TEXTVS.

Supradictæ assertioni aduersatur textus *in cap.* 2. §. *item sibi inuicem* 10. *q.* 2. *cap.* 1. *de reb. Ecclesiæ*, *cap. ad quæstionum* 5. *de rer. permut.* vbi deciditur, posse Rectores Ecclesiarum inter se inuicem bona Ecclesiarum permutare: igitur absque vllo Pontificis consensu potuit Fantinus Massariam permutare. Etiam difficilis est textus *in d. cap.* 1. *de reb. Eccles.* dum ibi permittitur, ex consensu tantùm Abbatis rem monasterij alienari, cùm certum sit, eo in casu etiam Episcopi licentiam desiderari, *cap. Abbatibus* 41. 12. *q.* 2. *cap. in venditionibus* 40. 17. *q.* 4. Pro istorum iurium interpretatione discrimen constituunt Riccius *in praxi*, *decis.* 74. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 95. *num.* 55. inter permutationes factas inter personas ecclesiasticas, & celebratas inter personam ecclesiasticam & sæcularem. Primo casu asserunt, necessariam non esse Episcopi licentiam, iuxta iura suprà adducta: secundo verò casu consensum desiderari, aliterque permutationem factam nullam esse, *cap.* 1. 10. *q.* 2. *cap. sine* 12. *q.* 2. *dicta extrauaganti Ambitiosæ.* Sed hoc discrimen admitti non potest, cùm certum sit, vtroque casu permutationem inutiliter contrahi. Nec etiam contrarium probant textus suprà citati; nam in permutationibus, de quibus in eis agitur, supponendus est consensus, tam Rectoris Ecclesiæ, quàm Episcopi, omnemque solennitatem præcessisse. Nec secunda difficultas obstat; nam dicendum est, Abbates esse in duplici differentia; alij enim sunt exempti à lege diœcesana priuilegio, aut consuetudine, de quibus egi *in cap. graue*, *cap. licèt*, *de offic. ordin.* alij verò sunt subiecti Episcopis, de quibus *in d. cap. Abbatibus*, *cap. in venditionibus*, *cap.* 1. *de supplenda*: vnde textus *in dict. cap.* 1. *de rebus Ecclesiæ*, accipiendus est de Abbate exempto, qui cùm à iurisdictione Episcopi sit exemptus, potest alienationi consentire; textus verò suprà citati loquuntur de Abbatibus Episcopo subiectis, qui per se alienationi consentire non valent.

CAPVT III.

[a] Gregorius [b] *Ianuario Episcopo Caralitano.*

QVaLiter in [c] Sardinia minores, vel pauperes, ab eis, qui illis maiores sunt, opprimantur, reuerendissimi fratris nostri [d] Dominici Carthaginensis Episcopi, atque eminentissimi filij nostri [e] Innocentij Præfecti epistolæ testantur, à quibus, vt quæ nobis scripta sunt, noueritis, ipsarum vobis epistolarum exemplaria præuidimus transmittenda: & ideò quia ea, quæ nobis petenda sunt, offeruntur, studiosè agendum est, vt ea, quæ [f] promittuntur, opere compleantur. Si qui eorum, de quibus est quæstio, in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa intelligentiâ nostrâ disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur; nec ij, qui dicuntur oppressi, damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit vt eis [g] sacramentum ab his, quorum interest, de seruanda lege, & iustitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem, quibus etiam Ecclesiæ vestræ [h] defensorem deputare vos conuenit, cuius solicitudine quæ illis fuerint [i] promissa, seruentur, quatenus nec aliis noxia sint, & ipsis ecclesiastica, saluâ ratione, possint prodesse refugia. Ita ergo fraternitas vestra faciat, vt hæc, quæ eius studio emendanda sunt, mora per eam, vel impedimentum aliquod non contingat.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Gregorius.*] Ita restituo epigraphen, & integram huius textus ex D. Gregorio *lib.* 8. *indict.* 3. *epist.* 38. De ipso Gregorio Magno nonnulla retuli *in cap.* 2. *de constit.*

2. b *Ianuario.*] Ianuarius patriâ Calaritanus, Archiepiscopus fuit ipsius ciuitatis temporibus Gregorij Magni, cuius valde familiaris fuit, vt refert, & plura ab eo gesta tradit Dionysius Bonfant. *in histor. Sanctor. Sardiniæ, lib.* 13. *cap.* 31. Illi varias scripsit epistolas, vt constat *ex lib.* 1. *epist. Gregor. epist.* 60. 61. *&* 62. *&* 81. & *lib.* 3. *epist.* 8. 9. *&* 10.

3. c *Sardinia.*] Est nobilis insula Italiæ Prouinciæ, aliquando à propriis Regibus gubernata. Theodorus Zincerius *tom.* 3. *lib.* 3. *Sardis quoque curru vehi, & erectam ferre thiaram solis Regibus dabatur.* Tristis cœlo, & multâ vitiata palude dicitur à Silio Italico *lib.* 12. pestem facere scribit Solinus Polyst. *cap.* 10. pestilens vocatur à Victore *de viris illustribus cap.* 65. inde ratio cur olim Iudæi sub Tiberio mittebantur in Sardiniam, vt ibi perirent. Tacitus *lib.* 2. *annal. in fine :* quare argutè dictum à Martial. *lib.* 4. *epigragm.* 60. *Cùm mors venerit, in medio etiam Tibur Sardiniam esse.* Inter Africæ Prouincias enumeratur *in l.* 1. *C. de officio Præfecti Africæ, l.* 3. *C. Theodos. de pœnis, l.* 7. *de exactionibus, eod. C. l.* 3. *ad legem Iul. repetundar.* Plura de eius origine tradunt Berterius *diatr.* 1. Bonfant. *vbi supra*, & Viccus *in histor. ipsius insulæ.*

4. d *Dominici.*] Qui in collatione aduersùs Donatistas in Concilio Carthaginensi subscripserat. Baronius *anno* 544.

5. e *Innocentij Præfecti.*] Cui etiam scripserat D. Gregor. *lib.* 9. *epist.* 1. Ad huius Præfecti Prætorio Africæ expositionem sciendum est, Africam occupatam fuisse à Vandalis anno 439. vt referunt Isidorus *in histor. Vandal.* Victor Vticensis *lib.* 1. *de persequut. Vandal.* Baronius *in prædicto anno :* vnde rebus Italiæ in ea parte declinantibus, Præfectum proprium non habebat, sed à Præfecto Italiæ regebatur : sed cùm iterum recuperata esset à Belisario tempore Iustiniani anno 534. vt refert Procopius *lib.* 1. *de bello Vvandal.* ex eo, & aliis refert Baronius *in prædicto anno*, Præfectum Prætorio Africæ restituit, *l.* 1. *C. de officio Præfecti Africæ :* de cuius dignitate, officio, & scholis videndi sunt Pancirol. *lib.* 2. *variarum, cap.* 188. Iacobus Gutherus *lib.* 1. *de officiis domus Augustæ, cap.* 8. Statuit autem Iustinianus, vt Præfectus sedem haberet Carthagine, *d. lib.* 1. quia Præfecti Prætorio in Metropolitanis ciuitatibus degebant, vt tradit Berterius *diatrib.* 1. *cap.* 8. Huius Præfecti mentio fit à Gregorio *in præsenti.*

6. f *Promittuntur opere compleantur.*] Nihil enim fidei humanæ ita congruum est, quàm ea, quæ inter aliquos placuerunt, seruare, *l.* 1. *ff. de constit. pecunia.* Vnde ait Paulus *in l. cùm amplius, ff. de regul. iuris*, eum naturâ debere, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem sequuti sumus. Quare in sacris litteris sæpiùs repetitum legimus, Deum ipsum Optimum Maximum, qui nullâ lege obstringi valet, contra naturam suam facturum, nisi promissa præstaret. D. Paulus *ad Hebræos cap.* 6. *vers.* 18. & *cap.* 10. *vers.* 23. & 1. *ad Corinthios, cap.* 1. *vers.* 19. & *cap.* 20. *vers.* 13. & 1. *ad Thessalon. cap.* 5. *vers.* 24. & 2. *ad Titum cap.* 2. *vers.* 13. Facit Salomonis sententia *Prouerbior. cap.* 5. *vers.* 1. *Fili mi, si quid spopondisti alteri, defixisti externo volas tuas, illaqueatus es verbis oris tui, captus es enunciationibus oris tui.* De his promissionibus Seneca *lib.* 5. *de beneficiis, cap.* 10. aiebat : *Quæ lex ad id præstandum nos, quod alicui promisimus, obligat.* Plura Grotius *de iure belli lib.* 2. *cap.* 11. Mendoza *lib.* 1. *de pactis, cap.* 4. Donel. *lib.* 12. *comment. cap.* 8. Galbanus *de V.S. cap.* 16. Vuisembachius *disput. iur. disput.* 31. *num.* 11.

g *Sacramentum.*] Idest iuramentum, *cap.* 1. *de feriis*, vbi dicemus.

7. h *Defensorem.*] Defensores enim primis Ecclesiæ temporibus dabantur minoribus, seu pauperibus aduersùs oppressiones maiorum. Concilium Carthag. 5. *can.* 9. *Decreta est legatio ad Imperatores propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, vt defensores ei aduersùs potentias diuitum cum Episcoporum prouisione delegentur.* De defensore in Africa constituto agit Possidius *in vita sancti Augustini, cap.* 12. notauit Balsamon *in can.* 78. *Synodi Carthagin.* Alij sunt defensores politici, de quibus *in tit. C. de defensor. ciuitatum*, de quibus plura tradunt Baronius *anno* 286. *num.* 4. Meursius *in glossar. verb. Defensor*, Benedictus Haæphtenus *in vita sancti Benedicti, cap.* 26. Christ. Lupus *in can.* 23. *Concil. Chalced.*

8. i *Promissa seruentur.*] Ex his verbis deducunt communiter DD. iure nostro Canonico ex pacto nudo actionem oriri : sed contrariâ sententiâ retentâ, hæc verba exposuimus *in cap.* 1. *hoc tit.*

CAPVT IV.

a Alexander *Exonien. & Vvigornen. Episcop.*

CVm pridem S. P. clericus procurator Prioris, & monachorum de b Acra, & P. clericus pro causa, quæ inter eos, & prædictum P. ac fratrem eius, cuius vicem se gerere c dicebat, super Ecclesia & capella de L. vertebatur, ad nostram præsentiam accessissent, inter se, non tamen nobis mediantibus conuenerunt, quod eidem P. pro expensis, quas fecerat, tres d marchæ argenti soluerentur, & idem P. liti cederet, & à monachorum infestatione cessaret. Cumque compositionem istam authoritate Apostol. peterent confirmari, nos eam non duximus admittendam pro eo, quod videbatur prauam illicitæ pactionis speciem continere. Monuimus autem prædictum P. vt ipse, tam pro se, quàm pro suo fratre monachos in pace dimitteret; &

eidem liti omnino abrenunciaret. Ille igitur noſtris monitis acquieſcens, & eidem liti pro ſe, ac fratre ſuo renuncians, authentica inſtrumenta, quæ ſuper hoc habebat, in noſtris manibus reſignauit, quæ nos Priori, & Monachis deſtinantes mandauimus, vt eidem P. & fratri eius in aliquo ſtuderent beneficio prouidere, de quo maius lucrum valeant Apoſtolicâ interceſſione percipere, quàm eis deberet ex illa pactione illicita prouenire. Cæterùm quia Prior, & fratres adquieſcere noluerunt, mandamus, quatenus moneatis eoſdem, vt præfato P. & fratri eius competens beneficium conferant, & aſſignent, alioquin ſi vobis conſtiterit, dictos clericos à prænominata Eccleſia, & capella abſque ordine iudicario violenter eiectos, ipſas eiſdem reſtitui faciatis, non obſtantibus litteris noſtræ confirmationis, quas prædicti Prior & monachi à nobis impetraſſe noſcuntur.

NOTÆ.

1. a *Alexander.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. & poſt Concilium Lateran. *p.* 28. *cap.* 4. De Eccleſia Exonienſi egi *in cap.* 6. *de filiis Preſbyt.* de Vvigornienſi *in cap. noſti, de electione.*

b *Acra.*] Aliàs *Ægra*, eſt monaſterium Eccleſiæ Anglicanæ.

2. c *Dicebat.*] Cùm enim frater eſſet, & conſors litis, non egebat ſpeciali mandato ad agendum, *cap. conſtitutus, de in integ. reſtit.* docent Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 6. Marcha *de iuriſdict.* 2. *p. cap.* 30. Vega *in cap.* 2. *de foro competenti, num.* 52. Morla *in empor. tit.* 7. *q.* 5. Carleual *de iudiciis lib.* 1. *tit.* 1. *diſp.* 2. *à num.* 144.

3. d *Tres Marchæ.*] Argenti marcha non eiuſdem valoris eſt apud omnes; nam apud nos marchus Coloniæ habet octo vncias; ſimiliter etiam & marchus Troiæ, *l.* 1. *tit.* 13. *lib.* 5. *recopil.* de quibus, & eorum valore agunt Couarruias *de veterum numiſmatum poteſt. cap.* 5. *num.* 1. Villaſant. *in ſuo Quilatador de oro, y plata, lib.* 1. *cap.* 1. Georgius Heniſchius *de aſſe, & partibus eius, pag.* 103. Marcha in Gallia continet 70. coronatos, vt ipſe refert *pag.* 204. in Anglia pendebat tres aureos nummos, quos Angli ducatos appellant. Polydorus Vergilius *lib.* 10. *hiſtoriæ Angliæ, pag.* 164. vnde in tribus marchis promiſſis in hac deciſione comprehenduntur nouem nummi.

Ad hunc textum fuſam dedit repetitionem Primarius noſter D. Ioannes de Balboa, qui pro eius expoſitione adeundus eſt.

CAPVT V.

Idem [a] *Eboracenſi Archiepiſcopo.*

ACcepimus, quod quædam Eccleſiæ clericis ſunt tali tenore conceſſæ, quod poſt eorum obitum alij nominatim ſuccedant. Verùm quoniam hoc iniquum eſt, & ſacris canonibus inimicum, & ideo non debet aliquatenus tolerari: f. t. per A. ſ. præc. mand. quat. huiuſmodi ſucceſſiones tam deteſtabiles, & iniquas, contrad. & ap. ceſſ. fieri prohibeas, & omnino friuolas, & vanas eſſe decernas.

NOTÆ.

1. a *Eboracenſi.*] Poſt Concilium Lateranenſe *part.* 28. *cap.* 4. legitur *Epiſcopo Dunelmenſi:* in prima autem collectione, ſicut in iſta, legitur *Eboracenſi Epiſcopo*, & rectiùs, vt notauit Antonius Auguſtinus *in eo*, qui animaduertit præſentem deciſionem potiùs ſpectare ad titulum de inſtitutionibus, quàm ad præſentem rubricam: ſed cùm in eo proponatur pactum circa ſucceſſionem in beneficio initum, non impropriè compilatur à Raymundo *ſub hoc tit.* Pactum autem in præſenti ſpecie præceſſiſſe, docent, & ſupponunt Butrius, Panormitanus, & alij antiquiores *in præſenti*, quorum opinio ſuadetur ex abuſu Eccleſiæ Anglicanæ, vbi temporibus Alexandri III. ſucceſſio in beneficiis eccleſiaſticis facilè admittebatur, vt notaui *in tit. de filiis Preſbyterorum.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO DEDVCITVR.

EX hoc textu omnes claſſici repetentes deducunt, *non valere pactum de ſuccedendo poſt mortem Prælati ipſius Eccleſiæ.* Quæ concluſio ſingularis eſt in iure; quatenus verò prohibet ſucceſſionem in eccleſiaſticis beneficiis, eam probant textus adducti *in cap.* 2. *de filiis Preſbyterorum*, & qui communiter expenduntur *in cap.* 1. *de præbendis.* Eam illuſtrant Duarenus *lib.* 6. *de ſacris Eccleſiæ, cap.* 1. *per totum*, Petrus Gregor. *de beneficiis, cap.* 30. *num.* 1. Garcia *eod. tract. p.* 10. *cap.* 1. *num.* 1. Corraſius *eod. tract.* 2. *p. cap.* 7. *num.* 1.

3. IMPVGNATVR PRÆDICTA ASSERTIO.

Sed hæc Alexandri deciſio impugnatur ſequentibus argumentis. Primum ex eo naſcitur; nam pactum iniri valet non ſolùm de rebus, quæ præſentes ſunt, verùm & de illis, quæ ſperantur, vt de fructibus naſcituris, de partu ancillæ, de fœtu pecoris, quæ licèt non ſint, tamen ſperantur, *l. nec emptio* 8. *l. ſi emptione* 34. §. *liberum, ff. de contrahenda emptione, l. & quæ nondum* 15. *ff. de pignorib. l. quod in rerum* 24. *ff. de legat.* 1. *l. etiam* 17. *ff. de legat.* 3. *l. cùm illud* 25. §. 1. *ff. quando dies legati, l. interdum* 73. *ff. de verb. obligat.* igitur & ſuper ſucceſſione in iure alterius, ſeu viuentis beneficio paciſci valet. Secundum militat ex eo, quia pacta ſemel inita ſeruanda ſunt, *l. conuenire, ff. de pactis, l. pacta* 72. *de contrahend. empt.* & ſicut ab initio paciſci voluntatis eſt, parêre conuentis eſt neceſſita

necessitatis, *l. frater*, *C. de transaction. cap.* 1. & 3. *hoc tit.* igitur pactum de succedendo in beneficio alterius obseruandum est. Tertium, & difficilius insurgit; nam hoc pactum de succedendo in beneficio viuentis, possessore defuncto, non solùm iure nostro permissum est, verùm & introductum, & à sanctis PP. vsitatum: in Africana enim Ecclesia, sedato schismate Donatistarum, cùm post collationem Donatistæ ad fidem catholicam redirent, statutum fuit in Concilio Africano, vt Episcopus Catholicus in locum Donatistæ suffectus, & ipse Donatista rediens Ecclesiam regerent, diuisione ita facta, iuxta textum *in cap.* 1. *de parochiis*; & altero prædefuncto, alius in eius locum succederet. Refert D. Augustinus *in breuiculo collationum*, *cap.* 5. Idem in Hispania statutum fuisse cum Episcopis Arrianis ad fidem reuersis, tradit Mendoza *lib.* 1. *Concilij Illiberit. cap.* 11. igitur conuentio, per quam succeditur in viuentis Ecclesia, aliena non est ab ecclesiastica disciplina.

4. PACTVM DE HÆREDITATE VIVENTIS IMPROBATVR.

Adhuc tamen Alexandri III. decisio defendenda est, quæ validissimis nititur vtriusque iuris rationibus. Prima, ne pactum circa viuentis successionem admittatur, quod tot legibus improbatum reperitur, *l. stipulatus*, *ff. de V. O. l. pactum quod dotali* 15. *C. de pactis*, *l. ex eo* 4. *C. de institution. l. hæreditas*, *C. de pactis conuentis*, *l. licèt*, *l. fin. C. de pactis*, *l. epist.* 52. §. 1. *ff. eod. tit. l. litteræ* 17. *ff. de iure codicil. l. si maiores* 25. *l. cùm donationis* 34. *C. de transact. l. donari* 29. §. *finali*, *ff. de donat. l. cùm duobus* 52. §. *idem*, *ff. pro socio*, *l.* 2. *in fin. ff. de his*, *quæ vt indign. l. ex eo* 4. *C. de inutil. stipul.* probant, & disputant Bronchorst. *centur.* 1. *assert.* 30. Hartmannus Pistor. *lib.* 4. *q.* 1. *cum sequent.* Besold. *in delibat. iuris ex lib.* 2. *Pandect. tit. de pactis*, §. 18. *fol.* 221. Valentia *tom.* 1. *illustr. tract.* 3. *cap.* 2. Santolaria *interpr.* 14. Robertus *lib.* 1. *rerum iudic. cap.* 15. Castillo *lib.* 3. *controu. cap.* 9. Cabedo *decis.* 164. Franzchiz *exercit.* 8. *q.* 10. Fachineus *lib.* 8. *controu. cap.* 84. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 6. Caldeira *lib.* 2. *de erroribus*, *cap.* 7. Drecherus *dissert.* 1. & 7. Pinellus *lib.* 1. *select. cap.* 10. Sarmiento *lib.* 2. *select. cap.* 4. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 2. Viglius *in* §. *igitur*, *Instituta de pupillari.* Hunnius *ad Treutler. volumine* 2. *disput.* 20. *q.* 4. & *lib.* 3. *var. cap.* 16. Petrus Gregor. *lib.* 41. *syntagm. cap.* 4. *cum sequentibus*, Morla *in empor. tit.* 3. *q.* 5. Merend. *lib.* 1. *controu. cap.* 17. *cum sequentibus*, Fachineus *lib.* 5. *controu. cap.* 84. Corrasius *lib. vnic. epistol.* Anton. Gomez *in l.* 22. *Tauri*, Menchaca *illustr. cap.* 43. Pacius *cent.* 5. *q.* 11. Raguellius *in l. vlt. C. de pactis*, Cuiac. *in l.* 2. §. *fin. ff. de his quibus vt indign. in l. donari* 29. §. *vlt. ff. de donation.* Faber *de error. decad.* 12. *error.* 2. *cum sequentibus.* Schifordeger. *lib.* 1. *tract.* 29. Pichardus *de adquir. hæredit. cap.* 8. *num.* 17. Sichardus, Cagnolus, & Donellus *in d. l. vlt. C. de pactis*, Arnold. Vinius *de pactis cap.* 19. collega noster Don Ioannes de Larrea *decision.* 52. *Granat. num.* 21. viuentis enim successio non datur, nec hæreditas, *l. qui hæreditatem* 19. *l. neminem* 27. *l. qui superstitis* 94. *ff. de adquir. hæred.* inde de ea agi non potest; quo modo accipiuntur textus *in l.* 1. *ff. de hæredit. vel action. vend. l.* 1. *ff. pro hæred. l.* 1 §. *si impuberi*, *ff. de collat. bonor. l.* 2. §. *interdum*, *ff. de vulgar. l. his qui* 25. §. *an nominatim*, *ff. de adquir. hæredit. l. ita tamen* 27. §. *à patre*, *ff. ad Trebell.* licèt in contrarium soleant expendi textus *in l.* 1. *ff. quando dies legati*, *l. qui patri* 59. *ff. de adquir. hæred. l.* 1. §. *si libertus*, *ff. si quid in fraudem patroni*: meritò ergo quod in rerum natura non est, neque sperari licet, in pactum deduci non potest: deinde quia si pactum hoc seruaretur, daretur occasio captandæ mortis alienæ; nam cùm paciscens per pactum sibi successionem, aut beneficium deberi cognosceret, eius vitæ insidias apponeret, aut pararet, *ex l. cùm pater* 77. §. *mando*, *ff. de legat.* 2. quam rationem adducunt Legislatores Ecclesiæ *in cap.* 1. & 2. *de conces. præbendar. cap. in primis* 2. *q.* 1. *cap. non furem*, *cap. eum qui* 7. *q.* 1. & Imperatores *in l. de fideicommisso* 11. *C. de transact. l.* 33. *tit.* 11. *partit.* 5. quas pactiones odiosas, & tristissimi euentus plenas appellat Iustinianus *in l. fin. C. de pactis*: vnde vt huiusmodi insidiæ vitarentur, lege Corneliâ pœna imposita fuit illis, qui viui testamentum aperuissent, *l.* 2. §. *his qui aperuerint*, *ff. ad legem Cornel. de falsis*, *l. si quis* 38. §. *qui viui*, *ff. de pœnis*: & ea de causa quamuis vnicum testamentum sit patris, & pupilli; tamen permittitur patri separatim filiis substitutionem facere, proprio signo claudere, & cerâ consignare, ne substitutus sciat se substitutum pupillo datum esse, §. *fin. Inst. de vulgar.* vel insidias apponat, vt contigit *in l. Cicero*, *ff. de pœnis*, & aliis exemplis relatis à P. Gregor. *d. cap.* 4. Rectè igitur in præsenti docetur, pactum de succedendo in beneficio alterius, vires non habere.

5. EXPONVNTVR VARIÆ IVRA.

Sed licèt pactum ad adquirendam viuentis hæreditatem non admittatur, tamen ad eam conseruandam initum sustinetur, *l. si ab eo*, *C. de legitim. tutor. l. final. C. de emancip. liber.* Vnde licèt pater emancipando filium contractâ fiduciâ id agat, vt hæreditas ad ipsum pertineat, §. *vlt. Inst. de legit. agnator. succes.* tamen admittitur ad ipsam. Similiter sustinetur stipulatio, quæ in adrogatione interponitur, vt si impuberi hæreditas obuenerit, restituatur venientibus ab intestato, *l. non aliter*, *ff. de adoption. l. causâ cognitâ* 40. *ff. de vulgari.* Etiam valet pactum in distractione serui appositum, vt si hæreditas illi obuenerit, restituatur venditori, *l. si quis seruum*, *ff. de action. empti.* Et similiter quia cessat ratio suprà adducta, valet pactum de hæreditate defuncti diuidenda; quo modo accipiendi sunt textus *in l. qui Romæ*, §. *finali*, *ff. de verb. oblig. l.* 1. *C. de pactis*, *l. qui res* 29. *ff. de action. empti*, *l. hæc* 14. *ff. vt legatorum*, *l. si constante* 24. §. *si vir*, *ff. soluto matrim. l. Paulus*, §. *patroni filius*, *ff. de bonis libertor.* etiamsi nondum delata sit hæreditas; quo modo intelligendi sunt textus *in l. nam hoc* 11. *ff. de hæredit. vel action. vendit.* vbi docetur, hæreditatem in suspenso existentem vendi posse; accipiendus est enim textus de hæreditate sub conditione relicta: pendente enim conditione vendi potest, & pactum circa illam factum custoditur. Et textus *in l.* 2. §. *illud* 2. *ff. eod. tit.* vbi proposuit Vlpian. hæredem à patre institutum, eundemque filio pupillariter substitutum, patris iam defuncti hæreditatem vendidisse; quæritur vtrum pupilli hæreditas vendita quoque intelligatur? Et respondetur, venditam non credi, quia alia hæreditas est. Prosequitur Consultus, & ait, quod si actum sit, vt ea etiam hæreditas in venditionem veniat, venditam intelligi, maximè si iam delata est: igitur etsi delata non sit, quia adhuc in rebus humanis non erat, rectè in venditionem deducitur. Huic difficultati frequenter respondetur,

tur, verbum illud *maximè*, Conſulti ſententiam reſtringere, vt *in l. ſi mihi* 34. *ff. de donation. inter, l. ſi ſeruus* 27. §. *ſicut maritus* 30. *l. mulier* 56. *ff. ad leg. Aquil. l. fin. ff. de nouation. iuncta l. Lucius* 21. *ff. de iureiur. l. vſucapionem* 9. *ff. de vſucapion. iuncta l. ſeruus* 43. §. *incorporales*, *ff. de adquir. rer. domin.* Caldeira *de error. pragmat. cap.* 1. *num.* 4. & *in d.* §. *filio*, ait illam dictionem *maximè*, taxationem inducere, vt eum caſum tantùm complectatur, quo iam delata ſit: notant Cuiac. *in d. l. donari* 29. §. *fin.* Faber *in rational. ad text. in d.* §. *illud*, Bronchorſt. *d. aſſert.* 30. P. Gregor. *d. lib.* 41. *ſyntagm. cap.* 5. *num.* 6. Raguell. *in d. l. vlt.* Tuldenus *ad tit. C. de pactis, num.* 6. Sed hac omiſsâ ſolutione dici poteſt, Vlpianum *in d.* §. *tantùm*, affirmare, impuberis hæreditatem venditam intelligi, maximè ſi iam delata ſit: hæc conſequentia rectè deducitur: igitur etiamſi nondum delata ſit, vendita intelligitur. Supponendum tamen eſt, pupillum deceſſiſſe: quare licèt propter conditionem adiectam hæreditas delata non ſit, tamen ſpes illa vendi poteſt. Docet Donel. *in d. l. vlt. num.* 6. Pacius *centur.* 5. *q.* 11. Etiam de incerta hæreditate paciſci valet, vt in ſpecie textus *in l.* 3. §. *de illo*, *ff. pro ſocio*; quem ita accipiunt Raguell. Donel. & Gilkenius *in d. l. vlt. C. de pactis*, Gothofredus, & Faber *in d.* §. *de illo*, Hunnius *d. lib.* 3. *var. q.* 13. iuxta quæ iuris principia accipiendi, & exponendi ſunt textus *in l. ſi conſtante* 24. §. *ſi vir*, *l. ſi verò* 64. *ff. ſolut. matrim. l. vlt. ff. de legatis* 3. *l.* 1. §. *ſi impuberi*, *ff. de collat. honorum*, *l. hæc* 14. *ff. vt legat. nom. l. eum qui* 56. §. *fin. ff. ad leg. Falcid. l. litteræ*, *ff. de iure codicil. l. epiſt.* 52. *ff. de pactis, l.* 4. *C. de inutil. ſtipul. l.* 1. §. *ſi parens*, *ff. ſi quis à parente*, *l.* 4. *ff. de condit. inſtit. l. donari* 29. §. *donationem*, *ff. de donat. l. licet* 19. *C. hoc tit. l. ſi quis ſeruum* 23. *ff. de actionibus empti, l.* 34. *C. de tranſact.*

6. TRADITVR ALIA Sed vt vnde digreſſi ſumus, regrediamur, alia ratio huius deciſionis prouenit ex ſucceſſione in beneficiis eccleſiaſticis, à ſacris canonibus inhibita, & improbata, vt probaui *in cap.* 2. *de filiis Preſbyter.* & Deo volente plura dabimus *in cap.* 1. *de præbendis*: quare etiam conſentiente beneficij poſſeſſore pactum conuentum de ſuccedendo in eius beneficio improbatur; quia poſſeſſor beneficij non poteſt etiam abſque pacto ex propria voluntate, & diſpoſitione deſignare ſucceſſorem in proprio beneficio, *cap. deteſtanda*, *de conceſſione præbendæ*, *lib.* 6. *cap. ſi Petrus*, *cap. Apoſtolica*, *& per totam* 8. *q.* 1. RATIO DECISIONIS.

7. DISSOLVITVR ARGVMENTA CONTRARIA. Nec obſtant argumenta ſuprà in contrarium adducta; nam licèt in aliis negotiis, & rebus ſufficiat ſpes, vt pactum ſuper eis celebrari poſſit, tamen in ſucceſſione, aut hæreditate deſideratur, vt actualiter ſit hæreditas, vt circa eam pactum conuentum ſuſtineatur, *l. cùm hæreditas* 14. *ff. de hæred. vel action. vend.* Ratio eſt, quia cùm dicimus, ſpem eſſe in conſideratione, vt vendi, donari, hypothecæ nomine obligari, paciſcíve de ea poſſit; intelligendum eſt de ſpe licita, & approbata, non verò de ſpe bonis moribus contraria: igitur cùm ſpes alienæ hæreditatis ſit illicita, & improbata, propter votum captandæ mortis alienæ, *l. donari* 29. §. *fin. ff. de donation. d. l.* 2. §. *interdum*, *l.* 1. §. 1. *ff. vbi pupillus*; meritò non venit in conſideratione, vt de ea paciſci valeat. Nec ſecundum argumentum aduerſatur; eius enim principium procedit, quando pactum non continet aliquid contra bonos mores, vt pactum, de quo in hoc textu: quia tale pactum non ſuſtinetur. Nec tandem obſtat tertium argumentum deductum ex Eccleſiæ vſu cum Donatiſtis, & Arrianis; nam vt dixi *in cap. quoniam*, *de officio Ordinarij*, ſpecialiter vt Donatiſtæ, & Arriani allicerentur ad abiurandas hæreſes, ſtatutum fuit, licèt contra iuris regulas, vt vno, eodemque tempore duo Prælati eſſent in eadem Eccleſia, & alter alteri decedenti ſuccederet, vt ſic lapſi conuerſi Eccleſiâ ſuâ non priuarentur, & Catholici inſtituti abſque Eccleſia non manerent: docet Mendoza *vbi ſuprà*, *pag.* 12.

CAPVT VI.

Idem [a] *Cant. Archiepiſcopo.*

CVm clerici veſtræ iuriſdictionis, ſicut accepimus, decedentibus Eccleſiarum [b] perſonis paciſcantur pro ipſis Eccleſiis [c] maiores ſolitis ſoluere penſiones, vt faciliùs eaſdem Eccleſias poſſint adipiſci: Nos quidem ad tam deteſtabile vitium extirpandum, attentam volumus curam, & ſolicitudinem adhibere. Inde eſt, quod f.v. per A. ſ. præ. m. quat. clericis veſtris, ne id attentare præſumant, publicè ſub diſtricta pœna prohibeatis; & ſi quidem contra prohibitionem veſtram venire præſumpſerint, ap. ceſſ. eos Eccleſiis taliter adeptis quamcitiùs ſpolietis, & aliàs pro tantæ præſumptionis exceſſu ſeueritate eccleſiaſtica puniatis. Ad [d] hæc, quia ſunt clerici quidam, qui cum religioſis viris colluſione factâ citra auctoritatem dicti Epiſcopi Eccleſias, quas tenent, eis conſtituunt cenſuales, vt poſt deceſſum eorum Eccleſiæ per repræſentationem eorumdem religioſorum virorum ad filios, vel nepotes clericorum ipſorum poſſint transferri: præſentium auctoritate vobis præcipimus, vt ſi qui clericorum veſtrorum inuenti fuerint facere talia, eos à præſcriptis Eccleſiis ſubl. ap. rem. non differatis authoritate Apoſtolica remouere, ne de ſua fraude, vel dolo fructum videantur reportare.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Cantuar.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.6.* & post Concil. Lateran. *p.* 28. *cap.* 8. & *in cap. cùm clerici* 11. *de censib.* vbi est alia pars huius decisionis; ex quibus ita hunc textum restituo. De Ecclesia Cantuar. egi *in cap.2. de rescriptis.*

2. b *Personis.*] Plerumque liberi homines dicuntur personæ, ad distinctionem seruorum. Cassiodorus *lib. 6. epist. 8. Quid enim priùs facerent inter iura publica, qui personam legibus non habebant.* In sacris canonibus accipitur persona pro clerico maiori, qui primam sedem in Ecclesia parochiali habet, *cap. quantum, 1. q. 3.* Ioannes Sarisbariensis *epist. 11. Asserens Ecclesiam esse, & se personam eius:* notarunt Bosquetus *ad Innocent. III. lib. 1. epist. 24. & 54.* Gaspar Barthius *lib. 17. aduers. cap. 32.* De personis, & personatibus Ecclesiæ Cathedral. aliqua adduxi *in cap. ad aures 8. de rescriptis.*

c *Maiores.*] Secus si congruentes; eas enim non soluentes possent propriis Ecclesiis priuari. Hanc partem exponemus *in cap. fin. hoc tit.* 3.

d *Ad hæc.*] Hæc verba reperiuntur *in c. ad hæc 11. de censibus*, vbi eius commentarium dabimus.

CAPVT VII.

Innocentius III. *in Concilio* a *generali.*

PLerique, sicut accepimus, b regulares, & c sæculares clerici, cùm vel domos locant, vel feuda concedunt, in præiudicium parochialium Ecclesiarum pactum adiiciunt, vt conductores, & feudatarij decimas eis soluant, & apud eosdem eligant sepulturam. Cùm autem id de auaritiæ radice procedat, pactum huiusmodi penitus reprobamus, statuentes, vt quidquid fuerit occasione huius pacti perceptum, Ecclesiæ parochiali reddatur.

NOTÆ.

1. a *Generali.*] Ita etiam habetur in quarta collectione, *sub tit. hoc, cap.1.* & in Concilio Lateran. generali celebrato sub Innocentio III. *cap. 56.* de quo Concilio egi *in c. cùm in cunctis 7. de electione.*

2. b *Regulares.*] Canonici videlicet Ecclesiarum regularium, de quibus passim nos in hoc opere.

3. c *Sæculares.*] Canonici videlicet Ecclesiarum Cathedralium, qui ad differentiam regularium sæculares dicuntur.

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR. EX hoc Concilij generalis decreto communiter deducitur, *Ecclesiam domum locando, aut rem in feudum concedendo, non posse pactum adiicere, vt feudatarij in ea sepeliantur, & decimas illi persoluant.* Probant hanc assertionem textus *in cap. 1. de sepult. lib.6. Clement. cupientes, §. sanè, de pœnis.* Illustrant plures relati à Barbosa *in d. cap.1. de sepultur.* Cenedus in collectaneis *ad 6. collect.c.10.*

5. RATIO DVBITANDI. Sed aduersùs hanc assertionem duplici argumento insurgi potest. Primum ita efformatur: Illud potest fieri pacto, quod potest fieri consuetudine, vt docent Euerardus *in locis legalibus, loco 89.* Barbosa *eod. tract. loco 81.* Sed consuetudine introduci valet, vt decimæ vni Ecclesiæ debitæ alteri soluantur, *cap. ad Apostolicam, cap. cùm sunt, de decimis.* Couarruu. *lib.1. variar. c.17. num.8.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 21.* & præscriptione, *cap. cùm contingat, cap. dudum, de decimis, cap. de quarta, cap. ad aures, de præscription. cap.1. eod. tit. lib. 6. cap. statutum, §. finali, eod.tit. & lib.* Moneta *de decimis cap.5. num.103.* Rebuffus *eod. tract. q. 13. num. 106.* Canisius *de decimis cap.2. per totum*, Barbosa *de officio Parochi, cap...* igitur & pacto fieri poterit, vt inquilini, & feudatarij Ecclesiæ alij, quàm Parochiali Ecclesiæ decimas persoluant. Secundum ita etiam proponitur: Nemo tenetur in propria Parochia sepeliri, sed potest extra eam in quacumque maluerit sibi eligere sepulturam, *cap.1. cap. fraternitatib. 3. cap. de vxore, in princip. de sepultur. cap. cùm quis, cap. his qui, cap. vlt. eod. tit. lib. 6. cap. nimis, §. 1. de excessib. Prælatorum:* igitur Ecclesiæ inquilini, seu eius feudatarij possunt per pactum eligere sepulturam in ipsa Ecclesia, absque eo, quod Ecclesia Parochialis possit infringere similem electionem; cùm nemo debeat sepeliri in propria Parochia, cùm decessit electâ sepulturâ.

6. DECIMÆ VBI SOLVENDÆ SVNT. His argumentis minimè obstantibus vera est concilij nostri generalis decisio, pro cuius vera interpretatione primò sciendum est, iure communi inspecto, post diuisionem parochiarum decimas deberi, & præstandas esse parochiis propriis, à quibus ipsi fideles sacramenta recipiunt, *cap. decimas, cap. si quis laicus, 16. q.1. cap. tua nobis, cap. quamuis, cap. cùm in tua, cap. ad Apostolicæ, de decimis.* Suarez *tomo 1. de religion. tract. de decimis, cap.21.* Hunnius *in encyclop. de decimis cap. 4.* Barbosa *de iure eccleſiast. de decimis cap. 28.* Ratio est; nam decimæ præstantur ad alimoniam, & sustentationem eorum, qui seminant spiritualia, *cap. clericos 1.q.2.cap. tua nobis, dedicimis, c. cùm secundùm, de præbendis:* sed Parochi spiritualia ministrant: igitur illis decimæ soluendæ sunt. Inde vulgò docetur, Parochum habere fundatam suam intentionem respectu omnium decimarum intra suæ Parochiæ limites existentium, *cap. cùm tua, cap. cùm contingat, de decimis:* ex quo prouenit, vt Parochus semper manutenendus sit in perceptione decimarum ex prædiis propriæ Parochiæ, absque eo, quod Parochus probare teneatur ius decimarum ad ipsum spectare. Et vt clariùs procedatur, discrimen constituendum est inter decimas prædiales, & personales: prædiales enim debentur Parochiæ, vbi prædia sunt, *d. cap. tua, cap. quoniam, de decimis, cap. fin. de Parochiis:* per ipsam enim diuisionem Parochiarum à Dionysio factam, diuisi etiam fuerunt limites earum; vnde iuxta terminos cuiusque decimæ soluendæ sunt, ita vt prædia vnius non confundantur cum prædiis alterius, *cap.1.13. q. 1. cap. Ecclesiæ, cap. si quis laicus, cap. quicumque 16.q.1.* Accedit, nam decimæ sunt onera realia, vt probat Valenzuela *tomo 1. consil. 33.* sed onera realia debentur vbi prædia sunt, *l. impositiones,*

nes, C. de publican. & vectig. igitur decimæ debentur illi Parochiæ vbi sunt. Circa decimas verò personales certum est, deberi in propria Parochia, vbi quis sacramenta recipit, & Missarum solennia audit, *cap. ad Apostolicæ, de decimis, cap. significauit, de parochiis.* Fagundez *in quinque præcepta, lib.1.cap.1.* Moneta *de decimis, cap.7.num.21.* Ratio est, quia sicut proprius Parochus in propria persona sacramenta administrat, ita æquum est, vt illi, quibus administrat, ipsi decimas persoluant ex quæstu, & adquisitis proprio artificio: & si eueniat habere aliquem ob duplex domicilium duas Parochias, si vnum sit alterius accessorium, principali decimæ debentur: si verò æqualiter in eis habitet, inter vtrumque Parochum decimæ diuiduntur. Rebuffus *de decimis q.6.* Fagundez *vbi suprà, cap. 3. num. 5.* Idem dicendum est in decimis mixtis, quæ ex fœtibus animalium præstantur; si enim diuersis anni temporibus in diuersis partibus pascantur, etiam decimæ diuidendæ sunt: docent Barbosa *vbi suprà,* Cancerius *lib. 1. variar. resolut. 13.* Tondutus *resolut. canonicar. resolut.68.* Basilius *de matrim.lib.5. cap.13. §.3.num.23.*

7. QVILIBET POTEST SIBI ELIGERE SEPVLTVRAM.

Secundò sciendum est, fideles iam à temporibus Concilij Bracharensis, & Vasensis, de quibus *in cap. præcipiendum, cap. nullus 13. q.2.* posse eligere sepulturam in Ecclesia, quam maluerint, neglectâ maiorum sepulturâ, aut Ecclesiâ Parochiali, *cap.1. cap. 3. de sepultur.* relictâ quartâ funerali propriæ Ecclesiæ Parochiali, *cap. 1. de sepultur.* vbi latè dicemus. Si verò fideles non electâ sepulturâ, ab intestato quoad partem hanc decedant, in sepulchro maiorum sunt tumulandi, *d. cap. 1. §. 1. de excessib. Prælator. cap. cùm quis, cap. his qui, cap. vlt. hoc tit. lib. 6.* Plura Crespetius *verb. Sepultura,* Iulius Lauorus *variar. lucubrat. tit.1. cap.14.* Barbos. *de offic. Paroch. c.26.* nisi monachus sit qui decessit; ille enim, siue eligat sepulturam, siue non, sepeliendus est in proprio monasterio, *cap. fin. de sepultur.* docent Chopinus *lib. 2. monastic. tit. 3.* Tamburinus *de iure Abbatum disp. 34. q. 1.* Diana *5. p. tract. 3. resolut. 110.* Peregrini etiam, & absentes, si decedant non electâ sepulturâ, in Ecclesia Cathedrali debent sepeliri, *cap. officium, de offic. Archipresbyter.* Sed iam in praxi obtinuit, vt peregrini, & scholastici decedentes sepeliantur in Ecclesia, in qua decesserunt, etiamsi Parochus illis non administrasset sacramenta. Barbosa *lib.2. iuris Ecclesiæ, cap.10. num.31.*

8. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus liquidò apparet ratio præsentis decisionis; nam cùm decimæ ex iuris dispositione debeantur illi Ecclesiæ, vbi aut fundus est, aut Parochianus sacramenta recipit; similiterque electio sepulturæ libera sit, & quilibet possit eam eligere in Ecclesia, quam maluerit, solutâ quartâ funerali propriæ Ecclesiæ; & pactum, seu quælibet conuentio contra ius, aut vtilitatem tertij non admittatur, *l. iuris 7. §. si paciscar, & §. generaliter, l. si vnus 27. §. pacta 4. l. inter 42. ff. de pactis,* vbi Cuiac. & Duaren. Vinius *de pactis cap.18.* ideo pactum, per quod inquilini, & feudatarij tenentur sepeliri, & decimas persoluere illi Ecclesiæ, à qua sacramenta acceperunt, improbatur; cùm per illud ius publicum, & priuata vtilitas lædantur.

9. RESPONDETVR.

Nec obstant argumenta in contrarium adducta. Non primum, ex quo dicebamus, id posse fieri pacto, quod potest induci consuetudine; quia illud argumentum procedit quoad ipsos paciscentes, ita vt quod ab eis auferri potest consuetudine, auferi possit ex pacto: at verò quoad ius tertij neutiquam procedit, quia ex facto alterius nemo grauari, aut præiudicari debet, *l. 5. §. 5. ff. de noui operis nunciatione, l. soluendo 39. ff. de negot. gestis, l. non debet 74. ff. de regul. iuris.* Nec secundum refragatur; nam ideo pactum circa sepulturam improbatur, quia per illud infringitur libertas sepulturam eligendi; & cùm ex iuribus suprà adductis quilibet possit sepulturam eligere vbi maluerit, ideo pactum in præsenti, per quod tenebantur inquilini in certa Ecclesia sepeliri, improbatur. ARGVMENTIS.

Sed primò superiori assertioni obstat textus *in cap.1. de pactis, lib. 6.* vbi proponitur, pactum fuisse initum inter Rectorem cuiusdam Ecclesiæ, & certos monachos, vt ipsi monachi non possent admittere ad sepulturam intra septa monasterij, nisi certos, & præfinitos parochianos: quidam parochiani extra præfinitos elegerunt sepulturam in ipso monasterio; consultus fuit Bonifacius VIII. an in propria Ecclesia, an verò in sepultura electa deberent sepeliri? Et respondit Bonifacius, insuper habitâ electione ipsorum, debere sepeliri in propria Parochia, iuxta conuentionem factam inter Rectores, & monachos. Ex quo Bonifacij decreto expressè deducitur, pactum circa sepulturam conuentum obseruari debere: igitur pactum, de quo in præsenti decisione, similiter custodiendum erat. Augetur hæc difficultas *ex cap. 1. de sepultur. lib. 6.* vbi pacta, & promissiones circa sepulturam in certa Ecclesia eligendam, vel non, improbantur. Similiter in Clementina *Cupientes, §. sanè, de pœnis,* qui virtute pacti aliquem ad sepulturam admittunt, variis pœnis puniuntur, quia per illud infringitur libertas, & vt simoniacum ad alicuius suggestionem factum censetur. Pro cuius textus interpretatione, & conciliatione cum dicto capite 1. *de sepultur.* sciendum est, pactum in præsenti specie initum fuisse circa sepulturam inter Parochianum, & Rectorem Ecclesiæ, quod vt simoniacum improbatur: at verò *in dict. cap.1. de pactis,* pactum fuit initum inter Rectorem Ecclesiæ, & monasterium, quod virtute priuilegij, non iure communi poterat admittere fideles ad sepulturam: inde Monachi virtute pacti priuilegio renunciarunt, & redacti fuerunt ad ius commune; quo inspecto parochiani non poterant sepeliri in monasteriis. Vnde per pactum in eo textu initum nulla illis adimitur libertas eligendi sepulturam, nec vlla simoniæ labes datur; quare pactioni standum est: at verò *in d. cap.1. de sepulturis,* dabatur simoniæ labes; quare inducentes ad simile pactum excommunicantur *in dict. Clement. Cupientes:* docent Iulius Lauorus *d.c.11. num.4. & 5.* Gratianus, & alij congesti à Barbosa *in d.cap.1. de pactis lib.6.* 10. EXPONITVR CAP. 1. DE PACTIS IN SEXTO.

Secundò opponi possunt textus *in cap. quoniam 13. de decimis, cap. nouum, de decimis, cap. nuncios, eod. tit.* vbi docetur, decimas soluendas esse Ecclesiis matricibus, & Episcopis: igitur pactum conuentum in præsenti, vt feudatarij Ecclesiæ Cathedralis non Parochis, sed Ecclesiis matricibus decimas persoluerent, tanquam iuri communi consonum, seruandum erat. Fulcitur hæc difficultas *ex cap. 1. §. in diœcesi 13.q.1.cap. in sacris, cap. statuimus 16. q. 1.* vbi asseritur, Ecclesiis baptismalibus decimas soluendas esse: igitur 11. INTELLIGITVR CAP. NVNCIO, DE DECIMIS.

non

non rectè Parochi in præsenti intendebant Ecclesiis Parochialibus parochianos eas præstare debere; siquidem Ecclesiis vbi baptismum acceperant, præstandæ erant. Pro huius difficultatis solutione sciendum est iuxta suprà dicta, decimas Ecclesiis Parochialibus esse præstandas, nec contrarium probant textus *in dict. cap. quoniam*; nam omissâ antiquorum solutione, quam refellunt Barbosa *de iure Ecclesiast. dict. cap.* 26. *de decimis*, §. 2. Basilius *lib.* 5. *de matrimonio*, *cap.* 5. §. 3. dicendum est, in eo textu agi de quarta Episcopis debita, non ab ipsis Parochianis, sed à Parochis; ita vt retinatur ab Episcopo, non verò à Parochianis exigatur: de qua accipiendus est textus *in cap. concesso* 12. *quæst.* 2. Probatur hæc assertio ex illis verbis: *Quartâ retentâ*. Episcopi enim olim habebant plenam dispositionem decimarum, & pro meritis sacerdotibus erogabant, *cap.* 1. 16. *quæst.* 7. Vnde sequentibus temporibus etiam post diuisionem Parochiarum certam sibi partem retinuerunt. Panormit. *in dict. cap. quoniam*, *num.* 2. Valenzuela *consil.* 26. Nec etiam obstat textus *in dict. cap. nudum*, qui procedit in Episcopo Ecclesiæ Cathedralis, quæ simul Parochialis est; in eius enim decimis Episcopus vt Parochus fundatam habet suam iurisdictionem. Vnde tanquam Parochus, non tanquam Episcopus decimas exigit: docent Rebuffus *de decimis quæst.* 7. Moneta *eod. tract. cap.* 7. Ad eundem etiam casum referendus est textus *in dict. cap. nuncios*, iunctâ ipsius integrâ, quæ extat post Concil. Lateranense sub Alexandro III. *part.* 4. *cap.* 3. Nam licèt matrix Ecclesia aliquando accipiatur pro baptismali, vel Parochiali, ex eo quod vt mater regeneret filios; frequentius tamen accipitur pro Ecclesia, quæ habet alias sibi subditas, *cap. ad audientiam, de Ecclesiis ædificandis*, *cap. ex transmissa, de præscription*, *cap. præterea* 2. *de transact. Clement.* 1. *de sententia excommunication.* Et *in dict. cap. nuncios*, de Ecclesia matrice agitur, quæ simul Parochialis erat. Nec obstant textus *in dict. cap. de decimis*, *cap. sacris*; nam baptismalis Ecclesia ibi accipitur pro Parochiali, in qua tam baptismus, quàm cætera Sacramenta administrabantur.

CAPVT VIII.

[a] Gregorius IX.

PActiones factæ à vobis (vt audiuimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in huiusmodi omnis pactio, omnisque conuentio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ obseruatæ pergunt in animæ detrimentum. Nam etiam iuxta legitimas sanctiones pactum turpe, rei turpis, aut impossibilis, de iure, vel de facto, nullam obligationem inducit.

NOTÆ.

1. [a] *Gregorius.*] Quæ ad huius inscriptionis expositionem attinent, petenda sunt ex notis ad epigraphen textus *in cap. final. de officio iudicis.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO PRIMÆ PARTIS. EX hac prima parte præsentis decisionis Gregorij IX. sequentem deduco illustrandam assertionem: *Pacta conuenta pro beneficiis, seu rebus spiritualibus obtinendis, nullius sunt momenti.* Probant eam textus *in cap. si quis Episcopus* 8. *capit. qui pecuniam* 9. *capit. Sanctorum* 10. *capit. qui istud* 11. *cap. iudices* 23. *cap. placuit* 103. 1. *quæst.* 1. *cap. quàm pio*, *cap. nullus*, *cap. sicut* 1. *quæst.* 1. *cap.* 1. *cap. si quis Episcopus* 3. *cap. vendentes* 1. *quæstion.* 3. *cap. si quis omnem*, *cap. quicumque* 1. *quæst.* 7. *cap. cùm pridem*, *cap. accepimus* 5. *hoc titul. cap. constitutus* 4. *cap. de cætero* 5. *cap. super eos* 7. *cap. præterea* 9. *cap. præterea* 10. *de transactionib. cap. non sine* 2. *de arbitris*, *cap. suscitata*, *de in integrum restitut. cap. penult. de confirmat. vtil. cap. quæsitum* 5. *cap. adquisitione* 6. *cap. fin. de rerum per mutation. cap. nisi essent*, *de præbendis*, *cap. non satis* 8. *cap. cùm in Ecclesia*, *cap. cùm sit Romana* 10. *cap. cùm essent* 11. *cap. querelam* 15. *cap. ea quæ* 16. *cap. ex diligenti* 27. *cap. ex tua* 20. *cap. quoad nostram* 21. *cap. Matthæus* 23. *cap. ad aures* 24. *cap. tua nos* 34. *cap. audiuimus* 41. *de simonia*, *cap.* 3. *de iureiurando*, *in prima collect.* Illustrant *D.D. Gonzal. in Decretal.* Tom. I. Pars II. vltra repetentes *in præsenti*, & *in dict. cap. quæsitum*, Selua, Reginaldus, & alij congesti à Barbosa *in præsenti*, & *de iure eccles. lib.* 3. *cap.* 15. Balboa *in dict. cap. cùm pridem*, P. Greg. *lib.* 2. *partition. tit.* 1. *cap.* 5. Anguianus *lib.* 4. *de legib. cap.* 7. Decianus *lib.* 5. *tract. crimin. cap.* 82. Boëtius Epon. *quæstion. heroicar. in dict. cap. quæsitum*, Bartholomeus Sanchez *in dict. cap. quæsitum*, Gutierrez *lib.* 2. *canonic. cap.* 23. Flaminius *de resign. lib.* 14. *quæst.* 3.

3. TRADITVR DVBITANDI RATIO. Sed in hanc assertionem pro dubitandi ratione insurgi potest in hunc modum; nam quid spiritualius in iure nostro adhiberi potest, quàm sacramenta legis gratiæ? Sed in collatione sacramentorum licitè pacta, & conuentiones adhibentur, vt in baptismo, vbi debet catechumenus promittere se fidem seruaturum, & renunciato pacto veteri, nouum contrahere. Cyrillus *catechesi* 1. Concilium Laodicenum *can.* 7. septima Synodus *can.* 7. latè probant, & illustrant Vicecomes *de ritib. baptismi cap.* 16. *cum sequentibus*, Carthusian. *eod. tract. cap.* 21. In sacramento Ordinis admittitur pactum, vt certæ Ecclesiæ ordinandus præstet famulatum, *cap. eo libentius*, *de seruis non ordinand.* In matrimonio quamplures pactiones admittuntur, *cap. super eo* 5. *de condit. appositis*, *cap. fin. qui clerici*, *vel vouentes*: in ingressu monasterij pactio approbatur, *dict. cap. fin.* in sacrificio offerendo, *cap. significatum*, *de præbendis*; in anniuersario celebrando, *cap. ex parte* 51. *de V. S.* in traditione pallij, *cap. significasti* 4. *de elec-*

ction. in dignitatibus eccleſiaſticis capeſſendis, *cap. ego* 4. *de iureiurando* ; & in aliis ſpiritualibus negotiis : igitur pactiones abſolutè pro ſpiritualibus rebus adquirendis non improbantur. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo ; nam ſi huiuſmodi pactiones iure hoc Pontificio improbarentur, maximè quia ſimoniæ labem continerent : ſed nulla ſimoniæ labes ſuſpicari poteſt, vbi nihil temporale, nihil pretio æſtimabile ex aliqua parte præſtatur, vt probant Boëtius Epon. *in dict. cap. quæſitum*, Balboa *in præſenti*, *num.*3. ſimonia enim eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali quid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, vt poſt Summiſtas *verbo Simonia*, tradunt Binsfeldius *in rubric. de ſimonia*, Gibalinus *eod. tract. quæſt.*1. ſed dari venditio ſine pretio non poteſt, *l.* 1. *&* 2. *de contrah. empt. l. in quibuſcumque* 47. *ff. de O. & A.* igitur huiuſmodi pactiones vt ſimoniacæ improbari non debent.

4. IMPROBATVR PACTVM DE RE SPIRITVALI.

Adhuc defendendus eſt Gregor. IX. quatenus affirmat, pactiones pro ſpiritualibus rebus obtinendis nullius eſſe momenti, vt ſi quis pacto promittat decem vt ſacris Ordinibus initietur, *cap. ſi quis Epiſcopus*, *cum ſequentibus*, 1. *quæſt.*1. vel quid polliceatur, vt in monaſterio admittatur, *cap. nullus* 3. 1. *quæſt.*2. *cap. veniens*, *de ſimonia* ; aut ſi pactum fiat de ſuccedendo in beneficio ſuperioris, *cap. accepimus* 5. *hoc tit.* ſi collator beneficij pacto reſeruet ſibi penſionem indebitam, *cap. cùm clerici*, *hoc tit.* ſi beneficium promittatur, vt obſequium præſtetur, *cap. cùm eſſent*, *de ſimonia* ; ſi aliquid promittitur pro ſuffragio, *cap. nobis*, *de ſimonia* ; ſi quis offerat ſua bona, vt in Canonicum recipiatur, *cap. tua nos*, *de ſimonia* ; ſi pactum fiat cum Epiſcopo ſuper neceſſariis non petendis ab Epiſcopo ordinante ſine titulo, *cap. per tuas*, *cap. penult. de ſimon.* tales enim, & ſimiles conuentiones prorſus à ſacris canonibus damnantur ex eo, quia ſimoniacam continent prauitatem, aut malam, quia prohibitam, cùm tantùm pactio intercedit ; aut prohibitam, quia malam, cùm quid loco pretij temporale ab vna parte promittitur : ſed circa primam non omnes conſentiunt Interpretes ; aliqui enim aſſerunt, puram pactionem abſque pecunia, vel re pretio æſtimabili ſimoniacam non eſſe ; quia ſi talis pactio eſſet ſimoniaca, nec authoritate ſuperioris facta, immunis eſſet à labe ſimoniæ : ſed gratuita beneficiorum permutatio, vel ſimilis pactio cum authoritate Epiſcopi facta vires habet, *cap. cùm olim*, *cap. quæſitum*, *de rer. permut.* ergo. Sed contraria ſententia, videlicet beneficiorum permutationem, aut quamlibet pactionem pro ſpiritualibus obtinendis eſſe ſimoniacam, docent Theologi Scholaſtici *in* 4. *diſt.*25. *quæſt.*2. Suarez *de religion. lib.*4. *de ſimon. cap.*31. Layman *lib.*4. *ſumm. tract.*9. *cap. vlt. num.*51. Gibalinus *de ſimonia quæſt.*14. *conſect.*4. ex eo, quod beneficium eſt quid ſpirituale, quod non cadit in commercium, *cap. dilecto*, *de præbend.* quantumvis prouentus ipſi temporales ſint, *cap. cum M. de conſtitut.* Vnde pactiones, quæ in rebus profanis adhibentur, in beneficiis eccleſiaſticis improbantur. Vnde licèt in eis non reperiatur ſimonia, ex vi iuris diuini ; reperitur tamen, quia prohibitæ ſunt. Balboa *in præſenti*, *num.*6. nec fundamentum contrariæ ſententiæ aliud euincit ; nam ipſa lex eccleſiaſtica prohibens pactionem, ſeu permutationem beneficiorum, eam permiſit cum authoritate ſuperioris ; vnde cum licentia Epiſcopi facta ſuſtinetur. Ratio autem, quare cum conſenſu Epiſcopi permutationes beneficiorum admittuntur, ex eo prouenit, quia tunc partes obtinent beneficia per collationem Epiſcopi, quia partes permutando beneficia, ea reſignare videntur in Ordinarij manus, ac deinceps noua collatio cum inſtitutione canonica fit ; vnde ceſſat ſimoniaca pactio, cùm ita permutantes non obtineant beneficia virtute pactionis particularis, ſed inſtitutionis canonicæ ab Epiſcopo factæ, vt docent Boëtius Epon. *in dict. cap. cùm olim*, *num.*75. Gibalinus *vbi ſuprà*, *conſect.*8.

5. EXPONITVR CAP. QVÆSITVM, DE RER. PERM.

Hinc exponendus venit textus *in cap. quæſitum*, *de rerum permut.* in illis verbis : *Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de iure fieri non poſſunt*, *præſertim pactione præmiſsâ*. In quibus difficilis eſt illa clauſula : *Præſertim pactione præmiſsâ* ; cùm non poſſit permutatio dari abſque pacto ; ſiquidem eſt contractus conſenſu duorum conſtans, & omnis contractus in ſe continet conuentionem, *l.*1.§. *conuentionis*, *ff. de pactis.* Merillus *lib.*1. *ex Cuiac. c.*7. Sed reſpondendum eſt, non ſuperfluò clauſulam illam adiectam eſſe, ſed vt demonſtretur, ſine pactione pecuniaria permutationem ipſam beneficiorum per ſe tantùm inhoneſtam eſſe, continereque ſimoniam ; præcipuè cùm permutatio fiat duobus modis, aut tantùm dando & accipiendo ſine vllo pacto ; aut obligationem in futurum contrahendo, *l. ex placito*, *Cod. de rerum permut.* vbi non diſſimilia apponuntur verba, ibi : *Niſi ſtipulatio ſubiecta ex verborum obligatione quæſierit partibus actionem.* Niſi dicamus, ea verba, *Præſertim pactione*, appoſita fuiſſe ad explicandum vitium illius permutationis ; nam vt tradit Menochius *conſilio* 308. *num.*30. nonnunquam dictio *præſertim*, importat cauſam finalem, & exprimit caſum minùs dubitabilem, vt *in l. fin. ff. de liberis exhibendis*, *cap. pro humano*, *de homicidio*, *lib.*6. latiùs proſequuntur illius textus interpretationem Boëtius Epon. *in eo*, Gibalinus *dict. quæſt.*14. *de ſimonia*, *conſect.* 8.

6. PACTIO MERA IN SPIRITVALIBVS IMPROBATVR.

Ex quibus infertur, pactionem abſque vlla præſtatione pecuniaria pro re ſpirituali, non valere, vt ſi duo electores inter ſe paciſcantur, vt alter Petrum, alter Ioannem eligat ad beneficium : quia licèt ſpiritualis actio pro ſpirituali commutetur ; tamen ex præſumptione non æſtimatur tantùm, ſed vt medium ad lucrum temporale. Suarez, & Balboa *vbi ſuprà*. Ampliatur hæc doctrina, vt procedat in pactione permutandi beneficium cum iure inchoato, & in ſpe ad aliud beneficium, *cap. ad audientiam* 2. *de reſcriptis* ; licèt contrarium aliqui ex eo probent ; nam ſicut præſentatio actiua non poteſt pro beneficio permutari, quia eſt annexa beneficio ; ita nec præſentatio paſſiua. Flaminius *de reſignat. lib.* 7. *quæſt.*1. *num.*76. Gibalinus *vbi ſuprà*, *conſect.*7. nec pactio velebit permutandi inter ſe ſimilia iura ad beneficia, vt ſi vnus cedat ſuæ præſentationi, & alius cedat litteris expectatiuis. Felinus *in dict. cap. ad audientiam*, Panormitanus *in dict. cap. cùm olim*, *de rer. permut.* In his tamen caſibus præcedente ſuperioris licentiâ pactiones factæ ſuſtinentur, vt latiùs proſequuntur Balboa *in præſenti*, *num.*23. Boëtius & Bartholomeus Sanchez, *in dict. cap. quæſitum.* Sed licèt ex præſenti deciſione, & ſimilibus pacta pro ſpiritualibus adquirendis non admittantur : tamen ſi extra

beneficio

beneficiorum materiam, de qua absque dubio senserunt PP. res spiritualis pro alia permutetur, pactio valebit: glossa *in cap. quàm pio 1. quæst. 2.* vt si vasa sacra, vel vestes permutentur vnius Ecclesiæ pro aliis alterius: in eis tamen venditio prohibetur ob pretium, quod intercedit, *cap. ad nostram*, *cap. non satis*, *cap. cùm in Ecclesia*, *de simonia*, Gibalinus *dict. quæst. 12. consect. 3.* Vnde cùm in ipsa permutatione pretium non intercedat, licitè admittitur pactio: quare illa verba nostri textus, *pro spiritualibus obtinendis*, accipienda sunt de beneficiis Ecclesiasticis, & aliis actionibus purè spiritualibus; non verò de rebus spiritualibus, quæ habent materiale antecedenter annexum. Suarez *disput. 31.* quem suppresso nomine transcripsit *ex num. 6. vsque ad 21.* Balboa *in præsenti.*

7. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Ex quibus profluit ratio decidendi ad nostrum Gregor. nam cùm simonia, quæ in beneficiis committitur, sit magnoperè à sacris canonibus detestata, *cap. 1. 23. q. 4. cap. si quis obiecerit*, *cap. Saluator 1. quæst. 3.* Rebuffus, Parisius, Hugolinus, & alij apud Garciam *de beneficiis 8. part. cap. 1. num. 103.* Gibalinus *de simonia quæst. 16. per totam*; & omnis pactio, etiam gratuita, absque interuentione pecuniæ simoniaca sit iure ecclesiastico, & iniqua, quia prohibita, & mala, vt suprà probaui; ideo Gregorius nonus affirmat omnes pactiones pro spiritualibus obtinendis improbari, ne per simoniæ labem ad dignitates & beneficia perueniatur.

8. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam omnes conuentiones in ea relatæ honestæ sunt, & ideo licitè adhibentur; præsens verò decisio locum habet in pactionibus in honestis pro spiritualibus assequendis initis; pactum enim, seu promissio susceptionis fidei satis commendatur à Patribus congestis à Iosepho Vicecomite *vbi sup.* In matrimonio autem pactiones etiam pecuniariæ admittuntur, quia cùm sit contractus iuris gentium, pro ea parte recipit omnes conuentiones, dummodo non repugnent essentiæ, seu substantiæ contractus. Basilius *de matrimonio lib. 3. cap. 6.* Similiter in aliis casibus ibi numeratis conuentiones rectè adhibentur, quia ex natura actus proueniunt, & generaliter omnes conditiones, obligationesque, quæ de iure insunt in beneficiis, aut sacramentis, etsi exprimantur, simoniam non inducunt. Gibalinus *vbi suprà*, *quæst. 16. consect. 9.* Difficilius est, quod de anniuersariis dicebamus *ex cap. relatum*, *de præbend. cap. ex parte*, *de V. S.* Sed omissâ sententiâ Innocentij *in cap. 3. ne Prælati:* quem sequuntur Anania, & Panormitanus *ibi*, dicendum est, in illis iuribus, & aliis casibus, vbi vt anniuersarij celebrentur, quid temporale præstatur, illud non pro ipsa actione spirituali recipi vt pretium, sed tanquam eleemosynam pro sustentatione sacerdotum; vnde nulla datur simonia ex defectu pretij, vt post alios docet Anguianus *lib. 4. controu. cap. 7. num. 13.* Nec quod dicebamus de simonia non commissa in pactis ex defectu pretij obstat; nam vt suprà diximus, pactiones gratuitæ non sunt prohibitæ, quia malæ; sed malæ, quia prohibitæ: quare licèt pretium in pactione non intercedat, tamen conuentiones improbantur ex ratione suprà tradita.

9. EXPONITVR CAP. Superiori assertioni obstat textus *in cap. 2. de conditionibus appositis*; vbi proponitur, Diaconum quendam seruos manumisisse sub pacto, & conditione, vt Religionem profiterentur in eo Monasterio, in quo ipse Diaconus non tanquam Monachus, aliàs seruos non haberet in suo dominio, sed deuotionis causâ degebat, aliàs serui manumissi in seruitutem redigerentur. Quidam ex eis Monasterium deseruit, & clericis se associauit. Quæstionis fuit, an cogendus esset redire ad monasterium, aut in seruitutem redigendus esset? Respondit Gregorius magnus, prædictum libertum ad monasterium redire debere, quia conditio illa redigendi in seruitutem, in manumissionibus appositа, circumscribitur, & pro non adiecta habetur, *l. mortis*, *ff. de manumissionis.* Ex quo Gregorij decreto constat, licitè in ingressu monasterij pactum apponi: igitur quia circa spiritualia pactum adhiberi potest. Implacabilem in eo textu hanc difficultatem esse cognouerunt Hostiensis, Cardinalis, & omnes ferè antiquiores ibi; qui docent, conditionem illam libertatis in eo textu non apponi tanquam conditionem, sed tanquam modum. Sed licèt aliàs verum sit, magnum discrimen versari inter conditionem, & modum, vt latè docet Sarmiento *lib. 2. selectar. cap. 3. 4. & 5.* tamen quoad præsentem prohibitionem æqualiter improbatur pactum continens conditionem, ac continens modum. Aliter difficultatem dissoluere intendit glossa *ibi*, quæ affirmat, libertatem esse rem inæstimabilem, atque ideò cum spirituali potuisse commutari. Sed etiam hæc refellitur ex eo, nam etsi libertas inæstimabilis res sit, tamen spiritualis non est; vnde pro re spirituali assequenda data simoniam inducit. His ergo, & aliis solutionibus omissis, veriùs dicendum est, in eo textu pactionem sustineri, quia liberalitas quædam ex vtraque parte intercessit, libertatis scilicet datio sub conditione Religionis, quæ solius liberti fauorem principaliter continebat, nec onus aliquod, aut grauamen in fauorem manumittentis adiiciebatur; vnde nullo iure debebat improbari donatio illa libertatis sub pacto ingressus Religionis; quippe si non intercedit voluntas studiosa paciscendi super spiritualibus cum pacto oneroso, talis conuentio non prohibetur. Anguianus *de legibus lib. 4. cap. 2. num. 28.* latiùs dicemus *in cap. 19. de simonia.*

2. DE CONDIT. APPOSIT.

10. INTELLIGITVR CAP. CONSTITVTVS DE RELIGIOS. DOMIB. Secundò suprà tradiris aduersatur textus *in cap. constitutus*, *de religios. domib.* vbi proponitur, Episcopum Albanensem petiisse ius Episcopale in Ecclesia Cathedrali S. Petri, quæ erat fratrum Monasterij Cryptæ, eo prætextu, quòd sita erat in sua diœcesi. Vnde tenebatur in Episcopalibus respondere: œconomus verò Monasterij allegabat Ecclesiam liberam esse ex eo, quia Episcopus Leuitanus, qui fuerat Præsul eiusdem Ecclesiæ, pactum fecerat cum monachis, vt soluta pensione octo denariorum quotannis liceret Abbati, & Monachis à quocumque vellent sacramenta accipere, & libertatem illis concessit: quam conuentionem Cælestinus III. confirmauit. Episcopus replicabat, eam conuentionem fuisse simoniacam, atque per subreptionem à Pontifice confirmatam. His propositis coram Innocentio III. ipse decreuit monasterium cogendum esse ad solutionem prædictæ pensionis, & in Episcopalibus non teneri respondere. Ex quo textu deducitur, pactionem super rebus spiritualibus factam, videlicet vt sacramenta à quocumque Episcopo recipi possent, validam esse: igitur non rectè asserimus, pactionem super rebus spirituali-

bus initam improbari. Agnouerunt difficultatem gloſſa ibi, verbo *Recompenſationem*; Butrius, Hoſtienſis, & omnes repetentes, qui pro ea diſſoluenda varias excogitarunt ſolutiones. Sed illis omiſſis reſpondendum eſt, pactum præſtandæ penſionis quotannis ideo approbari, & vires habere, quia confirmatum fuit à Romano Pontifice vt licitum, & iuſtum: nam nullam continebat ſimoniæ labem, ſiquidem ibi non dabatur res temporalis pro ſpirituali, ſed pro iure ordinandi, & conferendi ſacramenta in alieno loco; nam poteſtatem ordinandi iam ipſe habebat, ius verò eam exercendi in alieno territorio fuit pacto adquiſitum, quod à Cœleſtino confirmatum fuit. Hoc etiam modo intelliguntur textus *in cap. penult. de confirmat. vtili.* Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. *part.* 17. *cap.*2. qui reperitur in prima collectione, *ſub tit. de iureiur. cap.*5. in hæc verba: *Inſinuatum eſt nobis ex parte Vv. quod cùm ipſe capellam de Ill. canonicè fuiſſet adeptus, Canonici de Lamenſtanter ſuper eadem Eccleſia huiuſmodi conuentionem fecerunt, quod ipſi eandem Eccleſiam tenerent à prædicto Vv. & exinde annuum canonem deberent perſoluere. Et infrà: Sed quia compoſitio eidem Eccleſiæ fuit damnoſa, de iuramento violato pœnitentiam recipiant, & præfatam eccleſiam prædicto clerico reſtituant.* Communiter adnersùs præſentem deciſionem expendi ſolent textus *in cap. ſuſcitata, de in integ. reſtit. cap. penult. de confirmat. vtili, cap. niſi eſſent, de præbend. cap.*2. *de arbitris, cap.fin.de rerum permut. cap.decimas* 16. *quæſt.*7. Quorum interpretationem, quia obuia eſt apud Balboam *in præſenti*, omittimus. Exponendus autem eſt textus non vulgò notus *in cap.*1. *de vſuris*, iuxta ea, quæ adduximus *in cap. quiſquis* 43. *num.vlt. de election.*

II. SECVNDA CONCLVSIO PROBATVR.

His pro expoſitione primæ partis huius textus præiactis, vt ad ſecundam perueniamus, ſit aſſertio: *Pactum turpe, aut impoſſibile de iure, vel de facto, nullam iuxta ſacras, & legitimas ſanctiones obligationem producit.* Eam probant textus *in cap.*1. *&* 2. *cap. in malis, cap. vnuſquiſque, & per totam* 22. *quæſt.*4. *cap. veniens* 16. *cap. cùm contingat* 28. *cap. Quintauallis, de iureiurando, l. iuris gentium* 7. *§. ſi ob maleficium, l.ſi vnus* 27. *§. pacta, l.ſumptus, ff.de pactis, l.* 4. *§. quæſitum, ff.ſi quis cautionibus, l.penult. & vlt. ff.de condict. ob turpem cauſam, l.* 2. *§.* 6. *ff. de eo quod certo loco, ex l. ſi quis* 31. *ff. de euiction. l. ſi rem* 6. *§. rei turpis, l. ſi mandauero* 22. *§. quædam, ff.mandati, l.ſi in emptione, §.*1. *ff. de contrahend. emptione, l.illud, ff. de pactis dotalibus, l. alia §.* 1. *ff. ſoluto matrim. l.libertus* 30. *ff.de operis libertor. l.ſi quis* 112. *§.*3. *ff.de legatis* 1. *l.*1. *§.*9. *ff. de obligation. & action. l.generaliter* 26. *l. veluti* 27. *l.ſi ſtipulor* 35. *l.ſtipulatio* 61. *l.ſi flagitij* 123. *l.continuus* 137. *l.ſi ita* 126. *§. vlt. l.Titia* 134. *ff.de V. O. l.ſi à reo* 70. *§. vlt. ff. de fideiuſſor. l. ſi pro fure, ff. de condict. furtiua, l. inter* 46. *§.* 5. *ff. de furtis, l. pacta, Cod. de pactis, l.mercedem, Cod. de condictione ob turp. l.liberam* 2. *l.ex eo* 4. *Cod. de inutilibus, l.* 3. *Cod. de ædilitiis action. l. nec prætermittendum* 57. *ff. pro ſocio, l.*1. *§. planè* 14. *ff. tutulæ, & rationibus, l. cùm fundum* 18. *ff.de vi & vi armata, l.verum* 31. *l.impoſſibilium* 185. *ff.de regulis iuris:* conſonat de iure Regio lex 28. *tit.*11. *partit.*3. Illuſtrant Couarr. *in cap. quamuis, 1. part. §.*6. *num.*6. *de pactis*, Cuiacius *ad Digeſta, in l.generaliter, ff.de V. O.* Donel. *lib.*12. *comment. cap.*21. & *in dict. l.generaliter*, & *in dict. l.pacta*, Gibalinus *de vniuerſ. negot. tomo* 1. *lib.*1. *cap.*4. *art.*3. *regula* 1. & *lib.*3. *cap.*1. *art.*6. *regula* 5. Merenda *lib.* 1. *controu. cap.*9. Antonius Matthæus *in collegiis, diſput.*21. Duarenus *de pactis, cap.*4. *num.*3. Connanus *lib.* 5. *commentarior. cap.*5. *num.*4. Reuardus, & Gothofredus in dicta regula *Neque*, & in regula *Impoſſibilium.* Petrus Barboſa *in l.alia, §.eleganter, num.*28. *ff. ſoluto matrimon.* Arnoldus Vinius *de pactis cap.*18. Pechius in regula *Nemo, de regulis iuris in ſexto*; Antonius Faber *in dict. l.ſi vnus* 27. *§.pacta.*

12. IMPVGNATVR VARIIS ARGVMENTIS.

Hæc aſſertio vtriuſque iuris monumentis firmata difficilis redditur ſequentibus argumentis. Primum militiat contra eam partem, vbi aſſeritur, pactum turpe nullam producere obligationem. Ita inſurgo: Illud dicitur nullius momenti eſſe, quod adeò inefficax eſt, vt ad id impugnandum exceptione, vel auxilio opus non ſit, *l.non ſolùm, ff. de O. & A.* cùm ipſa ſit actionis excluſio, *l.*2. *ff de exception.* Donel. *ad rubric. Cod. eod. tit.* Pichardus *in rubric. Inſtitut. de exception. num.*23. Vulteius *de iudiciis lib.*2. *cap.*7. ſed pacta turpia exceptione doli oppoſitâ infirmantur, *l.penult. ff. de condict. ob turp. l. Titia* 134. *in fine, ff.de V. O.* igitur quia non ſunt nullius momenti. Augetur etiam; nam ſi promiſſum, vel datum ob turpe factum nullius eſſet momenti, non fieret accipientis, ſed maneret in dominio dantis, *l.nunquam, ff.de acquir. rer. dom.* ſed qui dedit ob turpem cauſam, amiſit dominium; ſiquidem vindicationem non habet, ſed condictionem, *l.*1. *& per totum ff.de condict. ob turp.* igitur datum, vel promiſſum ob turpem cauſam, alicuius momenti eſt. Accedit; nam pacta turpia legibus probata ſunt: igitur non rectè aſſerimus iuxta legitimas ſanctiones ea improbari. Probatur antecedens ex eo, nam conuentiones, ne iniuriarum agatur ob membrum ruptum, lege XII. Tabular. approbantur his verbis: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio eſto: l.iuris* 7. *§. ſi paciſcar, ff.de pactis*, Gellius *lib.*20. *noct. Atticar. cap.*1. probat Gothofredus *ad l.*12. *Tabul. tab.*7. Similiter pactum ne furti agatur, *dict.l.ſi vnus, §.pacta:* iniuriarum, *l.nondum* 11. *§.*1. *l.ſed vnius* 17. *§. ſi ante, ff. de iniuriis*, ne ex omni delicto agatur, excepto adulterio, *l.tranſigere, Cod. de tranſact.* Similiter, vt inhoneſtè quid præſtetur, *l.generaliter, ff. de V.O. l.ancillarum* 27. *§.* 1. *l.ſi poſſeſſor* 52. *ff. de petit. hæredit.* igitur pactum turpe efficax eſt ex iuris diſpoſitionibus. Secundum militat argumentum contra eam partem concluſionis vbi aſſeritur, pactum continens aliquid impoſſibile de iure, vel de facto, non valere; ita enim inſurgo. Actus viuentium ita interpretandi ſunt, vt valeant potius quàm pereant, *l.quotiens* 80. *l.ſi ita* 126. *ff.de V. O. l.vbi, ff.de rebus dub.l.quotiens* 67. *ff.de regulis iuris:* igitur pactum quid impoſſibile continens debet interpretari, vt valeat potiùs quàm pereat. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam ſtipulationes ædilitiæ impoſſibiles ſunt, ſiquidem promiſſor ſpondet vt non ſit quod eſt, videlicet, ſeruum furem non eſſe, veſpillionem non eſſe, fugitiuum non eſſe, cùm ſit fur, veſpillio, & fugitiuus, aliàs ſi non eſt, fruſtra id promitteretur: & tamen huiuſmodi ſtipulationes vires habent, *l.ſi ſciendum* 19. *§.*1. *ff. de ædilit. edict. l.ſi ita quis, l. qui ita, ff. de euiction.* igitur conuentiones impoſſibiles alicuius momenti ſunt. Augetur ſecundò hæc difficultas ex eo, nam quid impoſſibilius, quàm hominem mortuum tradere: ſed qui promiſit hominem mortuum, poſt mortem

dare

dare cogitur, *l. inter* 83. §. *pen. l. seruum* 91. *in princ. ff. de V. O. l.* 4. *ff. qui satisdare, l. eum qui* 30. §. 1. *ff. de solution.* igitur pactum initum circa impossibile, ex facto vtile est. Tertiò tandem contra eam exæquationem, quam facit Gregor. noster inter pactum impossibile, & turpe, illa insurgit difficultas; nam magnum discrimen est inter pactum turpe, & impossibile; siquidem turpe, siue affirmatiuum sit, hoc est, si flagitium feceris; siue negatiuum, videlicet, si maleficium non feceris, non sustinetur, *l. iuris* 7. §. *si ob maleficium, ff. de pactis:* ast pactum impossibile negatiuum valet, *l. impossibili* 17. *l. in illa* 8. *ff. de V. O. l. si pupillus* 9. §. 1. *ff. de nouation.* igitur non rectè à Gregorio nostro in omnibus, & per omnia exæquantur pacta turpia cum impossibilibus.

13. PACTVM TVRPE QVID.

Sed his non obstantibus vera est Gregorij decisio, videlicet pacta turpia, & impossibilia nullius esse momenti; quam vt perfectiùs comprehendamus, sciendum est, pactum turpe dici, quod lædit pietatem, existimationem, verecundiamque nostram; in summa quidquid contra bonos mores paciscitur, *l. pacta, Cod. de pactis, l. si quis inquilinos*, §. *penult. ff. de legat.* 1. Huius autem pacti turpis duplex genus datur; vnum cùm quis fieri paciscitur, quod turpe est: aliud cùm quis aliquid fieri paciscitur, quod per se turpe non est, sed eius naturæ, vt ex eo ad delinquendum inuitemur. Ad primum genus spectant pacta, cùm quis paciscitur vt maleficium fiat, *dict. l. iuris* 7. §. *si maleficium* 50. vt flagitium, ideſt stuprum, *l.* 1. *in fin. ff. de extraord. crimin.* perpetretur, *l. si flagitium* 123. *ff. de V. O.* aut lenocinium fiat, *l.* 5. *Cod. de condict. ob turp.* vt quis sub pœna cogatur vxorem ducere, aut retinere, *l. Titia* 134. *ff. de V. O. l.* 2. *Cod. de inutilib. stipul.* vt nomen turpe quis ferat, argumento textus *in l. facta* 63. §. *si verò, ff. ad Trebell.* vel vestem muliebrem deferat, argumento legis *vestis*, §. *muliebria, ff. de auro & argento.* Ad secundum pertinent, cùm quid tale promittitur, per quod impunitatem quis consequitur, vel præmium flagitij commissi, *l. si flagitij* 123. *ff. de V. O.* aut cùm quid morienti promittitur, ne faciat, *dict. l. iuris* 7. §. *si ob maleficium*, vbi Faber & Hothomanus, *l.* 1. *in fin. l.* 2. *l.* 4. §. *si tibi, cum legib. sequent. ff. de condict. ob turpem, l. omnes* 4. *l.* 6. *Cod. eodem.* In qua parte notandi sunt textus *in l. ea quæ* 57. *ff. de donat. inter, l.* 3. §. *illud, de calumniat. l. alia*, §. *eleganter, ff. solut. matrim. l.* 2. *Cod. de in ius vocando, l.* 15. §. 1. *l.* 46. *ff. ad leg. Falcid. l. si patronus* 20. *de donat. l. fin. Cod. de condict. sine causa, l. quod si locus*, 11. *ff. de relig. & sumpt.* Turpe enim est accipere, vt à maleficio temperes, à quo sponte abstinere debes, vt considerant Iaso, & Faber *in dict. l. si ob maleficium*; vel si paciscatur ne de dolo agatur, *l. si vnus*, §. *pactus* 4. *ff. de pactis*, ne de moribus agatur, *l. illud* 5. *ff. de pactis dotal.* de hærede faciendo, *l. ex eo* 4. *ff. de inutilibus stipulationibus*; ineſt enim in eo votum captandæ mortis alienæ, *l. vlt. Cod. de pactis.* Pactum cum aduocato de quota litis, turpe etiam est, *l. sumptus, ff. de pactis, l.* 1. §. *si qui, de extraordin. cognit.* si quis pecuniam accipiat, vt rem commodatam, aut depositam reddat, *l.* 2. §. *vlt. ff. de condict. ob turp.* Si verò vt filium emancipet, turpis non est stipulatio, *l. vtrum* 97. *ff. de V. O.* vbi Donellus. Stipulatio per quam promissor punitur, si delictum fecerit, sustinetur, *l. ex ea* 121. §. *mulier, ff. de V. O.* Quæcumque igitur pacta paciscentem ad delinquendum inuitant, nullius momenti sunt, & hæc, sicut illa primi generis, nullam obligationem producunt. Donellus *in dict. l. pacta.*

14. PACTVM IMPOSSIBILE QVOD?

Prædictis conuentionibus, quoad effectus affinia sunt pacta impossibilia, cùm quis promittit impossibile de facto, vel de iure. De facto, vt hyppocentaurum dare, *l. si ita* 97. *ff. de V. O.* §. 1. *Instit. de inutil.* licèt enim in rerum natura hyppocentaurum dari testetur D. Hieronymus *in vita Pauli*; tamen huiusmodi monstrum rarò, aut nunquam reperiri probant Corrasius *lib.* 5. *miscel. cap.* 2. Carranza *de partu, cap.* 17. *ex num.* 80. Philippus Camerarius *lib.* 2. *succeſſ. cap.* 71. Delrius *in notis ad Senecam, in Medæa, pag.* 332. Couarruuias *lib.* 4. *variar. cap.* 2. Baronius *anno* 343. *numer.* 1. Salmut. *ad Pancirol. in memor. tit.* 48. Hieronymus Magius *lib.* 1. *miscel. cap.* 19. Florus Sabinius *lectionum cap.* 6. Institutarij *in dict.* §. 1. *de inutilibus:* vel hominem mortuum tradere, *l. quod si stipulor* 35. *ff. de V. O.* montem aureum construere, cœlum ascendere, §. *impossibilis, Instit. de inutil.* Romæ promittens eodem die Carthagini dare, *l.* 1. §. 6. *ff. de eo quod certo loco.* De iure, vt si quis promittat sororem vxorem ducere, *dict. l. si stipulor*, §. 1. si minor promittat seruum manumittere, *l. si minor* 66. *ff. de V. O.* in his enim omnibus pactis nulla obligatio nascitur, nec si pœna promittatur, debetur, *l. si stipulatus* 97. *l. si ita* 126. §. *fin. ff. de V. O. l. quod de bonis*, §. 1. *ff. ad l. Falcid.* si enim prima, principalisque obligatio est inutilis, secunda, seu illius sequela, inualida erit, *l. si homo* 69. *hoc tit. l. inter* 83. §. *Stichum, l. si seruus* 91. *ff. de V. O.* cùm enim pœna adiiciatur ad acuendam obligationem debitoris, frustra adiicitur, quando impossibile est promissum præstare, *l.* 38. *tit.* 11. *partit.* 5. Nec obstat principium textus *in l. si impossibilis* 7. iuncta lege sequenti, *ff. de V. O.* vbi in illa specie, si digito cœlum non tetigeris, centum spondes, valet stipulatio, & confestim centum debentur; quia certum est, imò necessarium, cœlum non ascensurum: igitur pœna adiecta obligationi impossibili debetur. Nam discrimen constituendum est inter eum casum, in quo in vim conditionis res impossibilis ponitur, & inter eum, in quo in vim dispositionis. Primo casu, quia vna stipulatio est, & adest voluntas contrahentium, valet pœnæ adiectio: secundo verò non subsistit, vt docent *in dict. l.* 7. Alexand. *num. vlt.* Iaso *num.* 7. Giphanius *num.* 5. & 6. Alciatus *numer.* 15. totum tamen facit voluntas contrahentium, quæ quomodo cognoscatur, exponit Donellus *in l. si homo* 69. *ff. de V. O.* nec ad æstimationem rei impossibilis promissæ succedit obligatio, *l. cùm hæres* 39. *ff. de legat.* 1. imò si res à principio possibilis fiat impossibilis, perit obligatio, *l. si Stichus* 33. *l. si ex legati, ff. de V. O. l. promissor* 21. *ff. de constit. pecun.* si tamen aliquid impossibile sit promissori, aliis verò possibile, rata erit obligatio, *l. continuus* 137. §. *si ab eo ff. de V. O.* Gedeus *de contrahend. stipulat. lib.* 1. *cap.* 6. *assert.* 13. *numer.* 1.

15. IMPOSSIBILIVM NVLLA OBLIGATIO EST.

Impossibilium igitur respectu omnium, siue de iure, siue de facto, nulla obligatio est, *l. impossibilium, ff. de regulis, iuris*; & non solùm si impossibilia, verùm si possibilia promissa sint sub conditione impossibili, vitiantur; quia adiectio condi-

conditionis impossibilis in contractibus, eos vitiat, *l. impossibilis, de V.O. l.non solùm* 30.*de oblig. & act. l. si sub impossibili* 30. *de fideiussor.* licèt in vltimis voluntatibus contrarium obseruetur, *l.*1. *ff.de condit. instit. l.*3. *de condition. & demonstr.* cuius discriminis rationes tradunt Sarmiento *lib.* 2. *select. cap.*3. Donel. *lib.*6. *comment. cap.*18. Amaya *lib.*2. *obseru. cap.* 11. *num.*3. Duaren. *in dict. l.impossibilis* 7. Basilius *de matrim. lib.*3. *cap.*3. Spino *in speculo testam.* 1. *part. rubric. ex num.*38. Caldas Pereyra *in l.si curatorem, verb. Sine curatore,* Caldeira *lib.*2. *variar. cap.*4. Larreategui *lib.*7. *select. cap.*2. *& duobus sequentibus*, Paulus Durant. Galganetus, & Balduinus, qui de conditionibus scripserunt apud Ripol. *in l.*3. *de condition. & demonstr. ex num.*49. Præceptor semper laudandus D.Iosephus de Retes *in l. impossibilis* 7. *de V. O.* & nos nonnulla dabimus *in cap. fin. de condition. apposit.* Interim obseruandi sunt textus *in l. seruo, de condict. indeb. l.cùm filius* 50. *de legat.*3. *l. Titius*, §.*fin. de excusat. tutor. l.*1. §.*si hæreditarium, ff.de condition. instit. l. si peculium* 6. §.*& si fuerit, ff.de peculio legato, l.si ita* 13. §.*sed si ancilla, ff. de manum. testam. l. Paulus*, §. *Gaius*, *ff. de fideicommiss. libert. l.generali*, §. *duo*, *ff.de vsufruct. legato, l.*4. §.1. *ff. de statuliber. l. facta* 63. §. *si sub conditione*, *ff.ad Trebel. l.inde* 23. §. *idem Iulianus*, *ff.ad leg. Aquil. l.*5. *Cod. de instit. & substit. l.huiusmodi* 64. *ff. de V. O. l.similiter*, §. *ex asse*, *ff. de iure dotium*, *l.dictam* 8. *Cod. de condict. ob turpem*, *l.cohæredi*, § *vlt. de vulgar. l.si filius* 15. *ff. de condit. instit. l. modo*, *l.cùm tale*, §. *Mœuia*, *l. Lucius* 83. *ff.de condit. & demonstr. l.*3. §.*filius*, *ff. de liberis, & posthum. l.dotem* 12. *ff. de dote prælegat. l. Stichum* 39. §.4.*ff. de statuliber. l.si quis filio* 32. *l.Titia* 36.*ff. de legat.*1. *l.quadringenta* 88. §.1.*ff.ad leg. Falcid.* Manet ergo, impossibile dici id,cuius existentiæ repugnat natura, iuxta Aristotelem *lib.*4. *Physic. text.*4.

16. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus præmissis facilè cognoscitur ratio decidendi huius textus; nam cùm impossibilium nulla obligatio sit, *dicta l.impossibilium*; vnde sententia impossibilitatem continens, inualida est, *l.final.* §. 1. *ff. quæ sentent. sine appellatione*: & id possimus, quod de iure possumus, vel secundùm bonos mores, *l. filius*, *ff. de condition. instit.* & quod est impossibile de iure, vel defacto, dari, fieríve non possit, *l. si stipulor* 35.*ff.de V. O.* ideo impossibilium, aut rei turpis pactio nullius momenti est, adeo vt nec iuramento firmari possit, *cap. si aliquid*, *cap. vnumquodque* 22. *quæst.*4. quoniam tolerabilius est non adimplere, quàm facere quid inhonestum, & contra bonos mores, *cap. in malis* 22. *quæst.*4. potest enim ius positiuum improbare aliqua pacta, quæ sint contra bonos mores, etiam ciuiles, quia materia conuentionum subest legi, adeo quidem, vt quæ lege improbata sit, iniusta sit simpliciter, nec ex natura obliget; redditur enim mala, quia prohibita est; & actus sit nullus omnino, quia per legem irritatur, *l.non dubium* 5. *Cod. de legibus*, *cap. imperiali* 13. 25. *quæst.*2. *cap. quæ contra* 64. *de R. I. in* 6. igitur in his casibus pacti turpis deficiet æquitas naturalis, nec qui promisit, tenebitur fidem implere, quia æquitas naturalis admixta est cum præceptis ciuilibus, *l. bona fides* 31. *ff.depositi*; & variatâ materiâ pactorum per ius positiuum, non supereſt iustitia, quæ petit omnimodam proportionem ex parte omnium circunstantiarum, rei, personarum, &c. itaque lex ciuilis, quæ directò efficere non potest, vt obligatio orta ex æquitate naturali non æstimetur, potest efficere per obliquum, ne oriatur irritando materiam circa quam versantur pacta ipsa: docent Couarru. *in regula Peccatum*, 2. *part.* §.4. *num.*6. Azeuedo *in l.*1. *tit.*1. *lib.*5. *recopil. num.*24. Sanchez *lib.*1. *de matrim. disput.*7. *ex num.*16. & *lib.*6. *disput.*38.*num.*20. Salas *de legibus disput.*16.*sect.*12. *num.*50. Tapia *lib.*4. *catena moralis*, *tomo* 1. *quæstione* 12. *art.*1. iuxta quæ principia obiter expositus manet textus alioquin difficilis *in l.cùm lex* 46. *ff.de fideiussoribus.* Vnde apparet iuxta vtriusque iuris principia, Gregorium nonum statuisse pacta turpia, aut impossibilia de iure, vel de facto nullam obligationem producere, sicut ait Imperator *in l.vlt. Cod. de pactis. Nullam vim habent, nec ad obligandum.*

17. DISSOLVVNTVR ARGVMENTA.

Nec difficultates suprà expensæ aduersantur. Non prima, cui vt satisfaciat Cuiacius *in l. generaliter* 26. *ff.de V. O.* ita distinguit: aut agitur de vi stipulationis ciuilis, inspecto iure ciuili; & tunc non producit obligationem, nec actionem de iure ciuili, aut Prætoria; & quia constat de turpitudine, denegatur actio: aut de turpitudine non liquet, & datur actio, quæ eliditur exceptione; quo casu procedunt textus suprà citati. Cuiacium sequitur Pacius *cent.*7. *quæst.*28. Alij communiter discrimen constituunt inter eum casum, in quo turpitudo versatur ex parte vtriusque; & tunc aiunt nullam obligationem dari, *dict. l. generaliter* 26. & cùm datur, tantùm est ex parte accipientis; & tunc obligationem nasci credunt, sed exceptione elidi, quo casu intelligunt textum *in dicta l.pen.* eam refellit Pichardus *in dict.* §.*quod ex turpi.* Quare his, & aliis omissis veriùs dicendum est cum Bartol. quem sequitur Donel. *ibi*, distinctionem adhibendo inter pactionem turpem, ita turpiter conceptam, vt ipsa turpido expressa sit in pactione; & inter eam pactionem, quæ continet turpitudinem tantùm tacitam. Primo casu nulla obligatio ex tali pactione nascitur: secundo verò actio producitur; nam cùm reuerà in hoc secundo casu nulla causa, vel saltem iniusta, sit, ideo iniquum est, reum condemnari, sed potiùs exceptione iuuari debet. Inde cùm textus *in dict. l.pen.* loquatur de secundo casu, vt probat Donel. *in dict. l.* 26. *de V. O.* ideo ex ea actio, licèt inefficax, nascitur *in dict. l.Titia* 134. Ob aliam rationem exceptio necessaria est, quia apertè stipulatio contra bonos mores concepta non erat; nam cùm in personis parentum concepta esset, non repugnabat expressè verbis legum, quibus libertas matrimonij stipulationibus impediri prohibetur: at licèt verbis stipulatio non repugnaret, quia sententiæ legum contraria erat, ideo actio, quæ nascitur, inefficax est. Donel. *in dict. l. generaliter* 26. Nec primum augmentum huius difficultatis, quo dicebamus, ex turpi causa datum non vindicari, sed per condictionem repeti, aduersatur; nam verum est, transferri dominium dati ob turpem causam ex eo, quia cùm ad eius translationem nihil aliud desideretur præter voluntatem domini rem transferri volentis, *l.traditio*, *ff. de adquir. dom. l.traditionibus*, *Cod. de pactis*, §. *per traditionem*, *Inst. de rer. diuision.* Donel. *lib.*4. *comment. cap.*16. & adsit in dante, licèt ex causa turpi, voluntas transferendi dominium, qui dedit, non vindicationem, sed repetitionem habet. Nec quod expendebamus ex verbis legis 12. Tabular. & dicta lege *transigere*,

aliquid

aliquid probat; nam pacta ne iniuriarum, vel furti agatur iam commissi, vel transactiones super criminibus capitalibus, quæ sanguinis pœnam irrogant, aliquam turpitudinem non continent; tum quia per pactiones istas non læditur ius publicum, aliàs improbarentur, vt *in l. si vnus* 27. §.4. *ff. de pactis*; sed tantùm priuata, familiarisque vtilitas, *dict. l. iuris gentium*, §. *si paciscar*; tum quia, vt ait Vlpian. ignoscendum est ei, qui sanguinem suum qualiterqualiter redimere voluit, *l.1. ff. de bonis eorum, qui ante sententiam*; latiùs prosequuntur suis commentariis interpretationem textus *in dict. l. transigere*, Padilla, Delrius, Dauid Argent. Donell. & Antonius Matthæus *in eo textu.* idem Anton. *tom. 2. de criminibus, pag.* 943. Cuiac. *lib. 6. obseru. cap.* 11. Reuardus *lib.4. variar. cap.6.* Faber *lib.2. coniect. cap.* 20. Hothoman. *illustr. quæst.* 23. Hunnius *in Treutler. volum.1. disput.2.thesi 6. quæst.* 43. Pichardus *in* §.7. *Inst. de pœna temer. litig.* plures laudati à Valeron *de transaction. tit.3. quæst.5.* Nec augmentum vltimum obstat, deductum *ex dict.l. generaliter*, *ff. de vsuris*: non enim quia Paulus ait, inhonestas præstationes non venire in iudiciis bonæ fidei, fatetur venire maximè in iudiciis stricti iuris; hoc enim plusquam absurdum est: sed ait non venire maximè in iudiciis bonæ fidei, vt *in l. 1. Cod. de rescind. vend.* asseritur, bonam fidem desiderari in contractibus bonæ fidei, nec ideo negatur in contractibus stricti iuris non requiri. Nec etiam obstat textus *in dict.l. si possessor* 52. *ff. de petit. hæreditat.* nam licèt inhonestæ præstationes in aliis iudiciis non veniant; veniunt tamen in petitione hæreditatis ex speciali ratione, ne videlicet honesta interpretatio non honesto quæstu possessori lucrum faciat, idest, ne honestatis prætextu inhonestum quæstum faciat possessor. Cuiacius *lib.23. quæst. Papin. in dict. l. generaliter*: deinde, quia præstationes illæ non erant inhonestæ petitori, licèt essent inhonestæ possessori, vt considerat Osuald. *lib.19. comment. Donelli, cap.14. littera H.* post quos latè agunt de eius textus interpretatione Hothomanus *de vsuris, cap.* 3. Leothardus *eod. tract. quæst.96.* Masius *lib.2. commun. opin. cap.*8. & nos *in cap. inter opera, de sponsalibus.*

18. Dissolvitvr secvnda difficvltas.

Nec secunda difficultas, quam aduersùs secundam partem nostræ conclusionis expendebamus, aduersatur; nam ea consideratio procedit, quando voluntas contrahentium obscura est, vel ambigua; tunc enim ita interpretari debet, vt valeat potiùs quàm pereat: at in conuentione turpi, aut impossibili, nulla datur ambiguitas; vnde nullo modo paciscentium voluntas, quæ nulla præsumitur in simili conuentione, interpretari potest: difficilius est, quod de stipulationibus, & ædilitiis dicebamus, præcipuè cùm affirmet Vlpianus de illis loquens *in l. verum* 31. *ff. de regul. iuris*, verum esse, neque pacta, neque stipulationes factum tollere; quod enim impossibile est, neque pacto, nec stipulatione potest comprehendi. Loquitur enim Vlpianus de illis stipulationibus, furem non esse, vespillionem non esse, vt facilè constabit si conferatur eius inscriptio cum lege *non impossibile* 50. *ff. de pactis*, *l. si ita quis* 31. *ff. de euiction. l. scilicet* 20. *l. in lege* 44. *ff. ad leg. Aquil. l. vt solet* 15. *ff. de præscriptis verb. l. aliud est* 174. *ff. de V. S.* Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, in hac parte Proculeianos à Sabinianis dissensisse, & sententiam Sabini præualuisse, vt constat *ex l. verum* 31. *ff. de regul. iuris.* Proculi ratio ea erat, quia promittere seruum meum esse sanum, spectat ad habitum corporis serui; promittere non esse furem, spectat ad habitum animi ipsius: quæ omnia sunt extra meam potestatem, quia corporis habitus & animi, voluntas, aut affectiones, propriæ sunt serui, *l. 3. Cod. de hæredibus instit.* igitur rem præstatione impossibilem promittit venditor: quod & concessit Sabinus. Sed nihilominus contrarium tenuit optima ratione, docens hæc, sanum esse, furem non esse, non esse referenda ad habitum corporis, aut animi, qui non subest alienæ potestati, sed ad qualitatem, ad bonitatem rei, ad iustum ipsius valorem, adeo vt si aliter seruus se habeat, quàm promissum est, præstet venditor emptori quantum sui interfuit: quod & valido confirmauit argumento; inquit enim apud Vlpianum *in dict. l. verum*, quando venduntur animalia, promittit venditor iuxta edictum Ædilium, ea sana esse, rectè edere, & bibere: quæ stipulationes sustinentur, tanquam eorum bonæ qualitatis, ob quas digna pretio conuento censentur, *l.* 1. §. 1. *ff. de ædilit. edict. l. ex empto* 11. §. *animalium* 4. *ff. de actionibus empti*, Marcus Varro *lib. 2. de re rust. cap. 2. cum tribus sequentibus*, Gellius *lib. 4. noctium Attic. cap.2.* notarunt plures relati ab Amaya *lib.1. obseru. cap.13. num.1.* & vltra illos Cuiacius *lib.9. obseruationum, cap.3.* Brissonius *lib. 3. de formulis, prope finem*, Reuardus *de authorit. prudent. part.* 10. Durantius Casel. *lib.1. var. cap.*10. ergo vt in animalibus bona habitudo corporis promitti potest, ita in seruis, tam respectu corporis, quàm animi; & ea promissione furem seruum non esse, non id agitur, vt factum non factum sit, sed continetur quanti interest furem non esse: quare paciscentes impossibile non promittunt, videlicet factum infectum reddere; verùm id agunt, vt quanti interest, præstetur, si illud vitium emptor in seruo vendito compererit. Similiter non est impossibile pactum, ne facias furem, aut fugitiuum; quia qui ita promittit, non spondet quid impossibile, aut factum alienum simplex, sed factum proprium, videlicet se non solicitaturum vt fur fiat, aut fugitiuus, *dict. l. non impossibile*, vbi omnes Classici, Amaya *lib. 2. obseru. cap* 13. *num.9.* Petrus Faber, Reuardus, & Gothofredus *in dict. l. verum* 31. Pichardus *in* §. *si quis alium, Instit. de inutilib.* Nec quod dicebamus de homine mortuo, & promisso post moram, obstat; nam licèt lumine naturæ notum sit, hominem mortuum inuiliter promitti, *l. si homo* 69. *l. liber* 103. *ff. de V. O. l.21. tit. 11. partita 5. l. vlt. ff. de confessis*, §. *idem iuris, Instit. de inutilibus stipul.* docent vltra repetentes *ibi*, Donel. *lib.11. comment. cap.*20. Valentia *lib.2. illust. tract.2. cap.3. num.*20. & 21. & *cap.4. ex num.*10. Suarez à Mendoza *ad legem Aquiliam lib.3. cap.4. à num.*15. cadauer enim, ad cuius formam reducitur, inutilis prorsus præstationis est; & in hoc sensu nihil est, & per consequens nullius, vel impossibilis præstationis; quia id potest dari, cuius potest dominium transferri, *l. vbi autem* 75. §. *fin. ff. de V. O.* §. *sic itaque, Instituta de actionibus*: docent Donellus, & Valentia *vbi proximè*, Connanus *lib. 6. comment. cap.4. num.6.* tamen quando viuus promissus fuit seruus vtiliter, vel efficaciter, & post moram decessit, deberi, & promitti valet; quia propter promissoris culpam, qui moram commisit, proinde habetur, ac si seruus adhuc in rebus humanis staret, & sic in perpetuum tenetur, *l. nemo*, §. *vlt. l. si ex legati, ff. de V. O. l. quod 5. ff. de reb. credit.* Donel. *lib.16. cap.2.* & fusè *in tract. demora*: quæ præstatio

cùm sit pretij, siue æstimationis, impossibilis non est, *l.penult.ff. de vi, & vi armat. l. inter* 46. *ff. de furtis*; quâ solutione accipiendi sunt textus *in l.si seruum* 91. §. *sequitur*, *ff. de V.O. l.fin.ff. de condict. furtiu.l. promissor* 23. *ff. de constituta pecun. l.qui Stichum* 5. *l.fin. ff. de confessis*, *l.si vsusfructus* 6. *ff. de vsufr. legato*, *l. quæcumque* 46. *ff.de O. & A.* Nec tandem vltimum augmentum obstat, quod expendebamus contra exæquationem illam indistinctè à nostro Gregorio factam, inter pactum turpe, & impossibile negatiuè conceptum; quia certum est, pactum turpe etiam negatiuè conceptum, nullius momenti esse, ex ratione suprà adducta: impossibile verò negatiuum, vt, *Cœlum non ascendas*, valere, quia hæc conuentio necessaria magis est, quàm impossibilis, & puram producit obligationem, cùm figuram conditionis magis quàm potestatem contineat, *l.si pupillus* 9.§. *qui sub conditione*, *ff. de nouation.* Vnde exæquatio à nostro Gregorio facta accipienda est de pactis turpibus, & impossibilibus affirmatiuè conceptis; quo casu æqualiter inualida sunt vna, atque alia.

19. EXPONITVR L. SI QVANDO FF. DE OPER. LIBERT.

Primò Gregorij IX. decisioni opponitur textus *in l.si quando* 3. *ff. de operis libertor.* vbi proponitur, libertum promisisse duobus patronis operas præstare: quæstionis fuit, an teneretur cuilibet soluere partem? Et Labeoni placuit, teneri partem soluere. Prosequitur Pomponius, & Labeonis sententiam probat eo exemplo, quia si quis promittat operas præteritas, quæ præstari non possunt, obligatur: ex quo textu expressè deducitur, promissionem rei impossibilis valere, siquidem impossibile est operas pro parte præstare, quæ indiuiduæ sunt, *l.libertus* 15. §. 1. *ff. de operis libert. l.*1.§. *sed operis*, *ff. ad leg.Falcid. l.in stipulationibus* 54. §.1. *ff. de V. O.* & etiam fatetur Consultus, operas præteritas deberi, quæ iam præstari non possunt: ergo promissio, seu pactio quid impossibile continens, sustinetur. Pro huius textus interpretatione sciendum est, quod cùm opera diurnum officium sit, *l.*1. *ff. de operis libertor.* & in actu consistat, *l.* 1. *ff. de operis seruorum*, neque vsumfructum per omnia comitetur, *l.* 2. *ff. de vsufr. legat.* sed proprio, & peculiari iure censeatur, *l.*1. §. *sed operis*, *ff. ad l. Falcid.* Cuiac. *lib.* 2. *Pauli ad edictum*, *in dict. l.*1. *ff. de oper. seruor.* & indiuidua sit, quatenus continet factum tale, quod vnico actu non consumatur; tamen factorum indiuiduorum regulis non æstimatur, *dict. l. in stipulationibus*, imò plures operæ promissæ, tanquam plures res in genere debitæ, non partibus pro indiuiso, sed numero diuiduntur, & promissio operarum similis est illis, in quibus genera promittuntur, *dict.l. in stipulationibus*, *dict. l.libertus* 15. Vnde *dict. l.si quando*, operæ diuiduntur non partibus pro indiuiso, sed numero; & si promisit libertus tantùm operam, quamuis non detur diuisio ex parte debentis, tamen commoditas potest communicari, *dict. l. in stipulationibus*, §.*vlt.* Quoad operas præteritas facilior expositio est; nam cùm eo casu, quo operæ præteritæ sunt, obligatio succedat ad interesse, siue æstimationem, *l.si non sortem* 26. §. *libertus*, *ff. de condict. indebit.* inde & deberi & peti pars operarum potest, idest earum æstimatio. Valentiâ *tomo* 2. *illustr. tract.* 4. *cap.*6. *num.*33.

20. INTELLIGITVR L. EA QVÆ

Secundò opponitur textus *in l. ea quæ* 57. *ff. de donation. inter*, vbi stipulatio, quâ vxor promittit, vt si diuortium suâ culpâ sequatur, aut ipsa repudij libellum mittat, certâ quantitate mulctetur, valet, & sustinetur; & tamen hæc stipulatio turpis est, cùm licèt intra metas pœnæ à lege statutæ stipulatio defendatur, *l. non est* 50. *ff. de pactis*; pœnis tamen legum contenti esse debemus, vt probat ab specie textus *in l.si stipulatio* 19. *ff. de V. O. l.*2. *Cod. de inutilib. stipulat.* diuertentibus enim sine causa iam certæ pœnæ à iure erant statutæ, quas enumerat Scipio Gentilis *de donation. inter*: igitur stipulatio turpis non improbatur. Omissis aliis difficultatibus illius textus, quas proponit, exponitque Cuiac. *lib.6. resp. Pap. in eo textu*, respondendum est, stipulationem, de qua ibi agitur, non esse turpem, nec pœnam continere, sed tantùm modum à partibus conuentum, vt quantitas videlicet donata restitueretur, sequuto diuortio malâ gratiâ. Maritus enim tempore donationis non simpliciter donauit, sed paciscendo, vt si sine causa vxor diuertisset, illi restitueretur quantitas donata: qui modus adiectus defenditur, sicut alius quilibet in traditione rei propriæ, *l.in traditionibus* 48. *ff. de pactis*, *l. qui Romæ* 122. §. *Flauius*, *ff. de V. O. l.*1. *& per totum Cod. de donation. quæ sub modo*: ita illum textum accipiunt Donellus *in l.*19. *num.*5. *ff. de V. O.* Gentilis *de donation. inter*, *lib.*3. *cap.*17.

57. FF. DE DONAT. INTER.

Deinde opponitur textus *in l.*1. §. *quæ onerandæ*, *ff. quarum rerum actio non datur*, vbi proponitur, quod si patronus à liberto stipuletur, ne ipsum offendat, & si offenderit, in seruitutem reducatur, talem stipulationem tanquam factam onerandæ libertatis causâ non valere. Ex quo textu duplex nascitur difficultas. Prima in hunc modum: non valet stipulatio hæc, quia oneratur libertas: igitur quia libertas in eo consistit, vt libertus possit offendere patronum. Secunda ex eo, quia pœnis à legibus statutis contenti esse debemus, *dict.l.*19. *ff. de V. O.* igitur hæc stipulatio ex alio capite, videlicet quia concepta erat in eo casu, quo certa pœna à lege constituta reperiebatur, improbari debebat. Primæ difficultati respondendum est, stipulationem in eo textu fuisse conceptam, ne etiam leuiculè libertus patronum offenderet, quâ sponsione libertas onerabatur, siquidem ob leuem iniuriam poterat libertus reuocari in seruitutem, vt exponit Osualdus *lib.*16. *comment. cap.* 22. *littera E.* Secundæ difficultati satisfaciendum est asserendo, pœnam in eo textu adiectam esse à iure statutam eo casu, quo libertus ingratus existens patronum offenderit, *l.* 1. *Cod. de ingratis libertis*, *l.alimenta* 6. §.1. *ff. de agnoscendis liberis*; & quando stipulationi ea pœna tantùm adiicitur, quæ à iure constituta est, stipulatio sustinetur, *l. non est impossibile*, *ff. de pactis*, *l. quidam* 132. *ff. de V. O.*

21. EXPONITVR L.1.§ QVÆ, FF. QVARVM RERVM.

Rursus nostræ assertioni aduersatur textus *in l. insulam* 58.§.*in operis*, *ff. locati*, vbi celebratus fuit contractus locationis, vt domus construeretur; & tempus ad ædificationem præscriptum fuit, & conuentum, vt nisi intra illud opus perficeretur, locator conductori quanti eius interesset, præstaret. Ob temporis pressuram impossibile erat opus perfici: quæsitum fuit, vtrum talis contractus sustineretur? Et respondet Consultus, contractum valere, iudicemque debere locatori concedere tempus arbitrio boni viri, intra quod domus construi possit. Ex quo textu apertè constat, pactionem impossibilem, seu quid impossibile continentem, valere: igitur non rectè asserimus, pacta impossibilia nullius momenti esse. Pro cuius textus expositione dicendum est, in eo textu contractum sustineri,

22. ADDVCITVR L. INSVLAM 58. §. IN OPERIS, FF. LOCATI.

sustineri, quia tempus præscriptum à contrahentibus non ita breue, & impossibile iudicabatur: quare licèt intra illud domus construi non possit, tamen iuxta voluntatem contrahentium illud actum videtur, vt tempus congruum concedatur: ita post Fabrum, & Fulgosium in eo textu docent Pichardus *in* §. *loca*, *num.* 12. *Inst. de inutilib.* Bartholomeus Chesius *lib. singul. interpret. cap.* 11. Præceptor D. Iosephus de Retes 2. *part. de V.O. tract.* 4. *num.* 4.

23. OPPONITVR L. SI DICTVM, FF. DE EVICTION.

Deinde obstat textus *in l. si dictum*, *ff. de euiction.* vbi asseritur, valere stipulationem, per quam euictionis nomine quadruplum promittitur: quæ stipulatio turpis est, siquidem actio duplæ ex euictione datur, *l. cùm fundus* 48. *l. si fundo* 53. cum aliis, *ff. de euiction.* igitur cùm maiorem pœnam contineat, quàm statuta est à iure, turpis est; & tamen sustinetur: igitur quia stipulatio turpis valida est. Pro interpretatione huius textus varia adduxerunt Cuiacius *tract.* 8. *ad Africanum*, *in l. cùm fortè* 44. *ff. de action. empti*, Antonius Faber *lib.* 2. *coniect. cap.* 3. Merillus *lib.* 3. *variantium ex Cuiac. cap.* 26. Arias de Mesa *lib.* 2. *variar. cap.* 32. Sed prædictæ difficultati satisfaciendum est asserendo, pœnam tripli, seu quadrupli in eo textu promitti, quia interesse euictionis æstimatum, & taxatum fuit à contrahentibus; licèt enim iudex vltra duplum non possit taxare interesse, *l. vnic. Cod. de sentent. quæ pro eo quod interest*, tamen partes possunt vltra æstimare. Inde cùm dupli taxatio in euictione non proueniat à lege, sed ex voluntate contrahentium, *l. quod si nolit* 31. §. *qui assidua*, *ff. de ædilit. edict.* ideo possunt contrahentes aut simplum, aut quadruplum euictionis nomine promittere: docent post Accursium *ibi*, Cuiac. *lib.* 16. *obseru. cap.* 34. Donel. *in dict. l.* 19. *num.* 4. *ff. de V.O.*

24. EXPONITVR L. 10. FF. DE NEGOT. GEST.

Etiam aduersatur textus *in l. sed an vltro* 10. *ff. de negot. gest.* vbi supponit Consultus, valere pactum, ne actione negotiorum gestorum ob sumptus impensos agatur: quæ conuentio turpis est, cùm repugnet naturali æquitati, & ad delinquendum per eam quis inuitetur, *l. ex empto* 11. §. *vlt. l. bona fides* 50. *ff. de action. l.* 1. §. 1. *ff. de pactis dotal.* igitur pactum turpe non improbatur. Hac difficultate motus Faber *in eius rationali*, existimat verba illa, *nisi specialiter id actum est*, *vt neuter aduersus alterum habeat actionem*, Triboniani esse, eiusque inscitiam sapere. Sed pro eius textus interpretatione sciendum est, pactum nonnunquam turpe videri, quod reuerà turpe non est, veluti cùm quis sibi dari paciscitur ob indicandum seruum fugitiuum, *l.* 4. §. *vlt. ff. de condict. ob turp. l. solent*, *ff. de præscript. verb. l. falsus* 44. *ff. de furtis.* Paulus *lib.* 2. *sentent. tit.* 31. §. 20. vbi Cuiac. D. Iosephus de Retes *tom.* 1. *opusc. lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. Similiter nec turpia sunt pacta, de quibus *in l. vtrum* 107. *ff. de verb. oblig. l.* 1. iuxta veram lecturam Florentinam, *ff. de cond. cauf. dat. l. metum* 9. §. *sed licet*, *ff. de eo quod metus causâ*, *l. penult.* §. *vlt. ff. de donation.* quam integram restituerunt ex Paulo *lib.* 5. *sentent. tit.* 11. §. *fin.* Cuiac. *ibi*, Fornerius *lib.* 4. *quotid. cap.* 12. Ita pactum *in dict. l.* 10. nullam turpitudinem continet, siquidem æqualitatem, æquitatemque respectu partium continebat; pactum enim initum fuit, ne ambo, tam directâ, quàm contrariâ vterentur actione; quo casu ex sententia ipsius Fabri in eodem textu pactum cùm æquale sit paciscentibus, nullam turpitudinem continet.

25. EXPLICATVR L. QVOD SI LOCVS, FF. DE RELIG.

Vlteriùs obstat textus *in l. quod si locus* 11. *ff. de religios. & sumptibus*, vbi asseritur, quod si locus monumenti ea lege venerit, ne in eum inferantur, quos ius est inferre, pactum ad hoc non sufficere, sed necessariam esse stipulationem. Ex quo textu deducitur, stipulationem turpem, religioni, & vsui sepulchrorum contrariam, esse validam: igitur stipulatio turpitudinem continens non improbatur. Augetur hæc difficultas *ex l. penult. Cod. de pactis inter emptorem*, vbi in eadem ferè specie asseritur, stipulationem non esse necessariam, sed pacto caueri posse, ne locus religiosus fiat. Etiam difficilis est textus ille, dum supponit, venditionem loci Religiosi valere, cùm vulgare iuris principium sit, venditionem rei sacræ, vel religiosæ non valere, *l. si in emptione* 34. §. *omnium*, *ff. de contrah. empt. l.* 2. *l. locum* 9. *Cod. de religios. l. inter* 83. §. *sacram*, *l. continuus* 137. §. *cùm quis*, *de V. O.* Anton. Fab. *in ration. ad eum textum*, more suo emendat, corrigit, atque eius verba delet: sed eo omisso, & aliis interpretationibus traditis à Cuiac. *lib.* 10. *quæst. Papin. in l. seruus* 7. *ff. de seruis exportandis*, Hothomano *lib.* 9. *obseru. cap.* 5. Merillo *in* 50. *decis. Iustin. in dict. l. vlt.* Gedeo *in l.* 3. *num.* 41. *ff. de V. S.* Respondendum est, stipulationem, de qua in eo textu, non esse contrariam religioni, si quidem venditor ius sepulchri, quale cumque habuit, transtulit in emptorem, eâ lege adiectâ, ne in sepulchro inferrentur, quos ius erat inferri; quo pacto præiudicari non poterat his familiaribus, qui ius sepulchri habebant: per pactum igitur ita appositum, tantùm ipse vnditor, & qui ab eo causam habent, priuantur vt hæredes iure inferendi defunctos in eum sepulchrum; vt autem alij ex familia priuentur iure suo, pacto fieri non potest, quia nemo paciscendo, aut legem in contractum dicendo, aliis prodesse, vel nocere potest, *l. quo tutela* 73. §. *neque*, *ff. de regul. iur.* Necessaria igitur est stipulatio, vt teneatur promissor facere, curareque, ne alij ius sepulchri habentes eo vtantur; & tunc cùm stipulatio facti alieni sit, magis cautum erit, si pœna adiiciatur. Nec obstat textus *in dict. l. vlt. Cod. de pactis*, vbi sufficit pactum, quia in ea specie pactum adiectum fuit in fauorem venditoris: at verò *in dict. l. quod si locus*, pactum initum fuit in fauorem emptoris. Venditor enim promisit in eum locum defunctum non inferre. Vnde cùm pactum fuisset adiectum in fauorem emptoris, & præiudicium aliorum, pactum tantùm non sufficit: at verò *in d. l. fin. Cod. de pactis*, ex pacto tantùm venditori præiudicium sequebatur, vnde pactum sufficit, nec necessaria est stipulatio. Nec obstat quod expendebamus de venditione prohibita loci religiosi; nam licèt aliqui asseruerint, in eo textu non agi de sepulchro, aut loco religioso, sed de monumento, quod significat locum purum, non religiosum factum humatione cadaueris, *l.* 2. §. *monumentum* 6. *l. monumentum* 4. *ff. de religiosis*, *l. si sepulchrum*, *Cod. eod. tit. l. si sponsus* 5. §. 2. *ff. de donat. inter.* hæc tamen solutio refellitur ex eo, nam ait Consultus, ius esse inferendi in eo: igitur quia ius sepulchri adquisitum iam erat. Nec nouum est, vt sepulchrum appelletur monumentum, *l.* 2. *Cod. quæ res pignori*, *dict. l. si sepulchrum*: sicut è contrario sepulchrum dicitur monumentum *in l. quamquam* 4. *ff. de aqua pluuia.* Dicendum enim est in ea specie locum religiosum venditum fuisse, non primò, & principaliter, sed accessoriè cum aliis bonis, vt docent Latiùs prosequentes ipsius textus interpretationem Valeron *animadu. iuris cap.* 3. D. Iosephus de Retes *lib.* 8. *opusc. cap.* 5.

TITVLVS

TITVLVS XXXVI.

De tranſactionibus.

CAPVT I.

[a] Gregorius *Antonio Subdiacono, & Dometiano Abbati, atque Preſbytero à* [b] *paribus.*

SIcut graue, & plenum vituperationis eſt, inter perſonas omnipotenti Deo militantes, de ſæcularibus negotiis ortam diu [c] controuerſiam permanere: ita laudabile, & ſtudio eſt religioſo conueniens, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus tranſitoriis manſura ſemper charitatis lucra mercari. Et ideo, quia de poſſeſſionibus Faiano, Naſoniano & Labiniano poſitis in prouincia [d] Sicilia territorio Panhormitano, de quibus inter Præpoſitos monaſterij ſanctorum [e] Maximi, & Agathæ, quod [f] Lucuſianum dicitur, & è diuerſo adminiſtratores Xenodochij in hac Vrbe Roma conſtituti, quod [g] Valerij nuncupatur, longa ſe traxit [h] contentio: nunc verò inter te [i] Antonium Subdiaconum noſtrum, memorati Xenodochij Præpoſitum, & è diuerſo dilectiſſimum filium noſtrum [k] Dometianum Abbatem, atque Preſbyterum prædicti monaſterij pactis interuenientibus ſalubris proceſſit, Deo auctore, deciſio: neceſſe eſt, vt omnis diſcordiæ poſſit occaſio præueniri, ea, quæ geſta ſunt, interueniente auctoritate firmari. Proinde per huius præcepti ſeriem hoc decernendum eſſe perſpeximus, vt omnia inſtrumenta, vel quidquid eſt aliud, quod partibus, quod abſit, ad inuicem contra ſe venire cupientibus, quoquo modo vel ex temporis præſcriptione, ſeu aliter opem de lege, aut quocumque priuilegio poterat miniſtrare, ſit ſicut & vos poſcitis, vacuum, & omni virtute caſſatum, & ſola pactorum inter vos nunc habitorum pagina validum, perpetuumque robur obtineat: ſi quid fortè incuriâ, vel imperitiâ minùs firmitatis inſertum eſt, vires pleniſſimæ munitionis, & ſoliditatis ex hac noſtra auctoritate ſuſcipiat, nec ſupereſſe aliquid valeat, vnde ea, quæ religioſo ſtudio prouidè, vt oportuit, ac pacificè terminata ſunt, quocumque tempore quidquam dubietatis incurrant; ſed omnia, quæ in eiſdem pactis tenentur adſcripta, firma, illibata, & ſine aliqua refragatione perſiſtant, quatenus amotâ penitus totius altercationis materiâ, inter eos, quos charitatis immutabiliter decet manere concordia, nulla queat deinceps litigioſæ contentionis occaſio generari. Pro munitione verò ſupraſcripti monaſterij memorato Dometiano Abbati, atque Preſbytero præceptum ſimile dedimus.

NOTÆ.

a *Gregorius.*] ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. & reperitur textus hic inter epiſtolas Magni Gregorij *lib.* 7. *epiſt.* 27. ex quo regeſtro textum hunc tranſcribo.

1. b *A paribus.*] Difficile eſt quid importent verba hæc, quæ etiam reperiuntur apud ipſum Gregorium *eod. lib.* 7. *epiſt.* 112. ibi: *Siagrio, Bertherio, Virgilio, & Deſiderio Epiſcopis Galliarum à paribus.* Et *epiſt.* 39. *Romano Defenſori, Fauſtino, Sabiniano Subdiacono, Adriano Notario à paribus.* Sed iam obſeruarunt Bignonius *in notis ad veteres formulas, cap.* 46. Salmaſius *in obſeru. ad ius Atticum, cap.* 7. ea verba ſignificare omnibus æqualiter, & eodem exemplo in eadem epiſtola ſcribi, licèt Pontifex tantùm cum vno loquatur, vt apud Hincmarum Rhemenſem *epiſt.* 6. *cap.* 28. *Zoſimus Pontifex ad Aurelium, & vniuerſos Epiſcopos per Africam conſtitutos, vniuerſoſque Epiſcopos per Gallias, & ſeptem prouincias conſtitutos, & vniuerſos Epiſcopos per Hiſpaniam à paribus.* Vnde in præſenti Gregorius per eam clauſulam, *à paribus*, ſcribit vno exemplo, & æqualiter omnibus, ac ſi cum vno tantùm loqueretur.

2. c *Controuerſiam permanere.*] His verbis monet Gregorius, magnam reprehenſionem mereri eos, qui diu in litibus perſiſtunt; & econtrariò omni laude dignos eſſe eos, qui amicabiliter lite tranſactione ſopitâ, ob ancipitem iudiciorum aleam, magnaſque moleſtias ab ea receſſerunt; ideo debitores priùs amicabiliter interpellandos eſſe potiùs, quàm in ius rapiendos, ſupponitur *in l. quidam* 13. *ff. de ſeruit. ruſtic.* iunctis Cuiacio *lib.* 18. *obſeru. cap.* 38. Merillo *lib.* 3. *obſeru. cap.* 8.

cap. 8. & *in l. debitores* 10. *Cod. de pignor.* iuxta interpretationem Osualdi *lib.* 17. *Donelli, cap.* 1. *littera B.* facit Cicero pro P. Q. *Videndum quam primùm est, quàm minima cum molestia tota res transigatur, ac inciuile est hominem statim in ius rapere, cùm res forsan amicâ compellatione, vel compositione obtineri possit.* Plerumque enim fructuosius est liti cedere, quàm litigare, *l. etenim, ff. de minoribus, l. illud* 7. §. 1. *ff. de tributoria*; & commendanda est verecundia lites execrantium, *l.* 4. §. 1. *ff. de alienation. iudic.* præcipuè in ecclesiasticis personis, quarum officium est litem habentes ad pacem reuocare, *cap. placuit, dist.* 90. ideoque litigiosi ordinari non possunt, *cap.* 1. §. *ecce*, 46. *dist.* Accedit, minuendarum litium studium vtroque iure esse commendatum, *l.* 3. §. 1. *ff. de receptis, l.* 1. *ff. de iureiur. l. vlt. ff. pro suo, l.* 1. §. *vnde quæritur, ff. de noui operis nunciation. l. quidam* 21. *in fin. ff. de reb. cred. l. properandum* 13. *in princ. Cod. de iudiciis, cap. finem* 5. *de dolo & contum. cap.* 2. *de re iudic.* cùm per lites foueantur inimicitiæ, accusationes, odia, vt prudenter censuit Caius Selius *apud Tacitum lib.* 11. *annal. circa principium*, non aliter quàm per prælia, quibus appositè à Iuuenali *satyr. vlt.* comparantur.

Nos lentâ fori pugnamus arenâ.

Faciunt Plinius *lib.* 2. *epist.* 3. *Nos qui in foro, & veris litibus terimur, multùm malitiæ, quantumvis nolimus, addiscimus.* D. Ambrosius *lib.* 3. *de virgin. Christus est pax, in foro lites. Christus fides est, in foro fraus, atque perfidia.* Senec. 2. *de ira, cap.* 7. Plura in litium, litigantiumque execrationem congerunt Vulteius *de iudic. cap.* 1. Bermult. *dissertat. polit. dissert.* 6. Osuald. *lib.* 17. *Donel. cap.* 1. *littera C.* Æneas Robertus *lib.* 2. *rer. iudicat. cap.* 16. Solorzanus *de iure Indiar. tom.* 1. *lib.* 3. *num.* 7. & *in polit. lib.* 3. *cap.* 31. & *emblemat.* 68. Noster D. Ioannes de Larrea *tom.* 1. *decis. Granat. cap.* 4. *num.* 8. & *cap.* 38. & 39. Bobadilla *lib.* 3. *polit. cap.* 14. *num.* 47. politè & politicè Barclaius *in Argenide, lib.* 3. *pag.* 375. Valeron *in proœm. de transact.*

296

d *Sicilia.*] Panormitana enim vrbs dicitur Prouincia Siciliæ, vt dixi *in cap.* 4. *de election.*

e *Sanctorum Maximi, & Agathæ monasterium.*] 3. Hoc construxit D. Gregorius in Prouincia Siciliæ, in Panormitana diœcesi, Ordinis D. Benedicti, cuius mentio fit apud ipsum *lib.* 8. *epist.* 42. & 43. aliqua de eo monasterio tradit Abbas D. Rochus Pirrho *tom.* 1. *in notit. Panorm. pag.* 63. *num.* 6. & *tom.* 4. *pag.* 160.

f *Lucusianum.*] A luco ita dictum; sicut 4. enim Tusculanum à Tusculo, ita & Lucusianum à luco dictum fuit. Lucus autem est nemus arboribus densum, Deo sacrum, vbi Gentiles suos Deos colebant, *l.* 1. & 2. *Cod. de cupressis ex luco Daphnensi, l. nullus* 12. *l. priuilegia* 14. *Cod. de pagan. in Theodos.* Virgil. *lib.* 1. *Æneidos:*

Lucus in vrbe fuit mediâ lætissimus vmbrâ.

Et *lib.* 16.

—— Latet arbore opacâ
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
Iunoni Infernæ dictus sacer, hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt cum vallibus vmbræ.

Lucanus.

Lucus erat longo nunquam violatus ab æuo
Arboribus lucus.

Seruius ad Virgilium *lib.* 3. ibi: *Lucus nunquam ab eo ponitur sine religione; quia ibi habitant lares, viales, animæ heroum, & piorum.* Plutharcus *in problemat. Cur quod impenditur in spectaculis Luca vocant? an quòd multæ sunt sylvæ circa vrbem dicatæ Diis, quas appellant Lucos.* Apuleius *in apolog. lib.* 1. *Nullum in via eius delubrum, nullus locus, aut lucus consecratus.* Plinius *lib.* 12. *cap.* 1. *Nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quàm lucos, & in eis silentia adoramus.* Plinius Iunior *in panegyr. ad Traianum. Inter hæc piâ mente adire lucos, & occurrere numinibus.* Tacitus *lib.* 14. *annal. Excisis lucis sæuis superstitionibus sacri.* Quos damnarunt Patres Ecclesiæ in Concilio Altissiod. *can.* 3. ibi: *Nec inter sentes, aut arbores sacriuos, vel ad fontes vota exsoluere.* Concilium Nannet. *can.* 8. Bracar. 1. *can.* 22. Agathen. *can.* 5. Arelat. 2. *can.* 23. Carthag. *can. vlt.* in Capitular. Caroli *lib.* 1. *tit.* 64. & *lib.* 7. *capitul.* 256. *Aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur.* Plura de his lucis, & eorum vana religione Pater Zerda *ad Virg. lib.* 1. *Æneid.* & *lib.* 6. Lemaistre *lib.* 3. *de iurib. Episcop. cap.* 41. Dorleans *ad lib.* 1. *Taciti, pag.* 50. Filesacus *in cap.* 13. §. 6. *de officio Ordin.* & *de Magia pag.* 4. Iustelus *in can.* 84. *Ecclesiæ Afric.* Curtius *lib.* 4. *de hortis, cap.* 5. Zerda *in Iudith, tom.* 1. *academ.* 6. & 24. *num.* 1. Basilius Legionensis *in not. ad dictum can.* 3. *Concilij Altissiod.* Rugerius *lib.* 3. *aduers. cap.* 1. Pineda *de reb. Salom. lib.* 7. *cap.* 10. Forcatulus *in neciomant. dial.* 1. *cap.* 1. Demsterus *ad Rosin. lib.* 1. *antiquit. cap.* 13. Roa *lib.* 2. *sing. cap.* 9. D. Petrus de Salcedo *ad legem* 34. *tit.* 7. *lib.* 1. *recopil.* notaui *in can.* 36. *Concilij Illiberitani.* Vnde cùm in loco vbi constructum est Monasterium Sancti Maximi, & Agathæ, siluis opaco, temporibus Guillelmi Regis Siciliæ, Parco dicto, id est Regium delicium, Facelus *de reb. Siculis, decad.* 1. *lib.* 8. veneratio lucorum daretur, ab ipsis lucis Monasterium Lucusianum dictum fuit, vt iam notauit D. Rochus Pirrho *dict. tom.* 4. *pag.* 160.

g *Quod Valerij nuncupatur.*] Quod monasterium ab eodem Gregorio Magno constructum fuit, 5. & dotatum aliquot possessionibus maternis in Panormitana prouincia existentibus. Ideo verò Valerij dictum fuit, quia mater ipsius Gregorij ex familia Valerij progenies erat, & prædium habebat in eo loco, vbi constructum fuit Xenodochium; vnde Xenodochium Valerij nuncupatur: docet D. Rochus Pirrho *vbi suprà.*

h *Longa extitit contentio.*] Non secus *in epist.* 60. 6. *lib.* 11. *ipsius Gregorij*, Ecclesiam Panormitanam Romæ habuisse bona, & quendam Epiphanium Diaconum ea commutasse legitur.

i *Antonium.*] Cuius etiam mentio fit apud 7. ipsum Gregorium *lib.* 2. *indict.* 9. *epist.* 9. Hic est Antonius, seu Antoninus, qui Panormi degens decessit anno 602. de quo ipse Gregorius *lib.* 12. *epist.* 30. ibi: *Vt legata, quæ ex tenore Antonini Defensoris à nobis debentur, monasteriis, vel aliis, prout statutum fuit, soluantur.*

k *Dometianum Abbatem.*] De quo ipse Gre- 8. gorius *lib.* 9. *epist.* 42. *Ideoque volumus, vt Domitius Presbyter Abbas esse Lucusiani monasterij debeat, eique Præpositus Lucifer monachus fiat, in cuius requiescere solatio valeat. Acceptis ergo scriptis nostris fratrem, & Coëpiscopum nostrum Victorem ad Lucusianum monasterium dilectio tua inuitet, quatenus ipse illic Missarum solennia celebrare, & prædictum Domitium authore Deo Abbatem ordinare debeat.*

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hac Gregorij epistola talis deducitur assertio. *Per transactionem omnia instrumenta, & partium iura cassantur.* Probant textus *in cap. cùm inter 16. de election. cap. penult. de confirmat. vtili, cap. constitutus, de religiosis domib. l. Imperatores 3. §.1. l. non est 11. ff. de transact. l. Lucius 76. ff. ad Trebell. l. admonendi 31. ff. de iureiur. l. qui Romæ 122. §. fin. ff. de V. O. l. pupillus 96. §. soror, ff. de solution. l. nouissima, Cod. de pactis, l. causas, l. sub prætextu 19. l. fratris, Cod. de trasaction.* Illustrant Donell. Giphanius, & Cuiac. *in dict. l. sub prætextu 19.* Antonius Faber *in dict. l. Imperatores 3. §. 1.* Corras. *in dict. l. admonendi*, Castillo *tomo 5. controuers. cap. 89.* Fontanel. *decis. 174. num. 13.* Barbos. *tom. 2. votorum, vot. 76. num. 42. & de potestat. Episcop. tit. 3. cap. 8. num. 1.* Canisius *in hoc textu*, Arnold. Vinius *de transaction. cap. 8.* Bocerus *tom. 1. class. 2. disp. 20.* Peña *tomo 1. decis. 70.*

10. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Hæc Gregorij decisio valde difficilis redditur sequenti consideratione. Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidquid dissolui, quo colligatum est, *l. nihil 35. ff. de regul. iur. l. quamuis 46. ff. de adquir. possess. l. prout 8. ff. de solution.* Vnde verborum obligatio verbis tollitur, *l. an inutilis 8. §. acceptum, ff. de acceptilation.* consensu orta obligatio, contrario consensu dissoluitur, *l. pacta 72. ff. de contrah. empt. l. si vnus, §. pactum, ff. de pactis, l. cùm vnus, eod. tit.* igitur obligatio litterarum, quæ ex instrumento nascitur, transactione tolli non poterat, præcipuè nam instrumenta deletione, & cancellatione vires amittunt, *l. 2. & per totum ff. de his, quæ in testamento delentur, l. emptor 47. §. Lucius, ff. de pactis:* igitur per transactionem tantùm instrumenta non cassantur. Accedit, nam licèt transactionis non vilis authoritas sit, non tamen adeo vires obtinet, vt extendatur ad ea iura, quæ nominatim in transactionibus expressa non sunt, *l. qui cum tutoribus, §. vlt. ff. de transact.* igitur per transactionem non omnia instrumenta, & iura, quæ lege, aut priuilegio competebant, cassantur. Augetur secundò, nam transactione semel celebratâ, etiam ex prima obligatione licet agere, vt in causis reipublicæ, *l. Imperatores, ff. de re iudicata:* minoris, *l. 1. C. si aduersùs transactionem:* testamentorum, *l. de his, ff. de transact.* pupillorum, & Ecclesiarum, vt docent Accurs. *in dict. l. sub prætextu 19. Cod. de transaction.* Mysinger. *centur. 4. obseru. 5.* igitur iura in transactione comprehensa non omnino cassantur. Secundò difficilis est ea pars decisionis nostri Gregorij, vbi affirmatur, confirmationem Pontificis validam reddere transactionem aliàs inualidam; nam vulgare est iuris principium, confirmationem Principis in forma communi obtentam, nihil iuris addere actui, seu negotio, cui accedit, *cap. 1. cap. examinata, de confirmation. vtil. cap. quia, de conces. præbendar. cap. dudum 31. de decimis.* Suarez *de legibus lib. 8. cap. 18.* Auendaño *in l. 42. Tauri, gloss. 3.* igitur transactio ab initio nulla ex confirmatione Pontificis in forma communi impetrata, eam validam reddere nequiuit.

11. TRANSACTIO QVID.

His difficultatibus minimè obstantibus vera est Gregorij Magni decisio; ad cuius expositionem sciendum est, quod licèt transactionis verbo latè sumpto aliquando pactum comprehendatur, *l. tres fratres 35. ff. de pactis, l. 2. l. admonendi 31. ff. de iureiurand. l. quod si 27. ff. de dolo malo*; imò & omne negotium quoquo modo ad finem perductum, *l. eius 46. ff. de rei vindicat. l. arbitrio 18. §. 4. ff. de dolo, l. 1. §. 1. ff. quemadmodum testam. l. ordine 15. ff. ad municipal. l. quid ergo 13. §. si pœna, ff. de his, qui notant. l. 5. ff. de decurion. l. 1. §. fin. ff. ad Tertyl. l. transacta 219. ff. de verb. signif.* & transigere pro quolibet modo recedendi à lite ponatur *in cap. si quando 8. de offic. delegat. authent. si verò, Cod. de iudiciis:* notarunt Cuiac. *lib. 10. obseru. cap. 30.* Baptista *de transaction. quæst. 3.* Corras. *lib. 1. miscell. cap. 23.* Valeron *de transact. tit. 1. quæst. 1. num. 1.* Gibalinus *de negot. tom. 2. lib. 4. c. 7. art. 1.* in qua lata significatione accipitur transigere, pro finire, expedire, seu peragere, apud Ciceronem pro Quintio: *Quæro quâ ratione Næuius susceptum negotium non transegerit.* Et pro Roscio Comœdo: *Per nuncium hoc, quod erat tam leue, transigere potuisti.* Vnde vitam transigere dicimus pro traducere, aut peragere: Faustus in vita Agricolæ: *Iuuenis sine indulgentia educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam, adolescentiamque transegit.* Salustius in proœmio belli Catil. *Sed multi mortales dediti ventri, atque somno, indocti, incultique, vitam sicut peregrinantes transegere.* Tamen in propria & peculiari significatione nihil aliud est, quàm rei dubiæ, & litis incertæ, nec finitæ conuenta decisio aliquo dato, vel accepto, *l. 1. ff. hoc tit.* Dicitur rei dubiæ *in dict. l. 1. l. 2. l. suus hæres, Cod. de repudianda*: desideratur etiam vt res, de qua transigitur, sit dubia, incertáve. Castillo *de alimentis cap. 36. §. 2.* Vnde rectè de transactionibus tractari in Pandectis post titulum *de in ius vocand.* & *cautionibus iudicio sisti*, notarunt Cuiac. *lib. 10. obseru. cap. 30.* Gibalinus *de simonia quæst. 20. consect. 15.* Et licèt lis mota non sit, sufficit vt moueri possit, *l. in summa 65. ff. de condict. indeb. l. 2. l. de fideicommiss. l. causas, Cod. de transaction.* Panormit. *in nostra rubrica*, Mohedanus *decis. 4. de transact.* Martha *decis. 465.* Gregor. XV. *decis. 140.* imò etsi nec lis sit, neque speretur, dummodo alia ratione res sit dubia, vt in specie legis 1. *Cod. de pactis, l. de fideicommisso 11. Cod. hoc tit.* Vinius *de transaction. cap. 4.* Vnde post rem iudicatam transactio non admittitur, *l. post rem, ff. hoc tit. l. 2. Cod. Theodos. de pactis, l. 3. Cod. Hermogen. eod. tit. l. 4. in Cod. Gregoriano, eod. tit. l. 22. tit. 1. partit. 8.* probant Bronchorst. *enantioph. centur. 1. assert. 46.* & *missell. centur. 1. assert. 20.* Gibalinus *tomo 2. de negot. lib. 4. cap. 7. art. 1.* plures refert Valeron *de transact. tit. 2. quæst. 4. per totam*; quia res iudicata cùm pro veritate habeatur, omne dubium tollit: docent Gutierrez *de iurament. 2. part. cap. 4. per totum*, Castillo *tomo 4. controuers. cap. 42. num. 30.* Vela *2. tom. dissert. 47. num. 9.* nisi fortè à sententia appellatum sit, aut dubitetur an iudicatam sit, vel non, *l. & post rem, ff. hoc tit. l. eleganter 23. §. si post rem, ff. de condict. indebiti:* docent Merenda *lib. 1. controuers. cap. 5.* Pincianus Primarius vtriusque iuris, in forensibus negotiis apprimè doctus, D. D. Alfonsus de Olea *de cessione iurium tract. 3. quæst. 11. num. 25.*

12. TRANSACTIO APPELLATVR DECISIO.

Transactio dicitur conuenta decisio, quia ex mutua partium conuentione fit, & absque eorum consensu fieri nequit, *l. non minorem 20. l. cùm donationis 34. l. si quis maior 42. Cod. hoc tit.* Vnde differt à sententia, & re iudicata, quia licèt per eam finis negotio imponatur, *l. post rem 56. ff. de re iudicata*; tamen setentia fertur in inuitos, *l. inter 83. §. 1. ff. de V. O.* transactio verò tantùm à volenti

volentibus interponitur. Dicitur decisio, quia plerumque à iuris nostri Auctoribus decidere vsurpatur pro transigere: in nostro textu ibi, *Deo authore decisio*, *l. cum in eo* 44. *ff. de pactis*, *l. mandato* 60. *ff. de procurator.* *l. eius* 46. *ff. de R. V.* *l. si pro fure* 7. *ff. de condict. furtiua*, *l.* 3. §. 4. *ff. ad leg. Falcid.* Valeron *de transact. tit.* 1. *quæst.* 1. *numer.* 13. Cicero pro Quintio: *Assem se, si negat daturum, nisi priùs de rebus, rationibusque societatis omnibus decidisset, & scissa sibi cum eo controuersia nihil futurum.* Et pro Roscio, & Amerino: *Si hanc & rem priuatim Sext. Roscius mandauisset, vt cum Chrysogono transigeret, atque decideret.* Differt transactio à pacto primò, quia pactum circa rem certam, & indubitatam vertitur, licèt non semper, *l. iuris* 7. §. *si paciscar*, *ff. de pactis*: transactio verò est de re dubia; nam licèt *in l. si causa* 32. *Cod. hoc tit.* dicatur transactio de re certa, id non de re indubitata, sed de vna, aut alia re intelligendum est, vt ex ipso contextu constat. Secundò pactum gratuitam continet conuentionem, transactio verò aliquo dato, vel retento, *l.* 1. *ff. hoc tit.* *l. cùm mota* 6. *l. transactio*, *Cod. hoc tit. l.* 3. *Cod. de repudiand. hæred.* & ideo donationi opponitur transactio, *l. ex conducto* 15. §. 4. *ff. locati*, *l. cùm donationis* 34. *Cod. hoc tit.* & si aliquando legimus, dato aliquo, vel retento transactionem fieri, lato modo pactum accipitur, vt *in l. contra* 28. *ff. de pactis*, *l.* 1. *Cod. eod. tit. l.* 4. §. *vlt.* *l.* 5. *l.* 6. §. 3. & 4 *ff. de his, qui notantur infam.* in quo etiam differt transactio à iureiurando, quia licèt iusiurandum controuersiam decidat; tamen nihil dato, vel recepto defertur, *l.* 2. *l. admonendi* 31. *ff. de iureiurando.*

13. TRANSACTIONIS VIS.

Transactio, si maneat in puris terminis conuentionis, pactum est nudum, *l.* 2. *ff. hoc titul.* *l. si instituta*, *ff. de inoffic. testam.* *l. siue apud* 28. *hoc titul.* & per consequens actionem non producit, nec actionem iure directo tollit, *l. diuisionis*, *Cod. de pactis*, *l. in traditionibus* 48. *de pactis*, *l. apud acta* 28. *hoc titul.* *l. diuisionem* 15. *vers. Si verò*, *Cod. familiæ ercisc.* Exceptionem tamen reo parit, si contra placitum actor agat, *l. siue apud*, *Cod. hoc tit.* Quod si actor ex parte sua impleuit, negotium contrahi incipit, & implenti ex sua parte competit actio præscriptis verbis, quâ alterum adigat ad implendum, *dict. l. diuisionis*, *l. si mota* 6. *l. cùm pro fundo* 33. *Cod. hoc tit.* Quæ actio etiam datur quoties per contractum innominatum *do vt des*, vel *facio vt facias*, transactio celebrata est, veluti: Do tibi prædium, vt à lite discedas, *l. si pro fundo* 33. *hoc tit.* Remitto actionem, vt mihi partem bonorum des, *l.* 6. *Cod. hoc tit.* Sed si adiecta fuit stipulatio, quâ alter alteri obstringebatur ad dandum, vel à lite discedendum, hoc casu vterque statim obligatur, *l. vt responsum* 15. *l. cùm proponas* 17. *l. nec intentio* 23. *l. siue* 28. *l. si causa* 32. *cum sequenti*, *l. promissis* 37. *l. vbi* 40. *Cod. hoc tit. l.* 2. *l. Aquiliana* 4. *cum sequenti*, *l. qui cum tutoribus* 9. §. *qui per fallaciam*, *l. pacto* 15. *ff. hoc tit.* Docent Donellus, Giphanius, & Peresius *ad hunc tit. Cod.* idem Giphanius *in dict. l. apud acta*, Donellus *ad eundem titul. Cod. cap. quæ sit vis transactionis.* Treutlerus *volum.* 1. *disp.* 7. *thesi* 1. Faber in rationali ad legem 4. *hoc tit.* Transactio igitur vt remedium finiendarum litium admodum fauorabilis est, vt docent communiter DD. *in l. fratris*, *Cod. hoc tit.* Valeron *de transact. in proœmio*; ita vt pro ea in dubio sit iudicandum, *l. cùm te*, *l. quamuis*, *Cod. de transact.* Mieres *de maioratibus*, 4. *part. quæst.* 22. *num.* 83. Franchis *decis.* 159. & ita interpretari debet, vt sustineatur, *cap. constitutis*, *de procurat. cap. venerabilis*, *de dolo*, & per eam quæcumque causa incidens decidi debet, *cap. si quando*, *de officio deleg. cap. causam*, *de testibus.* Cùm enim ob pacem, & concordiam inita sit, nihil partibus vtilius erit, quàm ipsam obseruare, *l. congruentius*, *Codice de patria potestate*, *lege si id quod*, §. *si qua*, *ff. de donat.* Vnde habet vim sententiæ, & rei iudicatæ, *l. non minorem*, *ff. hoc tit. l.* 4. *tit.* 12. *lib.* 4. *recopil.* & ita paratam habet exequutionem. Rod. Suarez *in l. post rem*, *notab.* 8. *de re iudic.* Gratianus *discept. cap.* 665. *num.* 1. Barbosa *voto* 76. *num.* 52. nec legitimè celebrata rescindi valet rescripto Principis, *l. causas* 16. *Cod. de transact.* nec prætextu aduersæ valetudinis, *l. sancimus* 27. *Cod. hoc tit.* nec velamento proprij delicti, *l. transactione* 30. *Cod. eodem*: nec prætextu metus falsi, *l. transactionem* 35. *Cod. eodem*: nec prætextu instrumenti nouiter reperti, *l. sub prætextu* 19. *Cod. eodem tit.* Bronchorst. *centur.* 4. *assert.* 18. Anton. Faber *lib.* 16. *coniect. cap.* 17. & *in suo Cod. sub titul. de transact. diffinit.* 13. nisi ex nouis instrumentis dolus præteritus arguatur. Trentacinquius *lib.* 3. *variar. controu.* 37. *num.* 21. Barbosa *voto* 76. *num.* 47. Valeron *de transact. tit.* 6. *quæstion.* 3. *num.* 14. nec ex eo, quia amissa scriptura est, vbi continebatur, si actum alio modo probari potest, *l. pactum* 17. *Cod. de pactis*, *l. cùm te* 5. *l. sine* 28. *Cod. hoc tit.* vel ex eo, quod nocte celebrata dicatur, *l. non minorem* 10. *Cod. hoc tit.* nec ob pœnitentiam, quia in transactione pœnitentiæ locus non est, *l. quamuis*, *Cod. hoc titulo*, vt sit aliquis litium finis, *l. fin. ff. pro suo.* Nec his aduersatur textus *in cap. contingit*, *hoc tit.* in illis verbis: *Si fuerit aliquot annis seruata*; ex quibus constat, dari aliquod tempus transigentibus ad pœnitendum. Nam omissâ eorum sententiâ, qui existimarunt, delendam esse negationem in vltimis verbis illius textus, respondendum est, in eo textu specialiter lapsum temporis desiderari, quia Capitulum in transactione non consensit, quamuis litteræ ratihabitionis mitterentur, quæ plenam fidem transactionis non faciebant; & nisi aliquod tempus excessisset, Capitulum non tenebatur transactioni stare, vt docet Cironius *in paratitl. ad hunc titulum.*

14. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus apparet vera decidendi ratio ad hunc textum; nam cùm transactio adeo obseruanda sit, vt nullo ex casu rescindi valeat, *l. fratris* 10. *l. causas* 16. *l. sub prætextu* 19. *l. non minorem* 20. *l. nec intentio* 23. *l. si maiores* 25. cum aliis, *Cod. de transaction.* & impediat quemlibet litis ingressum; dicitur enim exceptio litis finitæ, *cap.* 1. *de litis contest. lib.* 6. Surdus *consil.* 451. *num.* 16. ideò meritò in nostro textu omnia iura ex instrumentis, priuilegiis, aut præscriptione parti adquisita, cassari, nec iterum ex eis agi posse decidit, cùm ex sopita causa non debeat iurgium suscitari. Gregorius X V. *decis.* 354. *num.* 2. Accedit, quia omnis transactio nouat, adeo vt ad pristinam litem non detur recursus, *l. cùm mota*, *l. fratris* 10. *l. transactione* 30. *l. si pro fundo* 33. *l. si maior* 36. *Cod. hoc tit.* Merlinus *de pignor. lib.* 5. *quæst.* 31. *num.* 4. Guzman *de euictionibus*, *quæst.* 30. *num.* 7. Cancerius *lib.* 1. *var. cap.* 38. *num.* 43. Gratianus *discept. cap.* 557. *num.* 23.

Amato *resol.* 50. Deinde nam transactio non minorem authoritatem habet, quàm res iudicata, *l. non minorem, Cod. de transactionibus*, Rodriguez *de execut. cap.* 1. *art.* 5. Sed res iudicata omnia iura antea competentia partibus cassat, adeo vt nec prætextu noui instrumenti infirmari valeat, *cap. inter monasterium, de re iudicata, l. Imperatores* 35. *ff. eod. tit. l. sub specie* 4. *Cod. eod. tit.* Donellus *lib.* 27. *comment. cap.* 7. vbi Osualdus *littera L. & M.* plures Barbos. *in dict. cap. inter monasterium*, vbi latiùs illustramus: igitur & per transactionem instrumenta retrò confecta annullari, & cassari debent, præcipuè cùm pacto nouissimo pacta antiquiora tollantur, *l. pacta nouissima, Cod. de pactis.* Rectè ergo Gregor. noster decreuit, omissa instrumenta à partibus obtenta per transactionem sublata esse. Hæc tamen decisio procedit in transactione licita, & à iure permissa, *cap. super eo, hoc tit.* & inter transigentes tantùm, *l.* 1. *Cod. hoc tit.* nam res inter alios acta aliis præiudicare non potest; non verò si transactio dolo facta sit, quia tunc rescindi potest, *l.* 4. *l. sub prætextu* 19. *Cod. hoc tit.* vel si ex falsis instrumentis fiat; *l. penult. Cod. hoc tit.* si à minore vigintiquinque annis celebrata sit, *l. non minorem* 20. *in fin. l. si maior* 35. *Cod. hoc tit.* si enormissimam contineat læsionem, Olea *de cessione iur. tract.* 2. *quæst.* 1. Valeron *de transact. tit.* 6. *quæst.* 2. per totam. An autem remedium legis 2. *Cod. de rescind.* habeat locum in transactione, latè disputant Vinius *de transact. cap.* 8. D. Ioannes de Larrea *decis.* 68. *&* 69. *Granatenſi.* Quod autem in vltimis verbis nostri textus asseritur, per confirmationem Pontificiam suppleri defectus, si qui erant, & illam confirmari, ex ea ratione procedit, nam cùm R. P. confirmat actum ex certa scientia, supplet omnes solennitatis defectus, *cap. examinata, cap. venerabilis, de confirmat. vtil. cap. si Apostolicæ, de præbend. lib.* 6. docent Suarez *lib.* 8. *de legibus, cap.* 18. Castillo *lib.* 5. *controu. cap.* 89. D. Ioannes de Larrea 2. *tom. allegat.* 73. Vnde licèt aliquid ex iniuria transigentium in præsenti omissum esset, per confirmationem Pontificis supplebatur.

15. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant difficultates in contrarium adductæ. Non prima, cui vt satisfaciamus, sciendum est, iure ciuili inspecto transactionem aliquando tollere primas obligationes, & actiones ipso iure; aliquando tantùm ope exceptionis. Si transactio per stipulationem, & acceptilationem facta est, actiones ipso iure tolluntur, *l.* 2. *l. vt responsum* 5. *Cod. de transactionibus*; sin autem pactum tantùm interceſſit, exceptio datur reo ad elidendam actionem, vt ex aliis pactis, *l. cùm proponas* 17. *l. si quidem* 24. *l. si maior* 36. *Cod. hoc tit.* Sed quia per transactionem primo modo factam tantùm illæ obligationes tolluntur, quæ verbis contractæ sunt, ex traditis in prima difficultate; ideo priùs interponitur Aquiliana stipulatio, in quam præcedentes obligationes quomodocumque contractæ transferantur, quæ in hunc modum concipitur: *Quod mihi ex tali causa debes, veluti ex empto, ex mutuo, vel similibus, promittis?* Et sponsor respondet: *Promitto.* Deinde debitor à creditore interrogat: *Quod tibi debeo, habes-ne acceptum?* Et creditor respondet: *Habeo acceptum*; aliàs enim per acceptilationem alia obligatio, quàm verbis contracta, tolli non poterat, *l.* 1. *l. pluribus* 6. *l. si accepto* 17. *l. cum vno* 18. §. 1. *ff. de acceptilationibus.* Brissonius *speciali opusc. de acceptil.* In qua parte obseruandi sunt textus *in l. Pomponius* 13. *ff. de arbitris, l. penult. ff. de fideiussor. l.* 115. *ff. de V. O. l. iusiurandum* 13. §. *illud, de acceptilation. l. si vnus* 27. §. *pen. ff. de pactis*, iunctis Donello *lib.* 16. *comm. cap.* 18. Reatigui *lib.* 1. *select. cap.* 5. *cum sequentibus.* Et quia iuris nostri conditores circuitus istos, iurisque scrupulositates abhorruerunt, ideo hoc iure attento, quomodocumque sit contracta obligatio, per transactionem tolli potest. Nec augmentum difficultatis obstat, deductum *ex dict. l. cum tutoribus* 9. certum enim est, transactionem tantùm extendi ad eas res, de quibus inter contrahentes actum est, *dict. l. qui cum Aquiliana* 5. *dict. l. cum tutoribus* 9. quæ doctrina in transactione particulari facilè admittitur, in transactionibus verò generalibus, veluti tutelæ, curæ, seu negotiorum gestorum, vbi plures res in vna actione continentur, non ita constat apud Interpretes: existimo tamen in transactione generali omnia venire, nisi specialiter actum sit, ne aliquid comprehendatur, *l. tres fratres, ff. de transactionibus:* docent Menochius *consil.* 496. Canisius *in nostro textu.* Nec penultimum augmentum obstat; nam in illis casibus, & aliis adductis à Vinio *de transaction. cap.* 3. transactio potest irritari, non quia instrumenta prima durent, & ex eorum prætextu; sed propter læsionem, & ætatem transigentium, *l.* 1. *& per totum Cod. si aduersus transactionem*: in aliis verò casibus suprà enumeratis competit etiam restitutio, quia Ecclesia, & ciuitas potiuntur iure minoris, *cap. auditis, de in integrum restit. l. ad Rempublicam* 8. *Cod. de iure Reipub.* Nec etiam vltimum augmentum refragatur, nam in nostro textu confirmatio Pontificis facta fuit ex certa scientia, non verò in forma communi, vt docent Suarez, & Castillo *vbi suprà*, Carballo *de vna & altera quarta, p.* 2. *n.* 320. qui omnes falluntur, dum confirmationem ex certa scientia in præsenti textu probant ex illis verbis, *plenissimæ munitionis*, quæ iuxta integram suprà relatam emendanda sunt. Rectiùs tamen eorum sententia probatur ex eo, quod tenor transactionis priùs refertur à nostro Gregorio, quàm confirmatio decernatur; vnde cognoscitur, ex certa scientia transactionem confirmatam fuisse.

16. EXPONITVR L. 3. §. 1. FF. HOC TIT.

Superiori assertioni primò aduersatur textus *in l.* 3. §. 1. *ff. hoc tit. de transaction.* vbi proponitur, inter hæredem scriptum, & fideicommissarium, cui fideicommissum relictum erat, transactionem fuisse celebratam ratione prædicti fideicommissi; sed cùm codicilli postea reperti fuissent, ex quibus constauit plus in codicillis relictum fuisse, quàm in transactione comprehensum, quæsitum fuit, vtrum prætextu codicillorum possit fideicommissarius agere ad supplementum quantitatis in codicillis sibi relictæ, non obstante transactione? Et respondet Scæuola, posse, illique deberi quanto minùs ex transactione consequutus fuit: ex quo textu apertè constat, per transactionem non fuisse cassata instrumenta, immò ex eis post transactionem agi posse: igitur non rectè asserimus, per transactionem omnia instrumenta retrò habita cassari. Augetur eius textus difficultas *ex l. Lucius* 78. §. *vlt. ff. ad Trebell.* vbi in eadem specie ait Consultus, non posse agi ad supplementum quantitatis in codicillis relictæ, in transactione autem non comprehensæ. Pro huius textus

inter

interpretatione dicendum est, *in dict. l. 3. §. 1.* transactionem non rescindi propter codicillos postea repertos; sed fideicommissi petitionem perinde fideicommissario superesse, ac si transactum non fuisset, quia de codicillis, qui transactionis tempore negligebantur, nec cogitatum, nec transactum videri potest, *l. non est ferendum 12. ff. hoc tit.* vulgò enim traditum est, de his controuersiis, quæ ex testamento nascuntur, nisi inspectis, & cognitis verbis testamenti transigi non posse, *l. de his 6. ff. hoc tit. l. 1. §. 1. ff. quemadmodum testam. l. ille à quo 13. §. 3. ff. ad Trebell. l. vlt. Cod. de rebus cred.* quod Demosthenem expressisse videtur in hæc verba: *Quisnam patrimonium diuideret, non acceptis tabulis, ex quibus quantùm relictum esset, cognosceret? nemo sanè.* Docent Cuiac. *in l. vlt. Cod. de rebus credit.* Merill. *lib. 3. obseru. cap. 14.* Vinius *lib. 1. selectar. cap. 8.* & *de transactionibus cap. 5. per totum.* Si autem inspectis verbis testamenti transactum sit, etiam de fideicommisso, siue puro, siue conditionali transactum videtur, *l. 11. C. hoc titulo, dict. l. Lucius, §. vlt.* Vnde textus *in dict. l. 3. §. 1.* procedit eo casu, quo non inspectis, aut cognitis verbis codicillorum, seu testamenti, transactum fuit; tunc enim de fideicommisso, quod relictum ignoratur, quomodo transigi poterat? *l. qui cum tutoribus, §. vlt. Cod. de transaction.*

17. ADDVCITVR L. SI INSTITVTA 27. FF. DE INOFFIC. TESTAM.

Secundò aduersatur superiori assertioni textus *in l. si instituta 27. ff. de inofficios. testam.* vbi asseritur, quod si institutâ querelâ inofficiosi testamenti transactum sit, nec fides transactioni ab hærede præstetur, inofficiosi querelam integram manere: igitur transactione semel ritè celebratâ, vetus actio durat, & instrumenta antiqua non cassantur. Augetur huius textus difficultas *ex l. cùm mota 6. Cod. hoc tit.* vbi in eadem specie deciditur, querelam inofficiosi testamenti transactione factâ, licèt non seruatâ, intendi non posse. Varia pro conciliatione prædictarum legum adduxerunt Giphanius *in dict. l. cùm mota 6.* Cuiac. *in dict. l. 27. de inofficios.* Sousa *ad tit. de pactis, art. 4.* Fachineus *lib. 1. controuers. cap. 10.* Genoa *in conciliatione legum, pag. 112.* Donel. *lib. 19. comment. cap. 6.* D. Iosephus de Retes *lib. 2. opuscul. sect. 1. cap. 9.* & *sect. 2. cap. 1.* quorum communis sententia placet, quæ distinguit inter filium, qui transactionem fecit, & transactione non seruatâ, querelam intendere potest; & inter eius hæredes, ad quos querela inofficiosi testamenti non præparata transmitti non potest; illis enim etsi transactio non adimpleatur, querela non competit, sed alia actione succurritur pro modo celebratæ transactionis. Primo casu, cùm filius transactionem fecit, procedit textus *in d. l. si instituta 27.* secundo verò textus *in dict. l. cùm mota.*

18. INTELLIGITVR L. SIVE 28. C. HOC TIT.

Tertiò aduersatur textus *in l. siue 28. Cod. de transaction.* vbi postquàm proponitur regula generalis, videlicet transactionem esse seruandam, refertur Sempronium rei vindicationem contra Seium proposuisse; & cùm transactum esset, vt ipse centum daret, & à lite discederetur, Seius transactioni non paruit. Et respondent Imperatores, pristinam rei vindicationem Sempronium intendere posse. Ex qua decisione colligitur, per transactionem veterem actionem sublatam non esse: igitur non rectè asseritur in præsenti textu, per transactionem omnia iura retrò habita cassari. Pro huius textus interpretatione dicendum est, transactione violatâ, seu non seruatâ ex parte vnius ex transigentibus, nouam actionem dari ad eius implementum, si stipulatio adiecta sit ex stipulatu, si verò ex parte vnius transactio adimpleta sit, actionem præscriptis verbis, *l. si pro fundo 33. Cod. de pactis:* sed si pacto tantum inita est transactio, quia actio noua non competit, ex veteri agitur; quo casu procedit textus *in dict. l. siue 28.* vt pro eius interpretatione post Giphanium *ibi*, docet D. Iosephus de Retes *lib. 2. opusc. sect. 2. cap. 1.*

CAPVT II.

[a] Alexander tertius.

STatuimus, vt si super decimis inter vos & aliquam personam ecclesiasticam de assensu Episcopi sui compositio facta fuerit, rata, & inconcussa persistat.

NOTÆ.

1. [a] *Lexander tertius.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & post Concilium Lateranense *part. 8. cap. 2.* non tamen constat, cui Prælato missa sit præsens decisio; credo tamen partem esse decisionis sequentis, quæ reperitur *dict. part. 28. cap. 2.* & sic Vvigornienſi, & Oxonienſi Episcopis missam esse.

COMMENTARIVM.

2. EX hoc textu sequens deducitur assertio. *Transactio super decimis cum ecclesiastica persona, & superioris authoritate sustinetur.* Probant textus *in cap. decimas 16. quæst. 7. cap. venieus, hoc tit. cap. venerabili, de confirmatione vtili, cap. suscitata, de in integr. rest. cap. fin. de rer. permut. cap. ex multiplici, de decimis.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Suarez *de religion. tom. 1. lib. 4. cap. 51.* Balboa *in cap. fin. de pactis, num. 103.* additionator Baldi *in l. de alimentis, Cod. de transaction.* Barbos. *lib. 3. iur. ecclesiastic. cap. 26. §. 4.* Carballo *de vna & altera quarta, 2. part. num. 335.* Moneta *de decimis, cap. 5. num. 113.* Rebuffus *eod. tract. quæst. 13. num. 36.* Fagundez *in præcept. Eccles. de decimis cap. 2. num. 9.* Azor *part. 1. inst. lib. 7. cap. 26. quæst. 5.* Trullench. *de decim. cap. 3. dub. 11. num. 14.* Valeron *de transactionibus, tit. 3. quæst. 6. num. 55.*

3. TRADITVR DVBITANDI RATIO.

Sed in contrarium facit sequens dubitandi ratio. Decimæ ex iuris diuini dispositione soluendæ sunt propriis Parochis, vt probatur ex sacra pagina veteris Testamenti, *Leuitici cap. vlt. Deuteronom. cap. 12. & 14. Exod. cap. 21.* vbi sæpe repetitum legimus hoc præceptum soluendi decimas. In lege gratiæ probatur *ex cap. 23. Matthæi*, in his verbis: *Væ vobis, quia decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam,*

& fidem. Hæc oportuit facere, & illam non omittere. Vbi cùm decimarum solutio ipsius Christi præconio commendetur, signum est, ab eo, nouo veluti imperio, esse confirmatum hoc præceptum. Ita hæc sacræ Scripturæ loca acceperunt Ecclesiæ PP. *in cap.*10. 16. *quæst.*1. *cap.*2. 16. *quæstion.*2. *cap. nam qui Deo* 16. *quæst.*4. *cap. tua* 25. *cap. in aliquibus, de decimis, cap.*1. 16. *quæst.*7. igitur transactio, per quam hæc obligatio mutatur, aut tollitur, tanquam iuri diuino contraria, defendi non valet. Augetur hæc difficultas ex eo, nam decimæ iuris spiritualis sunt, ideoque à laicis possideri non possunt, *cap. prohibemus, de decimis:* sed transactio super re spirituali etiam cum superioris authoritate non sustinetur, *cap. quàm pio* 1. *quæst.*2. *cap. cùm pridem, c.fin.de pactis:* igitur etiam cum superioris assensu transactio in hoc casu sustineri non poterat. Augetur secundò hæc difficultas, nam Archiepiscopus, nisi in casibus à iure expressis *in cap. pastoralis, de officio ordinar.* non habet iurisdictionem in subditos suffraganeorum, sicut nec Episcopi in exemptos, *cap. licet, cap. irrefragabili, de officio ordinarij:* igitur Archiepiscopus, & Episcopus in præsenti specie authoritatem transactioni præstare non poterant.

4. QVI TRANSIGERE POSSINT.

Hac dubitandi ratione minimè obstante vera est præsens Alexandri tertij decisio, ad cuius expositionem sciendum est, non omnes transigendi facultatem habere, nec de omnibus rebus transigi posse; plures enim personæ transigere prohibentur, & cùm transactio sit de genere prohibitorum, omnes transigere valebunt, qui naturâ, aut iure non prohibentur. Naturâ transigere vetatur furiosis, mente captis, infantibus, *l.* 1. §. *furiosus* 12. *ff.de O. & A.* nemo autem ex eo, quod in morbum incidisset, dum sanæ mentis sit, transigere prohibetur, *l. sanum* 27. *Cod. hoc tit.* Similiter pupilli transigere prohibentur, & procuratores sine speciali dominorum mandato, *cap. qui ad agendum, de procurator. lib.* 6. *l. iusiurandum* 17. §. *fin.* cum legibus sequentibus, *ff.de iureiur.* Valeron *de transact. tit.*4. *quæst.*5. etiamsi liberam habeat agendi facultatem, *l. procurator* 35. *ff. de procurat.* quia agendi, non decidendi facultas illi mandata est, *l. transactione* 7. *Cod hoc tit.* nisi datus sit cum speciali mandato ad transigendum, *dict. l. iusiurandum* 17. §. *fin. ff. de iureiur.* aut in rem suam, *l. procurator* 55. *ff. de procurat.* ille enim domini loco habetur, *l. sed si* 13. §. 1. *ff. de pactis,* & sic magis in propria causa, quàm in aliena transigere videtur, *l. qui stipendia* 19. *Cod. de procurator.* docent Eguinarius Varo *in l.mandato* 60. *ff. de procurat.* Duaren. *de transact. cap.* 1. Vvesemb. *ad eundem tit. num.* 4. Vinius *de transact. cap.*3. Bocerus 1. *tom. disp.* 20. tutores autem, & curatores de lite pupillorum, siue minorum transigere valent, *l. Lucius* 46. §. *vlt. ff. de administ. tutor. l. si pignore* 54. §. *vlt. l. interdum,* §. 4. *ff. de furtis,* si ius partis obscurum sit, aut probationes non suppetant, *l.tutor* 35. *ff.de iureiur.* sed si per transactionem res immobilis alienanda sit, decretum iudicis necessarium est, *l. lex* 22. *Cod. de administ. tutor. l.* 4. *Cod. de prædiis, & aliis rebus.* Quam doctrinam ad defensores ciuitatum, procuratores fisci, & similes sub aliis distinctionibus tradunt Vinius, & Bachouius *vbi suprà,* Valeron *titul.*4. *quæst.*1. possessores etiam maioratus, Ecclesiarum Prælati, sine debitis solennitatibus transactionem facere non possunt, vt latè docent Fontanella *de pactis nuptialib. claus.*7. *glos.*3. *part.*13. *num.*16. Molina *de Hispanor. primogen.lib.*4. *cap.*9. Solorzan. *de iure Indiar.lib.*1. *epist.*14. *num.*57. D. Olea *de cession.iur. tract.*2. *quæst.*1. *num.*46. Valeron *dict. quæst.*1. Circa res etiam in transactione deducendas sciendum est, transigi posse de omni actione, siue reali, siue personali, *l. si super* 9. *l. si pro fundo* 33. *Cod. de transaction.* siue actio vniuersalis sit, *l.*3. *l.controuersia* 14. *ff. hoc tit. l. vt responsum* 15. *Cod. hoc tit.* veluti querela inofficiosi testamenti, *l. si instituta* 27. *ff. de inofficios. l. cùm mota* 6. *hoc tit. l.*3. *Cod. hoc tit.* siue particularis, etiam ex maleficio proueniens, *l. si pro fure* 7. *ff. de condict. furt. l. interdum* 56. §. 5. *ff. de furtis,* Valeron *tit.*3. *quæst.*4. imò etsi præiudicialis sit, in qua de statu agatur, *l. vlt. Cod. hoc tit.* quam illustrant Osuald. *ad Donel. lib.*24. *comment. cap.*19. *littera I,* Vinius *de transaction.cap.*4. nec interest, an causa in transactione comprehensa sit ciuilis, an ecclesiastica, exceptis causis matrimonialibus, *cap.fin.hoc tit.* beneficiali, *cap. constitutus, hoc tit.* & similibus. Vnde super causa decimali transactio admittitur, *cap. ex multiplici, de decimis.*

5. DECIMÆ DE QVIBVS REBVS PRÆTENTVR.

Deinde sciendum est, decimas præstandas esse Parochis propriis iuxta distinctionem, quam adduximus *in cap. plerique, de pactis:* & præstandas esse de omnibus fructibus, & prouentibus, tam ex prædio, quàm hominis ministerio productis, *cap. non est, cap. nuncios, cap.ex parte* 1. *cap.tua nos, de decimis:* docent de decimis agentes præcipuè Suarez *de decimis cap.*34. Barbosa *de officio Parochi, cap.*28. §.1. Vnde debentur decimæ ex grano, ex vino, *cap.quicumque* 26. *quæst.*7. *cap.non est, de decimis:* ex oleo, & omnibus fructibus arborum, & pomis, *cap.decima* 16. *quæst.*1. *cap.quicumque, cap. omnis* 16. *quæst.*7. ex leguminibus, *cap.ex multiplici, de decimis:* ex fœno, *c.peruenit, de decimis:* ex prouentibus molendinorum, *cap. ex transmissa, cap. pastoralis, de decimis:* ex pensionibus domorum, *cap. pastoralis, cap. plerique, de pactis:* ex pascuis, *cap. commissum, de decimis:* ex lacte, fœtu, & lana, *cap. peruenit, de decimis:* ex fructibus apum, *cap. nuncios, de decimis:* ex omnibus animalibus, tam rusticis, quàm vrbanis, *cap. cùm neque, cap. omnes, cap. non est, hoc tit.* Rebuffus *de decimis,* Moneta *eodem tract. cap.*4. nisi consuetudine, seu priuilegio aliud introductum sit, aut inter partes conuentum, vt scribentes in hac materia de decimis omnes docent.

6. TRADITVR RATIO DECISIONIS.

Ex quibus iam apparet decidendi ratio huius textus; cùm enim ius decimarum minui, mutarique possit per consuetudinem, præscriptionem, & priuilegium, etiam per transactionem ritè factam minui, mutarique valebit, & eâ legitimè celebratâ introduci poterit, vt non ex omnibus speciebus, & fructibus decimæ soluantur, vt illi, aut illi parocho præstentur, & certum monasterium ab earum præstatione eximatur: nam cùm hoc ius positiuum sit spectans ad priuatam vtilitatem, poterit per transactionem remitti; sed cùm per eam alienatio rerum Ecclesiæ inducatur, necessaria est causæ cognitio, an expediat, vtilisque sit Ecclesiæ; & ipsius causæ approbatio à superiori fieri debet, *cap. quisquis* 12. *quæst.*2. *cap. in venditionibus* 22. *quæst.*4. vt in aliis alienationibus rerum ecclesiasticarum obseruatur. Et si talis transactio celebratur inter duas ecclesias, vt vni parochiæ persoluantur, consensus Episcopi desideratur, vel Archiepiscopi, si in diœcesi propria sit, *cap. dilecti,*

de

de decimis : docent Barbos. *de potest Episcop. alleg.* 121. *num.* 13. Valenzuela *consilio* 88. *num.* 35. nisi de decimis præteritis transactio fiat, quia tunc nullius Prælati authoritas desideratur. Valeron *de transact. tit.* 3. *quæst.* 6. *num.* 54. Si verò in transactione agatur de decimis persoluendis laïco virtute priuilegij, aut non soluendis à monachis virtute exemptionis, tunc authoritas Rom. Pontif. desideratur, vt probant Barbos. *dict. alleg.* 121. *num.* 17. Valeron *dict. quæst.* 6. *num.* 60.

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, pro cuius solutione sciendum est, ex communi Doctorum sententia, in decimis duo esse consideranda, videlicet obligationem alendi ministros Ecclesiæ, quotæ, seu partis decimarum. Quoad obligationem alendi ministros ex decimis, ipsæ debentur à lege naturali, diuina, & ecclesiastica : quoad quotam verò, seu quantitatem debitam, decimæ proueniunt à iure Ecclesiastico, vt docent Suarez *de Religione tom.* 2. *dict. tract. de decimis, cap.* 9. *num.* 10. Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num* 2. Azor *part.* 1. *instit. lib.* 7. *cap.* 22. Fagundez *in quinque præcepta, lib.* 1. *cap.* 1. Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 1. Gutierrez *lib.* 2. *canonic. cap.* 2. *num.* 9. Barbosa *de officio Parochi cap.* 28. Hunnius *in encycloped. tit. de decimis, cap.* 1. Vnde consuetudo, priuilegium, & transactio in decimarum materia locum habent, cùm circa ea, quæ sunt iuris positiui, consuetudo, priuilegium, & transactio dari valeant : quare accedente iustâ causâ, & adstante superioris licentiâ, rectè per transactionem ius decimarum minui, mutarique potest. Nec refragatur primum augmentum eiusdem dubitandi rationis ; nam post Abbatem, Butrium, & Ostiensem in præsenti illis satisfaciunt Suarez *de decimis dict. cap.* 51. Balboa *in cap. fin. de pactis*, discrimen constituendo inter eum casum, in quo in transactione aliquid intercedit temporale ; & inter eum, in quo nihil temporale datur, sed tantùm aliquid remittitur de principali lite, aut aliud datur æquè spirituale. Primo casu transactio improbatur, ex iuribus suprà adductis ; secundo verò sustinetur. Discrimis ratio in eo consistit, quia in primo casu transactio simoniæ labem continet ; in secundo verò cùm nihil intercedat temporale, nulla simoniæ labes dari potest : in hoc casu procedit noster textus, vt supradicti Doctores docent. Nec etiam augmentum secundum difficultatis aduersatur, quia vt suprà pro ratione decidendi dixi, cùm transactio super decimis celebratur inter personas Archiepiscopo immediatè subiectas, quia eorum Ecclesiæ, siue monasteria extant in ipsa diœcesi Archiepiscopali, quia eorum immediatus superior Archiepiscopus est, illius authoritas desideratur: at verò si inter personas, & Ecclesias suffraganeorum transactio fiat, non Archiepiscopi, sed proprij Episcopi consensus expectatur : vnde iuxta proprios, & peculiares casus exaudienda est præsens Alexandri decisio.

8. Primò huic decisioni Alexandri III. opponitur textus *in cap. venerabilis* 8. *de confirmatione vtili*, in illis verbis : *Super quibusdam decimis mediante Albanensi Episcopo, tunc Apostolicæ Sedis Legato, amicabilis compositio interuenit, expressè adiecto, quod quantò citiùs eam authoritate Apostolica confirmari contingeret, statim deberet executioni mandari.* Ex quibus apertè constat, in transactione super decimis facta necessariam esse Pontificis confirmationem, & per consequens non sufficere Episcopi authoritatem, vt in nostro textu docetur. Pro cuius textus interpretatione sciendum est, in eo tractari de transactione facta inter Episcopum ex vna parte, & Regem, Barones, & Milites Cypri ex alia, vt ex eius epigraphe constat, & notauit Innocentius Cironius in quinta collectione ad ipsum textum : quare cùm transactio super decimis in eo textu facta esset inter personam ecclesiasticam, & laicos, non verò inter ecclesiasticas personas ex vtraque parte, vt in nostro textu ; ideo non sufficit authoritas Episcopi, sed Pontificis licentia desideratur : docet P. Suarez *vbi suprà, lib.* 4. *de decimis, cap.* 51. Valeron *de transf. tit.* 3. *quæst.* 6. *numer.* 57.

INTELLIGITVR CAP. VENERABILIS 8 DE CONFIRM. VTIL.

9. EXPONITVR CAP. VENIENS, HOC TIT.

In eandem partem, & aduersùs ipsam decisionem expendo textum *in cap. veniens, hoc tit.* in illis verbis : *Apostolica auctoritate.* Ex quibus apertè liquet, etiam in transactione inter personas ecclesiasticas facta, Pontificis confirmationem, & auctoritatem desiderari : igitur non rectè asseruimus, in transactione inter ecclesiasticas personas facta Episcopi tantùm consensum desiderari. Huic difficultati vt satisfaciat Barbosa *de iure ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 26. §. 4. *num.* 25. asserit, in eo textu Apostolicam auctoritatem desiderari, quia agebatur de re magni momenti, videlicet remissione magnæ partis decimarum ; tunc enim ipse supponit necessariam esse Pontificis confirmationem. Alio modo difficultatem soluere intendit Suarez *vbi suprà*, asserendo, quod cùm transactio super decimis cum laicis fit, Episcopi licentia, seu authoritas non sufficit. Vnde cùm in transactione, de qua in eo textu, ageretur vt coloni laïci decimas non soluerent Ecclesiæ Parochiali, à qua sacramenta suscipiebant, ideo necessaria fuit Romani Pontificis auctoritas. Sed nec hæc solutio P. Suarez defendi valet, nam transactio in eo textu celebrata fuit inter Rectorem Ecclesiæ, & monachos, & sic inter personas ecclesiasticas : vnde licèt ex ea coloni eximerentur à solutione decimarum Parocho proprio facienda ; non tamen ideo inter laicos facta dicetur. His ergo solutionibus omissis existimo, textum illum procedere in transactione sine causa, & solennitate facta per modum priuilegij, aut exemptionis à solutione decimarum : & cùm priuilegium non soluendi decimas tantùm R. P. concedere possit, *cap. à nobis, cap. ex parte* 10. *cap. ad audientiam* 12. *cap. pen. de decimis, cap. si de terra* 6. *cap. accedentibus* 15. *cap. dudum* 31. *de priuileg.* plures relati à Barbosa *de officio Parochi cap.* 28. §. 3. *num.* 12. ideo in ea specie Rom. Pontificis auctoritas interfuit.

CAPVT III.

Idem [a] *Dulmenſi Epiſcopo.*

COntingit interdum, quod licèt [b] Abbas, vel Prior alicuius conuentualis Eccleſiæ cum eccleſiaſtica, vel ſæculari perſona ſuper his, de quibus inter eos controuerſia vertitur, coram delegato, vel ordinario iudice tranſigat, Capitulum tamen eandem tranſactionem nititur reuocare. Vnde quia nos conſulere voluiſti, tibi reſpondemus, quod ſi Abbas, vel Prior à Capitulo ſuo de ratihabitione litteras habuerit, tranſactionem, quam fecit (ſi fuerit aliquot [c] annis ſeruata) Capitulum, ac ſi conſenſerit in eam, non poterit reuocare.

NOTÆ.

1. a *Dulmenſi.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. & poſt Concil. Lateran. *part.* 28. *cap.* 5. Pro huius inſcriptionis, & aliarum expoſitione, vbi mentio fit Dulmenſis Eccleſiæ, ſciendum eſt, in inſula Lindisfarnenſi, inter Angliam, & Scotiam, fuiſſe olim monaſterium percelebre Ordinis D. Benedicti, cuius Prælatus ſimul Abbas monaſterij, & Archiepiſcopus Lindisfarnenſis erat: durauit hoc monaſterium vſque ad annum 634. tunc enim maiori illius inſulæ parte à Vandalis occupatâ, monachi migrarunt in Dunelmiam, vbi etiam Abbas ſimul Epiſcopus erat; frequenter enim illis temporibus reperiebantur Eccleſiæ Cathedrales in monaſteriis, vbi monachi ſimul canonici erant, & eorum Prælatus Abbas & Epiſcopus, vt refert Yepes *tomo* 1. *Chron. D. Benedicti, anno* 563. *cap.* 1. & *tom.* 2. *anno* 695. *cap. fin.* & *tom.* 5. *anno* 995. *cap. vnico*, vbi latè hiſtoriam huius monaſterij proſequitur Tamayo *tom.* 1. *martyrolog. Hiſpan. die* 22. *Marty, pag.* 390. Epiſcopus ergo in eo monaſterio Abbatis officium exercebat; Prior verò eiuſdem regebat monaſterium, ſeu monachos, & in Capitulo præerat adeo abſolutè, vt monachi inconſulto Epiſcopo ſimul & Abbate, cum aſſenſu Prioris prædia, poſſeſſioneſque alienabant. Vnde conqueſtus fuit Epiſcopus, & ſimul Abbas ipſius monaſterij coram Innocentio III. iſtorum, & ſimilium exceſſuum. Et Innocentius III. in epiſtola miſſa Priori, & monachis Dulmenſibus in hunc modum reſcripſit: *Sanè cùm venerabilis frater noſter N. Dulmenſis Epiſcopus inter vos vices gerat Abbatis, neque ei nocere debeat quod Epiſcopali præemineat dignitate, in his eius eſt à vobis requirendus aſſenſus, quæ præter Abbatis aſſenſum vobis agere non liceret. Ea propter authoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus, nec præter conniuentiam eius vicem ſuper hoc gerentis Abbatis Eccleſias aſſignare, alienare poſſeſſiones, vel conficere ſuper alienationibus inſtrumenta, Priores inſtituere, vel miniſtros, & alia quælibet, in quibus Abbatis eſſet neceſſarius aſſenſus, attentare aliquid præſumatis contra conſuetudinem regularem.* Facit textus *in cap. cauſam* 9. *de iudiciis.*

2. b *Prior, vel Abbas.*] Hæc verba ita diſiunctiuè poſſunt referri ad monaſterium Dulmenſe, cùm in eo, tam Prioris, quàm Abbatis conſenſus in tranſactione litis deſideratur, *dict. cap. cauſam* 9. Vnde hæc verba ſunt accipienda de illis monaſteriis, vbi Prælatus, vel Prior, vel Abbas eſt.

3. c *Aliquot annis.*] Obſeruantia enim diuturna tranſactionis plurimùm ad eius valorem facit. Cyriacus *lib.* 1. *controu.* 3. *à num.* 40. & *controu.* 5. *num.* 122. Faber *in ſuo Codice, tit. de oblig. & action. diffinit.* 7. Tondutus *tomo* 1. *qq. benefic. cap.* 61. *num.* 12. & ex ipſa obſeruantia rectam interpretationem tranſactio accipit. Tondutus *ſuprà, cap.* 39. Barb. *voto* 52. *à numero* 40. Solorzanus *de iure Ind. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 88. Ciarlinius *controu.* 106. *num.* 91. ſicut obſeruantia contraria per legitimum tempus tranſactionem deſtruit. Valeron *de tranſact. tit.* 6. *quæſt.* 3. *numer.* 32.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu communiter deducitur, *Tranſactionem factam à Prælato editis, vel exhibitis ratihabitionis litteris ſui Capituli, ſi aliquod tempus elapſum ſit, à Capitulo non poſſe infirmari.* Ita docent P. Gregor. *lib.* 3. *partit. tit.* 3. *cap.* 6. Carballo *in cap. Raynuntius, 2. part. num.* 348. Barboſa *lib.* 2. *voto* 76. quæ doctrina difficilis videtur, ſi animaduertamus, ratihabitionem conſenſui, & mandato comparari, *cap. ratihabitio*, cum vulgatis, *de regulis iuris in* 6. ſed ſi Prælatus cum conſenſu Capituli alienationem fecerit, ſtatim alienatio vires habet, *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælat.* ergo etiam in præſenti exhibitis ratihabitionis litteris tranſactio defendi debebat. Deinde, nam alienatio à principio inualida, ex poſtfacto per ratihabitionem redditur valida, *cap.* 3. *de pactis*, vbi dixi: igitur ſi litteris ſuis Capitulum tranſactioni conſenſit, ſtatim firma debebat eſſe tranſactio, abſque eo, quod tempus elaberetur. Sed adhuc defendenda eſt hæc deciſio, cuius ratio ex eo prouenit; nam cùm ad alienationem rei Eccleſiæ requiratur conſenſus, ſeu collaudatio Capituli, *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælat.* & per litteras ratihabitionis non conſtaret ſufficienter de conſenſu, & collaudatione Capituli, ideo deſideratur alicuius temporis lapſus, vt per ratihabitionem præcedentem, & taciturnitatem ſubſequentem approbata cenſeatur tranſactio à Prælato facta, vt docet Cironius *ad noſtrum tit.* Nec obſtat quod de ratihabitione dicebamus; nam licèt ratihabitio mandato comparetur, non tamen ipſa per ſe antecedens inducit expreſſum, & deliberatum conſenſum, vt deſideratur ad alienationem rerum Eccleſiæ: quare in præſenti caſu non ſufficit ratihabitio præcedens, ſed deſideratur alia inducta, & præſumpta ex taciturnitate. Et ſic retinenda eſt negatio, quam retinent Ant. Auguſtinus, & Cironius *in præſenti.* Nec etiam augmentum difficultatis aduerſatur; 4.

nam

nam discrimen constituendum est inter ratihabitionem subsequentem, & præcedentem. Per subsequentem ratihabitionem, cùm iam causa examinata sit, & cognita, firmatur alienatio rei Ecclesiæ: at verò per præcedentem, adhuc non cognitâ causâ alienationis, & transactionis, non ita firmatur, vt docent Abbas, & Butrius *in præsenti.*

CAPVT IV.

Idem [a] *Abbati de Stra. & Priori S. Eusebij.*

CONstitutus in nostra præsentia G. Clericus suâ nobis assertione monstrauit, quod cùm inter ipsum, & A. Clericum super capella de Stratiis controuersia emersisset, tandem per transactionem sopita fuit: & licèt hinc inde fide [b] præstitâ firmata fuisset, eam tamen præfatus A. seruare recusat. Quia igitur huiusmodi transactiones speciem continent simoniæ, mandamus quatenus reuocata transactione in irritum, causam audiatis.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateranense sub Alexandro III. *part.* 28. *cap.* 6. in prima autem collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. legitur: *Idem Abbati de Stradefor. & Priori S. Eusebij*: sed legendum est, *Abbati de Streflut*, siue *Stratæflorida*, *& Priori S. Eusebij*; quæ monasteria sunt in Anglia Ordinis Cistercienſis, vt refert illustrissimus Manrique *tom. 2. annal. Cistere. cap.* 10. *num.* 3. quomodo etiam corrigenda est inscriptio textus *in cap. veniens, hoc tit.*

b *Fide præstita.*] Quatenus fides differat à iuramento, dicemus *in cap. ad aures* 3. *de his quæ vi.*

CAPVT V.

Idem [a] *Carnotensi Episcopo.*

DE cætero noueris, quod cùm aliquis, ad extraordinarium iudicem litteris impetratis, cum aduersario suo componit, postmodùm in Ecclesia, de qua agitur, ius aliquod habiturus; si compositio non est iuri contraria, non est à loci Episcopo aliquatenus reprobanda. Sed census absque Episcopali authoritate, cui præest [b] Ecclesiæ, super hoc sub hoc prætextu solutus, vitam eius, qui soluerit, non excedit.

NOTÆ.

1. a *Carnot.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. & *in cap.* 9. *de censib. in ead. collect.* & post Concil. Later. sub Alexandro III. *part.* 28. *cap.* 10. Sed in prima collectione adiicitur, textum hunc partem esse alterius decisionis, quæ incipit: *Nos cùm in eminenti*; quæ reperitur *in cap.* 36. *de appellationibus, in* 1. *collect.* & *in cap.* 3. *de iudiciis, in eadem collect.* in quibus epigraphe ita Concipitur: *Alexander III. Cantuarienſi Archiepiscopo.* Vnde & hîc corrigenda est inscriptio in hunc modum: *Idem Cantuarienſi Archiepiscopo*; de qua Ecclesia egi *in cap.* 2. *de rescriptis.*

2. b *Ecclesiæ, cui præst.*] Ex his verbis aliqui deducunt, pensionem in transactione super beneficio impositam auctoritate Episcopi in successorem transire, eumque teneri illam soluere; at verò pensionem impositam sententiâ iudicis delegati, non transire ad successorem, sed morte soluentis finiri: ita docent Gambara *de officio Legati lib. 6. anno* 385. Azor 2. *part. instit. lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 1. Bonac. *de simonia quæst.* 4. §. 15. *num.* 9. plures relati à Garcia 1. *part. de beneficiis, cap.* 5. *num.* 334. quos nouissimè sequitur Gibalinus *de simonia quæst.* 20. *in fin. num.* 7. Pro quorum sententia faciunt textus *in cap. veniens, hoc tit. cap. præterea* 8. *cap. cùm cleici, de censibus, cap. auaritiæ* 10. *de præbendis, lib.* 6. vbi probari videtur, auctoritate superioris reddi Ecclesiam censualem posse, & onus pensionis in successores transire. Sed contrariam sententiam, videlicet accedente Episcopi auctoritate non posse Ecclesiam reddi censualem, nec pensionem in perpetuum imponi, defendunt *in cap.* 3. *de collusione deteg.* Innocentius Hostiensis *num.* 2. Antonius *num.* 5. Parnormitan. *in cap. prohibemus, num.* 2. *& 9. de censib.* Felinus *in cap. ad audientiam, num.* 2. *de rescriptis:* Gigas *de pensionibus, quæst.* 6. *num.* 2. *& 4.* Rebuffus *de pacificis, à num.* 106. Corrasius *de sacerdotio, 1. part. cap.* 4. Mandosius *de signatura gratiæ, verbo Papa*, Couarruuias *in cap. quamuis*, 1. *part.* §. 6. *num. vlt. de pactis in* 6. Gomezius *in compendio vtriusque signaturæ, pag.* 350. Redoanus *de simonia*, 2. *part. cap.* 21. *num.* 32. *&* 36. Lotherius *de re beneficiaria lib.* 1. *quæst.* 35. *num.* 2. *&* 25. Garcia *dict. cap.* 5. *num.* 330. Valensis *de benefic. lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 8. Carballo *in cap. Raynuntius*, 2. *part. num.* 331. *de testamentis.*

Pro huius controuersiæ resolutione sciendum est, pensionem ex iusta causa, & authoritate superioris, vel imponi beneficio ipsi, vel beneficiario: si imponitur beneficio, seu Ecclesiæ, vbi beneficium est, constituitur onus reale, & transit vnà cum beneficio in successorem: hanc autem ideo Episcopus, & alij inferiores Prælati non possunt imponere, quia beneficium censuale cum diminutione conferretur, quod iure prohibitum

3. SENTENTIA NEGATIVA AMPLECTITVR.

est, *cap. vlt.* 1. *quæst.* 3. *cap. maioribus* 8. *cap. dilecto* 25. *cap. vacante* 26. *cap. dum causa* 36. *de præbend. cap. vnico, vt ecclesiastica beneficia:* etiam ex regula textus *in cap. scientes* 3. *cap. prohibemus* 7. *de censibus, Clement.* 1. *vers. Causam, de supplend. neglig.* quibus receptum est, ne Episcopi, vel inferiores Prælati possint in beneficiis nouas pensiones imponere, vel veteres augere, vt *in cap. veniens* 8. *hoc tit.* Si verò pensio imponitur beneficio, tunc personæ imponitur, & personam possessoris non egreditur; quare quia tunc Ecclesia non redditur censualis, & cessant prædicti iuris prohibitiones, ex causa legitima, potest Episcopus tales pensiones, vel census imponere, vt eleganter docet Pontifex *in cap. nisi* 21. *de præbend. cap. veniens* 8. *hoc tit. dict. cap. vnic. in fin. vt ecclesiastica*; quo casu procedunt textus *in cap. cùm veniſſent, de restit. spoliator. cap. cùm clerici* 11. *de censibus, cap. audiuimus* 3. *de colluſ.* vbi glossa verbo *Pensionem*, notat pensionem ita auctoritate Episcopi debere imponi, vt vitam beneficiarij non excedat. Nec pro contraria sententia faciunt textus suprà citati. Et primò illis non suffragatur noster textus; nam omissis variis interpretationibus relatis à Garcia *vbi suprà, num.* 338. Lotherio *de re beneficiaria quæst.* 35. *num.* 25. Azor *dict. quæst.* 1. respondendum est, in hoc textu auctoritate tantùm delegati fuisse transactionem factam, vt ex ea vni ex litigantibus certa pensio solueretur: quam transactionem seruare debere Episcopum ordinarium loci iubet Alexander, nisi sit iuri contraria, idest aut damnosa Ecclesiæ, vt plerumque transactiones esse solent, vt in specie textus *in cap. sacrosancta* 51. *de elect. cap. si quando* 8. *de officio deleg. cap. accepimus, cap. cùm clerici* 6. *de pactis*; aut nisi facta dicatur per collusionem, *dict. cap. audiuimus* 3. potest enim iudex delegatus pro bono pacis, & concordiæ vni ex litigantibus beneficium assignare, alij verò certam pensionem in eo constituere, *dict. cap. nisi* 21. *de præbendis*. Ex verbis verò relatis non deducitur, rectè cum Episcopi auctoritate constitui posse pensionem, quæ personam possessoris egrediatur. Nec etiam facit pro contraria sententia textus *in cap. veniens, hoc tit.* ex quo potiùs contrarium deducitur, videlicet, auctoritatem Pontificis desiderari in pensione in perpetuum imponenda, vt probaui *in cap.* 2. *hoc tit.* Nec tandem pro contraria sententia faciunt textus *in dict. cap. præterea, cap. clerici, de censibus, cap. auaritiæ* 10. *de præbendis*; in quibus innui videtur, interueniente tantùm Episcopi auctoritate posse clericos Ecclesias suas pensionibus onerare, etiam à successoribus soluendis. Nam textus illi accipiendi sunt non de pensionibus super beneficiis ex causa transactionis imponendis, sed de censibus ex alia iusta causa ab Ecclesiis exigendis, quos possessores earum cum auctoritate Episcopi imponere poterant ante Concilium Lateranense sub ipso Alexandro III. celebratum, de quo *in cap. prohibemus* 7. *de censibus*. Quare supradicti textus referendi sunt ad priora tempora ipsius Alexandri, videlicet ante Concil. Lateran.

CAPVT VI.

Idem *venerabilibus fratribus R.* [a] *Eboracen. Archiepiscopo, Ap. Sedis Legato, & R. Vvigor. Episcopo.*

EX litteris vestræ fr. accepimus, quod cùm olim inter R. & A. clericos super Ecclesia de Ministra, & Capella de Torhec ad eandem Ecclesiam pertinente coram te, frater Episcope, qui iudex fueras delegatus [b] auctoritate G. qui tunc eidem A. [c] patrocinabatur in causa, & testis inscriptus fuerat, transactio iam pridem facta fuisset; post transactionem idem G. veniens ad præsentiam nostram, & se mentiens clericum, cùm nondum esset [d] tonsuratus in clericum, ad Dunhelmum Episcopum, & Decanum Eboracen. si bene meminimus, super Ecclesiam eandem, & Capellam, tacitâ veritate de transactione, ipse G. litteras [e] nostras impetrauit. Cùm autem idem G. & responsales prædicti R. in nostra deinde præsentia fuissent constituti, nos ex litteris vestris veritatem super his cognoscentes, & attendentes etiam, quomodo præfatus G. non inficiabatur, se transactioni interfuisse, & nondum fuisset tonsuratus, cùm litteras ipsas [f] obtinuit; ei super præscripta Ecclesia, & Capella auctoritate Apostolicâ silentium imponimus, & [g] memoratum R. ab eius impetitione duximus absoluendum.

NOTÆ.

1. [a] R. *Eboracensi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 6. ex qua supplenda est inscriptio, quæ reperitur in hoc Raymundi corpore. Rogerius Archiepiscopus Eboracensis successit Guillelmo, cùm esset Regis Henrici faimiliaris, & fuit trigesimus Archiepiscopus eiusdem Ecclesiæ, vt refert Vergilius *lib.* 12. *histor. Angliæ, in fin. pag.* 207. Fuit Legatus in Anglia, quia licèt in eo Regno mitterentur Archiepiscopi Cantuarienses vt Legati, semper; tamen Henricus secundus anno 1164. petiit ab Alexandro III. in odium S. Thomæ Cantuarienſis, vt legationis munere fungeretur Archiepiscopus Eboracensis; quod vt Pontifex Regi indulgeret, clausulam adiecit, ne in diœcesim, vel Archiepiscopum Cantuarienſem vllum ius Eboracensis vindicaret, vt refert Baronius *tom.* 12. *anno* 1164. ideo in præsenti Rogerius dicitur Legatus. De Ecclesiis

Ecclesiis Cantuariensi, & Vvigornien si egi *in c. 2. de rescript. cap. nosti 9. de electione.*

2. b *Authoritate.*] Idest eo præsente, approbante, & formam transactionis dictante; nam auctorem esse, aut auctoritatem præstare dicitur ille, qui probat id, quod agitur, *l. 3. ff. de auctorit. tutor.* Hinc que cùm Imperatore in Senatu orationem faciente Senatus statuebat, Imperatorem præstare auctoritatem Senatui dicebatur, *l. cùm hic 32. ff. de donation. inter, l. 5. Cod. de excusat. tutor. l. 1. Cod. de petit. hæredit. l. 5. de Magistratibus conueniend.* notarunt Brissonius *de V. S. verb. Auctoritas*, Iacobus Gutherus *lib. 1. de officiis dom. cap. 30.* Quare quia suadente, proponente, & dictante Guillelmo transactio in præsenti facta fuit, auctoritatem illi præstitisse dicitur, & eum auctorem fuisse.

3. c *Patrocinabatur in causa.*] Et sic tanquam aduocatus asserendo prædictam Ecclesiam ad suum clientulum spectare, renunciauit iuri, si quod habebat ad ipsam Ecclesiam, argumento textus *in l. vlt. ff. de inofficios. testam. l. 5. § aduocatum, ff. de his, quæ vt indignis*, si scienter id faciebat, *l. inter, ff. de R. V.* Cuiac. *ad Digesta, in l. si pars 10. § 1. ff. de inofficios. test.* & *in dict. l. 5. § qui accusauit, ff. de his, quæ vt indignis*, Amaya *ad tit. Cod. de delator. lib. 10. num. 20.* Donellus *lib. 16. comment. 6. cap. 6.* Robertus *lib. 4. animaduers. c. 14.* Neque obstat, iniquum esse, officium suum cuilibet esse damnosum, *l. sed & quo, § sed si quis, ff. quemadm. testam.* Vnde testis, qui rogatus signauit testamentum, postea petere rem potest, quam eo præsente testator vt propriam legauit, *l. Gaius Seius, ff. de pignorat. action. l. Titia 34. § Lucio, ff. de legat. 2.* igitur siue Guillelmus in præsenti vt aduocatus adesset, vel vt testis instrumento transactionis subscripsisset, non ideo repellendus erat à iure, si quod habebat ad ipsam Ecclesiam; præcipuè cùm non omnis, qui præsens tacet, actui consentire videatur, *l. qui vas, §. vetare, ff. de furtis, l. 1. §. voluntatem, l. quæ dotis, ff. soluto matrim. l. 1. §. scientia, ff. de tributor. l. qui tacet, ff. de R. I.* maximè in amissione rei propriæ, *l. quidam 12. ff. de euictionibus, l. si quis vi, §. de differentia, ff. de adquir. poss.* Huic difficultati satisfaciendum est ex communi Interpretum sententia, qui discrimen constituunt inter officium voluntarium, & necessarium; qui enim officium voluntarium suscipit, vt patrocinium alicuius, amittit ius, quod habebat ad ipsam rem, dum affirmat, eam sui clientuli esse, *dict. l. 5. §. sicut qui putant*; liberum enim est aduocato causam suscipere, vel non: si verò officium sit necessarium, quod quis siue velit, siue nolit, exequi debet, vt tutelæ, *l. nec non, ff. de tutor. l. 1. ff. de administr. tutor.* non officit illi officium, quia non sponte illud suscepit: quare tutor causam in iudicio agendo nomine pupilli, non priuatur iure sibi competente, *l. tutor 22. ff. de his, quæ vt indign. l. cùm quid, Cod. de administr. tutor. §. tutor, Instit. de inofficios.* Amaya *vbi suprà, num. 20.* Similiter iudex alienationi auctoritatem præstando, non ideo priuatur iure suo. Robertus *dict. cap. 14.* & tunc verum est, officium suum nemini damnosum esse debere. Neque obstat textus *in dict. l. Gaius*; nam procedit in teste, qui interfuit vltimo elogio, non verò contractui inter viuos; testis enim, qui signauit testamentum, signauit quod forsan ignorabat, cùm non omne testamentum coram testibus legeretur: at verò subscribens contractui, aut transactioni, vbi omnia percalluit, dispositionem audiuit, & conditiones obseruauit, censetur ita consentire, vt si quod ius ad rem habeat, amittat.

d *Tonsuratus.*] Et sic incapax beneficij ecclesiastici: inter alios enim effectus, quos confert prima tonsura, primus, præcipuusque est, vt tonsuratus possit obtinere beneficium Ecclesiasticum. Trident. *sess. 23. de reformat. cap. 6.* docent Sausay *in Panoplia cleric. 2. part. lib. 6. axiomat. 5.* Garcia *de benefic. 1. part. cap. 2. num. 28.* & *7. part. cap. 2. num. 10.* Barb. *lib. 1. iuris ecclesiast. cap. 38. num. 45.* & *cap. 39. num. 16.* Etiam obtinere potest capellaniam, in cuius fundatione vocatur à testatore clericus, vel ordinatus, vt resoluunt Zeuallos *practicar. qq. q. 24. in fin.* Auendaño *in l. 29. Tauri, glos. 3. num. 9.* Barbos. *de potest. Episcopor. 2. part. alleg. 2. num. 7.* 4.

e *Litteras nostras.*] Aut iustitiæ, aut gratiæ, vt vult Hostiensis *in præsenti.* Si impetrauit litteras ad iudices delegatos, vt prædictam Ecclesiam, super qua compositio præcesserat, sibi adiudicarent, sunt litteræ iustitiæ: si verò asserendo Ecclesiam illam vacare, quia per illicitam transactionem occupata erat ab A. & sic illam sibi conferri postulando, tunc litteræ gratiæ erant. Vtroque casu potest accipi præsens decisio, & neutro ex illis admittendus Guillelmus. Non primo, ex ratione suprà tradita, videlicet quia transactioni auctoritatem præstando, vt aduocatus videtur renunciasse iuri, si quod habebat ad ipsam rem: non secundo, quia turpitudinem propriam allegabat, cùm ipse auctoritatem præberet transactioni, & eam vt simoniacam arguebat: quo casu audiendus non erat, ex vulgari principio, quo docetur, allegantem turpitudinem propriam, non esse audiendum, *l. post mortem 28. ff. de adoption. l. cùm profitear 3. Cod. de reuocand. l. transactiones 30. Cod. de transaction.* 5.

f *Obtinuit.*] Et sic licèt postea tonsurâ initiaretur, admittendus non erat, *cap. cùm adeo, de rescript. cap. si eo 9. eod. tit. in 6.* quia qualitas requisita certo tempore, etiam postea superueniens, nihil operatur. Gutierrez *consil. 2.* Viuianus *de iurepatronatus lib. 6. cap. 7. num. 15.* Gratianus *disceptat. tomo 1. cap. 133.* Gonzalez *ad regul. 8. glos. 5. num. 24.* Diana *part. 4. tract. 4. resolut. 227.* 6.

g *Memoratum R.*] Ex his verbis deducitur, transactionem, seu compositionem ita factam fuisse, vt Ecclesia remaneret penes R. non penes A. cui Guillelmus patrocinabatur. Etiam ex eis colligitur G. litteras iustitiæ impetrasse contra dictum R. cùm per eas illum impeteret. 7.

CAPVT VII.

[a] Idem.

SVper eo quod quæsiuisti, vtrum de ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactio, tale damus, sicut iam pridem, si bene meminimus, alij non absimile dedimus, [b] responsum. Quoniam secundùm formam à canonibus in aliis transactionibus

actionibus adscriptam, super re sacra, vel religiosa transigi minimè potest; etenim res sacræ vt possideantur, aliquo dato, vel retento, vel promisso, speciem habere credimus simoniæ: aliàs autem gratis, & amicabiliter inter se litigantes componere, sacris canonibus nequaquam dicemus obuiare.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] Id est Alexander III. illi enim tribuitur textus iste in secunda collectione, *sub hoc titulo cap.* 1. non tamen constat, cui Prælato Pontifex in eo rescribat, quia tantùm hîc compilatur pars decisionis, cuius principium aliunde est.

b *Responsum.*] Quod, ni fallor, extat *in cap.* 3. *de colluſ. deteg.*

CAPVT VIII.

Idem [a] *Abbati de Straupho, & Priori de Phepi.*

VEniens ad Apostolicæ Sedis clementiam dilectus f. noster Magister Vv. de Flauilla, suâ nobis insinuatione monstrauit, quod monachi maioris [b] monasterij terras in parochia Sanctæ Mariæ de Martinon [c] excolant, & ab eadem Ecclesiad coloni eorum omnia ecclesiastica, tam e necessaria, quàm voluntaria suscipiunt sacramenta; & tamen eidem Ecclesiæ suas à canonibus sacris constitutas decimas contradicunt soluere: sed de frugibus tertiam partem soluunt ei, & duas sibi retinere præsumunt; de reliquis autem minutis [f] decimis, vt pote nutrimentis animalium, & fructibus hortorum, nihil penitus præstare non erubescunt; arbitrantur autem ob hoc sese tueri cuiusdam transactionis pactione inter præfatos monachos, & quendam sacerdotem memorati Vv. prædecessorem factâ, ita videlicet, quod de duabus [g] carrucatis terræ, quas in dominio suo monachi tenent, tertiam dumtaxat partem decimarum exsoluere debeant, reliquas sibi retinendo. Quod fit, vt inde occasionem sumentes malignandi, prædia ex agricolarum [h] defectu ad eos deuoluta monachi in suum magis astutè, quàm prouidè dominium conuertant; & quatuor, vel fortè plures carrucatas duabus aggregant; non tamen aliter decimas præstantes de illis, quàm priùs de duabus præstitissent, cùm secundùm compositionis tenorem, integras de illis decimationes soluere tenerentur. Quoniam igitur nos conuenit Ecclesiis prouidere, ne sua debeant iura cuilibet deperire: f. v. per A. s. mandamus, quatenus cùm exinde fueritis requisiti, vtraque parte ante præsentiam vestram conuocatâ, rei veritatem diligentiùs inquiratis, & nisi priuilegium Apostolicæ Sedis sibi super hoc indultum coram vobis præfati monachi palam produxerint, vel nisi transactionem præscriptam [i] Apostolicâ auctoritate confirmatam esse docuerint, cùm alioquin inter personas potiùs, quàm inter [k] Ecclesias facta videatur, nec pacta inter alios acta aliis obesse patiamur, omni dilatione, & ap. rem. præfatos monachos, & agricolas decimationes ex quibuslibet rebus deuenientes ex integro absque diminutione Ecclesiæ S. Mariæ de Marturen, iugi præstatione singulis annis præstare, & eorum, quæ illicitè detinuerint, iustam æstimationem restituere cum omni districtione compellatis, Quod si discretioni vestræ, secundùm ea, quæ proponuntur nobis, in iudicio visum fuerit, præfatos monachos non nisi ad tertiæ partis decimationum præstationem secundùm iustitiam vrgeri posse; tunc omnium eorum, quæ canones decimanda decreuerint, ap. rem. sæpedictos monachos tertiam partem Ecclesiæ iamdictæ auctoritate Ap. in decimas præstare cogatis.

NOTÆ.

1. a *Abbati de Straupho.*] Ita legitur in hac sexta collectione, in secunda autem, *sub hoc tit. cap.* 3. legitur *Abbati de Stamphori, & Priori de Esiuili:* & etiam post Concilium Lateran. sub Alex. III. *part.* 48. *cap.* 1. Sed legendum est, Abbati *de Streflut*, siue *Stratæ Floridæ, & Priori S. Eusebij*, vt iam notaui circa epigraphen textus *in cap. constitutus, hoc tit.*

b *Maioris monasterij.*] Claræuallis videlicet, de quo egi *in cap.* 14. *de offic. delegati.*

c *Excolant.*] Non propriis manibus, aut expensis, sed per colonos; quia si propriis manibus excolerent, decimas soluere non tenerentur, *cap. questi, cap. decimas* 16. *quæst.* 1. Concil. Lateranense sub Alexand. III. ibi: *Statuimus, vt monasteria ex suis prædiis nullo modo decimas soluere cogantur.* Olim enim monachi, præcipuè Cistercienses, agros propriis manibus excolebant, *cap. cauenda* 10. *quæst.* 3. & tunc certum est, exemptos esse à decimarum solutione, *cap. ex parte, cap. nuper*, cum aliis, *de decimis.*

d *Colonos.*]

d *Colonos.*] Quibus conduxerant monachi prædia rustica.

3. e *Necessaria quàm voluntaria.*] Videlicet Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ dicuntur necessaria necessitate medij ad salutem: & Matrimonij, & Extremæ vnctionis, quæ cùm non ita necessaria sint, dicuntur voluntaria.

4. f *Minutis decimis.*] Decimæ enim soluendæ sunt ex omnibus fructibus, & prouentibus propriis parochis, vt probaui *in cap. plerique, de pactis, cap. contingit, hoc tit.* Sed iam temporibus nostri textus monachis nigris, & albis concessum erat priuilegium, ne ex nutrimentis animalium, & fructibus hortorum decimas persoluerent, *cap. ex parte* 10. *de decim. cap. nimis, de excessib. Prælat.* Barbos. *in dict. cap. ex parte,* P. Gregor. *lib.* 1. *partit. tit.* 25. *cap.* 3. & *lib.* 2. *syntagm. cap.* 24. & ideo infrà ait Alexander, ita demùm decimas præstare debere prædictos monachos maioris monasterij, nisi priuilegium Apostolicum exhiberent.

5. g *Duabus carrucatis.*] Carruca enim est aratrum: vnde agri, qui egent gemino aratro dicuntur duæ carrucæ. Iuò Carnotens. *epist.* 28. ibi: *Donum Ecclesiæ Hardefuth cum omnibus hospitibus, & cum terra ad duas carrucas.* Matthæus Parisius *ad annum* 1254. inquit: *In maneriis religiosorum quot sunt carrucæ propriæ ad colendum dominicum, & quot sint consuetudinariæ.* Et anno 1200. *Rex Angliæ cepit de vnaquaque carrucata totius Angliæ tres solidos.* Ordericus Vitalis *lib.* 1. *histor. Eccles.* ibi: *Robertus Helgonis filius, consentientibus, & condonantibus eius dominis, Vvillelmo scilicet, atque Roberto, cum filiis, & nepotibus eorum Ecclesiam S. Martini super fluuium Vacolij monachis præfati cœnobij vendidit, & in eodem loco terram Presbyteri cum alia terra octo carrucarum, quam emerunt non modico pretio.* Et *pag.* 465. ibi: *Possessiones, quas Robertus, & Hugo, & Exnaldus filij Roberti de Grentismamillio pro salute sua Vticensi Ecclesiæ tradiderunt: hæ sunt in Nucereto, Ecclesia cum omni decima, & terra Presbyteri, cum arabili terra trium carrucarum.*

h *Defectu.*] Morte videlicet, vel absentiâ.

i *Inter Ecclesias.*] Si enim inter monachos, & Ecclesias facta esset, obseruaretur in perpetuum. Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap.* 55. *Decernimus, vt de alienis terris modò adquirendis, etsi eas propriis manibus, & expensis excoluerint, decimas persoluant illis Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea soluebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.* 6.

k *Apostolica authoritate.*] Hæc verba, & præsentem decisionem exposui *in cap.* 2. *hoc titulo.*

CAPVT IX.

Lucius III. [a] *Orlienſi Episcopo.*

PRætera quando inter laicos, & viros Religiosos de præsentatione alicuius Ecclesiæ quæstione subortâ transigitur inter eos, ita quod præsentationem laicus obtineat, religiosi verò nonam, vel maiorem percipiant portionem, in qua priùs nullam, vel minorem habere consueuerant; an huiusmodi transactio teneat, quæsiuisti. Cùm igitur ipsa pactio simoniaca meritò videatur, de iure non tenet, nec ex ea religiosi vllum commodum debent inuenire.

NOTÆ.

1. a *Orlienſi.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. sed vtrobique perperam; cùm enim in Epigraphe huius textus in dicta secunda collectione legatur, *Lucius III. Orienſi Episcopo: pars capitis Tua nos*; innuitur, in præsenti referri partem textus *in cap. tua nos* 11. *deiureiur.* qui cùm eam inscriptionem habeat, *Lucius III. Norvvicenſi Episcopo,* credo epigraphen huius textus ita corrigendam esse, *Lucius III. Norvvicenſi Episcopo.* Accedit vtriusque textus materiæ affinitas, & connexio. De Ecclesia Norvvicensi egi *in cap. si autem* 9. *de rescriptis.*

CAPVT X.

[a] Cælestinus III.

PRæterea quarto loco talis quæstio accessit, quod quædam [b] cellula eximi voluit à subiectione, qua matrici domui tenebatur. Cúmque causa debito marte percurreret, fratres illius cellulæ se [c] confitentes illi domui quondam fuisse subiectos, referebant, quæstionem olim de hac subiectione fuisse motam, & transactione Sopitam, videlicet eatenus, vt quiddam determinatum annuatim Ecclesiæ matrici reddendo, fratres memoratæ cellulæ penitus essent à subiectione principalis domus exempti. Cæterùm ex aduerso prior domus duo pariter allegabat, vnum scilicet, quod ex quo confessi fuerant se dudum illi domui subiectos fuisse, & non ante transactionem

actionem illam exemptos, constabat illos fuisse rebelles, eo ipso, quod ante transactionem, & exemptionem se contendebant ab eadem iurisdictione fuisse subtractos; nec transactio subsequens eos poterat à tanto crimine inobedientiæ relaxare. Alterum quoque Prior consequenter pro maiori Ecclesia proponebat, quod de spirituali subiectione contra votum professionis transigere non licebat. Nostra verò in his huiusmodi reddit sollicitudo responsum, quod ex prædicta fratrum de Cella confessione contra eos sententia proferri debeat, præsertim cùm illa transactio, licèt nobis de illo, quod Cella determinatè prædictæ domui soluere tenebatur, clarè constare nequiuerit, iniquitatem continuisse putetur.

NOTÆ.

1. a *Coelestinus.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* Vbi additur *pars capitis Bonæ memoriæ*, vt cognoscatur, in præsenti referri partem textus *in cap. bonæ, de confirmatione vtili*, & alias eius partes congessi *in cap. prudentiam* 21. *de officio. deleg.*

b *Cellula.*] Quid per cellam in iure nostro accipiatur, latè dicemus *in cap. vnic. de syndico.*

2. c *Confitentes.*] Sed quomodo per confessionem, & exceptionem rei intentio Episcopi super iurisdictione fundatur, contra textum, & quæ ibi communiter adducuntur *in cap. cùm venerabilis, de exception?* Respondetur Episcopi intentionem in præsenti non fundari in exceptione à reo opposita, sed in plena confessione, his verbis: *Confitentes in iure illi domui quondam fuisse subiectos*; vt docet Balboa *in dict. cap. 6. de exception. num.* 46.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO PROBATVR. IN *cap.* 4. 7. 9. & præsenti vna ferè comprehenditur materia; quare sub vnica conclusione eorum commentarium dabimus. Sit assertio: *Super beneficio ecclesiastico, re spiritualis, vel spiritualibus annexa, transactio non admittitur.* Probant eam textus *in c. 2. cap. quàm pio* 1. *quæst. 2. cap. si quis præbendas* 1. *quæst.* 3. *cap. cùm pridem* 4. *de pactis*, *cap. cùm inter* 16. *de election. cap. nisi essent*, *de præbend. cap. cùm veniissent*, *de restit. spol. cap. dilectus filius* 28. *de simon. cap. si quando*, *de officio deleg. cap. super hoc* 5. *de renunciatione*, *cap. veniens* 2. *hoc tit. in prima collect.* Illustrant vltra laudatos à Barbosa *in præsenti*, Nauarrus *ad tit. de simon. consil.* 46. Tuschus *litt. C. conclus.* 50. & *littera T. conclusione* 358. D. Ioannes de Solorzano *tom.* 2. *de iure Ind. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 58. & *lib.* 3. *politic. cap.* 15. Petrus Gregorius *de beneficiis cap. vlt.* & *lib.* 28. *syntag. cap.* 2. *num.* 16. & *lib.* 3. *partition. tit.* 3. *cap.* 2. Suarez *de relig. tomo* 1. *lib.* 4. *cap.* 51. Genuensis *practicabil. quæst.* 735. Barbosa *voto* 76. *num.* 42. Balboa *in cap. fin. de pact.* Canisius *in nostro cap. constitutus*, Bartholomeus Sanchez *in cap.* 5. *de rer. permut.* Azor *part.* 2. *moral. lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 1. Lotherius *de re benefic. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 25. & *quæst.* 36. *num.* 10. Duarenus *lib.* 6. *de sacris*, *cap.* 4. Garcia *de benefic.* 1. *part. cap.* 5. *num.* 300. Summistæ *verbo Transactio*, Gibalinus *de simon. quæst.* 20. *sect.* 15. plures relati à Valeron *de transact. tit.* 3. *quæst.* 6. *num.* 2. claudat agmen præceptor meus illustrissimus D. Martinus Lopez de Ontiberos *in repetition. ad text. in cap. constitutus, hoc tit.* quam dum hæc scribo, præ manibus habere non potui.

4. Sed pro dubitandi ratione aduersùs hanc assertionem ita insurgo: Si transactio super beneficio, aut iure præsentandi ad illud non admitteretur, maximè quia simoniæ labem contineret, vt innuitur *in cap. constitutus*, *hoc tit.* sed in huiusmodi transactione nulla simonia considerari valet: igitur non est ratio, quare huiusmodi transactio improbetur. Probatur minor ex eo; nam si transactio ita fiat, vt qui petit, intenditque se habere ius præsentandi; & alter, qui negat, alternis vicibus iure patronatus vtantur, non intercedit quid temporale, sed mera rei dubiæ transactio: igitur non datur simonia, argumento textus *in cap. vlt. de rer. permut.* vel si transactio ita fiat, vt beneficium vnus retineat, alteri litiganti certa pensio soluatur; tunc enim etiam non datur simonia, cùm auctoritate Episcopi tale pactum iniri possit, *cap. nisi essent*, *de præbend. cap. dilectus* 1. *de simonia*; si enim esset simoniaca pactio, nec ex consensu Episcopi celebrari posset, *cap. penult. de elect.* Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si transactio simoniaca *in dict. cap. constitutus*, irritaretur, non restitueretur Ecclesia, circa quam commissa fuit simonia, pristino possessori, cùm inter simoniæ pœnas illa à sacris canonibus imponatur, videlicet priuatio beneficij, *cap. insinuatum* 13. *de simonia*: igitur transactio super beneficio ecclesiastico vt simoniaca non improbatur. Secundò augetur hæc difficultas ex eo, nam res spiritualis, seu sacra, non modò per transactionem adquiri valet, verùm & per venditionem, *cap. cùm enim* 10. *quæst.* 2. *cap. aurum* 11. *quæst.* 2. igitur super re spirituali, seu sacra transigi potest. Tertiò tandem fulcitur hæc difficultas ex eo; nam super iure præsentandi adeò permissa est transactio, vt ille tantùm ius præsentandi habeat, qui tempore fundationis Ecclesiæ pacto expresso ius illud sibi reseruauit, *cap. nouit*, *de iurepatronatus*: igitur non repugnat naturæ iurispatronatus transactio, per quam illud acquiritur. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

His tamen difficultatibus minimè obstantibus 5. vera est præsens assertio, ad cuius veram expositionem sciendum est, transactionem super beneficio ecclesiastico, aut iure præsentandi ad illud, differre à compositione; nam compositio est genus; transactio verò species, vt dixi *in cap.* 1. *hoc tit.* Potest autem huiusmodi transactio triplici modo contingere. Primò cùm spontaneâ voluntate vnus ex litigantibus cedit ius, quod habet, in gratiam alterius; & tunc transactio sustinetur absque vlla auctoritate Episcopi, vel superioris, nisi præcedere debeat noua institutio; nam tunc cùm beneficium non possit obtineri absque institutione canonica, *cap.* 1. *de regul. iur. in* 6. *cap. ex frequentibus*, *cap. cùm veniissent*, *de institutionibus*, necessaria est Episcopi auctoritas, & de hac compositione accipiendi sunt textus *in cap. cùm inter* 16. DE TRANSACTIONE CIRCA BENEFICIVM.

de

de elect. cap. ſuper eo, hoc tit. Secundo modo poteſt conſiderari tranſactio in beneficio, aut iure præſentandi, datis ad inuicem rebus ſpiritualibus, vt beneficium pro beneficio: & etiam in hoc caſu poteſt tranſactio incipere à litigantibus, dum Epiſcopi auctoritas poſtea intercedat, ad inſtitutionem in ipſis beneficiis faciendam, *cap. ad quæſtionem, de rerum permut.* quo modo de decimis, reliquiis, & aliis rebus eccleſiaſticis tranſactio admittitur, *cap. 2. hoc tit. cap. ex multiplici, de decimis*; & etiam in iure præſentandi, vt alternis vicibus iurepatronatus litigantes vtantur. Barboſa *in noſtro cap. conſtitutus*, Gibalinus *d. q. 20. num. 4.* Valeron *de tranſact. tit. 3. q. 6. num. 51.* Tertius, & difficilior caſus euenit, cùm tranſactio fit aliquo temporali iure retento, veluti certa penſione; & tunc dicendum eſt, eam tranſactionem à partibus incipere non poſſe; ſed Epiſcopum poſſe ita litem beneficialem dirimere, vt vni beneficium litigioſum adiudicet cum onere ſoluendi alteri certam penſionem, *cap. niſi eſſent, de præbendis.* Suarez *d. cap. 51. num. 17.* Bonacina *de ſimonia, q. 4. §. 15.* Gibalinus, & Caſtro Palao, quos refert, & ſequitur Valeron *d. q. 6. num. 14.* Plerumque enim pacis, & concordiæ causâ, cùm ſunt partium iura obſcura, ſolet iudex iubere, vt vnus ex litigatoribus beneficium retineat, alteri annuâ penſione ſolutâ ex fructibus ipſius beneficij, *cap. auditis, de colluſion. detegend. cap. cùm veniſſent, de reſtit. ſpoliat.* hoc enim euincit bonum pacis, propter quod alia plura in iure admittuntur, *c. his 11. de maiorit. & obed. cap. 1. de deſponſ. impub.* Gigas *de penſion. q. 6. num. 4.* Duarenus *d. lib. 6. cap. 4.* Hugolinus *de ſimon. tabul. 1. cap. 10. §. 3.* Redoanus *de ſimon. cap. 21. num. 36.* Valenſis *de beneficiis lib. 4. tit. 2.* Vt autem hæc tranſactio expers, & immunis ſit à labe ſimoniæ, initium capere debet à iudice, non verò à partibus, *dict. cap. niſi eſſent*, ibi: *Non ex pactione partium, ſed ex iuſſione iudicum.* Nec excuſantur à ſimoniæ labe, qui tranſactione inter ſe facta, iudici poſtea repræſentant; integram enim tranſactionis cauſam in manibus ſuperioris apponere debent, *cap. quæſitum, de rer. permut.* docent Garcia *de benefic. d. 1. p. cap. 5. num. 340.* Valenſ. *dicto tit. 2. num. 9.* ex quo enim iudicis auctoritas deſideratur, ſine ea facta tranſactio vires non habet, *cap. non-ne, de præſumption. l. cùm Prætor 12. ff. de iudiciis.* Nec etiam licet partibus aliquid dare ratione expenſarum, vt à lite diſcedatur, *cap. cùm pridem 4. de pactis*, gloſſa *verb. Pecuniæ, in cap. ſuper hoc, de renunciat.* etiamſi hoc fiat auctoritate ſuperioris, ſi modò conuentio à partibus initium habuit, non autem ſi à iudice pro bono pacis, vt reſoluit Garcia *vbi ſuprà, num. 350.*

6. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Concluſionis ſuprà traditæ varias adducunt rationes claſſici in præſenti, & ſuprà laudati: aliqui enim affirmant, ideo tranſactionem ſuper beneficio eccleſiaſtico non admitti, quia qui per tranſactionem illud cedit, nil ex cauſa tranſactionis præſtat; ſiquidem litigator, qui ius habebat ab Epiſcopo, inſtitutionem conſequitur, non verò ab alio tranſigente; & ideo tranſactionem inutilem eſſe: alij etiam aliam reddunt, aſſerendo, quod cùm tranſactio ſuper alimentis facta non valeat, *l. cùm hi 8. ff. de tranſaction. l. de alimentis, C. eod. tit.* Gentilis *in ſpeciali opuſc. de alimentis*; & beneficium pro alimentis parochis detur, *cap. clerici 1. q. 1. cap. cùm ſecundum, de præbendis*: ergo ſuper eo tranſactio non admittitur. Ita ratiocinantur Padilla *in l. vlt. num. 13. C. de tranſaction.* Gigas *de penſion. q. 51. num. 21.* Sed his rationibus omiſſis vera deciſionis ratio prouenit ex ſuprà dictis; vel enim tranſactio fit retentâ aliquâ penſione, vel alio beneficio ad inuicem ceſſo: ſi retentâ aliquâ penſione, quia nouus cenſus, nouumve grauamen inſcio Epiſcopo à poſſeſſore beneficij imponi non poteſt, ideo tranſactio reiicitur; & quia tranſactio celebratur aliquo dato, vel retento, ſi illud temporale eſt, ex alio capite, videlicet ſimoniæ, tranſactio improbatur, *cap. conſtitutus, cap. ſuper eo, hoc tit.* ſi verò beneficium pro beneficio cedatur, quia ſine inſtitutione canonica obtineri non poteſt, ideo tranſactio effectum non ſortitur, vt latiùs proſequitur Gibalinus *vbi ſuprà*, Valeron *d. q. 6. num. 4.*

7. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat difficultas ſuprà expenſa; nam in præſenti textu prohibetur tranſactio, quæ labem continet ſimoniæ, aut repugnat iuris principiis ſupra expenſis; non verò cùm ſimonia non datur, vt ſi alia res ſpiritualis pro ſpirituali cedatur, vel patroni inter ſe conueniant, vt alternis vicibus iurepatronatus vtantur; tunc enim tranſactio pares vires habet. Nec augmentum deductum *ex d. cap. conſtitutus*, aduerſatur; quia in eo ſimonia non fuit commiſſa ex animo, & affectu, aliàs ambo priuarentur beneficio eccleſiaſtico, vt poſt antiquiores docet Caniſius *in d. c. conſtitutus.* Nec obſtat ſecundum augmentum difficultatis; nam vaſa ſacra, & veſtimenta vendi poſſunt, & ſuper eis tranſactio admittitur, quia adhuc poſt conſecrationem remanet in eis quid temporale pretio æſtimabile, videlicet aurum, vel argentum, quod vendi poteſt, & æſtimari, & ſuper eo tranſactio celebrari: at in beneficio, aut iure præſentandi, vbi nihil datur pretio æſtimabile, non eſt ſupra quod tranſactio fiat. Nec tandem vltimum obſtat augmentum; nam quoties patronus ſibi reſeruat ius præſentandi in Eccleſia à ſe conſtructa, non ex pacto, ſed ex iuris diſpoſitione, vt alij fideles alliciantur ad conſtruendas Eccleſias, ipſe conſequitur iuſpatronatus cum iure præſentandi; quod aliàs per pactum, aut tranſactionem acquiri non poterat. Vnde potiùs ex iuris diſpoſitione, quàm ex vlla conuentione iuſpatronatus quæritur.

8. EXPONITVR CAP. SI QVANDO 8. FF. DE OFFIC. DELEGATI.

Sed ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in cap. ſi quando 8. de officio delegati*, in illis verbis: *Tranſactione, vel alio modo Eccleſias obtinuerunt.* Ex quibus verbis deducitur, tranſactionem ita ſuper beneficio fieri poſſe, vt per eam beneficium adquiratur. Augetur huius textus difficultas ex eo; nam iudex delegatus non poteſt tranſactionem iuri contrariam approbare, *cap. de cætero, hoc tit.* ſed tranſactio in eo textu approbatur à iudice delegato: igitur quia iuri contraria non eſt. Huius textus interpretatio facilè ex ſupra traditis aſſignatur; nam tranſactio illa ſuper beneficio prohibita eſt, quæ labem continet ſimoniæ, & incipit ab ipſis partibus: ſi verò ſine ſimoniæ labe à iudice proponatur, ab ipſoque fiat, tunc talis tranſactio admittitur, etiam ſuper beneficio, vt ſuprà dixi: de qua tranſactione abſque vlla ſimonia celebrata accipiendus eſt textus *in d. c. ſi quando.* Nec difficultatis augmentum obſtat; nam cùm tranſactio abſque vlla ſimonia celebratur, iuri contraria non eſt, ideo eam etiam delegatus admittere poteſt; ſi tamen ex ea Eccleſia redderetur cenſualis, neceſſaria eſſet R. P. confirmatio, *cap. de cætero, hoc tit.* Eodem etiam

etiam modo intelligendus est textus *in cap. cùm inter* 16. *de election.* vbi iudex delegatus coëgit partes ad transactionem, seu compositionem super iure eligendi; procedit enim textus ille in compositione amicabili, nullâ simoniæ labe intercedente.

9. INTELLIGITVR CAP. 3. DE COLLVSIONE DETEGENDA.

Deinde obstat textus *in cap. audiuimus* 3. *de collusione detegenda*, vbi sequens hypothesis proponitur. In Episcopatum Norvicensi adeo clericorum malitia excreuerat, vt interdum collusione factâ, super beneficiis, quæ possidebant, sustinerent se ab aliis molestari, & postea vt à lite discederent, & possessores à vexatione liberarentur, quasi transactionis nomine promittebant certam pecuniæ quantitatem pensionis nomine, eò vt post mortem possessorum ea beneficia sibi vindicarent. Episcopus Norvicensis consuluit Alexandrum III. super huiusmodi excessu, & ipse respondit, vt si quos clericos suæ iurisdictionis collusionis huiusmodi fraudem legitimè constiterit commisisse, eos non differat appellatione remotâ propriis beneficiis spoliare: quam Alexandri decisionem ita expendo. Si enim transactio super beneficio, pensione reseruatâ, ideo improbatur, quia per collusionem facta fuit: igitur si absque collusione celebrata esset, sustineretur. Huic difficultati respondendum est asserendo, argumentum à contrario sensu ex eo textu non rectè deduci, vt post glossam ibi, verbo *Pensionem*, docent in eo textu Anan. & Panormit. quia argumentum à contrario sensu non admittitur cùm sequitur absurdum in iure, vt in præsenti casu sequitur, cùm tot canonibus Ecclesiæ inhibita sit transactio super beneficio ecclesiastico, præcipuè pensione in perpetum constituta, de qua in eo textu agebatur: quare etiam seclusâ collusione transactio in eo textu nulla erat, nisi Episcopi auctoritate esset roborata, vt latiùs Deo volente in eius textus commentario probabimus.

Etiam opponi possunt præsenti assertioni textus *in cap. constitutus*, *de relig. domib.* cuius interpretationem dedi *in cap. finali*, *de pactis*; & textus *in cap. dilectus* 29. *de simonia*, iuncto Barbosa *in collect. ad illum textum.*

CAPVT XI.

[a] Honorius III. [b] *Ianni Sanctæ Praxedis, Presbytero Cardinali, Ap. S. Legato.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Græci furtiuè sacros ordines à non [c] suis Episcopis receperunt: quidam etiam excommunicati celebrant in Ecclesiis [d] interdictis, & Græcis [e] ritibus pertinaciter inhærentes, in nullo volunt obedire [f] Prælatis Latinis. Præterea quidam Græci & Latini Episcopi consecrationes faciunt in alienis [g] Episcopatibus, & decimas percipiunt in eisdem, in Episcoporum eorundem locorum præiudicium, & grauamen, licèt [h] Episcopi Græcorum nec percipere decimas, nec consecrationes huiusmodi consueuerint celebrare. Ad hæc laïci Græci vxores suas secundùm motum propriæ [i] voluntatis dimittere, & alias superducere non verentur, ac operari Dominicis ac [j] festiuis diebus, quemadmodum in profestis. Porrò quidam [k] Barones, & Milites, tam Latini, quàm Græci, Abbatias, & Ecclesias alias, cum hominibus & bonis aliis earundem, contra iustitiam detinentes, decimas non exsoluunt, & alios soluere recusantes in suo errore defendunt; & si pro his, & aliis excessibus suis feratur in eosdem sententia excommunicationis, eam in animarum suarum periculum, & aliarum scandalum vilipendunt. Vnde à nobis postulas edoceri, quid tibi agendum sit in omnibus supradictis, & qualiter puniendus sit [l] Neoportensis Archid. qui quibusdam eundi cum mercibus in [m] Alexandriam contra statutum Concilij [n] generalis licentiam tribuere de facto non expauit. Nos ergo disc. t. breuiter respondemus, vt cùm iura [o] canonica, & [p] ciuilia edita sint ferè in omnibus articulis his prænotatis, procedas secundùm quod necesse fuerit secundùm canonicas, & legitimas sanctiones. Poteris etiam ad [q] componendum interponere partes tuas, & interdum aliquid seueritati detrahere, provt [r] statu Imperij, & excedentium [s] multitudine prouidâ deliberatione pensatis, videris expedire: exceptis nimirum casibus, qui compositionis, seu dispensationis remedium non admittunt, vtpote coniugij sacramentum: quod cùm non solùm apud Latinos & Græcos, sed etiam apud fideles, & [t] & infideles existat, circa illud à [v] seueritate canonica recedere non licebit. In his verò, super quibus ius non inuenitur expressum, procedas æquitate [x] seruatâ, secundùm quod personas, & causas, loca, [y] & tempora videris postulare, semper in humaniorem partem, maximè propter statum Imperij adhuc debilem, declinando.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a *Honorius tertius.*] Ita legitur in quinta compilatione edita à Cironio, vbi ſub hoc titulo, *cap. vnico*, reperitur textus hic: ex qua collectione reſtituo eius litteram, & epigraphen.

2. b *Ioanni.*] Videlicet à Columna dicto; mortuo enim Sofredo Cardinali tit. S. Praxedis, creatus fuit Cardinalis ipſius tituli Ioannes à Columna ab Honorio III. anno 1216. & ſtatim anno ſequenti miſſus fuit legatus in Orientem, vbi in carcerem coniectus, & ipſi martyrium fuit præſcriptum, vt inter duos poſtes incluſus à Barbaris ſecaretur: ſed diuinâ prouidentiâ liberatus fuit. Defuit illi martyrium, ſed non martyrij conſtantia, vt ſcribunt Volaterran. *lib.* 22. *Antrop.* Onuphrius *lib.* 4. *cap.* 22. *de Baſilica Lateran.* Et cùm Honorius illi ſcripſiſſet epiſtolam gratulationis de ipſius libertate; item, vt ſi velit Romam redire, aut ſi malit, munus legationis proſequeretur, ipſe iter cœptum proſecutus fuit, vt refert Spondanus *in continuatione Baronij, anno* 1217. *num.* 2. vnde in ipſa legatione conſuluit noſtrum Honorium ſuper exceſſibus Græcorum in hoc textu comprehenſis.

c *A non ſuis Epiſcopis.*] In quo grauiter delinquebant, vt probaui *in cap.* 11. *de tempor. ordin.*

3. d *In Eccleſiis interdictis.*] Quo facto dupliciter peccabant: primò celebrando maiori excommunicatione ligati, de quo exceſſu agam *in cap. ſi celebrat, de clerico excommunicato.* Secundò celebrando in Eccleſia interdicta, vbi durante interdicto diuina officia celebrari non poſſunt, *cap. non eſt, de ſponſal. cap. ſi ciuitas, de ſententia excommunicationis in* 6. *cap. quod in te*, vbi dicemus, *de pœnit. & remiſſ.*

e *Græcis ritibus.*] Qui diuerſi ſunt à Latinis, vt probaui *in cap. quoniam, de officio Ordin.*

4. f *Prælatis Latinis.*] Qui conſtituti erant tam Conſtantinopoli, quàm in aliis ciuitatibus, occupatâ Conſtantinopoli à Latinis, vt iam retuli *in d. cap. quoniam.*

5. g *Epiſcopatibus alienis.*] Contra ea, quæ adduxi *in cap. quod tranſlationem* 11. *de temporibus ordin.*

h *Epiſcopi Græcorum.*] Prohibitum enim illis erat in Concil. Conſtantinopol. 1. *can.* 2. Antiocheno *can.* 13. *&* 22.

i *Voluntatis.*] Contra naturam, & indiuiduitatem matrimonij, vt infrà probabimus.

j *Et feſtiuis diebus.*] Contra præceptum Eccleſiæ de obſeruandis diebus feſtiuis, quod latè illuſtrabo *in cap.* 1. *de feriis.*

6. k *Barones.*] Sunt homines nobiles, qui nunquam ſeruitute ſeruierunt. Voſſius & Lindembrogius verbo *Baro.* Capiblancus *integro tract. de Baronibus.*

7. l *Neoportenſis.*] *Nigropontenſis* rectè emendat Cironius *in præſenti.* Nigropontus eſt in inſula Eubea Archiepiſcopatus Athenienſis, de cuius dominio agit Innocentius III. *lib.* 15. *epiſt.* 4. *&* 5. eius miſerabilem cladem, Turcarum poſt longam obſidionem, refert Beſoldus *in hiſtor. Conſtantinopol. anno* 1470.

8. m *In Alexandriam.*] Alexandria his temporibus plena erat hæreticis, fideique ſanctæ hoſtibus. Vnde anno 1229. D. Athanaſio de Claromonte Alexandrinæ Eccleſiæ Præſuli apparuit Sanctus Ioannes Baptiſta in die Annunciationis B. Virginis Mariæ, & iuſſit illi, vt ab Eccleſia reliquias, & ſacras imagines tolleret, ſecumque deferret in Italiam, vt Honorius III. eas deuotè colere, & venerari iuberet: refert Spondanus *dicto anno* 1229. *num.* 12.

9. n *Concilij generalis.*] Relati *in cap. ita quorundam, de Iudæis*, quo prohibitum eſt deferre Saracenis, & Eccleſiæ hoſtibus ferrum, & alias merces. Vnde cùm tunc Alexandrini Eccleſiæ Catholicæ hoſtes exiſterent, non poterant Græci prohibitas merces ad eos deferre.

o *Canonica.*] *Suprà relata.*

10. p *Ciuilia.*] Vt de non dimittendis vxoribus propriâ auctoritate, de quibus ſtatim: de non deferendis mercibus prohibitis ad hoſtes, *l.* 2. *C. quæ res exportari, l. mercatores, C. de commerciis, l. cotem, ff. de publicanis*; de quibus agam *in d. cap. ita quorundam.*

11. q *Ad componendum.*] Ex his verbis deducunt Anania, Butrius, Panormitanus, & alij *in præſenti*, iudicem poſſe partes cogere ad componendum; quod quando verum ſit, dixi *in cap. cùm inter* 16. *de election.* quàm verò extra rem, legenti facilè noſtram integram conſtabit; in ea enim non agitur de aliqua cauſa ciuili inter partes agitata, ſed de exceſſibus à Græcis perpetratis puniendis, & emendandis; in quorum correctione monet Honorius III. Legatum ſuum, vt partes ſuas interponat ad componendum, aliquid ſeueritati detrahendo, & multitudini parcendo.

12. r *Statu Imperij.*] Erat enim ſtatus Imperij Orientalis adhuc debilis; nam cùm occupata eſſet Conſtantinopolis anno 1244. continuis bellis Græci Orientem vexauerunt, vſquedum anno 1259. Michaël Palæologus Conſtantinopolim occupauit, vt refert Beſoldus *dicto anno* 1259. quare temporibus noſtri Honorij adhuc debilis ſtatus Imperij erat.

13. ſ *Excedentium multitudine.*] Ob multitudinem peccantium aliquid detrahendum eſſe à iuris ſeueritate, docent ſimiliter textus *in cap. vbi conſtituitur,* 50. *diſtinct. cap. ordinationes*, cum pluribus ſequentibus, 23. *q.* 4. *cap. comeſſationes*, *diſt.* 44. plura Tiraquellus *de pœnis temper. cauſ.* 47. Iulius Clarus *in praxi crimin. q.* 6. Villalobos *in paradox. cap.* 11. P. Gregor. *lib.* 5. *partit. tit.* 4. *cap.* 3. Acuña *in cap. diſciplina*, 45. *diſtinct.* doctiſſimus Solorzan. *emblem.* 75. *num.* 13. Facit Seneca *lib.* 2. *de ira, cap.* 10. *In ſingulos ſeueritas Imperatoris diſtringitur; at neceſſaria venia eſt, vbi totus deſeruit exercitus: nam licèt non tollat culpam, neque iram ſapientis turba peccantium, intelligit tamen quàm iniquum ſit, & periculoſum iraſci publico vitio.* Quod Scipionem Africanum in magna ſeditione obſeruaſſe refert Plutarchus *in eo*, aſſerens, ita pœnam ad paucos, exemplum ad multos peruenire. Nec contrarium, imò ex multitudine peccantium pœnam exacerbari, probatur *ex l. aut facta* 16. §. *fin. ff. de pœnis*, vbi ait Claudius: *Nonnunquam euenit, vt aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimirum multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit.* Ex quibus probari videtur, ob multitudinem peccantium iuris ſeueritati non eſſe indulgendum. Quia pro huius textus ſolutione diſcrimen conſtituendum eſt inter eum caſum, in quo omnes peccantes puniendi ſunt, & populi timetur commotio; & inter eum, in quo vnus puniendus eſt, vt multitudo peccantium cohibeatur. Primo caſu dicendum eſt, laxandam eſſe pœnam, & mitigandam; ſecundo verò exacerbandam, vt ſic multitudo

peccantium terreatur. Ita distinguunt, & hoc secundo casu accipiunt textum *in d. §. fin.* Canisius *in præsenti*, Villalobos *d. cap.* 11.

14. t *Et infideles.*] Non tamen æquali modo; apud fideles enim contrahitur matrimonium ratum, perfectum, eleuatum ad esse sacramenti; apud infideles verò datur matrimonium in puris terminis contractus, vt prouenit à iure naturali, vel gentium: cùm enim per ianuam sacramentorum, videlicet Baptismi, non sint intra Ecclesiam, tantùm contrahunt matrimonum, vt est contractus; & hac distinctione accipiendi sunt textus *in cap. gaudemus, de diuortiis, cap. de infidelibus* 14. *de consanguinit. & affinit. cap. veniens* 3. *de Presbytero non baptizato*; & plura Sanctorum PP. Conciliorumque decreta à Gratiano compilata *in* 28. *q.* 1. 2. *&* 3. Docent Sotus *in* 4. *dist.* 39. *q. vnica, art.* 1. Couarr. *in* 4. 2. *p. cap.* 6. §. 10. *ex num.* 2. Matienzo *in tit.* 1. *glos.* 1. *rubrica, num.* 78. *lib.* 5. *recop.* Cenedo *collect.* 70. Balboa *in d. cap. gaudemus, num.* 42. *&* 43. Basilius Legionensis *lib.* 1. *de matrim. cap.* 9. D. D. Iosephus de Retes *lib.* 8. *opusc. cap.* 19.

u *Seueritate canonica.*] Quæ non permitteret vxorem propriam dimittere, aliâ superinductâ.

15. x *Æquitate seruatâ.*] Vbi enim ius apertum est, & verborum legis, vel sententiæ nulla pugna est, etiamsi quod statutum est, perdurum sit, obseruandum est, & tantùm Princeps potest æquitatem interpretari, *l. prospexit, ff. qui, & à quibus, l.* 1. *C. de legibus.* Mirum exemplum refert Tacitus *lib.* 4. *annal.* vbi Cassius summum ius Senatui suasit, rationem reddens his verbis: *Habet aliquid ex iniquo omne malum exemplum, quod vtilitate publica contra singulos rependitur.* Quod si aliud verba legis significent, aliud ex mente, & sententia eius deducatur, tunc iudex neglecto summo iure æquitatem seruare debet, *l. placuit* 8. *C. de iudiciis, l. quod si* 4. §. 1. *ff. de eo, quod certo loco, & in l. penult. ff. ad exhibendum, l. cui pacto* 5. *ff. de seruis exportandis, l. cùm de ætate* 13. *ff. de probation. l. bona* 31. *ff. depositi, l. credendum*, §. *sin autem, ff. qui petant tutores, l. scire* 13. §. *aliud* 2. & §. *si enim, ff. de excusat. tutor. l. si ita* 13. *ff. de liberis, & posthum. l. posthumus* 12. *l. filio* 17. *ff. de iniusto rupto, l. Pannonius* 85. *ff. de adquir. hæredit. l. si tibi* 25. *ff. de donation.* Cùm enim innumera sint negotia, nec omnia quotidie emergentia legibus comprehendi possint, *l. neque* 10. *l. non possunt* 12. *ff. de legib.* tunc iudex supplere debet partem æquitatis, vbi legislator defecit; & præ oculis æquitatem habere, *l.* 1. *ff. de iure codicill. l.* 1. §. 1. *ff. de effractor.* plura de æquitate debitis in casibus obseruanda, & de æquitate iudicum cerebrina adducunt Mendoza *lib.* 1. *de pactis, cap.* 3. Quintanadueñas *de iurisdict. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. Morla *in empor. tit. de legibus, q.* 11. *num.* 5. Suarez *de legibus lib.* 6. *cap.* 7. 8. *&* 9. Faber *in Iurisprudent. tit. de iustit. princ.* 2. *illat.* 1. 2. *&* 4. innumeri congesti à Vela *tom.* 2. *dissertat.* 35. *num.* 22. Marianus *in tract. de æquitate*, Arellanus *lib.* 1. *antinom.* 11. Vvesembach. *disp.* 2. *de æquitat.* P. Franciscus Valens *in concordia iuris, tit.* 2. *sect.* 4. *pag.* 49. Cuiacius *in l. placuit, C. de iudiciis*, Mancinus *de triplici iuris collatione, cap.* 29. Bocerus *tom.* 1. *class.* 1. *disput.* 4. Nathen. *in iustitia vulnerata, pag.* 227. Solorzanus *emblem.* 63.

16. y *Causas loca, & tempora.*] Sicut enim ex illis atrox fit iniuria, & ad eius grauitatem attenduntur, §. *atrox, Inst. de iniuriis*: ita & ad pœnas leniendas considerari debent.

COMMENTARIVM.

17. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX hac Honorij decisione, textûs verbis aptior, rubricæque magis consona assertio ita deduci valet: *Super causa matrimoniali transactio non admittitur.* Probat eam textus *in cap. causa* 11. *de integr. restit.* Illustrant Couarr. Thomas Sanchez, & Gutierrez laudati à Barbosa *in præsenti*, quibus addendi sunt Alciatus *in l. vlt. Cod. hoc tit. in fine*, Canisius *in hoc textu*, Arnoldus Vinius *de transaction. cap.* 4 *num.* 12. Cironius *ad nostrum tit.* Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 17. *numer.* 18. Bernard. Greueus *ad prax.* Carrer. *lib.* 2. *concluf.* 94. Franciscus Molinus *de ritu nupt. lib.* 2. *diff.* 9. Valeron. *de transf. tit.* 3. *q.* 2. *num.* 58.

18. IMPVGNATVR PRÆDICTA ASSERTIO.

Sed pro dubitandi ratione ita aduersus hanc conclusionem insurgi potest. Si transactio, aut compositio super matrimonio non admitteretur, non posset dari conuentio vt matrimonium contrahatur, vel dissoluatur: sed potest pactum iniri super matrimonio contrahendo, vel distrahendo: igitur & transactio super eo admitti valet. Probatur minor; nam nihil in matrimonio vsitatius legimus, quàm pacta tempore ipsius contractus inita: vnde sponsæ ipsæ pactæ dicuntur, *l.* 2. *C. de sponsal. l.* 5. *& vlt. ff. eod. tit. l. si cùm ante, C. de donation. inter.* Vnde Sabinea pacta dicebatur à Liuio *lib.* 1. Symmachus *lib.* 9. *epist.* 40. ibi: *Nolo existimes culpabiliter ad me delatum, quod pactas S. filiæ tuæ nuptias suspendas.* Arnobius *lib.* 4. *contra Gentes*, ibi: *Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Iuuenal. *satyra* 6.

Si tibi legitimis pactam, iuratamque tabellis
Non es amaturus.

Notant Franciscus Hothomanus *de ritu nuptiar.* Anton. Hothoman. *eod. tract. cap.* 1. Brisson. etiam *in simili tract. cap.* 1. & nos *in cap.* 2. *de sponsalibus*; quæ pacta ius nostrum canonicum expressè admisit, & permisit *in cap.* 1. *cap. super eo, de condition. appositis*, Basilius *lib.* 3. *de matrim. cap.* 17. igitur super matrimonio compositio, pactum, seu transactio admitti valet. Secunda pars minoris propositionis etiam probatur; nam semel ritè celebrato matrimonio, si coniuges vellent ab eo recedere propriâ conuentione, matrimonium dissoluitur, *l. si constante, C. de repudiis, l.* 2. *C. de inutil. stipul.* apud Romanos enim libera erant matrimonia, tam in contractu, quàm in distractu; tamdiuque durabant, quamdiu in voluntate coniuges perseuerabant, vt probat post alios D. Iosephus de Retes *lib.* 6. *opuscul. cap.* 10. *num.* 1. Iure etiam Pontificio, si coniuges ritè contracto matrimonio in facie Ecclesiæ ante eius consummationem pactum fecerint inter se, vt vnus ingrediatur religionem, & alter aliud matrimonium contrahat, dissoluitur matrimonium quoad vinculum, *cap. desponsatam* 27. *q.* 2. Gregor. I. *lib.* 6. *epist.* 20. Alexander III. *in appendice Concil. Lateran. p.* 5. *cap.* 4. *&* 8. *& p.* 50. *cap.* 30. Extrauagans *Antiquæ, de voto.* Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. docent Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 7. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 18. Basilius *eod. tract. lib.* 9. *cap.* 5. igitur tam super contractu matrimonij, quàm eius distractu compositio, seu transactio admittitur.

19. MATRI-

Adhuc tamen defensanda est suprà deducta assertio, videlicet nullam compositionem, seu transactio

MONIVM EST INDISSOLVBILE.

tranſactionem admitti eo caſu, quo coniuges per eam intendunt diſcedere à matrimonio, vt Græci faciebant in huius textus ſpecie. Cuius concluſionis ratio petenda eſt ab indiuiduitate, & indiſſolubilitate matrimonij, quam à iure diuino, & natura ipſius contractus prouenire notum eſt. Iure diuino matrimonium indiſſolubile eſſe, conſtat *ex cap.* 19. *D. Matthæi*, in illis verbis: *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet.* Quod diuinum præceptum ita acceperunt D. Paulus *lib.* 1. *ad Corinth. cap.* 7. ibi: *His, qui matrimonio coniuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere.* Et ad Romanos *cap.* 7. *Mulier viuente viro alligata eſt legi.* D. Auguſtinus *in cap. ſi enim* 28. *q.* 1. Innocentius III. *in cap. gaudemus* 8. *de diuort.* PP. Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *de reformat. in princip.* Ex natura ipſius contractus etiam prouenire conſtat; nam cùm ſit contractus, per quem contrahentes ſtatum ſortiuntur, & de ratione ſtatus ſit, vt perpetuitatem contineat, iuxta D. Thomam 2. 2. *q.* 186. *artic.* 4. ideo contractus matrimonij ex ſua natura petit indiſſolubilitatem. Accedit ratio finalis matrimonij, videlicet bonum prolis; repugnat enim huic fini ſolubilitas matrimonij: ſiquidem coniuges curantes de diuortio, parum proli proficerent, vt poſt Sotum ratiocinatur D. Ioſephus de Retes *lib.* 8. *opuſc. p.* 333. non autem matrimonium eſt indiſſolubile à iure naturali: nam legimus apud plures nationes repudium permiſſum fuiſſe, *l.* 1. *&* 2. *ff. de diuort. l. quidquid, ff. de donation. inter*, Plutarch. *in problem. cap.* 13. plura Scipio Gentilis *de donat. inter lib.* 3. *cap.* 17. apud Athenienſes, vt refert Alexander ab Alex. *lib.* 4. *dier. cap.* 8. apud Cretenſes referente Ariſtotele *lib.* 2. *politicæ*, *cap.* 8. & apud alias nationes: de quorum diuortiis agemus *in cap.* 1. *de diuortiis.*

20. ADDVCITVR RATIO DECIDENDI.

Cùm ergo hæc indiſſolubilitas matrimonij ex iure diuino, & natura ipſius contractus proueniens detur in matrimonio legitimè celebrato, rectè in præſenti decidit Honorius III. vt ſi Græci neglectâ ſeueritate eccleſiaſticæ diſciplinæ proprias vxores dimiſiſſent, & alia delicta perpetrauerint, quamuis in iudicandis aliis delictis poſſit iudex ſeueritati canonicæ detrahere, & partes ad componendum cogere, in hac tamen diſſolutionis matrimonij parte nihil detrahendum eſſe à ſeueritate canonica, ſed omnino eos compellendos cum ſuis vxoribus cohabitare; nec tunc compoſitionem, ſeu tranſactionem admitti, ne à voluntate tranſigentium matrimonij vinculum pendeat. Accedit & alia ratio; nam cauſa matrimonialis per ſuos legitimos iudices debet terminari, *cap. accedentibus, de exceſſib. Prælator.* vnde non poſſunt partes compromittere in arbitros ſuper cauſa matrimoniali, *cap. cauſa, de in integr. reſtit. l.* 24. *tit.* 4. *part.* 3. igitur minùs valebunt compoſitionem, ſeu tranſactionem ſuper matrimonio inire, ne in voluntate coniugum ſit matrimonia ritè contracta diſſoluere. Facit etiam, nam ſi tranſactionem ſuper adulterio nec ipſi Imperatores admiſerunt, qui eam ſuper aliis delictis non vetarunt, *l. tranſigere, C. de tranſact.* ne adulteria facilè perpetrarentur; quantò magis ne matrimonia contracta diſſoluantur, tranſactio, aut compoſitio admitti non debet.

21. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obſtat difficultas ſuprà adducta; licèt enim tranſactio, ſeu compoſitio ſuper matrimonio non detur, vt diſſoluatur; poteſt tamen admitti vt contrahatur, vel iam contractum conſeruetur, cùm illis caſibus deficiat ratio ſuprà allata: quare tam ſuper dote, quàm aliis acceſſionibus matrimonij conuentiones, & pacta admittuntur; quia hæc non repugnant naturæ, ſeu fini matrimonij. Nec alia pars difficultatis, vbi dicebamus etiam poſt contractum legitimè matrimonium ex mutua conuentione diſſolui poſſe, aduerſatur; nam id procedit attento iure ciuili Romanorum, & aliarum gentium, apud quas repudium permiſſum erat, vt ſuprà dixi: iure autem noſtro canonico hoc non procedit, niſi in caſu ſuprà expenſo, *ex d. cap.* 8. *cap. ſponſam, d. extrauagante Antiquæ*; nam cùm matrimonio rato, non conſummato, coniuges inter ſe conueniunt, vt vnus profiteatur religionem, alter aliud contrahat connubium, tunc matrimonium diſſoluitur, non tam ex coniugum conuentione, quàm ex iuris diuini priuilegio, & diſpoſitione; fauore enim religionis introductum eſt, vt matrimonium adhuc ratum poſſit diſſolui per ingreſſum religionis, vt latè probat Baſilius Legionenſis *d. lib.* 9. *de matrim. cap.* 5.

22. EXPONITVR CAP. 2. DE CLANDEST. DESPONS.

Adhuc ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in cap.* 2. *de clandeſt. deſponſation.* vbi proponitur, quod ſi aliquis matrimonium contraxerit, ita quod probari non poſſet, non ſunt compellendi aliquatenus in eo perſiſtere: ſed ſi ipſi ex mutua voluntate voluerint manifeſtare, & in matrimonio perſiſtere, tale matrimonium ab Eccleſia recipiendum, & comprobandum eſt. Ex quo textu ita inſurgo: En textum vbi ex compoſitione, & mutua voluntate coniugum matrimonium ſubſiſtit: igitur quia ſuper matrimonio tranſactio, ſeu compoſitio ſuſtinetur. Pro huius textus ſolutione dicendum eſt, quod licèt tranſactio ſuper matrimonio, vt illud diſſoluatur, à iure improbetur, ex ſuprà traditis, & vt matrimonium, quod ob impedimentum iuris nullum eſt, ſuſtineatur; tamen vt conſeruetur, quod abſque vllo impedimento contractum fuit, admittitur conſeruandi matrimonij gratiâ. Vnde cùm in eo textu noua compoſitio, ſeu coniugum voluntas tenderet ad conſeruationem matrimonij, ideo ſuſtinetur, & matrimonium defenditur ab Eccleſia, tanquam per illam voluntatem redintegratum; præcipuè cùm nullum impedimentum adeſſet, nec præiudicium alij matrimonio fieret; tunc enim confeſſioni coniugum non ſtaretur, vt docent Couarru. *de ſponſal.* 1. *p. cap.* 5. *numer.* 4. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partition. tit.* 12. *cap.* 7.

TITVLVS XXXVII.

De poſtulando.

CAPVT I.

Ex Concilio [a] Lateranenſi.

CLERICI in [b] Subdiaconatus, & ſupra, & in [c] minoribus quoque ordinibus, ſi [d] ſtipendiis eccleſiaſticis ſuſtentantur, coram iudice ſæculari aduocati in negotiis fieri non præſumant, niſi propriam, vel Eccleſiæ ſuæ cauſam fuerint proſequuti, aut pro miſerabilibus fortè perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt: ſed [e] nec procurationes villarum ad iuriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus Principibus, vel ſæcularibus viris, vt Iuſtitiarij eorum fiant, clericorum quiſquam aſſumere præſumat. Si quis aduerſus hoc venire tentauerit, quoniam contra doctrinam Apoſtoli eſt dicentis: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, & ſæculariter agit: ab eccleſiaſtico fit miniſtero alienus pro eo, quod officio clericali neglecto fluctibus ſæculi placeat ſe immergi. Diſtrictiùs autem decreuimus puniendum, ſi religioſorum quiſquam aliquid prædictorum audeat attentare.

NOTÆ.

1. [a] *Lateran.*] Generali videlicet celebrato ſub Alexandro III. anno 1179. de quo *in cap. quia 5. de elect.* aliqua adduxi: inter alia ipſius Concilij decreta reperitur præſens textus *p. 1. cap. 12.* non autem vt iacet in hac ſexta collectione; deeſt enim alia pars ipſius capitis 12. quæ prohibitionis ampliationem, & tranſgredientium pœnas complectitur: ea autem refertur à Raymundo *in cap. ſed ne 4. nec clerici vel monachi:* quæ ſi annectatur præſenti textui, vt facimus, integer redditur Concilij canon.

b *In Subdiaconatu.*] Qui gradus ſacer erat à temporibus Vrbani II. & noſtri Alexandri, vt probaui *in cap. à multis, de ætate, & qualit.*

c *Minoribus.*] Lectoris videlicet, Acolyti, Exorciſtæ, & Oſtiarij.

d *Stipendiis.*] Ideſt redditibus Eccleſiæ, ſeu beneficij, vt *in cap. clericos autem, 1. p. q. 2.*

e *Sed nec.*] verba, quæ ſequuntur extant *in cap. ſed nec 4. nec clerici, vel monachi.*

CAPVT II.

Innocentius III. [a] *Compoſtell. Archiepiſc.*

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod quidam canonici [b] regulares, vt ſe fortè in iure peritos valeant demonſtrare, ac extra clauſtrum materiam habeant euagandi, non ſolùm in eccleſiaſticis, verùm etiam in forenſibus cauſis præſumunt aduocati officium exercere; cúmque obiiciatur eiſdem, quod iuxta canonicas ſanctiones non debent eſſe forenſis, vel eccleſiaſtici negotij ſuſceptores, vel executores etiam, niſi fortè id monaſterij expoſcat vtilitas, Abbate nihilominus imperante, ipſi proponunt ad inſolentiam excuſandam, quod [c] capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de monachis, non de canonicis regularibus loquitur manifeſtè. Vnde nos conſulere voluiſti, vtrum tales ſint ad patrocinium admittendi. Ad quod diſc. t. t. reſpondemus, quod idem iudicium de canonicis regularibus, quod de monachis, quantùm ad [d] ſupradicta, credimus obſeruandum, licèt de monachis in canone ſpecialiter ſit expreſſum.

NOTÆ.

1. [a] *Compoſtell.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. ne clerici, vel mon. cap. 3.* Eccleſiam Compoſtellanam primò in honorem adinuenti corporis D. Iacobi Hiſpaniarum patroni, aſſenſu R. P. glorioſus Caſtellæ Rex Alfonſus erexit, Irienſemque Epiſcopalem Cathedram in eam tranſtulit: poſteà Calixti II. temporibus à Bracharenſis Archiepiſcopi iuriſdictione exempta,

pta , Emeritensis Archiepiscopalis Sedis iuribus condecorata fuit , vt constat ex veteri historia Hispana , quæ reperitur *tom. 1. Hispan. Illustratæ, pag. 13.* & referunt Mariana *lib. 10. historiæ Hisp. cap. 12.* Cironius *in notis ad cap. 13. de vita & honest. cleric. in 5. compil.* vnde audiendus non est Theodorus Castaldus *lib. 2. var. lucub. cap. 9.* existimans Innocentij III. temporibus Compostellanam Ecclesiam non fuisse Archiepiscopali Sede decoratam ; contrarium enim euincitur ex proximè traditis , & *ex cap. ex parte , de censibus , cap. & si necesse 5. de donat. inter , cap. ex tuarum , de auctorit. & vsu pall.* vbi alia de hac Ecclesia notaui. In præsenti rescribit Innocentius D. Petro Suarez , qui priùs fuerat Episcopus Salmantinus, de quo *in d. cap. ex tuarum.*

2. b *Canonici Regulares.*] Quorum in diœcesi Compostellana aliquæ sunt Ecclesiæ , vt Ecclesia S. Ioannis de Cabero , Prioratus Sarensis , Ecclesia regularis de Iuncaria , de quibus agit Pennotus *lib. 2. histor. Canonic. regul. cap. 31. num. 3.* imò & ipsa Compostellana canonicorum regularium normam , & vitam seruauit vsque ad tempora Innocentij IV. si fides adhibenda est Ioanni de Nigrabale , relato à Pennoto *vbi suprà.*

c *Capitulum illud.*] Concilij Tarraconensis, relatum à Gratiano *in cap. monachi 35. 16. q. 1.*

3. d *Supradicta.*] Licèt enim latâ quadam significatione , & acceptione monachorum veniant, & comprehendantur canonici regulares , *cap. præsens 20. q. 3. cap. post translationem , de renunciatione* ; & ita accipiantur tam à veteribus , quàm recentioribus Ecclesiæ Patribus , vt D. Augustino *lib. 3. contra epistolas Petiliani , cap. 40.* Beda *in historia Angliæ , lib. 4. cap. 4.* & aliis congestis à Bellarmino *tom. 1. controuers. lib. 2. de monachis, cap. 5.* Pennoto *tom. 1. histor. canonic. regul. lib. 1. cap. 39. num. 4.* tamen strictâ acceptione monachorum canonici regulares non comprehenduntur , vt quando peculiaria cuiusque Ordinis officia , vel instituta considerantur , *cap. monachus , cap. legi, cap. alia 16. q. 1.* vnde licèt prædicatio verbi Dei, & collatio Sacramentorum monachis prohibeantur , *cap. placuit , cap. peruenit , cap. interdicimus, cap. iuxta 16. q. 1.* ea canonicis regularibus non prohibentur ; imò permittuntur , *cap. quod Dei timorem , de statu monachorum* ; & generaliter dum constitutio canonica continet dispositionem pœnalem , vt *in Clement. ne in agro , §. quia verò , de statu monach.* & in omnibus rebus odiosis non comprehendi sub appellatione monachorum canonicos regulares , docent Panormit. *in d. cap. quod Dei timorem* , Pennotus *dict. lib. 2. histor. canonic. regul. cap. 1.* vnde necessaria fuit in præsenti casu ampliatio , seu declaratio Innocentij III. vt sub prohibitione Concilij Tarraconensis , de quo *in dict. cap. 9.* comprehenderentur canonici regulares.

CAPVT III.

Gregorius IX.

CVm sacerdotis sit b officium nulli nocere , omnibus autem velle prodesse : non nisi pro seipso , vel Ecclesia sua , vel (si necessitas immineat) pro personis coniunctis , aut miserabilibus sibi licitum est postulare. *Et infrà :* Clericus autem , qui contra Ecclesiam , à qua beneficium obtinet, pro extraneis aduocatus , vel procurator esse præsumit , tanquam ingratus potest (maximè si clericus sit eiusdem Ecclesiæ) beneficio huiusmodi spoliari.

NOTÆ.

1. a *Gregorius.*] Ad huius textus inscriptionem videnda sunt quæ adduxi *in cap. vlt. de consuetudin.*

b *Sit officium.*] Vt ait D. Ambrosius *in cap. denique , 14. q. 5.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR. EX his decisionibus sequens deducitur assertio : *Clerici , siue in sacris , siue in minoribus ordinibus constituti , etiam canonici regulares , postulare nequeunt , nisi certis in casibus : & qui contra propriam Ecclesiam pro alio postulauerit , priuatur beneficio , quod in ea obtinet.* Probant textus *in cap. Episcopus 3. cap. perlatum 4. 88. dist. cap. finali 5. q. 3. cap. te quidem 29. 11. q. 1. cap. denique 14. q. 5. cap. placuit 8. cap. de præsentium 20. cap. monachi 35. 16. q. 1. cap. 1. ne clerici vel monachi.* Concilium Moguntinum sub Carolo *can. 22.* Chalcedon. *can. 3. & 7.* Emeritense *can. 11. cap. 1. de vita & honest. cleric. in 5. collect.* Innocentius I. *epist. 4. cap. 3. & epist. 34. cap. 2. & 4.* Vvillelmus Parisiensis Episcopus *in suis constit.* quæ extant *tomo 26. Concilior. can. 1.* ibi : *Prohibetur sacerdotibus , ne officium aduocationis exercere præsumant , nisi fortè in causa Ecclesiæ suæ , vel pro miserabilibus personis, pupillis , & viduis , parochianis suis , quibus honestè deesse non possunt ; & hoc absque pretij receptione extra expensas moderatas.* Et *l. consulta 23. C. de testam. nouel. 6. Iustin. cap. 2. & 3. nouel. 86. Leonis.* Consonant de iure nostro Regio lex 2. 3. & 4. *tit. 6. partit. 1.* lex 15. *tit. 16. lib. 2. nouæ recopil.* lex 1. *tit. 3. lib. 1. recopil.* Illustrant vltra laudatos à Barbosa in præsenti , & *lib. 1. iuris eccles. cap. 40. num. 84.* Anton. August. *lib. 4. tit. 73. & lib. 8. tit. 39.* P. Gregorius *lib. 3. partit. tit. 18. cap. 15. & lib. 6. syntagm. cap. 6.* Iacobus Omphalius *de vsurpat. legum lib. 4. cap. 6.* Caccialupus *de officio aduocati q. 1. & 3.* Polletus *lib. 2. histor. fori Romani , cap. 6.* Martha *de iurisdiction. 4. p. centur. 2. cap. 115.* Cironius *in præsenti tit. & in d. cap. 1. de vita & honest. in 5. collect.* Espenceus *lib. 2. digression. cap. 9.* Quintanadueñas *lib. 1. ecclesiasticon , cap. 6. n. 15.* Gratianus *discept. cap. 57. num. 22.* Boëtius Epon. *in cap. 1. ne clerici* , Busæus *de statib. homin. verbo Aduocati* , Fragoso *p. 1. de regim. lib. 5. disp. 13.* Portoles *in Molinum* , §. *Aduocatus* , Borellus *in summ. tit. 7. de cleric. num. 86.* Osuald. *lib. 18.*

comment. Donell. cap. 3. *duplici litt. M.* Ioannes Nicolaus *de beneficiis cap.* 3. Thomas Sanchez *lib.* 6. *summæ, cap.* 13. plures ex practicis, quos laudant Velasco *de priuil. pauper. tom.* 1. *q.* 9. Vela 2. *tom. dissert.* 43. *num.* 29. ex Moralistis congesti à Thoma Sanchez *lib.* 6. *summæ, cap.* 13. Garcia *in summa, tract.* 1. *difficult.* 2. *dub.* 6. Balsamon *in nomocan. Photij, tit.* 8. & *in scholiis ad can.* 16. *Synodi Carthag.* atque *lib.* 2. *iuris Orientalis, duobus titulis.* Michaël Rousselius *lib.* 4. *hist. Pontif. iurisd. cap.* 5. Garaña *in cap.* 1. *ne clerici vel monachi.* Xamar *p.* 2. *de offic. iud. q.* 3.

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Hæc tamen assertio ita illustrata difficilis valde redditur sequentibus iuris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam aduocatorum officium, & munus honestum, ac nobilissimum est, *l. nemo, C. de dignit. lib.* 12. Vnde aduocati dicuntur clarissima eloquentiæ lumina, *l. restituendi, C. de aduocatis diuers. iud. cap. quia Episcopus* 5. *quæst.* 3. quare apud Romanos maximè honoratos, & nobiles causas peroraſſe testantur Valens & Valentin. *in l. quisquis* 6. *C. de postuland.* quod de Iulio Cæsare refert Suetonius *in eius vita, cap.* 71. de Crasso, Scipione, Lælio, & aliis idem refert Cicero *lib.* 1. *de Orat.* de aliis nobilissimis vitis Plinius *lib.* 2. *cap.* 4. quantaque sit aduocatorum vtilitas, imò & necessitas, docent Constantinus *in l.* 4. *C. de aduoc. diuers. iudic.* vbi vocat laudabile, vitæque hominum necessarium aduocationis officium. Plura aduocatorum præconia prosequuntur Garcia *de nobilit. glossa* 35. *num.* 41. Guazinus *in defens. reorum, in præfat. num.* 2. Moreno de Bargas *de nobilit. discurs.* 3. Parexa *de instrument. edit. tomo* 2. *tit.* 10. *resol.* 2. *num.* 58. Amaya *in l. vnica, C. de infamibus, lib.* 10. *num.* 87. Salcedo *in l.* 34. *tit.* 16. *lib.* 2. *recopil. fol.* 99. Beyerlinch *in theatr. vitæ humanæ, verbo Aduocatus.* P. Gregorius *lib.* 49. *syntagm. cap.* 6. *num.* 46. Gaillus *lib.* 1. *obseru. cap.* 43. *num.* 4. D.D. Alphonsus de Olea *de cession. iur. tit.* 5. *q.* 11. *in princ.* igitur ab hoc aduocationis præclaro munere sacerdotes, & monachi arceri non debent. Fulcitur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam si vera esset ratio à Gregorio IX. *in cap. fin. hoc tit.* adducta, videlicet sacerdotum officium esse omnibus prodesse, illis interdici non debebat causas etiam eorum iudice sæculari defendere, cùm per similè patrocinium oppressis subueniatur, *l. nec quidquam* 9. §. *aduocatus, ff. de officio Proconf. l.* 1. §. *ait Prætor, ff. de postul. l. magis* 5. §. 11. *ff. de rebus eorum*; & non minùs humano generi consulitur per hoc patrocinium, quàm cùm patria, parentesque armis defenduntur, vt aiunt Leo & Anthemius *in l. aduocati* 14. *C. de aduoc. diuers. iud.* ibi: *Aduocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus, in rebus sæpe publicis, ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quam si præliis, ac vulneribus patriam, parentesque saluarent: neque enim solos nostro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thorace nituntur, sed etiam aduocatos; militant namque patroni causarum, qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* Vbi pro *facta causarum*, aliqui legunt *fata*, iuxta illud Latini Pacati: *Nolo miserorum, vel factum onerare, vel fatum.* Et Imperatores *in l.* 3. *C. de legibus*, dicunt *causarum fata componere*: & *in l.* 41. *Cod. Theodos. de appellat.* legitur *disceptationis fata.* Vtramque Lectionem probat Cuiacius *lib.* 15. *obseru. cap.* 9. pulchrè aduocationis officium describit Cassiodorus *lib.* 1. *var. cap.* 12. his verbis: *Quid enim aduocationis officio ornatius, quod peregrinum negotium ad suas molestias trahit, vt laboribus subueniat alienis.* Illustrant Gutherus *de officiis domus Augustæ lib.* 3. *cap.* 2. D. Mathias Guerra *in d. l. aduocati* 14. *num.* 9. Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 6. *cap.* 3. *art.* 9. *num.* 11. igitur si aduocatorum officium, & pietate plenum est, & reipublicæ vtile, immo magnoperè necessarium, clericis, & monachis prohiberi non debet. Secundò augetur hæc dubitandi ratio exemplo Christi Domini nostri, cuius quælibet actio debet esse vitæ nostræ instructio. *Clement.* 1. *de magistris.* Certum autem est, Christum Dominum aduocati officium in terris exercuisse, præcipuè dum Mariam Magdalenam contra Pharisæum defensauit, apud Lucam *cap.* 7. & dum mulierem adulterij criminis accusatam suo patrocinio liberauit, apud Ioannem *cap.* 6. imò aduocationis officium proprium esse Domini nostri, tradit D. Ioannes *cap.* 2. *epist.* 1. igitur clerici, & monachi non debent, prohiberi hoc pietatis officium exercere. Secundò aduersus eam partem, in qua asserimus, canonicum, seu beneficiarium non posse Ecclesiam, vbi stipendia meretur, postulare, facit textus *in l. pen. ff. de postul.* vbi docetur, Decuriones, qui honores, stipendiaque propriæ ciuitatis merentur, posse contra ipsam postulare: igitur similiter Canonici possunt impunè aduersus propriam Ecclesiam postulare.

4. POSTVLARE QVID.

Sed adhuc supradictam assertionem iuri, & rationi consonam esse defendendum est, pro cuius expositione aliqua prælibanda sunt; & primò prænotandum est, postulare in genere idem esse, quod poscere, seu petere. Marcellus *de varia sermonum significatione cap.* 4. inde postulationes fieri dicuntur Deo & hominibus, ideſt petitiones, seu supplicationes. De postulationibus à Diis faciendis agunt Cælius Rhodiginus *lib.* 10. *lection. cap.* 10. Turnebus *lib.* 2. *aduersar. cap.* 10. Festus Pompeius *verb. Postulari fulgura.* Strictè tamen, & specialiter postulare est, apud alium de aliquo conqueri, quocumque modo id fiat. In qua acceptione Vlpian. *in l.* 1. §. *postulare, ff. de postulando*, inquit: *Postulare est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictione præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.* Quæ postulationis definitio refertur *in cap. infames* 3. *q.* 7. postulare tandem idem est, ac desiderare, *l. nonnunquam* 32. *ff. de adoption.* Hinc postulationes appellantur desideria, *l. nec quidquam* 9. §. *obseruare, ff. de officio Proconsul.* Debet autem postulatio fieri apud Magistratum, ideſt apud iudicem pro tribunali sedentem, quo modo Vlpianus ipse prædictam postulationis definitionem exposuit *in l.* 4. §. *hoc autem* 8. *ff. de damno infecto*: docent Cuiacius, Pacius, & Vvesembechius *ad tit. ff. de postul.* Vulteius *lib.* 2. *de iudiciis, cap.* 3. Mancius *de aduocat. tit.* 1. Donel. *vbi suprà.*

5. DE ADVOCATIS.

Qui apud iudicem pro tribunali sedentem, pro amicis, extraneisve personis postulant, aut procuratores sunt, aut aduocati, inter quos varias assignant differentias Donel. *lib.* 18. *comm. cap.* 3. vbi Osuald. *littera O*, Cardoso *in praxi, verb. Procurator, num.* 46. Mancius *d. tit.* 2. *de aduocat.* De procuratoribus sequenti titulo agetur, & de eorum officio ecclesiasticis personis prohibito, extat secunda pars huius capitis primi, & reperitur *in cap. sed neque* 4. *ne clerici, vel monachi.* De aduocatis verò agitur in præsenti, & *in d. tit. ff. de postulando.*

postulando. Circa eos sciendum est, variis nominibus designari. Dicuntur cognitores, oratores, patroni, causidici, togati, & vulgò aduocati, vt probat Gothofredus *in paratitl. ad titulum C. Theodos. de postulando*, Gibalinus *supra*. Cognitores appellantur apud Paulum *lib. 2. sentent. tit. 2. & in l. penult. & vlt. C. Theodos. de cognitor. & procurat. cap. infamis 3. q. 7.* Polletus *lib. 2. histor. fori, cap. 2.* Duaren. *in l. 1. ff. de postul.* Donel. *d. lib. 18. cap. 3.* vbi Osualdus *litt. D.* appellantur oratores, quia causas perorant, *l. si quis 9. in fin. C. de aduocat. diuersorum iudicum*, Polletus *lib. 2. hist. fori, cap. 6.* notat Osuald. *vbi suprà, litt. B.* Patroni dicuntur à patrocinio, quod clientulis præstant, *l. properandum, §. proculdubio, l. rem non nouam, §. 1. C. de iudiciis, l. 1. C. de repudianda bonorum possess. l. 1. l. quidquid 5. l. aduocati 14. C. de aduocat. diuers. iudicum*, Polletus *d. lib. 2. cap. 10.* Causidici etiam dicuntur *in l. quisquis, C. de postul. l. 2. & finali, C. de aduocatis diuers. iud. l. 1. ff. de orig. iuris*; quia causas dicunt, & perorant, *l. nemini, l. petitionem, C. de aduocat. diuers. iud.* ex Quintiliano, Iuuenali, & Martiali probat Donellus *lib. 18. comment. cap. 30.* hinc aduocatio ipsa causidicina dicitur *in l. vlt. C. Theodos. de cohort. princip. cornic. l. 169. C. Theodos. de decur.* apud Ammianum Marcellinum *lib. 30.* vt etiam iuridicinam dixit Tertul. *de pallio:* notauit Iuretus *ad Symmachum lib. 5. epist. 41. & 73. & lib. 9. epist. 29.* Togati dicuntur *in l. ne quis 3. l. quidquid 5. l. cùm aduocati 8. l. si quis de togatis 9. C. de aduocat.* quia togâ amicti in causarum oratione incedebant. Plinius *lib. 1. ep. ad Minut.* ibi: *Officio togæ virilis interfui; ille me in aduocationem, ille me in consilium rogauit.* Polletus *d. lib. 2. cap. 10.* Tandem vulgò aduocati dicuntur *in l. 1. §. aduocati, ff. de variis, & extraordin. cognit. integris titulis, C. de aduocat. cap. 1. & 2. hoc tit.* ex eo, quia in consilium aduocantur, vt Asconius Pedianus Ciceronis interpres notauit ad ipsum *de diuinat.* Exinde illi dicuntur aduocationem suscipere, *l. nec quidquam 9. §. penult. ff. de offic. Procons.* aduocationem præbere *in l. fin. C. de aduocat. diuersor. iudicum.* Plura Gibalinus *tom. 2. de negotiatione, lib. 6. cap. 3. art. 9.*

6. Qvi postvlare possint.

Postulare, & aduocati munus obire possunt (postquam per alios causæ in iudicio tractari valent, *principio Instit. de his, per quos agere possumus,*) omnes, qui nominatim non reperiuntur prohibiti, quia edictum hoc *de postul.* prohibitorium est, sicut edictum de procuratoribus, *l. munus 43. §. 1. ff. de procurat.* Prohibentur autem postulare quidam lege ciuili, quidam constitutione canonica, alij autem sententiâ iudicis. Lege ciuili, & edicto Prætoris (nam postquam edicta Prætorum confirmata sunt, sub lege referuntur) primò prohibentur hæretici, *leg. fin. C. hoc tit. l. 15. C. de Episcop. audient. nouell. 144. cap. 2.* Secundò minores decem & septem annis, *l. 1. §. initium, ff. de postul.* quia adhuc infirmum iudicium in his, qui ad plenam pubertatem nondum peruenerunt, deprehenditur, *l. 2. tit. 3. partit. 6.* Non petiit maiorem ætatem Prætor, quia ea ætate Nerua filius publicè de iure respondisse fertur. Et Plinius *lib. 5. epist. 14.* ait se anno 19. cœpisse in foro dicere: docuerunt Polletus *lib. 2. hist. fori, cap. 7.* Petrus Gregorius *lib. 49. syntag. cap. 6. num. 21.* Donellus *d. lib. 18. cap. 3.* vbi Osuald. *litt. H.* Pancirol. *lib. 1. var. cap. 18.* Narbona *de ætate, anno 17. q. 2.* Tertiò propter sexum postulare prohibentur fœminæ, *l. 1. §. sexum 4. ff. de postul.* nec etiam pro liberis, *l. liberto 31. §. quamquam 6. ff. de negot. gest.* hoc enim officium virile est, & sic fœminis non conuenit, *l. fœminæ, ff. de R. I. l. alienum 18. C. de procurator.* & mulieres à viris defendi æquum est, non econtrà. Donel. *vbi suprà.* Corrasius *lib. 4. miscel. cap. 21.* Ob casum postulare prohibentur cæci, *d. l. 1. §. 4. vers. Casum:* plura Pancirol. *lib. 2. var. cap. 19.* Surdus *d. l. 1. §. 3.* & aliquâ insigni turpitudine deformati, vt muliebria passi, iudicio publico damnati, & qui operas locarunt vt cum bestiis pugnarent, *d. l. 1. §. 2.* & *§. remouent.* Donel. *d. cap. 3.* Amaya *in l. vnic. C. de venat. ferarum:* nisi pro pupillis, aut minoribus, vt eorum tutores, aut curatores postulent; quia tunc officij necessitas eos à pœna excusat, *d. §. remouet, vers. Sed ex æquissimo, l. puto 6. ff. de postulando.* Etiam lege ciuili prohibentur pro aliis postulare, qui iudices, arbitríve in causa sunt, *l. quisquis 6. C. de postuland.* Decuriones contra patriam, *l. pen. §. 1. ff. de postul. l. 2. C. de aduocat. diuers.* Vassallus contra Dominum, *l. 1. §. item*, vbi glossa *verb. Perdit, quæ sunt causæ beneficij amittendi in vsibus feudorum.* Etiam Tabelliones lege Regiâ nostrâ prohibentur postulare, *leg. 30. tit. 16. lib. 2. recopil.* Etiam prohibentur postulare pater, filius, fratérve in ea causa, quæ agitatur coram eo, *l. 7. tit. 25. lib. 4. recopil.* suprà enim relati, nec partibus consentientibus postulare possunt, *l. quos 7. ff. de postulando, l. moris 9. ff. de postulando.* Paul. *lib. 1. sentent. tit. 7. §. 1.* Cùm ergo hæc postulandi prohibitio publicam auctoritatem respiciat, vt sic Magistratuum dignitas conseruetur, *l. 1. §. 1. & 4. ff. hoc tit. de postul.* non potest litigatorum conuentione mutari, *l. ius publicum 38. ff. de pactis.*

7. De clericis et monachis.

Constitutionibus ecclesiasticis postulare prohibentur iudices ordinarij in suis territoriis, *cap. vnic. de offic. aduocator. in 2. collect.* ibi: *Vt in ciuitate vestra diminui possit, & attenuari materia iurgiorum, & iudiciorum integritas reseruetur ad commune commodum ipsius ciuitatis, id duximus statuendum. Sancimus igitur, & præsenti paginâ prohibemus, ne quis vestrûm aduocatus esse præsumat, nisi in propria causa, vel fortasse si alicui Ecclesiæ, vel pro alicuius magnificentiæ debito ad impendendum patrocinium fuerit obligatus.* Secundò monachi, ex decreto Xiphilini, quod extat apud Edmundum Bonfidium *lib. 2. iur. Oriental.* ibi: *Cùm multos ecclesiasticos, & monachos* (inquit Xiphilinus Patriarcha Constantinopolitanus) *videremus alienas causas subeuntes, & pro his decertantes, qui ciuilibus & ecclesiasticis iudiciis litigant, ab ecclesiastica consuetudine, & legum grauitate, quod fiebat, alienum iudicantes statuimus, vt nemo deinceps, nec monachus, nec vllus ecclesiasticus alienas causas suscipiens in iudicio defendat: id enim apertâ mercenariâ operâ, & nemo tale quid agens nostræ moderationis supplicium effugiet, præterquam si fortè cùm sit causa ecclesiastica, à nobis iubeatur alterius litigantium partis defensionem suscipere; tunc enim præterquam quod non erit reprehensionis spes, in pœnam quoque non cadet. Præsens autem subnotatio in omnibus quoque ciuilibus iudiciis legi iussa est, vt cùm nostri decreti scientiam habuerint, eos omnino non admittant ad illorum causas agendas.* Cuius meminerunt etiam P. Gregor. *syntag. iuris vniuersi lib. 49. cap. 6. n. 24.* Ioan. Paul. Lancellot. *Inst. canonic. lib. 3. tit. de procurator. §. postulandi*, M. Anton. Chucech.

Instit.

Inſtit. canonicarum lib. 3. tit. 10. num. 24. cum pluribus ſequentib. & ex conſtitutione Concilij Tarracon. relata *in cap. monachi 35. 16. q. 1.* in cuius textus ſerie, vt in Concilio extat, poſt prohibitionem, ne monachi forenſis negotij ſuggeſtores, aut executores exiſtant, niſi monaſterij adſtante vtilitate, & iuſſu Abbatis intercedente, ea verba leguntur: *Canonum ante omnia Gallicanorum de his conſtitutione ſeruatâ.* Quæ innuunt iam à canonibus Eccleſiæ Gallicanæ hanc prohibitionem principium habuiſſe: à quibus autem canonibus, non conſtat. Innocentius Cironius *in 5. compil. in cap. 1. de vita, & honeſtate clericorum*, exiſtimat eſſe aliquos canones ex primæuis Conciliis Gallicanis celebratis ante dictum Concilium Tarraconenſe, quæ nec reperta, neque adhuc excuſa eſſent. Loayſas *in notis marginalibus ad dictum canonem 11.* prædicta verba in pluribus codicibus non reperiri teſtatur. Illud autem certum exiſtimo, canonem Concilij Tarraconenſis ab Innocentio III. citatum in præſenti capite 2. eſſe prædictum canonem relatum *in d. cap. monachi.* Conſtat ergo, ex eo canone, & ex noſtro capite 2. monachis prohiberi aduocationis officium ſuſcipere, niſi vtilitate Eccleſiæ ſuggerente, & ſimul Abbatis iuſſu intercedente. Vnde non ſicut in ſacerdote ſæculari ſufficit vtilitas Eccleſiæ, ita in regulari: nec etiam ſicut licet ſacerdotibus ſæcularibus in quibuſcumque cauſis coram eccleſiaſtico iudice litigare, ita licebit monacho. Hæc prohibitio Concilij Tarraconenſis, & Conciliorum Eccleſiæ Gallicanæ protracta, & extenſa fuit ad Canonicos Regulares regulariter degentes, in hoc capite 2.

8. EXCEPTIONES HVIVS PROHIBITIONIS.

Deinde eccleſiaſticis legibus clericis, tam in maioribus, quàm in minoribus ordinibus conſtitutis, in iuribus ſuprà citatis pro illuſtratione concluſionis prohibetur pro aliis poſtulare; ſed priùs de initiatis ſacris ordinibus agamus: illi enim arcentur ab aduocationis munere coram iudice ſæculari obeundo, exceptis quibuſdam cauſis ſtatim enumerandis. Dixi autem coram iudice ſæculari, quia coram eccleſiaſtico iudice etiam ſuper ſæculari negotio poſtulare non prohibentur, vt communiter docent *in noſtro cap. 1.* Abbas *num. 3.* Martha *d. caſ. 115. num. 12.* Velaſcus *d. q. 9. n. 3.* Barboſa *de iure eccleſiaſt. cap. 11. num. 85.* caſus etiam, in quibus coram iudice ſæculari clerici poſtulare poſſunt, recenſentur *in cap. 1. & vlt. hoc tit.* Primus eſt, quoties in cauſa propria, aut Eccleſiæ ſuæ, miſerabiliumve perſonarum patrocinium præſtant, vt docent pluribus relatis Maiolus *de irregul. lib. 2. cap. 5. num. 14.* Salcedo *in praxi, cap. 66. num. 2.* Barboſa *vbi ſuprà, num. 86.* Velaſco *num. 6.* Fragoſo *de regim. cap. 1. lib. 5. diſput. 15. num. 243.* Garcia *in ſumm. tractatu 1. diffic. 2. dub. 6.* Secundus caſus eſt, cùm patrocinantur pro coniunctis perſonis, vel ratione ſanguinis, vel ſpiritualis cognationis, vel pro Canonicis ſuis, vt tenent Barboſa *vbi ſuprà, num. 87.* Garcia *vbi proximè.* Tertius caſus eſt, dum non coram iudice ſæculari pro tribunali ſedente, ſed domui ſuæ conficiendo iuris allegationes, alicui ex partibus patrocinantur, vt reſoluit Thomas Sanchez *d. lib. 6. ſumm. cap. 3. num. 32.* His caſibus alium non inſubtiliter adiungunt Barboſa vbi ſuprà, *num. 88.* & Fragoſo *vbi proximè*; dum tamen in vno negotio patrocinium præſtant, & eo negotio finito, in alio; quia clericis prohibitum eſt, non vni, ſed pluribus negotiis ſæcularibus ſe immiſcere. Illud etiam apud omnes liquet, & ex hoc capite 1. facilè deducitur, clericos, etiam in maioribus ordinibus conſtitutos, beneficia non habentes, poſſe etiam coram iudice ſæculari poſtulare, vt ſic propriæ neceſſitati conſulant. Ita plures, quos laudant, & ſequuntur Valaſcus *vbi ſuprà, num. 3.* Barboſa *ſuprà, num. 90.* Circa clericos verò in minoribus ordinibus conſtitutos, licèt primis Eccleſiæ temporibus nulla prohibitio in eis poſtulandi reperiatur; imò dum canone 6. & 83. Apoſtolorum, & in aliis Eccleſiæ ſanctionibus à Gratiano compilatis *in diſt. 88.* prohibetur clericis negotiis ſæcularibus ſe immiſcere, ſpecialiter caueatur de Preſbyteris, & Diaconis; ad cæteros verò inferioribus gradibus initiatos non protrahebatur: tamen à temporibus Concilij Conſtantinopolitani idem de ſacerdotibus ac de clericis in minoribus conſtitutis ordinibus ſtatutum fuit. Canone enim 11. eiuſdem Synodi, poſtquam Preſbyteris, & Diaconis prohibetur, ne publica munera Magiſtratuum exerceant, & ne in iudicio procurationes, aut poſtulationes ſuſcipiant; tandem aiunt PP. *Hoc ergo nos quoque de reliquis clericis decernimus, iubentes de cætero, clericos in inferioribus gradibus conſtitutos, canonibus antiquis Eccleſiæ poſtulationes, & procurationes forenſes interdicentibus ligari, & ad eoſdem prohibitiones extendi.* Acceſſit Alexandri III. deciſio in noſtro capite 1. relata in illis verbis: *In ordinibus quoque minoribus, ſi ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtententur.* Ex quibus verbis deducitur, prædictam prohibitionem poſtulandi coram iudice ſæculari procedere etiam in clericis conſtitutis in minoribus ordinibus, dummodo Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtententur; nam ſi beneficio careant, poſtulare poſſunt, vt latè exponendo dicta verba, pluribus relatis reſoluit Vela *diſſert. 43 num. 29.*

9. RATIO DECIDENDI.

Huius autem Pontificiæ prohibitionis, videlicet ne clerici in maioribus, aut minoribus ordinibus conſtituti poſſint poſtulare, & cauſas forenſes perorare, varias rationes adducunt Interpretes. Prima illa generalis eſt, ne videlicet clerici, & monachi negotiis ſæcularibus ſe immiſceant, de qua *in cap. 1. & toto tit. ne clerici vel monachi.* Vnde textus *in noſtro cap. 2.* in tertia collectione Decretalium compilatus eſt ſub titulo *ne clerici vel monachi.* Eum illuſtrant Boëtius Epon. *in d. cap. 1. ne cler. vel mon.* Viuianus *in noſtro cap. 1.* Martha *vbi ſuprà.* Secunda ratio redditur à Gregorio IX. *in cap. 3. hoc tit.* ibi: *Cùm ſacerdotis officium ſit nulli nocere, omnibus autem prodeſſe.* Et cùm in aduocationis officio neceſſariò pars, cui aduocatus non patrocinatur, lædatur, *cap. denique 14. q. 5.* ideo clerici, & monachi à tali officio arcentur. Aliæ etiam rationes deducuntur ex notitia, & modo exercendi ipſum officium aduocationis; nam plerumque aduocati non fouent iuſtam cauſam. Vnde olim Oratorum Princeps Demoſthenes notatus quòd improbam cauſam fouiſſet, reſpondit, probos, & innocentes litigatores aduocatis non indigere; in quos aduocatos grauiter inſurgunt Gutier. *lib. 1. pract. q. 26.* Menoch. *de arbitrar. caſu 494.* Parlador. *lib. 1. rerum quotid. cap. 2.* Menchaca *lib. 1. vſufrequentium, cap. 10.* Lancellot. *de offic. aduocati, cap. 4.* Gibalinus *d. art. 9.* Meritò ergo clerici & monachi, qui non ſolùm à malo, verùm ab omni ſuſpicione mali abeſſe debent, poſtulare prohibentur. Accedit; nam etſi bonam cauſam foueant, iuſtumque negotium tueantur, tamen plerumque

rumque fallaciis,& cautelis vti necesse habent. Vnde Plinius *lib. 2. epist.* ad nepotem, ait: *Nos qui in foro, variisque litibus agimus, multùm malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus.* Symmachus ita inquit: *In forensi puluere rara cognatio facundi oris, & boni pectoris.* Præcipuè autem illis vtuntur ad lites remorandas; quare litium moratores appellantur à Cicerone *in lib. de diuinatione*, iuxta lectionem Cuiacij *lib.4. obs. cap. vlt.* Litium concinnatores vocantur à Consulto *in l. 9. §. 2. ff. de officio Proconsulis*; quia lites cauillationibus, & reprobis modis satagunt producere: plura Corrasius *in d. l. 9. §. 2. & lib. 1. miscel. cap. 4.* Et contra aduocatos in hac parte peccantes acriter inuehuntur Zasius *in l. 2. §. post hoc 46. ff. de orig. iuris*, Heringius *de fideiuss. cap. 19. num. 12.* P. Greg. *lib. 49. syntagm. cap. 6. num. 30.* Gibalinus *vbi suprà.* Accedit & alia non inferior ratio decentiæ, quæ in sacerdotibus magnoperè attendi debet; cùm enim aduocati stantes coram iudice sedente causam orare debeant, *l. quisquis 6. §. vlt. C. de postul.* ibi: *Cùm ibi necessitatem elegerit, & contempserit ius sedendi:* quæ verba repetita sunt in nouella Emanuelis Comneni *cap. 2.* facit etiam auctoritas Plinij *lib. 1. epistol.* ibi: *In tribunatu abstinuit à causis agendis, quòd deforme arbitrabatur, cui loco omnes sedere oportet, hunc omnibus sedentibus stare:* plura Cuiacius *ad nouell. 71. Iustin.* Polletus *histor. for. cap. 5.* Ioannes Montanus *de auctorit. Regni, & Parlamenti.* Si ergo Plinio minùs honestum videbatur coram iudice stare, vt aduocationis officium exerceret, quantò magis sacerdotibus minùs honestum videtur coram sæculari iudice stare, aut saltem discooperto capite causas perorare, ipso iudice pro tribunali sedente. Rectè ergo sacri canones statuerunt clericos non debere aduocationis officio vti, nisi in causis suæ Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, vbi pij operis causa reddit actum licitum aliàs illicitum, *cap. monachi, cap. de præsentium, 16. q. 1.*

10. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obstat difficultas suprà adducta; nam licèt aduocationis munus laudabile & honestum sit, iusteque ab Imperatoribus commendatum; tamen clericos non decet coram iudice sæculari illud exercere, ob rationes specialitatis suprà adductas. Non enim omnia, quæ licitè, & laudabiliter à laicis exercentur, à clericis, & monachis obiri possunt, vt probatur *ex cap. 1. ne clerici vel monachi:* & si hoc aduocationis officium, licèt laïcis honestum, laudabileque sit, ecclesiasticas tamen personas non æquè decet. Nec primum argumentum dubitandi rationis obstat; nam etsi per patrocinium aduocati vni ex litigatoribus consulatur, & subueniatur; alter tamen læditur: & quotiens non potest alteri subueniri, quin alter lædatur, commodius est neutrum iuuare, quàm alterum grauare, *cap. denique 14. q. 5.* & sic cùm in aduocationis officio necessariò pars, quæ succubuit in lite, lædenda sit, abstinendum est à postulandi officio, ne dum sacerdos aduocatus alteram partem iuuat, alteram lædat. Nec secundum argumentum refragatur, quia ex authoritatibus, & exemplis in eo congestis, tantùm conuincitur, Christum Dominum pro innocentia aduersùs malitiam vno vel altero casu responsum dedisse, & oppressum liberasse; quod aduersùs nostram conclusionem non facit: neque enim ius nostrum clericis interdixit oppressos tueri, sed ne sæculari in foro postulationis officium exerceant. Nec tandem secunda difficultas obstat; verum enim est, canonicum, seu beneficiarium postulantem contra Ecclesiam, cuius stipendia consequitur, priuari beneficio, aut præbenda in pœnam ingratitudinis. Nec tunc obstat textus *in d. l. penult.* nam certum est, Decuriones contra propriam patriam non posse postulare, *l. 2. C. de aduocatis diuers. iudicior.* nisi pro coniunctis, aut miserabilibus personis; quo casu procedit textus *in d. l. penult.* vt docet Gothofredus *in d. l. 2. littera Q.* Similiter ergo canonicus, aut beneficiarius non debet contra propriam Ecclesiam postulare, nisi pro coniunctis, aut miserabilibus personis, vt docet Salcedo *in praxi, cap. 63.*

11. EXPONITVR CAP. CLERICI 6. DE IVREPATRON.

Sed adhuc superiori assertioni obstat textus *in cap. clerici 6. de iurepatron.* vbi Alexander III. decreuit, vt clerici non possint emere aduocatias Ecclesiarum; & si defacto emerint, ipsis priuentur, ita vt nullo modo aduocati remaneant. Ex quo decreto deducitur, clericos nec suarum Ecclesiarum aduocatiam exercere posse; & per consequens non rectè asserimus, in causis propriæ Ecclesiæ clericos vt aduocatos postulare posse. Cuius difficultatis solutio pendet ex vera cognitione illius verbi, *Aduocatus.* Sciendum est enim, aduocatum in eo textu, non tantùm significare causidicum, & postulantem in foro, verùm & defensorem, & patronum Ecclesiæ: quomodo aduocatus accipitur *in cap. cùm autem 24. de iurepatron. cap. venerabilem 34. vers. Nunquid, cap. generali, de elect. cap. Gonsaldus, 17. q. 4. cap. in quibusdam, de pœnis.* Isti autem aduocati, seu defensores Ecclesiarum, aut cum ipsa fundatione Ecclesiæ ius Aduocati, idest Patronatus consequebantur, vt docet Cironius *ad tit. de iurepatronatus*; aut petebantur à Rege, vt Ecclesiam defenderent, & in eius negotiis aduocati essent, *can. 98. Ecclesiæ Africanæ*, ibi: *Vt ab Imperatoribus postuletur aduocatorum defensio, vt sint protectores, seu defensores ad respondendum in colloquiis iudicialibus.* Et *lib. 7. capitularium, cap. 308.* cauetur: *Vt pro Ecclesiarum causis, ac necessitatibus earum, atque seruorum Dei, executores, vel aduocati, seu defensores, quotiens necessitas insurrexerit, à Principe postulentur.* De his aduocatis, idest Ecclesiarum defensoribus, & patronis plura tradunt Federicus Lindembrogius *in glossario legum antiquarum, verbo Aduocatus*, Cironius *ad tit. de iurepatronatus*, Bosquetus *in notis ad Innocentium, lib. 2. epist. 122.* Bignonius *in notis ad Marculfum fol. 588.* Desider. Heraldus *lib. 2. de authorit. rei iudic. cap. 5.* & nos *in cap. 23. de iurepatron.* Vnde cùm aduocatio *in d. cap. clerici*, accipiatur pro iurepatronatus, rectè deciditur, clericos non posse aduocatiam Ecclesiarum emere, idest, iuspatronatus, *cap. de iure, de iurepatronatus*; non autem in eo textu negatur, sacerdotes posse aduocatiam licitè obtentam exercere, maximè in negotiis suarum Ecclesiarum.

12. EXPONITVR CAP. VNIC. 15. Q. 2.

Secundò traditæ assertioni obstat textus *in cap. vnico 15. q. 2.* vbi PP. Concilij Tarraconensis statuunt, ne quis sacerdotum, aut clericorum more sæcularium iudicum, & aduocatorum (vt Gratianus & glossa interpretantur) pro impensis patrociniis munera exigant, sed tantùm gratis oblata recipiant: in quo canone supponunt Patres, clericos, sicut alios laïcos, posse aduocationis officio vti, & patrocinium in iudicio aliis præstare, contra hucusque tradita. Augetur hæc difficultas

cultas ex eo, nam salarium iustè petit aduocatus, *l. 1. §. proinde 5. de variis & extraordin. cognit. l. si quis aduocatorum 5. l. quisquis 6. §. 4. C. de postul.* quod honorarium solet appellari, vt docent plura congerentes Franciscus Polletus *lib. 2. hist. fori, cap. 11.* Tiraquellus *de nobilit. lib. 1. cap. 29. num. 21.* Menochius *de arbitr. casu 513.* Flores de Mena *lib. 1. q. 8.* ergo si permittunt PP. sacerdotibus & clericis facultatem postulandi in causis sæcularibus forensibus, concedere etiam debebant ius exigendi salarium, vt consequuntur cæteri aduocati. Primæ difficultati satisfaciendum est cum Turrecremata in eo textu, qui asserit, PP. ibi agere de clerico patrocinium præstante coram iudice ecclesiastico; quod cùm illi permittatur, vt suprà dixi, ideo PP. Concilij Tarracon. supponunt, ipsos sacerdotes, seu clericos posse postulare coram iudice, videlicet ecclesiastico. Secundæ difficultati vt satisfaciat Gratianus post compilationem illius textus, statim adiecit eius interpretationem, asserendo procedere in clerico regulari, seu monacho aduocati officium exercente; non autem in clerico sæculari, qui saltem ex generali consuetudine potest salarium petere. Sed hac solutione omissâ faciliùs crederem in eo canone non omnem exactionem salarij, seu stipendij propter laborem impensum improbari, & damnari, sed tantùm eam, quam more sæcularium aduocatorum clerici faciebant; in hoc enim illo æuo, & anterioribus plerumque aduocati peccarunt. Vnde Seneca Tragic. in ludo de morte Caij, causidicos venale genus vocat: idem in Hercule Furente, *actu primo*, de eis ita ait:

Hic clamosa & rabiosa fori
Iurgia vendens, improbas iras
Et verba locat.

Quintilianus *lib. 12. institutionum, cap. 12.* eos ait clamare ad stomachum litigatoris, non ad animum iudicis: quam iniustam exactionem sacri canones semper detestati sunt, *cap. non licet 71. 11. q. 3.* vnde *in d. cap. vnico*, quamuis PP. permittant clericis postulare, patrociniumque præstare in iudicio; tamen illis prohibent exactionem salarij, munerumve more sæcularium Aduocatorum.

13. INTELLIGVNTVR SYNODVS CONSTANTINOPOL. ET CAP. 50. DE APPELLAT.

Eadem solutione, & animaduersione, videlicet clericos coram iudice ecclesiastico posse aduocati munus exercere, exponenda est authoritas Synodi Constantinop. temporibus Emmanuëlis Comneni celebrata, vbi in subnotatione Lucæ Patriarchæ Constantinop. de quodam Diacono legitur, quod cùm aduocationis munere ex canonum sanctione interdictus esset pro tribunali, coram ipso Patriarcha respondit, illos canones, atque leges, non in suæ ætatis, sed in antiquis aduocatis locum habere, qui collegio quodam adsidebant intra certum numerum, *l. non plures 4. C. de sacros. Eccles. l. nemini 11. l. neque, l. cùm aduocati, C. de aduocatis diuers. iud.* de quibus Cuiacius *lib. 16. obseru. cap. 22.* Gibalinus *d. art. 9. num. 11.* Cæterùm suo tempore aiebat Diaconus aduocati officium ingenuum, & liberale esse, neque homini sacro indignum; adiecitque non aduocationem ipsam, sed aduocationis modum sacris canonibus improbari: *Etenim*, aiebat, *non clericis modò, sed & Episcopis, si amici patrocinium in iudicio suscipiant, venia tribuitur, nec vnquam illi notabuntur, si in ecclesiasticæ rei controuersia aduocati venerint: hæc cùm dixisset, applausumque illi esset etiam à Patriarcha, patrocinari vt antea illi permissum est.* Quibus verbis non absoluta postulandi facultas illi Diacono data fuit, sed tantùm in casibus ibi enumeratis, dum Ecclesiæ, aut amici causam defendebat, aut saltem coram iudice ecclesiastico; tunc enim clericis in iudicio postulare permittitur. Eodem etiam modo accipiendus est textus *in cap. 1. de officio iudicis*, in illis verbis: *Tu frater Archiepiscope eidem de Magistro Roderico clerico tuo ad exhibendum in causa ipsa patrocinium prouidisti.* Ex quibus deducitur, clericum in causa forensi postulare, & patrocinium præstare posse: nec mirum, cùm in ea specie ageretur de causa inter clericos, & coram iudice ecclesiastico disceptata, vt ex integra ipsius textus, quam ex quinta compilatione transcripsi, constat. Simili etiam modo exponendus est textus *in cap. ex insinuatione 50. de appellat.* in illis verbis: *Quidam clericus commensalis suus, dicti Camerarij in eadem causa fuerat aduocatus.*

14. EXPONITVR CAN. 11. CONCILII EMERIT.

Adhuc suprà traditæ assertioni obstat textus *in can. 11. Concilij Emerit.* in illis verbis: *Id ergo per omnia seruandum instituimus, vt nulli Presbytero, vel Diacono sine voluntate Episcopi sui licentia sit sæculares peragere causas, aut iniunctiones expedire publicas.* Ex quibus verbis expressè deducitur, tantùm Presbyteris, & Diaconis prohiberi in iudicio postulare: ergo non subdiaconis, & aliis inferioribus clericis, etiam coram iudice sæculari postulare prohibetur. Cui difficultati satisfaciendum est ex suprà traditis, videlicet supponendo, primis Ecclesiæ temporibus prohibitionem hanc tantùm circa clericos in maioribus gradibus viguisse, non verò circa initiatos minoribus ordinibus, vsque dum ex synodo Constantinop. suprà relata, & *ex cap. 1. hoc tit.* protracta fuit hæc prohibitio ad clericos inferioris gradus; & cùm tempore Concilij Emeritensis vsque ad tempora Vrbani II. gradus Subdiaconi non esset sacer, sed inter minores enumeraretur, *cap. à multis, de ætate, & qualit.* ideo PP. Concilij Emerit. dum hanc prohibitionem firmarunt, tantùm expressèrunt, Presbyterum & Diaconum.

TITVLVS

TITVLVS XXXVIII.

De procuratoribus.

CAPVT I.

[a] Gregorius *Maximo Episcopo Salonitano.*

ALia quidem scripta ad fraternitatem tuam antea feceramus; sed tempore, quo [b] homines tuos, quos ad nos misisti, relaxare voluimus, scripsisse te quibusdam nostris comperimus, quòd Veteranum Presbyterum, atque Optatum Defensorem, tunc minimè in causa transmiseris; & ideo ea, quæ cum eis acta sunt, non debere subsistere. Sed & Thomas Ecclesiæ tuæ [c] Defensor sibi verbo à te dictum perhibuit. Ex qua re iam nec præsentium portitoribus iudicauimus esse credendum, ne de ipsis quoque post hæc similiter diceres. Quia ergo hæc res nos valde fecit ambigere, & cautos esse debere præmonuit, si causam vultis dicere, instructam de cætero personam cum mandato [d] legaliter facto, tuis, ac Presbyterorum, seu [e] Diaconorum in testimonium subscriptionibus roborato, gestisque ex more indito transmittite, vt quidquid cum ea actum fuerit, possit iure subsistere. Nam nos non solùm tibi, sed etiam omnibus, quod iustum, legitimumque fuerit, parati sumus Deo iuuante per omnia custodire: tantùm vt tu, quod lege præcipitur, facere non omittas.

NOTÆ.

1. a *Gregorius.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & apud Antonium Augustin. *in epit. iuris lib.* 29. *tit.* 25. & reperitur textus hic in registro epistolarum ipsius Gregorij, *lib.* 11. *epist.* 13. ex quo textum hunc restituo. Salona Metropolis Illyrici Orientalis, hodie dicta *Saldon*, est in Dalmatia, cuius Episcopus Glycerius refertur ab Euagrio *lib.* 2. *cap.* 16.

2. b *Homines tuos.*] Non accipias homines in præsenti pro vassallis, vt *in cap. finali, de seruis non ordin.* sed pro procuratoribus suis.

c *Defensor.*] De officio defensoris Ecclesiæ latè egi *in cap.* 1. *de testam.*

d *Legaliter.*] Idest iuxta legis præscriptam formam, quam infrà dabimus.

3. e *Diaconorum.*] Quorum officium erat adesse Episcopo, vt testes vitæ, morum, ac actionum ipsius: idem Gregorius *lib.* 4. *epist.* 88. & in Synodo Rom. *cap.* 2. ibi: *Quidam ex clericis, vel etiam ex monachis, electi ministerio cubiculi Pontificalis obsequantur, vt is, qui in loco est regiminis, testes habeat tales, qui vitam eius in secreta conuersatione videant.* Et *cap. iubemus* 59. *de consecr. dist.* 1. Concilium Gerundense *can.* 6. Tolet. 4. *can.* 22. Turon. 2. *can.* 13. Damasus *in vita Lucij Papæ*, ibi: *Lucius præcepit, vt duo Presbyteri, & tres Diaconi, in omni loco Episcopum non deserent propter testimonium ecclesiasticum.* Euaristus etiam constituit, vt Episcopo prædicante septem Diaconi adessent propter testimonium veritatis doctrinæ, vt refert idem Damasus *in eius vita.* Notarunt Baronius *anno* 112. Anton. Augustin. *in epitome iuris lib.* 4. *titul.* 43. iuxta quam ecclesiasticam disciplinam iubet in præsenti Gregorius, vt in mandato ab Episcopo procuratori dando, tam Diaconi, quàm Presbyteri subscribant, vt testes fidei, & vitæ ipsius, iuxta Synodum Francicam *lib.* 5. *cap.* 2. ibi: *Episcopo presbyter testis assistat castitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hac Gregorij epistola sequens communiter deducitur assertio: *Non admittitur procurator in iudicio, nisi habeat mandatum legitimè confectum.* Probant eam textus *in cap. cùm M.* vbi glossa *verbo Socij, de constitutionibus, cap. nonnulli* 27. *§. vlt. cap. ex parte, de rescriptis, cap. cùm dilectus* 6. *cap. venerabilis, de dolo & contumacia, cap. in nostra* 4. *hoc tit. cap. contingit* 3. *de transact. cap. cùm olim, de officio deleg. cap. per tuas, de arbitris, cap. significauit* 48. *de appellat. cap. licèt, eodem tit. in* 6. *cap.* 2. *cap. constitutus* 8. *de in integr. restit. cap. cùm pridem* 4. vbi glossa *verbo Dicebat, de pactis, cap. fin. de maiorit. & obed. cap. exposuit* 4. *de dilat. cap. cùm olim* 6. *de except. cap. cùm dilectus* 8. iunctâ glossâ *verbo Ratihabitione, de religiosis domibus, cap. sopita* 14. *de censibus, cap. auditis* 8. *cap. dilectus* 11. *cap. constitutis* 12. *cap. mandato, cap. finali, hoc tit. cap.* 2. *cap. is qui* 4. *eodem tit. in* 6. *cap.* 1. *cap. procurator* 38. *de electione in* 6. *l. si quis inficiatur* 13. *ff. de positi, l. de pupillo* 5. *§. si procurator, ff. de noui operis nunt. l. si procurator, Cod. hoc tit. l. si is qui hæres* 25. *ff. de exceptione rei iudic. l.* 3. *Cod. Theodos. de cognit. & procurat. l. qui ita* 66. *§.* 1. *ff. ad Trebel. l. licèt, l. si procurator, Cod. eod. l. si procuratore, ff. de condict. causâ datâ, l. si falsus* 6. *Cod. de furtis, l.* 2. *tit.* 10. *lib.* 1. *fori, l.* 2. *titul.* 3. *lib.* 2. *fori, l.* 16. *styli, l.* 10. *titul.* 5. *partita* 3. *l.* 55. *tit.* 1. *lib.* 3.

lib. 3. *l.* 3. *tit.* 2. *lib.*4. *recopil.* Illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti*, quibus addendi sunt Quesada *lib. vnico quæstionum*, *quæst.*31. Caldas *in l.si curatorem*, *verbo Læsis*, *num.*101. *Cod. de in integrum restit.* Villadiego *in dictis legibus fori*, Paz *in dicta l.*16. *styli*, Pichardus *in manuduct. ad praxim*, *part.*1. *præcept.*1. Donel. *lib.* 18. *comment. cap.*12. Auendaño *lib.* 2. *de metu cap.*17. Sesse *tomo* 2. *decis.* 188. Arnoldus Vinius *lib.* 1. *select. quæst.*52. Vega *in cap. causam*, *num.*10. *de iudiciis.* Vulteius *consil.*35. *num.*3. *volumine* 4. & *lib.*2. *de iudiciis*, *cap.* 7. *num.* 384. Cyriacus *tom.* 2. *controu.* 384. *num.* 11. Carleual. *tomo* 2. *de iudiciis*, *disput.* 4. *num.* 27. Parexa *de instrument. edit. tit.*5. *resol.*10. Hunnius *in encycloped.*1. *part.tit.*38. Noguerol. *allegat.*10. *num.*138. & *allegat.*11. *num.*10. Anguianus *de legibus cap.*8. *num.*51. Cancerius *tomo* 2. *var.cap.*14. *num.*64. Larrea *alleg.*87. Olea *de cessione iurium*, *tit.*1. *quæst.*1. *num.*2. & *tit.*5. *quæst.*3. Mancius *de procurat. num.*186.

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam si procurator non admitteretur in iudicio absque mandato ad agendum, nec etiam admitteretur ad defendendum, quia tam in vno, quàm in alio casu extranea persona est: sed vt defensor sine mandato admittitur, *l.seruum* 33. *§.*2. *ff. de procurat. l.*2. *ff. de negotiis gestis*, *l.vnica*, *Cod. de satisdando*, Donellus *lib.*17. *comment. cap.*12. Vulteius *disputationum iuris cap.* 11. igitur sicut procurator tanquam defensor sine mandato admittitur, etiam ad agendum admitti debet. Augetur hæc difficultas ex eo, nam maritus absque mandato in causa vxoris suæ admittitur, *l.maritus* 21. *Cod. hoc tit.* vt etiam admittuntur parentes, fratres, affines, colliberti, & socij, *l.sed hæc* 35. *ff. hoc tit.* probat Osualdus *ad Donel. dict. cap.*12. *littera K. & L.* Igitur generaliter verum non est, procuratorem in iudicio non admitti absque mandato. Deinde in eam partem præsentis epistolæ, vbi asserit Gregorius, mandatum Episcopi, quo constituit procuratorem, debere signa habere, tam presbyterorum, quàm Diaconorum, ita insurgo: Litteris Episcopi eius sigillo munitis etiam sine testibus, & aliis subscriptionibus fides adhibetur, *cap. post cessionem* 7. *de probat. cap. cùm ex eo*, *de elect.* Cironius *ad tit. de testibus*, Anguianus *lib.*1. *de legibus*, *cap.*6. *per totum*, Parexa *de instrum. edit. tit.*1. *resol.* 3. *§.*5. *num.*39. igitur mandatum Episcopi absque vlla subscriptione Presbyterorum, & Diaconorum sufficiens erat ad constituendum procuratorem.

6. PROCVRATOR QVIS.

His difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens Gregorij decisio, pro cuius expositione sciendum est, eum, qui negotia alterius gerenda suscepit, vulgò appellari procuratorem, sine negotia sint forensia, siue extraiudicialia, *l.* 1. *& per totum*, *ff. hoc tit.* iuris autem Interpretes procuratores appellant eos, qui negotia forensia pertractant; eos verò, qui extraiudicialia negotia curant, mandatarios dicunt. Petrus Greg. *lib.*40. *syntagm. cap.*4. *num.*1. Vinius *lib.*1. *select. cap.*52. Hunnius *in encyclop. tit.*38. Acuña *in cap.*3. *dist.*54. Mancius *de procurat. num.*1. vel procuratores ad lites, vel ad negotia appellant, vt etiam distinguuntur *in cap. constitutis* 11. *hoc tit. cap.*1. *§. fin. cap. qui ad agendum* 4. *cap. qui generaliter* 5. *hoc tit. in* 6. *l.*1. *§.*1. *l.seruum* 33. *l. procurator* 63. *ff. eodem*: & inter vtrumque procuratorem nonnullæ versantur differentiæ. Prima, nam procurator ad negotia potest quandocumque alium substituere, *cap.*1. *§. finali*, *hoc tit. in* 6. Osualdus *dict. cap.* 12. *Donel. litt. S.* nisi electa sit industria personæ; procurator verò ad litem tantùm post eius contestationem, quia per illam dominus litis efficitur, *l.si procurator* 9. *ff. de dolo*, *l.si procuratorem*, *ff. mandati*, *l. procuratoribus* 22. *Cod. hoc tit.* potest alium designare, *cap.*1. *§. licet*, *l. quod quis* 8. *l. neque* 11. *Cod. hoc tit.* Secunda, quia ad negotia quilibet post 17. annum procurator constitui valet, quia id fit tantùm periculo eius, qui ipsum constituit, *l.si collactaneus* 13. *ff. de manumissis vindicta*; ad lites verò non ante vigesimum quintum annum, *dict. cap. qui generaliter*, *§. finali*, *l. minor* 51. *ff. hoc tit. l. exigendi*, *Cod. hoc tit. l. fin. Cod. de his*, *qui veniam ætatis*, *§. eadem*, *Institutæ quibus ex causis manumittere*: Couarr. *in cap. tua*, *num.*4. *de testam.* Gutierrez *de iuram. cap.* 11. Ratio huius principij ex eo prouenit, quod potest restitui in integrum in præiudicium aduersarij, *dict. l. minor*, & quia personam legitimam standi in iudicio pro se non habet, *l.* 1. *& 2. Cod. qui legitimam*; ideoque constituere cogitur procuratorem in propriis causis, *l. finali*, *Cod. de legitimis tutoribus*: quomodo ergo pro alio in iudicio esse poterit, qui nec in suis ius standi habet? In causis tamen beneficialibus, & spiritualibus admittitur, *cap. ex parte*, *de restit. spol. cap. continebatur*, *de desponsi. impub. cap. fin. de iudiciis*, *lib.*6. Couarr. *lib.*1. *var. cap.*5.

7. DE VTILITATE PROCVRATORVM.

Deinde sciendum est, quod licèt tempore primæ Iurisprudentiæ nemo per alium in iudicio agere possit, nisi pro pupillo, libertate, aut tutela, *principio Institut. de his*, *per quos agere*; idque summa cum ratione, quia cùm nemo inuitus cum alio contrahere cogi valeat, *l. inuitum*, *Cod. de contrahenda emptione*, Couar. *lib.*3. *var. cap.* 13. ita neque cum eo, cum quo negotium non gessit, iudicium suscipere cogendus est. Postea tamen lege Hostilia in speciali casu permissum fuit furti agere alieno nomine. Polletus *lib.*2. *hist. fori*, *cap.*1. Demùm consuetudine procuratores indistinctè in vsum venerunt, vt valde necessarij, *l.*1. *§. vsus*, *ff. de hoc tit.* vt ita qui rebus suis superesse non potest, morbo, aut ætate, aut quia molestiis, & tædio negotij terretur, per alium in iudicio agere possit, vt probant Vulteius *lib.*1. *de iudiciis*, *cap.* 7. *num.* 48. Olano *lib.*3. *Paralip. cap.* 9. *num.*34. Differunt autem valde ab his procuratoribus aduocati, & negotiorum gestores, vt eleganter docuit Asconius Pedianus ad Ciceronem de diuinatione, his verbis: *Qui defendit alterum in iudicio*, *aut patronus dicitur*, *si orator est*; *aut aduocatus*, *si aulicus præsentiam suam commodat amico*; *aut procurator*, *si negotium suscipit.* Plura de his cognitoribus, & oratoribus congessit Gothofredus *in l. finali Cod. Theodos. de cognitoribus.*

8. PROCVRATORIS DIFFINITIO.

His suppositis de procuratorum origine, succedit diffinitio, quæ ita communiter concipitur: *Procurator est*, *qui aliena negotia mandato domini administrat.* Colligitur ex *lege* 1. *in principio*, *l.*3. *l. fi-* *lij* 8. *l.si quis* 31. *§. vnius*, *l. qui proprio* 47. *in principio*, *l. Paulus* 69. *ff. hoc tit. l. rectè* 36. *ff. de iudiciis.* Explicant Treutlerus *lib.* 1. *select. thes. disput.*9. vbi Bachouius, Vulteius *de iudiciis lib.*1. *cap.*7. *numer.*59. Duarenus *ad titulum de procurat. cap.*2. Ex illis verbis, *aliena negotia*, deducitur, eum verè procuratorem dici, qui aliena negotia curat, non verò sua, *l.si diligenti* 5. *§. vltim. ff. mandati*,

&

& ita procurator in re propria nemo existit, *l. licet* 42. §. *is qui*, *ff. de procurat.* etsi ille, cui dominus actiones suas donauit, in solutum dedit, vel alio modo cessit, dicatur procurator in rem suam, quia ad vtilitatem propriam actiones illas exercet, *l. omnia* 25. §. *planè*, *l. si actor* 22. *l. Plautius* 61. *ff. hoc tit. l.* 4. *l. qui stipendia* 9. *Cod. eod. tit. cap.* 1. §. *licèt*, *hoc tit. in* 6. explicant Petrus Gregorius *lib.* 3. *partit. tit.* 18. *cap.* 7. Duarenus *ad tit. de procuratoribus*, *cap.* 9. Verba illa, *Mandato domini*, denotant discrimen, quod versatur inter procuratorem, & tutorem, curatoremque, ac similes, qui non mandato domini, sed publicâ auctoritate iudicis, vel legis aliena negotia curant, vt obseruant Duarenus *ad hunc titul. cap.* 7. Osuald. *vbi suprà*. Hæc diffinitio conuenit omnibus procuratoribus, etiam ad negotia extraiudicialia constitutis: quare procurator ad litem ita specialiter definitur: *Vt sit is, cui alienæ rei actio, vel defensio præsentis, vel absentis permissa est mandato domini, qui in iudicio litis causam sustinet.* Quam exponunt Vulteius *vbi suprà*, Pichardus, & alij Institutarij *in principio Instit. de his per quos agere.*

9. MANDATVM NECESSARIVM EST.

Deinde sciendum est inter alias exceptiones, quæ communiter procuratoribus opponi solent, quas refert Bayo *in praxi*, *cap.* 12. primam, præcipuamque esse defectum mandati; si enim illud procurator non habeat, vel quod habet, insufficiens sit, non admittitur in iudicio ad agendum, etsi caueat dominum ratum habiturum, *l. Pomponius* 40. §. *vlt. ff. hoc titul. l.* 1. *Cod. eod.* aliàs omnia gesta per talem procuratorem nullius momenti sunt, *l. si procurator*, *Cod. hoc titul.* quare ne illusorium reddatur iudicium, iudex etiam non opponente parte potest repellere procuratorem mandatum non habentem, *l.* 55. *titul.* 1. *lib.* 3. *recopil. l.* 3. *tit.* 2. *lib.* 4. *recopil.* Paz *in praxi*, 1. *part. annotat.* 4. *de procurat.* Et licèt iure communi attento dubium esset inter iuris Interpretes, vtrum sufficeret probare mandatum per testes, an verò necessariò desideraretur probatio per instrumentum ipsum, vt constat ex traditis à glossa in præsenti, *verbo Portitoribus*, Mascardo *de probat. conclus.* 113. *num.* 1. & aliis congestis à Barbosa *in præsenti*, *num.* 30. tamen hodie attento iure nostro Regio certum est, desiderari instrumentum mandati in publicam formam redactum, vt pluribus relatis probat Parexa *de instrum. edit. tit.* 5. *resol.* 10. *num.* 6. nec sufficit tabellionem fidem facere se legisse mandatum ipsum, vt resoluunt Paz *in dict. l.* 16. *styli*, *scolio* 1. *num.* 5. Parexa *dict. resol.* 10. §. 10. & si omissâ editione mandati procurator in iudicio adfuerit, ab eo acta domino præiudicium non afferunt, *dict. l. si procurator*, *l.* 10. *tit.* 5. *partita* 3. Paz *in praxi*, *dict. annot.* 4. *numer.* 7. nec sufficit quodlibet mandatum edere, sed desideratur sufficiens, & legitimè confectum, seruatis solennitatibus præscriptis *in l.* 14. *tit.* 5. *l.* 54. 97. 98. *titul.* 18. *partita* 3. *l.* 13. *&* 45. *vers. Poderes*, *titul.* 25. *lib.* 4. *recopil.* id est, vt circa falsitatis suspicionem legitimè coram publico tabellione sit confectum; & vt datum sit ab eo, qui procuratorem constituere potest; idest, qui legitimam personam standi in iudicio habet; nam serui, & alij, qui in iudicio stare nequeunt, non possunt procuratorem constituere, *l. nec tutores*, §. *pupillus*, *l. non eo minùs*, *Cod. de procurat. cap. finali*, *de iudiciis in* 6. deinde vt procurator eius ætatis & qualitatis sit, vt in iudicio esse possit; & vt causa procuratorem admittat, idest vt per alium tractari possit: quæ, & alia requisita latiùs prosequuntur Mancius *in tegro tract. de procurat.* Osualdus *lib.* 18. *Donelli*, *cap.* 12. Parexa *dict. resol.* 10. *per totam.*

10. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus ita animaduersis apparet iam vera ratio præsentis assertionis; nam cùm procurator, qui mandatum non habet, prorsus extranea persona sit, cum qua reus nullum negotium gessit, inde nullam actionem habet, quâ ipsum in iudicio conuenire possit, *l. si pupillis* 6. §. *vlt. ff. de negotiis gestis*: quare desideratur mandatum, vt eius virtute ex persona domini reum ad iudicium trahere possit: quare in principio litis mandatum exhibendum est. Symmachus *lib.* 10. *epist.* 32. ibi: *In ipso limine quæstionis, cùm procuratio, quam C. F. senior Martiano mandauerat, inualida diceretur, defensio partis aduersæ negauit stare personam, cuius procurationem superioris gesta iudicij non tenerent: contrà non exactam priùs recitationem aiebant.* Et quia mandatum est quid facti, & per consequens non præsumitur, nisi probetur, *l. in bello* 12. §. *facti*, *ff. de captiuis*, *l. quæcumque*, *ff. de publicana*, *cap. si fortè*, *de electione*, *lib.* 6. latè probant Giurba *consilio* 91. *num.* 17. Auendaño *de metu dict. cap.* 26. *num.* 3. ideo Gregorius in præsenti iuxta legitimas sanctiones, vt ipse fatetur, decreuit non posse procuratorem Episcopi in iudicio admitti absque eius mandato legitimè concto, & cum solennitate ab vtroque iure requisita.

11. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam verum est, pro reo absente defensorem admitti sine mandato, non verò pro actore, *l. minorem* 51. *l. is cuius* 64. *l. Titius* 76. *ff. de procurat. l. liberto* 31. §. *litem*, *ff. de negotiis gestis*, *l. tutori*, *Cod. eod. tit. l. nam postea* 9. §. 6. *l. iusjurandum* 34. §. *procurator*, *l. qui hominem* 34. §. *si gener*, *l. si quis* 58. *ff. de solut.* Nam licèt defensor procuratori similis sit, *l. Pomponius*, §. 2. *l. Plautius* 61. *ff. hoc. tit.* tamen huius discriminis ratio redditur *in l.* 1. *ff. de negotiis gestis*, Videlicet quia magna pericula fortunis absentium imminent, qui diuinare non poterant, quando in iudicio conueniendi erant: vnde quilibet potest defensionem absentis suscipere. Accedit, nam defensor rei iudicio conuenti semper meliorem eius conditionem reddit, non deteriorem; actoris verò conditionem non semper meliorem reddit procurator pro eo agendo, & quilibet potest alterius conditionem facere meliorem, non verò deteriorem, *l. soluendo* 39. *ff. de negotiis gestis*, *l. solutione* 23. *ff. de solut.* Donel. *dict. lib.* 28. *cap.* 12. *in principio.* Quare non ita in defensore ac in procuratore desideratur mandatum. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam sunt aliqui casus, in quibus absque mandato potest pro alio actionem in iudicio proponere, vt cùm canonici pro iuribus Ecclesiæ suæ agunt; possunt enim absque mandato in iudicio eo casu comparere, *cap. coram* 34. *de officio delegati*, *l.* 2. *Cod. de consortibus eiusdem litis:* quo casu accipiendus est textus *in cap. cùm M. de constit.* monachi in causis sui monasterij, *cap.* 4. *de confirmatione vtili*, *cap. solita*, *de censibus:* coniunctæ personæ pro coniunctis, veluti liberi pro parentibus, fratres pro fratribus, maritus pro vxore, nisi apertè repugnet voluntas eorum, pro quibus agunt, *cap. nonnulli* 28. §. *sunt & alij*, *c. ex parte* 33.

de reſcriptis, cap. conſtitutis 8. *de in integr. reſtit. l. ſi quis* 3. §. *ſed ſi forte, ff. iudicatum ſolui, l. ſed & hæ* 35. *l. Pomponius* 40. §. *finali, ff. hoc tit. l. exigendi* 12. *l. ſi maritus, Cod. eod. tit. l.* 10. *tit.* 5. *partit.* 3. dummodo de rato caueant, *l. non ſolùm* 30. §. *ſi de dote, ff. hoc tit.* docent Bronchorſt. *miſcellan. cent.* 1. *aſſert.* 27. Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 6. *num.* 5. Cancerius *lib.* 2. *var. cap.* 14. *num.* 137. Oſuald. *dict. cap.* 12. *litt. H.* ſocius in cauſa communi ſocij, *c.* 1. *de reſtit. ſpol. cap. cùm olim*, vbi gloſſa, *verbo Exceptione, de teſtibus*. Nam coniunctæ hæ perſonæ tacitum creduntur habere mandatum ex coniunctione, & affectione perſonarum, quæ facit, vt nulli libentiùs credatur mandatum. Faber *in dict. l. ſed & hæ* 35. §. *vlt.* Donel. *dict. cap.* 12. non tamen ſunt veri procuratores, *dict. l. ſi quis* 3. §. 3. Oſualdus *lib.* 18. *comment. cap.* 14. *litt. B.* aliàs non præſtarent cautionem ratihabitionis, & ſententia pro eis dicta non prodeſſet, nec contraria noceret domino litis, niſi ab ipſis geſtum ratum habeant, *l. nec filium* 7. *Cod. de rebus creditis*, Cancerius *vbi proximè*, *num.* 156. & ideo tanquam conuicti in iudicio adeſſe debent; nam ſi agant vt procuratores, ſi non doceant de mandato, non ſuſtinetur proceſſus, vt docent plures relati à Barboſa *in cap. nonnulli, num.* 17. *de reſcriptis*; in cauſis verò, in quibus deſideratur ſpeciale mandatum, an conjunctus pro coniuncto audiatur, exponemus *in cap. conſtitutus, de in integrum reſtit.* Nec obſtat ſecunda difficultas ſuprà adducta, pro cuius ſolutione diſcrimen conſtituendum eſt inter actus, qui ſpectant ad officium, & dignitatem Epiſcopi, & inter eos, qui non pertinent ad Epiſcopalia munia: in primis fides adhibetur litteris Epiſcopi proprio ſigillo munitis, *dict. cap. poſt ceſſionem.* Secundo verò caſu deſideratur ſolennitas à iure præſcripta, quo caſu procedit præſens textus, quem ita accipiunt Abbas, Decius, Ripa, & Maſcardus, quos refert & ſequitur Anguianus *lib.* 1. *de legibus, cap.* 6. *num.* 51. iuxta quam diſtinctionem accipiendus eſt textus *in cap. ſignificauit* 48. *de appellat.* vbi conſtitutio actoris ſigillo Capituli ſignata, cùm Capitulum eo ſigillo tantùm ad citationes vteretur, non ſufficit, vt authenticum reddatur inſtrumentum conſtitutionis procuratoris; quia licèt eo ſigillo ſignata inſtrumenta authentica cenſerentur quoad alios actus, videlicet citationes; non tamen authentica credebantur ad mandatum actoris legitimè conficiendum. Sed apud repetentes in præſenti non conſtat, quare Gregorius in præſenti in mandato Epiſcopi ad procuratorem conſtituendum exigat ſubſcriptionem Preſbyterorum, ſeu Diaconorum ſuæ Eccleſiæ, cùm certum ſit, Prælatum poſſe agere, & conſtituere procuratorem in cauſis ſuæ Eccleſiæ abſque Capituli mandato, *cap. auditis* 8. *cap. petitio* 9. *hoc tit. cap. cùm cauſam* 6. *cum ſequenti, de iuramento calumniæ, cap. edoceri, de reſcriptis*; niſi cauſa ita ardua ſit, vt irrequiſito Capitulo expediri nequeat, *cap. quanto, cap. nouit, de his, quæ fiunt à Prælatis*; vel ſpectet communiter ad Prælatum, & Capitulum, *cap. finali, de maiorit. & obed.* In qua difficultate Innocentius *in dict. cap. edoceri*, exiſtimauit, conſenſum Preſbyterorum in præſenti deſiderari, non quia illi præſtent auctoritatem, & ſolennitatem mandato, ſed tanquam teſtes ſubſcribant inſtrumento. Sed hæc ſolutio facilè refellitur ex eo, quia Gregorius vltra preſbyteros alios teſtes exigit: quare eâ omiſsâ, Hoſtienſis in præſenti, *num.* 7. Butrius *num.* 20. referunt textum hunc ad caſum, in quo quia cauſa ardua erat, vel quia communiter ſpectabat ad Epiſcopum, & Capitulum, deſiderabatur Capituli conſenſus; ſed veriùs credo, ſubſcriptionem Preſbyterorum, & Diaconorum in præſenti caſu non eſſe referendam ad ſubſcriptionem Canonicorum, ſeu Capituli; ſed potiùs ad ſubſcriptionem eorum Diaconorum & Preſbyterorum, qui vt teſtes vitæ Epiſcopi, illi aderant, de quibus ſuprà egi.

II. EXPONITVR CAP. CORAM 34. DE OFFICIO DELEG.

Sed præſenti aſſertioni primò obſtat textus *in cap. coram* 34. *de officio delegati*, in illis verbis: *Abſque litteris de ratihabitione ad Apoſtolicam Sedem acceſſerat, ſed de rato cauerat.* Ex quibus expreſsè deducitur offerentem cautionem, ſeu ſatisfactionem de rato, etiam abſque mandato domini admitti ad agendum in iudicio: igitur non rectè Gregorius in præſenti affirmat procuratorem Epiſcopi ſine mandato ritè confecto non admitti. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, quod etſi verum ſit, non habentem mandatum, etiamſi offerat cautionem de rato, non admitti, ſi conſtet ipſum mandatum non habere, *l. Pomponius* 40. §. *finali, ff. de procurat. l.* 1. *Cod. eodem*, Oſualdus *dict. cap.* 12. *littera G.* ſi tamen ſit incertum mandatum, & procurator caueat fideiuſſoribus datis, rem ratam dominum habiturum, admittitur ad agendum, *l. non ſolùm* 39. §. 1. *ff. hoc tit. l.* 2. *Cod. de conſortibus eiuſdem litis, l. quod ſi, ff. de minoribus, l. nec ſatisdatio* 21. *ff. rem ratam haberi, l. vnica, Cod. de ſatisdando*, §. 3. *Inſtit. de ſatisdat. l. ſeruum* 33. §. *final. ff. hoc titul. l.* 1. *Cod. eodem, l.* 11. §. *vtrum, l.* 66. §. 1. *ff. ad Trebell.* Faber *lib.* 18. *coniect. cap.* 7. Bronchorſt. *cent.* 1. *miſcel. aſſert.* 26. Beſoldus *in delibat. iuris ex libro* 3. *Pandect.* §. 13. *fol.* 287. Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 4. Vnde cùm canonicus in cauſa propriæ Eccleſiæ habeat præſumptum mandatum, licèt non expreſſum obtineat, ſi offerat cautionem de rato, admitti debet, etiam ad agendum: quare cùm textus *in dict. cap. coram*, loquatur de canonico in cauſa propriæ Eccleſiæ admittendo, ipſeque offerret cautionem de rato, ideo ait Pontifex, ipſum admittendum eſſe. Quâ etiam ſolutione exponendus eſt textus *in cap. cùm dilectus* 8. *de religioſis domibus*, in illis verbis: *Cùm nuntius monaſterij ſuper procuratione, vel ratihabitione litteras non haberet.* Ex quibus deducitur, ad procuratorem conſtituendum in iudicio ſufficere vel mandatum ſuper procuratione, vel tantùm litteras ratihabitionis habere: igitur non ſemper deſideratur mandatum ad conſtituendum procuratorem. Gloſſa in eo textu, *verbo Ratihabitionem*, exiſtimat in eo textu litteras procurationis, & ratihabitionis non differre, nec pro diuerſis recenſeri, ſed appellari litteras ratihabitionis, quia in eis ſemper adiicitur, quod dominus ratum habebit. Sed hæc ſolutio facilè refellitur ex diſiunctione illa, *vel*, quæ diuerſum caſum ſignificat mandati procurationis, & ratihabitionis. Quare hac ſolutione omiſſa dicendum eſt, in eo textu agi de monacho agente pro libertate ſui monaſterij, qui cùm habeat mandatum tacitum & præſumptum, ſufficit vt afferat litteras ratihabitionis; & ita tanquam procurator ipſius monaſterij admittitur.

III. EXPONITVR TEXTVS IN CAP. CVM OLIM, DE TESTIBVS.

Secundò præſenti aſſertioni obſtat textus *in cap. cùm olim* 34. *de teſtibus*, vbi Archidiaconus admittitur in iudicio ad agendum ſuper ſtatu certæ Eccleſiæ abſque mandato: igitur quia ſine mandato legitimo poteſt quis in iudicio vt procurator admitti. Pro cuius difficultatis ſolutione Gloſſa ibi, *verbo Exceptionem*, aſſerit Archidiaconum

num in ea ſpecie admitti ad agendum, donec ab aduerſario repellatur per exceptionem defectus mandati. Etiam ſolet reſponderi, Archidiaconum in ea ſpecie egiſſe pro iuribus ſuæ dignitatis, licèt in conſequentiam iura Eccleſiæ allegaret, aſſerendo eam liberam eſſe; quo caſu abſque mandato Epiſcopi auditi poterat, *cap. cùm veniſſet, de inſtit.* Sed hæc ſolutio non conuenit litteræ ipſius textus, ſiquidem ex ea conſtat, ibi litem agitari principaliter inter eum Archidiaconum, & Archiepiſcopum Cantuarienſ. ſuper ſtatu Eccleſiæ Men. Aliter ſatisfacere intendit Innocentius *ibi, num.* 3. Quibus ſolutionibus omiſſis dicendum eſt, in ea ſpecie Archidiaconum ſine mandato admitti, quia Archiepiſcopus negligens erat in defendendis iuribus ipſius Eccleſiæ; quo caſu Archidiaconus, vel quilibet alius de Capitulo poterat iura ipſa defendere, etiam contradicente Epiſcopo, *cap. cùm ex litteris 5. de in integrum reſtit.* quia tunc non admittitur vt procurator, ſed eo iure, quo admittuntur coniunctæ perſonæ pro coniunctis, iuxta ſuprà tradita.

14. ADDVCITVR CAP. NONNVLLI 28. §. SICVT, DE RESCRIPTIS. Tertiò præſenti aſſertioni obſtat textus *in cap. nonnulli* 28. §. *ſicut, de reſcriptis*, vbi nouiter Concilio Lateranenſi cauetur, ne quis poſſit abſque mandato impetrare reſcriptum gratiæ, ſeu iuſtitiæ: igitur ante tempora Concilij Lateran. & per conſequens noſtri Gregorij M. temporibus, procurator in iudicio ſine mandato ad agendum admittebatur. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, olim ante tempora Concilij Later. procuratorem admitti ad impetrandum reſcriptum, tam gratiæ, quàm iuſtitiæ; quia cùm per talem impetrationem nulla litis conteſtatio daretur, nec citat o partis deſideraretur, ideo abſque mandato procuratores reſcriptum impetrare poterant, vt probaui *in comment. ipſius textus*, vbi alia pro ipſius expoſitione adduxi.

15. EXPONVNTVR CAP. 3. DE TRANS. Deinde præſenti aſſertioni opponi poteſt textus *in cap. contingit 3. de tranſact.* vbi Prælatus cuiuſdam Eccleſiæ conuentualis tranſactionem fecit cum aduerſario ſuper controuerſia in iudicio agitata, ſine mandato, præſtitâ duntaxat cautione ratihabitionis: igitur quia abſque mandato poteſt quis in iudicio pro alio comparere. Agnouit difficultatem Gloſſa ibi, & affirmat, Prælatum poſſe in ea ſpecie tranſactionem facere, quia in mandato generali à Capitulo dato adiecta fuit clauſula de raquâ Capitulum promiſerat ratum habere quod Prælatus gereret in negotio; cuius virtute etiam facultas tranſigendi data videtur. Verùm hæc ſolutio communiter refellitur à repetentibus ibi; quare eadem gloſſa rectiùs affirmat, Prælatum in eo caſu ſpeciale mandatum habuiſſe cum ſpeciali mentione tranſactionis, & ita eius ratione potuiſſe Prælatum tranſactionem facere. Etiam reſponderi poterat iuxta tradita, procedere in mandato præſumpto, præſtitâ cautione de rato; quo caſu nouum mandatum non deſideratur. Etiam opponi poteſt textus *in cap. 1. de reſtit. ſpol.* vbi Diaconus in cauſa ſpoliationis admiſſus fuit in iudicio ſine mandato propriæ Eccleſiæ: igitur quia abſque mandato poteſt procurator in iudicio comparere. Cui difficultati vt ſatisfaciant Panormit. & alij repetentes, affirmant, in eo textu Diaconum mandatum habuiſſe Eccleſiæ, & Philagrij, vt poſſet agere pro re violenter ablata. Sed eâ ſolutione omiſsâ veriùs dicendum eſt, Diaconum in ea ſpecie potuiſſe agere pro rebus Eccleſiæ ablatis, quia tunc ſuo nomine ad vtilitatem Eccleſiæ agere poteſt, *cap. ſi quis preſbyteror. de rebus Eccleſiæ, cap. cùm dilecti, de exceptionibus*; quia illius intereſt, vt ſalua ſint iura propriæ Eccleſiæ, quo modo etiam procedit textus *in cap. conſtitutus* 8. *de in integrum reſtit.* etiam abſque mandato Philagrij cæci, quia præſens erat; quare etſi non expreſſum, tacitum tamen mandatum habere præſumitur ex eo, quod eo præſente, & conſentiente in iudicio Diaconus comparuit, quæ patientia licèt in procuratore ad negotia ſufficiens eſſet ad inducendum mandatum, *l. qui patitur* 13. *ff. mandati, l.* 6. §. 2. *ff. hoc tit.* tamen in procuratore ad litem non ſufficit, vt probat Mancius *de procuratorib. num.* 190. quare in ea ſpecie Philagrij præſentia non ſufficiebat, niſi ſimul Diaconus ageret pro vtilitate propriæ Eccleſiæ.

ACT. CAP. 1. DE RESTIT. SPOL.

CAPVT II.

[a] Alexander III.

QVerelam A. clerici accepimus, quod cùm ven. f. n. Vvigorn. Epiſcopus cauſam, quæ inter ipſum, & [b] Saleſberien. Epiſcopum ſuper Eccleſia de Bribec. de mandato noſtro ſuſcepiſſet fine debito terminandam; tandem quia idem clericus [c] termino conſtituto ſuam ei præſentiam exhibere non poteſt, pro eo quod erat infirmitate detentus, ſicut per quemdam Preſbyterum, & Diaconum, quos ad præſentiam ipſius Epiſcopi miſerat, paratus erat probare, eundem A. in reſtitutione expenſarum, quas R. Lexion. Archidiaconus pro cauſa ipſa ad diem ipſum tunc veniendo fecerat, condemnauit. Mandamus itaque diſc. v. atque præcipimus, quatenus, ſi præfatus Epiſcopus eundem A. iuxta mandatum noſtrum à præſcripta ſententia non abſoluerit, vos rei veritate diligentiûs inquiſitâ, ſi conſtiterit vobis, quod prædictus Epiſcopus præfatum A. in reſtitutionem ipſarum expenſarum pro alia rationabili nulla cauſa condemnauerit, niſi pro eo tantùm, quod termino conſtituto ad eius præſentiam non acceſſit infirmitate detentus; cùm non poſſit quis cogi, niſi velit, in grauibus cauſis procuratorem conſtituere, & cùm ipſe ad probandum infirmitatem ſuam [d] preſbyterum, & diaconum deſtinauerit, auctoritate noſtra ſubl. ap. rem. ab eadem ſententia abſoluere eum minimè differatis.

NOTÆ.

1. a *Alexander III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. nullibi tamen exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex; litteram tamen textus ex eadem collectione transcribo, & ex principio ipsius textus constat, Pontificem non per viam appellationis, sed per modum querelæ aditum fuisse, vt *in cap. querelam, de iureiur. cap. querelam, de simonia, cap. querelam, ne Prælati vices suas.*

2. b *Salesberien.*] Legendum est *Sarisbarienſem*; præsens enim causa vertebatur cum Ioanne Sarisbarienſi Episcopo Carnotensi, qui floruit temporibus Alexandri III.

c *Termino constituto.*] Debet enim iudex delegatus partibus certum diem præfinire ad comparendum coram ipso, *cap. præterea 5. de officio delegati*, vbi dixi.

3. d *Presbyterum.*] Non vt procuratores, vel vt defensores litis, sed vt executores absentiæ, qui magnoperè differunt ab illis; defensores enim ad litis, seu causæ defensionem constituuntur, excusatores verò vt absentiæ causam tantùm referant, & coram iudicibus proponant, *cap. cùm olim 34. de testibus:* docent Parladorius *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 10. *num.* 1. Mancius *de procurat. tit.* 3. *num.* 20. Vnde fœminæ & minores, qui tanquam procuratores in iudicio non admittuntur, tanquam excusatores rectè designari valent, *l. seruum 33. §. 2. ff. hoc tit.* de eis agit Rebuffus *ad leg. Galliæ, tit. de executoribus.*

COMMENTARIVM.

4. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Ob infirmitatem in iudicio non comparens, nec procuratorem constituens, non debet ideo condemnari in expensis.* Probant eam textus *in cap. placuit* 1. 18. *dist. cap. iuxta*, 93. *dist. cap. præsentium 7. quæst.* 1. *cap. tenor*, vbi Glossa *verbo Infirmitate, de re iudicata, cap. cùm Bertholdus, de re iudicata, cap. ex parte* 47. *cap. si duobus, de appellationibus, l.* 2. §. 1. *ff. si quis cautionibus, l. in exceptionibus*, §. 1. *ff. de probat. l. si Prætor* 25. §. *Marcellus, ff. de iudiciis, l. si finita* 15. §. *si fortè, ff. de damno infecto, l. contumacia, l. quæsitum, ff. de re iudicata:* illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Canisius *ad hunc textum*, Germonius *de sacrorum immunit. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 56. Balboa *in cap.* 2. *de except. num.* 71. Hunnius *in encyclop. tit.* 38. Mancius *de procuratoribus tit.* 3. *num.* 62.

5. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Reus ad iudicium vocatus per se, aut per procuratorem in iudicio comparere, & respondere cogitur, *l.* 1. *ff. hoc tit. l. fin.* ibi: *Si ita maluerit, Cod. eodem, l.* 1. *ff. de diuersis & tempor.* nec ob infirmitatem excusatur; vnde lege duodecim Tabular. circa reum in iudicio vocatum, & aduersa valetudine captum cauebatur vt iumento veheretur. Verba ipsius legis hæc sunt: *Si morbus, ævitasve vitium sit, qui in ius vocauit, iumentum dato; si nollet, arceram ne sternito.* Ex Aulo Gellio & aliis referunt Iacobus Gothofredus *in quatuor fontibus*, Reuardus *ad leges duodecim Tabul. c.* 15. igitur qui tantùm ob morbum in iudicio non comparet, tanquam contumax in expensis damnari debet. Accedit, nam etsi infirmitas excusaret ægrotum à comparendo personaliter, non tamen à constitutione procuratoris, cùm etiam ab ægroto constitui possit; imò ideo procuratorum vsus, vt valde necessarius, introductus fuit, vt qui morbo, ætate, seu absentia in iudicio interesse non possunt, per alios agerent, vel se defenderent, *l.* 1. §. *vsus, ff. hoc tit. principio Instit. de his, per quos agere:* igitur rectè in præsenti specie Episcopus Vvigornienſis Ap. Sedis delegatus reum, qui nec personaliter in iudicio comparuit, nec procuratorem constituit, in expensis condemnauit.

6. NEMO COGITVR PROCVRATOREM CONSTITVERE. Qua dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio, cuius rationem vt percipiamus, scire oportet, neminem cogi in iudicio procuratorem dare, seu constituere, sed tantùm reum citatum, & iudicio conuentum, debere per se, vel procuratorem se defendere, *l. finali, versiculo Si ita maluerit, Cod. hoc tit.* ex præsenti textu docent Cardoso *in praxi, verbo Procurator, n.* 17. Vega *in cap. intelleximus 7. num.* 15. *de iudiciis*, vbi etiam Fermosinus *quæst.* 25. *num.* 1. nisi sit persona illustris, *l. quicumque* 25. iunctâ authenticâ sequenti, *Cod. hoc tit. nouella 71. Iustin.* vbi Cuiacius, *l.* 11. *tit.* 5. *partit.* 3. docent Osualdus *lib.* 18. *Donelli, cap.* 1. *littera M.* Pacius *cent.* 1. *quæst.* 45. vel minor, *l.* 2. *Cod. de accusat.* vel si iure minoris vtatur, vt *in dict. cap.* 2. *vers. Sed iudices, de in integr. restit.* Nec contrarium probat textus *in dict. cap. intelleximus, de iudiciis*, in illis verbis: *Debet procuratorem constituere.* Vbi si attendatur proprietas verbi, *debet*, quod importat necessitatem, Glossa *in Clementina Attendentes, de statu monach.* latè probat Barbosa *de dictionibus, verbo Debet*; deducitur excommunicatum teneri procuratorem constituere. Nam omissis solutionibus relatis, & reiectis à Balboa *in cap.* 2. *de except. num.* 71. dicendum est, quod licèt verbum, *debet*, aliquando importet necessitatem; tamen plerumque decentiam, & quod magis congruum videtur, significat. Glossa *in cap.* 1. 15. *quæst.* 1. & *in cap.* 1. *de desponſ. impub.* quo modo verbum, *debet*, accipitur *in cap. quia Episcopus 5. quæst.* 3. vt docuerunt *in cap. fin. de iuramento calumn.* Bellamera *num.* 6. Butrius *num.* 6. Panormit. *num.* 4. Vnde si excommunicatus potest per idoneam personam in iudicio defendi, debet procuratorem constituere; si verò personam idoneam non habeat, per quam defendatur, potest per se exceptiones coram iudice opponere, vt docent Gibalinus *de censuris disquisit.* 7. *quæst.* 8. *pag.* 275. Ricciulus *lib.* 4. *de iure person. cap.* 37. Hoc tamen principium, videlicet neminem cogi procuratorem constituere, procedit, vt in hoc textu animaduertitur, in causis grauioribus, vt libertatis, honoris, seu maioris partis bonorum, *cap. frequens*, §. *illum, de restit. spol. lib.* 6. secus verò in causis leuioribus, in quibus strictiùs iuris ordo attenditur, authentica *nisi breue, Cod. de sententiis, & interlocut.* aut in quibus magnum dispendium vertitur; in eis enim potest compelli reus procuratorem constituere, *nouella 71. iustiniani, cap.* 1. §. 2. post innocentium, & Panormitanum docet Canisius *hîc*, *num.* 8.

7. CONTVMAX PVNITVR IN EXPENSIS. Secundò præmittendum est, inter alias pœnas, quibus plectitur, compescituque contumacia illius, qui in iudicio conuentus, & citatus comparere contumaciter renuit, quas recensebimus *in cap.* 1. *de dolo*, eam præcipuam esse, solutionem videlicet, seu refusionem expensarum; nec antea comparentem audiendum esse, aut absoluendum ab excommunicatione propter contumaciam inflicta, *ex cap.* 1. *de iudiciis, cap. tuæ* 3.

cap.

cap. quoniam 5. §. in aliis, vt lite non contestata, quàm si priùs refundat expensas, *cap. venerabilibus, §. porrò, & §. sanè, de sent. excom. cap. cùm dilecti 6. de dolo, & contum. cap. 1. eodem tit. lib. 6. l. properandum, §. sin autem, l. ex gestis, §. huiusmodi, l. sancimus 12. Cod. de iudiciis, l. 5. tit. 3. lib. 4. recopil.* vbi Azeuedo: Donellus *lib. 26. comment. cap. 3.* Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 135.* Pichardus *in §. 1. Instituta de interdictis, cap. 1. num. 75.*

8. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus ita animaduersis apparet iam ratio præsentis decisionis; nam cùm A. non comparuisset in ius vocatus propter morbum, aduersamque valetudinem, rectè excusatur à contumacia, nec ob eam in expensis damnari debet. Infirmitas enim, seu aduersa valetudo excusat ab omni contumacia, quia nullum maius impedimentum euenire potest reo in ius vocato, quàm morbus; vnde ægrotum à contumaciæ pœnis immunem esse, docetur *in l. si Prætor 75. in fine, ff. de iudiciis, l. contumacia 53. §. 2. l. quæsitum, ff. de re iudicat.* & Vlpianus *in l. 2. §. si quis, ff. si quis cautionibus*, inter deserti vadimonij iustas causas primo loco proponit aduersam valetudinem; quod & probat Seneca *lib. 4. de beneficiis.* Nec nouum est in iure, vt propter morbum quis excusetur ab actibus iudicialibus; cùm enim IC. Arrianus *in l. 4. §. vlt. ff. de re militari*, docuisset, milites ad delectum non respondentes, vt proditores libertatis in seruiturem redigi, adiecit militem emansorem ob aduersam valetudinem excusari; quod & docuerunt Aulus Gel. *lib. 11. noctium, cap. 3.* Polybius relatus à Balduino *ad leges 12. Tabul. cap. 42.* & Modestinus *in l. scire 13. §. sic enim 7. ff. de excusat. tut.* qui dum enumerat causas, propter quas tutores excusantur, qui intra tempus à iure præscriptum excusationum causas non proposuerunt, primam aduersam valetudinem recenset. Et Consulti *in l. si longius 18. ff. de iudiciis*, & *in l. licèt autem 15. ff. de receptis*, Decemviros sequuti responderunt, arbitros ob ægritudinem excusatos esse à sententia proferenda; & qui graui morbo oppressus domino occiso succurrere non potuit, excusatur à pœna Syllaniani, *l. si quis graui, ff. ad Syllanianum*: & qui profectus reipublicæ causâ incidit in infirmitatem, ita vt redire non possit, pro præsente habetur, *l. si quis in prouincia, in fine, ff. ex quibus causis maiores:* & qui propter aduersam valetudinem iudicium in alium transtulit, non incidit in edictum de alienatione iudicij, *l. 4. §. si quis 3. ff. de alienatione iudicij.* Accedit, quod Liuius refert *lib. 32.* his verbis: *Cùm Chalcidentium Legatus pedibus captus lectica esset introductus Romæ, vitam esse rem vltimam necessitatis, in qua ita affecto excusatio valetudinis, aut neque ipsi quidem petenti visa foret, aut data petenti non esset.* Cùm ergo in præsenti casu A. ob infirmitatem, quam contraxerat, contumax dici non posset, quia legitimè impeditus erat, & nemo teneatur per procuratorem se defendere, ideo asserit Alexander III. ipsum tanquam contumacem expensas refundere non debere.

9. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat difficultas suprà expensa ex lege 12. Tabul. quam legem nimis humaniter scriptam existimauit Fauorinus relatus, & reiectus ab Aulo Gellio *vbi suprà*, his verbis: *Populus R. illud quoque non humaniter scriptum improbauit, quod si homo in ius vocatus morbo, vel ætate eget, & ad ingrediendum inualidus est, arcera non sternitur, sed ipse aufertur, & iumento imponitur, atque ex domo sua ad Prætorem in conuitium nouâ funeris facie affertur. Quam enim ob causam morbo affectus, & ad respondendum prosè non idoneus, iumento adhærens in ius aduersario deportatur?* Hæc Fauorinus contra hanc legem XII. Tabul. disserens. Cui ita respondit Cæcilius: *Cur tibi visa est inhumana lex, & minimè quidem, sententia humanissima, quæ iumentum iubet dari ægroto, aut seni in ius vocato? Verba sunt hæc: Si in ius vocatus, si morbus, ætitasve vitium sit, qui in ius vocauit, iumentum dato; si nollet, arceram ne sternito. Hunc fortè morbum appellari hîc putas ægrotationem grauem, cum febri rapida: & arceram, iumentumque dici putas aliquod pecus vnicum tergo vehens, ac propterea minùs fuisse humanum existimas ægrotum domi suæ iacentem iumento impositum in ius rapi. Hoc mi Fauorine nequaquam est; nam morbus in lege ista, non febriculosus, nec nimium grauis, sed vitium aliquod imbecillitatis, atque inualentia demonstratur, non periculum vitæ ostenditur: cæteroqui morbum vehementiorem vim grauiter nocendi habentem, legum istarum scriptores alio in loco non per se morbum, sed morbum sonticum appellant. Iumentum quoque non id solum significat, quod dicitur, sed vectaculum etiam, quod adhibitis pecoribus trahebatur. Veteres nostri iumentum a iungendo dixerunt: arcera autem vocatur plaustrum tectum vndique, & munitum, quasi area quædam magna vestimentis vestita, quâ nimis ægri, aut senes portare cubantes solebant. Quanam tibi igitur acerbitas visa est, quòd in ius vocato pauperrimo homini, qui aut pedibus fortè ægris esset, aut quo alio casu ingredi nequiret, plaustrum esse dandum censuerunt. Neque sterni tamen delicatè arceram iusserunt, quoniam satis est inualido eiusmodi vectabulum: quod fecerunt ne causatio ista ægri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus, iurisque actiones declinantibus.* Ex qua diffusa Gellij authoritate deducitur, verba legis duodecim Tabul. esse accipienda de corporis vitio, morbóve leui, non graui, nec febriusculo; in eo enim casu potiùs dies differebatur, vt si morbum sonticum reus patiebatur, hoc est qui cuiusque rei agendæ impedimento est, *l. 1. ff. si quis cautionibus, l. quæsitum, ff. de re iudicata:* docent, & illustrant prædictum legis XII. Tabul. caput Balduinus *ad leges 12. Tabul. cap. 42.* Reuardus *eod. tract. cap. 5.* Duarenus *ad tit. si quis cautionibus*, Cuiacius *lib. 69. Pauli ad edict. in l. 5. ff. eodem*, & *ad Digesta in l. morbus 113. ff. de V.S.* & *lib. 12. obseru. cap. 12.* Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis; nam licèt possit quis per se, aut per procuratorem in iudicio comparere, & se defendere; non inde infertur, ipsum cogendum esse procuratorem constituere. Inuentus est enim procuratorum vsus, vt cùm quis velit per se, aut per procuratorem in iudicio agere, possit, abrogatis illis veteribus legibus, quibus prohibebatur per alios in iudicio comparere. Sed cùm hoc sit introductum in gratiam, & fauorem litigantium, non ideo ipsi congendi sunt eo beneficio vti, & procuratorem constituere.

10. EXPONITVR CAP. CVM DILECTI 6. DE DOLO, ET CONTVM.

Sed præsenti assertioni obstare videtur textus *in cap. cùm dilecti 6. de dolo & contum.* in illis verbis: *Quapropter quia dictus electus non venerat, nec sufficientem miserat responsalem, &c.* Ex quibus apertè constat, eum, qui ob insidias sibi appositas, & intemperiem excusatus erat à comparendo in iudicio; quia tamen per procuratorem comparere poterat, contumax iudicatur, & in expensis condemnatur: igitur similiter in præsenti casu, qui ob infirmitatem iudicio adesse nequibat, quia tamen

procuratorem designare valebat, in expensis damnandus erat. Cui difficultati varias adducit solutiones glossa ibi, verbo *Responsalem*, quibus omissis respondendum est, in ea specie electum cogi per se, aut per procuratorem in iudicio comparere, quia agebatur de causa electionis, quæ petit celeritatem, *cap. vbi periculum, de elect. in 6.* vt sic Ecclesiæ viduatæ citiùs de pastore prouideatur. Accedit, nam in eo textu electus citatus fuit vt compareret per se, aut per procuratorem. Vnde iuxta formam ipsius citationis per se, aut per responsalem respondere debebat. Quâ etiam solutione intelligendi sunt textus *in cap. dilectus, de appellat. cap. bonæ* 1. §. *ad ipsam, de electione.*

11. EXPLICATVR CAP. EPISCOPVS, 18. DIST.

Deinde opponi potest textus *in c. Episcopus*, 9. *dist.* in illis verbis: *Episcopus ad Synodum ire non tardet, nisi satis graui necessitate inhibeatur; sic tamen vt in persona sua Legatum mittat.* Ex quibus apertè deducitur, eum, qui impeditus est venire ad Synodum, teneri procuratorem constituere: igitur quia aduersa valetudine captus tenetur per se, aut per procuratorem in iudicio comparere. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, Episcopum ad Synodum vocatum teneri venire, aut Legatum suum, seu nuncium mittere, *cap. propter* 4. *cap. non oportet* 5. *cap. peruenit* 6. *& per totam* 18. *dist. cap. si quis in Metropolitano, versiculo Et si fortè*, 63. *dist.* Concilium Aurelianense 2. *can.* 1. Turon. 2. *can.* 1. Matiscon. 2. *can.* 20. Emeriten. *can.* 5. *&* 7. plura Antonius August. *in epitome iuris lib.* 4. *tit.* 65. Vnde etsi sit graui infirmitate detentus, tenetur Legatum mittere; tum vt excusationem ipsam Patribus proponat, tum etiam, vt tanquam Legatus ipsius in ipsa Synodo suffragium præstet: quare rectè *in dict. cap. si Episcopus*, statuitur Episcopum aduersa valetudine captum, teneri Legatum mittere, quia ex iuris dispositione præcisè ipse ad Synodum venire non cogitur, sed per se, aut per Legatum in Synodo adesse.

12. EXPONITVR L. PAPINIANVS EF. DE MINORIB.

Tertiò opponi potest textus *in l. Papinianus, ff. de minoribus*, vbi exuli reuerso non prorogatur tempus restitutionis, quia licèt per se, dum in exilio erat, adire Prætorem non posset, tamen per procuratorem restitutionis remedium implorare valebat: igitur ille, qui impeditus est, quominus per se possit comparere, cogitur procuratorem constituere. Pro cuius textus expositione, omissis interpretationibus traditis ab Arias de Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 44. dicendum est, quod licèt regulariter impeditus non cogatur procuratorem constituere, hoc tamen limitatur, nisi impedimentum sit voluntarium, vel aliàs non probabile, scilicet ex absentis delicto proueniens, vt procedit in relegato; hic enim ab onere constituendi procuratorem non excusatur, *l. sed etsi* 26. §. *aduersus, ff. ex quibus causis maiores*: docent Mysingerus *lib.* 1. *obseru. cap.* 43. Mancius *de procuratoribus, tit.* 3. *num.* 65.

CAPVT III.

[a] Clemens III.

EX insinuatione Archidiaconi [b] Sag. accepimus, quod cùm inter ipsum, & Magistrum G. super quadam præbenda [c] Lexou. Ecclesiæ controuersia mota fuisset, eidem Magistro propter hoc ad Sed. Ap. accedente, G. de Coron. procuratorem ipsius Arch. se gerens ad illam causam constitutum, cum quibusdam litteris de ratihabitione, provt dicebat, se opposuit. Cùm autem aliquantulum in causæ cognitione processum fuisset, licèt ab eodem Archidiacono procuratori suo duobus clericis præsentibus expresse fuisset inhibitum, ne causæ cognitionem susciperet, ipse nihilominus in causa procedens, sententiam contrariam reportauit. Cæterùm quia alter de prædictis clericis dicitur obiisse, mandamus quatenus si per Archidiaconum, & [d] superstitis clerici iuramentum constiterit de præmissis, sententiâ contra eum latâ nequaquam obstante, prædictæ præbendæ possessionem cum fructibus inde perceptis (si eius restitutioni aliud canonicum non obsistat) auctoritate nostra restitui faciatis eidem. Restitutione verò factâ, si Archidiaconus ipse suam canonicam institutionem probare potuerit, ipsam ratam permanere, appel. postpositâ decernatis.

NOTÆ.

1. a *Clemens.*] In etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. etsi nullibi exprimatur quibus Prælatis rescribat Pontifex.

2. b *Sagiensis.*] Sagiensis, seu Sariensis ciuitas, est Galliæ, quæ habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Rothomagensis, cuius initium, & progressum referunt Ægidius Bridorminius *in eius historia*, Chenu *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ*, auctores Galliæ Christianæ *tomo* 3. *fol.* 910. Eius Ecclesiæ mentio etiam fit suprà *in cap.* 35. *de rescriptis.*

c *Lexouiensis.*] Lexouiensis Ecclesia etiam est in Gallia, de qua egi *in cap.* 8. *de officio Ordin.*

d *Superstitis clerici.*] Quando testimonio vnius testis fides adhibenda sit, exponemus *in cap. veniens* 1. *de testibus.*

CAPVT

CAPVT IV.

[a] Innoc. III. *Cabilon. & Cathalaun. Episcopis.*

IN nostra præsentia [b] Tullen. Episcopus est conquestus, quod cùm ad causam, quæ inter ipsum, & Decanum Tullen. super dilapidatione, excommunicatione, & periurio, ac quibusdam aliis criminibus vertebatur, T. & G. presbyteros [c] procuratores instituens, ipsos ad Sed. Apost. duxerit destinandos; cùm de ipsorum fide postmodùm titubasset, mandatum quod eis dederat, intra modicum temporis spatium reuocauit: sed ipsi licèt mandati litteras reuocatorias recepissent, nihilominus in negotio processerunt, & pro procuratoribus se gerentes, cum aduersario ingressi iudicium, cum eo ad Parisiensem Archidiaconum, & collegas suos, in eiusdem præiudicium nostras litteras impetrarunt: (quoniam citatio licèt eidem Episcopo minimè fuerit præsentata, cùm tamen ad eius notitiam deuenisset, quod eisdem erat causa commissa, quæ inter ipsum, & dictum Decanum, & Archidiac. vertebatur, ad eorum præsentiam venire properauit.) Cúmque prædictus Episcopus ad probandum, quod falsi procuratores fuerant, ab ipsis iudicibus inducias postulasset, ipsi exceptionem oppositam inutilem, & supervacuam reputantes, ad probationem ipsius dilationem concedere noluerunt, propter quod ad appellationis beneficium conuolauit. Sed iidem nihilominus lite non contestatâ, & iuris ordine prætermisso, testes contra eum recipere præsumpserunt, ipsum à Tullensi Ecclesia per [d] sententiam remouendo. Nos verò licèt vix fidem adhibere potuerimus, quod dicti iudices, vtpote viri litterati, prouidi, & honesti, taliter processissent, maximè cùm in sua relatione, quam ad nostram præsentiam transmisere, de huiusmodi exceptione nullam fecerint mentionem; quia tamen Episcopus per viros religiosos, prouidos, & honestos, de quibus non est verisimile quod suæ salutis obliti, ac iuramenti religione contemptâ, falsum testimonium tulerint, nobis fecit super his, quæ sunt proposita, plenam fidem: attendentes etiam, quod falsi procuratoris exceptio non solùm ante sententiam, verùm etiam postea potest obiici, vtpote quâ probatâ iudicium nullum, & nullius momenti controuersiæ reputantur, processum supradictorum iudicum sententialiter duximus irritandum.

NOTÆ.

1. a *Cabilon.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. tantùm legitur, *idem:* inter epistolas Innocentij III. Coloniæ editas, & collectas à Sirleto, & datas à Bosqueto, non reperitur textus hic: quare inscriptionem retineo prout reperitur in hac sexta collectione. De Cabilonensi diœcesi nonnulla notaui *in cap.* 12. *de rescriptis:* de Cathalaunensi egi *in cap.* 5. 7. *de electione:* in præsenti rescribit Innocentius Gerardo de Duaco eius Præsuli; cui etiam rescribit *in cap. ex parte* 13. *de priuil.* vt notauit Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib.* 1. *epist.* 72.

2. b *Tullensis.*] Macheri videlicet de Lorraine, qui depositus fuit ab Innocentio III. de quo Richierius *in chron. cap.* 54. ita scribit: *In illis diebus erat vir quidam Macherus nomine, Imperiali & Ducum prosapiâ procreatus, vir satis in principio suo modestus, elegantis formæ, & bene placens, Ecclesiæ Sancti Deodati Præpositus: Episcopo igitur Tullensi defuncto, idem vir Macherus Episcopatus Tullensis Cathedram suscepit: interea à Canonicis suis Tullensibus ad iudicium vocatur, de Episcopatus dilapidatione arguitur; nec tamen causa per iudices valet determinari: ad Papam, qui tunc Innocentius erat, appellatur.* De Ecclesia Tullensi nonnulla adduxi *in cap. cùm accessissent, de constit.*

3. c *Procuratores.*] Licèt enim clerici pro laïcis procuratores in iudicio admitti non debeant, *cap.* 2. vbi latè Deo annuente dicemus, *ne clerici, vel mon.* tamen causas propriæ Ecclesiæ rectè procurare valent, *cap. coram* 34. *de offic. deleg. cap.* 1. *& fin. de postul. cap. dilectus, de capellis monach.* vel etiam causas Episcopi proprij, *l.* 5. *tit.* 5. *partit.* 3. docet Salcedo *in praxi, cap.* 67. quo modo procedit præsens textus.

4. d *Per sententiam amouendo.*] Hæc verba narrationis esse, non verò decisionis, existimauit Balboa *in cap. cùm non ab homine* 10. *de iudiciis.* An periurus priuatus sit ipso iure beneficio, an verò per sententiam amouendus, exposui *in cap.* 2. *de rescriptis.*

CAPVT V.

Idem [a] *Brixiensi Episcopo.*

TVæ frat. *Et infrà:* Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si vir accusat vxorem de crimine adulterij coram [b] iudice sæculari ad pœnam [c] legitimam infligendam, quia tunc [d] inscriptionis vinculum debet adripere, seque ad pœnam talionis adstringere

ſtringere, non per procuratorem, ſed per ſeipſum præſentem oportet præſentialiter adcuſare: ſi verò vir adcuſare velit vxorem de adulterio coram eccleſiaſtico iudice, vt ab eius cohabitatione [e] diſcedat, quia tunc etſi forſan oportuerat eum inſcribere, vt deſignet in ſcriptis [f] nomen, locum & tempus, & omnia quæ comprehenduntur in lege ciuili: ad talionem tamen non debet ſe aliquatenus obligare, ne fortè cùm in probatione defecerit, intentionis ſuæ conſequatur effectum: ſuſtineri poteſt, ſi neceſſitas id poſtulauerit, vt per procuratorem adcuſet, quoniam huiuſmodi adcuſatio, etſi de crimine fiat, non eſt tamen criminalis, ſed quaſi [g] mixta inter ciuilem & criminalem, quamquam præſentia principalium perſonarum in ſecuriùs procedatur.

NOTÆ.

1. [a] *Brixienſi.*] Ita etiam legitur *in cap. tuæ* 10. *de o, qui cognouit conſanguin. cap. tuæ* 3. *vt lite non conteſt. cap. tuæ, de ſponſalib. cap. tuæ, de præbendis, cap. litteras* 14. *de celebrat. Miſſar.* Vbi extant aliæ partes præſentis epiſtolæ. Brixia eſt vrbs Galliæ Ciſalpinæ, à Germanis in Italiam tranſeuntibus condita, de qua Mantuanus.

Brixia magnorum genitrix animoſa virorum.

Habuit Eccleſiam Cathedralem iam à quarto Eccleſiæ ſæculo. Bucelinus *part.* 1. *Germaniæ ſacræ, fol.* 46. Conrado eius Præſuli quadrageſimoprimo miſſa eſt præſens epiſtola. Cuiuſdam conciliabuli in ea Eccleſia celebrati pro depoſitione Gregorij VII. Pontificis meminit Abbas Vrſpergenſis ibi: *Anno* 1080. *cùm apud Brixiam Noricam triginta Epiſcoporum conuentus, nec-non & optimatum exercitus, non ſolùm Italiæ, ſed & Germaniæ, iuſſu Regis Henrici congregaretur.*

2. b *Iudice ſæculari.*] Licèt enim cùm agitur cauſa matrimonialis quoad diuortium, ſeu thori ſeparationem, tantùm coram iudice eccleſiaſtico diſceptari poſſit, *cap.* 1. *vt lite non conteſt. cap. ſignificaſti* 4. *cap. ex litteris* 5. *de adulteriis, cap. penult. & vlt. eod. tit. l.* 2. *tit.* 9. *partit.* 4. quia cùm agatur de viribus matrimonij, tantùm coram iudice eccleſiaſtico tractari debet, Germonius *lib.* 3. *animadu. cap.* 12. tamen ſi agatur ad pœnam ob adulterium perpetratum, tunc quia crimen hoc eſt mixti fori, locus eſt præuentioni, & poteſt iudex ſæcularis iuxta iuris diſpoſitiones pœnas à iure ſtatutas imponere, vt docent cum pluribus D. Ioſephus Vela *in cap.* 1. 2. *part. num.* 39. *de officio Ordinarij*, Fermoſinus *in cap. cùm ſit*, 8. *quæſt.* 9. *de foro compet.*

3. c *Ad pœnam legitimam.*] Quænam ſit pœna legitima adulterij ex vtroque iure, exponemus Deo annuente infrà *in cap.* 4. *de adulteriis*, & *in cap. plerumque, de donat. inter.*

d *Inſcriptionis.*] De hac ſubſcriptione, & eius effectu agemus *in cap. ſuper his, de accuſat.*

e *Diſcedat.*] Adulterium enim præſtat cauſam diuortio quoad thorum, & mutuam cohabitationem, vt latè dicemus *in cap. maritis* 3. *de adulteriis.*

4. f *Nomen, & locum, & tempus.*] Hæc omnia ſunt explicanda, & proponenda in ipſa accuſatione iuxta formam accuſationis à iure præſcriptam *in l. libellorum, ff. de accuſat.* quæ reperitur *in cap. finali, verſiculo libellorum* 2. *quæſt.* 8. *l. in cauſis* 16. *Cod. de accuſat. l.* 5. *tit.* 20. *lib.* 4. *fori, l.* 14. *tit.* 1. *partita* 7. docent Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *vlt. quæſt.* 12. Bayo in praxi, *tit. de accuſat.* Paz *in praxi*, 5. *part. tom.* 1. *cap.* 3. §. 6.

g *Quaſi mixta.*] Eo modo, quo ſtatim exponemus.

COMMENTARIVM.

5. CONCLVSIO DECIVRE PROBATVR.

PRæſentis textus deciſio tuntùm ab ſpecie probari poteſt *ex cap. penult. hoc tit. in* 2. *collect.* in illis verbis: *Si matrimonij cauſa poſſit per procuratorem expediri, nos tua duxit prudentia conſulendos. Hîc autem decernimus diſtinguendum, quod ſi in ipſa cauſa matrimoniali criminaliter quæſtio ventilatur, & ob eandem ab aduerſa parte criminaliter ſit agendum, non per interpoſitam perſonam, ſed per ipſam perſonam principalem, cauſam matrimonij terminari oportet: cùm ſicut iura teſtantur, præſens præſentem accuſare debeat, & ſe talionis vinculo obligare. Secus autem in cauſa matrimoniali, in qua non criminaliter agitur, credimus procedendum; ſecuriùs tamen ageretur, ſi cùm haberi poſſit principalium præſentia perſonarum, ipſis præſentibus in vtroque ad diffinitionis calculum procedatur.* Vt tamen latior pateat diſputationi campus, ſequentem deduco aſſertionem: *In cauſis criminalibus nec accuſator, neque accuſatus per procuratorem in iudicio comparere poſſunt.* Probant eam textus *in cap. ſi quando* 2. *quæſt.* 6. *cap. abſente* 3. *cap. qui accuſare* 8. *cap. abſente* 11. *cap. abſens* 18. 3. *quæſt.* 9. *cap. in criminalibus* 2. *cum ſequenti* 5. *quæſt.* 3. *cap. ſtatuit* 25. *iuncta gloſſa verbo Alter* 1. *quæſt.* 5. *cap.* 1. *vt lite non conteſtata, cap. examinatores, de teſtibus, cap. veniens* 8. vbi gloſſa verbo *Defendendo, de dolo & contum. cap. veniens, cap. ſuper his* 16. *de accuſat.* Higinus relatus à Gratiano *in cap. criminationes* 2. *quæſt.* 7. quem tranſcripſerunt Lucius Papa *in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ, c.* 2. Iulius Papa in reſcripto contra Orientales pro Athanaſio, *can.* 20. Calixtus *epiſt.* 7. Stephanus Papa *epiſt.* 2. *can.* 4. Dionyſius Papa *epiſt.* 2. Marcellus Papa *epiſt.* 2. Damaſus *epiſt.* 3. Concil. Toletan. 6. *can.* 11. ibi: *Dignum eſt, vt vita innocentis nullâ maculetur pernicie accuſatorum. Ideoque quiſquis à quolibet criminatur, non antea accuſatus ſupplicio detur, quàm accuſator præſentetur.* Quem canonem retulit Gratianus *in cap. dignum* 3. *quæſt.* 9. ſed falsò tribuit Concilio Tolet. 7. vt iam notauit Antonius Auguſt. *in notis ad canones Adriani Papæ, cap.* 5. Concilium Chalcedon. *can.* 1. Vvormatienſe *can.* 47. Hadrianus Papa in ſua canonum collectione, *can.* 5. §. *ſi quis abſentem, can.* 20. 35. & 41. ex quo emendandus eſt textus *in cap. ſi quis* 2. *quæſt.* 6. vbi canon hic 41. refertur; nam cùm in eo canone habeatur, *procuratores*, Gratianus tranſcripſit, *exploratores*; quia ita legebatur apud Anſelmum *lib.* 3. *cap.* 88. vt iam notauit Auguſt. *in notis ad dictum canonem* 41. *Adriani.* Hieraldus Epiſcopus Turon. *can.* 84. ibi: *Quod in omni cauſa capitali, ſeu ſtatus, non per aduocatum, ſed per perſonam ſit agendum.* Et *l. penult.* §. *ad crimen, ff. de publicis iudiciis, l.* 1. *ff. an per alium cauſæ appellationis, l. miles*, §. *ea quæ, ff. ad legem Iul. de adult. l. ſeruum*, §. *publicè, ff. de procurat. l.* 3. *Cod. de accuſat. l. tunc conuenit* 15. *ff. eodem, l.* 3. *Cod. vbi Senatores,*

tores, l. vlt. Cod. de iniuriis, l. 2. Cod. ad legem Flauiam, l. de fide 16. Cod. ad legem Corn. de falsis. Paulus *lib. 5. sentent. tit. 16. §. 11.* Consonat de iure Regio lex 6. *tit. 1. partit. 6.* lex 11. *tit. 5. part. 3.* illustrant vltra congestos à Cenedo *collect. 30. ad decretum*, Barbosa *in præsenti*, & *in d. c. veniens 15. c. super his 16. de accusat.* Osualdus *ad Donel. lib. 18. c. 10.* Vulteius *de iudiciis lib. 1. c. 7. n. 552.* & *disput. iuris cap. 11.* Fachineus *lib. 1. controu. cap. 24. 25. & 26.* Euerardus Bronchorst. *enantioph. cent. 1. assert. 50.* Hothomanus *lib. 13. obseru. cap. 33.* Vvisembachius *disp. 49. num. 6.* Duarenus *ad titulum de procurat. cap. 6.* Caballo *resol. crimin. centuria 1. casu 23.* Petrus Gregorius *lib. 49. syntagm. cap. 4. num. 3.* Canisius *in repetit. ad hunc textum*, plures relati à Fermosino *in cap. pastoralis, quæst. 3. & 4. de iudiciis*, Nigrus Cyriacus *lib. 1. controu. cap. 66. num. 7.* & *tomo 3. controu. 488. per totam*, Antonius Matthæus *de crimin. ad titulum de accusatione, cap. 4.* Mancius *de procurat. tit. 1. num. 140.* Cuiacius *lib. 2. obseru. cap. 20. & 21.* & *lib. 15. responsorum Papin. in l. penult. ff. de publicis iudiciis*, & *in l. quamuis, Cod. ad leg. Iul. de adult.* Duarenus *ad titul. de procurat. cap. 6.* Robertus *lib. 2. sentent. cap. 3.* Guazinus *defensione 3. cap. 8.* Besold. *in delibat. iuris ex lib. 3. Pandect. tit. de procurat. §. 20.* Maceratus *lib. 3. resol. 3.* Antonius Gomez *lib. 3. var. cap. 1. num. 12.* Paz *in l. 15. styli*, Villadiego *in l. 4. tit. 2. lib. 2. fori.*

6. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO,

Verùm hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequentibus iuris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam procuratorum officium magnoperè Reipublicæ vtile, necessariumque esse suprà probaui *in cap. 1. de procurat.* præcipuè personis ecclesiasticis, quibus non licet diuina officia deserere, & litibus se immiscere, vt docetur *in cap. finali 5. quæst. 3.* igitur tam accusator, quàm accusatus possunt per procuratorem in iudicio comparere. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam causa famosa capitali comparatur, *l. iustè, ff. de manumissis vindicta, l. 4. ff. si quis cautionibus, l. hos accusare 12. §. omnibus, ff. de accusat.* D. Iosephus de Retes *in Analectis ad lib. de interd. & releg. excursu 2. in principio.* Sed in causa famosa procurator admittitur, *l. furti 6. §. si quis alieno, ff. de his, qui notantur infamiâ:* igitur quia in iudicio criminali, etiam capitali, procurator constitui potest. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam causa capitalis dicitur, quando ob eam seruitus venit irroganda, *l. capitulum, ff. de pœnis, l. licet 103. ff. de V. S.* vbi Fornerius, & Gentilis: sed cùm seruitus in pœnam venit irroganda, admittitur procurator: igitur quia in causa criminali procurator constitui potest. Probatur minor; nam cùm seruus ob ingratitudinem à patrono accusatur, si ingratitudo probetur, reuocandus est in seruitutem, *l. 1. & 7. Cod. de ingratis libertis:* sed in huiusmodi causa admittitur procurator, tam pro accusatore, quàm pro accusato, *l. sed hæc 35. §. 1. ff. de procurat. l. 4. ff. de obsequiis*, Paulus *lib. 5. sentent. tit. 16.* vbi Cuiacius: igitur in causa criminali, tam pro actore, quàm pro reo admittitur procurator. Secunda difficultas aduersùs suprà traditam assertionem ex eo nascitur; nam ad defensionem accusati quilibet de populo non solùm cum mandato, verùm & absque eo admittitur, vt ipsum defendat, & appellationem interponat: igitur pro reo in iudicio accusato admittitur procurator. Augetur hæc difficultas ex eo, quia seruus in iudicio accusatus potest per dominum defendi, vel per eius procuratorem, *l. seruus 11. ff. de iudiciis, l. serui 15. l. Lucius 18. ff. de appellat.* igitur quia reus accusatus per procuratorem defendi valet. Augetur secundò hæc difficultas ex lege *reos, Cod. de accusat. l. seruus 33. §. publicè, ff. de procurat.* vbi expressè asseritur, reum criminis postulatum, per procuratorem defendi posse. Tertia tandem difficultas militat aduersùs eam partem assertionis, vbi Innocentius idem decidit circa accusatorem, ac circa accusatum, videlicet vt neutro casu, nec pro accusatore, nec pro accusato procurator admittatur; nam licèt in popularibus iudiciis accusatores non possint procuratores constituere ad accusationem proponendam; tamen rei accusati procuratorem designare possunt ad sui defensionem, *l. qui popularis, ff. de popul. action. l. licèt, ff. de procurat. l. penult. ff. ne quid in loco publ.* igitur non rectè in præsenti idem ius statuitur in actore procuratorem constituente, ac in reo defensorem designante.

7. IVDICIORVM DIVISIO.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, iudicium aliud esse merè ciuile, aliud merè criminale, aliud tandem criminale, sed ciuiliter intentatum. Merè ciuile iudicium dicitur, quod continet petitionem alicuius rei debitæ ex contractu, vel quasi, quodque ab vllo crimine originem non trahit, *cap. cæterùm, cap. examinata, de iudiciis, l. properandum, Cod. eod. tit. l. 9. tit. 4. partita 3.* ideo iudicium ciuile opponitur criminali, *l. finali, ff. de furtis, §. in summa, Instit. de iniuriis.* Iudicium ciuile lenitatem significat; criminale verò iuris rigorem continet, *cap. per tuas, de simoniâ:* docent Duaren. *lib. 1. disput. cap. 35.* Menochius *de arbitrariis, casu 50. num. 6.* licèt aliter exponat Robertus *lib. 4. sentent. cap. 9.* Nec interest quod per viam exceptionis de crimine agatur, veluti ad repellendum testem, vel aduersarium, vt *in cap. 2. de ordine cognit. cap. 1. de except. cap. super his, de accusat, l. Lucius, ff. de his, qui notantur infam.* adhuc enim iudicium ciuile est, quia principaliter negotium ciuile disceptatur, vt docent Germonius *lib. 1. animad. cap. 19. per totum*, D. Ioannes Vela *de modo procedendi, cap. 1.* Fermosinus *in rubrica de iudiciis, num. 20.* Zangerus *de exceptionibus, parte 1. cap. 1. num. 41.* Iudicium verò criminale dicitur, in quo de crimine principaliter agitur ad publicam vindictam, *l. seruos, Cod. ad legem Iuliam de vi, l. vbi, Cod. ad legem Corn. de falsis:* vel ad pœnam fisco applicandam, vt docent Farinacius *in praxi, quæst. 100. num. 11.* Iulius Clarus *lib. 5. sentent. §. finali, quæst. 1. num. 2.* Moneta *de conseruatoribus, num. 213.* Bobadilla *tomo 2. polit. lib. 3. cap. 8. num. 214.* & *lib. 8. cap. 15. num. 15.* Parexa *de instrument. edit. tit. 2. resol. 6. ex num. 42.* Nec contrarium probat textus *in l. Gaius 22. ff. ad Syllan.* quam exponunt Cuiacius *lib. 16. qq. Papin. in eodem textu.* Ioannes Igneus *ibidem*, omnes Primarij nostri *in rubrica de iudiciis.* Mixtum iudicium dicitur, quod aliquid continet criminale; aliquid verò mutuatur à ciuili; quod contingit cùm agitur ad pœnam fisco applicandam, & simul parti in eius vtilitatem, vt *in l. licitatio 9. §. quod illicitè, ff. de publicanis, l. 12. tit. 6. lib. 6. l. 15. tit. 26. lib. 8. recopil.* Sed si reus in pœnam fisco applicandam simpliciter condemnetur,

netur, quam postea fiscus cum accusatore diuidat, non mixtum, sed merè criminale est, vt *in l. 25. §. finali, ff. ad Syllanianum.* Nec contrarium probat præsens textus ibi, *sed quasi mixtum*; vbi cùm agatur de pœna separationis quoad thorum, asserit Innocentius, mixtum esse iudicium. Nam omissis interpretationibus antiquorum repetentium *ad rubric. infra de iudiciis*, respondendum est, ipsam separationem quoad thorum aliqua continere, quæ cedunt in vtilitatem mariti accusatoris, & in publicam vindictam exercentur; siquidem ipsa adultera priuatur vtilitatibus, & honoribus coniugij, vt docet Mancius *lib. 1. Genialium, cap. 39.* qui etiam hoc modo accipit, & explicat textum *in cap. per tuas 32. de simonia.* Iudicium tandem criminale ciuiliter intentatum dicitur illud, in quo principaliter agitur de crimine, sed ad vtilitatem partis. Menochius *dict. casu 265. num. 4.* quo casu admittitur procurator, *cap. 1. vt lite non contest.* vel cùm pœna, quæ imponitur, est merè ciuilis; quo casu accipio textum *in cap. ex parte 9. de testibus,* & *in cap. 1. de iurament. calumn.* iuncto Bellamera *ibi, num. 5.*

8. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus ita animaduersis, vt ad rationem præsentis decisionis perueniamus, sciendum est, varias eius rationes adducere Iulium Clarum, Antonium Gomezium, Buccharonum, & alios congestos ab Osualdo *vbi suprà.* Ex quibus sequentem vt veriorem elegi, & ex eo nascitur, quia accusator tenetur per se accusationem proponere, non verò per procuratorem; quia cùm accusator teneatur subscribere in ipsa accusatione, *cap. super his, de accusat.* vt si calumniosè accuset, afficiatur talionis pœnâ, vt probabo *in dict. cap. super his*, eueniret quod si per procuratorem accusatio admitteretur, non ipse, sed procurator pœnâ talionis plecteretur, & pœna vltra delinquentem protraheretur, innocentemque teneret, contra iuris principia, de quibus *in cap. quæsiuit, de his, quæ fiunt à maiori parte, cap. Romana, de sententia excommunicationis, lib. 6. cap. qui crimen 1. quæst. 4. l. sancimus, Cod. de pœnis.* Accusatus autem ideo per procuratorem defendi nequit, ne illusorium reddatur iudicium, aut procurator innocens damnetur; cùm facilè dominus, ideest reus accusatus, fugam facere possit, & tunc procurator eius damnaretur, contra textum *in l. 1. Cod. de sententiis, & interl.* quæ ratio apertè traditur *in l. 11. tit. 5. partit. 3.* Cui etiam accedit & alia ratio; nam reus personaliter in iudicio debet comparere, vt ex vultus squallore, crebraque mutatione, sermonis inconstantia, vocis titubatione plerunque crimen admissum arguatur, vehementerque probetur, *l. de minore 10. §. plurimùm, ff. de quæstionibus.* Quintilianus *lib. 5. instit. cap. 4.* quippe, vt ait Cicero in oratione pro Pisone: *Vultus tacitus mentis sermo, & animi sensus est.* Cassiodorus *lib. 5. epist. 9. In vultu*, inquit, *& in voce cognoscimus mores.* Plura congessit Osualdus *lib. 17. Donelli, cap. 10. littera G.* iustè ergo in præsenti deciditur, nec accusatorem, nec accusatum per procuratorem in iudicio comparere posse. Fulcitur hæc dubitandi ratio ex veteri more obseruato apud Romanos in iudiciis publicis criminalibus exercendis. Apud eos enim, qui accusare paratus erat, nomen rei accusati apud quæsitorem deferebat, & inter reos recipi postulabat, profitendo quâ lege reum faceret: deinde subscribebat in crimen, iuxta tradita *in cap. super his, de accusat.* Deinde reus ad iudicium trahebatur, accusatore hæc verba proferente, *Aio te spoliasse, aut telo, vel veneno occidisse*, vel in aliam legem incidisse: quod si reus silentio continebatur, nec quidquam opponebat, vt conuictus credebatur; quod si negabat, petebantur à Magistratu dies inquirendi criminis, & ex tunc reus constitutus in reatu dicebatur: quæ omnia per extraneam personam, hoc est procuratorem, obiri nequibant: quare rectè, & iuxta iuris ciuilis sanctiones in præsenti docetur, nec accusatorem, nec accusatum per procuratorem audiendum esse. Prosequitur alias rationes Gomez.

9. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstant difficultates suprà pro dubitandi ratione expensæ; non prima, quia licèt procuratorum vsus valde vtilis, Reipublicæque necessarius sit; id tamen procedit in causis, quæ per procuratorem disceptari possunt, secus verò in eis, quæ procuratorem non admittunt, vt in causis criminalibus, in quibus nec coniuncta persona pro coniuncta admittitur. Mancius *de procuratoribus, num. 143. cum sequentibus.* Nec augmentum primum huius difficultatis obstat, quia absolutè verum non est, infamiæ causam capitali æquiparari; illa enim exæquatio in omnibus non procedit, sed in delatione iuramenti, & similibus causis, quas congerit Vvesembechius *ad titulum de procuratoribus, num. 5.* Nec secundum augmentum aduersatur; nam licèt pœna ingrati liberti capitalis sit, quippe ingratus redigitur in seruitutem; tamen ingratitudinis causa non criminaliter, sed ciuiliter instituitur; vnde procurator in ea interuenire potest. Nec secunda difficultas refragatur deducta *ex l. 6. ff. de appellationibus*; quia in ea tantùm permittitur, vt quilibet de populo appellare possit pro eo, qui perire festinat; non tamen vt possit causas innocentiæ proponere, aut eum defendere, vt in ipsa lege 6. innuitur. Nec etiam primum augmentum huius difficultatis aduersatur; verum enim est, seruum criminaliter accusatum, siue præsentem, siue absentem, defendi posse per dominum proprium, vel eius procuratorem, ex dictis iuribus *in l. serui 15. l. huius 18. ff. de appellationibus, l. si qui 7. §. penult. l. si seruum 17. ff. de accusationibus*, excepto seruo publicani, qui à domino defendi non potest, *l. 3. ff. de publicanis*; propter acerbam, & exosam publicanorum conditionem, *l. 4. ff. eod. tit.* Ratio est, nam seruus in domini patrimonio est, & per consequens non tam reum criminis dominus defendit, quàm rem propriam patrimonij sui, præcipuè cùm dominus tantùm proponat exceptiones, satisdetque seruum iudicio sisti, *d. l. seruus 17. l. 2. ff. de custodia reorum, l. 2. C. de accusationibus*; non verò vt pro eo condemnationem sustineat, *dicta l. 2. C. de accusationibus.* Et licèt in causis ciuilibus cum ipsis seruis agi non possit, aut eos facere iudicio sisti, *l. 3 ff. ne quis eum, l. quotiens 13. ff. si quis cautionibus, l. tutela 7. §. 2. ff. de capite minutis, l. 3. §. 8. l. 5. §. 2. l. non distinguemus 32. §. si seruus 8. ff. de receptis, l. cùm seruo, ff. de regulis iuris*, vbi plura Petrus Faber, & Gothofredus; iudicium tamen criminale plerumque cum seruis dari potest, *l. hos accusare 12. §. omnes, ff. de accusationibus, l. penult. §. vlt. ff. de noxalibus*; ne videlicet abiectæ conditionis hominibus delinquendi daretur occasio, sed pœna eos constringat, & eius formidine retrahantur à noxa: ergo cùm seruus in domini patrimonio sit, si de capitali crimine accusetur, per dominum suum, vel ipsius procuratorem defendi potest; & eodem modo, quo serui à dominis defenduntur,

tur, filij etiam familias à parentibus defendi valent. Hoc tamen ius defendendi seruos, ac filios, non ita coactiuum est, quod etiam nolentes valeant ad defensionem compelli, aliquâ aduersùs eos impositâ pœnâ; quin potiùs ita in ipsorum voluntate positum est, quod etsi eos defendere nolint, non magis ob id filiusfamilias absolutus à crimine à patria liberetur potestate, quàm seruus à dominica.

10. DISSOLVITVR ALIA DIFFICVLTAS.

Nec obstat aliud augmentum ipsius difficultatis deductum *ex d.l. reos*, *C. de accusationib.* pro cuius solutione varias distinctiones adduxerunt Cuiacius *lib. 20. obseru. c. 20.* Pacius *cent. 2. antinomia 40.* Duarenus *ad tit. de procurat. cap. 6.* Donellus *lib. 18. comment. cap. 11.* Antonius Matthæus *de criminibus, ad tit. de accusat. cap. 4.* Quibus omissis dicendum est, quod licèt verum sit, reum criminali iudicio accusatum non posse per procuratorem defendi; tamen si talis reus post litem contestatam, vel vt ait Papinianus *in l. inter 10. ff. de publicis iudiciis*, cognitione suscepta abfuerit, eius absentiæ causæ per procuratorem valent proponi, *l. penult. §. Prætor, ff. de furtis, l. absens 71. ff. de procurat.* Paulus *lib. 5. sentent. tit. 16. §. ne criminis, cap. veritatis, de dolo & contumacia*, Donellus *lib. 18. comment. cap. 10.* Guazinus *defens. 12. per totam:* quo casu procedunt textus *in cap. veniens 14. de accusat. & d. l. seruus 33. §. publicè 2.* in illis verbis: *In capitalibus iudiciis defensio datur*; ideſt, excusator admittitur, qui absentiæ causas referat, non autem rei absentis innocentiam proponat: & *in d.l. reos*, vbi docet Alexander, reos capitalium criminum, ideſt iam notatos Capitali crimine, per procuratorem defendi, legem publicorum iudiciorum permittere; vel vt dicitur *in d.l. penult. §. 1. ff. de publicis iudiciis*, Senatusconsultum: quod idem significat; nam Senatusconsulta ad leges fieri solebant; quare quod lege cautum fuit, Senatusconsulto factum fuisse plerumque dicitur, §. *eadem, Instit. quibus ex causis, l. 1. ff. de officio Consulis.* Dixi post litem contestatam ex lege, seu Senatusconsulto reum absentem excusari posse; nam ante litis contestationem capitalis criminis accusatus absens per procuratorem defendi non potest, nec accusari, seu condemnari, *l. absentem 6. C. de accusat. l. absentem 5. ff. de pœnis, l. 1. ff. de requirendis reis, l. si maritus 15. ff. ad legem Iul. de adult.* sed tantùm annotari in actis, vt requiratur & sui copiam faciat, *l. 1. §. 1. & 2. l. annus 15. ff. de requirendis reis, l. 1. §. præscriptio 3. ff. de iure fisci, l. qui cum vno 5. §. reus, ff. de re milit.* ratione contumaciæ: & si per trinundinum, hoc est, tribus edictis vocatus non comparuerit, intra annum bona assignantur, & obsignatione factâ, post annum fisco addicuntur, vt probant Vulteius *discept. iuris cap. 11.* Desiderius Heraldus *lib. 1. de auctoritat. rei iudic. cap. 11.* Nec huic solutioni obstat textus *in l. miles 12. §. ea quæ, ff. ad legem Iul. de adult.* vbi Papinianus respondet, mulierem inter reas adulterij receptam, per procuratorem defendi non posse, licèt absens sit: igitur prædicta solutio sustineri nequit. Nam dicendum est, prædictam doctrinam tantùm locum habere in delicto, quod meretur pœnam capitalem: at vbicumque absens accusatus capitali pœnâ damnari nequit, sed tantùm vsque ad relegationem, defensor, vel procurator ad excusandum crimen, vel causas absentiæ allegandas non admittitur, quia cessat mortis periculum, cuius ratione defensor absentis admittitur, *l. 1. §. & si, ff. an per alium causæ appellationis.* Vnde apparet vera interpretatio textus *in dict. §. ea quæ*; nam licèt aliquando crimen adulterij capitale esset, Liuius *lib. 4.* Valerius Maximus *lib. 8. cap. 2.* Suetonius *in Iulio, cap. 2. & 48.* Tacitus *lib. 2. historiæ*; tamen ex lege Iulia ab Augusto lata pœna capitis statuta non fuit nisi in milites, *l. miles 11. in principio, ff. ad legem Iul. de adult.* Suetonius *in August. c. 43.* eorum enim mores honestissimos in publico patère decuit, *l. quædam 14. ff. de pœnis, cap. si gens, 56. dist.* tantùm enim vsque ad pœnam relegationis contra adulteros procedi poterat, vt non obscurè docetur *in l. si quis viduam 5. ff. de quæstionibus, l. 4. ff. de testibus, l. Diuus 8. ff. de diuortiis, l. Claudius 13. ff. de his, quæ vt indignis.* Diuus Augustinus *lib. 3. de ciuitate Dei, cap. 5.* docet Cuiacius *lib. 6. obseru. cap. 11.* & *lib. 20. cap. 18.* quamuis postea pœna capitis statuta esset, vel à Constantino & Constante *in l. 4. C. Theodos. quorum appellationes, l. 2. iuncta l. 4. eod. C. de indulgentiis*, vt vult Cuiacius *vbi supra*; vel à Constantino, vt probari videtur *in l. quamvis, §. finali, C. ad legem Iul. de adult.* iunctâ nouellâ 134. *cap. 10.* vbi Iustinianus hanc pœnam, vt ab Augusto statutam, refert & notabimus *in cap. 2. de adulteriis.* Inde ergo *in d. §. ea quæ*, defensor pro muliere absente non admittitur, quia tunc temporis adulterij pœna capitalis non erat. Nec obstat vltima difficultas; nam verum est accusatorem in iudicio populari non posse procuratorem constituere, reum verò posse defensorem nominare: differentiæ ratio manifesta est, quia quemcumque actor in procuratorem elegerit, ipse etiam sine mandato, suo nomine, tanquam vnus ex populo propriam actionem habet: & generaliter certum est eum procuratorem non rectè constitui, qui suo iure, & proprio nomine in eadem causa in iudicio comparere potest; quæ ratio non militat in reo accusato; vnde ipse potest procuratorem ad sui defensionem constituere, vt variis exemplis probat Vulteius *de iudiciis, lib. 2. cap. 7. num. 563.*

11. EXPONITVR CAP. MARITIS 3. DE ADVLTERIIS.

Sed suprà traditæ assertioni primò obstat textus *in cap. maritis 3. de adulteriis*, in illis verbis, *accusare, & defendere:* ex quibus constat, maritum posse defendere vxorem suam criminaliter ab extraneo accusatam de adulterio: igitur quia reus accusatus in iudicio, etiam per procuratorem defendi valet. Cui difficultati respondendum est, textum illum specialiter procedere in marito, qui potest vxorem suam defendere in iudicio, quia potiùs vt consors litis, quàm vt procurator rem propriam defendere videtur, videlicet honorem proprium; vnde cùm non sit extranea persona, sed potiùs dominus, aut consors litis, rectè asseritur, vxorem propriam defendere posse.

12. EXPLICATVR CONCILIVM EMERITENSE, CAN. 5.

Secundò aduersatur textus *in can. 5. Concilij Emeritensis*, vbi cùm agatur de Presbytero, seu Archipresbytero ad Concilium ab Episcopo vocato, in calce ipsius canonis hæc leguntur verba *Quemcũque ergo ex Presbyteris dirigere elegerit, instructum per informationem dirigat, vt ratio poscit, atque cum eo mandatarium suum iuxta legis ordinem munitum: vt si à quolibet contra eundem Episcopum in Concilio fuerit suggestum, ab eo, quem direxerit, qui petit, accipiat responsum, & iustitia, quæ fuerit ordinata, nullã postmodùm dilationem habeat.* Ex quibus expressè constat, posse reum accusatum per procuratorem defendi: igitur non rectè asserimus, reum per procuratorem in iudicio accusatum non posse defendi. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo canone non agi de causis criminalibus, sed ciuilibus, & ciuiliter intentatis, in quibus Presbyter ab

Episcopo ad Concilium missus proprium Prælatum defendere potest; quod facere nequiret, si criminaliter accusaretur. Nec tunc obstat textus *in cap.1.5.q.3.* vbi deciditur, Episcopum de crimine accusatum, in Concilio non comparentem, nec per se, nec per procuratorem suspendendum esse propter contumaciam: igitur quia siue ciuiliter, siue criminaliter Episcopus in Concilio accusatus, potest per procuratorem se defendere. Quia respondendum est, in eo textu agi de procuratore destinando ab Episcopo, non vt ipsum defendat à causa criminali, sed ad allegandas causas absentiæ, vel exceptiones merita causæ principalis non respicientes; quo casu procuratorem pro reo admitti, iam suprà probaui, & docet Mancius *de procuratoribus, vbi suprà, num.* 167. quo etiam modo procedit textus *in cap. dilecti* 8. *de dolo & contum.* vbi pro absente accusato admittitur procurator ad absentiæ causas proponendas, non verò ad excusandum crimen principale.

13. INTELLIGITVR CAP STATVTVM 2. Q. 4.

Deinde suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. statutum* 25. 2. *q.* 4. vbi ex Concilio Salegustadensi refertur, quod si duo accusati fuerint de adulterio, & ambo negauerint illud perpetrasse, vnusque purgationi offeratur, & ex ea immunis euadat, alter quoque innocens credatur. Ex quo canone expresè constat, reum adulterij accusatum, posse per alium ita defendi, vt innocens declaretur: igitur quia reus accusatus per alium defendi potest. Cui difficultati varias assignat solutiones glossa in eo textu, verbo *Alter illorum.* Quibus omissis dicendum est, veram illius textus interpretationem prouenire ex natura delicti adulterij; nam cùm crimen hoc admitti non possit nisi inter duos, si vnus ex reis accusatis innocentiam probauerit, necessariò alter ab accusatione absoluendus est, non quia per alium defendatur, sed quia per purgationem, quam suscepit, causa accusationis cessauit.

14. EXPONITVR L. NOSTRIS, C. DE ACCVSAT.

Etiam præsenti assertioni obstat textus *in l. nostris* 8. *C. de accusat.* quæ est lex 2. *C. Theodos. de accusat.* in illis verbis: *Nostris & nostrorum parentum constitutionibus comprehensum est, eos, qui accusationes alienis nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducendos.* In quibus apertè supponitur, accusationem alieno nomine in iudicio admitti: igitur quia per procuratorem potest quis alium accusare. Pro cuius textus expositione sciendum est, nonnunquam euenire, vt accusatio alieno nomine proponatur, veluti cùm tutor pupilli sui nomine accusationem intendit, *l. tutorem* 22. *ff. de his, quæ vt indignis, l. Polla* 2. *C. eod. tit. l. aduersùs,* §. 1. *ff. de inoffic. testamento,* §. *tutor, Instituta eod. tit.* Illustrant Scipio Gentilis *in notis ad apolog. Apulei, pag.* 17. Cuiacius *in notis ad Paulum lib.5. sentent. tit.*12. §. 4. Iacobus Gothofredus *in d.l.*2. *C. Theodos. de calumn.* & *in l.* 17. *eod. C. de accusationibus,* vbi exponunt legem 2. *C. qui accusare:* ad quem casum, & similes referri debet textus *in d.l.nostris,* vt in eius commentario obseruauit Gothofredus. Etiam opponi potest præsenti assertioni textus *in cap. dilectorum* 10. *de testibus cogendis;* cuius veram interpretationem dabimus in eius textus commentario, *cap. meminimus, de accusat.* iuncto Felino *ibi, num.*9. *l.*39. §. *vlt. ff. hoc tit.* cum Vvesembech. *in parat. ad eundem tit. num.*5.

CAPVT VI.

N. [a] *Archipresbytero, N. Decano, & N. Præcentori* [b] *Lugdun.*

CVm pro causa, quæ inter dilectos filios Falconem, & Gualterum [c] Cabilonen. Ecclesiæ Archidiaconos vertebatur, procuratores vtriusque partis ad nostram præsentiam accessissent, nos eis dilectum filium nostrum G. Sancti Adriani Diacon. Cardinalem concessimus auditorem, coram quo ipsius F. Archidiaconi [d] procurator proposuit, quod cùm olim pro variis grauaminibus, quæ aduersarij eius Cabilonen. Ecclesiæ inferebant, ad Sedem Apostolicam accessisset, ad dilectos filios N. Abbatem S. Martini, N. Cantorem Eduen. & N. Archidiaconum Flauiniacen. litteras impetrauit, vt dictum G. Archidiaconum canonicâ districtione compellerent, vt ab Cabilonen. Ecclesiæ, & hominum cuiusdam obedientiæ eius, qui Potestas Boiaci dicitur, molestatione cessaret, & de iniuriis illatis ipsum eidem Ecclesiæ satisfactionem cogerent debitam exibere. Cúmque iudices secundùm mandatum Apostolicum vellent in causa procedere, pars aduersa, vt iudicium declinaret, Sedem Apostolicam appellauit. Adiecit etiam, quod à bonæ memoriæ C. Papa prædecessore nostro confirmationis litteras impetrarat super quibusdam institutionibus eiusdem Ecclesiæ de communi assensu Capituli constitutis, ex quarum inobseruantia Ecclesia ipsa debito seruitio fraudabatur. Licèt autem idem prædecessor noster venerabili fratri nostro N. Eduensi Episcopo ad eiusdem Archidiaconi postulationem mandasset, vt eas faceret obseruari; ipse tamen semel solummodo Cabilonen. Capitulo pro his seruandis suas litteras destinauit, nec super hoc vltrà processit. Petebat itaque procurator ipse pro Archidiacono memorato priorem causam committi, confirmari constitutiones prædictas, & eas sibi restitui, quæ ad vtilitatem eiusdem Ecclesiæ coactus fuerat expendisse. Cæterùm procurator partis alterius ex aduerso respondit, quod cùm dictus F. Archidiaconus in Succentorem Cabilonen. Ecclesiæ Diaconatus fungentem officio, in communi dormitorio manus iniecisset temerè violentas, & eum traxisset verberando per claustrum, tu frater Archiepiscope eum ob violentam manuum iniectionem, & violationem immunitatis Ecclesiæ fecisti excommunicatum publicè nuntiari.

Ipse

Ipſe verò ad Apoſt. Sedem accedens, confeſſus eſt, quod in clericum manus iniecerat violentas: ſupprimens autem, quod immunitatem violaſſet Eccleſiæ, ſuper abſolutione ſua litteras impetrauit; ſed nihilominus in excommunicatione remanſit, cùm alteram cauſarum, pro quibus excommunicatus fuerat, tacuiſſet. Vnde ipſum nec in iure ſtare poſſe dicebat, nec procuratorem conſtituere; præſertim cùm is, cui cauſæ ſuæ procurationem commiſerat, ob exceſſum ſimilem eadem innodatus ſententia teneretur. Ea etiam carere viribus allegabat, quæ in excommunicatione poſitus à Sede Apoſt. impetrarat. Licèt autem per hoc dictus G. Archidiaconus ei non teneretur, niſi obtento priùs abſolutionis beneficio reſpondere, nihilominus tamen ſe dictorum iudicum conſpectui præſentarat, & per litteras venerabilis fratris N. Epiſcopi, & dilecti filij N. Decani ipſius Eccleſiæ oſtenderat, quod nec ipſe aduersùs eandem Eccleſiam, nec Eccleſia aduersùs eum haberet aliquam quæſtionem: & litteræ, quas aduerſarius eius obtinuerat, ab Apoſt. Sede impetratæ non fuerant de Capituli voluntate. Accedente igitur die altera, quæ ipſis fuerat aſſignata, cùm ſuper eo quæreretur à partibus, an iterum renitente Capitulo dictus F. Archidiaconus eſſet pro Cabilonen. Eccleſia contra eundem G. Archidiaconum admittendus, ipſe G. propter ſuſpicionem iudicum ad Sedem Apoſt. appellauit. Ad ea verò, quæ ſuper ſeruandis conſuetudinibus Eccleſiæ propoſita fuerant, ſic reſpondit: quod cùm memoratus Epiſcopus dictis Decano & Capitulo mandauiſſet memoratas conſuetudines obſeruari, reſponderunt ſe ipſas libentiùs ſeruaturos, niſi paupertas Eccleſiæ impediret: adiicientes vt ſtatum Cabilon. Eccleſiæ per ſuas litteras Sedi Apoſtolicæ nuntiarent. Ex his igitur concludebat, nec expenſas, quas dictus F. Archidiaconus fecerat, ipſi debere reſtitui; cùm potius vt ab excommunicationis vinculo ſolueretur, ad Sed. Apoſt. acceſſiſſet: nec eum eſſe ſuper confirmandis Eccleſiæ conſuetudinibus audiendum, cuius non poterat litteras procurationis oſtendere, immò ipſe procurator eſſet à Capitulo inſtitutus: propter quod cum inſtantia poſtulabat ordinationem Eccleſiæ dictis Epiſcopo, & Decano committi: ita quod quidquid de maiori, & ſaniori parte Capituli, tam ſuper inſtituendis Canonicis, quàm ſuper aliis ad ordinationem eiuſdem Eccleſiæ pertinentibus conſtituerent, non obſtante contradictione paucorum inuiolabiliter ſeruaretur, non obſtantibus litteris ſuper ſeruandis prædictis conſuetudinibus ad dictum Eduen. Epiſcopum deſtinatis. Petebat etiam dictum F. Archidiaconum excommunicatum denuntiari, cùm nec ſatisfeciſſet paſſo iniuriam, & de violatione immunitatis Eccleſiæ non feciſſet aliquam mentionem. Ex parte verò prædicti F. Archidiaconi taliter fuit ad obiecta reſponſum, quod licèt ſuper violenta manuum iniectione accuſatus fuiſſet, ei fuit Eccleſiæ ſolummodo introitus interdictus: ſed poſtmodùm ad Apoſt. Sedem accedens, ſine contradictione qualibet fuerat abſolutus. Nos igitur cauſam ipſam veſtro examini committentes, diſcretioni veſtræ per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit dictum F. Archidiaconum ob duplicem cauſam excommunicatum fuiſſe, & expreſſiſſe tantùm alteram in litteris, quas ſuper abſolutione ſua ab Apoſt. Sede obtinuit, ipſum tanquam excommunicatum ſatisfacere Eccleſiæ ſuæ de altera, monitione præmiſsâ, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remotâ cogatis. Prædictas verò conſtitutiones, ſi eas de aſſenſu Capituli maioris, & ſanioris partis inueneritis eſſe factas, & poſſibilitas Eccleſiæ patitur, faciatis inuiolabiliter obſeruari. In aliis ordinationem Eccleſiæ prædictis Epiſcopo, & Decano authoritate Apoſtolica committatis: ita vt quæ cum maiori parte Capituli, tam ſuper Canonicis inſtituendis, quàm ſuper aliis canonicè duxerint ſtatuenda, non obſtante contradictione, vel appellatione paucorum obtineat firmitatem. Expenſas verò antedicto Archidiacono reſtitui faciatis, ſi legitimè probare potuerit, ſe de Capituli mandato ſuſcepiſſe prædicta negotia promouenda, & propter hoc ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſe. Nullis litteris, &c. præter aſſenſum partium, &c. Quod ſi non omnes, &c. tu frater Archiepiſcope cum eorum altero, &c. Datum & cætera.

NOTÆ.

1. a *Archipreſbytero.*] De dignitatibus Archipreſbyteri, Decani, & Præcentoris egi *in cap. 2. cap. ad aures, de reſcript. cap. 1. de offic. Archipreſbyteri.*

b *Lugdunenſi.*] In quarta collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* & in hac ſexta tantùm legitur, *idem.* Ex epiſtolis verò ipſius Pontificis editis à Guillelmo Sirleto *pag. 149.* reſtituo litteram huius textus. De Eccleſia Lugdun. iam nonnulla adduxi *in c. finali.*

c *Cabilonenſi.*] De Cabilonenſi diœceſi nonnulla adduxi *in cap. penult. de conſtit.*

d *Procurator G.*] Verba, quæ ſequuntur, extant *in cap. cùm pro cauſa, de ſent. excom.*

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX præsenti textu, provt à Raymundo transcripto, sequens communiter deducitur assertio: *Qui de mandato domini causam procurauit, ab eo repetit expensas in lite factas.* Probant eam textus *in l. hæredem* 14. *l. si mandatum* 15. *l. idemque*, §. *idem*, *l. ab eo*, *l. inter* 26. §. *finali*, *l. si quis* 27. §. *impendia*, *l. qui mutuam* 56. §. *fin. ff. mandati*, *l. si quis* 31. *l. actoris*, *l. qui proprio* 46. §. *item* 5. *ff. de procur. l. si seruus* 61. §. *quod verò*, *vers. iustissimè*, *ff. de furt. l.* 1. *l. etiam* 4. *l. procuratorem* 11. *l. si quis contra* 20. §. *fin. l. salarium*, *C. mandati*, *l. si quis mandato*, *l. sed an vltrò*, *ff. de negot. gest. l. sumptus* 53. *ff. de pact. cap. quicumque* 12. *q.* 4. *cap. quod quibusdam*, *de fideiuss. cap.* 1. *de deposito.* Consonat lex 25. *tit.* 5. *partit.* 3. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, P. Gregor. *lib.* 27. *syntagm. cap.* 5. *circa fin.* & *lib.* 3. *partit. tit.* 18. *cap.* 8. Pichard. *in* §. 1. *Instit. de his per quos, num.* 61. Faber *in ration. ad d.* §. *impendia*, Donel. *lib.* 5. *comment. cap.* 13. Vvesembech. *ad tit. de procur. num.* 8. Cuiac. *in l.* 1. & 4. *C. mandati*, Bocer. *tom.* 1. *tit. de mandat. in fin.* Genuensis *practicab. q.* 579. Mancius *de procurat. num.* 350. Altesserra *in hoc textu.*

3. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Hæc tamen assertio ita illustrata difficilis valde redditur sequentibus iuris considerationibus. Prima ex eo nascitur, nam ex natura mandati prouenit, vt sit gratuitum, nec in eo vlla merces interueniat, *l.* 1. §. *vlt. l. si remunerandi* 6. *in princip.* & § 6. & 7. *l. salarium* 7. *l. idem* 10. §. *si ex fundo*, & §. *idem Labeo*, *l. si verò* 12. §. *inde*, *l. ex mandato* 20. *cum sequenti*, *ff. mandati:* sed si procuratori soluantur expensæ pro suscepto mandato exequendo factæ, non est gratuitum mandatum: igitur repugnat naturæ mandati, vt expensæ laboris, & ministerij illi soluantur. Augetur hæc consideratio ex eo, quia etsi procurator aliquando posset expensas repetere, maximè cùm negotium bene gessit, & effectum habuit, *l. sed an vltrò* 10. §. 1. *ff. de negotiis gestis*, *l.* 5. §. *quid tamen*, *ff. iudicatum solui:* igitur indistinctè verum non est, procuratorem expensas repetere posse. Secunda difficultas militat aduersùs nostrum Innocentium, dum distinguit in eo casu, quo Archidiaconus impetrauit rescriptum ad confirmationem statutorum ipsius Ecclesiæ, vtrum mandatum habuisset, vel non; cùm certum sit, rescriptum impetrari non posse absque mandato speciali domini, *cap. nonnulli* 27. §. *vlt. cap. ex parte* 33. *de rescriptis:* igitur si in præsenti casu Archidiaconus impetrauit rescriptum, supponi debet mandatum præcessisse, & quidem speciale.

4. DE DIRECTA MANDATI ACTIONE.

Sed vt Innocentij mentem, eiusque decisiuam rationem comprehendamus, sciendum est, ex mandati contractu ritè legitimeque celebrato, duplicem obligationem, duplicemque actionem nasci, directam videlicet, & contrariam: directa competit mandanti aduersùs mandatarium, seu procuratorem; contraria verò ipsi procuratori, seu mandatario, *l. licet* 42. §. 2. *ff. hoc tit.* per actionem directam tenetur mandatarius, seu procurator primò ad mandatum susceptum legitimè exequendum, *l. si procuratorem* 8. §. *sed si de lite*, *l. si mandauero* 22. §. *finali*, *l. si quis* 27. §. *qui mandatum*, *ff. mandati*, & vt illud exequatur iuxta fines, & formam mandati, *l. diligenter* 5. *l. potest* 41. *l. si quis* 46. *ff. mandati*, *l. procuratorem* 11. *cum l. sequenti*, *C. eod. tit.* & iuxta bonam fidem, ne dolum, culpamve etiam leuissimam admittat, *l. à procuratore* 13. *l. in re mandata* 21. *C. mandati.* Cuiacius, Petrus Faber, & Iacob. Gothof. *in l. contractus* 23. *ff. de R. I.* Secundò tenetur reddere rationes eorum, quæ gessit, & quæ inde consequutus est, siue iustè, siue per iniuriam iudicis; id enim omne reddere debet, *l. qui proprio* 46. *l. procurator*, *ff. hoc tit. l. si procuratorem* 8. *ff. mandati*, etiam fructus & vsuras, *l. idemque* 10. §. *si ex fundo*, & §. *idem Labeo* 9. *ff. mandati:* etiam tenetur cedere actiones mandatori, maximè si soluendo non sit, *d. l. si procuratorem*, *l. si liber homo*, *l. qui mandatum* 43. *ff. mandati*, *l. possessio* 49. §. *vlt. ff. de adquirenda possess.* alia prosequitur Bocerus *d. tom.* 1. *class.* 2. *disput.* 6.

5. DE ACTIONE CONTRARIA MANDATI.

Per actionem mandati contrariam nonnulla etiam consequitur mandatarius, seu procurator: Primò pecuniam, etiam ante exequutionem mandati, si necessaria sit ad eius implementum, *l. si vero* 12. §. *finali*, *ff. mandati:* deinde vt impensas factas in exequutione mandati recuperet, *l. si quis* 27. §. *impendia*, *l. qui mutuam* 56. §. *vlt. l. Papinianus*, *ff. mandati.* Similiterque, vt dominus soluat omne id, quod per mandatum amisit, eumque liberet ab obligatione, in quam occasione mandati incidit, *l. si mandatum* 45. *in principio*, & §. *quotiens*, *ff. mandati*; & si nolit dominus in se suscipere obligationem, condemnabitur in quantum interest mandatarij, *l. si quis alios* 13. *in principio*, *ff. de re iudic. l. stipulatione* 72. *vers. Celsus*, *ff. de V. O.* etiam habet actionem procurator aduersùs dominum, si non mandati, extra ordinem ad salarium constitutum exigendum, *l. salarium* 7. *l. qui mutuum* 56. §. *finali*, *ff. mandati*, *l. salarium* 17. *C. eodem.* Quæ omnia mandatarius consequi potest etiam retentione rerum, *l. quæ omnia* 25. *cum sequenti*, *ff. de procurat. l. si non area* 33. *in fine*, *ff. de condict. indeb. l. Paulus* 14. *ff. de doli mali except.*

6. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus ita animaduersis apparet iam vera decidendi ratio præsentis textus; nam bona fides contractus mandati exigit, vt procurator damno non afficiatur, *l. si vero* 12. §. *si mihi*, *l. si quis* 16. *l. si mandauero* 22. §. *interdum*, *ff. mandati*; quia officium suum nemini debet esse damnosum, *l. sed & si* 7. *ff. quemadmodum testamenta*, *l. si seruus*, *ff. de furtis*; qui enim procuratori suo iussit negotia sua gerere, aut rescriptum impetrare, tacitè permisit impensas in ipso negotio factas soluere, *l. ex mandato*, *in principio*, *ff. mandati.* Vnde cùm non fraudentur qui consentiunt, *l. nemo videtur*, *ff. de R. I.* rectè Pontifex in præsenti decreuit Archidiaconum virtute mandati procuratorij posse impensas repetere, & vsuras pecuniæ impensæ, *l.* 1. *C. mandati*; & omnia, quæ bona fide erogauit, *d. l. si mandauero*, §. *impendia*, *l. si mandassem* 15. *l. ex mandato* 20. *ff. mandati*, *l. si seruus* 61. §. *quos verò*, *ff. de furtis.* Hæc autem procedunt si mandatum gratuitum interceßit, si verò merces constituta sit procuratori, tunc actio locati datur, *l.* 1. *in fine*, *ff. mandati.* Si nec merces constituta fuerit, nec gratis procurator negotiũ gerat, sed tantùm accepturus, quantùm postea conuenerit, datur actio præscriptis verbis, argumento textus *in l. si tibi* 22. *ff. præscrip. verbis.*

7. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

Nec obstant difficultates suprà expensæ. Non prima, verum enim est, mandatum ex sua natura gratuitum esse debere, quia si merces interueniat, transit in aliud genus contractus, locationis videlicet, vel contractus innominati: sed sicut naturæ mandati non repugnat salarij cõstitutio à mandante facta, nec honorariũ remunerandi gratiâ promissum, *l. salariũ*, *l. si remuner. ff. mand.* ita non repugnat, imò magnoperè bonæ fidei congruit, vt impensæ factæ in mãdati executione procuratori præstentur.

Nec

Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam magnum discrimen versatur inter procuratores, qui mandato domini negotia gerunt, & inter eos, qui vltrò se offerunt administrationi absque vllo mandato. Primi, siue res benè, aut malè cesserit, dum tamen sine culpa, habent actionem mandati contrariam ad expensas factas in executione mandati; illi verò, qui negotiationi se obtulerunt, ita demùm actionem mandati habent, si res bene cessit, quia sibi imputare debent, cur vltrò administrationi alieni patrimonij se immiscuerint, *d. l. sed an vltro* 10. *§. 1. ff. de negotiis gestis*; quæ ratio non militat in procuratore, qui se immiscuit alieno negotio virtute mandati, vt docent repetentes *in præsenti*. Donellus *in l. etiam* 4. *C. mandati*, Faber *in l. qui mutuam* 56. *§. vltimo, ff. mandati*. Nec secunda difficultas obstat; doctrina enim in ea tradita procedit in rescripto iustitiæ impetrando; quod absque speciali mandato impetrari nequit, ex dispositione Concilij Later. *in cap. nonnulli* 27. *§. vltimo, de rescriptis*. At rescriptum gratiæ absque vllo mandato impetrari valet, de quo accipiendus est præsens textus; in cuius specie impetrauerat Archidiaconus rescriptum confirmatorium statutorum ipsius Ecclesiæ; quæ impetratio duplici ex causa sustineri poterat. Prima quia litteræ ipsæ gratiam continebant: secunda, quia persona ipsius Capituli eas impetrauerat.

Adhuc superiori assertioni obstat textus *in l. vnica, §. si ob impensas, C. de rei vxoriæ actione*, vbi Iustinianus in illis verbis: *Si quidem mulieris voluntas intercedat, mandati actionem à nostra auctoritate marito contra vxorem indulgeri*; statuit speciali beneficio se concedere actionem mandati contrariam illi, qui mandato impensas fecit: igitur quia iure communi actio mandati contraria non competit ad recuperandas impensas in executione mandati factas. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, in eo textu agi de impensis in rebus dotalibus factis; quæ si necessariæ sint, ipso iure minuunt dotem, & maritus earum retentionem habet, *l. 2. l. quod dicitur 5. l. penult. ff. de impensis, l. dotes* 61. *ff. de ritu nuptiarum*. Barbosa *in rubrica ff. solut. matrim.* Corrasius *in d. l. quod dicitur*, Cuiacius *lib. 23. observ. cap.* 12. Pichardus *in §. fuerat, n.* 13. *Instit. de actionibus*. Don Nicolaus de Castro *in l. 2. C. de fundo dotali, num.* 13. Roman. Valeron *lib. vnico animad. cap.* 10. *&* 11. quod Iustinianus immutauit statuens, vt ob impensas à marito factas retentio illi non daretur; sed si mandato vxoris factæ sint, actio mandati marito competat; si absque mandato, actio negotiorum gestorum: non ergo in eo textu agitur de procuratore, qui regulariter actionem mandati contrariam habet ad recuperandas impensas, ex præsenti textu, & suprà traditis.

8. EXPONITVR L. VNICA, §. C. DE REI VXOR. ACTION.

CAPVT VII.

Idem *Scholaribus* [a] *Parisienſ.*

QVia in causis, quæ contra vos, & pro vobis mouentur, interdum vestra Vniuersitas ad agendum, & respondendum quotidie interesse non potest, postulastis à nobis, vt procuratorem instituere super hoc vobis de nostra permissione liceret. Licèt igitur de iure communi hoc facere valeatis, quia tamen hoc petiistis à nobis deuotioni vestræ specialiter indulgeri, instituendi procuratorem super his, [b] auctoritate præsentium vobis concedimus facultatem.

NOTÆ.

1. a *Parisiensibus.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. de hac percelebri Academia Parisiensi egi *in cap. ex litteris, de constit.*

2. b *Auctoritate præsentium.*] Sed ad quid hæc specialis concessio? cùm iure communi attento quælibet communitas possit procuratorem constituere, *cap. vnico*, iunctis ibi adductis, *de syndico*; præcipuè cùm priuilegium suâ naturâ exigat, vt aliquid speciale per illud concedatur, vt probat P. Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 1. Cui difficultati communiter respondetur, Innocentium III. in præsenti concessisse facultatem constituendi procuratorem iure communi Scholaribus Parisiensibus competentem, ad tollendum, si quod erat, dubium circa ipsos, vt in aliis casibus plerumque à Romano Pontifice factum legimus *in cap. & si Christus, de iureiur.* & aliis congestis à Nauarro *in tract. de oratione, cap.* 3. *num.* 31. Emman. Rodriguez *tomo* 1. *quæstion. regul. q.* 7. *art.* 1. Suario *d. lib.* 8. *de legibus, cap.* 1. Sed pro huius difficultatis vera solutione sciendum est, olim apud Francos non licuisse citra Principis rescriptum per procuratorem in iudicio experiri, vt constat ex Marculfo *lib.* 1. *form.* 21. vbi notauit Bignonius. Vnde cùm Schola Parisiensis, sicut aliæ Academiæ, iuris potiùs ecclesiastici, quàm sæcularis credatur, vt de exemptione huius Academiæ agens refert Rogerus Houeden. *in Ioanne*; non mirum, quod Scholares Parisienses facultatem constituendi procuratorem in iudicio à Romano Pontifice, tanquam ab eorum legitimo superiore impetrassent: docuerunt Bignonius *vbi suprà*, Mich. Roussel. *lib. 6. historiæ Pontificiæ, cap. fin. num.* 20.

CAPVT VIII.

Honorius III. *Episcopo* [a] *Egitanen.*

AVditis, & intellectis quæ de fratris Ioannis Colobrien. & Bartholomei Egitan. Canonicorum, nec-non & Decani [b] Ciuit. suorumque coniudicum delegatorum nostrorum processibus in causa, quæ inter te, & ven. fratrem nostrum Colobrien. Episcopum, super limitatione diœcesum, ac rebus aliis vertitur, à procuratoribus partium fuere proposita coram nobis, [c] processus ipsorum, & quæcumque sequuta sunt ex eis, vel ob eos, nos noueris de cons. f. n. irrita iudicasse, non obstantibus litteris, quas de reuocatione mandati procuratori suo prædictus [d] Colobrien. Episcopus destinauit, cùm antequam ad illum huiusmodi litteræ peruenirent, fuisset super eisdem processibus hinc inde concluſum. Cæterùm memoratum Colobrien. Episcopum, qui procurauerat totum negotium ad examen Sedis Ap. aduocari, & postmodùm mandatum factum procuratori non sine nostro contemptu, & tuo dispendio reuocauit, condemnandum tibi duximus in expensis, quas feciſti à tempore, quo ad procuratorem Colobrien. Episcopi reuocatoriæ litteræ peruenerunt, & facies etiam vsquequo idem Coëpiscopus Colobrien. per se, vel procuratorem idoneum se nostro conspectui præsentabit, in principali negotio & contingentibus ipsum legitimè processurus. Ne igitur super his possit aliquatenus dubitari, has litteras duximus concedendas.

NOTÆ.

1. a *Egitan.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. sed legendum est *Igeritanienſi*, & etiam *Igeritanus Episcopus*, non *Egitanus*, vt perperam legitur *in cap. cùm causa* 13. *de probat.* Igerita enim erat olim ciuitas Lusitaniæ, vt constat ex Concilio Emeritensi, *can.* 8. & ex veteri inscriptione, quæ reperitur in ponte Alcantaræ, & eam refert Nonius *in sua Hispania*, *cap.* 39. nunc obscurus vicus dictus *Idatia la Vieja*, Episcopali Cathedrâ translatâ in ciuitatem Guardiæ, vt referunt Vaseus *in chron. cap.* 20. Loaysas *in notis ad Concilium Lucense*, Cironius *in præsenti.*

2. b *Ciuitatensis.*] Huius Ecclesiæ mentio non reperitur apud antiquos Hispaniæ scriptores, quia constructa, & erecta fuit à Ferdinando Rege Legionensi anno 1169. Est suffraganea Archiepiscopi Compostellani, & eius mentio extat *in cap.* 2. *de maiorit. & obed. in* 5. *compil.*

3. *Processus.*] Non improbaliter credo, in præsenti textu agi de lite mota inter Episcopos Igeritanum, & Colobrienſem super finibus vtriusque diœcesis: cuius mentio extat *in d. cap. causam*, *de probat.* & apud Innocentium III. *lib.* 4. *regest.* 16. *epist.* 1. in hæc verba: [Venerabilis frater noster... Colimbrien. Episcopus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cùm olim Aurien. Episcopo, & suis coniudicibus nostris dederimus litteris in mandatis, vt vniuersa, in quorum possessionem per Caurien. & Ciuitaten. Episcopos Venerabilis F. N.. Egitan. Episcopus fuerat aduersùs eundem Colimbrien. inductus, vel eorum occasione auctoritate propriâ occuparat, ipsi Colimbrien. cum fructibus medij temporis restitui facientes, supplerent, si quid per ipsius Egitanien. malitiam defuisse constaret executioni sententiæ pro eodem Colimbrien. contra Egitanien. eundem arbitrali examinatione super restitutione fructuum promulgatæ, ad limitationem Episcopatuum, quàm citò possent, sub omni diligentia processuri: prædictus Aurien. & sui coniudices super restitutione facienda vices suas Abbati de Sertia, & suis consociis commiserunt, limitationem Episcopatuum sibi specialiter reseruantes. Possessionibus itaque per eundem Abbatem, & suos collegas Colimbrien. Ecclesiæ restitutis, iidem iudices dictum Egitanien. nisi fructus omnes medij temporis ad plenum restituereret infra terminum ad hoc ei præfixum, excommunicationis vinculo innodarunt, contradictores censurâ simili percellentes. Transacto verò termino, infra quem Egitanien. Episcopus eidem debuerat parêre sententiæ, ipsius contumaciâ exigente, prolata priùs sub conditione sententia fuit, postmodùm simpliciter & præcisè innouata. Partibus sanè à delegatis nostris prædictis interim conuocatis, procurator Colimbrien. Ecclesiæ, & pars altera ad hoc ad vltimum conuenerunt, vt idem Colimbrien. in possessione, quam per memoratum Abbatem, & suos collegas fuerat assequutus, non obstante modo processus, videlicet siue iustè, siue iniustè processerint, tunc pacificè permaneret. Si tamen ea restituta fuissent, quæ secundum mandatum Apostolicum restitui deberant, hinc inde subtractione, vel suppletione nihilominus faciendâ, si fuisset aliquid quoad possessiones plus, vel minus debito restitutum. Pro restitutione verò fructuum idem Egitanien. obligauit ablantes, hoc tamen adhibito, quod si cautio illa sufficiens videretur, secundùm delegatorum ipsorum caueret arbitrium per pignoratitiam, vel fideiussoriam cautionem. Præfixo quoque termino, quo se partes eorundem iudicum conspectui præsentarent, propter discordiam, quæ inter charissimos filios nostros in Christo Portugalen. & Legionen. Reges excreuerat, idem Colimbrien. quod nec per se, nec per procuratorem idoneum apud Auriam poterat proficiſci, per quendam nuntium ferè nudum iudicibus intimauit. Ipsi verò eundem Colimbrien. in mille, ac sexcentis solidis monetæ Legionen. expensarum nomine condemnarunt, & aliàs procedentes minùs legitimè

contra

contra ipſum, Epiſcopatus non ſine Colimbrien. Eccleſiæ præiudicio, poſt appellationem legitimam limitarunt. Quapropter idem poſtulabat inſtanter, proceſſum iudicum eorundem, tam ſuper expenſis, quàm limitibus irritari. Nos autem conſiderantes vtrique partium expedire, vt non ſecundùm rigorem iuſtitiæ, ſed ſecundùm æquitatis prouidentiam in iſto negotio procedatur: diſcretioni veſtræ per Apoſt. ſcript. præcipiendo mandamus, quatenus apud vos poſſeſſionibus ſequeſtratis, Egitanien. Epiſcopum, vt Colimbrien. fructus iuxta formam alterius noſtri mandati reſtituat, vel de reſtitutione facienda ſufficientem præſtet, & idoneam cautionem, monitione præmiſsâ, diſtrictione quâ conuenit, appellatione poſtpoſitâ compellatis: & ſic auditis, & intellectis, quæ partes hinc inde duxerint proponenda, ſi vobis conſtiterit, quod Aurien. Epiſcopus, & ſui coniudices prouidè diœceſes prædictorum Epiſcopatuum limitarunt, faciatis eas auctoritate noſtra ſecundùm illum modum manere perpetuò limitatas. Alioquin tam per teſtes, inſtrumenta, & famam, quàm antiquas diuiſiones, & quæcumque alia adminicula, inquiſitâ, & cognitâ veritate pleniùs, ipſos Epiſcopatus, ſolum Deum habentes præ oculis, limitetis, facientes quod decreueritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſeruari. Cæterùm ſi prænominatus Colimbrien. de legitimo impedimento docuerit, propter quod Aurien. Epiſcopi, & coniudicum eius conſpectui ſe nequiuerit præſentare, vos eum abſoluatis à pœna, quâ propter contumaciam extitit per illos condemnatus. Alioquin ipſum in legitimis, & moderatis expenſis, quas pars altera fecit in cauſa, ex quo idem Colimbrien. cœpit laborare contumaciâ, condemnetis. Prouiſo prudenter, vt Colimbrien. Epiſcopum ſuper poſſeſſionibus laïcalibus, quas in Conilian. & in eius terminis legitimè acquiſiuit, non patiamini ab aliquo indebitè moleſtari. Quod ſi non omnes, &c. duo veſtrûm, &c. Vos denique fratres Epiſcopi ſuper vobis ipſis, &c. datum Lateran. 6. Kal. Martij, Pont. N. anno ſextodecimo.]

d *Colobrienſis.*] Aliqui exiſtimant, Colubrienſem Eccleſiam hanc eſſe in vrbe Conimbricenſi, ſed falluntur; nam in Concil. Toletano 8. reperiuntur ſubſcriptiones Colubrienſis Epiſcopi, & etiam Conimbricenſis Præſulis: quare exiſtimo cum Reſendio *in antiquit. Luſitaniæ*, & Vaſco *d. cap.* 20. *pag.* 47. Colubriam eſſe ciuitatem, quæ hodie in Luſitania Condexa vetus dicitur, tantùm habens antiquitatis veſtigia. Eius Eccleſiæ mentio fit *in d. cap. cauſam* 8. & *in cap. finali, de exceſſibus Prælat.* 4.

CAPVT IX.

Idem *M. & R. Canonicis* [a] *Mutin.*

PEtitio veſtra nobis exhibita continebat, quod quum ven. f. n. Mutin. [b] Epiſcopus in [c] Liuoniam profecturus, vos vicarios ſuos, & procuratores conſtituerit generales, vobis volentibus agere contra detentores bonorum Epiſcopi Mutin. vel contra illum agentibus reſpondere, frequenter opponitur, quod id facere non poteſtis, pro eo, quod in inſtrumento vicariæ, ſeu procurationis huiuſmodi non exprimitur, quod Epiſcopus ipſe conſtituerit vos [d] ſyndicos, & actores. Quare humiliter poſtulaſtis, vt cùm per exceptiones huiuſmodi frequenter impediatur vtilitas Epiſcopi ſupradicti, ſuper hoc prouidere ſalubriter dignaremur. Nos igitur ex tenore ipſius inſtrumenti cognoſcentes, quod intentio fuit ipſius Epiſcopi dare vobis agendi, & reſpondendi pro ipſo Epiſcopo liberam poteſtatem, exceptionem huiuſmodi penitus reprobamus.

NOTÆ.

1. a *Mvtin.*] Ita etiam legitur in quinta collectione Honorij III. edita à Cironio, *ſub hoc tit. cap. finali.* Mutina ciuitas, vulgò *Modena* dicta, Romanorum colonia fuit. Liuius *lib.* 39. ibi: *Eodem anno Mutina, & Parma coloniæ Romanorum ciuium ſunt deductæ.* Cicero Philippica 5. ibi: *Circumſedit Mutinam firmiſſimam, & ſplendidiſſimam Populi Romani coloniam.* Illius meminerunt Suetonius, Paterculus, & Plutarchus relati ab Vghellio *tomo* 2. *Italiæ ſacræ.* Iam à tertio Eccleſiæ ſæculo Eccleſia Cathedrali decorata fuit, quæ primùm paruit Eccleſiæ Mediolanenſi, poſtea Rauennatenſi, ac demùm à Gregorio XIII. Bononienſi Archipræſuli vt ſuffraganea Eccleſia ipſi aſſignata fuit.

2. b *Epiſcopus.*] Guillelmus videlicet, qui Mutinenſis Epiſcopus creatus fuit anno 1222. poſtea ab Innocentio IV. Cardinalis Sabinenſis renunciatus, vt refert Vghellius *vbi ſuprà*, *numer.* 36.

c *Liuoniam.*] Liuonia regio eſt Septentrionalis, prope mare Balticum, cuius incolæ fidem catholicam amplexi fuerunt temporibus Innocentij III. vt refert Spondanus *in continuat. Baronij, anno* 1199. *n.* 9. & notaui *in cap. Deus, de vita & honeſt. cleric.* Sed cùm adhuc in illis partibus idololatria maneret, vt eam euelleret, miſſus fuit ab Honorio III. Guillelmus Mutinenſis Epiſcopus, qui magnos fructus inde Eccleſiæ attulit, vt referunt Vghellius *vbi ſuprà*, & Cironius *in præſenti:* cuius abſentiæ causâ Vicarios, & procuratores ſuos deſignauit Canonicos Eccleſiæ Mutinenſis, vt in hoc textu refertur. 3.

d *Syndicos & actores.*] Pro huius textus interpretatione videnda ſunt quæ adducemus *in cap. vnico, de ſyndico.*

CAPVT X.

Gregorius IX. *Nobili viro Vbaldo Ciui S.*

ACcedens ad Apost. Sed. *Et infrà* : Mandamus quatenus D.nobilem mulierem,quæ sub tua potestate tenetur , plenæ restituas libertati , faciens ipsam ad castrum de Massa [a] Lucanæ diœcesis securè perduci , vt existens ibidem libera [b] procuratorem [c] liberè ordinare valeat , qui suam coram nobis iustitiam prosequatur. Tu ergo super sponsalibus , quæ inter natam tuam , & filium eiusdem nobilis contracta proponuntur , procuratorem ad præsentiam nostram mittas , qui ad agendum , & respondendum plenam habeat potestatem.

NOTÆ.

a *Lucanæ.*] De Lucanensi diœcesi nonnulla adduxi *in cap. cùm causam , de electione.*

1. b *Procuratorem liberè.*] Nam causas matrimoniales per procuratorem tractari posse , certum est, *cap. ex parte* 14. *de restit. spol.* sicut & causas diuortij, cùm criminaliter ad illud non agitur , vt probaui *in cap. tuæ , hoc tit.*

2. c *Liberè.*] Ex hoc textu communiter deducitur , in causis matrimonialibus procuratoris constitutionem metu cadente in constantem virum factam nullam esse ipso iure , vt post ordinarios in præsenti docent Sanchez *de matrim. lib.*4. *disp.*22. pluribus relatis Basilius *eodem tract.* sed absolutè textum hunc procedere in qualibet procuratoris constitutione propter mandati naturam , docet Cabreros de Auendaño *de metu lib.*2. *cap.*26. *n.*55. quam sententiam examinabimus , & præsentem textum exponemus infrà *in titulo de his,quæ vi.*

CAPVT XI.

Idem [a] *Cantuariensi Archiepiscopo.*

DIlectus filius Magister L. Rector Ecclesiæ de Auna , transmissâ nobis petitione monstrauit , quod cùm R. Presbyter contra ipsum [b] causâ studij Bononiæ commorantem super eadem Ecclesia ad iudices nostras litteras impetrasset , earum auctoritate à iudicibus ipsis, eodem Rectore citato , procurator ipsius generalis ad omnia eius tractanda negotia , pro eo, quod competentem terminum , intra quem Rectorem ipsum consuleret , vtrum deberet contendere , vel cedere quæstioni , sibi concedere denegabant , pro eodem nostram audientiam appellauit.

NOTÆ.

1. a *Cantuariensi.*] Richardo Magno videlicet , qui antea fuerat Linconiensis Ecclesiæ Cancellarius , de quo Haspergelus *sæculo* 13. *c.* 6. ita scribit : *Richardum Linconiensis Ecclesiæ Cancellarium, quem legati Regis ob singularem doctrinam ac pietatem magnis laudibus extulere, Gregorius Pontifex Cantuariensi Ecclesiæ ex suæ auctoritatis magnitudine præfecit.* Plura de eo congessit Richard. Smitheus *in serie Archiepiscoporum Cantuar. c.*12. & de Ecclesia Cantuar. iam nonnulla notaui *in c.* 2. *de rescriptis.*

2. b *Causa studij Bononiæ.*] Academia Bononiensis valde celebris , ac illustris est , iam à temporibus Theodosij Maioris amplis priuilegiis illustrata,& ab Inuictissimo Carolo V. magnis gratiis ornata, vt referunt debitis laudibus eam extollentes glossa *in proœmio huius libri Decretalium* , Midendorpius *de academiis , fol.* 13. Vghellius *tomo* 2. *Ital. sac. in Ecclesia Bononiensi,* P. Mendo *lib.*1. *de iure academ. q.* 2.*n.* 16. ad eam occasione studiorum profectus fuit Rector Ecclesiæ in præsenti casu cum licentia proprij Prælati, quod supponendum est *ex cap. relatum , de clericis non residentibus :* & ita etiam non residendo lucrabatur fructus suæ præbendæ , *cap. licèt* 32. vbi probaui , *de præbendis :* reliquit tamen ipse Rector procuratorem generalem ad negotia ; vnde licèt absens studiorum causâ , læsus in integrum restituatur , *l. nec-non* 28. *ff. ex quibus causis,* Sfortia *de in integrum restit. q.*5. *per totam* ; tamen in præsenti casu quia procuratorem reliquit, non iuuatur hoc beneficio restitutionis. Magnum enim discrimen versatur inter absentem causâ Reip. ex causa necessaria , & absentem ex causa voluntaria. Absens enim Reipublicæ causâ voluntariâ , si relinquat procuratorem,non iuuatur beneficio restitutionis , *l. is qui Reip.* 26. *ff. ex quibus causis :* qui autem ex causa necessaria abest, etiamsi relinquat procuratorem , iuuatur prædicto beneficio , *l. sed & si* , §. *vltimo , ff. ex quibus causis maiores :* docent Duarenus *ad tit. C. de vxoribus militum, colum.*1. Faber *in ration. ad textum in l.* 28. *ff. ex quibus causis,* Osualdus *lib.*21. *comment. Donelli , cap.*5. *littera L.* doctè Arias de Mesa *lib.*3. *var. cap.*44.

CAPVT XII.

Idem *Episcopo* [a] *Lexonen.*

COnstitutis in præsentia nostra H. Priori [b] Sagien. & T. laico , dilectum filium O. Subdiac nostrum super causa , quæ inter ipsos super quadam summa pecuniæ vertitur,concessimus auditorem. *Et infrà* : Quia Prior super ipsa pecunia,in qua dictus T.

eum

eum sibi suæ vxoris [c] nomine teneri dicebat, recepto libello illicentiatus recessit, quendam procuratorem dimittens solummodo ad agendum: quem cùm auditor ipse per mandatum procuratorium sibi datum ad defendendum Priorem sufficientem non viderit, eum ex hoc reputans contumacem, ipsum præfato T. in vnam[d] marcham sterlingorum condemnauit, taxatione præhabitâ in [e] expensis. *Et infrà*: Nos autem finem litibus imponere cupientes, & quod ab auditore præfato factum esse dignoscitur, adprobantes, mandamus, quatenus partibus conuocatis, &c.

NOTÆ.

1. a *Lexouiensi.*] Guillelmo videlicet de Pontearco, qui Lexouiensem Ecclesiam rexit ex anno 1220. vsque ad annum 1250. vt refert Chenu in serie Præsulum huius Ecclesiæ. De diœcesi Lexouiensi nonnulla adduxi *in cap. 37. de electione.*

b *Sagiensi.*] Siue Saiensi, vt notaui *in c. 3. hoc tit.*

2. c *Vxoris nomine.*] Glossa in præsenti asserit, maritum sine mandato vxoris nomine audiri, quia stipulatus fuerat mutuam pecuniam sibi reddi, & ita sibi quæsiuit directam actionem, vt *in l. in causa, in fine, l. si procurator, ff. hoc tit.* Hostiensis hîc, *n. 1.* asserit vxorem marito cessisse obligationem hanc dotis causâ; quo casu vt dominus dotis, *l. doce ancillam, C. de rei vindic.* nullo exhibito mandato, nec cautione ratihabitionis præstitâ, potest in iudicio comparere, *l. 2. l. 21. C. hoc titulo.* Sed verius est, maritum vxoris nomine agere posse sine mandato ad instar coniunctæ personæ, *l. maritus 21.* vbi Giphanius. *C. hoc tit.* quia contracto matrimonio creditur illi mandatum concessum, vt possit pro vxore sua agere. Duarenus *ad tit. de procurat. c. 7.* plures Laudati à Barbosa *in præsenti*, Osualdus *lib. 18. Donelli, cap. 12. litt. L.* Ad hoc autem vt maritus absque mandato admittatur, debet agere vt maritus, & legitimus administrator; aliàs si vt procurator compareat in iudicio, tenetur exhibere mandatum, vt obseruat Mysingerus *lib. 1. obseru. c. 53. à num. 6.*

d *Marcham sterlingorum.*] De marchæ valore, & æstimatione huius monetæ egi *in cap. 3. de arbitris.*

e *Expensis.*] In quibus condemnandus erat vt contumax, ex traditis *in cap. 2. hoc tit.*

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Procurator constitutus ad agendum non censetur datus ad defendendum.* Probant eam textus *in cap. veniens, versiculo Sufficienti, de renunciatione, cap. cùm dilectus 6. versiculo Sufficientem, de dolo & contum. cap. Nicolaus 64. cap. interposita, §. 1. de appellationibus, cap. 1. eod. tit. lib. 6.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Cardoso *in praxi, verbo Procurator, n. 20.* Donellus *lib. 18. comment. cap. 16.* vbi Osualdus *littera N.* Menchaca *tomo 2. controu. lib. 2. cap. 23. n. 1.* Vighellius *in methodo iuris Pontif. pag. 144.* Gothofredus *in l. actis 7. C. hoc tit.* Mancius *de defensoribus, tit. 10.*

4. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Procurator regulariter datus ad agendum in iudicio, potest dominum defendere, quia mandatum procuratorium includit in se non solùm facultatem agendi, verùm & excipiendi, & defendendi, *l. ad legatum, l. sed & ha, in principio, §. 1. l. munus 43. §. finali, ff. hoc tit. cap. qui ad agendum, de R. I. lib. 6. l. vnica, C. de satisdando:* plures congerit Menchaca *d. c. 23. n. 1.* Cardoso *vbi suprà, n. 19.* imò procurator constitutus ad agendum cogitur dominum defendere, *l. seruum, §. ait Prætor, ff. hoc tit. l. actionem, C. eod. tit. cap. prudentiam, de mutuis petit.* sicut enim dominus reconuentus in iudicio cogitur coram iudice respondere, & se defendere, *l. 2. §. sed si agant, ff. de iudiciis, l. cùm Papinianus 14. C. de sententiis & interl.* ita & procurator per litis contestationem dominus factus debet dominum mandantem defendere: igitur non rectè in præsenti textu asseritur, constituentem procuratorem ad agendum tantùm, non videri eum constituisse ad defendendum.

§. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, cuius ratio prouenit ex eo, quia forma mandati diligenter est custodienda, *l. diligenter, ff. mandati, §. item is, Instit. eod. tit.* Sed in præsenti casu reus in iudicio conuentus, qui procuratori, vt eum defenderet, iubere debebat, mandauit, vt pro eo ageret: igitur tale mandatum extendi non poterat ad defendendum. Accedit, nam si procurator constituatur ad impetrandum iudicem certum, & excipiendum, non admittitur ad alios actus iudicij, *cap. Nicolaus 64. c. interposita, §. 1. de appellat. c. veniens, de renunciat.* quia mandatum non debet extendi vltra expressa in eo: igitur similiter in præsenti casu procurator à reo constitutus ad agendum non debuit, nec potuit admitti ad defendendum; & per consequens, qui cùm debebat constituere procuratorem in iudicio, vt responderet, constituit vt ageret, iustè tanquam contumax condemnatur in expensis, iuxta tradita suprà *in cap. 2.*

6. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam discrimen constituendum est inter eum casum, in quo actor constituit procuratorem ad agendum; & inter eum, in quo similiter reus ipsum constituit ad agendum. Primo casu procurator potest dominum defendere in causa reconuentionis, & mutuæ petitionis; quia ex tacito, seu implicito mandato procurator datus ad agendum, præsumitur constitutus etiam ad defendendum. Secundo verò casu procurator datus à reo ad agendum, non admittitur ad defensionem, quia cùm dominus in iudicio conuentus, sciens se reum esse, procuratorem tantùm ad agendum constituit, creditur noluisse eum defensorem designare. Quare cùm in præsenti specie Prior Sagiensis iam citatus sciret se reum esse, & procuratorem tantùm ad agendum designasset, non creditur eum constituisse ad defendendum. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis, valde enim controuersum est apud Interpretes, vtrum procurator ab actore ad agendum datus cogatur ipsum dominum defendere? Et teneri eum defendere, docent Cardoso *vbi suprà, n. 20.* Azo *in lege inuitus, C. hoc tit.* Faber *in lege seruum 33. §. penult. ff. hoc tit.* negant autem similem procuratorem cogi dominum defendere Donellus *lib. 18. comment. cap. 16.* & plures congesti ab Osualdo *ibi, littera N.* Pichardus *in §. 1. instituta de his, per quos agere, n. 44.* Mancius *de defensoribus, num. 10.* qui affirmant, regulariter procuratorem ad agendum non cogi dominum defendere, ex lege *mutus 43. §. 2. ff. hoc tit.* nisi procurator interueniat in rem propriam, *l. pater 70. ff. hoc tit. d. l. seruum 33. §. finali,* vel si ipse procurator satisfecit iudicatum solui; post huiusmodi enim satisdationem cogendus est dominum defendere, ne decipiatur is, qui satisfaccepit.

CAPVT

CAPVT XIII.

[a] Idem.

MAndato procuratoris post litem contestatam à domino reuocato, si hoc ignorante iudice, vel aduersario factum fuerit, iudicium, quod idem quasi procurator postmodùm expertus est, ratum esse debebit.

NOTÆ.

a [*Idem.*] Gregorius videlicet nonus, qui præsentem constitutionem edidit motu proprio, absque vlla partis consultatione.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

IN præsenti, & *in cap. 3. & 8. hoc titulo*, agitur de reuocatione procuratoris, ex quibus omnibus sequentem deduco assertionem: *Acta à procuratore reuocato, ipso iure nulla sunt, si reuocatio ad iudicis notitiam, vel aduersarij peruenerit.* Probant eam textus *in cap. 3. cap. in nostra, cap. auditis, hoc tit. cap. ex parte 33. de rescriptis, l. si procuratorem 65. ff. hoc tit. l. licet, C. eodem, l. si mandatum 15. l. inter 26. ff. mandati, l. si autem 7. ff. iudicatum solui, l. si tantùm 12. ff. ad Macedon. l. verò 12. §. sed si quis, l. cùm quis 38. §. 1. ff. de solut.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti Montero à Cueua *decis. 43. num. 1.* Arias de Mesa *lib. 3. var. cap. 43.* Basilius *de matrimonio lib. 2. cap. 15. à num. 8.* Olea *de cessione iurium tit. 1. q. 1. n. 26.* Barbosa *lib. 2. voto 85.* Sesse *tomo 1. decis. 81. per totam*, Bajo-Arroyo *in cap. Quintauallis, num. 14. de iureiurando*, Mancius *de procuratoribus, tit. 3. num. 333.*

2. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc assertio licèt vera sit, difficilis tamen redditur sequentibus iuris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam mandatum re adhuc integra ita finitur reuocatione, ac si nunquam celebratum esset, *l. si verò 12. §. si mandauero, ff. mandati, l. si pater 3. l. per diuersa 22. C. eod. tit. cap. 2. hoc tit. lib. 6.* Donellus *libro 16. comment. cap. 23.* vbi Osualdus *littera A.* omnes Institutarij *in §. item si, Instituta mandati:* igitur etiamsi reuocatio ad notitiam procuratoris, iudicis, vel aduersarij non peruenerit, acta cum procuratore reuocato, tanquam cum falso, & mandatum non habente, ipso iure nulla sunt. Secunda ex eo prouenit, nam post litem contestatam mandatum procuratoris reuocari nequit, *l. post litem 17.* vbi Cuiacius, & Faber, *ff. hoc tit. d. l. per diuersas 22.* tum quia post litem contestatam non manet res integra; tum quia per litis contestationem procurator constitutus litis dominus efficitur, *l. procuratoribus 22. cum sequenti, ff. mandati.* A. Faber *in d. l. post 17.* Petrus Faber *lib. 1. semest. cap. 13.* igitur post litem contestatam in specie huius textus, & *in d. c. 3. hoc tit.* non poterat mandatum procuratorium reuocari.

3. MANDATVM FINITVR REVOCATIONE.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, inter proprios, peculiaresque modos dissoluendi mandatum, præcipuum esse eius reuocationem; si enim dominus re integrâ, iuxta adducta *in cap. gratum, de officio delegati*, tempestiuè illud reuocauit, mandatum finitur, *cap. 2 hoc tit. lib. 6. l. si vero 12. §. si mandauero, ff. mandati, d. l. 12 ff. de solut. l. sed si 11. §. 2. ff. de instit. actione, l. qui seruum 47. ff. de adquirenda hæreditate, l. 3. §. si ego, ff. quod iussu, l. 4 §. 1. ff. de manumissis vindicta, l. quæsitum 8. ff. de seruis exportandis, l. si cùm Cornelius 82. ff. de solut. l. mulierem, §. vlt. ff. de iure dotium, l. si interim 11. §. si vxor, ff. de donat. inter, l. Seia, ff. de dote præleg. l. 2. C. de iure dotium*, Donel. *lib. 16. comment. c. 23.* Duarenus *ad titulum ff. mandati, c. 3.* etiamsi mandatum in perpetuum collatum sit, *l. 4. ff. hoc tit.* quia intelligitur celebratum sub conditione, si non reuocetur. Faber *in d. l. 4.* nec interest, quod adiiciatur clausula, *illud non reuocandi*, cùm repugnet substantię mandati, vnde vitiatur, argumento textus *in cap. finali, de conditionibus appositis, l. cùm precarió 12. ff. de precario:* nec etiam adiectione iuramenti impeditur ipsa reuocatio. Couar. *in cap. quamuis, 2. p. §. 2. num. 3. de pactis lib. 6.* Licèt enim obligationis semel contractæ, inuito alio ex contrahentibus alter renuntiare non possit, *l. sicut, C. de O. & A.* tamen cùm in mandato celebrato, & suscepto tantùm ille obligetur statim, qui suscepit; ille verò, qui mandauit, postea adimpleto mandato; ideo ipse re integrâ illud reuocare potest, nisi mandatum rem necessariam contineat, vt *in l. Papinianus 14. ff. de publiciana:* vbi quia soluto pretio ab emptore necessariò res à venditore tradenda erat, inde procuratori constituto ad eius traditionem mandatum reuocari non potest, vt post Fabrum in eo textu docent Arias de Mesa *lib. 3. var. cap. 43.* Bajo-Arroyo *in cap. fin. hoc tit. in 6. n. 48.* aut si in rem propriam mandatum collatum sit, vt *in l. 1. ff. quis sine manumissione.* Vbi quamuis reuocetur mandatum præstandi libertatem, quia dominus eam dedit, competit libertas, non ex constitutione Diui Marci, sed ex facto ipso manumissionis, *l. 3. ff. de seruis exportandis, l. 3. ff. qui sine manumissione:* vel si præiudicium ex reuocatione alij sequatur, vt cùm quis stipulatur sibi, aut Titio soluere, non potest reuocare facultatem soluendi Titio in præiudicium debitoris, *l. si ita 59. ff. de solut.* vbi Cuiacius, secus verò si adiectus non est Titius in ipsa stipulatione, vt *in l. penult. ff. de constituta pecunia.* Nec tunc obstat textus *in l. si hominem, ff. mandati*, vbi vt mandatum reuocetur, desideratur iusta causa. Nam textus ille procedit in procuratore generali reuocante mandatum domini alij præstitum; eo enim in casu desideratur iusta causa, quia ob mandatum generale procurator non habet facultatem reuocandi mandatum ipsius domini, nisi ex iusta causa. Pinellus *lib. 2. sect. cap. 6. num. 45.*

4. DESIDERATVR VT RES INTEGRA SIT.

Sed si res integra non sit, quia lis contestata reperiatur, non potest reuocari mandatum, *l. post litem, ff. hoc tit. l. nulla 23. C. hoc tit. l. cuius bonis 9. ff. de curatore furiosi, l. cùm in plures 9. §. mandaui, ff. locati*, Cyriacus *tom. 2. controu. cap. 275. n. 24.* Cùm enim per litis contestationem quasi contraxisset aduersarius cum procuratore, non potest dominus reuocare mandatum in eius præiudicium, nec personarum mutatione illum quasi contractum dissoluere. Petrus Faber *lib. 1. semestr. c. 13.* Mysingerus *lib. 5. obseru. cap. 44.* Etiam iudicis contemptus in tali in

tempestiua

tempestiua renunciatione datur, vt asserit Honorius III. *in c. auditis, hoc tit.* ad eius enim auctoritatem spectat, ne semel constituto iudicio mutatio personarum fiat. A. Faber *in d. l. post litem* 17. Sed quia reuerà prior dominus manet, litis rigorem hunc Prætor temperauit, & ipsi domino permisit facultatem reuocandi procuratorem causâ cognitâ, alio designato, vel litem ipsam suscipiendo, *d.l.post litem* 17. *l. in causa* 27. §.1. *ff. hoc tit.* Causa autem reuocationis nasci potest vel ex inimicitia, vel si affinitate iungatur aduersario, hæresve ei existat, *cap. ex parte* 33. *de rescriptis, l. item* 19. *l. aut* 22. *ff. hoc tit.* vel si indicium præuaricationis, seu collusionis detur. Faber *in d.l. item* 19. aut si ob nimias occupationes, & aduersam valetudinem procurator negotium prosequi nequeat, *d. l. post litem* 17. §. *vltimo*, *l.* 18. 19. 20. *&* 23. *ff. hoc tit.* Legitimè autem reuocato procuratore, gesta antea ab eo subsistunt, postea verò acta cum ipso, tanquam cum falso procuratore, nullius momenti sunt.

5. REVOCATIO QVIBVS MODIS FIERI DEBEAT.

Hæc autem mandati reuocatio, si mandatum sit generale ad negotia publica, denunciari debet, vel edictis, vel per proclama, vt ad omnium notitiam peruenire possit, *l. sed si pupillus* 11. §. 2. *ff. de institoria actione*, Gomez *lib. 2. var. cap. 5. n. 6.* si ad negotium speciale procurator detur, reuocatio denunciari debet illi, cum quo procurator contracturus erat, *l. si vero* 12. §. 2. *l. cùm quis* 38. §. 1. *ff. de solut.* Cancerius *tom. 2. var. cap. 14. n. 173.* item ipse procurator debet certiorari, *l. si quis mihi*, §. *penult. ff. de acquirenda hæredit. l. 1. §. vlt. ff. solut. matrim.* & si mandatarius adhuc ignarus reuocationis exequatur mandatum, validè contrahit, quod vtilitatis causâ receptum est, *l. si vero* 12. §. 1. *l. dispensatori* 51. *l. dispensatorem* 62. *ff. de solut. l. hoc iure* 19. §. *si quis dederit, ff. de donat. l. si sine* 22. §. *Iulianus, ff. rem ratam haberi, l. si pecuniam* 5. §. *idem* 2. *ff. de condictione causâ datâ, l. quod seruus* 11. *ff. depositi, l. si fortè* 17. *ff. de officio Præsidis, l. si cùm Cornelius* 82. *ff. de solut. l.* 55. *ff. de rebus creditis*, quo casu accipiendi sunt textus *in l. 2. l. apud* 5. *ff. de auro & argento:* in mandato etiam procuratoris ad iudicia desideratur vt reuocatio denuncietur iudici, seu aduersario, *cap. ex parte* 33. *de rescriptis*, Acuña *in cap. tibi* 33. *n.* 2. 63. *dist.* Tondutus *resol. beneficialium cap.* 26. nec contrarium probat textus *in cap. ex insinuatione* 3. *hoc tit.* vbi supponitur, sufficere, vt denunciatio reuocationis fiat procuratori, licèt iudici, aut aduersario non intimetur; nam pro eius textus solutione glossa *ibi, verbo Inhibitum*, Bohic. *in d.c. ex parte* 33. *de rescriptis, num.* 7. existimant, procuratoris reuocationem in ea specie non solùm procuratori, verùm etiam iudici, & aduersario factam fuisse: quæ solutio diuinatoria est, quare Innoc. in eo textu distinguit inter casum, in quo reuocatur mandatum ante litem contestatam; & eum, in quo post litem contestatam reuocatur. Primo casu affirmat, non esse necessarium reuocationem denunciari parti, vel iudici. Secundo verò casu reuocationem nunciandam esse etiam aduersario. Verùm hæc distinctio refellitur ab antecessore nostro Arias à Mesa *lib. 3. var. cap. 43. n. 8.* quare his omissis solutionibus placet interpretatio Abbatis, & Felini *ibi*, quos sequitur Arias de Mesa *vbi suprà, num. 21.* discrimen enim constituunt inter eum casum, in quo fides mandati habita est in iudicio, & inter eum, in quo eius fides non est habita. Primo casu asserunt necessarium esse denunciationem parti facere; secundo verò casu necessarium non esse: & primo casu procedere textum *in d.cap. 3.* Sed pro huius interpretationis maiori expositione, ac cognitione, quando fides mandati in iudicio habita dicatur, distinguendi sunt certi casus. Primus est cùm tantum reuocatio mandati nota est procuratori, & tunc acta in præiudicium reuocantis valent. Secundus est cùm reuocatio mandati est nota procuratori, iudici, & aduersario; tunc enim ab eo gesta nullius momenti sunt. Tertius est, cùm reuocatio denunciata est procuratori, & aduersario tantùm, vel iudici; & tunc acta à procuratore nullius momenti sunt. Sesse *tomo 1. decis. 81. per totam.* Nec tunc obstat præsens textus, vbi Gregorius IX. affirmat, gesta à procuratore reuocato sciente reuocationem, ignato verò aduersario, vel iudice, valere: ergo licèt procurator, & aduersarius nesciant reuocationem, gesta à procuratore vires habent; nam omissâ solutione glossæ in præsenti, verbo *Reuocauit*, & alia Basilij Legionensis *lib. 5. de matrim. c.* 15. qui existimat in præsenti textu, strictâ iuris ratione inspectâ, non valere gesta à procuratore, sed ex æquitate tantùm sustineri; verius dicendum est, disiunctiuam illam, *vel*, in hoc textu accipiendam esse pro coniunctiua, iuxta legem *sæpe, ff. de v. s.* ita vt sensus Gregorij sit, mandato procuratoris à Domino reuocato, si ignorantibus iudice, & aduersario reuocationem iudicium peractum sit, ratum esse debere; si verò alter ex eis scierit reuocationem, acta à procuratore nullius momenti sunt.

6. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus sic animaduersis ratio præsentis constitutionis ex eo prouenit, nam gesta à procuratore in iudicio sine legitimo domini mandato nullius momenti sunt, *cap.* 1. vbi probaui, *hoc tit.* Sed procurator, cui reuocatum fuit mandatum, nullum mandatum habet, quia reuocatione mandatum finitur, siue reuocatio fiat expresè, de qua suprà egi; siue tacitè, alium videlicet constituendo procuratorem, *l. si quis cum* 31. §. *finali, ff. hoc tit.* Tondutus *resol. benefic. c.* 26. Petrus Gregorius *lib. 49. syntagm. c. 4. n.* 16. igitur acta in iudicio cum procuratore reuocato nullius momenti sunt, tanquam gesta cum falso procuratore, aut cum eo, qui mandatum non habet: docet Arias de Mesa *d.c. 43. n. 2.* & quia reuocatio mandati tantùm præiudicium affert domino reuocanti indistinctè, non verò aduersario ignoranti; ideo si procuratori ante litem contestatam sine causa, vel postea cum ea, reuocatum sit mandatum, non nocet aduersario, nisi illi, aut iudici fuerit reuocatio denunciata, aliàs gesta à procuratore reuocato in præiudicium reuocantis valebunt, non autem in eius commodum, *d. cap. ex parte* 33. docent Flaminius *lib. 9. de resig. q. 25. num.* 12. Gratianus *disceptat. c.* 18. *à n.* 37. Nec difficultates suprà adductæ obstant. Non prima, quia licèt vt mandatum finiatur, sufficiat reuocatio, ita vt ex posteà gestis nullum commodum sentire possit dominus, qui illud reuocauit; tamen vt præiudicium sequatur aduersario, debet reuocatio denunciari illi, aut iudici, vt suprà probaui. Nec secunda difficultas refragatur, quia licèt post litem contestatam non possit absolutè mandatum procuratorium reuocari; tamen causâ cognitâ, dum adest noua ratio suspicionis, reuocari valet, vt suprà dixi, *l. item* 19. *ff. hoc tit.* vnde cùm in specie textus *in c. 3. hoc tit.* noua causa suspicionis adesset, ideo reuocari potuit mandatum, etiam post litem contestatam.

7. EXPONITVR L. SI QVIS SER-

Sed suprà traditæ assertioni primò obstat textus *in l. si quis seruo* 18. *ff. de solutionibus*, vbi proponitur ab Vlpiano, quod si debitori meo iussero Titio soluere, & postea reuocauerim mandatum, reuocatio-

que

VO, ff. DE SOLVTIONIBVS.

que ad Titij personam peruenerit, nihilominus solutionem postea factam liberationem præstare, ex quo textu apertè deducitur, gesta post reuocationem mandati, etsi denunciatio reuocationis aduersario facta sit, valere. Pro cuius textus expositione dicendum est in eius specie debitorem ignarum reuocationis Titio soluisse, & tunc duplici modo posse illi contingere liberationem, vel directo iure, vel ope exceptionis; si enim soluat ignoranti reuocationem, liberatur directo iure, si verò scienti & simulanti, liberatur ope exceptionis, & debitor tenetur condictionem furtiuam cedere mandanti, vt consequatur debitum à mandatario: quo modo etiam intelliguntur textus *in l. cùm quis* 38. §. *si debitorem, ff. de solutione, l.* 3. §. *vlt. ff. de donat. inter*, iunctis traditis à Cuiacio *tract.* 7. *ad Afric. in d. l.* 38. Osualdo *lib.* 16. *Donelli, c.* 10. Giurba *decis.* 79. *n.* 20. Costa *de iuris, & facti ignor. cent.* 2. *dist.* 24.

8. EXPLICATVR CAP. FINALE, HOC TIT. LIB. 6.

Secundò præsenti assertioni obstat textus *in cap. finali, hoc tit. lib.* 6. vbi statuitur, procuratorem datum ad contrahendum matrimonium statim post reuocationem, etiamsi ad eius, vel alterius contrahentis notitiam reuocatio non peruenerit, non posse contrahere matrimonium, & de facto contractum nullum esse: igitur non rectè asserimus, desiderari in reuocatione procuratoris, vt reuocatio denuncietur procuratori, vel eius aduersario. Vt huic difficultati satisfaciat Thomas Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 11. *n.* 6. & alij relati à Basilio *eod. tract. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 18. existimant, specialiter textum illum procedere in casu matrimonij, in quo quia talis consensus desideratur, qui per ius suppleri non potest, ideo matrimonium contractum à procuratore insscio reuocationis nullum est. Sed eos refellunt Bajo-Arroyo *in d. c. fin. n.* 15. Arias de Mesa *dicto c.* 43. *n.* 13. quare eâ solutione omissâ pro huius textus, & aliorum expositione discrimen constituendum est inter eos contractus, qui pendent ex consensu mandantis; & inter eos, qui pendent, & perficiuntur tantùm consensu mandatarij. Contractus, qui pendent à consensu mandantis non subsistunt post reuocationem celebrati; illi verò, qui consensu mandatarij, seu procuratoris perficiuntur, etiam post reuocationem vires obtinent. Ad primum genus contractuum referendus est textus *in d. cap. finali.* Alio etiam modo distinguit Bajo-Arroyo *in d. c. finali, n.* 14. inter eos actus, ex quibus si reuocatio eos nullos redderet, damnum, seu præiudicium sequeretur; & inter illos, ex quibus etiamsi subsistant, nullum damnum mandatario sequitur. Primo casu affirmat, contractus à procuratore celebratos, nullos esse; secundo verò subsistere, etiam post reuocationem, insscio procuratore ipsius reuocationis: iuxta quam distinctionem accipiunt, & exponunt textus *in l. si quis mihi bona, §. pater, ff. de acquirenda hæredit. l.* 2. §. *si quis, ff. de donat. l. sed & socius* 17. §. 1. *ff. pro socio, l.* 1. §. *si ego, ff. quod iussu, l. eius qui*, §. *quos verò, ff. de rebus creditis*, Arias de Mesa *dicto cap.* 43. Bajo-Arroyo *vbi suprà, n.* 18.

9. EXPONITVR CLEMENT. VNICA, DE RENVNC.

Tertiò præsenti assertioni obstat textus *in Clement. vnic. de renunc.* vbi statuitur, renunciationem factam à procuratore constituto ad renunciandum beneficium post reuocationem mandati, etiamsi ad eius notitiam, vel superioris non peruenerit, valere: igitur quia reuocatio mandati non impedit, quin procurator mandatum exequatur. Cui difficultati communiter respondetur textum illum specialiter procedere in renunciatione facta à procuratore designato ad renunciationem beneficij; cuius specialitatis rationem adduxi *in cap. gratum, de officio delegati*, pro interpretatione textus *in Clement. vltima, hoc tit.* & latiùs eam prosequuntur Basilius *de matrim. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 27. Tondutus *resol. benefic. cap.* 26. *per totum*, Couarr. *practic. quæst.* 9. *in fine*, Petrus Gregorius *de beneficiis cap.* 28.

10. EXPLICATVR CAP. SI QVÆ §. SECVS, HOC TIT. IN 6.

Etiam suprà traditis obstat textus *in cap. si quæ* 8. §. *secus, hoc tit. in* 6. vbi statuitur, quod si dominus constituat procuratorem, & post litem contestatam ad iudicium veniat, non vt procuratori assistat, sed vt litem per se prosequatur, censetur reuocatum mandatum. Ex quo textu apertè deducitur, etiam post litem contestatam licere domino mandatum procuratori reuocare. Agnouit difficultatem glossa, *ibi, verbo Siue*, & duplici modo eam dissoluere intendit. Primò asserendo, quod licèt procurator non possit post litem contestatam, nisi causâ cognitâ reuocare procuratorem, vt alium constituat; posse tamen eum amouere, vt negotium per se tractet. Verùm hæc solutio expressè conuincitur ex lege *procuratoribus, C. hoc tit.* vbi expressè asseritur, dominum litis post contestationem non habere facultatem prosequendi litem per se. Secundò, & veriùs discrimen constituit glossa inter casum, in quo procurator inuitus reuocatur post litem contestatam, & inter eum, in quo volens, & consentiens amouetur; nam primo casu reuocatio domino non permittitur sine causæ cognitione, *cap.* 2. *hoc tit. in* 6. ibi, *postea tamen ipso nolente.* Secundo verò casu etiam sine causa reuocari potest mandatum, vt satis innuitur in præsenti textu, quia tunc procuratori nulla fit iniuria, *cap. scienti, de R. I. lib.* 6. *l. nemo videtur, ff. eodem:* quo casu procedit textus *in d.* §. *secus*, in cuius specie cùm dominus lite contestatâ comparuisset in iudicio, negotiumque tractasset, præsumitur reuocasse mandatum.

11. EXPLICATVR L. IS CVI 64. FF. DE PROCVRAT.

Rursus suprà traditis obstat textus *in l. is cui* 64. *ff. hoc tit.* vbi Modestinus ait: *Is, cuius nomine defensor extitit, si ante litem contestatam in præsentia fuerit, & postulet suo nomine litem suscipere, causâ cognitâ audiendus est.* Ex quibus apertè deducitur, etiam ante litem contestatam non posse dominum reuocare mandatum, nisi probatâ causâ. Cuiacius *lib.* 22. *obseru. c.* 10. censuit illa verba, *causâ cognitâ*, delenda esse. Accursius vt difficultatem dissoluat, asserit causæ cognitionem requiri in eo casu, quia euenire poterat, vt defensori aliquid abesset, ideoque dominum non posse reuocare mandatum antequam illud soluat. Iulius Pacius *cent.* 2. *q.* 32. vt ab hac difficultate se expediat, discrimen constituit inter eum casum, in quo dominus, qui vult reuocare mandatum, potest litigare per seipsum, vel cogitur per procuratorem litigare, iuxta legem 25. *C. hoc tit.* Primo casu asserit Pacius, sine causæ cognitione posse reuocare mandatum. Secundo verò casu necessariam esse causæ cognitionem. Verùm his omissis solutionibus dicendum est *in d. l. is cui*, agi de defensore alienæ litis, qui pro reo satisdationem iudicatum solui præstitit, ad cuius reuocationem, seu mutationem necessaria est cognitio causæ; quoniam post præstitam satisdationem in eadem causa procurator effectus est litis dominus, *l. Titius* 76. *ff. hoc tit.* Donellus *lib.* 18. *comment. c.* 17. vbi Osualdus *littera B.* & actoris interest cum defensore potiùs quàm cum domino experiri, vt notat Petrus Faber *lib.* 1. *semestr. cap.* 13. & quemadmodum procurator post litem contestatam reuocari nequit sine causæ cognitione, ita & defensor, qui præstitit satisdationem, quia in se suscepit obligationem, vt probat textus sic intelligendus *in l. sed hæ* 35. §. §. *finali, ff. hoc tit.* docet Osuald. *lib.* 18. *Donelli, c.* 17. *litt. B.*

Deinde

12. EXPONITVR TEXTVS IN CAP. 2. HOC TIT. IN 6.

Deinde obſtat textus *in c. quamuis 2. hoc tit. in 6.* vbi probari videtur, non poſſe dominum poſt litis conteſtationem reuocare procuratorem, etſi adſit colluſionis ſuſpicio: igitur quia neque causâ cognitâ poteſt procurator reuocari. Cui difficultati reſpondendum eſt aſſerendo, poſt litem conteſtatam poſſe procuratorem reuocari ob colluſionem, vel ſimilem cauſam: ſed in ſpecie textus *in d.c. 2.* colluſio probari non potuit. Vnde cùm non ſolùm cognitio cauſæ, verùm & eius probatio ſit neceſſaria, vt reuocari poſſit mandatum poſt litem conteſtatam, meritò ob ſuſpicionem tantùm colluſionis reuocationi locum non eſſe aſſeritur *in d.c. 2.* non tamen eo caſu prohibetur dominus ſimul cum procuratore iudicio adeſſe, ne ab eo decipiatur, vt docetur *in eodem cap. 2. §. verùm, l. Paulus, §. ſi ſuſpecta, ff. hoc tit.* Pro coronide huius commentarij notandum eſt, hucuſque tradita de facultate reuocandi procuratorem ante litem conteſtatam non procedere in procuratore ſubſtituto; nam hic ſuſcepto ſemel mandato, non poteſt ab ſubſtituente reuocari, etſi adhuc res integra ſit, *t. is qui 3. hoc tit. in 6.* quia talis ſubſtitutus cenſetur deſignatus ab ipſo domino; & procurator, qui eum ſubſtituit, functus eſt officio ſuo: vnde non poteſt eum reuocare, argumento textus *in cap. litteris 9. de officio delegati*, licèt contrarium procedat in delegato Sedis Apoſtolicæ ſubdelegante, qui poteſt reuocare ſubdelegatum dum res integra eſt, vt docetur *in d.c. is qui 3. c. quamuis 6. de officio delegati, c. venerabilis, eodem tit. l. 21. tit. 4. partita 3.* docent Molina *tomo 5. de iuſtitia, diſp. 21. à n. 1.* Caſtillo *lib. 2. controu. c. 29. à n. 3.* quia delegatus plus poteſtatis habet in reuocatione ſubdelegati, cùm facultatem ſubdelegandi habeat à iure communi, ex traditis *in c. 3. de officio delegati:* procurator verò habet facultatem ſubſtituendi ab homine, vnde poſt ſubſtitutionem functus eſt officio ſuo; ſi verò ſubſtitutus procurator non acceptauit mandatum, adhuc poteſt procurator mutare voluntatem, quia perfectè non eſt vſus facultate à domino conceſſa, vt notant communiter repetentes *in dict. cap. is qui.*

CAPVT XIV.

[a] Idem.

NOn iniuſtè iudex proceſſit, qui [b] filiumfamilias in procuratorem admiſit, quamuis ad [c] futuras controuerſias conſtitutum. Qui [d] licèt ſimul cum aliis datus fuerit, priùs tamen procurationis officium occupauit: quod fieri nequiiſſet in procuratoribus diuerſis temporibus conſtitutis, quoniam dato poſteriori, prioris eſſet procuratio reuocata. Potuit quoque is, & debuit à ſententia in eo, quod lata extitit contra ipſum, noſtram audientiam [e] appellare, vel (ſi iuſta cauſa excuſabat eundem) ſaltem domino conteſtari, vt ad appellationis beneficium conuolaret, licèt appellationem proſequi non teneretur inuitus.

NOTÆ.

a *Idem.*] Gregorius nonus videlicet, qui etiam præſentem conſtitutionem edidit. Vnde non conſtat de perſona, cui eam direxit.

1. b *Filiumfamilias.*] Qui rectè procurator conſtituitur in iudicio, tam ad agendum, quàm ad defendendum abſque patris conſenſu, *c. qui generaliter 5. hoc tit. in 6. l. filius 8. in fine principij, ff. hoc tit. l. quotiens 4. §. vlt. cum l. ſequenti, ff. ad Trebell. l. tam 57. ff. de iudiciis, l. 3. in principio, ff. ad Macedonianum*, docent Cuiacius *ad Digeſta in d.l. 47.* Petrus Gregorius *lib. 3. partit. tit. 18. cap. 5. & lib. 49. ſyntag. c. 4. num. 11.* Donellus *lib. 18. comment. c. 12.* Mancius *de procurat. num. 74.* A. Faber *in d.l. filius 8. & in Iuriſprud. tit. 8. princ. 6. illat. 6.* Moez *in d.c. 5. §. 1.* quia prohibitus non eſt, & illæ tantùm perſonæ à procuratoris officio arcentur, quæ prohibitæ reperiuntur, *cap. 1. hoc tit. in 6. l. mutus 43. §. 1. ff. hoc tit.* dum tamen filius legitimam ætatem habeat, *l. exigendi, C. hoc tit.* ideſt vigintiquinque annos, *d.c. qui generaliter, §. licèt*, vbi Moez, *l. minor 51. ff. hoc tit. l. 19. tit. 5. partit. 3.* docent Cuiacius *lib. 22. obſeru. cap. 16. & de præſcriptionibus cap. 29.* Giphanius *l. 51. ff. de procurat.* Oſuald. *lib. 18. Donel. c. 3. litt. R.* Vviſembach. *diſp. 5. theſi 24.* Vela *diſſert. 7. num. 50.* Carpio *de execut. lib. 1. cap. 8. num. 3.* Petrus Gregorius *dict. tit. 18. cap. 5.* Langleus *lib. 1. ſemeſtr. cap. 4.* Duarenus *ad tit. de procurat.* licèt quamplures exiſtimauerint, ſufficere ætatem 17. annorum: tum quia in ea ætate conſtituti poſtulare poſſunt; tum quia *in l. ſi collactaneus 13. ff. de manum. vindicta, §. iuſtè, Inſtituta ex quibus cauſis*, docetur decem & ſeptem annos habentem poſſe manumitti, procuratoris habendi gratiâ: ita docuerunt Cironius *in præſenti*, Bronchorſt. *enantioph. cent. 1. aſſertione 49.* Cuiacius *ad tit. de diuerſis præſcriptionibus, cap. 29. & lib. 22. obſeru. cap. 16. & in l. mandato 23. ff. de minoribus*, Couar. *in cap. tua, num. 4. de teſtam.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 41. num. 8.* Narbona *de ætate, anno 17. quæſt. finali*, Paulus Buſius *lib. 6. ſubtilit. cap. 6.* Marcus Lyclama *ecloga 12.* Sed primâ ſententiâ retentâ, à qua recedendum non eſt, propter diſertam Bonifacij conſtitutionem *in dict. cap. qui generaliter 5. §. vltimo*, fundamentis contrariæ ſententiæ ſatisfaciendum eſt; primò diſcrimen conſtituendo inter aduocatum, & procuratorem. Minor vigintiquinque annis vt aduocatus in iudicio admittitur, quia vt ait Speculator *ad titulum ff. de poſtulando*, §. 1. aduocationem præbendo, & conſilium præſtando, non ſe obligat minor, *l. conſilij, ff. de R. I.* quod aliter accidit in procuratore, qui contrariâ mandati actione obſtringitur, vt conſiderat Broideus *in notis ad Polletum lib. 7. hiſt. fori, c. 7.* textus etiam pro contraria ſententia adducti procedunt in procuratore ad negotia conſtituto, qui 17. annorum deſignari valet, & aliquando minor, *l. ſed & ſi quis 7. verſ. pupillus, cum l. ſequenti, ff. de inſtit. actione, l. 1. §. cuius, ff. de exercitatoria, l. 1. §. pupillus 13. ff. de acquirenda poſſeſſ.* ad litem tamen, & in iudicio comparendum hæc ætas non ſufficit. Diſcriminis ratio ex eo naſcitur, quia procurator ad negotia, omnia gerit ex perſona domini, *l. denique 3. §. finali, l. cùm*

l. cùm mandato 23. *ff. de minoribus* : at verò procurator ad litem per eius contestationem dominus fit, & tanquam dominus causam in iudicio prosequitur, *l. procuratoribus* 27. *l. nulla* 25. *Cod. hoc tit.* docent, & alias rationes prosequuntur Vinius, Vulteius, & Mancius *in dicto §. iustè, Institutа ex quibus causis* : vnde cùm minor 15. annis proprio nomine non possit efficaciter se obligare, quin per in integrum restitutionem contractum rescindat, Pereyra *in l. si curatorem, verbo Hunc contractum, Cod. de in integrum restit.* ideo minor 25. annis procurator in iudicio non rectè datur; ad negotia verò ritè designatur. Hæc omnia procedunt, nisi in propriam causam, aut patris sui filius vt procurator intercedat; tunc enim etiam minor rectè admittitur, *cap. finali, de iudiciis in 6.* quo modo accipiendi sunt textus *in cap. ex parte, de restit. spol. cap. continebatur, de despons. impuberum, cap. indemnitatibus, de electione, lib. 6.*

2. c *Futuras.*] Ad futuras enim causas procurator rectè datur, *l. 3. ff. hoc tit.* vbi A. Faber. Mancius *de procurat. num. 129.* nec contrarium probat textus *in l. item eorum 6. §. 1. ff. quod cuiusque vniuers.* in illis verbis: *Quia non possit videri de ea re, quæ adhuc controuersa non sit, decreto datam persequutionem.* Ex quibus apertè constat, ad futuram controuersiam procuratorem, syndicumve non rectè dari. Pro cuius textus interpretatione discrimen constituendum est inter procuratorem à priuato designandum, & syndicum ab vniuersitate constituendum. Procurator enim etiam à priuato ad litem futuram designari valet; Syndicus verò non ita. Ratio differentiæ in eo consistit, nam syndicus, seu actor ab vniuersitate constituitur ex decreto decurionum, & cum causæ cognitione. Vnde cùm futuræ causæ cognitio dari non possit, nec per consequens decretum interponi; atque ideo syndicus ad futuram causam dari nequit; procurator tamen à priuato constitui valet, vt docent Faber *in dict. l. 3. ff. hoc tit.* Cuiacius *lib. 1. Pauli ad edictum, in dict. l. 6.*

3. d *Qui licèt simul.*] Plures enim procuratores vnius litis dari possunt, §. *forma 2. quæst. 6. cap. insuper, de testibus, cap. si duo, hoc tit. lib. 6. l. si plures, ff. de curatore bonis dando, l. pluribus, ff. hoc tit. l. Lucius, §. 1. ff. mandati.* Donellus *lib. 18. comment. c. 15.* Pacius *cent. 2. cap. 37. & 38.* & vt diuersis temporibus dantur, aut simul: si diuersis temporibus, posterior tantùm in iudicio admittitur, *l. si quis cum 31. §. vltimo, ff. hoc tit. dict. cap. qui plures*, licèt contrarium procedat in pluribus tutoribus datis, *l. 2. Cod. de testament. tut.* quia duo tutores vno, eodemque tempore tutelam gerere, & patrimonium pupilli administrare valent, non ita procuratores, *l. si quis 31. §. 1. l. omnium, cum sequenti, ff. hoc tit. l. 5. §. si tamen, ff. iudicatum solui*: facit lex *decreto, §. finali, ff. de administr. tut.* aliàs qui cum domino contraxit, cum pluribus litigare cogeretur: licèt id permittat Bonifacius VIII. *in dict. cap. si duo*, contra iuris ciuilis regulas, quas præ oculis habuit Gregorius IX. *in præsenti.* Sed si simul dati sint plures, omnium constitutio valet, ita vt ille in iudicio agat, qui per litis contestationem negotium occupauit, *dict. l. pluribus 32. ff. hoc tit.* quia eo facto dominus litis effectus est, & ita omnes alios excludit, *l. procuratoribus, Cod. hoc tit.* Gonzalez *ad regul. 8. §. 3. num. 15.* prosequuntur Donellus *lib. 18. comment. cap. 15.* vbi Osualdus *littera C.* Mancius *de procurat. num. 119.* Vighellius *in methodo iuris canonici, pag. 146.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 59.*

e *Appellare.*] Procurator ad litem datus tenetur litem prosequi, & à sententia contra ipsum prolata appellare, *cap. dilectus 11. hoc tit. l. 17. C. eodem, l. ab executore 4. ff. de appellat. l. si procuratorem, §. quod & ad actionem, ff. mandati, l. liberto 31. §. litem, ff. de negot. gestis, l. si actor 10. Cod. de appellat.* docent Noguerol. *alleg. 34. num. 2.* Gregorius Lopez *in l. 23. verbo No puede, tit. 5. partit. 3.* & *in l. 3.* Glossa *verbo Alzada, tit. 23. ead. partita.* Menchaca *vsufrequentium cap. 19. à num. 1.* & *cap. 39. à num. 9.* aliàs si non appellauit ab iniusta sententia, ei imputatur, *dict. l. liberto, §. litem*, ibi: *Poterit ei imputari, si cùm posset, non appellauit.* Quare tempus ad appellandum currit procuratori. Salgado *de protectione, 2. part. cap. 2. num. 68.* Tondutus *de præuentione p. 1. cap. 3. num. 11.* Vulteius *de iudiciis, lib. 4. cap. 2. n. 113.* non tamen tenetur appellationem prosequi, nisi cùm sententia, à qua appellatur, est interlocutoria, aut datus est procurator ad defendendum, vel appellandum, vel mandatum est generale ad omnes causas; quia tunc procurator debet prosequi causam, donec per sententiam illi finis imponatur, *l. 2. ff. an per alium causæ appell.* iuncto Bartolo *in d. l. inuitus 17. n. 3.* quos & alios casus prosequuntur Barbosa *in præsenti*, Noguerol *vbi proximè, n. 3.* Quesada *quæstionum iuris cap. 31. num. 15.* si autem ipse procurator velit prosequi causam appellationis, admittitur, etiam coram iudice, ad quem, vt in præsenti textu docetur, in quo recessum esse à regulis iuris Cæsarei existimauit Donel. *dict. cap. decimo-sexto*, vbi Osualdus *littera E.* 4.

CAPVT XV.

[a] Idem.

COnsulti sumus, an constitutus ad impetrandum à communitate aliqua procurator ab [b] impetrando deberet excludi pro eo, quod maiores, & [c] iurati, per quos eadem communitas regebatur, tempore, quo iniunctum fuit procurationis officium, erant excommunicationis sententiâ in nodati. Taliter respondemus, quod si essent illi in litteris procurationis expressi, vel aliàs eorum auctoritate procuratoris institutio facta fuisset, aut sciens eos esse tales ipsa communitas vnà cum eis constituisset eundem, non est procurator huiusmodi repellendus.

NOTÆ.

NOTÆ.

a *Idem.*] Gregorius videlicet IX. qui licèt consultus præsentem constitutionem ediderit, non tamen expressit cuius consultationi in ea respondeat.

b *Ab impetrando.*] Quando excommunicati possint impetrare rescripta gratiæ, aut iustitiæ, exposui *in cap. nonnulli 27. §. 1. de rescriptis.*

c *Iurati.*] Idest qui regunt ipsam Rempublicam, ita appellati, quia in ingressu officij iurant se iuxta ipsius communitatis statuta omnia acturos. Couar. *in thesauro linguæ Castell. verbo Iurado.* Commentarium huius textus dabimus titulo sequenti.

TITVLVS XXXIX.

De syndico.

CAPVT I.

Gregorius [a] *Petro Subdiacono.*

SIcut studij nostri esse condecet, à litigiis [b] foralibus monachos [c] submouere, vt [d] diuinis ministeriis piè ac solerter invigilent: ita necesse est nostrâ prouisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant, ordinare, ne distenta mens per varias causarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum eneruata torpescat. Præsentium itaque lator Abbas Ioannes plurima se [e] monasterij sui asserit habere negotia: pro qua re experientiam tuam per præsentis scripti paginam admonemus, quatenus cum Fausto, qui Romani viri magnifici [f] ex tempore [g] Cancellarius fuerat, loqui debeat. Cuius si pronam ad hanc rem compereris voluntatem, ei monasterij ipsius generaliter debeas, constituto salario, commendare negotia. Expedit enim paruo incommodo à strepitu causarum seruos Dei quietos existere, vt & vtilitates [h] cellæ per negligentiam non pereant, & seruorum Dei mentes ad opus dominicum liberiores existant.

NOTÆ.

1. a *Gregorius.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 1.* & extat textus hic in regestro epistolarum D. Gregorij *lib. 1. epist. 67.* ex quo inscriptionem eius, & litteram transcribo. De Gregorio, & eius regestro egi *in cap. 2. de constit.* De Defensore Siciliæ, eiusque officio nonnulla adduxi *in cap. 3. de electione.*

b *Foralibus.*] In hac sexta collectione legitur *forensibus*; & rectiùs, quia à foro, idest iudicio, *cap. forus, de V.S.* forenses causæ dicuntur. Innocentius III. *lib. 7. regest. epist. 105.* ibi: *Vel conuentus ire forenses.*

2. c *Monachos submouere.*] Gregorius Magnus Benedictinam regulam professus in monasterio S. Andreæ, vt ipse testatur *lib. 4. epist. 45.* & probat Yepez *tom. 1. chronicæ D. Benedicti, cent. 1. anno 542.* ex maternis, & paternis bonis sex monasteria in Sicilia construxit, & amplis redditibus ditauit, vt ex Paulo Diacono, & Ostiensi refert Don Rochus Pirro *tomo 3. Siciliæ sacræ, pag. 153.* hæc monasteria, *nostra*, appellabat ipse Gregorius *lib. 5. epist. 59.* ibi, *monasterij nostri*, & *monasterium nostrum*; atque tam monachorum, quàm monasteriorum curam habebat circa spiritualia, & temporalia, vt passim, ex eius epistolis constat. Vnde in præsenti ait, studij proprij esse monachos à litigiis submouere.

3. d *Diuinis ministeriis.*] Idest horis canonicis, & aliis actibus regularibus: non autem ministerium accipiendum est in præsenti pro Missæ sacrificio; nam in his monasteriis, & similibus, cùm monachi laici essent, tantùm eligebatur vnus in presbyterum, qui diuina ministeria obiret. Gregorius noster *lib. 5. epist. 41.* in illis verbis: *Presbyter, qui missarum solennia celebraret, debeat ordinari.*

4. e *Monasterij sui.*] A D. Gregorio constructi, & D. Mariæ dicati, de quo ipse Greg. *lib. 1. epist. 54.* vbi Petro subdiacono, de quo in præsenti epistola, scribit in hæc verba: *Festiuitatibus Sanctorum desiderabiliter insistentes, præsentis præceptionis nostræ paginâ ad experientiam tuam necesse duximus dirigendum, inchoantes Oratorium B. Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædificatum est, vbi Maximianus Abbas præesse dignoscitur, Augusto mense disposuisse nos, adiuuante Domino, summo opere dedicare, &c.*

f *Tempore.*] Alibi verò legitur *Prætore*, sed perperam, vt iam notauit Antonius Augustin. *in præsenti.*

g *Cancellarius.*] Qualis Cancellarij dignitas, officiumque sit, dixi *in cap. cùm causa, de electione.*

5. h *Cellæ.*] Cella dicta est à celando, quia nos occultat, & celat. D. Isidorus *lib. 15. originum, c. 3.* Marcus Varro *lib. 4. de lingua Latina*, Festus verbo *Cella*, Seruius *ad illud Virgilij 1. Æneidos.*

—— *Distendunt nectare cellas.*

Vt autem variæ sunt res, quæ celantur, ita diuersæ sunt cellarum appellationes: vbi oleum custoditur, cella olearis dicitur, *l. 4. §. 1. ff. de penu legata:* vbi vinum, vinaria, *d. §. 1. l. 3. §. vlt. ff. de tritico & vino, l. 1. §. si viserint, ff. de adquir. possess.* vbi penus, cella penuaria, *l. 3. §. sunt autem, ff. de penu legata.* Has & alias complectitur Cicero *lib. de senectute*, his verbis: *Semper boni, assiduique domini refertâ cellâ vinariâ, oleariâ, mellariâ, & penuariâ.* Hinc cellarius dictus præpositus administrationi olei, vini, & frumenti cellis inclusi, *l. quæsitum 12. §. cellariorum, ff. de instrum. legato, l. nominatim 24. ff. de manumiss. testam. cap. dilecto, de præbendis, cap. cùm ad monasterium, de statu monachorum*, latiùs prosequuntur Benedictus Haæphtenus *disquisit. monast. tract. 3. disput. 4.*

disput.4. Gerardus Voſſius *lib.2. de vitiis ſermonum, cap.4.* Etiam accipitur cella pro cubiculo. Martialis *lib.1.*

Vnde tibi tegula eſt, ac vſtæ penſio cellæ.

Horatius *lib.1. ſatyra octaua.*

Huc priùs anguſtis eiecta cadauera cellis.

Varro *lib.4. de lingua Latina*, ibi: *Vbi conditum eſſe volebant, à celando cellam appellabant.* Notauit Lipſius *lib.1. Saturn. cap.14.* In ſacris autem canonibus accipitur pro breui cubiculo monachi, *c. priuilegium, de V. S. lib.6.* Concil. Cabilon.2. *can.61.* Turon.2. *can.15. Ne liceat monachis cellulas habere communes, vbi aut bini habitent; ſed ſingulares iaceant.* Arelat.2. *can.4.* inde monachi cellulani appellati ſunt à Sidonio *lib.9. epiſt.3.* ibi: *Senatum Lerinenſium cellulanorum.* Illuſtrat Benedictus Haæphtenus *lib.12. diſquiſit. monaſt. tract.3. diſquiſit.1.* Sumitur etiam cella pro monaſterio diuerſas cellas habente. Sanctus Odus *collatione 3. cap. 22.* ibi: *Ganzlinus cum fratribus cellæ Dolenſis nuper fuerat.* Et *c. præterea 2. de tranſactionibus.* Innoc. III. *lib.2. regeſt.14. epiſt.113.* & *epiſt.143.* ibi: *De quibuſdam cellis ordinis veſtri.* Ex Sozomeno, & aliis probant Boſquetus *in notis ad dictam epiſt.113.* Viuar. *de veteri monach. lib.2. cap.12. num.16.* Vnde in præſenti textu cella accipitur pro ipſo monaſterio, vt etiam ſumitur apud ipſum Gregorium *lib.1. epiſt.54.* ibi: *Quod nuper in cella fratrum adificatum eſt, vbi Marinianus Abbas præeſſe cognoſcitur.* Vbi, ni fallor, agit Gregorius de ipſo monaſterio, ſuper quo in præſenti reſcribit Petro Subdiacono. Similiter accipitur apud ipſum Gregorium *lib.6. epiſt.10.* ibi: *Si ergo, qui vos ex ordine ſequitur, talis eſt, vt circa cellæ ordinationem, fratrumque cuſtodiam.* Hinc accipiendus eſt ipſe Gregorius *lib.2. dial. cap.23.* ibi: *Cui ille reſpondit, quid eſt quod loqueris ſoror? manere extra cellam nullatenus poſſum.* Vbi cella ſumitur pro monaſterio, vt exponit Menardus *ad concordiam regul. cap.45.* & plerumque cellula accipitur pro monaſterio paruo. Lupus Abbas Ferrarienſis *epiſt.11.* ibi: *Cellam Sancti Ludouici, quam Magnus Carolus Alcuino*, &c. in additionibus Capitul. Ludouici Imperat. *tit.44.* ibi: *Vt Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi ſint, aut canonici.*

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO TRADITVR ET PROBATVR.

EX præſenti Gregorij Magni epiſtola ſequens deducitur diſputanda aſſertio: *Monachi non per ſe, ſed per ſyndicum, ſeu œconomum à monaſterio deſignatum cum ſalario, debent cauſas in iudicio tractare.* Probant eam textus *in cap. conquerente œconomo monaſterij, de officio Ordinarij, c. Imperatorem, de iuram. calumn.* ibi: *In ſuo monaſterio œconomum ſtatuam, qui pro his petere, & excipere debeat.* Et *cap. voluimus, 89. diſt. cap. finali 5. quæſt.3. cap. cùm ſimus 9. quæſt.3. c.2. de in integrum reſtit. cap. quia 7. de procurat. cap. cùm cauſam, de iudiciis, cap. ſignificauit 48. de appellat. cap. conſtitutus, de religioſis domibus, cap. dilectus 2. de capellis monach. cap.1. ne clerici, vel monachi, cap. cùm olim 14. verſic. tandem, de priuileg. l. omnes 35. §. hoc, l. placet 17.* ibi: *Syndico conſtituto, C. de Epiſcopis & clericis.* Faciunt lex 1. §. *quibus, ff. quod cuiuſque vniuerſ.* lex *munerum*, §. *defenſores, ff. de muneribus & honor.* vbi docetur, vniuerſitatem ſyndicum conſtituere, *l.13. tit.2. l.98. tit.18. partita 3.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & *lib.1. iuris eccleſ. cap. finali*, Petrus Gregorius *lib.49. ſyntag. cap.5.* & *in dict. cap. conquerente, de officio ordin. cap.3.* Boſquetus *in notis ad Innoc. III. lib.2. epiſt.127.* Alciatus *lib.1. pererg. cap.5.* Rodriguez *tomo 3. qq. regul. q.41. art.1.* Auales *in cap.22. Prætorum*, Azeuedus *in notis ad Curiam Piſanam, lib.2. cap.28. num.14.* pluribus relatis Oſualdus *lib.18. Donelli, cap.12. littera I.* Duarenus *lib.1. de ſacris eccleſ. cap.19.* Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. quæſt.2. proœmial. §.5. num.14.* Felician. Vega *in cap. cùm deputari, de iudiciis*, Mancius *in tract. de ſyndicis.*

7. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed in præſentem aſſertionem pro dubitandi ratione ita inſurgo. Ad negotia monaſterij procuranda, non ſyndicus, ſed vnus ex monachis præponi, conſtituique debet ex conſenſu Prælati, *c. monachi 35.16. q.1. cap.2. de poſtulando*; cùm enim Eccleſiæ aliquo canone prohibetur monachis in foro verſari, aut cauſas in iudicio tractare, ſemper excipitur vtilitas monaſterij, *d. c.2. de poſtul.* igitur neceſſe non eſt ſyndicum conſtitui à monaſterio, cùm monachi ipſi poſſint in iudicio cauſas pertractare. Augetur hæc difficultas ex eo, nam laïci non poſſunt procurare, ſeu adminiſtrare negotia Eccleſiarum, *c. quia in quibuſdam, cap. indicatum, 89. diſt. cap. in noua 16. q.7.* igitur laïcus non poteſt deſignari, ſeu conſtitui ſyndicus monaſterij, ſed potiùs monachus eſt eligendus, cùm ſit perſona eccleſiaſtica. Secundò impugnari poteſt tradita aſſertio in ea parte, in qua ſupponit, ſyndicum eſſe conſtituendum conuento, & præfinito ſalario; nam procuratori, ſeu ſyndico voluntario non debetur ſalarium: vnde illi non competit actio mandati ad ſalarium, *l. ſalarium 7. §. mandati, l. finali, ff. de O. & A. l. ſalarium, C. mandati*; etſi quid ob impenſum laborem illi præſtatur, non ſalarium, ſed honorarium dicitur, *l. ſi remunerandi, ff. mandati*: igitur in præſenti caſu etſi ſyndicus conſtitueretur à monaſterio, ſalarium tamen illi ex conuentione aſſignari non poterat, cùm voluntariè eligeretur, vt conſtat ex illis verbis, *ſi compereris voluntatem.*

8. SYNDICVS EST PROCVRATOR.

His difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt Gregorij Magni deciſio, ad cuius expoſitionem ſciendum eſt, quod ſicut priuatæ perſonæ ad negotia in iudicio peragenda procuratorem conſtituunt, *l.1. & per totum ff. de procuratoribus*; ita vniuerſitas, monaſterium, ſeu collegium conſtituunt procuratorem, vel adminiſtratorem bonorum; quem appellant actorem, ſeu œconomum; ſi ad negotia in iudicio pertractanda, appellant ſyndicum, ſeu defenſorem, *l.1. §. quibus, ff. quod cuiuſque vniuerſ.* docent Merillus *differentiarum cap.3.* Mancius *de ſyndicis, in principio.* Vnde cognoſcitur differentia, quæ verſatur inter hunc titulum, & antecedentem; quia in illo agitur de procuratoribus priuatorum, in hoc verò de procuratoribus, ſyndicis, ſeu defenſoribus vniuerſitatis, monaſterij, vel alterius communitatis, vt animaduertunt Gothofredus, Valenſis & Chaſſaneus *ad hunc tit.* Iure etiam ciuili qui reipublicæ, vel vniuerſitatis negotia adminiſtrant, dicuntur actores, *l. finali, ff. de officio Præſidis, l. cùm aliquis 27. ff. de negotiis geſtis, l. nec ciuitati 74. ff. de procurat.* licèt alias differentias agnoſcant inter actorem & ſyndicum Mancius *vbi ſuprà, num.13.* Vveſembechius *ad titul. ff. quod cuiuſque vniuerſ. n.3.* qui autem ad negotia vniuerſitatis, ſeu reip. in iudicio tractanda conſtituuntur, ſyndici, ſeu defenſores dicuntur, *d. l.1. §. quibus, l.1. §.2. l. munerum*, §. *defenſores, ff. de muner. & honoribus, l. ita 47. in principio, ff. ad Trebell. l. 8. ff. de pollicitationibus*: iure autem canonico, qui Eccleſiæ, aut monaſterij rationes curant, & bona adminiſtrant, dicuntur œconomi, *cap. volumus, 89. diſt. cap. cùm vos, de officio Ordin. cap. Diaconum,*

cap.

cap. indicatum, 79. *diſt.* ſiue caſtaldi, *cap. Saluator* 1. *quæſt.* 1. plura de eis congeſſerunt Fileſacus *in dict. cap. cùm vos*, Barboſa *lib.* 1. *iuris eccleſ. cap. finali*, Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. quæſt.* 2. *proœmialium*, §. 5. Qui autem negotia Eccleſiæ, ſeu monaſterij in iudicio pertractat, dicitur ſyndicus, ſeu defenſor, *cap. veniens* 2. *de in integrum reſtit.* cum aliis ſuprà adductis pro illuſtratione concluſionis.

9. SYNDICVS A QVIBVS CONSTITVATVR.

Syndicum in iudicio conſtituere poſſunt Reſpublica, Vniuerſitas, collegium, monaſterium, quia cùm quælibet communitas, quantumuis approbata, perſonam non habeat, nec per ſe in iudicio eſſe poſſit, neceſſe eſt vnum eligere, per quem agat, ſeu ſe defendat, *cap.* 2. §. *ſi iudices*, *de in integrum reſtit.* Cicero 1. *in Verrem*, ibi: *Sicilia tota ſi vna voce loqueretur, hoc diceret, quid auri, quid argenti, &c. quoniam id non poterat, harum rerum actorem parum idoneum ipſa delegit.* Vnde Athenienſes ſyndicum habuiſſe, ex Demoſthene probat Petrus Gregorius *d. lib.* 49. *ſyntag. c.* 5. Ordo etiam decurionum ſyndicum nominare valet, *l.* 3. *d. item eorum* 6. §. *ſi decuriones*, *ff. quod cuiuſque vniuerſ.* omneſque communitates permiſſæ, & approbatæ, quæ habent arcam communem, etiam ſyndicum deſignare poſſunt, imò & coguntur illum conſtituere, *l.* 4. *ff. de fideicommiſſ. libert.* docent Mancius *vbi ſuprà*, *n.* 15. P. Mendo *lib.* 1. *de iure academico*, *quæſt.* 73. Circa formam autem electionis illud obſeruandum eſt, videlicet vt omnes collegij, ſeu communitatis vocentur, & congregentur in locum publicum, *l. penult. Cod. de legation. l.* 2. *Cod. de decurionibus*, *lib.* 10. & conuocari debent ad ſonum campanæ, vel alio ſigno dato, quo ad ſimiles actus communitatis conuocari conſueuerunt; abſentes autem, & impediti, ius præſtandi ſuffragium non habent, nec præſentium electionem per abſentes comprobari neceſſe eſt, *l. finali*, *Cod. de prædiis decur. lib.* 10. Speculator *in tractatu de ſyndico*, *num.* 2. Et licèt omnes ipſius communicatis præſentes vocari debeant, ex regula textus *in l. finali*, *C. de auctoritate tut.* tamen non omnium etiam præſentium in vnum, eundemque ſyndicum conſenſus deſideratur, ſed ſufficit maioris partis, *l. quod ſi maior*, *ff. ad municipalem*, *l. nominatim*, *Cod. de decurionibus*, *lib.* 10. *l.* 3. *ff. quod cuiuſque vniuerſ.* docet Azeuedus *in notis ad Curiam Piſanam*, *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 14. Nec etiam in ipſa ſyndici conſtitutione deſideratur vt ſingulorum nomina exprimantur, ſed ſufficit vt dicatur à maiori parte ſyndicum fuiſſe conſtitutum, vt docent Gaillus *lib.* 1. *obſeru. cap.* 76. Loſeus *lib.* 2. *de iure vniuerſ. cap.* 1.

10. SYNDICVS QVIS DESIGNARI VALEAT.

Quoad perſonam autem, quæ poteſt vt ſyndicus conſtitui, illa generalis regula obſeruanda eſt, videlicet eos omnes à ſyndici officio arceri, qui procuratores eſſe nequeunt, vt fœminæ, milites, & ſimiles: Mancius *vbi ſuprà*, *num.* 48. cùm ſyndicus à procuratore tantùm in eo differat, quod procurator à priuatis, ſyndicus à communitate eligitur: nec tantùm extraneus à Capitulo in ſyndicum eligi valet, verùm & ille, qui ex corpore communitatis eſt, *l. planè* 4. *ff. quod cuiuſque vniuerſ. l. vt gradatim*, §. *ſed etſi*, *ff. de muneribus & honoribus*, ſi idoneus eſt, & negotiorum peritus, vt docent Vvſembechius *vbi ſuprà*, *n.* 5. Mancius *n.* 43. Semel ac ritè ſyndicus eſt electus pro ipſa communitate, ipſam debet defendere in omnibus cauſis, niſi mandatum ſpeciale exigant; licèt enim cum libera facultate conſtituatur; tamen in his, quæ egent ſpeciali mandato, debet illud ſpeciale adhiberi. Vvſembechius *vbi ſuprà*, *num.* 8. Poteſt etiam ſyndicus iuramentum deferre, & præſtare in negotiis communitatis, & etiam de calumnia iurare cogitur, *cap. in pertractandis* 3. *de iuramento calum.* non autem cogitur ſatisdare, ſicut procurator, *l. item* 6. §. *vlt. ff. quod cuiuſque vniuerſ.* vbi gloſſa, & A. Faber: in aliis autem actionibus, ac defenſionibus idem dicendum eſt de ſyndico, ac de quocumque procuratore prædicatur. Nec contrarium probat textus *in d. l. item* 6. §. *actor*, in illis verbis, *iudicati actio ei ex edicto non datur*; in quibus docetur, actionem iudicati non dari ſyndico, ſeu actori, cùm ea etiam directa detur procuratori, *l. in cauſa* 27. *in fine*, *l. ſi procurator* 28. *ff. de procurat.* igitur quia ſyndicus quoad iudicia non habetur per omnia vt procurator. Nam huic difficultati, omiſsâ A. Fabri ſolutione *in dict. l. ſi procurator* 28. qui exiſtimauit, iudicati actionem non dari ſyndico, aut procuratori; reſpondendum eſt, diſcrimen eſſe conſtituendum inter actionem iudicati efficacem, & inefficacem, exceptione videlicet elidendam; actio enim iudicati efficax procuratori, aut ſyndico non datur, *dict. l. item* 6. §. *actor*; inefficax verò, quæ oppoſita à reo exceptione eliditur, procuratori, ſeu ſyndico competit, vt docet Oſualdus *lib.* 18. *Donelli*, *cap. finali*, *littera B.* & ſic de efficaci actione accipiendus eſt textus *in dicta l. ſi procurator*; de inefficaci verò textus *in dict.* §. *actor.*

11. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

His ita præmiſſis ratio præſentis deciſionis vltra illam generalem, quam ſuprà adduximus, videlicet quamlibet communitatem per ſe agere, aut defendere in iudicio non poſſe, & ita neceſſariò debere ſyndicum conſtituere, prouenit ex vita, & profeſſione monachorum; cùm enim eorum diſciplina ſit diuinis officiis vacare, ab ſtrepitu verò iudiciorum abſtinere, *cap.* 1. *ne clerici, vel monachi*, & alienum ſit à regulari conuerſatione, ſi ſe concertationum forenſium velint peritos oſtendere, *l. conſulta*, *Cod. de teſtam. l. repetita*, *C. de Epiſc.* ideo debent non per ſe, ſed per ſyndicum monaſterij negotia procurare, aut potiùs illa deſerere, quàm ſe illis implicare. Facit ad rem celebris auctoritas Petri venerabilis Heremitæ Carthuſienſis, qui *lib.* 6. *epiſt.* 18. ita ſcribit: *Quid ad nos iſta Carthuſienſis Ordinis inſtitutio eſt mala, ſi qua nouerint iis, ad quos ſpectant, nota facere, non autem litigare. Eorum eſt ſimpliciter quod ſentiunt dicere, non autem palatia ad accuſandum intrare: non eſt eremi noſtri iudiciis adſtare; non eſt eorum qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores, vel defenſores exiſtere: nihil ſimplicitati noſtræ cum malitia ſæculari; nec decet, vt qui in ſæculo eremum elegimus, nunc de eremo ad ſæculum redeamus, vt ſponte cunctis nolentibus & reclamantibus iudicum nos tribunalibus ingeramus.* Rectè ergo Gregorius Magnus in præſenti iubet monachis ſuis, vt potiùs ſalario conſtituto ſyndicum eligant, per quem negotia monaſterij tractentur, quàm ſe forenſibus negotiis immiſceant.

12. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obſtant difficultates ſuprà expenſæ. Non prima; nam licèt iuxta proximè tradita potiùs monachis expediat ſyndicum conſtituere, quàm per ſe negotia forenſia tractare; hoc tamen ad honeſtatem pertinet, non autem omninò ad neceſſitatem: quare aliquando, veluti ob ſummam paupertatem, ſi non poſſunt ſyndicum conſtituere, quia vnde ſalarium conſtituant, non habent, negotia per ſe procurare valent, vt in præſenti docent communiter repetentes; Viuianus etiam, & Valenſis hîc; quo caſu accipiendi ſunt textus *in dict. cap. monachi*, *cap.* 2. *de poſtulando.* Nec etiam obſtat ipſius difficultatis augmentum,

quia iura in eo adducta non loquuntur in syndico ad negotia temporalia in iudicio disceptanda ; sed in œconomo , siue generali administratore in locum absentis Prælati , vel tempore , quo vacat Ecclesia , designato ; laicus enim non potest esse generalis administrator in locum Prælati absentis, vt supponit noster Gregorius *lib.7. epist.66.* debet enim hoc officium committi clericis idoneis, nullâ improbæ vitæ suspicione notatis , *cap. indicatum , dist.89.* ij debent eligi ab Episcopo , *cap. cùm simus 9. quæst.3. cap. cùm vos 4. de officio Ordinarij,* & plerumque de gremio ipsius Ecclesiæ, *dict. cap. quia in quibusdam.* Quare rectè statutum fuit in Concilio Chalcedon. relato *in dicto cap. quia,* vt laïci non possint præponi administrationi rerum Ecclesiæ. Plura de his œconomis adducunt Filesacus *in dict. cap. cùm vos* 40. §.2. *de officio Ordinarij :* Barbosa *lib.1. de iure ecclesiastico , cap. vlt.* at verò quoad negotia temporalia (vt sunt , quæ in foro tractantur) laïci nominari , & constitui syndici possunt. Nec obstat secunda difficultas contra secundam partem præsentis conclusionis adducta ; quia licèt illis , quibus mandatur negotiorum administratio , non possit assignari certum salarium , *dict. l. salarium* 7. quia mandatum gratuitum esse debet ; & si salarium , aut stipendium assignaretur , mandatum excederet fines , & in contractum locationis transiret , *l. si tibi 24. ff. præscriptis verbis , l.1. Cod. mandati , § finali , Instit. eodem tit.* tamen personis , quibus consueuit salarium assignari , constitui potest , *l.1. Cod. mandati , l. 1. §. si cui , ff. de. variis & extraordin. cognit.* docent Pancirola *lib.2. var. cap.* 150. Marcellus Donat. *in notis ad Suetonium in Augusto , cap.32.* quare syndico rectè constitui potest salarium , & sic in præsenti S.Gregorius scribit Fausto salarium esse constituendum.

13. INTELLIGITVR TEXTVS IN CAP. INSVPER 9. DE TESTIBVS ET ATTESTATIONIBVS.

Sed supradictæ conclusioni obstat textus *in cap. insuper 9. de testibus , & attestationibus* ; vbi Priori, & Fratribus sanctæ Trinitatis monasterij rescribitur, vt in causis sui monasterij possint vnum, aut duos monachos ad agendum & defendendum nominare , qui actores , seu responsales dicuntur; & illi non poterunt vt testes adhiberi in causa, quam vt responsales peragunt ; alij verò monachi poterunt pro monasterio testificari. Ex quo textu expressè deducitur , ipsos monachos posse in iudicio causas monasterij tractare , & defendere: ergo non rectè docemus in nostro textu monachos debere syndicum constituere ad agendum, & defendendum. Cui difficultati ex suprà traditis satisfaciendum est asserendo, præsentem textum procedere tantùm de honestate , non verò de necessitate : & sic iustis ex causis posse monachos ipsos negotia sui monasterij in iudicio procurare, vt *in dict. cap. super.* Quomodo autem in eo textu monachi possint in propria causa testificari , non est nostri instituti examinare : videndi sunt Farinacius *de testibus quæst.6.* Balboa *in cap. tertio loco, de probationibus* , Sesse *decis.*196. Euerardus Bronchorst. *cent.1. assert.* 49. Eadem solutione accipiendus est textus *in cap. cùm deputari* 16. *de iudiciis* ; vbi cùm agatur de Templariis , de quibus *in cap.3. cap. petiisti* 20. *de priuil.* & quidam ex eis fuissent propositi Præceptores in quibusdam domibus suæ religionis , causas procurabant in iudicio ; & cùm iudices noluissent eos tanquam procuratores admittere , quia licitum non erat illis forensium causarum curam agere , qui pacificis decreuerant studiis inhærere , Innocentius III. iussit prædictis iudicibus , vt eos ad agendum , & defendendum admitterent. Cuius decisionis ratio prouenit ex proximè traditis , nam licèt honestum non esset Templariis negotiis sæcularibus se immiscere , tamen cùm negotia essent proprij monasterij , ideo potuerunt etiam in iudicio ipsa procurare , vt post Hostiensem docuit Felicianus Vega *in dict. cap. cùm deputari.* Etiam iuxta eandem doctrinam accipiendus est textus *in cap. præterea 2. de transact.* in illis verbis : *Fratres illi sese consistentes in iure* , &c. Ex quibus verbis deducitur , monachos per se,nullo syndico designato, in iudicio comparuisse , quod ex suprà traditis procedit ; nam cùm præsens Gregorij decisio tantùm loquatur de honestate , non verò necessitatem importet ; ideo monachi in illius textus specie potuerunt per se nullo syndico designato negotia sui monasterij in iudicio defendere.

14. EXPONITVR CAP. 2. DE IN INTEGRVM RESTIT.

Secundò superiori assertioni obstat textus *in cap. cùm venisset 2. de in integrum restit.* in illis verbis : *Sed iudices auctoritate Apost. monachis iniunxerunt , vt syndicum , seu procuratorem eligerent, qui in causis monasterij , & consultatione ageret , & vtiliter responderet.* Quæ verba duas & magnas continent difficultates. Prima militat aduersùs solutionem suprà traditam ; nam si monachi per se causas sui monasterij procurare possunt cum licentia sui Superioris , & etiam ob honestatem debent syndicum nominare , quomodo iudices in eo textu monachis iniunxerunt , vt syndicum eligerent ? siquidem ipsi causam agebant , & prosequebantur iam cœptam coram Romano Pontifice : igitur monachi non tantùm de honestate , verùm de necessitate debent syndicum eligere. Secunda difficultas ex dictis verbis nascitur ; nam suprà diximus , magnum esse discrimen inter procuratorem , & syndicum ; siquidem procurator est designatus à priuatis ad negotia in iudicio tractanda, syndicus verò constitutus à communitate : ergo non rectè iudices in eo textu confusè iubent monachis , vt constituant syndicum , aut procuratorem , cùm tamen syndicum ex supradictis nominare possint. Etiam alia nascitur difficultas ex eo , nam syndicus non potest constitui sine licentia , & auctoritate Prælati , *cap. causam quæ , de iudiciis* , & ex nostro textu constat : sed in contextu non erat Prælatus , qui syndicum constituerat , siquidem iam decesserat : ergo non poterat syndicus constitui. Primæ difficultati respondendum est , in eo textu monachos coram iudicibus delegatis non comparuisse per se , vnde iudices illis indulserunt , vt syndicum eligerent ad agendum & excipiendum ; si autem ipsi per se, quia erat negotium monasterij , voluissent comparere , audiendi erant ; nec tunc cogerentur syndicum nominare. Secundæ difficultati satisfaciendum est concedendo , magnum esse discrimen inter syndicum , & procuratorem ; sed aliquando sumi vnum pro alio, quia vbi constat de potestate, & voluntate constituentis , parùm de verbis curandum est , *cap. petitio 9. de procuratoribus.* Nec obstat secunda difficultas , si animaduertatur , in eo textu agi de electione Prælati monasterio competenti , vel non ; quare ob illam causam , sicut & ob alias , ad monasterium spectare sede vacante potuit syndicum constituere , vt in eo textu notant Hostiensis , Cardinalis , & alij repetentes.

15. EXPONITVR TEX-

Deinceps superiori assertioni obstat textus *in cap. edoceri 21. de rescriptis* , in illis verbis : *Cùm ex*

TVS IN CAP. EDOCERI 21. DE RESCRIPTIS.

ex officio tenerentur congregationum suarum negotia in iudicio procurare. Ex quibus verbis depromitur, Abbates ratione officij teneri monasteriorum negotia in iudicio procurare: ergo nec monachi, nec syndici sed potiùs Prælati debent agere, & excipere in iudicio causas monasterij, vt adimpleant officium suum. Cui difficultati respondendum est, Abbatem, & quemlibet Prælatum teneri procurare negotia sui monasterij, tanquam bonus administrator; non tamen in iudicio per se comparendo ad agendum, vel defendendum; sed tantùm per syndicum, aut procuratorem: neque illa verba, *negotia procurare*, inducunt necessitatem personalem, sed tantùm curam in electione personæ, per quam in iudicio negotia procurentur.

TITVLVS XL.

De his quæ vi, metusve causâ fiunt.

CAPVT I.

Alexander III. [a] *Oscen. Episcopo, & Priori sanctæ* [b] *Mariæ Cæsaraug.*

RElatum est ad audientiam nostram, quod cùm quidam vir nobilis, prudens, & potens A. nomine M. mulierem de Oreia quondam vxorem suam [c] suspectam haberet, fratri, & militibus [d] suis præcepit, vt eam longè ad priuata loca deducerent, & gladio occiderent: quam cùm ipsi ad quandam siluam duxissent, & euaginato gladio eam occidere vellent, eadem ad pedes cognati cecidit, & vt sibi vitam seruaret lacrymosâ supplicatione rogauit. Cognatus verò misericordiâ, & pietate ductus, ei sub tali conditione pepercit, quod in monasterio de [e] Colobres habitum monasticum deberet suscipere. Quo audito maritus eius, quia reseruata erat ad vitam, graue plurimùm tulit; sed tamen postmodùm acquieuit. Sicque factum est, quod duos Episcopos, [f] Cæsaraugustan. & [g] Triascon. vt eam [h] benedicerent, & ei velum imponerent, ad monasterium ipsum adduxit. Episcopi verò rem ignorantes, & quia [i] iuuenis erat, & filium habebat paruulum, mutationem vitæ suspectam habentes, eam seorsum conuenerunt, quæ vtique ipsis rem per ordinem patefaciens, quod mortis timore, & non bono animo monasterium intrabat, l proposuit; & quod quandocumque posset, inde exiret, nihilominus adiecit. Tunc Episcopis de morte ipsius timentibus, & quod ab ea audierant, propalare nolentibus, alter eorum, Tirassonen. scilicet, vt viri illius tyrannidi satisfacere videretur, mulieri velum imponere simulauit. Tandem autem viro, & fratre de medio sublatis, prædicta mulier de monasterio exiuit, & cuidam nobili, P. videlicet de Camberis nupsit. Sorores autem cùm reclamarent, & Episcopo [m] Calaguritan. conquestæ fuissent, & Episcopus non posset eam videre, nec super his conuenire; ad instantiam sororum eam, & virum, quem acceperat, excommunicauit, & totam terram eius interdixit, ignorans quomodo res processisset, quam vtique sententiam ven. f. noster [n] Tarraconen Archiepiscopus postmodùm confirmauit. Nos igitur de honestate, & prudentia [o] vestra confidentes, causam ipsam experientiæ vestræ duximus committendam, & fine canonico terminandam. Ideoque disc. v per A. s. præc. m. quat. prædictam mulierem, & virum, recepto iuramento, quod vestro debeant stare mandato, ab excommunicationis vinculo absoluatis; deinde tam mulierem, quàm Priorissam, & moniales præscripti monasterij ante vestram præsentiam conuocantes, causam diligentissimè audiatis, & fine canonico terminetis. Quod si legitimè probatum fuerit, non timore mortis prædictam M. Religionem intrasse, aut quod fecit, ratum postea habuisse; ipsam ad monasterium redire, & habitum depositum sumere, censurâ ecclesiasticâ compellatis.

NOTÆ.

1. a *Oscensi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & post Concilium Lateranense *part.* 50. *cap.* 13. Oscensis vrbs duplex reperitur in nostra Hispania, alia dicta Osca Bœticæ, vulgò *Guescar*, cuius meminerunt Ptolomeus *lib.* 2. *geograph. tabul.* 1, *cap.* 4. & ibi Iosephus Moletius *fol.* 4. Hieronymus Vuscellus *fol.* 85. Rodericus Caro *in notis ad chron. Flauij Dextri, anno* 52.

litt.I. Alia est ciuitas pervetusta in Celtiberia Hispaniæ citerioris, in Regno Aragoniæ, vulgò *Guesca* ; eius topographiam tradiderunt ex antiquis Ptolomeus *lib.* 2. *tabul.* 2. *Europæ, cap.* 6. Plinius *lib.*3. *hist. cap.*3. Strabo *lib.*3. *geographiæ.* Ex recentioribus Ludouicus Nonius *in sua Hispan. cap.*83. Didacus de Ainsa *lib.* 1. *histor. Oscensis, cap.* 1. De hac in præsenti agitur, quæ iam à primis Ecclesiæ temporibus Cathedrâ Episcopali decoratur: eius Præsul Gabinius subscripsit Concilio Toletano 3.

2. b *S. Mariæ Cæsarauguſt.*] Cæsarausta, siue Cæsarea Augusta, vt vult Zurita *in notis ad Antonini itinerarium, pag.* 533. Salduba appellata ab Ortelio *in theatro, verbo Cæsarauguſta*, Auripa dicta ab Archiepiscopo Toletano *lib.*1. *historiæ, cap.*3. Petro Antonino Beuter. *historiæ Hispan. tom.*1. *lib.*1. *cap.* 7. ciuitas est perantiqua Hispaniæ citerioris, & nobilissima, in Edetanis, totius Regni Aragoniæ Metropolis, ab Augusto Cæsare in coloniam deducta. Nonius *in sua Hispania, cap.* 28. Olim Regum fuit splendida Curia: eam debitis extollunt laudibus Ludouicus Lopez *in historia Cæsarauguſtana*, quem laudat Coronel. *in notis ad Gongoram, tom.*3. *pag.*435. P.Merillus *de antiquitate Cæsarauguſt. lib.*1. *cap.*1. Tamayo de Salazar *in Martyrol. Hispaniæ, die* 2. *Ianuarij*, & *die* 29. & *Martij die* 24. Non minùs celebre est apud omnes nationes templum Beatæ Mariæ adhuc viuenti ab Apostolo D.Iacobo dicatum, vulgò *de el Pilar de Saragossa* ; quod construxit iussu Deiparæ Virginis super columna, seu pilari inter Angelorum cantus visibiliter apparentis, vt referunt & probant Martinus Delrio *disquisit. magic. lib.*2. *quæst.*26. *sect.*4. *pag.* 223. Isella *in lib. Reg. Milit. S. Iacobi, cap.*3. Vascus *in chron. anno* 37. & 44. Garibay *in compendio Histor. Hispan. lib.*7. *cap.*3. & 4. Viuar. *in notis ad Flauium Dextrum, anno* 37. *num.* 3. Michaël Martinez *in interpret. trium epigram. ipsius Ecclesiæ, pag.* 79. Alij quamplures, quos congerit Lezana *in iuris alleg. pro ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ, in princ. pag.* 7. Hæc Ecclesia canonicorum regularium fuit iam à temporibus Innocentij II. vt latè probant Lezana *vbi suprà*, Pennotus *lib.*2. *histor. canonic.regul. cap.*31. *num.*3. & mansit regularis vsque ad annum 1604. quo anno facta est sæcularis.

3. c *Suspectam habens.*] De adulterio videlicet, & sic zelotypiæ furore accensus, vt interpretatur D. Antonius Feloaga *in præsenti, vestig.*1. qui plura eruditè de zelotypia cumulauit. Videndi etiam sunt P. Serlogus *in Cantica, tomo* 3. *pag.*544. Philippus Camerarius *tom.* 1. *horar. succesſiu. cent.*1. *cap.*53. & *cent.*2. *cap.* 34. Beyerlinch *in theatro vitæ humanæ, verbo Zelotypia.*

d *Milites.*] Idest beneficiarios eius, & vassallos.

4. e *De Colobres.*] Legendum est *de Tulebras*; anno enim 1157. in oppido de Tulebras constructum fuit monasterium Ordinis Cistercienſis, quod postea dictum fuit Diuæ Mariæ de Charitate, vt constat ex quodam priuilegio illi concesso à Sancio Nauarræ Rege era 1195. in illis verbis: *Ego Sancius per Dei gratiam Pampilonenſium Rex, facio hanc chartam donationis, ac textum ſcripturæ in perpetuum valiturum, Deo, & monaſterio S. Mariæ Charitatis, quod antea vocabatur Tulebras, & vobis Dominabus ſanctimonialibus ibi nuper ſeruientibus Deo, tam præſentibus, quàm futuris, de toto illo Regaliſſimo de Tulebras, vt habeatis illum, & poſſideatis vos, & omnes ſucceſſores veſtræ, tam præſentes, quàm futuræ deinceps iure hæreditario in perpetuum, & faciatis inde quidquid volueritis, ac quietè, &c.*

f *Cæsarauguſtan.*] Non exprimit Alexander III. an Ecclesiæ D. Mariæ Pilaris, vel Ecclesiæ sancti Saluatoris? Pro cathedralitate vtriusque Ecclesiæ doctè certatum & perpugnatum inuenitur: pro Ecclesia D. Mariæ plura adduxit post alios Lezana in duplici allegatione: pro cathedralitate Ecclesiæ sancti Saluatoris Frances Vrrutigoyti *in tractatu de vnica cathedralitate Cæsarauguſtana.* Illud certum est, temporibus nostri Alexandri Eccleſiam Cæsarauguſtanam tantùm Episcopalem fuisse, postea verò Ioannes XXII. metropolitico iure decorauit, eique subiecit Oscensem, Tirassonensem, Pampilonensem, Calagurritanam, & Segoruensem Eccleſias, vt vltra scriptores suprà iam datos referunt Pennotus *lib.* 7. *canonic. regul. cap.*31. *num.*3. Bosquetus *ad Innocentium lib.*1. *epist.*77. 5.

g *Triascon.*] Legendum est *Tiraſſon.* siue Turiasson. Turiasso enim antiqua Hispaniæ ciuitas Episcopalis est, olim in Tarraconensi citeriori, hodie in confinio Castellæ & Aragoniæ sita; vulgò dicitur Tarazona: de ea nonnulla adduxerunt Rodericus *lib.*1. *histor.cap.*5. Tamayo *in Martyrol. Hispaniæ, die* 28. *Aprilis.* Bosquetus *in notis ad Innocentium III. lib.*2. *epist.*2. *regestr.*14. 6.

h *Benedicerent.*] His enim temporibus Episcopi Sanctimonialibus velum imponebant, ac ipsas Deo dicatas consecrabant, vt probaui *in cap.* 1. *de temporibus ordin.*

i *Quia iuuenis erat.*] Et sic adhuc iuuenilibus ardoribus subiecta, quorum improbos effectus referunt D. Antonius de Feloaga *in præsenti, fol.*55. Sauarus *in notis ad Sidonium lib.*1. *epist.* 2. & *lib.*2. *epist.*4. & *lib.* 7. *epist.*2. Ludouicus Cresolius *lib.*2. *myſtag. cap.*3. *sect.*4.

l *Proposuit.*] Ideſt protestauit, vnde nulla professio postea emissa vires obtinebat; nam protestatio inducit vt actus, in quo adhibetur, nihil vltra intentionem operetur, *l.pro hærede* 20.§.1.*ff. de adquirenda hæredit. l.& si quis* 14.§. *sed interdum, in fin. de relig. & sumpt. funer. l. Neſennius* 34.*ff.de negot. gestis .l. alimenta* 11. *l. quod in* 13. *l. si paterno* 15. *Cod. eodem, l. si debitor* 4.§.1.*ff. quibus modis pignus soluitur, iuncta l. sicut* 8.§. *non videtur, ff. eodem.* Et licèt protestatio in præsenti casu facta non fuisset ipsi marito, aut militibus, qui eam ducebant; tamen cùm ob metum, & maiorem vim protestatio fieret, sufficiebat, vt coram honestis personis mulier protestaretur, vt *in cap. fin. de appell. l. cùm verò* 26. §. 1. *ff. de fideicommiſſ. libert.* Docent Franciscus de Ponte *consil.*131.*n.*138. Itanzo *de protestatione cap.* 47. *num.* 16. Corrasius *in centuria Tholosana, cap.*31. 7.

m *Calagurit.*] Ecclesia Cathedralis est in Cantabria, cuius originem, & Præsulum seriem refert Ægidius Gonzalez *in theatro ipsius Ecclesiæ.*

n *Tarraconenſis.*] Tarraco vetustissima Hispaniæ citerioris ciuitas est, vulgò dicta *Tarragona*, olim clarissima Romanorum colonia, vt pluribus inscriptionibus, & numismatibus probat magnus Antonius Augustinus *dialogo* 7. eius Archiepiscopus iam à temporibus Caroli magni octo diœcesibus præest, vt refert Bosquetus ad Innoc.III. *lib.*1. *epist.*77. plura de hac pernobili vrbe tradunt Gerundensis *lib.*1. *Paralip. tit. de Tarracona*, Ludouicus Puente *in historia Tarracon.* Pujada *in hist.Catal.* 8.

*lib.*1.

cap. 22. Tamayo à Salazar *in martyrol. Hisp. die* 2. *Ianuarij*, & nos *in cap.* 24. *de iureiur.*

o *Vestram.*] Licèt enim temporibus Alexandri III. clausura monialibus indicta esset, & pluribus antea retrò sæculis, vt probat latè Gibalinus *de claus. disquisit.* 1. *cap.* 1. tamen iustis ex causis permittebatur egressus, vsque-dum Bonifacius III. *in c. periculoso, de statu regul. lib.* 6. omnem egressum prohibuit: quam prohibitionem postea confirmarunt PP. Concilij Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 15. Vnde vt veritas cognosceretur, potuerunt iudices delegati in præsenti specie Prioriſſæ, & monialibus iubere, vt comparerent in iudicio.

COMMENTARIVM.

10. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX præsenti decisione omnes repetentes sequentem deducunt assertionem: *Si quis mètu mortis monasterium ingrediatur, potest illud deserere, nisi postea professionem, vel expressè, vel tacitè ratam habuerit*: Probant eam textus *in cap. puellæ, cap. sicut* 9. 20. *quæst.* 1. *cap. præsens* 20. *quæst.* 3. *cap. si quis* 14. *quæst.* 5. *cap. non est* 15. *quæst.* 1. *cap. vltimo* 23. *quæst.* 5. *cap. iam verò* 23. *quæst.* 6. *cap.* 1. *cap. sicut, cap. cùm virum, de regul. cap. dudum, de conuersione coniug. cap. finali, qui clerici vel vouentes, cap. penult. de statu regul. lib.* 6. Nicolaus *ad consulta Bulgarorum, cap.* 87. quem refert Antonius Augustinus *in epit. iuris lib.* 9. *tit.* 4. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Feloaga *in repetitione ad hunc textum*, Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 32. & *cap.* 10. *num.* 25. Franciscus Hallierius *de sacris electionibus sect.* 5. §. 10. Leo Pinellus *in cap.* 2. *de regul.* §. 6. *num.* 206. Vazquez 3. *part. in tertiam, disput.* 240. *cap.* 3. *num.* 34. Balboa *in cap. si verò* 8. *num.* 2. *de iureiur.* Bajo-Arroyo *in eod. textu, num.* 11. Tamburinus *de iure Abbatum, tomo* 1. *disp.* 2. *quæst.* 1. Cironius *in cap.* 1. *de conuersione coniug. in* 5. *compil.* Sesse *tomo* 1. *decis.* 60. plures congerens Luna & Arellano *lib.* 1. *antin. cap.* 3.

11. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed in hanc assertionem omissis traditis ab Arellano vbi suprà, pro ratione dubitandi ita insurgo. Sicut in ingressu religionis profitetur certa regula deinceps obseruanda, ita in susceptione baptismi amplectitur vera fides catholica veraciter defendenda, & sequenda: sed qui per vim, & metum susceptit baptismum, & professus fuit fidem catholicam, tenetur in ea permanere, *cap. maiores*, §. *item quæritur, de baptismo*: igitur & qui professus fuit regulam monachalem, tenetur in ea persistere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam valet argumentum de iuramento ad votum, *cap. magnæ, de voto*: probat Castro Palao *de obligatione iuramenti, disput.* 2. *part.* 4. *num.* 2. sed iuramentum metu exortum obligat, & obseruandum est quoties non datur dispendium salutis æternæ, *cap. si verò, de iureiurando*: igitur & votum emissum in ingressu religionis debet obseruari, dum sine dispendio salutis æternæ seruari potest. Secundò augetur prædicta difficultas ex eo, quia licèt metus, qui incutitur causâ extorquendi consensum in ingressu religionis, reddat nullum ingressum ipsum; tamen metus, qui incutitur à causa libera, non causâ extorquendi talem consensum, non reddit actum nullum, quia licèt ab extrinseco incutiatur, cùm non gratiâ extorquendi talem consensum incutiatur, votum, seu ingressus religionis vires habet. Ratio etiam est, quia tunc non compellitur quis ad vouendum ab alio, sed à se ipso, cùm nullus exigat tale votum, sed voluntariè illud emittat; ideo matrimonium celebratum à virginis defloratore, ob periculum mortis, quia pater illum interficere volebat, validum est. Sanchez *de matrimonio disp.* 12. *num.* 14. Henriquez *eod. tract. lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 2. & ideo *in l. mulier* 22. *ff. de eo quod metus causâ*, licèt metus seruitutis aliàs iustus sit, *l.* 3. §. *vim, ff. hoc tit.* non tamen infirmat promissionem à liberta patrono factam, à quo metuebat reuocari in seruitutem; quia ipsa sibimet intulit metum, vt docent Faber *in ration. ad ipsum textum*, Cuiacius *lib.* 11. *qq. Pauli, ibi:* igitur in præsenti specie cùm metus mortis illatus non fuisset mulieri vt religionem ingrederetur, sed ipsa sibi hunc metum intulisset, professio ab ea emissa valida fuit.

12. METVS DIVISIO.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens decisio, pro cuius expositione, & plena cognitione huius tituli, nec-non edicti Prætoris de eo, quod metus causâ gestum est, scire oportet, metum iuxta Vlpianum *in l.* 1. *ff. de eo quod metus causâ*, esse instantis periculi, vel futuri causâ mentis trepidationem. Faciunt Aristot. *lib.* 3. *Ethic. cap.* 6. Cicero 4. *Tusc.* qui asserunt, metum esse futuri, vel pendentis mali expectationem. Explicant Lælius Biscola *lib.* 11. *horarum succesiu. cap.* 21. Iulius Scaliger *exercit.* 132. Arellanus *de rationis imperio, cap.* 10. *num.* 2. Bocerus *tom.* 1. *class.* 4. *disp.* 6. Theophilus Raynaud. *tom.* 2. *tract. de volunt. & involunt. sect.* 2. *cap.* 1. *art.* 2. *per totum*, Donellus *lib.* 15. *comment. cap.* 38. Barbosa *voto* 1. & 77. Hermosilla *in l.* 56. *tit.* 5. *partit.* 5. Dicitur in definitione *instantis periculi*; quia remota pericula non turbant mentem; debet enim metus instare, etsi præsens, actualisque non sit, vt docuerunt Duarenus *ad tit. de eo quod metus, cap.* 1. Osuald. *ad Donel. dict. cap.* 38. *littera D.* Nec contrarium probat Vlpianus *in l. metum* 9. *ff. de eo quod metus*, dum docet metum debere esse præsentem, nec sufficere suspicionem illum inferendi; nam aliud est, metum præsentem esse debere, aliud verò causam ipsius adesse. Si enim metus præsens sit, licèt eius causa non adsit pro tunc, sed futura speretur, metus datur, & consideratur, *l. nec timorem* 7. §. *proinde, ff. de eo quod metus, l.* 7. §. 1. *ff. quod falsò tut.* probat Auendaño *dict. lib.* 1. *cap.* 2. Dicitur etiam, metum esse mentis trepidationem, quia metus nascitur ex magna, vehementique imaginatione periculi futuri. Vnde rectè aiebat Osualdus *dict. cap.* 38. *ad Donel. littera C.* quod si futuri mali apprehensio vehementer animum conturbat, metus datur; si mali imminentis, timor; si permanentis, formido; si valdè concutiat, terror; si mentem loco moueat, pauor; si vlteriùs processerit, exanimatio est. Magnum autem discrimen vertitur inter vim, & metum. Vis enim est, testante Vlpiano *in dict. l.* 1. maioris rei impetus, qui repelli non potest. Cùm enim per vim quid extorquetur, principium actionis aliunde, & extrinsecus venit; nec vlla voluntas patientis adest: at dum futuri periculi metu quid datur, aut promittitur, in patiente existit actionis origo. In vi quis se habet purè passiuè, & omnis eius consensus excluditur; in metu verò voluntas datur, licèt coacta, *l. mulier* 21. §. 1. *ff. de eo, quod metus.* Paulus *lib.* 1. *sentent. tit.* 7. explicat Ant. Faber *in Papin. tit.* 3. *principio* 2. *illatione* 11. Deinde nam vis præsentia; metus futura respicit, licèt instantia. In hoc titulo agitur de vi compulsiua, quæ parum distat à metu, nisi quia vis refertur ad eum, qui cogit; metus ad eum, qui patitur, vt

notauit

notauit Bachouius *in notis ad Vvesemb. in parat. ad tit. de eo quod metus, num.* 2.

13. METVS DIVISIO

Metus ita vulgò diuiditur, vt alius sit metus grauis, seu cadens in constantem virum; alter verò leuis, seu cadens in virum non constantem, *cap. finali, de appellat. cap. cùm dilectus, hoc tit. cap. consultationi, cap. veniens 2. de sponsi. l. 3. §. per vim, cum sequentib. l. metum 9. l. si per vim, ff. de eo, quod metus, l. si interpositas, Cod. de transact. l. si voluntate, Cod. de rescind. vendit. l. si quidem, Cod. de contrahend. stipul.* Metum cadentem in virum constantem appellauit Vlpianus *in l. metum 5. ff. de eo quod metus*, metum maioris malitatis; & Labeo cadentem in constantissimum virum dixit *in l. sequenti*, ideſt in constantiorem. Ponitur enim superlatiuum pro comparatiuo; & metus grauis tunc adest, cùm notabile damnum ingruens verosimillimè pendet à viro potente, & solito minas excedere, estque reuerà tale malum, vt non sit facile excutiendum, vel depellendum. Huiusmodi ergo metus in se grauis est, & talis, vt hominem constantem concutiat. Igitur metum cadere in constantem virum, est metum illum hominem ita mouere, ac percellere, vt eum, tametsi alioquin constantem, & fortem, concutiat, & de proposito dimoueat. Sed videamus quibus in casibus metus cadens in constantem virum incutiatur, & per consequens apparebit, quando metus tantùm leuis detur. Et metus grauis nascitur ex morte *l. nec timorem 7. §. proinde, ff. de eo quod metus, cap. cùm dilectus, hoc tit. dict. l. interpositas, l. 3. Cod. ex quibus causis maiores, l. voluntate, Cod. de rescindenda*; quem magistralem timorem vocat Fulgentius relatus à Cuiacio *in l. si quidam 9. Cod. de contrahenda stip.* abscissionis membri, verberum, seu cruciatus corporis, *dict. l. si quidam 9. l. 7. tit. 33. Part. 7.* Petrus Faber *lib. 3. semestr. cap.* 8. seruitutis, *leg. ego 4. l. isti*, §. 1. *ff. de eo quod metus causâ:* seruitus enim morti comparatur, *l. seruitutem 209. ff. de R. I. l. intercidit 59. ff. de condit. & demonstr.* Hunc autem casum seruitutis ita explicat Paulus *in dict. l. isti* 8. vt si ille, qui habebat instrumentum meæ libertatis, minetur se illud consumpturum. Metus iustus incutitur etiam ab alio; non autem edicto Prætoris locus est, si cùm scirem patronum posse me vt ingratum reuocare in seruitutem, centum illi promisero, ne reuocet; quia à meipso metus incutitur, *l. si mulier, ff. hoc tit.* Similiter grauis metus est vinculorum, seu carceris, *dict. l. isti* 8. §. *proinde, l. qui in carcerem, l. non est*, §. 1. *ff. hoc tit.* carcer enim quasi species seruitutis est, *l. 2. ff. de libero homine.* Non autem hoc intelligendum est simpliciter de homine in carcerem detruso; nam contractus ab incarceratis celebrati vires habent, vt docent Farinacius *de carceribus q. 35.* Gutierrez *lib. 1. de iuramento, cap. 57.* alij congesti ab Olea *de cessione iurium tit. 8. quæst. 1. num. 7.* Cabreros *lib. 2. de metu, cap. 46.* debet enim textus *in dict. l. qui carcerem*, accipi vel de carcere priuato, vel de eo; qui in carcerem detrusus est, à quo aliquid iniustè extorquetur. Tunc enim metus carceris iniustus est, vt docent Faber *in dict. l. qui carcerem*, Donellus *dict. cap. 38.* Duarenus *ad tit. de eo, quod metus:* & similem promissionem lex Iulia rescindit, *l. 5. ff. ad legem Iuliam de vi*, sicut eam, quam fecit, qui in domo inclusus fuit, vt ab eo aliquid extorqueretur, *dict. l. 5.* Paulus *lib. 1. sentent. tit. 7. §. penult. & vlt.* Etiam metus grauis est stupri. Si enim quis aliquid promisit, ne stuprum pateretur, ob metum grauem promisit, *l. isti* 8. §. *quod si dederit, ff. de eo quod metus*, Petrus Faber *lib. 3. semestr. cap.* 8. etenim hic metus in viris & fœminis maior est quàm mortis, ob fœditatem, & turpitudinem. Etiam inter casus metus grauis ille enumeratur, cùm quis videlicet promisit, seu aliquid alienauit, ne in adulterio, aut furto deprehensus occideretur, seu proderetur, *ex hoc cap. 1. l. 7. §. proinde, ff. de eo quod metus*; sufficit enim vt quis metuens ne compellatur, alienet, *l. nouissimè 7. §. 1. ff. quod falso tutore.* Nec tunc obstat textus *in l. 4. ff. de condictione ob turpem*, vbi deciditur, proposità specie non competere repetitionem pecuniæ datæ: nam respondetur, textum illum procedere in condictione ob turpem causam, quæ non competit quoties datur turpitudo ex vtraque parte, *l. vbi dantis, ff. eod. tit.* at verò datur actio de eo, quod metus causâ, quia iustus metus interceſſit. Accedit, quia hoc remedium est prætorium, quod æquitate potissimùm nititur; at verò condictio est ciuilis introductio: docent Cuiacius *in dict. l. 8. ff. de eo, quod metus.* Pacius *centur. 2. quæst. 69.* Basilius *lib. 4. de matrimonio, cap. 12. num. 7. & 10.* sed si pecuniam dedit, postquam accusatus est, non autem probatum delictum, locus est edicto de calumniatoribus: & si detur aliquid, ne accusetur, non competit hoc remedium, *l. accusationi, Cod. hoc tit.* & si detur, ne denuntietur, ex lege Cornelia de falsis agendum est, *l. 2. ff. de concussionibus.* Quinque igitur conditiones desiderantur, vt metus grauis dicatur, & cadens in constantem virum. Prima est, vt metus incutiatur ex graui causa sibi, aut filiis suis, *l. isti* 8. §. *vltimo, ff. de eo quod metus.* Secunda vt metuens non vanè, & leuiter credat malum sibi imminere, sed rationabiliter existimet illud euenturum, *dict. l. 7. §. proinde* 3. Tertia metum incutiens possit minas executioni mandare, veluti si metum incutiens sit senex, debilis, vel mulier, & metum passus iuuenis; aliàs enim, si qui minas apponit, exequi non potest, sibi ipsi metum infert. Donel. *dict. cap. 38.* Quarta, quod incutiens metum solitus sit minas exequi, aliàs enim si metus imponatur ab eo, qui facilè eas incutit, sed exequi negligit, non est grauis metus, cùm ex personis hominum eorum dicta sint pensanda, *l. vnica, C. si quis Imperatori, l. nec tunc, Cod. hoc tit. l. famosi, ff. ad legem Iul. Maiest.* Quinta, quod metum patiens non possit facilè malis, quæ timentur, occurrere; si autem possit ea proclamando effugere, non est iustus metus, *l. non est verisimile, ff. de eo quod metus*; quam eruditè illustrat perdoctus Ramiresius *in tessera legum*: & quia omnes casus, in quibus grauis metus adest, in particulari comprehendi non possunt, iudicis arbitrio relinquitur disquirere, quinam grauem metum inferant, qui leuem, pensatis omnibus circunstantiis, quibus, & à quibus metus incutitur, *l. 3. ff. ex quibus causis maiores.* Barbosa *dict. voto 71.*

14. DE METV LEVI.

Vani ergo timoris ratio non habetur, *l. metum 6. ff. de eo, quod metus, l. si quis 13. ff. de re iudicata, l. vani 184. ff. de R. I.* licèt si damnum ex eo sequatur, competat aliud remedium, *l. vlt. ff. de extraordin. criminibus*; quam doctè exponunt Ramirez *in pentecont. cap. 1. & lib. 1. ad Martialem, epigram. 47.* Osuald. *ad Donel. lib. 15. comment. cap. 44. littera C.* Vani metus exempla extant *in l. illud 25. ff. de constit. pecun. l. ad inuidiam, l. cùm te 8. l. accusationis, Cod. hoc tit.* Difficile autem exemplum est, quod proponitur *in l. timorem 7. ff. de eo quod metus*, vbi docetur, timorem infamiæ hoc

edicto

edicto non contineri; cùm certum sit, infamiam morti æquiparari, *l. iustas 17. ff. de manumiss. vindict.* & inter graues causas enumeratur *in l. isti 8. §. penult. ff. de eo, quod metus.* Sed omissis variis interpretationibus discrimen constituendum est inter infamiam ortam ex falsa criminatione, & inter veram infamiam, quæ nascitur ex delicto verè perpetrato. Metus falsæ infamiæ vanus est, & contemnendus, *dict. l. nec timorem 7.* Metus verò criminis admittendi, ex quo infamia vera proueniat, iustus & grauis est, de quo agitur *in dict. §. penult.* vt docuerunt Iulius Pacius *centur. 2. quæst. 68.* Pichardus *in dict. §. 27. quæst. 20. de action.* Difficilis etiam est casus relatus *in l. metum, §. denique, ff. de eo, quod metus*; vbi docetur, quod si quis audiat homines armatos ad se venire, & à fundo recesserit, non esse locum edicto de eo, quod metus causâ, nec interdicto *vnde vi*; sed si posteaquam homines armati ingressi sunt fundum, edicto locum esse; & interdictum *vnde vi*, etiam eo casu dari asseritur *in l. 1. §. idem Labeo 29. ff. de vi & vi arm.* Adstipulatur huic sententiæ Cicero *pro Cecinna*, in his verbis: *Fuisset in eo loco, & ex eo metu perterritus fugisset, & cùm armatos vidisset, diceres ne esse interdictum, decretumve? opinor.* Cui sententiæ obstat textus *in l. non solùm 33. §. si dominus, ff. de vsucap.* vbi asseritur, sufficere, vt dominus vi deiectus dicatur à possessione, quod existimans homines armatos ad se venire, aufugerit. Pro conciliatione huius antinomiæ Cuiacius *lib. 44. Digestorum Iuliani in dict. l. non solùm, §. si dominus*, & *lib. 11. quæst. Pauli in dict. l. metum 9.* existimat *in dict. §. si dominus*, loco verbi *existimauerit*, legendum esse, *si timuerit*, vt sensus sit, homines armatos iam vidisse, & timuisse, & tunc videri eos occupasse possessionem, & sic iustum metum adfuisse. Sequuntur Cuiacium Faber *in dict. l. 9.* Pacius *centur. 2. quæst. 70.* Arrellano *dict. cap. 10. num. 6.* sed eum refellit Pichardus *in dict. §. 27. num. 23.* Aliter glossa *in eo textu, vers. Videret*, hæc iura conciliare intendit; existimat enim *in dict. § dominus*, sufficere fugam illam ad hoc vt fugiens amitteret possessionem quoad vsucapionem, cùm animo, & corpore è fundo exiisset; non autem eam fugam sufficere, vt sit locus edicto de eo, quod metus causâ, & interdicto de vi & vi armata. Glossam sequuntur Osuald. *lib. 15. ad Donel. cap. 39. littera V.* Pichardus *vbi proximè.* Sed hæc solutio expressè refellitur ex eo, nam *in dict. §. si dominus*, non agebatur de vsucapiente, sed de vero domino, qui vi deiectus fuit: quare pro vera eius textus interpretatione dicendum est, eum, qui visis armatis hominibus ad se venientibus, à fundo fugit, desinere possidere, *l. 3. §. si quis nunciet 8. l. iam possidere 6. §. vlt. cum l. sequenti, l. qui meo nomine 18. §. penult.* sic intelligendo legem *si id quod 25. §. vlt. l. quamuis 40. ff. de adquirenda poss.* & hæc possessionis amissio sufficit, vt locus sit interdicto *vnde vi, l. 4. §. si tu me vi, ff. de vsucapionibus.* Donellus *lib. 1. comment. cap. 27.* Duarenus & Giphan. *in dict. l. clam 6. § vlt.* licèt si armati in alium locum proficiscerentur, nec ad inuedandam possessionem venirent, & nihilominus dominus aufugisset, tunc vi deiectus non creditur, *l. 1. §. idem, l. 3. §. si quis, ff. de vi & vi armata.* Nec tunc obstat textus *in dict. §. denique*, qui in primo casu loquitur, cùm non vidit, sed tantùm ex rumore, quod ad eum veniebant, aufugit: quo casu edicto locus non est; sed si vidit fundum ingredientes, locus est edicto, & interdicto de vi, & vi, vt in secunda parte ipsius textus docetur.

15. METVS GRAVIS TA VALENTI.

Deinceps sciendum est, metu etiam graui gesta ipso iure valere, & subsistere, *l. si mulier, §. si metu, hoc tit. l. si metu 85. ff. de adquirenda hæredit. l. 3. 5. 7. & finali, Cod. hoc tit. l. interpositas, Cod. de transactionibus, principio instit. de exceptionibus, l. dolo 5. Cod. de inutilibus stipul. l. 4. tit. 6. l. 56. tit. 5. partit. 5. l. 7. tit. 37. part. 7.* facit Seneca *lib. 5. controu.* in illis verbis: *Vim adhibenti lex non irascitur, sed passo succurrit, & iniquum illi videtur id ratum esse, quod aliquis, non quia voluit, pactus est, sed quia coactus est.* Refert Grotius *in floribus ad tit. ff. de eo quod metus:* docent Cabreros *lib. 2. de metu, cap. 14. num. 10.* Gutierrez *de iuram. cap. 57. num. 21.* Flaminius *de resign. lib. 15. quæst. 2. num. 9.* A Gomez *lib. 3. var. cap. 4.* Petrus Barbosa *in rub. solut. matrim. 4. part. num. 28.* Hermosilla *in l. 56. tit. 5. partit. 5. glossa 1.* Ratio est, q ia qui metu cogitur, consentit; & voluntas coacta, voluntas est; & metus non facit involuntarium simpliciter, sed mixtum, siue secundùm quid, *l. si mulier 21. §. penult. ff. de eo quod metus, l. qui ita, in principio, ff. ad Trebell. l. si priuatus, ff. qui & à quibus, dict. l. si metu 85.* Paulus *lib. 1. sentent. tit. 7.* Cùm enim voluntas cogi non possit, vt post D. Thomam probat Becanus *de libero arbitrio in 1. 2. tract. 1. cap. 2.* etsi metu quis coactus velit, velle dicitur, non absolutè, sed secundùm quid; nec est voluntas absoluta, sed qualificata, vt exponit Aristot. *lib. 3. Ethic. cap. 1.* Proposita enim difficultate, an actio ex metu, & quidem graui, sit voluntaria, an non? concludit, esse potiùs voluntariam. Eum sequitur D. Thomas *2. 2. quæst. 6. art. 8.* eleganter probant Epictetus apud Arrianum *in lib. 1. cap. 17.* Simplicius *in cap. 1. enchir.* Principium enim agendi in ipso, cui metus incutitur, voluntarium est, siquidem vult potiùs facere, siue rem alienare, quàm mori; & in hoc sensu voluntas coacta voluntas est, quod rectiùs explicant Theologi, quàm Iurisperiti. Vnde iure ciuili quasi consensu initi contractus metu gesti valebant, nec de eis antiquis legibus aliquid cautum fuerat vsque dum Prætoris edicto succursum fuit. Nec verò tantùm intendo actũ ex metu perfectum esse voluntarium, sed etiam intendo esse simpliciter voluntarium, nec esse involuntarium, nisi secundùm quid, ita vt quamuis voluntarium, & involuntarium misceantur in huiusmodi opere, prædominetur tamen voluntarium, vt rectè contra Decium id negantem affirmat Sanchez *lib. 4. de matrim. disput. 1. num. 5.* Estque aperta sententia Aristot. *lib. 3. Ethic. cap. 1.* Diui Thomæ *1. 2. quæst. 6. art. 6.* Annuuntque Durandus *in 4. dist. 29. quæst. 2. num. 10.* Almaïnus *tract. 1. moral. cap. 3.* idemque ferunt verba illa Diui Augustini *de spiritu, cap. 31. Si subtiliùs aduertamus, etiam quod quisque inuitus facere cogitur, si facit, voluntariè facit: sed quia malit aliud, ideo inuitus, hoc est nolens, facere dicitur.*

16. IMPVGNATVR TRADITA DOCTRINA.

Contrarium tamen, imò metu graui gesta ipso iure nulla esse, & ab initio inualida, tenuerunt Bartolus *in l. metu 9. §. volenti, num. 2. hoc tit.* Fortunius Garcia *de vltimo fine, illation. 21. num. 387.* Valenzuela *consil. 74. num. 43.* Petrus Gregorius *lib. 21. syntag. cap. 2. num. 3.* pro quibus faciunt sequentia iuris principia. Primum; nam matrimonium metu cadente in constantem virum celebratum nullum est, *cap. de muliere 6. cap. cùm locum 24. cap. veniens 15. cap. adit 21. cap. consultationi*

tioni 28. *cap. gemma* 29. *desponsalibus.* Similiter votum metu graui emissum nullum est, vt in hoc textu deciditur. Electio metu facta nulla est, *cap. vbi periculum*, §. *cæterùm*, *de electione*, *in Sexto.* Etiam renunciatio metu facta est nulla, *cap. Abbas*, *hoc tit. Clement.* 2. §. *sanè*, *de pœnis.* Item absolutio excommunicati metu præstita, *cap. vnico*, *hoc tit. in 6.* Promissio dotis metu facta est nulla, *l. si mulier*, §. *si dos*, *ff. de eo quod metus.* Secundò facit pro hac sententia textus *in l. metum*, §. *licèt*, *ff. de eo quod metus causâ*, vbi res metu alienata, in dominio eius, qui alienauit, permanet: igitur quia traditio nul' fuit. Tertiò facit Textus *in l. qui in aliena*, §. *Celsus*, *ff. de adquirend. hæredit.* vbi probatur, additionem hæreditatis metu factam nullum effectum obtinere. Quartò probatur *ex l.* 1. *Cod. de rescind. vendit.* vbi venditio metu facta pro infecta habetur, quod & firmat constitutio Federici *de pace Constantiæ*, *in vsib. feud.* §. *vassalli*, *l.* 3. *tit.* 5. *part.* 5. Faciunt & rationes illæ. Prima, nam substantia contractus in consensu consistit, præcipuè emptio, & venditio, locatio, societas, & mandatum, *l. obligationum*, *ff. de O. & A.* sed nihil tam contrarium est consensui, quàm metus, *l. nihil* 116. *ff. de R. I.* igitur contractus metu celebrati ipso iure nulli sunt. Secunda, quia dolus dans causam contractui bonæ fidei, ipso iure eum nullum reddit, *l. & eleganter* 7. §. 1. *ff. de dolo*: sed in metu dolus inest, *l. item* 14. §. *cùm quis*, *ff. de eo quod metus*, *l.* 2. §. *doli*, *ff. de vi bon. rapt.* igitur contractus metu celebrati ipso iure nulli sunt.

17. TRADITVR VERA DISTINCTIO.

Sed vt his, & aliis difficultatibus satisfaciamus, discrimen constituendum est inter actus illos, qui ex libera voluntate fieri debent; & inter eos, qui ex libertate simpliciter, seu consensu. Primi metu gesti, ipso iure nulli sunt, quia interuenit defectus pugnans cum ratione actus, qui exercetur. Secundi valent, donec irritentur. Ita post alios Mogollonus *de metu*, *cap.* 9. *num.* 1. & 2. Gregorius Lopez *in l. finali*, *tit.* 11. *part.* 3. *littera G.* Basilius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 6. Vnde cùm matrimonium desideret voluntatem liberam voluntariam, *dict. cap. cùm locum*, vbi illa verba, *cùm locum non habeat consensus*, *vbi metus*, *vel coactio intercedit*, non ita sunt accipienda, quasi in matrimonio consensus vtcumque desideretur; requiritur enim consensus liber, seu voluntas libera, ob specialem rationem, quam tradit D. Thomas *in additionibus ad* 3. *partem*, *quæst.* 47. *art.* 3. Sensus ergo prædictorum verborum est, locum sibi non vindicare consensum metu extortum in contractu matrimonij, quia etsi coactus voluit, non tamen liberè, cùm voluntas libera desideretur: latè docet Basilius *cap.* 14. *per totum.* Idem contingit in voto, seu ingressu religionis, vbi spontanea voluntas desideratur, *cap. sicut* 1. *de regul.* ibi: *Spontanea voluntate professionem fecit monachalem*: & *cap.* 1. *de statu regul. lib.* 6. ibi: *Suam integritatem viduitate spontanea deuouerunt.* Pius quintus *in constit. relata ab Scortia in Selectis Pontif. constit. epit.* 91. *theorem* 227. licèt renuant quoad votum Theologi, Basilius *lib.* 7. *de matrim. cap.* 29. *num.* 5. Suarez & alij congesti à Castro Palao *parte* 3. *operis moral. de voto*, *quæst.* 1. *puncto* 5. quorum fundamentis satisfacit Feloaga *in præsenti*, *fol.* 69. Idem procedit in electione canonica, & renunciatione beneficij, in quibus libertas plena desideratur, *cap. cùm terra*, *de elect. cap. Abbas*, *hoc tit.* Similiter absolutio metu data, nulla est, quia petit voluntatem liberam in absoluente, *cap. vnico*, *hoc tit. in 6.* In his enim actibus, & similibus non est necessaria irritatio, quia ipso iure nulli sunt.

18. PROSEQVVNTVR ALII CASVS.

Ad hoc etiam genus actuum, in quibus voluntas libera ex eorum natura desideratur, pertinet iurisdictionis prorogatio, *l.* 2. *ff. de iudiciis*; donatio & promissio lucratiua, quæ ex sua natura petunt spontaneam voluntatem, *l. manumissio*, *ff. de manumiss. l. rem legatam*, *ff. de adimendis*, *l. donationis* 3. *Cod. hoc tit.* probant Arellanus *dict. cap.* 10. *num.* 10. Cabreros *lib.* 2. *de metu*, *cap.* 3. *per totum*, Basilius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 6. ideoque donatio metu facta ipso iure nulla est: nec contrarium probatur *in l. vlt. Cod. hoc tit.* dum donationes æquiparantur venditionibus, & transactionibus; nam textus ille non est accipiendus de donationibus ex liberalitate procedentibus, sed de aliis ex causa factis, quæ propriè donationes non sunt, vt docent Lugo *de iustitia tomo* 2. *de contractibus in genere*, *disput.* 22. *sect.* 7. *num.* 126. Feloaga *in præsenti*, *num.* 27. Ob eandem etiam rationem promissiones liberales nullæ sunt ipso iure, cùm in illis desideretur voluntas omnino libera, *l. si mulier* 22. §. *si dos*, *ff. hoc tit.* quem textum licèt specialiter tantùm in casu dotis accipiant A. Faber *in eius ration.* Pichardus *in dict.* §. 27. *num.* 42. in omnibus tamen promissionibus liberalibus procedere, suadetur ex Cicerone *lib.* 1. *de officiis*, in illis verbis: *Illis promissis standum non est*, *quæ coactus quis metu*, *aut deceptus dolo promiserit.* Docent Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disput.* 12. *num.* 13. P. Barbosa *in rubric. soluto matrim. part.* 4. *num.* 26. Cabreros *lib.* 1. *de metu*, *cap.* 11. Aliæ verò stipulationes ex causa onerosa interpositæ obligationem producunt, licèt postea irritetur, *l. si quis cum* 36. *ff. de V. O. l. penult. Cod. de inutil. stipul. l. si quidem* 9. *Cod. de contrah. stipul.* vbi Cuiacius. Stipulatio enim sapit naturam actus, cui adhæret. Vnde si accedat negatio, quod liberam & omnino spontaneam petat voluntatem, ipso iure nulla est; si verò accedat contractui, qui tantùm consensum requirit, valet, licèt postea irritetur. Ad mandatum etiam, & contractus innominatos, in quibus est locus pœnitentiæ, hanc doctrinam protraxit Sarmientus *de redditibus lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 9. quia cùm per pœnitentiam reuocentur, & qui per metum promittit, statim pœniteat; ideo contractus statim vitiatur. Videndus est Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 27. Etiam pertinet ad hoc genus actuum libertatis datio; libertas enim metu data, ipso iure non subsistit, quia liberam, & spontaneam petit voluntatem, *l. idem* 9. *l. si priuatus* 17. *ff. qui & à quibus*, *l.* 3. *Cod. qui manumittere*; nisi ex causa onerosa detur, vt nummis acceptis pro ipsa manumissione, *l. si quis ab alio* 9. *ff. de manumiss.* vbi Cuiacius *lib.* 3. *qq. Papin.* & *lib.* 16. *obseru. cap.* 40. Arellanus *dict. lib.* 1. *cap.* 10. Cabreros *lib.* 1. *de metu*, *cap.* 34. *per totum.* Nec tunc obstat textus *in l. metum* 9. §. *idem Pomponius*, *ff. de eo*, *quod metus causâ*, vbi docetur restitutionem ex eo edicto locum habere in ædificij destructione, & libertate seruo præstita: igitur quia libertas metu data sustinetur, donec per Prætorem irritetur. Pro cuius difficultatis solutione A. Faber *in eod.* §. Pichardus *in dict.* §. 27. *num.* 17. Cabreros *dict. cap.* 34. *num.* 81. discrimen constituunt inter casum, in quo metus incutitur domino ab ipso seruo, & inter eum, in quo incutitur ab extranea persona. Primo casu affirmant, libertatem ipso iure nullam esse, secundo verò valere, sed ex edicto Prætoris reuocari. Et si scisciteris, quomodo eo casu restitutio detur aduersùs libertatem,

satisfacit

ſatisfacit Arellanus *dict. cap.* 10. affirmans reſtitutionem in eo caſu tantùm dari contra factum manumiſſionis, non verò contra libertatem. Quare Conſultus ſignanter ſimul propoſuit ſpeciem depoſitionis ædificij, & caſum manumiſſionis; quia ſicut in ædificio tantùm competit edictum ad factum, ſeu propter factum; ita in manumiſſione competit reſtitutio ad ipſum factum: & licèt regulariter libertas ſemel competens reuocari non poſſit, *l. libertas* 33. *cum ſequent. l. Imperator* 57. *ff. de manumiſſ. teſtam. l. ſeruum* 11. *ff. de manumiſſ. l. ſi ex cauſa* 9. §. *vlt. ff. de minor. l.* 1. *Cod. ſi aduersùs libert.* §. *ſemel*, *Inſtituta quibus ex cauſis manum.* tamen aliquando competit reſtitutio ad ipſam manumiſſionem reſcindendam, quaſi de facto valuiſſet, *l. ſi quis* 15. *ff. quæ in fraudem credit. l. Papinian.* 8. §. *finali*, *cum l. ſequent. ff. de inoffic. l. cum vero* 26. §. *hoc* 8. *ff. de fideicommiſſ. libert.* quas ita exponunt Petrus Faber *lib.* 2. *ſemeſtr. cap.* 22. Coſta *lib.* 1. *ſelect. cap.* 22. Sarmiento *lib.* 1. *ſelect. cap.* 6. Cabreros *dict. cap.* 34. *num.* 48.

19. DISSOLVVNTVR FVNDAMENTA CONTRARIA.

Nec etiam pro contraria ſententia facit textus *in dict. l. metum*, §. *licèt*; nam verum non eſt, rem metu alienatam in dominio eius, qui tradidit, & alienauit, remanere; nam potiùs certum eſt, per traditionem, quamuis coactam, amiſſum fuiſſe dominium; etſi reſciſsâ ipsâ alienatione reſtituatur dominium amiſſum, & incipiat in priſtini domini bonis eſſe. Vnde textus *in dict.* §. *licèt*, procedit poſt reſciſſionem ipſius alienationis ex edicto de eo, quod metus causâ. Nec etiam obſtat textus *in dict. l.* 9. §. *Celſus*, pro cuius ſolutione dicendum eſt, additionem hæreditatis metu factam ipſo iure valere, quia ad additionem ſufficit conſenſus, aut per verba, aut per factum elicitus, *l. ſi mulier* 21. §. 5. *ff. de eo quod metus*, *l. ſi metu* 85. *ff. de adquirend. hæredit. l.* 1. §. *quidam ergo*, *ff. ſi quis omiſsâ causâ*: docent Petrus Gregor. *lib.* 46. *ſyntag. cap.* 4. *num.* 15. Pichardus *de adquirend. hæredit. cap.* 18. *num.* 10. Farinacius 2. *part. fragment. verbo Metus*, *num.* 45. Cuiacius *lib.* 30. *qq. Papin. in dict. l. ſi metus* 85. Gentilis *de bonis maternis*, *cap.* 21. *pag.* 118. Sed Prætor eum reſtituit per abſtenſionem, & perinde habet, ac ſi hæres non eſſet; quæ reſtitutio ſupponit additionem valuiſſe, *l.* 2. *Cod. in quibus cauſis*, *l.* 2. *Cod. de prædiis minorum.* Nec contrarium probatur *in dict.* §. *Celſus*, dum in eo docetur eum, qui metu verberum (ita legit Cuiacius) adit hæreditatem, hæredem non eſſe: nam omiſsâ ſolutione Cabrer. *lib.* 2. *de metu*, *cap.* 20. *numer.* 58. qui exiſtimat diſcrimen eſſe conſtituendum inter ſeruum, aut filium adeuntes hæreditatem, & inter extraneam perſonam, itavt filius, aut ſeruus metu adeuntes, hæredes non maneant, *dict.* §. *Celſus* extraneum verò hæredem fieri, *dict. l. ſi metu* 85. dicendum eſt, *in dict.* §. *Celſus*, adeuntem hæreditatem hæredem non fieri, quia vltra metum adfuit fallacia; ipſe enim qui adiuit, ſimulauit, & propoſuit nullo modo velle adire hæreditatem: quare cùm nulla in ea ſpecie voluntas concurreret, nec quidem coacta, nullo modo hæres manſit: ita illum textum accipiunt A. Faber *in dict. l. ſi mulier*, §. 5. Cuiacius *in l. velle*, *ff. de R. I.* & *lib.* 18. *obſerv. cap. vlt.* Iranzo *de proteſt. conſid.* 47. *num.* 28. Duarenus *ad tit. de adquir. hæred. cap.* 6. Petrus Faber *in dict. l. velle*, Pacius *centur.* 2. *quæſt.* 67. Oſualdus *ad Donel. lib.* 2. *comment. cap.* 8. *littera D.* Pichardus *de adquirend. hæredit. cap.* 18. *num.* 11. & *in* §. 1. *Inſtit. de except.* Arellanus *dict. cap.* 10. *num.* 25. Nec etiam obſtat textus *in dict. l.* 1. *Cod. de reſcind. vendit.* cum aliis ſuprà adductis; nam verum eſt, venditionem metu celebratam effectum non habere, *l. ſi medicus* 3. *ff. de variis & extraordin. l. archiatri* 9. *Cod. de profeſſ. lib.* 10. *l. ſi vel metu* 3. *l. ſi per vim* 4. *cum l. ſequent. l. finali*, *Cod. hoc tit.* Probat Cabreros *lib.* 2. *de metu*, *cap.* 1. *ex numer.* 29. ipſo tamen iure ſubſiſtit, quia de eius ſubſtantia eſt conſenſus, ſed non liber, & ſpontaneus; licèt Cuiacius *in dict. l. ſi mulier*, §. *ſi dos*, Donellus *lib.* 12. *comment. cap.* 7. exiſtimauerint, contractus bonæ fidei metu celebratos ipſo iure nullos eſſe; contractus verò ſtricti iuris valere, ſed poſtea irritari: quorum ſententiam refellunt Oſualdus *in dict. cap.* 7. *Donelli*, *litt. E.* Robertus *lib.* 3. *animadu. cap.* 3. Nec contrarium probat dicta lex 1. quia verbum illud, *irrita*, accipitur pro irritanda; vt irritanda accipitur pro irrita *in l.* 5. *Cod. eod. tit.* & paſſim in iure hæc verba *irritum*, *& irritandum*, promiſcuè vſurpantur. Nec rationes ſuprà perpenſæ obſtant. Non prima, deſideratur enim conſenſus in contractibus, præcipuè conſenſu conſtantibus: ſed vt ſuprà probaui, in voluntate coacta datur conſenſus qualificatus; inde licèt metus adſit, non deeſt ſubſtantia contractus: quare ipſo iure valent, licèt poſtea irritentur. Nec ſecunda ratio aduerſatur, quâ moti Cuiacius, & Donellus *vbi ſuprà*, Cironius *ad hunc titulum*, latè Pichardus *in dict.* §. 28. *quæſt.* 9. affirmant, metum dantem cauſam contractui bonæ fidei illum nullum reddere ipſo iure, vt contingit in dolo. Nam reſpondendum eſt, dolum apertum dantem cauſam contractui bonæ fidei, illum nullum reddere, non verò dolum velatum, qui eſt in metu; tunc enim non attenditur dolus, ſed metus, qui principaliter incutitur, vt docent Robertus *dict. lib.* 3. *cap.* 3. Bachouius *de actionibus*, *diſput.* 6. *theſi* 17. Vinius *lib.* 1. *ſelect. quæſt.* 12. dolus enim eſt in metu, ſicut in omnibus delictis, prout dolus accipitur tanquam mala fides, non verò deceptorius, & deceptionem intendens, qui omnem conſenſum excludit. Vnde dolus, qui ineſt in metu, non tollit voluntatem, vt proſequuntur Sarmiento *lib.* 6. *ſelect. cap.* 6. Vinius *vbi ſuprà.*

20. METV GESTA POSTEA IRRITANTVR.

Manet ergo ea, in quibus voluntas non libera, & voluntaria deſideratur, metu geſta ipſo iure valere, quia voluntas coacta, voluntas eſt; ſed quia illa voluntas non fuit ſpontanea, & libera, ne actus per iniuriam extortus proſit ei, qui metum intulit, Prætor auctoritatem ſuam interponit, & quidquid metu geſtum eſt, ratum non habet ſuo edicto ita concepto: *Quod metus causâ geſtum erit, ratum non habebo: l.* 1. *ff. de eo, quod metus*, *l. interpoſita*, *Cod. de tranſact.* docent omnes ſuprà relati, Donellus *dict. cap.* 38. Faber *lib.* 16. *coniect. cap.* 19. Schifordeger. *lib.* 1. *tract.* 24. *quæſt.* 10. Caldeira *lib.* 4. *var. cap.* 1. Licèt enim proſpectum iam eſſet legibus Iuliis de vi publica, & priuata, aduersùs eos, qui per vim, aut publicam, aut priuatam deieciſſent aliquem dominum à propria rei poſſeſſione, *l.* 1. *ff. ad legem Iuliam de vi public. & priuata*; & quoad ipſam poſſeſſionem propter vim expulſiuam in rebus ſoli competeret interdictum vnde vi, *l.* 1. §. 1. *& 2. ff. vnde vi*, propter turbatiuam in rebus immobilibus interdictum vti poſſidetis, *l.* 1. §. *igitur*, *l.* 2 *ff. vti poſſidetis*; in mobilibus vtrobi, *l. vnica*, *ff. vtrobi*; propter inquietatiuam

interdictum quod vi, aut clam, vt notat P. Gregorius *lib.* 36. *syntag. cap.* 25. circa compulsiuam tamen non satis prospectum erat, vnde necessarium fuit edictum Prætoris de eo, quod metus causâ. Circa creditorem, qui à debitore rem sibi debitam occupauit vi, aut metu, adest rescriptum Imperatoris Marci *in l. extat* 13. *ff. de eo quod metus*, & *in l. penult. & vlt. ff. ad legem Iuliam de vi priuata*; non tamen casus iste pertinet ad edictum Prætoris de eo, quod metus causâ, quia qui metum passus fuit in ea specie vllo damno non afficitur; & sic quia non est læsus, restitui non valet ex eo edicto, vt *in l. sed & partus* 17. §. 1. *l. item* 14. *l. vlt.* §. *vlt. ff. de eo quod metus causâ*: obseruauit D. Ioannes Suarez *lib.* 1. *ad leg. Aquiliam*, *cap.* 5. *sect.* 4. *numer.* 4. Sed quia singulis non est permittendum, quod per Magistratus publicè expediri valet, & legum reperta est via, vt nihil proprio agatur impulsu; iniectio manus in debitorem non permittitur, nisi in furem, aut debitorem cum debito fugientem, *l. ait Prator* 10. §. *si debitorem*, *ff. quæ in fraudem credit. l.* 2. *ff. de custodia reorum*, *l. qui vas* 48. *ff. de furtis*, *l. generali* 54. *Cod. de decur. lib.* 10. Guillel. Forn. *lib.* 3. *select. cap.* 12. ideo creditor propriâ auctoritate manum iniiciens in debitorem, priuatur ipso debito; & si partem debiti abstulit, partem amittit, *l. sancimus*, *Cod. de pœnis*, Gothofredus *in dict. l. generali*, Donel. *lib.* 17. *cap.* 7. nisi rei sibi debitæ possessio vacua sit, vt contingit *in tit. ff. quorum legatorum*, vbi res legata à legatario occupata non amittitur, quia vacua eius possessio erat.

21. De restitvtione propter metvm.

Hoc edicto duplex remedium à Prætore promittitur, datâ electione illi, qui metum passus est, *l. si mulier* 21. §. *finali*, *ff. de eo quod metus.* Primum restitutio in integrum, per quam restituitur metum passus ad pristinum statum, ac si metus non interceßisset, *l.* 2. *Cod. si aduersus rem indic. l.* 2. *Cod. si aduersus fiscum*; & quia læsio potest intercedere aliquâ re alienatâ, liberato debitore, vel certâ quantitate promissâ; ideo in casu alienationis, eâ rescissâ, competit rei vindicatio, *l. metum* 9. §. 4. *ff. de eo, quod metus*, *l.* 3. *Cod. hoc tit.* vt rem vindicet cum fructibus, partubus, & omnibus accessionibus, etiam rebus adquisitis à seruo per metum occupato, *l. sed & partus* 12. *ff. de eo, quod metus causâ.* Paulus *lib.* 1. *sententiar. tit.* 7. §. 6. *l. videamus* 38. §. *item* 6. *ff. de vsuris*; quod proprium est restitutionis in integrum, *l.* 2. *& ff. ex quibus causis maiores*, *l. quod si minor* 24. §. *restitutio*, *l. patri* 27. §. *si pecuniam*, *ff. de minoribus*, *l. nec non* 28. §. *in actione*, *ff. ex quibus causis*, *l. videamus* 38. §. *in Faviana*, *ff. de vsuris*, *l. in condemnatione* 173. §. *cùm verbum*, *ff. de R. I.* vbi P. Faber, & Gothofredus: nec solùm fructus percepti restituuntur, verùm si agatur contra eum, qui metum intulit, aut metus participem, etiam illi, qui percipi potuerunt, *dict. l. sed & partus* 12. latè docet Cabreros *dict. lib.* 1. *de metu*, *cap.* 13. Et si seruitutes amissæ sint, restituuntur, *l. metum*, §. 7. *in fine*, *ff. hoc tit.* quod si metu quis reum liberauit, rescissâ liberatione suscitatur pristina actio cum suis accessionibus, & pignoribus, *l. illud* 10. §. 1. *ff. de eo, quod metus*; non tamen restituitur directa actio, quæ semel amissa restitui non valet, *l. qui res* 98. §. *aream*, *ff. de solut. sed vtilis*, *l. si mulier* 21. §. *fin. ff. de eo quod metus*; & non ciuilis, sed prætoria, *l. metum* 9. §. *sed qui*, & §. *veluti*; quia non potest intendi talis pristina actio, nisi per restitutionem; & ad eam petendam quadriennium datur, *l. vlt. Cod. de in integrum restit.* & ideo intra quadriennium debet intendi; & in hoc differt hæc noua actio vtilis prætoria à pristina actione directa, qua si quis per metum aliquid promisit, habet exceptionem quod metus causâ, de qua plura tradit Vultcius *lib.* 2. *de iudiciis*, *cap.* 7. *num.* 95.

22. De actione qvod metvs causa.

Secundum remedium, quod metum passo competit, petitâ in integrum restitutione, (quæ quodlibet remedium præcedit, vt contra Donellum *dict. cap.* 38. *vers. ex causa*, docet Bocerus *dict. tom.* 5. *pag.* 961.) est actio de eo, quod metus causâ, Prætoria, primò à L. Octauio Prætore edicto suo proposita. Cicero 5. *in Verrem*, Cuiacius *in comment. ad titul. ff. de eo quod metus.* Et licèt personalis sit, vtpote ex delicto descendens, *l. item si* 14. §. 3. & §. *quod si* 11. *l. quod diximus* 16. *in fine*, *ff. de eo, quod metus*, Bocerus *dict. class.* 4. *disput.* 6. *thesi* 1. quia in rem scripta est; dixit enim Prætor, *ratum non habebo*: realis tamen dicitur, quatenus opponitur actioni in personam. Duarenus *ad titul. de eo quod metus*, *cap.* 3. Pichardus *in dict.* §. 27. *num.* 31. & per eam consequitur metum passus quod sibi abest, *l. sed & partus* 12. *l. item si* 14. *ff. de eo quod metus*, vt res videlicet restituatur cum sua causa, & cautione præstitâ de dolo, *l. metum* 9. §. *ex hoc*, *ff. de eo quod metus*: & si res non sit alienata, sed metum passus obligatus sit ad dandum, vel faciendum, per hanc actionem consequitur, vt talis obligatio accepto feratur, *dict. l.* 9. §. *ex hoc.* Iubet ergo Prætor per sententiam interlocutoriam rem restitui, aut reum accepto liberari; & si vsque ad sententiam definitiuam reus non restituat, aut accepto ferat, succedit condemnatio in quadruplum, & quadruplatur omne id, quod restitui debebat, *l. item* 14. §. *si quis non restituat*, & §. 4. *ff. de eo, quod metus*, §. 27. *Instit. de action.* idest res cum fructibus, & omni causa, *dict. l. item*, §. *quadruplatur.* In eo tamen simplum inest, res videlicet ipsa, vel eius æstimatio, *dict. l. item si*, §. *quatenus.* Licèt enim reus ab initio satisfacere possit rem restituendo; tamen propter contumaciam, & nouum delictum in non restituendo arbitrio iudicis succedit condemnatio in quadruplum: nec tunc obstat textus *in l. qui restituere* 68. *ff. de rei vind.* vbi generaliter, & indistinctè affirmatur, in omnibus actionibus, tam realibus, quàm personalibus, nec non interdictis reum cogendum esse rem restituere: & si nolit rem restituere, manu militari esse ab eo auferendam: igitur & in hac actione personali, siue in rem scripta, manu militari cogendus erat, qui metum intulit, rem restituere. Pro cuius textus interpretatione varia adduxerunt Faber *in eius ration.* & *lib.* 16. *coniect. cap.* 17. & *decade* 85. *errore* 1. & *decade* 18. *errore* 5. Schifordeg. *lib.* 1. *tract.* 28. *q.* 6. Hunnius *volum.* 1. *disp.* 18. *q.* 25. & *disput.* 21. *q.* 54. & *disput.* 23. *quæst.* 48. D. Martinus de Larreatigui *lib.* 3. *select.* Caldeira *lib.* 4. *var. cap.* 1. Valentia *tom.* 1. *illustr. tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 14. Pichardus *in dict.* §. 27. *in fine.* Quoad præsentem tantùm difficultatem dicendum est, textum illum non procedere in actionibus ex delicto prouenientibus, vbi vltra rem pœna imponitur, vt in actione de eo, quod metus causâ; tunc enim potiùs expedit æstimationem rei cum triplo consequi, quàm ipsam rem persequi.

23. Exponitvr l. si

Diffi cilis tamen est in hac parte textus *in l. si pignore* 22. §. 1. *ff. de pignoratitia*, vbi docetur, quod

PIGNORE 22. §. I. FF. DE PIGNORATIT.

quod ſi debitor per metum pignus creditori datum abſtulerit, & eius metus ratione à debitore conſequutus fuerit creditor quadruplum, non tenetur in ſortem principalem aliquid imputare: ex quo Papiniani reſponſo deducitur, quadruplum in hac actione totum eſſe pœnam, ideoque non imputari in ſortem, quia quod pœnæ nomine exactum eſt, creditori non redditur, *l. id quod* 74. *ff. de ſolut. l. ſi debitor* 79. *ff. de furtis*; nam ſi in quadruplo æſtimatio contineretur, teneretur creditor eam in ſortem imputare. Huius textus difficultate oppreſſus A. Faber *de erroribus decade* 81. *errore* 10. exiſtimauit, quadruplum in hoc edicto totum eſſe pœnam. Sed eo omiſſo dicendum eſt cum D. Martino de Larreatigui *lib.* 3. *ſelect. cap.* 10. in eo textu non quadruplari rem ipſam, vel debitum quantitatis; ſed tantùm intereſſe poſſeſſionis, quatenus creditoris intererat pignus poſſidere. Tantùm enim in edicto de eo, quod metus causâ, quadruplatur quod ablatum eſt; ſi autem à debitore coactus eſſet creditor per acceptilationem liberari, & reſciſſa acceptilatione, quantitatem ſoluere noluiſſet, tunc cum quadruplo erat reſtituenda, vt nulla remaneret actio ad debitum principale, quod in quadruplo inerat, vt docuit Cuiacius *lib.* 9. *qq. Papin. in dict. l. ſi debitori* 79.

24. DE POENA QVADRVPLI.

Sed ſi intra tempora iudicati res reſtituenda ſine facto debitoris perierit, triplum debetur, *l. item* 14. §. *quid ſi homo* 11. *ff. de eo quod metus*; ſi verò ante ſententiam, quadruplum, ex eodem §. *in verſ. Hæc ſi poſt.* Ratio differentiæ, omiſſis aliis traditis à Duareno *ad tit. de eo quod metus*, Fabro *in ration. ad ipſum*, §. & *lib.* 19. *coniect. cap.* 10. & 11. Cuiacio *in dict. l. item* 14. §. *quatenus*, ex eo prouenit, nam ante ſententiam res cum triplo non debebatur: quare ſi re peremptâ, qui metum intulit, liberaretur, metus maneret impunitus. Cùm ergo ad æſtimationem ſuccedat obligatio, & ea per ſententiam quadrupletur, ideo in quadruplum re peremptâ ante ſententiam manet obligatio: at verò poſt ſententiam, ante tempora iudicati, ſi res pereat, quia in iudicato non ſoluendo moram non commiſit, & manet actio in pœnam, ideſt in triplum, liberatur à rei præſtatione, & eius æſtimatione, vt docet Lyclama *lib.* 7. *ecloga* 1. quem ſequitur Oſuald. *ad Donel. dict. cap.* 38. *littera S.* Hæc tamen actio in quadruplum tantùm intra annum datur, poſt annum verò in ſimplum, *l. item* 14. §. 1. & 2. *ff. de eo quod metus*, *l.* 4. *Cod. hoc tit.* in quo ſimplo non æſtimatur quanti ea res eſt, vt cùm quadruplatur intra annum; ſed quantùm iuratum fuerit in litem: & in hoc caſu admittitur iuramentum in litem in actione de eo quod metus causâ, *l. arbitrio* 18. *ff. de dolo*; quam hoc modo accipiunt Donellus *dict. cap.* 38. Pichardus *in dict.* §. 27. *num.* 38. Hunnius *ad Treutl. volum.* 1. *diſput.* 11. *quæſt.* 55. Bachouius *ad Fabrum*, *decade* 92. *errore* 4. Reatigui *lib.* 3. *ſelect. cap.* 11. omiſſis Fabro *lib.* 16. *coniect. cap.* 18. & *decade* 18. *errore* 6. Schifordeg. *tomo* 1. *tractat.* 25. *quæſt.* 6. Cabreros *de metu lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 70. qui exiſtimarunt textum illum Tribonianiſſe.

25. IN QVOS HÆC ACTIO DETVR.

Cùm ergo hæc actio in rem ſit concepta per ea verba, *ratum non habebo*: ideo datur contra tertium poſſeſſorem, apud quem res reperitur, *l. metum* 9. §. *vlt. l. item* 14. §. 3. *ff. de eo, quod metus*, *l.* 3. *Cod. hoc tit.* probant Noguerol. *alleg.* 99. *num.* 210. delinquunt enim poſſeſſores, dum rem per metum extortam domino non reddunt; liberantur autem, ſi res perierit antequam metum agnouerint, *l. item* 14. §. *aliquando* 5. *l. ſi ipſa* 18. *ff. de eo quod metus*. Faciunt textus *in l. qui petitorio* 38. *ff. de R. V. l. ſi ex legatis* 23. *ff. de V. O.* niſi longi temporis præſcriptione defendantur, *l.* 3. *Cod. hoc tit.* Datur etiam in hæredes, quatenus ad eos peruenit, ne ex damno lucrum conſequantur, *l. metu* 9. §. *finali*, *l. item* 14. §. *in hac*, *ff. hoc tit.* nec intereſt, quod res conſumpta ſit, *l. videamus* 17. *ff. de eo quod metus*, vbi Cuiacius *lib.* 1. *qq. Pauli.* Similiter quatenus rei perſecutionem continet, datur hæredibus, cæteriſque ſucceſſoribus, *l. quod diximus* 16. §. 2. *ff. de eo quod metus*: debet autem qui metu rem vendidit, refundere pretium, quod accepit, *l.* 3. & 4. *Cod. hoc tit. l. quod ſi* 24. §. *penult. ff. de minor.* quo modo intelligitur textus *in l.* 4. *Cod. de pignor.* vbi conſtituto pignore per vim, vt pignus conſequatur, debet debitum ſolui, niſi dicamus cum Gothofredo *ibi*, *littera L.* metum grauem in eo textu non interceſſiſſe, ſed tantùm creditorem noluiſſe pecuniam credere, niſi ſub pignore: quo caſu ſi debitor poſtea velit pignus recuperare, quaſi per vim, aut metum conſtitutum, non eſt audiendus, vt *in l. non idcirco* 12. *Cod. de reſcind. vendit.* Hæc omnia procedunt, niſi metus illatus ſit à poteſtate, ſeu officium publicum exercente, quia ille pretium amittit, *l. ſi per impreſſionem* 11. *Cod. hoc tit.* ſiquidem illis, qui publicum officium gerunt, prohibitum eſt prædia emere in propria prouincia, *l. non licet* 3. *l. qui officiis*, *ff. de contrahenda emptione*, Cuiacius *ad titul. Cod. de reſcind.*

26. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

His animaduerſis pro exactiori expoſitione huius tituli, & edicti de eo, quod metus causâ, iam apparet vera ratio præſentis deciſionis; cùm enim in præſenti ſpecie agatur de profeſſione in monaſterio emittenda, quæ ex ſua natura petit ſpontaneam voluntatem, & deliberatam; ideo metus grauis, mortis videlicet, reddit eam nullam ipſo iure. Accedit, nam omen eſt in ſacrificiis, bonum quidem, ſi hoſtia vltronea ſe offerat; malum ſi renuens & coacta offeratur: quare apud Gentiles non admittebatur ſacrificium animalis, quod retraheretur, aut inuitum traheretur. Plinius *lib.* 8. *cap.* 45. ibi: *Nec claudicante, nec aliena hoſtia Deos placari, nec trahente ſe ab aris.* Silius Italicus *lib.* 5.

Nec rauco taurus ceſſauit flebili ad aras
Immugire ſono.

Macrobius *lib.* 3. *Saturn. cap.* 5. *Obſeruandum eſt à ſacrificantibus, vt ſi hoſtia, quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementius reluctata, oſtendiſſetque ſe inuitam altaribus admoueri, amoueretur; quia inuitam Deo offerri eam putabant; quæ verò ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari exiſtimabant.* Illuſtrant Briſſonius *lib.* 1. *de formulis, pag.* 17. Gaſpar Sanchez *in Iſaiam*, *cap.* 43. *numer.* 37. Ambianas *ad Tertul. in apolog. cap.* 5. *in fine*, Tiraquellus *ad Alexandrum lib.* 3. *dier. gen. cap.* 16. Delrio *ad Senecam in Medea*, *pag.* 195. igitur ſi hæc voluntas attendebatur in ſacrificiis Diis Gentilium offerendis, quantò magis improbari debet ſacrificium ſui ipſius vero Deo offerendum per vim, & metum, abſque libera & ſpontanea voluntate. Faciunt alia, quæ dabimus *in cap.* 1. *de regul.* & infrà adducemus de voto metu facto.

27. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec obstant difficultates suprà pro dubitandi ratione adductæ. Non prima, in qua dicebamus, baptizatum etiam metu graui, teneri fidem catholicam in baptismo professam obseruare; nam licèt Franciscus Hallierius *de sacris elect. sect. 5. cap.1. §. 4.* Feloaga *in præsenti, pag.68.* existimauerint, baptismum metu receptum valere, tum propter impressionem characteris, tum quia fidei obseruantia onerosa non est: contrarium tamen vt verum tenendum est, videlicet baptismum metu graui collatum nullum esse, quia nemo cogendus est ad ipsum recipiendum, *cap. de Iudæis, 45. dist.cap.ad fidem 25. quæst.3.cap.sicut 15. de Iudæis*, Cabreros *de metu lib.1. cap.17. num.50.* Plura dabimus *in dict. cap. sicut Iudæi.* Nec tunc obstat canon Concilij Toletani, relatus *in dict. cap. de Iudæis:* cui satisfaciendum est cum doctrina Innocentij III. *in cap. maiores, §. item, de Baptismo*, in illis verbis: *Inuitum ab inuito, & coactum à coacto, vt qui terroribus compulsus, ne detrimentum incurrat, baptismi susceipit sacramentum, talis sicut qui fictè accedit, characterem susceipiat Christianitatis, & ipse tanquam conditionaliter volens cogendus ad obseruantiam fidei Christianæ.* In quibus proponitur discrimen inter vim, & vim; quod etiam agnouit Alexander tertius *in cap. de muliere, de sponsalibus*; & etiam docetur, vt coactus vi graui, & metu cadente in constantem virum, non cogatur fidem profiteri, coactus verò metu leui, teneatur fidem obseruare. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis, deductum ab exemplo iuramenti, cui satisfaciemus *in cap.3. hoc tit.* Nec secundum augmentum aduersatur; verum enim est, metum à causa libera incussum, non causâ extorquendi consensum, irritare actum eo metu gestum: at in præsenti specie fuit metus iniustè incussus eo animo, vt mulier ingrederetur religionem; siquidem milites & cognati ipsius mariti, iam gladiis arreptis, & euaginatis proposuerunt mulieri, vt ingrederetur monasterium, si vellet mortis imminentis effugere periculum. Vnde metus grauis, & causâ extorquendi consensum ad religionis ingressum fuit incussus; quare professio inde secuta ipso iure nulla fuit.

28. DISSOLVITVR SECVNDA DIFFICVLTAS.

Nec obstat secunda difficultas suprà adducta; nam quæ hucusque in hoc commentario de metu adduximus, procedunt, nisi postea metus purgetur per nouum consensum; veluti si quis metu graui rem promittat, & postea ex eadem obligatione spontaneè soluat, *l.finali, §.finali, Cod.hoc tit.* secus si adhuc perseuerante eadem metus causa, *l.item 14. §. finali, ff. de eo quod metus causâ.* Nec contrarium probat textus *in l. ex ea 7. ff. de condict. ob turp. caus.* cuius interpretationem prosequuntur Donellus *lib.15. comment. cap.38.* Pichardus *in dict.§.27.de act.* Purgatur autem metus per actus externos priori contrarios, *l. si mulier, iuncta glossa*, ibi, *ff.de eo quod metus, l.finali, ff. de liberis exhib. cap. cùm virum, cap. significatum, de regul.* aut per lapsum temporis, vt si intra 14. annum non reclamauerit, *cap. si quis antè, eod. tit.* quod hodie protractum est à Patribus Concilij Trident. in casu matrimonij carnalis ad annum, & dimidium, *sess.25. de reform. cap.19.* Docet Cabreros *lib.1 de metu, cap.10.*

Sed aduersùs hanc assertionem opponi solent textus *in cap. Gonsaldus 17. quæst.2.* cuius interpretationem adduxi *in cap.3. de renunciat. cap. sicut, de regularibus, cap. dudum, de conuersione coniug.* quorum & al orum interpretationem dabimus *in cap.1. de regul.* Nunc exponenda est difficilis iustiniani constitutio *in nouella 134. vt nulli iudicum, §. si quando*, in illis verbis: *Sed hodie adultera verberata in monasterium mittitur, quam intra biennium viro recipere licet; biennio verò transacto, vel viro priùs quàm reducat ream, mortuo, adultera tonsa, monastico habitu susceepto, ibi dum viuit, permaneat.* Ex quibus verbis apertè constat, adulteram debere religionem ingredi, atque in monasterio profiteri, à quo post biennium nec viuente, nec mortuo marito exire licet: igitur in præsenti adultera monasticam vitam professa, etiam mortuo marito, prætextu metus exire non poterat. Pro cuius textus expositione sciendum est, olim in delictis lapsos, & facinorosos, tam clericos, quàm laïcos, mares, & fœminas, pœnitentiæ peragendæ causa in monasteriis detrusos fuisse, vt ibi morarentur, & pœnitentiam acciperent, *cap. si quis clericus, dist. 81. cap. si ille, dist.50. cap. inter, de purgatione canonica, cap. puellæ 20. quæst.1. cap. viduas, cap. si qua monacharum, cap. peruenit 27. quæst.1.* Concilium Agathense *can. 50.* Epaunense sub Hormisda *cap. 22.* Præcipuè hæc detrusionis pœna adulteris imponebatur, tam viris, Concilium Aurelian. 3. *can.7.* vbi de clerico adulterij conuicto statuitur: *Depositus ab officio, communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur*; & *cap.2. de adulteriis:* quàm etiam fœminis, *cap. gaudemus, de conuersione coniug.* Plura cumulauit P.Faber *lib.2. semestrium, cap.21.* Sed hæc detrusio in monasteriis non inducebat professionem, nec ita in monasteriis relegati monachi fiebant, sed tantùm vt pœnitentes ibi detrudebantur. Concil. Tolet. 8. *can.6.* ibi: *Sub pœnitentiæ oneribus monasteriis relegari*; & *can.7. Monasterij clausstris sub pœnitentia retrudi.* Matiscon.2. *can.16. Trudi in cœnobiis*; & ibi: *Vsque ad extremum vitæ permanere.* Cabilon. 2. *can.4. Agendæ pœnitentiæ causâ in monasterium mitti.* Probant, & de hac detrusione in monasterium plura adducunt Bosquetus *ad Innocentium lib.1. epist. 130.* Hallier. *de hierarch. iurisdict. pag. 274. & 281.* Lindembrogius *in glossario, verbo Monasterium pœnitentiæ.* Hurtado *tomo 2. de resid. pag.538.* Gibalinus *de clausura, disquisit.3. cap. 2. §. 2. & 3.* Vnde in dicta nouella iustiniani, quæ reperitur in authentica, *sed hodie, Cod. de Episcopis & clericis*, detrusio adulteræ in monasterium non importat professionem, sed tantùm relegationem pœnitentiæ peragendæ causâ, vt iam notarunt Petrus Gregorius *lib.15. syntag. cap.18.* Illustrissimus Zerda *in Iudith, academ. 27. sectione 1. numer.10.* In præsenti autem casu milites, & mariti cognati intendebant mulierem adulterij suspectam in monasterio vitam monasticam profiteri debere, & tanquam verè monialem, etiam defuncto marito, vt constat ex illis verbis, permanere debere; quod repugnat naturæ professionis monasticæ, quæ petit liberam, & spontaneam voluntatem, iuxta suprà tradita.

29. EXPONITVR NOVELLA 134. IVSTIN.

CAPVT

CAPVT II.

Idem *Vvigornien.* a *Epiſcopo.*

ABbas [b] S.Eadmundi, à quo R. præſentium lator patrimonium ſuum tenere dignoſcitur, milites ſuos, & [c] Burgenſes ad domum prædicti R. ſicut accepimus, miſit, qui eum à domo, & ab vniuerſa ſua [d] poſſeſſione expellerent, niſi Eccleſiam ſuam penitus e abiuraret. Quod cùm idem R. tali modo coactus feciſſet, Abbas præſcriptam Eccleſiam alij conceſſit. Vnde quia quæ metu & vi fiunt, de ratione iuris, & ordine in irritum debent reuocari: f. t. per A. ſ. m. quat. prædicto R. omnia cum [f] integritate reſtituas.

NOTÆ.

a *Vvigorn.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.*2. & poſt Concilium Lateran. ſub Alex.III. *part.*22. *cap.*7. De Eccleſia Vvigornienſi nonnulla adduxi *in cap. noſti, de elect.*

b *S.Eadmundi.*] Ita legendum eſt, vel *Edmundi*, non verò *Cadmundi*, vt vulgò legitur in Decretalibus; eſt enim hoc monaſterium in Anglia in Comitatu Cantabrigiæ, Canonicorum regularium, magnis redditibus ditatum ab Edmundo primo Rege huius nominis Angliæ, vt refert Pennotus *lib.*2. *hiſtor. canonic. regul. cap.*37. *pag.*390. Illum Regem Edmundum appellat Richardus Smitheus *in floribus Angliæ, anno* 940. Aëdmundum Baronius *in martyrol. die* 30. *Nouembris*, & Surius *tomo* 6. *in eodem die:* vnde iuxta hanc hiſtoricorum varietatem aliquando monaſterium hoc dicitur *Eadmundi*, vt in præſenti; aliquando *Edmundi*, vt *in cap. ex parte, de ſponſalibus.* 1.

c *Burgenſes.*] Burgenſes dicti ſunt à Burgis. Burgi autem appellantur domicilia, ſeu mœnia modica muris non cincta. Vegetius *lib.* 4. *de re milit. cap.* 10. de quibus *in l.*6. *Cod. de fundis rei priuat. l.* 2. *Cod. de officio Præfecti Africæ, l.*2. *Cod. Theodoſ. de his, qui condit. prop.* Luitprandus *lib.*3. *de rebus per Europam geſtis, cap.*12. ibi: *Et quoniam ipſi domorum congregationes, quæ muro non clauduntur, burgum dicunt.* Burgos crebra per limitem habitacula conſtituta appellant Oroſius *lib.* 7. *cap.* 22. Iſidorus *lib.*9. *etymolog.* Paulus Diaconus *in Valentin.* Sidonius *carmine* 22. 2.

Cernere iam videor, quæ ſint tibi Burge futura,
Diuitias ſic namque domus de flumine ſugunt,
Splendenteſque ſedent per propugnacula therma.

Hinc Burgarij dicti, qui in his burgis habitant, vt probat Gothofredus *in l. vnica Cod. Theodoſ. de Burgariis:* & etiam Burgundiones inde dictos, ex Iſidoro, & Luitprando probat Petrus Pitheus *lib.*1. *aduerſ. cap.* 4. Hinc etiam Burgenſes dicti. Fridericus Imper. *lib.*1. *conſt. Sicul. tit.*9. in illis verbis: *A tenore etiam præſentis ſanctionis eximimus milites, & filios militum, & Burgenſes.* Et *lib.*2. *tit. vnico*, ibi: *Pro milite ſimplici* 30. *pro Burgenſi* 12. *pro ruſtico* 6. *auguſtales conſequetur.* Notauit Steuchius *ad Vegetium dict. lib.*4. *cap.*12. Sed cùm plures Burgi ſimul coniungerentur, ciuitates, imò & Metropoles Burgi dictæ fuerunt, quare burgenſes pro ciuibus accipiuntur apud Carnot. *epiſt.* 101. 136. & 263. Gofridum Vindocinenſem *lib.* 1. *epiſt.* 17. vt ex eis notant Boſquetus *ad Innoc. III. lib.* 1. *epiſt.*1. Cironius *in* 5. *compil. ad cap.*1. *de adult.* Gerardus Voſſius *de vitiis ſerm. lib.*1. *cap.*3. Beyerlinch. *in theatro, tomo* 2. *verbo Burgi.* Burgenſes autem, de quibus in præſenti, degebant in Burgis monaſterio S. Eadmundi ſubiectis, & milites vaſſalli erant ipſius monaſterij.

d *Poſſeſſione.*] Ideſt ab omni re mobili intra domum exiſtente. Plerumque enim res mobilis pro poſſeſſione accipitur, quia in ea propriè datur poſſeſſio. Vnde cùm Rodericus terreretur amiſſione proprij patrimonij, vel eius maiori parte, iuſto metu compulſus reſignauit beneficium; nam metus grauis, ideſt cadens in virum conſtantem, incutitur ex amiſſione maioris partis bonorum, *cap. frequens, de reſtit. ſpol. lib.* 6. *l. iſti* 8. §. *ſi is, ff. de eo quod metus cauſâ.* Docent Flamin. Pariſ. *de reſign. benef. lib.* 13. *cap.* 1. *num.*154. Donellus *dict. cap.*38. vbi Oſuald. *litt. I.* Couarr. *de ſponſ.*2. *part. cap.*3. §. 4. *num.*30. Pichardus *in* §. *item* 27. *num.*17. *de actionib.* Cabreros *lib.*1. *de metu, cap.*8. *num.*33. 3.

e *Abiuraret.*] Abiurare eſt iureiurando renunciare, aut iuramento negare. Symmachus *lib.* 2. *epiſt.*86. *Hiſpanienſis prædij ſui partem pretij emptor abiurat.* Vbi notauit Iuretus. Seruius ad illud Virgilij *lib.* 8. *Æneïd. Boues abiurate:* notauit Baptiſta Hanſenius *de iureiur. cap.*3. Vnde abiurare Eccleſiam eſt iuramento firmare, ſe nunquam eam recepturum, *cap.*3. & 4. *de reſtit. ſpol.* abiurare vxorem, iuramento promittere ſe nunquam cum ea cohabitaturum, *cap. cùm haberet, de eo qui duxit, cap.* 2. *ne clerici, vel mon. cap.*2. *de his qui filios:* abiurare adulteram, iurare ſe nunquam ad eam rediturum, *cap. penult. de adulteriis:* abiurare prouinciam, ideſt ſe nunquam, eam profecturum, *cap.* 3. *de crimine falſi:* abiurare hæreſim, iuramento promittere, ſe nunquam in eam reuerſurum, *cap. ad abolendam, de hæreticis, cap. accuſatus, in principio, eodem tit. lib.*6. 4.

f *Cum integritate.*] In hoc enim edicto omnia reſtituuntur cum fructibus, & acceſſionibus, vt ſuperiori commentario probaui.

CAPVT III.

[a] Clemeus III.

AD aures noſtras te ſignificante peruenit, quod electus quidam in [b] Plebanum Eccleſiæ cuiuſdam, quæ ad tuam diſpoſitionem pertinet, ad terrorem laïcorum renuntiauit electioni, quæ fuerat à clericis, vno [c] excepto, vnanimiter celebrata. Is autem, qui diſſenſit, ante electionem ad Sedem Ap. appellationis vocem emiſit. Ideoque conſulere voluiſti, ſi renunciatio facta ad terrorem laïcorum impediat quominus ad regimen prædictæ Eccleſiæ is, qui priùs fuerat electus, aſſumi debeat: & ſi eius appellatio valeat, qui ſe non electurum iurauit, & ne alij eligerent, appellauit. Tuæ igitur diſcretioni litteris præſentibus innoteſcat, quod renunciatio facta in manu laïcorum ad ipſorum terrorem, niſi fortè iuramento, vel [d] fide interpoſitâ ſit confirmata, non impedit quominus is, qui renunciauit Eccleſiæ, ad cuius regimen priùs electus fuerat, præficiatur: pro contradictione autem, vel appellatione eius, qui ſe non electurum publicè confeſſus eſt iuraſſe, non eſt electio ab aliis celebrata canonicè irritanda.

NOTÆ.

a *Clemens.*] Ita etiam habetur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. Ex nulla tamen conſtat, cui Prælato in præſenti reſcribat Pontifex; ex ipſa autem ſecunda collectione ita textum reſtituo. 1.

b *Plebanum.*] Ideſt Parochum, vt iam notaui *in cap. vnico, de officio Archipreſbyt.*

c *Vno excepto.*] Et ſic à maiori parte, *cap. quia propter, de elect.*

d *Fide.*] Fidem præſtare pro iureiurando accipitur in præſenti, & *in cap. 9. cap. querelam, de iureiur.* apud Liuium *lib.* 1. ibi: *Ea pietate omnium pectora imbuerat, vt fides ac iuſiurandum, propulſo legum, ac pœnarum metu, ciuitatem regerent.* Vnde fidem inter Numina Romani coluerunt, & illi in Capitolio templum ſacrarunt. Alex. ab Alexand. *lib.* 2. *dierum gen. cap.* 22. ibi: *Fuere autem Termini, & Fidei templa iuxta ædem Iouis optimi maximi, primùmà Cuma conſtructa.* Cuius templi meminerunt D. Auguſtinus *lib.* 4. *de ciuit. Dei, cap.* 10. vbi plura Viues. Horatius *lib.* 1. *carminum, od.* 35. Illuſtrant Tiraquellus *ad Alexandrum, vbi ſuprà*, Baptiſta Hanſenius *de iureiur. cap.* 1. Lælius Mancin. *genial. cap.* 209. apud Catholicos verò promittentem, vel aliquid aſſerentem ſub hac formula: *Per fidem meam*; intelligendo per fidem non aliam, quàm humanam, ſiue fidelitatem ipſius hominis loquentis, non videri iuraſſe, tenent Caietanus 2.2. *quæſt.* 89. *art.* 6. Sotus *lib.* 9. *de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 6. Couarr. *in cap. quamuis, part.* 1. §. 2. *num.* 2. Leſſius *de iuſtit. cap.* 42. *num.* 4. Suarez *de relig. lib.* 1. *de iuram. cap.* 13. Valentia *in* 2.2. *diſput.* 6. *quæſt.* 7. *puncto* 2. Azor *tomo* 1. *Inſtit. lib.* 11. *cap.* 3. *quæſt.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 79. *num.* 29. & *lib.* 3. *ſummæ, cap.* 2. *numer.* 32. Theophilus Raynaud. *tomo* 14. *in Heteroclita, puncto* 1. *fol.* 57. Et de fide præſtita per manum dextram, plura congeſſerunt Cabreros *lib.* 2. *de metu, cap.* 6. *num.* 13. Grotius *de iure belli lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 22. & nos *in cap.* 2. *de fideiuſſoribus.* 2.

CAPVT IV.

Innoc. III. *Epiſcopo* [a] *Linconien. & eius collegis.*

AD audientiam noſtram dilecto filio Magiſtro Helia de Cheuelle ſignificante peruenit, quod cùm Eccleſiam de Cheuelle auctoritate Sedis Apoſtolicæ canonicè fuiſſet adeptus, & aliquandiu pacificè poſſediſſet, grauiſſimo tandem Regis metu, quod eam reſignaret iurare coactus, eam in eorum, ad quos pertinebat, manibus reſignauit. Quia verò, quæ vi, metuſve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis: diſc. veſtræ per Ap. ſ. m. quat. ſi eundem Magiſtrum eo metu ad reſignationem faciendam vobis conſtiterit fuiſſe coactum, qui potuerit & debuerit cadere in conſtantem virum, non obſtante iuramento prædicto, quo non ad repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodo tenebatur, præfatam Eccleſiam ei per cenſuram eccleſiaſticam, ſublato appellationis obſtaculo, reſtitui faciatis: nullis litteris veritati, & iuſtitiæ, &c. Quod ſi non omnes, &c. duo ex his, &c. Datum Lateran. nonis Februarij.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. [a] *Incon.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in epistolis Innocentij III. Coloniæ editis, *fol.* 440. ex quo regestro litteram restituo. De Ecclesia Linconiensi egi *in cap.* 8. *de rescriptis.*

COMMENTARIVM.

2. HÆc iura, si rectiùs perpendantur, diuersa potiùs sunt, quàm contraria; & vt ea exponamus, duplex quæstio examinanda est. Prima, vtrum renunciatio, seu resignatio beneficij metu graui facta, ipso iure nulla sit; an verò subsistat, etsi postea irritetur? Secunda, vtrum talis resignatio iuramento firmata adeo valida sit, vt beneficium resignatum ampliùs repeti nequeat? Et in prima quæstione renunciationem metu factam ipso iure subsistere, sed postea irritari, probatur *ex cap.* 2. *hoc tit.* in illis verbis: *Quatenus prædictum Rod. cum integritate restituat.* Et *cap. causam* 3. *de re iudic. in* 2. *collect.* in illis verbis: *Si vobis constiterit aliquam personam medio tempore memoratam Ecclesiam, vt prælibatum est, tenuisse, & eundem clericum suam possessionem, & violentam per manum laicam eiectionem, & partis aduersæ intrusionem probasse, omni oc. & ap. cess. Ecclesiam ipsam cum fructibus inde perceptis eidem restituatis.* Eam defendunt Flaminius *de resignatione lib.* 13. *quæst.* 20. Azor 2. *part. instit. moral. lib.* 7. *cap.* 26. *quæst.* 2. Garcia *de beneficiis part.* 11. *cap.* 3. *num.* 143. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disput.* 8. *num.* 5. Barbosa *in cap. super* 5. *num.* 3. *de renunc.* Bajo-Arroyo *in cap. si verò*, & *in cap. Quintauallis*, *num.* 109. *de iureiur.* Luna, & Arellanus *lib.* 1. *singul. antinom.* 14. Contrariam tamen sententiam, imò ipso iure renunciationem beneficij metu graui factam nullam esse, docuerunt plures congesti à Rufiniaco *de beneficiis*, *cap.* 19. *num.* 5. & 6. Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 54. Valensis *de beneficiis lib.* 3. *tit.* 13. *num.* 18. pro quorum sententia faciunt textus *in cap. ad aures*, *de renunc.* vbi possessor beneficij, qui illud ex metu graui renunciauit, percipit fructus ipsius beneficij: igitur quia renunciatio ipso iure nulla fuit, aliàs si valuisset, beneficium vacasset, *cap. super hoc*, *de renunc. cap. susceptum*, *de rescriptis in* 6. Deinde facit textus in Clementina *Multorum*, §. *sanè*, *de pœnis*, in illis verbis: *Nullius etiam decernimus esse firmitatis.* Accedit & illa ratio; nam electio ecclesiastica metu graui facta, est ipso iure nulla, *cap. vbi periculum*, *de elect. in* 6. igitur & renunciatio, cùm contrariorum eadem sit ratio, & disciplina. Hac igitur opinione retentâ non obstant textus *in dict. cap.* 2. *hoc titulo*, *cap.* 3. *de re iudicata*; nam in illis iuribus iubetur Ecclesiam restitui ei, qui per metum resignauerat, quia non solùm resignatio ex metu graui facta præcesserat, verùm & extraneo adiudicata erat ipsa Ecclesia, & ipse in possessionem intrusus: quare factum ipsum intrusionis irritatur; renunciatio verò metu facta ipso iure nulla fuerat. Difficilior est alia quæstio, vtrum videlicet talis renunciatio metu facta, iuramentoque firmata, valida sit? In qua quæstione affirmatiua sententia probari videtur *ex cap. ad aures*, *hot tit.* in illis verbis: *Nisi fortè iuramento, vel fide interpositâ sit confirmata.* Quæ verba apertè suadent, iuramento accedente renunciationem metu graui factam valere. Deinde *ex cap. ad audientiam*, *hoc tit.* in illis verbis: *Non obstante iuramento, quo non ad repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur.* Igitur si iurasset, se non repetiturum, renunciatio vires haberet. Contrarium tamen, videlicet renunciationem etiam iuramento vallatam nullam esse, probatur *ex cap.* 2. *hoc tit.* si expendatur proprietas verbi *Abiurasset*, iunctis ibi notatis. Deinde *ex cap.* 3. *de restit. spol.* & *ex cap. peruenit* 10. *de officio deleg. in* 1. *collect.* in illis verbis: *Iuramento præstito refutasse.* Ex quibus constat, non obstante iureiurando renunciationem metu factam non valere. Pro cuius dissidij conciliatione dicendum est, renunciationem metu graui factam, & iuramento firmatam, non valere, & beneficium ita abiuratum repeti posse petitâ relaxatione iurisiurandi; vires autem habere, si relaxatio non petatur. Vnde textus, qui affirmant renunciationem etiam iuramento firmatam non valere, accipiendi sunt petitâ relaxatione iuramenti; alij verò, qui negant tale beneficium repeti posse, procedunt non petitâ relaxatione iuramenti. Quam distinctionem amplectuntur Gaillus *lib.* 2. *obseru. cap.* 47. Couarr. *in* 4. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. Feloaga *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 88. omissis distinctionibus traditis à Canisio *in cap.* 2. *hoc tit.* Arellano *dict. antinomia* 15.

CAPVT V.

Idem [a] *Nidrosien. Archiepiscopo.*

SAcris canonibus. [b] *Et infrà*: Distinguimus autem, vtrum is, qui communicat excommunicatis inuitus, sit per coactionem attractus, an per metum inductus. In primo siquidem casu non credimus excommunicatione teneri, cùm magis pati, quàm agere conuincatur. In secundo verò licèt metus culpam attenuet; quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis [c] mortale peccatum incurrere, talem excommunicationis labe credimus inquinari.

NOTÆ.

1. [a] *Nidrosienſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. in sexta verò legitur *Vidronen.* sed malè, vt iam notauit Bosquetus *in notis ad Innocentium III. lib.* 2. *regestr.* 14. *epist.* 72. De Nidrosiensi diœcesi nonnulla notaui *in cap. quod in dubiis*, *de renunc.*

b *Et infrà.*] verba, quæ in præsenti desunt, reperiuntur *in cap. sacris*, *de sepulturis*, *cap. sacris de sententia excom.* vbi aliæ partes huius decisionis sunt.

c *Mortale peccatum.*] Ex his verbis ita generaliter prolatis, probari videtur, per communicationem cum excommunicato etiam in humanis, mortalem noxam incurri: quod & probari videtur *ex cap. rogo* 25. 11. *q.* 3. *cap. exceptionem* 12. *de except. cap. si verò* 24. *de sententia excommunicationis:* & docent Ioannes Andreas *in præsenti*, *q.* 5. Barbosa *de censuris*, *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *disp.* 4. *cap.* 2. Illud tamen extra controuersiam est, communicantem in diuinis lethalem culpam incurrere, vt docent post D. Thomam *in* 4. *dist.* 18 *q.* 2. *art.* 4. Couarr. *in c. alma*, 1. *p.* §. 3. *num.* 7. Barbosa *in præsenti*, *num.* 4. Gibalinus *de censuris disquisit.* 7. *q.* 9. *ex n.* 9. Diana 5 *p. tract.* 5. *resol.* 21. & *tract.* 9. *resol.* 2. & *p.* 7. *tract.* 11. *resol.* 47. Gregorius Lopez *in l.* 33. *verbo En la menor*, *tit.* 9. *part.* 1.

COMMENTARIVM.

3. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR.

Qui per vim præcisam absolutè coactus excommunicato communicat, nullam excommunicationem incurrit: secus si metu conditionali. Probant eam textus *in cap. Presbyteros*, §. *qui autem*, 50. *dist. cap. constat* 1. *q.* 1. *cap. ita* 32. *q.* 1. *cap. eos*, *de consecr. dist.* 4. *cap. contra*, *de hæreticis in* 6. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Luna & Arellanus *lib.* 1. *antinom.* 15. Frechilla *de sententia excom.* 3. *p. num.* 11. Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 31. *ex num.* 35. Bosquetus *ad Innocentium lib.* 2. *epist.* 72. Balboa *in cap.* 2. *de exceptionibus*, *num.* 68. & *in cap. exceptionem* 17. *num.* 24. *eodem tit.* Gibalinus *de censuris disquisit.* 7. *q.* 9. *p.* 2. *in fine*, Rcciulus *de iure personarum lib.* 4. *cap.* 44 *per totum*, Vega *in cap. intelleximus*, *num.* 117. *de iudiciis*, Balboa & Freitas *ad hunc textum.*

4. IMPVGNATVR PRÆSENS DECISIO.

Sed tota huius textus contextura meritò iuris Interpretibus difficilis visa est; siquidem in ea asseritur, communicantem cum excommunicato metu conditionali, excommunicationem incurrere; quod iuris principiis contrarium videtur: nam aut ita communicans incurrit eam censuram propter lethalem culpam in ipsa communicatione contractam, quæ necessaria est ad incurrendam excommunicationem, *cap. nemo*, *cap. nullus* 11. *q.* 3. aut propter contumaciam, quæ desideratur ad hoc, vt quis excommunicationem incurrat, *cap. quisquis* 2. *q.* 6. *cap. Romana*, *cap. alma*, *de sentent. excom. lib.* 6. *cap.* 1. ibi: *Contumacia reprimatur*; *de except. eod. lib.* 6. Sed ille, qui coactus communicat cum excommunicato, nec peccatum lethale committit, nec contumax est: igitur nec censuram incurrit. Probatur minor; nam lex positiua aliquid præcipiens, aut prohibens, non obligat cum periculo vitæ: nec qui metu mortis legem positiuam transgreditur, peccat, *cap. ex parte* 47. *de appell. cap.* 1. *de obseru. ieiuniorum:* probant Azor *tom.* 3. *Instit. lib.* 1. *cap.* 11. *q.* 1. Suarez *de censuris disput.* 6. *sect.* 3. *num.* 7. Aragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *dub.* 1. Couarr. *in cap. alma*, 1. *p.* §. 3. *num. finali*, plures relati à Ricciulo *d. cap.* 44. *n.* 11. Contumaciam ipsum non incurrere, per se notum est: igitur nec censuram, nec excommunicationem vllam incurrit communicans cùm excommunicato metu conditionali. Deinde quod in fine huius textus docetur, ob nullum metum, etiam mortis, peccatum lethale esse perpetrandum, difficile redditur *ex cap. ex parte* 11. *de sepulturis*, vbi mulier, quæ ob metum amittendæ virginitatis se præcipitauit è ponte, admittitur ad sepulturam ecclesiasticam: igitur quia propter metum grauem excusatur quis à culpa. Id etiam probatur *ex cap. officij*, *de pœnit. & remiss.* vbi quæ metu mariti partum suppositum non declarauit, admittitur ad pœnitentiam: igitur quia metu mortis potest peccatum mortale perpetrari.

5. COMMVNICATIO CVM EXCOMMVNICATO PROHIBETVR.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens decisio: cuius rationem vt percipiamus, sciendum est, communicantem cum excommunicato maiori excommunicatione ligato, minori excommunicatione ligari, non ex iuris diuini dispositione, vt aliqui non ignobiles Doctores censuerunt; sed tantùm ex iure ecclesiastico ab Apostolis statuto, *cap. sicut Apostoli*, *cap. excommunicatos*, *cap. cùm excommunicato*, *cap. qui meritò* 11. *q.* 3. *cap. significauit* 18. *cap. nuper* 29. cum aliis, *de sentent. excom. cap. cùm olim* 17. *vers. Illud*, *de priuilegiis.* Alia iuris testimonia congesserunt Ant. August. *in epit. iuris lib.* 37. *tit.* 7. Crespetius *in summa*, *verbo Excommunicatis non communicandum*, Albaspineus *lib.* 1. *obseru. cap.* 1. Suarez *de censuris disput.* 15. *sect.* 3. Petrus Greg. *lib.* 4. *partit. tit.* 16. *cap.* 3. & 7. Bosquetus & Gibalinus *vbi suprà*, Frechilla *de excommunic.* 3. *p. per totam*, Gazeus *in notis ad Cassianum*, *lib.* 2. *collat. cap.* 15. Ricciulus *d. lib.* 4. *de iure person. cap.* 43. Spondanus de Cæmeteriis *p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. nisi communicatio sit in diuinis officiis, vel cum excommunicato nominatim à Pontifice, vel in ipso crimine; aut si inflicta sit excommunicatio contra participantes: quibus in causis communicans cum excommunicato maiorem excommunicationem incurrit, iuxta textus ita accipiendos *in cap. qui meritò* 15. *q.* 3. *cap. nuper*, *cap. qui concubinæ*, *cap. significauit*, vbi latè Deo annuente dicemus, *de sentent. excom.* Nec contrarium probat textus *in cap. excommunicatus* 17. 11. *q.* 3. in illis verbis: *Simili excommunicationi subiacebit.* Ex quibus constat, communicantem cum excommunicato, non minori, sed maiori excommunicatione ligari; nam verba illa, *Simili excommunicationi*, accipienda sunt in genere, non in specie, nisi verba ea referamus ad aliquem ex casibus suprà relatis, ad quos etiam referendus est textus *in can.* 9. *Concilij Carthag.* vbi ita Augustinus ait: *Si quis Presbyter in communione velit excommunicatum recipere, ipse quoque æquali crimine obnoxius videatur.* Quo præcepto vitandi excommunicatos, etiam ipsum Romanum Præsulem ligari, iam probauit Præceptor meus, & Hispaniæ decus Illustrissimus D. Franciscus Ramos *in syntag. pro Episcop. Lusit. propos.* 4. *num.* 106.

6. DE VARIIS COMMVNICANDI MODIS.

Communicare autem cum excommunicato quis dicitur, cùm aliquo ex modis hoc versu comprehensis participat, aut communicat.

Os orare, vale, communio, mensa negatur.

Oris communicatio comprehendit osculum, omniaque benenolentiæ signa, *cap. excommunicatus* 11. *q.* 3. omnem sermonem cum eo, siue per verba: *d. cap. sicut Apostoli*, *cap. si aliquando*, *cap. statuimus*, *cap. constitutiones*, *de sentent. excom. lib.* 6. siue per litteras, siue per nutum, aut nuncium: cuius communicationis, licèt non extet in iure canonico expressa prohibitio, tamen his modis communicantem cum excommunicato, minorem excommunicationem incurrere, docuerunt Couarr. *in d. cap. alma*, 1. *p.* §. 1. *num.* 1. plures congesti à Gibalino *vbi suprà*, *pag.* 280. *num.* 4. Leandro *de censuris disp.* 13. *q.* 9. Sequitur verbum *Orare*, per quod omnis communicatio cum excommunicatio in diuinis officiis prohibetur;

hibetur ; vt ſimul cum excommunicato orare, Miſſæ ſacrificium cum eo audire, ſeu aliis diuinis officiis intereſſe, vt latè proſequitur Gibalinus *de cenſuris diſquiſit 7. quæſt.2. per tot.* Præcipuè prohibita eſt communicatio cum excommunicato ipſum ſepeliendo, aut eius ſepulturæ intereſſendo, *cap. ſacris, de ſepulturis, cap. ſacris, de ſentent. excom. Clement. 1. de ſepulturis*, Gibalinus *dict. diſquiſit.7. quæſt.2. pag.224.* Sepultura enim res ſpiritualis, ſiue actio ſpiritualis eſt ; vnde ſatis videtur cum excommunicato communicaſſe in diuinis, qui illum ſepulturæ eccleſiaſticæ tradidit, vt latiùs dicemus *in cap. ſacris, de ſepulturis, verbo Vale :* omnes honorificæ ſalutationes, tam verbo, quàm facto prohibentur, *cap. omnis 24. quæſt. 1. cap. excommunicatos 11. quæſtion. 3.* Et licèt quoad vulgares honorificas ſalutationes, quales ſunt caput diſcooperire, aſſurgere, via decedere, Interpretes non conſentiant, placet nunc humanior ſententia, quæ affirmat, ob indifferentiam prædictorum actuum, & eorum aſſiduum vſum, non incurri excommunicationem, vt ex Sayro, Auila, & Ricciulo docent Gibalinus *vbi ſuprà, pag.280.* Leander *diſp. 13. quæſt. 181.* Per verbum *Communio*, prohibetur ſocietas, ſeu communicatio in aliquo actu humano, vt expreſsè traditur *in cap. omnis 7. quæſt. 1.* & ab Innocentio *in cap. nuper, de ſentent. excom.* Cuius excommunicationis exempla,& acceptiones tradunt Albaſpineus *lib. 1. obſeru. cap. 1.* Morinus *lib. 2. exercit. ferè per totum.* Menſæ etiam prohibetur communicatio cum excommunicato, *cap. excommunicatos, cap. cum excommunicato, cap. ad menſam 11. quæſt. 3. dict. cap. nuper*, latè docent Gibalinus *de cenſuris dict. diſquiſit. 7. quæſt. 8. pag.281.* Leander *dicta diſp. 13. de cenſuris, quæſt. 30.* & nos de communicatione per participationem menſæ aliquâ non iniucunda congeſſimus *in cap. ad reprimendam 8. de officio Ordin.*

7. DICTA COMMVNICATIO ALIQVANDO PERMITTITVR.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus qui communicant cum excommunicatis, etiam maiori excommunicatione ligatis, nullam excommunicationem incurrunt, quos *ex cap. quoniam 11. quæſt. 3. cap. reſponſo, cap. cum voluntate, de ſentent. excom.* his verſibus complectuntur Doctores.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.
Hæc quinque ſoluunt anathema ne poſſit obeſſe.

Verbo *vtile*, ſequentes comprehenduntur caſus. Primus cùm datur vtilitas ſpiritualis propria excommunicati, vt cùm ipſe admittitur ad concionem, ſeu confeſſionem, *cap. reſponſo, de ſentent. excom.* vel cùm illi elargitur eleemoſyna, *dict. cap. quoniam.* Secundus conſideratur cùm adeſt vtilitas propria ipſius communicantis ; vnde poteſt creditor ab eo, tam in iudicio, quàm extrà, debitum petere, *cap. intelleximus, de iudiciis :* docent Gibalinus *vbi ſuprà, dict. quæſt. 8.* Leander *dict. diſput.15. quæſt. 1. vſque ad 14.* Sequentibus verbis, *lex, humile*, docetur, non ligari excommunicatione cum excommunicato communicando eos, qui lege matrimonij, patriæ, ſeu dominicæ poteſtatis tenentur cum excommunicato cohabitare, & communicare. Vnde vxor communicans cum viro excommunicato domi, in menſa, aut debiti ſolutione, non incurrit aliquam cenſuram, *dict. cap. quoniam, cap. inter alia, de ſententia excom.* Idem procedit in filiis legitimis, ſiue illegitimis ; naturalibus, ſiue adoptiuis ; pupillis cum tutoribus, ſeruis, famulis, & vaſſallis cum dominis ; militibus cum duce, vt fusè reſoluunt Gibalinus vbi ſuprà, *fol. 291.* Leander *diſput.15. quæſt.15. vſque ad 44.* Ignorantia etiam inuincibilis iuris, vel facti excuſat communicantem cum excommunicato, *dict. cap. quoniam.* Vnde ignorans, aut dubitans aliquem eſſe excommunicatum non toleratum,ſi cum eo communicauerit, non incurrit excommunicationem minorem, vt proſequuntur Gibalinus *vbi ſuprà, pag.312.* Leander *de cenſuris diſput.15. quæſt.54.vſque ad 58.* qui autem communicantes cum excommunicato excuſentur ob neceſſitatem, inferiùs dicemus.

8. DE DVPLICI VI.

Deinde ſciendum eſt, duplicem eſſe vim ; alteram præciſam & abſolutam, alteram verò conditionalem, ad quas referri poſſunt quæ congerunt Abbas, Butrius & Beroius *in præſenti*, Menoc. *de recuperanda poſſeſſ. in præludiis, num.37.* vbi plura de vi expulſiua, turbatiua, ablatiua, & aliis retulit. Vis abſoluta eſt, quæ nullum conſenſum patientis admittit, ſed quandam includit neceſſitatem omnino voluntati oppoſitam, vt ait Vlpianus *in l. 1. ff. de eo, quod metus :* ſeu maioris rei impetus, cui reſiſti non valeat. Paulus *lib. 1. ſentent. tit.7. §.7.* docent Cuiacius *lib.1. obſeru. cap.20.* Alciatus *lib.1. parerg. cap.28. & 33.* de qua vi agitur *in cap. maiores, §. item quæritur, de baptiſmo.* Alia verò dicitur vis conditionalis, quæ verè metus eſt, cadens in virum conſtantem : exempli gratiâ quando ex duobus malis ſibi imminentibus, altero periculi inſtantis, altero illius actus, quem fieri intendit is, qui metum intulit, & metum patiens vnum, aut alterum eligit propriâ voluntate & libero arbitrio ; indeque receptum eſt,voluntatem coactam, voluntatem eſſe, vt probaui ex Theologis & Philoſophis ſuprà *in cap. 1.* Illud diſcrimen inter vim præciſam & conditionalem verſatur, quòd actus geſtus interueniente vi præciſa, & abſoluta, non eſt voluntarius ; & ideo non poteſt vllo modo continere peccatum ; actus verò geſtus interueniente vi conditionali, ſeu metu,voluntarius eſt, & peccatum continere poteſt.

9. VERA HVIVS TEXTVS INTERPRETATIO.

His ſuppoſitis varia pro huius textus intetpretatione adduxerunt Doctores ; tam Theologi, quàm Iuriſperiti. Seraphinus à Freitas *in relectione ad hunc textum*, veram eius interpretationem repetit ex hiſtoria ſæculi Innocentij III. ſupponit enim eo tempore ſchiſma in Imperio ſtetiſſe inter Philippum Sueuiæ Ducem, Henrici VI. demortui Imperatoris fratrem ; & inter Othonem Henrici Superbi Saxoniæ Ducis filium, & Ioannis Angliæ Regis ex ſorore nepotem ; cui Angliæ Rex, & alij Principes, præcipuè Innocentius III. fauebant : Philippus verò Galliæ Rex, renuente Pontifice, Moguntiæ coronatus, depoſitus fuit ab Innocentio III. & eius iuſſu Otho Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Coloniæ coronatus : Innocentius excommunicauit Philippum cum omnibus ſuis fautoribus anno 1203.Ex qua hiſtoria deducit Freitas, Regem Norvegiæ ſequutum fuiſſe partes Philippi Regis, & eo tempore plures occubuiſſe in bello inito inter Philippum, & Othonem excommunicatione ligatos, ſæuienteque bello plures communicaſſe cum ipſis excommunicatis. Vnde conſuluit ipſum Pontificem Epiſcopus Nidroſienſis, an in excommunicatione occumbentes ſepulturæ eccleſiaſticæ eſſent tradendi, & communicantes cum ipſis excommunicatis ? Cui conſultationi reſpondet Innocentius *in præſenti*, & *in cap. ſacris, de ſepulturis.* Verùm hæc perdocti viri ſententia

tentia admittit non potest, nec conuenit consultationi factæ ab Episcopo Nidrosiensi in præsenti, nec eâ historiâ admissâ, inde vera interpretatio huius textus deducitur: quare vt eam afferamus, obseruo, Innocentium III. in præsenti agere de communicante cum excommunicato in diuinis, videlicet in eius sepultura. Quod si tam primam partem huius textus, quàm secundam, quæ extat *in cap. sacris, de sepulturis, cap. sacris, de sentent. excom.* attentè perpendamus, facilè percipietur, præcipuè si historiam illius temporis Ecclesiæ Anglicanæ repetamus. Cùm enim super electione Archiepiscopi Cantuariensis Ioannes Rex Angliæ excommunicatus fuisset ab Innocentio III. atque vniuersa eius terra interdicto supposita, adeò vt defunctorum cadauera insepulta per agros remanerent, aut in fossas profanas proiicerentur, vt refert Spondanus post Baronium *anno* 1208. *num.* 4. plerumque Regij ministri cogebant vi & metu sacerdotes, & ministros Ecclesiæ excommunicatorum cadauera in Ecclesiis cum psalmis, & orationibus tumulare: quare consultus Innocentius III. ab Episcopo Nidrosiensi, quid statuendum esset de illis, qui per vim & metum excommunicatos sepelierunt, aut eius sepulturæ communicantes interfuerunt? Respondet ita communicantes cum excommunicatis per vim præcisam, nullam incurrere excommunicationem; per metum autem communicantem excommunicatione ligari. Cuius decisionis ratio ex suprà traditis prouenit; nam vis absoluta, de qua in prima parte huius textus agitur, omnino voluntati repugnat, omnemque consensum ab agente excludit, vt diffinitur ab Aristotele *lib. 3. Ethic. cap. 2.* his verbis: *Violentum est, quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim*; idest non concurrente aliquâ voluntate ad actum violentum: vt si quis christianus raperetur ad templum Gentilium, manusque eius apprehenderetur, & sic cogeretur idolis thurificare: quod exemplum proposuit idem Innocent. III. *in cap. maiores*, §. *item quæritur, de baptismo*, in illis verbis: *Sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans, thurificare idolis cogitur violenter; vel si quis manu apprehensâ cogatur subscribere.* Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 1. num. 1.* Vnde cùm in præsenti casu interessentes excommunicatorum sepulturæ vi præcisâ cogerentur ibi manere, & cum excommunicatis communicare, non quia compellerentur orare, vt antiqui in præsenti putabant; siquidem nemo cogi potest ea peragere, quæ ex animo proueniunt, *l. 4. Cod. de hæredibus instit.* ibi: *Potuit enim quamuis iubente domino, nolle adire.* D. Bernardus *lib. 6. de liber. arbitr.* sed adesse sepulturæ in Ecclesia, dum ipsi excommunicati sepeliebantur; ideo ita communicantes nullam excommunicationem incurrunt, quia, vt ait Innocentius in præsenti, magis pati, quàm agere videntur. Sicut nullum adulterium committit vxor per vim oppressa, *l. si vxor 13. §. si quis planè, ff. ad legem Iul. de adult.* In secundo verò qui communicauit cum excommunicato, quia voluntariè communicauit, cùm voluntas coacta, voluntas sit, *l. si mulier, ff. de eo quod metus*, excommunicationem incurrit, cùm pro nullo metu, etiam mortis, debeat quis lethalem culpam committere, præcipuè quæ tendit in contemptum religionis, aut clauium Ecclesiæ, *cap. primum, cap. ne quis 22. quæst. 1. cap. sicut Salius, 32. quæst. 5.* Facit Iuuenalis ibi:

——— *Phalaris licèt imperet, vt sis*
Falsus, & admoto dictet periuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori.

Plura Petrus Greg. *lib. 9. syntag. cap. 1.* Dorleans *ad Tacitum lib. 2. pag. 291.* Lælius Mancinus *lib. 1. de triplici iuris collat. cap. 95.* Meritò ergo in hoc secundo casu docet Innocentius, communicantem in ipsa sepultura excommunicati excommunicationem minorem incurrere; quia quamuis aliàs ex defectu liberæ voluntatis pœna decrescat, vt probat Mogollon. *de metu, cap. 8. §. 1.* vbi componit Papinianum relatum *in l. 1. ff. de legibus*, & Marcianum *in l. 2. ff. eodem*, cum Iuliano *in l. 2. §. is qui prohibet, ff. de noxalibus*; tamen in præsenti casu, cùm ex tali communicatione sequeretur contemptus ecclesiasticæ disciplinæ, & potestatis clauium Ecclesiæ, ideo pœna non minuitur.

Nec obstant difficultates suprà pro dubitandi ratione adductæ. Non prima proposita ex eo, quod qui graui metu communicauit cum excommunicato, lethalem culpam non admisit; siquidem lex positiua non obligat cum discrimine vitæ. Vnde D. Thomas *2. 2. quæst. 104. art. 5.* asserit in his, quæ ad conseruationem hominis spectant, non teneri hominem homini obdire, vel obtemperare. Accedunt exempla ex sacra pagina petita: libro enim 1. Regum, *cap. 20. vers. 4.* refertur, Dauidem necessitate oppressum panes propositionis comedisse, quos laici iuxta legem scriptam *Numer. cap. 18. vers. 4.* non poterant edere; & tamen hoc factum excusatur à Domino apud Matthæum *cap. 12.* Machabæi etiam, quia ad vitæ defensionem in Sabbato pugnabant, excusantur, *lib. 1. Machab. cap. 2. versic. 41. cap. quod non est, de R. I.* discipuli etiam Domini, quia coacti fame alienas spicas sumpserunt, ab omni culpa immunes fuisse docetur *in cap. discipulos, de consecr. dist. 5.* Alia adducunt Suarez *de legibus lib. 3. cap. 30.* Salas *eodem tract. quæst. 96. tract. 14. disp. 11. sect. 1.* Layman *lib. 1. de legibus, tract. 4. cap. 14. num. 5.* Vt ergo huic difficultati satisfaciamus, dicendum est, verum esse regulariter legem humanam non obligare cum discrimine vitæ; aliquando tamen cum eius dispendio obligare posse, vt cùm ex legis positiuæ obseruantia maius Reipublicæ commodum speratur, aut ex illius neglectu maius incommodum timetur, quàm vita alicuius priuati æstimari possit. Tunc enim lex positiua obligat cum periculo vitæ, vt docent suprà laudati; & Ferdinandus à Castro Palao *in opere morali, tractatu de legibus, puncto 16. in principio*, Araujo *ad D. Thomam vbi suprà, quæst. 97. disput. 3. sect. 4. difficult. 3.* Vnde milites etiam sub vitæ periculo locum in bello sibi assignatum custodire tenentur, *l. 3. §. qui stationis*, & *§. si qui volens, ff. de re milit.* quod præcipuè procedit quando transgressio legis cedit in contemptum religionis Christianæ, seu potestatis clauium Ecclesiæ, *cap. sicut satius 32. quæst. 4. cap. non solùm 11. quæst. 3.* Vnde laudantur & commendantur Eleazarus, qui cùm cogeretur in contemptum legis carnes porcinas edere, potiùs elegit mortem sustinere, quàm eas comedere, vt refertur *lib. 2. Machab. cap. 6. vers. 18.* & Sanctus Hermenegildus, qui elegit potiùs vitâ priuari, quàm Eucharistiam ab Episcopo Ariano sumere, *cap. finali, 24. quæst. 1.* refert post alios Hispaniæ historicos Sahabedra *in Corona Goth. in vita Leouigildi.* Vnde cùm in præsenti casu ex communicatione in diuinis cum excommuni

10. DISSOLVVNTVR DIFFICVLTATES.

communicatis, aut eos ſepeliendo, aut eorum ſepulturæ intereſſendo, contemptus diſciplinæ eccleſiaſticæ, & poteſtatis clauium Eccleſiæ ſequeretur; cùm enim ob duritiam Ioannis Regis Angliæ vniuerſa eius terra eſſet interdicto eccleſiaſtico ſuppoſita, & ipſe adhuc perſiſteret in contumacia, eccleſiaſticas perſonas bonis priuando, & in exilium mittendo, & tributis Eccleſias vexando, vt latè refert Spondanus *vbi ſupra*, ideo lex eccleſiaſtica communicationem cum excommunicatis in diuinis prohibens obligabat cum vitæ diſpendio, vt etiam in aliis caſibus docent Henriquez *in ſumma*, *lib.* 13. *cap.* 23. §. 4. Caietanus *ad Diuum Thomam* 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Nec ſecunda difficultas aduerſatur, verum enim eſt, ob nullum periculum, etiam mortis, lethalem culpam eſſe admittendam: nec contrarium probant textus *in dict. cap. ex parte*, & *in dict. cap. officij*; nam textus *in dict. cap. ex parte*, procedit, cùm ob ſeruandam caſtitatem diuina inſpiratione virgo potiùs elegit mortem arripere, quàm luxuriæ conſentire: quod & plures diuino afflatu feciſſe ibi referam. At *in dict. cap. officij*, tantùm probatur ob metum mariti excuſari mulierem, quin ſe proderet in delicto partus ſuppoſiti; non autem vt ob metum poſſit illud perpetrare. Et regulariter certum eſt, neminem teneri ſe prodere, vt probant Couarr. *in regula Peccatum*, Sylueſter *verb. Adulterium*, Balboa *in cap.* 1. *de except. num.* 41. Fornerius *lib.* 4. *rerum quotid. cap.* 16. Mancinus *lib.* 2. *genialium*, *cap.* 166. Gibalinus *de cenſuris diſquiſit.* 2. *quæſt.* 5. *conſect.* 7.

11. EXPONITVR CAP. INTER, DE SENTENT. EXCOM.

Primò ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in cap. inter alia*, *de ſentent. excom.* in illis verbis, *niſi articulus neceſſitatis immineat.* Ex quibus deducitur, communicantem cum excommunicato non ligari excommunicatione, ſi graui neceſſitate compulſus communicauit: igitur qui metu conditionali in præſenti caſu communicauit cum excommunicatis in ſepultura, nullam excommunicationem contraxit. Cui difficultati varias aſſignarunt ſolutiones Frechilla *de ſentent. excom.* 3. *part. num.* 21. Arellanus *lib.* 1. *antiom.* 15. Quibus omiſſis dicendum eſt, inter alios caſus ſuprà enumeratos, in quibus communicatio cum excommunicato permiſſa eſt, neceſſitatis caſum recenſeri *in cap. quoniam* 11. *quæſt.* 3. veluti fames extrema communicantis, ſeu excommunicati, vt exponit poſt alios Leander *dict. diſput.* 15. *quæſt.* 15. Nec contrarium probatur in præſenti textu; nam vt ſæpe ſæpiùs dixi, procedit quando ſequitur contemptus diſciplinæ eccleſiaſticæ, & communicatio eſt in diuinis: quo caſu neque ob neceſſitatem famis extremæ licet communicare cum excommunicato: quare vera interpretatio huius textus, & differentia, quæ verſatur inter illum, & textum *in dict. cap. inter alia*, prouenit ex vera hiſtoria præſentis deciſionis, quam ſuprà retuli.

12. EXPONITVR CAN. 8. CONCILII ANGYRANI.

Secundò præſenti aſſertioni opponitur textus *in can.* 8. *Concilij Ancyrani*, in illis verbis: *Qui ſecundò, vel tertiò ſacrificarunt vi coacti, quatuor annis ad pœnitentiam ſeſe ſubmittant.* Ex quibus deducitur, etiam per vim idolis ſacrificantes, & cum idololatris communicantes, per quadriennium à communione arceri: igitur per vim præciſam communicantes cum excommunicatis à communione fidelium priuantur. Augetur hæc difficultas *ex can.* 2. & 3. ipſius Concilij, relatis *in cap. preſbyteros*, 50. *diſt.* vbi ſtatuitur, eos qui vi coacti idolis ſacrificarunt, nullam pœnam mereri. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, certum eſſe, non licere idolis ſacrificare, etiam prætextu metus mortis, cùm ſumma idololatriæ ſpecies ſit idolis ſacrificare, vt docent de idololatria plura adducentes Mendoza *lib.* 2. *Concilij Illiber. cap.* 4. Bozius *de origine idololatriæ*, Bodinus, & Fileſacus *in idololatr. mag.* Nec etiam idolis immolatis veſci licet, etiam propter famis extremæ caſum, *dicto cap. ſicut* 32. *quæſt.* 4. niſi contemptus chriſtianæ religionis non ſequatur, aut idolorum cultus non timeatur, *cap. ſi quis carnem*, 30. *diſt.* vbi Acuña *num.* 2. Si igitur quis minis, aut metu etiam graui idolis thus obtulerit, grauem reatum incurrit longâ pœnitentiâ expiandum: ſi autem vi præciſâ, & abſolutâ cogatur thurificare, nullum crimen committit, *can.* 3. *ipſius Concilij*, ibi: *Qui fugientes timore perſecutionis comprehenſi ſunt, vel à familiaribus, ſeu à domeſticis traditi, & bona propria amiſerunt, vel ſuſtinuerunt tormenta, vel etiam carceribus incluſi ſunt; & tamen proclamauerunt ſe eſſe chriſtianos, quin etiam perſeuerante violentiâ ad id vſque perducti ſunt, vt manus eorum apprehenſas, & violenter attractas ſuper ſacrificia imponerent, illis licet perſeuerantibus in fide, & Chriſtianos ſe eſſe totis viſceribus profitentibus, communicare. Hoc ergo quod eis inuitis contigit, ſi luctu & mœrore animi, acerbè ſe ferre demonſtrent ipſi, qui humiliter per bonam conuerſionem habitu incedentes, dolere ſe quod inuiti coacti ſunt, docent, hos tanquam inculpatos à communione non prohiberi.* Quod de Marcellino Pontifice refertur à Baronio *anno* 300. plura adducit Cabreros *lib.* 2. *de metu*, *cap.* 43. *num.* 28. Nec tunc obſtat textus *in dict. can.* 8. *eiuſdem Concilij*, qui accipiendus eſt de vi conditionali compulſiua, non præciſa, aut abſoluta. Quo caſu cùm detur aliqua voluntas, licèt coacta, quia voluntas coacta voluntas eſt, pœnitentia imponitur à patribus; quo modo etiam accipiendus eſt textus *in can.* 11. *Concilij Arelat.* 2. in illis verbis: *Si qui verò dolore victi, & pondere perſecutionis negare, & ſacrificare compulſi ſunt, duobus annis inter catechumenos, triennio inter pœnitentes habeantur à communione ſuſpenſi.*

Tertiò præſenti aſſertioni aduerſatur textus *in cap. ille* 14. 32. *quæſt.* 5. vbi docetur, virgines, quæ vi barbarica oppreſſæ virginitatis florem amiſerunt, non poſſe Deo conſecrari, ex eo, quia virginitatem perdiderunt: igitur vi præciſâ, & abſolutâ coacti cum excommunicato communicantes minori excommunicatione ligantur; ſiquidem vis præciſa non excuſat à peccato. Augetur hæc difficultas *ex cap. ad eius*, 5. *diſt.* in illis verbis: *Per hoc, quod inuita patitur, iuſtum non eſt, vt Eccleſiæ ingreſſu priuetur.* Quæ verba mirè congruunt cum iuris principiis, quibus docetur, malum, quod quis inuitus patitur, non afferre ei præiudicium, *cap. preſbyteros* 50. *diſt. l.* 1. *Cod. de inſtit. & ſubſtit.* Vnde mulierbria paſſus vi prædonum, non notatur infamiâ, *l.* 1. §. *remouet*, *ff. de poſtul.* & mulier vim paſſa non tenetur lege Iulia de adulteriis, *l. ſi vxor* 13. §. *ſi quis planè*, *l. vim paſſam*, *ff. ad legem Iul. de adult. l. fœdiſſima*, *Cod. eod. tit.* Facit Liuius *lib.* 1. *in fine*, vbi de Lucretia à Tarquinio oppreſſa ita ait: *Conſolentur ægram, animi auertendo noxam à coacta; mentem peccare, non corpus; & vbi conſilium abfuerit, culpam abeſſe.* Mirè ad rem

13. EXPONITVR CAP. ILLA 32. Q. 5.

Diuus

Diuus Augustinus *epist.* 122. *Tantùm valet in mente integritas castitatis, vt illâ inuiolatâ, nec corpore possit pudicitia violari.* Et *lib.* 1. *de ciuit. Dei, cap.* 18. ibi: *Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, ipsi corpori non aufert sanctitudinem violentia.* Pro huius textus interpretatione dicendum est, virginem vi barbarica oppressam, virginem castam mente manere, non corpore, cùm Deus de potentia absoluta non possit suscitare virginitatem amissam, *cap. si Paulus* 32. *quæst.* 5. Plura Simon Maiolus *dierum canicul. tomo* 1. *colloq.* 3. Narbona *de ætate, anno decimo, & dimidio, quæst.* 14. Vnde ob defectum floris virginitatis, licèt casta remaneat, virgo tamen consecrari non potest, *cap. qui videtur* 13. 32. *quæst.* 5. Albertus Magnus *in* 4. *dist.* 38. ibi: *Quia tales, quæ per violentiam corrumpuntur, licèt si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam apud Deum non amittunt. Vnde aureolam consequuntur, non tamen consecrantur.* Hoc tamen olim obseruabatur duplici ex causa. Prima, quia si corrupta etiam per vim consecraretur, non daretur significatio, seu repræsentatio matrimonij spiritualis Christi cum Ecclesia, & sic ex defectu significationis, non propter delictum, virgo oppressa consecrari prohibetur, vt de bigamis etiam probaui *in cap.* 2. *de bigamis non ordin.* Secunda, propter difficultatem penitus abnegatæ voluntatis, & quia internam integritatem Ecclesia non cognoscit, sed solam externam corruptionem inspicit, ideo iudicat eam corruptam. Docent Germonius *lib.* 3. *de sacror. immunit. cap.* 10. *num.* 13. Maiolus *de irregul. lib.* 1. *cap.* 29. Non ergo *ex dict. cap. ille*, deducitur, vi absolutâ oppressam reatum incurrere, sed tantùm defectum pati, propter quem consecrari prohibetur.

CAPVT VI.

Idem [a] *Massilienſi, & [b] Agatenſi Epiſcopis.*

CVm dilectus filius Abbas de Floreia nuper ad nostram præsentiam accessisset, nobis exposuit diligenter, & hoc ipsum Abbatis Insularum, & aliorum quorumdam litteræ continebant, quod in insulis [c] Arearum fratres Cistercienſ. quondam fuerant commorati, sed eis in captiuitatem [d] Paganorum deductis, quoniam locus mari erat vicinus, illuc se quidam regulares canonici transtulerunt, qui licèt iam per annos triginta canonicorum regularium habitum portauissent, opera tamen contraria regularibus faciebant. Sed ad se Domino inspirante reuersi monasticum ordinem ibidem plantari volebant, secundum Cistercien. institutta, quod etiam Diœcesanus Episcopus affectabat. Vnde nos ad Abbatis ipsius instantiam venerabili fratri nostro Arelaten. Archiepiscopo [e] dedimus in mandatis, vt si diœcesani Episcopi, & eorundem fratrum in id ipsum desideria conuenirent, Cistercienſ. monachos instituerent in insula memorata, facturus de canonicis quod crederet expedire secundum canonicam honestatem. His igitur litteris impetratis idem Abbas de Floreia reuersus ad propria, priùs quàm eas ad dictum Archiepiscopum attuliſſet, cum venerabili fratre nostro Tolonen. Episcopo ad locum memoratum accessit, & omnium fratrum ibidem manentium in tantùm obtinuerunt assensum pariter & fauoram, quod Abbas Insularum [f] claues domus, & seipsum in manibus alterius Abbatis tradidit, prouisione factâ cum quibusdam ex canonicis de Cistercien. Ordine in posterum obseruando: quod & quidam canonicorum in manu eiusdem Abbatis de Floreia sacramento præstito firmauerunt: [g] oscvlo dato eidem, quod vsque in finem in eodem Ordine permanerent: aliis promittentibus per iuratoriam cautionem, quod per se, vel [h] alios contra factum istud de cætero non venirent: iurantibus reliquis, quod super prouisione sua starent arbitrio Episcopi memorati, & nobilis viri G. de Fossa, Sacristæ, qui aberat, assensu probato per testes, quod postmodùm rediens est confessus. Consequenterve idem Episcopus, & Abbas de Floreia dicto Archiepiscopo Arelatensi per suas litteras intimarunt, quod diœcesanus Episcopus & Canonici memorati translationem Cistercien. fratrum illuc fieri vnanimiter appetebant: quod acceptans Archiepiscopus memoratus, factum eorum auctoritate, quâ fungebatur, Apostolicâ confirmauit: vices suas eis in hac parte committens, vt quæ benè inceperant de instituendo ibi Ordine Cistercien. vice ipsius perducerent ad effectum. Cuius mandatis parentes humiliter & deuotè, quæ ipsis iniuncta fuerant, curauerunt ducere ad effectum: dantes Generali Cistercienſi Capitulo in mandatis, vt in prædicto loco suum Ordinem instituere procurarent. Petebatur itaque pro iamdicto Abbate de Floreia, translationem factam ratam à nobis haberi, & auctoritate Sedis Ap. confirmari, & transgressores etiam, & contradictores omnes, qui contra vota, & iuramenta præstita nitebantur quod ab eis factum fuerat impedire, canonicâ pœnâ percelli. Cæterùm F. Sacriſta

criſta P. Vbardi, & P. Guil. coram venerabili fratre noſtro P. Portuen. Epiſcopo, quem ipſis, & parti alteri dedimus auditorem, proceſſum negotij aliter proponebant. Cùm enim prædicto Arelaten. Archiepiſcopo cauſa fuerit à nobis ſub forma, quam præmiſimus, delegata, præfatus Abbas accedens ad locum cum Epiſcopo [i] Tolonen. priuſquam litteras noſtras Archiepiſcopo præſentaſſet, qui iuxta tenorem ipſarum de ſingulis debebat inquirere diligenter, motu proprio cum ſocia multitudine inſulam occupauit: conſtanter affirmans, quod eis volentibus, vel nolentibus idem locus purè, ac ſimpliciter à nobis fuerat ſibi aſſignatus. Cúmque ſe in his grauari ſentirent, Abbate ipſorum eis omne auxilium denegante, qui contra quoſdam de Canonicis odium dicebatur, & ingratitudinem concepiſſe, vnde in ipſorum diſpendium ſuper mœnibus munitione armatos ponere non expauit, amotâ inde ſcalâ, ne facultas eſſet Canonicis aſcendendi, Sedem Ap. appellarunt. Sed dicti Abbates nihilominus ab incepta violentia deſiſtentes, cùm quoſdam ex ipſis non poſſent corrumpere pecuniæ ſponſione, quod ſuper his ſtarent mandatis Epiſcopi Tol. per violentiam cogere voluerunt. Cùm autem nec quindecim dierum poſſent inducias obtinere, quas quidam ex ipſis ad deliberandum plenariè poſtularant, iurare compulſi fuerunt mandato dicti Epiſcopi, & G. Defoſſa laïci, qui eis arduæ rupis præcipitium fuerat comminatus, ſe ſuper præmiſſis quæſtionibus parituros. Alij promiſerunt in manu Abbatis, probatione ſibi annuâ reſeruatâ, quod regulam Ciſtercien. obſeruarent. Aliqui verò neque iurauerunt, nec promiſſionem aliquam facere voluerunt. Horum ergo tacitâ veritate nominati Epiſcopus, & Abbas de Floreia dicto Archiepiſcopo ſuggeſſerunt, quod diœceſanus Epiſcopus, & omnes loci Canonici ſuper inſtitutione Ciſtercien. vnanimiter concordabant, & ita fuit eius confirmatio impetrata: ſed cùm paucis diebus elapſis Canonici Archiepiſcopo cuncta quæ geſta fuerant, intimaſſent, ipſe quod in præiudicium eorum factum fuerat, ipſis compatiens reuocauit: reſtituens eos ad omnia, quæ habuerant tempore illo, quo litteræ fuerant impetratæ, licèt poſtmodùm poſſeſſionem eorum prætermiſſo iuris ordine ſequeſtrarit, contradictores omnes excommunicationis gladio percellendo: & cùm Canonicis ad reſtitutionem inſtantibus, confeſſiones, & atteſtationes vtriuſque partis audiſſet, ad nos duxit ipſum negotium remittendum. Partibus itaque apud Sedem Apoſt. conſtitutis, ſæpedictum Abbatem de Floreia multipliciter arguebant. Primò quòd litteras à nobis per veritatis ſuppreſſionem, & expreſſionem falſitatis ſtuduerat impetrare: ſuppreſſum enim fuerat, quod Eccleſia de Inſulis Arearum ad Rom. Eccl. ſolummodo pertineret, ſicut ipſius priuilegia, quorum ad nos tranſcripta præfatus Archiepiſcopus deſtinauit, indicant euidenter. Falſitatis verò ſuggeſtio inde perpenditur, quod omnes Canonici tranſlationem Ordinis cum diœceſano Epiſcopo pariter affectabant: quod aliter eſſe, ipſorum contradictio liquidò arguebat. Sed neque ſæpedictus Tolon. Epiſcopus, diœceſanus erat ipſorum, qui nullo mediante ad Rom. Eccl. pertinebant. Vnde ipſius conſenſus in hac parte pro nullo erat penitus reputandus. Secundò, quod per vim, & dolum eos ſeduxit, pariter & coëgit, vt quidam eorum votum emitterent, alij iuramenta præſtarent. Nos ergo rationibus, & allegationibus partium per iamdictum Epiſcopum Portuen. qui eas in ſcriptis vobis exhibuit, pleniùs intellectis, quia conſtitit nobis de voto emiſſo, & præſtito iuramento à Canonicis Inſularum, quod regulam Ciſtercien. obſeruarent, vel quod ordinationem huiuſmodi nullatenus impedirent; cùm vtrumque ſeruatum non vergat in diſpendium ſalutis æternæ, nolentes viam periuriis aperiri, non obſtante violentia, quæ proponebatur illata, cùm nec metum mortis continuerit, nec [l] corporis cruciatum, & ideo non debuerat cadere in conſtantes: nec obſiſtente [m] dolo, quo ſe proponebant fuiſſe ſeductos, cùm talis dolus non tam ad circumuentionem Abbatis, quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri: ſuper reſtitutione petita ſilentium eis de conſilio fratrum noſtrorum duximus ſententialiter imponendum. Verùm quoniam ſæpedicti Epiſcopus, & Abbas de Floreia fines mandati per ſuæ temeritatis audaciam excedentes, quod per iamdictum Arelaten. Archiepiſcopum, cui cauſa fuerat delagata, fieri debuiſſet, per ſeipſos facere præſumpſerunt: & quia litteræ per ſuppreſſionem veritatis, & falſitatis expreſſionem fuerant impetratæ, factum ipſorum tanquam minùs legitimum per ſententiam duximus irritandum. Et quia ſecundùm Apoſt. inſtantia noſtra quotidiana eſt omnium Eccleſiarum ſolicitudo continua, ne occaſione præmiſſæ diſcordiæ locus idem remaneat deſtitutus, & delictum perſonarum in damnum Eccleſiæ conuertatur, fraternitati veſtræ per Apoſt. ſcripta mandamus, atque præcipimus, quat. Deum

habentes præ oculis, ad ordinationem ipſius Eccleſiæ vice noſtra ſolicitiùs intendatis: in qua per viros eiuſdem ordinis, ſi fieri poterit, regularium canonicorum profeſſionem, & ordinem volumus reformari. Alioquin ne locus idem remaneat deformatus, per fratres Ciſtercien. Ordinis eundem reformari volumus, & mandamus, correctione prædictorum exceſſuum nobis in hoc articulo reſeruatâ: ita quod ſi per ſolicitudinem, & prouidentiam veſtram locus idem Ciſtercien. fuerit aſſignatus, nullum quoad ius proprietatis Eccleſiæ Romanæ præiudicium generetur: quod in pleriſque monaſteriis eiuſdem Ordinis nouimus obſeruari. Taliter autem mandatum Apoſtolicum exequamini, vt fraternitatem veſtram, de qua plenè confidimus, debeamus meritò commendare. Quod ſi præmiſſum locum Ciſtercien. duxeritis conferendum, canonicis memoratis in locis idoneis per vos prouideri volumus competenter. Nullis litteris, &c. Præter aſſenſum partium, &c. Datum Lateran. III. idus Iunij.

NOTÆ.

1. a *Maſſilien.*] Ita legitur in hac ſexta collectione, & in epiſtolis Innocentij tertij à Guillelmo Sirleto emendatis, *pag.* 328. In tertia autem collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. lacuna adeſt; legitur enim *idem*, & *Agatenſi Epiſcopo*; quæ implenda eſt ex dicta epiſtola, & ex præſenti epigraphe. Maſſilia duplex eſt, altera Libyca, in Africa; altera Gallica, in prouincia Narbonenſi. Libycæ mentio extat *in l.* 4. *C. de metallariis, lib.* 11. apud Hilarium de Synodo, ibi: *Sancta Synodus in Sardica congregata eſt ex diuerſis prouinciis Orientalium partium, Thebaide, Ægypto, & Thracia, Maſſilia.* Virgilium *lib.* 4. *Æneid.* ibi: *Maſſiliæ gentis monſtrata ſacerdos.* Tacitum *in vita Agricolæ.* De ea agit Philippus Berterius *diatrib.* 1. *cap.* 2. Maſſiliam Gallicam Phocenſes condidere temporibus Tarquinij Regis prope Arelatem, Rhodanumque fluuium, cuius deſcriptio reperitur in panegyrico ad Conſtantinum incerti auctoris, cuius initium eſt: *Faciam Sacratiſſime Imperator*, ibi: *Maſſilia, vt audio, in profundum mare prominens, & munitiſſimo accincta portu, in quem auguſto aditu meridianus defluit ſinus, mille quingentis paſſibus terræ cohæret, quà firmiſſimus turribus frequens murus opponitur.* Eius meminerunt Paulinus in carmine ad Cytherium:

Sed propter indepoſita Gallorum ſolo,
Maſſilia Graium filia,
Alumna ſanctæ ciuitas Eccleſiæ,
Pandebat humanos ſinus.

Lucanus, Marcellinus, & alij, quos congerunt fratres Sarmatani *tom.* 3. *Galliæ Chriſt. folio* 640. Papirius Maſonius *in deſcriptione fluminum Galliæ, pag.* 465. hæc Maſſilienſis ciuitas vulgò *Marſeille* dicta, iam à primis Eccleſiæ temporibus habuit Eccleſiam Cathedralem, cuius Prælatus Metropolitanus, Primaſque Narbonenſis Galliæ erat antequam in Gothorum poteſtate peruenisſet, vt conſtat ex Concilio Thauritan. *can.* 2. & notarunt Sauarus *ad Sidonium lib.* 7. *epiſt.* 7. *circa finem*, Ritherſius *in notis ad Saluianum*, *pag.* 569. Eius Epiſcopo Raymundo reſcribit Innocentius in præſenti, vt iam notarunt fratres Sarmatani *dicto tom.* 3. *Galliæ*, *fol.* 660. *num.* 31.

2. b *Agathen.*] Agatha vrbs, eſt antiqua Galliæ Narbonenſis, Maſſilienſium olim colonia, vt referunt Strabo *lib.* 4. Plinius *lib.* 3. *cap.* 4. Mela *lib.* 2. *cap.* 5. Ptolomeus *lib.* 2. *cap.* 10. Habet Eccleſiam Cathedralem Diuo Stephano dicatam, cuius hiſtoriam, & Præſulum ſeriem referunt fratres Sarmatani *tomo* 2. *Galliæ Chriſt. fol.* 57. eius Præſuli Raymundo ſecundo reſcribit in præſenti Innocentius.

c *Inſulis Arearum.*] Aliqui Leres, ſeu Leornes appellant: Paulus Iouius *lib.* 35. ibi: *Antipolis poſita eſt contra eas inſulas, quas Leornes antiqui noſtri dicebant.* De eis agunt Papirius Maſonius *in deſcript. flum. Gall. pag.* 435. Claudius Mariſotus *lib.* 1. *orbis maritimi*, *cap.* 33. 3.

d *Paganorum.*] Sarracenorum videlicet, qui per hæc tempora prouinciam illam deuaſtauerant. Paganorum etymon illuſtraui *in cap.* 2. *de conſtit.*

e *Dedimus in mandatis.*] In hæc verba: [Ad audientiam noſtram noueris peruenisſe, quod cùm olim in inſula Arearum fratres quidam Ciſtercien. fuerint commorati, eis à Sarracenis in captiuitatem deductis, quia locus eſt mari vicinus, ad eam ſe quidam regulares canonici tranſtulere. Verùm cùm ipſi præ nimia paupertate locum ipſum, nec ædificiis poſſint, nec poſſeſſionibus ampliare, in eo monaſticum ordinem inſtitui deſiderant, ſecundùm fratrum Ciſtercien. conſtituta: & id etiam Epiſcopus dioeceſanus affectabat. Ideoque fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi ad hoc dioeceſani Epiſcopi, & eorundem fratrum concurrit affectus, in memorata inſula monachos Ciſtercien. inſtituas, facturus de canonicis memoratis quod expedire videris ſecundùm canonicam honeſtatem. Datum Romæ apud S. Petrum 17. Calend. Iulij.] Quæ reperiuntur apud Papirium Maſſonium *in dicta deſcrip. pag.* 480. 4.

f *Claues domus.*] Inter alias ſymbolicas poſſeſſionis traditiones, præcipua, & vſitatior eſt clauium traditio, per quam omnes res ſub clauibus contentæ traditæ cenſentur, *l. clauibus* 74. *ff. de contrahend. empt.* probant *in cap.* 2. *de conſuet.*

g *Oſculo dato.*] Et ſic communionem fratrum Ciſtercien. amplectentes, vt eorum vitam, & profeſſionem ſequerentur, quod plerumque oſculi datio ſignificat, *cap. dilecto*, ibi: *Cum canonicis aliis ad oſculum recepiſtis.* Illuſtrant plura de communione per oſculum congerentes Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. q.* 2. *procem.* §. 5. Petrus Greg. *de repub. lib.* 13. *cap.* 18. Baronius *tomo* 1. *anno* 45. Cironius *lib.* 1. *obſerv. cap.* 14. Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 94. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri cler. cap.* 101. Salmut. *in notis ad memorab. Pancir. lib.* 1. *tit.* 46. Sauarus *ad Sidon. lib.* 1. *epiſt.* 11. P. Pinto *in ſpicilegio tract.* 1. *cap.* 40. Albaſpineus *lib.* 1. *obſ. cap.* 20. Zerda *in aduerſariis*, *cap.* 151. Hallierius *de ſacris elect. ſect.* 8. *cap.* 11. Viuar *in apolog. pro Flauio Dextro*, §. 9. Menardus *in notis ad lib. ſacram. Diui Greg. pag.* 376. Ludou. Creſol. *lib.* 4. *myſtag. c.* 6. *ſect.* 2. Ioſephus Vicecomes *lib.* 5 *de ritibus Baptiſm. c.* 2. P. Sherlogus *tomo* 2. *in Cantica, veſtig.* 1. *ſect.* 2. Antonius Guibertus *in Polyſt. cap.* 4. Demſterus 5.

ad

ad Roſinum lib.2. cap. 33. Tiraquellus *in notis ad Alexand. lib.* 2. *cap.* 19. Petrus Greg. *in proœmio Decretalium*, *num.* 28. Aut manus Abbatis oſculando intendebant Abbas, & Canonici obedientiam promittere, atque ſubiectionem polliceri, vt plerumque apud ſacros, & prophanos vſitatum legimus, vt probant de oſculo pedum Pontificis plura adducentes Roſvveidus *in onomaſt. verbo Oſculum*, Barboſa *lib.* 1. *iuris Eccleſ. cap.*2. *num.*90. Ioannes Baptiſta Caſalius *de ritibus Chriſtianis*, *cap.*81. Lantdmeter. *lib.*3. *de veteri clerico*, *cap.*3. Zerda *in aduerſ. cap.* 184. *num.* 5. Ferrarius *de antiquorum epiſt. lib.* 3. *cap.* 2. Rouſſelius *lib.*8. *hiſt. Pontif. iuriſd. cap.* 4. *num.* 13. eruditè vt ſemper, Illuſtr. D. Franciſcus Ramos *in ſyntag. pro Epiſcop. Luſit. propoſ.* 1. *num.*90.

6. h *Vel per alios.*] Licèt enim promiſſio alieni facti, videlicet alium facturum, daturumve, inefficax ſit quoad tertium obligandum, *l. ſtipulatio* 38. *l. inter* 83. *l. ſi ita* 92. *ff. de V. O. l. eum qui* 5. §. *ſed ſi quis*, *ff. de conſtit. pecun. l. fluminum* 24. §. *quamquam*, *ff. de damno infect. l. ſicut* 65. *ff. de fideiuſſ.* tamen ipſe promiſſor tenetur curare, vt tertius det, vel faciat, *cap. Eleutherius*, 91. *diſt.* Docent Parladorius *lib.* 2. *rerum quotid. cap.*3. *num.* 30. Cironius *ad tit. de pactis*, Azeuedus *in l.*2. *tit.*16. *lib.*5. *recopil.* vnde in præſenti ſpecie Abbas, & Canonici regulares obſtricti erant ad ſatagendum, vt concanonici promiſſis ſtarent.

7. i *Tolon.*] Tolonium, aliàs Telonium, eſt ciuitas Epiſcopalis Galliæ, in Metropoli Arelatenſi, cuius portus ad mare mediterraneum excipiendis triremibus patet, vt referunt fratres Sarmatani *tomo* 3. *Galliæ Chriſt. fol.* 1060. vnde cùm prope inſulam Arearum conſiſteret Epiſcopus Tolonenſis, eius conſenſus deſiderabatur, tanquam proprij Epiſcopi. In hac Eccleſiæ tranſlatione, ſi ipſa Eccleſia immediatè Romano Pontifici pareret, vt Canonici allegabant, non Epiſcopi Tolonenſis, ſed ipſius Pontificis auctoritas deſiderabatur.

8. l *Corporis cruciatum.*] Vel ſimilem; ſunt enim alij caſus, in quibus metus grauis cadens in conſtantem virum datur, quos adduxi *in cap.* 1. *hoc tit.*

m *Obſiſtente dolo.*] Ex his verbis deducit gloſſa in præſenti, in ſpiritualibus dolum dantem cauſam actui, actum ipſum non irritare, nec reſtitutionem aduersùs eum dari: quod & probari videtur *ex cap. ex parte*, *cap. veniens*, *cap. dudum*, *de conuerſ. coning.* & ex D. Paulo 2. *ad Corinth. cap.* 22. in illis verbis: *Ego vos non grauaui*, *ſed cùm eſſem aſtutus*, *dolo cepi vos.* Et *cap.* 9. *factus ſum Iudæis tanquam Iudæus*, *vt Iudæos lucrifacerem.* Et ex eo, quia læſus dici non poteſt, qui meliorem vitam profitetur, *cap. illud* 20.*q.*1. vnde gloſſa *in cap. ſicut* 27. *q.* 1. Speculator *in tract. de reſtit.* §. *qualiter*, *verſ. Sed nunquid*, tenent dolum in ſimilibus actibus non attendi. Sed contrarium, & rectè, defendit Stephanus Durantius *quæſtionum iuris q.* 4. nam ab omnibus actibus, tam temporalibus, quàm ſpiritualibus, procul abeſſe debent fraus & dolus, *cap. per tuas*, *de donat.* & dolus dans cauſam contractui bonæ fidei, ipſum nullum reddit, *l. & eleganter* 7. *ff. de dolo.* Quis autem inficiabitur, profeſſionem Religionis, ſuſceptionem Ordinum, & ſimiles actus eccleſiaſticos bonæ fidei eſſe: igitur dolus eos nullos reddit. Nec pro ſententia gloſſæ facit textus *in d.cap. ex parte* 14. *de conuerſ. coning.* in eius enim ſpecie mulier, quæ ſuſcepit habitum Religionis, æquè ſine cauſa illum ſuſcipere intendebat; ſiquidem tempore, quo velum accepit, iam ceſſauerat erroris cauſa, vt ex eius integra conſtat, & docet Baſilius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 21. *num.* 11. & *q.* 3. *ſchol. cap.* 8. Nec etiam gloſſæ ſententiæ fauet textus *in d. cap. veniens*; in eius enim caſu vxor non potuit repetere maritum, cui permiſit per dolum religionem profiteri; quia poſtea adulterium perpetrauit: quare ipſo facto amiſit ius repetendi maritum, vt docuerunt Durantius *d. q.* 4. Sanchez *lib.*7. *de matrim. diſput.* 36. & *lib.* 10. *diſput.*10. minùs fauet contrariæ ſententiæ textus *in d. cap. dudum*: nam in eius ſpecie verus dolus non adfuit, ſed potiùs maritus quadam vana ſpe motus religionem profeſſus fuit. Vnde potiùs ex ipſius fatuitate, quàm ex dolo profeſſio præceſſit, vt etiam contingit in hoc textu, vt Pontifex fatetur, qui à contrario ſupponit, dolum verum profeſſionem irritam reddere, & eo caſu, cùm dolus videlicet verus non eſt, admitti poteſt ſententia gloſſæ & Speculatoris; non autem cùm verus dolus adeſt, quia tunc idem dicendum eſt de dolo, ac aſſeritur de metu, *cap. quamuis*, *de pactis lib.*6. latè reſoluunt Suarez *de relig. lib.*2. *de voto*, *cap.* 11. Baſilius Legionenſ. *lib.* 4. *de matrim. cap.* 21. *num.* 18. Cabreros *lib.* 2. *de metu*, *cap.*7. *num.*41.

9. Textvs historia refertvr.

Licèt ex hac diffuſa Innocentij III. epiſtola facti ſeries facilè comprehendatur, tamen integram caſus hiſtoriam repetere licet ex Illuſtriſſimo Manriquez *tomo* 3. *annalium Ciſterc. anno* 1199. *cap.* 6. Cùm enim in inſula Arearum dicta, in diœceſi Tolonenſi, eſſet cœnobium Ciſtercienſe, quod à Saracenis obſeſſum, devaſtatumque fuit; & cùm omnes monachi, & conuerſi capti eſſent cum omnibus rebus mobilibus ipſius monaſterij, Canonici regulares Ordinis D. Auguſtini locum occuparunt, & per triginta annos poſſederunt. Vnde monaſterium hoc inſularum Arearum inter monaſteria, ſeu Eccleſias canonicorum regularium refert Pennotus *lib.* 2. *hiſtoriæ canonic. regul. cap.*33. *numer.* 20. Sed cùm neglectâ regulari diſciplinâ canonici laxamentis vitæ dediti, voluiſſent regularem vitam ſuſcitare cum aſſenſu proprij Epiſcopi, monachos Ciſtercienſes in conſortium aduocarunt, & à R. P. confirmationem huiuſmodi tranſlationis, ſeu profeſſionis mutationis petierunt. Innocentius III. Arelatenſi Archiepiſcopo reſcripſit, cuius reſcripti verba ſuprà retuli. Sed antequam Abbas de Floreia litteras detuliſſet ad Archiepiſcopum Arelat. ipſe cum Epiſcopo Tolonenſi ad prædictum monaſterium acceſſit, & in eius mœnibus Abbas, & quidam ex dictis Canonicis profeſſionem emiſerunt, & promiſerunt Ciſtercienſem Ordinem in poſterum obſeruare. Cùm hoc retuliſſent Abbas de Floreia, & Epiſcopus Tolon. prædicto Archiepiſcopo, ipſe auctoritate, quâ pollebat, confirmauit, vices ſuas illis committens, vt quæ bene inceperant, ad effectum perducerent. Canonici ab incepto reſilientes, comparuerunt coram Innocentio, & propoſuerunt, ſe metu & dolo fuiſſe coactos, & deceptos in prædicta tranſlatione. Innocentius cauſam commiſit Epiſcopo Portuenſi, coram quo varia partes propoſuerunt, & allegarunt, quibus auditis, & propoſitis, Innocentius III. ſententiam protulit in hoc

textu relatam, iuſſitque prædictum monaſterium reformari per alios canonicos regulares; & ſi id conſequi non poſſent, per monachos Ciſtercienſes. Latiùs proſequitur Manrique *d.c.6.per totum.*

COMMENTARIVM.

10. VOTVM METV EMISSVM AN SVSTINEATVR.

EX hoc textu omnes repetentes deducunt, metum grauem ipſo iure nullum reddere votum, aut iuramentum; ſecus verò metum leuem, ſeu non cadentem in virum conſtantem. Sed an hoc verum ſit, videamus. Et certum, ab omnibuſque receptum eſt, votum emiſſum propter metum etiam grauem, & cadentem in virum conſtantem, prouenientem à cauſis naturalibus, validum eſſe, *cap. ſicut, de regularibus, cap. Gonſaldus* 17.*q.*4. docent communiter Theologi *in* 4. *diſt.* 38. Sotus *lib.*7. *de iuſt. q.*2. *art.* 1. Aragon *in D. Thomam* 2. 2. *q.* 58. *art.* 3. Azor *lib.* 2. *de voto, cap.* 15. *q.*6. Sylueſter *verbo Votum* 2. *q.*2. Cabreros *lib.* 2. *de metu, cap.* 31. *num.* 34. Etiam communiter receptum inuenio, votum emiſſum ex metu incuſſo iniuſtè, & per actionem iniurioſam, dum tamen talis actio non ordinetur directè ad extorquendum votum, validum eſſe: docent Sotus & Aragon *locis citatis*, Leſſius *de iuſtitia cap.* 40. *dub.* 3. Suarez *lib.* 1. *de voti eſſentia, cap.* 7. *num.* 8. Vnde ſi aliquis propter metum ſibi illatum in bello à Turcis emittat votum alicuius rei honeſtæ faciendæ, validum eſt. Similiter ſuſtinetur votum emiſſum ex leui metu. Diſſidium Interpretum eſt circa votum metu graui emiſſum, ab homine iniuſtè illato per actionem iniurioſam directò tendentem ad extorquendum votum, an ſit nullum, non ſolùm iure eccleſiaſtico, verùm & naturali? Et iure naturæ validum eſſe, licèt iure eccleſiaſtico non ſuſtineatur, defendunt Aragon *vbi ſuprà.* Azor *dicto cap.*15. *q.*6. Leſſius *dicto lib.*2. *cap.*4. *dubit.*3. Suarez *lib.* 1. *de eſſentia voti, cap.* 7. Caſtro Palao *in opere morali tract.de voto, diſp.* 1. *puncto* 8. *num.* 6. Henriquez *lib.*1. *de matrim. cap.* 9. Baſilius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 5. Sed contrariam ſententiam, videlicet omni iure votum ita emiſſum nullum eſſe, docuerunt Bonauentura *in* 4. *diſt.* 36. *art.*3. *q.*2. *ad* 1. Sotus *de iuſtitia lib.* 7. *quæſt.* 2. *art.* 1. Cabreros *dict. cap.* 21. *num.* 40. plures laudati à Feloaga *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 40. *fol.* 73. Horum ſententia probatur *ex dict. cap.* 1. & ex præſenti textu, vbi ſupponitur, votum emiſſum eſſe ipſo iure nullum: ergo tam iure eccleſiaſtico, quàm naturali. Deinde ex eo, quia Dominus milites voluntarios, non coactos ſuſcipit, *cap. non eſt* 15. *quæſt.* 1. & illa vota prædicantur, quæ voluntaria ſunt, iuxta illud 1. *Paralip. cap. vlt. Lætatus eſt populus cùm vota ſponte promitteret, quia corde toto offerebant ea Domino.* Et *cap. præſens, cap. ſicut* 20. *q.* 3. Rurſus facit pro ea ſententia; nam ſi Deus acceptaret votum per iniuriam, & metum extortum, videretur approbare ipſam iniuriam. Cùm ergo hoc concedi non poſſit, nec etiam quod acceptet ſimile votum.

11. DE IVRAMENTO METV PRÆSTITO.

Circa iuramentum metu præſtitum non leuior controuerſia eſt, propter iuris teſtimonia ſibi inuicem contraria, & varias Interpretum ſententias. Vnde Caſtro Palao *tomo* 3. *operis mor. tract.* 13. *diſput.* 2. *puncto* 4. aſſerit in hac quæſtione tot eſſe ſententias, quot capita Doctorum. Negant ergo iuramentum metu graui extortum valere Seraphinus *de priuil. iuram. priuil.* 110. *numer.* 5. Mogolonus *de metu cap.* 9. *num.* 9. Cabreros *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 7. Pro quorum ſententia faciunt textus *in cap. cùm contingat* 28. *de iureiur. cap. licèt, eod. tit. lib.*6. *cap. quamuis pactum, de pactis eod. lib.* vbi docetur, iuramenta tantùm eſſe ſeruanda, quæ vi, aut dolo præſtita non ſunt: igitur metu præſtita viribus carent. Facit etiam textus *in cap.* 2. *de iureiur.* in illis verbis: *Abſoluimus, quæ nefanda coactione iurauit.* In quibus verbis docetur, Epiſcopum non teneri ſeruare iuramentum metu præſtitum. Deinde facit authentica *ſacramenta, C. ſi aduerſus venditionem*, vbi Federicus ſtatuit, iuramentum metu extortum nullius eſſe momenti. Affirmatiuam ſententiam, videlicet iuramentum metu extortum validum eſſe, ſed per iudicem eccleſiaſticum relaxandum, docuerunt Sanchez *lib.* 4. *de matrim. diſput.* 24. & *lib.* 3. *ſummæ, cap.* 11. *quæſt.* 2. *num.* 14. Suarez *lib.* 2. *de iuramento, cap.* 10. *num.* 4. Cuiacius *in cap.* 1. & 2. *de iureiur.* Oſualdus *ad Donellum lib.* 21. *comment. cap.* 13. *littera Q.* Balboa, & Bajo-Arroyo *in cap. ſi verò, de iureiurando*, Baſilius *lib.* 12. *de matrim. cap.* 8. §. *vlt.* Caſtro Palao *lib.* 3. *operis moralis, tract.* 14. *diſp.* 2. *puncto* 4. plures congeſti à Feloaga *in cap.* 1. *hoc tit. fol.* 83. *num.* 84. Quorum ſententia firmatur expreſſis iuris teſtimoniis relatis *in cap. verùm, cap. ſi verò, de iureiurando, cap.*2. *cap. ad aures, hoc tit. cap. auctoritatem* 15. *quæſt.* 3. In hac opinionum varietate placet, iuramentum metu graui præſtitum, mero iure valere, tam naturali, quàm poſitiuo, donec relaxetur. Cuius ſententiæ potiſſima ratio eſt, quia metus non tollit voluntatem, licèt eam minuat; ſed ad iuramentum non deſideratur voluntarium, vt ad votum, ſed tantùm conſenſus; & in voto tota voluntatis oblatio tendit ſolùm ad meritum, & ſoli Deo adquiritur: at in iuramento duplex obligatio datur, vna reſpectu Dei, altera reſpectu partis. Quæ Deo adquiritur, non tendit ad meritum, ſed vt promiſſa parti cuſtodiantur, Deo in teſtem rei promiſſæ adhibito. Vnde iuramentum validum eſt. Nec contrarium ſuadent textus *in dict. cap. cùm contingat, cap. licèt, cap. quamuis*; quia quatenus docent iuramenta metu, aut dolo præſtita, ſeruanda non eſſe, accipiendi ſunt petitâ relaxatione, ita vt poſt relaxationem contractui firmitatem, aut robur non præſtent, vt docent Suarez *de iuramento lib.* 2. *cap.* 11. *n.*15. & 16. Quo modo etiam accipiendi ſunt textus iuris noſtri Hiſpaniæ *in leg.* 2. *tit.* 12. *lib.* 2. *fori*, ibi: *Por miedo, ò por fuerza prometiendo vn hombre à otro, maguer ſe obligaſſe jurado, dezimos, que no es tenudo de cumplir la promiſſion.* Et *leg. finali, tit.* 11. *partita* 3. *El que jura coſa quiſada* (ideſt licitam) *no ſe puede eſcuſar de no la guardar, maguer diga que lo fizo por fuerza*; petitâ videlicet relaxatione. Hermoſilla *in l.* 56. *tit.* 5. *partit.* 5. vt ſenſus legis ſit, iuramentum in ea ſpecie adhibitum vires habere donec relaxetur. Quo modo etiam accipiendum eſſe textum *in cap.* 2. *de iureiurand.* docet Suarez *vbi ſuprà, num.* 7. Caſtro Palao *puncto* 4. *numer.* 11. licèt aliter textum illum accipiat Fortunius Carcia *tractat. de vlt. fine, numer.* 483. quem ſequitur Feloaga *vbi ſuprà, pag.* 83. *numer.* 98. Nec etiam refragatur textus *in d. authentica Sacramenta*; nam

ea verba, *nullius momenti*, accipienda ſunt ita, vt iuramenta metu præſtita nullius ſint momenti quoad effectum confirmationis contractus; valere tamen quoad obligationem religionis ortam ex eo, quod Deus adhibitus fuit in teſtem; & quoad eam partem iuramentum valere, donec relaxetur. Latiùs proſequuntur interpretationem ipſius authenticæ Donellus *ibi*, Vinius *lib. 1. ſelect. q. 15.* Ex his ergo apparet, iuramentum in præſenti ſpecie ab Abbate & Canonicis regularibus præſtitum valuiſſe, donec eius relaxatio peteretur.

CAPVT VII.

[a] Gregorius IX.

SVper eo, quod aduerſarius veſter ſe conquerebatur à vobis per violentiam ſpoliatum, arbitramini contra vos fuiſſe iniuſtè proceſſum, cùm non niſi proprio iuramento probauerit ſingula, quæ amiſit. Verùm poſtquam de violentia per teſtes, & de amiſſis rebus per ipſius conſtiterit ſacramentum, potuit iudex taxatione ab ipſo facta, pro perſonarum, ac negotij qualitate vos in æſtimatione rerum amiſſarum iuramento aduerſarij declarata, rationabiliter condemnare.

NOTÆ.

1. [a] *Gregorius.*] Cui tamen Prælato reſcribat in præſenti, non conſtat, vt plerumque in deciſionibus huius Pontificis contingit, vt iam notaui *in cap. finali, de conſuet.* Pro vera autem huius textus interpretatione ſciendum eſt, quod licèt aliquando in actione, *quod metus causâ*, locus ſit iuramento in litem, & iuxta iuramentum illius, qui metum paſſus eſt, æſtimatio rei fiat, *l. ex arbitrio 18. ff. de dolo*, probaui ſuprà *in cap. 1. hoc titulo*, dum actionem *quod metus causâ*, eius originem, & naturam expoſui; tamen præſens deciſio iuxta eum caſum accipi non poteſt, cùm in ea agatur de rebus violenter ablatis, & amiſſis, atque de interdicto *vnde vi*, atque reſtitutione earum rerum petita. Quare textus iſte intelligendus eſt cum lege *ſi quando 9. C. vnde vi*, ex qua Gregorius hanc deciſionem deprompſit, & hypotheſis ita præfiguranda eſt: Cùm me vi à domo eiiceres, & domeſticas res per vim occupaſſes, vis ipſa per teſtes probata fuit, res autem ablatæ, & per vim occupatæ probari non potuerunt. Tum quia tempore occupationis nemo præſens fuit: tum quia rerum, quæ in domo continentur, difficilis probatio eſt, niſi domeſticis, & familiaribus teſtibus. Conſultus fuit in hoc caſu, quomodo æſtimatio ineunda eſſet? Et Gregorius iuxta Zenonis conſtitutionem, de qua *in d. l. ſi quando*, decreuit, iudicem debere mihi vim paſſo deferre iuramentum ſuper rebus illi ablatis, & earum æſtimatione; & tunc habitâ ratione perſonæ & loci, vbi vis illata eſt, iudicem condemnationem facere debere.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hac Gregorij noni deciſione ſequens deducitur aſſertio: *Probatâ violentiâ per teſtes, res amiſſæ probantur per iuramentum in lite, & ſuper valore ipſarum, præmiſsâ iudicis taxatione, & ſequuto petentis iuramento, ſit condemnatio.* Probant ab ſpecie textus *in l. ſemper 15. §. ſed quorum 9. ff. quod vi, aut clam, l. ſi quando 9. Cod. vnde vi, l. 11. tit. 5. lib. 4. fori, l. 1. tit. 5. lib. 3. ordin. l. 9. tit. 10. part. 7. l. 4. tit. 8. l. 2. tit. 11. part. 3.* Per argumentum probant eam textus *in l. 1. ff. de in litem iurando, l. qui reſtituere 68. l. quod ſi 71. ff. de R. V. l. ſed ſi 25. §. hæc verba, ff. de petit. hæredit. l. 1. §. ſi quis argentum, ff. depoſiti, l. Pomponius, in fine, ff. de recept. arbitris, l. 2. §. hoc interdictum, ff. ne quid in loco pub. l. vlt. §. 1. ff. de fide inſtrum. l. in actione, §. veto, l. ei qui 9. §. vlt. ff. de furtis, nouel. 82. Iuſtin. §. vt autem:* in quibus probatur damnum datum petitoris iuramento æſtimari. Illuſtrant vltrà congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & repetentes *in d. l. ſi quando 9.* Miſyngerus *centur. 4. obſerv. 12.* Cuiacius *lib. 2. obſer. cap. 28. & in d. l. ſi quando*, vbi etiam Donellus & Giphanius: idem Donel. *lib. 26. comment. cap. 6.* Faber *lib. 16. coniect. cap. 17. & de erroribus decade 18. errore 10.* Plotus *de in litem iur. §. 2. num. 17.* Leotardus *de vſuris quæſt. 77. numer. 58.* Parexa *de inſtrum. edit. tit. 7. reſol. 10. numer. 25.*

3. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Verùm hæc aſſertio pluribus, & non leuibus vrgetur difficultatibus. Prima naſcitur ex eo; nam actor, qui dicit res in eo loco fuiſſe, vnde deiectus eſt, eaſque amiſiſſe, ſecundùm iuris regulas probare debet, aliàs reus abſoluetur, *l. 1. ff. de probat. l. qui accuſare, C. de edendo.* nec iuſiurandum à parte parti non delatum aliquid probat, *l. 3. in principio, ff. de iureiur.* igitur licèt in præſenti per teſtes vis probata eſſet, ſi eam paſſus non probauit res fuiſſe in eo loco, vbi vim paſſus eſt, eaſque amiſiſſe, reus abſoluendus erat. Secunda prouenit ex eo; nam parti iuranti in hac ſpecie, vel fides adhibetur vt teſti, aut vt iudici: ſed nemini in cauſa propria, vt iudici, aut vt teſti creditur, *l. Iulianus, ff. de iudiciis, l. nullus, ff. de teſtibus, l. vnic. C. ne quis in ſua cauſa:* igitur nullo modo illi fides adhibenda eſt. Tertia oritur ex eo; nam ſi in hac ſpecie parti deferretur à iudice, iuramentum in lite ob defectum, & inopiam probationum deberet deferri iuxta huius iuramenti naturam, videlicet, vt iuret actor in infinitum, atque eius iuramentum iudex ſequi teneatur, *leg. 4. §. 2. ff. de in litem iur. leg. qui reſtituere 68. §. 1. ff. de R. V.* igitur non rectè in præſenti deciditur, iuxta taxationem priùs à iudice factam, partem iurare debere. Quarta difficultas militat contra id, quod in præſenti textu dicitur, videlicet iudicem deferentem iuramen-

hoc parti, debere priùs taxationem facere; nam iudex, qui defert iuramentum in litem, siue postquam pars iurauit, potest prædictam taxationem facere, *l.4 §. item videndum, l. 5. §.2. ff. de in litem iur.* igitur non rectè in præsenti docetur, ante iuramentum partis debere iudicem taxationem facere. Vltima tandem difficultas expendi potest in hunc modum: In præsenti specie ex culpa & delicto proprio tenetur, qui per vim res inuasit: sed ex culpa non debet deferri iusiurandum, sed iudex per se debet æstimationem facere. Textus disertus *in l. 4. §. ex culpa, ff. de in litem iurando:* igitur in præsenti specie iusiurandum in litem parti deferri non poterat.

4. DE INTERDICTO VNDE VI.

His tamen difficultatibus minimè obstantibus, valde iuri consona est præsens decisio, ad cuius expositionem sciendum est, ad res amissas, ab alioque occupatas recuperandas competere interdictum *vnde vi*, ita appellatum à primis verbis, quibus à Prætore edictum conceptum erat, *l. si quis 17. ff. de adquirend. possess.* Osuald. *ad Donel. lib. 15. comment. cap. 31. littera A.* Et licèt olim duplex interdictum de vi daretur, aliud propter vim publicam, siue armatam; aliud propter vim priuatam sine armis hodie tamen vnum est, quod competit deiecto à possessione rei immobilis, vt plenè restituatur, daturque aduersus quemcumque spoliatorem, vt probant Menochius *de recuper. possess. ex num. 5.* Osualdus *d. cap. 31. littera B. & C.* Pichardus *in §. recuperandæ, ex numero 2. Inst. de interdictis*, Petrus Barbosa *in l. si de vi 37. ex num. 19. ff. de iudiciis:* per quod interdictum spoliatus plenè restituitur, *l. domum 5. ff. de rei vindic.* idest vt res ablata restituatur cum sua causa, & vtilitatibus, quæ obuenire deiecto potuerunt, nisi deiectus fuisset, *l. 1. §. non solùm 41. l. interdicto 6. ff. de vi & vi armata.* Item veniunt fructus, tam percepti, quàm qui percipi potuerunt, *l. meritò 19. ff. eod. tit.* & quidquid damni sensit vi deiectus propter spolium, deiector resarcire debet, *l. 1. §. qui vi deiectus 31. ff. de vi & vi*: dicemus latiùs *in cap. 9. de probat.* Sed quia plerumque constare non valet de bonis, quæ sunt vi ablata, perditáve, permittitur parti ex delatione iudicis iurare, quæ bona illi sint ablata, & quanti ea æstimauerit, *l. si quando, C. vnde vi*, vbi celebrem casum ex Cicerone refert Giphanius.

5. DE IVRAMENTO IN LITEM.

Secundò sciendum est, esse quoddam genus iurisiurandi, quod appellatur in litem, de quo *in tit. ff. de in litem iur.* vbi iurare in litem nihil aliud est, quàm iurisiurandi religione litem æstimare, vt notant Vvesembechius, & Cuiacius *in parat. ad tit. ff. & C. de in litem iur.* Vinius *lib. 1 select. cap. 45.* Pinellus *lib. 2. select. cap. 4.* Donel. *lib. 26. comment. cap. 6.* Schifordegerus *lib. 1. tract. 24. q. 7.* Marcus Lyclama *eclog. pag. vlt.* Masius *lib. 2. singul. cap. 3. cum tribus sequent.* Olea *de cess. iur. tit. 6. miscell. q. 1. num. 2.* Borcholtem *in tract. de in litem iur. cap. 2.* Duarenus *in l. in actionibus, ff. de in litem iur.* Leothardus *de vsuris q. 77. per totam.* Nam cùm interdum oporteat reum in id, quod actoris interest, condemnare, quia rem petitam restituere, vel exhibere detrectat, vel facultatem restituendi dolo malo amisit, tunc adhibetur hoc remedium, per quod actor ex animi sententia iurat, quanti litem faciat, vt explicant Hothomanus *lib. 12. epitomat. tit. 3. num. 2.* Leothardus *de vsuris, suprà num. 1.* & iuramentum in litem appellatur, quoniam per illud res in litem deducta æstimatur: item si quid circa eam, vel extrà, actoris interfit, vt animaduertunt Eguinarius Varo *in rub. de in litem iur.* Bolognetus *in l. in actionibus 5. ff. eod. tit.* atque ita figurato loquendi genere continens pro contento accipitur, vt cùm dicitur aliquem litis æstimationem sustulisse *in l. si seruus 21. §. idem ait, ff. de accusat.* notarunt Donel. *dict. cap. 6.* Hothomanus *de verbis iuris, verbo Litis æstimatio.* Ratio cur introductum fuit hoc iuramentum ea fuit, ne actor re sua carere cogatur, si reus tergiversetur, nolitque reddere, sed dicat amissam esse, vt sibi retineat, & per hunc circuitum adigat dominum, vt contentus sit pretio, quæ est venditio inuito domino celebrata. Hæc ratio redditur *in l. si cùm dos 8. §. 1. & in l. sequenti, ff. rerum amot.* Vnde in rebus donatis à coniuge cessat, quia non contra voluntarem domini, sed ex præsumpta ipsius voluntate possidentur, *l. si donante 36. ff. de donat. inter.* Ad puniendam ergo hanc perfidiam institutum fuit, vt non satisfaceret reus præcisè soluendo iustum pretium, sed tantùm quod actor iurauerit sua interesse rem sibi restitui.

6. IVRAMENTVM HOC DVPLEX EST.

Cùm ergo hoc iuramentum deferatur duplici ex causa, prima vt res in iudicium deducta arbitrio actoris æstimetur, & æstimatio soluatur, *l. 1. l. in actionibus 5. l. tutor 8. ff. de in litem iurando, l. quæ restituere, ff. de R. V.* secunda vt æstimetur id, quod actoris interest rem ipsam præstare, *l. 2. §. 1. l. 3. ff. de in litem iur. l. qui restituere 68. ff. de R. V. l. semper 15. §. sed quod inter, ff. quod vi aut clam*; ideo ab Interpretibus diuiditur, vt aliud sit iuramentum affectionis, aliud veritatis. Iuramentum affectionis ita appellatur ab Interpretibus nomine hoc inuento, sed ad rei explicationem non inepto; quoniam per illud iudice deferente iuramentum, actor pro libito, atque arbitrio, litis, seu rei æstimationem iurat, quæ interdum verum rei pretium egreditur, *l. 1. ff. de in litem iur.* cùm enim in illo affectionis ratio habeatur, in infinitum iurare licet, *l. 4. §. iurare, ff. de in litem iur. d. l. qui restituere*, §. 10. In infinitum idem valet, quod in immensum, idest in eam etiam summam, quæ longè rei pretium ac penè modum in eo excedit: nec potest dici, peieraſſe eum, qui ita ex affectu iureiurando rem æstimauit, quia de affectu suo & arbitrio iurauit, non de vero rei pretio. Nec hoc à ratione videtur alienum; nam quamvis aliàs affectionis ratio haberi non soleat in imponenda rei æstimatione, *l. si seruum 33. ff. ad legem Aquil. l. pretia 63. ff. ad legem Falcid.* tamen quia iniustum est dominum re propria carere, & eam iusto pretio alienare, *l. inuitum, C. de contrahend. empt.* ideo iusiurandum hoc in litem comparatum est, per quod pretij statuendi arbitrium actori præstatur, vt ait Consultus *in l. si filius 15. §. maritum, ff. solut. matrim. l. si cùm dos 8. §. Sabinus, iuncta l. sequenti, ff. rerum amot. l. tutor 8. ff. de in litem iur.* vbi alia ratio adducitur, nimirum vt contumacia inuasoris puniatur, & eius proteruia coërceatur, *l. 1. ff. de in litem iur.* aliquando tamen effrenata iurantis licentia à lege taxatur, vt *in l. finali, C. de condit. insert.* Hoc tamen casu, cùm actor iurat in immensum, iudex debet cohibere eius affectionem, ne in immensum condemnatio sequatur, *l. 4. §. 2. l. 5. §. 1. ff. de in litem iur. l. 3. §. 1. ff. ad exhibendum, l. arbitrio 18. ff. de dolo malo:* contra Fabrum *lib. 16. coniect. cap. 17.* probat Vinius *lib. 1. select. q. 45. per totam.* Sed cùm hoc remedium iuramenti in litem inuentum sit, vt actor consequa

conſequatur rei ſuæ æſtimationem, & in ea non cadat affectio, ceſſabit iuſiurandum in litem, veluti ſi nummi depoſiti petantur, *l. nummi, ff. de in litem iur.* tunc enim ſi à depoſitario non reſtituantur, quamuis de fide rupta agatur, tamen quia in nummis conſiderari affectio nequit, cùm propter omnimodam æqualitatem nihil interſit deponentis, an hæc, vel illa nummorum corpora reddantur, & in genere ſuo functionem recipiant, *l. 2. §. 1. ff. de rebus creditis*, iuſiurandum in litem locum non habebit, vt explicat Butrius *hîc*, *num. 3.* maximè cùm certa ſit nummorum æſtimatio, quia nullâ merce æſtimantur, *l. ſi ita fideiuſſerim, ff. de fideiuſſ. l. 4. ff. de eo quod certo loco*; ſed per contrarium ex nummis omnium rerum pretium ſumatur, *l. 1. ff. de contrahenda emptione*; ideo ratione nummorum in litem non iuratur. Docent Duarenus *in d. l. in actionibus, n. 4.* Corraſius *num. 8.* Menochius *de arbitrariis, lib. 2. cent. 3. caſu 207. num. 5.* Donellus *lib. 26. comment. cap. 9.* Faber *lib. 16. coniect. cap. 1.* & *de erroribus, decade 17. errore 9.* Leothardus *de vſuris, q. 77. num. 5.* Iuramentum veritatis nuncupatur, quia in eo res non ex affectione, ſed ex veritate æſtimatur. Iurat enim actor rem ſuam ſecundùm communem æſtimationem tantùm valere, nec tunc affectioni ſtatur, ſed tantùm intereſſe attenditur, *l. 2. §. 1. ff. de in litem iur. l. tutor 7. ff. de adminiſtr. tut. l. ſi quando, C. vnde vi.* Docent Donellus *lib. 26. comment. cap. 10.* Menochius *d. cent. 3. caſu 208. n. 2.* Phanucius *in d. cap. 2. num. 2.* Mancinus *de iuram. p. 2. art. 8. num. 1.* Nec audiendus eſt Faber, qui *lib. 16. coniect.* exiſtimauit, nullum iuſiurandum eſſe in litem, quod non ſit affectionis.

7. QVANDO, ET QVIBVS PERSONIS DEFERATVR IVRAMENTVM.

Quibus autem perſonis, & in quibus cauſis deferatur hoc iuramentum, ſupereſt vt videamus; & cùm per hoc iuramentum, qui iurat, veram rei, intereſſiſve æſtimationem faciat, & in iuramento affectionis propter affectionem deferatur, tantùm domino rei petitæ deferri poterit hoc iuramentum, *d. l. vulgo 7. ff. de in litem iur.* Plotus *vbi ſuprà, §. 51. num. 6.* Phanucius *d. cap. 4. num. 4.* Oſuald. *lib. 16. comment. cap. 7. littera B.* Eſcobar *de ratiocin. cap. 9. num. 39.* Hermoſilla *in l. 8. tit. 3. partit. 5. gloſſa 6. num. 5.* Vnde apparet, per procuratorem iurari in litem non poſſe; nam quamvis procurator poſt litem conteſtatam dominus inſtantiæ efficiatur, *l. aduerſario 4. §. fin. ff. de appellat. l. procuratori, l. nulla, C. de procurat.* tamen nec de affectione iurare licet, cùm domini affectionem neſciat; nec de veritate, nam vtilitates rei petitæ non ita procuratori vt domino ſunt, aut eſſe ſolent cognitæ; & abſurdum eſſet reum vel dominum iniquâ æſtimatione damnificari: docent Faber *in d. l. vulgo 7.* Donellus *d. cap. 7.* Borellus *in ſumma deciſ. tit. 52. num. 75.* Quæ ratio cùm habeat locum, tam in procuratore generali, quàm ſpeciali, neuter iurare valet, vt contra Alexandrum docet Plotus *de in litem iur. §. 49. num. 27.* idem in ceſſionario non ritè inſtructo in veritate intereſſis, reſoluit Olea *d. q. miſcell. n. 10.* Circa actiones, in quibus iuſiurandum in litem poteſt deferri, dicendum eſt primò, in omnibus actionibus in rem iurari in litem, *l. 2. ff. de in litem iur. l. qui reſtituere 68. ff. de R. V. l. & harum 7. ff. ſi ſeruitus vindic. l. Neſennius 41. §. fundum, ff. de re indic.* in actione publiciana, & hypothecaria, *l. ſi fundus 16. §. in vindicatione, ff. de pignoribus*; quamvis quoad hypothecariam neget Faber *d. lib. 16. coniect. cap. 16.* item in actione reali ad rem legatam perſequendam, cùm hæres ob dolum eam non tradit, *l. cùm puto 6. §. 1. ff. ad legem Falcidiam.* Ex qua id probant Zaſius *in lege in actionibus, num. 8. ff. de in litem iur.* Leothardus *vbi ſuprà, num. 11.* militat enim in hoc caſu ſuprà tradita ratio, ob quam inductum fuit hoc remedium, videlicet ne quis cogatur proprîâ re carere. Vnde textus *in l. aliàs 6. ff. de in litem iurando*, in illis verbis, *Ex teſtamento agatur, non ſolet in litem iurari*, accipiendus eſt cùm agitur actione perſonali, non verò reali. In actione etiam ad exhibendum, quia præparatoria eſt actionis realis, locus eſt huic iuramento, *l. 3. §. præterea, ff. ad exhibendum, d. l. in actionibus 5.* vbi Duarenus, Donellus *vbi ſuprà, cap. 8.* Secundò locum habet hoc iuramentum in litem in omnibus actionibus perſonalibus bonæ fidei, vbi agitur de re nobis reſtituenda, vt in commodato, *l. 3. §. in hac, ff. commodati, l. non à iudice 64. ff. de iudiciis:* in depoſito, *l. 1. §. in depoſiti*, & *§. ſi quis argentum, ff. depoſiti:* in actione locati, cùm res locata non redditur, *l. ſi is cui, §. 1. ff. locati:* in actione ex ſtipulatu pro dote, *l. filio, §. maritum, ff. ſolut. matrim.* in petitione hæreditatis, *l. ſed eſſi, §. hæc verba, l. poſſeſſor, §. vlt. ff. de petit. hæreditatis:* in actione tutelæ directa, cùm res pupillo non reſtituuntur, *l. videamus 4. l. tutor 8. ff. de in litem iur.* videlicet pro rebus, quæ finitâ tutelâ non reſtituuntur. Pinellus *lib. 2. ſelect. cap. 4.* Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 14. q. 32.* in mandato, *d. l. in actionibus:* in actione de dote contra maritum, qui non reſtituit res dotales, *l. ſi filio 25. §. 1. ff. ſolut. matrim.* contra furem, ſi dominus agit furti ratione dominij, non verò ſi alius ad intereſſe, *l. ſi vendidero 80. §. 1. ff. de furtis:* contra eum, qui dolo malo retinet rem alienam, nec reſtituit, *l. arbitrio 18. in principio, ff. de dolo:* in aliis actionibus rei perſecutoriis, per quas perſequimur res, quæ noſtræ ſunt, vel ad ius noſtrum pertinent, vt in actione Fabiana, *d. l. arbitrio 18. l. tenetur, ff. ſi quid in fraudem patroni:* in aliis verò actionibus perſonalibus, in quibus ad dandum, vel faciendum agitur pro re, quæ nondum eſt petentis, ſed petit vt ſibi detur, ideſt in ſuum dominium denuò transferatur, non poteſt in litem iurari, quia deficit principalis ratio, quæ eſt dominij, vt in emptione probant textus *in l. ſi cùm fundum 68. §. vlt. ff. de contrah. empt. l. traditio 4. C. de actionibus empti:* in mutuo, ſtipulatione, & cæteris contractibus ſtricti iuris, *l. 5. ff. de in litem iur.* Diximus enim ſuprà, iuramentum in litem introductum fuiſſe, ne actor cogeretur rem ſuam iuſto pretio vendere, eaque carere: quæ ratio in actionibus in perſonam, ex quibus res noſtra non perſequitur, ceſſat, quoniam in eis actor vtplurimum petit aliquid ſibi dari, fierive oportere, *l. actionem, ff. de O. & A.* non verò rem ſuam ſibi reſtitui: atque ob id cùm ceſſet ſuprà tradita ratio, ceſſat iuſiurandum in litem.

8. TRADITVR RATIO DECISIONIS.

His ita præmiſſis ratio huius deciſionis ex eo prouenit; nam cùm iuramentum in litem veritatis duobus illis requiſitis concurrentibus deferatur, videlicet dolo admiſſo ex parte debitoris, & difficultate probationum ex parte actoris, *l. in actionibus, §. vlt. l. cùm furti, ff. de in litem iur. l. ſemper 15. §. ſed quod, ff. quod vi, aut clam*; docent Duarenus *in d. l. in actionibus*, Menochius *caſu 208. num. 1.* Coſta *de remedio ſubſid. remedio 94. num. 4.* & in hoc textu daretur dolus ex

parte rei, qui eum intulit; & ex parte actoris difficultas probationis: ideo Gregorius docet, reum posse iurare super æstimatione rerum, taxatione priùs factâ à iudice, iuxta textum *in d. l. in actionibus*, §. 1. Rectè autem supponit Gregorius deiectionem fuisse probatam; res autem occupatas probari non potuisse, quia vt deferatur hoc iuramentum, debet iudici plenè constare de vi, *l. si quando, C. vnde vi*, in illis verbis: *Si quando vis in iudicio fuerit patefacta.* Vbi notat Iaso *num.* 7. pluribus relatis Seraphinus *de priuilegiis iur. priuil.* 31. *num.* 76. Mascardus *de probationibus concluſ.* 934. *num.* 1. Desideratur etiam inopia probationum, cùm hoc remedium sit subsidiarium, *d. l. Si quando*, §. *si non potuerit.* Costa *dicto remedio* 94. *num.* 6. Leotardus *vbi suprà, num.* 62. & tunc iudex debet reum condemnare *pro personarum, & negotij qualitate*, videlicet, vt si actor pauper sit, & dicat sibi supellectilem auream pretiosam ablatam fuisse, vel si locus ex quo deiectus est, ita exiguus sit, vt admittere non possit bona, quæ ipse petit; perpensis enim his circumstantiis, iudex condemnationem facere debet, vt ea verba accipiunt, & interpretantur Donellus *in d. l. si quando, in fine*, Leotardus *d. q.* 77. *num.* 61.

9. Dissolvvntvr difficvltates. Nec etiam obstant difficultates suprà adductæ; nam licèt actore non probante, reus sit absoluendus, & nemo testis, aut iudex in propria causa sit; tamen id procedit, nisi dolo & fraude aduersarij factum sit, vt necessariò actori deferendum sit iusiurandum, quod introductum est in odium inuasoris, ne delicta maneant impunita, & ne quis propter alterius vim damnum patiatur, *l. si longius*, §. 1. *ff. de iudiciis*; & propter inopiam probationis, cùm res priuatæ per extraneas personas probari non possint: quare speciali remedio *in d. l. si quando*, prospectum est vim passis, vt eorum iuramentis deferatur rerum æstimatio. Nec obstant tertia & quarta difficultas; duplex enim discrimen versatur inter iuramentum, quod appellamus affectionis, & quod dicimus iuramentum veritatis. In iuramento in litem affectionis iuratur in immensum, ratione affectionis, *d. l.* 4. §. 2. *ff. de in litem iur.* in iuramento verò veritatis accipiendus est præsens textus; vnde non in immensum, sed in veram rerum æstimationem iuratur. Aliud etiam discrimen versatur inter vtrumque iuramentum, videlicet quod in iuramento veritatis debet priùs iudex taxare quantitatem, in qua iuratur, *l.* 2. *l.* 4. *l.* 5. §. 1. *ff. de in litem iur. l.* 3. §. 1 *ff. ad exhibendum, l. arbitrio* 18. *de dolo*; quia si actor in iuramento veritatis iurauerit, non potest postea iudex mutare condemnationem in minori quantitate; redargueret enim iurantem de periurio. Textus expressus in authentica *post iusiurandum, C. de iudicis.* In iuramento autem affectionis ante, & post iuramentum potest iudex taxare, & mutare; quia in hoc casu non redarguitur actor, qui iurauit de affectione & periurio, sed de inordinata affectione, quam habet in re propria: docet Abbas *in præsenti, num.* 3. vnde cùm in hoc textu agatur de iuramento veritatis, vt suprà dixi, debet ipsa taxatio præcedere, non sequi iuramentum. Nec tandem obstat vltima difficultas, quia certum est, ex culpa leui tantùm non deferri iuramentum; quo casu procedunt textus *in d. l.* 4. §. *ex culpa, l. in actionibus* 8. §. *sed in his, ff. de in litem iur.* At verò ex culpa lata, aut dolo aduersarij iuratur in litem, vt docent Donellus *d. lib.* 26. *cap.* 9. Bronchorst. *Enantioph. cent.* 2. *assert.* 30. & *miscell. cent.* 1. *assert.* 61. quare cùm in præsenti casu agatur de dolo, & lata culpa, siquidem per vim, in qua culpa inest, res ablatæ fuerunt; ideo iudex debet deferre actori iuramentum in litem. Circa hoc iuramentum in litem obseruandi sunt textus *in l.* 9. *in fine, ff. de furtis, l. si fundus*, §. *in vindicatione, de pignoribus, l.* 48. §. 1. *ff. locati, l.* 1. §. *in depositi, ff. depositi*, iuncto Fabro *de erroribus decade* 17. & 18.

TITVLVS XLI.

De in integrum restitutione.

CAPVT I.

Alex. III. [a] *Alphanen. Episcopo.*

RE quisiuit à [b] nobis f. tua, quid agendum sit de possessionibus laïcis sub modico [c] censu concessis. Nouerit itaque f. tua, quod si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius, cùm Episcopo facere deteriorem conditionem ipsius non licuerit, & Ecclesia iure minoris [d] semper debeat illæsa seruari; quæ in damnum ipsius data constiterint, ad proprietatem conuenit redire ipsius: prouidendum est tamen, ne si fortè coloni possessiones illas fecerint meliores [e] expensis, ac labore suo, sumptibus, quos bono animo fecerunt, debeant defraudari.

NOTÆ

NOTÆ.

1. a *Alphanen.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap. vnico*, legitur *Alphano*; post Concilium verò Lateran. *p. 29. cap. 7.* & *in cap. 8. de rebus Ecclesiæ*, *in 1. collect.* vbi idem textus reperitur, vt post Bernardum veterem glossatorem notauit Bosquetus ad Innoc. III. *lib. 2. regestr. 14. epist. 156.* tantùm legitur *Alexander III.* Sed credo legendum esse *Aliphano Episcopo.* Alipha enim est ciuitas Italiæ suffraganea Archiepiscopi Beneuentani, cuius Episcopus Clarus dictus subscripsit Concilio Rom. 1. sub Symmacho, vt refert Carolus à S. Paulo *in geograph. sacra, pag. 55.*

b *A nobis.*] Hinc deducunt Abbas *num. 18.* & *in cap. constitutus, hoc tit.* Socinus *in cap. cùm sit generale, num. 13. de foro competenti*, Mantua *in præsenti, num. 42.* Beroius *num. 162.* Morla *in emp. tit. 5. in principio, num. 10.* Sfortia *de restit. in integrum, q. 32. art. 15.* Caldas *in l. si curatorem, verbo Implorando, num. 32. C. de in integrum rest.* restitutionem in integrum, cùm Ecclesia læsa est, petendam esse apud iudicem ecclesiasticum: qui etiam expendunt pro sua sententia textus *in cap. ad nostram, de rebus Ecclesiæ, cap. cùm causa, de re iudicata.* Sed rectiùs contrarium docuerunt Martha *de iurisd. 2. p. cap. 30. per totum*, Balboa *in cap. cùm sit 8. de foro compet. num. 16.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 4.* Ecclesia enim debet sequi forum rei, vt quilibet alius, *cap. finali, de iudiciis, in 6.* Sed restitutio petenda est coram iudice rei, *l. 2. C. vbi, & apud quem:* igitur restitutio in integrum ab Ecclesia petenda est coram iudice sæculari non verò coram ecclesiastico. Ita docent vltra suprà laudatos P. Barbosa *in l. hæres, §. proinde, ff. de iudiciis*, Barbosa *in præsenti, num. 9.* Parladorius, & alij relati à Carleualio *tomo 1. de iudiciis, disp. 2. q. 4. num. 195.* Nec contrariæ sententiæ fauent textus suprà citati. Non præsens textus, qui loquitur & procedit in ditione, & terris Ecclesiæ, vt erat Aliphensis ciuitas Italiæ; quo modo etiam accipiendus est textus *in cap. constitutus 8. hoc tit.* Nec etiam facit pro contraria sententia textus *in d. cap. ad aures*; nam loquitur in reo feudatario ipsius Ecclesiæ. Vnde cùm ratione feudi coram ecclesiastico iudice esset conueniendus, *cap. verum, de foro competenti*, etiam coram eo in integrum restitutio peti debebat. Ansaldus *de iurisdict. p. 3. tit. vnico, cap. 9.* Licèt in hac quæstione aliter distinguendum esse putet Cyriacus *controu. 380. num. 3. & 56.*

2. c *Sub modico censu.*] Valde controuersum est apud classicos repetentes ad hunc textum, & alios iuris Interpretes, de quo contractu accipiendus sit præsens textus, & in qua alienationis specie læsio interceserit? Quinque sententias referunt Abbas *in præsenti, num. 5.* Beroius *num. 44.* Mantua *num. 23.* Prima est eorum, qui existimant, textum hunc procedere in contractu emptionis, & venditionis. Ita glossa *in præsenti*, Pinellus *in l. 2. C. de rescind. p. 3. cap. 1. num. 21.* pro quibus faciunt illa verba, *ad ius & proprietatem Ecclesiæ redire.* Quibus innuitur, dominum fuisse translatum ex contractu celebrato in huius textus specie: sed dominis translatio propria est contractus emptionis, & venditionis, *l. 1. ff. de contrahend. empt. l. 1. ff. de rerum permut.* Sed hæc interpretatio conuincitur ex relatis verbis, *sub modico censu*; si enim emptio celebrata esset, assereret potiùs Alexander, sub modico pretio rem fuisse distractam, quàm sub modico censu rem fuisse traditam; nam in emptione verè rei pretium soluitur, non census constituitur, *l. pacta, ff. de contrahenda, §. item pretium, Instit. eodem tit.* & ex illo verbo *Concessis*; cùm in venditione res non concedatur, sed tradatur, *l. traditionibus, C. de pactis:* igitur præsens textus accipi non potest de contractu emptionis, & venditionis. Secunda sententia est eorum, qui tenent Alexandrum in præsenti agere de contractu locationis, & conductionis, vt constat ex illo verbo, *colonus.* Sed etiam hæc sententia refellitur ex eo, quia ex contractu locationis, & conductionis dominium non transfertur, *l. cùm manus 80. §. finali, ff. de contrahenda empt. l. item quæritur, §. impleto, ff. locati, l. non solet, l. quæro, §. inter locatorem, ff. eodem, cap. finali, ne Prælati vices.* Tertia sententia est eorum, qui docuerunt, textum hunc esse accipiendum, non de locatione ad modicum tempus facta, sed de locatione ad longum tempus celebrata, ex qua dominium transfertur, vt probatur *ex cap. ex litteris, de iurepatron. d. cap. finali, ne Prælati, cap. 2. de locato, cap. dilecti, de decimis*; vnde talis locatio alienatio dicitur, *l. 1. §. quod autem, ff. de superficiebus, l. 1. §. finali, ff. si ager vectigalis, cap. nulli, cap. ad aures, cap. ad audientiam, de rebus Ecclesiæ, Clement. 1. eod. tit.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 16.* Pinellus *in l. 1. C. de bonis maternis, 2. p. num. 69.* Valascus *de iure emphyt. q. 29. num. 2.* Padilla *in lege voluntatis, C. de fideicom. num. 18.* Sarmiento *lib. 3. select. cap. 2. num. 36.* Sed adhuc hæc sententia refellitur ex suprà dictis verbis, *sub modico censu*, quæ proprium, & peculiarem contractum potiùs significant, quàm locationem. His ergo omissis sententiis dicendum est, Alexandrum in præsenti agere de contractu censuali reseruatiuo, de quo *in cap. constitutus, de religiosis domibus*; qui census constituitur, cùm quis rem vnam, vel plures alteri pleno iure concedit, reseruatâ sibi dumtaxat super illis rebus menstrua, vel annua pensione; quod genus contractus vtroque iure probatum est, *dict. cap. constitutus, l. vltima, ff. de contrahenda empt. l. vltima, C. de rerum permut.* imò hoc genus contractus vetustissimum esse probatur *ex cap. 47. Genesis*, vbi refertur, Iosephum, cùm Ægypto præesset, agros ea lege incolis concessisse, vt quintam fructuum partem Regi soluerent. Historiæ verba sunt: *Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni, præter terram sacerdotum, quæ tradita erat eis, &c. Dixit ergo Ioseph ad populum: En cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis & liberis vestris, &c.* De quo censu consignatiuo plura tradunt Couarr. *lib. 3. var. cap. 7.* Gomez *in l. 68. Tauri*, Leotardus *de vsuris q. 41.* Cencius *lib. 1. de censibus*, Felicianus *eod. tract. lib. 1. num. 9. & 17.* Noguerol. *alleg. 32.* Cùm ergo per hunc contractum, censu reseruatiuo constituto dominium rerum transferatur, rectè ait Alexander, res Ecclesiæ sub modico censu fuisse concessas: & quia ex reseruatione modici census læsa erat Ecclesia, ideo Alexander affirmat, res ad ius, & proprietatem Ecclesiæ redire debere: docent plures congesti à Barbosa *in præsenti, num. 3.* Auendaño *de censibus, cap. 13. num. 8.*

d *Semper*

4. d *Semper illæſa.*] Dictio *ſemper*, non eſt referenda ad tempus, quaſi ſemper, & omni tempore Eccleſiæ competat reſtitutio, cùm elapſo quadriennio beneficium hoc non competat; ſed potiùs eſt referenda ad cauſas, vt ſenſus ſit, quod ſemper, ideſt in omni cauſa, in qua Eccleſia fuerit læſa, poteſt reſtitui, vt poſt gloſſam in præſenti, *verbo Iure minoris*, docent Cardinalis *oppoſit.* 4. Abbas *n.* 26. & ſi verbum *ſemper*, referatur ad tempus, non perpetuum, ſed limitatum importabit, vt *in cap.* 1. *hoc tit. in 6. l. in rebus*, §. *vltimo*, *ff. de iure dotium.* Notauit Acoſta *de priuilegiis credit. regula* 1. *ampliatione* 2. *num.* 92. niſi ſupponamus in præſenti caſu enormem læſionem præceſſiſſe; quo modo accipit textum hunc, & caput *ad aures*, *de rebus Eccleſiæ*, Caſtillo *lib.* 3. *controu. cap.* 23.

5. e *Expenſis.*] Cùm enim poſſeſſiones Eccleſiæ reſtituendæ eſſent, fructus etiam reſtitui debebant, propter naturam reſtitutionis, *l. quod ſi minor*, §. *reſtitutio*, *ff. de minoribus*, Salgado *de protect. 4. p. cap.* 9. *num.* 177. Mancinus *ſacri iuris controu. differ.* 6. *cap.* 16. *num.* 11. & infrà *num. finali*, dicemus. Et cùm fructus non cognoſcantur niſi deductis expenſis, *l. ſi à parte*, §. *fructus*, *ff. de petit. hæredit.* inde ſumptus, ſiue impenſæ reſtitui debent, etiam in hoc iudicio reſtitutionis in integrum, *leg. intra vtile*, §. *finali*, *ff. de minoribus*, *l. in fundo* 38. *leg. ſumptus* 48. *ff. de R. V. l. Iulianus* 23. §. *offerri*, *ff. de act. empti:* notarunt Pinellus *in rubr. Cod. de bonis maternis*, 1. *p. cap.* 3. *in princip.* Caldas *in l. ſi curatorem*, *verbo per quod*, *num.* 8. *C. de in integrum reſtit.* Caniſius *in præſenti*, *num. finali.* Accedit, nam omnis reſtitutio eſt reciproca, *l. quod ſi* 24. §. 4. *ff. de minor. l.* 1. *&* 2. *C. ſi aduerſus tranſact.* Vnde ille, contra quem reſtitutio petitur, poteſt retinere prædia empta, donec debitor ſoluat melioriationes, & expenſas, *d. l. intra*, §. *finali*, *l.* 41. *&* 44. *tit.* 28. *partita* 3. vbi Gregorius. Nec intereſt, quod meliorationes perierint, dum tamen ſine facto poſſeſſoris, *l. ſi neceſſaria* 8. *in principio*, *ff. de pignorat. l. ſed an vltrò*, §. 1. *ff. de negotiis geſtis.* Gloſſa *in cap. cùm Apoſtolica*, §. *profuturam*, *de his, quæ fiunt à Prælatis*, dum modicæ non ſint, *l. ſi ſeruos*, *ff. de pignorat. l. properandum*, §. *& ſi quidem*, *C. de iudiciis.*

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR.

EX hac Alexandri III. deciſione ſequens communiter aſſertio deducitur: *Eccleſia læſa in contractu celebrato reſtituitur iure minoris.* Probant eam textus *in cap. auditis* 3. *hoc tit. cap. cum cauſa* 8. *de re iudic. cap. ad noſtram*, *de rebus Eccleſiæ*, *cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. per argumentum à minore deductum probant lex 1. §. *minorem*, & §. *verùm*, lex *ait Prætor*, §. *non ſolùm*, lex *pactis* 28. §. *ſi pecuniam*, lex *ſi minor*, §. *finali*, *cum lege ſequenti*, lex *ſi tutor* 48. lex *ſi res* 50. *ff. de minoribus.* Conſonant lex 8. & finalis, *tit.* 1. *partit.* 6. Illuſtrant vltra laudatos à Barboſa *in præſenti*, & *lib.* 2. *iuris eccleſ. cap.* 3. *num.* 183. Antonius Cainius, & Caniſius *in præſenti*, Morla *in emporio*, *tit.* 5. *q.* 1. *num.* 22. Donellus *lib.* 21. *comment. cap.* 19. Hothomanus *conſil.* 125. Antonius Matthæus *in collegio Pandect. diſput.* 6. *pag.* 33. Velaſco *de priuileg. pauperum*, *tit.* 3. *q.* 8. Antonius Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 14. *num.* 7. Fachineus *lib.* 10. *controu. cap.* 1. Layman. *lib.* 3. *ſummæ*, *tract.* 4. *c.* 11. *num.* 3. *&* 4. Matienzo *in repetit. ad legem* 1. *ff. de minor. num.* 121. Gibalinus *de negot. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *art.* 3. §. 4.

7. TRADITVR DVBITANDI RATIO.

Sed aduersùs hanc aſſertionem pro dubitandi ratione ita inſurgi poteſt: Nihil tam naturale eſt, quàm conuentiones, contractuſque, quibus humana ſocietas conſtat, & conſeruatur, obſeruari, *l.* 1. *ff. de pactis*, *l.* 1. *ff. de conſtit. pecun. l. ex hoc iure*, *ff. de iuſtitia & iure*, *cap.* 1. *&* 3. *de pactis*, *l. Quintus* 48. *ff. de pactis*, in illis verbis: *Si ipſe peperciſſet pudori ſuo.* Ex quibus docet Andreas ab Exea *de pactis* 3. *p. rubricæ*, *num.* 402. contra pudorem eſſe recuſare obſeruantiam conuentionis: igitur Eccleſia potiùs debebat ſeruare conuentionem ſemel initam, quàm per reſtitutionis remedium illam reſcindere. Accedit nam naturaliter licet contrahentibus intra metas iuſti pretij ſe decipere: in contractu emptionis, & venditionis, *l. in cauſa* 16. §. 4. *ff. de minoribus.* Probant Faber *in Iuriſprud. tit.* 2. *principio* 2. *& de erroribus decade* 8. *errore* 7. *& decade* 9. *errore* 1. *& lib.* 8. *coniect. cap.* 5. Bronchorſt. *cent.* 1. *aſſert.* 52. Amaya *in l.* 3. *Cod. de conditis in publicis horreis*, Fornerius *lib.* 6. *rerum quotid. cap.* 20. Vulteius *in princip. Inſtit. de emptione & vendit.* Petrus Faber *in l.* 206. *ff. de R. I.* Giphanius *in l.* 2. *C. de reſcind. vendit.* Leotardus *de vſuris quæſt.* 40. Merenda *lib.* 1. *controu. cap.* 33. Hunnius *vol.* 2. *ad Treutl. diſput.* 28. *theſi* 2. Drekerus *lib.* 1. *diſſert.* 2. Vviſembech *diſp.* 1. *num.* 19. P. Franciſcus Valens *in concord. iuris*, *pag.* 208. Ægidius Hortenſ. *de priuil. honeſt. cap.* 1. *in initio.* Igitur etſi in medio pretio læſio daretur, in ſpecie huius textus, non ideo cenſus venditio erat reſcindenda. Secundò in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Cùm remedium ordinarium competit, extraordinarium non debet concedi, vt probant ab ſpecie textus *in l. in cauſa*, *la ſegunda*, *in principio*, *ff. de minor. cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. Sed in præſenti ſpecie remedium ordinarium competebat, vt contractus nullus diceretur: igitur reſtitutionis in integrum remedium neceſſarium non erat. Probatur minor; nam res immobiles Eccleſiæ, vt validè alienentur, deſiderantur Eccleſiæ vtilitas, & ſolennitas à iure præſcripta, *cap. ſine exceptione*, *cap. aurum*, *cum ſequent.* 12. *q.* 2. *cap. nulli* 5. *de rebus Eccleſiæ.* Sed in præſenti caſu ſolennitas non adfuit, cùm irrequiſito Capitulo Epiſcopus rem immobilem alienaſſet, vt conſtat ex illis verbis: *Cum Epiſcopo eius conditionem facere deteriorem non liceat.* Nec vtilitas potuit conſiderari, imò potiùs damnum, cùm Eccleſia læſa maneret: igitur potiùs contractus ab Epiſcopo celebratus nullus declarari debebat, quàm ad eius reſciſſionem reſtitutionis remedium impetrari. Tertiò etiam aduersùs eandem deciſionem inſurgit illa iuris conſideratio; nam cùm læſio in contractibus circa pretium intercedit, habet electionem emptor diſcedendi à contractu, vel pretium ſupplendi, *l. res*, §. *finali*, *ff. de iure dotium*, *l.* 2. *C. de reſcind. vendit. cap. cùm dilecti*, *de emptione & vendit.* igitur in præſenti caſu laïcis electio dari debebat, vel reſtituendi res venditas Eccleſiæ, vel ſupplendi pretium iuſtum, quod deerat ad conſtitutionem cenſus reſeruatiui.

8. IN INTEGRVM RESTITVTIO QVID?

Quibus difficultatibus minimè obſtantibus, vera eſt, & iuris principiis conſona præſens Alexandri deciſio, ad cuius expoſitionem ſciendum eſt, reſtitutionis nomen generale eſſe, variaſque ſpecies comprehendere, *l. placeat* 22. *l. reſtituere* 35. *ff. de V. S.* vbi Fornerius, & Gentilis. Corraſius *in l.* 5. §. *hoc autem*, *num.* 4. *ff. de noui operis nuntiat.*

nunciat. & ita in corpore Pandectarum iuris Cæsarei, cùm generaliter de in integrum restitutione agatur in titulo generali, statim singulas restitutionis in integrum species Tribonianus subiungit in titulis, *Ex quibus causis maiores*, *De eo quod metus causâ*, *De dolo malo*, *Capite minutis*, & *Alienatione iudicij mutandi causâ*; quod & noster Raymundus in hac compilatione obseruauit. Sed quia in hoc titulo tantùm de restitutione in integrum minoribus, aut Ecclesiis iure minorum fruentibus, concedenda agitur, eam duntaxat examinabimus: & communiter restitutio in integrum definitur, vt sit in pristinum statum repositio, vel ad ius pristinum reductio. Quæ definitio deducitur ex lege *quod si minor*, §. *restitutio*, *ff. de minoribus*, *l. si locus*, *ff. quemadmodum seruitutes*, *l.* 1. *C. de reputationibus*, *l.* 2. *C. in quibus causis*, Paulo *lib.* 1. *Sententiarum*, *tit.* 7. *l.* 1. §. *certè*, *ff. ad Macedonianum*, *l.* 3. *ff. rem ratam*, *l. sed si* 8. iuncto ibi Cuiacio, *lib.* 26. *ff. Iuliani*, *ff. si quid in fraudem*, *l.* 1. §. 1. *ff. de collat. bonorum*, *leg.* 2. *ff. ne de statu defunct. l. facta* 63. §. 14. *ff. ad Trebell. l.* 1. *tit.* 19. *part.* 6. *cap. finali* 2. *q.* 3. *nostro cap.* 1. in illis verbis, *ad ius & proprietatem.* Eam amplectuntur, & exponunt Mauricius *de in integrum restit. cap.* 1. *num.* 3 Sfortia *eodem tract.* 1. *p. art.* 4. alij congesti à Morla *tit.* 5. *q.* 1. *num.* 1: Osualdus *ad Donel. lib.* 21. *cap.* 4. *littera D.* Canisius *in hac rubrica*, *num.* 1. Cabreros *de metu lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 30.

9. De causa restitvtionis hvivs.

Causa huius restitutionis est ætas; cùm enim inter omnes constet, minorum consilium imbecille, fragile, infirmumque esse, multis captionibus expositum, multorumque insidiis suppositum, quare ad negotia vigesimiquinti anni metas expectari voluerunt leges, in quibus vigor complectitur virilis, & legitimus, robustus, & perfectus hominis status consistit; *l. cùm pater* 77. §. *curatoris*, *ff. de legat.* 2. *l. finali*, *C. de his, qui veniam*, *l. lex Iulia*, *ff. ad legem Iul. de adult.* iunctis his, quæ ex Medicis & Philosophis tradunt Cuiacius *in l.* 1. *ff. de minor.* Guibertus Costanus *de matrim. cap.* 15. etenim ante hoc tempus nec sibi constantes adolescentes, nec finem, & modum in expensis solent habere: ideo Prætor naturalem æquitatem sequutus, suo edicto hoc auxilium pollicetur minoribus læsis, *l.* 1. *ff. de minor.* vbi notauit Matienzo. Amaia *lib.* 1. *obseru. cap.* 9. Vnde in quocumque contractu minores circumscripti beneficio restitutionis gaudent, per quod in pristinum statum omnia reponuntur, siue sub curatore, siue sine curatore extiterint, & eius auctoritate contraxerint, etiam iudicis accedente decreto, *l. quod si minor*, §. *restitutio*, *ff. de minor. l. si curatorem habens* 3. *C. de in integrum restit. l. siquidem* 11. *C. de prædiis minor. l.* 1. *& per tot. tit.* 25. *partita* 3. Cùm enim dum læsus sit, vel quia id, quod habebat, amiserit, vel quod adquirere potuerit, omiserit, vel denique se obligauerit ei oneri, quod non licuit suscipere, vt Vlpianus ait *in l. non omnia* 45. *ff. de minoribus*; inde restitutio datur, si detrimentum passus fuerit, res suas donando, vendendo, in dotem dando, pignori obligando, diuidendo, actiones remittendo, aut nouando. Verba edicti Prætoris sunt. *Quod cum minore, quàm viginti quinque annis natu gestum esse dicetur, vel quæque res erit, animaduertam.* Circa quæ vltima verba obseruandum est, in hoc edicto, sicut in aliis restitutoriis, vt de dolo malo, capite minutis, alienatione iudicij, ex quibus causis, non polliceri Prætorem se iudicium daturum, sed animaduersurum: cuius formulæ varias rationes, & expositiones adduxerunt Faber, Robertus, & alij congesti ab Osualdo *ad Donellum d. cap.* 6. *litt. B.* Sed illis omissis Arnoldus Vinius *lib.* 1. *select. q.* 10. existimat, hoc ideo prouenire, quia alia remedia restitutionum ordinaria sunt, & ordinario iure dantur, tanquam actiones: hoc autem beneficium extraordinarium esse, & non consueto iudiciorum more concedi, sed prout quæque res postulat, Prætorem animaduersurum. Vnde Paulus *in l. quod si minor*, §. *vlt. ff. de minoribus*, ait nullam ex hoc edicto propriè actionem, vel cautionem proficisci, sed totum hoc pendere ex Prætoris cognitione. Alia etiam restitutionis remedia dicuntur extraordinaria, *l. in causa* 16. *ff. de minor.* quia deficientibus aliis actionibus conceduntur. Etiam Arnoldus Vinius vbi suprà existimat, audiendos non esse eos, qui putant in edicto de minoribus duplex remedium dari, aliud rescindens, rescissorium aliud. Rescindens esse illud credunt, quod officio tantùm iudicis indulgetur, de quo *in l. quod si minor*, §. *finali*, *ff. de minor*, *l. si quis ita stipulatus*, *ff. ex quibus causis maiores.* Rescissorium verò, quod competit minoribus iam læsis ad repetendam rem alienatam, postquam contractus rescissus est, de quo accipiunt textus *in l. in causa* 16. §. *interdum*, *ff. de minoribus*, *l. finali*, *C. ex quibus causis*: ita docent Accursius *in l. in causa*, *verbo competens*, Bartolus *in l. ab hostibus*, §. *sed quod*, *ff. ex quibus causis*, Beroius *in nostra rubrica*, Bolognetus *in l.* 1. *num.* 14. *ff. de iurisdictione*, Mauricius *de in integrum restit. cap.* 4. *&* 11. Cyriacus *controu.* 381. *num.* 42. ipse enim Vinius existimat, tantùm vnum beneficium restitutionis esse, & iuxta eam doctrinam accipit textus *in l. qui proprio* 46. §. 2. *ff. de procurat. l. vltima*, *C. ex quibus causis maiores.* Potest autem hoc remedium intendi duplici modo, vel agendo, vel excipiendo: agendo, cùm minor, vel illi, qui iure minoris fruuntur, postulant rem sibi restitui contractu rescisso ob læsionem, vt in præsenti textu; & tunc habet hoc remedium vim actionis. Leotardus *de vsuris q.* 91. *num.* 44. excipiendo, veluti si minor aduersùs agentem ex contractu excipiat, se in eo læsum esse, & petat in integrum restitutionem, vt *in l. Papinianus*, §. *si filius*, *ff. de inoffic. l. si qua*, *C. de non numerata.* Sed etiam tunc restitutio pro actione habetur. Cardinalis *in Clement. vnica*, *hoc tit. num.* 2. vnde prouenit, vt sicut lapso quadriennio non datur minori, aut Ecclesiæ restitutio, licèt intentetur per modum actionis, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *Clement. vnica*, *hoc tit.* non dabitur, etsi intendatur per modum exceptionis, vt *in l. nec non*, §. *exemplo*, *ff. ex quibus causis maiores.* Nec tunc locum habet regula textus *in l. pure*, §. *finali*, *ff. de doli mali & metus except.* videlicet quæ annua sunt ad agendum, perpetua esse ad excipiendum; nam ea regula procedit quando non est in potestate rei opponere exceptionem per modum actionis: secus contingit in præsenti specie, quia est in potestate læsi restitutionem petere, & sic elapso quadriennio, nec agendo, nec excipiendo implorare potest hoc remedium.

10. Qvibvs casibvs competat restitvtio.

Competit hoc beneficium restitutionis minoribus læsis, siue læsio interueniat in contractu, *l. ait Prætor* 7. *ff. de minoribus*, siue in sententia, *l.* 1. 4. *& vltima*, *C. si aduersus vsucapionem*; in donatione, *l.* 1. *&* 2. *C. si aduersus donationem*; in diuisione, seu transactione, *l.* 1. *&* 2. *C. si aduersùs transactionem*; in solutione, *leg.* 1. *&* 2. *C. si aduersùs*

uersùs ſolutionem; in aditione, vel repudiatione hæreditatis, *l. quod ſi minor* 24. *ff. de minoribus, l. ex contractu* 44. *ff. de re iudicata*, Pichardus *de vulgari, cap.* 10. Coſta *in* §. *& quid ſi tantùm*, 2. *p. num.* 49. Pacius *cent.* 3. *q.* 3. Raguellius *in l. finali, C. de repudianda*, Duarenus *ad titulum, ff. de adquirenda, cap.* 10. Morla *tit.* 5. *q.* 9. D. Ioſephus de Retes *lib.* 1. *opuſcul. cap.* 10. etiamſi in his actibus læſi ſint, non quia aliquid amiſerunt, ſed quia non adquiſierunt, *l. cùm quidam*, §. *ſi pupillo, ff. de vſuris, l. ait Prætor*, §. *hoc iure, cum ſequenti, ff. de minoribus.* Excipiuntur tamen contractus iurati, ob religionem iuramenti: authentica *Sacramenta, C. ſi aduersùs venditionem.* Nec etiam reſtituitur in criminibus, *l. auxilium* 37. *de minoribus*; nec in pœnis, *d. l. auxilium*: Merenda *lib.* 3. *controu. cap.* 15. *&* 16. Morla *in emporio, tit.* 5. *q.* 7. Gibalinus *de negot. tomo* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *art.* 3. §. 3. Duarenus *ad titulum C. ſi aduerſus delict.* Hunnius *ad Treutl. vol.* 1. *diſp.* 11. *q.* 81. Nec reſtituuntur minores aduersùs libertatem, *l. ſi ex cauſa* 9. §. *finali, l.* 48. §. 1. *ff. de minor.* Amaya *lib.* 2. *obſ. cap.* 6. Arellano *lib.* 2. *de iuris ratione, cap.* 10. Cabreros *lib.* 2. *de metu, cap.* 34. Denegatur etiam hoc remedium illis minoribus, qui ſe maiores ſimularunt, *l. cum mandato* 23. *ff. de minor.* & illis, qui maiores facti, approbarunt quod minores geſſerunt, *l.* 3. §. 1. *ff. de minor.* qui veniam ætatis impetrauerunt, *l.* 1. *C. de his, qui veniam.* Doctori etiam minori læſo hoc remedium denegari docuerunt Sfortia *de in integrum reſtit. p.* 1. *q.* 23. *art.* 7. Duarenus *in l.* 1. *C. qui & aduerſus quos*, Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 14. *n.* 5. Bronchorſt. *centur.* 1. *miſcell. cap.* 28. Sed rectiùs docuerunt etiam litteratis minoribus dari in integrum reſtitutionem Eguinarius Varo *in l.* 1. *ff. de poſtul.* Sarmiento *lib.* 3. *ſelect. cap.* 12. Fachineus *lib.* 2. *controu. cap.* 5. Antonius Matthæus *in collect. diſput.* 10. *n.* 38. Vinius *lib.* 1. *ſelect. q.* 12. *per totam.* Quid enim commune habent iuris ſcientia, dicendi facundia, ingenij ſubtilitas cum adminiſtratione patrimonij, quæ frequenter à Doctiſſimis viris negligitur. Vnde Cicero *lib.* 1. *de officiis, in fine*, aiebat: *De quærenda, de collocanda pecunia, etiam de vtenda, commodiùs à quibuſdam optimis viris ad medium Ianum ſedentibus, quàm ab vllis Philoſophis in ſchola diſputatur.* Proſequitur alia de hoc edicto nouiſſimè Gibalinus *d. tomo* 1. *de negot. lib.* 3. *cap.* 4. *per totum*: & circa hoc edictum de minoribus obſeruandi ſunt textus parum noti *in l. ſed ſi* 8. *ff. ſi quid in fraud. patr. l. ſi Titius* 48. *l. inter* 51. §. *cùm inter, ff. de fideiuſſ. l. vlt.* §. *colono, ff. de condict. indeb. l.* 4. *l.* 6. *C. de inofficioſis don. l.* 1. §. 1. *ff. ad Macedon. l.* 1. §. 1. *ff. de collat. bon. l. ſi minori* 25. *ff. de adminiſtr. tut. l. ſed cùm* 12. *ff. ad Trebel. l. cùm filius* 50. *ff. de legat.* 3. *l. qui cùm maior* 14. *ff. de bonis libert. l. Stichum* 95. *ff. de ſolutionibus, l.* 4. *ff. de fideicommiſſ. libert. l. Titia* 35. §. 1. *ff. de auro & argento, l. ſi res* 12. §. 1. *ff. de iure dotium, l.* 2. §. 1. *ff. ne de ſtatu defunctorum, l. quod* 50. §. 1. *ff. de manumiſſ. teſtam. l.* 3. *ff. rem ratam haberi, l. facta* 63. §. *ſi quis bonorum, ff. ad Trebell. l.* 1. §. *finali, vt in poſſeſſionem legatorum, l. finali, ff. de ſucceſſorio edict. l. cùm quaſi* 30. §. *idem* 11. *ff. de fideicommiſſ. libert. l.* 16. *C. Theodoſ. de appellat. l. Titia* 62. *ff. de iure dotium, l. venditor* 7. §. *illud, ff. de diſtract. pignorum, l. Iulianus* 13. §. *ſi quis, ff. de actionibus empti, l. tutor* 22. *ff. de his, quibus vt indignis.*

TVR RATIO DECIDENDI.

II. TRADITIO

His animaduerſis facilè cognoſcitur ratio huius deciſionis; cùm enim Eccleſia minori æquiparetur, minoriſque iure fruatur, ex hoc textu ibi, *iure minoris, cap. auditis* 3. *hoc tit. cap.* 1. *eodem tit. lib.* 6. *l.* 10. *tit.* 19. *partit.* 6. vbi Gregorius Lopez, *l. orphanotrophos, C. de Epiſcopis & clericis*, Menchaca *lib.* 1. *vſufrequent. cap.* 19. Caldas *in l. ſi curatorem, verbo Minoribus, num.* 60. *C. de in integrum*, Velaſco *de priuilegiis tom.* 3. *q.* 8. & diſpoſitum in vno æquiparatorum, dicatur diſpoſitum in alio, Gloſſa *in cap. ſi poſtquam, de electione in* 6. inde hoc remedium reſtitutionis competit Eccleſiæ, & minori propter vtriuſque æquiparationem, idque ex mente Prætoris prouenit, qui eo ipſo, quod hoc remedium minori conceſſit, ſimiliter & illis perſonis tribuiſſe videtur, quæ illis æquiparantur, vt variis ampliationibus, & limitationibus illuſtrant Bernard. Diaz *regula* 219. Euerardus *in locis legalibus, loco de minoribus ad Eccleſiam.* Ob eandem etiam rationem hoc beneficium competit hoſpitalibus, & omnibus piis locis Epiſcopi auctoritate conſtructis, ex æquiparatione eorum ad Eccleſiam, de qua *in l. omnia, C. de Epiſc. & cler.* Euerardus *d. loco* 31. Maranta 6. *p. ordinis, art.* 2. *num.* 89. circa Rempublicam non leue diſſidium eſt apud Interpretes; aliqui enim affirmant, tantùm Rempublicam Romanam reſtitutionis beneficio iuuari. Ita gloſſa *in l.* 9. §. *reſpublica, C. ex quibus cauſis maiores.* Albericus, Angelus, & Faber *in eo textu*, Innocentius *in præſenti*, Bellamera, *in cap. auditis* 3. *num.* 11. *&* 17. *hoc tit.* qui pro ſua ſententia expendunt ſequentia fundamenta. Primum, quod minor credendo mutuam pecuniam filiofamilias iuuatur beneficio reſtitutionis, *l. verum*, §. *finali, ff. de minoribus*: ſed reſpublica mutuam pecuniam credens filiofamilias, non reſtituitur, *l. nihil intereſt, ff. ad Macedon.* igitur quia reſpublica non vtitur iure minoris. Secundò quia Romana Reſpublica propriè reſpublica eſt, cæteræ autem priuatorum loco habentur, *l. nihil, ff. ad municip. l. eum qui* 16. *ad finem, ff. de V. S.* igitur ſicut alij priuati maiores beneficio reſtitutionis non iuuantur, ita neque reſpublicæ. Tertiò expendunt textum *in l. Lucius Titius*, §. *finali, ff. ad municipalem*, vbi docetur, rempublicam poſt venditionem factam, ſuper addictione, ſeu licitatione non admitti: igitur quia ob læſionem reſpublica non vtitur iure minoris. Sed contraria ſententia verior eſt, quæ expreſsè probatur *ex l. rempublicam, C. de iure haſtæ fiſcalis, l. reſpublica* 4. *C. quibus ex cauſis maiores, l. ergo* 22. *in fine, ff. eod. tit. l. illud* 9. *ff. de appellationibus*: in quibus cùm generaliter concedatur Rebuſpublicis in integrum reſtitutio, non eſt ratio, quare hoc beneficium contrahatur tantùm ad Rempublicam Romanam. Accedit, nam Legatis Ciuitatum reſtitutio competit, *l. legatis, ff. ex quibus cauſis maiores*: igitur multò magis eorum ciuitatibus, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, *cap. cùm in cunctis, de electione, authent. multò magis, C. de ſacroſ. eccleſ.* Deinde nam inferiores ciuitates, etiam Reſpublicæ dicuntur, *l. qui mittuntur* 35. §. *item paganum, ff. ex quibus cauſis maiores, l. ciuitas* 18. *ff. quod cuiuſque vniuerſ.* & ipſæ conſtant minoribus, orphanis, & miſerabilibus perſonis; propter quas Reſp. Romana vtitur iure minoris: igitur & illæ vti debent. Hanc ſententiam defendunt in præſenti Immola *num.* 15. Beroius *num.* 131. Mantica *num.* 33. Didacus Perez *in l.* 8. *tit.* 4. *lib.* 2. *ordin.* Gutierrez *in authent. ſacramenta, num.* 39. *Cod. ſi aduerſus venditionem*, Gregorius Lopez *in l.* 10. *tit.* 19.

tit.19. part.6. Caldas *in l.ſi curatorem, verbo Minoribus, num.61. Cod. de in integrum,* Sforcia *de in integrum reſtit. 5. part. quæſt.3. art.9. num.61.* A. Gomez *lib.2. var. cap.14. num.7.* Caniſius *in præſenti rubrica.* Nec eâ ſententiâ retentâ, obſtant contrariæ fundamenta. Non primum *ex dict. l. nihil intereſt*; nam licèt Gothofredus ibi exiſtimet, in ea ſpecie Rempublicam non frui iure minoris, dicendum eſt, ibi tantùm doceri exceptionem Macedoniani dari contra rempublicam: quod etiam procedit in minore credente pecuniam filiofamilias; non autem negat Conſultus, quod ſicut per replicationem opponit beneficium reſtitutionis minor, Faber *in dict. l. verum, §. finali, ff. de minor.* ita reſpublica opponere valet. Nec obſtat, ciuitates priuatorem loco haberi; nam id procedit factâ comparatione ad rempublicam Romanam, non verò quoad priuatos, licèt ipſæ ciuitates iure fiſci non vtantur, *l.1. §. illud, ff. de ædilit. edict. l. ob rem, ff. ad legem Iuliam pecul.* docent Gentilis, & Fornerius *in dict. l. eum qui 16. ff. de V.S.* idem Fornerius *lib.2. ſelect. cap.22.* Nec tandem facit pro contraria ſententia textus *in dict. l. Lucius, §. vlt.* nam omiſſis ſolutionibus traditis à Bartolo & Platea *in l. ſi tempora, Cod. de iure haſtæ finalis, lib.10.* Amaya *in l.1. Cod. eodem tit.* Cuiacio *lib. 4. obſerv. cap.14.* dicendum eſt, in eo textu non agi de reſtitutione in integrum concedenda, vel non, ſed de priuilegio licitationis. Pro cuius cognitione ſciendum eſt, priſcis Reipub. Romanæ temporibus lege ſpeciali, quam non habemus, fuiſſe ſtatutum in fiſci fauorem, vt ſi poſt perfectam venditionem factam in publica ſubhaſtatione, alter intra certum tempus ad illam præfinitum meliorem conditionem afferret, & plus pretij adiiceret, admitteretur licitatio; & cùm eadem quæſtio circa Rempub. emergeret, dubitatum fuit, an fiſci exemplo ſecundus licitator admittendus eſſet. Et reſpondit Conſultus, quod ſi ciuitas habeat propriam legem, & intra certos dies adiectio admittatur, nouus licitator eſt audiendus; ea tamen lege deficiente, minimè licitatorem eſſe admittendum, quia priuilegium hoc fiſco conceſſum eſt, & ciuitates omnibus fiſci priuilegiis non fruuntur. Docet, & alia adducit pro interpretatione tam illius textus, quàm textuum *in l. ait Prætor 7. §. quæſitum, ff. de minor, l.4. Cod. de iure haſtæ, fiſc.* Arias de Meſa *lib.2. var. cap.10. per totum.*

12. DISSOLVVNTVR DVBITANDI RATIONES.

Nec obſtat iam prima dubitandi ratio ſuprà adducta; nam licèt ſi conſideremus reſtitutionem in integrum, quatenus contractus validos, & ritè celebratos reſcindit, lædere ius commune, cui nihil magis conuenit quàm pacta ſeruare; tamen ſi conſideremus, quatenus per eam ſuccurritur minoribus læſis, & illis, qui iure minoris fruuntur, æquitati, & rationi magnoperè congruit, *cap. 2. hoc tit.* quare edictum hoc de minoribus æquitate naturali eſſe ſubnixum, docet Conſultus *in l.1. ff. de minor.* probat Gibalinus *dict. cap.4. art.3.* & rectè; nam contra naturam eſt, vt quis locupleteretur cum minoris iactura, *l. nam hoc, ff. de condict. indeb.* Illud ſummè notandum eſt, tam circa minorem, quàm Eccleſiam, quod in caſu reſtitutionis aduerſùs contractum non tenentur pretium acceptum reſtituere, niſi poſt ſententiam, *l. vnica, Cod. de reputat.* Molina *de primog. lib.4. cap.9. num.43.* Secus verò ſi tranſactio impugnetur, quia ſtatim pretium receptum refundi debet, *l. ſi diuerſa 14. Cod. de tranſact.* Craueta *conſil.83.* Pariſius *lib.1. conſil.96. num.112.* Grammaticus *deciſ.66. num.21.* Afflictis *deciſ. 220.* Nec obſtat augmentum primum ipſius difficultatis; nam licèt iure poſitiuo permittatur contrahentibus ſe ad inuicem decipere; id tamen procedit intra metas iuſti pretij, non verò enormiter, vt dicemus Deo volente *in cap. 3. de emptione & vendit.* quo caſu datur reſtitutio in integrum, *l. ſi ex cauſa 10. l. res pupillares 50. ff. de minor. l. Seio, ff. de in integr. reſtit.* Morla *in empor. tit. 5. in princip. num.13.* Nec refragatur ſecunda difficultas; nam ſupponendum eſt in præſenti caſu, contractum venditionis ſolenniter celebratum fuiſſe, & vtilitatem, etſi non veram, ſaltem apparuiſſe, quia ſimul iuris ſolennitas, & Eccleſiæ vtilitas deſiderantur ad valorem alienationis rerum Eccleſiæ, *cap. ſine exceptione 12. quæſt.2. cap.1. & 2. de rebus Eccleſiæ, lib.6.* Sed licèt alienatio ritè, & ſolenniter celebrata ſit, reſtitutio competit, *l. etſi ſibi 8. verſiculo 1. l. etiamſi 30. ff. de minor.* vbi ex venditione facta cum auctoritate tutoris, etiam accedente decreto iudicis, reſtitutio competit: ideo licèt in præſenti caſu ſolennitas per ſacros canones præſcripta adhiberetur; tamen propter læſionem, quæ Eccleſiæ ex ea ſequebatur, competit illi reſtitutio, vt docent in præſenti Abbas *num.7.* Beroius *num.65.* Caniſius *num.3.* Morla *dict. tit.5. quæſt.2. num.22.*

13. PER HOC REMEDIVM AN SEMPER RESCINDATVR CONTRACTVS.

Vt vltimæ difficultati ſatisfaciamus examinanda eſt illa celebris quæſtio, vtrum videlicet in alienatione cum læſione celebrata competat facultas contrahenti offerendi, & ſupplendi partem pretij, circa quam læſio interceſſit; an verò contractus neceſſariò per reſtitutionem irritandus ſit? Et ad ſupplementum tantùm poſſe agi, & contrahenti concedi facultatem ſupplendi partem pretij, docuerunt Abbas *in cap. conſtitutus, in fine, hoc tit.* A. Gomez *lib.2. var. cap.14. numer.9.* Bartolus, Baldus, & Salicetus *in l. ſi quidem, Cod. de prædiis minorum,* & dicunt communem eſſe opinionem plures relati à Pinello *in l.2. Cod. de bonis, maternis, cap.2. num.21.* Pro quibus expendi poſſunt primò textus *in l.2. Cod. de reſcind. vendit. cap. cùm dilecti 3. de emptione, & vendit.* vbi in caſu læſionis vltra dimidiam iuſti pretij agitur ad pretij ſupplementum, non verò ad reſciſſionem contractus. Secundò textus *in l. ſi res 12. §. ſi mulier, l. iure ſuccurſum, ff. de iure dotium,* vbi mulieri minori, & læſæ circa æſtimationem dotis non conceditur reſtitutio ad ipſam rem, ſed potiùs ad ſupplementum. Facit etiam & illa ratio; nam tantùm præſtat reſtitutio, quantùm abſtulit læſio, *l. quod ſi minor, §. vlt. l. finali, ff. de minor. l. ſed etſi, §. ſi feria, ff. ex quibus cauſis maior.* Sed læſio tantùm partem pretij abſtulit: igitur ad ſupplementum tantùm illius partis reſtitutio competit. Tertiò facit textus *in lege non intereſt, Cod. de his, quæ vi,* vbi qui minori pretio coactus vendidit, per actionem *quod metus cauſâ,* recuperat pretium, non autem reſcindit contractum: igitur quia adhuc in caſu læſionis agi poteſt ad pretij ſupplementum. Contrariam tamen ſententiam, imò per reſtitutionem in integrum contractum omnino reſcindi, tenent Cinus *in dict. l. ſi quidem,* Albericus, & Paulus Caſtrenſis *in l. non intereſt, num.4. Cod. de his, quæ vi,* Pinellus *vbi ſuprà, num.21.* Fulgoſius *in dict. l. ſi res 12. §. ſi mulieri.*

Pro quarum ſententia faciunt textus *in præſenti*, & *in l. quod ſi minor*, §. *reſtitutio*, *ff. de minor. l. patri* 27. §. *ſi pecuniam*, *l. penult. ff. de minor. l. tutor* 47. §. 1. *eod. tit.* Vbi indiſtinctè docetur, alienationem reſcindi, cùm læſio minoris intercedit. Hac opinione retentâ non obſtant contrariæ ſententiæ fundamenta. Non primum deductum *ex dict. l.* 2. *Cod. de reſcind.* nam textus ille loquitur in maiore 25. annorum agente nouo remedio ipſius legis: quo caſu non fit neceſſariò reſtitutio ipſius rei venditæ, ſed arbitrio emptoris relinquetur iuſtum pretium ſupplere, vel rem reſtituere. Nec ſecundum obſtat deductum *ex l. ſi res* 12. §. *ſi mulier*, *ff. de iure dotium*, vbi mulieri læſæ in æſtimatione dotis non conceditur reſtitutio ad reſcindendam ipſam dotis conſtitutionem; ſed marito competit electio, vtrum iuſtam æſtimationem, an rem ipſam præſtare velit. Nam ei ſatisfacit Pinellus *in dict. l.* 2. 3. *part. cap.* 1. *num.* 23. *Cod. de reſcind.* aſſerendo, textum illum non loqui in minore, nec in eo, qui minoris iure vtitur: & cùm Digeſtorum tempore cognitum non fuiſſet remedium legis ſecundæ, *Cod. de reſcind.* & ante illud remedium non concederetur reſtitutio maioribus læſis in pretio, etiam vltra dimidium, *l. in cauſa*, §. *idem Pomponius*, *ff. de minoribus*, *l. item ſi pretio*, §. *vlt. ff. locati*; ideo in ea ſpecie non debebat concedi marito reſtitutio, ſed ad pretij ſupplementum dari actio. Sed ſolutio hæc expreſsè refellitur ex illis vltimis verbis, *idemque & in minore circumvento Marcellus probat.* Quare eâ ſolutione omiſsâ, dicendum eſt, textum illum ſpecialiter procedere in cauſa dotis, tam fauore vxoris, quàm mariti, iuxta textum *in lege ſi circumſcripta* 6. *Cod. ſoluto matrim.* Ratio ſpecialitatis eſt, quia cauſa dotalis maximâ nititur æquitate, & in ea exuberantior bona fides, & maior ſinceritas, quàm in aliis conuentionibus requiritur: quare eius fauore multa contra iuris regulas ſunt introducta, *l. eas obligationes*, *ff. de capite minutis.* Quam rationem illuſtrat Cuiacius *lib.* 22. *obſerv. cap.* 14. & in hoc ſenſu accipienda ſunt verba textus *in l. iure* 6. §. *vlt. ff. de iure dotium*, ibi: *Quia bono & æquo non conueniat.* Barboſa iuncto *in rubrica ſolut. matrim.* 4. *part. num.* 25. docet plures congerens Arias de Meſa *lib.* 3. *var. cap.* 19. *per totum.* Sed adhuc textus ille difficilis eſt in verbis ſuprà relatis, in quibus innuitur, adhuc in caſu minoris reſtitutionem competere, non ad rem, ſed ad ſupplementum. Reſpondendum tamen eſt, etiam ſingulari iure procedere Marcelli ſententiam fauore matrimonij, vt reſtitutio detur ad ſupplementum; nam ſi omnia bona dotalia reſtituerentur conſtante matrimonio, vt contingit in aliis caſibus reſtitutionis, matrimonium pro tunc maneret ſine dote, & maritus ſubleuaret onera matrimonij, contra ea, quæ vulgò docentur *in l. pro oneribus*, *Cod. de iure dotium*; & vxor forſan de facto expelleretur à domo mariti, quaſi dote ſibi non ſoluta; triſtiſque diſcordia inter coniuges daretur, vt aliàs inquiunt Pontifex, & Imperator *in cap. per veſtras*, *de donat. inter*, *l. finali*, *Cod. ad Velleianum*: proſequuntur Oſualdus *ad Donel. lib.* 13. *cap.* 31. *littera K.* Gibalinus *de vſuris*, *lib.* 4. *cap.* 5. *art.* 14. *pag.* 107.

14. EXPONITVR CAP. CONSTITVTVS, DE RELIG. DOM.

Ex ſuprà traditis de cenſu reſeruatiuo accipit lucem textus *in c. conſtitutus*, *de relig. dom.* vbi Epiſcopus Leuitanus Eccleſias, licèt in ſua diœceſi ſitas, ad monaſterium Cryptæ Ferratæ pertinentes, ipſi monaſterio tradidit, quoad dominium vtile, & directum, ſub annuo cenſu; in cuius ſolutione cùm Abbas per aliquod tempus ceſſaſſet, illi iuſſit Innocentius III. vt penſiones decurſas ſolueret, cùm talis cenſus conſtitutio per Sedem Ap. eſſet approbata. Textum hunc communiter Doctores accipiunt de emphyteuſi, iuxta illa verba, *Emphyteuſim ſub annua octo denariorum.* Sed hæc communis interpretatio admitti non valet. Primò, quia in ipſo textu docetur, dominium, tam vtile, quàm directum, tranſlatum fuiſſe in monaſterium, quod in contractu emphyteuſis non transfertur. Secundò quia ſi textus ille procederet in emphyteuſi, per ceſſationem à ſolutione penſionis per tot annos monaſterium in commiſſum incideret, *cap. finali*, §. *finali*, *de locato*, *cap. hoc iure*, §. *qui rem* 10. *quæſt.* 1. igitur nullo modo textus ille accipi poteſt de emphyteuſi. Hac igitur communi interpretatione omiſsâ, verius credo, textum illum eſſe accipiendum de cenſu reſeruatiuo, ex quo dominium transfertur, vt in præſenti textu ſupponitur. Epiſcopus enim Leuitanus in eo caſu adhibitâ iuris ſolennitate, Eccleſias illas quoad dominium conceſſit prædicto monaſterio, reſeruatâ ſibi certâ cenſus quantitate, quæ ſæpiùs in ipſo textu appellatur penſio; ideo quia erat cenſualis, annuatim ſoluenda erat, vt in præſenti textu docent Auendaño *de cenſibus cap.* 13. *n.* 2. Valaſcus *de iure emphyt. quæſt.* 32. *num.* 7. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 7. *num.* 1. Sed quia Epiſcopus per ſe non valebat etiam reſeruato cenſu Eccleſias monaſterio concedere, & in totum eximere à iure Epiſcopali, *cap. viſis* 16. *quæſt.* 2. *cap. paſtoralis*, vbi gloſſa *verbo Cathedraticum*, *de donat. cap. cùm venerabilis* 21. vbi gloſſa *verbo Correctionis*, de cenſibus; ideò neceſſaria fuit confirmatio Romani Pontificis, qui cùm ex certa ſcientia conceſſionem factam à Pontifice confirmaret, validum reddidit actum aliàs inualidum, *cap.* 1. *de confirm. vtil.*

15. EXPONITVR CAP. AD NOSTRAM, DE REBVS ECCLESIÆ.

Sed ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in cap. ad noſtram*, *de rebus Eccleſiæ*, in vltimis verbis, vbi deciditur, quod cùm Eccleſia eſſet læſa in conſtitutione feudi ſub certa penſione, reſtituitur; ita tamen vt fructus percepti à Bernardo feudatario non reſtituerentur, imò illius lucro cederent pro cultura, & cura. Ex qua deciſione ita aduersùs ſuprà traditam aſſertionem conficitur argumentum: Cùm minor reſtituitur aduersùs contractum improbè celebratum, cum re ipſa alienata recuperat fructus ex ea perceptos, *l. ſed & ſi* 24. §. *reſtitutio*, *l. patri* 27. §. 1. *l. minor* 40. §. *finali*, *ff. de minor. l. ſi prædium*, *Cod. de prædiis minor. l. videamus*, §. *in Fauiana*, *de vſuris*: probant Couarruuias *lib.* 1. *var. cap.* 3. *num.* 4. Faber *de error. decade* 5. *errore* 6. Gibalinus *de negot. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *art.* 3. §. 6. Sed cùm Eccleſia reſtituitur, non reſtituuntur fructus percepti: igitur quia etſi Eccleſia læſa ſit, non fruitur iure minoris. Pro huius textus vera interpretatione varia adduxerunt gloſſa *ibi*, Caſtillo *lib.* 3. *controu. cap.* 23. *num.* 47. cum quibus dicendum eſt, *in dict. cap. ad noſtram*, fructus non reſtitui Eccleſiæ, ſed ipſi Bernardo reſeruari; non propter fauorem feudi, vt aliqui exiſtimarunt; ſed quia ipſe non ceſſauit in exhibendo feudi ſeruitio, & in adminiſtratione, & conſeruatione villæ in feudum conceſſæ, & in ſolutione debiti à monaſterio contracti. Ex quibus cauſis petebat ipſe

Bernardus,

Bernardus, contractum non eſſe reſcindendum, vt conſtat ex illis prioribus verbis, *non diſtulit effectui mancipare.* Ac proinde licèt ex prædicto iuris principio monaſterium eſſet reſtituendum ad rem cum fructibus, & feudatarius ad expenſas, & pecuniam erogatam, ex hoc textu & ſimilibus; tamen Innocentius III. volens in eo caſu circuitus vitare, monaſterio feudum reſtitui iuſſit, & feudatario pro laboribus, & expenſis fructus remitti decreuit, vt etiam Scæuola *in l. quod ſi minor, §. non ſemper, ff. de minorib.* conſiderat laborem ſubſtituti ad denegandam minori reſtitutionem, contra textum *in l. finali, C. de repudienda hæredit.* Proſequitur Caſtillo *vbi proximè*, & nos latiùs dicemus ſuo loco, ineius textus commentario.

CAPVT II.

[a] Innoc. III. *S. Gregorij, & S. Sergij Abbatibus.*

CVm veniſſent ad Apoſt. Sedem electus, & monachi [b] Rothon. pro ſe, ac pro monaſterio ſuo: ac Magiſter A. pro Epiſcopo [c] Venet. eis S. Georgij ad [d] Velum Aureum Diacon. Cardin. dedimus auditorem, coram quo idem Magiſter pro Epiſcopi parte propoſuit, quod cùm monaſterium Rothon. eſſet [e] ſitum in diœceſi Venet. & Eccleſiæ Venet. ſubiectum, prædictus Epiſcopus poſſeſſione ſubiectionis vſus eſt hactenus inconcuſſæ: ſed cùm occaſione cuiuſdam electionis, quæ ibidem facta fuerat, partes de [f] communi adſenſu ad [g] Naten. Epiſcopum, & eius [h] collegas commiſſionis litteras impetraſſent, duo [i] eorum ad monaſterium acceſſerunt: quorum aduentum intruſus præſentiens, renuntiauit huiuſmodi electioni, & ſe à monaſterio abſentauit. Sed iudices auctoritate Apoſt. monachis iniunxerunt, vt [l] ſyndicum, vel procuratorem eligerent, qui in cauſis monaſterij, & conſultè ageret, & vtiliter [m] reſponderet: diſtrictiùs inhibentes eiſdem, ne aliquem eligerent in Abbatem, donec pleniùs agnoſceretur de iure, quod Epiſcopus ſe habere in Abbatis electione dicebat. Monachi verò, etſi procuratorem ad mandatum iudicum elegiſſent, Abbatem tamen contra inhibitionem eorum eligere præſumpſerunt: cuius electionem Epiſcopus petiit infirmari, [k] & ſe, ac poſſeſſionem reſtitui, quâ eum monachi ſpoliarant. Deinde iudices definitiuam ſententiam protulerunt, electionem caſſantes eandem: quam ſententiam dictus Magiſter fecit confirmari. Ad hoc fuit reſponſum, qnod licèt per procuratorem ex parte monachorum fuiſſet propoſitum, quod monaſterium ipſum ad Rom. Eccleſ. nullo medio pertineret, dicti tamen iudices contra eos procedere nimis animosè cœperunt. *Et infrà*: Nos igitur inſpectis priuilegiis præd. noſtr. Leonis, Gregor. & Clem. quæ monaſterium illud quoad ius, & proprietatem indicant ad Sed. Apoſt. pertinere, intelligentes, quod monaſterij procurator, etſi eadem priuilegia coram prædictis iudicibus exhibere omiſerit negligenter, ius tamen non tam ſuum, quàm noſtrum fuerit proteſtatus, videlicet, quod monaſterium ipſum ad Rom. Eccleſ. nullo medio pertineret, ne ipſius negligentia in [n] damnum, tam noſtrum, quàm monaſterij [o] redundaret, ad audientiam reſtituimus monachos Rothon. *Et infrà.* Electionem autem à monachis (ſicut dicitur) concorditer factam, pendente controuerſiâ, ex qua [p] pendet, nec confirmandam duximus, nec etiam infirmandam.

NOTÆ.

a *INnocentius III.*] In prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. legitur *S. Georgij*, & rectè; nam monaſterium S. Georgij eſt Ordinis D. Auguſtini in Gallia, de quo fratres Sarmathani *tomo* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 477. Similiter monaſterium S. Sergij eſt Ordinis D. Benedicti in diœceſi Andegauenſi, de quo plura adducunt iidem fratres *dict. tom.* 4. *fol.* 820.

b *Rothon.*] Quod monaſterium eſt Ordinis D. Benedicti, in diœceſi Venetenſi, de quo egi *in cap. dilectus, de officio Ordinarij.* Cùm enim inter monachos ipſius monaſterij, & Epiſcopum Venetenſem ſuper ſubiectione ipſius monaſterij lis verteretur, Epiſcopo aſſerente monaſterium illud ad ſe lege diœceſana pertinere, & ſic electionem Abbatis factam inſcio eo debere irritari, cùm controuerſia agitaretur coram Epiſcopo Nannetenſi, ex partium conſenſu iudice delegato, monachi aſſerebant, monaſterium illud ad ius, & proprietatem Eccleſiæ Rom. immediatè pertinere, ex priuilegiis Gregorij, Leonis, & Clementis; quæ priuilegia licèt allegaſſent, non ediderunt coram prædicto Epiſcopo Nannetenſi, & eius coniudicibus: quare ipſi iudices monaſterium parêre Epiſcopo Venetenſi pronunciarunt. Monachi ad Innocentium III. appellarunt, & coram eo propoſuerunt, monaſterium ad Rom. Sedem immediatè ſpectare, ex dictis priuilegiis, de quibus non alius, quàm Rom. Pontifex poterat cognoſcere; quæ pars reperitur *in cap. cùm veniſſet, de iudiciis.* Innocentius cauſæ cognitionem commiſit Cardinali G. Diacono tituli S. Georgij ad Velum Aureum, qui partibus auditis, cauſam retulit Innocentio III. coram quo edita fue-

1.

runt prædicta priuilegia, quæ culpâ procuratoris omissa fuerunt coram iudicibus delegatis: quare Pontifex his cognitis, & inspectis, monachos ad audientiam restituit, & electioni supersedendum decreuit, rescripsitque Abbatibus S.Georgij & Sergij in præsenti, vt in causæ cognitione procederent. Demùm monachi, & Episcopus Venetensis compromissum fecerunt in Nannetensem, & Briocensem Episcopos, qui monasterium in capite liberum esse à lege diœcesana pronunciarunt: sed cùm adhuc quæstio esset super Ecclesiis monasterio subiectis, consultus fuit idem Innocentius III. qui Episcopo Venetensi, & Abbati Rothon. monasterij ita rescripsit *lib.1. regestr.13. epist.7.* [Cùm mouissés olim aduersùs Rothonense monasterium quæstionem, asserens monasterium ipsum, ac parochiales Ecclesias eius ad te de communi iure spectare, vtpote in tua diœcesi constituta, in eisdem iura tibi Episcopalia vendicando: & ex parte monasterij diceretur, idem monasterium cum parochialibus Ecclesiis suis Romanorum Pontificum priuilegiis ab antiquo libertate donatum; super eadem causa frequenter fuerunt litteræ Apostolicæ impetratæ. Denique autem vtraque pars in venerabiles fratres nostros... Nanneten. &... Briocen. Episcopos, sub certa pœna, & iuramento interposito compromisit: qui rationibus vtriusque partis auditis, & monasterij priuilegiis inspectis diligenter, de consilio peritorum illud in capite liberum sententialiter decreuerunt. Verùm quia Ecclesiæ parochiales ipsius exemptæ nullatenus probabantur, pronuntiauerunt, easdem ad iurisdictionem tuam, sicut alias tuæ diœcesis Ecclesias, pertinere: nihilominus statuentes, vt quatuor procurationes duntaxat tibi à sex Ecclesiis monasterij præstarentur; quarum vnam perciperes in parochiali Ecclesia de Rothon. aliam in Ecclesia de S.Godoalo; aliam in Ecclesia de Bani; ac aliam in Ecclesia de Langon. Ita videlicet, quod Abbas, & Priores Ecclesiarum ipsarum tres partes; & capellani quartam partem in procurationibus ipsis ponant, & à duabus Ecclesiis, scilicet de Brim. & S.Petri de Rothon. quatuor solidos pro singulis procurationibus ad subleuationem suam recipiant capellani. Porrò cùm monasterium ipsum super iniquitate arbitrij ad audientiam dilecti filij nostri G. S. Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, tunc Ap. Sedis Legati detulisset postea quæstionem, asserens illud in Romanæ Ecclesiæ præiudicium, ad quam dictum monasterium nullo medio pertinet, iniquè prolatum: dictus Cardinalis illud vtraque parte præsente cassauit, fratribus monasterij memorati præcipiens, vt iureiurando super obseruatione ipsius hinc inde præstito non obstante, illud nullatenus obseruarent. Cùm autem propter hoc nuper dilectus filius Magister Rollandus, tuus: & P. monachus, sæpedicti monasterij procuratores ad Sedem Apost. accessissent, & super præmissis litigassent aliquandiu coram nobis, demùm in priuilegio monasterij nobis exhibito perspeximus contineri, monasterium sæpefatum, quod Beati Petri iuris existit, Sedis Ap. priuilegio communitum; in quo subsequenter adiungitur, vt in parochialibus Ecclesiis monasterij liceat Abbati, & monachis eiusdem loci, cùm eas vacare contigerit, idoneos eligere sacerdotes, & diœcesano Episcopo præsentare, qui ei de spiritualibus, illis verò de temporalibus debeant respondere. Ex quibus verbis arguitur, quod etsi dictum monasterium sit exemptum in capite, ipsius tamen parochiales Ecclesiæ nullatenus sunt exemptæ. His igitur, & aliis, quæ vtraque pars proposuit, intellectis: de consilio fratrum nostrorum pronuntiauimus, monasterium sæpedictum in capite liberum, & à tua iurisdictione prorsus exemptum; decernentes parochiales Ecclesias eius, quæ minimè probantur exemptæ, tibi diœcesana lege subiectas: Ven. fratri nostro Archiepiscopo Turonensi, & dilecto filio Abbati Salmuriensi Andegauensis diœcesis, & Magistro Scholarum Andegauen. nostris dantes litteris in mandatis, vt quod à nobis est sententialiter definitum, faciant appellatione remotâ firmiter obseruari, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Quia verò ipsæ parochiales Ecclesiæ in procuratione ab antedictis Episcopis prætaxata, nimis, sicut asseritur, aggrauantur, ipsis iniunximus, vt si constaret eisdem, procurationem ipsam prædictis Ecclesiis existere onerosam, nisi tu ab ipsis commonitus ad æquum volueris condescendere moderamen, ipsi pensatis facultatibus earundem, procurent eam sublato appellationis obstaculo moderari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam difinitionis nostræ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc, &c. vsque *incursurum.* Datum Lateran. III. nonas Martij, Pontificatus nostri anno tertio-decimo.] Tandem Nicolaus quintus suâ bullâ editâ die 22. Iulij anno 1450. suorum prædecessorum decreta confirmauit, declarauitque monasterium Rothonense immediatè Romano Pontifici parêre, vt refert Renatus Chopinus *lib.2. sacræ politiæ, tit.7. num.23.*

c *Episcopo Venet.*] Ita legendum est, non *Veterensi*, vt legitur *in 3. collect.* Venetorum ciuitas vulgò dicta *Vennes*, est in Armorica, sub metropoli Turonensi, cuius meminerunt Plinius *lib.4. cap.18.* Strabo *lib.4.* Cæsar *lib.3. cap.2.* Ibi huius ciuitatis est longè ampliſſima auctoritas omnis oræ maritimæ regionum earum, quòd & naues habeant Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare consueuerunt. Habet Ecclesiam Cathedralem Diuo Petro dicatam, cuius Præsulum seriem tradunt Chenu *in chronol. Gall.* fratres Sarmath. *tomo 3. Galliæ Christ. fol.1155.* Innocentij III. temporibus eam Ecclesiam regebat Guidenocus, de quo Guillelmus Brito *lib.5. Philippidos:* 2.

Quem Guidenocus Venetensis Episcopus illo
Tempore seruabat puerum, Regique Philippo.

d *Ad Velum Aureum.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sed malè; legendum enim est, *ad Velabrum*, in cuius nominis etymologia non consentiunt Interpretes, licèt quoad locum non dissentiant. Velabrum enim est locus Romæ iuxta montem Auentinum prope Circum. Plutarchus *in Romulo.* Bulengerus *de Circo cap.2. pag.93.* existimat, ita dictum fuisse, eo quod cùm paludinosus locus esset, homines, qui volebant transire in Auentinum, ferebantur cymbâ, & soluebant stipem; pecunia autem, quæ soluitur nautis, velatura appellatur, vnde velabrum dictum fuit. Sed rectiùs F. Petrus Martyr *in rebus mirab. Romæ*, existimat Velabrum locum esse, in quo vela obtendebantur, sub quibus oleum, & similia vendebantur; ideoque à velis extensis Velabrum dictum fuisse, iuxta illud Plauti, *Quasi in Velabro oleary.* Quia igitur iuxta hunc locum Ecclesia 3.

S.Georgij

S.Georgij conſtructa erat, Cardinalis ipſius dicebatur tituli S.Georgij ad Velabrum.

4. e *Sit ſitum.*] Vnde rectè arguebatur eſſe ſubiectum Epiſcopo diœceſano, *ex cap. omnes 16. quæſt.7.* & aliis Eccleſiæ canonibus, quos congerunt, & illuſtrant Boſquetus *in notis ad Innoc.III. dict. lib.1. epiſt.7.* Sauarus *in notis ad Sidon. lib.4. epiſt. 15.* Creſpetius *in ſumma, verbo Omnes Baſilicæ*, Balboa *in cap.1. quæſt.1. de foro compet.*

f *Naten.*] Legendum credo *Nanneten*; ſiquidem Nannetum ciuitas eſt Galliæ, vulgò dicta *Nantes*, ad oſtia Ligeris, de qua plura fratres Sarmatani *tomo 3. Galliæ Chriſtianæ, fol.759.*

g *Collegas.*] Abbates, videlicet Mallenſis, & de Granot, quorum monaſteria ſunt Ordinis Diui Benedicti in diœceſi Nannetenſi, vt referunt fratres Sarmatani *tomo 4. Galliæ Chriſt.*

h *De communi aſſenſu.*] Quomodo in hoc caſu compromiſſum fieri poſſit, contra textum *in cap. cùm contra, de arbitris*, in eius commentario exponemus.

i *Duo eorum.*] Quare duo ex iudicibus delegatis ſine tertio procedere potuiſſent in præſenti ſpecie, etſi non adiecta eſſet in reſcripto clauſula, *quod ſi non omnes*, expoſui *in cap. ſciſcitatus, de reſcriptis.*

5. k *Syndicum.*] Quia monachi non per ſe, ſed per ſyndicum debent in iudicio comparere, vt probaui *in cap. vnico, de ſyndico.* Illud autem in præſenti difficile eſt, quomodo videlicet ſyndicus mortuo Abbate, & eius Sede vacante conſtitueretur, cùm ſyndicus conſtitui debeat à Prælato, vel eius auctoritate, *cap. cauſam quæ 9. de iudiciis*, ibi: *Fratres monaſterij cum auctoritate, & aſſenſu Epiſcopi ſui ingrediantur negotium.* Et ideo non poteſt inſtitui iudicium contra Eccleſiam Paſtore deſtitutam, *cap. finali, ne ſede vacante.* Agnouit difficultatem Gloſſa *in præſenti, verbo Procuratorem*; & aſſerit, in præſenti agi de cauſa electionis Prælati, quæ rectè tractari non poteſt, niſi Sede vacante: & cùm dubitaretur de iure eligendi Prælatum, differi non poterat, & priùs diſcutienda erat, quàm de Prælato prouideretur Eccleſiæ, *cap. cùm dilectus 6.* iunctâ gloſâ primâ, *de conſuetudine*, & ideo conſtitutio procuratoris in præſenti valuit facta tantùm à monachis, qui in alia cauſa ſine Prælati auctoritate non poſſent ipſum conſtituere. Gloſſam ſequitur Panormitanus *in præſenti, num.11.* Butrius *num.34.* Barboſa *hîc*, Felinus *in cap. edoceri, num.7. de reſcriptis.* Nec obſtabit, ſi dicas, in præſenti textu procuratorem non tantùm conſtitui ad cauſam electionis, verùm & ad alias ipſius monaſterij, vt conſtat ex illis verbis: *In cauſis monaſterij.* Nam ea verba comprehendunt cauſas; quæ poſſunt contingere circa ipſum electionis negotium, quæ omnes tanquam acceſſoriæ agitari poſſunt per procuratorem à monachis conſtitutum, argumento capitis *de prudentia, de donationibus inter.* Circa alias verò cauſas, quæ moueri poſſunt ſuper rebus ſpectantibus ad ipſum monaſterium, in quibus per ſe agere non poteſt, nec etiam procuratorem conſtituere, videndi ſunt Vantius *de nullitatibus, tit. ex defectu habilitatis, num.47.* Menchaca *vſufrequentium lib.1. cap.16.* Quare cùm electio Prælati ſpectet propriè ad monaſterium, *c.1. cap. ſacroſancta, de electione*; ideo ſuper negotio electionis ſyndicum, ſeu procuratorem conſtituere valet.

m *Ageret, & reſponderet.*] Cùm enim monachi ad iudicium vt rei vocarentur, ſi conſtituerent procuratorem tantùm ad agendum, non admitteretur ad defendendum, vt probaui *in cap. conſtitutis, de procurat.*

n *Damnum.*] Vnde quia damnum notorium erat, non fuit neceſſaria læſionis probatio, vt in aliis caſibus contingit, quos enumerat Morla *in empor. tit.5. quæſt.1. num.8.*

o *Redundaret.*] Cùm enim procuratoris negligentia noceat domino, *cap. non iniuſtè 14. de procurat.* Gaillus *lib.1. obſer. cap.45.* Mancius *de procurat. tit.3. num.300.* ideò neceſſaria fuit reſtitutio in integrum, vt monachi poſſint iterum audiri, & priuilegia allegata edere.

p *Pendit.*] Sed lite pendente ſuper electione, 6. non admittitur noua electio, *cap. ex litteris, de iurepatron.* igitur ſtatim infirmanda, & caſſanda erat electio à monachis celebrata. Hac difficultate oppreſſi Innocentius & Abbas *in dict. cap. ex litteris*, Rochus de Curte *de iurepatron. verbo Competens alicui, num.52.* & *in cap. quoniam 47.* vbi Beroius, *de iurepatron.* gloſſa penultima *in cap. hæc quippe 3. quæſt.6.* exiſtimarunt, electionem, lite pendente fieri poſſe, dum tamen eius confirmatio conferatur poſt litis euentum. Sed hæc ſententia ſatis refellitur *ex dict. cap. ex litteris.* Quare eâ ſententiâ omiſsâ diſcrimen ita conſtituendum eſt. Aut enim lis vertitur ſuper proprietate iuris eligendi, aut ſuper quaſi poſſeſſione eiuſdem iuris. Primo caſu poſſeſſor poteſt eligere, aut præſentare; quo caſu procedunt textus *in cap. querelam, de electione, cap. cùm olim, de cauſa poſſeſſ. cap. 2. vt lite pendente*; & ſtatim confirmatio facienda eſt, non expectato litis exitu, *l.9. tit.15. partit.1.* Docent Præpoſitus *in dict. cap. hæc quippe*, Decius *in dict. cap. ex litteris, num. 54.* Lambertinus *de iurepatron.2. part. quæſt. 3. art. 9. num.3.* Pacificus enim poſſeſſor non eſt priuandus commodo ſuæ poſſeſſionis, lite pendente, *cap.1. vt lite pend.* Commodum autem huius quaſi poſſeſſionis eſt electio: igitur adhuc lite pendente poteſt fieri, & confirmari. Sin verò lis agitetur ſuper quaſi poſſeſſione iuris eligendi, eſt adhibenda ea diſtinctio; nam aut vterque litigator intendit eſſe in quaſi poſſeſſione eligendi; aut vnus tantùm. Primo caſu certum eſt, neutrum poſſe eligere, ne lite pendente aliquid innouetur, *cap.1. vt lite pend.* & tunc procedit textus *in dict. cap. ex litteris*; & ſi de facto vnus eligat, electionis confirmatio protrahenda eſt vſque ad litis exitum. Secundo verò caſu cùm conſtat vnum ex litigatoribus eſſe in quaſi poſſeſſione eligendi, poteſt ſtatim eligere, cùm ſuo iure vtatur. Gloſſa *in dict. cap.1. vt lite pendente.* Confirmatio autem differenda eſt in litis exitum. Vnde cùm in præſenti monachi tantùm eſſent in quaſi poſſeſſione eligendi Prælatum, vt Epiſcopus Venetenſis fatebatur, meritò etiam lite pendente eligere valebant, niſi excommunicationis ſententiâ eſſent ligati.

CAPVT III.

Idem [a] *Helien. & Floren. Epiſcopis.*

AVditis, & intellectis cauſæ meritis in quæſtione, quæ vertitur inter [b] Vigorien. Epiſcopum, & Abbatem de Eueſcam, ſuper Eccleſiis in valle de [c] Eueſcam, quas Epiſcopus adſeruit ad ſe diœceſana lege ſpectare; Abbas autem eas ab eius iuriſdictione prorſus eſſe exemptas: cognouimus euidenter, Eccleſias illas per priuilegia Rom. Pont. non eſſe ab Epiſcopali iuriſdictione ſubtractas, niſi fortè vallis de Eueſcam ſit ille [d] locus, qui fuit à duobus Regibus, Roë videlicet, & [e] Offa libertati donatus, & quem bonæ memoriæ [f] Cœleſtinus Papa libertati donauit, ſicut in ipſius priuilegiis continetur. Verùm tanto tempore probantur per teſtes ab Abbatibus de Eueſcam pleno iure poſſeſſæ, vt videatur in eis ius Epiſcopale legitimè præſcripſiſſe, niſi fortè per tantum temporis ſpatium Vigorien. Eccleſia interim vacauiſſet, vt tempore vocationis ſubducto, præſcriptio minimè ſit completa. *Et infrà*: Licet autem vtrimque ſit in cauſa concluſum; quia tamen vtraque pars neceſſariam (vt adſerit) probationem omiſit, nos attendentes, quod vtraque Eccleſia fungatur iure minoris, æquitate penſata, vtramque reſtituimus contra reliquam, ad probandam rationem omiſſam, ne alterutra pars propter huiuſmodi negligentiam graui iacturâ [g] lædatur.

NOTÆ.

1. a *Helienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.2. & in cap. auditis, de præſcript.* vbi extat alia pars huius textus. De Eccleſia Helienſi nonnulla notaui *in cap. paſtoralis, de reſcriptis.* Rectiùs tamen in dicta tertia collectione, pro *Floren.* Legitur *Rophenſi*; nam Rophenſis ciuitas eſt etiam in magna Britannia, vulgò dicta *Rocheſſer*: habet Eccleſiam Cathedralem, vbi Iuſtum primum Epiſcopum ordinauit Beatus Auguſtinus Angliæ Apoſtolus, vt refert Beda *lib.2. hiſtoriæ Angliæ, cap.3.* De ea Eccleſia nonnulla adducit Polyd. Vergil. *lib. 4. hiſtoriæ Angliæ, in principio.*

2. b *Vigorien.*] De Vigornienſi Eccleſia aliqua adduxi *in cap.9. de reſcriptis.*

c *Eueſcam.*] In tertia collectione legitur *de Eueſcham*; ſed legendum eſt *Euesham.* Monaſterium enim Eueshamum eſt Ordinis D. Benedicti, conſtructum à S. Equino Epiſcopo occaſione apparitionis B. Virginis Mariæ eo in loco, vt referunt Candenus *in ſua Britannia, pag.514.* Holinſerus *in hiſt. Angliæ, cap.2.* & ex eis Richardus Smitheus *in floribus Angliæ lib.2. cap.7. pag.133.* cuius monaſterij Abbati reſcribit Pontifex *in cap. cauſam 9. de iudiciis.*

3. d *Sit ille locus.*] Et verè locus ille eſt in Vvigornienſi Epiſcopatu.

e *Roë videlicet & Offa.*] Ita legitur in hac ſexta collectione: in tertia habetur *Konrrado*; ſed falsò, legendum enim eſt *Coënrredo & Offa.* Iſti enim fuerunt Reges magnæ virtutis. Coënrredus Rex fuit Moreiorum, grandis munificentiæ: de eo Beda *lib.5. hiſt. Angliæ, cap.20.* ita ait: *Anno Imperij Oſrredi quarto, (qui fuit Chriſti 709.) Coënrredus, qui Regno Morciorum nobiliſſimè tempore aliquanto præfuerat, nobiliùs multò ſceptra Regni reliquit; nam venit Romam, vbi attonſus, Pontificatum habente Conſtantino, monachus factus, ad limina Apoſtolorum ieiuniis & eleemoſynis vſque ad diem permanſit vltimum.* De Offa Rege ita ait Malmeſburienſis *lib.2. cap.6. Offa iuuenis iucundi vultus, & animi, ætatis floridæ, & maximi apud ciues amoris, qui hortatu Kineſvuithæ, cuius nuptiis ſuſpirauerat, cœleſtes doctus ſuſpirare amores, Romam venit, ibique attonſus ſuò tempore cœlica Regna ſubiuit.* De his Regibus plura Richardus Smitheus *dict. lib. 2. cap.7.*

f *Cœleſtinus.*] Ita legitur in hac ſexta collectione, in tertia autem habetur *G. P.* Sed vtrobique malè; legendum enim eſt, *Conſtantinus*, qui in Romanum Pontificem electus fuit anno 708. & deceſſit anno 714. vt referunt Baronius, & Corjolanus *in eiſdem annis.*

g *Lædatur.*] Sequitur textus *in cap. ex ore 17. de priuilegiis.* Vbi præſentis controuerſiæ ſententia proponitur.

CAPVT IV.

Idem [a] *Priori S. Mariæ ad Carceres, & Canonico S. Mariæ de Mandria.*

EX litteris Abbatis de [b] Caluens didicimus, quod cùm Ramiſan. & Grimol. [c] Archiepiſcopi inter I. virum, & L. mulierem ex delegatione noſtra ſententiam diuortij protuliſſent, & appellatione interpoſitâ cognitionem ſententiæ ipſi [d] Abbati, & Archipreſbytero Paduano duxerimus committendam, quia pars mulieris ad peremptorium terminum non acceſſerat, Abbas ipſe, cui alter coniudex commiſerat vices

e ſuas,

[c] suas, allegationibus diligenter inspectis, latam à iudicibus prædictis confirmauit sententiam : sed post octo dies pater puellæ ad ipsum accedens, intellecto quod sententiam protulisset, firmauit proprio iuramento, quod quidam ad eum, & filiam eius accedens, fraudulenter sub ipsius Abbatis nomine falsas eis litteras præsentauit, quibus mandatur eidem, vt quia iudex ad diem, quam assignauerat, venire non poterat, post octo dies à termino constituto ipsius se conspectui præsentaret : & postmodùm appellauit ad Sedem Apost. & etiam [f] supplicauit. Licèt autem de fraude taliter perpetrata per huiusmodi iuramentum non constet ad [g] plenum, in fauorem tamen matrimonij de benignitate canonica contra fraudem propositam supplicationem mulieris admisimus, & ad audientiam restituimus eam pro matrimonio postulantem. Ideoque mandamus, quatenus de causa prioris appellationis ordine iudiciario cognoscentes, confirmetis, vel infirmetis, sicut iustum fuerit, sententiam à primis iudicibus promulgatam.

NOTÆ.

1. a *Priori.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. Monasterium hoc Diuæ Mariæ ad Carceres est Ordinis Camaldulensium, in diœcesi Paduana, de quo, & Camaldulensium Ordine agit Yepes *tomo* 4. *chron. Ordinis D. Benedicti, anno* 1009. *cap.* 4. *&* 6. *num.* 60.

b *Caluens.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. legitur *Cauensis*; credo tamen legendum esse *Cauallensis*, quod monasterium est etiam Camaldulensium, cuius meminit Yepes *vbi suprà.*

c *Archiepiscopi.*] In tertia collectione legitur *Archipresbyteri*, & rectiùs, cùm nullibi legamus huiusmodi Archiepiscopatum reperiri.

2. d *Abbati & Archipresbytero.*] Licèt enim cognitio, & decisio causarum matrimonialium ad Episcopum spectet, *cap. accedentibus, de excessibus Prælatorum, cap. auditis, de præscriptionibus*, Concilium Tridentinum *sessione* 24. *de reform. cap.* 20. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disput.* 29. *num.* 17. Basilius *eod. tract. lib.* 5. *cap.* 11. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 84. tamen ex delegatione potest inferior Episcopo de causis matrimonialibus cognoscere, *cap. proposuisti, de probat. cap.* 1. *vt lite non contest. cap. Albericus, de testibus, cap.* 1. *de consanguinit. & affinit. cap. litteras, de restitutione spoliat. cap. iuuenis, cap. veniens, de sponsalibus*, iunctis eorum inscriptionibus, *cap.* 2. *de clericis coniug. in* 2. *collect.* Vnde in præsenti Archiepresbyteris, & Abbati causa matrimonialis committi potuit.

3. e *Vices suas.*] Quo casu vnus sine alio in causa procedere potest, *cap. causam, de officio delegati*, probaui *in cap. sciscitatus, de rescriptis.*

f *Supplicauit.*] Idest petiit, rogauit : supplicare enim est precibus enixis petere, vt reformetur id, in quo quis grauatus reperitur, *authentica qua supplicatio, Cod. de precibus Imperat. offerendis*, Vulteius *lib.* 4. *de iudiciis, cap.* 3. supplicatur enim superiori, vt grauamen ab inferiore tollat, Salgado *de supplicatione ad sanctissimum, part.* 1. *cap.* 1. *in principio*, & habet locum supplicatio etiam cùm appellatio non admittitur. Vnde in Regiis Cancellariis supplicatur à sententia, licèt ab ea appellari non possit.

4. g *Non constet ad plenum.*] Sed quomodo conceditur restitutio, nisi plenè probetur læsio, cùm læsionis probatio plena, aut semiplena saltem desideretur ? *cap. cum Bertoldus, de re iudicata.* Abbas *in præsenti*, Bartolus, & Iaso *in l.* 2. *§. quod diximus, ff. si quis cautionibus :* sed depositio mulieris in præsenti non facit semiplenam probationem, siquidem integrum testimonium non continet, *l. testis* 9. *ff. de testibus, l. parentes, Cod. eodem tit. cap. super eo* 22. *de testibus :* igitur ob hanc depositionem restitutio non erat concedenda. Cui difficultati, omissis solutionibus traditis à Cardinale *in præsenti, columna* 2. *&* 3. Abbate *num.* 34. dicendum est, restitutionem ab Innocentio in præsenti concedi tantùm ex æquitate fauore matrimonij, quamuis inspectis iuris communis regulis concedenda non esset, vt constat ex illis : *In fauorem tamen matrimonij, de benignitate canonica.* Sed tunc maior insurgit difficultas ; nam ad quid necessaria restitutio fuit in casu præsenti, si iure ordinario poterat mulier audiri fauore matrimonij aduersus sententiam in ea causa prolatam ? Nam sententia super causa matrimoniali dicta nunquam transit in rem iudicatam, *cap. lator, cap. tenor, cap. consanguinei, de re iudicata, cap. causam* 14. *de probationibus, cap. fraternitati* 6. *de frigidis.* Couar. 2. *part. de matrim.* §. 17. *num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 100. *per totam*, plures relati à Barbosa *in præsenti*, & *in dict. cap. lator.* Ratio redditur à Gratiano *in principio* 35. *quæst.* 9. nam cùm quos Deus coniunxit homo separare non possit, etsi pars condemnata non appellet, semper auditur; cùm iudex sententiâ suâ facere non possit, vt coniuges pro coniugibus non habeantur. Pro cuius difficultatis solutione quærunt Doctores quonam remedio contra sententiam in causa matrimonij iniustè prolatam agi possit ? Et quidem agendum esse remedio restitutionis, docuerunt Innocentius *in præsenti, num.* 5. Abbas *num.* 2. Immola *num.* 6. Verùm hæc sententia refellitur ex ratione proximè adducta ; quare verius dicendum est, quod licèt sententia in causa matrimoniali prolata retractari possit, nihilominus tamen ad prædictam retractationem inchoandam, siue per viam ordinariam, siue extraordidariam, necessariò præcedere debet aliqua causæ iustæ & rationabilis cognitio, quæ arbitrio iudicis examinata, ab eodem talis iudicetur, vt iterum causa retractari possit: & tunc talis sententiæ matrimonialis retractatio dupliciter intendi potest : vel enim pars intendit, vt retractetur sententia inchoando nouum processum, & nouam instantiam ; vel faciendo regressum ad acta antiqua, & ad processum iam factum, instantiamque finitam post tempus appellationis. Inter vtrumque modum illa est differentia, quòd in priori casu iure ordinario pars condemnata quocumque tempore admittitur, præcedente prædictâ causæ cognitione ; quia à iure concessum est, vt sententiâ in causa matrimoniali lata, compertâ veritate possit retractari ; ac proinde non est necessarium hoc casu remedium extraordinarium, *dict. cap. lator, cap. tenor :* cùm verò regressus intenditur ad acta præterita, & instantiam iam finitam, necessarium est restitutionis remedium, quia quoad illa acta priora sententia omnino transit in

rem iudicatam, iuxta legem properandum, *Cod. de iudiciis, cap. 2. de re iudic.* docent in præsenti Antonius, & Abbas, Couar. *de Sponsal. 1. part. cap. fin. §. finali*, Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 100. num.* 8. quo secundo casu procedit præsens textus, in cuius specie cùm ingressus intenderetur ad acta priora, ideo necessarium fuit beneficium restitutionis.

CAPVT V.

Idem [a] *Episcopo, & Capitulo Oscen.*

TVm ex litteris [b] Cœlestini Papæ prædecessoris nostri, tum ex his, quæ ipsius temporibus gesta fuerunt, grauem [c] Ilerden. Ecclesiæ intelleximus quæstionem per sententiam [d] Eugenij Papæ super Ecclesiis quibusdam prolatam, se læsam enormiter, & olim, & nunc etiam conquerentis. Vnde cùm idem Cœl. tempore [e] Anastasij Papæ proximè successoris eiusdem Eugenij in minori adhuc [f] officio constitutus, in partibus Hispaniarum legationis officio fungeretur, & ex delegatione ipsius cognoscere cœpit de controuersia memorata, cui etiam Alex. successor ipsius Anastasij officio legationis denuò in partibus eisdem fungenti, causam commisit eamdem: idem quoque Cœlestinus ad apicem summi Pontificatus promotus G. S. [g] Angeli Diacon. Cardin. tunc Ap. Sed Leg. dictam controuersiam sub eo tenore commisit, vt inspectis Ilerden. Ecclesiæ priuilegiis, auditis etiam partium rationibus, memoratâ sententiâ non obstante, diffinitiuam proferret sententiam, eamque faceret obseruari. Verùm quoniam per ipsum Legatum, aut per alios, quibus sub eodem tenore eadem causa commissa extitit (licèt producti testes ex parte Ilerden. Episcopi recepti fuerant) mandatum Apost. non extitit adimpletum, Magister A. Canonicus Ilerden. postulauit per officium [h] nostrum dictam sententiam in melius reformari, & contra eam restitui [i] Ecclesiam Ilerden. Nos igitur cum fratribus nostris, & aliis deliberauimus diligenter: nonnullis asserentibus, quod cùm prædictus C. præd. noster contra iamdictam sententiam visus fuerit Ecclesiæ restitutionis beneficium indulsisse, cùm ea non obstante duxerit negotium committendum, & nos supplicationem eiusdem Ecclesiæ admittere debebamus, præsertim quia sententia Roman. Sed. non negatur posse in melius commutari, cùm aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum, seu grauium necessitatum dispensatiuè quidquam ordinare decreuit. Et secundùm iura ciuilia Principes etiam contra res bis iudicatas in auditorio suo examinari restitutionem in integrum permiserunt. Perspeximus quoque ex data sententiæ in regestro dicti Eugenij Papæ repertæ, quod primo mense sui Pontificatus fuerit promulgata, quando non plenè de meritis ipsius causæ videbatur instructus, illa nitens præcipuè ratione, quòd priuilegium Vrbani III. ex parte vestra productum, subiectum fuerat falsitati, cuius tenorem nos in regestro ipsius inuenimus incorruptum. Tandem deliberatio nostra in hoc resedit, vt an data sit restitutio, an danda contra præmissam sententiam, partibus præsentibus decernatur, quarum assertione merita causarum panduntur. Quocirca mandamus, quatenus vsque ad festum Beati Lucæ, vel in propriis personis, vel per idoneum responsalem nostro vos conspectui præsentetis, quod dicta sententia retractari non debeat (si poteritis) ostensuri: vel si fortè exigente iustitiâ fuerit retractanda, vel per vos, vel per responsalem idoneum appareatis sufficienter instructi, vt in principali negotio canonicè procedatur: pro certo scituri, quod cùm propter multam locorum distantiam non possit ad vos sine magnis laboribus & expensis sæpius haberi recursus, si ad præmissum terminum, quem vobis peremptorium assignamus, iniuncta vobis contempseritis adimplere, nos nihilominus in ipso negotio, quantùm de iure poterimus, procedemus.

NOTÆ.

1. a *Oscenſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. De Oſcenſi Eccleſia nonnulla notaui *in cap.* 1. *de his, quæ vi.*

b *C. prædeceſſoris.*] Videlicet Cœleſtini III. qui antea dicebatur Hiacynthus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, in cuius tituli, & officij exercitio permanſerat, cùm eſſet ætatis ſexaginta annorum: Vnde adhuc in ipſo titulo adeptus fuit tempora Anaſtaſij, Eugenij, & Alexandri, & in Pontificem electus anno 1191. vt teſtantur Baronius & Corjolanus *in eo anno.*

c *Ilerden.*] Ilerda enim, vulgò *Lerida*, nobilis, & antiqua ciuitas eſt Aragoniæ, in prouincia Tarraconenſi: eius meminerunt Ptolomeus *lib. 2. geograph. cap.* 17. Plinius *lib. 3. hiſt. cap.* 21. Pomponius Mela *lib. 2. de ſitu orbis, cap. 3.* Eam deſcribit Lucanus *lib. 4. de bello ciuil.* ab Illyricis conditam fuiſſe teſtatur Gerundenſis *lib. 2. Paralip. Hiſpan.* 2.

Hiſpan. Sed altiùs ab Ænea eius originem repetunt Ludouicus Nonius *in ſua Hiſpan. cap.* 84. Eruditus D. Ferdinandus de Valdes *in notitiis Leridæ, notitia* 2. Habuit Cathedram Epiſcopalem iam ab anno Chriſti 268. eo enim Flauius Dexter *in chron.* ait: *Init Sedem Ilerdenſem S. Lucerius, vir ſanctiſſimus.* Sed ſicut aliæ Hiſpaniæ Eccleſiæ, incurſione Africanorum Præſulibus priuatæ fuerunt, ſimiliter Ilerdenſis Eccleſia orbata fuit Paſtore, vſquedum anno 1149. eâ à Mauris recuperatâ, ordinatus fuit in ea Epiſcopus Guillelmus Pereſius, vt referunt Zurita *lib.* 2. *annalium, cap.* 9. Carrillo *lib.* 4. *anno* 1149. Mariana *lib.* 10. *de rebus Hiſp. cap.* 18. ibi: *Guillelmus Pereſius Rotæ Præſul, Ilerdæ Epiſcopus eſt creatus, contributis Rota, atque Balbaſtro: ipſe & ſucceſſores nonnulli Ilerdæ ſe, & Rotæ Epiſcopos vocitabant.* Aliqua de ipſa Eccleſia adducunt Loayſa *in notis ad Concilium Ilerdenſe*, Tamayo à Salazar *tomo* 1. *Martyrol. Hiſpan. die* 23. *Ianuarij.*

3. d *Eugenij Papæ.*] Tertij videlicet, qui vniuerſali Eccleſiæ præfuit ex anno 1145. vſque ad annum 1153. Vnde occaſione reſtaurationis Ilerdenſis diœceſis, & aſſignationis nouorum terminorum controuerſia in præſenti textu relata orta fuit.

e *Anaſtaſij Papæ.*] Quarti videlicet, qui electus fuit anno 1154.

f *Officio.*] Erat enim tunc temporis tantùm Diaconus Cardinalis.

g *Sancti Angeli.*] Guillelmus videlicet, de quo agit Mariana *vbi ſuprà.*

h *Officium Noſtrum.*] An reſtitutio petatur iure actionis, expoſui ſuprà *in cap.* 1.

4. i *Reſtituì Eccleſiam Ilerdenſem.*] Sed tunc ingentem patitur difficultatem textus iſte, cùm reſtitutio in integrum, ſiue à minore, ſiue ab Eccleſia petatur, intra quadriennium ſit petenda, *cap.* 1. *& 2. hoc tit. lib.* 6. *Clement. vnica, eod. tit. l. fin. Cod. de in integrum reſtit. l.* 8. *& finali*, vbi Gregorius, *verbo Quatro años, tit.* 19. *part.* 6. Morla *in emporio, tit.* 5. *num.* 19. Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 14. *num.* 7. Fachineus *lib.* 10. *controu. cap.* 1. Oſualdus *lib.* 21. *comment. cap.* 7. Layman *lib.* 3. *ſummæ, tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 3. *&* 4. Vulteius *tomo* 4. *conſil.* 32. *num.* 267. Narbona *de ætate anno* 29. *quæſt.* 1. *num.* 8. Hermoſilla *in l.* 3. *tit.* 1. *partit.* 5. *gloſſa* 4. Cancerius *tomo* 2. *var. cap.* 1. *num.* 233. Zypeus *tomo* 1. *conſult.* 1. plures congeſti à Barboſa *in dict. Clement. vnica*, Moëz *in dict. cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. Ad quod quadriennij tempus referendus eſt Caſſiodorus *lib.* 4. *var. epiſt.* 35. *Conſultò prouida decreuit antiquitas, minores contractus liberos non habere: vt & inſidiantium laquei fruſtrarentur, & lapſis ætas lubrica ſubueniret. Obrueretur quippe Innocentia, ſi relaxaretur audacia, eſſetque cunctis fallendi ſtudium, ſi fraus ſubreptiuum lucraretur effectum. Et ideo priſcæ conſuetudinis ſupplicatione porrectâ ſuggeritis, patronum veſtrum in annis minoribus conſtitutum, in facultatibus ſuis potiùs aggregaſſe diſpendia, dum ignara pueritia contraria gerit, quæ profutura putauerit: & nunc ad tempus ætatis agere, quo lapſis poſſimus per ignorantiam ſubuenire; allegantes, vt quod iura tribuerunt, noſtra quoque beneficia largiantur. Atque ideo ſi petitio veſtra à veritate non deuiat, & intra annorum ſpatia degit, quibus hoc beneficium leges ſacratiſſimæ præſtiterunt, nihilque eſt quod iure contrà referatur, patronum veſtrum ſolenniter cauſa cognita, in integrum reſtitui, noſtra quoque permittit auctoritas. Ita tamen, vt omnia ſecundum iuſtitiam, legeſque peragantur. Quia ſic ſupplicantibus conſulere volumus, vt eorum aduerſarios per iuſtitiam non grauemus.* Sed in præſenti caſu ſententia lata fuit ab Eugenio III. & ob eius læſionem reſtitutio petita coram Cœleſtino III. inter quem & prædictum Eugenium tertium, alij ſepremi Pontifices Romanæ Eccleſiæ præfuerunt, nimirum Anaſtaſius IV. qui per decem & ſeptem menſes duntaxat Sedem Pontificalem obtinuit: Adrianus itidem IV. qui quinque annis, & aliquot menſibus Eccleſiam rexit. Alex. III. qui vno & viginti annis nouem diebus Pontifex vixit: Lucius III. qui quatuor annis, duobus menſibus, & viginti octo diebus Eccleſiam gubernauit. Vrbanus III. qui integro anno, & decem menſibus Sedem Rom. tenuit. Gregorius VIII. qui Eccleſiam rexit vno menſe, & viginti diebus. Clemens III. qui tribus annis, duobus menſibus, & viginti diebus Eccleſiæ præfuit: igitur non potuit poſt tempus elapſum in integrum reſtitutio peti. Huic difficultati, omiſſis ſolutionibus traditis à gloſſa *in præſenti*, Immola *num.* 8. Abbate *num.* 3. reſpondendum eſt, in præſenti caſu reſtitutionem in integrum verè petitam fuiſſe intra quadriennium, & & ſemper Eccleſiam Ilerdenſem perſtitiſſe, vt ſibi concederetur, licèt ob diuerſos, varioſque caſus obuenientes conceſſa non eſſet; vnde licèt poſt tot annos fuiſſet conceſſa, legitimo tamen tempore petita fuit.

l *Vrbani ſecundi.*] Qui Eccleſiam rexit ex anno 1088. vſque ad annum 1099. teſtantibus Baronio & Corjolano *in eiſdem annis.*

CAPVT VI.

[a] Idem [b] *Zamoren. &* [c] *Legionen. Epiſcopis.*

SVſcitata ſuper diuerſis articulis interven. fratrem noſtrum [d] Burgen. Epiſcopum, & [e] Onienſe monaſterium quæſtione, cùm ven. frater noſter... [f] Segouien. Epiſcopus, & dilectus filius T. [g] Palentinus electus, quibus auctoritate noſtrâ dicta fuit cauſa commiſa, eam ſufficienter inſtructam ad noſtram præſentiam remiſiſſent: Nos eidem Epiſcopo & L. monacho monaſterij procuratori, qui propter hoc ad Sedem Ap. venerant, audientiam conceſſimus liberam, & benignam. Qui cùm cœpiſſent principaliter litigare ſuper ſtatu monaſterij memorati, quod ad ſe de iure communi ſpectare dictus Epiſcopus proponebat, vtpote in ſua diœceſi [h] conſtitutum, cuius iuris vſum Burgenſem Eccleſiam longis retroactis temporibus habuiſſe firmabat; & ex parte monaſterij diceretur, illud per Principes [i] ſæculares, & Rom. Pontifices ab antiquo

libertate

libertate donatum, & ipſum longiſſimo tempore vſum fuiſſe plenariâ libertate. Nos auditis vtrimque propoſitis, de voluntate partium, demùm ex prouidentia inter eas duximus componendum, provt in aliis noſtris [1] litteris ſuper hoc confectis pleniùs continetur. Poſtmodum verò partibus ſuper ſubiectione, ac libertate membrorum eiuſdem loci, monaſteriorum videlicet, capellarum, [m] cellarum, & [n] Prioratuum perſequentibus quæſtionem, quatuor ſibi dictus Epiſcopus in præfatis locis ad ſe de iure communi ſpectantibus, vt dicebat, cuius iuris vſum habuerat ab antiquo, ſpecialiter vendicabat, eorundem locorum clericos aſſerendo teneri ad Epiſcoporum, Archidiaconorum, & Archipreſbyterorum Burgen. accedere ſynodos, excommunicationis, vel interdicti ſeruare ſententias promulgatas ab eis, procurationes annuas exhibere, ac ſingulos aureos ſolure Burgenſi Epiſcopo nouiter ſubſtituto: ad intentionem propriam roborandam ſuper primis tribus articulis, ius commune, ſecundùm quod dictos clericos, ſicut & alios ſuæ diœceſis ad prædicta teneri dicebat, ac iuris ipſius liberum ab antiquo vſum; & ſuper quarto, antiquam & approbatam conſuetudinem allegando. De quibus omnibus per depoſitiones teſtium fidem factam eſſe dicebat. Verùm pars altera propoſuit ex aduerſo, ſupradicti monaſterij membra, ſicut & ipſum cœnobium, ab antiquo fuiſſe ſæcularium Principum, & Rom. Pontificum, Vrbani II. Paſchalis II. Eugenij III. & Alexandri III. priuilegiis libertate donata, & longè retroactis temporibus huiuſmodi fuiſſe libertate gauiſa, ſicut per ipſa priuilegia exhibita coram nobis, ac inſtrumentum Victoris quondam Burgenſis Epiſcopi, & ſuorum depoſitione teſtium manifeſtè conſtare dicebat. Nos igitur auditis, & intellectis, quæ vtraque pars propoſuit coram nobis, ſuper quatuor præmiſſis capitulis Monaſterium Onienſe de conſilio fratrum noſtrorum iuſtitiâ condemnauimus exigente. Sententiâ verò latâ procurator præfatus ad probandam præſcriptionem, tam ſuper quatuor articulis prænotatis, quàm etiam ſuper quibuſdam decimis poſt [o] tranſactionem acquiſitis à monaſterio, Eccleſiis, & colonis ipſius, ex Epiſcopi parte petitis, quarum controuerſiam volebamus ſententiæ calculo terminare, & in qua fuerat coram iudicibus ſupradictis concluſum, reſtitutionem in integrum nomine monaſterij poſtulauit. Et cùm ſuper hoc coram nobis fuiſſet aliquandiu litigatum, nos deliberatione præhabitâ, reſtitutionem in integrum ad præſcriptionem probandam, tam ſuper quatuor articulis prænotatis, quàm etiam ſupra controuerſiam decimarum, eidem procuratori nomine monaſterij duximus indulgendam. Tibi frater Zamoren. & dilectis filiis Magiſtris Mauricio Archidiacono Toletan. & Michaëli Canonico Segouien. dantes noſtris litteris in mandatis, vt recipiatis [p] teſtes, quos pars monaſterij ad probandam præſcriptionem legitimam ſuper quatuor articulis ſæpedictis, & ſuper capitulo decimarum, vel etiam Epiſcopus ad interruptionem probandam duxerit producendos. Et ſi de partium voluntate proceſſerit, cauſam ipſam, appellatione remotâ, fine debito terminetis. Alioquin remittatis eandem ad nos ſufficienter inſtructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo noſtro ſe conſpectui repræſententent, ſententiam, dante Domino, recepturæ. Ne verò per excogitatam malitiam, ſicut ex quibuſdam præſumptionibus pluribus videbatur, effectum ſententiæ in damnum Epiſcopi contingeret impediri, néve monaſterium per [q] executionem ſententiæ propter ipſas ſuſpiciones incurreret detrimentum: Nos æquitate penſatâ ita duximus prouidendum, vt ante omnia ſupradicta ſententia à nobis prolata per vos executioni mandetur. Quocirca fraternitati veſtræ per Ap. ſcripta mandamus, quatenus ſententiam ipſam ſublato appellationis obſtaculo executioni mandantes, faciatis eandem inuiolabiliter obſeruari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcentes. Quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrûm eam nihilominus exequatur. Datum Lateran. VIII. Kal. Maij, Pontificatus noſtri anno tertio-decimo.

NOTÆ.

a *Idem.*] Ita reſtituenda eſt huius textus inſcriptio, quæ omittitur tam in hac ſexta, quàm in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. reperitur autem in epiſtolis ipſius Innocentij *lib.* 1. *regeſtr.* 13. *epiſt.* 59. ex qua reſtituenda eſt huius textus littera.

b *Zamorenſi.*] D. Martino Arias videlicet, de quo, & Eccleſia Zamorenſi plura adduxi *in cap. finali, de ſupplenda neglig.*

c *Legionenſi.*] Ciuitas Legionenſis priſcis ſæculis Sublancea dicta fuit: eam primùm Mercurium Triſmegiſtum condidiſſe probat Lobera *en las grandezas de Leon, cap.* 1. Coloniam fuiſſe Romanorum, tradunt Florian. de Ocampo *lib.* 1. *c.* 21. poſt Romanos Sueuis paruit, à quorum faucibus illam Leouigildus eripuit: poſtmodùm Sarraceni illam ſolo æquarunt, tandem Ordonius primus anno 860. eam reparauit: Alfonſus III. anno 907. auxit, Alfonſus V. anno 1020. titulo Regali illuſtrauit, ibique ſuam Curiam poſuit. Eccleſiâ Cathedrali

I.

Cathedrali decorata fuit iam à tertio ſæculo Eccleſiæ, ſiquidem D. Cyprianus epiſtolam miſit Felici preſbytero Legionenſi, conſultus ſuper depoſitione Martialis Epiſcopi Emeritenſis, facta in Concilio Legionenſi: & eius Epiſcopus Decentius ſubſcripſit Concilio Illiberitano, vt ibi notaui. Illis primis ſæculis Sedes illa immediatè parebat Rom. Pontifici, vt probat Lobera *vbi ſuprà, cap.* 15. Huius Eccleſiæ Præſuli D. Roderico miſſa eſt præſens deciſio, de quo, & eius ſucceſſoribus agunt Ægidius Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ*, Tamayo à Salazar *tomo* 6. *martyrol. Hiſpan. die* 10. *Nouembris.*

2. d *Burgen.*] Burgenſis ciuitas caput vtriuſque Caſtellæ, ſatis commendata eſt ab hiſtoricis propriis, & exteris, vt refert Ægidius Gonzalez *in theatro Eccleſiarum, in Eccleſia Burgenſi.* Habet Eccleſiam Cathedralem Metropolitanam à temporibus Gregorij XIII. & Catholici Regis noſtri Philipi ſecundi. Antea tantùm erat Epiſcopalis, tranſlatâ in eam Cathedrâ ex ciuitate Accitanâ, vulgò *Occa*, vt latè refert Ægidius Gonzalez. Temporibus Innocentij III. eam Eccleſiam regebat D. Mauricius natione Gallus, de quo aliqua adducit Gonzalez *vbi ſuprà.*

3. e *Onienſi.*] Monaſterium hoc vulgò dictum S. Saluatoris de Oña, eſt Ordinis D. Benedicti, in diœceſi Burgenſi, conſtructum à Comite D. Sancio de Caſtilla; ita appellatum non à matre ipſius Comitis Miona dicta, vt voluerunt author hiſtoriæ generalis Hiſp. in vita ipſius Comitis, Archiepiſcopus D. Rodericus *lib.* 5. *hiſt. cap.* 3. (ſi illud caput ipſius eſt,) dubiè Mariana *lib.* 8. *hiſt. Hiſp. cap.* 11. ſed ita dictum fuit à valle Oña ipſius Burgenſis diœceſis, vt latè probat Yepes *tomo* 5. *chron. D. Benedicti, anno* 1011. *cap.* 1. Hoc monaſterium ab ipſo Comite fundatum fuit, vt in eo tam monachi, quàm moniales vitam religioſam profiterentur: poſtea D. Sancius Aragoniæ Rex ſucceſſor in ipſo Comitatu Caſtellæ ob vxorem ſuam D. Nuñam filiam D. Sancij, ex monaſterio Cluniacenſi monachos ibi conſtituens, fecit illud tantùm monachorum. Tam ipſe, quàm Romani Pontifices à diœceſana lege exemptum ſub protectione Sedis Apoſt. illud acceperunt. Quare tempore electionis Abbatis monaſterium Romanæ Sedi pendebat 170. florenos auri, vt latè refert Yepes vbi ſuprà, *cap.* 2. & 3. Præſentis controuerſiæ tempore reperiebatur Abbas monaſterij D. Dominicus ſecundus, vt conſtat ex catalogo ipſius monaſterij, relato ab Yepes *vbi ſuprà.*

4. f *Segouien.*] D. Gundiſaluus, Michaël videlicet. Segouienſis nobilis Hiſpaniæ ciuitas eſt, ob antiquitatem eius aquæductus, nec non & lanificij. Ab Hercule fuiſſe conditam probat D. Didacus Colmenares in hiſtoria ipſius ciuitatis, *cap.* 1. §. 5. Obtinuit Eccleſiam Cathedralem à primo Eccleſiæ ſæculo; ſiquidem Diuus Paulus ordinauit in ea primum Epiſcopum Diuum Hierotheum, vt latè, & doctè probat Illuſtriſſimus D. Didacus Eſcolano, iam Granatenſis Archipræſul, *in lib. quem edidit de S. Hierotheo*, & licèt à Mauris occupatâ eâ ciuitate Epiſcopis deſtitueretur, tamen ſtatim ac recuperata fuit per magnum Comitem Ferdinandum Gonzalez anno 923. creatus fuit Epiſcopus Ilderedus, vt referunt Ægidius Gonzalez *in eius theatro*, Colmenares *vbi ſuprà.*

5. g *T. Palentinus.*] Don Tellus Tellez de Meneſes. Palentia, ſiue Palantia, duplex eſt in Hiſpania. Alia in Regno Valentiæ, de qua plura Eſcolano *in hiſt. Valentiæ, tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 17. Alia in Pallendonibus, condita à Palatuo antiquiſſimo Hiſpaniarum Rege, vt referunt Ioannes Tarrapha, & alij, quos refert, & ſequitur D. Franciſcus de Sandoual *in Apolog. pro S. Antolino, pag.* 63. Iam à primis Eccleſiæ ſæculis habuiſſe Eccleſiam Cathedralem probat Ægidius Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ.*

h *Conſtitutum.*] *Ex cap. omnes Eccleſiæ* 16. *quæſt.* 7. & aliis ſuprà citatis *in cap.* 2. *hoc tit.*

i *Sæculares.*] Videlicet D. Sancium Comitem Caſtellæ, D. Sancium Regem Nauarræ, quorum priuilegia refert Yepes *dict. tom.* 5. *chronic. in appendice, pag.* 466.

6. l *Noſtris litteris.*] Quæ extant in epiſtola antecedenti ipſius Innocentij, vbi ita Burgenſi Epiſcopo Innocentius ſcribit. [Ortâ inter te, & Onienſe monaſterium ſuper ſtatu ipſius monaſterij quæſtione, cùm venerabilis frater noſter... Segouien. Epiſcopus, & dilectus filius... Palentinus electus, eam de noſtro examinaſſent mandato, ipſamque ſufficienter inſtructam ad noſtrum remiſiſſent examen. Nos tandem inſtrumentis, atteſtationibus, confeſſionibus, & allegationibus diligenter auditis, & perſpicacitet intellectis, de communi fratrum noſtrorum conſilio, te ac L. Monacho procuratore prædicti monaſterij conſenſum præbentibus, ita duximus prouidendum, vt Burgen. Epiſcopus ſingulis annis ſemel ad idem monaſterium causâ viſitationis accedat, vbi deuotè receptus, & per diem vnum honeſtè de bonis ipſius monaſterij procuratus, Capitulum intret, & habito ad Abbatem, & fratres exhortationis ſermone, de ſtatu eiuſdem diligenter inquirat: ac ſuper his, quæ in eo reformanda, vel ordinanda cognouerit, Abbas Epiſcopi ſalubre conſilium ſtudeat adimplere. Ipſe tamen nec in Abbatem, nec in conuentum excommunicationis, vel ſuſpenſionis, aut interdicti ſententiam, hac, vel alia occaſione, inconſulto Rom. Pontifice ferre præſumat: ſed mandatum ipſius Rom. Pontificis expectetur, vt in eodem negotio, iuxta quod ipſe mandauerit, procedatur. Et ſi Abbas fuerit inuentus culpabilis, ſuper eo, quod Epiſcopi conſilium non admiſit, ſatisfaciat ei de moderatis expenſis, quas propter hoc eum feciſſe conſtiterit, nuntium ad Sed. Apoſt. deſtinando. Cùm autem poſt conſecrationem ſuam prima vice Burgenſis Epiſcopus ad monaſterium ipſum acceſſerit, recipiatur ab Abbate, ac monachis cum proceſſione ſolenni; & ſi voluerit, celebret ibi Miſſam. Quotiens etiam inuitatus acceſſerit pro exhibendis eccleſiaſticis Sacramentis, procuretur ab eis; ita quod nunquam numerum perſonarum, & euectionum excedat in Lateranenſi Concilio diffinitum. Omnia ſiquidem eccleſiaſtica ſacramenta, quotiens indiguerint, ab eodem, & non ab alio Epiſcopo, exigant, & recipiant, dummodo gratiam Apoſt. Sedis habuerit, & ea gratis voluerit exhibere. Alioquin liceat illis quemcumque maluerint, Catholicum adire Pontificem, qui ea ſibi Apoſtolicâ fretus auctoritate concedat. Onienſis autem electus à Burgenſi Epiſcopo benedictionem reuerenter expoſcat, quam ipſe illi gratanter impendat, difficultatem, aut moram nullatenus ingerendo, niſi forſan ex publica fama, vel manifeſta cauſa, ſe udenunciatione canonica, rationabile quid obſiſtat. Et tunc etiam

Rom.

Rom. Pontifex consulatur, & ipsius beneplacitum expectetur. Ita quod si constiterit Episcopum fuisse culpabilem super eo, quod benedictionem impendere noluisset electo, iustas ei refundat expensas, quas fecisse probabitur Sedem Apost. consulendo. Cùm autem ab eo fuerit benedictus, reuerentiam ei super his tantummodo, quæ præscripta sunt, repromittat, possessione huiusmodi super altare in scriptis oblatâ. In cæteris autem præfatum monasterium plenâ gaudeat libertate. Ne igitur quod à nobis pro parte tam Burgensis Ecclesiæ, quàm monasterij Onensis salubriter est prouisum, occasione qualibet in posterum possit infringi, præsentium auctoritate statuimus, vt contra præscriptam formam, nulla Summorum Pontificum priuilegia, vel sæcularium Principum scripta, nulla denique munimenta, vel argumenta valeant prætendere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prouisionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lateran. Kal. Maij, Pont. nostri anno tertio-decimo.]

m *Cellarum.*] De his egi *in cap. vnico, de syndico.*

n *Prioratus.*] Plura enim monasteria cum suis Ecclesiis, & cellis parebant Abbati huius monasterij, quorum catalogum refert Yepes *vbi suprà.*

o *Decimis post transactionem.*] Quomodo decimæ per transactionem acquirantur, dixi *in cap. 2. de transact.*

7. p *Recipiatis testes.*] Hoc latiùs patet ex epistola sequenti ipsius Innocentij, vbi *lib. 1. regestro 13. epist. 60.* ita scribit: [Suscitatâ super diuersis articulis, &c. in eundem modum, vt in alia, per totum, vsque *duximus indulgendam.* Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus recipiatis testes, quos pars monasterij ad probandam præscriptionem legitimam, &c. vt in alia vsque *à nobis prolata super hoc*, sublato appellationis obstaculo executioni mandetur, cuius executionem tibi frater Zamoren. & vener. fratri nostro... Legionen. Episcopo duximus committendam. Volumus nihilominus, & mandamus, vt ab Episcopo recipiatis idoneam cautionem, quod si monasterium in causa ipsa per sententiam præualuerit, vniuersa, quæ medio tempore ipsius sententiæ occasione percepit, monasterio restituat memorato. Quod si non omnes, &c.]

8. q *Executionem sententiæ.*] Quod difficile videtur ex eo; nam restitutione petitâ contra sententiam, quæ adhuc non erat executioni mandata, suspenditur ipsius sententiæ exequutio, *l. vnic. C. de in integrum restit. l. penult. C. de auctorit. tut.* Docent pluribus relatis Paz *in praxi, tomo 1. 4. p. cap. 3. num. 9.* Garcia *de nobilit. gloss. 6. §. 2. num. 17.* Rodriguez *de executione, cap. 6. num. 7.* Parladorius *lib. 2. rerum quotid. cap. finali, §. 11. num. 53.* Carleuallius *de iudiciis tomo 2. tit. 3. disp. 16. ex num. 28.* Sed omissâ eâ quæstione, quando videlicet per restitutionem in vim, seu modum actionis, exceptionisve oppositam, impediatur restitutio, quam examinat Carleual. *vbi suprà*, huic difficultati duplici modo satisfieri potest, primò asserendo in præsenti casu, non obstante restitutionis petitione, sententiam executioni mandari, quia procurator restitutionem petierat ex malitia; atque ideo executionem non differri, ne ipse ex malitia sua commodum reportaret, vt docuit Canisius *in præsenti.* Secundò responderi valet in præsenti casu, per restitutionis petitionem non suspendi executionem sententiæ, quia lata erat à Principe, & ob restitutionem petitam contra sententiam Principis, executio sententiæ non impeditur, *l. minor 18. §. 1. ff. de minor.* docent Couarr. *in practicis, q. 25. num. 7.* Lancelottus, & alij congesti à Carleual. *dict. tomo 2. tit. 3. disp. 17. num. 49.* Osualdus *ad Donellum lib. 21. comment. cap. finali, littera D.*

COMMENTARIVM.

9. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX his duabus decisionibus communiter talis deducitur assertio: *In integrum restitutio conceditur Ecclesiæ contra sententiam latam etiam à Principe.* Probant eam textus *in cap. 1. & 2. hoc tit. lib. 6. cap. sententiam, 35. quæst. 9. cap. veniens, 36. quæst. 9.* Per argumentum confirmant eam textus *in l. ait Prætor, §. sed in iudiciis, & in §. vlt. l. minor 18. §. 1. l. etiam 29. §. 1. l. tutor 47. ff. de minor. l. 1. 2. & 3. C. si aduersus sententiam, l. 2. C. si tutor, vel curator, l. vlt. ff. de in integrum restit. l. finali, C. de temporibus in integ. l. 1. C. si sæpius in integrum restit. l. si mater 11. in princip. ff. de exceptione rei iudic. l. de ætate, §. ex causa, ff. de interrogat. in iure faciendis, l. 6. tit. 25. part. 3.* Illustrant Mauricius *de in integrum restit. cap. 192.* Sfortia *eod. tract. part. 2. quæst. 72.* Caldas *in l. si curatorem, verbo Implorare, num. 46. Cod. de in integr. restit.* Morla *in emp. part. 1. tit. 5. quæst. 3. num. 11.* Gomez *lib. 2. var. cap. 14. n. 5.* Duarenus *ad titulum C. si aduersùs sentent.* Donellus *lib. 21. comment. cap. 11.* vbi Osualdus *litt. F.* plures congesti à Barbosa *in rubric. Cod. si aduersus sentent.* Vulteius *lib. 4. de iudiciis, cap. penult.* Garcia *de nobilit. gloss. 6. §. 2.* aliis relatis Azeuedo *in l. 4. tit. 10. lib. 4. recopil. num. 6.* Carrasco *ad leges recopil. tract. 1. de casibus Curiæ*, Desiderius Heraldus *lib. 1. de auctorit. rei iudic. cap. 4.* Salgado *de protectione, part. 4. cap. 7. num. 36.* Pichardus *in manuduct. 4. part. §. 7. num. 6.* Lancelottus *de attentat. p. 2. c. 14. num. 21.* Noguerol. *allegat. 12. n. 38.* Silua responsorum *quæst. 15. num. 39.* Leon *decisione 166. per tot.* Gibalinus *tom. 1. de negot. lib. 3. cap. 4. art. 3. §. 2. num. 32.* Moëz *in dict. cap. 1. & 2. hoc tit. lib. 6.*

10. ADDVCITVR DVBITANDI RATIO.

Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Post rem iudicatam amplius quæri non potest, nisi an iudicatum sit, *l. post rem, ff. de re iudic.* & ideo omnes parère debent sententiæ, siue iustæ, siue iniquæ, *l. penult. ff. de iustit. & iur. l. seruo 65. §. cùm Prætor, ff. ad Trebel. l. diem 27. §. stari, ff. de receptis arb. l. 3. tit. 32. part. 3.* Vnde labefactari, aut vllo modo irritari postea non potest, vt sic finis litibus imponatur, *l. singuli 6. ff. de excep. rei iudic.* mirè ad rem Cicero in oratione pro Cluentio: *Rem iudicatam labefactare conari imprudentia est.* Et ipse vt defenderet Syllam fratrem suum, qui arguebatur rem iudicatam instaurasse, ait in oratione pro Sylla: *Nec ego tantum fraterno amori dandum arbitror, vt quicquam de salute suorum consulat, communem derelinquat.* Cassiodorus *lib. 1. epist. 5. In immensum trahi non decet finita litigia; quæ enim dabitur discordantibus pax, si nec legitimis sententiis acquiescitur? Vnus enim inter procellas humanas portus instructus est, quem si homines feruida voluntate prætereunt, in vndosis iurgiis semper errabunt.* Plura Desiderius Herald. *de auctorit. rei iudic. cap. 1.* igitur nec prætextu læsionis, restitutione petitâ,

petitâ, sententia infirmari debet, cùm Reipublicæ expediat, rem iudicatam executioni mandari, vt probant Iustus Lipsius *lib. 2. ciuilis disciplin. cap. 11.* Marquez *in gubernatore, cap. 8. in fine.* Quare licèt constitutiones, & priuilegia tyrannorum infirmentur, *l. decernimus 16. C. de sacrosanct. Eccles. l. omne iudicium 6. C. Theodos. de infirmandis his, quæ sub tyranno*; tamen sententiæ ab eo prolatæ defenduntur, *l. valeat 9. C. Theodos. eod. tit.* plura Parexa *de instrument. edit. tit. 1. resol. 6. num. 253.* Vulteius *de iudiciis lib. 3. cap. 12.* Accedit nam sæpe sæpius repetitum est in hoc titulo, remedium restitutionis tanquam extraordinarium non competere vbi suppetit ordinarium, *l. in causa 16. ff. de minor.* sed Ecclesiæ læsæ in sententia competit ius appellandi, nec ei fatalia tempora ad appellandum currunt, *l. vlt. C. in quibus causis restit.* igitur per viam appellationis, non verò restiturionis in præsenti casu infirmanda erat sententia.

II. RES IVDICATA QVOMODO INFIRMETVR.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, ad cuius expositionem sciendum est, quod licèt sententia, quæ in rem iudicatam transiuit, ius faciat, & pro veritate habeatur, *cap. bonæ 23. §. nos igitur, de elect. cap. in præsentia 6. de probat.* adeo vt si factum infectum iudex pronuntiauerit, sententiæ standum sit, vt in specie textus *in l. si patronus 12. §. si quis 3. ff. de bonis libert. l. sed si 3. §. 3. ff. de rebus eorum, l. 3. ff. de liberis agnosc. l. qui repudiantis 17. §. vlt. ff. de inofficioso testamento*, & aliis, quas exponunt Desiderius Heraldus *lib. 2. de auctorit. rei indic. cap. 1.* Petrus Faber, Gothofredus & Bronchorst. *in l. rescindi 207. ff. de R. I.* A. Faber *in Papin. tit. 1. princip. 1. illat. 2.* Treutlerus *vol. 2. disp. 23. thesi 5. per totam*, Valentia *tomo 2. illustr. tract. 2. cap. 5. & 8.* Roder. Suarez *in d. l. post rem, ff. de re iudic.* tamen aliqui sunt casus, in quibus adhuc res iudicata retractari valet, & de nouo controuersia agitari. Omitto peculiares modos rescindendi rem iudicatam, quos iuxta ius Atticum refert, & illustrat Desider. Heraldus *d. lib. 4. de iudiciis, cap. 3.* Primum remedium apud omnes admissum est, si error calculi in sententia detur, vt si cùm actor peteret duas pecuniæ summas, aliam centum, quinquaginta aliam, iudex pronuntiauerit in hunc modum: *Reum condemno in vtramque summam, quæ importat ducenta.* Tunc enim sententia rescindi potest, *l. 1. §. 1. ff. quæ sententiæ, l. 19. versic. Mas si el yerro, tit. 22. partit. 3. l. 4. tit. 26. eadem part.* Signanter dixi, in sententia fuisse expressum errorem; nam aliàs si tantùm errorem implicitè contineat, non reuocatur sententia, si transierit in rem iudicatam, *l. 2. C. de apochis publ. lib. 10. l. vnica, Cod. de solut. ciuitat. lib. 11.* quo modo accipiendus est textus *in l. 1. C. de errore calculi.* Secundò vbi animæ periculum versatur, potest res iudicata retractari, vt contingit in sententia lata in causa matrimonij, quæ nunquam transit in rem iudicatam, *cap. tenor, cap. lator, de re iudic.* ob eandem etiam rationem sententia lata super vsuris retractari valet; nam cum animæ periculo & dispendio hoc crimen admitti non valet, vt docent P. Barbosa *in l. Titia 35. num. 54. ff. solut. matrim.* Sfortia *de in integrum restit. 2. p. quæst. 73.* Felicianus *de censibus lib. 2. cap. 1. num. 24.* Gaspar Rodriguez *lib. 1. de annuis reddit. cap. 16. & 17.* Leotardus *de vsuris q. 99.* Tertius casus, in quo post rem iudicatam adhuc nouæ disceptationi locus est, contingit cùm sententia notoriam iniquitatem continet, *cap. inter cæteras, de re iudic.* quod euenit non solùm cùm contra ius expressum lata est, quo casu ipso iure sententia non subsistit, *cap. 1. de re iudic.* verùm & si constet iudicem per sordes, & pecuniâ corruptum eam dixisse, *l. venales 7. Cod. quando prouocare, l. 1. & 2. Cod. de pœna iudicis, leg. si filius 15. §. 1. ff. de iudiciis, leg. 13. tit. 11. partita 3.* docet Parladorius *lib. 2. rerum quotid. cap. vlt. §. 1.* Item si contra rem iudicatam iterum iudicetur, *l. 1. C. quando prouocare.* Si sententia impossibilitatem contineat, *l. 4. Cod. qui satisdare cog. l. vlt. ff. quæ sententia, l. si homo 69. ff. de V. O.* vel si iudicatum sit ex falsis instrumentis, vel testium depositionibus, *l. Diuus 33. ff. de re iudic. l. 1. & per totum Cod. si ex falsis instrum.* Desider. Heraldus *dict. l. 2. cap. 5.* Et si lata sit sententia à iudice iurisdictionem non habente, *l. vlt. ff. de iurisdict. l. cùm his 6. Cod. quando prouocare.* Tandem quoties ex ipso processu constat de nullitate, vt si citatio, vel alia requisita substantialia desint, vt latè prosequuntur Torreblanca *lib. 15. iuris spirit. cap. 12. per totum*, Couar. *lib. 1. variar. cap. 1.* Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 120.* Parladorius *dict. 1. p. §. 2.*

Sed vt propiùs ad præsentem decisionem accedamus, sciendum est, per restitutionem in integrum maioribus competentem ex generali clausula, *si qua mihi iusta causa esse videatur*, aut minoribus ex edicto de minoribus, posse rem iudicatam retractari, & causam semel sopitam disceptari, *l. 2. & 10. tit. vlt. part. 6.* Cùm enim Prætor polliceatur se restituturum omne, quod in perniciem minorum gestum fuerit, *l. ait Prætor 7. ff. de minor.* & gestum dicatur non solum negotium, quod extra iudicium celebratur, verùm & quod in iudicio disceptatur, *l. 3. §. idem 11. l. sed si noua, in fine, ff. de peculio*; ideo ob læsionem in iudicio obuenientem restitutio competit, *l. ait Prætor, §. sed in iudiciis, ff. de minoribus:* de læsione in aliis partibus iudicij, veluti lapsu termini, editione instrumentorum, iam egi *in cap. 2. & 3. hoc tit.* in præsenti tantùm agitur de damno minori, aut Ecclesiæ obueniente ex sententia, quæ iam transiit in rem iudicatam; & notum est aduersùs eam, postquam tempus ad appellandum elapsum est, nullum remedium ordinarium competere: non noua probatio, *l. 4. ff. de re iudic.* non supplicatio, *l. vlt. C. vt lite pendente:* nec Principis rescriptum, *d. l. vlt.* minoribus tamen, & illis personis, quibus restitutio in integrum competit, illa conceditur contra sententiam à Principe, aut eius Præfecto vice illius iudicante, siue à iudice inferiore prolatam, *l. 3. C. si aduersùs rem iudic.* si autem sententia lata sit post legitimam ætatem, non potest minor petere restitutionem, ex eo, quod iudicium cœptum fuerit in minori ætate, *l. 1. C. si aduersus rem iudic.* vbi pro illis verbis, *si tempore iudicij*, legendum esse *tempore iudicati*, iam notauit Gibalinus *vbi suprà.* Præsens tamen doctrina accipienda est cum hoc discrimine, vt contra sententiam ab inferiore iudice prolatam restitutio impetretur ex eisdem actis ob iniquitatem sententiæ, *l. 4. l. Præses, l. eum 46. ff. de minoribus, l. 2. C. si aduersùs rem indic.* Contra sententiam verò à Principe prolatam conqueritur minor, non de iniquitate sententiæ, sed potiùs de dolo aduersarij, aut

12. DE IN INTEGRVM RESTIT.

se ob ætatis lubricum deceptum esse, *leg. minori* 18. *l. minor* 25. *ff. de minoribus:* notarunt Gutherus *lib.* 1. *de officiis domus, cap.* 29. Duarenus, & Vvesembechius *ad titulum C. si aduersus sententiam:* siue minor præsens, siue absens damnatus sit ob eremocidium, *l. ait Prætor* 7. §. *vlt. ff. de minoribus:* magna autem est apud forenses controuersia, vtrum videlicet hodie attentâ lege 4. *tit.* 17. *lib.* 4. *recopil.* præclusum sit remedium restitutionis in integrum contra sententiam latam in gradu reuisionis? Et excluſum non esse, docuerunt Molina *de primogeniis lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 65. Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 3. *ordinamenti*, Matienzo *in l.* 8. *tit.* 11. *lib.* 5. *recopil. gloſſa* 12. *num.* 6. *&* 7. Caldas *in l. si curatorem, verbo implorare, num.* 45. Gutierrez *lib.* 2. *practic. q.* 88. *num.* 3. *& lib.* 3. *q.* 31. *num.* 15. alij, quos referunt, & sequuntur Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 37. *num.* 27. Torreblanca *de iure spirit. lib.* 15. *cap.* 12. *num.* 106. Contrariam tamen sententiam, videlicet remedium restitutionis contra sententiam reuisionis, præcipuè post declarationem factam comitiis publicatis anno 1610. *cap.* 22. vbi deducta fuit lex finalis, *d. tit.* 17. *lib.* 4. *recopil.* rectiùs tenuerunt Azeuedo *in dict. leg.* 4. *num.* 5. *&* 11. Bobadilla *lib.* 3. *politicæ, cap.* 8. *num.* 209. Carrasco *ad recopil. de casibus Curiæ, tract.* 2. *per totum.*

13. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quibus ita animaduersis facilè cognoscitur ratio præsentis decisionis; nam cùm minoribus læsis competat restitutio in integrum aduersus sententiam, ex iuris testimoniis suprà citatis; & Ecclesia fruatur iure minoris, *cap.* 1. vbi dixi, *hoc tit.* ideo illi tanquam minori debet competere beneficium restitutionis in integrum contra sententiam etiam à Pontifice latam. Competit autem hoc beneficium Ecclesiæ, vt competit minori, videlicet vt sicut minor læsus, qui omisit defensionem, aut allegationem, restituitur ad causam, *l. vlt. C. de in integrum restit.* ita Ecclesia enormiter læsa, in allegationibus, seu defensionibus restituatur ad causam: & sicut minor læsus in appellatione omissa tantùm restituitur ad appellandum, *l. ait Prætor* 7. §. *penult. l. si ex causa* 9. *ff. de minor.* ita Ecclesia læsa in appellatione non interposita restituitur ad appellandum: tandemque sicut minor læsus in sententia diuersa capita continente, in vno læsus, ad illud tantùm restituitur, *l. etiam*, §. 1. *ff. de minor.* ita Ecclesia contra sententiam, in qua læsa est in vno tantùm capitulo, in eo restitui debet, cùm tantùm reddat restitutio, quantùm abstulit læsio, vt suprà probaui *in cap.* 1.

14. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat iam dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt sententia, quæ transit in rem iudicatam, pro veritate habeatur; tamen si ex ea læsio sequatur, nihil impedit restitutionem dari, cùm ex speciali ratione, & cum causæ cognitione concedatur Ecclesiæ, vt conceditur minori. Nec obstat augmentum huius difficultatis, cuius maiorem ineptissimam propositionem dixit Duarenus *ad titulum C. si aduersus rem iudic.* & consequentiam omnino esse negandam, & quidem verè; nam si remedium vberius est restitutionis in integrum, quàm appellationis, ideo non debet hoc remedium negari minoribus, quibus ius appellandi competit, vt ipse Duarenus ratiocinatur. Accedit, nam restitutio in integrum datur etiam contra sententiam prolatam à Principe, à qua non licet appellare; & etiam datur contra sententiam, à qua intra tempus ad appellandum præscriptum appellatum non fuit: igitur rectè hoc remedium conceditur Ecclesiæ, quæ fruitur iure minoris.

15. EXPONITVR L. FINAL. C. SI ADVERSVS LIBERT.

Sed adhuc præsenti assertioni opponi potest textus *in l. finali, C. si aduersùs libertat.* vbi cùm in causa libertatis contra minorem sententia lata esset, ex qua læsio illi contingit, affirmant Imperatores, aduersus eam sententiam restitutionem in integrum concedi non posse; per appellationis tamen remedium eam rescindi valere. Ex quo textu apertè deducitur, restitutionem in integrum non concedi aduersùs sententiam latam contra minorem; & tamen ab ea sententia appellari posse: igitur quia vberius remedium est pellationis, quàm restitutionis, contra suprà dicta. Augetur hæc difficultas *ex lege* 1. *C. eodem tit.* vbi aduersùs sententiam in libertatis causa prolatam datur restitutio: igitur non rectè in dicta lege finali denegatur. Primæ difficultati satisfaciendum est asserendo restitutionem in integrum non competere aduersus libertatem, *l. si ex causa*, §. *vlt. cùm legibus sequentibus, ff. de minoribus*, vbi Ant. Faber. Cuiacius *lib.* 1. *ad edictum Pauli, in l. nisi* 19. *ff. eodem tit.* Duarenus *ad titulum C. si aduersùs libert.* tum propter fauorem libertatis, tum quia libertas semel competens retractari non potest. Vnde contra sententiam, per quam quis liber pronunciatus est, minor petens restitutionem, non auditur; ipse tamen ab ea appellare valet. Discriminis ratio ex eo prouenit, nam appellando conqueritur de iniquitate sententiæ, & sic audiendus est: cùm verò restitutionem petit, conqueritur de errore proprio, cuius prætextu libertatem rescindi petit, & sic non est audiendus: ita Duarenus *in d. l. vltima*, quem sequitur Osualdus *lib.* 21. *comment. cap.* 12. *littera B.* Nec obstat dicta lex 1. nam discrimen est constituendum inter eum casum, in quo aliquis liber pronunciatur; & inter eum, in quo tantùm seruum manumittendum esse declaratur. Primo casu restitutio non competit contra eam sententiam, quia competeret contra libertatem, quæ iam adepta fuit. Secundo verò casu datur restitutio, quia conceditur contra libertatem, quæ debetur, sed adhuc non competierat, vt docent Duarenus *in d. l.* 1. Sarmientus *lib.* 1. *select. cap.* 14.

16. INTELLIGITVR L. EVM 46. DE MINORIBVS.

Secundò opponitur textus *in lege eum* 46. *ff. de minoribus*, in illis verbis: *Ex quo apparet, nec eum, cuius nomine condemnatus est, auxilium restitutionis propter eam sententiam implorare posse.* Ex quibus deducitur, minorem aduersùs sententiam non restitui, etsi enormiter lædatur, vt in eo textu contingebat; siquidem defensor habebat actionem negotiorum gestorum. Huic difficultati satisfaciendum est asserendo restitutionem aduersus sententiam minori concedi, cùm sententia contra ipsum lata est contra eius tutores, aut procuratores; quia tunc in ipsius bonis sententia exequitur, *l.* 4. *ff. de re iudic.* Si verò aliquis propriâ voluntate sine mandato liti se obtulerit tanquam defensor, & condemnatus fuerit, minor non restituitur, quia non in ipsum, sed in defensorem sententia exequitur. Nec defensor propria voluntate iudicium suscipiens habet vllam actionem contra minorem, cùm inutiliter negotia gessisset, ideoque *in dict. leg. eum* 46. nec ipse defensor, quia maior erat, nec minor, quem defendebat, quia læsus non reperiebatur, habent beneficium restitutionis,

vt

vt docent Cuiacius *lib. 1. respons. Pauli:* Faber *in rationali ipsius textus*, Duarenus *ad titulum C. si aduersus sentent. circa medium.*

17. EXPONITVR LEX AIT PRÆTOR, §. 2. ff DE MINORIBVS.

Tertiò aduersatur præsenti assertioni textus *in l. ita Prætor 7. §. 2. versic. Permittitur, ff. de minor.* vbi docetur, aduersùs solutionem ex decreto Præfidis factam minorem non restitui, etsi læsus sit: igitur quia contra sententiam non datur restitutio, siquidem non datur contra decretum iudicis. Augetur hæc difficultas ex eo, nam aduersùs alienationem prædiorum à minore factam, etiam cum decreto Prætoris, competit restitutio, *l. siquidem 11. C. de prædiis minorum:* igitur & contra solutionem ex decreto Prætoris factam in ea specie restitutio dari debebat. Pro cuius textus expositione dicendum est, in eo non agi de restitutione concedenda aduersùs sententiam latam contra minorem, sed de restitutione impartienda aduersus solutionem factam à debitore ex decreto Prætoris. Quo casu restitutio non competit, licèt in casu alienationis prædiorum concedatur. Ratio discriminis est, nam qui ex decreto soluit, compulsus soluit: at verò, qui etiam cum decreto contraxit, voluntariè contraxit: vnde contra debitorem inuitum soluentem non competit restitutio; at verò contra ementem, etiam ex decreto Præsidis, conceditur, si minor in alienatione læsus sit, vt docent Faber *in dicto vers. Permittitur.* Donellus *lib. 21. comment. cap. 11.* vbi Osualdus *littera Q.*

CAPVT VII.

Honorius III. *Archiepiscopo* [a] *Bracharensi.*

COram fel. memoriæ I. Papa prædecessore nostro lite inter ven. f. nostrum Archiepiscopum Toletan. & te, frater Archiepiscope, super Primatia solenniter contestatâ, fuit peremptorius terminus assignatus. *Et infrà:* Verùm elapso termino constituto, post expectationem non modicam comparuerunt dilecti f. Magister Scholarum, & Magister D. Canonici Bracharen. vestras nobis litteras præsentantes, quibus eos esse procuratores vestros in causa prædicta (ita quod in solidum vterque) apparebat: sed quia, vt dicebant, non attulerant depositiones testium, & alia munimenta, dilationem cum instantia postularunt. Postquam verò contra eos interlocuti fuimus super dilatione petita, tandem indulgeri Ecclesiæ Bracharensi dilationem propter instructionem causæ, per auxilium restitutionis in integrum postularunt, exhibentes super hoc ex parte nostra speciale [b] mandatum. Nos autem de f.n. consilio vsque ad octauas Pentecostes proximè futuras, per restitutionis beneficium id vobis duximus indulgendum.

NOTÆ.

1. a *Bracharensi.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* ex qua textum hunc transcribo. Brachara vrbs celeberrima est Lusitaniæ, re & cognomento Augusta, cuius meminerunt Ptolomeus *lib. 2. cap. 10.* Plinius *lib. 4. cap. 6.* Ausonius *de claris vrbibus, epigram. 9.*

Quæque sinu pelagi iactasse Brachara dicues.

Henricus Coqueus *in Hispania*, ibi:

Brachara dicues agri, Galecus nobilis olim
Conuentus retinens Augusto nomen ab ipso.

Habet Ecclesiam Cathedralem iam à temporibus D. Iacobi, qui in ea ordinauit Beatum Petrum Primum eius Episcopum, vt refert Flauius Dexter *in chron. anno Christi 37.* ibi: *Nam & Iacobus Sanctus Apostolus Zebedæi filius, peragratis vrbibus Hispaniæ, multisque erectis Ecclesiis, & Episcopis creatis, Petrum Bracharæ primùm reliquit Episcopum.* Vbi notauit Viuar. *pag. 56.* Plura de ipsius Ecclesiæ origine & dignitate tradunt Acuña *in hist. Bracharensi:* & de Primatu ipsius Ecclesiæ *cap. 12.* Tamayo à Salazar *tomo 1. Martyrol. Hispan. die 1. Februarij*, & *tomo 2. die 9. 12. & 16. Aprilis.*

2. TEXTVS HISTORIA REFERTVR.

Vt hæc Honorij III. decisio faciliùs percipiatur, sciendum est, valde controuersum esse apud Hispanæ historiæ scriptores, iurisque Interpretes, vtrum Primatus Hispaniæ iam à primis Ecclesiæ sæculis esset penes Præsulem Toletanum, an verò penes Bracharensem? Et in Ecclesia Toletana ius Primatiæ per totam Hispaniam fuisse iàm à primis Ecclesiæ sæculis, variis priuilegiis, Pontificumque decretis, & historicorum auctoritatibus probarunt D. Garsias Loaysa *in notis ad decretum Gundemari, in Concil. Hispal. pag. 300.* Anast. Germon. *lib. 1. de sacrorum immunit. cap. 5. num. 8.* Franciscus de Pisa *in historia Tolet. lib 4. cap. 17.* Ambr. Morales *lib. 9. cap. 7.* Illescas *in hist. Pontif. lib. 4. cap. 75.* Tamayo de Barg. *ad Flauium Dextrum, noued. 6. pag. 102.* Rodericus Caro & Viuar. *ad Flauium Dextrum, vbi suprà:* idem Viuar. *ad ipsum, anno 569. num. 2.* Philippus Berterius *diatrib. 2. cap. 4.* Cuiacius *in cap. finali, de dolo & contum.* Manrique *de præcedentiis, quæst. 4. num. 8.* D. Didacus de Castejon Castellæ Præsul, *de Primatu Toletano*, Sahabedra *in Coron. Goth. fol. 307.* Mariana *de rebus Hispaniæ, cap. 19.* Durantius *ad Speculat. tit. de dispensat. §. sunt quoque*, Franciscus de Bargas *contra Brachar.* Porto Carrero *cap. 1. de la vida de San Ildefonso*, Petrus Marcha *de Primatu Lugdun. num. 125.* perdoctus Marchio de Agropoly *dissert. 4. Eccles. cap. 3.* Rousselius, seu idem Marcha *lib. 2. hist. Pontif. iurisd. cap. 2. num. 14.* & *lib. 4. cap. 6. num. 11.* Salazar, Prudentius à Sandoual, & alij laudati à Quintanadueñas *en los Santos de Toledo, 1. p. cap. 1.* Pro Primatu Bracharensi doctè, & neruosè decertarunt D. R. de Acuña *in tract. de Primatu Brachar.* & *in cap. prouinciæ, dist. 99.* Sebast. Cæsar *de Ecclesiast. Hierarch. disput. 4. §. 5.* Barbosa *in præsenti*, & *de potest. Episcopi, tit. 1. cap. 5.* & *tit. 3. cap. 8.*

Azor, & Bernardus Brito laudati à Cæſare vbi ſuprà; eorum fundamenta referre, & diſputationem proſequi, inſtitutum non patitur. Si quid tamen mei iudicij eſſet in hoc Interpretum diſſidio, crederem, ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſque tempora non ſemper in vniuerſa Hiſpania Primatum fuiſſe penes Præſulem Toletanum, nec Bracharenſem Eccleſiam, victis Sueuis, ius Primatiæ amplius retinuiſſe. Deuaſtatâ enim Hiſpaniâ, & à diuerſis gentibus occupatâ, ſcilicet Bœtica à Vandalis, Gallecia à Sueuis, Carpentania ab Alanis, in qualibet prouincia proprius Primas erat. Bœticæ Archipræſul Hiſpalenſis; Carpentaniæ Toletanus; Sueuorum Bracharenſis: poſtea tamen à Gothis victis Romanis, expulſiſque Vandalis, & Sueuis tantùm Primas Toletanus remanſit in Hiſpania, & poſt deuaſtationem Africanorum ipſa Imperiali vrbe recuperatâ, in perſona Bernardi eius Archipræſulis, ius Primatis confirmatum fuit ab Vrbano II. & eius ſucceſſoribus, quorum litteras referunt Loayſas, & Caſtejon *vbi ſuprà*. Demùm hoc ius Primatis vindicantibus Archiepiſcopis Bracharenſi, Hiſpalenſi & Compoſtellano in Concilio Lateran. ſub Innoc. III. celebrato, Rodericus Archiepiſcopus Toletanus ius Primatus obtinuit, vt conſtat ex actis ipſius Concilij relatis à Caſtejon & Loayſa vbi ſuprà, refertque Saabedra *in Coron. Goth. in Gundemaro, pag.* 307.

3. PROSEQVITVR HISTORIA.

Sed adhuc ſub ipſo Innoc. III. controuerſia inſtaurata fuit inter Stephanum Siluium virum acris ingenij, Archiep. Bracharen. & Don Rodericum Ximenium Tolet. vt conſtat *ex lib.* 13. *epiſt. ipſius, epiſt.* 5. & cùm Innocentius partibus præſcripſiſſet pro termino feſtiuitatem omnium Sanctorum, Honorius III. eius ſucceſſor hoc confirmauit, & eundem diem aſſignauit: ſed eo elapſo, procurator Archiepiſcopi Toletani, ex eo quod Siguntinus Canonicus Toletanus miſſus ad teſtes recipiendos inſufficiens à Canonicis declaratus fuit, aliam dilationem, ſeu termini prorogationem poſtulauit; quod & ſimiliter Archiepiſcopus Bracharenſis petebat. Sed Honorius nouam temporis dilationem denegauit, vt conſtat *ex cap.* 3. *de dilat. in* 5. *compil.* vbi Archiepiſcopo Toletano ita ſcribit: *Te, ac Ioanne Brachar. clerico procuratore ven. f. n. S. Archiepiſcopi Brachar. in noſtra præſentia conſtitutis, idem procurator terminum tibi, & præfato Archiepiſcopo, eiuſque Capitulo in cauſa, quæ ſuper Primatia inter te, ac eoſdem vertitur, à fel. memoriæ I. Papa prædeceſſore noſtro peremptoriè aſſignatum, & poſtmodùm approbatum à nobis, proximum feſtum omnium Sanctorum, petiit prorogari, & dari ſibi ad producendos teſtes inducias largiores, pro eo, quod I. Siguntinus Canonicus Toletan. quem procuratorem ad eorum præſentiam, quibus commiſſa fuit receptio teſtium, deſtinaſti, iudicatus fuit inſufficiens ab eiſdem. Nos ergo attendentes, quod ipſi receptores teſtium in ſuis litteris teſtabantur expreſsè, quod idem procurator eis in itinere, tanquam procurator neceſſaria miniſtrauit, & productioni teſtium multorum interfuit, ac etiam præſtare voluit fideiuſſoriam cautionem rem ratam omnibus modis habiturum: ipſe verò Archiepiſcopus id acceptare non curans, recuſauit plures teſtes producere ab his receptoribus requiſitus: eiuſdem procuratoris petitionem de f. n. conſilio non duximus admittendam, tibi præſentes litteras in huius rei teſtimonium concedentes, ne occaſione huiuſmodi alicui poſſes in poſterum diſpendio ſubiacere.* Huius ſententiæ meminit Honorius in præſenti, in illis verbis, *poſtquam verò contra eos interloquuti fuimus.* Poſtea tamen ex indulgentia reſtitutionem conceſſit, & terminum ad probationem prorogauit vſque ad octauam Pentecoſtes, vt in calce huius textus refertur: deceſſit autem Honorius III. ſententiâ non prolatâ; imò & lis protracta fuit vſque ad tempora Martini quinti, qui ius Primatis in tota Hiſpania Archiepiſcopo Toletano conceſſit, vt referunt Loayſas, & Caſtejon *vbi ſuprà*, Spondanus poſt Baronium *anno* 1413. *numer.* 4. Mariana *lib.* 6. *hiſt. Hiſp. cap.* 20. Cironius *in d. cap.* 3. *de dilationibus.*

4. RESTITVTIO SINE MANDATO SPECIALI NON IMPETRATVR.

b *Mandatum ſpeciale.*] Certum eſt, procuratorem generalem, cui omnium bonorum adminiſtratio conceſſa eſt, vniuerſa mandantis negotia gerere poſſe, *l. in actione, §. renuntiare, ff. pro ſocio, leg. ſed ſi vnus, §. procurator, ff. de iniuriis, l. item veniunt, §. petitam, ff. de petit. hæredit. cap. qui generaliter, de procurat. in* 6. exceptis illis, quæ mandatum poſtulant ſpeciale, vt ſuſpecti tutoris accuſatio, *leg. non ſolum* 39. *§. finali, ff. de procurat.* iuramenti delatio, *leg. iuſiurandum* 15. *§. procurator*; impetratio reſcripti iuſtitiæ, *cap. nonnulli, §. ſunt, ff. de reſcriptis*; tranſactio, *leg. mandato* 60. *ff. eod. titul.* compromiſſum, *cap. per tuas, de arbitris*; remiſſio pignoris, *leg. ſi conſenſerit* 7. *§. videbimus, ff. quibus modis pig. ſoluitur*; ſolutio per acceptilationem, *leg.* 3. *ff. de acceptil.* impetratio interdicti de liberis exhibendis *l.* 3. *ff. de liberis exhibendis, l. Pomponius, in principio, ff. de procurat.* tandem causâ reſtitutionis in integrum ex hoc textu, & lege *Pomponius, §. finali, ff. de procurat. leg. illud* 25. *§. ſi talis, leg. patri, ff. de minoribus, leg.* 15. *tit.* 5. *l.* 2. *tit.* 25. *partit.* 3. vbi Gregorius: docent Barboſa *in præſenti, num.* 6. Silua Reſponſorum *reſponſ.* 13. *num.* 3. Mancius *de procuratoribus, tit.* 3. *num.* 218. eſt enim petitio reſtitutionis res magni præiudicij, quia per eam reſcinditur contractus, & negotium iam perfectum retractatur, iuſque alteri quæſitum aufertur: quare tanquam ad arduum negotium, mandatum ſpeciale deſideratur, vt docent Mauricius *de in integrum reſtit. cap.* 23. *numer. fin.* Caldas Pereyra *in leg. ſi curatorem, verbo implorando, numer.* 5. Nec contrarium probat textus *in cap. conſtitutis, hoc titulo*, in illis verbis: *pro ſe ac fratre ſuo.* Ex quibus deducitur, fratrem in cauſa fratris abſque mandato poſſe reſtitutionem petere. Cui difficultati vt ſatisfaciat gloſſa in eo textu, exiſtimat, fratrem in ea ſpecie potuiſſe ſine mandato reſtitutionem petere, quia perſona coniuncta, vt eſt frater, etiam ſine mandato in iudicio admittitur, vt probaui *in cap. conſtitutis, de procurat.* Sed hæc ſolutio refellitur expreſsè *ex dict. l. patri, ff. de minoribus*, vbi excepto patre nullus alius cognatus, affiniſve admittitur ad petendam in integrum reſtitutionem. Etiam conuincitur ex lege *qui hominem* 3. *§. gener, ff. de ſolutionibus*, iuncta lege *non ſolùm, ff. ſoluto matrim. leg. qui alieno, §. quamquam, ff. de negotiis geſtis:* vbi probatur, in pluribus caſibus etiam deſiderari ſpeciale

speciale mandatum in coniunctis personis: docuerunt latè Felinus *in dict. cap. constitutis, col. 2.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 6.* alij communiter vt satisfaciant, affirmant, fratrem admitti, quia socius litis erat, & qui consors eiusdem litis est, etiam sine mandato potest pro alio agere, cùm simul propriam causam prosequatur, *l. 2. C. de consortibus eiusdem litis.* Et si adhuc hæc solutio non placeat, responderi potest, in eo textu mandatum speciale præcessisse, licèt non exprimatur; quia principalis quæstio ipsius textus non vertebatur circa mandatum fratris adhibitum, vel non, vt ibi dicemus.

5. EXPONITVR CAP. SVSCITATA, HOC TIT.

Nec etiam obstat textus *in cap. suscitata, hoc tit.* vbi supponitur, in integrum restitutionem peti posse absque speciali mandato: igitur non rectè in præsenti Honorius affirmat speciale mandatum desiderari ad petendam in integrum restitutionem. Cuius textus difficultate oppressus Hostiensis in præsenti affirmat, in hoc textu mandatum speciale ex facto præcessisse, non autem necessarium esse. Sed hæc solutio satis refellitur ex verbis suprà relatis huius textus. Quare eâ solutione omissâ communiter Doctores, quos referunt, & sequuntur Couarruuias *lib. 1. var. cap. 6.* Canisius *in dict. cap. suscitata,* affirmant discrimen esse constituendum inter eum casum, in quo restitutio postulatur principaliter, & cùm petitur incidenter in ipsa lite: cùm principaliter petitur, mandatum speciale necessarium esse; cùm verò incidenter, illud non desiderari: quo casu affirmant procedere textum *in dict. cap. suscitata.* Sed hæc solutio etiam conuincitur ex præsenti textu, vbi non principaliter, sed incidenter in ipsa lite aduersùs omissam probationem beneficium restitutionis petebatur; & tamen asseritur, necessarium esse speciale mandatum: igitur distinctio suprà adducta sustineri non valet. His igitur omissis solutionibus, vt prædictæ difficultati satisfaciamus dicendum est, tutorem, & curatorem, œconomum, & similes habentes liberam administrationem, sine speciali mandato posse in integrum restitutionem petere, vt docent Abbas *in dict. cap. suscitata, num. 6.* Couar. *dict. cap. 6. num. fin.* Procuratorem verò tantùm ad litem constitutum, non posse in integrum restitutionem postulare; quare cùm textus *in dict. cap. suscitata,* procedat in syndico liberam administrationem habente, *cap. vnico, de syndico*; ideo potuit petere in integruum restitutionem absque speciali mandato: in hoc verò textu agitur de procuratore ad litem constituto, qui mandato speciali eget, vt restitutionem in integrum petere possit.

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR.

IN *cap. 1. hoc tit.* egimus de restitutione in integrum Ecclesiæ concedenda ob læsionem in contractibus contingentem: nunc pro expositione istarum trium decisionum agendum est de restitutione Ecclesiæ concedenda ob læsionem in iudicio sequutam. Sit ergo conclusio: *Ecclesia læsa ob defectum probationis, aut editionem instrumenti ob negligentiam procuratoris, iustè petit in integrum restitutionem, etiam contra aliam Ecclesiam.* Probant eam textus *in cap. tum ex litteris 5. hoc tit. cap. 1. & 2. eodem tit. lib. 6. Clement. vnica, eod. tit.* Per argumentum probant textus *in l. etsi sine, §. item, l. minoribus, cum lege sequenti, l. in causa 16. §. finali, cum lege sequenti, l. minor 37. l. Præses 42. ff. de minoribus, l. si causâ cognitâ, C. de transactionibus, l. 16. tit. 11. partit. 3. l. 1. tit. 19. partit. 6.* Illustrant Morla *in emporio, tit. 5. q. 5.* Maceratus *lib. 1. var. cap. 54.* Azeuedus *in l. 3. tit. 8. lib. 4. recopil.* Canisius *in cap. 2. & 3. hoc tit.* Paz *in praxi, 1. p. tit. 1. tempore 8. n. 213.* Pichardus *in manuduct. 1. p. §. 7. num. 4.* Moez *in cap. 1. hoc tit. in 6.*

Sed aduersùs hanc assertionem ita illustratam non leues expendi possunt difficultates. Prima ita conficitur. Cùm competit remedium ordinarium, extraordinarium cessat, *l. in causa 16. ff. de minoribus, l. 2. l. si quidem, C. de prædiis minorum:* sed cùm negligens est procurator in editione instrumenti, dominus habet mandati actionem aduersùs procuratorem, *l. si procuratorem, §. 1. ff. mandati, l. cùm mandatum, ff. de minoribus, l. & eleganter, §. si dolo, ff. de dolo:* igitur remedium extraordinarium in hac specie necessarium non est. Secunda nascitur ex eo, nam Ecclesia fruitur iure minoris, *cap. 1. vbi probaui, hoc tit.* Sed minor non restituitur aduersùs lapsum temporis, *l. Papinianus 20. ff. de minoribus,* aduersùs accusationem omissam, *l. auxilium 37. ff. de minor.* aduersùs tempus finiendi instantiam, *l. properandum, §. fin. C. de iudiciis*; imò minori currit tempus absque spe restitutionis, *l. 3. ff. ex quibus causis in possessionem, l. ea, quæ à patre 7. C. de restit. in litem:* igitur similiter propter lapsum termini probatorij Ecclesiæ restitutio in integrum dari nequit. Augetur hæc difficultas ex eo, nam post conclusionem in causa non debent admitti nouæ probationes propter periculum subornationum, & dolum futurum, qui speratur, *cap. fraternitatis 17. de testibus, Clement. 1. eod. tit.* igitur Ecclesia cum hoc periculo admitti non debet ad nouam probationem, etiam prætextu restitutionis in integrum. Tertia difficultas militat aduersùs vltimam partem, in qua asseritur, Ecclesiam aduersùs Ecclesiam posse petere in integrum restitutionem; nam priuilegiatus contra priuilegiatum non gaudet priuilegio, *l. verum 12. §. item quæritur, ff. de minor. l. finali, ff. ex quibus causis maiores, cap. fin. de ordin. cognit.* igitur Ecclesia contra aliam Ecclesiam iure minoris vti non potest, nec beneficium restitutionis impetrare.

7. IMPVGNATVR VARIIS DIFFICVLTATIBVS.

His tamen difficultatibus minimè refragantibus vera est suprà tradita assertio, cuius decisiua ratio ex eo prouenit; nam quidquid cum minore gestum est, ex quo eius læsio sequatur, per restitutionem in integrum est irritandum, ita vt læsus iuuetur beneficio restitutionis ad damnum auertendum, *l. 1. l. ait Prætor, ff. de minor.* vnde siue in contractibus, aliisve actibus extraiudicialibus; siue in iudicialibus læsus sit, habebit beneficium restitutionis, quia iniquum est, vt minori læso non succurratur, cùm absque culpa propria in damnum inciderit, *l. sed si per Prætorem, §. si feria, ff. ex quibus causis maior.* Sed Ecclesia, quæ fruitur iure minoris, læsa fuit in præsenti casu in iudicio, negligentiâ, seu facto procuratoris: igitur prætextu talis læsionis impetrare poterat beneficium restitutionis aduersùs probationem, seu instrumenti editionem omissam, vt contingit minori, *l. minor 37. ff. de minor.* Circa dilatoriam autem exceptionem, aut eius probationem omissam, an detur restitutio in integrum, apud Doctores non liquet.

8. TRADITVR DECISIVA RATIO.

Negant

Negant restitutionem dari Mauritius *de in integrum restit. cap.* 328. *num.* 7. Sfortia *eod. tract.* 2. *p. q.* 64. *artic.* 5. *num.* 36. Couarr. *practic. q.* 26. *num.* 4. Alij affirmant restitutionem eo casu competere. Sed in hoc dubio credo, eam distinctionem adhibendam esse; aut enim ex dilatoria exceptione omissa, seu eius probatione, Ecclesia enormiter læsa est, aut leuiter: si enormiter, competit restitutio; si verò leuiter, restitutio denegatur. Illud autem certum est, Ecclesiam læsam in probatione omissa debere petere restitutionem intra quadriennium à die publicationis testium computandum, ex lege 3. *tit.* 8. *lib.* 4. *recopil.* vbi notat Azeuedus *num.* 36. Etiam pro comperto est, minorem, Ecclesiamve non restitui aduersùs omissam probationem obiectionum contra testes, vel aduersùs ipsas obiectiones, vulgò *tachas.* Azeuedus *vbi suprà, num.* 32.

9. RESPONDETVR DIFFICVLTATIBVS.

Nec obstant iam difficultates suprà adductæ. Non prima; nam pro eius solutione ita distinguendum est. Aut enim procurator damnum intulit minori dolo, aut per negligentiam. Primo casu subdistinguendum est: aut procurator est soluendo, & non competit remedium extraordinarium minori, aut Ecclesiæ, vt argumento legis *& eleganter*, §. *si dolo*, *ff. de dolo*, docet Sfortia *de in integ. restit.* 1. *p. q.* 12. *art.* 9. *num.* 44. aut procurator non est soluendo, & tunc minori restitutio competit, vt tenet glossa *in d.* §. *si dolo.* Secundo verò casu, quando per negligentiam procuratoris præiudicium minori irrogatur, si sit procurator soluendo, non datur minori restitutio, *ex d. l. cùm mandatur, versic. Si autem, ff. de minor.* Si autem non sit soluendo, licèt communis opinio neget restitutionem in hoc casu competere, vt docent *in l.* 1. *C. de aduocatis diuers.* Albericus *num.* 4. Fulgosius *num.* 6. tamen existimo, quod si procurator præiudicium intulit minori, aut Ecclesiæ, & non sit soluendo, vel facilè conueniri nequeat, concedendam esse restitutionem, quia iniquum est, vt non succurratur ei, qui absque culpa sua in damnum incidit, vt iam docuerunt glossa *in præsenti, verbo Restitutionis*, & *in l. arbitrio*, §. *si cuius, ff. de dolo*, Mauritius *de in integ. restit. cap.* 3. *q.* 3. Sfortia *eod. tract. q.* 12. 1. *p. art.* 10. *num.* 64. Nec obstat secunda difficultas deducta *ex d.l. Papinianus* 20. *ff. de minor.* ideo enim in ea specie minor non restituitur aduersùs lapsum temporis, quia restitutionem intra legitimum tempus, idest intra quadriennium, non petiit, quam petere potuit per procuratorem, etiamsi absens, & exul fuisset; & hac de causa sibi imputare debuit, quare restitutionem in tempus non petierit. Nec etiam obstat textus *in d. l. auxilium* 37. nam licèt minor restituatur aduersùs læsionem sibi in iudicio contingentem; tamen aduersus accusationem omissam illi restitutio non datur, quia hoc auxilium executionibus pœnarum paratum non est, vt docent Faber *in eo textu*, Amaya *in l. vnic. C. de sententiis aduersus fiscum.* Nec etiam aduersatur textus *in d. l. properandum*, §. *finali*; nam cùm ex sententia sæpe sæpius in hoc titulo repetita, tantùm minor restituatur cùm læsus est, & in dicto §. finali agatur de minore, qui nullum damnum passus fuit; rectè asseritur remedium restitutionis illi non competere: Morla *vbi suprà, q.* 5. *in fine.* Nec tandem aduersantur textus *in l.* 3. *ff. ex quibus caus. l. quæ à patre*; nam textus illi procedunt in præscriptione cœpta contra auctorem, seu antecessorem ipsius minoris: quo casu, quia nihil cum ipso minore gestum est, in integrum restitutio ei non competit. Ita Morla *vbi suprà, num.* 17. Nec etiam refragatur tertia difficultas suprà expensa; nam licèt verum sit, quod quando datur dolus, aut timetur, restitutio non competit, *d. l. auxilium*; tamen minor, seu Ecclesia restituitur aduersùs omissam probationem, quia non præsumitur Ecclesiam, minoremve velle testes subornare, sed tantùm suam intentionem probare, in qua læsio dabatur; & sic ratione huius læsionis competit hoc beneficium. Nec obstat tandem vltima difficultas, pro cuius solutione sciendum est, priuilegiatum contra pariter priuilegiatum non gaudere priuilegio, quoties vtriusque priuilegia in eadem specie concurrunt, vt *in lege assiduis, C. qui potiores*, vbi priuilegium prælationis dotis non competit contra alium simile priuilegium habentem. At verò si priuilegiatus in specie concurrat cum alio priuilegiato in genere, efficaciter vtitur priuilegio suo, *l. finali, C. ex quibus causis maiores.* Quod contingit in præsenti casu; nam cùm generaliter Ecclesia sit priuilegiata, vt vtatur iure minoris, alia Ecclesia, quæ specialiter reperitur læsa in lapsu termini probatorij, habet restitutionem contra ipsam: & si priuilegiatus in genere concurrat cum alio priuilegiato in genere, præfertur ille, qui agit de damno vitando, illi qui agit de lucro captando, vt exponunt in terminis restitutionis Mauritius *de in integrum restit. cap.* 28. Sfortia *q.* 18. *art.* 4. Pereyra *in lege si curatorem, verbo Læsis, num.* 169. *C. de in integrum restit.* plures laudati à Barbosa *axiomat.* 190. Velasco *de priuileg. paup.* 1. *p. quæst.* 57. *num.* 59. & *quæst.* 3. *num.* 52.

10. INTELLIGITVR CAP. SVBORTA, DE RE IVDICATA.

Primò superiori assertioni obstat textus *in cap. suborta, de re iudicata*; vbi proponitur litem fuisse motam inter quoddam monasterium, & Episcopum diœcesanum. Monasterium intendebat se liberum esse à lege, & iurisdictione diœcesana, & immediatè Romanæ Sedi parêre, ex priuilegiis sibi concessis: iudex pronunciauit monasterium Episcopo proprio esse subiectum; cúmque adhuc monasterium intenderet se liberum esse virtute priuilegij, quod procurator monasterij in iudicio non exhibuerat, Innocentius III. decreuit, audiendum non esse, nec sententiam esse retractandam virtute priuilegij non exhibiti: igitur quia Ecclesia non restituitur aduersùs omissam priuilegij editionem, vt in eadem specie docetur *in cap.* 2. *hoc tit.* Cui difficultati vt satisfiat, sciendum est, magnum discrimen versari inter speciem textus *in cap.* 2. & *in dicto cap. suborta:* nam *in d. cap.* 2. procurator allegauit sæpe sępius Clementis & Gregorij priuilegium; non tamen illud per negligentiam edidit; vnde ex editione omissa monasterium læsum fuit, & ideo restituitur: at verò *in d. cap. suborta*, procurator neque edidit, nec allegauit vllum priuilegium, sed potiùs post sententiam & rem iudicatam intendebat priuilegium nouiter repertum exhibere, & sententiam retractare; quod admitti non potest, cùm prætextu instrumenti nouiter reperti res iudicata rescindi non valeat, *l. admonendi* 30. *ff. de iureiur. cap.* 5. vbi plura adduxi, *de transactionibus*, Parexa *de instrument. edit. tomo* 1. *tit.* 2. *resol.* 6. at verò *in hoc cap.* 2. non nouum priuilegium proponebatur, sed tantùm iam in iudicio allegatum edebatur, quo casu restitutio dari potest.

11.

Secundò aduersatur textus *in cap. cùm olim* 14. *versiculo*

EXPONITVR CAPVT CVM OLIM, DE PRIVIL.

versiculo nos igitur, de priuilegiis, in illis verbis: *Sed etiam exprimebant ius nostrum, & Ecclesia Rom. iustitiam tuebantur.* Vbi cùm eadem species proponatur, ac *in cap. 2. & 3. hoc tit.* supponitur, ideo monasterio indulgeri restitutionem beneficij ad exhibendum priuilegium exemptionis, quia ius R. Ecclesiæ lædebatur: igitur si tantùm ius monasterij læderetur, restitutio illi non concederetur ad edendum priuilegium. Cui difficultati respondendum est, ea verba non continere rationem principalem, & impulsiuam ipsius decisionis, sed tantùm coadiuuantem, vt similiter *in cap. 2.* exprimitur; etiamsi enim non læderetur in ea specie Rom. Ecclesia, monasterio concederetur restitutio, quia vtitur iure minoris, vt suprà *in cap. 1. hoc tit.* probaui.

CAPVT VIII.

[a] Gregorius IX.

COnstitutus in nostra præsentia Magister Guill. pro se, ac fratre [b] suo I. Canonico [c] Parrosinen. exhibitâ [d] nobis petitione monstrauit, quod eis in minori constitutis ætate, ac eorum matre (cuius [e] successores existunt) rebus humanis exemptâ, quondam G. pater ipsorum quasdam possessiones [f] vtrique communes quibusdam vendidit pro quadam pecuniæ quantitate, ac (vt huiusmodi venditio robur [g] firmitatis haberet) [h] emancipauit eosdem, & fecit eos contractui [i] consentire. Quare supplicauit, vt vel venditionem eandem mandaremus nuntiari [l] nullam: vel cùm adhuc existant intra [m] tempus ad obtinendum beneficium integrum restitutionis indultum, & intra [n] annum, & diem à tempore contractus, ipsis tanquam proximioribus competeret super illa portione ius offerendi emptoribus pretium: iuxta municipij Parrosinen. consuetudinem approbatam, quod hactenus omiserunt, dignaremur eis super vtroque (cùm in hoc non modicùm læsi noscantur, & emptoribus portionis eiusdem, vel eorum successoribus pretium sint offerre [o] parati) per idem beneficium subuenire. Quocirca mandamus quatenus si præmissa inueneritis veritate subnixa, vt vel venditionem prædictam, quoad partem ex successione materna ipsos contingentem, nullam nuntiare curetis, si in ea debita iuris solennitas est omissa: vel si forsitan interuenerit, & eos læsos esse [p] constiterit, tam super ea, quàm super residua portione, dum tamen quod offerunt, duxerint faciendum, auctoritate nostra in integrum restituere studeatis.

NOTÆ.

1. a *Gregorius nonus.*] Non constat cui rescripserit in præsenti: quod frequenter contingit in eius decisionibus; & cùm eius epistolarum regestra non habeamus, suppleri non potest præsens inscriptio. Ex hac tamen Gregorij decretali apertè deducitur, consuetudinem retractum permittentem, seu inducentem, apud varias gentes introductam, probatam esse à iure canonico; & sic eâ ligari clericos, ecclesiasticasque personas, vt iam notauit Marinis *lib. 1. resol. cap. 55. per totum.*

2. b *Fratre suo.*] Coniunctam personam pro coniuncta, absque mandato in iudicio admitti, probaui suprà *in cap. 1. de procurat.* hoc tamen limitatur in negotiis, quæ speciale exigunt mandatum, in quibus absque eo nec coniuncta persona admittitur, *l. patri 27. ff. de minor. l. non solum, ff. solut. matrim. l. qui hominem, §. gener, ff. de solut. l. qui alienam, §. quamquam, ff. de negotiis gestis, l. filius, C. de pactis*, quia in eis etiam procurator cum generali mandato ad agendum, vel defendendum non admittitur, *cap. qui ad agendum 4. cap. qui generaliter 5. de procurat. lib. 6.* & sic non potest parti iuramentum deferre, paciscì, vel transigere, *cap. contingit, de transact. l. transactionis, C. eodem tit. l. iurisiurandi, §. 1. ff. de iureiur. l. mandato 60. ff. de procurat.* compromissum facere, *cap. per tuas 9. de arbitris*; electo crimina opponere, *Clement. 2. de procurat.* & alia similia, quæ recensèt Iosephus Ludouicus *concluss. 30. num. 7.* inter quæ refertur restitutio in integrum, quæ peti nequit absque speciali mandato, *cap. coram, cap. suscitata, hoc tit. l. vnica, C. eodem, l. illud 26. §. si talis, ff. de minor.* Vnde meritò quærunt repetentes in præsenti, quomodo frater pro fratre absque speciali mandato posset beneficium restitutionis petere. Et communiter respondetur, fratrem potuisse impetrare restitutionem pro fratre, quia consors eiusdem litis sine mandato etiam pro consorte admittitur, *Clement. Religiosus, de procurat.* Verùm hæc solutio non placet: tum quia consors litis admittitur pro consorte, lite contestatâ, *l. 2. C. de consortibus eiusdem litis*; quia causa est connexa, *l. planè 3. ff. familiæ erciscì.* & præsumitur absentis voluntas post litis contestationem: Osualdus *lib. 18. comment. Donelli, cap. 14. littera O.* Tum etiam quia consors litis pro consorte non admittitur in his, quæ exigunt speciale mandatum, sicut nec coniuncta persona pro coniuncta admittitur, vt proximè probaui; quare eâ solutione omissâ veram interpretationem adduxi *in cap. 7. hoc tit.*

3. c *Parrosinen.*] Glossa marginalis legit *Paronen.* vel *Perenen.* Dadinus Altesserra *lib. 2. de Ducibus, cap. 3.* legit *Paronensis*, & ait esse municipium huius nominis in pago Veromanduorum, vbi inualuerat consuetudo retractus gentilitij. Verùm cùm in præsenti referatur, Ioannem fratrem Magistri Guillelmi fuisse canonicum Parrosin. & in ipso municipio nulla fuerit Ecclesia Cathedralis, re-

tineri non poteſt vlla ex prædictis litteris : quare legendum credo , *Perusienſis*. Perusia enim antiquiſſima valde Italiæ vrbs eſt , vnaque ex duodecim Etruriæ Prouinciæ principalibus ciuitatibus, cuius originem , & amplitudinem refert Vghellius *tomo* 1. *Italiæ ſacræ* , *fol.* 72. fortunam , ſiue proſperam , ſiue aduerſam Populi Romani ſecuta eſt , donec à Totila ſæuiſſimo Gothorum Rege per ſeptenne obſidium capta , atque deleta , longiſſimam ſuſtinuit ſeruitutem. Narſetes deinde Iuſtiniani Dux eam recuperauit , ſed poſtea Longobardi Perusiam ſubiugarunt , donec Carolus Magnus Deſiderio poſtremo illorum Rege in ſeruitutem abducto , eam in libertatem aſſeruit : tandem ex largitate Ludouici Pij , Caroli filij, Perusia ad Romanam Eccleſiam ſpectare cœpit , hactenuſque ſuaue eccleſiaſticum iugum Perusini experiuntur , vt refert Vghellius *vbi ſuprà*.

4. d *Nobis*.] Sed meritò quæritur ab Interpretibus , quare in præſenti caſu in integrum reſtitutio petita fuiſſet coram Rom. Pontifice , cùm reus laicus eſſet ? Et aliqui affirmant in præſenti oppido Parroſin. fuiſſe conſuetudinem præſcriptam, vt clericus etiam actor poſſet conuenire reum laicum coram iudice eccleſiaſtico. Ita docuerunt Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 4. *num.* 2. Barboſa *in lege hæres* , §. *proinde* , *num.* 31. *de iudiciis* , Parladorius *differentia* 9. §. 3. *num.* 8. Aliter Giurba *deciſ.* 55. exiſtimat , quoad ius retractus retractantem haberi pro reo ; & ita clericum retractantem in præſenti caſu rectè coram iudice eccleſiaſtico laïcum in ius vocaſſe. Verùm ipſum rectè refellit Martinis *lib.* 1. *reſol. cap.* 44. Quibus ſolutionibus omiſſis , vera petenda eſt ex proximè traditis ; nam cùm Perusina ciuitas parèret Rom. Pontifici , tam quoad ſpiritualia , quàm quoad temporalia ; ideo Canonicus Perusinus potuit , & debuit coram Rom. Pontifice contra laïcum in integrum reſtitutionem petere : docuerunt , etſi non ita expoſuerint textum hunc , Carleual. *lib.* 1. *de iudiciis*, *tit.* 1. *diſput.* 2. *q.* 4. *à num.* 196. & cum aliis Marinis *vbi proximè*.

5. e *Succeſſores*.] Siue ex teſtamento , quia inſtituti erant ; ſiue ab inteſtato, ex Senatuſconſulto Orphiciano , ex quo ſuccedunt filij ab inteſtato matribus , ſicut & matres ſuccedunt illis ex Senatuſconſulto Tertylliano , *l.* 1. *& per totum ff. & C. ad Tertyl. & Orphician.* Ad quæ Senatuſconſulta ſpectant textus *in l.* 3. §. *ſi is qui* 7. *ff. de Carbon. edicto* , *l. ſi mater* 11. *ff. de except. rei iudic. l. ſi eius* , *ff. ad Trebel. l. furioſæ* 4. *ff. de curat. fur. l. legitimi* 5. *ff. vnde cognati* , *l. qui duos* , §. *cùm bello* , *l. cum pubere* 22. *ff. de rebus dubiis* , *l. cùm à matribus* , *C. qui petant tut. l.* 4. §. *ſed etſi* , *ff. eod. tit. l. omnes* 6. *C. ad Tertyl. l. non eſt* 12. §. *vbicumque* , *ff. de bonorum poſſeſſ. l. infanti* 18. *C. vnde liberi* , *l. Titia* 14. *ff. de inoffic. teſtam. l. Thaïs* 41. §. *Stichus* , *ff. de fideicommiſſ. libert. l. vlt.* §. *ſi marius* , *ff. qui petant tut. l. ſciant* , *C. de legitimis hæredibus* , *l. generaliter* , *ff. vnde legitimi* , *l. finali*, *C. communia de ſucceſſ. l. quæcumque* , *C. de bonis*, *quæ liberis* , *l.* 2. *C. ſi aduerſus delict. l. penult. C. de ſuis* , *& legit. l. vnica* , *C. de his* , *qui ante apert. tab. l.* 3. §. *illud* , *l.* 4. *C. de ſecund. nupt. l. item*, §. *vlt. ff. de ſuis & legit. l. cùm pater* 77. §. *donationis*, *ff. de legat.* 2. *l. Pamonius* 86. *ff. de adquirend. hæredit. l. Publia* 26. *ff. de his* , *qui notantur infam.* Vlpianus *in fragment. tit.* 26. §. *adhibere* , *l.* 1. §. 1. *ff. de iuris & facti ignor.* iunctis Cuiacio *in leg.* 4. *colum.* 3. *ff. de inſtit. & iur.* Fabro *lib.* 14. *coniect. cap.* 1. *& lib.* 19. *cap.* 18. Petro Greg. *lib.* 45. *ſyntag. cap.* 2. Luduuelio *ad tit. C. ad Orphic.*

f *Virique communes*.] Adquiſitas videlicet conſtante matrimonio ; quæ ratione quæſtus coniugalis communicantur , *cap.* 2. vbi Deo volente dicemus , *de donat. inter.*

g *Robur firmitatis*.] Omnis enim alienatio bonorum aduentitiorum patri eſt interdicta , *l.* 1. *Cod. de bonis maternis* , *l. cùm non ſolùm* , §. *ipſum* , *C. de bonis* , *quæ liberis* : docent latè Pinellus , & Luduuelius *in d. l.* 1. *C. de bonis maternis*, Galbanus *de vſufructu* , *cap.* 4. Scipio Gentilis *de bonis maternis* , *cap.* 5. *&* 18. Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 219. Filij autem ea bona conſentiente Patre alienare poſſunt , *l. vlt.* §. *filiis* , *C. de bonis* , *quæ lib.* Gentilis vbi ſuprà , *cap.* 28. 6.

h *Emancipauit*.] Coram competenti iudice eos de manu dimittendo , *l. penult. & final. C. de emancip. liber. l. finali* , *C. de adopt.* apud nos ſunt lex 93. *tit.* 18. *partit.* 3. lex 15. *tit.* 18. *part.* 4. Docent Tauriſtæ *in lege* 47. *Tauri* , Matienzo *in l.* 8. *tit.* 1. *lib.* 5. *recopil.* vbi etiam Azeuedus , obſoletis iam illis tribus imaginariis venditionibus ex iure Romanorum præſcriptis , de quibus in lege *liberum* 28. *l. emancipati* 36. *ff. de adopt. l. peto* 69. §. *finali* , *ff. de legat.* 2. *l.* 2. *C. de capitis diminut.* Gaius *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 6. Vlpianus *in fragment. tit.* 10. *&* 23. vbi Cuiacius , Paulus *lib.* 2. *ſentent. tit.* 15. eas illuſtrarunt Reuardus *lib.* 3. *var. cap.* 15. Caldeira *lib.* 2. *var. cap.* 1. D. Ioſephus de Retes *lib.* 1. *opuſc. cap.* 19. *&* 21. 7.

i *Conſentire*.] Propria voluntate , vt *in l. ſideiuſſor* 26. §. 1. *ff. de pignor.* non per metum , quia tunc venditio non ſubſiſteret.

l *Nullam*.] Vtpote factam ſine ſolennitate ; licèt enim pater etiam tanquam curator filiorum, alienet eorum prædia , Prætoris decretum deſideratur , *l. ſi pupillorum* 7. §. *ſi pater* , *ff. de rebus eorum* , *l.* 3. *C. de prædiis eorum.* Vnde rectè in præſenti caſu filij petebant alienationem reſcindi tanquam celebratam ſine debita ſolennitate. 8.

m *Intra tempus*.] Ideſt quadriennium ; licèt enim Pandectarum tempore minoribus læſis ad impetrandum remedium reſtitutionis annus vtilis aſſignaretur , computandus poſt vigeſimumquintum minoribus læſionem ſcientibus , *l.* 3. §. *minorem* , *l. intra vtilem* , *ff. de minor. l. in honorariis* , *ff. de O. & A. l. ait Prætor* , §. *ſi conditionalis* , *ff. quæ in fraudem credit.* docent Cuiacius *de diuerſ. temp. præſcript. cap.* 20. *&* 33. & *lib.* 2. *obſerv. cap.* 18. Donellus *lib.* 21. *comment. cap.* 10. poſtea tamen Imperator Iuſtinianus , vt ſubueniret ipſis minoribus læſis , pro anno vtili quadriennium continuum conceſſit , quod poſt impletum vigeſimumquintum annum minoribus , ſiue inſciis , ſiue conſciis læſionis , currit , *l. fin. C. de temporibus in integrum reſtit.* vbi plures Auguſt. Barboſa adducit. 9.

n *Intra annum & diem*.] Licèt ex conſuetudine Perusina tantùm annus præſcriptus eſſet ad retractum gentilitium , rectè ait Gregorius , annum & diem fuiſſe aſſignatum ; nam cùm ex lege , aut ſtatuto annus præſcribitur , quia non exprimitur , an dies ipſe , in quo aut contractus celebratur , aut actus peragitur , computetur in anno , vt dubium prorſus tollatur , dici ſolet intra annum , & diem. Vnde cùm annus præſcribatur ad recuperandam poſſeſſionem , *in cap.* 1. *& 2. de eo* , *qui mittitur* , *& in cap. cùm veniſſet*, *eod. tit.* dicitur aſſignari diem , & annum : ſimiliter 10.

liter *in cap. puella* 20. *q.* 2. annus præfinitur, & in ipsa specie *in cap.* 2. *de regul.* annus & dies assignantur: obseruauit Gothofredus *in lege vbi lex* 101. *ff. de R. I.* & in terminis præsentis decisionis Tiraquellus *de retractu lign. glossa* 11. §. 1. *num.* 63.

11. o *Offerre parati.*] Qui enim petunt retractum rei venditæ, debent priùs pretium refundere. Tiraquellus *de retract. glossa* 16. §. 1. imò non solùm pretium, verùm & meliorationes factas ab emptore tenentur restituere. Sesse *tomo* 4. *decis.* 410. Corrasius *lib.* 3. *miscell. cap.* 3. *num.* 6. si autem emptor pretium iniustum præstitit, non teneri eum, qui retractum petit, nisi iustum soluere, probat Marinis *alleg.* 82.

p *Constiterit.*] Vt restitutio in integrum minori concedatur, siue aduersùs omissum retractum, siue pactum de retrouendendo, debet ante omnia læsio probari, vt probat latè D. Ioannes de Larrea *decis.* 79. *Granat. per totam.*

COMMENTARIVM.

12. Conclvsio probatvr. EX præsenti Gregorij decisione sequens communiter deducitur assertio: *Minor læsus in retractu omisso restituitur aduersùs venditionem prædij maiorum suorum.* Ab specie probat eam textus *in l. si in emptione* 35. *ff. de minor.* generaliter autem minores læsos in contractu venditionis beneficio restitutionis iuuari, probant textus *in lege ait Prætor* 7. §. 1. & 8. *l. patri*, §. *prædium*, *l. verum* 11. §. 1. *l. intra* 39. §. 1. *l. tutor* 47. §. *item*, *l. si res* 49. *ff. de minoribus*, *l.* 1. *C. si aduersus venditionem*, *l.* 4. & 7. *C. de prædiis minorum.* Illustrant Tiraquellus *de retractu*, *glossa* 2. *numer.* 4. A. Faber *in suo Codice*, *de restit. minor. diffinit.* 10. *cap. translatio*, *decis.* 57. *num.* 52. Hermosilla *in lege* 4. *tit.* 5. *partit.* 5. *glossa* 12. *num.* 9. Fontanella *decis.* 47. *num.* 16. Olea *de cessione iurium tit.* 3. *quæst.* 2. Matienzo *in l.* 7. *glossa* 1. *num.* 2. *tit.* 1. *lib.* 5. *recopil.* Azeuedus *in dict. l.* 7. A. Gomez *in l.* 70. *Tauri*, *num.* 3. Corrasius *lib.* 3. *miscel. cap.* 3. Hothomanus *consil.* 25. Bocerus *class.* 3. *disp.* 22. *thesi* 1. Canisius in hoc textu Zypæus *lib.* 1. *de iurisdict. cap.* 31. D. Ioannes de Larrea *decis.* 70. *num.* 3. Giurba *decis.* 78. *num.* 6. Gibalinus *de negot. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. *art.* 5. Altesserra *lib.* 3. *rer. Aquit. cap.* 8.

13. Impvgnatvr tradita assertio. Sed aduersùs hanc assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo: Prædium, quantumvis maiorum, semel venditum iusto pretio, amplius à consanguineo iure repeti non valet, *l.* 1. *C. communi diuid.* ibi: *Frater tuus si solam portionem prædij ad se pertinentem distraxit, venditionem reuocari non oportet.* Et *l. portionem*, *C. communia rerum alien.* ibi: *Portionem quidem tuam militantis frater tuus alienare non potuit; eius autem partem pretio soluto tibi restitui postulare, nec militari grauitati conuenit.* Vnde ius retractus ab Imperatoribus sublatum esse, testatur Cuiacius *ad titulum C. de contrahenda emptione*, & constat ex lege *dudum* 14. *C. eodem tit.* quæ est lex 4. *C. Theodos. eod. tit.* vbi notauit Gothofr. igitur contra ius petebant filij in præsenti specie sibi restitui prædia à patre alienata, præcipuè cum pater ipsorum ea vendidisset, *l. Æmilius* 38. *ff. de minor.* ibi: *Putabam non bene iudicatum, quòd pater eius, non ipsa contraxerat.* Et *l.* 2. *C. si aduersus vendit. pignoris*, *l. si in potestate*, *C. Gregor. de patria potest.* Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam minores aduersus eos contractus per hoc beneficium admitti valent, ex quibus læsi sunt, vt sæpe sæpius in hoc titulo probaui; sed in præsenti specie minores læsi non erant in pretio rei venditæ; tantùm enim affectionem ad prædia allegabant, quæ non attenditur, nec considerator, *l. cùm de seruis*, *finali*, §. 2. *ff. de operis seruorum*; vt in æstimatione rerum hæreditariarum, *l. pretia* 73. *ff. ad legem Falcidiam*; in actione ad exhibendum, quæ datur ei, cuius interest, *l. penult. ff. ad exhibendum*; & in pœna legis Aquiliæ, vbi æstimatur quod interest ex affectione, veluti si seruum dominus diligebat, *l. si seruus* 33. *ff. ad l. Aquiliam:* igitur ex eo solùm, quod minores habeant affectionem ad prædia minorum, non debent restitui in integrum aduersus venditionem ritè perfectam. Augetur secundò hæc difficultas; nam filij non debent improbare factum patris, *l. cum à matre*, *C. de R. V.* çùm ipse pater eius auctor contra illud venire non possit, *l. post mortem*, *ff. de adoptionibus*; nec rem ipse retrahere poterat: igitur nec filij, vt eius hæredes, possunt impugnando factum patris retrahere prædia à patre alienata.

14. De origine retractvs. Hac difficultate ita fulcita minimè obstante, vera est præsens Gregorij IX. decisio, ad cuius expositionem sciendum est, erga paternas, auitasque possessiones iustam quandam dari affectionem, quam etiam maiores habuerunt, vt in domo, in qua pater defecit, vel ipse creuit, vel maiorum imagines, aut non videre fixas, aut reuulsas videre, satis lugubre esset: verba sunt Imperatoris Constantini *in lege lex* 22. *versic. Ne verò*, *C. de administr. tut.* vbi mentio fit imaginum, quas veteres in suis domibus collocabant, tum vt generis nobilitas innotesceret, Tacitus *lib.* 2. *annalium*, ibi: *Plenam imaginibus domum ostentat.* Seneca *lib.* 3. *de benef. cap.* 28. tum vt earum inspectione omnes posteri ad gloriam antecessorum inuitarentur, calcariaque adderent, vt ait Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 8. *in fine.* Istarum imaginum mentio fit *in lege quæsitum* 12. §. *Papinianus* 23. *ff. de instrum. leg. l. statuæ* 245. *ff. de V. S.* vbi plura Gentilis, & Fornerius, Rosinus *lib.* 1. *antiquit. cap.* 19. vbi Demsterus, Carolus Sigonius *lib.* 2. *de antiquo iure Rom. cap.* 20. Lipsius *lib.* 1. *elect. cap.* 29. Gutherus *de iure manium lib.* 1. *cap.* 22. Turturetus *de nobilit. lib.* 1. *cap.* 10. Hæc igitur naturalis affectio edocet, non facilè permittendum, vt homines maiorum prædiis, laribus, vel sepulchris priuentur, *l. in fundo* 38. *ff. de R. V. l. libertus* 36. *ff. de bonis libert. l.* 14. *C. de contrahenda emptione*, *l. qui officij*, *ff. eod. tit. l. milites*, *ff. de re militari.* Plinius *lib.* 2. *cap.* 15. ibi: *Me prædia materna parum commodè tractant; delectant tamen, vt materna.* Et *lib.* 7. *cap.* 11. ibi: *Ego illi ex prædiis meis, quod vellet, & quantùm vellet, obtuli, exceptis paternis, materniſque; his enim cedere, nec Corelliæ quidem possunt.* Quintilianus *declam.* 298. *Ducimus quendam aduersùs ipsas terras consuetudine affectum: non vendes tu agellum meum, non paternos, auitosque cineres & ossa alicui pretio cœnæ vnius addices.* Et *declam.* 337. ibi: *Penates illos, in quibus natus sum, qui mihi quotidiana adhuc imagine versantur ante oculos.* Cicero *lib.* 2. *de legibus, in principio*, ibi: *Me alia causa delectat, quæ te non attingit; quia si verum dicemus, hæc est mea, & huius fratris mei germana patria; hic enim orti stirpe antiquissimâ sumus, hîc sacra, hîc genus, hîc maiorum multa vestigia.* Sidonius *lib.* 3. *epist.* 3. ibi: *Omitto alia communia quidem, sed quæ non mediocria charitatis*

charitatis incitamenta sunt, istius tibi cespitis reptatas glebas. Et *epist.* 5. vbi notauit Sauarus. Sic etiam Cassiodorus *lib.* 1. *var. cap.* 21. pulchrè hunc affectum ita describit. *Aues ipsæ per aëra vagantes proprios nidos amant. Erratiles feræ ad cubilia dumosa festinant. Voluptuosi pisces campos liquidos transeuntes, cauernas suas studiosâ indagatione perquirunt.* Ex quibus profluit, vt apud Lacedæmonios, teste Heraclide; apud Locros, teste Aristotele *lib.* 2. *politic. cap.* 5. imò & apud Romanos, hæreditaria, ac gentilitia maiorum prædia vendere turpissimum, fœdissimumque iudicaretur: itaque Athenæus *lib.* 4. *Dypnosoph.* pœnâ dignos esse scribit eos, qui possessiones à patribus relictas obligarunt: & Prudentius *hymno* 2. *in B. Laurentium*, hæc omnia his versibus complectitur:

Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit.

Et Horatius *lib.* 1. *satyr.* 2. *versu* 62.

Rem Patris obligare malum est vbicumque.

Tibullus *lib.* 1. *elegia* 4.

Quinetiam sedes iubeat si vendere auitas,
Ite sub Imperium, sub titulumque lares

Similiter Ouidius conquerens se de amicæ auaritia, inquit:

Illud est, illud habet, nec eâ contenta rapinâ est,
Sub titulum ob lares nos misit venditionis.

Quare hortatur Cicero Trebatium suum, ne paternas possessiones vendat: & notatur Brutus apud ipsum *lib.* 2. *de Oratore*, & *in oratione pro Cluent.* quòd paterna bona mancipasset. Vnde etiam patrimonij decoctores lege Roscia inter quatuordecim ordines sedere prohibebantur, & ex Græcorum institutis infames erant, vt testantur Diogenes Laërtius *de vitis Philosophorum*, *in vita Solonis*; & Quintilianus *lib.* 3. *instit. cap. vlt.* facit etiam illa interdictionis formula apud Romanos circa prodigos vsitata, quam refert Paulus *lib.* 3. *sentent. tit.* 4. *Quando tua bona paterna, habitaque nequitiâ tuâ disperdis.* Vbi rectè notauit Cuiacius pro *habita*, legendum esse *auita*; quo modo restituendus etiam est locus Diui Hieronymi *in epist. ad Demetriadem*, de seruanda virginitate, ibi: *Quem nunc habitas vendere dicitur possessiones.* Vbi legendum est, *auitas*: plura tradunt Robertus *lib.* 3. *rerum iudic. cap.* 17. Corrasius *lib.* 3. *miscell. cap.* 3. Leotardus *de vsuris q.* 77. *num.* 49. Zypeus *lib.* 1. *consult.* 5. ex illa etiam affectione erga gentilitia prædia, & maiorum possessiones fluxit frequens illa in legatis, fideicommissis, & donationibus clausula, *Ne prædium de familia exeat*, de qua *in lege filius* 114. §. *Diui*, *ff. de legat.* 1. *l. peto* 69. §. *fratre* 3. *l. cùm pater* 77. §. 11. 15. 27. & 28. cum lege sequenti, §. 3. *leg. Lucius* 88. §. *Lucius* 6. & §. *instituto* 15. *ff. de legatis* 2. *l. pater* 38. §. 1. *cum §§. sequentibus*, *l. is qui* 94. *ff. de legatis* 3. *l. libertis* 108. *ff. de condit. & demonstr. l. vlt.* §. 1. *C. de V. S. nouella* 119. *Iustin. cap. finali*, & 159. *in princip.* Plura Pichardus *in lecturis de legatis*, *cap.* 15. Valentia *tom.* 3. *illustr. tract. vlt. de legatis*, *cap.* 1. & 2. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 2. Hinc etiam prouenit, vt quamuis regulariter qui Magistratum in prouincia gerit, aut militiæ nomen dedit, prædia in ea prouincia comparare non possit; tamen si paterna distrahantur, redimere non prohibetur, *l. qui officium* 62. *ff. de contrahend. empt. l. militis* 9. *ff. de re milit. l. Princeps*, *C. Theodos. de his, qui admittuntur.* Illustrat Fornerius *lib.* 5. *rerum quotid. cap.* 23.

Deinde ex hac affectione prouenit ius, quod Græci ius protomiseos appellant; nos verò retractum gentilitium dicimus, omni iure, diuino videlicet, ciuili, canonico, & regio statutum, variisque gentium vsibus approbatum reperitur. Iure enim diuino ita cauebatur Leuitici capite 25. *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat.* Et Ieremiæ *cap.* 37. legitur: *Posside agrum meum, qui est in Anathot, in terra Benjamin, quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, vt possideas.* Et *Ruth cap.* 4. habetur: *Partem agri fratris nostri Elimelech vendit Noëmi, quæ reseruata est de regione Moabitidæ: quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & maioribus natu de populo meo: si vis possidere iure propinquitatis, eme, & posside.* Obseruauit Lælius Mancinus *lib.* 1. *de triplici iuris collat. cap.* 130. Vt ad ius ciuile perueniamus, sciendum est, Pandectarum iure hoc ius retractus cognitum non fuisse, nec inter agnatos, socios, seu consortes eiusdem rei, *l.* 3. *C. de communium rerum alienat.* ibi: *Falsò tibi persuasum est, communis prædij portionem pro indiuiso, antequam communi diuidundo iudicium dicatur, tantùm socio, non etiam extraneo posse distrahi.* Plinius *lib.* 7. *epist.* 11. *Superest, vt cohæredes æquo animo ferant separatim me vendidisse, quod mihi licuit omnino vendere.* Quò pertinet lex 26. *ff. de regulis iuris*, iuncto Gothofredo *ibi*, & *in l.* 14. *Cod. de contrahenda emptione*: quare si credimus ipsi *in d. l.* 6. ius hoc cœpit à Constantino in lege *dudum* 14. *C. de contrahenda emptione*; à quo tempore consocij ius hoc vsitatum legimus: ad quod ius referendus est Symmachus *lib.* 9. *epist.* 27. in illis verbis: *Symmachus Leoni: Opto quidem, te in tantum copiis pecuniæ familiaris affluere, vt possis optima prædia comparare. Sed mallem te sine amicorum noxa atque iniuria oculum ac desiderium nouis emptionibus admouere. Nam ego Postumianensem rem iure optimo, sine vlla mentione consortij tui ab antiquissimo possessore mercatus, nunc primùm tuâ admonitione conuenior, vt propè iam inueterata possessione decedam. Cuius pretium non eius mediocritatis est, vt emisse delectet; adeo vt cùm possim tibi legibus obuiare, & desiderio eius, cuius res aguntur, obsistere, copiam tamen facio, vt quod argenti dedimus venditori, id homini meo Eusebio, cui summa comperta est, digneris expendere: si tamen præoptas nostra mercari, quàm tua nexu obligationis soluere.* Et ita iure etiam nouo ciuili hoc ius admissum fuit, non solùm in propinquis, & agnatis, verùm & vicaneis, *l.* 1. *Cod. non licere habitatoribus*, *lib.* 11. postea tamen sublatum fuit hoc ius protomiseos in lege *dudum* 14. *C. de contrahenda emptione*, *l.* 6. *C. Theodos. eod. tit. l.* 3. *C. communium rerum alien.* tandem restitutum fuit nouella 5. Iustiniani, nouella R. Senioris, *cap.* 3. constitutione Frederici de iure protomiseos: notarunt Cuiacius *ad titul. C. de contrahenda empt.* P. Greg. *lib.* 26. *syntag. cap.* 1. Iure etiam Pontificio hoc ius retractus admissum esse, satis constat ex præsenti decisione. Tandem iure nostro Hispano hoc ius statutum reperitur *in lege* 13. *tit.* 10. *lib.* 3. *fori*, *l.* 6. & 7. *tit.* 7. *lib.* 5. *ordin.* *l.* 230. *styli*, *l.* 56. *tit.* 5. *part.* 5. *l* 20. *Tauri*, *l.* 7. *tit.* 11. *lib.* 5. *recopil.* quas latè illustrant, & in praxi varias & quotidianas controuersias, quæ circa hoc ius retractus euenire solent, resoluunt Tauristæ *in d. l.* 70. *Tauri*, Matienzo & Azeuedo *in dict. l.* 7. *recopil.*

15. De iure retractus.

recopil. Vela *lib.* 1. *dissert.* 37. *num.* 35. Olea *de cessione iurium tit.* 3. *q.* 2. noster D. Ioannes de Larrea *alleg.* 45. *&* 120. & *decisione* 70. *&* 79. qui vsum huius retractus apud varias nationes fuisse illustrat, & probat Tiraquellus *de retractu, in præfatione*, Christineus *tomo* 1. *decis.* 174. *&* 281. *&* 302. *&* 374. Marinis *alleg.* 127. Nicolaus Vander. *singulari* 91.

16. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex his apparet ratio præsentis decisionis; cùm enim ius retractus competat filiis alienantis bona, & aliis consanguineis ad retrahenda prædia ab eo vendita, propter naturalem affectionem erga maiorum possessiones; rectè decreuit Gregorius IX. minorem restituendum esse aduersùs venditionem possessionis maternæ à patre celebratam, cùm læsio in ea daretur; siquidem possessio maiorum erat, ne contra naturalem affectionem, quam erga possessionem illam habebat, minor priuatus maneret. Cùm enim minor restituatur, non solum aduersus id, quod amisit, verùm & quod omisit, si in eo se læsum fuisse probauerit; ideo rectè Gregorius in præsenti decreuit, vt si minores probauerint se læsos in prædicta venditione, aut in omissione petitionis retractus, posse eos beneficio restitutionis impetrato venditionem rescindere, ac res ipsas alienatas repetere: docent Viuianus, & Canisius *in præsenti.* Hodie tamen post legem 8. *tit.* 11. *lib.* 5. *recopil.* non dari restitutionem aduersùs lapsum temporis ad petendum retractum assignati, resoluit Silua *respons.* 11. *num.* 40.

17. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS ADDVCTA.

Nec obstat dubitandi ratio suprà perpensa; nam vt suprà dixi, iure ciuili attento, non omni tempore ius retractus, seu protomiseos, permissum fuit, sed aliquando sublatum, postea verò permissum. Nec obstat in præsenti specie, patrem, non filios minores, possessionem vendidisse; nam filij venditioni à patre factæ consenserunt, & tunc adhuc propter ius retractus rescindere poterant ipsam venditionem, *d. l. si in emptione* 39. *ff. de minoribus.* Nec augmentum difficultatis refragatur deductum ex eo, quod in æstimandis seruorum operibus, & damnis datis, ex lege Aquilia non habeatur ratio affectionis, vt probat D. Ioannes Suarez *lib.* 2. *ad legem Aquil. cap.* 4. nam plurimi interest, vtrum agamus in iudicio ad ius nostrum persequendum, & ne quidquam depereat, siue vt res proprias recuperemus; aut agimus de ipsarum rerum æstimatione. Primo casu cùm non agamus de ipsa rei æstimatione, sed tantùm de eo, quod interest ius nostrum illæsum habere, vt in hoc textu, & in lege *libertus* 36. *ff. de bonis libert. l. pater* 71. *ff. de euict.* affectionis ratio habetur, quasi nostra interfit; & nobis eo prætextu maximè in iudiciis bonæ fidei datur actio affectus explorandi gratiâ, *l. cùm seruus* 54. *ff. mandati*, *l.* 7. *de seruis exportandis.* Nam lucrum nullum maioris æstimationis est, quàm vt desiderium, siue animi nostri expleatur affectio, si modò talis affectio fuerit pij animi, & beneuoli, qualis est erga possessiones parentum, & agnatorum gentilitia prædia, vt in præsenti specie est. Secundo verò casu, quando agitur de ipsarum rerum æstimatione, nec in bonæ fidei, nec in stricti iuris iudiciis, & contractibus ex affectu augetur æstimatio rei, vt in auctoritatibus pro augmento difficultatis adductis; nam pretium cuiuslibet rei non ex affectione priuatorum, & singulorum vtilitate, sed ex vsu communi, & fori tritura fit, *d. l. pretia* 63. *ff. ad legem Falc.* notarunt Cuiacius *lib.* 27. *qq. Papin. d. l.* 54. *ff. mandati*, Alciatus *in tract. de eo, quod interest, cap.* 6. *num.* 13. Ferretus *ad titulum C. de eo, quod interest.* Nec vltimum augmentum difficultatis aduersatur, quia respondetur, filios in præsenti specie retrahendo possessiones à patre venditas, non videri ex eo impugnare factum patris, sed potiùs illud approbare; non enim illas retrahunt tanquam hæredes, sed tanquam proximiores consanguinei ex consuetudine Perusinensi, quod facere poterant, argumento textus *in lege finali, C. de euict. l. rem alienam* 41. *ff. de pignorat. act.* vbi probatur, quod in re hæredis à defuncto pignorata non tenetur ipse stare obligationi, nec ideo facto defuncti contradicere, imò potiùs eum vti, rem vendicando, auctoritate legis improbantis obligationem rei alienæ, vt docent Duarenus *lib.* 2. *disput. cap.* 4. Pinellus *in l.* 1. *C. de bonis maternis*, 3. *p. num.* 83. inde iure optimo poterant filij in præsenti specie admitti ad retractum rei venditæ à patre: docent Tiraquellus *de retract. tit.* 1. §. 1. *glossa* 9. *num.* 51. Pinel. *vbi suprà, n.* 99. *versic.* 2. *facit.* Cifuentes *in l.* 70. *Tauri, quæst.* 20. Ant. Gomez, Montalvo, & alij, quos refert, & sequitur Matienzo *in lege* 7. *tit.* 11. *lib.* 5. *recopil. glossa* 1. *num.* 68.

18. EXPONITVR L. 1. §. ET ALIVS ff. SI QVID IN FRAVDEM.

Ex suprà traditis lucem accipit Vlpianus *in l.* 1. §. *& alius* 15. *ff. si quid in fraud. patron.* vbi quæritur, an patronus possit rescindere actione Fauianâ, vel Caluisianâ venditionem possessionis à liberto iusto pretio factam, quoniam eius interest, non esse alienatam propter affectionem; siquidem in ea fuerat ipse patronus educatus, vel parentes sepulti? Et ait Vlpianus, nullo modo patronum audiendum esse, quia fraus liberti in damno pecuniario æstimatur. Igitur patrono non datur actio Fauiana ad rescindendam possessionem maiorum rerum, quia in eis tantùm ratio affectionis, non damni pecuniarij attenditur. Similiter ergo in præsenti casu non debebat minoribus concedi in integrum restitutio, cùm nullo damno pecuniario afficerentur, sed tantùm ratione affectionis. Sed huic difficultati facilè satisfieri potest, si obseruemus Fauianam actionem tantùm habere locum, quando alienatio rei fuit à liberto facta in fraudem portionis patrono debitæ. Cùm ergo in ea specie nullum damnum pecuniarium patiatur patronus ratione possessionis iusto pretio venditæ, imò pars debita patrono æstimatis liberti bonis iusto pretio illæsa remaneret; ideo non auditur patronus intendens rescindere venditionem iusto pretio factam tantùm ob affectionem: at verò in hoc textu datur minori restitutio aduersùs emptorem possessionum erga quas iustam affectionem habebat, quia negari non potest, ipsum læsum fuisse in lapsu termini ad retrahendas ipsas possessiones à patre venditas concessi.

CAPVT

CAPVT IX.

[a] Idem.

CAusa restitutionis in integrum coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis, ab eis tractari poterit, & finiri, siue hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, siue in commisso eis negotio contingat incidere huiusmodi quæstionem. Delegati vero ab ordinariis, qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem iudicandi; seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter. In [b] matrimoniali quoque causa, [c] liberali, vel [d] criminali, cum maiores iudices exigant, arbiter nequit assumi.

NOTÆ.

1. a *Idem.*] In hoc textu proponitur, imò & exponitur iuxta communem interpretum sententiam, textus *in lege finali, C. vbi & apud quem restitutio in integrum petatur*, vsque ad illa verba, *in matrimoniali.* Et vt tam decisionem Imperatoris Iustiniani, quàm nostri Gregorij in præsenti percipiamus, sciendum est, quod iure Digestorum attento, licèt omnes Magistratus restitutionem concedere possint, *l. omnes 3. ff. de in integrum restit. l. in causa 17. §. finali, ff. de minoribus, l. Pannonius, ff. de adquirenda hæredit.* iuxta vulgarem lecturam, quam defendit D. Iosephus de Retes, *tomo 2. opuscul. lib. 5. cap. 3.* tamen ex edicto de minoribus tantùm Magistratus Populi R. restituere valebant, non verò municipales; qui licèt mixtum imperium haberent, non tamen quæ excellentioris imperij erant, obtinebant, *l. ea quæ 26. ff. ad municip. l. metum 9. §. sed quod Prætor, ff. de eo, quod metus*, iuncto Olano *lib. 4. Paralip. cap. 6. num. 9.* Postea tamen Iustiniani constitutione relatâ in dicta lege vltima, non solùm iudices ordinarij iurisdictionem cum administratione habentes, verùm & eorum delegati restitutionis hoc beneficium concedere cœperunt, non verò iudices pedanei, seu dati, qui iurisdictionem non habent, sed tantùm notionem. Iudices etiam delegati à Principe possunt dare hoc beneficium, si ad id specialiter designentur, aut causa restitutionis incidenter emergat; delegati verò ab ordinariis, qui administrationem non habent, restituere nequeunt; & si causa restitutionis incidat, possunt de ea cognoscere; non autem sententiam pronunciare, *dict. l. vlt.* vbi docuerunt Raguellius, Linglois, & Strauchius. Quando verò aduersus primam sententiam delegati restituere possint, iam exposui *in cap. ex litteris 9. de officio deleg.* & latè examinat Carleual *de iudiciis tomo 1. disput. 7. per totam.* Arbitri etiam cùm iurisdictionem non habeant à iure, in integrum restituere non valent, *d. l. vlt.* quam in totum confirmat Gregorius in præsenti, & probant ac illustrant Gentilis *lib. 1. de iurisdict. cap. 32.* Caldas *in l. si curatorem, verbo Implorando, Cod. de in integrum restit. num. 17.* Donellus *lib. 2. comment. cap. vlt. littera B.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 14.* Giphanius, Perez, & Tuldenus *in d. l. vlt.* Raguellius, & Strauchius *vbi suprà:* licèt Duarenus *d. tit. C. vbi & apud quem*, Ioannes Longouallius *in l. Imperium, 3. p. ff. de iurisdict.* existimauerint, Gregorium IX. in præsenti communem Interpretum sententiam potiùs quàm mentem ipsius Iustiniani amplexum, & sequutum fuisse.

2. b *Matrimoniali.*] Quia Gregorius in præsenti, licèt incidenter, egerat de arbitris, asserendo eos non posse restituere in integrum, statim adiecit aliqua, quæ ad arbitrorum potestatem spectant. Et primò asserit, in matrimoniali causa compromissum non admitti: quod etiam docetur *in cap. finali, de transact. cap. finali, de restit. spol. l. 24. tit. 4. partit. 3.* Illustrant Couarr. *de matrim. 2. p. cap. finali, num. 6.* Sanchez *eod. tract. lib. 2. disput. 24. num. 1.* Petrus Greg. *lib. 5. partitionum, tit. 4. cap. 3.* Lanfrancus *de arbitris 4. p. cap. 5.* Molina *de iustitia tomo 6. disput. 40. num. 4.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 17. num. 18.* Causa enim matrimonialis debet iudicari, & decidi per eos, qui à iure iudicandi potestatem habent, *cap. accedentibus, de priuilegiis*, Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 44.* Basilius *eod. tract. lib. 5. cap. 11.* Valeron *de transact. tit. 3. q. 3. num. 58.* Accedit nam sententiæ arbitri statur metu pœnæ, *cap. cùm tempore, de arbitris*; sed in causa matrimonij pœna promitti non debet, *cap. gemma, de sponsal. l. Titia 134. ff. de V. O.* igitur in causa matrimonij compromissum non admittitur. Deinde quia facilè coniuges super matrimonio compromissum facerent, vt sic ab eius vinculo per arbitros separarentur, contra illud diuinum præceptum: Quos Deus coniunxit homo non separet: de quo *in cap. quos Deus, cap. an quod 33. q. 2. cap. inter, de transiat. Episc.* Et licèt cùm datur eadem paritatis ratio, valeat argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, *d. cap. inter*, Euerardus *in loco de matrimonio carn. ad spirituale*; tamen cùm in hoc casu detur diuersa ratio, poterit compromitti, tam super matrimonio spirituali contracto, *cap. nisi, cap. ex parte, de arbitris, cap. nisi, de præbendis*; quàm super contrahendo, videlicet super electione ad beneficium, vel dignitatem, de quo *in cap. quia propter, cap. scriptum, cap. in causis, cap. cùm Vvintonienses, de electione, cap. si compromissum, eod. tit. in 6.* Eius formam exponunt Iulius Lauorus *de electione, cap. 7. num. 23. & cap. 19. num. 29.* P. G. *de electione, cap. 3. num. 3.* Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 1. disput. 28. q. 8.* Garcia *tomo 2. polit. tract. 9. dub. 8.* & nos aliqua adduximus *in c. causam 3. de electione.*

3. c *Liberali.*] Etiam compromissum fieri non potest super causa status, videlicet ingenuitatis, libertatis, natalium, seu monachatus, *l. non distinguemus, §. de liberali, ff. de arbitris:* docent Lanfrancus *de arbitris p. 4. n. 10.* Donel. *lib. 17. comment. cap. 22.* Morla *in emp. tit. de iurisdict. n. 159.* Molina

dict.

dict. diſput. 40. *num.* 3. Cauſa enim ſtatus maiores iudices poſtulat, *l. fin. Cod. vbi cauſæ ſtatus*, ideſt iudices ordinarios, ſiue Prætores, ſiue Præſides, vt exponit Oſualdus *ad Donel. dict. cap.* 22. *littera K.* licèt quamplures non infimæ notæ Interpretes congeſti ab ipſo, aſſeruerint, tantùm Prætores cognoſcere potuiſſe de cauſis liberalibus. Pro quibus facit Plinius relatus à Cuiacio *in dict. l. non diſtinguemus*, §. *Iulianus*; eos tamen refellunt Oſualdus *vbi ſuprà*, Hothomanus *lib.* 6. *obſerv. cap.* 6. quam quæſtionem altiùs proſequi inſtitutum non patitur; circa eam tamen notandi ſunt textus *in l. liberis* 7. §. *ſi quis*, *verſic. Igitur*, *l. in obſcuro* 41. §. 1. *ff. de liber. cauſa*, *l. neque* 36. §. *fin. ff. de fideicommiſſ. libert. l. ſeruus* 34. §. 1. *ff. de ſtatuliberis*, *l.* 4. *ff. ſi ingenuus liber eſſet*, *l.* 1. *Cod. ne de ſtatu defunctor. l.* 1. *l. cùm ſtatus* 15. *Cod. de ordine cognit. l.* 2. *Cod. de pedaneis iudic. l.* 2. *Cod. de libertis*, *l. cùm proponas* 6. *Cod. de rebus*, *creditis*, *l. principaliter* 13. *Cod. de liber. cauſa*, *l.* 1. *Cod. de officio Prætoris.* Sed licèt primò, & principaliter arbitri de cauſis ſtatus cognoſcere non poſſint; tamen de eis incidenter cognoſcere valent, vt probatur *ex dict. l. cùm proponas*, vbi fœminam ex compromiſſo liberam factam fuiſſe ſupponitur, quo modo textum illum accipit Cuiacius *ibi*, & eius auctoritate moti ita docuerunt Accurſius *ibi*, verbo *Conſulat.* Alexander *in lege quotiens* 6. *Cod. de iudiciis*, Oroſius *in l.* 2. *num.* 14. *ff. de iuriſdict.* Sed non rectè ea ſententia probatur *ex dict. l. cùm proponas*; cùm in eo textu arbiter accipiatur pro iudice pedaneo, non verò pro arbitro compromiſſario, vt Gothofredus ibi notauit. Rectiùs autem ea ſententia adſtruitur *ex lege finali*, *Cod. de tranſact.* quem expendit Morla *in empor. tit.* 2. *num.* 159. & illuſtrat Valeron *de tranſact. tit.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 1.

4. d *Criminali.*] Conſonant textus *in lege non diſtinguemus* 32. §. *Iulianus*, *ff. de arbitris*, *l.* 7. *Cod. de Epiſcop. audientia*, *l.* 4. *tit.* 7. *lib.* 1. *fori Caſtel. Los que fueren por auenencia de las partes, no juzguen ningun pleyto de juſticia.* Vbi notauit Montalvo: docent Petrus Gregor. *lib.* 5. *partit. tit.* 4. *cap.* 3. Mornacius, & Faber *in dict.* §. *Iulianus*, Donel. *lib.* 28. *comment. cap.* 10. Hunnius *ad Treutl. vol.* 1. *theſi* 5. *diſp.* 11. *litt. G.* vbi etiam Bachouius; crimina enim, præſertim publica, pœnis à legibus ſtatutis coërceri debent: ſi autem compromiſſum ſuper eis admitteretur, reus ſoluendo pœnam in compromiſſo adiectam liberaretur à pœna corporali à iure in eo crimine ſtatuta, etiamſi arbitri eam compromiſſo imponerent. Accedit, nam non eſt ſingulis committendum, quod poteſt expediri per publicos Magiſtratus, *l. non eſt ſingulis*, *ff. de regulis iuris*: ergo in cauſa criminali arbitri recipi non poſſunt. Hæc procedunt in cauſa criminali criminaliter intentata; ſi verò de crimine priuato, ciuiliter ad pœnam pœcuniariam, non ad vindictam ſanguinis, vt fieri ſolet, *l. finali*, *ff. de priuatis delictis*, agatur, poteſt eo caſu compromiſſum admitti, *cap. veniens*, *de iureiur.* nec tunc, quamuis ſit famoſum crimen, ex arbitri ſententia aliqua infamia irrogatur, *l. quid ergo* 13. §. *ex compromiſſo*, *ff. de his*, *qui notantur infam.* Et ſic generaliter tenendum eſt, de omni crimine, de quo licet tranſigere, iuxta legem *tranſigere*, *Cod. de tranſact.* quam nouiter illuſtrat Valeron *de tranſact. dict. tit.* 3. *quæſt.* 5. Similiter compromiſſum fieri poſſe, poſt Speculatorem, & Montalvum vbi proximè, docet Molina *tomo* 2. *de iuſtit. diſp.* 40. *de arbitris*, *num.* 1. Etiam ſi criminalis cauſa iudiciario ordine non proſequatur, ſed extraordinario, poterit ſuper ea compromiſſum admitti; quo modo accipit textum *in cap. litteras* 14. *de præſumpt.* Cuiacius *in eius commentario.*

CAPVT X.

Idem.

BEneficio reſtitutionis in integrum Eccleſiæ tuæ in alio denegato iudicio, reſtitutio (præterquam ad appellationem obmiſſam) videtur eidem Eccleſiæ poſſe denegari, niſi nouis defenſionibus ad huiuſmodi ſit beneficium admittenda.

COMMENTARIVM.

1. TExtus iſte deſumptus eſt ex tribus Imperatorum conſtitutionibus compilatis ſub titulo Codicis, *Si ſæpius in integrum reſtit.* In prima ſtatuitur, reſtitutionem ſemel denegatam, amplius peti non poſſe; videlicet, quod ſi reſtitutio in integrum petita ſit, & Prætor decreuerit reſtitutioni locum non eſſe, aduersùs hoc Prætoris decretum non poteſt minor reſtitutionem petere: facit Paulus *lib.* 1. *ſentent. titul.* 7. *Integri reſtitutio plus quàm ſemel non eſt decernenda*, *ideoque causâ cognitâ decernitur.* Vbi docet Cuiacius, Duarenus, & Vveſembech. *ad dict. tit. Cod. ſi ſæpius*, Donellus *lib.* 21. *comment. cap.* 12. vbi Oſualdus *littera O.* Morla *in empor. titul.* 5. *quæſt. vltim.* Gamma *deciſ.* 320. Cabedo *deciſ.* 114. Acacius Ripol. *var. cap.* 5. *in fine*, Barboſa *in dict. l.* 1. qui varias huius ſententiæ rationes adducunt. Prima, vt vitentur circuitus, & ambages in iudicio, iuxta textum *in l. dominus*, *ff. de condictione indebiti*, Clementina *Auditis*, *de reſcriptis*: & ſic finis litibus imponatur iuxta vtriuſque iuris votum, quod illuſtraui *in cap. finem*, *de dolo & contum.* Aliam rationem aſſignat Sfortia *de in integ. reſtit. cap.* 16. *art.* 1. *numer.* 15. ideo videlicet reſtitutionem peti non poſſe, poſtquam denegata eſt, quia reſtitutio non competit, niſi vbi adeſt læſio, *l. nam & poſtea*, §. *ſi minor*, *ff. de minor.* Sed aut iuſtè, aut iniuſtè denegata fuit reſtitutio. Si iuſtè non datur læſio: ſi iniuſtè, competit remedium appellationis, *dict. l.* 1. *Cod. ſi ſæpius*: ideo dum adeſt remedium illud ordinarium, non debet concedi extraordinarium *in l.* 2. *&* 3. *Cod. eod. tit.* Exceptioque prædictæ regulæ

gulæ ſtatuitur, videlicet ſi nouæ cauſæ emergant poſt denegatum reſtitutionis beneficium, vt iterum peti poſſit. Docent vltra congeſtos ibi à Barboſa Salgado *de ſupplicatione* 1. *part. c.*12. *num.*17. Verùm in hanc vtriuſque iuris ſententiam inſurgi poteſt, tum ratione, tum auctoritate. Ratione ex eo deducta, quia faciliùs conceditur reſtitutio, quàm appellatio; ſiquidem reſtitutio datur in illis caſibus, in quibus denegatur appellatio, *l. vnica*, iunctâ gloſsâ ibi, *Cod. ſi de moment. poſſeſſ.* ſed ab eadem ſententia, & in eadem cauſa licet iterum, atque iterum appellare, *cap. ſi quis in quacumque* 2. *quæſt.*6. *cap. dilecto*, *cap. ſua* 65. *de appellat.* igitur etiam non ſemel, ſed iterum licebit reſtitutionem petere. Auctoritate textus *in l. etſi ſine* 8. §. *reſtitutus*, *ff. de minor.* vbi docetur, quod ſi minor hæreditatem ſemel repudiatam adierit, per in integrum reſtitutionem poterit iterum reſtitutionem impetrare contra aditionem: igitur in eadem cauſa ſæpe ſæpius beneficium hoc impetrari valet. Primæ difficultati reſpondendum eſt aſſerendo, quod licèt admittatur iterum appellatio in eadem cauſa, non ideo ſequitur concedendam eſſe reſtitutionem in integrum aduersùs huius beneficij denegationem; quia faciliùs denegatur remedium extraordinarium reſtitutionis, quàm ordinarium appellationis, vt contingit *in l. antiquæ*, *Cod. ad Velleianum*, *cap. cùm veniſſent*, *de inſtit.* docent in præſenti Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Anchar. Nec intereſt quod in caſibus, in quibus denegatur appellatio, conceditur reſtitutio; illud enim procedit, ne minor maneat indefenſus; non tamen inde ſequitur, quod faciliùs concedatur reſtitutio, quàm appellatio; nec in omnibus reſtitutio æquiparatur appellationi, vt probant Maceratus *in rubrica de officio eius*, *num.* 226. Lancellotus *de attentatis*, *cap.*18. *num.*38. Nec etiam aduerſatur textus *in dict.* §. *reſtitutus*; nam magnum verſatur diſcrimen inter præſentem textum, & illud Pomponij reſponſum: præſens enim textus procedit cùm reſtitutio fuit denegata, & iterum petita; Pomponius verò loquitur cùm reſtitutio fuit conceſſa, & iterum in contrarium effectum impetrata; quo caſu ſæpius peti, & concedi poteſt. Ratio diſcriminis in eo conſiſtit, quia per hanc ſecundam reſtitutionem res reuertitur ad ſuam naturam, ad quam quælibet res de facili redit, *l. ſi vnus*, §. *pactus ne peteret*, *ff. de pactis*: nec vllum damnum tertio ſequitur, cùm reducatur ad ſtatum, in quo antequam peteret reſtitutionem, erat: docuerunt Morla *vbi ſupra*, *quæſt. vlt.* plures, quos refert & ſequitur Oſualdus *ad Donel. lib.*21. *comment. cap.*12. *littera O.*

TITVLVS XLII.

De alienatione iudicij mutandi causâ facta.

CAPVT I.

Alexander III. [a] *Dulmenſi Epiſcopo.*

EX quorundam relatione audiuimus, quod cùm aliqui litteras à nobis commiſſionis impetrant, aduerſarij (vt mandatum noſtrum eludant) antequam litteræ ad iudicem perueniant, vel etiam poſtea, priùs [b] quàm citentur ab eis, in vocem [c] appellationis prorumpunt, vel commutationem facientes, aliquos in poſſeſſionem eorum, de quibus controuerſia vertitur, malitiosè inducunt. Nos igitur contra prædictam calliditatem, & verſutiam prouidere volentes, mandamus, quatenus ſi aduerſarij eorum pro euacuando noſtro mandato taliter appellauerint, aut de poſſeſſione, de qua controuerſia vertitur, commutationem fecerint, vel ſe malitiosè duxerint [d] abſentandos: [e] eos, qui in poſſeſſione ſe ingeſſerunt, appell. ceſſ. cogatis ſub veſtro examine iuris [f] æquitati parêre.

NOTÆ.

1. [a] *Dulmenſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub tit. de appellat. cap.*14. ſed mendosè, nam Alexander in præſenti reſcribit Archiepiſcopo, vt conſtat ex illis verbis, *in prouincia veſtra*; aliàs ſi cum Epiſcopo loqueretur, diceret, *in diœceſi veſtra*: quare hac reiectâ inſcriptione, vera reperitur poſt Concilium Lateran. *part.*49. *cap.*5. vbi ita legitur: *Idem Archiepiſcopo Rothomagenſi.* De ipſa Eccleſia Rothom. & eius Prælatis aliqua notaui *in cap. cùm contingat*, *de reſcriptis.*

b *Prius quàm.*] Rectè; nam ſi poſt litem conteſtatam commutatio fieret, tanquam rei litigioſæ alienatio reſcinderetur, *l.* 1. *& per totum ff. de litigioſis*: latè probabimus *in cap. vlt. vt lite pendente.*

c *Appellauerint.*] Licèt enim temporibus Alexandri III. appellatio ante ſententiam admitteretur, *cap.*1. 22. *quæſt.* 6. *cap. cùm ſit*, *cap. ſuper eo*, *de appellationibus*: ita demùm appellatio effectum habebat, ſi iuſta cauſa, non verò ſi friuola erat: hodie autem niſi damnum contineat irreparabile, non admittitur, *cap. vt debitus*, *de appellationibus.* 2.

b *Abſen*

d *Absentandos.*] Contra quos procedendum erat tanquam contra contumaces, per missionem in possessionem ex primo, vel secundo decreto, *cap. 1. cap. prout, cum vulgatis, de dolo & contum.*

3. e *Eos, qui.*] Nam licèt non admittatur coram iudice delegato prorogatio de persona ad personam, *cap. P. & G. de officio delegati*; tamen quia isti possessores iure successerunt, possunt conueniri, litteris impetratis contra primum possessorem, & coram ipso iudice delegato, vt docet Morla *in emp. tit. de iurisdict. quæst. 21.* & nos diximus *in cap. significauit, de rescriptis.*

f *Æquitati.*] Cuius ratione Prætor, & Proconsul concesserunt actionem in factum, contra alienantem rem iudicij mutandi causâ; & actionem directam contra ipsum possessorem, atque vtilem in eum, qui dolo desiit possidere, de quibus postea agemus. 4.

CAPVT II.

Gregorius IX. *Abbati* [a] *S. Nicolai, & Decano* [b] *Furuen.* [c] *Morin. Diœcesis.*

EX parte [d] Scabinorum [e] Hipretis fuit propositum, quod inter laicos eiusdem loci quæstionibus emergentibus dirimendis per iudicium sæculare, quidam clerici sibi [f] dono, vel [g] pretio ab aliquibus laicorum ipsorum cedi faciunt actiones, vt aduersarios ad [h] ecclesiasticum forum trahant, & [i] prædam ex huiusmodi commercio adsequantur. *Et infrà*: Cùm igitur [j] cessiones, & [k] emptiones litium legitimè prohibeant sanctiones, ita quod iacturâ causæ adficiant illos, qui sibi [l] potentiorum patrocinium taliter aduocare præsumunt, & ex eo sint etiam odiosæ, quod ex [m] fonte cupiditatis videntur procedere: mandamus, quatenus clericos memoratos à præsumptione huiusmodi per cens. Eccles. compescatis.

NOTÆ.

1. a *Sancti Nicolai.*] Ordinis Præmonstratensis; est enim monasterium hoc S. Nicolai Ordinis præmonstratensis in diœcesi Morinensi.

b *Furuensi.*] De hac Ecclesia aliqua adnotaui *in cap. dilectus, de filiis presbyt.*

2. c *Morin.*] Morinos Galliæ Belgicæ fuisse populos ex Cæsare, Strabone, Plinio, Ptolomeo, satis constat: Morinos quasi Marinos dixit Candenus *in sua Britannia*, Virgilius *lib. 8. Æneid.* recensèt dona à Morinis Augusto oblata.

——— *Euphrates ibat iam mollior vndis,*
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

Eos vltimas gentes Gallicarum dixit Pomponius Mela *lib. 3. cap. 2.* Plinius *lib. 19. cap. 1.* homines vltimos appellat. S. Paulinus *epist. 2. ad Vitricum*, Morinorum terram orbis extremam vocat, vel quia sunt litorales, vt exponit Cerda *ad Virgilium vbi suprà*; vel quia extremi erant in orbe Romano respectu vrbis Romæ, vt explicat Clifecius *in portu Iccio, cap. 1.* De Morinensi Ecclesia egi *in cap. 33. de electione*, & nonnulla dabimus *in cap. 1. de solut.*

3. d *Scabinorum.*] Idest iudicum. Scabini enim apud Gallos, Belgas, & Longobardos dicuntur Iudices, seu Magistratus, *cap. 1. de immunit. Eccles. lib. 6.* constat ex charta Beluensis monasterij, quam refert Petrus Pitheus in glossa ad capitularia, verbo *Scabini*, in his verbis: *Ante illustrem virum Hildegarium Comitem, seu Iudices, quos Scabineos vocant.* Senatores, seu auditores Comitum appellantur frequenter in capitularibus Caroli, *lib. 2. cap. 38. lib. 3. cap. 7. lib. 30. cap. 33. 40. & 49.* Septem enim vnicuique Comiti adsidebant, *lib. 3. capitul. cap. 40.* ibi: *Vt nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ex eis quærere debet, exceptis Scabineis septem, qui ad omnia placita præesse debent.* Notarunt Lindembrog. *in glossario, verbo Scabini.* Sirmundus *eod. verbo*, Altesserra *de Ducibus, lib. 2. cap. 4. ad finem*, Vossius *de vitiis sermonum lib. 2. pag. 274.* In præsenti decisione Scabini accipiuntur pro iudicibus oppidi Hipretis.

e *Hipretis.*] Hipres est oppidum Flandriæ, vt post Ortelium & Ptolomeum probant Altesserra *vbi proximè*, Renatus Chopinus *de sacra pol. lib. 1. tit. 7. num. 1.* 4.

f *Dono.*] Cessione videlicet omninò gratuitâ.

g *Vel pretio.*] Redempta actione certo pretio; quem casum postea examinabimus. 5.

h *Ad Ecclesiasticum forum.*] Licèt enim iuxta iuris regulam actor debeat sequi forum rei, *cap. cùm sit generale*, cum vulgatis, *de foro compet.* & ideo in præsenti specie coram iudice sæculari esset conueniendus, *cap. si clericus laicum, eod. tit.* tamen cùm in contrarium viget consuetudo, videlicet vt laicus etiam coram ecclesiastico conueniatur, coram ipso, non verò coram sæculari, est conueniendus, *cap. si quis presbyterum 1. 2. quæst. 1. cap. conquestus 8. 9. quæst. 3.* Sed Gregorij IX. temporibus in Flandria consuetudine introductum erat, vt laïci in omnibus causis à clericis coram iudice ecclesiastico in ius vocari possent, vt post Cardinalem, Abbatem, Ananiam, & Immolam in præsenti refert Sahagun in hoc textu, *ad 8. argumentum*: quare rectè ait Gregorius, ex cessione facta clericis sequi, vt laïci conueniantur coram ecclesiastico iudice, cùm aliàs coram sæculari essent conueniendi; vnde locum habet edictum de alienatione iudicij, *l. 1. §. 1. ff. hoc tit.*

i *Et prædam.*] Ex redemptione videlicet ipsius actionis.

j *Cessiones.*] Ex edicto de alienatione iudicij, quod etiam locum habet in actionibus personalibus, vt infrà dicemus.

k *Et emptiones.*] Idest litium redemptiones.

l *Potentiorum.*] Innuere videtur Gregorius IX. clericum respectu laïci esse potentiorem, & ita cessionem actionis in eum factam non valere, 6.

valere. Sed in hac parte discrimen constituendum est inter edictum de alienatione iudicij, & titulum, ne liceat potentioribus. Quoad edictum de alienatione iudicij verum est, alienantem, seu cedentem actionem in clericum, incidere in edictum de alienatione iudicij; quia duriorem reddit aduersarium. Quoad titulum tamen *ne liceat potentioribus*, clericus non creditur potentior, vt pluribus relatis docet Olea *de cessione iurium tit.2. quæst.5. num.45.* vnde Gregorius in præsenti non affirmat, in casu huius cessionis clericum appellari potentiorem.

m *Ex fonte cupiditatis.*] Hanc rationem cum aliis proponit Gregorius, non quia ea potissima sit, cùm adsint rationes edicti de alienatione iudicij adductæ ab ipso Gregorio, quas postea illustrabimus.

COMMENTARIVM.

7. DE AVCTORE HVIVS EDICTI.

PRo huius tituli vera, & plena expositione sciendum est, inter alias restitutionum species, quas Tribonianus *in lib.4. Pandect.* & Raymundus *in hoc lib.1.Decretalium*, compilarunt & proposuerunt, recenseri eam, quæ ad alienationem rerum iudicij mutandi causâ factam spectat, de qua in præsenti acturi, priùs de auctore, & verbis edicti aliqua præfabimur. Auctorem huius edicti esse Prætorem, constat *ex l.ex hoc 8.§.ait Prætor, ff.hoc tit.* & ex eo, quia Paulus, & Vlpianus, qui commentaria ediderunt in edictum perpetuum vrbicum Prætoris, præsens edictum exposuerunt, vt patet *ex lege 2. 4. 5. 8. & 9. ff. hoc tit.* Ex quibus expressè deducitur, edictum hoc esse Prætoris. Sed contrarium, imò Proconsulem Prouinciæ hoc edictum composuisse, probatur *ex lege 1. l.3. §. finali, ff.hoc tit.* & ex lege vltima, *ff. eodem*, constat alienantem rem, ne iudicium communi diuidundo subeat, ex lege Licinia puniri: igitur non ex edicto Prætoris hæc restitutio prouenit. Ad hoc tamen asserendum est, hoc edictum Prætoris esse, ideoque referri in edicto perpetuo nuper edito à Gothofredo *in quatuor fontibus*, *in fine*. Nec contrarium suadet lex 1. *ff. hoc tit.* nam cùm Proconsul in Prouincia haberet eandem auctoritatem, quam Prætor Romæ, *l. siue aliquam, in fine, ff. de officio Proconf.* proponebat in Prouinciis edicta sua, sicut Prætor Romæ, vnde edictum quod appellatur Prætoris *in lege 2. ff. quod cum eo*, dicitur Proconsulis *in lege 1. ff. eodem tit.* & in edicto de eo quod metus causâ, *in l. 1. ff. eo titulo*, mentio fit edicti Prætoris; & in lege *quod autem, ff. eod. tit.* tribuitur edictum illud Proconsuli: & cùm Gaius notas scripsisset ad Edictum Prouinciale Proconsulis, Vlpianus verò, & Paulus exponerent edictum vrbicum Prætoris; inde prouenit, vt Caius hoc edictum Proconsulis appellet *in dict. l. 1.* Vlpianus verò, & Paulus, vt Prætoris edictum referant: docent Duarenus, & Vvesembechius *ad hunc titulum*, *ff.* Antonius Augustinus *lib.1. emend. cap.5.* Nec etiam obstat lex vltima, *ff. hoc tit.* vbi mentio fit legis Liciniæ, quia ea lex tantùm lata fuit ad casum specialem, cùm videlicet socius vt communi diuidundo iudicium effugeret, rem communem alienauit; tunc enim quia in eo iudicio ipse actor est simul & reus quoad possessionem, & dominium, *l. communis 24. §.1. ff. communi diuid.* Cuiacius *lib.7. qq. Papin. in lege alienationes 13. ff. familiæ ercisc.* Mancinus *genialium cap.35.* nec satis prospectum erat per hoc edictum; ideo necessariò fuit lex Licinia, vt eam exponentes docent Pareius & Antonius Augustinus. Cuiacius *in notis ad Vlpian. tit.1.* vbi hanc legem imperfectam appellat, quia alienationem factam à socio, etiam ex dolo, non irritabat. De ea agemus *in cap. Ecclesia, vt lite pendente, num. penult.*

8. REFERTVR CAVSA EDICTI.

Hæc sufficient de edicti auctore: nunc eius verba, & causam referamus. Eguinarius Varo *lib.1. manuduct.* ita huius edicti verba restituit: *Ne qua alienatio iudicij mutandi causâ fiat, si quæ dolo malo cessio, quæve alienatio iudicij mutandi causâ facta fuerit, nec arbitrio iudicis pristina iudicis causa restituatur, ei, ad quem ea res pertinebit, in eum, qui id fecisse dicitur, quanti ea res erit, intra annum, quo primùm experiundi potestas erit, iudicium dabo.* Et licèt Vvesembechius hanc formulam impugnauerit ex eo, quia in ea non comprehendatur facultas agendi, pristinâ actione iam restitutâ; tamen vt notauit Bachouius *in notis ad ipsum*, in his edictis restitutoriis concedendo Prætor actionem in factum, restituit etiam pristinam actionem. Causam, seu necessitatem huius edicti expressit Gaius *in l.1. ff. hoc tit.* in illis verbis: *Omnibus modis Proconsul id agit, ne cuius deterior causa fiat ex alieno facto: & cùm intelligeret iudiciorum exitum interdum duriorem nobis constitui, oppositio nobis alio aduersario, in eam quoque rem prospexit.* Quibus verbis docetur, hoc edicto prospectum esse illis, qui cùm haberent actionem in rem, ad rem persequendam, alienatione factâ à possessore rem ipsam ita facilè persequi non valent; & cùm iniquum sit, ex alieno facto causam propriam deteriorem reddi, *l.2. ff. quod vi aut clam, l. non debet 75. ff. de R. I.* ideo hoc edictum à Prætore propositum fuit. Notant Vighellius *lib. 15. methodi iuris ciuilis, cap.13*, Giphanius *in l.1. Cod. hoc tit.* Duarenus *ad hunc titulum*; vbi etiam Mornacius. Accedit sententia Symmachi *lib.10. epist.45.* ibi: *Difficile est, vt bona causa sit, cuius actio in ius alterius desperatione transfertur.* Inde qui post litem cœptam militiæ nomen dat, vt potentior aduersario reddatur, exauctorari iubetur *in lege 4. §. non omnis, ff. de re militari.*

9. IMPVGNATVR HOC EDICTVM.

Sed hoc edictum vt minùs necessarium, iurisque rationi contrarium videtur ex sequentibus ratiociniis. Primum nascitur ex illo iuris principio, quo docetur, actionem in rem competere non solùm aduersus possessorem, verùm aduersus eum, qui dolo desiit possidere, *l. qui dolo, l. parem, l. qui enim, ff. de regul. iur.* qui enim dolo desiit possidere, pro possessore damnatur, quia pro possessione dolus est, *l. qui petitorio, ff. de R. V. l. si rem, ff. de except.* docent Cuiacius *lib. 28. qq. Papin. in l. Stichum, §. dolo, ff. de solut.* Osualdus *lib.20. Donelli, cap.3. littera, L.* Roder. Suarez *in l. post rem, limit.1. numer. 4. ff. de re iudic.* Couarr. *pract. quæst.15. numer.7.* Felicianus *tomo 2. de censib. lib.3. cap.4. numer.12.* Parladorius *lib.2. rerum quotid. cap. vlt.§.5.* Valenzuela *consil. 111.* Noguerol *alleg. 29. art.3.* Salgado *de protect. part.4.cap.48. num.68.* Carleual *de iudiciis tomo 2.lib.1.tit.3.disput.11.* Olea *de cessione iurium tit.3. quæst.11.* igitur si possessor, qui rem alienauit, tenetur actione reali, superflua est actio in factum, quæ contra ipsum conceditur. Secundò etiam superfluitatis arguitur hoc edictum ex titulis, *De litigiosis, Ne liceat potentioribus, Vt nemo suscipiat in patrocinio*: in quibus satis arguitur, & coërcetur eius audacia, qui mutandi

tandi iudicij causâ rem alienauit. Iuris etiam rationi contrarium esse hoc edictum ex eo suadetur; nam vnicuique licet res proprij patrimonij quomodocumque alienare, & de illis disponere, *l. 2. ff. si quis à parente*, *l. in re 21. Cod. mandati*: nec quid aliud magis rationi naturali congruum est, quàm voluntatem domini in alium rem suam transferre volentis, ratam haberi, *l. qua ratione*, §. *hæc quoque*, *ff. de adquirendo rerum dom.* §. *per traditionem*, *Instit. de rerum diuis.* igitur licet domino etiam iudicij mutandi causa rem propriam alienare.

10. DEFENDITVR HOC EDICTVM. Sed & iuri consonum, rationique consentaneum, & valde necessarium esse hoc edictum, defendendum est. Nec contrarium suadet prima difficultas suprà adducta; nam licèt actio in rem detur contra eum, qui dolo desiit possidere, non ideo impeditur actio in factum, quatenus domini interest rem alienatam non fuisse, vt videlicet in expensis damnetur, qui alienauit. Licèt enim in expensis litis ipse condemnatus ad rei restitutionem teneretur, *l. vlt. Cod. de iudiciis*; tamen ad expensas ob alienationem factam in duriorem aduersarium non tenebatur. Quare vberiorem esse actionem hoc edicto introductam, defendit Vitalis *lib. 1. var. cap. 17.* nisi dicamus cum Iulio Pacio *cent. 3. quæst. 3.* huius edicti temporibus non fuisse propositam actionem in rem in eum, qui dolo desiit possidere, Senatusconsulto, de quo *in l. sin autem*, §. *sed & his*, *ff. de R. V.* Nec secunda difficultas aduertatur; nam hoc edictum procedit, quando res alienatur iudicij futuri mutandi causâ, non autem præteriti, aut præsentis; quia cùm res iam facta sit litigiosa, eius alienatio nulla est: de quibus rebus litigiosis accipiendi sunt textus *in l. per diuersas*, *l. ab Anastasio*, *Cod. mandati*, iunctis Cuiacio *ad ipsum titulum*, Fabro *lib. 12. coniect. cap. 12. l. litem*, *Cod. de procurator.* cum adductis ibi à Gothofredo *l. 1. & per totum ff. si ex noxali causa*, cum Fabro in eius rationali. Etiam hoc edictum tantùm spectat ad actiones reales, mixtas, vel personales ex parte rei, non verò ad personales ex parte actoris; quia tunc locum habet titulus, *Ne liceat potentioribus*, vt docuerunt Osualdus *ad Donel. lib. 15. comment. cap. 26. littera*, *B.* Vitalis *lib. 1. var. cap. 17.* Cuiacius *lib. 10. obseru. cap. 3.* Nec vltima difficultas aduersatur, nam in præsenti edicto alienatio non rescinditur, sed tantùm propter dolum, & fraudem alienantis datur contra ipsum actio in factum ad id, quod interest rem alienatam non esse: quare si dolus non detur, etiamsi mutetur iudicium, alienatio sustinebitur, & actio in factum cessabit, vt in casu textus *in lege 1. §. 2. ff. de separat.*

11. DE PARTIBVS HVIVS EDICTI. His suppositis circa auctorem, & verba edicti, nunc de eius partibus agendum est; & quia duas continet partes, vnam videlicet de alienatione iudicij mutandi causâ facta, & aliam de cessione, sigillatim eas percurramus. In primis ergo si alienata sit res iudicij mutandi causâ, & si non in potentiorem, sed in alterius Prouinciæ incolam, locus est huic edicto; quia actor experiri debet contra ipsum, *l. 3. ff. hoc tit.* ex vulgari regula *Actor forum rei sequi debet*, *l. iuris ordinem*, *Cod. de iurisdict.* *cap. cùm sit generale*, *de foro compet.* Alienatum autem dicitur quando translatum dominium est ex aliqua causa à iure approbata, *l. 4. §. 1. & §. item si res*, *ff. hoc tit.* vt si res vendatur, *dict. l. 3. §. item*; si diuidatur, *l. si communi 24. ff. communi diuidundo*; si donetur, *l. 2. Cod. ne fiscus*; si iuretur, *l. 1. ff. si mulier ventris nomine*: & licèt alienationis verbum translationem dominij importet, *l. alienatum*, *ff. de V. S.* tamen in hoc edicto etsi possessio tantùm transferatur, edicto locus est, *l. 4. §. item si res*, *l. non solum 6. ff. hoc tit.* vt si quis alienam rem vendat, cuius dominium ipse transferre non potest; tamen quia transfert possessionem, & cum ea vsucapiendi conditionem, incidit in hoc edictum, *l. ex hoc edicto*, §. *alienare*, *l. item*, *ff. hoc tit.* temporibus enim mediæ Iurisprudentiæ euenire solebat, vt emptor cum bona fide vsucaperet rem mobilem anno, immobilem biennio, durante anno vtili, intra quem datur actio ex hoc edicto; aut data accessione temporum, ex persona auctoris, videlicet venditoris, §. *inter venditorem*, *Instit. de vsucapionibus*, vt docet Pacius *cent. 3. q. 14.* non enim efficitur res furtiua, licèt mala fide alienetur: quia non animo contrectandi eam possessor alienat, & supponitur res immobilis, in qua furtum non datur. Etiam protrahitur hoc edictum ad manumissionem; si enim seruum, quem petebamus, ideò petere volebamus, manumiseris, locus est huic edicto, *l. 3. §. 1. ff. hoc tit. l. si quis 12. ff. de manumiss. testam.* Nam licèt dominium, aut eius possessio in alium non transferatur; tamen durior nostra conditio redditur: tum quia difficilis est probatio dominij, vt libertas euertatur, vt ait Faber *in dict. l. 3. §. 1.* tum quia Prætor fauet libertatibus, *l. inter pares*, *ff. de re iudic. l. 1. Cod. si aduersùs libert. l. quotiens*, *ff. de R. I.* Etiam extenditur hoc edictum ad dedicationem, aut confecrationem rei, iudicij mutandi causâ factam, *l. rem 3. ff. de litigiosis.* Item si iura incorporalia, vt seruitutes, tam reales, quàm personales alienentur, *l. 4. §. 4. ff. hoc tit.* Etiam locus est huic edicto, si locum, in quo opus feceras, cuius nomine interdicto *Quod vi aut clam*, aut actione aquæ pluuiæ arcendæ tenebaris, alienaueris, quia nostra conditio durior facta intelligitur, *l. 3. §. item*, *ff. hoc tit.* si enim tecum ageretur, tuis impensis opus illud tollere deberes, *l. si tertij 6. §. penult. cum lege sequenti*, *ff. de qua pluuia*, *l. competit 16. §. vlt. ff. quod vi aut clam*, *l. 8. Cod. de seruit. & aqua.* Post alienationem verò, quia incipit mihi aduersùs alium, quàm qui fecit opus, actio competere, debeo meis impensis opus tollere; quia qui ab alio opus factum possidet, tantùm istis actionibus tenetur, vt patiatur opus tollere, *l. si alius*, *l. semper*, §. *vlt. ff. quod vi aut clam*, *dict. l. si tertius*, §. *vlt.* Nec obstat quod is, qui alienauit, interdicto *quod vi aut clam*, ad damnum; & impensas factas tenetur, *l. sed & venditor*, *ff. de aqua pluuia*; nam id damnum, & expensæ, tantùm ad id, quod ob opus factum passi sumus, pertinent, non autem ad id, quod interest alium non habuisse aduersarium, vt probat Faber *in Papin. tit. 16. princip. 12. illat. 2.* Item si postquam tibi opus nouum nuntiaui, tu domum alienasti, & emptor in ea ædificauit, locus est huic edicto, *l. 3. §. opus*, *ff. hoc tit.* Ratio est, quia licèt ignorans præcedentem renunciationem ædificaueris, debes tantùm patientiam destruendi opus, non autem impensas præstare, *l. vlt. ff. de noui operis nunc.* & etiam quia per hanc actionem, nec tecum agi potest, quia non ædificasti; nec cum emptore, quia opus alienatum non fuit. Vnde ratione huius interessis locus est huic edicto; quo modo accipiunt dictam legem 3. §. 1. *hoc tit.* Valentia *tomo 2. illustr. tract. 1. cap. vlt. num. vlt.* Pichardus *in §. 1. Instit. de interdictis*, *num. 110.* Pacius *centur. 3. quæst. 12.* Larrea *decis. 31.* *Granat.* Duarenus *ad tit. de noui operis nunc. prælect. 14.* Pancirola *lib. 3. var. cap. 2.*

12. De cessione actionvm.

Alia pars huius edicti spectat ad cessionem actionum factam iudicij mutandi causâ, ex qua durior redditur aduersarius. Si enim ille, cum quo lis futura erat, cesserit ipsam actionem, locus est huic edicto, *l.4. § si quis autem, l. penult. & vlt. ff. hoc tit.* licèt enim Cuiacius *lib. 8. obseru. cap.31.* & *ad titulum Cod. ne liceat potentioribus*, Faber *in suo Codice, tit. de alienatione iudicij*, Osuald. *ad Donel. vbi suprà*, existimauerint, hoc edictum tantùm pertinere ad actiones reales, seu mixtas, non verò ad personales; tamen verius est, præsens edictum etiam ad actiones personales spectare ex parte actoris, vt resoluunt Duarenus *ad hunc titulum*, Gibalinus *in l.1. Cod. hoc tit.* Pulueus *de alienatione iudicij, cap.1.* Petrus Greg. *lib.21. syntag. cap.20.* alij congesti ab Olea *de cessione iurium tit.2. quæst.4.* quæ sententia probatur *ex cap.2. hoc tit. l.penult. ff. hoc tit.* ex Concilio apud Castrum Gomerij celebrato anno 1231. in illis verbis: *Quia per excogitatam malitiam laïci interdum cedunt actiones suas clericis, vt iurisdictio secularis ad iurisdictionem ecclesiasticam transferatur, hoc fieri prohibemus, nisi in casibus à iure permissis, & concessis.* Refert Mornacius *in rubrica ff. hoc tit.* Suadeturque ex eo, quia edictum hoc generaliter loquitur de alienatione facta iudicij mutandi causâ: igitur generaliter est accipiendum, tam de alienatione rerum corporalium, quàm incorporalium, argumento textus *in lege regula, § si quis, circa finem*, & ibi Bartolus, *ff. de iur. & facti ignor.* præcipuè cùm alienatio prohibita sit, & cessio actionum alienatio sit, vt docent Rebuffus *ad leges Galliæ, tit. de actionibus, artic. 1. glossa 3.* Fusarius *de substit. quæst. 697.* Accedit, quia iuxta edicti verba suprà relata, cessio actionum continetur ibi: *Si quæ dolo malo cessio.* Quæ ad cessionem actionum ab actore factam referenda sunt, non verò ad cessionem ex parte rei; quia nisi consentiente creditore non potest alius debitor delegari.

13. Dissolvitvr qvædam difficvltas.

Sed hæc doctrina, quam vt veriorem amplectimur, difficilis redditur ex eo; nam vt huic edicto locus sit in cessione actionum, cessio debet subsistere, sicut alienatio: sed cessio actionis iudicij mutandi causâ facta non valet: igitur in eo non habet locum hoc edictum. Probatur minor. Primò ex eo, quia cessio actionis facta in fiscum iudicij mutandi causâ non valet, *l.1. Cod. ne fiscus patrocinium:* igitur similiter nec in priuatos facta tenebit. Secundò ex lege *si communis 9. ff. communi diuid.* in illis verbis, *sine dolo, & fraustratione*, vbi cessio actionis, aut peculij, vbi dominus actor est, facta cum dolo, aut fraustratione, non tenet: igitur in huiusmodi cessione præsens edictum locum non habet. Sed huic difficultati satisfaciendum est asserendo, in hac parte aliud ius versari in cessione facta in fiscum; aliud verò in cessione facta in priuatum: in fisco enim cessio iudicij mutandi causâ facta non valet; in priuato verò vires obtinet. Differentiæ ratio in eo versatur, ne videlicet suspicio calumniæ, aut ambitionis detur in fisco, vt contingit in alienatione iudicij mutandi causâ facta in testamento, quæ in priuato valet, & ipse hæres fit, aut capit rem legatam, *l. 8. § si hæredem, ff. hoc titulo*: fiscus autem nec hæreditatem, nec legatum capere valet, *l. penult. ff. de hæred. instit.* Nec etiam obstat dicta lex *si communis 9.* nam in eius specie non fuit facta cessio iudicij mutandi causâ, sed tantùm vt protraheretur iudicium, & qui soluit, ius suum persequi non posset: quo casu cessio vires non habet, vt considerat Cuiacius *ibi.*

14. De actore cedente actionem.

Similiter hoc edictum locum habet in actore cedente actionem iudicij mutandi causâ; cùm æqualis sit ratio, & eadem militet in reo cedente, ac in actore: docent Faber *in suo Codice, tit. de alienatione iudicij.* Olea *de cessione iurium dict. quæst.4. num. 8.* Et probatur hæc sententia ex lege *non solùm, §. si quis autem, ff. hoc tit.* in illis verbis: *Litem in alium transtulerit*, idest actionem: lis autem dicitur actio, *l. litis 36. ff. de V. S.* vbi notarunt Fornerius, & Gentilis Lexicographi, verbo *Lis.* Nec contrarium suadetur ex titulo Codicis *ne liceat potentiorib.* vbi statuitur pœna priuationis actionis in eum, qui in potentiorem actionem sibi competentem transtulerit, vt sic duriorem aduersarium liti opponat: nam titulus ille duplici modo accipi potest. Primò eum intelligendo de potentioribus ratione officij; vnde magnum discrimen versatur inter hoc edictum, & titulum illum; quia hoc edictum procedit in alienante, aut cedente in potentiorem aduersarium ratione patrimonij, priuilegiive; titulus verò, *ne liceat potentioribus*, in alienante in potentiorem ratione officij. Quam interpretationem expressè probauit Alfonsus Sapiens Castellæ nostræ Rex *in lege 15. & 16. tit.7. partit.3.* & ita docuerunt Gregorius Lopez *ibi*, Doctores communiter *in dict. l. 1. Cod. ne liceat potentioribus*, Burgos de Paz *consil.35.* Barbosa *in l.1. part.7. num.47. ff. soluto matrim.* Martha *de iurisdict. 4. part. centur.1. casu 91.* Secundo etiam modo accipi potest prædictus titulus, vt in eo agatur de cedentibus actiones in potentiores ad lucrum cedentium, non verò ipsorum, ita vt quidquid per actionem potentiores consequantur, id restituant cedentibus, vt ex verbis legis 2. *Cod. eod. tit.* non insubtiliter probat Olea *dict. quæst.4. num.20.* noster verò titulus procedit, cùm ita transfertur, aut ceditur actio, vt commodum ad cessionarium spectet.

15. Alienatio debet esse dolosa.

Vt autem huic edicto locus sit, tria exigit Prætor, & concurrere debent, scilicet dolus alienationis, mutatio iudicij, & vt detur aduersarij interesse; de quibus figillatim agamus. Primò ergo desideratur dolus, seu fraus ex parte alienationis; ait enim Prætor, *dolo malo, l.4. cum suis §§. l.8. ff. hoc titulo:* docent Vvesembechius, & Duarenus *ad hunc titulum*, Faber *in suo Codice, tit. de alienatione iudicij*, plures congesti à Sahagun. *in cap.1. hoc tit.* Vnde etsi alienatio fiat in duriorem aduersarium, & mutetur iudicium, nisi fraude fiat, edicto locus non est, *l.4. §. finali, ff. hoc titulo*, vt in specie textus *in l. si fundus 92. l. si quando 109. §.1. ff. de legatis 1.* regulariter enim valet alienatio, aut cessio cuiuslibet rei in iudicium non deductæ, *l. nomina, l. multum, ff. de hæredit. vel actione vendita.* Et quia dolum ex indiciis perspicuis probari conuenit, *l. quoties, §. qui dolo, ff. de probationibus*; & ex facto colligitur, an dolus admissus sit, *l.1. ff. de doli exceptione*: & si coniecturæ adsint, vnde cognoscatur, dolum non adfuisse, non est locus huic edicto, vt si quis necessitate coactus soluerit rem, quam petere intendebat, *l. nam etsi 10. ff. hoc tit.* Farinacius *verbo Litigiosum, num.323.* vel si quis cedat rem, vt liberetur ab obligatione, *l. non 19. ff. de noxal. action.* aut si rem pro derelicta habeat, *l.4. §.1. ff. hoc tit.* vel si quis ob valetudinem, ætatem, vel ob nimias occupationes actionem in alium transferat, vel vt à carceribus liberetur, fisco actionem cedat: ex Menochio, & aliis resoluit Olea

vbi

vbi suprà, num. 26. item si quis absque dolo malo eo animo tantùm, vt à litis molestia liberetur, rem alienet. Verecunda enim cogitatio lites execrantis contemnenda non est, *l. item, §. 1. ff. hoc titulo:* pluribus enim bonæ notæ Auctoribus probant Pulueus *in hoc tit. cap. 3.* Mornacius *in dict. l. 4.* Besoldus *in delibat. iuris ad hunc titulum, lib. 4. Pandectar.* Etiam cessat hoc edictum, si quis rem alienet eam legando, aut in ea aliquem hæredem instituendo, *l. ex hoc, §. 3. ff. hoc titulo:* licèt enim per legatum transferatur dominium, *l. à Titio, ff. de furtis,* & qui prohibitus est alienare aliquam rem in extraneum, non possit eam legare, aut in ea aliquem hæredem instituere, *l. peto 69. §. fratre, ff. de legat. 2. l. pater 3. §. Iulianus, ff. de legat. 3. l. in quorum 24. ff. de pignor.* tamen hæc alienatio ad hoc edictum non spectat, quia dolo non fit: & similiter cessio facta in testamento valet, *l. ab Anastasio, Cod. mandati:* docent Cæpola *in l. nomen 33. ff. de legat. 3.* Sahagun *in cap. 2. hoc tit.* Faber *in ration. ad textum in d. l. ex hoc:* non enim in testatore præsumitur dolus, nisi probetur, vt cùm litis causâ Principem hæredem instituit; quo casu Princeps non agnoscit hæreditatem, *l. penult. ff. de hæredib. instit.* Nec contrarium probat textus *in l. penult. ff. de noui operis nunc.* quia licèt in eius specie in hæredem, in quem prædium post nunciationem translatum est, detur actio, non datur tamen in impensas, sed tantùm vt patiatur opus destrui, vt docet Osualdus *in notis ad Donel. lib. 15. comment. cap. 45. littera Y.* Is quoque, qui venditori suo rem emptam redhibet, non videtur dolo facere iudicij mutandi causâ, *l. 8. §. qui venditori, ff. hoc tit.* tantùm enim redhibet, quia deceptus est, & iure suo vtitur; vnde fraudem non committit, *l. si donatum 9. in fine, ff. de donat. causâ mortis, l. nullus 55. ff. de R. I.* nisi aliàs redhibiturus non esset, vt explicatur *in lege quia 9. ff. hoc tit.* Manet ergo alienantem sine dolo, etiamsi mutetur iudicium, non incidere in hoc edictum; secus verò si cum dolo alienet, etiamsi non sentiat iacturam ex alienatione, aut cessione; imò cessio ipsa valeat, *l. qui stipendia, Cod de procurat.* Albericus *in lege 2. Cod. ne liceat potent.* nec ex parte cessionarij desideratur dolus. Dumtaxat enim in cedente requiritur, *l. si seruus communis, §. finali, ff. communi diuid. l. vnica, Cod. hoc tit. l. 30. tit. 2. partit. 3. l. 15. tit. 7. eadem part.* docet Sahagun *in cap. 1. hoc tit. ad tertium argum.*

16. IVDICIVM DEBET MVTARI.

Secundò desideratur, vt huic edicto locus sit, quod ex alienatione dolosa mutetur iudicium: & licèt iudicium plures habeat significationes, *l. post litem 17. cum sequent. ff. de procurat.* notant Doctores *in rubrica de iudiciis*; tamen in præsenti accipitur pro futura lite, quæ propter alienationem mutatur in aliam personam; & tunc iudicium mutari dicitur *in l. mutari 24. ff. de procurat.* Mutatur etiam iudicium cùm durior aduersarius supponitur, aut alio modo agenti durior conditio redditur, *l. 1. 2. 3. & 4. ff. hoc tit.* Vnde qui duntaxat amittit possessionem, non alienat mutandi iudicij causâ, *l. 4. §. 1. ff. hoc tit.* Tertiò desideratur, vt huic edicto locus sit, vt detur interesse ex parte aduersarij, idest, vt eius interfit rem alienatam non esse. Quare si is, qui alienauit, paratus sit iudicium subire, perinde ac si possideret, non tenebitur hoc edicto, *l. 3. §. fin. ff. hoc tit. l. qui se obtulit, ff. de rei vind.* Cùm eo casu aduersarius teneatur probare dolum, vt qui alienauit, pro possessore teneatur: item si res alienata non erat alienantis, sed prorsus aliena, non est locus est huic edicto, *l. non solùm, §. hæc, ff. hoc titulo*; vel si quis postquam alienauit, pœnituit, & iterum rem recepit, quia nullum datur interesse, non est locus huic edicto, *l. ex hoc, §. si quis alienauerit, ff. hoc titulo:* etiam non tenetur hoc edicto, si res alienata periit; nam regulariter debitor speciei peremptâ specie liberatur, *l. quod mihi, ff. de rebus creditis, l. si ex legati 123. ff. de V. O.* & licèt si res iam in iudicium deducta esset, adhibenda distinctio fuisset, vtrum similiter peritura foret, nec-ne penes petitorem, *l. item 15. ff. de rei vind.* tamen cùm in iudicium deducta adhuc non esset, imputet sibi aduersarius, qui antea eam non petiit, *l. amplius 15. ff. rem rat. haberi.* Toties ergo, quoties non datur interesse ex parte petitoris, non est locus huic edicto; secus verò si interesse detur, aut in re principali, aut in accessionibus Faber *ind. l. non solum, §. hæc.*

17. DE REMEDIIS HOC EDICTO COMPETENTIBVS.

His suppositis pro pleniori expositione huius edicti, illud disserendum venit, quid videlicet contineatur in hoc edicto, & quæ actio ex eo detur? Et primò per hoc edictum restitutionem in integrum à Prætore concedi notum est; pollicetur enim Prætor actionem in factum, nisi restituatur res in pristinum statum. Ita omnes repetentes ad hunc titulum, & ad eundem titulum in Digestis. Nec obstat, quod *in l. 1. & 2. ff. de in integrum restit.* & apud Paulum *lib. 2. sentent.* cùm aliæ species in integrum restitutionum recensentur, hæc non enumeretur; quia respondendum est, restitutionem, competentem ex hoc titulo recenseri, & enumerari in edicto perpetuo Prætoris, sub titulo *de in integrum restit.* non autem *in dict. l. 1. & 2.* quia licèt hoc remedium Prætoris sit, non competit vt alia remedia restitutionum à Prætore introducta; siquidem alia remedia rescindunt gesta à partibus: hoc autem tantùm introducit actionem in factum, nisi restituatur res in pristinum statum. Vnde Prætor iubere solet, rem ipsam restitui, aut actionem in factum concedi, vt docet Giphanius *in l. 1. Cod. hoc tit.* Igitur actio in factum datur contra alienantem iudicij mutandi causâ, in omne id, quod interest rem alienatam in duriorem aduersarium non esse, *l. 1. l. 3. §. ex quibus, l. non solùm, §. hæc actio, ff. hoc tit. l. 15. tit. 7. l. 30. tit. 2. partit. 3.* & quia officium iudicis mercenarium desiruit loco actionis, *cap. 2.* vbi notaui, *de officio iudicis*; ideo quod per actionem prædictam actor consequitur, ex officio iudicis prouenire dicitur *in l. 3. §. ex quibus 4. ff. hoc tit.* quæ de mercenario iudicis officio accipi debet, vt post Albericum, & Fulgosium ibi docet Sahagun *in cap. 1. hoc tit.* Etiam cum prædicta actione in factum competit actori actio in rem aduersùs possessorem, *l. vnica, Cod. hoc tit.* nisi ipsam vsuceperit, *l. 4. in princip. ff. hoc tit.* etiam habet actionem vtilem aduersùs ipsum alienantem, si rem à possessore auocare non possit, *ex dict. l. qui dolo, l. parem, ff. de R. I.* Nec ideo quia habet hæc remedia ordinaria, priuatur remedio extraordinario actionis in factum; quia licèt cùm ad idem tendunt remedium ordinarium, & extraordinarium, extraordinario locus non sit, *l. in causa 2. ff. de minor.* in hoc tamen casu ad diuersa tendunt: actio videlicet realis ad rei persequutionem: actio in factum ad impensas & interesse. Vnde dominus per hæc remedia diuersa consequitur: quod adeo verum est, vt etiam post rei persecutionem à possessore, cum quo actor experiebatur rei vindicatione, possit postea actio-

nem in factum intentare contra alienantem : quinimò licèt iudicio vinceretur à possidente, vt *in l. 4. in principio, l. non solùm*, §. *hæc actio, hoc tit.* poterit nihilominus actionem in factum intendere, *dict.* §. *hæc actio, dict. l. 15. & 30. partit.*

18. DE REMEDIIS CONTRA CEDENTEM ACTIONEM.

Hucusque tradita procedunt in alienante rem debitam iudicij mutandi causâ : nunc agamus de cedente actionem, & remediis eo casu competentibus. Et in primis si actionem, quam contra me habebas, Sempronio potentiori cesseris, & ipse aduersus me agat, habeo exceptionem ex hoc edicto ad elidendam actionem, *l. cùm miles, ff. hoc tit.* & si habebas actionem & exceptionem, vt contingit inter socios in iudicio communi diuidundo, si alienasti rem, vt tecum agere non possim, & intendas actionem communi diuidundo, actione ipsa priuaris, ex lege Licinia : & quoad partem alienatam competit mihi remedium huius edicti, *l. penult. ff. hoc tit.* vbi plura Faber. Post constitutionem etiam Claudij, de qua *in lege 1. Cod. ne liceat potent.* actor, qui cedit actionem in potentiorem aduersarium, priuatur commodo ipsius actionis : docent Gomez, Cyriacus, Maranta, & alij, quos laudat, & sequitur Doctor Olea *de cess. iur. tit. 2. quæst. 4.* vbi latè disputat, quis dicatur potentior. Extat etiam in hac parte edictum 43. Theodorici Imperatoris, in hæc verba : *Nullus in potentem Romanum, aut Barbarum proprias quolibet titulo transferat actiones : quod si fecerit, iacturam litis iurgator incurrat, & is, qui susceperit, medietatem pretij rei æstimatæ fisco cogatur inferre : quâ pœnâ teneri præcipimus etiam eos, qui rem in lite positam in huiusmodi crediderint transferendam esse personam.* Et *in cap. 2. hoc titulo*, per censuras ecclesiasticas compellitur cessionarius deserere actionem : & iure nostro regio donatio actionum facta scholasticis improbatur, nisi à patre alimentorum causâ fiat, *l. 18. tit. 7. lib. 1. recopil.* quam exponunt Azeuedus *ibi*, Olea *vbi suprà*.

19. DE PERSONIS, QVIBVS, ET IN QVAS DETVR ACTIO IN FACTO.

Superest vt de personis agamus, quibus, & in quas detur actio in factum, ex hoc edicto. Et datur actio ei, in cuius fraudem res alienata, aut actio cessa est : & quia ex eius persona actio hæc rei persecutoria est, licèt non ex sui ratione, ex natura tamen edicti hæredi eius etiam dabitur, *l. 4. §. vlt. ff. hoc tit.* In hæredem autem alienantis non dabitur, quia cùm in personam sit, & certam rei persequutionem non contineat, donec officio iudicis arbitratum sit, quid veniat in actione, non potest ante litis contestationem dari in hæredem, *dict. l. 4. §. vlt. l. 5. & 6. ff. hoc tit.* quàs ita accipiunt Faber *lib. 4. coniect. cap. 1.* & de erroribus *decade 80. errore 6.* Schifordeg. *tom. 1. tract. 10. quæst. 4.* & *lib. 2. tract. 1. quæst. 4.* Pichardus *in* §. 1. *de perpetuis, num. 44.* ideoque hæc actio dabitur ratione interessis hæredi actoris, non autem dabitur in hæredem, quia nihil ad eum peruenit : quo modo accipiendus est textus *in l. 2. ff. quibus ad libertatem prou.* vt etiam contingit in edicto de rebus auctoritate iudicis, *l. Prætor 9. §. 1. ff. de rebus auctorit. iudicis :* in edicto quod falso tutore, *l. huius 9. §. 1. ff. quod falso tutore :* sed si tutor alienauit rem iudicij mutandi causâ, actio in factum vtilis, non verò directa dabitur in populum, *l. nam 10. §. 1. ff. hoc tit.* Licèt enim dolus tutoris pupillo nocere non possit, & ideo actione directâ non teneatur, *l. 3. & 4. ff. quando ex facto tutoris*, vtilis tamen in eum datur, cùm dolus interuenit in contractu, aut quasi, *l. sed ex dolo, ff. de dolo*, vbi latè Faber; non tamen hæc actio competit perpetuò, sed intra annum tantùm, *l. 6. ff. hoc tit. l. post venditionem, ff. de aqua pluuia :* annus autem est vtilis, vt qui datur in aliis restitutionibus, *l. 1. ff. ex quibus causis maiores, l. intra vtile, ff. de minoribus :* & cùm hodie iure Codicis pro isto anno vtili detur quadriennium continuum in aliis restitutionibus, *l. vlt. Cod. de temp. in integ. restit.* ideo & in hac dari quadriennium docet Duarenus *in præsenti*.

20. EXPONITVR L. ANTHEVS, FF. DE AQVA PLVVIA.

Sed huius edicti sententiæ aduersatur primò textus *in l. Antheus 14. ff. de aqua pluuia*; vbi cùm in lege antecedenti ageretur de eo, qui opus fecit in fundo suo, quo aqua pluuia quandoque nocitura esset, cùm eum fundum venderet, & traderet absque dolo malo, asseritur eum ampliùs aquæ pluuiæ actione non teneri, quia dominus esse desiit; actione tamen quod vi, aut clam ipsum conueniri debere. Tandem *in l. post venditionem 16.* agitur de eo, qui dolo malo iudicij mutandi causâ in potentiorem fundum alienauit, vt duriorem aduersarium pro se subiiceret : quo casu affirmat Iulianus, solui iudicium aquæ pluuiæ, & tantùm dari actionem in emptorem, vt patiatur opus tolli; non autem vt propriis impensis tollat, aduersùs alienantem verè dari actionem, *quod vi, aut clam*, durante anno; & eo prætextu actione de dolo agendum esse. Ex quo textu colligitur, alienantem fundum in potentiorem aduersarium, teneri actione, *quod vi, aut clam :* igitur non actione in factum ex hoc edicto, iuxta suprà tradita. Cui difficultati vt satisfaciat Cuiacius *lib. 49. Pauli ad edictum*, affirmat textum illum emendandum esse, & loco illorum verborum, *quod vi, aut clam*, legendum esse, *agendum cum eo, quod iudicij mutandi causâ :* & quia hæc actio durat tantùm per annum, eo elapso propter dolum aduersarij dari actionem de dolo. Sed hac emendatione potiùs quàm solutione omissâ, existimo in eo textu à Paulo non negari, dari actionem in ea specie ex hoc edicto, sed tantùm agi, quo remedio ille, cui nocitum erat, consequi possit impensas? Et asserit Consultus, agi ad impensas, quatenus intererat, dominum non desinere possidere, quod vi, aut clam; non tamen negat actionem ex hoc edicto competere ad interesse, & post annum actionem dari propter dolum, non verò actionem de dolo, vt in specie textus *in l. & si quis 14. §. si cui funeris, ff. de religiosis.*

21. INTELLIGITVR L. VLT. FF. VT IN POSSESSIONEM.

Secundò suprà traditis obstat textus *in l. vlt. ff. vt in possessionem legat.* vbi agitur de hærede, qui dolo malo in fraudem legatariorum, vt durior causa eorum redderetur, rem legatam consecrauit, aut seruum manumisit : & asserit Consultus ipsum hæredem non teneri ex eo, quod consecrauit, nec legatarium mittendum esse in possessionem ipsarum rerum : igitur licet impunè rem debitam iudicij mutandi causâ alienare. Cui difficultati respondendum est, in eo textu rem legatam non fuisse commercio exemptam iudicij mutandi causâ; sed tantùm vt in possessionem fundi legatarius non mitteretur. Cùm enim pendente conditione legati dominus rei legatæ hæres sit, potest rem legatam consecrare, dedicare, aut seruum manumittere; sed si res iam esset in iudicium deducta, non posset hæres eam commercio eximere, alioquin duplum aduersario redderet, *l. vlt. ff. de litigiosis :* quam ita exponunt Balduinus *ad leges 12. Tab. cap. 28.* Osualdus *in notis ad Donel. lib. 19. cap. 1.*

22. EXPONI-

Tertiò aduersatur textus *in l. si hæres 70. §. 1. ff. ad Trebell.* vbi agitur de seruo relicto per fideicommissum;

TVR L. SI HÆRES, §. 1. FF. AD TREBELL.

missum : & asseritur hæredem eum manumittentem nulla actione ciuili teneri : igitur etsi durior reddatur aduersarij conditio, non ideo qui alienauit, aliqua actione tenetur. Pro cuius textus interpretatione sciendum est, hæredem seruum legatum sub conditione, pendente ea ipsum manumittendo, nihil agere quoad hoc, vt statim competat libertas, *l. hæres* 28. *ff. qui & à quibus*, licèt eum textum aliter accipiat Donellus *lib. 2. comment. cap.* 13. deficiente verò conditione, aut legatario repudiante legatum, conualescere, & competere libertatem, *l. 2. ff. de manumissionib. l.* 3. *ff. de manumissis vindict. l. si miles* 31. *ff. de testam. militis*, *l. mulier* 20. *ff. de condit. instit. l. pignori* 26. *ff. qui & à quibus* : pendente enim conditione hæres dominus serui est, *l. non ideo*, *ff. de R. V. l. & post litem* 12. *ff. familiæ ercisc.* & sic potest ipsum alienare dum durior non reddatur conditio serui legati, aut statuliberi, ideſt serui sub conditione manumissi, *l. statuliberos* 25. *l. statuliberum* 36. *ff. de statuliberis*. Hoc procedit in seruo legato sub conditione, vt doctè animaduertit D. Ioseph. de Rer. *lib.* 8. *opusc. cap.* 26. In seruo tamen sub conditione per fideicommissum relicto contrarium euenit ; potest enim hæres ipsum manumittere, & statim competit libertas ; hæres autem æstimationem præstat, *l. quidam* 35. §. *si quis filium*, *ff. ad Trebell.* Differentiæ ratio ex eo prouenit, quia cùm relinquitur seruus per fideicommissum simul cum hæreditate, non est ratio specialis affectionis ad personam ipsius serui, sed tantùm ad æstimationem hæreditatis ; & ideo hæres soluendo æstimationem liberatur. Cuiacius *lib.* 64. *Pauli ad edict. in l. si locus* 34. *ff. de relig.* quo casu accipiendus est textus *in dict. l. hæres* 70. §. 1.

23. ADDVCITVR L. SI POST 18. FF. DE R. V.

Quartò expendi potest textus *in l. si post acceptum* 18. *ff. de R. V.* vbi proponitur, quod si quis post acceptum iudicium rem vsuceperit, debet eam tradere, quia periculum est, ne eam pignori det ; aut si seruus est, eum manumittat. Ex quo Consulti responso colligitur, adhuc post iudicium acceptum posse reum seruum in iudicio deductum manumittere, vel rem pignori dare, vt durior reddatur aduersarij conditio. Etiam textus ille difficilis est, dum docet, rem litigiosam posse vsucapi, cùm certum sit, vitium litigiosi impedire vsucapionem, *authent. litigiosa, C. de religiosis*, Pinel. *lib.* 1. *select. cap.* 17. Pro huius textus expositione dicendum est, quod licèt res litigiosa vendita non posset à tertio possessore vsucapi, quia affecta, infectaque est vitio litigiosi ; tamen ab ipso possessore, etiam post litis contestationem vsucapi posse ; quia per litis contestationem non interrumpitur vsucapio, *l.* 2. §. *vlt. ff. pro emptore*. Donel. *lib.* 5. *comment. cap.* 21. & ibi Osualdus *littera C.* Cuiacius *lib.* 22. *obseru. cap.* 9. & *lib.* 27. *cap.* 9. 27. & 28. vnde *in dict. l. si post acceptum*, possessor potuit adimplere vsucapionem, & ita rem adquirere, & tunc tanquam dominus quiritarius rem pignori dare, aut seruum manumittere ; quia iam dominus effectus erat, vt docent Pinellus *lib.* 1. *select. cap.* 17. *num.* 15. Bachouius *in Fabrum*, *decade* 88. *errore* 7. quamuis eum textum aliter accipiat Faber *in eius rationali*, & *lib.* 19. *coniect. cap.* 10. vt dicemus *in cap. finali*, *de litigiosis*.

24. INTELLIGITVR L. IN SVMMA, §. 1. FF. DE CONDICT. INDEB.

Etiam suprà traditis opponi potest textus *in lege in summa*, §. 1. *ff. de condict. indebiti*, vbi affirmat Paulus, pecuniam datam vt à lite discedatur, & per consequens iudicij mutandi causâ, repeti non posse. Igitur quia iustè data fuit, & per consequens licet iudicij mutandi causâ actionem cedere, aut rem alienare. Ita expendebat quidam Professor nostræ Academiæ, cùm hoc edictum pro rostris disputandum proponerem : & responsum fuit à propugnatore in ea specie transactionem factam fuisse litis, quæ sperebatur ; & cùm ad transactionem sufficiat rem dubiam esse, aut litem sperari, vt dixi *in cap.* 1. *de transact.* ideo ob eam causam datum repeti non posse.

25. INTELLIGITVR L. PENVLT. C. MANDATI.

Tandem præsenti assertioni opponi solet textus *in l. penult. Cod. mandati*, vbi permittitur cessio actionum, dummodo pretio non redimatur : igitur licet actionem cedere, etiamsi durior reddatur aduersarij conditio. Pro huius Anastasianæ constitutionis expositione sciendum est, iure communi attento legibus prioribus cautum fuisse, procuratorem, vel aduocatum non posse pacisci de quota litis, *l. si remunerandi* 6. §. *finali*, *ff. mandati*, *l. si quis* 5. *Cod. de postul.* huiusmodi enim litium redemptiones præbent occasionem calliditati, vt docet A. Perez *ad titulum Cod. de postul.* licebat autem procuratori litem cedere gratuitò, *l.* 1. §. *si cui*, *ff. de variis & extraordin. l.* 5. *Cod. de postul. l. si verò*, §. *finali*, *ff. mandati*. Vnde homines inhiantes alienis bonis excogitarunt modum, quo fraus fieret prædictis legibus, videlicet cedendo illis actiones : sed cùm fraus legibus fieri non debeat, *l. non dubium*, *Cod. de legibus*, ideo Imperator Anastasius *in dict. l. penult.* statuit, quod licèt olim liceret vendere actionem, quæ certam quantitatem continebat, ex toto titulo *ff. & C. de hæredit. vel actione vendita*, & eam cedere procuratori ; tamen deinceps non licuit huiusmodi cessio, quia simulata præsumitur, ne amplius possit consequi cessionarius, quàm ipse dedit, exceptis quatuor casibus, quos ipse Imperator refert. Cessio autem certæ quantitatis facta in procuratorem in rem propriam, subsistit, quia nulla fraus datur. Vnde non est locus huic edicto. Prosequuntur ipsius constitutionis explicationem Cuiacius *in comment. ad ipsam legem*, Faber *lib.* 12. *coniect. cap.* 12. Pulueus *ad hunc titulum*, *cap. penult.* Mancius *speciali opusc. ad ipsam legem*, Hunnius *in Encyclop. p.* 2. *tit.* 5. *cap.* 3.

TITVLVS

TITVLVS XLIII.

De arbitris.

CAPVT I.

[a] *Ex Concilio Africano.*

ITem [b] placuit, vt quicumque negligunt loca ad ſuam Cathedram pertinentia in catholicam vnitatem lucrari, conueniantur à diligentibus vicinis Epiſcopis, vt id agere non morentur. Quod ſi intra ſex menſes à die conuentionis non effecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipſum pertineant. [c] Ita ſanè, vt ſi ille, ad quem pertinuiſſe videbantur, probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hæreticis, vt impunè ſibi ſint; & ſuam diligentiam fuiſſe præuentam, vt eo modo eius cura ſolicitior vitaretur: cùm hoc iudices Epiſcopi cognouerint, ſuæ Cathedræ loca reſtituant. [d] Sanè ſi Epiſcopi, inter quos cauſa verſatur, diuerſarum prouinciarum ſint, ille Primas det iudices, in cuius prouincia eſt locus, de quo contenditur. Si autem ex communi placito [e] vicinos iudices elegerint, aut vnus eligatur, aut tres: vt ſi tres elegerint, omnium ſententiam ſequantur, aut duorum.

NOTÆ.

1: [a] *Africano.*] Ita etiam legitur apud Burchardum *lib.1. Decret.cap.68.* Iuonem Carnot. *part.5. Decreti, cap.176.* & *in 1. collect. ſub tit. de foro compet. cap.4.* textus autem reperitur *in can.88. Concilij Afric.* apud Binium, & in codice canonum Eccleſiæ Afric. *can. 121.* & in Concilio Mileuit. *can. 24.* Ex quibus locis ita reſtituo integram huius canonis: ſed quodnam fuerit hoc Concilium Africanum, & an œcumenicum, ſeu nationale eſſet, anceps quæſtio eſt apud Primarios noſtros *in c.1. de iudiciis*; quorum ſententiis omiſſis, vt verus locus huic canoni aſſignetur, ſciendum eſt, in Eccleſia Africana iam à temporibus D. Cypriani varia Concilia, tam Carthaginenſia, & Mileuitana, quàm Numidienſia, & alia celebrata fuiſſe, ex quorum canonibus compoſitus fuit codex canonum Eccleſiæ Africanæ, qui recitatus, & approbatus fuit in Concilio Carthag. celebrato anno Domini 419. vbi in fine primæ ſeſſionis, quæ 8. Kalendas Iunij celebrata fuit, ita legitur: [Etiam in iſta Synodo diuerſa Concilia recitata ſunt vniuerſæ prouinciæ Africæ, tranſactis temporibus Aurelij Carthag. Epiſcopi celebrata. Codex iſte ita approbatus, inſertus fuit in ipſo Concilio, ſeruatâ temporum ſerie, & numerorum ordine, vt referunt Balſamon *in notis ad dictum Concilium Carthag.* Iuſtel. *in notis ad codicem canonum Eccleſiæ Afric.* Quare ſi ſcaturiginem, & proprium locum huius canonis requiramus, extat in Concilio Mileuit. temporibus Arcadij, & Honorij, 6. Kal. Sepremb. anno Domini 402. celebrato, vbi reperitur hic canon ordine 24. qui poſtea cum aliis inſertus fuit in Concilio Carthag. licèt tantum eſſent nationalia. Quia tamen vniuerſi Epiſcopi per Africam commorantes illic aderant, ideo vniuerſalia dicuntur, vt de Concilio Mileuitano in principio fertur, ibi: *Glorioſiſſimis Imperatoribus, Arcadio, & Honorio Auguſtis 5. Conſulibus, 6. Kal. Septembris, in ciuitate Mileuitana, in ſecretario Baſilicæ, cùm Aurelius Epiſcopus Carthag. in Concilio vniuerſali.* Prædictum etiam Concilium Carthaginenſe Africanum, vbi prædictus codex recitatus, & approbatus fuit, dicitur vniuerſale paſſim in eius actis: & *can. 62.* inſcriptio eſt: *Concilium vniuerſale non niſi neceſſitate faciendum.* Illud vniuerſale vocitarunt Ferrandus *in breuiario canonum, cap.144.* Hincmarus *epiſt. 9. cap. 17.* Nec inſolitum erat primis illis Eccleſiæ temporibus Concilia prouincialia, ſeu nationalia, vniuerſalia appellare. Concilium enim Toletanum 4. vniuerſale dicitur tam in eius præfatione, quàm in Concil. Toletano *5. can.2.* & 7. vniuerſalis etiam, & magna Synodus dicitur in Concilio Tolet. *6. can. 2. 3.* & *6.* dicemus Deo volente *in cap. ſicut olim, de accuſat.* Quare quia Concilia, tam Mileuitana, quàm Carthaginenſia, à totius Africæ Præſulibus celebrabantur, vniuerſalia dicebantur, cùm propriè illa vniuerſalia, & generalia dicantur, ſeu œcumenica, vbi congregantur tam Orientalis, quàm Occidentalis Eccleſiæ Præſules, vt poſt Iacobatium *de Concilijs*, Coriolanum *in ſumma Concil. in prælud.* notarunt Fileſacus *in cap. irrefragabili 13. §.3. de officio Ordin.* Luna & Arellanus *lib.2. antinom.1. num.6.* & nos *in dict. cap. ſicut olim.*

b *Item placuit.*] Hæc priora verba reperiuntur *in cap. placuit 16. quæſt.3.* & ea exponemus *in cap.1. de præſcript.*

c *Sanè.*] Verba, quæ ſequuntur, extant *in cap. ſanè 4. de foro compet.*

d *Sanè ſi Epiſcopi.*] Omnes reperentes in præſenti anxiè quærunt, quomodo Epiſcopi poſſint compromiſſum facere ſuper rebus ad Cathedram Epiſcopalem pertinentibus, cùm facultatem eas alienandi non habeant? Sed quàm aliena ſit hæc quæſtio à præſenti canone, facilè conſta- 2.

bit,

bit, ſi antequam ad vlteriora progrediamur, agnoſcamus, de quibus iudicibus in præſenti agatur. Et ſciendum eſt, in prouincia Africana antiquitus in vſu fuiſſe certum genus iudicum, qui dicebantur electi electitij: cùm enim partes, inter quas lis diſceptabatur, erant diuerſarum Prouinciarum, Primas illius prouinciæ, vbi erat locus, de quo contendebatur, iudices dabat eos, quos litigatores communi placito eligebant, vt ſic appellationibus, in quibus proſequendis moleſti admodum erant Africani, via præcluderetur, de quibus iudicibus electis electitiis mentio fit *in cap. quiſquis* 19. *cap. placuit* 2. *quæſt.* 5. *cap. peregrina* 12. 3. *quæſt.* 6. *cap. cùm accuſatus* 3. *quæſt.* 3. *cap. duodecim* 2. 5. *quæſt.* 4. *cap. iudices* 4. 11. *quæſt.* 1. *cap. ſanè*, 43. *cap. ſi autem* 39. *cap. à iudicibus* 2. *quæſt.* 6. Aurelian. Concilio 4. *can.* 12. Turon. 2. *can.* 2. & in aliis congeſtis ab Antonio Auguſt. *in epit. lib.* 29. *tit.* 20. Prædictos iudices electos electios, quia ex conſenſu partium dabantur, compromiſſarios fuiſſe vulgò receptum eſt, & noſtri iuris Interpretes in locis ſuprà citatis docuerunt, quibus ſubſcripſerunt P. Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 4. *cap.* 2. Balboa *in cap. cauſam* 14. *num.* 8. *de re iudic.* Sed hic communis error facilè cognoſcitur, & refellitur ex traditis à Cironio *lib.* 2. *obſcru. cap.* 2. & ad titulum *de officio Ordin.* ex eoque quia, vt probaui *in cap. cauſa, de in integrum reſtit.* in cauſa criminali arbitri aſſumi non poſſunt: ſed prædicti iudices electi electitij plerunque in cauſis criminalibus eligebantur, *dict. cap. ſi quis contra clericum, cap. cùm accuſatus* 3. *quæſt.* 3. probat Gibalinus *de clauſura monach. diſquiſit.* 1. *cap.* 9. §. 1. *num.* 7. igitur prædicti iudices veri arbitri non erant. Deinde quia licèt partibus liberum eſſet eligere ex iudicibus prouincialibus, quos maluiſſent; tamen aliquos eligere, & ſuſcipere cogebantur, ex ſuprà addictis iuribus: ſed arbitri ex mera voluntate eligendi ſunt, vt ſuprà probaui: igitur prædicti iudices arbitri non erant. Rurſus exemplo iudicis dati à Prætore facilè hæc communis ſententia conuincitur; nam iudices dati à Prætore ex conſenſu partium poſt ſortitionem dabantur, & tamen compromiſſarij non erant, vt infrà dicemus: igitur nec prædicti iudices electitij, vt arbitri aſſumebantur.

3. e *Communi placito.*] Ex his verbis communiter deducunt Interpretes, arbitros ex mera, & ſpontanea voluntate eſſe à partibus eligendos, & regulariter neminem cogi compromittere, & compromiſſum metu factum non valere defendunt Baldus *lib.* 1. *conſil.* 142. Tuſchus *verbo Metus, concluſ.* 216. *n.* 9. alij congeſti ab Auendaño *lib.* 2. *de metu, cap.* 22. *num.* 25. Dixi *regulariter*; quia ſunt aliqui caſus, in quibus cogitur quis compromittere, vt ſi Princeps id iubeat; poteſt enim ad compromittendum partes obſtringere, argumento textus *in cap. cùm inter*, vbi notarunt repetentes, *de electione*, Auendaño *ſuprà*, *num.* 28. Iudex etiam inferior poteſt aliquando ad compromittendum partes cogere, vt cùm lis iam mota aliter expediri non poteſt, vel valde diuiſa eſt; aut cauſa, quæ inter Magnates vertitur, eius naturæ eſt, vt ex ipſius iudiciali deciſione Reſpublica turbari poſſit, quos, & alios caſus probat, & illuſtrat Auendaño *dict. cap.* 22. *num.* 28. & de tranſactione idem probaui *in cap.* 1. *de tranſact.*

4. HVIVS CANONIS VERA INTERPRETATIO. Hunc communem antiquorum errorem ſecuti Compilatores, tam primæ, quàm huius ſextæ collectionis, ſub rubro de arbitris præſentem canonem compilarunt, cùm in eo non agatur de arbitris, ſed de prædictis iudicibus electis electitiis à Primate datis, vt cognoſcerent de lite inter Epiſcopos diuerſarum prouinciarum mota. Vnde facilè diluitur prædicta difficultas, quæ à repetentibus in præſenti communiter adducitur; quomodo videlicet Epiſcopus inconſulto Capitulo poterat compromiſſum facere ſuper rebus ad Eccleſiam ſpectantibus; cùm certum ſit, Epiſcopum inſcio Capitulo, & ſine eius auctoritate non poſſe compromiſſum facere, *cap. peruenit* 3. vbi dicemus, *hoc titulo*, ex ea ratione, quia qui non poſſunt per ſe alienare, non poſſunt in arbitros conſentire, vt minores, feudatarij, & alij, de quibus *in cap. non magnopere* 5. *hoc tit.* agemus. Quam difficultatem inſuperabilem claſſici repetentes iudicarunt: ſed eam facilè diſſolues, ſi animaduertas, in præſenti canone non agi de compromiſſo, nec de arbitris, ſed de prædictis iudicibus electis, ſeu electitiis, qui iudices ordinarij erant, licèt ex conſenſu partium à Primate darentur.

COMMENTARIVM.

EX præſenti canone, prout communiter accipitur à repetentibus in præſenti, ſequens vulgò deducitur aſſertio: *Arbitri in diſpari numero ſunt eligendi, & illis diſſentientibus, maioris partis ſententia præualet.* Probant eam textus *in cap. dilecti* 4. *cap. cum tempore* 5. *cap. cùm olim* 7. *cap. innotuit, cap. cùm nobis* 13. *hoc tit. cap. cùm ſpeciali* 61. *de appellat. cap.* 1. & 2. *hoc tit. lib.* 6. *l. ſi vnus*, §. *principaliter*, *l. ſi item* 17. §. *vlt.* aliàs *l. ſi in tres*, *l. ſicut tribus* 21. *l. diem* 32. §. *ſi plures*, *ff. hoc tit. l. duo ex tribus* 54. *ff. de re iudic.* Synodus Africana *can.* 67. ibi: *Septem elegi.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa in præſenti P. Greg. *lib.* 5. *partit. tit. de arbitris, cap.* 5. & *lib.* 47. *ſyntag. cap.* 37. *n.* 17. Vighellius *in methodo iuris can. pag.* 215. Coruinus *lib.* 3. *aphoriſm. iuris Pont. tit.* 7. Villadiego *in l.* 13. *tit.* 2. *lib.* 5. *fori*, Gomez *in l.* 38. *Tauri*, *num.* 4. Cironius, Legaufre, & Valenſis *ad hunc titulum.*

5. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR.

6. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO. Sed hæc aſſertio ita illuſtrata non leues patitur difficultates. Prima naſcitur ex eo, nam quando aliquid deſideratur pro forma actus, eius omiſſio, ſeu variatio vitiat actum, *l. Iulianus* 9. §. *ſi quis rem*, *ff. ad exhibendum*, *l. cùm quidam* 8. §. *ſi Prætor*, *ff. de tranſact. cap. cùm dilecta* 22. *de reſcript.* plures congeſſit Barboſa *in axiomat.* 100. *num.* 1. Sed ſi eligantur arbitri in numero pari, compromiſſum valet, *cap.* 2. ibi: *Duorum*, *cap. innotuit* 12. *hoc tit.* & tunc illis diſſentientibus tertius eligitur, *cap. cùm ſpeciali* 61. *de appellat. l. item ſi vnus*, §. *finali*, *ff. hoc tit.* igitur non ſemper arbitri in numero impari ſunt eligendi. Augetur hæc difficultas ex eo; nam arbitria redacta ſunt ad inſtar iudiciorum, *l.* 1. *ff. hoc tit.* Sed in iudiciis rectius eſt, & potius expedit eligere duos, quàm tres, aut vnum, *cap. prudentiam* 21. *de officio deleg.* vnde plerumque cauſa delegatur duobus iudicibus, vt probaui *in cap. ſciſcitatus*, *de reſcriptis*: igitur ſimiliter arbitri duo, non tres, aut vnus eligi debent. Alia etiam pars ſupradictæ aſſertionis, videlicet diſſentientibus arbitris, illorum arbitrium præualere, quod maioris partis arbitrorum auctoritate firmatur, valde difficilis redditur ſequenti conſideratione. Arbitris diſſentientibus illa debet præualere ſententia, quæ minorem continet ſummam in condemnatione; tum quia diſcordantibus iudicibus, illa ſententia executioni mandatur, quæ

reo magis fauet, *l.inter pares* 3. §.*vlt. ff. de re iudic.* Cuiacius *lib.*12. *obſeru. cap.*16. tum quia in maiori quantitate certum eſt minorem ineſſe, & omnes in ea conſenſiſſe; *l.diem* 27. §.*ſi plures*, *ff. hoc tit. cap.*1. *hoc tit. lib.*6. Couarr. *lib.*1.*var.cap.*2. quia ſemper minor quantitas ineſt maiori, *l.* 1. §. *etſi ſtipulanti*, *ff. de V.O. l. quotiens* 9. §. 2.*ff. de hæredibus inſtit. l. in eo* 110. *ff. de R. I.* vbi plura Faber, & Gothofred. Mornacius *in dict. l.diem*, §. *ſi plures*: igitur non maioris partis arbitrorum ſententia debet præualere, ſed ea, quæ minorem continet ſummam. Secundò hæc eadem pars aſſertionis dubia redditur ſequenti iuris principio; nam arbitrandi munus competit arbitris in compromiſſo expreſſis, vt ſingulis, *l.ſi in tres*, aliàs *l.item ſi vnus*, §.*Celſus*, *l.ſicut*, *ff.hoc tit.l.ſi duo* 39. *de re iudicata*, *cap. prudentiam* 21. *de officio deleg.* ſed vbi ſpectat ad plures tanquam ad ſingulos, non maior pars eorum attenditur, ſed ſingulorum conſenſus deſideratur, *l.per fundum*, *ff. de ſeruit. ruſtic. l. in concedendo* 8.*ff. de aqua pluuia*, *l. vlt. C. qui bonis cedere:* plura P.Pechius *in regula Quod omnes*, *de R. I. in* 6. igitur maior pars arbitrorum in arbitrio dicendo ſequi non debet, ſed potiùs omnium conſenſus debet expectari. Augetur hæc difficultas ex eo, nam ſi maior pars arbitrorum attenderetur, deberet etiam conſiderari, an ſimul ſanior eſſet, argumento textus *in cap.*1. ibi: *Maiori, & ſaniori, de his, quæ fiunt à maiori parte*, *cap. quia propter*, *de elect. cap.* 2. *de teſtibus in* 6. Vnde Plinius Iun. *lib.*2. *epiſt.* 12. aiebat, *in ſententiis ferendis ſuffragia non numeranda, ſed ponderanda eſſe:* igitur maior pars in arbitris, non tam reſpectu numeri, quàm litteraturæ attendi debet.

7. ARBITRI ETYMON. Quibus difficultatibus non obſtantibus vera eſt præſens aſſertio. Pro cuius expoſitione aliqua de arbitris prælibanda duxi. Et primò ſciendum eſt, arbitrum dictum eſſe ab arbitrando, quia omnia ipſe arbitratur, & totius rei facultatem, & arbitrium habet. Feſtus Pompeius *verbo Arbiter.* Vnde Rex, quia cuncta moderatur ex proprio arbitrio, arbiter dicitur, vt ex Seneca, & Claudiano probat Gaſpar Barthius *lib.* 35. *aduerſ. cap.* 10. & qui omnia confert, & pro arbitrio diſponit, arbiter appellatur: notat Beroaldus *in notis ad Apuleium*, *lib.*1. *Aſin. fol.* 83. *verbo Arbiter.* Sic etiam arbiter dicitur, qui proprij patrimonij liber moderator eſt, *l. in re mandata* 21. *Cod.mandati*, *l.quis* 52. *C.de decurion. lib.*10. Quare cùm à partibus deſignatus ad litis deciſionem ex æquo & bono, provt illi melius viſum fuerit, eam definit, inde arbiter, tam apud Conſultos in titulo de receptis arbitris, quàm apud noſtros iuris Pontificij conditores, in noſtro titulo appellatur, vt verbi etymologiam reddens docet Feſtus *vbi ſuprà*, in illis verbis: *Arbiter dicitur iudex, quòd totius rei habeat arbitrium, & facultatem arbitrariam, cum adhuc apud arbitrum geritur res: arbitrium dicitur ſententia, quæ ab arbitro ſtatuitur.* Ex qua Feſti authoritate, non ſolùm probatur ſuprà tradita arbitrij deriuatio, verùm & arbitri etymologia colligitur; ſicut enim arbiter ab arbitrando dicitur, vt Magiſtratus à magiſtrando, *l.cognoſcere* 56. iuxta lecturam Fornerij ibi, *ff. de V. S.* ita arbitri iudicium, ſeu ſententia arbitrium appellatur, *cap. non ſine* 2. *cap. peruenit* 3. *hoc tit.* cum vulgatis. Beſoldus *in delibat. iuris ad hunc titulum.*

8. ARBITRI DECVNTVR. Ex ſuprà traditis prouenit, vt iudices dati à Prætore in actionibus bonæ fidei, arbitri appellentur; in actionibus verò ſtricti iuris iudices dicantur: iuxta veterem enim, & ſcrupuloſam fori Romani obſeruationem, coram Prætore propoſitâ ab actore actione, ſimiliterque oppoſitâ exceptione à reo, ſi cauſa altiorem indaginem poſtulabat, & diſceptatione iudiciali egebat, vt ſi iudicium ordinarium erat, de quo Prætor non cognoſcebat, *l.* 2. *C. de pedaneis iudicibus*, docent Cuiacius *lib.*9. *obſeru. cap.*27. Antonius Goueanus *in l.eum qui*, *ff. de iuriſdictione*, Corraſius *lib.* 3. *miſcel. cap.* 18. *num.*10. Hothomanus *de Magiſtrat. cap.de Prætore vrbano*, A. Faber *lib.*4. *coniect. cap.* 7. Menochius *de arbitris lib.*1. *quæſt.*3.*num.*9. iudex dabatur à Prætore, *l.*1. *ff. de iuriſdict. l.cùm Prætor* 12. *l. iudicis*, *ff. de iudiciis*, *l.* 2. *Cod. de exceptione rei iudicatæ*; non tamen poterat eligere iudicem dandum ex illis quinque decuriis iudicum electis, & ſelectis ad iudicandi munus; ſed ſorte ex ciſta vbi eorum nomina erant, aſſumebantur. Plinius *in panegyrico ad Traianum*, vbi notauit Lipſius *fol.*316. & ex bonæ notæ auctoribus probant *in l. vlt.* §. *iudicandi*, *ff. de muner. & honoribus*, Oſualdus *ad Donel. lib.*17. *comment.cap.*24. *littera X.* Polletus *lib.*5. *hiſtoriæ fori Romani*, *cap.*7. Debebat tamen vtraque pars in iudicem datum conſentire, aliàs ſi aliqua eum reprobaſſet per hæc verba: *Hunc nolo*, *iniquus eſt*; alter ſubſortiebatur, *l. Iulianus* 17. *ff. de iudiciis*: mirè ad rem Cicero *in oratione pro Cluentio*, ibi: *Neminem voluerunt maiores noſtri, non modò de exiſtimatione cuiuſquam, ſed nec pecuniaria quidem, de re minima iudicem eſſe, niſi qui inter aduerſarios conueniſſet.* Exornant Sigonius *de antiquo iure Populi R. lib.*1. *de iudiciis*, *cap.*23. Cuiacius *lib.* 9. *obſeru. cap.*23. Oſualdus *ad Donel. lib.* 17.*cap.* 25. *littera H.* indeque naſcitur dubitandi ratio ad textum *in l. ex conſenſu* 23.*ff. de appellat.* vt notat Cuiacius *ad nouellam* 53. & ratio decidendi ad textum *in l. in priuatis*, *ff. de iudiciis*, vt obſeruant Duarenus *lib.*1. *diſput. cap.* 51. Pancirola *lib.* 1. *variar. cap.* 33. Propoſitis ergo actionibus, & exceptionibus coram Prætore ex conſenſu præſtito à litigantibus, ipſe certam præfiniebat formam à iudice dato in prolatione ſententiæ omnino ſeruandam. Si negotium erat ſtricti iuris, ita forma concipiebatur: *Si apparet Titium Seio centum promiſiſſe, & pactum non ſit de non petendo, vel aliter ſatisfactum, illum condemnato.* Sed ſi negotium erat bonæ fidei, addebantur illa verba: *Ex bona fide condemna*; vel illa: *Pro arbitrio condemna.* Quibus verbis illud concedebatur, quod licet à formula concepta in iudiciis ſtricti iuris iudex recedere non poſſet alias admittendo exceptiones, vt docent Budeus *vbi ſuprà*, Reuardus *pro tribun. cap.* 11. Briſſonius *lib.*1. *de formulis*; tamen in bonæ fidei cauſis ex arbitrio alias exceptiones admittebat, de fructibuſque & vſuris pro arbitrio cognoſcebat: quod iudicum diſcrimen perſpicuè exponit Seneca *lib.*3.*de benef. cap.*7. ibi: *Quæcunque in cognitionem cadunt, comprehendi poſſunt, & non dare infinitam licentiam iudici; ideo melior videtur conditio cauſæ bonæ, ſi ad iudicem, quàm ſi ad arbitrum mutatur; quia illum formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit: huius libera, & nullis adſtricta vinculis religio, & detrahere aliquid poteſt, & ad adiicere, & ſententiam ſuam, non provt lex aut iuſtitia ſuadet, ſed provt humanitas & miſericordia impulit, proferre.*

IVDICES IN IVDICIIS BONÆ FIDEI.

9. ALIVS EST IVDEX, ALIVS EST ARBITER. Inde cùm iudices dati in cauſis ſtricti iuris adſcripti eſſent formulæ, nec arbitrari in cauſa poſſent, contrà verò iudices dati in iudiciis bonæ fidei formulæ non inſeruirent, imò ex arbitrio cauſam

ſam terminarent; primi à iudicando dicebantur iudices; ſecundi verò ab arbitrando arbitri appellabantur. Quâ obſeruatione noſtri veſpertini iuris Anteceſſores accipiunt textus *in l. ſi cum exceptione* 14. §. *hæc autem actio, ff. de eo, quod metus cauſa*, *l. à Diuo Pio* 15. in illis verbis, *iudices, arbitríve*, *ff. de re iudic. l. legem* 7. *ff. ad leg. Iuliam repetund.* §. *omnium, Inſtit. de actionibus*, vbi Corraſius *n.* 1. & Pichardus *q.* 1. *n.* 15. Vnde iudex datus in contractu ſocietatis arbiter dicitur, *l. pro ſocio* 38. *ff. pro ſocio*, Cicero in oratione pro Roſcio: *Cur non ad arbitrum pro ſocio adegeris Quintum Roſcium.* Martialis *lib.* 6. *epigram.* 35.

Septem clepſydras magnâ tibi voce petenti
Arbiter inuitus Caciliane dedit.

Ex Terentio, & aliis notauit Cabreros *lib.* 2. *de metu, c.* 22. *n.* 10. Similiter & arbiter dicitur iudex datus in iudicio depoſiti, *l. Lucius, ff. depoſiti*, in iudicio negotiorum geſtorum, *l. quia* 7. *ff. de negotiis geſtis:* in iudicio tutelæ, *l. vlt. ff. de appellat.* in actione funeraria, *l. & ſi quis* 14. §. *ſed interim, ff. de religioſis*; in edicto de eo, quod metus causâ, *l. item ſi*, §. *hæc autem*, *ff. de eo quod metus causâ:* in actione rei vxoriæ, *l.* 1 *ff. de pactis dotalibus*, *l. Titia* 48. *ff. de ſolutionibus.* Tertullianus *lib.* 2. *ad vxorem: Apud arbitrum, ſpeculatoremque litigaturi.* Similiter in iudiciis diuiſoriis, quia iudex arbitratur, arbiter dicitur, vt in iudicio familiæ erciſcundæ, *l. ſi filia* 20. *l. inter* 44. §. *vſufructu*, *l. in iudicio* 47. *ff. familiæ erciſcundæ:* in iudicio communi diuidundo, *l. communis* 26. *ff. communi diuidundo:* in rationibus reddendis, *l. ſi cui* 50. *ff. de condit. & demonſtr.* in reſtitutione fideicommiſſi, cùm difficilis eſt bonorum æſtimatio, *l. cùm fideicommiſſum, ff. de confeſſis:* in diſtributione bonorum facienda inter creditores miſſos in poſſeſſionem, *l. ſi Magiſtratus, ff. de bonis auctoritate iudicis*; & aliis caſibus, quos enumerant Briſſonius, & Prateius *verbo Arbiter*, Cuiacius *in l. res, C. de iudiciis.* Omnes enim iſti arbitri appellabantur, quia facultatem arbitrandi habebant, prout illis æquum viſum eſſet; iudices tamen in effectu erant, cùm à Prætore deſignarentur. Arbitri, de quibus in præſenti titulo agitur, ſunt hi, qui ex ſolo conſenſu litigatorum eliguntur; nam etſi hi publico iudicandi munere non fungantur, *l. Pomponius* 14. §. *recepiſſe, ff. de receptis*, nec ſententiam proferre poſſint, cùm illorum arbitrio tantùm metu pœnæ ſtandum ſit, *l.* 2. *l. diem* 32. §. *ſtari, ff. hoc tit. l.* 5. *C. eod.* iunctis traditis à Couarr. *lib.* 2. *var. c.* 12. Ludou. Vitali *lib.* 1. *var. c.* 4. vbi tamen arbitrium receperunt, ſolennem morem exercendi iudicij ſeruare tenentur, & eodem modo, atque ex eiſdem actionibus apud illos, ac apud iudices erit agendum: idque eſt, quod dicitur, arbitria ad inſtar iudiciorum eſſe redacta, *in l.* 1 *ff. hoc tit.*

10. DISCRIMEN ARBITRO VRM ET VIDICVM.

Sicut aliud eſt iudicem eſſe, aliud arbitrum; ita aliud eſt iudicium, aliud arbitrium: iudices enim iudicant, & meritò eorum ſententia iudicium appellatur; arbitri verò arbitrantur, & ideo eorum ſententia arbitrium dicitur, *l.* 2. §. 1. *ff. de aqua pluuia.* Et licet quoad effectum æqualem habeant vim ſententiæ à iudibus in ſtricti iuris iudiciis prolatæ, quàm dictæ ab arbitris in negotiis bonæ fidei, tamen arbitria eorum, qui ex conſenſu partium eliguntur, de quibus agitur in præſenti titulo, valde differunt à iudiciis, & ipſi arbitri admodum diſtant à iudicibus, vt notant gloſſa *in cap. cùm dilectus, de iudiciis*, Donellus *lib.* 28. *comment. cap. fin.* Petrus Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 4. *cap.* 1. Goueanus *de iuriſdict. num.* 32. Amaya *in l. vnica, Cod. ſi aduerſus fiſcum, num.* 23. Arbitria enim ad inſtar iudiciorum ſunt redacta, *l.* 1 *ff. hoc tit.* quoad effectum, hoc eſt, vt finis imponatur litibus, vt exponunt Donellus *dict. cap. vlt.* Felicianus Vega *in c. decernimus, n.* 16. *de iudiciis.* Vnde coram iudice præſtatur cautio iudicio ſiſti, *l.* 1. *ff. qui ſatiſdare*; coram arbitro non præſtatur, authentica *Offeratur*, *Cod. de litis conteſt.* In iudicio compelluntur teſtes teſtimonium dicere, *cap.* 1. *de teſt. cogend.* arbiter non cogit teſtes teſtimonium proferre, *l. quid tamen*, §. *finali*, *ff. hoc tit.* Arbiter non poteſt arbitrium dicere aliqua ex partibus abſente, niſi aliter in compromiſſo cautum fuerit, *l. diem*, §. *ſi quis litigatores, ff. hoc tit.* iudex poteſt illis abſentibus ſententiam proferre, *l.* 1. *quomodo, & quando.* Arbiter non poteſt delegare cauſam compromiſſo comprehenſam, *l. non diſtinguemus* 32. §. *quæſitum*, *ff. hoc tit.* iudex poteſt, *l. placet, C. de pedan. iudicibus.* Coram arbitro non poteſt mora purgari, ſi dies præfixus eſt, *l. Celſus, ff. hoc tit.* in iudicio verò poteſt purgari. Arbitri ſententiâ damnatus non notatur infamiâ, *l. quid ergo*, §. *ex compromiſſo, ff. de his, qui notantur inf.* iudicis ſententia infamiam irrogat, *l.* 1. §. *quorum, ff. ad Turpil. l. fuſtibus, Cod. ex quibus cauſis infam.* Ab arbitri ſententia non appellatur, *c. à iudicibus* 2. *q.* 6. *l.* 1. *C. hoc tit.* à iudice, ſiue eius ſententia paſſim appellatur. Sententia arbitri non parat actionem de euictione, *l. ſi dictum* 56. §. *ſi compromiſero, ff. de euict.* ſententia tamen iudicis eam parat, *l. ſi ſeruus* 11. *ff. iudicatum ſolui.* Arbitrium non impedit ſoluti repetitionem, *l. etſi non ſortem* 26. §. *ſi quis quaſi, ff. de condict. indeb.* iudicium verò illam impedit, *l. cùm putarem* 36. *ff. famil. erciſc.* Proſequuntur alias differentias Goueanus, Petrus Greg. & Amaya *vbi ſuprà*, etſi aliquando iudicum & arbitrorum nomina promiſcuè vſurpentur, vt conſtat ex lege *vt fundum*, *l. arbitrium*, *ff. communi diuid.* & aliis congeſtis à Briſſonio *de V. S. lib.* 3. *pag.* 307.

11. ARBITRI DICVNTVR COMPROMISSARII.

Arbitri etiam, de quibus eſt noſtra tractatio, dicuntur etiam compromiſſarij, *l. Prætor* 4. *ff. de tutoribus & curat. l. penult. ff. de iudiciis*, Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 5. quia litigatores in eos compromittere, hoc eſt ſimul, & ad inuicem pœnam promittere ſolent, niſi arbitrorum ſententiæ ſtetur, *cap. dilecti*, *cap. per tuas*, *hoc tit. l.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.* notat Rodriguez *de executione art.* 1. *num.* 8. licèt aliquando tantùm cum iuramento arbitri aſſumerentur, *l.* 3. *Cod. de arbitris.* Cuiacius *in l. rem*, *Cod. de iudiciis:* de vi autem huius promiſſionis videndi ſunt repetentes ad textum *in l. inter ſtipulantem* 83. *ff. de V. O.* Etiam arbitrorum ſententia, ſeu arbitrium laudum dicitur, quaſi huiuſmodi ſententiam partes laudent, ſeu probent, *lib.* 1. *feudorum*, *tit.* 17. ibi: *Per laudamentum ſapientum.* Notant Lexicographi *verbo laudum*, Cuiacius *in dict. lib.* 1. *feudor.* Gerardus Voſſius *lib.* 3. *de vitiis ſerm. cap.* 18. Alciatus *lib.* 1. *parerg. cap.* 45. Molina *de inſtitia tit.* 5. *tract.* 5. *diſp.* 30.

12. TRADITVR ARBITRI DIFFINITIO.

Hactenus de nomine arbitri egimus, nunc eius diffinitio exponenda, & proponenda eſt. Arbitri ergo compromiſſarij varias diffinitiones adducunt Hoſtienſis *in ſumma huius tituli*, Speculator *de arbitris*, *num.* 1. Lanfrancus *eod. tract. cap.* 1. *num.* 1. Baptiſta *eod. tract. lib.* 1. *cap.* 2. Petrus Iacob. *eod. tract. cap.* 1. Rebuffus *ad leges Galliæ*, *tit. de arbitrio, gloſſa* 2. Briſſonius *verbo Arbiter*, *verſic. præterea*, Fragoſo *part.* 1. *de regim. diſp.* 14. *cap.* 1. Villadiego *in l.* 13. *tit.* 2. *lib.* 1. *fori*, Montalvo *in legibus fori*, *fol.* 27. Quibus omiſſis ita diffiniendum

finiendum esse arbitrium existimaui. *Arbiter est, qui eligitur à partibus voluntariè ad litem dirimendam.* Quæ diffinitio colligitur *ex cap.cùm olim*, ibi: *Vtraque pars in eos compromittens.* Et *cap.exposita* 11. ibi: *In Ducem Venetorum, tanquam in arbitrum cum parte altera compromisit.* Et *c.penult.* ibi: *Diffiniendo causam huiusmodi tractauerunt, hoc tit.* Quæ diffinitio, & Dialecticorum regulis conuenit, & iuris vtriusque principiis consona est: constat enim genere, & differentia; loco enim generis apposui ea verba; qui eligitur à partibus; cætera verò sunt posita loco differentiæ, vt ex sequenti expositione apparebit. Apposui verba generica, *qui eligitur à partibus*; alij enim eliguntur à partibus ad alios actus, qui non sunt arbitri, vt calculatores, *l.7. §.receptum, ff.de operis libertor.* æstimatores electi ad taxationem pretij in contractibus emptionis, locationis, aut societatis, de quibus *in l.si merces* 28. *ff. locati, & conducti, l.fin. Cod.de contrahenda empt. l.si coita* 75.*ff.pro socio*, & alij, qui in vtroque iure ad actus humanos perficiendos electi reperiuntur, vt *in l.fideicommissa, §.quamquam, ff.de legatis* 3.qui arbitri compromissarij non sunt, licèt à partibus eligantur. Dixi etiam *Voluntariè*, vt excludantur alij arbitri, qui potiùs iuris necessitate, quàm partium voluntate suscipiuntur. Vnde præsens titulus *in lib.4. Digestorum*, concipitur *De receptis arbitris, & qui arbitria receperunt*; ad innuendum discrimen, quod versatur inter arbitros, qui à partibus ex compromisso eliguntur; & eos, qui ex iuris necessitate assumuntur, vt sunt illi, qui recusato iudice, eliguntur, vt de causa suspicionis cognoscant, de quibus *in cap.Secundò*, 41. §.3. *c.cùm speciali* 61.*de appellat.cap.2.eod.tit.in* 6.*c.si quis contra, de foro compet. c.ab arbitris, de officio delegati, in* 6. *l.finali, C.de iudiciis, c.suspicionis, de officio deleg.* vbi aliqua adduxi; illi enim non ex partium conuentione, sed ex iuris necessitate eliguntur. Etiam excluduntur arbitri illi, qui eliguntur, quoties ambigitur de reuocatione litterarum Apost. de quibus *in c.pastoralis* 13. *de rescriptis*; & omnes arbitri lege, vel statuto suscepti, qui verè iudices sunt, & iurisdictionem obtinent, *l.item* 14.§.*hæc autem, ff.de eo quod metus, l.si arbiter, ff.de probat.cap. peruenit.* 11.*q.*1. Plura de eis Parexa *de instrum.edit. tom.2.resol.6. specie* 1.*n.*171. Ex eadem iuris ratione iudices electitij, etsi ex voluntate partium eligantur, Concil.Carthag.*can.*99. electitij iudices sunt, qui etiam electi dicuntur: qui ex litigantium voluntate iudicant, arbitri non sunt, vt contra communem opinionem suprà probaui pro vera huius textus interpretatione.

13. EFFECTVS COMPROMISSI.

Apposui tandem in diffinitione, *ad litem dirimendam*, vt præcipuum, principalemque effectum compromissi demonstremus; ideo enim compromissa sunt inuenta, & ex communi consensu partium arbitri assumuntur, vt litium moræ resoluantur, & controuersiæ sine publico iudiciorum strepitu sedentur, & actor quod suum est, consequatur, reusque sine damnosis diuturnæ litis expensis, quod æquum est, præstare cogatur, vt disertè expressum est *in l.4.tit.21. lib.4. recopil. Porque acaece, que las partes por bien de paz, y concordia, y por euitar pleytos, y contiendas.* Notant, & illustrant Æneas Robertus *lib.3.rerum iudic. cap.*13. Mascardus *de interpret. statutorum, concl.4. n.*147. Vnde deducunt Panormitanus *in c.nisi essent, n.6. de prabend.* Rodriguez *de execut.art.*1.*n.*7. arbitros virtute compromissi in re dubia, non solùm posse ius vnius minuere, alterius ve augere, sed etiam id aperta lite facere posse, cùm officium arbitrorum sit sedare discordias, & lites terminare, *cap. per tuas, cap.exposita, hoc tit.* Vnde eorum sententiæ standum est, siue æquæ, siue iniquæ, vt infrà probabimus.

14. ARBITRORVM COMMVNIS DIVISIO.

Communiter Doctores arbitros diuidunt in arbitros compromissarios, & arbitratores: arbitros appellant eos, qui tanquam iudices, seruato iuris ordine, in causæ cognitione procedunt, de quibus accipiunt præsentem rubricam: arbitratores autem eos appellant, qui assumuntur, & eliguntur à partibus, vt sine iuris ambagibus litem ex bono, & æquo componant. Ita omnes repetentes *in hac rubrica*, Lanfrancus *de arbitris c.*1.*n.*2. Baptista à Sancto Blasio *eod.tract.cap.*2.*&* 3. Rebuffus, Couar. & Albericus congesti à Barb.in hac rubrica, *n.*10. Villadiego *in l.*13.*tit.*2. *lib.*1.*fori*, Montalvo *in legibus fori, pag.* 27. omnesque communiter de arbitris agentes. Sed hanc diuisionem ita communiter receptam, commentitiam esse, & à ratione iuris prorsus alienam, iam docuerunt Iacobus relatus à Barr. *in l.societatem* 75.*ff.pro socio*, Corrasius *lib.*4.*miscel. cap.*8. quos nouiter sequuntur communem opinionem reflellentes Reynardus Bachouius *in notis ad Trentlerum, lib.*1.*select.c.*16. Quorum sententia magno fulcitur fundamento; nam nunquam legimus in iure Canonico, aut Cæsareo, arbitratores fuisse receptos ad litium decisionem, licèt eos inueniamus ad alias controuersias extraiudiciales, vt tanquam nudi mediatores interueniant, vt *in l.vlt.C.de contrahenda empt. l.*1. §.1.*ff.de leg.*2. *l.multa* 6. *ff.de condit.& demonstr.* cum aliis; cùm nulla lis arbitratorum iudicio dirimatur: quare nulla est ratio, cur arbitros eos esse dicamus. Nihil itaque commune habent arbitratores cum arbitris compromissariis, vt deducunt Bachouius, & Vinius *vbi suprà.* Nec pro communi sententia facit textus *in l. societatem* 76. *Versiculo arbitrorum, ff. pro socio*; nam omissâ solutione Connani, qui textum emendat, & loco verbi *Arbitrorum*, legendum existimat, *arbitriorum*; dicendum est, arbitratores cum arbitris compromissariis non ea ratione coniungi, quasi omnes iudicum pariter obtinerent officium; sed tantùm quia aliquid statuunt arbitri litem decidendo; arbitratores partes contractus societatis componendo, vt docet P.Greg. *lib.5.partit.tit.*4.*lib.*2. quo modo intelligendus est textus *in c.Quintauallis, de iureiurand.* Nec etiam pro communi opinione facit textus *in l.penult.C.de pactis*, in illis verbis: ad compromissarios, & arbitros; vbi discrimen supponitur inter compromissarium & arbitrum; nam illa verba dupliciter accipi possunt assumendo ea explicatiuè; cum enim Imperator duas iudicum species proponeret, pedaneos videlicet, & compromissarios, qualiter istos intelligeret, plenius exposuit per illa verba, *ad arbitros electos.* Vel dici potest, ibi tractari de arbitris compromissariis, & de arbitris iuris, qui assumuntur in causa suspicionis, & in aliis, de quibus *suprà.*

15. IVRE REGIO DATVR DICTA DISTINCTIO.

Sed licèt hæc ita procedant inspectâ iuris vtriusque ratione, tamen cùm apud nos communis Interpretum diuisio inter arbitros, & arbitratores approbata sit, *l.*23.*tit.*4.*partit.*3.*l.*4.*tit.*21.*lib.*4.*recopil.* arbitri hodie sunt, qui de partium consensu eliguntur sub pœna, vt litem dirimant secundùm ius, & iustitiam; arbitratores verò, siue amicabiles compositores appellantur, qui nullo seruato iuris ordine procedunt, sed lites vt amici interuentores componunt: docent Regnicolæ iuris Hispaniæ Interpretes Villadiego *in l.*13.*tit.*1.*lib.*2.*fori*, Montalvo *in l.*4.*tit.*7.*lib.*1.*fori*, Greg.Lopez *in d.l.*23.*partit.* Didacus Perez *in l.*4.*tit.*13.*lib.*8.*ordin.* Azeuedus *in d.l.*4.*recopil.* Parlador.*lib.*2.*rerum quotid.c.*20.§.*vlt.* Rodr.*de execut.art.*1. qui docent, quod si in aliquem litigatores

litigatores compromiserint, tanquam in arbitrum & arbitratorem, potest ille procedere vt arbiter, seruato iuris ordine; & si cœperit ita procedere, non poterit postea cognoscere vt arbitrator. Salgado 2.*p.de potest. c.*13. *n.*114. plures etiam differentias inter arbitrum, & arbitratorem prædicto modo acceptos tradunt Lanfrancus *de arbitris, c.*1. *n.*2. Baptista *de differentiis inter arbitrum, & arbitratorem*, Tuschus *verbo Arbiter*: inter quas illa præcipua refertur, quòd arbiter sententiam non dicit diebus feriatis, *l. Pomponius, §. vlt. ff. hoc tit.* nisi dies compromissi exitura sit; tunc enim & cogi potest sententiam dicere, *l. si feriatis* 36. *l. arbiter Kalendis, ff. hoc tit.* Fermosinus *in cap.*1. *de feriis*: arbitratores verò, quia vt amicabiles compositores procedunt, omni die arbitrium dicere valent.

16. EXEMPLIS PROBATVR HÆC ASSERTIO.

His suppositis pro arbitri etymologia, diffinitione, & diuisione, vt ad suprà traditam conclusionem redeamus, sciendum est, aliquando duos, aliquando tres arbitros eligi, *c.*2. *c. innotuit* 12. *hoc tit. l. item si vnus, §. vlt. ff. hoc tit.* Sed quia homines proniores sunt ad dissentiendum quàm ad consentiendum, *l.*1. *ff. de libertis vniuersitatum, dict. l. item si vnus, §. principaliter*: plura doctissimus Solorzanus *emblem.* 48. frequentiùs tres arbitri eliguntur, vt sequentibus exemplis notum fit. Primò enim in iudicio diuisorio familiæ erciscundæ, vbi arbitri dabantur, vt suprà probauimus, ita cauebatur: *Prætor ercto sciendum arbitros treis dator*; vt ex Festo Pompeio, Donato, & Seruio notant Dionysius Gothofredus *ad leges XII. Tabul.* Iacobus eius filius *in quatuor fontibus ad prædictas leges, in notis ad tabul.*5. In iudicio etiam finium regendorum, ita in ipsa lege decemvirali cauebatur: *Si virgant ad fines finibus regundis, Prætor arbitros treis adiicito.* Ex Cicerone notarunt Dionysius Gothofredus *lib.* 2. *tit.* 11. *versiculo* 9. & eius filius *tabul.* 8. Cuiacius *lib.*5 *obseru. c.*21. Ad æstimationem etiam fructuum in actione reali vindicationis tres arbitri dabantur, vt constat ex ipsa lege XII. Tabul. ibi: *Si vindiciam falsam tulit rei, siue litis, arbitros treis dato.* Ex Festo *verbo Vindiciæ*, probant Reuardus *ad ipsas leges, c.*6. Dionysius Gothof. *lib.*2. *tit.*22. eius filius *tabul.*12. Tot etiam arbitri assumebantur in iudicio aquæ pluuiæ arcendæ, vt probat ipse Gothofredus *tabul.*8. Ex partium etiam conuentione tres arbitros recipi facilè probatur ex iuribus adductis, pro exornatione nostræ conclusionis.

17. TRADITVR DECISIVA RATIO.

Vnde iam apparet traditæ conclusionis ratio vera; nam cùm homines faciles ad dissentiendum sint, & cùm aliquid ex eorum pendet arbitrio, in numero impari eligantur, vt in casibus suprà relatis, vbi quia iudices plura ex arbitrio statuebant, ideo arbitri, qui eligebantur, in numero inæquali dabantur: rectè ergo docetur in nostra conclusione, arbitros compromissarios non in numero pari, sed in impari esse eligendos, vt sic facilè compromissum possit habere effectum; siquidem dissentientibus ipsis stabitur arbitrio maioris partis, duorum videlicet; quod etiam à ratione alienum non est; illud enim patrias leges appellauit Prudentius *lib.*1. *contra Symmachum*, ibi:

Seruemus patrias leges, infirma minoris
Vox cedat numeri, paruaque in parte quiescat.

Legem Curiæ dixit Symmachus *lib.*4. *epist.*27. vbi notat Iuretus: ex Appione, & Q. Curtio probat Grotius *de iure belli, lib.*2. *c.*5. *n.*17. vbi refert, tam in iudiciis, quàm in comitiis illud semper obseruatum fuisse, vt à maiori parte iudicum decretum obseruaretur: illud autem, vt numerentur arbitrorum sententiæ, seruandum est, videlicet vt omnes arbitri præsentes sint ad arbitrium dicendum; altero enim absente, alij arbitrium dicere non possunt; tum quia omnes arbitrium dicere iussi intelliguntur, & sic vnus sine alio non potest sententiam proferre, *l. item si vnus, §. vlt. cum l. sequenti, ff. hoc titulo*, nisi ex malitia absit, vt vocatus venire renuerit, *c.*2. *hoc tit. lib.*6. Sesse *de inhibitione, c.*2. §. 2 *n.*34. quod & in iudicibus ordinariis docetur *in l. duo* 39. *ff. de re iudic.* Docent Duarenus *ad titulum de arbitris, c. de offic. arbitri, in princip.* Fornerius *lib.*1. *select. c.*7. Fragoso *d. tit. de arbitris, disp.*14. *n.*8. tum vt sic conseruetur forma compromissi, quæ adeo custodienda est, vt si compromissum sit in Titium, & seruum, quamuis serui arbitrium nullum sit, Titius non potest arbitrium dicere; nec si dixerit, valet, quia iam vt recepit, non dixit, *l. Pædius, ff. hoc tit.* Si ergo ab arbitris præsentibus, & de causa cognoscentibus diuersæ sententiæ prolatæ fuerint, illa prænalebit, quæ maiori arbitrorum parte nititur.

18. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS.

Nec difficultas prima suprà adducta refragatur, verum enim est, compromissum factum in numero pari valere, & posse arbitros sententiam dicere, vt docet Parladorius *lib.*2. *rerum quotid. c fin.* §. 2. *n.*16. quia decisio textus in nostro capite procedit de consilio, non de præcepto; tantùm enim Patres Concilij Africani consuluerunt, vt cùm eliguntur arbitri, vel compromissarij iuris, eligantur in numero impari; sed cùm consilij nulla obligatio sit, *c. denique,* 4. *dist. l. consilij, ff. de R. I.* ideo si partes eligant duos tantùm arbitros, valebit compromissum; & illis in arbitrio consentientibus, parebunt; si autem dissentiant, tunc eligendus est tertius, *l. item si vnus, §. si in duos, ff. hoc titulo, c. innotuit, hoc tit. l.* 28. *&* 29. *tit.* 4. *partit.* 3. quomodo tamen, & à quo iste tertius arbiter eligi debeat, adhuc apud Interpretes non liquet propter iurium expressam antinomiam. Pro eorum tamen conciliatione, & huius difficultatis solutione dicendum est, compromissum factum absolutè, & indistinctè in duos, nulla illis concessa facultate tertium eligendi in casu discordiæ, valere, & tertium eligendum esse, illis dissentientibus, vel à partibus, vel ab ipsis arbitris; & iudicem ordinarium posse compellere ipsos arbitros, vt tertium eligant, *d. l. item si vnus, §. si in duos, c. suspicionis, de offic. deleg. c. cum speciali* 61. *de appellat. dict. l.*26. *partit.* vbi Gregorius, Duarenus *ad titulum de receptis*: sed si partes ab initio in duos compromissum fecerunt, vt ipsi in casu discordiæ tertium eligerent, aut expresserunt, quem eligere deberent, vel non expresserunt certam personam. Primo casu valet compromissum, & arbitri in casu discordiæ tenentur eligere personam designatam: secundo verò casu compromissum non subsistit, quia in eligendo tertio arbitri possunt dissentire, *dict. §. si in duos*; cuius meminit Gregorius IX. *in d. cap. innotuit.* Docent, & prædictam firmant distinctionem Gregorius Lopez *in in d. l.*26. *part.* Parladorius *lib.*2. *rerum quotid. §.*2 *n.*2. Garcia *de expensis cap.*14. *n.*7. Rodriguez *de execut. art.*1. *n.*13. Hermosilla *in l.*10. *tit.*5. *partit.*5 *n.*7.

19. EXPONITVR CAP. CVM A NOBIS, HOC TIT.

Nec tunc obstat textus *in cap. cùm à nobis* 13. *hoc tit.* vbi proponitur compromissum factum fuisse in Cardinalem Sancti Angeli cum ea adiectione, vt possit eligere duos mediatores, per quos causa tractari valeret. Et asserit Gregorius IX. huiusmodi compromissum valere: igitur siue de certa persona, siue incerta senserint partes, compromissum vires habet. Agnouerunt difficultatem omnes antiquiores in eo textu. Gofredus *in summa huius tituli, n.*6. qui satisfacere intendunt asserendo, compromissum in specie factum valere ob reuerentiam Cardi-

nali debitam, argumento textus *in c.ad petitionem, de accusat.* vel nomina duorum mediatorum expressa fuisse, & ideo compromissum sustineri. Sed his, & aliis solutionibus omissis, rectiùs responderi potest, in eo textu compromissum valere ita factum, vt ipse Cardinalis eligeret duos mediatores; quia eo casu non habatur ratio tradita *in dict. l. item*, §. *si in duos*, videlicet dissensus inter arbitros circa eligendum tertium; nam cùm vnus tantùm arbiter esset, videlicet Cardinalis, non poterat dari casus dissensus; & sic deficiente prædicta ratione, valet compromissum. Accedit, quod mediatores eligendi à Cardinale arbitro, non eligebantur vt arbitri, sed vt mediatores; quo casu compromissum habet effectum, vt docet Mornacius *in dict. l.item*, §. *si in duos*, Valensis *ad nostrum titulum*, §.4.

20. INTERPRETATVR TEXTVS IN L. ITEM, §. INDE 3. FF. HOC TIT.

Sed adhuc decisioni *in d.cap.cùm à nobis*, textus obstat *in l.item* 17. §. *inde* 3. *ff.hoc tit.* Vbi proponitur, compromissum fuisse factum in Titium ea lege adiectâ, vt pronunciaret, quod Seio disceptatori placuisset; & cùm quæreretur, vtrum arbiter teneretur arbitrium dicere, respondit Consultus, non teneri, nec compromissum vires habere, cùm arbiter designatus liberam arbitrandi facultatem non haberet: ergo similiter *in d.c.cùm à nobis*, non debebat valere compromissum in Cardinalem factum, vt eligeret duos mediatores, quorum arbitrio sententiam proferret. Cui difficultati, omissis aliis ipsius textus, quas ponit, & exponit Ludouicus Vitalis *lib.*1. *var.c.*9. respondendum est, magnum discrimen versari inter casum textus *in d.* §. *inde* 3. & *in d.c.cùm à nobis*. In dicto §. *inde*, compromissum factum fuit in vnum, vt ipse teneretur pronunciare secundùm quod Titio visum fuisset, quo casu cum tollatur facultas arbitrandi, quæ ob naturam arbitrij debet dari in arbitro, compromissum non valet, licèt contrarium in sententia proferenda à iudice decidatur *in l. si conuenerit*, *ff. de re iudicata.* Notant Osualdus *lib.*17. *comment. Donel. c.*3. *litt.E.* Nicolaus Genoa *in conciliatione legum, fol.*95. at verò *in d.c.cùm à nobis*, compromissum factum fuit in Cardinalem, ita vt eius arbitrio staretur, vel arbitrio duorum mediatorum; quo casu non tollitur facultas arbitrandi Cardinalis, sed tantùm cauetur, vt eo casu, quo partes non acquieuerint sententiæ Cardinalis, parêre debeant arbitrio mediatorum. Nec augmentum difficultatis refragatur; nam vt suprà dixi, arbitria redacta sunt ad instar iudiciorum, non quoad omnia; quare non sunt exæquata quoad naturam iudicum, cuius discriminis rationem proximo numero reddemus.

21. DISSOLVITVR SECVNDA DIFFICVLTAS.

Nec difficultas secunda suprà adducta obstat, pro cuius solutione obseruandum est circa dissidium iudicum in prolatione sententiæ, plures casus esse distinguendos. Primus est, cùm duo iudices delegati diuersas proferunt sententias, & tunc earum exequutio suspenditur donec Princeps, qui eos delegauit, consulatur, *c.fin.de sent.& re iudicata, l.duo iudices*, *ff.eod.tit.* Docet Couarr. *lib.*1. *var. c.*16. *n.*4. Ratio est, quia iudices delegati propriam iurisdictionem non habent, sed delegantis potestate vtuntur, *l.*1. §. *qui mandata*, *ff. de officio eius.* Vnde cùm in iudicibus delegatis, vnius tantùm, videlicet delegantis attendatur auctoritas, sententia, quæ continet repugnantiam, non valet, argumento legis *vbi repugnantia, ff. de R.I. l. scriptum, C. de fide instrum.* donec qui delegauit, aut probet, aut improbet. Alius casus est, cùm iudices ordinarij non consenserunt in condemnatione, aut absolutione rei petitæ; tunc enim mitior sententia sequenda est, *l. inter partes*, §.1. *ff. de re iudic.* quod ius Mineruæ Græci appellant ex quadam fabula, quam refert Hugo Grotius *lib.*2. *de iure belli*, *c.*5. *n.*19. Pulchrè ad rem Seneca *in controuersiis*, ibi: *Alter iudex damnat, alter absoluit; inter dispares sententias mitior vincat.* Aliquando tamen præualet sententia, quæ pro actore fertur, vt si de libertate agatur; præualet enim sententia, quæ pro libertate facit, *l. lege*, *ff. de manumiss.* vel si agatur de valore testamenti, *l. si pars*, *ff. de inofficioso testamento*; si de matrimonio, aut dote, *cap. vlt. de re iudicata:* hæc autem procedunt in sententiis, quæ contrariæ sunt, vt si alter ex iudicibus absoluat, alter condemnet; non tamen si sententiæ in parte conueniant, quia altera alterius partem complectitur; vt si vnus ex iudicibus in viginti, alter in decem condemnet: quo casu, cùm in decem consentiant, vsque ad eam quantitatem sententia vires obtinet, *l.diem* 27. §. *si plures*, *ff. hoc tit. c.*1. *hoc tit. in* 6. Seneca *epist.*21. *Quod fieri in Senatu solet, faciendum ego in Philosophia hoc existimo: cùm senserit aliquis, quod ex parte mihi placet, iubeo illum diuidere sententiam, & sequor.* Meminerunt huius moris in Senatu Plinius *lib.*8. *epist.*14. Cicero *epist.*2. ad Lentulum, & alij relati à Rutilio *in decuria, c.*4. Hoc etiam obseruatur in arbitris, cùm tres inter se dissentiunt, vt si vnus condemnet in decem, secundus in quinque, tertius in duodecim, quamuis duo quodammodo consentiant in decem, quia tamen omnes verè consentiunt in quinque, præualet sententia in ea quantitate, *c.*1. *hoc titulo, in* 6. Docent Couar. *lib...var.cap.*2. *num.*6. Molina *de iustitia disp.*42. *n.*4. Valasco *de partit.c.*9. *num.*12. Alciatus *lib.*9. *pareng. c.*14. Garcia *de expensis c.*24. quæ doctrina ampliatur ita vt procedat etiamsi iudices expressè caueant, se non consentire in quinque; adhuc enim præualet sententia in quinque, quia cùm prædictus consensus in minori summa procedat, ex iuris dispositione, & ab ipsa lege præsumatur, nihil operatur hominum protestatio, iuxta textum *in l.*3. *ff. de legatis* 1. Couarruu. suprà, *n.* 6. Barbos. *in cap.*1. *hoc tit. lib.*6. Sed si ex dictis tribus arbitris duo consentiant expressè, vt si ambo in decem condemnent, quamvis vnus dissentiat condemnando in diuersa quantitate, præualet sententia duorum, ex præsenti textu, & similibus.

22. INTELLIGITVR CAP. CVI DE NON SACERDOTALI, DE PRÆBENDIS LIB.6.

Sed adhuc superiori doctrinæ, videlicet in minori quantitate omnes consensisse videri, etiamsi in maiori condemnauerint, quia in maiori inest minor, obstat textus *in cap.cui de non sacerdotali, de præbendis, lib.*6. Vbi post varios casus, qui exagitantur, & deciduntur à Bonifacio VIII. ille tandem proponitur: Si Pontifex rescripserit, vt alicui conferatur præbenda valoris centum scutorum in certa Ecclesia, & in ea vacauerit aliqua præbenda minoris valoris, vtrum possit illa conferri impetratori rescripti, præcipuè si ipse eam petat, & eâ contentus sit. Huic quæstioni Pontifex respondet, non posse conferri præbendam minoris valoris. Huius Pontificis responsum ita contra suprà dicta expenditur: Si in maiori quantitate inest minor, qui disposuit in maiori, disponeret in minori; & cùm dispositum fuisse præsumeretur in eo textu, conferri posset præbenda minoris valoris, quia impetrator in ea expressè consentiebat, & Pontificem consensisse præsumeretur, *ex dicto cap.*1. *hoc tit. lib.*6. Sed non potest conferri, vt Bonifacius decreuit: ergo quia qui disponit de maiori quantitate, non disponit de minori. Etiam difficilis est ratio illius decisionis adducta à Pontifice, his verbis: *Quia fines mandati diligenter sunt custodiendi*; innuit enim Pontifex, non diligenter custodiri fines mandati, si minori

nori quantitate adimpleatur: tunc obstat textus *in l. rogatus 33. ff. mandati, §. is qui, Instit. eod. tit.* vbi mandatarius, qui exequitur mandatum in minori quantitate, rectè illud adimplet, & habet actionem mandati. Pro huius textus expositione præmittendum est, in maiori quantitate minorem inesse, *l.* 1. *§. si stipulanti, l. inter* 83. *§. diuersa, ff. de V. O.* P. Faber *in regula In eo* 110. *ff. de R. I.* Pichardus *in §. præterea, Instit. de inutilibus stipul.* & sic consentiens in maiori quantitate, in minori consentire videtur, nisi agatur de contractu oneroso, *l. si decem* 53. *ff. locati.* Vnde si stipulanti decem, quinque promittantur, valet stipulatio, *dict. l.* 1. *§. si stipulanti,* vbi Donellus, & *lib.* 14. *comment. cap.* 38. Bacouius *lib.* 5. *declarat. cap.* 71. Nec obstat textus *in l. si ita stipulatus* 120. *ff. de V. O.* de cuius expositione videndi sunt Donellus, & Giphanius *ibi,* Valentia *tomo* 2. *illustr. tract.* 2. *cap.* 5. Acosta *lib.* 1. *select. cap.* 2. Vnde si stipulanti, vt fideiubeam in decem, promittam me fideiubere in quinque, valet fideiussio in quinque: & si promittam in viginti, valet in decem, *l. hactenus* 11. *ff. de constituta pecunia, l. si vltra* 22. *C. de fideiussoribus.* Docent Fachineus *lib.* 8. *controu. cap.* 5. Alciatus *lib.* 5. *Parerg. cap.* 18. Fontanella *de pactis nuptialib. clausul.* 4. *glossa* 21. licèt contrarium teneant Connanus *lib.* 6. *comment. c.* 6. *num.* 8. Schifordegerus *tract.* 9. *q.* 2. pro quibus facit textus *in l. Græcè* 8. *§. illud, ff. de fideiussoribus.* Quibus suppositis non obstat textus *in dict. c. cui de non sacerdotali*; in eo enim non potuit conferri præbenda minoris valoris, quia alia, & omnino distincta præbenda erat ab ea, quam concesserat R. Pontifex; taxatio enim illa certi valoris designauit certam præbendam, & non aliam, sicut contingit cùm Pontifex concedit alicui præbendam vacantem per resignationem; non enim potest tunc conferri præbenda, quæ vacauit per mortem, *cap. susceptum, de rescriptis, lib.* 6. quia designatio modi vacationis adiecta est taxationis gratiâ, & sic ad alium modum non extenditur. Deinde quia rescriptorum ius strictissimum est, *c. Rodulphus, cap. significante, de rescriptis:* docet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 21. *num.* 35. Nec difficultas deducta ex ratione ipsius decisionis obstat; nam ratio assignata à Bonifacio in eo textu non est protrahenda ad omnes species mandati; sed tantùm referri debet ad casum in eius textus serie propositum. Transcripsit enim ea verba Pontifex *ex dict. l. diligenter,* vbi etiam Consultus eam rationem generaliter proposuit; non tamen Bonifacius, & Consultus negarunt mandatum super maiori quantitate plerumque in minori adimpleri posse, vt docet Pereyra *de emptione, & vendit. cap.* 13. *num.* 55.

Nec obstat vltima difficultas suprà expensa, cuius maiorem concedimus, minorem autem negamus; non enim munus arbitrandi ad arbitros spectat, tanquam ad singulos, quia eorum commoditas, seu vtilitas consideretur, sed tantùm publica iudiciorum causa attenditur. Vnde non desideratur, vt omnes consentiant in vna, eademque sententia, cùm & in iudicibus ordinariis obseruetur, vt diffinitum à maiori parte præualeat, *l. in tres, ff. de re iudic. l. duo ex tribus, ff. eod.* docet Cabedo 1. *p. decis.* 6. *num.* 4. ad omnes tamen arbitros spectat arbitrium dicere, itavt omnes debeant vocari, & aliquo ipsorum absente, sententia dici non possit, *cap.* 2. *hoc tit.* sicut contingit in iudicibus ordinariis, qui omnes ad causæ decisionem sunt vocandi, *l.* 2. *in princip. l. nominationes* 45. *Cod. de decur. lib.* 10. *cap. quod sicut* 28. *de electione.* Forsan enim absens vocatus alios in suam sententiam traheret, *dict. l. si in tres:* & licet actus, qui possunt aliquo renuente peragi, illo absente celebrari valeant, *l. recusare* 6. *in principio, ff. ad Trebel. l.* 4. *§. illud, l. si cum* 48. *§.* 1. *& vlt. ff. de fideicommiss. libert. l. qui potest* 27. vbi plura Faber, & Gothofr. *de R. I. cap. cùm olim* 12. *de re iudic.* & duo arbitri, alio dissentiente, & reluctante, certam possent dicere sententiam, *d. l. si intra, d. l. sicuti* 21. non tamen absente eo potest sententia dici, quia cùm forma compromissi omnino sit seruanda, & non seruetur, si alio absente cæteri sententiam dicant, cùm omnes iudicare iussi sint in compromisso; inde prouenit, vt eo renuente, & dissentiente sententia dici possit, non verò eo absente. Nec augmentum ipsius difficultatis obstat; fatemur enim in actibus, vbi desideratur maior pars, desiderari etiam, vt sit sanior, *d. c. quia propter, dicto c.* 1. *de his, quæ fiunt.* At dum adest maior pars, præsumitur simul sanior: vnde etiam hodie in electionibus non fit comparatio zeli ad zelum, scientiæ ad scientiam, sed tantùm numerus attenditur, & præsumitur maiorem partem respectu numeri esse simul saniorem: quod præcipuè procedit in arbitris, vbi cum plures simul eliguntur, creditur partes eos æqualiter litteratos elegisse, cùm ex propria voluntate eos susceperint. 251 DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

CAPVT II.

[a] Alexander III. *Eboracen. Archiepiscopo.*

NOn sine multa necessitate, & discrimine corporis sui A. presbyter præsentium lator ad Sedem Ap. fatigatus multiplici nobis querela proposuit, quod cùm in Ecclesia Sancti Alfidi de N. per manum [b] R. Archidiaconi, & Canonici de Suelle, [c] personæ ipsius Ecclesiæ, capellanus institutus [d] fuisset, eodem R. mortuo M. [e] nepos eius, qui sibi in iamdicta Ecclesia successit, eundem presbyterum ad maiorem securitatem capellanum iterum [f] ordinauit; quorum temporibus [g] XXX. annis, & vltra [h] capellaniam eius Ecclesiæ pacificè se asserit tenuisse. Tandem verò idem M. volens ab eadem Ecclesia ipsum presbyterum remouere, in eum cœpit exactiones indebitas exercere, & quidam [i] homo eius circa domum suam egressus, violentas manus in eum iniecit: & ipse idem M. visus est eum circumuenire, vt pro 5. [j] marchis argenti, quas idem M. ei promittebat se annuatim nomine pensionis soluturum, præscriptæ capellaniæ cedere non differret: præfato verò presbytero nolente eius exequi voluntatem, prædictus M. tantùm dicitur fecisse, quod post multas iniurias, & grauamina sibi illata, occupatis omnibus aliis rebus, ab

officio, & beneficio eſt ſpoliatus. Cùm autem idem preſbyter per te adhuc extra prouinciam tuam [k] exulans de ſuo beneficio non poſſet iuſtitiam obtinere, tandemque, ſicut aſſerit, multis neceſſitatibus arctabatur, nec ſuam inopiam potuit vlteriùs [l] ſuſtinere, per [m] dolum, & fraudem ipſius M. ab eo [n] ſacramentum eſt extortum, vt arbitrium clericorum tuorum exinde ſuſciperet, & ſeruaret. Iidem verò clerici voluntatem eius aſſequuti, & iamdicto M. fauentes, eidem preſbytero præceperunt, vt 5. marchas ab eodem tantùm ſuſciperet, & toti cederet quæſtioni. Quoniam igitur te non decet aliquatenus ſuſtinere, vt quod perperam arbitrati ſunt, debeat incorrectum relinqui: f. t. per A. ſ. m. quatenus præfatos clericos moneas ſtudioſiùs, & inducas, vt ſi cognouerint, ſe in hac parte tam nequiter arbitratos fuiſſe, iamdictum preſbyterum ab obſeruantia iuramenti auctoritate noſtrâ prorſus abſoluas; aut ſi arbitrium ipſum in iuſtitia noueris, & veritate ſubnixum, vtramque partem ap. rem. ſtare arbitrio compellas.

NOTÆ.

a *Alexander III.*] Ita etiam habetur in ſecunda collectione, *ſub hoc titulo cap.* 2. De Alexandro III. & Eboracenſi Eccleſia aliqua adduxi *in cap. inter cætera* 4. *de reſcriptis.*

b *Archidiaconi, & Canonici.*] Poteſt enim quis in vna Eccleſia habere præbendam, & dignitatem, cùm ſint beneficia difformia, vt latè probabimus *in cap. de multa, de præbendis.*

c *Perſonæ.*] Perſona quæ dicatur in Eccleſia, iam expoſui *in cap. ad aures, de reſcriptis.*

d *Inſtitutus fuiſſet.*] Ad Archidiaconum enim 1. pertinet inſtitutio corporalis in beneficiis eccleſiaſticis, vt latè probaui *in cap. vt noſtrum, de officio Archid.* in præſenti tamen inſtitutio communiter accipitur à repetentibus pro præſentatione, quia videlicet R. Archidiaconus A. preſbyterum præſentaſſet vt capellanum, ſeu vicarium in ipſa Eccleſia.

e *Nepos eius.*] Nepotem plures accipiunt in præſenti pro filio fratris; quorum ſententiâ omiſsâ hæc verba de nepote ex filio accipienda eſſe, iam probaui *in cap conquerente, de filiis preſbyt.*

f *Ordinauit.*] Ideſt elegit, ſeu præſentauit; non quia neceſſarium eſſet, ſed ad cautelam; nec A. preſbyter petendo ſecundam electionem, renunciauit primæ, *cap. poſt electionem, de conceſſ. præbendæ.*

2. g *XXX. annis.*] Adhuc iure Decretalium præſcriptio trigeſimalis non ſufficiebat ad acquirendum beneficium eccleſiaſticum, cùm præſcriptio quadragenaria tantùm contra Eccleſiam curreret, vt probat gloſſa *in cap. iura, de iurepatron.* hodie tamen ex regula Cancellariæ de triennali poſſeſſione, ſufficit triennalis poſſeſſio cum titulo, vt pro ipſius regulæ expoſitione docent Gomez, & Mandoſius.

h *Capellaniam.*] Ideſt vicariam, vt interpretatur Auguſtinus Beroius *in præſenti*, ſed etiam pro beneficio accipi valet, cùm plerumque capellanus pro beneficiario, & parocho accipiatur, *cap. capellanus, de feriis, cap.* 1. *de ſecundis nuptiis.*

i *Homo eius.*] Ideſt feudatarius, ſeu vaſſallus; qui enim ratione feudi homagium, ſeu hominium præſtiterunt, homines appellantur, *cap. fin. de hæreticis*, Boſquetus *ad Innocentium lib.* 1. *epiſt.* 157. Idumay *ad ipſum, epiſt.* 77. aliqua notaui *in cap. fin. de ſeruis non ordin.*

3. j *Marchis.*] Marcha nomen Latinum non eſt, ſed Germanicum, noſtro idiomate appellatur *marco*, & pro diuerſitate nationum diuerſum valorem continet, vt docent Budeus *de aſſe lib.* 2. Georgius Agricola *lib. de reſtituendis ponderibus*, Couarr. *de veter. numiſm. collat. cap.* 2. *num.* 4. De marcho apud nos vſitato Colonienſi, ſeu Troiano, agunt Regnicolæ *in l.* 1. *&* 2. *tit.* 13. *lib.* 5. *recopil.* Villafañe *en el Quilatador de oro, y plata, cap.* 1. & nos *in cap.* 4. *de pactis.*

k *Exulans.*] Hoc verbum de exilij pœna accipiunt Quaranta, Genuenſis, & alij congeſti à Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 1. *tit.* 4. *num.* 59. & communiter repetentes *in præſenti*; qui docent, preſbyterum exulantem in præſenti ſpecie beneficio non priuari; quia iniuſtè, & ſine cauſa exul erat. Sed ſi verum amamus, exulandi verbum in præſenti pro abſentia ſumitur, non verò pro ipſa pœna exilij, vt accipitur à Terentio *in Eunucho, actu* 3. *ſcena* 5. in fine: A. *Muta veſtem.* CH. *Vbi mutem? Nam domo exulo nunc.* Obſeruauit D. Nicolaus Antonius *lib.* 2. *de exilio, cap.* 32. *num.* 11. qui non inſubtiliter exiſtimauit, ea verba, *per te adhuc extra prouinciam exulans*, eſſe ita emendanda, *per te adhuc extra prouinciam exulantem*; & ea eſſe refenda, non ad A. preſbyterum, ſed ad Archiepiſcopum Eboracenſem, Rogerium videlicet, qui temporibus Alexandri III. huius textus auctoris extra prouinciam degebat, & aulam Regis ſequebatur, vt referunt Rogerius de Oueden. *in annalibus*, & Matthæus Pariſ. *in ſua hiſt. anno* 1170. Vnde iuxta obſeruationem huius eruditiſſimi viri ſenſus prædictorum verborum erit propter abſentiam à prouincia Rogerij Archiepiſcopi Eboracenſis, quem Alexander alloquebatur, A. preſbyterum iuſtitiam aſſequi non potuiſſe. 4.

l *Suſtinere.*] Sed quare, ſi ſtipulatus fuit, & neceſſitate arctabatur, ante omnia non reſtituitur ad capellaniam, quâ ſpoliatus fuerat, iuxta principium textus *in cap.* 1. *cap. ſolicitè, de reſtit. ſpol.* cùm vulgatis; præcipuè cùm renunciatio, & compromiſſum æquiparentur, *cap. cùm tempore, in fine, hoc tit.* ſed ſpoliatus renuncians per vim, ante omnia eſt reſtituendus, *dict. cap. ſolicitè*, probaui *in cap. Abbas, de his, quæ vi.* Igitur & ſpoliatus compromittens ante omnia erat reſtituendus. Cui difficultati variis modis ſatisfacere intendunt Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Beroius, & Panormit. *in præſenti*, Rodericus Suarez *alleg.* 23. *num.* 13. Sed eorum ſolutionibus omiſſis dicendum eſt, A. preſbyterum in præſenti caſu non propoſuiſſe interdictum recuperandæ poſſeſſionis, nec illud remedium intra tempus legitimum intentaſſe, aliàs ante omnia reſtituendus eſſet. Nec obſtat quod dicebamus, æquiparari renunciationem, & compromiſſum; nam licèt exæquentur quoad aliqua, videlicet, vt qui non poteſt renunciare, non poſſit compromiſſum facere, *dict. cap. cùm tempore*, docent Tiraquellus *in legibus connub. gloſſa* 5. *num.* 203. Pi- 5.

nellus

nellus *in l.1. C.de bonis matern.3. part. num.41.* Padilla *in l.transactiones, C. de transact.* Molina 2. *tomo de iustitia, disput. 557.* Non tamen per omnia exæquantur, nec æquiparantur ad præsumendum actum inuoluntarium post spolium. Abbas *hîc, num. 5.* Et constat, quia qui renunciat, omnino dimittit, *cap. quàm periculosum 7. quæst.1.* qui verò compromissum facit, non dimittit, sed potiùs rem petit, ac proinde cessat ratio, & coniectura textus *in cap. super hoc, de renunc.* quâ nititur decisio textus *in dict. cap. solicitè*; ideoque locum non habet ea decisio in illo, qui compromissum fecit post spolium.

6. m *Per dolum, & fraudem.*] Sed quomodo si dolus dedit causam compromisso, ipsum nullum non reddit ipso iure, iuxta principium textus *in l. & eleganter 7. ff.de dolo, l.3. §. finali, ff. pro socio?* Sed huic difficultati respondendum est eum communi distinctione, quæ vulgò agnoscitur inter contractus bonæ fidei, & stricti iuris. Actus enim bonæ fidei ipso iure nulli sunt, si dolus det causam actui, *dict.l.& eleganter*; contractus verò stricti iuris ipso iure subsistunt, *l.si quis 36. ff.de V.O. l.5.Cod.de inutil. stipul.cap.cùm venerabilis,de except.* Vnde cùm compromissum spectet ad actus stricti iuris, *§.actionum, Instit.de actionibus*, glossa magna *in dict. cap. cùm venerabilis*, Gregorius Lopez *in l.vlt.glossa 1. tit.6.partit.5.* Lassarte *de decima vendit. cap.7. num. 5.* Molina *de iustit. tomo 2. disput. 556.* ideo compromissum per dolum, & fraudem celebratum, ipso iure in præsenti specie subsistit, licèt postea veniat infirmandum.

7. n *Sacramentum.*] Idest iuramentum, vt *in cap. vidua, de regularibus, cap.1.de feriis*, vbi notauimus. Illud tamen discrimen in præsenti obseruandum est inter ius canonicum, & Cæsareum, videlicet quod licèt ex iure nouo iuramentum in compromisso adhiberi non possit ex noua Iustiniani constitutione *in nouella 82. cap.11.l.4. Cod.hoc tit.* tamen iure nostro canonico iuramentum in compromissis licitè adhibetur, & à compromissariis seruandum est, vt in præsenti supponitur, & *in cap.cùm tempore, cap. per tuas, hoc tit.* quia cùm illud seruari potest sine dispendio salutis æternæ, semper custodiendum est, argumento textus *in cap. ad nostram, cap. debitores, de iureiur.* Vnde cum à compromissariis iuramentum interpositum ritè seruari possit absque periculo salutis æternæ, rectè adhibetur, & seruandum est.

COMMENTARIVM.

8. Conclvsio proponitvr et illvstratvr. EX hac Alexandri epistola talis deducitur disputanda assertio: *Sententia ab arbitris prolata, si æquitate nitatur, omni modo seruanda est; si verò iniqua, dolo, & fraude prolata fuerit, per superiorem retractanda est.* Quæ assertio singularis est in iure, eam tamen illustrant vltra ordinarios in præsenti, & congestos à Barbosa *num. vlt. glossa vlt. in cap. vlt.de rerum permut. & verbo Ex iussione, in cap.nisi essent, de præbendis*, Gigas *de pensionibus, quæst. 6.* Rebuffus *in praxi, tit.de pacificis, num.124.& 127.* Corrasius *de beneficiis, 1. part. cap.4.* Guillelmus Benedictus *in cap.Raynuntius, verbo adiecto,num.25. de testamentis*, Padilla *in l.vlt.num.13.C.de transact.* Suarez *de Religione lib. 4. cap. 5. num. 23. tomo 1.* Balboa *in cap.fin. de pactis*, Osualdus *ad Donellum, lib.28. comment. cap.fin. littera E.*

Valgado de regia p. 3. c. 13.

9. Sed hæc assertio valde difficilis redditur sequenti consideratione; nam certum est, sententiæ ab arbitris prolatæ standum esse, siue æquum, siue iniquum contineat, *cap. per tuas, cap. exposita, hoc tit. cap. si quis Episcopus 30.§.arbitrari 2.quæst.6. l.diem 27.§. stari, ff. hoc tit.l. societatem 76.§.finali*, vbi Cuiacius, *ff. pro socio:* firmat D.Thomas 2.2. *quæst.69. art.3. ad 2.* dum ait, quod ex proprio defectu, & negligentia procedit, aliquem sua sponte alterius iudicio subiici, de cuius iustitia non confidit; itaque non videri permittendum à superiore petere, sententiam arbitri retractari, cùm sibi compromittentes debeant imputare, quòd iniquum arbitrum elegerunt. Augetur hæc difficultas; nam si sententia ab arbitris prolata in præsenti specie iniquitatem contineret, maximè quia arbitri, reseruatâ pensione quinque marcharum vni ex litigantibus, alij beneficium adiudicarunt: sed arbitri in causa beneficiali suscepti, possunt pensionem temporalem vni ex litigantibus assignare, *cap. nisi essent, de præbendis*, vbi in eadem specie ac in præsenti proponitur, deciditur, compromissum esse obseruandum. Igitur non rectè contrarium in præsenti statuitur. Augetur tandem, nam certum est, ab arbitrorum sententia appellari non posse, *cap. à iudicibus 2. quæst.6.* cum aliis infrà adducendis: igitur in præsenti specie per viam appellationis nec Pontifex, aut Eboracensis Archiepiscopus adiri poterat.

Impvgnatvr hæc assertio.

10. Arbitrorvm sententiæ standvm est. His difficultatibus non obstantibus vera est præsens assertio, ad cuius expositionem primò prænotandum est, sententiæ arbitrorum, siue æquæ, siue iniquæ, standum esse, *dict. l.diem 27. §.stari*, licèt cùm arbitrio alicuius aliquid committitur, non nisi æquo parendum sit, *l. libertus 30.ff. de operis libert.* Nec interest, quod partes consenserint in compromisso de certa sententia de arbitris dicenda; adhuc enim illis diuersam sententiam proferentibus, partes seruare tenentur. Licèt enim inter litigantes coram iudice ordinario possit conueniri, vt certa sententia proferatur, & eam iudex dicere teneatur, *l. si conuenerit, ff.de re iudic.* tamen hæc conuentio in compromisso coram arbitris non admittitur, cùm repugnet naturæ arbitrij, *l. qualem 19. ff. hoc tit.* docet Mancinus *disquisit. genial. cap.239.* quo modo prædicta iura concilianda esse existimat Genoa *in conciliat.legum, pag.95.* Parendum ergo est arbitrio arbitrorum, siue æquo, siue iniquo, nisi contra leges, vel sacras constitutiones sit prolatum, *l. ita demùm, ff. hoc tit.l. arbitrorum, C.eodem tit.* vel quid turpe, aut inhonestum, vel peccatum per partes non remissibile contineat, *l.quidam 21.ff. hoc tit.* aut si dolus malus interfuerit, vel arbitrorum, vel aduersarij, *dict. l.ita demùm*; quo casu accipiendus est textus non vulgaris *in l. si soror, Cod.de collationibus*; aut si præter formam, & terminos compromissi sententia prolata sit, *dict.l. non distinguemus, §. de officio, cap. examinata 7. de confirmatione vtili:* docet Cyriacus 2. *tom. controu.cap.230.num.8.& 9.* compromissum enim non extenditur vltra expressa in ipso. Valenzuela *tomo 1.consil. 11.* vel si absentibus partibus arbitri sententiam dicant, *l.diem 27. §.si quis 4. ff. hoc tit.* si die feriatâ arbitri sententiam proferant, *l. Pomponius 13. §.arbiter, ff. hoc tit.l.3. Cod. de feriis*; si eam proferant, postquam dies compromisso adiecta exiit, *dict. l. quid tamen, §.5.* si incerta sententia dicta sit, quæ non solùm irrita, verùm & nulla est, *dict.l. quid tamen, §.Pomponius*; vel si arbitri iusserint ad iudicem ire, vel nouum compromissum facere, *dict. l. non distinguemus, §. quæsitum:* si de vna tantùm parte litis

sententia dicatur. Debent enim arbitri eam dicere de omni controuersia : & si plures controuersiæ sint vno compromisso comprehensæ, & cautum fuerit, vt de omnibus sententia proferatur, super vna tantùm re prolata sententia non sustinetur, *dict. l. quidam*, §. *dicere*, *l.quid tamen*, *in principio*, *l.Labeo* 23. *ff.hoc tit.* Tandem nisi iusta causa adsit, quæ impediat parère sententiæ arbitrorum, *l.traiectitia* 23. *vers.nam etsi*, *ff.de O. & A.* Docet Vighellius *in methodo iuris ciuil. lib.*2. *cap.*4. *num.* 13. Sed cùm compromissum non sit iudicium, ideo arbitrorum sententia non semper habetur pro sententia, vt in casibus relatis à Goueano *lib.*1. *de iurisd. num.* 31. Amaya *in l.vnica*, *C.de sententiis aduersùs fiscum*, Hunnio *ad Treut.vol.*1. *disput.*12. *thesi* 4. & *vol.*2. *disp.*23. *quæst.*1.

11. ANDETVR ACTIO EX ARBITRIO.

Standum igitur esse arbitrorum sententiæ, tam ius Cæsareum, quàm nostrum Pontificium, necnon Regium statuerunt ; sed in parendi modo, aut sententiæ executione valde differunt ; iure enim Pandectarum ex sententia ab arbitris dicta, neque actio, neque exceptio dabatur, *l.*2. *ff.hoc tit. l.*1. *C. eod.* Paulus *lib.*4. *sententiar. tit.* 5. ex compromisso sumptus iudex rem iudicatam non facit, sed si pœna inter eos promissa est, pœna in iudicium deducta ex stipulatu peti potest. Licèt enim ex iudicis ordinarij sententia oriatur in factum actio, quâ condemnatus iudicatum soluere, iudicis officio compellatur, *l.item* 20. §. 5. *de hæreditatis petitione*, *l.actoris* 8. *C.de rebus creditis* ; tamen ex sententia arbitri non datur, quia arbitri iudicandi nullam potestatem habent ordinariam, aut delegatam, *l. vnica*, *C.qui pro sua iurisdict.* priuatorum enim consensus arbitrum iudicem facere non potest, *l.priuatorum*, *C.de iurisdict.* Quare vt explorati iuris principium, ex sententia ab arbitro prolata actionem non dari, defendunt Ludouicus Vitalis *lib.*1. *var. cap.*4. Hunnius *ad Treutlerum vol.*1. *disp.* 11. *thesi* 3. *quæst.*19. vbi Bachouius *litt.C.* Maranta *in speculo iudic.*6. *part. tit.de appellat.num.*262. Menchaca *de successionum creatione*, §. 10. *num.* 3. Cancerius *lib.*1. *var.cap.*23. Parladorius, Suarez, & alij congesti à Rodriguez *de executione cap.*1. *art.*1. *num.*14. Metu ergo pœnæ in compromisso appositæ parebatur arbitrorum sententiæ ; si enim certa pœna promissa erat, actio ex stipulati ; sin autem, incerti condictio dabatur, *dict.l.non distinguemus*, §. *fin.* consonat lex 7. *tit.*23. *partit.*3. & si nudo tantùm pacto compromissum factum erat, nec actio, nec exceptio ex eo dabatur, *l.litigatores*, §.1. & 2. *ff.hoc tit.* nec actio dabatur, quia ex pacto nudo non nascitur actio, *l.iuris gentium* 7. §. *igitur nuda*, *ff.de pactis* : latè probaui *in cap.*1. *eod.tit.* Et si exceptio ex pacto nudo detur, §. *igitur nuda* ; tamen ex prædicto compromisso nudo pacto celebrato exceptio non datur, *l.*2. *l.Pomponius* 13. §.1. *ff.hoc tit.* quia absurdum est, vt in vno ex litigatoribus ratum sit arbitri iudicium, in alio verò non, *l. si cùm dies*, §. *si arbiter*, *ff.hoc tit.* Vnde si æqualis compromittentium conditio esse possit, vt si ambo sint debitores, qui inuicem paciscantur, ne petant quod sibi debetur, quia vtrique dari potest exceptio pacti de non petendo, exceptio dabitur, *dict.l.litigatores*, §. *interdum.*

12. QVID DE IVRE NOVO CODICIS OBSERVETVR.

Hæc procedebant inspecto iure Digestorum ; nouiori tamen iure statutum fuit, vt etiamsi nudo pacto interueniente compromissum factum esset, non solùm reo exceptio daretur, verùm & actori actio competeret, *l.cùm antea* 5. *C.hoc tit.* Docent Bartolus, & Baldus *ibi*, Vitalis *d.lib.*1. *var.c.*6. non tamen hæc actio, quæ *ex dict.l.cùm antea*, competit, datur ex sententia arbitri, vt aliqui voluerunt ; sed ex ipso pacto, quod Iustiniani constitutione legitima factum fuit ; & sic tanquam ex pacto legitimo actio nascitur, vt defendit Hunnius *dicta disp.*19. *litt.E.* Eodem iure etiam codicis, etsi non stipulatione, sed iuramento litigatores se obstrinxerint sententiæ parère, datur actio, vt eam seruare teneantur, *l.neque in arbitris*, §. *& in hoc*, *C. hoc titulo* ; quod nouissimo iure nouellarum mutatum fuit, & sancitum, ne vllo modo iuramentum possit adhiberi in compromisso propter periculum periurij, *nouell.*82. *cap.*11. *l.*4. *C.hoc tit.* etiam post dictam legem *cùm antea* 5. si sententia ab arbitris dicta fuerit homologata, idest approbata expressè, vel tacitè, per transcursum decem dierum, statim executioni mandanda est, quia executionem paratam habet : quæ Iustiniani dispositio approbata est, *l.*35. *tit.*4. *partit.*3. An autem hæc homologatio non solùm de sententia iamdicta, verùm & dicenda fieri possit, disputant Interpretes ? Negant Bartolus *in dict.l.cùm antea*, *num.*5. Castrensis *n.*4. Salcedus *num.*17. Corrasius *in l.societatem*, §. *arbitrorum* : sed rectiùs affirmat Vitalis *lib.*1. *var.cap.*5.

13. QVID IVRE CANONICO, ET REGIO OBSERVETVR.

Hæc, quæ à Iustiniano nouâ suâ constitutione statuta retulimus, iure Pontificio partim improbata, partim approbata fuerunt ; quatenus enim Imperator prohibet iuramentum adhiberi in compromisso, immutatum est iure Pontificio, & cautum, vt sacramentum à compromittentibus præstitum seruetur, vt iam suprà notaui : quare iuramento præstito ex hoc iure, non expectatur homologatio, sed statim ipsa sententia exequi debet, aut ad interesse statim agi potest, vt docent Abbas & Butrius *in cap. per tuas*, *hoc tit.* Molina *dict.*6. *tomo*, *de iustit. disp.*36. *per totam* : approbata etiam fuit dicta Iustiniani constitutio, quatenus compromissum nudo pacto tantùm factum exequendum statuit, *cap.*1. *cap.qualiter*, iuxta vulgarem interpretationem, *de pactis.* Vnde compromissum factum nudo tantùm pacto seruari debet, vt docent omnes repetentes *in d. cap.per tuas*, Boëtius Epon. *lib.*1. *de iure sacro*, *num.*120. Perveniamus iam ad ius nostrum Regium, eo enim inspecto post varias constitutiones, tandem statutum reperitur, vt non solùm arbitrorum sententia actionem producat, verùm vt paratam exequutionem habeat, itavt statim exequi possit, *l.*4. *tit.*21. *lib.*4. *recopil.* vbi Azeuedus. Parladorius *lib.*2. *rerum quotid. cap. fin.* §.15. Auendaño *de exequendis*, 1. *part.cap.*1. *num.*37. Rodriguez *de executione*, *cap.*1. *art.*1. *num.*15. Carleual. *de iudiciis*, *tom.*2. *lib.*2. *disp.*8. Arbitrij tamen executio facienda est, non per ipsos arbitros, sed per iudices ordinarios, *l.à Diuo Pio*, *in princip. ff. de re iudic. l.Episcopale*, §. *si quis ex consensu*, *C.de Episcopis*, *& cler.l.cùm antea*, *C. hoc tit.* vbi deciditur, sententias arbitrorum in vrbe à Præfecto vrbis ; in prouinciis à Rectoribus, aut Apparitoribus exequendas esse : idem statuitur *in l.*35. *tit.*4. *partit.*3. Docent Couar. *lib.*2. *var. cap.* 12. *num.* 2. Rod.Suarez *in l.post rem*, *in declarat.legis Reg.cap.*5. *num.*10. Valenzuela *consil.*125. *num.*44. Litigatores enim per compromissum iurisdictionem arbitris dare nequeunt, *l.priuatorum*, *C.de iurisdict.* Vnde multò minùs quæ Imperij meri, aut mixti sunt, committere valent ; in quorum numero exequutio sententiæ recensetur, *l.iubere*, *ff.de iurisdict.l.*3. *ff.de damno infecto* : nec solùm coram iudice ordinario loci, vbi sententia ab arbitris prolata est, executio peti potest, verùm etiam coram iudice ordinario

nario rei damnati absque vllis litteris requisitoriis, vt docent Azeuedus *vbi suprà*, *num.* 175. Parladorius *dicto cap. fin.* §. 2. *num.* 76. Rodriguez *vbi proximè*, *num.* 24. Pichardus *in manuduct. ad praxim*, 2. *part.* §. 4. *num. vlt.* præsentatis enim compromisso, & sententia ab arbitris dicta coram legitimo iudice, ab eo exequutio facienda est: docet Vela 2. *tom. dissert.* 45. *num.* 28. Præsentari etiam debent fideiussores ab eo, qui petit exequutionem, iuxta formam textus *in l.* 2. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.* videlicet se restituturum omnia in arbitrio comprehensa cum fructibus, si arbitrum non fuerit confirmatum per superiorem. Rodriguez *dicto art.* 1. *num.* 30.

14. AB ARBITRORVM SENTENTIA NON APPELLATVR.

Cùm ergo iure Canonico, & Cæsareo inspectis, non daretur actio iudicati ex sententia ab arbitris prolata, inde nec ab illis appellare licebat, *l. non distinguemus* 32. §. *cùm quidam* 14. *l. diem* 27. §. *stare*, *ff. hoc tit. l.* 1. *C. eod. cap. à iudicibus*, *cum sequenti* 2. *quæst.* 6. *cap. si quis Episcopus*, §. *arbitrariis*, *eadem quæst. cap. Ecclesia*, *de constit.* Synodus Carthag. *con.* 98. *&* 123. alia congerit Ant. Aug. *in epitome lib.* 29. *tit.* 19. quod & lege speciali apud Græcos lata cautum fuisse ex Demosthene, & Luciano refert Cuiacius *consult.* 12. consonat lex finalis, *tit.* 4. *part.* 3. docent Cuiacius *in l. rem* 16. *C. de iudiciis*, Balsamon *in notis ad can.* 99. 6. *Synodi*, Iustel. *in notis ad can. Ecclesiæ Afric. pag.* 23. Petrus Greg. *lib.* 5. *part. tit.* 4. *cap.* 1. *&* 2. Scaccia *de appellat. quæst.* 17. *limit.* 13. *&* 14. Borellus *in summa decis. tit.* 63. *n.* 253. Balboa *in cap. causam* 14. *num.* 3. *ff. de re indic.* Bachouius *ad Treutl. tomo* 1. *disp.* 12. *littera E. pag.* 226. Hunnius *ad ipsum, littera D. quæst.* 20. Rodriguez *de execut. cap.* 1. *art.* 1. *num.* 15. Azeuedus *in dict. l.* 4. *recopil. num.* 150. plures congesti ab Osualdo *ad Donel. lib.* 28. *cap. vlt. littera C.* Barb. *in l.* 1. *C. hoc tit.* Auendaño *de metu cap.* 22. *num.* 17. Barbosa *ad leges Lusit. lib.* 3. *tit.* 16. §. 2. Fragoso *de regim. part.* 1. *lib.* 5. *disp.* 4. §. 1. *num.* 3. Quæ doctrina magnâ nititur ratione; nam appellatio ideo introducta fuit, vt iniustitia, seu iniquitas sententiæ corrigatur, & emendetur, *l.* 1. *cum aliis*, *ff. de appell.* sed compromissarij sententia corrigi, aut emendari non potest, sed illi standum est, siue æqua, siue iniqua sit, vt suprà probaui: ergo superfluò ab ea appellatur. Accedit, nam arbiter recusari non potest, nisi ex noua causa, vt probat Fermosinus *in cap.* 4. *de foro competenti*, *quæst.* 9. *num.* 8. Igitur nec ab eius sententia appellari potest. Deinde, quia eo animo litigatores compromissum faciunt, vt arbitri sententiâ finis controuersiæ imponatur, & à lite discedatur: at si permitteretur ab ipsa sententia appellare, nunquam liti finis imponeretur, contra mentem compromittentium. Facit etiam ratio textus *in dict. l. diem* 27. §. *stari*, in illis verbis: *Sibi imputet*, *qui compromisit.* Si enim compromittentes approbarunt personas arbitrorum, quomodo postea improbare valebunt? Quam etiam reddit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 3. *ad secundum.* Vnde deducitur, per contrarium ab arbitris iuris susceptis, ex iuris dispositione appellari licere, cùm non ex mera partium voluntate assumantur. Scaccia *vbi suprà*, *dicta limit.* 13. *num.* 5.

15. EXPONITVR CAP. SANE 2. Q. 6.

Hæc tamen licèt vera sint, contrarium suadent nonnulla iuris testimonia, quæ sigillatim exponenda sunt. Et primò obstare videtur textus *in cap. sanè* 2. *quæst.* 6. in illis verbis: *Sanè ex consensu partium*, *si iudices electi fuerint*, *etiam à pauciori numero*, *quàm constitutum est*, *liceat pronocare.* Ex quibus, iuncto §. *quod autem*, antecedenti, qui est Gratiani, expressè colligitur, ab arbitrorum sententiis validè pronocari. Agnouit difficultatem post alios Innocentius Cironius *lib.* 2. *obseru. cap.* 2. qui asserit, inspecto iure communi, licitum esse appellare à iudicibus ex consensu partium electis, *dict. cap. sanè*. Nec tunc obstare ait textus *in dict. cap. à iudicibus*, *ead. quæst.* quia ille textus procedit eo tempore, quo in Africa consuetudo erat, vt nullo modo liceret appellare à iudicibus ex consensu partium electis. Quæ consuetudo apud Africanos vigebat, quoniam illi in prosequendis appellationibus valde infesti erant. Sed hæc interpretatio facilè refellitur *ex cap. placuit* 2. *quæst.* 3. Vbi à Concilio Mileuitano, quod in Africa celebratum fuit, contrarium statuitur, videlicet à iudicibus ex consensu partium electis licitam esse appellationem. Deinde quia textus *in dict. cap. sanè*, & *in dict. cap. à iudicibus*, deducti sunt ex Concilio Ecclesiæ Africanæ; & tamen *in dict. cap. sanè*, permittitur appellatio: igitur verum non est, in Ecclesia Africana regulariter pronocationem à iudicibus electis prohiberi. Quare hac solutione omissâ, pro vera interpretatione textus *in dict. cap. sanè*, sciendum est, in eo textu, & *in dict. cap. à* iudicibus, non agi de arbitris, vt perperam existimauit Gratianus *in dict.* §. *quod autem*; sed de iudicibus electis ordinariis, qui eligebantur ex consensu partium, de quibus aliqua notaui *in cap.* 1. *hoc tit.* ab illis enim non licebat appellare, *dict. cap. à iudicibus*, *dict. cap. sin autem*, *cap. causa*, *de re indic.* Nec contrarium probat textus *in dict. cap. sanè*, vbi loco illorum verborum, *Liceat pronocare*; legendum est, *non liceat pronocare*, vt legitur in ipso canone 89. Concilij. Notarunt Antonius Aug. *lib.* 2. *de emendatione Gratiani*, *c.* 3. & in notis ad canones Adriani Pontificis, qui extant *tomo* 1. *Concilior. Bin.* Petrus Gregor. *lib.* 5. *partit. tit.* 3. *cap.* 1. Manet ergo, à iudicibus ex consensu partium electis in prouincia Africana non licere appellare, etiamsi illi ordinarij iudices essent; in aliis verò permitti appellationem, *dict. cap. causam*, *de re iudic. cap. cùm olim*, *cap. insinuante*, *cap. super* 27. §. *verùm*, *de officio delegati.* Nec contrarium probatur *in dict. cap. placuit* 35. 2. *quæst.* 6. nam ibi non agitur de appellatione interponenda à iudicibus ex consensu Episcopi. Vnde propositio, *ab*, deest in ipso Concilio Mileuit, vt notauit Hallier. *de hierarch. iurisc. pag.* 520.

16. EXPONITVR CAP. FINALE DE FORO COMPET. IN 3. COLLECT.

Secundò exponendus est textus *in cap. fin. de foro compet. in* 3. *collect.* cuius aliæ partes reperiuntur *in cap. Ecclesia*, *de constit. cap. Ecclesia*, *cùm sequent. vt lite pendente*, *cap.* 1. *de restit. spol. in* 1. *collect.* Vbi proponitur, Rectorem Ecclesiæ sanctæ Mariæ egisse Romæ apud Laurentium vrbis iudicem rei vindicatione contra Ioannem laicum possessorem quorundam prædiorum ipsius Ecclesiæ. Laurentius causâ cognitâ ipsum Ioannem absoluit. Rector Ecclesiæ ad vrbis Senatorem appellauit. Ioannes opposuit Laurentium pronunciasse tanquam arbitrum, non vt iudicem, & sic ab eius sententia appellari non posse: & cùm in hac facti serie consultus fuisset Innocentius III. decreuit appellationi locum esse. Vnde deducitur, ab arbitrorum sententia appellari posse. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, iudicem ordinarium posse à partibus adiri, aut cum compromisso, aut citra compromissum. Cùm ex compromisso, & mutuo consensu eligitur, ab eo non licet appellare, ex suprà traditis; si verò citra compromissum, appellare licet, *l. ex consensu*, *ff. de appellat.* Vnde iure ciuili poterat appellari à iudicibus datis à Prætore, etiamsi

etiamsi partes in ipsos consensissent: & iure hoc Pontificio à iudice delegato, cui ex communi partium consensu causa committitur, licet appellare, *cap. suspicionis*, §. *verùm*, *de offic. deleg.* Ratio est, quia partes per huiusmodi consensum approbarunt tantùm personam iudicis, ita vt non possint illum, nisi ex noua causa recusare, *dict.* §. *verum*, *cap. insinuante*, *de officio deleg. cap. cùm olim*, *de causa possessionis*; non autem sententiam, quam ignorabant, vt docent Balboa *in dict. cap. causa*, Bronchorst. *centur.* 1. *assert.* 63. Vnde cùm *in d. cap. fin.* consensissent partes in iudicem citra compromissum; ideo ab eius sententia admittitur appellatio, vt docet Cuiacius *in d. cap. Ecclesia* 3. *vt lite pendente.*

17. INTELLIGITVR L. FIN. C. DE IVDICIIS. Tertiò ex suprà dictis interpretandus venit textus *in l. fin. C. de iudiciis*, in illis verbis: *Nisi fuerit pronocatum.* Ex quibus expressè deducitur, ab arbitrorum sententiis licere pronocare. Pro cuius textus expositione dicendum est, quod licèt ab arbitris compromissariis appellari non possit, posse tamen appellari ab arbitris iuris, quia ipsi pro iudicibus habentur, & iudicum officio funguntur; arbitri enim iuris eliguntur in locum iudicis recusati. Vnde sicut à iudice recusato potest appellari, ita ab arbitris in casum recusationis electis, de quibus aliqua notaui *in cap. suspicionis* 39. *de officio deleg.* Rectè ergo ab illis, tanquam à iudicibus appellatur: quomodo etiam exponendi sunt textus *in l. 2. ff. a quibus appellare non liceat*, *l. arbiter* 9. *ff. qui satisd. cog.* iuncto Fachineo *lib.* 8. *controu. c.* 94. Docent Cuiacius *in dict. l. vlt. C. de iudiciis.* A. Faber *in dict. l. arbiter*, Osuald. *ad Donel. lib.* 28. *comment. cap. vlt. littera C.*

18. DE REMEDIIS CONTRA SENTENTIAM ARBITRORVM. Sed licèt appellari non possit à sententia arbitrorum, iure communi inspecto, quia eo iure attento actio iudicati ex ea non dabatur; tamen alia remedia condemnatis competebant. Primum exceptio doli, si sententia per sordes, dolum, vel fraudem prolata esset, *l. non distinguemus*, §. *cùm quidam*, *ff. hoc tit.* non quia hæc exceptio opponatur alicui actioni ex sententia ortæ, sed actioni ex stipulatu, quâ actor pœnæ persecutionem intendit. Faber *in dict.* §. *cum quidam.* Secundum remedium est reductio ad arbitrium boni viri, iure canonico inspecto, quæ & hodie in sententia ab arbitratore prolata datur. Sed quia Doctores facilè confundunt arbitros cum arbitratoribus, & arbitratores iure communi inspecto dari supponunt, nullam huius reductionis mentionem faciunt in sententia arbitrorum. Sed vt iam *in cap. 1. hoc tit.* probaui, nullos arbitratores ius canonicum, aut Cæsarcum agnouit, atque ideo, quæ Doctores de reductione sententiæ arbitrorum adducunt, ad sententiam arbitrorum adaptari debent.

19. DE REDVCTIONE AD ARBITRIVM BONI VIRI. Hæc reductio ad arbitrium boni viri, quæ iure canonico attento à sententia arbitri petebatur, hodie verò in arbitratorum laudo intenditur, licèt appellatio non sit, appellationi tamen comparatur, & quodammodo appellationis species est, iuxta doctrinam Saliceti *in l. 1. C. quando pronocare*; impeditque executionem laudi ad instar appellationis, vt docet Fragoso *dict. disput.* 14. §. 1. *num.* 19. & ea pendente nihil potest innouari, Lancellotus *de attentatis*, *cap.* 16. *per totum.* Christineus *tom.* 1. *decis.* 257. sed si partes simpliciter, aut cum iuramento renunciauerint prædicto remedio reductionis, an adhuc intentari possit, disputant Doctores suprà relati. Nonnulli negant, moti ex eo, quia quoties iuramentum seruari potest sine salutis æternæ dispendio, etiamsi damnum in patrimonio sequatur, seruandum est, *cap. verum*, *cap. si verò*, *de iureiur.* Sed hoc iuramentum potest seruari sine æternæ salutis dispendio: igitur adimplendum est. Ita docent Calderinus *consilio* 1. *de arbitris.* Hermosilla *in l. 5. tit. 5. partit. 5.* Sed contrariam sententiam rectiùs defendunt Petrus Greg. Gutierrez, Maranta, & alij congesti à Fragoso *dicta disput.* 14. §. 1. *num.* 20. quæ probatur expressè *in l. 23. tit. 4. part. 3.* Et facit pro ea sententia quod iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis, *cap. in malis* 22. *quæst.* 2. sed cùm sententia ab arbitris dicta continet enormitatem (quæ, quando contingat, docet latè Azeuedus *in dict. l. 4. tit. 21. lib. 4. recopil.*) iuramentum continet iniquitatem, argumento textus *in l. si libertus*, *ff. de operis libert.* igitur seruari non debet. Petenda tamen est ipsius relaxatio saltem ad cautelam, vt docent Rebuffus *de arbitris*, *glossa* 5. *num.* 13. Couarr. *lib.* 2. *var. c.* 4. *num.* 4. & ea impetrata ad effectum agendi & excipiendi, peti potest prædicta reductio. Sed adhuc coram quo iudice petenda sit, non liquet apud Interpretes. Coram superiore iudice esse petendam, docuerunt relati à Romano *consil.* 265. moti ex eo, quia hæc reductio appellationi æquiparatur; sed cùm appellatio interponitur, iudex superior adeundus est, *l. præcipimus*, *C. de appellat.* igitur & in hac reductione idem dicendum erat. Sed contrarium, imò apud eundem iudicem petendam esse reductionem, apud quem ipsa causa disceptanda erat, & qui semoto compromisso, ipsius causæ iudex competens erat, rectiùs docent Lanfrancus *de arbitris quæst.* 19. Salicetus *in l. 5. Cod. hoc tit. num.* 14. Ceuallos *communium quæst.* 89. *num.* 7. Bachouius *ad Treutlerum*, *thesi* 5. *littera A.* Hunnius *ad ipsum*, *thesi* 13. *quæst.* 13. *disp.* 12. plures relati à Fragoso *dicto* §. 1. *num.* 11. P. Greg. *dicto cap.* 10. pro quibus faciunt textus *in l. Diuus* 8. §. *transactionis*, *ff. de transact. l. fin. C. de vsuris pupil. cap. exposita*, *hoc tit.* textus diserte *in l. 23. tit. 4. partit. 3.* & illa etiam ratio, nam reductio hæc non est appellatio, licèt illi æquipararetur; vnde necessariò non est petenda coram iudice superiore, licèt aliquando omisso medio petatur, vt supponitur in hoc textu, & *in c. 3. hoc tit. cap. examinata*, *de confirmatione vtili*, docet Vega *in cap. quantò*, *num.* 109. *de iudiciis.*

20. IN CAVSA REDVCTIONIS AN DETVR APPELLATIO. Succedit alia quæstio satis vexata etiam apud Interpretes, vtrum videlicet, sicut denegatur appellatio iure communi inspecto, ab arbitrorum sententia, admittatur à sententia iudicis ordinarij; coram quo petita fuit dicta reductio? Et quamplures negant ab eo posse appellari, qui sequentibus nituntur fundamentis. Primò, nam iudex ordinarius, coram quo reductio fuit petita, succedit in locum arbitri, *l. penult. ff. iudicatum solui*; & per consequens eius naturam & conditionem habet, *l. si cum*, §. *iniuriarum*, *ff. si quis cautionibus*: igitur si ab arbitro non appellatur, nec à iudice ordinario, coram quo reductio petita fuit. Secundò, nam cùm arbitri iuris in casu recusationis eliguntur, ab illis licet appellare, quia iudicum naturam obtinent, *cap. ab arbitris*, *de officio deleg. in* 6. igitur à contrario, à iudice ordinario in locum arbitri subrogato appellari non licet. Tertiò, quia iudex ordinarius, coram quo petita fuit reductio, vt vir bonus cognoscit; fit enim reductio ad boni viri arbitrium: sed ab eo, qui procedit vt bonus vir, non licet appellare, *l. societatem* 76. §. *arbiter*, *ff. pro socio*: igitur nec à prædicto iudice ordinario appellare licet. Sed adhuc contrariam sententiam, & rectiùs, docuerunt plures, quos referunt, & sequuntur

quuntur Couarr. *lib.2.var. cap.12.num.13.* Azeuedus *in d.l.4. num.150.* Hunnius *ad Treutl. disp.12. vol.1.thesi 5.* Gaillus *lib.1.obs.cap.49.* Petrus Greg. *lib.5. partit. tit.5. cap.9.* In omnibus enim causis, tam ciuilibus, quàm criminalibus, in quibus appellatio non prohibetur, promissa censetur, *l. & in maioribus, C. de appellat.* quare Cùm in hoc reductionis casu appellatio prohibita non reperiatur, sed tantùm in casu, quo arbiter pronunciet, debet admitti appellatio, cùm exceptio firmet regulam in contrarium, *l.nam quod, §.finali, ff. de penu legat.* Nec primum fundamentum contrariæ sententiæ refragatur; iudex enim ordinarius, coram quo intenditur reductio, non est arbiter, sed manet iudex ordinarius, & iudicis officio fungitur: quare ab eo tanquam ab ordinario rectè appellatio interponitur. Nec etiam secundum fundamentum obstat, quia iudex ordinarius, coram quo petita fuit reductio, licèt procedat vt bonus vir, non tamen habet liberum arbitrium, sed arbitrium boni viri, argumento textus *in l.fideicommissa 11. §.quamquam, ff.de leg.3.l.si libertus 2. ff.de operis libert.* quare ab eo appellatur, vt docent Couarr. & Hunnius *vbi supra.*

21. QVID HODIE IN PRAXI OBSERVETVR.

Cæterùm, licèt tam iure ciuili, quàm canonico non admitteretur appellatio à sententiis arbitrorum, quia actio iudicati ex eis non dabatur, cùm hodie ex ipsis actio nascatur, & ipsæ sententiæ executionem paratam habeant, *ex l.4. tit.21. lib.4.recopil,* poterit appellari ab illis sententiis, vt docent Azeuedus *in dict.l.4. num.172.* Parladorius *lib.2.rerum quotid.1.part.§.2.num.23.* Rodriguez *de exequut.cap.1.art.1. num.17.* Et si iudex ordinarius confirmauerit ipsam sententiam, à qua appellatum erat, vel reductio petita, appellari valet ad iudicem superiorem, vt ad Regiam Cancellariam, & si eius Senatores primâ sententiâ confirmauerint arbitrorum laudum, non admittitur supplicatio ab ipsa, *dict. l.4.* quia præsumptio stat pro sententia arbitrorum, argumento legis *Herennius, ff.de euictionibus, cap.in præsentia, de renunciatione;* si verò improbata fuerit arbitrorum sententia, potest à sententia vulgò *de vista,* supplicari, & tunc vltima Senatus sententia executioni mandabitur, *dict. l.4. recopil.* Sed hæc appellatio tantùm operatur effectum deuolutiuum, non verò suspensiuum; quia eâ non obstante, arbitrorum sententia executioni mandatur per iudicem ordinarium, præstitis fideiussoribus: hæc etiam appellatio à sententia arbitrorum, seu reductio à laudo arbitrorum ad arbitrium boni viri peti debet intra decem dies à die notificationis huiusmodi sententiæ computandos, ex expressa textus decisione *in l.35. tit.4. partit.3.* docent Speculator, Padilla, & alij relati ab Azeuedo *in dict.l.4.num.143.* Fragoso *de regim.disp.14. §.1.* & licèt per legem primam, *tit.18.lib.4.recopil.* ad appellandum tantùm quinque dies concedantur; tamen ea lex procedit in appellationibus ordinariis, quæ à iudicum sententiis interponuntur; non autem in istis appellationibvs, seu reductionibus.

22. DE POENA AB APPELLANTE SOLVENDA.

Sed licèt possit appellari à sententia arbitrorum, aut peti reductio à laudo arbitratorum; tamen soluenda est pœna ab eo, qui succubuit, si sententia confirmetur, *l.pœna 32.ff.hoc tit.* nec interest an alterius interesse detur, nec ne, *d.l.pœna.* Explicant Duarenus *ad titulum ff de receptis, cap. fin.* Vitalis *lib.1.var. cap.6.* plures congesti ab Auendaño *dicto cap.22. num.18.* Licèt enim æquitas suadeat facilè permittendum esse, quod alteri non nocet, *l. in summa, §.item, ff.de aqua pluuia,* & in edicto de in ius vocando, qui in ius vocatus est, & iudici non paruit, si nihil interfit actoris iudici fuisse obtemperatum, non præstet pœnam, imò & in non dissimili specie etsi sit conuentum, vt si iudici obtemperatum non fuerit, certa pœna soluatur; tamen si actoris nihil interfit, pœna non committitur, *l.etsi post tres, ff si quis cautionibus, l. sancimus, C. de fideiuss.* Nihilominus contrarium obseruatur in pœna compromisso comprehensa, *ex dict.l.pœna;* cuius ratio prouenit, tum ex Consulti responso *in l.vlt. ff.de prætoriis stip.* tum ex eo, quia conuentione partium contractus legem accipiunt, *l.contractus, ff.de reg.iuris.* Vnde sibi imputent compromittentes, qui pœnam promiserunt, à qua postea recedere eis non licet, quare siue interfit, siue non aduersarij, pœna præstari debet, vt docet Vitalis *dict. cap.6.* Deinceps quia illud discrimen versatur inter pœnam adiectam, vt æstimatio legitimi interessis, & vt puniatur perfidia contrahentis, quòd primo casu pœna non præstatur, si nullum detur interesse, *cap.suam, de pœnis;* secundo verò cùm in punitionem perfidiæ promittitur, committitur, etsi interesse non detur, *cap. dilecti, hoc tit.cap.quotiens 9.1.q.7.c.cùm dilectus 32. de electione, cap.vlt. de crim.falsi:* quo modo conciliandæ sunt sententiæ, & opiniones Baldi, Castrensis, & Saliceti *in l.cùm allegas 15.C.de vsuris.* Petri Gregorij *lib.3. partit.tit.1.cap.5.* Ioannis Gutierr. *lib.2.canon. cap.2. num.11.* Patris Molinæ *de iustitia tom.1. tract.2.disp.97.* Sanchez *lib.1.de matrim.disp.37.* Vasei *in summa, verbo Vsura 4. num.1.* asserentium, pœnam conuentionalem committi citra partis interesse, Auendaño in Dictionario, verbo *Pœna conuentionalis.* Pichardus *in §. vlt.Inst. de V. O.num.5.* Sarmiento *lib.3.select.cap.6.num.10.* Garcia *de expensis, cap.9.num.63.* Rodriguez *de annuis reddit.lib.3. cap.5.num.10.* Carleual. *de iudiciis 2. tomo, tit.3. disp.3. num. 22.* Leotardus *de vsuris quæst. 88. num.8.* existimantium pœnam non committi, nisi quatenus interfit partis.

23. PŒNA QVANDO NON DEBEATVR.

Sed si arbitrorum sententia confirmata non sit, pœna non committitur; quomodo exponendus est textus *in l.3. tit.26. lib.8. recopil.* vt docet Gutierrez *de iuramento, p.1. cap.37.* Sed si pro parte confirmata sit sententia, pro parte verò infirmata, quamuis iure canonico in aliis casibus pœna diuidatur, *cap. suam, de pœnis;* in hoc nec pro parte committitur, cùm iustam habuerit litigator causam reclamandi, vt considerat Montalvus *in l. 4. tit.7. lib.4. fori.* Similiter si non ex antiquis, sed nouis instrumentis sententia infirmetur, ex eadem ratione pœna non committitur, vt resoluit Cuiacius *consultatione 12.* igitur soluitur pœna, si iniustè petita reductio, aut appellatum sit, nec inde liberabitur damnatus ab obligatione principali virtute condemnationis, si in compromisso adiecta sit clausula *rato manente compromisso, seu pacto,* argumento textus *in l. penult. C. de pactis, l. qui filium 16.l. cùm proponas 17.ff.de transact.l.ita stipulatus 35.§.penult. & vlt.ff. de V.O.* vt apponi solet Hispanè, *à todo pechar la pena, y cumplir la promission, l.34. tit.11. partit.3.* In compromisso enim cum tali clausula facto, duo pacta inesse intelliguntur; vnum pœnale, aliud simplex, ita vt litigator arbitrio non parens, & pœnam soluere, & sententiæ stare teneatur, glossa *verbo exceptionem, in l.2.ff. hoc tit.* Panormitanus *in præsenti, num.8.* Petrus Greg. *dict.cap.9.* Azeuedus *dict.l.4.num.51.* licèt in vulgari compromisso contrarium

trarium obseruatur, in quo alterutrum tantùm exigi potest ex lege *pacto*, *C. de pactis*, *l. vbi pactum*, *C. de transact.* quia tacitè inest in eo clausula, videlicet vt solutâ pœnâ recedere liceat à compromisso, authentica *decreuit*, *C. hoc tit.* vt plura adducentes pro expositione dictæ clausulæ *rato manente pacto*, tradunt Barbosa *de clauſ. clauſula* 128. Pichardus *in tract. de mora*, *num.* 183. Carleual. *de iudiciis tomo* 2. *disput.* 3. *ex num.* 14. Donel. *in dict. l. si stipulatus* 115. *num.* 37. Faber *in ration. ad legem prædia* 28. *ff. de act. empti*, Balduinus *in dict. l. pacto*, *verſ.* Si quid tamen.

24. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Pro huius decisionis vera ratione varia adducunt Repetentes, & Interpretes suprà relati. Aliqui existimant, in præsenti specie non stari arbitrio arbitrorum, quia simoniacam continebat prauitatem, cùm pro re spirituali, videlicet cappellania, res temporalis, scilicet pensio quinque marcharum argenti præstaretur: ita præsenserunt in præsenti glossa verbo Quinque, Beroius *num.* 48. Suarez *dict. lib.* 4. *de simon. cap.* 5. *num.* 13. & 23. Sed eorum sententia refellitur primò *ex dict. cap. nisi essent*, *de præbendis*; vbi in eadem specie arbitrium approbatur. Secundò ex eo, quia si compositio, de qua in hoc textu, originem duxisset à partibus, simoniaca præsumi posset, iuxta ea quæ adduximus *in cap. cùm pridem*, *de pactis*: sed ortum habuit ad ipsis arbitris: igitur non potest tanquam simoniaca damnari. Tertiò quia si fuisset simoniaca, non posset vllo casu seruari; sed ait noster Alex. quod si iusta videatur dicta pensionis compositio, obseruetur arbitrorum arbitrium: igitur quia talis compositio non est simoniaca. Hac igitur omissâ sententiâ dicendum est in præsenti specie arbitrorum sententiæ non stari, quia iniqua erat ratione inæqualitatis pensionis, vt docet Balboa *in cap. fin. de pactis*, *num.* 116. & licèt arbitrio æquo, vel iniquo standum sit, *dict. l. diem* 27. §. *stari*; illud procedit, nisi petita sit reductio ad arbitrium boni viri, vt suprà probaui. Vnde cùm in præsenti petita fuisset coram Alexandro III. ipse rescribit Archiep. Eborac. vt si iniquum arbitrium iudicasset, ipsum irritaret; si autem æquum, executioni mandaret. Præsensit Barbosa *in præsenti*, *num.* 1. quâ interpretatione retentâ, facilè difficultati suprà adductæ fit satis.

CAPVT III.

[a] Alexander III. *Exon. Episcopo.*

PErueniT ad nos, quod cum Vv. clericus de Calestin. in minori esset ætate constitutus, G. de Cal. sororem eiusdem Vv. duxit in vxorem, & fidei [b] interpositione firmauit, quod v. sol. [c] sterlingorum ei annuatim donaret. Vnde cùm postea super eisdem v. sol. inter ipsum clericum, & iamdictum G. controuersia fuisset mota, in [d] quatuor personis compromiserunt, quæ vtique inter se taliter arbitratæ sunt, quod præfatus G. decimas [e] proprias, & rusticorum suorum, quas in parochia de Cal. habere dignoscitur, pro v. solidis prætaxatis singulis annis perciperet. Vnde quoniam huiusmodi arbitrium Ecclesiæ iamdicti loci posset in posterum pernicioſum existere, nec memoratus Vv. aut personæ illæ, à quibus promissum fuerat, id vllatenus in Ecclesiæ damnum facere debuissent: f. t. per Ap. s. m. quat. rei veritatem diligenter inquiras, & si ita inueneris, prænominatum G. diligenter admoneas, & ecclesiastica districtione compellas, vt Ecclesiæ, cuius est parochianus, prælibatas decimas omni occasione, & ap. rem. liberas prorsus dimittat: nec sibi aliquid vlteriùs vindicare præsumat. Clericum verò supradictum moneas, vt cum eodem G. amicabiliter, pacificéque studeat conuenire.

NOTÆ.

a *Alexander III.*] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. De Alex. III. iam aliqua notaui *in cap.* 1. *de rescriptis*. De Oxoniensi Ecclesia nonnulla adduxi *in cap. proposuit* 6. *de filiis presbyt.*

b *Fidei interpositione.*] De interpositione fidei, & quando habeatur pro iuramento, plura obseruaui *in cap. ad aures* 4. *de his*, *quæ vi.*

c *Sterlingorum.*] Genus est monetæ apud Anglos vsitatum, cuius mentio obuia est apud scriptores illius prouinciæ.

d *In quatuor.*] Licèt enim compromissum fieri debeat in dispari arbitrorum numero, tamen si in pari fiat, non ideo vitiatur compromissum, vt iam latè probaui *in cap.* 1. *hoc tit.*

e *Decimas proprias.*] Ab ipso videlicet soluendas, prædiales, seu personales, quas virtute arbitrij retinere intendebat.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO DEDVCITVR ET PROBATVR.

EX hac decisione sequens deducitur communiter disputanda assertio: *Arbitri non possunt in solutum actori assignare decimas Ecclesiæ, quas reus ratione beneficij possidet.* Quæ assertio singularis est in iure nostro; eam tamen illustrant vltra ordinarios, & congestos à Cenedo *collect.* 102. *ad Decret.* & Barbosa *in præsenti*, & *lib.* 3. *iuris Eccles. cap.* 17. *num.* 10. Lotherius *de re benefic. lib.* ... *c.* 42. *num.* 25. Antonius Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 13. *num.* 18. P. Barb. *in l.* 1. *part.* 4. *num.* 132. *ff. solut. matrim.* Mantica, Gutierrez, & alij innumeri congesti à Salgado *in labyrinth. credit. tom.* 1. *cap.* 42. *num.* 4. & 5. & *tomo* 2. *cap.* 15.

2. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

Sed hæc assertio valde difficilis redditur sequenti iuris consideratione: Clerici non solùm de bonis patrimonialibus, verùm etiam ex fructibus suorum beneficiorum, & de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis possunt sorores suas dotare, & eorum maritis certam quantitatem dotis nomine promittere,

promittere, vt probant Ioannes Garcia *de expensis, cap.* 3. *num.* 32. Nauarrus *de reddit. q.* 2. *monit.* 26. Martha *de iurisdict.* 4. *p. centur.* 2. *casu* 163. *per totum.* Valenzuela *tomo* 1. *consil.* 98. Igitur si clerici ipsi possunt ex decimis, & fructibus beneficij sorores dotare, poterunt iudices, arbitrive in causam iudicati eos capere, & in solutum dotis causâ huiusmodi fructus, & decimas assignare. Accedit, nam clerici iure hoc Decretalium inspecto poterant fructus proprij beneficij ad eorum vitam locare, seu alio modo alienare, *cap. de catero* 5. *cap. veniens* 8. *de transact. cap. finali, ne Prælati vices*; quamuis hodie ex extrauaganti *Ambitiosæ*, *de rebus Ecclesiæ*, tantùm vsque ad triennium possint prædictos fructus locare. Probant Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *num.* 4. Auendaño *de exequendis cap.* 4. *num.* 32. Gamma *decis. vlt.* Redoanus, & alij congesti à Barbosa *in dicta extrauag.* igitur & in præsenti casu poterant arbitri virtute compromissi decimas quoad vitam ipsius clerici marito in solutum dotis nomine assignare. Accedit etiam, nam valet argumentum de militia terrestri ad cœlestem, & de stipendiis militiæ armatæ ad stipendia clericis assignata, *cap.* 1. *de renunc.* Sed stipendia militibus assignata, deficientibus aliis bonis possunt in causam iudicati capi, *l. commodis, ff. de re iudic. l.* 4. *C. de execut. rei iudic.* igitur & stipendia, vt sunt decimæ clericis assignatæ, poterunt per abitros creditori in solutum assignari. Quam sententiam, videlicet fructus beneficij posse creditoribus in solutum dari, *ex cap.* 2. *de fideiuss.* docent innumeri à Salgado congesti *dict. p.* 1. *cap.* 42. *per totum*: ergo arbitri magna iuris ratione moti decimas debitori competentes in solutum creditori assignarunt.

3. CLERICVS POTEST SOROREM SVAM DOTARE.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens Alexandri decisio, quam adeo difficilem iudicauit Cenedus *collect.* 102. *ad Decretales*, vt ænigmati similem esse dixerit, nec facilè reserandam, aut resoluendam. Sed pro eius expositione primò sciendum est, clericum posse sorori suæ dotem assignare, non solùm de bonis patrimonialibus, verùm & de fructibus sui beneficij, vt latè probant Molina, Reginaldus, & alij congesti à Barb. *in præsenti*, & *lib.* 3. *iuris Eccles. cap.* 17. *num.* 39. Valenzuela *dict. consil.* 98. dos enim in locum alimentorum subrogatur; vnde sicut clericus potest ex fructibus sui beneficij sorores, atque alios consanguineos alere, *cap.* 1. *de cohabit. cleric.* ita & eas dotare: immò non inferiores numero, & authoritate Interpretes affirmant, fratrem non solùm posse, verùm & teneri sorori dotem assignare, quod ex nostro textu deducunt Antonius hîc, *num.* 2. Immola *num.* 1. Barbosa *in l.* 1. 4. *p. num.* 132. *ff. solut. matrim.* Cenedo *dicta collect.* 102. Sed non rectè pro ea sententia expenditur præsens textus, cùm in eius integra, quam ex secunda collectione transcripsi, loco illorum verborum, *dotem dedit*, quæ apud Raymundum leguntur, habeatur, *dotem donauit.* Vnde supponitur ex mera liberalitate fratrem promisisse quinque solidos dotis nomine. Sed licèt hæc doctrina perperam à Doctoribus ex hoc textu deducatur, probatur tamen *ex l. mutus* 7. *ff. de iure dotium, l. qui filium* 4. *ff. vbi pupillus*: & docent vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, plures laudati à Fragoso *tom.* 3. *de regim. lib.* 2. *disput.* 4. §. 3. Martha & Valenzuela *vbi suprà*; & quid obseruetur circa filiam spuriam clerici, latè tradit. D. Ioannes de Latrea *decis.* 96. *Granat.* Deinde sciendum est, quod licèt clerici priuilegium habeant ne conueniantur vltra quàm facere possint, & quantumvis obærati, & ad soluendum impotentes, carceri mancipari nequeant, *cap. Odoardus, de solution.* Ceuallos *practic. quæst.* 701. *num.* 1. Rodriguez *de executione, cap.* 8. *num.* 33. tamen ad debiti solutionem coguntur, non solùm si bona patrimonialia habeant, verùm & illis deficientibus per substractionem fructuum suorum beneficiorum, *cap. peruenit* 2. *de fideiussoribus, cap. olim* 16. *de restit. spol.* Docent Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 1. *num.* 9. Auendaño *responsi.* 19. *num.* 7. Sarmiento *de redditibus* 4. *p. cap.* 1. *num.* 1. plures congesti à Salgado *in Labyrinth. p.* 1. *cap.* 42. *num.* 3. licèt contrariam sententiam tenuerint Abbas *in præsenti, num.* 12. & alij antiquiores *in d. cap. peruenit*; quorum fundamenta in illius textus commentario examinabimus.

4. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Vt ad præsentis decisionis rationem perueniamus sciendum est, varias adduxisse Antonium hîc, *num.* 12. Immollam *num.* 5. P. Barbosam *in d. l.* 1. *num.* 33. Tiraquellum *de retract. tomo* 1. §. 1. *glossa* 7. qui docent, ideo arbitrium ab arbitro prolatum in præsenti specie improbari, quia præbebat creditori facultatem, vt ipse posset propria auctoritate decimas percipere quousque debitor sibi satisfaceret, iuxta legem *non est singulis* 137. *ff. de regulis iuris*, & tradita à Couar. *in cap. quamuis*, 2. *p. in initio, num.* 6. *de pactis, lib.* 6. Valasco *consultatione* 173. *num.* 17. Sed hæc ratio ex ipsius textus serie nullo modo constat, cùm arbitri non pronunciauerint, vt creditor propriâ auctoritate decimas sibi perciperet, sed ex cessione, aut delegatione ipsius debitoris. Glossa vltima in præsenti aliam adducit rationem, videlicet quia adiudicatio decimarum facta fuit ad vitam ipsius creditoris: sed adiudicatio ad vitam est perpetua, *l.* 1. *ff. pro socio*, & in alienatione perpetua decimarum, aut rerum Ecclesiæ solennitas præscripta in titulo de rebus rebus Ecclesiæ desideratur. Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 16. *num.* 3. igitur decimarum adiudicatio sine debita solennitate facta per compromissum in præsenti specie sustineri non poterat. Sed nec hæc ratio placet, tum quia in præsenti casu non agitur de rebus ecclesiasticis, nec de iure percipiendi decimas, sed de ipsis decimis, & fructibus beneficij, qui possunt alienari etiam per vitam ipsius beneficiarij, *cap.* 2. *de locato, cap. finali, ne Prælati vices suas*, Gutierrez *lib.* 1. *Canonic. cap.* 8. *num.* 18. vnde possunt in causam iudicati capi, & in solutum dari, *cap.* 2. *de fideiuss. cap. olim, de restit. spol.* Tum etiam, quia etsi ageretur de rei ecclesiasticæ alienatione; alienatio erat necessaria, videlicet datio in solutum, quo casu solennitas aliàs alienationi præscripta non desideratur, argumento textus *in l. alienationis, ff. familiæ erciscr. l.* 1. *ff. de fundo dotali.* His igitur omissis sententiis, vera huius decisionis ratio assignatur ab ipso Pontifice in illis verbis; *quoniam huiusmodi arbitrium posset in posterum perniciosum Ecclesiæ existere.* Propterea enim arbitrorum sententia in præsenti casu improbatur, quia poterat Ecclesiæ esse damnosa, veluti si post mortem clerici maritus eadem decimas retinere intenderet vexando Ecclesiam litibus, cum graui eius damno, argumento textus *in leg. minoribus* 6. *ff. de minoribus*;

præsertim cùm arbitrium fuisset absque vlla temporis taxatione conceptum. Iubebatur enim in eo ab arbitris, vt pro quinque solidis ex causa dotis promissis, posset maritus eandem quantitatem ex decimis percipere; vnde tale ius percipiendi decimas perpetuum videbatur duplici ex causa: prima, quia arbitrium indeterminatè erat conceptum; quare perpetuum videbatur, *l.1.ff. pro socio:* secunda ex natura dotis, cuius causa perpetua est, & ita datur, vt perpetuò apud maritum sit, *l.1.ff.de iure dot.* vnde durante matrimonio, maritoque sustinente eius onera, etiamsi decederet clericus dotis promissor, posset maritus de facto intendere contra Ecclesiam adhuc ius habere percipiendi prædictas decimas; iniustè tamen in iudicio ageret, cùm certum sit fructibus maioratus, aut feudi in solutum assignatis, ius percipiendi eos extingui, mortuo possessore maioratus, vel feudi, vt pluribus relatis docet Salgado *p. 2. Labyrinth. lib.3.cap.15.* Sed quia licèt iniustè poterat Ecclesia litibus, & expensis vexari, prædictum arbitrium improbauit Alex. III. sicut enim minori succurritur ob timorem vexationis ex litibus, *d. l.6. de minor.* ita & Ecclesiæ succurrendum est, quæ iure minoris vtitur, *cap. auditis 3. de in integ. restit.* docent Abbas *in præsenti, num. 2.* & Viuianus *in ration.* Firmatur etiam hæc ratio ex textu non vulgari *in cap. nuper, de donat. inter:* vbi cùm in dotem, seu donationem propter nuptias vsufructuarius dedisset vsumfructum, qui ex sua natura mortuo vsufructuario finitur; quia tamen dotis causâ alienatus fuit, hæsitabatur, an adhuc mortuo vsufructuario vxor possit retinere vsumfructum propter nuptias sibi donatum. Ne ergo similis quæstio in præsenti Ecclesiæ moueretur, & sic litibus vexaretur, rectè Alexander III. decreuit, huiusmodi compromissum esse improbandum, cùm Ecclesiæ pernicioſum esse possit.

5. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt verum sit, beneficiarium posse sorori suæ dotem assignare de fructibus sui beneficij, id procedit quando dotem constituit ex fructibus iam perceptis, tradendo certam eorum partem marito dotis nomine; non verò ex fructibus futuris dotem promittere valet assignando eos solutionis causâ, vt maritus tanquam creditor iure proprio eos perciperet, vt contingebat in præsenti virtute sententiæ arbitrorum. Nec augmentum primum difficultatis refragatur; licèt enim iure antiquo possit beneficiarius decimas, & alios fructus ad vitam locare, vel alienare, *cap. sine exceptione 12. q. 2. cap. vlt. ne Prælati*; tamen ita alienari, vt in perpetuum decimæ ad maritum pertinerent, non valebant, *cap. de catero, cap. veniens, de transact.* vnde cùm in præsenti specie adiudicatio decimarum esset perpetua, videlicet dotis causâ, sustineri non poterat, cùm etiam mortuo debitore posset intendere, ius percipiendi decimas durare, cùm ipse matrimonij onera sustineret. Nec tunc obstabit, si instes, quod si in præsenti casu adiudicatio decimarum in perpetuum facta improbatur ex prædicta ratione; debebat tamen subsistere vsque ad vitam saltem ipsius beneficiarij, vel vsque ad septennium; ad quod tempus locationis titulo ipse decimas alienare valebat, *d. cap. vlt. ne Prælati*; ne per invtile vitietur vtile, contra regulam *Viile*, & ibi tradita à Pechio *de R. I. lib. 6.* præcipuè cùm etiam hodie post prohibitionem extrauagantis, *Ambitiosæ*, etsi in ea inhibeatur locatio vltra triennium, si fiat in longum tempus, valet saltem intra triennium à iure permissum, vt resoluunt Garcia *de beneficiis 2. parte, cap. 1. num. 48.* Molina 2. *tomo de iustit. disput. 467.* Ceuallos *practic. q. 199. num. 5.* Nam respondetur discrimen esse constituendum inter alienationem factam in perpetuum, & celebratam vltra tempus à iure permissum. Primo casu, nec intra triennium, aut septennium sustinetur, vt non credatur in eodem tempore contrahentes consensuros. Pater Molina *d. disp. 467.* Lud. Molina *de primogeniis lib.1. cap. 16. num. 18.* Gutierrez *lib.1. canonic. cap.8. num. 8.* Secundo verò casu valet intra tempus à iure permissum. Garcia *d. cap. 1. num. 46.* Vnde cùm adiudicatio decimarum in præsenti casu fuisset perpetua, nec intra tempus à iure permissum sustineri potuit. Accedit etiam, quia condemnatio arbitrorum in præsenti casu inseparabilem causam continebat, interim dum marito dos solueretur quinque solidorum quotannis. Vnde creditor marito non satisfaciebat soluendo eam quantitatem per triennium, nisi annuatim eam solueret in perpetuum, vt in dote promissum erat. Nec tandem vltimum augmentum refragatur deductum *ex d. cap. 2. de fideiuss. cap. olim, 2. de restit. spol.* nam licèt fructus beneficij iam percepti in causam iudicati capi possint, vt dicemus *in d. cap. 2.* tamen fructus nondum percepti, nec beneficiario quæsiti, qui pendent ex vita ipsius, non possunt creditori assignari in perpetuum, ex ratione suprà tradita.

CAPVT IV.

Innocentius III. [a] *Cancellario & Magistro Lothario Canonico, Parisiensibus.*

Dilecti filij Abbas, & conuentus de [b] Scarduno, Cistercienſis Ordinis, suâ nobis querelâ monstrarunt, quod cùm inter eos ex vna parte, ac [c] Hospitalarios ex altera, super vsuario cuiusdam nemoris quæstio verteretur, in A. [d] Reginam Francorum fuit compromissum vtrimque. Quæ causæ meritis intellectis, arbitrium duxit per diffinitiuam sententiam promulgandum: & redactum in scripto, proprio, & Episcoporum, qui ibi interfuerunt, fecit firmare sigillis. Contra cuius sententiam Hospitalarij temerè venire non timent. Quamuis autem secundùm regulam iuris ciuilis fœminæ à [e] publicis officiis sunt remotæ, & alibi [f] dicatur, quod licèt summæ opinionis existant, si arbitrium ipsæ susceperint, vel si patronæ inter libertos suos interposuerint

audientiam,

audientiam, ab omni sunt iudiciali examine separandæ, vt ex earum prolatione nulla pœna aduersùs earum contemptores, nullaque pacti exceptio habeatur: quia tamen iuxta [g] consuetudinem approbatam, quæ pro lege seruatur in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes in subditos suos ordinariam iurisdictionem habere noscuntur: mandamus quatenus Hospitalarios, vt arbitrium ipsum, præsertim cùm Episcoporum fuerit præsentiâ, & consilio roboratum, sicut prouidè latum est, & ab vtraque parte sponte receptum, obseruent, per pœnam in compromisso statutam, appellatione postpositâ, compellatis.

NOTÆ.

1. a *Cancellario.*] Ita etiam legitur *in cap. 1. hoc tit. in 3. collect.* & *lib. 7. epist. Innoc. epist. 122.* ex qua supplenda est littera huius textus, cuius integram refert Manrique *tomo 3. annal. Cisterc. anno 1204. cap. 5. num. 9.* Huic etiam Cancellario Parisiensi rescribitur *in cap. suborta, de re iudic. cap. dilectus, vt litè pendent. cap. ex parte de V. S.* De Ecclesia Parisiensi nonnulla adduxi *in cap. fin. de constit.*

b *Scarduno.*] *Escurreja* legit Manrique vbi suprà, *num. 8.*

c *Hospitalarios.*] De his plura dabimus *in cap. patentibus, de priuil.*

2. d *A. Reginam.*] Agnetem interpretatur Manrique *vbi supra*, Cyriacus verò *tomo 3. controu. cap. 401. num. 70.* Adelam matrem Philippi Regis Francorum legit. Philippus enim, qui regnauit temporibus Innocentij III. Adelam matrem adhuc superstitem habebat. Paulus Æmilius *de rebus Francor. lib. 5. in Ludouico iuniore, pag. 113. num. 5.* & *lib. 6. in Philippo, pag. 119.* licèt Gaguinus eam Alisiam, seu Aliciam appellet *lib. 6. in Ludou. Iun. cap. 3. pag. 92.* Cùm enim Philippus proficisceretur in Syriam pro Terræ Sanctæ recuperatione, reliquit matri ipsius Regni regimen, vt refert Æmilius *dict. lib. 6. pag. 119.* ipse etiam Philippus tres habuit vxores, primam Elisiam, seu Isabellam, filiam Balduini III. Comitis Pannoniæ, de qua Gaguinus *d. lib. 6. in Philippum, cap. 4. pag. 93.* Secundam Isembergam, seu Ingerbergam, de qua ipse Gaguinus *pag. 96.* licèt eam Botildam appellet Baronius *anno 1193.* Tertiam Agnetem filiam Bertoldi Ducis Moraniæ, de qua Bzouius *anno 1198.* Gaguinus *vbi suprà, pag. 97.* quam dimisit compulsus per Innoc. III. vnde Cyriacus Adelam legit, quasi compromissum, de quo in præsenti, in eam factum esset. Manrique verò Agnetem legit, cuius sententiæ libenter adhæreo, ipsâ ratione motus, quâ Cyriacus existimauit legendum esse Adelam. Ait enim, non posse litteram A. accipi de Agnete, quia cùm eam odio haberet Innoc. III. non appellaret ipsam charissimam. Sed retorqueo argumentum aduersùs ipsum; nam cùm in ipsa Innocentij epistola tantùm legatur simpliciter A. Reginam, non potest littera A. referri ad Adelam, de qua non ita seuerè loqueretur Innoc. igitur referri debet ad Agnetem vxorem, etsi iniustam ipsius Philippi, vt existimat Illustr. Manrique.

3. e *Officiis publicis.*] *L. 2. ff. de regulis iuris*, vbi plura cumularunt Cuiacius, P. Faber, & Iacobus Gothof. Circa quam regulam obseruandi sunt textus *in l. 3 ff. de negotiis gest. l. 1. §. parui 16. ff. de exercit. action. l. bello 18. ff. de excusat. tut. l. penult. ff. de edendo, l. fin. ff. de tutelis.*

f *Et alibi dicatur.*] Videlicet *in l. fin. C. hoc tit.*

4. g *Consuetudinem.*] Forsan lege Salica, quæ consuetudo Galliæ in eo Regno appellatur, vt probat Cironius *lib. 5. obseru. cap. vlt.* Illud autem certum est, quod cùm in Gallia fœminæ succedant in feudis, per consequens iurisdictionis feudalis capaces sunt, vt probant Altesserra *lib. 2. de Ducibus, cap. 11.* Mastrillus *lib. 2. de Magistr. cap. 4.* & supponit Iacobus à Vitriaco *lib. 2. hist. Occid. cap. 8.* dum ait: *Quædam autem nobilis mulier in villa, quam habebat, frequenter admonuit Presbyterum, vt suam relinqueret concubinam; quo renuente, & respondente: Quid ad vos de sacerdotibus? Ipsa respondit: Contra vos nullam possum exercere iustitiam, verumtamen omnes huius villæ, qui non sunt clerici, spectant ad meam iurisdictionem. Iubens autem sacerdotis ad se adduci concubinam, fecit ei fieri amplam coronam, dicens: Quia non vis relinquere sacerdotem, volo te ordinare in sacerdotissam.*

5. SPECIES TEXTVS REFERTVR.

Huius textus historiam refert Manrique *dict. cap. 5. anno 1203.* in hunc modum: Litigabat Monasterium de Escurreja cum fratribus Hospitalariis super vsufructu cuiusdam vicini nemoris, quibus placuit, vt expensas, molestiasque litis effugerent, compromissum facere in Agnetem Galliæ Reginam: illa vocatis vicinis Episcopis, quorum consilio litem decideret, pro monachis contra Hospitalarios sententiam protulit, quam non solùm suo, verùm & Episcoporum sigillis munitam, vtrique parti fecit intimari. Sed Hospitalarij arbitrio non parentes, Agnetem ratione sexus iurisdictionis incapacem esse multis argumentis suadebant; quippe à solio iam exturbatam non sunt veriti, quam paulò antè, Philippo absente, regnantem formidauissent. Tunc verò res delata est ad Innocentium III. qui auditis vtriusque partis allegationibus, pro Reginæ arbitrio sententiam protulit, litteris suis missis ad Cancellarium, & Magistrum Lotharium Parisienses: quæ referuntur in hoc textu.

COMMENTARIVM.

6. CONCLVSIO REFERTVR, ET PROBATVR.

EX hac Innocentij epistola communiter talis deducitur assertio: *In fœminam particularem compromissum fieri non valet; secus si ipsa habeat iurisdictionem ordinariam de iure, vel consuetudine.* Non est similis decisio in iure nostro, quâ probari possit præsens assertio; eam tamen illustrant Molina *de primog. lib. 1. cap. 13. num. 14.* Pater Molina *tomo 5. de iustitia, disput. 39. num. 4.* P. Barbosa *in l. cùm Prætor 12. §. fin. num. 261. ff. de iudiciis*, Benedictus Ægidius *in tract. de priuilegiis honest. art. 2. n. 8.* Sousa *in l. fœminæ, num. 8. ff. de regul. iur.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 16 n. 222.* Cuiacius *lib. 13. obs. cap. 23.* Guillelmus Bened. *in cap. Raynuntius, verbo duas habens, num. 119.* P. Greg. *lib. 5. partit. tit. 4. c. 6.* Connanus *lib. 1. comment. c. 8. num. 4.* Greg. XV. *decis. 204.* Azeuedus *in l. 7. tit. 9. lib. 3. recopil.* Cyriacus *tomo 3. controu. cap. 401. n. 52.* alij plures congesti à Cenedo *collect. 122. ad Decretales*, Barbosa *in præsenti.* Altesserra *hic.*

7. TRADITVR DVBITANDI RATIO.

Sed hæc assertio difficilis valde redditur ea validissima ratione; licèt enim fœminæ à iudicandi officio arceantur, *l. cùm Prætor* 12. *ff. de iudiciis*, *l.* 2. *ff. de R. I. l.* 4. *tit.* 1. *partita* 3. latè probaui *in cap. dilecta, de maiorit. & obed.* hoc tamen procedit, si mores ciuiles respiciamus; nam si ad ius naturale, vel diuinum recurramus, non inueniuntur fœminæ prohibitæ à iudicandi munere, *d. l. cùm Prætor* 12. §. *vlt.* Non iure naturali arcentur ab hoc officio, quia iudicij capaces sunt; nec contrarium probat textus *in l. vlt. C. hoc tit.* in illis verbis: *Naturæ lex id eis non permisit*; nam verbum illud *natura*, non debet accipi pro iure naturali, sed tantùm pro naturali fœminarum qualitate, vt accipitur *in l. in causa* 2. §. *idem Pomp. ff. de minor. l. ius nostrum, ff. de R. I.* notauit Pinellus *in l. ex parte* 1. *num.* 27. *C. de rescind.* Nec etiam lege diuina arcentur à iudicandi munere, cùm inueniamus Debboram populum Dei iudicasse, vt constat *ex cap.* 4. *Iudith*; tantum enim legibus ciuilibus, quia ab aliis actibus publicis penitus arcentur, ita & à iudicandi munere, vtpote publico, vt probat Vulteius *de iudiciis lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 130. vnde si fœminæ præfulgeant dignitate Regali, Ducali, vel simili, iurisdictionem valent exercere, *cap. cùm deuotissimam*, iunctâ inscriptione, cum textu sequenti, 12. *q.* 2. *cap. significauit* 36. *de rescriptis, cap. dilecto* 40. *de testibus, cap. ex parte* 15. *de foro compet. cap. vlt. de conces. præbend. cap. peruenit* 5. *de censibus, cap. ex parte* 27. *de priuil. cap. ex parte* 23. *de V. S.* vbi supponitur fœminas succedere in his dignitatibus: & probat Cyriacus *d. controu.* 401. *num.* 48. tunc enim iurisdictio non per se in fœmina subsistit, sed veluti quid annexum inest in ipsa dignitate; & ita vt accessorium sequitur naturam sui principalis. Plura enim, quæ sunt accessoria dignitatis, vel officij, & per se considerata possideri nequeunt vt annexa, & accessoria retineri valent, *cap. super eo* 6. *de præbend. lib.* 6. vnde beneficium, quod per se residentiam petit, si vnitum sit dignitati, seu præbendæ, potest per alium deseruiri, *cap. extirpandæ*, §. *quia verò*, *de præbendis*. Similiter clerici, qui per se iurisdictionem sæcularem exercere non valent, si tamen succedant in primogenio habente annexam iurisdictionem temporalem, eam exercere possunt. Abbas *in cap. inter*, *num.* 2. *de fide instrum.* vbi Felinus *num.* 3. Pelaes *de maiorat.* 2. *p. q.* 3. *num.* 4. Spurij etiam, si succedant in maioratu, cui annexa est iurisdictio, eam exercere valent. Molina *de primog. vbi suprà*, *cap.* 13. *num.* 16. vnde fœminam incapacem iurisdictionis succedentem in dignitate posse exercere iurisdictionem tali dignitati annexam, docuerunt pluribus relatis Cyriacus *dicta controu.* 401. Mastrillus *de Magistr. lib.* 2. *cap.* 4. sed compromissum in præsenti casu factum fuit in Reginam: igitur necessaria non erat Gallicana consuetudo, vt in ipsam compromitti posset; siquidem ratione dignitatis ordinariam iurisdictionem obtinebat. Frustra ergo in præsenti Innocentius recurrit ad consuetudinem Galliæ.

8. QVI ARBITRI RECIPI POSSINT.

Quâ difficultate non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius exactiori interpretatione sciendum est, edictum hoc de arbitris, prohibitorium esse, ideoque omnes in arbitros eligi posse, quos ius expressè recipi non prohibet, *l. si pupillus*, *l. non distinguemus*, §. *seruus*, *ff. hoc tit.* cùm enim arbitria ad instar iudiciorum sint redacta, *l.* 1. *ff. hoc tit.* & in iudiciis omnes, qui non prohibentur iudicare, iudices esse possint, *l. cùm Prætor* 12. *ff. de iudiciis*; ita in arbitris illi recipi possunt, qui in iure expressè prohibiti non reperiuntur: arbitri ergo esse possunt non solùm Patresfamilias, verùm & filij, etiam in causis ad patrem spectantibus, *l. sed & filius*, *l. quin etiam, ff. hoc tit.* Duarenus *ad hunc titulum*, *colum.* 1. Hunnius *ad Treutlerum vol.* 1. *in tit. de iudiciis, disp.* 11. *thesi* 5. *q.* 26. quamuis enim nemo in causa propria, sicut nec iudex, ita nec arbiter esse possit, *l. penult. ff. hoc tit.* & causa patris credatur causa filij, cùm adhuc eo viuente quodam modo dominus substantiæ paternæ iudicetur, *leg. in suis* 11. *ff. de liberis*, *& posthumis*, §. 2. *Instit. de hæredum qualit.* & pro vna eademque persona pater, & filius habeantur, *l. vlt. C. de impub.* tamen quia in his, quæ publici iuris sunt, vt iudicium, & compromissum, filius pro patre habetur, *l. in priuatis*, *ff. de iudiciis*, nec attenditur patria potestas, *l. filius*, *ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, *l. nam quod* 14. *ff. ad Trebel. l. ait Prætor* 12. §. *vlt. ff. de iudiciis*; ideo filius in negotio etiam paterno arbiter recipi valet. Duarenus *vbi suprà*.

9. DE INFAMIBVS, ET ALIIS PERSONIS.

Nec interest cuius conditionis arbiter sit, an videlicet infamis, vel libertinus, *l. Pædius* 7. *ff. hoc tit.* Licèt enim infames iudices esse non possint, *cap. infames* 3. *q.* 7. *l. vnica, C. de infamibus, lib.* 10. vbi plura Amaya; tamen arbitri esse valent, quia isti à partibus eliguntur quasi viri boni, *l.* 3. §. *tametsi*, *ff. hoc tit.* & arbitri nullam habent iurisdictionem, seu dignitatem ratione compromissi, sed tantùm simplicem notionem, vt docet Sanchez *tomo* 2. *consil. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 11. vnde partes sibi imputare debent, quare infames in arbitros assumpserint, *l. diem* 27. §. *stare*, *ff. hoc tit.* sed si ipsi arbitri à partibus conuitiis afficiantur, non coguntur sententiam dicere, *l. sed & si in seruum*, §. *Iulianus*, *ff. hoc tit.* Prohibentur autem expressè in iure arbitrorum officio fungi, primò serui, *d. l. Pædius* 7. quia cùm arbitria sint iuris ciuilis, *l. illa* 68. *ff. de V. S.* & quoad ius ciuile attinet, serui pro nullis habeantur, *l.* 1. *ff. de iure delib. l. quod attinet* 32. *ff. de R. I.* & ita à iudicandi munere arceantur, *l. cùm Prætor* 12. *vers. moribus*, *ff. de iudiciis*, *l.* 2. *ff. de Senat. l. vnica, C. ad leg. Visell. cap. sciscitatus*, *de rescriptis*; ita neque arbitrium dicere valent. Duarenus *ad hunc titulum ff.* Donel. *lib.* 28. *comment. cap.* 10. Sed si post compromissum à domino manumittantur, partibus consentientibus arbitrium dicere possunt, quia consensus litigatorum operatur, vt tempore habili compromissum factum credatur, argumento textus *in l. vnica*, *C. si Rector Prouinciæ, d. l. sed si in seruum*. Etiam prohibentur iure Pontificio arbitrium dicere excommunicati, quia à communione fidelium arcentur, *cap. significasti, cum vulgatis*, *de sentent. excom.* Accedit, nam cùm excommunicati sententiam proferre non possint, *cap. audiuimus* 24. *q.* 1. *cap. prudentiam* 21. §. *sexta*, *de officio deleg. cap. ad probandum*, *de re iudic. cap.* 1. *de officio vicarij*, *lib.* 6. nisi occulti sint, *dict. cap. ad probandum*; ita nec possunt arbitrium dicere. Petrus Gregor. *lib.* 5. *partit. tit.* 4. *cap.* 6. Etiam compromissum suscipere prohibentur furiosi, surdi, & cæci, *d. l. cùm Prætor.* 12. Circa cæcos autem discrimen est constituendum inter causas, quarum iustitia visu cognoscitur, vt de finibus, vel comparatione litterarum agatur; & inter eas, quæ decidi possunt absque vlla litterarum inspectione: in his secundis sicut iudex,

ita

ita & arbiter cæcus esse potest, *l. cæcus 6. ff. de iudiciis.* Donel. *lib.* 17. *comment. cap.* 24. vbi Osualdus *littera M.* Duarenus *lib.* 1. *disput. cap.* 23. In prioribus verò causis arbiter recipi non potest, sicut nec iudex dari, *l.* 3. *C. de sententiis ex periculo.* Docent Menochius, & Duarenus *vbi suprà.* Monachi etiam, qui ab actibus forensibus remouentur, arbitri dari non possunt, nisi de superiorum suorum licentia, vt notant Interpretes *in cap. de præsentium* 16. *q.* 1. P. Greg. *d. tit.* 4. *cap.* 6. Etiam minores 20. annis arbitri eligi non possunt, *l. cùm lege* 41. *ff. hoc tit.* latè probaui *in cap. cùm vigesimum, de officio deleg.* Etiam compromitti non potest in iudicem ordinarium, vt exponemus *in c. cùm tempore, hoc tit.* nec in laïcos in causis spiritualibus, *c. dilecti* 4. vbi latè illustrauimus. Tandem fœminæ particulares in arbitros eligi non possunt, ex nostro textu, & suprà relatis.

10. TRADITVR DECIDENDI RATIO.

Quibus animaduersis iam apparet vera huius decisionis ratio; nam cùm fœminæ tantùm moribus iudicare prohibeantur, Cuiac. *lib.* 13. *obseru. cap.* 23. potest contraria consuetudine introduci, vt fœminæ dignitate præfulgentes iurisdictionem in proprios subditos exerceant, cùm consuetudo iurisdictionem non habenti eam tribuat, *cap. cùm contingat, de foro compet.* sicut enim priuilegio illis iurisdictio competere potest, Couar. *practic. q.* 31. *num.* 5. & *lib.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 5. ita similiter consuetudine, quæ magis potens est ad abrogandum ius scriptum, vel non, quàm priuilegium, *cap. consuetudo, dist.* 1. *cap. vlt. de consuet.* igitur cùm semotâ consuetudine moribus fœminæ prohibitæ sint iudices dare, *d. l. cùm Prætor* 12. ita & arbitri recipi non possunt, quia arbitria redacta sunt ad instar iudiciorum, *l.* 1. *ff. hoc tit.* At verò cùm consuetudine introductum reperitur, vt fœminæ dignitate præfulgentes iurisdictionem exerceant, rectè in eas compromitti valet ex ipsa exæquatione iudiciorum, & arbitriorum.

11. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec difficultas suprà adducta obstat; verum enim est, fœminam succedentem in Regno, vnde superiorem non cognoscit, posse iurisdictionem exercere in vassallos, & sic in eam compromitti, nec tunc necessariam esse consuetudinem, quæ tantùm fœminis præcellentibus potest iurisdictionem tribuere, non verò particularibus. Vnde difficultas huius decretalis in eo consistit, quare videlicet Innocentius III. signanter meminit consuetudinis Gallicanæ, cùm iure communi inspecto, iuxta suprà tradita possit in Reginam compromitti. Cuius difficultatis solutio prouenit ex vera historia huius textus suprà relata; diximus enim Innocentium in præsenti non agere de aliqua Regina Regnum Galliæ possidente; non enim poterat ex lege Salica mulier in eo Regno succedere, vt probant Cironius *lib.* 5. *obseru. cap. fin.* Tiraquel. *de primog. q.* 8. *num.* 40. Guillelmus Benedictus *in cap. Raynuntius, verbo Duas, num.* 72. *de testament.* Gomez *in l.* 79. *Tauri, num. fin.* Erat Agnes tantùm mater Philippi, vnde cùm Regnum non possideret, licèt quia vxor erat Regis, Regina diceretur; ideo necessaria fuit Galliæ consuetudo, vt in eam, tanquam in fœminam præcellentem, compromitti posset: docet, & ita accipit præsentem decisionem Cyriacus *d. controu.* 401. *num.* 71.

12. INTELLIGITVR CAP. MENAM 2. Q. 4.

Adhuc præsenti decisioni obstat textus *in cap. Menam* 2. *q.* 4. in illis verbis: *Et tuo committimus arbitrio*; vbi proponitur, causam Episcopi Menæ Brunichildæ Reginæ Francorum commissam fuisse; quod meritò difficile visum fuit iuris Interpretibus, siquidem fœmina iudicare non valet, vt in præsenti supponitur, præcipuè de causa ecclesiastica, vt erat causa, de qua in eo textu. Sed huic difficultati facilè fiet satis, si obseruemus, cui, & à quo in eo textu causa commissa fuit. Gregorius enim Magnus Reginæ, coram qua infamatus erat Episcopus, eam commisit; vnde cùm Princeps possit causam committere terminandam etiam fœminæ, *cap. vt sæculi, verf. Regia,* 12. *q.* 2. Blancus *de compromissis cap.* 2. *num.* 38. Ægidius Hortensius *de priuilegiis honest. art.* 2. *num.* 6. ideo virtute delegationis Pontificiæ potuit Regina in eo casu de causa illa cognoscere vsque ad compurgationem ipsius Episcopi, præcipuè cùm adesset infamatio coram ea, & fœmina præcellens esset, quæ ex consuetudine Galliæ iurisdictionem ordinariam habebat.

13. EXPONITVR CAP. QVINTAVALLIS, DE IVREIVR.

Secundò præsenti assertioni opponi potest textus *in cap. Quintauallis, de iureiur.* vbi proponitur, patrem quarundam mulierum, quæ aliis fœminis vicinis iniuriam irrogauerant, compromissum fecisse in eas, & iuramento spopondisse, se illis satisfacturum, si iterum illius filiæ eas iniuriâ afficerent, iuxta ipsarum arbitrium; & cùm iterata offensione fœminæ patri iniunxissent, vt vxorem è domo eiiceret, filiæsque exhæredaret, consultus R. Pontifex decreuit arbitrium à fœminis dictum non esse seruandum, vtpote contrarium iuri naturali. Ex qua facti serie deducitur, compromissum fieri posse in fœminam particularem; siquidem in eo textu non improbatur arbitrium à R. Pontifice, quia factum erat in fœmina, sed quia iuri naturali opponebatur. Agnouerunt difficultatem omnes repetentes in eo textu, quos refert, & sequitur D. Bajo-Arroyo in eo textu, *num.* 156. affirmantque, quod licèt fœminæ vt arbitrices eligi non possint, tamen vt arbitratrices eligi valent. Vnde aiunt textum illum esse accipiendum de fœminis arbitratricibus. Sed hoc discrimen inter arbitrum, & arbitratorem, iure canonico esse incognitum, iam probauimus suprà *in cap.* 1. Quare hac solutione omissâ dicendum est, in eo textu non agi de compromisso, quod admitti non poterat; tum quia causa erat criminalis, in qua compromissum non admittitur, *cap. penult. de in integ. restit.* tum quia in vnum ex litigatoribus compromitti non potest, *l. penult. ff. hoc tit.* loquitur enim textus de promissione à Patre facta, & iuramento firmata, se satisfacturum mulieribus iniuriâ affectis, iuxta earum voluntatem; non quia ipsarum voluntas sententia esset, sed tantùm simplex æstimatio iniuriæ acceptæ. Vnde eo sensu, quo æstimatores in contractibus dicuntur arbitri, *l. fin. C. de contrahenda empt.* eo sensu mulieres illæ arbitrices dici poterant, non autem quia arbitrorum officio fungerentur.

CAPVT V.

Idem *Abbati & Conuentui de* [a] *Pigauia.*

CVm tempor- bonæ memoriæ C.[b] Pp. prædeceſſoris noſtri, tu fili Abbas ad Romanam Curiam acceſſiſſes, priuilegium, & alia ſcripta meruiſti à Sede Apoſt. obtinere: & (ſicut à te accepimus) cùm reuerſus fuiſſes ad propria, priuilegium dictum, & alia ſcripta in præſentia fratrum tuorum, & quorundam Canonicorum [c] Merſburgen. qui in defenſionem quorundam monachorum illuc venerant, feciſti fideliter recitari: quod intelligens venerabilis frater noſter Mersburgen. Epiſcopus, nunciauit, & ſcripſit Imperatori, te contra honorem Imperij ad Rom. Eccleſiam acceſſiſſe, & priuilegium in eius præiudicium impetraſſe. Vnde motus [d] Imperator Curiam tibi indixit, & priuilegium ſibi [e] præſentari præcepit, quod receptum noluit tibi poſtmodùm reſignare: & dum in his, & aliis te per Epiſcopum grauari ſentires, appellatione interpoſitâ Sedem Apoſt. viſitaſti: à qua per nuntios commiſſionis litteris impetratis, partes iudices citauere, in cauſa ipſa iuxta formam mandati Apoſtolici proceſſuri. Verùm dum hæc agerentur, venerabilis frater noſter [f] Magdeburgen. Archiepiſcopus ad petitionem Archiepiſcopi memorati de mandato Imperiali te ab officio, beneficioque ſuſpenſum à monaſterij adminiſtratione remouit, & curam eius duobus militibus aſſignauit. Vnde timens Abbatiæ periculum prouenire, cùm & tibi periculum immineret, ſuper controuerſiis, quæ inter te, & Epiſcopum, & quoſdam monachos vertebantur, [g] arbitrium Archiepiſcopi te promiſiſti, fide in [h] manibus eius hinc inde præſtitâ, ſeruaturum. Sicque factum eſt, vt ipſe Archiepiſcopus, adiunctis ſibi tam clericis, quàm [i] laïcis, inter quos erat & [j] Dapifer Imperialis, ſub certa forma arbitrium promulgauit. Poſt hæc iterum Romam veniens, quæ facta fuerant, eidem prædeceſſori noſtro diligenter exponere procuraſti: cui, & aduerſario tuo Cuſtodi Mersburgen. procuratori dicti Epiſcopi, nos ipſi cùm eſſemus in minori officio conſtituti, & dilecti filij I. tit. S. [k] Stephani in Cœlio Monte, & I. tit. S. Priſcæ Presbyteri Cardinales deputati fuimus auditores: & tandem auditis, quæ partes duxerant proponenda, ſub certa forma, de conſenſu partium cauſa commiſſa fuit iudicibus delegatis, videlicet vt de omnibus diligenter inquirerent, excepto, quod indagationem libertatis eiuſdem monaſterij, cum duabus capellis, Apoſtolicæ Sedis examini per omnia ſeruarent. Cumque ita iudices delegati partes ad ſuam præſentiam auctoritate Apoſtolica euocaſſent, memoratus Epiſcopus delegatos ipſos ſuſpectos ſibi propoſuit, & cauſas ſuſpicionis multiplices aſſignauit. Conſequenter etiam eorum volens iudicium declinare, Sedem Apoſt. appellauit. Sed reuerſus poſtmodùm coram eiſdem ſacramentum calumniæ præſtitit, & teſtes produxit, petitis dilationibus, & obtentis. Ipſi ergo iudices procedentes in cauſa, auditis vtriuſque partis rationibus, & plenius intellectis, geſta omnia ſigillorum ſuorum munimine roborata ad Sedem Apoſtolicam deſtinarunt, terminum partibus imponentes, quo recepturæ ſententiam Apoſtolico ſe conſpectui perſonaliter præſentarent: ad quam tu perſonaliter accedens, Epiſcopus pro ſe miſit dilectos filios H. Mersburgen. Canonicum, & B. S. Nicolai Merſburgen. Scholaſticum reſponſales: qui geſta, quæ delegati tranſmiſerant, nec publicari debere dicebant, nec fidem eis penitus adhibendam: cùm & à ſuſpectis iudicibus, & poſt appellationem legitimè interpoſitam recepta fuerint, & deſcripta: parte tua contrarium poſtulante, præſertim quia (vt firmiter aſſerebat,) nuntij memorati perſonam ſtandi iudicio non habebant, cùm excommunicati eſſent, & Epiſcopo fuiſſet ſub pœna ſuſpenſionis iniunctum, vt ad cauſam agendam in propria perſona veniret: quod cùm non fecerit, pœnam ſuſpenſionis incurrit, quem prædicti nuntij propter ægritudinem, & ſenectutem perſonaliter ad Rom. Eccleſiam non poſſe accedere proponebant, alia, quæ ipſis obiecta fuerant, denegantes: qui pro ipſo Epiſcopo factum taliter proponebant, quod cùm ab eo, tanquam à Prælato tuo Abbatiam, & Sacerdotium percepiſſes, ſicut fueras in iure confeſſus, propter prauam conuerſationem tuam ſuper multis enormitatibus cœpiſti à monachis conueniri: inter quos Epiſcopus pacem, & concordiam ſæpiùs reformauit, monens te, vt ad frugem melioris vitæ tranſires. Cùm autem fratres per ea, quæ iugiter faciebas, de tua emendatione nullatenus iam ſperarent, contra te propoſuerunt in Synodo de

dilapidatione, cùm res monasterij pauperum vsibus deputatas voluptuosè consumeres, & pro defectu necessariorum religio ibi penitus deperiret: te etiam de sacrilegio, simonia, aliisque multis criminibus impetebant, interdum coram Episcopo, quandoque in præsentia Card. quæ Episcopus tamdiu sustinuit, quod monachis denegare iustitiam dicebatur. Citatus exinde ab Episcopo nuncium misisti super omni grauamine, quod tibi posset inferri, præsentiam Episcopi prouocantem. Cùm autem nec per te, nec per nuntium ad Archiepiscopum accessisses, ipse Archiepiscopus appellationi tam generaliter factæ in præiudicium Ecclesiæ iudicauit nullatenus deferendum. Episcopus itaque habito prudentum consilio, citatum denuò te ab officio, beneficioque suspendit. Interim superueniens dilectus filius noster I. tit. S. Stephani in Cœlio Monte Presbyter Card. tunc Apostolicæ Sedis Legatus, ad dictam Abbatiam accessit, vt componeret inter te, & monachos memoratos. Sed te in villis proximis latitante, & magistro Vlrico allegante, dictus Card. latam in te suspensionis sententiam confirmauit. Sic ergo latenter Romam veniens, commissionis litteras, veritate tacitâ, & sub specie renouationis priuilegij, quod nunquam hactenus habueras, impetrasti. Cúmque iudices delegati Episcopo suspecti essent, & monachis, à quibus nec vnius diei poterant inducias obtinere, appellatione interpositâ ab Episcopi nuntiis statim cùm priuilegium subreptitium legeretur, partes suos nuntios ad Sedem Ap. transmiserunt: de quorum assensu causa tandem fuit aliis coniudicibus sub certa forma commissa, sicut in commissionis litteris continetur. Sed cùm non omnes possent examinationi causæ propter nimiam distantiam interesse, dilectus filius N. Abbas de Goizoch vnà cum venerabilibus fratribus nostris, dicto Archiepiscopo Balbergen. & N. Misnen. Episcopo, & quamplurimis Ecclesiarum Prælatis, inter Episcopum, te, & monachos pacem, & concordiam reformauit. Iterum autem ad Rom. Eccles. latenter accedens, & proponens multa contra monachos, & Episcopum, ad duos iudicum, quos superiùs Episcopo diximus esse suspectos, & à quibus nuper ipse Episcopus per nuntios appellauerat, commissorias litteras impetrasti: qui cùm iustas exceptiones Episcopi non admitterent, quas in continenti probare volebat, Sedem Apost. appellauit: sed ipsis in causa nihilominus procedentibus, inuitus accessit ad eos, timens ne sua iustitia deperiret. Cùm autem post alia, quæ iudices ipsi proprio motu fecerant, terminum publicandis attestationibus præfixissent, venientibus partibus vnus tantùm comparuit de iudicibus cum alterius nuntio, qui nec habebat ad alios litteras, nec cauere volebat, quod dominus suus vices suas præsenti iudici commisisset. Sicque factum est, quod solus Numburgen. Præpositus, licèt tribus sigillis appositis, gesta descripserat, quæ fuerunt ad Sedem Apost. destinata, vnde dicebant fidem eis nullatenus adhibendam: & quia ipsum instrumentum relationis ipsorum iudicum fuit in superficie vitiosum, & datum ab eo, quem plurimis dicunt excommunicationis vinculis innodatum. Verùm præmissa ferè omnia pro Episcopi parte proposita, tu veritate destitui firmiter asserebas. Quia verò memoratus Episcopus, eo quod iuramentum præstitit de calumnia, & à delegatis inducias postulauit, & testes coram eis produxit, appellationi renuntiasse videtur, & eorum examini consensisse: nos habito fratrum consilio in præmissa incidenti quæstione interlòquuti fuimus, quod deberent quæ coram prædictis iudicibus gesta fuerunt, publicari, vt secundùm tenorem ipsorum nostra tandem sententia formaretur. Tibi igitur, & procuratoribus Episcopi supradicti, venerabilem fratrem nostrum O.[l] Ostien. Episcopum, & dilectum filium P. tituli S. Cœciliæ Presbyt. Card. dedimus auditores: qui cùm ea, quæ fuerant hinc inde proposita, & ostensa, nobis, & fratribus nostris fideliter retulissent; quia tam per confessiones, quàm per attestationes legitimè constitit, quod fide hinc inde data, compromissum est in arbitrium Archiepiscopi memorati, & quorundam etiam aliorum: nos de consilio fratrum nostrorum ipsum arbitrium decernimus obseruandum, illis dumtaxat exceptis[m] capitulis, quæ contra libertatem ipsius monasterij, & duarum capellarum eiusdem in arbitrio sunt expressa: cùm etsi sponte volueris, de iure tamen nequiueris sine licentia Rom. Pontificis renunciare priuilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ monasterium illud indicant ad ius, & proprietatem Rom. Ecclesiæ[n] pertinere: præsertim cùm in vltimæ commissionis litteris contineatur expressum, quod fæpedictus prædecessor noster super renunciatione à te super priuilegio, & aliis scripto facta, nullum tibi, vel successoribus tuis, aut etiam monasterio, & duabus capellis de Pigauia præiudicium voluit generari. Quia verò in eisdem litteris commissoriis expressit, quod indagationem libertatis eiusdem monasterij cum duabus capellis in eadem

villa positis, Apostolicæ Sedis examini per omnia reseruauit, quicquid contra formam huius mandati à delegatis prædictis actum est, reuocamus, & viribus omnino carere censemus: reseruantes eidem Episcopo liberam facultatem, vt contra libertatem ipsius monasterij ordine iudiciario valeat experiri. Interim autem, donec ipsa quæstio canonicè terminetur, tu & monasterium tuum non compellamini obedientiam eidem Episcopo exhibere, sed in eo statu maneatis, in quo post impetratum priuilegium, & ante datum arbitrium dignoscimini extitisse. Quoniam ergo personales iniuriæ, quæ præcesserant, per arbitrium sunt sopitæ; cùm vos vicissim in pacis osculum receperitis, quæstiones tam super ablatorum restitutione, quàm super subiectione monasterij duximus committendas. Nulli ergo, &c. Dat. Rom. apud S. Petrum. III. idus Iulij, &c.

NOTÆ.

1. a *De Pigania.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. legitur *de Pigamia*; in sexta verò collectione, *de Pignauia*; sed legendum est *Pigauia*, vt habetur in ipsa Innocentij III. epistola apud Sirletum *pag.* 147. ex qua integram huius textus transcribimus. Monasterium de Pigauia est Ordinis Diui Benedicti, in diœcesi Mesburgensi, cuius Abbati rescribit Innocentius in præsenti, & *lib.* 4. *regestr.* 16. *epist.* 70. & 71. quo modo legendum etiam est *in cap. fin. de probationibus*, vbi mentio fit huius controuersiæ.

b *C.Pp.*] In tertia collectione legitur, *G. Pp.* sed malè; non enim Gregorius, sed Cœlestinus Innocentij prædecessor priuilegium exemptionis huic monasterio cum vniuersa congregatione monachorum montis Virginis concessit, vt constat ex bulla ipsius exemptionis, quæ extat *tom.* 1. *Bullarij, in ipso Cœlestino III.*

2. c *Mesburgens.*] Ita legendum est, non *Magdeburg.* vt legitur in Decretalibus in hac sexta collectione. Mesburgensis enim diœcesis suffraganea est prædicti Archiepiscopi, vt ex eius textus serie facilè constat.

d *Imperator.*] Federicus V. videlicet, qui floruit temporibus ipsius Cœlestini.

e *Præsentari præcepit.*] Cùm enim priuilegium impetratur in præiudicium Regis, seu eius Regaliæ, potest retineri, & executio suspendi, donec consulatur Rom. Pontifex, qui illud concessit, vt probant Simancas *de Catholicis, tit.* 45. *num.* 35. Couarr. *practic. q.* 36. *sub num.* 12. Azeuedus *in l.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil.* pluribus relatis Salgado *de retent. bul.* 1. *p. cap.* 5. *per totum.*

f *Magdeburg.*] De quo aliqua notaui *in cap. cùm dilecta* 22. *de rescriptis.*

3. g *Arbitrium Archiepiscopi.*] Licèt iure ciuili inspecto in iudicem ordinarium, qui ratione propriæ iurisdictionis de causa cognoscere poterat, compromitti non possit, vt docent Gothofredus *in l.* 3. *de testibus*, Brissonius *lib.* 4. *selectar. cap.* 2. Bartolus, Baldus, & Fulgosius *in l.* 1. §. *consentiant, ff. de iudiciis*, Carleual. *tomo* 1. *de iudiciis, disp.* 2. *q.* 8. *sect.* 4. *num.* 213. idque lege Iulia iudiciaria cautum fuisse affirmant Anton. Augustin. & Hothomanus *in lege Iulia*; & probant ex lege *sed si incertum*, §. 2. *ff. hoc tit.* vel vt rectiùs Cuiacius *lib.* 3. *Pauli ad edict. in d. l.* 9. §. 2. Bachouius *in notis ad Treutlerum, tit. de arbitris, thesi* 3. *littera F.* Argenteus *in consuetudines Britanniæ, tit.* 18. *nota* 4. discrimen constituunt inter iudices ordinarios, quales sunt Prætores, Senatores, & Proconsules; & inter Pedaneos, seu à Prætore datos: in primos affirmant iure ciuili inspecto compromitti posse, vt probatur ex lege 3. cum sequenti, *ff. hoc tit.* vbi Consultus affirmat, Magistratus vt sententiam dicant, cogi non posse, quia in superiores inferiores imperium non habent; inferiores tamen cogi posse, tametsi Magistratus sint: ergo Magistratus, vt arbitri recipi possunt. Id etiam perspicuè probatur ex lege, *nam & Magistratus, ff. hoc tit. l.* 4. *ff. de tutoribus*: quam expendit Duarenus *ad hunc titulum.* Cuius discriminis ratio ex eo prouenit: nam cùm iudices Pedanei à Prætore dati essent, & iuxta formam sibi præscriptam iudicare tenerentur, non poterant virtute compromissi mutare iurisdictionem, & potestatem: at verò ordinarij Magistratus, qui proprio iure non notionem, sed iurisdictionem habebant, in arbitros eligi poterant. Quam iudicum distinctionem cùm parum percalluissent antiquiores in præsenti, & suprà relati, communiter docuerunt in iudicem ordinarium compromitti non posse, quæ opinio adeo inualuit, vt Legislatores nostri Hispani eam pro lege statuissent *in l.* 24. *tit.* 4. *partit.* 3. *l.* 13. & 17. *tit.* 5. *lib.* 2. *recopil. l.* 9. *tit.* 6. *lib.* 3. *eiusdem recopil.* vbi disponitur, ne Senatores, & cæteri ordinarij iudices possint vt arbitri procedere in causis, in quibus vt ordinarij cognoscere valebant: vnde hodie in iudicem ordinarium compromitti non potest, vt testantur Carleual *de iudiciis, vbi suprà*, Gregorius Lopez *in d. l.* 14. Azeuedus *in d. l.* 9. Potest tamen harum legum ea ratio assignari; nam cùm hodie sententia ab arbitris prolata, si iniqua sit, debeat reduci ab arbitrium boni viri, vt *in cap.* 2. *hoc tit.* diximus, si ipse esset iudex ordinarius simul & arbiter, non posset ab eo ad ipsum per viam reductionis recurri, argumento textus *in cap.* 2. *de consuet. in* 6. Hæc tamen procedunt, tam de iure Cæsareo, quàm Regio. Iure tamen nostro Canonico iudices ordinarij, qui aliàs de causa cognoscere possunt, arbitri recipi valent, *cap. cùm olim* 7. *cap. in nobis* 13. *hoc tit. cap. litteras, de præsumpt. cap. nisi essent, de præbendis, cap. causam quæ, de electione*: notarunt Hunnius *ad Treutl. d. tomo* 1. *thesi* 5. *disput.* 11. Carleual. *vbi proximè.* Vnde in præsenti rectè compromissum in Archiepiscopum aliàs iudicem ordinarium fieri potuit.

h *Fide in manibus.*] Quod perinde habetur, ac si iuramento firmatum esset, vt diximus *in cap. ad aures, de his, quæ vi.*

i *Quàm laicis.*] Ad consilium præstandum, non verò ad arbitrium dicendum; nam in laïcos super re spirituali compromitti non potest, *cap. contingit, hoc tit.*

4. j *Dapifer.*] Videlicet qui dapes, ciboscque mensæ Imperiali apponit, vnde Archidapifer Imperialis dicitur Comes Palatinus Rheni, qui tempore electionis quinque scutellas argenteas duodecim marcharum cibis repletas Regiæ mensæ imponit, *cap.* 27. §. 4. *aurea bulla.*

k *I. tit.*

5. k *I. tit. S. Stephani.*] Scilicet Ioannes Salernitanus, Presbyter Cardin. qui à Cœlestino III. Legatus missus fuit in Germaniam, & postea ab Innocentio in Siciliam, & Angliam eadem functione insignitus est, vt refert Spondanus *in continuat. Baronij, anno* 1198. *num.* 2.

l *O. Ostiensem.*] Octauianum videlicet Cardinalem, qui etiam Legatus missus fuit in Siciliam ab Innocentio III. vt refert Spondanus *vbi suprà.*

6. m *Capitulis exceptis.*] Licèt enim sententia, quæ vnicam tantùm causam continet, pro parte valere, & pro parte infirmari non possit, *l. in hoc iudicio* 23. *ff. familiæ ercisc.* & similiter si plura contineat capita, sed connexa, vitiato vno vitietur aliud, *l. etiam* 30. §. 1. *ff. de minor.* Menochius *de arbitrariis, casu* 93. *num.* 27. & *casu* 95. *n.* 7. tamen si plura, & diuersa capita contineat, potest pro parte valere, & pro parte improbari, *cap. dilectus, de præbendis, cap. post appellationem,* §. *si quis ex pluribus* 2. *q.* 6. *l. de vnoquoque, ff. de re iudic. l. in fisco* 44. *ff. de iudicis:* quod etiam procedit in arbitrio, seu arbitrorum sententia; si enim compromissum diuersa contineat negotia, potest arbiter de vnoquoque sigillatim pronunciare, & pro vna parte defendi, pro alia verò improbari, *l. diem* 23. §. *sed si, ff. hoc tit. l. si autem,* §. *finali, ff. de negot. gestis.* Si verò de pluribus rebus simul compromissum fiat, & arbitrium dicatur, non potest pro parte valere, pro parte verò improbari, *l. quid tamen* 25. *in principio, ff. hoc tit.* docent Blancus *de compromissis, q.* 9. Lanfrancus *eod. tract. p.* 5. *n.* 32. Baptista *eod. tract. lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 1.

7. n *Pertinere.*] Sæpe sæpiùs Summi Pontifices aliquot monasteria ita Sedi Ap. subiecerunt, vt ab ea prorsus in omnibus penderent, illique in signum subiectionis aliquem censum persoluerent, qui hanc subiectionem testaretur, vt fecerunt Ioannes Papa VIII. *lib.* 8. *epist.* 15. Diuus Greg. *lib.* 7. *epist.* 69. quod de suo monasterio Gaufridus Abbas Vindocinensis refert, ac plurimùm prôinde libertatem illius aduersùs Ivonem Carnotensem asserit, *lib.* 1. *epist.* 9. & de alio monasterio sic prodit Albertus Argentinensis *in chron. ad annum* 1099. quoddam monasterium S. Benedicti recèns constructum exemptum fuisse à Sixto Papa, itavt annuatim denarium aureum S. Sedi persolueret: atque de cœnobiis Hiasargiensi, & Odenheimensi, non absimile scripsit Tritemius *in chron. Hiasargiensi.* Nec obmiserim Henricum Primum Imperatorem, cùm fundasset Episcopatum Bambergensem tit. SS. Apostolorum Petri & Pauli, ac Diui Gregorij Martyris, illum tradidisse immediatè Rom. Ecclesiæ, itavt quotannis Episcopus mitteret Rom. Pontif. tanquam illius Ecclesiæ defensori equum phaleris adornatum, teste Cuspiniano *in eius vita.*

COMMENTARIVM.

8. CONCLVSIO DEDVCITVR, ET PROBATVR.

EX hac satis diffusa Innocentij epistola sequens deducitur ab Interpretibus disputanda assertio: *Exempti super exemptione compromissum facere non possunt.* Probant eam textus *in cap.* 2. *de in integrum restit. cap. cùm olim* 14. *vers. Nisi igitur, de priuilegiis, cap. suborta, de re iudic. l.* 3. *tit.* 12. *partit.* 1. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Carballo *in cap. Raynaldus,* 2. *p. num.* 348. *de testam.* Balboa *in cap.* 1. *de foro compet. q.* 1. *n.* 36. Bruno Chassaing. *de priuil. regul. tract.* 1. *cap.* 5. *propos.* 2. Petrus Greg. *lib.* 4. *partit. tit.* 4. *cap.* 3. Tamburinus *de iure Abbat. tomo* 1. *disput.* 15. *q.* 12. Salgado *de retentione bull.* 1. *p. cap.* 13. *num.* 30. Barbosa *de potest. Episc.* 3. *p. alleg.* 123. *num.* 4.

9. IMPVGNATVR TRADITA ASSERTIO.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequentibus iuris ratiociniis. Primum ita efformatur: Exemptio libertatis est, quâ subditus eximitur ab Ordinarij iurisdictione, *cap. nulla,* 93. *dist.* glossa *in cap. olim,* vbi Panormit. *de priuilegiis:* sed quilibet potest renunciare priuilegio sibi concesso, *cap. ad Apostolicam, de regul. cap. si de terra, cap. accedentibus, de priuil.* igitur quilibet exemptus super priuilegio suæ exemptionis potest compromissum facere. Augetur hæc difficultas primò ex eo; nam cuilibet licet iudicis non sui prorogare iurisdictionem, & propria voluntate illi se subiicere, *cap. P. & G. de officio deleg. l. si conuenerit, ff. de iudiciis:* igitur multò magis licebit exempto super ipsa exemptione compromissum facere. Secundò fulcitur hæc difficultas, nam si exemptus non posset in præiudicium exemptionis compromissum facere, maximè quia priuilegium exemptionis amitteret per tale compromissum, argumento textus *in cap. cùm accessissent, de constit.* sed exemptus nec virtute compromissi exemptionem amittit, quia per vnicum actum in contrarium factum priuilegium non amittitur, *cap. si de terra, cap. accedentibus, de priuil.* nec si arbitri aduersùs exemptum in præsenti specie arbitrium decerent, ideo exemptio amitteretur; siquidem Abbas inconsulto Capitulo super iuribus ipsius monasterij compromissum facere non poterat, *ex cap. peruenit, hoc tit.* docet Fragoso *d. disput.* 24. *num.* 33. igitur etsi compromissum in hoc casu valeret, non ideo exemptioni derogabatur.

10. NON OMNES COMPROMISSVM FACIVNT.

Adhuc defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, non omnes in arbitros consentire, aut compromissum facere posse: illi enim, qui alienandi facultatem non habent, in arbitros conuenire nequeunt, vt primò serui, *l. non distinguemus* 32. §. *si servus, ff. hoc tit.* in quibus adest & illa ratio, nam compromissum fit stipulatione, aut pacto: sed serui ex stipulatione, aut pacto non possunt ciuiliter obligari, *l. quoties, ff. si quis cautionibus,* ex ratione textus *in l. quod attinet* 32. *ff. de R. I.* igitur nec compromittere. Secundò ob similem rationem compromissum facere nequeunt impuberes, *leg. diem* 27. §. 15. *ff. hoc tit.* nisi tutoris auctoritas adsit, vt exponit Faber *in rationali ad eum textum:* item minores sine curatoris auctoritate, & Prætoris decreto intercedente, vt pluribus relatis docet Narbona *de ætate, anno* 25. *q.* 40. *per totam:* similiter furiosi, & prodigi compromittere non valent, *d. l. diem* 27. §. *coram:* nec etiam tutores, aut curatores sine iudicis decreto, prætermissis illis solennitatibus, quæ in alienationibus rerum minorum desiderantur, nisi super rebus mobilibus, quæ seruando seruari non possunt, vt post Bolognetum docent Fragoso *de arbitris disp.* 14. *num.* 35. Hermosilla *in l.* 4. *glossa* 3. *tit.* 5. *partit.* 5. Ob eandem etiam ratiònem possessores primogenij, seu vinculi super rebus ipsius maioratus non possunt compromittere, quia eas propriâ auctoritate alienare, aut de eis transactionem facere nòn possunt, argumento textus *in lege non solùm, C. de prædiis minor. l.* 1. *C. de officio procurat. Cæsaris:* docent Molina *lib.* 4. *de primog. cap.* 9. *num.* 7. Peregrinus *de fideicom. art.* 40. *num.* 129. pluribus relatis Carballo *in dict. cap. Raynuntius,* 2. *p. num.* 348. qui hanc doctrinam variis ampliationibus,

tionibus, & limitationibus exponit. Circa vaſſallos, vtrum idem ius ſeruandum ſit, diſputant Interpretes? Affirmant Hunnius *in notis ad Treutl. de arbitris, quæſt.* 25. Iulius Clarus *verbo Feudum, q.* 38. *&* 39. Sed rectiùs contrarium docuerunt Peregrinus *d. art.* 40. *num.* 125. Molina vbi proximè, *cap.* 9. *num.* 9. quorum ſententia probatur primò ex eo, quia vaſſallus non poteſt alienare rem feudalem invito domino, *cap.* 1. §. *Imperialem, de prohibita feudi alien.* Sed per compromiſſum res feudalis alienatur, quia compromiſſum eſt alienatio. Mandoſius *in notis ad Lapum, alleg.* 102. *verbo Compromiſſo.* Secundò quia in controuerſia ſuper re feudali tantùm dominus eſt iudex competens, *cap. ex tranſmiſſa, cap. verùm, de foro compet.* vbi Cuiacius, Balboa, Vega, & Garaña. Tertiò facit textus expreſſus *lib.* 2. *feudorum, tit.* 52. *&* 55. Hoc idem dicendum eſt de emphyteuta; nullo enim caſu circa domini conſenſum ſuper emphyteuſi compromittere valet, *authent. ſi verò, C. de iudiciis:* probant Caldas Pereyra *de iure emphyt.* 4. *p. cap.* 9. *num.* 30. Carballo *vbi ſuprà, num.* 362. Idem reſoluendum eſt de Canonicis, & beneficiariis, qui non poſſunt in præiudicium ſuarum Eccleſiarum compromiſſum facere, cùm tantùm adminiſtratores ſint, non verò domini rerum Eccleſiæ, *cap. peruenit* 3. *hoc tit.* Fragoſo *d. diſp.* 14. *de arbitris, num.* 33. tandem nec monachi ſine ſuperioris licentia compromiſſum facere poſſunt, *cap. non dicatis* 12. *q.* 1. *cap. placuit* 16. *q.* 1.

11. TRADITVR DECISIVA RATIO.

His animaduerſis præſentis deciſionis vera ratio ex eo prouenit; nam cùm exemptio à Romano Pont. conceditur monaſterio, non ſolùm per eam eximitur ab Ordinarij iuriſdictione, *cap. recepimus, cap. priuilegia, de priuilegiis,* latè probaui *in cap. licet, cap. irrefragabili, de officio Ordinarij,* verùm & Rom. Eccleſiæ immmediatè ſubiicitur. Vnde Prælati ipſius debent renunciare officiis, & dignitatibus, non in manibus Ordinarij, ſed potiùs R. Pontificis, *cap. vlt. de renunciat.* cui in omnibus & per omnia parent, *cap. exceptionem, cap. ſi Papa* 10. *de priuil.* vnde cùm in huiuſmodi exemptione duplex ius detur, exempti videlicet, vt liberetur ab Ordinarij poteſtate; alterum eximentis, vt habeat immediatè ſubiectum monaſterium exemptum, inde non poteſt exemptus compromiſſum facere ſuper ipſa exemptione, ne ius eximentis per arbitrorum ſententiam lædatur ex facto exempti, contra textum *in cap. nimis, de iurepatron.* Intereſt enim R. Pontificis, qui eſt immediatus ſuperior exemptorum, ipſos aliis non parère, nec ab aliis iudicari, vt docent Viuianus *in præſenti,* & Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 123. *num.* 42. & alia in praxi non negligenda circa eos, qui ſunt ſub protectione Principum, adducit Martinus Magerus *de aduocat. armata.*

12. DISSOLVITVR DIFFICVLTAS.

Nec obſtat difficultas ſuprà pro dubitandi ratione adducta; quod enim dicebamus, quemlibet poſſe renunciare eis, quæ pro ſe introducta ſunt, & per conſequens priuilegio exemptionis, procedit dummodo huiuſmodi renunciatio non tendat in alterius damnum; renunciatio enim, quæ alteri præiudicium infert, non valet. Valaſcus *de iure emphyt. q.* 27. *num.* 19. plures relati à Salgado *de retentione bullar.* 1. *p. cap.* 13. *num.* 34. quare cùm in præſenti ſpecie duplex verſaretur fauor, exempti videlicet, & eximentis, non potuit exemptus per compromiſſum renunciare iuri exemptionis in præiudicium eximentis: & licèt exemptus poſſit prorogare iuriſdictionem iudicis ordinarij, vt probat Sarauia *de iuriſdict. adiunct. q.* 7. *num.* 4. tamen id procedit, dummodo huiuſmodi prorogatio non tendat in damnum alterius, vt docent Gregorius Lopez *in l.* 2. *verbo Priuilegio, tit.* 1. *partit.* 2. Salgado *d. cap.* 13. Nec etiam obſtat augmentum difficultatis, quo dicebamus, Abbatem inconſulto monaſterio compromiſſum facere non potuiſſe ſuper ipſius iuribus, exemptione videlicet. Cui vt aliqui ſatisfaciant, affirmant, Prælatos Eccleſiæ poſſe compromiſſum facere ſuper rebus, & iuribus ipſius. Ita docent Speculator *in tit. de arbitris,* §. *reſtat,* Tiraquellus *de iure connub. gloſſa* 3. *num.* 109. Redoanus *de rebus Eccleſiæ, q.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. & *cap.* 36. *per totum.* Mouentur ex eo, quia compromiſſum ad inſtar iudicij redactum eſt, *l.* 1. *ff. hoc tit.* & qui in arbitros conſentit, vt ſecundùm iuris ordinem cauſam dirimat, non dicitur alienare, ſed tantùm petere declarationem iuris proprij, vel alieni, *cap. paſtoralis* 53. §. *verùm, de appellat.* Igitur Prælatus abſque Capituli conſenſu poteſt compromiſſum facere. Deinde quia alienatio, ſi propriè conſideretur, dominij tranſlationem importat, *l. alienationis* 27. *l. alienationis* 68. *ff. de V. S.* & ſi latiùs ſumatur, vt in titulis de rebus Eccleſiæ, & de rebus alienis, in Codice Iuſtin. ſaltem deſideratur, vt ius aliquod hypothecæ conſtituatur, *l. vlt. C. de rebus alienis, cap. nulli, de rebus Eccleſiæ:* ſed per compromiſſum, aut arbitri ſententiam, nec dominium transfertur, aut aliquod ius hypothecæ conſtituitur; ſed tantùm pœnæ petitio datur, *l.* 2. *ff. hoc tit.* igitur Prælatus inconſulto Capitulo poteſt compromiſſum facere. Accedit, nam iura, in quibus alienatio inhibetur, vt ſunt textus *in cap. nulli, de rebus Eccleſiæ, l. vlt. C. de rebus alienis,* nullam faciunt compromiſſi mentionem: igitur quia compromiſſum non comprehenditur ſub verbo alienationis. Sed pro huius controuerſiæ ſolutione placet ſententia Carballi vbi ſuprà, *num.* 351. *&* 363. qui diſcrimen conſtituit inter caſum, in quo ex compromiſſo ſequitur alienatio; & inter eum, in quo nulla alienatio inducitur. Primo caſu compromiſſum non valere affirmat; ſecundo verò compromiſſum vires habere docet. Quando verò ex compromiſſo alienatio inducatur, latè ipſe proſequitur.

13. EXPONITVR CAP. CVM OLIM DE PRÆSCRIPT.

In hanc partem, & aduersùs ſuprà tradita vulgò opponi ſolent textus *in cap. ſuborta, de re iudic. cap.* 2. *de capellis monach. cap. fin. de pœnit. & remiſſ. cap. cùm dilectus, de relig. domib. cap. luminoſo* 18. *q.* 2. quorum interpretationem tradit Balboa *in cap.* 1. *q.* 1. *de foro compet.* & textus *in cap. per venerabilem, qui filij ſint legit.* Cuius ſolutionem adducit Barboſa *in præſenti, num.* 7. His ergo omiſſis aduersùs præſentem aſſertionem expendo textum *in cap. cùm olim, de præſcript.* vbi proponitur controuerſiam motam fuiſſe inter Lucanenſem Epiſcopum, & monaſterium S. Saluatoris ipſius diœceſis ſuper capellis, in quibus iura Epiſcopalia habere intendebat prædictus Epiſcopus; monaſterium verò opponebat Gregorij VII. priuilegium, quo prædictum monaſterium exemptum erat à iuriſdictione, & lege diœceſana, legitimaque præſcriptione etiam munitum eſſe conſtabat: Epiſcopus allegabat ius commune, quo fundatam habebat ſuam iuriſdictionem erga omnes Eccleſias in ſua diœceſi conſtructas, *cap. omnes* 16. *q.* 7. *cap. monaſteria* 18. *q.* 2. Etiam expendebat arbitrium

bitrum electo, per quod prædictum monasterium Episcopo subesse declaratum fuit. His, & aliis coram Innocentio propositis, ipse monasterium ab impetitione Episcopi, & iurisdictione liberum declarauit. Ex qua facti serie expressè colligitur, super exemptione compromissum fieri posse ab exemptis. Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt Felinus, & Panormit. in eo textu. Quibus omissis respondendum est, compromissum in eo textu factum non fuisse super exemptione, aut re exempta; tantùm enim Abbas monasterij asseuerat, ipsum monasterium priuilegio Gregorij VII. fuisse exemptum, non autem inde euincitur, fuisse etiam exemptas capellas, super quibus compromissum fuit, & lis vertebatur; non enim capite exempto, membra etiam exempta videntur, *cap. ex ore* 17. *cap. cùm capella, de priuilegiis*, vbi exempto monasterio, capellæ Episcopo subsunt: docet Bosquetus *in notis ad Innocentium lib.* 1. *epist.* 9. Quare cùm *in d. cap. cùm olim*, capellæ exemptæ non fuissent, rectè potuit Abbas super eis compromissum facere, quia nullum ex eo præiudicium irrogabatur exempto, aut eximenti. Alia, quæ ad ipsius textus conciliationem cum capite *cùm satis, de officio Archid.* spectant, tradit Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 127. *num.* 11.

Secundò aduersatur textus *in cap. cùm venissent, de in integrum restit.* cuius secunda pars extat *in cap. cùm venissent, de iudiciis*, vbi proponitur monasterium Rothonense, quod ex priuilegiis Leonis, Gregorij, & Clementis ad ius, & proprietatem Rom. Ecclesiæ pertinebat, Prælato destitutum fuisse; & cùm super electione Abbatis fuisset mota controuersia inter Episcopum proprium, & monachos monasterij, partes consenserunt in duos iudices, qui de causa cognoscerent, qui sententiam diffinitiuam protulerunt: sed quia priuilegium prædictum procurator monasterij in iudicio non proposuit, in integrum restitutio monasterio concessa fuit. Ex quo textu apertè deducitur, monasterium exemptum, & Rom. Pontifici immediatè subiectum, posse consentire in iudices inferiores: igitur & in arbitros compromittere. Cui difficultati respondendum est, in eo textu non agi de arbitris, neque de compromisso facto super exemptione; sed tantùm de electione Abbatis coram iudicibus à Sede Apost. impetrata disceptatum est. Sed quia agebatur de viribus prædicti priuilegij, causæ illius decisio tantùm ad Rom. Pontificem spectabat, *d. c. cùm venissent, de iudiciis:* docent Morla *in emporio, tit.* 5 *n.* 18. Beroius *in c. quoniam, de iure patron.* & *in d. cap. cùm venissent, num.* 18. *de iudiciis.*

14. EXPONITVR CAP. CVM VENISSENT, DE IN INTEG. RESTIT.

CAPVT VI.

Idem *Priori S. Andreæ, Abbati de Beroth, T. Priori, Archid. & Magistro A. Officiali S.* [a] *Andreæ.*

CVm dilect. f. [b] *Et infrà*: Vnde vtrum coram arbitris reconuentioni sit locus, postulatis per Sed. Ap. explicari. Nos igitur disc. v. super primo articulo taliter respondemus, quod licèt in iudicio conuenientem reconuenire valeat is, qui coram iudice conuenitur; coram arbitris tamen reconuenire non potest, cùm arbitri iudicare non valeant, nisi de iis tantùm, super quibus in eos extiterit compromissum.

NOTÆ.

1. [a] S. *Andreæ.*] Ita restituo inscriptionem, & litteram huius textus ex tertia collectione, vbi *sub hoc tit. cap.* 3. reperitur hæc decretalis. Episcopatus S. Andreæ est in Regno Scotiæ, immediatè subiectus Rom. Pontifici, quia omnes Episcopi ipsius Prouinciæ subsunt immediatè Rom. Sedi, vt notauit Bosquetus *ad Innoc. III. lib.* 1. *epist.* 129.

b *Et infra.*] Aliæ partes huius decretalis reperiuntur *in cap. cùm dilectus* 6. *de causa possess. cap.* cùm dilectus, *de fide instrum.* ex quibus restitui potest præsens epistola.

COMMENTARIVM.

2. CONCLVSIO TRADITVR, ET PROBATVR.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Coram arbitris reconuentioni locus non est.* Probant eam textus *in l. Pomponius*, §. *idem Pomponius, ff. hoc tit. l.* 23. *tit.* 4. *partit.* 3. Illustrant Cuiacius *lib.* 12. *Pauli ad edict. in l. non distinguemus*, §. *de officio, ff. hoc tit.* Faber *in rational. ad ipsum* §. Menochius *de arbitr. lib.* 1. *cap.* 44. Maranta *de ordine iudic. p.* 4. *dist.* 6. *num.* 20. plures relati ab Osualdo *lib.* 17. *comment. Donelli, cap.* 18. *littera M.* Fragoso *de regimine Christ. Reip. tract. de arbitris, disp.* 14. *num.* 4. Azeuedus *in l.* 4. *num.* 180. *tit.* 22. *lib.* 4. *recopil.* Duarenus *ad hunc titulum, cap.* 1. *pag.* 145. Petrus Barb. *in l.* 1. *art.* 1. *num.* 60. *de iudiciis.* Hermosinus *in cap.* 1. *de mutuis petitionibus*, *q.* 2. Aug. Beroius *ibi*, *q.* 2. & 3. Ansaldus *de iurisd. q.* 3. *cap.* 9. *num.* 46. Bernardus Vrsinus *de reconuentione cap.* 22. & alij laudandi *in cap... de mutuis petit.* Altesserra *in præsenti.*

Sed hæc assertio difficilis admodum redditur sequenti consideratione; nam valde consonum est rationi, & iuris dispositioni, vt actor, qui arbitrum in sua causa elegit, ipsum contra se arbitrum sustineat. Rationi, quia ipsum elegit, & sic recusare non debet, *l. Papinianus* 14. ibi: *Cuius enim in agendo obseruat arbitrium, eum habere contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur*; *C. de sententiis, & interl.* quæ verba reperiuntur apud Gratianum *in cap.* 1. §. *cuius* 3. *q.* 6. cùm enim contra reum eum probauerit, & elegerit ex consensu proprio, & pro reo, contra se iudicem, vel arbitrum habere debet, *l.* 1. *ff. quod quisque iuris, cap. cùm omnes, de constit.* igitur coram arbitris reconuentioni locus est. Accedit, nam mutua petitio, etsi in modum actionis proponatur; tamen defensionem continet, *l. neque* 6. *C. de compensationibus:* & pars est ipsius negotij principalis, *d. l. Papinian.* 14. ibi: *In eodem negotio.* Igitur cùm totum negotium decidi, & disceptari debeat coram iudice, seu arbitro, vbi cœptum est, *l. vbi cœptum, ff. de iudic.* si coram arbitro negotium cœptum est, coram ipso & reconuentionis causa tractanda est. Iuri etiam consonum est, vt coram arbitris mutua petitio admittatur; nam iudices delegati, quorum iurisdictio stricta, & odiosa est, *cap. olim* 32. *de officio deleg. cap. Rodulphus, cap. significauit, de rescriptis*, cognoscere possunt de reconuentionis causa, & mutuas petitiones

3. IMPVGNATVR HÆC ASSERTIO.

titiones admittere, *c.1.& 2.de mutuis petit.* igitur & arbitri de causa reconuentionis cognoscere valent.

4. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens decisio, cuius ratio ex eo prouenit; nam arbitri super rebus tantùm in compromisso comprehensis arbitrium dicere possunt, *l.non distinguemus* 32. §. *de eo, l.de rebus* 46. *ff.hoc tit.* illud enim in arbitrio venit, quod in compromisso expressum est, *l. si cùm dies*, §. *plenum*, *d. l. non distinguemus*, §. *vlt. l. arbiter* 50. *ff. hoc tit.* Sicut enim iudex datus de alio negotio cognoscere non valet, quàm super quo datus est, *l.* 1. *C. si à non competenti iudice*; nec procurator alia negotia tractare valet, quàm sibi mandata, *l. si maritus* 21. iunctâ lege *si procurator*, *C. de procurat.* ita arbiter de alio negotio, quàm in compromisso comprehenso iudicare non potest, *d.l.non distinguemus*, §. *de officio.* Quare cùm arbitri tantùm de expressis in compromisso iudicare tantùm possint, mutuas petitiones, & reconuentiones, quas quilibet iudex ordinarius admittit, ipse admittere non valet. Sed licèt hæc decisio procedat, cùm aliud, quàm quod comprehensum est in ipso compromisso, principaliter petitur; tamen si incidenter aliquid emergat dependens à principali negotio, rectè de eo arbitri cognoscere possunt, vt si restitutio in integrum petatur, potest arbiter eam concedere, *cap. penult. de in integrum restit.* Item arbiter pronunciare potest super interesse ipsius rei, etiamsi de eo in compromisso non ageretur, *d.l.non distinguemus*, §. *item non est cogendus.* Ratio est, quia rei interesse tacitè inest in ipso compromisso, *l. vtique* 3. *ff. de R. V. l. seruus*, *ff. iudicatum solui.* Similiter etiam super fructibus post litem contestatam perceptis pronunciare potest; sunt enim fructus semper accessorij, siue obligationis iure, siue officio iudicis debeantur; adeo vt si per errorem perperam iudicatum sit de fundo contra possessorem, debeat iudex eodem errore de fructibus quoque pronunciare, ac possessorem condemnare, *l. ex diuerso* 35. §. 1. *ff. de rei vindic.* Accedit, nam arbitri officium est totam controuersiam dirimere, *l. qualem* 19. §. *dicere*, *ff. hoc tit.* sed lis decisa dici non potest quandiu supersit quæstio de fructibus: igitur arbiter de fructibus rei compromisso comprehensæ cognoscere valet. Docent Glossa, & Abbas *in præsenti*, Molina 6. *tomo de iustitia, tract.9.disp.44. num.* 6. Faber *in rationali ad textum in d.* §. *de eo*, Blancus *de compromissis cap.* 9. *num.* 80. Baptista *eod. tract. cap.* 16. Apud nos est expressa lex 32. *tit.* 4. *partit.* 3. vbi notarunt Montalvus, & Greg. Lopez. De his ergo, quæ accessoriè, aut incidenter emergunt, vt de exceptionibus, quæ causæ cognitionem impediunt, de expensis litis, possunt arbitri pronunciare: de aliis verò rebus compromisso non expressis etiam per viam mutuæ petitionis cognoscere non valent.

5. RESPONDETVR DIFFICVLTATI SVPRA ADDVCTÆ.

Nec difficultas suprà adducta refragatur; nam cùm stricta sit arbitri potestas à partibus concessa, ex illa rationis identitate, quia ipse videlicet elegit, ad alias res compromisso non comprehensas extendi non debet, præcipuè cùm non solùm ipse actor, verùm etiam & reus illum simul elegerit: quare non rectè adaptatur ratio textus *in d. l. Papinianus.* Nec quod dicebamus, mutuam petitionem, seu reconuentionem, eandem causam esse, verum est; licèt enim ad idem negotium spectet virtute reconuentionis, *d.l.Papinianus*; tamen non est eadem controuersia, ac illa, de qua compromissum fuit. Difficilius est, quod de iudice delegato expendebamus; certum enim est, coram eo reconuentionem dari, non autem coram arbitro. Rationem discriminis aliqui ex eo petunt, quòd reconuentio locum non habet nisi apud iudicem, quem solus actor elegit, vt probat textus sic communiter acceptus *in d.l.Papinianus, in fine*; secus verò, si ambo iudicem eligant, quia cessat ratio dictæ legis, & per consequens reconuentio. Vnde cùm arbitri vtriusque litigantis consensu eligantur, *c.1.hoc tit.* delegatus verò iudex sæpe sæpius ad solius actoris petitionem detur, inde coram arbitris reconuentio cessat; coram delegatis verò admittitur. Ita docent Panorm. *in præsenti*, *n.* 6. & *in c.1. de mutuis petit. notab.* 1. & 2. Barbosa *in l. qui prior*, *n.*42. *ff. de iudiciis*, Cardoso *in praxi, verbo Reconuentio*, *n.*9. Maranta *de ordine iudic. disp.*5. *n.*7. Sed hæc differentiæ ratio conuincitur, primò quia coram iudice ordinario rei, quem actor non elegit, sed necessitate iuris adire cogitur, cùm eius forum sequi teneatur, *cap. cùm sit generale, de foro compet.* reconuentio admittitur, *cap.*2. *de mutuis petitionibus*: igitur verum non est, tantùm admitti reconuentionem coram iudice ab actore tantùm electo. Secundò certum est, apud iudicem prorogatum ex consensu vtriusque partis habere locum reconuentionem. Glossa *in l. etsi receptum*, *ff. de iurisdict.* vbi Orosius Zasius *lib.*2. *singul. cap.*27. & tamen in ea specie non eligitur iudex à solo actore, sed etiam à reo, *l.* 2. *ff. de iud.* igitur coram iudice ex partium consensu electo reconuentioni locus est.

6. TRADITVR VERA SOLVTIO.

Omissâ igitur prædictâ differentiæ ratione, veriùs respondendum est, arbitrum non posse de mutua petione cognoscere, aut coram eo reconuentionem fieri; quia cùm potestas ipsius omnino pendeat à partium compromisso, lex aliquam prorogationem non induxit ad ea, quæ comprehensa non sunt in ipso compromisso, ne contra mentem compromittentium aliquid statuatur, cùm compromissa maximè stricta sint. Glossa vltima *in cap. cum secundò*, *de officio deleg.* vnde prouisio partium compromittentium super certa causa tollit prouisionem legis, argumento textus *in l.vlt.C. de pactis conuentis*: at verò in delegato, quia iurisdictionem exercet, & ita publicam auctoritatem habet interpretandam iuxta communes iuris regulas, & mentem delegantis, meritò lex ipsa prorogationem inducit, per quam potestas illa extenditur ad causam reconuentionis, *ex d.cap.*1. *de mutuis petit. d. l.cùm Papinianus*: & hoc est, si attentè legatur præsens decisio, quod Innocentius innuit, dum docet reconuentionem in arbitris cessare, quia eorum potestas versatur tantùm circa expressa, & lex nullam prorogationem inducit; sine extensione autem potestas arbitrorum ad reconuentionem trahi non potest: quod secus procedit in iudice delegato, cuius potestas extenditur per legem, ita vt cognoscere possit non solùm de expressis in rescripti tenore, verùm de aliis, quæ per extensionem legis ex æquitate includuntur: & ita ratio defenditur nostri Innoc.III. quam diminutam, nec concludentem esse existimarunt Panormit. hîc, *n.*6. Iaso *in d.l. est receptum, num.vlt.* vbi Orosius *n.*14. vnde deducitur arbitros iuris susceptos ex iuris necessitate, qui æquiparantur iudicibus delegatis, *c.arbitris*, *de officio deleg.in* 6. posse adiri per viam reconuentionis, quia amplam ex iuris dispositione accipiunt potestatem, vt pluribus relatis docent Ripol. *variar.resol.cap.*4. *num.*66. Ansaldus *de iurisdict. p.*3. *tit. vnico*, *cap.*9. *num.*15. Vrsinus *d.cap.*12. *num.*18.

7. EXPONITVR L. NON DISTINGVEMVS §. ITEM, ff. HOC TIT

Sed adhuc suprà dictæ assertioni obstat textus *in l. non distinguemus* 32. §. *item si quis*, *ff. hoc tit.* vbi agitur de Legato Romæ degente; & quæritur,

quæritur, an ſi compromiſſum fecerit, poſſit petere vt arbiter ſententiam ferat? Et affirmat Paulus, ipſum petere poſſe, vt arbiter dicat ſententiam, quia etſi iudicium ſuſceperit, cogetur peragere, perindeque haberi, ac ſi Legatus velit actionem dictare, quod ei facere licet. Hoc autem compromiſſum comparandum eſſe actioni ordinariæ, Paulus docet, videlicet, vt ſicut Legatus agens ordinaria actione, cogitur reconuentus ſe defendere; ita in compromiſſo non magis admittatur Legatus deſiderans, vt arbiter ſententiam dicat, quàm ſi ſe defendat. Ex quibus verbis deducitur, Legatum compromittentem poſſe reconueniri coram arbitro: igitur quia arbitri cognoſcere poſſunt de mutua petitione. Difficile etiam eſt idem Pauli reſponſum, dum docet, Legatum, pendente legatione, poſſe actiones ſuas intentare; cùm certum ſit iuris principium, Legatum, dum legationis causâ Romæ moratur, in iudicio agere non poſſe, niſi iniuriam propriam proſequatur, *l. Paulus* 8. § *finali*, *cum lege ſequenti*, *ff. de legationibus*: igitur *in dict.* § *item Legatus*, nec actiones intentare, nec petere, vt arbiter ſententiam diceret, poterat. Primæ difficultati reſpondendum eſt, in eo §. non affirmari, Legatum ſe defendere debere in cauſa reconuentionis coram arbitro, ſed tantùm cogi ſe defendere, videlicet coram iudice ordinario, quaſi dicat Paulus: Legatus poteſt poſtulare, vt arbiter ſententiam dicat, ſi paratus ſe ſit defendere coram iudice ordinario, non autem coram arbitro, coram quo reconuentioni locus non eſt, vt docuit Vrſinus *de reconuentione*, *cap.* 22. *num.* 16. Secundæ difficultati variis modis ſatisfacere intendunt iuris Interpretes. Cuiacius *lib.* 22. *obſerv. cap.* 22. exiſtimat, in eo textu addendam eſſe negationem, vt legatur, *ſi actionem velit dictare*, *quod ei facere non licet.* D. Ioannes Suarez *ad legem Aquil. lib.* 3. *cap.* 7. *ſect.* 2. *num.* 7. affirmat, Legatis non licere actiones ſuas exercere dum in legatione morantur, ſub pœna duntaxat deſertæ legationis; quia eâ impoſitâ negotia priuata à Legatis geſta vires habent, nec ipſo iure nulla ſunt. Aliter ſatisfacit Oſualdus *lib.* 17. *ad Donel. cap.* 18. qui ait, Legatum non poſſe negotia etiam ſua curare, cùm de publico iure, & officio Legati quæritur, *dict. l. Paulus, cum ſequent.* cùm verò de iure priuato agit, licere illi actionem dictare. Sed hæc, & alia latiùs examinabimus *in cap. fin. de foro compet.*

8. INTELLIGITVR L. QVI ARBITER, FF. HOC TIT.

Secundò opponi poteſt textus *in l. qui arbiter* 20. aliàs *l. ſi cùm dies*, §. *plenum*, *ff. hoc tit.* vbi poſtquam Papinianus diſſeruit, quod dicatur plenum arbitrium ad hoc, vt de omnibus controuerſiis arbitri cognoſcere poſſint, in calce textus illum caſum exagitat, in quo actum eſt, vt vna tantùm res veniat in compromiſſum. Et affirmat Conſultus, eo caſu neceſſarium eſſe exprimere in compromiſſo, vt de illa tantùm re arbiter ſententiam dicat, vt de aliis ipſe cognoſcere non valeat: igitur vltra mentem, & voluntatem compromittentium licet arbitris de cauſis, de quibus actum non erat, vt cognoſcerent, arbitrium dicere, aliàs ad quid expreſſio illa, cùm ſuperfluò adiiciantur quæ tacitè inſunt, *l. cùm quidam* 3. *ff. de rebus creditis.* Cui difficultati repondendum eſt cum Fabro in eius textus rationali, quod in eo textu tutius iudicatur, vt exprimatur controuerſia, ſuper qua compromiſſum fit, non quia neceſſaria ſit expreſſio, ſed ad tollendum omne dubium, quod ex compromiſſo vbi res expreſſa non eſt, oriri poterat. Vnde ex eo textu rectè Interpretes deducunt, abundantem cautelam non nocere: quod principium etiam probatur *ex l. ſi ſeruo*, *ff. de adimend. legat. l. teſtamentum* 12. *Cod. de teſtamentis.*

CAPVT VII.

Idem *Rectori & Fratribus Hoſpitalis S. Bartholomæi* [a] *Lucani.*

CVm olim ſuper eligendo in hoſpitali veſtro Rectore, & Fratribus, inter vos, & Priorem S. Bartholom. Lucan. coram iudicibus delegatis quæſtio verteretur, & vtraque pars in [b] eos compromittens ipſorum arbitrium ſe promiſerit ſeruaturam: ſuper prolato ab ipſis arbitrio vtrimque dubitatio eſt exorta, quam petiiſtis per Sed. Ap. declarari. Nos igitur publico inſtrumento arbitrium continente diligenter inſpecto, cognouimus, quod ſecundùm formam arbitrij Prior S. Bartholomei Lucan. tenetur [c] habere conſilium cum familia Hoſpitalis eiuſdem, & tractare cum ea de inueniendo Rectore. Propter quod dicimus, quod niſi Prior ſuper inueniendo Rectore tractauerit cum familia Hoſpitalis, & ipſius conſilium requiſierit, non habet poteſtatem eligendi Rectorem: & ſi alio modo eum elegerit, eius electio debet haberi irrita, & inanis. Verùm habito cum familia ſuper hoc conſilio, & tractatu, Prior liberè poteſt Rectorem eligere duntaxat idoneum, ſiue concordet, ſiue diſcordet familia cum ipſo ſuper inuentione Rectoris.

NOTÆ.

1. a *Lucan.*] De Lucanenſi ciuitate, & rebus eccleſiaſticis ad eam pertinentibus plura adduxi *in cap. cùm cauſa* 27. *de elect.* Præſens textus etiam reperitur *in cap.* 4. *hoc tit. in* 3. *collect.*

2. b *In eos compromittens.*] Inter electionum enim formas à iure approbatas recenſetur electio per compromiſſum, quam illuſtraui *in cap. cauſam*, *de elect.*

3. c *Habere conſilium.*] Hæc verba, & præſentem textum expoſui *in cap. cùm in veteri* 52. *de elect.*

CAPVT VIII.

Idem *in Concilio* a *generali.*

COntingit interdum, quod cùm actor. *Et infrà*: Ad hoc generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laïcum, quia non decet, vt laïcus in talibus arbitretur.

NOTÆ.

a *Generali.*] Lateranenſi videlicet celebrato ſub Innoc. III. de quo aliqua notaui *in cap.* 1. *de ſumma Trinitate.* Præſens textus reperitur in ipſo Concilio, *cap.* 40. cuius priora verba reperiuntur *in cap. contingit, de dolo & contum.* & poſt illum textum ſtatim ſubiiciuntur hæc verba: *Ad hæc generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laïcum, quia non decet, vt laïcus in talibus arbitretur.* Quæ etiam reperiuntur in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO ILLVSTRATVR.

EX hoc canone ſequens deducitur aſſertio: *Laïci, licèt vt arbitri in cauſis temporalibus etiam à clericis recipi poſſint, tamen in ſpiritualibus aſſumi non valent.* Probant textus *in cap. peruenit* 3. *cap. dilecti* 4. *cap. per tuas* 9. *cap. expoſita, hoc titulo.* Illuſtrant plures congeſti à Barboſa *in collect. & tomo 6. in ſelectis ad hunc textum*; quibus addendi ſunt Petrus Greg. *lib.* 4. *practic. tit.* 4. *cap.* 5. Martha *de iuriſdict.* 4. *part. centur.* 2. *cap.* 120. Anguianus *de legibus lib.* 2. *cap.* 23. Brito *de locato*, 2. *part. ad principium, pag.* 216. Vega, Balboa, & Garaña *in cap.* 2. *de iudiciis*, Lambertinus *de iurepatron.* 3. *part. q.* 5. *art.* 1. Hermoſinus *in cap. quanto* 3. *de iudiciis*, *q.* 4. Couarr. *de ſponſalibus* 2. *part. cap.* 8. §. 2. *num.* 2. & *practic. quæſt.* 34. *num.* 1. Maranta *de ordine iudic.* 4. *part. diſt.* 13. Fragoſo *de regimine*, *tomo* 1. *lib.* 5. *diſp.* 14. *num.* 34. Caniſius *in præſenti*, Vela 2. *tomo*, *diſſert.* 45. *num.* 9.

2. TRADITVR RATIO DVBITANDI.

Sed in contrarium pro dubitandi ratione non leuiter inſurgi poteſt ex eo, nam licèt arbitria redacta ſint ad inſtar iudiciorum, *l.* 1. *ff. hoc tit.* hoc tamen procedit quoad effectum, non verò quoad modum procedendi: iudices enim ratione iuriſdictionis procedunt; arbitri verò per viam miniſterij. Vnde arbitri nec iudices ſunt, nec publicam exercent iuriſdictionem, quam partes illis dare nequeunt, *l. ait Prætor*, §. 1. *ff. de re iudic. l. priuatorum, Cod. de iuriſdict.* quare arbitris obtemperatur potiùs metu pœnæ, quàm ob imperium ipſorum, *cap. dilecti, hoc tit.* igitur licèt laïci in negotiis eccleſiaſticis iudices eſſe nequeant, *cap. decernimus*, cum vulgatis, *de iudiciis*; arbitri tamen, cùm nullam exerceant iuriſdictionem, eſſe poſſunt. Accedit nam delegati, & arbitri æquiparantur, *cap. penult. de in integrum reſtit.* ſed laïcis poſſunt delegari cauſæ eccleſiaſticæ, *cap. Menam* 2. *quæſt.* 5. Docent Couarr. *in cap. alma*, 1. *part.* §. 11. *num.* 3. Garcia *de nobilit. gloſſa* 9. *num.* 23. Hugolinus *de cenſuris, tabul.* 1. *cap.* 1. §. 10. Suarez *eod. tract. diſput.* 2. *ſect.* 3. igitur & arbitri in eiſdem cauſis recipi poſſunt. Augetur deinde hæc difficultas, nam laïci aſſeſſores eſſe poſſunt in cauſis eccleſiaſticis, *cap. ſtatutum*, §. *aſſeſſorum, de reſcript. lib.* 6. *l. Conſiliarios, Cod. de officio aſſeſſ.* docet Barboſa *tomo* 6. *in ſelect. ad hunc textum*: ergo laïci etiam vt arbitri recipi poſſunt. Tandem augetur hæc dubitandi ratio *ex cap. dilecti, cap. expoſita, hoc tit.* vbi docetur laïcos in cauſis eccleſiaſticis arbitros eſſe poſſe.

3. DE DIVERSIS CAVSIS.

Quâ dubitandi ratione ſic fulcitâ non obſtante, vera eſt præſens conſtitutio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, cauſas in iudicio contingentes, alias eſſe eccleſiaſticas, alias temporales, mixtas alias, *cap.* 2. 4. *quæſt.* 1. *cap. ſuper eo, de officio deleg. cap. cùm ſit generale*, iunctâ gloſsâ finali, *de foro compet.* docent Martha *de iuriſdict.* 2. *part. cap.* 1. Simancas *de catholicis, tit.* 36. *num.* 1. & nos dicemus *in cap. decernimus, de iudiciis.* Ex quibus eccleſiaſticæ diuiduntur in eccleſiaſticas ſpirituales meras, & in eccleſiaſticas non meras. Meræ eccleſiaſticæ ſpirituales dicuntur, quæ per ſpiritualem cognitionem diſcutiuntur, vt docent Martha *dict. cap.* 1. *num.* 1. Suarez *in defenſione fidei, lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 8. & ideo earum diſtrictio, & cognitio dumtaxat ſpectat ad iudices eccleſiaſticos, qui ſpirituali iuriſdictioni præſunt, *cap. decernimus, de iudiciis, cap. cauſam, qui filij ſint legit. l.* 56. *tit.* 6. *partit.* 1. docent Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 3. plures relati à Fermoſino *in dict. cap. decernimus.* Cauſæ autem eccleſiaſticæ non meræ dicuntur illæ, quæ quamuis ex ſe, & natura ſua temporales ſint, ſeu profanæ; iuſtis tamen de cauſis eccleſiaſticis iudicibus reſeruatæ ſunt, *cap. vt Inquiſitores*, §. *prohibemus, de hæreticis in* 6. *c. quoniam*, ibi: *Super cauſis eccleſiaſticis, ſiue quæ forum eccleſiaſticum ſpectant; de immunit. eccleſ. lib.* 6. quibus verbis ſignificatur, alias eſſe cauſas naturâ ſuâ eccleſiaſticas, alias verò, quæ licet naturâ ſuâ non ſint eccleſiaſticæ, pertinet tamen earum cognitio ad iudicem eccleſiaſticum. Quod etiam colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 25. *de refor. cap.* 23. Vnde cauſæ omnes, tam Eccleſiarum, quàm clericorum, quæ cùm naturâ ſuâ eſſent profanæ, Pontificum, vel Conciliorum decretis Eccleſiæ iudicio reſeruantur, eccleſiaſticæ appellantur, ſed non meræ; quia idem non habent ex natura ſua, ſed ex iure conſtituto. Temporales cauſæ, ſeu profanæ ſunt, quæ ex ſe, & natura ſua non exigunt ſpiritualem cognitionem; nec in eis vlla ſubeſt cauſa, propter quam earum cognitio ad iudicem eccleſiaſticum ſpectet; & ideo in totum ad iudices laïcos pertinent, *cap. quoniam*, 10. *diſt. cap. cùm ad verum*, 93. *diſt. cap. nouit, de iudiciis.* Ex quo prouenit, vt omnes cauſæ laïcorum, tam ciuiles, quàm criminales, ad iudicium ſæculare ſpectent, vt docent P. Greg. *lib.* 47. *ſyntag. cap.* 4. Vela *in cap.* 1. *de officio Ordin. num.* 10. Tandem cauſæ mixtæ appellantur, quæ licèt naturâ ſuâ ſint temporales, earum tamen cognitio ad vtrumque iudicem, tam eccleſiaſticum, quàm ſæcularem ſpectat, & in illis præuentioni locus eſt, iuxta communiter notata

in

in cap. 1. *de officio ordin.* Martha *de iurisd.* 2. *part. cap.* 1. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 17. Salas *de legibus disp.* 9. *sect.* 5. *num.* 48. Thomas Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disput.* 54.

4. TRADITVR RATIO DECIDENDI.

Ex quibus iam apparet ratio præsentis canonis; nam cùm laïci ecclesiastica negotia, maximè ea quæ spiritualia sunt, tractare non possint, sed ecclesiastico iudicio sint reseruata, *cap.* 2. *de iudiciis*, quia eorum cognitio dependet ab spirituali cognitione, quam Christus Dominus Petro, & successoribus concessit, vt ab eis in inferiores Prælatos deriuaretur, vt *Ioannis cap. vlt. Matthæi cap.* 16. defendunt Bellarminus *lib.* 1. *de clericis*, *cap.* 28. Morla *in emp. tit. de iurisdict. quæstion.* 12. Couarr. *practic. quæst.* 31. & etiam quia ecclesiasticarum causarum cognitio à iure iudicio Ecclesiæ reseruata est, *cap. Syluester*, *cap. continua* 11. *quæst.* 3. Vnde laïci, qui rebus sæcularibus sunt implicati, non debent tractare huiusmodi negotia, *cap. ad verum*, 96. *dist.* non enim est concedenda auctoritas iudicandi illis, quibus obsequendi manet necessitas, *cap. Ecclesias*, *de constit. cap. cùm laïcis*, *de rebus Ecclesiæ.* Quæ cùm ita procedant in iudiciis, & arbitria sint redacta ad instar iudiciorum, *l.* 1. *ff. hoc tit.* rectè Innocentius in præsenti canone constituit, ne in laïcos in spiritualibus causis compromissum fiat, cùm indecens sit, vt laici in his causis arbitrium dicant. Quam decisiuam rationem licèt reprehendat Anguianus *lib.* 2. *de legibus*, *cap.* 23. *num.* 12. veram existimo, eamque illustrat Barbosa *in selectis ad hunc textum.* Sed licèt verum sit, laïcos in causis spiritualibus arbitros esse, non posse tamen vt arbitratores recipi, omnes Interpretes affirmant & docent Bobadilla *tom.* 1. *polit. lib.* 2. *cap.* 18. *numer.* 140. plures relati à Barbosa *in selectis ad hunc textum*, *num.* 13. Fragoso *dict. tract. de arbitris*, *disput.* 14. *num.* 34. non enim omnes, qui prohibentur arbitrium dicere vt arbitri, vetantur vt arbitratores assumi; quia tunc procedunt, non tanquam iudices, sed vt amicabiles compositores, vt docent Blancus *de arbitris*, *num.* 56. Lanfrancus *eod. tract.* 2. *part. num.* 5. Vnde Iudæi, quamuis nequeant arbitrium dicere in causis Christianorum, vt probat Fragoso proximè, *n.* 41. arbitratores tamen eligi possunt: & similiter monachi, qui prohibentur compromissum suscipere, arbitratores esse possunt, *cap. iniustum* 11. *quæst.* 3. Docent Bajo-Arroyo *in cap. Quintaualis*, *num.* 156. *ff. de iureiurando.* Accedit, nam arbitrator non iudicialiter, sed amicabiliter procedit: vnde cessat ratio incapacitatis, & indecentiæ suprà expensa.

5. DISSOLVITVR DVBITANDI RATIO.

Nec obstat difficultas suprà pro dubitandi ratione perpensa; nam licèt verum sit, arbitrum non virtute iurisdictionis, sed potiùs vt à partibus electum, posse de causis, controuersiisque cognoscere, & ideo ante Concilij Lateranensis tempora, de quo in præsenti, laïcos etiam in causis ecclesiasticis recipi posse; tamen post prædictum Concilium arbitri designari non possunt; id enim expressè prohibuerunt Patres in præsenti capite, quia licèt non adsit ratio iurisdictionis, quæ in arbitro non datur, adest tamen ratio indecentiæ, quam assignarunt Patres in præsenti, supponentes compromissum in laïcos factum super re spirituali, stricti iuris rigore valere, verùm deinceps prohiberi tale compromissum ob indecentiam, quæ in eo maximè consistit, quod arbitri in multis ad instar iudicum, & in formam iudicij procedunt, ordinemque iudicarium obseruare tenentur, *l. idem Pomponius*, *§. recepisse*, *ff. hoc tit.* inhonestum autem visum est Partibus Concilij Later. laïcos vt arbitros in causis ecclesiasticis procedere, ne in eis aliquam iurisdictionem exercere videantur. Quæ indecentiæ ratio licet per se non sufficeret ad compromissum vitiandum super re factum ecclesiastica, eâ tamen nititur præsens Concilij constitutio, vt huiusmodi compromissum deinceps non fiat, vt docent Anguianus, & Barb. *vbi proximè.* Nec augmentum difficultatis petitum ab exemplo delegatorum obstat; nam verum est, quod licèt laïci in causis ecclesiasticis, vt iudices ordinarij procedere non possint, tamen tanquam delegati de eis cognoscere valent. Discriminis ratio ex eo prouenit, quia laïcorum incapacitas impedit iurisdictionem proprio iure exercere, *dict. cap. decernimus*, *de iudiciis*; non autem nomine delegantis, quia tunc non proprio nomine, sed ex persona Pontificis delegantis iurisdictionem exercent, *cap. sanè*, *de officio delegati*, *l.* 2. *§. qui mandata*, *ff. de officio eius*; & ideo ipse R. P. potiùs iurisdictionem exercere videtur, regulâ *qui faciunt*, *de regulis iuris lib.* 6. Nec obstabit si instes, iudicem delegatum in causa sibi commissa proprio iudicio vti, *cap. prudentiam*, *§. illa*, *de offic. deleg.* & tamen laïcis interdictum est proprium iudicium in causis ecclesiasticis interponere, *dict. cap. decernimus.* Igitur nec vt laïci procedere possunt. Nam respondeo, iudicium *in dicto cap. decernimus*, non accipi pro sensu mentis, vel animi sententia; sed potius pro imperio, & iurisdictione, vt ibi repetentes communiter docent. Nec vltimum augmentum refragatur deductum *ex cap. dilecti*, *cap. exposita*, *hoc tit.* Pro quorum expositione varia adducunt Interpretes. Aliqui enim affirmant, in dictis decisionibus sustineri compromissum in laïcos factum, quia non super rebus ecclesiasticis, sed temporalibus factum fuerat, super quibus etiam à clericis in laïcos compromitti potest: docent Martha *de iurisdict.* 4. *part. centur.* 1. *casu* 40. *num.* 1. Fermosinus *in cap. quantò*, *num.* 3. *de iud.* Sed hac solutione omissâ dicendum est *in dict. cap. exposita*, ideo compromissum factum in laïcos sustineri, quia cum licentia, & auctoritate R. Pontificis factum fuit, vt constat ex illis verbis, *litteras nostras*, & docet Balboa *in dict. cap. decernimus*, *num.* 154. Etiam pro interpretatione textus *in dict. cap. dilecti*, dicendum est, illum procedere ante Concilij Lateran. constitutionem in præsenti relatam; cùm enim, vt suprà dixi, ante tempora Concilij Lateran. non esset prohibitum compromissum in laïcos etiam super rebus ecclesiasticis; ideo in eius textus specie compromissum non fuit improbatum: quo modo etiam intelligitur textus *in cap. plures* 54. 16. *quæst.* 1. vbi causa ecclesiastica compromittitur in populum, vbi laïci erant; quod admittebatur ante tempora nostri Concilij Later.

6. EXPONITVR CAP. PER TVAS 9. HOC TITVLO.

Adhuc superiori assertioni aperto marte opponitur textus *in c. per tuas 9. hoc tit.* vbi refertur super hospitale S. Allucij compromissum factum fuisse ab Hospitalariis S. Ioannis Hierosolimit. Pisis commorantibus, & Plebano, hoc est Parocho de Pisis in duos laïcos, & vnum Sacerdotem, qui arbitrium in causa dixerunt: sed Hospitalarij litteras impetrarunt ad Conradum Archiepiscopum Pisanum, vt arbitrium à supradictis compromissariis prolatum executioni mandaret: coram ipso Plebanus proposuit, arbitrium seruandum

uandum non esse duplici ex causa. Prima, quia factum fuerat à procuratore non habente ad compromittendum speciale mandatum, sed tantùm generale ad litigandum. Secunda, quia factum erat in laïcos, cùm ageretur de Hospitali, cuius causæ cognitio ad iudices ecclesiasticos spectat, *c. inter* 8. *de donationibus*, vbi alia causa eiusdem Hospitalis coram ecclesiastico iudice disceptatur. Consultus super his Innocentius III. decreuit, quod si tale compromissum receptum fuit à prædicto Plebano, executioni mandetur; si autem receptum non fuit, sed tantùm pœna promissa, ipsa soluatur; si verò nulla pœna statuta fuit, tunc procuratorem ad interesse esse condemnandum; non autem compromissum vitiari ex eo, quòd in laicos factum fuerit. Ex qua Innocentij decretali apertè deducitur, compromissum super re spirituali in laïcos factum vires habere. Difficultatem agnouerunt repetentes in eo textu. Balboa *in cap.* 2. *num.* 154. *de iudiciis*, qui affirmant ibi valere compromissum in laïcos factum, quia non agebatur de re spirituali, sed temporali; hospitale enim, nisi expressè à Pontifice in titulum beneficij erigatur, non est beneficium ecclesiasticum. Clement. 2. *de prabendis*, Selua *de beneficiis*, 3. *part. quæst.* 57. Corrasius *eod. tract.* 1. *part. cap.* 3. *num.* 1. Quintanadueñas *lib.* 1. *ecclesiast. cap.* 1. *num.* 13. Sed hæc solutio expressè refellitur *ex dicto cap. inter* 8. *de donat.* Vbi causa ipsius Hospitalis disceptatur coram iudice ecclesiastico: & ex eo, quia Hospitale plerumque beneficij ecclesiastici nomine comprehenditur, *Clem.* 2. §. *vt autem*, *de relig. domib.* docent P. Greg. *de beneficiis cap.* 11. *num.* 6. Barbosa *lib.* 2. *iuris eccles. cap.* 11. Cæsar *de ecclesiast. hierarch. disput.* 14. §. 4. & nos *in cap.* 3. *de relig. domibus*. Aliter difficultatem ipsius textus dissoluere intendunt Decius, & Panormit. *in eo textu*, Couarr. *practic. quæst.* 34. asserendo in eo textu compromissum valuisse ratione socij, videlicet quia factum erat in vnum clericum, & duos laïcos, & sic ex persona clerici sustineri compromissum, argumento textus *in cap. quod in dubiis*, *de consecr. eccles. l. is qui duos*, *ff. de liberat. legat. l. liberis*, §. *si duo*, *ff. de liber. causa*, iunctis traditis ab Ansaldo *de iurisdict.* 2. *part. tit.* 11. *cap.* 21. Sed hæc solutio reiicitur ex lege *Padius*, §. *fin. ff. hoc tit.* vbi asseritur compromissum factum in seruum, & hominem liberum non valere, quia incapacitas serui non tollitur per socium liberum hominem. Accedit, nam cùm forma compromissi sit, vt omnes cognoscant, & pronuntient, *l. non distinguemus* 32. §. *cùm in plures*, *ff. hoc tit.* & formâ actus ad vnguem non seruatâ, corruat actus, *l. diligenter*, *ff. mandati*; & compromissum indiuiduum sit ratione formæ, vt probat Pichardus *in* §. *quod si quis*, *ex num.* 13. *Instit. de inutil. stipul.* vtile per inutile in præsenti casu vitiatur, vt considerat Moez *obseru. iuris*, *cap.* 3. His ergo solutionibus omissis, dicendum est, veram rationem, quare compromissum in eo textu sustinetur, assignari à Pontifice *in vers. fin.* scilicet quia arbitri in ea specie electi, & recepti fuerunt ex consensu, & auctoritate Archiepiscopi Genuensis A. S. L. Vnde cùm laïci de rebus spiritualibus tantùm propter indecentiam arbitrium dicere prohibeantur, vt suprà dixi, & hæc cesset interueniente Pontificis, aut eius Legati licentiâ, vt considerat Innoc. in eo textu; ideo cessante prohibitionis ratione, compromissum sustinetur, vt docent Barb. *tomo* 6. *in select. ad illum textum*, aliis relatis Velasco *de priuil. miserab. pers. tom.* 3. *quæstion.* 10. *num.* 37.

7. INTELLIGITVR CAP. EXAMINATA, DE CONFIRM. VTILI.

Deinde præsenti constitutioni aduersatur textus *in cap. examinata* 7. *de confirm. vtili vel inutili*, vbi proponitur, controuersiam disceptatam fuisse super iure patronatus cuiusdam ecclesiæ inter nobilem virum Matthæum de Riparia, & quosdam milites Campaniæ S. Ioannis Hierosolym. & cùm ageretur iudicio possessorio, ne fructus dilapidarentur, Ecclesia sequestrata fuit penes Vicedominum Sabinensem, in quem compromissum litigatores fecerunt: & cùm arbitrium dixisset contra formam compromissi, ipsum nullius momenti esse Innocentius decreuit, non obstante confirmatione Cœlestini prædecessoris sui. Vnde iterum in causa processum fuit, vt constat *ex cap. examinata* 15. *de iudiciis*, vbi extat posterior pars ipsius decretalis. Ex dictis autem deducitur, etiam post Concilium Lateran. super causis ecclesiasticis compromissum posse fieri in laïcos; siquidem in illo casu compromissum factum fuit in Vicedominum super iurepatronatus, quod licèt spirituale non sit, tamen spiritualibus est annexum; vnde eius cognitio ad iudicem ecclesiasticum spectat, *cap. quantò*, 3. *de iudiciis*. Etiam difficilis est textus ille dum docet, adhuc sequutâ confirmatione Pontificis non firmari arbitrium ab arbitris prolatum; nam confirmatio R. Pontificis actum aliàs inualidum reddit, *cap.* 1. *de transact. cap.* 1. *de confirm. vtili*: igitur ratione confirmationis Pontificiæ arbitrium in ea specie sustineri debebat. Primæ difficultati satisfaciendum est obseruando, Vicedominum in eo textu non significare personam sæcularem, imò potius importare ecclesiasticam. Vicedominus enim appellatur, qui vices gerit Episcopi, & ab eo præponitur causis ecclesiasticis pertractandis, de quo *in cap. volumus*, *cum sequent.* 89. *dist.* Concil. Mogunt. sub Carolo, *can.* 50. & in capitular. Caroli Magni *lib.* 5. *cap.* 120. qui in Diaconatus ordine erat constitutus, de cuius officio, & dignitate agunt Dartis *in dict. cap. volumus*, I. Filesacus *in cap.* 4. *de officio Ordin.* Cuiacius *in dict. cap. examinata*, Cironius *ad titul. de procurat.* & nos *in cap.* 38. *de simon.* Altesserra *dissert. iuris can. lib.* 2. *cap.* 9. *per tot.* Quare cùm Vicedominus esset Diaconus, & iudex ecclesiasticus, ideo compromissum in eum fieri potuit, licèt arbitrium ab eo prolatum, quia contra formam compromissi dictum fuit, vires non habuit. Nec confirmatio Pontificis in ea specie aliquid operatur, quia licèt confirmatio specialis ex certa scientia facta, actum aliàs inualidum, validum reddat; tamen confirmatio in forma communi nullum ius de nouo tribuit, *cap. quia*, *de conces. prabenda*. Docent Suarez *lib.* 8. *de legibus*, *cap.* 18. *num.* 8. Cancerius *lib.* 1. *var. cap.* 3. *num.* 177. Balboa *in cap.* 2. *de iudiciis*, *num.* 159. Alia dabimus pro ipsius textus interpretatione *in cap.* 3. *de iudiciis*.

CAPVT

CAPVT X.

Idem [a] *Pisano Archiepiscopo.*

PEr tuas nobis litteras intimasti, quod cùm super executione arbitrij, quod inter Hospitalarios S. Ioannis, & Plebanum de Piscia, super hospitali S. [b] Allucij latum erat, à nobis litteras recepisses, partibus in tua præsentia constitutis, Hospitalarij à te [c] executionem arbitrij postulabant, asserentes illud debere obseruari pro eo, quod procurator Plebani [d] sponte in arbitros [e] iuramento interposito compromisit, quoniam dicebat potestatem compromittendi, & transigendi super eodem negotio recepisse. Plebanus item proposuit ex aduerso, quod ad causam tractandam prædicto procuratori dedit generale mandatum, non tamen ei mandauit, vt sine speciali mandato suo compromittere posset, vel transigere super eo: & præterea procurator iamdictus de assensu Canonicorum non fuerat institutus, & ideo dicebat id [f] arbitrium non valere, præsertim cùm procurator mandati fines excesserit, & arbitrium fuerit per vnum clericum, & duos laïcos promulgatum, licèt ipsi de assensu v. f. n. [g] Ianuen. Archiepisc. cui causa commissa fuerat, arbitrium protulissent. Vnde cùm super his dubietas fuisset exorta, per Ap. Sed. oraculum edoceri petiisti, qualiter super negotio ipso tibi sit procedendum. Super quo f. t. t. r. quod in primis est, vtrum arbitrium ipsum ex parte Plebani receptum fuerit, distinguendum. Si enim receptum fuerit, indistinctè ratum haberi debet, ac per hoc iuxta tenorem mandati Apostolici executioni mandari. Si verò receptum non fuerit, refert vtrum fuerit, vel non fuerit de obseruando ipsum pœna statuta. Et quidem si pœna fuerit apposita in compromissione, agi potest ad [h] pœnam: at si nulla pœna statuta fuerit, sed simpliciter stare, sententiæ fuit compromissum, procurator ad [i] interesse poterit conueniri; quia iuramento suo seipsum personaliter, non Ecclesiam poterat obligare. Quod verò à duobus laïcis, & [k] vno clerico dicitur esse latum, nequaquam obuiare videtur; cùm auctoritate dicti Episcopi factum sit, cui causa, de qua dicitur compromissum, fuerat delegata.

NOTÆ.

1. a *Pisano.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. Pisa nobilis, & antiqua ciuitas est Tusciæ, metropolis Corsicæ, Primatiaque Sardiniæ, cuius meminerunt Virgilius 10. *Æneidos.* Rutilius Numanc. *lib.* 1. *itiner.* Colonia fuit Romanorum, dicta Iulia, vt probat Vghellius *tomo* 3. *Italiæ sacræ*, *fol.* 388. & plura de eius situ, & conditoribus cumulauit Coronel. *in notis ad Gongoram*, *tom.* 3. *fol.* 450. Iam Episcopali Cathedrâ decorata erat per annum 313. quo tempore Gaudentius eius vrbis Episcopus subscripsit Synodo Romanæ celebratæ sub Melchiade. Vrbanus secundus Archiepiscopali dignitate eam decorauit, illiusque Præsulem Primatem Corsicæ, atque Sardiniæ declarauit, vt referunt Vghellius *vbi supra*, Barbosa *de potest Episc. tit.* 3. *cap.* 7. huius Ecclesiæ Archiepiscopo Conrado dicto rescribit in præsenti Innocentius.

2. b *Hospitali S. Allucij.*] Quod est in ciuitate Luca, prope Pisanam. Eius mentio fit *in cap. inter* 8. *de donat.* vbi saluo iure huius Plebani adiudicatum fuit monasterium hoc Hospitalariis S. Sepulchri, de quibus in hoc textu.

3. c *A te executionem.*] Licèt enim iure ciuili inspecto non possit agi ad executionem arbitrij per arbitros prolati, sed tantùm ad pœnam; tamen ex iure canonico, & nostro Regio arbitrorum sententia executioni mandatur, vt probaui *in cap.* 2. *hoc tit.*

d *Sponte.*] Nam compromissum voluntariè debet fieri, vt probaui *in cap.* 1. *hoc tit.*

e *Iuramento.*] Iure enim canonico iuramentum admittitur in compromisso, vt notaui *in cap.* 2. *verbo Sacramentum*, *hoc tit.*

f *Arbitrium non valere.*] Procurator enim, qui tantùm generale mandatum ad causam in iudicio prosequendam habet, absque speciali compromissum facere nequit, vt vulgò in præsenti notatur, & probat Sesse *tomo* 4. *decis.* 431. Ratio in promptu est, nam cùm compromissum sit transactionis species, & procurator sine speciali mandato non possit transactionem facere, *l. transactionis*, *C. de transact.* pluribus relatis probat Valeron *de transact. tit.* 4. *quæst.* 5. *per totam*; ideo nec potest compromissum facere. Accedit nam ea, quæ sunt magni præiudicij, procurator sine speciali mandato peragere non valet, *cap. qui ad agendum*, *de R. I. lib.* 6. sed per compromissum magnum præiudicium domino irrogari potest: igitur sine speciali mandato procurator illud facere nequit. Sed si de facto procurator compromissum fecerit, succedit distinctio ab Innoc. III. in præsenti adducta, videlicet quod si pœna, vt plerumque contingit, compromisso adiecta sit, ad eam procurator tenetur; sin autem adiecta non sit, in id, quod interest aduersario, condemnabitur, vt exponit Canisius *in præsenti.* Quod si procurator habeat speciale mandatum ad compromissum faciendum, non semel, sed sæpe sæpius illud facere potest, vt pluribus relatis docet Fragoso *dict. disput.* 14. *de arbitris*, *num.* 48. 4.

g *Ianuen.*] Albinganensis, tunc temporis Archiepiscopi

chiepiſcopi Ianuenſis, cui reſcribit idem Innoc. *lib.3. epiſt.158.*

h *Poteſt ad pœnam.*] Tantùm videlicet, quia promiſſa non fuit rato manente compromiſſo, aliàs & pœna committeretur, & integrum maneret compromiſſum, iuxta tradita *in cap. 2. hoc tit.*

i *Ad intereſſe.*] Quia partes tenentur ad pœnam præſtandam, ſi adiecta ſit, & ſi illorum nihil interſit; ſi verò pœna non apponatur, tantùm ad intereſſe agi poteſt, vt notaui ſuprà *in cap.2.*

k *Laïcis, & vno clerico.*] Hæc verba expoſui in commentario antecedenti, *n. penult.*

CAPVT X.

Honorius III. *Archiepiſcopo* [a] *Colon.*

EX parte tua noſtris eſt auribus relatum, quod vacante Præpoſiturâ ſancti [b] Cuberti in Colonia, Canonici eiuſdem Eccleſiæ electioni die præfixâ, de præficiendo ſibi Præpoſito diſcordantes, vota ſua diuiſerunt in duos, quorum vnum, videlicet Hermanum de Viliaco, Decanus & ſocij ſui: alij verò Conradum de Bobadia Colon. Canonicum nominarunt: cumque poſtmodùm tractaturæ ſuper electione huiuſmodi partes eſſent in tua præſentia conſtitutæ, in te demùm fide [c] præſtita compromittere [d] curauerunt, qui cauſæ meritis diligenter inſpectis, & cognitis, ad ferendam diffinitiuam ſententiam diem ipſis conſentientibus [e] præfixiſti: interim verò præfato H. ab vna parte electo, ſublato de medio, ſupradictis Canonicis inhibere curaſti, ne tuâ pendente ſententiâ procederetur ab ipſis ad aliam electionem faciendam: quorum quidam nihilominus Brunum de Abech, Colonienſem Canonicum elegerunt. Die ergo, quo proferri ſententia debuit conſtitutis in tua præſentia partibus, & præfato C. vt diffinitiuam proferres ſententiam poſtulante, dictus Brunus è contrario allegauit, quod procedere vlteriùs non deberes. Quapropter quid à te ſuper hoc eſſet agendum, edoceri à nobis humiliter poſtulaſti. Ad quod tibi breuiter reſpondemus, quod licèt arbitrium ſit finitum per mortem ipſius H. priùs tamen de [f] primæ electionis meritis debuiſti cognoſcere, quàm proceſſus fieret ad ſententiam: nam ſi fortè prædictus C. qui eſt ſuperſtes, in electione ius habet, de qua compromiſſio facta fuit in te, electionem factam de ſecundo conſtat penitus non valere.

NOTÆ.

1. a *Colonienſi.*] Engelberto videlicet, qui Eccleſiæ Colonienſi præfuit ab anno 1216. vſque ad annum 1225. quo occiſus fuit à nepote ſuo, vt ex Rubeo, & Surio refert Cironius *in 5. compil. in cap. 1. de corpore vitiatis.* De Eccleſia Colonienſi aliqua adduxi *in cap. ad aures, de ætate & qualit.* & textum hunc tranſcribo ex quinta compilatione, vbi ſub hoc titulo capite primo reperitur.

2. b *S.Cuberti.*] ita legitur in 5. compil. ſed malè, legendum enim eſt S. Cuniberti, vt legitur apud Raymundum. Coloniæ enim extra muros eſt Eccleſia Collegialis dicata S. Cuniberto, qui fuit Præſul ipſius Eccleſiæ Colonienſis.

c *Fide præſtita.*] Quæ pro iuramento habetur, vt probaui *in cap. ad aures, de his quæ vi.* 3.

d *Compromittere.*] Poteſt enim compromiſſum fieri, non ſolùm ad electionem faciendam, vt probaui *in cap.3. de electione*; verùm & ſuper iure electionis iam factæ, *cap. cùm olim 7. hoc tit.* imò & ſuper Eccleſia iam obtenta, *cap.2.hoc tit.*

e *Præfixiſti.*] Cùm enim dies à compromiſſariis adiectus non eſt arbitrio dicendo, poteſt præfiniri ab arbitris, *l.ſed ſi 14.ff. hoc tit.*

f *De primæ electionis.*] Primâ enim electione non caſſatâ, procedi non poteſt ad ſecundam, ex ratione textus, iunctis ibi adductis *in cap.conſideranimus, de electione.* Vnde in præſenti caſu prohibere potuit Archiepiſcopus, ne ad ſecundam electionem procederetur primâ pendente. 4.

CAPVT XI.

Idem *electo, & Abbati S.* [a] *Zenonis, & Conſtantino Canonico Veron.*

EXpoſita nobis dilecti filij O. [b] Feltren. & [c] Bellunen. electi petitio continebat, quòd cùm cauſam, quæ inter quondam bonæ memoriæ anteceſſorem ſuum ex vna parte, & ciues [d] Taruiſinos ex altera, ſuper diſtrictu, & iuriſdictione, ac rebus aliis vertebatur, per ſententiam ven. noſtri [e] Oſtienſis Epiſcopi, tunc Apoſtolicæ Sedis Legati, fuerit terminata, & ipſius anteceſſor electi adiudicata ſibi per Lega-

tum

tum eundem diu pacificè possedissent; ipse nihilominus tandem de Capitulorum suorum assensu in præiudicium Ecclesiarum suarum super quibusdam discordiis, quæ hinc inde videbantur exortæ, in nobilem virum [f] Ducem Venetorum, tanquam in arbitrum cum altera parte compromisit, qui veniens contra eandem sententiam auctoritate postolica confirmatam, super rebus iudicatis ab eodem Legato aduersus prædictas ecclesias, æquitate postpositâ iniquum arbitrium promulgauit. Licèt autem eidem uci litteras nostras miserimus, vt ad componendum inter partes laborare deberet cùm tamen intentionis vestræ non fuerit immutare ipsam sententiam, vel sopita er eam querimonias suscitare, discr. vestræ mandamus, quatenus præfatis litteris non obstantibus, quidquid per prænominatum Ducem contra ipsius Legati sententiam ueneritis esse factum, in irritum reuocetis, ei districtiùs inhibentes, ne vlteriùs compromisso procedat, & eundem ad restitutionem [g] obsidum, & cuiusdam castri, asione ipsius compromissi sibi datorum, vt ipsius arbitrium seruaretur, per censuras cleſiasticas, appellatione postpositâ [h] compellatis.

NOTA

a *Sancti Zenonis.*] Ver æ est nobile, & di-
1. tissimum monasteriu Ordinis Diui Be-
nedicti, à Pipino Rege c ructum, & amplè
dotatum in honorem Sanct enonis Veronen-
sis Præsulis: in quo sepultus ipse Pipinus, vt
refert Yepes *tomo* 3. *chron. D edicti, centur.* 4.
pag. 279.

b *Feltrensis.*] Feltra cele ciuitas est in
2. Alpibus: habet Eccleſiam Cath lem suffraga-
neam Patriarchæ Aquileiensis, rimas totius
Venetiæ, & ditionis est. Paulu onus *lib.* 2.
cap. 14. Venetiæ Aquileia ciuit put extitit.
Leo IX. *epist.* 2. *Iudicio totius Sanct odi diffini-*
tum fuit, vt noua Aquileia totius V & Istriæ
caput, & Metropolis perpetuò haber vt nota-
uit Philippus Berterius *diatrib.* 2. *pag.*

c *Belunen.*] Vulgò dicta ciuit *Belun,*
quæ patet etiam Patriarchæ Aquileien

d *Tarui sinos.*] De quibus nonnull uxi *in*
cap. 7. *de constit.*

e *Hostiensis Episcopi.*] Hugolini vi t de
3. Signia, qui ex Diacono Cardinali tituli ta-
chij ab Innocentio III. in Episcopum n-
sem electus fuit anno 1206. & post trepi
gationes, implicitaque expedita negotia
Apostolicæ Sedis fastigium prouectus fuit
1227. Gregorius IX. felicissimo omine ap
latus.

f *Ducem Venetorum.*] Petrum videlicet D
ciani dictum, qui electus fuit anno 1205. vt r
fert Laurentius Iustinianus *lib.* 2. *historiæ Venet*
cap. fin.

g *Obsidum.*] Licèt homines liberi pignori
4. dari non possint, *cap.* 2. vbi plura dabimus, *de*
pignoribus; tamen in obstagium designari pos-
sunt, *cap. ex rescripto, de iureiur. cap. vt pri-*
dem 23. *quæst. vlt.* quod ius, & conditionem ob-
sidum latè exponunt D. Iosephus Vela *tom.* 2. *dis-*
sert. 35. *num.* 125. Cironius *ad titulum de feudis,*
& *in dict. cap. ex rescript.* Caldeira *lib.* 1. *de error.*
cap. 9. Anguianus *lib.* 3. *controu. cap.* 25. Petrus
Herodius *lib.* 3. *Pandect. tit.* 4. *cap.* 5. Grotius *de iu-*
re belli, lib. 1. *cap.* 26. Alber. Gentil. *lib.* 2. *eod. tract.*
cap. 19.

h *Compellat is.*] Sed adhuc hæc controuer- 5.
sia decisa non fuit; siquidem Ioannes Andreas
in notis ad Speculat. tit. de arbitris, § 1. refert suis
temporibus instauratam fuisse litem hanc.

COMMENTARIVM.

CErtum est, compromissum fieri non posse su-
per causa iam iudicis sententiâ decisâ, aut 6.
dubiis ex ea prouenientibus, quæ possint sententiam ipsam euertere, *l. cùm fideicommissum* 7. *de confessis, l. eleganter, ff. de conditione indebiti, l. post rem, ff. de transactionibus, l. si duobus, ff. de except. rei iudic.* Docent Petrus Gregorius
lum. 1. *disp. tit.* 4. *cap.* 3. Hunnius *ad Treutl. vo-*
promissis, §. 2. *gloss. ult.* 29. Borellus *de com-*
tro *decis.* 33. Faber *in suo* Capycius La-
diffinit. 9. Cancerius *lib.* 3. *var. cap.* 7. *arbitris,*
Valeron *de transact. tit.* 2. *cap.* 4. *num.* 10. Inte
est enim Reipublicæ lites semel iudicis sententiâ decisas non suscitari. Vnde super re iudicata
transactio non admittitur, *l. si causa, Cod. de tran-*
sact. Accedit quia post rem iudicatam, si de interpretatione sententiæ agatur, qui eam protulit,
debet explicare, *cap. inter alia, de sentent. excom.*
cap. sicut, §. *ex his* 11. *quæst.* 1. *l. fin. Cod. de le-*
gibus. Parladorius *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* §. 3.
Si autem dubium emergat, an sententia prolata
sit, vel restitutio in integrum aduersus eam peta-
tur, tunc compromissum fieri potest, vel si par-
tes sententiæ renunciauerint: quas causas appro-
bauit ius nostrum Hispanum, ius autem commu-
ne omnino abrogauit *in l.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.*
bi rectè notauit Azeuedus *num.* 23. illâ lege
on permitti super re iudicata compromissum fie-
bsolutè, sed tantùm in prædictis casibus. Qui-
animaduersis apparet vera ratio præsentis de-
nis; nam cùm Dux Venetiæ arbiter receptus
æsenti casu, non solùm super controuersiis
er emergentibus, verùm & super rebus iam
tiâ Episcopi Hostiensis decisis arbitrium di-
rectè Honorius III. decreuit pro illis re-
æ iam legitimè iudicis sententiâ decisæ
ires non habere: docuit P. Greg. *dict.*
tit. 4. 3.

APVT

CAPVT XII.

Gregorius XI. *Decano & Magistro P. Canonico S. Petri Atrebatensis diœcesis.*

INnotuit nobis, Guillelmo laïco [b] conquerente, quod cùm O. laïcus ipsum super quadam summa pecuniæ coram iudicibus auctoritate Apostolica conueniisset, tandem fuit à partibus in duos arbitros compromissum, sic tamen, quod si illi duo ad inuicem discordarent, tertium adderent iudices nominati, retentâ penes se compellendi partes ad obseruandum arbitrium per dictos arbitros promulgandum, nihilominus potestate. Cumque tertius arbiter à iudicibus prædictis electus, cum altero duorum ipsum parti alteri condemnasset, idem ex eo sentiens à sæpedictis iudicibus se grauari, quòd ipsum ad obseruantiam huiusmodi arbitrij compellebant, nostram appellauit audientiam: sed ipsi appellatione contemptâ, excommunicationis tulerunt sententiam in eundem. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, cùm legali sit prouisione statutum, vt compromissum de incerta persona per arbitrum adsumenda non teneat, dictam excommunicationis sententiam denuntietis penitus nullam esse.

NOTÆ.

1. a *Trebatensi.*] Atrebatum Metropolis Artesiæ, olim Nementasum dicta, vt notauit Bucherus *in Belgic. Rom. lib.* 1. *cap.* 3. est vrbs Episcopalis Galliæ, de cuius situ plura adduxerunt fratres Sarmatani *tomo* 2. *Gallia Christ. fol.* 212. Et licèt eius Cathedra fuisset aliquando Episcopatui Cameracensi vnita, tamen Vrbanus II. proprium Prælatum illi præfecit in Concilio Claromont. anno 1194. vt testantur Miræus *in factis Belgicis*, Cironius *in cap. vlt. de rescript. in* 5. *compil.* Vrbani verba referunt fratres Sarmat. *vbi suprà.* Pontio eius Ecclesiæ Præsuli missa est præsens Decretalis.

2. b *Laico conquerente.*] Cùm laïci super causa temporali merè conueniri non possint coram iudice ecclesiastico, *cap. nouit*, cum vulgatis, *de iudiciis*; supponendum est in præsenti agi de dote, cuius causa incidenter tractari debet coram iudice ecclesiastico simul cum matrimonio, *cap. nuper, cap. de prudentia, de donat. inter*, vt vult Butrius *in præsenti, num.* 5. vel contractum iuratum esse, vt supponit Hostiensis *in præsenti.*

Commentarium huius textus dedi *in cap.* 1. *hoc tit.*

CAPVT XIII.

Idem *Abbatissæ, & conuentui* [a] *Iotren.*

CVm à nobis petitur. *Et infrà*: Ex parte vestra fuit propositum, quod olim inter vos, & Senon. [b] Archiepiscopum quæstione subortâ super eo, quod idem Archiepiscopus adserens monasterium vestrum metropolitico iure sibi subesse, [c] procurationes & res alias exigebat à vobis. Tandem in R. [d] Sancti [e] Angeli Diacon. Cardin. tunc Apostolicæ Sedis Legatum à partibus concorditer compromisso, & promisso sub certa pœna, quod arbitrio, seu ordinationi eiusdem, vel duorum mediatorum, quos idem super hoc deputaret, præcisè parêrent, Magister P. Capellanus noster, & I. Archidiaconus Senon. mediatores ab eodem super hoc deputati à Legato, ordinando, & definiendo causam huiusmodi terminauerunt. Nos igitur quod per prædictos mediatores super hoc actum est, auctoritate Apostolica confirmamus.

NOTÆ.

1. a *Iotren.*] In Diœcesi Meldensi est moniale monasterium Ordinis D. Benedicti, quod constituxit Audoënus Rothomagensis Archiep. vt referunt Aymoinus *lib.* 4. *historiæ Franc. cap.* 41. Vvilhelmus Nanguisius *in chronographia*, Chopinus *lib.* 1. *monast. tit.* 2. *num.* 19. fratres Sarmatani *tomo* 4. *Galliæ, folio.* 540. Immediatè paret R. Sedi, vt constat *ex cap. ex parte* 1. *de priuil.* & probat Chopinus *vbi suprà.*

b *Archiepiscopum.*] Petrum videlicet de Corbolio, de quo, & Ecclesia Senonensi egi *in cap.* 1. *de postulat. Prælat. cap.* 6. *de constitutionibus.*

c *Procurationes.*] De quibus agemus, Deo volente, *in cap. cùm Apostolus, de censibus.*

2. d *R.*] Romanum videlicet Cardinalem tituli S. Angeli, qui Legatus missus fuerat per totam Galliam, vt Regni Proceres contra Albigenses moueret,

moueret, vt refert Spondanus post Baronium *anno* 1227. *num.* 12.

3. e *S. Angeli.*] Titulus S. Angeli in foro Piscario est vnus ex quatuordecim Diaconiis perantiquis, vt refert Cohelius *in notitia Cardin. c.* 2. Quæ ad hunc textum spectant, adduxi suprà *in cap.* 1.

CAPVT XIV.

[a] Idem.

COmpromissum non extenditur in compromittentis hæredes, si de ipsis non caueatur ibidem.

NOTÆ.

a IDem.] Gregorius videlicet IX. qui metu proprio, à nemine consultus, præsentem edidit constitutionem vtriusque iuris principiis valde consonam.

COMMENTARIVM.

1. CONCLVSIO REFERTVR ET PROBATVR.

IN præsenti textu sequens communi er examinatur assertio: *Morte arbitrorum, aut vno eorum, seu decedentibus litigatoribus, vnóve eorum, finitur compromissum, nec ad hæredes compromittentium transit, nisi aliter in compromisso caueatur.* Probant eam textus *in cap. ex parte* 10. *hoc titulo, cap. vno* 42. *de officio deleg. cap. præsentata* 40. *de testibus, l. diem* 27. §. 1. *l. in compromissi* 45. *l. sed si interpellet* 47. *l. arbiter* 49. *ff. hoc tit. l. penult. Cod. de pedaneis, l. Pædius, Cod. de iudiciis, l.* 28. *tit.* 4. *partit.* 3. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Couarr. *in cap. requisisti, num.* 8. *de testam.* Sesse *de inhibit. cap.* 2. §. 2. *num.* 35. P. Barb. *in l. hæres, num.* 30. *ff. de iudiciis*, Duarenus *ad tit. de noui operis nunc.* §. *morte*, Maranta *de ordine iudic.* 4. *part. disput.* 33. Valentia *tomo* 3. *illustr. tract.* 1. *cap.* 2. *num.* 8. Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 6. *num.* 23. Valenzuela *consil.* 107. *num.* 9. Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 22. Petrus Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 4. *cap.* 7. Gomez *in l.* 38. *Tauri, num.* 4. Balboa *in cap. quia, de iudiciis, num.* 80. Fermosinus *in eod. textu, quæst.* 1. *num.* 31. & *in cap. fin. de foro compet. quæst.* 9. *num.* 16. Nicolaus Vander. *singulari* 54.

2. IMPVGNATVR DICTA ASSERTIO.

Sed hæc assertio ita illustrata labefactari videtur sequentibus considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam omnes contractus, & obligationes ex eis prouenientes, transeunt in hæredes qui defunctorum vices sustinent, & personas repræsentant, in quorum iura, tam actiua, quàm passiua succedunt, *l. cùm hæres* 11. *ff. de diuersis, & temporal. l.* 1. *Cod. si certum petatur, l. vlt. Cod. de hæreditariis act.* sed compromissum est contractus, *authentic. si verò, Cod. de iudiciis:* igitur compromissi obligatio ad hæredes compromittentium transit. Augetur hæc difficultas primò ex eo; nam arbitria redacta sunt ad instar iudiciorum, *l.* 1. *ff. hoc tit.* sed iudicia semel cœpta ex quacumque causa in hæredes transeunt, *cap. quia, de iudiciis, l. hæres* 19. *ff. eod. tit.* igitur & compromissum semel factum ad hæredes transire debet. Secundò augetur hæc difficultas; nam in dubio, cùm pactum, seu contractus celebratur inter aliquos, non solùm pro se ipsis, verum & pro hæredibus contraxisse creditur, *l. si pactum* 9. *ff. de pactis*, Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 62. Desiderius Heraldus *lib.* 2. *rei iudic. cap.* 18. igitur in stipulatione ex causa compromissi interposita non solùm pro compromittentibus, verùm & pro ipsorum hæredibus factum compromissum præsumitur. Secunda difficultas militat aduersùs aliam partem huius assertionis, vbi affirmatur, ad compromittentium hæredes transire compromissum, si de ipsis expressè caueatur in eo; nam etsi expressè agatur, vt ad compromittentium vnius hæredem transeat compromissum, eodem modo soluitur, ac si nec vtriusque hæredis mentio facta sit, *l. sed si* 49. §. *vlt. ff. hoc tit.* igitur non sufficit, vt compromissum transeat ad hæredes, quod de ipsis in eo expressè caueatur. Tertiò difficilis etiam est prædicta assertio, dum docet, mortuo vno ex arbitris finiri compromissum; nam mors, & absentia æquiparantur, *cap. si delegatus, de officio deleg. in* 6. Sed vno ex arbitris absente, non finitur compromissum, sed cæteri sententiam dicunt, *cap. fin. hoc tit. in* 6. igitur & vno defuncto, alij arbitrium proferre valent.

3. QVIBVS MODIS FINITVR COMPROMISSVM.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens constitutio, pro cuius expositione sciendum est, compromissum ritè factum variis modis finiri. Primò enim compromissum soluitur, si ingrediatur religionem arbiter, vel vnus ex compromittentibus. Baptista *de arbitris quæst.* 53. monasterium enim licèt habeatur loco hæredis, *cap. in præsentia, de probat.* quia tamen hæres non succedit in compromisso, ita nec monasterium. Etiam morte ciuili finitur compromissum. Dueñas *regul.* 128. *ampliat.* 4. Item si bona compromittentis publicentur: cùm enim fiscum habeat hæredem, *l. inter eos*, § *fin. ff. de fideiuss. l. quotiens, ff. de nouat.* fiscus vt hæres non succedit in compromisso. Et cùm ipse litigator non habeat bona, ex quibus soluat pœnam, necesse est per publicationem bonorum solui compromissum. Etiam finitur si aliquis ex compromittentibus bonis cesserit, *l. item si vnus* 27. *ff. hoc tit.* vbi Cuiacius *lib.* 4. *ff. Iuliani*, Faber *in eius rationali*, Duarenus *ad hunc titulum, cap.* 1. licèt enim compromittens ipso iure obligetur ex compromisso, sicut ex aliis obligationibus, ita vt summo iure conueniri possit, etiamsi bonis cesserit; tamen quia inanis est actio, quæ per exceptionem eliditur, *l. nam is* 6. *ff. de dolo, l.* 3. *Cod. de bonis auctorit. iudicis*, §. *vlt. Instit. de replic.* ideo per cessionem bonorum finitur compromissum, nec arbitri arbitrium dicere coguntur.

4. FINITVR PROLATIONE SENTENTIÆ.

Etiam finitur compromissum postquam arbitri diffinitiuè arbitrium dixerunt, *l qualem* 19. *ff. hoc tit.* licèt enim Magistratus ordinarij etiam postquam sententiam protulerunt, maneant iudices; siquidem eam executioni mandare possunt, vt probant Decellus *lib* 27. *comment. cap.* 3. vbi Osualdus *littera* 6. Duarenus

in l. quod iussit 14. *ff. de re iudic.* & ideo apud ipsos peti potest in integrum restitutio, *l. Præses* 42. *ff. de minoribus*; & ipsi de nullitate sententiæ cognoscere valeant, *l.* 1. *Cod. de sententiis, l. si pro se* 6. *Cod. quomodo, & quando, l.* 4. *Cod. de accusat.* Mota *in empor. tit.* 2. *quæst.* 7. *num.* 28. tamen iudices dati à Prætore ex consensu partium sententiam semel dictam mutare non poterant, quia adhuc iudices non remanebant, *l. iudex* 55. *ff. de re iudic.* Seneca *in controu. Sæpe iudex, quam tulit reo tabellam, reuocare non potest.* Apuleius *lib.* 1. *florid. Sententia semel lecta, nec augeri litterâ vnâ, nec minui potest.* Et sicut iudices dati sententiam interlocutoriam mutare poterant, *dict. l. quod iussit* 14. ita & arbitri. Vnde si arbiter iusserit litigatores Kalendis coram se adesse, potest postea iubere, vt idibus adsint, & mutare sententiam, *l. quod autem*, §. *vnde, ff. hoc tit.* vbi Cuiacius *lib.* 13. *Pauli ad edictum*, & idem *tomo* 2. *controu. cap.* 348. *num.* 2. Osualdus *lib.* 21. *ad Donel. cap.* 23. *littera G.* Sed si super pluribus causis arbitri recipiantur, quia omnes controuersiæ ab eo sunt decidendæ, *l.* 3. *Cod. Theodos. de sententiis ex periculo*, si super vna tantùm arbitrium dixerunt, poterunt in aliis procedere, *l. qui tantùm* 25. *ff. hoc tit.* Felinus & Balboa congesti à Fermosino *in cap. fin. de ordine cognit. quæst.* 11. *num.* 7. Similiter si pœna adiecta in compromisso committatur ex aliquo casu, finitur compromissum, *l. si duo, l. non distinguemus*, §. 1. *ff. hoc tit.* nisi expressè actum sit, vt sæpe sæpius ex diuersis causis committatur, *l. si duo* 34. §. *semel, ff. hoc tit.* quo modo accipiendus est textus *in l. non ex omnibus* 39. *ff. hoc tit.* vbi asseritur, posse punire contumaciam rei, & postea proferre sententiam, & sic pœnâ commissâ ex contumaciæ causa non finitur compromissum, quia supponendum est in ea specie actum fuisse inter compromittentes, vt sæpius pœna committeretur: docuit Cuiacius *lib.* 13. *Pauli ad edictum in dict. l. si duo*, & *ad titulum Cod. de edendo.* Etiam finitur compromissum, si res, de qua lis vertebatur, perierit, quia peremptâ re, lis finitur, nisi adhuc litigantium interfit arbitrium proferri, *dict. l. non distinguemus*, §. *item* 5. quandoque enim peremptâ re supersest controuersia de fructibus, quæ per arbitros decidenda est, *l. vtique, ff. de R. V.* Finitur etiam compromissum, si super ipsa controuersia partes in iudicio comparuerint, *l. sed si in seruum* 9. §. *fin.* cum legibus sequentibus, *l. si quis rem* 30. *ff. hoc tit.* vbi difficilia sunt illa verba, *apud iudicem suo ordine peragenda*; quæ variè exponunt Cuiacius *lib.* 13. *ad edictum Pauli*, ibi, Antonius Thesaurus *decis.* 14. *Pedemont.* Fachineus *lib.* 3. *controu. cap.* 94. Faber *in eius textus ration.* Item acceptilatione, aut pacto in contrarium celebrato, *dict. l. non distinguemus*, §. *summa rei*, & §. *item non est*; nihil enim tam naturale est, quàm eo genere quidquid dissolui, quo colligarum est, *cap.* 1. *de R. I.* ergo si compromissum stipulatione, aut pacto irritum sit, acceptilatione, aut pacto in contrarium facto finitur.

4. FINITVR TEMPORIS LAPSV. Etiam compromissum finitur alio modo, videlicet temporis lapsu; compromissum enim solet fieri aut cùm temporis præfinitione, aut sine temporis adiectione. Si tempus præfinitum non sit arbitrio dicendo, finitur compromissum triennio; & hoc iure communi statutum fuisse testatur lex 233. styli, & disposuit Alfonsus noster *in l.* 27. *tit.* 4. *partit.* 3. quia cùm arbitria redacta sint ad instar iudiciorum, *l.* 1. *ff. hoc tit.* & iudicij instantia triennio finiatur, *l. properandum, Cod. de iudiciis*, latè probaui *in cap. de causis* 4. *de officio deleg.* ideo arbitrorum potestas similiter triennio finitur, si nullum tempus in compromisso adiectum sit. Docent Gregorius Lopez *in dict. l.* 27. *partita*, Paz *in dict. l.* 233. Styli Azeuedus *in l.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.* quod triennium computari debet à die litis contestatæ coram arbitris. Si verò in compromisso certum tempus præfinitum sit arbitrio dicendo, nisi intra illud sententia proferatur, finitur compromissum, *l. si cùm dies* 22. *l. arbiter* 50. *ff. hoc tit. dicta l.* 27. *partit. dict. l.* 4. *recopil.* nisi à partibus tempus prorogetur. Vnde superest vt videamus, vtrum arbitri per se, vel compromittentes sine arbitris, possint diem in compromisso præscriptum prorogare, seu referre, idest in proximiorem reuocare, seu anticipare. Et quoad arbitros certum est, eos per se tantùm non posse tempus prorogare, aut referre, *l. non distinguemus*, §. *de eo, l. arbiter* 50. *ff. hoc tit.* est enim hoc nouum compromissum, quod ex prorogatione temporis fit. Vnde sicut in primo consensus partium desideratur, ita & in hoc secundo adesse debet, nisi in compromisso caueatur vt dies possit proferri; tunc enim inuitis etiam compromittentibus poterit dies ab arbitris prorogari, *l. Labeo* 23. §. *hæc, l. diem*, §. 5. *l. non distinguemus*, §. *vlt. ff. hoc tit.* nec opus est tempus prorogari sententiâ dictâ; per nuntium enim prorogari potest, *l. diem* 27. *ff. hoc tit.* quia quæ consensum nudum requirunt, per epistolam, aut nuntium expediri valent, *l.* 1. §. *vlt. ff. de contrahend. emptione*: virtute tamen huius clausulæ de prorogando die compromissi, non potest arbiter diem referre, *l. arbiter* 33. *ff. hoc tit.* quia ferendum non est, quicquam immutari ex compromisso, aut illud alterare, *l. sed si in seruum* 9. §. *penult. ff. hoc tit.* Nec hucusque traditis obstat textus *in dict. l. non distinguemus*, §. *dies*, in illis verbis: *Dies compromissi proferri potest, non cùm ex conuentione, sed cùm iussu arbitri eam proferre necesse est, ne pœna committatur.* Vbi videtur supponi, non sufficere partium conuentionem tempore compromissi factam, vt arbiter possit diem proferre; nam in eo textu agitur de pœna committenda à litigatore, qui post conuentionem in compromisso factam, vt arbiter possit proferre diem, renuit, ne illum proferret. Et asserit Consultus, quod si post dictam conuentionem, antequam necesse sit diem proferre, eam protulerit, & vnus ex litigatoribus contradixerit, non committitur pœna, sed si contradixerit, postquam ex necessitate arbiter diem prorogauerit, tunc committitur pœna, & alteri ex litigatoribus acquiritur, & si ambo contradixerint, pœna non committitur, quia non est cui applicetur, *l. arbiter Kalendis* 40. *ff. hoc tit.* Similiter etiam compromittentes per se non possunt tempus in compromisso adiectum prorogare, renuente arbitro, vt ipse cogatur sententiam dicere; eo autem consentiente, poterit dies proferri, *l. Pomponius* 13. §. *vlt. l. quid tamen*, §. 5. *ff. hoc tit.* sicut enim primum compromissum recipere arbiter cogi non poterat, *dict. l. Pomponius*, §. *recepisse*: ita nec secundum absque noua voluntate recipere compellitur. Similiter etiam vnus ex compromittentibus absque alio compromissi diem nequit prorogare, *dict. l. arbiter* 33. Cuiacius *lib.* 13. *Pauli ad edictum, in l.* 12. *ff. hoc tit.* sicut enim

vnus

vnus ex litigatoribus sine alio non potest prorogare iurisdictionem iudicis incompetentis, *l.1. ff. de officio eius*, *l. 5. ff. de officio Proconsulis*; ita neque arbitri potestatem sine alterius consensu prorogare valet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, contra regulam *non debet* 74. *ff. de R. I.* quæ regula si coniungatur cum dicta lege arbiter, quæ est eiusdem Papiniani, & *in eodem lib.*1. pertinet ad hunc casum prorogationis temporis compromissi, vt animaduertunt Cuiacius *in dict. l. arbiter*, Iacob. Gothofredus *in dicta regula non debet* 74.

5. TRADITVR RATIO DECIDENDI. Præcipuus autem modus, quo finitur compromissum, contingit morte arbitrorum, & compromittentium, iuxta præsentem decisionem, cuius vera ratio prouenit ex eo; nam compromissum est stricti iuris; quare non extenditur de casu ad casum, nec de persona ad personam in compromisso non comprehensam, *cap. dilecti, hoc tit. dict. l. non distinguemus*, §. *ex officio.* Cùm enim arbitri nullam aliam habeant potestatem, nisi quæ sibi à compromittentibus data est, & quatenus data est, *l. arbiter* 50. *ff. hoc titulo*; & compromisso tantùm cautum sit, vt ipsi arbitri inter compromittentes arbitrium dicant; non potest compromissum transire ad arbitrorum, vel compromittentium hæredes. Accedit, quia pœna promissa in ipso compromisso, non poterit committi ab ipsorum hæredibus, ex persona defunctorum, cùm defuncti non ipsi sententiæ parêre teneantur, *l. à testatore* 109. *l. qui Romæ* 122. §. *Agerius*, *ff. de V. O.* Alia etiam specialis ratio ex natura compromissi prouenit; frequenter enim compromittitur in amicos, vt eorum sententiæ faciliùs pareatur: quæ ratio cessat in hæredibus arbitrorum, & compromittentium. Vnde non debet transire compromissum ad hæredes, sicut ob eandem rationem exequutoris testamenti officium ad hæredes non transit, *cap. fin. de testam. lib.*6. docet Carpio *de exequutoribus*, *lib.*3. *cap.*2. sed si hæredum mentio facta sit ex consensu compromittentium, transit compromissum ad hæredes, quia de eius natura non est, vt ad hæredes transire non possit: docet Pinellus *lib.*2. *select. cap.*6. *num.*23. Notandum autem est discrimen, quod datur inter hæredes arbitrorum, & compromittentium; nam ad hæredes arbitrorum nec virtute conuentionis transire potest compromissum, cùm electa sit eorum industria, quæ in ipsorum successoribus non consideratur, argumento textus *in cap. fin. de officio Ordin.* quæ ratio cùm non militet in hæredibus compromittentium, ad eos virtute conuentionis transire potest compromissum. Nec nouum est, vt ratione specialis cautionis transeat ad hæredes, quod aliàs morte suorum auctorum extingueretur, *l. antiquitas*, *ff. de vsufructu.*

6. DISSOLVITVR PRIMA DIFFICVLTAS. Nec prima difficultas suprà perpensa aduersatur; licèt enim omnes ferè obligationes in hæredes dentur, sunt tamen aliqui contractus, ex quorum natura prouenit, vt obligatio in hæredes non transeat, vt de mandato, & societate probaui *in cap. licèt*, *de officio deleg.* quare cùm compromissum, etsi non naturâ suâ, ex speciali tamen ratione, quam suprà assignauimus, morte compromittentium finiatur, ideo non transit ad hæredes. Nec primum augmentum refragatur, quia non in omnibus, & per omnia arbitria redacta sunt ad instar iudiciorum, vt sæpe sæpius in hoc titulo notaui, plures enim differentiæ inter arbitria, & iudicia dantur, inter quas illa præcipua versatur, quod iudicia semel cœpta ad hæredes transeunt, non autem arbitria. Differentiæ ratio ex eo prouenit, quòd arbitria sint personalia, & stricti iuris; vnde extendi non possunt ad personas in compromisso non comprehensas. Accedit, quia iudicia inter inuitos exercentur, *l. inter stipulantem*, §. *si Stichum*, *ff. de V. O.* arbitria autem inter volentes dantur, *cap.*1. *hoc tit.* Nec secundum augmentum obstat; nam licèt non solùm sibi, verùm & hæredibus, vnumquemque stipulari, & cauere credatur; id tamen non semper, sed plerumque contingit: in obligationibus enim facti iure Digestorum sibi tantùm, non hæredi suo stipulasse testatorem videbatur, & si quis nunciasset nouum opus, tantùm pro se, non pro hæredibus nunciasse credebatur, *l. non solum* 8. §. *morte*, *ff. de noui operis nunc.* vbi notauit Duarenus: hodie tamen *ex l.*3. *Cod. de contrahenda stipul.* semper pro hæredibus testatorem stipulasse creditur: sic etiam in compromissis, nisi de hæredibus expressè agatur, ad ipsos non transeunt.

7. RESPONDETVR SECVNDÆ DIFFICVLTATI. Nec obstat secunda difficultas deducta *ex dict. l. sed si interpellatus*, §. *vlt. ff. hoc tit.* nam præsens decisio accipienda est, cùm in compromisso actum est de vtriusque compromittentis hæredibus, & vt ad eos compromissum transeat; si enim de vnius tantùm hærede caueatur, nec in ipsum transit compromissum, quia eius obligatio mutua est, nec debet claudicare ex parte vnius, *l. litigatores* 11. §. *penult. l. quid tamen*, §. *penult. ff. hoc tit.* Sed si litigatores in compromisso dixissent ad hæredes tantùm vnius compromissum transire, eius obligatio claudicaret ex parte alterius; siquidem in eius hæredem non daretur. Vnde vt par sit compromissi obligatio, rectè statuitur *in dict.* §. *vlt.* compromissum non posse transire in vnius hæredem, quin etiam in alterius successores transmittatur, vt docent Faber *ibi*, Cuiacius *lib.*4. *ff. Iuliani*, *in eo textu.* Tandem non obstat vltima difficultas deducta ex æquiparatione absentis; vno enim ex arbitris absente, alij de causa cognoscere valent; non verò vno eorum defuncto. Discriminis ratio nascitur ex eo, quia absens vocari potest, vt causæ cognitioni intersit; & eo contumace, alij arbitrium dicere valent, *cap. vlt. hoc tit. in* 6. In defuncto verò non potest dari hæc contumacia: vnde alij non possunt in causa procedere, vt aliis relatis docet Sesse *de inhibit. dicto* §.1. *num.*35.

8. EXPONITVR TEXTVS IN L. NON DISTINGVEMVS, §. SI IS FACIAT 10. FF HOC TIT. Superiori assertioni obstat primò textus *in l. non distinguemus* 32. §. *si is faciat* 10. *ff. hoc tit.* vbi proponitur, Mæuium super certo fundo compromissum cum Seio fecisse; & cùm Seius decessisset, hæ rede relicto Sempronio, Mæuius cum eo iudicio petitionis hæreditatis agebat. Quæstio fuit, vtrum arbiter cogendus esset arbitrium dicere d functo vno ex compromittentibus? Et respondit Paulus, cogendum non esse sententiam dicere, imò inhibendum esse sententiam proferre, ne fiat præiudicium hæreditatis petitioni, quia cùm hoc iudicium centumvirale sit, non potest ante aliud discerni, *l. Diuus Pius* 5. *ff. de petit. hæredit. l.* [illegible] *Cod. eodem tit.* Ex quo Pauli responso deducitur, compromissum non extingui morte compromittentis; siquidem postea potest arbiter sententiam dicere. Cui difficultati satisfaciunt Accursius, Faber, & Cuiacius [illegible], & *lib.* 13. *Pauli ad edictum*, dicendo in ea specie actum fuisse expressè

expresè à compromittentibus, vt ad hæredes compromissum transiret; vnde rectè Paulus affirmat, etiam defuncto vno ex compromittentibus, posse arbitrum sententiam dicere.

9. INTELLIGITVR CAP. EX PARTE 10. HOC TIT.

Secundò opponitur textus *in cap. ex parte* 10. *hoc tit.* vbi sequens proponitur casus. Vacante Præpositurâ S. Cuniberti, quidam ex Canonicis elegerunt Hermannum, alij verò Conradum; & super ipsa electione in Archiepiscopum Colonienſem, aliàs iudicem ordinarium ipsius causæ, compromissum fecerunt; & cùm Archiepiscopus ad sententiam proferendam certum diem præfixisset, interim Hermannus electus decessit. Archiepiscopus statim Canonicis iussit, ne ad secundam electionem procederent, primâ non cassatâ: & cùm Canonici contemptâ huiusmodi inhibitione elegissent Brunum in Præpositum, adueniente die præfixo ad arbitrium dicendum, Conradus petebat, vt Archiepiscopus illud proferret. Consultus Honorius III. respondit, quod licèt compromissum fuisset solutum per mortem Hermanni, tamen ipsum Archiepiscopum debere in causa procedere antequam secunda electio celebraretur. Ex qua Honorij decisione deducitur, adhuc defuncto vno ex compromittentibus, posse arbitrum in causa procedere, & eam terminare. Agnouit difficultatem glossa *in eo textu*, *verbo Cognoscere*, cuius solutionem amplectuntur omnes repetentes *ibi*: sed subtiliùs satisfacit Cironius in notis ad ipsum textum, asserendo arbitrum in ea specie potuisse post mortem Hermanni arbitrium dicere, quia durabat compromissum ratione Conradi ex vna parte, & ex alia respectu eorum, qui elegerunt ipsum Hermannum; vnde decidenda erat causa ipsius electionis, ne eâ non cassatâ, ad aliam procederetur, contra principium textus *in cap. consideranimus, de elect.* quod etiam expresè constituit Bonif. VIII. *in cap.* 1. vt lite pendente, *lib.* 6. quare cùm ex natura causæ comprehensæ in ipso compromisso proueniret, vt prima electio esset cassanda antequam ad secundam procederetur, iustè Honorius decreuit, etiam post mortem Hermanni Archiepiscopum, velut arbitrum, vel tanquam ordinarium debere sententiam proferre.

10. EXPONITVR CAP. PRÆSENTATA, DE TESTIBVS.

Tertiò præsenti assertioni opponi potest textus *in cap. præsentata* 50. *de testibus*: vbi proponitur, litem disceptari inter Archidiaconum Sueſſionenſem ex parte vna, & Capitulum S. Petri ex alia, super iurisdictione, quam idem Archidiaconus se habere asserebat: & cùm arbitros elegissent Bertrandum, Radulphum, & Petrum, ipsi arbitri in causa processerunt; & cùm iam testibus receptis, publicatisque attestationibus arbitrium proferre proposuissent, vnus ex ipsis decessit, & alter in Archiepiscopum electus fuit; & ita Radulphus tantùm remansit. Partes petierunt ab Innocentio III. vt causam viris discretis committeret terminandam, cùm tantùm vnus arbiter remansisset. Pontifex eam commisit certis iudicibus, vt iuxta acta à prædictis arbitris sententiam proferrent. Quem textum ita expendo: Si compromissum finiretur morte vnius ex arbitris, acta coram ipsis non valerent, cùm acta coram iudice incompetenti fidem non faciant coram competente, *cap. at si clerici, de iudiciis.* Latè probat Barexa *de instrument. edit. tit.* 7. *resol. vlt.* igitur si acta ab arbitris confecta, etiam mortuo vno ex eis durant, ideo est quia compromissum omnino non finitur. Deinde difficilis est textus ille, dum in eo docetur, vnum tantùm arbitrum superesse ex tribus receptis, cùm vnus solus decessisset. Primæ difficultati respondendum est, discrimen constituendo inter acta, quæ pertinent ad litis decisionem, vt testium depositiones, & partis confessio; & quæ pertinent tantùm ad litis ordinationem. Priora etiam facta coram vno iudice, fidem faciunt coram alio, *l.* 2. *Cod. de edendo*, si redacta sint in publicam formam, *l. vlt. Cod. de re indic.* Secunda verò litis ordinatoria, veluti citationes, litis contestatio, testium productio, pereunt peremptâ instantiâ: Barexa *dicto resol. vlt. num.* 8. Vnde cùm *in dict. capite præsentata*, agatur de testium depositionibus publicatis, & redactis in publicam formam, fidem faciunt coram iudicibus delegatis, nec pereunt extinctâ compromissi instantiâ: docent Farinacius *de testibus, quæst.* 25. *num.* 112. Barbosa *in dict. cap. præsentata, num.* 4. Secundæ difficultati satisfaciendum est asserendo, in eo textu compromissum non solùm finiri morte vnius ex arbitris, verùm etiam assequutione dignitatis Archiepiscopalis; siquidem certum est, per adeptionem sacerdotij, aut similis dignitatis arbitrum excusari ab arbitrio dicendo, *l. non distinguemus*, §. *Sacerdotio, ff. hoc tit. l. Prætor, ff. de vacat. munerum, l. si longius* 18. *ff. de iudiciis.* Docet Pinellus *lib.* 1. *select. cap.* 8. *num.* 14. Vnde cùm in dicto capite *præsentata*, vnus ex tribus arbitris decessisset, alter verò in Archiepiscopum fuisset electus, rectè asseritur, vnum tantùm arbitrum remanere, quia alij duo arbitrium dicere cogi non poterant, etsi contrarium teneat Cironius *ad illum textum.* Nec huic solutioni obstat textus *in l.* 4. *ff. hoc tit.* vbi docetur, quod etsi arbiter magistratum assequatur, potest cogi sententiam dicere; nam magnum discrimen versatur inter arbitrum in Magistratum nouiter creatum, & inter arbitrum in Sacerdotem cooptatum, quia per assequutionem Magistratus non eximitur arbiter à compromissi obligatione; secus verò sacerdotio obueniente. Discriminis ratio ex eo prouenit, quia Magistratus non semper, & continuè negotiis Reipublicæ incumbit; Sacerdos verò adeo templo manciparur, vt ab eo recedere non possit, *l.* 2. *ff. de in ius vocando*; vnde cogi non potest arbiter sacerdotio obueniente diuina officia deserere, & arbitrium dicere. Docet Cuiacius *lib.* 13. *Pauli ad edictum, in dict. l. non distinguemus*, §. *sacerdotio.*

11. INTELLIGITVR CAP. RAYNVNCIVS, DE TESTAMENTIS.

Quartò præsenti assertioni aduersatur textus *in cap. Raynuncius, de testament.* vbi quædam controuersia, quæ circa susceptionem testamentariam inter quosdam vertebatur, in tres arbitros compromissa fuit; & cùm vnus ex eis decessisset, supponitur alios in causa processisse, eamque fine debito terminasse: igitur morte vnius ex arbitris non finitur compromissum; imò superstites arbitrium dicere valent. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, quod licèt pluribus arbitris receptis, aut iudicibus delegatis, vno defuncto, alij in negotio procedere non possint, *cap. causam* 16. *cap. cùm causa* 21. *cap. vno, de officio deleg. cap. si duo* 3. *hoc tit. in* 6. hoc tamen procedit, nisi adiecta sit clausula, *quod si non omnes*; tunc enim superstites, aut vnus tantùm

negotium

negotium terminare possunt, *cap. sciscitatus*, vbi probaui, *de rescriptis*. Vnde cùm *in dict. cap. Raynaldus*, adiecta esset clausula, *quod si non omnes*, & expresè cautum, quod si non omnes, duo, alterve in causa procederent; ideo morte vnius finitur compromissum.

12. EXPLICATVR L. DEBITOR 13. DE NEGOTIIS GESTIS.

Quintò refragatur præsenti assertioni textus *in lege debitor* 13. *ff. de negotiis gestis*, vbi proponitur, Titium, cui Mæuius 50. debebat, defuncto Mæuio, ipsiusque hæreditate iacente, negotia hæreditaria gessisse, vendidisseque aliquas res infructuosas, & centum ex earum venditione in arca reposuisse, ex qua subrepta fuerunt sine ipsius culpa. Quæsitum fuit, vtrum Titius negotiorum gestor possit petere quinquaginta sibi à Mæuio debita, & insuper decem, quæ in negotiis gestis impenderat? Et ex sententia Iuliani Paulus docet, hoc modo distinguenbum esse. Aut Titius habuit iustam causam custodiendi ipsam quantitatem, vel non. Primo casu nihil petere posse, imò & 40. residua, contrariâ negotiorum gestorum actione præstare debere. Secundo verò casu sexaginta petere posse. Apponit Consultus exempla, in quibus iustam causam custodiendi Titium habuisse creditur, & inter alia illud expressit, si periculum erat, ne pœna committeretur compromisso apposita. Ex qua facti serie deducitur, post mortem compromittentis transire compromissum in hæreditatem iacentem, & per consequens in hæredem. Igitur non rectè asserimus, compromissum finiri morte compromittentis. Pro huius difficultatis solutione duo iuris principia præmittenda sunt. Primum, quod licèt acta coram arbitris non sufficiant, vt compromissum ad hæredes transeat, sententiâ non prolatâ; tamen si sententia dicta sit, licèt exequutioni mandata non fuerit, transit in hæredes, *l. quamuis*, *l. diem*, §. 1. *ff. hoc tit.* ex quo enim lata fuit sententia, cessat ratio suprà expensa: quare compromissum fit transmissibile. Secundò notandum est, pœnam, tam conuentionalem, quàm legalem, committi aduersùs hæreditatem iacentem; vnde si certo die pecunia promittatur sub pœna, & hæreditate iacente dies venerit, committitur pœna, *l. ad diem* 77. *ff. de V. O. l.* 2. *ff. de nautico fœnore*. Similiter ob non solutum tributum, hæreditate iacente, cadit in commissum, *l. si ex causa* 9. §. *si commissum*, *ff. de minoribus*, plura perdoctus D. Melchior de Valentia *tomo* 3. *Illustrium*, *tract.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. quibus suppositis facilè respondetur prædictæ difficultati; cùm enim in eo textu sententia ab arbitris dicta fuisset in vita compromittentium, licèt vno eorum defuncto adhuc exequutioni mandata non esset, potuit committi pœna aduersus eius hæreditatem iacentem, vt textum illum accipit Valentia vbi suprà, *num.* 8.

13. EXPONITVR L. DIEM 27. §. 1. HOC TIT.

Ex suprà traditis exponendus est textus *in l. diem* 27. §. 1. *ff. hoc tit.* vbi generaliter docet Vlpianus, compromissum non transire ad hæredes, si de illis nulla mentio facta sit; prosequitur, & ait non esse admittendam sententiam Labeonis, qui existimauit, quod si arbiter pecuniam dare iusserit, & condemnatus decesserit, antequam eam præstet, committitur pœna, licèt eius hæres paratus sit pecuniam soluere: quæ verba difficillima visa sunt Antonio Fabro in eius rationali, ex eo; nam si compromissum finitur morte, ad quid Labeo affirmat, hæredem offerentem pecuniam compromisso comprehensam, non posse euitare pœnæ commissionem? Quare existimat, ea verba, *licèt hæres eius paratus sit offerre*, esse Triboniani, aut alicuius imperiti Interpretis. Alio modo difficultatem dissoluere intendit, & illum textum in amicitiam reducere cum lege vltima, *Cod. de conditionibus insitis*. Osualdus *ad Denellum lib.* 15. *comment. cap.* 12. *littera E*. Sed his omissis vera interpretatio ipsius textus prouenit ex suprà adductis; cùm enim defunctus post arbitrium ab arbitris dictum teneretur stare sententiæ sub pœna, si illi non paruit, soluendo hæres, aut offerendo sententiæ parêre, non potest effugere pœnam, cùm iam dici non possit, testatorem paruisse sententiæ. Et quia hæredes non possunt adimplere conditiones in faciendo testatoribus præscriptas, *l.* 44. *&* 69. *ff. de condit. & demonst.* sic etiam adimplere non possunt illam conditionem compromisso comprehensam, parendi sententiæ, aut soluendi pœnam; nec possunt etiam offerendo arbitrio stare, euitare pœnæ commissionem; sed si illi sententiæ arbitrorum non starent, cùm testator ei paruisset, soluerent pœnam, quia ex eorum persona debetur, non verò ex persona defuncti, ex qua non poterant cogi soluere pœnam, cùm iam arbitrio paruisset, *l. à testatore* 109. *ff. de condit. & demonst.*

FINIS LIBRI PRIMI DECRETALIVM.




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA

T·3·J·

